UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv, Praxis Fori Poenitentialis

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

urn:nbn:de:hbz:466:1-78332

Visual Library

Th. 572a.

Hic Liber annumeratur Bibliothecæ
Fratrum Capucinorum Paderbornæ.

G IX
27

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. VALERII

REGINALDI BVRGVNDI SEQVANI E SOCIET: IESV,

Praxis Fori POENITENTIALIS AD DIRECTIONEM CONFESSARII, IN VSV SACRI sui muneris.

Volumen posterius.

OPVS AB AVCTORE MAGNO SVSCEPTVM ANIMO INGENtique labore ac diligentia ad finem vsque perductum; non solum Pœnitentibus & Confessarijs sed etiam SS. Theolog. Professoribus & Candidatis, diuini verbi Concionatoribus, Ecclesiasticis omnibus & cuiuis sacrorum Tribunalium Cognitori & Judici perneccessarium,

Nunc Primùm in Germania correctiùs & ornatiùs in lucem editum.

Adiecti sunt, vniuerso Operi deseruientes, Indices duo: Prior Librorum & Capitum; Posterior Rerum & verborum.

PERMISSV SVPERIORVM.

Capucinorum Paderbornensium



MOGVNTIÆ,
Sumptibus Petri Henningij & Bernardi Gualth. Bibliop. Colonienſ.

Anno M. DC. XVII.

Cum Gratia & priuilegio Sacræ Cæſareæ Maieſtatis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN





VENERABILIBVS ANIMARVM PASTORIBVS SALVTEM.

Bibliotheca P. Capucinorum Paderbornensium

CVM ex instituti iamdiu à me susceptí ratione, actiones omnes meæ debeant esse cum DEI gloria, vtilitateque proximorum coniunctæ, contendi pro viribus hactenus ne mea studia ab eo fine aberrarent. Suscepi autem ex iudicio voluntateque Superiorum id potissimùm studij genus, quod non modò priuatis hominibus ad rationem salutis; sed & ipsis animarum Præsidibus ad officium suum ritè obeundum non mediocriter conferre posset. Constat sanè ex sacris literis exquisitiorem quandam à Sacerdotibus, vtpote cæterorum Magistris, ac diuini iuris interpretibus exigi diuinarum rerum notionem: vt præsertim ligandi; soluendique ministerio sibi à Christo impositó, ritè defungantur. Quos enim mæandros flexionesque, conscientiarum sinus habent? hos autem extricare, quanti iudicij est? dirigere verò, & in tuta quasi statione collocare, quantæ doctrinæ? quanti rursus periculi est errare in locis incognitis, & cæcorum cæcos esse duces? Sanè non hoc solùm peccant quòd inscientes sunt, & indocti; sed earumdem sunt etiam flagitiorum, suppliciorumque rei, in quorum abrupta feruntur homines, quos ad DEVM, diuinamq; legem ex officio dirigere debuissent. Sed quàm talium est luctuosa conditio, tam eorum est honesta contentio, qui ab hac eruditione, quâ iuuari animæ potissimùm queunt, probè instructi ac parati, diuinaq; facibus Charitatis ardentes, in medios quasi fluctus insiliunt; vt quamplurimos è certissimo naufragio suæ salutis eripiant. Hac ego spe ductus, & plerosque fore persuasus, quos idem diuinæ Charitatis ardor accenderit, quibus si accesserit necessarium solidioris doctrinæ præsidium, non dubium, quin idonea sint alienæ salutis instrumenta futura; hunc laborem suscepi, eorum inductionem animi, contentionemq; honestæ voluntatis adiuturus, non quasi alij desint quorum fructuosè in hanc partem incubuit industria; sed quia existimaui non frustra nostram locari operam, si collectis in vnum superiorum Doctorum placitis, nos simul adniteremur, nostroq; ex diuturno in hoc Theologiæ morali studio comportatis obseruationibus, reliquorum conatibus nonnihil adimenti afferremus; vt enim scitè dixit D. Augustinus, in hoc rerum genere nec est maioribus inuidendum, nec de minoribus desperandum. Nihil vtiq; mihi tanti fuit, quanti vt vobis, Sacri animarum Pastores, (vos enim meus hic spectat in primis labor) vestræ digni-

tatis admonitus, regiæ planè, ac si fas est dicere, diuinæ inseruirem, in animarum lucris consectandis: eaque præsidia pro modulo meo ministrarem, quibus & dignitatem tueri, & aliis quamplurimis prodesse posſitis. In quam cogitationem vos adduci non dubito, partim officio, partim necessitate; quorum nimirùm præcipuè est pietatem, timoremque diuinum, inclinatione communium temporum debilitatum, ne dicam iacentem, in hominum pectoribus erigere, ac promouere; tumque existimare beatos fore populos, si in his Religionis integritas, & virtutis honestas efflorescant: quæ & labores vestros plurimorum salute cumulent: & vos erecti pulcherrimi studij conscientiâ; tunc demum optimorum Pastorum officio defunctos iudicate, cùm vobis subiectis populis, qua grauiter, & eruditè docendo, quà salutaribus exemplis prælucendo, præcipuam diligentiam, curamque impenderitis. Accipite igitur hoc qualecumq; est nostræ voluntatis officium, non magnum per sè licèt, sed ex magno tamen amore, vobisque obsequendi cupiditate profectum. Cumque sit ea, quam diximus, in vos voluntas, & obsequium, & voluntatem amplecti velitis, & obsequio frui.

Omnium in CHRISTO *seruus*

VALERIVS REGINALDVS
è Societate IESV.

PASCITE qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: neque turpis lucri gratiâ, sed voluntariè: neque vt dominantes in Clericis, sed forma facti gregis ex animo. Et cùm apparuerit princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam. 1. Petri. 5.





PRAXIS FORI POENITENTIALIS AD INSTITVTIONEM CONFESSARII DE IIS, QVÆ PERTINENT AD DIVINI OFFICII SVI MVNIA rite obeunda:

TERTIÆ PARTIS TOMVS SECVNDVS.

DE SPECIALI RATIONE IVDICANDI DE PECCATIS SECVNDVM practicam Theologiam moralem.

Authore P. VALERIO REGINALDO Burgundo Sequano, è Societate IESV:

PROOEMIVM.

SPECIALIS ratio iudicandi de peccatis secundum practicam Theologiam moralem consistit in præceptis declinandi à malo, & faciendi bonum. Nam ex his iudicatur de illis, sicut ex regulis grammaticæ de solœcismis: quoniam illa, horum transgressione committuntur, sicut solœcismi transgressione præceptorum Grammatices. Sic autem procedamus in eadem ratione tradenda, vt communia præceptis præmittamus quantum sufficere potest ad nostrum institutum; iis quæ remotiora sunt à praxi relictis Theologorum Scholasticorum Speculationi. Propria vero persequemur reuocando illa ad decem Decalogi præcepta, tanquam ad primaria capita & principio, ex quibus tanquam conclusiones deducuntur: prout declaratum est in præced. lib. 13. cap. 4. sect. 2. additisque in complementum iis quæ ad contractus ciuiles pertinent; in quibus peculiaris quædam ratio iudicandi de peccatis inuenitur, quę ob prolixitatem nimiam, non potest permista aliis, commode tradi. Itaque tomus hic complectitur decem libros, quorum primus continebit specialem rationem iudicandi de peccatis, respectu habito ad præceptum in communi, per explicationem eorum quæ ad illud pertinent. Secundus vero, iudicandi habito respectu ad 1. Decalogi præceptum. Tertius, habito respectu ad 2. Quartus, habito respectu ad 3. Quintus, habito respectu ad 4. Sextus respectu ad 5. Septimus, habito respectu ad 6. & 9. Octauus, habitu respectu ad 7. & 10. Nonus, habito respectu ad 8. explicatione pertinentium tum ad eadem præcepta; tum ad alia quæ ad ipsa reuocantur. Decimus, habito respectu ad ciuiles contractus, docendo qui sint & qui non sint liciti. Ratio autem iudicandi ex iis, quæ propria sunt diuersorum statuum, commode potest aliis permixta tradi, siue in hoc ipso tomo, siue in sequenti.

LIBER PRIMVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVS SEXTVS.

DE RATIONE SPECIALI IVDICANDI DE PECcatis reſpectu habito in communi ad præcepta, quorum tranſgreſſione peccata ipſa committuntur.

PRÆFATIO.

HÆc ratio conſiſtit in notitia tum naturæ præcepti, tum eorum quæ poſſunt contrauenientem præcepto excuſare à peccato: tum etiam quorundam documentorum, quæ conſiderare oportet iudicando de peccatis: tum demum diuerſitatis præceptorum, quæ omnia ſigillatim propriis capitibus tractanda ſunt.

CAPVT I.

De natura præcepti.

SVMMARIA.

1 *Definitio præcepti.*
2 *Non ſolum bonæ & malæ, ſed etiam indifferentes actiones cadunt ſub præceptum.*
3 *Varius modus virtutis.*
4 *Generalem modum ſupernaturalem virtutis, non cadere ſub præceptum. quomodo intelligi debeat.*
5 *Solutio obiectionum, quibus vrgetur, talem modum cadere ſub præceptum.*
6 *Generalis modus naturalis virtutis, partim cadit ſub præceptum tam diuinum, quam humanum; partim ſub diuinum tantummodo, partim nec ſub diuinum, nec ſub humanum.*
7 *Tres modi, quibus intelligi poteſt actionem fieri ex electione. Primus, non coacte, qui cadit ſub præceptum tam diuinum, quam humanum.*
8 *Secundus, ſine motu. Tertius, alacri voluntate, quorum ille non cadit ſub præceptum, & hic tantummodo ſub diuinum.*
9 *Ratio diſcernendi inter præceptum, & conſilium.*
10 *Quatenus talis diſcretio ex verbis legis fieri poſſit.*
11 *Quomodo fiat ex materia legis: & quod materia conſilij nequeat mala eſſe: quodque malam eſſe, contingat dupliciter.*

Nu.1. AD explicationem naturæ præcepti Sylueſt. in verbo Præceptum initio, definitionem hanc ex D. Thomæ doctrina tradit: quod ſit motio Superioris imperatoria ad aliquid agendum vel fugiendum ex neceſſitate. Illius autem prima pars indicat, quod præceptum in Superiore, ſit actus rationis & voluntatis, tendens in ſubditos per modum imperij. Secunda vero, oſtendit præcepti materiam, eſſe actum virtutis, & actum vitij: quorum ille agendus eſt, & hic fugiendus. Tertia denique declarat præceptum imponere neceſſitatem obediendi; itaut peccetur ſi non fiat quod præcipitur: hocque eſt, quod in ca. fin. 14. quæſt. 1. dicitur: Quod præcipitur imperatur, & quod imperatur neceſſe eſt fieri. Eſt præterea id in quo præceptum diſtinguitur à conſilio; iuxta illud quod in eodem cap. ſubiungitur. Vbi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: vbi præceptum neceſſitas eſt ſeruientis. Vt autem plenius hæc intelligantur, tres quæſtiones explicandæ ſunt.

QVÆSTIO I.

An omnes, & ſolæ actiones virtutum & vitiorum cadant ſub præceptum.

AD hanc reſpondetur, nec ſolas, nec omnes cadere. Nu.2. Non quidem ſolas, quia indifferentes cadere poſſe ſub præceptum patet ex eo, quod præcepta ceremonialia cuiuſque legis, ſoleant eſſe de actionibus externis indifferentibus; quæ ex ſe nullam habent moralem bonitatem vel malitiam; ſed ſolum vt à religione in Dei cultum aſſumuntur. Quanquam vt in præcedenti libro 14. numero 2. annotatum eſt, actio ex ſe indifferens, hoc ipſo quod legitime præcipitur, ponitur in aliquo officio virtutis, bonaque moraliter efficitur: & hoc ipſo quod legitime prohibetur, fit repugnans alicui virtuti, ac moraliter mala. Nec item omnes dictas actiones ſub præceptum cadere ex eo patet; quod pleræque cadant ſolum ſub conſilium: vt illæ virtutum actiones quæ pertinent ad eximiam perfectionem hominis: cuiuſmodi cenſentur eæ de quibus dicitur Prouerb. 3. De primitiis omnium frugum tuarum de pauperibus] & cap. 25. Si eſurierit inimicus tuus ciba illum, &c.] & 1. Corinth. 7 De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do] & aliæ de quibus Dominus apud D. Matth. cap. 5. 6. & 19.

QVÆSTIO II.

An cum actione, modus virtutis cadat ſub præceptum.

VT ad hanc reſpondeatur ſupponendum eſt, modum Nu.3. virtutis eſſe duplicem: vnum ſpecialem, ſeu cuiuſque ſpecialis virtutis proprium: qualis eſt iuſtitiæ quidem, iuſte ſeu ſeruato iuris ordine alteri ſuum reddere: temperantiæ vero, temperate, ſeu ſeruata moderatione in victu & matrimonij vſu, viuere: & ſic de aliis. Alterum autem generalem, qui adhuc duplex eſt: vnus ſupernaturalis & diuinitus infuſus, qui eſt charitatis habitus, gratiæ gratum facientis comes indiuiduus: alter naturalis, & humana induſtria acquiſitus, qui eſt virtutis moralis habitus, quo virtuoſe (vt ſic dicam) agitur; requirens in virtuoſo tres conditiones ex Ariſtot. in 2. Ethic. cap. 4. nempe vt ſcienter agat: deinde vt ex electione propter finem: ac demum vt firmo

ſtabi-

ſtabilique animo: quarum vna deficiente perit talis modus virtutis. Atque his ita poſitis, prima propoſitio ſtatuitur. Modum proprium cuiuſque virtutis cadere ſub præceptum tam diuinum, quam humanum. Ratio eſt, quia virtutis actio, de qua datur præceptum, nequit ſine tali modo conſiſtere, cum ab eo ſuam ſpeciem, propriamque rationem accipiat.

De generali modo ſupernaturali.

Nu.4. SEcunda propoſitio ſtatuitur. Generalem modum ſupernaturalem virtutis, non cadere ſub præceptum. Ea autem non eſt ita intelligenda, quaſi ſenſus ſit, nullum haberi ſpeciale præceptum de actu charitatis. Id enim falſum eſſe aperte conſtat: tum ex aliis ſacræ Scripturæ locis in quibus amor Dei aut proximi præcipitur: tum præſertim ex cap.22. D.Matth. vbi maximum & primum mandatum in lege, Dominus ait eſſe. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & ſecundum ſimile, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Sed intelligenda eſt, vt ſenſus ſit; dum actio virtutis præcipitur, non præcipi eo ipſo vt ex charitate is fiat. Quod D. Thomas *communiter teſte Nauarr. Enchirid. cap.11. numero 13. receptus in ea re, recte probat* 1.2 *quæſtion.*100 *articul.*10. quia ſequeretur alioqui, vt quicumque extra charitatem facit opus de quo datur præceptum affirmatiuum: aut abſtinet ab opere vitij de quo datur præceptum negatiuum: peccet tanquam tranſgreſſor præcepti: cum non habens charitatem non poſſit operari ex charitate. At id inconueniens eſt, immo hæreticum ex Concilio Tridentin.ſeſſ.6.can.7. de iuſtificatione: vbi anathematizatur tale quid dicens. Et certe ſi id verum eſſet, *cum nemo ſciat an habeat charitatem*, quicquid egerimus ſemper anxij eſſemus, an quodcumque præceptum impleuerimus. Itaque præcepto Honora patrem tuum, *inquit D.Thomas*, non includitur, quod pater honoretur ex charitate, ſed ſolum quod honoretur. Quod ſi caſus contigit in quo patet ex charitate honorari debeat: ea obligatio, *vt idem D.Thomas addit in ſolut.2. argumenti*, naſcitur ex eo, quod in tali caſu, ſpeciale præceptum de actu charitatis obliget, non autem ex eo, quod præceptum de honorando patre, eam imponat. Addit ex Maiore Nauarrus in comment. De indulgentiis notab.32. numero 46. verſu 3. per actum etiam mortifere malum (atque adeo repugnantem charitati) poſſe præceptum impleri: vt Eccleſiaſticum de ſacro ſancta Euchariſtia ſumenda in Paſchate, impletur eam ſumendo tunc indigne: quod eſt quidem peccatum mortale contra præceptum diuinum de ea digne ſumenda; ſed non eſt contra præceptum Eccleſiaſticum: quoniam ipſum ea ratione impletur quoad operis ſubſtantiam, cum abſolute detur tantum de vſurpanda tunc temporis, ipſa Euchariſtiæ ſumptione.

Nu.5. Si obiicias præcepta dari de mediis conſequendæ vitæ æternæ, iuxta illud Matth.19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata] & per conſequens de iis quæ agenda ſunt de charitate: cum acta ſine charitate nihil proſint ad æternam vitam conſequendam, vt ex cap.13. prioris ad Corinth. habetur in cap.vltimo de pœnitent. diſtinct.3. paterque ex Concilio Tridentin.in cit. ſeſſ.cap.7. ſub finem. Reſpondetur inde propoſitionem noſtram confirmari. Cum enim præcepta dentur de mediis quibus peruenitur ad finem, non de fine (vt videre eſt in medicina, in qua non dantur præcepta de ſanitate) præcepta data de actionibus virtutum, non debent cenſeri data de charitate. Vnde fit, vt quoad ſubſtantiam operis poſſint extra charitatem impleri, iuxta ſupradicta: quamuis ſecundum intentionem præcipientis implenda eſſent ex charitate: ad quam ipſa illa ordinauit, ſicut præcepta ſua medicus ordinat ad ſanitatem. Itaque ei qui præceptum implet, ſed non ex charitate, idem vſuuenit quod ei qui ex mandato Regis muniuit aliquod caſtrum, ſed alia intentione quam Rex haberet mandando: aut ei qui ab iniuria inferenda abſtinuit iuxta legem in Republ.latam, ſed non ob eiuſdem Reipubl. pacem, quam intendebat legislator. Nam nec ille mandati Regij; nec iſte legis publicæ tranſgreſſor iudicatur: quia illud quod præceptum erat, impleuit ſecundum totam ſubſtantiam operis. Aduerte ex Soto in lib.2. de iuſtit.& iure, quæſt.3. articul.10. vt præceptum impleatur quoad ſubſtantiam operis, ſufficere ex parte principij, generalem Dei concurſum: & ex parte finis, vt opus ipſum ſuapte natura ad Deum tanquam omnium finem vltimum referatur: prout omne opus de ſe bonum refertur, niſi aliqua mala circumſtantia deprauetur. Ad quam doctrinam confirmandam induci poteſt illud D. Pauli ad Rom 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt.

De generali modo naturali.

Nu.6. TErtia propoſitio ſtatuitur. Generalem virtutis modum naturalem & acquiſitum, partim cadere ſub præceptum tam diuinum quam humanum: partim ſub diuinum tantum, non ſub humanum: partim neque ſub diuinum, neque ſub humanum. Hanc habet D.Thomas 1.2. *quæſt.*100.*art.*9. Cuius prima pars probatur: quia dictus generalis modus ſecundum ſuam primam conditionem, *quæ eſt ſcienter agere*, cadit ſub vtrumque præceptum. Nam ad ſatisfaciendum præcepto ſiue diuino ſiue humano, requiritur vt id quod præcipitur ſcienter agatur: debet enim (non minus quam præcepti tranſgreſſio) actio eſſe libera, quæ requirit antegreſſam ſcientiam. Vnde ſi dormiens vel ebrius, vel alia ratione impos mentis, ſacrum Miſſæ audiat in die feſto, non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ: quia neſcit quid faciat: itaut ad ſe rediens, debeat ad ſatisfaciendum, adhuc audire. Non vero ille qui Miſſam deuote audiuit, ſed ſine intentione ſatisfaciendi præcepto: ſiue quia non aduertit diem eſſe feſtum: ſiue quia ſtatuit aliam Miſſam audire. Nam, vt Thomas Sanchez in opere mora i argumentatur, lib.1. cap.13. num.9. legislatores tantum dant præceptum de opere faciendo, non autem de intentione faciendi: quo pertinent dicenda lib.18. num.150. & lib.19. num.23.

Tertia pars propoſitionis ex eo confirmatur, quod idem modus ſecundum ſuam tertiam conditionem, (*quæ eſt agere firmo animo,*) ſub neutrum præceptum cadat: quia firmitas illa includit rationem habitus requirentis longam exercitationem; cum tamen homines ſtatim ac peruenerunt ad vſum rationis obligentur ad præcepta implenda. Itaque ſi quis debitum honorem impendat parentibus, quamuis non habeat pietatis habitum, ſatisfacit præcepto de honorandis parentibus: itaut neque ab homine, neque à Deo puniatur tanquam illius tranſgreſſor: vt loco citat. habet D.Thomas.

Secunda pars demum, & pariter duæ adhuc aliæ probantur: quia idem generalis modus quoad ſecundam conditionem, *quæ eſt fieri ex electione propter finem*, partim cadit ſub præceptum tam diuinum quam humanum, partim ſub neutrum; & partim ſub diuinum quidem, non tamen ſub humanum.

Nu.7. Quod vt pateat notandum eſt, eandem ſecundam conditionem duas habere partes: nempe fieri ex electione, & fieri propter finem. Atque priorem tribus modis intelligi: quorum primus eſt, vt ex electione fieri dicatur, quod ſponte fit, & non coacte: quomodo accepta propoſita conditio cadit ſub omne præceptum tam diuinum quam humanum. Per actum enim coactum non ſatisfit præcepto ſiue diuino ſiue humano, cum impletio præcepti non ſit nuda paſſio, ſed actio libera: qualis non eſt ea in qua cernitur coactio. Vnde ſi quis vi tractus ad templum interſit ſacro, non ſatisfacit præcepto de eo audiendo: nec item ſi quis cogatur ieiunare, quia ablatus eſt ab eo omnis cibus, ſatisfacit præcepto, quo imponitur ieiunium, & ſic de ſimilibus: non modo cum quis ad ea coactus, reſtiterit eliciendo quantum poteſt actum contrarium; ſed etiam cum manſerit indifferens, & ad neutram partem propenſus reliquerit ſe arbitrio cogentis; nihil reſiſtendo vi illatæ. Non vero ſi primo quidem fuerit coactus, ſed poſtea conſentiat in opus præcepti: tunc enim cum opus ipſum faciat libere, & non ex coactione, ſatisfacit præcepto.

Aduerte autem iſta non procedere, cum ad ſatisfaciendum præcepto, ſolummodo requiritur actus exterior: tunc enim quantumcumque opus fiat coacte, ſatisfactum eſſe cenſebitur: vt ſi creditor vi acciperet à me pecunias ſibi debitas, ſatisfacerem præcepto de reſtituendo alieno, neque

deberem denuo ſoluere idem debitum. Verumtamen peccarem, ſi nollem reſtitutionem eſſe factam.

Nu.8. Secundus modus eſt, vt id ex electione fieri dicatur, quod fit ſine metu. Secundum quem modum ſupradicta conditio non eſt in præcepto: vt argumento eſt, quod plerumque detur præceptum addita comminatione pœnæ, cuius metu inducantur ſubditi ad ipſum implendum. Qua ratione datum eſſe conſtat primum omnium, Geneſ. 2. dicente Deo ad Adam, De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. Accedit quod metus non tollat, *ſicut coactio*, liberum; etiamſi illud nonnunquam ita minuat vt à peccato excuſet: prout declaratum eſt in præcedenti libro 1. cap. 8.

Tertius modus eſt, vt ex electione dicatur fieri, quod fit propenſa alacrique voluntate: ſecundum quem modum, eadem ſupradicta conditio cadit ſub præceptum diuinum, non autem ſub humanum. Quia enim homo videt quæ parent: Deus autem intuetur cor, 1.Reg.16. is qui cum voluntatis auerſione & quadam mœſtitia præceptum implet, *vt cenſetur accidere ei qui non occidit quidem, ſed vellet occidere*, non ſatisfacit Deo prohibenti homicidium, *vt patet ex cap.5. D.Matth. verſu* 22. *&* 23. ſicut ſatisfaceret homini, qui de interioribus non iudicat. Ex quo eodem fundamento colligitur, eandem ſecundam conditionem ratione ſuæ poſterioris partis, *quæ eſt fieri propter finem, ſeu bona intentione*, cadere ſub præceptum diuinum, non autem ſub humanum; quandoquidem intentio, eſt effectus interior latens in animo; de qua proinde homo tanquam de re ſibi ignota, vt non iudicat, ita nec præ facit Deus: cuius oculis omnia ſunt nuda & aperta ad Hebr. 4. Itaque ſi Iudex odio vel alia mala intẽtione malefactorem morti tradat; aut pecuniam mutuo acceptam ea intentione reddat vt detur ad vſuram: vel gladium alterius apud ſe depoſitum ei reſtituat vt alium occidat; diuinum præceptum violat, non autem humanum: vnde tanquam præcepti tranſgreſſor punietur à Deo, non item ab homine, *ex D. Thom. in cit. art.9.* Quanquam negandum non eſt, Eccleſiam habere poteſtatem puniendi ea quæ fiunt malo affectu (*vt patet ex dictis in præcedenti libro* 13. *cap.2. ſect.2.*) Atque per hoc ſatis patet 2. pars noſtræ tertiæ propoſitionis: ſicut per præcedentia duæ reliquæ.

QVÆSTIO III.

Quænam ſit ratio diſcernendi præceptum à conſilio.

Nu.9. MAgna eſt inter præceptum & conſilium ſimilitudo, cum vtrumque ſit quoddam legis præſcriptum, in quo non facile detegitur diuerſitas. Quæ quidem tota ex eo prouenit, *quemadmodum attigit à Victoria in relectione de poteſtate ciuili, num.*20. quod legislator in ſuis legibus, non velit ſemper exigere à ſuis ſubditis obedientiam debitam: ſed aliquando tantum ordinet ſimpliciter quid faciendum ſit: docen, & dirigens potius, quàm præcipiens. Quod quando fiat, itaut lex ipſius conſultoria tantum, non autem præceptoria iudicanda ſit, *vnde pendet ratio diſcernendi præceptum à conſilio*, Sylu. in verbo Præceptum, quæſt. 2. & 3. recte explicat, dum iſta ſtatuat.

Nu.10. Primum eſt, An lex conſultoria ſit vel præceptiua, non poſſe ſemper cognoſci ex ipſius verbis: quoniam in lege nonnunquam verbum precarium, *vt rogo*, inuenitur vſurpatum præceptiue, vt 11. quæſt.3. cap. Rogo: quod gloſa ibidem annotat: & nonnunquam verbum præceptiuum, *vt mando*, vſurpatum precario, vt in cap. Mandaſtis, 2. quæſt.4. vbi id gloſa quoque annotat.

Secundum eſt: niſi de legislatoris intentione aliunde conſtiterit, cenſeri non poſſe conſultoriam tantum eſſe legem eam, quæ datur per verba præceptiua: qualia ex Alphonſo à Caſtro in 1. lib. de lege pœnali, cap.5. documento 4. ſunt: præcipio, mando, iubeo, prohibeo, inhibeo, veto, interdico, & eis æquiualentia: etiamſi materia legis præceptiua non ſit, ſed tantum conſultiua: niſi quod verbum, *debet, etiamſi æquiualeat*, in materia conſultiua importet, *inquit Syluester*, ſolam congruitatem, id eſt, debitum honeſtatis, & non iuſtitiæ vel neceſſitatis. Sic enim quod in cap. 1. De deſponſatione impuberum dicitur: quod ſi pater filium nondum adultum, matrimonio tradiderit, filius ipſe poſtquam peruenerit ad perfectam ætatem, debeat illud implere: gloſa finalis ibidem interpretatur, debere debito honeſtatis, non autem neceſſitatis.

Tertium eſt: cum lex datur per verba imperatiua, non præceptiua: qualia ſunt, dicant, faciant, legant, taceant, & alia innumera, non poſſe ex eorum ſignificandi vi cognoſci, an ea ſit præceptiua, obligetve ad peccatum: quoniam talia verba poſſunt in propria ſua ſignificatione, tam à conſulente quam à præcipiente vſurpari. Sic cum dicitur Pſalm. 75. Vouete & reddite, &c. illud eſſe conſilij, & hoc præcepti, ex vi ſignificandi vocum nullatenus cognoſci patet. Itaq; inquirendum eſt 1. de legislatoris voluntate imponendi vel non imponendi obligationem.

Nu.11. De qua voluntate ſi conſtare non poſſit, recurrendum eſt ad materiam: quæ ſi præceptiua ſit, lex quoque præceptiua eſſe iudicabitur: quia verba legis debent ad materiam ipſius accommodari argumento citati cap. Rogo, iuncta eiuſdem gloſſa. Cenſetur vero tunc præceptiua legis materia, cum eſt de neceſſariis; vel ad iuſtitiam, vel ad charitatem, vel ad diuinam reuerentiam: vt non fieri clandeſtina matrimonia: fratrem corripi: non comunicare pleno ſtomacho, & multa alia, de quibus bene determinari non poteſt niſi ex communi doctorum ſententia. Hæc Syluester. Ex cuius doctrina relinquitur; ſi legis materia non fuerit neceſſaria ad iuſtitiam vel charitatem vel diuinam reuerentiam: neque fuerit, *vt idem quoque habetur quæſt.* 2. ponderoſa, id eſt, magni momenti ac ponderis, legem eſſe tantum conſultoriam: vt hanc Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram, Matth. 5. cum quibuſdam aliis, quæ ibidem habentur.

Aduerte autem quia de eo quod malum eſt, conſilium dari non poteſt, ſicut nec præceptum: requiri vt conſultiua materia ſit ſaltem indifferens, manime vero mala: vt eſſe poteſt ex Nauarr. in Enchir. cap.23. num.1. ex defectu; vel fini, vel alicuius debitæ circumſtantiæ, vel obiecti ſiue non iuſtificabilis, id eſt, talis, quod nulla circumſtantia poſſit bonum fieri, vt mentiri: ſiue non iuſtificati, id eſt, talis quod de ſe malum ſit quidem, ſed ita vt poſſit fieri bonum ex aliqua circumſtantia: vt occidere hominem, poteſt ex circumſtantiis perſonarum: & aliis de quibus ſuo loco in ſequenti lib.21.

CAPVT II.

De iis quæ contrauenientem præcepto excuſare poſſunt à peccato.

SVMMARIA.

12 *De impotentia excuſante à peccato.*
13 *Duo modi, quibus contingit ignorantia à peccato excuſans.*
14 *Quando contingat reſpectu præceptorum legis naturæ.*
15 *Quando reſpectu diuinæ legis poſitiuæ.*
16 *Quæ eiuſdem legis tradita notitia tollat illius ignorantiam à peccato excuſantem: quæ item dubitatio eandem tollat: ſi ad veritatem intelligendam diligentia non adhibeatur.*
17 *Quæ monitio præcedens ſufficiat ad conſtituendam eius generis dubitationem.*
18 *De diſpenſatione in ordine ad præcepta iuris naturæ, & in quæ ex eis, illa poſſit aut non poſſit cadere.*
19 *Res poteſt deſinere eſſe iuris naturæ, per mutationem ipſius, ſiue ſecundum ſe, ſiue ſecundum ſuam circumſtantiam: quod exemplis illuſtratur.*
20 *Quando liceat præceptum de bono priuato, aut de minore bono datum, omittere ob commune, vel maius bonum.*

VOLENTI de peccatis ex aliquo præcepto iudicare, videndum eſt inprimis: An ſit aliquid quod contrauenientem excuſet à peccato: vt eſſe poteſt, tum metus grauis & cadens in conſtantem virum: tum impotentia:

tum

tum ignorantia inuincibilis: tum etiam Superioris diſpenſatio. Atque de metu nihil occurrit addendum ad ea quæ dicta ſunt in præced. l. b. 1. cap. 8.

Nu. 12. De impotentia certum eſt, quod nemo ad impoſſibile obligetur; etiamſi quis illi cauſam culpabilem dederit, dummodo de data vere pœniteat. Quod addo, quia ſibi placens adhuc in ea, conſequenter placeret ſibi in præcepti tranſgreſſione, quod eſt inexcuſabile. Iam quando cenſenda ſit impotentia ipſa contingere, nequit generali regula determinari: ſed id, ſicut multa alia in hac doctrina, relinquitur prudentis iudicio ex inſpectione circumſtantiarum, præcepti, rerum, & perſonarum.

Quæritur autem, An qui non poteſt implere totum illud quod præcipitur, teneatur implere partem quam poteſt? Reſpondetur diſtinctione: vel enim illud quod præcipitur diuiduum eſt: ità nimirum vt in eius parte, ratio præcepti ſaluetur perinde ac in toto: nec vna pars pendeat ab alia: quo modo ieiunium totius Quadrageſimæ eſt diuiduum; quoniam ipſius obligatio eſt ſingulorum dierum ex quibus ea conſtat; ſine dependentia vnius ab alio. Vel certe eſt indiuiduum: ita ſcilicet vt in eius parte non ſaluetur ratio præcepti, ſicut in toto; vnaque pars pendeat ab alia: quo modo audi tio Miſſæ indiuidua eſt: Reſponſio igitur ad propoſitam quæſtionem hæc eſt: Cum id quod præcipitur diuiduum fuerit, dubium non eſſe quin ille qui non poteſt ſeruare totum, debeat ſeruare quam poteſt partem, vtpote independentem ab aliis. Cum vero fuerit indiuiduum, ſi maior pars illius ſeruari poſſit, eam tanquam accedentem ad totum, rationemque eius aliquatenus participantem, ſeruandam eſſe. Si autem non poſſit: nec minorem, etiamſi poſſibilem, ſeruandi obligationem eſſe; quia pars maior trahit ad ſe minorem. De qua re pluribus Thom. Sanchez in opere morali libr. 1. cap. 9.

Iam de ignorantia, ad ea quæ dicta ſunt in 11. lib. cap. 1. addenda eſt ratio iudicandi in particulari, quando ipſa excuſet à peccato contrauenientem alicui præcepto. In cuius gratiam meminiſſe oportet eius quod illic attigimus, ignorantiam quæ contrauenientem præcepto excuſat à peccato, contingere duobus modis.

Nu. 13. Prior eſt, cum in eo qui ignorat, nulla omnino præceſſit ratio dubitandi, aut notitia qua induceretur ad exiſtimandum quidpiam certum, eſſe peccatum; vt vſuuenit nonnullis ſimplicibus exiſtimantibus pietatem eſſe agonizantes voluere in lecto, vt citius moriantur; cum tamen id de ſe ſit peccatum contra præceptum Non occides: ſed à quo in tali caſu illi excuſentur per ignorantiam, quam humana induſtria vincere nequiuerunt: non quidem per inquiſitionem intellectus, deliberationemve: quia in homine, qui de re aliqua nunquam dubitauit nec vllam; *ne quidem confuſam*, cognitionem habuit: nullum omnino ineſt principium de eadem re deliberandi. Cum enim voluntas non feratur in cognitum, ea nunquam applicabit intellectum ad inquirendum deliberandumve de re, quæ nulla omnino cognitione ei repræſentatur: neque item per interrogationem aliorum à quibus diſcere poſſet: aut per euitationem alicuius occupationis impedituræ ipſum à conſequenda cognitione requiſita ad talis ignorantiæ depulſionem. Quis enim interroget de iis, aut caueat aliquid, cauſa eorum quæ nullatenus in mentem ei venerunt? Iam dubitatio illa, aut confuſa cogitatio quæ deliberationi vel interrogationi dare debet initium, non eſt libera, ſed naturalis; itaut non ſit in noſtra poteſtate ſitum eam habere; ſed fortuito nobis contingat, ſicut actiones aliæ indeliberatæ.

Quæ doctrina procedit etiam in actuali inconſideratione præcepti, ex qua ei contrauenitur, quantumuis ipſum cognoſcatur habitu. Sic enim excuſatur à peccato is qui aliquo die non ieiunat, propterea quod nullatenus in mentem ipſi venit, ſed tunc ad id præcepto obligari, etiamſi habitu talem obligationem probe cognoſceret. Id quod plenius explicatum eſt in præced. lib. 15. num. 75.

Poſterior modus eſt, cum poſt dubitationem, aut confuſam cognitionem facta diligenti examinatione, an aliquid ſit vel non ſit illicitum, contrariumve alicui præcepto, probabilibus rationibus apparet licitum eſſe, nec vlli præcepto repugnare, licet res aliter ſe forte habeat; quomodo contingens ignorantia, dicitur probabilis; quæ æquiparatur inuincibili; quoad effectum excuſandi à peccato, *quantumcumq; forte fuerit in poteſtate hominis illam vincere*: quoniam in caſu quo ea contingit, homo agit ex iudicio prudenti ſufficientiue ad conſcientiam prudenter fundandam propter probabiles rationes, quibus quoad agenda vel vitanda acquieſcere, tribuitur prudentiæ.

De ignorantia excuſante obſeruationes particulares.

VT igitur ad rem propoſitam veniamus cum iuxta triplicem legem in præcedenti libro 13. deſcriptam, triplicis generis præceptum diſtinguatur: vnum legis naturæ, alterum legis diuinæ poſitiuæ, & 3. legis humanæ: ratio iudicandi in particulari, vtrum talis ignorantia in aliquo caſu contigerit, conſiſtit in his obſeruationibus.

Prima eſt; Præceptorum legis naturalis, qualia ſunt Decalogi, ignorantiam poſſe contingere dupliciter. Vno modo ob propria peccata, vt in iis qui cum antea aliquam habuerint talium præceptorum notitiam, ſenſerint que remurmurantem conſcientiam in eorum tranſgreſſione: ex deprauata conſuetudine poſtea in ipſis adeo obſcuratur naturale lumen, adeoque opprimitur conſcientia: vt neque idem quod prius iudicent, neque tranſgrediendo ſentiant conſcientiæ ſtimulos. Tales fuerunt illi de quibus ad Roman. 1. ait Apoſtolus: Cum Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, &c.] quos non excuſari à peccato per eiuſmodi ignorantiam patet; tum ex eodem Apoſtolo ibidem: tum ex eo, quod non excuſabilis ſed culpabilis ſit eiuſmodi ignorantia. Altero modo contingere poteſt eadem ignorantia; non proprio perſonæ, ſed nationis vitio, & ex maiorum culpa: vt ſi communiter exiſtimetur furtum, aut fornicationem, aut vſuram, aut aliud eiuſmodi licere; tuncque ad iudicandum num ea excuſet à peccato, conſiderare oportet conſcientiæ dictamen. Si quis enim ſit adeo rudis, vt tantum ductus authoritate & legibus maiorum ſuorum, nullam omnino dubitationem habeat, nec conſcientiæ remorſum circa talia: ignorantia ipſius cenſeri poteſt inculpabilis & excuſare à peccato: ſed quia vix, rariſſimeve reperitur aliquis talis, quoad Decalogi præcepta, atque alia quæ adeo euidentia ſunt, vt non obſtante quacunque contraria maiorum conſuetudine & legibus, malitia tranſgreſſionis illorum ſtatim pulſet animum, remordente conſcientia; vix etiam vnquam talis ignorantia cenſeri poteſt excuſare in talibus: niſi forte in fornicatione, vſura, & nonnullis ſimilibus: in quibus cum non appareat iniuria, ſed potius aliqua iuſtitiæ ſimilitudo, interdum conſcientia non poteſt facile eſſe illorum iudex verus, deque illorum malitia remordere. *Nu. 14*

Secunda obſeruatio eſt. In hoc differentiam eſſe inter legem naturalem & diuinam poſitiuam, quod illius promulgatio intus fiat per conſcientiam tanquam præconem à natura datum: iuxta illud Apoſtoli ad Roman. 2. Oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.] Promulgatio vero huius, fiat per ſancti Euangelij prædicatores, iuxta illud ad Roman. 10. Quomodo credent ei quem non audierunt: & quomodo audient ſine prædicante? Vnde concludit idem Apoſtolus: Fides ergo eſt ex auditu.] Quæ concluſio vt valeat, dicendum eſt, modum cognoſcendi myſteria & præcepta fidei, non eſſe per internam illuſtrationem naturalis luminis, ſed per internam prædicationem concionatoris. Cumque hoc ita ſit; ſtatui poteſt ſi deſit prædicatio myſteriorum & præceptorum fidei, ignorantiam eorum eſſe inuincibilem, atque adeo excuſantem à peccato; iuxta illud Domini Ioan. 15. Si non veniſſem & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo.] Quem locum enarrans D. Auguſtinus tractat. 89. tom. 9. concedit à peccato infidelitatis excuſari eos, quibus Chriſtus non eſt locutus per ſe, nec *Nu. 15.*

per Apostolos vel alios de Ecclesia. Et D. Thomas 2.2.q.10. art.1.ait, talium infidelitatem non esse peccatum, sed pœnam peccati originalis: neque ob eam sed ob alia peccata ipsos esse damnandos.

Porro non quæuis mysteriorum ac præceptorum fidei prædicatio sufficiens est ad impediendam iam dictam excusationem: sed tantum ea quam sufficiens argumentum seu motiuum credendi comitatur: vt cum miraculum editur in confirmationem eorum quæ annunciantur: aut eadem probabilibus rationibus credibilia esse ostenduntur: non quidem perfunctorie, sed diligenter & cum exemplo vitæ honestæ, atque secundum naturæ legem studiosæ; prout habet Franciscus à Victoria in priore relectione de Indis in explicatione 4. tituli, propositione 4. Tunc enim per præceptum Domini Marci vltim. Euntes in mundum vniuersum prædicare Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit; &c.] quisque tenetur prædicationem Euangelij audire, eique acquiescere. Ad quod præsto est auxilium Dei cooperantis & sermonem confirmantis: si non sequentibus signis, *vt tempore Apostolorum*, saltem interno motu intellectus, ad assensum sufficienti: nisi obstinatio aut alius animi prauus affectus obsistat.

Quamuis interdum contingat rationum momentis inter duas opiniones fluctuare: quo casu precibus & lacrymis postulandum est abundantius auxilium diuinum: vt in simili se fecisse testatur D. August. in lib. De vtilit. credendi contra Manichæos cap. 8. tom. 6.

Quod vero mysteriorum, præceptorumque fidei propositio nuda, ac destituta argumento aut motiuo ad credendum: non impediat supradictam excusationem, recte à Victoria in præced. propositione 2. confirmat ex verbis Domini Matth. 15. Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.] Quibus aperte significat excusandum fuisse à peccato, Iudæorum infidelitatem, si eis suam doctrinam proposuisset sine motiuo sufficienti ad credendum. Adde cum eodem authore, temeritatis imprudentiæque esse credere sine argumento, aut motiuo sufficienti: in iis maxime quæ ad salutem animæ pertinent. Vnde dicitur Ecclesiastici 19. Qui credit cito, leuis est corde.]

Nota vero, vt in infidelium, sic in fidelium terris inueniri adeo rudes, vt tantum ducantur authoritate suorum maiorum in iis quæ ad salutem animæ pertinent: qui si ob parentum ruditatem vel Parochorum negligentiam, nihil de fide audierunt, præterquam quod Christus sit, possunt infidelibus ipsis comparari, quoad eam de qua agimus ignorantiam: cum de illis merito quoque dicatur: Quomodo audient sine prædicante? Et certe in aliquibus locis, in quibus mysteria ac præcepta fidei fuerunt aliquando sufficienter promulgata, tanta secuta est postea obliuio illorum, vt perinde sit ac si nunquam fuissent promulgata.

Nu.16. Tertia obseruatio est. Dubitationem ad hoc sufficientem, vt dubitans teneatur veritatem inuestigare, si velit à peccato per ignorantiam excusari: circa præcepta quidem legis naturalis, contingere solo interiori naturali lumine: circa præcepta vero iuris positiui siue diuini siue humani, non contingere absque exteriori monitore. Ratio est, quia obligatio eorum quæ iuris sunt naturalis, pendet ex interna aliqua ipsorum conditione, quæ naturali lumine nota, promulgatur per conscientiæ remorsum, qui statim occurrit aggredientibus facere aliquid in contrarium; quique ad hoc sufficit, vt dubitans teneatur in inquirenda tali obligatione, moralem diligentiam adhibere, si velit à peccato per ignorantiam excusari, contraueniens de facto, alicui naturali præcepto. Eorum vero quæ iuris sunt positiui, obligatio pendet ex Superioris præcipientis voluntate; quæ cognosci non potest, nisi exterius notificetur. Proindeque dubitatio circa illa exurgens, non censetur esse rationabilis, & quę illis contrauenientem impediat, excusari à peccato per ignorantiam: nisi intercesserit aliqua exterior adhortatio, vel fama non contemnenda; qua quis esse aliqua talia præcepta monitus sit.

Nu.17. Vbi aduerte, quod cum præceptorum positiuorum quædam sint communia, & quædam particularia alicuius officij: ad dictam rationabilem dubitationem quoad communia, non sufficere vt præcesserit generalis monitio quod dentur eius generis præcepta: alioqui enim quisque dum aggreditur quamcumque operationem, teneretur inuestigare, an aliquod sit de ea datum; quod esset difficultatis & molestiæ intolerabilis. Quoad particularia vero, sufficere generalem notificationem, quod hominibus talis status & officij, imposita sint particularia præcepta. Nam qui intelligit conditas esse aliquas leges sui officij, & negligit inquirere quænam eæ sint, ignorantia ipsius est culpabilis: cum de iis sit quæ tenetur & non curat scire. Diligentia autem in eo adhibenda, vt ignorantia censeatur inculpabilis, sufficiens est in imperitis, si ipsi de legibus sui officij consulant peritum: qualis iudicatur esse ille qui habet eam omnium materiarum moralium notitiam, ex qua dubitare, & particulares leges inuestigare possit. Nec enim tenetur euoluisse sigillatim omnes; quod esset impossibile: præsertim cum nouæ à Superioribus subinde emanent, vnde prouenit vt etiamsi quis sufficiens sit, dubitationem tamē aliquam semper possit habere, dum consilium dat in re difficili. Quocirca tale contra, post factam in inquirendo diligentiam, datum contra legem aliquam particularem; ad culpam imputabitur tantum ei, qui dederit illud, carens præsidio doctrinæ sufficientis: quemadmodum notatum est ab Adriano in quodlibeto 5. art. 2. principali.

De dispensatione excusante, obseruationes aliæ.

DE dispensatione, quæ est quartum eorum, quibus contraueniens præcepto excusatur à peccato, nihil ad ea quæ dicta sunt in præced. lib. 13. num. 46. & 47. ac num. 190. aliquotque sequent. occurrit addendum, quoad præcepta iuris positiui siue diuini siue humani: quoad præcepta vero iuris naturalis sequentes obseruationes videntur addendæ.

Prima est, dispensationem proprie dictam, qua aliquis voluntate sui Superioris eximitur ab obligatione præcepti retinentis suum robur, non habere locum in præceptis iuris naturæ: quia hæc dantur de iis quæ bona sunt natura sua; quæque ratio, quamdiu immutata permanent, dictat esse facienda: aut de iis quæ mala sunt natura sua, quæque ratio quamdiu talia manent, nunquam dictauerit esse facienda. At voluntate Superioris non potest aliquid licere, quamdiu ipsum est contra rationis dictamen: tamdiu enim malum est & contra legem æternam: cuius promulgatio quædam idipsum dictamen est, ex dictis in eodem lib. 13. initio tractat. secundi. Vt vero quis malum, ac contra legem æternam licite agat, nulla dispensatione fieri potest, cum id contradictionem implicet: communiterque concedatur illud generalissimum principium, Declina à malo & fac bonum; esse omnino indispensabile. Neque obstat quod dicitur vnumquemque legislatorem posse dispensare in sua lege; quia id verum est tantum, cum res non est mala, nisi quia prohibita. *Nu.18.*

Secunda obseruatio est. Eorum de quibus dantur præcepta iuris naturæ, quædam posse mutationem admittere, per quam desinant esse tales iuris, ac dictari à recta ratione: quædam vero non posse, sed omnino immutabilia esse; vt quæ honorem Dei cultumq; continere; aut eidem aduersari ratio dictat; circa quæ nulla contingit dispensatio, *ne quidem impropria*, qua quocumque modo præcepta de illis tradita; relaxentur. Nam cum homo, hoc ipso quod est creatura, honorem cultumque Deo debeat: sicut nihil potest esse per quod in eo cesset ratio creaturæ; ita nec per quod, debitum ea præstandi quæ Creatoris honorem cultumque continent desinat.

Item sicut in vita ciuili, nusquam id bene fieri potest, quod tollit Reipub. conseruationem: eiusdem vitæ finem, ad quem consequendum cætera omnia seruire debent: sic in vita spirituali, nusquam potest id licite fieri, quod aduersatur diuino cultui: ad quem vt ad vltimum suum finem, cætera in eadem vita dirigi debent. Itaque nulla vnquam de causa potest quis censeri bene & sine peccato negasse Deo adorationem, aut idololatriam commisisse, aut in vanum assumpsisse nomen diuinum; & sic de aliis eiusdem

generis.

generis. In ea autem, quæ prioris generis ſunt diſpenſatio ſaltem imperfecta cadere cenſetur, cum illam quam diximus mutationem admiſerint: quod qua ratione contingat ex ſequentibus obſeruationibus intelligitur.

Tertia igitur obſeruatio eſt. Cum illud quod ſub præceptum iuris naturæ cadit, inuenitur repugnare bono communi, aut alteri bono maiori; tunc ipſum ceſſare, de iure naturæ eſſe: eo quod recta ratio dictet bonum commune præferendum eſſe priuato: & bonum maius minori: & ſpectans ad ſalutem animæ, ſpectanti ad ſalutem corporis: atque adeo eſſe modo quodam d. ſpenſatum in præcepto illo, ſub quod tale quid cadit: ita vt in eiuſmodi caſu contrauenire ei, non ſit peccatum. Sic igitur non obſtante quinto præcepto Decalogi, indicamus maleficos à magiſtratu ſine peccato necari: & in iuſto bello cum nocentibus innocentes eis permixtos interfici propter commune pacis bonum. Item innocentem probatum in iudicio reum mortis, licite condemnari à Iudice, ad vitandum ſcãdalum populi, & perturbationem in Repub. etiamſi Iudex ipſe priuata ſcientia illum innocentem eſſe ſciat. Sic etiam non obſtante ſeptimo præcepto, leges humanæ vſucapionis, & præſcriptionis, auferunt vero domino quod ſuum eſt, propter bonum commune; vt tandē lites interminabiles ac infinitæ dirimantur, paxque publica ſeruetur. Sic porro iudicamus quando opus fuerit, nos debere cum vitæ periculo (*de qua re in præcedenti lib. 1. cap. 8. parte poſteriore*) fidem & Religionem Chriſtianam; Eccleſiæq; authoritatem tueri, ac ſaluti animæ; ſiue noſtræ ſiue alienæ, prouidere. Ita vt adultera peccante, non ex malitia, ſed ex infirmitate, ſi à me admonita emendabitur; etiamſi mortis periculum mihi ab adultero immineat; debeam illam monere. Similiter populum quem hæreticus ſeducit, ſi à me monitus emendabitur, teneor monere, quantumcunq; inde incurram eminens vitæ periculum: & ſic de huiuſmodi alijs.

Nu. 19. Quarta obſeruatio eſt. Mutationem rei ſecundum ſe, aut ſecundum ſuam circunſtantiam; ſæpe facere vt ipſa deſinat eſſe iuris naturæ; ac eius contrarium dictetur à recta ratione, ſicut vſurpatio rei alienæ inuito domino, dictatur in eo qui premitur extrema neceſſitate; in qua res ex aliena, fit illi cum domino communis. Dictatur quoque non eſſe reddendum depoſitum domino furioſo, vel hoſti Reipub. quibus reſtitutum, pernicioſum eſſet. Vnde oritur etiam modus quidam d. ſpenſationis ſufficiens ad excuſandum à peccato tranſgreſſionis præcepti, ſub quod talis res cadit. Sic enim in duobus caſibus proxime poſitis, non peccatur contra præceptum Non furtum facies. Nec item peccarunt contra præceptum Non occides: tum Abraham cum voluit filium occidere) cui eſt ea de cauſa promiſſio ampliſſima facta à Deo (tum Sampſon cum interfecit ſeipſum: quem D. Paulus ad Hebr. 11. numerat inter eos qui adepti ſunt repromiſſiones.

Cur autem non peccarint, ratio eſt: quod in illis caſibus conditio occiſionis prohibitæ quinto præcepto, mutata fuerit authoritate Dei habentis in omnes homines poteſtatem vitæ & necis: ita vt illos tum ipſe per ſe aut per cauſas naturales, vel alios homines: tum etiam per ſeipſos inculpate occidere poſſit; tam vt abſolutus Dominus, quam vt Iudex puniens in nobis peccatum originale, per quod omnes mortem meruimus.

Similiter iudicantur Hebræi non peccaſſe contra præceptum Non furaberis, quãdo Exod. 11. mutuo petita ab Ægyptijs vaſa retinuerunt: quia Deus tranſtulit in eos dominium talium rerum acceptarum; ſic vt eæ deſinerent eſſe alienæ. Quo etiam referri poteſt Oſeæ excuſatio à peccato contra præceptum Non fornicaberis: cum Dei iuſſu ſumpſit ſibi vxorem ex qua faceret ſibi filios fornicationum: nempe quod Deus ſuauiter effecerit, vt Propheta & fornicaria conſentirent in matrimonium. Quod vero Propheta iubetur facere filios fornicationum, accipiendum eſt eo ſenſu, vt iubeatur facere filios illius, quæ erat fornicaria. Vide Sotum in lib. 2. De iuſt. & iure quæſt. 3. art. 8. in ſolutione 3. argumenti.

Nu. 20. Quinta obſeruatio eſt. Vt ſine peccato bonum priuatum ob commune, vel minus bonum ob maius deſeratur (*ſi quidem idipſum ſiue commune, ſiue maius bonum obligatorium eſſe, dictet recta ratio*) ſufficere declarationem, per quam conſtet de tali obligatione; conſequenter enim conſtabit bonum priuatũ vel minus bonum quod ei repugnat, deſinere de iure naturæ eſſe, dictarive à recta ratione. Sin autem ipſum cõmune, vel maius bonum fuerit tantum in conſilio: ſeu quod recta ratio dictet quidem, non tamen vt obligatorium; requiri diſpenſationem Superioris: quia bonum priuatum vel minus bonum ex eo, quod illi repugnet, non deſinit eſſe naturæ iure præcipiente: quod præponderat iuri conſulenti. Quanquãm ſi diſpenſatio interueniat poſt poni poteſt; quia recta ratio conſulens aliquod commune vel maius bonum, dictat quod poſſit homo propter illud, liberari ab obligatione iuris naturæ eidem bono repugnantis, proſecutionemq; illius impedientis. Sic ergo Papa in voto & in iuramento, *ad quorum obſeruationem ſecundum Decalogi præceptum obligat*, diſpenſat propter commune aut maius bonum: itemq; ad vitanda maiora & frequentia peccata: vt in eo voto quod per humanam fragilitatem facile frangeretur. Ac etiam ad tollendam improbis libertatem vexandi bonos & innocentes: vt in iuramento per metum facto latroni, aut tyranno. Ratio enim naturalis dictat, tam gratũ eſſe Deo *cui illa fiunt*, vt ipſa relaxentur ad remouendas peccatorum occaſiones; quam vt obligatio ipſorũ cum talibus occaſionibus maneat. Id quod locum habet etiamſi quis iuraſſet ſe non petiturum diſpenſationem: quia tale iuramentum perinde eſt diſpenſabile, nec magis obligatorium, quam cætera: cum quibus omnino, in ratione iuramenti conuenit.

CAP. III.

De documentis notandis cum ex præceptis iudicium aliquod ſpeciale fertur de peccatis.

SVMMARIVM.

21 *Præceptum non implet qui illud omnino ignorat, etiamſi faciat id quod per ipſum præcipitur.*

22 *Contra præceptum legis peccat, non modo qui illud tranſgreditur; ſed etiam qui habet propoſitum tranſgrediendi, aut de illius tranſgreſſione delectatur.*

23 *Quis dicatur voluntatis affectus efficax.*

24 *Illius differentia ab affectu ſimplicis complacentiæ, in ordine ad iudicium de vtriuſq; malitia.*

25 *Affectus efficax quando induat naturam ſimplicis complacentiæ.*

26 *Ratio iudicandi de affectu ſimplicis complacentiæ, an ſit peccatum mortale, necne.*

27 *Complacentia de peccato prout ipſum eſt contra proximum, quand ſit mortalis.*

28 *Quando item, cum eſt de re prohibita, quia mala: vt de actu impudico.*

29 *Et quando de re mala, quia prohibita: vt de eſu carnium in die ieiunij.*

30 *Ratio iudicandi de affectu ſimplicis diſplicentiæ; num ſit peccatum mortale.*

31 *Modi peccandi conſentiendo alteri peccanti, ac primo relati in gloſſa ad cap. 1. De officio delegati.*

32 *Relati à D. Thom. cum eorum explicatione.*

33 *Præcepto naturali, diuinum poſitiuum cedit; & huic, præceptum humanum.*

34 *Hoc procedere, cum ius poſitiuum à naturali, aut humanum à diuino remouet conditionem neceſſariam ad obligationem, exemplis declaratur.*

PRIMVM EST. Vt quis cenſeatur præceptum aliquod impleuiſſe, requiri vt id quod præcipitur egerit, non modo ex ſcientia de qua eſt habita mentio in capit. 1. quæſt. 2. propoſ. tertia: ſed etiam ex ſcientia legis: hoc eſt, actu, aut ſaltem virtute ſciendo ſe agere ſecundum legem ſibi præſcriptam. Ratio eſt, quia ad ſeruandam legem præſcriptam, requiritur vt quis ei conſentiat, velitve id facere quod per eam iubetur. At hoc non poteſt ille qui nullo modo legis ſcientiam habet: quia conſenſus non eſt ſine ſcientia, per tradita in præced. lib. 1. c. 4. Sic igitur ille qui ſcit eſſe præceptum à ſe obſeruandum de audiendo ſacro Miſſæ in die feſto, audit illud cum debita deuotione neſciens tamen diem cum eſſe feſtum, implet idipſum præceptum, quia operatur cum cognitione eius ſaltem virtuali: ſeu quæ cum *Nu. 21.*

præcesserit actu, perseuerat habitu, etiamsi ipse tunc non recordetur actu. Sed si præciperetur vt omnes ieiunent semel in mense, & aliquis nihil vnquam de tali præcepto cognouisset, etiamsi semel iam ieiunasset, tamen certior postea effectus de tali præcepto, teneretur iterum eodem mense semel ieiunare: quoniam antea non egit ex lege quam omnino ignorauit.

Varij modi quibus contingit transgredi vnum, & idem præceptum.

SECTIO I.

Nu.22. SEcundum est. Non solum præcepti transgressionem esse peccatum, sed etiam præcepti transgrediendi propositum, *quod affectus efficax dicitur*; imo & deliberatam voluntatem delectandi se in præcepti transgressione: etiamsi ea nullatenus sit exequendi illud in quo transgressio ipsa consistit: vt quando quis delectatur de alieno opere malo, vel de proprio præterito vel de peccato absolute, absque ordine ad executionem: quæ quidem voluntas dicitur affectus simplicis complacentiæ. Cuius documenti ratio est, quòd vt in transgressione voluntaria præcepti, sic & in illius proposito ac in simplici complacentia voluntaria, insit deliberatus in malum consensus, qui constituit peccatum per tradita in præcedenti lib. 1. cap. 4. & 5.

Nu.23. Pro illius autem plena intelligentia notandum est primo, affectum efficacem non tantum esse eum quem sequitur effectus, *transgressio inquam*, vel qui effectu frustratur ob impedimentum solummodo externum; sed eum etiam qui præuia deliberationis, iudiciiue intellectus resolutione, versatur ea ratione circa præcepti transgressionem, vt ad executionem illius tendat voluntatis affectu: à qua tamen retrahatur timore interno alicuius periculi, quod si non adesset, exequeretur idipsum quod habet in animo. Exemplum est: cum pecuniæ cupidus, ducitur affectu, quo plane vellet eam furari; sed non furatur, propterea quod metuit suspendium, vel aliud periculum.

Nu.24. Notandum est secundo, differentiam esse inter affectum efficacem & affectum simplicis complacentiæ: quod malitia transgressionis præcepti, deriuetur in illum; non autem in hunc. Ratio est, quoniam affectus efficax, est ex se causa transgressionis præcepti: vnde licet tempore eam præcedat, neque eam ex illa sequi postea contingat; merito censetur perinde malus ac transgressio ipsa, cuius ex se causa est. Nam & ea ratione medicina ex sanitate, cuius ex se causa est dicitur sana. Affectus vero simplicis complacentiæ non est ex se causa transgressionis præcepti; quia non prouenit, *sicut affectus efficax*; ex consultatione procedendi ad opus; sed ex absoluta ipsius operis propositione facta voluntati ab intellectu. Quo fit vt ad iudicandum de malitia affectus efficacis, sitne mortalis an venialis & quam peccati speciem constituat; attendendum sit ad opus: cum ille semper repugnet eidem virtuti, cui idipsum opus: iuxtà illud Oseæ nono: Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt:] non autem ad iudicandum de malitia affectus simplicis complacentiæ, cum in eum illa non deriuetur ex opere malo, de quo complacere contingit: vt argumento est, quod interdum possit esse absque vlla operis malitia, prout patet ex peccato inanis gloriæ, quod consistit in complacentia de bono opere. Sed quæres si hoc ita sit; nec talis malitia iudicari debeat ex malitia operis sicut præcedens: vnde ergo iudicabitur? Respondeo iudicari ex regulis virtutis, videndo vtrum talis affectus secundum se alicui virtuti, *vt inanis gloria humilitati*, opponatur. Nam ex ea oppositione speciali, intelligitur malitiæ species; atque ex illius quantitate notabili, aut non notabili, cognoscetur an sit malitia mortalis, an tantum venialis.

Nu.25. Notandum est tertio, affectum efficacem induere naturam affectus simplicis complacentiæ; si is qui affectat, ab operis affectati executione ex hoc retrahatur, quod aduertat illud esse peccatum. Nam is qui opposita honestate permotus abstinet à peccati perpetratione, excludit à se peccandi propositum. Idem etiam videtur dicendum, si quis ita retrahatur timore pœnæ, vt alia quoq; ex parte, executio ipsa minime illi placeat. Nam perculsus tali timore (qui de se bonus est vt patet ex Concil. Triden. sess. 14. cap. 4.) censeri potest propositum peccati exterioris à se excludere. Affectus igitur tunc proprie efficax esse censebitur, cum operis executio, *non obstante quod sit peccatū*, sic alicui placet ex omni alia parte, quòd omnino incumberet ei; nisi metu pœnæ aut alterius periculi retraheretur.

Nu.26. Notandum est quarto, quando in affectu simplicis complacentiæ contingat notabilis oppositio, pugnantiaue cum virtute, ex qua iudicandus sit peccatum esse mortale; doceri in particulari propositis aliquot exemplis ex quibus similiter de cæteris iudicari possit. Primum est superbiæ qua quis in propria excellentia, contra virtutem humilitatis notabiliter sibi complacet: vt Angelis primo peccantibus contigit. Vbi aduerte quod sicut complacentia ex eo de se mala est, quod directe opponatur virtuti: ita etiam mortaliter aut venialiter aut malam ex eo esse, quod talis oppositio fuerit vel non fuerit notabilis. Id autem prudenti relinquitur determinandum ex regulis in præced. lib. 15. cap. 5. propositis.

Secundum exemplum est cõplacentiæ, quæ de quocunq; peccato habetur, quatenus ipsum est contra Deum. Ea enim ex ordine ad Deum est notabilis contra charitatem, cui præcipue conuenit rectum facere voluntatis affectum erga Deum.

Tertium est complacentiæ de peccato, quatenus est contra legem vel mandatum Superioris: ea enim est notabiliter contra virtutem obedientiæ; quandoquidem hæc primarie versatur in recta moderatione affectus interioris erga Superioris legem, mandatumve: ne scilicet agatur ex eius contemptu.

Nu.27. Quartum est, complacentiæ de peccato, quatenus est cõtra proximum: ita nimirũ, vt ipsum ideo placeat, quod proximi persona displiceat. Talis enim complacentia rationem habet odij, charitati directe repugnãtis. Sic delectari de homicidio ea ratione qua malum est proximi, propterea quod persona ipsius displiceat, constitui mortalem complacentiam: non autem delectari de eodem, ratione tantum alicuius vtilitatis vel commodi inde sequentis: vnde cum minimè displiceat persona, fit vt talis complacentia non habeat rationem odij directe repugnantis charitati: sicut nec amor proximi, rationem habet actus charitatis, si non sit ex complacentia personæ; sed ex vtilitate & commodo quod ea affert. Exemplum ponit Caiet. in 1.2. quæst. 29. art. 1. de matre cui placet mors filiæ, eo quod ipsam nuptui tradere nequeat. Nam complacentia ea non habet rationem odij inimicitiæ, cum non displiceat persona: sed odij, *vt idem vocat*, abominationis: quo cum placeat persona, displicet res eam attingens: vnde opponitur amori cõcupiscentiæ, quo res placet: sicut odium inimicitiæ opponitur amori amicitiæ, quo placet persona: vt idem author ibidem recte explicat.

Pari modo, delectari de furto facto à se vel ab alio, quatenus est notabile damnum proximi, *cum rationem habeat odij inimicit æ ex displicentia personæ*, censendum est peccatũ mortale; non autem delectari de furto propter vtilitatem inde securam furi: aut propter subtilitatem & nouitatem modi, quo perpetratum est: quia id non est directe contra charitatem, cum nullam rationem includat odij inimicitiæ; nec etiam directe opponatur virtuti iustitiæ: cum sic delectari non sit facere, aut velle facere alteri iniuriam, *ad quod impediendũ, & suum cuiq; reddendum constituitur virtus ipsa iustitiæ*; sed est habere simplicem affectum, excludentem operis executionem, per quam iniuria infertur alteri. Verumtamen quia facile est ex tali affectu prouenire odium personæ (quo saltem pluris fiat oblectatio propria aut furis vtilitas, quam proximi indemnitas) is merito vt periculosus debet vitari: debent consequenter & narrationes in colloquiis, ac lectiones in libris, & in theatris repræsentationes ex quibus idem excitatur ac fouetur.

Nu.28. Quintum exemplum, est complacentiæ interioris de fornicatione aut osculis, vel tactibus impudicis apprehensis sub ea ratione qua ex pleno consensu delectationem carnalẽ afferunt. Quæ complacentia peccatum est mortale: vtpote libidinosa & venerea, directe opposita virtuti castitatis: quæ moderatur non tantum exterioribus voluptatibus tactus, sed etiam, ac multo magis (*pro conditione scilicet virtutum moralium, quæ affectuum moderatrices sunt*) interioribus voluntatis affectibus. Ex qua oppositione sicut habet, vt secundum

se ma-

ſe mala ſit: ita ex eo, quod notabilis ſit (*prout cenſetur habita de fornicatione & tactibus impudicis ſecundum ſe cogitatis*) habet vt iudicetur mortaliter mala. Qua de re dicetur ex inſtituto in ſequenti lib.24.in quo tradenda ſunt ſpectantia ad ſpecialem rationem iudicandi de peccatis, habito reſpectu ad octauum præceptum Decalogi.

Nu.29. Sextum exemplum, eſt ſimplicis cõplacentiæ de eſu carnium in die prohibito: quę nõ eſt de ſe mortalis, etiamſi prohibitio eiuſmodi tanquã facta notabili de cauſa, obliget ſub mortali. Namq; præceptum humanũ, *cuius generis eſt illud quo ſit eadem prohibitio*, tantũ datur de actu externo, non autem de interno; niſi in ordine ad actum ipſum externum: prout in præcedenti lib.13.num.21.expoſitum eſt: qui ordo cum nullus ſit in affectu ſimplicis complacentiæ: ſane complacẽtia propoſita non eſt mala ex malitia eſus carnium, quem habet quidem pro obiecto: non tamen vt cadentem ſub prædictã prohibitionem: quam ſimplex ipſa cõplacentia excludit: cum non ſit affectus edendi carnes; ſed tantum oblectatio accepta ex conſideratione eſus carnium: qualis eſſet aſpicientis potantes in taberna, qui bibere non cuperet. Atq; ita fit: vt ſimplex complacentia de eſu carnium prohibito, non ſit de ſe maioris malitiæ, quam ſimilis, de eſu carnium non prohibito: vnde ſi hæc non eſt cenſenda malitia notabilis, nec illa cenſeri debebit, & per conſequens venialem ſolum eſſe.

Eadem etiam ratione complacentia de ludo ſub mortali prohibito, cenſeri poteſt ſolum venialiter mala: quia talis prohibitio ad eam non extenditur. Vnde ea non eſt peccatum, tanquam repugnans præcepto de non ludendo tali ludo; ſed tanquam contraria naturali præcepto eutrapeliæ. Cui immoderatæ complacentiæ in ludo, perinde repugnat cum ludus non eſt, ac cum eſt prohibitus. In quibus tamen & aliis ſimilibus, ſi motiuum complacendi ſit mortale, erit & complacentia mortalis: itemque ſi ea veſtiatur aliqua alia mortali circunſtantia.

Nu.30. Cæterum de affectu ſimplicis diſplicentiæ, num ſit malus mortaliter, an ſolum venialiter, eodem modo iudicatur quo de affectu ſimplicis complacentiæ: nempe videndo an directe repugnet charitati, aut notabiliter alicui virtuti quæ ſecundum ſe moderatur ipſi quoque interiori affectui diſplicentiæ ſeu triſtitiæ. Sic enim odium, acedia, inuidia, quia ſunt diſplicentiæ repugnantes charitati, peccato ſuo genere mortalia iudicantur eſſe (de quibus ſuo loco poſtea) & diſplicentia obediendi Superiori quatenus Superior eſt, mortalis cenſetur, quatenus notabiliter opponitur obedientiæ, quæ moderatur interno affectui Inferioris erga Superiorem: & ſic de ſimilibus.

Aduerte autem diſplicentiam non eſſe ſtatim iudicandã mortalem, ex eo, quod ſit de actu virtutis qui præcipitur ſub peccato mortali: ſed attendendũ eſſe ex quo motiuo ea prouenerit: ſi enim aliquis de eleemoſyna quam ſub mortali facere tenetur, triſtetur eo quod cuperet ex tali pecunia rem aliquam vtilem emere, non peccat mortaliter; ſicut nec qui de ieiunio Quadrageſimali triſtatur tantũ ob moleſtiam corporalem quam adfert. Ad quod confirmandum induci poteſt quod non fuerit peccatum in Chriſto triſtari de morte, quam ſub præcepto ſubire tenebatur: quia de ea ſolum triſtabatur, qua ratione erat naturæ contraria.

Modi peccandi conſentiendo alteri peccanti.

Sectio II.

Nu.31. TErtium documentum eſt: nõ eum ſolum peccare mortaliter, qui peccatum aliquod mortale cõmittit, in coq; perpetrando eſt præcipuus executor: ſed etiam omnes alios (*etiamſi non ſint ſimiliter obnoxij cenſuris, irregularitati, & reſtitutioni vt ſuis locis exponetur*) qui eidem culpæ conſentiunt, iuxta illud Apoſt.in fine 1.cap.epiſt.ad Roman. Digni ſunt morte, non ſolum qui ea faciunt ſed etiam qui conſentiunt facientibus.] & tritum axioma vſurpatum in fine cap.Notũ, 2.quæſt.1. Facientem & conſentientem par pœna conſtringit: quod ex citat. loco D. Pauli deſumptum eſſe indicant verba illa cap.1. De officio delegati. Agentes & conſentientes pari pœna, ſcripturæ teſtimonio puniuntur: vbi gloſſa *in verbo pari pœna*, diſtinguit quadruplicem conſenſum: vnũ negligẽtiæ, alterum conſilij, tertium cooperationis, & quartum authoritatis ſeu defenſionis.

Communiter vero nouem diſtinguuntur modi conſentiendi peccato, quos indicant duo ſeriarij relati à D. Thom. 2.2.quæſt.62.art.7.

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.
Participans, mutus, non obſtans non manifeſtans,

Quibus, *inter, rete Nauarr.in Enchir.cap.11. num.13.* ſignificatur eum conſentire peccato, atq; adeo illius reum conſtitui, qui etſi non ſit eiuſdem author præcipuus executorve, illud tamen vel iubet, vel conſulit, vel ei conſentit vel laudat, aut receptat principalem ipſius authorem, vel eidem participat in tali peccato, vel *cum teneatur & poſſit*, ipſum ſiue verbo ſiue opere, non impedit peccare.

Porro ex eodem authore in cap.17.num.131.& aliquot ſequentib.nomine iubentis præter eum cuius imperio expreſſo vel tacito peccatum mandatur executioni, intelligitur etiam is qui procurat talem executionem: vt ſi quis procuret graue aliquod damnum à potentiore inferri alicui: quod interdũ vſuuenit familiaribus Regum & aliorum magnatum qui his aperiunt & proponũt modos & vias vexandi aliquos: itemq; Aduocatis vel Procuratoribus, quorum artibus aliqui cauſa cadunt cum habeant iuſtam. Obiter aduerte, expreſſum imperium eſſe: ſi quis expreſſe alteri præcipiat rapere, vel interficere, vel aliud id genus facere: tacitum vero, ſi quis alicui, qui ad ipſius imperium mouetur, dicat aliquid, vnde poſſit conijcere præceptum perpetrandi facinoris, vt, Opto vindictam ſumi de tali: vel ei tale damnum inferri. Non mihi placebis, niſi hodie aliquid noui feceris, vel aliud ſimile, vnde alter mentem impetrantis intelligat.

Nomine autem conſulentis intelligitur non modo is qui conſulit ſcienter & dolose: ſed etiam is qui bona fide quidem, ſed non adhibitis ſtudio & diligentia debitis ad veritatem aſſequendam: & ita meritò monet Nauar. non eſſe nimium ſuæ ſcientiæ & prudentiæ in conſulendo fidendum. Adde intelligi non modo eum, qui conſilium dat: ſed eum etiam qui adhortatur, rogat, inſtruit, vtilitatemque criminis ob oculos ponit: vel aliud ſimile facit, vnde alter moueatur ad illud perpetrandum.

Nomine vero conſentientis intelligitur, non modo is qui conſentit aliquid mortaliter malum perpetrari ſuo nomine, ſed etiam is qui ſuo nomine perpetratum, gratum, ratumque habet: quo modo Princeps mortaliter peccat, non tantum conſentiendo vt à ſuis bellum iniuſtum geratur; ſed etiam gratum, ratumq; habendo geſtum.

Nomine porro laudantis intelligitur, non tantum is, qui induſtriam, fortitudinem & huiuſmodi alia in peccante cõmendat: ſed is etiam qui ignauiam, animum abiectum, & ſimilia in eo vituperat, exprobrat, irridet, vt moueatur ad perpetrationem peccati.

Nomine præterea receptantis intelligitur non tantum is, qui frequenter, ſed etiam is qui ſemel recipit peccantem: aut alio modo ſecuritatem illi præbet in fauorem ſui peccati. Nam quamuis verbum receptandi grammaticis ſit frequentatiuum: in hac tamen doctrina vſus obtinuit, vt in ſignificatione ſui primitiui hoc eſt, verbi recipiendi, vſurpetur, quẽadmodum notant Angelus in verbo Hæreticus num.23. & Sylu.in verbo Hæreſis 1.num.10.

Nomine denique participantis, intelligitur is qui peccanti præbet auxilium in peccando: vt qui ei cooperatur ſiue miniſtrando inſtrumenta, quibus exequatur ſcelus; ſiue ſe ſocium ei adiungendo in executione; ſiue eum comitando, quo tutius aut commodius exequatur. Cæterum tria reliqua nomina mutus, non obſtans, non manifeſtans, accipienda ſunt prout ſonant: & eſt addenda eis particula, *cum teneatur & poſſit*: quia vt alicui peccatum ideo imputetur, quod omiſerit illud impedire, non eſt ſatis quod impedire potuerit, niſi ad id etiam teneretur; hoc eſt, non ſufficit poteſtas ſine obligatione, vt ex D.Thoma & Caiet.habet in cit. cap.11. num. 13.Nauarr.& patet per doctrinam de peccato omiſſionis traditam in præced.lib.13.cap.2. Ea autem obligatio eſſe poteſt vel ex lege charitatis, qua omnes interuenientibus quibuſdam circunſtantiis, tenentur obuiare peccato committendo à proximo: vel ex lege iuſtitiæ, ex qua multi ſimiliter tenentur obuiare ratione officij quod gerunt, vel ſtipendij quod accipiunt.

Præceptum diuersi generis comparatio inter se.

SECTIO III.

Nu. 33. QVartum documentum est: præcepto naturali positiuum, & huic, humanum cedere. Cuius ratio redditur; quod Christus sua lege noluerit quidquam de iure naturæ mutare; nec homo quidquam contra ius naturæ Deique voluntatem possit item mutare. Id quod intelligi debet procedere, quando duorum præceptorum materiæ concurrunt cum omnibus circunstantijs requisitis ad ipsorum obligationem; ita nimirum vt ius positiuum nihil operetur aliud circa materiam iuris naturæ, quam quod habeat suam, cum illa concurrentem: vt accidit cum ad succurrendum extreme laboranti, *quod est iuris naturæ*, omittitur Missæ auditio in die festo, quæ iuris est positiui. Ratio vero cur debeat sic intelligi, est: quod si præceptum positiuum, circa naturale: aut humanum, circa diuinum ita operetur, vt aliquam circunstantiam tollat in ipsius materia necessariam ad obligationem, tunc non cedat sed vincat: non tanquam fortius & habens maiorem obligandi vim, sed tanquam remouens aliquid quod necessarium ei est ad inducendam obligationem.

Nu. 34. Sic præceptum est naturale, rationisve naturalis obligatio, vitandi scandalum; sed interueniente duplici circunstantia, prout patet ex iis quæ dicta sunt in præced. lib. 14 in priore parte quarti capitis. Altera est, vt operatio illa, ex qua sumitur occasio peccandi, sit omnino voluntaria & libera, id est, fiat tantum vt operans obsequatur animo suo: altera vero vt occasio peccandi sumatur ex ignorantia, aut ex infirmitate, non ex malitia. Iam vero præceptum positiuum aliquid præcipiens, facit vt operetur quis, non vt obsequatur animo suo, sed vt alicui necessitati seruiat. Vnde concurrers cum antedicto præcepto de vitando scãdalo tollit priorem circunstantiam ipsius: sicque fit vt non cedat eidem. Et ita, *prout loco cit. annotauimus*, puella ex cuius aspectu aliquis exardescit, non tenetur vitare tale scandalum, si ex præcepto Ecclesiæ ei adeundum sit templum, ad Missam audiendam: vel si ille tali turpitudini ex malitia sit obnoxius. Similiter ius naturale, rectaue ratio præcipit studendum esse omni ope conseruationi Reip. sed cum hac circunstantia: dummodo aliud maius bonum non obstet: quam circunstantiam cum contingat tolli per præceptum diuinum positiuum de seruando secreto in foro pœnitentiali (quandoquidem bonum maximum omnium est: confessionem haberi in pretio, & malum maximum omnium ab illa homines alienos esse) fit vt ne quidem pro seruanda reipub. violandũ sit tale secretum. De qua re dictum est ex instituto in præcedenti lib. 3. cap. 2. Eadem etiam naturalis ratio præcipit studendum esse conseruationi vitæ propriæ: sed cum hac circunstantia: dummodo maius bonum non obstet. Vnde Carthusianorum abstinentia à carnibus, etiam in periculo mortis optime defendi potest: quia maius bonum est obseruare singulam regulam in tota religione, quam damnum vitæ adferri vni ægroto.

CAP. IV.

De diuersitate præceptorum.

SVMMARIVM.

35 *Diuisiones præcepti ex materia, & ex forma.*
36 *Diuisiones ex fine, & ex efficiente.*
37 *Peccata quæ nulli speciali virtuti repugnant.*
38 *Quando diuersorum præceptorum transgressione tantum committatur vnum peccatum, & quando plura.*
39 *Præceptum affirmatiuum semper includit negatiuum: hoc vero illud plerumq; quidem, sed non semper.*
40 *Vnde dictus Decalogus, ipsumq; esse compendium eorum omnium quæ agenda sunt, itemq; animæ quasi speculum.*
41 *In sacris literis commendatur Decalogi non modo cognitio, sed etiam obseruatio.*
42 *Requisita vt talis obseruatio sit fructuosa.*
43 *De quibus data sint præcepta Decalogi, & quam sit necessaria illorum cognitio.*
44 *Ratio denarij numeri præceptorum Decalogi.*
45 *Triplex discrimen in modo, quo eadem præcepta habentur tradita in Decalogo.*
46 *Triplex ordo inter præcepta Decalogi.*

Nu. 35. HÆc diuersitas innotescit ex variis modis quibus diuiditur præceptum: præcipuos attigisse sufficiet sumptos ex ipsius causis. Primo igitur ex materia, præceptum diuiditur in generale & speciale: quorum illud iubet bonum, & vetat malum in genere: vt datum in Psal. 23. Diuerte à malo & fac bonum: vel in genere præcipit obseruationem mandatorum: vt datum Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hoc vero vel certæ atque specialis virtutis actum præcipit, vel specialis vitij actum prohibet. Quod rursus distinguitur in illud quod est de pertinentib. ad charitatem, & in illud quod de pertinentibus ad iustitiam: & in illud quod de pertinentibus ad cæteras virtutes.

Secundo, ex forma diuiditur præceptum: primo quidẽ, in affirmatiuum & negatiuum: quorũ illud imponitur iubendo, & hoc inhibendo: seruandumq; est omni tempore, non item illud: sed iis tantum temporibus, quæ vel recta ratio ex inspectione circunstantiarum, vel Superioris decretum præscripserit: quod si difficultatis aliquid aliquando habeat, id declaratur cum de vnoquoq; tali præcepto in particulari agitur. Secundo vero ex forma, præceptum diuiditur in commune & in priuatum: quorum illud est, quod obligat totam communitatem, non singulos seorsum: vt præceptum matrimonij Gen. 2. Crescite & multiplicamini: & præceptum sacri ordinis Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Istud vero, *priuatum inquam*, est, quod omnes & singulos obligat: vt præceptum de diligendo Deo & proximo, & alia pene innumera.

Nu. 36. Tertio, ex fine præceptum diuiditur in morale, quod ad rectam morum institutionem: cæremoniale, quod ad Dei cultum: & iudiciale, quod ad iudicium inter homines pertinet. Quæ tria genera in omni lege fuerunt tam naturali, quam Mosaica & Euangelica: sed ita vt duo posteriora diuersa essent in diuersis legibus, & primum idem esset in omnibus.

Quarto, ex efficiente ad diuisionem legis diuiditur præceptum in naturale, supernaturale, humanum, & mixtum: quorum naturale complectitur omnia moralia, data de iis quæ secundum se bona sunt, aut mala. Supernaturale vero in lege Euãgelica, *in qua sola nunc locum habet*, continet quæ data sunt à Christo de Sacramentis. Humanum porro complectitur quodcunq; siue Ecclesiasticum siue ciuile: & est aut commune, quod pertinet ad omnes cuiuscunq; status: aut particulare, quod spectat ad certum hominum statum. Mixtum denique censeri potest continere tum omnia quæ sunt iuris gentium, tanquã partim naturalia, partim humana: eo modo quo expositum est in præced. libr. 13. num. 40. tum etiam tria prima Decalogi præcepta, partim naturalia, partim supernaturalia: hoc nomine, quod ipsa sint quidem maxime consentanea rationi naturali: ad ea tamen ratio ipsa attingere non possit, nisi lumine supernaturali (vt habet Sotus in 2. de iust. & iure, quæst. 3. art. 1) sit illustrata, ob rei scilicet de qua dantur cellitudinem: quæ est summi veriq; Dei cultus; radio magisterioq; supernaturali indigens, vt omnibus mortalibus, prout oportet, clarescat: *quemadmodum ibidem Sotus loquitur*: perinde ac secundæ tabulæ præcepta, respectu rudiorum indigent magisterio humano.

Nu. 37. Circa primam diuisionem pro praxi in iudicio de peccatis: notandum est 1. multa esse peccata, quæ (*cum non sint contra specialem virtutem, sed generaliter contra synderesim, rectamve rationem*) generali tantum præcepto, non alicui speciali, repugnare censentur: vt peccandi intentio in communi, est contra synderesim, quæ in genere dictat malum esse fugiendum; & seipsum interficere, est contra rectam rationẽ, quæ id vetat; quantumcunq; fiat sine alterius iniuria, siue priuata, siue etiam communi Reipub. vt si quis esset Reipub. omnino inutilis, vel etiam pernicios̃us.

Nu. 38. Notandum est secundo, peccatum quod cõmittitur contra speciale præceptum contentum in generali, non nisi vnũ esse, commissum vero contra plura specialia præcepta, esse plura peccata; iuxta Nauar. in Enchir. cap. 11. num. 4. Cuius

notabi-

notabilis prior pars confirmatur ex eo, quod alioqui peccatum contra quodlibet præceptum, duplex eſſet; cum omne præceptum ſpeciale contineatur ſub generali. Poſterior vero ex eo, quod præcepta diſtincta, quorum vnum non includitur in altero, cum diſtinctas imponant obligationes, tranſgreſſorem conſtituant diſtinctarum culparum reum.

Nu.39. Circa ſecundam diuiſionem, notandũ eſt: præceptum affirmatiuum ſemper complecti in ſe contrarium negatiuum; vt præceptum de honorandis parentibus; præceptum de nõ afficiendis illis iniuria. Ratio eſt: quia ex affirmatione alicuius, recte infertur negatio contrarij illius; vt Iucundum eſt. Ergo non eſt moleſtum. Præceptum vero negatiuum complecti quidem plerumq; contrarium affirmatiuũ, vt præceptum de non furando, præceptum de reſtituendo rem alienam; non tamen ſemper: ſicut nec ſemper ex negatione vnius ſequitur affirmatio contrarij ipſius. Non enim recte ſequitur, Paries non eſt albus. Ergo eſt niger: quia poteſt eſſe medio aliquo colore tinctus. Similiter nec ſequitur. Teneor ex iuſtitia, nulli vitam aut bona ſua auferre. Ergo teneor ex iuſtitia omnibus vitam & bona ſua cõſeruare. Nam prohibitio malorum latius patet, quam præceptio bonorum. Quæ doctrina eſt Soti in 2. de iuſt. & iure quæſt. 3. art. 7.

Circa vltimam notandum eſt, in ea ſub nomine præcepti naturalis comprehendi decalogum: cuius reſpectu cum deinceps expoſituri ſumus ſpecialem rationem iudicandi de peccatis, conſultum eſt nonnulla de eo præmittere notatu digna.

Notanda de Decalogo.

PARS RELIQVA CAPITIS.

Nu.40 NOtandum igitur eſt primo, Decalogum ex numero præceptorum, quibus cõſtat nomen habere: nempe ex decem verbis illis de quibus Exod. 34. verſ. 28. dicitur; quod Moyſes ſcripſerit in tabulis, verba fœderis decem: ſumpto nimirum verbi nomine pro ſententia, ſeu dicto ſententioſo: vt ſæpe fit in libro Prouerb. vt & in Actis Apoſtolicis cap. 20. cum D. Paulus ait Meminiſſe oportet verbi Domini Ieſu, Beatius eſt dare quam accipere.]

Cenſetur autem Decalogus vt ex Concilio Colonienſi habet Nau. in Enchir. cap. 11. num. 1. ſumma & compendium eorum omnium quæ Chriſtianus debet agere: ſicut ſymbolum Apoſtolorum ſumma eſt eorum omnium quæ idem debet credere: oratio dominica omnium eorum quæ debet à Deo ſperare & petere. Itemque *vt idem ex eodem Concilio tangit in ſequenti num.* 3. eſt quaſi ſpeculum quod baptizato traditur vt videat quantum per fidem acceptam renouet vitam ſuam; vel quantum declinauerit à via illa per quam Spiritusſanctus in baptiſmo acceptus, ipſum deducebat: & qua in re cãdidam veſtem, quam in eodem baptiſmo induit, maculauerit: ſeu quibus peccatis, contraueniendo voluntati Dei, *cuius obſequio per baptiſmi ſuſceptionem mancipatus eſt*, animam ſuam contaminauerit: aut à quibus peccatorum ſordibus, per ſacramentum Pœnitentiæ abluendam perpurgandamq; habeat. In quem vſum neceſſarium eſſe Decalogum ſignificatur per illud ad Romanos ſeptimo, Concupiſcentiã neſciebam, niſi lex diceret Non concupiſces:] & illud Deut. 4. Hæc eſt veſtra ſapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuerſi præcepta hæc dicant. En populus ſapiens & intelligens.] Quæ verba aperte etiam oſtendunt Decalogum ſic continere rudimenta pietatis & iuſtitiæ tradita populo Iſraelitico; vt etiam contineant perfectam pietatem & iuſtitiam; iuxta illud Eccleſiaſtis cap. 12. Deum time, & mandata eius obſerua: hoc eſt omnis homo.

Caue autem inde inferre nihil eſſe ex obligatione faciendum niſi expreſſum in Decalogo, nam tenemur Deum ſuper omnia diligere, & proximos ſicut noſipſos: & multa alia facere de quibus nulla eſt in illo mentio, & vt recte admonet in citato num. 1. Nau. ſed tantum conclude Decalogum cõſtare iis præceptis ad quæ cætera omnia ad pietatem & iuſtitiam pertinentia reuocentur, tanquam illorum principia aut concluſiones.

Nu.41. Notandum eſt ſecundo, In ſacris commendari nobis Decalogi non modo cognitionẽ, ſed etiam ſugem, aſſiduamq; conſiderationem; per illud Deu. 6. Eruntq; verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo; & meditaberis ſedens in domo tua, & ambulans in itinere; dormiens atque cõ urgens] & illud Pſal. 1. Sed in lege Domini voluntas eius & in lege eius meditabitur die ac nocte.] Atq; conſiderationem; nõ quidem nudam, ſed coniunctã cum obſeruatione ipſius: cum dicitur Pſal. 101. Iuſtitia illius in filios filiorũ his qui ſeruant teſtamẽtum eius: & memores ſunt mandatorum ipſius ad faciendum ea] & Luc. 11. Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud] & cap. 12. Seruus ſciens voluntatem domini & non faciens, plagis vapulabit multis] & ad Rom. 2. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum; ſed factores legis iuſtificabuntur] & Iacobi cap. 1. Eſtote factores verbi & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos] & cap. 4. Scienti bonum & non facienti peccatum eſt illi] & 2. Petri 2. Melius erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum cõuerti ab eo quod illis traditum eſt ſancto mandato] & 1. Ioann. 2. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.]

Cæterum vt fructuoſa ſit talis obſeruatio exigitur vt fiat *Nu.42* ex charitate ſine qua nihil ad æternam vitam obtinendam prodeſſe poteſt vt manifeſtũ eſt ex priori ad Corinth. cap. 13. Secundo, vt fiat quoad omnia mandata. Nam ſicut ille qui vel vni tantum artículo fidei non credit, fidem non retinet ad ſalutem neceſſariam: ita quicunq; totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus, *inquit D. Iacobus in cap. 2. ſuæ Epiſtolæ*; ſignificans nihil ad æternã ſalutem prodeſſe obſeruationem præceptorũ, ei qui vel vnicum tranſgreditur obligans ad mortale. Quod & ratio confirmat, quia per talem tranſgreſſionem exciditur ab ipſa æterna ſalute, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Tertio, vt fiat cum perſeuerantia vſq; in finem iuxta illud Matth. 10. & 24. Qui perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit.

Notandum eſt tertio, in Decalogo non dari expreſſe præ- *Nu.43.* cepta de omnibus actibus virtutum & vitiorum; ſed de iis qui patent, quiq; omnibus, quantumcunque rudibus facile inculcari, & in promptu eſſe poſſunt. Neq; immerito, cum illius notitia, *ſicut & Symboli Apoſtolici*, ſit ad ſalutem neceſſaria: quandoquidem ignorata, ſeruari nequeant; & ad ea obſeruanda obligemur tum iure naturæ, quod immutabile eſt: tum iure diuino poſitiuo, multo arctiore quam in veteri lege: vt patet ex cap. 5. D. Matth. vbi Chriſtus Dominus Decalogum renouat: in auctiore arctioreq; forma, quam antea eſſet; præmiſſa illa duplici ſententia. Non veni ſoluere legẽ ſed adimplere, *id eſt, perficere*; Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum; non intrabitis in regnum cœlorum. Vnde ſequitur, omnes Chriſtianos qui ad annos diſcretionis venerint, rationisq; vſum habuerint, ſicut tenentur obſeruare, ita teneri ſcire Decalogum, non quidem eo ordine, ac verbis quibus in Catechiſmo proponi ſolet (pro quo multos authores Thomas Sanchez refert in opere morali lib. 2. cap. 3. numer. 16.) ſed quoad illius ſubſtantiam, eſt, quoad iuſſa aut vetita in illo; ita vt interrogati valeant reſpondere, Deum eſſe timendum & colendum ſuper omnia: Non eſſe peierandum. Honorem eſſe deferendum parentibus: & ſic de alijs.

Notandum eſt quarto, denarij numeri præceptorum De- *Nu.44* calogi non poſſe reddi meliorem rationem, quam diuinam voluntatem. Quia tamen ipſa voluntas diuina ſemper eſt rationi conſentanea: iſtam vt accommodatam ad captum noſtrum adferunt Theologi, ſumptam ex eorundem præceptorũ fine; qui eſt erudite homines in iuſtitia, tum erga Deũ, tum erga proximum: vt cuique reddamus quod ei debetur. Tria ſunt autem quæ debemus Deo: primum peculiaris cultus quẽ vlli alteri deferre, prohibemur 1. præcepto: ſecundũ reuerentia ob quam 2. præcepto prohibemur nomen ipſius in vanum ſumere: tertium, famulatus & obſequium, cui certum tempus tribuere iubemur 3. præcepto. Proximi vero noſtri ſunt duplices: alij quidem quibus ſingulariter debitores ſumus, eo quod ab eis maxima bona acceperimus: quales ſunt parentes, à quibus poſt Deum, habemus vitam, quæ maximum eſt bonorum temporalium: vnde illis quarto præcepto iubemur honorem exhibere. Alij vero, quibus etſi beneficia non debeamus, tenemur tamen

eis non nocere, quod cætera præcepta iniungunt: quintum quidem, ne eis noceamus in persona propria, vitam auferendo, aut quacunq; ratione corpus mutilando: sextum vero, ne eis noceamus in persona coniuncta; prolis, aut vxoris. Et demum reliqua ne eis noceamus in bonis externis: neq; opere, quod septimum cauet: neq; verbo quod octauum prohibet; neq; etiam cogitatione, quod nonum & decimum vetant: illud quoad personam coniunctam; & hoc quoad cætera bona externa.

Nu.45. Notandum est quinto, triplex discrimen cerni in modo quo decē hæc præcepta habentur tradita in Decalogo Exod. 20. Primum est, quod primo & tertio addatur ratio, non item cæteris: primo quidem, per illud. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo seruitutis] tertio vero per illud, Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt & requieuit die septimo.] Secundum est, quod primo & quarto adiungatur præmij propositio, non item cæteris. Primo quidem per illud: Faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.] Quarto, vero per illud: Vt sis longæuus super terrā quam Dominus Deus tuus dabit tibi.] Tertium est, quod primo & secundo subiungatur comminatio pœnæ: non item cæteris. Primo quidem, per illud; Visitans iniquitates patrum in filios in tertiam & quartam generationem iis qui oderunt me.] Secundo vero per illud, Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Dei sui frustra.] Quorum discriminum rationes qui volet, videre potest apud Sotum in 2. De iust. & iure quæst. 3. art. 7.

Nu.46 Notandum est postremo: triplicem inter eadem præcepta ordinem cerni in Decalogo. Primus est communis omnium; qui constitit primo, in eo quod cum essent scripta in duabus tabulis ex cap. 31. Exodi in fine, & ex seq. cap. 32. vers. 15. præcepta prioris tabulæ præcedant præcepta posterioris, duplici de causa: tum quia illa continent dilectionem Dei; & hæc, dilectionē proximi: quæ minus digna est: tum quia illa hominem, *cuius vita militia est super terram Iob. 7.* ordinant ad Deum, tanquam ad summum suum Principem; & hæc ad homines tanquam commilitones: consentaneumq; est milites prius institui in ordine ad Principem, quam ad se inuicem; vt recte argumentatur Sotus in 2. De iust. & iure quæst. 3. art. 6. concluſ. 1. Constitit secundo in eo, quod cum in vnaquaq; tabula sit tantum vnum præceptum affirmatiuum, ipsum ponatur vlt. loco in 1. tabula; ordine scilicet executionis: in 2. vero tabula primo loco ponatur, ordine nimirum dignitatis & intentionis.

Vbi aduerte præcepta affirmatiua esse negatiuis priora dignitate & intentione legislatoris: siue in eadem, siue in diuersa materia: quoniā illa instituta sunt ad imbuendas virtutibus animas nostras: & hæc ad easdem repurgandas à vitiis; quorum illud de se perinde habet se ad istud, ac plantatio vineæ ad euulsionem veprium, à quibus agrum repurgari, ipsa requirit. Vnde Ieremiæ quarto dicitur Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas & tribulos. Executione vero, negatiua sunt priora affirmatiuis, cum sicut auulsio veprium ab agro est prior plantatione vineæ in illo, ita etiam prius sit vitium exuisse, quam virtute indui: quod satis indicari videtur per illud Psalm. 33. Diuerte à malo & fac bonum; & illud Isaiæ 1. Quiescite agere peruerse, discite bene facere.

Constitit postremo in eo, quod præcepta de operibus antecedant præcepta de verbis: & hæc præcepta de cogitationibus. Cuius rei ratio esse potest, quod cæteris paribus grauiora & patentiora sint mala opera, quam verba: & hæc, quam cogitationes: vt occidisse quam minitatum esse mortem, & hoc quam cogitasse occidere.

Secundus ordo cuius meminit Sotus in 2. De iust. & iure quæst. 4. art. 2. ad 1. est proprius præceptorum primæ tabulæ: vt primum sit de non deferendo alteri quam Deo, cultum huic soli debitum: quod ad cordis fidelitatem pertinet. Secundum vero, de non assumendo nomen Dei frustra: quod ad oris veritatem spectat. Tertium demum, de exhibendo illi famulatum & obsequium: quod ad probitatem morum reducitur. Cuius ordinis ratio reddi potest quod grauius peccet qui cultum debitum negat Deo & alteri defert: quam qui se irreuerenter erga illum gerit: & qui hoc facit, quam qui negligit ei seruire in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus suis.

Tertius ordo est, proprius præceptorum secundæ tabulæ, quo illud de honorandis parentibus præponitur cæteris tanquam dignius ac maioris obligationis: cum etsi teneamur nulli nocere non tenemur tamen omnibus benefacere; sed specialiter parentibus, à quibus vitam accepimus. Vnde & de debito eis reddendo datum est præceptum affirmatiuū, cum de reddendo aliis, præcepta omnia data in Decalogo, sint negatiua. Quæ eidem affirmatiua subiunguntur hoc ordine, vt prius ponantur data de operibus, quam de verbis: & prius data de verbis, quam data de cogitationibus: & inter data de operibus, illa quæ maius malum prohibent. Quia igitur maius malum est lædere proximum in persona propria adimendo illi vitam: quam in persona coniuncta prolis vel vxoris, adimendo illi prolis certitudinem & coniugij fidem: hocque porro maius malum est, quam lædere illum in bonis externis: fit vt quarto præcepto de honorandis parentibus succedat proxime quintum de non occidendo; tum sextum, de non adulterando; tum deinde septimū de non furando. Quibus tanquam datum de verbis, subiungitur octauum, de non dicendo falsum testimonium; & vltimum locum tenent nonum, de non concupiscenda vxore proximi: & decimum, de non concupiscenda re aliena: quorum illud huic præponitur, eadem ratione qua sextus præponitur septimo: quoniam illis in materia quam prohibent communicant. Hæcque hactenus dicta sint ad intelligendam rationem iudicandi de peccatis habito respectu ad præceptum in communi. Quæ vero faciunt ad eam intelligendam habito respectu ad vnumquodque præceptum in particulari, tradenda sunt deinceps.

LIBER

LIBER SECVNDVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVS-SEPTIMVS.

DE RATIONE SPECIALI IVDICANDI DE PECCATIS, in ordine ad primum Decalogi præceptum.

Prænotanda de eodem præcepto.

SVMMARIVM.

1 *Exordium primi præcepti Decalogi.*
2 *Substantia eiusdem.*
3 *Eiusdem quoque appendix.*
4 *Primum Decalogi præceptum negatiuum est, includens affirmatiuum de cultu veri Dei.*
5 *In quo consistat cultus Dei internus.*
6 *In quo externus.*
7 *Huic præcepto non aduersatur cultus, qui Sanctis, & imaginibus ipsorum defertur in Ecclesia.*
8 *Quis imaginum cultus prohibeatur primo præcepto.*

Nu. 1. PRIMVM Decalogi præceptum habetur Exodi 20. & Deut. 5. in quo tria distinguuntur: exordium, substantia præcepti, & appendix. Exordium continet illa verba: Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis: indicantia maximos titulos quibus adstringimur ad diligentem obseruationem huius ac cæterorum diuinorum præceptorum. Dicens enim *Ego sum Dominus Deus tuus*, ostendit se esse hominum satorem & conseruatorem: adeo vt vocem illius audire, nutumque sequi in omnibus debeamus tanquam populus eius & oues pascuæ eius ex Psal. 94. Itemque se habere summam præcipiendi potestatem, cum infinita bonitate coniunctam: qua non in suum, *vt pote qui bonorum nostrorum non eget, ex Psal.* 15. sed in nostrum commodum vtitur: ita vt præcepta ab ipso data, desiderabilia sint super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & fauum, in quibus custodiendis est retributio multa, ex Psal. 18. Subiungens deinde, *Qui eduxi te de terra Ægypti*, significat se liberatorem redemptorem que nostrum esse. Etsi enim verba ea literaliter intelliguntur de liberatione Iudæorum à seruitute Ægyptiaca: spiritaliter tamen, siue secundum mysticum sensum, intelliguntur de vera liberatione Christianorũ à seruitute peccati, & diaboli: de qua D. Paulus ad Coloss. 1. Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum.] Addens demum, *De domo seruitutis*, indicat se glorificatorem nostrum esse in cœlis, vbi ab omni seruitute corruptionis, cui hic subiicimur, liberabimur; iuxta illud in cap. 8. epistolæ ad Romanos. Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.]

Vnde patet quod si iustum est vsibus domini seruire domum, quam sibi ædificauit: quam & inique venditam, pretio redemit: quamq; adhuc mercede sufficienti conduxit: sane iustissimum omnium esse, vt homo præcepta seruet Dei, qui creauit ipsum ex nihilo; quemque suâ nequitiâ diabolo venundatum, redemit sanguine vnigeniti filii sui: ac etiam ad talem obseruationem conduxit mercede ineffabilis æternæq; gloriæ. Imo quamuis hæc non essent, nemo non videt quam rationabile sit seruire ei qui solus est altissimus super omnem terram, ex Psal. 82. Cuius mandatum sanctum, iustum, & bonum est ad Rom. 7. & obseruatu iucundum & facile, dicente Christo Domino Matth. 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue.]

Subsstantiam vero præcepti continent verba, Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile & omnem similitudinem, &c. Non adorabis ea neq; colues. Quibus prohibetur falsorum Deorum cultus sub forma triplicis negationis. Cuius rationem D. Thom. 2. 2. quæst. 122. art. 2. ad 2. reddit, quod olim falsorum Deorum cultus in vsu esset dupliciter. Quidam enim creaturas quasdam colebant absque institutione imaginum: alii institutis quibusdam imaginibus, quibus diuinos honores deferebant: quæ vtraque impietas Iudæis hoc præcepto prohibetur. Prior quidem per primam negationem: posterior vero, per duas reliquas. Nu. 2.

Appendicem denique continent verba illa, Ego Dominus Deus tuus, fortis zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me; & faciens misericordiam in millia, his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. Quibus verbis redditur ratio propositi præcepti cum cõmemoratione pœnæ constitutæ illud, aliaque diuina transgredientibus: & præmii constituti seruantibus. Indicantur quoque septem præcipuæ virtutes quas ad eiusdem obseruationem exigi censentur: nempe cum dicitur *Ego sum Dominus Deus tuus*, indicatur fides: cum dicitur *Fortis*, humilitas: cum dicitur *zelotes*, sincera religio: cum dicitur, *vindicans iniquitates*, timor Dei: cum dicitur *faciens misericordiam*, spes: cum dicitur *diligentibus me*, charitas: cum denique dicitur, *custodientibus præcepta mea*, obedientia. In quarum virtutum, & vitiorum contrariorum explicatione, versandum nobis est tanquam in ea in qua consistit ratio nobis proposita iudicandi de peccatis in ordine ad primum Decalogi præceptum. Nu. 3.

Præmittendum est autem, idipsum præceptum, negatiuum quidem esse, vt patet ex forma verborum, quibus conceptum est: sed includere in se affirmatiuum de cultu vnius veri Dei, expressum Deut. cap. 4. vers. 13. & cap. 10. vers. 20. & Matth. 4. vers. 10. per ea verba Dominũ Deum tuum adorabis & illi soli seruies; ita vt comprehendat cum falsi & impii superstitiosique cultus prohibitione, præceptionem veri cultus vnius Dei. Qui cultus duplex est, vnus interior & plane spiritalis: de quo Ioan. 4. Spiritus Deus est, & eos qui adorant eum, oportet in spiritu & veritate adorare.] Nu. 4.

Isque consistit ex parte quidem intellectus, in eo vt cognoscamus maiestatem & excellentiam Dei: nempe quod sit rerum omnium primum principium & vltimus finis, summe sapiens, potens, bonus. Qua ex parte talis cultus fidem requirit, ad hoc saltem, vt is Deo gratus sit: cum impossibile sit sine fide placere Deo ad Hebr. 11.] Ex parte voluntatis vero, in eo consistit vt velimus Deo in omnibus subiici, nos totos nostrasq; vires omnes, ipsius honori & obsequio dicatas esse; ipsum omni animi summissione reuereri, ipsi nos totos committere; ipsum præ omnibus amare; & in omnibus ei obtemperare. Quo fit Nu. 5.

vt cum fide requirat virtutes eas quarum antea meminimus, humilitatem inquam, ſinceram religionem, timorem Dei, ſpem, charitatem & obedientiam. Neque refert quod idem cultus, prout de illo datur primum præceptũ, tantum ſit actus ſinceræ religionis; quia huic virtuti, præſertim in Chriſtiana religione, illæ aliæ annexæ ſunt tanquam requiſitæ ad talis actus vſum.

6. Alter cultus eſt exterior, conſiſtens in cæremoniis, actionibusve externis quibus declaramus ac profitemur prædictum cultum internum. Cuiuſmodi actiones ſunt duplices: quædam velut communes; vtpote vſitatæ non tantum ad declarandum cultum ſoli Deo debitum; ſed etiam eum, qui hominibus debetur; vt genu flexio apertio capitis, & inclinatio coram aliquo, accætera; quibus non tantum Deo, ſed etiam hominibus honor exterius impẽditur. Quædam vero ſolius cultus Dei ſunt propriæ, id eſt, quæ declarant ſolum cultum eum qui Deo debetur: vt oblatio ſacrificii. Soli enim Deo ſacrificium offerri docet D. Auguſt. in 10. De ciuit. Dei cap. 4. Item proteſtatio, qua quis voce exprimit ſe agnoſcere vel fateri aliquem eſſe ſuum creatorem, redemptorem ſeruatorem, ſumme bonum & huiuſmodi, quæ ſoli Deo ſunt propria.

7. Vnde intelligitur cultum quem Chriſtiani Sanctis in ſe aut in ſuis imaginibus deferunt, non aduerſari huic præcepto: quia is non eſt proxime deſcriptus, ſoli Deo debitus, qui communi Eccleſiæ vſu dicitur λατρεία: ſed longe inferior, qui eodem vſu dicitur aut δυλεία, Sanctiſque ipſis exhibetur, nõ tanquam veris diis; ſed tanquam ſeruis veri Dei, qui cum illis aliquam ſuæ excellentiæ particulam dignatus eſt communicare: aut ὑπερδυλεία, id eſt, excellens quædam δυλεία quatenus alicui exhibetur tanquam particulari quadam affinitate coniuncto cum Deo: vt beatiſſimæ Virgini, tanquam Dei matri. Intelligitur etiam eidem præcepto non aduerſari vſum imaginum quem videmus in Eccleſia Catholica: quandoquidem non prohibetur in eo abſolute omnis talis vſus: Nam alioqui nullam omnino imaginem liceret pingere, cum expreſſe prohibeatur fieri omnis ſimilitudo rei, quæ eſt in cœlo deſuper: & quæ in terra deorſum: & quæ in aquis ſub terra.

8. Id quod falſum eſſe conſtat: ſed prohibetur is imaginum abuſus, quo apud Gentiles eæ pro Deo adorabantur, iuxta illud quod ad Rom. 1. iidem Gentiles dicuntur tranſtuliſſe gloriam Dei, in imagines ſerpentum, volucrum, & quadrupedum: & illud Pſal. 105. quo Iſraelitæ dicuntur mutaſſe gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum; facta alluſione ad illud quod Exod. 32. conflato aureo vitulo dixerunt, Hi ſunt dij tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Iſtud enim iuri naturæ ſeu rectæ rationi aperte repugnat: non autem illud: cum potius recta ipſa ratio ex aduerſo dictet: ſicut pium eſt Chriſti & Sanctorum imagines in mente formare, vt per has & in his, illos cognitos debito cultu ac veneratione proſequamur: ita etiam pium eſſe extra mentem eaſdem effingere, non vt ipſas tanquam Deos colamus: ſed vt prototypa quæ repræſentant in ipſis veneremur eaque tanquam nobis ante oculos propoſita conſiderantes, inflammemur ad amãdum ardentius, ac colendum Deum: atque ad illorum vitam & mores imitandos excitemur. De quibus plura dicere quia non videtur noſtri inſtituti eſſe: ſufficit volentem plenius de illis inſtrui *ob hæreticorum importunitatem*, remittere ad Bellarm. in 7. generali controuerſia tomo 1.

TRACTATVS I.

De fide & ei contrarii.

IN tradenda ratione iudicandi de peccatis ex primo præcepto Decalogi, merito initium ſumitur ab iis quæ ad illum ex parte fidei ſpectant: cum fides vtà D. Aug. in ſerm. 38. De tempore dicitur, ſit bonorum operum fundamentum & ſalutis initium: ſiue *vt habet Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap.* 8. humanæ ſalutis initium & fundamentum, ac radix omnis iuſtificationis. Id quod patet per illud Apoſt. ad Rom. 5. Per quem & habemus acceſſum per fidem in gratiam iſtam in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei:] & illud ad Hebr. 11. Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.] Ratioq; confirmat: quia prius eſt cognoſcere Deum vt Superiorem, cui in omnibus obſequi debeas, quam vt ipſi debitum obſequium præſtes: ad illamque cognitionem, fides intellectũ reddit habilem, ſicut ad hoc obſequium, reliquæ virtutes voluntatem reddunt propenſam. Dicemus autem primo de ipſa fide, tum de ipſius præcepto: tum, demum de vitiis ei oppoſitis.

CAP. I.

De ipſa fide.

SVMMARIVM.

9 *Fides multiplex.*
10 *Definitio fidei infuſæ de qua ſola eſt hic ſermo.*
11 *Dubium in fide duplex, & ex quo cenſeatur quis infidelis.*
12 *Quæ ad materiam ſeu obiectum fidei pertineant.*
13 *Actus fidei eſt neceſſarius ad ſalutem.*

FIDES alia eſt humana, qua aliquid creditur propter authoritatem hominum illud affirmantium: de qua non eſt in præſentia ſermo. Alia diuina qua creditur aliquid propter authoritatem Dei illud reuelantis: quæ dupliciter ſumitur vno modo actiue, pro ea authoritate quæ in Deo eſt, ob quam à nobis merito ei creditur: altero modo paſſiue, pro ea mentis noſtræ affectione, qua Deo aliquid ad ſalutem noſtram proponenti ac promittenti credimus. Atque ab actiua illa acceptione, Deum fidelem: & ab hac paſſiua, homines fideles dici expreſſit D. Auguſt. in Pſalm. 32. his verbis: Habemus Deum fidelem, diſtinguamus ab fideli homine: homo fidelis eſt promittenti Deo credens, Deus fidelis eſt exhibens quod promiſit homini. 9.

Hic autem de ſola fide paſſiue ſumpta, diuinitus menti infuſa agitur: quæ eſt illa cuius neceſſitatem ad ſalutem ſacræ literæ inculcant, & poteſt familiariter ſic definiri. Donum Dei quo firmiter aſſentimur iis omnibus, quæ à Deo reuelata ſunt per Eccleſiam, quatenus ita reuelata ſint. Cuius definitionis prima pars (Donum Dei) indicat fidem eſſe habitum ſupernaturalem, quem habere non poſſumus noſtris viribus per ſolum liberum arbitrium, ſed ſingulari Dei dono, vt ex D. Auguſt. refertur in cap. Gratia, de Conſecr. diſt. 4. & probari poteſt per illud quod ad Rom. 5. Deus dicitur vnicuique diuiſiſſe menſuram fidei. Secunda pars (quo firmiter aſſentimur) ſignificat fidem, cum nitatur diuina authoritate cui falſum ſubeſſe non poteſt, nullam admittere dubitationem, ita vt ex D. Auguſt. in lib. 8. de Trinitate cap. 5. in rebus fidei nemo poſſit ſalua fide dicere (forte) & pro communi axiomate receptum ſit illud cap. 1. de Hæreticis. Dubius in fide infidelis eſt. 10.

Aduerte tamen duplex eſſe dubium in fide; vnum voluntarium, quando quis ſciens & volens dubitat de rebus fidei: alterum inuoluntarium, quale multi ex ſuggeſtione diaboli, vel aliqua ratione humana fallaci, patiuntur contra ſuam voluntatem, ita vt illud ſemper repellant. Ac de priore tantum (quod eſt ex ſuo genere graue peccatum mortale) intelliguntur ſupradicta: non item de poſteriore; qui ſcrupulus dici debet potius, quam dubium; & meritoria eſt illius repulſio, quia cum tentatio ſuperatur, Deus facit cum tentatione prouentum ex cap. 10. prioris ad Corinth. 11.

Tertia pars (iis omnibus) indicat fidem veram ſeu non fictam (vt ab Apoſtolo vocatur in priori ad Timoth.

cap.1.vers.5.) requirere assensum non aliquorum tantum, sed omnium omnino articulorum fidei; ita vt ille qui vnum eorum reiicit, etiamsi omnes alios admittat, non sit censendus credere vera fide: quæ à Deo mentibus infusa, procliues facit ad assentiendum ex æquo omnibus ab ipso per Ecclesiam reuelatis, quatenus reuelatà sunt.

Quarta pars (à Deo reuelata sunt) ostendit fidem esse earum veritatum quæ Dei reuelatione manifestatæ sunt, non earum quæ ex humana disciplina aut propria experientia habentur. Quinta pars (per Ecclesiam) indicat illa sola habere rationem rerum de fide, quæ Deus toti Ecclesiæ manifestat: qualia sunt quæ per sacras Scripturas habentur, & per Apostolicas traditiones, ac per generalium Conciliorum, summorumq; Pontificum determinationes. Vnde si quid alicui Deus reuelaret (vt S. Brigidæ multa reuelasse dicitur) id non haberet rationem rei de fide nisi approbaretur, & pro tali admitteretur ab Ecclesia: cuius est de huiusmodi rebus statuere. Adeo vt D. Augustinus contra Epistolam Fundamenti cap.5. dixerit; Ego Euangelio non crederem, nisi me commoueret Ecclesiæ authoritas. Et D. Paulus (ex cap.2. ad Galat.) etiamsi Euangelium didicisset à Christo Ierosolymam tamen iuit communicatum suam doctrinam iis de Ecclesia, qui videbantur esse aliquid, ne in vanũ curreret aut cucurrisset.

Ex quo constat quam turpiter Caluiniani errent, fingentes se spiritum particularem habere: cuius suggestionibus tanquam rebus fidei assentiri debeant, nihil de Ecclesiæ approbatione aut reprobatione solliciti: quod nõ modo error est: sed etiam errorum omnium seminarium: cum inde pateat aditus illusionibus diaboli trãsfiguratis se in angelum lucis ex 2. ad Corinth. cap. 11. vers.14. & excitetur audacia iactandi propria delitia pro diuinis reuelationibus.

Vltima pars (quatenus ita reuelata sunt) significat, cum multæ causæ esse possint assentiendi iis quæ à Deo reuelata sunt per Ecclesiam: vt ratio aliqua probabilis, miraculum aliquod factum ad eorum confirmationem, authoritas concionantis, vel alia eiusmodi: solum eum assensum esse fidei diuinitus infusæ, qui propterea illis adhibetur, quod sint à Deo reuelata per Ecclesiam; vt cum credimus Deum esse trinum & vnum, essèq; omnium Creatorem, quia ipse ita dicit per Ecclesiam: non autem quia ratio aliqua ita esse conuincit; vel quia communiter ita dicitur.

12. Atque ex dictis licet intelligere materiam siue obiectum circa quod fides versatur, esse omnia quæ à Deo reuelata sunt per Ecclesiam. In quorum numero ponuntur omnia quæ in scripturis canonicis continentur, & quæ per Apostolicas traditiones vniuersales confirmantur, & quæ in Cõciliis suis generalibus siue particularibus à Sede Apostolica confirmatis determinantur, & quæ à Romano Põtifice vt est vniuersalis Ecclesiæ caput definiuntur, & quæ ab omnibus sanctis Doctoribus vnanimi consensu de rebus ad Christianam religionem pertinentibus dicuntur, & demum omnia quæ infallibili cõsequentia ex aliquo prædictorum deducuntur: ista enim veritatum genera, tanquam à Deo variis licet modis, reuelata, recipiuntur ab Ecclesia.

13. Actus verò proprius fidei qui circa illa exercentur, interior quidem est credere seu firmissime sibi persuadere: exterior vero tum eorumdem confessio ore facta, tum professio facta opere, signisque externis. Necessaria autem est omni homini iam definita fides, non tantum ad finem, id est, beatitudinem suam consequendam, iuxta illud Marci vltimo, Qui non crediderit condemnabitur] & illud Ioan. 3. Exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam æternam (quod D. Athan. expressit initio sui symboli) verum etiam ad media, id est, ad opera meritoria beatitudinis exercenda, iuxta illud ad Hebr. 11. Impossibile est sine fide placere Deo] adeo vt nemo saluetur extra Ecclesiam Catholicam, in qua sola inuenitur vera fides. Quod tamen non est ita intelligendum quasi sola fides ad meritum & beatitudinẽ sufficiat. Nam sine charitate eam nihil prodesse, patet ex ca. 13. prioris ad Corinth. & ex definitione Concil. Trid. sess. 6. De iustificatione cap. 7. sed sicut emissio sanguinis, potest sic necessaria esse ad sanitatem, vt tamen sufficiens non sit, nisi adiungantur alia remedia.

CAPVT II.

De præcepto fidei.

SVMMARIVM.

14 *Haberi præceptum de fide, datum expresse de actibus, ipsius, qui sunt: internus quidem credere, externus vero, confessio, & professio eiusdem fidei.*
15 *Præcepta de confitenda, & profitenda fide.*
16 *Obligatio credendi, communis infidelib. cum fidelibus, & quatenus.*
17 *Quæ Christianus discere, ac quæ credere teneatur.*
18 *De articulis fidei, & eorum ignorantia excusata.*
19 *De præceptis & de Sacramentis deque reliquis discendis à Christianis.*
20 *Obligatio confitendi & defendendi fidem implenda est in duobus casibus sub pœna peccati mortalis.*
21 *Explicatio difficultatis num liceat de fide disputare.*
22 *Tres casus in quibus laicus potest de fide disputare.*
23 *Quatuor actus oppositi confessioni fidei quorum primus est, ore negare Christum, seu se Christianum esse.*
24 *Secundus, ore profiteri falsam religionem.*
25 *Tertius, occultare, dissimulare, vel tacere fidem in casibus, in quibus obligatio est illam confitendi.*
26 *Quartus, declinare fidei confessionem in casibus, in quibus est confitenda.*
27 *Obligatio profitendi fidem secundum Caietanum.*
28 *Illius sententia rigidiore reiecta, tenendum est talem obligationem tantum vigere in casu necessitatis.*
29 *Rationes Caietani in contrarium, cum earum refutatione.*
30 *Quando talis casus censeri debeat contingere.*
31 *Quatuor genera præcipua signorum, quibus quis censeri potest aliquam religionem profiteri.*
32 *Quatuor casus, in quibus nullum talium assumere licet, cum fuerit signum falsæ religionis.*
33 *Quomodo talibus vti liceat extra eosdem casus.*

CVM ex antedictis habeatur, fidem necessariam esse ad salutem, dubium non est, quin sit in præcepto: quandoquidem de mediis ad æternam salutem consequendam necessariis, præcepta inprimis dantur. Quo nomine Matth. 19. dicitur, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Intellige vero esse in præcepto, non quidem secundum se: sed secundum actum suum proprium. 14.

Præcipitur autem actus fidei: interior quidem, per illud Marci 1. Pœnitemini & credite Euangelio: & per illud ibidem cap. vlt. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Quæ verba præceptum continent perinde ac alia similia, quibus media consequendæ saluus proponuntur sub comminatione mortis æternæ: vt illud Ioan. cap. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei] & illud in 2. q. cap. 6. Nisi manducaueritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis] & illud Lucæ 13. nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis] Item ad Rom. 1. Qui talia agunt digni sunt morte] & ad Galat. 5. Qui talia agunt regnum Dei non consequentur.]

Exterior vero actus fidei, qui est confessio, præcipitur per illud Matth. 10. & Luc. 12. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo qui in cœlis est: qui autem negauerit me coram hominibus negabo & ego eum coram patre meo qui in cælis est] & illud ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem] & illud 2. ad Timoth. 2. Si negauerimus, & ille negabit nos. 15.

Alter vero, qui est professio fidei, præcipitur per illud Mar. 8. & Luc. 9. Qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet cum venerit in maiestate

sua & Patris & sanctorum angelorum.] De quorum trium actuum obligatione sigillatim dicendum est, quantum sufficit ad iudicandum de peccatis pœnitentis, & ad examinandum ipsum circa fidem.

De obligatione credendi.

SECTIO I.

16. TEnentur credere ij etiam infideles, qui nondum susceperunt baptismum, cum sufficienter promulgatum fuerit illis Euangelium. Quando autem id contingere censendum sit, varias sententias refert Thomas Sanchez in opere morali lib.2. cap. primo à num.4. Cum quo in numero 6. contenti erimus id breuiter dicere, quod sufficit ad nostrum institutum. Res fidei tunc infidelibus ita sufficienter proponi, vt iure diuino ipsi credere teneantur; cum eos rationibus, vitæ sanctitate, contrariorum errorum confutatione, atque signis ita confirmatur, vt naturale dictamen incipiat prudèter præscribere eas credendas esse: contrariamque eisdem sectam, esse falsam. Eo ipso enim, quod infideles videntes res fidei esse credendas, eæ merito censentur, illis propositæ.

Vnde idem author duo deducit notatu digna pro praxi. Alterum est sumptum ex Caiet. 2. 2. *quæst. 1. art. 4.* quod vt rationes, quæ reddunt rem probabilem respectu vnius intellectus, non sufficiunt ad id respectu alterius intellectus: ita nec quæ rem fidei reddunt credibilem respectu vnius, sufficiant ad reddendam respectu alterius: prout patet cum vnus aliquid dicentem existimat esse fide dignum, non item alter; quorum prior facile iudicat it tale dictum credibile esse: posterior non item. Alterum est sumptum ex Alphon. à Castro, De iusta hæret. punit. *lib. 1. cap. 8. dub. 2.* Idem quod dictum est de infidelibus, esse pari ratione dicendum de baptizatis nutritis inter infideles, vel Hæreticos; nimirum ipsos non teneri statim credere nec Hæreticos debere reputari, donec fidem sibi sufficienter propositam respuant; alias enim quia sola fides in baptismo infusa, sine exterius docentis voce, non sufficit ad credendum: ignorantia illos à pertinacia ad hæresim necessaria, excusabit. Bene autem idem Sanchez addit propositionem sufficientem non contingere illis ex eo, quod à Magistris, à quibus in hæresi educantur, audiant aliqua de fide, qualia traduntur à veris Catholicis: quoniam ea proponuntur ipsis præposterè, ac peruersè: blasphemando nimirum, irridendo, animoseque impugnando; adeo vt ab agnoscenda vera fide tam sint alieni, quam nutriti inter pure infideles; ideoque ad deponendum errorem, in quo enutriti sunt, non minus quam iidem pure infideles, indigeant ante memorata sufficienti propositione, vt censeantur peccare contra præceptum fidei.

17. Iam quoad cæteros, qui habitum fidei in baptismo susceperunt, & inter Catholicos educantur; notandum est pro praxi nobis proposita: illos ipso fidei præcepto adstringi ad credendum, vbi peruenerint ad perfectum rationis vsum. Et quia nequeunt ea credere, quæ non didicerunt (dicente Apostolo ad Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt, aut quomodo audient sine prædicante) fieri, vt sicut sunt quædam, quæ omnes credere, ita & esse, quæ omnes discere teneantur; consideranda Confessario interroganti suum Pœnitentem.

Primum ergo iure Ecclesiastico per cap. Vos ante omnia, De consecr. dist. 4. quilibet Christianus debet memoria tenere Symbolum Apostolorum, & orationem Dominicam siue Latinâ, siue aliâ linguâ, ex Nauarr. in Enchir. cap. 11. num. 18. Qui simul admonet eorum culpabilem ignorationem esse graue peccatum veniale. Et ratio esse potest, quod quamuis Symbolum Apostolorum, & orationem Dominicam quoad verba tenere, non sit necessarium ad salutem, dummodo teneantur res verbis ipsis expressæ: nihilominus tamen valde indignum sit, & à communi piorum Catholicorum sensu alienum, talia verba non tenere: tanquam ea, quibus aptissima ratione proponuntur fide credenda, & oratione petenda à Deo; indeque est, quod solicitudine tanta, tantoque studio parentes curant ea ipsa verba suis liberis ab infantia inculcare memoriæ. Etsi id non sit illis satis, sed debeant de rebus per eadem significatis, erudiri.

Item iure diuino quilibet Christianus tenetur credere, primo, vera esse omnia, quæ credit Catholica Ecclesia, in qua Romanus Pontifex est caput, tanquam Christi in terris Vicarius: itemque eandem Ecclesiam non posse errare in fide; quippe quam omnes iubentur audire. Matth. 18. & quæ columna est, firmamentumque veritatis, *ex priori ad Timoth. cap. 3.* habens perpetuo assistentem sibi Spiritum sanctum, qui eam doceat omnem veritatè, ex Ioan. cap. 14. 15. 16. Ita vt aliquid illorum, quæ proponit tanquam de fide, non velle credere, aut velle non credere, aut de eo voluntarie dubitare, sit peccatum mortale; propter notabilem Dei iniuriam, quam tale quid continere merito censetur: maiore ratione, quam notabilem iniuriam hominis honorati contineat, illi aliquid vere dicenti, recusare credere.

Tenetur secundo Christianus credere explicite, saltem in confuso, crassove modo, sanctissimæ Trinitatis mysterium, hoc est, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, esse tres personas inter se distinctas, non item esse tres Deos; sed vnicum verum rerum omnium Creatorem. Conseruatorem, ac Rectorem: neque est necesse, vt respondere possit nonnullis quæstiunculis quæ habentur in Catechismo puerorum: quoniam eæ pertinent ad tanti Mysterij aliquam declarationem, quæ non est vulgi, sed Doctorum propria. Pro quo faciunt, quæ Thomas Sanchez habet in opere morali lib. 2. cap. 3. numero 17. & 18. 18.

Tenetur tertio, simili modo credere mysterium Incarnationis Dominicæ, hoc est, Filium Dei Patris, factum esse hominem propter nostram salutem (qui & pro ea mortem passus sit) ita vt vnus idemque sit verus Deus, & verus homo. Quod mysterium quia totius Euangelicæ doctrinæ, nostræque salutis fundamentum est, illud credere, itemque mysterium Trinitatis ob illius ab hoc dependentiam, censetur necessarium necessitate, vt vocant, medij: seu sic vt salus eo actu omnino excluso, obtineri nequeat ab iis, qui peruenerint ad perfectum vsum rationis. De qua re Sanchez in præced. cap. 2. In ea non immorabimur, quia ad institutum nostrum sufficere potest, monere Confessarium, quod debeat Pœnitentes rudes super eo interrogare, sique inueniat ipsos talium mysteriorum ignaros esse, eosdem erudire sufficienter ad credendum explicite, crasso saltem modo, suum Creatorem esse vnum Deum in tribus personis distinctis, quas indicant verba à Christianis vsurpari solita, cum dicunt: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et suum Redemptorem, vnum eundemque esse, & verum Deum, & verum hominem, pro sua salute mortem crucis passum, vitæque redditum, regnare in cœlo.

Tenetur quarto similiter credere alia fidei nostræ mysteria, præcipue Symbolo Apostolorum comprehensa: præsertim autem ea, quæ Ecclesia solemnizat festorum institutione: vt Natiuitatem Christi ex Virgine: Passionem, & mortem in cruce: Resurrectionem ex mortuis: Ascensionem in cœlum, nonnullaque alia. Rationem de iis instruendi rudes, à quibus ignorantur cum ad confessionem accedunt, habes breuiter, ac familiariter traditam in præced. lib. 2. cap. 13. In iisdem vero posse interdum esse locum excusationi à peccato (quod alias est de se mortale, tanquam commissum in materia valde graui) per ignorantiam inculpabilem, aut per impotentiam; bene docet Sanchez in memorato cap. 3. numero 20. citatis aliis in eamdem sententiam. Vnde vt in sequenti numero 21. idem addit ex Azorio tomo 1. Moral. institut. lib. 8. cap. 8. quæst. vltima: Rustici valde rudes, ac hebetes, qui prædicta ignorant, non sunt à confessione repellendi, vtpote quorum ignorantia vacat culpa; & prout supponimus, accedāt ostendendo se paratos esse ad diligentiam quamcumque poterunt adhibendam in addiscendis, quæ scire tenentur. Quod si postea inueniantur neglexisse discere, cum potuerint, procedendum est cum illis, sicut in aliis peccatis cum recidiuis procedendum esse habitum

est lib.

est lib. 2. num. 101. & 102. Facillimum autem esse, prædictorum ignorantiam in hac re culpâ vacare ex eo intelligitur, *prout idem author habet in præced. num.* 20. quod frequentissime contingat nihil ipsos de vi, & authoritate præcepti credendi audiuisse; aut si audiuerint nihil percepisse, aut si perceperint; aliis negotiis distentos suæ obligationis esse prorsus oblitos, aut quo tempore addiscere potuerunt, caruisse Doctore, à quo instruerentur.

19. Tenetur quinto, scire quæ necessaria sunt ad Christianam, sanctamque vitam ducendam, vt præcepta Decalogi, & præcepta Ecclesiæ omnibus Christianis imposita, quæ seruari nequeunt, nisi sciantur. Quanquam necessarium non est, etiamsi rationabile sit, tenere ordinem, & verba, quibus sunt concepta; *pro quo plures authores Sanchez refert in eod. cap. 3. num. 16.* Sed sufficit quemque de singulis, si interrogetur, respondere posse; prout iam attigimus in præced. lib. 16. num. 43. & fusè tractat Suarez in 2. tomo de Relig. lib. 3. cap. 6. num. 6. & aliquot sequentibus.

Tenetur sexto, scire ac credere sacramenta baptismi, pœnitentiæ, & Eucharistiæ, de quibus recipiendis data sunt præcepta pro omnibus: atque baptismum tantum semel recipi in remissionem peccatorũ, iuxta illud Symboli quod in Missa recitatur: Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum: & in Eucharistia Christum sub accidentibus panis & vini esse; nec quod in ea proponitur esse amplius pro pane & vino habendum: sed pro vero corpore & sanguine Christi veri Dei & veri hominis. Ac demum Pœnitentiæ sacramentum requirere vt accedens ad illud suscipiendum, confiteatur omnia sua peccata, prius conscientiâ diligenter discussa: ac de eis super omnia doleat proponatque firmiter numquam in illa recidere Deo iuuante, ac credat Ecclesiæ ministrum, potestatem habere, ipsum ab eisdem absoluendi. De cæteris Sacramentis, qui vult ea suscipere, tenetur scire quod ea sint Sacramenta, neque in peccato mortali suscipienda esse.

Adhuc illi qui inter hæreticos versantur, tenentur scire quod falsa sint illa quæ ab illis communiter obtruduntur populo, cõtra Catholicam doctrinam: vt Romanam Ecclesiam non esse veram Ecclesiam, & alia multa expressa in professione fidei quam habet Bulla Pij 4. quæ incipit Iniunctum; & circumfertur cum Concil. Trident. Adde (in quo omnes Theologos in 3. sentent. distinct. 25. consentire notat Bannes *ad D. Thomam* 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 8. *dub.* 3. *concl.* 3. & 4.) Parochos, Confessarios, Prædicatores & Doctores debere sic explicare supradicta scire, vt possint circa ea alios erudire & corrigere; cum id pertineat ad ipsorum officium. Episcopos autem teneri scire mysteria maiora nostræ fidei ita sufficienter, vt possint contradicentes arguere iuxta illud, quod ad Tit. 1. dicitur, oportere Episcopum amplecti eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

De obligatione confitendi fidem.

Sectio II.

20. Quod olim ab Elcesaitis dictum est, nullam esse obligationem confitendi fidem, si ea corde retineatur firma, ostenditur ex variis Scripturæ locis hæresim esse: vt videre est apud Alphons. à Castro lib. 10. aduersus hæreses, verbo Martyrium hæresi 1. Inter quos apertissimus est ille ad Rom. 10. Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Quæ verba ostendunt clarissime sub mortali esse obligationem confitendi fidem.

Ex qua obligatione, vt apte iudicetur de peccatis. Notandum est primo, præceptum quo ea imponitur, esse affirmatiuum, ideoque non obligare pro omni tempore, *sicut si negatiuum esset:* sed solum pro eo in quo necessitas vrget illud impleri: vt (ex recepta D. Thomæ sententia *in* 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 2. censetur vrgere in duobus casibus, in quibus omnis Christianus tenetur fidem suam confiteri, etiam non interrogatus: & in quibus si interrogaretur non debet eam tacere, nec verborum ambiguitate celare, sed clare & aperte illam ore profiteri. Prior est, quando honor & gloria Dei id requirit: vt censetur cum si quis taceat, fides putabitur falsa: vel ipse eam deseruisse, vel Deus blasphemabitur, aut religio vera afficietur ignominia. Posterior est cum vtilitas, & emolumentum spirituale proximi tale quid postulat, vt quando tacente aliquo, alij auerterentur, à suscipienda fide: vel vacillarentur in periculo deficiendi à iam suscepta. Cum autem duo sint, quæ maxime possunt fidei confessionem impedire: nimirum pudor humanus, & timor persecutionis; vtrumque Dominus excludit inquiens Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis prædicate super tecta: & nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere] Quem locum in eam sententiam vsurpatum habes ex D. Chrysost. 11. quæst. 3. cap. Nolite timere.

Notandum est 2. eamdem esse rationem defensionis fidei, quæ est confessionis: hoc est, in iisdem casibus omnes teneri fidem voce defendere, in quibus tenentur eam confiteri: ita vt non defendentes censeantur fidei proditores; iuxta illud quod sub finem citati canonis dicitur. Sicut Sacerdos debitor est, vt veritatem quam audiuit à Deo prædicet: sic laicus debitor est, vt veritatem quam audiuit à sacerdotibus, probatam quidem Scripturis, defendat fiducialiter: quod si non fecerit prodit veritatem. Corde enim creditur ad iustitiam & ore fit confessio ad salutem.]

Circa quod difficultas mouetur num licitum sit de fi- 21.
de disputare. Ad cuius explicationem D. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. ponit quatuor: quorum primum est peccare tanquam infidelem eum, qui de fide disputat dubitando, cum dubius in fide, infidelis sit. Secundum est, licitum esse de fide disputare ad confutandos errores contrarios, vel exercitij gratia; præsertim coram doctis & firmis in fide. Tertium est cum rudes peruersi fuerint ab hæreticis, scientes illorum errores & rationes; non modo esse licitum, sed etiam necessarium coram illis de fide disputare: dummodo inueniantur, qui ad id præstandum sint idonei. Quartum est, non esse bonum atque adeo *ex Caiet. in summula verbo Disputare*, peccatum esse imprudentiæ, de fide disputare coram simplicibus Catholicis; nisi forte res esset valde clara aut clare explicaretur; quia periculum est ne auditis rationibus contrariis, incipiant dubitare; cum sint alioqui firmi.

Post D. ipsum Thomam vero, editus est Canon Quicumque de hæreticis in 6. quo sub pœna excommunicationis prohibetur, ne quis laicus publice aut priuatim audeat de fide disputare. De quo Caiet. & Bannes ad cit. art. 7. notant excommunicationem eam non esse sententiæ latæ à iure, sed ferendæ à Iudice; ideoque non incurri ipso facto. Quamuis (*quod etiam habet Caiet. in citato verb. Disputare*) peccatum sit mortale, si laicus sciens sub tali tantaque censura sibi redditam esse illicitam disputationem huiusmodi, nihilominus præsumeret eam instituere.

Verumtamen ex iisdem authoribus tres sunt casus in 22.
quibus eo canone non obstante, laici possunt de fide disputare. Primus est, quando disputatur exercitij gratia apud doctos: sic enim ad publicas disputationes Theologicas admitti solent Iuris vel Medicinæ doctores, qui sunt laici. Secundus est, quando laicus fuerit valde doctus & exercitatus in rebus Theologicis: quia ratio & scopus dictæ legis est, vt laici indocti prohibeantur de fide disputare. Nec refert quod ea generaliter loquatur: quia esse cum hac restrictione intelligendam, vsus ostendit, quo constat aliquos laicos: vt Albertum Pyghium, Henricum 8. Angliæ regem aduersus Lutheranos, Balduinum & Villegagnon aduersus Caluinianos nostri temporis hæreticos, non tantum verbis sed etiam scriptis disputasse, quod non fuit improbatum. Quod autem in contrarium habet in opere morali lib. 2. cap. 6. Thomas Sanchez suadere videtur eamdem restrictionem, ordinarie locum habere tantum cum multum vrserit necessitas: quod & vsus receptus confirmat.

Tertius casus quando vel honor Dei, vel vtilitas proximi exigit vt laicus disputet de fide, seu defendat fidem: tunc enim is non solum licite potest, sed etiam tenetur

disputare defendendo fidem: iuxta illud 1. Petri 3. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe & fide.]

23. Notandum est 3. confessioni fidei opponi quatuor actus, qui rationem habent peccati mortalis tanquam valde iniurioſi veræ fidei & Christianæ religioni. Primus est, ore negare Christi fidem, qui nunquam licere potest, dicente Domino Matth. 10. Qui me negauerit coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo qui in cœlis est.] & Apostolo in 2. ad Timoth. cap. 2. Si negabimus, & ille negabit nos.] Quæ verba continent præceptum negatiuum de re ita mala, vt per nullum metum possit sine peccato mortali fieri, iuxta illud quod 11. quæst. 2. cap. Non solum 2. ex D. August. habetur Timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ: quanta enim vita est confiteri Christum, tanta mors est negare. Quo etiam loco notatur, quod non solum ille Christum neget, qui eum negat esse Christum: sed etiam ille qui cum sit, negat se esse Christianum. Et probatur exemplo D. Petri qui negauit Christum negando se esse ipsius discipulum. Vnde illi prædictum est à Domino; non quidem te discipulum meum esse negabis, sed me negabis. Probari inde quoq; potest: neque priuatim coram vnico, negari Christum sine graui peccato: quandoquidem grauiter peccauit Petrus negando Christum coram vna ancilla. Probationes alias habet Bannes 2. 2. quæst. 3. artic. 2. dub. 1. concluſ. 2.

Ex quo in seq. concl. 4. aduerte istud tantum procedere cum quis in odium fidei, siue priuata, siue publica authoritate interrogatur, An sit Christianus: quia interdum sub nomine Christiani, is qui interrogat, inquirere vult conditionem aliquam nihil pertinentem ad religionem: vt si quis explorator capiatur à Turcis dum bellum gerunt cum Christianis, interrogetur An sit Christianus, non quidem vt sciatur ipsum Christi religionem profiteri, sed vt sciatur esse de exercitu hostium: respondens se non esse Christianum, non peccat contra confessionem fidei tanquam eam negans, quia respondet tantum ad mentem interrogantis, & non iuxta propriam nominis significationem. Istud non obscure indicat D. Thomas lect. 2. ad cap. 10. epist. ad Rom. dicens confessionem fidei esse in præcepto, quando exigitur à tyranno persequente fidem; non si exigatur ab eo qui malefactorem vel inimicum persequitur. Vbi aduerte obiter falso negantem se Sacerdotem esse aut religiosum, non peccare hoc peccati genere, quia tantum negat suum statum, non vero suam fidem, sicut negando se Christianum aut Catholicum esse. Id quod ex Caiet. & Azorio, Sanchez habet in opere morali lib. 2. cap. 4. num. 10.

24. Secundus actus confessioni fidei contrarius, est ore profiteri falsam religionem: vt si quis verbis asserat se Iudæum esse aut Mahometanum aut Caluinianum. Quo actu ostendit se existimare religionem nostræ cõtrariam, esse veram; & ex consequenti ipsam nostram esse falsam. Id quod multo magis iudicandus est facere, si diserte fateretur talium sectarum dogmata esse vera. Tale peccatum vero, grauissimum est, vtpote quo & vera fides negatur, & per mendacium in religione, diabolo seruitur: ita vt nulla conditione ad illud, quisquam adduci debeat prout ex D. August. habetur 22. quæst 2. cap. Primum est. Nec tamen excommunicatio lata in hæreticos, propter illud (saltem in foro conscientiæ) incurritur ab eo, qui interea in animo suo veram fidem retinens; ore tantum non corde, illam negaret aut falsam profiteretur: quem ad. cum Sylu. & Tabien. aduersus Caiet. notat. Nauarr. in Enchir. cap. 11. num. 25.

25. Tertius actus eidem confessioni contrarius, est occultare, dissimulare, vel tacere fidem in duobus casibus in quibus supra diximus nos obligari ad illius cõfessionem. Cui obligationi satisfacere non possumus tali actu interueniente; quo proinde mortaliter peccatur, cum vt ante diximus illa ipsa obligatio sit sub mortali. Extra eosdem casus vero, licitum est occultare, dissimulare & tacere fidem, sicut & nõ confiteri: quia inde nec subtrahitur Deo honor tunc temporis exhibendus: nec damnum proximo infertur. Quæ ratio, quia locum plerumque habet cum quis interrogatur priuata authoritate (quod discernere ex circumstantiis loci, temporis, & personarum relinquitur arbitrio prudentis) tunc licet tacendo, vel vtendo amphibologia; vel dicendo quid tua interest? aut aliud simile licet inquam interrogationẽ eludere, ex cap. In mandatis distinct. 43. dummodo id non fiat ex verecundia vel ex timore, *quod Christus prohibet*: sed ex prudentia Christiana, ne vel irrideatur fides, vel patiamur aliquod grande detrimentũ sine vtilitate: iuxta illud Matth. 7. Neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.] Habenda est tamen ratio in ea re, quantum fieri potest, ne ex taciturnitate graue detrimentum proximi sequatur.

Quartus, & vltimus eiusdem generis actus, est declinare confessionem fidei fugiendo persecutionem; quo- 26.
quidem peccatur mortaliter in duobus illis casibus, in quibus tenemur fidem ipsam confiteri; quia in illis talis confessio est ad salutem necessaria, quæ fieri non potest interueniente prædicta declinatione. Extra eosdem vero casus licet persecutionem fugere, vt D. Athanasius in apologia pro sua fuga probauit ex verbis Domini Matth. 10. Cum vos persequentur in ciuitate ista, fugite in aliã.] Quanquam tamen alia est ratio Prælatorum quam cæterorum, quando persecutio non est priuatæ personæ ipsorum, sed populi ipsis commissi; ad quem protegendum & conseruandum in fide, tenentur se mortis periculo exponere, dicente Domino Ioannis 10. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis, &c.] Attamen si ei necessitati per alium satisfaciant, excusantur ex D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 5. aut si vitam ipsorum maiori bono communi seruari necessarium esse, Christiana prudentia dictat: latitare seu fugere possunt exemplo aliquorum Sanctorum. Quod Bannes expressit 2. 2. quæst. 33. ad artic. 3. dub. 4. concl. 4. & consentaneum est doctrinæ quam tradit Caiet. ad prius citatum D. Thomæ art. quintum.

De obligatione profitendi fidem.

Sectio III.

SIcut fidei confessio fit verbis, ita professio fit factis re- 27.
busve externis: vt vestibus vel aliis similibus in signum illius assumptis. Ac de obligatione profitendi fidem duo traduntur à Caiet. 2. 2. quæst. 3. art. 2. & in summula verbo Habitus mutatio. Alterum est, quando vestis, vel quid aliud, signum est ad veræ fidei vel religionis professionem immediate institutum siue ex lege, *etiam tyranni*, siue ex consuetudine, quæ ab omnibus seruatur; nunquam licere tale signum occultare.

Alterum est, nunquam licere, ne quidem ad mortem euitandam, assumere habitum vel aliud signum infidelium: siue illud sit immediate institutum ad professionem falsæ religionis, siue tantum ad finem ciuilem! vt ad distinctionem aliquorum ab aliis: quale est cæruleum illud aut flauum, quod Iudæi portare coguntur, vt à Christianis discernantur. Ratio est, quia, *inquit idem*, istud esset profiteri falsam fidem, quod nunquam licet.

Verum nimis rigida videtur esse ea doctrina. Vnde 28.
prius illud, (*quod Bannes & Greg. à Valent. ad eundem art. 2. refutant,*) restringendum est ad casum in quo ex occultatione proprii signi, aliquid sequitur contra honorem Dei seu fidei, vel contra proximi vtilitatem. Nam tunc quidem Christianus, vt fidem suam ore confiteri, sic externis signis eam profiteri tenetur: attamen alias, nempe cum nec vrget in contrarium vtilitas proximi, nec apparet iniuria Dei seu fidei, ipse potest occultare quodcumque signum propriæ fidei ob aliquem bonum finem: qualis censetur vitam suam vel alienam conseruare. Ratio est: quia præceptum profitendi fidem est affirmatiuum: & ideo obligat tantum pro eo tempore quo illius implendi vrget necessitas: prout censetur in illis duobus tantum casibus, quos ex D. Thoma in cit. artic. 2. antea num. 20. proposuimus.

Adfert autem pro se Caietanus: tum quod per legem 29.

aut

aut consuetudinem communem præscribentem aliquod certum fidei signum, singuli à publica potestate interrogentur de propria fide: tum quod semper sit contra Dei honorem occultare prædictum signum, seu omittere fidei professionem, sic vt alij putent omittentem, non esse fidelem, vel esse infidelem. Sed illud prius hinc reiicitur, quod talis lex vel consuetudo nihil interroget, sed solum præscribat modum profitendi fidem; ad eum seruandum obligando tantum regulariter, seu vt plurimum, ac quando non subest iusta & rationabilis causa illum omittendi: prout Caiet. ipse fatetur vsuenire in vniuersum, legibus humanis iustis.

Posterius vero ex eo refellitur, quod ipsius quoque Caiet. confessione, non sit semper contra honorem Dei, quod Christianus permittat se ab alijs existimari non fidelem aut infidelem. Nam multi ita existimarunt de S. Sebastiano: cuius fides in aula Diocletiani sæuissimi Christianorum persecutoris, diu latuit, eo quod vteretur eadem qua prius clamyde militari.

30. Non ergo tenetur quis semper fidem profiteri, ne existimetur fidem non habere: sed ne ex ea existimatione, subtrahatur Deo notabilis gloria vel proximo vtilitas: vt censeri potest vsuenire. Primo quando à Iudice quis in odium fidei & religionis interrogatur. Secundo, cum quis per suam fidei professionē potest impedire blasphemiam Dei vel religionis: vt si quis esset vir magnæ authoritatis, quem si alij scirent Catholicum esse, desinerent ob illius authoritatem & reuerentiam Deum & religionem blasphemare: tunc ille tenetur suam fidem confiteri & profiteri. Tertio, cum notum est aliquem habuisse veram fidem, quam si non profiteatur, putabitur eam deseruisse vt falsam. Quarto, cum etiamsi ignoretur nunc, quod veram fidem habuerit, scietur tamen paulo post, sequeturque inde iniuria fidei. Quod tamē non procedit quando quis ad modicum tempus omitteret veram fidem profiteri: non quidem animo eam deserendi, sed decipiendi alios, vt liberius postea eamdem profiteatur. Quo modo Christiani in bello erigunt vexilla Turcarum, vt illos ad se alliciant & decipiant. Postremo, cum ex occultatione fidei, valde probabiliter videtur sequi scandalum proximi, aut aliud notabile detrimentum, cui lex charitatis obuiandum esse præscribat.

31. Posterius autem dictum Caietani, quo modo restringendum sit intelligetur, si prius obseruauerimus esse quatuor præcipua & magis vsitata genera signorum. Primum est, illorum quæ vocari possunt ciuilia: vtpote quæ ex sua prima origine instituta non sunt ad discernendam religionem, sed potius ad distinguendam vnam nationem ab alia: quamuis per accidens postea euenerit, vt vnam religionem ab alia distinguant, eo quod in vna natione sit vna religio: & in alia, sit alia. Sic Turcicus habitus signum esse censetur Mahometanæ superstitionis: & habitus Saxonicus præsertim militaris, vulgo videtur signum Lutheranæ perfidiæ. Secundum genus est, illorum signorum quæ à prima quidem sua origine sunt instituta ad distinguendam vnam religionem ab altera: nullum tamen illius cultum continent: cuiusmodi sunt pilei quos Turcæ gerunt cum certo colore: itemque certi habitus quos hæretici nostri temporis vsurparunt in signum, quo discernerentur à Catholicis. Tertium genus est eorum, quæ præter distinctionem vnius religionis ab aliis, includunt aliquem cultum, sed generalem ac indifferentem, qui potest exhiberi etiam hominibus: vt aperire caput, flectere genua, &c. Quartum est eorum, quæ includunt peculiarem cultum, vel soli Deo vero: vel falso Deo & idolo exhiberi solitum, vt sacrificare, adolere thus, osculari idolum communicare cum Caluinianis in cantu suorum psalmorum & in sumptione cœnæ, subscribere ipsorum hæresi propria manu, vel in eam iurare.

32. Quæ cum ita sint, de difficultate, An aliquando liceat necne, falsæ religionis signum assumere: tenendum est ex communi sententia nullum antedictorum signorum licitum esse assumere in quatuor casibus. Primus est, quando honor Dei vel vtilitas proximi exigit vt aliquis profiteatur suam veram fidem quam occultat assumptione signi alieni. Secundus est, quando præbetur scandalum aliis: tunc enim moriendum esse potius, quam aliquod tale signum assumendum, constat ex facto Eleazari 2. Machab. cap. 6. & ex eo quod D. Paulus in priori ad Corinth. 8. prohibeat vesci idolothytis, quando id fit cum scandalo. Sicque intelligendum est illud quod ex D. Augustin. habetur in cap. Sicut, 32. quæst. 4. Satius est fame mori, quam vesci idolothytis: nempe cum scandalo. Tertius est, quando non est finis bonus, nec subest causa rationabilis cur tale signum assumatur. Quanquam in hoc casu assumere signum ciuile, nisi finis sit mortalis, non est de se peccatum plus quam veniale: cum in eo non cernatur notabilis Dei iniuria, aut grauis sui, vel proximi læsio. Quartus est, quando talia signa assumuntur ad significandum illud ad quod principaliter sunt ab aliis instituta. Tunc enim mendacium facti committitur. Namque mendacium, vt in verbis, sic & in alijs signis externis quibus decipitur animus, consistere posse patet ex doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 110. & 111.

Extra hos casus autem existimandum est non esse peccatum tria priora signorum genera assumere, si adsint sequentes conditiones præcedentibus contrariæ. Primo si ad Dei gloriam vel proximi vtilitatem non teneatur quis fidem tunc profiteri. Secundo, si absit scandalum. Tertio, si subsit rationabilis causa assumendi: idque fiat ob bonum aliquem finem. Quarto, si assumantur ad aliquid significandum quod in se verum est. Hoc quoad signa primi generis constat ex facto S. Sebastiani prout notat Syluest. in verbo Fides quæst. 5. Ille enim cum Christianus esset militari clamyde seu ciuili signo Cæsarei militis vsus est. 33.

Quoad signa vero secundi generis: patet ex eo, quod Apost. in priori ad Corinth. cap. 8. & 10. permittat Christianis, edere ex idolothytis, dummodo id facerent sine scandalo: qui tamen esus, signum fuit infidelitatis apud Gentiles. At cum Christiani ipsi illum non vsurpatent in eum finem quo ijdem Gentiles, excusabantur non modo ab idololatria: sed etiam à mendacio: etiamsi alij ea de causa deciperentur, existimantes ipsos esse idololatras, quandoquidem eius rei non dabant signum: quia facta non habent vim significandi ex parte facientis, nisi ab eo fiant significandi animo: vt ipse Caiet. 2. 2. *quæst.* III. *art.* 1. recte docet. Inde excusans à mendacio Dauidem qui coram Rege Achis simulauit se insanum esse 1. Regum 21. Et certe quando recta ratio patitur, licet vti vt verbis, sic & factis ambiguis.

Quoad signa porro 3. generis: constat ex eo quod lib. 4. Regum cap. 5. Elisæus Propheta permisit Naaman Syro, vt in templo idoli Remmon aperiret caput & adoraret, hoc est, se in terram prosterneret genuque flecteret non quidem idolo, sed Regi Syriæ. Vnde colliges aliquem propter metum mortis, si non sit scandalum, *vt quando illeesset omnibus ignotus*, posse in templo vel Mahometi vel hæreticorum aperire caput vel flectere genua: dummodo talia faciat, non quidem falso Deo, sed hominibus præsentibus: quibus eiusmodi honoris signa, *cum de se sint ambigua*, possunt de se sine peccato deferri. Quanquam si contingeret tale aliquod signum ad falsum Deum immediate dirigi: quia tunc desineret esse ambiguum, peccatum esset illo vti: Quomodo bene ait Rosella verbo Hæreticus n. 4. peccatum esse mortale osculari sepulchrum Mahometi: quandoquidem ea veneratio referri non potest, nisi ad Mahometem.

Quod autem attinet ad signa quarti generis, existimandum est nulli licere ea assumere ob quemcumque mortis metum: illudque esse peccatum grauissimum: quia sicut eodem præcepto affirmatiuo quo imperatur, assensus internus veræ fidei, imperatur etiam externa veræ fidei professio: ita eodem præcepto negatiuo, quo prohibetur internus falsæ fidei assensus, prohibetur etiam externa falsæ fidei professio: quæ intrinsece mala est, vtpote mendacium facti perniciosum, ideoque peccatum grauissimum, tanquam in materia maximi momenti, *qualis est veræ fidei*, commissum.

CAP. III.

De vitiis fidei contrariis, & specialiter de pura infidelitate.

SVMMARIVM.

34 *Infidelitatis diuisio in puram, & mixtam: quodque infidelitas trifariam accipi possit, negatiue, priuatiue, & contrarie.*
35 *Infidelitatis tum puræ tum mixtæ diuisio.*
36 *De Gentilismo, & Iudaismo.*
37 *In quibus prohibeantur Christiani communicare cum infidelibus.*
38 *De mercimonio cum infidelibus prohibito fidelibus.*
39 *De communicatione cum iisdem in bello gerendo.*

34. OMNIA vitia fidei contraria generali infidelitatis nomine comprehenduntur, quæ duplex est: vna pura, eorum qui fide carent, quia nunquam illam susceperunt: altera mixta, eorum qui fidem antea susceptam deseruerunt. Atque pura infidelitas (*de qua late differunt D. Thom. & ipsius interpretes Caiet. Banes & Gregor. à Valentia 2. 2. quæst. 10. & Summularij in verbo Infidelitas*) trifariam sumitur: primo pure negatiue, pro carentia fidei in eo qui nihil vnquam de illa audiuit: siue sit puer siue adultus: quo modo non est peccatum, vt D. Thom. loco cit. art. 1. expressit: & aduersus Adrianum confirmat Gregorius à Valent. disputat. 1. quæstion. 10. puncto primo: sed est pœna peccati originalis: & in adultis plerumque, peccati etiam actualis. Quæ tamen à regno cœlorum excludit hoc nomine quod ingressus ad illud non pateat sine fide in Christum: vt luculenter ostendunt quæ idem Gregorius habet in præced. quæst. 2. puncto 4. Nobis sufficit impossibile esse sine fide placere Deo] ad Hebr. 11. eaque in Christum: quia non est in alio aliquo salus, &c. Act. cap. 4.

Secundo infidelitas sumitur priuatiue pro carentia fidei in eo qui cum possit hanc habere audiendo prædicationem Euangelij, id negligit. Quo modo locum habere potest tantum in adultis, estque graue peccatum, de quo Dominus Ioan. 15. Si non veniſſem & locutus non fuissem, peccatum non haberent] nempe infidelitatis commissum non credendo, vt D. August. tract. 89. in Ioan. interpretatur.

Tertio, sumitur contrarie pro vitiosa quadam qualitate in eo qui caret fide, iam satis sibi manifestata: quia illam susscipere non vult: eamve contemnit ac respuit. Quod etiam peccatum graue esse, patet per illud Ioan. 3. Qui non credit, iam iudicatus est, [& illud Mar. vlt. Qui vero non crediderit condemnabitur.] Est autem in intellectu tanquam in subiecto quemadmodum ipsa fides: sed tamen dependenter à voluntate hoc nomine, quod ea recusat intellectum in obsequium Christi captiuare ad assentiendum interiori instinctui diuino, & externæ prædicationi Euangelij: prout necessarium est ad credendum supernaturaliter, religionis Christianæ mysteria. Cuius recusationis propria radix, causaque est superbia.

35. Porro duæ distinguuntur species puræ infidelitatis Gentilismus & Iudaismus. Gentilismi nomine autem comprehenduntur superstiones veræ fidei contrariæ, in iis qui fidem ipsam nulla vnquam ratione susceperunt: quales sunt nostro tempore superstitiones Mahometanorum, & idololatrarum, qui adhuc apud Indos visuntur. Nomine vero Iudaismi significatur infidelitas Iudæorum: qui cum fidem Christi susceperint in figura, eam in veritate, reque ipsa susscipere contemnunt ac renuunt. Duæ autem constituuntur species infidelitatis mixtæ: nempe hæresis, qua quis fidem semel susceptam partim retinet, partim reiicit: & apostasia, qua quis totam fidem semel susceptam, penitus reiicit ac deserit. De quibus omnibus sigillatim dicendum est: in reliqua quidem parte huius capitis, de Gentilismo, & Iudaismo: de cæteris in duobus sequentibus capitibus.

De Gentilismo & Iudaismo.

SECTIO VNICA.

Hic pro iudicio de peccatis nobis proposito vnum tantum occurrit tractandum; quatenus scilicet conuersatio cum infidelibus sit vel non sit Christianis licita: nam cætera non faciunt ad Pœnitentis examen in foro pœnitentiali. Igitur conuersationem cum Infidelibus generaliter prohibetur Christianis, per illud 2. ad Corinth. c. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus] itemque illud: Quæ pars fideli cum infideli? 36.

In particulari vero prohibetur primo communicatio fidelium cum infidelibus in iis quæ spectant ad falsum ipsorum cultum & religionem: vt donationem vel venditionem vel commodationem eorum quibus vtantur in suis sacrificiis: vel ædificationem fauorum, vbi suos ritus exerceant. Patet ex eo, quod tale quid sit cooperari infidelitati ipsorum, ideoque sit plane illicitum: nisi absit omnis intentio mala, & adsit rationabilis causa ob aliquã necessitatem ex parte fidelis: qui tunc in re alias indifferenti excusabitur: iuxta Syluestri doctrinam in verbo Infidelitas quæst. 4. Cui Gregorius à Valen. subscribit 2. 2. disput. 1. quæst. 10. puncto 5. Et confirmatur à pari ex acceptione licita mutui ab vturario: de qua postea libr. 23. num. 100. & aliquot sequet. 37.

Prohibetur secundo, matrimonium fidelis cum infideli: cap. Caue. 28. quæst. 1. Prohibetur tertio subiectio aut nimia familiaritas fidelium cum infidelibus: cap. Nulla, distinct. 54. Quod similiter dicendum est de omni conuersatione, etiam humana fidelium cum infidelibus ex qua derogetur fidei, vel nascatur periculum subuersionis ipsorum fidelium, aut scandalum pusillorum: quandoquidem iure diuino talia sunt euitanda. Secus est, si fideles qui firmi sunt in fide, conuersentur cum infidelibus propter eorum bonum: nempe vt eos ad fidem conuertant prout docet D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 9.

Prohibetur demum mercimonium cum infidelibus: idque sub pœna excommunicationis: si mercimonium sit armorum quibus oppugnent Christianos, quorum sunt hostes, & cum quibus bellum gerunt, vt solent Turcæ & Sarraceni: quod habetur ex cap. Ita quorumdam, cap. Significauit, cap. Quod olim, & cap. Ad liberandam De Iudæis: atque ex Extrauaganti Ioann. 22. eod. tit. & ex Extrauaganti prima inter communes, eodem quoque titulo. Quæ excommunicatio hodie reseruata est Summo Pontifici in Bulla Cœnæ Domini: quam suo loco in præcedenti lib. 9. c. 18. exposuimus. 38.

Aduerte vero, quod etsi in eam tantum incurrant ferentes arma ad Turcas & Saracenos, qui cum Christianis bellum gerunt: grauiter tamen peccare illos qui iisdem quocumque modo auxilium ferunt in bellis contra Christianos: non vero si in bellis iustis contra alios infideles. Nam licitum esse in illis auxilium ferre ipsis, habetur ex cap. Si dominus, & cap. Iulianus 11 quæst. 3. vt & licitum esse auxilio ipsorum vti in bello iusto (nisi obstet scandalum) colligitur ex libr. 1. Machab. cap. 8. vbi Machabæi inierunt fœdus cum Romanis gentilibus, promittentes se illis auxiliaturos in bello: idem ab illis vicissim postulantes. Alia quæ de infidelibus traduntur tanquam remotiora ab instituto nostro, relinquemus scholasticis Theologis: vt quod non sint armis ad fidem compellendi, sed tantum prædicatione: nec eis inuitis filij ipsorum quandiu sunt adhuc sub eorum cura, sint baptizandi: quod ritus illorum si legi naturæ non repugnent possint tolerari, vt facilius ea Christianorum tolerantia, ad fidem complectendam inducantur: quodque possint eadem de causa habitare inter Christianos, nec facile expelli debeant, nisi alios subuertere nitantur: nec offendendi sint à Christianis in persona aut rebus suis, absque Iudicis sententia. 39.

CAP. IV.

De hæresi.

SVMMARIVM.

40 *Tractantes de hæresi, & ratio illius nominis.*
41 *Definitio hæresis.*
42 *Error ad conditionem hæresis requisitus.*
43 *Pertinacia quam debet habere coniunctam.*
44 *Distinctio hæresis à reliquis infidelitatibus, & modus in eam labendi.*
45 *Obiectum circa quod errando hæresis incurritur.*
46 *Propositionum quæ certo sunt Catholicæ, duo genera.*
47 *In quo consistat pertinacia constituens hæresim.*
48 *Quo modo ignorantia, in re fidei errantem excuset ab hæresi.*
49 *Dubius in fide, aut cohibens assensum circa rem de fide, quando iudicandus sit hæreticus.*
50 *Hæreticus dicitur, tum improprie, & materialiter: tum proprie, & formaliter.*
51 *Nondum baptizatus censeri potest hæreticus*, ex sententia Alphonsi à Castro, *si in fide erret, sufficienter de ea instructus: non item is, qui licet infans baptizatus fuerit, non est tamen postea in fide instructus.*
52 *De eo qui inuitus fidem Catholicam profitetur, & ijs qui altrius dictis perinde firmiter credunt, ac crederent articulis fidei.*
53 *De eo qui credit aliquid tanquam dogma fidei, cum non sit tale dogma.*
54 *Quid sit propositio hæretica, quid non Catholica, quid erronea, & quid suspecta de hæresi.*
55 *Quid sit sapiens hæresim, quid temeraria, quid scandalosa.*
56 *Quid male sonans, quid schismatica, quid iniuriosa.*
57 *Sex gradus hæreticorum.*
58 *Qui hæretici sunt tantum animo, incurrunt solas pœnas à Deo impositas: qui autem hæresim signo externo prodiderunt, Ecclesiasticas quoq; incurrunt: & quas illi qui sunt occulti, quasq; illi qui manifesti sunt.*
59 *Quatenus illi qui aliquo debito sunt adstricti hæretico, liberentur ab eo propter ipsius hæresim.*
60 *De debito fidelitatis.*
61 *De debito dominij, & obsequij.*
62 *Pœnæ à iure impositæ hæreticis quarum executio requirit sententiam Iudicis: quarum aliæ retrahuntur post dictam sententiam.*
63 *Aliæ vero valent ad exceptionem aduersus hæreticum, etiam ante latam eandem sententiam.*
64 *Pœnæ hæreticorum, quæ tantum habent locum post Iudicis sententiam.*
65 *Aliæ quæ locum non habent, nisi cum sententia executioni mandatur.*
66 *Duodecim genera personarum, quæ præter hæreticos in excõmunicationem incurrunt in tuitu hæreseos.*
67 *Quinque personarum genera quæ eodem intuitu incurrunt alias pœnas non omnino spirituales, sed quasi temporales.*
68 *Sex alia genera earum, quæ etiamsi non puniantur à iure, sunt tamen respectu hæreseos pœna digna.*
69 *Recipiendi sunt hæretici resipiscentes.*
70 *Quomodo recipiendi.*
71 *Requisita ad modum recipiendi in foro interiori.*

40. DE hæresi in iure Canonico agitur 23. quæst. 7. & 24. quæst. 3. apud Gratianum: & in titulo de hæreticis quem habent reliquæ partes eiusdem iuris. Agitur item à D. Thoma ac interpretibus ipsius 2. 2. quæst. 11. itemque in verbo Hæresis vel hæreticus à Summularijs: vtque alios omittam ab Alphonso à Castro in libris De iusta hæreticorum punitione, & à Melch. Cano in lib. 12. De locis Theologicis cap. 7. 8. 9. 10. & latius à Turrecremata in summa de Ecclesia libr. 4. part. 2. itemque nouissime à Thoma Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 7: & sequentibus magno numero. Quæ vero ad Confessarij institutionem necessaria videntur, complectemur aliquot quæstionum explicatione.

QVÆSTIO I.

Quid sit hæresis.

HÆresis ἀπὸ τῆ αἱρεῖσθαι id est, ab eligendo Græce dicitur, Latine sonans electionem, vt in cap. Hæresis, 24. quæst. 3. ex D. Hieron. notatur. Quod nomen ad significandam opinionem fidei Catholicæ contrariam (quam quis sibi eligendo naufragium in ipsa fide facit, etiamsi Christo adhærescere intendat) ideo hic vsurpatur, quod cum electio sit mediorum ad finem conducentium: tali opinione imbutus adhærescens Christo, recedit à medijs ad salutem conducentibus, quæ ille tradidit: eligitque ea quæ propria mens & opinio suggerit. Ita habetur ex D. Tho. in cit. quæst. 11. art. 1.

Definiri autem potest hæresis, quod sit error pertinax, 41.
in eo qui fidem profitetur, manifeste contrarius illi veritati quæ certo Catholica est. Cuius definitionis prima pars, *hoc est error*, loco generis ponitur potius, quam infidelitas, vel peccatum; vel etiam opus carnis (vt posset congruenter Apostolo *ad Galat. 5. vbi inter opera carnis numerat sectas, Græce* αἱρέσεις) vel opus Diaboli (iuxta illud quod idem Apost. *prioris ad Timoth. 3.* hæreses vocat doctrinas dæmoniorum) quia melius per errorem, quam per aliquid cæterorum hæresis natura exprimitur.

Duo vero talis error includit: nempe falsam credulita- 42.
tem in intellectu, in quo inest tanquam ipsius vitium, *sicut è contra, fides inest tanquam virtus*: & peruersum affectum in voluntate: à quo, *sicut fides ab affectu pio*, incipit & habet vt actus sit liber, constituens peccatum commissum contra præceptum diuinum de credendo, & dẽ non inferenda fidei iniuria. Colliges autẽ ex hac parte: quod etiamsi adsit peruersitas voluntatis, si ab intellectu absit incredulitas, abesse quoq; hæresim. Neq; enim censendus est hæreticus qui mœchatur, aut qui consulit vel adorat dæmonem, vel corpus Christi conculcat pedibus, aliudve horrendum peccatum committit contra dictamen veritatis fidei, nisi in intellectu sit error, quo talia licita esse credantur: vt ex D. Thoma P. alud. & D. Anton. recte admonet Iacobus à Graphijs lib 2. decis. aur. cap 8. num. 2.

Colliges similiter quantumuis sit error in mente, non esse hæresim, si absit (*à quo ille incipiat*) voluntatis affectus contra ecclesiam Romanam, nitendo ei contradicere: aut etiamsi id non intendat; velit tamen sequi eam opinionem quam scit contrariam esse determinationi ecclesiæ Romanæ: quæ Christi institutione est regula doctrinæ fidei, & Iudex contrariorum errorum. Quo affectu, quia is caret, qui inuincibiliter ignorat, aliquid ex determinatione ecclesiæ, continere primæ & infallibilis veritatis reuelationem: quantumuis erret circa illud, etsi res sit fidei, excusabitur ab hæresi. Id quod censeri potest vsuuenire quibusdam rudibus inter Græcos qui ducti maiorum suorum authoritate, putant apud suam ecclesiam esse Dei reuelationem.

Secunda pars, *hoc est pertinax*, indicat illud quod formalem rationem hæresis constituit ac complet: vt enim occiso hominis materialiter tantum est peccatum homicidij, si non sit iniusta: & concubitus soluti cum soluta materialiter tantum est fornicatio, si interueniat inuincibilis facti ignorantia, *vt in Iacob respectu Liæ Genes.* 29. & acceptio rei alienæ, materialiter tantum est furtum, si non fiat inuito iuste domino. Ita & error circa res fidei, materialiter tantum est hæresis, si non sit pertinax: adeo vt hæresis formaliter esse nequeat absque pertinacia. Quod confirmatur, quia vt à candore candidus, sic ab hæresi denominatur hæreticus. Ad rationem autem hæretici, vt hæreticus est, pertinaciam requiri patet ex cap. Dixit Apostolus & ex cap. Qui in ecclesia 24. q. 3. Vnde in cap. Damnamus De Summa Trinitate sub finem, hæretici esse declarantur qui præsumpserint defendere errorem Abbatis Ioachim de essentia diuina: non autem Abbas ipse: quia suum iudicium S. Romanæ ecclesiæ iudicio submisit, ideoque pertinax in suo errore minime fuit. 43.

44. Tertia pars definitionis, *in eo qui Christi fidem profitentur*, indicat subiectum hæreseos, eumve qui ab illa hæreticus dicitur; separatque illam ab alijs infidelitatis speciebus: quæ ab eo in quo insunt, excludunt omnem professionem veræ fidei: siue nunquam susceptæ, vt pura infidelitas, siue post susceptam repudiatæ omni ex parte, vt Apostasia. Aduerte autem, quod etsi quis cæteros omnes fidei articulos profiteatur: si vnicum pertinaciter neget, ipsum à fide excidere, & in hæresim incurrere: tum quia deserit propriam rationem fidei: quandoquidem cæteris articulis quos retinet non credit quia propositi sunt ab ecclesia; sed quia illi ita videtur: Alioqui enim propter eandem rationem, illum quem negat, sibi perinde ac istos persuaderet. Tum quia talis necessario credit ecclesiam, in fide errare posse: neque enim aliter negare, seu falsum esse sibi persuadere potest, quod ea proponit tanquam verissimum.

45. Reliqua pars definitionis indicat obiectum circa quod errando incurritur hæresis; quod est falsitas manifeste cõtraria illi veritati, quæ certo Catholica est: ita vt hæresis iudicari non debeat error, *etiam pertinax in homine Christiano*, manifeste contrarius veritati physicæ, aut alteri quæ non est Catholica: vt quod Sol sit bipedalis: quod nullus sit ignis elementaris. Neque item error de quo non constat an sit Catholicæ fidei contrarius: vt quod ignis infernj licet verissime torqueat, non sit tamen verus ignis sed metaphoricus. Nec demum error manifeste contrarius veritati fidei quam non constat certo Catholicam esse: seu definitam esse ab ecclesia Romana tanquam de fide tenendam ab omnibus: ita vt hæreticus non sit censendus persistens in tali errore, quantumuis de eo admoneatur à viris grauissimis (etiamsi peccet peccato temeritatis) dummodo putet suam opinionem non esse contra Ecclesiæ Romanæ determinationem. Errorem enim in materia fidei priusquam ea definita sit ab ecclesia, non esse hæresim Canus in lib. 12. de locis Theologicis c. 7. D. Th. & Caiet. secutus ostendit. Tum quia Concilium Const. sess. 8. distinguit propositiones hæreticas à non Catholicis; sed erroneis, sapientibusve hæresim: cuius distinctionis ratio vix afferri posset, si omnis error in materia fidei hæresis esset, etiam antequam ab ecclesia definiatur. Tum quia omnis propositio quæ modo hæretica est, semp̃ fuisset hæretica: nec possent hæreses distingui in veteres & nouas: cuius contrarium patet ex cap. Achatius 24. quæst. 1.

46. Porro propositionum quæ certo Catholicę sunt prout ex D. Aug. Bannes refert 2. 2. q. 11. art. 2. in expositione 2. cõclusionis, quædam ad fidem directe & immediate pertinent: id est, sine consequẽtia rationis cadunt sub fidem: vt articuli fidei, atque adeo omnia quæ sunt in sacra Scriptura: ac traditiones Apostolicæ & definitiones Conciliorum ab Apostolica Sede approbatorum. Quædam vero pertinent indirecte & mediate: nempe eæ ex quarum negatione, necessario per bonam consequentiam infertur falsum esse aliquid, quod ad fidem immediate pertinet: vt si quis neget Christum esse risibilem, indirecte & consequenter erraret in fide: quoniam per consequentiam naturali lumine manifestam: inde infertur quod Christus non sit homo perfectus.

QVÆSTIO II.

In quo consistat pertinacia ad rationem hæreseos necessaria.

47. PRo responsione dicendum videtur talem pertinaciam consistere in eo, quod error cui aduenit, sit scienter contra ecclesiam Romanam: ita vt per eum, huic *quæ est fidei regula*, contradicens, sibi ea ratione auferat principiũ correctionis eiusdem sui erroris. Quod vero Sylu. Hæresis 1. nu. 5. vult ad pertinaciam requiri temporis diuturnitatem & perseuerantiam aliquam Bannes ad ante citatum locum D. Thomæ in expositione 1. particulæ definitionis, merito reiicit: dicendo in eodem momento quo aliquis authoritatem ecclesiæ, sibi contrariam esse sciens, assentit alicui propositioni, statim ipsum in suo assensu pertinacem esse sufficienter ad hæresim: quia si in momento potest haberi consensus sufficiens ad peccatum adulterij vel homicidij: quidni etiam poterit in momento haberi assensus sufficiens ad crimen hæreseos?

Addit idem author (quod continet restrictionem eius quod paulo prius dictum est) eum non esse hæreticum censendum qui etiamsi perseueret in aliquo errore, fidei contrario: ignorat tamen ipsum contrarium esse definitioni ecclesiæ (nisi haberet animum vt quantumcumque talis error eidem definitioni contrarius esset, de sua nihilominus opinione dimouere nollet, nec per Ecclesiæ authoritatem corrigi: quia in ipso fidei ratio formalis inde destrueretur. Quod quidẽ procedit, non modo cum ignorãtia fuerit inuincibilis vel probabilis, vt solet esse in multis rusticis, qui propterea excusantur à peccato, quod nequiuerint veritatem fidei errori suo cõtrariam addiscere: sed etiam cum fuerit vincibilis atq; culpabilis: vt est in ijs qui fidei veritatem suo errori contrariam addiscere potuerunt & neglexerũt: hi enim quantumuis graviter peccent tali negligentia: non sunt tamen censendi hæretici, quia non peccant infidelitate, tanquam ij qui propositionem contrariam fidei eligant in illius iniuriam: sed peccato omissionis; & negligentiæ discendi quod debuerunt & potuerunt: sicut discipulus qui ex ignorantia & studendi negligentia errat, non offendit magistrum tanquam iniurius in illius doctrinam, sed tanquam negligens in studendo. Veruntamen si ignorantia fuerit procurata & affectata, etsi non debeat censeri coniuncta cum hæresi: si tantum sit ex tædio discendi: tamen si sit ex intentione errandi in rebus fidei contra ecclesiam Romanam, non excusat ab hæresi: quia talis intentio tantum est in eo qui ecclesiæ Romanæ definitionem ideo ignorare vult, quod eamdem in dictis rebus falli posse putet. Quodquidem sufficit ad hæresim, etiamsi quis nullum aliũ errorem habeat contra specialem ecclesiæ definitionem: quoniam ea ratione tollit sibi principium correctionis, dependens ex eiusdem ecclesiæ authoritate. 48.

De dubitatione quæ media est inter scientiam & ignorantiam, habetur in cap. 1. De hæreticis: quod dubius in fide infidelis sit. Id autem intelligendum est cum distinctione. Nam dubitatio quædam est habens animi pertinaciam, qua quis scienter aduertenterque dubitat in ijs quæ nouit esse de fide Catholica, vt, An sit vita æterna? contra illum symboli articulum, Credo vitam æternam: talisque dubitatio inducit hæresim. Quædam vero est quæ procedit à scrupulo conscientiæ, aut à primis motibus, quibus dubitans non consentit, sed resistit auersando quidquid est contrarium fidei traditæ ab ecclesia Romana, cui optat se in omnibus conformare: & talis dubitatio non inducit hæresim, cum sit potius pœna quam culpa (*quandoquidẽ contra voluntatem contingit*) immo sit materia meriti in eo, qui se firmans in recta fide, talibus motibus resistit, perinde atque is qui inuitus patitur prauas cogitationes, ex cap. Sed pensandum est, distinct. 6. Signum moraliter certissimum q̃ dubitatio tantum sit huius posterioris generis. Bannes ex Cano refert, quod quis in ipso conflictu magna molestia afficiatur, tanquam odio habẽs errorem, & diligens veritatem. Atq; hoc quod de dubitatione dicitur, similiter intelligendum est de cohibitione assensus, qua quis vtitur circa ea quæ nouit esse de fide: si enim vtatur deliberate, quia renuit assentiri veritati, quã scit esse Catholicam, hæreticus est: non item si ea vtatur ex scrupulo vel alio motu quem inuitus patiatur. 49.

QVÆSTIO III.

Quisnam censendus sit hæreticus.

HÆreticus sicut & hæresis dicitur dupliciter: vno improprie & materialiter de eo, qui quomodocumq; tenet errorem fidei Catholicæ contrarium: altero modo proprie & formaliter de eo solo, qui vere habet hæresim superius definitam. Ita vt is hæreticus proprie sit, qui semel Christi fidem professus est, & nihilominus sub nomine Christiano resistit doctrinæ Christi, ab aliqua eius parte recedendo pertinaciter. Atque si talis aliquis nouam hæresim excogitauerit, aut multorum hæreticorum princeps & antesignanus fuerit, hæresiarcha dicitur: cap. Qui aliorum 24. quæst. 3. vt Arius, Lutherus, Caluinus 50.

& eius-

& eiusmodi alij. Colliguntur vero, quædam ex ea definitione.

51. Primum est illud, quod Alphonsus à Castro adfert in lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 8. Catechumenum plene instructum in fide Catholica, & postea ab ea pertinaciter recedentem, merito esse hæreticum dicendũ: quia hæresim habet etiamsi non subiiciatur pœnis & iudicio ecclesiæ, nondum tinctus Baptismo. Nihil est autem, quod in eo immoremur, vtpote remoto à praxi nobis proposita.

Secundum, de quo in præcedẽti dubit. 2. idem author: Baptizatum in infantia, postea inter Turcas aut hæreticos aliosve infideles educatum in eorum perfidia, non esse dicendum hæreticum: etiamsi quando peruenit ad vsum rationis, teneat aliquem errorem veritati Catholicæ manifeste contrarium: nisi postquam fuerit de fide sufficienter instructus, eundem errorem pertinaciter retineat. Ratio est: quia ignorantia talem excusat à pertinacia requisita ad hæresim. Deinde quia ad hæresim committendam, non sufficit accepisse virtutem fidei in baptismo, sicut neque ad credendum: sed adhuc requiritur fuisse à Doctore sufficiẽter instructum de rebus fidei, iuxta illud ad Rom. 10. Quomodo credent ei quem nõ audierunt? Vide antedicta, num. 16.

52. Tertium est: Eum non esse hæreticum dicendum, qui non ex animi sententia, sed metu & aliquo modo coactus; atque inuitus profitetur fidem hæreticam, vel hæreticorum articulis subscribit. Quod absolute verum est quoad forum conscientiæ: quoad forum externum vero, tunc solum, cum talis probare potest se id fecisse coactum & non sponte, 15. quæst. 6. c. 1. Quanquam eiusmodi siue professio siue subscriptio metu vel inuite facta graue peccatum est, vt ibidem glosa annotat *ad verbum Errorũ*: & patet ex dictis in præced. cap. 2.

Quartum est, *de quo adhuc Alphon. à Castro in sequen. dubit.* 4. Eos non esse dicendos proprie hæreticos, qui dictis alicuius particularis hominis ita firmiter credunt, ac crederent articulis fidei. Nam hoc dupliciter contingere potest; vno modo, vt quis propterea taliter credat, quod putet illum alium nihil velle certo affirmare, nisi quod certo est fidei dogma: qua ratione tantum abest, vt credere sit hæreticum: quin potius sit pium, præsertim in inferioribus, rudibus & ineruditis, qui dictis suorum pastorum & piorum ac eruditorum Theologorum, eo modo credunt. Altero modo contingere potest, vt quis credat, vel paratus sit credere alicuius dictis siue dogma fidei contineant siue non: perinde ac crederet ipsis rebus fidei: qua ratione credere, non est quidem hæreticum proprie: est tamen temerarium & magnæ leuitatis, iuxta illud Ecclesiastici 19. Qui cito credit, leuis est corde. Et ita fere solent suis hæresiarchis credere illi qui ab eis seducuntur, peccantes contra fidem per excessum credulitatemve nimiam prouenientem ex leuitate cordis.

53. Similiter potest bifariam contingere, vt aliquis illud quod non est de fide, perinde certo credat ac si esset dogma aliquod fidei: vno modo, ex affectu aliquo pio & bono, quem in se sentit: vt si quis ex affectu pietatis erga beatam Virginem certo eam conceptam esse sine peccato originali crederet, perinde ac dogma aliquod fidei, quamuis sciat non esse dogma fidei: sicque credere non est hæreticum sed potius pium. Altero modo ex errore, quo credit illud vere esse dogma fidei quod vere non est: sicque vitiũ est nimię credulitatis, contrarium fidei per excessum, non autem hæresis: vt si quis ita credat B. Virginem esse conceptam sine peccato originali, vt credat quoq; hæreticos esse eos qui contra sentiunt, tanquam negantes dogma fidei, mortaliter peccat nimia credulitate, quæ si manifestata sit externo signo, in excommunicationem quoque incurrit per Extrauag. communem Graue nimis, De reliquiis & veneratione Sanctorum: innouatam in Conc. Trident. sess. quinta in decreto De peccato originali, §. vltimo: & à Pio quinto in bulla quæ incipit, Super specula, edita anno Domini 1570.

QVÆSTIO IV.

Quomodo distinguantur propositio hæretica, non Catholica, erronea, suspecta de hæresi, & aliæ similis notæ, propositiones.

QVia nonnullæ propositiones quæ non sunt hæreticæ, aliquam similitudinem gerunt hæreticarum, ad harum distinctionem ab illis, breuiter docendum est, quid quæque earum sit.

54. Propositio igitur hæretica vt mente formatur, coincidit cum hæresi superius explicata: vt vero formatur voce, vel scripto, tantum est signum hæreseos, eam in mente latentem, exterius enuncians. Propositio vero non Catholica, est quæ fidei Catholicæ aduersatur, à quocumq; proferatur, ita vt materialiter nihil differat ab hæretica.

Propositio erronea (vt & sequentes fere omnes) accipi potest: tum generaliter, vt sit quid superius hæretica, & alijs similis notæ: tum specialiter, siue vt species ab hæresi & alijs similibus condistincta. Quæ tres habet gradus, vti tradit Canus in lib. 12. de locis Theolog. cap. 10. quorum primum tenent propositiones repugnantes quidem veritati Catholicæ: non tamen pertinenti ad fidem. Vbi aduerte duplices esse veritates Catholicas, seu quæ ab vniuersali Ecclesia tenentur: quasdam spectantes ad fidem, quibus sublatis fidem tolli necesse sit: vt Deum trinum esse & vnum, hisque opponitur hæresis: quasdam vero, quibus sublatis infirmatur quidem fides, sed non perit omnino: vt Religiosos posse mendicare, nec obligari victum labore manuum quærere: & propositiones talibus oppositæ, dicuntur erroneæ. In secundo gradu sunt eæ propositiones quæ manifeste repugnant illis, quas Doctores communiter dicunt esse diuinitus reuelatas, etiamsi non sint expresse ab Ecclesia definitæ: quo modo erronea censeri potest propositio. Quod B. Virgo sit concepta in peccato originali: errore scilicet Theologico, vt Doctorem quemdam appellare voluisse Alphons. à Castro meminit in lib. 1. de iusta hæretic. punitione cap. 3. In tertio gradu censentur esse propositiones eæ, quæ etsi non sint aperte contrariæ veritati Catholicæ, à doctis tamen probabiliter putantur esse contrariæ: vt quod Christus sit verus Deus non sit verus ignis, sed metaphoricus.

Propositio suspecta de hæresi est, quæ cum habere possit vnum sensum Catholicum, & alterum hæreticum, ratione personæ à qua profertur, hæretica censetur, vt hæc, Pater est maior filio si proferatur ab Ariano, qui filium non tantum vt homin m, sed etiam vt Deum, Patre minorem esse credit: quod hæreticum est.

55. Propositio sapiens hæresim est, in qua sagaci quasi odoratu virorum prudentum, præsertim Theologorum peritorum, aliquid rectæ fidei contrarium includi deprehenditur: vt in hac Caluinistarum. Ridiculum est gestare per vicos Sacramentum Eucharistiæ in supplicationibus: in qua sagax Theologus subolfacit latere hæresim: quod Christus non sit reipsa in Eucharistia. Videri potest Canus loco citato.

Propositio temeraria specialiter sumpta in materia fidei, est quæ de spectantibus ad fidem aliquid enunciat, quod nulla ratione, nullaque authoritate probari potest: quales sunt hæc. Dies iudicii erit infra annum. Ioannes Euangelista fuit sanctificatus in matris vtero: & id genus aliæ. Attamen vt in cit. cap. 3. monet Alphonsus, ab hac temeritatis nota liberatur propositio, quæ quamuis authoritate & ratione careat; habet tamen aliquam verisimilitudinem; præsertim si ex illius assertione aliquid vtilitatis oriri potest: vt ex multis enunciantibus quæ viri contemplatiui verosimiliter imaginantur, quæque populo narratæ, optimi inde affectus suscitari possunt.

Propositio scandalosa est, quę præbet occasionem ruendi, errandive in fide; siue hæretica sit: vt illa: Quod quilibet tyrannus potest licite à quocumque subdito occidi: damnata in Concil. Constanc. sess. 15. tanquam hæretica & scandalosa: siue hæresis in ea notari non possit. Cuiusmodi sunt plurimæ in commentitiis illis Erasmi colloquiis,

& in Apologia Herodoti per Henricum Stephanum: quibus vel occulta Monachorum vitia perstringuntur: vel falsa prorsus finguntur. Sunt item enumerationes incommodorum confessionis auricularis: vel abusuum qui in Ecclesiam irrepserunt, aut aliorum quæ fidelibus proposita, præstant infirmis causam ruinæ: quorum aliqua sub finem citati cap. decimi commemorat Canus.

56. Propositio malesonans, & piarum aurium offensiua, illa est, quæ quamuis nihil contineat fidei manifeste contrarium, continet tamen aliquid quod pias aures merito offendere possit. De qua plenius in eodem cap. 10. Canus; admonens hanc non esse spectandam ex vulgi & plebeculæ auribus, cuius iudicium crassum est: sed ex auribus viri periti, prudentis ac Theologi: in exemplumque adferens tum hanc, Quod graduationes & magisteria vniuersitatum sint vana gentilitate introducta: & tantum prosint quantum diabolus: tum alias à Concil. Constan. notatas, in quibus recensendis nihil est cur immoremur.

Propositio schismatica & seditiosa est, quæ vnionem membrorum Ecclesiæ, aut vniuersaliter aut particulariter quomodolibet tollit. Quales sunt hæ. Papa non est superior Episcopo, nec Episcopus simplici Sacerdote, Malo Prælato non est obediendum, & aliæ similes.

Propositio demum iniuriosa est, quæ alicui fidelium statui, vel alicui illustri personæ detrahit: quales sunt hæ: Omnes de ordine Mendicantium sunt hæretici. Papa est Antichristus, Cardinales sunt ministri Antichristi, & alię quas notatas à Concil. Constant. commemorat Alphonsus à Castro sub finem citati cap. tertij. Vbi & admonet hasce memoratas propositionum species non esse ita distinctas, quin coincidant: vnaque & eadem propositio possit simul esse hæretica, scandalosa, temeraria, schismatica & iniuriosa: vt illa Ioann. Wiclef. Religiosi viuentes in religionibus priuatis, non sunt de religione Christiana. Hæretica enim est tanquam contraria vniuersalis ecclesiæ definitioni: scandalosa vero, quia professis suadet vt vota Deo nuncupata violent. Temeraria, quia nulla prorsus ratione aut authoritate fulcitur. Schismatica, quia Ecclesiæ vnitatem violat separando ab ea Religiosos; & denique iniuriosa, quia detrahit statui religioso.

Qvæstio V.

Quot & quæ sint pœnæ hæreticorum.

HVius & sequentis quæstionis explicatio eo pertinet, vt ad illius peculiare odium & detestationem, pateat quam enorme, quamque pernicioſum sit crimen hæreseos.

57. Prænotandum est autem sex hæreticorum gradus distingui. Primus est eorum, qui animo tantum sunt hæretici, nec vllum externum signum hæreseos ediderunt. Secundus eorum qui hæresim animo conceptam, opere quidem externo prodiderunt, sed clam & occulte tantum. Tertius eorum qui animo conceptam hæresim palam & manifeste, opere exteriùs prodiderunt. Quartus eorum quorum hæreses ad Ecclesiæ tribunal externumve forum delatæ iam sunt, & examinantur, vel breui examinabuntur. Quintus eorum qui iam de hæresi conuicti sunt, & per Iudicis sententiam condemnati. Sextus eorum in quos prolata Iudicis sententia, est executioni mandata. Iuxta quos sex gradus, sex sunt genera pœnarum hæreticis ipsis decreta, singulis singula: de quibus dicendum nobis est, & copiosè tractat Thom. Sanchez loco memorato in huius cap. initio.

58. Primum igitur genus pœnarum quas incurrunt qui sola mente, seu interius tantum sunt hæretici, comprehendit duas à Deo inflictas: prior est reatus peccati mortalis, *& quidem grauissimi*, in hac vita; posterior est æterna damnatio, in vita futura, ex cap. Firmissime, De hæretic. Quod confirmatur per illud cap. 11. ad Heb. Sine fide impossibile est placere Deo. Non dantur ab Ecclesia inflictæ, quoniam ea non iudicat de occultis, in mente latentibus omnino.

Secundi generis pœnæ, *quas scilicet incurrunt hæretici, qui hæresim animo conceptam signo quidem externo prodiderunt, sed tantummodo occulto*, sunt tres. Prima excommunicatio, per cap. Excommunicamus 1. & 2. De hæretic. & Bullam cœnæ Domini; ad exemplum scilicet D. Pauli, qui ex priori ad Timoth. cap. 1. Alexandrum & Hymenæum tradidit Satanæ, eo quod naufragium in fide fecissent. Secunda est, irregularitas ex cap. 2. De hæretic. in 6. & ex 1. quæst. 7. per multos Canones. Tertia est, inhabilitas ad omne beneficium vel officium ecclesiasticum, ita vt hæreticus non possit esse Iudex Ecclesiasticus, aduocatus, notarius, &c. ex eodem cap. 2. §. Hæretici; & ex cap. Statutum 2. eodem titulo & libro. de quibus dicendi alias dabitur locus accommodatior.

Tertij generis pœnarum: *nempe earum quas vltra antedictas hæretici manifesti & aperti incurrunt ipso iure, tam in foro interiori, quam in exteriori*, tres sunt formæ. Prima est, quod illi omnino prohibeantur consortio fidelium: id quod est quidem commune ipsis cum omnibus excommunicatis maiore excommunicatione: sed peculiare est in hoc, quod priuilegium Concilij Constantiensis (de quo in li. 1. num. 110. & trib. sequen.) non obstet quin cæteri prohibeantur cum illis conuersari; si periculum aliquod subuersionis inde immineat, cum teneantur iure naturali & diuino tale vitare: dicente Apostolo in priori ad Corinth. cap. 6. Quæ conuentio lucis ad tenebras: & quæ Christi ad Belial: & ad Titum 3. Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi:] & D. Ioan. in 2. Canonica, Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum: nec aue ei dixeritis.] Secunda forma est, quod per hæresim patris manifestã, filius & qui ex filio descendunt, à potestate ipsius liberentur, & emancipentur ex cap. 2. De hæretic. in 6. §. finali. Tertia est, quod ille qui aliqua obligatione aut debito adstringitur tali hæretico, liberetur nec amplius teneatur astrictus per cap. vltimum De hæret.

Sed aduerte duplex esse debitum: vnum reale, quando quis rem aliquam debet alteri ratione mutui vel alterius contractus: & qui hoc modo debet hæretico, non liberatur à debito per manifestam hæresim creditoris, quia prædicta liberatio à debito, est propter periculum subuersionis: quod vix imminet Catholico per realis debiti solutionem hæretico faciendam. Quanquam tamen in duobus casibus à tali quoque solutione Catholicus liberatur. Prior est, quando hæreticus putatur vsurus debito in perniciem ecclesiæ, & Catholicorum: posterior, quando bona ipsius sunt confiscata: tunc enim non illi sed fisco persoluuntur. Alterum debitum dicitur personale, quale est quod vna persona debet alteri, ratione subiectionis: de quo solo sermo est in memorato cap. Ex quo habetur id ipsum debitum triplex esse, vnum fidelitatis, alterum dominij, & tertium totius obsequij. 59

Debitum fidelitatis vocatur fides, seu fidelitas quam quis alteri debet. Et est duplex: vnum quod existit inter dominos & ipsorum subditos, hoc est, vasallos: alterum quod inter coniuges. Prius illud in eo consistit, quod subditi seu vasalli promittant & iurent se defensuros vitam, existimationem, & fortunas eorundem dominorum, cõtra quemcunque alium, qui non sit dominus ipsius. De qua re habetur cap. De forma, 22. quæst. 5. Et huiusmodi triplex est, vnum summum quod debent Marchiones, Barones, Comites & Duces Regi: alterum medium, quod debent Barones, Marchionibus, Comitibus & Ducibus: tertium infimum, quod alij infimi debent Baroni. A quo omni eiusmodi debito, propter domini hæresim manifestam liberari vasallos, patet quoque ex cap. Nos sanctorum & ex cap. Iuratos 15. quæst. sexta. 60.

Quod attinet ad posterius debitum fidelitatis: ab eo etiam per hæresim manifestam vnius coniugis, alter coniux liberatur: si non omnino, saltem ex parte. Nam coniux Catholicus ad vitandum subuersionis periculum potest coniugem hæreticam deserere quoad habitationem, quamuis non possit aliud matrimonium contrahere. Id quod constitutum habetur in cap. 2. De diuortijs.

Secundum debitum, *dominii inquam*, est seruitium seu seruitus, quam debent serui suis dominis. Duplex autem

distin-

distinguitur seruitus: vna mancipiorum, à qua per hæresim domini manifestam seruus liberatur: tum iure Canonico per cap. vltimum De hæreticis: tum iure ciuili per legem 2. Cod. Ne mancipium Christianum, &c. Altera seruitus est famulorum, à qua etiam pari ratione liberantur serui per hæresim dominorum, quamuis seruitium iurauerint, vt docet Alph. à Castro lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 7.

Tertium debitum est obsequij: quo nomine significatur ministerium seu reuerentia, quæ exigit personalem præsentiam. A quo etiam debito liberatur inferior per hæresim domini sui, authoritate eiusdem cap. vltimi. Id quod in filijs etiam ac seruis locum habere patet: quia talibus maius quam alijs imminet à parentibus & dominis periculum subuersionis, propter authoritatem & potestatem, qua hi in illos pollent: ac propter quotidiana exempla, quæ multum ad mutationem animi alliciunt. Cum igitur hæc ita sint, eo ipso, quo filius aut seruus patrem aut dominum hæreticum esse, sic agnoscit, vt manifeste nec per incertas tantum coniecturas id ei constet: liber est ab illius subiectione: quoad conscientiam nimirum (vt notat à Castro loco citato) quia in foro exteriori cogetur redire ad suum illum superiorē, si nequeat probare ipsum esse hæreticum. Cæterum pœnas hactenus memoratas hæretici ipso facto, ac statim in conscientia incurrunt, non expectata Iudicis sententia. In quo eædem pœnæ differunt à deinceps commemorandis: talisque differentiæ ratio hæc reddi potest, quòd pœnæ ipsæ memoratæ, vel sint de iure naturæ: ab Ecclesia tamen declaratæ: vel certe in eodem iure fundatæ: cum ipsum exigat, vt quis liberetur ab alterius conuersatione, ex qua periculum ei imminet. Deinceps vero commemorandæ, sint de iure pure positiuo, Superioris tantum arbitrio & voluntate constitutæ.

62. Quartum genus igitur pœnarum, est illarum quæ ipso iure quidem infliguntur: sed non possunt mandari executioni: nec reus illas persoluere tenetur ante Iudicis sententiam. Numerantur autem decem, quæ habent duos effectus ante Iudicis sententiam: vnum quinque priores, & alterum quinque posteriores. Prior effectus est, quod retrotrahantur vsque ad diem commissi criminis: etiamsi post mortē sententia feratur: quod est (iuxta dicta in præced. li. 13. c. 26. q. 3. propos. 4.) hæreticum postquam damnatus est à Iudice, censendum esse talib. pœnis subiici, nō tantum à die datæ in eum sententiæ: sed etiam à die quo hæreticus esse, suamque hæresim prodere cœpit.

Eiusmodi pœnarum vero prima est: quod hæreticus ipso iure perdat omne beneficium & stipendium ecclesiasticum, prout habetur ex cap. Quicumque §. Hæretici, De hæret. in 6. Secunda est, quod omnia bona illius temporalia ipso iure confiscentur, ex cap. Cum secundum leges De hæret. in sexto: vbi etiam additur, non esse faciendam talis pœnæ executionem, seu bonorum occupationem, nisi sententia fuerit super crimine promulgata per personam ecclesiasticam (hoc enim crimen est mere ecclesiasticum ex cap. Vt inquisitionis De hæret. in 6.) quæ habeat ad id potestatem. De qua re videri possunt antea dicta loco memorato. Tria autem aduertere oporter. Primum est, ob hæresim maritorum, dotes vxorum Catholicarum non acquiri fisco, nisi nupserint illis quos ante nouerant hæreticos esse, ex cap. Decreuit De hæret. in 6. Alterum est hæretici hæredes qui Catholici sunt, si pacifice possideant illius bona 40. annis post ipsius mortem, præscribere: dominiumque acquirere, ex cap. 2. De præscript. in 6. Tertium est, quod bona hæretici alienari non possint, quando sententia putatur in ipsum ferenda: nisi vel vrgeat necessitas vitæ ad quotidianum victum emendum: vel ille cui alienatio fit, admoneatur de tali periculo: vel alienentur titulo tantum lucratiuo, nec oneroso: seu ita vt is qui illa accipit lucretur neque oneretur. Videri potest explicatio primæ difficultatis annexæ ante memoratæ quæstioni tertiæ.

Tertia pœna est, quod hæret. ipso iure fiat infamis, ex cap. Excommunicamus 1. De hæret. §. Credentes: de qua plenius Alph. à Castro lib. 2. de iusta hæret. punit. cap. 9. Quarta est, quod hæreticus potest excommunicati etiam post mortem, vt habetur 24. quæst. 2. cap. vlt. Quod ita intelligendum est. Sæpe fit vt aliquis sit hæreticus, qui tamen ignoratur talis esse: quo cognito post mortem, ecclesia declarat ipsum excommunicatum, vt constat ex primis cānonibus eiusdem quæstionis.

Posterior effectus est: quod aliquæ istius gēneris pœnē, 63.
ad exceptionem valeāt, id est, quod ob eas in iudicio possit excludi actio hæretici, etiam nondum à Iudice damnati de hæresi. Tales autem pœnæ sunt hæ. Prima, infidignitas & inhabilitas ad beneficia ecclesiastica & officia publica, per cap. Quicumque §. Hæretici, De hæreticis in 6. De hac Alphons. in fine memorati cap. noni. Secunda, quòd hæresis censeatur crimen publicum, Cod. de hæret. lege Manichæos. Dicitur autem publicum crimen, de quo potest quinis alium accusare, vt habetur Institutis. §. 1. De publicis iudiciis. Videri potest idem Alphons. in eodem cap. 9. Tertia est, quod aduersus hæreticum in testem admittatur, tum excommunicatus, tum hæreticus, tum etiam consors criminis, ex cap. Si hæreticus, 2. quæst. 7. & ex cap. In fidei fauorem De hæret. in 6. Quarta est, quod in hæresi, Iudex admittatur excommunicatus, & qui tantum de facto non de iure habet iurisdictionem, ex cap. Præsidentes De hæret. in 6. Vltima est, quod in hæresi quando necessitas vrget, procedere liceat sine strepitu Aduocatorum, ac sine figura exterioris iudicij, ex cap. fin. De hæret. in 6.

Quinti generis pœnæ, hoc est, quæ locum non habent 64.
nisi post Iudicis sententiam, sunt quinque. Prima, quod hæreticus ipso iure perdat omnem iurisdictionem. Non perdit autem ipso facto, propter priuilegiū Concilij Constant. per quod prohibitio communicandi cum excommunicato, nisi sit denuntiatus, aut publicus Clerici percussor, est relaxata. Secunda est, quod hæreticus si ordines sacros habeat, ab illis degradetur, tradendus brachio sæculari, prout habetur De hæret. cap. Excommunicamus 1. & 2. §. Damnati. Tertia est, quod hæreticus per Iudicis sententiam deponatur ab omni dignitate ecclesiastica & ciuili, ex cap. Ad abolendam De hæret. Quarta, quod hæreticus eijciatur in exilium, non tam iure canonico, quam ciuili. Cod. De hæret. lege Ariani: & lege Quicumque. Quinta est, quod hæreticus priuetur beneficio appellationis, id est, ei interdicatur appellare, idque tam iure ciuili quam canonico, vt habetur De hæret. in 6. cap. Vt inquisitionis §. Vtque de hæreti.

Sexti & vltimi generis pœnæ, id est, quæ non habent 65.
locum nisi post Iudicis sententiam, & quando eadem mandatur executioni, sunt duæ: prior est perpetui carceris, de qua in cap. Excommunicamus 2. De hæreticis. §. Si qui: vbi dicitur, quod hæreticus etiam conuictus, damnatur ad perpetuos carceres: Posterior est extremi supplicij imposita iure ciuili Cod. De hæret. lege Ariani & lege Quicumque: de qua Alphons. à Castro plura *in lib. 2. De iusta hæret. punitione cap. 11. & 13.* & Couar. *in lib. 2. variarum resol. cap. 10. §. vlt.* Vbi ostendit merito hanc ipsam pœnam igne infligi. Atque hęc satis de pœnis hæreticorum, nisi addere velis eam quæ post mortem infligitur, vt careant ecclesiastica sepultura: ita vt ex cap. 2. De hæret. in 6. sepelientes illos, incurrant in excommunicationem; à qua non absoluantur nisi propriis manibus eosdem extumulent: atque locus vbi sepulti fuerint, profanetur.

QVÆSTIO VI.

Quinam alij intuitu hæreseos puniantur præter hæreticos ipsos.

66. MVlti sunt præter hæreticos, qui intuitu hæreseos incurrunt pœnas Canonicas; quæ sunt triplicis generis.

Primum, genus est earum quæ sunt omnino spiritales: vt pœna excommunicationis: quam incurrunt duodecim hominum genera: 1. credentes hæreticorum, hoc est, illi qui nullum quidem habent in particulari errorem cōtra fidem, tamen credunt vera esse omnia quæ aliquis hęreticus docet. 2. hæret. fautores, 3. receptatores. 4. defen-

sores. 5. suspecti de hæresi. Hique omnes, nisi infra annum se purgauerint, incurrunt omnes pœnas decretas hæreticis, ex cap. Excommunicamus 1. De hæret. §. Credentes. Est tamen differentia quod quatuor primi incurrant in excommunicationem reseruatam in bulla cœnæ Domini, & vltimi nulli reseruatam. Circa quos vltimos notandũ occurrit: suspectum de hæresi dici, & quasi hæreticũ damnari, eum qui ab illo cuius interest vocatus, vt de fide responderet, comparere subterfugerit vel se cum cõtumacia absentarit, eaq; de causa excommunicatus est; & per annũ animo pertinaci sententiam excommunicationis sustinuit. Id quod habetur ex cap. Excommunicamus 1. §. Qui autem De hæreticis. Sexto loco numerantur legentes libros hæreticorum. Septimo, habentes seu tenentes eosdem libros. Octauo, imprimentes. Nono, defendentes eos aperte vel occulte quouis prætextu. Decimo, fepelientes hæreticos & eorum fautores ac defensores. Ex quibus quatuor priores incurrunt ij excommunicationem reseruatam in Bulla Cœnæ Domini: postremi non item: sed tantum in iure communi cap. 2. De hæret. in 6.

Vndecimo, Inquisitores & eorum substituti, ac vicem gerentes, qui sinistre iudicant de hæreticis ex amore vel odio, vel spe lucri, hoc est, qui procedunt contra innocentes, & nolunt procedere contra nocentes; ipso facto incurrunt excommunicationem reseruatam Summo Pontifici, non tamen in Bulla Cœnæ Domini: sed in Clemen. prima §. Verum, De hæret. Episcopi vero qui id faciunt non incurrũt in excommunicationem: sed sunt per triennium suspensi, eo eodem §. Veren. Diligẽtia autem quam hi adhibere debent in extirpandis hęresibus à suis Diœcesibus traditur, in cap. Excommunicamus primo §. Adiicimus. De hæret. Duodecimo, domini temporales, magistratus ciuiles, & potestates sæculares, duces, Marchiones, per cap. Vt inquisitionis, in excommunicationem maiorem, *nulli tamen reseruatam*, incurrunt. tum ipsi, tum ministri ipsorum qua hæreticos iuuant aliquo ex his modis. Primus est, si requisiti ab Inquisitoribus circa curam, custodiam, & inquisitionem hæreticorum, non obediant. Secundus, si requisiti ab Inquisitoribus vt hæreticos in certum & à se delignatum carcerem intrudant, detrectent exequi. Tertius, si aliquem talem ex carcere liberent absque facultate Inquisitorum. Quartus, si de hæresis crimine, quod est mere ecclesiasticum, cognoscant vel iudicẽt. Quintus, si post traditionem hęreticorum factam brachio sæculari, sententiam non mandent executioni, pœnam debitam infligendo. Sextus si hæreticorum processus aut sententiam contra illos prolatam, impediant. Vltimus est, si opponunt se Inquisitoribus in aliquo actu circa hæreticos.

67. Secundum genus pœnarum, cõtinet eas quæ non sunt omnino spiritales, sed quasi temporales, quas intuitu hæreseos incurrunt quatuor potissimum personarum genera. Primum est, quod vt hæretici, hæreticorum fautores, receptatores, & defensores: sic filii ipsorum vsque ad secundam generationem sint inhabiles ad omnia beneficia Ecclesiastica: sique eis conferantur, collatio sit nulla, ex cap. Quicumque §. Hæretici, De hæreticis in 6. Id quod ex instituto declarabitur in sequenti lib. 30. tract. 3. vbi de ipsis beneficiis agendum erit pro ratione iudicandi de peccatis Clericorum. Secundum est, quod qui susceperunt dignitates, personatus, vel alia beneficia Ecclesiastica ad preces hæreticorum, sint eis priuati: sique id scienter fecerunt: ad alia in posterum non admittantur beneficia, ex eodem cap. Quicumque §. Ad hæc. Tertium est, quod filii (etiam Catholici) hæreticorum excludantur bonis paternis quando fisco sunt acquisita, ex cap. Vergentis, De hæret. Quartum est, quod vxor Catholica quæ scienter cum marito hæretico contraxit, priuetur dote quæ fisco acquiritur: ex cap. Decreuit, De hæret. in 6.

68. Tertium genus pœnarum est illarum, quas crimino sus non incurrit quidem ipso facto: is tamen ob suum crimen dignus est, cui tales infligantur: quo modo digni sunt excommunicatione, excommunicarique debent sex genera personarum. In quorum primo sunt laici qui disputant de fide cum hæreticis ex cap. Quicumque §. Inhibemus, De hæret. in 6.

In secundo sunt illi, qui non deferunt hæreticos Iudicibus ecclesiasticis. Inquisitoribus inquam, vel Episcopis, nec testantur aduersus illos, ex cap. Excommunicamus 1. §. Credentes, De hæret. Id enim genus est quoddam fauoris aut defensionis. In tribus tamen casibus congruenter doctrinæ quam D. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 7. habet de correctione fraterna, censeri quis potest nõ teneri denunciare hæreticum. Primus est, quando credit ipsum nõ esse pertinacem in errore, vt si sit rudis persona vel idiota; tunc enim satis est ipsum admonere, quod sit in errore; sique se corrigat bene quidem: sin minus iam redditur pertinax, & fit hæreticus, ac proinde est deferendus. Secundus est, quando facit aliquem actum externum hæreticum ex timore potius, quam ex errore: vt accidit Catholicis inter hæreticos degentibus, cum eorum conciones adeunt, carnes comedunt, &c. Tertius est, quando sperat sua admonitione, illum desertorum hæresim. 69.

In tertio genere sunt Clerici, qui aliquid testamento legant hæretico, ex cap. 5. & 6. De hæret. In quarto sunt Clerici qui administrant sacramenta hæreticis vel fautoribus ipsorum, ex cap. Excommunicamus 1. § Sane, De hæret. In quinto sunt illi qui eos tradunt Ecclesiasticæ sepulturæ & oblationes eorum percipiunt, de quo ibidem. In sexto genere sunt qui communicant cum hęreticis in sacramentis, id est, qui percipiunt ab illis sacramenta: quando scilicet ea administrant more hæretico: tunc enim moriendum potius est quã suscipere, cum id sit participare in eo quod auersatur oditque Deus, iuxta cap. Sic populus, & duobus sequentibus 1. quæst. 1. Secus vero si administrent sacramenta more Catholicorum. Nam secundum priuilegium Concilij Constantiensis licet ab eis Sacramẽta susci pere, quandiu non fuerint denunciati nominatim.

QVÆSTIO VII.

Num hæretici resipiscentes sint recipiendi, & quo modo recipi debeant.

QVemadmodum Deus nulli claudit viscera misericordiæ, sed omnibus aperit, iuxta illud Ierem. 3. Fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me & suscipiam te;] & illud Luc. 19. Filius hominis venit quærere & saluum facere quod perierat] & illud 1. ad Tim. 2. Vult omnes saluos fieri (quod etiam indicant parabolæ Luc. 15. De oue perdita & quæsita à bono pastore: & de prodigo amanter à patre recepto) ita Ecclesia sponsa Christi ei se conformans, nulli peccatori, ne quidem hæretico gremium claudit, sed obuiis ipsum vlnis recipit. Cumque possit recipere dupliciter: vno modo ad salutem animæ; altero modo ad salutem tam corporis quam animæ: priore modo omnes hæreticos vere resipiscentes suscipit: quia eis nunquam denegat sacramenta Ecclesiastica, ex cap. Super eo, De hæret. in 6. Posteriore autem modo, non debet semper suscipere, cum talis susceptio nonnunquam possit in perniciem communem cedere.

Modus autem quo recipiendi sunt hæretici duplex est: alter concernens omnes fideles: vt ipsi nunquam illis exprobrent suas hæreses, aut alia huiusmodi labe eos aspergant, iuxta illud Leuit. decimo nono. Si aduenam apud vos moratus fuerit, non exprobretis ei.] Alter concernens Iudices Ecclesiasticos, quibus incumbit hæreticos resipiscentes recipere. Qui adhuc est duplex, vnus in foro exteriori, magna ex parte pendens ex ipsorum recipientium, id est, Episcoporum vel Inquisitorum arbitrio. De quo videri possunt Alphons. Aluarez in suo thesauro Christianæ religionis cap. 53. & Alphons. à Castro in libr. primo. De iusta hæret. punitione cap. 24. Alter qui in foro interiori seruatur à Confessariis facultatem habentibus recipiendi hæreticos. Et consistit in quatuor. 70.

Primum enim hæreticus resipiscens ante omnia abiurare debet suam hæresim, iuxta cap. Si qui voluerit & cap. Saluberrimum 1. quæst. 7. Quæ abiuratio debet duo con- 71.

tinere:

tinere: alterum detestationem & anathematizationem sui erroris iuramento firmatam: alterum, promissionem, *iuramento etiam firmatam*, non relabendi in hæresim: sed retinendi illibate fidem Catholicam iuxta formam abiurationis quæ habetur 1. quæst. 7. cap. Quoties 1. in quo etiamsi videatur sermo esse tantum de Episcopis: à doctoribus tamen ad alios hæreticos extenditur, congruenter cap. Ego Berengarius De consecr. distinct. 2. fit vero talis abiuratio: tum vt hæretici ostendant se sincere, non autem ficte redire ad Ecclesiam: tum etiam ne ipsi facile relabantur.

Secundo facta abiuratione hæreticus debet prius absolui ab excommunicatione ob hæresim incursa, quam sacramentaliter ab ipsa hæresi, & ab alijs peccatis absoluatur: quia excommunicatio impedimentum est absolutionis sacramentalis, prout expositum est in fine præced. lib. 6. Debet tertio absolutio ipsa ab excommunicatione dari, quantum fieri potest secundum formam à iure præscriptã. Debet demum eidem hæretico imponi pœnitentia & satisfactio, & simul iniungi alia nonnulla. Vide antedicta in hbro nono cap. 4. Cæterum hæreticus absolutus ab excommunicatione, hæresi, & peccatis, manet adhuc subiectus alijs pœnis Ecclesiasticis: nempe irregularitati & inhabilitati ad officia & beneficia Ecclesiastica. Vnde si vult ab his liberari, debet petere dispensationem à Summo Pontifice: vel ab alio cui ille dispensandi potestatem commiserit.

CAP. V.

De Apostasia à fide.

SVMMARIVM.

72 *Definitio Apostasiæ, & quomodo hæc ab hæresi differat.*
73 *Apostata à fide subijcitur ijsdem pœnis quibus hæreticus.*
74 *Præter Apostasiam à fide constituuntur Apostasia ab ordine, & Apostasia à religione, cum quibus communicans in nomine non communicat in aliqua genérica ratione.*

DE Apostasia à fide mentio habetur 2. quæstion. 7. cap. Non potest & 11. quæst. 3. cap. Iulianus & 26. quæst. 7. cap. Non obseruetis & in Gregorij Decretalib. habetur titulus, De Apostatis, vt & in Iustiniani Codice: aguntque de ea D. Thomas & interpretes ipsius 2. 2. quæst. 12. ac Summularii in verbo Apostasia. Definiri autem potest, error hominis Christiani ex toto contrarius fidei Catholicæ.

72. In qua definitione pars illa, *ex toto*, Apostasiam ab hæresi (cui cæteræ conueniunt) distinguit: quæ distinctio an essentialis sit, duas diuersas species constituens: an tantum accidentalis, vt solummodo sit penes maius & minus: sicut rapina partis & rapina bonorum omnium; aliqua controuersia est: quam disputant Bannes ad art. 1. citatæ quæst. 12. & Gregorius à Valen. disp. 1. quæst. 11. puncto 1. ac Thomas Sanchez in opere morali libr. 2. cap. 7. num. 16. & 17. Sed nobis sufficit aduertere quod idem Gregorius notat; extra controuersiam esse debere, quod Apostasia moraliter loquendo, adeo ab hæresi differat vt necessario sit in confessione declaranda: non solum quia intra eamdem speciem multo grauior est, quam hæresis: sed etiam quia ordinarie includit aliquam aliam infidelitatis speciem: nempe Iudaismum, aut paganismum, ad quem Apostata se conuerterit. Nam duo in Apostasia notantur: vnum est quod Apostata penitus recedat à fide: alterum quod conuertatur ad aliquam sectam superstitiosam: quorum illud est essentiale Apostasiæ, cum absq; eo nec esse nec concipi possit; hoc vero accidentale tantum, cum possit aliquis fidem quam professus est omnino deseruisse, absque eo quod conuertatur ad sectam superstitiosam: quod ipse quoque Gregorius annotat in seq. q. 12. punct. 1.

73. Cæterum eædem pœnæ sunt decretæ Apostatis, quæ hæreticis, vt communiter notant Summularii in verbo Apostasia: & patet ex cap. Contra Christianos De hæretic. in 6. veruntamen cum triplex sit Apostata: vnus mente tantum & interior: alter exterior tantum & facto: tertius interior & exterior simul: sicut de hæretico dictum est, solus Apostata tertij generis incurrit tales pœnas, etiamsi Ecclesia ex fictione iuris & præsumptione, possit procedere contra Apostatas secundi generis, nisi se de eiusmodi crimine purgauerint.

Præter hanc Apostasiæ speciem duæ aliæ ponuntur: vna 74.
ab ordine, altera à religione, seu statu religioso: ponuntur inquam non quidem habita ratione communionis in aliquo genere, cum istæ non sint, vt illa species infidelitatis, sed habita ratione vocis. Dicitur enim Apostata ab ἀφίστημι, quod est retrocedere: atque vt ille qui primo fidelis fuit, recedens à fide ad paganismum vel Iudaismum, Apostata dicitur: sic etiam dicitur ille qui cum sit initiatus sacro ordine, ab eiusdem ordinis statu, authoritate propria recedit ad vitam omnino laicalem: vel ducendo vxorem vel assumendo statum repugnantem statui Clericali, vt censetur status militaris. Dicitur item ille qui à Religione quam solemniter vouit, recedit authoritate propria, ad vitam sæcularem. De quibus differere non est huius loci: licet Bannes 2. 2. quæst. 12. art. 1. eorum explicationem, explicationi eius de qua differimus coniungere voluerit: doctrinam notatu dignam adferens.

TRACTATVS II.

De Spe & ei contrariis.

SPEM fidei proxime subiungimus, eam charitati anteponentes ordine naturæ, quo prior est, cum possit sicut fides sine charitate esse, non item charitas sine ea: Ordine vero dignitatis eam præponentes cæteris, quas ad primum Decalogi præceptum pertinere diximus: quoniam est vna ex virtutibus Theologicis, omnium præstantissimis. Principio autem notandum est, nomen spei primo impositum esse ad significandam affectionem appetitus sentientis; ita affinem amori & desiderio, vt cum ille sit absolute inclinatio in bonum, & hoc inclinatio in bonum absens facile: spes sit inclinatio in bonum absens difficile: quod tamen obtineri possit. Non enim speramus bonum præsens, sed amamus: nec item speramus bonum facile absens; sed desideramus: & bonum impossibile non pertinet ad voluntatem.

Ex ea vero acceptione idipsum spei nomen translatum est ad eam de qua hic agere instituimus Theologicam virtutem, non sine ratione: quia vt spes appetitus sentientis, requirit primo, bonum sensibile apprehensum: secundo, bonum absens: tertio, difficile: quarto, possibile: quinto, vt appetitus ipse sentiens, quodam animi vigore, & impulsu feratur ad tale bonum consequendum, *ex D. Thom. 1. 2. quæst. 25. art. 1.* sic etiam proportione quadam spes quæ virtus est Theologica idem requirit. Nam fertur in bonum spiritale & æternum; *quod est Deus vitaque æterna*, per fidem apprehensum: illudque tum absens, tum etiam difficile (*quandoquidem arduum est consequi vitam æternam*) possibile tamen: vita enim æterna potest obtineri ex Dei gratia & misericordia, nostra cooperatione interueniente per bona opera: ac demum est cum quodam animi vigore, & impulsu. De ea autem sufficiet ad nostrum institutum explicare tum illius definitionem & præceptum: tum vitia opposita: quæ sunt desperatio illi opposita per defectum: & præsumptio eidem opposita per excessum.

CAP. VI.

De definitione & præcepto spei.

SVMMARIVM.

75 *Definitio spei cum explicatione.*
76 *Spei comparatio cum fide, & cum charitate.*
77 *Dari præceptum diuinum de spe, quod est affirmatiuum de se, & includit negatiuum.*
78 *Vt affirmatiuum est, pro quo tempore obliget.*

75. SPES Christiana definitur esse virtus infusa eaq; Theologica, per quam speramus à Deo vitam æternam, cum omnibus mediis ad eam consequendam necessarijs: ex Dei auxilio, gratia, & misericordia ac nostra cooperatione nobis prouenientem. Cuius definitionis 1. parte, quæ locum tenet generis, significatur id in quo spes communicat cum fide & charitate. Nam vt hæ, sic spes est virtus tum diuinitus infusa: seu donum Dei ab ipso infusum animis nostris, iuxta illud Ecclesiastici 24. Ego mater pulchræ dilectionis & timoris & sanctæ spei] & ad Rom. 15. Deus spei repleat vos omni gaudio] tum etiam Theologica, quoniam habet Deum tam pro obiecto (*Deum enim speramus quatenus est bonum nostrum*) quã pro fine: quia in Deum speramus, vt per ipsum & in ipso habituri nostram veram & completam beatitudinem.

Excludit autem tum spem acquisitam, qualem habent hæretici, qui vt fidem infusam, ita & spem infusam perdiderunt: tum spem humanam, quæ ponitur in homine; & præsumptionis potius quam veræ spei rationem habet: damnabilisque est, iuxta illud Psal. 145. Nolite confidere in principibus] ac illud Ierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, &c.]

Reliquæ partes definitionis, tenentes locum differentiæ, continent primo actum spei, qui est sperare. Secundo, proprium illius obiectum, quod est vita æterna: eaque tam materialis, *quæ est Deus, quatenus nostrum summum bonum*: quam formalis, quæ est beatifica visio Dei, per quam ipse possidendus est à nobis. Tertio, obiectum secundarium: cuiusmodi sunt media ad beatitudinem consequendam necessaria: tum supernaturalia, præsertim gratia gratum faciens, & remissio peccatorum: tum temporalia, quæ ad hanc vitam agendam dum peregrinamur à Domino, sunt necessaria.

Postremo per illud quod dicitur, *ex Dei auxilio, &c.* continet ea quibus fulcitur spes, vt sit certa & firma; fulcitur enim gratia, misericordia, & promissione diuina: itemque meritis tum Christi imprimis, tum Sanctorum ac etiam nostris tãquam causis minus principalibus & instrumentis. Atq; ex his intelligitur. Primo, spem esse virtutem voluntatis cum actus illius, inclinatio sit in beatitudinem. Namque inclinari in bonum, non est intellectus sed voluntatis. Secundo, supponere fidem in intellectu. Nisi enim quis credat beatitudinem esse diuino auxilio obtinendam, non vtique eam sperat.

76. Tertio, conuenire quidem cum fide & charitate in eo, quod sit virtus Theologica, seu quæ circa Deum tanquam obiectum versetur, sed ab eis multum differre: præsertim à fide, quæ est in intellectu: & est bonorum ac malorum; præsentium, præteritorum, ac futurorum: vniuersalium ac particularium, ad nos aut ad alios spectantium: cum spes de se sit tantum bonorum futurorũ & particularium ad nos spectantium. Atque fides sit prior spe: sicut mater, sua prole. Charitas autem vtraque posterior est origine, sed perfectione prior & durabilior: liquidem ex priori ad Corinth. c. 13. nunquam excidit:] ita vt perseueret in beatis in quibus fides & spes non inueniuntur, sed euacuantur per claram visionem plenamque fruitionem Dei.

PARS RELIQVA CAPITIS.

De præcepto spei.

77. EXtare præceptum diuinum de actu spei, patet per illud Psal. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ & sperate in Domino] & illud Psal. 61. Sperate in Domino omnis congregatio populi] ac demum per alia quibus passim spes in Deum nobis in sacris literis commendatur. Ratioque suadet, quia omnis actus ad salutem æternam nobis necessarius, positus est in præcepto. ex communi Theologorum axiomate, fundato in verbis Domini Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Sed sperare in Deo, actus est ad salutem necessarius, iuxta illud ad Rom. 8. Spe salui facti sumus. Vnde spes in Conc. Triden. *sess. 6. cap. 6.* constituitur dispositio necessaria ad iustificationem: & consequenter ad vitam æternam, quæ non habetur sine iustificatione. Itaque actus ille sperandi ex quo spem antea descripsimus, est in præcepto: eoque obligante sub mortali, cum detur de actu necessario ad æternam salutem. Est autem præceptum affirmatiuum, includens in se negatiuum de non desperando, neque præsumendo de misericordia Dei. Qua ex parte, *iuxta communem conditionem præceptorum negatiuorum*, obligat pro omni tempore: ita vt nunquam liceat desperare, aut præsumere de misericordia Dei.

Absolute autem ac secundum se, *pro conditione præcepti affirmatiui*, obligat tantum pro tempore quo necessitas exigit illud impleri: vt exigere censetur (inquiunt ad 2. 2. D. Thom. *quæst. 22. art. 1.* Bannes dubio 2. & Gregorius à Valentia disput. 2. *quæst. 4. puncto 1.*) per se quidem, cum aliquis infestatur grauiori aliqua tentatione desperationis: quia tunc maxime, necessarium est animum contrario motu spei confirmare. Per accidens vero, cum aliquis tenetur animum spe munire ad superandam tentationem aliquam in materia aliarum virtutum: iuxta monitum Apostoli cum ait ad Titum 2. Abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie iuste & pie viuamus in hoc sæculo expectantes beatam spem, &c. Aut cum instat obligatio aliquid agendi, ad quod spes requiritur tanquam medium necessarium, vt obligatio pœnitendi. Nam sine spe veniæ, pœnitere nemo potest vt patet ex dictis in præcedenti lib. 5. num. 38. 78.

Sed vt ijdem authores recte aiunt: non sperare, est peccatum idem cum eo quod committitur succumbendo tentationi: non item aliquod speciale. Vnde ipsum cum illo in confessione exprimere non est necesse, *quod etiam expressit Sanchez. in opere morali cap. 33. num. 3. in fine.* Ratio vero est: quia vsus spei in tali casu non requiritur per se, sed solum vt medium opportunum ad peccatum vitandum in materia alterius virtutis. Extra eos casus autem, vt quis se præceptum istud impleuisse tuto existimet, *inquit Bannes ibid. concl. 4.* sufficit vt actum spei aliquoties in anno exercuerit: sicut aliquoties orasse sufficit ad implendum præceptum de oratione: vel certe, *vt ait Gregor. à Valen.* studuerit subinde exercere se in sperando in Deum.

CAP. VII.

De vitijs oppositis spei.

PRIMA PARS CAPITIS.

De desperatione.

SVMMARIVM.

79 *Definitio desperationis.*
80 *Diuisio desperationis in puram & mixtam, quæ vtraque peccatum est grauissimum contra Spiritum sanctum.*
81 *Alia diuisio in mentalem, verbalem & realem.*
82 *Duæ adhuc aliæ: vna ex obiecto, & altera ex modis quibus contingit.*
83 *Desperationis causa, & effectus.*
84 *Solicitudo temporalium quædam bona, & quædam mala: & in quo ab ea differat thesauri zatio, ac quando hæc sit, vel non sit licita.*
85 *Præsumptio multis modis dicitur: & eo quo hic accipitur, duplex est.*
86 *De vtraque quando contingat.*
87 *De vtraque item quod tum pura, tum mixta, seu coniuncta cum errore in fide, esse possit.*
88 *Quodque vtraque peccatum sit mortale: pura tamen minus graue, quam mixta.*
89 *Præsumptio peccatum est minus desperatione: & documentum obseruandum in iudicando de ijsdem peccatis.*

DE desperatione agunt D. Thom. & interpretes ipsius 2. 2. quæst. 20. & Summularij in verbo Desperatio, atque alii: inter quos Viguerius in titulo De virtutibus Theologicis cap. 11. §. 1. eam definit esse diffidentiam 79.

de asse-

de assequenda beatitudine, propter defectum diuinæ gratiæ & meritorum propriorum: vt quando quis existimat se damnandum, eo quod non credat Deum misertum ipsius, ideoque non intendit conuerti. Ita ille & recte: quia motus desperationis est contrarius motui spei ante descriptæ; vnde vt sperare in materia proposita, est animo in beatitudinem tendere, tanquam in bonum arduum, quod possis diuina ope consequi: quodque proinde procures, & assequi euitaris: sic desperare est animo refugere eandem beatitudinem, tanquam bonum arduum, quod nequeas diuina ope consequi: & proinde signis reddaris ad illius procurationem.

80. Diuiditur autem desperatio primo ex forma in qua contingit: in puram & mixtam. Pura dicitur, quæ est absque vllo errore intellectus circa fidem, id est, absque hæresi, vel alia infidelitate. Mixta vero, quæ est coniuncta cum dicto errore: ita scilicet vt per eam fides & spes amittantur, cum per puram amittatur sola spes. Ad cognoscendum vero quando coniunctio ea contingat, examinandus est actus intellectus à quo desperatio ipsa procedit. Si enim contineat errorem contra fidem, amittitur etiam fides, & est duplex peccatum nempe desperationis & infidelitatis. Sin secus, manet fides, & est vnicum peccatum desperationis: vt v.g. si quis desperet, quia putat non esse æternam beatitudinem, vel non esse Deum qui potest: aut qui parcendo peccatis, vult eam dare: ita desperat, vt simul erret contra fidem. Non item is qui desperat, quod putet Deum non parciturum sibi: aut se nunquam bene facturum. Non enim est contra fidem putare & dicere Deus non parcet mihi, Ego bene, seu opera meritoria vitæ æternæ, nunquam faciam: cum de horum contrario non habeatur reuelatio diuina per Ecclesiam Catholicam proposita.

Porro vtraque illa desperatio peccatum est in Spiritum sanctum: *de quo Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 126.* Ac pura peccatum est quidem minus quam mixta: sed tamen, *vt D. Thomas in cit. quæst. 20. art. 3. recte ostendit*, grauissimum. Tum quia vni de virtutibus Theologicis omnium præstantissimis repugnat: tum quia perniciosissimum est: vtpote quo ablata spe salutis homo effrenate ruit in vitia, iuxta illud ad Ephes. 4. Desperantes tradiderunt semetipsos immunditiæ. Tum demum quia valde iniuriosum Deo: quia desperationis motus, conformis est falso iudicio de illo, quo indicatur non posse per ipsius misericordiam, quempiam obtinere salutem æternam. Quanquam est peccatum minus graue, quam infidelitas, & quam odium Dei. Ratio est, quia lædit Deum consideratum in ordine ad nos, seu prout à nobis in beatitudinem habendus est: cum infidelitas & odium Dei lædant ipsum secundum se: quoad attributa infallibilis veritatis, & summæ bonitatis.

81. Diuiditur secundo desperatio ex subiecto cui inest, in mentalem, quæ est tantum in voluntate: in verbalem quæ foras prorumpit in verba desperationis: vt Caim, Genesis 4. cum dixit, Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear] & in realem, quæ prorumpit in actum vel opus, qualis fuit Iudæ proditoris, qui desperãs laqueo se suspendit Matth. 27. & eorum qui dicunt Ierem. 18. Desperauimus, post cogitationes nostras ibimus & vnusquisq; prauitatem cordis sui mali faciemus] & eorum qui, *vt habet Apostolus ad Ephes. 4.* Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam. De quorum numero esse merito censentur, qui semper male viuunt, nec vnquam pœnitentiam agunt. De talibus enim cum Apost. ibid. vere dicimus: quod sicut gentes ambulent tenebris habentes obscuratum intellectum, alienatum à vita Dei, &c.

82. Diuiditur tertio ex obiecto circa quod versatur, in desperationem veniæ seu remissionis peccatorum, qualis fuit in Caimo & Iuda proditore: & in desperationem melioris vitæ, seu desistendi à vitiis, & gratiæ obtinendæ ad exercenda virtutum opera: qualis est multorum in vitijs enutritorum: & in desperationem gloriæ, vitæ ve æternæ consequendæ: qualis est impiorum, quæ describitur in cap. 2. libri sapientiæ.

Diuiditur quarto ex gradibus seu modis, quibus contingit in tale peccatum prolabi. Quorum primus est, nunquam considerare attente, ea quæ possunt hominem in spem æternæ salutis erigere: vt sunt diuinæ promissiones infallibiles, & adiumenta oblata à Deo. Secundus est, desperare de temporalibus & necessariis huius vitæ, nolendo se committere diuinæ prouidentiæ, nimiaque solicitudine occupando se in talibus bonis congerendis: contra quam faciendum esse non modo præcipit, sed etiam aperte ostendit Dominus noster Matth. 6. Tertius est, desistere à studio orandi, aut perseuerantia in oratione, eo quod nõ statim impetres quod petis, tanquam conducens ad salutem tuam: secus quam faciendum esse Dominus præcipit & ostendit duplici parabola apud D. Lucam cap. 11. Quartus est, desperare de venia & remissione peccatorum, quam nulli Deum in hac vita denegare, frequenter sacræ literæ indicant: vt tum alibi tum maxime in Psal. 76. vers. 8. 9. 10. Nunquid in æternum proiiciet &c. Isai. 49. vers. 15. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, &c.] & Iere. 3. Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & suscipiam te.] Ac demum Luc. 15. vbi tres parabolæ proponuntur ad declarandam in peccatores propensam Dei misericordiam. Quintus est, desperare de vitæ emendatione, ob rei difficultatem & nostram fragilitatem; quasi Dei gratia non sit multo potentior. Non est enim impossibile omne verbum apud Deum: qui dicit Isaiæ 1. Lauamini, mundi estote, &c. si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Sextus est, diffidere de æterna sua salute, abiecta illius spe; eo quod Deus (*vt accidit ei qui Luc. 19. pecuniam Domini seruauit absconditam in sudario*) concipiatur potius tanquam austerus & quasi tyrannus, quam vt pius pater.

SECVNDA PARS CAPITIS.

De causa & effectibus desperationis.

CAusa desperationis ex D. Thoma 2. 2. quæst. 20. art. 4. duplex est) *vt interim omittamus dæmonem, qui sæpe desperationem suggerit*) prior quidem acedia seu tristitia quædam deiiciens animum, & reddens segnem ac ineptum ad operandum: per eam enim dominantem in affectu hominis, inducitur torpor quidam auertens à salute procuranda: posterior vero est luxuria, cui qui deditus est, non audet aggredi opera dura, & aspera virtutum ac pœnitentiæ, quibus mereatur salutem æternam. 83.

Effectus desperationis est quoque duplex, vnus, nimia solicitudo rerum temporalium: alter, thesaurizatio seu aggregatio diuitiarum.

Circa priorem (*de quo sacri interpretes ad cap. 6. D. Matth. & Summularij in verbo Solicitudo*) notandum est solicitudinem temporalium, quandam esse laudabilem & quandam vituperabilem: laudabilis est enim, quæ suscipitur ex necessitate naturæ, seu ad procuranda vitæ necessaria; ne Deum tentemus, & vt otium fugiamus, ac virtutem exerceamus. Nam si talis esset illicita, non diceretur Genes. 2. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Nec in Prouerbiis cap. 6. vers. 6. piger mitteretur ad formicam, quæ æstate parat & congregat, quod in hyeme comedat. Laudabilis item est quæ suscipitur ex deuotione & charitate: vt illa de qua Luc. 10. Martha Martha solicita es.] & ad Rom. 12. Qui præest in solicitudine.] & 2. Corinth. 11. Solicitudo omnium ecclesiarum.] 84.

Vituperabilis autem est solicitudo superflua, & immoderata, quæ reprehenditur à Domino nostro Matth. 6. graueque peccatum esse ostendunt, sex (*quæ & ipsa per se peccata sunt*) in quibus ea cõsistit. Primum est, intentione voluntatis ferri in bona temporalia tanquam in finem, vitæque scopum. Id quod loco citato prohibet Dominus dicens, Nolite vobis thesaurizare super terram. Vbi est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Quibus verbis cum indicetur, talem solicitudinem cõtinere auersionem à Deo, cum conuersione ad creaturam, indicatur consequenter peccatum esse.

Secundum est, nimio studio quærere temporalia: ita vt spiritalia amittas propter ea. Id quod reprehendit Domi-

nus dicens. Primum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Tertium est, nimis timere ne temporalia deficiant, præsertim necessaria ad vitam: quem timorem Dominus repellit tribus argumentis. Primo, quod anima plus sit quã esca, & corpus plus quam vestimentum; quasi dicat, Deum qui animam & corpus nobis dedit, sine nostra anxia solicitudine; daturum esse nobis, siue eadem, victum & vestitum. Secundo, quod plantis & bestijs prouideatur sine tali solicitudine. Considerate, inquit, lilia agri, &c. Tertio, quod gentes talia inquirant: quasi dicat: Talem timorem prouenire ex defectu fidei, seu rectæ existimationis de prouidentia Dei.

Quartum est, non satis confidere de habendo auxilio diuino, ad obtinenda talia bona: cui obuiat Christus inquiens: Scit Pater vester, quia his omnib. indigetis. Quintum est, nimirum confidere suis viribus & industriæ ad talia consequenda. Id quod reprehendit Dominus inquiés: Quis vestrum potest ad staturam suam adijcere cubitum vnum. Sextum est, talem solicitudinem nimiam, protrahere in futurum; contra quod ait idem Dominus, Nolite soliciti esse in crastinum.

De thesaurizatione illud solum occurrit notandum, eam â solicitudine, de qua dictum est differre solum, quod sit superfluorum, cum illa sit necessariorum: & ideo dici superabundantem in posterum prouidentiam. Est autem illicita, *sicut & antedicta solicitudo* quando immoderata est, & prouenit ab affectu nimio & cupiditate diuitiarum; prohibeturque maxime per citata verba Domini nostri, Nolite vobis thesaurizare super terram. Licita est vero, cum prouenit ex affectu ordinato prouidendi suis in futurum: vt cum parentes thesaurizant suis filijs, vt eis relinquant patrimonium sufficiens ad statum suum fouendum, vel ad filias honesto matrimonio collocandas: quomodo Apost. in posteriori ad Corinth. cap. 12. ait parentes debere thesaurizare filijs. Licita est similiter cum prouenit ex affectu pietatis: vt si aliquis thesaurizet ad ædificandam Ecclesiam, vel monasterium, vel xenodochium, vel alium pium locum: vel vt pauperes alat, aut dotem pauperibus puellis suppeditet.

TERTIA PARS CAPITIS.

De præsumptione.

85. NOmen præsumptionis quadrupliciter accipitur. Primo pro robusta quadam spe: vt cum dicitur Iudith 6. Non derelinquis præsumentes de te.] Secundo, pro coniectura quadam: vt cum Sapientiæ 7. dicitur: Semper præsumit sæua, perturbata conscientia: sicque frequenter sumitur à Iurisperitis. Tertio, pro vitio per excessum opposito virtuti magnanimitatis: cum quis scilicet molitur & aggreditur ea quæ facultatem suam longe excedunt: de quo D. Thomas 2. 2. quæst. 130. Quarto, pro vitio virtuti spei contrario per excessum: quomodo post D. Thomam 2. 2. quæst. 21. de præsumptione in præsentiarum loquimur: vt nimirum est vitiũ, quo quis sperat à Deo aliquid, quod secundum legem ipsius ordinariam non est possibile. Distingui potest autem in illam, qua quis nimium confidit diuinæ misericordiæ: & in illam qua nimium confidit humanis viribus suis vel alienis.

86. Harum prior tunc contingit, cum aliquis sperat se consecuturum veniam peccatorum sine pœnitentia, & conuersione ad Deum; aut se quotiescumque libuerit etiamsi perseueret in peccato, eamdem pœnitentiam & conuersionem habiturum: aut se non excisurum à diuina gratia, nec puniendum quantuscumque peccator sit, aut demum se consecuturum vitam æternam sine vllis operibus meritoris. Hæc vt D. Thom. in cit. quæst. 21. art. 3. ostendit: non tantum opponitur spei, sed etiam timori Dei, *de quo postea*: illi tamen magis, quam huic: nascitur que ex superbia, qua quis reputat se dignum, cui Deus misericordiam præstet.

Posterior vero cõtingit, cum quis sperat beatitudinem, tanquam debitam suis naturalibus meritis: aut obtinendam suis viribus absque Dei gratia. Qua insania laborat, qui nihil curans de gratia Dei, sperat se beatitudinem consecuturum, quia doctus est, vel quia nobilis, aut potens in armis, aut diuitiis affluens, aut aliqua alia naturali dote præstat: & hæc opponitur per excessum virtuti magnanimitatis; sicut pusillanimitas per defectum: nascitur que ex inani gloria, vt D. Thom. docet in cit. q. 21. art. 4.

Vtraque adhuc potest esse vel pura, id est, absq; hæresi, 87.
vel alia infidelitate: vt in multis Catholicis male viuentibus: in quibus præsumentibus, iudicium intellectus inuenitur esse sine errore contra fidem: vel mixta id est, coniuncta cum hæresi aut alia infidelitate: cuiusmodi fuit in Pelagianis, qui præsumebant se saluandos viribus naturæ & solius liberi arbitrij. Huiusmodi est etiam Lutheranorum & Caluinianorum, qui præsumunt se saluandos sola fide, sine vllis bonis operibus & meritis.

Præsumptio autem mixta peccatum est longe grauius, 88.
quam pura: quanquam hæc quoque peccatum est mortale, tanquam notabiliter iniuriosa Deo, cuius prouidentiam & iustitiam lædit grauiter: estque de numero peccatorum quæ dicuntur esse contra Spiritum sanctum, vt videre est apud Nauarr. in Enchir. cap. 23. in fine: vnde nequissima dicitur Ecclesiastici 37. vers. 3. Nec in ea (vt nec in desperatione) datur excusatio ex materiæ paruitate: sed solum ex defectu deliberationis, vt aliis citatis Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 34. num. 7. sub finem bene notat. Et ratio est, quia læsio attributi diuini parua censeri nequit ex parte materiæ infinitæ totaliter. Cum autem, sicut prædictum est: duplex sit, vna de misericordia Dei, altera de viribus humanis: illa grauius peccatum est, quam hæc vt docet D. Thom. in eadem quæst. 21. art. 1. ad 1. Ratioque est quia illa facit Deum non iustum, vt qui in danda salute, nullam rationem habeat boni vel mali operis: hæc vero facit hominem maiorem quam sit. At minus malum est teipsum maiorem facere quam sis, quam Deum aliqua sua perfectione minuere. Vnde intelligitur grauius nunc esse in Lutheranis & Caluinianis peccatum præsumptionis, quam olim fuerit in Pelagianis.

Si quæras, an præsumptio sit peccatum maius desperatione. Respondet D. Thom. in sequenti art. 2. esse peccatum minus: quia minus est lædere Dei iustitiam, quod fit per præsumptionem: quam lædere misericordiam, quod fit per desperationem. Nam misereri semper & parcere, magis est Deo proprium propter infinitam suam bonitatem, quam punire. 89.

Cæterum iudicanti de his peccatis obseruandum est: de ratione quidem eorum esse conformitatem voluntatis cum aliquo falso intellectus iudicio, sed non esse necessarium (quod etiam admonet Gregor. à Valen. 2. 2. disput. 2. quæst. 3. puncto 1. & 2.) idipsum iudicium præcessisse actu, adeo vt possit quis desperatione peccare quantumuis nõ iudicet sibi impossibilem esse assecutionem beatitudinis, si voluntate beatitudinem ipsam perinde refugiat, ac si iudicaret impossibilem sibi esse illius assecutionem. Item possit peccare præsumptione is, qui quamuis non habeat iudicium falsum circa prouidentiam & iustitiam Dei in remunerandis bonis, & puniendis malis operibus: tamen voluntate sua in æternam salutem tendit, perinde ac si ea posset sine meritis & pœnitentia obtineri.

TRACTATVS III.

De charitate & ei contrarijs.

DE hac materia copiose D. Thomas 2. 2. à quæst. 23. ad 45. Ad nostrum autem institutum sufficiet hoc loco dicere aliquid. 1. De charitatis natura. Secundo, de illius dignitate, necessitate & præcepto. 3. De peccatis contrariis charitati in Deum. Quarto, de peccatis contrariis charitati in nos ipsos: & postremo de peccatis contrariis charitati in proximum.

CAP.

CAP. VIII.

De natura charitatis.

SVMMARIVM.

90 *Definitio charitatis.*
91 *Amor quidam est amicitiæ, & quidam concupiscentiæ: quodque a charitate proueniens, prioris modi sit.*
92 *Idem amor est mutuus, & in quo fundetur.*
93 *Amor Dei ob sua beneficia, aliquando bonus, aliquando malus.*
94 *Modus charitatis, & obiectum secundarium.*

90. CHaritas definiri potest virtus, qua in nobis diuinitus infusa, Deum propter se diligimus super omnia, & proximum sicut nosipsos. Cum autem dicitur *virtus infusa*, significatur id in quo charitas conuenit cum fide & spe: nimirum quod non nostro labore sed solo Dei munere habeatur à nobis, iuxta illud ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Illud vero quod subiungitur, *qua Deum propter se diligimus*, indicat tum primarium charitatis obiectum, quod est Deus, tanquam supernaturalis noster finis, per fidem à nobis cognitus in hac vita: per visionem vero, & fruitionem habendus in futura: tum etiam primarium charitatis actum, qui est amor quidam amicitiæ.

91. Quem aduerte, ab alio qui dicitur amor concupiscentiæ, esse in hoc diuersum, quod sit quo bonum seu perfectionem volumus amico propter seipsum: & amor concupiscentiæ sit, quo bonum volumus amico propter nos seu propter nostram vtilitatem. Itaque charitas est amicitia supernaturalis, qua Deo volumus bonum tam intrinsecum: complacendo nimirum nobis in ipsius perfectionibus, ac congaudendo quod illas habeat: quam extrinsecum; nempe optando vt ipse ab aliis cognoscatur, laudetur, benedicatur.

92. Iam cum verus amor amicitiæ requirat, tum vt mutuus sit ac reciprocus inter amicos: tum vt fundetur in aliquo vinculo & coniunctione; vt in affinitate, consanguinitate, sodalitate, aut alio huiusmodi: sicut per charitatem nos amamus Deum, ita vicissim amamur ab illo: eo quod creator pater, & dominus noster sit, nosque creaturæ, filij, & serui ipsius, participes consortesque futuri gloriæ cœlestis.

93. Sed aduerte, quod etsi diligere Deum propter beneficia ac emolumenta, quæ ab ipso accepimus, non sit actus charitatis de qua agimus: id tamen non esse malum, quâdo Deus propter se diligeretur à nobis, etiamsi nulla talia acciperemus. Alioqui enim Dauid in Psal. 118. non diceret: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. Quocirca talis dilectio tunc est peccatum, cum Deus ita diligitur, vt si talia non conferret, non diligeretur. Id enim est vltimum finem suum ponere in creatura, & ad eam referre creatorem, quod est peccatum mortale, quemadmodum aliis citatis expressit Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 35. num. 3.

94. Quod in definitione sequitur (*super omnia*) indicat modum charitatis, qui est diligere Deum plus cæteris rebus omnibus; illum scilicet eis præponendo, & eas illi postponendo iuxta verbum Domini Matth. 10. Qui amat patrem aut matrem pluspam me, nō est me dignus.] Quod vltimo loco ponitur, *& proximum sicut nosipsos* indicat secundarium ac minus principale obiectū charitatis: quod est tum nosmetipsi, tum proximus eo modo quo in sequen. cap. tradetur.

CAPVT IX.

De charitatis dignitate & necessitate ac præcepto.

SVMMARIVM.

95 *Charitas est virtus omnium dignissima.*
96 *Maxime necessaria ad salutem, & ideo vsus illius positus est in præcepto.*
97 *Quod datur de diligendo Deo super omnia.*
98 *Pro quo tempore obliget.*
99 *Obligatio ad dilectionem Dei naturalem, & obligatio ad dilectionem nostri, & proximi.*

CHaritatem virtutum omnium dignissimam esse a- 95.
perte constat ex sacra Scriptura cum dicitur Matth. 22. In his duobus mandatis, *intellige de dilectione Dei & dilectione proximi*, vniuersa lex pendet & Prophetæ.] & ad Roman. 13. Qui proximum diligit legem impleuit] & paulò post: Plenitudo legis est dilectio.] & 1. Corinth. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas tria hæc: maior autem horum est charitas. Idem etiam constat ex eo, quod charitas tanquam regina, imperet omnibus aliis virtutibus, earum actiones dirigens in Deum, finem nostrum vltimum supernaturalem, easque ex humanis reddens diuinas ac æternæ vitæ meritorias, dum nempe sua cooperatione facit, vt ex amore Dei prouenient, & exerceantur. Nam vt surculus boni & suauis fructus arbori agresti insitus facit vt ea similes fructus, ferat: ita charitas insita nostræ voluntati, facit vt ipsa producat actiones meritorias æternæ salutis; quod alioqui nullo modo fieri posset, vt patet ex cap. 13. prioris ad Corinth.

Vnde constat quanta sit illius necessitas: nimirum tan- 96.
ta, vt salus sine ea haberi nequeat, iuxta illud 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Constat consequenter actum illius positum esse in præcepto: quodquidem Deut. 6. Matt. 22. Mar. 12. & Lucæ 10. verbis quidem aliquantum diuersis, sed sensu eodem traditur, tres continens partes, vt notat D. August. *in lib. 1. de doctrina Christiana cap. 26.* vnam de dilectione Dei super omnia, alteram de ordinata nostri dilectione; & tertiam de dilectione proximi sicut nostri.

Notandum est autem circa primam partem, verba illa 97.
quibus continetur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. (quorum interpretatio videri potest apud D. Thomam 2. 2. quæst. 44. art. 5.) significare, Deum plusquam cætera omnia diligendum esse appretiatiue, seu prælatiue, id est, ita vt pluris fiat Deus, ac præferatur rebus omnibus: eique sic adhæreamus, vt malimus quantamcunque aliarum rerum iacturam pati, & quodcumque incommodum sentire: quam offendendo ipsum, ab amicitia ipsius excidere. Et ratio est, quia nullus alius amor potest proportionatus esse Deo qui vltimus noster finis, supremumque bonum nostrum est. Vnde licet colligere, in peccato mortali manentem, non posse satisfacere obligationi diligendi Deum ex Christiana charitate: vtpote qui obiectum sui peccati anteponens Deo, eum super omnia diligere censeri non potest.

Iam affirmatiuum quidem est præceptum istud; sed continens in se negatiuum: quia eo ipso, quod præcipit dilectionem Dei super omnia, prohibet tum eiusdem odium, tum etiam amorem quo creatura plus, aut æque ac ipse ametur.

Cum autem prout est præceptum affirmatiuum obliget 98.
tantum pro certo tempore; difficultas est, quodnam sit tempus illud, in quo mortaliter peccatur, si illud non impleatur. De qua re agentes Sotus in 1. De natura & gratia cap. 22. & in lib. 2. De iustitia & iure quæst. 3. artic. 10. & Nauarr. in Enchir. cap. 11. num. 7. & sequentib. & post vtrumque Gregorius à Valent. 2. 2. disput. 3. quæst. 19. puncto 1. plura constituunt tempora, in quibus præceptum istud obligat: sed quantumuis concedendum sit consilium saluberrimum esse, vt homo non solum temporibus illis sed etiam quotiescumque potest, exerceat prædictum charitatis actum nobilissimum: imo necessarium sit, vt animi præparatione & affectu semper sit ad illum paratus: probabile tamen videtur (cum non ratio illorum assignationem refutandi desit: vt videre est apud Thomam Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 35. numero 6. & tribus sequent.) quoniam talis obligatio est sub mortali, *vt ex citata authoritate D. Ioannis, & ex prædicta charitatis necessitate ad salutem, satis patet:* hominem ipsum non obligari ad actum dilectionis quem charitatis præceptum imponit, nisi cum exercitium illius necessarium est,

ad Dei honorem defendendum, qui alioqui periclitaretur, vel ad diuinam amicitiam habitam retinendam: vt censetur esse, quando alioqui succumberetur tentationi peccando mortaliter: aut ad amissam recuperandam eo tempore quo contritio eam requirens, posita est in præcepto, de quo dictum est in præced. lib. 5. cap. 2. sect. 4. Ratio vero esse potest, quod cum actus amoris liberrimus esse debeat, consentaneum sit existimare, Deum ea benignitate nobiscum agere, vt ad eum non obliget nos sub pœna grauissima peccati mortalis, nisi pro eo tempore quo necessarium est ad ipsius honorem alioqui periclitantem defendendum, aut ad habitam retinendam, vel amissam recuperandam ipsius amicitiam.

99. Sed aduerte ex Nauarr. in cit. cap. 11. num. 8. præter dictum Dei amorem qui debeat esse ex charitate non ficta 1. ad Timoth. 1. id est, esse Dei quatenus per fidem supernaturalem cognoscitur vt finis supernaturalis, & omnium bonorum supernaturalium author est supernaturalis. Aduerte inquam, dari alium naturalem inferiorem & imperfectum, quo Deum absolute amamus vt creatorem nostrum & gubernatorem, prouidentem nobis de necessariis, ac saluatorem nos eripientem à malis, conferentemque nobis multa beneficia. Ad hunc autem nos extra memorata tempora obligari, siue minus principaliter per præceptum de quo agimus; siue principaliter per naturale rationis dictamen: quo intimatur nobis talis obligatio. Quamquidem probabile est tunc demum sub mortali contingere, cum ex illius omissione, adest periculum peccandi mortaliter: vt cum præceptum aliquod diuinum vel humanum obligans sub mortali, mandandum est executioni: idque fieri nequit sine aliquo Dei amore. Nam extra eum casum omissio contraria, vix est cum notabili iniuria Dei, si contemptus aut alia mortalis circumstantia absit. Quanquam consultum est, vt notat Gregor. à Valen. in fine citati puncti primi; aliquando in cõfessione accusare se sub dubio si forte præceptum istud sit neglectum: sicut & de omissione aliorum præceptorum affirmatiuorum, de quibus non constat certo, quando obligent, & quando violentur: etiamsi absolute non teneamur confiteri de eo in quo nec scimus, neque ob aliquam peculiarem rationem dubitamus, nos peccasse.

Circa secundam partem propositi præcepti, notandum est cum D. August. loco cit. eo ipso, quod præcipit vt homo diligat proximum sicut seipsum, præsupponere quod debeat seipsum diligere. Notandum est vero, per talem suppositionem non præcipi homini vt diligat seipsum amore naturali (cum potius fræno quam calcari ad id indigeat) sed vt amore supernaturali, quo propter Deum supernaturalem suum finem, & ideo ordinate, amat seipsum.

Circa tertiam demum partem, notandum est in ea, nomine proximi intelligi, omnem eum qui nobiscum potest eiusdem beatitudinis particeps esse; vt potest omnis homo vitam hanc agens siue fidelis sit, siue infidelis: siue iustus siue peccator: siue amicus siue inimicus: cum dictum sit in priori ad Timoth. cap. 2. quod Deus velit omnes homines saluos fieri. Illi autem qui à iusto iudice Deo irreuocabiliter excluſi sunt ab æterna beatitudine, ex charitate amandi non sunt: quia consentaneum non est, vt iis quos Deus tanquam hostes habet, velimus beatitudinem, aut eos in ordine ad illam diligamus. Notandum item est amorem proximi ex charitate Christiana, debere esse propter Deum; illum enim amare alio intuitu, vt quia eiusdem nobiscum est naturæ, amicus, consanguineus, magister, sodalis, &c. amoris est naturalis.

CAP. I.

De peccatis contrariis charitati in Deum.

SVMMARIVM.

100 *Odium Dei sumitur tum generaliter, tum specialiter.*
101 *Hoc posteriore modo est peccatum contrarium charitati in Deum: & qualiter contingere possit.*
102 *Secundum peccatum eidem charitati contrarium est, tum diligere Deum propter aliud: tum diligere cætera omnia non propter Deum.*
103 *Tertium peccatum, magis aut æque diligere creaturam ac Deum.*
104 *Indirecte plus diligere creaturam, quam Deum, non est contra hoc præceptum.*

PRÆTER peccatum omissionis, quod committitur non eliciendo amorem Dei super omnia, quo tempore iuxta, antedicta præceptum illius obligat, sunt alia tria charitati erga Deum contraria: quorum primum est, cõtra substantiam amoris Dei; nempe odium Dei. De quo D. Thomas 2. 2. quæst 34. art. 2. Dupliciter autem sumitur odium Dei; vno modo generaliter & negatiue, prout opponitur charitati, quæ est generalis quædam conditio & modus omnium virtutum: hocque modo quicumque transgreditur aliquod præceptum peccando mortaliter, dicitur odio habere, seu non diligere Deum; prout dici posse, colligitur à contrario sensu, ex verbis illis Domini Ioan. 14. Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui me diligit. Item ex illis quæ paulo post ibid. habentur: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit. Atque odium istiusmodi non est speciale peccatum, sed circumstantia omnis peccati. 100.

Altero modo odium Dei sumitur specialiter & positiue, prout opponitur charitati quæ est specialis virtus; sicque in præsentiarum de eo agitur: & est peccatum omnium grauissimum ex D. Thoma loco citato; paterque ex eo, quod actui præstantissimo diuini amoris, ex diametro repugnet. Quanquam ex defectu plenæ deliberationis, ac cum fuerit actus surreptitius, non est peccatum plusquam veniale, vt nec cætera suo genere mortalia per tradita in præced. lib. 15. sub initium quarti capitis. Iam cum Deus possit duobus modis considerari: altero secundum se, & altero secundum suum effectum externum: nempe quatenus punit, infligitve pœnam: priore modo non potest odio haberi, ne quidem à dæmone, quoniam ea ratione est summum bonum, nihilque in se habet nisi bonum, quod obiectum est tantummodo amoris, & nullo modo odij. Posteriore modo vero, potest odio haberi à peruersa, & depraua voluntate: non vero à recta: sicut puer peruersus, non autem bonus, patrem odit quatenus ipsum corrigit ac punit. 101.

Secundum peccatum est contra modum amoris Dei (in hoc iuxta antedicta consistentem, vt Deus ipse propter se, & propter ipsum omnia diligantur) tum diligere Deum propter aliud, quod peccatum est grauissimum, vtpote quo creatura sic præfertur Deo, quod ipse non amaretur, nisi illa paranda videretur. In quo fit ipsi Deo summa iniuria, vt de se patet. Tum etiam diligere alia omnia propter aliud quam Deum: quod item est peccatum grauissimum, vtpote quo creatura constituitur rerum finis vltimus cum summa Creatoris iniuria. Vbi aduertendum est, quod etiamsi nunquam alius finis vltimus statui debeat quam Deus, non esse tamen semper malum creaturam sibi pro fine principali constituere: vt quando quis laborat principaliter pro mercede, habendo tamẽ Deum pro vltimo fine; aut mandata Dei obseruat propter retributionem: quod licere definit Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. in fine & cap. 16. & can. 26. & 31. per illud Psal. 118. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem:] & illud de Moyse dictum in cap. 11. Epist. ad Hebræos, Respiciebat in remunerationem.] Videndæ sunt regulæ iudicandi de peccatis ex fine quas tradidimus in præcedenti libro 6. cap. 2. & 3. 102.

Tertium peccatum, est contra generalitatem amoris Dei; nempe magis aut æque amare creaturam, ac Deum: hoc enim repugnat quantitati diuini amoris: qui postulat vt Deus super omnia diligatur. Quod locum habet tantum, quando quis Deum amat minus vel non plus, quam aliud comparatiue: vt cum siue actu, siue virtute: & siue expresse siue tacite (vt censetur is qui deliberate ad fruendum delitiis cupit perpetuo viuere in hoc mundo) gerit animum quo æque vel amplius æstimat vel amat aliud, 103.

quam

comparatione cum quacumque creatura, quam plus, aut æque æstimes, non est quidem malum: amor tamen imperfectus est: quoniam si non minus, saltem non plus ea ratione amatur Deus, quam amaretur creatura. Quæ doctrina est Nauarri in Ench. cap. 1. num. 11. & cap. 11. num. 8. & 15.

104. In quo tangit etiam (D. Thoma & Soto citatis) quod non est hic tacendum: indirecte creaturam plus diligere quam Deum, non esse contra hoc præceptum: quia id contingit omni peccanti mortaliter: qui quatenus vult aliquid contra Dei præceptum obligans ad mortale, censetur indirecte plus diligere illud, quam Deum: At non omnis peccans mortaliter, transgreditur hoc præceptum: alioqui enim quoties quis peccaret mortaliter, committeret duplex peccatum mortale: vnum contra istud, & alterum contra aliud præceptum: vt contra secundum Decalogi, si peieraret, & sic de aliis: quod nimis durum est.

CAPVT XI.

De peccatis contrariis charitati in nosmetipsos.

SVMMARIVM.

105 *Peccatum per excessum contra charitatem in nosmetipsos.*
106 *Peccatum per defectum contra eamdem.*
107 *De acedia, in quo consistat, & vnde oriatur.*
108 *Acedia peccatum est de se mortale, & quomodo veniale sit ex accidenti.*
109 *De sex filiabus Acediæ, quomodo vnaquæque earum sit peccatum, & quale.*

105. CONTRA charitatem seu amorem nostri ordinatū, peccare possumus, tum per excessum, tum per defectum: per excessum quidem cum nosipsos nimis amamus: quod tunc solum censetur de se mortale, tanquam destruens in nobis charitatem, cum per illud præferimus nos Deo; quod charitati repugnat: non autem cum præferimus nos proximo, quia post Deum in ordine charitatis secundus locus nobis datur. Hoc genere peccati iudicandus est contaminare se, qui pœnam inferni ita timet & præmium beatitudinis ita expectat à Deo, vt id ipsum quod timet vel sperat, Deo præferat: secum statuendo quod nollet obtemperare Deo, si tale malum non immineret, aut tale bonum non esset habendum.

106. Per defectum vero contra eamdem charitatem possumus peccare non diligendo nos satis: vt contingit cum salutem nostram siue temporalem siue spiritalem negligimus. Vt autem neglectus salutis temporalis peccatum sit mortale, tres conditiones requiruntur. Prima, vt malum quod inde prouenit negligenti sit graue: vt mors, mutilatio, morbus grauis & diuturnus. Secunda, vt idem negligens aduerterit, aut aduertisse debuerit tale malum, ex tali neglectu sequuturum. Vnde excusari possunt à mortali, qui ex gula comedunt nonnulla quæ mortem ipsis adferunt, cum mortifera esse nesciant ne teneantur scire; vt nec studere medicinæ. Tertia, vt non sit rationabilis causa cur is patiatur tale corporis detrimentum. De neglectu vero salutis spiritalis iudicandum est; tum per hoc documentum. Quod mortaliter peccet quisquis bonum temporale præfert æternæ suæ saluti; vel iis quæ sunt ad illam necessaria; vt est obseruatio præceptorum: tum per ea quæ traduntur de acedia capitali vitio, de qua pluribus quidem D. Thomas 2. 2. quæst. 35. sed sufficiet ad nostrum institutum sequentia notasse.

Notanda de Acedia.

107. PRimum est, quod acedia negligentiam quamdam importet, indicari tum ipso nomine quod Græcum est ἀκηδία, Latine sonans incuriam: tum etiam per illud quod ex D. Damasceno D. Thomas habet art. 1. eam esse quamdam tristitiam aggrauantem, sicque deprimentem hominis animum, vt ei nihil agere lubeat. Consistere autem in tristitia qua homini bonum suum spiritale displicet. Quod bonum, est tum beatitudo æterna, tum bona ad eam consequendam ordinata: vt charitas, opera virtutum, præcepta diuina, sacramenta & huiusmodi alia: adeo vt homo ipse quasi nolit, & fastidiat, se capacem esse talis boni, seque ad illud ordinari, atque rerum spiritalium velut nauseam patiatur. Quod quidem oritur ex duplici fonte: nempe ex nimio affectu, quo res temporales prosequitur: & ex auersione quam habet à laboribus & & curis, quibus spiritalia bona sunt comparanda. Quæ auersio sequi solet prædictum affectum, per quem perditur gustus bonorum spiritalium, eoque perdito diuina tanquam laboriosa auersari contingit.

Secundum est, acediam peccatum esse de se mortale: 108. quod D. Thomas in seq. art. 3. probat: tum per illud D. Pauli in 2. ad Cor. cap. 7. Tristitia sæculi mortem operatur: tum quia repugnat charitati danti vitam animæ. Cuius repugnantiæ manifestum argumentum est, quòd charitatis sit ad gaudium (ipsi acediæ omnino contrarium) nos inclinare. Etenim is qui ex charitate diligit se propter Deum, consequenter gaudet de bono diuino, per quod ipse ad Deum ordinatur. Quia igitur peccatū mortale est illud quo anima charitatē amittit, qua viuit Deo: sane acedia iudicanda est peccatum esse de se mortale.

Ex accidenti autem censebitur venialis. Tum quando plenus rationis cōsensus defuerit: vt solet, cum suboriuntur tristitiæ quædam internæ, quibus consensus plenus non adhibetur. Tum etiam quando materia censenda est hoc nomine leuis, quod homo non tristetur vere de bono diuino secundum se: sed secundum aliquam circumstantiam loci aut temporis: vt qui de ieiunio, quod certo die seruandum est, aut de concione quæ certo loco habenda est tristatur quidem, non tamen absolute tanquam nolens ieiunium esse, aut concionem, aliud ve ad salutem animæ conducens.

Tertium est, acediam constitui vitium capitale: cuius 109 sex sint filiæ, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor, & euagatio mentis: de quibus agit D. Thomas in cit. quæst. 35. art. 3. Nobis autem sufficiet notare cum Toleto in fine tractatus de septem peccatis mortalibus: malitiam esse, qua homo odio habet ipsa spiritalia bona in se, quaque vellet ea non esse: aut qua ipsum pœniteret beneficisse, & impleuisse quod tenebatur facere, aut etiam qua contemnit Dei beneficium, desiderando se non esse natum: aut non cognouisse Christum, &c. Hæcque est de se peccatum mortale, vtpote aperte contraria charitati, qua debemus diligere nosipsos propter Deum. Rancorem vero est, quo fastidit & auersatur quis eos homines (vt concionatores & religiosos viros) qui ad spiritalia amplectenda inducunt. Hunc non esse peccatum pluſquam veniale idem author ait: addita exceptione nisi coniungatur cum odio quo talibus hominibus notabile damnum optetur. Pusillanimitatem autem esse, quâ homo non audet quæ perfectionis sunt amplecti. Hæcque ob humanam infirmitatem qua fouetur, non videtur peccatum esse pluſquam veniale. De desperatione quid sit, & quale peccatum sit, satis constat ex secunda parte præcedentis capitis 7. Torporem porro esse, quo quis negligit suam salutem, omittens facere quæ ex præcepto tenetur. Quod cum sit contra charitatem, qua debet suam salutem æternam diligere, *dicente Domino Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*, dubium non est de se peccatum esse mortale. Euagationem denique mentis esse defectum attentionis, quæ in rebus spiritalibus exequendis adhibenda est. Quæ tunc censeri debet mortalis, cum notabilis est, & culpabilis: attentioque contraria requiritur ad impletionem præcepti obligantis sub mortali; prout requiritur ad implendum præceptum de recitandis horis Canonicis, & de celebranda vel audienda Missa.

CAPVT XII.

De peccatis contrariis charitati in proximum.

SVMMARIVM.

110 *Peccata charitati in proximum contraria.*
111 *In quo consistat schisma, & differat tum ab hæresi, tum ab inobedientia.*
112 *Duplex Ecclesiæ vnio, & nexus.*
113 *Schisma peccatum est grauissimum.*
114 *De odio proximi, quid sit, & quando non sit peccatum hinc velle malum.*
115 *Tenemur diligere inimicos, quatenus sunt homines.*
116 *Velle inimico malum, prout malum est, peccatum est de se mortale, contra præceptum de dilectione proximi.*
117 *Quando neganda sit absolutio iis, qui sentiunt motum odii.*
118 *Optare inimico aliquid oppositum æternæ suæ saluti, est de se mortale.*
119 *Qua ratione liceat optare inimico malum temporale, aut de ipsius bono temporali dolere.*
120 *Non licere pari ratione malum inimico inferre.*
121 *Non licere excludere ipsum, quando exercentur actus generales dilectionis, siue sint orationes, siue aliæ charitatis opera.*
122 *Vt ad amici, sic ad inimici dilectionem eliciendam tenemur tantum cum necessitas vrget.*
123 *Obligatio exhibendi inimico externa signa dilectionis.*
124 *Allocutio, & salutatio, & familiaritas quando negari possint inimico, & quomodo se gerere debeat Confessarius cum negante.*
125 *Quæ ratio habenda sit scandali in prædicta negatione signorum.*
126 *Quatenus talis negatio superioribus licita sit.*
127 *Definitio inuidiæ, quam separat primo ab ordinata tristitia de bono proximi, quæ contingit tribus modis.*
128 *Separat ab aliis tristitiis inordinatis.*
129 *Inuidia peccatum est mortale suo genere.*
130 *Filiæ inuidiæ.*
131 *Discordia quando sit, vel non sit peccatum contrarium paci, de qua D. Paulus dat præceptum.*
132 *Discordia quando sit contra charitatem, & quando sit peccatum mortale.*
133 *Quæ sit malitia contentionis posita in contrarietate iudiciorum.*
134 *Quæ sit posita in contrarietate verborum.*

110. CONTRA hanc charitatem peccata dantur, tum per excessum tum per defectum. Per excessum enim contra eam peccatur, cum quis ob amorem proximi facit aliquid contra Deum aut contra propriam salutem: cum non liceat pro salute etiam totius mundi peccatum vllum committere. Per defectum vero peccatur, tum contra publicum bonum multorum, per schisma: tum contra priuatum alicuius: idque tum interiore affectu per odium vel inuidiam, tum exteriore actu per scandalum & discordiam ex eaque prouenientem contentionem. De quibus cum D. Thoma, tanquam charitati contrariis, dicendum nobis est, omissis iis quæ ad scandalum spectant: de quo sufficienter ad nostrum institutum, iam dictum est in præcedenti lib. 14. parte priore capitis quarti.

De schismate.

SECTIO I.

111. DE hoc latius D. Thomas & interpretes ipsius 2. 2. quæst. 39. Consistit autem schisma, vt habetur ex Bulla Cœnæ Domini, in eo quod quis pertinaciter subtrahat se, ac recedat ab obedientia vniuersalis Ecclesiæ, vel Summi Pontificis, qui est caput illius. Ac plerumque habet adiunctam hæresim, sed non semper. Habet quidem cum oritur ex aliquo errore intellectus contrario fidei: qualis est quo creditur, nullam esse obligationē obediendi Ecclesiæ aut Summo Pontifici. Non habet vero, cum sine aliquo errore contra fidem, recedit quis ab Ecclesiæ & Summi Pontificis obedientia: per depraüatam voluntatem: sicque ab hæresi in eo differt, quod sit contra charitatem, & hæresis contra fidem: omnisque hæreticus sit quoque schismaticus, non contra. Semper vero coniunctam habet inobedientiam: ita vt omnis schismaticus sit inobediens: nō vero omnis inobediens sit schismaticus. Et ratio est, quia inobediens generaliter dicitur quicumque non seruat mandatum sui Superioris: cum schismaticus dicatur tantum ille qui per suam inobedientiam discindit Ecclesiæ vnionem & nexum, quem membra Ecclesiæ habent ad inuicem cum capite suo visibili Vicario Christi in terris.

Vbi aduerte Ecclesiam habere duplicem vnionem & 112.
nexum: vnum cum capite inuisibili Christo per fidem, spem, & charitatem, ac gratiam iustificantem: qui nexus quoad charitatem & gratiam iustificantem, dissoluitur per quodcumque peccatum mortale: quoad fidem vero & spem, per peccata illis contraria, de quibus dictum est in præcedentibus tractatibus.

Alterum vero nexum habere visibilem & externum; vtpote quem eiusdem Ecclesiæ membra visibilia habent inter se, & cum suo capite visibili Summo Pontifice, Christi in terris Vicario: isque dissoluitur per schisma. Sequitur autem ex dictis quod quis possit inobediens dici ratione vniuscuiusque Superioris, non item schismaticus (saltem proprie prout alijs citatis notat Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 36. num. 6.) sed solum ratione totius Ecclesiæ & visibilis capitis ipsius, Summi, inquam, Pontificis.

Porro schisma peccatum esse grauissimum, satis osten- 113.
dit pœna grauissima excōmunicationis reseruatæ in Bulla Cœnæ Domini qua punitur, etiamsi hæresim adiunctam non habeat: vt ex eo probatur, quod adiunctam habens, subiiciatur iisdem pœnis quibus hæresis ipsa: & ideo non esset ratio, cur in ipsa Bulla Cœnæ Domini, talis excommunicatio poneretur vt diuersa ab illa, quâ hæresis punitur. Vide dicta in præcedenti lib. 9. num. 258. & tribus sequentibus.

De odio proximi.

SECTIO II.

ODium proximi vocatur, quo malum ipsius desidera- 114.
tur: vt contingit maxime, cum ipse est inimicus, seu talis qui nos iniuste offenderit, aut odio prosecutus sit. Quanquam nec semper est peccatum, tali malum desiderare. Quando vero sit aut non sit, iudicandum est ex obligatione diligendi inimicos, de qua notanda sunt sequentia documenta.

Documenta de obligatione diligendi inimicos.

Primum est. Inimicus vt inimicus, seu quoad inimicitiam quam exercuit aut culpam quam commisit, diligendus non est: sed odio prosequendus. Istud est Caiet. in verbo Odium; Tabienæ, in verbo Charitas §. 12. & Sylu. eod. verbo, quæst. 4. Bannes 2. 2. q. 25. art. 9. in principio. Probatur autem, quia diligere hoc modo, esset diligere culpam, quæ potius habenda est odio; iuxta illud in cap. Odio, dist. 86. Odio habeantur peccata, non homines. Sic enim in Psal. 118. ait Dauid Iniquos odio habui] & Psal. 138. Perfecto odio oderam illos.] Hinc si quis in præsentia inimici recordatus iniuriæ acceptæ, commoueatur in illum; videndum est, an ea commotio sit doloris, quod ille iniuriam intulerit, quodq; ipse qui commouetur, eam passus sit: an vero voluntas ipsius vlterius progrediatur, ad malum alteri illi, ea de causa optandum. In priore casu enim, non est censendum committi mortale: cum talis commotio non sit odium proximi, etiamsi censeri possit peccatum veniale ex eo, quod locus passioni plus iusto sit. In posteriore autem casu (quia non licet ea de causa malum optare ei, qui diligi præcipitur expresse Matth. cap. 5. sub finem) committitur peccatum mortale, si malum quod optatur sit graue. Quinimo tanquam valde periculosus, modus prioris casus videtur vitandus: cum fa-

cile

cile ex eo deueniatur ad odium proximi, præsertim à viris parum timoratis.

115. Secundum documentum. Per præceptum de dilectione proximi, tenemur: diligere inimicos vt homines; hoc est, diligere homines eos qui nos oderunt, affeceruntve iniuria. Hoc patet: quia illi per hoc non desinunt esse nostri proximi, dum vitam hanc adhuc agunt, & ideo præcepto de proximo diligendo; perinde continentur ac quinto & septimo præceptis Decalogi, quæ in illo includuntur ex cap. 22. D. Matth. vers. 40. & ex Epist. ad Romanos cap. 13. versu 9. Ob quam causam non licet occidere ipsos, nec res ipsorum furari.

116. Tertium documentum. Odium inimici, quo quis optat ei aliquod malum, prout malum (seu, *quod idem est*, sistendo in ipso malo nec procedendo ad aliam rationem, ob quam iustum sit eundem inimicum tale quid pati) peccatum esse contra præceptum de dilectione proximi, vt de se patet: ideoque ex suo genere mortale, à quocumque exerceatur, nisi paruitas materiæ, *mali scilicet optati*, aut defectus plenæ deliberationis excuset. Ita solent docere Summularii in verbo Charitas, & in verbo Odium, & in verbo Vindicta. Ideo vero addimus, *A quocumque exerceatur*, ad comprehendendum eum etiam, qui etsi non est læsus ab alio, cum tamen prosequitur odió: quandoquidem in eo reuera aduersatur præcepto de proximi dilectione.

Indeque est, quod etiamsi Iudex alicui mortem iuste infligat, si tamen tale malum velit proximo, sistendo in eo, quod sit illi malum, eoque nomine, non autem alia iusta de causa, gaudendo: quantumuis nõ peccet contra iustitiam, peccat tamen mortaliter contra charitatem in proximum. Idemque dicendum est de eo, qui habet ius petendi in iudicio iustam pœnam pro iniuria ab alio accepta. Nam quamuis possit licite petere & desiderare vt infligatur illi pœna ea, quam iustum est ipsum pro delicto suo pati ad commune bonum: nimirum vt ea ratione alii à similibus criminibus reuocentur; aut ob alium iustum finẽ: nihilominus tale quid petere aut desiderare, sistendo in eo, vt est malum proximi, & sub ea ratione de eo gaudere, peccatum est mortale; non quidem contra iustitiam, sed contra charitatem in proximum.

117. Quo sit vt periculosum sit prosequi lites & actiones iniuriarum: ita vt ordinarie suadendum sit desistere ab eis: & Confessarij dum agunt cum illis qui tales causas persequuntur, examinare debeant, quo illi animo id faciant: nec illos absoluere, si inueniantur prauam, iuxta antedicta, habere voluntatem, nisi eam deponant moniti: cum non satis sit ore dicere, quod solum quærant iustam satisfactionem, aut inimici emendationem, aliorumque bonum exemplum: sed opus adhuc sit vt sentiant à voluntate sua omnino abesse prædictum affectum prauum. Aduerte autem motum odij in parte sensitiua, sine consensu voluntatis, non impedire absolutionem: nec item inclinationem voluntatis ad odium ex recordatione iniuriæ, si consensus desit. De qua re nonnunquam expedit docere Pœnitentem, ne per conscientiam erroneam delinquat: cauendo interea ne forte ille non satis capiendo quod ei dicitur, concipiat opinionem, qua putet licere aliquid in hac parte, quod reuera est illicitum.

118. Quartum documentum. Mortale est contra proximi charitatem, absolute velle inimicis carentiam beatitudinis, vel gratiæ, lapsum in peccatum, pœnas æternas, vel huiusmodi alia, quæ pugnant cum beatitudine & mediis ad eam necessariis. Hoc communiter receptum est. Et patet: quia cum teneamur proximos ex charitate diligere, potissimum in ordine ad beatitudinem (iuxta antedicta in fine capitis noni) contra talem obligationem directe est, proximis ipsis velle mala eidem beatitudini opposita: & per consequens peccatum est contra charitatem, adeoque mortale ex suo genere, iuxta ante habita in eodem cap. 9. Ideo autem in hoc documento additum est, *absolute*, quia si ex suppositione aliquis non est conuertendus, sed additurus peccata peccatis, ac futurus aliis nociuus; velle ex eo respectu, vt ad infernum citius eat, nõ est illius odium, cum id sit optare bonum ipsius priuatum, ne scilicet grauius puniatur.

Quintum documentum. Sæpenumero licet non solum inimicis sed etiam aliis peruersis hominibus velle malum temporale etiam mortis: & de ipsorum prosperitate dolere intuitu boni finis. Inferre autem illis malum, nunquam licet, nisi peculiari ratione ad id ius, vel facultas habeatur. Hoc quoad priorem partem, patet in tribus casibus. Primus est, quando tale quid volumus ob publicum bonũ multorum, sic enim licet mortem optare hæresiarchæ, iuxta illud ad Galatas cap. 5. Vtinam abscindantur qui vos conturbant.] Secundus est, quando quis tale quid vult ob spirituale bonum illius cui vult, iuxta illud Psalm. 82. Imple facies eorum ignominia & quærent nomen tuum Domine.] Tertius, quando vult non ex odio, sed ex zelo iustitiæ, id est, quia desiderat iustitiam seruari: iuxta illud Psalm. 57. Lætabitur iustus cum viderit vindictam.] 119.

Quod attinet ad partem posteriorem ea probatur: quia ne quidem iusta, & ad quam ius habet, vindicta propriæ iniuriæ licita est, nisi fiat authoritate publica. Multo minus igitur cuiquam licitum erit malum inferre proximo, cum nullum ius habuerit ad inferendum. Nec obstat quod ex antedictis liceat temporale malum proximi optare ob ipsius bonum spirituale. Nam non valet hæc consequentia; licitum est optare proximis aliquod malum: Ergo licitum est eis illud inferre; sæpe enim fit, vt in illationem mali sit iniustitia, in cuius desiderio est charitas. Neque si licitum sit malum optare proximis ad bonum finem, licet optare vt illud quauis viâ adueniat, sed solum via licita. Quod si illicita via aduenire contingat; licitum est quidem gaudere de ipso effectu, quem licite optauimus, non autem de via qua aduenit. Atque hinc intelligitur, quod si quis cognosceret alicui ad salutem spiritalem, vitæque æternæ consecutionem maxime conferre, vt ipse per iustam Iudicis sententiam morte violenta plectatur, aut naturali morte cito de medio tollatur: vel incurrat in aliquod graue infortunium: liceret id optare illi: imo & eo respectu id petere à Deo: non solum cum fuerit sceleratus, sed etiam cum iustus: vt si infans baptizatus capiatur ab infidelibus; verendumque sit ne ab illis peruertatur; licet mortem ipsius, antequam ad vsum rationis perueniat, optare ei sub conditione saltem, ne peruertatur; nam in eo non peccatur contra præceptum de dilectione proximi: quia id non est velle ipsius malum, sed maius ipsius bonum. De plurimis aliis similibus casibus idem iudicandum est: vt de eo, quo quis sibi aut filiis optat, & petit à Deo mortem sub conditione si futuri sint mali, & peruersi. 120.

Sextum documentum. Præcepto de dilectione proximi, non solum tenemur nolle malum eidem proximo iuxta antedicta; sed etiam quoties elicimus in genere actum dilectionis proximi, tenemur non excludere inimicos: adeo vt talis exclusio peccatum sit suo genere mortale, vtpote contrarium charitati. Istud est D. Thomæ 2. 2. quæst. 25. art. 8. Ex quo intelligitur peccatum esse mortale, si quis in oratione Dominica dicendo; Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; mente, ab ea petitione excluderet inimicos, aut offerendo orationem aliquam pro Christianis in communi, excluderet Christianos sibi inimicos: aut si pro communitate aliqua, excluderet aliquem de ea sibi inimicum. 121.

Attamen si quis oraret pro solis amicis, non quidem in odium inimicorum, sed ductus affectu particulari amicitiæ; tunc quia in illo genere hominum inimici non continentur, non peccaret non orando pro eis. Aduerte autem documentum hoc intelligendum esse, quando non est licitum optare inimico oppositũ eius quod petimus. Si enim oraret quis pro vinctis vt è carcere liberentur, & esset inter eos inimicus, quem iuste optat non liberari, sed suspendi, non erit illicitum ab ea vniuersali petitione illum excipere sub ea conditione, qua licet mortem ei optare.

Quod autem dictum est de orante, pari ratione dicendum est de legante; nempe quod si quis legans aliquid alicui communitati intuitu comunitatis, excludat à parti-

cipatio-

cipatione talis legati aliquem de ea sibi inimicum; peccet contra præceptum de dilectione proximi: non autem si leget intuitu particularium personarum, quæ sint de eadem communitate. Nam omittens inimicos, vt non peccat contra iustitiam quia illis non tollit suum: ita nec contra charitatem: quæ non læditur ex eo, quod volens liberalitatem exercere in aliquos de tali communitate non velit in omnes: eo maxime nomine quod sint indigni, vt censeri solent inimici. Hæc doctrina est Abulensis ad cap. 5. D. Matth. quæst. 348.

Cui adde in vsu fori pœnitentialis reuocandos esse homines, etiam à posterioris modi exclusione inimicorum, cum sit contraria Christi consilio, Benefacite iis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos] sitque valde periculosa ac sæpe procedat ab odio mortali, quo inimicis inferrentur maiora mala, si potestas adesset. Atque vt plurimum talis exclusio possit scandalum generare, ac tanquam de se apta ad inimicos exacerbandos, incitet ad odium prouocetque ad iram. Ex quibus tanquam occasionibus peccandi mortaliter, interdum moueri potest Confessarius ad negandam absolutionem nolenti abstinere ab eiusmodi exclusione.

122. Septimum documentum: secluso tempore necessitatis, non tenemur de præcepto (etsi consilii sit & perfectionis) actu elicito inimicos peculiariter diligere, aut eis benefacere. Hoc probatur: quia non plus tenemur diligere inimicos, quam amicos: vt enim hos, sic & illos diligere tenemur tantum ex generali præcepto de dilectione proximi. Extra articulum autem necessitatis non tenemur ex eo præcepto elicere actum dilectionis amici, vel ei benefacere: quia cum sit præceptum affirmatiuum, obligat tantum pro tempore necessitatis proximi tantæ, vt ipsa requirat illius adimpletionem. Quanta vero esse debeat talis necessitas; vt omissio eiusdem præcepti peccatum mortale censeatur, intelligendum est ex iis, quæ de eleemosyna tradita sunt in præcedenti lib. 4. cap. 20.

123. Octauum documentum. Tenemur inimicos diligere non tantum interiore affectu, iuxta antedicta; sed etiam exteriore effectu, per quem exhibeamus signũ sufficiens talis affectus. Istud habet D. Thom. 2. 2. quæst. 25. art. 9. & confirmat per illud Prouerb. 25. Si inimicus tuus esurierit, ciba illum.] Notandum est autem signa dilectionis duplicia esse: quædam generalia, quorum rationes & causæ inueniuntur tam in amico, quam in inimico: vt inter pares resalutare salutantem: quædam vero specialia, quorum rationes & causæ sunt in amico, non item in inimico: vt familiaris conuersatio, conuictus, &c. Atq; signa prioris generis non posse denegari sine peccato contra præceptum dilectionis proximi prout patet ex præced. documento 6. Nam à proximi dilectione in communi, excluderetur inimicus. Signa vero posterioris generis non esse necessario exhibenda inimico, nisi ratione alicuius causæ adiunctæ: vt si daretur alioqui scandalum, puta quia cæteri putarent inimicitiam in corde foueri: vel si vrgeret necessitas; seu quia proximus pateretur necessitatem aliquam siue corporalem, siue spiritalem, quæ requirat eiusmodi signum.

Hinc collige pro praxi, interdum peccatum esse mortale, nolle ostendere inimico signa particularia dilectionis; vt quando speraretur inde emendatio ipsius. interdum vero peccatum mortale esse talia signa ostendere: vt cum putatur inde maiore odio inflammandus idem inimicus. Extra casus vero scandali & propositæ necessitatis, idipsum de se nullum peccatum esse: vtpote tantummodo positum in consilio.

124. Atque hinc sequitur illud quod tradunt Nauarr. in Enchir. cap. 14. num. 25. Sylu. verbo Charitas quæst. 6. Caiet. 2. 2. quæst. 25. ad art. 8. & 9. sub finem; nempe nos non teneri (quamuis consilium seu perfectionis) colloqui familiariter cum inimico, & multo minus ei cõniuere, vel eum aliter admittere ad familiaritatem, etiamsi antea familiaris fuerit; præcipue, *vt Nauarr. addit*, cum non vult satisfacere iniuriæ quam intulit. Ratio horum est, quod ille non patiatur talium necessitatem, & præceptum de dilectione proximi obliget solum pro tempore necessitatis. Sicut igitur possumus amicis talia negare: quia ex liberalitate, non ex necessitate, illis ea exhibemus ita etiam negare possumus inimicis.

Qua de causa, *inquiunt illi*, quando non constiterit de necessitate talia exhibendi, non licebit absolutionem sacramentalem denegare recusanti ea exhibere: etiamsi Confessarius debeat nihilominus prius examinare diligenter, an id ex odio mortali prouenerit; serioque Pœnitentem admonere, quod si odium retineat, non modo non valeat ei absolutio, sed acceptione illius constitui in deteriore statu. Neque facile credendum est dicenti, quod odium non retineat, nolens exhibere signa dilectionis, si vsque ad illud tempus odium ipsum fouerit, nec se emendauerit per præcedentem confessionem: aut ea de causa confessionem distulerit, nec vllam sufficientem adferat rationem cur melius sit à talium signorum exhibitione abstinere, quam ea exhibere: nihilq; eo moueatur, quod Christus, *ad cuius Tribunal se fistit*, tantopere nobis commendauerit inimicorum dilectionem; non tantum in affectu interno, sed etiam in effectu externo. Benefacite, *inquit Matth. 5.* iis qui oderunt vos, &c.]

Adde magnam rationem esse habẽdam scandali quod ille teneatur vitare. Si enim ipsum tale sit, quod prudentis arbitrio (*spectatis circumstantiis, & iis quæ de scandalo tradi solent*) aliter vitare nequeat quam inimico signa dilectionis exhibendo, recusans exhibere non esset absoluendus. Non est vero existimãdum oriri scandalum eo ipso, quod quis eam familiaritatem non habeat cum aliquo, quam ante inimicitiam habuit, dummodo eum salutet nec alloqui recuset. Nam ad illam non tenetur, & allocutio ac salutatio satis indicant odium non perseuerare. Item si quis ante inimicitiam non alloquebatur, nec salutabat inimicum, non erit exigendum ab eo, vt post inimicitiam eum alloquatur & saluter; sed satis est, vt si vel inimicus ipse, vel alij putent odium in ipso manere, tollat eiusmodi existimationem, siue per se, siue per alium affirmando contrarium, etiam iurando, si opus sit. 125.

Porro qui passus est iniuriam videtur satis obuiare scãdalo, si manifeste ostendat se paratum esse ad mutuum colloquium. Consentaneum est enim, vt is qui intulit, cogatur incipere. Cui petenti veniam, non tenetur quidem concedere remissionem satisfactionis faciendæ pro illa iniuria. *vt notant Syluest. & Tabienses in verbo Charitas; ille quæst. 6. & hic §. 14. ac Nauarr. in Enchir. cap. 14. num. 25.* tenetur tamen deponere odium, simulque ostendere quod deposuerit; alioqui enim daret scandalum; de qua re Bannes 2. 2. quæst. 25. *art. 9. dub. 4.*

Restat monendum, nonnullis, *vt magnis Prælatis, & Principibus*, in pœnam subditorum delinquentium, & in exemplum aliorum, licitum esse illos non alloqui quantum temporis iuxta cõcurrentes circumstantias videretur expedire, ad bonum & pœnam ipsorum, atque aliorum exemplum. Pro quo facit exemplum Dauidis, qui 2. Regum 14. licet concesserit Absalonem filium reuerti in Ierusalem; addidit tamen, Faciem meam non videat.] nec per duos annos est ipsum allocutus. Non existiment tamen propterea Superiores licere sibi odio habere subditos delinquentes, & huiusmodi pœnas quantum voluerint extendere. Nam si tale odium retineant, absoluendi non sunt: nec item si ex austeritate nimia, nimio temporis spatio alloqui nolint, ita vt aliorum scandalum inde oriatur, existimando foueri odium. 126.

De Inuidia.

Sectio III.

De hac tanquã dilectioni proximi contraria D. Thomas agit 2. 2. quæst. 36. Definiri autem potest tristitia inordinata de bono proximi, vt est excellentiæ propriæ diminutiuum. Cuius definitionis prior pars, à ratione inuidiæ excludit tristitiam ordinatam de bono proximi, ad quam sæpe charitas vel iustitia inclinat; qualis tristitia censetur primo, quæ ideo concipitur, quod timeamus occasione boni, quod quis consecutus est, prouenturum esse malum: vt quod electus in Iudicem, occasione acceptæ 127.

pote-

poteſtatis probabiliter commiſſurus ſit multas iniuſtitias. Dico *probabiliter*, quia non ſufficeret leuis ſuſpicio ad excuſandam inordinationem. Dico etiam *iniuſtitias*: quia inordinata eſſet triſtitia de tali electione concepta, eo quod electus iuſtis pœnis caſtigaturus ſit ſontes. Qua in re pro regula teneri poteſt, Tunc triſtitiam cenſendam ordinatam, cum eſt ob cauſam, ob quam proximus licite priuaretur tali bono, non alias.

Cenſetur ſecundo ordinata triſtitia, quæ concipitur de bono proximi; non quia in illo eſt, ſed quia in nobis non eſt; optando nobis illud in debitum finem: vt cum video agentem pœnitentiam, deuotum ac religioſum, & triſtor; non quod ipſe talis ſit, ſed quod ego non ſim. Hæcq; eſt illa ſancta æmulatio, quam D. Paulus nobis commendat, inquiens in priori ad Corinth. cap. 12. Æmulamini chariſmata meliora.] & cap. 14. Sectamini charitatem, æmulamini ſpiritualia.] Item non habens vnde poſſit familiam alere, & videns alios ſibi æquales habere, ſi triſtetur quod tali commoditate careat, non eſt de ſe malum.

Conſeri tertio poteſt ordinata triſtitia quæ eſt ob bonum aliquem finem, de alicuius temporali bono, cuius is indignus eſt arbitrio prudentis, expendentis concurrentes circunſtãtias. Quod ſi bonus finis deſit, peccatũ erit; non tamen mortale: niſi eo prorumpat, vt Deus arguatur iniuſtitiæ, tanquã male diſtribuens bona: quod eſt blaſphemia grauiſſima. Et ratio eſt: quia temporalium bonitas adeo exigua eſt, vt pro nulla pene reputetur, vide Caiet. ad art. 2. citatæ quæſt. 36.

128. Poſterior pars definitionis ſeparat inuidiam ab alijs inordinatis triſtitijs de bono proximi quales ſunt antedictis ordinatis oppoſitæ triſtitiæ de bono ipſo proximi, prout ipſe eſt bene vſurus illo: aut ſimpliciter prout illud in ipſo eſt, etiamſi illo dignus ſit. Simul etiam indicat eadem pars, ad inuidiæ rationem ſpectare, vt ex ea tanquam ex cauſa & motiuo proueniat, quod nobis videatur excellentiam noſtram minui per alterius bonum: vnde contingat, vt is qui eſt nobis æqualis efficiatur maior. Ad quod facit quod ordinarie inuidia contingat inter æquales, aut eos qui fere æquales reputantur.

129. Iam inuidiam peccatum eſſe ſuo genere mortale poſt D. Thomam Nauarr. in Enchir. cap. 23. num 118. probat; quia eſt contra charitatem inclinantem ad gaudendum de quolibet bono proximi prout eſt ei bonum. Ex accidenti vero peccatum erit tantum veniale; tum quando plenus conſenſus voluntatis defuerit: vt in ſubitis, & fere naturalibus motibus, quibus homo triſtatur de bono proximi ſibi æqualis: tum quando bonum proximi de quo quis triſtatur, leue eſt: vt accidit pueris, qui in leuibus ſolent ſuis ſocijs inuidere.

130. Inter peccata autem capitalia numeratur inuidia eo quod pariat quinq; alia, prout D. Thomas in cit. quæſt. 36. art. 4. declarat. Primum eſt, odiũ proximi de quo in præcedenti ſect. ſecundum, ſuſurratio, per quam occulte, tertium detractio, per quam manifeſte, proximo bona fama aufertur, de quibus dicendum eſt ſuo loco in ſequenti lib. 24. quartum eſt gaudium in aduerſis proximi: quintũ afflictio in proſperis eiuſdem: volendo ea non accidere, deſiderando aut etiam conando ea impedire; quod vtrumq; peccatum, eſt mortale, eadem ratione qua ipſa inuidia: cum qua ſic conueniunt, vt vel idem ſint vel cum ea coincidere cenſeantur: vel certe ei arctiſſime coniungi, iuxta doctrinam D. Thomæ in fine citati art. quarti.

De diſcordia & contentione.

SECTIO IV.

131. EX charitate in proximum animos coniungente, naſcitur pax, de qua D. Paulus dat præceptum, inquiens ad Rom. 12. Quod in vobis eſt cum omnibus hominibus pacem habentes] & in 2. ad Corinth. 13. Idem ſapite, pacem habete.] Quod quidem præceptum prout affirmatiuum eſt, iniungit primario conſenſionem voluntatum; ſecundario vero, conſenſionem iudiciorum, ſermonum & actionum. Prout autem includit negatiuum, prohibet diſcordiam malam, tunc contingentem, cum quis voluntate ſua diſcordat à voluntate alterius, cui conſentire deberet.

Vbi aduerte, quod quando quis ratione mouetur ad volendum ſuum commodum nec in eo infert alteri iniuriam, nec per ſe vult incommodum ipſius, diſcordando ab eo non peccare ſi bonum finem ſibi proponat, nec nocendi intentionem habeat. Ad diuerſa vero vitia pertinere poteſt mala diſcordia: Nam quia ex lege obedientiæ ſubditus tenetur voluntatem ſuam conformare cum voluntate Superioris: ſi diſcordet, peccat immediate contra obedientiam. Similiter debitor quando tenetur ex iuſtitia conſentire cum creditore, diſcordans peccat proxime contra iuſtitiam; & ſic de alijs.

Contra charitatem vero ſpecialiter erit diſcordia, quando obligatio concordandi cum proximo, fuerit ex ſolo vinculo charitatis: vt ſi proximus vult bonum aliquod obtinere ſibi neceſſarium aut valde vtile, & ego ſine rationabili cauſa velim ac deſiderem illum impedire. Tale quid enim, cum de ſe ſit ſufficiens ad diſſoluendam amicitiam, etiamſi nullum damnum inferat, repugnat charitati. Cæterum quando diſcordia oritur, *v ſæpe fit*, ex odio vel inuidia, induit eiuſmodi cauſæ malitiam, quæ eſt ſuo genere mortalis. Orta vero ex ſola animi libidine, conſulendo propriæ vtilitati aut voluptati, nec intendendo alterius detrimentum, poteſt à mortali excuſari: quia ſicut non teneor ſub mortali ſubuenire proximo extra grauem neceſſitatẽ ipſius: ita nec teneor cum voluntate ipſius conſentire, nec ab ea diſcordare, niſi is inde conſtituatur in aliqua graui neceſſitate. 132.

Iam ex diſcordia contentio oritur, quæ mala eſt pro eiuſdem malitia. Contingit autem in contrarietate iudiciorum, & verborum. Ac de contrarietate iudiciorum, notandum eſt primo, eam non eſſe intrinſece malam: quia cum veritas non ſit ſemper manifeſta hominibus licet eis ex probabilibus rationibus contraria iudicare. Secundo, eam eſſe malam, & ad hæreſim ſpectare, ſi cõtendatur animo contradicendi iis quæ ſunt de fide tenenda. Tertio, malã eſſe, quando contendendo, iudicatur temere, & ſine ſufficienti conſideratione. De cuius malitiæ grauitate iudicandum eſt ex periculo docendi falſum, dandiq; occaſionem labendi in peccatum, aut incurrendi in aliud incommodum. Quarto, eam ſpecialiter eſſe contra charitatẽ, cum quis directe & ex intentione vult aliquid iudicare, vt alteri cõtradicat: qua ratione malam quoq; eſſe, dubium non eſt: cum tale quid irrationabile ſit, ac contrarium coniunctioni animorum, in qua conſiſtit amicitia, ex charitate naſcens. Quanquam quia non eſt de ſe grauis læſio charitatis, videri poteſt nec eſſe de ſe peccatum plus quam veniale. 133.

De contentione autem in verbis; notandum, eſt primo, non eſſe malam ſi diſputationis gratia vſurpetur & modus ſeruetur: vſitata eſt enim in ſcholis nemine reprobante. Secundo, nec malam eſſe ſi fiat ſuo tempore loco, & modo, animoque defendendi veritatem contra falſum alterius dictum, prout explicat Thomas 2. 2. quæſt. 38. art. 1. Eſſe autem, *ex eodem D. Thom. ibid. m*, peccatum ſuo genere mortale illam, qua falſum defenditur animo contradicendi alteri, cum graui ipſius iniuria. Cum enim id de ſe ſufficiat ad diſſoluendam animorum coniunctionem, dirimendamque amicitiam, habet coniunctam charitatis læſionem grauem, quæ mortalis eſt, niſi defectus pleni conſenſus voluntatis eam excuſet. 134.

TRACTATVS IV.

De religione, & vitijs ei contrarijs.

REligio ante conſideratis Theologicis virtutibus, proxime ſubiungenda eſt; tum quia eſt præſtantiſſima omnium moralium virtutum vt oſtendit D. Thom. 2. 2. quæſt. 8. art. 6. tum quia ad eam ſpecialiter pertinet primum Decalogi præceptum, in quo verſamur. Ampliſſima autem eſt hæc materia, quam D. ipſe Thomas perſequitur ab eadem quæſt. 81. ad 100. Conſiderabimus autem quantum ad inſtitutum noſtrum ſufficit primo ſpectantia ad ipſam religionem: deinde vero tum in ſpecie ſpectantia ad vitia ei contraria.

CAP. VIII.

De natura charitatis.

SVMMARIVM.

90 *Definitio charitatis.*
91 *Amor quidam est amicitiæ, & quidam concupiscentiæ: quodque a charitate proueniens, prioris modi sit.*
92 *Idem amor est mutuus, & in quo fundetur.*
93 *Amor Dei ob sua beneficia, aliquando bonus, aliquando malus.*
94 *Modus charitatis, & obiectum secundarium.*

90. CHaritas definiri potest virtus, qua in nobis diuinitus infusa, Deum propter se diligimus super omnia, & proximum sicut nosipsos. Cum autem dicitur *virtus infusa*, significatur id in quo charitas conuenit cum fide & spe: nimirum quod non nostro labore sed solo Dei munere habeatur à nobis, iuxta illud ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Illud vero quod subiungitur, *qua Deum propter se diligimus*, indicat tum primarium charitatis obiectum, quod est Deus, tanquam supernaturalis noster finis, per fidem à nobis cognitus in hac vita: per visionem vero, & fruitionem habendus in futura: tum etiam primarium charitatis actum, qui est amor quidam amicitiæ.

91. Quem aduerte, ab alio qui dicitur amor concupiscentiæ, esse in hoc diuersum, quod sit quo bonum seu perfectionem volumus amico propter seipsum: & amor concupiscentiæ sit, quo bonum volumus amico propter nos seu propter nostram vtilitatem. Itaque charitas est amicitia supernaturalis, qua Deo volumus bonum tam intrinsecum: complacendo nimirum nobis in ipsius perfectionibus, ac congaudendo quod illas habeat: quam extrinsecum; nempe optando vt ipse ab aliis cognoscatur, laudetur, benedicatur.

92. Iam cum verus amor amicitiæ requirat, tum vt mutuus sit ac reciprocus inter amicos: tum vt fundetur in aliquo vinculo & coniunctione; vt in affinitate, consanguinitate, sodalitate, aut alio huiusmodi: sicut per charitatem nos amamus Deum, ita vicissim amamur ab illo: eo quod creator pater, & dominus noster sit, nosque creaturæ, filij, & serui ipsius, participes consortesque futuri gloriæ cœlestis.

93. Sed aduerte, quod etsi diligere Deum propter beneficia ac emolumenta, quæ ab ipso accepimus, non sit actus charitatis de qua agimus: id tamen non esse malum, quâdo Deus propter se diligeretur à nobis, etiamsi nulla talia acciperemus. Alioqui enim Dauid in Psal. 118. non diceret: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. Quocirca talis dilectio tunc est peccatum, cum Deus ita diligitur, vt si talia non conferret, non diligeretur. Id enim est vltimum finem suum ponere in creatura, & ad eam referre creatorem, quod est peccatum mortale, quemadmodum aliis citatis expressit Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 35. num. 3.

94. Quod in definitione sequitur (*super omnia*) indicat modum charitatis, qui est diligere Deum plus cæteris rebus omnibus; illum scilicet eis præponendo, & eas illi postponendo iuxta verbum Domini Matth. 10. Qui amat patrem aut matrem pluspam me, nō est me dignus.] Quod vltimo loco ponitur, *& proximum sicut nosipsos* indicat secundarium ac minus principale obiectū charitatis: quod est tum nosmetipsi, tum proximus eo modo quo in sequen. cap. tradetur.

CAPVT IX.

De charitatis dignitate & necessitate ac præcepto.

SVMMARIVM.

95 *Charitas est virtus omnium dignissima.*
96 *Maxime necessaria ad salutem, & ideo vsus illius positus est in præcepto.*
97 *Quod datur de diligendo Deo super omnia.*
98 *Pro quo tempore obliget.*
99 *Obligatio ad dilectionem Dei naturalem, & obligatio ad dilectionem nostri, & proximi.*

CHaritatem virtutum omnium dignissimam esse a- 95.
perte constat ex sacra Scriptura cum dicitur Matth. 22. In his duobus mandatis, *intellige de dilectione Dei & dilectione proximi*, vniuersa lex pendet & Prophetæ.] & ad Roman. 13. Qui proximum diligit legem impleuit] & paulò post: Plenitudo legis est dilectio.] & 1. Corinth. 13. Nunc autem manent fides, spes, charitas tria hæc: maior autem horum est charitas. Idem etiam constat ex eo, quod charitas tanquam regina, imperet omnibus aliis virtutibus, earum actiones dirigens in Deum, finem nostrum vltimum supernaturalem, easque ex humanis reddens diuinas ac æternæ vitæ meritorias, dum nempe sua cooperatione facit, vt ex amore Dei prouenient, & exerceantur. Nam vt surculus boni & suauis fructus arbori agresti insitus facit vt ea similes fructus, ferat: ita charitas insita nostræ voluntati, facit vt ipsa producat actiones meritorias æternæ salutis; quod alioqui nullo modo fieri posset, vt patet ex cap. 13. prioris ad Corinth.

Vnde constat quanta sit illius necessitas: nimirum tan- 96.
ta, vt salus sine ea haberi nequeat, iuxta illud 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Constat consequenter actum illius positum esse in præcepto: quodquidem Deut. 6. Matt. 22. Mar. 12. & Lucæ 10. verbis quidem aliquantum diuersis, sed sensu eodem traditur, tres continens partes, vt notat D. August. *in lib. 1. de doctrina Christiana cap. 26.* vnam de dilectione Dei super omnia, alteram de ordinata nostri dilectione; & tertiam de dilectione proximi sicut nostri.

Notandum est autem circa primam partem, verba illa 97.
quibus continetur. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. (quorum interpretatio videri potest apud D. Thomam 2. 2. quæst. 44. art. 5.) significare, Deum plusquam cætera omnia diligendum esse appretiatiue, seu prælatiue, id est, ita vt pluris fiat Deus, ac præferatur rebus omnibus: eique sic adhæreamus, vt malimus quantamcunque aliarum rerum iacturam pati, & quodcumque incommodum sentire: quam offendendo ipsum, ab amicitia ipsius excidere. Et ratio est, quia nullus alius amor potest proportionatus esse Deo qui vltimus noster finis, supremumque bonum nostrum est. Vnde licet colligere, in peccato mortali manentem, non posse satisfacere obligationi diligendi Deum ex Christiana charitate: vtpote qui obiectum sui peccati anteponens Deo, eum super omnia diligere censeri non potest.

Iam affirmatiuum quidem est præceptum istud; sed continens in se negatiuum: quia eo ipso, quod præcipit dilectionem Dei super omnia, prohibet tum eiusdem odium, tum etiam amorem quo creatura plus, aut æque ac ipse ametur.

Cum autem prout est præceptum affirmatiuum obliget 98.
tantum pro certo tempore; difficultas est, quodnam sit tempus illud, in quo mortaliter peccatur, si illud non impleatur. De qua re agentes Sotus in 1. De natura & gratia cap. 22. & in lib. 2. De iustitia & iure quæst. 3. artic. 10. & Nauarr. in Enchir. cap. 11. num. 7. & sequentib. & post vtrumque Gregorius à Valent. 2. 2. disput. 3. quæst. 19. puncto 1. plura constituunt tempora, in quibus præceptum istud obligat: sed quantumuis concedendum sit consilium saluberrimum esse, vt homo non solum temporibus illis sed etiam quotiescumque potest, exerceat prædictum charitatis actum nobilissimum: imo necessarium sit, vt animi præparatione & affectu semper sit ad illum paratus: probabile tamen videtur (cum non ratio illorum assignationem refutandi desit: vt videre est apud Thomam Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 35. numero 6. & tribus sequent.) quoniam talis obligatio est sub mortali, *vt ex citata authoritate D. Ioannis, & ex prædicta charitatis necessitate ad salutem, satis patet:* hominem ipsum non obligari ad actum dilectionis quem charitatis præceptum imponit, nisi cum exercitium illius necessarium est,

CAP. XIII.

De natura, præcepto, & actibus Religionis.

SVMMARIVM.

135 *Nomen religionis accipitur dupliciter in hac disciplina.*
136 *Religio virtus est, non Theologica, sed moralis, habens quandam iustitiæ rationem.*
137 *Primum præceptum Decalogi ad virtutem religionis pertinet, estq; negatiuum includens affirmatiuum.*
138 *Actus religionis alij eliciti, alij imperati.*
139 *Religionis actus elici varij: & de actibus imperatis eiusdem, qualiter sit iudicandum.*
140 *Pro quo tempore actus eliciti religionis sint in præcepto, & speciali eorum deuotio.*
141 *Specialiter item adoratio & sacrificium.*

135. NOmen Religionis in hac disciplina duobus modis accipitur; vno pro quodam vitæ statu in quo homo se omnino mancipat diuino cultui & obsequio; altero pro quadam speciali virtute à cæteris distincta, per quam debitum cultum Deo, & Sanctis ipsius exhibemus: in qua acceptione de ea hic agimus.

Spectantia ad naturam Religionis.

SECTIO PRIOR.

136. ADcuius naturam aperiendam duo notanda occurrunt. Alterum est, eam non esse de numero virtutum Theologicarum: quia virtus Theologica est, quæ immediate, seu nulla intercedente creatura versatur circa Deum: vt fides, qua credo Deo Deum, ita vt is cui credo per fidem, & quem credo sit Deus; itemq; spes, qua spero à Deo Deum; ac demum charitas, qua Deum amo propter Deum. Religio autẽ versatur quidem circa Deum, per eam enim Deum colimus, sed interueniẽte creatura, quam ei offerimus, in recognitionem excellentiæ suæ & seruitutis nostræ. Sic orando vel adorando colentes Deum per virtutem Religionis, offerimus ei non quidem ipsummet, sed mentem nostram quæ est creatura. Sicut ergo iustitia sic cuiq; reddit suum ius, vt actus eius non exerceatur immediate circa personam (nec enim exempli causa, reddit me mihi) sed pecunias debitas mihi: sic Religio non exhibet Deum Deo; sed Deo reddit debitum cultum offerendo ei creaturas. Alterum est, religionem habere quandam iustitiæ rationem: nõ quidem perfectam, qualem habet iustitia commutatiua, vel distributiua: sed solum imperfectam. Cum enim duo pertineant ad perfectam iustitiam: nempe redditio debiti, qua vnicuique suum datur; & æqualitas, qua tantum datur quantum debetur: solum prius cernitur in religione, per quam Deo *sicut per pietatem parentibus*, redditur debitũ, sed non ad æqualitatem. Vnde potentialis tantum pars iustitiæ, seu virtus iustitiæ affinis dicitur, non autem iustitia; sicut nec amicitia, per quam è contrario redditur quidem ad æqualitatem, non tamen debitum.

Spectantia ad præceptum, & actus Religionis.

SECTIO POSTERIOR.

137. REcte notat Nauarr. in Enchir. cap. 11. num. 19. primum Decalogi præceptum (quod initio huius libri proposuimus) pertinere ad virtutem religionis; vtpote quo vetatur idololatria, adeoq; vitium omne falsæ religionis, seu contrarium veræ religioni. Ipsum autem est negatiuum, includens affirmatiuum: quo præcipitur veri Dei cultus: quem exhibere pertinet ad virtutem religionis inclinantis nos, ac ordinantis ad Deum debito modo colendum & honorandum tanquam creatorem summumque gubernatorem nostrum; sicut è contrario vitium falsæ religionis inclinat ad reddendum Deo cultum indebito modo: vel ad illum à Deo in creaturam transferendum; siue expresse, siue tacite: prout in sequentibus tradetur. Constat autem obligationem præcepti de religione, esse de se sub mortali; itemque esse pro omni tempore: qua ex parte præceptum est negatiuum. Sed difficultas aliqua est. pro quo tempore sit talis obligatio, qua ex parte præceptum est affirmatiuum. De qua re nihil statui potest vniuerse, sed solum in particulari declarari quoad actus singulos ipsius religionis, qui sub talem obligationem cadunt.

Sciendum est igitur actum religionis esse, aut ab ipsa elicitum, aut ab ipsa imperatum: hocque posteriori comprehendi actus aliarum virtutum, prout ab ipsa religione ordinantur ad Dei cultum, id est, ad declarandam inferioritatẽ, seruitutemque nostram & Dei excellentiam: comprehendi item multas actiones de se indifferentes in eundem cultum ordinatas; quales sunt genua flectere, prosternere se in terram, tundere pectus, aperire caput, inclinare ceruicem, & huiusmodi aliæ, quæ nullius virtutis actus de se sunt; & prout à religione procedunt dici solent cæremoniæ; quales plurimæ fuerunt antiquæ legis, & non paucæ sunt legis nouæ: quæ ex sola Christi vel hominum vices ipsius gerentium institutione rationem habent virtutis, non autem ex sua natura. 138.

Actus vero religionis elicitus, id est, quem voluntas immediate per religionem exercet, quidam est primarius & religioni ipsi omnium intimus, nempe deuotio, existens cum ipsa religione in voluntate, ab hacque per illam immediate procedens: cæteri vero sunt secundarij, ijq; septem numero; oratio, adoratio, votum, iuramentum, sacrificium, decimarũ solutio, & sanctificatio dicti festi: qui ideo dicuntur actus religionis eliciti, quod ex se ab ea procedãt, & Dei excellentiam, nostramque seruitutem ex se manifestent. Nam Deum orando vel adorando, ac aliud cæterorum faciendo, diuinam excellentiam nostramque subiectionem, ac seruitutem profitemur. Nec obstat quod tales actus non sint in voluntate in qua religio inest: sed sint in intellectu vel in illis exterioribus facultatibus quibus perficiuntur. Nam alio nomine dici possunt actus religionis eliciti: nimirum quia non possunt exerceri cõgruenter rectæ rationi nisi moderante virtute religionis: ita vt entitatem quidem suam habeant ab alia facultate, sed moderationem virtutis habeant à voluntate per religionem: quod sufficere potest ad aliquam rationem actus eliciti: vt videre est apud Caiet. 2. 2. quæst. 81. art. 4. 139.

Porro de actibus religionis imperatis occurrit monendum. Tum eos commendatissimos nobis ac vsitatissimos debere esse: dicente Apostolo *priori ad Corinth.* 10. Siue mãducatis siue bibitis siue aliud quid agitis, omnia in Dei gloriam facite. Tum etiam de peccato quod illorum omissione committitur, iudicandum esse ex ijs quæ dicuntur, cum tractatur de virtutibus quibus specialiter repugnat.

De actibus elicitis autem, quoad peccatum consistens in eorum omissione, iudicandum est habita ratione temporis, in quo contingit obligatio illos exercendi. Iam vero tempus obligationis sub mortali impositæ ad exercendum actum deuotionis, teneri potest idem esse cum eo quod in præced. cap. 9. constitutum est de obligatione sub mortali ad actum dilectionis Dei. Nam illius cum hoc ea affinitas est, vt vterque omnia alia ad Deum referat: illeq; natus sit prouenire ex hoc, tanquam ex proxima sua causa, vt docet D. Thomas 2. 2. quæst. 82. art. 3. Et patet, quia ex consideratione diuinæ bonitatis, natum est sequi, vt Deum ipsum diligamus: & hinc rursus, vt velimus nos totos obsequio ipsius mancipatos: in qua volitione consistit natura deuotionis. Hæc enim est actus voluntatis quo nos offerimus Deo, ac tradimus totos: tum ad eligendum, tum ad exequendum quæ pertinent ad ipsius diuinum cultum & obsequium. Indeq; dicta est deuotio: quia scilicet per talem actum homo perinde afficitur ad Deũ, ac is qui dicitur deuotus Principi, eo quod se obsequio illius totum tradiderit. De tempore obligationis ad orationem dictum est, cum de præcepto orandi in præced. libr. 4. cap. 9. num. 37. 140.

De tempore autem obligationis ad adorationem & sacrificium, non est facile in particulari determinare: nisi quod videri possit idem cum eo quod assignatum est obligationi ad dilectionem Dei & ad deuotionem; cum quibus magnam habent affinitatem. Atque de adoratione late D. Thomas & interpretes ipsius 2. 2. quæstio. 84. Contenti erimus monere pro praxi, eam complecti, ex parte quidem intellectus, recognitionem magnitudinis & excellentiæ diuinæ: ex parte vero voluntatis, subiectionem & summissionem omnem tantæ magnitudini & excellentiæ: & demum ex parte 141.

corpo-

corporis, actum externum quo indicetur illa interior summissio: in quorum actuum secundo, essentia adorationis cõsistit maxime: sineq; eo, primus est infructuosus: vt patet in dæmonibus qui credunt & contremiscunt Iacobi 2. & tertius est inanis.

De quo aduerte obiter: ipsum non esse de se adorationem & religionis actum; sed tantum ex intentione agentis: qui quando aperit caput, procumbit in genua, prosternit se in terram, aliudve eiusmodi facit ad testandam alicuius diuinitatem; exhibet ei adorationem quæ à Theologis latriæ cultus dicitur. Quod si mutata intentione idem faceret tantum ad testandam sanctitatem illius, tanquam amici Dei, censeretur adoratio alterius ordinis longe inferioris; (cultus duliæ dici solet:) ad virtutem religionis nihilominus pertinens, vtpote quæ propter Deum Sanctus exhibetur.

Iidem quoque in sequenti quæst. 85. late agunt de sacrificio. Quod definitur, oblatio facta in recognitionem supremi dominij & potestatis Dei. Cumque duplex sit, quoddam specialiter proprieque dictum, quale est in noua lege sacrificium Missæ; & quoddam generaliter improprieque dictum, quo quis seipsum sacrificat Deo & offert propria voluntatem ad obseruandam ipsius legem, mandandaque executioni præcepta ipsius: hoc tantum posterius (de quo in Psalm. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ) omnes Christiani offerre possunt: eoque nomine intelligi potest ipsos dici Sacerdotes 1. Petr. 2. vers. 9. & Apoc. cap. 1. vers. 6. & cap. 5. vers. 10. Illud vero prius (de quo cum de Eucharistia in sequenti lib. 29.) offerre possunt soli initiati sacerdotali ordine: etiamsi teneantur cæteri fideles sacrificantibus adesse diebus festis iuxta Ecclesiasticum præceptum De Missa audienda, in seq. lib 19. tractandũ, cum de ipsorum festorum sanctificatione agetur. Quæ autem pertinent ad vota & iuramenta tractabuntur in libr. 18. & quæ ad decimarum solutionem in fine prius memorati libri decimononi.

CAP. XIV.

De vitijs religioni contrarijs, idq; in genere.

SVMMARIVM.

142 *Vitium generale contra religionem per def. ctum est irreligio: & per excessum, superstitio; quidq; illa sit.*
143 *Varij modi quibus eadem contingit.*
144 *Species eiusdem.*
145 *Quid sit superstitio, & quæ illius species primariæ.*
146 *Idololatria dicitur tum proprie, tum improprie; ac priore modo huc spectans, peccatum est grauissimum.*
147 *Eodem modo duplex est, quædam expressa, & quædam tacita.*
148 *Pactum tacitũ cum dæmone, idololatria quædam est, in quatuor species distincta.*

142. QVia contra religionem, sicut contra aliam quamcunq; virtutem moralem, peccari potest, tum per excessum, tum per defectum, vt recte notat D. Thom. 2. 2. quæst. 92. art. 1. duplex in genere constituitur vitium contrarium religioni: vnum per defectum, quod vocatur irreligio, seu impietas: alterum per excessum, quod dicitur superstitio.

De irreligione seu impietate.

SECTIO I.

DEfinitur autem generaliter impietas, vitiũ, quo Deum inhonoramus in se, vel in suis Sanctis, vel in alijs rebus sacris.

143. Cuius inhonorationis varij assignantur modi: quorum primus est, negare Deum, aut numen aliquod esse; proprioque nomine dicitur atheismus: quo laborare nemo mentis compos potest, iuxta illud Psalm. 13. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.] Secundus est, non agnoscere Deum: ne quidem naturali cognitione: vt vsuenit quibusdam infidelibus qui propter ingentia scelera quibus se contaminant, absque vlla Dei cognitione viuunt. Tertius est male sentire de Deo: vt accidit illis qui negarunt Deum habere prouidentiam omnium rerum, vel curare res humanas; vel iustum esse, ac præmia & supplicia pro meritis distribuere: aut asseuerant omnia fatali quadam necessitate euenire: Deum esse acceptorem personarum, vel causam peccati, aut non esse omnipotentem. In quorum persona dicitur Iob. cap. 22. Circa cardines cœli ambulat, nec nostra considerat.] talisq; impietas in Christianis, coincidit cum hæresi ita vt ij per illam incurrant in omnes pœnas hæreticis decretas. Quartus modus est, nunquam aut fere nunquam de Deo bene cogitare: vt nonnullis cõtingit, qui nimis dediti sunt rebus creatis fluxis, & caducis. Quintus est nullatenus amare Deum, ne quidem amore naturali; tanquam parentem, benefactorem, ac dominum. Sextus est, nullatenus timere Deum, ne quidem timore seruili, vt dominum, & scelerum vindicem: de quo Deus ipse queritur per illud Malachiæ 1. Si dominus ego sum, vbi est timor meus?] & illud Ierem. 2. Scito & vide quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te.]

Præterea sub se impietas continet quatuor species: tentationem Dei, blasphemiam, periurium, & sacrilegium, hoc est, irreuerentiam quæ exhibetur rebus sacris, aut Deo dicatis locis vel personis: quæ eadem species, habet sub se alias adhuc varias ex varietate rerum sacrarum ei obiectarum: in quibus nunc immorandum non est, quia de eis dicendi prius in sequenti libr. 19. datur locus: vt & de blasphemia & periurio in libro 18. De tentatione Dei vero, in cap. 23. huiusce libri sect. 4. 144.

De superstitione.

SECTIO II.

SVperstitio vero generaliter definiri potest: vitium quo exhibetur Deo cultus superfluus. Vbi aduertendum est, quod etsi non possit nimis magnus cultus exhiberi Deo ex parte ipsius met cultus: posse tamen ex parte illius cui exhibetur, & ex parte modi quo exhibetur. Nimius est enim, tum ille qui exhibetur falso Deo: constituens eam superstitionis speciem quæ dicitur falsi cultus, & proprio nomine appellatur idololatria: tum ille qui exhibetur vero Deo indebite: constituens alteram superstitionis speciem, quæ vocatur indebiti seu vani cultus. Et contingit, tum quando ceremonijs mendacibus, cultus exhibetur vero Deo: vt si quis nunc temporis offerat Deo holocausta, aut alia sacrificia veteris legis: vel se circumcidat: quia talia significant Messiam venturum: quod est mendacium, cum iam venerit: aut Missam celebraret obseruando ceremoniam, cui falso tribuitur, quod sit instituta à Christo: aut prædicaret populo falsa miracula. Tum etiam quando cultus ipse exhibetur ceremonijs superfluis, seu quæ neque ad Dei gloriam, neque ad subijciendam carnem spiritui, & spiritum Deo, quidquam faciunt; qualis est audiendi sacrum celebrante Sacerdote qui vocetur Ioannes: aut quod celebretur ante solis ortum immediate; aut in quo habeantur nouem candelæ, nec pauciores accensæ, aut in quo dicuntur quatuor Passiones, & sic de similibus; in quibus præter Ecclesiæ morem, religio in quibusdam circunstantijs & rebus ponitur, eas pro arbitrio proprio assumendo ad verum Dei cultum, ad quem non sunt aptæ, ea saltem ratione, qua assumuntur. 145.

Prioris autem illius modi vanum cultum peccatum esse genere suo mortale ex eo patet; quod sit mendacium pernicioſum, notabilem continens irreuerentiam erga Deum, ipsiusque diuinum cultum. Et ita docent in verbo Superstitio, Caiet. & Fumus, itemque Nauarr. in Enchir. capit. 11. numer. 26. Addentes cultum vanum posterioris modi communiter peccatum esse tantummodo veniale. Ratio vero esse potest, quod communiter is fiat sine mala intentione: in ea ceremonia contingat grauis irreuerentia erga cultum diuinum, cui non repugnat de se nec de intentione eam vsurpantis. Quanquam si interueniret alicuius talis ceremoniæ prohibitio specialis, facta à Superiore iuxta Concil. Triden. sess. 22. in decreto De obseruandis ac euitandis in celebratione Missæ; non esset à mortali excusanda illius seruatio: sicut nec si contineret pactum aliquod occultum cum Dæmone.

De idololatria.

SECTIO III.

146. IAm de idololatria, qua cultus soli vero Deo debitus exhibetur falso Deo; notandum est primo, nomen habere ex eo, quod à Theologis quidquid adoratur vt Deus, cum non sit, vocetur idolum, iuxta illud 1. Paralip. 16. Omnes dij populorum, idola. Secundo generaliter quidem & improprie, nonnumquam vsurpari pro quocunq; peccato mortali, maxime eo, quo quis ad aliquam creaturam nimis afficitur, tanquam in ea finem suum vltimum constituens: vt in pecunia ille, de quo ad Ephes. 5. Auarus qui est idolorum seruus] aut in conuiuijs, vt illi de quibus ad Philip. 3. Quorum Deus venter est.] In præsentiarum autem sumi specialiter & proprie pro peccato, quo quis reipsa exhibet diuinum cultum alicui creaturæ tanquam Deo: ita vt velit quantum in se est, eo cultu talem opinionem illi conciliare, qualis reuera competit soli diuinæ maiestati: de quo Gregorius à Valent. 2. 2. disput. sexta, quæst. 11 pun. 3. & latius Suarez in opere de religione tract. 3. lib. 2. cap. 3. & 4.

Peccatum vero grauissimum est idololatria, tanquam mendacium pernicioſum: vtpote hominibus scandalosum; & Deo valde iniurioſum: siue committatur actu tantum interno, id est, animo duntaxat: siue actu tantum externo, ob metum vel ob aliam causam: vt adulandum alicui; siue etiam, *& multo magis*, si actu externo simul & interno: in quo tertio casu, quia est coniuncta cum hæresi in fidelibus, inducit ex communi sententia (pro qua Suarez multos authores commemorat in sequent. capit. 6. sub finem) omnes pœnas quas ipsa hæresis: De quibus in præced. cap. 4. quæst. 5. diximus.

Quam grauis autem iniuria inferatur Deo per idololatriam, patet ex eo, quod fit directe contra honorem ei debitum: vtpote qui est incommunicabilis alteri, quam vero Deo: sicut & diuinitas ipsa, ac supremus omnium principatus, summaque omnium excellentia. Nec obstat si fuerit tantum exterior: quia sicut crimen est læsæ maiestatis in vno regno, alium recognoscere, tanquam regem præter eum qui solus in eo est verus Rex: deferendo illi honorem externis signis, Regum tantum proprijs, ita crimen est læsæ maiestatis diuinæ, externum honorem soli Deo debitum, deferre creaturæ.

147. Porro proprie sumpta idololatria, duplex est: vna expressa, qua expresse & aperte cultus diuinus exhibetur creaturæ, tanquam Deo. Altera est tacita, qua tacite tantum & implicite cultus diuinus creaturæ exhibetur; vt quando quis aut metu, aut aliorum consuetudine ductus, aliave ratione obcæcatus, tale quid per creaturæ venerationem facere generatim intendit: ad instar eorum, qui Exod. 32. dixerunt: Hi sunt dij tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.] Idipsumque illis contingere posse, non obstante quod verum Deum agnoscât, nec ignorent vanitatem idololatricam, patet ex ijs quos Apost. ad Rom. 1. ideo damnat, quod cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerint, sed mutauerint gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis, &c.]

148. Censetur quoque tacita idololatria, quando fit pactum occultum cum Dæmone: eaque ratione complectitur quatuor species, magiam, diuinationem, maleficium, & vanam obseruationem, distinctas ex fine ob quem tale pactum fit. Qui est, vel vt quis videatur magnus, & mira facere, vnde cõstituitur magia: vel vt cognoscat futura, vnde diuinatio; vel vt noceat alteri, vnde maleficium; vel vt prosit sibi vel alteri, & est vana obseruatio. De quibus tractatur in iure Canonico causa 26. per quinque primas quæstiones, & in fine quæst. septimæ: & in Decretalibus titulo de sortilegijs, & à D. Thom. 2. 2. quæstio. 92. & aliquot sequentibus, & à Summularijs in verbo Superstitio, & in verbo Maleficium: & ab alijs tractantibus de virtute religionis vt Suarez in suo opere de eadem virtute tractat. 3. lib. 2. aut de peccatis quæ contra Deum aut quæ contra primum Decalogi præceptum committuntur, vt nouissime omnium & late *alijs citatis* Thomas Sanchez in suo opere morali libr. 2. capit. 37. & sequentibus: aut differentibus aduersus maleficos, vel aduersus artes superstitiosas. In qua tractatione nobis deinceps versandum est, ac sigillatim de vnoquoque talium peccatorum dicendum quatenus exigere videtur institutum nostrum.

CAP. XV.

De magis.

SVMMARIVM.

149 *Quid & quotuplex sit magia.*
150 *Nec naturalis nec artificialis de se est illicita, & quomodo sit per accidens.*
151 *Diabolica, est de se illicita, & qua ratione à naturali, & artificiali discernatur.*
152 *Regula notanda ad talem discretionem.*
153 *Pactum cum Dæmone quoddam est expressum, quoddam tacitum, quorum illud tribus modis contingit.*
154 *Nefanda contingentia in expresso pacto cum Dæmone.*
155 *Duo modi quibus fit pactum tacitum cum Dæmone.*
156 *Peccatum est mortale, pactum inire cum Dæmone, siue expressum, siue tacitum, nisi quod in hoc interdum ignorantia excuse.*
157 *Modus cognoscendi ex verbis, pactum occultum cum Dæmone, in iis quæ apparent mirabilia.*
158 *Modus idem cognoscendi ex certis characteribus & figuris.*
159 *Modi cognoscendi ex effectis, aut ex circunstantijs vanis, aut demum ex persona.*
160 *Aduertendum circa eosdem modos.*

GEneraliter sumpta magia definiri potest, sciẽtia vel potestas qua mira quædam & insolita fiunt: vi tamen creata. 149.
Quod additur ad excludendam potestatem faciendi miracula, quia Christus in illorum patratione diuinitus concurrit cum fide, & oratione eorum à quibus patrantur.

Diuidi potest vero, iuxta D. August. in lib. 21. de Ciuitat. Dei cap. 6. in naturalem, artificialem & diabolicam. Atque naturalis censetur, quando causarum naturalium virtute indita ipsis à natura, sed occulta, fiunt effectus mirabiles, rudioribus occulti ac solis doctioribus & peritis perspecti: quales fuerunt, quod simulachrum quoddam in aere penderet vi magnetis: & quod lucerna quædam Veneris sub dio posita, nec vento nec pluuia extingueretur: de quibus D. Augustin. loco citato. Censetur vero artificialis: quando id quod videtur mirum, fit tantum arte & industria humana; sicut multa solent fieri à circulatoribus & funambulis. Censetur demum Diabolica, quando mira & insolita fiunt virtute Diaboli: vt aliquando fieri, aduersus quosdam Gentiles ostendit D. Thom. lib. 3. contra gentes cap. 104. Et patet ex eo quod Leuit. 20. vers. 6. & Deuter. 18. versu 10. & alibi in sacris literis aliqua magia damnetur tanquam Diabolica: cuiusmodi erat ea qua vtebatur Pythonissa, quæ suscitauit Samuelem 1. Reg. 28. & alia Pythonissa, quam curauit D. Paulus Act. 16.

Porro non omnem magiam esse de se illicitam, argumento est quod illi qui ex Oriente ad adorandum Christum venerunt Matth. 2. Magi honorifica appellatione vocentur. Et patet de naturali & artificiali, quæ solis naturæ nituntur fundamentis ac viribus, quas Deus rebus indidit: valentque ad homines ex miris effectis excitandos, vt multa credant quæ captum ipsorũ excedunt, adeoq; fidei Christianæ mysteria, prout D. August. in cit. lib. 21. cap. 4. notat. Attamen per accidens eædem possunt esse illicitæ: vt quando referuntur ad malum finem, vel adferunt scandalum: vt cum à diabolo putantur esse, quæ per eas fiunt; aut talia sunt quæ exerceantur cum periculo salutis corporis: in quo casu peccatum mortale committi censent Syluester & Fumus in verbo Amulle quæst. 8. & hic num. vlt. Confirmatur; per cap. 1. De torneamentis: in quo torneamenta ipsa prohibentur sub pœna priuationis sepulturæ: eo quod sæpe inde hominum mortes & animarum pericula oriantur. 150.

Diabolica autem, de qua vt de vitio religioni oppositio hic ex instituto agitur, de se illicita est: quia includit pactum cum diabolo, cum quo societatem commerciumque inire nunquam licet; vt D. Augustin. ostendit in lib. 2. de Genesi ad literam sub finem penultimi capitis: satis constare ex 151.

iis quæ habentur 26. quæst. 5. per totam: & ex admonitione D. Pauli 1. ad Corinth. 10. Nolo vos socios fieri Dæmoniorum.] Ab ea artificialem magiam discernere, facile est: monstrata nimirum arte qua fiunt mira illa opera, quæ Diabolica putantur. Naturalem vero discernere, est difficile: quia Diabolus sæpe occultat suas fraudes, obiecto prætextu virium rebus naturalibus inditarum. In qua difficultate cauēda sunt duo extrema. Alterum ne existimemus omne illud diabolicum esse, quod nobis est nouum & mirabile. Nam multa esse mira in rebus naturalibus, etiam quotidianis, ostendit D. August. in supra cit. cap. 4. Alterum est, ne existimemus quidquid nobis mirum ac nouum videtur, ipsum esse naturale. Nam ex antedictis, negari nequit, quin aliqua sit magia diabolica.

152. Teneri potest vero hæc regula. Quando effectus aliquis inusitatus & mirabilis contingit ex applicatione aliquarum singularium virtutum, quæ in rebus naturalibus inesse censentur, sed nos latentes: quotiescunque & à quocunque talis applicatio fiat, si ea sit sine aliis cæremoniis vel obseruationibus nullius virtutis, effectus ipse iudicari potest naturalis. Sin opus sit certis cæremonijs & obseruationibus inanibus res censenda est suspecta: & ideo videndum est, interueniatne pactum aliquod tacitum cum dæmone, magiam diabolicam constituens.

Appendix de pacto cum Dæmone.

153. IN cuius gratiam, & pro pleniore eiusmodi pacti notitia notandum est primo, per pactum cum Dæmone intelligi promissionem factā dæmoni ab homine, ex qua obligatio nascatur, non tantum ex parte hominis, verumetiam ex parte Diaboli, saltem ficta.

Atque ipsum duplex esse: vnum expressum, quod aperte initur cum Dæmone; & alterum tacitum, quod implicite fit cum dæmone. Expressum autem solet tribus modis fieri. Primus est, cum solemnitate quadam: nempe vt apparente visibiliter dæmone multis stipato, coram quibus fiat illi promissio ea ratione quam tradunt Alphons. à Castro *in lib. 1. de iusta hæret. punitione cap. 16. & Sprengerus in suo malleo maleficarum parte 2. quæst. 1. cap. 2.* Secundus est, quo sine solennitate quidem, diabolo tamen fit immediate. Tertius est, quo etsi expresse fiat dæmoni, non tamen immediate, sed per interpositam tertiam personam, puta magum aut maleficum tanquam locum illius tenentem.

154. Notant autem iidem authores illos qui pactum expressum cum dæmone ineunt, promittere ei multa simillima iis quæ hodie solent hæretici in fidei Catholicæ abiuratione. Promittunt enim, quod nunquam adorabunt Eucharistiā, quod blasphemiis & iniuriis afficient Sanctos, præsertim Beatam Virginem: quod confringent Christi & Sanctorum imagines quas poterunt; quod nunquam facient signum crucis, quod nunquam integre confitebuntur sua peccata; & maxime istud de quo agimus; quod sibi cauebunt diligentissime ab omnibus rebus ab Ecclesia consecratis; vt est aqua benedicta, sal benedictum: quod sua conuiuia & commessationes celebrabunt illis diebus quibus ab alijs Christianis ieiunatur; quod denique conabuntur alios quotquot poterunt inducere in idem flagitium.

Dæmon vero vicissim solet huiusmodi hominibus præscribere signa quædam superstitiosa; qualia sunt expressa ipsius Dæmonis inuocatio, certa quædam verba ab ipso præscripta, characteres quidam in chartis scripti, nodorum cōplicatio, & alia id genus; non quod vis vlla sit in eis, vt falso existimant ij ipsi, qui cum dæmone paciscuntur: sed quod ad illorum exhibitionem & præsentiam Dæmon statim accurrens, mirabilia illa operetur, quæ imperiti existimant à magis fieri. Neque putandum est verum esse quod aliqui ex iisdem magis iactitant se habere Dæmonem incluſum in annulo, aut in aliare: falluntur enim, quia Dæmon non adest illis, nisi quando ipse vult, aut quando ab aliquo potentiore Dæmone compellitur prout docet Franc. à Victoria in relectione de arte magica num. 31.

155. Pactum autem tacitum cum Dæmone fit duobus modis. Altero cum quis sciens & prudens vtitur signis superstitiosis magorum: siue ea acceperit traditione maiorum, iure quasi hæreditario: siue ab ipsis magis didicerit: siue ex ipsorum libris vel sermonibus hauserit. Altero cum quis vtitur signis superstitiosis ignorans illa esse talia, eo quod putet non esse mala.

Notandum est præterea habentes pactum cum dæmone expressum quocunq; ex tribus antea propositis modis, grauissime peccare: quia in iniuriam grauissimam Creatoris, diuinum cultum deferunt creaturæ miserrimæ. Atque tales cum nonnunquam sint hæretici: vt cum de dæmone, aut superstitiosis signis ipsius credunt aliquid, quod est contra fidem vt in illis inesse aliquam diuinitatem; nonnunquam etiam sint apostatæ à fide; vt cum ex animo credunt diabolo, & totam fidem Catholicam reijciunt. Super eo, magi (vt & super blasphemijs in Christum & Sanctos, abusu rerum sacrarum in suis incantationibus, commixtione cum Dæmonio: & damnis illatis iniectione morborum in homines & bestias ac vastatione segetum & vinearum) sunt diligenter examinandi à Confessario: eo quod inde incurrant excommunicationem reseruatam in Bulla Cœnæ Domini & alias hæreticorum pœnas. Porro si quis ficte faciat tale pactum, etsi dictis pœnis non subijciatur, peccat tamen mortaliter, ob notabilem quæ in eo committur Dei irreuerentiam. 156.

Habentes autem pactum tacitum, priore modo duorum proxime propositorum, peccant quoque mortaliter tanquam scienter ineuntes societatem cum Dæmone, hoste Dei & humani generis. Non item habentes posteriore modo, si adsint duæ conditiones quas ponunt Caiet. in verbo Incantatio in principio & Sylu. in verbo Superstitio quæst. 10. in fine. Prior conditio est, vt talis sit paratus relinquere eam superstitionem quando admonetur. Nam post admonitionem non potest per ignorantiam excusari. Posterior est, vt ignorantia illius sit probabilis, quia crassa vel supina non excusat; & ideo quantumuis rudes & idiotæ excusari possint in hac re per ignorantiam, non tamen cæteri qui possunt, & tenentur scire: præsertim Pastores qui alios docere debent.

Notandum est denique facile quidem esse dignoscere pactum expressum cum dæmone, itemque tacitum priore modo, cum ineatur scienter; sed tacitum posteriore modo, difficile esse cognoscere: Nam quamuis illud quod neque diuina virtute, neque naturaliter fit ab homine, merito iudicetur pendere ex aliquo pacto cum dæmone; non est tamen statuendum; hoc ipso aliquid tali pacto carere, quod diuina virtute aut naturali factum videri debeat: quia Dæmon aliquando occultat sua opera sub specie rerum naturaliū, & aliquando sub specie diuinorum miraculorum: ita vt difficulter cognoscantur illius fraudes & insidiæ. Sunt autem aliquot modi agnoscendi tale pactum occultum cum Dæmone, quos Gregorius à Valen. 2. 2. disput. 6. quæst. 13. puncto 2. & Suarez in opere de religione tract. 3. lib. 2. cap. 15. tradunt ex D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 1. & 4. & ex Caiet. in summula verbo Incantatio, ac ex Nauarr. in Enchir. cap. 11. num. 22.

Modi deprehendendi pactum occultum cum Dæmone in ijs quæ apparent mirabilia.

PRimus est ex verbis, quæ proferuntur ad ipsorum effectorum mirabilium productionem: nempe si aliqua vsurpentur quæ censeri possint ad dæmonem, saltem implicite, pertinere: vt cum aliquid continens contra fidem, aut sunt peregrina, quæ necessarium sit lingua ipsa peregrina proferri, nullo Ecclesiæ communi vsu adstipulante: aut sunt ignota, vtpote nihil omnino significantia, vel non cohærentia inter se, vel inutilia: vtpote quæ neque precationem, neque inuocationem & laudem Dei continent. Deinde cum sunt falsa vel apocrypha: vt quæ indicant, quod Christus, *ait Caiet.* habuerit febres. Præterea cum sunt verba sacra, quæ detorquentur ad alios sensus, aut ad effectum ad quem neq; à Deo, neque ab Ecclesia sunt ordinata: vt verba *Hoc est corpus meum*: ad sistendum sanguinis fluxum. Denique cum sunt preces quarum vis & efficacia constituitur in modo eas scribendi aut proferendi; v. g. quod proferan- 157.

tur in auricula iumenti, & in certa quadam hora. Item quod scribatur in tali membrana, & in tali figura: & sic de alijs circunstantijs quæ sapientum iudicio, nihil de se pertinent ad effectum cuius prædictio intenditur.

Vbi aduerte quod etsi superstitio sit, habere animũ tales circunstantias adhibendi, tanquam per se efficaces ad effectum impetrandum à Deo: non esse tamen, si casu eæ adhibeantur: vt quia talis charta venit ad manum: vel ea hora fuit oportuna: aut si tantummodo vsurpentur ad excitandam maiorem deuotionem & attentionem in præcando: quomodo ex Caiet. *(quod Greg. à Valentia approbat)* superstitiosum non est, quod aliqui precantes pro suorum iumentorum incolumitate, circumducant ea nouies circa templum S. Antonij: aut faciant venam illis aperire in die festo alicuius Sancti. Item quod aliqui ex primo nummo oblato imagini Crucifixi in die Parasceues, faciant annulum contra neruorum contractionem. Non est, inquam, superstitiosum si eiusmodi circunstãtias tantum adhibeant vt seipsos magis excitent ad deuote & attente orandum, propter præsentiam rerum suarum circa templum Sancti, vel propter diem Sancto dicatum: vel propter Crucifixi memoriam. Qua tamen in re, habenda est ratio scandali, ne alij putent esse superstitionem: talibusq; exemplis inducti, ad alia vana & superstitiosa prolabantur.

Cæterum aduersus certas orationes quibus aliqui morbi curari dicuntur, aut alia incommoda huius vitæ propulsari, facit quod ex D. Thom. Suarez loco cit. num 11. colligit, tales etiamsi nullam falsitatem, aut apertam dæmonis inuocationem contineant; imo ad orandum colendumq; Deum aptæ sint de se; censeri superstitiosas ex intentione illas vsurpantis, quando adhibentur in signum infallibile effectus expectati: quia cum illud non sit à Deo institutum, hanc perinde certo sperare ac si promissam esset à Deo, non caret superstitione, vani saltem cultus: in quo cernitur tum Dei ipsius tentatio, dum sine causa postulatur ac ipso miraculosa defensio, aut protectio; tum etiam temeraria sui confidentia, de consequendo extraordinario tali effectu, nullo innixa diuinæ promissionis fundamento. Oportet ergo cum debita reuerẽtia & spe in Deum, liberalem bonorum omnium largitorem, ac in Sanctorum patrocinium, quærere commoda huiusmodi temporalia. Non autem cum credulitate infallibiter obtinendi illa, quam inordinatus affectus suggerit: quodquidem non caret periculo ne dæmon se ingerens talibus pietatis speciem habentibus, *quibus fraus ipsius obtegitur*, commoditatem capiat inducendi hominem in aliam peiorem superstitionem.

158. Secundus modus cognoscendi est ex certis quibusdam characteribus vel figuris, quæ adhibentur ad effectus extraordinarios producendos, etiam ex signo crucis, *alioqui sacratißimo & maxime salutari*, quando ipsum vsurpatur cum certis ceremonijs; nempe in certa hora, ad certum sitũ, sub certo numero: aut ipsum pingi debet, non dextra sed sinistra manu; à fœmina non à viro; à puero non à sene: duobus digitis non tribus: colore rubro non nigro: quibus omissis, non expectetur efficacia operationis. Id quod notat à Victoria in relect. de Magia num. 16. Neq; obstat quod diabolus ab eo signo abhorreat; quia non abhorret ab illius (sicut nec à cæterarum rerum, etiam sacratissimarum) abusu in Dei iniuriam.

Characteres autem eiusmodi & figuras damnabiles esse, tanquam res superstitiosas, constat, ex cap. Illud 26. quæst. 2. & ex cap. Nec mirum in seq. quæst. 5. Quod & ratione confirmatur à D. Thom. 2. 2. qu. 96. art. 2. ad 2. & lib. 3. contra gentes cap. 104. & 105. quia in illis nullum est principium sic operandi à natura inditũ: quo fit vt debeãt pendere ex voluntate agentis intelligentia prædita, qui adhibito eo, quod sua natura est causa insufficiens; ad illius præsentiam producit effectum: non quidem illius virtute, sed sua propria. Iam vero agens, à quo characteres & figuræ prædictæ institutæ sunt ad extraordinarios effectus, non potest censeri alius, quam diabolus. Namque signa instituta à Deo in Ecclesia quibus ea tanquam instrumentis vteretur ad supernaturalem effectũ, sunt septem Sacramenta Euangelica. Ab ipsa Ecclesia vero, authoritate Dei instituta, sunt sacramentalia, vt aqua benedicta, Agnus Dei, & cætera habentia spiritalem virtutem impetrandi nomine Ecclesiæ, ex eius institutione & benedictione: de quorũ numero non sunt tales characteres, vt nemo negauerit. Diabolicum igitur nõ diuinum opus esse putandum est illud, quod producitur talium applicatione. Aduerte vero obiter quod etsi religiosum sanctumq; sit vti sacramentalibus v. g. aspergere se aqua benedicta, gestare collo appensum quod vocant Agnus Dei: sperando bona fide per modum impetrationis, peculiarem Dei protectionem: nihilominus talem tanquam certam, inde non minus sperare, quam si esset à Deo promissa, non carere superstitione, vani saltem cultus; eãdem ratione qua ante dictum est de orationibus: & dici debere de gestatione reliquiarum appensarum collo, aut initij Euangelij S. Ioannis docet Suarez in memorato cap. 15. num. 10.

Tertius modus cognoscendi est ex effectu qui promittitur. Quando enim is nullius est vtilitatis *(quod annulus super filum moueatur)* etsi magnam habeat admirationem *(vt habet quod statua instar hominis ambulet)* putandum est perfici à diabolo potius, quam à bono Angelo, vel à Deo; quandoquidem tales nugæ sunt eis indignæ. Idem similiter putandum est, quando effectus supernaturali modo habendus, promittitur certissime: cum Deo nec promissum sit, nec detur certissime; vt quando portanti super se aliquod certum signum, vel dicenti certam orationem promittitur certissime, quod nunquam morietur morte violenta, vel quod certissime impetrabit temporale quod desiderat. Qua quidem ratione non potest tale quid expectari à Deo. Nec enim bona temporalia ipse certo promittit, cum non conducant semper ad vitam æternam; neq; in iisdem largiendis ipse cogitur: qui singulis suas gratias gratis datas diuidit prout vult, ex priori ad Corint. cap. 12. versu 11. Idem adhuc putandum est, quando effectus sit aut speratur fieri tanta celeritate, vt id superet vim naturalium agentium à quibus expectatur. Illa enim improportio indicat aliquid accedere ad supplendum illud quod deest virtutis in iisdem agentibus. Vnde autem potius accedat quam à superstitione diabolica ostendi non potest; cum nullum de eo Dei sit promissum, ad quod referri valeat. Videri potest Suarez in eodem cap. 15. num. 14. 159.

Quartus modus agnoscendi est, *quem iam ante obiter attigimus*, ex circunstantiis vanis & inutilibus, quæ adijciuntur tanquam efficaces, ac tales sine quibus nihil fieri possit: vt quod aliquid de ferro catenæ qua latro alligatus est patibulo, addatur calcaribus, vt ad libitum vti possis equo retrogrado & calcitrante: & sic de alijs, quæ adhibentur ad effectus ad quos sapientum iudicio, nullam habent proportionem, nec diuinam institutionem. Vnde in supra citato cap. Illud, pro superstitiosis habentur omnes ligaturæ & remedia, quæ medicorum disciplina damnat, tanquã improportionata talibus effectibus, adeoq; nullius efficaciæ, respectu effectuum ad quos producendos adhibentur: ita vt comparatione eorum nullam nisi signi rationem habere possit: siue sint characteres: siue quæcunq; res suspendendæ, aut ligandæ: aut etiam saltationes certo quodam modo factæ, vt ibidem declaratur: vbi & in exemplum prædictarum rerum adferuntur inaures in summitate singularũ aurium: ansulæ de struthionum ossibus in digitis: & singultientem dextra manu tenere sinistrum policem. Cuiusmodi omnia ex arte dæmonum, & pestifera societate hominum: & Angelorum malorum orta esse, non dubitatur: ita vt Christiano sint cuncta vitanda & omni execratione repudianda, ex cap. Nec mirum item citato.

Quintus modus agnoscendi est ex persona, quæ talia mirabilia operatur, vel quæ docuit talia operari; si sit aliquis magus, aut de magia suspectus, aut aliter deprauatus: cum Deus non soleat ordinarie conferre gratiam patrandi miracula nisi valde bonis viris & piis.

Aduerte autem talibus modis probabiliter quidem, sufficienter ead moralem certitudinem cognosci pactum occultum cum dæmone: qui etiam ignorantibus, nec volentibus illis qui vtuntur talibus remedijs: immiscet se his ac cooperatur, vt illos decipiat illisque *(in quo consistit fœdus tacitum cum eodem dæmone, vt ex Augustin. in 2. de Genesi ad literam notat Francisc. à Victor. in relect. de magia numero 28.)* persuadeat confidere in rebus vanis: non cognosci 160.

tamen

tamen necessario & infallibiliter: quia cum vires naturales rerum singularium occultissimæ sint, difficillimum est certo statuere aliquam causam ad effectum adhibitam, esse sua natura ad illud insufficientem. Et quamuis cognoscatur; restat adhuc iudicandum an sit à malo spiritu, an vero à bono: vt esse potest, non modo à Deo sed etiam ab Angelo bono: vt patet per illud, quod Tobiæ cap. 5. dæmon à Raphaele fugatus sit ministerio incensi iecoris pisces. Quod factum si quis in patrocinium alicuius suæ superstitionis proferat, monendus est, quod, *vt habet à Vict. in præced. num. 16.* probabile sit Angelos bonos cum sint de numero beatorum, nonquam se miscere terrenis rebus sine speciali mandato Dei, cuius ministerio mancipati sunt in cœlo, iuxta illud Daniel. 7. Millia millium assistebant ei, & decies millies centena millia ministrabant ei] neque ipsarum terrenarum rerum, *vt constat ex Iob. cap. 41.* vlla sit virtus naturalis, quæ cum virtute dæmonis comparari possit; atque adeo, *quod idem à Victoria in eadem relect. num. 20. ostendit*, dæmon ipse cogi nequeat vi alterius rei, quam Dei aut Angeli superioris.

Nec item pactum tacitum cum dæmone inde cognosci infallibiliter, quod ille qui effectui causam improportionatam adhibet, sit malæ vitæ; dubium non est: cum constet Deum nonnunquam per malos operari miracula, iuxta illud Matth. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus?] Quin nec id necessario colligitur ex eo, quod exploratum sit talis causę vsum non fuisse monstratum ab alio, quam à diabolo; quia, vt recte notat à Victoria sub finem præced. num. 15. postquam virtus aliqua naturalis monstrata est à dæmone, nihil obstat quin ea quis postea vtatur naturaliter, & sine concursu dæmonis. Attamen quia in dubio, tuta conscientia nequit formari ex eo quod absolute fieri potest: sed formari debet ex eo quod ordinarie fit (quandoquidem hoc non illud est moraliter probabile) statui potest nihil ejusmodi impedire quominus antedictos modos vsurpemus ad iudicium ferendum de pacto occulto cum dæmone.

CAPVT XVI.

De diuinatione.

SVMMARIA.

161 *Quid, & quotuplex in genere sit diuinatio.*
162 *Quid sit diabolica diuinatio, & quod prohibita sit tam diuino, quam humano iure.*
163 *Quæ futura possit, quæque dæmon non possit certo prænunciare.*
164 *De quibusdam futuris probabiliter conijcere potest, quæ nequit certo prænunciare.*
165 *Diabolica diuinatio quædam expressa, quædam tacita.*
166 *Expressæ nouem species distinguuntur à Theologis.*
167 *Omnes ac singulæ sunt grauia peccata mortalia, à quibus ignorantia ratio excusat.*
168 *Quid & quotuplex sit diabolica diuinatio tacita.*
169 *Augurij octo species*
170 *Peccata sunt mortalia, in quibus vix ignorantia excusat, leuitas materiæ nonnunquam.*
171 *Quæ auguria censeri possint licita.*
172 *Quæ illicita esse censeri debeant.*
173 *Non ita absolute prohibita est diuinatio per somnium, atq; astrologia qua prædicuntur mere contingentia, & pendentia omnino ex humani arbitrij libertate.*
174 *De sortibus documenta notanda ad cognoscendum quatenus illicitæ sint.*

161. NOMEN diuinationis ex Cic. in 1. De diuinatione, significat qualemcumque præsensionem & scientiam rerum futurarum. Triplex autem distinguitur diuinatio; vna diuina, qua supernaturali Dei beneficio futura & occulta cognoscuntur: altera humana, qua futura & occulta prædicuntur ex proprietatibus rerum: & tertia diabolica: quarum duæ priores non sunt de se malæ: diuina enim est prophetia, quam Apostolus in priori ad Corinth. cap. 12. numerat inter gratias à Deo gratis datas: humana vero Philosophi, Astrologi & Medici laudabiliter vtuntur. Sola igitur diabolica, propter quam ipsum diuinationis nomen exosum habetur, est mala; constituens peccatum illud contra religionem, cuius explicatio nobis est hic proposita. Quam sic instituemus, vt primum quid & quotuplex sit talis diuinatio dicamus, & deinde tradamus rationem dignoscendi quid ad eam pertineat.

Quid sit diuinatio diabolica.

SECTIO I.

NIhil aliud est, quam significatio illa occultorum quæ fit ope dæmonum. Dicitur autem significatio, vt ostendatur diabolicam diuinationem consistere in verbis vel signis exterioribus, non autem in sola mente, sicut scientia quæ acquiritur per vanam obseruationem, de qua inferius. Illud vero, *occultorum*, indicat diabolicæ diuinationis, vt & prophetiæ, obiectum esse ea, quæ homo per se naturaque sua scire non potest. Reliquum autem definitionis separat diabolicam diuinationem à prophetia; quæ est à Deo: & à diuinatione humana, quæ viribus humani ingenij obtinetur. Porro specialiter prohibita est diabolica diuinatio, tum iure diuino in cap. 23. Numerorum vers. 23. in cap. 18. Deut. vers. 10. in cap. 34. Ecclesiastici vers. 5. tum etiam iure humano: ciuili quidem Cod. de maleficis, præsertim lege nemo: canonico vero, 26. quæstion. 5. per multos canones. 162.

Ac quæ sub eam cadant occulta, quæ dæmon possit prænunciare, declaratur aliquot propositionibus.

Prima est, omnia quæ ab homine facta sunt vel fiunt, dæmon prænunciare potest. Ratio est: quia cum talia vel fuerint vel sint, possunt à dæmone cognosci; nisi à Deo impediatur: vt censetur contigisse in eo quod nescierit B. Mariæ perpetuam virginitatem prout ex S. Ignatio martyre annotat D. Hieron. ad cap. 1. D. Matthæi. Item nisi sint nudæ cogitationes vel affectiones humani cordis, quas certo cognoscere, est solius Dei: iuxta illud 2. Paral. 6. Tu solus nosti corda hominum.] Quanquam negandum non est quin possit aliquid de eis probabiliter coniicere ex phantasmatis quę ipse videt, & ex suggestionibus quibus voluntatem excitauit ad prauum consensum, de quo est hominum accusator in conspectu Dei die ac nocte, ex cap. 12. Apocal. Immo iuxta cap. Final. 26. quæst. 4. potest scire quando verbo vel alio signo externo, vt rubore vel pallore, homo eadem cogitationes vel affectiones expresserit; vel anima quasi cum dæmone ipso mente colloquendo more spirituum, eas illi detegere voluerit. 163.

Secunda propositio. Dæmon potest quædam futura prędicere, non autem omnia. Huius prior pars constat ex initio 13. cap. Deut. vnde habetur posse prædicere aliqua signa, & portenta euentura. Posterior vero, ex illis verbis Isaiæ 41. Annunciate nobis quæ ventura sunt in futurum, & dicemus quia dij estis vos.] Ea enim indicant, aliquarum rerum futurarum prædictionem esse solius Dei: ideoque dæmonem non posse illas prædicere: & verba illa Isaiæ 46. Ego sum Deus, & non est vltra Deus, nec est similis mei annuncians ab exordio nouissimum, & ab initio, quæ necdum facta sunt. Atque talium rerum tria sunt genera. Primum earum quæ pendent à sola Dei voluntate: vt quod hic sit prædestinatus ad æternam gloriam, ille non sit. Secundum earum quæ pendent omnino ex libera voluntate hominis: vt certum quid cogitare, dicere, vel facere. Tertium pure contingentium, quamdiu non habent certam & determinatam causam; vt quod talis post multos annos, tali die vel hora interficietur. Omnium enim talium certa cognitio est Dei propria.

Cæterarum futurarum quas dæmon ipse potest certo & infallibiliter prædicere, quatuor sunt genera: primum earum quę causam habent naturalem & necessariam: vt motus cœlorum, coniunctiones planetarum, Eclipsis Solis & Lunæ. Secundum earum quæ nobis quidem videntur futura contingentia, sed reuera causam habent certam & determinatam, quam dæmon videt: vt quod quis eo morbo quo laborat cras morietur: aut quod sit futura postridie aquarũ inundatio; aut quod ingruat tempestas; aut quod breui corruet domus recens ædificata. Tertium earũ, quas ipse factu-

rus est permittente Deo; quo modo potuit prædicere ruinam domus, quæ oppressit filios Iob. Quartum earum quæ dependent quidem à voluntate Dei, vel hominis: sed iam illi significata sunt per diuinam reuelationem: siue factam in sacra Scriptura, siue alia ratione à Deo vel à bonis Angelis: quandoquidem inter filios Dei ipse quoque adstat coram Domino, ex cap. 1. libri Iob.

164. Tertia propositio Dæmon multa de iis quæ nequit certo scire, probabiliter coniicit. Ratio est: quia cum sit perspicacissimi ingenij, ac multæ experiétiæ, quid homines sint facturi potest probabiliter coniicere ex propensionib. ipsorum naturalibus, quas illi vt plurimum sequuntur: vel ex aliis factis præteritis, vel ex consuetudine inueterata. Atque ita potest dæmon prædicere, quod Deus sit castigaturus aliquē populum, qui se grauibus sceleribus contaminat.

Quarta propositio est. Dæmonem quando nescit prædicere futura de quibus interrogatur, si agat cum prudentioribus & doctis, respondere ambigue, aut ita obscure vt non intelligatur. Sin cum simplicibus & ignaris, qui non possunt facile deprehendere ipsius fraudem, solere mentiri aperte. Sed nihil est cur in talibus immoremur diutius.

Quotuplex sit diuinatio diaboli: a.

SECTIO II.

165. DVplex est ex D. Thom. 2. 2. quæst. 95. artic. 3. diuinatio diabolica; vna quæ fit cum expressa dæmonis inuocatione: altera quæ fit per tacitam dæmonis inuocationem. Ac prior generali nomine necromantia dicitur, & à Theologis distinguitur (vt ibid. habet D. Thom.) in nouem species, quæ diuersæ quidem sunt in genere naturæ, non tamen in genere moris; sicut nec furta argenti, auri, tritici, vestium, aliarumque rerum, quæ in genere quidem naturæ diuersæ sunt, sed non faciunt diuersæ rationis repugnantiam cum recta ratione.

166. Prima igitur species dicitur præstigium, ex eo, quod dæmon præstringat aures vel oculos inuocantium ipsum, dum variis apparitionibus ingerit se illis & futura prædicit. Quæ sint vero illæ variæ apparitiones Greg. à Valen. 2. 2. disput. 6. quæst. 12. puncto 2, ex D. Thoma & Caietan refert, & latius persequitur Suarez in opere de religione lib. 2. cap. 8. in quibus nos immorari, nihil necessarium est ad nostrum institutum. Secunda species dicitur diuinatio per somnia: & est cum instructio expectatur à dæmone in somnis. Tertia dicitur necromantia proprie, contingens (vt loco citat. habet D. Thomas) quando adhibito sanguine & certis carminibus, mortui videntur resurgere, loqui, docere, &c. Quarta dicitur diuinatio per Pythones: & est cum dæmon docet per homines arreptitios, qui dicuntur Pythones ab Apolline Pythio, quem gentilitas putauit primum diuinationis authorem. Quinta dicitur geomantia, & est cum dæmon docet per signa quędam apparentia in terrestribus corporib. vt in ligno, metallo, aut lapide aliquo. Sexta dicitur hydromantia, cum per signa apparētia in aqua. Septima aeromantia, cum per signa apparentia in aere. Octaua Pyromantia, cum per signa apparentia in igne. Nona aruspicium, cum per signa apparentia in extis animalium sacrificatorum in aris ipsorum dæmoniorum.

167. Hæc, *de quib mentio est*, 26 *quæst.* 3. *cap.* 1. sunt grauissima peccata, vt patet: tum ex eo, quod per eas dæmon colatur in maximam Dei iniuriam, iuxta illud 4. Reg. cap. 1. Nunquid quia non erat Deus in Israel, mittis vt consulatur Beelzebub deus Accaron? Tum ex eo, quod seuere, etiam sub pœna mortis prohibeantur Leuit. 20. in fine, & Deut. 18. vers. 10. Neque facile putandum est in eis excusationem per ignorantiam habere locum, saltem inter fideles: cum apud eos ordinarie inculcetur & teneatur, pernicioßissimum ac damnabile commercium cum dæmone. Porro qui talibus vitiis laborant sępe sunt hæretici; vt cum credunt dæmonem posse certo prędicere futura, quæ à libero hominis arbitrio, vel à casu pendent. Qua de causa nonnunquam sacri Canones de illis tanquam hæreticis loquuntur. vt 26. quæst. 5. cap. Episcopi; & quæst. 7. cap. Non obseruetis. Quanquam si nullum habeant errorem intellectus contrarium fidei, non sunt hæretici, neque vt tales possunt in foro exteriori puniri, ex cap. Accusatus, §. Sane, De hæreticis in sexto.

Non soli vero tales diuinatores peccant, sed etiam omnes qui eos consulunt, vt ex Deut. loco cit. patet; adeout ipsi perinde ac illi subiiciantur anathemati 26. quæst. 5. cap. 1. Vnum vero hic occurrit obseruandum quod D. Thom. in eadem quæst. 95. art. 4. ad 1. tangit: quamuis nunquam liceat dæmonem inuocare, vt aliquid ab eo petamus, si tamen non vocatus appareat (vt fit in corporibus ab ipso possessis) posse nos aliquid ab eo tunc petere, sicut petiit Christus Marci 5. Quod tibi nomen est? duabus tamen conditionibus seruatis: vna est, vt petamus adiurando ipsum in nomine Dei, ne mentiatur & decipiat: altera vt petendi sit aliqua iusta causa: velut vtilitas propria vel proximi.

Posterior autem diabolicæ diuinationis species, qua tacite dæmon inuocatur, quaque pactum tacitum cum eo initur: contingit quoties quis futura, aut aliter occulta inquirit modis inordinariis seu mediis ineptis, ac de se inutilibus ad eorum notitiam acquirendam. Nam talibus modis illicitis dæmon ex peruersitate suæ voluntatis solet se ingerere studio nocendi hominibus cosque implicandi vanitate, qua excitentur ad magis ardua subinde molienda. Vnde fit, vt qui huiusmodi vanis inquisitionibus operam dat, eo ipso tacite velit doceri à dæmone immiscente se ac studente præsto esse respicientibus vanitates & insanias falsas, vt ex Psalm. 39. ad hoc propositum D. Thomas accommodat, in cit. quæst. 95. art. 2. 168.

Apud quem in seq. art. 3. hæc eadem species rursus diuiditur in duas alias: quarum prior generali nomine dicitur augurium: & est quando cognitionem occultorum seu futurorum obseruantur illa quæ præter hominum intentionem fiunt: siue naturaliter, siue casu, siue alio modo; vt quando obseruantur astra vel motus animalium vel lineamenta corporis, vel alia id genus, de quibus ex D. Augustin. 26. quæst. 2. cap. Illud. Posterior dicitur Sortilegium; & est quando occulta vel futura inquiruntur ex iis quæ fiunt per humanam intentionem, cove fine vt illa ipsa cognoscantur: idque siue fiant per folia lusoria, siue per festucas, siue per puncta aleārum, siue per scripta, siue alia aliqua eiusmodi ratione.

Ac prior rursus in octo alias distribuitur ex D. Thomæ doctrina in eod. loco. Prima dicitur genethlia: & est cum ex motu aut situ syderum siue ex coniunctionibus, vel oppositionibus vel aspectibus planetarum, & hora natiuitatis quæritur cognitio effectuum ex libera voluntate pendentium, & euentuum circa ipsos futurorum. Secunda peculiari nomine dicitur augurium: & est diuinatio ex vocibus quorumcumque animalium, & ex sternutationibus hominum: sed præsertim ex garritu auium. Tertia dicitur auspicium; & est cum ex motu quorumcumque animalium, præsertim autem ex volatu auium, quæritur occultarum rerum cognitio. Quarta dicitur omen: & est diuinatio futurorum, ex vocibus hominum quas ediderunt pręter intentionem. Quinta dicitur obseruatio seu interpretatio somniorum, & est diuinatio futurorum ex somniis. Sexto dicitur physiognomia: & est diuinatio futurorum ex proportione & lineamentis totius corporis humani, & præcipue facici. Septima dicitur chiromantia: & est diuinatio futurorum ex lineis & sectionibus, quæ cernuntur in manibus hominis. Octaua appellatur à D. Thoma spatulamantia: & definitur diuinatio ex quibusdam signis in spatulis alicuius animalis apparentibus. De quibus octo speciebus idem est dicendum ac ante de aliis nouem: nimirum diuersas esse in genere naturæ, non item in genere moris: cum illud per quod aliæ ab aliis distinguantur, non adferat eis specialem aliquam cum recta ratione repugnantiam, priuationemve honestatis consentaneæ legibus virtutis religionis. 169.

Dicendum est etiam; cum non nisi arte dæmonis fieri possint, peccata esse grauissima. Vnde in cap. 2. De sortilegiis: presbyter qui ex astrolobio furtum inquirere voluit, etiam sine intentione inuocandi dęmonem, grauissime peccasse dicitur; & à ministerio altaris per integrum annum suspenditur. Quanquam vt ex Caiet. & Nauar. annotat Gregor. à Valentia in cit. disputatione 6. quæst. 12. puncto 4. ignorantia in illis excusare potest à mortali, nisi ea sit crassa & supina: seu quæ attentis debite circumstantiis, facile vinci potuerit: aut sit affectata, ex eo prouenies quod quis de industria scire noluerit: An hoc vel illud esset aliquod tale 170.

peccatum.

peccatum. Leuitas materiæ vero, vt recte addit ibid. memoratus author, nequit similiter excusare: quia vsurpare cognitionem Deo propriam (vt fit in omni superstitiosa diuinatione) est peccatum de se graue, quæcumque materia sit circa quam vsurpetur: nisi forte cum ipsa materiæ leuitate, tantummodo adesset animus vanus nec vere superstitiosus: vt si quis inquisitioni occultorum, ex aliquibus vanis signis operam daret, non quidem serio sed iocose tantum: vt accidere potest (quo exemplo Caietan. vtitur 2.2. quæst. 95. art. 2.) ei qui quæreret smaragdum in cerebro gallinæ probe sciens se non inuenturum: tunc enim peccatum non videtur esse plusquam veniale cuiusdam vanitatis: immo nullum esse si talis iocus ita opportune & decenter institueretur, vt ad eutrapeliæ virtutem pertineat. A qua tamen re ordinarie abstinendum est propter scandalum & periculum peccandi: quod non deest in eiusmodi materia, cum sæpe dæmon per talia decipiat: & vsurpantes ea, malam consuetudinem inde acquirant. Aduerte autem pro praxi nobis proposita: quod etsi difficile sit suadere expressam diuinationem à tacita differre specie, vt bene monet Suarez in opere de religione tract. 3. lib. 2. cap. 10. in initio, quia tacita & expressa voluntas non solent distinguere actus morales: in confessione tamen exprimendum esse an fuerit expressa: de qua longe diuersum faciendum est à Confessario iudicium, quam de alia: tum ob maiorem grauitatem illius, tum ob præsumptionem de aliis peccatis quorum antea meminimus, num. 158.

De ratione dignoscendi in particulari diabolicam diuinationem.

SECTIO III.

FAcile quidem est deprehendere diabolicam diuinationē esse, quandocunq; quæritur cognitio occultorum expresse inuocando dæmonem. Id quod, ex Caiet. 2.2. quæst. 95. art. 3. & Nauar. in Enchir. cap. 11. num. 12. fieri potest, tum voce & verbis, tum etiam facto; *nempe cum quis sciens dæmonem docere occulta per aliquod signum, vsurpat illud*: sed difficile est quando abest expressa dæmonis inuocatio. Ad id autem seruire possunt sequentia documenta, quorum tria priora ad augurium, alia ad sortilegium pertinent.

Documenta notanda ad cognoscendum augurium diabolicum.

171. PRimum est. Non prohiberi, sed licitum esse obseruare effectus naturales, in rebus ex quibus diabolicas diuinationes fieri ante dictum est: præsertim eos qui iuuant ad medicinam, aut ad agriculturam, aut ad artem nauigandi. Hoc patet ex regula 9. Indicis librorum prohibitorum editi iussu Concilij Trid. & ex doctrina D. Thom. in cit. quæst. 95. art. 5. Itaque non est diabolicum, sed licitum, ex obseruatione astrorum colligere Eclipses futuras, & coniunctiones vel oppositiones planetarum, pluuiam, ventos, sterilitatem, vel abundantiam frugum, immo & naturales inclinationes hominum. Similiter ex somniis licet colligere constitutionem corporis & sanitatem vel morbum. Item ex motu auium licet colligere quæ spectant ad futuras tempestates vel serenitatem aeris, & sic de aliis, quando est ea proportio inter medium ex quo procuratur cognitio, & rem quæ cognoscenda est, vt vnum sufficienter ex alio cognosci possit, siue tanquā effectus ex sua causa: siue tanquam causa ex suo effectu, siue tanquam effectus ex effectu eiusdem causæ; quomodo ex vespertino cœli rubore cognoscitur crastina serenitas: iuxta illud Matth. 16. Vespere facto dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Etenim quia causa est eadem quæ hodie fecit cœlum rubicundum; & cras faciet serenum, vnum ex alio colligitur.

Secundum documentum est: non esse censendam diabolicam diuinationem, quæ sit de futuris cōtingentibus, & iis quæ pendent ex libera hominis voluntate, quando nō quæritur cognitio certa; sed solum talis coniectura, qualis fieri potest, ex ea re per quam cognitio quæritur. Quomodo ex doctrina D. Thom. Caiet. ad cit. art. 5. ait, quandoq; excusari posse Astrologos, probabiliter tantum quædam circa euentus humanos coniicientes ex constellationibus ex quibus corporeæ impressiones, & affectiones proueniunt: quas homines frequenter sua sponte sequuntur. Vnde sit vt de his quæ ipsi facturi sunt, aliquid probabiliter coniici possit: vt bellum futurum esse: quia constellationes sunt tales, quibus homines redduntur ad iram propensi.

Tertium documentum est: diabolicam diuinationem esse, quoties quis ex inspectione corporum cœlestiū aut aliorum, ex quibus in præced. sect. distinctæ sunt augurij species, vult certo, vel etiam probabilius & firmius, quam par est; præcognoscere, aut prædicere futura contingentia, aut quæ pendent ex libertate arbitrij: etiamsi dicat se probabiliter tātum id affirmare: interea affirmans sine hæsitatione. Istud habetur ex citata regula nona Indicis librorum prohibitorum, & ex doctrina D. Thomæ in cit. artic. quinto & duobus sequentibus. Ratioque est, quia tunc procuratur cognitio occultorum absque vllo medio ordinario ad illam acquirendam sufficiente. Atque tacita dæmonis inuocatio toties fit (vt statuit Nauar. in Ench. c. 11. nu. 22. ex D. Thom. doctrina de qua Suarez in opere de religione tom. 1. tract. 3. lib. 2. cap. 9.) quoties aliquis enititur efficere aliquid per causas, quæ nec virtute sua naturali, nec ex diuina aut Ecclesiastica dispositione, possunt illud efficere: aut tales tanquam necessarias adiungit aliis; quæ sunt ex se sufficientes ad illum producendum. 172.

Vnde est quod Mathematici & ij omnes qui eos consulunt damnentur: tum iure Canonico 26 quæst. 2. cap. Illos & cap. Sed & illud: tum iure ciuili Cod. de Episcopali audientia, lege Mathematicos, & Cod. de Maleficis & Mathematicis, lege Artem, & lege Nemo: vbi mathematicorum nomine significantur ij qui ex astris & hora natiuitatis prædicere audent ea quæ facturi sunt homines. De quibus D. Aug. lib. 2. de Geneli ad literam in fine penult. cap. ait: Quo certius prædicunt futura, eo magis cauendos esse: quia illud signum est euidens, ipsos pactum habere cum dæmone. Inde est etiā quod Deut. 18. vers. 10. inter eos quos Deus abominatur, ponatur obseruans somnia. Ac quod 26. quæst. 7. cap. Non obseruetis, damnetur quædam interpretatio somniorum, quæ falsō tribuitur Danieli. Itemq; quod in vniuersum damnentur omnia auguria 26. quæst. 2. cap. Sed & illud, & q. 5. cap. Si quis Episcopus, cap. Aliquanti, cap. Si Clericus, & cap. Auguriis: Illud autem quod Ioseph Gen. 44. dixit fratribus suis, An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? D. Augustin. per iocum dictum esse interpretatus est, vt refertur 22. quæst. 2. cap. Quod autem. Pro quo facit quod de bonis Israelitis (qualis fuit Ioseph.) Numerorum 23. dicatur. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.

Cæterum astrologia quidem de qua locuti sumus, sicut quæuis alia species auguria tanquam diabolica reiici absolute debet (sicut Christianos fecisse notat Gratianus 26. qu. 2. cap. 1 & faciendum esse ostendunt tum antedicta, tum alia multa quę persequitur Pererius in lib. 3. aduersus superstitiosas artes) diuinatio tamen per somnium, etiam ea quæ contingentium est, & rerum prudentium ex libertate humani arbitrij, non debet pari seueritate reiici: quoniam ex D. Tho. 2.2. quæst. 95. art. 6. quadruplex est causa somniorum, ex quibus prædici possunt futura. 173.

Prima est naturalis, eaque vel exterior, vt aer ambiens, aut aliqua cœlestis impressio. vel interior, quæ est corporis affectio ex aliquo humore in ipso prædolente: vt si flaua bilis vel alius humor redundet aut aliquid corruptum, immoderate in ipso iactetur. Secunda causa est moralis, nempe cogitationes præcedentes, & animi concitati, vehementes perturbationes: amor inquam, vel spes, vel metus vel odium. Tertia est diabolica: solet enim diabolus inspirare ac suggerere dormientibus somnia: quæ causa est cur obseruatio somniorum similiter exosa Deo esse proponatur Deut. 18. ac magorum augurium, & incantatorum maleficia. Nempe, *vt D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 48. interpretatur*, quia dæmon plerumque se somniis immiscet, implens noxia superstitione hominum animos; eosque tion tantum vane deludens, sed etiam pernicioſe decipiens. Quarta causa est diuina: solere enim Deum immittere somnia, per quæ doceat homines de occultis & futuris contingentibus, manifestum est ex verbis illis num. 12. vers. 6. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium

loquar

loquar ad illum, &c. itemq; ex somniis quæ in veteri Testamento referũtur, Abrahę, Abimelech, Iacob, Laban, Ioseph, Pharaonis, Salomonis, Nabuchodonosor, Danielis, Mardochæi, Iudæ Machabæi: & in nouo beati Ioseph, trium magorum: Adde & D. Pauli ex Actis Apostolorum cap. 16. Videri potest Pererius in lib. 2. aduersus fallaces & superstitiosas artes: de hac re plenius differens à cap. 3.

Iam cum hæc ita sunt; constat quidem ex somniis quæ causam habent naturalem vel moralem, non esse faciendum de occultis iudicium; sicut neque ex aliis rebus naturalibus: nisi iuxta 1. & 2. documentum ante traditum. Constat etiam ab iis quæ diabolicam causam habent, esse omnino cauendum. Sed negari nõ potest attendendum esse ad ea, quæ à Deo immittuntur ad nostram instructionem. Quæ talia esse, dignosci potest; partim ex eo, ad quod homo per somnium impellitur: vt si ad deserendum seculum, ad timorem inferni, ad dolorem de peccatis incitetur. Partim ex affectu quem post se relinquunt: nempe si remaneat mentis illustratio, animi affectio suauis, humilis, deuota, sanctaue consolatio, & promptitudo ad Dei obsequiũ: partim ex eo, quod ordinentur ad aliquod opus pium & consentaneum doctrinæ fidei, honestatique morum: vt ad aliquam tribulationem superuenientem ferendam patienter pro Christo. Non autem si accidant somnia significantia res futuras aut occultas, quarum cognitio non ad vtilitatem somniantis vel aliorum publicam aut priuatam: sed ad inanem curiosæ scientiæ ostentationem ferat; vel etiam ad faciendum aliquid mali: vt quando somnia sunt tetra & obscœna ac plena crudelitatis & impietatis. Nec enim credendum est Deum esse authorem talium, iusto fine carentium; cum non nisi magna de causa, ipse extraordinario modo homines doceat & illuminet. Partim denique id ipsum quod diximus, cognosci potest ex interiori quadam animorum illuminatione atque commotione (intimum] saporem D. Gregor. lib. 4 Dialog. cap. 48. vocat post D. Augustin. lib. 6. confess. cap. 13.) qua Deus sic mentem illustrat, sic voluntatem afficit suaui, honesta & efficaci inclinatione affectus, vt hominẽ certum faciat de fide & authoritate sui somnij, illud à Deo ipso esse: ficq; perspicue facit cognoscere, vt sine vlla dubitatione id credere velit, ac etiam debeat. Nempe vt naturale nostræ mentis lumen facit nos euidenter cernere veritatem primorum principiorum, eamq; statim sine vlla argumentatione amplecti; sic in somniis à Deo datis lumen diuinum animis nostris affulgens, facit vt illa vera ac diuina esse intelligamus, certoq; credamus. Vnde ob diaboli nequitiam & astutias, sine tali illustratione, somniis tanquam diuinis fides non videtur habenda præsertim cum Ecclesiastici 34. prohibeatur dare somniis cor nostrum, nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio.

De hoc diuinationis genere, latius agens Suarez in opere de religione, tract. 3. lib. 2. cap. 13. sub finem, duo notat quæ maxime faciunt ad nostrum institutum. Prius est: quando quis sine prudẽti discretione & iudicio facile credit somniis, à graui peccato nõ excusari ex eo, quod credat illa esse à Deo. Ratio est, qui exponit se euidenti periculo Diabolicæ deceptionis: & quantum in se est, vult talibus credere, etiamsi demoniaca essent: cum discernere nolit an talia sint necne: sicque subiiciat se disciplinæ dæmonis, illumq; tacite alliciat ad procurandum illud quod ipse putat somnio præsignatum. Grauior culpa vero erit in eo, qui alias expertus est, se in talibus deceptum esse.

Posterius est, quod etiam ex Caiet. in verbo Somniorum obseruatio habet Nauarr. in Enchir. cap. 11. num. 33. posse tale peccatum excusari à grauitate mortali, quando quis non omnino credit rem in somnio ostensam, esse veram, seu futuram; & nihilominus ad vitandum aliquod malum, ratione talis somnij aliquid operatur, quod alias malum non est, nec contra Dei, aut Ecclesiæ præceptum. Nam in eo non apparet grauis malitia: cum talis non tam credat quid eiusmodi esse à Deo, vel esse verum, quam esse posse; in quo minus est erroris, etiamsi multum sit vanitatis aut leuitatis, vel simplicitatis, aut superfluæ timiditatis. Verumtamen si quis ita sit somniorum obseruator, vt ordinarie per illorum indicationes gubernetur in rebus agendis, non potest excusari à graui illa culpa superstitionis, quæ auguriis æquiparatur Leuitici 19. cum dicitur: Non augurabimini nec obseruabitis somnia.]

Alia documenta notanda ad dignoscendum sortilegium Diabolicum.

QVartum documentum est, ex D. Thom. *in 2. 2. quæst. 95. art.* 8. sortes aliquando adhiberi ad diuinandum occulta, vel futura, indeque vocari diuinatorias: quarum exempla sunt in sacra Scriptura Iosue 7. cum repertus est Achan missis sortibus: & 1. Reg. 14. Saul iubet mitti sortes inter se & filium suum Ionatham; & Ionæ 1. deprehenditur Ionas sorte. Aliquando vero adhiberi ad deliberandum quid agendum sit, expectando iudicium à Deo ex euentu sortium; vnde dictæ sunt consultoriæ: quarum etiam exempla sunt in sacra Scriptura Leuitici 16. cum ex duobus hircis vnus sorte eligitur offerendus Domino: & 1. Regum 10. cum Saul sorte eligitur in Regem: & Actorum 1. Matthias sorte eligitur in Apostolum loco Iudæ proditoris. Aliquando denique adhiberi ad aliquid diuidendum, vnde vocantur diuisoriæ: de quibus exempla sunt in Leuitico, Deuteronomio & libro Iosue, cum hæreditas filiis Israel sorte diuiditur. 174.

Quintum documentum est, vti sortibus ex suo genere quidem indifferens esse (de quo in singulari, an bonum sit, iudicatur ex admixta ei religione, prudentia & iustitia; an vero sit malum ex contraria irreligiositate, vel imprudentia, vel iniustitia, *vt docet Caiet. in summula verbo Sors,*) attamen ob periculum superstitionis diabolicæ prohibitas esse absolute in Ecclesia, tam diuinatorias, quam consultorias sortes. Illas quidem in cap. 1. De sortilegiis, & 26. quæst. 5. cap. Aliquanti, cap. Peruenit, cap. Si quis Clericus, cap. Contra, & c. Episcopi: in quibus etiam præcipitur vt sortilegiis vtentes excommunicentur.

Has vero, prohibitas esse in cap. Sortes eadem quæst. 5. idque sub anathemate. Cuius tam seueræ prohibitionis causa est, quod merito tam hæ quam illæ, diabolicæ esse iudicentur: cum Deus nolit nos curiose inquirere ea quæ superant humani ingenij vires, *iuxta illud Ecclesiastici tertio, Altiora tẽ ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris*: impiumq; sit, vt talia expectare ab alio, quam à Deo, cuius sunt propria; ita & velle ad ea præstanda ipsum per sortes compellere, adeoque ipsum tentare: quod prohibetur Deut. 6. & Matth. 4. per illud; Non tentabis Dominum Deum tuum.] Accedit quod talibus sortibus ordinarie annexæ sint superstitiones, quas cum sortilegi occultare vellent, vocarunt sortes Sanctorum Apostolorum 26. quæst. 1. cap. 1.

Illa autem quæ de talibus sortibus in sacra Scriptura leguntur, nihil ad nos spectare notat ex D. Hieron. & Beda, Gratianus 26. q. 2. cap. 1. 2. & 4. quia in veteri lege cæremonia instituta fuit à Deo, quam seruarent volentes vti sortib. In noua autem lege cessarunt cæremoniæ veteris: & ideo non licet in illa, sicut in hac licuit, vti sortibus. Vnde vt inquit Beda ad cap. 1. Actorum Apostolorum: quamuis Apostoli ante acceptum Spiritum sanctum sorte elegerint S. Matthiam legali cæremonia; tamen post acceptum non sunt amplius vsi sortibus; sed oratione elegerunt septem Diaconos Act. 6. & aliquot presbyteros Act. 14. Et certe cum Christus omnia promittat orantibus, Matth. 7. & Ioan. 14. ac 16. absurdum est ad sortes confugere, quæ nullam habent illius promissionem.

Sextum documentum est: sortes diuinatorias nullis circumstantiis iustificari; vtpote innixas dæmonum societati. Hoc Caiet. expressit in verbo Sors: Consultorias vero iustificari; *ex eodem authore & aliis summulariis post D. Thom. 2. 2. quæst. 95. art.* 8 si debitus modus illis adhibeatur: qui est vt debitis ad Deum præmissis precibus, cum debita erga ipsum reuerentia, in illis tantummodo ambiguitatibus, in quibus humana ratio quid eligere debeat, penitus ignorat; accipiantur tales sortes: in quibus nihil indecorum admisceatur, nihil superstitiosum & characteribus signatum. Vnde prima conditio in illis retinenda, est articulus necessitatis: ne, *vt inquit Caiet.* tentetur Deus, vbi potest humana opera, puideri. Secũda, vt euentus expectetur à Deo non à casu, vel fortuna, vel ab astris. Quamuis non sit peccatum mortale expectare à casu vel fortuna (cum ex D. Thoma ibidem in eo cernitur

tantum-

tantum modo vanitas) sicut mortale est expectare à fato vel ab astris, vtpote superstitiosum, repugnans veræ religioni. Tertia conditio est reuerentia; ne scilicet irreuerenter consulatur Deus, vel cum aliquo abusu rerum sacrarum; vt reliquiarum, vel sacræ Scripturæ: assumendo eas ad decisionem negotiorum temporalium: *qui abusus reprehenditur 26. quæst. 2. cap. Hi qui.* Vt autem sit peccatum mortale, irreuerentia notabilis esse debet: alioqui ex leuitate materiæ censebitur veniale. Quarta est, debita materia: ne scilicet pro electionibus spiritualibus sortes assumantur. Cuiuscumque enim generis sortes reiici prorsus debent in Ecclesiasticis electionibus, ex cap. finali, De sortilegiis.

Septimum documentum esse potest quod habet Caiet. de sorte diuisoria (qua determinatur quid ab hoc vel illo habendum sit boni, aut patiendum mali in temporalibus) eam illicitam esse dupliciter. Primo, si imprudenter fiat: quia omnis actus humanus prudenti circumspectione & ratione formari debet. Secundo, si cum periculo communis boni, aut læsione proximi fiat. Illi enim inter quos mittuntur sortes, æquum ius habere debent, alioqui erit iniustitia, præsertim quando agitur de bono publico: vt si inter dignos & indignos mittuntur sortes pro officiis publicis obtinendis; quia fors cadere potest super indignum. Esse autem mortaliter illicitum, iudicatur ex eo, quod contra iustitiam, proximo vel bono communi præiudicium adferat notabile. Potest etiam iudicari ex eo, quod sit contra religionem, & induat rationem consultoriæ, si mittatur ad exquirendam Dei voluntatem, modo extraordinario, non seruatis quatuor conditionibus ante propositis. Secus autem quando principalis intentio eam mittentis, est vt auferantur lites, querelæ, & inuidiæ, iuxta illud Prou. 18 Contradictiones comprimit sors & interpotentes quoque diiudicat.] Tunc enim si adsint conditiones contrariæ à Caiet. traditis licita est tam in rebus ciuilibus, ex lege Si duobus, Cod. Communia De legatis; quam in Ecclesiasticis: vt patet ex iis quæ D. Thomas in corpore citati art. 8. sub finem habet. Qui & addit in solutione tertij argumenti: perinde ac sortes, damnandum esse iudicium ferri candentis ac feruentis aquæ (adde & duelli) quibus perinde ac illis tentatur Deus: vnde prohibentur etiam ab Ecclesia, 2. quæst. 4. cap. Consuluisti, & cap. Monomachiam.

CAPVT XVII.

De maleficio.

SVMMARIA.

175 *Definitio maleficij.*
176 *Eiusdem diuisio.*
177 *Peccatum est grauissimum.*
178 *Tres causæ, ob quas diabolus inducit maleficos ad vtendum rebus sacris ad maleficium.*
179 *Quomodo malefici possint, vel non possint nocere viris bonis.*
180 *Remedia aduersus maleficia sunt triplicia, & de naturalibus quid tenendum sit.*
181 *Quid de diabolicis.*
182 *Nullo modo licet in vno maleficio in remedium alterius.*
183 *Remedia diuina cæteris omissis vsurpanda.*
184 *Causæ propter quas non omnes maleficiati per talia curentur.*

HActenus persecuti sumus quæ pertinent ad duas primas species magiæ generaliter dictæ; tertia quæ sequitur vocatur maleficium aut fascinum. De quo docendum est primo, quid & quotuplex sit. Secundo, quale peccatum sit. Tertio, quæ sint remedia aduersus maleficia.

Quid & quotuplex sit maleficium.

SECTIO I.

175. DEfiniri potest maleficium, superstitio qua quis alteri nocet virtute dæmonis. In qua definitione, *superstitio*, ostendit illud in quo maleficium conuenit cum aliis speciebus magiæ: sicut & quod sequitur, *qua alteri nocet*, ostendit id in quo separatur ab iisdem: quæ non sunt comparatæ ad nocendum aliis, sed ad captandum inanem opinionem hominum.

Additur vero, *vi tute dæmonis*, vt intelligamus maleficium non nocere per se, sed opera dæmonis; cum quo maleficus habet pactum tacitum vel expressum. Signum autem quo maleficus ipse vtitur, vt dæmon noceat aliis, dicitur quoque maleficium: & ij quibus nocet vocatur maleficiati; vnde extat in decretalib. titulus, De frigidis & maleficiatis.

Duplex autem est maleficium: quorum vnum dicitur amatorium, cuius exemplum habet D. Hieron. in vita S. Hilarionis; & est, quo homines excitantur ad amorem & maxime ad impudicum, quod fit per filtra. Et quamuis dæmon ex se non possit mouere aut cogere voluntatem ad amandum: excitare tamen potest tribus modis. Primo quidem, mouendo imaginatiue nem, repræsentandoque illi varia phantasmata inducentia ad amorem. Secundo, adhibendo multas causas naturales quę faciunt res apparere pulchriores quam sint, & tegunt turpitudinem perstringendo oculos, illudendoque sensibus. Tertio, mouendo sensitiuum appetitum concupiscibilem, in quem magnam habet vim, propter originale peccatum. Nec tamen propterea excusantur à peccato qui sic turpiter amant, cum facile possint diabolo resistere, atque à tali maleficio esse liberi, si per deuotas preces & pia opera ad Deum confugerent. Alterum vero maleficium dicitur venificum: & est quo opera diaboli, nocet quis alteri in sua, vel suorum persona; inferendo nimirum mortem vel morbos, vel dolorē aliquem. Aut etiam in suis bonis ac rebus externis, id est, in iumentis, pecoribus, vineis, segetibus, &c. Quod fieri potest vel à maleficо, adhibendo causas naturales vt venena; vel à diabolo, sic vt maleficus adhibeat solum signa superstitiosa quibus videtur facere, quod non ipse, sed diabolus facit. 176.

Cum autem dæmon omni tempore velit & tentet hominibus nocere, nec id omittat cum ei permittitur à Deo: libentius peruersam illam voluntatem exequitur per alios homines quam per seipsum tribus de causis. Prima est, vt pluribus & frequentius noceat; multa enim dæmon potest per homines, quæ non potest per se facere. Nam per magos restitit Moysi Exod. 7. & 8. & Apostolis Actorum 8. & 13. & quotidie per homines excitat multas hæreses, aliaque facit quæ per se ipsum facere non posset. Sic enim per maleficos sæpe abutitur rebus sacris illisque infert iniuriam, quod non posset per seipsum facere: sicut & per malos homines, Christo multas iniurias atque adeo mortem intulit, quod per seipsum facere non potuit. Secunda causa est, quod plures & facilius decipiat, quando agit per alios homines: propterea quod omnes diabolum ipsum malū esse sciunt, abhorrentq; naturaliter ab illius consortio. Tertia est, quod ea ratione maiorem Deo iniuriam inferat dum abutitur hominibus quos condidit ad imaginem suam; & præsertim dum illis, qui ei per baptismum consecrati sunt.

Quale peccatum sit maleficium.

SECTIO II.

GRauissimum peccatum est maleficium cum includat pactum tacitum vel expressum cum diabolo: & sæpius habeat coniunctam apostasiam, vel hæresim, & iniustitiam, ac etiam sacrilegium. Apostasiam quidem cum maleficus ex animo renunciauerit fidei: hæresim vero, cum adorauerit dæmonem putans ei conuenire aliquam Dei proprietatem: aut Sanctos, vel res sacras nullius momenti esse existimauerit, aut illis virtutem inesse ad effectus malos, quibus ipse dat operam. Iniustitiam autem cum maleficus damnum proximo intulerit in persona siue propria, siue etiam aliena coniuncta, vt in vxore, filiis, &c. vel in ipsius rebus seu bonis externis: quo casu tenetur ad restitutionem damni illati: siue per se, siue per causas naturales, siue virtute dæmonis illud intulerit: sicque homicidium fit efficitur irregularis, & omnes pœnas homicidæ incurrit. Vnde Confessarius debet diligens esse in inquirendis maleficij circumstantiis. Sacrilegium denique, cum maleficus ipse ad maleficium abusus fuerit rebus sacris; vt Eucharistia, aqua benedicta, & aliis quibus nulli magorum quam malefici frequentius abutuntur. 177.

Quos

178. Quos diabolus videtur ad id inducere tribus de causis. Prima est, vt illos faciat non tantum magos, sed etiam sacrilegos. Secunda vt quo grauius peccant, eo plura Deus ipsi permittat in illos, & in alios homines, qui occasione illorum peccãt. Fit enim vt ob huiusmodi nefanda scelera, ille plurib. noceat, quibus alioqui nocere non posset: præsertim iis qui maleficos ipsos recipiunt, vel commendant, vel fouent, vel non admonent, vel non puniunt, cum id facere possint & teneantur. Tertia causa est, vt plures eo modo decipiat: quia illis qui aliquid rebus ipsis sacris tribuunt, persuadet tales effectus non fieri diabolica superstitione, sed potius diuina virtute, cum fiant per res sacras. Illis vero qui parum tribuunt rebus sacris, persuadet vt eos omnino contemnant.

179. Si quæras an malefici nocere possint viris bonis. Respondetur, quod quando illi vtuntur causis naturalibus ad nocendum, vt venenis, possint sine dubio quibuslibet hominibus nocere. Esset enim miraculum si causa naturalis, effectum suum non sortiretur, nullo alio interueniente impedimento, quam quod à Deo suspenderetur. Quando vero ipsimet non agunt sed Diabolus, tunc bonis raro noceant; nec id faciant nisi Deo permittente propter maius bonum eorum qui patiuntur.

Solent quoque malefici (noctu præsertim, qua ratione striges & lamiæ vocantur) nocere infantibus, etiam iis qui iam baptizati sunt: vt notat D. Augustin. in lib. 21. De ciuit. Dei cap. 14. quamuis non tam noceant infantibus (qui si intereant statim adipiscuntur vitam æternam, vt ibidem addit D. Augustin.) quam parentibus ipsorum, ad quorum puniendã peccata, vel probandam fidem, Deus id permittit: & interdum quia infantes ipsi à nutricibus veneficis diabolo offeruntur.

Quæ sunt remedia aduersus maleficia.

SECTIO III.

180. TRiplicis generis remedia aduersus maleficia adhiberi solent: quædam naturalia, vt quæ petuntur ex herbis & pharmacis medicorum: quædam diabolica, vt quæ petuntur à maleficis, vel potius à diabolo; & quædam supernaturalia ac diuina quæ petuntur à Deo, de quibus ordine dicendum est. De primi generis igitur remediis recte statuere videtur Angelus in verbo Superstitio, quæst. 6. lapides, herbas, & medicinas naturales nihil efficaciter posse efficere directe, & proxime contra dæmonem: quia res corporeæ non habent vim agendi in spiritum: posse tamen consequenter & indirecte efficere aliquid: impediendo nimirum, vt auferendo dispositionem, qua in maleficiato dæmon vtitur ad perficiendum maleficium, vt a'icuius humoris intemperie, ad ingenerandum languorem corporis.

181. De cuiusmodi remediis duo occurrunt mouenda. Prius est, illorum vsum approbari, 26. quæst. 7. cap. finali, dummodo nullam incantationem aut superstitionem habeant annexam. Id quod cognosci poterit iis modis qui antea in cap. 15. à num. 157. traditi sunt cognoscendi pactum tacitum cum dæmone. Posterius est, si maleficium consistat in operatione dæmonis, talia remedia posse quidem remittere illud aliquatenus, non tamen tollere omnino: quia si Deus permittat, facile est dæmoni illorum efficacitatem impedire, siue ea corrumpendo, siue eis resistendo adhibitis contrariis. Si maleficium consistat in effectu permanente ad instar vulneris inflicti; aduersus illud remedia naturalia possunt perinde valere, ac si ipsum pederet à causa naturali. Vnde ex ea parte proprium est medicorum de illis remediis statuere.

De remediis secundi generis, hoc est, diabolicis: Notandum est primo: sicut non est licitum vti arte magica siue per se, siue per alium, ad curationem morbi orti à causis naturalibus (siquidem vt probat Thom. Sanchez *in lib. 7. de Matrimon disput. 95. num. 1.* intrinsece malum est auxilium à diabolo petere per maleficia) ita nec licitum est vti ad curationem morbi per maleficium causati. Nam ratio deformitatis eadem est in vtraque curatione: cum omnia paria sint in vtraque, excepta diuersitate causæ, à qua oritur morbus curandus. Quæ diuersitas non est circumstantia moralis, ex qua deformitas ipsa curationis pendeat, vt satis manifestum est.

Notandum est secundo, licitum esse cuiuis, destruere signum superstitiosum positum à malefico, vbicumque illud scitur esse: tum quia bonum est, ac cuique licitum, in contemptum diaboli opera ipsius dissoluere, & ne noceat impedire, vt patet à simili: quia id perinde est, ac si quis pactus esset cum sicario vt apposito ad fores Petri certo signo, eas effringat ac domum ingressus eundem Petrum male mulctet: quod quis sciret, non modo posset licite, sed etiam deberet ex charitate signum eiusmodi tollere. Tum quia, cur talis destructio sit illicita, nõ potest alia ratio reddi; quam vel quod sit quædam inuocatio dæmonis, vel pactum quoddam cum eo. At neutrum est, non quidem de se, cum rationem habeat auersionis ab operatione diaboli; neque ex intentione destruentis, vt supponimus. Nam qui id faceret animo superstitioso non exercearetur: vt si quid vsurparet, per quod putet diaboli fauorem elici: aut ex destructione signi non expectet puram nocumenti cessationem; sed etiam politiuam actionem dæmonis, siue illius qui nocet, siue alterius potentioris, à quo impediatur nocere: aut demum vtatur medio de quo dubitat an tacitam dæmonis inuocationẽ contineat. Pro hac doctrina authores commemorat Sanchez in seq. disput. 96. num. 3. & rationes quibus impugnari potest ibid. num. 6. soluit. Idem facit Leon. Lessius De iust. & iur. lib. 2. cap. 44. dub. 6. quibus accedit Suarez in tom. 1. De relig. tractat. 3. lib. 2. cap. 17. à num. 9. vsque ad finem.

Notandum est tertio, quod ibidem Lessius num. 45. & Suarez num. 16. atq; aliis citatis Sanchez in opere morali, lib. 2. cap. 41. in fine, docent non solum esse licitum tollere signa magica: sed etiam ponere alia, quibus positis vel pactum diabolicum destruitur, vel signa illius, vim suam amittunt, vel diabolus nocere desinit. Ratio est, quod id non sit inire nouum pactum, sed destruere aut impedire prius initum, vt diabolus desinat nocere. Ad quod vti re de se bona vel indifferenti; *cuiusmodi supponimus esse illa alia signa*, ex bono fine, qualis est curatio languidi, bonum est, nisi idipsum vitietur alia circumstantia mala: qualis esset si adhiberentur per modum declarationis amicitiæ, aut summissionis vel deprecationis: cum non liceat vllam societatem inire cum dæmone, iuxta illud 2. Corinth. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? Nec se submittere ei, eumve deprecari ob obtinendum ab eo auxilium: quod esset nefarie eum præferre Deo: *vt indicatur per illud quarti Regum cap. 1. Nunquid non est Deus in Israel, vt eatis ad consulendum Beelzebub &c.*] Eum, inquam, qui hostis noster est, à quo bonum corporis expectari non potest, nisi in animæ perniciem. Si obiicias in memorato vsu, effectum expectari à dæmone. Respondetur, non expectari positiuum; quod esset iniuriosum Deo iuxta illud Psalm. 123. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram: sed solum cessationem à malo; qui licite potest etiã à dæmone peti; non quidem per modum deprecationis, sed per modum obiurgationis & contemptus, imperando ei in nomine Dei, vt cruenta bestia ac miserabilis malefacere cesset. Procedit autem hæc doctrina vt Sanchez loco cit. nu. 21. notat etiamsi maleficium sublatum, in maleficum aut aliquẽ aliam redundare deberet, iuxta pactum ab eodem malefico initum cum dæmone: quoniam auferendo tale signum nõ cooperatur ad alienum damnum, sed solum se tuetur ablato sibi nocente, nec iniuriam facit postponendo alienum damnum suo proprio, quia non causat illud eo ipso.

182. Notandum est quarto, licitum esse petere à maleficis vt signum superstitiosum in quo maleficium consistit, indicet si sciat, & auferat dummodo possit tollere absque nouo maleficio: ac petens sit ea mente & voluntate, vt desideret suam petitionem impleri licito modo, nihilque velit habere cum diabolo commune, nec vlla ratione vti eius opera; sed tantum illa humana actione auferendi, quam quilibet alius exequi posset sine peccato. Quæ doctrina est Caiet. in verbo Maleficium in fine: quam in tom. 2. opusc. tract. 12. docet non habere locum, si petens probabiliter putet, quod talem destructionem Magus exequetur per suã artem magicam potius, quam alio modo licito: quoniam ageret contra suã conscientiam: q. non licet, etiamsi sit tãtum dubia: ex antedictis suo loco in lib. 13. de eadem conscientia. Probatur vero illa ipsa doctrina, quia petere à malefico vt licito modo signum memoratum tollat, nihil aliud est quam petere vt cesset iniuste nocere proximo; quod de se bonum est, ad illudque te-

netur

netur ex iustitia: & potest (*vt supponimus*) præstare sine peccato si velit. Quod cum ita sit, sane idipsum potest peti ab eo. Alias vero ne absolute quidem licitum esse petere, patet: quia quod nequit bene fieri, non potest bene peti vt fiat. Vbi aduerte magum quia communiter nouit solum media superstitiosa interrogandum esse quodnam cognoscat à se vsurpandum: siq; recuset dicere vehementem contra eum de superstitione suspicionem esse: sin illud explicet, videndum esse an sit superstitiosum: ad quod seruient documenta tradita cap. 15. à num. 157. & cap. 16. à num. 171.

Notandum est quinto, cum Caiet. in eod. loco & Sylvest. in verbo Maleficium, quæst. 8. & Nauar. in Enchirid. cap. 11. num. 29. & Alphonso à Castro lib. 1. De iusta hæret. punit. cap. 15. Couar. ad cap. Quamuis pactum, de pactis in 6. par. 1. §. 1. num. 10. aliisq; communiter contra Angelum in verbo Superstitio, num. 13. Non licere maleficium etiam paratum, inducere vt per vnum maleficium auferat aliud: quia non licet consentire seu cooperari peccato alterius, ad Rom. cap. 1. in fin. Id autem est inducere alterum ad peccatum: quale maleficium esse, constat ex supradictis, & ex cap. Non liceat, 26. quæst. 5. & ex cap. Non obseruentis, in seq. quæst. 7. Neq; in eo, sicut in vsura & iuramento infidelium, locum habet distinctio: quod aliud sit inducere alterum ad peccandum, & aliud vti malitia alterius peccati ad peccãdum. Sciendum est enim actiones malas in duplici differentia esse: quædam enim sunt intrinsece naturaq; sua malæ, ita vt nunquam possint bene fieri: vt mentiri, fornicari, cõmittere aliquid contra Deum; atque tales nunquam licet petere ab alio. Quædam vero sunt natura sua bonæ, & quæ bene fieri possunt, sed malæ fiunt ratione alicuius circumstantiæ malæ: potestque quis tales, quæ in se bonæ sunt aliquando ab alio licite petere: vt quando habet ius eas petendi. Sic ergo licet petere mutuum ab vsurario, quantumuis daturus sit cum vsura: & iuramentum ab infideli, qui iuraturus est per falsos deos: quia tam dare mutuum, quam iurare, est actio de se bona. Non licet autem tollere vnum maleficium per aliud: quia maleficium est actio natura sua mala, quæ nunquam potest bene & sine graui peccato fieri, cum sit vsus diabolicæ artis magicæ; adeoq; tacitam saltem, includit in se dæmonis inuocationem, per quam scelus maximum contra veram religionem committitur.

Notandum est sexto, non esse licitum aduersus maleficium petere remedium ab eo malefico qui illud non nouit. Nam ad tale genus hominum in nostris difficultatibus recurrere prohibemur Leuit 20. vers. 6. & Deut. 18. vers. 10. & in iure Canonico 26. quæst. 2. cap. Qui sine Saluatore. Deinde illa petitione id peteretur, quod nequit fieri sine peccato. Nam maleficus ille nesciens vbi positum sit signum: non potest illud auferre nisi inuocet dæmonem, vel adhibeat aliud maleficium, quæ sunt prorsus illicita. Notat vero Sanchez in opere Morali lib. 2. cap. 41. num. 20. si maleficus vbi positum sit signum iam sciat: etiamsi per maleficium id à dæmone didicerit, licitum esse tali scientia vti ad illud tollendum. Et ratio esse potest; quod instrumenti vsus, non sit eo solo nomine illicitus, quod illud fabricatum sit & datum à persona nequam, ac perdita.

Remedia diuina aduersus maleficia.

SECTIO IV.

183. DE remediis tertij generis docendum est quænam ea sint, ad quæ relictis aliis vanis recurrere debeamus. Præcipua autem ex veteri Ecclesiæ Catholicæ recepto vsu collecta à bonæ memoriæ Magistro meo P. Ioan. Maldonato, cum de dæmonibus scholas haberet Parisiis: sunt hæc.

Primum legimus vsus Sacramentorum à Christo Domino institutorum. Nam vt diabolus per Sacramẽtorum abusum, liberam habet potestatem nocendi hominibus: ita per eorundem legitimum vsum habet impeditam. Valent ergo aduersus maleficia baptismus & confirmatio, in eo (quandoquidem iterabilia non sunt) qui illis nondum est initiatus. Item sincera peccatorum confessio, præsertim generalis totius vitæ? vt Beda ostendit lib. 3. in Lucam cap. 32. exponens verba illa: Quod tibi nomen est, & ille respondit Legio. Item q; sacrosancta Eucharistia ex D. Cypriano in serm. 5. de lapsis. & D. August. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. vbi docet Missę sacrificium multum prodesse aduersus dæmonis vexationes: Atque quo frequentior fuerit vsus Eucharistiæ debitus; eo erit præsentius remedium aduersus maleficia: vt ostenditur exemplis illis quæ referuntur à Cassiano collat. 7. cap. 30. & à Palladio in sua historia cap. 19. vbi habet D. Macario Ægyptio reuelatum esse à Deo fœminam quandam ad se adductam, ideo apparuisse aliis omnibus equam, quod quinque hebdomadis abstinuisset ab Eucharistia.

Secundum remedium est, donum quoddam aliquibus à Deo concessum ad expellendum dæmones; quale fuit in memorato D. Macario ex Palladio ibidem: & in D. Anton. ex D. Athan. in ipsius vita. Vt enim ad alias res efficiendas, sic ad expellẽdum dæmones esse aliquod proprium donum, quod non tantum in bonis, sed etiam in malis, *dummodo habeant veram fidem*, inueniri possit, patet per illud, quod reprobi in cap. 7. D. Matthæi referuntur dicturi in die iudicij. Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus, &c.

Tertium remedium, est ordo exorcistarum, qui vnus est ex quatuor minoribus: & quem aduersus maleficia conferre patet ex eo, quod S. Firmilianus in epistola ad S. Cyprianum, *quæ est 75. inter huius epistolas*, refert magam insignem ab exorcista quodam fuisse exorcismis curatam. Ratio autem seu forma exorcizandi habetur in Sacerdotali Romano: & apud Sprengerum in malleo maleficarum par. 2. quæst. 2. cap. 6.

Quarum remedium est inuocatio nominis Christi, quod initio nascentis Ecclesiæ fuit frequentissimum authore D. Iustino in Tryphone: vbi hoc argumento, Iudæis probat Christum esse Deum: sicut & in apologia 1. probat gentibus, ipsum non esse irridendum vt hominem, sed colendum vt Deum.

Quintum remedium est, pia oratio ex cap. 6. & 8. Tobiæ, & ex cap. Non liceat, 26. quæst. 5. & ex cap. Non obseruetis, in seq. quæst. 7. vbi admonemur aduersus maleficia vti recitatione Symboli & orationis Dominicæ. Nec immerito, cũ melior orandi forma esse nõ possit quam hæc à Christo prescripta: & illud cõtineat totam nostram fidem, quæ scutum est in quo possumus omnia tela nequissimi ignea extinguere, ex D. Paulo in cap. 6. epist. ad Eph. vers. 16.

Sextum remedium est ieiunium, iuxta illud Matth. 17. & Marc. 9. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione & ieiunio. Quæ verba sic accipienda sunt, vt sensus sit, ieiunium quidem & orationem valere ad omnia Dæmoniorum genera eiicienda: sed illud genus, id est, lunaticum, non expelli nisi in oratione & ieiunio, eo quod forte tale genus, sit eorum dæmoniorum quæ ad ingluuiem incitant (qualia dari aliqua patet ex Palladio in vita Macarij cap. 19. & 20.) & consentaneum sit, contraria oppositis contrariis curari.

Septimum remedium est signum crucis, quo contra idololatriam & maleficia non esse præsentius remedium ait D. Athan. in lib. De incarnatione Verbi, tomo 1. Quod confirmatur per historiam Iuliani Apostatæ, dæmonibus sacrificaturi, quam refert D. Nazianz. in orat. 1. contra ipsum. Certe, vt à D. Chrysost. hom. 50. in Matthæum dictum est: dæmon terretur signo crucis, sicut latro aspectu patibuli. Rationes bonas huius remedij quas habet Leonardus Lessius, qui volet videat apud ipsum, de iust. & iure libro 2, cap. 44. num. 33.

Octauum remedium, sunt reliquiæ Sanctorum, quas aduersus dæmones magnam vim habere constat. Nam D. Nazianzenus in orat. de Cypriano, asserit dæmones suo tempore pulsos apud sepulchrum D Cypriani: & D. Ambros. serm. 77 & 91. dicit ad reliquias Sanctorum Geruasij & Protasij auditos esse rugitus dæmonum. Cauendum est autem, ne ad reliquias superstitiosum aliquid addatur, vt recte monet Syl. in verbo Reliquiæ quæst. vltima.

Nonum remediũ est aqua benedicta; de qua D. Clemens in constitutionib. Apostolorum lib. 8. cap. 29. & Alexander primus relatus De consecrat. distinct. 3. cap. Aquam sale. Cuius remedij multa exempla habentur. Illud attigisse sufficiet ex Theodoreto in lib. 5. Ecclesiast. histor. cap. 21. de Marcello, qui aqua fugauit dæmonem impedientem inceptum cuiusdam templi. Ad idem remedium, facere aquã baptismalem quæ consecratur in vigilia Paschæ, & Pentecostes, deduci potest ex cap. In Sabbatho De consecr. distinct. 4.

Decimum remedium est oleum consecratum pro infirmis: cuius vsus in primitiua Ecclesia, patet ex cap. 6. D. Marci vers. 13. & 15. & ex constitutionibus Apostolorum loco cit. Exemplum habetur ex Beda de oleo & sale lib. 3. in Lucam cap. 32. De sanctimoniali fœmina, sale & oleo benedicto curata ab vlceribus quæ dæmonis tactu contraxerat. Ad quod remedij genus reduci possunt Agnus Dei, & cerei benedicti, & similia.

Vndecimum est præsentia & specialis virtus quorundam Sanctorum adhuc viuentium. Sic enim Palladius ait in vita Macarij, quod ipso ingrediente in desertum dæmones semper retrocedebant. Et in vita Pauli simplicis notat, simplicitati ipsius esse tributam expulsionem dæmonis, quem magnus Antonius expellere non poterat.

Duodecimum remedium, est principium Euangelij D. Ioan. descriptum & collo appensum, ad protestandam contra dæmones nostram fidem de Trinitate & Incarnatione: quæ in eod. initio tota continetur. Qua in re, sicut & in recitatione Symboli assumi scutum fidei aduersus tela nequissimi, par est existimare. Vsitatissimum autem fuisse in veteri Ecclesia, vt dictum initium Euangelij D. Ioannis in membrana descriptum Christiani appenderent collo, authores sunt D. Hieron. ad verba Domini Matth 23. Dilatant phylacteria sua: & D. Chrysost. homil. 73. in Matth. Licitum vero esse tale remedium, ac etiam alterius similis scripti pij collo appensi, docet D. Thom. 2. 2. quæst. 96. art. 4. dummodo tamen duæ adsint cõditiones: prior est, vt nihil superstitiosum adiungatur piis verbis. Id quod deprehẽdi poterit per ea quæ in cap. 15. à num. 157. ante dicta de modis cognoscendi pactum occultum cum dæmone. Posterior conditio est, vt recta sit intentio illius qui talia gerit; nempe vt ea non feratur ad chartam vel literas, aut syllabas seu scripturam, sed ad piũ verborum sensum, & principaliter ad potestatem Dei, cuius diuinę voluntati ille debet totum effectum committere, nec certum aliquid sibi polliceri.

184. Cæterum cur non omnes sanentur per hæc remedia; duæ causæ esse possunt: altera est peccatum vel maleficiati, vel illius qui eum curat: præsertim si aliqui superstitiosum remediis ipsis adiungat: altera est maius bonum illius qui patitur maleficium. Nam temporalis afflictio sæpe hominem præseruat à peccatis, vel purgat præterita peccata, vel præbet aliis exemplum patientiæ, & patientis meritum auget; quod est tantum bonum, vt longe præstantius sit & melius cum patientia tolerare aduersa, quam omnino non pati: quod Gentiles quoque intellexisse notat D. August. in 22. De ciuit. Dei, cap. 22. Vbi tangit quoque aliam rationem, ne si per miracula homines semper liberarentur à malis temporalibus, quærerẽt Christianam religionem propter eadem temporalia, non propter æterna bona.

CAPVT XVIII.

De vana obseruatione.

SVMMARIVM.

185 *Vana obseruatio vnde nomen habeat, & quid sit:*
186 *Quadruplex vana obseruatio.*
187 *Quale peccatum sit.*
188 *Cur vitanda vana obseruatio.*
189 *Quomodo ad vanam obseruationem pertineat collectio herbarum, aut lignorum certo die vel hora.*
190 *Quando strenæ ad vanam obseruationem pertineant.*

185. SVPEREST vltima species magiæ, hoc est, vana obseruatio, de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 96. Dicemus autem 1. quid sit, 2. quotuplex sit, 3. quale peccatum sit, postremo quomodo dignosci possit. Quod attinet ad primum, vana obseruatio (quæ sic dicta est, ex eo quod effectus qui per eam promittitur, vt plurimum non sequatur in detrimentum animæ) definiri potest superstitio, qua speratur aliquod commodum ex re, quæ illud naturaliter præstare non potest. Vbi aduerte quod vt diuinatio, de qua ante dictum est, aduersatur diuino honori, eo quod per illam indebito modo procuretur cognitio quæ est Dei propria: ita etiam vanam obseruationem aduersari eidem: quia per illam indebito etiam modo, *mediis nimirum inutilibus*, procurentur commoditates, quæ non adhibitis vtilibus mediis ordinariis, à diuina tantum potentia & prouidentia sint expectandæ.

186. Quod attinet ad secundum; quadruplex distingui posse videtur vana obseruatio: vt prima sit, quando commodum expectatur in rebus externis; videlicet in animalibus, segetibus, vineis, &c. Secunda vero quando expectatur bonũ corporis: vt sanitas, liberatio ab hostibus, non posse vulnerari, vel interfici, defendi ab igne vel ab aqua. Tertia autem, quando expectatur bonum animæ naturale, vt ars aliqua vel scientia: taliq; fuit ea obseruatio, quæ à D. Thoma in cit. quæst. 96. art. 1. damnatur, artis notoriæ: qua nonnulli ex quibusdam ieiuniis & orationibus superstitiosis expectabant scientiæ adeptionem sine humano labore. Quarta deniq;, quando expectantur bona supernaturalia: vt certa remissio peccatorum omnium, certa salus, visio Christi vel diuæ Virginis in articulo mortis; per certas quasdam orationes; aut per incertas quasdam indulgentias, de quibus nulla habetur diuina promissio. Quo referri potest gestatio reliquiarum aut initij Euangelij D. Ioãnis (alioqui licita ex D. Thom. in 3eq. art. 4.) si ei adiunctę sint circumstantiæ aliquę superstitiosæ, de quibus timeatur tacitum pactum cum diabolo.

187. Quod attinet ad tertium, vanam obseruationem, si contineat pactum expressum cum diabolo; dubium non est peccatum mortale esse: sin habeat solummodo tacitum, peccatum est solum veniale in eo qui tale quid in suo facto contingere ignorat. Qui tamen de veritate admonitus à discreto viro, adhuc perseuerat in eo, mortaliter peccat, vt Sylu. in verbo Superstitio, quæst. 10. in fine, habet ex Archid. Et ratio docet: quia eo ipso vult expresse commercium cum dæmone inire.

188. Quod attinet ad vltimum: vana obseruatio in qua inest expressum pactum cum dæmone, ex se facile dignoscitur: ea vero in qua inest tantummodo occultum, deprehenditur iis modis qui in cap. 15. à num. 157. supra positi sunt.

Atque vt illam, sic & hanc, omni studio vitandam esse ostendendũ est pœnitenti per illud quod à toto genere, vanę obseruationes multum nocent: dum enim quis nimium confidit talibus nugis, eo adducitur vt se liberius periculo mortis exponat, Sacramentorũ vsum contemnat, aut in longius tempus differat: eo quod existimet se sine Sacramentis & extra Dei gratiam mori nõ posse: & sic de similib. per quę illi pernicioſe diabolus imponit. Cæterum multa vanarum obseruationum exempla leguntur apud Gratianum, præsertim 26. quæst. 2. cap. Illud, & quæst. 5. cap. Non licet & seqq. vsque ad finem eiusdem quæstionis.

189. Aliquot satis frequentia commemorat Nauarrus in Enchir. cap. 11. num. 35. & tribus sequentib. & ex recentioribus Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 40. num. 27. & aliquot sequentib. Sed aduerte circa illud quod in cit. cap. Non licet, quæst. 5. & in cap. Non obseruetis, quæst. 7. videntur damnari illi, qui certis temporibus colligunt herbas; vel cædunt ligna pro ædificiis: intelligendum esse, *quemadmodum ex Archidiacono adfert adhuc in cit. quæst.* 10. *Syluester*, quando id fit ex superstitione: vt censetur fieri, quando obseruatur vnicus tantum dies vel vnica hora; vt vigilia S. Ioannis ante solis ortum, vel adduntur circumstantiæ inutiles, & orationes non approbatæ. Non autem quando obseruatio fuerit naturalis ex motu cœlorum: ratione cuius vno tempore herbę collectæ, meliores sunt ad medicinam, & ligna cæsa vtiliora ad ædificationem.

190. Circa illud etiam quod in cit. cap. Non obseruetis, videntur damnari illi qui strenas dant in principio anni: notandum est Christianos ita abhorruisse à more Gentilium, quo magna celebritate in honorem Iani primum diem anni celebrabant, vt ipso die ipsi ieiunare solerent, vt habetur ex D. Ambros. in serm. 17. & ex Conc. 4. Toletano Can. 10. Atque illis qui relicto ieiunio Ecclesiastico, festum cum Gentilibus celebrarent, excommunicatio imponeretur ipso facto incurrenda: quæ habetur in cit. quæst. 7. cap. Si quis Calendas. Ac cum Gentiles tunc strenas dare quoque solerent, talis etiam vsus tanquam diabolicus est in Ecclesia prohibitus, vt patet ex Can. 1. Concilij Altissiodorensis. Vnde non est dubium, quin si iam darẽtur more Gentiliũ superstitioso, id est, tanquam certum augurium, peccatum esset graue, aut diabo-

licæ

licæ diuinationis, aut vanæ obseruantiæ. Sed si dentur tantum in augurium aliquod incertum ex quo nihil nisi fortuito expectetur, nõ videtur plus quam veniale peccatum esse: à quo tamen valde abstinendum est propter periculum assuescendi vanitatibus, quibus solet diabolus se immiscere. Quinimo si dentur tantum propter consuetudinem, quæ iam à Christianis communiter obseruatur, nullum est peccatum, sicut nec est (sed potius sanctum & pium) quod is dies festus agatur, non quidem more Gentilium; sed Christianorum, in honorem circumcisionis Christi Domini: præsertim cum cessarint Gentilium superstitiones, propter quas, tum illius diei celebritas, tum strenæ tanquam diabolicæ, videbantur omnino vitandæ.

CAPVT XIX.

De pœnis quas incurrunt ij, qui diabolicis artibus dant operam, aut illos consulunt.

SVMMARIA.

191 *Mors tum corporis, tum animæ subiiciuntur iure diuino, dantes operam diabolicis artibus.*

192 *Septem pœnæ, quibus iidem subiiciuntur iure Ecclesiastico.*

193 *Aliæ quinque, quibus adhuc iidem subiiciuntur iure ciuili.*

194 *Leges ciuiles, quæ talibus pœnam mortis imponunt, iustissime esse censeri debent.*

195 *Pœnæ consulentium diuinatores, seu magorum opera utentium.*

196 *Quale peccatum sit eorum, qui intersunt spectaculis magorum.*

191. ADVERSVS vtentes diabolicis superstitionibus, quos communi nomine magos vocamus, iure diuino statuta est pœna mortis tam corporis, vt patet ex cap. 22. Exodi, vers. 18. & cap. 20. Leuit. vers. vlt. quam animæ; cum peccent mortaliter, vt in præcedentibus expositum est: & per consequens fiant æternæ damnationis rei.

192. Iure humano vero incurrunt 12. pœnas, quarum septem ius Ecclesiasticum imponit, reliquas ius ciuile. Prima igitur est, quæ habetur in cap. 1. De sortilegiis, vt illis imponi debeat pœnitentia 40. dierum: quando nimirum crimen ipsorum fuerit occultum, vt Sylucst. notat in verbo Superstitio quæst. 11. Secunda (quam ibid. Sylucst. refert ex cap. Pro dilectione De consecrat. distinct. 2.) est, vt talibus cum notorij fuerint non administretur sacra communio; nisi prius egerint pœnitentiam, ex qua de conuersione ipsorum & reuersione ad Dominum constet, iuxta ibidem proxime sequens capitulum Scenicis. Tertia est, quod tales sint infames ipso iure, nec admittantur ad accusationem, vt habetur ex cap. Infames, 6. quæst. 1. Quarta est, vt tales excommunicari debeant, ex cap. Si quis Clericus, cap. Auguriis, & cap. Episcopi 26. quæst. 5. Quod quidem censendum est executioni mandatum esse per statutum synodale: in iis locis in quibus solent Parochi die Dominico inter Missarum solemnia inculcare populo, sortilegos & sortilegas, vsurarios & vsurarias excommunicari. Eam alias non incurri ipso facto notat Suarez in opere de religione tract. 3. lib. 2. cap. vltimo: causam referens in Ecclesię consuetudinem tanquam canonum interpretem. Quanquam, vt idem bene addit, qui expressum pactum cum dæmone habuerunt, præsumi possunt ad magiam adiunxisse hæresim, qua de diabolo crediderint aliquid contrarium fidei, & ideo incurrerint ipso facto in excommunicationem latam cõtra hæreticos, & reseruatam in Bulla Cœnæ Domini. De quo, an res vere ita habeat, ad officium Confessarij pertinet diligenter inquirere.

Quinta pœna est, vt si ille qui tale crimen committit, sit Ecclesiasticus, deponatur ab omni officio & beneficio Ecclesiastico, & detrudatur in monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam. Hæc ex ead. quæst. habetur per ea quæ statuuntur in cap. Non oportet, cap. Si quis Episcopus, & cap. Quicumque. Intelligenda est autem ex Sylu. loco citato, quando quis admonitus non abstinuerit à tali crimine: id quod insinuatur, crm in cit. cap. Quicumque dicitur: Si eum antea veræ pœnitudinis, coram Metropolitano, satisfactio non purgauerit. Sexta pœna est, vt siue Clericus sit, siue laicus, debeat damnari perpetuo exilio. Hæc habetur in fine eiusdem cap. Quicumque: & est iure quoque ciuili irrogata, Cod. De Episcopali audientia. Lege Mathematicos, vbi appellatur pœna deportationis. Septima est, vt eorum libri non retineantur nec legantur, sed incendio crematur. Hanc consuetudo Ecclesiastica statuit, obseruata iam inde à temporib. Apostolorum, vt patet ex Actis ipsorum cap. 19. v. 19. & subsequentib. temporibus continuata, vt ostendit D. Augustin. in Psal. 61. sub fin. Idq; tanta seueritate, vt ne Episcopis quidem tales libros retinere vel legere liceret, quibus licebat legere libros hæreticorum. Hoc patet ex cap. 11 dist. 37. Renouata vero est ea ipsa pœna in Indice librorum prohibitorum, edito Concilij Trident. iussu, regula nona: habeturq; statuta iure ciuili; cum in memorata lege Mathematicos dicitur, quod tales homines debeant sub oculis Episcoporum incendio cremare suos libros.

193. Atque hactenus pœnæ iure Canonico statutæ: quæ restant omnes iure ciuili statutæ habentur Cod. De maleficis & Mathematicis. Octaua igitur pœna habetur ibid. leg. 3. quod diuinator qui ad domum alterius accedit, debeat igne cremari. Nona vero habetur ex eadem lege, vt qui accusat magum, non incurrit crimen delatoris, sed potius afficiendus sit præmio. Decima habetur lege 5. vt magi & cæteri malefici capite plectantur. Vndecima habetur lege 7. quod etiamsi ille qui accusatur de crimine eius generis sit in dignitate constitutus, & in comitatu Imperatoris, vel Cæsaris versetur; nihilominus tormentis subiiciatur. Duodecima habetur ex lege vltima, quod quiuis potest capere maleficium, & Iudici præsentare.

194. Iustissimas autem esse leges quibus magi puniuntur morte, patet tum ex supra citatis Scripturæ sacræ locis; tum ex eo quod magi sæpe sint hæretici, & sæpe proximis noceant in rebus externis & in corpore; & quod deterius est, ordinarie in animam tant mirum non sit, eiusmodi pœnales leges ciuiles approbari in cap. Peruenit, & in cap. Contra idolorum cultores 26. quæst. 5. & in bulla Innocentij VIII. quæ extat apud Iacobum Sprengerum in principio sui mallei maleficarum. Quod cum ita sit, non videtur dubium quin Iudices, qui maleficos non puniunt, grauiter peccent, & teneantur resarcire omnia damna quæ iidem intulerint. Quamuis autem ius ciuile non puniat eos qui nulli nocent temporaliter, ex lege 4. Cod. De maleficis & Mathematicis: ius tamen Canonicum tales quoq; condemnat 26. quæst. 7. cap. Admoneant; nec ius ciuile eos tolerat omnino, sed punit cum aliquem seduxerint, aut aliquem docuerint suam magiam, vt deduci potest ex lege 5. tit. citato.

195. Quod attinet ad eos qui diuinatores consulunt, aut petunt à magis remedia secundi generis eorum, quæ propolita sunt in præced. cap. 17. sect. 3. prætet eas quas supra memoratis canonibus intelliguntur habere communes cum magis, inueniuntur sex aliæ ipsis impositæ, tres iure Canonico & totidem iure ciuili. Prima est, quæ habetur 26. quæst. 5. cap. 1. vt is qui obseruat ariolos, aruspices, vel incantatores; vel eorum phylacteriis vtitur, excommunicationi subiaceat. De qua excommunicatione dici perinde potest quod non incurratur ipso facto, ac de lata in ipsos Ariolos, aliosque magos antea dictum est. Secunda pœna est, quæ habetur in ead. quæst. cap. 2. & 3. vt dicti consulentes vel remedium petentes debeant pœnitentiam agere per quinquennium: quæ tamen pœnitentia iam relicta est arbitrio Confessarij, sicut & alię similes Canonum pœnitentialium, prout suo loco in præced. lib. 7. iam annotauimus. Tertia pœna est, quæ habetur in supra cit. cap. Admoneant, vt si Clericus sit is cui aliquid tale contingit, degradetur; sin laicus, anathematizetur. Quarta, habetur lege 3. Cod. de maleficis & mathem. vt is qui vocat magum aut diuinatorem ad domum suam, deportetur in insulam post ademptionem bonorum omnium. Quinta est, vt qui tales consulit gladio feriendus sit: quod habetur in sequen. lege 5. Postremo habetur eod. tit. leg. 8. vt qui discit magicam scientiam, incurrat eam pœnam quam magus à quo docetur.

196. Hic occurrit monendum præter antedictos, grauiter respectu artium magicarum peccare illos, qui interfunt magorum spectaculis, quæ virtute diaboli exhibent. Nam ea ra-

tione consentiunt peccato ipsorum graui, & per consequens grauiter peccant, ex cap. 1. epist. ad Roman. in fin. tuncque maxime & grauius, cum magos ipsos ad talia inducunt precibus vel pretio: quia non tantum consentiunt, sed etiam causam dant peccato. Quanquam per ignorantiam excusari possunt à mortali, quando probabiliter putant talia non fieri arte diaboli, vel certe nullo modo id in mentem illis venit: secus si mouerentur à discreto viro, nec propterea desisterent.

TRACTATVS V.

De humilitate, timore Dei, & obedientia, atque vitiis contrariis.

EX virtutibus, quas ad 1. Decalogi præceptum pertinere notauimus in principio huius libri, tres restant cum vitiis cõtrariis tractandæ: humilitas, timor Dei, & obedientia. Prius autem de humilitate quam de duab. reliquis videtur dicendum duplici nomine: tum quia ex D. August. in epist. 56. ad Dioscorum, est prima post fidem ad Christum via. Quod patet, quia fides directe ac principaliter est principiũ ambulandi digne Deo, iuxta illud ad Hebr. 11. Impossibile est sine fide placere Deo.] Humilitas vero indirecte & dispositiue. Indirecte quidem, quatenus remouet impedimentum virtutum, quod est superbia; dispositiue autem, quatenus facit hominem Deo subditum & paratum ad recipiendum gratiæ ipsius influxum; qui fons est ac seminarium virtutum. Quod vtrumque, prout post dicetur, insinuant verba illa: Deus superbis resistit, & humilibus dat gratiam, Iacob. 4.] Tum etiam quia humilitas quadam ratione est virtutũ potissima, prout D. Thom. ostendit 2.2.q.161.art.5. adeo vt merito intelligatur significata nomine omnis iustitiæ cum Dominus Matth. 3. D. Ioanni Baptistæ humiliter recusanti baptizare ipsum, dixit: Sic decet nos implere omnem iustitiã.] De ea autem & contraria superbia latius disputant D. Thomas & Caiet. in ead. quæst. 161. & in seq. 162. aliique plures quos commemorat Sebastianus Medices in Summa de peccatis capitalibus, tit. 2. Quæ ad nostrum institutum sufficere videntur complectemur tribus capitibus: quorum vnum erit de humilitate, alterum de superbia, & reliquum de huius speciebus & filiabus.

CAPVT XX.

De humilitate.

SVMMARIVM.

197 *Definitio humilitatis, & vnde ea nascatur.*
198 *Quatenus ex humilitate debeat vel non debeat quis se aliis subiicere.*
199 *Qua ratione possit quis sine falsitate credere, & dicere, se peccatorem esse omnium maximum.*
200 *Datur præceptum de humilitate obligans sub mortali.*
201 *Tres gradus humilitatis.*
202 *Quando contingat transgressio præcepti de humilitate.*

197. DEFINIRI potest humilitas congruenter doctrinæ D. Thomæ in memorata quæst. 161. virtus qua quis reprimit seipsum ne efferat se super id quod est. Qua definitione significatur humilitatis rationem in eo consistere, vt per eam homo subdatur, totoque animo subiiciat se Deo, & proximo propter Deum. Etenim humilitas de se respicit primo ac præcipue Deum, & præterea proximum propter Deum, iuxta illud 1. Petri 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum.] Nascitur vero imprimis ex ea cognitione Dei, quæ per doctrinam supernaturalem fidei habetur de maiestatis ipsius, magnitudine, & excellentia. Aliqua ex parte vero ex consideratione nostri coram Deo: ad cuius lumen veritatis constitutus homo; seipsum & sine dissimulatione inspicit, & sine palliatione diiudicat, prout habet D. Bernardus serm. 42. in Cantica. Ex qua consideratione prouenit ea cognitio nostri, ex propria nostræ infirmitatis, per quam agnoscimus & persuasum habemus nos imbecillos esse ad omne bonum inchoandum, & perficiendum: nisi nos Dei gratia anteuertat & manu ducat.

198. Notare autem oportet pro praxi: esse quidem ad humilitatem necessarium semper subdi Deo, non tamen semper subdi proximo. Nam *vt loc. cit. art. 3. D. Thom. docet*, in homine considerari potest, tum id quod est Dei, tum id quod est ipsius hominis: atq; humilitatem exigere quidem, vt quilibet homo secundum illud quod suũ est, se subiiciat cuilibet proximo, secundum illud quod Dei est in eo: (*ad quod facit illud 1. Petri 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*) non tamen vt se subiiciat quatenus nouit se Dei donum habere, siue supernaturale, siue naturale; illum vero minime habere. Nam si se in eo non subiicere, esset contra humilitatem, Apost. ad Ephes. 3. non diceret: Aliis generationib. non est agnitum filiis hominum, sicut nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius.] Et ad Galat. 2. Nos natura Iudæi & non ex gentib. peccatores. Quamquam quibuscumque donis polleat quis, potest se per humilitatem: aliis subiicere, reputando aliquid boni esse in proximo, quod ipse non habeat; vel aliquid mali in se esse, quod non sit in alio, & ita implere illud quod ad Philip. cap. 5. D. Paulus præscribit: In humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes.]

199. Inde etiam à falsitate excusari potest quod quis ex humilitate credat & pronunciet se omnib. aliis deteriorem esse: siue (vt ipse D. Apostolus dixit in 1. ad Timoth. cap. 1. se esse primum peccatorum; id nimirum vna ex parte, intelligendo secundum eos occultos defectus, quos in se recognoscit; & ex altera, secundum Dei dona quæ latent in aliis, prout intelligendum esse attigit D. Thomas in cit. art. 3. ad 2. & in seq. art. 6. ad 1. Vbi aliam adhuc tangit excusationem à falsitate in eo qui omnib. aliis se per humilitatem subiicit, quod possit credere & confiteri se ad omnia inutilem esse per proprias vires, totam suam sufficientiam referendo in Deum: iuxta illud posterioris ad Corinth. 3. Non quod sufficientes simus aliquid cogitare à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est] & illud Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere.] & illud Prouerb. 16. Cor hominis disponit viam suam, sed Dei est dirigere gressus eius.]

200. Quod autem humilitas sit in præcepto obligãte sub mortali, patet per illud Matth. 16. Qui vult venire post me abneget semetipsum] & illud in seq. cap. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum] & illud Iacobi 4. Deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam.] Quibus authoritatibus Scripturæ, cum satis significetur ad consecutionem æternæ salutis necessariã esse humiliationem, actum proprium humilitatis: negari nõ potest quin ea sit in præcepto, quod sub mortali obliget, tanquam datum de re ad salutem necessaria.

201. Sed notandum est, ex glossa ad illud D. Matth. cap. 3. Sine modo; sic enim decet nos implere omnem iustitiã: tres gradus humiliationis distinguit: Primus est, subdere se maiori & non præferre se æquali: secundus subdere se æquali nec se præferre minori: tertius est subdere se minori: quorum primus, *vt additur in eadem glossa*, est sufficiens: nimirum ad impletionem memorati præcepti. Secundus est abundans, tanquam opus supererogationis: & in tertio est omnis iustitia: vtpote ratione cuius maxime, humilitas censetur esse quasi penu virtutum (iuxta D. Basilium in const. Monast. cap. 17.) in quo tutissime custodiuntur: quandoquidem ab anima eliminat omnem superbiam, quæ est virtutum impedimentum, cum ex D. Iacobi cap. 4. Deus superbis resistat; nec virtutum studium sine Dei auxilio constare possit: animam item ipsam disponit ad recipiendum diuinæ gratiæ influxum, iuxta illud quod in eodem loco additur: humilibus autem dat gratiam.] Is enim influxus semen est & origo conseruatioque virtutum.

202. Cæterum prædicti præcepti transgressione peccatur tum per omissionem, quando sit aliquid opus omnino exigens humilitatem sui coram Deo (vt celebratio Missæ exigit) aut quando offert se occasio peccandi mortaliter, ad quam vitandam talis humiliatio est omnino necessaria: vt cum in vehementi tentatione ad vincendam eam, recurrendum est ad humilem implorationem diuini auxilij. Per commissionem vero eadem transgressione peccatur: tum superbe effe-

rendo

rendo se, prout postea exponetur; tum imprudenter & indecore deiiciendo se, non seruatis debitis circumstantiis. Debet enim ex recto rationis præscripto id ita fieri, vt dolus absit, qualis cernitur in hæretico, qui animo peruertendi alios omnia bona de se negat, solique Deo tribuit, vt humilior & diuinæ gloriæ studiosior appareat. In quo habet locũ illud Ecclesiastici 19. Est qui nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo.] Item vt non redundet in iniuriam status vel officij quod gerit is, qui se deiicit: vel talenti quo præditus est: vel in incommodum eorum quibus prodesse potest & debet. Exemplum est, si sacerdos subiiciat se foro sæculari: aut Episcopus præponat sibi Sacerdotem: aut Superior à subdito suo veniam petat flexis genibus.

CAPVT XXI.

De superbia.

SVMMARIA.

203 *Definitio superbiæ, & de celsitudine quæ constituitur eiusdem obiectum proprium.*

204 *Quo modo superbia contingat cum Dei & proximi contemptu.*

205 *Tria genera superbiæ.*

206 *Superbia est de se mala idq; mortaliter, nisi excuset defectus deliberationis, aut materiæ leuitas.*

207 *Hæc qualiter contingat in diuersis superbiæ generibus.*

203. DE hac D. Thomas & interpretes ipsius late disserunt 2.2. quæst. 162. Cum autem ex actu innotescat habitus, & de actu superbiæ dicat D. Augustin. in lib. 14. De Ciuitate Dei, cap. 13. Quid est superbia, nisi peruersæ celsitudinis appetitus? ipsa potest apte definiri vitium in hominis voluntate, hanc inclinans ad appetendam peruersam celsitudinem. In qua definitione verba, *peruersa celsitudinis*, continent differentiam, qua separatur superbia ab aliis vitiis, sumptam ex obiecto proprio ipsius, quod est peruersa celsitudo. Ad cuius plenam intelligentiã. Notandum est primo, appetere celsitudinem, esse aliquem per voluntatem tendere supra id quod est: prout D. Thom. habet *loco cit. art.* 1. iuxta illud quod dictum est à D. Isiodoro in lib. 10. Etymologiarum cap. 1. superbum dictum esse: quia super vult videri quam est.

Notandum est secundo, superbiæ obiectum constitui celsitudinem non modo eam quæ inest in superbiente, vt virtutem, scientiam aut quid simílium: sed etiam eam quæ extra ipsum est: vt famam, gloriam, possessiones, vestimenta, & similia ex quibus etiam solent homines se efferre. Constitui autem; non quidem consideratam absolute: qua ratione mala non est, *vt nec fama vel gloria*, immo obiectum est modestiæ, si fuerit de re vera & bona, ac sit merita, neque in finem malum, aut vanum referatur (vt ex D. Thom. habet Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 5.) sed constitui quatenus excedit regulam & mensuram à Deo constitutam. Ad quod indicandum, non est in proposita definitione simpliciter dictum, *celsitudinis*, sed cum additione, *celsitudinis peruersæ*, id est, celsitudinis excedentis mensuram positam à Deo, ex doctrina D. Thomæ in seq. art. 5. Bene fundatam in eo quod habetur in posteriori ad Corinth. cap. 10. Nos autem non in immensum gloriamur, sed secundum mensuram, quam mensus est nobis Deus.

Notandum tertio, superbiam posse quidem contingere, etiamsi quis nemini se expresse præferat; vt hinc patet; quia superbia est, æquare se maioribus, etiamsi quis illis se nõ præferat. Nihilominus in actu ipsius semper contineri aliquam sui prælationem: siquidem efferens se supra se, effert quoq; se implicite supra eos qui sunt eiusdem sortis.

204. Quo autem modo superbia ipsa contingat cum Dei contemptu, explicatur distinctione. Nam quidam est contemptus ex parte contemnentis: nempe cum quis aliquid ideo facit, quod velit contemnere Deum, vel proximum: ita ut contemptus ipse sit principium & causa actionis. De quo plenius dictum est in præced. lib. 15. cap. vlt. sect. 2. Quidam vero est ex parte rei, nimirum cum quis non agit quidem ex contemptu siue Dei siue proximi, *vt ille de quo proxime dictum est*, facit tamen actionem quæ natura sua coniunctam habet iniuriam Dei vel proximi: vt blasphemia, periurium, rapina, adulterium, & id genus alia.

Contemptum igitur prioris modi non esse semper in superbia (quamuis possit ex superbia oriri, sicut & ex infidelitate, aut ex odio Dei, aut ex impatientia) patet ex eo, quod superbus non agat semper vt Deum contemnat; sed sæpe vt satisfaciat amori proprio. ex quo desiderat sibi nimis magnam excellentiam, quemadmodum primos nostros parentes peccasse notat D. August. in memorat. cap. 13. Contemptum vero posterioris modi esse in omni superbia, probari potest: quia dum superbus appetit celsitudinem supra mensuram à Deo constitutam; eo tendit superbia ipsius, vt velit non subesse Deo: cum quilibet superbus velit summum locum tenere. Per quod infinitæ perfectioni diuinæ derogans, merito censetur vt iniuriam Deo inferre, sic & ipsum contemnere.

Notandum est quarto, tria distingui genera superbiæ pro triplici modo quo potest quis excedere prædictam mensuram à Deo constitutam. Primum est, cum quis desiderat habere aliquid independenter à Deo, quia excellentius est habere aliquid à se quam ab alio. Huius generis fuit superbia Regis Nabuchodonosor ex Danielis 4. cap. & ea quæ reprehenditur ab Apostol. in priori ad Corinth. cap. 4. cum ait: Quid habes quod non accepisti: si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?] Vbi aduerte obiter non esse necessarium in hac re: vt quis iudicet se bona sua habere à se, non autem ex Dei munere: quia sic deberet esse hæreticus: sed satis est vt illa apprehendat tanquam sua & dependentia à se: non considerando quemadmodum illa obtinuerit. Vnde fieri potest, vt ob ea extollat se animo, ac si haberet illa solis suis meritis, absque Dei gratia: ad modum quo pauper alienis opibus affatim fruens, non minus effert se, quam si essent ei sua industria partæ; quia non aduertit beneficium esse alienum: quantumuis id expresse non neget, nec contrarium iudicet. 205.

Secundum genus est: cum quis agnoscit se quidem illud quod habet, à Deo habere: sed desiderat illud singulari modo habere, cum aliorum despicientia. Cuius generis fuit superbia Pharisæi orantis Luc. 18. Qui inquiens, Domine gratias ago tibi; ostendit se sua Deo accepta ferre: addens vero; Quia non sum sicut cæteri homines: prodit suam superbiam huius generis. 169.

Tertium genus est, cum homo illa quæ habet, nec à se, & independenter à Deo: nec singulariter, & cum aliorum despicientia habere desiderat: attamen excellentiam maiorem habere desiderat, quam mereatur. Hoc repugnat dicto Apostoli ad Rom. 12. Dico omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere quam opottet, sed sapere ad sobrietatem: sicut & duo præcedentia repugnant dicto Dei apud Ierem. cap. 9. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur dives in diuitiis suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me: quia ego sum Dominus qui facio misericordiam & iudicium & iustitiam in terra: hæc enim placent mihi ait Dominus. Vbi aduerte illum facere contra Dei misericordiam qui putat se aliquid habere à seipso, non à Deo; & contra iudicium facere, qui inter se & proximum non discernit secundum regulam à Deo constitutam: ac demum facere contra iustitiam, qui maiorem excellentiam desiderat quam mereatur.

Notãdum est quinto, superbiam ex eo, quod pro obiecto habeat celsitudinem peruersam esse malam de se: seu malitia in eam deriuata ex obiecto proprio: nec tantum ex circumstantia: adeoque malã esse mortaliter, prout probat D. Thomas in citata quæst. 162. art. 5. quia peruersitas illa, in quam voluntas consentiens recedit à diuina regula, nec vult Deo subiici, eiusmodi est, vt superbus tanquam pugnans contra Deum (iuxta illud Ecclesiastici 10. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo) habeat eum sibi, tãquam infesto hosti, resistentem: iuxta illud Iacobi 4. cap. & 1. Petri cap. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quanquam in hoc, sicut & in cæteris, excusatio est à mortali per defectũ pleni consensus: & materiæ leuitatem. 206.

Quæ quidem leuitas in primo genere superbiæ contingere censetur, cum aliquis in eo tantum superbus est, quod nimis sibi in sua excellentia complaceat: eam ad Deum non 207.

referendo actu vel habitu: interea tamen excluſis à tali complacentia iis quibus Dei perfectioni derogatur: qualia ſunt, velle ſeu deſiderare excellentiam habere à ſe, aut idipſum exiſtimari ab aliis, aut dolere de contrario, aut etiam impie ſe præferre aut æquare Deo. In ſecundo genere vero, cum quis deſiderat excellere præ aliis ſine cuiuſquam contemptione aut infamia, aliaque notabili iniuria. In tertio demum genere, cum quis deſiderat excellentiam immeritam, non tamen contra voluntatem Dei: vt faceret ille qui excellentiam ſuam ſic appeteret, vt eſſet paratus mortaliter peccare potius (quod eſt contra Dei voluntatem) quam ab eadem excellentia excidere. Addit D. Thomas in ſequen. art. ſexto, ſuperbia meſſe grauiſſimorum peccatorum, non quidem quod nullum detur grauius: nam odiũ Dei eſſe illa grauius, dubium non eſt: ſed quod pertineat ad genus peccatorum grauiſſimorum, *cum fuerit completa*, excludens omnem humilitatem & ſubiectionem: prout contingit cum quis tantopere effert ſe vt ne quidem Deo & legi diuinæ velit eſſe ſubiectus: prout contingit diabolo, & nonnullis peſſimis hominibus, qui ex amore peruerſæ excellentiæ affectantes liberi plane, ſuiq; iuris omnino eſſe, ſuam voluntatem auertunt à Dei ſubiectione & obedientia atq; regimine: tanquam nolentes illum habere ſuperiorem & rectorem. Quod etiam ipſis interdum contingit ex ira, vel odio in Deum. In cæteris autem ſuperbia cenſetur incompleta hoc nomine, quod quamdiu ipſi volunt manere Deo ſubiecti, retineant aliquid humilitatis: hacque ratione ſuperbia poteſt capax eſſe illius leuitatis, ex qua diximus ipſam à mortali excuſari: non item priore illa: quam patet eſſe non poſſe abſque graui Dei iniuria. Remedia contra tale perniciosiſſimum peccatum iam alias tradidimus: vt & rationem exercendi humilitatem ſaluberrimam virtutem: nempe in lib. 2. præced. num. 175. & aliquot ſequentibus.

CAP. XXII.

De ſuperbiæ ſpeciebus ac filiabus.

SVMMARIA.

208 *Superbiæ ſpecies quatuor.*
209 *Eiuſdem filiæ duodecim.*
210 *Quid ſit præſumptio humilitati oppoſita, & in quibus caſibus ſit peccatum mortale.*
211 *Quid ſit ambitio, & quando ea iudicari debeat peccatum eſſe mortale.*
212 *Quid ſit vana gloria: & caſus in quibus peccatum eſt mortale.*
213 *Quid ſit hypocriſis, & quando peccatum ſit mortale.*
214 *Quid ſit iactantia, & quando ſit peccatum mortale.*
215 *Quid ſit pertinacia, & quando peccatum ſit mortale.*
216 *Quid ſit curioſitas, & quibus modis ea contingat, & ſit peccatum mortale.*

208. SPECIES ſuperbiæ ſic Toletus paucis in tract. de peccatis capitalib. cap. 4. commemorat. Prima eſt, cum quis ſic appetit ſuam excellentiam, vt bonum quod ab altero habet ſibi tribuat, ac ſi eſſet à ſe: aut etiam dolet, nec vult exiſtimari ſe illud habere ab alio. Qua ſuperbiæ ſpecie peccatur quatuor modis. Primo, cum quis in ſua exiſtimatione & iudicio, & id quod ab alio habet tribuit ſibi potius, quam ei à quo reuera habet: vt cum diſcipulus ſcientiam quam à magiſtro didicit, non ei, ſed exiſtimatæ ingenij ſui excellentiæ tribuit. Secundo modo, cum vult idem quoq; ab aliis exiſtimari, nempe ſe habere à ſe ſuam ſcientiam, quam vere à magiſtro habet. Tertio, cum vult id opere monſtrare, ſeu cum gerit ſe, ac ſi tale bonum à ſe haberet. Quarto, cum deſiderat ac vellet à ſe non ab alio tale bonum habere. Adde & cum dolet his contraria eſſe, ſiue iure, ſiue in hominum exiſtimatione.

Secunda ſpecies ſuperbiæ eſt, cum quis bonum quod ab alio habet abſque vllo ſuo merito, appetit habere, ac ſi ex merito ſuo datum ei eſſet. Qua etiam ſuperbiæ ſpecie peccatur: tum ira exiſtimando apud ſe, tum volendo ab aliis exiſtimari, tum opere oſtendendo tale bonum, ac ſi haberet illud ſuo merito, tum etiam abſolute tale quid deſiderando. Adde item dolendo rem eſſe aut exiſtimari prout vere eſt: nempe ipſum nullo ſuo merito habere tale bonum.

Tertia ſpecies eſt, cum quis in ſua vel aliorum opinione vult opere, vel deſiderio non tribuere excellentiam, quam non habet, aut dolet de contrario.

Quarta eſt, cum quis appetit excellentiam ſupra alios, quos præ ſe contemnens, vult ab ipſis tanquam excellens tractari. In qua ſpecie, vt & in præcedentibus, peruerſa celſitudo expetita poteſt contingere; tum propria, tum aliorum exiſtimatione: & tum opere tum deſiderio, ac etiam dolendo de contrario.

209. Quod attinet ad peccata, quæ ex ſuperbia tanquam ex radice oriuntur illiuſq; pinde ſoboles & filiæ dicuntur. Quamuis ex D. Thom. 2. 2. queſt. 162. art. 2. omni peccato cõueniat, vt poſſit ex ſuperbia oriri, duodecim tamen ſunt, quibus appellatio ea ſpecialiter tribuitur: nempe inobedientia, contemptus, præſumptio, ambitio, vana gloria, hypocriſis iactantia, diſcordia, curioſitas, pertinacia, contentio, & infidelitas. De quibus illud in genere notandum eſt: quod cum ſuperbia ſit amor excellentiæ; hæcque poſſit eſſe tum potẽtiæ vel dignitatis, tum bonitatis ſeu probitatis & iuſtitiæ: tum etiam ſapientiæ ſeu ſcientiæ & prudentiæ. quatuor primas verſari circa primum genus excellentiæ, quatuor ſequentes circa ſecundum, & quatuor vltimas circa tertium. In particulari vero, quæ ad inobedientiam ſpectant ſatis intelligentur ex dicendis in ſequenti cap. vlt. De contemptu notata in præced. num. 204. ſufficere poſſunt.

210. De præſumptione notandum eſt, dupliciter accipi: vno modo vt opponatur ſpei: qua acceptione egimus de ea in præced. tract. 3. Altero modo vt opponitur humilitati, ſicq; ſpectatur in præſentiarum, ſicut à D. Thom. 2. 2. quæſt. 130. Definiriq; poteſt appetitus exhibendi ſe ſupra propriam poteſtatem. Etenim cum homo dicere vel facere vult ſupra id quod vere poteſt, perinde ac ſi vere poſſet: cenſetur præſumptuoſus. Propriam autem poteſtatem ex Caiet. in ſummula verbo præſumptio intellige, quam quis ſiue in ſeipſo ſiue etiam in alio paratam habet; quod enim poſſumus per amicos, cenſemur & per nos ipſos poſſe.

Conſiſtit vero talis poteſtas, vel in facultate naturali, vel in aliqua virtute ſiue infuſa, ſiue acquiſita, vel in aliqua arte, vel in gratia gratis data, vel in poteſtate ordinis, vel in poteſtate iuriſdictionis: ſupra quarum vnamquamque, aliquid per eam tentare, peccatum eſt præſumptionis. Quod iudicari debet mortale in tribus caſibus. Primus eſt, cum habet coniunctum notabile proximi damnum, aut illius periculum; vt cum quis ſine debita peritia obit Epiſcopi vel Parochi vel Confeſſarij munus: aut ignarus medicinæ, medici officio fungitur: aut ignarus legum patrocinatur: aut neſciẽs Theologicas veritates, concionatur de rebus arduis: aut ſine præuio longo ſtudio & Patrum lectione, interpretatur ſacras Scripturas. Secundus eſt, cum quis vſurpat ſibi executionem officij publici, ſiue ſæcularis, ſiue Eccleſiaſtici, ſine legitima poteſtate; vt ſi Sacerdos confeſſiones audiat ſine iuriſdictione ordinaria vel delegata. Iudex ſæcularis cognoſcat de cauſis Eccleſiaſticis. Tertius eſt, cum quis exponit ſe probabili periculo peccandi mortaliter: vt cenſetur is qui cognoſcens ſe ex allocutione Fœminarum, frequenter labi in peccatum mortale, nihilominus eas alloquitur confiſus ſuis viribus: nõ implorato, vt par eſt, auxilio diuino: nec excitato, vt item par eſt, non peccandi firmo propoſito.

211. De ambitione de qua D. Thom. 2. 2. quæſt. 131. Notãdum eſt eſſe, inordinatum appetitum honorum vel dignitatum. De quo quando cõtingat iudicandum eſt per tradita in præced. lib. 12. cap. 3. & 4. Iudicabitur vero peccatum eſſe mortale. Primo, ſi de peccato mortali honor appetatur: vt de eo quod repugnes tuo Superiori impudenter. Secundo, ſi modus quo honor aut dignitas appetitur, peccatum ſit mortale: puta ſimonia per quam quæras Epiſcopatum; vel homicidium aut bellum iniuſtũ per q̃ quæras principatum. Tertio, ſi quis eo ſit animo, vt peccatum mortale committere paratus ſit ad conſequendam dignitatem quam appetit: vt ſubito onus Epiſcopale, cum ſit eo indignus; indeq; magnum detrimentum acceptur us ſit populus; & ſic de aliis. Quarto, ſi finem mortalem ſibi proponat, vt vindictam de inimico, aut rapinam bonorum alienorũ, aut aliud eiuſmodi. Reprehenditur hoc genus vitij à Domino noſtro Matth. 23. illis verbis:

Amant

Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari rabbi, &c.

212. De vana gloria notandum est, esse inordinatum appetitum gloriæ: ideoq; ab ambitione tantum differre, quod pro obiecto habeat gloriam seu famam cum laude coniunctam; & ambitio habeat honorem seu reuerentiam exhibitam alicui in testimonium excellentiæ ipsius: maxime autem virtutum. Casus vero, in quibus vana gloria peccatum est mortale, coincidunt cum proxime præcedentibus. Primus enim est, cum de peccato mortali gloria appetitur, vt de magia, de adulterio, de homicidio, & alijs: de quibus factis qui gloriatur tanquam approbans eorum perpetrationem, contrahit eorundem malitiam. Non vero, si gloriaretur tantum de modo animoso & industrioso perpetrationis, interea detestando grauitatem facti. Secundus est, cum medium quo quæritur gloria, peccatum est mortale: vt duellum. Tertius, cum quis paratus est peccare mortaliter, ne populi laudem & gloriam amittat: quales fuerunt ille de quibus Ioann. 12. dicitur, Dilexerunt magis gloriam hominum quam gloriam Dei] & esse censendus est quisquis ob eandem causam non vult reuocare errorem pernicioſum, quem docuit, ne clara sui nominis fama obscuretur. Quartus est, cum quis gloriam appetit in finem mortalem; vt ad habendam occasionem fornicandi: vel in notabile damnum proximi: vt si medicus ne populi amittat laudem, nolit socium adhibere in morbo periculoso, quem nequit bene cognoscere.

213. Quod attinet ad hypocrisim, ea definiri potest, simulatio virtutis seu sanctitatis: hoc est factum, quo quis mentitur se virtutem seu sanctitatem habere quam nō habet. Cuius duo sunt modi; vnus, quo quis nolens seu contemnens virtutem & sanctitatem, apparere vult eam habere. Quale quid contingit iis, qui cum exterius videri velint Catholici boni & pij, interius Catholicam religionem nihili faciunt.

Alter est, quo non habens virtutem, apparere vult habere eam, simulque vult contrarium vitium, vt qui curat apparere castus cum sit animo impudicus. Cæterum semper est peccatum, *saltem veniale*, cum sit quoddam mendacium facti. De ea vero vt de præcedentibus, certum est peccatum esse mortale, quando habet coniunctum propositum transgrediendi præceptum obligans sub mortali: vt contigit in hæretico, qui simulando se sanctum & doctorem veritatis, seminat falsam doctrinam. De quo genere hominum monet Dominus Matth. 7. Attendite à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.] Item cum habet coniunctum notabile damnum proximi, vt cum Medicus, vel Patronus se doctum simulat cum notabili damno eorum, qui opera ipsorum vtuntur. Ac demum cum refertur in finem mortaliter malum: vt cum quis se castum simulat, vt ei committatur puella qua abuti statuit.

214. De iactantia notandum est cum Toleto in citato tractat. cap. 8. eam describi posse; quod sit inordinate facta manifestatio propriæ excellentiæ, supra id quod ea in se est, aut in hominum existimatione. Quod vltimum additur, quia peccatum est iactantiæ, hominem se inordinate laudare, nō modo cum excellens non est in se: sed etiam cum est quidem excellens in se, non existimatur tamen talis ab alijs. Nam & tunc iactare se, nisi bono aliquo sine exigente id fias, ineptum est: adeo vt ipse iactans, risu excipi fere soleat. Censenda est autem iactantia peccatum mortale in quinq; casibus, vt ex D. Thoma 2.2 qu. 112. art. 2. colligit Caietanus. Primus est, si quis se iactet cum iniuria Dei, tribuendo sibi quod Dei est, vt rex ille Tyri, qui ex Ezechiele cap. 28. dicebat, Deus ego sum. Secundus est, si quis se iactet cum iniuria proximi: vt Pharisæus Luc. 18. dicens, Non sum sicut cæteri hominum raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Tertius est, si procedat ex superbia mortali, vt cum quis gloriatur de donis diuina liberalitate acceptis, tanquam illis de se dignus.

Quartus, quando iactat se cum intentione nocendi proximo: aut cum periculo aperto ei nocendi; vt accidit ei qui falsò prædicat se Medicum insignem, aut Aduocatum, aut in aliqua arte insigniter peritum ad emungendas pecunias. Quintus est, si quis adeo delectetur iactantia, vt tanquam constituens finem in ea, nihil curet de præceptis Dei; vt sui in se iactando desiderium expleat. De eo qui iactat se de aliquo suo opere mortifero distinguendum est: vt si id faciat approbando, peccet mortaliter consensu in opus mortiferum: non item si solum narret illud, vt appareat ipsius dexteritas, ingenium, virilitas absque approbatione eiusdem operis.

De discordia & de contentione, iam dictum est in fine præcedentibus cap. 12. vt & de infidelitate, in capit. 3. & sequent.

215. De pertinacia contenti quoque erimus paucis notare, quod ea sit adhæsio animi in propria sententia, tenacior quam esse debeat, spectatis præsertim argumentis, in quibus fundatur, non omnino firmis. Esse autem peccatum mortale, in rebus quæ factæ secundum talem sententiam, sunt contra Dei honorem. Qua ratione peccat mortaliter, is qui non vult mutare falsam religionem quam semel suscepit, ne videatur inconstans. Itemq; in rebus quæ vergunt in graue proximi detrimentum. Qua ratione mortaliter peccat Princeps, qui nullo modo vult reuocare suam legem, quam vsus ostendit esse populo pernicioſam. Cæterum maxime periculosa est pertinacia: tum in Theologia practica: tum in medicina: tum etiam suo modo in iurisprudentia.

216. De curiositate demum restat notandum primo, eam generaliter dici de quacunque superflua diligentia, adhibita circa res inutiles cognoscendas vel efficiendas vel comparandas. Sic enim quis curiosus dicitur esse in vestibus, in supellectili, in rebus peregrinis conquirendis, &c. Specialiter vero dici de inordinato, seu rationis limites excedente, appetitu cognoscēdi: sicut gula de inordinato appetitu edendi. Quomodo hic sumitur, locumq; habet non tantum in intellectus, sed etiam in sensuum notitia: cum nimirum quis appetit videre, audire, olfacere, gustare, aut tangere ea, quorum notitia nihil ad ipsum attinet: atq; appetit cognoscendi ac discernendi tantum causa. Quod addo, quia vsus sensuum ad curiositatem pertinet solum prout ordinatur ad nudam notitiam & discretionem sensibilium. Nudam dico; quia cum aliud per eam quæritur, vt voluptas, quam res curiose inspecta adfert: inde tanquam ex fine, vel obiecto accipit nouam speciem actus moralis.

Notandum est secundo, quando contingat eadem curiositas iudicari posse, tum ex parte subiecti, tum ex parte obiecti, tum ex parte finis, tum etiam ex parte circunstantiæ. Atque ex parte subiecti contingit, cum homo vult scire quæ ad ipsum non pertinent: & ita curiosus censetur Religiosus, qui appetit manifestari sibi militaria negotia, aut alia sæcularia: nisi Dei honor aut proximi vtilitas tale quid fieri exigat. Item cum homo appetit scire quæ superant captum ipsius, vt contingit volenti scutari ingenio suo mysteria fidei, & de illis ita iudicium ferre, vt nihil velit credere nisi quod deprehenderit conforme suis fantasijs. A qua curiositate reuocat Sapiens Ecclesiastici 3. dicens, Altiora ne quæsieris & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit Deus cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.] Reuocat etiam Apostolus ad Rom. 12. præcipiens non plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuiq; sicut Deus diuisit mensuram fidei.] Reuocat & ratio, cum constet Deum lucem inhabitare inaccessibilem: ac proinde is qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria ex cap. 25. Prouerb.

Ex parte obiecti vero curiositas contingit primo, cum res quæ desiderantur sciri, inutiles sunt, seu nihil faciunt ad propriam vel proximi vtilitatem: aut Dei honorem. Qua ratione cognitio nostra, quæ in sola speculatione manet, nec adhibetur ad vitæ necessaria, aut ad virtutem capessendam: aut ad Deum cognoscendum & colendum, rationem habet curiositatis tunc maxime vitiosæ, cum talis cognitio ita appetitur & quæritur, ac si magna ex parte fœlicitas humana consisteret in ea: aut ita, vt rerum ad salutem pertinentium cognitio, & cura negligatur.

Cæterum tam de hujus, quam præcedentis modi curiositate, quale peccatum sit, mortalene an tantum veniale, iudicandum est ex iniuria, quam quis per eam censetur

inferre siue Deo, siue proximo, siue sibimet. Si enim arbitrio prudentis hæc fuerit notabilis, illa censebitur peccatum mortale: alias, minime. Contingit secundo ex parte obiecti curiositas, cum res scita, occasio est probabilis peccandi: quod peccatum erit mortale, si mortale fuerit illud cuius probabili periculo se quis exponit. Sic qui nouit se procliuem ad luxuriam, curiose puellas tripudiantes intuetur, aut libros de rebus amatorijs curiose legit, peccat mortaliter tãquam exponens se probabili periculo peccati mortalis. Contingit eadem tertio, si sit de rebus quarum cognitio prohibetur: sic enim peccare censentur qui addiscunt curiosa: prout Actor. 19. appellantur: specialiter autem res magicæ tanquã plenæ superuacaneis curis ac vanis imaginationibus. Item qui libros prohibitos legunt, aut qui duella vel ludos vetitos spectant: aut ea quæ dicuntur in confessione audiũt absq; consensu pœnitentis. Peccant autem mortaliter quãdo sub mortali prohibita est cognitio eorum, quę ipsi cognoscere appetunt.

Ex parte porro finis, curiositatem inordinatam esse contingit, cum cognitio appetitur ad perpetrationem peccati: quod si sit mortale, erit etiam illa mortalis: vt cum quis appetit defectus alterius cognoscere vt infamet ipsum. Contingit deniq; ex parte circunstantiæ: tum quando vteretur quis arte dæmonis ad comparandam cognitionẽ: tum quando alium induceret ad peccandum mortaliter: vt si vellet scire ab eo illud quod sub mortali tenetur seruare secretum ratione iuramẽti vel ratione pœnæ excommunicationis impositæ reuelanti: tum etiam quando sic se occuparet in addiscendis non necessarijs, vt omitteret adimpletionem præcepti obligantis ipsum sub mortali: quale est de audienda Missa in die festo: aut daret alijs graue scandalum, vt accidere potest Sacerdoti vacanti studio rerum à suo statu alienarum: & interea ignorans quæ sunt eiusdem status propria. Atque de curiositate huiusmodi sitne peccatum mortale an solummodo veniale, eadem ratione iudicandum est, qua de curiositate primi & secundi modi ante traditum est iudicandum esse.

CAP. XXIII.

De timore Dei & vitijs contrarijs.

SVMMARIVM.

217 *Definitio timoris Dei, ac quinq; actus appellati eodem timoris Dei nomine.*
218 *Quis dicatur amor mundanus, & quod is sit peccatum mortale in tribus casibus.*
219 *Amor mundanus rei licitæ ex sola intensione actus non efficitur mortalis.*
220 *Aliquot casus in quibus ex accidenti censetur peccatum mortale.*
221 *Timor malus quid, & quotuplex sit.*
222 *Quando timor, non malus sed bonus, censeri possit.*
223 *Malus, est peccatum mortale in tribus casibus.*
224 *Ex timore malo transgrediens præceptum, quod obseruare tenetur, aggrauat suum peccatum secus sicut ex alijs malis circumstantijs.*
225 *Tentatio Dei opponitur diuersis virtutibus.*
226 *Quædam est expressa, quædam tacita.*
227 *Quando sit & quando non sit peccatum mortale.*
228 *Duo casus in quibus non est peccatum.*
229 *Prudentia seruanda in petendo miraculum à Deo.*

MErito prius de timore Dei quam de obedientia dicitur, propter coniunctionem quam habet cum fide & spe primo loco expositis. Nam ex fide ortum habet, sicut & spes, cum qua is conuenit, quod circa futura per fidem proposita, versetur: etsi cum hoc discrimine, quod spes sit bonorum quibus homines excitantur ad virtutem; & Dei timor sit malorum quibus reuocantur à peccato. Solet autem timor sumi tripliciter apud Theologos, primo, pro passione consistente in fuga mali futuri, apprehensi sensu vel intellectu: *in qua acceptione consideratur à D. Thoma* 1. 2. *quæst.* 41. 42. & 43. Deinde pro virtute quæ est circa Deum, *de qua vt valde coniuncta cum spe, D. quoq; Thom. agit* 2. 2. *quæst.* 19. Postremo, pro vno ex donis Spiritussancti, *de quo idem adhuc agit ibidem art.* 9. Atq; in præsentiarum occurrit considerandus acceptione secunda. Primo vero loco, dicendum est quid sit: deindeq; sigillatim de vitijs illi oppositis dicendum: quæ sint amor mundanus, timor malus, & tentatio Dei.

De ipso timore Dei.

SECTIO I.

ATque vt ad primum accedamus: Timor Dei definiri 217.
potest: virtus qua timetur tum malũ pœnæ, & cum eo Deus, tanquã is à quo ipsum infligi potest: tum etiã malum culpæ, & cum eo, tam ipsemet qui timet, tanquam is à quo principaliter, quam alij homines tanquam ij à quibus minus principaliter & occasionaliter, idem malum prouenire potest. Cui definitioni congruenter, quinq; actus distinguuntur eiusdem virtutis, appellati ipso timoris nomine. Primus, dicitur timor criminalis, quo quis timet malum culpæ, & simul seipsum quatenus ipse est ille à quo sibi idemmet malum inferri potest. Secundus dicitur seruilis, quo quis (*ad instar seruorum videlicet, qui verberum formidine obsequuntur domin s*) timet pœnã siue temporalem siue æternam, à Deo iudice infligendam: eaq; de causa abstinet à culpa, & de ea dolet si cõmissa sit. Tertius dicitur initialis, quo quis partim ob culpam timet, partim ob pœnam, partim ex amore, seu ex inchoatã charitate quæ nondum est perfecta, ita vt necdum foras mittat timorem seruilem, quod proprium est perfectæ charitatis: dicente D. Ioann. in 1. suã Canonica cap. 4: Perfecta charitas foras mittit timorem.] Vnde sumptam esse ipsam timoris initialis appellationem habetur ex D. Thoma in cit. quæst. 19. art. 8.

Quartus timor dicitur filialis, quo quis magis timet culpam tanquam Dei communis parentis amantissimi offensam, quam pœnam: ad instar nimirum boni filij, omnino timentis patri displicere. Quintus dicitur reuerentialis, quo quis considerans summam maiestatem Dei & propriam vilitatem horret tanquam summum malum, se cõparare Deo. Quos omnes esse de se bonos consentiunt Catholici: quodque hæretici nostri temporis id negẽt de timore seruili Gregorius à Valentia 2. 2. disput. 2. quæst. 2. puncto tertio bene refutat, & damnatur à Concilio Triden. sess. sexta, canone octauo. In quo hærere non est nostri instituti. Eosdem autem timores possumus inter se distinguere, quod timor criminalis pro obiecto habeat propriam imperfectionẽ & propensionem ad malum: seruilis vero habeat pœnam, & initialis culpam prout separat à Deo, eumq; prouocat ad iram, filialis autem habeat culpam, prout est Dei offensa seu iniuria ei illata. Quod attinet ad reuerentialem, is non est proprie timor, sed potius pietas & religio erga Deum. Quanquam vt de omnium optimo, & nobis cum beatis communi, intelligi potest illud Psal. 18. Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi.

Porro timorem Dei quoad actum timendi esse in præcepto constat de filiali ex verbis Deuteronomij 10. Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in vijs eius & diligas eum, &c.] De seruili vero ex verbis Domini nostri Matth. 10. & Lucæ 12. Eum timete, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem & corpus & animam perdere in gehennam.] Quorum duorum timorum potissimum ratio habetur in praxi nobis proposita, tanquam annexorum contritioni sacramentali. Iam talis præcepti obligationem esse sub mortali, patet ex rei quã præcipit necessitate ad salutem; aperte significata illis verbis Ecclesiastici 1. Timor Domini expellit peccatum. Nam qui sine timore est non poterit iustificari.] Sicut igitur peccati expulsio ac iustificatio necessaria est ad salutem, ita est & timor, sine quo hæc non prouenit.

Si queras pro quibus temporibus obliget tale præceptum: ita vt vi illius compellamur ad eliciendum talis timoris actũ. Respõdetur, quod cum is actus necessarius sit ad exeundum à peccato, & ad iustificationem, vt habetur ex verbis scripturæ ante relatis: tunc obligationem illius contingere cum ex præcepto pœnitentiæ, tenemur commissa peccata detestari ad remissionem illorum consequendam; nempe in proba-

bili

bili mortis articulo, aut cum suscipiendum est aut administrandum aliquod Ecclesiæ sacramentum, prout dictum est suo loco in præced. lib. 5.

Si rursus quæras, An homo post obtentam peccatorũ veniam & Dei gratiam, teneatur adhuc vi memorati præcepti certo tempore elicere actũ timoris Dei? Respondetur quod cum idipsum præceptum datum sit tanquam remedium ad consequendam peccatorum veniam, difficile esse definire quibus alijs temporibus obliget, quã ijs quibus oportet nos reconciliari Deo, à cuius gratia & amicitia excidimus per peccatum mortale: nisi quod dici possit tunc obligare, quãdo contigerit quem sic tentari, vt ne succumbat, necesse sit ei actu timoris Dei corroborari.

De timore mundano.

Sectio II.

218. AMor mundanus dicitur amor creaturarum seu rerum temporalium: quia aliquando quidem bonus est & licitus: vt is de quo dicitur Prouerb. 29. Qui amat sapientiam lætificat patrem suum] sed plerunque est, malus & illicitus: quoties nimirum ordinatus non est secundum rectæ rationis regulam, nimiusve est, prout D. Augustinus docet libr. 21. De ciuit. Dei cap. 26. Atq; aliquando peccatũ mortale esse patet per illud Ecclesiastici 10. Nihil iniquius est, quam amare pecuniam] & illud 1. Ioannis 2. Nolite diligere mundum, nec ea quæ mundi sunt: nam qui diligit mundum, non est charitas patris in eo.] & illud Iacobi 4. Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Dei.]

Tres autem casus dantur in quibus tale peccatum mortale esse contingit. Primus est, quando amor est rei mortaliter illicitæ, vt amor infortunij proximi, vel vxoris alienæ, vel aliarum rerum alienarum, contra charitatem vel iustitiam. Secundus est, quando etsi res sint alioqui licitæ & honestæ, tamen medium mortaliter illicitum, ad eas cõsequendas vsurpatur, vt si quis ob amorem sanitatis conseruandæ vteretur illicito concubitu, aut pollutione, aut ieiunium ab Ecclesia indictum violaret temere. Tertius est, cum eiusmodi amor adeo excrescit, vt propter eum violetur aliquod præceptum obligans ad mortale: vt si quis ob amorem diuitiarum furaretur, aut peieraret. Quibus tribus modis finem vltimum cõstituit in creatura D. Thom. significat. 2. 2. quæst. 19. art. 3. cum ait: Amorem mundanum esse, quo quis nititur mundo tanquam fine. Sed intelligendum est constitui tantum indirecte: nimirum quod sic peccans, auertendo se à creatore ad creaturam, hanc præferat illi. Alioqui enim cum id possit de omni peccato mortali similiter dici, ex ipso D. Thoma & Caiet. 1. 2. quæst. 88. art. 4 & 5. concedendum esset omne peccatum mortale esse duplex: vtpote habens rationem amoris mundani, præter suam propriam & specificam. Quod vt absurdum referens Nauarr. in Enchir. prælud. 9. num. 16. addit in confirmationem, quod multi peccent mortaliter cognoscentes se nõ ponere finem vltimũ in eo, quod taliter agunt.

219. Difficultas est autem, num amor mundanus possit adeo intensus esse rei alioqui licitæ, vt peccatum sit mortale. Quã de re disserens Adrianus quodlibeto 7. quæst. 2. affirmat posse, iuxta illud quod ex D. Hieronymo habetur 32. quæstio. 4. cap. Origo, his verbis: Adulter est in suam vxorem amator ardentior; in aliena quippe vxore omnis amator turpis est; in propria nimius. Sed hæc authoritas illud nõ euincit. Nam respondeti potest, D. Hieronymum vel loqui de peccato veniali; vel si loquatur de mortali intelligendum esse, quando sic diligitur vxor vt omnibus alijs rebus præponatur: vel quod probabilius est quando quis ita accedit ad vxorem, ac si aliena esset & non vxor. Adde quod quando primus intensionis gradus venialem tantum malit à constituit, nec 2. aut 3. aut 4. aut quemcunq; aliũ. *vtpote illis; tanæ similẽ*, mortalem constituere. Quia igitur ex venialibus quantumlibet multis non cõstituitur mortale, quantacunq; intensio amoris fuerit, ea non erit de se plusquam venialis, vtpote consurgens ex multiplicatione graduum, quorum singuli de se tantum sunt malitiæ venialis.

220. Ex accidenti tamen mortalis esse potest in his casibus. Primus est, quando quis ob talem amorem exponit se certo probabili periculo alicuius peccati mortalis: vt si quis ob nimium amorem diuitiarum, vel liberorum aut amicorum exponat se tali periculo; puta inferendi alicui grauem iniuriã: aut negandi fidem vel prolabendi in hæresim. Hinc Apostolus 1. ad Timoth. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, desideria multa nociua, quæ mergunt hominem in interitum. Secundus casus est, quando quis ob eundem amorem negligit præstare ea ad quæ ex officio tenetur sub mortali: vt audire sacrum vel recitare horas canonicas attente & deuote. Tertius est, cum quis est paratus animo, habetve formale propositũ peccandi mortaliter potius, quam amittere rem amatam: vt si quis ita sit affectus ad diuitias, sanitatem, vitam, &c. vt malit peccare mortaliter, quam talia perdere. Quartus casus est, quando creatura etiam de se bona appretiatiue plus aut tantum diligitur, quam Deus: vt contingit ei qui sic diligit creaturam aliquam, vt paratus sit transgredi potius Dei mãdata omnia, quam ab ea separari, quod proprie est finem vltimũ in creatura constituere; & scelus nefandum, tanquam diuinæ maiestatis enormiter iniuriosum.

De timore malo.

Sectio III.

TImor malus est, quo timetur id quod timeri non debet: & ex obiecto diuiditur in vanum, humanum, & mundanum. Quorum vanus, est timor amittendi fauorem hominum: qui etiam dicitur amor sæculi. Humanus timor vero, est nocumenti corporalis vel mortis. Mundanus demum timor, est amissionis bonorum, vel perpessionis damni alicuius temporalis. 221.

Quanquam negandum non est, quin possit quilibet eorum bonus esse, tanquam ordinatus secundum rectæ rationis regulam, cum homini naturale sit timere homines, & iacturam fauoris atq; gratiæ ipsorum: itemq; timere læsionem corporis & mortem: ac demum timere amissionem & iacturam bonorum. Et certe cum Iudex iniquus Lucæ 18. ex eo reprehendatur, quod nec Deum timeret nec hominem reuereretur, consequens est licitũ aliquando esse homines reuereri, & culpabile esse non reuereri eos, prout exegerit existens in eis bonum siue gratiæ, siue virtutis, siue alterius perfectionis: Imo naturalis imaginis ac similitudinis Dei, illis à Deo ipso impressæ. Itaque timor siue vanus siue humanus, siue mundanus, tunc malus ac peccatum censeri debebit, cum inordinatus nimiusq; fuerit: quod tunc maxime contingit, cum aduersatur Deo. In quo casu oportet solicite illum cauere, exemplo Elisæi qui Ecclesiastici 48. laudatur, quod in diebus suis, non pertimuerit Principem. 222.

In tribus autem casibus timor malus, peccatum est mortale: quorum primus est, quando huiusmodi timore transgreditur quis præceptum diuinum aut Ecclesiasticum obligans ad peccatum mortale: vt si quis ob aliquem eiusmodi timorem, negaret fidem, aut ederet cibos vetitos in ignominiam Christianæ religionis, aut in graue aliorum scandalum. Secundus est, quando ob huiusmodi timore paratus est quis transgredi quodcunq; mandatum obligans ad mortale, licet nullum reipsa transgrediatur: vt si quis transiens per terras hæreticorum para tus est eadem quæ illi facere: vt immunis sit ab ipsorum manibus & pericula euadat: etiamsi nihil talium quæ sub mortali prohibita sint, faciat. Tertius casus est, quando huiusmodi timore magis timetur detrimentum quodcunque, quam præcepti trãsgressio qua mortaliter peccatur: vt si quis magis timeat pœnas inferni: mortem aut amissionem bonorum, quam transgredi præceptum quod sub mortali seruare tenetur. 223.

Porro quando timor est ex se malus, transgressio præcepti ex eo prouenies aggrauatur per illius malitiam. Exemplum est, si quis timeret amittere rem alienam quam iniuste possidet, ac ob eum timorem peieraret: vel si timeret amittere cõcubinam; & ex eo timore furaretur ad eam apud se retinendam. Cæterum præter bonum & malum timorem datur quidam indifferens, nempe naturalis ille, quo malum seu nociuum naturaliter timetur, & proprie dicitur timiditas: de qua dicere, nihil refert ad nostrum institutum. 224.

De ten-

De tentatione Dei.

Sectio IV.

225. NOtandum est, tentationem Dei peccatum esse, non tãtum oppositum timori Dei, sed etiam alijs virtutibus: puta religioni, fidei, spei & simplicitati; diuersa tamen ratione. Timori enim Dei opponitur, vt est nimia quædã & impudens audacia. Religioni vero, quatenus est Dei irreuerentia: & fidei quatenus prouenit ex incredulitate, spei porro quatenus est temeraria quædã præsumptio: simplicitati demum, quatenus est nimia quædam curiositas. Igitur tentatio Dei, de qua hic fermo est (& de qua cum D. Thoma 2. 2. qu. 97. agunt tum ipsius interpretes, tum Summularij in verbo Tentare, tum etiam tractantes de peccato contra istud præceptum vt Nauarrus in Enchir. cap. 11. num. 40. & 41. & alij satis obuij) definiri potest vitium quo aliquis dicit vel facit; aut dicere vel facere vult aliquid ad capiendum sibi, vel præbendum alijs experimentum de aliquo attributo seu perfectione Dei: nimirum de ipsius potentia, sapientia, scientia, prouidentia, bonitate, voluntate, patientia, &c. Qua descriptione significatur, quod Deus ab hominibus possit dupliciter tentari: vno modo, cum illi volunt sibi explorare, an perfectio aliqua sit in Deo; altero modo, cum idem alijs explorare volunt. Tentat quoque Deus hominem, non quidem inducendo ad malum sicut diabolus, quia id repugnat illi, *qui ideo intentator malorũ dicitur à D. Iacobo in sua Epist. cap. 1.* sed ostendendo alijs seu patefaciendo virtutem, perfectionemque ipsius. Sic dicitur tentasse Abrahamum Genes. cap. 22. itemq; Iobum & Tobiam, prout habetur ex eorum historijs.

226. Porro Deus à nobis tentari potest; tum expresse, vt cum aliquid directa intentione dicimus aut facimus eo fine, vt exploremus vtrum ipse possit aut velit aliquid facere: vt si quis petat miraculum fieri pro se vel pro alio. Quo pertinẽt purgationes vulgares solitæ fieri ferro cãdente vel aqua feruente, quas sacri canones reprobãt, vt habetur notatum 2. quæst. quinta, cap. Consuluisti: pertinent & duella reprobata ibidem cap. Monomachiam, & in capit. 1. & 2. De purgatione vulgari, & in Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. De reform. Pertinent nonnulla alia de quibus Thom. Sanchez alijs citatis in opere morali lib. 2. cap. 34. à num. 6. Tum etiam tacite: vt cum quis talem finem non proponit quidem sibi, tamen id quod facere conatur, eiusmodi est, vt fieri non possit, *eo saltem modo*, sine miraculo, seu fine supernaturali Dei virtute: vt si quis vellet viuere sine vllo cibo vel bene docere aut cõcionari, sine vllo studio: sanitatem recuperare in graui morbo, sine vllo remedio: traijcere latum fluuium sine nauicula, aut arte natandi.

227. Atque nonnunquam tentatio Dei est peccatum mortale, nonnunquam solummodo veniale, nonnunquam etiam nullum peccatum. Nam in tribus casibus peccatum est mortale, prohibitum illis verbis Deut. 6. & Matth. 4. Non tentabis Dominum Deum tuum. Primus casus est, quando expresse tentatur diuina potentia vel scientia, id est, quando quis expresse aliquid facit, vt experimentum capiat de diuina potentia vel scientia. Nam præterquam quod, id est contra reuerentiam quæ Deo debetur, & nimis magna curiositas, est etiam species infidelitatis, cum talis ex parte dubitet, An Deus aliquid possit vel sciat. Hoc modo videtur diabolus tentasse Christum Matth. 4. in prima tentatione, Dic vt lapides isti panes fiant, & in tertia, Hæc omnia tibi dabo si cadẽs adoraueris me. In illa enim voluit explorare Christi potentiam, & in hac scientiam.

Secundus casus est, quando expresse tentatur voluntas Dei, hoc est, quando quis facit aliquid vt exploret an Deus velit aliquid facere, neque adest explorandi necessitas: siue ex parte finis, neque ex parte medij. Ex parte finis quidem vt cum talis exploratio necessaria non est ad propriam vel alienam salutem, aut ad Dei voluntatem implendam: nec admodum conueniens est ad aliquod commune bonum. Ex parte medij vero, vt quando media ordinaria à Deo instituta non omnino desunt. Qua ratione diabolus tentauit Christũ in secunda tentatione: cum voluit vt mitteret se deorsum cum posset per gradus descendere. Merito vero talis tentatio peccatum mortale censetur, tum ob notabilem Dei irreuerentiam: tum ob quandam temerariam præsumptionem quam includit.

Tertius casus est, cum quis ex curiositate videndi insolita petit à Deo miraculum. Nam id quoq; est notabiliter contra reuerentiam Deo debitam: quia in eo agitur cum illo vt cum ludione & curiosorum fautore. De hoc quid diuerse sentiant refert Sanchez in opere Morali lib. 2. cap. 34. num. 5. sed ratio allata illum sufficienter confirmat. Cum autem Dei tentatio fuerit tãcita (tunc contingens vt D. Thom. 2. 2. quæst. 97. art. 1. declarat, cum neglectis modis à diuina prouidentia constitutis, aliquid agitur expectato effectu à solo Deo sine necessitate aut vtilitate) peccatum est tantum veniale, *vt Caietan. & Armilla notant in verbo Tentare*, cum quis ex simplicitate vel inconsideratione non crassa, negligit remedia humana: præsertim autem si id faciat ex magna spe quam concepit de diuina bonitate. Per accidens nihilominus talis quoq; tentatio potest peccatum esse mortale: scilicet, cum quis graue detrimentum, quod præuidere potuit & debuit sibi aut alteri per eam infert.

228. Denique duo sunt casus in quibus nullum peccatum, imo licitum sanctumq; est tentare Deum. Prior, quando Deus extraordinario modo per reuelationem, seu interiorem inspirationẽ, aut per Prophetam loquitur, si aliqua noua proponat credenda. Nam tunc bonũ est explorare an vere Deus sit qui loquitur: & ita Abraham tentauit Deum Gen. 15. dicens, Domine Deus meus vnde scire possum quod possessurus sim eam?] Tentauit etiam Gedeon Iudic. 6. cap. per vellus positum in area, vno die plenũ rore, & altero die siccum. Tentauit quoq; Ezech. 4. Reg. cap. 20. per regressum vmbræ decem gradibus. Et pater ipsius Achaz grauiter peccauit, quod incredulus Prophetæ verbis, Deum tentare noluerit ex cap. 7. Esaiæ vers. 12.

Posterior casus est, quando necessitas exigit aut pia vtilitas, ex D. Thoma 2. 2. quæstio. 97. art 2. habet. Censetur autem necessitas exigere, quando nullum aliud superest remedium humanũ iuxta illud 2 Paral. 20. Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te.] Pia vtilitas vero, quando ex opere extraordinario & supernaturali speratur conuersio multorum ad fidem. Qua ratione Apostoli. Act. 4. petierunt à Deo miracula fieri per nomen Christi: vt scilicet virtus illius manifestaretur ad fidelium confirmationem, & infidelium conuersionem. Et libro tertio Regum cap. 18. Elias obtinuit à Deo descensum ignis de cœlo in suum holocaustum, precatus eũ his verbis. Exaudi Domine, exaudi Domine, vt discat populus iste quia tu es dominus Deus, & conuertisti cor eorum. Verumtamen in tali re opus est magna prudentia: quia nullus debet facile miracula vel prodigia attentare, nisi ex diuina reuelatione vel interiore, eoq; forti, impulsu Spiritussancti; cuius cooperatione à nobis perfici potest aliquid perfectius, quam nostra ars & industria ferat, quemad. D. Thomas 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. declarat.

229. Cæterum ad talem prudentiã pertinet maxime summissio animi, per quam homo fidem & petitionem suam non determinat ad aliquod signum particulare: quia talis modus petendi temerarius esset, & contra subordinationem Deo debitam: sed solum petat vt necessitati occurrenti misericorditer prouideat secundum dispositionẽ diuinæ suæ prouidentiæ. Cuiusmodi conditionem talis petitio debet semper habere coniunctã: alioqui enim censeretur tentatio Dei, per quam irreuerenter illi certum quid præscriberetur tanquam signum vnicum manifestatiuum suæ voluntatis aut potentiæ vel scientiæ suæ diuinæ. Sic itaq; procedendum est in eiusmodi negotio; vt credendo firmiter Dei infinitam potentiam & prouidẽtiam paternam, totum committamus suæ sanctissimæ voluntati: imitatione trium puerorum, qui ex cap. 2. Danielis, regi Nabuchodonosor dixerunt: Ecce Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis & de manu tua ô rex liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi ô rex, quia deos tuos non colimus, &c.] Quod si aliquando Sancti aliqui legantur certum signum publicum petiisse ad confundendos hæreticos, credendũ est id non feciſſe absq; speciali Spiritussancti impulsu: cum tam excellens & supernaturalis sit talis petitio, vt videatur non

posse

posse recte fieri sine speciali Dei monitione, quemadmodū notat Suarez in opere de religione tract. 3. lib. 1. cap. 2. num. 13. in quo cap. & in sequenti tertio persequitur de hac re quæ sunt speculationis scholasticæ.

CAP. VLTIMVM.

De obedientia & inobedientia.

SVMMARIVM.

230 *Definitio obedientiæ specialis cum explicatione rationis, quæ distinguitur ab obedientia generali.*
231 *Inobedientia quædam est generalis, & quædam specialis, ac vtriusq; differentia.*
232 *Deo obediendum est in omnibus.*
233 *Quatenus obediendum homini, qui superior noster est.*
234 *Dubium subditi non liberat eum ab obligatione obediendi.*
235 *Deus potest de omnibus præceptum dare, non item homo.*
236 *Non est obligatio obediendi in eo, quod constat peccatum esse, etiam tantum veniale.*
237 *Hinc Superiori minori obediendum non est, contra præceptum maioris, nec cum scandalo proximi.*
238 *Vt obligatio sit obediendi, voluntas Superioris debet exterius expressa esse mandato.*
239 *In quibus rebus sit obediendi obligatio; & cum æquales diuersa præcipiunt, quid agendum.*
240 *Inobedientia specialis aperienda est in confessione, non item generalis.*
241 *Inobedientiæ specialis diuersi modi, & quatenus ij exprimi debeant in confessione.*

230. VLtima virtus earum, quæ ad primum Decalogi præceptum pertinent, est obedientia: de qua D. Thom. 2. 2. quæst. 104. & Summistæ in verbo Obedientia. Ea vero definiri potest: virtus quæ facit hominem promptū ad implendum Superioris mandatum, vt mandatum est. Vbi aduerte Superioris mandatum impleri dupliciter: primo materialiter; nempe faciendo simpliciter quod Superior ipse iniungit. Secundo formaliter; nempe idem faciendo ex motiuo, quod à Superiore mandatum sit. Quorum modorum priore, constituitur generalis obedientia; complectens sub se omnes virtutes, quatenus per eas implemus Dei & aliorum Superiorum nostrorum mandata: vt per fidem, mandatum de credendo: per spem, de sperando: per charitatē, de diligendo per iustitiam, de non inferenda proximo iniuria, & sic de reliquis. Posteriore modo vero constituitur obedientia prout est specialis virtus ab alijs distincta: cuius munus est vt homo, tum illa quæ cæterarum virtutum sunt, tum alia de se indifferentia velit facere hoc nomine, quod sint à Deo, aut ab alio suo Superiore mandata: ita vt facere aliqua, siue ad alias virtutes pertineant, siue nullius virtutis, sed indifferentia de se sint, non spectet ad obedientiam: nisi eo intuitu faciat, quod sint à Superiore mandata. Vnde in tradita definitione (vt propria esset specialis obedientiæ) addita est illa reduplicatio *vt mandatum est*.

231. Sicut autem obedientia ita inobedientia quædam est materialis ac generalis; & quædam formalis & specialis. Nam dupliciter potest quis esse inobediens: vno modo materialiter, quando scilicet simpliciter negligit facere ea quæ præcipiuntur: sicq; constituitur generalis inobedientia complectens in se omnia vitia, quibus contra Superiorum mandata peccatur. Quod peccatum in re leui veniale est; in graui autem mortale, non tamen distinctum ab alijs: sed idem cum vnoquoque eorum quæ perpetrantur singulorum præceptorum transgressione. Altero modo potest quis inobediens esse formaliter; vt censetur esse quando non præstat illud quod à Superiore mandatur, quia non vult mandato ipsius subesse; & ita constituitur inobedientia formalis: quæ est speciale vitium, distinctum ab alijs, & oppositum obedientiæ formali; semperque censetur esse grauissimum peccatum mortale, cum semper habeat annexum formalem & expressum Dei contemptum in mandatis ipsius: aut in mandatis aliorum Superiorum, qui ab ipso anthoritatem habent: iuxta illud Lucæ cap. 10. Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.] Item illud ad Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.] Vnde ea solet quoq; dici inobedientia ex contemptu: indeque peccatum esse mortale constat per postremam regulam earum quas tradidimus in præcedenti lib. 13. cap. 7. De eadem autem disserunt plenius D. Thom. & Caiet. 2. 2. quæstio. 105. & Summularij in verbo Obedientia, atq; alij qui tractationem instituunt de peccatis capitalibus eam facientes superbiæ filiam. Sed sufficiet vt addamus aliquot documenta vtilia ad cognoscendum in quibus teneamur vel non teneamur ex obligatione obedire nostris Superioribus. Alia vero quæ magis propria sunt speculationis scholasticæ, quam nostri instituti, ei qui nosse volet suppeditabit Leonar. Lessius De iust. & iure libr. 2. cap. 46. dubit. 4. 5. & 6.

Primum igitur documentum est: In omnibus obediendum esse Deo. Nam impossibile est aliquid iniquum à Deo præcipi: cum aliquid eo ipso bonum sit, quod cadat sub diuinam voluntatem, quæ est prima rectitudinis regula: neq; de hoc quisquam dubitat. 232.

Secundum est Subditum teneri homini Superiori suo, obedire in ijs omnibus & solis, de quibus non constat euidenter, quod sint contra præceptum Dei aut alterius Superioris, eo qui præceptum dat maioris, & cui obediendum sit; vel certe quod sint talia, quæ excedant limites potestatis, & authoritatis in subditum ipsum. Hoc D. Thom. in cit qu. 104. art. 5. tangit. Et confirmatur: quia quod in omnibus iis, subditus teneatur suo Superiori obedire, constat aperte per Christi mandatum Matth. 23. Omnia quæcunq; dixerint vobis, seruate, & facite. Quod solis vero; quia idipsum Christi mandatum, & quoduis simile (quale est illud ad Coloss. 3. Filij obedite parentibus, per omnia) sic intelligendum est, vt retineatur illud Act. 5. Obedire oportet Deo magis quam hominibus. Quo quidem significatur non esse obediendū in ijs quæ constat esse contra voluntatem Superioris præeminentioris. 233.

Aduertendum autem est circa hoc documentum: vt subditus obed re teneatur, non esse necessarium vt videat intelligatq; bonum esse, & intra limites authoritatis sui Superioris contineri illud, quod sibi præcipitur; sed sufficere, vt nō sciat euidenter illud esse malum, aut contineri intra dictos limites. Nec enim ad officium ipsius pertinet tale quid inquirere: sed potius, vt motus sola authoritate Superioris sui, persuadeat sibi bonum expediensque esse facere id quod præcipitur etiamsi non videat quare & quo modo bonum expediensque sit. Qua in re consistit obedientia cæca in spiritali vita tantopere commendata. Pro qua aliquot Sanctorum Patrum authoritates adfert Gregor. à Valen. 2. 2. disput. 7. quæstio. 3. puncto 2. Pro eaque facit illud ad Hebræos 13. Obedite præpositis vestris & subiacete eis: ipsi enim pervigilant, tanquam rationem pro animabus vestris reddituri. Quibus verbis Apostolus indicat ad Superiores maxime spectare, vt peruigilent seu videant quid nos agere expediat, bonumque sit: tanquam ij qui in die iudicij reddituri sunt pro nobis rationem de ijs quæ ex ipsorum præscripto fecerimus.

Tertium documentum est: subditi dubium de eo quod præcipitur, an sit malum, aut extra limites authoritatis, quā præcipiens habet in ipsum, non impedire quominus ille teneatur obedire. Ratio est, quia ipse potest dubium deponere, persuadendo sibi rectum esse præceptum Superioris: quādoquidem non constat ei euidenter de contrario: nihilque obstat, quin statuere possit se non peccare, imo potius se teneri satisfacere obligationi obediendi, quam illud imponit: cum iuxta precedens documentum, Superior habeat ius imperandi omne id quod malum esse, aut extra limites authoritatis ipsius esse non constat euidenter: atque in casu dubij, melior sit conditio Superioris tanquam constituti in possessione suæ authoritatis: ipseq; existimari debeat recte præcepisse, quamdiu non constat de contrario, iuxta capit. Quid culpatur. 23. quæst. 1. 234.

Quartum documentum est: Nihil esse extra limites diuinæ authoritatis & prouidentiæ: ideoque simpliciter in omnibus obediendum esse Deo. Extra limites vero humanæ authoritatis generaliter esse (quod recte explicat D. Thom. in eadem quæstio. 104. art. 5.) tum ea quæ sunt contra Superioris 235.

perioris eminentioris mandatum: tum ea quæ pertinent ad animam, vt actus pure interiores: tum intellectus, velut credere aliquid, aut sibi persuadere aliquam opinionem: tum etiam voluntatis, velut amare hunc vel illum: hanc vel illam intentionem habere. Itemq; ea quæ pertinent ad naturam corporis: siue quoad speciei propagationem vt generatio prolis: siue quoad conseruationem individui, vt sumptio cibi, vel potus. Ratio est, quia in his natura tanquàm eminentior potestas, tollit subiectionem; in illis vero alijs, eandem tollit improportio humanæ potestatis ad talia bona. Quæ improportio quoad pertinetia ad animam, patet ex eo quod secundum illa perficere hominem, potestatis sit Dei, intima illius penetrantis ac possidentis pleno iure.

Aduerte tamen hominem posse subditum suum obligare ad actum interiorem qui non fuerit purus sed exteriori admixtus: hunc enim præcipiendo, consequenter & secundario actum eiusmodi præcipere potest. Sic in cap. Dolentes de celebr. Missarum, Ecclesia cum recitatione horarum canonicarum, præcipit interiorem deuotionem & attentionem in illa seruandam. Aduerte etiam dictis non obstare, quod Religiosi teneantur suis Prælatis obedire in materia castitatis: & quod Ecclesia præceptum det de ieiunio. Illud enim sit ex accidenti propter emissum à religiosis votum castitatis. Istud vero non est, quod Ecclesia simpliciter prohibeat esum & potum ad individui conseruationem necessarium; sed q̃ comedendi modum præscribat: quod non excedit limites humanæ potestatis, intra quos, vt loco cit. habet D. Thom. continentur omnia quæ per corpus agenda sunt: hoc excepto, quod secũdum ea quæ ad naturam corporis pertinent, homo soli Deo subijciatur.

236. Quintum documentũ est: Si id quod præcipitur peccatum esse etiam tantummodo veniale, subdito constiterit, nullatenus esse obediendum: quod patet ex cap. Literas, De restitutione spoliatorum §. Porro & ex cap. Quid ergo, 11. qu. 3. quod procedit etiamsi Superior ipse putet nullum peccatum esse, ex Sylu. in verbo Obedientia num. 5.

237. Similiter cum duo Superiores præcipiunt opposita, non esse parendum minori contra præceptum maioris: sed prætermisso minore Superiore, parendum esse maiori. Sic in rebus Ecclesiasticis contra præceptum Papæ, non est alteri Superiori parendum. Hoc satis patet ex secundo documento: & traditur à Panormit. ad cap. Inquisitioni De sent. excom. num. 5.

Sextum documentum est, quod ex eodem Panormit. refert Sylu. loco cit. non esse obediendum Superiori præcipiẽti aliquid quod constat cessurum in scandalum aut detrimentum notabile aliorum innocentiũ, etiamsi præcipiat sub excommunicatione. Nam tunc peccaretur in proximum.

238. Septimum documentum (quod ex D. Thoma habet Sylvester in eodem verbo Obedientia quæst. vltima) est hominem non teneri obedire voluntati sui Superioris, nisi ea exterius expresse vel tacite illi per mandatum manifestetur, etiamsi inferior sciat Superioris sui voluntatem esse, vt sine mandato obediat. Ratio est, quia voluntati Superioris, etiam Dei, non obligamur nostram conformare nisi cum fuerit præcipiens vel prohibens, vt declarauimus in præced. lib. 13. cap. 7. Non est tamen negandum quin sit perfectior obedientia facere voluntatem Superioris antequam manifestetur mandato, quam expectare donec mandatum det de eo quod fieri vult.

239. Octauum documentum est: Inferiorem in omnibus & solis teneri suo Superiori obedire, in quibus illi subest, inferiorve est; vt seruus domino in ministerijs seruilibus: filius patri in rebus domesticis, miles duci in rebus bellicis, & sic de alijs: de quibus in particulari dicendum est in seq. libr. 19. Istud D. Thom. habet 2. 2. quæst. 104. art. 5. Ex quo idem referens Sylvester in verbo Obedientia num. 10. adiungit dubium. Quid agendum sit in casu quo duo superiores æquales præcipiunt eidem subdito res oppositas: vt si militi qui subditus est suo duci, & suo patri; dux aliquid præcipiat quod non potest impleri simul cum eo quod pater præcipit. Ait ergo tunc cæteris paribus obediendum esse ei qui præcipit in ordine ad nobiliorem finem: ideoque si æquale detrimentum oriatur in re domestica & in re militari, potius esse obediendum duci quam patri: quia ille præcipit in ordine ad bonum commune, quod nobilius est bono particulari vnius domus.

240. Nonum documentum est: In confessione exprimendam esse inobedientiam formalem, non item materialem. Illa enim peccatum est à cæteris distinctum: eaq; aggrauans mutando speciem, hæc non item: cum tantum sit conditio quædam inclusa in omni peccato, hoc ipso quod est contra præceptum Superioris.

241. Cum autem vt obedientia sic inobedientia formalis quędam sit erga Deum & quædam erga homines: hæcque adhuc sit varia pro varietate Superiorum (quædam enim est omnium qui sunt de Ecclesia, erga Summum Pontificem; quædam eorum qui sunt de diœcesi, erga suum Episcopum; quædam eorum qui sunt de Parochia, erga suum Curatum: quædam religiosorum erga suos Prælatos: quædam vasallorum, erga dominos, quædam filiorum erga parentes) dubitari potest. An necesse sit in confessione expresse declarare, cuiusmodi ea fuerit: an vero sufficiat absolute se de inobedientia accusare. Qua de re approbandum videtur quod habet Gregorius à Valen. 2. 2. disput. 7. quæst. 3. sub finem, quamuis necessarium non sit id declarare tanquam circunstantiam, quæ mutet speciem: exprimendam esse tamen, quando sic notabiliter aggrauat malitiam inobedientiæ intra suam speciem: vt nisi aperiatur, Confessarius non videbitur sufficienter intelligere statum animæ Pœnitentis, ad fungendum debite suo munere: siue in imponenda pœnitentia, siue in remedijs aduersus peccata futura adhibendis. Atque hæc hactenus de ijs quæ faciunt ad declarationem rationis iudicandi de peccatis in ordine ad 1. Decalogi præceptum.

LIBER

LIBER TERTIVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVS-OCTAVVS.

DE SPECIALI RATIONE IVDICANDI DE PECcatis, reſpectu habito ad ſecundum Decalogi præceptum.

PRÆFATIO.

SECVNDVM Decalogi præceptum traditur Exodi 20. cap. his verbis: Non aſſumes nomen Dei tui in vanum: nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra. Item Deut. 5. his non multum diuerſis. Non vſurpabis nomen Dei tui fruſtra: quia non erit impunitus qui ſuper re vana nomen eius aſſumpſerit. Illi autem, *ſicut & primo præcepto*, additur pœnæ comminatio, propter propenſionem hominum ad illius tranſgreſſionem ex frequentia iurandi: vt D. Thomas notat prima ſecundæ quæſt. 100. art. 7. ad 4. Etenim pœnæ ſunt præcipue neceſſariæ, propter eos qui proni ſunt ad malum. Itaque ad frænandam humanam licentiam: non modo in futuro, ſed etiam in præſenti ſæculo, talis tranſgreſſio punitur à Deo; prout patet ex cap. 17. Ezechielis, verbis illis. Viuo ego, quoniam iuramentum quod ſpreuit, & fœdus quod præuaricatus eſt, ponam in caput eius.

Quod vero nobis per idipſum commendatur eſt externus Dei cultus, conſiſtens in verbis: ſicut per primum præceptum commendatur cultus internus, & per tertium, cultus externus conſiſtens in opere. Ad hoc nimirum vt colamus Deum animo, verbo, & opere. Et quamuis negandum non ſit principaliter per illud prohiberi iuramenta perperam facta: nihilominus tamen Diuo Antonino in 1. par. tit. 14. cap. 4. §. 3. abſolute aſſentiri poſſumus, dicenti prohibitam eſſe in illo omnem inordinatam diuini nominis vſurpationem; cum conueniat omni tali, fruſtra, ſeu ſine debito fine eſſe: aut rem eſſe vanam. Quapropter ad tradendam rationem iudicandi de peccatis in ordine ad idem præceptum, per explicationem eorum quæ ad ipſum ſpectant; dicendum nobis eſt non tantum de iuramento, & periurio, ſed etiam, tum de affine eis adiuratione, tum de laude Dei, tum demum de voto, votique tranſgreſſione: addito tractatu de Religioſorum ſtatu.

TRACTATVS I.

De iuramento & periurio.

DE iuramento & periurio agitur in iure Canonico, 22. quæſtione 1. 2. 4. & 5. & in Decretalibus ac Clement. tit. De iureiurando. Tractant vero eamdem materiam cum D. Thoma interpretes ipſius 2. 2. quæſt. 89. & 98. Sotus lib. 8. De iuſtitia & iure quæſt. 1. & 2. Couar. ad cap. Quamuis pactum De pactis in 6. Nauar. in Enchir. cap. 12. & Summularii in verbo Iuramentum, & & in verbo Periurium: quibus acceſſerunt aliquot ex noſtris: Azor prima parte Moral. inſtitut. lib. 11. Gregor. à Valentia ſecunda ſecundæ diſput. 6. quæſt. 7. Suarez De religione tomo 2. tract. 5. Leon. Leſſius De iuſtitia & iure lib. 2. cap. 42. & Thomas Sanchez in opere Morali lib. 3. per totum. De iuramento autem hæc occurrunt explananda. Primum, ipſius definitio. Secundum, conditiones quas requirit vt ſit licitum. Tertium, multiplex diuiſio illius. Quartum, difficultates quædam ſpeciales de iuramento promiſſorio. Periurium vero conſiderandum eſt primo, generaliter. Secundo, ſpecialiter periurium aſſertorium. Tertio, periurium promiſſorium. Quibus de iuramento comminatorio, ac de iudiciali addenda ſunt aliqua particularia.

CAPVT I.

De definitione iuramenti.

SVMMARIVM.

1 *Iuramentum vnde dictum, & quæ ſit illius definitio.*
2 *Formulæ verborum, de quibus an ſint iuramenta, iudicandum eſt ex intentione eas proferentis.*
3 *Finis cuius gratia eſt iuramentum.*
4 *Inuocatio tacita diuini nominis ſufficere poteſt ad iuramentū.*
5 *Profecto, ſane, vere, in veritate, & ſimilia, non ſunt de ſe iuramenta.*
6 *Nec item, ſi dicatur: In fide mea, aut, In fide boni viri.*
7 *Quando ſit iuramentum dicere Per meam fidem.*
8 *Quando ſit, dicere In mea conſcientia.*
9 *Quando non ſit dicere Per Deum.*
10 *Ad iuramentum non eſt neceſſarius tactus Euangeliorum, aut alterius rei ſacræ, etſi vtilis ſit.*

IVRAMENTVM ſeu iuſiurandum, ex eo nomen habet quod ſit quaſi pro iure introductum: vt id quod ſub inuocatione diuini teſtimonii dicitur, pro vero habeatur: prout recte declarat D. Thomas in cit. quæſt. 89. art. 1. & poſt ipſum Sotus initio citatæ quæſt. 1. quibus conſentit Couar. ad memoratum cap. Quamuis pactum, in initio, numero 2. qui in præcedenti nu. 1. notat, definitiones varias excogitatas eſſe ad iuramēti naturā aperiendam: verū loco omniū poteſt eſſe illa, quā Nauar. attigit in Enchir. c. 12. n. 1. vt ſit affirmatio vel negatio, atteſtatione Dei, tanquam veritatis infallibilis, expreſſe vel tacite firmata. *Nu. 1.*

Dicitur autem affirmatio vel negatio: quia nonnunquam affirmādo, nonnunquam vero negando, Deus adduci-

ducitur in testem. Dicitur (attestatione Dei) id est, inuocatione Dei in testem, iuxta illud posterioris ad Corin. c. 2. Testem inuoco Deum in animam meam. Nam nisi Deus in testimonium inuocetur, iuramentum non est.

2. Vnde qui dicunt, Deus scit, Testis est mihi Deus, Coram Deo loquor, aliisq; huiusmodi formulis vtuntur, non sunt dicendi iurare: si quidē talia proferūt nō inuocatiue, sed enunciatiue: seu volentes non quidem inuocato Deo in testem confirmare prolata à se: sed ea ad diuinum iudicium remittere, vbi omnia plana sunt & aperta. Alioqui si verba eiusmodi inuocatiue dicantur ad cōfirmandum id quod asseritur, nō est dubium quin contineant iuramentum: vt recte notarunt Caiet. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 1. *ad* 3. Sotus *in cit. quæst.* 1. *art.* 1. *paulo ante finem:* Nauar. in memorato *cap.* 12. *num.* 2. & alij, quorum Sanchez meminit in opere Morali lib. 3. c. 2. n. 20. Ratioque est, quia in hac materia magis attendenda est intentio, quam verba: quæ licet in foro exteriori ponderentur: in conscientia tamen, & coram Deo, non sunt iuramentum nisi intentio adsit iurandi, vt notatum est à Gratiano 22. q. 5. cap. Qui peierare. Et confirmatur, tum ex c. 1. De iureiur. in 6. tum per illud, quod in cap. Humanæ aures eadem quæst. quinta dicitur in hāc sententiam: quod non debeat intentiō verbis deseruire sed verba intentioni: tum demum hac ratione, quia non potest quis vere, formaliterve iurare, sicut nec formaliter Deum inuocare: aut vllam aliam actionem vere moralem facere, sine intentione expressa vel tacita eam faciendi: cum actio facta omnino præter intentionem, non libera sed naturalis censeatur.

3. Additur in definitione (tanquam veritatis infallibilis) vt indicetur iuramenti finis, qui est veritatis confirmatio, ex Apostolo ad Hebr. 6. vers. 16. & ex cap. Etsi Christus, De iureiurando. Etenim plerumq; ea quæ ab homine proponuntur talia sunt, vt ipse nequeat veritatem eorum ostendere ratione: & cum per peccatum originale in malum illud incurrerit, vt ei simpliciter dicenti nō facile credatur: quia ex Psal. 115. Omnis homo mendax (intellige natura sua) fit, vt si is velit haberi sibi fidem, debeat recurrere ad authoritatem & testimonium alicuius, qui omnino verax sit; vt est solus Deus: vel ad testimonium eorum, in quibus diuina maiestas & infallibilis veritas ipsius relucet: cuiusmodi censentur fides Catholica, & Euangelia, in quibus talis veritas continetur: itemque Beati regnantes in cœlo, qui eidem veritati adhæserunt, & eam aliis prædicauerunt. Vide D. Thomam in memorata quæst. 89. art. 6.

4. Postremo loco in definitione ponitur, *expresse vel tacite firmata*, ad significandum inuocationem diuini nominis in testimonium, posse fieri non modo expresse & aperte, vt cum dicitur Testem inuoco Deum, Testor Deum: verumetiā tacite; vt cum dicitur Viuit Deus, seu Per Deum. Nec enim necesse est vt verbum, *iuro*, apponatur: vt post Panorm. ad cit. cap. Etsi Christus, notat Sylu. in verb. Iuramentū 1. q. 1. in principio. Imo (quidquid aliqui contradixerint) Couar. ad cap. Quamuis pactū 1. par. in initio n. 4. existimat cū multis aliis (quos ipse commemorat, & quibus assentitur Azor in 1. par. Moral. instit. lib. 11. c. 2. q. 4.) verba non esse necessaria ad iuramentum: ita vt absq; vlla verborū prolatione, Deus nonnunquam censeatur in testem adduci: vt cum mutus (qui potest iurando obligare se alteri) aut etiam alius rogatus aut iussus tangere manu crucē aut Euangeliorum volumen, tangit intendens annuensq; se iurare. Quæ vero in contrarium obiici possunt idem Couar. in seq. n. 5. sufficiēter soluit, & post eum Azor loc. cit. Videri quoq; potest Suar. in tract. De relig. lib. 1. c. 11. Et aduertendum est quod etsi respectu hominum consummatio iuramenti requirat signum externum: nihilominus in ordine ad Deum, posse absque eo in mente consummari, saltem promissorium, perinde ac votum: prout bene notat Suarez lib. 1. cap. 1. num. 4. citati tractatus.

5. Cæterum eidem definitioni congruenter, multa pro praxi statui possunt. Ac 1. non esse iuramentum, si dicatur: profecto, sane, certe, vere, aliudve simile: nec item si dicatur In veritate ita est: quandoquidem per id nec tacite, nec expresse Deus in testem aduocatur: cum etsi Deus veritas sit, nō omnis tamen veritas est Deus: sed illa duntaxat quæ infallibilis est. Quæ doctrina est Caietani ad citatum art. 6. & Syluestri in verbo Iuramentum primo, q. 3. & communis.

Quanquam concedendum est oppositum accidere, si is qui tali formula verborū vtitur, intendat iurare, Deumque ipsum (qui est summa veritas) asseueratione ea in testem adducere: ex Caiet. ibidem in fine. Cui adde obiter tum eamdem, tum alias asseuerandi formulas rationem habere iuramenti apud homines eos, apud quos in more positū est, vt illæ accipiantur tanquā vim habentes iusiurandi: quod Azor etiam notat *in præced. quæst.* 1. item q; citatis Suarezio & Greg. à Valen. Thomas Sanchez *in opere morali lib. 3. cap. 2. num.* 1. Ex quo in fine sequentis num. 7. adde, eum qui talia verba erroneè putat esse verū iuramentum, & profert ea cum intentione iurandi, etiam detecto errore, manere obligatum coram Deo; quia in illa intentione, non addito aliquo excludente necessaria ad iuramentum, censetur virtute inclusisse ea ipsa necessaria. Nec obstat, formulam verborum qua vtitur non indicare iuramentum: quoniam verba impertinentia sunt, in ordine ad obligationem iuramenti coram Deo.

Statui secundo potest, non esse iuramentum, si dicatur, 6.
In fide mea: quia sub ea forma, Deus nec tacite nec expresse in testem vocatur, vt habet Sotus in 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 1. paulo post 4. concluſ. Et cōfirmatur: quia talia verba efficiunt solummodo hunc sensum. Ita id faciam, ac sum ego fidelis in promissis, vt loco cit. bene exponit Caiet. Idemque est si dicatur. In fide ingenui viri, vel In bona fide, secundum eosdem authores. Imo (addit Sotus) idem forsan est, si dicatur In fide boni Christiani, aut In fide boni Religiosi: quia id videtur esse affirmationem vel negationem suam non aliter confirmare, quam per fidem humanam, quam bonus Christianus vel Religiosus in dictis & promissis suis, adhibere seruareque debet: secus vero foret, si diceretur Per fidem Christiani: quia tunc Catholica fides in testimonium citaretur, ex Couarr. loco cit. § 2. num. 2.

Statui tertio potest, quod docent Caiet. & Couar. in iisdem locis, & Nauar. in Enchir. c. 12. nu. 2. versu 4. non esse 7.
iuramentum si quis dicat Per meam fidem, nisi habeat intentionē expressam iurādi (quæ si adest iuratur, siue hoc, siue aliis iam dictis, aut post dicendis modis, eadem intentio exprimatur, vt idem authores asserūt) aut aliquid addat, quod indicet fidem diuinam: vt dicendo Per fidem qua credo in Deum: nisi enim tales circumstantiæ adsint, fides tantum humana censetur in testem adduci: adeo vt dicens Per meam fidem, non sit iudicandus ea verborum formula Deum in testem adducere, sed tantummodo se ipsum, quantum est fide dignus. Istud pluribus tractat Suarez in eodem lib. 1. cap. 13. num. 9. & aliquot sequentibus.

Statui quarto potest, quod non sit putandus iurare qui 8.
dixerit In mea conscientia ita est: quod loco cit. expressit Sotus: rationem addens; quia eorum verborū sensus est; Id aio, quod sentio. Quod vero ipse addit iuramentum esse, si quis dicat, Per meam conscientiam ita est: non videtur simpliciter verum: sicut nec si diceret Per meam vitam, aut Per meam animam: nam, vt habet Nauarr. in Enchir. c. 12. nu. 4 versu 3. non adducitur Deus in testem cum iuratur per creaturam absq; intentione expressa vel tacita adducendi eam per respectum ad Deum in testem infallibilem veritatis. sed solummodo in testem: quod verba nō proferantur ficte, sed ex animo; atque testem talem, qualis ipsa est in se absolute. Quamquam non videtur negandum quin sit iuramentum execratorium, si ex intentione dicētis, verba eiusmodi sint execratoria: nempe dicta hoc sensu: Ita agat Deus cum mea conscientia, aut cum mea vita, vel anima mea, vt dignum est, si mentior aut fallo. Cuiusmodi execratio rationem habet iuramenti: quia nō fit per creaturam quomodocumque, sed prout in ea relucet diuina iustitia. Ad istud faciunt quæ in eod. cap. num. 21. & aliquot sequentibus habet Suarez.

Statui quinto potest cum Angelo *verbo Periurium in principio*: dicentes Per Deum cōmuni modo loquendi non iurare, cum non habeant intentionem iurandi, neq; id audien- 9.

dientes illud accipiant pro iuramento, tanquam minime prolatum inuocatiue, prout ad ipsum iuramentum exigitur: neque obstet quod proferant expressa verba iurandi: quia iuramentum nequit vere esse nullum interueniente intentione iurandi, vt ostensum est num. 2. in expositione secundæ particulæ definitionis.

10. Statui potest ad extremum (vt pleraque alia omittam quæ commodius in sequentibus annotabũtur; & de quibus videri potest Sanchez in cit. cap. 2. ad rationem iuramenti minime pertinere; vt fiat tactis Euangeliis, aliisve diuinis Scripturis, aut aliare sacra. Nam tradita iuramenti definitio ostendit ad illius intrinsecam rationem spectare tantum, quod Deus in testem vocetur. Eam esse communem sententiam ex Alciato referens Couarr. ad cap. Quamuis pactum par. 1. §. 1. num. 1. addit nihilominus esse nonnunquam tutius ad hominum terrorem, vt cum tali solemnitate iuramentum interponatur: quia sic cautius ipsum seruabitur: eo præsertim nomine, quod tunc grauius periurium committatur, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2. quam si absque solemnitate præstitum esset iuramentum; tum propter scandalum, tum propter maiorem deliberationem.

CAPVT II.

De conditionibus quas iuramentum requirit vt sit licitum.

SVMMARIA.

11 *Refutatio erroris, quod sit illicitum iurare.*
12 *Quo sensu iuramentum prohibeatur Matth. 5.*
13 *Aliquando illicitum est non iurare.*
14 *Qui non admittantur ad iuramentum.*
15 *Tres conditiones requisita, vt iuramentum sit licitum.*
16 *Quando ea deficiant.*
17 *Casus in quibus non licet Clericis iurare.*
18 *Quarta conditio vt iuramentum fiat per verum Deum.*
19 *Iuramentum per falsos Deos factum, est peccatum grauissimum.*
20 *Quod tamen non obstat quin vrgente necessitate possit iuramentum exigi ab infidelibus.*
21 *Obiectio in contrarium cum solutione.*
22 *Quomodo sit aut non sit licitum iurare per creaturam.*
23 *Quatuor modi quibus potest quis iurare per creaturam.*
24 *Duo modi quibus iurans per creaturã censetur per Deũ iurare.*

11. NVNQVAM licitum esse iurare, error est quem merito damnari in bulla Martini quinti (quæ habetur in fine Concilij Constantiensis) patet: quia Deus ipse iurat, iuxta illud Psalm. 109. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum: & illud Luc. 2. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum. Iurat etiam Sancti iuxta illud Psal. 118. Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Quod & confirmatur exemplis, quæ in veteri quidem Testamẽto frequentia sunt, vt de Abrahamo Genes. 21. sub finem: de Iacob Genes. 31. vers. 53. De Moyse Exodi c. 2. versu 21. & de Dauide 2. Regum c. 3. vers. 35. & c. 19. vers. 7. In nouo Testamento autem de D. Paulo cum ait ad Rom. 1. Testis est mihi Deus] & in posteriori ad Corin. c. 1. Testem inuoco Deum] & ad Galat. 1. Ecce coram Deo, quia non mentior.] Patet quoq; idem ex eo quod iurare seruatis conditionibus iis, de quibus hic dicere instituimus, actus sit virtutis; nempe religionis, vt post D. Thomam 2. 2. q. 89. art. 4. annotant Sotus lib. 8. De iustit. & iure quæst. 1. art. 4. Nauar. in Enchir. c 12. n. 2. Gregor. à Valent. 2. 2. disp. 6. quæst. 7. puncto 3, aliive recentiores, & inter eos late Suarez De religione tract. 5. lib. 1. c. 4.

Ad quod confirmandum induci potest illud Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac per nomen illius iurabis. Et hæc ratio addi potest: quia is qui iurat, Deum aduocat tanquam testem infallibilem; vnde iurando ei honorem impendit, ipso minime indignum: vtpote qui continet tacitam fidei professionem, quod ipse sit prima veritas, neq; fallere aut falli possit: adeo vt merito dictum sit in Psal. 62. Laudabuntur omnes qui iurant in eo, id est, per eum: Nec vero vllatenus dicendum esse, quod in noua lege iuramentũ sit illicitum: ostenditur ex instituto in cap. Etsi Christus, De iureiurando: latiusque tractant Gregorius à Valent. loco cit. & Suarez in præced. cap. 2. ac ante eos Couarr. ad cap. Quamuis pactum, 1. par. §. 6. vbi num. 2. varias adfert interpretationes verborum Domini apud D. Matthæum cap. 5. quæ in contrarium citari posse videntur. Dico autem vobis non iurare omnino, neque per cœlum; neque per terram: &c.] ac paulo post: Sit autem sermo vester est, est, non, non: quod autem his abundantius est, à malo est.

12. Sufficit autem nobis illa, quam recentioribus probari video: vt illis verbis Dominus corrigat errores Pharisæorum, existimantium iuramentum per creaturas non obligare; prout patet ex verbis eiusdem Domini Matth. 23. Væ vobis duces cæcorum, qui dicitis. Quicunq; iurauerit per templum, nihil est.] Ad eum igitur reprehendendum ac reprobandum, docet non iurare omnino, hoc est, non iurare quodcumq; iuramentum, prout habet D. Iacobus in sua epist. cap. 5. seu non modo per Deum, sed nec per creaturam iurare, nisi forte necessitas, *quæ non habet legem*, compellat: vt aliquando contingere potest ob imbecillitatem humanam: quandoquidem homines per originale peccatum eius conditionis effecti sunt, vt in rebus occultis, fides eis non facile adhibeatur: adeo vt ad persuasionem illarum opus sit iuramento, seu inuocatione infallibilis veritatis. Id quod *notatum à D. Thoma 2. 2. quæst. 89. art. 2.* habetur ex cap. Etsi Christus, De iureiurando.

Cui interpretationi fauet, quod iuramentum etsi de genere bonorum sit, vt patet ex antedictis; non est tamen de genere eorum quæ sunt frequentanda sicut ieiunium, oratio, & eleemosyna: sed eorum quæ solum posita necessitate, in vsu esse debent: sicut sumere medicamentum, occidere hominem, capere alienum &c. Ratio autem est, quia ad reuerentiam Deo debitam pertinet, vt is (cum tantus sit) non adducatur in testem nisi necessitas exigat, idque in negotio non leuis momenti: in quo cum non possumus aliter fidem facere, recurramus, *sicut in aliis angustiis*, ad opem diuinam. Cum autem secus fieri, *id est, iurari temere*, soleat in cõmuni sermone: id corrigendo Dominus ipse subiungit, Sit autem sermo vester est, est, non, non; commendans nobis simplicitatem in loquendo: vt cum res ita habet prout proponitur, simpliciter dicatur ita est: cum vero secus se habet, simpliciter negetur; quia quod abundantius est, à malo est, id est, à diabolo, vt ibidem interpretantur D. Chrysostomus & Theophylactus (quos loco citato refert Couarr.) & sequitur magister meus P. Ioann. Maldonatus in suis commentariis: vt sensus sit, consuetudinem in communi sermone fine necessitate temereque iurandi, cum simplex affirmatio vel negatio sufficit, non à Deo, sed à diabolo introductam esse: vtpote quæ ordinatur in pernitiem animæ, & in detrimẽtum rerum ad corpus necessariarum, iuxta illud Ecclesiastici 23. Vir multum iurans adimplebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.] Id quod à Concionatoribus inculcandum est, & viribus omnibus incumbendum exterminationi illius prauæ cõsuetudinis; prout suo tempore incubuit D. Chrysost. homilia 4. & sex sequentibus ad populum Antiochenum.

Imo vero per præceptum affirmatiuum contentum in 13. negatiuo quod hic datur de non iurando in vanum; tenemur aliquando iurare, seruatis interea conditionibus necessariis: ita vt nolle id facere peccatum sit. Id quod contingit, *vt notat Couarr. ad cap. Quamuis pactum par. 1. §. 6. nu. 3.* cum potestas publica à ciue iuramentum exigit ad detegenda, coercendaque crimina, quæ vergũt in reipub. pernitiem. Item cum quis requisitus est iurare ad confirmationem testimonij, quod tenetur dicere ad liberandum innocentem à damno, aut pro magno reipub. commodo, sicut colligitur ex cap. Intimauit. De testibus, & ex iis quæ traduntur à D. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1.

Non est tamen negandum, merito fieri (de quo Sotus 14. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. vlt.) vt aliqui ad iuramentum non admittantur. Ac primo pueri quidem non admittuntur ad iuramentum ante annum 14. ex cap. Paruuli & seq. 22. quæst. 5. etiamsi tanquam habentes vsum rationis, perinde peccent male iurando, ac maiores natu, ex c. 1.

De delictis puerorum: licet in foro exteriori non perinde puniantur tanquam periuri. Deinde vero, illi qui semel peierarũt, ex cit. cap. Paruuli, & ex cap. Testimonium, De testibus: quod procedit iuxta Sylu. *in verbo Iuramentum 2. quæst. 3.* quando fuerint de periurio conuicti in iudicio: aut crimen ipsorum fuerit notorium. Et ratio esse potest ex D. Thomæ 2. 2. q. 89. art. 1. quod causa talis exclusionis non sit tam vindicatio peccati, quam honor iuramenti; & quia periurus notorius, etiam in se emendatus, præsumitur esse in periculo nõ exhibendi iuramento reuerentiam debitam. Deniq; nec Clerici in quibusdam casibus ad iuramentum admittuntur, de quibus ibidem Sylu. & nos inferius.

Conditiones requisitæ vt iuramentum sit licitum.

15. CÆterum conditiones eæ quas iuramentum requirit, vt licitum sit: ac quarum defectu censetur perperam fieri, peccatumque esse: indicatur per verba illa Ierem. 4. Iurabis viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iustitia. Ex quibus cum D. Hieronymo ad eum locum D. Thomas in præced. art. 3. & alij communiter deducunt, tres esse licti iuramenti comites, seu necessarias conditiones, veritatem, iustitiam & iudicium; ita scilicet, vt iuretur idipsum quod exterius significatur esse in mente: *quod ad veritatem spectat*: itemque id quod licitum fuerit & iustum, *quod iustitia postulat*: ac demum, *quod ad iudicium exigitur*: vt cum discretione, prudentia, & reuerentia iuretur. Necessitatis autem earum ad licitum iuramentum rationes persequitur Suarez *in cit. lib. 1. cap. 3.* sed vt ipsemet expressit in num. 9. sine illis ea satis constat ex authoritate D. Hieronymi, & communi Theologorum consensu: præsertim habente fundamentum in sacra Scriptura.

16. Cæterum prima ex eis tunc deficit, cum quis iurat mendacium, id est, contra id quod mente cogitat, quantumuis illud idem quod iurat, verum sit: dummodo ipse iurans existimet idipsum falsum esse, ex cap. Homines 22. q. 2. Deficit etiam cum quis vtitur ambiguitate verborum, nec iurat secundum intentionem eius qui iuramentũ petit. Secunda vero deficit primo, cum quis iuramento confirmat illud quod dicere non debet, quantumcunque sit verum: vt peccatum occultum proximi. Deinde cum quis iuramento promittit aliquid, nec illud implet postea. Tertio, cum similiter promittit aliquid quod vel nullo modo implere potest, aut saltem non potest licite. Tertia demum deficit; tum ex parte causæ cum quis iurat sine necessitate, aut graui vtilitate: hoc est, vel leui de causa arbitrio prudentis, vel etiam nulla: vt cum alij credunt sine tali iuramento, aut quoties iuramentum est alias otiosum; cum sit contra reuerentiam Deo debitam, inuocare ipsum in testem pro cõfirmandis rebus otiosis aut vanis; tum ex parte modi iurandi; prout contingit, cum quis vel temerarie, vel negligenter, vel irreuerenter iurat: vt censetur. Temerarie quidem, is qui iuramento confirmat tanquam certũ, quod incertum est, & de quo dubitat. Negligenter vero, qui iurat non adhibita diligentia ad cognoscendum, an id quod iurat sit verum. Irreuerenter autem, qui iurat parui faciens an cum debito honore loquatur de Deo, necne.

17. Tum denique ex parte personæ, vt si Clericus iuret in manibus laici, ex cap. penultimo 22. quæst. 5. Idq; in duobus tantum casibus *ex Sylu. Iuramentum 3. q. 3.* Prior est, quãdo iurat laico tanquam Superiori, ex cap. Si diligenti De foro competenti. Posterior ex cap. 1. De iuramento calumniæ, quando præbet iuramentum calumniæ, id est, iurat se bona fide agere vel respõdere, egisse vel respõdisse. Quibus addi potest tertius ex cap. fin. 14. quæst. 2. quando Sacerdotes iurant pro testimonio veritatis. Qui tamen casus, *vt & præcedens*, locum habet tantum in causis temporalibus. In causis enim beneficialibus, & causis spiritalibus, Clerici etiam Sacerdotes, tum de veritate, tum etiam de calumnia iurare possunt ex cap. 1. & 2. De iuram. calum. in 6. Imo & in temporalibus, si dispensatio Episcopi accedat rationabili aliqua de causa, iuxta memoratum cap. finale. Videndus est Sylu. loco cit. Et annotandum: irreuerentiæ rationem in hac re sumi ex eo quod decet statum clericalem, adeoque ex honore deferendo eidem statui: ob quem Sacerdotes leui de causa iurare non debent, cap. Si quis presbyter 2. q. 4. Et Episcopis nunquam debet offerri iuramentum, ex præced. cap. Nos sacramentum: nisi pro recta fide, & in nonnullis casibus quos tangit Suarez in fine cit. libri 1. in quibus non immorabimur, quia spectant magis ad forum externum, quam ad internum, vt idem ibidem fatetur.

Porro per primæ conditionis defectum constituitur iuramentum aut falsum, seu mendax, aut ambiguum, seu dolosum: per defectum vero secundæ, iuramentũ iniustum, aut permitiosum: & per defectum tertiæ iuramentum temerarium, superfluum & incautum. De quibus quando sint peccata mortalia, aut tantum venialia, vel etiam excusentur à peccato, patebit per ea quæ in seq. cap. 4. dicentur de obligatione iuramenti, & per post tradenda de periurio, à quo non distinguuntur.

Addi merito potest quarta conditio religiosi iuramenti liciti; vt fiat per verum Deum, iuxta illud Ierem. 4. Iurabis viuit Dominus: & illud Deut. 6. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, & per nomen illius iurabis. Et ratio fauet: quia talis conditionis defectu, constituitur iuramentum prophanum seu irreligiosum, & impium per falsos Deos, seu per creaturas. Etenim ex Caiet. in verbo Iurare: ipsum perinde ac periurium, est vitium oppositum ei actui religionis quem nos vocamus iuramentum religiosum licitum. Quæ conditio explicatione indiget pleniore, ideoque addenda. 18.

Appendix de iuramento per falsos Deos, seu per creaturas.

CVm certum sit actum omnem, quo cultus vero Deo debitus, creaturæ defertur peccatum esse contrarium actui religionis, quo idem cultus ipsi vero Deo exhibetur: dubium esse non potest quin iuramentum per falsos Deos, peccatum sit illius generis: vtpote quo id creaturæ tribuitur, quod soli Deo vero conuenit: nimirum infallibilem veritatem esse, quæ iurando adducitur in testimonium: atq; adeo peccatum esse grauius quam periurium: quia blasphemia quædam est, sicut in verbo Iurare, notat Caiet. vtpote quo id transfertur in creaturam, quod soli vero Deo proprium est, nimirum veritatem esse infallibilem. Qua in re cerni blasphemiæ rationẽ, patet ex iis quæ ab eodem authore dicuntur in verbo Blasphemia, & à nobis in sequenti tractatu dicenda sunt. Iam vero blasphemiam grauius peccatum esse quam periurium, bene probat Sotus lib. 8. de iust. & iure quæst. 2. art. 3. concl. 1. Cui adde in istiusmodi quoq; iuramento inuolui idololatriæ rationem, consistentem in eo, quod alteri quam Deo tribuatur diuinus latriæ cultus. Namque in testem infallibilem veritatis inuocare creaturam aliquam, est ei diuinum latriæ cultum deferre; tribuendo nimirum ei quod solius veri Dei, rerum omnium moderatoris summi, proprium est: puta infallibilem habere occultorum notitiam, & potestatem illa detegendi, puniendiq; omnem fallaciam & fraudem. 19.

Ex his tamen colligendum non est illicitum esse simpliciter iuramentum petere ab infideli, etiamsi iuraturus sit per falsos Deos, quando petitur iusta de causa. Id enim est petere quod alter potest præstare legitime per Deum verum iurando, prout exigit natura iuramenti, inuocationem illius includens, ex definitione tradita num. 1. Neque vero quod infidelis peccet iurando per falsum Deum, facit reum peccati eum qui iuramentum exegit, cum liceat in suum bonum vti eiusmodi exactione, vt ex D. Aug. in epist. ad Publicolam habetur 22. q. 1. cap. Monete: & tractant tum D. Thomas & interpretes ipsius 2. 2. q. 98. art. 4. atque (alios commemorans) Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. par. §. 1. nu. 7. & sequentibus. Nobis autem sufficit, quod id aperte confirmetur per illud quod Abraham Genesis cap. 21. non est veritus ab Abimelech idololatra iuramentum exigere in confirmationem initi cum eo fœderis: nec Iacob à socero suo Laban, item idololatra, ex Gen. cap. 31. nec Machabæi à Romanis ab idololatris, ex lib. 1. Machab. cap. 8. & 12. quos facile nouerant esse iuraturos per falsos suos Deos. 20.

Sed obiici potest, Iurare per falsos Deos malum esse, per antedicta: & ex consequenti illicitum esse efflagitare 21.

iura-

iuramentum ab eo qui per illos iuraturus est, cum id censeri possit inductio quædam ad malum. Respondetur negando cõsecutionem: quia petens absolute iuramentum, petit id quod licite potest ab infideli præstari, iurando per verum Deum, ita vt ea petitione non inducatur ad peccatum.

Si instes, quod videatur peccati occasio infideli omnino exhiberi dum postulatur ab eo iuramentũ, quod probabiliter constat præstiturũ esse per falsum Deum, & consequenter commissurum esse peccatum, quod alioqui nõ committeret. Respondetur, eam occasionem nõ esse datam sed acceptam ex facto alieno: quod cohonestatur per causam legitimam ob quam ipsum exercetur: qualis causa est confirmatio pacti alicuius, vel fœderis iusti, cum eodem infideli iniri. Ad quod faciunt ea quæ in præcedenti lib. 14. cap. 4. dicta sunt, De scandalo dato & accepto. Verumtamen non inficiamur illicitum esse ab infideli poscere determinate, vt per falsos Deos iuret; quia eiusmodi petitio id includit, quod nequit dari sine peccato: perinde ac cum à malefico perit quis, vt vnum maleficium soluat per aliud: quod non licere habitum est in præced. lib. num. 182.

22. Aduerte autem cum Caiet. in cit. verbo Iurare, non esse malum iurare per creaturam, quando intentio iurantis, est Deum in creatura, prout ipse in ea relucet, afferre in testem: non vero creaturam ipsam secundum se. Sic enim licite iurauit Ioseph per salutem Pharaonis Genes. 42. & Moyses Deut. 4. & 30. per cœlum & terram dicens: Inuoco cœlum & terram hodie in testes. Itemque de consuetudine iurant Christiani per Euangelia, per Sanctos, & alias res sacras. Id quod licitum esse cum D. Thoma 2.2. quæst. 89. art. 6. tenent Sotus lib. 8. De iustit. & iure quæst. 1. art. 6. Couar. ad cap. Quamuis pactum 1. p. §. 1. num. 5. Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 4. & alij, de quibus est Suarez, De religione tract. 5. lib. 1. cap. 5. num. 10. Neque obstat illud Matth. 5. Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cœlum, &c. quia, *vt iam ante attigimus*, intelligitur de iuramento sine necessitate, temereque facto: quale per creaturam factum, vsurpare Iudæi (*quos Dominus ipse illic reprehendit*) pro nihilo ducebant; vt colligitur ex verbis eiusdem Domini Matth. 23. Væ vobis duces cæci qui dicitis, Quicumque iurauerit per templum, nihil est.]

23. Atque vt hæc facilius intelligantur, notandum est, quatuor modis aliquem posse iurare per creaturam: quorum primus contingit cum quis iurat per creaturam, vt per Deum quemdam (quod est iurare per falsum Deum) sicut Gentiles iurabant per sua idola: hocque modo constat ex dictis, peccatum grauissimum committi, rationem habens blasphemiæ, & idololatriæ potius, quam iuramẽti: cum falsus Deus non sit Deus: & ea ratione attribuatur illi infallibilis veritas, solius veri Dei propria. Bene vero monet Couarr. in citato §. versus finem: eum qui tale iuramentum vsurpat, etiamsi falsum affirmet, non committere periurium, si omnino existimet falsum Deum esse, per quem iurat: prout vsuenit Christiano iuranti per Iouem, Herculem, Saturnum, &c. quos probe scit Deos esse falsos. Ratio est, quia in eiusmodi iuramento, nec reuera, nec opinione, diuinum testimonium aduocatur. Secus contingeret vero, si taliter iurans putaret veros Deos esse, per quos iurat: quia ob intentionem quam haberet iurandi per verum Deum, periurus efficeretur si fallat: vt idem quoque author ibid. habet per cap. Ecce, 22. quæst. 5.

Secundus modus est; cum quis iurat per creaturam secundum se & sine respectu ad Deum: & ita vaniloquium potius est, quam iuramentum, quando ne quidem tacita in eo est Dei inuocatio in testem: sed solum expressa creaturæ inuocatio: vt cum quis iurat per suam fidem humanam, aut per suam conscientiam, aut per aliud creatum, non referendo illud ad Deum vt testem infallibilem veritatis. De quo Suarez pluribus in tract. 5. de relig. lib. 1. cap. 5. nu. 3. & quatuor sequentibus: pro eoque alios Sanchez citat in opere morali lib. 3. c. 2. n. 9.

24. Tertius est, quando quis iurat per creaturam referendo eam ad Deum, quatenus in illa bonitas, aut veritas ipsius relucet, vel iustitia exercetur: vt vsuenire potest dicenti Per hunc, qui nos illuminat, ignem Dei, ita est: vel Iste ignis me consumat, nisi ita sit: hocque modo est iuramentum proprie, quia nimirum implicite continet aduocationem Dei in testem, iuxta illud quod ait Dominus Matth. 23. Eum qui iurat per templum, aut per cœlum, iurare quoque per Deum qui est in templo & in cœlo.

Quartus est, quando quis iurat per quasdam creaturas aduocando eas in testimonium, propterea quod sunt testes, qui speciali Dei gratia, beneficioue mentiri non possunt. Nam hac quoque ratione iuratur tacite per Deum: idque longe præstantiori modo, quam per alias creaturas. Quod contingit cum iuratur per Beatos in cœlo regnantes: nam quamuis illi non sint natura sua infallibilis veritatis, sicut ipse Deus; tamen per Dei gratiam tales facti sunt, vt fallere non possint, nec à veritate aberrare; ea supernaturali luce perfusi, qua vident clarissime omnia quæ ad ipsos ordinantur. Atque hoc modo iurauit Apostolus in priori ad Timoth. cap. 5. per sanctos Angelos. Testor, inquit, coram Deo, & Christo Iesv, & electis Angelis. Tam hoc igitur quam præcedenti modo si male iuretur, periurium committitur, sicut male iurando per Deum. Quale autem peccatum illud sit, patebit postea. Hic occurrit tantum in genere monendum, *quod habetur ex cap. Monet te, 22. quæst. 2.* quo creatura per quam iuratur sanctior fuerit, eo grauius esse peccatum periurij.

CAPVT III.

De multiplici iuramenti diuisione.

SVMMARIVM.

25 *Diuiditur iuramentum primo in deliberatum, & in indeliberatum: secundo in materiale & formale, ac mixtum ex vtroque.*

26 *Tertio in expressum & in tacitum; quod perinde ac illud, est verum iuramentum, ac illo periculosius.*

27 *Quarto in licitum & illicitum; quinto, in priuatum, & publicum; sexto, in iudiciale & extraiudiciale; septimo in absolutum, & conditionatum.*

28 *De 8. diuisione in syncerum & dolosum documenta.*

29 *Diuisio iuramenti in assertorium & promissorium.*

30 *Circa eamdem diuisionem documenta aliquot.*

31 *Diuisio in simplex & execratorium.*

32 *Diuisio in iuramentum liberum & coactum.*

33 *Diuisio in solemne, & non solemne seu simplex.*

VARIÆ inueniuntur diuisiones iuramenti. Prima est, quod aliud sit deliberatum, & aliud indeliberatum, seu subreptitium. Censetur autem deliberatum, cum quis aliquid deliberate iurat, intendendo illud confirmare per diuinæ authoritatis testimonium. Indeliberatum vero, cum quis iurat non attendendo quem inuocet, & ad quid inuocet, sed ex quadam inconsideratione, vt in communi sermone contingere plerumque solet. 25.

Secunda est, in iuramentum materiale tantum, formale tantum, & materiale simul & formale. Quorum primum est, cum quis absque intentione iurandi, vtitur verbis, quæ formam habent iuramenti. Secundum vero, cum quis profert verba quæ ex se nullam habent formam iuramenti, sed assumit ea per formam iuramenti, seu cum intentione & animo iurandi. Tertium est, quando quis profert verba quæ formam habent iuramenti, & assumit ea cum intentione iurandi. Formam autem iuramenti habere censentur verba quibus Deus in testem inuocatur, siue expresse, vt ista: per Deum, viuit Deus, per viuentem in sæcula sæculorum, testem inuoco Deum, coram Deo loquor, *in sacris literis vsurpata*, aliaque eis æquiualentia. Siue etiam tacite, vt ista: per crucem Christi, per sancta Euangelia, per Sanctam Virginem, per sanctum Antonium, & alia similia, iuxta proxime dicta num. 24. Siue demum expresse simul & tacite; vt ea, qua creaturæ sanctæ cum Deo coniunguntur, vt sit in illis verbis prioris ad Timoth. cap. 5. Testor coram Deo, & Christo Iesu, & electis Angelis.

Aduerte vero iuramentum materiale tantum, non nisi nomine esse iuramentum: cum, vt habitum est in cap. primo, intentio iurandi aduocandive Deum in testem; sit ad verum iuramentum necessaria. Quo fit vt solo nomine sit iuramentum, nec obliget, nisi ex erronea conscientia existimantis esse verum iuramentum.

26. Tertia diuisio, *satis nota ex antedictis*, est, quod aliud sit, quo Deus expresse, & aliud quo tacite inuocatur in testem. Quod vtrumque est vere iuramentum, cuius violatione committitur peccatum periurij: grauius tamen cæteris paribus, cum per Deum expresse, quam cum tacite peieratur; etiamsi istud nõ minore studio, quam illud cauendum est, propter periculum vel idololatriæ vel irreuerentiæ erga Deum: quod maius est in hoc, quam in illo. Neque enim homo ita excitatur ad reuerentiam Dei, iurando per creaturas in quibus ipse relucet, quam expresse iurando per ipsum; ita vt iurare per creaturas concedendum sit tantum viris perfectis, qui Deum in creaturis contemplantur præsentem per essentiam, & potentiam suam infinitam.

27. Quarta diuisio est, in licitum & illicitum: quod vtrumque satis notum est ex dictis in præced. cap. Tantum notandum est non debere seruari factum de re illicita, sed pro eo pœnitentiam agi, iuxta cap. Sicut ex literis, De iureiur. neque talem omissionem dispensatione indigere, ex cap. Quanto personam tuam, eodem tit. Ex quo etiam habetur quod factum in re licita, quæ putabatur illicita seruandum sit, & simul agenda pœnitentia de animo prauo. ✗

Quinta diuisio est, in priuatum, quod in occulto priuatimque fit: & in publicum, quod publice, & coram multis fit: hocque cum falsum iuratur, peccatum est, non modo enorme, sed etiam reddens personam infamem.

Sexta est in iudiciale & extraiudiciale, quam plenius declarat Sylu. Iuramentum 1. num. 3. Iudiciale autem dicitur, quod præstatur in iudicio: idque vel in principio litis, vt iuramentum calumniæ; vel in litis progressu, vt decisorium: quod aliquando est liberum, aliquando necessarium, ex cap. finali De iureiur. Tuncque liberum censetur, cum is cui defertur iustam causam habet recusandi: alias censetur necessarium. Quod relinquimus iurisperitis, vt rem quæ ad forum externum pertinet. Extraiudiciale vero est, quod pars parti extra iudicium defert sine coactione illud præstandi.

Septima diuisio est: In absolutum, cui scilicet nulla cõditio additur: & in conditionatum, seu cui additur conditio: quod quidem non obligat nisi conditio impleatur, ex cap. Peruenit 2. De iureiuran. notatque Sylu. Iuramen. 4. quæst. 22.

28. Octaua diuisio est, in sincerum, quod fit sine fuco, fraude, & mendacio: & in dolosum, quod fit animo decipiendi. Quod rursus duplex est: vnum quod fit cum mendacio: alterum quod fit quidem sine mendacio, sed per verba ambigua: de quo plenius postea.

Circa hãc diuisionem notanda sunt aliquot documenta. Primum est, cum quis iurat proximo, si vterque agat sincere, & sine dolo: aut contra vterque agat dolose: in foro quidem externo iuramentum esse interpretandum secundum verborum proprietatem; sed in foro conscientiæ secundum intentionem iurantis, iuxta illud quod in cap. Humanæ aures 22. quæst. 5. dicitur; quod non debeat intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.

Secundum est, quando in iuramento doloso, dolus cõtingit tantum ex parte illius qui iurat: vel tantum ex parte illius cui iuratur: si quidem iuramentum sit promissorium, illud interpretandum esse, iuxta intentionem sincere agentis, & contra illum qui dolose agit: vt patet ex iis quæ apud Gratianum habentur in cit. cap. Humanæ aures, & in cap. Qui peierare, eadem quæst. Et confirmatur: quia nec fraudem prodesse, nec bonam fidem obesse authori suo consentaneum est. Si vero iuramentum sit assertorium, ex quacumque parte dolus inueniatur, ipsum interpretandum esse iuxta intentionem iurantis: in foro saltem conscientiæ; quia, vt iam antea monuimus in fine numeri 25. nemo iurat nisi habeat intentionem iurandi, eoque modo iurat quo intendit iurare. ✗

Tertium documentum est, quando verba sunt ambigua, in materia venditionis quidem, iuramentum esse interpretandum contra venditorem pro emptore: in materia vero delicti, esse interpretandum contra delinquentem. In iudiciis autem, in principio quidem actionis interpretandum esse pro actore: in fine vero pro reo; & in medio pro vtroque. De quibus videri potest Sylvest. in verbo Iuramentum tertio, quæst. 2. ✗

29. Nona diuisio iuramenti est, in assertorium & promissorium. Assertorium dicitur, quo confirmamus id quod asserimus vel negamus: & respicit præsens vel præteritum. Tale est illud D. Pauli ad Galat. 1. Ecce coram Deo quia non mentior. Promissorium vero dicitur, quo confirmamus id quod promittimus, & respicit futurum; tale fuit illud Dauidis 3. Reg. 1. cum iurauit quod Salomon ei successurus esset in regno. Ac quando promissio est de re bona, iuramentum dicitur promissorium absolute. Cum vero est de re mala, dicitur comminatorium; cuiusmodi fuit eiusdem Dauidis 1. Reg. 25. cum iurauit se deleturum omnia quæ erant Nabal. Etsi autem promissorium iuramentum ab assertorio non differat essentialiter (cum omnia iuramenta sint eiusdem speciei vtpote formaliter vnius rationis, consistentis in Dei inuocatione in testem; nec nisi accidentali modo discrepent) ita vt opus non sit in confessione ad illius explicationem distinguere; vt cum Caiet. & Soto resolut Couar. *ad cap. Quamuis pactum* §. 1. *num.* 3. & alij quos refert Sanchez *in opere Morali lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 9. Differt tamen accidentaliter. Nam vt idem Couar. notat in seq. §. 3. num. 3. cum in assertorio dispensatio nusquam locum habeat, aliquando habet in promissorio, vt postea docebitur. Deinde cum in assertorio vna tantum sit obligatio, qua ille qui iurat tenetur mentem cõformare verbis quibus iurat: in promissorio sit, tum illa ipsa, tum alia: nempe vt opere postea impleatur, quod promittitur: alioqui enim ex cap. Quærebant, De iureiurando, promittens erit periurus. Quod intellige ex cap. Contingat eodem tit. nisi id quod iuramento promisit redundet in alterius præiudicium: aut obseruatum vergat in dispendium salutis æternæ.

30. Ex qua doctrina tum aliæ multæ, tum sequentes resolutiones deducuntur. Prima est, ex eodem cap. Contingat: quod etsi iusiurandum quo mulier alienationem dotis confirmat, sit iure ciuili irritum: in conscientia tamen sit validum: quoniam fauor ille ciuilis proprie spectat solummodo ad temporale bonum, cui sine peccato, & præiudicio alterius, renuntiari potest.

Secunda est: nõ esse seruandum iuramentum quo Clericus foro Ecclesiastico renuntiauit: quia ipsum seruari non potest sine graui inobedientia, & totius clericalis ordinis iniuria; ex cap. Si diligenti, De foro competenti.

Tertia est: iuramentum de re licita, etiam metu extortum, seruandum esse, *quod confirmari potest ex cap.* 3. *&* 4. *De iis quæ vi metusve causa fiunt*, etiamsi iure ciuili pro nullo habeatur, ex Authentica Sacramenta puberum Cod. Si aduersus venditionem. De re illicita vero, etiam voluntate omnino libera præstitum, non esse seruandum. Quod adeo verum est, vt ipsum pro regula vsurpetur De regulis iuris in 6. cap. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.

Quarta est: iuramentum quo quis vsuras soluere promisit, seruandum esse: quia quamuis turpitudinem habeat ex parte recipientis illas; non tamen ex parte adimplentis iuramentum suum. Vnde ius illi succurrit in damno cui exponitur: non quidem liberando ipsum ab obligatione iuramenti; sed dando potestatem repetendi vsuras solutas tanquam indebitas; ex cap. Debitores, De iureiurando: aut impetrando à Iudice, vt vsurarius creditor, ei iusiurandum relaxare cogatur ex cap. 1. eod. tit.

Promissorium porro duplex est: vnum quod priuati sponte inter se præstant, ad facti alicuius vel contractus confirmationem. Alterum quod Principi vel Magistratui præstatur ratione beneficij, vel dignitatis, vel officij ab eo accepti. Exemplo potest esse primo, illud quo vassallus domino feudi fidelitatẽ iurare tenetur, ex cap. Veritatis, cap. Ea te, & cap. Nimis, De iureiur. Secundo, illud quo Episcopi omnes ipso die suæ consecrationis debent Pontifici

Roma-

Romano promittere fidem & obedientiam. Cuius formula traditur in cap. Ego, eodem tit. Tertio, illud, quod omnes inferiores Prælati ratione dignitatis quam obtinẽt, præstare debent Episcopo proprio: ex cap. Nullus, eodem tit. Plura alia quæ ad iuramentum ipsum promissorium pertinent tradentur in sequentibus.

31. Decima diuisio iuramenti, est in simplex & execratorium, seu imprecatorium: quorum illud est, quando Deus inuocatur tantum in testem: istud vero quando non tantum inuocatur in testem: sed etiam in Iudicem & vindicem: quale est illud in libris Regum aliquoties vsurpatum, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, &c.] Item illud D. Pauli in poster. ad Corinth. cap. 1. Testem inuoco Deum in animam meam,] id est, contra animam meam: & illud quo, facta fidei professione, iuxta Conc. Trid. dispositionem & Pauli quarti constitutionem, quæ incipit, Iniunctum: iuratur dicendo, Idem spondeo, voueo, & iuro, ita me Deus adiuuet. Quæ verba, licet de se benedictionis sint, execrationem tamen illam includunt: alioqui Deus me non adiuuet, ex Caiet. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 1. & Soto in lib. 8. De iust. & iure *quæst.* 1. *art.* 1. *in fine.* Sunt item ista, Si non ita est, moriar, suspendat, & alia similia: quibus quis significat se adeo abominari mendacium, vt si mentiatur optet sibi rem horrendam accidere. Dummodo enim serio & animo iurandi loquatur, profert iuramentum eiusdem speciei & naturæ cum iuramento simplici: vt citati authores expresse ibidem docent. Et ratio confirmat: quia vtrumque similiter est actus religionis, quo vtimur Deo tanquam teste: ita vt necesse non sit in confessione interrogare fuerit ne periurium simplex, an execratorium: bene autem, an fuerit blasphemum aut pernicioſum: quia tales circumstantiæ de se aggrauant mortaliter, mutando speciem.

Aduerte vero obiter, periurium illud censeri blasphemum, in quo verbum profertur, quo negatur Deo aliquid quod ei conuenit: aut aliquid affirmatur, quod in eum non cadit. Qua de re plura exempla refert Azor *in tomo* 1. *Moral. institut. libr* 11. *cap.* 3. *quæst.* 2. (quibus simile est illud Gallicum *Ie renie Dieu*) subditq; istam iurandi formulam. Sicut Deus est veritas, aut sicut Euangelia sunt vera (& sic de similibus) ita verum est quod dico: continere blasphemiam apertam, si sensus sit tantam esse veritatem in tuo dicto, quanta est in Deo, vel in sanctis Euangelijs: non item si tantummodo significes in tuo dicto esse veritatem suo modo, sicut in Deo & in Euangelijs est suo, infinitis partibus præstantiore.

32. Vndecima diuisio iuramẽti, est in liberum & coactum: illud est, quod sponte fit: hoc vero, quod coacte, seu quod vi vel metu extorquetur: siue iuste, vt quando quis à suo Iudice cogitur iurare, siue iniuste, vt quando iuramentum is extorquet, qui non habet potestatem adigendi ad illud. Atque constat quidem iuramentum liberum, itemque iusto modo coactum obligare: sed de coacto iniusto modo, an obliget difficultas est, quæ postea suo loco explicabitur: sufficiet hic notare, esse aduersus illud quatuor remedia licita.

Primum est, accusatio: nam qui iurare coegit, si accusetur coram Iudice, compelletur relaxare eiusmodi iuramẽtum, ex cap. 1. & cap. Debitores, De iureiur. Secundum est, denunciatio facta Ecclesiæ, qua vti potest ille etiam, qui iurauit se Ecclesiæ (quæ per excommunicationem compellit ad relaxationem) non esse delaturum suum coactorẽm: quia tale iuramentum non valet, ex cap. Quemadmodum, eodem tit §. finali. Adidque confirmandum facit quod tangitur in eodem cap. §. Quod si: nempe si quis secundum Euangelij regulam correctus primo & secundo modo, ex præscriptis Matthæi 18. resipiscere nolit, dicendum esse Ecclesiæ: vt eam non audiens vitetur tanquam Ethnicus & Publicanus: neque per impunitatem peccati, præbeatur ei peccandi facultas. Cui sane regulæ tale iuramentum aduersatur. Tertium est, dispensatio Papæ, ex cap. Verum, eodem tit. vel etiam Episcopi, iuxta tradita à Syluest. in verbo Iuramentum 5. quæst. 3. Vltimum remedium est, verborum ambiguitas, quam in tali casu licitam esse constabit postea.

Duodecima diuisio, est in solemne, seu corporale, quod 33.
fit super rem sacram, vt super crucem, Euãgelia, reliquias, aut aliud eiusmodi: & in non solemne seu simplex, quod fit solis verbis aut signis æquipollentibus: non autem super aliquam rem sacram: Exemplum talis solemnitatis habetur in Clemen. prima, De hæreticis §. Porro, *vbi de ea multa habet Glossa, ad verbum Tacta: & plura Suarez. in citato lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. *&* 7. in quibus hæretc non est necessarium ad nostrum institutum. Pro quo potius addendum est, tam simplicis, quam solemnis iuramenti transgressionem, facere quidem periurium coram Deo, *iuxta cap. Si aliqua* 22. *quæst.* 1. tamen transgressionem solemnis iuramenti peccatum esse grauius: tum propter maius scandalum, tum propter maiorem deliberationem, prout post D. Th. 2. 2. *quæst.* 98. *art* 3. *ad* 2. annotat Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. p. §. 1. num. 1.

CAP. IV.

In quo explicantur difficultates quædam de iuramento promissorio.

SVMMARIVM.

34 *Regulæ de modo interpretandi iuramentum promissorium.*
35 *Iuramentum adstringit solum iurantem.*
36 *Iuramentum de seruandis statutis, stricte interpretandum est.*
37 *Documenta notanda de obligatione seruandi eadem statuta.*
38 *Quando contingat à periurio excusari non seruantem statuta iurata, eo quod non seruentur ab aliis.*
39 *Regula notanda de ijs ad quæ iuramentum extenditur, & de obligatione dubitantis de suo iuramento.*
40 *Altera regula de materia, quæ non est capax iuramenti obligatorij: qualis censetur peccatum, etiam tantum veniale.*
41 *Implere iuramentum factum de re illicita non aggrauat delictum, sed relinquit illud in sua natura.*
42 *Propria authoritate potest non seruari iuramentum factum de re illicita.*
43 *Corollaria deducta ex eo, quod iuramentum de re illicita perpetranda non obliget.*
44 *Iuramentum factum de omittendo opere superegationis, non est obligatorium.*
45 *Quale peccatum sit tale periurium.*
46 *Iuramentum factum de re indifferenti non est obligatorium.*
47 *Limitatio cum qua id accipiendum est.*
48 *Iuramentum cuius euentus est malus non obligat.*
49 *Nec item illud, quod seruare temerarium est.*
50 *Nec factum intuitu alicuius qualitatis existentis in persona: siue iurantis siue eius cui iuratur: si illa deficiat.*
51 *Quæ sit obligatio iuramenti de secreto seruando.*
52 *Iuramentum non obligat, cum est impeditiuum maioris boni.*
53 *Iuramentum de contrahendo matrimonio obligat quidem, non impedit tamen ingressum religionis.*
54 *Quatenus iuramentum conditionatum obliget.*
55 *Euentus, qui præuisus ab initio impediuisset iuramentum, tollit illius obligationem.*
56 *Impossibilitas facit cessare obligationem iuramenti, non item magna difficultas.*
57 *Quomodo euentus inducere possit obligationem iuramenti.*
58 *De iuramento quod fit deferendo alteri honorem: quodque sentiendum sit de eo, quod dolo, vel errore extortum fuerit.*
59 *Quid item de eo quod extortum est metu.*
60 *Iuramentum extortum metu, etiam cadente in constantem virum, obligatorium est: & cur in eo id locum habeat potius, quam in voto.*
61 *Eiusmodi obligatio est sub mortali, nec ea impedit quominus repeti possit, ad illius impletionem datum.*

62 *Renunciatione & remissione illius cui facta est promissio, relaxatur iuramentum promissorium.*
63 *Argumentum in contrarium cum solutione: & exceptio duorum casuum.*
64 *Idem iuramentum relaxari potest irritatione, commutatione, dispensatione.*
65 *Iuramenti assertorij obligatio relaxari nequit.*
66 *De irritatione iuramenti.*
67 *Quando possit iuramentum promissorium mutari propria authoritate.*
68 *Cuius sit dispensare in iuramento promissorio.*
69 *Talem dispensationem requirere iustam causam, quomodo sit accipiendum.*
70 *Duo casus in quibus iuramentum promissorium relaxari potest, sine consensu eius cui iuratum est.*
71 *Quid requiratur ad relaxationem iuramenti promissorij, cum id quod promissum est, aperte licitum fuerit & vtile. Quodque violatio iuramenti non obstet quin ipsum relaxari possit.*
72 *Tenendum de eo qui iurauit se non petiturum dispensationem.*

PRÆTER ea quæ dicta sunt, nonnulla de iuramento promissorio restant, quæ speciale difficultatem habent; in quibus explicandis hærendum nobis est, antequam aggrediamur ad dicendum de periurio. Ea autem sunt: primo quomodo interpretandum sit iuramentum promissorium: deinde quibus modis obligatio illius ita cesset, vt absq; peccato possit nõ impleri: qui modi sunt quidem varij: sed ad quatuor capita ex Caiet. in verbo Periurium omnes reducuntur: quorum primus est, ex parte eius quod iuramento promittitur: secundus, ex parte eius quod accidit post factum iuramentum: tertius, ex parte rationis: qua factum est iuramentum: quartus, ex parte relaxationis eiusdem iuramenti. De quibus singulis singulæ difficultates occurrunt tractandæ, præmissa illa de interpretatione.

Difficultas prima, Quomodo interpretandum sit iuramentum promissorium.

34. QVia obligatio iuramenti pendet maxime ex intentione iurantis, fit vt quoad forum conscientiæ, nihil sit opus interpretatione, quando ille ita certus est de sua intentione, vt explicare possit, quid iurare voluerit, & pro quo tempore, ac sub quibus conditionibus, vel circumstantijs. Sed quia sæpe contingit, vt ipse iurans non valeat aliam intentionem explicare præter eam, quæ verbis quibus iurauit accommodata est; eo quod voluit simpliciter iurare prout verba sonant: fit, vt sæpe opus sit ipsorum verborum interpretatione: de cuius faciendæ modo hæc difficultas proponitur: cui satisfaciemus propositione aliquot regularum.

Prima est, In iureiurando semper intelligi exceptam authoritatem, seu ius & interesse Superioris, ex cap. Venientes §. Quia vero, De iureiur. Sic qui iurauit non exire domo, citatus à Iudice vt compareat, non efficitur periurus comparendo. De qua re bene Iacobus à Graphiis *lib. 2. Decis. aurearum cap. 18. num. 32. & sequentibus*: & Suarez suo modo erudite *in tomo 5. De religione libr. 2. cap. 34. num. 5. 6. & 7.*

Secunda est, In iureiurando intelligi, si alter cui iuratum est ac vicissim iurauit, ex sua parte fidem seruauerit: ex cap. Peruenit 2. De iureiur. & ex lege Cum proponas Cod. De pactis. Vide Sylu. in verbo Iuramentum 3. quæst. 1. vers. 4. & Angelum Iuramentum 5. num. 17. vbi monet hoc non procedere, cum quis simpliciter, nec habito respectu ad alterius promissionẽ, iurauit. Pro quo Sanchez *in opere Morali lib. 3 cap. 17. num. 16.* alios refert: ac idipsum negat cum Molina de iust. & iure *tract. 2. disp. 272. ad finem*: eo quod promissio facta simpliciter, habeat eam tacitam conditionem: si alter cui illa fit, se postmodum non præbeat ingratum: ita vt ratione ingratitudinis possit quis recedere à promissione. Verum in illo casu consulerim petere dispensationem à iuramento, ob cuius sanctitatem, cauendum est omni cura ab illius violatione.

Tertia est, Eum qui alteri obedientiam iurat, aut se illius arbitrio pariturum iureiurando promittit, non esse censendum obligare se ad res illicitas, quas ille præciperet, ex cap. Veniens, & cap. Quintauallis eodem tit.

Quarta est, Iuramentum promissorium intelligi, si res in eodem statu remanserint, ex cap. Quemadmodum eodem tit. in quo statuitur illum qui sponsam se in vxorem ducturum iurauit, non teneri ducere si in fornicationem, aut morbum, aut notabilem deformitatem ipsa interea incidat. Aduerte autem quod habet Sylu. in præced. vers. 3. & pro generali regula constitui Suarez notat: Per mutationem status rerum, excusationem à iuramento contingere: tum quando casus de nouo emergens talis est; vt si fuisset in principio, iuramentum extitisset temerarium: tum etiam quando casus est talis, siue ob difficultatem, siue ob indecentiam rei: vt si contigisset à principio, iurans continuisset se à iurando: adeo vt possit ea de causa merito negari, iuramentum factum esse secundum intentionem ipsius: præsertim cum iuramentum tanquam accessorium, conditionem actus cui adiungitur tanquam principalis sui sortiatur, per regulam 42. iuris in sexto. Atque promissio cui iuramentum adiungitur, sub intellecta habeat conditionem, vt ipsa, si res notabiliter mutetur, non obliget: ne quidem si ea facta sit Deo: vt ostendetur in sequentibus cum de voto agetur. Existimandum est igitur subintellecta eadem conditione, factum esse iuramentum promissorium: ipsumque proinde non obligare illa interueniente. Qua de re agens Suarez in præced. num. 4. in confirmationem adfert adhuc alia iura.

Quinta est, Idem iuramentum promissorium intelligi, si non adsit aliqua ex iis causis, per quas cessat obligatio iuramenti. Quæ causæ intelligũtur ex dicendis in sequentium difficultatum explicatione: ad easque reuocantur omnes illę conditiones quas Sylueſter in verbo Iuramentum tertio, quæst. prima, meminit esse in iuramento subintelligendas.

Sexta est, *de qua idem author in sequent. quæst. 3.* In omni iuramento quod præstatur generaliter in aliquo contractu vel promissione, non modo in externo foro, sed etiam in interno, semper esse intelligendas conditiones ac limitationes omnes super eodem cõtractu vel promissione præscriptas iure, aut receptas consuetudine: nisi constiterit iurantem habuisse in eo intentionem contrariam. Ratio est, quia iuramentum sequitur naturam actus super quem cadit: nam accessorium sequitur naturam principalis prout habet regula 42. iuris in 6. Sic ergo ille qui iurauit se velle sententiæ arbitri stare sub certa pœna pecuniaria, non est periurus, quantumuis non stet tali sententiæ, dummodo soluat illam pœnam pecuniariam, ex cap. Per tuas De arbitris. Similiter is qui iurauit quod residebit in suo beneficio non est periurus, si legitima sit causa cur nõ resideat: ex cap. Ex parte, & duobus sequent. De Clericis non residentibus. Eodem modo cum Iudex iurauit se non nisi secundum formam iuris iudicaturum: id intelligendum est, quando crimina non fuerint manifesta, ex cap. Ad nostram 2. De iureiur. Ac demum cum quis iurauit quod non stabit in iudicio contra alterum: intelligendum est, nisi sit causa Ecclesiæ, vel propria: ex cap. Petitio, eod. titul.

Septima est, *de qua in sequen. quæst. 8. Sylu. itemque Angelus Iuramentum 4. nu. 4.* & Couar. ad cap. Quamuis pactum *prima par. §. 4. num. 9.* ac Medina in Cod. De restit. *quæst 3. in fine*, aliquot quæ alii quos Sanchez refert in opere Morali *lib. 3. cap. 17. num. 15.* Iuramentum interpretandum esse, vt si rationabilis causa subsit, intelligatur impleri in casu etiam ficto, seu quando non datur quidẽm illud idem numero quod promittitur, datur tamen iusta compensatio: ita vt is cui iuratum est, in nullo grauetur, nec damnum sentiat. Subest vero tunc rationabilis causa, cum soluendo quod debeo, periculum est ne faciam iacturam eius quod mihi debetur ab eo cui soluo: eo quod non sperem ipsum mihi alioqui soluturum: etsi debitum vtrumque sit æque liquidum. Exemplum est si iurauerim me soluturum tibi 100. nummos aureos mutuo acceptos: & postea dederim tibi cõmodato equum eiusdem minimũ valoris,

quem

quem constat tua lata culpa apud te perisse: remittendo enim tibi eam iacturam meam, censeri possum iuramento satisfecisse per compensationem. Eiusmodi satisfactioni vero non esse locum (*nisi creditor libere consentiat*) si vel desit iusta causa illius faciendæ, vel debitum per quod fit compensatio, non sit liquidum: copiose tractat Suarez in eodem lib. 2. cap. 37. sicut & in præced. 36. quod nec satisfaciat qui sine tali consensu restituerit æquivalens. Ita vt non possit quis propria voluntate rem quam iurauit se daturum, commutare in aliquam æqualem omnino, nec etiam in meliorem sine consensu eius cui se daturum iurauit. Eumdem breuitatis studio relinquemus consulendum, ab eo qui talium accuratiorem notitiam velit: cōrenti monere fundamētalem rationem eorum esse, quod iniquum sit, absque iusta causa cogere aliquem ad commutandam rem suam, aut sibi debitam specialiter: quodque ad veritatem, quam iuramentum exposcit, requiratur vt idipsum quod iuratum est præstetur, nec sufficit eius loco aliud æquivalens præstare. Nec enim excusabitur à periurio qui iurauit se laboraturum in tua vinea, si id non faciat, quantumcumque interesse inde secutum compenset, aut alium suo loco mittat: nisi interuenerit causa iusta, cuius exceptio censenda sit subintellecta in iuramento: vt vsuenire potest tantum, cum quis intentionē habuerit iurandi in genere. Vnde fit (quod monet Angelus in seq. num. 6.) vt quæ de interpretatione iuramenti dicuntur, intelligenda sint locum habere cum is qui iurat, non habet expresse vel tacite animum se super aliquo determinato obligandi contra eiusmodi interpretationem: quoniam ea non valeret saltem in foro conscientiæ, in quo habetur potissimum ratio intentionis iurandi.

35. Octaua regula est, *de qua pluribus Thom. Sanchez in opere Morali lib. 3. cap.* 13. Iuramentum promissorium sic esse intelligendum, vt ex parte eius qui iurat, actio sit personalis: seu qua tantum obligetur persona ipsa quæ iurat siue per se, siue per alium, cui suo nomine iurare cōmisit: adeo vt virtute iuramenti nullus alius ligetur. Ratio est: quia obligatio religionis, *qualis est iuramenti*, cōtrahitur tantum ab eo qui cultum Deo exhibet. Quo fit vt illa obligatio, quæ iurando contrahitur, sit tantum iuranris, siue verba iuramenti per se protulerit, siue alius nomine ipsius: quia parum refert ad vinculum iuramenti, quod verba quibus iuratur proferantur propria lingua vel aliena: quandoquidem ipsum principaliter pendet ex intentione qua iuratur. Ideo enim, etiamsi qui's iuret ore proprio, si id ficte faciat, & sine intentione iurandi, nullum est vinculum. Qua de re plenius Suarez *tract. 5. de religione lib. 2. cap. 31. num. 3. & aliquot sequentibus.*

Vnde potest deduci, admissum de nouo ad senatū vel capitulum, non ligari, iuramento quod antecessores sui præstiterunt: neque filium, aliumve hæredem iuramento patris, alterius ve, cuius hæreditatem adiit: etiamsi iurauerit quis pro se, & suis successoribus vel hæredibus: quia sine proprio consensu, anima non adstringitur spiritali iuramenti vinculo: cum iurare sit actus humanus, requirens deliberatum agentis consensum. Tales tamen possunt ob aliam causam (vt ob contractum vel pactum tam suo quā successorum nomine initum, cui iuramentum ipsum accesserit) obligari ad id præstandum quod ab aliis iuratum est, etiamsi non obligentur ratione iuramenti. Quæ doctrina est D. Thom. 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 2. *ad* 4. quam habet Sotus *in* 8. *De iust. & iure quæst.* 2. *art.* 2. *sub finem*: quamque loco cit. Suarez pluribus persequitur.

Adhæc ex parte eius, cui iuratur, obligatio iuramenti potest esse communis: seu ad alias adhuc personas extendi: vt fit, cum quis iurat alicui fidelitatem, & omnibus successoribus ipsius: nam vt ei, sic & successoribus eius obligatur, ex cap. Veritatis De iureiur. Similiter cum iuramentum fit alicui simpliciter sub nomine dignitatis: vt cum quis Romano Pontifici iurat obedientiam. Nam obligatur ipsi, & successoribus ipsius eam præstare. Secus esset vero si ipsi iuraret sub nomine proprio: dicendo Iuro tibi Paulo quinto: quia ei tantummodo, non item successoribus eius obligaretur, quod ex Panorm. Sylvest. habet *in verbo Iuramentum* 4. *quæst.* 3.

Nona regula est. Cum iuramentum factum est de seruandis statutis alicuius Ecclesiæ, vel ciuitatis, vel vniuersitatis, illud nō esse interpretatione extendendum ad postea edenda, nisi iurans intenderit se ad ea quoque obligare. Hanc locis citatis habent D. Thom. & Sotus. Cui tamen nonnulli contradixerunt, *vt videre est apud Sylu. Iurament.* 4. *quæst.* 23. Sed bona ratione nititur, quam idem Sylvester ibidem adfert ex Panormit. quod propter periurij periculum, iuramentum sit grauis præiudicij, & strictæ interpretationis, ideoque extendendum non sit, sed restringendum potius, ne comprehendat ea quæ ex lata verborum significatione, posset adhuc comprehendere: vt v. g. illa quæ non sunt in vigore: aut quæ non seruantur ex religione iuramenti, aut quæ minima sunt, & ad quę non videtur iurans se adstringere voluisse. De qua re late Sanchez in opere morali lib. 3. cap. 14. & 15. quem si lubeat vide. 36.

Documenta de iuramento, quo iuratur obseruatio statutorum communitatis.

PRimum est, *sumptum ex cap.* 1. *De iureiur. in* 6. Si inter prædicta statuta contineantur aliqua illicita, vel impossibilia, vel libertati Ecclesiasticæ contraria: non esse obligationem ea seruandi: cum iuramentum non sit iniquitatis vinculum. Adeoq; grauiter peccare eum, qui sciens aliqua talia esse, iurat generaliter, & sine exceptione eorumdem: quæ vel omnino, vel licite præstare nequit. 37.

Secundum est. Si inter eadem habeantur aliqua, licita quidem, & possibilia: sed abrogata per consuetudinem rationabilem & præscriptam (de qua in præced. lib. 13. c. 23.) non esse obligationem ea seruandi sub præstito iuramento: amiserunt enim vim statuti ex cap. fin. De consuet. ideoque materia iuramenti esse desierunt. Qua in re obseruare conuenit quod habet Tabiena in verbo Iurare sub fine n. nu. 37. successores qui iurarunt seruare statuta suorum prædecessorum, non esse condemnandos periurij, si non seruent ea quæ maior pars non seruat amplius: quia possunt verōsimiliter putare talia esse abrogata: & ideo iuramentum suum non esse ad ea extendendum.

Tertium documentum est. Qui iurauit se seruaturum alicuius communitatis statuta, iis per eandem communitatem sublatis, non teneri amplius ea seruare: secus esse autem, si iurauerit se ea quæ in statutis continentur seruaturum, nulla mentione facta de ipsis statutis: vt si dicat. Iuro hoc, vel illud: neque addat, prout in talibus statutis continetur. Id quod explicant Armilla *in verbo Iuramentum, n.* 36. & latius Sylvester *eodem verbo* 4. quæst. 2. & Tabiena in verbo Iurare num. 37. Vbi notat, *quod obseruatione dignum est, ad vitandum in hac re periurium:* ad id requiri vt maior pars communitatis statuta ipsa iurata collegialiter tollat, saltem tacite: puta eis contraueniendo de communi consensu: neque sufficere vt tollat singulariter, id est, per consensus quibus seorsim singuli consentiant in talium transgressione, cave transgrediantur. Ratio est: quia singuli seorsim sumpti, censentur inferiores, quibus tantum incumbit parere talibus statutis: tota communitas vero habet rationem Superioris, præditi potestate statuendi & abrogandi statutum suum. 38.

Sed excipe *ex Sylu. in ead. quæst. versu* 5. *& Tabien. in sequen. num.* 40. nisi tale statutum concernat fauorem aliorum, bonumque publicum: atque Superiores illud confirmauerint. Nam ex quo Superior confirmando statutum, ei authoritatem tribuit, illud facit suum: argumento cap. Si Apostolicæ, De præbendis in 6. Inferior autem nequit Superioris legē tollere. Secus vero esset, si confirmatio principaliter concerneret fauorem statuentium, quia tunc ea vim haberet priuilegii, cui renuntiare priuilegiati possunt, nisi principaliter concernat fauorem Ecclesiæ.

Quartum documentum est, *quod idem authores tangunt, Sylvest. vers.* 2. *& Tabien. num.* 36. Etiamsi media, aut etiam maior pars eorum qui statuta iurarunt, illa transgrediantur: eum tamen non esse à periurio excusatum, qui tali de causa negligit eorumdem statutorum obseruationem: si vel ex ea nullum ipse sentiat incommodum: vel alii non transgredientes, aliquod sentiant. Secus vero esset si solus incommodum pateretur obseruando: & non obseruantes

recipe-

reciperent commodum: quia tunc excusari potest per benignam interpretationem iuramenti, cum mens ipsius quando iurauit, non censeatur fuisse, vt in tali casu adstringeretur.

Quintum documentum est. In generalibus iuramentis obediendi Prælato, aut Rectori, iuratam obedientiam non censeri exigi, nisi id ipsum exprimatur præcipiendo in virtute præstiti iuramenti, vel alia verborum forma æquiualenti; secundum communem intelligentiam, vsumque receptum. Immo vero interdum vsus ipse habet, vt nec tali verborum forma exigatur obedientia: sed ea solum vsurpetur cõmemorandam ipsius Prælati aut Rectoris potestatem, & ad errorem incutiendum, vt nemo illam contemnere audeat: prout ex Driedone & Couarruuia Suarez refert *tom. 5. de relig. lib. 2. cap. 15. num. 6.*

39. Vltima regula est, *de qua Syluest. in seq. quæst. 6.* Iuramentum generaliter factum extendi tantum ad ea de quibus cogitatum est, vel debuit merito cogitari. Factum vero specialiter, recipere interpretationem: in foro quidē contentioso, secundum ius: in pœnitentiali vero, secundum intentionem iurantis. Circa quam intentiõnem aduerte quod Suarez plenius tractat *in cit. lib. 2. c. 33.* si incertum sit an ea fuerit vere iurandi, vt cum quis dixit Per meam fidē id faciam; nescitq; an intellexerit fidem diuinam, an vero tantum humanam: si quidem pariter nesciat an habuerit intentionem iurandi: non esse obligationem præstandi promissum censeri eo nomine, quod tunc locus esse possit interpretationi benigniori ob incertitudinem intentionis iurandi, sine qua iuramentum nullam vim habet: sin autem sciat se vere habuisse intentionem iurandi, etiamsi de modo sit incertus, tunc seruandum esse promissum: vtpote quod scitur factum inuoçato in testem Deo: ac proinde ꝙ violari nequeat sine irreuerentia diuinæ maiestatis.

Qua etiam de causa, *vt idem Suarez addit*, implendum est, quod scitur quidem promissum esse sub iuramento, sed dubitatur nec sciri potest vtrum iam sit impletum. Illud autē de quo dubitatur, an licite impleri possit (etiamsi dubium vinci nequeat) ita interpretandum est, vt pro illius omissione licita, procurari debeat Superioris Ecclesiastici dispensatio à iuramento, de qua in sequentibus. Ratio vero esse potest, quod alioqui res non careat periculo memoratæ irreuerentiæ.

Difficultas secunda, Quomodo ex parte materiæ iuramentum promissorium itaceſſet, vt absq; peccato possit non impleri.

QVæ faciunt ad huius explicationem late persequitur Suarez in tract. 5. De religione lib. 2. à cap. 12. ad 24. & post eum Sanchez in opere Morali lib. 3. c. 9. Ad vitandum autem prolixitatis fastidium paucioribus contenti esse possumus: statuendo hanc generalem conclusionem.

40. Quotiescumque materia non est capax iuramenti obligatorij, absque peccato omitti executionem iuramenti promissorij. Hæc ex eo patet, quod tale iuramentum sit inualidum, perinde ac excommunicatio lata in materia illius incapaci. Ex eadem vero deducitur in particulari. Primo, ꝙ nulla iuramenta facta de actu illicito exequendo, seruentur absque peccato, *prout ex D. Thoma 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 2. communiter receptum est.* Intelligi debet vero, etiamsi actus sit illicitus solum venialiter, ex Caiet. *in verbo Periurium, & Sylu. verbo Iuramentum, 4. q. 1.* De quo plenius Suarez cap. 15. eiusd. libri secundi. Satis vero probatur per illud quod habetur in cap. Quanto, De iureiur. Iuramentum non esse vinculum iniquitatis: & per regulam 58. iuris in 6. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum. Iam vero peccatum esse, vt eiusmodi iuramenta facere, sic & adimplere, expressit D. Thomas loco citato: & communem Doctorum sententiam esse notat Couarr. *ad cap. Quamuis pactum 1. part. §. 6. num. 6.* patetque ex memorato cap. Quanto. Neque obstat quod ex cap. 5. Leuitici vers. 4. ille qui iurat male facere, debeat id obseruare: quia illic agitur non de malo culpæ, sed de malo pœnæ: vt cum quis iurat seipsum affligere. Videri potest Suarez in cap. 12. citato.

Cæterum iuramentum istiusmodi in materia mortali, esse mortale, & in veniali veniale, ostendetur in seq. nu. 92. 41.
Quale autem peccatum sit ipsum implere, æstimandum est iuxta naturam ipsius delicti iurati, quod relinquitur in sua natura: ideoque tale est quale esset si iuramentum interpositum non fuisset. Et ita ille qui iurauit mortale, vt furtum, aut homicidium: implendo iuramentum peccat mortaliter, eodem modo quo si non iurasset. Qui vero iurauit veniale vt mendacium officiosum, implendo iuramentum, peccat solum venialiter. Nam quod mortaliter peccet, nequit verum esse ratione operis: quod, *vt supponimus*, tantum est peccatum veniale, nec ratione obseruationis iuramenti, quæ de se bona est: ideoque operi superaddita, non aggrauat illius malitiam, sed relinquit ipsum in sua natura. Quod est argumentum Sylueſtri *loco cit. verſu ſexto*, Vbi etiam merito reprehendit Angelum, quod putauerit mortaliter peccare eum, qui propterea peccatum veniale committit, quod se commissurum iurauerit: nam, *vt Sylueſter ipſe argumentatur, & cum eo Nauarr. lococitato*, talis circumstantia alleuiat potius peccatum quam aggrauet, cum procedat ex Dei reuerentia; nisi forte quis adeo malitiosus sit, vt tribuat Deo complacentiam, qua velit eiusdem mali iurati adimpletionem: id quod pertinere ad blasphemiam dubium non est. Aduerte vero loquendo moraliter nunquam homines nisi per ignorantiam & bonam fidem, ratione iuramẽti impelli ad perficiendam rem malam iuratam: ideoq; culpam in eo euentu diminui potius quam augeri.

Porro quod possit quis propria authoritate contrauenire huiusmodi iuramento de re illicita, non debet in dubium vocari: cum ex cit. cap. Quanto, habeatur non esse super eo absolutionẽ requirendam: sicq; tenet D. Thom. *in cit. q. 89. art. 9. ad 3. Sylu. Iuramentum 1. q. 1. & Sotus lib. 8. de iuſt. & iure quæſt. 1. art. 9. circa 3. argumentum.* Cui doctrinæ congruenter quædam statui possunt pro praxi. 42.

Primum, admittendum esse necessario, quod quoties soluere vsuras mortale aut veniale fuerit, debitor obligandus non sit stare iuramento præstito de eis soluendis. Id quod Couar. expressit ad cap. Quamuis pactum *par. 2. §. 3. nu. 2. verſ. ſupereſt.* Vnde quod in cap. Debitores, de iureiur. dicitur: eum qui iurauit soluere vsuras creditori, teneri sub ratu periurii eas soluere, intelligendum est, vt procedat in casu quo talis solutio potest sine peccato fieri. 43.

Secundum est, *quod etiam ibid. habet Couar.* Si quis causa pactionis simoniacæ promisit interposito iuramento dare aliquid, ipsum non teneri seruare tale iuramentum, quod ex parte etiam iurantis ita illicitum est, vt impleri nequeat absque peccato: adeoque dispensatione non indigeat, vt idem author addit congruenter traditæ doctrinæ.

Tertium est: quoties iuramenti adimplerio fuerit contra legem in conscientia obligantem, ipsum non esse implendum. Quamuis enim controuersum sit, an iuramentum omne quod fit contra legem sit nullum (de quo post Panormit. Angelus *Iuramentum 5. §. 23.* & Sylu. *Iuramentum 4. quæſt. 16.*) hoc tamen certissimum est, quod quoties iuramenti obseruatio fuerit contra legem vel mandatum Superioris obligans in cõscientia, nequaquam standum esse tali iuramento, tanquam ei quod seruari nequit absque peccato. Huc spectant quæ Suarez tractat *in eod. lib. 2. c. 18. & 20.* Secus esset autem si iuramentum quidem contra legem esset, non tamen illius obseruatio: vt ostendit regula quam ex Panorm. adfert Sylu. *in ſeq. quæſt. 30.* Quod quantumuis iuramentum lege etiam Canonica vel diuina prohibeatur: iurantem nihilominus teneri illud seruare, non obstante quod peccauerit iurando. Ad cuius rei cõfirmationem induci possunt cap. Cum contingat. De iureiur. & cap. 2. eod. tit. in 6. Ex quibus habetur, seruandum esse iuramentum quod seruatum non cedit: & non seruatum cedit in præiudicium animæ.

Quartum est, non obligare iuramentum factum contra prius iuramẽtum, vel contra votum: aut etiam contra simplicem promissionem: quia vt illa, ita hanc violare, peccatum est saltem veniale: videri possunt Angelus *in præced. §. 15. & 16.* & Sylu. *quæſt. 12.* Quod autem Gratianus ait 22. quæst. 4. in fine, eum qui vouit castitatē, & postea iurat se

acceptu-

accepturum aliquam in coniugem, posse implere iuramentum, omnino falsum est, vt ibidem glossa notat: & patet ex cap. Rursus, Qui Clerici vel vouentes. De hoc Suarez in sequenti cap. 19.

Quintum est, non obligare iuramentum factum contra bonos mores, seu cuius obseruatio præbet occasionem delinquendi contra honestatem, præscriptum ve rectæ rationis. De qua re iidem authores: Angelus §. 33. Sylu. autem quæst. 11. & Suarez latius in cap. 21.

Sextum est, Non obligare iuramentum quando cedit in alterius præiudicium immeritũ, seu quando obseruari non potest, quin fiat alteri iniuria. De qua re Angelus adhuc §. 22. & Sylu. quæst. 15. Qui etiam commemorant alios casus, in quibus contingit iuramentum non obligare: sed de eis facile est iudicare ex antedictis, vel ex dicendis.

44. Deducitur secundo principaliter, ex conclus. initio capitis assignata: quod is qui præstitisset iuramentum de omittendo opere supererogationis: *seu, quod idem est, de quo faciendo non est quidem obligatio: melius tamen est facere illud, quam omittere:* non teneatur ei stare. Nam licet nulla obligatio sit agendi talia bona quamdiu manent intra limites supererogationis: nemo tamen potest obligare se ad eorum omissionem, quæ non est materia capax iuramenti: cum sit contraria vni iustitiæ parti, quæ est facere bonum: sicut peccatum, *siue mortale, siue veniale*, contrarium est alteri parti, quæ est declinare à malo. Adde quod se ad talem omissionem obligare sit ponere obicem Spiritui sancto, cuius proprium est animabus instillare desideria sancta. Ita cum D. Thoma 2.2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 2. *& quæst.* 98. *art.* 2. *ad* 2. Nauar. in Enchir. *cap.* 12. *num.* 17. & alij communiter docent. Vnde intelligere licet non esse obligationem seruandi iuramentum, quando iuratum est aliquid contrarium consilijs Euangelicis, aut perfectioni Christianæ: quale est nunquam fieri Religiosum, nunquam suscipere sacros ordines, nũquam dare pecuniam mutuo, vel commodare res suas, nunquam consulere proximo, vel eum consolari, nunquã dare eleemosynam, nisi extremæ genti, nunquam ieiunare extra tempora indicta, nunquam fideiubere, & sic de similibus operibus pie propter Deum faciendis de consilio.

45. Tale vero iuramentum esse peccatum mortale, sentiũt Angelus *in verbo Iuramentum* 5. §. 3. & Sylu. *Iurament.* 2. *quæst.* 7. Sed veniale tantum esse videtur potius dicendum cum Nauarr. *in præced. num.* 16. & Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. *par.* §. 6. *num.* 6. & Soto in 8. De iust. & iure *quæst.* 2. *art.* 3. *concl.* 5. post Caiet. 2.2. *quæst.* 89. *art.* 7. *circa responsionem ad* 2. *& in verbo Periurium:* quod etiam tenet Suarez in tract. 5. de religione *lib.* 3. *cap.* 18. *num.* 6. Probatur vero, quia vt recte argumentatur ibidem Nauarr. deterius est iurare se facturum vel omissurum, quod factum vel omissum, peccatum est veniale, quam quod non est de se peccatum, etiamsi contrarium ipsius sit ipso melius. At iuramentum de peccando venialiter non est peccatum plusquam veniale: (quod docebitur in seq. num. 92.) Ergo nec erit iuramentum de omittendo, eo cuius contrarium est ipso melius.

Non modo autem liberum est istiusmodi iuramẽtum, tanquam non obligans, perinde seruare vel non seruare, acsi non esset de tali re iuratum: sed etiam melius est non seruare quam seruare, cum melius sit facere opus consilij & supererogationis, quam ipsum omittere. Ita D. Thomas loco citato. Neq; in ea re opus esse authoritate Superioris, sed tale iuramentum posse propria iurantis authoritate infringi, post D. Anton. docet Nauarr. in cit. num. 17. Meminisse tamen oportet, quando ex adiunctis circumstantiis melius fuerit tale iuramẽtum seruare: vt non dare mutuo, vel fideiubere, vel aliud id genus, omittere iuxta præstitum iuramentum, obligationem esse ipsum seruandi: quia tunc omissio non est contra consilium, sed in consilio, & aliquando etiam in præcepto: atq; adeo legitima iuramenti materia. Huc referri possunt quæ habet Suarez in capite 17. præcedentis libri secundi.

46. Deducitur tertio principaliter ex initio proposita generali conclusione: si iuramentum emissum sit de actione indifferenti, seu quæ de se nullam vtilis vel alterius boni rationem habet, salua perseuerante indifferentiæ ratione, non esse obligationem qua teneatur quis præstare quod iuratum est: vt si nulla interueniente boni circumstantia, iurauit quis se non admissurum hunc vel illum in suo ministerio, vel non locuturum de talire, vel non aditurum domum illius, vel non missurum panes coquẽdos ad furnum ipsius, vel ad emendum ab eo aliquid, &c. Ratio est: quia iuramentum non est vinculum institutum ad faciendum aliquid otiosum & vanum, vt actus indifferens censetur esse de se: quandoquidem vt talis, bonus non est, nec ad bonum finem refertur (alioqui enim iam non esset indifferens) ideoq; otiosus est, tanquam is quo nullum bonum acquiritur. De qua re Suarez in præced. c. 16. in eaque cum Caiet. in verbo Periurium consentientes multos refert Sanchez in opere morali *lib.* 3. *c.* 9. *num.* 11.

Adde vero, iuxta Nauar. in Enchir. c. 12. num. 17. melius esse huiusmodi iuramenta frangere quam seruare. Adde etiam posse id propria authoritate fieri & absq; dispensatione, iuxta tradita à Sylu. in verbo iuramentum 5. quæst. 1. Et ratio in promptu est: quia non sunt obligatoria. Quod etiam Sanchez in opere Morali lib. 3. c. 9. nu. 3. Quanquam vbi dubium fuerit, An res iurata sit aliquo modo vtilis, vel aliam rationem boni habeat: procuranda erit dispensatio, vt post D. Thomam 2.2. *quæst.* 98. *ad* 3. docet Sotus *in* 8. *De iust. & iure quæst.* 1. *art.* 9. *circa* 3. *argumentum.*

47. Quod si contingat actum ex se indifferentem reddi vtilem, aut aliter bonum ex circumstantia: vt si quis iuret se non iturum ad talem domum, vel non transiturum tali via, ad cauendum ne aspectu alicuius mulieris tentetur, & sic de similibus; ad vitandam nimirum peccati occasionẽ: quia consequenter erit materia capax obligationis iuramenti, tunc dicendum erit, tale iuramentum obligare. Ita Caiet. docet in verbo Periurium, & Nauarr. in Enchirid. cap. 12. num. 12. & 17. vbi ex Angelo addit, idem esse dicendum quando eiusmodi iuramenta proxime fierent ex aliquo bono respectu. Aduerte obiter ex proposita doctrina, qua statuitur iuramentum de re indifferenti non esse obligatorium, peti posse ratione eius quod idem Nauarr. in præced. nu. 11. habet: illum qui dixit, Deus non me adiuuet si amplius lusero (quod est iuramentum execratorium) non teneri vi iuramenti abstinere à ludo non illicito in parua pecuniæ quantitate, & ad honestam recreationem. De eodem iuramento non ludendi plurib. agit Sanchez in opere Morali lib. 3. cap. 18.

Difficultas tertia, Quomodo ex parte euentus cesset obligatio iuramenti promissorij, sic vt possit sine peccato non impleri.

48. COntingere vt ratione euentus cesset iuramenti promissorij obligatio, patet ex cap. Veniens De iureiur. Ad quod plenius in particulari intelligẽdum: notandum est primo, cum Caiet. verbo Periurium: omnia iuramenta ea, quorum euentus malus est, nõ esse obligatoria. Exemplum datur de iuramento, quod ex D. Matthæi cap. 14. Herodes fecit saltatrici: quamuis enim tale tolerabile esse potuerit intellectum sano modo: id est, cum ea moderatione, quod saltatrix ipsa nihil peteret illicitum: pessimus tamen fuit euentus, ea petente caput Ioannis Baptistæ: neque ille ex iureiurando astringebatur, patrare tantum scelus: cum malæ petitionis euẽtus excluderet vim iuramenti, ex D. Thom. 2.2. *quæst.* 89. *art.* 7. *ad* 2. Quem sequuntur Caiet. loco cit. & Sotus lib. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 7. circa 2. argumentum.

49. Notandum est secundo, cum Angelo *Iuramentum* 5. §. 12. iuramentum non obligare, quando res super qua factũ est, venit ad talem statum vt temerarium sit illud tunc seruare. Itaque si iurauit quis se nunquam militaturum, aut negotiaturum, vel tali domino seruiturum: postea autem ad eam paupertatem venit vt viuere nequeat nisi militet, aut negotietur, aut tali domino seruiat, potest propria authoritate contra facere, non obstante iuramento: sicut & is qui iurauit reddere domino gladium apud se depositum: si idem dominus factus sit furiosus, potest non reddere: item si opulentus qui iurauit se alicui

victum

victum præbiturum, ad eam paupertatem redigatur, vt id præstare non possit, nisi contra decentiam sui status mendicet. Item q; is qui iurauit se non mutaturum sepulturam, vel testamentum, si noua superueniat causa iusta mutandi. Hæc ille.

50. Notandum est tertio, *quod idem Angelus ex Panormit. habet ibidem*: eum qui iurauit respectu dignitatis, vel alterius qualitatis existentis, siue in ipsomet iurante, siue in eo cui iuratur: illa deficiente, iuramentum non tenere: quia euentus tollit tunc rationem iuramenti. Sic ille qui iurauit Episcopo obedientiam, non tenetur obedire ei amoto ab Episcopatu. Item is, qui tanquam Canonicus, vel tanquã scholaris iurauit, non tenetur ad talis iuramenti obseruationem, si mutauerit statum Canonici, vel scholaris. Sic etiam ille qui iurauit se castigaturum aliquẽ, si talis emenderse, supplexque veniam petat, non tenetur seruare iuramentum: quia huius ratio per superuenientem euentum cessauit; & ita 1. Reg. 25. Dauid non impleuit iuramentum de excidenda domo Nabal, cum ei satisfactum esset per Abigail. Qua ratione iuramenta parentum aut heroum de puniendis filijs aut famulis, non obligant ob euentum emendationis horum, aut interueniente, causa ob qua id fieri non debeat. De qua re Sanchez in opere Morali lib. 3. cap. 9. num. 16.

51. Notandum est quarto, obligationem iuramenti cessare ex euentu per quem fit, vt ipsum cedat in alterius perniciem: quo modo is qui iurauit aliquid, & post factus Episcopus non potest illud præstare sine præiudicio populi sibi commissi, non tenetur ad obseruationem. Item cum quis alicui absolute iurauit se seruaturum ei secretum: non ita tenetur ad id ex vi iuramenti, quin si illud fuerit alteri nociuum, possit & debeat reuelare ijs qui possunt prodesse nec obesse: possit item ac debeat cum in testem producitur, procediturque seruato iuris ordine debito: nisi forte res sit talis, quam ipse nequeat probare: aut ille qui exigit ab ipso iuramentum de dicenda veritate, homo sit ferus, de quo verisimiliter præsumatur quod non procedet seruato ordine memorato. Nam tali, ne quidem illud quod non tantum scit, sed etiam probare potest, tenetur reuelare. De qua re Angelus in seq. § 22. & latius Nauarr. in Enchir. cap. 18. à num. 52. vsque ad finem, & nos suo loco in seq. lib. 24.

52. Notandum est quinto, *cum Caiet. in verbo Periurium*, iuramentum promissorium non esse obligatorium, cum ex euentu res promissa, facta est impeditiua maioris boni. Ratio est: quia sicut non valet iuramentum non faciendi aliquod bonum: ita nec iuramentum faciendi aliquod bonum maioris impeditiuum. Adeo vt non sit obligatio illud seruandi ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 3. sed liceat ipsum commutare in illud melius iuxta cap. Peruenit. 2. De iureiur. Ne quis tamen in hac re (de qua late Suar. in eodem libr. 2. cap. 12. & 13.) fallatur: aduertendum est, ex iuramentis, quædam esse in fauorem seu commodum hominis emissa, & quædam non ita; sique sint huius posterioris generis, admittendum esse vniuerse, quod cum de bono sint quidem, sed maioris boni impeditiuo: non sic obligent, quin ille qui iurauit, possit authoritate propria facere id ipsum quod est melius, prout ratio proposita ostendit: & notant Angelus *Iuramentum* 5. §. 33. & Syluest. *Iuramentum* 4. *sect.* 20. Addentes id non procedere, sed Episcopi saltem opus esse dispensatione, si vtrumque illud bonum posset fieri, vel dubium esset an maioris boni impedimentum debeat contingere ex impletione iuramenti. Quod si iuramenta sint talia quæ in hominis gratiam facta sint, commodumque illius concernant: concedendum est: si quidem illud de quo sunt facta, bonum sit (etiamsi oppositũ ipsius censeatur melius: imo etiamsi ipsum maioris boni sit impeditiuum) quod ea sint obseruanda nisi relaxentur relaxatione, de qua in sequentibus. Ita quoque docent in iisdem locis Angelus & Syluester.

53. Indeque est, quod is qui iurat matrimonium cum aliqua contrahere, teneatur stare iuramento, ex cap. Commissum De sponsalibus: quantumuis ex natura rei in eiusmodi contractu includatur obligatio reddendi carnale debitum si petatur: ex qua sequitur vt idem iuramentum impeditiuum sit perpetuæ continentiæ, seu status virginitatis vel cælibatus: quem esse bonum præstantius statu matrimonii definitum est in Conc. Trid. sess. 24. can. 10. De sacramento matrimonij.

Vbi aduerte obiter, peculiarem religionis prærogatiuam esse, vt etiamsi quis iurauerit se cum aliqua contracturum matrimonium, possit nihilominus ad religionem migrare, quemadmodum notarunt Caiet. verbo Periurium, versu Intellige, Sotus lib. 7. De iust. & iure, quæst. 1. art. 3. & in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 5. & Couar. in Epit. 4. Decret. par. 1. cap. 5. num. 11. Pro eoque est textus in cap. Verum, De conuers. coniug. Neque obstat textus in cap. Commissum supra cit. Nam vt ipse Couar. ibid. ex Innocentio notat: dici potest, quod sponsus de quo ibi agitur, noluerit deliberate religionem statim ingredi: sed tantum id in animum induxerit absque voto: cui Pontifex consulit vt contrahat, fidemque seruet: & postea si velit religionem profiteatur.

Notandum est sexto, adhuc ex parte euẽtus, iuramentum non obligare, cum ipsum fuerit interpositum sub conditione quæ non adimpletur. Id quod habetur ex cap. Peruenit 2. De iureiur. & ex cap. De illis tit. De conditionibus appositis: intelligendumque est ex Syluestro Iuramentum 4. quæst. 22. cum obligatio tota fuerit in talis cõditionis euentu constituta. Nam si adhuc fuerit alia causa illius, ipsa non cessat: vt si quis iurauit ire ad sanctum Iacobum in remissionem suorum peccatorum, & vt fratrem videat: etiamsi frater excesserit è vita, tenetur adhuc propter aliam causam manentem, suscipere eam profectionem. Quod si ponatur iuramentum fuisse ita emissum sub pluribus conditionibus, vt simul intentio fuerit non aliter promittendi, quam omnibus illis simul concurrentibus; concedendum est si aliqua eorum impleta non fuerit, iuramentum ipsum non obligare, vt nec obligaret votum (cuius & iuramenti in hac re, vt in aliis multis, par est ratio) prout definiunt D. Anton. 1. *par. tit.* 11. *cap.* 2. §. 4. & Sylues. *Votum* 2. § 2. *in fine*: vbi addunt, quod si nesciat quis discernere an prædictam intentionem habuerit, melius esse: immo, *vt addit Sylues.* necessarium esse, seruare: ob periculum scilicet peccandi, agendo contra conscientiam. 54.

Si quæras, an ista procedant etiam cum citra culpam illius cui iuratum est, conditio non impletur. Respondetur procedere, id est, in tali etiam casu cessare iuramenti conditionati obligationem, ex Sylu. *Iuramentum* 4. *quæst.* 13. vt si iuraui me profecturum Romam intra annum, si mihi dederis 100. nummos aureos, & pressus egestate dare non potes: nec ego teneor ire Romam. Aduerte autem, quod etsi iuramentum conditionatum non incipiat obligare ad actum promissum, donec impleatur conditio (quę alioqui suspendit eumdem actum & consequenter iuramentum de eo ipso factum) ab initio tamen obligare ad animi præparationem implendi illud, si conditio impleatur: adeoque ad non resiliendum à promissione inuito altero cui facta est. Hæc enim vis est promissionis acceptatæ, omnisque contractus initi de mutuo consensu, vt obligent ad sui obseruationem. Quare eadem erit iuramenti adiecti: cum accessorium sequatur naturam sui principalis, ex regula 42. iuris in 6. Vnde qui Berthæ iurauit se ducturum eam in vxorem, si pater cognita promissione consenserit: interea is illa inuita, nec expectato conditionis euentu, aliam ducat; iuramentum violat. De quo Suarez in sæpe citato lib. 2. cap. 35 sub initium. 55.

Consequenter addens de iuramento absoluto: si promissio, cui additur sit negatiua: *vt cum dicitur, Iuro me tibi non nociturum*, ipsum statim obligare; quia negatio omnia tollit. Sin autem promissio sit affirmatiua, nisi certum tempus designetur, prudentis arbitrio relinquit definiendum ex consideratione circumstantiarum, quo tempore ex obligatione implendum sit iuramentum: quod ad instar præceptorum affirmatiuorũ, obligat quidem ad semper, non tamen pro semper: sed pro eo tempore in quo implendum esse recta ratio dictauerit.

Notandum est septimo, Quotiescunque aliquid de nouo euenit, quod si is qui iurauit antea præuidisset, 56.

non

non iurasset, obligationem iuramenti cessare ratione euentus, ad quem intentio iurantis se non extendit, ne quidem interpretatiue, ob contrariam animi præparationem.

Exempla sunt, si quis iurauit peregrinationem & postea intellexit latrones esse in itinere, à quibus trucidandus vel spoliandus sit. Item si quis iurauit se ieiunaturum certo die, & eodem die incidat in morbum. Itemque si quis iurauerit puellæ se ducturum eam in vxorem, quæ interea in morbum incurabilem, vel magnam paupertatem, aut infamiam notabilem incidit. Itemque si quis iurauit se castigaturum aliquem & postea intelligit inde secutura multa grauia incommoda: vt familiæ, vel reipublicæ perturbationem, amicorum pro ipso intercedentium perniciosam indignationem: & sic in alijs casibus in quibus ex iuramẽti impletione sequitur aliquod magnum damnum temporale aut spiritale: quod præuisum, plane reuocasset à iurando.

Notandum octauo, Obligationem iuramenti cessare ob superuenientem impossibilitatem vel magnam difficultatem, qua illius obseruatio impeditur. Quod notabile nullam difficultatem habet quoad impossibilitatem: cum nitatur regula ea iuris. Impossibilium nulla est obligatio: sitque expressa D. Thomæ doctrina 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. Quoad magnam difficultatem vero, Sotus *lib.* 8. *De iust. & iure quæst.* 1. *art.* 7. *paulo ante explicationem primi argumenti*, putat eam, ad excusandum ab obligatione seruandi iuramentũ non sufficere in foro conscientiæ: etiamsi causa sit iusta petendi dispensationem vel commutationem, vt fiat illud quod fieri potest. Quæ doctrina videtur tenenda vt tutior.

Cæterum tam circa hoc, quam circa præcedentia notabilia aduertere oportet: quod Sylvest. Iuramen. 5. quæst. 18. habet ex Hostiensi: si tempore iuramenti iurans credebat, vel probabilem causam habebat credendi, se nõ posse implere quod iurat, peccare mortaliter: vtpote qui iurat sine veritate & iudicio: secus vero est si probabiliter credebat se posse implere. Quamquam si non considerauerit sufficienter: sed imprudenter putauerit se posse iuramentum implere, non excusatur à veniali.

57. Hic occurrunt duo dubia. Prius est, An in propositis euentibus, ipso facto cesset iuramenti obligatio: ita vt cõtraueniendum ei, nulla sit opus illius relaxatione. De quo authores in vtramque partem refert Suarez lib. 2. læpe citato cap. 35. in fine: meritoque assentitur ijs qui negant opus esse relaxatione: quia vinculum iuramenti non extenditur ad casus qui subintelliguntur excepti: vt memorati euentus censentur.

Posterius dubium est, An sicut euentus tollit obligationem iuramenti, ita possit facere obligationem, vbi non erat obligatio: vt v.g. An si illud quod peccatũ erat, quando iuratum est, contingat postea esse non peccatum, is qui iurauit teneatur implere tunc iuramentum de eo factum. Videtur autem distinctione respondendum. Nam si iurans intenderit se obligare ad peccatum: nunquam tale iuramentum obligat, quicumque euentus sequatur: quia factum est de eo quod non est capax vinculi talis obligationis: vt patet per antedicta in explicatione secundæ difficultatis. Si vero intenderit se obligare ad aliquam actionem absolute, siue ea esset peccatum siue non: tale iuramentum tunc obligat, cum contingit eam actionem esse bonam, adeoque idoneam iuramenti materiam. Videri potest Suarez in cap. 24.

Difficultas quarta. Quomodo ex parte modi iurandi obligatio iuramenti promissorij sic cesset vt citra peccatum non impleatur.

58. NOtandum est, ex Caiet. in verbo Periurium, & pluribus aliis quos refert Sanchez in opere Morali libr. 3. cap. 9. nu. 16. hac ex parte excusari eum qui deferens alteri honorem, iurat quod non præcedet eum in exitu ostij: si is ipse inducatur tandem ad præcedendum. In huiusmodi enim iuramentis, ille qui iurat, non intendit omnino facere prout iurat: sed quantum in se fuerit. Sicut cum D. Petrus Ioan. 13. dixit Christo, Non lauabis mihi pedes in æternum, intellexit quantum in se esset, vt satis patet ex eo quod statim secundum ipsius Christi voluntatem contra fecerit: quod solet simili modo fieri in prædictis iuramentis. Qua de re idem Caietan. latius tractat 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 2. dubium. Vbi addit quod communiter sic iurando ob indiscretionem peccetur venialiter: licet ob implicitam intentionem se obligandi ea ratione qua dictum est, non peccetur contraueniendo tali iuramento.

Excusantur etiam hac ex parte illi, à quibus dolo, vel errore extortum est iuramentum, quod à scientibus non esset emissum. Quam esse communem sententiam tangit Nauar. in Enchir. *cap.* 12. *num.* 13. in quam aliquot Canonistas commemorat Sylvest. *Iuram.* 4. *quæst.* 8. & alios magno numero, Sanchez in seq. cap. 11. num. 41. Confirmatur vero: quia iuramentum nõ obligat extra intentionem iurantis, ex cap. Quintauallis & cap. Veniens, De iureiur. At intentio sic iurantis non est in eo casu, obligare se: vt argumento est, quod si rem sciret, nollet iurare nec se obligare. Deinde ex cap. Humanæ aures 22. quæst. 5. Deus acceptat iuramentum secundum intentionem eius qui bona fide iurat: non autem secundum intentionem eius qui iuramentum dolo extorsit. Adde quod ob tacitum dissensum animique auersionem iurantis, talis euentus censeatur prudenti iudicio, ab ipso exceptus. Hinc puella quæ dolo inducta a fratribus, hæreditati paternæ cum iuramento renunciauit, pro certa dote longe minus valente, non tenetur stare iuramento. Nec tenetur ille qui nuptias promisit puellæ putans eam esse virginem, & postea intelligit fornicatam fuisse: & sic de multis similibus casibus.

Circa quos aduerte, ad obligationem non sufficere, quod interueniat intentio iurandi: quoniam ad iuramentum validum non sufficit quæuis talis intentio: sed requiritur intentio iurandi illud in particulari, quod vi ipsius iuramenti est exequendum: quandoquidem actiones humanæ, in executione positæ, versantur circa particularia. Hoc etiam Suarez in eodem lib. 2. cap. 11. notat: pluribus de eadem re agens.

Excusantur adhuc ex hac parte ij, qui per violentiam 59.
iurant in materia matrimonii: quoniam matrimonium contractum per metum cadentem in constantem virum, quantumuis iuramento confirmetur, nullum est: vt notant Caiet. in verbo Periurium, & Sotus in 4. distinct. 29. quæst. 1. art. 3. ac Couarr. in Epit. 4. decretalium cap. 3. §. 5. num. 3. Et probatur ex cap. 2. De eo qui duxit in matrimonium. In aliis autem materiis, etiamsi iuramentum per metum emittatur, obligatorium est, vt habet idem Caiet. tractans prius citatum dubium secundum circa solutionem tertij argumenti: & communem doctorum sententiam esse per cap. Verum, De iureiur. habet Nauar. ad cap. Accepta, De restit. spoliatorum, oppositione quinta, num. 11. De qua re glossa ad cap. Authoritatem 15. quæst. 6. & late tum Suarez in præced. cap. 9. & 10. tum etiam Thom. Sanchez in opere Morali libr. 3. cap. 11. Ad illiusque confirmationem aperte facit, quod in cap. Si vero, De iureiur. determinatur: non esse negligenda eiusmodi iuramenta coacta: nisi seruata, vergant in interitum salutis æternæ.

Aduerte autem istud (iuramentum inquam metu extortum obligare) intelligendum esse, dummodo materia supra quam cadit capax sit obligationis: iuxta ea quæ dicta sunt in explicatione præcedentis difficultatis secundæ.

Aduerte secundo, eam talium iuramentorum obligationem esse sub mortali, ex Caiet. ad 2. 2. quæst. 89. art. 7. & Sylu. Iuramen. 4. quæst. 7. vers. 3. ac Couarruuia loco citato. Ratio vero est, quia iuramentum promissorium etiamsi metu extortum, verum iuramentum est: proindeque violatio ipsius, vt & cæterorum promissorium, in materia notabili, mortalis est.

Aduerte tertio, quod dicimus iuramentum metu factum obligare, intelligi debere non solum si leuis fuerit metus, sed etiamsi fuerit grauissimus, & cadens in cõstan-

tem virum: prout memorati authores volunt congruenter cap. Si vero & cap. Verum, De iureiur. ac etiam rationi. Cum enim ex iuramento duplex obligatio oriatur, vna homini cui iuratur, & altera Deo qui vocatur in testem: iuramentum quidem turpiter extortum, non obligat ex illa priore parte, quia nullum ius acquiritur per iniustitiam: ex hac autem posteriore parte obligat, quia iurans tenetur seruare Deo quod promisit per nomen ipsius, si id possit sine dispendio salutis æternæ. Hocque est, quod in cap. Debitores, De iureiur. significatur, cum de obligatione vsuras soluendi ratione iuramenti, dicitur: Si vero de ipsarum solutione iurauerint, cogendi sunt reddere Domino iuramentum.

60. Aduersari vero eidem doctrinę videri potest, quod votum (cum quo iuramentum tantam habet affinitatem, vt tanquam de rebus similibus quodnam eorum magis obliget quæratur à D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 8.) tali metu emissum, nullum sit, prout ostendit Sotus in 4. distin. 29. quæst. 1. art. 3. & in lib. 7. De iust. & iure quæst. 2. art. 1. & satis insinuare videtur Concilium Trid. sess. 25. c. 19. De Regularibus: & tractabitur in seq. nu. 216. 217. & 218. Sed sciendum est voti, & iuramẽti rationem in hac re diuersam esse: quod cum votum sit opus concilij, omninoq; liberum, cõsentaneum sit rationi, vt si volũtas necessitate imposita, ad illud compellatur, illegitimum reputetur. Iuramentum vero sit opus quod vsurpandum non est sine necessitate: & ad quod interdum homo tenetur, ac etiam impelli potest, iuxta antedicta in cap. 2. nu. 13. vnde factum est vt ecclesia ex bene conjecturata voluntate Christi, cui vota nuncupantur: recte decreuerit, ea metu graui extorta, esse nulla: quia Christus voluntarium sibi militem eligit, vt ex D. Ambrosio habetur in cap. Non est 15. quæst. 1. De iuramento autem noluit ita definire: tum propter ante propositã rationem, tum ne daretur occasio peierandi ac paruipendendi iuramenti religionem: sed voluit potius vt non aliter contra iuramenta, metu etiam graui extorta, venire liceret: quam si prius relaxatio eorum obtenta esset.

Cui doctrinæ congruenter statuitur: quod si quis latroni aut alteri metum iniuste incutienti, iurauerit se certam pecuniæ quantitatem daturum, tenebitur id præstare. Id quod post D. Thomam 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 3. habent Caiet. ibidem, Sotus libr. 8. De iust. & iure quæst. 4. art. 7. circa 3. argumentum, Sylu. Iuramentum 4. quæst. 1. Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 24. & cum eis recentiores communiter. Quamquam tamen eiusmodi est obligatio ea: vt cum in illius adimpletione reuera detur turpitudo ex parte recipientis, ipsaque receptio sit iniusta: fateri oporteat, quod si qua ratione posset tali delicto legitime obuiari, id omitti non debeat. Vnde si iurans possit prius à iuramento absolutionem obtinere: vel per fraternam correptionem possit prædonem auertere ab ipsa receptione, efficereque vt relaxet sibi iuramentum (ad quam relaxationem ipsum cogi posse non modo ab Ecclesiastico sed etiam à laico, ostendit Suarez in memorato lib. 2. cap. 39. num. 4. & 15.) id non erit prætermittendum, tanquam non modo sibi vtile, sed etiam salutare proximo.

61. An autem obligatio iuramenti extorti metu, sit sub mortali: ita vt ei qui per metum grauem compulsus iuramento aliquid promittens, peccet mortaliter si id non præstet: sicut peccaret si talis metus non interuenisset: an vero metus illum à mortali excuset, dubium est. Nam Angelus Iuramentum 5. num. 11. & in verbo Periurium nu. 7. sequutus Petrum Aureolum, & quosdam Canonistas ad cap. Verum, De iureiur. putat peccare solum venialiter. Caiet. vero, Sylu. Sotus & Nauar. locis cit. peccare mortaliter eum qui tale iuramentum transgreditur, si nihil nisi metus, ipsum excuset à graui iniuria, quæ infertur Deo, transgrediendo iuramentum: atque iurauerit secundum mentem illius qui iuramentum extorquebat. Quod addo, quia si is qui iurauit metu graui compulsus mentem habuerit diuersam à mente illius, qui ipsum iniuste compulit: ad nihil amplius tenetur, quam ad id quod intellexit: vt iidem authores annotant: & patebit per post dicenda num. 90. & 91. de iuramento promissoris quod sit verbis ambiguis.

Cæterum facta iam solutione, istud remedium soluenti suppetit ad suum recuperandum: vt id quod soluerit ad iuramentum implendum, repetat in iudicio: prout iuste potest ex D. Tho. in cit. art. 7. ad 3. Neque in eo putandus est iuramento præstito contrauenire vllo modo: cum iurauerit quidem soluere, non tamen non repetere illud, quod in solutionem dederit.

Porro de eo quod quæri potest, An is qui iureiurando promisit se rediturum in carcerem, teneatur redire si carcer sit iniuriosus (vt Tyranni vel Iudicis non competentis, aut non procedentis secundum iuris ordinem) & rediens sit iniuste plectendus morte. Nauar. in Ench. c. 12. nu. 18. & Couar. in lib. 1. variarum resolut. cap. 2. num. 7. authores in vtramque partem referunt: negantemque sequuntur: & nos innixi ipsorum authoritate sequi possumus in praxi: prout fatetur Leonardus Lessius De iustitia & iure lib. 2. cap. 42. dubit. 6. etiamsi contrariam putet esse magis consentaneam rationi: quod relinquimus scholasticis Theologis discutiendum. Videri possunt Suarez in citato lib. 2. cap. 10. num. 10. & sequentibus: & Sanchez in opere Morali cap. 11. à num. 25.

Difficultas quinta, Quomodo ob relaxationem, obligatio iuramenti promissorij cesset, ita vt possit citra peccatum non impleri.

QVinque modis relaxari potest iuramentum promissorium, primo renunciatione, secundo remissione: ille enim cui factum est iuramentum potest tum ei renunciare, nõ acceptando illud: tum ipsum remittere, hoc est, post factam acceptationem: illud quod promissum est sub tali iuramento, vel gratis, vel in aliquid aliud commutatum, condonare. Tertio irritatione. Superioris enim præiudicantia iuramenta suorum inferiorum irritare possunt: nempe patres, filiorum: mariti, vxorum: domini, seruorum: Prælati, suorum Religiosorum iuramenta de iis emissa in quibus hi illis subiiciuntur: prout notat Angelus *Iuramentum* 5. §. 22. *in fine* post D. Thomam 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *item in fine.* Quarto, potest iuramentum promissorium relaxari commutatione rei, super quam emissum est, in aliquam aliam. Quinto, & postremo dispensatione legitima Superioris.

Quod igitur attinet ad renunciationẽ & remissionem: 62.
de proposita difficultate statuitur, quod si pars in cuius fauorem iuramentum emissum est, ipsum relaxet, eum qui iurauit, sine peccato illud non implere. Ita sentiunt post D. Thomam 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 2. Caiet. ibidem & in verbo Periurium, ac Sotus *lib.* 8. *De iust. & iure quæst.* 1. *art.* 9. atque Medina *Cod. de restit. quæst.* 3. *causa* 2. aliique communiter. Et probatur aperte: quia promissio in alterius fauorem cum iuramento facta iudicatur adimpleta, aut potius vires amittere (per subtractionem scilicet materiæ) quando ipse libere remittit promissum. Adde quod non sit actus virtutis, sed potius prodigalitatis dare ei qui accipere renuit: quodq; in promissione subintelligatur tacita conditio, nisi is cui fit, renuat: præsertim cum iurans non intendat inuitum cogere ad beneficium acceptandum, aut volenti obtrudere illud.

Sed obiici potest aduersus eam doctrinam: quod in hu- 63.
iusmodi iuramento duplex detur obligatio: altera parti cui fit promissio: & altera Deo: ideoque licet à parte remitti possit obligatio sibi per iuramentum acquisita: non possit tamen acquisita Deo. Respondetur, iuramentum promissorium factum præcise in fauorem partis, in Deum dirigi solummodo vt in testem promissionis, qua iurans adstringitur alteri: ita vt ea ex parte non censeatur Deo ipsi iniuria fieri, nisi quando fides frangitur homini, cui facta est promissio iurando, seu Deo ipso in testem vocato. Quocirca si homo ille obligationem remittat: Deus quoque illam remittere existimandus est: prout aliis citatis notat Couar. in Epitome 4. Decretalium prima parte cap. quinto in principio.

Verum ne in hac re decipiamur nonnulla notanda sunt. Primum est, quod si iuramentum alicui, vel ob alicuius beneuolentiam sit factum de re ad honorem Dei

perti-

pertinente (vt si quis iuret alteri se religionem ingressurum, vel facturum aliquod opus pietatis, vt se datorum eleemosynam; vel non facturum opus malum, vt non falsificaturum merces) non esse eidem alteri licitum, tale iuramentum relaxare ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 2. Soto in 8. De *iustitia & iure quæst.* 1. *art.* 6. Angelo *Iuramentum* 6. §. 2. ac Sylvest. *Iuramentum* 5. *quæst.* 8. plurimisque alijs quos in opere Morali Sanchez citat libr. 3. cap. 20. numer. 5. Et ratio est: quia tunc promissio non est facta illi principaliter, sed Deo. Quod tamen intellige, dummodo interpolita non fuerit conditio, ratione cuius ille possit tale iuramentum relaxare: qualis censetur, cum quis alteri iurat se intraturum religionem, si eidem videbitur: vel alia similis: vt D. Thom. Sylvest. & Sotus ibidem addunt.

Secundum est, *quod Angelus in citato* §. 2. *habet*: non posse iuramenta promissoria remissione relaxari, quando facta sunt simpliciter super aliquo faciendo vel non faciendo, quod non pertinet ad eum cui iuratur: vt si quis dicat alteri, Iuro tibi quod negotiabor, vel quod nō faciam amplius talem artem: neque interest illius cui iurat, an hoc faciat vel illud omittat.

Tertium est, quod Suarez habet in memorato libr. 2. cap. 39. num. 6. obligationem promissionis iuratæ, factæ Deo, & propter ipsius honorem principaliter: ita tamen vt sit omnino in beneficium & vtilitatem hominis: non tolli per nudam remissionem eius, cui res promissa debetur: alias cupientis illam accipere. Ratio est, quia talis obligatio non est contracta respectu talis hominis, sed Dei: cui proinde satisfaciendum est, reddendo verum quod sub ipsius testimonio affirmatum est: sicut fieri potest nihil obstante nuda remissione: quando quidē eam faciens, libenter acciperet rem promissam: prout merito supponitur de eo qui non ostendit se ita affectum, vt nolit rem promissam accipere. In iuramentis igitur de operibus (vt idem author ibidem habet) quæ fiunt intuitu Dei ad modum veterum, non sufficit vt illi ad quos spectat eorumdem operum vtilitas, dicant se remittere obligationem: sed requiritur vt nolint recipere quod iuratum est.

64. Quod attinet ad irritationem, commutationem & dispensationem: de proposita difficultate statuitur: per eas iuramentum promissorium relaxari eadem ratione qua votum, vt in cit. art. 9. D. Thom. & Caiet. expresserunt. Ratioque est: quia votum est maioris obligationis quam iuramentum: vt D. ipse Thomas docet in præced. art. 8. Quare sicut voti obligatio potest à Superiore relaxari irritatione commutatione, & dispensatione, prout ex professo postea ostendendum est cap. 21. 22. & 23. potest & obligatio iuramenti. Quaquidem relaxatione per Superiorem legitime facta, iuramentum ipsum absque peccato non seruatur: cum inde cesset illius obligatio, prout expressit Caiet. in verbo Periurium in fine. Et ratio est: quia in iuramentis intelligitur excepto Superioris iure, ex cap. Venientes, De iureiur. De qua materia plenius Angelus Iuramentum 6. Sotus lib. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 9. Sylu. Iuramentum 5. & Couar. ad cap. Quamuis pactum. 1. par. §. 3. & late Suarez in eodem memorato lib. 2. cap. 38. & sequentibus, ac Sanchez in memorato antea cap. 20. Ad vitandam autem prolixitatem nimiam contenti erimus documenta aliquot ex ipsorum doctrina sumere: quæ in promptu habita, censeri possunt sufficere pro communi praxi nobis proposita.

65. Primum est, Iuramenti assertorii obligationem immutabilem esse, nec posse vlla relaxatione tolli: quod Couar. num. 3. recte probat, quia est de actu, qui non mutatur: vt-pote iam præterito. In hoc omnes doctores conuenire habet Sylu. loco cit. quæst. 2. Quod tamen ita intelligendum est, vt nihilominus Pœnitens de eo violato contritus, possit talis peccati, sicut cæterorum suorum, absolutionem à legitimo Confessario accipere.

66. Secundum est, Ex eo, quod iuramentum intelligendum sit salue, vt ante habitum est, iure Superioris: consequens esse, vt illius vinculum auferri possit per eum ad cuius pertinet id, de quo iuratum est. Eo enim ipso obligationi talis iuramenti locus esse desinit, quo ille non habet idipsum ratum, eique contradicit: quandoquidem Superiori non esset alioqui saluum suum ius, sed ei præiudicaretur. Sic igitur, quando ille qui iurauit non habet liberam potestatem disponendi de re, quam sub iuramento promisit, tanquam de ea quæ est sub dominio, aut principali administratione alterius: iste alter ob tale suum ius, potest irritare eiusmodi iuramentum. Item si quis actiones suas sic habeat dependentes ab alterius voluntate, vt nequeat de eis licite disponere sine illius voluntate, promittatque sub iuramento aliquas suas operas: irritari potest tale iuramentum ab illo à quo talis promittens pendet in suis actionibus. Sic docens in cit. cap. 38. numer. 3. Suarez: addit consequenter Papam multa iuramenta personarum Ecclesiasticarum posse ea de causa irritare, tanquam facta de rebus vel actionibus, quæ iuri, liberæque dispositioni ipsius subsunt. Posse item Principem laicum iuramenta quæ iuri ipsius vel dominio præiudicant: aut quæ publica necessitas exigit, cōdonatione relaxari. Ob illam enim, cum opus fuerit, priuatus potest à suo Principe priuari proprio iure. Posse præterea patrem filij: virum, vxoris: & dominum, serui legalis, iuramenta irritare: cum fuerint facta de ijs quæ præiudicant ipsorum dominio seu potestati. In quibus idem Suarez addit omnes consentire cum D. Thoma 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 9. *ad* 3. Et merito: quia nituntur fundamento satis claro, de quo pluribus postea, cum de voto.

67. Tertium est, Licitum esse id quod iuramento promissum est, mutare in melius bonum, ex cap. Peruenit 2. De iureiur. idque propria authoritate tanquam magis placitum Deo: nisi concernat alterius vtilitatem: quia tunc requiritur consensus illius, cui iuramētum ipsum præstitum est: aut nisi concernat Dei honorem, quia tunc Papæ aut Episcopi authoritas requiritur, si vel dubium sit, an illud in quod fit mutatio sit bonum maius: vel euidens sit quidem, sed eiusdem maioris boni executio nō impedit, quin illud etiam quod iuratum est possit executioni mandari: vt si iurasti ire ad Sanctum Claudium, non potes propria authoritate peregrinationem mutare in peregrinationem Laureranam, si vna non impediat, nec turbet sic alteram, quin vtramque succedere saltem, possis implere. Ita Sylvest. loco cit. quæst. 6. notat ex Panormitan. Deque tota ea re late differit Suarez tractatu 5. De relig. libr. secundo, cap. 12. & 13. legendus à non fastidiente prolixitatem.

68. Quartum est: commutare iuramentum, quod aperte non est maioris boni impeditiuum, aut in eo dispensare solius Papæ esse, ratione totius Ecclesiæ: vel Episcopi, ratione suæ diœcesis: non item alterius: nisi ad id acceperit ab illis potestatem: siue ordinariam, qualem ex communi sententia, *prout Suarez testatur in seq. cap.* 41. *num.* 12. censentur habere Prælati: quorum officio, authoritate Apostolica, annexa est Episcopalis iurisdictio in suos subditos: siue extraordinariam, qualem habent Confessarii nonnulli ex delegatione Papæ. Difficultas est vero, num Confessarii, qui ex potestate delegata commutant vota, possint pari ratione iuramenta commutare. Cuius pars negans cum Azorio in 1. par. Moral. Instit. lib. 11. cap. 10. quæst. 2. post Nauarr. in Enchir. cap 27. num. 275. videtur sequenda, tanquam magis conformis stylo Romanæ curiæ: cum in hac soleat cōcedi potestas commutandi iuramentum, tanquam speciale priuilegium.

Quintum est, *quod in cit. art.* 9. *circa* 3. *argumentum bene tractat Sotus*: Episcopum quidem, quantum ad rigorem rationis & iuris, habere potestatem dispensandi in omni iuramento, quod Papæ reseruatum non sit: quandoquidem tantam ille facultatem habet in omnia iuramenta, quantum in omnia vota, quæ non sunt expresse reseruata: *cum maius sit horum, quam illorum vinculum.* Nihilominus quantum ad æquitatem & congruitatem quandam, res magis arduas, seu in quibus difficilior est dispensatio, & an sit in eis dispensandum maxime dubitatur: solere ad Papæ tribunal deferri, iuxta illud quod in cap. Maiores, De baptismo & eius effectu habetur: ad ipsum causas maiores esse referendas.

Porro iuramenta Papæ reseruata censentur (de qua re late

late Suarez in eodem lib. 2. cap. 40.) ea quæ facta sunt in eadem materia, in qua vota reseruata, quæ commemorantur in Extrauag. vltima communi De pœnit. & remiss. nempe perpetuæ continentiæ, religionis, peregrinationis ad loca sancta in Ierusalem, peregrinationis ad limina SS. Apostolorum Romæ, & peregrinationis ad S. Iacobum in Compostella. Quibus Azorius addit *in præced. cap. 9. quæst. 4.* tum ex Soto *in cit. art. 9.* iuramenta super statutis Collegiorum seu Academiarum, atque Ecclesiarum, quorum dispensationes Papa sibi reseruat: tum ex Panormit. ad cap. Quanto num. 8. De iureiurando: iuramenta quibus se obstringunt insignes viri: puta Imperator, Reges, Duces, & alij, præsertim habentes supremam iurisdictionem in temporalibus, Episcopi item, aliique superiores Ecclesiarum Antistites.

69. Sextum est multorum nobilium authorum, *quorum meminit Couarr. in ante memorato* §. 3. *sub finem num.* 4. neminem in iuramentis, vt nec in votis posse dispensare absque causa legitima. Quod tamen intelligi debet distinctione adhibita. Nam *vt ex Panor. Syluester habet iuramentum* 2. *quæst.* 2. Quando iuramentum promissorium fuerit ab inferiore præstitum in materia principaliter spectante ad Papam: siue, *vt Couarr. habet in seq. num.* 5. pertinente ad liberam Papæ dispositionem, qualis est beneficiorum Ecclesiasticorum: potest idem Papa in illo dispensare, illudne irritare pro arbitrio: ac sine causa: quia ipsum sic præstitum fuit, vt excepta intelligeretur eiusdem Papę authoritas, iuxta cap. Venientes, De iureiur.

Cum vero præstitum fuerit iuramentum in alia materia: si ea est ad honorem Dei principaliter, vt eleemosyna pro Ecclesiæ fabrica, vel religionis ingressus: tunc ad dispensandum necessaria est iusta causa, qualis censetur: tum scandalum vitandum, tum maior vtilitas emanatura ex dispensatione: tum etiam quæcumque alia: arbitrio Superiorum dispensantium diiudicanda. Sin autem ea sit ordinata ad alicuius proximi vtilitatem: vt eum alicui præstitum est iuramentum super aliquo contractu, aut conuentione, ne Papa quidem potest tunc dispensare, nisi de illius cui iuratum est consensu: quia nemo potest alteri debite inuito nec consentienti, rem suam auferre: cum id sit contra ius naturæ. De qua re Sotus loco citato & Suarez pluribus in seq. cap. 41. & Sanchez in operę Morali lib. 3. à num. 13. Qui etiam (sicut & Couar. in citato num. 5. vers. 9.) referunt duos casus in quibus iuramentum relaxati potest sine consensu eius cui præstitum fuerat: quia ita expedit ad vtilitatem reipublicæ.

70. Prior est, quando is cui iuratum est, censetur tali pœna puniendus ob aliquod crimen suum: tunc enim Superior potest efficaciter subtrahere materiam talis iuramenti: siue creditori, *pro ea quam in illum habet eminenti potestate*, præcipiendo vt in eo cedat suo iuri: vel per seipsum immediate, condonando tale ius debitori, vel eidem imperando vt non faciat quod iurauit: si quidem ipsum etiam ita subditum habeat, vt iuramentum ipsius relaxare possit. Qua ratione ab Ecclesia iuramentum fidelitatis excommunicato vel hæretico præstitum relaxatur, 15. quæst. 6. cap. 2. & sequentibus. Posterior casus est, quando Iuramentum fuerit vi, metu (etiamsi leui, dummodo sit cum graui iniuria: vt Suarez numer. 19. docet) vel fraude, dolove extortum, ex cap. Abbas, De iis quę vi, & cap. Si vero, & cap. Verum De iureiurando.

71. Septimum documentum est, iuxta D. Thomam 2. 2. *quæst. 89. art. 9. ad* 3. quando aliquid sub iuramentum promissum fuerit, quod est manifeste licitum & vtile: dispensationem vel commutationem non habere locum in tali iuramento, nisi aliquid melius seu conducibilius ad communem vtilitatem occurrat faciendum.

Octauum est, *quod late tractat Suarez in eodem cap. 41. sub finem*, quod quis iuramentum violauerit, peieraueritve non implendo promissum in termino præstituto, non obstare quominus illius relaxatio fieri possit: quia per pœnitentiam deleri potest illa culpa, & petitio relaxationis esse rationabilis, ob periculum relabendi in periurium: neque is cui iuratum est, ex illo periurio admisso, amittit ius quod habet condonandi quod sibi promissum est: neque etiam Superior amittit ius, quo potest iuxta antedicta iuramentum ipsum relaxare.

Postremi documenti loco addere possumus *ex Soto loco cit.* quod legitima dispensatio possit esse vbicumque ea in bonum commune cedit, nisi iniuria fiat tertiæ personæ. Id quod locum habere existimarim, etiamsi quis iuret se non petiturum iuramenti dispensationem, nec se vsurum illa. Nam vbi ratio plene exegerit, is quoque potest rem totam patefacere Prælato, qui si dispensare voluerit, ipse poterit tali dispensatione vti: quoniam eiusmodi iuramenta sunt stulta & futilia: vtpote facta contra iuramenti naturam, quæ talis est, vt non adeo adstringat, quin iusta de causa possit vinculum illius, Papæ vel Episcopi authoritate relaxari. 72.

CAP. V.

De periurio generaliter.

SVMMARIVM.

73 *Periurium dicitur tum proprie, tum generaliter, seu vt non tantum complectatur iuramentum in quo veritas deficit: sed etiam illud in quo iustitia aut iudicium.*

74 *Periurium proprie dictum peccatum est mortale suo genere.*

75 *Explicatio difficultatis, An liceat iuramentum exposcere ab eo qui existimatur peieraturus.*

76 *Non licet priuata authoritate.*

77 *Tres pœnæ peieranti constitutæ ab Ecclesia.*

DE IVRIVM proprie, nihil est aliud, quam iuramentum falsum, id est, cui veritas deest, vt ostendit Caiet. 2. 2. *q.* 98. *ad art.* 2. & 3. Generaliter autę à nobis hic accipitur, cum D. Tho. *in ead. quæst. art.* 1. & *Soto li.* 8. *De iust. & iure q.* 2. *art.* 1. nempe vt complectatur etiam iuramentum cui deest vel iustitia vel iudicium, indeque est illicitum iuxta antedicta in cap. 2. nu. 15. Qua lata acceptione D. Hieronym. ad 4. cap. Ierem. (quod refertur 22. q. 2. c. 2.) sumpsit periurium: ita tamē vt illius rationem voluerit certo ordine participari, vt D. Tho. ibid. in solutione primi argumenti declarat, & latius tractat Suarez De religione tract. 5. li. 3. c. 2. nempe vt primo & principaliter periurium sit, quando deest veritas: secundo loco vero, quando deest iustitia: & tertio loco quando deest iudiciū. Nam primus horum defectuum, falsitatem formaliter continet, vt manifestum est: secundus vero, eam continet virtualiter solum, id est, non alio nomine, quam quod is qui sine iustitia iurauit, vel teneatur falsificare iuramentū: si quidem iurauit aliquid illicitum: vel certe non cogatur ei stare, si rem indifferentem iurauit: Tertius autem eam continet tantummodo potentialiter, id est, hoc tantum nomine, quod qui indiscrete iurat, eo ipso se committat periculo iurandi falsum. Qua de causa, iuramētum etiam super veritate factum sed sine necessitate, vitandum est ex Caiet. *verbo Periurium in fine:* etiamsi, vt ille addit, tunc sit peccatum tantum veniale. 73.

Cæterum periurium ex suo genere peccatum esse mortale D. Thomas in seq. art. 3. probat ex eo, quod de sui ratione importet Dei contemptum: & ideo peccatum sit ex diametro oppositum, ac repugnans reuerentiæ Deo debitæ. Sed quomodo id sit absolute verum, non modica difficultas est: quam tractant Caiet. ibid. & Sotus in cit. quæst. 2. art. 3. Nobis sufficit pro praxi id non adeo verum esse, quin dentur multi casus, in quibus periurium in lata sua significatione sumptum, peccatum est solummodo veniale, prout in particulari docebitur in sequen. capitibus. Et ita quod Sapient. 14. vers. 25. periurium numeratur inter grauia peccata orta ex idololatria, intelligendum est de periurio quo mendaciter in nomine Domini iuratur: à cuius peruersitate tanquam mortali cauendum esse, indicant verba peccantis Prouerb. 30. Tribue tantum victui meo necessaria, ne forte satiatus aliciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei. Id est, 74.

ne ege-

ne egestas sit mihi occasio dicendi, iurandique falsum. Indicat etiam maledictio ac grauis pœna, quam Deus Ieremiæ 5. vers. 4. minatur iuranti in nomine suo mendaciter.

Explicatio difficultatis, An liceat iuramentum exposcere ab eo qui existimatur peieraturus.

75. DIfficultas hic occurrit tractanda, An peccatum sit exposcere iuramẽtum ab eo quem scias commissurum esse periurium. De quare statuendæ videntur sequentes propositiones.

Prima est, petere iuramentum ab eo quem nescis, iuraturum falsum, nullum peccatum esse. Hanc ex D. August. habet D. Thomas 2.2. quæst. 98. art. 4. Et probatur: quia eo ipso, quod nescio aliquem peccaturum, præsumere possum, *immo & debeo*, quod sit recte facturus id, quod sine peccato fieri potest. Cui præsumptioni si in hac re locus non esset, vix liceret ordinarie petere ab alijs iuramẽtum: quod est contra communem vsum ac sensum hominum. Intelligenda est autem, dummodo adsit necessitas notabilisve vtilitas aliqua petendi: cum constet non esse absq; necessitate iurandum. Neque petatur iuramentum, quod sine iniustitia vel turpitudine præstari nequeat, aut quod sine falsitate aut illius probabili periculo præstari non possit: vt si quis inducatur ad affirmandum sub iuramento id, quod scit non ita esse: aut ad negandum id, quod scit ita esse: aut ad iurandum definite ac tanquam certum illud quod nescit. Nam quia nullo talium modorum licite iurari potest: nec etiam talis petitio potest sine peccato fieri, cum ordinetur ad peccatum. Videri possunt Suarez in eodem lib. 3. cap. 14. num. 2. & aliquot sequentib. ac Sanchez in opere morali lib. 3. cap. 8. à num. 5.

76. Secunda propositio est: exigere priuata authoritate iuramentum ab eo quem scias peieraturum, peccatum esse. Hæc est D. Thomæ ibid. & cum eo Soti in 8. De iust. & iure quæst. 2. art. 4. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 20. atque aliorum plurium quos commemorant Suarez in sequenti num. 10. & Sanchez in præcedenti num. 2. Probatur vero manifeste: quia cum in ea re iuramentum deferendo, illicita occasio peierandi offeratur, sane inique agitur: adeoque peccatum mortale committitur, vt præter Nauar. expresserunt Angelus & Sylu. post citandi. Et confirmatur per cap. Ille qui, 22. quæst. 5. cum dicitur, Ille qui hominem prouocat ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam.

Quod si obiicias licitum esse (iuxta antedicta in appendice ad 2. caput) iuramentum petere ab eo quem scias iuraturum quidem verum, sed per falsos Deos, atque adeo peccaturum. Respondetur disparem esse rationem: quia in iuramento quod petitur ab infideli, *verum (vt supposito est) iraturo*, locus esse potest iustæ causæ siue necessitatis siue notabilis vtilitatis sufficiẽtis ad ipsum cohonestandum ex parte exigentis: cum sit aptum confirmare veritatem datæ fidei homini ab homine. In eo autem iuramento quod petitur à fideli, qui probabiliter creditur peieraturus, cum consequenter credendum sit tale nihil valiturum ad humanam fidem firmandam (quod per ipsum prætenditur) sane scandali vitium is incurrit, qui illud tunc exposcit, neque excusari potest tanquam vtens suo iure: quia in periurio nihil inest boni, quo vti possimus, præsertim ad finem cuius gratia petitur iuramentum: qui est confirmatio veritatis fidei datæ homini ab homine. Periurium enim non confirmat veritatem, sed potius falsitatem. Quade re pluribus Suarez in eodem cap. consequenter.

Tertia propositio est, *quam idem ibidem num. 14. habet*, quoties iuramentum petitur sine vtilitate notabili, & alias scitur aut vehementer presumitur, quod ille à quo petitur peierabit, mortale peccatum committi. Ratio est: quia sine rationabili causa datur proximo ruinæ occasio, quæ ex charitate remouenda fuisset aliunde oblata. Hincque patet, merito statutum esse in cap. Clericos De cohabit. Clericorum & mulierum: ne Clericis cõcubinatiis iuramentum deferatur de non redeundo ad concubinas: cum vehemens præsumptio sit, quod non stabunt iuramento. Consequens est pariter male facere Cõfessarios qui compellunt pœnitentes iurare se non commissuros denuo delicta in quæ facile labuntur. Id quod notant Angelus Iuramentum 3. §. 11. & Sylu. Iuramentum 2. q. 9. ac Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 20.

Qui etiam addunt, quod si is qui scitur peieraturus sponte se offerat ad iurandum, & adsit rationabilis causa recipiendi iuramentum (qualis esse potest, vt superinito contractu cogatur à Iudice, præstare illud ad quod tenetur) eum qui tale iuramentum recipit, non peccare: quia non dat scandalum seu occasionem peccandi: sed solum bono aliquo fine, & vrgente necessitate graui, permittit à parato peccatum committi: nimirum vt euadatur iniuria alioqui perferenda, iusque obtineatur in re notabili. Nam & Deus ad bonos fines multa mala permittit: licitumque est famuli aut filii furtum permittere, vt ipsorum indolem explores, ipsosque corrigas, ac in posterum tibi ab illis caueas. Addit quoque Suarez in eodem cap. numer. 16. posse in eiusmodi casu peti iuramentum à tali. Id quod putarim limitandum primo, vt debeat fieri sola propositione nuda propriæ voluntatis, quia optas vt ipse iuret, ac sine admixta inductione: perinde ac cum solutio futura vsurarum proponitur vsurario, declarando ei voluntatem propriam, mandandi illam executioni: si mutuum aliter ab eo obtineri nequeat. Secundo vero, vt tales circumstantiæ debeant concurrere, vt quantumcumque iuramentum sit falsum: ipsum tamen valeat ad id quod prætenditur: vt ad compellendum in foro externo, stare contractui, eum ipsum qui confirmauit illum iurando mendaciter.

Nota autem, *quod alijs citatis Sanchez habet in fine memorati cap. octaui*, non esse licitum ad iurandum falsum, ob aliquam vtilitatem inducere eum qui bona fide existimabit se iurare verum. Nam etiamsi ignorãtia possit talem à peccato excusare, non excusabitur tamen illum inducens, vtpote qui procurat scienter Deum aduocari in testem falsitatis, in quo illum afficit graui iniuria.

Tertia propositio est, Publicum Iudicem nullum peccatum committere, cum iuramentum exigit ab eo quem scit peieraturum: dummodo id ad partis instantiam faciat, seruato iuris ordine. Hæc est D. Thomæ 2.2. quæst. 98. art. 4. & cæterorum memoratorum, ac Couarruuiæ ad cap. Quamuis pactum 1. par. §. 6. nu. 2. in fine plurimorumque aliorum quos refert Sanchez in eodem cap. 8. nu. 2. Probatur vero: quia cum faciens quod lex præcipit, quodque incumbit illi ex officio, non censetur delinquere. Quare in casu huius propositionis Iudex cum seruet legis præscriptum, iurisque ordinem, prout incumbit ei ex officio non est dicendus peccare. 77.

Neque est quod obiicias, non peccare quidem faciendo opus de se prohibitum: peccare tamen, tali opere inducendo alium ad peccatum periurij. Nam tale pendet solum ex malitia peierantis: non autem ex iuramenti ex actione legitima per Iudicem, qui non debet sequi priuatam scientiam, sed publicam: ex præscripto iuris adhibendo ea quibus solet elici veritas, *inter quæ ponitur petitio iuramenti*, ne iustam occasionem det scandalo publico: quod illi cauendum est magis, quam spiritale detrimentũ vnius priuati. Sic enim probatum reum afficit extremo supplicio, quidquid ille sic impatiẽter id ferat, vt nullatenus pœnitere velit. Quod autem in contrarium D. Aug. dicere videtur, *prout refertur in cap. Qui exigit, 22. quæst. 5.* non spectat huc: quia intelligendum est, non de Iudice: sed de priuata persona iuramentum exigente. Concedendum est tamen, quod Iudex quantum potest saluo officio suo, debeat efficere ne ad huiusmodi iuramentum præstandum deueniatur.

Cæterum quod addit Suarez in fine eiusd. cap. 14. satis de se patet: licere inquam, exigere iuramentum ab eo qui verum iuraturus probabiliter creditur: si quidem iusta causa adsit exigendi: talisque exactio fiat simplici petitione, dato quod exigens nullam iurisdictionem habeat, qua possit per præceptum, cogere alterum ad iurãdum. Quod si iurisdictionem habeat, vt pater in filium: Prælatus in subditum: ipsa iuramenti exactio fieri poterit per coactionem,

nem, potestati exigentis proportionatam: precepto imposito quod obligabit in conscientia, iuxta illud ad Romanos 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, damnationem sibi acquirunt.

Pœnæ periurii constitutæ ob periurium.

78. POrro grauissimum peccatum esse periurium (quod pluribus Suarez tractat in præced. cap. 3.) indicant pœnæ ob ipsum periurii constitutæ: quæ sunt: iure quidem diuino. Tum reatus æternæ mortis, cum sit transgressio vnius ex præceptis, de quibus dictum est à Domino Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Tum maledictio, seu afflictio in temporalibus: quam Deus apud Zachariam in cap. 5. minatur venturam ad domum iurantis in nomine suo mendaciter, & commoraturam in medio domus eius: & consumpturam illam, & ligna eius, & lapides eius.] Quo etiam pertinere censeri potest illud Ecclesiastici 23. Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.

Iure autem Canonico quatuor habentur constitutæ. Prima est (quæ iam relinquitur Confessarij arbitrio) vt pro ea iniungeretur eadem pœnitentia, quæ pro fornicatione, aut adulterio, aut homicidio voluntarie commisso, ex cap. fin. 21. quæst. 1. Eratq; eiusmodi pœnitentia ex cap. Quicumque, 6. quæst. 5. & ex cap. 1. aliquotque sequentibus, 22. quæst. 5. quod qui peierauerat, deberet & ieiunare in pane & aqua quadraginta diebus, si erat liber: sin erat seruus, debebat ieiunare tres Quadragesimas: & deinde septé annis agere pœnitentiam, nec vnquam admittebatur ad communionem nisi in hora mortis.

Secunda est: vt priuetur beneficijs qui peierat: nempe si electus est ad beneficium, non confirmetur: sed irritetur ipsius electio. ex cap. finali De iureiurando in 6. Sin iam habeat beneficium, priuetur illo ex cap. Querelam, extra eod. titulo. Nec tantum priuandus est omni beneficio. sed etiam debet inhabilis reddi ad omne beneficium obtinẽdum in posterum, ex proxime seq. cap. Tua nos. Veruntamen pœnæ istæ non incurruntur ipso iure: sed sunt per sententiam Iudicis imponendæ, prout ostendit Suarez in eod. lib. 3. cap. 20. à num. 5.

Tertia pœna est, quod peierans si falsum iuret & notorius sit, efficiatur infamis ipso iure: ex cap. Infames, 6. q. 1. De qua pluribus Suarez, legendus ibid. à nu. 7.

Quarta pœna est, vt periurus non admittatur ad ferendum testimonium, ex cap. Quicumq; 6. quæst. 1. & ex cap. Paruuli 22. quæst. 5. Immo quantumuis in reliquis peccatis, quæ faciunt hominem infamem, peccator post peractam pœnitentiam, & emendationem vitæ, *cessante iam infamia*, admittatur ad testimonium: periurus tamen nullo vnquam tempore admittitur: prout habetur ex cap. Testimonium De testibus & attestat. Per quod, vt ostendit Suarez in eodem cap. num. 19. non imponitur periuro obligatio in conscientia ad abstinendum à iurando in posterum, etiam in iudicio: sed solum pœna: vt si ad iurandum accedat, possit repelli per exceptionem vel accusationem: præsertim, *vt idem num. 20. addit*, cum periurium fuerit commissum in iudicio, aut in pacto vel promissione solemni (nisi per metum aut aliquam iniuriam extortum sit) aut ab eo qui publica infamia laborat, quod soleat peierare.

CAP. VI.

De periurio assertorio.

SVMMARIVM.

79 *Periurium assertorium est peccatum mortale, à quo nihil excusat nisi defectus plenæ deliberationis.*

80 *Quod verum est de quocumq; iuramento, quo falsum iuratur: aut verum quidem, sed existimatur falsum.*

81 *Quid sit sentiendum de eo, qui iurat illud de quo incertus est, aut quod existimat verum esse, cum sit falsum.*

82 *Difficultas de iuramento falso, quod per inaduertentiam profertur: an excusetur à mortali.*

83 *Aduertens ad iuramentum, sed non ad dictum falsum: aut contra ad dictum falsum: sed non ad iuramentum, excusari potest à mortali per inaduertentiam.*

84 *Consuetudo iurandi ex se non est, nec facit esse peccatum mortale.*

85 *Consuetudo iurandi non obstat quin peierans inaduertenter, excusetur à mortali.*

86 *Duo casus excepti.*

87 *An per consuetudinem iurandi constituatur quis in statu peccati mortalis, & quid sit sentiendum de iuramento assertorio, quo vere quidem iuratur, sed de re vana aut mala.*

PERIVRIVM assertorium dicitur, quo mendacium iuramento asseritur: falsum videlicet affirmando, aut verum negando. Quod esse peccatum mortale constat ex D. Thomæ doctrina, proposita in præcedenti num. 74. Idque verum est in quacumque materia, quacumque de causa, & sub quacumque forma iuretur: prout constat ex Bulla Martini quinti quæ habetur in fine Concilij Constan. expresserunt que Sotus *lib. 8 De iust. & iure quæst. 2. art. 3. conclusione 2.* & Caiet. in verbo Periurium, ac Nauarr. *in Enchir. cap. 12. num. 5.* & communem certamque sententiam esse, eosdem ac alios in eam referens, notat Suarez *in eod. lib. 3. cap. 4. nu. 2.* Adeo vt, *addit ibid. Caiet.* nulla in eo admittatur excusatio, nisi ex imperfectione deliberationis seu aduertentiæ, quam in præced. lib. 15. sub initium cap 2. ostendimus à mortali excusare. Itaque, *vt ait ibidem Sotus*, siue parua siue magna fuerit materia in qua fit iuramentum falsum, ipsum semper est mortale periurium: quandoquidem semper in se notabilis est iniuria illa, quæ sic iurando, irrogatur Deo, tanquam futurus sit testis mendacij, aut mendacio suffragaturus. Id quod ab ipsius perfectione perinde alienum est in re parua, ac in magna: cum tam vere mendacium sit, de re parua dictum, quam dictum de magna. Similiter, *vt idem Sotus addit*, periurium peccatum est mortale, quantumcumque finis ob quem fit, sit alias sanctissimus, & causa pientissima eaque grauissima: vt si peieres ad cauendam mortem siue tibi, siue alteri innocenti, vel ad liberandam à proditione vel incendio totam ciuitatem, vel etiam ad eripiendum ab inferni faucibus animam: nullis enim talibus circumstãtijs periurium assertorium iustificatur, cum intrinsece malum sit, per notabilem quam includit Dei irreuerentiam, tanquam sibi innatam. 79.

Addi pariter potest cum Caiet. & Nauarr. nullam neq; propriam neque alienam vtilitatem, vel necessitatem, ne quidem mortis, aut alterius cuiuscumque grauis periculi metum excusare à tali peccato. Talia enim non impediũt quominus Deus adhibeatur testis mendacij. Nec obstat quod in cap. Verum De iureiur. statuatur, eos non esse tanquam pro mortali puniendos, qui iuramenta metu extorta non seruauerint. Nam, *prout D. Thom. 2 2. quæst. 98. art. 3. ad 1. notat*, id non ideo dicitur, quod non peccent mortaliter: sed quod minor pœna sit eis quam cæteris periuris infligenda. Addi denique eadem ratione potest cum iisdem authoribus neque excusationem in hac re esse à mortali, quod ex animi leuitate, vel ex consuetudine, aut iocandi, vel excusandi aut purgandi se gratia, aut iræ furore percitus quis iurauerit: nisi tanta esset ira, quæ iuranti iudicium ad mortalem culpam sufficiens adimeret: vt bene notatum est à Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 10. Tantum enim abest vt leuitas causæ ob quam sic peieratur, minuat malitiam periurij, vt augeat potius: quia maior tunc irreuerentia Deo irrogatur: cum propter rem paruam, testimonium ipsius contemnitur. Quod notatum est à D. Thoma in eodem art. 3. ad 2.

Documenta de proposito periurio.

SECTIO I.

CÆterum pro praxi ad particularia descendo, oportet aliquot documenta notare. Primum est: proxime dicta procedere, siue per Deũ, siue per creaturas in ipsum relatas, siue simpliciter, siue execratorie iuramentum concipiatur: vt ex D. Bonauentura & Gabriele Nauarr. 80.

in præ-

in præced. num. 5. refert: ita vt mortaliter peccet qui peierat siue iurando simpliciter per Deum, siue per sancta Euangelia, aut per Beatam Virginem vel alium Sanctum: siue per suam vitam, vel suam conscientiam: siue execratoriæ dicendo, Ita me Deus adiuuet; comburat igne Sancti Antonij; Moriar, &c. Quanquam grauius periurium est cæteris paribus, quando in testem Deus expresse adducitur, quam cum creatura in ipsum relata: vt D. Thomas attigit in citata responsione ad 2.

Secundum documentum est, eum qui iurat verum, putans se iurare falsum, mortaliter delinquere: quia etiamsi id non sit periurium materialiter, est tamen formaliter: quia contra mentem formaliter loquitur iurando. Hoc ab omnibus receptum esse inquit Nauart. in cit. cap. 12. n. 7. per authoritatem D. August. relatam in cap. Homines, 22. quæst. 2. A fortiori autem colligitur, cum quoque mortale periurium committere, qui pro vero iurat id quod est falsum, taleque esse credit: aut etiam quod scit non esse verum simpliciter, vt qui iurat se nõ fecisse aliquid, quod fecit per alium. Nam in eo etiam periurium committi aperte sequitur ex eo quod bene notat Azor tomo 1. Instit. Moral. lib. 11. cap. 8. quæst. 2. iusiurandum non solum esse interpretandum secundum cõmunem sensum quem verba habent: sed etiam secundum sensum in quo iura solent illa accipere. At secundum iura aliquis quid fecisse dicitur, non tantum cum per seipsum vere fecit, sed etiam cum per alium, iuxta illud quod habetur, lege Item apud Labeonem ff. de iniuriis: §. fecisse vim conuinci non tantum is videtur qui vociferaturus est, sed is quoque qui concitauit alios ad vociferandum, vel qui summisit vt vociferarentur.

81. Tertium documentum est, Eum esse periurum, qui pro certo iurat id quod verum ve sit, aut falsum, varia ductus ratione ambigit: siue illud verum sit, siue falsum: nisi affirmet eo solo modo quo illud nouit: ea nimirum ratione qua Archidiaconus, quando Episcopo interrogante, An qui sacros ordines volunt suscipere, sint digni: respõdet esse quantum humana fragilitas nosse permittit. Ita post Angelum verbo Periurium, habet Nauar. in sequenti num. 8. Istud documentum autẽ in eo fundatur, quod contra mentem is loquatur, qui pro certo affirmat illud de quo dubitat: atque de eo iurans, exponat se periculo iurandi falsum. Vnde fit vt amans periculum, pereat in illo Ecclesiastici 3.

Quartum documentum est: de eo qui iurat quod reuera est falsum; sed credit esse verum, difficultatem esse quidem, vtrum mortaliter delinquat: sed eam facile tolli distinctione; quam tangunt Nauarr. & alij ab ipso citati in eod. cap. 12. num. 6. Est autem, vt si ille qui iurat aduertens se iurare (sic enim de eo nunc loquimur) putet verum esse quod iurat; sed ignorantia crassa ignoret falsum esse; tunc sine dubitatione cõmittat periurium mortale: quia cum talis ignorantia sit inexcusabilis, relinquit actum in sua naturali malitia: adeo vt mortale perinde sit ex ea, ac ex scientia falsum iurare: quia temeritati, non autem prudentiæ, tribui debet; si quis leui coniectura adductus ad credendum verum esse quod reuera falsum est, illud absolute iuret.

Sin autem ignorantia non sit crassa: & iurans non omnem quidem quam debuit, aliquam tamen adhibuit diligentiam: ita vt ignorantia ipsius non iudicetur crassa: ipse quoque peccat, sed tantummodo venialiter, propter plenæ deliberationis defectum (de quo in sequentibus documentis) in eo qui sic animo affectus est; vt alioqui, id est, cum plena deliberatione, nollet tale quid facere; vt cum quis contra suam consuetudinem ex subito iræ motu, vel linguæ lapsu inconsiderate iurat. Nam cum quis iurat aliquid, actualiter sic dispositus vt quãtumuis ipsum falsum esse aduerteret, nihilominus iuraret, non excusaretur à mortali: quia tunc inconsideratio non esset causa, sed tantum comes iuramenti.

Si vero omnem quam debuit diligentiam in cauendo adhibuit, & falsum nihilominus iurauit, eo quod illud putaret verum esse, ne venialis quidem culpæ reus esse censetur ex ea parte: quia tale iuramentum materialiter tantum, non formaliter periurium est ob ignorantiam probabilem, quæ excludens omnem voluntatem iurandi falsum, excusat omnino à peccato periurij. Aduerte autem quod si quis post debitam diligentiam adhibitam, credat solum probabiliter aliquid esse verum; & id tanquam certum confirmet iuramento, non videatur excusandus à mortali, cum proferat Deum in testem certæ veritatis, quã non iudicat esse talem. Secus esset autem, si aliquo recto sensu mentem suam explicaret, ac secundum eandem mẽtem iuraret: nec quid amplius affirmaret suo iuramento, prout declaratum est in expositione tertij documenti.

Difficultas de iuramento falso, quod per inaduertentiam profertur, sitne peccatum mortale.

Sectio Altera.

QVinti documenti loco possumus adferre in medium explicationem dubitationis, An iuramentum falsum ex inaduertentia prolatum, excusetur à periurio mortali. Ea autem comprehendi potest duabus propositionibus. Prior est, Si is qui iurat sit à mente alienus: vt ebrius, aut furiosus, aut dormiens (quem contingit somniando loqui vel iurare:) ex tali periurio nullius culpæ reus esse censetur. Ratio est, quia cum careat vsu liberi arbitrij, in nullo peccat, iuxta dicta in præced. lib. 11. cap. 1. & alia multa quæ tradit Couar. ad Clemen. vnicam, De homicidio 3. par. in initio. Idemque est similiter dicendum de puero pierante ante vsum rationis: cum absque eo, non sit liberi arbitrij vsus ad peccatum requisitus. Aduerte autem quod si ebrius crediderit se per ebrietatem probabili pierandi periculo exponi: periurium ipsius non excusari à peccato, cum sit voluntarium in sua causa. De qua re Sylu. & Caiet. in verbo Ebrietas, ac Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 230. 82.

Posterior propositio est. Si quis, etiam mentis compos, inaduertenter iuramentum falsum proferat, non est peccati mortalis reus. Hanc expressit Caiet. verbo Periurium. Et probat: quia tale periurium exit ab homine tanquam actus imperfectus, seu non plene deliberatus. Pro illius pleniore intelligentia aduerte, quod vt is qui deliberat, seu plene iudicat de iuramento simul & de dicto; seu, *quod idem est*, de affirmatione, vel negatione, quæ iuramento ipso firmatur: si falsum iuret, mortaliter peccat ex D. Thoma 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad 2. sic etiam vice versa eum qui nec de iuramento deliberat, nec de eo quod iurat sed totum profert ex surreptione, non committere mortale: etiamsi falsum iuret: quod ex D. Bonauent. & Richard. in 3. distinct. 39. referunt Angelus verbo Periurium in principio, & Sylu. eodem verbo quæst. 1. committit tamen peccatum veniale, vt Angelus addit. Quod intelligẽ dummodo surreptio non sit tanta, vt omnino tollat voluntarium: quia consequenter tolleret omnino rationem peccati.

Adde, neque mortale periurium esse, si quis de dicto deliberet quidem, non tamen de iuramento. Id quod locis cit. notant Angelus & Sylu. & tanquam communem sententiam sequitur Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 6. quam & tribuit D. Thomæ in cit. art. 3. Et ratio esse potest: quod tunc iuramentum non sit plene deliberatum, sicut requireretur ad peccatum mortale. Nihilominus est veniale graue, *quemadmodum Angelus expressit*. Nimirum ob negligentiam in tunc deliberando, vt de dicto, sic & de iuramento quod tanti momenti esse scitur. De eo vero qui aduertit se iurare, sed non aduertit falsum esse quod iurat, dubium esse potest, an mortaliter peccet. Quidquid autem aliqui contradicant, possumus tenere quod ex D. Bonauent. & Richar. Syluester loco cit. adfert: inaduertentiam in hoc casu sicut in præcedenti, excusare à mortali: quam esse communem sententiam in cit. nu. 6. Nauarrus annotat: eamq; sequi possumus vt fauentem timoratis conscientiis (præsertim cum viri, etiam virtutis & suæ salutis amantes, talibus inaduertentiis obnoxij sint) neque patrocinantem hominibus vitiosis: quorum inaduertentia solet esse crassa: ideoque minime excusans. 83.

vtpote quæ sinit actum redire in naturam suæ formæ, seu retinere propriam eam malitiam, quam habet scienter, ac ex intentione factus: sicut ante diximus de ignorantia crassa, cuius ea est quædam species.

Difficultas de iuramento ex praua iurandi consuetudine.

Sectio III.

SExti demum documenti loco, addere ad extremum possumus explicationem alterius dubij, An si inaduertentia contingat ob pessimam iurandi consuetudinem, ea possit à mortali aliquo modo excusare.

84. Videtur ergo dicendum primo, consuetudinem iurandi per se sumptam, non esse peccatum: quandoquidem consuetudo nihil est aliud, quam frequentatio actionum, quæ etiamsi peccaminosæ sint, non ideo tamen illa est peccatum; sed tantum collectio & numerus quidam peccatorum: nullam aliam malitiam habens, quam eorumdem, quorum aggregatione constat. De qua re Sotus *lib.8. De iust. & iure q.2.art.3.concl.7.* pro eaque Sanchez aliquot citat in opere Morali lib.3.cap.5.num.4. Neque etiam habitus qui ex huiusmodi frequentatione oritur, peccatum est: quoniam habitibus nec meremur nec demeremur, vt patet in dormientibus: nec de illis dantur præcepta, sed de actibus in quibus est libertatis vsus; & in quos solos quadrat definitio peccati qua dicitur dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei æternam. Quin etiam iuramentum ipsum ex eo, quod ob consuetudinem iteretur sæpius (nisi aliud interueniat per quod vitietur) non efficitur peccatum mortale, vt Sotus ibidem recte probat: quia quiuis habitus generat actus similes illis ex quibus productus est. Vnde si hi non fuerint peccatum, aut tantummodo veniale, illi de se non erunt peccata mortalia, vtpote qui nõ accipiunt maiorem culpæ rationem ex eo, quod ex consuetudine, & habitu exerceantur, iterenturque sæpius: quandoquidem eiusdem modi cum primo est, vt secundus sic & centesimus.

85. Dicendum est secundo, quod si quis habeat consuetudinem iurandi ad singula fere verba, siue falsum sit, siue verum illud quod iurat, & per inaduertentiam, *adeoque indeliberate*, falsum aliquid iuret, non ideo committere mortale periurium: quia potest in eiusmodi iuramento contingere motus furreptitius; qui naturaliter linguam ita rapiat, vt culpam vel omnino tollat, vel certe venialem reddat: vt totidem verbis ait Sotus in eadem concl.7. Quod vero Caiet. 2.2.*q.98. art.3.* ait (& approbat Nauar. in Enchir. *cap.12.num.6.*) non excusari à mortali eum, qui per inaduertentiam falsum iurat, si ex consuetudine sic affectus sit animo, vt quantumuis ad id aduerteret nihilominus iuraret: Sotus ipse, *sub finem cit.art.3.* improbat: quia inaduertentia cum est inuincibilis, tollit omnino volũtarium; sine quo non est peccatum; neque ratio peccati fundari potest in habituali affectu, quo iurans sic dispositus est, vt iuraret quantumuis sciret falsum esse illud quod cum iuramento asserit. Nam dicendum alioqui esset, taliter habituatos peccare mortaliter, quãdo verum inaduertenter iurant (quandoquidem ex tali habitu iurassent, etiamsi falsum id esse sciuissent) quod nimis durum esse videtur. Deinde illud solum facit ad peccatum, quod facit ad demeritum. Hæc enim duo se mutuo sequuntur. Illa vero habitualis dispositio nihil facit ad demeritũ: nam vt meremur solummodo per actus bonos (nec enim coronam fortis reportat nisi qui fortiter pugnarit) ita etiam demeremur tantummodo per actus malos. Atque adeo sicut nihil ad rationem meriti conducit, quod si quis aduerteret ad hoc vel illud bonum opus, ipsum exequeretur: ita nec ad demeritum facit, quod quis, si ad hoc aut illud peccatum aduerteret, ipsum committeret. Vnde si vere ex inaduertentia iuramentum aliquod falsum protulit is, qui ex habitu erat alioqui sic affectus, vt etiamsi aduertisset, nihilominus peieraſſet, à mortali excusatur. Eamdem doctrinam cum Soto sequitur latiusque persequitur Suarez in citato lib.3.cap.7.

Attamen libenter cõcesserim Caiet. & Nauarro; quod aliquando præcipitatio suborta ex consuetudine, possit tam culpabilis esse, vt iuramentum falsum pertingat ad mortale: quemadmodum Syluester attigit in verbo Periurium quæst.1.vers.Primum. Etenim qui ob consuetudinem prauam, in quam se immersit: aduertere negligit, ac sine iudicio iuramenta effundit (cum amans periculum in eo pereat ex cap.3. Ecclesiastici) si falsum iuret, non est censendus à mortali excusari: vt quando commotio subita non præripuit tempus cogitandi, sed sola consuetudo fecit, vt ex negligentia & nonnullo cõtemptu peieratum sit inaduertenter. In quam sententiam Suarez it; vt patet ex fine præcedentis cap.sexti.

Libenter quoque eisdem concesserim, quod quoties quis ex eiusmodi inaduertentia culpabili, orta ex praua consuetudine; iurat quidem verum, sed cum probabili periculo iurandi idipsum, etiamsi falsum esset, toties mortale committere: ita vt ij qui ex praua consuetudine solent iurare quidquid in buccam venerit, videantur sæpissime condemnandi periurij mortalis. Dico sæpissime, *non autem semper*, quia fieri potest vt non obstante praua eiusmodi consuetudine, aduertat quis verum esse quod iurat, intendatque verum iurare: vnde talis actus ipsius, ex bona intentione procedens circa obiectum bonum, censeri potest bonus, non obstante praua consuetudine: ex qua non exercetur; sed potius contra quam exercetur. Late differens de his Sanchez videri potest, in opere morali lib.3.cap.5.

87. Siroges: vtrum is qui iurandi consuetudinem habet, sit eo ipso in peccato mortali: Sotus in cit.concl.7. respondet, non esse: nisi forte ponas eum non pœnitere præteritorum, animumq; habere faciendi similiter in futurum, seu non vitandi occasiones per quas in periurium incidit, & maxime prauam consuetudinem temere iurandi, quam extirpare nihil omnino curat. In quo casu nemo ambigit eum esse in peccato mortali per voluntatem saltem interpretatiuam, qua vult se exponere periculo iurandi falsum (de quo Suarez & Sanchez in locis citatis erudite suo more) ideoque absolui non posse. Quod si sincere proponat abstinere, seque ab occasionibus peccandi subducat, prauamq; consuetudinem extirpare studeat: quia nõ erit locus dictæ voluntati peruersæ, nihil apparet vnde absolui nequeat de rigore iustitiæ. Quamquam sæpe salubre consilium est absolutionem differre tali; vt sic inducatur à recidiuo cauere, inuigilando attentius: atque contrariæ cõsuetudini incumbendo; prauum habitum debilitare, ac extenuare, tandemque illum delere.

Atq; hæc circa periurium assertorium dicta sufficiant. De quæstione autem illa qua quæritur an delinquat mortaliter is qui iurat id quod iuxta suam intentionem est verum, sed falsum est iuxta intentionem eius cui iuratur: nihil in præsentia dicimus, quoniam de iis quæ ad illam pertinent in sequenti lib.24. c.1. sect.4. dicetur ex instituto; multaq; ex iisdem sufficienter intelligi poterunt ex dicendis in sequen. de iuramento amphibologico in seq. cap.

Aliam quæstionem vero, Quale peccatũ sit iuramentum verum quidem, sed factum sine necessitate vel vtilitate, aut de re mala bene explicat Suarez in eodem lib.3.c.12. duo docens communiter recepta. Prius est: Iuramentum assertorium cui veritas inest sufficienter cogitata atq; cognita, ac cui solum deest necessitas vel vtilitas, non esse de se peccatum mortale. Ratio est: quia per illud non adducitur Deus in testem falsitatis: quodque diuina authoritas adhibeatur ad rem leuem aut vanam cõfirmandam, non est grauis irreuerentia ipsius: cum in eo non agatur contra aliquod diuinum attributum, vnde ipse macula aliqua aspergatur; sicut fit quando falso iuratur; inducendo ipsum in falsitatis testem, qui est prima veritas.

Posterius est, Iuramentum illius eiusdem modi, cui solum deest iustitia seu honestas materiæ, nõ esse de se plusquam veniale peccatum: quia per illud Deus non constituitur testis mendacij, sed solum rei prauæ & indecentis, quod non est per se grauis iniuria Dei, cum in eo authoritas ipsius assumatur quidem ad confirmandam rem prauam, non tamen vt prauа est; sed vt vera est. Excipe, nisi tale iuramentum fiat instrumentum peccati mortalis: vt cum quis prauo animo infamandi alterum narrat ipsius

occul-

occulta peccata vera: & vt probabilior sit infamia, narrationem iuramento confirmat: quod fit contra sanctitatem iuramenti in notabilem Dei irreuerentiam, tanquam adhibiti ad cooperandum peccato.

CAPVT VII.

De periurio promissorio.

SVMMARIVM.

88 *Iuramentum promissorium est peccatum mortale, si fiat sine animo ipsum seruandi.*

89 *Quatenus ea ratione factum de re licita planis verbis seruandum sit in conscientia, aliquot propositionibus declaratur.*

90 *Idem declaratur de facto verbis ambiguis.*

91 *De iuramento ambiguo subintellecta conditione, qua ipsum verificatur secundum mentem iurantis, non item eius cui iuratur.*

92 *Qui iurat se commissurum mortale, peccat mortaliter, non item qui veniale.*

93 *Tale peccatum est distinctum ab eo de quo iuratur.*

94 *Quale peccatum sit iurare omissionem boni supererogationis.*

95 *Factum de re indifferenti aut vana, peccatum est solum veniale.*

96 *Non implere iuramentum promissorium, peccatum est de se mortale.*

97 *Ex accidenti autem est veniale: non solum ob defectum plenæ deliberationis, sed etiam ob materiæ leuitatem.*

QVOD ad periurium promissorium attinet, aduertendū est ex Caiet. in verbo Periurium, ipsum committi posse duobus modis: nempe vel in præsenti tempore quando fit: vel in futuro, quando non adimpletur: & in præsenti quidem contingere, vel ex mendaci animo, vel certe ex eo, quod materia quæ promittitur, sit mala. Ita hoc cap. agemus primo, de eo quod est de præsenti, & ex mendaci animo. Secundo, de eo, quod est de præsenti, & ex mala materia. Postremo de eo, quod in tempore futuro committitur.

De periurio promissorio, De præsenti contingente ex mendaci animo.

SECTIO I.

DE hoc quid sentiendum sit exponemus aliquot propositionibus: quarum quatuor priores ad illud pertinent vt planis verbis: cæteræ, vt verbis ambiguis concipitur.

88. Prima igitur propositio est, Quando aliquid siue bonum siue malum per iuramentum promittitur sine animo obligandi se ac seruandi illud semper committi peccatum mortale. Ita Caiet. 2, 2. quæst. 89. art. 7. ad 1. & ad 4. & in summula verbo Periurium Armilla eodem verbo §. 3. & Sotus lib. 8. De iustitia & iure q. 1. art. 7. ad 4. ac Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 11. & communem sententiam esse Theologorum aliquod citatis habet Suarez in tract. 5. De religione, lib. 3. cap. 17. num. 2. eam latius tractans. Sed nobis sufficere potest, quod satis pateat tum ex 22. quæst. 2. cap. 1. tum ex eo quod mendaciter tunc iuratur, falsitatisque Deus testis constituitur. Porro certum est eum qui sic iurauit non teneri iuramentum suum implere, *imo peccare adimplendo*, si id quod taliter promisit, malum sit: quia nunquam datur obligatio ad male agendum; ne quidem intercedente iuramento; quod (*vt habet* 58. *regula iuris in* 6.) non esse obligatorium contra bonos mores præstitum.

89. Sin autem illud, quod sub iuramento promisit, bonum sit, dubium est, An teneatur in conscientia seruare tale suum iuramentum tanquam obligans quoad Deum. Sylvest. quidem in verbo Iuramentum 4. quæst. 19. negat teneri. Cui suffragari videtur: tum ratio, quia quoad Deum obligatio pensatur ex intentione: vnde qui iurauit absque intentione obligandi se, remansit liber à iuramenti vinculo: tum etiam textus in cap. Humanæ aures, 22. quæst. 5. Sic enim habet: Humanæ aures, talia nostra verba iudicant, qualia foris sonant: diuina vero iudicia, talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur. Idem tenet rationibus & authoribus allatis Sanchez in opere Morali, lib. 3. cap. 10. numero 8. Veruntamen oppositum tanquam tutius videtur tenendum esse: nimirum iurantem eo quo dictum est modo, obligatum esse ad obseruationem promissi. Quæ est sententia Caietani ad memoratum art. 7. Nauarri in cit. cap. 12. num. 4. & Soti lib. 8. De iustitia & iure quæst. 1. artic. 7. ad 4. & aliorum quos Sanchez refert in præced. num. 7. Probatur autem quia obligatio est effectus naturalis iuramenti; ideoque non esse in hominum potestate, velle iurare (sicut hic supponimus velle) & obligationem à iuramento seiungere. Nec obstat authoritas cap. Humanæ aures in contrarium allati: quia non negamus obligationem iuramenti promanare solum ex corde iurantis, sed tantum affirmamus, hoc ipso quod iurans habuerit in animo iurare, inde necessario iuramenti obligationem emanasse. Id quod in tract. 5. De religione lib. 2. cap. 7. Suarez late persequitur. Beneque ostendit non esse ad illud necessarium, vt simul concurrat intentio promittendi, seque obligandi, ac implendi promissum. Cuius doctrinæ ratio fundamentalis est, quod ex sola intentione iurandi iuramentum habeat quod sit inuocatio Dei in testem: idque tantum requiratur ad complementum naturæ ipsius, ex qua emanat consequutione quadam naturali, obligatio imposita verbis illis Exodi. 20. Non assumes nomen Dei tui in vanum, quæ constituunt secundum, *in quo versamur*, Decalogi præceptum.

Secunda propositio est: quod etiamsi Caietano *in verbo Periurium & 2. 2. quæst. 89. art. 2. ad 4.* videatur mortale semper committi, cum sine animo iurandi, aliquid per iuramentum promittitur siue bonum siue malum: nihilominus videtur esse potius vtēdum distinctione: nempe, quod si cum animo non iurandi simul adsit animus non implendi illud quod iuratur: tunc sine dubio mortale committitur: siue iuramentum iuste exigatur, siue iniuste, vt fit à latrone. Nam grauis irreuerentia est & iniuria, quæ hac ex parte Deo irrogatur: quandoquidem exteriore saltem actu in testem mendacij adducitur. Atque hac ratione recte procedit Caietani sententia. Cui assentiuntur Sotus lib. 8. De iustitia & iure quæst. 1. artic. 7. & Cauar. ad cap. Quamuis pactum prima par. §. 5. numero 3. Ad eiusdemque confirmationem à simili Caietanus ipse inducit, quod is qui non animo colendi, sed solo actu exteriori coleret idola, mortalis peccati reus esset.

Si vero in iuramento promissorio, cum animo non iurandi non concurrat animus non implendi promissum: adeo vt quis ita fingat se iurare aliquid, vt nihilominus habeat in animo ipsum implere; probabilior videtur sententia Soti, loco citat. asserentis tunc tantum committi peccatum mortale, cum iuramentum iure exigitur: nempe à Iudice, vel ab alio cuius interest in contractibus & commerciis humanis. Nam iniuria notabilis est, quæ fit tum legi, tum parti in hoc casu: in quo requisitus tenetur sincere iurare. Quod si per vim & metum extorqueatur iuramentum, non committeretur mortale, *quidquid velint Caietanus & Couarruuias*, quia ibi nulla est ratio periurij: cum ex hypothesi, is qui iurat, non intendat contrauenire iuramento: sed est sola ratio mendacij quo fingit se iurare, cum non iuret. Mendacium autem non perniciosum (vt ponimus illud esse) non est de se plus, quam veniale. Eamdem doctrinam habet Suarez, quam & communem esse ait in prius citato cap. decimoseptimo dicto 4.

Tertia propositio est, Quod in vniuersum qui iurat sine animo iurandi, nunquam teneatur ratione iuramenti, adimplere illud, quod sic iurauit. Ratio est: quia talis reuera non iurauit, sed potius finxit se iurare: sicque loci

citatis sentiunt Sotus Caietanus & Couar. Et aperte probatur ex cap. Humanæ aures 22. quæstione 5. Dico autem, *ratione iuramenti*, propterea quod aliæ dantur rationes ob quas est obligatio adimplendi illud quod iuratum est sine intentione iurandi; vt ob scandalum alioqui secuturum: quia scilicet publice & de re notabili iuratum est. Itemque propter iniuriam, si quæ sequatur nisi illud fiat: vt cum quis ad turpiter fruendum puella, iurat illi sponsalia sine animo iurandi: tenetur enim lege iustitiæ tale promissum seruare. Quod pariter dicendum est de quibusdam aliis contractibus iuratis sine animo iurandi. Quæ omnia recte Sotus notauit in lib. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 7. ad 4.

Quarta propositio est. Quod in dubio is qui iurauit interpretandus sit habuisse animū iurandi. Id quod Caiet. 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. sub finem confirmat: quia regulare est ac naturale, vt iurantes habeant animum iurandi: ita vt is defuisse iudicandus non sit, nisi idipsum manifeste constet. Vnde absolute, *quod attinet ad forum exterius*, quicumque iurauit, licet quoad Deum absque animo iurandi id fecerit, compellitur iuramento stare, teste Couar. ad cap. Quamuis pactum 1. par. §. 5. num. 3.

Atque hactenus propositiones, quibus docetur quid iudicandum sit de illo, qui planis verbis, de præsenti, ex mendaci animo aliquid sub iuramento promittit. Deinceps sequuntur eæ quibus docetur quid iudicandum sit de eo, qui idem promittit verbis amphibologicis seu ambiguis.

90. Quinta igitur propositio est, *Si* verba proferantur amphibologice, vel ita artificiose, vt etiamsi recipiant sensum eum, quem intendit is qui iurat, ille tamē cui iuratur, eum non percipiat: peccatum mortale committi, si iuramentum iure peratur: vt cum quis iuridice à suo Prælato, vel à parte ratione contractus inducitur ad iuramentum. Ita Caiet. 2. 2. quæst. 89. art. 7. ad 4. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 13. Addens ex communi sententia Canonistarum in hac iuramenti specie, necessario, *idque sub mortali*, illud quod iuratur implendum esse secundum intentionē eius cui iuratū est. Quibus suffragatur D Thom. in cit. art. 7. ad 4. per authoritatem Isidori cuius verba ab ipso citata referuntur 22. q. 5. cap. Quacumque arte verborum quis iuret: Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur. Dupliciter autem reus fit: quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. Quæ posteriora verba satis indicant peccatum esse non implere tale iuramentum, sicut est & illud emittere.

Vbi aduerte tale peccatum non consistere in transgressione obligationis iuramenti, prout late tractat Suarez in tract. 5. de Relig. lib. 2. cap. 8. Et ratio est, quia dicto modo iurans non intendit iurare illud quod alter intelligit: sed illud quod ipsemet. Consistit ergo in ratione iniustitiæ, qua detrimentum proximo infertur: & in ratione scandali, quod in eo datur cum de iuramento facto hominibus constat, non autem de intentione occulta. Illi enim videntes, non seruari quod promissum est, Deo in testem vocato, Deus ipse in conspectu illorum inhonoratur, quod est contra religionem & cultum eidem ex charitate debitum: quemadmodum notat Suarez in fine citati capitis.

Sexta propositio est, Si legitima causa adsit vtendi amphibologia vel artificio in iurando, etiamsi is cui iuratur alium sensum percipiat, quam iurans intenderit, atque adeo ille decipiatur, non committi peccatum mortale; & interdum nec veniale. Ita cum Caiet. loco cit. sentiunt Sotus lib. 8. De iust. & iure quæst. 1. art. 7. ad 4. & Nauar. in eodem cap. 12. num. 14. latiusque tractat Suarez in seq. lib. 3. cap. 9. Pro quo facit quod ex D. Hieronymo habetur in cap. Vtilem 22. quæst. 2. vtilem esse simulationē & in tempore assumendam. Facit etiam ratio: quia si quid sit cur tale iuramentum censeri debeat de se mortale, maxime est, quod mendaciter fiat. At non fit: quia mentiri est contra mentem propriam loqui: cui verba sua conformare loquens tenetur ad vitandum mendacium, non item alienæ: illam enim, nō hanc, verba externa enuntiant. At qui iurat amphibologice non loquitur cōtra propriam mentem. Ergo non iurat mendaciter. Exemplum autem est, cum quis per vim & iniuriam à latrone compellitur aliquid cum iuramento promittere. Nam si latro diceret, Jura mihi, te tantam numeraturum pecuniam: citra peccatū liceret ei respondere, *ait Sotus*, Tibi iuro me numeraturū: intelligendo hoc sensu, quod numerabit quidem, sed non ipsi latroni. Quem etiam sensum proposita verba faciunt, quantumuis latro eum non percipiat.

Eadem ratione (nisi detur aliquod remedium declinandi iuramentum) licet Iudicis intentionem subterfugere, si is aliquem contra iuris ordinem iurare cogeret, an certum quid sciat: nempe si iuret se nescire illud: subintelligendo, vt debeat dicere. Nam tunc etiam legitima adest causa vtendi amphibologia ex Soto *lib. 5. De iust. & iure q. 6. art. 2. concl. 7. & Couar. in lib. 1. var. resolut. cap. 2. n. 2.* In sequenti 4. addente aliud exemplum de eo qui iam solvit mutuū, quod ab ipso repetitur in iudicio, nec factam solutionem probare potest. Interrogatus enim, an mutuo quod repetitur acceperit, potest absolute negare; istud subintelligendo, postquam solutionem feci: vel, vt teneat aperire quod acceperim.

Aduerte autem communem quidem consensum doctorum esse, istud locum habere, quando verba interposita talia fuerint, vt sensus eorum per quem verificatur iuramentum, colligi possit ex interrogatione: licet non possit ex respōsione. Exemplum est, cum interrogat quis alium, An habeat aliquid quod ei det, & ille respondet se non habere: intelligendo, quod ei det. Item cum conditio quæ mente sola intelligitur, fuerit generalis, in omni iuramento intelligenda. Exemplum est, cum quis absolute iurat se daturum alicui centum, intelligendo, si id præstare possit sine peccato, vel si Superior cuius interest consentiat. 91.

An vero idem locum habeat, quando iuratur subintelligendo conditionem: quæ nec generalis est, nec colligitur ex verbis interrogantis, aliqui cōtradicunt: inter quos sunt Sotus in cit. concl. 7. & Caiet. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 4. Sed tamen tunc quoque habere locum (quod Suarez in eodem lib. 3. cap. 10. plenius tractat, Nauarro & aliquot aliis in eam sententiam citatis) non caret probabilitate: eaque ad moralem certitudinem sufficiente, vt ratio hæc ostendit. Quia aut in tali casu peccatum datur ob aliquam iniuriam quæ inferatur latroni v. g. cui iuratur, dando ei occasionem vt decipiatur: id quod dici nequit: cum potius latro ipse sit qui infert iniuriam, dum sic extorquet iuramētum. Aut certe ob mendacium, quod cum sit malum intrinsece, nulla circumstantia cohonestari potest (ex quo capite Caiet. & Sotus sibi videntur stabilire suam sententiam.) At neque id obstat, quia nullum tunc intervenit mendacium; quoniam verba illa, quibus iuramentū concipitur, subintellecta adiectione (non quidem qualicumque, sed tali, quæ si voce exprimeretur & iisdem verbis coniungeretur, congruum verumq; sensum efficeret) non significant oppositum eius quod est in mente iurantis; ideoque mendacium non sunt. Ad quod facit quod Iacob non posset alioqui à mendacio excusari in eo, quod Genesis 27. patri dixit, Ego sum primogenitus tuus Esau: quem tamen excusatum ait Pontifex in cap. Gaudemus, De diuortiis. Et D. Aug. 16. De ciuit. Dei cap. 37. confirmat ex eo quod Genes. 25. scriptura prædixerit illum esse virum simplicem, Græce ἁπλαστον, id est, sine fictione, adeoque alienum à mendacio. Neque pater rem cognoscens illi iratus sit; sed confirmarit datam benedictionem dicens, Et erit benedictus.]

Iraq; iuxta hanc doctrinam, Nauarr. ad cap. Inter verba 11. q. 3. paulo ante finem ex Henrico Gandauensi statuit, quod qui iurat se dicturum quæ nouit, vere possit quoad occulta, de quibus iniuste interrogatur, absq; periurij metu respondere, se illa nescire; intra se intelligendo, quod non ita sciat, vt detegere teneatur. Statuit similiter in Enchir. cap. 12. n. 14. quod si quis latroni metum incutienti diceret Iuro me tibi daturum 100. intelligendo in mente, si illos tibi debeam: non committat peccatum, quantumuis postea non soluat: posito quod reuera illos ei non debeat aliunde. Ratio est, *qua Sylu. Iuramentum 4.*

quæst.

quæst. 7. vers. 2. vtitur, quod talis non teneatur iurare secundum intentionem latronis, qui nō est Iudex ipsius: quodque ipse vtatur simulatione licita, iuxta cap. Vtilem 22. quæst. 2. Ex qua ratione similiter concludi potest, quod etsi nos latro sub iuramento interroget. An vtamur amphibologia aliqua, vel certe exigat iuramentum promissorum de non vtendo amphibologia in promissione ei facienda; tunc etiam nos posse licite amphibologia vti: iurando v.g. nos nec vti nec vsuros esse: intelligēdo in mente: vt inde aliqua ei inferatur iniuria. Cum enim totum hoc sit verum, nullum mendacium, ac proinde nec periurium, committitur. Ad quorum pleniorem intelligentiam iuuabunt dicenda fusius in sequen. lib. 24. cap. 1. sect. 4.

Cæterum bene monet Suarez in fine citati cap. 10. cauendum esse, ne ex hac doctrina accipiatur nimia licentia loquendi iurandique amphibologice: quia id esset contra bonos mores, & candorem animi, simplicitatemque sermonis necessariam ad retinendam humanam societatem. Itaque ex communi doctorum sententia, *vt ille addit*, loquendi modus per amphibologiam, præsertim mutilatam in verbis, & conceptibus integratam, prout proxime dictum est: licitus non est, nisi honestetur ex aliqua causa iusta: arbitrio prudentis. Sic in cap. Vtilem 22. quæst. 2. simulatio licita quidem esse significatur: non tamen absolute, sed pro tempore, seu quando iusta adfuerit simulandi causa: sicut adfuit cum Dauid lib. 1. Reg. 21. coram rege Achis simulauit insaniam, vt manus illius euaderet: & cum lib. 4. sequenti cap. 10. Iehu simulauit se velle colere idolum Baal, eo quod videret se non posse aliter congregare eiusdem idoli Sacerdotes, ad eos internetione delendos.

Et certe tunc saltem cum deest iusta simulandi causa, locum habet cap. Quacumque, 22. quæst. 5. in quo dupliciter reus dicitur tanquā in vanum Dei nomen assumens, & proximum dolo capiens: qui amphibologice iurat, eo quod quacumque arte iuret: Deus qui testis est conscientiæ, ita iuramentū accipiat, sicut intelligit ille cui iuratur. Quale autem sit tale peccatum, idem Suarez in sequenti cap. 11. tractat: probatque non habere malitiam periurij: quia ille qui taliter loquitur & iurat, non intendit loqui & dicere falsum: vt supponimus. Et quamuis peccet vtendo verbis ambiguis in alio sensu quam deberet: id tamen non obstat quin vtatur in vero sensu, quem talia secundum se habent; perinde ac illum alium in quo ea vsurpare deberet procedendo bona fide. Itaque peccat non quidem contra veritatem loquendo: sed cam nimium occultando: quod tunc est mortale, *sicut & mendacium*, cum fuerit notabiliter perniciosum prudentis arbitrio. Pluribus de his agentem qui volet videre poterit Thomam Sanchez in opere morali lib. 3. cap. 6. & 7.

De periurio promissorio de præsenti, contingente ex mala materia.

Sectio II.

92. QVæ ad hoc periurium pertinent, sequentibus propositionibus explicantur. Prima est, eum quidem qui animo faciendi, iurat se aliquid mortale facturum, cōmittere peccatum mortale: sed eum qui iurat se facturum aliquid veniale, venialiter tantum delinquere. Hanc cum Caiet. 2. 2. quæst. 98. art. 2. & in verbo Periurium, habent Armilla eod. verbo §. 3. Sotus 8. De iust. & iure quæst. 2. artic. 3. Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 15. & late Suarez in tract. 5. de religione lib. 3. cap. 19. Ea autem patet: quia in eiusmodi periurio Deus non vocatur in testem falsitatis: quia, vt *supponimus*, is qui iurat, intendit facere quod iurat, etiamsi male facturus: vnde non iurat mendaciter, seu contra id quod habet in mente. Quare tota malitia illius prouenit ex iustitiæ defectu, qui meritō quidem censetur mortale peccatum constituere in re graui, qualis est mortaliter illicita: non tamen in leui, qualis est venialiter solum illicita: vt mendacium officiosum. Vbi aduerte obiter aliud esse iurare te dicturum mendacium officiosum, & aliud iurare te iuraturum mendacium officiosum: non enim hoc vt illud, iuramentum est tantum veniale, sed est mortale; vtpote quo iuratur facienda nequitia mortalis: puta mendacium iurare, quod est periurium assertorium, ideoque mortale (quid mendacium ipsum sit leuissimum) vt probatum est in præced. num 79.

Secunda propositio est, In huiusmodi iuramentis non 93.
solum dari deformitatem periurij mortalis aut venialis, pro ratione iniustitiæ, quæ iuratur facienda: sed etiam ipsiusmet iniustitiæ: ita vt sic iurans peccet dupliciter: nempe & volendo admittere illicitum, & iurando se admissurum. Hanc habet Nauarr. in præced. nu. 12. addens ex Caiet. iurantem se perpetraturum aliquid illicitum, sine animo illud adimplendi, vno tantum modo peccare: quia nimirum deest voluntas illiciti perpetrandi, quæ in casu præcedenti fuit cum actu male iurandi. Peccatum vero illud, quod in casu huius propositionis committitur, mortale esse; patet ex notabili iniuria quæ fit Deo, testimonium ipsius interponendo in cōfirmationem mendacij, cuiusmodi est promissio facta sine intentione eam adimplendi.

Tertia propositio est, Iurantem se omissurum aliquod 94.
bonum supererogationis, vt non mutuaturum, committere in eo peccatum solummodo veniale. Hanc cum Caiet. tenent Sotus, Nauarr. & Couarr. vt iam annotauimus in præced. num. 44. patetque ex ratione ibidem allata. Quamquam tamen, *vt idem Caiet. in verbo Periurium recte annotat*: si quis iurando intenderet non facere prædicta bona, etiamsi occurreret casus in quo sub mortali ad ea teneretur (vt ne quidem in casu externæ necessitatis mutuare) tunc mortaliter peccaret tanquam iurans mortale. Et vero, fieri potest aliquando, vt quis à peccato etiam veniali excusetur: vt cum iurauit determinate se non daturum mutuo omnibus, quia non est semper consilium, imo aliquando malum est dare omnibus.

Quarta propositio est, Eum qui emittit iuramentum 95.
de indifferentibus ac vanis seu nullius momenti rebus: vt de non leuanda festuca, vel de non rescindendis vnguibus tali die, solum peccare venialiter. Hæc est Soti *lib. 8. De iust. & iure quæst. 2. art. 3. conclus. 5.* Et patet, quia si iuramentum de peccando venialiter non est plus quam veniale, nec erit de re indifferenti, seu nullius momenti.

Vltima propositio est, eum qui iurat sibi impossibile, nonnunquam peccare mortaliter, nonnunquam solum venialiter & nōnunquam excusaria à peccato. Peccat enim mortaliter quando iurat illud quod probe scit esse sibi impossibile: quia fieri non potest vt cum tali scientia habeat efficax voluntatis propositum implendi quod iurat: quāle requiritur ad iurandum vere & nō mendaciter. Id quod notandum est pro iis qui facile iurant se soluturos intra certum terminum, scientes id esse sibi impossibile. Item pro artificibus, qui iurant se intra certum diem perfecturos opus commissum, cum sciant se non posse perficere. Peccat vero solummodo venialiter, si ex leui negligentia admissa in expendenda rei difficultate, per quam est supra ipsius vires, adimplere quod iurat. Quod si nihil curarit expendere, sed temere iurarit, non excusatur à mortali, tanquam is qui non curarit iurare falsum. Excusatur denique à peccato, si diligentia posita in re expendenda, putauerit bona fide eam esse sibi possibilem. Illum enim probabilis ignorantia efficiet à peccato immunem. Quæ sequerentur dicenda de obligatione istiusmodi iuramentorum factorum de materia indebita, iam sunt tradita cap. 4. in explicatione difficultatis secundæ.

De periurio promissorio quod in tempore futuro committitur.

Sectio III.

96. PEriurium promissorium in tempore futuro tunc committi censetur, cum quis aliquid licitum se facturum iurat, quod postea non facit, quando tenetur, nec iustam excusationem habet. Tale autem peccatum mortale esse ex suo genere, sententia est omnium ex Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 10. Et probatur: quia per iuramentum

cui de-

cui deest veritas, Deus asciscitur in testem falsitatis, quod est graue nefas. Dictum autem periurium est eiusmodi, vt patet ex discrimine, quod D. Thomas tangit 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 2. inter iuramentum assertorium & iuramentum promissorium: quod vt illud censeatur veritatem habere comitem, opus sit id quod iuratur esse verum, si assertio sit de præsenti: vel fuisse verum, si assertio sit de tempore præterito. Vt vero promissorium eamdem comitem habeat, requiratur vt quod iuratur, fiat verum à iurante: ita vt veritas iuramento promissorio deesse dicenda sit, si iurans, eo tempore quo tenetur, non faciat id quod iuratum est, se ita habere ac iurauit. Adhæc finis iuramenti promissorij est firmare pacta inter homines, & eorum controuersiis finem imponere ex D. Paulo ad Hebræos 6. qui finis requirit vt ex iuramento oriatur grauissima obligatio stãdi promissis: alioquin enim esset vinculum parui momenti, quodque facili negotio rumperetur ab hominibus. Id quod existimandum non est de actu virtutis præstantissimæ, maximeque coniunctæ cum fide quæ per dilectionem operatur.

97. Attamen ex accidenti ob defectum plenæ deliberationis, idipsum periurium non esse plus quam veniale ex eo patet: quod peccatum non sit mortale nisi plene voluntarium. An vero sentiendum sit, idem contingere ob materiæ paruitatem controuersia est. Nam quod sub mortali teneatur quis seruare iuramentum promissorium de re minima (si quidem constet ei, quod possit illud licite adimplere) Caiet. affirmat 2. 2. *quæst.* 89. *art.* 7. *in responsione ad* 1. *dubium*: quem Couar. sequitur *in lib.* 1. *var. resolut. cap.* 1. *nu.* 2. & obiter ad cap. Quamuis pactum 1. *parte* § 1. *num.* 4. In eamdemque sententiam alios citant Suarez. tract. 3. De religione lib. 3. cap. 16. in initio, & Thom. Sanchez in opere morali lib. 3. cap. 4. num. 21. Quæ probatur: quia siue res sit magna, siue parua, in omissione adimpletionis quod iuratum est, Deus adducitur in testem falsi: in quo est notabilis iniuria ipsius.

Sed tenetur contrariam sententiam (nempe non esse peccatum mortale postquam ex animo ac sine mendacio aliquid sub iuramento promisisti, illud mutato proposito non seruare in materia leui, id est, in re parui momenti) Sotus lib. 8. de iustitia & iure quæst. 1. art. 7. dub. 1. & quæst. 2. art. 3. ante sextam conclus. & D. Anton. ac Sylu. quos citant & sequuntur Nauarr. in memorato num. 10. & Suarez loco citato num. 4. itemque Sanchez in seq. num. 23. pluribus aliis additis. Nituntur vero hoc fundamento: quod materiæ paruitas, in omnium præceptorum transgressione excuset à mortali. Quare excusabit etiã in transgressione præcepti de implendo iuramento. Confirmatur, quia tanta est obligatio non furandi, v. g. quanta adimplendi iuramenti; vtraque enim est diuini præcepti negatiui, ad mortale pro omni tempore obligantis. Vnde sicut qui rem parui momenti furatur, non damnatur peccati mortalis: ita nec damnandus est peccati mortalis, qui rem parui momenti iuramento promissum non præstat.

Quod Caiet. & Couar. fateri coguntur, cum res illa parua fuerit pars maioris: vt si iurasti te daturum 100. & in aliquo nummo deficias nõ condemnaberis peccati mortalis: secus vero, in quiunt illi, si res illa modica, vt totum quoddam, promitteretur iurando: v. g. dabo tibi vnum assem. Quod Sotus, *& pluribus Suarez num.* 5. 6. 7. *&* 8. reiicit: quia res cum sumitur vt totum quoddam, non amittit rationem paruitatis, quæ nata est excusare à peccato mortali. Neque vnum ouum secundum se sumptum, minus est res parua, quam sumptum, vt est pars aliqua centenarij ouorum. Vnde Caiet. iuramenta matrum de dando filiis pomo, vel eis castigandis, non impleta, fatetur non facere eas peccati mortalis reas: quæ etiam est communis sententia: cuius rationem sufficientem aliam reddere, quam materiæ leuitatem non est facile. Attamen quia contrariæ sententiæ fundamentum eiusmodi est, quod ægre possit euerti: vt patet ex subtili, prolixaque disputatione quam Suarez in eum finem instituit in citato cap. 16. à nu. 9. suadenda est talium iuramentorum obseruatio, cum fuerit licita, nec habuerit aliam iustam excusationem. Ita tamen vt non iniiciatur scrupulus de periurio mortali, quasi leuitas materiæ nequeat ei obstare in iuramẽto promissorio, sicut nequit in assertorio.

Nec enim verum est, omittentem implere promissum iuratum, facere Deum testem mendacij, si iurauerit cum vera intentione promittendi, promissumque implendi: quia si promissum non implere, mendacium esset, nunquã cohonestari posset, vt nec aliud quoduis mendacium. Constat autem plerumque circumstantias occurrere, quæ reddant licitam omissionem promissi iurati; vt cum illius impletio est impossibilis, aut vitiosa, aut maioris boni impeditiua. Itaque ratio peccati quam habet, non consistit in eo quod iuramentum emissum reddat assertorium falsitatis, quia ipsum ab initio sortitum est naturam assertorij veritatis, neque de nouo existit, vt nouam accipiat naturam. Quapropter peccatum quod contra Deum committitur violatione iuramenti promissorij, vera ac sincera intentione emissi, non est destructiuum attributi ipsius diuini; sicut peccatum quod committitur iurando mendaciter: sed contemptum continet authoritatis ipsius: eo quod non seruetur fidelitas ad quam quis coram illo se ad aliquid alteri adstrinxit. Is autem contemptus, *nisi sit formalis*, cur nequeat ex leuitate materiæ censeri peccatum solummodo veniale, (*sicut plurimi alii*) nulla datur ratio. Alia dubia proponit Syluester in verbo Iuramentum 4. sed ex dictis sufficienter patere possunt.

CAPVT VIII.

De iuramento comminatorio, deque iudiciali.

SVMMARIVM.

98 *Quid sit tenendum de iuramento comminatorio facto mendaci animo: quidque de facto de re illicita.*

99 *Tres casus in quibus non est obligatio illud implendi, etiam factum de re licita.*

100 *Quid & quotuplex sit iuramentum iudiciale.*

101 *Iuramentum iudiciale necessarium triplex est; probatorium, definitiuum, & purgatorium seu calumniæ.*

102 *De quibus præstetur iuramentum calumniæ.*

103 *Nonnulla alia de eodem iuramento notanda.*

104 *De iuramento iudiciali voluntario, in quibus casibus deferatur actori, & in quibus reo.*

RESTANT addenda aliqua de iuramento, quod siue assertorium siue promissorium, adhibetur ad confirmandam comminationem pœnæ inferendæ alicui; vnde comminatorium dicitur, aut exhibetur in iudicio, vnde appellatur iudiciale.

De iuramento comminatorio.

SECTIO PRIOR.

AC de comminatorio notanda sunt documenta quæ Caiet. habet in verbo Periurium in fine. Primum est, quod satis patet ex antedictis; Si ipsum fiat animo mendaci, etiamsi comminatio iusta sit peccatum esse mortale; nisi ex inaduertentia inuincibili excusatio detur. Secundum est: perinde illicitum esse comminatorium iuramentum ac promissorium, quando factum fuerit de re quæ est, siue mortaliter siue venialiter mala: vt de aliquo occidendo, aut de diripiendis ipsius bonis. Tale autem, nullam inducere obligationem patet ex eo, quod nequeat licite impleri. 98.

Tertium est, Si comminatio sit de re licita, puta de iusta inflictione aut procuratione pœnæ siue corporalis siue pecuniariæ; in tribus casibus cessare obligationem illud implendi. Primus est, quando ratio dictauerit melius futurum, vt non mandetur executioni, quam vt mandetur: quia sicut iuramentum non est vinculum iniquitatis, ita nec est impeditiuum maioris boni. Sic Dauid cum iurasset se deleturum domum Nabal, motus precibus & rationibus Abigail, abstinuit ab executione talis iuramenti, iudicans id esse melius. 99.

Secundus est, quando cessauit præsens iustitia, secundum quam facta est comminatio. Eam enim debere intel-

ligi

ligi secundum præsentem iustitiam, argumento est illud apud Ieremiam capite 18. Repente loquar aduersum gentem, & aduersum regnum vt eradicem, & disperdam, & destruam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam, super malo quod cogitaui vt facerem ei.] Sic igitur, inquit Caietanus, qui iurat iustam punitionem, si postea parcat veniam petenti, non committit periurium: quia illa præsens iustitia secundum quam iurauit, ideo cessauit, quod per pœnitentiam abolitum sit demeritum puniendum exigente iustitia.

Tertius casus est: quando pœna comminata cessauerit rationem habere medicinæ: siue respectu personæ puniendæ siue respectu boni communis: quia consequenter cessauit rationem habere boni prosequendi, non minus quam potio amara, nullam omnino vim habens medicam. De quo casu relictum est prudentis iudicio statuere ex concurrentibus circumstantijs. Sic pater qui iurauit se excepturum verberibus filium, ob iniuriâ affectam sororem, excusatur à periurio si illud præstare omittat, aduertens quod inde filius non fiet melior; nec pax domestica, sed potius perturbatio maior exorietur. Ratio autem cur in talibus casibus cesset obligatio, est, quod intentio vtentis iuramento comminatorio non sit iurandi absolute, sed subintellecta conditione: nisi comperero contrarium magis expedire. Namq; iuramentū, sicut non est vinculum iniquitatis: ita nec impeditiuum est boni melioris.

De iuramento iudiciali.

SECTIO POSTERIOR.

100. IVramentum iudiciale dicitur, quod Iudicis, Superiorisve authoritate exigitur, aut præstatur in iudicio: distinguiturque in liberum, & necessarium: Illud est, quod in iudicio pars defert parti: voluntariumque ideo vocatur, quod vt plurimum recusari possit, nec ad illud præstandum obliget Iudex, coram quo, aut cuius consensu & approbatione exigitur in iudicio. Hoc vero est, quod in iudicio Iudex tenetur deferre: & is cui defertur, nequit ipsum absque iusta causa recusare: indeque dictum est necessarium: quod vnus ad ipsum exigendum, & alter ad ipsum præstandum necessitetur.

101. De quo agens Hostiensis in summa, tit. de assertorio iuramento. §. Quot sunt species: iudicat triplex esse (vnde intelligitur tres dari casus, in quibus Iudex tenetur deferre iuramentum, & is cui defertur, tenetur illud præstare) vnum dicitur probatorium: estq; illud, quod ad veritatem eliciendam Iudex deferre testi, & testis præstare tenetur. Alterum dicitur definitiuum: & est, quod propter inopiam probationum, deferendum est ad finiendam litem, iuxta legem vltimam. ff. De in litem iurando. Tertium vocatur purgatiuū, & iuramentum calumniæ, tanquam institutum ad purgandam suspicionem calumniæ. Est enim illud quod iuxta cap. 1. & penult. De iuramēto calumniæ, initio cuiusq; litis principales personæ, *puta actor, & reus*, tenentur præstare ad purgandum se de calumnia, scu ad fidem faciendam, quod in tota causa non agent calumniose.

102. Quinq; sunt autem de quibus fidem facit is qui tale iuramentum præstat. 1. est, se credere, quod habeat iustam causam, 2. quod interrogatus non negabit id, quod verum esse credit. 3. quod non vtetur scienter falsa probatione. 4. quod dilationem non petet in fraudem. 5. quod nō dedit nec promisit, nec dabit nec promittet pro ea lite, nisi personis ijs quibus dare lege permititur. Eorum tria prima ad assertoriū, & duo reliqua ad iuramentū promissorium pertinent. Vtraq; his versibus explicata habet glossa ad citatum cap. 1. verbo Calumniæ iuramentum.

Illud iuretur, quod lis sibi iusta videtur,
Et si quæretur verum, non inficietur,
Nil promittetur, nec falsa probatio detur,
Vt lis tardetur, dilatio nulla petetur.

103. Licet autem tale iuramentum regulariter debeat in exordio litis, seu statim post huius contestationem præstari, ex cap. 1. de iuramento calumniæ in 6. quia tamen ex eodem cap. ad substantiam ordinis iudiciarij, & processus validitatem, non pertinet vt tunc fiat: si fuerit tunc omissum, poterit exigi in quacunque parte litis; & merito, quia talis omissio inuitare potest ad delinquendum.

Quod Episcopi & cæteri de ordine clericali immunes sint ab onere præstandi istiusmodi iuramentum, habetur ex cap. 1. De iuramento calumniæ. Et quod tale iuramentum præstari possit per procuratorem habetur ex eod. titul. capit. 1. §. Quamuis. Ac demum, quod siue actor siue reus recusans iurare de calumnia, statim cadat causa: habetur Extra, eod. tit. in fine.

Circa voluntarium autem iuramentum occurrit monendum: licet vtplurimum non debeat deferri, & recusari possit delatum: nonnunquam tamen deferri possit, & debeat admitti: vt quando actor semiplene tantum potest probare suam prætensionem: nempe cum probat tantum per collationem literarum missarum, aut per vnum tantum testem, aliave insufficienti ratione. Atq; tunc in tribus potissimū casibus iuramentum defertur eidem actori. Primus est, quando res petita modica est, & actor vir est honestus: quia cum rem semiprobauerit, nec talis ipse appareat qui velit peierare merito præsumitur certus esse de veritate. Secundus est, quando res petita, est valde magna, neq; actor ipse probare potest singula quæ perdidit; cienim loco probationis iuramentum defertur. Tertius est, quando in reo magna apparet temeritas & improbitas in litigando. Nam tunc intelligitur ex circunstantijs, iuramentum cum opus fuerit, deferendum esse potius actori, quam illi: iuxta cap. finale De iureiur. in fine. 104.

Reo vero tunc quoq; iuramentum defertur in tribus casibus. Primus est, quando res de qua litigatur magna est; nec veritatem actor nouit, vel est persona suspecta: puta leuis, quæ præsumatur non iuratura verum. Secundus casus est, quando reus ipse tam bonæ famæ est, quā actor: tunc enim consentaneum est in re modica iuramentum ipsi deferri ad defensionem sui potius, quam actori ad accusationem. Tertius est, quando actor deficit in probatione, isq; tantum habet præsumptionem aduersus reum. Nam ratio dictat non illi, sed huic deferendum esse iuramentum, quo se liberet ab illa suspicione, & ostendat suam innocentiam. Ad quod facit cap. Iuramentum §. finali De iureiurando. Pluribus de his agere iurisperitorum est, tanquam spectantibus ad forum externum. Addenda adhuc viderentur quæ pertinent ad iuramentum prout apponitur contractibus ad eorum confirmationem: sed commodius ea tradentur in sequenti lib. 25. cap. 4. sect. 4.

CAP. IX.

De adiuratione Dei.

SVMMARIVM.

105 *Quando contingat adiuratio, quodque ea fieri possit duobus modis.*
106 *Quod quædam sit licita, & quædam illicita.*
107 *Quæ personæ adiurari possint, & de quibus, & cum quibus circunstantijs.*
108 *Propositiones aliquot quibus declaratur quando licita sit, vel illicita adiuratio.*
109 *Non licet adiurare dæmonem amice petēdo, nec item vlla alia ratione societatem ineundo cum ipso.*
110 *Nulla item ratione licet dæmonem adiurare vt opem nobis ferat.*
111 *Quando & quomodo licitum esse possit aliquid à dæmone petere, quodque ipsum exorcizare non sit licitum omnibus.*
112 *Qua ratione licitum sit adiurare creaturas irrationales.*
113 *Propter quid, & quomodo fieri debeat adiuratio, vt censeatur licita.*
114 *Quando illicita adiuratio peccatum sit mortale.*
115 *Casus in quibus ex parte modi illicita est mortaliter.*

TRactationi de iuramento & periurio per modum cuiusdam appendicis adiungitur tractatio de adiuratione,

ob arctitatem quam hæc habet cum illis, nomine ipso adiurationis indicatam. Agunt autem de eadem adiuratione D. Thomas 2.2. quæst. 90. & cum eo interpretes ipsius ibidem, & Sotus in lib. 8. De iust. & iure qu. D. Anton. 2. part. tit. 10. cap. 8. Summularij in verbo Adiuratio. Suarez in tract. 5. de religione li. 4. & Thom. Sanchez in opere Morali libr. 2. cap. 42.

105. Contingit vero adiuratio, quando quis personam aliquã ad aliquid præstandum conatur inducere per inuocationem seu interpositionẽ nominis Dei, aut alicuius rei sacræ. Quod fieri potest duobus modis: vno per obsecrationem vel deprecationem: vt cum D. Paulus ad Rom. 12. dixit, Obsecro vos per misericordiam Dei, &c.] altero per coactionem & compulsionem: vt cum Caiphas Matth. 26. dixit Christo. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas si tu es Christus.] Inter quos modos duplex differentia cernitur. Altera, quod prior vsurpari possit erga omnes tam superiores quam inferiores, & æquales; & posterior tantum erga inferiores. Altera quod prior non habeat vim obligandi, & ideo non habeat certum effectum: posterior vero habeat, quia inferior tenetur Superiori adiuranti obedire, sicut & præcipienti.

Diuisio adiurationis.

SECTIO I.

106. IAm quædam est adiuratio licita, & quædam illicita: licita censetur, quæ bonum habet obiectum; tam remotũ, quod est persona quæ adiuratur: quam proximum, quod est id de quo illa adiuratur, simulq; habet cõditiones seu circunstantias debitas: quæ sunt 1. fieri cum reuerentia, 2. fieri bono fine, 3. non fieri nisi exposcente necessitate, vel magna vtilitate. Illicita vero, quãdo caret obiecto bono, siue proximo, siue remoto: vel aliqua circunstantia debita.

107. Aduerte vero, *quod latius Suarez tractat in citato lib cap. 2.* personam quæ adiuratur esse posse: primo Deum: non tamen adiuratione facta per modum imperij, sed per modum obsecrationis: quã in nostris orationibus ipsum obsecramus, vt ob amorem & merita Christi, aut alicuius Sancti, nos exaudiat. Secundo, posse sanctos Angelos, aliosque Beatos: non tamen cum imperio, sed cum honore & reuerentia: precãdo ipsos vt intercessores nostri sint apud Deum, ad obtinendum ab eo quod optamus. Tertio, posse homines adhuc viatores; nonnunquam deprecando, & nonnunquam imperando & quasi cogendo, iuxta post dicenda. Posse denique; dæmonem, prout constat ex antiquissimo exorcismorum vsu in Ecclesia.

Illud autem de quo fit adiuratio, debet esse actio vel omissio de se bona: quia esset alioqui inductio ad malum; & per consequens mala. Debitæ vero circunstantiæ, quas adesse oportet, sunt: tum causa rationabilis, tũ finis honestus, tum decorum personarum; quod retineri censebitur, si respectu earum debitus modus seruetur: vt fiet; respectu quidem eius quæ adiurat, si id faciat secundum propositiones deinceps tradendas: respectu vero eius per quam fit adiuratio; *seu quæ interponitur, vt authoritatem, fauorem, ac vim det inductioni qua alter inducatur ad agendum vel omittendum quod optatur:* si talis interpositio, conditioni ipsius sit proportionata.

Propositiones quibus declaratur quando adiuratio sit vel non sit licita.

SECTIO II.

108. PRima est: licere cuiuis homini quemuis hominem adiurare deprecando. Hæc est D. Thomæ in cit. quæst. 90. art. 1. Et probatur: quia de se honestum est vti reuerentiã diuinã ad homines permouendos ad bonum.

Secunda est, Licere etiam Deum adiurare deprecando. Hanc ibidem D. Thomas probat per illud quod ante citatum est ex cap. 12. Epist. ad Rom. Cui accedit conclusio omnium orationũ Ecclesiæ, in qua Deum obsecramus per Christum. Itemq; vsus adiurandi per Abrahamum aliosq; iustos, in veteri Testamento.

Tertia est, Adiurare compellendo ac cogendo, licere tantum Superioribus, & in ijs in quibus superiores sunt. Nam id requirit authoritatem præcipiendi: quam inique sibi vsurpat qui Superior non est. Sicque illicita fuisse, *ex D. Thoma loco cit. in solutione secundi argumenti*, censenda est antememorata adiuratio Christi per Caipham: licita vero fuisse: tum illa qua Abrahamus adiutauit seruum Genesis capite 24. in initio, & Iacob filium suum Ioseph Genes. 47. in fine.

Quarta est, Non esse licitum ita Dæmones adiurare, vt velimus eos impellere ad opus aliquod faciendum honoris diuini causa. Ratio est: quia talis adiuratio esset vana: vtpote de eo quod moraliter est impossibile: cum Dæmones tanta voluntatis peruersitate obstinati sint: vt quidquid agunt, *præsertim respectu hominum, quibus salutem inuident*, proficiscatur ex odio, quo in Deum flagrant.

Quinta est, Licitum esse in Dei nomine Dæmones adiurare; non quidem rogando, aut amice petendo. sed imperando, obiurgando, ac tanquam hostes compellendo, arcendove, ne spiritualiter aut corporaliter hominib. noceant. Probatur: quia data est Ecclesiæ potestas spiritalis à Christo adiurandi Dæmones; nõ ad obtinendũ aliquid ab eo: sed ad eum expellendũ ac fugandum, iuxta illud Marci vlt. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient:] & illud Lucæ 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici.] Sicq; Ecclesia ipsa suam potestatẽ interpretata est: exorcismos suos nõ aliter dirigens ad Dæmonem, quam imperando, obiurgando, vrgendo ad discessum. Vltra eam vero potestatem diuinitus concessam, non dari aliam tanquam naturalem, patet per illud in cap. 41. libri Iob. Non est potestas super terram quæ comparetur ei: qui factus est, vt nullum timeret.] 109.

Sexta propositio est, Nulla ratione licitum esse adiurare Dæmones, ineundo cum illis societatem aut pactum. Hæc patet per illud prioris ad Corinth. cap. 10. Nolo vos socios fieri Dæmoniorum.] Et confirmatur: tum quia violatur in eo fides Deo data in baptismo, de abrenunciando Diabolo & operibus eius atq; adeo de militando contra eundem tanquam Dei hostem: tum quia illud omne quod Dæmon spõte in nos confert, proficiscitur ex hostili in Deum, ac in nos animo. Igitur cum dæmone societatem vel pactum inire, est contra charitatem, quã debemus ad Dei gloriam amare nosipsos: cum inde hosti infestissimo demus commoditatem, nobis grauiter nocendi; qui non nouit prodesse, nisi vt grauius noceat.

Septima est, Non licere (etiam citra pactum vllum, vel societatem) neque cogendo, neque deprecando adiurare Dæmonem vt opem nobis ferat in quocunque genere officij. Hæc est D. Thomæ in fine citatæ quæst. 90. habens quidem aliquam difficultatem, sed quæ illius veritatem minime labefactet, vt Greg. à Valent. 2.2. *disp. 6. quæst 8. punct. 2.* bene ostendit, tum solutione rationum contrariarum, tum confirmatione, tam sacræ Scripturæ & Patrum authoritate, quam validis rationibus; quarum vnam ne prolixiores simus, insinuatam ab Origen. homil. 16. in Numeros attigisse sufficiet; quæ talis est. Postquam omnia alia ordinaria media tentata sunt: ad aliquid obtinendum; aut tunc secundum Deum expedit obtinere id quod desideratur, aut non expedit. Si expedit sine dubio Deus ipse paratus est per se, aut per sanctos Angelos nobis illud conferre: si confidenter, & pie, humiliterque id petamus iuxta ipsius expressam promissionem Matth. 6. Itaque si tunc Deo neglecto, ad Dæmones ipsius ac nostros hostes confugiamus, magnã ignominiã creatorem afficiemus, petendo id ab hoste, quod ipse multo melius & facilius potest & vult concedere: non quidem ministerio dæmonum, quorum tutelæ non commisit nos: sed sanctorum potius Angelorum quorum custodiæ traditi fuimus. Si vero non expedit id obtinere, sane repugnaremus paternæ prouidentiæ eiusdem creatoris, tale quid opera dæmonum procurantes; quasi ij velint melius quam ille, & Angeli sancti, nobis esse consultum. 110.

Auerte autem ex eodem Gregorio in responsione ad secundum argumentum secundi dubij: dæmone sponte occurrente, non esse illicitum adiurare ipsum, vt aliquid præstet (quando ad ipsum repellendum, arcendumque ab 111.

homini-

hominibus id pertinet) pro maiore ignominia ipsius, & peculiari gloria Dei, aut hominum vtilitate. Sic enim quidem Sancti leguntur compulisse Dæmones ad confringenda sua simulachra. Idem citatis D. Thoma ac D. Antonino Suarez habet in memorato capite 2. numero 9. bene monens quidquid in hoc genere factum est à Sanctis, non rogando sed imperando factum esse, ad Dæmonis expulsionem, cum ipsius confusione, & fructu fidelium, ac maiore Dei gloria.

Aduerte etiam, *quod idem Suarez habet in sequenti numero* 10. licitam Dæmonis adiurationem solemnem, ac quæ fieri consueuit secundum formam quandam ab Ecclesia institutam, præscriptamque, pertinere tantum ad Ecclesiæ ministros, specialiter ad id deputatos: per collationem scilicet ordinis exorcistatus: quâ ex Christi institutione confertur legitima potestas ad tale ministerium exercendum. Sine qua potestate, conari exterioribns adiurationibus dæmonem fugare (nisi id fiat speciali Spiritus sancti instinctu, vt olim in primitiua Ecclesia factum esse putandum est) temeritas est: quia tentatur id, quod nequit viribus naturalibus fieri: cum nulla detur potestas hominis in dæmonem, præter Ecclesiæ relictam à Christo, aut quam Deus alicui concesserit, extraordinario priuilegio. Quod sic accipe; vt tamen nihil obstet, quin fideles in fide fortes, priuatim possint ipsos tentati resistere; iuxta D. Petri monitum in 1. Epist. cap. 5. eique suam nequitiam exprobrando, imperare in virtute nominis & crucis Christi, vt recedat, cessetque eos infestare.

112. Octaua propositio est, Non esse ita licitum adiurare creaturas irrationales, vt cum eis agi possit, ac si eæ moueant se, & efficiant ex se, id quod est nobis aduersum: sed agi tanquam cum eis quæ ab alio mouentur ad idipsum efficiendum. Hæc est D. Thomæ in eadem quæstio. 90. art. 3. quem cum Soto libr. 8. De iustitia & iure quæst. 3. art 3. sequitur Suarez in eodem cap. in fine. Et confirmatur: quia cum tales res nec se moueant, ad id quod à nobis auertere cupimus; nec percipiant adiurationem, in vanum hæc vsurparetur: quod aduersatur huic secundo præcepto; sicut & iurare in vanum.] Itaq; proprie loquendo, nõ ipsæ, *prout patet ex cap. Sicut nostis De consecr. dist.* 4. sed ipsarum motor adiuratur: etiamsi ad ipsas adiuratio aliquo modo dirigatur; eo quod in eis sit operatio nociua, quam conamur per adiurationem à nobis amoliri.

Cæterum vt à Deo mouentur, adiurandæ sunt deprecando ipsum, ne eis vtatur ad nostram perniciem; sed potius ad bonum nostrum. Sic enim ipsum precamur per Christum Dominum nostrum, vt auertat inclementiam aëris & nubium, ac nocumẽtum animalium: & in benedictione aquæ, ipsa ac sal exorcizantur, precando similiter ipsum, vt virtutẽ eis peculiarem tribuat ad aliquos effectus, nominatimq; ad fugandos dæmones. Vt vero eædem res mouentur à Dæmone, si ad hunc adiuratio directe dirigatur, fieri debet per imperium, *vt ante dictum est*, quo arceatur cum quadam authoritate: ne per tales res noceat fidelibus. Sin dirigatur ad Deũ, fieri debet fusis ad eum precibus, vt opera Dæmonis dissoluat ac impediat, imperetq; vt is à talibus rebus recedat, nec per eas nobis noceat.

Cauendum est autem, ne tali rerum nocentium adiurationi, superstitiosa ac vana aliqua admisceantur: vt, *ex Soto loco cit.* fit ab illis qui instituunt accusatorem & patronum ac procuratorem: tanquam si litem cum locustis aut alijs eiusmodi habeant, quod est vanum; siue talis tractatio ad res ipsas irrationales dirigatur, cum nihil eorum præcipiant: siue dirigatur ad Dæmones à quibus illæ mouentur: quia nihil attinet eos vel defendere vel accusare, quos agere malitiose, odium Dei & hominum quo flagrant, satis aperte ostendit.

113. Nona propositio est, Adiurationem perfectam, & quæ tanquam Dei cultus, propria est virtutis religionis, licite fieri posse tantũ propter Deum: siue obsecrando, siue imperãdo fiat. Ratio est: quia sicut iuramentum, *eiusdem virtutis proprium*, debet cum inuocatione Dei, *infallibilis veritatis*, fieri, vt vim habeat veritatem reddendi certam: ita etiam adiuratio prædicta, vt efficax sit, interponi debet authoritas Dei, qui solus illam habet summam & coniunctam cum potestate quæ requiritur ad præbendam vim, & efficaciam petitioni, cui eamet adiuratio admiscetur.

Fieri vero potest talis interpositio, tum expresse, vt ordinarie fit, cum petimus per ipsius misericordiam; & interdum, quando per semetipsum: vt petijt Daniel in cap. 9. inquiẽs, Ne moreris propter temetipsum Deus meus] tum etiam implicite, vt quoties adiuratur Deus per creaturam aliquam, prout ea includit aliquã singularem participationem diuinæ bonitatis. De qua re late Suarez in tractat. 5. de Religione libro 4. capite. 3. Nobis sufficere potest quod id satis pareat ex vsu sacræ Scripturæ, Exodi 32. cum Moyses orauit dicens, Recordare, Abraham Isaac & Israel seruorũ tuorum.] Itemque ex vsu Ecclesiæ orantis per Christi opera in ipsius humanitate, aut per eam gesta: quæ de se sunt res creatæ: item per merita Sanctorum, & prærogatiuas ipsis concessas.

Postrema propositio est, Ad licitam admirationem requiri, vt fiat debito modo: ad quem pertinet maxime discretio, qua caueatur ne ipsa temere fiat data quacunque occasione, & absque vlla necessitate, vel vtilitate. Qua ratione in vanum ea fieret, contra hoc præceptum. Itemque obseruetur decorum personarum; neque is qui tantum est capax imperij, adiuretur prẽte: neque is qui tantum capax est precis, adiuretur imperio: aliter enim facere, est aperte contra rectum rationis dictamen.

Quando adiuratio illicita, peccatum sit mortale.

Sectio III.

DE hac re Sylueſter agit in verbo Adiuratio, quæst. vltima, & post eum Suarez in memorato lib. 4. c. 4. Tenendum est autem, quod cum adiuratio illicita esse possit, vel ex parte materiæ, seu rei in quam dirigitur caditque adiuratio, vel ex parte eius propter quem, seu cuius interposita authoritate, fit adiuratio, vel demum ex parte modi adiurandi. Ex parte quidem materiæ si hæc sit peccatum mortale, adiurationẽm esse illicitam mortaliter, transgressione huius secundi præcepti in re graui. Nam per eiusmodi adiurationem nomen Dei assumitur in vanum, quod idem præceptum prohibet. Quod si materia sit tantũ venialis, excusatio erit à mortali ex illius leuitate, sicut esse in iuramento promissorio docuimus in præced. cap. 7. sect. 3. Nec obstat quod in re etiam leuissima, inuocatio Dei in testem falsitatis, sit mortalis: quia nulla talis locum habet in adiuratione, in qua interponitur tantum Dei inuocatio, ex qua vim & efficaciam obtineant petitio, vel imperium cum quibus fit adiuratio. Quæ interpositio in materia veniali, irreligiosa est quidem & contra Dei reuerentiam: non tamen talis quæ amicitiam extinguat, excusante leuitate materiæ; vt passim solet in alijs peccatis. Ad quæ faciunt quæ Suarez habet in eodem cap. 4. numer. 7. & 8. 114.

Ex parte vero eius propter quem fit adiuratio (loquimur de ea quæ spectant ad istud secundum præceptum, actus est religionis) ea mortaliter illicita censetur, quando fit propter alium quam verum Deum in se, aut in Sanctis suis. Ratio patet: quia est actus idololatriæ, Deo iniuriosissimus: vtpote quo tribuitur alteri quod proprium est illi, tanquam supremo omnium Domino vnico.

Ex parte denique modi, adiuratio illicita est moraliter. 115.
Primo, quando superiores aut æquales adiurantur per modum coactionis: quia id fit vsurpando sibi in alterum potestatem contra iustitiam, in quo contra charitatem notabiliter læditur: nisi forte id ficte fiat ad explorandum illius animum; vel ipsum in re leui decipiendum per iocum: tunc enim ex leuitate materiæ censebitur peccatum solummodo veniale: vt Suarez in citato numero 7. tangit. Secundo, cum dæmones adiurantur per modum deprecationis seu petitionis beneuolæ. Id enim est amicitiam iungere cum eis, seque disponere ad ineundum fœdus cum eis: quod notabiliter iniuriosum est Deo: ex quo tanquam Domino munificentissimo, ac Patre amantissimo toti pendere debemus. Et certe amicitiæ Dei repugnat, *& ideo peccatum est mortale*, amicitiam ac fœdus inire cum hoste ipsius perpetuo, ac incorrigibili. Tertio, cum Dæmones per modum

coactionis adiurantur vt discatur aliquid ab eis, vel aliquid obsequij accipiatur. Ratio est: quod talis recursus ad Dæmonem (tanquam fornicatio quædam, qua Deo relicto, dæmoni ipsi adhæretur) maximopere diuinæ maiestati displiceat, & ab ea puniatur grauissime: prout satis indicant verba illa Numerorum 20. Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui.] Exemplum habetur initio libr. 4. Reg. de Ochosia, qui ægrotans misit ad consulendum Beelzebub Deum Accaron.

Si quæras quid sentiendum sit de ijs qui ab obsessis à Diabolo curiosa inquirunt: quæ nec ad Dei gloriam, nec ad proximorum vtilitatem, & ædificationem faciunt. Respondendum est, prout Syluester insinuat in fine citatæ quæstionis vltimæ, non peccare mortaliter, si inquirant cogendo: dummodo non ea mente, vt aliquid obsequij inde consequantur: sed tantum ex curiositate, lenitateve animi, vt videatur quid Diabolus dicat. Ratio vero est, quia in eo non adhæretur Dæmoni, deserto Deo; sed solum nomen huius irreuerenter assumitur in re leui, quod tantum est veniale, vt iam diximus in præcedentibus.

TRACTATVS II.

De laude Dei.

116. EAus Dei est manifestatio excellentiæ ipsius: quæ fieri potest tum mente, & corde tantum, dicitur-que interior: tum verbo, seu voce, nutu, vel gestu, aliove signo externo tantum; & dicitur exterior: tum demum vtroque modo & dicitur interior simul & exterior. Atque vnaquæque earum potest vsurpari tripliciter: primo per modum enunciantis, quando scilicet aliquod bonum affirmatur de Deo: vt Psalm. 47. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, &c.] vel malum negatur: vt Num. 23. Non est Deus quasi homo vt mentiatur.] Secundo, per modum inuitantis, & deprecantis vt Psalm. 100. Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine, psallam & intelligam in via immaculata: quando veniesad me.] Tertio, per modum admirantis, vt Psal. 72. Quam bonus Israel Deus ijs qui recto sunt corde.]

Duo vero sunt quæ ad ipsam Dei laudem spectantia, peculiariter hic occurrunt à nobis consideranda, tanquam ea in quibus deficiendo, violatur secundum Decalogi præceptum in quo versamur: assumendo nomen Dei in vanum, hoc nomine: quodcultus verbis, aut æquipollentibus signis externis Deo exhibendus, exhibeatur indebite. Illa autem sunt prædicatio verbi Dei, & recitatio horarum canonicarum: in quibus proinde immorabimur quantum sufficiet ad iudicium de peccatis nobis propositum. Addemus & spectantia ad blasphemiam, ipsi Dei laudi, ex diametro oppositam.

CAP. X.

De prædicatione verbi Dei, tanquam laude quadam, manifestationeve excellentiæ ipsius publicâ.

SVMMARIVM.

117 *Prædicationis verbi Dei dignitas maxima.*
118 *Prædicatio verbi Dei incumbit ex officio tam Papæ, quam cæteris Episcopis.*
119 *Quibus alijs idem ex officio incumbat.*
120 *Quibus licentiam prædicandi dare possit Episcopus, & quibus solus Papa.*
121 *Laico interdictum est munus prædicandi, sic tamen vt in eo, vir capax sit dispensationis, non item fœmina.*
122 *Quatenus liberum sit Episcopo extra suam diœcesim & Parocho extra suam Parochiam prædicare verbum Dei.*
123 *Statutum Concilij Tridentini de cæteris cohibendis, ne libere prædicent.*
124 *Dona naturalia in prædicatore verbi Dei requisita, non quidem necessario: sed vt prædicatio gratior esse possit.*
125 *Duo alia requisita, arte & labore acquisita.*
126 *Alia præterea diuinitus infusa, quæ ex parte ipsius prædicatoris requiruntur.*
127 *Requisita in prædicatione ex parte materiæ.*
128 *Requisita ad solemnitatem prædicationis verbi Dei.*
129 *Quis vsus mundanæ scientiæ possit esse in prædicatione verbi Dei.*
130 *Peccata prædicantis sine debita authoritate: aut in statu peccati mortalis, aut mendacia, vel inutilia, & vana.*
131 *Alia prædicantis quærendo seipsum non Deum: aut narrantis fabulas vel facetias: aut detrahentis Prælatis Ecclesiæ aut Sacerdotibus, aut dissuadentis solutionem decimarum: aut demum non seruantis quæ tenetur ex decreto Concilij Tridentini.*
132 *Peccata quæ solent ij committere, qui auditores sunt prædicationum verbi Dei.*
133 *Requisita ad audiendum fructuose verbi Dei prædicationem.*

117. QVod verbi Dei summa sit dignitas, colligitur tum ex eo quod Christus Dominus ad illius exercitium expectarit ætatis suæ annum trigesimum; in quo ante illam inceptam Baptizatus esse à Ioanne ex capite 3. D. Lucæ: tum ex eo, quod Apostoli alia munera committentes Discipulis alijs, munus prædicandi verbi Dei sibi reseruarint ex Actis capit. sexto; tum demum ex eo, quod illa habeat præstantissimum obiectum nempe verbum Dei, quod sancti homines locuti sunt inspirati Spiritusancto, 2. Petri cap. 1. in fine. Dicemus autem primo quibus ea competat. Secundo, quæ ad eam requirantur. Tertio, quæ peccata frequentius in ea contingant,

De ijs quibus competit munus prædicandi verbum Dei.

SECTIO I.

118. EX officio prædicare competit principaliter Summo Pontifici argumento capit. In memoriam distinct. 19. & homiliarum quæ extant Summorum Pontificum, vt D. Leonis & D. Greg. Magni: itemque cæteris Episcopis: quorum istud esse munus præcipuum habet Concilium Trident. sess. 5. cap. 2. addens hæc verba: Statuit & decreuit omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, & omnes alios Ecclesiarum Prælatos, teneri per seipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum sanctum IESV CHRISTI Euangelium. Quod quidem in antiqua Ecclesia fuisse diligenter seruatum, satis patet ex eo, quod scripta Sanctorum Patrum, quæ ad nos peruenerunt, maxima ex parte sint Episcoporum.

Impedimentum autem prædicandi habentes, ex eodem Concilio ibidem consequenter, & ex Concilio Lateranensi sub Innocentio 3. (quod refertur in cap. Inter cætera, De officio ordinarij) tenentur viros idoneos assumere, ad ipsum prædicationis officium salubriter exequendum: quique id implere contempserit (addit vtrumq; Concilium) districtæ subiaceat vltioni, tanquam fodiens scilicet foueam in quam cadat.

119. De Prælatis inferioribus Episcopo, atque alijs habentibus curam animarũ, idem habetur adhuc consequenter in Concilio Triden. nempe teneri per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis & festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate, pascere salutaribus verbis: docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem: annunciandoq; eis cum breuitate & facilitate sermonis, vitia quæ eos declinare & virtutes quas sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere & cœlestem gloriam consequi valeant. Id si quis præstare neglexerit, Episcopo committitur grauiter puniendus. Legendus est textus eiusdem Concilij.

Accum id ita sit, hoc ipso, quod alicui commissa est animarum cura, ipse ad prædicandum Dei verbum censetur missus, constitutusque iure ordinario: alias vero, nequaquã: vt patet ex decreto Concilij Lateranensis, quod refertur de hæreticis capit. Excommunicamus 1. §. Qua vero:

nisi id

nisi id faciat authoritate accepta ab Apostolica Sede, vel ab Episcopo Catholico loci. Sine qua authoritate ingerentem se tali muneri, peccare mortaliter satis constat ex eo, quod propterea dignus sit excommunicatione, qua ipsum ferien-dum esse statuitur in eodem cap. Vbi aduerte quod etiamsi Episcopus esset quidem hæreticus, sed ab Ecclesia, non secus toleratus in officio suo, quam si Catholicus esset, concessio-nem potestatis prædicandi factam ab ipso, valere perinde ac alia per ipsum ex Episcopali officio gesta.

120. Potest autem eiusmodi licentia ab Episcopo dari, non mo-do Sacerdotibus simplicibus, sed etiam Diaconis, si inue-niantur idonei, ex Sylu. in verbo Prædicatio quæst. 1. Et ra-tio esse potest, quod Diacono ex officio incumbat annun-ciare populo Euangelium quod intelligi potest non tantum de illius lectione, sed etiam de explicatione: quæ tamen in ipso requirat licentiam Episcopi, cum requirat in simplici sacerdote, iuxta ante memoratum decretum Concilij Late-ran.

De licentia Papæ vero, Clericos alios etiam in minoribus tantum ordinibus constitutos prædicare posse verbum Dei, habetur ex vsu recepto in aliquibus religionibus: quibus cum sit à Sede Apostolica absolute & sine restrictione con-cessum, vt Prælati possint suos Religiosos mittere ad præ-dicandum, mittunt etiam Clericos in minoribus tantum or-dinibus constitutos. Quem vsum à viris doctis ac timora-tis, *vt par est existimare*, introductum, temerarium esset damna-re.

121. Laico posse quoque à Sede Apostolica committi munus prædicandi, deduci potest ex cap. Mulier, dist. 23. in quo non quidem simpliciter, sed cum exceptione interdicitur laico munus prædicandi: fœminæ autem interdicitur simpliciter. Et merito ob rationes quæ videri possunt apud D. Thom. 2. 2. quæstio. 177. art. 2. Ad quem locum Caietanus bene notat, tale interdictum non obstare quin Abbatissæ & Priorissæ liceat, *immo incumbat*, prædicare suis monialibus, easve adhortari ad regularum suarum obseruationem: at-que ad alia quæ sunt pietatis Christianæ, ac religiosi institu-ti. Illud enim intelligitur de prædicatione quæ fit toti Ec-clesiæ, id est, *vt Caiet. interpretatur*, populo ad prædicationes concurrenti communiter; seu Clericis simul, & laicis vtriusque sexus.

122. Cæterum Episcopi tanquam successores Apostolorum, qui iubente Domino in toto orbe terrarum dispersi, Euan-gelium prædicauerunt *ex cap. In nouo dist.* 21. censeri possunt sufficientem potestatem habere prædicandi in aliena diœce-si: nisi resistant, qui in illa præsunt populo in spiritualibus. Parochi verò censeri quoq; possunt sufficientem habere po-testatem prædicandi in aliena parochia intra eandem diœce-sim: tanquam missi ab Episcopo loci, quando ab eo accepe-runt curam animarum: non vero prædicandi in aliena diœ-cesi; tanquam ab Episcopo illius loci minime missi, per cō-missionem curæ animarum. Neque ratio proposita de Epi-scopis habet in eis locum, vt satis intelligitur ex eodem cap. In nouo.

123. Quod attinet ad alios Sacerdotes, in Conc. Trid. sess. 5. ca-pit. 2. De reformat. statuitur vt regulares cuiuscunque sint ordinis, nisi à suis Superioribus de vita & maioribus & scien-tia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia: et-iam in Ecclesijs suorum ordinum prædicare non possint. Cum qua licentia teneantur personaliter se coram Episco-pis præsentare, & ab eis benedictionem petere antequam prædicare incipiant. In Ecclesijs vero quæ suorum ordinum non sunt, vltra licentiam suorum Superiorum, teneantur et-iam Episcopi licentiam habere; sine qua in talibus Ecclesijs nullo modo prædicare valeant. Iniungitur præterea Epi-scopis, vt neminem eorum, qui cum sint regulares, nihilo-minus extra claustra & obedientiam religionum suarum vi-uunt: neminemque Presbyterorum sæcularium, nisi sint ipsis noti, & moribus atque doctrina probati, permittant in sua ciuitate vel diœcesi prædicare, quorumlibet priuilegio-rū prætextu, donec ab ipsismet Episcopis sancta Sedes Apo-stolica super ea re consulatur. Itemque prohibeant quæstuarios siue per se, siue per alium vllo modo prædicare.

De requisitis ad verbi Dei prædicationem.

Sectio II.

EX parte prædicatoris præter antedictam potestatem, ad verbi Dei prædicationem requiruntur dona tum natu-ralia, tum arte & labore acquisita, tum etiam gratuita, diui-nitusque concessa. Ac circa naturalia notandum est; ea non requiri tanquam necessaria; cum sit compertum experien-tia prædicatores plenos diuino Spiritu, quamuis nullis aut valde exiguis donis naturalibus præditos, magnum homi-num numerum conuertisse: & contra cumulatos eiusmodi donis, sed vacuos diuino Spiritu, vix aliquos. Requiruntur ergo tantum vt externum quoddam ornamentum ipsius prædicationis, eo quod illam reddant gratiorem: sicut ornatus vestium gratiorem reddit personam. Inter talia ve-ro dona, præcipua sunt; vox clara & sonora, firma latera, tū ad sustinendum prædicandi laborem tum ad vocem expro-mendam; maturitas iudicij, perspicacitas ingenij, fœlicitas memoriæ, industria conformandi vultū, conuenienter qua-litati rerum quæ dicuntur: perspicuitas sermonis, & facilitas in dicendo, ac docendo. Forma denique corporis nec nimis pulchra nec nimis turpis. 124.

Circa dona labore & arte quæsita, notandum est, duo præcipue requiri in prædicatore Euangelico: vnum est ex-perientia circa tractationem animorum: nempe vt expertus didicerit quibus modis peccator moueatur ad pœnitentiam, peccatorumve detestationem: quibus iustus inflammetur ad maiorem perfectionem ac Dei amorem: quibus remedijs instructus esse debeat homo aduersus tentationes, & alia quæ possunt esse adiumenta lucrandi Christo animas. Alte-rum est sufficies scientia, præsertim sacrarum scripturarum, comparanda tam earundem, quam Doctorum Catholico-rum lectione diligenti. De cæteris legi potest Ludouici Gra-natensis Rhetorica. 125.

Circa dona gratuita seu diuinitus infusa, notādum est, eā imprimis prædicatori Euangelico necessaria esse ad fructifi-candū. Sunt autem 1. charitas magna in Deum, & proximum; generans tum zelum diuini honoris, atq; desiderium vt totus mundus vni Deo seruiat, nec vllus eum offendat: tum com-passionē de proximo, qua idem zelus temperetur admixtio-ne affectus paterni: per quem illius, in peccato existentis, re-conciliatio cum Deo, emendatioq; potius quæratur, quam punitio & vindicta. Secundo, frequens tractatio cum Deo, à quo scientiam illam qua possit animas iuuare, prædicator expectare debet potissimum, cum fungatur tali munere, tā-quam Dei legatus ad homines (iuxta illud posterioris ad Co-rinth. cap. 5. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconcilia-mini Deo) si quidem legatus omnis debet particulariter de ijs quæ ad legationem suā pertinent instrui ab eo à quo mit-titur. Hinc docet experientia ad notitiam viarum, seu mo-dorum quibus possimus peccatorem lucrari Christo, oratio-nem plus valere, quam studium. Tertio, humilitas, qua fu-giatur inanis gloria; sæpissime faciens, ne ex prædicatione sequatur fructus in populo: siue quia ita Deus permittit, qui superbis resistit: siue quia prædicator suam non Dei gloriam quærens, dum non loquitur ex vera charitate, efficitur velut æs sonans, & cymbalum tinniens: aures scilicet auditorum obtundens, aut solum exterius pascens. Quarto, modestia in vtroq; homine: vt non facile prorumpat in iram, indigna-tionem, contumelias, iocos, scurrilitates maledictiones, &c. Quinto, vt frugalis si in victu & vestitu atq; adeo sic vitam instituat, vt neminem offendat: sitque, *exemplo D. Ioannis Ba-ptistæ*, lucerna tam ardens, quam lucens. Cuius rei gratia vitare debebit hominum frequentiam, & nimias, *fœminarum præsertim*, familiaritates; quæ vix esse possunt sine alicuius offensione: vitare item colloquia illa quæ communiter ge-nerant malum odorem. Debebit quoque corpus castigare, secularia que desideria mortificare in se: ad imitationem A-postoli dicentis in priori ad Corinth. capit. 9. Castigo cor-pus meum & in seruitutē redigo ne cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar.] Nam sic merebitur sibi à Deo tribui adiumenta, quæ nec natura, nec ars, aut labor suppeditare ei valebunt. 126.

127. Ex parte porro materiæ, in prædicatione requiritur, vt ea sit verbi Dei: quo nomine significatur sacra scriptura, tam veteris quam noui Testamenti à Sanctis interpretata: in qua sufficienter continentur ea quæ possunt ad prædicationem assumi. Instituitur enim prædicatio vel ad docēdum aliquod nostræ fidei mysterium, vel ad populum arguendum ac increpandum de aliquo vitio: vel ad exhortandum ad aliquam virtutem, instruendumq; ad eiusdem vsum. Ad quæ quidem tria, sacra scriptura sufficientissima est, iuxtà illud posterioris ad Timoth. cap. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.]

128. Aduerte autem his non obstantibus, posse aliquid prædicationi apponi ex mundana sapientia, iuxta cap. Relatum distinct. 37. Quod tamen accipi debet cum duplici limitatione. Prior est, vt non nisi pauca sumantur, iuxta illud quod in cap. Cum multa, distinct. 86. reprehenditur quidam Episcopus, eo quod grammaticam semper tractaret, id est, *interprete glossa, ad verbum Grammaticam*, in prædicatione referret fabulas gentilium, interpretando illas moraliter. Posterior limitatio est, ne aliquid ex humanis scientijs assumatur ad quoddam sacræ scripturæ complementum, sed solum ad ostendendum illud quod sacra scriptura docet, sic esse consentaneum lumini rationis naturalis, vt à gentilibus fuerit cognitum.

129. Ex parte demum solemnitatis seruandæ in ea de qua agimus verbi Dei prædicatione, requiritur, vt sermo sit publicus: sicut censetur esse cum sit in loco publico, nullumque impedimentum ponitur quin accedere possint quicunque volunt: vt quando non clauduntur fores Ecclesiæ. Secundo, requiritur vt sit sermo generalis, seu pertinens ad cuiusuis status & conditionis homines. Vnde intelligitur à numero prædicationum excludi sermones, qui habentur ad moniales aut ad religiosos in capitulo: itemq; eos qui haberi solent in sodalitijs, seu congregationibus particularibus: etiamsi habeantur à Clericis: quia non sunt sermones publici nec generales. Tertio, requiritur vt prædicator dum prædicat locum habeat distinctum à cæteris, eumq; eminentiorem. Quarto, vt inuocet auxilium B. Virginis, *prout consueuit*, dicendo salutationem angelicam: siue statim initio, siue aliquanto post. Quinto, vt proponatur thema seu pars aliqua Euangelij, de quo habenda est prædicatio ipsa. Adde conuenire vt prædicatio tanquam actio dignissima, & ad Dei gloriam conducens maxime, vt fiat in templo tanquam loco dignissimo ad Dei cultum consecrato.

De peccatis quæ frequentius concingunt circa prædicationem verbi Dei.

Sectio III.

130. HOrum alia sunt prædicatoris, & alia auditorum. Atque prædicatoris frequentiora, sex refert Caiet. in verbo Prædicatorum peccata. Primum est, cum quis prædicat sine debita authoritate, siue ordinaria, siue delegata. Quod esse mortale idem author colligit ex cap. Excommunicamus 1. De hæret. §. Quia vero: vbi sub pœna excommunicationis prohibetur, ne quis sine Sedis Apostolicæ aut Episcopi loci authoritate, munus prædicandi sibi assumat. De qua re iam diximus in sect. 1.

Secundum est: cum quis prædicat sciens se esse in statu peccati mortalis, nisi de eo conteratur. Existimat tamen ibidem Caiet. in eo committi tantum veniale, exceptis duobus casibus. Prior est, quando in eo statu perinde prædicaret indigne, ac si declamaret: aut ipse esset peccator notorius, vel scandalosæ vitæ: tunc enim magnam iniuriam facit officio prædicationis, quod sanctissimum est. Quo nomine censeri potest reprehendi à Deo per illud quod in Psal. 49. habetur. Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Posterior est, quando per contemptum muneris prædicationis, seu nihili ipsum faciendo, prædicaret quis in statu peccati mortalis: quia in eo etiam magna fit iniuria officio prædicandi. Postea autem is sententiâ mutatâ (quod attingit in Enchiridio Nauarr. capit. 25. numero 141.) docuit absolute istiusmodi peccatum esse mortale: in eoque illi Nauarr. ibidem assentitur. Quamquam vero, extra duos illos casus memoratos mortale esse, vix possit ostendi certa ratione: duorum tamen illorum doctissimorum virorum authoritas, magni certe facienda, sufficere potest homini timorato ad solicite cauendum peccandi in re tanti momenti periculum.

Tertium peccatum est; Cum quis prædicat mendacia; quod Caiet. ait esse mortale grauissimum, quia euacuat vniuersam Ecclesiæ authoritatem, Christiq; fidem. Id autem procedit siue mendacium dicatur contra doctrinam fidei aut morum; siue circa gesta Sanctorum, aut miracula aut reliquias; siue circa Prophetias aut quascunq; alias res spectantes ad institutionem fidelium. Vnus tamen casus est, in quo mentiri in concione non esset plus quam veniale: nimirum quando concionator illi admisceret aliqua impertinentia, & circa ea mentiretur.

Quartum peccatum est: quando quis inutilia & vana prædicat: tractans scilicet speculatiuas quæstiones, aut leges ciuiles enucleans; narrans Romanorum & aliorum gentilium gesta, aut in alijs id genus insumens concionem. Addit autem Caietan. tale peccatum esse grauissimum, si quis in tali re excedat. An autem sit mortale non exprimit, nec facile est statuere; nisi valde magnus in eo committatur excessus: vt cum tota concio, aut certe maxima pars illius cōsumeretur in talibus, sine interpretatione & applicatione ad mores Christianos. Etenim id potius est adulterare verbum Dei, quam illud sincere prædicare. Quod indignissimum esse, satis indicat Apostolus in posteriori ad Corinth. cap. 2. sub finem, & in capit. 6. sub initium vbi is solicite se purgat à tali peccato, tanquam indignissimo verbi Dei prædicatore.

Quintum peccatum est, quando prædicator non Deum, sed seipsum quærit: Quod dupliciter potissimum contingit: vno modo cum ad prædicandum mouetur affectu lucri: altero cum mouetur affectu propriæ laudis & gloriæ. Ex Caietano autem peccatum est mortale, cum prædicatoris affectus talia respicit tanquam finem vltimum; aut is procedit vsque ad simoniam committendam. Extra quos casus veniale est de se: in quo, *ex eodem Caiet.* considerandæ est affectus quantitas; secundumq; eam est de illius grauitate iudicandum. 131.

Sextum peccatum est, cum prædicator narrat fabulas gentilium & facetias. Quod ex se veniale est, *vt addit Caiet. & approbat Nauarr. in Enchir. cap. 25. num. 142.* nisi tale quid, nimis multum fiat; ita nimirum vt tota cōcio vel maior pars illius consumatur in risu: quia tunc periculum magnum esset de mortali.

Addit ibidem Nauarr. septimum peccatum, quando Religiosus Prælatis Ecclesiæ & Sacerdotibus, concionando detrahit præsertim vt laicis placeat. ex Clemen. 1. §. Quibus autem, De priuilegijs. Quod *ex glossa ibidem, verbo Detrahant*, intelligēdum est de ijs qui detrahunt nominatim, aut æquialenter: seu talibus verbis vt intelligatur de quibus loquātur. Pro quo peccato imposita est illis excommunicatio reseruata Papæ per Concil. Lateranense sub Leone decimo sess. prima. Quærenti vero an idem sentiendum sit de concionatoribus sæcularibus: idem Nauarr. tangit respondendum esse, quod sit idem quoad culpam: quia vtriq; naturæ iure, talis detractio est pariter prohibita: nō item quoad pœnam excommunicationis: quoniam solis Religiosis ea imponitur ab Ecclesia.

Octauum peccatum est, *quod ibidem habet Nauar.* quando prædicatores Religiosi dissuadent populo solutionem decimarum. Quod peccatum ab Ecclesia punitur excommunicatione ipso facto incurrenda: per Clemen. Cupientes, De pœnis §. Illos. De eodem autem quoad prædicatores sæculares, iudicandum est perinde, ac de præced. peccato.

Vltimum peccatum consistit in omissione eorum quæ ex definitione Concilij Trid. sess. 5. cap. 2. seruari debere ab illis quibus prædicatio verbi diuini incumbit, habitum est in præced. sect. 1. Illudque Nauarr. in sequenti numer. 134. pro mortali habet: & merito, quia tale statutum datum est in re graui, cum comminatione excommunicationis aliarumq; pœnarum.

Quod

132. Quod attinet ad peccata auditorum, seu quæ solent committere ij qui concionem audiunt: Primum consistit in omissione: qua quis omittit audire concionem, quando commode potest. ipseq; ea indiget, vt maxime solent rudes, ignorantes mysteria nostræ fidei. Cuiusmodi necessitas facit frequenter, vt peccatum mortale committant non audiendo cum contra charitatem omittant in graui necessitate, subuenire animæ suæ.

Secundum peccatum est, cum quis adit, & audit concionem, vel ex vanitate, vel ex curiositate, vt notet defectus cõcionatoris, vel ob alium peiorem finem, verbi gratia, vt mulieres aspiciat, vel vt concionatorem irrideat. Hoc peccatum quantum sit, indicatur ex illius fine.

Tertium peccatum est, quando quis dum concio fit, non attendit, sed voluntarie distrahitur: præsertim cum concionator reprehendit aliquod vitium, à quo non vult se emendare: aut hortatur ad aliquod bonum, cui non vult vacare. Huc spectant confabulationes, risus, & cætera, quibus nõ solum sibi ipsi quis obest non attendendo, sed etiam aliis, qui impediuntur ab audiendo. De huius vero peccati quantitate vt iudicetur, ponderandæ sunt facti circumstantiæ.

Vltimum peccatum est contemnere, nec dare operam, vt fructus aliquis ex concione referatur: qui enim ita adest cõcioni, vt nihil fructus inde prorsus referat, cum saltẽ perdat tempus, non vacat culpa saltem veniali.

133. Cæterum ad audiendam fructuose verbi Dei prædicationem, quædam præcedere eam, quædã comitari, & quædam subsequi oportet. Igitur antequam ad eam accedatur, confert vacasse alicui exercitio spirituali, per quod anima disponatur ad excipienda cum dilatatione cordis, diuini verbi fluentia: nempe orationi vacasse, aut confessionem fecisse, vel Eucharistiam sumpsisse. Confert item excitasse quasi famem ac sitim diuini verbi, tanquam cibi & potus ad animæ refectionem accommodatissimi. Itemque concepisse propositum emendandi vitam, corrigendo se de suis defectibus, & studendo proficere in virtutibus; ad quæ iuuandus est concionum auditione.

Dum vero concio ipsa auditur, procuranda est reuerẽtia, non tantum interior recognoscendo in prædicatore loquentem Deum: sed etiam exterior cum debita corporis cõpositione, habẽdo oculos demissos nec vagantes circumspiciendo. Procuranda est secunda deuotio, qua concio audiatur, cum pio in Deum affectu: non autem ea ratione, qua ad oblectationem, aliquid prophanum audiremus. Procuranda est quoque attentio, curandum ve ne distrahamur voluntarie, garriamus, &c. Curandum est item vt quæ dicta sunt in concione applicemus nobis in particulari: præsertim si mueniantur ad nos pertinere ratione nostri status, aut alias nobis necessaria videantur: memores nos non interesse tanquam iudices sed tanquam discipulos.

Denique post auditam concionem oportet apud se coram Deo ruminare quæ audiuerimus, præsertim ea quæ aduertimus esse nobis valde necessaria, tanquam pertinentia ad salutem nostram, & eadem sedulo notare: atq; si occasio detur, illa referre aliis, tanquam audita in concione. Id quod conferet nobis ad illa ipsa memoriæ inculcanda. Et demum oportet petere à Deo vires implendi ea quæ audiuerimus, ac cum primum offertur commoditas, sed ad illa implenda applicare.

CAPVT XI.

De recitatione horarum canonicarum, tanquam Dei laude præscripta ab Ecclesia; & peculiariter de eiusdem præscripti obligatione.

SVMMARIVM.

134 *Tractantes de horis canonicis: & quæ de earum recitatione, conuenienter nostro instituto, nos tractare oporteat.*

135 *Qui obligentur ad eam: & primo, de iis qui obligantur ratione sacri ordinis.*

136 *Eiusmodi obligatio Diaconi & Subdiaconi imposita est tantum per receptam, rationabiliterq; præscriptam in Ecclesia consuetudinem.*

137 *De Religiosis professis, qui ad recitationem horarum canonicarum tenentur.*

138 *Ad quid teneantur Conuersi & Nouitii in religionibus addictis choro.*

139 *Vnde sit Religiosorum professorum obligatio recitandi horas canonicas.*

140 *Communis ea de re sententia, quod sit ex generali Ecclesiæ consuetudine*

141 *Tria corollaria inde illata.*

142 *Omissio recitationis horarum canonicarum, peccatum est suo genere mortale.*

143 *Quæ earumdem horarum pars censeatur ita notabilis, vt illius omissio sufficiat ad peccatum mortale.*

144 *Refutantur aliquot aliorum dicta.*

145 *Quid videtur tenendum.*

146 *Non modo recitatio horarum canonicarum, sed etiam modus recitandi est in præcepto: & quis.*

134. HORÆ canonicæ vocantur eæ preces, quæ ex præscripto Ecclesiasticorum canonum, certis horis in Ecclesia recitantur. De illis autem in iure canonico agitur dist. 91. & 92. itemq; in titul. de celebratione Missarum. De iisdem post Summularios in verbo Hora: ac Sotum in lib. 10. de iust. & iure, & Nauar. in Enchir. cap. 25. n. 96. & aliquot seqq. ac latissime in tract. de oratione, tractatur à pluribus recentioribus: in quos in nostris sunt Gregor. à Valent. 2. 2 disput. 6. quæst. 2. puncto 10. Ioan. Azorius in 1. part. Instit. Moral. lib. 10. Leonard. Lessius De iust. & iur. lib. 2. cap. 37. & nouissime Franciscus Suarez de religione tract. 4. lib. 4. Tantum autem immorabimur in iis quæ faciunt ad iudicium de peccatis nobis propositum: vt sunt primo, obligatio ad talem recitationem, secundo, conditiones requisitæ, vt ea censeatur debite mandata executioni: & tertio, causæ ob quas contingit excusatio ab eadem. Atque de obligatione dicemus in hoc cap. dicturi de reliquis in duobus sequentibus.

De obligatione recitandi horas canonicas; ac primo, initiatorum sacris ordinibus.

SECTIO I.

135. EX communi Doctorum consensu teste Nauarro in memoratu tractatu de oratione cap. 7. num. 1. tria tantum genera hominum tenentur ad recitationem horarum canonicarum, communi Ecclesiæ siue præcepto siue consuetudine: nempe Clerici initiati maioribus ordinibus, Religiosi professi religionem in qua sunt addicti choro, & beneficiarij.

De primis, *qui sunt Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi*, notat Nauar. in sequenti num. 2. & plenius tractat Suarez in citato lib. 4. cap. 16. non datur in iure canonico textus expressus, per quem eiusmodi obligatio confirmetur, quoad diaconos & subdiacono. Tres enim canones citari solent pro tali obligatione, ex quibus nihil de ea quoad diaconos & subdiaconos certo colligitur. Primus est, canon Presbyter, De celebratione Missarum: vbi dicitur: Presbyter mane matutinali officio expleto, pensum seruitutis suę, videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vesperamque persoluat. Quibus verbis nihil exprimitur de Diacono & Subdiacono: sed solum de Presbytero. Cui quatenus per eundem canonem censenda sit imposita obligatio recitandi horas canonicas: explicat Suarez in cod. cap. 16. num. 9. Secundus est, canon Si quis Presbyter, dist. 92. in quo fit quidem mentio diaconi & subdiaconi, non tamen de obligatis ad recitationem horarum canonicarum ratione susceptionis ordinis: sed vt deputatis alicui Ecclesiæ: seu vt habentibus beneficia in aliqua Ecclesia. Nam illic pariter fit mentio aliorum clericorum, quos constat non omnes ratione susceptionis minorum ordinum obligari ad eam recitationem. De quo pluribus Suarez tractat quidem in cit. cap. 16. num. 10. & nonnullis sequentibus; sed nobis sufficit id satis constare ex recepta Ecclesiæ consuetudine.

Tertius est, canon Dolentes, De celebratione Missarum: in quo Prælatis & minoribus Clericis præcipitur in virtute sanctæ obedientię, vt diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent, pariter & deuote.

Sed quia nomine Clericorum minorum, non minus intelligi possunt initiati minoribus ordinibus, quam cæteri, prout inferiores sunt Prælatis (cum quibus tanquam maioribus ibi comparantur) non est censendum tale præceptum esse de recitandis horis canonicis: alioqui enim quilibet Clerici ad eam recitationem tenerentur, *cuius contrarium patet ex recepta consuetudine:* sed tantum esse de modo recitandi, impositum iis qui aliunde tenentur recitare: vt Prælati, & ex eis qui subsunt ipsis; tum Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi, ratione ordinis; tum Clerici reliqui si beneficium Ecclesiasticum habeant.

136. Quæ cum ita sint, tenendum est, quod Suarez *in memorato num. 9.* tenet cum Nauarro & Azorio, sequiturq; Leonardus Lessius *in citata dubit. 9.* Diaconi & Subdiaconi obligationem recitandi horas canonicas ratione sacri ordinis, prouenire ex antiqua & generali Ecclesiæ consuetudine; quæ cum sit rationabilis & legitime præscripta, vim legis habeat iuxta cap. finale De consuetudine in fine. Rationabilis autem ex eo est, quod Clerici per maiorum ordinum susceptionem acquirant in Ecclesia statũ, à quo resilire nequeũt: qui status cum ad cultum Dei laudesq; ipsius celebrandas institutus sit, nec ratione consentaneum fuerit, vt in talibus laudibus ferrentur in incertum: merito cõsuetudo obtinuit, vt eis determinarentur contentæ horis canonicis. Legitime vero præscriptam esse talem consuetudinem negari non potest: cum non modo annis, sed & seculis multis, atque adeo ab Apostolorum temporibus tanquam pia, sanctaque in Ecclesia vigeat: vt bene familiariterque ostensum aduersus hæreticos huius temporis: videri potest apud Leonardum Lessium in præced. dubit. 8. in quo nos hærere, necessarium non est ad nostrum institutum.

Ex obligatione Religiosorum professorum.

SECTIO II.

137. EX vi religiosæ professionis, non sequi obligationem dicendi horas canonicas, patet ex eo, quod professio ipsa religiosa ordinarie obliget tantum ad tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ, seruanda secundum regulam: fieriq; possit vt de recitatione horarum canonicarum nihil cõtineatur in regula: vt patet ex iis religionibus quæ non sunt deputatæ ad chorum, sed institutæ præcipue ad corporalia misericordiæ opera exercenda in hospitalibus: vel ad militiam aduersus infideles, vel ad aliquas actiones spiritales, vt ad contemplationem rerum diuinarum, & bonarum literarum studium, pro institutione rudium ad Dei gloriam. Patet item ex eo quod in religionib. ad chorum deputatis, qui laici seu conuersi dicuntur, etiamsi professionem solemnem faciant, vereq; sint Religiosi, non teneantur ad ipsum recitationem horarum canonicarum, prout omnes fateri habet Suarez in seq. cap. 17. num. 2.

138. Addens contra Paludanum, & quosdam alios, quos ipse refert: tales neque ex iure communi, neq; ex vniuersali consuetudine Ecclesiæ, teneri ad recitandum aliquid loco illarum: sed solum ex regulæ præscripto, seu quia regula suæ religionis iniungit: quam esse communem sententiam, *aliquot in eam citatis*, idem habet.

Quod autem idem Paludanus contra communem aliorum sententiam senserit non tantum professos, sed etiam nouitios earundem religionum choro addictarum, teneri sicut professos ad recitationem de qua agimus, Suarez ipse in eodem num. 1. adhuc refert: eo quod non sint religiosi reuera: sed tantum in via ad professionem, per q̃ Religiosi fiant reuera: sufficitq; vt voluntarie se subiiciant ordini, & sub disciplina religiosa vitam agant, sequendo directionem Superiorum suorum.

139. Porro difficultas est, vnde sit obligatio prædicta religiosorum professorum, si non sequatur, *vt diximus*, ex vi professionis. Quam Suarez tractans in cit. cap. 17. duas refert aliorum sententias: vnam nonnullorum, qui eam esse dixerunt ex iure illo diuino naturali, quo Religiosi per suam professionem dicati sunt ad Dei cultum. Alteram aliorum, qui putarunt esse naturali legi iustitiæ, in ordine ad populum Christianum, cuius eleemosynis aut aliis donationibus aluntur. Priorem autem reiicit, quia cum multis aliis modis, quam recitatione horarum canonicarum, possit Deo cultus exhiberi: ex eo solo cap. nequit recte inferri, obligationem illorum determinate esse potius ad memoratam recitationem, quam ad alium alterius modi cultum Dei: præsertim cum Religiosus se per professionem mancipans cultui Dei, non imponat sibi necessitatem determinate ad aliquas actiones cultus diuini, nisi ad eas quas expresse vouet aut quas regula, vel Prælatus districte præscripserit.

Posteriorem vero reiicit: tum quia Religiosis alimenta non suppeditantur à populo propter hanc determinate, vel aliam actionem vitæ religiosæ: sed simpliciter vt viuant in tali perfectionis statu ad Dei gloriam. Adde nec suppeditari in stipendium recitationis horarum canonicarum: sic nimirum, vt Religiosi censendi sint ex quasi contractu ad illam obligari obligatione iustitiæ. Etenim ea suppeditantur aut per modum eleemosynę aut absolutę donationis: eũi interdum quidem adduntur aliquæ conditiones, seu pacta aliquid agendi: sed non solent esse recitandi horas canonicas; nisi forte in choro nonnunquam, ad populi consolationem, & ædificationem. Quod genus pacti, cum nec sit commune omnibus religionibus addictis choro; nec attingat eos qui iusta de causa à choro abesse compelluntur, ea nõ potest censeri ratio adæquata obligationis, per quã doctores adstruant generaliter Religiosos professos choro mancipatos, teneri ad recitationem horarum canonicarum.

Communis autem sententia, *in quam multos Suarez ipse citat in eodem cap. 17. num. 9.* est, propositam Religiosorum obligationem fundari in vniuersali consuetudine. De qua licet nonnulli dubitarint, *quos idem commemorat*, tot tamen eam testantur, vt temerarium sit ipsum negare: præsertim cum is de illa sensus sit & consensus virorum bonorum; vt Monachos vel Moniales contrauenientes damnent de peccato; non minus quam Diaconos & Subdiaconos, quos ante diximus obligari tantum ex consuetudine præscripta. Quia nimirum vtraque æquiparatur præcepto Presbyteris & beneficiariis impositio recitandi horas canonicas; vt ostendit vsus bonorum, existimantium ad debitum in suo (*perinde ac in horum*) statu implendum; pertinere eiusmodi recitationem tanquam eam, quam esse de numero taliũ debitorum, constet ex generali consuetudine, valde consentanea suæ professioni. 140.

Ex qua sententia inferre licet primo: non esse quenquam ex Religiosis ad chorum deputatis, facile excusandum à priuata recitatione horarum canonicarum, quando non recitant eas cum cæteris in choro: quia in eo aperitur ianua ad quærendas occasiones quibus absint à choro: atqueadeo omittendi omnino recitationem ipsam ad quam generali Ecclesiæ præscripto obligantur sub mortali, prout in sequenti sectione docebitur.

Licet secundo inferre, non esse magis liberum Prælatis pro arbitrio cum suis subditis dispensare in tali obligatione, quam in aliis obligationib. communium præceptorum Ecclesiæ: ita vt attendere debeant si quid sit ipsis cõcessum priuilegio Sedis Apostolicæ, vel si talis necessitas adsit, quæ faciat ipsis potestatem dispensandi. Quam necessitatem debere esse nõ leuem, intelligitur ex eo, quod ne is quidem quem necessitas compellit agriculturæ vacare, liberetur à tali sua obligatione; prout constat ex cap. 1. De celebratione Missarum. Vnde mihi videtur parum tuta dispensatio, quam ratione studiorum nonnulli Superiores dant suis Religiosis professis: quandoquidem recitatio horarum canonicarum non est talis, neque tantus studiorum obex, *vt experientia constat*, quin fructum non pœnitendum eas recitans possit reportare ex ipsis studiis, si eis sedulo incubuerit. 141.

Tertio inferre licet: in speculatione quidem satis clarum esse, sed in praxi difficultate non carere, quod Greg. à Valen. in sup. cit. puncto 10. §. *Qui teneantur recitare horas canonicas, sub finem*, habet, religionem quæ talem consuetudinem nũquam receperit, ad illius obseruationem minime obligari. Nisi enim talem non receptionem constet à Sede Apostolica approbatam esse, non derogabit eidem consuetudini: quæ cum iuxta prædicta, vim habeat iuris communis, solius Papæ est, tanquam summi Principis, dispensatione sua obligationem illius tollere. Quod ipsum fecisse, si ostendi nequeat, rationabile non est præsumere, quod id fecerit: præsertim cum ius canonicum tali præsumpto priuilegio, satis aperte resistat: dum in cap. Dolentes, De celebratione

Missa-

Missarum, tam minoribus, quam maioribus Clericis districte præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium studiose celebrent, pariter & deuote quantum Deus dederit. Refistit item ratio: cui consentaneum non est pium religionis institutorem voluisse, vel propria authoritate, vel interposita authoritate Summi Pontificis, cõtrauenire communi Ecclesiæ cõsuetudini in re graui, & maxime pertinente ad munus suæ religionis, tanquam choro deputatæ. Quæ doctrina si cui tanquam durior, non probetur, non habeo vnde illi satisfaciam: nisi dicendo amanti nihil esse difficile: parq; esse existimare de Religioso, quod Christi amore ardeat, nec ita langueat in Dei obsequio, vt durum sit ei in horis canonicis recitandis, sesquihoram quotidie ponere.

Obligatio quæ superest beneficiatorum, longiorem tractationem requirit, quæ commodius instituetur cum in sequenti lib. 30. tractaui de sacramento ordinis, subiicietur tractatus De Clericis, in quo eorumdem obligationes erunt persequendæ.

De peccato quod committitur non implendo obligationem recitandi horas canonicas.

Sectio III.

142. COnuenit inter Doctores tale peccatum mortale esse ex suo genere, tanquam commissum contra præceptum datum de actu religionis virtutis præstantissimæ, attinentisq; ad Dei cultum, atque conferentis ad Ecclesiæ vtilitatem, nõ secus ac dicere vel audire Missam diebus festis: iuxta præceptum quod exponetur in seq. libro. Adde quod ex cap. Clericus victum, distinct. 91. tale peccatum sit dignum excommunicatione: quæ imponitur tantum ob mortale ex cap. Nemo Episcoporum, 11. quæst. 3. Vbi aduerte obiter nihil referre in hac re ex quo titulo trium memoratorum (*sacri inquam ordinis, professionis religiosæ, aut beneficii Ecclesiastici*) proueniat obligatio recitãdi horas canonicas. Nam ex quocumque proueniat, similiter est sub mortali. Sic tamen vt si quis ex pluribus talib. titulis obligetur, grauius peccet illius transgressione, quam ille qui paucioribus. Etenim cum tituli ipsi augeant obligationem, aggrauant consequenter illius violationem: sicque initiatus sacris ordinibus, & beneficiatus omittendo horarum canonicarum recitationem, peccat grauius quam simplex Clericus beneficiatus; & Sacerdos religionem professus, quam simplex Sacerdos secularis: similiter habens plura beneficia, quam habens tantum vnum.

Conuenit quoq; inter Doctores, omittendo notabilem partem horarum canonicarum vnius diei, nisi ignorãtia aut alia iusta causa excuset, *iuxta posit dicenda in 13. cap.* mortale committi. Quod probatur à pari de Missa, quam non modo totam, sed etiam partem ipsius notabilem omittere voluntarie, peccatum censetur mortale: eo quod officia diuina notabili ex parte relinquere imperfecta, magnam habeat turpitudinem; adeoque irreuerentiam diuinæ maiestatis non modicam, argumento cap. Illud, & cap. Nihil, 7. quæst. 1.

143. Dissentiunt autem ipsi Doctores in definiendo, quæ horarum canonicarum pars censeri debeat ita notabilis, vt illius omissio ad mortale sufficiat. Namque Nauar. in tract. de oratione cap. 10. num. 44. iudicat, tunc partem censendam talem, quando adæquauerit tertiam partẽ vnius ex minoribus horis; hoc est, vel primæ, vel tertiæ, vel sextæ, vel nonæ: cuius tertiæ partis exemplum assignat, vnius talis horæ initium vsque ad finem fere primi Psalmi. Imo aliquid minus posse ad eam sufficere ipse significat in Enchir. cap. 25. num. 98. his verbis, Dixi partem notabilem; quia omittere paruam, puta vnam dictionem, aut partem versus, etiam sine voluntate repetendi, non est plusquam veniale: modo ne ob contemptum aut cum notabili scandalo omittatur. Hæc ille. Sylvester vero in verbo Hora, quæst. 12. sub finem, videtur existimare vnius horæ omissionem requiri ad committendum in hac re peccatum mortale. Videri præterea potest, iuxta Rosellam in verbo Horæ canonicæ, num. 3. sub finem; totius officij vnius diei omissionem requiri, ad constituẽdum in hac re peccatum mortale. Nec defuit qui putarit talem omissionem non esse peccatum mortale, nisi ea fieret ex contemptu, vel ex fastidio rerum diuinarum, vel ex consuetudine. Sic enim sensisse Richardum quendam Anglicum refert Angelus in verbo Hora, quæst. 10. nec ipse omnino improbat, licet censeat esse tutius tenere cum aliis, quod omissio diuini officij ex sola negligentia, sufficiat ad peccatum mortale.

Cæterum illud quod Nauar. insinuat, videtur nimis rigidum: quandoquidem ex D. Thoma 2.2. quæst. 147. art. 3. ad 2. transgressio præcepti Ecclesiastici, quod per modum communis statuti proponitur, non est mortalis, nisi fiat ex contemptu, quo nolit quis eidem statuto subiici: aut nisi illa ipsa transgressio ita fiat, vt finis præcepti contra quod ea fit, impediatur ac veluti repudietur. Iam vero quod quis vnum aut alterum versum, aut etiam, aliquanto plures omittat ex negligentia, non est eo ipso censendus, vel habere contemptui præceptum recitandi horas canonicas, vel illud ipsum fraudare fine suo reddendi Deo debitas laudes pro populo. Accedit quod scopus legis Ecclesiasticæ sit animas suaui modo ad Christum ducere; non autem illaqueare eas nimia præceptorum austeritate. 144.

Ex reliquis autem insinuatis; illud solum quod positum est secundo loco videri potest habere aliquid probabilitatis. Nam quod quarto modo retulimus, ex dictis aperte constat falsum esse. Illud vero quod proposuimus tertio loco, nempe totius vnius diei, omissionem horarum ad mortale requiri, ex eo reiicitur; quod omnes septem horæ quotidie recitari, nominatim præcipiantur in cap. 1. De celebratione Missarum; atque tale præceptum sit sub mortali, iuxta cap. Dolentes, eodem titulo. Vnde sequitur omissionem cuiusq; earum sufficere ad peccatum mortale. Quam esse omnium sententiam Suarez dicens in tract. de relig. lib. 4. cap. 25. num. 15. addit rationem, quod talis omissio sit notabilis deformitas, & mutilatio officij diuini, contingens in tali parte quæ sufficeret ad mortale, si sola sub eo reatu præciperetur: quales sunt sine dubio singulæ eædem horæ; quæ simul quidem, & tanquam partes eiusdem totius præcipiuntur; sed perinde ac si seorsim vnaquæque præciperetur. Quinimo ei quod secundo loco propositum est, *ad mortale requiri vnius integræ horæ omissionem*, obstat quod vna detur, quæ complectitur Matutinum & Laudes, *vt licet deducere ex cap. 1. De celebratione Missarum*, non sit rationi consentaneum illud, quod inde consequens est: mortale esse, retiam v.g. omittere: non autem omittere laudes, vel vnum ex tribus matutini nocturnis; cum non minor diminutio diuini officij, mutilatioque fiat his omissionibus quam illa.

In re autem adeo incerta, libenter amplector doctrinam quam Suarez habet in seq. num. 16. post Syluestrum & Rosellam locis ante memoratis, & Niuarrum citantem alios in tract. de orat. cap. 7. nu. 6. Nimirum præceptum de recitandis quotidie horis canonicis vnum esse, habens pro obiecto totum quoddam ex iisdem horis septem canonics integratum. Pro quo facit, quod pars officij diuini omissa, possit eodem die dici, ad vitandam præcepti transgressionem: non item sequenti die. Causa enim est, quod diuersorum dierum horæ non coalescant in vnum numero obiectum eiusdem præcepti, sed ad numero diuersum spectẽt. Coalescunt autẽ horæ vnius diei: vnde fit, vt transgressio præcepti, cui illæ obiiciuntur, sit vnum tantummodo peccatum: habens nihilominus latitudinem, secundum illius obiecti sui latitudinem; adeo vt quis peccet eo grauius, quo plures eiusdem obiecti partes omiserit recitare. 145.

Atque peccet mortaliter; nisi ventum sit ad partem, cuius paruitas excuset à mortali grauitate. In quo diiudicando non est tam pensandum quota sit officij diuini pars quæ omittitur, tertiane, an quarta, vel alia: quam an tanta sit illius siue quantitas, siue etiam dignitas: vt eius omissio de se, officio diuino illius diei adferat deformitatem notabilem, prudentis æstimatione, circumstantiis inspectis ac ponderatis. Et licet pars ea nequeat æstimari parua, quæ quantitatem æquat vnius horæ minimæ ex canonicis: quid tamen ea minus possit ipsi diuino officio, deformitatem notabilem adferre, per rectæ rationis dictamen coniicere licet. Atque ita Suarez in fine illius num. 16. vult partem æqualem dimidio talis horæ, posse materiam esse peccati mortalis. In quo eum vt eruditum & diligentem, sicut in plerisque aliis, libens sequor.

Porro

146. Porro Ecclesiasticum præceptum est, non tantum de recitandis horis canonicis, sed etiam de modo eas recitandi, in cap. Dolentes, De celebratione Missarum, in quo districte præcipitur in virtute obedientiæ, vt diuinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum Deus dederit, studiose celebretur pariter & deuote, modum declarant, vt deprehendere patet. Ac prout ibidem glossa tangit: studiose, pertinet ad officium oris, quo debent horæ canonicæ pronunciari voce articulata (*ex Clemen. 1. De celebratione Missarum & ex Extrauag. prima, De vita & honestate Clericorum*) id est, ita vt recitans seipsum intelligat, & alter cum quo recitat, intelligatur ab illo: atque vicissim ipse illum recitantem intelligat. Qua de causa iuxta Nauarrum in Enchir. cap. 25. num. 99. peccat contra tale præceptum, qui cum balbutientibus, aut versus notabiliter anticipantibus dicunt horas, nisi animum habeant easdem repetendi. Et ratio est, quod non intelligant id quod ab illis dicitur. Deuote vero, pertinet ad officium cordis, seu interioris dispositionis animæ, qua sit attenta diuino officio, habeatve mentem præsentem ad id quod lingua foris sonat.

CAP. XII.

De requisitis ad debitam recitationem horarum canonicarum.

SVMMARIVM.

147 *De difficultate, An interior attentio in recitatione horarum canonicarum præcipiatur ab Ecclesia.*
148 *Rationes cur pars affirmans videatur tenenda.*
149 *Obligatio iterandi recitationem horarum canonicarum, si ea fuerit sine interiore attentione.*
150 *Quod non teneatur qui ad iterationem horarum canonicarum, si eas recitarit animo orandi, & cum debita deuotione, etiamsi non recitauerit animo satisfaciendi suo debito: dummodo voluntate mutata velit eam recitationem factam esse ad satisfaciendum eidem debito.*
151 *Attentio necessaria in recitatione horarum canonicarum quæ fit.*
152 *Triplex distinguitur.*
153 *Attentio ad sensum verborum non est quidem necessaria: procuranda tamen est ab eo, qui est illius capax, & ab aliis supplenda per piam meditationem.*
154 *Duo requisita ad attentionem in recitatione horarum canonicarum necessariam, vt satisfiat principio imponentis illam.*
155 *Quando euagatio animi in recitandis horis canonicis sit peccatum mortale.*
156 *Obligatio recitandi horas canonicas, est sub peccato mortali; quod vnicum committitur illarum omnium omissione, & quantum.*
157 *Peccatum eius qui proponit non recitare, aut recitat dormitans.*
158 *De recitatione quæ fit alternatim, documentum cum explicatione aliquot dubiorum.*
159 *Explicatio dubij, An vt horas canonicas sic & alias preces obligatorias liceat recitare alternatim.*
160 *De iis qui balbutiendo, & syncopando horas canonicas recitant, deque iis qui intra ipsam recitationem funguntur officio auocante ab illa.*
161 *De recitatione parui officij B. Virginis, officij defunctorum, psalmorum graduum, & pœnitentialium.*
162 *Continuatio requisita ad debitam recitationem horarum canonicarum: & iusta de causa fieri possit illius interruptio, sine obligatione ad iterationem.*
163 *Is qui officium interrumpit cum proposito repetendi, quando teneatur repetere.*
164 *De eo, quod distinctæ horæ canonicæ non debeant immediate continuari: & an laudes ab officio nocturno, & huius partes possint diuisim recitari.*
165 *Decades Rosarij B. Virginis possunt ad modum horarum canonicarum diuisim recitari.*
166 *Ordo requisitus ad debitam recitationem horarum canonicarum, & quatenus peccetur non seruando eum.*
167 *Difficultas de eodem ordine respectu Missæ.*
168 *De Breuiario ex quo recitandæ sunt horæ canonicæ vt satisfiat præcepto.*
169 *Ex quo debeant Religiosi recitare, & ex quo beneficiarii: & quid de iis qui beneficia habent in diuersis diœcesibus, vel sunt extra locum in quo habent beneficium.*
170 *An satisfiat præcepto, recitando quidem ex alieno Breuiario, sed approbato: quidque in eare dispensatio Papæ operetur.*
171 *Quid possit in eadem re Episcopus: ac de peccato quod committitur mutatione Breuiarii in recitandis horis canonicis.*
172 *De peccato quod communiter dicendo officium vnius diei pro officio alterius diei, quatenus sit vel non sit mortale.*
173 *De potestate vtendi nouo Breuiario Romano, facta per Bullã Pii V. eidem Breuiario præfixam.*
174 *Ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, debent horæ canonicæ voce proferri: ita vt recitans audiatur, si non ab aliis, saltem à seipso, & ab alio cum quo recitat.*
175 *An satisfaciat qui præsens dum cantatur in choro, ipse recitat summissa voce.*
176 *Recitatio publica horarum canonicarum fieri debet in Ecclesia, nec licet addictis choro, abesse ab ea, sine iusta causa.*
177 *Quatenus peccent per talem absentiam, & priuentur distributionibus.*
178 *De loco requisito ad recitationem factam priuatim.*
179 *De tempore requisito ad debitam recitationem horarum canonicarum: atq; quale peccatum committatur non seruando illud: & de iusta causa excusante ab eo.*
180 *De eo quod non satisfiat præcepto Ecclesiæ recitando horas canonicas pridie aut postridie illius diei quo sunt recitandæ, deque consuetudine quam in eadem recitatione sequi licet respectu temporis.*

SEPTEM requiruntur ad debitam recitationem horarum canonicarum: attentio, integritas, continuatio, ordo, qualitas, locus, & tempus accommodatum: de quibus sigillatim dicendum.

De attentione requisita.

SECTIO I.

DE hac D. Thomas & ipsius interpretes 2. 2. quæst. 83. ar. 13. Sotus in lib. 10. De iust. & iur. quæst. 5. art. 5. Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 105. 106. 107. & late in tract. de oratione, cap. 13. ac passim recentiores: & inter eos ex nostris Greg. à Valent. 2. 2. disput. 6. quæst. 2. puncto 10. §. Circa quartum, Azor in 1. par. Instit. Moral. lib. 10. cap. 12. Lessius, De iustit. & iure lib. 2. cap. 37. dubit. 11. & plenius Suarez in tract. 4. De relig. tum lib. 3. cap. 4. & 5. tum lib. 4. cap. 26. ad illiusque intelligentiam faciunt dicta à nobis in lib. 4. cap. 10. sect. 5.

Versatur autem in controuersia, An per præceptum deuote celebrandi officium diuinum, in antememorato cap. Dolentes datum, obligatio imponatur tam ad attentionem interiorem, quam ad exteriorem, habendam in recitatione horarum canonicarũ. Aliqui enim existimant ad solum exteriorem habendam, obligationem imponi: adeo vt non peccet quis mortaliter, nec teneatur recitata repetere, si integre pronunciet omnia, neque exterius occupet se rebus iis, cum quibus interna attentio nequit consistere: quantumcumque interius sponte distrahatur, diuageturque mente. 147.

Alij vero putant imponi tam interiorem, quam exteriorem attentionem: & ideo si quis recitet, se sponte interius occupando alienis cogitationibus, *etsi exterius omnia pronunciet*, ipsum & mortaliter peccare transgressione memorati præcepti, & rigorosi, & dati in re graui: & teneri repetere, tanquam eum qui non satisfecit obligationi sibi impositæ. Vtrosque referunt locis citatis Azor quæst. 6. Lessius num. 63. & 64. & Suarez cap. 26. num. 2. & 3. posteriorumque sententiam sequuntur.

Et merito: quia deuotio est actus internus, requirens internam attentionem ad diuina. Quare Ecclesia præcipiendo officium diuinũ celebrari deuote, non iniungit solam deuotionem externam, *positam in eo vt quis gerat se exterius in mo-* 148.

dum

dum orantis, sine interna: cum sine hac, illa non sit deuotio, sed deuotionis simulatio; & per consequens non solam exteriorem attentionem, sed simul cum ea interiorem adiungit. Accedit quod Ecclesia deuotam recitationem horarum canonicarum præcipiat tanquam actum orationis, qua per suos legatos ac ministros colloquatur cum Deo. Quapropter requirit (*multo magis quam colloquium cum terreno Principe*) vt fiat reuerenter & attente, quo exaudiatur. Adde & tanquam actum laudis Deo debitæ, quam decet gratam ei esse: qualis non est exterius tantum sonans sine interiore deuotione & attentione: vt patet ex querimonia, cuius meminit Dominus noster, Matth. 15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Vnde Apostolus ad Ephes. cap. 5. monet cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.] Ad quæ verba D. Hieronymus ait: Audiant hi, quibus in Ecclesia est psallendi officium, Deo non voce sed corde cantandum, &c. Quod refertur in cap. Cantantes, dist. 92. vbi glossa habet hos versus commendatos à Nauarr. in citato cap. 13. num. 1.

Non vox, sed votum, non musica cordula, sed cor
Non clamans, sed amans cantat in aure Dei.

ECclesia igitur censenda est, in recitatione horarum canonicarum cum exteriori deuotione & attentione interiorem præcipere: quia hæc illi necessaria est (virtualis saltem) vt censeatur actus virtutis religionis, atque idoneus ad hominis Christiani finem supernaturalem quærendum. Quoniam autem districte & sub obedientia præcipit, obligationem imponit sub mortali. Quod quidem peccatum Azor bene notat in eod. cap. 12. quæst. 5. tantum esse vnum, sicut tantum est vnum præceptum, quo ipsa recitatio horarũ canonicarum præcipitur. Cui cum superaddatur iniunctio, vt illa fiat studiose & deuote, *atq; adeo cum interiore attentione*, modus est præcepti, non autem nouum præceptum: ita vt ipsum quidem violari possit duobus modis contingere nimirum omittendo horas canonicas, & indebite recitando eas: ipsam tamen violationem non esse duplex peccatum: vt nec violationem præcepti de confessione; quæ potest contingere tum omittendo eam, tum faciendo eam non seruatis necessariis circumstantiis.

149. De obligatione ad iterationem earundem horarum, constat quidem inter sententiæ propositæ authores, eam contingere, si quis illud recitet animo tantum capiendæ recreationis in eo legendo, vel intelligendi gratia, aut memoriæ mandandi ea quæ cõtinet: vel etiam alium docendi id ipsum officium: non autem animo satisfaciendi debito suo. Nonnulli sunt tamen, *vt Medina in Cod. De oratione quæst. 16.* qui putant, eum qui recitat animo orandi ac satisfaciendi suo recitandi debito, etiamsi sponte distractus fuerit, atque adeo mortaliter peccauerit, non teneri repetere, eo quod substantiam præcepti præstiterit: perinde ac ille qui debitum reddit ex aliquo prauo affectu, satisfacit obligationi, qua ex iustitia tenetur reddere, nec requiritur vt denuo restituat. Quam opinionem Azor in citata quæst. 6. & Lessius in memorato cap. 37. num. 68. volunt non carere probabilitate. Sed contraria, cum Azor probabiliorem esse addit, tenenda est cum cæteris: supposito quod diximus præceptum de recitandis horis canonicis esse tantummodo vnum: quod tamen transgredi contingat, tam recitando sine attentione, quam non recitando: vnde sequitur vt hoc, sic & illo modo, ipsum non impleri: & per consequens ad satisfaciendum ei, iterationem requiri. Videri potest Suarez in citato cap. 26. à num. 25.

150. De eo vero qui recitauerit cum debita attentione animoque orandi, sed sine animo satisfaciẽdi debito suo, quia proponit denuo recitare ad satisfaciendum: dubitatio est, an teneatur recitationem iterare. De qua allatis in vtramq; partem authoribus & rationibus disputat Suarez in eodem cap. 26. à num. 7. ad 13. Et quamuis pars affirmans tutior sit bonosque authores habeat: nimirum Medinam, Ledesmam, & Nauar. *quibus Azor assentitur in sequenti quæst. 8.* In rigore tamen negans, *vt item Suarez bene ostendit*, potest teneri, sicut tenuerunt ab ipso relati Aragon, Greg. à Valent. & Vasquez. Ratio est, quia ille qui horas canonicas recitare vult, debitoque modo recitat, etiamsi non habeat voluntatem recitandi ex obligatione, neque ad præceptum implendum; sed solum pro arbitrio, & cum proposito iterum recitandi ad satisfaciendum suæ obligationi: nihilominus reipsa facit totum ad quod est præceptum. Illud enim non est aliud, quam vt horæ ipsæ canonicæ semel in die recitentur. Quare ex vi præcepti ad nihil amplius tenetur, quam ad efficiendum vt talis recitatio prout impletiua est præcepti, non maneat inuoluntaria (cum id ex natura rei, sit contra obedientiæ virtutem) sed illa prior nolitio retractetur per contrariam volitionem: qua impletio præcepti, voluntaria reddatur: non quidem effectiue, quia nullus effectus præcedit suam causam: sed obiectiue seu tanquam obiectum affectus obediendi; qui requiritur de iure naturę ad vitandum peccatum, quod committitur (etiamsi externa præcepti executio plene interueniat) per defectum interioris affectus obediendi: nisi inconsideratio forte excuset: prout idem Suarez declarat pluribus. An beneficiarius recitans horas sine attentione, perinde teneatur ad restitutionem fructuum, ac omittens recitare; dicetur suo loco in sequenti lib. 30. tractat. 3. cap. 4. sub finem.

Documenta de eadem attentione.

SECTIO II.

SPectantia ad exteriorem attentionem in choro, videnda sunt apud Nauar. in tract. de orat. cap. 16. vbi de illius impedimentis 80. conclusiones habet; & cap. 17. vbi de eiusdem adiumentis habet 50. De interna attentione, aliquot documenta pro praxi subiiciemus.

Primum est, In memorato cap. Dolentes non præcipi attentionem actualem; id est, vt recitans attendat actu ad ea quæ recitat. Nam quamuis id vtile sit & procurandum; ob humanæ mentis tamẽ fragilitatem, quæ tantopere obnoxia est euagationibus, ipsum est moraliter impossibile. Sufficere ergo potest virtualis attentio: siue vt recitans proponat se velle attendere, neque postea, *quantumcumq; distrahatur*, contrarium proposito habeat: prout censetur habere: actuale quidem, is qui non vult attendere: virtuale vero is qui aduertit se euagari, cogitando res à sua oratione alienas, nec nititur mentem reuocare ad attentionem debitam. 151.

Secundum est, talem attentionem esse triplicem ex D. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 13. vnam ad verba, ne in eis erretur; siue male, siue vnum pro alio pronunciando, siue aliqua omittendo. Alteram ad sensus verborum, quam habere non possunt, qui sunt ignari idiomatis, in quo pronunciandum est. Et tertiam ad finem orationis, seu ad personas ad quas illa dirigitur: nimirum ad vnam, aut omnes sanctissimæ Trinitatis personas, aut ad angelos, vel alios Sanctos: aut etiã ad rem pro qua assequenda oratio funditur: nempe ad æternam beatitudinẽ & ad gratiam, virtutesq; necessarias ad eam consequendam. Cuiusmodi attentionem, *vt & primam*, omnes recitantes habere possunt, & debent vt satisfaciant præcepto, de quo nobis est sermo: cum non sit dubium, quin, *prout ante habitum est*, ipsum detur de recitatione horarũ canonicarum, vt de actu quodam præstantissimæ virtutis, puta religionis. Esse autem actum virtutis, nulli actui contingit, nisi fiat cum deliberatione, & sine aliquo debito (alioqui enim non humanus, sed potius bestialis censeretur) neq; deliberatio est sine attentione, seu aduertentia ad id quod agitur, & ad finem in quem dirigitur. 152.

Secundam autem attentionem habere, non est necesse, vt argumento est, quod plerique idiomatis ignari adstringantur præcepto recitandi horas canonicas; quod nequirent alioqui implere: vt patet de mouialibus, *& quod dolendum est*, de non paucis viris. Adde nec eam necessariam esse omnino ad pietatem orationis, ad quam sufficere potest, vt quis eam offerat Deo, secundum sensum illorum verborum, quo eam in Ecclesia Catholica intelligunt pij doctique viri: prout habet Greg. à Valent. 2. 2. disput. 6. quæst. 2. puncto 10. §. Circa quartum. Quæ cum ita sint, relinquitur ad satisfaciendum præcepto Ecclesię in hac re, sufficere vt quis sancta verba, præscripta ab Ecclesia, recitet animo orandi, laudandiq; Deum; ea reuerenter dirigendo ad ipsum, atque intendendo singula accipere in eo sensu quo Ecclesia accipit; & petere eadem quæ ipsa in illis petit; ac illum iis laudibus celebrare quibus ipsa celebrat. 153.

Tertium

Tertium documentum est. Procurandum nihilominus esse, nec negligendam secundum ipsam attentionem: quia quamuis non sit in præcepto, sicut aliæ duæ, & absque ea, *si cætera non desint*, oratio meritoria & satisfactoria esse possit: requiritur tamen ad spiritalem mentis refectionem; iuxta illud prioris ad Corinth. 14. Si orem lingua, spiritus meus orat: mens autem mea sine fructu est. Aduerte autem eum qui ob ignorantiam idiomatis non potest tali refectione gaudere accommodando perceptionem sensus verborum ad pios in Deum resq; diuinas affectus: posse alia ratione: nempe vt interea dum sensum ipsum verborum non assequitur, aliquid pium de humanitate vel diuinitate Christi meditetur. Nam vt ad citatum D. Thom. ar. 2. docet Caie. licitum est dum sacra verba pronunciantur, meditari aliquid pium, cum non sit necesse ad verba attendere, nisi quantum sufficit, vt in illis non erretur.

Aduerte tamen cauendum esse excessum, quo tanta sit attentio ad alia, vt nulla habeatur ad verba: quia censeretur indiscreta, tanquam tollens eam quæ est necessaria ad orationem vocalem; quandoquidem externa prolatio verborum sine vlla attentione interiore ad ea, nullam potest rationem habere ascensus mentis ad Deum, necessarij ad orationem: & per consequens nec sufficere potest ad impletionem præcepti dati de aliqua oratione: quale est illud de quo agimus. Hanc doctrinam tract. 4. de religione lib. 4. cap. 26. num. 23. Suarez approbat, pro eaque faciunt quæ idem tractat in præced. lib. 3. cap. 4.

154. Quartum documentum est: vt prima & secunda attentio censeatur haberi sufficienter ad implendum præceptum de quo agimus, requiri minimum duo, vt notat Sotus lib. 10. de iust. & iure, quæst. 5. art. 5. concl. 7. vnum est; vt orandi initio quisque attendat quid agere aggrediatur: prout, *ex Nauarro in Enchir. cap. 25. num. 105.* censeri potest attendere is etiam, qui breuiarium petit vel accipit animo satisfaciendi huic obligationi: aut eundi ob id ad Ecclesiam: ita vt interrogatus, quare tale faciat responderetur vere, sed id facere ad satisfaciendum obligationi recitandi horas canonicas. Alterum est, vt talem attentionem non interrumpat inter orandum: nihil ve consulto faciat, per quod animum suum à priori attentione distrahi deprehendat. Namque ille qui aduertens, se res à precatione alienas cogitare, non nititur animum reuocare ad attentionem, peccat mortaliter, neque satisfacit proposito præcepto; prout facile est ducere ex dictis præcedenti sectione: sed (*quæ est communis sententia teste Nauar. in seq. num. 106.*) transgreditur illud; quia etiamsi non habeat actuale propositum non attendendi, sicut ille qui expresse non vult attendere: habet tamen virtuale, sicut ille qui occupat se in rebus exterioribus, quæ non patiuntur secum interiorem attentionem ad deuote recitandum necessariam. Exemplum talis, idem Nauar. *consequ. num. 107.* ponit de scribente aut legente aliena ab iis quæ recitat: quem ait peccare mortaliter, nisi eum excuset aut inaduertentia, seu quod non aduertat illud quod facit, esse contrarium attentioni necessariæ ad recitationem: aut paruitas, seu quod parum sit quod interea recitatur: aut necessitas aliqua vel vrbanitas, vt si respondendum sit alicui, vel subscribendum epistolæ, aut aliquid simile faciendum à recitante cum aliis: qui proponat postea supplere illud quod socij interea recitant. Adde, *quod à Caiet. traditum approbat Sotus loco cit.* etiamsi quis aliena à sua recitatione voluntarie cogitet, ipsum quousque se inde à precatione distrahi aduertat, semper reputari inaduertenter diuagari: atque adeo excusari ab omissione præcepti dati de attentione habenda in recitatione horarum canonicarum.

155. Postremum documentum est: Euagationem mentis culpabilem, cum qua horæ canonicæ recitantur sine attentione, rationem culpæ mortalis accipere ex eo suo effectu: non modo cum fuerit deliberata, directeq; volita: sed etiam cum volita indirecte: vt censetur, tum quando quis sufficienter aduertit se euagari nec attendere ad diuinam orationem: sed per crassam & supinam negligentiam de eo non curat, permittitq; se euagari: tum quando quis etiamsi non velit esse distractus, tamen voluntarie occupat se in actionib. siue interioribus, siue exterioribus quæ in ipso impediunt, nec secum patiuntur attentionem necessariam ad diuina: vt si agitet animo aliquam difficilem quæstionem philosophicam; vel occupet se in aliqua exteriore actione, magnam attentionem mentis requirente: aut quamuis non magnam requirat, vt induere se vestibus suis, aut lectum suum sternere vel cubiculum verrere: tamen se nouit ita comparatum, experientiaq; didicit: quod in illis occupatus orans, deficiat in attentione ad orationem necessaria.

Qua tamen in re non oportet nimis scrupulosum esse: quia, vt Suarez habet in eod. cap. 26. num. 24. ad veritatem & substantiam orationis diuinæ, minima attentio mentis sufficit; cum sufficiat, tum ad habendam intentionem orandi, tum ad hoc vt oratio sit actus humanus, seu proueniens à libera voluntate. Quare consequenter sufficiet ad impletionem præcepti Ecclesiastici de oratione ea, quæ fit recitatione horarum canonicarum: præsertim cum Ecclesia nõ præcipiat attentionem interiorem, secundum alium modum, quam eum qui necessarius est ad exteriorem recitationem horarum canonicarum, vt ea sit actus virtutis religionis, ac debitus Dei cultus.

De integritate requisita.

SECTIO III.

DE hac occurrunt aliquot documenta notanda, quæ Nauar. persequitur in tract. de orat. c. 10. & post ipsum Azor. in 1. parte Moral. Instit. lib. 10. cap. 7.

Primum est, mortaliter peccare, non modo eum qui omnes horas canonicas vnius diei omiserit, sed etiam eum, 156.
qui vnam ex illis; imo & qui vnius notabilẽ partem. De hoc iam egimus in præced. cap. ipsumq; esse communi consensu receptum Azor notat loco cit. quæst. 3.

Secundum est, Omissione omnium septem horarum canonicarum in vno die, committi tantum vnum peccatum mortale. Istud est Nauarr. in præced. cap. 7. num. 6. pro eo plures alios citantis: & communem sententiam esse, Azor quoque notat in sequenti quæst. 4. Probatur autem ex definitione horarum canonicarum, quam idem Nauarr. ibidem numero primo habet ex Turrecremata: quod sint oratio publica, sub certo numero psalmorum, lectionum, & aliorum huiusmodi, à sanctis Patribus ad laudem Dei ordinata, & per septem congruentes horas distributa. Si enim horæ canonicæ sint vna oratio, vt hæc definitio ostendit; illarum omissio erit vnius orationis omissio, & ideo vnum peccatum: quod tamen sit æqualis culpæ cum septem omissionibus, quibus singulæ horæ, singulis diebus hebdomadæ essent omissæ.

Vbi aduerte cum iisdem authoribus ibidem, non esse in hac re voluntatem omittendi confundendam cum omissione. Nam hac existente vna, illa potest esse multiplex: dum sæpius intermissa reuocatur; vel sæpius interrupta renouatur: sicque *vt Nauar. habet in seq. num. 7.* Ille qui vno die vel hebdomada, vel mense, vel anno, horas suas canonicas omisit recitare, non confitetur integre vel sufficienter, dicendo eas se omisisse vno die, aut vna hebdomada, aut vno mense vel anno, si deliberatam voluntatem omittendi habuerit pluries in die vel hebdomada, &c. Non enim declarat plene suorum peccatorum numerum: vtpote non declaratis quantum potuit vicibus, quibus cum peccato mortali proposuit non recitare.

Tertium documentum est, Proponentem omittere horas canonicas vniuersas aut notabilem earum partem, peccare mortaliter: de eoque & pœnitere & confiteri debere suo tempore; quantumcumque postea mutato proposito, eas debite recitet. Istud est Nauarr. in eodem cap. 7. num. 9. Pro quo facit, quod, *vt idem num. 10. & 11. notat*, communiter recepta sententia sit, actum interiorem cæteris paribus, æque bonum esse vel malum sine exteriori, ac cum illo; hoc est, spectatum per se; & vt exterior natus est ex eo proficisci, perinde ac spectatum, prout ex illo idemmet exterior proficiscitur de facto, bonum esse vel malum. Ratio est: quia actus interior secundum se, eius est specici in genere moris, cuius est exterior ab ipso proficiscens, vnde pariter & æque bonus est vel malus ac ille. Adde quod obligatio sit confitendi omne peccatum mortiferum, etiam tantummodo internum ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. can. 7. 157.

Quartum

157. Quartum documentum est, Peccare eum qui ex obligatione horas canonicas dormitans ita recitat, vt nesciat an erret necne, & an dicat vel audiat quod dicitur. Neque à mortali excusabitur, nisi animum habeat supplendi postea tales defectus, & intra eandem diem suppleat: aut nisi illi sint in parua quantitate. Istud est Nauar. in sequenti cap. 9. num. 5. Probatur vero, quia sopitis sensibus, vt fit in somno, non habetur rationis vsus sufficiens ad actionem moraliter bonam, qualem esse oportet horarum canonicarum recitationem, quæ est actus religionis inter virtutes morales nobilissimæ: imo qui ex speciali Ecclesiæ præcepto, debet perfici cum attentione, adeoque cum particulari aduertentia rationis, ad id quod recitatur. Quamquam tamen, vt idem Nauarr. ibidem num. 9. qui sic resistit somno obrepenti inter recitationem, vt pronunciet suas horas cum tanta attentione, vt saltem videat se non amittere verba, aut versiculos psalmi; aliorumve quæ dicere debet, excusatur à peccato, tanquam non succumbens tentationi. Quia tamen res non vacat periculo succumbēdi; merito addit idem Nauar. quod ei qui se videt valde somno grauari, securius sit subsistere & aliquantisper obdormire; ac deinde cœptum officium resumere, quam cum tam periculosa tentatione pugnare. Maiore ratione dixit in præcedenti num. 7. periculosum esse, quod quis ex itinere fatigatus, lecto decumbat cum proposito recitandi in eo memoriter completorium: quia si obdormiat cum omissione partis notabilis, mortaliter peccat; si sciebat aut scire debebat, quod attenta sua complexione & consuetudine, talibus temporibus obdormire, nec expergisci solitus sit. Ratio est: quia talis omissio voluntaria est sufficienter ad tale peccatum. Id quod in aliis casibus pariter locum habet, cum sub obligatione peccati mortalis recitandū est aliquid, & ille cui talis obligatio incumbit, cum periculo probabili partem notabilem omittendi ob irrepentem somnum, vel petit lectum quasi ibi recitaturus, vel se constituit in situ accommodato ad somnum, sedendo vel iacendo, nihil curans de obdormitione. Nam somnus tunc obrepens, & solutionem debiti pensi impediens, non excusat à mortali peccato: quia est impedimentum voluntarium.

158. Quintum documentum est, Integram censeri eam horarum canonicarum recitationem, quæ fit cum socio alternatim: ita vt præcepto de ea dato satisfaciat qui siue in choro, siue extra chorum eas recitat dicendo vnum dimidium psalmorum per eam alternationem, & audiendo alterum dimidium: itemque audiendo orationes, capitula, lectiones, antiphonas, responsoria, & alia quæ secundum consuetudinem chori, vel eorum, qui simul recitant, dicere non solet nisi vnus vel duo. Hoc communi consensu receptum esse notat Azor. in 1. part. Moral. Instit. cap. 7. quæst. 5. idque ob communem consuetudinem: cuius vim & sufficientiam ad propositum documentum stabiliendum, Nauarr. in eod. tract. De oratione cap. 10. num. 17. ex eo ostendit: quod ipsa sit generalis à toto Christiano orbe recepta; atque in rebus incertis, interpres omnium certissimus sit consuetudo: argumento cap. Cum dilectus, De consuetudine. Quod verum est, vt in aliis rebus, sic & in Ecclesiasticis, ex cap. Ecclesiasticarum distinct. 11.

Explicatio aliquot dubiorum.

PRimum est, An obligationi suæ satisfaciat, qui priuatim recitat cum socio nullam talem obligationem habente. Ad quod affirmatiue respondendum est, vt respondeat Azor in seq. quæst. 6. tenetque Suarez in tract. 4. De religione libro 4. cap. 25. num. 2. tum quia id potest fieri in choro iuxta cap. 1. De celebr. Missarum; tum quia consuetudo sic habet: tum etiam quia cum tali recitans, perinde ac cum alio, potest recitare, partim dicendo, partim audiendo omnia. Quod aduerte procedere quantumcumque socius ille recitet sine interna attentione, dummodo sic pronunciet vt omnia ab altero intelligantur. Rationem reddit ibidem Suarez: quia talis attentio non iniungitur ab Ecclesia, sed liberam ei relinquit, sicut ipsam recitationem: neque ex vi cooperationis attendere obligatur: quia ille hunc subleuat in recitando, nec ad aliud tenetur, quam ad ita dicendum vt obligatus cum quo dicit, censeri potest suam obligationem implere, partim dicendo, partim audiendo attente, quæ ille recitat.

Aduerte vero obiter ex eodem in sequenti num. 3. alternationem versuum retinendam esse non minus cum plures, quam cum duo tantum simul recitant: quia consuetudo Ecclesiæ talis est in choro: cuius modum recitandi imitari in priuata recitatione valde laudabile est: cum instituatur ad supplendum vices recitationis faciendæ in ipso choro. Non licet igitur in dicendis psalmis cum plures duobus simul recitant, versus sigillatim iuxta numerum personarum dicere, ita vt vnus dicat solus vnum versum, alter alterum, tertius tertium, &c. cæteris audientibus, sed oportet vt vnus ex vna parte, & duo ex alia vel bini & bini, &c. recitent. Omninoque, vt notat Suarez in eodem cap. 25. num. 2. in recitatione extra chorum danda est opera, vt is alternationis modus teneatur in priuata recitatione, quia seruatur in choro: namq; is est ritus quam approbat Ecclesia.

Secundum dubium est, An si recitet quis cum plurib. teneatur attendere ad verba omnium. Respondet Azor in seq. quæst. 7. satis esse, vt ad verba, quę à pluribus pronunciantur, perinde attendat, ac si ab vno dicerentur.

Tertium est, An quando cum socio horæ canonicæ recitantur, sufficiat audire orationes, capitula, responsoria, & lectiones quæ ab alio dicuntur. Ad hoc idem quoq; in quæst. 8. respondet affirmatiue, & post eum Suarez, in eod. cap. 25. num. 4. & 5. & ante illum Sylu. in verbo Hora, quæst. 7. Cuius responsionis ratio hæc est, quia in recitatione horarum canonicarum id quod vnus dicit, reputatur dici ab omnibus, quando ex rationabili causa fuerit ita consuetum; maxime sciente Ecclesia nec reprobante.

159. Quartum dubium est An licita sit prædicta alternatio dicentis & audientis, in recitatione aliarum precum dicendarum ex obligatione, v. g. psalmorum pœnitentialium dicendorum ex voto, vel ex impositione Cōfessarij, aut officij defunctorum ex libera promissione, vel ex impositione Confessarij, vel ex fundatione, & sic de cęteris. Ad quod ex Palud. in 4. dist. 45. quæst 2. art. 2. concluſ. 2. Nauar. in eodem tract. cap. 10. num. 19. affirmatiue respondet. Nec immerito: quia non apparet ratio, cur in his potius quam in horis canonicis id videri debeat illicitum. Locum autem id etiam habet cum plures sunt, quorum singuli tenentur ad integram recitationem, vt cum seorsum singuli vouerunt recitare psalmos pœnitentiales; vel singulis talis recitatio est in pœnitentiam imposita à Confessario, & sic de cæteris: excepta obligatione dicendi Missam, quia plures obligati ad singulas Missas dicendas non satisfaciunt, si vnus eam dicat, & alij ministrando ei, ac respondendo audiant. Rationem reddit Paludan. quia hi nec per se nec per alium faciunt id, ad quod tenentur (nempe ad dicendam Missam) sicut faciunt ij qui cum alio preces prædictas recitant. Nam censentur dicere vnam partem per se, & alteram per alium quem audiunt, receptum ecclesiæ morem obseruantes.

Quintum dubium est, An pari ratione licitum sit coronam aut rosarium, quod vocant Beatæ Virginis, recitare alternatim cum alio ad satisfaciendum obligationi, qua quis ex voto, vel ex mandato Confessarij, aut Superioris adstringitur quinquies aut sexies recitare Dominicam orationem, & quinquagies, aut sexagies salutationem Angelicam. De hoc late disputat Nauarr. in eodem cap. 10. num. 20. & aliquot sequentib. ac tandem concludit licitum esse. Id quod Azor approbat in cit. cap. 7. quæst. 10. quia inquit tuta conscientia possumus huiusmodi pensum interpretari reddendum esse eo more, quo horarum canonicarum officium exoluitur.

Reliqua documenta.

Sextum documentum est, quod Nauar. *in eod. cap. 10. nu. 9.* 160. tradit: inquiens, non satisfacere præcepto recitandi horas, eos, qui dum cantant aut recitant, omittunt tantam partem versuum, deglutiendo, corrumpendo & syncopando verba, syllabas, vel literas, quanta sufficit vt ex omissis & corruptis fiat notabilis pars horæ. Qui enim id agunt, omittunt partem notabilem horarum, nec recitant integras: & per consequens nec implent præceptum de recitandis datum. Adde quod in ea re (sicut & in recitando sine attētione

& deuotione) specialiter contraueniant prohibitioni Ecclesiæ in cap. Dolentes, De celebratione Missarum, & in Clement. 1. eod. titul. & in Concil. Basilien. sess. 21. §. Qualiter horæ canonicæ sint dicendę extra chorum: cuius verba sunt. Quoscumque beneficiarios, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc Sancta Synodus; vt si orationes suas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture vel inter dentes, seu deglutiendo & syncopando dictiones vel verba: sed reuerenter verbis distinctis, siue soli, siue sociati cum aliis, officium diurnum nocturnumque persoluant. Aduerte tamen ex Azorio in seq. quæst. 11. istud procedere, cum quis diuinum officium persoluens verba mutila & decurtata profert scienter: nō autem cum id facit vitio linguę, vel consuetudine quadam ingenita, seu quodammodo in naturam versa; neq; in ea (*vt ipse addit*) quantumcunq; nonnihil peccatum sit, obligatio est repetendi taliter dictas preces horarias: quoniam seruatum fuit illud, quod erat de præcepti substantia; sicut nec repetendus fuit baptismus ab ignaro lingnæ Latinæ, datus sub hac forma. Ego te baptizo in nomine patra, & filia, & spiritui sancta, ex cap. Retulerunt, De consecrat. distinct. 4.

Septimum documentum est; Illos qui inter horarum canonicarum recitationē ex officio vel Superioris iussu occupantur in pulsandis organis, ac ponēdis libris, aut thurificandis altaribus (vnde fit vt aliquam partem diuini officij nec proferant, nec audiant) satisfacere obligationi recitandi, quantumcunq; talem partem non dicant per seipsos. Ratio est quam habet Arago. 2. 2. quæst. 83. art. 12. sub finem: quod cum illi ad celebritatem diuini officij occupentur in ære, totus chorus suppleat pro ipsis: ita vt satis dicere existimentur, dum ministrant dicentibus.

161. Vltimum documentum est: Eos qui vtuntur breuiario Romano edito à Pio V. non peccare peccato omissionis partis notabilis diuini officij, si non recitent quotidie officium, quod vocant paruum Beatæ Virginis: nec diebus in eorum breuiario notatis, officium defunctorum, psalmos pœnitentiales, & psalmos graduales. Cæteros autem tali omissione peccare, quando breuiarium, aut regula secundum quam recitant, generaliter præcipit omnibus taliter recitari. Priorem huius documenti partem habet Azor in memorato lib. 10. cap. 7. quæst. vltim. & in seq. cap. 16. quæst. 3. & 4. ex bulla eiusdem Pij V. præfixa ipsi breuiario Romano: per quam etsi idem Pontifex voluerit retineri vsum receptum in aliquibus Ecclesiis, officium paruum B. Virginis recitandi in choro: tamen liberum reliquit recitantibus extra chorum; tam hoc quam alia memorata omittere: sicque liberauit ab obligatione recitandi. De quo Suarez tract. 4. De religione *lib. 4. cap. 13. num. 13.*

Posteriorem vero partem habet Nauar. de oratione cap. 10. num. 4. & probat. Quoniam ea ratione tales preces constituuntur pars horarum canonicarum, de quarum citatione datur præceptum. Secus esset vero, *vt ille addit*, si præciperetur duntaxat tales preces recitari in tali vel tali particulari Ecclesia, vel à talibus canonicis, aut talibus Clericis; quia tūc obligarentur tantum ij, qui essent de ea Ecclesia, vel de eorū clericorum collegio. Quos non excusari, dicentes officium suum extra chorum, intelligitur ex eo quod ipse Nauar. ibidem subiungit ex D. Thom. Scholasticum beneficiarium obligari in scholis, recitare officium defunctorum, quod in sua Ecclesia toties vel toties; his, vel illis diebus ordinarie dici debet: non autem illud quod dicitur extraordinarie ad preces alicuius, vel ad sepeliendum defunctum. Videri potest Suarez in priusmemorato cap. 25. à num. 7. ad 12.

De continuatione requisita.

Sectio IV.

162. AD debitam recitationem horarum canonicarum non requiritur talis continuatio, quæ nullam admittat interruptionem. Ea enim licite interrumpi potest aliquibus dictis, aut factis interpositis ob iustam interuenientem causam, & accedente voluntate cōtinuandi, ac perficiendi quod relictum fuerit, statim ac iustum impedimentum cessauerit. Tunc autem maxime iusta causa interuenire censetur, *inquit Azor in eodem lib. 10. cap. 8. quæst. 3.* cum opus est concionem vel audire vel habere, aut rem diuinam facere, aut Superioris iussu officium aliquod exequi, aut quodcumq; virtutis opus perficere, aut quid aliud ad salutem, aliaue bona siue nostra siue proximi necessarium; dummodo tamen nequeat in aliud tempus differri. Quod addo, quia indignum est loquētem cum Principe benigne audiente, cœptum sermonem interrumpere non modo sine causa, sed nec cum causa, quæ patiatur dilationē in aliud tempus. Plenius & accommodate ad quotidianum vsum, de his Nauar. in tract. De oratione cap. 16. à num. 64. ad finem vsque: qui legendus est, quoniam multa habet, quæ referre nimis longum esset: ideoq; contenti erimus aliquot documenta tradere, quibus comprehendamus in communi quæ spectant ad continuationem de qua agimus.

Primum est: diuinum officium incœptum, & iusta de causa interruptum continuari postea posse, nec esse opus repetere quod iam dictū fuerit. Hoc habetur ex Medina in Cod. de orat. quæst. 16. sub finem, & ex Nauarr. loco cit. num. 70. & 71. Id quod Azor non modo approbat loco cit. quæst. vlt. sed etiam in præced. quæst. 6. locum habere vult, quantumcunque interruptio fiat sine iusta & legitima causa: vt fit per risum, iocos, aut sermones alioquin otiosos & vanos: quia licet peccetur, tam per talia verba vel facta illicita, quam per interruptionem diuini officij sine iusta causa; tamen in tali casu perinde ac in præcedenti, seruantur illa quæ pertinent ad substantiam præcepti de recitatione horarū canonicarum. Nam vt Nauar. habet in sequenti nu. 75. interpositio ex eo solo, quod sit mala, neminem obligat ad recitationem horarum iterandam ab initio. Vnde si interruptio fiat absque animo habendi recitata pro non recitatis, sufficit sequentia prosequi ad satisfaciendum obligationi recitandi: quia interpositio alterius actus impertinentis, nō annihilat actum intentum, nec facit adeo discōtinua, vt impediat præcedentia cum sequentibus constituere quiddam moraliter vnum: nisi forte tam magna tamque impertinens esset interpositio, vt incœpta alicuius horæ canonicæ recitatio, merito censeretur adeo discontinua, vt finita potius esse quam interrupta, deberet prudentis arbitrio existimari.

Neque in tali casu (*quod Nauarrus addit*) satisfieri obligationi continuandi, nec interrumpendi diuina officia, impositæ per septimum Concilium Toletanum his verbis, relatis in cap. Nihil, 7. quæst. 1. Nullus absque præuentu patentis molestiæ minister, vel Sacerdos cum cœperit, imperfecta officia, præsumat omnino relinquere. Si quis autem temerarie hoc præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebit. Vbi aduerte ex eodem Nauar. in præced. num. 63. non esse liberum cœptam orationem interrumpere, quantumcunque liberum fuerit eam incipere; sed peccare eos, qui sine causa omittunt illam etiam cuius initium non fuit obligatorium. Ratio est: quia si vituperabile est sermonem cum terreno principe inchoatum, sine causa abrumpere nec cōtinuare ipso aures præbente: multo magis erit vituperabile sic inire colloquium cum Deo Rege Regum, vt sine tantæ maiestatis respectu, pro sola animi libidine, nullaq; vrgente causa iusta illo interrupto, ad alia nos ipso vidente applicemus. Aduerte igitur eiusmodi interruptionem fieri: tum loquendo tum audiendo, tum etiam agendo aliena à recitatione: quæ si prophana sint, nec valde vtilia, augent culpam; & specialiter reprehenduntur in cap. Dolentes, De celebratione Missarum: sique sint turpia vel indecētia, à mortali excusari nequeunt, propter notabilem in Deum irreuerentiam. Quod si pia fuerint vel alias honesta & necessaria, ac breuia, excusatio poterit esse omnino à peccato, prout declarat Suarez in præced. cap. 24. in fine.

Secundum documentum est. Eum qui horas canonicas cœptas interrumpit animo & voluntate non continuandi reliquum quod supereſt, sed repetēdi id quod iam recitauit, non satisfacere præcepto de recitandis illis, si tantummodo continuet quæ restant, nec repetat præcedentia iam recitata. Istud est Nauarri ibidem nu. 73. Debet autem sic intelligi *ex Azorio in cit. cap. 8. quæst. 7.* vt locum habeat, quando ab initio interruptionis recitans habuit voluntatem recitandi: non autem quando habuit aliquanto post: quia tunc sicut ei liberum est assumere nouam illam voluntatem repetendi; 163.

ita

ita etiam est liberum eamdem relinquere, & sequi interruptionis initio habitam, *vt supponitur*, continuandi omissum absq; iam recitatorum repetitione. Hanc suam doctrinam Azor illustrat exemplo audientis Missæ sacrum in die festo; qui si ab initio habeat in animo audire aliud, vt præcepto Ecclesiæ satisfaciat, debet illud audire: prout docebitur in seq. lib. 19. num. 23. Quod si non habuerit eum animum cum audiret; sed postea eo audito conceperit voluntatem adhuc aliud audiendi, potest ab ea recedere & ratum habere, sacrum à se auditum, esse ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico de ipso audiendo.

164. Tertium documentum est. Quamuis horæ canonicæ sint tantum vna oratio, vt habitum est in præced. sectione, documento 2. eas tamen non esse absque interruptione continuandas, quemadmodum constat ex communi Ecclesiæ cõsuetudine: quod etiam nomen ipsum indicat; ex eo enim dicuntur horę canonicę, quòd sint preces certis diei horis diuersis deputatæ per sacros canones; ex eodem Nauar. in præced. cap. 3. num. 26. De quibus horis postea in particulari, cũ dicetur de tempore ad earum recitationem requisito. Hic tantum monendum est, prædictarum precum partes distingui in nocturnum officium diuinum, & in diurnum: hocq; rursus in matutinas laudes, primam, tertiam, sextam, nonam, vesperas, & completorium: atq; vt addit Nauar. nu. 27. de nocturno intelligitur illud Psal. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi: de cæteris vero, illud aliud, Septies in die laudem dixi tibi.

De quibus non est quidem dubium, quin à se inuicem diuidi possint, sed an pariter possint laudes matutinæ, ab officio nocturno: & partes huius, à se inuicem quando ipsum fuerit triplex, *vt in festis duplicibus & semiduplicibus*, aliqua dubitatio est. Tenendum autem videtur cum Nauar. in memorato cap. 3. num. 28. & 64. laudes posse diuidi ab officio nocturno, sicut fit in die natiuitatis Domini, dum illis interponitur prima Missa: quia sunt pars ab illo distincta, perinde ac sex reliquæ horæ: vt argumento est, quod initio earum Deus in adiutorium meum intende, perinde repetatur ac in initio cæterarum: perindeque hymnum proprium habeant. Vnde colligit Nauarr. in tali diuisione, quando finitur nocturnum, dicendum esse Pater noster; & cum postea incipiuntur laudes, idem iterum dicendum esse cum Aue Maria: quia id seruatur in cęteris horis, quæ seorsim ab aliis recitantur: idemq; esse ius omnium merito videtur, cum par sit ratio. Quanquam vsus ita inualuit vt cũ officio nocturno laudes ita coniungantur, vt pro vna hora canonica habeantur, omissoque Pater & Aue continuentur: quod quidem non fit in aliis horis quando coniunguntur: sed pro earum initio, dicitur Pater & Aue Maria, excepto completorio, in quo dicitur tantum Pater noster, & hoc non statim initio, sed post lectionem breuem. Adde, *quod Azor in ante cit. cap. 8. quæst. 4. approbat ex Nauar. in cit. num. 64.* tria nocturna officia posse à se inuicem diuidi iusta de causa. Pro argumẽto Azor ipse adfert quarundam Ecclesiarum consuetudinem, qua pro defunctis vnum tantum nocturnum officium recitatur cum laudibus. Addere etiam potuit cõsuetudinem recitandi paruum officium B. Virginis, qua vno die vnum: alio aliud nocturnum recitatur. Quidquid autem idem Azor contradicat, consentaneum videtur quod Nauar. ibid. monet, quando fit ea nocturnorum diuisio, dicendum esse Pater noster, cum prius finitur: & Pater noster, cum Aue Maria, cum posterius inchoatur, quia consentaneum est in ea re id sequi, quod videmus seruari in alius similibus.

165. Quartum documentum est. Illud de horis canonicis vnius diei proxime dictum, quod quamuis sint vna oratio, possint tamen secũdum primarias suas partes, distinctis horis recitari: pari ratione dici posse de corona Beatæ Virginis, continente quinq; primarias partes, quarum quælibet constat vno Pater noster, & decem Aue Maria, nempe cum fuerit aliquo die recitanda siue ex voto, siue ex impositione Cõfessarij: siue ex aliqua regula, cui nos adstrinxerimus: id rationabili aliqua de causa ita fieri posse, vt vna eiusmodi pars vna hora: & aliæ, aliis diuersis horis recitentur intra eandem diem. De quo tractat Nauar. in eodem tractatu, cap. 10. à nu. 37. vsque ad finem: inter cætera adferens has rationes num. 40. tum quod negari non possit, quin corona per partes, eodem die dicta diuersis horis, sit eodem die dicta: & consequenter satisfactum sit obligationi dicendi eo die: tum quia quinque decades coronæ, licet per se singulæ sunt indiuisibiles, secundum illud vnum Pater noster, & decem Aue Maria, quibus vnaquæq; constat: comparatæ tamen aliæ cum aliis, diuisibiles censeri possunt, sicut censentur horæ canonicæ. Tum demum sicut facultas dicendi horas canonicas diuersis horis præbet occasionem eas dicendi cõmodius, & cum frequentiore, continuatioreq; memoria diuinorum: ita & facultas dicendi præfatas decades diuersis horis, magnam præbet occasionem frequentius habendi memoriam Beatę Virginis, & aliquid pium cogitandi. Quæ in contrarium facere videntur Nauar. ipse refert & soluit, eiusque sententiam approbat Azor in seq. quæst. 8.

De ordine requisito.

Sectio V.

QVadruplex potest esse istiusmodi ordo: vnus officij cum officio diuersorum dierum, alter diuersarum horarum eiusdem diei, tertius diuersarum partium eiusdem horæ, & quartum recitationis ipsarum horarum cum Missæ celebratione. 166.

Quod attinet ad primum: tenendum est quod habet Suarez in memorato lib. 4. cap. 24. num. 3. quod cum rectus ordo postulet, & recepta Ecclesiæ consuetudo ita ferat, vt non inchoetur officium diei sequentis antequam expletum sit officium diei præcedentis, talem ordinem voluntarie inuertere sine iusta causa non carere culpa; quæ tamen de se non sit plusquam venialis: quia non derogat substantiæ orationis, quam horæ canonicæ constituunt, nec illam minuit: vnde fit, vt non contineat grauem deformitatem.

Quod attinet ad 2. Quis ordo requiratur ad debitam recitationem horarum canonicarum, communis vsus satis ostẽdit, quo nocturnum officium diurno præmittitur: & matutinæ laudes, primæ; prima, tertiæ; tertia, sextæ; sexta, nonę; nona, vespertinis precibus, & hæ completorio. Quomodo autem peccet, vel excusetur à peccato qui talem ordinem inuertit, declaratur his propositionibus.

Prima est. Talem non peccare mortaliter, *dummodo absit contemptus*, etiamsi absque iusta causa inuertat per incuriam & negligentiam. Hanc tenet Nauarr. De oratione cap. 3. num. 67. cum D. Anton. Angel. & Syluestro: qui postremus in verbo Hora, quæst. 9. dicto 4. rationem tangit: quod talis ordo non sit de substantia præcepti, quod datum est de recitatione horarum canonicarum: cuius non pars, sed solum modus est talis ordo.

Secunda est. Eundem peccare venialiter, sine obligatione tamen iterandi horam iam recitatam. Hanc quoque habet ibidem cum iisdem Nauar. & in seq. cap. 21. num. 30. Et probatur: quia alienum est à ratione in diuino officio non seruare modum procedendi ab Ecclesia approbatum & vsitatum: etsi recitatio, vt iam sufficienter facta, iteranda non sit de necessitate.

Tertia est. Excusari à peccato eum qui ordinem prædictum inuertit ex naturali obliuione: seu quia recitaturus horam posteriorem, *vt tertiam*, nullo modo aduertit se nondum recitasse priorem, *vt primam*. Ratio est: quia talis obliuio cum rationem habeat ignorantiæ inuincibilis, excusat omnino à peccato.

Quarta propositio est. Illum qui, *etiam scienter*, inuertit eum ordinem, excusari similiter à peccato, si iusta de causa id faciat. Ita quoque tenent memorati authores. Et ratio est: quia vbi adest iusta causa, rationabiliter præsumitur excusatio de mente & voluntate Superioris præcipientis. Exemplum talis causæ Nauar. loco cit. ponit: si veniam ad chorum dum canitur tertia, necdum dixerim primam: tunc enim possum psallere cum cæteris, & postea dicere primam, vel aliam horam omissam. Imo etiam extra chorum ex Azorio *in cit. lib. 10. cap. 10 quæst. 1.* si post incœptam horam tertiam recordor me non recitasse primam, possum sine peccato illam prosequi animo & voluntate hanc postea recitandi. Idem iudicium esse quoque vult, si quis nondum recitata prima, rogetur aut inuitetur à socio, amico, vel familiari, vt tertiam recitet: ille vero debiti obsequi gratia, concedat illi

quod postulat. Cæterum siue cum iusta, siue absq; iusta causa fiat talis inuersio, necessarium est supplere intra eandem diem quod omissum fuerit: per tradita à Nauar. in eod. tract. cap. 10. num. 48. & aliquot seqq.

Quod attinet ad tertium, hoc est, ad ordinem eiusdem horæ, tenendum est quod Suarez habet *in citato cap. 24. num.* 5. cum graui peccato veniali, illum inuerti voluntarie siue iusta causa: vt si quis immutet ordinem psalmorum inter se, vel cum lectionibus, capitulis, hymnis, &c. Ratio est, quia tale quid nequit habere prætextum honestæ excusationis; videturque speciem quandam contemptus continere, cum inde corrumpatur ipsarum horarum quasi pulchritudo, & artificium, consistens in ordinata partium compositione inter se. Iusta causa autem interueniens potest à tali peccato excusare: qualis censetur obliuio alicuius partis, quam sufficit postea supplere: nec necesse est obseruationem ordinis, iam recitata repetere: itemque occupatio grauis. Sic enim ex eodem authore, si quis non habens librum ad dicendas lectiones, occurratque grauis occupatio quæ non patietur dicere totum officium matutinum, nisi dicat tunc quæ potest, vt hymnos, psalmos & cætera quæ habet in diurnali, potest talia dicere, & postea breuiario habito cætera supplere.

167. Quod attinet ad quartum difficultas est, An ordo qui requiritur ad recitationem debitam horarum canonicarum, sit non solum earum inter se, sed etiam cum Missæ celebratione: ita vt aliquarum recitatio hanc præcedere oporteat. Nam vt meminit Nauar. in cit. cap. 3. num. 68. post D. Anto. 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 4. & Angelum in verbo Missa, num. 42. Hostiensis sensit peccatum mortale esse, Missam celebrare ante officij nocturni matutinarumque laudum, & primæ recitationem: quod iidem authores plurésque alij, *de quibus Suarez in seq. num.* 6. concedunt quidem de celebratione ante recitatum officium nocturnum & laudes matutinas, nisi iusta causa excuset: vt scandalum vel nimia retardatio populi, aliaue similis: eamque communem esse sententiam Nauarr. habet in seq. cap. 21. num. 30. & cum eo Azor in cit. cap. 10. quæst. 4. Sed de celebratione ante recitatam primam, etiam factam sine iusta causa, D. Anton. ait non esse peccatũ plusq̃ veniale. Angelus vero negat illicitam esse, quando prima esset iterum dicenda in choro. Nauarrus autem sentit de rigore iuris, nullum in eo committi peccatum: licet dicat se in praxi non audere id sequi, vel consulere alteri: eo quod talis recitatio sit dispositio valde germana, ad Missam deuotius & reuerentius celebrandam.

Quod vero Sotus docet in lib. 10. de iust. & iure, quæst. 5. art. 4. Missam celebrare ante recitatum officium nocturnum & laudes, non esse peccatum plusquam veniale, Nauarrus ipse in eodem num. 30. refutat: quia id agere est contrauenire communi & peruetustæ consuetudini Ecclesiæ: ac etiam tacito eiusdem præcepto. Dum enim statuit vt matutinæ preces dicantur de nocte vel mane: Missa vero de die, tacite ordinauit, vt recitatio diuini officij matutini, esset præparatio ad Missæ celebrationem. Attamen plurimi recentiores in eo assentiuntur Soto, quos Suarez loco citato commemorat. Inter quos Arag. 2. 2. quæst. 83. art. 12. dub. 5. aitid esse intrepide tenendum. Et Suarez ipse quamuis fateatur melius esse aliquatenus priorem sententiam tenere in praxi: nimirum cauendo solicite ne absq; iusta causa coniungat vel nos in eo deficere, cum peccato saltem veniali non leui: vel alios nos cõsulentes occasionem accipere liberius negligendi tam sanctam præparationem ad Missæ celebrationem, in aliquod detrimentum suum spiritale, atque aliorum forte scandalum. Quamuis inquam hoc ille fateatur, existimat tamen ipsam Soti sententiam esse simpliciter securam, & n rigore veram: quia prædicta cõsuetudo non fuit introducta intuitu ordinis de quo agimus: seu ad inducendam illius obligationem, ex qua recitatio matutini, fieret dispositio requisita ad Missæ celebrationem: sicut nec consuetudo celebrandi Missam ante meridiem, non item Vesperas, censetur introducta intuitu ordinis inter harum recitationem, & ipsam Missæ celebrationem.

Itaque licet dicatur congruenter Ecclesiæ consuetudini, quod matutinum debeat præcedere celebrationem Missæ, & vesperarum recitatio eandem sequi: quia tamen illa non est per se introducta ad eiusmodi ordinem statuendum, is per ipsam non est aliter in præcepto, quam quia ipsa est fundamentum, quo posito ratio dictat talem ordinem regulariter seruandum esse: non tamen sub mortali. Cæterum quidquid sit in speculatione, censuerim, *cum in praxi res sit valde periculosa*, nisi necessitas aperta vrgeat non esse vtendum ea libertate: quia de mortali aut de veniali valde graui habẽda est suspecta propter virorum timoratorum communem sensum: quo exhorrescunt Missam dicere non recitato matutino. Accedit quod Pius Quintus in breui, quod habetur in principio Missalis, in virtute obedientiæ præcipiat Missam dici, iuxta ritum Missalis: & in principio rituum seruandorum in Missa, dicatur præuia confessione, & saltem matutino cum laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet.]

De qualitate requisita.

Sectio VI.

AD hanc qualitatem duo pertinent. Alterum est, vt Breuiarium ex quo horæ canonicæ recitantur, sit approbatum ab Ecclesia: quale est solum Romanum nouum iussu Pij V. editum; & alia quæ ante illud 200. annis, per statutum aut consuetudinem introducta fuerunt cum approbatione Sedis Apostolicæ. Quod constat ex Bulla eiusdem Pontificis, eidem Breuiario præfixa: per quam sic abrogantur cætera omnia Breuiaria, vt horas canonicas ex eis recitantes statuantur non satisfacere præcepto Ecclesiastico. Alterum est, modus recitandi: pro quorum plena intelligentia aliquot dubia occurrunt explicanda.

PRIMVM DVBIVM.

An quicumque teneatur horas canonicas recitare, satisfaciat, recitando illas ex quouis alio Breuiario, quam approbato à ducentis annis, in suo Episcopatu.

168. HOc tractat Nauarr. de oratione cap. 19. num. 211. & aliquot sequentibus; tresque de eodem varias opiniones refert Azor, in prima parte Moral. instit. lib. 10. cap. 11. quæst. 1. Quid autem videatur in praxi tenendum propositionibus his explicatur.

Prima est, Formulam Breuiarij, hoc est, speciem & quantitatem precum ad quas tenentur Beneficiarij aut Religiosi choro addicti, aut initiati maioribus ordinibus, variam esse posse apud varios; quantumuis omnium sit communis obligatio. Hæc est Soti in 10. De iustitia & iure, quæst. 5. art. 4. concl. 1. Quam probat, quia iure quidem diuino ac naturali tales tenentur ad aliquas peculiares preces: sed quænam eæ sint, determinatum non est eodem iure: sed iure tantum humano: quod pro varietate locorum & temporum variatur, in istius rei determinatione, sicut passim solet quoq; in aliis determinationibus. Pro quo facit cap. In die, De consecrat. dist. 5.

Secunda propositio est, Clericum non satisfacere obligationi suæ, recitando horas ex Breuiario, quod in alio Episcopatu approbatum sit quidem: sed non in suo. Hanc Azor ibidem tenet cum Nauar. tam loco cit. quam in seq. cap. 21. num. 23. & cum Soto in memorata concl. 1. Confirmatur q; maxime per cap. De his, dist. 12. quo præcipitur, vt vniuscuiusq; prouinciæ ciues, rectoresque Ecclesiarum vnum eundemq; in psallendo teneant modum quem in Metropolitana sede cognouerint institutum: nec aliqua diuersitate ordinis, vel officij à Metropolitana sede patiantur se disiungi. Ad idem facit canon Placuit, eadem distinct. & canon Conuenit. De consecrat. dist. 5. At ex alio quam sui Episcopatus Breuiario approbato, horas canonicas recitans, non conformat se talium canonum præscripto. Accedit quod in Clemen. 2. De celebratione Missarum, dispensetur cum Clericis Cardinalium, & Episcoporum familiaribus, vt possint se conformare illis in modo recitandi horas canonicas: quę dispensatio necessaria non fuisset, si iidem familiares possent præcepto Ecclesiæ satisfacere, recitatione alterius Breuiarij, quam sui Episcopatus.

De hac re Nauarr. in cit. cap. 19. num. 215. præmittens in præced. num. 214. contra directorium iuris (quod in verbo Hora sequuntur *Angelus num.* 12. *Sylu quæst.* 1. *Tabien. quæst.* 10. & ante eos D. Anton. 3. *parte tit.* 13. *cap.* 4. §. 2.) propositionem

hanc

hanc procedere etiam quoad Clericum secularem ordinatum ad titulum sui patrimonij: quia quamuis non habeat beneficium, subditus est tamen Episcopo sui domicilij, illiusque synodalibus legibus parere tenetur in iis, quæ ad omnes æque pertinent: sicut recitatio officij diuini, æque pertinet ad habentes beneficium Ecclesiasticum, & ad non habentes. Cum Nauarro sentit Sotus loco citat. tutiorque est ea sententia: quam Suarez de religione tract. 4. lib. 4. cap. 23. numero quarto approbat; quia licet talis non teneatur choro assistere; tamen tanquam pars Cleri sui Episcopatus, tenetur se ei conformare; ad idque potest ab Episcopo suo cogi, vt ad aliquid spectans ad rectum Ecclesiæ propriæ ordinem, ab omnibus æqualiter custodiendum, *ex memorato cap. Conuenit*, etiam in recitatione priuata, quandoquidem ea subrogatur publicæ, quę fit in choro.

169. Tertia propositio est, Religiosum, vt satisfaciat obligationi quæ ei ex sua professione incumbit recitandi horas canonicas; debere sequi eam Breuiarij formulam, qua Sedis Apostolicæ approbatione vtitur ordo regularis, cuius institutum professus est. Hanc Azor in supra citata quæstion. 1. probat ex eo, quod, iure canonico, Religiosi compellantur sui instituti & ordinis recitandi formulam tenere & seruare, vt intelligitur ex cap. De his, & cap. Placuit, distinct. 12. Eandem quoque ex directorio iuris tangunt locis citatis Angelus, & Tabiensis: itemque Syluester, nisi quod addat id procedere de bene esse. Aduerte autem ex Nauarr. in fine eiusdem cap. 19. Religiosum cuius regula nihil de modo recitandi præcipit, sequi debere regulam Episcopi cui subest, aut si exemptus sit, sequi vsum Romanum.

Quarta propositio est, *quam ex eodem directorio iidem authores habent*, ordinatum & intitulatum ad certam Ecclesiam, teneri dicere officium ibi consuetum: atque adeo secundum Episcopi sui specialem regulam si aliqua detur: alioqui secundum regulam Metropolitani, ex Nauarr. loco cit. Probatur vero propositio, quia non retineretur alioqui formulæ vnitas, quam in diuini officij recitatione seruandam, commendant sacri canones, vt patet ex antedictis. Aduerte vero obiter ex Syluest. in cit. quæst. 1. dicto 6. Monachum præfectum Ecclesiæ seculari, debere sequi consuetudinem Ecclesiæ ad quam transit, si ad eam transferatur in perpetuum. Non item, si tantum ad tempus; sed debebit officium suum monachale retinere.

Quinta propositio est, *quam iidem adhuc tangunt ex doctrina D. Thomæ quodlibeto 1. art. 13.* Habentem legitime beneficia in duabus Ecclesiis, debere vti formula quam tenet & seruat ea Ecclesia in qua habet beneficium dignius; *verbi gratia decanatum*, quantumuis pinguius habeat in altera, sed minus dignum vt simplicem canonicatum. Si vero habeat paria dignitate in vtraque Ecclesia, *verbi gratia duos simplices canonicatus*, vti debebit formula quam seruat Ecclesia dignior. Sin autem Ecclesiæ sint pares dignitate, liberum erit ei vti qua maluerit formula, quæ in alterutra Ecclesia seruatur, si in neutra resideat legitime; nimirum per dispensationem; aut quia neutrum beneficium residentiam requirit. Hanc propositionem quadripartitam D. Thomas non aliter probat, quam quod in tali re maior dignitas spiritalis præpõderet minori, quidquid sit de emolumento temporali: ratioque postulet vt nos conformemus potius iis cum quibus conuersamur quam cum aliis. Etsi autem Azor in memorato cap. 11. quæst. 2. eam dicat communiter receptam: nihilominus Suarez in citato cap. 23. num. 6. probabilius censet beneficiarium posse recitare horas canonicas secundum formulam receptam in diœcesi in qua residet, non obstante quod diuersa sit ab vsitata in loco sui beneficij; quia valde expedit imitari honestos mores eorum inter quos viuimus, & firmum domicilium habemus: alibi habentes tantum quasi domicilium ad aliquod tempus: pro quo non est necessarium assumere aliud Breuiarium: cum huius frequens mutatio merito vituperetur.

SECVNDVM DVBIVM.

An recitans horas canonicas ex Breuiario alieno quidem, sed approbato consuetudine ducentorum annorum, peccet mortaliter perinde, ac si recitaret ex reprobato, vel recitationem omitteret omnino.

PRo parte negante facit Syluester in verbo Hora, quæst. 12. cum quibusdam aliis apud Nauarr. De oratione cap. 19. num. 211. Pro affirmatiua autem plures ab eodem Nauarro citati in sequenti num. 214. Videntur autem cum eodem in reliqua parte eiusdem capitis propositiones hæ tenendæ. 170.

Prima est, Non esse peccatum, ne quidem veniale, quandoque vno vel altero die, aliqua de causa, quæ docto & bono viro iusta videatur, officium recitare ex Breuiario approbato quidem, alio tamen à nostro ordinario, cuius regulam sequi tenemur. Hæc patet ex eo, quod iusta causa excuset ab obseruatione præcepti humani: etiamsi pro dispensatione recurrendum sit ad Superiorem, cum fieri potest. In exemplum autem iustæ causæ Nauar. num. 217. adfert necessitatem repentinam studendi, concionandi, prælegendi, iuuandi in recitando infirmum, vno vel altero die, aut Prælatum, aut amicum defessum.

Secunda propositio est, Cum dispensatione Papæ quemlibet posse licite sumere Breuiarium quod ei libuerit, dummodo talis dispensatio detur iusta de causa. Hæc quoad priorem partem patet: quia Superior authoritatem habet dispensandi in sua lege. Quoad posteriorem vero; quia, vt Nauar. in præced. num. 204. argumentatur: licet is qui sine iusta causa per Superiorem dispensatus est, non peccet transgressione legis, *qui ei relaxata est*, si contraueniat: peccat tamen contra naturæ legem præscribentem quod debeamus conformare nos in bonum, cum iis quibuscum viuimus: quodq; turpis sit pars, quæ non conuenit suo toti. Tale autem peccatum mortale erit aut veniale, pro qualitate inde sequuti magni aut parui scandali: quod ea de causa datur cæteris, prout Nauar. ipse ibidem notat.

Aduerte autem ex eodem in præcedenti cap. 11. num. 24. & aliquot sequentibus: olim quidem Episcopum iusta de causa potuisse dispensare cum subdito suo, vt secundum formã alterius Episcopatus horas canonicas recitaret, eo quod potuit propriam Episcopatus formulam recitandi immutare, *& per consequens in ea dispensare*; sicut & iuxta cap. 1. De consecrat. distinct. 3. instituere nouas festiuitates, ad quas sequitur ordinatio noui officij. Sed post editum à Pio V. Breuiarium, & promulgatum cum Bulla eidẽ præfixa, per quam Pontifex, pro summa sua authoritate, talem immutationem vetuit, & præcepit vt omnes Clerici in toto orbe Christiano, secundum formulam in eo Breuiario positam, horas canonicas recitarent, exceptis iis qui per Breuiaria ante ducentos annos composita & approbata recitabant; prædicta Episcoporum potestas suspensa est, propter abusus, quorum fit mentio in eadem Bulla: ita vt Clerici quoad formam Breuiarij seruandam in recitatione horarum canonicarum, iam non teneatur vt antea, lege speciali sui Episcopi, vel Archiepiscopi; sed vniuersali Summi Pontificis, quam infirmior tollere non potest nec limitare, ex Clemen Ne Romani, De elect. Eandem obseruationem tangit Azor in 1. part. Moral. Inst. lib. 10. cap. 13. quæst. 11. De qua etiam Suarez in fine citati cap. 23. vbi bene monet in tali præcepto, sicut & in aliis Ecclesiasticis, Episcopum dispensare posse iusta de causa in vno aut altero casu occurrente: non autem cõcedere dispensationem permanentem. Pro quo videnda sunt antedicta à nobis de dispensatione lib. 13. num. 190. & aliquot sequent. ac lib. 16. num. 18. 171.

Tertia propositio est, Peccare eum qui sine dispensatione sufficienti frequenter mutat modum recitandi horas canonicas: nempe recitando aliquot diebus ex vno Breuiario, & aliquot aliis, ex alio pro suo arbitrio: ita vt viris doctis & piis, id nimium esse possit videri; quisquis sit ita recitans, siue beneficiarius, siue alius. Huius rationem tangit Nauar. in cap. 19. in fine num. 217. quod etiamsi liberum ei esset vtrumque eligere, *vt v.g. nouum Romanum, & Bisuntinum*: non posset tamen tot mutationes iuste facere.

Quarta propositio est, Interdum ex alieno Breuiario recitare

citare sine iusta causa, peccatum quidem est, sed non mortale: dummodo citra contemptum legis, tamque raro fiat, vt viro prudenti & docto non videatur notabilis audacia. Hanc Nauar. ibidem ex eo probat: quod eiusmodi mutatio tam rara, non videatur ita notabiliter contraire menti institutoris Breuiarij, vt ad culpam mortalem, ea censenda sit peruenire.

Quinta propositio est, Beneficiarium aut Religiosum, aut sacro ordine initiatum sine beneficio, qui omittit omnino, aut multo tempore mutat suum Breuiarium, & regulas sui Episcopatus, vel ordinis sine dispensatione, peccare mortaliter. Hanc idem habet: & probat in sequenti num. 218. quia illud plane est contra præceptum positiuum, quo iubetur quisque secundum suam regulam recitare. Cuius præcepti ante meminimus in explicatione primi dubij. Ipsum autem sub mortali obligare, Nauar. in præced. num. 215. ex eo probat, quod Concil. Tolet. relatum in cap. De his, distinct. 12. iubeat contrauenientem tali præcepto, suspendi à communione sex mensibus, & culpam lachrymis abluere: quæ amarę pœni pœnitentiæ, indicia sunt culpæ mortalis, & non solummodo venialis.

TERTIVM DVBIVM.

An ex suo Breuiario recitare cum mutatione officij vnius diei in officium alterius diei, v. g. recitando de Sancto, cum recitari debeat de feria, vel contra: An inquam sit peccatum.

172. AD hoc respondendum esse affirmatiue, ex eo patet: quod & tunc videtur vniformitas in recitatione horarum canonicarum, ex præcepto Ecclesiæ retinenda, per cap. penultimum & vltimum, dist. 12. cap. Conuenit, De consecr. distinct. 5. Sed difficultas est non modica an ipsum sit mortale; quam Suarez tractat in eodem cap. 23. à num. 11. ad 16. allatis in vtramque partem authoribus, & rationibus. Pro solutione autem videtur dicendum: posse peccatum mortale committi mutando officium vnius diei in officium alterius. Quia præceptum de recitandis horis canonicis obligat sub mortali per antedicta. Ipsumque sic in genere datur de septę horis canonicis, vt etiam detur in particulari, seu in indiuiduo, de iisdem vnoquoque die recitandis: quæ cum ex Ecclesiæ institutione sint variæ, pro varietate dierum: merito vnas dicens non censetur dicere alias. Quare nec satisfacere præcepto de talibus determinatis tali die dicendis: si non eas, sed alias recitet. Confirmatur: quia alioqui dicere has potius quam alias tali die, solum esset consilij, tanquam quid melius: & non modo mortale, sed nec veniale esset facere in eo mutationem ex mera voluntate, ac sine vlla iusta causa, quod nemo dixerit. Aperteque in contrarium est, quod Pius V. in Bulla Romano Breuiario præfixa iubet officium diuinum dici secundum formam ab ipso præscriptam. Ad quam formam pertinet distributio eiusdem officij per dies festos aliaque tempora. Ei autem distributioni repugnat mutatio officij vnius dici in officium alterius diei. Ergo repugnat dicto præcepto: nec relicta est arbitrio recitantis.

Verumtamen non adeo frequēs est in ea mutatione tanta culpæ grauitas. Etenim semper à mortali ea excusatur ex paruitate materiæ: seu quantitatis, qua officium recitatum, minus est recitando: nisi ea enormem adferat læsionem officio diuino quod relinquitur; prudenti expendendam ex circumstantiis eiusdem mutationis; vt si sit valde frequens aut valde ridicula, prout censetur ea qua solertissimum officium propriū in die natiuitatis Domini, mutaretur in feriale simplicissimum; aut lugubre Dominicæ palmarum, cum hilare resurrectionis Domini. Quod si sit magna inæqualitas inter officia, quia scilicet illud relinquitur, multo longius est altero in quod mutatur: vt cum officium dominicæ, mutatur in officium vnius martyris, quod longe breuius est: non est excusatio; quia hoc supplet illud cum defectu notabili, atque adeo rationem habente defectus integritatis: qui quādo est notabilis in officio diuino, constituit peccatum mortale, iuxta habita in præced. sect. 3.

Excusatur item à mortali eadem mutatio, ex inaduertentia, quæ quamuis sit aliquo modo culpabilis, potest tamen à tanta grauitate culpæ excusare ipsam diuini officii mutationem, vt non deliberatam plene. Imo & excusare à recitatione omissi, ex communi sententia teste Azorio in cit. lib. 10. c. 10. q. 2. nisi, *vt addit Suarez*, ipsum sit notabiliter maius non omissum: quia tunc facienda esset aliqua cōpensatio, dicendo aliquid ex officio omisso diuersum ab eo quod iam dictum est. Excusatur deniq;, ex iusta causa: qualis est quod non habeam nunc Breuiarium ex quo dicam officium de Sancto, & ideo dico de feria, quia non possum recitationem donec habeam commoditatem Breuiarij, differre; quoniam tunc erit mihi vacandum studio necessario, vel alicui operi pietatis.

QVARTVM DVBIVM.

An liberum sit iis qui proprium Breuiarium habent approbatum, vti extra chorum nouo Breuiario Romano.

DE hoc interrogatus Nauar. nonnihil incertus fuisse videtur in lib. 3. suorum consil. tit. De celebratione Missarum consil. 11. 16. & 19. Distinguendum autem videtur. Nam si recitans extra chorum addictus sit choro in quo canuntur horę canonicæ ex Breuiario approbato ducentis annis ante prædicti noui introductionem, non est probabile ei licere sine dispensatione Episcopi, ipso nouo vti. Ratio est, quia talis mutatio permittitur quidem à Pio V. fieri, etiam in choro; sed tantum de voluntate seu cōsensu Episcopi & Capituli. Cumq; priuata recitatio horarum canonicarum subrogetur in locū publicæ, quæ fit in choro, debet esse ei conformis: vt patet per antedicta in explicatione dubij primi. Et confirmatur: quia deformitas inter eos qui sunt eiusdem vacationis & familiæ, reprehensibilis est: ex cap. In noua actione 16. quæst. 7. & ex Clem. 1. de electione: magnaque est indecentia illa, qua inter tales: vnus ex vno, alius ex alio Breuiario recitat. Quamquam si nullum periculum inde immineat dissensionis, aut imminutionis charitatis, censeri potest, *prout Lessius docet, De iust. & iure, lib. 2. c. 37. n. 75.* illius Breuiarij vsus permissus hoc nomine, quod valde laudabile sit cōformare se Ecclesiæ Romanæ, tanq; matri omnium aliarum Ecclesiarum. De grauitate prædicti peccati iudicandum erit ex qualitate & quantitate scandali, & aliorum incommodorum sequentium ex tali deformitate, quę de se non videtur tanta, vt ad mortale sufficiat, prout notat Suarez in citato cap. 23. num. 9. in fine. 173.

Iam si quis liber sit à choro, nec vlli regulæ subsit, qua certam formam seruare teneatur per statutum à Sede Apostolica approbatum, non videtur negandum quin ei liceat, etiam sine dispensatione, vti prædicto nouo Breuiario: ita vt Ecclesiæ præcepto satisfaciat recitando ex eo horas canonicas, prout Nauar. in citato consilio 16. ex eo probat: quod Pius V. in sua Bulla præcipiat omnes tam regulares, quam sæculares vti eodem officio nouo, exceptis iis qui vtuntur antiquo ante ducentos annos recepto. Qua exceptione non præcipit, vt antiquum eiusmodi officium ij seruēt, qui illud antea tenuerint: sed indicat quod si nolint, non teneantur seruare nouum, ne quidem in choro: nisi ipsum sit in eo introductum consensu Prælati & Capituli. Nihil est igitur, cur ad seruandum nouum Breuiarium extra chorum, prædictis necessaria sit dispensatio Episcop: cum Papa sufficientem ad id faciat potestatem, non requirentem Episcopi consensum. Nam nominatim de choro expressam mentionem faciendo, non obscure indicauit se respectu tantum illius exceptionem addidisse, impedimentum adferentem recitandi horas canonicas ex ipso nouo Breuiario: ad quod tollendum esset opus authoritate Episcopi, & Capituli.

Porro quin omnes ij quorum breuiarium non præcessit ducentis annis ipsum Romanum nouum, possint ex eo horas canonicas priuatim recitare sine dispensatione dubium non est. De qua re videndus est Suarez in sequenti num. 10. Admonens non obstare, quod per negligentiam Prælatorum retineatur in choro ante vsitatum breuiarium: qua cum ipsum sit, *vt supponimus*, de numero eorum quæ abrogantur à Papa, prauus est talis vsus; vtpote retentus contra expressam Superioris voluntatem. Vnde fit, vt nequeat obligationem inducere ad illum inuitandum: nec posse Prælatum præcipere illius imitationem: cum obstet præceptum Papæ, de quo idem author pluribus in præced. cap. 11.

QVIN-

QVINTVM DVBIVM.

An ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto, necessarium sit horas canonicas elata voce recitare.

174. PRo huius explicatione sit prima propositio. Non satisfieri præcepto Ecclesiæ recitando horas canonicas sola mente; sed requiri vt etiam voce recitentur. Hanc habet Medina in Cod. De oratione quæstio. 7. in initio. Et probat: quia cum Ecclesia non obliget immediate ad actũ mentis, præceptum ipsius non impletur solo interiori mentis actu. Deinde quia ex D. Thoma 2.2. quæst. 83. art. 12. Oratio publica, id est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi Deo offertur, vt ab ipso populo exaudiri possit, debet voce proferri. Recitatio vero horarum canonicarum, oratio est huius generis, vt satis constat. Accedit quod in Concilio Basilienſi sess. 21. sit iussum, vt horæ canonicæ non inter dentes, nec in gutture, nec syncopate, sed integre pronuncientur.

Secunda propositio est, Eum qui non tantum priuatim, sed etiam solus dicit horas canonicas, satisfacere præcepto Ecclesiæ, si eas taliter recitet, vt vere dici queat, ore voceque preces fundere: siue possit ab alio audiri siue non possit. Hanc contra Medinam loco cit. tenet Nauarr. in tractatu de oratione cap. 20. num. 14. Et probat, tum quia ex ipso etiam Ecclesiæ præscripto, in Missa, & in ipsis horis canonicis quædam secreto dicenda sunt. Tum quia commmunis vsus virorum piorum & doctorum est, vt in templo vel in cubiculo, vel faciendo iter cum alijs (*ne eis mol. sti sint, vel impedimento, & ad fugiendam hypocrisis speciem*, summissa voce ex vrbanitate & ciuilitate horas suas recitent. Tum demum quia vt Caietan. notat ad citatum D. Thomæ artic. 12. oratio publica de præcepto quidem debet vocalis esse: sed tamen clara & alta, solummodo ex decentia; quæ plerumq; cessat ratione personarum quæ inde offenderentur vel impedirentur. Neque obstat quod in eodem loco D. Thomas dicat orationem publicam debere fieri alta voce, vt innotescat populo pro quo profertur. Nam id intelligendum est de oratione quæ non solum est publica, sed etiam publice dicenda est, vt audiat populus: quod non est semper necessarium in recitatione horarum canonicarum, sicut est in celebratione missæ. Illæ enim plerumque à solo, & nemine conscio recitari possunt: hæc autem, non; nisi duobus assistentibus ex capit. Hoc quoque, De consecrat. distinct. 1. (*aut saltem vno, prout consuetudo iam obtinuit*) celebrari potest, & ideo clara semper & intelligibile voce, dicenda est.

Tertia propositio est, Vocem eius qui solus & priuatim recitat horas canonicas, non debere esse ita summissam, vt non audiat seipsum. Hæc est contra Azorium in 1. part. Moral. instit. libr. 10. cap. 11. quæst. 4. eamque tenent non modo Caiet. & Medina quos ipse refert: sed etiam loco cit. Nauarr. *quem quasi sibi consentientem idem Azor affert*, satis aperte; verba enim ipsius sunt. Cum eas pronunciat ad se tantum mouendũ, & mente & corpore Deo seruiendum, sufficit quod formet, verba illaque audiat & intelligat. Quibus verbis insinuat quoque rationem nostræ propositionis: nempe quod iuxta Diui Thomæ doctrinam loco cit. horæ canonicæ proferri debeant voce, vt habeamus signum externum quo mens nostra eleuetur in Deum. Signum autem non operatur nisi ingerendo sensui speciem sui: & vocalis recitatio horarum canonicarum non audita, nullam sui speciem sensui ingerit.

Quarta propositio est, Recitantem cum socio debere ab eo audiri. Hæc patet ex præcedenti, quia si recitans audire debet seipsum, multo magis socium cum quo recitat: quia non supplerct alioqui audiendo, quod omittit non reci-

tando.

* *
*

VLTIMVM DVBIVM.

An ad chorum & cantũ deputati satisfaciant Ecclesiæ præcepto, si tantum choro præsentes adsint, & in eo summissa voce Ecclesiasticum officium persoluant: nec canant cum alijs, sed tantum eos qui cantant in choro auscultent.

175. AD hoc Azor in seq. quæst. 5. citato Nau. respondet negatiuè iuxta cap. Si quis presbiter dist. 92. & Concil. Basilienſe sess. 21. & Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. vbi hæc de habentibus in Ecclesijs cathedralibus aut collegiatis dignitatem, canonicatum, præbendam, aut portionẽ ita dicitur. Omnes vero diuina per se, & non per substitutos, cõpellantur obire officia: & Episcopo celebranti, aut alia põtificalia exercenti adsistere & inseruire, atq; in choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis, Dei nomen reuerenter distincte deuoteq; laudare. Idem tamen author in seq. qu. 6. eos excusari existimat, quando contrarium fuerit consuetudine receptum: dummodo diuinum officium nullum detrimentum inde accipiat: vt cum non canentes supplent suum defectum per capellanos. Qua de re latius disserit Suarez in lib. 4. 12. vt & de cæteris quæ peculiariter attinẽt ad recitationem faciendam in choro, ab initio eiusdem libri vsq; ad cap. 16. quem possunt consulere Prælati: quibus incumbit onus prouidendi, vt omnia in choro fiant debite.

De loco requisito ad recitationem horarum canonicarum.

SECTIO VI.

DE hoc Nauar. plenius cæteris agit, *in tract. De oratione cap.* 5. in quo persequitur etiam modos notatu dignos, quibus contra loci sacri reuerentiam peccatur. Cum eodem vero propositiones hæ tenendæ videntur.

Prima est, horas canonicas publice dicendas, debere in Ecclesia dici. Hanc quoq; habet Sotus in 10. de iust. & iure quæst. 5. art. 4. in fine. Et probat tum ex Clemen. prima de celebrat. Missarum §. Ne igitur vbi horæ canonicæ in Ecclesijs psalli præcipiuntur: tum ex eo quod templa in hoc extructa, destinataq; sint, vt ibi horæ canonicæ celebrentur. 176.

Secunda est, Canonicos & cæteros beneficiarios ad recitationem horarum canonicarum in choro adstrictos debere ibi eas recitare: nec à peccato excusari, si eas domi recitent; nisi iustam habeant causam absentiæ suæ à choro. Hęc sequitur ex præcedenti. Difficultas est autem, An peccatum quod in eo committitur sit mortale. Esse enim censerunt Innocentius & Hostiensis teste Sylu. in verbo Hora, quæst. 2. dicto 4. Quam sententiam Sotus loco cit. improbat tanquam nimis rigidam. Nauarrus vero communiter receptam dicẽs *in eod. cap. 5. num.* 14. eam confirmat ex cap. finali dist. 92. in quo deponi à Clero iubetur Presbyter aut Diaconus, vel quilibet Clericus Ecclesiæ deputatus, qui ad quotidianum psallendi officium, matutinis vel vespertinis horis ad Ecclesiam non conuenerit. Depositio enim, pœna est grauis, non imponenda nisi ob graue seu mortale peccatum. Verumtamen in Soti sententiam inclinans, censet cum Syluest. & Caietan. limitãdum esse rigorem eiusmodi, vt locum habeat tantummodo, cum per contemptum, aut contra Prælati particulare præceptum fieret talis absentia: aut ob eam officium diuinum non diceretur in Ecclesia, aut saltem nõ diceretur cum debita solemnitate, eo quod præsentia ipsius esset ad eam necessaria.

Extra eos casus vero, peccatum non esse plusquam veniale, *licet graue*, & interdum nullũ: cum scilicet iusta datur causa absentiæ ab Ecclesia. Porro tradita propositio procedit iuxta eundem Nauarrum ibidem, non tantum quoad beneficiarios Ecclesiarum collegiatarum, sed etiam quoad beneficios Ecclesiarum non collegiatarũ, quando tenentur conuenire, & simul dicere matutinum aut vesperas, vel Missam canere vel omnes aut aliquas horas recitare quia verbum, *non conuenerint*, vsurpatum in cit. cap. finali, no minus de talibus absentibus, quam de alijs verificatur. 177.

Procedit quoque eadem propositio, vt quoad pœnã peccati, sic etiam quoad pœnam priuationis distributionum,

quæ fiunt ijs, qui sunt præsentes: quia cessante causa cessare debet effectus nondum productus. Vnde, *vt idem Nauar. in sequenti numer.20.habet*, quando aliquot dies in aliqua Ecclesia cõceduntur, vt quis nihil quotidianarum destributionum perdendo, possit abesse ab horis, & alijs diuinis officijs: id intelligendum est, cum abfuerit ex iusta & rationabili causa: non autem pro solo libito, & iniusta irrationabilique de causa. Quod probat per illam commendabilem Paludani determinationem. Quod statutum aut consuetudo, vt is, qui tali vel tali officio, vel horæ præsens fuerit, distributiones lucrifaciat, etiamsi protinus egrediatur, & discedat: de eo intelligi debeat qui egreditur vt procuret negotia Ecclesiæ, vel agat opera aliqua sancta: non autem de eo qui egreditur vt otietur, fabuletur, aut ludat. Quodq; statutum contrarium, *nempe vt lucrifaciat eadem d stributiones, etiamsi egrediatur ex quadam causa vana nec iusta*; nõ excuset coram Deo, nec in conscientia; etiamsi in foro exteriori non detrahatur ei sua portio.

Procedit denique, *ex eodem Nauarr. in seq. numer.*21. eadem propositio; quantumcunque secundum statutum propriæ Ecclesiæ, tales causæ reputentur pro iustis, si reuera iustæ nõ sint; vt prætextus eundi ad necessaria naturæ, vel resecandi barbam vel capillos, vel excipiendi aduentantem hospitem, vel interessendi alicui actui scholastico. Ratio est quam tangit Sotus loco cit. quod fingens absentiæ suæ causam, cũ Ecclesiam, cuius alimentis sustentatur, defraudet seruitio quod ei debet, iniustitiam committat.

178. Tertia propositio est. Communi iure, Clericos cum priuatim horas canonicas recitant, satisfacere Ecclesiæ præcepto, recitando vbicunque voluerint; dummodo locus debitam attentionem non impediat, aut cum religione, quæ diuino officio debetur, non pugnet, nec præbeat alijs offensionem. Hanc probat recepta consuetudo, qua viri etiam timoratæ conscientiæ & docti, non reformidant vbilibet officium suum dicere, nisi videant adesse periculum offensionis aliorum, aut impedimentum attente ac deuote recitandi: quale contingere potest in via, platea alijsve locis publicis & prophanis, quibus sunt frequentes hominũ conuentus, clamores & strepitus forenses & prophani. Quod autem Sotus loco cit. ait recitantes extra Ecclesiam debere habere oratorium aliquod in sua domo ad id deputatum; Nauarr. De oratione cap.21.numer.32. ait posse quidem procedere de decentia & honestate, non autem de præcepto: quia quod nullo iure præcipitur, nõ est pro præcepto habẽdum: sicut nec superstitiosa adinuentione præsumendum, quod sanctorum Patrum documento sancitum non est; ex cap. Consuluisti 2.quæst. 4. Illud autem nullo iure est præceptum; imo contrarium potius est plurium consuetudine receptum.

Intellige autem nullo iure communi. quia fieri interdum potest vt speciali iure, id est, particulari statuto vel consuetudine aliquorum, vel authoritate Confessarij vel voluntate fundatoris, præceptũ sit horas ipsas recitari certo loco, sicut & Missam dici, aut officium defunctorum; vel aliquem hymnum, aut responsorium cantari pro viuis aut defunctis. Cui præcepto contrauenitur, nec satisfit, vt manifestum est dicendo in alio loco: prout ex Baldi & aliorum determinatione Nauar. tradit in præced. cap.5.num.Indeq; infert in sequenti numer.12. respondendum esse negatiue ad quæstionem, quâ quæritur. Vtrum Clericus studens satisfaciat suæ conscientiæ; in Academia in qua studet celebrando Missas, quas ratione officij aut beneficij sui obligatus est dicere in certa Ecclesia, Eremitorio, vel altari suæ patriæ. Similiter & ad eam qua quæritur, Vtrum Capitulum quod obligatur dicere responsoria Sanctorum, aut defunctorũ ante altare maius, aut in corpore Ecclesiæ, aut in tali vel tali parte claustri, aut in capitulo, satisfaciat dicendo illa alibi sine iusta causa vel authoritate legitima. In exemplum autem iustæ causæ adferri possunt, scandalum, species hypocrisis, impedimentum deuotionis, aut ceremonia superflua.

Quarta propositio est. Cæteris paribus melius esse priuatim recitare horas canonicas in locis sacris, quam alibi. Hanc habet Nauar. in eodem cap.5. numero 4. congruenter cap. Parsimonia distin.41. & cap. Docet, De immunitate Eccles. in 6. additis rationibus D. Thomæ 2.2.quæst. 84. art. 3. ad 2. Tum quod ratione consecrationis loci Deus specialiter iuuet ad melius orandum. Tum quod talis locus propter mysteria & sanctitatis signa quæ in eo continentur, ad orationẽ excitet, iuxta illud ex Isaia vsurpatum à Domino nostro Luc. 19. Domus mea domus orationis vocabitur.] Tum demum, quod per concursum plurium ibi orantiũ, oratio nostra facilius exaudiatur, dicente Domino Matth.18. Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.]

De corporis situ, qui est modus quidem loci, superest monendum, cum recitatio fit secreto, habendam esse in eo rationem deuotionis & reuerentiæ diuinæ ex vna parte: & propriæ necessitatis ex altera. Cum autem fit coram alijs, is seruandus est qui sit illis ædificationi, nec præbeat scandalum: atq; præstandum si quid super eo præscriptum sit in regulis, vt est de stando cum certũ quid recitatur, & de dicendo nonnulla flexis genibus & similibus. Quæ Suarez in memorato lib.4.cap.27.num.2. ait non esse imposita sub rigore præcepti, secluso contemptu & scandalo.

De tempore requisito.

Sectio Vltima.

DE hoc post Nauarr. in eodem tractatu de oratione cap. tertio differunt Azor in 1. parte Morla. Instit. lib.10.capite 9. & Suar. de relig. tract 4. libr.4.cap.27. à num.3. Quæ videntur scitu necessaria de eo pro quotidiana praxi trademus aliquot propositionibus.

Prima est. Iure quidem communi singularum horarum recitationem certum determinatumque tempus requirere: attamen in vsu seruandum esse illud in quo cæ dici debent ex aliqua particulari constitutione vel consuetudine, vel ordinatione siue fundationis, siue ordinis, vel loci ad quem pertinet obligatus ad recitationem. Prior pars, *pro cuius pleniore declaratione videri possunt quæ Nauarrus habet loco citato numero* 27. *& aliquot sequentibus*, patet ex capite 1. De celebra. Missarum, & ex Clement. 1. eod. titul. Posterior vero, *quam idem habet ibidem numero.39.ex Palud. D. Anton. & Syl.* probatur: quia talis determinatio, cum sit tantum iuris humani, potest per iustam constitutionem, aut consuetudinem legitime præscriptam mutari. Vnde infert ipse Nauarr. quod vbi iusta ordinatione matutinum in Ecclesia dicitur media nocte, dicentes hora quarta post mediam noctem non satisfacere suo muneri. Neque contra, si constitutum sit vt dicantur horâ quartâ matutina, satisfacere dicentes media nocte. Infert etiam, quod etiamsi iuxta ius commune teneamur in Quadragesima dicere nonam hora tertia post meridiem, & post nonam vesperas ante cœnam, nunc tamen necessarium non esse id facere: quia in hoc consuetudo eidem iuri derogauit. 179.

Secunda propositio est. Statis, debitisq; temporibus recitandas esse horas singulas canonicas: non modo cum publice in Ecclesia canuntur, sed etiam cum priuatim dicuntur: siue quis solus per se, siue cum socio dicat. Hanc Nauar. numero 45. ait esse communem sententiam canonistarum, intelligentium ante citata iura de ea quoq; recitatione, quæ fit priuatim. Nec immerito: quia in hanc paritet cadit ratio talis iussionis. Etenim horæ canonicæ, statis temporibus recitari iubentur, non tam ad consulendum commoditati recitantium, quam ad augendum cultum diuinum, & ad efficiendum frequentiorem ac diuturniorem, ad Deum per orationem, mentis nostræ eleuationem cum pio erga eum affectu. Hinc consequens est, quod Nauarr. infert Ecclesiasticos illos errare qui totũ officium simul, ad vesperas vsq; mane recitant; integrum diem interea in otio consumpturi, nec studio, aut alteri honesto negotio vel occupationi vacaturi: aut qui iter agentes dicto modo recitant, qui recitare possent debitis horis: nempe, *vt idem inquit numero* 48. sub crepusculum dicendo officium matutinum, primam vero post vnam horam: deinde tertiam post duas horas: sub meridiem autem sextam & post secundam pomeridianam, nonam: ac vesperas, prope horam quartam, & demum completorium sub noctis crepusculum. Quæ distinctio accommodata est rememorationi mysteriorũ passionis Domini nostri: cuius

gratia

gratiâ illam inſtitutam eſſe indicant verſus relati in gloſſa ad cap.1.de celebrat. Miſſarum.

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus horis:
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat,
Prima repleſ ſputis, cauſam dat tertia mortis,
Sexta cruci nectit, latus eius nona bipertit,
Veſpera deponit, tumulo completa reponit.

Infert alia Nauarr. quæ apud ipſum videri poterunt.

Tertia propoſitio eſt. Præuenire tempus debitum recitandi horas canonicas, vel illud differre, etſi peccatum eſt, nõ eſt tamen de ſe pluſquam veniale: nec coniunctam habet obligationem horas dictas iterandi: vt nec inuerſio ordinis ipſarum. Hanc eſſe communiter receptam, notat Sylu. in verbo hora quæſt.9. dicto 6. in fine: pro qua aliquot authores citat Suarez in eod.lib.4.cap. 17.n.3. Et Nauar.in eodem capit.3.num.59. bonam rationem illius tangit: nempe quod tempus non ſit de ſubſtantia præcepti recitandi horas canonicas. Nam in cap. Dolentes de celebra. Miſſarum præcipitur quidem, vt obligati ad horas canonicas, dicant officiũ tam nocturnum quam diurnum: non tamen vt nocturnum de nocte, & diurnum de die dicatur; nec certas horas determinat. Accedit, quod alioqui ſicut de præcepto tenemur omnes horas canonicas ſingulis diebus dicere, teneremur pariter certis debitis horis dicere: atq; adeo ſicut communiter nulla de cauſa poſſumus horas vnius diei deferre in alium, ita nec poſſemus differre eaſdem, de vna hora in aliam. At contrarium communi conſuetudine ſeruatur; congruenter cap. Presbyter, diſt.91. & cap,1. De celebrat. Miſſarum: ponderato verbo, *iuxta poſſibilitatem*, quod vtrobiq; habetur. Hinc in eodem n.59. Nauar. cum D. Anton. Sylu. & Caietan. aſſentitur aſſerentibus, quod dicere primam ac etiam matutinas horas poſt meridiem: imo & poſt decimam aut vndecimam à meridie, non eſſe peccatum mortale: dummodo omnes tales diei horæ canonicæ ante mediam noctem finiantur.

Quarta propoſitio eſt. Poſſe ſine peccato iuſta de cauſa, vt priuatim, ſic & in Eccleſia publice recitari horas canonicas anticipata aut poſtpoſita hora canendi. Hanc Nauarr. in præced.n.55. probat; tum per memorata iura: tum per communem conſuetudinem, quâ ob proceſſionem ſolemnem, aut inſignem aliquam concionem, aut Principis aduentum, aliaſve ſimiles cauſas, *quæ maiores eſſe debent, cum horæ ipſæ dici debent publice quã cum priuatim, vt id in b. ne docet in ſeq.n.72. & 73.* præueniuntur, aut differuntur horæ debitæ dicendi officium diuinum, aut ipſius partem. Accedit ratio D. Thomæ in quodl.5. art.vlt. quod melius ſit reddere Deo vtrumque: nimirum & debitas laudes, & alia officia honeſta, quam vt vnum per aliud impediatur.

Monet tamen Nauar.num 56. talem anticipationem aut poſtpoſitionem fieri debere Superioris authoritate: Epiſcopi ſcilicet, vel Vicarij ipſius, aut capituli vel Decani in Cathedrali Eccleſia, & in alijs Eccleſijs, authoritate Abbatis, Præpoſiti; Prioris vel alterius Prælati, ſeu præfecti earũ. Imo & authoritate Papæ, ſi per modum ſtatuti perpetuti tale quid conſtituendum eſſet, vt idem Nauar.in cit. nu.73. probat per cap. Quod ſuper his, De maioritate & obedientia, & per Clemen. Ne Romani, De electione. Adde cum eodem in prædicto n.56. quod etſi conſequens videatur ex allata propoſitione, non peccare ſcholaſticos, *prout Maior ſenſit*, qui toto tempore ante prandiũ ſtudijs vacant, & poſt prãdium horas canonicas recitãt: quia tempus illud eſt aptius ſtudijs, & hoc non eſt ineptum ad orationem: conſultius tamen eſſe, tum ad orandum cum maiori deuotione & conſolatione; tum ad tempus ſtudij augendum per euitationem vanorum colloquiorum, aliarumq; occaſionum illud male perdendi: matutinũ prima parte noctis recitare vſq; ad laudes: & primo mane has, cum prima; poſtea tertiam, & ſextam audiendo Miſſam: & ſtatim à prandio dicere nonam, & ante veſpertinum ſtudium recitare veſperas: ac poſt illud cõpletorium. In confirmationem Nauar. ipſe adfert propriam experientiam; quæ viri tantæ pietatis & eruditionis non eſt paruipendenda.

Quod vero contra allatam propoſitionem obijci poteſt de Eremita, cui præuenienti debitum tempus in recitatione diuini officij acerbæ, poſtponenti vero marcidæ vuæ ab Angelo adferebantur: & de Epiſcopo qui poſt obitum, reuelauit ſe purgatorij pœnas perpeti, eo, quod conſueuiſſet dum verſaretur in aula Principis, penſum diuini officij non perſoluere debito tempore: Azor ex eo ſoluit in 1.par.Moral.Inſtit.li.10.cap.9.qu.3.quod neutter videatur cauſam iuſtã anticipationis, aut dilationis habuiſſe, cum ille non detineretur alijs occupationibus, & iſte plus æquo applicaret ſe negotijs non neceſſarijs.

Quinta propoſitio eſt, Non ſatisfieri præcepto Eccleſiæ, 180.
ſi preces horariæ quæ ad certum tempus pertinẽt, pridie aut poſtridie recitentur. Hanc eſſe ab omnibus receptam notat Suarez in cit. cap.27.nu.4. Probatur vero, quia tales preces imponuntur ab Eccleſia tanquam onus diei, id eſt, tanquam penſum vnoquoq; die perſoluendum ad cultum & honorẽ, quem Deo & ſuis Sanctis eodem die deferendum exhibendumq; cenſet. Vnde ſicut ieiunium pro certo die impoſitũ, non ſufficit pridie aut poſtridie ſeruare ad ſatisfaciẽdum tali obligationi: ita nec preces horarias certo die perſoluendas, ſufficit alio die dicere ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto, de illis recitandis dato.

Cæterum ad iudicandum quid ad talem ſatisfactionem requiratur, atq; ſufficiat, ſpectanda eſt conſuetudo: quæ eſt legis tum optima interpres, tum etiã abrogatrix. Sic cum Eccleſiaſticũ officium diei celebrioris, cõſtet primis & ſecundis Veſperis: illæ ob receptã conſuetudinem ſunt dicendæ pridie ciuſdẽ diei: ita vt præcepto nõ ſatisfaciat, qui illas recitare diſtulerit poſt mediã noctem. Secundo, quamuis dies Eccleſiaſticus cõputetur ab vna media nocte ad alteram proxime ſequentem: vnius tamen diei officiũ nocturnum cum laudibus poteſt ratione conſuetudinis recitari veſpere præcedentis diei: nempe poſt quartã pomeridianam; idq; tam æſtate quam hyeme. Ita determinant congruenter vſui communi Azor in cit.cap.9 qu.5. & Suarez in ſeq.n.14 expendentes D. Thomæ de hac re ſententiam in quodlib 5. qu.vlt. vbi docet licere matutinum diei ſequentis dicere de ſero diei antecedentis: ſeu poſt dictas in hoc Veſperas & completorium. Nihilominus damnans eos qui eiuſmodi licentia vtuntur propter laſciuiã: vt ſcilicet quietius ſomnolẽtiæ & voluptati vacent: non autem ob neceſſitatem literarum & honeſtarũ occupationum. Obijcienti autem diem incipere à media nocte, D. ipſe Thomas occurrit, id verum eſſe, quantum ad cõtractus & alia id genus: non item quantũ ad Eccleſiaſticum officium, & ſolemnitatum celebritates; quoniam ea ratione incipit à Veſperis. Quod reſponſum Nauar. in cit. cap.3. n.70. approbanst nquam conſentaneum cap.1. & 2. De ferijs: addit ex Caiet diem quoad horas recitãdas incipere à veſpera, & durare vſq; ad mediam noctem, quę proxime dabitur poſt ſequentem veſperam.

Neque obſtat quod prima, & ſequentes horæ ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ, dici non poſſint ante mediam noctem. Nam vt bene ibidem monet Nauarr. generalis conſuetudo non habet vt aliter perſoluantur, quam intra ſpatium, quod eſt ab vna media nocte ad alteram proximè ſequentem. Cæterum cur inualuerit conſuetudo matutinũ recitãdi cum anticipatione temporis, ratio eſſe potuit, quod rigori ipſum recitandi media nocte non potuerit moraliter ſeruari à tanta hominum multitudine & varietate: & conſequenter periculoſum fuerit tantæ difficultatis onus imponere omnibus ſub mortali. Vnde permiſſum eſt in eo tempore, mutationem aliquam fieri: idq; anticipando, quia ſecurius eſt: quandoquidem poſtponendo multi exponerentur periculo vel ipſum omittendi omnino, vel nimium poſtponendi: quod magis alienum eſt à ratione officij de nocte dicendi quam ipſum dici nocte ingruente.

Tertio quamuis iure communi ſingulæ horæ canonicæ diſtinctis à ſe inuicem diei partibus recitandæ ſint (quod ipſarũ nomina ſatis indicant) tamen ſine peccato fit, vt ſimul cum nocturnis laudes dicantur; & tertia cum prima vel cum ſexta & cum hac coniungatur nona, aut dicatur cum veſperis; ac cum his cõpletorium recitetur, quia cõſuetudo id obtinuit, quæ iuri derogare poteſt. Ita docet Azor ibi. qu.8. volens id procedere, etiãſi id faciat quis ſuo ſolo arbitratu, abſque cauſa legitima: dummodo tamen abſit cõemptus & periculum recitandi parũ ſtudioſe, attente, & religioſe. Beneq; addens non eſſe parem rationem, ſi quis abſque iuſta cauſa totum officium diuinum ſimul perſoluat, aut veſperas &

comple-

completorium ante prandium reciter, quia id nō est in more positum. Qua de re plenius Suarez in memorato cap. 27. numero 7. 8. & 9.

Aduerte autem ex Nau. de oratione cap. 4. n. 74. & 75. nō esse ita per consuetudinem abrogatum ius cōmune de recitando statis diei partibus horas canonicas; quin liceat priuatim recitantibus illud seruare; ita vt minime peccet quis, si pro sua tantum deuotione, dicat nocturnum officium de nocte, laudes matutinas in aurora, primā in fine primæ partis diei artificialis, seu spatij in quo sol est super nostrum orizontem, distincti in duodecim partes, tertiā in fine tertiæ partis, sextam in fine sextæ, nonam in fine nonæ, vesperas appetente solis occasu: & cōpletorium in noctis crepusculo. Quæ determinatio temporis, vt ex Angelo & Sylu. idem habet in seq. num. 76. non est præcise accipienda: sed cum latitudine, quâ extendatur ad vnā mediam horam antecedentem, & ad vnā mediam sequentem, vt ipsemet nu. 77. probabilius iudicat: quam quod Angelus & Sylu. significant, dicentes matutinū dicendum media nocte, posse dici in aurora ratione talis latitudinis. Ratio vero est, quod tanta sit distantia inter mediā noctem & auroram, vt irrationabile sit reputare factum in vna, quod fit in alia.

Aduerte 2. ex eod. Nau. in præced. n. 64. post dictas vespere matutinas preces diei sequentis, licitum esse, vt diebus ieiunij facere collationem, sic alijs diebus sumere cœnam: idq; non impedire quominus in eodem sequenti die possit dici Missæ sacrum.

Auerte denique pro nonnulla clariore intelligentia antedictorum, differentiā esse (quod idem quoque Nauarr. notat in seq. num. 78.) inter lapsum horæ debitæ, & dici debiti ad recitandum: quod etiamsi hora labatur, duret nihilominus obligatio recitandi; neque lapsus illius, peccatum mortale pariat in recitante priuatim: lapso vero die vltra mediā noctem, obligatio recitandi expiret & peccatum mortale committatur transgressione præcepti Ecclesiast. Videri potest Suar. in eodem cap. 27. numero 5. & 6. Dixi autem in recitante priuatim, quia ex eodem Nauarr. ibid. expirante hora recitandi publice, expirat obligatio taliter recitandi. Vnde fit, vt eidem obligationi minime satisfaciant, qui publice matutinas horas, aut primam, tertiam, vel sextam recitant post meridiem; quas in choro ante meridiem dicere tenebantur, tam communi iure, quam generali consuetudine, recepta in sua Ecclesia.

CAP. XIII.

De causis excusantibus à recitatione horarum canonicarum.

SVMMARIVM.

181 *Infirmitas excusans à recitatione horarum canonicarum debet esse grauis.*
182 *Quid sit faciendum cum de tali grauitate dubitatur: & quod is qui non potest recitare, non teneatur audire alium recitantem.*
183 *Ad quid teneatur qui recitare potest partem officij, sed non totum: & quatenus teneatur sibi adhibere socium.*
184 *An qui impeditur horas canonicas recitare, teneatur prout potest per alias preces supplere.*
185 *De cæcitate, quatenus excusat à recitione horarum canonicarum.*
186 *De dispensatione excusante ab eadem recitatione.*
187 *De occupatione excusante à recitatione horarum canonicarū.*
188 *De excusatione eorum qui in choro vacant ministerijs alijs, à recitatione horarum canonicarum.*
189 *De excusatione non habentis Breuiarium.*
190 *De peccato illius, qui beneficium Ecclesiasticum aut sacrum ordinem suscipit, nescien: recitare Breuiarium.*
191 *Monita quædam pro praxi quotidiana de obligatione recitandi horas canonicas.*
192 *Ætas puerilis non excusat ab eadem recitatione: quodque Episcopus non possit ob tale impedimentum ab illa dispensare.*
193 *Nec vacatio in studijs excusat ab eadem recitatione.*
194 *Aliquot motiua recitādi cum debita pietate horas canonicas.*

TAles causæ sunt variæ: quas Nauar. in Enchir. capit. 25. num. 100. ad quinq; reuocat: quarum quatuor Beneficiario, cum cæteris qui ad eandem recitationem tenentur, sunt communes; & vna est illius propria.

Prima igitur communis, est infirmitas corporis: de qua 181.
inter cæteros late Nauarr. ipse in tractat. De oratione, capite 11. vbi num. 1. ab omnibus admissam docet, per illud in cap. Clericus victum, dist. 91. Clericus qui absq; corpusculi sui inæqualitate vigilijs deest, stipendijs priuatus ex communicetur.

QVÆRI AVTEM POTEST PRIMO. An quælibet ægritudo talem excusationem præbeat. Ad quod idem nu. 12. respondet negatiue. Addens secundum Hostiensem & Innoc. ac cæteros Canonistas ad cap. 1. De celebr. Missarum, eam tantum infirmitatem excusare, ob quam ægrotanti horarum canonicarum pronunciatio directe aut indirecte noceret notabiliter. Ratio vero ea est, quā Sotus tangit in lib. 10. De iust. & iure quæst. 5. art. 3. quod obligatio recitandi horas canonicas sit arctissima, prout patet ex cap. Dolentes, De celebr. Missarum, descendatque à iure diuino. Vnde fit, vt non nisi ex graui causa, quisquam eorum cui imposita est, debeat ab ea liber censeri: & per consequens nec excusari ex alia infirmitate, quam quæ notabiliter noceat. Hincque infert Nauarrus ibidem, fieri posse vt ob infirmitatem excusetur quis ab obligatione recitandi horas canonicas in choro, qui non excusatur ab obligatione recitandi domi: vt ille, qui quamuis alias bene valeat: sic tamen laborat ex pedibus, vt ad Ecclesiam ire nequeat. Infert item in seq. num. 3. & 4. non excusari ab eadem obligatione ægrotum, cuius morbus, *vt febris tertiana vel quartana*, statis horis recurrit: ita vt ipse ante vel post eandem possit absq; notabili nocumento, officium suum recitare. Inferri pariter potest nec excusari eum cuius morbus talis est, vt ipsum non impediat quominus ordinarias actiones capitis & linguæ exercere possit, & cum amicis negotia prophana tractare, in quibus tantum est difficultatis, quantum in ipsa horarum canonicarum recitatione.

QVÆRI SECVNDO POTEST. Quid sit faciendum cum dubitatur. An infirmitas grauis sit, necne. Ad quod respondetur consulendum esse Medicum, *prout tangit Sylu. in verbo Hora quæst. 4. dicto 1.* ipsiusq; iudicio de morbi grauitate esse standum: dummodo, *vt Nauarr. in sequenti cap. 22. numero 16.* sit vir prudens ac timens Deum Ecclesiæque præceptis multū deferens: præsertim cum ex cap. Contraria, De consecrat. dist. 5. contraria sint diuinæ conditioni præcepta Medicinæ, quæ à ieiunijs reuocant, lucubrare non sinunt, &c. 181.

Quod autem Sotus in eodem art. 3. concedens quidem posse quem propria authoritate horas canonicas omittere, cum manifestum fuerit infirmitatē ipsius parere legitimum recitandi impedimentum; negat tamen in dubio consilium & iudicium medici sufficere, sed adhuc requiri Superioris indulgentiam: Nauarr. ibidem reijcit ex eo, quod nullibi fere sit consuetudo, *exceptis ad summum Religiosis*, vt super eo licentia petatur. Adde quod Medicorum sit, vt de salubribus & insalubribus cibis iudicare: ita & de morborū grauitate & leuitate. Atq; adeo sicut standum est illorum iudicio, dicentium cibum aliquem noxium esse: sic etiam dicentium morbum aliquem esse grauem: præsertim cum homines non habeant aliam regulam, qua possint in eiusmodi dubio gubernari. Quod si ipse quoque Medicus de grauitate morbi dubitaret, aut certam fidem non faceret tanquā minus peritus, aut quod videretur non satis timoratæ conscientiæ: locus esset sententiæ Soti, quâ ad relaxationem propositæ obligationis requirit authoritatem Superioris: cuius est, non autem Medici, illam facere. Idem quoq; notat Azor in prima par. Moral. Instit. lib. 10. cap. 13. qu. 1. & plenius Suarez in citato lib. 4. cap. 28. n. 20. & 21.

QVÆRI TERTIO POTEST. An is qui ratione morbi nequit officium diuinum recitare, teneatur illud audire alio recitante. Ad quod cum Innocen. & Panorm. Sylvest. verbo Hora quæst. 4. dicto 2. & Nauarr. De oratione cap. 11. num. 7. respondent negatiuē: & respondendū esse constanter tenere Doctores notat Azor in seq. quæst. 2. Ratio vero est, quam ex Paludano habet Nauarrus, quia Clericis, qui

obligan-

obligãtur ad recitandas horas canonicas, præcipitur quidem vt eas pronuncient, non tamen vt eas ab alijs recitatas audiant: nisi quando ipsi recitant cum alijs: quia tunc tenentur audire partem ab alijs recitatam, sicut & recitare suam. Doctrinam hanc sequens Suarez in eod. cap. 28 n. 11. addit in sequen. 12. quia onus recitandi horas canonicas est personale, eum qui iustam habet excusationem non recitandi, minime teneri substituere alium qui suo nomine recitet: siq; substituat, erit quidem bonum opus, sed non erit adimpletio præcepti de recitando.

183. QVÆRI QVARTO POTEST. An obligatus ad recitandas horas canonicas, qui non potest totas recitare, teneatur dicere illarum partem, quam potest. Pro cuius quæstionis vtraque parte, Nauarr. ibidem numero 9. & aliquot sequentibus rationes habet; & post ipsum Azor loco cit. qu. 4. & 5. Resolutio autem eorum est, quod si infirmus ad recitandas horas canonicas obligatus, possit maiorẽ talis sui pensi partem persoluere; non excusetur ab illius recitatione: vt si sciat memoriter psalmos laudum, aut alterius horæ, & nesciat antiphonas, vel hymnos, aut orationes. Secus vero, si possit minorem tantum partem. Pro quo facit, quod ad satisfaciendum præcepto oporteat implere totum quod præcipitur, aut saltem maiorem illius partem. Quare qui minorem tantum partem potest implere, censendus est non posse præcepto satisfacere: atque adeo per impotentiam excusari simpliciter ab illius obligatione, tanquam eâ, cui nequit satisfacere. Etenim sicut dici iure non potest, primam vel tertiam, *exempli gratia*, recitasse, qui illius vnum tantum psalmum recitauerit: ita nec dici iure potest præcepto de ea recitanda satisfeciſſe, qui vnicum illum psalmum recitauerit: adeo vt nihil amplius recitare valens merito censeatur laborare impotentia satisfaciendi tali obligationi. Facit præterea ratio, quam præter alias habet Nauarr. numero 16. quod ad intelligendum quam partem implere teneatur is qui totum illud quod præcipitur implere non potest, attendenda sit intentio præcipientis. Probabile vero non sit, intentionis esse Ecclesiæ, vt qui non potest vnam ex horis canonicis totam recitare, teneatur quamcunque modicam, quam potest partem recitare: sed tantummodo eam in qua militet eadem ratio, quæ in toto: vt censetur militare in ea quæ arbitrio prudentis *cui id statuendum relinquitur*, maior pars illius esse iudicatur.

Quam quidem sententiam discutit Suarez consequenter vsque ad numerum 29. ac tandem fatetur eam procedere, si comparatio fiat vniuscuiusque horæ ex canonicis, cum partibus ex quibus ipsa constat: quia vnaquæque hora præcipitur, vt est quædam actio perfecta, quam maiore saltem ex parte impleri oporteat ad satisfaciendum præcepto obligantiad illam. Sin autem comparatio fiat earundem horarum, cum oratione illa cuius sunt partes eam constituentes, tanquam obiectum adæquatum vnius præcepti, quod datur ab Ecclesia de illius recitatione, secus esse sentiendum: ita vt qui potest totum integrum officium aliquo die recitare, non excusetur eo ipso à recitatione earum horarum, quas nihilominus commode recitare potest: vt si infirmitas qua detinetur facile patiatur, vt aliquas ex horis breuioribus recitet. Ratio est, quia præceptum recitandi officium diuinum sic datũ est, vt non tantum eo communiter, sed etiam speciatim de singulis horis impositum sit. Quamquam vt idem monet; vbi aperte constiterit de impedimento recitandi totum: & de aliqua, aut aliquibus earundem horarum dubitetur, non est scrupulosius agendum in definienda excusatione ab earum recitatione: cum id sit nimis onerosum, & præter communem agendi consuetudinem.

QVÆRI POTEST QVINTO. An qui solus quidem ex infirmitate nequit horas canonicas recitare, sed potest cum socio, teneatur hunc sibi adhibere. Ad quod cum Nauar. in præced. num. 13. Azor in sequen. quæst. 6. & Suarez in eodem cap. 28. n. 13. respondent teneri, si commode potest habere talem socium; nempe quia is se offert, vel cum conducere potest, habens sufficientes ad id Ecclesiasticos reditus, vel patrimonium, ad cuius titulum ordinatus est: alias vero non teneri, etiamsi consulendum ei est, vt sibi ad tam pium opus, socium quoad potest procuret ex eodem Nauar. ibid. in fine num. 14.

QVÆRI POTEST SEXTO. An qui ob aliquod iustum impedimentũ horas canonicas recitare nõ possunt, teneantur aliquid aliud quod possunt, *vt officium parium Beatæ Virginis, vel Rosarium*, dicere; vel aliud bonum opus facere. Ad quod Azor in seq. quæst. 8. & Suarez in citato cap. nu. 29. negatiuè respondent cum Sylu. in verbo Hora qu. 4. dicto 3. & Nauarro in cit. c. 11. nu. 19. quia nullum ius proferri potest obligans eum qui per se nequit horas canonicas recitare, vt vel recitet per alium, vel in compensationem elargiatur eleemosynam, vel quid aliud simile faciat; nisi quod vltra quam laici, teneatur iure diuino dicere preces aliquas indeterminatas, seu relictas determinationi Superiorum, aut viri prudentis arbitrio. 184.

QVÆRI POTEST VLTIMO. An cæcus excusetur à recitatione horarum canonicarum. De qua re Suarez in præced. num. 14. authores refert in vtramq; partem: tenetque quod ex antedictis est consequens: ipsum obligari dicere quæ scit memoriter, cum fuerit maior pars horæ: & in recitando adhibere sibi socium, quando commode potest. Cum enim cæcitas hac ex parte non adferat impossibilitatẽ recitandi; nec adferet excusationem à recitatione: vt nec excusaret alia ægritudo, quæ secum pateretur eandem officij recitationem. Quod vero cæcitas non excuset absentiam à choro, in eo qui obligatur adesse, vt nec surditas: idem consequenter docet num. 15. 16. & 17. Obiter his adde ex Nauar. in citato cap. 11. num. 23. quod cæcus consultius facturus videatur, si recitet omnes partes quas potest proprij officij diei, quam totum officium alterius dici, quod forte potest memoriter totum dicere; vt possunt aliqui totum officium maius Beatæ Mariæ, aut officium commune Sanctorum paucis exceptis. 185.

Sequuntur reliquæ causæ.

SEcunda causa excusans à recitatione horarum canonicarum est dispensatio: quam dare, est Papæ, qui de plenitudine potestatis, supra ius dispensare potest: cap. Proposuit, De concessione præbendæ: non autem Episcopi, nisi ex Papæ commissione; quia contra vniuersalis Ecclesiæ statuta, nec Episcopi nec Legati dispensant, exceptis casibus iure ipso communi permissi, aut consuetudine legitime præscripta concessis. Ratio est, quia lex Superioris per inferiorem tolli non potest ex Clemen. Ne Romani, De electione sub initium. Quæ doctrina est Nauarri in cit. cap. 11. num. 24. & aliquot sequentibus: & quam vt communem amplectuntur locis citatis Azor quæstio. 11. & 12. ac Suarez n. 37. & sequentibus, latius eam persequens. Sufficiet autem pro praxi notasse Episcopos non posse dispensare proprie in præcepto recitandi horas canonicas: posse tamẽ improprie: seu, quod idem est, quando subditus ipsius Beneficiarius, aut initiatus maiori ordine dubius est, sufficiensne sit causa quam habet non recitandi, posse rationabiliter Ecclesiasticum præceptũ interpretando, licentiam ei dare omittendi recitationem, perinde ac dat laborandi in die festo: aut non ieiunandi in die ieiunij, & sic de similibus. 186.

Notasse item de Prælatis Religiosorum, qui ad recitationem horarum canonicarum tenentur tantum ratione professionis religiosæ, dubitationem esse, An illi possint cum his dispensare in eadem recitatione. Quam dubitationem Suarez ibid. numer. vltimo tractat quidem pluribus: sed totam resolutionem censet consistere in hoc, quod vnaquæque religio in tali re seruare debeat suam consuetudinem, si quæ sit immemorialis, atq; vti solũmodo priuilegijs suis: quæ multa concedi solent Prælatis religionum ad commoditatem sui regiminis.

Tertia causa (de qua alijs citatis Nauarrus in eodem capit. 11. num. 34. cum eoque recentiores, vt Aragonius & Gregorius à Valent. 2. 2. ille qu. 83. art. 12. conclus. vltima, & hic disput. 6. quæst. 2. pun. 10. versu. Circa septimum: itemque locis citatis Azor & Suarez: ille quæst. 13. & hic numer. 32. & quatuor sequentibus) est grauis aliqua occupatio repente superueniens, quæ prætermitti, aut in aliud tempus differri non potest sine scandalo aut peccato: vt v. g. si opus esset populum aut exercitum tumultuantem sedare: vel necessitas vrgeret habendi concionem, quæ absque magna populi offensione omitti non posset: vel deberet quis eo die 187.

in pub-

in publico aliorum concursu, prælectionem habere, aut aliquam conclusionem defendere: idq; debite, & cum dignitate fieri, plurimũ interesset reipub. vel ipsiusmet priuatæ personæ: neq; studium ad id necessarium pateretur secum horarum canonicarum recitationem. Quod si præuisa, nec repentina esset occupatio; anticipare oporteret recitationem potius, quam differre, quia sic minus periculum erit non recitandi.

Aduerte pro praxi nonnulla quæ Suarez habet. Primum est, Obligatum ad recitationem horarum canonicarum non posse suscipere voluntarie officium, cuius executio ordinarie impediat eandem recitationem; quia volendo illud, censetur hanc nolle; quod illicitum est, nisi interueniat Pæpæ dispensatio, aut vrgeat necessitas aperta vitandi aliquod graue incommodum prudentis existimatione: quia ius humanũ non censetur obligare cum grauamine exorbitante à recta ratione; adeo vt talis iuris præceptum, ad sui obseruationem non modo non obliget cũ animæ; sed cum corporis aut rerum externarum detrimento notabili. Secundum est, Cum quisque debeat diligere proximum sicut seipsum: ob quæ incõmoda sua potest quis licite omittere recitationem horarum canonicarũ, posse & ob similia proximi. Tertium est, Quando occupatio non est pro toto die, is qui neglexerit occupationem præuenire recitando, si cum adest occupatio pœniteat ipsum talis negligentiæ, excusabitur tanquam impotens ad implendum recitandi præceptum.

188. Porro ad hanc causam referri potest *(quod ex D. Anton. sententia communiter recepta, habet Nauarr. in seq. num. 36.* occupatio quærendi psalmos, antiphonas, aut libros necessarios transferendi ab vna parte in aliã: aut persoluendi aliquid aliud choro necessariũ: vt quærendi prunas ad thurificandum, ac thurificandi tempore Magnificat & Benedictus, aut pulsandi organa: quod enim illis sic occupatis chorus interea recitat aut cantat, à se nec dictum, nec auditum non supplentes, non videntur peccare; eo quod chorus, cuius ministerio seruiunt, tam suo, quam aliorum ministrantium nomine recitat aut cantat. Quæ tamen excusatio, *vt Nauarr. addit*, locum habet tantummodo cum talia agens, non est in culpa cur tunc in aliquo talium occupari possit: vt quia debuit prius illa præparare & neglexit: quæ negligentia non debet illi prodesse.

189. Quarta causa est, defectus Breuiarij aut alterius rei ad recitandum necessariæ, & ideo tollentis facultatem recitandi: cum ad impossibile nemo obligetur: ex regula In possibilium: ff. De reg. iuris & ex regula Nemo, eodem titulo in 6. Id quod procedit, vt expressit Nauarrus *in Enchir. cap. 25. num.* 101. & plenius declarat Suarez *in eodem cap. 28. nume o* 7. 8. *&* 9. Siue defectus contingat alicui suâ culpâ: vt quia Breuiarium non comparauit sibi prout potuit: aut illud abiecit malitiose, *dummodo tamen ipsum serio pœniteat talis culpæ.* Siue absque sua culpa: vt quia per obliuionem domi reliquit Breuiarium ipsum, cum peregre proficisceretur, vel illud perdidit iter faciendo, nec potest aliud recuperare. Id quod ipse Suarez in eod. cap. 28. num. 10. contra Sotum sic accipi. nõ esse ostendit, vt carẽs Breuiario, si posset aliquas, aut aliquam horam pro maiori parte memoriter recitare, aut cõmoditatẽ habere socij, cum quo sufficienter recitet, nõ excusari per defectum Breuiarij: quia debet quantum potest obligationi suæ satisfacere: præsertim cum præceptum illam inducens, non sit de recitando ex Breuiario, sed simpliciter de recitando. Et ita supra diximus cæcum, qui Breuiario vti nequit, tali obligationi teneri inquantum potest satisfacere, recitando memoriter, siue per se solum, siue cum alio.

190. His congruenter Nauarrus *De orat. capit. 11. numero* 38. *&* 39. docet: eum qui nullatenus scit recitare Breuiarium, & nihilominus accipit beneficium Ecclesiasticum vel ordinem sacrum: peccare quidem tanquam suscipientem officium quo indignus est, & cuius obligationem implere non potest per inscitiam quam nequit expellere, antequam deficiat in debito munere: attamen excusari interea à peccato nouo, quo adusque didicerit: dummodo quamprimum potest discere non negligat: simul'que id impleat, ad quod iuxta Nauarrum in eodem cap. 11. numer. 19. est iure diuino obligatus; nempe ad aliquas preces inde terminatas, quæ ad supplẽdum defectum recitationis sufficiant viri prudentis iudicio. Ad quod Nauarr. ipse pertinere iudicat, vt tot ei præscribantur recitanda vel iteranda (Pater & Aue, *vt in Rosario*) quot sufficient ad implendum tempus quod ponetur in horis ipsis canonicis recitandis. Ratio esse potest, quod cum illa his subrogentur, consentaneum sit eis adæquari.

Bene monet autem Azor *in eod. cap. 13. quæst.* 18. à peccato in quod dictum est incurrere eum, qui beneficium Ecclesiasticum, aut sacrum ordinem accipit, non valens recitare Breuiarium, non procedere in eo qui bona fide putat se post eam acceptionem statim habiturum codicem pretio emptũ, vel commodato acceptum, vel donatum ab aliquo, simulq; bona fide credat se recitaturum oportuno tempore; quia commode poterit sibi adhibere socium à quo dirigatur & iuuetur.

Quintam causam, quæ est propria Beneficiarij (tractanda in sequente libro 30. capite 4.) Nauarr. habet in Enchir. cap. 25. numero 103. & 104. Ea autem consistit in conditionibus ab eodem ibidem expositis: nempe vt quis non alia ratione, quam beneficij, teneatur ad horas canonicas, & nullos ipse beneficij fructus capiat; siue per se siue per alium: neque capere possit, neque postea capturus sit. Suarez sub initium memorati cap. sextam causam addit obliuionem: sed ea generalis est in omni præcepto, cuius transgressionem efficit inuoluntariam, tanquam eam quæ non venerit in mentem.

Monita quædam pro praxi quotidiana de recitatione horarum canonicarum.

PRimum est, *ex Nauar. De oratione cap. 11. numero* 22. Expectantes beneficia Ecclesiastica, antequam ei accipiant debere sibi parare Breuiaria, & notitiam ex eis dicendi horas canonicas: ne accipiendo peccent iuxta antedicta num. 190. atque possint post accepta suo muneri recitandi statim satisfacere. 191.

Secundum est *ex Azorio in cit. cap 13. quæst.* 17. Cum ad subdiaconatum quis promouetur, eundem teneri tantum recitare diuinum officium eiusdem diei, ab ea parte, quæ conuenit horæ in qua promotus est, vt si tunc sit tempus in quo solet in Ecclesia recitari sexta (*& sic de nona aut vesperis*) ab ea incipiat, omissis si velit præcedentibus horis, quas elapso debito recitandi tempore, non tenetur supplere, quasi eadem omiserit obligatus ad recitationem illarum.

Tertium est: ætatem teneram non excusare à recitatione Breuiarij. Primum enim falsum est communique sententiæ aduersatur, *vt post Nauarrum in seq. numero* 24. *Azor notat in præced. quæst.* 12. quod Episcopus indulgens puero septimum annum egresso, vt simplex beneficium habeat, simul etiam indulgeat super horis canonicis; vt loco earum preces aliquas recitet. Etenim in contrarium est, quod ex Concil. Trid. sess 23. cap. 6. de reform. nullus sit capax beneficij Ecclesiastici, nisi prima tonsura initiatus aut in minoribus ordinibus constitutus (*& ideo minimum sciens lege e, quod ad primam tonsuram requiritur ex eodem Concilio in præced. cap. it.* 4.) decimumquartum annum attigerit: quæ ætas satis est robusta ad legendas horas canonicas. Deinde Episcopus in requisitis iure communi ad obtinẽda beneficia, *quæ sunt ætatis maturitas, grauitas morum, & literarum scientia ex cap. Cum in cunctis, De electione*, dispensare non potest: sicut nec in alijs quæ sunt de eodem iure nisi idipsum ius, aut rationabilis consuetudo præscripta id permittat: quod quidem minime contingit in re proposita. 192.

Maior autem difficultas est, An si Papa volens relaxare iuris rigorem; puero ante debitam ætatem conferat Ecclesiasticum beneficium, censendus sit simul relaxare obligationem dicendi horas canonicas. Eam late tractat Suarez in cit. capite 28. numer. 37. & duobus sequentibus. Solutio autem continetur distinctione, quam Azor habet loco citato: quæ est. Si Papa beneficium conferat ei quem scit per ætatem non posse horas canonicas recitare, vel nescire legere; censeri debet cum eo in eadem recitatione dispensare; ne videatur animam illaqueasse beneficio suo. Si vero conferat ei quem putat esse ea ætate in qua & sciat legere, & possit horas canonicas recitare, dispensans cum eo in ætate, nõ est

censen-

censendus consequenter in horarum recitatione dispensare; quoniam hæ sunt duo priuilegia distincta, circa duas distinctas leges imponentes duas distinctas obligationes: neque eo ipso, quod quis soluitur ab vna lege, aut ab vno vinculo, soluitur ab altero; quoniam plus est solui aliquem à duabus legibus & duobus vinculis: quam solui ab vna lege & vno vinculo. Quare aliter dispensatus debet dare operam & diligentiam adhibere ad quamprimum discendam rationem horas canonicas recitandi, iuxta obligationem quam ad id habet: nisi adhuc à Summo Pontifice obtineat dispensationem in lege illam imponente.

193. Quartum est, *de quo Nauar. in eodem cap. 11. num. 32. & 33.* Beneficiarios ratione tantum beneficii sui obligatos ad recitationem horarum canonicarum, non liberari ea obligatione quod studeant cõstituto Vicario qui eidem beneficio deseruiat: aut quod peregrinationem suscipiant ad sancta loca, constituto similiter Vicario. Tum quia ista est communis sententia, vt post eumdem Nauar. notat etiam Azor in citato cap. 13. quæst. 13. & 14. Tum quia onus recitandi horas canonicas personale esse, *seu ad quod electa sit personæ industria*, satis indicare videntur verba sub initium Clemen. 1. De celebr. Missarum, quibus dicitur, de iis quibus incumbit onus de quo agimus: dum offerre Deo sacrificium laudis, fructum labiorum suorum, in puritate conscientiæ & animi deuotione deberent horas canonicas dicere seu psallere, &c. Beneficiarij ergo, quibus id ipsum onus imponitur, debent illud per seipsos sustinere. Eamdem doctrinam habet Suarez in citato cap. 26. num. 12. Quod si opponas à nonnullis contrarium teneri, & in disputatione posse defendi: respondet Nauar. non ideo tamen illud esse consulendum: cum ei communis praxis repugnet, bonæ rationi innixa.

194. Quintum est, multa esse, quæ in nobis promouere debeant studium rite & cum debita pietate recitandi horas canonicas. Ac primum, quod authorem habeant Spiritum sanctum, cuius afflatu (2. Petri 1. in fine) locuti sunt Sancti Dei homines: ex quorum Sanctorum tam veteris quam noui Testamenti dictis, illæ desumptæ sunt; adeo vt verba earum sacra proferre, sit loqui sermone sacrorum vatum, Apostolorum, Angelorum, ac etiam Dei ipsius.

Secundo, quod constent verbis sine erroris periculo explicantibus: tum quæ spectant ad fidei nostræ sublimissima, Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Dominicæ mysteria: tum quæ ad rectam morum informationem, æternæque salutis consecutionem: tum quæ ad actus quos erga Deum exercere debemus: adorationis, laudationis, obsecrationis, gratiarum actionis, oblationis, cum eo ordine & decoro, quod necesse est nos cum infinita illa maiestate agentes, seruare; vt acceptum sit ei nostrum obsequium, ac petitiones nostras exaudiat. Nam cum nos tanquam rustici non assueti moribus aulæ cœlestis, quid oremus sicut oportet nesciamus; factum est infinita Dei bonitate & misericordia erga nos, vt haberemus precationum formulas dictatas à Spiritu sancto, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei; ex priori ad Corinth. cap. 2. & ideo optime nouit; quid & quomodo proponendum sit Deo, vt flecti possit. Ex qua dictatione, non autem ex doctrina recitantis, pendet vis ipsarum precationum: quia scilicet Deus in eis suum quodammodo stylum agnoscit, ad illumque afficitur: sicut faceret Princeps ad libellum supplicem eleganter & apposite conscriptum, sibi à rustico oblatum.

Tertio, quod in istiusmodi recitatione fungamur munere oratoris & legati ab Ecclesia constituti, vt communem causam agamus apud Deum; non solum hominum, sed quodammodo etiam rerum ratione carentium, apud infinitam Dei maiestatem, perennem earum fontem: vt cum illæ per se gratias ei agere nequeant, agant per nos quibus seruiunt. Fungimur autem coram tota cœlesti curia iuxta illud Psal. 137. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.] ideoque nunc induendo personam totius Ecclesiæ, nunc Angeli, nunc sancti alicuius viri, interdum etiam Dei iuxta verborum quæ recitantur sensum. Quanta igitur est diuinæ erga nos misericordiæ dignatio, vt non abnuat nos pro huius mundi salute imploranda admittere ad suum colloquium, & suarum laudum celebrationem. Quod à nobis quanti faciendum sit argumento est: quod vel ab ipsa beata Virgine, sancta Ecclesia quid simile loco magni beneficij precetur dicendo: Dignare me laudare te virgo sacrata.

Quarto, quod in cap. Dolentes, De celebrat. Missarum districte nobis in virtute sanctæ obedientiæ præcipiatur vt diuinum officium nocturnũ pariter & diurnum, quantum Deus dederit studiose recitemus pariter & deuote. Postremo, quod male indebiteque recitans horas canonicas, Deum fraudet debita gloria, Sanctos voluptate, & detentos in purgatorio priuet leuamento, & seipsum merito, doniisque cœlestibus: nec tales preces impetrent à diuina maiestate publicis necessitatibus remedium: sicque fit vt Ecclesia non assequatur illud propter quod Ecclesiastici sunt in ea constituti: nempe vt gratias Deo referant de perpetuis beneficiis quæ quotidie toti cœtui fidelium confert, illiusque in hos iram propter peccata accensam, precibus mitiget.

In quem finem certos habent reditus ad sustentandam vitam: vt scilicet ab omni alia cura expediti toto animo, atque viribus totis munus sibi demandatum exequantur. In quo qui segnes sunt, præter iniquitatem quam exercent capiendo stipẽdium, pro exhibitione obsequij, quod infideliter & sine fructu præstant: Deum quem populo deberent conciliare, prouocant ad indignationem. Illa enim verba quæ Dominus Matth. 15. ex Isaia citat, sunt indignantis. Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me. Itemque illa Amos 5. Auser à me tumultum carminum tuorum, & cantus lyræ tuæ non audiam. In memoriam igitur sæpe reuocandum est illud Ieremiæ cap. 48. Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter.] Et certe cum fideles tanquam Ecclesiæ Catholicæ membra, ordinarie optent eiusdem Ecclesiæ precibus & meritis adiuuari: valde nequiter illi agunt, qui in tanta ac tam multiplici illorum calamitate & afflictione, preces quas Ecclesia ipsa pro iisdem membris suis fundendas iniungit, reddunt infructuosas & diuinæ iræ prouocatiuas. Meminisse quoque oportet, quod male recitantes offendant cœlestem Ierusalem, quæ est mater nostra: dum tam male exequuntur in terris, eum qui ad ipsius imitationem institutus est cultus exhibendus Deo: cui millia millium ministrant, & decies centies centena millia assistunt, Daniel 7. cum magna illa turba, quam dinumerare nemo potest ex omnibus gentibus & tribus stantes ante thronum ex Apoc. cap. 7.

CAPVT XIV.

De blasphemia laudi Dei contraria.

SVMMARIVM.

195 *Quid sit blasphemia, tum vniuerse, tum particulariter sumpta: quaque ratione specialiter sumpta comprehendat prolatam in Sanctos, & de prauo affectu ex quo prouenit.*

196 *Quinque diuisiones blasphemiæ.*

197 *Blasphemia peccatum est suo genere mortale, à quo excusat inconsideratio.*

198 *An paruitas materiæ similiter excuset.*

199 *Blasphemia peccatum suo genere mortale grauissimum.*

200 *Quædam notanda quæ à Confessario possunt Pœnitenti inculcari, de blasphemia se accusanti.*

201 *Ratio consistendi de peccato blasphemiæ.*

202 *Quæ pœnæ contra blasphemos constitutæ sint iure canonico, & quæ ciuili: quodque tam in hac quam in futura vita ij puniantur.*

203 *De maledictione creaturarum, quando sit peccatum mortale, & quando solummodo veniale.*

DE blasphemia in iure canonico habetur cap. secundum De maledicis. Quæ generaliter ad eam pertinent D. Thomas persequitur 2. 2. quæst. 13. & cum eo, tum interpretes ipsius tum etiã Summularij in verbo blasphemia, ac plerique alij, inter quos

sunt Couarr. ad cap. Quamuis pactum 1. part. §. 7. num. 8. & sequentibus, ac Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 81. aliquotque sequentibus. Sunt etiam, *præter recentiores cæteros*, Azor in 1. part. Moral. Instit. lib. 9. cap. 28. ac Suarez De religione tract. 3. lib. 1. cap. 4. & sequentibus. Thomas Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 32. Illa autem complectemur quatuor harum quæstionum explicatione. Quid sit blasphemia, Quotuplex sit. Quale peccatum sit, & Quæ sint blasphemantis pœnæ.

QVÆSTIO I.

Quid sit blasphemia.

195. VNiuerse sumpta blasphemia nihil est aliud, quam derogatio alicuius bonitatis excellentis. Qua ratione comprehendit non modo conuitium iactatum in Deum: sed etiam maledictionem in homines & alias creaturas. De qua D. Thomas agit 2. 2. q. 76. & post eum Summularij in verbo. Maledictio. Sed hic particulariter simitur tantum pro maledictione in Deum, aut in Sanctos, vel res sacras prout ordinantur ad Deum: potestque definiri maledictio irreligiosa, id est, quæ fit in contumeliam Dei, & ex cordis affectu prauo; nimirum contrario illi affectui pio, quo fides in Deum fouetur. Quæ quidem definitio iudicanda est propterea ad blasphemiam in Sanctos, & res sacras extendi: quod hæc (sicut & ei contraria laus Sanctorum, & rerum sacrarum) feratur, redundetve in Deum ipsum, prout satis late, *idque Scholastice*, tractat Suarez in citato lib. 1. cap. 5. Tradens in num. 10. tres modos quibus potest in Sanctos contumelia proferri sufficienter ad participandam malitiam blasphemiæ. Primus est, cum profertur intendendo expresse honori Dei detrahere in Sancto suo. Secundus, cum profertur cogitando de Sancto, tanquam Dei amico vel ministro ipsius, vel coniuncto illi aliquo alio simili vinculo. Tertius, cogitando de Sanctis, non quidem habito expresso respectu ad Deum: sed tantum cogitando de excellentia sanctitatis illorum: in qua cum fundetur respectus ad Deum, à quo habent prærogatiuam sanctitatis; fit vt cum in eos, tanquam tales contumelia profertur, censeatur indirecte proferri in Deum, & ideo blasphemiæ peccatum committi. Quod maiore ratione, censendum est contingere duobus præcedentibus modis.

Aduerte autem prauum illum cordis affectum, cuius meminimus, contingere nõ tantum cum quis directe intendit maledicendo derogare excellentiæ diuinæ: siue de Deo aliquid negando, quod ei conueniat: siue affirmando quod ei non conueniat; siue quod pertinet ad propriã excellentiam ipsius, tribuendo alteri: sed etiam cum indirecte, nempe cum quis ea quæ diuinæ excellentiæ derogatoria sunt, dicit cum iis circumstantiis, eoque modo: vt diuinæ maiestatis & gloriæ cõtemptum indicet. Id quod tangit Gregor. à Valen. 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 13. *puncto* 1. *not. ab.* 2. Pro eoque facit quod in cap. 2. De maledicis, absolute dicatur blasphemiam proferri, quando lingua contra Deum & Sanctos relaxatur. Facit & quod talia verba contineant irreligiositatis malitiam contra Deum; quæ consistens in verbis pertinet ad blasphemiam oppositam laudi Dei: qua ei religiosus cultus ore defertur. Eodem possunt referri, quæ Suarez disputat in citato cap. 4. num. 6. & sequentibus.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit blasphemia.

196. QVinque dantur blasphemiæ diuisiones. Prima est, in interiorem tantum: seu qua aliquis sola mente asserit aliquid contra Deum: & in exteriorem tantum: qua licet quis secus mente sentiat, voce tamen vel scripto profert aliquid contra Deum: ac in eam quæ vtroque modo fit. Aduerte autem, quod blasphemia dicitur in verbo consistere, sicut ei opposita Dei laus (*de qua in Psal. 33. Semper laus eius in ore meo*) ita intelligendum esse de verbo prolato, vt ad scriptum quoque extendatur, prout satis intelligitur ex illis verbis 2. Paralip. 32. Epistolas quoque scripsit (de Sennacherib rege Assyriorum loquitur) plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel: & locutus est aduersum eum.] De qua re Suarez in præcedenti num. 3. & duobus sequen.

Secunda diuisio est, in eam quæ fit per modum enuntiantis: vt illa Caim Genes. 4. Maior est iniquitas mea quam vt veniam merear] & illa dicentium Exodi 32. Isti sunt dij tui Israel, qui eduxerũt te de terra Ægypti.] Itemque illa negantium Dei prouidentiam Iob 22. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat.] Deinde in eam quæ fit per modum detestantis, vt illa Marci 2. Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? & illa Matth. 26. Blasphemauit. Præterea in eam, quæ fit per modum irridentis, vt illa Matth. 27. Vah qui destruis templum Dei, &c. Postremo in eam quæ fit per modum dubitantis: vt cum Psalm. 77. male Iudæi loquuti sunt de Deo dicentes, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?]

Tertia diuisio est, in expressam, qua nimirum expresse de Deo malum affirmatur vel bonum negatur; vt quando dicitur esse causa peccati, vel acceptor esse personarũ, vel iniustus: & in tacitam, qua non quidem expresse malum affirmatur de Deo; tamen implicite Deo malum tribuitur, vt cum Caluniani dicunt corpus Christi non esse in pluribus locis: implicite enim, & consequenter dicunt, legibus naturæ limitatam esse Dei potentiam. Item cum Vbiquetarij dicunt corpus Christi esse vbique: dicunt enim implicite & consequenter, non esse creaturam. Ad quem blasphemiæ modum reduci possunt illa nonnullorum impiorum militum. In despectum Dei. Renego Deum: quibus implicite significatur Deus impotens & contemptibilis.

Quarta est, in simplicem & in coniunctam cum hæresi: illa est, quæ nec formaliter nec virtute continet falsitatem contra fidei veritatem: vt illa In despectum Dei, qua tantum significatur voluntas faciendi aliquid etiamsi displiceat Deo. Coniuncta vero cum hæresi est, quæ falsitatem contra fidem formaliter, aut virtute continet: affirmando scilicet, aut negando aliquid de Deo contra id quod fides de eo docet: aut tribuendo creaturæ aliquid, quod fides docet conuenire soli Deo: aut an ei conueniat, dubitationem ostendendo: vt si dicat quis, estne Deus iustus tot malis me affligens: De qua diuisione plura Suarez in eodem cap. 5. num. 7. & 8.

Quinta est, in eam quæ falsum continet, seu qua quis tribuit Deo quod Deo non conuenit: cuius exempla habentur ex antedictis: & in eam quæ continet quidem verbum sed per modum contumeliæ: cuiusmodi fuit illa paganorum: Egregius Deus Christianorum natus ex paupere muliere, & in cruce mortuus: & illa Iuliani Apostatæ, Vicisti Galilæe. Cuius generis etiam censeri possunt illæ, quæ in ore multorum versantur Per corpus Dei: Per sanguinem Dei: Per caput Dei: Per vẽtrem Dei: & aliæ id genus: si quidem proferantur per contumeliam, contemptum ve diuinæ maiestatis: quasi Deus talia habens (prout habet Verbum Dei caro factum) despicabilis sit: alioqui enim non blasphemiarum, sed, *sicut notant Caietanus & Armilla in verbo blasphemia, & Nauar. in Enchir. cap. 12. nu.* 85. iuramentorum tantum, aut periuriorum rationem habẽt. Ratio est, quod post verbum carnem factum, nihil per eas Deo attribuatur, quod illi non conueniat: nisi ad naturam diuinam talia præcise referrentur: qua ratione continerent blasphemiam coniunctam cum hæresi Anthropomorphitarũ: aut nisi ad eas partes descenderetur, quas nominare pudet: quia non nisi irreligiose, & cum Christi contemptu, vsurpari possunt iurando. De qua re quid Suarez sentiat, videri potest apud ipsum in seq. cap. 6. num. 11.

QVÆSTIO III.

Quale peccatum sit blasphemia.

OMnium consensu, vt in memorato cap. 6. num. 1. Suarez attingit, blasphemia in Deum vel Sanctos, resque sacras semper est peccatũ mortale: vtpote quo grauis iniuria Deo ipsi aperte infertur: ponendo nimirum vel errorem in diuino intellectu, vel malitiam in diuina volũtate, 197.

vel na-

vel naturalem defectum in diuina essentia. Attamen ob inconsiderationem, etiamsi natam ex causa iniusta aut ex occupatione circa aliquid illicitum, *prout tangit Nauar. in citato cap.12.n.84.* non est plusquam veniale: sicut de periurio nonnullisq; aliis iam alias monuimus: quia tunc deficit iudicij ac libertatis plenitudo, necessaria ad mortale.

Vbi aduerte ex D. Thoma *in cit.art.2.ad 3.* talem inconsiderationem in hoc consistere, quod quis non aduertat illud quod dicit, blasphemum esse. Quod potest duobus modis contingere, vt Suarez loco citato bene notat. Prior est, cum quis ex subita passione prius protulit verbum, quam aduerterit ad eius significationē, secundum quam continet blasphemiam. Quo casu blasphemiam non profert voluntarie, & formaliter: sed solum materialiter: ideoque excusatur à culpa, saltem graui. Posterior est, quo blasphemare contingit ex praua consuetudine: quæ quāuis nullatenus excuset si voluntaria sit: tamen si in actu ipso tollat reuera aduertentiam rationis, à mortali excusat: perinde ac si passione plenū rationis vsum impediente perturbatus, talia verba proferret. Quod si quis blasphemiam proferendo ad eam aduertat, considerata significatione verborum, peccat mortaliter: etiamsi ex subito iræ motu illa proferat: perinde ac is qui ex eodem motu occidit sedentem prope se, aduertens quod sit homo, quem occidit. Id quod D. Thomas quoque expressit.

198. An autem ob paruitatem materiæ eadem excusatio cōtingat, Dominicus Bannes ad citatum artic.2. recte declarare videtur, inquiens: Blasphemiam in Deum aut in Sanctos & in res sacras, quatenus eæ participes sunt diuinæ sanctitatis; numquam esse peccatum veniale ratione materiæ, cum sit grauius periurio (cui nihil tale vnquam contingere superius num.79. ostendimus) blasphemiam vero in Sanctos vt homines sunt, censendam esse venialem ex materiæ leuitate: quia cum sanctitas in ordine ad Sanctos sic spectatos: habeat se tantummodo per accidens, de contumelia facta Sanctis sub ea ratione, iudicandum est perinde ac de facta hominibus non sanctis.

199. Iam vero blasphemiam peccatum esse mortale grauissimum, patet ex sacris literis, præsertim ex Leuitico cap. 24. & ex Isaiæ cap.37. & ex 4.Regum cap.19. per seueritatem pœnæ qua punitur. Imo peccatum esse maximum D. Thomas contendit 2.2.quæst.13.art.3. Quod qua ratione accipiendum sit, explicat ibidem Dominicus Bannes, tractatque Suarez in citato cap.6. num.7. & aliquot sequentibus plenius pro scholastico instituto. Sed ad nostrū sufficiet, monere quod licet possit dici peccatum grauius cæteris, non tamen absolute: quia excipienda sunt peccata contra fidem, vt hæresis; & contra spem, vt desperatio; ac contra charitatem, vt odium Dei. Nam quo excellentiores sunt virtutes, eo peccata contra illas commissa, deteriora sunt genere suo. Virtutes autem Theologicæ, *quales sunt fides, spes, & charitas*, sunt præstantiores moralibus: de quarum numero est religio, contra quam peccatur blasphemando. Non erit vero abs re quædam notare inculcanda pœnitenti ad deterrendum ipsum à tanto scelere.

200. Primum est, blasphemum posse eo nomine hæretico peiorem censeri, quod ipse ea quæ scit & credit esse mala, ac Deo indigna, ipsi attribuat ex peruerso in eum affectu. Hæreticus vero non nisi ea quæ errans credit, Deo attribuat. Item esse peiorem homicida: vt D. Thomas *ibid. ad 1.* ex eo probat; quod blasphemus intendat inferre nocumentum honori diuino, qui præponderat cuicumq; bono proximi. Itemq; peiorem esse periuro, vt D. ipse Thomas *adhuc ibidem, ad 2.* probat, quia qui peierat non dicit aut sentit aliquid falsum de Deo, sicut blasphemus, sed solum adhibet Deum in testem falsitatis, non quasi existimans ipsum esse testem falsum: sed quasi sperans quod non sit de veritate rei de qua agitur, testificaturus per aliquod euidens signum. Quibus accedit ad eiusdem sceleris grauitatem indicandam, quod ex cap. 12. Matth. Spiritus blasphemiæ irremissibilis sit; non quod blasphemia absolute remitti non possit; sed quod pauci ex ea perducantur ad cor contritum & humiliatum; sine quo non remittitur. Vide D. Thomam & ipsius interpretes in seq. quæst. 14. art. 3.

Secundum est, blasphemiam ipsam in praxi, multorum aliorum peccatorum malitiam habere coniunctam; & præsertim eorum quorum iam meminimus: puta infidelitatis, cum blasphemus credit verum esse quod falso tribuit Deo: & desperationis ac odii Dei, cum ex eis erumpit quis in verba blasphema. Itemque periurij: vt cum istud per exaggerationem redundat in blasphemiam, vt cum dicitur alteri: Iuro tibi id tam verum esse quam verum est Deum existere.

Tertium notandum, ac pœnitenti inculcandum, est: blasphemare proprium esse dæmonum, & cæterorū damnatorum in inferno: sicut Sanctorum est laudare Deum in cœlo: ita vt blasphemia, & laus Dei merito censeantur in terris discernere inter filios Dei, & filios diaboli. Supra quam dici potest abominabilis est blasphemia in ore hominis Christiani; cuius audiendæ Iudæi tam impatientes fuerunt, vt si non possent eam impedire; in detestationem vestimenta sua lacerarent, aureisque suas obturarent vt patet ex 4. Regum cap. 19. ex cap. 37. Isaiæ, ex cap. 26. D. Matth. & cap. 14. Actorum: eamque tam graue scelus esse Nabuchodonosor rex Ethnicus existimauit, vt decreto sanxerit illam vsurpantem esse de medio tollendum, ac domum illius vastandam: vt pudere nos debeat, qui non vt veri & germani filij Dei, sed vt spurij & nothi, in iniuriis nostris impatientissimi, & in Dei iniuriis patientissimi inuenimur; negligentes corrigere blasphemātes, quādo iuxta regulas Christianæ charitatis ac fraternæ correctionis, præscriptumq; prudentiæ ac discretionis, id possumus: qui ne quidem canem nostrum ab aliquo percuti patienter, æquanimiterque ferremus.

Cæterum quamuis teneri possit cum Caiet. 2.2. *quæst.13.* 201. *art.1. & in verbo blasphemia*, omnes blasphemias malitiam habere vnus speciei, sicut habent omnia periuria, & omnes hæreses: quia tamen in indiuiduo talis malitia ex circumstantiis incrementum capere potest, etiam in infinitum, non modo mutando speciem sed etiam intra eamdem: sic facienda est confessio de illa, vt simul exprimantur circumstantiæ quibus aggrauatur in infinitum, quantumcunq; non mutent speciem: quandoquidem earum quoque notitia necessaria est, vt Confessarius sufficienter cognoscat statum sibi confitentis. Sic quia quo maius est malum, quod affirmatur de Deo, aut maius bonum quod negatur de eo blasphemando, maior est blasphemia: aperiendum est tunc tale incrementum, quando Cōfessarius non intelligeret alioqui plene statum confitentis. Quam ob causam declarandum est, an prolata sit in Deum proxime, an in Christum, vt hominem; an in beatissimam Virginem, an in alios Sanctos: præsertim cum blasphemia sit eo grauior, quo dignior est persona quæ blasphematur: atq; blasphemia in Sanctos iniuriosa sit, non modo Deo sed etiam Sanctis ipsis: quod est, blasphemiam in Deum, coniunctam esse maledictioni creaturæ, dignissimæ honore diuino, hyperduliæ aut duliæ.

QVÆSTIO IV.

Quænam sint pœnæ blasphemantis.

AD hanc respondetur in iure canonico aduersus blas- 202.
phemos plures pœnas esse constitutas. Nam ex 22. q. 1. cap. Si quis Clericus: blasphemus iubetur deponi, & laicus anathematizari; & ex cap. 2. De maledicis, blasphemus debuit agere pœnitentiam per septem dies dominicas: ac in Concil. Lateran. sess.9. sub Leone 10. statuuntur graues pœnæ in blasphemantes. Quæ tamen non habent locum in foro conscientiæ, sed tantum in externo: in quo nec esse vsu receptas, notat Fumus in Armilla, verbo blasphemia, num. 5. Quod ex eodem referens Suarez in citato lib.1.cap.7.nu.2.in seq.n.3. idem tradit de nouis constitutionibus Iulij tertij, & Pij quinti contra blasphemos.

Iure autem ciuili blasphemantes plectuntur capite, vt habetur ex Authentica, Vt non luxurientur contra naturam §. Omnibus hominibus Collat. 6. De qua re, *quæ non est instituti nostri propria*, differentes authores citat Suarez in fine memorati cap. 7. Adde quod ipsi etiam Turcæ alioqui impij, dicantur grauissime punire blasphemantes

Deum, Christum, & B. Virginem. Certe vt cætera omittam D. Paulus in ptiore ad Timoth. cap. 1. Hymenæum & Alexâdrum blasphemos, docet tradendos Sathanæ. Deus quoque ipsemet punit blasphemos, non solum pœna æterna in inferno, verum etiam temporali in hoc mundo: vt vel sic incipiant prægustare supplicia quibus sunt destinati. Qua de re extat notabile exemplum apud D. Gregor. lib. 4. dialog. cap. 28. de puero quinquenni blasphemo, à dæmone extincto in sinu patris. Extant & alia duo apud D. Bernardum in vita S. Malachiæ.

Cæterum licet grauissimum sit blasphemiæ peccatum: tamen absolutio illius non est reseruata de iure communi, vt Suarez quoque obseruat in citat. nu. 2. De iure vero speciali, vel de particulari consuetudine vel statuto Synodali, reseruata est in nonnullis locis.

203. Restat monendum antequam finem huic capiti imponamus, ad blasphemiam pertinere: *ideoq; peccatum esse mortale suo genere*, vt Deo, & Sanctis maledicere; sic & creaturæ cuicumque, siue rationali, siue irrationali vt creatura Dei est, prout notat Caietan. in summula verbo Maledictio. Vbi etiam habet maledicere creaturæ secundum se, & non in ordine ad Deum: si quidem creatura sit rationalis, puta homo, peccatum esse mortale, si maledictio seu imprecatio mali, sic fiat vt deliberata voluntate desideretur idem malum ei euenire, ipsumque sit graue, vt mors, infamia, damnum rerum, infirmitas, exilium: quia tale desiderium repugnat notabiliter charitati debitæ proximo. Quod tamen iustificari potest, vt idem addit, si talia desiderentur proximo vt iustitia Dei aut reipub. suum locum habeat: quia lætabitur iustus cum viderit vindictâ: vel vt ipse ea ratione correptus, reducatur ad sanam mentem: aut saltem reuocetur ab oppressione bonorum. Excusari quoque potest à mortali ex paruitate materiæ, seu quod leue sit malum quod desideratur.

Quod si creatura cui maledicitur sit irrationalis: distinctione vtendum est ex eodem ibidem. Tribus enim modis fieri potest maledictio creaturarũ irrationalium in se: primo, quatenus sunt alicuius hominis, quem is qui maledicit odio prosequitur: in eoq; casu peccatum est mortale maledicere: nisi indeliberatio vel materiæ leuitas excuset. Nam id quoque est contra charitatem proximo debitam. Secundo, fieri potest vt eædem res maledicantur simpliciter, in seque spectatæ, vel quatenus ipsæ nocent, vel non obtemperant nobis: vt cum rustici maledicunt suis iumentis: tuncque maledictio peccatum est solum veniale. Quod quidem à Caiet. ipso dictum, approbat. Nau. in Ench. cap. 12. num. 86. Ratioque est, quia tunc censetur tantummodo verbum otiosum & vanum. Postremo fieri potest vt iisdem rebus maledicatur, prout nobis aliquod spiritale nocumentum adferunt, saltem per accidens; quo modo Iob, *vt in cap. 3. libri ipsius refertur*, diei natiuitatis suæ maledixit: propter peccatum scilicet originale, & alia incommoda inde secuta.

TRACTATVS III.

De voto.

DE hac materia tractatur in iure canonico, 17. & 27. vtrobique quæst. 1. & in aliis eiusdem iuris partibus, titulo De voto & voti redemptione. Aguntq; Theologi tum eum Magistro in lib. 2. senten. distinct. 38. tum cum D. Thoma 2.2.q. 88. & Summularij in Verbo votum, multiq; alij quorum in sequentibus fiet mentio cum res exegerit. Late autẽ inter cæteros eam persequuntur Nauar. in Enchir. cap. 12. à n. 24. ad 81. & in consiliis, tit. De voto & voti redemptione: Sotus in toto lib. 7. De iust. & iure Azor in 1. parte Moral. Institutionum lib. 11. cap. 12. & sequentibus. Latissime omnium Suarez in opere de religione tractatu sexto sex libris prolixis distincto: apud quẽ & apud Thomam Sanchez in opere Morali lib. 4. complectente 56. capita, relinquemus multa, *præsertim quæ speculationis scholasticæ fuerint*, videnda ab eo cui libuerit: contenti considerationem eorum de quibus oportet instructum esse Confessarium ad iudicandum de peccatis, quæ contra voti sanctitatem & obligationem committi possunt. Considerabimus ergo primo, voti definitionem. Secundo, diuisionem. Tertio, peccatum quod committitur illius violatione. Quarto materiam, seu id de quo fieri debet votum. Quinto, spectantia ad votum ex parte vouentis. Sexto, impedimenta, quæ cum occurrunt circa votorum executionem, ab ea excusant. Septimo, voti irritationem. Octauo, eiusdem dispensationem, & nono, commutationem.

CAPVT XV.

De definitione voti.

SVMMARIVM.

204 *Definitio voti; & quæ promissio ad illius naturam spectet.*
205 *Debet esse deliberata.*
206 *Debet esse cum proposito promittendi seque obligandi.*
207 *Quatenus requiratur vt sit cum proposito implendi promissum.*
208 *Quod propositũ absolutum faciendi aliqui in honorem Dei, non sufficiat ad votum nisi firmetur promissione.*
209 *Notanda, quibus solus possunt, quæ obiiciuntur in contrarium.*
210 *Qui solum proposuit aliquid facere in Dei honorem, quatenus possit sententiam mutare sine peccato.*
211 *Ad voti essentiam non est necessarium, vt promissio fit cum traditione.*
212 *Quod soli Deo fiat votum.*
213 *Vouens Sanctis, quomodo voueat Deo.*
214 *Quomodo accipiendum sit votum fieri de bono.*

VARIÆ voti definitiones referuntur à Palud. in 4. distinct. 38. q. 1. & à Syluest. in verbo Votum 1. in principio. Inter cæteras autem placet illa Caiet. verbo Votum in principio; quod sit promissio facta Deo de bono: Promissionem autem intellige, non modo eam quæ fit cum stipulatione, hoc est, præmissa interrogatione, & secuta responsione, *vt cum dicitur alicui, Promittis hoc: & ille affirmat*, sed etiam quæ nude fit: quantumuis non sit cum fidei interpositione: *dicendo scilicet, In bona fide promissum seruabo*: nec iuramento firmata sit, prout notat Richar. in 4. distinct. 38. art. 3. q. 3. Adde sufficere etiam pure mentalem ex D. Thoma 2.2.q. 88. art. 1. Palud. in citata quæst. 1. definit. 3. in fine. D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. in principio, Nauar. in memorato nu. 24. & Soto lib. 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 2. Ratioq; est, quia cum votum fiat Deo, qui intuetur & scrutatur corda 1. Reg. 16. ver. 7. & Psal. 7. vers. 10. nihil refert verbisne, an sola mentis cogitatione promissio fiat. Quanquam, vt ibidem D. Thomas annotat, & post eum Sotus, ad expressam voti firmitatem, adiungi promissioni nõnunquam solent; tum verba quibus excitemur ad mentem eleuandam in Deum: tum aliorum testimonia: vt non solum Dei metus, verum etiam humanus pudor nos firmiores reddat ad voti obseruationem. Imo interdum addi solet scriptura, iuxta cap. Omnes fœminæ 27. quæst. 1. 205.

Adde vlterius ad votum sufficere posse implicitam promissionem: quæ censetur fieri, dum id agitur, in quo illa continetur inclusa. Exemplum dari potest de recipiente Ordinem sacrum in Ecclesia Latina. Cum enim ex eiusdem Ecclesiæ institutione, Ordini sacro, solemne votum castitatis sit annexũ: ordinatus, etiamsi nõ fecerit expressam promissionem, adstringitur voto castitatis, eo ipso quod sacrum Ordinem susceperit secundum Latinæ Ecclesiæ ritum. Talem vero eiusdem Ecclesiæ institutionem aduersus nostri temporis hæreticos eam improbantes, bene propugnatam qui volet, videre potest apud Bellarminum in lib. 1. De membris Ecclesiæ militantis cap. 18. & quatuor sequentibus.

Cæterum promissio ad voti essentiam spectans, debet esse plene deliberata, seu facta cum plena rationis aduertentia, ad id quod promittitur. Circa quod aduertendum est, quod Lessius De iust. & iure lib. 3. cap. 40. num. 2. aliquot citatis, notat: Doctores communiter id ita accipere, 206.

vt ve-

vt velint ad votum obligatorium requiri & sufficere (*de quo late disserit Suarez in tract. 6. De relig. lib. 1. cap. 7.*) vt ipsum sit factum cum eo rationis iudicio, quod ad peccatū mortale committendum requiritur & sufficit: quia consentaneum est deliberationem quæ sufficit ad obligandum se diabolo, sufficere posse ad obligandum se Deo. Quæ vero deliberatio censenda sit sufficiens ad peccatum mortale, intelligendum est ex dictis in præcedenti lib. 11. cap. 4. notab. 3. & lib. 15. cap. item 4. non procul ab initio. Accedit quod votum sit onus quod quis sibi sponte imponit: nec quisquam censendus sit onus sibi sponte imponere, nisi plene aduertat quid agat, quidque illud sit quod capessit, & quo vinculo se adstringat capessendo.

207. Præterea debet dicta promissio esse cum proposito promittendi: quia nisi ipsa ex tali proposito procedat, votum (*vt expressit Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 38.*) erit tantummodo fictum & præsumptum; perinde atque donatio non procedens ex proposito donandi: prout censetur facta cum proposito minime alienādi à se rem donatam. Quia quando actui apponitur expresse aliqua conditio contra ipsius substantiam, destruitur; efficiturque irritus per talem resistentiam expressam. Sic igitur vouens habendo propositum non vouendi, tantum fingit votum externa specie verborum: quandoquidem dicens voueo vel promitto, mentitur: vtpote qui loquitur contra mentem, qua interius contradicit. Adde etiam dē causa prædictam promissionem debere esse cum proposito se obligandi: quod si excludatur per expressam intentionem contrariam non obligandi se, nulla erit voti obligatio. Hoc, *pro eo aliquot authoribus citatis*, aduersus Sotum Lessius propugnat in seq. num. 12. 13. & 14. Res autem videtur satis clara: quia lex non obligat si feratur cum expressa intentione nō obligandi: votum vero lex quædam est, quam vouens imponit sibi: ideoque non obligat si is intenderit non obligare se: cum actus agentium ex libera voluntate, non operentur vltra intentionem ipsorum.

Debet demum eadem promissio esse cum proposito implendi promissum: quia sine eo vouere, potius est Deo illudere, quam promittere: perinde ac si quis homini aliquid promitteret addendo se non habere animū implendi promissum. Vbi aduerte, nihilominus obligationem esse seruandi votum, sicut & iuramentum factum animo iurandi & se obligandi; etiamsi iurando habuerit animū non implendi illud. Ratio est; quod nō sit de essentia promissionis, vt habeas animum præstandi rem promissam: sed solum vt habeas animum conferendi ius aliquod ad eam exigendam. Plenius de his voti conditionibus Suarez in cit. tract. lib. 1. cap. 3. & 4. disserit quidem: sed hæc ad nostrum institutum sufficiunt; additis quæ in seq. cap. 19. dicentur de nōnullarum defectu, reddente votum ipsum inualidum.

208. Porro ex posita particula primæ definitionis voti difficultas oritur: Vtrum propositum absolutum faciendi aliquid ad honorem Dei, absq; vlla promissione, sufficiat ad votum. Cuius partem affirmantem secuti sunt antiquiores canonistæ, quorum ex Panormit. meminit Azor in memorato cap. 12. q. 5. Negantem vero sequitur, Theologorum communem esse annotans, aliquot in eam citat. quos etiam refert Suarez in præced. cap. 2. in quo late eamdem partem propugnat: quam cum Theologis sequuntur tum Sūmularij, vt Angelus & Sylu. in verbo Votum 1. ille quæst. 7. & hic quæst. 2. atque alij: tum canonistæ recentiores vt Couar. ad cap. Quamuis pactum 1. *parte* §. 3. *num.* 12. *in fine*, & Nauarr. in Ench. *cap.* 12. *n.* 26. secuti Panormit. ad cap. Literaturam, De voto & voti redemptione. Ex quo capit. eadem pars efficaciter probatur per illud, quod in eo habetur: illum qui vltra propositum vitæ mutandæ nō est progressus in voto, non esse iudicandum transgressionē, si non impleat quod proposuit. Inde enim patet, quod proponere nullam ex se inducat obligationē. Et ita, vt *idem Panormit. ibid. habet*, ex eo, quod quis animo proposuerit dare aliquid Deo vel homini, censendus non est contraxisse obligationē exequendi idipsum quod proposuit: alioqui pene omnes pij scholastici obligarentur ad ingressum religionis, quem sibi proponunt dum mundi miserias considerant & sentiunt. Quod dici non potest; quia Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. & 16. De regul. concedit Nouitiis annum probationis; totoque eo tempore vult illos manere liberos ad egrediendum; si iudicauerint institutū quod suscipiunt sibi non conuenire. Accedit quod votum importet obligationem sui erga illum cui nuncupatur. At talis obligatio non oritur ex solo proposito, sed oportet ad ipsum accedere promissionem; sine qua illud non includit intentionē se obligandi: ideo enim qui proposuit aliquid dare alicui, nisi promiserit non existimat se obstrictum ad dandum, si noluerit. Ad hæc faciunt verba Deut. 23. Cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, si nolueris polliceri, absque peccato eris.

Solutionem autem eorum, quæ pro canonistis adferri 209.
possunt late persequitur Suarez in eod. cap. 2. Reducitur vero ad ea, quæ Azor sub finem memoratæ quæstionis quintæ breuiter tangit. Primum est: cum iura testantur proposito quempiam obligari, id intelligendum esse de proposito firmato promissione aut intentione se obligandi, prout locis citatis notant Panorm. Sylu. Nauar. & Couar. Et confirmatur quia fatendum alioqui esset iura iuribus contraria esse. Secundum est: si quis, etiam deliberato proposito, decernat aliquid facere, idque verbo enuntiet, non esse eo ipso mendacij aut contractæ alicuius obligationis violatorem: si id quod proposuit & dixit, non faciat: supposito quod tunc cum proponeret ac diceret, habuerit voluntatem faciendi: nisi contingat, *vt interdum in contractibus*, verbum ipsum faciam, aut æquiualens, vsurpari, non tantum ad significandum, mihi animus est facere: sed etiam, promitto me facturum. Tertium est: Iura cum indicant eum qui animo deliberato firmiter proponit aliquid facere ad Dei honorem, obligari proposito adimplere, niti præsumptione fundata in eo quod contingit plurimum: nimirum vt tale propositum comitem habeat promissionem, aut intentionem obligandi se. Vnde ea quæ talia iura statuunt (ne iura iuribus contraria censeantur) possunt fictione iuris censeri constare: neque obstare, quin si de veritate probabiliter constiterit, *hoc est, nullam interuenisse promißionem, aut intentionem se obligandi*, teneri possit nullam tali proposito adiunctam esse obligationem ipsum adimplendi.

Iam vero doctrinæ propositæ congruenter asserere li- 210.
cet, non peccare mortaliter, *imo neque venialiter ex Nauar. in eod. num. 26.* eum qui sine vlla promissione, animo ve se obligandi proponit ieiunare, vel aliquot preces recitare, vel religionem intrare, aut aliud bonum facere: hocq; quantocumque tempore tale propositum fuerit continuatum, vt habet supplementum Gabrielis in 4. dist. 38. q. 1. litera C. Item quantumcumque fuerit verbis expressum, nisi id fiat ad propositum ipsum promissione firmandum. Nam iuxta ante tradita: ac ea *quæ Sotus habet lib. 7. de iust. & iure quæst. 1. art. 2. sub finem*, verba exprimētia simpliciter voluntatis propositum, declarant tantum illud, non autem aliquam voluntatem obligandi se. Vnde sequitur dispensationes quas in tali casu D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. sub initium tangit petendas, non esse necessarias, nisi ad scrupulosorum animos tranquillandos.

Oritur adhuc ex eadem prima particula difficultas al- 211.
tera, An ad rationem voti sufficere possit promissio sine traditione rei promissæ. Eam in citato lib. 1. cap. 14. late persequitur Suarez pro scholastico suo instituto. Vna autem illa ratio pro parte affirmante nobis ad nostrum institutum sufficere potest: quod verum sit votum factum de actione: vt de ingrediendo religionem, & de suscipiendo peregrinationem, deque similibus: quæ cum nondum sint, *vtpote futura*, non traduntur vouendo.

Per sequentem definitionis particulam, *facta Deo*, sepa- 212.
ratur votum à simplici promissione, ac significatur votum soli Deo fieri, ad Deum que principaliter referri, prout expressit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 5. *ad* 3. & post eum Palud. *in* 4. *distinct.* 38. *quæst.* 1. *conclus. prima deducta ex tertia definitione.* Probatur autem: quia religio respicit Deum, votum autē actus est religionis, ex eodem D. Thoma *in corpore citati art.* 5. *& in seq.* 6. Quod tractat Sotus in sequenti quæst. 2. art. 3. Vbi & annotat idipsum habere locum, non

solum quando voti materia spectat ad religionem; vt quãdo votum sit de fundendis precibus, aut de sacrificando: sed etiam quando ea pertinet ad alias virtutes: vt ad charitatem, aut ad abstinentiam: quia vouere aliquid eiusmodi, non est actus elicitus ab alia virtute, quam à religione, iuxta communem sententiam, vt meminit Suarez in citato lib.1.cap.15. in quo late disserit de eadem re.

213. Ne tamen hinc colligas non esse vera vota, quæ fiunt Sanctis: quoniam recte dici potest, talia vota fieri Deo, quatenus ipse est in Sanctis, & ad ipsius honorem pertinent obsequia, quæ Sanctis ipsis deferuntur, tanquam iis qui sunt per ipsum sancti, & in quibus honoratur pie, sicut & laudatur, iuxta illud Psal. vltimi, Laudate Dominum in Sanctis eius. De qua re Caietanus ad citatum D. Thomæ articulum 5. versu, In responsione ad 3. & Sotus in fine cit. art. tertij, ac latius Suarez in sequenti cap.16. Declaratur autem exemplo iuramentorum factorum per creaturas. Ea enim de se licita vereque iuramenta censenda sunt, per tradita in appendice ad præcedens cap.2, si intelligantur fieri resp. ad verum Deum; sicut intelliguntur dum fiũt à Christianis. Pari ergo ratione licita vereq; vota esse possunt ea, quibus Deo vouetur in suis Sanctis. Sicut ergo cum Sanctos oramus, Deum principaliter oramus, etiamsi proxime & immediate oremus Sanctos ipsos: ita etiam quando vouemus Sanctis: principaliter, *etsi mediate*, vouemus Deo, à quo speramus nos impetraturos per Sanctorum intercessionem, quod petimus: vt ex eo patet, quod vota Sanctis fiant, etiam ad aliquid impetrandum, quod non nisi à Deo haberi potest.

214. Circa vltimam definitionis particulam, *debono*, declarantem quænam debeat esse voti materia, nempe bonum (de quo postea ex instituto) tantum illud hic obiter monendum est in vniuersum, voti materiam esse tale bonum cuius oppositum non sit melius, & gratius Deo; quodque bonum sit; tum absolute, tum per comparationem ad suum oppositũ: prout plenius declarabitur in seq. cap.18.

CAPVT XVI.

De multiplici voti diuisione.

SVMMARIVM.

215 *Voti diuisio in deliberatum & indeliberatum.*
216 *Metus prouenies ex causis naturalibus non obstat, quin votum ex eo factum sit validum.*
217 *Nec item si prouenit ab homine, sed sit incussus iuste, aut ob aliam causam, quam ad extorquendum idipsum votum.*
218 *Per metum incussum iniuste ac directe ad extorquendum votum, ipsum redditur inualidum.*
219 *Modi quibus contingit votum esse illicitum tanquam stultũ.*
220 *Modi alij quibus contingit illicitum esse, tanquam infidele.*
221 *Modi quibus contingit votum esse inualidum.*
222 *Quatuor casus in quibus malus finis non obstat, quin votum sit validum.*
223 *Diuisio voti in absolutum & conditionatum; & quo modo accipiendum sit, quod conditio in hoc, suspendat obligationẽ.*
224 *Diuisio voti in morale & pœnale: & diuersi huius modi.*
225 *Diuisio in solemne & simplex, & in quo consistat vtriusque differentia.*
226 *Diuisio in publicum & priuatum: & alia in personale, reale, & mixtum.*
227 *Triplex differentia inter votum personale & reale.*
228 *Notandum de voto mixto.*
229 *Diuisio voti in affirmatiuum & negatiuum.*

MVLTÆ ac variæ voti diuisiones assignantur, vt videre est apud Paludanum in 4. distinct. 38. quæst. 2. Illas persequitur Suarez in tract. 6. De religione, lib.1.cap. vltimo.

Prima diuisio, voti in deliberatum & indeliberatum.

215. VOtum deliberatum dicitur, quod factum est cum antecedente deliberatione saltem virtuali. Indeliberatum vero, quod sine deliberatione antecedente est factum. Quod quidem est votum solo nomine: cum ex dictis in præcedenti cap. ad rationem voti requiratur vt sit promissio deliberata: adde & facta animo promittendi seque obligandi: vnde intelligitur solo quoque nomine votum esse, sine tali animo factum: ita vt merito non verum sed fictum tantummodo votum censeatur. Quæ hic notanda viderentur de deliberatione ad voti validitatem requisita tradentur in sequenti cap.19. sect. 2.

Secunda diuisio voti in spontaneum, & in extortum metu.

SPontaneum votum dicitur, quod libere omnino fit, soloque pietatis intuitu. Extortum autem metu, dicitur quod non fieret nisi metus vrgeret. De quo pro praxi notanda sunt aliquot documenta.

Primum est, quod Suarez in memorato lib.1.cap.7. nu. 3. & aliquot sequentibus tractat. Validum esse votum factum quocumque metu proueniente ex causis naturalibus: vt factum in naufragio aut alio mortis periculo, aut in aliqua magna tribulatione ad obtinendam diuinitus liberationem ab ea. Istud deducitur, ex cap. Sicut primo & secundo, De regularibus. Idem etiam habetur ex timoratorum vsu in Ecclesia. Et probatur ratione: quia sic vouens libere vouet: quandoquidem metus nõ tollit libertatẽ simpliciter. Etsi enim coniunctam habeat displicentiam, qua metuens nollet facere quod facit, si id posset absque eo incommodo quod timet: non impedit tamen, quin sit libertas sufficiens ad vouendum, cum sit sufficiens ad peccãdum mortaliter: iuxta cap. Merito. 15. quæst. 1. vbi ratio redditur; quod peccata per metum commissa, sint peccata volentium, quoniam sic peccans, *licet alias peccare nollet, quia peccatum simpliciter, ac secundum se spectatum illi displiceat*, nihilominus tamen hic & nunc, libere vult peccatum, tanquam medium vtile ad vitandum malum quod metuit. Voluntas autem quæ sufficit ad hominem obligandum diabolo, sufficit etiam ad obligandum Deo, prout habitum est in præced. nu. 206. Nec obstat cap. Gonsaldus 17. quæst. 2. in quo Presbyter qui infirmitate & feruore passionis, se monachum fore promisit, declaratur non esse per eum actum factus Religiosus. Non obstat inquam, quia Pontifex suam illam declarationem fundat non in eo quod talis promissio facta sit metu mortis: sed in eo quod canonica institutione interdictum sit, monachum fieri seu profiteri, ante annum probationis. Videndus est Suarez ibid. num. 7. 216.

Secundum est, Si metus ex quo fit votum, iuste irrogatus sit, non irritare illud: vt si maritus deprehensæ in adulterio minetur se curaturum in iudicio illius castigationem, nisi religionis ingressum voueat; aut si reo mortis, potestas fiat redimendi illius supplicij, si voueat se in vxorem accepturum puellam quæ se offert, validum erit votum. Istud tractans Leon. Lessius De iust. & iure lib.2.cap. 40. num. 10. confirmat hac ratione: quod quando metus iuste irrogatur ob crimen, non tam censeatur inferri ab extrinseco, quam ab intrinseco: nimirum à propria voluntate, qua commissum est delictum: atque is qui votum proponit, potius auferat quam inferat metum: vtpote ostendens ei viam mali euadendi. Iam id quod ex propria voluntate oritur, non censetur moraliter voluntati repugnare: ideo enim ex communi sententia, talis metus non rescindit ciuiles contractus, qui libertatem requirunt perinde ac votum. 217.

Tertium est, quod consequenter habet Lessius ac etiam Suarez in seq. num. 8. metum iniurioſum non irritare votum ex eo factum, si is ob aliam causam incussus sit, quam ad istud extorquendum: vt si quis metuens hostem persequentem ipsum iniuste, vouerat ingressum religionis, vt Deus illum seruet: vel apud Turcas seruituti iniuste addictus, idem vouerat, vt Deus ipsum liberet. Ratio vero est, quod metus tunc non sit directe causa voti, sed solum occasio: qua quis voto vtitur tanquam medio ad depellendum metum, alia de causa illatum.

Quartum est, Metum iniurioſe incussum directe ad extorquendum votum, irritare ipsum. Hanc esse commu- 218.

nem

nem sententiam indicat Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 52. pro qua citantur aliquod iura præsertim cap. 1. De ijs quæ vi. &c. Ratio vero præcipua est: quod cum nemo probus promissionem sibi tali modo factam acceptaret, aut aliquid iuris ex ea prætenderet (quandoquidem vt habet regula 48 iuris in 6. locupletari nemo debet cum alterius iniuria) alienum est à ratione existimare, quod Deus acceptet vota iniurioſe extorta. Nec obstat, quod Deus ipse non inferat talem iniuriam: quia proposita regula sic concepta est, vt interpretanda sit de iniuria, à quocumq; proueniat.

Magna autem difficultas est: An hoc habeat locum si metus sit tantum leuis: quam Suarez tractat in memorato lib. 1. cap. 7. à num. 9. pluribus authoribus in vtramque partem citatis. Partem autem negantem propugnat tanquam veriorem. Quin vero in praxi affirmantem sequi possimus, nihil obstat. Tum quia nec ipse nec alij, quos sequitur, eam reiiciunt tanquam improbabilem. Tum quia bonos habet authores, vt patet ex iis quos idem Suarez satis magno numero, & maiore Thomas Sanchez lib. 4. De matrimonio disput. 17. commemorant. Tum quia satis bonum habet fundamentum: nempe quod metus grauis ex eo quod sit grauis non reddat votum inualidum: quandoquidem, etiam factum metu mortis grauissimo, valet vt ex præcedenti primo notabili patet: sed ex eo, quod per iniuriam incussus sit ad extorquendum consensum vouendi. Si ergo metus leuis eodem modo incussus sit, similiter reddet votum inualidum: præsertim cum ex eo perinde ac ex graui, votum sic procedere potest, vt censeri debuerit illius causa sine qua non: seu quæsi non interuenisset, ipsum emissum non esset. Accedit quod in dubijs liceat partem minus probabilem relicta probabiliori sequi: nisi obsteret irreuerentia in vsu rerum sacrarum, vt in administratione sacramentorum: vel iniuria inferenda proximo. Nonnunquam tamen consulenda erit petitio relaxationis ad tranquillitatem conscientiæ illius, qui ex ea parte non habuerit quietam: præsertim cum parti neganti subscribentes sint authores cæteris recentiores: quorum authoritas potior est in iudicio de peccatis, si constet ipsos & doctos esse & diligentes in discutiendis difficultatibus.

Tertia voti diuisio, in licitum & illicitum.

VOtum licitum illud est, quod sancte fit & absque peccato: illicitum vero quod fieri nequit absque peccato: & (iuxta verba illa ecclesiastis cap. quinto, Displicet Deo infidelis & stulta promissio) potest diuidi in infidele & stultum.

219. De eodem vero conuenienter instituto nostro, est explicandum, quibus modis ipsum stultum, & quibus infidele esse contingat. Stultum ergo esse potest, primo ex parte finis. Nam quicumque aliquid vouet propter malum finem, stulte ac imprudenter vouet, mortaliterq; peccat, si illud quod vouet sit mortale: venialiter vero, si tantum sit veniale. Nisi forte existimet se posse per tale votũ, aliquid mali à Deo obtinere: quod est grauissimum blasphemiæ peccatum: cum diuinæ bonitati repugnet vllius peccati, etiamsi tantum venialis, authorem esse. Secundo, ex modo vouendi, vt cum quis inconsiderate, & leuiter vouet. In eo enim peccat, etsi tantum venialiter: nisi per talem inconsiderationem, quam diligentia adhibita vincere potuerit, exponat se probabili periculo peccandi mortaliter.

Tertio, ex parte materiæ: non enim licet vouere Deo quiduis, sed id quod illi gratum est & acceptum. Ipsum autem requirit quinq; conditiones, insinuatas à D. Tho. 2. 2. *qu.* 88. *art.* 2. Prima est, vt id quod vouemus sit nobis possibile: vouendo enim aliquid nobis impossibile, *vt vitare omne peccatum veniale*, peccamus: idque mortaliter si ex certa scientia id faciamus: quia Deum afficimus notabili iniuria, promittentes ei mendaciter, quod nos præstare non posse scimus. Secunda est, vt illud quod vouemus sit in nostra libertate. Nam qui vouet necessarium necessitate naturæ, vt se moriturum, vel non volaturum, peccat saltem venialiter, per quoddam vaniloquium. Dixi necessitate naturæ: quia de eo quod est necessarium necessitate præcepti: vt de nunquam fornicando, rite fit votum. Tertia est, vt id quod vouemus sit vtile, id est, prosit ad honorem Dei: aut certe (siquidem pro fine consequendi bonum temporale, votum licite emittitur, vt Sotus *in 7. De iustitia & iure, qu.* 1. *art.* 3. *ante solutionem argumentorum*, recte probat, ex voto quod fecit Iacob Genesis 28. vers. 20.) ad nostram aut proximi vtilitatem. Qui enim rem penitus inutilem vouet, peccat venialiter: imo & mortaliter: si, vt sæpe solet, adsit superstitio. Quarta est, vt id quod vouemus sit bonum: nam vouere malum, est peccatum, aliquando mortale, aliquando veniale, prout exponetur in sequ. cap. 18. Quinta est, vt bonum quod vouemus non aduersetur meliori bono: ita vt nequeat cum eo simul cõsistere. Namque malum est, sibi viam præcludere ad aliquam perfectionem maiorem. Non committitur tamen in eo peccatum, plusquam veniale, nisi fiat ex hæresi: vt quando quis vouet se ducturum vxorem: quia pertinaciter credit statum coniugatorum esse præferendum statui cælibatus.

Infidele autem esse votum potest dupliciter. Primo quidem, cum quis bene vouit, sed nõ implet postea quod vouit: de cuius peccato dicetur in proxime sequenti capite. Deinde vero, cum quis habet quidem propositum vouendi & promittendi, sed non habet implendi id quod vouet. Cuiusmodi infidelitas est graue peccatum, & quidem grauius, quam præcedens nõ seruantis votum, quod sincere fecerat: sicut grauius peccat, qui iurat illud quod non intendit facere: quam is qui iurat sincere, sed postea non facit. Immo, vt notat Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 38. ille bis peccat: primo quidem vouendo mendaciter: secundo vero, non implendo votum validum. 220.

Quarta diuisio voti in validum & in inualidum.

VOtum validum est, quod habet vim obligandi: & inualidum, quod nunquam habet vim obligandi: ne quidem cum fit. De hoc autem occurrunt notandi modi quibus ipsum contingit.

Primo igitur votum est inualidum ex defectu deliberationis: iuxta cap. Sicut primæ, De regularibus, atq; antedicta in præced. capite. 221.

Secundo, ex interuentu fraudis, quæ cum est tota causa voti (ita scilicet vt homo nunquam vouisset, nisi fuisset fraude circumuentus) votum ipsum est nullum: vt pote factum sine sufficienti proposito.

Tertio, ex coactione: non enim valet votum, ad quod faciendum coactus est aliquis: quia coactio tollit libertatem voluntatis, quam in voto requiri habetur ex antedictis: & confirmatur per illud, quod in cap. Non est, 15. q. 1. Christus dicitur eligere sibi militem voluntarium. Quatenus non modo ex coactione sed etiam ex metu, votum censeri possit inualidum, satis intelligi potest ex notatis circa præcedentem diuisionem secundam, & plenius ex dicendis in seq. lib. 25. *cap.* 4. *sect.* 1.

Quarto, votum inualidum esse potest ratione personæ quæ vouet. Si enim puer vouerit antequam vsum rationis habeat, omnes consentiunt votum esse inualidum: tanquam indeliberatum scilicet. Item ex Concilio Tridentino sessione vltima cap. 15. De regularibus, votum solemne religionis factum ante 16. annum completum, sicut & factum ante absolutum annum probationis: est nullum.

Quinto, inualidum esse potest ex materia. Nam quando ex ea redditur illicitum, aliquo ex modis notatis, circa præcedentem diuisionem tertiam, redditur quoque inualidum. Vbi aduerte quando bonum, de quo fit votum est maius respectu vnius, & minus respectu alterius: si ille qui vouet respiciat maius bonum, votum esse validum: sin respiciat minus, votum esse inualidum. Exemplum est, si quis voueat se ad mortem vsque perseueraturum in religione minus perfecta. Si enim id faciat, quia putat melius esse perseuerare, in tali religione, quam non perseuerare, votum est validum: sed si id faciat, vt se à perfectiori religione excludat, votum est inualidum.

Postremo potest votum inualidum esse ex fine: quod contingit in duobus tantum casibus, vt intelligitur ex Caiet. in verbo Votum cap. 2 & ex Nauar. in Enchir. c.12. num. 30. & 31. Prior est quando malus finis, est pars materiæ: vt cum quis vouet se propter inanem gloriam daturum eleemosynam, quod est vouere peccatum: puta opus quod est vestitum circumstantia mali finis. Itaque tale votum, quod nec Deo placere, nec emitti aut impleri licite potest, merito censetur inualidū. Posterior casus est quando malus finis, est finis non tantum vouentis, sed etiam voti: vt accidit quando votum ipsum suscipitur ea intentione, vt per illud malus finis a Deo obtineatur. Cum enim huiusmodi votum sit species quædam blasphemiæ, qua Deus author & patronus peccati cōstituitur, censendum est, vt omnino illicitum sic inualidum esse. Exemplum est: si quis aliquid ideo vouеat, vt à Deo iniustam victoriam impetret, vel si quis in gratiarum actionem vouеat, se sacrificium Deo oblaturum, aut certam eleemosynam daturum, si aliena vxore potiatur.

222. Intelligitur quoque ex ijsdem authoribus, quatuor dari casus, in quibus malus finis non obstat quin votum sit validum. Primus est, quando finis ipse malus, aliquid boni in se continet, & is qui vouet, cupit per votum obtinere à Deo idipsum bonum, non autem malum finem: vt accidit vouenti aliquid Deo, vt ex concubina filium impetret, vel vt duellum suscepturus mortem euadat: vel vt furtum facturus, non capiatur.

Secundus est, quando malum quod intenditur, non apponitur voto tanquam finis illius, sed tanquam pura conditio sub qua vouetur. Sic igitur votum de re bona factum, inualidum est quidem, si vouens intēdat per ipsum impetrare à Deo interfectionem inimici: valet tamen si intendat impetrare gratiam agendi pœnitentiam, aut cauendi sibi postea à simili facinore, si ei contingat interficere inimicum. Ratio est, quia si adsint cætera ad votum requisita, ipsum non est censendum inualidum ob turpitudinem conditionis, non attinentis ad ipsius materiam: nec impedientis quin impleri possit absque salutis dispendio: aut si attineat quidem, sed inutilis est ad votum: vnde fit vt materiæ eius adiecta, ipsum minime vitiet: cum ex regula 37. iuris in 6. vtile non debeat per inutile vitiari. Et ita in Enchir. cap. 12. nu. 43. Nauarrus definit, eum qui vouit Ierosolymam ire genibus flexis & ferendo ore buſonem, teneri quidem ire, non tamē genibus flexis (quod est moraliter impossibile) nec ferendo Buſonem ore: quia id turpe est, nulliusq; reuerentiæ erga Deum: & ideo ad votum inutile: ac proinde non obstat quin votum proficiscendi Ierosolymam sit validum.

Tertius casus est, quando finis malus, non est primarius, sed tantum secundarius, & causa solummodo motiua: vt quando quis vouet se aliquid in eleemosynam daturum pauperibus propter Deum: sed ad vouendum motus est, vt molestia aliquem afficeret.

Quartus est, quando finis principalis est quidem malus: sed non est finis voti, tanquam ipsum fiat ad talem finem à Deo impetrandum: sed tantum est finis vouentis: qui cogitat se posse voto interposito aliquid impetrare ab hominibus, vt accidit ei qui religionem vouet, quo eligatur in Abbatem. Item ei qui vouet castitatem suscepturo sacri ordinis, quo beneficium Ecclesiasticum consequatur. Cuiusmodi fines extrinseci sunt voto: cum adeptio illorum non expectetur à Deo, *quem solummodo votum respicit*, sed ab hominibus. Quia igitur in quatuor his casibus votum fit de re bona, nec habet malum finem internum, ipsum sane censendum est obligatorium, *atq; adeo validum* esse: quod quantumuis cum aliquo peccato emissum sit, tamen sine peccato impleri potest.

Quinta diuisio voti, in absolutum & conditionatum.

223. ILlud votum dicitur absolutum, quo quis absolute & sine conditione vouet: conditionatum vero, quod fit sub conditione. Quorum illud homo statim ac potest, implere tenetur: nisi certum tempus præfixerit: pro quo, nec ante illud, voluerit se obligare. Conditionatum vero non tenetur implere, donec secuta sit conditio: dummodo tamen ipse non impedierit, ne ea sequeretur, quemadmodum recte notat Nauarr. in Enchir. cap. 12. numero 42. & 43. Sic æger nisi secuta sanitate, non tenetur peregrinari: facto voto de suscipienda peregrinatione si sanitem recuperet.

Vbi aduerte quod de voto ipso cōditionali habet Suarez *in cit. lib. 1. cap. 19. num. 9.* conditionem in illo suspendere obligationem, non quod tale votum nullo modo obliget statim: quia id repugnat voto (de cuius essentia est vt sit promissio obligatoria) sed quod obligatio illius suspendatur quoad executionem, quæ est voti obiectum, quod adiectione conditionis limitatur: non item promissio, ex qua proinde obligatio statim ita nascitur, vt non sit in potestate vouentis non manere obstrictū ad illam exequendam, cum impleta fuerit conditio: adeo vt ex tunc teneatur habere animum implendi illud suum votum, impleta conditione sub qua emissum fuit. Quod si conditio caderet in promissionem (*quia hanc suspenderet*) non esset votum, ne quidem conditionatum: sed solum propositum conditionatum vouendi: vt si quis dicat: Voueo castitatem si Petro visum fuerit. Nam cum votum ista ratione suspendatur in futurum, non fit tunc: ideoque talia verba indicant tantummodo propositum conditionatum vouendi in posterum. De qua re idem Suarez in præced. numero 8.

Sexta voti diuisio in morale & pœnale.

VOtum morale dicitur, quod spectat ad mores, tanquam stimulus ad studium & exercitium virtutis. 224.
Pœnale vero dicitur quod in pœnā alicuius peccati suscipitur: aliquando quidem sub conditione, vt cum quis vouet peregrinationem si luserit aleis: aliquando vero absolute, vt cum quis vouit peregrinationem, quia commisit homicidium. Et vtroq; modo est verum votum, per quod vouens simpliciter consentit in obligationem subeundi talem pœnam. Cum hac differentia tamen, *quæ patet ex antedictis*, vt si sit posterioris modi, ad executionem statim obliget, non item si sit prioris modi: cum illius obligatio suspendatur vsque ad impletionem conditionis appositæ. De eodem modo obiter nota, interdum solitarium & interdum coniunctum esse cum morali: quod pendet ex intentione vouentis: quæ dicendo, Peregrinationem voueo si lusero: esse potest adstringendi se tum ad non ludendum, tum ad subeundam peregrinationis pœnam si luserit. Quod notandum est procuranti ciusmodi voti dispensationem, vt Superiorem informet. Videri possunt quæ Suarez habet in seq. num. 14.

Septima diuisio voti in simplex & solemne: & octaua in publicum & priuatum.

EX vniuerso numero votorum duo solummodo cen- 225.
sentur solemnia, votum scilicet castitatis, quod ex ecclesiæ instituto in susceptione sacrorum ordinum tacite emittitur, tanquam eidem susceptioni connexum (eo enim ipso, quod voluntarie aliquid agitur, censetur pariter agi tacite illud cui connexum est) & professio in religione per Sedem Apostolicam approbata: ita enim habetur ex cap. 1. De voto & voti redemptione in sexto. In quo autem consistat differentia, per quam votum simplex à solemni separatur, magna difficultas est, scholastici instituti propria. De ea Caietanus & cæteri D. Thomæ interpretes 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 7. & Sotus *in 7. De iust. & iure quæst.* 2. *art.* 5. diuersas sententias referunt. Eam quam Sotus ipse approbando late propugnat, sequi possumus: qua statuitur per hoc separari: quod votum simplex habeat se tanquam simplex promissio, quæ à nullo sensibiliter acceptatur. Solemne votum vero se habeat tanquam stipulatio seu pactum, in quo est non tantum promissio ex parte offerentis, sed etiam acceptatio sensibiliter manifesta, ex parte recipientis. Votum enim solemne acceptatur ab ecclesia nomine Dei: vnde semper fit in manu personæ ecclesiasticæ, quæ loco Dei seu Ecclesiæ, illud acceptat modo ac forma sensibili. Quod si ita sit: tenendum est etiam cum eodē Soto ibidem, votum simplex & solemne

differre

differre inter se specie: sicut differunt simplex promissio & stipulatio. Tenendum etiam est consequenter, quod votum solemne transgressus, non satisfaciat obligationi integre confitendi, si dicat se transgressum esse votum castitatis, sed debeat explicare circumstantiam, quod tale votum fuerit solemne.

226. Octaua diuisio voti est, in priuatum quod priuatim fit, & in publicum quod publice, & coram multis fit. Quæ diuisio non coincidit cum præcedenti: quia non repugnat votum simplex fieri publice, & solemne fieri priuatim, id est, præsente solo Prælato Ecclesiastico. Aliud circa diuisionem hanc annotandum non occurrit: nisi quod votum publicum cæteris paribus magis obliget, *ratione scandali*, quam priuatum.

Nona diuisio voti in personale, reale, & mixtum.

VOtum personale dicitur, cuius materia est actio personæ: siue ea sit actio præceptorum, siue consiliorum, operumve supererogationis: *vt votum ieiunandi, orandi, paupertatis, castitatis, obedientiæ, aut ingrediendi religionem*: siue etiam sit pecunia æstimabilis: vt si quis voueat manibus laborare in ædificatione templi, votum censetur personale: quia quantumuis sit digna stipendio, adeoque pretio iusto (quo & redimi possit de consensu Prælati) spectandum est tamen potius secundum illud quod ipsa est formaliter, quam secundum illud cui æquiualet virtute. Ita notat Suarez in seq. lib. 2. cap. 12. num. 1. Reale vero dicitur, cuius materia est res aliqua: vt votum eleemosynæ, vel alterius oblationis pecuniæ in pium vsum. Mixtũ denique, cuius materia partim constat ex actione, partim ex re. Quod duplex est, vnum quod æque constat ex personali & reali: vt si quis voueat se oraturum in sacello Loretano, & ibi collaturum aliquot nummos aureos. Alterum vero quod principaliter est personale, & secundario ac accessorie est reale: vt votum peregrinationis. Nam peregrinatio de se est actio personæ: quam vt exerceat quis debet expendere res suas: qua ex parte tale votum est reale secundario: sicut & ratione actionis, quã principaliter peregrinatio importat, est principaliter personale. De qua re Suarez in seq. num. 2. & 3.

227. Differunt autem in tribus votum personale & reale. Ac primo, quod personale tanquam onus impositum personæ vouentis, non transeat ad alios ratione hæreditatis, seu bonorum à vouente acceptorum. Reale vero tanquam onus impositum rebus vouentis, transeat: sicut & transeunt debita ab ipso contracta. Secundo, quod votum personale ab vno emissum, non obliget alterum: quia est actus religionis quo vouens propriam voluntatem offert Deo, ad excitandam in se deuotionem: Votum reale autem obliget, non quidem ratione actus vouendi, sed ratione rerum per votum obligatarum. Et ita hæres siue sit filius siue alias, ad vota realia eius qui illi relinquit hæreditatem, tenetur saltem iuxtã vires hæreditatis. Tertio, quod is qui non potest per se implere votum personale, non teneatur implere per alium, iuxta post dicenda in sequenti num. 283. votum vero reale teneatur implere etiam per alium, sicut & soluere debita alia à se contracta: cum perinde ratione illius, ac ratione horum, habeat res suas obligatas satisfactioni.

228. Porro votum mixtum æque principaliter ex personali & reali, quatenus est personale, induit naturam voti personalis: & quatenus reale, voti realis: & ita si quis vouit ire ad S. Iacobum & ibi dare calicem, hæres tenetur eo mittere calicem, non autem eodem ire. Reale autem principaliter, sed secundario & accessorie personale, conditionem habet & proprietates voti realis: quia accessorium sequitur naturam principalis, vt habet regula 42. iuris in 6. Hinc que est, quod si defunctus dum viueret vouit ædificare monasterium, & ibi religiosam vitam profiteri, quia tale votum mixtum est principaliter ex reali, & accessorie ex personali: hæres tenetur fundare monasterium: non autem ibi religiosam vitam profiteri: personale vero principaliter & accessorie reale, conditionem, & proprietates pari ratione habet realis. Et ita si quis vouit peregrinari, hæres nec tenetur id implere, neque expensas quas facturus erat mittere ad locum pium, quo peregrinaturus erat: sicut nec si vouit religionem, tenetur eidem religioni dare bona quæ ille secum in eam laturus erat: quia talia sunt tantum accessoria. Hæc doctrina est Palud. in 4. dist. 38. qu. 3. art. 3. D. Anton. 2. part. titul. 11. cap. 2. §. 5. Sylu. Votum 2. quæst. 11. & Nauarr. in Enchir. cap. 12. nu. 56. & 57. Soti in 7. De iust. quæst. 2. art. 1. in fin. Eamdem late persequitur Suarez in seq. lib. 4. cap. 11.

Postrema diuisio voti est in affirmatiuum & negatiuum.

VOtum affirmatiuum dicitur, quod sit de agendo aliquid, vt de suscipienda peregrinatione, negatiuum vero, quod de non agendo, vt de non fornicando. Aduertenda sunt autem duo, pro iudicio nobis proposito, quæ Suarez tractat in memorato lib. 4. cap. 12. Prius est, votum negatiuum absolute factum obligare semper, ac pro semper, adeoque statim ac factum est, perpetuoque: nisi ex intentione vouentis ipsum limitetur. Huius fundamentum est: quod negatio absoluta talis naturæ sit, vt destruat omnia quæ post se inuenit. Exceptionis vero additæ ratio est, quod obligatio voti, cum sit voluntaria, non extendatur vltra vouentis intentionẽ se obligandi. Quæ si fuerit cum limitatione ad diem à quo incipiat, vel ad certum terminũ in quo desinat, aut cum certa restrictione materiæ (vt cum vouit quis, se non ingressurum aliquam domum spectans talem ingressum tanquam occasionem peccandi) votum inde censebitur conditionati rationem induere, ipsiusque obligatio suspendetur vsque ad diem vel terminum præfixum: eaque cessabit, si cesset materiæ restrictio: vt v. g. occasio peccandi ex ingressu domus. 229.

Posterius est, votum affirmatiuum obligare statim ac fit, non tamẽ pro statim. Prior pars probatur, quia votum ex se est efficax causa obligationis: ideo enim dicitur quod vouere sit quidem libertatis, sed votum implere sit necessitatis. Eaque de causa statim ac emissum est, is qui emisit obligatur ad non habendum propositum contrarium obseruantiæ illius, & ad cauendum eiusdem obseruantiæ impedimentum. Posterior pars vero ex eo constat, ꝙ operatio positiua requirat temporis opportunitatem, quæ non semper adest: humanoq; modo, nemo liberaliter promittendo, intendat aliter obligare se ad agendum aliquid, quam vt id præstet cum primum poterit commode. In diiudicanda autem commoditate voti adimplendi, spectandum est solum, quanta in negotio, quod ex voto peragendum est, requiratur iudicio prudentium, circumstantiis inspectis. Ratione quarum euenire potest, vt dilatio temporis, quæ respectu vnius, nimia non est: sit respectu alterius nimia: quia tempus, quod commodum est respectu vnius: non est semper respectu alterius, ob diuersas circumstantias personarum & negotiorum.

CAP. XVII.

De obligatione voti, & peccato quod illius transgressione committitur.

SVMMARIVM.

230 *Obligatio voti est sub mortali, ac illius violationem suadere peccatum est mortale.*

231 *Cuius generis sit malitia violationis voti.*

232 *Peccatum est, diutius differre voti adimpletionem, perinde ac illud non implere.*

233 *Tres casus excepti.*

234 *Differentia inter votum factum de bono supererogationis, & factum de bono posito in præcepto.*

235 *Notanda ad iudicandum quando peccetur contra votum affirmatiuum, aut contra negatiuum.*

236 *Alia notanda ad iudicandum quando peccetur contra votũ, cuius obligationi præfixus est certus terminus.*

237 *Quod ex leuitate materiæ transgressor voti excusari possit a mortali.*

238 *Qui non potest votum implere ex toto, tenetur ex parte quam potest.*

239 *Quando & quale peccatum committatur pœnitendo de facto à se voto.*

QVÆ ad huius rei notitiam faciũt plenissime Suarez persequitur in sexto tractatu de religione libro 4. & 5. Quæ vero possunt Confessario sufficere ad non iudicandum de ea temere, aliquot documentis complectemur.

230. Primum est, votum validum sic obligare natura sua, vt transgressor illius mortaliter peccet, nisi interueniat impedimentum (*de quo in sequentibus*) extinguens illius obligationem: seu iusta causa per quam idem transgressor excusetur prudentis iudicio. Istud expresse tradunt Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 3. art. 4. Supplementum Gabr. ead. distinct. quæst. prima litera F, Sotus in 7. de iust. & iure q. 2. art. 1. non longe à principio, Caiet. in verbo Votum c. 1. Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 26. *vbi ait communem Theologorum sententiam esse*: & Sylvest. verbo votum 2. quæst. 20. *simpliciter omnium sententiam esse dicens.* Confirmatur autem: tum ex cap. Ananias, 17. quæst. 1. vnde habetur voti transgressionem dignam esse morte, prout constat ex eo quod gestum est in Anania & vxore ipsius, ex Actorum quinto cap. Tum ex cap. Licet De voto & voti redempt. vbi dicitur post votum nõ licere alicui sine proprio salutis dispendio resilire. Tum ex priori ad Timotheum cap. 5. v. 12. vbi viduæ quæ castitatem vouerunt, volentes nubere, dicuntur damnationem sibi acquirere: quia primam fidem irritam fecerunt. Tum demum ratione: quia si homo hominem grauiter offendit, per perfidiam qua fidem ei datam frangit: multo magis grauiter offendet Deum per illam perfidiam irreligiosam, qua votum ei sancte nuncupatum violat. Vnde intelligitur: quod quamuis vouere sit consilij: implere tamen quod voto promissum est, esse præceptj & necessitatis: iuxta cap. primum & secundum, 17. quæst. 1. expresseque habetur ex citato cap. Licet & ita illud Psal. 75. Vouete & reddite Domino Deo vestro] consilium cõtinet quoad priorem partem: & præceptum quoad posteriorem. Intelligitur quoque mortaliter peccare eum qui persuadet alteri violare votum: vt contigit illis qui vinum Nazareis propinabant, *ex cap. 2. prophetiæ Amos vers.* 12. à quo ex voto tenebantur abstinere prout habetur ex cap. 6. Numerorum vers. 2. & 3. Ratio vero talis peccati patet per illud Apostoli monitum ad Rom. 1. in fine: quod digni sint morte non tantum qui ea quæ mortalia sunt faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

231. Cæterum malitia violationis voti est cuiusdam perfidiæ erga Deum, vt indicant citata verba D. Pauli Quia primam fidem irritam fecerunt.] Quibus accedit quod inter homines frangẽs promissum arguatur infidelitatis. Vnius speciei autem esse talem malitiam respectu omnium votorum, ob rationem vnius irreligiositatis admissæ in actu cultus diuini, Suarez pro scholastico instituto fuse tractat in citato lib. 5. cap. 3. Vbi num. 8. notat eam nihilominus secundum quandam eminentiam inuoluere deformitatem sacrilegij, & mendacij: sacrilegij quidem, quia per voti violationẽ, quod fuit dictum Deo, denegatur ei: mendacij vero, quia non fit quod dictum est, fore vt fieret: imo (*quod longe maius est*) & quod Deo promissum est. Porro grauiorem esse violationem voti quàm periurij malitiam, habetur ex Soto de iust. & iure *li. 8. quæst. 1. art. octauo, post D. Thomam 2. 2. quæst. 89. art. 8.* Aduerte tamen, quod idem Sotus subiungit, & Nauar. notat in Enchir. cap. 12. num. 32. id locum habere tantum, quando iuramentum principaliter fit in vtilitatem proximi: *vt solet communiter*: si enim principaliter fiat in honorem Dei (quia omnis ratio obligandi quæ in voto cernitur, in illo quoque datur, & quid amplius) grauior censebitur malitia periurij, quam violationis voti.

232. Secundum documentum est, peccatum mortale esse, vt transgredi votum, sic & illud diu differre, quando potest statim impleri. Quodquidẽ probatur per illud Deut. 23. Cum volueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus] & infra: Si moratus fueris reputabitur tibi in peccatum.] Item per illud Ecclesiastis quinto: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio.] Ex quibus verbis patet, peccatum perfidiæ erga Deum committi, vt transgrediendo votum, sic illud non statim implendo, cum impleri potest: quemadmodum peccatum iniustitiæ erga proximum committitur, non tantum retinendo alienum: sed etiam illud non statim restituendo.

Tres tamen casus sunt in quibus istud non procedit. 233.
Primus est, quando ille qui vouit præfixit sibi certũ tempus: donec enim ipsum sit elapsum, nõ tenetur votum implere. Secundus, quãdo prudentis arbitrio iusta causa adest differendi impletionem voti. Tertius, quando ex inaduertentia inculpabili impletio differtur. Cæterum talis dilatio tunc est peccatũ grauius, quam alioqui esset, cum efficit, vt votũ ipsum nullo modo possit postea impleri.

Hic occurrit dubium, an in materia graui, dilatio adimpletionis voti sit mortalis, etiamsi fuerit breuis moræ. Ad quod Suarez in seq. cap. 6. num. 8. respondet, ex breuitate moræ tale peccatum esse tantummodo veniale: eamq; esse communem sententiam Summulariorum addit aliquot citatis. Ratioq; est, quia rationabiliter præsumitur, si non constet de contrario, vouentem non habere animum obligandi se cum rigore maiore, quam soleant homines cum obligant se ex rigore iustitiæ: in quo casu excusationẽ esse à mortali per leuitatem moræ, qua talis satisfactio differtur, patet ex dilatione solutionis mutui, quæ non damnatur peccati mortalis, si modici temporis sit. Nota autem consequens esse ex proposito documento: extra casum in quo impedimentum occurrit sufficiens ad tollendam obligationem voti: sicut ad licite omittendam: ita & ad licite differendam voti adimpletionem, requiri: tum iustam causam, tum Superioris authoritatem: de quibus in sequenti cap. 22.

Tertium documentum est, si votum sit de bono supererogationis, seu quod sit tantum in cõsilio, vt de ieiunando extra tempus ab Ecclesia præscriptum: violationem illius esse speciale, vnicumque tantummodo peccatum: si vero sit de bono quod erat in præcepto positum: vt de nõ fornicando, non furando, &c. violationem ipsius non esse peccatum speciale sed circumstantiam mutantẽ speciem, atque adeo necessario confitendam: eo quod malitiæ fornicationis superaddat malitiam perfidiæ irreligiosæ. Et ita, *formaliter loquendo*, tunc datur in vno actu duplex peccatum: ob duplicem nimirum deformitatem, quæ in eo cernitur. Quodquidem procedit, etiam quando votum fuerit generale de non peccando mortaliter, ex Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 34. 234.

Quartum documentum est, si votum fuerit affirmatiuum, vt de orando, vel de ieiunando, aliove faciendo: atque prima vice taliter fractum sit vt nequeat amplius obseruari, tunc ex vi voti, peccari ea sola prima vice, nõ item deinceps: eo quod impossibilis facta sit talis voti adimpletio. Exemplũ est, si quis vouerit ieiunare die Sabbathi in honorem B. Virginis, & mane prandium sumpserit. Quia enim illi impossibile est ieiunium eo die seruare, sumendo cœnam non peccat ex vi voti: nisi id faciat in illius contemptum. Aduerte tamen interdum manere obligatum ad supplendum talem suum defectum: voto scil. vltra terminum præfixum retinente vim suam: interdum vero in termino præfixo obligationem voti extingui. De quare late tractat Suarez in memorato tractatu lib. 4. cap. 13. Sed breuitati consulendo cõtenti esse possumus eo, quod Nauar. habet in Enchir. cap. 12. num. 54. inquiens: illum qui vouet se aliquid certo tempore facturum, *vt ieiunaturum*, si præcipue habuit rationẽ operis (prout solent Confessarii dum in pœnitentiam imponunt pœnitenti vt ieiunet die veneris) nec impleat in tempore illo præfixo: teneri implere in proximo: seu quamprimum commode potest. Sin præcipue rationem habuit temporis, & illi ipsum opus adiunxit tanquam onus (ad eum scilicet modum quo ecclesia ieiunium indicit in vigiliis quarumdam solemnitatum) nullam tunc remanere obligationẽ implendi id quod omissum est in eodem tempore præfixo. 235.

Quod si votum sit negatiuum, vt de non vescendo carnibus, tunc quoties contra ipsum agitur, *nisi iusta causa*

excuset,

excuſet, peccatur mortaliter: ſiue ſit votum perpetuum, ſiue temporale, ex Nauarr. in præced. nu. 53. & Angelo in verbo Votum 3. num. 27. Et ratio eſt quia votum ad inſtar præcepti, quatenus negatiuum eſt, obligat ad ſemper ſeu ad totum tempus pro quo emiſſum eſt intentione vouentis: ita vt non ſit in eo locus dilationi impletionis: ſed quamdiu tempus illius non finitur, peccetur qualibet vice qua contra illud agitur: niſi legitima Superioris relaxatio, aut grauiſſima neceſſitas (quæ nullam habet legem) excuſet. Ratio eſt: quia negatio de ſe deſtruit omnia: & ideo votum negatiuum factum in communi de aliquo actu, obligat ſimpliciter ad abſtinendum ab omni actu particulari talis rationis: adeo vt toties peccetur contra eiuſmodi votum, quoties perpetratur actus particularis, illo communi comprehenſus: ſiue idipſum votum factum ſit pro diuturno, ſiue pro breui tempore: dummodo intra ipſum fiat eorumdem actuum repetitio.

Cæterum ſi ad vnam ex pluribus diebus, votum eſſet indifferenter emiſſum: vt cum quis vouerit vna die hebdomadæ non bibere vinum, tunc neque hac neque illa præciſe die contra votum peccaretur bibendo: niſi eſſet vltima hebdomadæ dies: in quam tunc votum præciſe caderet: ideoq; toties in ea peccaretur quoties ageretur contra tale votum, perinde ac ſi eſſet præciſe emiſſum de non bibendo eo die.

236. Quintum documentum eſt: circa votum cui vouentis intentione præfixus eſt terminus vltra quem non obliget, ſequentia eſſe notanda pro praxi, quæ Suarez perſequitur in citato lib. 4. cap. 14. & 15.

Primum eſt, Quando quis vouit opus aliquod tanquã onus, certæ diei: vt ieiunium feriæ ſextæ in honorem paſſionis Domini, etiamſi præuideat ſe illo die impediendum à ieiunio, non teneri præuenire, ieiunando præcedente aliquo die: vt nec ſupplere ieiunando aliquo ſequenti die. Ratio eſt: quod etiamſi id faciat, non implebit votũ ſuum, quo ſpecialiter promiſit ieiunare feria ſexta in honorem illius diei, dicati memoriæ paſſionis Chriſti.

Secundum eſt, Quando vouens apponit certum tempus operi quod vouet: ſi id faciat intentione ſuſpendendi obligationem vſque ad idem tempus, tunc non eſſe obligationem præueniendi, adimplẽdo promiſſum ante præſcriptum tempus, etiamſi præuideatur, futurum tunc impedimentum adimplendi. Ratio eſt, quod talis terminus non ſit appoſitus, tam ad differendam adimpletionem, quam ad obligationem adimplendi inchoandam, vt ſenſus ſit ex tali die hoc faciam: vnde fit vt ante talem diem nulla ſit obligatio, quæ ante illam diem adimpleri debeat: niſi obligatio habendi moralem prouidentiam & curam, vt votum poſſit impleri ſuo tempore: pro quo obligauit, ſtatim ac emiſſum eſt.

Tertium eſt, Quando in voto certum tempus operi apponitur tantum ad differendam adimpletionem: non vero ad ſuſpendendam obligationem: præueniendum eſſe idem tempus adimplendo promiſſum: ſi præuideatur futurum in illo impedimentum implendi. Ratio eſt: quia tunc votum ſtatim ac fit, obligat abſolute ad hoc, vt opus fiat intra deſignatũ temporis terminum. Id quod illuſtrari poteſt exemplo præcepti confitendi intra annum: quod qui nouit ſe non poſſe implere duodecimo menſe, debet aliquo priore menſe ſatisfacere tali ſuę obligationi. Et obligatus ad recitationem horarum canonicarum, ſi præuidens ſe ab ea impediendum poſt meridiem, debet præuenire ante meridiem. Hoc autem procedit, etiamſi terminus temporis ſit appoſitus ad finiendam obligationem: vt cum quis vouit ſe ieiunaturũ quatuor diebus vnius menſis, non deſignando quibus limitando tamen voti obligationem ad eum ipſum menſem: ita vt velit illam cum hoc extingui. Quia igitur terminus talis menſis non fuit appoſitus operi ea intentione, vt in illo ſuſpenderetur obligatio iſtud implendi: ſi præuideatur futurũ vt poſt certum diem eiuſdem menſis, votum impleri non poſſit: implendum eſt præcedentibus diebus: quod eſt præuenire terminum appoſitum. De his latius Suarez in citato cap. 14.

Quartum eſt, Cum terminus præfixus fuerit voto ad finiendam illius obligationem: eo elapſo vouentem non teneri ad aliquam compenſationem. Idem dic de eo qui vouit quidem abſolute, ſed factus eſt impotens ad voti ſui obſeruationem: etiamſi culpabiliter omiſerit illud implere ſuo tempore, aut ſeipſum reddiderit impotentem ad implendum: & ſiue ſit votum perſonale ſiue reale, prout in particulari late docet Suarez in cit. cap. 15. Ratio vero horum eſt, quod vouentis intentio in priore caſu, ſit ſe tantum pro certo tempore obligandi ad aliquid agendũ: & in poſteriori obligandi ſe quidem abſolute: ſed ſi poſſit præſtare, non autem ad faciendam aliquam compenſationem ſi non præſtet. Nec eſt quod quis dicat teneri ad reſarciendam iniuriam in eo illatam Deo. Nam culpa violationis voti non habet rationem iniuriæ, quæ ad recompenſationem obliget per modum alicuius reſtitutionis, cum non ſit proprie iniuria: vtpote quæ non damnificat Deum in ſuis bonis: vt contra iuſtitiam inducentem reſtituendi obligationem, eſſe cenſeri debeat. Nam vt habetur Iob. 35. Si peccaueris quid ei nocebis? q. d. nihil. Voti igitur violatio eſt quidem grauis culpa contra fidelitatem Deo debitam: non tamen contra iuſtitiam proprie dictam: ita vt illa non requirat aliam ſatisfactionem, quam conuerſionis ad Deum ipſum, per veram pœnitentiam.

Sextum documentum eſt, Paruitatem rei, tranſgreſſorem voti excuſare à peccato mortali: non ſolum quando illa tantummodo fuerit pars materiæ voti (quod neminem negare notat Suarez de relig. tract. 6. libro 5. cap. 4. nu. 6.) vt cum quis vouit ſe recitaturum ſeptem pſalmos, & ſcienter vnum aut alterum verſiculum omittit: ſed etiam quando fuerit tota voti materia: vt cum quis vouit ſe recitaturum ſemel orationem Dominicam vel ſalutationem Angelicam, neque vult votum implere. Id quod Caietanus 2. 2. *quæſt.* 89. *art.* 7. negat quidem: ſed tenendum eſt, ſicut tenent Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 40. & Sotus de iuſt. & iure lib. 8. quæſt prima art. 7. vbi ipſum acriter contra eumdem Caietanum propugnat: & poſt eum Suarez in memorato cap. 4. à n. 8. quia nihil eſt cur ratio modici, ſeu paruitatis in hac materia, ſicut & in alijs ſub mortali prohibitis, non valeat ad excuſandum à mortali. Non enim locum habet in violatione voti, impedimentum illud per quod leuitas materiæ non obſtat, quin peccata aliqua ſint mortalia: nimirum directe repugnare alicui diuino attributo: prout hæreſis repugnat primæ veritati, Dei propriæ: deſperatio, infinitæ Dei miſericordiæ: odiũ Dei, infinitæ ipſius bonitati: & periurium, ipſius ſummæ perfectioni, qua nec mentiri poteſt, nec vlli iniquitati cooperari. Non habet inquam, locum in violatione voti tale impedimentum: quia malitia eius peculiariter conſiſtit in infidelitate, qua fidem Deo datam frangimus: id q̃ tantum oſtendit nequitiam noſtram: nec pugnat directe, *tanquam ex diametro oppoſitum*, cum aliquo diuino attributo. 237.

Nec etiam quod actus leuis ſit totalis materia voti, obſtat quin illius violatio tantum ſit venialis: maiore etiam ratione quam ſi partialis eſſet, vt argumento eſſe poteſt: quod per multiplicationem violationis præcepti in partibus modicis materiæ ſuæ grauis, peccatum mortale poſſit committi: non item per multiplicationem violationis diuerſorum præceptorum habentium pro materia ſua diuerſos actus leues, quorum ſinguli tanquam totalis materia, ſeorſim ac ſigillatim mandandi ſint executioni. Qua de re late Suarez in ſeq. cap. 5. In hoc autem ea fundatur, quod actus leues quando ſunt partiales, concurrant ad cõficiendum vnum totalẽ, qui ſit materia, adæquata voti, eaque, *vt ſupponimus*, grauis: conſequenterque, *per argumentum à contrario*, omiſſiones illorum leues, tanquam partiales concurrunt ad cõficiendam vnam omiſſionẽ totalem: quæ nonnunquam tam grauis eſt, vt poſſit ad mortale ſufficere: nõ tantum ſecundum ſe totã, ſed etiam ſecundum notabilem ſui partẽ: qua ſcil. præcepti adimpletio ſic mutiletur, ac deturpetur: vt iudicio prudentis exiſtimandum ſit nõ eſſe ei ſatisfactum: cum moraliter illud nõ habeatur pro impleto, quod magna ex parte non eſt impletum.

Quodquidem contingit, non modo cum pars ipſa magna, tota ſimul omiſſa eſt, ſed etiam cum ſeorſim multæ partes modicæ, quę ſimul collectę illam adæquant. Atque

ita qui voto se adstrinxit ad vnam integram recitationem septem psalmorum pœnitentialium: vt reus censetur peccati mortalis, si duos vel tres vltimos sine causa omittit: sic etiam censetur, si in tota recitatione hinc inde omittat tot versus, qui eosdem psalmos in quantitate adæquent. Hinc enim perinde ac illinc contingit notabilis mutilatio integræ recitationis, impediens ne votum de ea factum iudicetur impletum: quia leues ipsæ omissiones sic multiplicantur, vt in totalem quandam coalescendo, vna accipiat per aliam incrementum: in quo, cum per multiplicationem ventum fuerit ad propositam æqualitatem, violatio quæ illam inducet, erit peccatum mortale: quia licet materia in qua committitur sit de se leuis, non est tamen secundum eam rationem, qua præcedentibus superaddita in vnius materiæ grauis complementum, habetur pro graui.

At vero quando multi actus leues, sunt materia totalis singulorum votorum, ita vt sigillatim ac diuisim adimplendi sint: quia tunc nulla est eorum vnio, qua vnus augeatur per alium: nunquam per multiplicatam violationem ipsorum venialem, peruenitur ad aliquam mortalem. Nec enim ex venialibus, quantocumque sint numero, efficitur vnum mortale. Hinc si quis vouit in singulos dies vnam orationem dominicam recitare spatio vnius mensis: licet per omnes illius dies, eam recitationem omittat, non committit maius peccatum in vltima quam in prima die. Sicq; datur excusatio à mortali: quando actus leuis, materia est totalis voti: quæ non datur quando tantum est materia partialis.

238. Septimum documentum, *quod traditur à Caiet. in verbo Votum cap. penult.* est, Eum qui non potest ex toto implere votum, teneri saltem ex parte qua potest: sicut qui non potest soluere totum debitum quod contraxit, tenetur soluere partem quam potest. Et qui non potest ieiunare totam Quadragesimam, debet partem quam potest. Et qui vna refectione contentus tunc esse impeditur, tenetur à vetitis cibis abstinere. Quod enim contingit in materia præcepti, pariter existimandum est contingere in materia voti: quod habet præcepti modum & rationē quandam. Ad idem facit, quod ex regula 37. iuris in 6. vtile per inutile non debeat vitiari.

Aduerte autem tunc documentum hoc locum habere, cum voti materia fuerit diuisibilis: vt censetur esse quando constat multitudine & collectione actuum separabilium à se inuicem. Si enim indiuisibilis fuerit: siue ex se, siue ex intentione vouentis: qua nolit aliter se obligare, quam prout in ipsius potestate fuerit totum implere: id-ipsumq; non possit; excusabitur non tātum ab implendo illud, sed etiam illius partes quas potest: cum earum adimpletione voto satisfacere non valeat. Videndus est Suarez tract. 6. De relig. li. 2. c. 2. In cuius quoq; initio docet, quod obseruatione dignum est pro praxi: votum de materia impossibili, non obligare ad aliquid loco eius præstandum: quia votum non obligat vltra intentionem vouentis: quæ non est obligandi se ad aliud, quam ad id quod vouet, nisi illud in hoc fuerit inclusum: vt est cælibatus, aut non petere ab vxore debitum: in perpetua castitate.

239. Octauum documētum est, Peccatum esse mortale vouentem pœnitere voti facti, si pœnitentia includat propositum non implendi illud. Hoc de se manifestum est: quia propositum non implendi votum, & non implere sunt eiusdem malitiæ: quemad. Caiet. 2. 2. *q.* 88. *art.* 6. Sotus *lib.* 7. *de iust. q.* 2. *art.* 4. *ad* 2. & Nauar. in Enchir. *cap.* 12. *num.* 55. annotant. Sed aduerte non esse idem sentiendum quando talis pœnitētia tantum includit propositum, se ab obligatione quam contraxit vouendo, liberandi per dispensationem aut commutationem legitimam, factamve legitima authoritate Superioris, atque iusta de causa, quandoquidem neutra harum est peccatum.

Iam si eadem pœnitentia non excludat sed includat propositum adimplendi votum factum, Nauar. ibid. cum Angelo Votum 3. num. 13. dicit non esse peccatum saltem mortale. Sylvest. vero, votum 2. q. 20. absolute ait nullum peccatum esse, si adsit rationabilis pœnitendi causa: quod etiam locis citatis volunt Caiet. & Sotus. Qui addit id præsertim verum esse, quando emissum est votum de re ardua: & is qui vouit experitur difficultatem, quam si prēcognouisset non vouisset. Pro Sylvestro autem facit hæc ratio: quia potest quis absq; peccato nolle vouere: ergo pariter potest nolle vouisse: quandoquidem vtriusque illius actus, idem est obiectum: quod per solam habitudinem ad diuersas temporis partes, non variatur in bonitate & malitia morali. Sicut ergo ante votum emissum non fuit obligatio gaudendi de illo emittendo, ita nec est non dolendi de emisso. Immo nec illud implendi sine vllo tali dolore, quod plerisque esset valde difficile. Aduertendum est tamen si ex tali pœnitudine oriatur probabile periculū non adimplendi votum, eam mortali malitia non carere: qui enim amat periculum peribit in illo. Cum veniali autem solum foret, si solum esset periculum, languidius implendi votum ex Caiet. & Soto *in ijsdem locis.*

CAP. XVIII.

De materia voti.

SVMMARIVM.

240 *Tres conditiones, quas materia voti requirit.*
241 *Aptissima voti materia est opus supererogationis.*
242 *Bonum positum in præcepto, potest esse voti materia.*
243 *Quod sit de tali materia, non obstare, quin sit proprie votū, nouam inducens obligationem. Quodq; multiplicatio vnius eiusdemq; voti non multiplicet obligationes, sed solum confirmet primam.*
244 *Validum esse potest votum de nunquam peccando mortaliter.*
245 *Non item de nunquam peccando venialiter, aut absolute de nunquam peccando.*
246 *Explicatio difficultatis, An apta voti materia sit, quidquid bonum est moraliter.*
247 *Bonum positū in hominis libertate, quod inhabilitat ipsum ad seruandum consilium Euangelicum, materia est inepta ad votum.*
248 *Moraliter bonum, vt sit apta voti materia, debet esse melius suo opposito.*
249 *Solutio duarum rationum contra inualiditatem voti de matrimonio contrahendo.*
250 *Casus in quibus tale votum censeri potest validum.*
251 *Explicatio difficultatis, An validum sit votum de ingrediendā religione laxiori.*
252 *Votum de re indifferenti quatenus indifferens est, validum non est.*
253 *Est autem, quatenus de eadem reddita bona moraliter, ex circumstantia boni finis.*
254 *Corollaria quæ ex ea doctrina deduci possunt.*
255 *Tres casus in quibus facere votum de materia inepta, peccatum est mortale.*
256 *Alij casus in quibus id tantum est peccatum veniale.*
257 *Vouere actum venialiter malum, est suo genere mortale.*

MATERIA voti, seu illud de quo votum fieri debet, tres conditiones requirit, vt intelligitur ex doctrina D. Tho. 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. Prima, vt sit actus humanus, seu quē exercere, vel nō exercere liberum sit vouenti. Nam si actus sit, quem vel exercere, vel non exercere situm non est in ipsius potestate, inepte peculiari obligatione adstringet se ad id, quod velit nolit, ei continget. Secunda, vt sit opus bonum: vtpote quod debet gratum esse Deo, cum votum sit promissio facta Deo, quā ipse non acceptat nisi factam de re sibi grata. Nihil autem quod bonum non est, Deo gratum est. Quapropter votum non nisi de bono fieri potest. Et ita communis Doctorum omnium sententia est, vt Suarez testatur in tract. 6. De relig. libr. 2. in initio capitis 4. actum malum non posse esse obligationis voti materiam: alioqui enim esset obligatio ad illum exercendum, adeoque ad peccandum, quod absurdum est. Vnde dicitur 2. 2. qu. 4. In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto, muta decretum: quod incaute vouisti ne facias: impia est promissio quæ scelere adimpletur.] 240.

Tertia conditio est, vt idem bonum opus non sit tale, quod ex se priuet hominem aliquo bono, quod maius sit, quodque magis placeat Deo. Ratio est, quia vt homo per votum maneat obligatus Deo, necessarium est omnino vt Deus ipse acceptet illud quod ei promittitur. At non est credendum, quod Deus acceptet ab homine bonum, per quod priuat se bono meliori: ac obijcit sibi impedimentum ascendendi ad perfectionem maiorem: ad quam solet Deus ipse iuuare & promouere sibi deuotos: prout bene *ad cit. D. Thomæ art.* 2. notat Caietanus. Quibus conditionibus consentanee, satisfaciendum est variis difficultatibus, quæ circa propositam materiam mouentur.

241. PRIMA EST. Quænam sit aptissima voti materia. Ad cuius solutionem dicitur, bonum esse supererogationis seu consilij: vt ingressum religionis, ieiunium extra tempora ab Ecclesia præscripta, confessio facienda singulis mensibus, & alia eiusmodi opera. Namq; talia maxime omnium, sita sunt in libera nostra potestate. Hęcque est doctrina expressa D. Tho. in cit. art. 2. & post ipsum Richardi in 4. distinct. 38. art. 3. quæst. 2. & Soti lib. 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. conclus. 5. qui eam aduersus hæreticos propugnat in præced. art. 1. vt & nonnulli alij recentiores: quibus Suar. in tract. 6. De relig. lib. 1. cap. 1. nouissime accessit: sed non est nostri propositi in eo hærere.

242. SECVNDA DIFFICVLTAS EST, An bonum positum in præcepto: vt non fornicari, ieiunare Quadragesimam, & aliud huiusmodi, sit apta materia voti. In cuius & sequentium gratiam aduerte, constare quidem necessariũ necessitate naturali (quale est hominẽ tandem mori) haud esse materiam voti: sed incertum esse de necessario morali: quale est quod, cum sit præceptum, licite omitti nõ potest: & cum sit prohibitum, licite fieri non potest: etsi absolute sit in hominis libera potestate: tum omittendum facere: tum faciendum, omittere. Atque de tali necessario mouetur proposita difficultas: de qua in vtramque partem authores & rationes Suarez habet in eodem tractatu, lib. 2. cap. sexto: & affirmantem, *quæ est D. Thomæ in eodem art.* 2. tuetur cum Caiet. ad eumdem articulum & Soto in memorato art. 3. alijsque Thomistis: quibus Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 25. & 34. & passim recentiores assentiuntur. Respondetur ergo ad eam ipsam difficultatem affirmatiue: nempe de eo quod est in præcepto, votum rite fieri posse: quod patet ex vsu in Ecclesia recepto vouendi nõ solum abstinentiam à nuptijs, quæ non est in præcepto: sed etiam abstinentiam à venereis voluptatibus extra matrimonium: de qua est præceptum. Non mœchaberis. Confirmaturque à simili: si enim ad præstanda quæ tenemur ex præcepto, possumus adhuc nos obligare iuramento (vt si iurem me ieiunaturum Quadragesimam) poterimus etiam voto: maxime cum idipsum ieiunium, melius, laudabilius, maiorisque meriti inde reddatur: accedente ei bonitate virtutis religionis, ratione voti. Similiter si is qui ex contractu tenetur ad solutionem alicuius debiti, potest adhuc promissione se ad eamdẽ adstringere, poterit pariter quis se Deo adstringere voto, ad implendum quod tenetur ex præcepto.

Accedit quod obseruatio præceptorum necessaria sit quidem, non tamen naturaliter & absolute: sed solum moraliter & ex suppositione finis, qui est æterna salus: ad cuius consecutionem præceptorum obseruatio omnino requiritur, iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata.] Vnde fit, vt cum eadem obseruatio naturaliter, absolute ve sit in nostra potestate: ipsa possit constitui ex ea parte, materia voti: per quod adstringamus nos nouo vinculo, ad modum illius qui cum teneatur lege iustitiæ depositum reddere, ad idem se nouo iurisiurandi vinculo adstringit. Rationes quæ in contrarium obiici possunt cum suis solutionibus Suarez in citato cap. 6. habet. Eas breuitatis causa possumus relinquere apud ipsum videndas: præsertim cum ad securitatem conscientiæ pro regula abunde sufficiat: quod in ecclesia receptus sit vsus emittendi votum non modo simplex, sed etiam solemne (in professione religionis scilicet & in sacrorum ordinum susceptione) de perpetua castitate: quod idem est ac de non fornicando.

Neque vero audiendi sunt Richardus in cit. q. 2. ad 1. & Angelus, Votum 1. num. 1. dicentes vota eiusmodi large tantum, nec proprie vota esse. Nam contrarium (quod Caiet. & Sotus locis citatis tenent & sequitur Suarez in eodem cap. 6. num. 8.) ex eo patet, quod vere sint promissiones Deo factæ de bono non impeditiuo maioris: atque fieri de re alias debita, non tollat rationem voti, vt nec rationem iuramenti, tanquam vtriq; accidentarium: ideoq; non obstet, quin vtrumque priori obligationi nouam superaddat, ita vt vna transgressione committatur duplex peccatum prout tradidimus in tertio documento præcedentis capitis: & specialiter de initiatis sacro ordine Sotus ostendit in 7. De iust. & iure quæst. 4. art. 2. in conclusione respondeo post quartam propositionem. Videri quoque potest Thomas Sanchez in lib. 7. De matrim. disp. 21. quæst. vltima. 243.

Addendum vero est obiter, quod Suarez habet in seq. num. 13. repetitionem eiusdem omnino voti, non multiplicare obligationes sed tantum confirmare primam: quæ ex primo voto secuta est tanta, quanta possibilis fuit, vt patet à simili, quia si quid promisi alicui aut donaui, nihil aliud amplius possum circa illud quam promissionem aut donationem confirmare.

244. TERTIA DIFFICVLTAS EST. Quid sit sentiendum de voto nunquam peccandi mortaliter. Quæ soluitur dicendo cum Soto in lib. 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. tale votum vix vnquam esse emittendum, aut consulendum propter difficultatem ipsum obseruandi: emissum tamen obligare, tanquam vere ac proprie votum. In quam sententiam inclinat Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 65. eamq; in tract. 6. De relig. lib. 2. cap. 3. num. 2. Suarez sequitur dicens eam esse communem Doctorum modernorum. Probatur vero: quia licet perdifficilis sit eiusmodi voti materia, non est tamen impossibilis: potest enim quis cum auxilio diuinæ gratiæ, quæ ex se fidelibus semper est parata, omnia ac singula peccata mortalia vitare iuxta Concilium Trid. sessione 6. cap. 15. Tale votum igitur cum sit de bono opere possibili (quod enim per amicos possumus, simpliciter posse censemur) ipsum sane legitimum & obligatorium esse existimandum est.

245. QVARTA DIFFICVLTAS EST. Quid sit sentiendum de voto quo quis se adstringeret ad nunquam peccandum venialiter. Placet autem quod sentit Nauarr. in citato num. 65. *pleniusque tractat Suarez in cit. cap. 3. a numero quarto*, tale votum (& multo minus illud quod is adiungit nunquam peccandi) non modo non esse emittendum vel consulendum: sed neque si emittatur, esse validum. Ratio est, quod nemo obligetur ad impossibile, prout habet reg. sexta iuris in 6. Impossibile autem est homini in hac vita ab omnibus venialibus abstinere, etiam cum eo auxilio diuino quod de lege ordinaria fidelibus conceditur, prout habetur ex Concil. Trident. sess. 6. can. 23. Quod tamen intellige, moraliter loquendo. Si enim metaphysice, ac de potentia, *vt vocant*, Logica agamus: cum nulla detur contradictio, negandum non est omnia venialia vitari posse: etiamsi talis potentia non reducatur ad actum, nisi ex speciali Dei auxilio: prout contigisse in Beatissima Virgine, Catholica Ecclesia agnoscit, iuxta idẽ Concil. Trid. in eodem canone. Quod si petas, An is qui absolute vouit à venialibus abstinere, teneatur ex vi voti saltem ab iis abstinere quæ potuerit euitare: vt v. g. iocosa mendacia: prout is qui Quadragesimam ieiunare vouit, si totam nequeat, tenetur partem quam potest ieiunare. Respondetur absolute non teneri ex vi voti, ab aliquo eorum abstinere: quia tale votum absolute inualidum fuit, tanquam stultum, vtpote factum de sibi impossibili, vt loco cit. Sotus bene notat. Id quod non ita vsuuenit in voto de ieiunanda Quadragesima.

246. QVINTA DIFFICVLTAS EST. An quiuis actus moraliter bonus, sit apta voti materia. Eam autem Suarez late persequitur in memorato lib. 2. cap. 7. & 8. Possumus autem pro ordinaria praxi contenti esse duabus generalibus propositionibus tanquam regulis, secundum quas maxime, de talibus iudicandũ est. Quibus præmittere oportet paucis, tria bonorum moraliter, genera distingui:

vnum positorum in præcepto: duo reliqua positorum tantum in consilio: inter quę, ea secundum genus constituunt quæ sunt aptissima instrumenta ad bonitatem honestatemque perfectam consequendam (*antonomastice dicuntur consilia Euangelica*) vt abrenunciatio temporalium, custodia castitatis, & professio obedientiæ: tertium vero genus cætera constituunt: quæ etiamsi ad statum perfectionis nõ spectent peculiariter, tanquam propria illius instrumenta: pertinent tamen ad communem virtutis statum: vt ieunare, largiri eleemosynam, preces fundere, & cætera quæ dici solent opera supererogationis.

Hoc ita prænonito: prior hæc propositio generalis statuitur. Nullum moraliter bonum, quatenus impeditiuum est alterius melioris, esse aptam voti materiam. Pro qua Suarez in citato cap. 7. nu. 2. plures adfert authores. Probatur autem hac ratione: quod ea non sit apta materia voti, in qua cum idipsum non possit obligare, nec potest validũ esse. At votum factum de bono, prout est impeditiuum melioris, non potest obligare. Quod probatur: quia obligare in tali materia, idem est ac obligare ad nõ faciendum id quod est melius: & ideo ad non conformandum se diuinæ voluntati: quæ est, *ex priori ad Thessalon. cap. 4.* sanctificatio nostra: ad quam maxime spectat, vt semper id agamus quod est melius. Quocirca votum retrahens ab agendo eo quod melius est, non placet Deo: nec displicens acceptatur. Iam si nõ acceptetur nec obligat vt nec alia promissio non accepta: de qua in sequenti lib. 25. cap. 6. sect. 2. Adde nec conualescere, sed manere inualidum cessante impedimento illo melioris boni: quia ex regula 18. iuris in 6. non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.

Secunda propositio generalis est. Omne bonum honestum nisi sit impeditiuum maioris boni, posse esse aptam materiam voti. Probatur quia bonum honestum idem est ac virtutis actus: qui quatenus talis, referri potest ad Dei gloriam, & ordinari ad ipsius cultum, sic vt fiat materia virtutis religionis. Quare poterit & voti, quod est eiusdem virtutis actus proprius. Accedit quod omnes eiusmodi actus possint mediante voto obedientiæ, cadere sub votum: vt cum quis vouet obedire alicui in omnibus, quæ nomine Dei præceperit licitis & honestis. Quare poterũt etiam cadere immediate. Nulla enim ratio datur, cur si vno modo possit cadere, non possit & altero.

247. SEXTA DIFFICVLTAS EST. An actus bonus quidem moraliter, sed inducens inhabilitatem ad sequẽdum consilium Euangelicũ sit inepta voti materia. Hanc quoque late tractat Suarez in eodem lib. 2. cap. 9. in cuius initio admonet eam locum habere potissimum in matrimonio, quod etsi bonum sit, impeditiuum tamen est obseruationis consilij Euangelici de seruanda perpetua castitate, quæ bonum est illo melius. ex priori ad Corinth. cap. 7. & ex aperta definitione Concil. Trid. sess. 24. can. 10.

Tenenda est autem pars affirmans: talem actum nimirum esse ineptam voti materiam: ita vt votum de eo factũ non valeat. Nam ea est, *prout idem ibidem tangit*, communis Doctorum sententia: quę bono fundamento nititur: quod scilicet votum in tali materia factum, sit impeditiuum maioris boni: ideoque sit consequenter inualidum, iuxta antedicta in explicatione præcedentis difficultatis. Impedimentum autem in hoc consistit, quod matrimonium inducat vinculum repugnans cælibatui: ac statui religioso: qui melior est statu matrimonij, vt constat ex authoritatibus paulo ante allatis. Deinde non est consentaneum existimare, quod Deo placeat promissio facta ipsi de eo, cuius oppositum consulit. Quod si non placeat, neque acceptatur: & ideo tanquam non pariens obligationem, inualida est.

Denique actus cuius oppositum ordinarie melius est, quam ipsum, ac conducibilius ad spiritale bonum, non est apta voti materia, quantumcumque alias sit de se licitum. Sic enim quantumuis possit quis licite non ingredi religionem, non potest tamẽ per votum se ad non ingrediendum adstringere, vt bene notant Syluester in verbo Religio 2. in fine, & Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 25. Nihilominus si casus daretur in quo satius esset non ingredi religionem, quam ingredi: votum de non ingrediendo valeret: vt v. g. si quis vouerit non ingredi certum monasterium, dum in eo regula non obseruatur, votum est validum, vt expressit Nauar. in Enchir. c. 12. num. 36. nam non ingredi melius est ex circumstantia, quam ingredi: sicque votum tanquam factum de meliori bono, validum est.

Quod autem de voto non ingrediendi religionem, absolute dicitur nullum esse, tanquam contrarium diuino consilio, pari ratione dicendum est de voto, quo quis vouerit non mutuare, non fideiubere, non dare eleemosynam, ac similibus, ex Caiet. in verbo Votum cap. 2. & 2. 2. q. 88. art. 2. col. 3. in principio: Soto de iustitia & iure lib. 7. quæstione prima articulo tertio, paulo post medium. Similiter, sicut votum non ingrediendi religionem dictum est ex circumstantia cohonestante, reddi validum: pari etiam ratione dicendum est, quod si concurrant tales circumstantiæ quæ cohonestent, ac opposito suo meliorem reddant actum non mutuandi aut nõ fideiubendi, aliumve similem; tunc apte liciteque de eo, *vtpote bono meliori*, votum fiat, ex Soto ibidem, & ex Nauar. in Enchir. cap. 12. numero 36. 248.

Cæterum duo sunt quæ peculiariter propositam difficultatem augent quoad votum matrimonij: vnum est, quod matrimonium, vtpote sacramentum à Christo institutum, sit res bona, & Deo accepta. Alterum, quod iuramentum de matrimonio contrahendo valeat: nec possit, *perinde ac votum*, valere, nisi fiat de eo quod bonũ est, cum iuramentum non sit vinculũ iniquitatis. Ad quorum prius respondetur: matrimonium quidem esse bonum, sed oppositum ipsius esse melius: atque votum debere fieri de meliori bono, tanquam Deo magis grato. Abstinentia autem à matrimonio, seu obseruatio castitatis, melior est matrimonio ipso, prout distertis verbis D. Paulus expressit inquiens in priori ad Corinth. cap. 7. Qui matrimonio iungit virginem suam bene facit, & qui non iungit, melius facit. Ad posterius vero, voti & iuramenti disparem esse in hac re rationem, *vt ibidem col. vltima Caietana notat*. Quia enim votum fit soli Deo, spectandum est in illo, quod sit Deo acceptum. Ipse vero non habet acceptum minus bonum, quatenus impedit maius, prout ante habitum est. Iuramentum vero fit homini, in eius vtilitatem: quæ interdum exigit, vt cæteros contractus, sic & matrimonium iuramento firmari. 249.

Concedendum est tamen in casu quo matrimonium caderet sub præceptum, cadere posse sub votum: vt quando ipsum fuerit necessarium ad pacem conseruandam in regno aliquo vel prouincia: aut ad satisfaciendum nocumento illato alicui puellæ sub promissione ducendi eam in vxorem: quod vt possit resarcire, stare debeat promissio: tum ad seruandum illius honorem, tum ad efficiendum legitimos liberos ex ea susceptos. De qua re Suarez in citato lib. 2. c. 9. num. 8. Consequenter late tractans alium casum, in quo votum factum de contrahendo matrimonio validum censeri potest: nempe cum quis in remedium fornicationis, emissum fuerit propter fragilitatem, qua se tantopere laborare cognoscit, vt nisi matrimonium contrahat, in multa crimina prolapsurus sit. Cuiusmodi votum validum esse potest; cum ex ea circumstantia contrahere sit tali personæ melius, quam cum tanto periculo manere in cælibatu. Quod notatum à Caietano, *vbi supra*, Nauarrus commendat in citato cap. 12. nu. 10 43. estque plurium aliorum sententia, quorum Suarez ipse meminit ibidem numero nono. Cessabit tamen talis voti obligatio, cessante ea necessitate: quia tunc incipiet esse de bono, cuius oppositum melius est. 250.

De eo casu in quo matrimonij votum fit intuitu misericordiæ, & pietatis (vt cum quis vouet meretricem ducere, vt eam retrahat ab illo malo statu: aut virginem pauperem, vt pudicitiæ ipsius periclitanti subueniat) nihil amplius dici potest quam ipsum valere tantum, quatenus excludit facultatem accipiendi aliam vxorem; vt sensus sit. Non aliam vxorem accipiam quam illam: qua ratione est de bono meliori, ob circumstantiam nimirum pietatis, per quam, in ordine ad maiorem

Dei

Dei gloriam ipsum eleuatur. Et certe si dicatur tale votum sic valere, vt de necessitate talis ducēda sit: idem tanquam maioris boni impeditiuum, censeri debebit nullum. Neque enim prædicta eleuatio ex circumstantia pietatis & misericordiæ tanta est, quin bonum perpetuæ castitatis & status religiosi (prout Concil. Triden. definit. sessione 24. can. 10.) in sublimius statu coniugij.

251. Restat circa propositam difficultatem dubium, An votum de ingrediendo aliqua religione laxiori teneat. Ac pro parte negatiua facit quod talis ingressus videatur impeditiuus melioris boni: nempe ingressus melioris seu perfectioris religionis. Sed opposita pars affirmatiua tenenda est: quia tale votum est de bono: inferiori quidem, sed in quo est aliquid pietatis, eleuans aliquo modo hominem vltra communem statum: necei tollens libertatem transeundi ad meliorem. Etenim religio, etiam laxior, bonum est præstantius, Deoque gratius, quam ipsius oppositum, seu quam status sæcularis: nec impedit quominus is qui illam professus est, possit strictiorem ingredi ex cap. Licet, De regularibus.

Id quod locum habet ex D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. notabili 4. circa principium: quantumcumque votum sit simul de ingrediendo ac perseuerando in ipsa laxiori religione: quia id adhuc melius est, quam ipsius oppositum. Si quis obijciat, per tale votum excludi transitum ad strictiorem religionem, negandum est: quia ipsum non fertur in id directe, quo laxior religio opponitur strictiori: sed in illud potius, quod in ea bonum est absolute, Deoque gratius, quam ipsius oppositum: vnde fit vt nec tale votum obstet, quin liceat ad religionem arctiorem transire. Quod si vouentis intentio sit tali voto præcludere sibi viam ad religionem arctiorem: ipsum tanquam impeditiuum maioris boni non valebit: vt Syluester expressit votum 1. q. 4. dicto 4.

Aduerte quod dicitur de voto ingrediendi religionem laxiorem, esse pari ratione intelligēdum de voto assumendi quemcumque statum pium inferiorem, impeditiuum perfectioris: nempe valere si factum sit absolute de tali bono per se spectato, ac sine intentione auferendi sibi libertatem transeundi ad statum perfectiorem. Et ita si quis absolute vouit tota sua vita seruire in hospitali, tenetur quidem id seruare, non ideo tamen impeditur religiosus fieri si velit, quod est transire ad statum perfectiorem: & sic de similibus.

252. Septima difficvltas est, An de indifferentibus, ijsve quæ de se nec bona nec mala sunt moraliter (vt de vestienda veste alba: de non eundo ad talem domum, & id genus alijs) possit votum rite fieri. Cum D. Thoma autem 2. 2. quæst. 88. art. 2. in fine, & Caiet. ibid. & in verbo votum cap. 2. Richar. in 4. distinct. 38. art. 3. quæst. 1. Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 28. & 37. ei satisfaciendum est negando de talibus, vt talia sunt, posse votum rite fieri: quia inutilia sunt & vana, nec de se conducunt ad Dei gloriam, vel hominis salutē: vnde fit vt inepta sint ad votum: quod cum fiat Deo, debet ad ipsius gloriam conducere, nosque ad ipsum, qui salus nostra est, adducere. Et quamuis D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. hoc ita approbet; vt dicat nihilominus tutius esse talia vota non frangere sine dispensatione Superioris, qui valeat eam dare. Dicant etiam Angelus & Sylu. Votum 1. ille §. 5. & hic quæst. 4. dicto 3. tutius esse vt saltem à Confessore prius habeatur declaratio. Possumus tamen absolute dicere quod liceat huiusmodi vota propria authoritate infringere, sicut dicunt Sotus lib. 7. de iust. & iure q. 1. art. 3. post 5. conclusionem, dubio 2. & Nauarr. in citat. num. 37. Cum enim nulla sint ex defectu materiæ aptæ, vt ostensum est, nullam obligationem inducunt. Quanquam vt Nauarr. ibidem addit, si quis existimet aliquod tale à se emissum valere, aut dubitet an valeat; non potest absque peccato ei propria authoritate cōtrauenire, nisi de veritate effectus sit certior: quoniam ager alioqui contra conscientiam, quod est peccatum; etiamsi conscientia fuerit erronea, prout docuimus in præcedenti lib. 13. cap. 8.

253. Aduerte autem quod sicut opus indifferens per adiectionem circumstantiæ boni finis, reddi potest moraliter bonum; sic etiam reddi aptum vt sit voti materia, tanquam eleuatum per bonitatem, quam accipit ex fine in quem ordinatur. Ita expresse notant Caiet. verbo Votum cap. 2. sub finem, & ad memoratum D. Thomæ art. 2. col. antepenultima, & Nauar. in citato c. 12. nu. 28. & in sequenti 36. ac Sotus in dub. 2. supra memorato, vbi rem illustrat apto exemplo, inquiens: Tibi loquenti cum homine accidit aliquid ingratum, & ideo vouisti te nunquam cum eo sermonem habiturum: aut forsan ludebas cum eo foliis lusorijs, & vouisti te nunquam cum tali persona, aut tali ludo, aut in tali domo lusurum: si talis sermo aut talis ludus nullius mali tibi sunt occasio, nec ab eis abstinere, seruit tibi ad aliquod bonum; nullatenus votum tenet; sed sic vouere fuit peccatum vanitatis. Sin autem cum tali persona loqui aut ludere tibi est occasio alicuius peccati vel dispendij tuarum rerum, vel alterius periculi, votum tenet. 254.

Ex qua doctrina iudicare licet non esse vota quæ mulieres solent facere de non nendo die sabbathi, vel de non coquendo tunc panem: etiamsi addant se in honorem B. Virginis ea facere: prout docent Caiet. in ead. col. antepenultima. Sotus in eod. dub. 2. & Nauar. in citato num. 28. Similiter vana ac nulla esse vota de non lauando aut pectendo capite, die item sabbathi in honorē eiusdem Virginis: vel de non comedendo capite in honorem S. Ioannis prout quoq; notant D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. Sylu. Votum 1. quæst. 4. dicto 3. Nauar. in seq. nu. 37. Ratio vero est: quia talia de se, nō important magis bonum morale, & quod ad Dei gloriam & æternam salutem conducat, quam ipsorum contraria, vt bene ibid. ait Caiet. Bene quoq; addens secus sentiendum esse, de voto cessandi ab operibus seruilibus in reuerentiam Beatæ Virginis: quia eiusmodi cessatio expeditiorem reddit ad cultum diuinū: eaq; ratione conducit ad Dei gloriam. Idem pari ratione sentiendum esse de voto non nendi die sabbathi, vt recitari possit Rosarium, expressit Nauar. in citato nu. 28. Ratio autem est quod in tali casu detur aliquid quod ad honorem Beatæ Virginis pertineat, vt pertinet recitatio rosarij: quod non accidit in voto facto tantum de nō nendo in honorem eiusdem Virginis; quia cōstat, id ad eumdem honorem nihil pertinere de se, vt nec ipsius oppositum. Quam rationem Caiet. attigit loco citato.

Cæterum votum factum de indifferētibus cohonestatis ex circumstantia, obligat tantum quamdiu circumstantia ipsa durat prout notatum est à Caietano in verbo votum cap. 2. in fine & cap. 4. atque 2. 2. quæst. 88. art. 2. col. penultima. Itemq; à Soto in eadē dubit. 2. & à Nauar. in cit. nu. 28. Et ratio est: quia cessante eiusmodi circumstantia, cessat cohonestatio operis, ex qua habet vt possit esse apta voti materia.

Postrema difficvltas est, Quod peccatum committat is qui votum de materia non apta facit.

Circa quam notandum est ex Caiet. in verbo votum cap. 2. Eum qui de facto vouet aliquid illicitum, aut contra consilium, vel indifferens: quia voto abutitur contra reuerentiam Deo debitam, peccare aliquando mortaliter aliquando venialiter, nisi ignorantia excuset. Ac mortaliter quidem (vt idem Caiet. ibid. habet, & cum eo Armilla verbo votum nu. 1.) in tribus casibus.

Primus est cum vouet aliquid quod est mortale, vt occidere aut mutilare: quem etiam habent Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 28. Sotus lib. 7. de iust. q. 1. art. 3. paulo post quintam conclusionem. Sylu. Votum 1. quæst. 4. dicto 3. & tangit D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. in principio. Ratio vero in promptu est: quia in eo fit Deo grauis iniuria: cum tale votum, non promissionis boni placentis Deo, sed cōminationis mali displicentis eidem, rationem habeat: ideoque blasphemum sit. Vbi aduerte ad blasphemiam non esse opus vt verba blasphema proferantur ex voluntate malum inferendi Deo: sed sufficit, vt talia sint quæ inuoluerint in sua significatione aliquid Deo penitus indignū. Id quod procedere etiamsi proferantur ficte & sine animo promittendi & perpetrandi peccatum de quo fit votum, Suarez docet in tract. 6. de relig. lib. 5. cap. 2. num. 7. vtens hac ratione: quod si graue malum sit minari Regi, *etiamsi id fiat sine animo illud inferendi*, moraliter censeatur 255.

grauis iniuria, saltem ob verborum temeritatem & contumeliam: multo magis censeri debebit respectu Dei, saltem ob voluntatem proferēdi verba, quæ grauis blasphemiæ habent rationem.

Secundus casus est: quando quis ita vouet aliquid contra consilium: *vt v.g. non mutuare* vt velit se obligare etiam pro eo tēpore, in quo idem consilium habet vim præcepti: seu, quod idem est, pro tempore grauis necessitatis. Hunc idē Caiet. 2.2.q. 88.art.2.col.3. refert: & post ipsum Nauar. in eod.c.12. n.29.& 35. ac Sotus in memorato art.3. paulo ante solutionem argumentorum. Satisq; probatur ex præcedente casu, cuius tunc rationem induit: cum taliter vouere perinde sit, ac vouere aliquid mortaliter illicitum.

Tertius casus est: cum quis talia vota emittens, satis quidem aduertit quid faciat, se nimirum attribuere Deo quod ei minime conuenit (quale est eiusmodi votorum vincula acceptare) nihilominus prudens, & sciens vult se illis adstringere. Tūc enim quoddam blasphemiæ peccatū committitur: vtpote quo tribuitur Deo, quod est ab ipso alienum. Hunc quoque casum Caiet. ipse habet in memorata col.3. cum eoq; Sotus in citato art.3. paulo post 5. concl.& paulo ante solutionem argumentorum, ac etiam Armilla in verbo Votum num.1. Intelligendus est autem cum hac exceptione: nisi quis talia voueret bona fide, putans quid huiusmodi Deo parum displicere (*sicut peccata venialia nimirum*) quoniam sic non excluderet charitatem, & ideo peccaret solummodo venialiter, vt idem Caiet. habet in proposito cap.2.& Armilla in eodem num.1. ac Nauarr. in memorato num.35. addens bene leuius futurum, si minime aduerteret se in eo rem Deo ingratam admittere.

256. Venialiter autem solummodo peccare eum qui de materia indebita votum facit: contingit imprimis quando votum fit de indifferentibus, vt in eod. supra cit.c.2. Caiet. annotat, cui consentit Sotus in dubio 2. post præmemoratam quintam conclusionem: inquiens tale quid vouere, peccatum esse vanitatis. Pro quo facit, quod etsi talis materia non sit apta voto, vt ante ostensum est, iniuriosa tamen & contumeliosa Deo non est: nec illam vouens significat aliquid de Deo, repugnans ipsius bonitati, *sicut vouens aliquod peccatum*, vt censeri debeat in re leui, tanquam blasphemus peccare mortaliter. Contingit præterea cum votum fit de ijs quæ opposita sunt consilijs, vt de non mutuando, vel de non fideiubendo extra extremam necessitatem, vel l. de nō ingrediendo religionem: quia nisi id fiat ex contemptu eorumdem consiliorum, aut sub aliqua ratione mali, per quam ipsum repugnet diuinæ bonitati, non habet aliam malitiam quam vanitatis: qua minus bonum meliori anteponitur. Quæ est doctrina Caiet. ad antea memoratum artic. 2. col. 3. Nauarri in eod. cap. 12. num. 29. & Soti in citato art. 3. paulo ante solutionem argumentorum.

257. An autem idem contingat etiam, quando votum fit de veniali, difficultas est, quam consequenter Suarez tractat loco cit. num. 8. & aliquot sequentib. atque cum Caietano contra Sotum tenet peccatum esse mortale, votum Deo facere de peccato veniali: si is qui ita vouet cognoscat & aduertat quid faciat: nempe se attribuere Deo approbationē peccati, sine qua tale votum nequit acceptari. Quia igitur peccatum veniale leue quidem est de se: sed ex circumstantia irreligiositatis, per quam offertur Deo, graue est, valdeq; ei iniuriosum (vtpote destruens si fieri posset, ipsius infinitam bonitatem, quæ non patitur secum approbationem cuiuscumque peccati) fit vt quantumcumq; illius perpetratio non sit de se mortalis: sit tamē illius promissio facta Deo, tanquam blasphema: vtpote quæ de facto ēst velut assertio, quod Deo talis culpa placeat: & ex consequenti, quod ipse non sit summe bonus. Qua in re excusatio à mortali ex leuitate materiæ non habet locum; vt confirmatur à simili: quia iurare mendacium quantumuis minimum, peccatum est mortale eo nomine: q; si Deus illud restaretur, veritas ipsius infallibilis destrueretur.

Aduerte, quod etiam idem bene notat in numero 11. non tantum facere tale votum, sed etiam illud implere, tanquam cultum Deo delatum, peccatum esse mortale: quia id est opere ipso Deum colere peccatis, & obligare hominem ad faciendum peccatum. Quamquam, prout adhuc idem habet in sequenti num.13. excusatio à mortali in tali voti materia, potest locum habere ex inconsideratione inuincibili, qua quis non aduertit ad id quod facit, nesciens an promittat Deo necne: aut saltem non aduertens, tali sua promissione aut illius executione, significari eiusmodi opus placere Deo.

CAP. XIX.

De spectantibus ad votum ex parte vouentis.

SVMMARIVM.

258 *Votum factum sine intentione vouendi est nullum.*
259 *Ad illud nihilominus seruandum compelli interdum quis potest, tum authoritate ecclesiæ, tum ratione scandali.*
260 *Ecclesia iuste compellente, tenetur in conscientia seruare votum, qui illud emisit ficte.*
261 *Vouere ficte, de se suoq; genere solum est veniale: & quando sit mortale ex accidenti.*
262 *Validum est votum factum intentione vouendi, etiamsi factum sit intentione illud non implendi.*
263 *Quid sentiendum sit de voto facto sine intentione se obligandi.*
264 *Duo modi quibus actus vouendi censeri potest imperfectus.*
265 *Imperfectio actus, ex qua tanquam indeliberatus, constituit votum inualidum.*
266 *Altera imperfectio actus, quæ quoniam non excludit deliberationem ad peccatum mortale sufficientem, constituit votum validum.*
267 *Ad voti validitatem nec maior deliberatio requiritur quam ad peccatum mortale, nec minor sufficit.*
268 *Eadem deliberatio potest breuissimo tempore, atque adeo imperceptibili fieri.*
269 *Quid sit tenendum de votis præcipitanter factis.*
270 *Quid de factis à commoto ira aut bene potato, aut metu perculso.*
271 *Imperfectio ætatis qua solemne votum religionis inualidum redditur.*
272 *Tale, ne quidem tanquam simplex, valere.*
273 *Qua ratione spectari debeat eiusmodi imperfectio.*
274 *Quod votum simplex ante pubertatis annos emissum, valere possit.*
275 *Quod de legitimo rationis vsu non sit iudicandum ex certo tempore.*

 N voto ex parte vouentis quinque consideranda sunt ad recte ferendum de illius obligatione iudicium. 1. est fallacia, 2. imperfectio actus 3. imperfectio ætatis, 4. subiectio vouentis, & 5. eiusdem intentio. De qua tamen commodius dicetur in seq. cap. 20. vt & de subiectione in cap. 21.

SECTIO I.

De fallacia.

QVod attinet ad fallaciam notandum est ex Caiet. in verbo Votum cap.3. eam in votis contingere dupliciter: vno modo cum vouens non intendit, sed simulat vouere: altero, cum non intendit seruare quod vouet.

Ac priore modo votum est nullum: ad quod cōfirmandum facit, quod ex cap. Humanæ aures 22. quæst.5. in eius generis actibus humanis, non sint tantum consideranda verba, sed voluntas & intentio: cum non intentio verbis deseruire debeat, sed verba intentioni. Facit etiam, quod inter homines, quidquid quis verbo promissorio dicat, si ostendat se non habere intentionem verbis cōformem, non existimatur se obligasse. Facit demum lex Obligationum 1. ff. De obligationibus & actionibus in qua statuitur sine animo obligandi se, nullam oriri obligationem in contractibus. Quam doctrinam tradens idem Caietan. 2.2. quæst. 88. art. 1. col. vlt. (& cum eo Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 27. & 38. Sotus lib. 7. de iust. & iure quæst. prima art. 2. pag. penultima) addit, nihilominus eum qui vouet ea ratione, compellendum esse votum adimplere. 258.

Id

Id quod verum quidem est, quoad forum externum: quia in eo temere ijs crederetur, qui asserunt postquam vota emiserunt, se absque animo vouendi, ea emisisse. Etenim dicentes se mentitos, Deo, merito iudicãtur mentiri quoque hominibus, nisi contrariũ aperte ostendant. Sed quoad forum conscientiæ, videtur plane tenendum oppositũ: quandoquidem reuera quoad Deum, votum fuit nullum: neq; vllum ecclesiæ statutum apparet, quod in conscientia compellat ad talis voti obseruationem.

259. Quanquam fieri potest, vt quis ad eam compellatur in externo foro Ecclesiastico: quia cum de occultis Ecclesia non iudicet, si in illo foro constet aliquem emisisse votum, quisquis fuerit ipsius animus occultus, compelletur ad illud adimplendum: nec fides ei adhibebitur, *iuxta cap. Per tuas De probationibus*, quantumuis affirmet, etiam sub iuramento, se ficte vouisse. Nam cum eadem via confiteatur se mentitum fuisse Deo, ostendit se indignum esse fide. Si enim mentitus est quando libere vouit: quomodo credetur ei quando contra suam voluntatem cogetur exequi id quod vouit?

260. Cæterum compulsus ab Ecclesia in tali casu, tenetur parere: non quidem ratione voti, sed ratione iusti præcepti legitime sibi impositi: cui si nequeat aliter satisfacere quã mutando animum, poterit & ad id obligari: quia licet voti emissio per se, tantum sit in consilio: per accidens tamen potest quis ad eam obligari: ad vitandam nouam culpam, ex sua priore prouenturam. Sic enim is qui sacrum ordinem susciperet habendo voluntatem expressam non obligandi se ad perpetuam continentiam, compelli potest præcepto Ecclesiæ, ad hanc vouendam: cum id sit necessarium ad vitandam ignominiam, quam status clericalis incurreret ex iniuria sacro ordini illata, per violationem sanctissimæ consuetudinis in ecclesia receptæ.

Quin etiam fieri potest, vt absque speciali ecclesiæ præcepto, ex voto ficto oriatur obligatio, ratione scandali quod sequeretur, nisi illud seruaretur: tam que hoc, quam illud Caietanus attigit in cit. col. vltima his verbis. Et licet sic vouens (ficte intellige) nõ teneatur seruare promissum ratione voti, tenetur tamen ratione ecclesiæ (illum scilicet iuste compellentis) & scandali. Id autem intelligendum est de scandalo, cum ipsum nequit aliter vitari. Nam ex Soto supra memorato, excusari potest in hac re is etiam, qui solemniter vouit sine animo vouendi, discedens in prouinciam in qua votum ipsius non sit notum.

261. Porro vouere ficte, est de se & secundum substantiam actus peccatum solummodo veniale, cum malitiam suam positam habeat in mendacio, quo tantum homini imponitur; non autem Deo, qui falli non potest: ideoque nullum diuinum attributũ euertit, vnde dicatur coniunctam habere notabilem Dei iniuriam, mortalis malitiæ constitutiuam. Nec necesse est eam esse cum graui vouentis iniuria. Potest enim rationem mendacii officiosi interdum habere, vt cum quis ad illud compellitur incusso metu grauium malorum, à quibus se ea ratione liberare intendit. Nec item necesse est cum graui læsione proximi esse, vt manifestum est. Nihil ergo datur vnde censeatur per se, ac de se mortalis.

Ex accidentaria conditione vero, mortale esse potest vouere ficte. Primo, si id fieret intendendo fallere Deum (quod nulli nisi stulto potest contingere) quia errorem in fide, atque adeo blasphemiam includeret. Secundo, si id fieret ex contemptu, aut cum graui scandalo: vt si quis religionem ficte voueret in illius derisum, aut cum aliorum graui scandalo. Tertio, si inde fieret, vt aliquis graue damnum iniuste pateretur. Videri potest Suarez de relig. tract. 6. lib. 5. cap. 1. num. 4. 5. & 6.

262. Quod attinet ad alterum modum, *tunc contingentem, cum quis etiamsi intendat vouere, non intendit tamen implere votum*: tenendum est, eum qui sic vouet, votum validũ facere, ex illoq; perinde obligari ac si animum habuisset adimplendi. Ratio est, quia ex promissione vere facta, sequitur obligatio tanquam naturalis effectus eius. Neq; peruersum illud propositum non implendi, eximit ab ipso voti vinculo. Istud habẽt Caiet. adhuc in columna vltima, Sotus pag. penultima, & Nau. in n. 27. & 38. ante memoratis.

Porro tali modo vouere, perinde ac votum violare, peccatum est suo genere mortale: quia propositum peccandi, & illius executio sunt eiusdem malitiæ. Ipsius malitia autem augente ex eo, quod eiusmodi propositum habeat coniunctum animum vouendi, prout nu. 220. antea attigimus. Vnde fit vt peccato violationis voti superaddatur in eo peculiaris deformitas irreligiositatis, qua quis licet sciat Deum falli nõ posse, nihilque ipsum latere: adeo impudenter se erga eum gerit, vt audeat ei vouere (etiam animo promittendi) secum statuens non implere promissum taliter factum. Qua in re notabilem Dei irreuerentiam contingere, vix negari potest, quin consequenter negandum sit, obligationem esse tale quid apetiendi in confessione: quod vix homo timoratæ conscientiæ, sibi in praxi persuadebit.

Tertij modi, quo vouens intendit quidem vouere, sed non habet animum se obligandi Caiet. videri potest ideo non meminisse, quod reducatur ad priorem duorum traditorum. Eo enim ipso, quod quis vouet sine animo se obligandi, vouet quoque sine animo vouendi: cum fieri nequeat vt votum sit verum, nec ex eo sequatur obligatio, quæ est illius effectus naturalis: adeo vt ex negatione vnius necessario inferatur negatio alterius. De qua re Suarez in memorato tractatu lib. 1. cap. 3. num. 4. & aliquot sequentibus. 263.

Atque inter cætera admonet, quoad eum qui tale votum faceret ex ignorantia: si hæc sit prauæ dispositionis, id est, erroris quo credat se non obligari vouendo, ideoq; voueat, non manere obligatum: quia tunc nec explicite nec implicite vult obligari: vtpote existimans se facere actum ex quo nullam contrahat obligationem: vnde nulla dabitur quæ censeri debeat libera siue in se, siue in sua causa. Nec obstabit quod ignorantia sit vincibilis, quia etsi ea non sufficiat ad excusandum à mortali, tamen sufficit ad impediendam libertatem plenam voluntatis. Sin autem ignorantia sit puræ negationis, seu qua nescit quis an votum habeat vim obligandi necne: vouentẽ cum expressa intentione nõ obligandi se, non obligari: quia votũ ipsius est limitatum conditione, *quam putat possibilem*, vt si votum nõ obliget, velit vouere. Quod si voueret sine tali expressa intentione, votum valeret: non obstante eiusmodi ignorantia: quia licet ignoret voti naturam: vult tamen ipsum prout in se est, & consuetum est fieri: quod sufficit ad illius validitatem: sicut ad validum contractum matrimonii sufficit, vt quis velit illud inire more cæterorum, etiamsi ignoret illius vinculum esse indissolubile.

Sectio II.

De imperfectione actus.

264. QVod ad imperfectionem actus spectat, Caiet. in cit. verbo Votum cap. 3. notat illam in votis interdum inueniri per modũ primi motus: vt cum fiunt ex surreptione, id est, sine rationis ad id quod agitur aduertentia, quã deliberatio omnino requirit. Interdum vero fieri per modum defectus plenę, & discũssæ deliberationis: prout contingit in votis quæ fiunt ex metu repentinorum malorum, aut ex magno dolore, aut ex leuitate animi, vel ex pronitate ad vouendum.

265. Prioris autem modi imperfectionem contingentem in vouendo, impedire ne votum validum sit & obligatorium, communem doctrinam esse notat Suarez *in citato lib. 1. cap. 6. num. 4.* Fundatur in eo, quod excludat deliberationem, quæ requiritur ad votum, vtpote quod est actus liber natura sua, tanquam in hominis arbitrio, de se relictus: prout patet ex initio cap. Licet, De voto. Et confirmatur, quia votum est lex quædam priuata, quam homo sibimet imponit: seu contractus quo se Deo obligat sua voluntate. Præter Caietanum & alios quorum Suarez meminit, eamdem doctrinam expresserunt Armilla *in verbo votum* §. 6. & Sotus *lib. 7. de iust. & iure, quæst. prima art. secundo paulo post vltimam conclusionem.*

Vbi & reiicit quod tradit Angelus *in verbo Votum* 1. §. 6. signum esse quod votum indeliberate & ex surreptione factum sit, si is qui vouit, statim transacta angustia periculi, sit male contentus, ipsumque pœniteat quod votum emiserit.

emiserit. Illa enim displicentia non arguit defuisse illi deliberationem sufficientem. Nam eum etiam qui diu deliberauit antequam voueret, potest postea pœnitere voti facti: nec tamen ideo negari potest illud fuisse validum, vt nec fuisse factum cum sufficienti deliberatione. Idem signum reijcit quoque Palud. *in 4. distinct. 38. quæst. 1. definitione 2.* & post eum D. Anton. *2. part. titul. 11. cap. 2. in principio, notab. 6.* Sylvest. item in verbo Votum 2. quæstione 13. Aliud signum adfert ex Panormit. Suarez *in sequen. cap. nono, numero 12.* si passio ex qua quis vouet tanta fuerit, vt ea non interueniente, nullo modo vouisset. Reijcit autem: tum quia multa per occasionem fiunt, quæ alioqui non fierent, & nihilominus sunt valida, quia non obstante occasione eiusmodi, voluntate sufficienter libera præstitus est illis consensus plenus: tum quia, quid homo faceret cessante tali passione: sicut nihil confert ad meritum aut demeritum: ita nec ad voti validitatem aut inualiditatem. Itaq; totum relinquendum est prudentis arbitrio, in quo expendenda est potissimum vouentis aduertentia, aut inaduertentia ad id quod egit.

266. Quod attinet ad imperfectionem posterioris modi: si ea non sit tanta, vt excludat deliberationem, quæ ad mortaliter peccandum sufficeret: eam non annullare vota, quę ipsa interueniente fuerint omissa; adeo vt talia obligent quantumcumque deliberatio non sit habita longo rationis discursu & præmeditatione: nec ita plene, vt nihil relictum fuerit non præmeditatum ac discussum. Ita tenet Paludanus loco citato, & post eum Diuus Antoninus, Syluester, Caietanus, & Sotus locis item citatis, ac Nauarrus in Enchir. cap. 12. numero 24. communemque sententiam esse monet Suarez in memorato cap. 9. numero 4. Pro qua facit quod iuxta cap. Dudum, De conuersione coniugat. votum factum calore iracundiæ non auferentis vsum rationis, sit validum. Item quod ex cap. 2. De voto, validum fuerit votum Ierosolymitanæ peregrinationis, factum à quodam in puerili ætate. Existimandum vero non sit in calore iracundiæ, vel in puerili iudicio adhibitam fuisse deliberationem illam exactam, qua res omnino plene expenderetur, nihil relinquendo indiscussum.

267. Accedit ratio, *quam habet glossa ad cap. Mulier, 32. quæst. 2. verbo Mulier*, quod qui potest se obligare diabolo, possit & Deo. Vnde sequitur, posse quem cum ea deliberatione se per votum Deo adstringere, cum qua posset per peccatum mortale adstringere se diabolo. Quod confirmatur: quia dicens requiri maiorem, debebit assignare quantitatem, qua debeat excedere. Id autem vix ac ne vix quidem potest cum sufficienti fundamento fieri. Sufficere autem eam quæ satis sit ad peccatum veniale, Sotus loco citato bene reiicit: quia implicatio quædam contradictionis est, aliquem posse sub mortali se obligare, *prout sit in voto*, cum ea deliberatione, cum qua non posset mortaliter peccare. Regula igitur optima iudicandi de validitate voti ex parte deliberationis, est vt si ea talis fuerit, *siue formalis, siue virtualis*, quæ sufficeret ad mortale, censeatur suffecisse quoq; ad votum validum. Quo pertinent quæ latius tractat Suarez in seq. cap. 10.

268. Non existimes vero deliberationem ad votum sufficientem requirere multum temporis. Nam breuissime haberi potest, quemadmodum notant Paludanus, Diuus Antoninus, & Syluester locis citatis: immo adeo breui, vt successio illius imperceptibilis sit: prout ex Caiet. & Gabriele Suarez habet in prius citato cap. 9. nu. 14. Et Nauar. (habito respectu ad praxim) dici potest significare voluisse in Enchir. cap. 12. nu. 26. docens non requiri, vt deliberatio votum præcedat tempore: quia nimirum tępore præcedens, cum sit discursus, constat inquisitione aliqua, & iudicio de præmissis, ex quibus concludatur, & voluntati proponatur vouendum esse.

269. Ex qua doctrina consequens est, valida esse vota, quæ fiunt ex timore malorum repentinorum, aut ex magno dolore, aut ex vehementi ira, aut ex facili propensione ad vouendum. Quanquam ex eo, quod talia sint minus plena (vtpote quibus defuit plenitudo modi vouendi, per exactam scilicet deliberationem, considerationemve omnium quæ ad rem propositam pertinerent) censeri possit subesse causa sufficiens dispensandi in illis. Et ita docent locis citatis Caiet. Paludanus, D. Antoninus, Sylu. & Nauarrus num. 24. & 52. ac Sotus ante solutionem argumentorum. Si quis obijciat tale votum esse imprudens, & ideo non placere Deo. Suarez in fine eiusdem cap. noni respondet: tale votum quoad imprudentiam, & malitiam, si qua forte inde contrahatur, non placere quidem Deo, nihilominus tamen acceptari obligationem adstringentem ad aliquid quod facit ad ipsius gloriam: ideoq; est apta materia voti, cum sufficienti deliberatione facti. Adde quod etsi talis modus reprehensibilis sit, fieri tamen possit vt excuseretur per inaduertentiam inuincibilem.

Duo autem ibidem Sotus monet notatu digna pro praxi. Vnum est, in talibus votis deliberationem sufficientem adfuisse censeri debere, cum vouens aduertit probe, ac iudicauit quid faceret: nempe quod tale quid Deo promitteret: perinde ac censetur deliberatio sufficiens ad peccatum homicidij, cum quis aduertit probe, ac iudicat, se interficere hominem. Alterum est, inique eum facere, qui cum deliberate vouerit ad aliquid obtinendum à Deo: obtento eo, dispensationem petit: quia licet repentina deliberatio talem petitionem permittat, causa tamē vouendi, beneficiumque receptum, ingratitudinis arguunt petentem.

Idem autem quod de prædictis, pariter sentiendum est 270.
de votis, quæ quis iratus, aut bene potatus emisit. Nam nisi ira aut potatio rationis iudicium tali sic absstulerit, vt ob eum defectum mortaliter peccare non posset: illa censebuntur vota valida, vt in ijsdem locis habent Palud. D. Anton. Sylu. Sotus & Nauarr. Ad quod confirmandum induci potest cap. Sicut nobis, De regularibus: vbi ad voti impletionem obligatur is, qui illud emisit laborans maxima ægritudine: & ideo, *vt existimare licet*, minus maturo consilio, minusque perfecta deliberatione.

Cæterum quamuis pari ratione validum sit votum, quod quis mortis, alteriusve mali metu correptus emittit cum sufficienti deliberatione: non valet tamen illud quod fit quidem cum deliberatione ad peccandum mortaliter sufficienti: sed per metum ab homine alteri incussum ad hoc, vt illud faceret: iuxta ea quæ circa eamdem materiam Concil. Trident. definit sess. 25. cap. 19. De regularibus. Illam fuse persequitur Suarez in memorato lib. 1. cap. 7. & 8. Nobis sufficere possunt tradenda in seq. lib. 25. cap. 4. sect. 1. & 2. Quæ enim illic dicentur de metu irritante, aut irritabilem reddente contractum, non erit difficile accommodare ad votum, vt ad illius speciem quamdam.

Sectio III.

De imperfectione ætatis.

271. IMperfectio ætatis hic dicitur ætas ante pubertatem. De qua notat Caiet. *in verbo Votum cap. 3.* eam efficere vt solemne votum religionis emissum in ea, sit inualidum ex statuto Ecclesiæ ipsum irritantis. Quæ est D. Thomæ doctrina *2. 2. quæst. 88. art. 9. & 189. art. 5.* ac cum eo D. Antonini *3. par. tit. 16. cap. 3. in principio: Sylu. in verbo Religio 3. quæst. 2. & 4. Soti lib. 7. De iust. & iure quæst. 2. art. 2.* haberturque ex cap. 1. De regularib. in 6. Quod vero ecclesia aliquid tale possit, bene tractat Suarez in tract. 6. De religione lib. 3. cap. 3. quem qui volet consulat, nobis enim sufficit id esse receptum communi vsu ipsius ecclesiæ: de quo patet tum ex citato cap. 1. tum ex eo quod in Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. De regularibus, irritetur votum solemne religionis: siue à viro siue à fœmina emissum ante expletum annum ætatis 16. vbi etiam irritatur emissum ante annum probationis. Locum vero habet secundum memoratos authores inualiditas istiusmodi, quantumuis ille qui vouet sit ante pubertatem capax doli, composque rationis sufficienter ad mortaliter peccādum. Locum habet item, etiamsi impubes ipse, de patris aut tutoris consensu professionem faciat, prout expressit Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 68. Ratio vero est, quod neutro eorum modorum tollatur inhabilitas illa, quam ecclesia, pro sua in omnes fideles authoritate, inducit.

Sed

272. Sed quæret aliquis, An votum ipsum solemne religionis intra pubertatem emissum, ita nullum sit; vt ne voti quidem simplicis vim habeat. Ad quod Syluester in citata quæst. 2. negatiue respondet, credens obligare tanquam votum simplex: idq; de mente D. Thomæ 2.2. quæst. 189. art. 5. Idem etiam Palud. non obscure innuit in 4. distinct. 38. quæst. 1. diuisione septima: & post eum D. Anton. in memorato cap. 3. §. 2. circa principium: dum dicunt impuberes non posse professionem facere quæ valeat vt solemnis: per quod, *vt videtur*, significant valere tantum vt votum simplex. Contrarium vero tenendum est cum Caiet. ad prius memoratum D. Thomæ art. 9. col. 1. & cum Soto in citato art. 2. paulo ante solutionem argumentorũ. Probatur enim aperte ex eo, quod in cap. vnico, De regular. in 6. taliter professo fiat potestas libere redeundi ad sæculum: quod sane Ecclesia minime faceret, si talis teneretur quantum in se est, religiosum seruare institutum. Ad idem quoque aperte facit Concil. Trident. cum in memorato cap. 15. professionem in quacumque religione, siue virorum siue mulierum, factam ante decimumsextum annum, decernit nullam esse, nullamque inducere obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus. Non debet vero nos mouere quod à Sylvest. pro se D. Thomas citetur; quia dubium non est quin huius mentem melius quam ille, assecuti sint Caiet. & Sotus, eius quoque perpetui sectatores ac interpretes commendatissimi. De Paludano autem & D. Antonino dici potest eos tantum significare voluisse, quod impuberes nequeant votum solemne emittere, licet facere possint votum simplex: adeoque minime id intendisse, quod ex dicto ipsorum illatum est.

273. Porro ea de qua hic agitur pubertas, consideranda est præcise, penes ætatis annos: vt nimirum nunc secundum ius nouum in Concil. Trident. editum, siue masculus siue fœmina, nisi 16. annum expleuerit; & antea secundum ius antiquum, nisi masculus 14. & fœmina 12. annum impleuisset, nequiuerit valide facere solemne votum religionis: quantumuis ante eam ætatem esset ita doli capax, vt iam haberetur pro pubere, quemadmodum notatum est à Diuo Antonino 2. *par. tit. vndecimo cap.* 2. § 6. & 3. *par. tit.* 16. *cap.* 3. *in princip. & à Soto lib.* 7. *De iust. & iure quæst.* 3. *art.* 2. *concluf.* 3. Neque refert, quod circa matrimonium *(ad quod etiam pubertas requiritur)* malitia seu doli capacitas possit eam ætatem supplere, iuxta cap. De illis 2. & cap. finale De desponsatione impuberum. Non refert inquam, quoniam ea de qua loquimur voti inualiditas, non spectatur ex rei natura, sicut inualiditas matrimonij; sed ex eo Ecclesiæ statuto, quo impuberis professio nulla est: quidquid malitia ætatem supplear.

274. Quod attinet ad cætera vota, nihil circa tempus ætatis, Ecclesia de eis præscripsit: adeo vt si quis iam doli capax intra pubertatem susciperet sacrum ordinem, solemni cõtinentiæ voto adstrictus esset, vt habent Caiet. 2.2. *quæst.* 88. *art.* 9. *& Sotus in* 7. *De iust. & iure quæst.* 3. *art.* 2. Eadem quoque ratione, vota simplicia ab impubere emissa censenda sunt valida: si tunc legitimum habuerit rationis vsum, ex eodem Caietano ibidem, & in verbo Votum *cap.* 3. *&* 2.2. *quæst.* 189. *art.* 5. Id quod verum est, etiamsi votum sit simplex religionis, prout Syluester expressit in verbo Votum 3. quæst. 5. cui Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 68. consentit, repudiata contraria (quem Angelus & Rosella insinuant) sententia.

275. Aduerte autem, quandonam puer legitimum rationis vsum habeat, non posse certo definiri ex tempore; quoniam is solet aliis citius & aliis tardius aduenire, vt constat experientia, vnde non est tam ad ætatem quam ad doli capacitatem attendendum: nimirum considerando ac expendendo capiatne quid importet votum Deo facere, prout Caiet. ait in citato cap. 3. Aut an polleat eo rationis vsu, quo possit mortaliter peccare; quod idem est, ac posse diabolo se obligare: si enim deprehendatur potuisse quãdo vouit, iudicari debebit, iuxta antedicta, cum deliberatione ad validitatem sufficienti, vouisse. Quam omnium sententiam esse notat Nauarrus in eodem num. 68. Addens nihilominus quod possint parentes & tutores omnia taliter ab impuberibus emissa vota irritare. De quare in seq. cap. 21.

CAPVT XX.

De iis quæ excusant ab executione voti emissi.

SVMMARIVM.

276 *Quatenus ratione dubii, detur excusatio ab executione voti emissi.*

277 *De ea quæ datur ratione materiæ, generale documentum, cum corollariis ex eo deductis.*

278 *De eo qui vouit ieiunare, & impeditur exequi ob infirmitatem corporis.*

279 *Ingrediens religionem non tenetur implere votum peregrinationis Ieroſolymitanæ: nec tenetur quis seruare votum non transeundi per aliquem vicum, si causa iusta ob quam emissum est, cessarit.*

280 *Impossibilitas implendi votum, absolute liberat ab eius executione, si illa sit perpetua, non item si tantum temporalis.*

281 *Quando impossibilitas excusat, nihil necesse est commutationem fieri in aliquid possibile; & cum impossibilitas excusat solum ex parte, reliqua pars possibilis est executioni mandanda.*

282 *Explicatio difficultatis, An fœmina quæ virginitatem vouit, libera sit à voto, si formicetur.*

283 *Qui votum à se emissum non potest per se implere, non tenetur per alium, exceptis duobus casibus.*

284 *Quatenus ex intentione vouentis habeatur excusatio à voti executione.*

285 *De obligatione ad executionem voti sub conditione.*

286 *De obligatione ad executionem voti, cui definitum est certum tempus: & quid sit agendum, cum nequit quis deprehendere, ad quod tempus voluerit se obligare.*

287 *Quid agendum, cum vouens ex conscientiæ suæ iudicio deprehendere nequit, an peccet differendo executionem sui voti.*

288 *Responsio ad dubium, An qui tempore præfixo non impleuit votum teneatur, alio sequenti tempore implere.*

289 *Quid agendum, quando in idem tempus incidunt duorum vtorum executiones incompatibiles.*

290 *Quid sit iudicandum de obligatione ad ieiunium incidente in diem Dominicum, aut natiuitatis Domini.*

291 *Quid sit agendum cum quis scire non potest quodnam ex pluribus vouerit.*

292 *Quid cum illud, de quo emissum est votum, recipit maius & minus.*

293 *De loco & tempore in quo votum mãdandum est executioni.*

294 *De fine & modo actionis, quod non cadant sub votum.*

EXCVSATIO ab executione voti aliquando contingit ratione dubij de voti validitate, aliquando ratione materiæ, & aliquando ratione intentionis.

De excusatione ratione dubii de validitate voti.

SECTIO I.

276. AD hanc excusationem spectant ea de quibus disserunt aliis magno numero citatis Thomas Sanchez in lib. 1. De matrimonio disput. nona, dubio 3. & Suarez De religione tract. 6. lib. 4. cap. 5. Sufficientia ad nostrum institutum complectemur aliquot documentis. Quibus præmittendum est, dubium quoddam esse negatiuum, & quoddam positiuum: negatiuum quidem, cum intellectus sic est suspensus, vt neutri parti præbeat assensum; quia pro neutra rationes habet, quæ sufficiant ad ferendum iudicium probabile: positiuum vero, quando vtrique parti adhibet assensum, quia pro vtraque, rationes habet sufficientes ad iudicium probabile ferendum. Quod si pro vna tantum parte rationes probabiles habeat (quia scilicet coniecturæ quæ in alteram occurrunt, adferunt solummodo formidinem, non item euidentiam aliquam moralem) non erit censendus dubius, sed certus moraliter de eadem parte.

Quibus ita præmissis. Primum documentum sit, *in quo Doctores consentire Suarez num. quinto notat*, Iudicantem probabiliter se nō emisisse votum, etiamsi rationes forte habeat, quæ probabiliter suadeant oppositum, non teneri ad illius executionem. Ratio est, quia cum probabilitas est in vtramque partem: licitum est homini, quam maluerit sequi: prout docuimus in præced. libro 13. num. 86.

Secundum est. Iudicantem probabiliter se votum emisisse: nec habentem in oppositum probabiles rationes, sed solum coniecturas insufficientes ad prudēs iudicium, teneri ad illius executionem. Ratio est, quia probabilitas facit certitudinem moralem, quando non est alia similis in contrarium. Nec obstabit: quod ea sit cum formidine; siue maiore siue minore: quia humanæ res non ferunt euidentiam cognitionis quæ careat formidine.

Tertium est. Eum qui dubio negatiuo dubius est, non posse contrauenire voto suo, antequam diligentiam adhibuerit ad tollendum idipsum dubium per veritatis inuestigationem. Ratio est, quia magna temeritate alioqui exponeret se euidenti periculo committendi peccatum mortale, quale est violatio voti. Quod si non suppetat potestas inquirendi, iudicandum erit iuxta sequens documentum, cum quis diligentiam adhibuit quam potuit.

Quartum igitur est: Eum qui eodem dubio negatiuo dubius est, si post moralem diligētiam adhibitam maneat dubius de voto à se emisso, nec possit probabile iudicium ferre quod emiserit illud; non teneri ad executionem illius. Hoc probatur: quia ex regula 65. iuris in 6. In pari delicto & causa, melior sit conditio possidentis. Tali dubio autem dubitans, existimare potest se libertatem suæ voluntatis possidere, quamdiu scire nequit se habere eam vinculo ad strictam. Sic Sotus in lib. 7. De iust. & iure q. 3. art. 2. ait: quando fuerit incertum an impubes rationis vsum iam haberet cum vouit, iudicandum esse non obligari ad voti obseruationem, vt nec obligatur ecclesiastico præcepto de vsurpandis pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramentis, dato in cap. Omnis vtriusque sexus De pœnit. & remissione. Rationes contrarias cum solutionibus habet Suarez in citato cap. 5.

De excusatione ab eadem executione, ratione materiæ.

Sectio II.

277. EXcusatio ab executione voti, ratione materiæ tunc contingit, cum hæc talis est, quæ si interuenisset quādo votum fiebat, impediuisset ne ipsum valide fieret, quēadmodum notat Caiet. in verbo Votum cap. 4. & est doctrina D. Thomæ in 4. distinct. 38. quæst. 1. art. 3. quæst. 2. ad 1. quam sequuntur Angelus in verbo Votum 3. in principio. Syluest. eodem verbo 2. quæst. 1. Supplementum Gabrielis in 4. distinct. 38. quæst. 1. lit. F. col. 3. Ex qua iidem bene inferunt: quod si materia voti facta sit impossibilis, aut illicita, aut impeditiua melioris boni, aut reddita indifferens, executio voti sic impediatur, vt ab ea qui vouit excusetur: quoniam, vt ante in cap. 18. habitum est, votum à principio de talibus valide fieri non potuit.

Inde autem multa deducuntur. Ac primo, quod si Rex voueat monasterium ædificare, & interea à regno expellatur, ita vt sumptus in eam rem necessarios facere sit ei impossibile, ipse à voti sui executione legitime excusetur: quemadmodum expressit Caiet. in memorato cap. 4. Similiterq; dici vniuerse potest de omni alio, cui ob superuenientem paupertatē impossibile est eleemosynam quā vouit, facere, *ex Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 3. art. 4. concluſ. 2. & D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 4. Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 39.* Obiter autem aduerte, quod interdum actus qui constituitur materia voti, possit executioni mandari secundum suam substantiam, non tamen secundum circumstantiam, quæ intentione vouentis sit ei adiecta tanquam necessaria ad obligationem voti: quia scilicet vouens non habuit animum se obligandi sine ea. In quo casu contingit etiam excusatio ab executione voti: quia circumstantia in eo apposita, rationem habet conditionis suspendentis obligationem. Addita vero tanquam pura circumstantia, nihil tale efficeret; quia tunc haberet tantum modum accessorij, quo cessante non est necessarium principale cessare: vt nec sublato accidente, tollitur substantia.

Deducitur secundo pari ratione: quod si quis vouit ieiunare singulis sextis feriis, & postea sic debilitetur viribus, vt tale ieiunium sit ei illicitum propter notabile detrimentum quod adferret ipsius sanitati (nimirum tanquam habens rationem afflictionis vrgentis in homicidium; *ex Soto in 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. in fine*) is legitime excusetur à talis voti obseruatione, quemadmodum expressit quoque ibid. Caiet. & tenet Angelus in verbo Votum 3. in principio. Qui nihilominus vult, quod si possit Superior adiri, authoritas ipsius exposci debeat: iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. *ad* 3. vbi non obscure significat, quod si quis magnum & manifestum grauamen sentiat ex eiusmodi voti obseruatione, debeat si possit recurrere ad Superiorem. Quod aduerte intelligendum quoad casum, in quo adhuc est dubium nec apertum an per superuenientem infirmitatem ieiunium ipsum reddatur illicitū. Tunc enim, cum homo in iis quæ ad ipsum pertinent, facile fallatur, consentaneum est ad authoritatem Superioris recurrere. Quoad casum vero in quo materiæ vitium fuerit manifestum, nihil tale necessarium est, ex eiusdem D. Thomæ *in seq. art.* 10. & cæterorum post ipsum communi sententia, quemadmodum habet Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 76. 278.

Iam quod prætextu difficultatis quæ in ieiunio sentitur, ei qui illud vouit, non liceat tale votum infringere propria authoritate, existimandum est; iuxta illud quod notatur in supplemento Gabrielis columna tertia ante memorata: nimirum impossibilitatem, non autem difficultatem præstationis, tollere obligationem præstandi quod voto promissum est; prout confirmari potest argumēto cap. Quod super his. De Voto. Nam ratio eius quod ibi definitur de obligatione redimendi votum, quod propter impedimentum aliquod perpetuum nequit vtiliter impleri: non alia esse videtur, quam quod licet impossibilitas implendi tollat absolute voti obligationem, difficultas tamen non tollat. Atque hinc est *ex Soto in 7. De iust. & iure quæst. 2. art. 1. in materia tertii argumenti*: quod etiamsi emisso voto aliquid difficultatis experiaris, quam si prænouisses non vouisses, non ideo tamen liber iis à voti tui obligatione: sed illud executioni mandare debeas.

Deducitur tertio, quod habet Caiet. in memorato cap. 4. quod si quis post votum Ieroſolymitanum vult ingredi religionem, possit ea ratione voti executionem omittere: quia illud alioqui esset impeditiuum melioris boni. Idem quoque habet Armilla in verbo Votum num. 10. & satis confirmatur ex cap. Scripturæ De voto. 279.

Deducitur denique, *quod adhuc ibid. Caiet. habet, & 2. 2. quæst. 88. art. 2. versu Circa indifferentia*: quod si quis vouisset non transire per aliquem vicum, quoniam est ibi mulier à qua attraheretur ad illicita: eadem muliere mortua, posse illac transire: quia talis voti materia, ex moraliter bona, effecta est indifferens: & ideo votum ipsum non ligat amplius. Id quod notant Sotus lib. 7. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. dub. 2. post 5. conclusionem, & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 28.

Dubitari autem potest circa impedimentum impossibilitatis superuenientis. An ipsum absolute, & ad omne tempus excuset. De qua re statuit Paludanus in 4. distinct. 38. quæst. 3. art. 4. concluſ. 2. & cum eo supplementum Gabrielis in memorata litera F. col. 2. quod quando non est spes, vt per naturam possibilitas redeat, vouens liberetur ex toto: quando autem est spes, is excusetur ad tempus, sed non liberetur à toto. Vnde illi inferunt, eum qui ob paupertatem impeditur ab executione voti sui, si ad pinguiorem fortunam perueniat, teneri pro sua possibilitate, siue quoad partem, siue quoad totum executioni mandare, illud quod vouit. Idipsum significat Caiet. in eodem cap. 4. Inquiens, quod si impossibilitas superueniat toti materiæ promissæ, vouens non teneatur ad votum durante impossibilitate. Eademque est D. Anton. sententia 2. parte tit. 11. cap. 2. §. 4. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 39. dicentis eum qui redit ad pinguiorem fortunam, vel sa- 280.

nitati

nitati restituitur, totum quod vouit, vel partem eius quam potest, teneri implere.

281. Quod vero tunc temporis non sit obligatio ad votum illud, cuius executio reddita est impossibilis, commutandum in aliquid aliud possibile, notat Sylu. in verbo Votum 2. quæst. 6. Et confirmat per illud, quod supra relatum est ex D. Thoma: nempe impedimentum, quod ab initio reddidisset votū inualidum, postea superueniens, tollere obligationem illud implendi. Vnde patet nihil esse opus commutatione ad satisfaciendum ei. Capitulum autem Quod super his, De voto: vbi ob impedimentum superueniens fit voti commutatio: Sylvester ipse intelligendum esse ait, non de impedimento impossibilitatis, sed difficultatis: quam antea notauimus non tollere voti obligationem.

Adhæc sicut superueniente possibilitate implendi partem voti, vouens tenetur, *prout dictum est*, illam exequi, ita etiam superueniente impossibilitate implendi, non quidem totam voti materiam, sed tantum illius partem, excusatio solum est ab executione eius partis, quam impossibilitas impedit. Id quod locis citatis obseruant D. Anton. Sylvest. Caiet. & Nauarr. Et probatur: quia, *ex recepto axiomate*, quæ ratio est totius ad totum, eadem est partis ad partem. Exemplum datur in hac re de fœmina quæ habens votum simplex castitatis, contrahit matrimonium: quo iam consummato nequit quidem integre castitatem seruare, cum debitum coniugale reddere teneatur: potest tamen seruare aliqua ex parte: nempe non petendo debitum; quod ei liberum est, non obstante matrimonio. De qua re alias cum de matrimonio.

282. De difficultate autem illa quæ hic moueri potest, An fœmina quæ virginitatem vouit postquam semel corrupta est obligetur deinceps ex vi voti, à Venere abstinere: quid tenendum sit, explicatur distinctione. Si enim vouendo intendit solum à prima Venere abstinere (quia solummodo volebat carnis integritatē custodire) dubium non est, quin postquam semel est corrupta, votum ipsius cesset absolute; ideoque ipsa si velit, possit & contrahere matrimonium: & reddere atque petere debitum si contrahat, prout docent Caiet. 2.2 quæst. 88. art. 3. col. penultima in principio, & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 43. Si vero intendit absolute virginitatem vouere, cum tale votum sit simpliciter negatiuum, puta de non cognoscendo virum, etiamsi violata sit: atque adeo virginitate amissa, votum fregerit, eaque de causa sit illi agenda pœnitentia: adhuc tamen tenetur ad votum ipsum deinceps seruandum, prout ei possibile est: videlicet abstinendo ab omni vsu rei Venereæ. Ita docent Caiet. Nauar. & Sotus in iisdem locis: estque sententia D. Thomæ in citato artic. 3. ad 2. & supplementi Gabrielis in eadem columna 2.

283. Adhuc superest dubium circa impedimentum impossibilitatis An is qui nequit votum suum per se implere, teneatur implere per alium. Ad quod respondent Sylvest. in verbo Votum 2. quæst. 10. Rosella in eodem verbo 1. §. 13. Supplementum Gabrielis in prædicta quæst. 1. lit. L. col. 2. itemq; D. Anton. & Angelus quos refert & sequitur Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 55. respondent non teneri regulariter. Et rationem reddunt: quia omne votum intelligitur fieri sub conditione, saltem tacita, si mihi possibile fuerit. Additum vero est *regulariter* propter duos casus ab iisdem authoribus memoratos, in quibus ea resolutio nō procedit. Prior est, quando votum tacite saltem, ad tale quid extenditur: vt ipsum meliori modo quo potest impleatur, si impedimentum superueniat impossibilitatis, taliter ipsum implendi, qualiter emissum est. Exemplum illi adferūt ex Innocen. ad cap. Scripturæ, De voto, quod est: Si quis voueat profectionem ad Terram sanctam pro subsidio impendendo aduersus religionis hostes, & superueniat impedimentum perpetuum talis profectionis: is inde non sit omnino liber, sed teneatur per alium, ac meliori quo potest modo idipsum subsidium impendere.

Posterior casus est, cum quis vouet aliquid quod certus est se nullatenus per seipsum posse executioni mandare: tunc enim tenetur per alium implere, ne votum sit derisorium. Ita post Panorm. ad cap. licet, De voto, habent Sylvest. Rosella, & Nauar. locis citatis. Refutantes eos, qui addunt casum quo quis fuerit in mora implendi votum: si quidem neglexerit illud implere quando poterat, vel sua culpa effectus sit impotens ad illud implēdum. Namque ad nihil aliud quam ad agendam de sua culpa pœnitentiam inde tenetur: cum impossibilitas superueniens ex se vim habeat excusandi ab executione voti: quandoquidem ex regula sexta iuris in 6. nemo potest ad impossibile obligari. Si tamen votum fuerit reale, hæres illius qui vouit, tenetur supplere omissam voti adimpletionem: sicut & soluere cætera debita ipsius, vt in præced. cap. 2. diuisione penult. iam habitum ex Palud. & aliis.

De excusatione ab ipsa voti executione, ratione intentionis vouentis.

Sectio III.

284. NOtat Caiet. in verbo Votum cap. 4. ex intentione vouentis, quando ea fuerit certa, vota recipere posse quæcumque impedimenta, excusatione sve ab executione. Ratio est: quia votum non extenditur vltra limites quos voluntas vouentis præscripserit: vnde fit vt ad illud præcise obliget, ad quod vouens intendit se obligare. Id quod satis indicant verba illa Deut. 23. Facies sicut promisisti Domino Deo tuo: & propria voluntate & ore tuo loquutus es] Ratio vero est, quod votum sit quædam lex priuata quam sibi ipsi sua sponte vouens imponit: & ideo talem ac tantam obligationem inducit, qualem ac quantam sibi imponere, ipse intendit. Commune est enim omni lege eatenus obligare, quatenus legislator intendit. Quod si votum absolute emissum sit sine vlla intenta limitatione, oportet (vt ibid. addit Caiet.) casus occurrentes interpretari secundum sacros Canones, & veritatis doctrinam: atque adeo secundum exigentiam materiæ voti, considerata ipsius intrinseca natura, vel institutione Ecclesiastica, atque circumstantiis eamdem materiam comitantibus aut consequentibus. Sic enim comparatum est, vt intentio vouentis, quæ principaliter fertur in voti materiam, accessorie feratur in eiusdem materiæ circumstantias, prout illam hæ sequuntur aut comitantur: siue ex natura rei, siue ex Ecclesiastica institutione, *vt contingit in Ecclesiastico ieiunio*, adeo vt eo ipso quod vouens eas non excludit, nec mutat speciali intentione, censeatur implicite ipsas vouere.

285. Porro ex duobus hisce documentis, tanquam fundamentis positis. Infertur primo eum, qui vouet sub aliqua conditione, non nisi eam secuto teneri ad executionem voti, quod sic intentione ipsius limitatum est. Hoc habent Palud. in 4. dist. 38. quæst. 3. artic. 2, conci. 1. Richar. eadem distinct. art. 5. q. 3. D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 4. & satis indicat D. Thom. 2.2. quæst. 88. artic. 3. ad 3. Patet autem aperte ex priore fundamento ante posito. Sed tamen (*vt bene Richardus ibidem notat*) si vouens malitiose impediat euentum conditionis, non erit immunis à peccato violationis voti, quam se velle satis ostendit eo facto. Adde ex Sylvestro in verbo Votum 2. quæst. 2. quod vouens, etiam non extante conditione, teneatur votum suum implere ratione scandali: si nimirum votum fuit publicum, & conditio fuit secreta, vel in corde retenta. Adde item ex eodem ibidem post D. Anton. loco citato: quod si votum factum fuerit sub pluribus conditionibus, nec vouens voluerit se obligare nisi omnibus illis extantibus: ipsum nō ante teneri ad voti sui impletionem, quam omnes extent. Ratio patet ex eo quod ante habitum est, votum posse recipere quæcumque impedimenta ex vouentis intentione, quando ea fuerit certa. Sed si vouens sub plurib⁹ conditionibus, nihil de dicta limitatione cogitauerit, aut an cogitauerit necne, discernere nequeat, tunc tutius esse votum adimplere. Imo (inquit Sylvest.) id videtur necessarium. Pro quo facit, quod ex cap. Verum de conditionibus appositis, donatum interposita cōditione, nō possit postea à donatario reuocari. Vouens autem aliquid sub conditione, donat illud Deo sub conditione,

qua

qua posita tenetur illud tradere. Nec enim obstat alias conditiones præter eam additas esse: quia inde non licet potius inferre, copulatiue esse voto appositas ad effectum continuandi suspensionem obligationis, donec omnes sint adimpletæ: quam disiunctiue ad effectum terminandi in vnaquaque earum, suspensionem ipsam obligationis.

Cæterum quando ex verbis vouentis constiterit, conditiones esse ab ipso appositas copulatiue (vt cum vouit certam eleemosynam si à Principe officium obtineat, & filius recuperet sanitatem) iudicari potest in dubio, tacitam intentionem ipsius fuisse non aliter obligare se voto suo, quam extantibus omnibus appositis conditionibus: præsertim si postea aduertat quod tunc noluisset alia ratione vouere. Ad hoc facit, quod vbi non constiterit de contraria intentione vouentis, is semper intelligi debeat intentionem habuisse faciendi illud quod declarauit verbis, ea accipiendo secundum propriam suam significationem: sique in hac ambigua sint, ea interpretando iuxta vsum communem personæ vouentis, aut suæ regionis: aut iuxta circumstantias alias, ex quarum obseruatione ferri solet potestque iudicium de intentione vouentis. Qua de re pluribus Suarez De relig. tract. 6. lib. 4. cap. 7. dicto 3.

286. Infertur secundo, ex iisdem positis fundamentis, Eum qui voto adimplendo, definitum tempus sibi præscripsit, teneri si possit in eodem præcise, illud executioni mandare. Itemque eum qui vouendo voluit se ad statim exequendum obligare, teneri statim illud exequi, prout congruenter doctrinæ D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 3. *ad* 3. tradunt Sylu. in verbo Votum 2. *quæst.* 3. Sotus lib. 7. De iust. & iure *q.* 2. *art.* 1. *circa* 4. *argumentum*, ac Nauar. in Enchir. *cap.* 12. *num.* 41. & 54. Et patet: quia tunc quoad id, certa est intentio vouentis. Quod si is qui vouit, vel nullatenus definiuit tempus voto implendo, vel nequit deprehendere ad quod tempus voluerit se obligare: tunc tempus executionis, seu in quo incipit obligatio exequendi voti, & vltra quod executionem ipsam differre peccatum est; æstimari debet iuxta conscientiam eiusdem vouentis: nimirum vt si conscientia ipsius dicter, quod per annum aut duos annos expectare non sit contra vinculum sui voti, is nō censeatur peccare existendo in mora, tardandove reddere Deo tale votum, ex Caiet. *in verbo Votum cap.* 4. *& ad prædictum D. Thomæ art.* 3. *in fine*, & ex Nauar. *in citato num.* 41. Et certe tale votum sic esse pie interpretandum, ratio dictat: cum par sit credere, eam fuisse vouentis tacitam saltem intentionem: præsertim si probabiliter iudicet, quod noluisset tunc ad illud citius implendum obligare se sub mortali. Etenim pro regula generali habendum est ex Sylu. in verbo votum 2. q. 17. in fine: quod homo per Votum non obligetur vltra illud quod actu cogitauit, aut quod si cogitasset, voluisset obligari: quia sicut iuramentum non extenditur ad nō cogitata verosimiliter, ex cap. Quemadmodum De iureiurando: ita nec votum, cuius par est, ac illius ratio.

287. Sed quæri potest, An si vouens nequeat ex conscientiæ suæ iudicio deprehendere rationabiliter, vtrum sit in mora necne, teneatur statim votum adimplere. Ad quod respondendum videtur: quod si nequeat id ex circumstantiis per se intelligere, teneatur exposcere boni viri iudicium, illudque sequi, hoc est, statim votum adimplere, si ita ille definiat: sin contrarium statuat, dilatio executionis probabiliter censebitur licere. In definiendo autem vir ille bonus singulares conditiones personæ & materiæ pensare debet: & aduertere si votum sit intrandi religionem, ipsum de sua natura, non esse ad finem vsque vitæ differendum: cum is qui illud emittit, intendat Deo in hac vita seruire; quod non præstaret si iamiam moriturus ingrediatur. Idemque iudicium est de cæteris, quibus aliquid vouetur quod in morte non potest satis impleri, ex Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 3. artic. 2. & Sylvest. in verbo Votum 2. quæst. 5.

288. Infertur tertio ex prædictis fundamentis: quid respondendum sit ad dubium, An qui voto præscripsit certum tempus, intra quod non impleuit illud, teneatur adhuc ad eiusdem obseruationem: v.g. vouit quis hoc anno ieiunare certos dies, nec id impleuit; an liber sit, vel adhuc teneatur ad ieiunium. Respondendum est enim, quod si vouens illud præcise tempus sibi ad ieiunandum præscripserit ex deuotione, quā ad illud in Dei, vel alicuius Sancti reuerentiam habuit: transacto eo non teneatur alio tempore ieiunium omissum implere. Id quod annotant Caiet. in verbo votum in fine, Sotus lib. 7. de iust. & iure *quæst.* 2. *art.* 1. *circa* 4. *argumentum*. & Nauarr. in Enchir. *cap.* 12 *num.* 54. perinde scilicet ac ille qui in aliquo die Quatuor temporum aut Quadragesimæ, aut vigiliæ alicuius festi indictum ab Ecclesia ieiunium non seruat, alio die ieiunare non tenetur. At vero si vouens, tempus quidem implendi Votum præscripsit sibi: non tamen addidit, *sicut in præced. casu*, respiciendo principaliter: sed illud tanquā circumstantiam externam adiungendo materiæ voti; tūc eo transacto perseuerat obligatio implendi: vt cum quis vouet ieiunare tribus diebus alicuius mensis, si votum intra eundem mensem non impleat, eo transacto durat adhuc obligatio implendi. Cui obligationi cum primum potuerit, tenetur satisfacere (*quod etiam locis citatis habent Caiet. Sotus & Nauarr.*) perinde nempe, ac quando Confessor ieiunia certorum dierum in pœnitentiam iniungit, tenetur Pœnitens, si ea tunc omiserit, eadem postea implere. Cæterum totum istud ex ante traditis fundamentis consequens est: quia in priore casu vouens intendit sibi aliquid imponere (v.g. ieiunium) tanquam onus certæ ac determinatæ diei; non autem in posteriore casu, vt patet per ea quæ ex Nauarr. in præced. num. 235. retulimus.

Infertur quarto ex iisdem propositis fundamētis, quod 289.
si quis vouit in vigilia sancti Laurentij v.g. non comedere panem: & adhuc postea vouerit nihil comedere præter panem diebus Veneris: si in talem diem vigilia illa incidat, neque vouens sit certus de sua intentione, is teneatur vtrumque votum obseruare, si potest sine periculo grauis infirmitatis: sin minus teneatur illud obseruare quod prius emisit, nisi posterius fuerit præstātius. Veritatis enim doctrina (iuxta quam ex Caiet. prædiximus interpretandum esse votum factum sine limitatione intentionis) tale quid exposcit: nempe, vt seruetur votum cum potest: atque vt posterius cum incompossibile fuerit priori, non teneat nisi sit de meliori bono. Quam resolutionem habent D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 10. & Sylvest. in verbo Votum 2. quæst. 17.

Qui etiam in præced. 16. & ante ipsum D. Anton. in eo- 290.
dem §. 10. de voto ieiunandi in festo alicuius Sancti cum euenerit in Dominica, censet distinguendum: vt si vouentis intentio fuit, se per ieiunium affligere, teneatur tunc iuxta communem Ecclesiæ consuetudinem die Sabbathi præuenire: si vero intentio fuit se ad deuotionem maiorem per ieiunium disponere, teneatur eodem die ipsum seruare: quoniam ea etiam ex parte est bonum opus conducens ad Dei gloriam. Quod si neutram intentionem habuerit, quia neuter eorum finium ei venit in mentem, debet vt in primo casu se consuetudini Ecclesiæ conformare: sin vtrumque intendit, debet idem seruare quod in secundo casu, propter eandem rationem.

Quo pacto sit interpretandum votum eius qui sine exceptione vouit se numquam esurum carnes in 6. feria, si in eam incidat festum Natalis Domini, habetur aperte ex cap. fin. De obseruat. ieiuniorum: quod talis debeat tunc à carnibus abstinere, prout notat Palud. in 4. dist. 38. q. 3. art. 4. concluſ. 4. Addens in sequenti quinta, eum qui vouit certa die vinum non bibere, si celebret debere ablutionem nō aquam sed vinum sumere, quia id præceptum est Ecclesiæ, & non tantum permissio, sicut comedere carnes in die Natalis Domini.

Nonnulla alia notanda in ferendo iudicio de excusatione à voti obseruatione.

Sectio IV.

PRimum est, *de quo Suarez in tract. 6. de relig. lib. 4. cap. 8.* 291.
à num. 5. cum neque ex verbis neq; ex vouentis intentione determinari potest quidnam sit, de quo votum emiserit, liberum esse illi ex iis de quibus dubitat probabili-

ter,

ter, eligere quod maluerit. Nec enim tunc tenebitur amplecti id quod fuerit rigorosius, quia non magis ad illud, quam ad aliud de quo perinde dubitat, obligatur. Hinc idem Suarez num. 6. statuit eum qui vouit, & æque est in vtramque partem incertus, voueritne castitatem absolute, an cum determinatione si in aliqua religione admitteretur, aut voueritne castitatem, non intendendo priuare se vsu matrimonij, sed solum obligare se ad abstinendum ab omni Venerea voluptate illicita: aut voueritne religionis ingressum ad eam probandam, an ad profitendum & perseuerandum perpetuo in ea. Statuit inquam in talibus, aliisque similibus vouenti liberum esse eligere partem minus onerosam, quando vtraque fuerit æque incerta. Qua tamen in re procedendum est maturo iudicio, ita nimirum vt diligentia adhibeatur, ad rei veritatem explorandam: atq; verba quibus emissum est votum, ponderentur. Nam si ea ostendant votum esse factum de eo quod rigorosum est, quidquid dubitetur de intentione, qua prolata sunt, standum est illis ob vehementem præsumptionem quam adferunt: nisi coniecturæ habeantur, quæ sufficiant ad iudicandum probabiliter, quod intentio vouentis non fuerit adæquata ipsius verbis.

292. Secundum est, *de quo Suarez in eodem cap. 8. num. 9. & 10.* Quando in voto determinata rei qualitas aut quantitas nequit probabiliter sciri adhibita morali diligentia, neque adhibito prudentis arbitrio: neque ex verbis quibus emissum est votum, neque ex circumstantiis materiæ de qua est emissum, neque ex intentione vouentis: determinationem eiusmodi relinqui huius arbitrio, tanquam positam in ipsius potestate, perinde ac fuit quando vouit. Atque hinc est quod ille qui sine limitatione suæ intentionis vouit aliquid, quod potest tum maius, tum minus esse, satisfaciat præstando illud quod est minus. Et ita ille qui vouit in eleemosynam dare nummum aureum, cum non omnis talis nummus sit eiusdem valoris, sed alius plus valeat, alius minus; neque ipse hunc neque illum intenderit determinate (adeo vt voti obligatio non cadat potius in vnum quam in alterum) potest quem velit dare, prout expressit Armilla in verbo Votum numero 21. bene excipiens, nisi in mente habuerit dare illud quod maius est: aut nisi minus tale sit, quod talem personam vouere Deo, ridiculum videri possit prudenti, nec bona sed mala fide in eo agi.

Pari modo ille qui vouit dare quotannis pauperibus vnam mensuram tritici, quæ in vsu, est diuersæ quantitatis, nec constare potest quam determinauerit vouendo, potest eam quam velit dare, prout cum Hostien. tenet Angelus in verbo Votum 3. §. 22. & approbat Sylvest. in eodem verbo 2. quæst. 15. quamuis iudicent melius esse, vt det eam quam tunc cogitabat, aut quam determinasset si cogitasset. Ad quod confirmandum illi inducunt textum capituli Ex parte De censibus: vbi cum non constaret, secundum quam mensuram debitū quoddam ex voto, præcise esset in obligatione: responderur illud posse secundum minorem mensuram exolui, cessante consuetudinis interpretatione. Qua de re Couar. ad cap. Iudicante De testamentis num. 4 & 5.

293. Tertium est, Quando in vouendo nihil determinatum est de loco, in quo executioni mandaretur promissum, relinqui in arbitrio vouentis determinationem illius, sicut & præcedentium, ob eamdem que rationem. Et ita ei qui vouit ingredi aliquam religionem, liberum est ex monasteriis eligere quod velit dummodo in eo religiose viuatur, professioque seruetur. Nam Doctorum consensus est, *vt tangit Suarez in eod. cap. 8. num. 11.* non satisfieri tali voto, si eligatur monasterium in quo nec religiose viuitur, nec professio seruatur. Et ratio est: quia sic non satisfit tali voto, quoad ipsius substantiam: siquidem vouere ingressum religionis, idem est ac obligare se Deo ad assumendum statum in quo religiose viuitur. Videri potest Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 45. & 46. Pari ratione is qui vouit aliquas preces fundere, tenetur eligere locū in quo possit id facere cum attentione. Hæc enim est conditio, quæ intime includitur in actu precandi Deum: adeo vt preces illas fundens sine attentione, non satisfaciat voto, vt nec satisfaceret Missam audiens sine attentione, si vouisset audire.

Quartum est Votum negatiuum, sequi in eo naturam præcepti negatiui, quod obliget ad semper & pro semper, eo tempore pro quo emissum est; nisi; addita sit aliqua limitatio intentione vouentis. Sic igitur ille qui vouit nunquam bibere vinum, quoties bibit peccat tanquam voti transgressor: qui vero vouit certo tantum tempore non bibere, toties peccat quoties intra idem tempus biberit, nisi detur iusta excusatio. Votum autem affirmatiuum, sic obligare vt perinde peccetur diu differendo illius executionem, ac eam omittendo, prout iam docuimus in præced. num. 232. additis in num. 233. tribus casibus, in quibus talis dilatio excusatur à peccato. Vide etiam dicta in hoc ipso cap. num. 286.

Quintum est, finem voti non cadere sub votum, vt nec 294.
finis præcepti cadit sub præceptum (nisi forte expresse vouerit intentio fuerit obligare se ad votum ex certo bono fine seruandum) neque enim is qui eleemosynam dare vouit eo fine, vt satisfaceret pro suis peccatis: vel vouit ieiunium eo fine vt castigaret corpus, censebitur violasse votum, si ipsum executioni mandet quidem, non tamen illo ipso fine quo vouit. Ratio est, quia non eo ipso, quod quis aliquo fine motus est ad aliquid vouendum, censendus est vouisse, idipsum promissum sutum exequi ex eodem fine. Quare ad id non obligatur. Ad cuius consequentiæ confirmationem facit: quod interdum detur votum obligatorium, quod non potest impleri eo fine, quo factum est, cum is forte sit malus, ideoque ex eo agi non debeat.

Postremum est: modum actionis non cadere sub votum de ea factum: vt nec sub præceptum de ea datum, nisi is pertineat ad eiusdem substantiam, sicut attentio pertinet ad substantiam orationis: vel nisi vouens directe intendat illum includere in voti obligatione. Ratio est quā habet Suarez *in eodem cap. 8. num. 15.* quia votum obligat tantum ad id quod formaliter aut virtute per ipsum promittitur. Modus autem actionis non promittitur per votum, nisi is vel in actione ipsa includatur, vel vouentis intentione, directe adiungatur materiæ tanquam pars. Quare extra hosce duos casus, modus actionis quæ vouetur, non cadit sub votum ipsum: ita vt arbitrio vouentis relinquatur secundum eum agere vel nō agere, ad voti impletionem. Et ita qui vouit dare eleemosynam, etiamsi nec ex charitate, nec ex habitu liberalitatis eam det, sed ex vana gloria non censebitur voti reus: nec etiam qui vouit ieiunium licet alias intemperate comedat, voto satisfacit, si sumat tantum vnam in die refectionem circa meridiem, nec vtatur cibis vetitis (quas conditiones ieiunium in sua substantia includit ex Ecclesiæ consuetudine) quia seruat totum quod spectat ad voti substantiam.

CAPVT XXI.

De irritatione voti.

SVMMARIVM.

295 *Quid sit irritatio voti, & quorum sit potestas irritandi.*

296 *Superiores quorum est talis potestas non possunt irritare vota ab inferioribus facta de iis, quorum ipsi habent liberam dispositionem.*

297 *Vota quæ irritari possunt, tenent donec irritentur.*

298 *De eo quod vota inferiorum intelligenda sint cum conditione, si Superior voluerit, nec reuitatur.*

299 *Diuersa via illarum conditionum: si Superior voluerit: & si Superior non reuitatur.*

300 *Quatenus valeant vota à Religioso facta de sibi prohibitis.*

301 *De aliis inferioribus idem esse dicendum ac de Religioso: & quidde Episcopo.*

302 *Irritatio voti facta sine causa ab habente legitimam potestatem, tollit illius obligationem.*

303 *Ea censeri potest peccatum veniale in irritante, non tamen in illo qui ea vtitur.*

304 *Etsi peccet Superior sine iusta causa irritando votum subditi, in quod antea consensit, valida tamen est irritatio.*

305 Et

305 *Et ideo subditus non tenetur ad voti sui irritati obseruationem: ne si quidem Superior pœnitentia ductus, concedat ipsi facultatem illud obseruandi.*

306 *Votum de licentia Superioris emissum à subdito, potest interueniente iusta causa licite reuocari per eumdem Superiorem.*

307 *Sententia dicentium vota irritata nunquam reuiuiscere, non habet locum in votis vxorum & seruorum.*

308 *In votis impuberum potest habere locum.*

309 *Itemque in votis realibus minorum 25. annis.*

310 *Explicatio dubii, an Superiores possint irritare vota subditorum emissa ab eis, antequam essent sub ipsorum potestate.*

311 *Quæ vota vxoris possit maritus irritare.*

312 *Votum vxoris de non exigendo debitum, maritus irritare non potest; perinde ac potest de non reddendo: & quatenus possit irritare illud prius.*

313 *Votum continentiæ ab vxore factum quatenus maritus irritare possit.*

314 *Quatenus vxor possit irritare vota mariti.*

315 *Pater irritare potest omnia vota filii emissa ante pubertatis annos.*

316 *Quomodo in hac re accipiendi sint pubertatis anni.*

317 *Quæ vota filii emissa post pubertatis annos pater irritare possit.*

318 *Votum ante pubertatem à filio emissum quatenus possit post eam irritari à patre.*

319 *Quis præter patrem, possit votum impuberis irritare.*

320 *Quæ vota serui possit dominus irritare.*

321 *Quantum Superior circa vota sui Religiosi possit, quoad irritationem.*

322 *Valet talis irritatio, etiamsi Religiosus per susceptionem episcopatus, postea liberetur ab obedientia, aut etiamsi illud fecisset exequendum, cum liberatus fuerit ab obedientia.*

323 *Votum quod Religiosus emisit ante religionis ingressum, Superior ipsius irritare potest, nisi is adhuc sit nouitius.*

324 *Qui comprehendantur nomine Prælatorum habentium potestatem irritandi vota subditorum: & quod ea possit extendi ad Prælatas monialium.*

293. IRRITARE votum nihil est aliud, quam per subtractionē materiæ aut libertatis eius qui vouet, illud reddere cassum, seu obligandi vim ei adimere. Vnde irritare alterius votum, non pertinet ad potestatem Ecclesiasticam (& multo minus ad ciuilem, pro quo faciunt quæ Suarez tradit De religione tract. 6. lib. 6. cap. 2.) sed potius ad potestatem dominatiuam, prout expressit Armilla in verbo Votum §. 12. satisq; significant Caiet. in verbo Votum cap. vltimo Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 64. Sotus lib. 7. de iust. & iure quæst. 4. art. 1. deducturque tum ex cap. 30. Numerorum, tum ex cap. Manifestum, & cap. Noluit 13. quæst. 5. Cuiusmodi potestas varia est quidem: sed duplex in genere, vna in vouentem, qua huius voluntas ita subordinata est voluntati alterius, vt votum quod emittit, includat in se conditionem, si ipse alter consenserit, aut si non repugnarit. Huius generis sunt potestates patris in filium, tutoris in pupillum, Prælati in religiosum suum: altera vero in materiam voti, qua vouens sic alteri subiicitur, quoad illud de quo facit votum, vt in eo voluntas ipsius pendeat ab illius voluntate. Cuius generis sunt potestates mariti in vxorem, & curatoris in minorem 25. annis, quoad bona quorum habent administrationem: itemque eius, cui res quæ vouetur est communis cum eo qui illam vouet, aut quæ debetur ei ex iustitia. Nam tam hi, quam illi alij reuocare possunt tale votum, tanquam factum in suum præiudicium.

Notanda circa irritationem voti spectatam vniuerse.

SECTIO I.

296. PRimum est, *ex Caiet. in verbo Votum sub finem tertii capitis*: vota quidem subditorum facta de iis in quibus sunt subditi, pendere à voluntate Superiorum: nō tamen facta de iis in quibus non sunt subditi: sed ea esse absolute valida, tanquam facta de eo quod erat in eorum potestate: vt si vxor vouеat non petere debitum coniugale: votum est validum etiamsi nollet maritus; cui non est subdita in eō, sed ipsi par.

Secundum est, quosdam posse irritare votum qui nequeunt in illō dispensare, vel illud commutare: & quosdam nō posse irritare, etiamsi possint dispensare & commutare: quosdam demum, *qui tam dominatiuam quam Ecclesiasticam potestatem in aliquos habeant*, posse vota ipsorum tam irritare quam dispensare & commutare.

Tertium est, vota quæ irritari possunt, interim dum 297.
non irritantur, valida esse; vt notant cum Palud. *in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 2. concl. 1.* Supplementum Gabrielis ead. distinct. *quæst. 1. lit. V. in principio*, & D. Anton. 2. *part. tit. 11. cap. 2. §. 6. circa finem*: addentes postquam votum irritatum fuerit, vouentem nec teneri illud seruare, nec debere contra voluntatem irritantis.

Sed aduersus illud de voti validitate ante irritationem, merito obiiciat aliquis: Omne votum illicitum, esse inualidum. Sed votum quo quis id vouet in quo subiicitur alteri, est illicitum. Ergo & inualidum. Maior patet: minor probatur: quia per illud offert Deo rem alienā, quod non licet, vt nec alias de ea disponere inuito domino, in quo furti ratio cernitur. Et ita D. Thomas 2. 2. *quæst. 88. art. 8. in corpore*, expresse ait non posse quem per votum se firmiter obligare, in iis quibus alteri subiicitur, sine illius consensu. Quod dictum refert & commendat Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 64. Cui obiectioni occurrendum est, subditorum vota habere subintellectam conditionem; si suis Superioribus placuerit: vel si illi non renitantur, quemad. Diuus ipse Thomas habet in eodem art. 8. ad 4.

Cum qua conditione posse absque peccato vota ipsa 298.
emitti, est satis perspicuum. Id quod post D. Thomam annotant Syluest. in verbo Votum 3. in principio (recte addens sic vouentem peccare, quando non præsumit de Superioris sui consensu: quia vouet quod non potest) & D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 6. in principio. Itaque valida sunt talia vota, quamuis non obligent absolute: sed tunc demum cum extat conditio subintellecta: puta si Superiori placuerit, aut si Superiori non displicuerit, ex Caiet. in dicto cap. 3. versu Subiectio demum, & Armilla in verbo Votum §. 7. Quorum ille admonet ista, *si placuerit, aut si non displicuerit*, disiunctiue poni: quia quando votum fit de iis quæ prohibita sunt vouenti; debet, *vt ipsum validum sit*, subintelligi conditio, Si Superiori placuerit quando vero fit de non prohibitis, debet subintelligi conditio, Si Superiori non displicuerit.

Hinc est, quod si Religiosus faciat votum de iis quæ sibi prohibentur: sine generali edicto regulæ, vt peregrinatio, per edictum, de non exeundo extra septa monasterij: siue particulari Superioris prohibitione: vt si quis vouеat facere peregrinationem, quam Superior interdicit: subintelligenda sit conditio, Si Superiori placuerit. Sin autem faciat votum de non prohibitis, vt de fundendis aliquibus precibus, subintelligenda sit illa alia conditio, Si Superiori non displicuerit: seu, Si Superior non renitatur: vt ante habitum est ex D. Thom. 2. 2. quæst. 88. artic. octauo. Ad quem locum Caiet. columna 1. eamdem doctrinam adhuc habet, & post ipsum Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 67. ac Sotus de iust. & iure lib. 7. quæst. 3. artic. 1.

Aduerte autem primo: referre plurimum, vtra condi- 299.
tio dictarum duarum sit subintellecta. Nam subintellecta conditione, Si Superiori placuerit: quamdiu deest, expectaturque Superioris assensus, Religiosus non peccat omittendo facere id quod vouit: ex Caiet. ibidem. Quod & aperta ratio conuincit: quia votum conditionatum nō obligat ante positam conditionem. Subintellecta vero conditione, Si Superior non renitatur; quamdiu Superior non renititur inferiori, is ad voti sui obseruationem obligatur: posita nimirum conditione sub qua emissum est. Hoc etiam habet Caiet. ibid. vt & Sylvest. in verbo Votum tertio quæst. 3. Nauarr. in eod. cap. 12. num. 69. & Sotus in cit. art. 1. Vbi post Sylvestrum, refutat quod in contrarium Richar. in 4. distinct. 38. art. 4. quæst. 1. absolute existimat vota Religiosorum absque licentia Prælati

facta,

facta, non obligare, esseque nulla ipso iure: adductus præcipue authoritate Canonis Monacho 20. quæstio. 4. cuius verba sunt: Monacho non licet votum vouere sine consensu Abbatis sui; si autem vouerit, frangendum erit. Quem canonem illi retorquent in ipsum. Nam cum dicitur, frangendum est, satis indicatur tale votum non esse ipso iure fractum ac nullum: etiamsi illud emittendo, peccatum forte commissum sit, non subintellecta conditione debita.

300. Aduerte secundo, Religiosum qui de prohibitis, *atque adeo sub conditione, Si Superiori placuerit*, votum fecit: teneri bona fide exquirere mature sui Superioris voluntatem: quo consentiente in votum, tenetur illud adimplere, ex Caietan. & Soto, Armilla locis citatis. Non consentiente vero, votum ipsum exinde irritum esse: si quidem is qui voluit pandat Prælato votum suum: si enim solum petat ab illo licentiam faciendi opus quod vouit, putans bona fide id sibi satis esse, nec addat se de eo votum fecisse: quamuis Prælato tunc licentiam negante ipse excusetur ab executione voti, *vt notant Caietan. in verbo Votum cap. 3. versu Subiectio demum & 2. 2. quæst. 88. artic. 8. colum. 2. ac Nauar. in Enchir. capit. 12. numero 69.* id tamen non sufficit, vt votum dicatur esse deinceps irritum, secundum eosdem, & Sotum *libro 7. De iust. & iure quæstio. 3. artic. 1. versu At vero, ac Armillam in verbo Votum* §. 7. Ratio est, quod ad hoc vt votum irritetur, requiratur Superioris voluntas irritandi quam non censetur habere, si nesciat votiuum opus esse, de quo fit petitio.

301. Aduerte tertio quæ hactenus de subdito Religioso eiusque votis diximus, similiter de quouis alio subdito vouente esse dicendum, ex Caietan. locis citatis: secundum quem, in eorum numero ponitur etiam Episcopus respectu voti de ingredienda religione: quod ab ipso emissum, interpretandum est subintellecta conditione, si Papæ placuerit: ideoque tenetur exquirere an ei placeat. Ratio est, quia Episcopo prohibetur religionis ingressus sine Papæ facultate, vt intelligitur ex cap. Nisi cum pridem De renunciatione: & post D. Thom. 2. 2. qu. 189. art. 7. docent Pallud. in 4. dist. 38. qu. 4. art. 2. concl. 3. Sylu. in verbo Votum 3. qu. 1. Sotus li. 10. quæst. 2. art. 4. multiq; alij. Videndus est Suarez De religione tract. 6. lib. 6. c. 2. à num. 7. ad finem. vbi etiam declarat quatenus tale quid locum habere possit in Clericis qui tenentur Ecclesiæ seruire.

302. Aduertendum est postremo: quod dominatiuam potestatem habens, etiamsi pro solo voluntatis suæ arbitrio, & absque vlla alia causa subditi sui votum irritet; nihilominus eum liberet ab obligatione deinceps seruandi quod vouit. Id quod ex Palud. *in cit. art. 2. concl. 1.* & D. Anton. 2. *par. tit. 11. cap. 2. §. 6. sub finem*, Nauarr. notat. *in Enchir. cap. 12. nu. 63. & 73.* sequiturq; Sotus *in prius memorato art. 1.* & alij quos refert & sequitur Suarez *in memorato lib. 6. cap. 1. num. 9.* Ratioque cõfirmat, quia tunc temporis Superior iure voti vtitur in voto facto sub tacita conditione, si ipse consenserit. Nota vero istud procedere quando subditi vota fuerint facta de ijs in quibus vouens subditur irritanti: facta enim de alijs, valent absolute, *vt iam supra attigimus*: nec per dominatiuam potestatem irritari possunt. Et ratio est, quia non est necesse, in ijs in quibus nihil præiudicatur tali potestati, sicut in alijs subintellectam esse conditionem, Si superior voluerit, aut non restiterit.

Dubia de irritatione voti vniuersè.

Sectio II.

303. Sed dubitatur primo. An peccet Superior dum sine causa votum subditi irritat. Atque Palud. & D. Anton. locis ante citatis negant peccare: quibus assentiuntur Supplem. Gabr. *in 4. dist. 38. quæst. 1. litera X, col. 3.* Sylu. in verbo Votum 4. *quæst. 2. dicto 6.* Sotus vero in libr. 7. De iust. & iure quæst. 3. art. 1. inquit in hoc culpam saltem venialem committi. Quæ sententia est satis probabilis: quia iure suo quisq; vti debet cum ratione: præsertim in re tanti momenti. Pari quoque ratione teneri potest, Religiosum à Prælato suo petentem absq; causa sufficienti, irritationem voti quod emisit non peccare plusquam venialiter. Nam ipse quoque in eo vtitur iure suo. Atq; eam esse communem sententiam Suarez notat in sequenti cap. 7. n. 16. alias rationes bonas pro ea adfert.

304. Dubitatur secundo. An si Superior in votum subditi semel consenserit, possit rursus illud irritare. De quo dicendum est primo: certum esse, quod Superior peccet, si id faciat sine iusta causa, & pro solo voluntatis suæ libito: prout patet ex cap. Manifestum 33. quæst. 5. vbi id asseritur, per illud Numerorum 30. dictum de voto vxoris. Sin autem contradixerit postquam resciuit, *maritus scilicet*, portabit ipse iniquitatem eius, *nempe vxoris*. Idq; annotant Caiet. *in verbo Votum, cap. vltimo & 2. 2. quæst. 88. art. 8.* itemque Supplementum Gabrielis & Sylu. ac Sotus locis citatis. Quod peccatum mortale esse post Caiet. in eodem art. 8. colu. 3. circa medium, habet Nauar. in Enchir. *cap. 12. num. 73.* & ex alijs Suarez *in seq. cap. 8 num. 8.* Et ratio est, quia in eo cernitur, *vt Caietan. loquitur*, violatio & dissolutio vinculi ad Deum; in qua est notabilis irreuerentia diuinæ maiestatis. Cui vinculo se quodammodo obligauit, quando votum confirmauit. Concedendum nihilominus est, quod hoc non obstante, irritatio ipsa facta sine causa, teneat: ex Caietan. Soto & Nauarr. locis citatis & alijs quos Suarez refert & sequitur *in eodem capit. 8. numero 4.* Ratioque est: quia Superior per prædictum consensum in votum, non abdicat à se potestatem irritandi illud, si volet. Nec enim dans licentiam subdito, facit eum sui iuris, aut concedit ei operari vel obligare se aliter, quam à se dependenter: ita vt possit datam licentiã reuocare & impedire opus. Et ita vsu receptum esse videmus in licẽtijs, quæ passim a Superioribus dantur ijs qui sub sunt suo regimini.

305. Inde autem consequens est, quod subditus interueniente eiusmodi irritatione possit absque peccato non adimplere quod vouerat, quemadmodum ijdem affirmant: & Caietan. in dicta columna 3. probat: quia Superior consentiens in votum sui inferioris, ei tantum tribuit potestatem vtendi ad Dei obsequium re ea quam vouet: nec abdicat à se illius dominium: vt neque is qui tribuit suum vas dandum alteri in pignus, priuat se eiusdem vasis dominio: sed tantum in dictum vsum concedit. Quem vsum dum impedit per suam dominatiuam potestatem, alter excusatur à præstanda promissione quæ fuerit de eo facta. Procedit autem istud etiam in casu in quo Religiosus de licentia sui Superioris tale votum fecisset ex Soto loco cit. contra Richar. in 4. distinct. 38. artic. 4 quæst. 3. quia eo non obstante, Religiosus manet simpliciter subditus, nec Prælatus ipsius orbatur sua authoritate. Porro si Superior postquam semel votum sine causa irritauit, pœnitentiã ductus, facultatem illius seruandi restituat subdito: is non tenetur denuo seruare, ex Armilla, *verbo Votum*, §. 12. *in fine*, Rosella Votum 2. §. 6. Sylu est. Votum 4. quæstio. 2. dicto 3. Ratio est: quia votum valide irritatum cum annulletur, non resumit vim obligandi, nisi quis denuo voueat. Pro regula enim habetur, *quemadmodum Sylu loco cit. notat*, quod obligatio semel extincta non reuiuiscat, ex lege Cum ex causa, Cod. De remissione pignoris.

306. Dicendum est secundo de proposita dubitatione; quod Superior votum de ipsius licentia emissum, possit si legitimam habeat causam, licite irritare, prout expressit Sotus libro 7. De iust & iure quæst. 3. art. 1. recte inquiens interdum fieri, vt Superior id ad quod bona de causa facultatem concessit, quodq; ratum habuit, rite recteq; reuocet rebus mutatis. Probatur vero hoc dictum: quia cum in Superiore post datam licentiam, adhuc resideat potestas ita irritandi vota per eam emissa, vt si irritatio fiat de facto, ea valeat, iuxta supradicta: sane aduenientе de nouo causa iusta, irritationem (quam de facto tantum, adeoq; cum peccato alias faceret) potest de iure, liciteq; facere. Adde potiori etiam ratione, posse Superiorem causã legitimã interueniente, reuocare facultatem quam subdito ad vouendum concessit, si adhuc res sit integra; necdum subditus ipse votum emiserit. Post illud emissum vero, negandum non est, quin si contingat Superiorem qui facultatem vouendi concessit, ad Prælaturam Ecclesiasticam euehi, is licite possit ex causa legitima in voto ipso dispensare: eãdem prorsus ratione quã potuisset si facultatem vouendi non dedisset, *ex Caiet. in 2. 2. quæst. 88.*

art.8.colu.3. sub finem: vbi rationem reddit: quia concessit in sua persona, tanquam Dominus rei promittendæ; & dispensat in persona Dei cuius gerit vices. Vnde non est censendus reuocator suæ concessionis, aut inhibitor seruandæ promissionis, sicut censeretur irritando.

307. DVBITATVR TERTIO. An si vota subditorum sint irritata ab habente potestatem non perpetuam: illa statim ac cessauerit status subiectionis, reuiuiscant; seu robur vimque obligandi resumant. v.g. An seruus quando iam fuerit sui iuris, teneatur implere votum à se in seruitute emissum, etiamsi Dominus illius tunc irritauerit. Ac quamuis Nauarr. in Enchir. capit. 12. num. 66. *citans Panormit. Caietano ac Angelo,* atque Supplementum Gabrielis in 4. distinct. 38. qu. 1. lit. X, sub initium, ac Sotus lib. 7. de iust. quæstio 3. art. 1. paulo ante solutionem argumentorum, negent absolute talia reuiuiscere. Attamen pro resolutione huius dubij videtur dicendum: si agamus de votis vxorum & seruorum, illa irritari non posse à marito, aut à Domino, nisi pro eo tempore in quo eis præiudicare censentur. Ita vt cessante iure quod habent in tales personas, cæ ad voti executionem teneantur: quia in tantum, non plus, potest quis alienum votum irritare, in quantum ius suum se in eum extendit. Sicq; sentit Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 2. concl. 4. & 5. ac idem ex eodem & ex Innocentio in cap. Scripturæ, De voto, ac ex Rosella Votum 2. numer. 7. Syluester refert in verbo Votum 4. qu. 2. dicto 3.

308. Si vero agamus de votis quæ filij impuberes emittunt; videtur omnino admittendum, quod vbi semel à Superiore, puta à patre, irritata sunt, nunquam amplius reuiuiscant restaurenturve. Talis enim irritatio non tam fit ratione præiudicij, quod votum adfert Superiori, quam quia intra annũ 14. masculi, & intra 12. fœminæ, non putantur sufficienti pollere iudicio ad absolute & independenter obligandum se votis: ideoq; facta ab illis censeantur obligare tantum sub conditione, si Superior, cuius regimini subsunt, cõsenserit. Quẽ consensum, quia irritatio omnino excludit, consequenter tollit omnino obligationem, quæ non nisi illâ positâ vim habet. Sic igitur quoad impuberes, recipienda est sententia Nauarri, vt & aliorum, qui absolute negãt vota impuberum irritata reuiuiscere.

Nulla autem apparet ratio dubitandi quin vota vxorum, vel seruorum, vel personalia filiorumfamilias, quæ emiserint exequenda illo tempore, quo fuerint sui iuris, nequeant mariti vel Domini vel patresfamilias irritare. Qua in re omnes consentire notat Nouarr. in Enchirid. cap. 12. nu. 66. Quamquam quod Sotus lib. 7. De iust. & iure quæst. 3. art. 1. ante solutionem argumentorum docet in contrarium, admitti potest quoad vota quæ filij impuberes emiserint sub prædicta forma: seu animo exequendi ea postquam ipsi fuerint sui iuris. Nam patrum potestas in filios impuberes ea est, vt cum voluntas horum sit simpliciter illorum arbitrio alligata (vt Sotus ipse loquitur) illi possint absolute, & non tantum ratione præiudicij, vota eorundem filiorum irritare: adeo vt taliter irritata nullatenus deinceps obligent, nisi denuo legitime fiant.

309. Quod idem videtur regulariter dicendum de votis realibus, quæ puberes sed minores 25. annis emiserint exequẽda eo tempore quo habuerint suarum rerum administrationẽ. Nam & hæ possunt à talium patribus, & curatoribus irritari: siquidem horum quoq; potestas irritandi non respicit ipsorum præiudicium: sed in ijsdem minoribus defectum iudicij pleni, & sufficiẽtis ad distrahendum alienandumve res suas. Ita docet Sotus sub finem citati art. 1. ad 2. argumentum. & in seq. art. 2. circa medium; & ante eum Syluester in verbo Votum 4. quæstio 2. dicto 2. Cui doctrinæ contradicit quidem Nauarr. in cit. numer. 66. sed satis bona est ratio qua nititur. Dixi autem regulariter, propter vota filij familias, facta de peculio castrensi vel quasi castrensi, in quibus alia est ratio propter eorum materiam, quæ non est subiecta alterius, quam vouentis potestati.

310. DVBITATVR QVARTO. An possint Superiores irritare vota subditorum emissa ab eis, antequam essent sub ipsorum potestate. Et quidem Richard. in 4. dist. 38. art. 4. qu. 1. agens de votis quæ vxores antequam nuberent emiserunt, & de votis quæ Religiosi fecerunt ante professionem, affirmat posse: quod Rosella sequitur in verbo Votum 2. §. 7. & 14. Atq; generaliter, tam quoad cæteros subditos, quam quoad prædictos, asseuerat Sylu. in verbo Votum 4. quæst. 2. in principio. Quorum sententiæ suffragatur: tum ratio, quia per mutationem status in matrimonio, sic mutata est materia voti, vt coniux ipsum seruare nequeat, renuente altero coniuge; cui in iure quod possidet legitime, præiudicaret. Tum etiam D. Augustinus relatus in cap. Noluit 33. quæst. 5. agens de votis vxoris ait: Si adhuc innuptæ concesserat pater vota persoluere, si antequam persoluerit nupserit, & viro eius hoc cognitum non placuerit, non persoluat, & hoc omnino sine peccato. Quæ verba tam sunt aperta vt in eam sententiam tuto ire liceat: suis tamen limitationibus restrictam. Nempe vt intelligatur de ijs votis, in quibus irritantes, superioritatem habent, iuxta tradita initio huius capitis. Quod etiam loco citato Syluester satis indicauit. Deinde vt, *iuxta dicta in explicatione præcedentis dubij,* sic accipiatur talis irritatio; vt si agatur de votis seruorum & vxorum, ea solum prosit, dum non fuerint sui iuris. Si vero agatur de votis etiam personalibus impuberum, aut de realib. puberum quidẽ; sed minorum 25. annis, irritatio eorum facta à patribus vel tutoribus aut curatoribus, valeat absolute & in omne tempus. Si demum agatur de votis Religiosorum, irritatio illorũ per Prælatos sortiatur effectum, iuxta ea quæ in fine huius capitis de illis dicenda sunt in particulari.

De mariti potestate irritandi vxoris vota.

SECTIO III.

DE votis singulorum subditorum, quoad irritationem, sunt particularia dubia, quæ præcedentibus adiungere oportet.

DVBITATVR ERGO QVINTO. An maritus omnia vxoris vota possit irritare. Ad quod Sotus lib. 7. De iustitia & iure, quæst. 3. art. 1. paulo post medium, nonnulliq; alij quorum meminit Leon. Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 40. num. 83. affirmatiuè respondent. Sed oppositum verius esse Suarez ostendit, De religione tract. 6. lib. 6. cap. 4. & satis indicat Palud. in 4. distinct. 38. quæstio 4. art. 2. concluſ. 5. dum vult maritum posse votum vxoris irritare tantummodo, prout per illud læditur ius ipsius. Idem expresse docet in Enchir. Nauar. ca. 12. n. 65. in fine, cum ait, non posse maritum vxoris vota irritare, nisi ea quæ sibi præiudicant. Itemque Caiet. in verbo Votum ca. 3. sub finem, cum ait absolute validum esse votum vxoris de non petendo coniugali debito; quia in eo, non subdita, sed par est marito. Idem iudicandum similiter est de alijs votis, in quibus nullum mariti cernitur præiudicium, eo quod fiant de illis; quorum respectu vxor est sui iuris, nec ei subdita: vt de actionibus positis in præcepto: de mandandis executioni tempore viduitatis, si ea euenerit: aut exequendis quidem tempore matrimonij, sed quæ non sint contra mariti ius. De talibus enim emissa vota (vt iam ante ex ipso Caiet. admisimus) absolute, & independenter à marito, valent: proindeq; ab eo irritari non possunt. 311.

Ad quod confirmandũ induci potest textus in cap. Quidam, & in cap. Placet, De cõuersione coniugatorum: præsertim supposito, quod ibi agatur de irritatione voti, facta à cõiuge, prout ipse quoq; Sotus *in eod. art. 1. paulo ante solutionem argumentorum,* concedit: vt & supplementum Gabrielis *in 4. dist. 38. quæst. 1. lit. X. circa initium & Caiet. 2. 2. quæst. 88. art. 8. col. antepenult.* Et certe idem tanquam antedictis consentaneum sequendũ nobis est. Et maxime cum non debeat vxor censeri esse ordinarie ea iudicij tenuitate, vt in omnibus à marito dirigi debeat, perinde ac impubes à parente: alioqui enim omnia fœminarum vota, etiam maiorum 25. annis, essent irritabilia; quod nemo dixerit.

Constitutum sit ergo, maritum vxoris vota irritare posse, non omnia: sed aliqua tantum: nimirum ea quæ præiudicant sibi in vsu matrimonij, educatione liberorum, & gubernatione familiæ. Non enim est alia subiectio vxoris ad virum, quam quæ nascitur ex vinculo matrimonij, per quod vir est caput mulieris, prout dicitur ad Ephes. capite 5. vers. 23. Sed ex vi talis vinculi, sequitur tantum subiectio necessaria ad matrimonialem statum, seu ad matrimonij vsum, edu-

cationem

carionem liberorum, & familiæ gubernationem. Ergo maritus ea tantum vxoris vota irritare potest, quæ illi in talibus præiudicant. Vnde inferre licet, quod si vxor vouerit non peccare mortaliter, aut abstinere ab hoc vel ab illo peccato veniali, maritus non possit ipsius talia vota irritare, prout notauit Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 61. Idem quoq; asserens de voto ieiunandi ab ea emisso: sed negandum non est, quin si casus contingat in quo tale votum præiudicet marito, is illud quatenus tale fuerit, irritare possit.

312. Licet etiam inde inferre, maritum non posse irritare votum quod vxor emisit de non exigendo coniugale debitum, id est, de non compellendo eundem maritum ad illud reddendum. Nam in eo non præiudicat ipsi, cui non subijcitur ea ex parte, sed sui iuris est: & ideo potest sine facultate ipsius, se taliter obligare, quemadmodum notat Nauarr. in præced. numero 60. & patet ex cap. Quidam, & cap. Placet supra memoratis. Secus vero dicendum est de voto non reddendi debitum, emisso ab vxore: quia tale cedit in præiudicium mariti, vt satis patet. Imo & de voto non petendi debitum ab vxore emisso, quando matrimonium inde ipsi marito reddit onerosum, in eo, quod compellatur semper petere debitum: aut quod præ verecundia plerumque petere non audeat, quemadmodum notant Sylu. in verbo Matrimonium 7. quæst. 5. dicto 4. & Nauar. in cit. num. 60. Verum est tamen, quod si vxor votum de non petendo debitum faceret non causa sui, sed tantum mariti ad ei complacendum, ipsum non possit ab eodem marito irritari: quia in eius commodum, & non in præiudicium emitteretur. Hoc insinuauit Nauar. cum in eodem nu. 60. dixit, votum vxoris de non exigendo & non petendo coniugale debitum, valere quatenus ei soli præiudicium facit. Idemque satis expresse docet Sylu. in verbo Votum 5. quæst. 2. numer. 5. circa medium.

311. 313. Hic quæri potest, An si vxor faciat votũ continentiæ de consensu mariti, postquam matrimonium iam est ab ipsis consummatum, maritus ipse possit illud irritare; quatenus præiudicium sibi adfert. De qua re illud certũ est, quod si absque legitima causa id faciat, peccet grauiter, iuxta antedicta dub. 2. An vero irritatio totaliter facta valeat, in controuersia versatur. Nam Panorm. ad capit. Charissimus, De conuers. coniug. *cuius meminerunt Rosella in verbo Votum 3. §. 2. & Sylu. in memorata quæst. 2. circa finem*, affirmat valere: cui consentit Sotus *lib. 7. quæst. 3. art. 1. pag. 4.* inquiens maritum posse omnia vxoris vota reuocare. Et vero Sylu. in eadẽ quæst. 2. ex sententia D. Thomæ & Ioannis de Neapoli, absolute negat valere; quod Nauar. sequitur in citato cap. 12. n. 61. & sententiam tutiorem esse notat Rosella in citato §. sub finem: addens & esse communiorem; eandemque expresse habet Gratianus in cap. Manifestum 33. quæstio. 5. Procedit vero siue vir eam licentiã dederit in secreto, siue in facie Ecclesiæ, seu coram Prælato, vt vult Sylu. ibid. Illud interea concedens, *sicut & Rosella*, quod si vir non consensit voto, sed solum ad tempus dissimulauit, vxor viro contradicente eidem voto, prout ipse præiudicat, teneatur obedire. Addequod Paludanus attigit in 4. distinct. 38. quæstio. 2. art. 2. concl. prima: quod si vir facultatem quam dedit vxori vouendi continentiam, reuocet antequa ea votum emittat, ipsam non posse deinceps vouere, nisi renouata eiusmodi facultate.

314. Quæri adhvc hic potest, An vxor quoque possit mariti vota irritare. Respondendum est autem affirmatiuè, quoad vota in quibus eiusdem vxoris præiudicium cernitur, ea ex parte qua ei præiudicant; vt recte annotant Sylu. in verbo Votum 5. quæst. 1. & Nauar. in Enchir. capit. 12. num. 65. Pro quo Suarez in citato cap. 4. à num. 8. pluribus authoribus citatis, rationem adfert: quod aliqua vota viri possint esse in præiudicium vxoris; quæ iniqua erunt, ac etiam inualida (vt scilicet Deo minime accepta, tanquam facta de ijs quæ præiudicant tertio) nisi includat conditionem: si vxor consenserit, vel non repugnarit. Sic autem illa pendere ab vxore, idem est ac ab ea irritari posse. Eiusmodi autem sunt vota realia, quæ maritus implere non potest, nisi dissipando, alienandove aliquid de bonis vxoris: & personalia quæ vir nequit implere, nisi priuando vxorem vsu corporis sui, aut adiutorio illi ad vitam necessario: vt fieri potest per longam peregrinationem. Atque hinc, cum vxor & vir quoad debitum coniugale attinet, pares sint iure: vt deducitur ex D. Paulo in priore ad Corinth. cap. 7. in initio, & ex cap. Gaudemus, De diuortijs, fit vt si maritus voueat debitum non reddere, possit ab vxore tale votum irritari. Quod idem dicendum est, si is votum emitteret de non petendo debitũ, quatenus id similiter fuerit eidẽ vxori, *vt sic dicam*, præiudiciabile & onerosum, prout tangunt Nauar. in citato cap. 12. num. 61. & Sotus in cit. pag. 4. versus finem. Cæterum si vterque pari consensu vouerit continentiam, neuter potest alterius votum irritare, ex D. August. Epistol. 199. quod refertur 33. quæst. 5. cap. Quod Deo. Et ratio est, quia tunc iure suo irritandi vterque cessit: cum neuter sine sacrilegio possit, siue reddere siue petere debitum coniugale. Late de hac re Thomas Sanchez lib. 9. De matrimonio, disput. 39. & quatuor sequentibus.

De potestate patris irritandi vota.

Sectio IV.

Sexto principaliter dvbitatvr, Quo pacto intelligendum sit, patrem posse filij vota irritare. Ad quod respondetur duabus propositionibus.

315. Prior est. Omnia vota filij siue realia siue personalia, posse à patre irritari, si idem filius illa emiserit ante pubertatis annos (qui sunt decimusquartus in masculis, & duodecimus in fœminis: Institutis Quib. modis tutela finitur; & Cod. Quando tutores vel curatores esse desinant, lege vltima.) Hæc est D. Thomæ 2. 2. quæst. 88. art. 9. colligiturq; ex capite Puella, 20. quæst. 1. Ratio vero est, *quam habet Suarez in memorato lib. 6. cap. 6. numero 2.* quia filius iure naturæ ita est sub potestate patris, vt ante vsum rationis, voluntate patris regi debeat, ac si ea esset suamet voluntas. Et adeptus vsum rationis, licet possit libere operari, quia tamen illam habet valde imbecillam ac tenuem, consentaneum est rationi, vt per aliquod tempus pendeat à voluntate patris; saltem quoad firmitatem obligationis, quã se ad aliquid adstrinxerit, ita vt non sit firma omnino, donec pater illam approbet: & maxime in negotio grauissimo, quale est obligationis ad Deum, quæ per votum contrahitur. Quia igitur conditio impuberis vouentis, est vt dependeat a patris potestate cuiuscunque materiæ respectu: sit vt in omni voto ipsius includatur conditio; nisi pater repugnarit: ideoque & locum habeat irritatio.

Aduerte autem nos supponere, impuberes vota emittentes, tales esse qui (iuxta superius dicta) eo rationis vsu polleant, vt valide vouere possint: alioqui enim superflua esset irritatio: cum vota hoc ipso quod irritantur, valida esse supponantur: adeo vt merito ab omnibus, *vt habet ibidem Suarez numero 5.* reprehendatur sententia Hugonis, sentientis quod si puer infra annos pubertatis vouerit aptus ad perfecte deliberandum, votum ipsius non sit irritabile.

316. Quo vsque autem censeatur quis infra pubertatis annos manere ad hoc, vt vota eius per patrem ipsius irritari possint, prout iura statuunt, 20. quæstio. 1. cap. 1. Nauarr. quidem in citato numero 65. & sequenti 68. ac 70. in principio, innuit non esse semper censendum impuberem: seu adhuc infra pubertatis annos manere masculum, qui intra 14. & fœminam quæ intra 12. annum, adhuc sit: quoniam impuberes iudicantur tantum illi, qui adhuc sunt in ea ætate in qua nondum apti sunt ad matrimoniũ. Constat autem aliquos (malitia supplente ætatẽ) aptos esse ad matrimonium ante illam ætatem. Qua de re Caietan. secunda secundæ quæstio. 88. art. nono. Sotus in quartum distinct. 35. quæst. vnica art. 5. Couarr. in epitome quarti Decret. par. 2. cap. 5. num. 2. & 3. Verum aperta est Diui Thomæ doctrina in cit. art. 9. absolute, & sine restrictione asserentis votum eius qui rationis vsum iam attigit, obligare quidem, sed ita vt possit irritari per parentes; quorum curæ subiectus adhuc manet. Quod est irritari posse à masculo emissum ante 14. annum, & à fœmina ante 12. neque par ratio est de matrimonio & de voto: quia annus pubertatis ad matrimonium requiritur, *vt recte loco cit. Couar. declarat*, tanquam index aptitudinis ad il-

lud: quæ aptitudo, vt prædiximus, potest annum illum præuenire. Ad votum irritabile vero, talis annus requiritur, tanquam index subiectionis, quæ in puero perseuerat donec attigerit annum 14. & in puella donec 12. Eandem D. Thomæ doctrinam expresse tradunt Rosella in verbo Votum 2. §. 3. & Sotus lib. septimo, De iustitia & iure quæst. 3. art. 2. Ex cuius modo loquendi haberi videtur, impuberem esse iudicandum, masculum quidem qui 14. fœminam vero, quæ 12. nondum impleuit annum. Quod satis aperte expressit Syluester in verbo Impubes: inquiens, Impubes dicitur masculus donec cõpleuerit 14. annum, fœmina vero duodecimum & apertius Palud. in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 2. concl. 7. inquiẽs, *congruenter glossæ, ad cap. Firma, 20. quæstio prima*, quod non sufficiat attigisse; sed oporteat esse in fine 12. vel 14. anni ætatis.

317. Posterior propositio est. Quod si filius postquam iam est pubes; hoc est, si masculus, postquam excessit decimumquartum annum & fœmina duodecimum, vota aliqua personalia emittat, *vt ingrediendi religionem, vel ieiunandi certo die*, pater nequeat illa irritare; sed filius ipse, etiam illo reclamãte, teneatur ea implere. Hæc habetur ex cap. Puella, 20. quæstione 2. & traditur à D. Thom. secunda secundæ quæstio. 88. artic. 9. in fine corporis, & à D. Antonino 2. parte titul. 11. cap. 2. §. 6. dicto 3. Rosella Votum 2. §. 5. Syluestro Votum 3. quæstione 6. Soto in citato artic. 2. & ab alijs communiter. Ratio vero est, præter cæteras, quas adfert Suarez in prius memorato lib. 6. cap. 5. quod de iure naturali ad absolutum valorem voti, requiratur solummodo sufficiens discretio rationis, & materia obligationis capax, sine præiudicio alterius. At in filiofamilias pubere, est plena discretio: prout ius canonicum non temere præsumit. Ergo filiusfamilias potest votum facere firmum & validum, si materia sit honesta; etiamsi pater non consentiat: dummodo ei nihil præiudicet. Exemplum est: si voueat moderatam orationem, vel abstinentiam, aliudve quod nihil impediat obsequium patri pro ratione status sui debitũ in administratione rei familiaris, vel gubernatione familiæ. Quod si aliquod tale votum (personale inquam filijfamilias) factum fuerit in præiudicium patriæ potestatis, id est, quod impediat expeditum domum seu familiæ paternæ regimen: vel nimium subtrahat eundem filium ab obedientia & cura patris. hunc posse illud irritare, communis sententia est, *vt Suarez habet in illo cap. 5. num. 9.* multis in eam citatis. Et ratio est, quia cum tale votum ex parte materiæ illicitum sit (vtpote quo lædatur ius paternum) nisi includat conditionem, Si pater consenserit; aut saltem, Si non repugnarit: censendum est inualidum, tanquam iniuriosum alteri, & ideo minime acceptum Deo, si illa excludatur. Inclusa autem facit votum irritabile per patrem, qui nolendo consentire, aut contradicendo, suspendet eiusmodi conditionem: & per consequens, votum sub ea factum.

Quod attinet ad vota realia puberis: tenendum est, quod filius etiamsi pubes, sed sub patria potestate adhuc constitutus, vota realia emittat, pater possit ea irritare. Hoc habent, *præter cæteros*, Nauarr. in Enchir. capite 12. numero 70. & Sotus in citato artic. 2. paulo post medium, ac Syluest. in verbo Votum 4. quæst. 2. Ratio vero est: quia minor non habet liberam suorum bonorum administrationem; sed pater quamdiu ille manet sub eius potestate. Modos quibus à tali potestate filius liberatur tangemus in libr. 20. num. 23. eosdemq; persequitur Lud. Molina De iustitia & iure, tomo 1. tract. 2. disput. 229. Iam istud de votis realibus filiorumfamilias, intelligendũ est de ijs quæ principaliter sunt realia: quia cum votum fuerit principaliter personale, & accessorie tantum reale, non poterit à patre irritari: vt si filius pubes, *quanquam minor 25. annis*, professionem religionis faciat, non potest pater impedire quin bona illius cum persona ad monasterium perueniant; vt probari potest ex cap. In præsentia. De probationibus: traduntq; Diuus Anton. in citato §. 6. dicto 2. Syluest. in citata quæstione 2. dicto 2. & Nauarr. in memorato numero 70. in fine, & in numero 65. Intelligendum est præterea dummodo vota ipsa realia non fiant à filio de peculio suo castrensi aut quasi castrensi: quia ratione huius generis bonorum, filius est sui iuris; & ideo pater nequit vota de illis facta irritate, prout annotant D. Anton. in eodem loco, dicto 3. & Syluest. in verbo Votum 3. quæst. sexta. 318.

Qværi avtem primo potest hoc loco, An si pater vota personalia filij impuberis, dũ adhuc est impubes, non irritauerit: possit postea cum iam pubertatis annos non excessit, illa irritare. Ad quod Sotus lib. 7. de iust. & iure qu. 3. art. 2. dub. vlt. negatiuè respondet; & negationem à simili confirmat: quia si Dominus votum serui, dum in illius potestate erat, non irritauit, postquã is est libertatem consecutus, non potest irritare. Caiet. vero 2. 2. quæst. 189. artic. 5. & Nauar. in Enchir. cap. 12. nu. 71. & communiter recentiores, *vt aliquot citatis notat Suarez in memorato cap. 6. nu. 8.* respondent affirmatiuè, & melius: quia nulla facta est mutatio in voto per hoc, quod filius egrediatur limites pubertatis; vnde ipsum adhuc manet cum conditione implicita, quam ab initio habuit: nempe, nisi pater contradixerit. Cum enim, *vt supponimus*, nulla facta sit accessio, qua ipsum innouarẽtur: existimandum est nunc, sicut ab initio, esse conditionatum: ideoq; perinde irritabile esse. Neq; par est ratio de seruo, quia in votis filij, irritatio patri conceditur ob defectum in eodem filio, perfecti iudicij. In votis vero serui, Domino facultas irritandi datur, propter præiudicium quod ei ex talibus votis irrogatur. Indeq; est, quod, *vt infra dicetur*, Dominus vota serui, quæ in ipsius præiudicium non vergunt, irritare nequeat. Vnde quia nulla vota serui quando is iam liber est, præiudicant Domino; in quo cessauit prior in illum potestas, fit vt idem Dominus nullum eorundem votorum possit irritare.

Quanquam tamen ex Caiet. & Nauarr. dictum istud de votis filiorum, sic limitandum est; vt non censeatur procedere, quando vota fuerint approbata legitimo tempore; siue, *quod idem est*, ab ipsis filijs iam puberibus; quoniam talis approbatio voto addit vinculũ, in quo non dependet filius à patre. Sed aduerte ad hanc approbationem non sufficere, quod filij iam puberes credant vota, quæ adhuc impuberes emiserunt, esse valida, ideo intentionem habeant illa adimplendi: sed oportet vt nouo actu voluntatis, denuo superinducatur obligatio. Quod Nauarr. in fine citati num. 71. expressit, & clarius Suarez in eodem cap. 6. num. 12. inquiens. Si inchoata iam pubertate aliquis ratum habeat votũ, quod in pueritia fecit, iam illud emittit; & ita votum imperfectum transit in perfectum, & quod erat conditionale, incipit esse absolutum, ac tam firmum, quam si tunc primum fieret, nec vllum antea votum præcessisset. Adde ex eodem in seq. num. 15. non posse amplius à patre irritari votum impuberis, quando illud sciens, vult ipsum ratum confirmatumq; manere: si in ea voluntate perseueret vsq; ad annos pubertatis filij. Ratio est: quia pater in eo, iam vsus est potestate sua quantum potuit: ita vt plene impleta censeri possit conditio illa inclusa in voto impuberis. Si pater ratum habeat, aut nisi pater contradixerit: adeo vt tale negotium transierit quasi in rem iudicatam.

Qværi potest secvndo, An præter patrem alij sint, qui eorundem impuberum, aut minorum 25. annis, vota possint irritare. Ad quod respondetur, nullos esse patre viuente: qui cum solus sit caput totius familiæ, & habeat plenam rerum administrationem, & personarum gubernationem: voluntas filiorum impuberum in ipsius, non alterius posita est potestate. Deficiente vero patre, mater id potest, itemque tutor respectu pupilli, & quoad vota realia curator, respectu minoris, ex Palud. in 4. distinct. 38. quæstio. 4. artic. 2. conclus. 8. D. Anton. 2. part. titul. 11. cap. 2. §. 6. Syluestro in verbo Votum 4. quæst. 2. Soto de iust. & iure lib. 7. quæstio. 3. art. 2. Idq; sequuntur recentiores, quorum meminit Suarez adhuc ibidem num. 19. satisq; probatur ex cap. Puella, 20. quæstio. 2. Difficultas tamen est, An hoc quod de matre dicimus, sit de quauis matre intelligendum; an vero de ea tantum quæ fuerit tutrix filiorum. Nauarr. enim in Enchir. cap. 12. num. 64. & Syluest. in cit. quæst. 2. insinuant, intelligendum esse tantũ de matre quæ filij tutrix sit: quod expresse docent Palud. & D. Antoninus locis citatis. Idem vero Nauarr. in sequent. numero 65. absolute intelligendum esse de matre, satis indicat cum ait, matrem quæ deficiente patre, eidem succedit, posse irritare vota filiorum impuberum. Indicat etiam Sotus in eodem artic. 2. circa me- 319.

dium,

dium, inquiens: vtrumq; votum, personale inquam & reale, posse à parentibus vel tutoribus irritari. Imo & textus in memorato cap. Puella, cum hanc potestatem irritandi tribuit absolute parentibus & tutoribus. Parentum enim nomine, matrem quoq; comprehendi certum est.

Cæterum videtur dicendum, quod si deficiente patre nulli sint filiorum tutores vel curatores, mater ipsorum etiamsi tutrix non sit, possit ad instar patris, cui in cura filiorũ succedit, omnia vota eorundem irritare. Si vero extent tutores aut curatores qui patris gerant vices: illorum potius sit quam matris, quæ tutrix non est, impuberum personalia, aut minorum 25. annis, realia vota irritare. Certum est enim ex cit. capit. Puella, eos quoad hoc, æquari patribus: vtpote qui in eorum locum succedunt, iuxta illud ad Gal. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, &c. sub tutoribus & actoribus est, vsque ad tempus præfinitum à patre.] Id quod de matribus non tutricibus dubitant, immo & negant nobiles authores, vt Palud. & D. Anton. prout ante annotauimus.

QVÆRI POTEST TERTIO, An sicut pater vota filij emissa ante pubertatem irritare potest pubertate inchoata, si non fuerint confirmata; possit etiam tutor. Cui Suarez in sæpe memorato cap. sexto num. 24. satisfacit negando posse: quia eo ipso quod pupillus sit pubes, tutor transit in curatorem: cui non persona pupilli, sed tantum bona eius committuntur. Pater vero semper manet pater, nec mutat conditionem paternæ potestatis: ratione cuius votum à filio in pupillari ætate factum inclusam habuit conditionem; si patri placuerit, aut si pater non contradixerit: vnde fuit irritabile.

De potestate domini irritandi vota serui: & de potestate Superioris irritandi vota Religiosi sui.

SECTIO V.

320. DVBITATVR SEPTIMO, PRINCIPALITER: Quomodo intelligi debeat quod Dominus possit seruorum vota irritare. Ad quod respondebimus paucis (seruorum enim de quibus in hac materia sermo est, nempe mancipiorum, nõ est apud nos vsus) Dominis esse tributam irritandi potestatem, quoad ea vota seruorum, quæ vergunt in suum præiudicium. In quo omnes conuenire notat Nauarr. in citato cap. 12 num. 65. Ratio vero est quia vota facta cum alterius præiudicio, tanquam de alieno exhibita, non placent Deo. Quando igitur materia voti quod seruus emittit, talis est quæ possit Domino præiudicium parere, debet votum vt licitum sit ac validum, includere conditionem, Si Dominus consenserit, aut saltem si non contradixerit. Vnde relinquitur tale votum irritum fieri, si Dominus non consentiat vel contradicat. Atque hinc fit, vt Dominus possit irritare serui votum quod emisit de religione intranda, aut de peregrinatione facienda, & ita de alijs per quæ subtrahitur à Domini obsequio: itemque de realibus, cum quidquid seruus habet sit Domini. Secus autem putandum est de voto continentiæ, & de quibusdam orationibus dicendis, alijsque id genus quæ Domino non præiudicant. Videri potest Suarez de religione tractat. 6. libr. 6. capit. 3. Et addi quod cum Dominus potestate irritandi, vtatur solum ratione sui præiudicij: si seruus libertatem aliquando consecutus fuerit, teneatur *prout iam antea attigimus*, adimplere vota à Domino irritata, nisi interueniat aliunde legitimum impedimentum.

321. DVBITATVR OCTAVO PRINCIPALITER, De potestate Superiorum circa Religiosorum vota, qualis quantaque sit quoad irritationem. Ad quod respondetur, *prout communiter recentiores respondere annotat Suarez in sequenti capit. 7. numer. 7.* talem ac tantam esse Prælatorum potestatem hac in parte; vt omnia omnino vota quæ Religiosi sui emiserint, regulariter possint irritare: quoniam Religiosus iam non est suus, sed Dei; cuius vicem Prælatus ipsius gerit: ita vt velle & nolle non habeat, sed ex illius quem vice Dei, supra caput suum posuit; & cuius imperio se subiecit, voluntate dependeat: prout dicitur in cap. Si religiosus De electione in 6. Ex qua dependentia, prout est ex voto paupertatis, prouenit vt Prælatus vota omnia realia sui Religiosi irritare possit, eo quod Religiosus ob tale votum nihil potest habere proprium: nec vllare vti, de eave disponere sine licentia Prælati sui. Vnde consequens est, quodcunque votum reale ipsius, vt licitum sit & validum, debere includere conditionem, Si Prælatus consenserit: atque adeo irritari posse à Prælato. Idem dicendum esse de votis personalibus, consequens est ex voto obedientiæ; per quod Religiosus à suo Prælato pendet in omnibus suis actionibus. Quod D. Thomas 2. 2. quæstio. 88. art. 8 ad 3. ex eo probat: quod Prælatus in quolibet tempore possit occupare subditum in aliquo opere consentaneo regulæ suæ. Vnde quia omnis actio requirit tempus: nullumq; est quin Prælatus occupare possit in eo suum subditum: sane hic nullum facere potest votum firmum de vlla sua actione nisi includendo conditionem, Si Prælatus consenserit aut non contradixerit. Quod est (vt patet ex antedictis) tale votum irritari posse ab ipso Prælato.

Aduerte autem id procedere, quantumcunque Religiosus voueat ea ad quæ alias tenetur: vt non peccare mortaliter, non dicere verbum otiosum: ita vt possint quoque talia vota ei relaxari à Prælatis, quemadmodum docet Sotus in libro 7. de iust. quæstio. 3. art. 1. pag. 2. versus finem: satisque iudicat Sylvest. in verbo Votum 4. quæst. 2. dicto 5. cum vult eandem rationem esse Religiosi in hac re ac impuberis; quia ille sicut hic, non habet velle, id est, pendet totus ex aliena voluntate (ob votum nimirum obedientiæ nuncupatum in religione) & clarius Nauarr. in Enchir. capit. 12. num. 69. Ratio quam Sotus adfert est, quod Prælatus quoad ea quæ sponte fiunt, sit *suo modo Dominus voluntatum, interuentu voti obedientiæ religiosæ*, sibi subditarum, adeo vt nouam illam obligationem quam subditus per votum sibi imposuit, possit ab eo auferre. Est autem additum in responsione *regulariter*: quia negari non potest, quin sicut nequit Prælatus tria religionis substantialia vota subditi sui irritare; ita nec votum de arctiori religione ingredienda, si forte illud emisit: hoc enim voti genus superat Prælati authoritatem. id quod præter Caiet. & Sotum locis citatis admittit D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 9. col. 2. ac suffragatur textus in cap. Licet, De regularib.

Responsi ad nonnulla quæsita.

Hic possunt quæri nonnulla. Primum, an si Prælatus irritet votum aliquod Religiosi sui; qui deinde in Episcopum assumitur, irritatio vim suam retineat, nec vlla talis voti obligatio maneat: non obstante quod vouens desierit esse sub potestate Prælati à quo irritatio ipsa facta est. Respondetur autem affirmatiuè: quia potuit Prælatus absolute, & in omne tempus votum irritare: quandoquidem potestas ipsius in ea re, non nititur præiudicio quod per votum ei irrogetur: sed alio fundamento nempe quod iuxta antedicta Religiosus (cum habeat voluntatem suam obligatam alterius arbitrio) careat perfecta libertate vouendi. Ex qua carentia, sicut ex carentia perfecti iudicij in puero, sufficiens in Prælato respectu sui Religiosi, inest potestas ad faciendã absolute, voti irritationem. Istud Sylvester expressit in verbo Votum 4. quæstio. 2. dicto 1. Cui quoque ibidem placet, quod etiamsi Religiosus votum fecisset exequendum postquam fuerit extra Prælati obedientiam, adhuc Prælatus ipse possit illud absolute etiam, & in omne tempus irritare, perinde ac antea num 308. dictum est, quoad patrem respectu votorum, quæ filius emisit in tempus, quo sui iuris fuerit. 322.

Alterum est, An possit Prælatus irritare vota Religiosi quæ ante religionis ingressum emisit. Ad quod ex glossa ad cap. Noluit, 33. quæst. 5. & Richardo in 4. dist. 38. art. 4. qu. 1. & Sylvestro in verbo Votum 4 quæst. 2. in principio: respõdendũ est affirmatiuè; quia Religiosus plus est sub potestate Prælati, quam vxor sub potestate viri. Sed vir potest irritare votum quod illa emisit antequam nuberet, ex præcitato cap. Noluit. Si tamen talis Religiosus in Episcopum postea assumeretur, eiusmodi vota reuiuiscerent, non obstante Prælati irritatione: quoniam ea non esset facta ratione defectus libertatis vouendi, cum vouens fuerit sui iuris dum illa emitteret; sed ratione præiudicij & incommodi quod superior sentiret in eo quod nõ haberet subditi voluntatem, omnino 323.

expeditam ab omni impedimento exequendi quæuis sua iussa, prout ex obedientia tenetur.

Aduerte quia Nouitij sunt adhuc sui iuris, necdum in potestate Prælati; ab hoc vota illorum non posse irritari: posse autem eadem interea suspendi, cum personalia fuerint, si forent impedimento probationi nouitiatus; quia votum non debet esse impeditiuum maioris boni; sicut censetur esse contrarium propositæ probationi, requisitæ ad religionis professionem; quâ nullum est votum præstantius, cum alia omnia in se contineat eminenter. Videri potest Suarez in citato cap. 7. n. 11. & 12.

324. Tertium quod potest quæri, est, Qui in hac re comprehendantur nomine Prælati religionis. Cui satisfit per illud quod Suarez in sequenti num. 17. Quemlibet ordinarium Prælatum religionis ab immediato ad supremum vsque, Papam inquam, comprehẽdi: quia ad eos omnes votum obedientiæ extenditur, & ideo omnes acquirunt potestatem in Religiosi voluntatem, ad dirigendam ac moderandam eam in spiritalibus: & per consequens ad irritanda illius vota. Sic, *vt idem Suarez addit*, talem potestatem habent præter Papã, non modo Generales ordinum & Prouinciales, sed etiam Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, alijque similes, qui sunt Prælati in vnoquoque conuentu. Nam & ipsi iurisdictionem spiritalem habent, cum qua præcipere possunt in virtute obedientiæ. Non habent autem illi quos hi assumũt sibi administros seu coadiutores regiminis, & Subpriores, aut Vicarij, aut ministri appellantur: nisi delegatam accipiant, aut in absentia Prælati, vicem illius gerant cum tota iurisdictione, iuxta vniuscuiusq; religionis consuetudinem. Porro in hac Prælatorum multitudine, ne sit confusio datur ordo, quo ij qui vniuersaliorem iurisdictionem habent, cæteris superiores censentur: & qui minus vniuersalem, inferiores illisq; subordinati ac subditi. Vnde sequuntur duo quæ idem author habet sub initium sequentis cap. 8.

Vnum est: inferiorem Prælatum non posse irritare votum confirmatum à superiore: quia dependentia inferioris à superiore exigit, vt quod hic legitime fecit, ille non possit irritum reddere. Alterum est: superiorem Prælatum posse irritare votum confirmatum ab inferiori, vel de eius licentia factum. In memorata enim subordinatione qui superior est, retractare potest licentiam, præceptum, & confirmationem datam ab inferiore. Imo & votum ab ipso factum; quod sicut censetur includere conditionẽ, Si non dissenserit Superior (cuius alioqui ius læderetur) ita etiam censenda est licentia vouendi, aut confirmatio voti data per ipsum inferiorem, includere eandem conditionem. Quo fit vt locus sit irritationi. Adde cum eodem authore in fine eiusdem capitis, Prælatum alteri succedentem in eodem officio, posse vota subditi sui, à prædecessore suo confirmata irritare. Ratio est. quia in vtroque, eadem omnino potestas est. Quare cum prędecessor potuerit ea reuocare iuxta antedicta in sect. 2. dub. 2. poterit & successor.

Quartum quod quæri potest, est: an Prælatæ monialiũ, respectu earum habeant ittiusmodi potestatem. Ad quod Suarez in fine prius memorati cap. 7. respondet affirmatiuè: quia licet non habeant iurisdictionem spiritalem: habent tamen ius præcipiendi intra limites domesticæ gubernationis, ac regiminis monasterij; & subditæ sic pendent ab illis ratione voti obedientiæ, vt sine earum consensu, nequeant obligare se firmiter, seu quin obligatio modificetur conditione, Si superiores consenserint, aut saltem si non contradixerint.

CAP. XXII.

De dispensatione voti.

SVMMARIVM.

325 *Qua ratione hic sumatur dispensatio, & quod ea locum habeat in voto.*
326 *Quomodo Papa possit dispensare in voto, quod obligat iure diuino.*
327 *Relicta in Ecclesia potestas dispensandi in votis.*
328 *Talem potestatem requiri omnino ad dispensandum: & quod ea resideat immediate in Papa, & cum prærogatiua.*
329 *Quod Papa possit dispensare in voto continentiæ emisso in religione.*
330 *In Episcopis residet iure ordinario potestas in voto dispensandi cum suis subditis, restricta aliquot casuum reseruatione: & quorum.*
331 *In omnibus votis non reseruatis dispensare potest Episcopus.*
332 *Nonnulla quæ Episcopus potest circa vota Papæ reseruata; & quomodo possit dispensare in voto virginitatis.*
333 *Non potest Archiepiscopus dispensare cum subditis suorum suffraganeorum: & quod votũ de nunquam petenda dispensatione, non faciat ipsum indispensabile.*
334 *Episcopus dispensare potest in voto non nubendi, & in voto cõtinentiæ non perpetuæ.*
335 *Quod possit Episcopus circa votum religionis.*
336 *Quid circa votum perpetuæ continentiæ.*
337 *Si votum Papæ reseruatum sit pœnale, licet tutius sit pro dispensatione, ad Papam recurrere: tutâ nihilominus conscientia potest esse ille, cum quo Episcopus in eodem voto dispensarit.*
338 *Quando possit Episcopus in voto facto sub disiuncto de materia reseruata, & de non reseruata.*
339 *Qui seculares Episcopo inferiores dispensare possint in votis non reseruatis.*
340 *Qui ex regularibus idem possint: & quod non possit abbatissa, aliaue prælata monialium.*
341 *Quod præter potestatem legitimam ad validitatem dispensationis in voto (etiamsi detur à Papa) requiratur causa iusta.*
342 *Causæ iustæ, ratione materiæ.*
343 *Iustæ ratione vouentis.*
344 *Dari potest in voto dispensatio non solum ob commune, sed etiam ob priuatum bonum maius.*
345 *Obseruanda à Superiore dispensante in voto.*

IN hac doctrina passim vsurpari solet dispensationis nomẽ, prout denotat exemptionem personæ à lege, peculiari aliqua de causa factam ab habente potestatem. Vnde, *inquit Couarr. in Epit. 4. Decret. part. 2. cap. 6. §. 9. num. 1.* passim dispensare, pro legibus soluere dicimus: subindeque tali nomine vtimur pro concessione aut indulgentia, quæ contra ius à Principe impetratur. Atq; in votis habet locum, quia in illis cernitur quædam lex particularis, *quam vouens sibi indicit*, nonnunquam capax legitimæ dispensationis, perinde ac lex vniuersalis: prout annotat D. Thomas 2. 2. qu. 88. art. 10. & Sotus de iust. & iure libr. 7. quæstio. 4. art. 1. atque alij passim. 325.

Sed obijci potest quod iuxta cap. Cum inferior, De maiorit. & obedient. nullus superior, ne quidem Papa, possit relaxare ius diuinum: ac proinde nec in eo dispensare, cum dispensatio includat relaxationem. Obligatio autem voti est iuris diuini ob illius acceptationem à Deo, cui de eodem iure seruanda est fidelitas. Respondendum est autem, illud intelligendum esse de ea relaxatione, quâ iure perseuerante in sua vi, eximitur aliquis ab illius obseruatione: prout fit quando Papa cum aliquo dispensat in obseruatione ieiunij Quadragesimalis. Nam tunc contingit quod in cit. cap. habetur pro absurdo vt inferior liget potiorem; & filius potestatem exerceat in parentem: non autem cum dispensatur in voto. Nam in eo dispensans cum aliquo, non facit ei potestatẽ, vt voto perseuerante in sua vi, ipse possit ei contrauenire: sed votum tollit omnino; illud reuocans, prout rationem habet legis humanæ, quam proprius subditus imposuit sibi, obligationem interuentu acceptationis Dei inde securam auferens: remittendo scilicet illam nomine & authoritate ei à Deo ipso commissa. Ad eum nempe modum, quo Rex potest cõmittere officiali suo, vt promissiones sibi factas relaxet. Neque est quod id cuiquam mirum videatur: cum peccata, quibus multo magis efficimur Deo debitores, quam votis; possint sine violatione iuris diuini, remitti ab homine, ipsius Dei nomine, & authoritate, Christo dicente Ioannis 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.] 326.

Atque in Ecclesia esse etiam relictam potestatẽ remittendi debitum ex voto, habetur ex generali concessione ei 127.

ſpecialiter facta in D.Petro per illa verba Matth.16. Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.] Etenim contineri conceſſionem relaxandi vota in Eccleſia (quæ ſancta, fallere: & Spiritus ſancti magiſterio directa, errare non poteſt) receptus vſus dubitare non ſinit; qui eſt vt plerumque in diplomatibus Summi Pontificis quibus indulgentiæ conceduntur; condonationi pœnarum peccatis debitarum addatur poteſtas condonandi debita votorum. Accedit quod ad ſuauem Eccleſiæ adminiſtrationem, quæ ad animarum ſalutem dirigitur, ſit interdum neceſſarium vt vota & iuramenta relaxentur. Quare exiſtimandum eſt à Chriſto relictam eſſe ad id poteſtatem iis, quos conſtituit; vt ſuorum myſteriorum (ex Apoſtolo 1.Corinth. 4.) ſic & ſibi debitorum diſpenſatores: etiam ea remittendo, quando expoſcit animarum ſalus, quæ finis eſt, in quem miniſterium ipſorum inſtituit. Hanc doctrinam plenius tractatam habet Suarez de relig. tract. 6. lib. 6. cap. 9. Vbi & dicta ab aliis expendit. Sed prædicta poſſunt ſufficere ad iudicium nobis propoſitum.

Porro ad diſpenſationem in votis legitime faciendam, duo requiruntur: authoritas ſcilicet Eccleſiæ, & iuſta cauſa diſpenſandi: de quibus ſigillatim dicendum.

De authoritate diſpenſandi.

Sectio Prior.

328. AVthoritatem à Chriſto (iuxta proxime dicta) relictam in Eccleſia, ſeu Eccleſiaſticam iuriſdictionem, eſſe neceſſariam ad voti diſpenſationem, docet D. Thomas 2.2. q. 88. art. 12. & inculcant ſequaces ipſius, Palud. in 4. diſtinct. 38. quæſt. 4. art. 2. concl. 2. D. Anton. 2. part. tit. 11. cap. 2. §. 6. ſub finem, Sotus lib. 7. de iuſt. & iure quæſt. 4. art. 1. & 3. & cum eo Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 75. Deducuntque ex verbis illis D. Pauli in poſteriori ad Corinth. cap. 2. Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos, in perſona Chriſti. Hæc enim indicant Prælati Eccleſiaſtici, *tanquam gerentes vices Chriſti*, eſſe obligationes iſtiuſmodi relaxare propter commune Eccleſiæ bonum. Id quod eſſe clariſſimum, & de fide certum, ex traditione & vſu Eccleſiæ habet Suarez in memorato lib. 6. cap. 10. num. 2. Atque hinc à diſpenſatione diſtinguitur voti interpretatio, ad quam ſola ſcientia ſufficit; cum tantum pertineat eo, vt votum intelligatur non eſſe obligatorium; ſicque non tantum à Prælato ea fieri poteſt, ſicut diſpenſatio; ſed etiam à quouis alio ſufficienter erudito.

Cæterum talis authoritas in Summo Pontif. reſidet pleniſſima, ac in ſummo perfectionis gradu: accepta immediate à Chriſto, qui cum illam D. Petro dederit ad regimen ſuæ Eccleſiæ, eandem in ſucceſſoribus ipſius continuat, tanquam requiſitam ad prouidam Eccleſiæ gubernationem. Reſidet autem cum prærogatiua, vt à nullo alio in terris pendeat: quæ vero reſidet in aliis quibuſcumque Prælatis, pendeat à Summo ipſo Pontifice, qui reſpectu omnium illorum, poteſt vota ſibi reſeruare. Itemque vt vniuerſalis ſit (tanquam reſidens in Epiſcopo vniuerſali) quoad perſonas, & loca, ac etiam quoad vota. Quod certum eſt; tum quoad ſimplicia quæcumque; ſiue temporalia, ſeu emiſſa ad certum ſolummodo vitæ tempus: ſiue perpetua, ſeu emiſſa pro tota vita: & ſiue continua, quale eſt de nunquam edendis carnibus; ſiue diſcontinua, vt de non edendis carnibus omni feria 4. Eſſe quoque certum quoad votum continentiæ, quod emittitur ſuſceptione ſacri ordinis; omneſque id concedere teſtatur Palud. in 4. diſtinct. 38. quæſt. 4. art. 4. concluſ. 10. Quod quidem Sotus in citata quæſt. 4. articul. 2. poſt 5. concluſionem, bene probat ex eo, quod non alio iure quam Eccleſiaſtico tale votum annexum ſit ordini ſacro: quia ſi annexum eſſet iure diuino, nunquam licuiſſet Sacerdotibus Græcis vxores habere ad vſum matrimonij: cum iuri diuino nulla conſuetudine poſſit derogari, ex cap. finali, De conſuetudine.

329. De voto ſolemni autem continentiæ, quod in religione emittitur, an ipſe quoque Summus Pontifex diſpenſare valeat, valde controuerſum eſt. Atque in vtramque partem varios authores poſt Couarr. De teſtamentis cap. 2. num. 10. & 11. recentiores citant: & cæteros *maximo numero* Thomas Sanchez De matrimonio lib. 8. diſput. 8. num. 6. & 7. qui & affirmantem ſequuntur. Eam maxime ob cauſam, quod in dubio præſumendum ſit pro geſtis Papæ; vt pote qui peculiariter in Eccleſiæ gubernatione ductu Spiritus ſancti dirigitur. At conſtat ex variis hiſtoriis (quarum nonnullas referunt Azor in 1. parte Inſtit. Moral. lib. 2. cap. 7. quæſt. 1. & Leon. Leſſius de iuſt. & iure lib. 2. cap. 4. num. 111. in fine) cum variis eſſe diſpenſatum in tali voto. Ergo concedendum eſt, Papam poſſe in eo diſpenſare: cum contrarium non ſit certum: & credendum ſit Chriſtum Eccleſiæ ſuæ non defuiſſe in neceſſariis: ſed ſuauiter, ſufficienterque prouidiſſe quibuſcunq; neceſſitatibus illius. Vnde quia poteſt neceſſarium aliquando eſſe, aut ſaltem maxime expedire, vt authoritate Papæ cum Religioſo diſpenſetur in prædicto ſolemni voto continentiæ: non videtur negandum, quin ad id Papa ipſe ſufficiétem poteſtatem acceperit: eamque legitime exercuerit cauſa grauiſſima exigente: qualis eſt pax & tranquillitas totius regni, quæ aliter, quam ex matrimonio conciliari non poſſet, ob defectum ſucceſſoris ac hæredis legitimi. Qua in re diutius immorari non eſt neceſſarium ad noſtrum inſtitutum: cui ſufficit eam ſententiam propoſito fundamento nixam ſatis probabilem eſſe, vt tuta conſcientia poſſimus eam ſequi. Qui pluribus tractatam volet, videat Greg. à Valent. 2. 2. diſput. 6. quæſt. 6. puncto 7. & alios memoratos, referentes ac ſoluentes argumenta quæ adferri poſſunt in contrarium. Quæ ſolutiones eo recidunt fere: vt cum monacho quidem manente monacho, non poſſit diſpenſari in voto continentiæ: poſſit autem, ſi is de monacho fiat non monachus: diſpenſatio ſcilicet cum eo in votis religionis, ea ratione quæ tradita eſt in præcedenti num. 326.

Reſidet præterea iure ordinario in Epiſcopis poteſtas ipſa diſpenſandi in votis: tamen limitata ad ſubditos ipſorũ: 330.
quorum comparatione in iis quę ſunt iuriſdictionis, poſſunt quidquid poteſt Papa comparatione fidelium omnium, tanquam principes ſacrorum ab ipſo Pontifice (à quo inſtituũtur) aſciti in partem ſolicitudinis quam gerit totius Eccleſię; adeo vt in ordine ad ſubditos ſibi attributos habeant omnẽ poteſtatem neceſſariam ad eorum rectam gubernationem niſi illis reſtricta ſit: prout eſt quoad aliqua vota. Etenim quoad ſolemne votum, non modo in eo quod emittitur in religione; ſed nec in alio quod emittitur ſacrorum ordinum ſuſceptione, poteſt alius à Papa diſpenſare, prout communem omnium ſententiam eſſe notat Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 75. ſub finem.

Quod idem ſentiendum eſt de nonnullis ſimplicibus votis, quæ ipſi Summo Pontifice reſeruata ſunt, & commemorantur in Extrauag. communi. Etſi dominici. De pœniten. & remiſſ. nimirum votum continentiæ perpetuę votum religionis approbatæ (etiamſi tantum ſit de intranda religione *ex Palud in 5. concluſione paulo poſt citanda*) votum peregrinationis ad inuiſenda Romæ limina SS. Apoſtolorum Petri & Pauli: vel D. Iacobi Compoſtellæ, votum item Ieroſolymitanum. Quamuis enim non aliud quam iſtud inueniatur iure ipſo reſeruatum (per cap. ſcilicet Ex multa, De voto, iuncta gloſſa, verbo incumbit; quod etiam notat Nauar. ſub initium cit. num. 75.) attamen de ſtylo & conſuetudine Romanæ curiæ, omnia illa quinque cenſentur reſeruata eſſe Papæ, prout tradunt Palud. in 4. diſtinct. 38. quæſt. 4. art. 4. concluſ. 5. D. Anton. 2. parte tit. 11. art. 2. § 9. notabili 4. Angelus in verbo Votum 4. §. 6. Nauar. in eodem numero 75. Sotus lib. 7. De iuſt. & iure, quæſt. 4. art. 3. & Couar. ad cap. Quamuis pactum, prima par. § 3. num. 12. vbi ait eſſe communiter receptum: & recentiores ſequuntur inter quos ſatis multis de eo agit Suarez in citato lib. 6. cap. 21. Par eſt vero credere tempore D. Thomæ huiuſmodi conſuetudinem non viguiſſe; ob eamque cauſam ipſum 2. 2. quæſt. 88. art. 12. ad 3. in reſeruatorum numero poſuiſſe tantum Ieroſolymitanum, & continentiæ vota, prout in fine citati art. tertij Sotus annotat.

In aliis votis autem propter difficultatem adeundi Papam, omnibus Epiſcopis conceſſum eſt diſpenſare cum ſuis 331.
ſubditis, iuxta D. Thomam ibidem: expreſſeque habent Angelus & Sotus locis cit. ac Supplementum Gabriel. in 4. diſt. 38. quæſt. 1. colum. vltima. Quod autem Panormitan. ad cap. Propoſuit De conceſſ. præbend. num. 12. ait Epiſcopis ſolum

esse concessam votorum commutationem: dispensationem autem cuiuscumque voti esse Papæ reseruatam: satis refelli tur ex consuetudine recepta ab Ecclesia: & ex munere Episcopi, cuius ante meminimus: atque ex eo quod non nitatur sufficienti fundamento, prout Suarez ostendit in cit. lib. 9. cap. 10. num. 6. Quæ cum ita sint, inde cum Leon. Lessio De iust. & iure, lib. 2. cap. 40. num. 105. licet inferre, quod Episcopus dispensare possit, primo in voto religionis non approbatæ ab Apostolica sede; quia sine tali approbatione nō est proprie religio. Secundo, in voto continentiæ temporalis, seu aliquot annorum: nisi tot ij sint, quot & non pluribus vouens videtur posse viuere: quia tunc votum esset perpetuum. Tertio, in voto non fornicandi, aut non petendi coniugale debitum: quia tale non est votum integræ castitatis, sed tantum partis illius. Quarto, in voto suscipiendi sacros ordines, cuius adimpletioni annexum est quidem votum perpetuæ continentiæ, non est tamen votum continentiæ perpetuæ.

332. Idem Lessius addit tria digna obseruatione pro praxi. Primum est, posse Episcopum dispensare in quibusdam qualitatibus adiunctis substantiæ voti reseruati, vt si subditus vouerit ingredi religionem arctam, potest ex iusta causa dispensare cum eo, vt ingrediatur laxiorem: sicut & cum eo qui vouit pedes Romam ire ad limina SS. Apostolorum, dispensare potest, vt eat eques. Secundum est; Si Papa votum sibi reseruatum commutarit in aliud non reseruatum, posse Episcopum in hoc dispensare: quia est votum nouum non reseruatum. Tertium est, Episcopum non posse dispensare in voto virginitatis, nisi vouens intenderit, se tantummodo ad carnis integritatem obligare. Verum ea ratione non vouetur communiter virginitas, sed prout includit continentiam.

333. Quartum adde ex Palud. *in 4. distinct. 38. quæst. 4. ar. 4 conc. 8.* Sylvest. in verbo Votum, *4. quæst. 3. dicto 4.* & Soto De iust. & iure, *lib. 7 q. 4. art. 3. vers. Hæc autem:* facultatem dispensandi quam habet Archiepiscopus non extendi ad Diœceses suorum Suffraganeorum: quia cura animarum ordinaria ei incumbit tantum in sua Diœcesi. Et quantumuis ad ipsum in forensibus causis fiat prouocatio, quoad subditos suorum suffraganeorum: & dum visitat, possit confessiones excipiendo ipsos absoluere à peccato transgressionis voti; non tamen in voto ipso dispensare: quod longe diuersum est: Videri potest Suarez in seq. num. 9. Idem in hac re quod de Archiepiscopis, iudicium est aliis superioribus Prælatis infra Papam.

Dubia aliquot de Episcopi potestate dispensandi in voto.

PRIMVM EST. An in voto nunquam petendi dispensationem ab alio quam à Papa, possit Episcopus dispensare. Ad quod respondetur affirmatiue: quia tale votum est aliud à quinque reseruatis ante memoratis: & contingere potest vt eam dari expediat ad maius bonum vouentis vel Reipubl. Atque (vt idem sentiens Azor tomo 1. Moral. Institut. lib. 11. cap. 19. quæst. 15. argumentatur) nemo potest taliter vouere, vt se à legitima Superioris sui potestate eximat.

334. SECVNDVM DVBIVM EST. An Episcopus possit dispensare in voto non nubendi. De quo (etiamsi contradicat Caiet. in tomo 2. opusc. tract. 11. quæst. 1.) tenenda est pars affirmatiua, vt passim tenent moderni cum Nauarro in Enchir. cap. 12. num. 76. & Soto in 4. distinct. 38. quæst. 2. art. 1. concl. 1. sub finem, post Sylu. in verbo Votum 4. quæst. 4. in fine, Angelum in eodem verbo item 4. §. 9. & Rosellam in verbo Impedimentum 4. §. 13. Ratio vero est, quod votum non contrahendi matrimonium, non sit votum castitatis: vnde violat illud qui matrimonium contrahit, non autem qui fornicatur, vt Sotus loco cit. bene aduertit, & post eum Azor in citato cap. 19. quæst. 5. vbi quoque monet ex Nauarr. eandem sententiam Romæ seruari in sacro pœnitentiæ prætorio.

TERTIVM DVBIVM EST. Vtrum in voto continentiæ non perpetuæ, & ad tempus tantum aliquod facto, possit Episcopus dispensare. Ad quod affirmatiue respondendum est cum Paludano in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 4. concl. 5. & D. Anton. 2. par. tit. 11. cap. 2. §. 9. notab. 4. Nauar. in cit. num. 76. Ratio q; est: quia tale non ponitur in numero eorum quæ ante diximus Summo Pontifici reseruari: sed solum modo votum perpetuę continentiæ: cuius reseruatio (vt ex Sylu. Nauarrus ibidem habet) adhuc est intelligenda cum exceptione: nisi magnum adsit periculum incontinentiæ, nec Papa possit adiri.

Secus est vero de voto religionis temporali (quale est factum cum intentione probandi religionem si sibi placeat) 335.
quia votum religionis reseruatum est Papæ simpliciter, & sine restrictione. Ita ex Paludano habet D. Anton. in eodem notab. 4. Addens quod Episcopus possit dispensare cum eo, qui existens in religione laxiori, vouet arctiorem: quia hoc non est simpliciter dispensare in voto religionis, aut in voto perpetuæ continentiæ: cum ad illud vtrumque maneat adhuc obligatus. Quæ ratio confirmat etiam illud quod idem adhuc habet ibidem: quod Episcopus possit dispensare cum eo qui religionem arctiorem vouit, vt in laxiorem ingrediatur: quia & tunc, ad vtrumque votum manebit obligatus.

QVARTVM DVBIVM. An nusquam possit Episcopus 336.
in voto perpetuæ castitatis dispensare. Respondetur autem, posse cum emissum fuerit ex aliquo magno metu, vt cōmunem sentētiam esse habet Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 59. argumento cap. Veniens, Qui Clerici vel vouentes. Deinde cum tale votum fuerit conditionale, necdum impleta fuerit conditio. Ita tenet Toletus in summa lib. 4. cap. 18. sub finem, & aliis citatis sequitur ac late tractat Suarez in cit. lib. 6. cap. 22. Probatur vero, quia tale votum pendente conditione imperfectum est: nec Papa cēsetur reseruare aliud votum quam perfectum.

Postremo, quandocumque est magnum periculum incontinentiæ: nec facilis est ob paupertatem, aut aliam iustam causam, ad Papam vel legatum ipsius recursus, prout post Sylvestrum in verbo Votum 4. quæst. 4. habet Nauar. in citato num. 76. Ratioque est: quia cum necessitas tunc vrgeat, Papa non censetur intendere reseruationem; sed Episcopo permittere, vt vtatur potestate ordinaria, quam habet seposita reseruatione. Consentaneum est enim sentire de pio patre, quod nolit suam reseruationem esse in destructionem animarum, sed in ædificationem. Quando autem ad ipsum aut legatum ipsius facilis est recursus, tunc non est necessitas, ex qua ipse iudicetur nolle esse locum reseruationi.

QVINTVM DVBIVM EST. An si votum religionis 337.
sit pœnale, possit in eo Episcopus dispensare. Respondet autem Sotus lib. 7. de iust. & iure, quæst. 4. ar. 3. circa medium, si huiusmodi votum fiat sub hac aut alia simili forma: Voueo à ludo abstinere, sique contra faciam, me ingressurum religionem: Episcopum post adimpletam conditionem non posse in eo dispensare: posse autem ante adimpletam. Cuius responsionis pars posterior, patet ex paulo ante dictis. Probaturque prior hac ratione quia statim ac adimpleta est conditio sub qua imponit sibi quis pœnam in tali casu contracta est ex voto obligatio ad religionem; ideoque ad Romanum Pontificem pertinebit dispensatio in illa. Et sic partem hanc tutiorem esse dicit Couar. ad cap. Quamuis pactum 1. *part.* §. 3. *num.* 12. & in eand. cum Nauarro *in Ench. cap. 12. num. 43.* propendet Azor *in antea citato cap. 19. quæst. 13.* Nihilominus in praxi Confessarius potest contrarium sequi; nimirum quod Episcopus possit in tali casu, etiam post impletam eonditionem, dispensare. Nam id probabile est, vt Sotus ipse fatetur: & patet, tum quia multi nobiles authores qui post Sotum scripserunt, id cōtra eum tenuerunt, quorum plures Azor ibidem refert: tum quia id probatur satis bona ratione. Nempe quod cum reseruationes votorum sint contra potestatem ordinariam Episcoporum, ex interpretandæ sint stricte, vt Sotus quoque fatetur. Quia igitur per votum castitatis & religionis communiter intelligi solet, illud quod directe fit ex deuotione & affectu ad castitatem aut religionem, de illo debet intelligi Papalis reseruatio; non autem de pœnali, in quo mens & voluntas vouentis, *à qua ipsum habet vim*, non est obligandi se ad castitatem vel religionem, *ad quam alioqui non afficitur*, sed tantum cohibendi se à vitio ludendi, aliove. Qua de re late Suarez in memorato lib. 6. cap. 23.

Cum

Cum igitur vouens sub illa forma, id non faciat ex affectu ad religionem: sed tota intentio ipsius feratur ad ludum: adeo vt in voto ipso non ludendi fundetur votum pœnale ingrediendi religionem: quia Episcopus in voto de non ludendo dispensare potest *sicut & in cæteris non reseruatis*, poterit consequutione quadam, & in voto religionis emisso sub forma ea quę proposita est, dispensare: tanquam sublato scilicet fundamẽto, in quo ipsum subsistebat. Quod si quis religionem voueat tantummodo in pœnam si luserit, nec voueat non ludere, non poterit Episcopus dispensare: quia tunc vouentis intentio directe fertur in religionem: non autem in ludum cauendum: neque talis obligatio est voti non ludendi, sed ingrediendi religionem si contingat ludere. Cæterum sicut possunt eadem dubia proponi de cæteris votis reseruatis, quæ de votis religionis & continentiæ perpetuæ: ita & possunt eædem responsiones adhiberi, cum ratio difficultatis eadem sit omnium.

338. SEXTVM DVBIVM EST. An possit Episcopus dispensare in voto sub disiunctione facto, de materia reseruata, & de non reseruata: vt de castitate perpetua, vel de abstinentia perpetua à carnibus. Ad quod Azor in prima par. Moral. Instit. lib. 11. cap. 19. quæst. 10. respondet bene: si vouens nolit seruare votum de materia non reseruata, vt de nunquam edendis carnibus, opus habeat dispensatione Papali ad liberandum ipsum ab obligatione seruando perpetuam continentiam, ad quam manet obligatus. Sin perseueret in prima indifferentia; potest, sicut implere votum, seruata sola perpetua abstinentia à carnibus: ita & liberari ab illius obligatione per dispensationem ab eadem abstinentia: quam dispensationem dare potest Episcopus. Ea de re paulo plenius Suarez in seq. cap. 24.

De potestate in voto dispensandi, eorum qui sunt Episcopo inferiores.

339. HI vel sunt Prælati, vel in dignitate aliqua constituti, vel simplices Parochi. Et Prælati, vel sæculares vel regulares. Atque de simplicibus Parochis certum est non posse dispensare in votis etiam non reseruatis: cum nullam iurisdictionem officio suo annexam habeant pro foro externo: qualem requirit; dispensatio in voto cum spectet ad externum regimen subditorum. De Prælatis verò sæcularibus, quod nec possint cum sibi subditis dispensare in votis, quantumuis non reseruatis, communis sententia est; prout meminit Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 75. exceptis iis qui habuerint ordinariam iurisdictionem quasi Episcopalem: ita nimirum vt suam velut diœcesim habeant, suumque tribunal (vt pro regula tenendum esse habet Suarez De relig. tract. 6. lib. 6. cap. 10. num. 14.) qualem Archidiaconus acquirere potest per consuetudinem legitime præscriptam, ex Paludano *in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 4. concluf. 6.* D. Anton. 2. *par. tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. *colum* 3. ac Sylvest. in verbo Votum, 4. quæst. 3. dicto 7. Ac de facto acquirunt illi, qui potestatem ad id acceperunt per aliquod Papæ vel Episcopi priuilegium, aut commissionem.

Meminerunt igitur Parochi, quod non solum simplex sacerdos, sed nec ipsi possint dispensare, quando neutro eorum modorum habent dispensandi potestatem, in votis suorum Parochianorum, possunt dispensare. Id quod Sotus expressit *in præcedenti art* 3. eaque est omnium Doctorum mens ex Nauar. *in Enchir cap.* 12. *num.* 79. Et procedit etiam si vouens sit in articulo mortis; quia licet tunc possit à quouis Sacerdote absolui à transgressione voti, iuxta Concilium Triden. sess. 14. cap. 7. in ipso tamen voto dispensari nequit, nisi ab eo qui peculiarem ad id habuerit authoritatem ordinariam vel delegatam. Quod enim ad talem dispensationem authoritas eiusmodi necessaria, iam docuimus initio huius capitis. Neque sequitur si quis possit ab omni peccato absoluere, possit in voto non reseruato dispensare: namque aliud est absolutio contra votum commisso, & aliud dispensatio in ipso voto. Ita notant Sotus ibidem, & Sylvester in sequenti dicto 10.

Potest vero moueri dubium, vtrum facta alicui per priuilegium facultate commutandi vota, censeatur etiam facta dispensandi. Et contra, An facta dispensandi, censeatur facta commutandi. Illud autem tractans Suarez in memorato lib. 6. cap. 12. ad priorem quidem dubij partem aliis citatis, respondet negatiue: quia dispensatio est quid aliud à commutatione (quod constabit ex dicendis in seq. cap.) hæcque est quid illa minus, quandoquidem dispensatio tollit omnino vinculum voti, & commutatio illud solummodo transfert in aliquid aliud. Quare non potest priuilegij extensio fieri à commutatione ad dispensationem; vt nec alias, ex voluntate dandi minus, colligi potest voluntas dandi lõge maius. Ad posteriorem partem vero, affirmatiue respondet: & satis late eam persequitur.

Nobis sufficere potest eam abũde probari per illud quod habet regula 53. iuris in 6. Cui licet quod est plus, licet vtiq; quod est minus. Si enim id in aliquibus habeat locum, maxime in iis habet quæ ita subordinata sunt, vt vnum affectum sit ad alterum, tanquam pars ad totum in quo includitur: prout affectam esse potestatem commutandi vota ad potestatem in eis dispensandi; patet ex commutatione voti quæ fit in aliquid minus, atque adeo cum remissione partis eius quod debetur ex voto: eum enim certum est rationem habere cuiusdam partialis dispensationis: etiamsi non sit dicenda dispensatio, quia non tollit voti vinculum. At ille qui potestatem habet dispensandi, habet & potestatem faciendi eius generis commutationem, qui enim potest remittere totum debitum, potest & partem. Et qui potest commutare votum in minus, potest multo magis commutare in æquale: & multo maxime in aliquid maius. Ex quibus satis liquet habentem potestatem dispensandi in votis habere ea quoque commutandi.

Quod attinet ad Prælatos regulares, dubium est; An possint in votis suorum Religiosorum dispensare. Ad quod Palud. *in citato art. 4. concluf. 7.* & D. Anton. *vbi supra:* partem negantem sequuntur. Affirmantem vero Angelus & Syluester Votum 4. ille quæst. 6. & hic quæst. 3. dicto 9. Richardus in 4. *dist. nct.* 38. *art. 9. quæst.* 2. & Sotus in memorato ar. 3. Qui addit Prælatorum nomine hic comprehendi, non tantum Generales, & Prouinciales, sed etiam conuentuales Prepositos. Accedit ad eorundem sententiam Caiet. 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *sub finem.* 340.

Videtur autem esse distinctione vtendum cum Nauarr. cap. 12. num. 75. dum asserit Prælatos religionis si exempti sint, posse in Religiosorum suorum votis dispensare; non item alias. Ratio est: quia non exempti, Episcopis potius, quã illis subduntur tanquam propriis Prælatis. Ex exemptione vero sequitur, vt Superiores ipsorum participent Episcoporum iurisdictionem, in quorum loco succedentes habent illam: alioqui exemptio præiudicaret exemptis; quandoquidem priuarentur commoditate qua gaudent, qui sub iurisdictione Episcopi manent: vt non compellantur recurrere ad Summum Pontificem, quando opus habent dispensatione in votis. Videri potest Suarez in supra memorato cap. 10. num. 13. Et addi ex Azorio tomo 1. Moral. Instit. lib. 11. cap. 19. quæst. 21. tales Prælatos non posse in votis suorum Nouitiorum aliter dispensare, quam in votis laicorum: nimirum si aliquod habeant priuilegium, per quod tale quid valeant. De Abbatissa autem vel Prioriss absolute negãdum est, posse suis monialibus in votis dispensare; quia iurisdictionem illam spiritualem ad quam pertinet facultas dispensandi, eæ non habent: iuxta tradita à Soto *in 4. dist. 20. q. 1. art. 4. concl. 2. sub fin.* & à Couar. ad cap. Alma mater, 1. *par.* §. 11. *num.* 2. ac ea quæ antea habita sunt lib. 9. num. 116.

De causa dispensandi pars posterior capitis.

341. AD validitatem dispensationis in voto propter authoritatem ex parte dispensantis, *de qua hactenus dictum est*; requiri ex parte dispensati iustam causam, ex qua fieri debeat, merito cõsentiunt Doctores tam Theologi cum D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 12. ad 2. quam Canonistæ, cum glossa ad cap. Non est, De voto; *ad verbum Adimplere.* Nam vt recte D. Th. argumentatur: Cum spiritalis potestas Prælati (qui non est Dominus, sed dispensator) data sit in ædificationem, non autem in destructionem ex cap. 10. prioris ad Corith. sane per eam nequit tollere illud quod acceptum est Deo, nisi ob aliquid aliud, quod sit eidem acceptius; nam alioqui non ædificaret, promoueret ve subditum ad pietatem in Deum; sed potius destrueret, reuocaret ve ab eadem pietate.

Intelli-

Intelligitur autem istud tam de dispensatione facienda per Papam, quam de facienda per inferiores Prælatos, prout expresserunt Palud.in 4.dist.38.quæst.4.ar.2. concl.2.Caiet. in verbo Votum,cap.vltimo,D.Anton.2.pa1.tit.11.cap. 2. §. 9.notab.3. Sylu.verbo Dispensatio,quæst.3.Sotus lib.1. De iustitia & iure,quæst.vlt.art.vlt. Quod adeo verum est, vt si absque iusta causa Summus Pontifex cum aliquo dispenset in voto,non solum ipse peccet;sed etiam is cum quo dispensat, tutus non sit in conscientia,vt iidem authores adhuc annotant,& cum eis Nauar.in Enchir.cap.12.num.76. ex citata glossa,quam ad idipsum cap.Non est, Panormit.sequitur. Inde merito inferens, quod si Papa absque iusta causa cum professo dispensauerit, vt ad laxiorem religionem transiret, is non sit securus quoad Deum. Potest etiam merito inferri cum Soto in 4.dist.38.quæst.2.art.1.concl.1.quod is cum quo Papa in voto castitatis sine causa dispensauit,non maneat tutus in conscientia. Quod idem est eadem ratione, de similib. dicendum: ac multo magis cum aliquis inferior Papa in votis absque causa dispensauerit.

Verumtamen id intelligendum est procedere, quando nulla apparens adest causa dispensandi. Communiter enim receptum est,quod ibid. habet D. Thom. si causa apparens adesset ex qua dubium saltem esset, num ob eam data dispensatio sit legitima,dispensatum stare posse iudicio Prælati sui dispensantis,illiusq; iudicio suum proprium postponere.Cæterum causæ dispensandi in votis possunt tripliciter esse iustæ, prout notat Sotus 7. *De iust.& iure,quæst.4.art.3.vers. Ad istorum,* nempe ratione materiæ,ratione vouentis, & ratione boni communis.

342. Ac ratione materiæ, sunt omnes illæ ex quibus efficitur, vt maius bonum in voti dispensatione cernatur,quam in illius executione: prout Caiet.expressit in verbo Votum cap. vltimo,& D.Thomas loco citato attigit. Solet vero,*vt addit Caiet.* huiusmodi maioritas boni oriri ex eo, quod executio voti reddatur vel illicita, vel inutilis,vel maioris boni impeditiua: quas tres causas dispensationis tanquam legitimas D. Thomas posuit in memorata quæst.88. art. 10. & post cum Sylvest.in verbo Votum 4.quæst.6. Sotus in memorato art. 3.ac Nauar.in memorato item num. 76. Qui & admonet ex eodem D.Thom.id non procedere,cum clarum fuerit & apertum, aliquam ex talibus causis interuenire; quia tunc dispensatio necessaria non est, sed sufficit interpretatio,qua declaretur votum in eo casu non habere vim. Nam sicut votum non habet vim, si tunc cum ipsum fit talis est materia qualem prædiximus, *illicita inquam,aut inutilis,aut maioris boni impeditiua,* ita & postea idipsum vim suam amittit, quando materia facta est talis; *nempe illicita vel inutilis vel maioris boni impeditiua:* ac proinde non eget dispensatione, si res sit aperta. Id quod Caiet.notat 2.2. *quæst.*88.*art.*2.*Dubio Virum in differentia ponsint esse voti materia,* & in responsione ad tertium.

Aduerte vero quod hic dicitur de materia inutili,aut impeditiua maioris boni: dici æque debere de ea, quæ possit moraliter esse causa spiritalis ruinæ; quia talis occasio multũ derogat fini voti: ideoq; cauenda est per dispensationem: ne quod introductum est pro charitatis perfectione,in dispendium illius vergat. Et ita in voto nunquam peccandi mortaliter,datur sufficiens causa dispensandi ob materiã periculosam;itemq; in coniugali voto non petendi debitum,& similibus periculosis. Videri potest Suarez in sæpe citato lib. 6. cap.17.num.9.

343. Ratione vero vouentis,legitima dispensandi causa censetur infirmitas ipsius,ac debilitas ad implendum votum. Ea enim potest tanta esse (de quo dari nequit certa regula: ita vt debeat arbitrio Superioris relinqui definiendum, *inquit Nauar.in seq.num.*77.) vt non solum possit ei votum commutari,sed &ab eo per dispensationem tolli obligatio illius:prout fatentur Sot. *in eod.art.3.vers.Imo tanta:* & Nauar.*in eod.num.* 77.*insinuat*q; Caiet.2.2.*quæst.*88 *art.*12.*col.*2.

Additq; ibidem Sotus(*& in lib.*1. *De iust.& iure,quæst. vlt. art.vlt.*)quod implere votum, difficile molestumq; sit, esse vero legitimam causam in eo dispensandi, quando difficultas & molestia ex ipsa nascitur: nempe quia res est ardua & viribus vouentis impar: vt aufterum aliquod ieiunium, vel longa peregrinatio:non tamen quando ex corrupta eiusdem vouentis affectione procedit; quia cum votum instituatur ad medendum praue affectioni,hæc non potest illius tollendi causa esse legitima. Exemplum est, si quis ideo tantum molestè ferat ieiunium, quod sit deditus gulæ.

Aliæ adhuc ex parte vouentis assignari possunt iustæ causæ dispensandi votis: quales sunt, q; dubitetur de consensu vouentis, id est, quod ambigatur consenseritne in votum. Deinde quod factum sit repentina deliberatione, vt solet ex timore repẽtinorum malorũ. Vide antedicta in cap.19. sect. 2. Præterea quod factum sit ex animi leuitate aut subita perturbatione, aut facilitate in vouendo, quemad. ex Panor.& D.Ant. habet Nauar.in eod.quoque num. 77. aut metu, vi, dolove extortum sit: qua ratione emissum Ecclesia relaxat perinde ac iuramentum præstitũ de vsuris soluendis; vel præstitum latroni aut tyrãno ad vitandam illorum vexationem. Adde & quando probabiliter creditur vouentem ita affectũ esse, vt votum sæpius violaturus sit aut obliuioni traditurus. Illa enim infirmitas animi censeri potest causa sufficiens,sicut infirmitas corporis.

Denique ratione boni cõmunis,iusta causa datur dispensandi in voto; quando ipsum obstat eodem bono: vt votum 344.
ieiunij in doctore qui propter illud,concionandi aut docendi munus Reip. vtile exercere non potest; & votum continentiæ emissum à puella, quo impeditur ne matrimonium inire possit ad auertendum graue damnum Reip.aut ad tollenda ab ea multa scandala; quod est bonum maius, quam à coniugio abstinere. Addit vero Sotus,*vt & Caiet.loco cit.* bonũ illud propter quod dispẽsatur in voto, debere esse melius & pretiosius:atq; adeo iudicari magis ad Christi gloriam cõducere,quam voti materiam & vinculum simul.

Ratione autem boni tantum particularis, Sotus ibidem negat licitum esse in voto dispensare: quod Nauar.in cit.nu. 77. improbat: inquiens ad id sufficere vtilitatem priuatam, quæ talis sit vt ad Dei gloriam magis conducat, quam voti materia & illius vinculum simul. Tunc enim votum merito censetur esse de bono impeditiuo maioris. Sic votum patrisfamilias peregrinandi Ierosolymam, dispensabile est, ob grauem aliquam familiæ necessitatem, cui subuenire tenetur.

Cæterum Superiores cauere debent ne dispensatione vo- 345.
tatur sine necessitate; sicut fieret si impedimento quod votum adfert obuiare possint per illius commutationem. Etenim peccarent alioqui tanquam dispensatores infideles, vt Sotus ipse ibid.ait. Qua de re plenius Suarez in cit.cap.17. num.16. Verumtamen quando causa non est omnino iusta: ille qui potestatem habet tam ad dispensandum, quam ad commutandum votum, potest ipsum partim dispensando, partim commutando relaxare: nimirum imponendo vouenti aliquid voti siue æquale, siue etiam eo minus; ex doctrina Caiet. 2.2. *quæst* 88.*art.*12. quam approbat Nauarr. in Enchir.*cap.*12.*num.*63. Adde ex Angelo in verbo Votum, 4. quæst.12. dispensanti in voto,attendendum esse quid liceat secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediat secundum vtilitatem vel necessitatẽ. Adde etiam dispensantem in voto sine iusta causa, peccare mortaliter:quia potestate sua abutitur in re graui;illamq; excedens nihil facit,& sic decipit subditum suum, satagendo auferre ab eo vinculum,quod auferre nequit.

CAP. XXIII.

De commutatione voti.

SVMMARIVM.

346 *Quid sit votum commutare,& quid redemptio voti à commutatione differat.*

347 *Ad voti commutationem necessaria est Ecclesiæ authoritas, nisi fiat in euidenter melius.*

348 *Quid requiratur quãdo commutatio fit in bonum quod non est euidenter melius,aut euidenter est æquale.*

349 *Præter Prælati authoritatem requiritur iusta causa.*

350 *Qua ratione ad voti commutationem,æstimandum sit melius esse, aut æquale, aut deterius bonum illud in quo fit voti commutatio.*

351 *Commutans votum debet ad id habere potestatem vel ordinariam vel delegatam: qua vtraq; carens Confessarius, nihil facit si commutare tenet.*

352 *Probabile est cum per Bullas Iubilæorum Confessariis committitur facultas commutandi vota, intelligendam esse de commutatione in æquale.*

353 *Notanda pro vsu facultatis concessæ alicui ad eligendum aliquem, à quo votum ei relaxetur.*

354 *Delegatus in hac debet seruare formam sibi præscriptam, & quid circa reseruata possit, aut non possit.*

355 *De promissione facta Deo dandi aliquid certo loco, aut certæ personæ.*

356 *Considerandain commutatione votorum.*

357 *Commutationem voti fieri debere saltem in æquale.*

358 *Explicatio dubij, An semper sufficiat commutationem fieri in æquale.*

350 *Ad commutationem voti in minus bonum requiritur cum iusta causa, coniunctio potestatis dispensandi cum potestate commutandi.*

360 *Non valent dispensatio & commutatio voti, nisi prouenient à voluntate libera, tanquam actus humani.*

361 *De forma dispensandi aut commutandi vota.*

362 *Quando facta commutatione voti in quam vouens consensit, is posset id in quo illa facta est omittere, & suum votum seruare.*

346. COMMVTARE votum nihil est aliud, quam materiam de qua emissum est, mutare in aliam: vt peregrinationem in orationes, aut ieiunia, ex doctrina D. Thom. 2.2.quæst.88.art.10.communiter recepta. Solet vero commutatio peculiari nomine redemptio appellari, quando votum mutatur in pecuniam, vel in aliud quod æstimabile est pecunia: vt si votum peregrinationis ad D. Iacobum mutetur in tantum pecuniarum erogandarum in eleemosynam, quantum expendendum fuisset eundo & redeundo: prout habet Palud. *in 4. distinct. 38. quæst 4. art. 3.* Qui quamuis velit à commutatione redemptionem differre, sicut emptionem à permutatione: non videtur tamen quoad rem esse inter vtramque distinguendum; sicut nec D. Thomas loco cit. distinxit, vt bene notat Sylvest. in verbo Votum, 4. quæst. 1. sub finem.

Ex quibus sequitur, quod etiamsi per dispensationem vinculum voti soluatur: prout in præced. cap. habitum est: per commutationem tamen, & redemptionem non soluatur: quemadmodum notant Caiet. *in verbo Votum, cap. vltim.* Couar. ad cap. Quamuis pactum, *1. part. §. 3. num. 4.* & Nauar. in commentario de indulgentiis *notabili 27. num. 2.* adeo vt ex eodem Caiet. *ad cit. D. Thomæ, art. 10.* in commutatione sola materia voti transmutetur, manente eodem vinculo: atque vouens, ad id in quod commutatum est votum, teneatur ex eiusdem voti vinculo: non autem ex vi alicuius alterius præcepti. Quod idem sentit Sotus *de iust. & iure, lib. 7. quæst. 4. art. 1.* Ex eo autem sequitur Sylvestrum *verbo Votum, 4. in principio*, perperam sensisse in commutatione & redemptione, annullationem obligationis voti interuenire: nisi dicas ipsum tantum voluisse obligationem voti cessare circa illam materiam præcise, circa quam antea versabatur. Cum vero hæc ita sint apertum est plus esse dispensare in voto, quam votum commutare, quandoquidem per dispensationem tollitur voti vinculum, non item per commutationem.

De potestate commutandi votum.

SECTIO I.

347. CÆterum, vt ad votorum dispensationem, sic & ad commutationem necessaria est Ecclesiæ authoritas ex communiter recepta D. Thom. sententia in seq. art. 12. vbi eam probat: qui cum votum sit promissio Deo facta, de eo quod ipsi gratum, acceptumq; est; voti commutatio fieri debet tantum in id quod Deo gratum est & acceptum. Quid autem tale sit, pendet ex ipsius arbitrio; quod declarare spectat ad Prælatos Ecclesiæ, vices illius gerentes: de quibus dixit Luc. 10. Qui vos audit me audit.]

Difficultas est autem, cum mutatio vnius in aliud fieri possit; vel in melius, vel in æquale, vel in deterius: An eiusmodi necessitati locus sit, quando votum mutatur in aliquid certo & euidenter melius. Nam nec tunc commutationem fieri posse propria authoritate, aliqui sentiunt: plures vero sentiunt posse; vtrosque referunt Suarez in memorato lib. sexto, cap. 18. & Azor in ante citato lib. 11. cap. 18. quæst. 1. qui posterioribus merito assentiuntur. Quia, *vt bene ibidem num. 6. Suarez argumentatur*, talis voti commutatio consentanea est fini voti, qui est promouere homines ad bonum melius, & Deo gratius. Cui promotioni propria etiam authoritate consulere per eiusmodi commutationem non esse alienum à ratione patet: quia quando in promissione moraliter certum est creditorem acceptare solutionem, certum etiam est eam sufficere ad promissionem implendam. Sed certum est moraliter acceptari à Deo obsequium maius, ei delatum loco minoris: cum velit semper fieri à nobis quod melius; atque adeo ipsi gratius est. Ergo in delatione eiusmodi per voti commutationem, nihil est opus Prælati authoritate: cum hæc ex D. Thoma in citato art. 12. ideo illa requiratur ad voti commutationem; vt ipse definiat, id in quod fit voti commutatio, esse Deo gratius & acceptius. Accedit illud, ex cap. Peruenit 2. De iureiur. Non infringit propositum aut promissum, qui illud in melius commutat. Et illud in cap. Scripturæ, De voto. Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam nosci tur religionis obseruãtiam commutare. Et quod in cap. Licet, De regularibus, concedatur transitus de laxiori religione ad arctiorem non obtenta Superioris licentia.

Illud autem quod habetur in cap. 1. De voto. Ex eius 348.
qui præsidet, pendet arbitrio, vt consideret diligentius qualitatem personæ & causam commutationis. Illud, inquam, pertinet ad casum, in quo incertum est, an id in quod fit commutatio voti, sit quid melius. In quo ad voti commutationem requiri authoritatem Superioris, nemo negat: quia cum votum sit promissio facta Deo de re ei grata: in tali casu opus est exploratione voluntatis Dei, ad quam necessaria est authoritas Prælati: qua tanquam gerens Dei vices, in persona illius declaret ac determinet, an illud in quod fit commutatio, sit quid gratius & acceptius Deo.

Porro ad voti commutationem in minus bonum, necessariam esse Prælati authoritatem negari non potest: quia in illa admiscetur dispensatio, qua condonetur pars eius, quod ex voto debetur Deo. At Prælati authoritatem necessariam esse ad quamuis dispensationem voti, satis patet ex dictis in præcedenti cap. Quare erit ad propositam commutationem. Licet autem aliqui negent talem authoritatem esse necessariam ad voti commutationem in æquale, quorum Suarez meminit initio sequentis cap. 19. multo plures tamen sunt affirmantes contrarium, quos ibidem num. 3. refert & sequitur Suarez ipse, assentiturque Azor in memorato cap. 18. quæst. 2. Nec immerito; quia quoties in commutatione voti incertum est, an ea fiat in id quod est Deo gratius, authoritas Prælati est necessaria, vt satis indicant verba ante proposita ex cap. 1. De voto. Cum ergo difficillimum sit in eadem commutatione æqualitatem attingere; ita vt homines ordinarie sint de ea incerti, facileque errare possint in propria causa; non est probabile talem commutationem esse relictam vouentis arbitrio: sed potius ad eam, sicut ad cæteras, requiri Prælati authoritatem, qui Dei gerens vices, eam ipsam æqualitatem determinet.

Dehis latius pro scholastico instituto Suarez, in vtroque 349.
illo cap. 18. & 19. vbi num. 5. bene etiam docet commutationem in æquale fieri non posse absque iusta aliqua causa: quia hoc ipso quod opus, in quod commutatio fit, non est secundum se melius eo, in quod commutatur: magis cõsentaneum est excellentiæ diuinæ ac fidelitati ei debitæ, vt illud ipsum, quod promissum est, reddatur in propria sua specie. Ergo aliqua iusta causa exigitur vt secus fiat; adeoque vt debitum ex voto, commutetur in aliud, etiamsi æquale: præsertim cum id sine iusta causa factum, non habeat rationem honestatis, seu actus virtutis: ideoque præsumendum non sit Deum illud velle, taliq; debiti solutione contentum esse.

Necesse

Necesse tamen non est talem causam, grauem esse; quia parum est id, quod tali commutatione remittitur. Tantum enim est onus reddendi in propria specie, quod ex voto debetur: cum interea, *vt supponimus*, æquale restituatur, licet in alia specie. Aduerte obiter ad commutationem quæ fit in euidenter melius, non requiri iustam causam vltra eam, quam intrinsece continet, bonitatis maioris. De quo idem Suarez in cit. cap. 18. num. 9.

De eo in quo commutatur votum.

SECTIO II.

350. ILlud in quod votum commutatur, potest esse vt prædiximus, bonum melius aut æquale, aut minus. De primo notandum est, in hac re, bonum melius æstimandum esse, non tam ex eo quod sit actus excellentioris virtutis, quam ex eo quod aptius sit accommodatius ad finem vouentis. Quia Deus bonorum nostrorum non indiget, id quod ei per votum offertur, eo ipsi acceptius est, quod accommodatius vouenti, ad finem voti sibi propositum. Itaque ad votum commutandum in melius, non est consideranda sola excellentia operis, in quod fit commutatio, sed etiam vtilitas vouentis in ordine ad finem voti. Hinc qui ad carnis macerationem ieiunium vouit, sed illud commutet in orationes vel eleemosynas, non censebitur facta commutatio in maius bonum. Quia licet oratio & eleemosyna præcellant ieiunio (cum hoc sit actus temperantiæ, & illæ, actus religionis & charitatis, quæ sunt virtutes excellentiores) non adeo tamen conducunt ad carnis macerationem. Censebitur vero facta illo modo, si ieiunium recepto modo seruandum, commutetur in ieiunium seruandum sumendo tantum panem & aquam, aut in aliam austeriorem pœnitentiam, vt flagellationis vel cilicij, accommodatiorem ad domandam carnem. Hinc etiam, qui in Dei obsequium vouit, se alicui Ecclesiæ aliquid daturum, si compererit euidenter, obsequium gratius futurum, si illud in dotem dederit puellæ, quæ se alioqui prostituta est, poterit vti commutatione. Aduerte obiter tunc maxime tutum in conscientia censeri eum qui votum propria authoritate commutat, quando id facit in bonum continens illud quod vouit, & aliquid amplius; vt qui vouit ingredi religionem laxiorem, & ingreditur arctiorem; & qui vouit seruire hospitali in quo parum laborandum est, & seruit hospitali in quo ob multitudinem infirmorum est multum laborandum ad maius suum meritum; & sic de aliis casibus in quibus euidenter constat illud in quod fit voti commutatio, maioris meriti esse apud Deum tanquam ei gratius.

De secundo, hoc est, de bono æquali: aduertendum est, quod etsi valde difficile sit in commutatione voti attingere æquitatem; nihilominus commutantem debere ad eam attingendam conatum adhibere, prudenter inspectis, ponderatisque circumstantiis, prout in sequentibus dicetur. Quod si bona fide seruet commutando, valida erit commutatio, etiamsi ea forte fiat in minus bonum: quia facultas ad istiusmodi commutationem, *tanquam moralis*, latitudinem requirit ad suum exercitium, in quod vix aliter exire posset: ita vt cum de contrario non constat, censeatur non aberrasse; aut si parum aberrasse deprehendatur, pro nihilo reputetur. Ita Suarez in citato cap. 19. num. 9. Addens, quod si sit tam de excessu quam de defectu dubium, æqualitas adesse censeatur, quando ipsum in vtramque partem vergit æqualiter: quia per humanum arbitrium nihil potest certius iudicari.

De tertio demum, hoc est, de bono minori iudicandum est, non tam ex eo quod sit minus excellens, quam quod sit minus accommodatum ad voti finem: sicut de eleemosyna ad carnis macerationem est minus accommodata, quam ieiunium.

De commutante.

SECTIO III.

351. DE commutante notandum est: quendam esse ordinarium qui ex officio quod gerit regendi alios, potestatem habet commutandi votum: vt censetur habere omnis ille, de quo dictum est in præced. cap. potestatem habere dispensandi in voto. Quendam vero esse delegatum, vt est is cui aliquis ex ordinariis commisit faciendam vice ipsius commutationem. Vbi aduerte pro praxi quod cum iuxta ante habita in sect. 1. alterutra earum necessaria sit ad talem commutationem, patere eam non posse fieri arbitrio iudiciove Confessarij, qui ne delegatam quidem habuerit. Nec enim potest ratione sacramenti pœnitentiæ, quia votum non est illius materiæ, cum non sit peccatum: nec ratione doctrinæ & prudentiæ eiusdem Confessarij. Nam inde dici potest quidem idoneus ad iudicandum de æqualitate seruãda in commutatione voti; non tamen ad faciendam ipsam commutationem; sicut nec potest alius perinde doctus & prudens, qui non est Confessarius.

Aduerte quoque dubium esse, an cum in Iubilæis aut alias 352.
Confessario datur sine restrictione facultas commutandi vota, id intelligi possit de ea etiam commutatione quæ fit in minus bonum. In vtramque partem Suarez in memorato cap. 19. num. 7. authores refert, & negantem veriorem indicat: addita moderatione, quam paulo superius attigimus seruandam in iudicando de æqualitate quam istiusmodi commutatio requirit. Fundamentum illius est, quod etsi priuilegia fauorabilia sint, extendenda tamen non sint vltra verborum proprietatem: & commutationis verbum proprie significet mutationem in æquale: præsertim cum habeat rationem contractus oneros, id vnus non debet grauari, præ alio, ne iustitia violetur. Accedit, quod commutatio in minus bonum requirat coniunctionem facultatis dispensandi, cum facultate commutandi, cum pars debiti condonetur in ea: quod est facultatis dispensandi: quæ non contingit nisi ipsa expresse detur, iuxta tradita in præced. num. 339. Et confirmatur quia si contingeret, is qui potestatem habet delegatam votum commutãdi, posset illud commutare in quoduis minus, ad instar ordinariorum, adeoque simpliciter dispensare, quod nemo dixerit.

Aduerte tertio, Cum quis facultatem habet, vt Confessa- 353.
rium eligat, qui cum ipso dispensare possit in aliquo voto, non censeri cum eodem dispensatum, nisi electus dispenset actu: quantumcumq; pro potestate sibi commissa, ab omnibus peccatis, & censuris ipsum legitime absoluerit, indulgentiasq; concesserit, ex Nauar. in Enchir. *cap. 12. nu. 79.* Et ratio est, quod relaxatio voti, nec culpæ, nec pœnæ remissio sit, sed alterius debiti, vt de se constat.

De ipsa facultate eligẽdi personam, quæ possit vota commutare vel in eis dispensare, Suarez in eod. lib. 6. cap. 16. agit multis. Duo vero præcipue occurrunt notanda pro quotidiana praxi. Alterum est ex parte eius cum quo dispensandum est: nempe vt eligat personam præditam qualitatibus illis, quas in adultum seu rescriptũ exigit: vt quod sit Confessarius, in aliquo certo gradu constitutus, & ab Ordinario approbatus: cuiusmodi qualitates exigi solent in delegationibus ad dispensandum in votis religionis, aut castitatis. Alterum est ex parte dispensaturi, nimirum vt seruet formam in concessione præscriptam: ad quam cum restricta sit facultas delegata dispensandi, nisi ea seruetur, excedentur illius limites, ac proinde irritus erit conatus. Quænam autem sit talis forma, colligendum est ex verbis rescripti, quo facultas conceditur. Solet autem potissimum præscribi examinatio causæ necessariæ ad iustam dispensationem: cætera quæ non præscribuntur expresse, censentur relicta prudentis arbitrio. Intellige autem quæ de dispensatione dicimus, pariter dicta de commutatione: quia in hac re, vtriusque ratio eadem est.

Documenta quædam notanda commutanti vota.

SECTIO IV.

354. IS vero qui prædictam potestatem habet, dum vti vult illa, quorumdam documentorum meminisse debet. Primum est, vt is cui concessa est ab Ordinario potestas commutandi votum, formam concessionis obseruet; adeo vt facienda sit commutatio, in vtilitatem horum vel illorum locorum, aut personarum, nec aliter: si in facultate id exprimatur: vt notat Nauarr. in Enchirid. cap. 12. num. 79. versu Monemus.

Secundum est: Cum ea sit vis reseruationis casuum, vt inferiores nihil in eis possint, ex Concil. Trident. sess. 14. cap. septimo, in fine: illos quos in præced. cap. Papæ quoad dis-

pensatio-

pensationem reseruatos diximus: pariter dicendos esse quoad commutationem reseruatos. Dubitatur autem; An per generalem à Papa factam concessionem commutandi vota possint reseruata commutari. Ad quod esse respondendum negatiue, satis significat Suarez in eodem lib. 6. cap. 26. sub finem. Et probatur: quoniam talis concessio interpretanda est iuxta regulas iuris: inter quas 81. in 6. sic habet: In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter concessurus. Ex qua regula in cap. Si Episcopus, *De pœniten. & remiss. in sexto*, probatur: quod si Episcopus suo subdito generaliter concedat facultatem eligendi sibi Confessarium, non ideo possit electus absoluere in casibus eidem Episcopo reseruatis. Adde ex Extrauag. Etsi dominici 2. sub finem, De pœnitent. & remissionibus, talium votorum commutationem non concedi nisi ex speciali causa, & certa scientia Papæ.

Aduerte nihilominus non esse negandum, quin talis concessio ad vota peregrinationum reseruata extendatur, quando in bulla eiusdem concessionis (vt plerumque solet in bullis quibus per modum Iubilæi indulgentiæ conceduntur) vota castitatis & religionis excipiuntur. Receptum est enim exceptionem firmare regulam: seu efficere vt ipsa locum habeat in omnibus casibus minoribus eo, qui excipitur, sicut sunt casus obeundarum peregrinationum reseruatarum, casibus seruandæ perpetuæ castitatis, & amplectendi religionem. Vbi aduerte obiter quoad casus maiores eo qui excipitur, non firmari similiter regulam. Et ita si ab eiusmodi concessione exciperetur votum peregrinandi ad SS. Apostolorum limina, non esset censenda concessa facultas dispensandi in voto peregrinationis ad loca sancta Ierosolymis, quæ censetur longe maior, vt longe difficilior.

355. Tertium est ad cõmutationem votorum, quibus aliquid promissum est Deo, dandum certo loco aut certæ personæ; non requiri consensum illius qui commodum accipere deberet: imo nec facta dispensatione aut commutatione, necesse esse aliquid ei dari. Ita habet ex D. Thoma, Angelo, Sylvest. & Caietan. Nauarrus *in Enchir. cap. 12. num. 78.* & post ipsum Azor. 1. part. lib. 11. cap. 19. quæst. 12. communemque esse, *aliis adhuc pro ea citatis*, habet Suarez in eodem lib. sexto, cap. 15. num. 3. eam consequenter tractans: & ante eum Nauar. ipse in tract. De reditibus Ecclesiasticis quæst. 1. monit. 60. Præcipua autem ratio est, quod per talia vota perinde ac per alia, obligatio contrahatur tantum eum Deo, ex cap. Magnæ, De voto: cum illis aliis vero non item, nisi ex accidenti, & materialiter: cum non habeant rationem personarum concurrentium ad naturam contractus; sed tantum externarum circumstantiarum: quo fit vt non sit eis acquisitum, sed tantum Deo, cui soli vouens se adstrinxit.

Vnde inferre licet, talis voti perinde ac alterius non reseruati, commutationem fieri posse priuata authoritate in bonum euidenter melius: vt si Deo voui me daturum centum in commodum certi monasterij, videns pauperes in annonæ penuria mori fame, possum in eorum subsidium illa donare, tanquam in opus tunc euidenter gratius Deo. Quod si votum emissum sit in conformationem alicuius promissionis factæ alicui personæ, quæ eam acceptauerit, ideoque ius acquisierit in re promissa, ipsum non poterit commutari sine eiusdem personæ consensu: quia commutatio cederet in illius præiudicium, fieretque illi iniuria: nisi quod possit propter publicam necessitatem, cogi iure suo cedere. Hanc quoque communem assertionem habet Suarez in sequen. num. 7. Addens in numero vndecimo, tam eidem, quam præcedenti locum esse, non modo comparatione ordinariæ potestatis dispensandi; sed etiam potestatis delegatæ, absolute concessæ ad tollenda vota. Quia enim ratione potestatem ordinariam habens potest, vel non potest tollere voti obligationem; potest vel non potest per alium à se delegatum.

356. Quartum est, *de quo in præcedenti num. 77. Nauarr. ex Angelo in verbo Votum*, 4. §. 12. commutanti votum considerandam esse vouentis qualitatem: nempe si commutet votum peregrinationis, spectando expensas quas vouens pro sua conditione faceret eundo & redeundo, iuxta cit. cap. Magnæ, (*de quo Suarez in seq. cap. 19. num. 20.*) vltra eas quas domi erat facturus: illas conuertat in alia pia opera: laborem vero itineris, in ieiunia & orationes. Item quoad alia vota personalia, quæ in pecuniam aut aliquid pecunia æstimabile commutantur: quando emissa fuerint à pauperibus, minus imponat pro illorum redemptione, quam si essent à diuitibus emissa: videlicet habita ratione qualitatis personarum; pauperi enim solutio paucorum nummorum plus est, quam diuiti multorum: ac plus etiam apud Deum, ex cap. 12. Marci sub finem, & ex cap. 21. Lucæ in princip.

Quoad vota realia autem, conuenit ea fieri in aliquid reale, nisi paupertas obstet, aut euidenter constet ad maius Dei obsequium spectare, vt loco voti aliquod pium opus fiat. Aduertere adhuc oportet quod Suarez habet in eodem cap. 19. num. 21. in voti commutatione seruandam esse, quoad fieri potest, illius conditionem: non tamen esse necessarium: & ita nihil obstare quin votum conditionale mutari possit in absolutum cum aliqua diminutione quantitatis; vt qui vouit se in eleemosynam daturum octo, si nauis appulerit salua, mutari poterit in solutionem quinque; tantundem valentium, *quia certa sunt*, ac illa octo, quæ sunt incerta. Nec item obstare quin votum de danda quotannis certa eleemosyna per totam vitam, redimi possit vna magna eleemosyna: in iudicio viri prudentis adæquet illam quotannis repetendam.

Quintum est, quod paulo superius attigimus, & Caiet. verbo Votum, cap. vltimo, Sylvest. Votum 4. quæst. 8. dicto 2. & Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 63. expresserunt: votum debere commutari in æquale. quo modo reducendum sit ad praxim, non posse certis documentis doceri: sed tanquam varium ex varietate circumstantiarum relinqui prudentis arbitrio, ex illis iudicantis vitiata omni fraude & lata culpa. Ponderandæ sunt autem ab eo, *inquit loco citato Suarez*, conditiones personarum, qualitates operum in ordine ad diuinum cultum in primis: deinde in ordine ad bonum commune, vel vtilitatem proximorum, præsertim spiritalem: maxime autem ipsius vouentis: præterea in ordine ad merendum coram Deo, vel ad satisfaciendum pro peccatis; & demum in ordine ad vitanda peccata futura, & eorum occasiones. 357.

Versatur autem in quæstione; An semper sufficiat commutationem fieri in æquale: an vero necessarium aliquando sit fieri in melius, vt valida censeatur. Sylvest. loco citato existimat, quando ex parte vouentis non ex alia causa cõmutandi, quam voluntas ipsius, non esse satis eam fieri in æquale: sed requiri vt commutatio fiat in aliquid melius. Secus vero si intercedat causa commutandi: vt impotentia, vel incommoditas seu difficultas implendi quod promissum est: quia tunc sufficere potest commutationem in æquale fieri. Idem etiam docet Nauarr. *in citato num. 63.* Sed magis placet dicere cum Caiet. *in cit. cap. vltimo, & 2. 2. quæst. 88. art. 12. versu In commutatione*: de iuris rigore, sufficere commutationem fieri in æquale, etiamsi nulla commutandi causa interueniat quam vt vouenti misericorditer à commutante condescendatur in persona Dei: cui non displicet gerentem vices suas gratiosum se præbere ei, qui suæ maiestati sponte se obligauit; præsertim cum gloriæ diuinæ nihil inde detrahatur: quandoquidem non vinculum, sed sola materia commutatur; idque in aliam, *vt supponimus*, Deo æque gratam, & ad quam exequendam promptior est voluntas vouentis, vt non quasi gemens sed hilaris soluat promissum: quandoquidem hilarem datorem diligit Deus, 2. ad Corinth. cap. 9. Quamquam vt ille addit in eodem cap. vlt. vt commutans tutior sit, conari semper debet vt commutet in aliquid, parum saltem melius. 358.

Vt autem in aliquid minus bonum commutare possit cum iusta causa & potestate commutandi, in ipso requiritur potestas dispensandi, vt cum commutatione misceatur dispensatio, cuius virtute à vinculo voti subtrahatur illud quod ab æqualitate deficit. Quæ doctrina est eiusdem Caiet. in cit. art. 12. & Nauar. in memorato num. 63. ac Soti de iust. & iure lib. 7. quæst. 4. art. 3. circa medium. 359.

Postremum est: ad valorem tam commutationis quam dispensationis; necessario requiri, vt ea ex libera commutantis aut dispensantis voluntate procedant: sunt enim actio- 360.

nes humanæ, quæ liberum agentis consensum requirunt. Vnde fit, vt si constet sufficienter Prælatum tantum finxisse, nec intentionem huiusmodi commutandi, commutationem esse nullam. Similiter si contigerit ipsum deceptum fuisse, siue exponendo ei falsum, siue tacendo ei verum: per talem enim fraudem & errorem dispensatio aut commutatio est inuoluntaria: quandoquidem Prælatus non esset dispensaturus aut commutaturus, si veritas fuisset ei expressa, aut res sine falsitate narrata. Videndus est Suarez in sæpe memorato lib. 6. cap. 27.

361. Vbi inter cætera habet sub finem, necessarium quidem esse dispensantis voluntatem sufficientibus signis manifestari exterius, quoniam ea non potest aliter innotescere & operari inter homines: attamen nullam formam præscriptam esse, à qua dispensationis aut commutationis validitas pendeat; neque id fuit necessarium, sed relinqui potuit arbitrio Prælati: quem nihilominus est consentaneum verbis potius, quam alio signo vti, tanquam institutis ad aperienda aliis animi nostri sensa. Quam doctrinam habet Palud. *in 4 distinct. 38. quæst. 4. art. 4. concl. 2.* & post eum D. Anton. *2. part. tit. 11. cap. 11. §. nono, & Syluester in verbo Votum, 4. quæst. 8. dicto primo.* Ex qua intelligitur, quod Nauar. habet in Enchir. cap. 12. nu. 80. Sacerdotem cui confitetur aliquis habens priuilegium, quo potest cum ipso dispensare in voto, non censeri dispensasse eo ipso, quod post legitime factam confessionem, ipsum absoluerit ab omnibus peccatis suis, & censuris, quoniam talis absolutio non prouenit à voluntate dispensandi in voto, aut illud commutandi, quæ fuerit expressa exteriori signo.

362. Tandem facturi finem monebimus illud quod latius tractat Suarez in eodem libro cap. 20. cum commutatio fieri possit, tum in bonum melius, tum in æquale, tum in minus: factam in melius sic seruandam esse, vt vouenti qui illam acceptauit non sit liberum relicta materia in quam facta est commutatio, resumere eam de qua fecit votum. Ratio est: quia acceptatio talis commutationis vim habet noui voti, quo acceptans obligauit se ad reddendum Deo aliquid melius, quam antea promiserat. Vnde hoc implere velle illo relicto, est virtute commutare votum ex meliore in minus bonum, quod non licet. Sic enim is qui vouit clericatum, & tale votum mutauit in votum religionis, non potest sine dispensatione religionem non ingredi, contentus clericatu. Factam autem commutationem in æquale bonum non obstare quin vouens possit satisfacere voto, implendo quod vouit, relicto eo in quod commutatum fuit ipsius votum. Ita citato Azorio idem author ibidem numero quarto statuit. Et ratio esse potest, quod talis commutatio merito videatur facta in fauorem vouentis, tanquam gratia quædam, *sicut paulo superius proposuimus*: atque adeo non immerito dici possit eiusmodi commutatio eo sensu facta, vt vouenti liceat adhuc si velit votum in sua materia implere, cum in eo nec repugnantia nec iniustitia cernatur: vt nec cum dispensator ei qui domino suo aliquid liberaliter promisit, gratioſe permittit, vt aliud æquale, & ipsi domino perinde gratum det si velit. Factam denique commutationem in minus bonum, non obstare, quin votum possit in sua materia impleri, patet; quia sicut illa est bonum melius, ita est & Deo gratius.

TRACTATVS IV.
vt præcedentis appendix.

De statu Religiosorum.

QVONIAM voto potissimum Religiosorum status constat: conuenienter de eo præcedenti subiungitur tractatus. Ad quem spectant quæ habentur in secunda parte decreti causa 18. 19. & 20. & in reliquis iuris canonici partibus, quæ habentur quinque titulis: quorum primus est de regularibus & transeuntibus in religionem. Secundus, de conuersione coniugatorum. Tertius, de statu monachorum & regularium. Quartus, de religiosis domibus. Quintus, ne clerici vel monachi sæcularibus negotiis se immiscent: Quibus accedit Concilium Tridentinum multis in locis quos Azor collegit in prima parte Moral. Institut. lib. 12. cap. 18. De eodem vero post Diuum Thomam 2. 2. in quatuor vltimis quæstionibus, agunt præter Summularios in verbo [Religio, aut in verbo] Religiosus, & in verbo [Nouitius] multique alij: & inter cæteros ad iudicium de peccatis nobis propositum accommodate Nauarr. in quatuor commentariis seu tractatibus de regularibus tomo primo suorum operum, & Azor in citato lib. 12. & seq. 13. apud quem, & adhuc apud Emanuelem Rodericum in tribus tomis quæstionum regularium relinquemus videnda, quæ sunt particularia diuersorum ordinum religiosorum: contenti communibus, ex quibus Parochus aut alius audiendis confessionibus expositus, *cuius instructionem intendimus*, habeat vnde non censeatur cæcus cæcum ducere, religiosi confessionem audiens, sicut nonnunquam ei datur occasio. Primo autem dicemus de requisitis ad statum Religiosorum. Secundo, de iis quæ incumbunt religionem ingressuris. Tertio, de iis, quæ ingressis. Quinto de iis, quæ egressis.

CAP. XXIV.
De requisitis ad statum Religiosorum.

SVMMARIVM.

363 *De nomine Religiosi & necessitate votorum paupertatis, castitatis, & obedientiæ ad statum religiosum.*
364 *Religiosus status præter eadem vota, requirit Sedis Apostolicæ approbationem.*
365 *Ad statum Religiosorum, nec illa tria vota sine istiusmodi approbatione, neq; hæc sine illis sufficere potest.*
366 *Tria memorata vota esse solemnia, non est necessarium ad statum religiosum.*
367 *Ratio eius rei.*
368 *Solutio eorum quæ in contrarium obijci possunt.*
369 *Tres vitæ spiritalis modi: ex quibus distinguuntur tria genera ordinum Religiosorum.*
370 *Inter varios ordines religiosos quis cui præstare censendus sit.*

363. PRÆNOTANDVM est, Religiosos quidem dici posse omnes qui sancte ac pie Deum colunt: eo quod religionis virtus sit, qua Deo cultus debitus exhibetur: per antonomasiam tamen quandam Religiosos in Ecclesia nominari consueuisse eos qui peculiari vitæ instituto, & nominatim tribus votis paupertatis, castitatis & obedientiæ se totos diuino cultui addixerunt. Vnde illorum status requirit tanquam necessariam conditionem eadem tria vota: quæ ea de causa religioni essentialia esse dicuntur. Ratio vero talis necessitatis est, quod is status sit hominum tendentium ad perfectionem, consistentem in coniunctione cum Deo fine ipsorum vltimo. Quæ quidem coniunctio fit per charitatem, iuxta illud primo 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo:] atque illud ad Coloss. 3. Super hæc autem omnia charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.] Iam vero ad charitatem habendam, & vt quis Deum perfecte diligat, debet se totum ei tradere, omniaque talis dilectionis impedimenta remouere, ad quod vtrumque consequendum, opus habet obedientia castitate, & paupertate perpetuis, quibus Deo se omnino tradat: per obedientiam quidem quoad animum: per castitatem vero, quoad corpus: & per paupertatem quo ad bona externa.

Impedimenta vero sunt mundanæ cupiditates: iuxta illud 1. Ioan. 2. Si quis diligit mundum non est charitas Patris in eo; quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.] Quibus verbis significat tres esse impedimentorum charitatis quasi fontes: qui vt obstruantur tribus memoratis virtutibus est opus: castitate quidem, vt obstruatur concupiscentia carnis: paupertate vero, vt concupiscentia oculorum: & demum obedientia, vt superbia vitæ. Non sufficiunt autem eædem virtutes ad religiosum statum, nisi ad eas votum accedat, quo promissione facta Deo obstringat se quis ad

earum

earum perpetuam obseruationem: quia religio, prout de ea loquimur, status quidam est consistens in conditione vitæ immutabili ex D. Thom. 2.2. *quæst.* 183. *art.* 1. Vide Azorium in 1. par. Moral. Instit. lib. 11. cap. 23. & Leonard. Lessium De iust. & iure, lib. 2. cap. 41. dubit. 1.

364. Requirit quoq; religiosorum status (quod plenius iidem ibidem tractant) vt approbatus sit à Summo Pontifice. Ratio est, quia is nequit esse supra communem Christianorum statum, *cuius obligationi obseruandi diuina præcepta, superaddit obligationem obseruandi consilia diuina*: nisi modo peculiari à Christo descendat (mediante scilicet ipsius in terris Vicario Summo Pontifice; perinde ac descendunt cæteri gradus Ecclesiastici, & iurisdictiones spirituales) iuxta illud Apostoli ad Ephes. 4. Ex quo omne corpus compactum & connexum per omnem iuncturam submin strationis, &c. Atque inde est, quod in statu religioso peculiariter vsitatũ sit, vt religiosus obediat Prælato tanquam Christo; in eoq; ille Christum intueatur, vt in eo qui potestatem à Christo habet ad gerendum per eam, vices ipsius.

Accedit quod Ecclesia seuere prohibeat vllum religionis nouum ordinem instituisine approbatione Sedis Apostolicæ. Sic enim ex Concilio Lateran. sub Innocentio III. habetur in cap. finali, De religiosis domibus. Ne nimia religionis diuersitas grauem in Ecclesia Dei confusionem inducat: firmiter prohibemus ne quis de cætero nouam religionem inueniat. Quam constitutionem Concilium Lugdunense renouat, prout refertur in cap. Religionum, eodem tit. in 6. vbi de ea sic dicitur: Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret generale concilium consulta prohibitione vetauit. Et paulo post subiungitur: Repetita constitutione districtius inhibentes ne aliquis de cætero nouum ordinem aut religionem adinueniat. Id quod vsus ostendit intelligendum esse de adinueniente mandando executioni inuentam, sine Summi Pontificis approbatione. Nam constat post talem cõstitutionem nouas religiones fuisse approbatas ab ipso Summo Pontifice (quod nemo improbare audeat) approbari autem non potuisse nisi iam inuentæ eidem proponerentur.

365. Hinc autem sequitur, nullum statum vitæ, post Concil. Lateran. institutum, quantumuis perfectum, & tribus ante dictis votis perpetuis munitũ, nisi sit approbatus à Summo Pontif. esse veram religionem: sicut neq; est, quantumuis viceuersa approbatus sit à Summo Pontif. si non liceat eadem tria vota perpetua. Qua de causa militares ordines qui matrimonio vtuntur, religiones simpliciter esse negat D. Thom. 2.2. *quæst.* 186. *art.* 4. *ad* 3. (de qua re Azor plenius *in* 1. *par. Moral. Instit. lib.* 13. *cap.* 3. *quæst.* 2. & 3.) ita vt non sufficiat cum eadem approbatione vnum talium votorum habere, vel etiam duo: v.g. votum obedientiæ, non autem paupertatis & castitatis, aut vota obedientiæ & castitatis, sed non paupertatis. Quamquam istiusmodi aliquem statum complectens in materia fauorabili, in qua verba sumuntur in lata significatione, comprehenduntur sub nomine Religiosorum: nõ item in materia odiosa, in qua voces proprie accipiuntur. Secus vero quãdo status vitæ fuerit ab Ecclesia permissus quidem, non tamen approbatus: quia talem sequentes, ne quidem in fauorabili materia comprehenduntur nomine Religiosorũ: cuiusmodi sunt eæ, quæ iuxta cap. Indemnitatibus, §. penul. de elect. in 6. vocantur Canonicæ seculares. Item quæ eæ quæ Beguinæ, quarum mentio habetur in Extrauag. vnica, De religiosis domibus.

366. Cæterum sicut tria illa vota ad statum religionis vere proprieque dictum requiruntur: ita etiam ad illum constituendum sufficiunt hoc ipso, quod in aliquo ordine per Sedem Apostolicam approbato emittuntur tempore & modo debito; neque Ecclesiasticis institutis cõtrario: siue illa sint solemnia, siue simplicia: ita vt non repugnet aliquem vere proprieque Religiosum esse, quantumuis votum solemne seu professionem non fecerit, sed solum triplex votum simplex perpetuæ paupertatis, castitatis, & obedientiæ. Ad cuius rei confirmationem Gregor. à Valent. 2. 2. disput. 10. quæst. 4. puncto 2. assert. 5. adfert authoritatem Summorum Pontificum, qui nostræ Societatis institutum approbarunt. Eorum aliquot bullas ad rem præsentem facientes habet Azor in cit. lib. 13. cap. 7.

In cæteris enim, idipsum nostrum institutum continet, vt qui absoluto biennio Nouitiatus, modo apud nos consueto, tria proposita vota simplicia emittunt, eo ipso desinant esse Nouitij; ita vt censeantur eo ipso cooptati esse in statu Religioso per Sedem Apostolicam approbato. Id quod est abunde declaratum à Gregorio XIII. in Bulla quam loco cit. Azor habet versus finem. Et confirmatur per illud Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. De reformat. regul. idipsum institutum approbat: ac tanquam pium commendat, nominatim quoad morem ipsum emittendi absoluto nouitiatu, vota illa tria non solemnia sed simplicia: per quæ is qui emittit desinit esse Nouitius, & incipiat vere ac proprie esse Religiosus. Postquam enim statuit, vt finito tempore nouitiatus Superiores quos Nouitios habiles inuenerint ad profitendum, admittant, aut è Monasterio eos eiiciant, subiunxit hæc verba: Per hoc tamen sancta Synodus non intendit aliquid innouare, aut prohibere quin religio Clericorum Societatis IESV iuxta pium eorum institutum, à sancta Sede Apostolica approbatum Domino & eius Ecclesiæ inseruire possint.

367. Rationem reddit Gregor. à Valent. ductam ex ipsa natura religiosi status; in quo aliquis vere ac proprie constituitur per hoc, vt quamcum immobilitate, & ceremonia, actione ve externa (ex qua res pateat Ecclesiæ iudicio) totus per votum pauperatis, castitatis, & obedientiæ diuino obsequio addicatur in certo vitæ genere, & instituto. At quin possit cum emissione votorum simplicium adesse ceremonia seu actio externa, ex qua Ecclesiæ pateat de illa; nulla ratio datur dubitandi. Quod vero eadem emissio ad iudicandum status vitæ immobilitatem sufficiat, hinc constat: quia non est in eius qui prædicto modo vota memorata emiserit, arbitrio positum retrocedere, seque eximere ab eo vitæ genere, cui per illa se addixit. Ea enim sunt promissio perpetua, perinde ac professio, ideoque obligant in perpetuum ab eo instanti, quo emissa sunt; non secus ac cum quis promittit alicui se in perpetuum ei seruiturum; vere eo ipso se mancipat eius seruitio atque ab illo tempore seruus eius est. Nec refert quod possit quis liberari à conditione talis status. Nam ad immobilitatem status vere & proprie dicti, non requiritur vt nullo modo possit quis de eo dimoueri, sed tantũ vt ab eo nequeat suo arbitratu liberari. Sic enim is qui est in vere proprieque dicto statu seruitutis, ideo est tantum, quod non possit ab eo pro arbitratu suo se liberari. Nam manumitti potest à domino suo, & liberæ conditionis fieri. Imo, & qui professionem, seu vota solemnia emisit in religione approbata, ex rationabili causa potest authoritate Summi Pontific. ab eodem statu liberari: vt ipse Gregor. à Valent. bene ostendit in præced. disput. 6. quæst. 6. punct. 7. vt & Azor in 1. par. Moral. Instit. lib. 12. cap. 7.

368. Verumtamen quia communis vsus in Ecclesia fuit; vt qui religiosum statum sequerentur, vel Nouitij essent vel professi: authores (quorum meminit Azor *in præced. lib.* 11. *cap.* 23. *quæst.* 3.) dixerunt Religiosum vere & proprie neminem esse, nisi solemni trium votorum professione deuinctum: significantes scilicet, non sufficere ad eum statum, quod quis religionem ingressus, factus sit Nouitius; prout habetur ex cap. Religioso, De sentent. excommunicat. in 6. §. Quamuis. Cætera autem quæ in contrarium obiici possunt soluuntur dicendo, rationem religionis proprie vereque dictæ, esse quidem vnam, consistentem in antedictis votis & Sedis Apostolicæ approbatione: tamen varias esse determinationes ipsius ad varios illos instituti vitæ modos, ex quibus pendet diuersitas & multitudo quæ in Ecclesia cernitur Religiosorum ordinum. Pro quo vide Lessium De iust. & iure, lib. 2. cap. 41. dubit. 2.

369. De quibus omnibus in particulari quæ difficultatem videntur habere, Azor persequitur in cit. lib. 12. à cap. 19. & toto lib. 13. Tantum notabimus eos ad tria genera reduci iuxta tres modos quibus Deum diligere, eique seruire possumus. Primo quidem inhærendo ipsi per cõtemplationem: secundo, seruiendo ei in membris suis per actionem: vt alendo pauperes, suscipiendo peregrinos, armis protegendo Ecclesiam: tertio obsequium est præstando per coniunctionem cõtemplationis cum actione, id est, pari cura & diligentia posita in actionis & contemplationis studio. Ex his enim modis tria

genera distinguuntur ordinum Religiosorum: vnum eorum qui solam vitam contemplatiuam profitentur: vt institutus à S. Brunone, Carthusianorum aliique similes. Alterum eorum qui profitentur solam vitam actiuam: vt ordo equitum Melitensium & aliorum qui Deo inseruiunt, Ecclesiam armis protegendo, aut ægrotorum curam gerendo in Xenodochiis, aut alia misericordiæ corporalia erga egentes exercendo, gratum Deo obsequium præstant. Tertium denique eorum, qui profitentur vitam ex contemplatione & actione mixtam: videlicet vacantes tum sibi, meditatione diuinorum, curando adhærere Deo; tum etiam proximo, sacramentorum administratione, aliisque spiritualibus remediis salutem eius procurando. Tales censentur ordines instituti à Sanctis Dominico, Francisco, nonnullisque aliis et iam nostris temporibus.

370. Atque primum genus præstare secundo, & vtroque eo tertium præstantius esse D. Thom. 2.2. quæst. 188. art. 6. definit, quia vita contemplatiua (excepto casu necessitatis) potior est vita practica, prout in præced. quæst. 182. art. 1. ipse probat: tum per illud Lucæ 10. Martha Martha sollicita es & turbaris ergo plurima. Porro vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea:] tum per rationes quibus Aristot. idem ostendit in 10. Ethic. cap. 7. & 8. Vita vero mixta potior est quam contemplatiua, quia (*inquit D. Thomas in art. 6. ante memorato*) sicut illuminare maius est quam lucere solum: ita maius est contemplata tradere aliis, quam solum contemplari. Accedit ad confirmationem exemplum, tum Christi, tum etiam Apostolorum qui accenderunt lucernam, non vt ponerent eam sub modio, sed super candelabrum, vt alios illuminarent. Accedit quoque status Episcoporum, qui cum sit status perfectionis, vitam mixtam requirit.

In eodem vero genere, ordo ille prior censeri potest: primo, qui maxime excellit in obedientia: cuius votum potissimum esse inter vota religionis, præclare docet D. ipse Tho. 2.2. quæst. 186. art. 8. quem satis familiariter perspicueque loquentem qui volet videre potest. Secundo, ex eod. D. Thoma in seq. 188. art. 6. censeri potest in eodem genere ordo ille potior, qui ordinatur ad præstantiorem actum instituti vitæ, quod ipse amplectitur. Sicq; inter ordines amplectentes vitam actiuam, præstantior est ille qui instituitur ad redemptionem captiuorum, quam qui ad receptionem hospitum. Tertio, ex eodem D. Thoma ibidem is quoque potior est qui ad plura charitatis opera ordinatur quam alius: vel qui habet statuta conuenientiora ad consequendum finem sibi propositum. Qua de re videri potest Gregor. à Valent. 2.2. in fine: & plura de istiusmodi comparatione particulari. Azor in præced. lib. 11. cap. 24. vt & de comparatione status religiosi cum statu Episcoporum & Parochorum: in quibus immorari non videtur necessarium ad nostrum institutum.

CAPVT XXV.

De ingressuris religionem.

SVMMARIVM.

371 *Non est quidem necessarium per se longa deliberatione vti ante ingressum religionis; est tamen per accidens.*

372 *A Deo petendum consilium per preces, &c. & à seipso per probationem propriarum virium.*

373 *Non est illicitum inducere aliquem ad ingressum religionis, nisi id fiat metu incusso.*

374 *Aut largitione munerum simoniaca, aut mendaciis, aut si inductio sit ad monasterium in quo male viuitur.*

375 *Quatenus alicui, religionis ingressum dissuadere liceat.*

376 *Potest quiuis ingredi religionem non habens impedimentum, siue personale siue reale: ac quando illud contingat.*

377 *De impedimento matrimonij & Clericalis status Episcoporum, non aliorum Clericorum.*

378 *Varia debita realia impedientia ne quis religionem ingrediatur.*

379 *Ad quid teneatur is, qui certum monasterium se ingressurum vouit, si in eo non admittatur.*

380 *Ad quid item qui vouit absolute aliquod religionis genus, aut vniuerse religionem, aut dissolutam.*

381 *De eo qui recusatur admitti, nisi literas, aut artem discat: & eo qui vouit absolute religionem, & in particulari aliquã, eo cui superuenit impedimentum.*

382 *Qui fecit votum religionis non satisfacit suscipiendo Episcopatum, sicut ingrediendo religionem perfectiorem. Quatenus vero ingrediendo æque perfectam aut minus perfectam.*

383 *De libertate quam habet religionem ingressus, egrediendi intra annum probationis.*

QVINQVE quæstiones hoc loco tractandæ occurrunt. Prima, An sit opus magna deliberatione vti, ante ingressum religionis. Secunda, An liceat alium inducere ad talem ingressum. Tertia, An liceat eundem ingressum alicui dissuadere. Quarta, An quilibet possit ingredi religionem. Quinta, Ad quid teneatur qui vouit religionem ingredi, nec admittitur.

QVÆSTIO I.

An opus sit magna deliberatione vti ante ingressum religionis.

HANC tractat D. Thom. 2.2. quæst. vlt. art. vltimo: optime respondens; quod ex parte religionis ac per se, non 371.
sit opus magna deliberatione: quia status est valde laudatus (*quod aduersus impugnantes religionem idem D. Thom. bene ostendit in opusculo 19. & aduersus sectarios nostri temporis late tractat Gregor. à Valent. 2 2 disput. 10. quæst. 4. puncto 1.*) & in quo sperantes in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, Isaiæ 40.] Is ipse Dominus est, qui apud eundem in seq. cap. 49. ait: Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui: etsi illa oblita fuerit; ego tamen non obliuiscar tui.] Qua promissione facta ab eo qui optimus, omnipotensque est, nec fallere potest: nihil maius & efficacius requirere potest quis, ad confirmandam spem, qua super illum curam suam, iuxta Psalm. 54. versum 23. omnemq; suam solicitudinem in eum proiiciat, iuxta D. Petri monitum in prima sua Epist. cap. 5. versu 7. Hinc in epistola ad Paulinum circa finem ait D. Ieronym. Festina quæso te, & hærenti in salo nauiculæ funem magis præscinde, quam solue.] Vide Azorium in catato lib. 12. cap. 1. quæst. 1.

Ex parte ingressuri vero, & ex accidenti contingere possit vt magna sit opus deliberatione, maturoque consilio ad ingressum religionis: vt exempli gratia, quando multa adsunt impedimenta, ex parte ipsius ingressuri: qualia sunt infirmitas corporis, onus quo grauatur debitis, aut aliud eiusmodi. Item quando quis in particulari deliberat quam religionem ingredi debeat, hancne potius quam illam. In quo casu monet D. Thom. non esse capiendum consilium à quibusuis, sed à viris probis & doctis, qui prodesse possint nec obesse velit.

Omnino vero expedit volenti intrare religionem, vt à 372.
Deo cõsilium capiat per orationes, ac frequentationem Sacramentorum, & lectionem librorum piorum, auditionemque verbi Dei: atque vt seipsum probet diligenter an sit animo paratus, viresque habeat sufficientes ad præstanda omnia quæ religio requirit, ne humeros supponat oneri, cui nõ sit ferendo. Qua de re Dominus nos monitos esse voluit, proponens Lucæ 14. duas parabolas: quarum vna est de volente ædificare turrim, qui prius computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum; altera est de Rege qui iturus committere bellum aduersus alium regem, sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se. Itaque vt post Caiet. ad cit. D. Thomæ locum habet Nauarrus in Enchir. cap. 12. num. 49. religionem ingressurus, sed bene dispositum inuenire sic debet, vt in Deo totam suam fiduciam collocet, sperando quod eius auxilio valebit quodcumque religionis onus sustinere: neque eam prius ingredi, quam superet sibi (saltem post ingressum) præstitum iri tali fiduciam; vtpote necessariam ad subsistendum in statu in quo est colluctatio, assiduumque bellum aduersus mundum, carnem propriam, & Diabolum hostes potentissimos.

Qvæ-

QVÆSTIO II.

An liceat inducere alium ad ingressum Religionis.

373. AD hanc respondet D. Thom. in cit. quæst. vlt. art. 9. id non solum illicitum non esse, sed etiam meritorium esse. Id enim est hominem ab errore viæ suæ reuocare, & ad perfectionem mouere. Vt autem habetur in fine Epist. D. Iacobi, *secundum vnam lectionem*; Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ seruabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.] In tribus tamen casibus, vt D. Thomas addit, peccatur grauiter tali inductione.

Primus est, cum quis per violentiam inducitur ad religionem: quod prohibetur in cap. Præsens, 20. q. 3. & in Concil. Trid. sess. 25. cap. 18. De regularibus, excommunicantur omnes illi, qui mulieres ad ingressum religionis cogunt, præterq; in casibus iure exceptis. Quos aduerte esse, primum quidem, cum quis sponte vouit religionem, is enim compelli potest ad tale votum implendum; sicut is qui sponsalia contraxit compelli ad ineundum matrimonium. Secundum vero, quando coniux sciens iuris dispositionem eam, de qua dicetur in explicatione sequentis quæstionis, consenserit vt alter profiteretur: si enim de manente in sæculo habeatur suspicio, quod non seruabit votum continentiæ cui se adstrinxerit ad hoc, vt alteri pateret in religionem ingressus, compelli potest ad pariter intrandum, iuxta cap. Significante, De conuersione coniugatorum, per argumentum à contrario sensu: Cum enim illic statuitur, talem personam non esse compellendam intrare monasterium, si illius ætatis sit, de qua suspicio incontinentiæ haberi non possit: statuitur quoque tacite, si suspicio incontinentiæ haberi possit, compellendam esse intrare. Tertium demum casum (iure inquam exceptũ) esse cum quis commisit crimen propter quod detrudendus est in monasterium. Verumtamen neque in hoc, neque in præcedenti casu quis potest ad professionem; quæ perinde ac matrimonium requirit liberam electionem; cum quisque in statu vitæ deligendo sit liber. Quod adeo verum est, vt nemo compelli possit ad amplectendam religionem Christianam, quantumcumq; necessariam ad æternam salutem. Nec vero frustra erit talis inclusio: quia vni erit remedium aduersus incontinentiam, & alteri pœna imposita in satisfactionem pro suis peccatis.

Excommunicantur quoq; ibidem à Concil. Tridentin. omnes qui consilium, auxilium, vel fauorem dant prædictis compellentibus mulieres religionem ingredi; aut qui scientes eas non sponte ingredi, eidem compulsioni præsentiam vel consensum interposuerint. Aduerte vero, quod etsi professio (prout habetur ex cap. 1. De iis quæ vi metusve causa fiunt) non animo, sed tantum verbis facta, ob metum mortis ab alio incussum, inualida sit, neq; impediat matrimoniũ: nihilominus iam ex Concil. Trid. in seq. cap. 19. ille qui intra quinq; annos post professionem, non ostenderit se coactum vi vel metu (& quidem antequam abiiciat habitum) causasq; quas prætendit deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario, compellitur in monasterio manere.

374. Secundus casus in quo peccatur proposita inductione, est; quando quis alium muneribus simoniace inducit. Id quod prohibetur 1. quæst. 2. cap. Quam pio: atq; contingit quando intercedente pacto, vnus alium muneribus ad religionem trahit; non vero quando id facit sine pacto, sed ex charitate, intendendo proximi salutem; vt si quis scholasticum egenũ alat ad religionem, aut munusculis sibi alicuius amicitiam conciliet ad eundem finem.

Tertius est, cum quis ad religionem inducitur mendaciis & blanditiis. Inde enim (quod malum est) creatur periculum, ne deceptum se esse detegens, retrocedat: sicque nouissima illius peiora fiant prioribus: præsertim cum ex cap. finali, 20. quæst. 3. si professionem fecerit, teneatur eam seruare; & bona sua hæredibus reddere, nec monasterio relinquere.

Quartus casus addi potest, cum quis inducit alium ad ingressum religionis dissolutæ, in qua male viuitur. Nam id esset peccatũ, sicut & in talem religionem ingredi, in eaq; recipi, quantumcunq; ea toleretur ab Ecclesia. Quæ sententia est communis, vt tuentur Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 45. Ratio vero peccati est, quod in eo præbeatur occasio peccandi aliorum imitatione & impulsu: atq; peccandi grauissime, cum talis dissolutio vix inueniatur sine violatione votorum.

QVÆSTIO III.

An liceat dissuadere alicui ingressum Religionis.

375. QVoniam talis dissuasio impletatem quandam censetur continere (maxime quando ex hæretico spiritu fit, existimando statũ sæcularem præstantiorem esse religioso) non videtur dubitandum quin sit illicita, & graue peccatum; nisi fiat iusta aliqua de causa; vt satis patet ex eo quod Concil. Trident. sess. 25. cap. 18. De regularibus, subiiciat anathemati illos qui sine iusta causa impediunt fœminas volentes ingredi religionem. Ea autem iusta causa non est temporalis aliqua, vt consanguinitas, aut alia huiusmodi; sed sola spiritalis: nimirum maior spiritalis vtilitas: siue ipsius dissuadentis ingressum, siue ingressuri: atque adeo maior Dei gloria. Exempla ponit Nauar. in Enchirid. cap. 12. num. 45. Quod volens ingredi religionem sit coniugatus, & sine vxoris consensu velit id facere. Item quod per ingressum ipsius, religio detrimentum capiet, non vtilitatem. Præterea, quod ipsemet dissuadens multum commodi spiritualis ad honeste, pieque viuendum accipiat ex ingressuri consiliis. Addi potest, quod habeat parentes in ea necessitate pressos, in qua debeat illis subuenire: aut quod idem ingressurus, valde mutabilis sit, nec videatur perseueraturus, aut quod idem ineptus sit ad religionem ad quam aspirat. Qua de re iudicandum est consideratis ac bene ponderatis circumstantiis loci, temporis, conditionis & qualitatum personæ.

Si quæras an is qui alicui sine iusta causa dissuasit religionis ingressum, teneatur ad aliquam restitutionem. Respondetur negatiue, quia etsi peccet contra charitatẽ, non tamen contra iustitiam: nec enim facit iniuriam dissuasio, cum ex reg. 27. iuris in 6. scienti & consentienti non fiat iniuria: nec lædit religionem in suis rebus; quia is qui nondum ingressus est religionem, nondum ad eam pertinet.

QVÆSTIO IV.

An quilibet possit ingredi religionem.

376. QVemlibet posse religionem ingredi, nõ dubitatur: cum Euangelica cõsilia, ad quorum obseruationem religio adstringit, sint omnibus data à Christo. Attamen excipiendi sunt casus ij, in quibus interuenerit impedimentum, vel propriæ infirmitatis, siue corporis siue animi, per q̃ iudicio viri prudentis actimentis Deum, aliquis est ad religionem ineptus; vel impedimenttum iniuriæ proximi cui aliquid debeatur, quo illum iniuste fraudaret ingrediendo religionem.

Quale debitum duplex esse potest; vnũ personale; quando persona non est sui iuris sed subest alteri, & ideo sine ipsius consensu nequit religionem intrare. Alterum vero reale, quando persona libera est quidem, sed debet alteri pecuniam vel suam operam, qua fraudaret illum per ingressum suum in religionem. Hincque ratione prioris debiti: primo filius ante decimum quartum annum, sine patris consensu religionem intrare non potest; post decimum quartum vero, posse etiam inuito patre bene probat D. Thom. 2. 2. quæst. vltim. art. 6. & constitutum habetur, 20. quæst. 2. cap. 1. & 2. Veruntamen D. ipse Thom. in fine eiusdem articuli casum excipit in quo pater premeretur egestate necessariorum ad vitam, quæ de iure naturali filius tenetur illi suppeditare. Quam exceptionem communi consensu receptam esse annotans Azor *in 1. part. Moral. Institut. lib. 12. cap. 1. quæst. 8.* addit idem iuris esse in patre, si filium habeat graui egestate laborantem, item in fratre qui sororem haberet expositam periculo se prostituendi, si ab eo desideratur. Secundo, seruus perpetuus qui emi & vendi potest, religionem ingredi nequit domino suo non consentiente, ex cap. Generalis, distinct. 54. De qua re in præced. quæst. 3. plenius Azor: sed nos in ea immorari nihil est opus, cum non sit in his partibus vsitata.

Tertio, nec maritus inuita vxore, nec vxor inuito marito 377. potest

potest intrare religionem post matrimonium consummatũ, ex cap. Quidam, & cap. Placet, De conuers. coniugatorum. Idem iuris est, si vir profiteatur religionem vxore consentiente per metum vel dolum, ex cap. Accedens, & ex cap. Veniens eod. tit. nisi ipsa post datum talem consensum adulterarit; tunc enim ex eodem cap. Veniens, maritum repetere non potest, sicut potest in duobus præcedentibus casibus: in quibus vir tenetur quidem petenti reddere debitum coniugale; sed illud petere nequit, ob votum castitatis emissum. Cuius differẽtiæ ratio est, quod in reddendo, potestati vxoris subsit, & in petendo sit sui iuris, quod à se abdicare potuit per votum castitatis.

Si quæras, quid iudicandum sit si vxor nec consentiat nec dissentiat, sed solum dissimulet, & ipsa moriatur interea. Respondetur cum eodem Azorio alios citante *in eod. cap. 1. q. 6.* ratam esse professionem sic factam, neque taliter professum, posse ad seculum redire. Pro quo facit cap. Consuluit, De conuers. coniug. addita ratione, quod hoc ipso, quod vxor non repetiit virum cum posset, iudicetur consensisse vt permaneret in religione. Reliqua eo spectantia Thomas Sanchez late persequitur lib. 7. De matrim. disput. 32. & aliquot seqq. apud quem videnda, cui libuerit relinquemus breuitatis studio.

Postremo Episcopus religionem intrare non potest sine Papæ licentia, ex cap. Licet, §. Illa De regularib. Inferior autem Episcopo potest sine huius facultate: imo & eo inuito, ex cap. final. 19. quæst. 2. Et cõfirmatur per illud quod in præced. quæst. 1. cap. vnico, Episcopi prohibentur impedire Clericorum suorum ingressum in Religionem. Beneficium autem ingressi, non ante vacare quam fecerit professionem expressam vel tacitam; habetur ex cap. Beneficium De regularibus in 6.

378. Iam ratione debiti realis qualiter impediatur quis religionem ingredi, explicatur aliquot propositionibus. Prima est: Quando quis obligatus est ad ratiocinia Reipub. impeditur religionem ingredi, nisi prius ab illis se expediuerit ex cap. 1, distinct. 53.

Secunda est, obligatus ad ratiocinia priuatorum hominũ, non impeditur quidem absolute ingredi religionem, relinquendo suis hæredib. ea expedienda; satius est tamen ipsum illa prius expedire. Hæc est Sylu. in verbo Religio 2. quæst. 6. & satis de se nota.

Tertia est, Obligatus ad actionem aliquam, vt ad legendum in schola, cõcionandum in templo, seruiendum in Xenodochio, etiamsi cum iuramento se ad eam adstrinxerit, potest religionem ingredi: nisi inde scandalum notabile immineat. Hæc etiam est Syluest. in præced. quæst. 5. Et probatur, quia propositum aut promissum non infringit, qui illud mutat in melius, ex cap. Peruenit, De iureiurand.

Quarta propositio: Qui sponsalia contraxit, & iuramento confirmauit, se matrimonium contracturum, potest ingredi religionem, etiamsi consultius sit, vt matrimoniũ prius contrahat, & ante illius consummationem ingrediatur. Hęc patet ex cap. Commissum De sponsalibus, vbi videnda est glossa verbo Tutius.

Quinta propositio est: Non impediri simpliciter aliquem ab ingressu religionis ex eo, quod pecuniam creditoribus debeat. De hac non dubitatur quidem si debeat ex sola liberalitate, aut si debita sint incerta, id est, si debitor nesciat in particulari cui debeat: aut si debitor talis sit, vt non possit creditoribus satisfacere, quantumcunque maneret in sæculo. Dubitatur tamen si habeat debita certa, seu quorum nouit creditores, ac quibus possit successu temporis satisfacere per suam artem, aut alio modo. Qua de re quid in praxi sequendum videatur iam tradidimus in præced. lib. 15. num. 255. De eadem etiam videri potest Azor in par. 1. Moral. Inst. lib. 12. cap. 1. quæst. 5.

QVÆSTIO V.

Ad quid teneatur qui vouit ingredi religionem, nec admittatur.

SIcut matrimonium sponsalia præcedunt, quibus vir futuras nuptias pollicetur fœminæ: ita votum ingrediendi religionem præcedere potest ipsum ingressum. Quod ex se bonum esse, docet ex instituto D. Tho. 2. 2. *q. vlt. ar.* 2. etiamsi illud facere non expediat semper, præsertim sine spiritualis patris consensu; neque est quis facile ad illud faciendum inuitandus, vt Caiet. ibid. monet, & post ipsum Nauar. in Enchir. cap. 12. num. 46. Quæstio autem proposita, *quam Azor persequitur in 1. part. Moral. Instit. lib. 11. cap. 22.* explicari potest sequentibus propositionibus.

379. Prima est. Si quis vouit se ingressurum certum aliquod monasterium, neque ibi admittatur, eximitur omnino à voti obligatione. Hæc est expressa D. Thom. sentent. 2. 2 *quæst. 88. art. 3. ad secundum, & 189. art. item 3. ad* 2. quam Doctores communiter sequuntur. Probatur vero: ex eo, quod talis nõ teneatur ad aliud, quam ad id ad quod intendit se obligare: quãdoquidem causa limitata producit limitatum effectum, vt Nauar. loco citato bene argumentatur. Neque est quod cum Paludan. *in 4. distinct. 38. quæst. 4. art. 1. conclus. 3.* obiiciat quis, taliter vouentem seipsum obligasse ad relinquendum seculum, ideoq; recusatum à religiosis talis domus, teneri aliam quærere, vt viuat extra seculum. Respondetur enim; ex determinatione intentionis pendere in hac re determinationem obligationis: quia votum non extendit se extra vouentis intentionem, & ex hypothesi, intentio vouentis in hoc casu non fuit alia, quam adstringendi se ad talem religiosam domum.

Procedit autem hæc doctrina, *vt Nauarrus notat initio sequentis num.* 47. quantumcunque vouens non seruum promiserit ingressum religionis, sed etiam perseuerantiam, & se professionem in illa facturum. Et ratio est, quia tota hæc res dependet ex arbitrio eius cuius est promissionem factam admittere aut repudiare. Repudiando autem reddit impossibilem talis voti executionem, & consequenter tollit omnem illius obligationem.

Si quæras, an sufficiat semel esse repulsum. Respondetur negatiue: nisi repulsa facta sit simpliciter. Nam quando apparet factam esse tantum ad tempus, oportet adhuc expectare, rursumque vrgere ex Caiet. 2. 2. *quæst. 88. art. 3. col.* 3. non tenetur tamen indicare votum quo se adstrinxit, vt docet Azor *in cit cap. 22. quæst. 9.* Cæterum is quidem qui tantummodo intendit adstringere se ad ingressum certi monasterij, si in eo repulsam patiatur, non tenetur aliud eiusdem ordinis monasterium exquirere, prout Sotus ait *in 7. de iustit. & iure, quæst. 2. artic. primo circa 3. argumentum*, & iam ante attigimus.

Sed tamen is qui votum non restrixerit ad tale monasterium præcise, sed vouendo prætenderit principaliter se obligare ad aliquod religionis genus, solummodo ex consequenti eligens sibi eiusmodi monasterium, tanquam sibi cõmodum, si non recipiatur in eo, tenetur quærere aliud eiusdem ordinis. Quæ est D. Thomæ doctrina 2. 2. *quæst. vlt. art. 3. ad* 2. communiter recepta. Cuius fundamentum est, quod tunc primaria intentio vouentis non fuerit determinata ad talem particularem locum.

380. Secunda propositio est. Qui vouit absolute aliquod religionis genus, aut religionem vniuersę, non liberatur ex eo ab obligatione sua, quod ad vnum aliquod monasterium accedens, passus sit repulsam; sed accedere tenetur ad alia, quæ voto suo pariter comprehenduntur. Hæc quoque est D. Thomæ ibid. & communiter recepta, & de se clara; quia latius patet intentio taliter vouentis, quam vouentis ingressum certi monasterij. Intelligenda est autem, locum tunc habere cum spes fuerit, quod alibi recipiendus sit, de quo poterit interrogare eos, à quibus repellitur. Monet vero Sotus loco cit. *& Azor approbat in præcedenti quæst.* 1. quod etiamsi quis suam intentionem non restrixerit, sed absolute vouerit, non teneatur tamen omnes regiones peragrare: quia votum obligat tantum secundum intẽtionem vouentis, nec in dubio credendum est vouentis intentionem fuisse, vt obligaret se ad quærendas religiones extra suum regnũ & linguam: quandoquidem, *ait Sotus*, ius naturæ, docet eiusmodi vota intra proprium regnum & linguam adimplenda esse; vt indicio est quod vix inueniretur qui religionem voueret, si ea de causa deberet viuere in extera natione, cuius linguam ignorat.

Id quod attingentes Angelus & Sylvester, *ille Votum, 3. quæst. 10. & hic Religio, 2. quæst. 16.* addunt pari ratione: quod si in sua patria reciperetur in vna vel pluribus religionibus, de

quibus

quibus probaliter credit, quod si cogitasset vouēdo, non obligasset se ad earum ingressum; non teneri illas ingredi, quādoquidem ad eas specialiter, neque actu neque virtute intentio ipsius se extendit. Si quæras, an in tali casu omnes conuentus religionis illius quam vouit teneatur explorare, ac se offerre intra propriam prouinciam. Respondet Sotus satis esse explorasse quinque aut paulo plures: quia tunc morali modo, tota religio censetur explorata; cum ex paucis illis conuentibus cæterorum intra regnum, iudicium venari liceat. Verum tutius est dicere, quod si vouens nihil circa hoc apud se statuerit (alias enim suæ intentioni stabit) teneatur percurrere ea monasteria in quibus spes sit receptionis. Et ideo repulsam pati in vno monasterio interdum sufficiet ob defectum dictæ spei: si nimirum ex illo vno possit sumi indicium de alijs monasterijs. Interdum vero ob talem spem affulgentem, teneatur plura adire monasteria, quam dicat Sotus: ita vt magis in hac re spectanda sit spes probabilis receptionis, quam numerus monasteriorum.

Si rursus quæras, An alicui satis sit passum esse repulsam à generali aut Prouinciali ordinis religiosi quem vouit, vt censeatur omnino liber ab eo voto. Respōdet Azor *in 1.par. Moral. Instit. lib. 11. cap. 22. quæst. 2.* satis esse, quando totum ius admittendi est penes tales: aut quando inferioribus: illi imperant ne eum recipiant; alias non esse satis.

Tertia propositio est. Qui vouit se ingressurū religionem in qua non seruatur regula, & cum dissolutione viuitur, nec probabile est quod breui reformabitur; nec illam nec vllam aliam ingredi tenetur. Ratio est, quia votum ipsius fuit de materia illicita, ideoque nullum. Quæ doctrina est Nauarr. in cit. num. 46. Ex qua sequitur, ne quidem eum qui vouit religionem in genere, debere huiusmodi religionem ingredi, quando non esset alia quæ vellet ipsum recipere.

381. Quarta propositio. Qui vouit se ingressurum religionem, nec recipitur, quia indoctus est, aut quia nullam scit artem, non tenetur ex vi votiliteras vel artem, quæ ab eo requiruntur, edisscere: si nihil de talibus meminerit vouens. Quod addo: quia si tunc cum vouit, sciuerit se non aliter admittendū ad religionem, aut sic affectus fuerit ad religionem, vt si id ipsum sciuisset, nihilominus eam vouisset, censendus est teneri: quia tunc virtualem habuisset intentionem ad id tacite consequenterq; vouendum.

Hanc post Sotum Azor approbat *in eodem cap. 22. quæst. 4. in fine*: prius tractato dubio. An is qui religionē absolute vouit, teneatur eam ingredi, si in gradum tantum laicorum Superiores velint eum admittere, & ipse velit admitti in gradū & ordinem Clericorum. Cui satisfacit eadem distinctione quæ proximo allata est.

Quinta propositio. Si quis ita vouit religionem vt voluerit se obligare & religioni in genere, & alicui certæ in particulari: prius cæteris debet hanc ingredi (nisi vellet ingredi perfectiorem iuxta post dicenda) & inde repulsus alias adire. Hæc est Soti *lib. 7. de iust. & iure q. 2. art. 1. circa tertiū argumentum*, & ex præcedentibus facile deducitur.

Sexta est. Qui vouit ingredi religionem aliquam, & ei superuenit impedimentum propter quod nequeat ingredi; verbi gratia, infirmitas perpetua incompatibilis cum tali religione aut probationem ingressus, ejicitur sine sua culpa, vel propter culpam quam emendare non potest, vt propter homicidiū alias comissum, liber omnino est à voto. Hæc quoq; est Soti, & ex præcedentibus deducitur. Patetq; ex eo quod impossibilium non sit obligatio, adeoq; in eiusmodi votum censeatur subintellecta conditio. Nisi obstet aliquod impedimentum.

382. Septima est. Quamuis Religiosus professus possit fieri Episcopus, ille tamen, qui religionis ingressum vouit, non satisfacit voto Episcopatum suscipiendo, sed prius debet religionem intrare, quam Episcopus fieri: alioquin peccabit mortaliter. Hæc habetur ex cap. Per tuas, De voto & voti redemptione. Nonnulla, quæ in contrarium facere videntur, refert & soluit Azor in cit. capit. 22. quæstio. vltima.

Octaua propositio est. Qui vouit aliquam determinatam religionem potest perfectiorem ingredi. Hanc habent D. Anton. 3. part. titul. 16. cap. 2. §. 4. & Angelus Votum 3. §. 16. Confirmantq; tum cap. Licet, De regularibus, tum doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. vlt. art. 8. tum etiam, quia votum alioqui esset maioris boni impeditiuum, contra cōmuniter receptam de eo doctrinam: in eo fundatam, quod alioqui non esset gratū Deo, tanquam reuocās ab eo quod perfectius est. Si quæras, An æquè perfectam ingredi quoq; possit? Azor bene respondet *in eod cap. 22. quæst. 12.* non posse priuata authoritate: quia tunc cessat ratio illa, quod votum esset impeditiuum maioris boni.

Nona est. Qui vouit se ingressurum strictiorem religionem quantumuis laxiorem ingrediens mortaliter peccet, faciendo professionem in illa: tamen facta professione potest in eadem laxiore manere; nec tenetur strictiorem ipsam ingredi. Hanc habent Angelus *in sequen.* §. 17. Sylvest. Religio 2. q. 18. Nauarr. in Enchir cap. 12. numer. 48. ex cap. Qui post votum, De regularibus in 6. Et ratio est, quam Azor habet in cit. quæst. 12. quod professionem faciens, se religioni sic tradat, vt in ipsum ea acquirat ius, per quod alteri se tradere impeditur. Ante factam vero professionem obligatio prædicti voti perseuerat, quoniam vouens adhuc est sui iuris: ita vt implere illud sit positum in ipsius potestate.

Vltima propositio est. Qui vouit se religionem ingressurum; si intra annum probationis videt religionem sibi non conuenire, libere exire potest; votoque satisfeciisse censetur. Hæc est D. Thom. in cit. quæst. vlt. artic. 4. Palud. in 4. dist. 38. q. 4. art. 1. concl. 2. D. Anton. in memorato §. 4. Syluest. in sequenti qu. 19. atq; aliorum quorū meminerunt Couar. ad cap. Quamuis pactum de pactis parte 1. §. 3. sub finem, & Azor in prima parte moral. instit. lib. 11. c. 22. qu. 6. Procedit autem nō modo cum vouerit ingressum experiendi tantum causa, & reseruata libertate remanendi, vel non remanendi; sed etiam cum vouerit simpliciter ingressum, absq; eo quod cogitarit de libertate egressus, vel de perpetuitate remansionis. Ratio est: quia tunc etiam ad ingressum religionis obligatur solummodo secundum formam iuris: quæ est, vt ingredientibus detur annus probationis ad experiendum num religio sibi conueniat; vt possit eam deserere, si inuenerit nō sibi conuenire. Imo censeri quoq; potest procedere, quantumcunq; voto de ingrediendo adiunxerit propositum remanendi in ipsa religione: dummodo enim sincere ingrediatur, animo scilicet probandi eam, & in ea permanendi, si inueniat sibi conuenire, potest libere egredi, si iudicet eam minime sibi conuenire: etiamsi nulla alia de causa moueatur, quam quod ille viuendi modus ipsi displiceat, tanquam sibi incommodus, asper, & durus, ex Nauar. in fine præced. n. 47. Et ratio est, quia ius ei reliquit liberrimū egressum, vt patet ex cap. 1. & 2. de regularib. in 6. Quamquam, *vt loco citato bene ait Azor*, recedens absq; legitima causa, censetur peccare in eo, quod animi quadam leuitate, à vitæ in stituto quod cœpit, temere desistat. 383.

Aduerte vero ex D. Thoma *in citato art. 4. ad 3.* illum non satisfacere voto, quod fecit ingrediendi religionem, si eam ingrediatur animo statim ab ea exeundi, nisi postea bona fide perseueret in experimento religionis. Ratio est: quia tale votum, etsi factum sub conditione egrediendi, nec permanendi (cum sit vana ac stulta promissio) non obligat tanquam inualidum: si tamen absolute fiat, nihil obstabit quin absolute quoque obliget ad instar cæterorum votorum absolutorum. Ille enim peruersus animus, quem vouens habuerit non faciendi quod potuerit ad illius obseruationem, extraneus est voto, ideoq; relinquit ipsum in suo vigore perinde ac peruersus animus, quo quis vouet intendens non implere votum.

Restat dubitatio, An ille etiam intra annum probationis possit exire à religione, qui non tantum vouit se ingressurum, sed etiam se perseueraturum in ea. Atque in vtramque partem authores Azor refert in eodem cap. 22. quæst. 8. Cæterum ante Concil. Trident. quidem, parti neganti locus esse potuit, si is qui vouit, intentionem habuerit renunciandi priuilegio, quo ingrediens religionem beneficio iuris, libertati suæ relinquitur in anno probationis. Nam cum quilibet renunciare valeat iuri quod pro se introductū est, *prout habetur in cap. Statuimus, De regularibus*, non fuit ei

liberum egredi, si vouendo, intentionem habuerit renunciandi prædicto priuilegio, quia vouit quod erat in sua potestate. Sed post Concilium Trident. non potest talis opinio procedere, quia nullus est locus eiusmodi renunciationi. Ipsum enim in sess.25.de regularib. cap. 16. inualidat omnẽ renunciationem & obligationem, etiam cum iuramento vel in fauorem cuiuscunq; causæ piæ factam, ante annum probationis. Vnde non potest quis, etiamsi velit, prædicto priuilegio se priuare. Quare nec potest ante eundem annum, facere votum validum perseuerantiæ, quo se eodem priuilegio priuet, sicq; intra illum ipsum annum permanet in sua libertate.

CAP. XXVI.

De ingredientibus religionem.

SVMMARIVM.

384 *Ingressus in religionem fit tum per susceptionem habitus, tum per professionem.*
385 *Requisita ad professionem expressam.*
386 *Tres modi quibus fit professio tacita.*
387 *Quod non sit quis censendus professionem tacitam fecisse, per susceptionem habitus nouitiorum: quantumcunque suam voluntatem perseuerandi ac profitendi sufficientissime ostenderit.*
388 *Quo modo accipienda sint iura, quæ in contrarium citantur.*
389 *Quatenus aliquam religionem tacite professus posit aliam intrare.*

384. INgressus in religionem dicitur dupliciter vno modo, cum quis religionis habitum suscipit, & ad probationem recipitur; sicq; per ingredientes religionem intelliguntur Nouitij, seu tyrones: de quibus multa Summularij habent in verbo Nouitius, & post eos Azor in lib.12. primæ partis Moral.Inst.cap.2. & 3. quæ relinquemus ei qui volet apud ipsum videnda: contenti eo, quod maxime facit ad iudiciũ nobis propositum, & in illo cap.1.qu.10.ipse Azor docet, post Angelum num.18. Tabien.num.13. Armillam num.18. in eodem verbo Nouitius, & Syluestrum Religio 5. quæst. 6. nimirum quod nouitius non teneatur quidem simpliciter & absolute alligatus statutis religionis: cum libere possit ab ea recedere, nec admissus sit in Religiosorum sodalitium; sicut nec catechumenus adstringitur Ecclesiæ legibus nõdum baptizatus; nihilominus dato quod velit persistere in probatione, teneatur Superioris imperio parere: cui si non subijciat se, nequit commode gubernari & probari. Debet item religionis statuta seruare, vt vires suas probet, & assuescat illorũ obseruationi, alioqui probatio ipsius non erit idonea, offendenturq; veterani. Aduerte autem quod Azor ibidẽ addit, Nouitium non incurrere in pœnam quam religionis statuta delinquentibus imponunt: vt nec catechumenus ante receptionem baptismi, incurrit in pœnas legibus Ecclesiasticis statutas; quia vt hic nondum est admissus in Ecclesiam, ita nec ille in religionem; sed vterq; adhuc foris est.

Altero modo ingressus in religionem dicitur, cum quis per professionem in sodalitium Religiosorum ita admittitur, vt absq; mortali peccato & apostasia, *tanquam effectus verè & simpliciter Religiosus*, recedere nequeat. Sic accipitur in cap. Quia ingredientibus, 19. quæst. 3. & in Authentica Ingressi, Cod. De Sacrosanctis Ecclesijs. Fit autem istiusmodi ingressus tribus adhuc modis. Inter quos discrimen est, quod is qui ingreditur primo vel secundo modo, matrimonium amplius contrahere non possit; sicq; id attentet, matrimonium sit nullum, ex cap. Vnico De Voto & voti redemptione in sexto. Is vero qui ingreditur tertio modo, si postea vxorem ducere attentet, quamuis mortaliter peccet, contrahit tamen valide.

385. Ingressus igitur in religionem primo modo, fit per professionem expressam, quæ præter vsitatam formam profitendi (cuius Azor *lib.12.cap.4.quæst.2. varios modos refert*) requirit necessario tres conditiones. Prima habetur ex cap. Porrectũ De regularibus, vt professio ipsa fiat in manibus eius, qui illam recipiendi plenam habet potestatem. De quo idem Azor in seq.cap.5.quæst.3.4.& 7.vbi versu 3. post alios (quos ipse citat) ait in manu alterius, loco eius factam, valere, si id prius ipse mandauerit, aut postea probarit: factam vero non eius loco, non valere, quantumcunq; postea id sciens, ipse approbet.

Duæ autem reliquæ conditiones habentur ex Concilio Trident.sess.25.cap.15.de regul. Vna est, vt is qui professionẽ facit, expleuerit ætatis suæ annum 16. siue vir siue mulier fuerit. Altera est, vt post susceptum habitum, absoluerit annum integrum probationis. De qua conditione Azor *in prius citato cap.4.quæst.9.* agens, bene monet cum Nauarr. in libr.3. consil.consilio 30. De regularib. num.1. annum probationis posse impleri ab eo qui nõdum expleuerit annum decimum sextum; vique talis probationis, posse probatum admitti ad professionem expleto 16.anno, quia Concilium non facit illam anni determinationem quoad probationem, sicut quoad professionem. Inter quas tres conditiones cernitur hæc differẽtia, quod quantumcunq; prima desit, professio nihilominus rationem voti simplicis habere possit, ob intẽtionem quam profitens habuit tali promissione Deo facta, adstringere se ad perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam. Sin autem secunda vel tertia conditio desit, professio nulla sit, nec vllam inducat obligationem, vt Concil.Trid. ibid.expressit.

Ingressus in religionem fit secundo modo per professionem tacitam: & hoc tribus diuersis rursus modis, quorũ primus habetur ex cap. Vidua De regularibus: cum quis habitu proprio professorum susceptо legitimè, id est, authoritate illius, cuius est admittere seu incorporare religioni; eiusdemq; authoritate sciens & volens facit aliquod opus de iure vel cõsuetudine cõueniens solis professis (quod nec ignorat) quale esse potest suffragium ferre in conuentu, aut in comitijs, vel iussu Abbatis initiari sacris ordinibus. 386.

Secundus vero habetur ex cap. Ad nostram De regularibus, cum quis sciens ac volens defert habitum professorum manifeste in colore, scissurâ vel aliâ forma distinctum ab habitu nouitiorũ, sicq; perseuerat per triduum. Qua etiam in re iuxta ea quæ alijs citatis habet Azor in eod.cap.4.qu.3. exigitur, vt quis gestet huiusmodi habitum, susceptum nutu & authoritate Superioris, cuius est ad professionem admittere; & (vt consentaneum est) gestet in monasterio: aut si extra, id faciat tantum cum facultate eiusdem Superioris. Adde legitimam etiam ætatem debere habere, ex ca.1.& cap. Constitutionem, De regularib. in 6.

Textus demum habetur ex cap. Ex parte De Regul. & ex Clem.2.eod.tit.& est, cum quis per annum integrum defert habitum nouitiorum & professorum communem, id est, nõ distinctum manifeste in colore, scissurâ, vel figurâ, quâtumuis distinguatur occulte: vt verbi gratia, per solam benedictionem, quâ professorum, non autem nouitiorum habitus benedici soleãt, prout tangitur in fine cap.1. De regular.in 6. Ad quem etiam tacitæ professionis modum, opus est vt quis habitum gestet sciens & volens, eumq; acceperit authoritate eius, qui ad professionem potest recipere. Quod vero ex citata Clemen.2. deducitur quoad ætatem, sufficere ad hunc eundem modum, vt quis ad annos discretionis peruenerit, nunc per Conc.Trid. sessione 25. de regular.cap.15. sublatum est, cum decernit professionem religionis, factam ante expletum decimum sextum ætatis annũ, nullam vim habere. Imo & in totum sublatos pariter esse duos præcedentes modos tacitæ professionis, patet ex eo quod ibidem quoq; idem Conc. decernit, nullam esse professionem eius qui minori temporis spatio, q̃ vnius anni post susceptũ habitũ, steterit in probatione. Cum enim ad primum modũ sufficiat tempus vnius operationis (quod aliquot tantum horarum, aut dierum ad summum paucorum esse solet) & ad secundum sufficiat triduum, non potest illud de spatio vnius anni in illis seruari.

Potest vero seruari tertio hoc tacitæ professionis modo, ideoq; nunc perinde ac ante Concil.Trid. censendus est tacite professus, qui post expletũ ætatis annum decimum sextum religionis habitum Nouitijs & professis communẽ, nec colore aut forma distinctum gestauerit per annum, authoritate eius qui potest ad professionẽ admittere. Vnde nunc perinde ac pridem taliter professus, potest per censuram compelli manere in religione, iuxta citatum cap. Ex parte: eumq; religio, quam sic professus est, retinere tenetur, prout probat

Ange-

Angelus in verbo Nouitius §.14. quia talis vere est Religiosus, iuxta illud, quod ex capit. vnico De voto in 6. nequeat valide matrimonium contrahere, vt nec expresse professus. At religiosus non est nisi alicuius religionis, in qua professus est. Quare debet in ea retineri.

387. Tertio modo ingressus religionis fit, quando quis Nouitiorum habitum suscipit animo mutandi vitam absolute & & simpliciter; hoc est, voluntate religionem profitendi, & in ea perpetuo manendi, quem animum demonstret aperto aliquo signo externo; quale esse potest beneficium suum alteri resignasse, aut se bonis suis abdicasse. De hoc mentio est in cap. Super eo, in cap. Consulti, in cap. Statuimus, De regularibus, & in cap. Beneficium, & in cap. Non solum, eod. tit. in 6. In illis enim decernitur, eum qui susceperit habitum Nouitiorum, posse intra annum probationis libere recedere; nisi illum susceperit animo vitæ ratione simpliciter mutandi. Vnde aliqui Canonistæ (quorum meminit Azor *in prima parte Moral. Inst. lib. 12. cap. 4. qu. 4.*) voluerunt deducere, quod hic modus constituat diuersum à præcedentibus professionis genus. Sed contrarium tenendum est cum Sylu. in verbo Religio 3. q. 19. versu. Quarto inducitur, Rosella verbo Nouitius §. 13. & Angelo eod. verb. §. 12. quia professio religionis (vt citatis aliquot Canonistis idem Angelus habet *in seq. §. 13. & iam ante attigimus*) nunquam inducitur, etiamsi quis expresse voueat, nisi ea fiat in manibus illius qui potestatem habet ordinariam vel delegatam recipiendi, & incorporandi religioni in qua fit professio. Cum autem quis tertio isto modo ingreditur religionem Superior tradens ei habitum Nouitiorum non tradit animo admittendi ad professionem, sed solum ad probationem, vt vitam & mores ipsius exploret. Accedit quod in cap. Non solum De regularib. in 6. religionem isto modo ingrediés, aperte distinguatur ab eo qui professetur expresse vel tacite; cum scilicet ad illa verba, *Nisi professus sit expresse vel tacite*, adduntur ista: *aut euidenter constet illum vitam mutare voluisse.*

388. Iura autem prius citata, quibus sententia contraria nititur, non sufficere ad illius probationem: Azor loco citato ex eo docet, quod ex illis nihil amplius deduci possit, quam eum qui Nouitiorum habitum suscipit simpliciter, animo & voluntate profitendi, atq; perseuerandi in vita religiosa, adstringatur voto simplici religionis: neq; iure possit ad sæcularem vitæ statutum redire; cum religionem ingressus sit non modo vt experiretur, an vita religiosa sibi expediret, prout solent cæteri Nouitij: sed etiam voluerit adstringere se ad emittendam professionem, & perseuerandum in ea religione. Vnde tantum sequitur, quod peccaturus sit quidē, rediens ad sæcularem vitam; non tamen quod possit in foro externo tanquam professus cogi redire ad religionem; neq; si ipse matrimonium contrahat (etiamsi in eo peccet mortaliter contra idipsum votum, quo obligatur coram Deo) illud erit nullum, prout constat ex cap. vnico De voto in 6. Neq; etiam tenetur manere in religione, cuius habitum suscepit, sed est ipsi liberum aliam, etiam laxiorem eligere, ex cap. Consulti. De regularibus.

389. Porro quod eandem libertatem eligendi aliam religionem, Angelus in verbo Nouitius §. 14. concedit ingredienti per professionem tacitam (argumento capit. Constitutionem, De regul. in 6.) admiserim procedere in casu quo sic ingrediens, nullam præcise habuit intentionem se adstringendi ei religioni; sed tantummodo relinquendi sæculum. De voto enim iudicandum est ex intentione vouentis. Quod si talem se adstringendi intentionem habuerit, negarim habere prædictam libertatem: quia in cap. Ex parte, De regularibus, taliter professi præcipiuntur per Ecclesiasticam censuram compelli, determinatè monachalem regulam secundum formam ordinis, profiteri & seruare. Nonnulla alia de ingredientibus religionem proponunt & satis familiariter explicant Sylues. verbo Religio 2. & 3. & Azor in cit. lib. 12. cap. 4. & 5. apud quos ea videnda relinquemus: cum hæc videantur sufficere Parochis, quorum instructionem maxime spectamus.

CAP. XXVII.

De ingressis religionem.

SVMMARIVM.

390 *Varietas eorum, quæ Religioso incumbunt ex officio.*
391 *Quatuor casus in quibus Religiosus mortaliter peccat contra obedientiam.*
392 *De peccato eius qui in religione vota tantum, non autem regulas seruare vult.*
393 *Quatenus peccet Religiosus agendo contra regulas quæ non obligant ad culpam.*
394 *Obedire sine præcepto, quem eo expectato melius est: & quid agendum, cum diuersi Superiores contraria mandant: item quid in dubio.*
395 *Quando sit aut non sit necessarium, quod Religiosus Prælato suo obediat.*
396 *Quatenus consuetudo possit, aut non possit excusare ab obseruatione regulæ.*
397 *Religiosus post factam professionem de suis bonis disponere non potest: nec testamentum ante illam factum mutare.*
398 *Peccatum suo genere mortale Religiosus cōmittit contra paupertatem, habendo proprium.*
399 *Tres casus in quibus Religiosus mortaliter peccat retinens aliquid in vsum proprium.*
400 *Peccat Religiosus volens de aliquo libere disponere, ac si dominium illius haberet.*
401 *Religiosus de eo quod domo accepit non potest disponere.*
402 *Ad quæ teneatur Religiosus ordinis, in quo assignatur cuique suum proprium.*

390. EX ijs quæ religionem ingressis incumbunt ex officio, quædam sunt propria illius ordinis quem susceperunt; ad quorum notitiam habendam consulendæ sunt propriæ constitutiones eiusdem ordinis: nec enim omnium eædem sunt, sed variorum variæ. Quædam vero sunt communia, atque adeo ab omnibus cuiusuis ordinis Religiosis seruanda; vt quę ius commune illis vniuerse sub præcepto imponit. De quibus quoad ius nouum, Concilium Trid. legi debet in sess. 25. De regularibus (cius generis ex eodem Concilio multa refert Azor in prima parte Moral. Institut. libr. 12. cap. 18.) & quoad ius antiquum, legi debent causæ & tituli iuris canonici quos initio huius tractatus commemorauimus. Nonnulla istius generis, tanquam posita in vsu frequenti, referemus in sequenti capite ac quantum ad nostrum institutum videtur sufficere, tractabimus. Alia deniq; religio ipsa de se exigit ab omnibus Religiosis; nempe ea quæ spectant ad tria illius essentialia vota perpetuæ castitatis, paupertatis, & obedientiæ. In quibus nullum Superiorem dispensare posse habetur ex Concil. Trident. loco citato cap. 1. De Summo Pontif. quid tenendum sit, explicatum videri potest apud eundē Azorium in præced. cap. 7. De ijs autem quæ huius tertij generis sunt, dicere oportet in hoc cap. Et quidem de spectantibus ad castitatem nihil aliud occurrit dicendum, quam cōmendatissimam esse debere omnibus Religiosis: vtpote, qui hac ex parte teneantur vitam cœlestē ducere, puritatem imitando Angelorum, quibus per votum ipsum castitatis (se nuptiarum omnino expertes reddendo) similes fiunt, iuxta illud Matth. 22. In resurrectione neq; nubent neq; nubentur, sed sunt sicut Angeli Dei in cœlo. Quod caue nc accipere vt exist imes sub votum castitat s cadere solummodo abstinentiam ab vsu matrimonij. Nam simul etiam cadit, quæcunq; alia, ab omni eo quod castitati repugnat: siue sit verbū, siue cogitatio: ita vt peccatum grauius sit in Religioso, quam in sæculari non habente votum castitatis; cum in hoc, luxuriæ tantum; & in illo adhuc sacrilegij rationem habeat; vt bene notat Sylu. in verbo Religio 6. quæst. 8. ficq; duplicis malitiæ reus sit, vbi alter tantum est vnius; vnde non sufficit ei, vt in confessione dicat fornicatus sum, nisi aperiat se reum esse violati voti. De ijs autem quæ ad obedientiam & paupertatem religiosam spectant aliquot documenta occurrunt proponenda pro ratione iudicandi de peccatis quæ contra votum de illis Deo factum, contingit committi.

Decu-

Documenta pro ratione iudicandi quando contingat Religiosum peccare contra votum obedientiæ.

391. PRimum est. In quatuor casibus (qui tanguntur à Diuo Thoma 2. 2. *quæst.*186. *art.*2. *&* 9.) Religiosum peccare mortaliter contra obedientiam. Primus est, quando aliquid facit contra id, quod Superior præcipit consentaneè regulæ cui generaliter ille se adstrinxit, estq; requisitum non modicè ad votorum castitatis, paupertatis vel obedientiæ obseruantiam: aut eidem non parum necessarium ad æternam salutem. Cum enim tale præceptum detur in materia graui, obligationem de se inducit sub mortali. Vnde si tale factum iam alias mortale sit genere suo; ipsum aggrauatur mortaliter tali malitiâ inobedientiæ. Secus autem accidit in materia leui, aut quando à Superiore quid eiusmodi non præcipitur, sed solummodo proponitur: neq; enim inobedientia est, vbi non datur iussio. Videri potest Gregor. à Valent. 2. 2. disp. 10. q. 4. puncto 5.

Secundus casus est. Quando Religiosus non facit id quod Superior iniũgit ei in virtute sanctæ obedictiæ, aut alijs verbis æquiualentibus; aut sub pœna quæ incurritur tantum ob peccatum mortale; vt excommunicatio, aut alia aliqua ratione, qua significetur præceptum ei dari exequendum sub pœna peccati mortalis.

Tertius est. Quando contra Superioris vel Regulæ præscriptum Religiosus agit ex contemptu, id est, interprete D. Thom. in eod. art. 9. ad 3. quando ex peruersa voluntate, qua superbe nolens præcipienti subijci, inde procedit ad contra agendum. In quo mortale peccatum committere patet: cum & per votum obedientiæ adstringatur ad talem subiectionem; & Superiori locum Dei tenenti, notabilem faciat iniuriam.

Quartus casus est. Quando nullam omnino habet (salutis immemor) intentionem tendendi ad perfectionem; id enim quædã apostasia est à professione: quæ hoc ipso quod religiosa est, versatur in tendentia ad perfectionem, seu profectu in vera charitate: adeo vt in tali Religioso idem contingat ac in scholastico nullam intentionem habente tendẽdi ad literarũ scientiam: præsertim cum religio schola quædam sit, in qua perfectio discitur. Vnde Religiosus non quidem perfectus esse, *sicut Episcopus*, sed ad perfectionem tendere tenetur: sicut discipulus non tenetur quidem sciens esse sicut magister, tenetur tamen studium adhibere vt talis euadat: quæ doctrina est D. Thomæ in præcedenti art. 2. ad 1. Iuuerit autem videre P. Iacobum Aluarez de Paz, tom. 1. De vita spirituali. lib. 5. cap. 11.

Notat, autem cum Caiet. Gregorius à Valent. loco citato circa quartam circunstantiam: Religiosum non aliter teneri contendere ad perfectionem, quam agendo vitam regularem eo modo quo illam promisit. Adde quod idem habet circa secundam circunstantiam; quod per votum obedientiæ Religiosus non solum promittat se adimpleturum præcepta Superioris: sed etiam adimpleturum secundum vitam regularem sui ordinis, id est, cum subiectione erga regulas legitima authoritate à Prælatis præscriptas alumnis suis. Talem vero subiectionem in hoc consistere: quod siue huiusmodi regulæ secundum se obligent ad peccatum mortale vel veniale, siue ad nullum peccatum per se obligent, *sicut illæ Dominicanorũ, teste D. Thom. in cit. art. 9. ad* 1. earum obseruatio ad eundem Religiosum sic attineat, vt merito Superiores possint à transgrediente pœnas exigere, quas ille sustinere teneatur, etiam quando nulla fuerit obligatio earum ad peccatũ, prout D. ipse Thomas ibidem expressit. Quæ cum ita sint, relinquitur quod sicut Religiosus obligationi quam habet tendendi ad perfectionẽ: satisfaciat eo ipso, quod vult subiectus esse regulis sui ordinis: sic transgredi eandem obligationem eo ipso, quod non vult eidem regulæ subiectus esse: quod peccatum est mortale, tanquam notabilis violatio voti obedientiæ.

392. Secundum documentum, *quod in eodem puncto 5. circa 4. circunstantiam Gregor. à Valent. tangit*, est. Eum non peccare mortaliter violatione voti obedientiæ, qui sic est animo cõparatus in religione, quod nollet quidem regulas vltra vota sua seruare, vellet tamen ijsdem regulis subiectus esse, ea subiectione de qua paulo ante dictum est. Id quod habetur ex D. Thoma in citato art. 9. cum temperatione notanda, quod talis possit aliunde esse in peccato mortali: nempe ex præcepto quod cum intentione obligãdi ad mortale Prælatus oretenus dederit, aut in regula expresserit: itemque ex periculo, cui talis se exponit, contemnendi regulas, atque adeo vitam regularem, ad quam adstrictus est voto. Namque, vt ibidem ad tertium Diuus Thomas bene notat; consuetudo transgrediendi, solet contemptum inducere; iuxta illud Prouerb. 18. Impius cum in profundum venerit peccatorũ, contemnit. Qui contemptus ex præcedenti numero, casu tertio, peccatum est mortale: & per consequens, periculum quoque incurrendi in illud. Qui enim amat periculum, in illo peribit. Ecclesiastici 3. Idem dic de eo qui propositum habet transgrediendi omnes regulas præcipuas ordinis, quibus venitur ad perfectionem (cuiusmodi censentur esse pertinentes ad sui abnegationem, aut ad carnis edomationem, aut ad mundi contemptum) quia tunc interueniret contemptus interpretatiuus vitæ regularis quam vouit; non item si vellet aliquas ex ijsdem regulis præcipuis seruare, quantumcunque nollet omnes: quoniam volens cum suis votis seruare aliquas de præcipuis censeri, posset ad perfectionem tendere, etiamsi ad eam non curreret. Hoc indicatum à Sylueſtro in verbo Religio 1. qu. 12. dicto 4. expressis verbis habet Gregor. à Valent. in eodem puncto 5. versus finem.

393. Tertium documentum est. Quamuis transgressio regulæ in ordine eo, in quo illa per se non obligat ad culpam, non sit peccatum ex suo genere, potest tamen mortale peccatum esse: tum ex contemptu, iuxta tertium casum memoratum: potest item ex libidine, id est, ex nimia cupiditate ad aliquid: aut ex negligentia, id est, ex torpore quodam animi, esse peccatum saltem veniale, ex D. Thom. in eodem art. 9. ad 1. Quod & probatur; quia ille excessus affectionis, & iste defectus finis rationabilis, aduersatur rectæ rationi, ideoque vitiant actionem. Atque hinc sequitur, *quod Gregor. à Valent. notat in fine cit. puncti* 5. non peccare quidem eum qui regulam non obligantem sub peccato, transgreditur ob aliquam causam quæ rationabilis sibi videtur, quantumcunq; melius esset ipsam regulam seruare, *cum non teneamur semper id facere quod melius est*: nihilominus tamen in tali transgressione, communiter admisceri aliquid culpæ, cum in eam facillime irrepat torpor aut libido: præterquam quod perdatur meritum obedientiæ, quod coniunctum est cum executione regulæ.

394. Quartum documentum est. Perfectius esse, atque obedientiæ voto conformius, prompte exequi, quod Superiore velle intelligimus, quam illius iussionem expectare; nisi forte in rebus arduis, quæ præstãtem virtutem, aut eruditionem requirunt; vt profectio ad Indos pro infidelium cõuersione, aut susceptio alterius grauis oneris & prouinciæ. Hoc Sotus habet De iust. & iure lib. 7. qu. 2. art. 4. ante solutionem argumentorum. Probatur vero, quia in obedientia promptitudo maxime commendatur: neq; paratus obedire exigit præceptum compulsorium, quando res est clara & aperta. Vnde Superiores non nisi rebelles, aut in dubio hærentes, præcepto cogere & vrgere solent.

Quintum est. Quando plures sunt, quibus in religione obedientia debetur: illis contraria præcipientibus, Religiosum teneri obedire Superiori potius, quam inferiori. Hoc de se manifestum est: quandoquidem hic quoq; illi subest, teneturque se conformare iustæ voluntati ipsius. Vnde sequitur Prælato aliquid illicitum præcipienti, nõ esse obtemperandum, quia Deus illud fieri prohibet: nec item præcipienti aliquid contra regulam, nisi in ea dispensare possit. Si autem dubitetur an aliquid sit illicitum, vel contra regulam, vel an circa illud Prælatus debite dispenset, Religiosus iudicium ipsius debet perferre suo, & obedire: vt bene monet Sylu. in verbo Religio 6. quæst. 6.

395. Sextum documentum, *tractatum à Sylu. Religio 6. quæst. 6.* Cum Prælatus aliquid præcipere possit, vel secundum, vel contra, vel præter, vel infra, vel supra regulam: præcipienti secundum regulam, id est, secundum contenta in regula explicite, vel etiam implicite (vt ea sine quibus regulæ bene

seruari

seruari non possunt, velut pœnitētiæ quæ pro illarum transgressione iniunguntur) obediendum esse, prout satis de se patet; non autem præcipienti contra regulam, ex præced. documento.

Præter regulam vero præcipienti, Religiosum non teneri obedire: quia vouens obedientiam in aliqua religione, intendit id facere secundum regulas eius. Atque, vt ex Diuo Bernardo Sylueſter adfert, obedientia non extendit se vltra ius prælationis. Quod secundum regulam limitari patet ex forma voti; quâ Religiosus vouet obedientiam in tali vel tali genere vitæ. Porro tunc præter regulam aliquid præcipi censetur, cum idipsum, nec in ea continetur, nec ad eam expedit, iuuatve eius executionem: vt leuare de terra festucam, aspicere aues volantes, aut numerare stellas.

Infra regulam autem præcipienti aliquid, quale est reficere corpus certa hora, aut aliud quod regula permittit, simpliciter obediendū esse Angelus existimat. Sed Sylu. vult id non procedere, cum Religiosus certus fuerit, tale quid sibi nociturum in corpore vel in anima.

Supra regulam deniq; præcipiēti aliquid, vt ieiunium aut aliam austeritatem ad quam regula non arctat, esse obediendum si iniungatur in pœnam culpæ ante admissæ; nō autem si in cautelam culpæ deinceps vitandæ, quando Religiosus videret se nullatenus ad talem culpam sollicitari. Ratio est, quia Religiosus tenetur quidem ex cōditione vitæ regularis, in primo documēto expositæ, correctioni Superioris se subijcere, non tamen pro voluntate eiusdem Superioris amplecti, quod ad regulam nihil attinet, sed limites ipsius excedit. In talibus tamen obedire perfectionis est, quando non sunt contra Deum, aut contra professionem regulæ: quo casu, obedientia esset illicita. Sicq; triplex est obedientia: vna necessaria, quâ Religiosus obedit in ijs, ad quæ obligatur: altera perfecta, qua obedit in omnibus licitis: & tertia indiscreta, qua obedit etiam in illicitis.

Septimum documentum est Religiosum non teneri suo Superiori obedire *(non obstante iure, quod hic in illum acquisiuit per ipsius professionem)* quando ei præscribit aliquid quod est contra maiorem perfectionem; vt si prohibeat ne ad aliam perfectiorem religionem transeat, ex cap. Licet, De regul. Ratio vero est, quod vt iuramentum, sic & votum: nec vinculum iniquitatis sit, nec boni maioris impeditiuum.

396. Octauum documentum est. Eum qui religionem ingressus est, nulla consuetudine excusari posse quin teneatur implere essentialia regulæ, qualia censentur, quæ ad tria vota religionis spectant, aut quæ ad eorundem obseruationem valde conducunt moraliterq; necessaria esse iudicantur. Nam sine talibus, regularis vita quam professus est, nec vigere potest, nec consistere. In accidentalibus autem obseruationib. excusari posse consuetudine rationabili, quæ licet forte non sit immemorialis est, tamē (vt vtar verbis Nauarri in Enchir. cap. 12. n. 50.) tot annorum, adeoq; vetus & antiqua, vt ad emolliendas in religione, aut etiam tollendas prædictas obseruationes sufficiat: sicut potest sufficere Apostolicum priuilegium, aut licentia, siue expressa siue tacita alterius Superioris authoritatem ad id habentis.

Atq; ex hoc documēto consequens est, q̄ initio eiusdem numeri quinquagesimi tāgit ipse Nauarrus: eum qui ingressus est & professus religionem in qua regularis obseruantia nequaquam viget, non excusari à mortali, si nō obseruet illa quæ sunt essentialia regulæ, neq; valere excusationem dicētis q̄ non intenderit se obligare ad vouendum arctius, quam viueretur in monasterio in quo professus est. Nam eadem ratione, *inquit idem*, quâ non excusatur is à continentia seruanda, qui sacros ordines suscepit, absq; intentione expressa obligandi se ad talem obseruationem: ita nec excusatur à seruandis essentialibus religionis, qui illam professus est.

Consquens est secundo, quod ex Caiet. idem adhuc habet in seq. n. 51. quod vbi religio deficit in essentialibus, grauissime peccent, qui filios suos aut filias suas illi offerunt.

Consequens est tertio, quando reformatur religio, Religiosos illam ingressos teneri ad recipiēdam reformationem in essentialibus, & in ijs quæ conducunt ad essentialia, vt censentur illa sine quibus vt plurimum ipsa vix custodiuntur, iuxta illud quod in Concil. Triden. sess. 25 cap. 1. De Regular. cōmendatur Superioribus, vt omnem curam & diligentiam adhibeant ne à talibus Religiosi sui recedant. Vnde patet in statu perditionis esse moniales, quæ clausulam admittere nolunt, quam experientia docet tantopere illis necessariam esse ad custodiam castitatis. Ideoque ab Ecclesia seuere eadem clausura iniungitur, prout constat ex capit. vnico De statu regularium in 6. & ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 5. De regularibus, & ex Bullis Pij quinti & Gregor. decimitertij, propositis & explicatis à Nauarr. in commentario 4. De regularib. à numero 39. Aduerte autem obiter, ad talem clausuram pertinere non modo vt moniales extra septa monasterij non egrediantur; sed etiam vt nec cæteri seu viri, seu fœminæ illa ingrediantur. Quod vtrumque sub excommunicatione prohiberi per memoratas Bullas, cum reuocatione omnium facultatum, si quæ obtendantur, videre est apud ipsum Nauarrum.

Alia documenta pro ratione iudicandi quando contingat Religiosum peccare contra paupertatem.

PRimum est. Religiosum post factam professionem non posse de bonis suis pecuniarijs per testamentum, aut alio modo alienationis, disponere: sed eo ipso, quod factus est professus, omnia illa relicta esse monasterio (nisi forte sit ordinis non possidentis communiter annuos reditus, iuraque perpetua) iuxta capit. Quia ingredientibus 19 quæstione 3. & Authenticam Ingressi, Cod. De sacrosanctis Ecclesijs: cum sic dicitur: Ingressi monasteria, ipso ingressu se suaque dedicant Deo. Nec ergo de his testentur, vtpote nec Domini rerum.] Quamquam in Gallia (quod notat Couar. De testamentis cap. 4. in fine) bona omnia profitentiū, nisi ex præcedente pacto reseruata sint monasterio, perueniunt ad cōsanguineos propinquiores. Aduerte autem obiter, quod cum Summus Pontifex concedit aliquibus Religiosis facultatem testandi: id non faciat concedendo eis dominium, sed tantum constituendo dispensatores rerum de quibus testantur: ex doctrina D. Thom. 2. 2. quæst. 185. in fine. Aduerte item, ex cap. Si qua mulier 19. quæst. 3. si professus reliquerit in sæculo filios, quibus nondum legitimam portionem diuiserit, ne iniuria cuiquam eorum fiat, ipsum post professionem posse illis portionem eiusmodi diuidere. De his plenius tractat Lud. Molina, De iust. & iure tomo 1. tract. 2. disp. 139. 140. & 141. 397.

Secundum documentum est. Dispositionem à Religioso de suis bonis factam per testamentum ante professionem: post hanc mutari non posse nec reuocari. Hoc habetur ex cap. 2. De testamentis; pro eoq; multos authores refert Couar. ad idem cap. Probatur vero: quia professus nequit condere testamentum ex præcedenti documento. Quare nec poteris prius cōditum mutare; quia id esset cōdere de nouo; quod vt validum sit, perinde ac prius conditum requirit in testatore dominium eorum de quibus testatur: quod negandum est in professo, cum id sit retinere adhuc dominium: q̄ repugnet paupertati, quam professus est. Veruntamen iusta mutandi causa interueniente, videtur posse quadam ratione id facere: nimirum tanquam optimus interpres voluntatis, quam testando habuit. Nam optime omnium potest de illa iudicare ac statuere, vtrum si talem causam præsciuisset tunc cum testabatur, voluisset idipsum statuere quod nunc statuit interpretando.

Tertium documentum est. Religiosum peccare posse cōtra paupertatem, tum habendo proprietatem & dominium pecuniæ, aut rerum pecuniâ æstimabilium, seu habendo ius de talibus plene disponendi pro arbitratu suo: tum habendo instar vsufructuarij liberum earum, seu ius eis pro arbitrio vtendi; non tantum ad propriam necessitatem; sed etiam ad quiduis libuerit. Quorum prius esse in Religioso peccatum suo genere mortale, patet tum ex alijs quæ habet Nauarr. in commentar. 2. de regularibus numero secundo, tum maxime ex eo, quod in capit. secundo & sexto, De statu Monachorum statuitur, vt Monachus qui peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro iniuncta administratione permissum, à communione remoueatur altaris: atque is qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, nec digne pœnituerit: nec fiat oblatio pro eo, nec inter 398.

fratres

fratres accipiat sepulturam. Id quod circa Religiosos vniuersos obseruari, ibidem præcipitur.

Neque vero potest in hac re prætendi dispensatio Superioris: obstat enim textus expressus in cap. Cum ad monasterium eodem titulo: in cuius fine sic habetur. Nec existimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo annexa est regulæ Monachali, vt contra eam, nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Quod intellige quâdiu quis manet Religiosus: cum propriũ habere sit contra religionis essentiã, tanquam repugnãs paupertati, de qua fit vnũ ex votis religionis. Alioqui enim si Papa pro sua summa potestate, iusta grauique causa exigente faciat ex Religioso non Religiosum: consequenter licentiam dabit habendi proprium, sicut & ducendi vxorem. Pro cuius rei pleniore intelligentia legendus est Azor in prima parte Moral. Instit. libro 12. capite 7. Pro praxi nobis proposita sufficere possunt dicta in præced. numero 329.

Aduerte autem ex Nauar. in cit. num. 2. bonorum tantum æstimabilium pecuniâ, votum paupertatis reddere incapacẽ, vt satis patet ex communi vsu: quo nemine improbante, religiosi professi fiunt Episcopi, Sacerdotes, Doctores, &c. tanquam capaces iurium Ecclesiasticorum, ac bonorum virtuti & eruditioni debitorum.

399. Posterius ex duobus ante propositis hoc est, Religiosum rerum pecuniâ æstimabilium, liberum vsum habere in suum commodum, peccatum mortale esse potest in tribus casibus, quos tangit Sylu. in verbo Religio 6. qu. 7. Primus est, quando Religiosus in vsum proprium retinet aliqua in magna copia Superiore inscio, aut eo consentiente quidem, sed ita vt ille non sit paratus ad huius præceptum ea relinquere. Talis enim retentio rationem habet vsurpati dominij, & per consequens peccati mortalis iuxta ante dicta.

Secundus est, quando Religiosus à Superiore accepit aliqua ad vsum, & ijs non solum ad propriam necessitatem, sed etiam ad alia prout libuerit, vtitur. Nam & id quâdam rationem habet vsurpati dominij; cum de re ad libitum disponere, sit actus habentis dominium, seu liberam de ea disponendi potestatem. Quapropter sicut Superior nequit Religioso facultatem dare habendi dominium proprietatemve aliquarum rerum pecuniæ æstimabilium, ita nec dare potest vt vtatur illis pro arbitrio, ad quoscunq; libuerit vsus; nimirum faciendo propria authoritate de illis, quidquid voluerit ad instar vsufructuarij, cui liberum est prout voluerit disponere de fructibus rerum quarum habet vsum fructum.

Tertius casus est, quando Religiosus ad vsum habet multa superflua sine facultate Superioris: aut cum illa quidẽ, sed non est paratus ea relinquere ad ipsius mandatum. Nam id esset animo habere proprium: non item si haberet ea ex facultate Superioris, & paratus esset eadem relinquere quotiescunq; Superior ipse vellet. Quod quamuis ita sit, peccat tamen Superior mortaliter, nulla necessitate vel vtilitate communi excusante aliquid tale permittẽdo, vt patet ex eo, quod iuxta cap. 2. De statu monachorum §. Abbas: tanquam præuaricator ordinis, priuatione officij sui, & alio modo secundum regulam, sit puniendus.

Quartum documentum est. Quæcunq; Religiosus acquirit, siue per donationes, siue per laborem & industriã, siue alia aliqua iusta ratione, acquirere non sibi, sed religioni in qua professionẽ fecit. Ratio est, quia nullius dominij seu proprietatis capax est, neq; suus est, sed suæ religionis: sicut seruus sui domini, & filius sui patris. Quare sicut seruus, domino: & filius, patri, non sibi acquirit, ita nec Religiosus acquirit sibi, sed suæ religioni. Hoc colligitur ex cap. Abbates §. Monachi, 18. quæst. 2. & ex eo quod ante habitum est profitentem in aliquo ordine vt se, sic & sua eidem tradere.

400. Quartum documentum est. Religiosum tanquam proprietarium censeri contra paupertatem peccare mortaliter, non modo cum aliquid pecuniâ æstimabile tenet contra Superioris voluntatem; sed etiam cum de eo disponit, vel est paratus disponere pro sua voluntate, perinde ac si haberet illius dominium: vt donando, vendendo, aut permutando; qui actus sunt habentis dominium: cum istud per illos alienetur: neq; alienatio qua dominium transfertur, fieri possit ab eo qui dominium non habet. Adde pari ratione nec religiosum posse aliquid, etiam sponte sibi ab alio datum, accipere animo vtendi illo pro sua voluntate. Quod si acciperet cum intentione disponendi de illo, non pro sua voluntate, sed iuxta Superioris voluntatem, etiamsi peccaret accipiendo sine Superioris licentia; non tamen contra paupertatem: vtpote qui non accipit animo faciendi sibi proprium, nec reipsa faciat proprium; cum quidquid Religiosus acquirit non sibi sed religioni acquirat.

Sextum documentum est. Religiosum postquam aliquid 401.
dono accepit siue absq; licentia, siue cum ea: ac etiam cum animo disponendi de eodem iuxta Superioris voluntatem, non posse acceptionem celare Superiori: quia si animum sincerum habeat, sic debet vti accepto, vt Superior possit de eo disponere: ad quod requiritur vt illud ei manifestetur. Nec item posse de eodem disponere, ne quidem illud reddendo ei à quo accepit, aut expendendo in eius vtilitatem. Ratio est, quia id esset alienare, quod acquisitum fuit monasterio.

Dubia quæ circa religiosam paupertatem moueri possunt magno numero habet Azor in 1. parte Moral. Instit. *libr. 12. cap. 8 & aliquot sequentibus*, apud quem illorum explicatio videri poterit. Tantum addam de Religiosis illorum ordinum in quibus singuli habent suum proprium, difficultatem esse quæ Confessarios vexare solet, An tutâ conscientiâ possint manere in aliquo eiusmodi ordine, seruando quod ibi vsitatum est: & an quis tuta conscientia possit talem aliquem ordinem ingredi animo faciendi, vt faciunt reliqui.

Cuius difficultatis solutionem, mallem quidem ab alio 402.
audire, quam dare: ne tamen omnino desim officio, saluo meliori iudicio dixerim primo; vix consulendum esse ingressum alicuius religionis, in qua passim aliquid de essentialibus, *qualis est paupertas*, violatur: quandoquidem in eo periculum est contaminandi se pari scelere, aliorum imitatione: iuxta illud Psalm. 17. Cum peruerso peruerteris.] Vide antedicta num. 380. propositione tertia. Quia igitur in casu propositæ difficultatis, dantur passim occasiones multa peccata committendi contra paupertatem, nemo negauerit oportere eas vitare. Dixerim secundo, dissuadendum esse ingressum illi qui sic animo comparatus est, vt si Superiores abusum eiusmodi tollere velint (*proprietatem nimirum singulorum, reducendo ad communitatem*) paratus non sit promptusque acquiescere, sed velit sua semper apud se retinere. Quia id esset velle paupertatem vouere, quã nec re nec animi proposito velit seruare. Dixerim tertio, talem Religionem ingressum, quocunque animo ingressus sit, teneri paratum esse ad omnia quæ habet, resignanda in manibus Superioris, quoties ea ex parte voluerit religionem reformare. Interea autem dum nulla fit reformatio, posse retinere sibi eiusdem Superioris voluntate concessa: dummodo id non faciat animo proprietario; seu quo pecunijs, & alijs rebus cõcessis tanquam Dominus vtatur ad quoscunque vsus libuerit: sed tanquam pauper ijs vtatur, ad subueniendum suis necessitatibus: in quem finem conceduntur, tanquam eleemosynæ. Dixerim quarto, *idque consequenter*, ex ijsdem bonis Religiosum non posse comparare sibi stabilia bona, quæ relinquat suis hæredibus: præsertim cum Religiosus acquirens aliquid, non sibi, *qui incapax est dominij tanquam repugnantis religiosæ paupertati*: sed suæ religioni. Dixerim postremo: non videri censendum tutum in conscientia Religiosum, qui experitur propter multitudinem pecuniarum quas possidet in sua religione, se vel omnino, vel difficulter posse in ea viuere sine multis peccatis mortalibus: ideoque ab illo in confessione exigendum esse, vel vt transeat ad arctiorem religionem, in qua non sit habiturus talem occasionem: vel vt cedat monasterio suas facultates, reseruando sibi solummodo quãtum satis sit ei ad honestum victum & vestitum. Alioqui enim amans periculum perit in illo, constituiturq; in statu perditionis: in quo volens permanere non est capax absolutionis sacramentalis.

* *
*

CAPVT XXVIII.

De nonnullis quæ Religiosis omnibus, vltra essentialia vota, incumbunt obseruanda.

SVMMARIVM.

403 *Obligatio Religiosi ad clausuram.*
404 *Prohibitio Religiosis facta sub excommunicatione, temere dimittendi habitum sui ordinis, & pariter facta doctoribus, eos dimisso habitu retinentibus & docentibus leges aut medicinam.*
405 *Quomodo intelligenda sit illa dimissio habitus, & quatenus censeri debet temeraria.*
406 *Quomodo accipienda sit prohibitio facta Religiosis, eundi ad studia sine licentia Superioris, & consilio totius, aut maioris partis conuentus: & quæ concurrere debeant ad incurrendam excommunicationem, ipsos docentium leges vel physicam non gestantes suum habitum.*
407 *Venatio antiquo iure communi prohibita Religiosis.*
408 *Excommunicatio lata in Religiosos vsurpantes sibi authoritatem administrandi Eucharistiam, aliaque nonnulla agendi.*
409 *Ea ad omnes Religiosos extenditur.*
410 *Actiones ob quas eadem imponitur, cum declaratione ipsarũ.*
411 *Modi varii quibus potest Religiosus à tali censura excusari.*

PRÆTER ea, quæ ex Concil. Tridentino habentur, multa veteri iure canonico Religiosis omnibus incũbunt; siue vt imperata, siue vt prohibita: sed sufficiet attigisse præcipua, quæ publice expositum confessionibus audiendis ignorare, minime conuenit.

403. Primum est, quemlibet Religiosum obligari ad clausulam per cap. Placuit, 16. q. 1. Consistit vero talis clausura in eo, vt nullus regularis cuiusuis ordinis, septa constituta, seu limites ad eam seruandam determinatos exeat sine Superioris sui licentia: imo neque cum ea, nisi iusta vtilitas aut necessitas eam dari suadeat. Qua de re late Nauarr. in comment. 4. de regularibus num. 29. & aliquot sequentibus: vbi postquam docuit obligationem ipsam regularium ad clausuram tantũ esse de iure humano, tangit duo documenta, quæ faciunt ad rationem specialem nobis propositam iudicandi de peccatis, & aliquot corollaria deducit apud ipsum videnda.

Prius autem documentum cõsistit in eo, quod ipse habet num. 34. Iure communi omnem regularem quantumlibet simplicem, posse exire de licentia Superioris sui, non solum Generalis, aut Prouincialis, sed etiam inferioris immediati. De licentia, inquam, non tantum expressa, sed etiam tacita: & non tantum specialiter ac in individuo, sed etiam generaliter data: dummodo ea detur iusta necessitate vel vtilitate exigente. Posterius documentũ consistit in eo quod subiungit in seq. num. 35. Peccatum quod violatione clausuræ contra ius commune committitur egrediendo sine licentia; aut cum ea quidem, sed data sine iusta causa, esse genere suo tantummodo veniale; fieri autem mortale scandalo interueniente, aut notabili detrimento monasterij, aut districta prohibitione Superioris, siue viua voce, siue per regulam. Itemque si ex contemptu Superioris in tali violatione procederetur. Ratio est: quia si hæc absint, abesse quoque censebitur grauis iniuria, ex qua ratio peccati mortalis iudicatur.

404. Secundum eius generis quod quilibet Religiosi prohibeantur sub pœna excommunicationis, habitum suæ religionis dimittere temere, simulque prohibeantur accedere ad quæuis studia literarum, nisi à suo Prælato cum consilio sui conuentus vel maioris partis eiusdem, sibi eundi ad studium licentia primitus sit concessa. Ita habetur ex cap. Vt periculosa, tit. Ne clerici vel monachi in sexto: vbi eadem quoque pœna imponitur doctoribus seu magistris, qui Religiosos, habitu suo dimisso, leges vel physicam seu medicinam audientes, scienter docere, aut in scholis suis præsumpserint retinere. De hac re agentes tum Theologos, tum Sũmularios, tum alios refert Georgius Sayrus in thesauro casuum conscientiæ tomo 1. lib. 3. cap. 35. nu. 5. Inter cæteros late Sylu. in verbo Excommunicatio nono, nu. 51. & tribus sequentibus. Nauart. in Enchir. cap. 27. n. 131. & tribus sequentibus, ac Suarez *eam plenius cæteris persequens*, tomo 5. in 3. partem D. Thomæ, dispu. 23. sect. 4. Excommunicatione 14.

Pro intelligentia autẽ notanda sunt sequentia. Primum est, dimissionem habitus hoc loco censeri, non quamcunque illius depositionem, sed quæ fiat cum illius mutatione in alium habitum ad se occultandum: aut quia lubet non in suo, sed in alieno habitu incedere. Ad quod facit ratio prohibitionis, quæ redditur in memorato cap. Ea enim est, ne Religiosi ipsi vagentur inuerecunde non agniti per habitum proprium. Facit etiam quod Suarez ibid. habet nu. 28. prohibitionem pœnalem in eod. cap. factam, non habere locum in Religioso, qui aliquam tantum partem habitus sui ordinis dimittit, si per eam quam retinet satis cognosci possit ab aliis, quod sit Religiosus talis ordinis. Ex tali enim dimissione, non habet occasionem euagandi. Facit item, quod idem in præced. num. 27. habet & cæteri communiter notant: nec locum habere in Religioso qui habitum exuit ad breue tempus: non quidem animo dimittendi, sed faciendi aliquid commodius, etiamsi id sit peccatum, eo quod forte transgrediatur in eo aliquã specialem regulam suam, aut det scandalum, aut peruersum finem sibi præstituat, vt exempli gratia, voluptuosius fornicari: quod in exemplum adfert Nauar. in cit. nu. 131. Addit vero idem Suarez in seq. nu. 30. prohibitionẽ propositam extendi ad eum etiam, qui habitũ dimisit intentione vagandi breui tantum tempore; præsertim cum in tali re ius quoad tempus nihil distinguat: & dimissio non minus possit complete fieri breui tempore, quam longo. 405.

Secundum notandum, est temerariam habitus dimissionem dici, quoties ipsa fit sine rationabili causa vera, vel apparente: ideoque propositam prohibitionem non extendi ad Religiosum, qui metu mortis aut alterius grauis mali, aut compellente alia, *siue sua siue aliena*, magna necessitate, habitum dimittit. Imo ne si quidem absit iusta causa dimittendi, illi tamen appareat adesse: vt accidere potest meticuloso, aut in rebus agendis parum versato, aut parum considerato. Ratio est; quia nec talis temere agit, sed tantum timide, vel imprudenter.

Tertium est, ex communi sententia teste Nauarro in fine citati numeri 131. non excusari in hac re, cum qui habitum sui ordinis dimittit, vt immediate induat alium alterius ordinis. Ratio est, quod in proposito cap. Vt periculosa, non dicatur absolute qui habitum religionis (vt censeri possit non contrauenire is, qui retento habitu religioso suum mutat) sed determinate, qui habitum suæ religionis.

Quartum est, *quod plenius Suarez num. 34. tractat*, non extendi propositam constitutionem pœnalem ad Religiosum, gestantem quidem suum habitum, sed illum occultantem: quoniam reuera non dimittit. Peccat tamen id faciens absque iusta causa, vt patet ex Concil. Trid. sess. 25. De regularibus cap 19. in fine. 406

De aliis spectantibus ad eamdem constitutionem consuli poterunt memorati authores, præsertim Suarez à nu. 35. Contenti etimus duo attingere; quorum prius est illud, quod post Caiet. idem ibidem habet de prohibito accessu Religiosi ad studia sine licentia Prælati, & consilio maioris partis conuentus; intelligendum esse de eo, qui abfuerit ad habitãdum extra clausturum propter studium. Nam ad modum ordinarium eundi ad scholas habitando in proprio conuentu; vel in alio quidem, sed eiusdem ordinis, non est necessarium vt licentia Prælati detur cum consilio maioris partis Capituli. Et ratio esse potest, quod tunc cesset causa ob quam limitetur in his Prælati potestas: nimirum vt frenetur Religiosorum animus pronus ad habitandum extra sua claustra: præsertim iuniorum: quales ordinarie sunt qui ad studia mittũtur: maior enim difficultas obtinendi licentiam, quæ ex consilio nascitur, non parum obsistit tali propensioni.

Posterius est, ad hoc vt magistri seu doctores legum vel medicinæ, qui præsumunt in suis scholis retinere Religiosos qui habitu dimisso illis disciplinis vacant, incurrant in excõmunicationem in ipsos per memoratum cap. latam, qua-

quatuor concurrere debere. Primum est, vt auditor ipsorum sit Religiosus. Secundum, vt audiat leges aut medicinam docentes. Tertium, vt id faciat sine habitu sui ordinis Quartum, vt doctores ipsi seu magistri tales eum docere vel retinere præsumant: probe videlicet scientes, se in eo iustæ prohibitioni Superioris contrauenire. De quibus vide in seq. lib. 20. num. 52.

407. Tertium, quod ex iure communi seruari debet ab omnibus Religiosis, habetur in cap. 2. De clerico venatore, his verbis. Omnibus seruis Dei, venationes & syluaticas fatigationes cum canibus & accipitre, aut falcone habere interdicimus. Itemque illis in Clement. 1. De statu Monachorum §. Porro à venationibus & aucupationibus, omnes semper abstineant: nec interesse eis, aut aues vel canes venaticos per se vel alios tenere præsumant, nec à familiaribus secum morantibus teneri permittant: nisi saltus, viuaria, vel garenas proprias, vel ius venandi in aliis haberent; in quibus cuniculi vel feræ aliæ forsan essent: quo casu hoc eis permittitur: dum tamen intra monasterium seu domos quas inhabitant, aut eorum clausuras, venaticos canes non teneant, nec venationi præsentiam exhibeant personalem.

408. Quartum eiusdem generis habetur ex Clement. 1. De priuilegiis: in qua Religiosis sub excommunicatione reseruata Papæ prohibentur sex actiones, quarum tres versantur circa tria sacramenta Extremam vnctionem, Eucharistiam, & Matrimonium: quorum duo priora ministrare, & tertium solemnizare sine parochialis Presbyteri licentia prohibentur. Tres vero aliæ versantur in absolutione: vna quidem, excommunicatorum à canone, altera vero excommunicatorum à sententiis per statuta synodalia aut prouincialia promulgatis: & reliqua in absolutione à pœna, vt dicitur, & à culpa. Huius explicationem post D. Antoninum tertia part. tit. 24. cap. 54. habent in verbo Excommunicatio Summularij, vt Angelus in 5. casu 12. Syluest. in 7. nu 30. Tabiena in quinto, casu 11. Caiet. in cap. 64. Nauar. in Enchir. cap. 27. nu. 101. & 102. & post eos, aliquotque alios Suarez tomo 5. in tertiam partem D. Thomæ disput. 22. sect. 4. Primo autem cõsiderandæ sunt personæ, in quas talis excommunicatio profertur: secundo, actiones propter quas incurritur; & tertio modi quibus contingit ab ea excusari Religiosos.

409. Ac quoad personas, profertur generaliter in Religiosos: ideoque in omnes, etiam exempros, qui vota castitatis, paupertatis & obedientiæ emiserunt in religione approbata. Omnibus enim talibus Religiosi nomen conuenit proprie; imo & solis, quandoquidem approbatio est de substantia religionis, iuxta cap. Vnicum, De voto in sexto. Quod autem de nouitiis religionis approbatæ dubitatur, an huic censuræ & ipsi subiiciantur, relinquemus videndum apud Suarezium loco citato, num. 3. Notandum est tantũ, quidquid sit in speculatione, idem in praxi esse à nouitio seruandum is, quod ab aliis: cum respectu eorum, perinde ac aliorũ, nasci possit parochialium presbyterorum offensio, ad quam tollendam facta est proposita constitutio.

410. Quoad actiones vero, notandum est de administratione Eucharistiæ & Extremæ vnctionis: cum prohibeatur in ordine ad Clericos & laicos; nec in odiosis Religiosi comprehendatur nomine Clericorum ex Panorm. ad rubricam De vita & honest. cleric. ob administrata Religioso à Religiosis illa sacramenta, non incurri talem excommunicationem, prout Caiet. & Nauarr. locis citatis notant. Et ratio est; quod nihil inde præiudicetur parochialibus presbyteris, in quorum fauorem est facta Religiosis prohibitio. De solemnizatione vero matrimonij notandũ est, eo nomine significari sacerdotalem benedictionem, quã sponsi post matrimonium rite contractũ percipiunt.

De absolutione autem excommunicatorum à canone, notandum est eam esse restringendam ad excommunicationem maiorem (quãdoquidem nomen excommunicationis, cum absolute dicitur, de maiori accipitur, iuxta cap. penult. De sentent. excomm.) quæ lata à Summo Pontifice, vel ab vniuersali Concilio pro tota Ecclesia, statuto perpetuo, canon antonomastice dicitur.

De absolutione porro excommunicatorum, à sententiis per statuta synodalia aut prouincialia, promulgatis: notandum est difficultatem esse, an nomen sententiæ accipiendum sit in lata significatione, qua cum excommunicatione comprehendit suspensionem & interdictum: an vero in stricta, qua solam excommunicationem significat. Ac in vtramque partem authores Syluester refert in verbo Excommun. 7. n. 38. & assentitur iis qui stricte accipiendum censent, & post eum Suarez in eadem sect. 4. n. 16. ac merito: quia particula, *vel à sententiis*, quatenus disiunctiue coniungitur cum præcedente, *à canone*, ostendit ex vtraque ea fieri vnam integram determinationem disiunctiuam circa absolutionem excommunicati, de quo expresse est ibi sermo, cum dicitur, *aut quemquam excommunicatum à canone*: & nonnullis per parentheim interiectis, additur; *vel à sententiis, &c.* Accedit quod ea interpretatio mitior sit, ideoque tenenda in materia pœnali. Neq; ratio detur cur istiusmodi prohibitio generalior sit in statutis particularibus, quam in generalibus.

De absolutione denique à pœna, & à culpa notandum est, *quod in seq. num. 19. Suarez habet ex Sylu.* per eam intelligi concessionem plenariæ indulgentiæ; quam Religiosi, aduersus quos excommunicatio proposita fertur, vocabant absolutionem à pœna, & à culpa absoluere, prout satis verba illa in eadem Clement. *Seu, vt verbis eorum vtamur*, à pœna & à culpa: *absoluere quemquam præsumpserit.*

Quoad modos demum quibus Religiosus excusari potest à censura proposita; notandum est varios esse. Primus est, bona fides, qua quis crederet, se ex priuilegio, aut aliũde sufficientem authoritatem habere: vel existimaret Parochum rarum habiturum, neq; ægre laturum, si aliquam ex antedictis actionibus ad sui Parochiale officium spectantibus, exercuerit. Nam talis non censebitur præsumpsisse, prout exigitur ad incurrendam eamdem censuram. 411.

Secundus est (*in textu expressus*) per licentiam Presbyteri parochialis: quo nomine comprehenduntur præter Parochum, tum eiusdem presbyteri Episcopus, qui iurisdictionem habet vniuersaliorem: tum Vicarius seu is cui presbyter ipse parochialis, iurisdictionem suam delegauerit. Nomen autem illud presbyteri non obstat quin Parochus nondum Sacerdos possit eam licentiam dare: quoniam ea non est actus ordinis sed iurisdictionis. Cur autem Pontifex vsus sit illa paraphrasi, *presbyteri parochialis*, ad significandum Parochum: ratio esse potuit, quod Parochus ordinarie sit & debeat esse Presbyter. Quomodo autem accipiendum sit, quod ex textu constitutionis habetur, licentiam hanc specialem esse debere, tractat Suarez in eadem sect. 4. ac tandem tenet sic accipi posse, vt ad id sufficiat exprimi sacramenti actum exequendum, etiamsi ex parte personarum licentia sit generalis: vt si Parochus dicat parochianis, Concedo omnibus vobis Eucharistiam suscipere à Religiosis Cistercien sibus. Qualem licentiam si quis se habere dixerit, poterit Religiosus ei credere: cum ex cap. Sancimus, 1. quæstione 7. nemo præsumendus sit immemor suæ salutis.

Tertius modus, est beneficium iuris: Religiosi enim potestatem habentes eadem cum Parochis absoluendi à mortalibus (vt habent Dominicani & Franciscani iuxta textum in Clement. Dudum De sepulturis §. Per huiusmodi) possunt absoluere excommunicatum excommunicatione à iure non reseruata. ex cap. Nuper De sentent. excommunicationis, secundum veriorem opinionem. De qua videnda sunt dicta in præced. libro nono cap. 1. sect. 5.

Quartus est, per priuilegium Sedis Apostolicæ: quale est quod refert Nauarr. in Enchir. cap. 21. num. 52. à Leone 10. concessum cuilibet Sacerdoti ordinis Minorum: vt quouis die, sacrosanctum Domini corpus possit sæcularibus ministrare, excepto solo die Paschatis: & consequenter Dominicanis, & reliquis omnibus qui illius ordinis priuilegio vtuntur: vbi etiam mentionem addit de tali priuilegio concesso Societatis nostræ Sacerdotibus.

Quin-

Quintus modus est ex vi officij. Si enim Religiosus habeat beneficium curatum, nō impeditur hac constitutione præstare suis ouibus, quæ tenetur ex pastorali officio. Sextus est extrema necessitas articuli vel mortis, quoad absolutionem ab excōmunicatione. In illo enim ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. sub finem, omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absoluere possunt. Quoad cæteras vero actiones, non est tanta necessitas quanta absolutionis à peccatis, quæ prærequirit absolutionem ab excommunicatione: nisi quod difficultas sit de administratione Eucharistiæ suo loco tractanda. Hic pro praxi monendum est tantum: cum talis occurrerit casus, in quo si is cuius est dare licentiam omnino eam daret, si adesset (vt quando id omnino requireretur ad tranquillandam moribundi conscientiam, aut ad vitandum populi scandalum) Religiosum posse eam administrare, tanquam casu occurrente in quo excusetur.

CAPVT XXIX.

De religionem egressis.

SVMMARIVM.

412 *Transitus à religione laxiori ad arctiorem licitus.*
413 *Quatenus licitus sit transitus ad æque aut magis laxam.*
414 *Quæ religio censenda arctior.*
415 *Documentum de iis qui à religione dimittuntur.*
416 *Distinctio inter eiectum, fugitiuum, & apostatam.*
417 *Eiectus ad religionem reuocatus tenetur redire, non tenetur autem transire ad alium ordinem.*
418 *Tenetur absolutè ad obseruationem castitatis: ad obseruationem vero obedientiæ religiosæ tantum tenetur animi proposito, si contingat ipsum reuocari.*
419 *Quo habitu vti debeat.*
420 *Quatenus teneatur ad obseruationem paupertatis, & cui acquirat ea quæ non fuerint sibi necessaria.*

EGressi sunt in quintuplici differentia. Quidam enim egressi sunt animo transeundi ad aliam religionem, quidam sunt dimissi, quidam eiecti, quidam fugitiui, & quidam Apostatæ: de quibus aliquot documenta addemus spectantia ad specialem rationem iudicandi de peccatis ipsorum.

412. Primum est, transitum à religione laxiori ad arctiorem licitum esse de iure communi. Pro quo est textus satis expressus in cap. Sane, De regularibus, & expressiùs in cap. Licet, eodem titulo. Ex quo præter approbationem talis transitus, duo habentur notatu digna. Prius est, tali transitui nō obstare, quod religio ipsa laxior priuilegium habeat à Sede Apostolica, vt Religiosi ipsius nequeant ad arctiorem religionem transire, eo quod id videatur illi ea ratione concessum; *vt verbis eiusdem textus vtar*, ne quis ex temeritate & leuitate, in iacturam vel in iniuriam sui ordinis, sub prætextu maioris religionis, ad alium ordinem transmolaret, sicut à multis erat præsumptum. Posterius est, transeundi licentiam esse petendam à Prælato religionis, à qua transitur: quæ licentia si irrationabiliter negetur, proterua indiscreti Prælati contradictio non obstabit, quin subditus libere possit adimplere sanctioris vitæ propositum.

413. Secundum est: transitum ab vna religione ad alium æque laxam aut laxiorem, licitum esse posse interueniente Superioris dispensatione, & iusta causa. Hoc certi iuris esse, & ab omnibus concedi notat Azor canonistis pro eo citatis, in lib. 12. primæ partis Moral. Instit. cap. 14. quæst. 8. Et confirmatur, quia ad talem transitum iustificandum sufficere possunt potestas Superioris cum causa iusta: cum sufficiant ad voti relaxationem: nec aliud sit, quod obstet eidem transitui, quam obligatio voti emissi de obseruanda perpetua castitate, paupertate, & obedientia in tali ordine.

Is autem Superior est Episcopus si monasterium transeuntis sub eo sit: sin sit exemptū à iurisdictione Episcopi, est eiusdem Prælatus: qui habens authoritatē quasi Episcopalem, potest eam facultatem dare, quando periculum alicuius momenti vrget, vel ad Romanum Pontificem difficilis est aditus, prout habet idem Azor. Cui adde ex Sylu. in verbo Religio 4. quæst. 2. debere interuenire consensum Capituli: quoniam res ea est vna de maioribus negotiis monasterij, in quibus talis consensus requiri solet.

Causa vero iusta, quæ præter authoritatem Superioris 414.
requiritur ad eumdem transitum licitum, est primo, si collapsa sit disciplina in religione strictiore. Secundo, si odia & simultates in ea vigeant, quibus destruitur charitas, sine qua perfectio religiosa nequit consistere, vt nemo ignorat. Tertio, si Religiosus petens transire, sit aliis exosus. Quarto, si ob corporis debilitatem, idem non possit ferre suæ religionis rigorem. Multa alia de hoc tractatu habent tum alij, tum maxime Syluester in verbo Religio 4. & Azor in citato cap. 14. & in sequenti 15. apud quos videnda possumus relinquere; contenti obiter monuisse quod ex communi canonistarum sententia Leon. Lessius habet De iust. & iure lib. 2. cap. 41. dubit. 13. sub initium.

Religionem arctiorem censeri, quæ est arctioris obseruantiæ, ita vt in ea possit quis tutius & melius salutē suam operari. Ad quod facit, quod possit ex memorato cap. Licet §. Quia tamen, satis intelligi transitum illum ad arctiorem, concessum esse ob tutiorem vitæ agendæ rationem: adeo vt religio suppeditatrix eiusmodi rationis & magistra, videri possit arctior, tanquam parens vitæ tutioris ac securioris; quantumcumque alia religio cui comparatur sit rigidior: aut etiam fructuosior, & altior prout habet Azor in citato cap. 14. quæst. 2. sub finem.

Debebit autem Confessarius talem transitū meditanteni, si esse offeat, monere in eodem cap. Licet, §. Quocirca, significari esse à temeritate & sinistra intentione cauēdum: atq; ad intentionem melioris vitæ, addendam maturam deliberationem, & sapientum consilium. Talem transitum, nisi illum cohoneste necessitas aut vtilitas notabilis, non esse laudabilem, iuxta D. Thomam 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. tum quia ex eo plerumq; scandalizantur qui relinquuntur: tum quia cæteris paribus facilius proficit quis in religione quam consuenit, quam in illa quam non consuevit. Accedit illud D. Pauli *in priori ad Corinth.* cap. 7. vnusquisque in vocatione qua vocatus est, permaneat.

Tertium documentū est: Ex iis qui à religione dimit- 415.
tuntur, quosdam nōdum esse religioni adstrictos; vt Nouitios, qui tempore probationis inuenti inepti dimittuntur: talesq; manent liberi, præsertim cum egredi positum fuerit in ipsorum arbitrio prout habitum est in præced. cap. 2. propositione vltima. Quosdam vero adstrictos quidem esse religioni in qua emittunt vota, sed religionem non esse ipsis adstrictam (*etiamsi vere sint Religiosi*) eo quod talia vota ipsorum simplicia sint, non autem solemnia neque professio, per quam reciproce, & Religiosus obligatus sit religioni ad manendum, perseuerandumque in ea; & vicissim religio sit obligata ad eum retinendum, ac tractandum tanquam filium, nisi se reddat ei noxium. Quæ cum ita sint, possunt tales dimitti, quando adfuerint iustæ causæ: quales censentur hæ: quod nolint corrigi, & emendari, aut quod crimen commiserint ratione cuius religioni timetur infamia, aut quod impedimentum habuerint, cum quo tanquam essentiali, valdeque graui in ea religione, nō fuissent admissi, si illud dere xissent. Qua de re paulo plenius Leon. Lessius in seq. dubit. 14. quem videat qui volet. Contenti esse possumus addere quod ille in num. 107. tangit. Cum vota prædicta sic fiant vt eorum emissione Religiosus obligetur ordini in quo fiunt; nō autem ordo ipsi: eatenus includere conditionem hanc, Si ordo me retinere voluerit. Vnde potest deduci, quod per dimissionem quæ idem ordo recusat omnino talem retinere, de eo in conscientia posse iudicari, vt de relicto in sua libertate: etiamsi non vacet crimine, si perfide eidem dimissioni occasionem dederit.

Quartum documentum est. Eiectum à fugitiuo & apo- 416.
stata distingui; quod eiectus recedat compulsus à Superioribus, bonum commune procurantibus: mandando executioni illud quod in cap. Resecandæ 24. quæst. 3. habetur ex D. Hieronymo. Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa,

corpus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, intereant. Fugitiuus vero & apostata recedant sua voluntate: ille quidem vt sit extra potestatem Superioris, & ad tempus libere vagetur, interea animum habens redeundi: hic vero, vt deserat suum statum.

Quintum documentum est. Haud dubium esse, quin & fugitiuus & apostata maneant obligati ad omnia quæ religionis sunt, peccareque illorum transgressione, non minus quam si essent in suo monasterio; cum nō debeant ex nequitia sua reportare cōmodum: &, vt supponimus, ex sola ipsorum praua voluntate pendeat, quod non sint in monasterio, ita vt nequeant per impossibilitatē excusari. Quæ si contingeret ex eo, quod religio nollet eos retinere: iudicandum esset de ipsis tanquam de eiectis eo modo quo paulo post dicetur.

Porro tales se ad confessionem offerentes, etsi ad hoc admitti possint vt salubribus monitis iuuentur, iuxta cap. Quod quidam, De Pœnit. & remiss. non tamen vt sacramentaliter absoluantur: quia pro vere pœnitentibus non sunt habendi, quamdiu nō submittunt se correctioni suorum Superiorum: ad quos proinde oportet ipsos remittere. De eiecto vero, non potest eadem facilitate iudicari; nam multa sunt quæ de eo vocantur in dubium, vt licet videre apud Azorium in citato lib. 12. cap. 16. & 17. de quibus ipse legendus est, quia possumus contenti esse aliquot documentis quæ valent ad directionem Confessarij, talium sacramentalem confessionem excipientis.

417. Sextum ergo documentum est. Eiectum teneri ad religionem reuerti, si à suis Superioribus reuocetur. Ad quod facit, quod reuerti nolens excommunicari præcipiatur in cap. finali, De regularibus. Facit & ratio, quia ex vi votorum & professionis suæ, tenetur vsque ad mortem manere in sua religione. Vnde cum sit ei potestas ad illam redeundi, tenetur redire, ad implendum quod Deo promisit. Etenim tota causa cur antea excusaretur fuit impossibilitas, hoc est, quod non esset in potestate ipsius in illa manere. Quando vero id postea est ipsi possibile, cessat excusatio, & obligationis vis recurrit: quæ non fuit per eiectionem extincta, sed solummodo sopita seu suspensa. Eam enim obligationem Prælati nō tollunt eiiciendo, vt nec de Religioso faciunt non Religiosum: quod non est in ipsorum potestate situm. Aduerte autem eiectum tantummodo ad tempus, vt se emendet, teneri per emēdationem se denuo reddere habilem vt recipiatur: nec excusari, quin emendatus debeat se religioni offerre, quantumuis ab ea nō reuocetur. Secus esse vero, si per publicam sententiam Iudicum ad id destinatorum, eiectus esset in perpetuum, prout ex Nauarro habet Azor in citato cap. 16. quæst. 6. inquiens inter cætera: talem tuta conscientia extra religionem ex qua eiectus est, viuere; vt in eo iustam sententiam & pœnam sustineat ac luat.

Cæterum ad alium ordinem transire, à suo eiectus non tenetur: quia profitendo in vna religione non habet intentionem adstringendi se ad aliam: cum determinet illam in qua seruaturus sit perpetuam paupertatem, castitatem & obedientiam. Neque obstabit quod ante ingressum in illum ordinem, forte vouerit vniuerse ingressum in religionem: quia tale votum sicut est simplex, ita etiam, *perinde ac cætera simplicia quæ emiserit*, commutatur in professionem; indeque extinguitur, nec reuiuiscit per eiectionem à religione; præsertim cum ea non obstet, quin professio in sua vi obligandi perseueret: adeo vt eiectus sciens se recipiendum, redire teneatur. Quam doctrinam Azor habet in eodem cap. 16. q. 5.

418. Septimum documentum est. Eiectum teneri ad obseruationē castitatis religiosæ, perinde ac ante eiectionē. Nō tantum enim extra matrimonium eam violare prohibetur, per sextum Decalogi præceptum cōmune omnibus; sed etiam violare in vsu matrimonij; cuius ineundi est effectus incapax per professionem in religione approbata, iuxta textum expressum in cap. vnico, De voto in sexto.

Ab obseruatione autem obedientiæ religiosæ eumdem excusari, consequens est ex eo, quod religio in qua professus est, ipsum eiiciendo, omnem de eo curam abiiciat, habendo eum pro non suo: quo fit vt non intendat rei quidquam præcipere aut prohibere tanquam suo. Obedientiæ autem obseruationi locus non datur, vbi deest illam imponens: quia tali actioni deficit materia per defectum Superioris, qui illam suppeditet. Quod autē Nauar. in comment. 2. de regularibus nu. 35. ad eum defectum supplendum (*nisi aliam religionem capessat*) debere ipsum Episcopo se offerre vt in eius sit cura & potestate: eiusque mandatis & iussis parere, ex vi voti cogatur: Azor in sequenti quæst. 11. bene reiicit ex recepto more profitendi, quo obedientia perpetua promittitur tantum Superiori illius religionis & successoribus ipsius; siue immediatus sit, siue mediatus. Vnde sequitur vt si per iustam sententiam à religione excludatur, non cogatur ex vi voti alteri obedire. Ea enim de causa Nauarrus ipse fatetur eiectum non teneri ex vi voti, aliam religionem intrare. Ex qua causa pariter colligi potest, nec teneri vi voti se Episcopo offerre, vt in eius speciali potestate & cura sit tanquam religiosus; sed sufficit vt instar aliorum Clericorum obtemperet ei, in cuius diœcesi habuerit habitationis domicilium. Verumtamen quia per eiectionem non desinit esse vere & proprie Religiosus, etiam nullius religionis sit (perinde ac Episcopus ab Episcopatu suo eiectus non desinit esse Episcopus, quantumuis sit absque Episcopatu) debet ex vi voti quo adstrictus manet, paratus esse ad obediendum si contigerit ipsum restitui ad pristinum statum, & in cura & potestate esse Superiorū, quibus obedientiam promisit.

Octauum documentum est. Eiectum vti debere habitu clericali. Hoc Nauarr. habet in sequenti num. 36. & post eum Azor in seq. quæst. 13. & Leon. Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 41. num. 112. Ratio ipsorum est, quod per sententiam spoliatus habitu suæ religionis, nō teneatur, imo nec possit eo vti, vt nec habitu alterius religionis, nisi ad eam transierit: ad quod non adstringitur, vt ante habitum est. Vnde superest vt clericali habitu conditioni suæ conuenienti, vtatur. Addit Lessius in seq. num. 115. à reliquis monasticis obseruantiis, vt à ieiuniis, vigiliis, delectu ciborum, silentio esse liberum. Pro quo facit quod obligatio ad eorum obseruationem, ex eo proueniat, quod præscribantur ex obedientia, per statutum declarata: atque iuxta antedicta, in eiecto à religione, obseruatio obedientiæ suspendatur. 419.

Nonum documentum est. Eiectum ad paupertatis obseruationem ita teneri, vt non prohibeatur eorum quæ acquisierit administrationem habere, tum ad vitæ necessaria, tum ad aliquas pias causas. Hoc enim ipso quod eiicitur, fit ei potestas sibi quoad corpori necessaria & animæ commoda prouidendi. Si quid autem amplius acquirat, an ad monasterium pertineat difficultas est: cuius partem negantem Nauar. sequitur in memorato comment. 2. nu. 34. quia talis non est amplius monasterij membrum, neque ei subiectus. In eamdemque sententiam propendet Azor in eodem cap. 16. quæst. 9. Leonardus vero Lessius in memorato num. 112. secutus Lud. Molinam, De iust. & iure tomo 1. tract. 2. quæst. 140. affirmantem tenet per hanc rationem; quod monasterium per monachi culpam & punitionem, non debeat amittere ius quod habuit in bonis illius siue acquisitis siue acquirendis. Neque enim per eiectionem ita desinit esse membrum religionis, vt hæc omne suum ius in illum perdat: vt argumento est, quod si ab eo repetatur, reuerti teneatur, tanquam ablato impedimento implendi perpetuam obedientiam quā in eadem religione Deo promisit. Eam sententiam tanquam tutiorem, iudicarim sequendam in praxi. 420.

Superest obiter monendum in Concilio Trident. sess. 25. De regularibus cap. 19. editum esse decretum de reclamatione Religiosorum contra professionem ab ipsis factam: atque eiusdem præclaram lectuque dignissimam declarationem tradi à Thoma Sanchez lib. 7. De matrimonio disput. 37. Apud quem relinquemus, ei qui volet videndam tanquam spectantem ad fori externi vsum.

LAVS DEO.

LIBER

LIBER QVARTVS, ET TOTIVS OPERIS DECIMVS-NONVS.

DE SPECIALI RATIONE IVDICANDI DE PECcatis, reſpectu habito ad tertium Decalogi præceptum.

PRÆFATIO.

ORDINE plane pulcherrimo (inquit Concil. Colonienſe in expoſitione huius præcepti) tria prima Decalogi præcepta, quæ ad Dei cultum pertinent, ſeſe conſequuntur. Primum enim præceptum format animum, deque interiori cultu inſtituit; & quia ex abundantia cordis os loquitur, merito ei ſubiungitur ſecundum, quod docet quomodo de Deo loqui oporteat: ſubſequitur vero tertium, Memento vt diem Sabbathi ſanctifices, Exod. 20. tanquam amborum illorum abſolutio: quo de omni alio exteriori cultu Deo præſtando exhibendoque docemur. Idem habetur ex Catechiſmo iuſſu Concilii Triden. edito: & ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 122. art. 4. ac Soto lib. 2. De iuſtitia & iure quæſt. 4. art. 4. Ratio autem iudicandi de peccatis ex ipſo tertio præcepto exigit, *præter cætera de quibus infertus*, notitiam nonnullorum, quæ circa illud notanda ſunt in ipſo iudicio de peccatis, quæ præmittemus.

CAPVT I.

De quibuſdam notandis circa tertium Decalogi præceptum, pro ratione iudicandi ex eo de peccatis.

SVMMARIVM.

1 *De nomine Sabbathi, & ſenſu huius præcepti.*
2 *De eiuſdem obligatione, quatenus ea ceſſarit, & quatenus perſeueret.*
3 *Ex Eccleſiæ tantum ſtatuto, ea eſt pro die Dominico, ſicut & pro reliquis diebus feſtis.*
4 *Quatenus poſſit Papa in ea diſpenſare, & conſuetudo eam abrogare.*
5 *Explicatio dubii, An Epiſcopus poſſit dies feſtos abrogare.*
6 *Quatenus poſſit Epiſcopus feſtum inſtituere.*
7 *Quatenus conſuetudo.*
8 *Quæ feſta ſint Sabbatho ſuffecta, certo aſſignari non poteſt.*
9 *Cum feſtorum obſeruatione, præcipitur modus ea obſeruandi.*
10 *Quæ ſint ea de quibus in ordine ad tertium præceptum Decalogi tractare oportet, ad iudicandum de peccatis.*

Nu. 1. CIRCA hoc præceptum, notandum eſt primo, quod facit ad manifeſtationem ſenſus illius, nomen Sabbathi Hebraicum eſſe, Latine ſonans requiem, ſeu ceſſationem: quo ſeptimus hebdomadæ dies in veteri Teſtamento eſt appellatus, vel quia deſtinatus eſt in hominum requiem, *vt citatum Concil. Colon. & Couar. lib. 4. variarum reſolutionum cap. 19. num. 1. annotant*: vel potius vt Catechiſmus iuſſu Concilij Trident. editus tangit, quia die ſeptimo Deus ab omni opere quod fecerat, requieuit; idem dies propterea diuino cultui conſecratus eſt, iuxta illud Exod. 35. Septimus dies erit vobis ſanctus, Sabbathum & requies Domini. Quod etiam D. Thomas non obſcure ſignificat loco cit. inquiens, in tertio præcepto Decalogi præcipi exteriorem cultum, ad repræſentandum opus creationis mundi, à quo requieuiſſe dicitur Deus die ſeptimo. Significant quoque illi, qui dicunt datum eſſe iſtud præceptum in memoriam beneficij creationis: quaſi mundi princeps Deus, celebrem voluerit eſſe Sabbathi diem, tanquam totius mundi natalem. Sanctificare autem diem Sabbathi, *quod idipſum præceptum iniungit*, eſt eum tanquam ſanctum & Deo dicatum agnoſcere; itemque illum tranſigere ceſſando ab omni opere ſeruili vt habetur Exod. 20. verſ. 9. & Leuit. 23. verſ. 3. & Numerorum 28. verſ. 25.

Sententia ergo præcepti huius ea eſt, vt iniungatur per ipſum exterior Dei cultus: ſiue, *prout ſub finem citati numeri primi habet Couar.* corporalis requies & ceſſatio ab operibus ſeruilibus ad famulandum Deo: nempe vt liberi ab operibus profanis, mente Deo intenti, cultum illi exhibeamus. Quæ eſt quoque D. Thomæ doctrina in dicto art. 4. & Caietani ibidem in principio, atq; Soti loco memorato.

Notandum eſt ſecundo, præceptum hoc partim morale, partim ceremoniale eſſe: morale quidem, qua ex parte ſtatuit aliquod tempus eſſe cultui Dei præfigendum, id enim ſpectat ad mores. Ceremoniale vero, qua ex parte certum tempus definit ac præſcribit eidem cultui impendendum. Ita poſt D. Tho. tum loco cit. tum 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 3. *ad* 2. Sotus in eod. art. 4. & Couar. in ſeq. num. 2. Cum autem nunc ceremonialia veteris legis ceſſarint, ſicut declarat Couar. in 1. var. reſol. cap. 17. num. 1. (*& probatur ex cap. 1. De purificatione poſt partum*) fit vt hoc præceptum in lege gratiæ vim obtineat ſolum ex ea parte qua morale eſt. Quare ſi hodie nulla eſſet alia lex, præter hanc Decalogi, etiamſi oporteret in aliquo tempore vacare Deo: nullum tamen determinatum feſtum eſſet in præcepto, ipſaque obligatio vacandi Deo eſſet ſimilis ei, quæ iure diuino incumbit nobis Deum orandi, cui tempus certum eodem iure præſcriptum non eſt, vt tractat Nauarr. De oratione cap. 1. 5. 6. & 7. Nu. 2.

Quod vero nunc certa tempora ſtatuta ſint, quæ feſta dicimus, tribuendum eſt iuri Eccleſiaſtico, prout Nauarr. in Enchir. cap. 13. in princip. expreſſit, plures alios in eamdem ſententiam referens, vt & Couar. in fine prius memorati cap. 19. Id quod non ſolum de aliis diebus qui in Eccleſia, vel ob Beatæ Virginis aliorumque Sanctorum memoriam, vel ob alias cauſas ſolemniter celebrantur: ſed etiam de die Dominica verum eſt, vt ait Diuus Thom. 2. 2. *quæſt.* 122. *art.* 4. *ad* 4. cui conſentit Nauar. loco cit. quamuis multi alij contradicant, quos refert Couar. in eodem cap. num. 6. Illud pro eis adferens, quod veriſſimum ſit diem eum iam inde ab Apoſtolorum tempore fuiſſe diuino cultui conſecratum. Ad cuius rationis ſolutionem dici poteſt cum Nauar. *in cit. cap. 13. ſub finem num. 1.* in nouo Teſtamento (in quo ceſſauit præceptum ceremoniale de Nu. 3.

sanctificatione Sabbathi) Apostolos authoritate sua, non autem lege diuina cepisse diem Dominicum obseruare: ac fidelibus vt idem facerent præcepisse.

Illud vero ex cap. Licet, De feriis quod pro eisdem maxime facere videtur, tam veteris quam noui Testamenti paginas, septimum diem quieti humanæ deputauisse: sic cum eodem Nauar. accipiendum est, vt non negetur quidem in nouo Testamento, sicut in veteri, vnum ex septem diebus consecratum esse diuino cultui: non concedatur tamen iure diuino, sed tantum Ecclesiastico, per authoritatem Apostolicam esse consecratum. Neque enim præcepta omnia quæ sunt in nouo Testamento censenda esse de iure diuino, patet ex dato gentibus Actorum 15. de abstinendo se à sanguine & suffocato: quod videmus iam esse abrogatum. Cur vero Apostoli non eundem diem Sabbathi retinuerint ad vacãdum Deo: sed eius loco elegerint diem Dominicum, qui primus erat post Sabbathum, poterit is qui volet (quia ad nostrum institutum parum facit) videre apud Concil. Colo. in expositione huius præcepti, & Couar. in memorato num. 6.

4. Notandum est tertio, congruenter dictis statui, quod etsi Papa nequeat in hoc præcepto dispensare, qua ex parte morale est, *vt Couar. in præced. num. 5. habet per doctrinam D. Thom. 1. 2. quæst. 100. artic. 8. explicatam à Soto in 4. De iust. & iure, quæst. 3. art. 8.* Attamen qua ex parte idem præceptum nunc habet certum tempus præscriptum, Papa ipse potest in eo dispensare: argumento Clem. Ne Romani, De elect. atque adeo de tali tempore aliquid detrahere, decernendo v.g. quod vsque ad meridiem tantum duret festum, vt ait *Caiet. 2. 2. quæst. 122. art. 4. col. 3. in medio.* Itaque vt Sotus habet in eodem 4. lib. *quæst. 4. art. 4. circa 3. conclus.* potest Ecclesia dies omnes festos vel tollere vel mutare: ita saltem vt factum teneat, quamuis Spiritus sanctus id, tanquam pernitiosum, non permitteret fieri. Quod etiam Couar. in 4. variarum resolutionum cap. 19. num. 8. asserit, respectu quarumdam festiuitatum, vt diei Dominicæ, Natalis domini, & aliarum quæ ab ineunte Ecclesia coeperunt.

Statui potest quoque ex dictis, consuetudinem valere plurimum ad abrogandos festos dies iam institutos. Cum enim iuris sint humani, *vt prædiximus*, poterit aduersus eos rationabilis, ac legitime præscripta consuetudo valere, iuxta textum in cap. finali, De consuetudine. Id quod expresse docent Caietan. loco cit. & in verbo Festos dies, cap. 2. ac Nauarr. in Enchir. cap. decimotertio, numer. 5. vers. 9.

5. Notandum est quarto, dubium esse de Episcopo; vtrũ possit dies festos abrogare. Cui satisfit dicendo non posse quidem abrogare eos qui sunt instituti à Romano Pontifice, vel Concilio generali, aut totius Ecclesiæ vniuersali consuetudine, argumen. cap. Cum inferior, De maiorit. & obed. posse tamen abrogare diem festum institutum, vel à suo prædecessore, vel à consuetudine particulari suæ Diœcesis.

6. Notandum est quinto, non dubitari, quin tum ab Episcopo, tum à prædicta consuetudine potuerit festum institui. Quoad Episcopum enim id constat ex cap. vltimo, De feriis, & ex cap. 1. De consecr. dist. 5. Quod intellige, iuxta idem cap. vltimum, dummodo cum clero & populo idipsum faciat. De qua re Suarez latius, De religione tract. 2. lib. 2. cap. 11. à num. 4. pro qua commemorat Angelum in verbo Feria num. 5. Tabienam nu. 10. Syluestrum verbo Dominica num. 3. D. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 7. §. 1. & Panormit. ad idem cap. vltimum num. 4. Aduerte vero quod hic in seq. num. 5. notat, populum contradicere non posse Episcopo, si is festum nouum præcipiat iusta de causa, qualis censetur quod Sanctus in cuius memoriam festũ diem agi mandat, ortum duxerit ab illo loco.

Aduerte præterea, quia Summi Pontifices ad festorum institutionem pro tota Dei Ecclesia non procedunt sine causa rationabili, eaque diligenter discussa & examinata, ad illam non requiri populi approbationem & consensum, sicut requiritur ad institutionem factam ab Episcopo, qui non censetur in ea procedere cum tanta deliberatione & maturitate consilij, quin possit populo præiudicare, impediendo ipsius lucrum ex labore. Aduerte demum vt Episcopus possit de nouo præcipere diem festum alicuius Sancti, requiri vt idem Sanctus fuerit ab Ecclesia canonizatus: quod post glossam *ad cap. 1. De consecr. dist. 3. verb. Festiuitates*, notant D. Anton. ac Syluest. locis citatis. Et ratio est, quia Episcopus non potest Sanctos canonizare, prout Panormit. in cit. num. 4. habet per cap. 1. De reliquiis & veneratione Sanctorum: neque ad Sanctos qui non sunt canonizati potest dnigi oratio solemnis: qualis est quæ fit in Missa, alioq; officio diuino: siue quibus dies festi non celebrantur.

Iam quod spectat ad consuetudinem, dubium non est quin ea possit nouum festum inducere. Nam si festum iam institutum abrogare potest, non obstante lege contraria, poterit à fortiori instituere: cum id sit solum præter legem. Atque sic posse fieri concedit Nauarr. in Enchir. cap. 13. num. 5. vers. 9. Et merito: quia consuetudo legitime præscripta, & ideo approbata à Prælato saltem tacite, vim habet legis, ex toto titulo de consuetudine: vnde fit vt ea possit non tantum consilium, sed etiam præceptum inducere, perinde atque alia quæuis lex iusta. Porro si consuetudo in hac re generalis fuerit, generaliter obseruanda erit, sin particularis, particulariter ex Sylvest. in verbo Dominica num. 3. vers. 4. & D. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 7. in principio. Nec enim consuetudo vnius ciuitatis, *quamuis sit Romana* obligat alias ciuitates: siquidem extra ea quæ ad fidem spectant, non tenemur sequi particulares illarum consuetudines, nisi ipsa Romana Ecclesia præcipiat: vt ab aliis Ecclesiis similiter obseruentur: quod notat Panorm. ad cap. 2. De feriis num. 1. 7.

De eo quod Suarez satis late tractat in principio citati cap. 11. laicos non posse dies festos, *de quibus nobis sermo est*, instituere; idem legendus est, vt & de nonnullis particularibus festis quæ seruantur ex deuotione, aut particulari consuetudine hominum certi status. Satis enim est pro ordinaria praxi, Confessarium aduertere: quia institutio festorum ad Dei cultum pertinet, & regimen fidelium: eam debere manare à potestate Ecclesiastica, ad tale regimen peculiariter ordinata: adeo vt nequeat laicus Princeps aut respub. sine authoritate prælati Ecclesiastici instituere festum ad modum cultus religiosi: sed solum ad modum honoris politici: quo modo tam hæc quam ille præcipere potest actus religionis, perinde ac aliarum virtutum moralium: vt iustitiæ, temperantiæ, fortitudinis & reliquarum.

Notandum sexto, non posse certo definiri quæ festa præter diem Dominicum, designata sint ac Sabbatho suffecta in nouo Testamento. Quamuis enim determinata sint in iure festa aliqua, vt patet ex cap. 1. De consecrat. distinct. 3. & ex cap. fin. De feriis & ex Clemen. Si Dominum, De reliquiis & venerat. Sanctorum: traduntque Syluest. in verbo Dominica, num. 3. & D. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 7. initio: aliqua tamen ex eis abrogata sunt per consuetudinem, & nonnulla alia pleriſque in locis obseruantur; vt patet experientia. Quare vt recte Nauar. notat in Enchir. cap. 13. num. 5. & Caiet. in verbo Festos dies, cap 2. in singulis regionibus illa festa obseruanda sunt, quæ lex aut synodalis constitutio recepta, & non abrogata, vel consuetudo præscripta, ibi præcipit obseruari. Præcipit, inquam, quia si solum ex deuotione festum aliquod ex longinqua consuetudine obseruetur, non erit peccatum id præmittere. 8.

Atque his congruenter euenit, vt etiamsi de iure communi festa celebranda sint à vespera in vesperam, ex cap. 1. & 2. De feriis, *notantque Nauarr. in cit. cap. 13. num. quinto & Couarr. in 4. var. resol. cap. 19. num. nono*: nihilominus tamẽ passim fieri videmus vt à media nocte in mediam noctem, de consuetudine obseruentur. Cui consuetudini in hoc standum esse habetur ex cit. cap. 2. De feriis. Vbi Panorm. num. 1. tenet etiam standum esse consuetudini, *si præscripta esset*, quæ induceret vt festum inciperet à mane ipsius diei. Probatur: quia ius posset id statuere. Ergo & cõsuetudo. Item consuetudo potest festum tollere ex toto vt diximus. Ergo & ex parte diminuere; etiam inducendo

vt matutino tantum modo tempore festum seruetur. In hoc enim potest esse rationabilis causa: qualis est, vt vitentur peiora peccata, quæ fiunt à nonnullis, eo quod tunc temporis laborare non liceat. De qua re Caiet. 2.2. qu. 122. art. 4. col. 3. in medio.

9. Notandum est septimo, quod vt lex Ecclesiastica indixit certa ac determinata festa, in quibus Deo vacandum est, vt impleatur morale illud quod in hoc 3. Decalogi præcepto continebatur: sic etiam indixisse modum quo eadem seruari deberent: nimirum vt in eis abstineamus ab operibus seruilibus (*sicut in veteri lege non eodem tamen rigore, vt post D. Thom. 2 2. quæst. 122. artic. 4. ad 4. notat Nauarr. in cit. cap. 13. num. secundo,*) & ab alijs nonnullis: quæ quamuis seruilia non sint, nihilominus ius specialiter vetat ea in festis exerceri. Præterea vt Missa audiatur.

Notandum est octauo, sicut in veteri lege per istud præceptum, *prout morale*, iniungebatur tantum modo exterior Dei cultus: ita & in noua lege non alium quam eundem ab Ecclesia præcipi fidelibus: quemadmodum Caietanus notat in eod. verbo Festos dies cap. 1. & ad memo. art. 4. in principio post D. Thomam ibidem: cui consentiunt Sotus lib. 2. de iust. & iure quæst. 4. art. 4. Couar. in 4. var. resolut. cap. 19. num. 11. & alij, quorum nos sententiam secuti sumus, & confirmauimus in præced. lib. 14. cap. 9. Quanquam negandum non est quin Ecclesia obligando ad Missam audiendam, consequenter obliget ad actum internum deuotionis, quem talis auditio de se exigit.

Meminisse oportet vero, quod etiamsi præcepto huic satisfaciat ille, qui in die festo ab operibus seruilibus alijsque prohibitis abstinet & Missam audit: nihilominus debere quemque fidelium vt fini huius eiusdem præcepti se conformet, festum ipsum in diuinis laudibus, aut in lectione sacra insumere: prout notant tum idem Caietan. in fine cit. cap. primi, tum etiam D. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 7. §. 4. ac Syluest. verbo Dominica, numer. 8. ac Concil. Colon. & Catechismus iussu Concilij Trident. editus, in expositione huius præcepti. Quare si quis totam fere vel maiorem partem festi impenderet musicis instrumentis & alijs similibus alioqui licitis, peccaret: non tamen mortaliter: vt ait Caiet. 2. 2. quæst. 122. art. 4. sub finem sexti casus: dummodo abstineat à prohibitis, & Missam audiat. Nec item mortaliter peccare si otiose vagaretur, tradunt D. Anton. in cit. §. 4. & Caiet. in fine citati cap. primi, ac Nauar. in Enchir. cap. 13. num. 15.

10. Patet autem ex dictis rationem iudicandi de peccatis ex 3. Decalogi præcepto nobis propositam, requirere vt consequenter dicamus: tum de obligatione diebus festis assistendi Missæ sacrificio, *in quo consistet primarius Dei cultus externus:* tum de obligatione ijsdem diebus cessandi ab operibus seruilibus, nonnullisque alijs prohibitis: tum etiam de sacrilegio, vt de eo, ad quod tanquam species ad suum genus, referuntur tam violatio ipsa temporis sacri, quam violationes tum rerum tum personarum tum etiam locorum sacrorum, dicatorumve Deo ad cultum ipsius externum. De quibus dicendi suus quoque locus debetur in hoc libro.

Conuenienter etiam dici posset tum de obligatione confitendi sacramentaliter: tum de obligatione sumendi sacrosanctam Eucharistiam, quæ vtraque communis omnibus Christianis, determinata quoque est ab Ecclesia: & spectat ad externum Dei cultum: tum etiam de tribus generibus bonorum operum: ieiunio inquam, eleemosyna & oratione tanquam sacrificijs iustitiæ, *iuxta illud Psal. 4. Sacrificate sacrificium iustitiæ*: quibus mactatur iniquitatis fomes triceps concupiscentia: per ieiunium quidem, concupiscentia carnis, seu voluptatum carnalium: per eleemosynam vero, concupiscentia oculorũ, seu rerum mundanarum: per orationem denique superbia vitæ, seu propria voluntas. Verum quæ ad orationem ieiunium & eleemosynam spectant iam tradita sunt in lib. 4. & quæ ad confessionem in libro 12. quæ vero spectant ad Eucharistiæ sumptionem locum proprium habent in sequenti lib. 29. in quo agetur de ipsa Eucharistia. De personis autem Deo sacris, *quæ sunt Clerici & Religiosi*, partim iam dictum est in præcedenti libro quoad Religiosos: partim dicetur in sequenti lib. 30. tract. 3. quoad Clericos qui Deo dicantur, ordinis susceptione. De locis sacris actum est in præcedenti lib. 14. cap. 6.

CAP. II.

De obligatione audiendi Missam in die festo.

SVMMARIVM.

11 *Præceptum ecclesiasticum de audienda Missa.*
12 *Quid sit audire Missam.*
13 *Qui audiendo Missam distrahitur voluntarie, non satisfacit huic præcepto: secus vero, qui inuoluntarie.*
14 *Preces obligatoriæ recitari possunt audiendo Missam ex obligatione: potest quoq; sacramentalis confessio fieri: non debet tamen sine necessitate.*
15 *Qui obligentur Missam audire in die festo.*
16 *Impotentia & necessitas excusans ab audienda Missa in die festo.*
17 *Præceptum Superioris, aut consuetudo similiter excusans.*
18 *De bona fide excusante.*
19 *Auditio Missæ præferenda est auditioni prædicationis, quæ alioqui curanda est solicite.*
20 *Obligatio audiendi Missam est sub mortali. Illi vero satisfit audiendo vnicam, etiam in die Natalis Domini.*
21 *Quatenus adstringat existentem extra suam parochiam.*
22 *Quid tenendum sit de difficultate, An sit obligatio audiendi Missam in propria parochia.*
23 *Quid item de eo qui audit nesciens esse diem festum: aut qui ad Ecclesiam iuit alia de causa, quam audiendi Missam.*
24 *Cuius partis Missæ omissio sufficiat ad peccatum mortale contra hoc præceptum.*
25 *Plurium minorum partium omissio, potest vnam notabilem efficere, ad tale peccatum sufficientem.*
26 *Quomodo satisfiat huic præcepto, audiendo partes diuersarum Missarum.*
27 *Decentia tum interior tum exterior requisita Missam audiendo.*
28 *Septem partes distinguuntur in Missæ celebratione, & quid conueniat in singulis agere.*
29 *Dignitas Missæ ostenditur primo ex obligatione.*
30 *Secundo ex fine.*
31 *Tertio ex ijs quæ sunt ab ecclesia.*
32 *Quarto ex bonis quæ ea nobis adfert.*
33 *Significatio instrumentorum, Missæ, & vestium Sacerdotalium.*
34 *Significatio ceremoniarum, & partium Missæ.*

DE audienda Missa diebus festis præceptum datur 11.
De consecr. distinct. 1. cap. Missas: quod quamuis sit Concilij tantum prouincialis, nempe Agathensis in Gallia, tantumque diei dominicæ, & fœcularium faciat mentionem: Ecclesia tamen vniuersalis (ex Sylu. Missa 2. quæst. 1.) illud recepit extendendo ad omnes dies festos, prout intelligitur ex cap. Vt Dominicis. De parochijs: atque tam ad Religiosos, quam ad sæculares. Qua de re Suarez plenius in opere de religione tract. 2. lib. 2. cap. 15. & in 3. partem D. Thomæ tomo 3. disput. 88. sect. 4. Est autem præceptum partim diuinum, partim humanum: diuinum quidem iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 11. mortem Domini annuntiabitis donec veniat:] quo significatur omnes fideles obligari ad Deum aliquando, eo modo quo potest, colendum Missæ sacrificio: saltem ei assistendo ad recolendam memoriam passionis Christi per illis repræsentationem, Christumque ipsum realiter in ea præsentem, æterno Patri offerendum in remissionem peccatorum, & gratiarum actionem pro beneficijs acceptis. Humanum vero, qua illius determinatio ad dies festos, *tanquam tempus in quo ipsum sit implendum*, est ab Ecclesia.

Cæterum agunt de hac re D. Anton. 3. part. titul. 9. c. 10. Summularij, in verbo Missa, aut in verbo Feriæ, aut in verbo Festum, Sotus in 4. dist. 13. qu. 2. art. 1. sub finem, Nauar. in Enchir. cap. 21. in principio, & satis plene Azor in 1. par. suæ summæ, lib. 7. item in principio, ac Suarez in 3. partem D. Thomæ, tomo tertio, disput. 88. & in opere de religione tractatu 2. cap. 15. Nos pro modulo nostro quæ ad eam spectant complectemur aliquot quæstionum explicationes: cui præmittere oportet, Missæ nomine (de quo pluribus Couar. lib. 4. variarum resolut. c. 22. & Suarez in præced. disp. 74. sect. 3.) hic significari sacrificium omnium excellentissimum: quo tanquam holocaustum Deo Patri vnicus ac dilectus Filius ipsius offertur in reuerentiam diuinæ suæ maiestatis: & ad piacula nostra expianda, tanquã victima propitia immolatur, atque vt hostia pacifica præsentatur in gratiarum actionẽ. Quo fit vt cum præceptum istud tertium eo tendat, vt vacantes Deo, cultum ei debitum impendamus, merito ecclesia à Spiritu sancto edocta, in obseruatione festorum, cessationi ab operib. externis, quæ poterant eundem cultum impedire, voluerit coniunctam esse auditionem Missæ, quæ est externus Dei cultus excellentissimus.

QVÆSTIO I.

Quid sit audire Missam.

12. PRo huius explicatione dicendum est, non esse, verba Missæ intelligere, quod rustici nequeunt: nec videre Sacerdotem celebrantem, quod nequeunt cæci: nec verba illius audire, quod nequeunt surdi: sed esse, *ex Caiet. in verbo festos dies*, tum mente, tum corpore interesse. Corpore autem censetur Missæ interesse, qui sic præsens est, vt possit aliquatenus cognoscere quid faciat Sacerdos celebrãs, & in qua sit parte missæ. Neq; obstabit quod maneat post altare, aut post parietem etiam extra ecclesiam (vt fieri solet cum locus capax non est totius multitudinis, quæ ad audiendum confluxit) dummodo moraliter censeri possit de numero esse eorum, de quibus in canone Missę dicitur, Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota deuotio.

13. Mente vero censetur interesse, qui ad Missam venit animo attendendi, nec postea distrahitur voluntarie: sicut censetur, ipso occupante se in ijs, quæ cum attentione ipsa consistere nequeunt: qualia sunt: confabulari, nugari, pingere, scribere: legere aliena à deuotione, disputare aut alios docere: animo voluere prophana, in quibus qui se voluntarie occupat tempore Missæ, perinde ac si non interesset, præcepto eam audiendi nõ satisfacit: nisi forte, quod raro contingit tam parum per talia distraheretur, vt attentionem eam retineret quæ moraliter sufficiat ad censendum ipsum præsentem sacrificio adesse non modo corpore, sed etiam mente: pro quo plures authores refert Azor. in cit. lib. 7. cap. 5. quæst. 1. & 2. Et facit ratio, quia si ad satisfaciendum, sufficeret præsens esse, & nihil aliud, sequeretur retentum vi ad audiendam, aut ignorantem celebrari Missam, aut dormientem tempore celebrationis, satisfacere: quod absurdum est, cum id perinde sit, ac si non adesset præsens ad audiendam, vt argumento est quod interrogatus an Missam audierit, non possit vere respondere ꝙ audiuerit, prout est in præcepto. Veruntamen communis consensus est, tale præceptum seruari ab eo qui contra voluntatem suam distractiones patitur audiendo Missam: alioqui enim vix impleri posset ob facilitatem qua mens hominis distrahitur, iuxta illud Psal. 39. Cor meum dereliquit me.] Idem iudicari potest si sciens quidem ac volens ad res alias diuertat cogitando: sed eas diuinas & sacras: cum vt talibus perfectius, fructuosiusq; operam daremus diebus festis, existimari possit Ecclesia de Missa tunc audienda præceptum dedisse.

14. An autem eidem præcepto satisfaciat ille qui ad horas canonicas obligatus, eas tunc recitat, aut alias preces ad quas tenetur ex voto, aut quia sunt à Confessario in pœnitentiam ei impositæ, tunc item recitat, difficultas moueri solet. De qua in vtramque partem Azor authores commemorat in seq. quæst. 3. existimans totam difficultatem minui distinctioni, quæ apud ipsum videri potest. Nam ea omissa fulti authoritate Nauarri in Enchir. *cap. 21. num. 8. & de oratione cap. 19. nu.* 178. atque aliorum quos Azor ipse commemorat pro parte affirmante: simpliciter concedere possumus (quod etiam concedit Suarez partem ipsam affirmantem veram esse dicens *in memorata disp. 88. sect. 3. in fine*) satisfieri vtrique præcepto.

Si quid enim impediret, id maxime esset, quod attentio ad recitationem horarum canonicarum non patiatur secum attentionem ad celebrationem Missæ. Quod reiici potest: quia cum talis attentio sit triplex: vna ad verba, altera ad sensum verborum, & tertia ad Deum, quæ huius tertij generis est, non habet in illis diuersis operibus diuersitatem, adferentem ei impedimentum vt de se patet. Quæ vero primi aut secundi generis est, etsi vna talis actualis, difficulter secum patitur aliam actualem: virtualis tamen virtualem facile patitur. Nam licet difficile sit, recitantem diuinum officium, dum attendit actu ad verba aut ad sensum verborum, simul attendere actu, ad ea quæ proferuntur à celebrante Missam: tamen illa cessatio ab actuali attentione, non impedit eius perseuerantiam virtualem, cum non impediat tendentiam ad finem ipsius: puta diuinæ excellentiæ recognitionem, ad quam memorata quoque recitatio ordinatur.

Quæ cum ita sint, de huius præcepti essentia videtur tantum esse vt homo Christianus, cui ipsum imponitur, sic adsit Missæ sacrificio, vt hoc offeratur pro eo tanquam circumstante: isque cum Sacerdote offerat saltem virtuali intentione, qua possit censeri de iis esse pro quibus Sacerdos ipse dicit. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, sicut potest quando ab initio intentionem audiendi Missam habuit actualem, à qua nõ recessit postea. Secundum propositam doctrinam teneri quoq; potest confitentem sacramentaliter tempore Missæ, satisfacere posse obligationi de illa audienda: quia sacramentalis quoque confessio est opus tendens in diuinæ maiestatis recognitionem tanquam in finem. Quanquam cum nulla necessitas vrget curandum est, vt vtrique suum tempus proprium detur ad maiorem securitatem.

QVÆSTIO II.

Quinam obligentur Missam audire in die festo.

COmmunis ad hanc responsio est: obligari omnes Christianos cum peruenerint ad vsum rationis, nisi habeant legitimam excusationem. Notandum autem est primo, quod iam initio huius capitis attigimus: licet in cap. Missas De consecr. dist. 1. auditio missæ videatur expresse iniungi tantum sæcularibus: ad eam tamen omnes fideles pariter teneri, in omni die festo: prout communis consuetudo illud interpretata est. Cui accedit, tum communis Doctorum consensus, *de quo Suarez in eadem disp. 88. sect. 4. vers. Iam vero*: tum quod præceptum de eadem auditione datum, omnes fideles comprehendere constet ex cap. Omnes fideles, ex cap. Cum ad celebrandas: cap. Qui die. De consecrat. dist. 1. Vnde intelligitur falli Sacerdotes, qui non celebrantes diebus festis putant se exemptos à tali obligatione. De qua re Nauarr. admonet in tract. De oratione cap. 3. num. 18. 15.

Notandum est secundo, Turcas, Iudæos, aliosque infideles quantumuis commorentur inter Christianos, non adstringi istiusmodi præcepto, vt nec alio ecclesiastico: iuxta cap. Gaudemus. De diuortiis, & alia quæ citat Felin. ad cap. 1. De constitutionibus nu. 37. Notandum est tertio, pueros nondum compotes rationis non quidem obligari hoc præcepto, doli tamen iam capaces obligari. Quod intellige ex Syluestro Missa 2. qu. 1. quando sciunt tale præceptum, vel commode scire possunt.

Notandum est quarto, plures causas assignari quæ excusent ab audienda Missa in die festo, *quas Suarez persequitur in citata disp. 88. sect. 6.* Prima est, impotentia simpliciter, seu physica, ob quam excusantur qui detinẽtur in carceribus, in quibus Missa non celebratur: & qui ita ex morbo decumbunt vt è lecto surgere vix possint: item qui longũ iter 16.

faciunt,

faciunt, non inuenientes locum vbi Missam audiant: vt fit in terris infidelium: & in mari vbi Missa tantum sicca (de qua Nauarr. in Miscellaneo 89. & 90. De oratione) celebrari potest: in qua cum abstineatur à consecratione corporis & sanguinis Domini, ea nihil spectat ad istud præceptum.

16. Secunda causa est impotentia moralis: quæ censetur tunc contingere, cum nequit Missa audiri absque iactura boni magnæ æstimationis, aut non nisi cum magna difficultate, vel labore: ex qua causa ab audienda Missa excusantur primo infirmi, quos etiamsi morbus non compellat in lecto decumbere, non permittit tamen exire domo propter probabile periculum recidendi in morbum grauem vel retardandi conualescentiam: de quo prudens, *cuius arbitrio relinquitur*, iudicabit tum ex distantia loci in quo Missa celebratur, tum ex labore hanc audiendi, tum ex temperie aeris, & qualitate temporis. Idem dicendum est de illis qui inseruiunt ipsis ægris, si eos sine eiusmodi periculo relinquere nequeant ex Caiet. *in verbo Festos dies cap. 1. & 2. 2. quæst. 122. art. 4. vers. In 3. casu, & Sotus li. 2. de iust. & iure quæst. 4. articul. 4. versus finem.* Idemque pari ratione dicendum est de matribus quæ domi habent paruulos, quos non possunt relinquere absque periculo, ex Tabiena *in verbo Missa, numero* 47. quod & tangit Syluest. *in eod. verbo 2. quæst. 2.* Aduerte autem quod Suarez habet in eadem sect. 6. cap 4. idipsum quod dicimus de opere misericordiæ erga infirmum, pari ratione dici posse de alijs misericordiæ operibus siue corporalibus siue spiritualibus, quando proximus reuera patitur eorum necessitatem grauem, nec differri potest illius remedium sine graui eiusdem proximi detrimento.

Excusantur secundo, qui facientes iter cum alijs, nequeunt Missam audire, nisi socios dimittendo cum magno suo incommodo, eo quod ignorent iter alioqui molestum, aut timeant sibi à latronibus. De quo D. Anton. 2. *part. titul. 9. cap.* 10. §. 1. & Syluest. loco cit. ac Nauarr. in Enchir. *cap. 21. numero* 3. Si autem nullum sit aliud incommodum, quam omissio sociorum, notat Suarez loco citato, non dari sufficientem causam excusationis. Excusantur tertio, qui hostes habent, propter quos non possunt tuto exire domo. Similiter vxor quæ timet percuti grauiter à marito, si domo egrediatur: vt contingere facile potest, cum ille zelotypia laborat.

Excusantur quarto, qui Missæ interesse non possunt sine notabili iactura honoris aut famæ, siue propriæ siue alienæ: vt potest nonnullis personis contingere, quæ eum iudicio viri prudentis non habeant vestes suo statui competentes, si domo egrederentur, risui ac ludibrio exponerentur; ita habent Tabiena in sequent. numero quadragesimo octauo, & Nauarr. loco citato, & omnium Doctorum consensum esse notat Suarez versu, Tertium genus. Addens bene in tali casu & similibus habendam esse rationem qualitatis personarum & honestæ consuetudinis patriæ, neque esse nimium extendendam licentiam eam, vt ad superfluos ornatus, præsertim fœminarum: atque in iisdem casibus videndum an possit quis Missam audire secrete: vt v. g. summo mane, vel in Ecclesia remota à populi concursu: nam si possit, non erit locus excusationi, cum non sit multum difficile, incommodum tunc occurrens vitare, præceptumque implere.

Ex eodem capite excusari potest mulier, quæ habetur honesta, sed se prostituit, ac gestans vterum non audet foras prodire, ne prodat suam turpitudinem cum summo suo dedecore. Pari de causa excusantur ij qui Missæ interesse nequeunt absque damno graui, siue propriarum siue alienarum rerum: quo modo ex eodem Nauarr. excusantur qui arces, aut carceres, aut armenta custodiunt, non valentes abesse ab eis sine notabili detrimento. Itemque illi qui spoliationem domus timent: si eam absque custodia relinquant: aut vrget aliquod negotium ipsorum, quod non patitur dilationem sine magno incommodo aut detrimento temporali. Sed id intelligendum est excepto casu quo tale negotium potuit præmitti aut postponi Missæ auditioni: quia huius omissio non erit tunc excusabilis: vtpote quæ potuerit commode vitari. Eadem ratione de facturis aut facientibus iter, non excusari ab audienda Missa, nisi tanta sit necessitas accelerandi iter, vt graue detrimentum timeatur si quis immoretur in audienda: vt quod ea de causa comites sibi ob aliquam grauem incommoditatem necessarios, amissurus sit: aut elabetur occasio alicuius gratis negotij perficiendi.

Postremo excusantur illi qui absunt à Missa ad vitandum aliquod spirituale damnum: vt quia Sacerdos cuius sacrum est audiendum, nominatim excommunicatus est, aut notorius percussor Clerici: ideoque sic vitandus: vt qui in diuinis ei communicat, mortaliter peccet. Similiter illi qui ideo absunt à Missa, quod ligentur excommunicationis vinculo, aut degant in loco interdicto. Nam nec tales possunt interesse, nisi censuram Ecclesiasticam violando: atque adeo grauiter peccando. Quæ doctrina est Nauarri in eod. numero tertio, vbi bene aduertit tali excusationi non obstare, quod sua culpa in censuram incurrerint: quia fieri potest vt quis morbum quo impeditur ab audienda, contraxerit sua culpa, & nihilominus excusetur à peccato omissionis, quod committitur omittendo Missam audire. Addi potest, nec obstare, quod absolutionem procurare possint, & negligant: quia quantumuis peccent in eo, non ideo tamen existimabuntur impedimentum non habere Missam ipsam audiendi: nisi eo fine negligerent, vt ab audienda liberi manerent: quia tunc omissio proueniret ex voluntate non obediendi præcepto, oblata commoditate. Ad dubium autem, An illi qui priuilegium habent audiendi Missam tempore interdicti similiter excusentur: idem Nauarrus indicat respondendum esse negatiue. Et bene: quia per tale priuilegium ab interdicto liberi, perinde tenentur obligationi huius præcepti satisfacere, ac tenetur liberatus à carcere, in quo detentus excusabatur ab illius obseruatione. Idem aliis citatis tenent Azor *in prima part. suæ summæ libr. septimo, cap. secundo, quæstione tertia*, & Suarez ad 3. partem D. Thomæ *tomo* 3. *quæst.* 88. *sect. 6. non longe à principio.*

Tertia causa excusationis esse potest præceptum Superioris: pura patris, mariti, heri, aut alterius, cum inferior resistere nequit. Hic enim excusatur obediens illi exigenti debitum obsequium, quod nisi omissa Missa potest exhibere. Vbi notandum est primo, si Superior aliquis in contemptum religionis Catholicæ, aut Ecclesiasticæ disciplinæ, tale debitum exigeret, esset ei resistendum, etiamsi inde immineat mortis periculum, iuxta cap. Sacris. De iis quæ vi. Secundo, Superiorem debitum exigentem in proposito casu, si id faciat sine causa rationabili, vt censetur quando opus differri potest, aut est parui momenti, peccare mortaliter ex Nauarro in citato cap. vigesimo primo, numero nono. Et ratio est, quod irrationabiliter inducat ad transgressionem præcepti, illum quem tanquam domesticum ab ea auertere tenetur. Tertio, si obsequium, quod Superior ab Inferiore exigit necessarium sit secundum communem, ordinariumve modum viuendi, vel secundum occurrentes morales occasiones rationabiles: neque illum præcipiendo, neque hunc obsequendo peccare, non audiendo Missam in die festo: eo quod moralis necessitas tunc excuset. Quanquam si Inferior adhibita mediocri diligentia posset nanciscì commoditatem audiendi Missam: siue ante siue post opportune exhibitum obsequium, non excusaretur à peccato: quia præceptum Ecclesiæ, *sicut & Christi, cuius Spiritu sanctificatur & regitur*, onus est leue: à quo proinde excusare potest quidem grauis incommoditas, non tamen leuis: cum ipsa ratio oneris, inuoluat incommoditatem. 17.

Quarta causa esse potest consuetudo rationabilis ac prescripta, toleratave à Prælatis. Sic enim ex Caiet. in verbo Festos dies, cap. 1. excusatur fœmina quæ secundum patriæ consuetudinem, tempore Purificationis post partum, non ingreditur Ecclesiam per vnum mensem. Id quod posse rationabili consuetudine introduci, constat ex cap. vnico, De purificatione post partum. Videri potest Suarez in citata sect. 6. cap. 6.

Excusa-

Excusatur pariter ex eodem Caiet. & D. Anton. 2. *par. tit. 9. cap. 10. §. 2.* ac Sylu. *Missa 2. quæst. 2.* immo secundum omnes, *vt Suarez ibidem testatur*, quæ iuxta patriæ consuetudinem ad breue tempus, vt vnius mensis, post mariti mortem domi se continet. De qua re plenius Nauar. *in cit. cap. 21. num. 4. & 5.* Excusat quoque Caietanus 2. 2. *quæst. 122. art. 4. col. penult.* puellas nubiles, quæ ratione consuetudinis in sua patria vigentis, domo non egrediuntur. Sed contra Nauarrus *in sequen. num. 9.* ait non videri ferendam cõsuetudinem, qua tales puellæ donec nubant, nunquam ad Missam, nec ad concionem egrediuntur: eamdemque consuetudinem laudabilem non esse inquit Sotus *in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 1. sub finem*, si id fiat authoritatis tantum ac maiestatis causa. Repudiandam autem esse omnino, dubium non est, si alias puellæ ipsæ ducantur ad choreas, & ad spectacula, aut permittantur in fenestris aut ianuis manere, ex eodem Nauar. post D. Antoninum & Syluestrum locis citatis.

18. Quinta causa constitui potest bona fides, iuxta Caiet. in verbo Festos dies cap. 1. non longe à principio, & Sylu. Missa 2. q. 1. dicto sexto: quibus Azor in prima par. lib. 7. cap. 7. quæst. 4. in fine assentitur. Namque si non à veniali, saltem à mortali videtur excusari, solitus alioqui Missam audire, si non audiat credens bona fide se ab obligatione audiendi excusari ob aliquam causam: quæ nihilominus non est reuera admodum sufficiens. Rationem Caietanus reddit: quia tunc non fit formaliter contra istud præceptum: neque ita materialiter, vt dicendum sit actum redire in naturam suæ formæ: seu quod idem est, quia talis omissio non prouenit ex plene deliberato cõsensu in transgressionem istius præcepti: cuiusmodi plenitudinis defectum à mortali excusare, doctrina est communis. Atque talis excusatio locum habere potest in seruis & filiisfamilias, qui bona fide putãt se liberos esse à præcepto audiendi Missam, dum à domino aut à patre iubentur aliquod munus obire, quod exequi nequeunt, nisi Missæ auditionem omittant: neq; ideo compelli famulos dimittere heros, nisi hi id faciant in contemptum religionis Catholicę, habet Sotus in 4. *dist. 13. quæst. 2. art. 1. in fine.*

19. Sexta causa ex Angelo *in verbo Feriæ num. 45.* addi potest: nimicum prædicatio eodem tempore ita concurrens cum Missa, vt non possit quis simul vtrique interesse. Sed contrarium tenendum est cum Syluestro in verbo Dominica, quæst. 6. dicto tertio: *prout tenet Azor in seq. quæst. 10.* quia audire Missam in die festo est de præcepto, non autem audire prædicationem. Si obiicias illud, *ex cap. Sacerdos De consecr. dist. 1.* Sacerdote verbum in ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur. Respondetur, illud esse intelligendum cum interuenit contemptus Sacerdotis prædicantis, *ex glossa ibidem*: quam præter Syluestrum approbat D. Anton. 2. *par. tit. 9. cap. 11. §. 2.* Quod si vrgeas obligationem sciendi ea quæ sunt ad salutem necessaria exigere, vt prædicatio præferatur: negabitur, quia potest quis talia sufficienter discere per priuatam institutionem, etiamsi non audiat prædicationem. Quanquam tamen, *dummodo Missa non omittatur*, solicite curandum est, iuxta præscriptum Concil. Trid. sess. 24 cap. 4. De reform. ne diebus, præsertim festis, prædicatio ipsa omittatur, ob insignes fructus quos profert, enumeratos à Diuo Anton. in cit. cap. 11.

Porro in casu, quo quis habet impedimentum legitimum non audiendi Missam die festo, consilium quidem est salutare domi per aliquod tempus vacare orationi: id tamen non est in præcepto, vt contra Sotum & Angelum Nauar. *in cit. cap. 21. num. 7.* docet, idemque tenet *Suarez sub finem citatæ sectionis sexti*: quia præceptum de quo agimus non obligat ad tale quid, vtpote minime comprehensum Missæ nomine.

QVÆSTIO III.

Quanta sit obligatio audiendi Missam in die festo.

20. REsponsio ad hanc continetur solutione aliquot dubiorum. Primum est, An talis obligatio sit sub mortali. De quo in vtramque partem authores refert Azor *in 1. parte suæ summæ lib. 7. c. 1. q. 2.* Pars autem affirmans tanquam recepta iam communi consensu, est tenenda. Ad cuius probationem sufficit quod communis Catholicorum notio sit, mortaliter peccare eum qui sine rationabili causa omittit audire Missam in die festo. Adde quod eiusdem obligationis violatione peccetur in materia graui ex suo genere: vtpote quæ ad Dei cultum pertinet. Item quod iuxta cap. Omnes fideles, & cap. Qui die solemni, De consecrat. distinct. 1. peccatum sit dignum excommunicatione: quæ imponitur tantum ob mortale, ex cap. Nemo Episcoporum, 11. q. 3.

Secundum est, An sit obligatio plures Missas audiendi eodem die festo. Causa dubitandi est, quod in præcepto dicatur plurali numero Missas. Sed eo non obstante, communis vsus ostendit satisfieri vnam audiendo. Vnde ecclesia dum Missas audire iubet, nihil aliud intendit quam vt quisque fidelium Missam in die festo audiat, *ex Sylu. Missa 2. quæst. 1. dict. 4.* Quod procedit ex Nauar. in citato cap. 21. nu. 2. etiam quoad diem Natalis Domini, etiamsi liceat in eo, tres ab vnoquoque Sacerdote celebrari.

Tertium est, An sit obligatio audiendi certam Missam, De quo teneri potest cum D. Anton. 2. *par. tit. 9. cap. 10. §. 1. Tabiena in verbo Missa num. 49. Sylu. eod. verbo 1. num. 4. & Soto in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 1. sub finem*: ad satisfaciendum huic præcepto satis esse audire quamcumque Missam, siue illa sit priuata, siue solemnis & cum cantu, siue de Sancto, siue de tempore, siue pro defunctis, siue votiua, siue propria illius diei, siue non. Ratio est, quia ipsum datur absolute de Missæ auditione, vt est actus religionis. Videri potest Suarez ad 3. partem D. Thomæ *tomo 3. disput. 87. sect. 2.* Capitulum autem Quidam laicorum, De celebrat. Missarum, quod Angelus *in verbo Missa num. 33.* obiicit in contrarium: Azor *in cit. lib. septimo cap. 6. in fine tertiæ quæstionis* ait, improbare tantum superstitionem eorum qui putabant se non audire Missam, in qua non recitaretur Euangelium. In principio erat verbum. Aut etiam reprehendere morem eorum qui contempta Missa diei festi propria, aliam audire curabant.

Quartum dubium est, An constitutus extra suam Parochiam teneatur Missam audire eo die, quo in illa festum aliquod seruatur, non item in loco vbi ipse est: aut si in eo ipso loco aliquod seruetur, quod non seruatur in sua Parochia. Hoc secundum vtramque suam partem copiose tractant Suarez De relig. tract. 2. lib. 2. ca. 13. & 14. ac Sanchez in lib. 3. De matrim. quæst. 18. qui videri poterunt pro pleniore tractatione speculationis scholasticæ, quæ nequit paucis vtiliter tradi. 21.

Pro praxi autem nobis proposita, duabus propositionibus potest sufficienter responderi ad propositum dubium. Prior est, Parochianum extra parochiam suam constitutum, non teneri seruare festum (& ideo nec Missam tunc audire) quæ in eadem Parochia sua quidem præceptum est, non tamen in loco in quo ipse est. Hoc probatur: quia statuta localia sunt veluti affixa loco: ligantque respectu existentis in eo. Sic enim statuta Episcoporum non ligant extra territorium: & excommunicatio ab eo lata in fures, non incurritur à subditis suis furtum extra idem territorium committentibus: vt habetur ex cap. 2. De constit. vbi ratio hæc datur: quia extra territorium ius dicenti non pareretur impune.

Posterior propositio est. Existentem in aliena Parochia in qua celebratur festum, quod in sua non seruatur, obligari ad illud seruandum, & ideo ad Missam audiendam. Huius fundamentum est consuetudo inter fideles vsu fic recepta, vt religioni ducant ei contrauenire. Nec immerito, quia valde rationabilis est: quandoquidem consentaneum est rationi vt externi conforment se incolis illius loci in quo versantur: hoeque est quod Diuo August. D. Ambrosius ab eo interrogatus respondit (quod refertur in cap. Illa, distinct. 12.) Ad quamcumque Ecclesiam veneris morem eius serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi. Est item, quod significatum est ab ipso D. August. in lib. secundo, Confessionum: & habetur in præced. dist. 8. cap. Quæ contra, his verbis: Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum

diuersi-

diuersitate sunt vitanda: vt pactum inter se gentis aut ciuitatis consuetudine, vel lege firmatum, nulla ciuis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim est omnis pars vniuerso suo non congruens.

Quomodo autem eadem consuetudo legitime, Superioris ve interueniente authoritate sit præscripta, Suarez declarat *in citato cap. 14. num. 10.* Inquiens consuetudinem vt aduenæ commorantes per aliquot dies in aliquo loco, conformentse moribus eiusdem loci in iis quæ ad communem vitam spectãt, vim suam habere ex iure gentium quadam ratione: nempe quod ex communi fidelium consensu, *præcipue pastorum*, introductum sit in Ecclesia, vt Episcopi statutis suis possint obligare non solum territorij sui incolas: sed omnes ad aliquod tempus in eo demorantes. Vnde intelligitur sufficienti Superiorum approbatione fulciri eiusmodi consuetudinem.

Nota autem allatam propositionem, pari ratione extendendam esse ad festa generalia ecclesiæ, quando in aliquo particulari loco obligatio eorum sublata fuerit per contrariam consuetudinem. De quo Suarez in seq. nu. 27. & Sanchez in citata disp. 18. num. 7.

Nota secundo eandem admitti quidem passim, quoad eos qui relicto proprio domicilio diuertunt alio, ad sedem ibi saltem ad tempus constituendam: difficultatem esse tamen inter Doctores, an eadem procedat quoad eos qui diuertunt alio per modum transitus, & tanquam in hospitio. Ea vero explicatur distinctione: si enim peregrinus diuertat aliquo vt per aliquot dies licet paucos, ibi moretur siue ad negotium aliquod curandum, siue animi tantum gratia, tenetur quanto tempore ibi manserit conformare se incolis in festi obseruatione: quia ex contrario facto illius sequerentur quoque incommoda ante allata læsionis pacis, & occasionis peccandi exemplo frequenti eorum, qui nonnunquam ex varijs locis conueniunt in aliquem locum, siue curiositatis siue negotiorum causa.

Sin autem aliquo peregrinus diuertat per modũ transitus, seu tanquam in suæ vitæ hospitio, vbi prandeat vel pernoctet, & statim discedat, censetur excusari ab obseruatione festi, quod non seruatur in sua Parochia. Rationẽ reddit Suarez ibidem nu. 22. quia talis proprie dicitur potius illac transire quam ibi esse: nec obligatur ad ibi permanendum pro audienda Missa: quia præceptum de seruando festo non obligat ad permanendum in loco: sed supposita permanentia obligat ad talem obseruationem. Si tamẽ tantum temporis permanere statuat, vt cõmode Missam audire possit: quia tunc quoq; rationes ante propositæ locum haberent, censeri pariter potest locum habere obligatio quam illæ ostendunt. Dixi, commode, ad significandum non teneri se incommodare in iis quæ spectant ad prosequendum suum iter: quorum procuratio requirat tempus illud quod ponendum est in audienda Missa. In quo iudicando cauenda est deceptio, qua leuiter necessitatem nobis fingamus.

22. Quintum dubium est, An sit obligatio Missam diebus festis audiendi in propria Parochia. De quo plenius Azor *in prima par. Moral. Institut. lib. 7. cap. 6. quæst. 4. & Suarez ad tertiam partem D. Thomæ tomo 3. disp. 87. sect. 2. in dubio circa secundam Missæ diuisionem.* Tenere autem possumus cum D. Anton. loco superius citato, Nauar. *in memorato cap. 21. n. 5.* & alijs quos idem Azor commemorat, non referre vtrum in hac an in illa ecclesia audiatur Missa, cum præceptum de audienda, absolute ac sine tali limitatione detur in cap. Missas, De consecrat. dist. 1.

Neq; obstat Capitulum Vt Dominicis, De Parochiis: quia non præcipit absolute Missam audiri in propria Parochia, sed vetat ne diebus festis, extra eam audiatur contempto proprio Parocho: qui cõtemptus præsumitur cum quis frequenter parochiam deserit sine debita causa. Et quamuis contemptus non esset vere: tamen tale quid potest & aliis generare scandalum, & sibi periculum peccandi: cum multa ad omnes parochianos spectantia soleant eo tempore explicari publice in parochiis. Quibus de causis prohibitio fit Religiosis in 2. Extrauag. communi, De treuga & pace: ne prædicent parochianos non teneri in suis parochiis Missam audire diebus festis & Dominicis, cum ad id iure teneantur, nisi iusta causa excuset: nempe, *vt ex Panormit. an. Azor. post Nauar. tangit*, si proprius parochus innodatus est excommunicationis, aut interdicti vinculo: aut in irregularitatem lapsus: aut ab ordine vel officio suspensus, aut concubinarius: aut cum quis deuotius aut fructuosius alibi solet Missæ interesse: quia videlicet ibi Missam simul & concionem audit, vel concionem fructuosiorem quam in sua parochia: aut quia temporis vel loci vel alterius rei occurrentis difficultas non patitur commode adire parochiam, aut etiam quia consuetudo est ibi recepta, vel à Summo Pontifice concessum priuilegium, vt Missa extra parochiam audiatur.

Dicto autem iuri per consuetudinem contrariam derogatum esse aperte significat Nauarr. loco citato cum vult huic præcepto satisfacere non modo audientes Missam in ecclesia Religiosorum mendicantium per priuilegium Leonis decimi, quod ipse refert: sed etiam audientes in oratorio aut sacello aliquo siue publico siue etiam (vt addit Azor in sequen. quæst. 8.) priuato, dummodo id non faciant ex contemptu sui parochi. Vnde idem Nauarr. infert, Episcopum non posse subditis suis contrarium præcipere: quia sicut non potest tollere aut restringere ius commune, *argumento cap. Inferior, distinct.* 21. ita nec potest generalem Ecclesiæ consuetudinem, quæ eandem vim habet: adeo vt excõmunicatio quam ferret id præcipiendo, nulla esset, argumento cap. 1. De sententia & re iudicata: excepto tamen casu contemptus antememorato. Ad quem reduci potest quod Azor habet in eod. cap. & circa finem 6. quæstionis: si tota multitudo aut pars maxima parochianorum desereret parochium alibi audiendo Missam sine iusta causa, Episcopum posse talibus præcipere vt ad suam parochiam accedant: non tamen, *addit illa congruenter antedictis*, imperare pœnis irrogatis, aut statuto posito.

Sextum dubium est, An obligationi audiendi Missam satisfaciat qui eam audit nescius esse diem festum. Ad quod respondendum est affirmatiue: si quidem sciens & volens audiat: quia præceptum datur tantum de ea auditione, vt de actu quodam virtutis religionis: de se requirente solum vt fiat: non quidem per ignorantiam aut vim, sed scienter ac sponte. Excipe, nisi forte ita audiens nolit expresse per actum illũ satisfacere suæ obligationi audiendi: quando quidem nõ exhibetur tunc præcepto obedientia, cum excluditur voluntas illud adimplendi. Videri potest Azor in cit. lib. 7. cap. 2. quæst. 6. Et ad maiorem intelligentiam, illud quod habitum est in lib. proxime præced. num. 150. 23.

Septimum dubium est, An qui ecclesiam principaliter adit ad videndam amasiam, aut ob aliquid illicitum, satisfaciat eidem obligationi. De quo contra D. Anton. Nauarrus in cit. cap. 21. num. 6. tenet satisfacere. Quod verum est, si talis in ecclesia existens assistat Missæ cum debita intentione & attentione. Quod idem dicendum est de famulis comitantibus dominos ad Missam, *non iturus alioquin ad eam*, si assistant similiter cum debita intentione & attentione, etiamsi mortaliter peccarint habendo propositum actuale eam alioqui omittendi.

Octauum dubium, An eadem obligatio tanta sit, vt mortale censeatur quamcumque Missæ partem in die festo omittere. Pro solutione autem dicendum est, quod etsi obligatio sit (eaque sub mortali, iuxta ante habita in explicatione primi dubii) totam seu integram Missam in die festo audire: put expresse habetur ex cap. Omnes fideles & ex cap. Missas, De consecrat. dist. 1. nihilominus tamen sicut in alijs materijs, ita & in hac, rationem modici excusare à mortali: prout docent *D. Anton. 2. part. tit. 9. cap. 10. §. 1. dub. 7. Sylu. Missa 2. quæst. 1. dicto 1. Nauarr. in Enchir. cap. 21. num. 2. Soto in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 1. col. penul. Suarez in memorata disput. 68. sect. 2.* aliique communiter. Quæ autem Missæ pars excedat limites modici, & censenda sit notabilis, vt in illius omissione mortale non cuitetur ratione paruitatis materiæ: determinatum non est à iure, sed relictum prudentis arbitrio, vt Nauarr. ibidem notat. Diuersę diuersorũ inueniuntur determinationes: etsi inter 24.

omnes

omnes fere conueniat, illud quod est vsque ad introitum, non esse notabile: contra vero mediam, aut etiam tertiam Missæ partem esse notabilem, quod habent D. Anton. & Sylvest. Diuersitas ergo inter Doctores est, quousq; post introitum censeri debeat pars non notabilis.

Cæterum mihi probatur quod Nauar. habet in cit. nu. 2. non esse censendam Missæ partem notabilem, illud quod dicitur vsque ad epistolam inclusiue: neque scrupulose contenderim cum eo qui adhuc adderet modicum illud quod sequitur vsque ad Euangelium, dummodo nihil de eodem Euangelio relinquatur. Similiter nec esse censendam partem notabilem, illud quod post communionem Sacerdotis dicitur vsque ad finem, vt idem quoq; Nauarr. habet ibidem: & ante eum Caiet. *in verbo Festos dies, cap. 1. vers. secundum quoque.* Nec obstat quod in memorato cap. Missas, statuatur vt exeuntes ante benedictionem, publice confundantur ab Episcopo: quoniam id intelligẽdum est, si scandalum fuerit: aut si id fieret in contemptum: non item quod præceptum de audienda Missa in eo omnino violetur.

Quoad partes autem intermedias: in illis determinandis bene monet ibidem Suarez versu vltimo, non esse tam considerandam temporis moram, quam dignitatem, ex propinquitate vel necessitate ad substantiam sacrificij. Sic quantumcumque breuis mora esset, qua quis recederet à templo dum Sacerdos peruenit ad consecrationem, aut ad sumptionem Eucharistiæ, is non facile à mortali excusaretur, tanquam omittens ea, quæ pertinent maxime ad perfectionem sacrificij. Et vt memoratus author expressit, de eo damnandus est, si omiserit tam partem in qua fit consecratio Eucharistiæ, quam eam in qua hæc sumitur.

25. Aduerte vero quod Nauarr. attigit tum loco cit. tum etiam in tractatu de oratione cap. 10. num. 43. ex vna particula omissa in principio, & ex alia omissa in fine, vel alias ex diuersis Missæ particulis interpolate omissis, posse conflari vnam omissionem partis notabilis, propter quam præceptum non impleatur. Ratio vero est, quod cum tales partes instituantur ad idem totum conflandum: ex omissione vniuscuiusq; illarum, mutilatur integritas eiusdem totius. Quæ mutilatio in audienda Missa cum fuerit notabilis, inducit in ea, sicut in alia graui, defectum ad mortale sufficientem. Quod autem ille addit, legendo per se post Missam, partem omissam, vel audiendo lectam ab alio, satisfieri præcepto, non videtur securum: quia illud lectum extra Missam, siue à laico, siue à Sacerdote, non pertinet ad sacrificium Missæ: cui interesse præceptum ipsum obligat.

26. Facile tamen admiserim illud quod idem in ijsdem locis habet ex Ioanne Maiore, audientem ex alia Missa partem, quam ex priore omisit, censendum esse satisfacere, quia ex duabus illis auditionibus, integratur auditio præcepta: quæ est etiam Soti doctrina *in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 1. colum. antepenult.* Nec obstat quod in eodem cap. Missas habeatur, Missam audiendam esse speciali ordine. Non enim sensus est, totam Missam esse audiendam ita ordinate, vt prior Missæ pars, prius: & posterior, posterius audiatur: id enim non egebat præcepto: cum ita sit natura comparatũ, vt prius audiatur quod prius dicitur: & posterius, quod posterius. Non negarim tamen, in ea deordinatione committi peccatum veniale, quando nulla iusta causa eam excusat: quia non est consentanea rationi.

Cæterum videtur omnino tenendum, Missæ auditionem, quæ in hoc præcepto iniungitur, non integrari sufficienter per duas medietates, quando quis vnam medietatem audit ab vno Sacerdote qui Missam incipit: & eodem tempore alteram medietatem ab altero Sacerdote, qui est in medio Missæ. Nam communis fidelium sensus & consuetudo in contrarium, ostendit aliam fuisse mentem ecclesiæ præcipientis Missæ auditionem. Id quod indicare videntur memorata verba cap. Missas, *speciali ordine*:

inter partes enim, quæ simul sunt, non seruatur specialis ordo.

QVÆSTIO IV.

Quæ inter audiendum Missæ sacrum sint curanda.

PRimo seruanda est decentia interior & exterior. Interior quidem primo, vt anima eiusque vires liberæ sint ab omni labe: quam ad rem valet lustralis aquæ aspersio, contritio, &c. Deinde vt eædem vires omnes ab alia quacumque cura seuocatæ, in hac vna occupentur, hoc vnum agant. Exterior vero primo, vt totum corpus decenter habeatur, strepitus fiat quam minimus. Secundo, dum quis accedit ad sacrum Missæ existimet se ire ad funestum Caluariæ spectaculũ, vna cum B. Virginæ, & S. Ioanne Euangelista ac sanctis mulieribus: quarum in se affectus studeat excitare. Item accedat eo consilio vt Christum offerat pro peccatis à se admissis, ac pro beneficiis in se diuinitus collatis, spiritaliq; communione coniungat se Christo. Itemque cognita sua indignitate atque imbecillitate, precetur à Deo conferri sibi gratiam ad digne versandum in negotio tantæ dignitatis ac maiestatis. 27.

Tertio aduertendum est, in Missæ celebratione distingui posse septem partes in quibus singulis, quædam præcipue seruanda sunt. 28.

Prima pars est, Ab initio vsque ad oblationem: in qua tum antiquorum Patrum desideria decet recordari, & ipsum Dominum paulo post venturum expectare: tum excitare animum ad lætitiam; quod latentem, *vere tamen præsentem*, Dei Filium ac nostrum Saluatorem spectaturi sumus: tum demum attente audire quæ recitantur, fructum aliquem ex eis excerpendo, ac Spirituisancto aditum patefaciendo, si dignetur per vocem Sacerdotis ad nos accedere.

Secunda pars est, hinc vsque ad consecrationem exclusiue: quo tempore preces coniunctæ Christi Domini meritis & cruciatibus, sunt simul cum sacerdote Deo fundendæ, ac quasi libelli supplices pro nostris & proximorum variis necessitatibus offerendi. Reuocanda est etiam in memoriam passio Christi (*iuxta illud 1. Corinth. 11. Quotiescumque manducabitis panem hunc & calicem biberitis mortem Domini annunciabitis donec veniat*) eum intuendo tanquam præsentem cruci affixum, atque singulis rebus quæ in eo se offerunt singula postulata accommodando hac ratione: vt in suo sanctissimo sanguine, propria anima offeratur abluenda, & ornanda iis virtutibus quibus ei placere valeat. Secundo, in intuitione capitis ipsius compuncti spinis: Principes ac cæteri rerum tum humanarum tum diuinarum moderatores ei commendentur, vt pro dolore quem spinarum aculei inflixerunt, ipse liberet eos ab auaritiæ, & ambitionis aculeis, eosdemque confirmet ad constanter ferendam curarum acerbitatem, quam administratio sedula offert. Tertio, in intuitione dexteræ manus commendentur consanguinei, affines, amici, bene meriti, vt suis donis cumulet ipsos ac compenset ea ratione, quam nouerit optimam. Quarto, in consideratione manus sinistræ cõmendentur ii qui nos odio, & quacumque ratione insectantur, vt eis bona rependere dignetur. Quinto, in cõsideratione dextri pedis, iusti commendentur ei, vt constantiam illis ac perseuerantiam impertiat. Sexto, in intuitione sinistri pedis, oretur pro iis qui iacent in peccato lethali: vt eos ad dextram velit trãsferre. Septimo, in inspectione lateris aperti commendetur sancta ecclesia vt Spiritum suum sanctum ac sanctitatem ei largiatur. Octauo, in consideratione crucis commendentur viri Religiosi, vt in perfecta sui victoria, ipsum sequi ducem valeant. Nono, in consideratione blasphemiarum & irrisionum quibus appetitus est in cruce pendens: oretur pro hæreticis & Ethnicis, vt ad veritatem conuersi, desinant ipsum blasphemare. Decimo, in consideratione sitis, quam perpessus est pendens item in cruce, commendentur ii qui nostras preces expetunt, vt ne voto fraudentur: quicumque item calamitate aliqua premuntur, vt omnib. præsto sit suo auxilio.

Tertia pars est consecratio: In qua primum exercenda est fides adorando præsentem Dominum. Deinde cum

attolli-

attollitur sacra hostia renouata olim subleuareq; crucis memoria, offerre debemus Christum ad gratiarum actionem, & ad pœnarum deprecationem; simulque nosipsos in holocaustum perfectum, quod Deus suo cælesti igne penitus absumere dignetur.

Quarta pars est, memoria defunctorum: quo tempore debemus mente descendere ad inferna loca, ac illos qui in purgatorio detinentur commendare Deo, hoc etiam sanctissimo sacrificio pro eis oblato.

Quinta, hinc vsque ad Sacerdotis communionem in qua occupandus est animus in consideratione diuinæ maiestatis Christi, adoratione & veneratione, cum summa demissione animi, reputando quanta Angelorum multitudo nobiscum sit penitus indignissimis: simulque voluntatem excitando ad amorem erga eum qui præsens nobiscum adest, ac familiariter versari dignatur.

Sexta, sacram communionem complectitur, in qua decet audientem Missam, incitari cupiditate iungendi se Christo, animumque comparare perinde ac si reipsa particeps esset diuinorum mysteriorum: tandemque vna cum Sacerdote Dominum suum excipere animo & voluntate.

Septima pars est, hinc ad finem vsque; in qua simul cum Sacerdote agendæ sunt gratiæ Deo: & infinita Christi merita, pro innumerabilibus beneficiis quibus quotidie cumulamur, offerenda. Tandem post Missæ sacrum petenda est à Deo venia pro negligentia à nobis in eo audiendo admissa, simulque agendæ ei gratiæ, quod tanto mysterio nos interesse voluerit: ac demum orandus est, vt sua dona tueri & conseruare ipse velit in nobis, & fructum si quem percepimus ex re diuina, perpetuum velit esse.

APPENDIX.

De dignitate sacrificij Missæ & spirituali significatione eorum quæ exterius in illius celebratione vsurpantur: tanquam motiuis ad curanda prædicta.

QVoniam plurimum homines errant in vsu & tractatione rerum diuinarum, eoquod illas quamuis opinione quadam consueta & populari putent esse magnum quiddam: id tamen nec sentiunt plene nec certo ac viuo quodam iudicio sibi persuadent: ideo necesse est Missæ dignitatem (quantum licet libra mortali pondus immensum) expendere: simulque, *quia valet ad excitandam pietatem*, quid Missæ apparatus, & quæ in ea seruantur ceremoniæ significent, declarare.

Prior pars, de dignitate Missæ.

DIuinissimi huius sacrificij dignitas, vt aliqua ex parte intelligatur: primo inuestigandum est quam præstans, & prætiosa fuerit illa olim Christi Domini oblatio, cum in cruce se ac sua omnia pro humano genere obtulit æterno Patri. Illius enim oblationis memoria & repræsentatio vera, Missa ipsa est. Deinde finis considerandus est. Tertio, quanti ea fiat à sancta Ecclesia, ac quarto, quæ bona nobis adferat, tradendum est paucis, sectando vestigia cuiusdam nostri Patris in tractatione spiritalium commendati.

Dignitas ex oblatione.

19. PRimum ergo coarceruentur omnia quæcumq; Christus Dominus, verus Deus & homo, ex eo puncto quo conceptus est, vsque ad illud quo spiritum emisit in cruce, siue interiora illa fuerint, siue exteriora; simulque aggregentur merita quæ ex talibus gestis oriebantur: atque notetur: primo quidem numerus, seu quod fuerint ea quæ tribus & triginta annis ipse gessit, qui nullo vnquam momẽto temporis vacauit ab actione placita Deo, iuxta illud Ioan. 8. Ego quæ placita sunt ei facio semper.] Deinde vero qualitas æstimetur, puta ipsa rerum natura, ipsa virtutum præstantia, etiam dignitate personæ diuinæ non considerata. Etenim omnia sunt præclarissima quædam & maxime heroica facinora.

Vlterius considerentur præ cæteris quinque capita ex quibus pender rerum gestarum dignitas. Primum est, personæ excellentia: interest enim quid à quo fiat. At quia vera excellentia ex diuina gratia existit, expendendum est quanta sit illius cui sine vllo modo & mensura tantum gratiæ impertitum fuit, vt ex eius affluentia, tanta in genus humanum copia redundauerit. Secundum est, personæ conditio & status, libera sit, necne; pro arbitrio quid, & vt libet aggrediatur, an ex alterius voluntate. An sit vi extorta seruitus, an liberum obsequium. Christus vero testabatur se singula facere vt Patri obtemperaret. In quo voluntario obsequio quis alacritatem, integritatem, constantiam satis cogitare possit præter ipsumet Christum, qui illud esse cibum suum prædicabat, & calicem sibi à Patre datum? Tertium est, animus: num scilicet quis commodo suo ducatur: an vt aliis opem ferat, suisve an alienis: an charitate, an alia quapiam re moueatur. Quæcunque autem Christus faciebat, ex maxima charitate erga nos alienos, & inimicos faciebat. Quartum est finis: nam quæ ad finem referuntur, eo sunt præstantiora, quo finis ipse fuerit præstantior; diuina autem gloria, nobilior finis esse non potest. Hæc vna semper ante oculos Christo Domino versabatur, nihil agebat aliud, quam vt Patri restitueret occupatum per iniuriam, ab inimico suo hominum principatum. Quam putas gratiam iniret à patre mortali filius, qui tyranno ejecto, illum expulsum ac profugũ in regio solio reponeret. Quintum, est modus actionis: an remisse & negligenter, an cum cura & contentione virium quidpiam fiat. Saluator vero noster, cum plurimum posset, qua maxima potuit contentione cunctisque animi & corporis viribus, res innumerabiles & præclarissimas effecit.

Ad extremum ponderetur tot ac tantorum obsequiorum fructus & merita, nobis à Christo Domino fuisse donata. Atque ob oculos versetur nobis Saluator ipse pendens in cruce, ac illa omnia, seque totum Patri optimo offerens, ac præmia quæ sibi debentur. *cum ipse illis non indigeat*, in nos conferri postulans hoc fere modo. En quidquid sum, quidquid gessi, sicut suæ diuinæ benignitatis partus est, ita suæ gloriæ volo dedicatũ esse, offeroq; ac dedico. Si gratiam vllam putas referendam; ego beneficio tuo satis abundo, sunt mihi egentes ac mendici fratres, in eos si qua mihi debentur præmia, precor vt conferas: illis omnia mea dono, illos meo loco constituo, tibique commendo. Huius autem oblationis Missa est viua quædam ac vera repræsentatio. Non enim inducuntur hic fictæ, *vt in fabulis*, personæ: sed ipsemet qui olim actor fuit, adest: eamdemque instaurat oblationem. Quamquam sunt quædam inter vtramque discrimina: primum in tempore: illa semel facta, hæc quotidie, & singulis pene fit momentis. Secundum in loco: illa Ierosolymis, hæc vbiq; terrarum & gentium, & eodem tempore diuersis in locis. Tertium in modo: olim enim oblatus est Christus patiens ac cruentus; nunc offertur impatibilis sine vlla sanguinis effusione; & olim palam, nunc sub venerandis speciebus panis & vini. Itaque oblatio quidem est omnino eadem, fiuntque nunc omnia quæ gesta olim sunt in Caluariæ monte, attamen differentiæ sunt ea quas commemoramus.

Dignitas Missæ ex fine.

SEcundo, principaliter considerandus est Missæ finis, 30.
quo continentur causæ, cur Dominus noster voluerit eam oblationem tam sæpe renouari; quæ sunt trium generum: nam aliæ Deum, aliæ Christum, aliæ nos respiciunt.

Primum genus igitur pertinens ad Deum, est vt sanctissima Trinitas tanto maiore gloria ac delectatione quasi afficiatur. Delectatione quidem, quia dubium non est, quin Deus optime perfectas habens egregias Christi virtutes, quas tum in reliqua vita, tum præcipue in supremo illo actu, inter cruciatus ostendit, longe maiorem ex iis, *vt nos loquimur*, iucunditatem: quam ex Iudæorum sceleratorumq; omnium impietate, molestiam hauserit. Quare sicut Principes repeti volunt historias, quas

seruit cum voluptate spectarunt; ita Deo placet iucundissimum illud Domini nostri sacrificium sæpe repræsentari. Gloria vero, quia hoc maxime modo Saluator noster significauit se omnia referre accepta Deo, sicut fiebant olim sacrificia, vt iis homines bonorum omnium authorem Deum esse, grati testarentur.

Secundum genus pertinet ad Christum: vt renouet honestissimos triumphos, quos ex hostibus retulit. In tabulis alij, vel in parietibus suos appingunt, vt qui triumphare semper non possunt, frequenti reportari honoris recordatione præsenti delectentur. At Christus, qui potuit quæcumque voluit, & cui honor æternus ideo debetur quod retulerit eam victoriam, cuius fructus est æternus, viam quoque excogitauit, qua perpetuum ageret triumphum.

Tertium genus pertinet ad nos: ac primo, ad impetrandam nobis veniam peccatorum. Secúdo vt dona tum diuina: tum, *si ita expediat*, humana impetremus. Tertio, vt gratias de beneficiis quam aptissimas agere Deo possius, nam e iusmodi olim fuit sacrificiorum causa. Quarto vt certas peccatorum pœnas, quæ in hac vita, vel postea in purgatorio dandæ essent, deleamus.

Dignitas Missæ ex iis quæ fiunt ab Ecclesia.

31. TErtio, principaliter considerandum est quanti hoc sacrificium fiat à sancta Ecclesia, quæ Christi sponsa est, & æqua æstimatrix. Id autem apparet ex diligentia qua vtitur in illo pro dignitate quantum potest tractando. Quæ diligentia innotescit primo, ex ministrorum eiusdem sacrificij delectu, quos Ecclesia ipsa vult. 1. genere, natos ex legitimo coniugio. 2. ætate, iam satis maturos. 3. corpore non debiles nec deformes. 4. fortunis, vt certum habeant victum, vel paupertatem voluntariam sequantur. 5. fama & opinione probatos. 6. moribus castos, *propterea obstringit illos castitatis voto solemni.* 7. pietate erga Deum ardentes, atque assiduos. Quos & vult multum temporis in diuinis laudibus quotidie insumere. 8. non statim eos constituit in sacerdotio; sed lente promouet per multos gradus, in quibus singulis pulcherrimis ipsos consecrat retibus.

Secundo apparet ex locis quæ ad hoc sacrificium Ecclesia ipsa comparat. Quó spectat magnificentia ornatusque templorum, eorundem consecratio, ac altaria instructa pulcerrimis marmoribus, auro argentoq;, ac vestibus ornata pretiosis. Tertio, apparet ex pretio, pulchritudine, elegantia & religione sacrorum vasorum, ac panniculorum quibus eadem Ecclesia vtitur in ipso sacrificio. Quarto, ex quibusdam aliis rebus extrinsecis, vt ex musica tum sonorum, tum vocum; ex odoribus thuris suffitu, multitudine luminum. Quinto, ex commemoratione Sanctorum, tanquam, egregiorum Ducum, Imperatorem in triumpho comitantium.

Sexto, ex ritibus quos in toto Missæ sacro vult varios adhibere: & ex ea reuerentia, qua antequam Sacerdos ad altare ascendat vult ipsum vna cum populo publice de peccatis confiteri: & dum idipsum sacrum peragit, toties altare osculari, genu flectere, manus in varias figuras formare. Ac demum ex ipsa tota sacrificij serie: in qua velut compendio pulcherrime vita & mors Christi ante oculos ponitur.

Dignitas Missæ ex bonis quæ nobis affert.

32. QVarto, principaliter considerandæ sunt bona quæ nobis ex hoc sacrosancto mysterio proueniunt omnium generum non honesta solum atque vtilia, sed etiam iucunda. Primo, honor magnus est à Christo triumphante, quosdam veluti honorarios spectatores adhiberi, vel tanquam intimos familiares in conuiuium admitti, cum quibus sua communicet arcana. Secundo, Vtilitas magna est, quæ accipitur. Tum exprecibus, quæ cum in Missa pro iis præcipue qui adsunt fundantur, sunt iisdem maxime salutares: tum ex opportunitate, singularia aliqua dona impetrandi in ea celebritate, in qua Christo triumphanti obuiam occurrimus, eumque honorifice quantum possumus excipimus ac prosequimur. Cuiusmodi tempus & occursus apud mortales, ad impetranda quælibet beneficia opportunissima censentur. Tum ex eo, quod eluantur noxæ veniales. Tum ex eo, quod præparentur ad contritionem illi qui mortiferis obstringuntur. Tum ex eo quod remittatur aliquid etiam illius pœnæ quæ debebatur peccatis. Adde quod in Missa audiamus varia sacræ paginæ documenta, quibus modum vitæ recte instituendæ & emendandæ edocemur. Tertio, iucunditas & delectatio multiplex accipitur, nonnunquam etiam corporalis. Nam multa sunt, quæ oculos pie delectant in apparatu atque ornatu sacræ aræ & Sacerdotis. Deinde aures præter musicam, oblectant, quæ ex sacris libris recitantur. Tertio odoratus spiritualis maximæ afficitur ex odore suauissimo sacrificij qui vsque ad diuinas nares (si ita loqui liceat) ascendit. Quarto, singulari ac proprio quodam modo spiritalis gustatus oblectatur in conuiuio pinguium, vbi cœlestis ille agnus apponitur sumendus. Quinto, iucundissime tactus spiritalis afficitur in animæ cum suo Domino suauissima coniunctione, castissimoque cœlestis sponsi osculo ac complexu.

Appendicis pars posterior, in qua explicatur quid instrumenta Missæ, vestes Sacerdotis, ipsiusque Missæ partes, & ceremoniæ significent.

33. PRimo, Altare ad Missam tanquam verum sacrificium, necessarium est, & crucem repræsentat in qua immolatus est Christus. Secundo, vestes sacræ Sacerdotis & altaris, adhibentur in Missa, vt in publica & solemni actione, ad Christi cruciatus significandos. Tertio, crux in altari est: quia in actione solemni vexillum regis proponitur, tum enim vt in memoriam reuocet cruciatum Christi. Quarto, adsunt candelæ accensæ, tum religionis causa, tum quia lumen significat, quod cœlestis magister per supplicia quæ passus est, exuit nos de potestate tenebrarum, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum. Quinto, adhibetur liber, quia in tanta re, ita debet abesse temeritas, vt etiam quæuis pericula vitentur.

De habitu & vestibus Sacerdotis.

SAcerdos operans sacris, Christi personam repræsentat. Ac 1. tonsura significat spineam coronam, 2. amictus, velamen illud quod Christi oculis obtentum est, 3. linea tunica, vestem albam qua indutus est ab Herode, 4. cingulum, funes quibus medius constrictus est in horto, 5. manipulus, vincula quibus sacræ manus tanquam nefarij hominis abstrictæ sunt, 6. stola, funes qui vt tutius deduceretur collo ipsius diuino inserti sunt, 7. casula, vestem purpuream, 8. crux in pectore ac humeris, eam crucem quam Christus gessit, & quam semper expetiuit, semperque ante oculos habuit, 9. calix, acerbũ cruciatiuum calicem quem nostri causa exhausit, 10. sacri panni qui explicantur in altari, sindonem & linteamina quibus obuolutum est sacrum corpus ipsius. Cum ergo ad altare vides accedere Sacerdotem, agnosce in eo Christum, qui nostris peccatis onustus, nostra carne vestitus, accessit ad crucem, in eaque cunctailla deposuit ac deleuit.

De ceremoniis, & partibus Missæ.

34. PRimo, introitus significat vota & preces sanctorum Patrum. 2. Κύριε ἐλέησον, id est Domine miserere, miseriam generis humani ante Christi aduentum: & quantopere omnia quodammodo expeterent & implorarent misericordiam. 3. Gloria in excelsis, ortum Christi, & Angelorum lætantium cantus. 4. saluratio populi, cum Dominus vobiscum: tum nos admonet debitæ attentionis, tum significat varias Christi manifestationes, postquã natus est: vt pastoribus, regibus, Simeoni, Annæ, & quæ post resurrectionem contigerunt. 5. oratio quæ subsequitur, aliæq; multæ quæ in toto Missæ sacrificio recitantur, significant frequentes à Christo pro hominibus fusas preces æterno Patri, præsertim 30. illis annis quos omnes

ante

ante Baptismum in hac vna re traduxit. 6. lectio epistolæ indicat doctrinam Apostolorum, antiquæ legis, Prophetarum & Ioan. Baptistæ. 7. graduale, priuatam Christi doctrinam qua discipulos Petrum, Andræam, Philippum, Nathanaelem instruxit 8. Alleluya, id est, laudate Deum: lætitiam de Christi ad nos aduentu & eius reditu ab inferis. 9. transfertur liber à dextra parte ad sinistram: quia sicut Iacob commutauit manus super filios Ioseph, ita dextra Dei, quæ olim super Hebræos porrigebatur, propter eorum mala merita, translata est ad Gentiles. Et quia Christus venit, peccatores qui erant à sinistris, vocaturus ad dextram. 10. Euangelij recitatio refert publicã Saluatoris doctrinam, ad cuius titulum respõdetur, Gloria tibi Domine; quia per eam doctrinam cognitus est Christus. 11. initio Euangelij cruce signatur frons, os, & pectus, vt non pudeat Dominum sectari: sed vt omnes legẽ & doctrinam ipsius palam & in fronte circumferant, neque solum contineant pectore reconditam, sed etiam ore confiteantur; neque solum in ore consistat; sed & in corde 12. stantes Euangelium audimus, vt paratos nos ostendamus, & monitis parere diuinis, & pro fide quæuis supplicia perpeti. 13. Recitato Euangelio Sacerdos lecta in libro verba osculatur in signum deuotionis: cum qua excipi debet mente, & exceptum conseruari semen diuini verbi. 14. Respondetur ad finem Euangelij, Laus tibi Christe; quia hic suo ore, diuina recitata nos docuit. 15. Symbolum Apostolorum significat diffusam per mundũ Christi doctrinam, & conuersionem Gentium ad veram religionem. 16. Tacitæ & secretæ preces significant tum illud tempus quo Christus latuit, tum & occulta consilia Iudæorum de eius nece. 17. Oblatio hostiæ & calicis vna cum iis precationibus quæ tunc adhibentur, ostendunt Christi voluntatem, qua se alacriter assidue patri pro humani generis salute offerebat; præsertim autem preces in horto fusas, cum dixit: non mea voluntas, &c. 18. Ablutio manuum, Christi innocentiam: quam vt testaretur Pilatus, manus lauit. 19. Præfatio, ingressum Domini triumphantis in vrbem Ierosolymam, simulque laudes quibus ab Angelis perpetuo celebratur in cœlo, cum quibus nos in terra voces sociamus. 20. Canonis tacita lectio, Christi Domini inter cruciatus & contumelias silentium, qui velut agnus coram tondente se, obmutuit. 21. Sacerdos cum primum orans dicit Memento, &c. reuocat nobis in mentem Christi præces in horto, mœstitiam illam, & sudorem cruentum, quo respersus est, cum sibi nostra peccata ante oculos posuit. 22. Cum Sacerdos hostiam manibus accipit, ac deinde calicem, & super ea bene precatur, signumque crucis format, & oculos tollit in cœlum; augustissimi & altissimi mysterij maiestatem ostendit, transubstantionis scilicet, panis ac vini in Christi corpus & sanguinem: quę primũ facta est in suprema cœna: cum gratias Christus leuatis in cœlum oculis agens, sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum instituit. 23. Eleuatio Christi corporis & sanguinis, crucis erectionem representat, & effusum Domini sanguinem ad abluendas animarum nostrarum labes. 24. Tempus quod hinc vsque ad hostiæ fractionem intercedit, & illæ cruces & ceremoniæ, significant tempus quo Dominus fuit in cruce. 25. Cum dicitur iterum memento, & fit memoria defunctorum, significatur Christum memorem fuisse Patrum, vt eos liberaret, 26. Peccatoris tunsio cum iis verbis, *nobis quoque peccatoribus* significat boni latronis conuersionem; centurionis, aliorumque timorem, qui reuertebantur percutientes pectora, sua & testabantur: Vere filius Dei erat iste.

Oratio Dominica, præces Christi in cruce, & septem quæ eo tempore dixit verba significat. 28. hostiæ fractio mortem Domini, & animæ à corpore seiunctionem. 29. Mixtio hostiæ cum sanguine, lateris vulnus: ex quo sanguis & qua profluens corpus totum respersit. 30. Communicatio Sacerdotis, Christi sepulturam, & intimam coniunctionem Domini cum Sancta Ecclesia, quam sibi suis cruciatibus peperit. Ea quę præcedunt, vt Domine non sum dignus, &c. ostendunt quanta cum præparatione tantum sacramentum sit suscipiendum. 31. Cantus post communionem & reliquæ partes, significant lætitiam post Christi reditum ex inferis, & gratias pro beneficio Deo agendas. 32. Dimissio populi per formulam illam *Ite Missa est*, ascensum Domini in cœlum, quem populo nunciat Sacerdos, vt Angeli olim Apostolis. 33. Benedictio, Spiritus sancti aduentum & supremum iudicij diem. 34. Euangelium sancti Ioannis promulgationem diuinæ legis die Pentecostes. In hoc enim Euangelio mysteria sanctæ Trinitatis, & incarnationis continentur quæ sunt præcipua & propria religionis Christianæ. Atque hæc paucis attigisse sufficiat, pro quotidiana praxi.

CAP. III.

De obligatione abstinendi in die festo ab operibus seruilibus, nonnullisque aliis.

SVMMARIVM.

35 *Quæ opera seruilia prohibita sint ab Ecclesia in die Festo.*
36 *Quæ non sunt de se seruilia, non sunt censenda fieri talia ex eo, quod principaliter exerceantur ob lucrum.*
37 *Pulsare instrumenta musica, dare consilium, & studere non sunt die festo prohibita.*
38 *Iter facere in die festo, quo modo fit, aut non fit, licitum.*
39 *Scribere in die festo etiam lucri gratia, non esse prohibitum.*
40 *Explicatio dubij de actu transcribendi.*
41 *Explicatio alterius dubii de actu pingendi.*
42 *Actus non seruiles in die festo prohibiti.*
43 *De mercatu, quid eo nomine intelligi possit.*
44 *De placito, quid sit & quatenus prohibitum sit, vel non sit in die festo.*
45 *Explicatio dubiorum de nonnullis actibus forensibus, an sint prohibiti.*
46 *De iudicio ad pœnam, prohibito in die festo.*
47 *De iuramento similiter prohibito.*
48 *De prima causa excusante opera in die festo prohibita, quæ est cultus diuinus.*
49 *De secunda, quæ est pietas.*
50 *De tertia causa quæ est necessitas.*
51 *De quarta causa, quæ est occursus lucri transitorii.*
52 *De quinta causa, quæ est consuetudo.*
53 *De sexta causa, quæ est materiæ paruitas.*
54 *De fine excusante.*

ECclesia præcepto audiendi Missam coniunxit nonnullorum prohibitionem, eamque pariter sub mortali ex Caiet. in verbo Festos dies, cap. 1. Ratio est, quia datur de actu religionis virtutis præstantissimæ & in finem præstantissimum, diuinum in quam cultum. Vnde illius violatores interdum à Prælatis coercentur communione excommunicationis: non sine ratione, præsertim cum in veteri Testamento violatio Sabbathi tanta seueritate puniretur, vt patet per illud Numerorum 15. versus finem, quod inuentus ligna colligere in die Sabbathi, iussu Dei lapidatus sit.

PARS PRIOR CAPITIS.

In qua traditur quænam sint opera prohibita fieri in die festo.

NOn solum igitur opera omnia seruilia, sed etiam 35.
nonnulla alia prohibita sunt in die festo. Ac quoad seruilia notandum est, hoc præcepto prohibita censeri solum ea quæ talia sunt proprie; non vero ea quæ talia sunt metaphorice, vt peccata quibus seruitur dæmoni. Ita notant Caiet. *in memorato cap. 1. & 2. 2. quæst. 122. artic. 4. columna 2.* Sotus 2. *De iust. & iure quæst. 4. artic. 4 circa 3. argumentum*, & Couarr. 4. *variarum resolut. cap. 19. versus finem.* Iam proprie seruilia dicuntur illa, quibus serui distinguuntur à liberis, seu ad quæ serui deputati habentur iuxta Caiet. locis citatis: aut in quibus vnus homo

seruit alteri, iuxta D. Thomam in illo articulo 4. ad 3. & Sotum loco cit. seu quæ proprie seruis conueniunt iuxta Nauarr. in Enchir. cap. 13. numero 3. Adeout illa proprie dicantur seruilia, quæ de se talia sunt, vt etiamsi per liberos nonnunquam exerceantur, seruorum tamen sint propria.

Ad quod intelligendum plenius, habenda est in memoria distinctio illa, quã notat Caiet. & Sotus locis citatis præter alios quos Azor refert *in 2. parte suæ summæ lib. 1. cap. 28. quæst. 1.* quod inter opera exteriora seu corporalia, quædam sunt seruilia ex suo genere, quæ scilicet seruorum sunt propria, vt fodere, arare, suere & cætera, ad quorum exercitium serui haberi solent deputati, mechanicaque dicuntur, eo quod artes mechanicæ. (*quæ a liberalibus distinguuntur*) in illis dirigere debeant operantem. Videri potest Suarez *tomo 1. de religione lib. 2. cap. 20.* Quædam vero genere suo sunt libera, cuiusmodi censentur illa in quibus artes liberales dirigere debent agentem, vt numerare, cantare, docere, scribere, consilium dare. Quædam denique sunt opera communia: vtpote quæ tam a liberis, quam a seruis communiter exercentur, vt iter conficere; pila ludere, tripudiare: ex quib. sola prima opera sunt hoc præcepto vetita, adeout reliqua (nisi obstet mala circũstantia) sint licita in die festo: exceptis nonnullis postea explicandis: quæ licet seruilia non sint, prohibita sunt tamen.

36. Sed vero in quæstione versatur, An ea quæ non sunt suo genere seruilia, reddantur talia, per hoc, quod fiant principaliter pecuniæ seu mercedis, stipendiive causa. De qua in vtramque partem plures authores Azor loco cit. & Suar. in præced. cap. 19. referunt. Negantis autem, quam illi & recentiores communiter sequuntur, fundamentum est: quod in die festo ob lucrum operari, non inueniatur aliter prohibitum in Ecclesia, quam prohibitione operis seruilis, paucis exceptis de quibus postea. At opus eo solo nomine quod fiat lucri gratia non est censendum seruile, ergo nec prohibitum hoc præcepto. Minor ex eo confirmatur, quod nemo dixerit extra diem festum docere Theologiam, aut concionem habere ad populum, aut consilium dare, aut alia id genus munia exercere, propterea seruilia esse quod accipiatur stipendium illa exercentibus assignatum. Intentio igitur & spes lucri non facit vt opus, quod alias seruile non est ex suo genere, censeri debeat seruile, & prohibitum hoc præcepto. Quare opus quodcumque quod licite fieri potest in die festo sine quæstu, potest etiam fieri ob lucrum. Adeoque si iusta aliqua de causa aliquod opus seruile alicubi permittatur exercendum aliquo die festo; non magis violabit hoc præceptum qui ob lucrum exercebit, quam qui gratis. Ex qua vniuersali doctrina, quam Suarez plurib. loco citato persequitur: multa in particulari inferre licet.

37. Primum est: esse quidem illicitum in die festo arare, fodere, suere, & cætera huiusmodi facere, quæ sunt ex suo genere seruilia; sed *tunc quemadmodum in Enchir. cap. 13. numero 14. expressit Nauarrus*: licitum esse pulsare organa & alia musica instrumenta, aliaque facere (nisi conditio aliqua vitiosa obstet) quæ non sunt opera seruilia, nec continentur numero eorum operum non seruilium, quæ specialiter prohibentur, inferius tractanda: procedit quẽ istud non solum cum ipsum fieret ob recreationem animi, sed etiam cũ principaliter ob lucrum, quando quidem vt prædictum est, non efficitur inde seruile. Vbi aduerte obiter canere voce; aut instrumentis non censeri seruile, quia ordinatur de se ad animi leuamen, & oblectationem: nec item tripudiare, quod illi coniungitur: quia est quædam corporis cooperatio ad exultationem, & gaudium animi: quo fit vt neutrum censeatur hoc præcepto prohibitum; sique malum sit contrahere aliunde malitiam, quam ex illius transgressione. Videri potest Suarez in eodem lib. 2. *cap. 27. num. 4. & sequenti.*

Secundum est: quod possit quis in die festo dare consilia, vt faciunt Aduocati: cum id quoque nec seruile sit, nec alias prohibitum *ex Caiet. in verbo, festos dies, cap. 1. & Soto in memorato artic. 4. versus finem.* Nec obstat *ex antedictis*, quod id fiat ob pecuniam, quod etiam notant Sotus ibidem, ac Nauar. in præced. num. 12.

Tertium est, quod possit quis studere in die festo, ac docere quamcumque scientiam non vetitam: etiamsi id faciat ob lucrum, prout ex Panormit. habet Azor in præced. cap. 27. quæst. 3.

Quartum est: licere (intellige, dummodo Missa audiatur) iter facere in die festo. Quanquam non desunt qui malint id referendum potius ad receptam consuetudinem: tanquam iter facere sit opus seruile, ideoque illicitum alioqui in die festo. Cuius contrarium ex professo Suarez tenens in eod. cap. 27. initio, concedit nihilominus id locum habere, cum iter confici nequit sine magno labore & opera in parendis iis quæ ad illud sunt necessaria: vt cum imponenda sunt iumentis, & curribus seu plaustris onera quæ deferantur: quod etiam Azor attigit in seq. quæst. 8. Qualiter autem excusari possint agasones iter facientes cum iumentis, aut curribus onustis, docebitur in seq. parte huius capitis. 38.

Quintum est, licere in die festo aucupio, venationi, aut piscationi insistere. Talia enim opera communia sunt seruis & liberis vt satis patet si fiant solum causa recreationis. Non obstare vero quod lucri causa fiant concedit Nauarrus in præcedenti numero 11. & patet ex eo quod ante habitum est id non reddere illicitum, in die festo opus, quod alias non est in eo prohibitum. Attamen ille peccabit mortaliter, ex eodem Nauarr. ibid. qui ea de causa omiserit audire Missam. Adde nec istiusmodi excusationi locum esse, quando ad talia opera adiuncta sunt alia laboriosa, quæ censentur de numero seruilium esse, sicut ad piscationem quam dam adiuncta sunt hæc, retia parare, rehcere, lauare. Id quod notat Azor ibidem quæst. 7. argumento sumpto ex cap. Licet, De feriis, vbi causa necessitatis aut vtilitatis, permittitur quædam talis piscatio: qua permissione nihil opus esset, si illa in die festo liceret. Accedit, quod tam piscari quam venari, eo nomine censeantur opera esse genere suo seruilia, quod nobis communia sint cum bestiis, nec ad animi perfectionem attineant. Quadere videri potest Suarez in eodem lib. 2. cap. 28. vbi etiam docet esse idem iudicium de actu bellandi quoad executionem: non autem quoad ordinationem necessariorum ad illam: quæ ordinatio est opus mentis potius, quam corporis, & dominorum potius quam seruorum propria.

Sextum est, quod liceat scribere in die festo, cum id nec sit ex suo genere seruile, nec de numero aliorum operum prohibitorum: quod posterius patebit ex iis quæ dicentur postea de iisdem prohibitis. Prius vero probatur, quia licet concedatur, quod scribere non sit opus de se liberum: sed solum sit commune, *quemadmodum docent Caiet. 2. 2. quæst. 122. art. 4. col. 6. in medio, & Sotus in citato art. 4. sub finem explicationis tertiæ causæ*: tamen, vt bene idem Caiet. ait opus, opus scribendi sic dignũ est homine libero, vt huic vitio detur, si illud per se exercere nullomodo queat. Nec certe quisquam est qui iudicet seruile esse illud vsurpare ad docendum, vel ad aperiendam alteri mentem suam prout fit per literas, vel ad dandum consilium absenti. Adde quod exercitium illius non instituatur ad perficiendam materiam aliquã, sicut exercitia operum mechanicorum, quibus materia externa tractatur, vt ipsa secundum artis præscriptum formetur. Non obstare autem quod quis scribat ob lucrum, expressit Nauarr. in eodem cap. 13. num. 12. eo fundamento innixus, quod nullum opus sua natura & conditione liberale, transeat in seruile eo solo nomine quod lucri gratia fiat. Videri potest Suarez in supra memorato lib. 2. cap. 24. 39.

Dubium autem est, *quod idem Suarez. tractat in sequenti cap. 25. vt & Azor in citato cap. 27. qu. 2.* de actu transcribendi vtrum tanquam opus seruile, prohibitus sit in die festo. Cuius partem affirmantem tenent quidem Caiet. in memorata col. 6. & Nauar. in eod. cap. 13. num. 14. sed pro negante quam sequuntur Azor & Suarez: atque *vt hic habet n. 2.* recentiores Theologi frequentius: facit quod transcribere non sit aliud quam scribere: vnde si hoc sit de se 40.

licitum

licitum in die festo, erit & illud: præsertim si non omittantur quæ tunc facienda sunt: nempe si audiatur Missa, nec concio & vespertinæ preces, de consuetudine loci audiendæ, negligantur. Et certe durum esset damnare peccati mortalis scholasticos qui lectionem quam in classe non exceperunt: aut etiã alterius quam sui præceptoris dictata sibi commoda transcribunt in die festo. Nec ratio est, quin si licite pro se id possunt, pro alijs similiter possint. Id quod Azor fatetur simpliciter quoad scholasticos qui in die festo transcribunt etiam mercede stipendiove accepto ad subueniendum suæ necessitati. Quoad illos vero qui ex officio exercent transcribendi munus, tanquam opus artis quam factitant, victus quærendi ac lucrãdi causa (copistas vulgo vocant) non ita faretur: sed tantum vult per vrgentem personarum aut negotiorum necessitatẽ, facile à peccato excusari. Id probans ex eo quod Romæ talibus, *copistis inquam*, exercitium officij sui permittatur impune. Cur autem tales nõ videantur simpliciter excusandi, & respectu eorum videatur inclinandum in Caiet. sententiam: ratio esse potest, quod lucro sic inhient, vt sectando ipsum affectu quodam mechanico, non minus vacent prædicto exercitio diebus festis, quam profestis: sicque opus liberale exerceant tanquam seruile, in quo potest perinde peccatum esse, ac in eo quod quis vxorem propriam cognoscat tanquam alienam.

41. Alterum adhuc superest dubium de exercitio pingendi, quod Azor in seq. qu. 6. bene explicat distinctione. Inquiens cum negari non possit artem pingendi mechanicam esse, nec item negari posse, eam lucri præsertim gratia exercentem, pingendo facere opus seruile (quod pluribus tractat Suarez in eodem lib. 2. c. 26.) pingentem vero tantum gratia reficiendi animum aut addiscendi, non censeri opus seruile exercere, propterea quod in eo spectat spiritalem animi perfectionem: nempe recreationem honestam aut instructionem & peritiam, quæ de se est quid liberale. Quo nomine, aliquot aliis authoribus citatis, excusat à peccato iuuenes, qui cupidi discendæ artis pingendi, diebus festis pulchre pictas alicubi imagines Sanctorum aut Principum, intentis oculis & animis intuiti imitantur pingendo. Aduerte tamen quod in fine citati cap. indicat Suarez, hoc esse verum, cum fit solummodo ad memoriã iuuandam, vt talis imaginis idolum postea possit mente perfecte formari, quia id ad disciplinam liberalem accedit: non esse autem si fiat ad eas transsumendas pingẽdo, quia non minus seruile est, *inquit ille*, pingere ad imitationem sensibilis exemplatis positi ob oculos, quam ex imagine interna propriæ mentis.

Excusat quoque (citatis Caietano & Armilla) Azor, eum qui in charta, quo modo sit aliquid fabricandum describit ac designat ad instruendum aliquem de opere futuro, quia & id ad disciplinam pertinet, potius quam ad operis machinationem: ideoq; actio potius est spectans ad animum & liberalis, quam ad corpus, & seruilis.

De mercatu, & alijs operibus liberalibus prohibitis in die festo.

42. IAm quoad opera non seruilia in die festo prohibita: notandum est quatuor haberi ex cap. 1. De feriis: quæ sunt mercatus, placitum, iudicium ad mortem, vel aliam pœnam ciuilem, & iuramentum in iudicio interpositum, nisi interponatur causa pacis aut necessitatis: quintum autem quod videretur addendum ex cap. finali, De feriis, puta strepitus iudicialis, reducitur ad 2. & 3. prædictum, prout Caietan. indicat in verbo Festos dies, cap. primo, vers. Quoad 3.

43. Atque de mercatu notandum est ex eodem ibidem: posse eo nomine intelligi primo nundinas, quæ semel, aut bis in quolibet anno fiunt iuxta diuersorum locorum mores: in eaque acceptione derogatum esse huic precepto per contrariam consuetudinem, vbi ipsa inualuit, necà Prælatis quibus cognita est reprehenditur: ita vt quamdiu noua prohibitio non obstiterit, liceat secundum illam agere ex Nauarr. *in Enchir. cap. 13. num. 8. & Angelo in verbo Feriæ, numer. 21.* auditis tamen diuinis. Nunquam enim talis consuetudo sic introducitur, vt Missa possit omitti absque speciali necessitate. Ideo autem rationabilis censetur talis consuetudo, quod rustici soleant tantum diebus festis confertim venire ad oppida pro emptione necessariorum.

Intelligi secundo posse: quasi nundinas, quæ semel bis aut ter in hebdomada alicubi fieri cõsueuerunt, dum vulgares homines ad forum deferunt oua, pullos, fructus, &c. In quo sensu huic quoque præcepto similiter derogatum est: nisi quod multis in locis in alterum diem, ipsæ quasi nundinæ mutari soleant, si in festo contingant. Id quod seruandum est, quoad fieri potest: & curandum ne de nouo contraria consuetudo inducatur, & ne introducta extendatur.

Intelligi postremo posse, quoscumque actus, siue emptionis & venditionis, siue locationis & conductionis, siue cuiuscumque alterius eiusmodi. In qua acceptione negari non potest, quin quoad pleraque sit hodie huic quoque præcepto derogatum consuetudine: videmus enim diebus festis vendi & emi panem, vinum, herbas, fructus, carnes, & alia ad vsum illius diei necessaria. Itemque sutores, sartores, aliosque similes opifices, rusticis vendere calceos, vestes & id genus alia. Quod excusatur, tum respectu venditorum qui non possent alio die vendere ob defectum ementium: tum respectu emptorum qui diebus profestis venire nequirent ad emendum, sine rerum suarum detrimento. Itemque die festo operarij conducuntur ad vites putandas, aut metendas segetes, &c. quæ consuetudo nata ex necessitate excusat: nisi, vt Caiet. loco cit. excipit, Episcopus aliquid prohiberet fieri: aut per totum diem, aut vsque ad vesperam: vel, *vt fit in quibusdam locis*, donec finiatur concio, aut donec facta sit eleuatio corporis Christi in Ecclesia maiori. Videri possunt Nauarr. in præced. num. 6. & Sotus lib. 2. De iustitia & iure quæst. 4. art. 4 causa quarta.

De actibus forensibus prohibitis in die festo.

DE placito vero notandum est ex eodem quoque Caiet. ibidem (*de quo pluribus Suarez in seq. cap. 29. nu. 8. & 9.*) significari eo nomine lites, seu causas iudiciales, quæ prohibeantur die festo agi in iudicio, nisi necessitas vrgeat aut pietas suadeat. Vrgentis necessitatis exemplum est, quando alias iudex aut testis haberi non poterit: vt si in die festo delictum sit commissum, & nisi tunc inquisitio de illo fiat, testes disparebunt, impedieturque iustitia. Suadentis vero pietatis exemplum est, quod rusticis Iudices rurales dicant ius in die festo secundum loci consuetudinem, ne pauperes aliis diebus perdant diurnum laborem: *hoc habet etiam Nauarr. in eod. cap. 13. num. 13.* Exempla item sunt causę miserabilium personarum, *vt ipse Caiet. addit*, vide glossam ad cap. Consequens, De feriis, verbo Pietas. Hic moueri possunt aliquot quæstiones, quibus paucis satisfaciendum est. 44.

PRIMA EST, Ad quas personas, & ad quas actiones prohibitio proposita pertineat. Respondetur ad omnes personas per quas exercetur forense iudicium: quarum principalis est Iudex, accessoriæ: Aduocati administræ vero, Procuratores, Notarij, testes & id genus alij: itemque actor & reus quatenus hi opera illorum vtuntur. Pertinere etiam ad omnes actiones forenses spectantes ad actus iudicij. De quibus in cap. finali De feriis, sic habetur: Debet iudicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob Dei reuerentiam noscuntur esse statuti.

Quem strepitum aduerte tribus partibus constare: quarum prima est inchoatio causæ per citationem: secunda, formatio processus, causæque cognitio: tertia, terminus iudicij, seu sententiæ prolatio. De quarum secunda & tertia certum est, sic esse illicitam in die festo, vt simul sit inualida. Aperta sunt enim verba hæc in citato cap. finali. Vsqueadeo conuenit ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia quam contingit huiusmodi diebus promulgari. Quod ipsum Azor annotans in memorato cap. 27. quæst. 12. addit in sequenti 13. exceptionem: nisi procedatur absque strepitu iudicii, vt fieri potest cum sufficiens causæ cognitio iam habetur.

45. Secvnda qvæstio, An prohibitum sit in die festo Aduocatum consulere, cum Procuratore priuatim agere de lite, Iudici totam causam referre, vt ea probe cognita sententiam commodius ferat. Respondet Azor in eodem cap. 27. quæst. 11. ea omnia licere: quia ius prohibet tantum causas forenses (quæ cum iudiciali strepitu seu litigiose ac cõtentiose tractantur) die festo agi in iudicio. Videri possunt Caiet. 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. *versu, Sed ad hæc dicendum est*, & Suarez *in eod. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 9. *& nonnullis sequentibus.* Addit idem Azor ob eamdem rationem, licere creditori à suo debitore priuatim debitum exigere, quod non licet in iudicio.

Tertia qvæstio est, An testes recipi & examinari queant in die festo. Respondendum est autem negatiue: quia oportet in eo interponi iuramentum, *de quo paulo post*, prohibitum in cap. primo. De feriis. De qua re plenius Suarez *in citato cap.* 30. *num.* 7. *&* 8. bene refutans eos qui existimarunt quod si in die profesto recepti essent testes & iurati: nec tunc examen perfici potuerit ob ipsorum testium, vel articulorum multitudinem, illud in sequenti die festo continuari posse, si nihil aliud obstet. Nam talis quoque continuatio pertinet ad strepitum iudicialem, qui omnino prohibetur in die festo. Alias rationes vide apud eundem.

Qvarta qvæstio est, An citatio in die festo ad diem non festum; aut contra in die non festo ad diem festum facta valeat. Ad hoc Azor in memorato cap. 27. quæst. 16. respondet negatiue nixus hoc fundamento: quod talis citatio in die festo non modo quoad suum effectum (*iudicialem inquam processum, qui vi illius fit*) sit prohibita in citato cap. finali, sed etiam quoad suam originem per illud in Cod. De feriis lege vltima. Taceat apparitio præconis, horrida vox fileat. Id quod plenius declarat Suarez *in eodem cap.* 30. *nu.* 3. *& tribus sequentibus.*

Aduerte autem cum in strepitu iudicij variæ personæ concurrere possunt, vt ante attigimus, & satis constat experientia: contingatque plerumque eas in diuersis locis domicilia habere, in quorum vno festum seruatur non in alio; ad iudicandum de eodem strepitu, vtrum fiat cum festi violatione spectari debere locum in quo est Iudex & causa tractatur: quia Iudex ipse est persona principalis, ac cæterarum caput in tali negotio: vnde ratio postulat vt ipsum cæteri sequantur. Idem vero Iudex tenetur seruare festa loci in quo futurus est: alioqui scandalo erit aliis: quibus in laudabili consuetudine se conformare tenetur; ac proinde abstinere à strepitu iudiciali, qui tunc temporis prohibitus est. De quo plura Suarez in præced. cap. 29. num. 7.

Qvinta qvæstio, An appellatio iudicialis sit pariter illicita in die festo. Hanc Suarez tractat in citato cap. 30. num 12. & 13. Ac licet negantem damnare non audeat eo quod illam iuristæ communiter sequantur: eam tamen in praxi non esse consulendam merito censet: nisi necessitas, aut notabilis vtilitas aliud suadeat. Etenim prohibitio facta in cap finali, De feriis, est generalis: ideoque extenditur ad omnem actum strepitus iudicialis: de quorum numero est appellatio prædicta, sicut & litis prosecutio, cui dat initium & causam præbet.

Executionem sententiæ à qua non est appellatum, prohibitam etiam atque adeo irritam esse, per memoratum cap. finale: ideo rationabiliter teneri potest, *prout tenet Suarez in præced. num.* 11. quia in illa maior strepitus solet esse, nec perturbatio partium, ac populi distractio in diuinis quam in sententiæ prolatione. Atque hæc hactenus de tribus primis prohibitis cap. 1. De feriis: operibus inquam seruilibus, mercatu, & placito, Restat dicendum de duobus nempe de iudicio ad mortem, & de iuramento.

46. Igitur de iudicio ad mortem, vel ad aliam pœnam ciuilem, notandum est, vetitum esse ne Iudex talem sententiam ferat in die festo: quod intelligendum est non modo de sententia definitiua, qua finis imponitur controuersiæ; sed etiam de interlocutoria, seu semiplena, quæ profertur inter principium & finem causæ. Attamen interdũ posset aliqua ex causa ferri in die festo sententia ad mortem: vt cum timetur, quod nisi repertus in flagranti delicto statim puniatur, iustitia impedietur; vel quia conditio temporis, *vt belli*, id requirit: ex Caietano in verbo, Festos dies, cap. 1. versu, Vt autem.

De iuramento vero notandum est, ex Caiet. ibidem 47.
intelligi, non quodcumque, sed iudiciale, seu interpositum in iudicio. Deo si quis obiiciat sic intellectum potuisse comprehendi sub placito, & ideo superflue prædictis super addi in cap. 1. De feriis. Ille idem respondet 2.2. *quæst.* 122. *art.* 4. *colum. antepenult.* ipsum fuisse adhuc per se, specialiterque prohibitum, eo quod iuramentum, etiam iudiciale, videri potuerit licitum, cum sit latriæ cultus Dei, ideoque consonus maxime diei festo.

Quod autem de tali iuramento facta in cap. 1. De feriis prohibitio procedat tam quoad causas spirituales, quam quoad temporales Suarez *in citato num.* 8. colligit ex eo, quod verba quibus fit in eodem cap. sint generalia, neque ex eis sumi possit vllum talis limitationis fundamentum: adeout illicitum sit perinde in causis spiritualibus, ac in temporalibus iuramentum iudiciale exigere, quale consueuit exigi testibus examinandis.

POSTERIOR PARS CAPITIS.

De causis quæ excusant facientem in die festo opera prohibita.

Tales causas varias constitui patet ex iis quæ habent D. Thomas 2.2. *qu.* 122. *ar.* 4. & sequaces ipsius Caiet. tum ibid. tum in verbo, Festos dies *cap.* 1. *ver. Tertium est*, & Sotus lib. 2. de Iustitia & iure *qu.* 4. *art.* 4. passimque alij qui materiam hanc tractant.

Prima autem est, cultus diuinus. Ad quam recte intel- 48.
ligendam notare oportet iuxta memoratos authores, opera ad seruitium Dei pertinentia esse in triplici differentia: nam quædam pertinent ad cultum diuinum, tanquam illius partes: vt olim gestare arcam testamenti; & nunc gestare in supplicatione vexillum crucis, aut statuas Sanctorum, vel arcas plenas reliquiis ipsorum: hæcque omnino licita sunt in festis. Quædam vero per se ad cultum diuinum pertinent tanquam præparatoria ad illum: eorumque nonnulla eidem cultui coniunguntur: vt olim mactatio, & lotio victimarum, de quibus Matth. 12. ait Dominus: Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt: nunc vero, campanas pulsare ad Missas, & alia diuina officia: hæcque dubium non est licita etiam esse in die festo.

Quædam autem non coniunguntur, sed cultum ipsum antecedunt: itaut fieri possint die præcedenti: vt ornare templum aulæis, scopisque mundare, conficere hostias: atque hæc sine causa rationabili in die festo fieri, illicitum est, non item si adsit causa rationabilis: vt quod ornamenta nõ potuerint ante ea haberi, aut continuus dierum festorum concursus: ex quo ob frequentiam populi templum effectum est immundum: ideoque potius mundandum est tunc, quam immundum relinquendum. Existimat autem Azor in 2. par. lib. 1. cap. vlt. quæst. 5. causa 2. talem excusationem locum habere, etiam cum per socordiam, & negligentiam talia opera fuerunt suo tempore prætermissa.

Quædam denique sunt opera quæ valde remote, atque per accidens pertinent ad Dei cultum: vt conficere calicem, ædificare sacellum, aut altare, arare agros, & metere segetes Ecclesiæ. Cuiusmodi in die festo non licere, nisi ex aliqua nobili necessitate, tenendum est cum Caietano in citato cap. 1. Tunc autem potissimum licita censentur, cum ideo tunc exercentur, quod Ecclesia non sit ad ea sibi sufficiens, acceditque licentia Episcopi: vel si ea haberi non posset, & necessitas valde vrgeat, accedat consensus Parochi.

Secunda causa est pietas, ob quam iudicialia prohibita licere in die festo patet ex exceptione eorumdem facta 49.
in cap. vltimo De feriis. Quæ cum de illis solis facta sit, si aliqua alia liceant ex pietate, id tunc contingit cum pietas ipsa coincidit cum causa alia excusante. Circa quod aduertendum est, pietatem ex Caiet. *in cit. art.* 4. *col.* 4 *versu.*

Ad hoc

Ad hoc dubium, & Nauarr. *in Enchir. cap.* 13. *num.* 4. tripliciter accipi. Primo modo, pro religione seu cultu diuino, sicque ob eam iuxta antedicta, quædam opera sunt licita in festis, quædam minime. Secundo modo capitur pro misericordia, & sic accepta sufficit quidem ad excusandas iudicialia, non tamen ad excusanda seruilia; nisi simul adsit necessitas vitandi damni imminentis.

Aduerte tamen opera quæ sunt per se primo misericordiæ, esse in die festo licita: vt sepelire mortuum, curare infirmum, vestire nudum. De quibus intelligendum est, quod habet glossa ad cit. cap. vlt. In operibus misericordiæ non esse faciendam distinctionem dictum. Idem dicendum est de misericordiæ operibus, quæ ad prædicta præparationes sunt cum eis coniunctæ. Nam talia quoq; licita sunt in festis: vt foueam facere ad sepeliēdum mortuum: non item de præparationibus ad misericordiæ opera quæ prius fieri possunt. Nec enim licet vestes consuere in die festo ad vestiendum nudum ratione pietatis nisi adsit necessitas.

Tertio modo sumitur pietas pro ea parte iustitiæ quæ nos inducit ad honorificandum patriam, parentes, & cōsanguineos; quo modo sumpta, à nullo opere prohibito excusat in die festo. Vnde bene notant Caiet. & Nauarr. locis citatis ex causa pietatis, *si causa necessitatis non concurrat*, non esse excusandos eos qui reficiunt pontes, & vias publicas in die festo: quia tale quid non liceret ob consanguineos, ad quos cum patria est eadem virtus pietatis.

Si quæras, an ex causa pietatis excusentur qui in die festo seruilia opera exercent ornamenti publici gratia: vt qui theatra, seu tabulata construunt cum ludi publici, seu spectacula dantur in republica, vt populus recreetur. Respondet Azor in seq. causa tertia, excusari, cum non datur aliud tempus: quia pertinet ad publicam vtilitatem, *quam pietas quærere suadet*, vt populus interdum recreetur spectaculis.

50. Tertia causa excusans constituitur necessitas, estque generalis: vtpote quæ ab omnibus prohibitis excusat: quādoquidem vt habet quarta regula iuris, Extra, Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum: & ita fit, *ex Caiet. in verbo, Festos dies, cap.* 1. *versu Quod vt clarius*, vt propter eam, opera quæ alias sunt seruilia suo genere, reddantur communia, ideoque minime prohibita in die festo, iuxta habita in præcedenti num. 35. Tunc vero necessitas adesse intelligenda est, quando imminet notabile damnum animi, aut corporis siue proprij siue alieni: aut bonorū temporalium, siue propriorum siue alienorum ex Caiet. *in eod. cap.* 1. *versu, Tertio ex necessitate, & Nauarr. in eodem cap.* 13. *numero* 6. *ac Soto in lib.* 2. *De iustitia & iure quæst.* 4. *art.* 4. *vers. quarta causa.* Pro qua doctrina facit quod ex lib. 1. Machab. cap. 2. Machabæi pugnarunt in die Sabbathi, propter periculum mortis imminens ipsis, nisi se defenderent. Item quod Dominus Matth. 12. excuset Discipulos suos in Sabbatho vellentes spicas; quodque ibidem aperta ratione ostendat necessitati obseruationem legis cedere inquiens: Quis ex vobis homo qui habens ouem vnam & si ceciderit hæc Sabbathis in foueam, nonne tenebit, & leuabit eam?

Vnde excusantur ij pauperes, qui se ac suam familiam sustentare nequeunt nisi laborent, dummodo id secrete faciant ad vitandum scandalum, & ea necessitas sit euidens, iudicio pij ac prudentis viri. Nam dubia necessitas non est sufficiens, sine dispensatione sui pastoris. Item excusantur eadē ratione agricolæ qui ingruente pluuia fœnum aut segetes colligunt ne deteriorentur. Qua in re ad vitandum scandalum requirendus est pastoris consensus. Excusantur præterea (*quod aliis commemoratis habet Azor loco cit. ato, in* 4. *causa*) eadem adhuc ratione, famuli, qui nisi faciant iussa domini, vel stipendium sibi debitum amitterent, vel remouerentur à famulatu, neque alium herum facile reperirent. Attamen si talia iussa fierent in Ecclesiæ contemptum, non esset locus excusationi. Adde regulam dari (cuius meminit Suarez *in sæpe citato lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 4.) quando inchoatum opus, vt coctio laterum vel calcis non potest intermitti in die festo sine dispendio notabili, illud posse in die festo continuari. Quando vero tale dispendium contingat, iudicare spectat ad artifices. Cui regulæ cōgruenter, Caietanus ait mulliones iter continuantes excusari posse ratione necessitatis. Aduerte autem debere intelligi de iis qui iter faciunt bestiis onustis: quia si agatur de ils qui mulos suos deducunt non oneratos ad modum tantum iter facientium (*cum iuxta antedicta licitum sit iter facere in die festo*) possunt absque necessitate excusari.

De illis ergo mulionibus aut rhedariis, qui cum bestiis aut rhedis seu curribus oneratis onere mercium transportandarum iter inchoant in die festo; dici quidem potest, quod si nequeant nisi cum graui detrimento, ipsum iter differre in aliud tempus, posse excusari ex necessitate: alias autem minime, quantumuis Missam eo die audiant. Ratio est, quia tale quid ad mechanicum & seruile officium ita pertinet, vt si contrarium in vsu esse inueniatur, damnandum sit de abusione, iuxta Caiet. 2. 2 *quæst.* 122. *art.* 4. *col. penult. versu His igitur expeditis.* Vbi tamen excusat eum qui in die festo cum iumentis vacuis accedit ad locum aliquem, vt se ibi sequenti die inueniat. Et rationem reddit, quod id de se tantum sit iter facere, nequaquam prohibitum. Et consentit Nauar. in sequenti num. 12.

Cæterum ex Soto in memorato art. 4. (*quod plenius tradit Azor in citato cap. vltimo quæst.* 5. *in fine, & quæst.* 6.) in casibus in quibus de necessitate ambigitur, an ea sit necne sufficiens ad excusandum opus seruile in die festo, consulendus est Episcopus, aut saltem Parochus seu principalis Sacerdos. Id quod attingens Caietan. *in memorato art.* 4. *col. penult. versu In* 7. *causa*, addit quod etiamsi Superior dispensando erret, quia non satis perspicaciter rem consideravit, subditos nihilominus excusari laborando in die festo.

Cæterum quod in hac re dicitur de necessitate propria, dici posse pariter de necessitate proximi, ex eo intelligitur, quod cum ex charitate debeamus amare sicut nosipsos: & quod misericordia erga proximum gratissima sit Deo, iuxta illud Oseæ 6. Misericordiam volo & non sacrificium: vsurpatum à Domino Matth. 12. in disceptatione cum Iudæis de obseruatione Sabbathi. Cui authoritati congruenter, præclaro argumento à minori ad maius eos perstringit inquiens: Itaque licet Sabbathis benefacere: misericordiam scilicet exercendo erga proximum, graui necessitate laborantem, ad instar ouis lapsæ in foueam.

Adde quod si necessitas priuata excuset, multo magis excusare communem Reipub. cum cuius notabili damno Ecclesiam velle aliquid prohibere, non est existimandum: vt intelligi potest ex licentia quæ datur in cap. Licet, De feriis. Et sic excusantur milites pugnantes in die festo: parantes tormenta bellica conueheutes commeatum tempore necessitatis. Item qui reficiunt pontes, vias, fontes, & alia pertinentia ad communes vsus, quando sine magno incommodo publico, res non potest differri.

Quarta causa est occursus lucri transitorij. Nam Ecclesia in cit. cap. Licet, indulsit in die festo piscationem halecum, quæ vno anni tempore transire solent: pariqueratione idem esse dicendum de piscatione aliorum piscium, qui similiter certo tantum anni tempore occurrunt, notant Caietan *loco cit. ato, & in verbo Festos dies cap.* 1. *versu Quarto ex occursu lucri, & Nauar. in præcedenti numero* 9. Imo credit Caietan. idem quoque dicendum esse de quouis alio lucro transitorio, quomodolibet repente occurrente: tanquam, *inquit ille*, eiusmodi lucrum cessans; damnum reputetur. Sed tamen in eo tantum lucro quod solet vno anni tempore euenire, cernitur rationis paritas cum eo, de quo sermo est in cap. Licet, memorato. In eo enim sermo est tantum de transitorio lucro, quod solummodo occurrit vno anni tempore. Quæ circumstantia cum non inueniatur in omni lucro transitorio, fit vt à S. Pontifice data dispensatio in ipso cap. Licet, non habeat *obrationis identitatem*, locum in omni lucro transitorio. 51.

Aduerte autem obiter eam ipsam dispensationem esse intelligendam cum moderatione ibi expressa: nempe vt Ecclesiis circumpositis & Christi pauperibus honesta lucri portio detur: atque vt ea non habeat locum in maiori-

bus anni festiuitatibus, quales sunt, *vt ibidem habet glossa*, Natiuitas domini, Epiphania, Pascha, Ascensio Domini, & Penrecoste. Si quæras, an eadem moderatio dandi aliquid Ecclesiæ & pauperibus, locum habeat quando ordinarius permittit, aliqua opera seruilia in die festo. Azor in fine memorati libri primi, respondet non habere de præcepto: sed solum de consilio: pro quo citat Angelum & Syluestrum.

52. Quinta causa, est consuetudo siue generalis siue specialis, scita in aliqua patria, ac tolerata, nec reprehensa à Prælatis. Ita Caietanus habet verbo Dies festos, *cap. 1. versu Sexto ex consuetudine: & Sotus in sæpe memorato art. 4. causa sexta.* Et ratio est, quia cum prohibita in die festo sint humano iure introducta; nihil obstat ea tolli contraria consuetudine; vt alias passim fit. Atq; ob hanc causam excusantur à Caietano coqui, tabernarij, hospites, nauigantes in fluminibus, & ad minutum vendentes & ementes comestibilia, conducentes equos aut operarios pro die sequenti: & similia, quorum aliqua iam in præcedenti parte capitis attigimus; & ex cõsuetudine vigente satis innotescunt. Cui tamen non est fidendum si sit irrationabilis, vt merito censetur ea, qua in nonnullis locis secundo ostensa sacra hostia pleriq; relinquunt Sacerdotem in altari: quod quidem caret ratione tam necessitatis quam pietatis vt patet: neque consentaneum, imo dissentaneum est sacris canonibus, vt patere potest ponderante cap. Omnes fideles, cap. Missas, & cap. Cum ad celebrandas, De consecra. distinct. 1.

53. Vltima causa est materiæ paruitas; ex qua sicut potest contingere ne, *quod attinet ad Missam audiendam*, mortale committatur: ita etiam potest, vt ab eodem peccato sit excusatio, quod attinet ad abstinendum ab actibus prohibitis in die festo. Et ita Caiet. in cit. cap. 1. versu Secundum quoque, ex tali causa excusat à mortali parum laborantes vel suendo vel tondendo, vel reparando aliquid; ac etiam vendentes & ementes, minimum temporis ponendo in eo. Excusant quoque plures alios Angelus & Syluester: *ille in verbo Feriæ numero decimo, & aliquot sequentibus: hic vero, in verbo Dominica, quæst. 5.*

Porro iudicium de istiusmodi paruitate, vt in aliis materiis, sic in hac, relictum est arbitrio prudentis. Illud tantum moneri potest ex iis quæ Azor habet *in principio supra citatæ quæstionis 5.* opus de se paruum & exiguum; ex illius repetitione magnum in tali iudicio censeri: quomodo tonsor vnum quidem aut alterum in die festo tondendo, excusatur à mortali, non tamen tondendo plures: quod idem habet Nauarr. *in Enchir. cap. 13. num. 9.* Similiter sutor vendendo in die festo vinum, aut alterum par calceorum, excusatur à mortali; non item (nisi aliunde excusetur) si venditionem sæpius iteret. Opus vero de se magnum censeri paruum ex tempore modico, quod in eo insumitur. Sic qui opus aliquot seruile laboriosum exercuit, vt qui arauit vel messunt: si in eo opere seruili posuit minus temporis quam vnius horæ, tanquam breuitate temporis ipsum excusante, non damnatur propterea peccati mortalis, licet à veniali non excusetur: vt aliquot aliis citatis addit idem Azor.

54. Si quæras, an talis quoque excusatio detur ratione finis: vt quod opera in die festo prohibita exerceantur ad habendum quod detur pauperibus, aut quod in aliquos pios vsus erogetur. Cui quæstioni satisfit per illud quod habet Azor *in eadem quæst. 5. causa 3.* neminem inficiari huiusmodi opera non esse iure permissa, quando Ecclesiæ vel miserabiles personæ non indigent illorum exercitio; esse vero permissa si illæ hoc ita indigeant, vt adsit necessitas ad excusandum sufficiens, iudicio prudentis, aut si ambigatur de tali sufficientia, defectus illius suppleatur per dispensationem Episcopi, alteriusve Prælati, qui de consuetudine aut alio modo iurisdictionem habeat Episcopalem: aut etiam Parochi, alteriusve curam animarum habentis sub illis, quando illi ipsi commode adiri nequeunt. Id quod satis patet ex vsu recepto in Ecclesia; & ex eo quod potestas eiusmodi sit moraliter necessaria in ordinario regimine animarum, pro casibus repentinis, & extraordinarie occurrentibus.

Veruntamen differentia est, quod pastores inferiores talem licentiam dare possint tantum ad tempus præsentis necessitatis. Superiores vero, etiam ad tempus necessitatis futuræ: vt si in aliqua diœcesi *inquit Azor causa postrema*, quotannis rustici detrimentum magnum patiantur si in die sancti Laurentij supersedeant operibus seruilibus, potest Episcopus eis concedere facultatem quotannis eo die vacandi iisdem operibus, ad prædictum incommodum vitandum. Nam licet Episcopi in suo Episcopatu tollere non possint festa quæ celebrantur ab vniuersa Ecclesia, tanquam instituta à Papa: tamen possunt cum particularibus personis aut populis in obseruatione talium festorum quoad aliquos actus dispensare, vt communem sententiam esse aliquot in eam citatis, notat Suarez *in memorato lib. 2. cap. 33. num. 2.*

Porro non modo Parochus, sed nec Episcopus (nisi festum sit proprium sui Episcopatus) potest talem dispensationem dare sine iusta causa: qualis an ista sit, vt dispensatus aliquid conferat in vsus pios cum necessitas non vrget, vt ad emenda luminaria pro aliquo templo, aut sacello, aut oratorio idem Azor in seq. quæst. 11. disputat: ac tenet posse, *ex causa scilicet pietatis*, dummodo absit occasio scandali: beneque addit non committi in eo simoniam: sed cultum eum religiosum cessationis ab operibus seruilibus in die festo, mutari in aliud opus pium erogandi aliquid in sacrarum ædium vsus, si non necessarios, saltem commodos. Addit Suarez *in seq. num. 4.* præter potestatem & causam, ad talem dispensationem requiri voluntatem dispensandi. Hæc enim est, per quam illa debet, *pro conditione actus humani*, consummari seu perfici. De qua, vt aliis constet sufficienter ad operandum, debet eis signo externo manifestari. Non sufficit vero præsumptam esse ratihabitionem de futuro; quia vinculum legis non auferetur per nostram præsumptionem & spem ratihabitionis.

CAPVT IV.

De sacrilegio.

SVMMARIVM.

55 *De violatione rei sacræ, in qua sacrilegium consistit.*
56 *Quatuor sacrilegii species, quarum prima contingit cum persona, 2. cum loco, 3. cum tempori sacro fit iniuria.*
57 *De quarta, contingente cum fit iniuria aliis rebus sacris.*
58 *Sacrilegium genere vnum est, & specie diuersum: ac ipsum mortale peccatum esse contingit tribus maxime modis.*
59 *Quæ sacrilegii species excommunicationem inducant.*
60 *Explicatio excommunicationis latæ in effractores & spoliatores Ecclesiarum.*

SACRILEGIVM consistit in violatione rei sacræ, vt sacra est. Nomine rei sacræ vero, intelligendum est illud omne, quod lege aliqua diuina vel humana: siue publica siue priuata destinatum est ad Dei cultum; siue sit tempus, vt dies festus; siue sit locus, vt templum; siue persona, vt Clericus, vel Religiosus: siue quidpiam aliud, vt vasa sacra, sacræ imagines ac reliquiæ Sanctorum, itemq; sacramenta & multa alia. Violari autem potest res sacra. Tum commissione peractionem contrariam cultui illi, ad quem ea destinata est: quo modo per fornicationem violatur votum castitatis. Tum omissione illius cultus in quem res ipsa destinata est: qua ratione is violat votum de eleemosyna, aut peregrinatione facienda, qui hanc, illamve suo tempore facere omittit. 55.

Congruenter vero his distinguuntur quatuor sacrilegij species, quarum prima consistit in violatione personæ siue propriæ siue alienæ; ad eamq; pertinet 1. violatio votorum personalium, de quibus suo loco in præced. lib. Secundo, verberatio Clerici vel Monachi: quæ seuera excommunicatione punitur lata in cap. Si quis suadente diabolo 17. q. 4. (de qua appendicem addidimus ad calcem primi libri) aliaque vexatio contra priuilegium quod dicitur canonis. Tertio, vectigalium & onerum aut gabellarum exactio ab Ecclesiasticis personis, cum hæ ab illis 56.

sint

sint iure ipso immunes, prout à nobis expositum est in præced. lib. 13. num. 229. & tradit Sylvest. in verbo Immunitas 1. quæst. 4. & duabus sequentibus. Quarto earumdem personarum vexatio contra priuilegium quod dicitur fori, à qua vexatione ac etiam à præcedenti, protegunturper plures canones bullæ Cœnæ Domini, de quibus in præced. lib. 9. late. Postremo, furtum rerum quas persona Ecclesiastica possidet titulo Ecclesiastico: vt Parochus oblationes factas suæ Ecclesiæ; quas si quis ei furaretur committeret sacrilegium: non item si furaretur gladium ipsius, aut aliud quod possidet alio nomine, quam Ecclesiæ.

Secunda species sacrilegij contingit, cum fit iniuria loco sacro: ad cuius notitiam si cui non sufficiant dicta à nobis in præced. lib. 14. cap. 6. cum de circumstantia loci ageremus, ei satisfacere poterit Suarez in tomo 2. de religione, *lib. tertio tredecim capitibus distincto*, persequens quæ ad hanc sacrilegij speciem spectant. Addatque si volet quæ tractat Thomas Sanchez de matrimonio lib. 9. disput. 15. Tertia autem species consistit in iniuria temporis, dicive festi ad quam pertinentia satis intelliguntur ex dictis in duobus præcedentibus capitibus.

57. Quarta denique consistit in iniuria quæ fit rei sacræ, prout à persona sacra, loco & tempore sacro (ex quibus antememoratæ sacrilegij species cõstituuntur) distinguitur: quo modo quædam res dicitur sacra, qua sanctitatem efficit, vt sacramenta: quædam vero, quia est rerum sacrarum administrandarum instrumentum: vt vestes, vasa, & ornamenta sacra: quædam autem quia significat quidpiam sacrum, vt verbum diuinum: vnde dicuntur sacræ Scripturæ: quædam porro, quia res sacras repræsentat, vt imago Christi: quædam præterea, quia est particula sacrorum, vt reliquiæ, quædam demum quia dedicata est ad sustentationem sacrorum ministrorum vt bona Ecclesiarum.

Vnde ad eamdem quartam speciem pertinent. Primo omnis iniuria, & abusus sacramentorum, eorumque indigna administratio & perceptio: vt si quis scienter omittat in confessione aliquod peccatum suum mortale, de quo nondum est confessus: aut in malo statu sacrosanctam Eucharistiam sumat, & sic de aliis, quæ attingentur in sequenti tomo cum de sacramentis ipsis agetur. Secundo pertinet abusus verborum sacræ Scripturæ: siue ad stabiliendas hæreses, siue ad superstitiones, siue ad facetias & amatoria, de quo abusu statutum habetur in Concil. Trident. sess. 4. in fine his verbis. Posthæc temeritatem illam reprimere volens, *sancta supple Synodus*, qua ad prophana quæque conuertuntur, & torquentur verba & sententiæ sacræ Scripturæ: ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, & diabolicas incantationes, diuinationes, sortes, libellos etiam famosos: mandat & præcipit ad tollendam huiusmodi irreuerentiam & contemptum: ne de cætero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc & similia audeat vsurpare, vt omnes huius generis homines temeratores, & violatores verbi diuini, iuris & arbitrij pœnis, per Episcopum coerceantur. Hæc Concilium.

Pertinet tertio, mala tractatio vel confractio imaginum sacrarum: si fiat, vel vt Sancti per eas non colantur, vel ex ipsorum contemptu, prout fit ab hæreticis; vel si indecore pingantur aut sculpantur: maxime spectando lasciuiam mundanam: quæ in illis, sicut & in Ecclesiastico cantu, in primis damnatur. Pertinet quarto mala tractatio reliquiarum; qua, *vt non colantur*, indecore habentur, aut dissipantur.

Pertinet quinto abusus & violatio sacrorum vasorum & ornamentorum: vt si quis vtatur illis ad prophanum vsum: vt calice consecrato ad portandum in mensa: sicut fecit Balthasar vasis templi Ierosolymitani: aut ex vestibus sacris conficiat sibi caligas, aut thoraces sicut multi hæretici fecerunt. Pertinet sexto abusus eorum qui bona deputata sustentationi ministrorũ Ecclesiæ sibi vsurpant, siue illa mobilia sint siue immobilia: nam tales in multis canonib. 17. quæst. 4. dicuntur sacrilegi. In quorum numero esse censendi sunt, qui pecuniam legatam Ecclesiæ non soluunt: item qui decimas surripiunt vel detinent, 16. quæst. prima, cap. Decimæ.

Pertinet postremo irreuerentia omnis quæ committitur in recitando vel canendo officio diuino, obeundisque sacris ceremoniis, in quibus consistit adoratio externa, quæ corporis gestu Deo exhibetur. Aduerte enim, quod genuflexione, capitis apertione, & inclinatione, manuum aut pedum osculo, corporis in terram prostratione, aliisque similibus honorantes alios, testemur nostram submissionem, & alterius excellentiam. Cui si talis externa submissio deferatur intendendo testari ipsius diuinitatem, ea dicitur cultus latriæ, & est huius loci maxime propria: sin deferatur alicui tanquam amico Dei, dicitur cultus duliæ, & huc quoque spectat: sin demum vt viro sapienti, potenti, &c. dicitur cultus obseruantiæ politicæ, nec continetur ceremonia sacra de qua hic agitur.

Cæterum sicut non omnes res memoratæ, sunt eadem 58.
ratione sacræ (non enim dubium est quin sacramenta sint aliter sacra, quam vasa & vestes, quibus administrantur) ita nec sacrilegia omnia sunt eiusdem speciei, sed eiusdem solum generis: vnde ad declarationem illorum in confessione, requiritur vt attingatur materia ipsorum. Aduerte vero obiter, posse quidem inter easdem species numerari simoniam, qua res externo cultui Dei sacratæ violantur, cum venduntur & emuntur pro pecunia: ita vt tractatus illius adiungi huic potuerit: sed is in alium commodiorem locum differendus videtur: puta in sequentem librum 23. in quo agendum est de illicitis modis acquirendi.

Sacrilegium autem, peccatum esse mortale contingit tribus maxime modis. Primus est, quando procedit ex contemptu rei sacræ, vel cultus in quem ea referuntur cuiusmodi sunt hæreticorum sacrilegia; cum sacra vasa, & sacramenta, altaria, & templa, imagines, & reliquias Sanctorum violant, proterunt, vastant; Clericos aut Religiosos contumeliis afficiunt & male tractant.

Secundus est, cum in materia graui fit aliquid sponte, quod habet specialem repugnantiam cum rei sanctitate: vt cum habens votum castitatis fornicatur, aut in die festo longum opus seruile exercetur. Dico *in materia graui*: quia materiæ leuitas in hoc peccato sicut in aliis excusat à mortali. Dico item, *quod habet specialem repugnantiam*: quia cum generali repugnantia, est de se solum modo veniale. Sic enim sacrilegium quod in loco sacro committitur ineundo illic contractum illicitum aut detrahendo alicui censetur talia peccata aggrauare solum venialiter. Tertius est quando scienter aut ignorantia tantum crassa, fit aliqua notabilis iniuria rei sacræ: vt censetur fieri sacramento, male baptizando, male consecrando, male absoluendo à peccatis, ordinem suscipiendo in irregularitate, aut in excommunicatione.

Porro inter sacrilegos, excommunicationem ipso facto 59.
incurrunt Clericorum aut Monachorum percussores, per cap. Si quis suadente diabolo 17. quæst. 4. quod à nobis (vt iam ante monuimus) alias tractatum est satis fuse. Deinde qui gabellas, collectas, & alia id genus onera imponunt Clericis vel imposita exigunt aut exigi curant, absque Papæ concessione: cuius excommunicationis explicationem habes in præced. libro 9. cap. 16. Lege etiam Concil. Trident. sess. 22. cap. vndecimo. De reform. quoad bonorum Ecclesiasticorum piorumque locorum inuasores.

Postremo, qui effringunt ac simul spoliant Ecclesiam 60.
vel alium locum sacrum. Quæ excommunicatio habetur ex cap. Conquesti, De sententia excom. illiusque explicationem persequuntur Summularij in verbo Excommunicatio, Angelus in 5. §. casus sextus Sylvest. in 7. num. 16. Tabienſis in 5. casu sexto, Caietanus in cap. 21. Diuus item Anton. 3. par. tit. 24. cap. 12. ac Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 94. & latius præ cæteris Suarez *ad tertiam partem D. Thomæ tomo 5. disput. 22. sect. 2. num. 4. & aliquot sequentibus*. Vbi bene disputat, quod non modicam habet difficultatẽ, num sit excommunicatio lata ipso iure, an tantũ ferenda à Iudice. Pro praxi autem sufficit nobis commu-

nem

nem sententiam esse, vt idem notat, quod sit lata ipso iure. Vbi autem expressum habeatur eiusmodi ius, idem Suarez inquirens, aliquot canonum subtili discussione, tandem compellitur cum cæteris dicere, censendum sufficiēter expressum in proposito cap. Conquesti: in quo cum Summus Pontifex dicat, *excommunicatos nuntietis*, supponat latam excommunicationem. Licet enim verba ea indicent actionem per hominem exercendam: in rigore tamen important excommunicationem latam, qua innodati sint, qui præcipiuntur denuntiari excommunicati. Cum autem nō inueniatur lata in antiquioribus iuribus, Pontifex ipse existimandus est illam virtute, seu implicite ferre, eo ipso quod iubet prædictos criminosos denuntiari excommunicatos. Nec enim alienum est ab Ecclesiæ vsu, *inquit bene Suarez*, vt excommunicatio feratur expressione effectus eam supponentis; vt cum dicitur, si quis tale quid fecerit, nouerit se à communione fidelium alienum: aut cum eo cæteri non communicent. Et cum sit natura comparatum, vt causa præcedat effectum suum: certe hoc ipso quod excommunicationis denuntiatio ponitur, excommunicationem ipsam præcedere ponendum est, vtpote quam supponit tanquam causam suam.

Materiam eiusdem excommunicationis consistere in duabus actionibus: nempe in fractione Ecclesiarum, & in earumdem spoliatione habetur ex ipso cap. Conquesti: in quo Summus Pontifex dicit Excommunicatos denuntietis. Quos vero intelligat habetur ex narratione facti ibidem præcedentis cum dicitur. Quasdam Ecclesias violenter confregerunt, easque spoliare minime dubitarunt.

Aduerte autem primo, in vnaquaq; earumdem actionum, illam quantitatem sufficere ad excommunicationem, quæ suffecerit ad peccandum mortaliter in materia sacrilegii, quæ vix deest fractioni Ecclesiæ: vtpote quæ sit de se valde iniuriosa. Neque necessarium est ad id, vt Ecclesia spolietur omnibus bonis quæ in ea sunt, vel vt confractio plane enormis sit. Ita vt nomine spoliationis, *inquit Suarez num.* 11. hic intelligenda sit quælibet rapina vel furtum graue; & nomine confractionis quæuis violenta apertio Ecclesiæ, facta siue rumpendo murum, siue seras confringendo. Adde & siue suffodiendo parietem siue frangendo fenestram vitream, siue tectum perforando, siue cardines, aut alia quibus ostia tenentur firmata, reuellendo. Aduerte secundo, quod authores supra memorati annotant & ante eos Panormit. post glossam ad idem cap. Conquesti, vtramque propositam actionem necessariam esse, nec alteruram sufficere ad incurrendam excommunicationem de qua agimus. Ratio sumitur ex coniunctione copulatiua, cum qua exprimi patet ex verbis ante relatis. Illa enim efficit, vt quæ dicuntur, intelligi debeant coniunctim; sicut disiunctiua, vt separatim.

Ex qua doctrina infertur primo, eum qui claue adulterina, aut surrepta, aut vi extorta reseruauerit Ecclesiam, etiamsi illam spoliet non incurrere in hanc censuram, quam esse omnium sententiam notat Nauar. loco cit. Ratioque est quia frangendi verbum in sua significatione includit violentiam, quæ non contingit aperiendo claue.

Infertur secundo, nec eum qui peruerso quidem animo effringendi & spoliandi adiit Ecclesiam; sed inuentam iam effractam, aut alia via apertam, spoliat, non enim est effractor actu externo cui imponitur proposita excōmunicatio, sed tantum voluntate. Hocque locum habet quantumuis ingressus frangat cistam in qua reconduntur res, aut frangat calicem vel imaginem vel vestem sacram, vt commodius asportet: quia talis fractio, licet graue peccatum sit, nō est tamen Ecclesiæ fractio, quæ punitur hac excommunicatione. Infertur tertio, Iudicem sæcularem frangentem fores Ecclesiæ, vt delinquentem in ea receptum extrahat, non incurrere in hanc censuram, quia licet sit fractor, non est tamen spoliator Ecclesiæ, cum nihil tollat de spectantibus ad ipsius dominium, etiamsi contra libertatem ipsius agat.

Infertur quarto, respondendum esse distinctione, ad dubium, An effringens & spolians sacristiam innodetur hac excommunicatione: nempe innodari, si sacristia ipsa sit coniuncta Ecclesiæ; non autem si sit disiuncta. Nam, *vt bene docet Suarez. loco citato*, coniuncta comprehenditur nomine Ecclesiæ, iuxta illud quod dicitur in cap. Si ciuitas, De sentent. excomm. in 6. cum interdicitur Ecclesia, eodem Ecclesiæ nomine venire capellam & cæmiterium contiguum Ecclesiæ. Inde enim intelligitur in materia censuræ, *licet odiosa*, nomen Ecclesiæ posse interpretatione ad cōtigua extendi, in ejusdem fauorem Ecclesiæ: cuius dignitas exigit vt contigua, statum illius sequantur. De disiunctis autem idem dicere nō est consentaneum; quia cum nihil determinetur de distantia, quantocumque spatio ea distarent ab Ecclesia, fractio aut spoliatio ipsorum censenda esset Ecclesiæ nomine comprehensa, quod rationi consentaneum non est; præsertim in materia valde odiosa, qualis est præsentis excommunicationis, reseruatæ Summo Pontifici.

Aduerte tertio, hic (*vt & in communi vsu*) nomen Ecclesiæ sumi quidem præcipue pro templo dicato, consecratoque Episcopi authoritate: extendi tamen ad monasteria, hospitalia, & alia loca per Episcopum consecrata prout ex Panormit. habet in eodem num. 94. Nauarrus, argumento cap. Adhæc, De religiosis domibus: vbi talia loca in eo æquiparantur Ecclesiis quod non debeant ad mundanos vsus transferri; quod etiam Suarez habet in seq. nu. 13. Ex quo in præced. num. 12. aduerte 4. ad actionem spoliationis Ecclesiæ non esse necessarium committere proprie dictum furtum vel rapinam, sed sufficere quocumque modo priuare Ecclesiam suis bonis, seu graue damnum illi in eis inferre: nam satis dicitur spoliare Ecclesiam qui licet res ipsius non efferat secum, eas tamen ibi destruit: vt qui ibi comminuit imagines, incendit vestes sacras aliaue id genus facit: etiamsi nihil exportet, nam spoliatio vera est, non modo facta per furtum & rapinam, sed etiam per quodcumque aliud genus iniuriæ. Si igitur cum fractione facta ad ingrediendum in Ecclesiam, coniungatur huius damnificatio in bonis ipsius pertinentibus ad vsum officiorum diuinorum, vel ad ornatum aut thesaurum ipsius, præsens excommunicatio incurritur.

Aduerte postremo excommunicationem istiusmodi, post denuntiationem eius, reseruatam esse Papæ per illa verba in ipso cap. Conquesti. Excommunicatos denuntietis, & faciatis sicut excommunicatos arctius vitari, donec Apostolico se conspectui præsentent. Ante denuntiationem vero non esse, reseruatam insinuat Caiet. in fine citati cap. 21. & teneri potest per benignam interpretationem propositi capituli: cuius verba proxime relata continent quidem latam excōmunicationis sententiam, prout dictum est antea: sic tamen vt aperte iudicent reseruationi Papali præexigi denuntiationem; quandoquidem non simpliciter excommunicatos, sed denuntiatos Pontifex mandat vitari donec conspectui se Apostolico præsentent: ad absolutionem scilicet à tali vinculo cōsequendam. Videri potest Suarez loco citato num. 14.

CAPVT VLTIMVM.

De priuilegiis, & iuribus clericorum tanquam ministrorum diuini cultus externi publici.

DE priuilegiis, & iuribus Clericorum dicendi hoc loco ratio datur: non modo quod eorum notitia faciat ad plenam rationem iudicandi de peccato sacrilegij: sed etiam quia & ipsa sunt de numero eorum, quæ ad externum Dei cultum publicum instituta esse censentur, tanquam leuamina onerum in tali cultu subeundorum à Clericis ad illum deputatis: quemadmodum nomen eorum indicat. Dicuntur enim Clerici à nomine Græco κλῆρος quod sortem vel hæreditatem significat: eo quod (*vt ex Isidoro habetur distinct. 21. cap. 2. & ex D. Hieronymo 12. quæst. 1. cap. Cleritus, & cap. Duo sunt*) tanquam ij, qui ad sortem seu hæreditatem Domini IESV spectant: vtpote qui diuino cultui consecrati, procurandarum ad idem cultum spectantium rerum sacrarum solicitudinem susceperint.

Propo-

Proponemus autem primo, priuilegia ipsa Clericorum. Deindealiquid dicemus de eorum iuribus, quæ vocari solent beneficia Ecclesiastica: & demum de iis quæ decimarum nomine intelliguntur.

SECTIO I.

De Priuilegiis Clericorum.

SVMMARIVM.

61 *Priuilegia Clericorũ quædam sunt canonis, & quædam fori.*
62 *Quæ sint prioris generis.*
63 *Quæ posterioris generis.*
64 *Talibus priuilegiis Clericus renuntiare non potest.*
65 *In tribus casibus Clericus in manibus laici iurare non potest.*
66 *Clericus vocans in ius, coram Iudice laico alium Clericum peccat mortaliter; & quando de Iudice iudicante vocatum, idem sit dicendum.*
67 *Talia priuilegia nulla lege aut consuetudine tolli possunt sine Papæ authoritate.*
68 *Neque item præscriptione etiam longissimi temporis.*
69 *Papa non potest cum laicis dispensare circa priuilegia, exemptiones, & immunitates Clericorum sine horum consensu.*
70 *Casus aliqui excepti.*

61. PRiuilegia plurima sunt istiusmodi: quæ omnia Concilium Trident. in sess. vltima cap. 20. De reformat. innouat. Reuocantur vero ad duo genera, nam quædam sunt spiritalia, quæ cum spectent ad ius canonicum, dici solent priuilegia canonis: quædã vero temporalia, nempe immunitates & exemptiones à iudiciis, muneribus, & oneribus ciuilibus, quæ ex eo quod spectent ad forum ciuile, dicuntur priuilegia fori.

62. Prioris generis autem quædam ad bonorum acquisitionem spectãt; vt quod soli Clerici possint beneficia Ecclesiastica habere ex cap. Cum adeo, De rescript. & ex cap. Literis, De transact. & ex cap. 2. De institutionibus. Item quod soli possint habere officium Ecclesiasticum vel iurisdictionem seu potestatem aliquid statuendi in Ecclesia ex cap. In noua actione, & ex cap. Non placuit 16. quæst. 7. & ex cap. Decernimus, De iudiciis. Quædam autem spectant ad malorum depulsionem: vt illud, quo in cap. Si quis suadente diabolo 17. quæst. 4. subiicitur is excommunicationi, qui in Clericum violentas manus iniecerit.

63. Posterioris generis vero sunt illa, quibus eidem censuræ, aliisque pœnis subiiciuntur, qui derogant Clericorum priuilegiis & immunitatibus. Talia, quantum huic instituto sufficere videbatur, tractata sunt antea lib. 13. numer. 219. & pluribus in præced. lib. nono, in expositione canon. decimi quarti, & sequentium Bullæ Cœnæ Domini.

64. Meminisse autem debent Clerici non esse sibi liberum, renuntiando talibus priuilegiis, se subiicere laico iudici: ex cap. Si diligenti, De foro competenti; vbi ratio tangitur, quod ea indulta sunt non quidem personis priuatim, sed communiter toti ordini clericali: neque priuatorum pacto derogetur iuri communi: vnde fit, vt talis renuntiatio illicita sit & inualida, etiamsi firmata sit iuramento: quod non obligat: quoniam illa sine peccato seruari nequit ex eodem cap. Si diligenti.

65. Adde neque esse illis permissum iurare in manibus laici, ex cap. penult. 22. quæst. 5. Quod in præced. libro 18. num. 17. annotauimus, verum esse solummodo in tribus casibus, quorum primus est; cum iuramentum exigitur præstandum laico tanquam superiori. Alter, cum exigitur iuramentum calumniæ. De quo dictum est in præced. libro 18. cap. 8. sectione posteriore. Tertius casus est, cum in actu testificandi iuramentum exigitur, de quo vide dicta in memorato num. 17.

66. Adde quoque ex citato cap. Si diligenti, & ex cap. Inolita, & ex cap. Placuit 11. quæst. 1. non esse licitum Clerico vocare in ius alium Clericum coram Iudice laico: idque esse peccatum mortale tam in Clerico vocante, quam in Iudice iudicante, *prout Syluest. in verbo Iudex, 1. quæst. 2. num. 3. notat*; & ostendunt pœnæ graues, quas iidem canones statuunt, ob ipsum imponẽdas, tum amissionis eius quod euictum fuerit tali iudicio, tum depositionis à suo loco seu gradu dignitatis, tum demum excommunicationis. Quas tamen pœnas aduerte non incurri ante condemnationem Iudicis, *vt notat glossa ad citatum cap. Si diligenti, verbo. Causam perdant*: Neque eas in Iudice laico (quod addit Syluest. in sequenti num. 4.) habere locum: tum quando Clericus iudicãdus tradi.us fuerit curiæ sæculari: tum quando ad tale iudicium interuenerit Episcopalis authoritas, vel alterius qui in Clericum iudicandum habuerit iurisdictionem quasi Episcopalem; tum demum in casibus exceptis, de quibus egimus in præced. libro 9. *in explicatione 15. excommunicationis bullæ Cœnæ Domini notab. tertio seu num. 351.*

Nota vero, quod etsi olim Iudex laicus potuerit Clericum ad suum forum trahere de licentia Episcopi, iuxta cap. Clericum 11. quæst. 1. id tamen, *vt ibidem glossa finalis notat*, iam reuocatum est per cap. Si diligenti, De foro competenti. Nihilominus quando Ecclesiasticus (cui eiusmodi licentia dari permittitur in cap. Significasti, eod. tit.) non adest satis idoneus, potest adhuc Episcopus laicum constituere Iudicem delegatum (*non item Ordinarium*) in causa sui Clerici mere temporali ex glossa ad cap. 2. De iudiciis, *verbo Non præsumant*. Ratio esse potest tum necessitas vrgens; tum quod prohibitio dandi talem licentiam fuerit tantum vt laici impedirentur sibi assumere tractationem spiritalium, prout eadem glossa insinuat cc.-gruenter eidem capitulo.

Cæterum proposita priuilegia nulla lege, vel con- 67.
dine posse tolli sine Papæ authoritate, habetur ex cap. Clerici, De iudiciis. Ratioque est, quia tam lex, quam consuetudo irrationabilis, nullam habet vim: quãdoquidem, *vt D. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 4 notat*, lex habens vim, accipit eam à lege æterna, à qua deriuatur, iuxta illud Proue. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Irrationabilis autem non deriuatur à lege æterna, vt manifestum est. Iam quod ea, de qua loquimur, lex vel consuetudo irrationabilis censenda sit, patet ex eo, quod nequeat seruari sine peccato mortali, eoque tam graui, vt pro illo excommunicatio ipso facto incurrenda sit, imposita per cap. Nouerit. De sententia excommunicationis, & canonem 15. Bullæ Cœnæ Domini.

Neq; opponi potest legitima præscriptio, ex qua con- 68.
suetudo vim acceperit. Nam talis hequit hic locum habere. Primo enim debet in ea, *ex cap. finali, De præscriptionibus*, esse bona fides; quam certum est abesse in casu proposito: in quo ageretur, & contra ius tam ciuile quam canonicum, & contra communem Ecclesiæ praxim. Debet præterea esse iustus titulus, *ex cap. Si diligenti, De præscriptionibus*: quem laicus aduersus priuilegia Clericorum habere non potest, vsurpatione bonæ fidei, & longissimi temporis; quoniam talis communi iuri repugnat, iniustaque est notorie, ac proinde iustum titulum dare nequit. Videri potest glossa ibidem, verbo, Iustus titulus. Nec item potest habere Clericorũ donatione sine authoritate Papæ: quoniam ea nihil valet, etiamsi interuenerit iuramentum, ex cap. Si diligenti, De foro competenti. Et ita in cap. Causam, De præscriptionibus, statuitur, nulla præscriptione temporis vel concessione Ecclesiasticæ, aut sæcularis personæ, posse laicis decimas detinere. Quodque dicitur de decimis, pari ratione dicendum est de cæteris rebus Ecclesiasticis: nempe laicos contra priuilegia Clericorum eas præscribere non posse: atque non aliter, quam per priuilegium seu dispensationem Papæ detinere posse. Postremo debet præscriptio esse cum possessione quieta non interrupta, ex cap. Sanctorum, & cap. Illud, De præscript. qualem laici violantes priuilegia Clericorum prætendere nõ possunt: cum quotannis per Bullam Cœnæ Domini Ecclesia illis resistat, fulminando in eos seuerissimam excommunicationis sententiam.

Superest monendũ vt Papa legitime cum laicis dispen- 69.
set circa priuilegia Clericorum, requiri horum cõsensum, quando illa fuerint aliquo modo iuris diuini; vt censen-

tur

tur immunitates & exemptiones Clericis ipsis concessæ ab Imperatoribus, aut ab aliis Christianis Principibus in suis terris. Nam quod in rebus temporalibus contingit, vt quamuis eæ humano iure acquirantur, tamen acquisitæ nō possint à Domino non consentiente tolli sine ipsius iniuria, diuino iure prohibita. Ita licet priuilegia Clericorum, quæ exemptiones & immunitates dicuntur, prouenerint ipsis beneficio Christianorum Principum, postquam tamen data sunt, non possunt sine sacrilegio (*quod peccatum est diuino iuri aperte repugnans*) ab eis auferri: prout habetur ex multis canonibus 12.q.2.

Et certe recta ratio dictat (*& ideo ius diuinum naturale*) illud quod omnes tangit, debere ab omnibus approbari. Vnde idipsum pro regula habetur de regulis iuris, in sexto, regula 29. Itaque ad excusationem à tali peccato, oportet cum Papæ consensu, quem ius canonicum requirit, concurrere consensum Clericorum, quorum interest, tanquam iure diuino requisitum; & vt ea in re cesset iniuria; iuxta illud, Scienti & consentienti non fit iniuria neque dolus; quod habet regula 27. iuris in 6. Satis esse vero vt consensus sit debitus, licet non sit expressus; argumento est, quod Summus Pontifex, *quando Ecclesiæ necessitas, aut ipsorum Clericorum culpa exegerit*, possit eis etiam nolentibus derogare in talibus priuilegiis. Sic enim multi dantur casus, in quibus Clerici criminosi, in iure canonico illis priuantur. Eos proposuimus, & quantum sufficere videbatur huic instituto, exposuimus: tum lib. 9. in explicatione canonis vltimi Bullæ Cœnæ Domini notab. 4. tum in explicatione cap. Si quis suadente Diabolo 17. quæst. 4. tradita in appendice ad primum librum primæ partis cap. 18. sub finem.

70. Sunt autem isti: Primus, cum Clericus fuerit degradatus, aut depositus realiter. Secundus, cum initiatus fuerit tantum prima tonsura, aut minoribus ordinibus: etsi enim priuilegio canonis gaudere possit (quod à Congregatione Cardinalium responsum esse bene testatur Paulus Comitolus in lib. 6. Responsionum Moral. quæst. 20. num. 2.) non tamen priuilegio fori ex Concil. Triden. sess. 23. cap. 6. De reformatione, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat aut habitum & tonsuram clericalem gerens, alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inseruiat, aut in Clericorum seminario, aut in aliqua schola vel vniuersitate de eiusdem licentia versetur tanquam ad maiores ordines promouendus. Tertius, cum Clericus se facit ioculatorem. Quartus, cum se miscet enormitatibus. Quintus, cum inuenitur in flagranti delicto, vel in illius præsenti periculo. Sextus, cum est bigamus, hoc est, qui vel viduam duxerit, vel secundam vxorem virginem, sicut priorem. Septimus, cum neq; tonsura, neque vestium genere quidquam præ se fert de clericatu, nec tertio monitus ab Episcopo se emendat. Octauus, cum coniugatus, aut cœlebs quidem, sed incedens vt laicus, sine tonsura & habitu clericali exercet officia macellariorum, tabernariorum, & similia Clericis prohibita, nec ter etiam monitus se emendat. Nonus. cum post crimen commissum effectus est Clericus in fraudem, vt effugeret iudicium sæculare. Decimus, cum impune debaccharetur in cædem laicorum, nec ipsius superior Ecclesiasticus vellet remedium adhibere.

Sectio II.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

SVMMARIVM.

72 *Agentes de beneficiis Ecclesiasticis.*
73 *De nomine beneficii quod ad res Ecclesiasticas translatum sit à sæculari militia.*
74 *Vnde cœperint Ecclesiastica beneficia.*
75 *Quatenus beneficia sunt instituta iure humano.*
76 *Quatenus diuino.*
78 *Licitum est Ecclesiam esse opulentam: nec licet laico earum bona vsurpare, eo quod Ecclesiastici illis male vtantur.*
78 *Explicatio eius quod in definitione beneficii dicitur, ipsum esse ius percipiendi bona Ecclesiastica.*
79 *Explicatio eius quod in eadem sequitur, toto vitæ tempore constitutum ab Ecclesia.*
80 *Explicatio reliquorum quæ in eadem habentur.*
81 *Pensio clericalis non est beneficium, & modi quibus cognosci potest ius ad bona Ecclesiastica, esse proprie beneficium.*
82 *Diuisio beneficii Ecclesiastici in suas species.*

DE his in iure canonico, pauca quidem apud Gratianum habentur, & satis confuse causa 1. quæst. 2. & 3. & causa 21. quæst. 1. & 2. sed in aliis libris eiusdem iuris, multi sunt tituli, qui ad ea pertinent: vt De electione, De iure patronatus, De præbendis, De concessione præbendæ, aliquotque alii quos quisque per se facile obseruare poterit. Præter eiusdem iuris interpretes & Summularios plenam de illis tractationem instituunt Ioannes de Selua in tractatu quadripartito quem inscripsit de beneficiis, & Rebuffus, qui composuit praxim beneficiorum, Corasius, qui paraphrasim in vniuersam sacerdotiorum & beneficiorum materiam quatuor partibus distinctam elaborauit: quibus ex recentioribus accesserunt tum alij, tum Petrus Gregorius in lib. 17. Syntagmatum iuris, & in lib. 1. Partitionum iuris canonici tit. 27. 28. & 29. tum ex nostris, Ioannes Azor in 2. parte Moral. Instit. à libro tertio ad decimū, latissima tractatione: breuiore vero, Leon. Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 34. Nos ea ex quibus pendet iudicium de peccatis, differemus in sequentē tomum, in quo cum dicetur de sacramento ordinis, illa erunt tractanda; tanquam scitu necessaria ad plene ferendum iudicium de peccatis initiatorum ipso ordinis sacramento: contenti hic attigisse, quæ spectant ad illa quoad se; vnde intelligatur, quod est huius loci proprium; ipsa de se sufficientem sacrilegij materiam esse. Ac quæ se offerunt in præsentiarum considerandā sunt nomen, origo, propria ratio seu natura, & varietas beneficiorum Ecclesiasticorum. 72.

De nomine §. 1.

BEneficij nomen generaliter significat gratiam, aut munus seu benefactum alteri collatum: vsu autem receptum est, vt etiam absolute prolatum, sumatur pro iure percipiendi prouentum, seu certam portionem bonorum Ecclesiæ, propter ministerium Ecclesiasticum: nonnunquam etiam pro ipso prouentu. 73.

Translatum fuit vero ad res Ecclesiasticas, à sæculari militia, prout Azor tradit in memorato lib. 3. cap. 1. q. 1. Olim enim indulgentia Principis prædia quædam ac possessiones militibus emeritis tribuebantur (prout intelligitur ex tribus diuersorum Imperatorum constitutionibus, quæ habentur in lib. 11. Codicis, titulo 59.) vt cæteri eo beneficio allecti, & deuincti, animosiores ad tutādam Rempub. redderentur. Eum ergo morem imitati pastores Ecclesiastici, prædia possessionesque ob ministerium Ecclesiæ singulis ministris adscriptas, vocauerunt beneficia; ob magnam quam cum militaribus illis beneficiis affinitatem habere cernebantur. Nam dantur ad cœlestem militiam destinatis, *qualis sunt Clerici, iuxta cap. Christianis, 11. quæst. 1.* sicut illa dabātur destinatis ad militiam terrenam; & sicut militaria beneficia de bonis publicis authoritate Principis constituta, dabantur gratis solis militibus: sic etiam beneficia Ecclesiastica, ex Ecclesiæ bonis, *quæ erant olim communia*, instituta à Papa, vel ab Episcopo, debent gratis dari solis Clericis.

De origine beneficiorum Ecclesiasticorum §. 2.

DVo hic occurrunt docenda. Alterum vnde cœperint Ecclesiastica beneficia. Alterum, quo iure instituta sint. Ac de priori notandum est; initio nascentis Ecclesiæ Christianos Ierosolymis cœpisse simul viuere, collataque in commune substantia sua, tantum cuique tributum esse, quantum ei sufficeret ex cap. 1. Actuum Apostolorum: etiamsi alicubi nonnulli propria retinuerint prout intelligitur ex cap. 9. posterioris ad Corinth. Quod etiam laici postea communiter fecerunt, & soli Clerici vixerunt in communi sub cura & obedientia Episcoporum, prout 74.

colligi-

colligitur ex causa duodecima quæst. 1. per aliquot Canones, & ex Canone 39. Apostolorum. Atq; tandem ipsi etiam Clerici in communi viuere desierunt: indeq; factum est vt singulis ad sustentationem suam portiones assignarentur ex decimis & oblationibus, alijsq; bonis, quibus Principes & alij fideles pro sua in Deum pietate dotarunt Ecclesias: attribuendo eis reditus, castra, villas, & oppida cum suis prædijs: cuiusmodi portiones appellatæ sunt nomine beneficiorū, propter rationem in præcedenti §. allatam. Ex quibus satis patet prius propositum.

75. Posterius autem distinctione explicatur: nam in beneficio spectare possumus primo, ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ ob Ecclesiasticum officium; quale est administrandi Sacramenta, celebrandi Missam, canendi in choro, dicendi horas canonicas, vel exhibendi aliud ministerium in Ecclesia institutum, siue à Christo, siue ab Apostolis, siue à Papa, siue à Concilijs. Spectare possumus secundo prædia & alia bona Ecclesiæ, ex quibus fructus quotannis percipiuntur. Qua posteriori consideratione, dubium non est beneficia instituta esse iure tantum humano. Quod enim Ecclesia talia prædia & bona habeat, tantum est ex eo quod Pontificum supernaturali authoritate, & de Principum & populi consensu ea facta sint sacra seu religiosa, ac spiritualibus annexa, tanquam sacris vsibus diuinisq; ministerijs (*vnde dicuntur bona Dei*) destinata: siue ad templorum fabricam & ornatum; siue ad Clericorum Dei ministrorum sustentationem, & splendorem dignitati cuiusque conuenientem. Ad instar scilicet veteris legis, in qua ex Dei præcepto decimæ & primitiæ soluebantur Leuitis in eundem finem, *ex cap. 18. Numer sub finem, & ex cap. item 18. Deuter. in principio, & ex cap. 44. Ezechielis sub finem*; adeo vt eiusmodi prædia & bona censenda sint spiritalia, perinde ac decimæ & oblationes; cum similiter instituta sint in subsidium & alimentum ministrorum Dei.

Quod vero Canonistæ talia appellant bona temporalia, non alia ratione admittendum est, quam quod etiamsi bona sint sacra, quatenus authoritate Ecclesiæ destinata sunt vsibus sacris & diuinis: interdum tamen bona sunt habentia annexam iurisdictionem & gubernationem temporalem, quæ per laicos ex commissione Prælatorum eam habentium, solet exerceri.

76. Priori ergo consideratione beneficia instituta sunt iure diuino, eoq; naturali. Nam ratio naturalis dictat, vt Deum esse, ita & colendum esse: tum precibus, tum etiam publicis muneribus, id est, sacrificijs in recognitionem summæ omnium maiestatis, omnia gubernantis; & ad actionem gratiarum pro liberalissime ab eo acceptis immensis beneficijs, atq; ad impetrationem depulsionis malorum nobis impendentium. Ad sacrificia autem requiruntur Sacerdotes tanquam personæ publicæ illis addictæ, iuxta §. Huius studij L. 1. ff. De iustitia & iure. Sacerdotibus vero de iure naturali suppeditandam esse annonam: argumento est, quod id factitatum sit, non tantum in vera religione, sed etiam in falsis; vt ex sacris etiam literis patet Genesis 47. vnde habetur Sacerdotes Ægypti nutritos fuisse publicis annonis; & Iudicum 17. vnde habetur quod Michas sicut sibi fecit idolum; ita quoque sibi Sacerdotem constituisse, eique dedisse in stipendium 10. argenteos cum duplici veste & annuo victu. Et certe negari non potest de iure naturali esse, vt iuxta Apostolum in priori ad Corinth. capit. 9. qui altari deseruiunt, de altari viuant. Pro quo facit cap. Cum secundum Apostolum, De præbendis. Procedit autem solum quoad portionem necessariam ad ministri sustentationem: nam quoad portionem quæ vltra eandem sustentationem est, Ecclesiastica beneficia non videntur alio iure, quam Ecclesiastico instituta.

77. Quam institutionem nihil est quod quis reprehendat. Etenim collegia Ecclesiastica non debent deterioris conditionis esse quam ciuitates: cum summa sit ratio ea, quæ pro religione facit, ex lege, Sunt personæ, ff. De rebus religiosis, & sumptibus funerum, in fine. At ciuitates etiamsi iam sufficientissime habeant vnde se sustentent: possunt tamen acquirere, & retinere sibi relicta titulo hæreditatis vel legati, vel donationis: ex lege hæreditatis, Cod. De hæredibus instituendis. Ergo poterunt quoq; Ecclesiæ acquirere, voluntate relinquentium eis bona sua, in peccatorum suorum remissionem, & ad Dei obsequium & gloriam. Nec taliter acquisita, *cum sint Christi patrimonium ex cap. Cum ex eo, De elect. in 6. §. Alioquin*; debent propterea ab ipsa Ecclesia auferri per laicos eo nomine quod Ecclesiastici abutātur illis, quia cum principaliter donata sint ipsi Christo: penes ipsum est illorū dominium (*vt ibidem notat glossa ad verbum, Christi*) quod nō perdit propter Clericorum abusum. Ad confirmationem facit quod ex cap. Tua nobis, De decimis §. 2. in fine: non ideo Ecclesiæ defraudandæ sint decimarū præstatione; quod bonis earum Sacerdotes abutantur; quia non his sed Deo principaliter debitæ sunt decimæ, quas proinde soluere oportet ijs quibus iure diuino sunt attributæ.

De propria ratione seu natura beneficij Ecclesiastici. §. 3.

SVfficienter definitione hac declarari videtur propria ratio beneficij Ecclesiastici: vt sit ius percipiendi bona Ecclesiastica toto vitæ tempore, constitutū ab Ecclesia ad sustētationem propriam Clerici, ratione officij spiritualis cuius præstandi potestatem habet & obligationem.

Primo dicitur *Ius*, id est, iustus titulus, iustaue facultas ad 78.
indicandum reditus, seu prouentus annuos, vel eorundem perceptionem non esse beneficium: quia non sunt ius; sed potius quid proueniens ex iure, tanquam effectus eius, prout indicatur per illud quod in definitione sequitur, *percipiendi bona*, additum congruenter Capitulo, Delatum, De præbendis, ad excludenda iura seu titulos Ecclesiasticos, qui non habent coniunctos reditus: quales sunt tituli illorū, qui vocantur Episcopi titulares promoti ad Episcopatum existentem inter infideles, ex quo nullos fructus percepturi sunt. Item canonicatus illi, qui iuxta cap. Dilecto §. Procurator, De præbendis, non habent reditus, sed tantum expectant futuros; vnde vocantur gratiæ expectatiuæ; & à nonnullis canonicatus in spe: quos qui habent non sunt beneficiarij donec beneficium deputatū vacauerit, & illud acceptarint, argumento cap. Quodam, De præbendis in 6. & cap. finalis, De concessione præbendæ eodem lib. vbi dicuntur tantum habere ius ad rem non in re. Cæterum hic bonorum nomine comprehenduntur non tantum reditus, sed etiam iurisdictiones, & potestates temporales, priuilegia, immunitates & quodcunq; emolumentum eis annexum.

Tertio in definitione additur, *Ecclesiastica*, ad excludenda bona hæreditaria, & alia sæcularia quorum percipiendorum ius potest Clericus habere; atque ad iudicandas res pietate fideliū Deo oblatas: quæ Ecclesiæ autoritate destinatæ sunt ad sustentationem Clericorum Deo ipsi ministrantium. Vnde & dicuntur dicatæ, seu consecratæ in cultum, obsequium, & honorem Dei: quia scilicet, quod ministris Dei impenditur vt ministeria diuina obeant, Deo ipsi tribui censetur: dumque ad illorum alimentum dedicatur, ad sacros vsus dedicari reputatur. Pro quo facit cap. Si quis obiecerit 1. quæst. tertia.

Quarto ponitur, *toto vitæ tempore*, quia cum Ecclesiasticū 79.
beneficium detur propter speciale ministerium, ad quod Ecclesiæ ministri ordinātur pro tota sua vita, iuxta cap. penult. dist. 55 ipsum sane debet esse perpetuum. Quapropter temporalia iura non faciunt beneficium: ita vt Sacerdotes qui ab aliquo Principe aut monasterio, vel Ecclesia stipendium habent ad certum tempus, vt celebrent aliquas Missas, nō sunt censendi beneficiū habere: vt nec pueri aut adolescētes symphoniaci; quibus ita datur stipendiū, vt quando peruenerint ad maturiorem ætatem, illud eis auferatur. Vnde ipsos nec beneficiarios esse, nec teneri ad recitationem diuini officij notat Caiet. in Summula, verbo, Beneficiū, in fine. Ob eandem etiam causam dicendum est, Vicarium temporalem, administratorem, conseruatorem, aut commendatarium item temporalem, non habere beneficium; sed potius officium cum stipendio temporali.

Quinto subiungitur in definitione, *constitutum ab Ecclesia*, quia sine authoritate & institutione Episcopi non potest constitui beneficium: etiamsi quis reditus suos applicet Ecclesiæ ex cap. Ad hæc, De religiosis domibus, & ex cap. Cum laici, & ex cap. Nobis, De iure patronatus. Id quod procedit

etiamsi applicet pro Missis celebrandis, vel pro anniuersario, vel alio pio vsu, & id in perpetuum, ex Rebuffo in praxi beneficiorum 1.par.tit. Quare instituta sint beneficia, num.10. post Felinum ad cap. Ex parte 2. De rescriptis nu.2. Ad quod facit Cap. Nemo 1. De consecrat.dist.1.

80. Sexto additur, *ad sustentationem*, quia reditus Ecclesiastici non dantur pro officio spiritali tanquam pretium: quia id esset simonia, sed dantur tanquam alimentum ministri pro ipsius sustentatione; vt sic liberius inseruiat Deo. Vnde cum in cap. finali, De rescriptis, dicitur beneficium dari propter officium: vox *propter*, non significat pretium, sed finem & connexionem: quæ (iuxta antedicta in §. primo & secundo) est inter beneficium & officium.

Septimo additur, *propriam*, quia ius accipiendi reditus ad sustentationem aliorum, vt pauperum, non est beneficium; nec potest esse iuxta Clemen. 1. §. Vt autem; De iure patronatus. Ideoque rectores hospitalium non debent dici beneficiarij.

Octauo superadditur, *Clerici*, quoniam ea quæ dantur laicis, vt ea quæ Syluester in verbo. Beneficium 3. quæst. 4. meminit, alicubi dari nobilibus ratione paupertatis, aut seruitutis alicuius temporalis, nõ sunt proprie beneficia: cum laici non sint horum capaces, ex cap. Cum adeo, De rescriptis, & cap. Ex literis, De transactionibus: sed sunt præbendæ, seu pensiones laicæ. Ipsum autem Clerici nomen ita late accipiendum est, vt moniales, aliasq; fœminas religionem approbatam professas comprehendat, congruenter cap. Idemnitatibus, De electione in 6.

Penultimo ponitur, *ratione officij spiritualis*, quoniam illa quæ dantur propter temporale officium, non sunt Ecclesiastica, sed temporalia beneficia; vt stipendium Magistri de quo in cap. & 4. De magistris, & stipendium procuratoris: quo nomine intelligitur quilibet administrator externus rerum Ecclesiasticarum ex cap. Saluator, §. In nomine 1. quæst. tertia.

81. Vltimo demum ponitur, *cuius præstandi potestatem habet & obligationem*, vt excludantur pensiones Ecclesiasticæ, quæ non sunt beneficia Ecclesiastica, vt patet: tum quia pensio ad modum vsus fructus extinguitur mortuo pensionario; non autem vacat, sicut beneficium solet. Tum quia laicus capax est pensionis, non item beneficij. Tum quia beneficium est ius exigendi prouentus ob officium & ministerium spirituale, non item pensio; sed exigendi ob alias causas quæ multæ & variæ esse possunt.

Atq; ex hac declaratione propriæ rationis & naturæ beneficij, satis patet: tum quod diximus beneficium esse de numero eorum in quibus sacrilegium committi potest, tanquã in re Deo dicata: tum his modis (*quorum Azor alijs citatis meminit in 2.par.Moral. Instit.lib.3. cap.1 q.3.*) cognosci, quod ius ad bona Ecclesiastica, propriam rationem habeat beneficij. Primo quidem, si ille ad quem pertinet ipsum conferre, sit persona Ecclesiastica. Secundo, si Clerico tantũ debeat conferri. Tertio, si aliquid spiritualitatis annexum habeat, nempe si detur ob aliquod officium diuinũ. Quarto, si pure conferri debeat, & non sub conditione, nec cum pacto, nec pro officio & obsequio temporali. Postremo, si sit perpetuum, & ad vitam eius cui confertur.

De diuisione beneficij Ecclesiastici. §. 4.

82. IN hac tradenda à generalioribus procedere possumus hoc modo. Beneficium quoddam dicitur proprie, & quoddam improprie: illud est cui conuenit omni ex parte definitio exposita in præced. paragrapho: hoc vero; cui eadem definitio non conuenit omni ex parte. Atque proprie dictum beneficium, vel est regulare, quod datur solis religiosis, id est, votis religionis adstrictis, regulamq; aliquam professis: sæculare vero, quod datur non religiosis, ex cap. Cum de beneficio, De præbendis in 6. & ex Clem. vnica, De supplenda negligentia Prælatorum. Quod vtrumq; rursus vel est duplex, quod curam animarum & iurisdictionem habet adiunctam: vel simplex, quod neutram illarum habet adiunctam. Regularia simplicia sunt prioratus simplex, & canonicatus regularis. Duplicia vero, abbatia, Prioratus conuentualis & Prioratus clausralis. Sæcularia autem simplicia sunt, vt canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, canonicatus Collegiatæ Ecclesiæ, & capellania. Sæcularia vero duplicia, quędam sunt habentia curam animarum cum iurisdictione in personas Ecclesiasticas quoad forum externum, & cum titulo dignitatis: vt Papatus, Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus; & ex Papali priuilegio, tum Cardinalatus, tum aliquæ Abbatiæ, vel Prioratus sæculares. Quædam vero habent annexam curam animarũ, sed sine iurisdictione quoad forum externum, ac sine titulo dignitatis: vt Parrochiale beneficiũ, Vicaria Parrochialis perpetua. Quædam autem sunt cum illa iurisdictione quidem, ac cum titulo dignitatis; sed sine animarũ cura; vt aliqui Archidiaconatus, aliqui Decanatus seu Archipresbyteratus. Quædam demum sunt cum titulo dignitatis, sed sine iurisdictione in Clericos ac sine cura animarum: vt Thesaurariatus, Primiceriatus, Præcentoria, Scholarchatus.

Inter beneficia vero improprie dicta, ponuntur pensio clericalis, commenda ad tempus, coadiutoria, hospitale, & præbendæ quæ nonnullis dantur ad tempus. Cætera quæ ad beneficia ipsa Ecclesiastica spectant tradentur in sequẽti tomo cum de ordine: ea occasione, quod sint Clericorum propria, ex quibus pendeat ratio iudicandi de peccatis ipsorum. Clerici autem per Sacramentum ordinis ad suum illum clericalem statum promoueantur.

Sectio III.

De decimis oblationibus & primitijs.

SVMMARIVM.

83 *Quid & quotuplices sint decimæ.*
84 *Personales abierunt fere vbiq; in desuetudinem: non item prædiales & mixtæ: quæ quatenus iure diuino, & quatenus humano debeantur.*
85 *Oblationes dicuntur; tum generaliter, tum specialiter.*
86 *Quid sint primitiæ, & quo modo à decimis distinguantur.*
87 *Omnes laici fideles obligantur ad decimarũ solutionem: itemq; clerici quoad bona sua temporalia.*
88 *Quid quoad bona Ecclesiastica.*
89 *Debent solui decimæ clericis administrantibus populo spiritalia.*
90 *Nec obstabit quod diuites sint, aut mali.*
91 *Iuris decimarum capaces non sunt laici; quatuor tamen modis possunt ab eis fructus illarum percipi.*
92 *De modo percipiendi titulo feudi.*
93 *Tale feudum laicus in alium Laicum transferre non potest.*
94 *Quatenus possit laicus titulo consuetudinis licite percipere fructus decimarum.*
95 *Quatenus consuetudine obtineri possit, vt vna Ecclesia, aut vnus Clericus percipiat debitas alteri de iure communi.*
96 *Tribus modis potest quis liberari à solutione decimarum, quorum primus est priuilegium.*
97 *Reliqui consuetudo & præscriptio.*
98 *Quo tempore solui debeant decimæ.*
99 *De loco in quo debet fieri decimarum solutio.*
100 *Fructus indecimati non debent in horrea inferri sine consensu eorum quibus decimæ solui debent.*
101 *Modus quo soluendæ sunt decimæ.*
102 *Responsio ad difficultatem, An Parrochus possit negare Sacramenta nolentibus soluere decimas ab eis debitas.*

83. DEcimæ sunt pars decima fructuum, ministris Ecclesiæ ob spiritale ministerium ipsorum debita ex omnibus bonis frugiferis. De quo textus est in cap. Non est, De decimis §. 2. Distinguuntur vero in personales, prædiales, & mixtas: sumpta distinctione ex bonis, illis ex quibus debentur & soluẽdæ sunt. Personales sunt, quæ soluuntur ex acquisitis labore & operâ personæ, qualia sunt quæ proueniunt ex artificio, industriâ, scientiâ, militiâ, famulatu, venatione, negotiatione, alioue actu lucroso, dummodo licito: iuxta illud in cap. Ex transmissa eodem titulo. Fidelis homo de omnibus quæ licite potest acquirere, decimas erogare tenetur. Itemq; illud: quod ratio dictet eas ex illicite quæsitis, vt ex vsuris, spolijs iniquis, furtis, &c. nec solui nec recipi debere, ne alienum peccatum approbari videatur. Prædiales sunt, quæ debẽtur ex ijs, quæ nascuntur, aut quasi nascuntur ex prædijs; vt sunt fructus non tantum agrorum, vinearum,

oliuetorum, aliorumq; locorum arboribus frugiferis consitorum; sed etiam domorum elocatarum, molendinorum, & piscinarum, iuxta cap. Pastoralis eodem adhuc titulo: ita vt talia quoque, vt eiusmodi alia, ipsum nomen prædij comprehendat. Mixtæ sunt, debitæ ex ijs quæ partim ex prædijs, partim ex industria hominum proueniunt; vt quæ soluuntur ex animalibus, & eorum fœtu, lacte, & lana.

84. Inter quos eæ quæ personales sunt, iam fere vbique abierunt in desuetudinem, vt habet Nauarr. *in Echir. cap. 21. nu. 31.* Quod Ecclesiæ permissu censeri potest factum, ad vitandũ scandalum, quod videretur sequi, si homines eas ægrè soluentes compelleret: cum plerumque non essent magnæ: & tam multa sensim fuerint ei à fidelibus relicta, vt nulla videretur talium decimarum habenda ratio. Cæteræ autem decimæ adhuc debentur iure diuino & humano. Diuino quidem, quoad substantiam suam: nempe vt sunt sustentatio necessaria ministrorum rerum spiritalium. Iure humano vero, quoad quantitatem. Nam ministros ali ab ijs quibus ministrant, est de iure diuino naturali; quod autem ad sustentationem illorum contribuenda sit decima pars fructuum perceptorum ex rebus fructiferis, statutum est iure humano. Sicq; accipiendum est, quod in cap. In aliquibus §. finali. De decimis dicitur: decimas deberi lege diuina, vel loci consuetudine approbata. Indeq; colligendum est deceptos esse canonistas *quorum meminit Couar. in lib. 1. variar. resol. cap. 17. nu. 2.* cum putarunt decimas, etiam quoad quantitatem decimæ partis, esse de iure diuino. Si enim id ita esset, nulla humana lege aut consuetudine potuissent ea ex parte mutari: cuius contrarium memoratis verbis cap. In aliquibus, satis significatur: & receptus vsus abunde cõfirmat. Qua de re late Suarez disserit, *De religione tract. 2. libr. 1. cap. 9. & aliquot sequentibus.* Id quod tanquam scholastici instituti, relinquemus ei qui volet apud ipsum videndum: aut si prolixitas displiceat, apud Leon. Lessium *De iust. & iure lib. 2. cap. 39. dubit. 1. & 2.* præsertim cum, quidquid de eo sit, cõstet decimas tanquam institutas ad Dei cultum, de numero eorum esse, in quibus sacrilegium cõmittitur. Pro quo textus est expressus 16 quæst. 7. cap. Decimas 1.

85. Quod attinet ad oblationes: eæ dicuntur tum generaliter de omnibus quibus Deo & Ecclesiæ offeruntur aliqua, in cultum diuinum: tum specialiter de ijs quæ fiunt, siue ad imaginem, siue ad altare, siue in missa, *prout habet communis consuetudo*, ad manum Sacerdotis. Ex quibus, primo aut secundo modo factas pertinere de iure ad Ecclesiam in qua est imago vel altare, colligi potest ex capit. Pastoralis, De ijs quæ fiunt à Prælato. Factas autem tertio modo cedere in vsum Parochi, vel etiam Episcopi tunc celebrantis, aut alterius Sacerdotis ad cuius iurisdictionem altare pertinet. Ita enim consuetudo passim fert. Obligantur vero fideles ex bonis licite quæsitis oblationes facere: vel ob patriæ consuetudinem, vel ob Ecclesiæ suæ, aut Sacerdotis proprij necessitatem, vel legitimum Superioris præceptum, aliamve particularem causam; qualis est, votuisse Deo, aut promisisse sub iuramento alicuius rei talem oblationem. Ex quæsitis autem illicite, *vt per vsuram, aut oppressionem pauperum*, oblationes factæ non debent recipi, vt nec decimæ.

86. Quod attinet ad primitias, eæ dicuntur primi fructus agrorum & arborum, de quibus Deut. 26. Tolles de cunctis frugibus tuis & pones in cartallo. Atq; differunt à decimis: tum quod sint primi fructus, & decimæ, *vt ipsum nomen indicat*, sint pars decima fructuum; tum quod primitiæ Deo immediate offerantur in gratiarum actionem pro acceptis, ipsius diuino munere, terræ fructibus; deindeq; cedãt in vsum ministrorum Dei. Decimæ vero ijsdem ministris immediate dentur in stipẽdium sustentationis ob spiritale ministerium ipsorum.

Cæterum, præceptum quod memorata verba Deuteronomij continent, nunc non habet locum, cum sit ceremoniale; & ideo de numero eorum quæ in lege Euangelica censentur à Christo abolita. De iure autem canonico iuxta cap. Reuertimini, 16. qu. 1. & cap. 1. De decimis, tale aliquod præceptum in Ecclesia vigere censeretur, nisi consuetudo passim esset in contrarium, quæ illud tanquam humanum potuit abolere.

Porro de hac materia Canonistæ agunt ad titulum de decimis, primitijs & oblationibus; qui habetur non tantum in Decretalibus Gregorij: sed etiam in Sexto, & Clementinis, ac Extrauagantibus communibus. Agunt etiam Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 86. & 87.* Summulari item, verbo Decimæ, verbo Oblatio, & verbo Primitiæ: alijque plures, inter quos nonnulli speciales de ea tractatus instituerunt. Nouissime accessit Suarez in ante memorato libro primo in quo late adeo, & accurate eandem persequitur, vt vnus mihi sufficere posse videatur. Attingemus autem aliquot quæstiones de decimis, quarum explicatio facit ad rationem iudicãdi de peccatis nobis propositam, vixque potest commodius alio loco tradi.

QVÆSTIO I.

Qui obligentur ad decimarum solutionem.

AD hanc respondetur obligari omnes fideles, siue pau- 87.
peres sint siue diuites: & siue boni sint, siue mali: habẽtes aliquid proprium iuxta illud in cap. Extranssissa, De decimis. Fidelis homo de omnibus quæ licite potest acquirere, decimas erogare tenetur. Et ratio est: quia decimæ debentur in ordine ad spiritalium administrationem quę attinet ad omnes fideles. De Clericis autem peculiariter notandum est, respectu prædiorum quæ titulo patrimonij aliove non spiritali acquisierunt, ipsos perinde ac laicos obligari, prout D. Thomas *in cit. quæstio. 87. artic. 4 ad 1.* expressit. Et ratio est, quod talia prædia per se sint subiecta ei oneri: resque cum suo onere transeant ab vno ad alium: quem Clericum esse non laicum; tantum est accidentarium, ex cap. Ex literis De pignoribus.

Si obijcias quod in cap. Nouum genus, De decimis dici- 88.
tur. Nouum genus exactionis esse, vt Clerici à Clericis decimas accipiant. Respondetur *ex glossa 1. ibidem*, id intelligendum esse de dote Ecclesiæ, seu de prædijs Ecclesiasticis: de quibus decimas non deberi D. Thomas loco quoque citato expressit. Quod tamen ex Panormit. ad citatum capit. num. 6. limitandum est: vt non procedat, quoad prædia ex quibus decimæ erunt soluendæ alteri Ecclesiæ antiquiori: vbi rationem adfert, quod Ecclesia vniuersalis in nouo Testamento volendo distinguere iura Ecclesiarum, statuerit vt decimæ prædiales essent illius Ecclesiæ, in cuius parochia prædia sita sunt. Vnde cum habeant annexum onus illas soluendi; data transeunt ad accipientem cum eo onere ex cap. Pastoralis §. penult. eod. tit. præsertim cum non debeat Ecclesia ædificari de nouo, cum alterius Ecclesiæ præiudicio, iuxta textum expressum in cap. Si quis laicus, & duobus sequentibus 16. quæst. 1. Sicq; quod D. Thomas dicit, ex prædijs Ecclesiasticis non deberi decimas; intelligendum est de prædijs quæ antequam alicui Ecclesiæ darentur, nulli alteri Ecclesiæ debebantur ex eis decimæ.

Id quod de rigore verum est quidem: sententia tamen D. Thoma vsu & consuetudine recepta est, vt in citato libro 1. capite 17. in fine Suarez habet: allegans Couarruuiam, qui in libro 1. var. resolut. *cap. 17. num. 8. versu Secundo licet:* expressit talem consuetudinem in plerisque locis inualuisse. Veruntamen, vt ad memoratum D. Thomæ locum Caietanus annotat, & Suarez approbat, non est tali consuetudini locus, quando ob eam contingit, vt Ecclesia in qua sunt prædia, magnam (de qua re in dubio iudicare erit Superioris Prælati) patitur iacturam, in præiudicium ministrorum suorum aut fabricæ. Tunc enim rationabilis non est: ac proinde nec vim habet abrogandi Ecclesiasticum statutum, de talibus decimis soluendis.

Quod attinet ad monasteria, & pia loca: *nisi exempta sint aliquo ex modis proponendis in responsione ad tertiam quæstionem*, teneri ad prædialium decimarum solutionem habetur ex cap. Nuper De decimis: vbi decernitur vt Ciscercienses de terris post Concilium Lateranense sub Innocentio 3. celebratum acquirendis; soluant decimas Ecclesijs quibus antea soluebantur, etsi eas proprijs manibus colant; nisi aliter cum Ecclesijs ipsis componant.

QVÆSTIO II.

Quibus debeat fieri decimarum solutio.

89. AD hanc respondendum est, fieri debere Clericis, populo administrantibus spiritalia, vel in ea administratione iuuantibus ex illo enim debito seminandi spiritalia, consequitur ius metēdi temporalia, sufficientę ad sustentationem, quæ decimarum nomine significantur. Atq; olim cætui Clericorum in communi soluebantur & authoritate Prælati dabatur cuiq; quantum opus ei erat. Postquam autem Prælatos, nomine Ecclesiæ facta est bonorum eiusdem diuisio, erectis beneficiorum titulis, solutio decimarum facienda est singulis beneficiarijs, secundum eam portionem quæ attributa annexaq; est cuiusq; titulo: & ita in vsu esse videmus: quod ad cōfirmationem potest in hac re pro praxi sufficere. Illud autem à D. Thoma 2.2. *quæst.* 87. *art.* 3. insinuatum, decimas deberi tantū ijs qui curam habent animarum: interpretandum est de debito ex iustitia: secluſa enim memorata bonorum diuisione & erectione in titulos beneficiorum, Ecclesiæq; præcepto acceptato à populo, hic non tenetur lege iustitiæ alios Clericos sustentare, quam habentes curam animarum, & necessarios eorum adiutores: quamuis religionis & misericordiæ lege teneantur ad aliorum etiam ministrorū Ecclesiæ sustentationem contribuere: vt notat quoq; Leon. Lessius *de iust. & iure lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 17.

Cæterum hæc quidem locum habent in prædialibus decimis; sed de personalibus, *vbi non sunt abolitæ*, solui debere ei Ecclesiæ in qua suscipiuntur Sacramenta, definitum habetur in cap. Ad Apostolicæ, De decimis. Quoad mixtas vero seruanda est loci consuetudo, iuxta idem cap. in fine. Quæ si non sit manifesta consentaneum est, vt eæ diuidantur, inter Ecclesiam in qua suscipiuntur Sacramēta & eam in qua sunt prædia, in quibus animalia pascuntur, quando Ecclesiæ fuerint diuersæ.

90. Neque vero excusatio est à solutione decimarum quod Clerici quibus debētur sint diuites, aut quod sint mali, dummodo laborent in vtilitatem populi; quia decimæ non debentur Clericis: quia pauperes sunt aut quia boni: sed quia laborant pro populo. Quæ ratio locum habet in omnibus qui officio suo non desunt otiosi. Adde quod Christus Dominus iusserit tributum dari Cæsari infideli, & decimas sacerdotibus Iudæorum improbis: cum Matth. 22. dixit: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo:] prout explicant D. Hieronymus ibidem & D. Augustinus in libro quinquaginta homiliarum homil. 48.

QVÆSTIO III.

An laici possint percipere decimas, & quomodo possint.

91. RESpondendum est in decimis duo esse; ius nempe, & fructus: iusque per se & proprie competere solis Clericis, quia est aliquid spirituale: vtpote natum ex debito, quo populus spiritalium rerū ministris debet sustentationem: sicq; laicos non esse decimarum capaces, declaratur in capiti. Causam De præscript. & in cap. Adhæc De decimis. Fructus vero decimarum (iure prædicto perseuerante penes Clericum vel Ecclesiam) quatuor potissimum modis posse à laicis percipi. Ac primo iure conductionis, vel alterius contractus liciti. Nam sicut Clerici possunt fructus decimarum locare, ita etiam possunt laici eos conducere. Pro quo facit cap. Querelam. Ne Prælati vices suas. Secundo modo de concessione Episcopi. Potest enim Episcopus iusta de causa laicis bene de Ecclesiæ meritis; ad vitam, vel aliud certum tempus concedere, nonquidē ipsum ius percipiendi decimas, sed vt nomine Ecclesiæ fructus earum consequantur: prout communiter teneri cum glossa *ad cap Quamuis De decimis notat Couar. in lib.* 1. *variar. resolut. cap.* 17. *num.* 5. Idipsum annotans Suarez in memorato lib. primo cap. 26. sub initium: hanc rationem addit, quod id non inueniatur Episcopo prohibitum: vnde intelligitur ei conuenire per ordinariam suam potestatem: cum pertinere possit ad bonum regimen ordinariū Ecclesiæ suæ. Atq; ea ex parte, id in suo Episcopatu possit quod Papa in Ecclesia vniuersa, nisi impediatur aliqua Superioris prohibitione.

Tertio modo possunt fructus decimarum à laicis accipi titulo feudi: quo interdū Pontifices nobilibus viris concesserunt, *etiam in perpetuū* fructus decimarum ob merita eorum in Ecclesiam; & vt eam postea defendant. Potest autem id facere solus Papa: vt patet ex eo quod in cap. Quamuis De decimis statuitur his verbis: Statuimus vt si quis alicui laico in seculo remanenti Ecclesiam, decimam, oblationem ve cōcesserit: à statu suo, sicut arbor quæ inutiliter terram occupat, succidatur. Id quod intelligendum esse de concessione in feudum trāseuntem ad hæredes, habetur ex glossa ibidem, *ad verbum Concesserit*, Et colligi potest ex præcedenti cap. Adhæc iuxta quod decima iure hæreditario non potest laico concedi. Cuius prohibitionis iusta ratio potuit esse abusus & prodigalitas Prælatorum in concedendo laicis decimas iure perpetuo, in præiudicium cultus diuini. Illam autem non fuisse factam ante Concilium Lateranense sub Alexandro tertio: seu ante quingentos fere annos: sed Episcopum in sua diœcesi fructus decimarum in feudum etiam perpetuum dare potuisse laicis, videri potest late tractatum apud Couar. & Suarezium locis citatis. Idq; satis significatur; cum in cap. 2. §. Sane, de decimis in 6. declaratur, decimas laicis ante Concilium Lateranense in feudum concessas (intellige Episcopali authoritate: quam, *non autem Papalem*, idem Concilium restrinxit) posse ab ijsdem laicis alicui religioni, locove pio dari de licentia Episcopi. Inde enim sequitur laicos esse talium decimarum iustos possessores, ideoq; illis concessas fuisse sufficienti authoritate. 92.

Circa quam donationem à laico factam loco pio, aduerte, propterea ad eam merito requiri consensum illius Episcopi ad cuius Ecclesiam tales decimæ pertinebant, quoniam id præuideat eidem Ecclesiæ, quæ frustratur spe eas recuperandi: non esse tamen necessarium consensum Capituli habetur ex cap. Cum Apostolica, in fine, De his quæ fiunt à Prælato, &c. Vbi ratio tangitur: quod non censeatur in eo fieri alienatio, sed reuocatio rei Ecclesiasticæ à laico detentæ, ad vsum Ecclesiasticum.

Aduerte autem grauem difficultatem esse: an ijdem laici possint tale feudum in alios laicos trāsferre, etiamsi non sint successores ipsorum in recta linea. Quam Suarez tractans in cit. capit. 26. num. 7. in vtramq; partem authores refert. Etsi autem affirmans suam habeat probabilitatem; si tum Episcopi authoritas, tum iusta causa interueniat (vt patet per ea quæ idem consequenter ibidem adfert) negans tamen, *quam Panormit ad cap. Prohibemus, De decimis, tenens, ait esse communem Doctorum sententiam*: sequenda videtur in praxi ob has rationes, *quas habet quoque Lessius in citato cap.* 39. *nu.* 21. quod id cedere possit in Ecclesiæ præiudicium: præsertim si ille careat liberis: quandoquidem necessario decimæ ipsæ ad illā redire deberent. Deinde quod Episcopus in tali casu tantundem faciat, quam si daret feudum: quia secundus ille in quem feudum transfertur, efficitur feudatarius: nō quidem transferentis illud; sed Ecclesiæ; de cuius consensu si res nō fiat, nihil agitur. Consensum autem sufficientem nequit Episcopus præbere, vtpote Ecclesiæ prohibitione impeditus. 93.

Porro si dubium sit, an ante vel post memoratum Concilium laicis decimæ fuerint concessæ, inspicienda erit antiquitas possessionis. Nam si sit temporis immemorialis, seu cuius initium excedit memoriam hominum; præsumptionem maximam inducit concessioni factæ legitime ante id Concilium: aut certe Papæ priuilegio: etiamsi non adsit alia probatio. Pro qua re videndi sunt Couar. lib. 1. var. resolut. cap. 17. num. 5 §. Sed si dubitetur, & Suarez in sequenti cap. 27. num. 4.

Quarto deniq; modo, decimæ possunt à laicis accipi titulo consuetudinis: quod non debet sic intelligi, quasi detur cōsuetudo, quæ sola sua vi faciat licitam eiusmodi acceptionem. Nam ob incapacitatem laici, *de qua ante dictum est nu.* 91. ea constare potest tantum ex acceptionibus illicitis: vtpote quibus quis accipit id cuius incapax est. Quod intellige si accipiat proprio nomine, suoq; iure: non item si nomine Ecclesiæ ex aliqua legitima concessione; cuius testis sufficiens sit consuetudo, vt esse potest immemorialis iuxta illud quod habetur ex lege vlt. ff. De pluuia arcenda, vetustatem dare authoritatem, etiamsi ius non probetur. 94.

Quæ

Quæ cum ita sint, non alia ratione verum est titulo consuetudinis posse licite fructus decimarum accipi à laicis, quâ quod consuetudo immemorialis vim habeat sufficiētis probationis priuilegij, siue à Summo Pontifice, siue ab Episcopis (*ante Lateranense Concilium*) dari legitime: tanquam ea quæ credenda sit, *cum de contrario nihil constet*, virtute alicuius talis priuilegij inchoata, & continuata esse: quantumcunq; Scriptura de eo non inueniatur, nec alia probatio habeatur: quam diuturna fama, & opinio communis, quod acceptio illa fiat licite. Pro quo plures authores Suarez adfert in citato num. 4.

95. Apud eundem in præced. cap. 22. & in sequenti 30. relinquemus videndum tractatum, quatenus possit, aut non possit consuetudine obtineri, vt vna Ecclesia, aut vnus Clericus, percipiat decimas de iure communi alteri debitas. Possumus enim esse his paucis contenti, quibus dirigamur in iudicio nobis proposito.

Primum est: Consuetudine obtineri posse, vt decimæ prædiales non soluantur in Ecclesia vbi est prædium, sed in alia Parochiali. Hoc satis significant Pontificum responsa quibus statuunt in dubijs de tali re esse recurrendum ad consuetudinē, vt in cap. Cum sint homines, & in cap. Ad Apostolicæ, De decimus, & in cap. 1. de præscript. in fine. Quo argumento ad idem probandum D. Thomas vtitur 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 3. *ad* 2. Cui accedit ratio: quod consuetudo longi temporis vim habeat derogandi humano iuri, inducendiq; præscriptionem: quâ eodem iure disponente, dominia rerū mutantur, iuxta communem doctrinam de ipsa præscriptione traditam à nobis in præced. libr. 18. numer. 291. & aliquot sequentibus. An autem longum illud tempus sufficiat esse decem annorum, an vero requiratur vt sit 40. dubium est probabile in vtramq; partem. De quo videri potest Suarez in cit. cap. 22.

Secundum est: consuetudine præscripta, vnam Ecclesiam obtinere posse ius decimarum alterius, *vt monasterium, ius Ecclesiæ parochialis*, si illius oneribus in se susceptis, spiritalia administret populo. Hoc ex eo patet quod decimæ de se sint stipendia spiritalis ministerij, ideoque licite accipiantur ab obeuntibus illud, quasi ex officio: adeo vt longus vsus sic accipiendi constituere possit consuetudinem rationabilem, quâ legitime præscriptâ dominium acquiratur titulo præscriptionis.

Tertium est: Consuetudine non posse acquiri ius percipiendi decimas, separatim ab omni spiritali ministerio, vel obligatione ad illud. Ratio est, quia decimæ secluso priuilegio, aut concessione eius cui debentur, nequeunt iuste exigi per eum qui non ministrat spiritalia: cum intrinsecum sit decimis, stipendium esse ministerij spiritalis. In proposito autem casu, *vt supponitur*, exigens decimas ipsas, nullum suscipit in se onus administrandi spiritalia. Ergo iniuste (vtpote sibi indebitas) exigit: nisi id faciat concessione & nomine eius ad quem pertinent vel Papæ, aut Episcopi (*ante Concil. Lateran.*) dispensatione: *quam nos vocamus priuilegium*. Vnde in eodem casu consuetudo non potest plus respectu Clericorum, quam antea dictum est respectu laicorum: nempe non dare ius, aut titulum præscriptionis; quandoquidem nō potest per actiones iniustas priuilegij probationem præstare sufficientem ad reddendam conscientiam securam. Qua ex parte, vt aliquid in tali casu operetur, debet esse immemorialis perinde ac in casu laicorum, prout Suarez in fine citati cap. 30. ex eo confirmat, quod eiusmodi decimarum perceptio perinde sit contra ius commune respectu Clericorum, ac respectu laicorum.

QVÆSTIO IV.

An & quomodo possit quis liberari à solutione decimarum.

96. PRo responsione, dicendum est tres præcipuos modo dari, quibus potest quis eximi à solutione decimarum, secundum quantitatem quam Ecclesia determinauit: nempe priuilegium, consuetudinem, & præscriptionem. Cum enim per talia, induci possit liberatio ab obligatione legis humanæ, potest etiam exemptio à solutione decimarum, in quantitate quam Ecclesia determinauit: quandoquidem ea soluenda est iure tantum humano. Cæterum priuilegium tunc à tali solutione liberat, cum ipsum datur à Sede Apostolica; quia est quædam dispensatio in iure humano: quandoquidem in iure canonico communi facere, tantum est Summi Pontificis, cum adstringat cæteros omnes tanquam subditos, quibus incumbit parere. Quod si absq; iusta causa detur ab eodem Pontifice, valet: quia licet in eo peccet, non excedit tamen limites suæ potestatis. De qua re plenius Suarez in eodem lib. 1. cap. 15. qui etiam à sequenti cap. 18. adfert & explicat, quæ talia priuilegia habeantur ex iure communi: & in cap. 19. exponit dubia quæ possunt circa eiusmodi priuilegia moueri. De quibus tanquam solitis discuti in foro externo respondere, causidicorum est propriè.

Consuetudo autem liberare potest ab eâdem solutione, 97.
cum fuerit legitime præscripta & rationabilis. Talis enim, *ex cap. finali, De consuet.* Derogare potest legi humanæ: vnde cū solutio decimarum quoad quotam, sit de iure humano, vt ante habitum est, tolli poterit vi consuetudinis. Qua de re quoque lata Suarez in eodem lib. 1. cap. 12. Legitime autem præscripta in nostro casu censetur consuetudo, quæ 40. annis fuit in vsu. Tantum enim temporis in ea requiritur, vt detrahere possit iuri Ecclesiæ ex cap. penult. & vltimo 16. quæst. 4. & cap. Auditis, De præscript.

Neque videntur audiendi, qui decennium putant sufficere; tum quia talis consuetudo est in Ecclesiæ graue damnū: ideoq; temperanda. Tum quia nequit habere authoritatem legis Ecclesiasticæ, quæ existimari debeat obtinere vim abrogandi, nisi sit approbata à Papa, per consensum saltem tacitum: qui non potest prudenter præsumi in vsu temporis minoris eo, quod per sacros canones constitutum esse constat. Et ita statuit Suarez in eodem lib. cap. 12. Rationabilis autem est consuetudo, quæ iusta causa nititur, nulli diuinæ legi repugnans. Ad horum intelligentiam pleniorem videnda sunt tradita à nobis in præced. lib. 13. num. 241. & pluribus sequentibus.

Præscriptio vero à solutione decimarum liberare potest priuatum: in quo differt à consuetudine liberante communitatem, eo quod illius introducendæ causa esse non possit gestum à priuato aliquo: sed communitatis tantum vsus diuturnus. Quin autem præscriptio possit priuatum non modo Clericum, sed etiam laicum liberare à solutione decimarum, nihil est cur negetur; si habeat illud quod ad validitatem eius requiritur: nimirum possessionem bona fide continuatam, per tempus à iure præscriptum. Ipsam enim talem vim habere patet ex cap. De quarta, De præscript. vbi expressa quidem mentio tantum est de Clerico: sed laicus quoq; censeri potest capax talis liberationis; non minus quâ perceptionis fructuum, de qua ante dictum est. Quod additur in eodem cap. Tempus illud debere esse 40. annorum, vt in hac re sufficiat præscriptio id verum est, quando probari potest titulus qui possessori det causam præscribendi, prout patet ex cap. 1. De præscript. in sexto: ita vt alias, tempus immemoriale requiratur ad confirmationem: videndus Suarez in eod. lib. 1. cap. 12. & 13.

Porro quod dicitur priuilegium, consuetudinem, præscriptionem, liberare à solutione decimarum, non habet locum, quando ex alijs reditibus Ecclesiasticis non suppetit spiritualium ministris congrua sustentatio, quæ debetur eis iure naturali. Nam tali iuri tanquam diuino nequit humana authoritate derogari.

QVÆSTIO V.

Quo tempore, quo loco, ac quo modo solui debeant decimæ.

REsponsio communis est, vt habet Suarez in eodem lib. 98.
1. cap. 34. num 5. prædiales decimas (quæ iam fere solæ sunt in vsu) collectis fructibus, statim absque morali mora, solui debere, iuxta illud in cap. Cum homines, De decimis. Mandamus quatenus eos cogatis vt decimam statim collectis fructibus persoluant. Cui mandato accedit ratio, quia cum præceptum de soluendis decimis sit affirmatiuum, ideoque non obliget pro semper, determinandum fuit adimpletioni illius, certum tempus: quo accommodatius assignari non potuit, quam memoratum, quia maior commoditas soluendi tunc est, cum fructus habentur integri,

nec ex parte consumpti. Atque ex tunc Ecclesia incipit eorundem fructuum habere dominiũ, quoad partem soluendam decimæ nomine adeo vt non tradere eam statim & sine morali mora, sit retinere alienum: quod nunquam licet, inuito iuste Domino.

Hinc que sequitur quod si prædium pluries in anno ferat fructus,, & ideo plurium decimarũ solutio incumbat, iuxta textum expressum in cap. Ex parte 2. De decimis. Sequitur, inquam, non debere expectari finem anni ad soluendas simul omnes, sed singulas temporibus suis solui debere, statim ac fructus ipsi fuerint collecti. Quod Suarez notans in cap. 27. eiusdem lib. 1. num. 6. quædam de decimis ex fructibus animalium addit quoad tempus, in quo cadit obligatio soluendi eas: ac resoluit totum esse reuocandum ad consuetudinem, cum fuerit certa & immemorialis. Quæ si talis non detur, locus esse potest prudentum arbitrio: dummodo in eo curatum fuerit quantum potuit, vt ipsum esset conforme dispositioni iuris, neq; ab ea exorbitaret, consultumq; fuerit Ecclesiæ vtilitati.

99. De loco, in quo debet fieri solutio decimarum, duas sententias citatis eorum authoribus refert Suarez in sequenti num. 7. Prior est, eorum qui dixerunt fideles suis sumptibus debere illas deferre in horrea Clericorum. Posterior est, dicentium sufficere vt fideles facta fructuum collectione, moneãt Parochum vel alium, cui soluendæ sunt, vt faciat recipi & deferri, quia tempus adest percipiendi, ipsiq; sunt parati dare. Quidquid autem sit; sufficere potest nobis pro praxi dicere, quod in conscientia standum sit consuetudini legitimæ præscriptæ (ad quam Suarez in fine eiusdem capitis expressit sufficere tempus decem annorum, cum ius ei non resistat) secundum modum quo fuerit introducta: atque adeo si talis modus sit vt fideles deferant decimas, siue in horrea publica, siue in domos priuatas Clericorum: & siue sint cum paruis, siue cum magnis expensis deferendæ, id seruetur. Sin is sit, vt Clerici per se, aut suos procuratores decimas colligant, suisq; sumptibus domum deferant, satisfaciunt fideles obligationi soluendo petitas. Alias vero; seu cum de consuetudine sunt deferendæ in horrea publica, vel domos priuatas, tenentur fideles eas etiamsi non petantur, ad illa loca deferre: quia in iuste debitis, terminus satis interpellat pro creditore.

100. Admonet ibidem Suarez ex Couar. fructus indecimatos non esse in horrea mittendos sine scientia, & consensu Clericorum, quibus decimæ sunt soluendæ: quia ex regula 29. iuris in sexto, Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari. Fructuum autem indecimatorum delatio in horrea nõ tantum tangit laicos, sed etiam Clericos, ad quos decima eorum pertinet: cum ex ea prouenire possit, vt fraus ab ijsdem laicis fiat in præiudicium ipso Clericorum. Quod si hi admoniti, & certiores effecti nolint, aut negligentes sint tempore debito accedere ad accipiendum sibi debitas, non tenetur Dominus fructuũ eos in agro relinquere, sed potest omnes recondere, excepta decima, si consuetudo est eam relinquẽdi in agro, quando non accipitur suo tempore. Id quod idem adhuc ibidem habet ex Rebuffo.

De modo soluẽdi decimas illud peculiariter occurrit notandum: eas esse soluendas integras, prout expresse statuitur in cap. Tua nobis, De decimis: atq; adeo sine earum diminutione: siue pro sumptibus cõpensandis, siue pro tributis, seu pensionibus soluẽdis. Namq; non esse deducẽdas expensas, habetur expresse ex cap. Cum homines & ex cap. Pastoralis, & ex cap. Non est, eodem titulo. Deinde non esse deducenda tributa neque census debitos ex prædijs, expresse quoq; habetur ex cap. Cum non sit, eodem quoque titulo. Quia igitur præceptum solutionis decimarum non est simpliciter de ea facienda, sed de facienda tali modo, puta integra: illud violat non tantum qui non soluit, sed etiam qui nõ soluit integrè. Difficultates nonnullas quæ de eo moueri possunt tractat in eodem cap. Suarez, apud quem videndas relinquere possumus. 101.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Parochus possit negare Sacramenta ijs qui nolunt soluere decimas.

RESpondendum est: quod si tales titulum iustum habeãt recusandi, negare non possit, quia non peccant in eo. Si vero non habeant titulum iustum recusandi, neq; peccatum illorum est notorium; potest quidem repellere, non tamen ante condemnationem Iudicis: quia in propria causa nemo est Iudex: nec quisquam sine cognitione causæ potest priuari vsu iuris, in cuius possessione est non aperte iniusta. Quod si talium peccatum sit notorium, Parochus propria authoritate potest eiusmodi à Sacramentis repellere: vtpote quos palam constat indignos esse illorum participatione. Imo quantumcunq; peccatum sit occultum, debet talibus absolutionem sacramentalem negare, tanquam volentibus perseuerare in peccato mortali: quale esse nolentium soluere decimas debitas, satis patet: quandoquidem iniurioſum est notabiliter, tam Deo, quam ministris ipsius. Accedit quod Cõcilium Trid. sess. 25. cap. 12. De reform. præcipiat, vt qui decimas subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab eo crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur. 102.

* *
*

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI.

LIBER QVINTVS, ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVS.

DE IIS QVÆ PERTINENT AD SPECIALEM Rationem iudicandi de peccatis in ordine ad quartum Decalogi præceptum.

PRÆFATIO.

HActenvs Deo iuuante persecuti sumus rationem specialem iudicandi de peccatis habito respectu ad præcepta primæ tabulæ Decalogi. In secunda tabula primo loco offertur præceptum de honorandis parentibus datum Exod. 20. his verbis: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Ex quo iudicandi de peccatis ratio specialis continetur primo illius explicatione in vniuerso genere: secundo, declaratione obligationis mutuæ inter parentes, & filios: quorũ quatuor distinguuntur genera pro quadruplici nomine, quo ad quandã Dei similitudinem, alii præeminentes aliis, eorũ parentes esse censeri possunt: ac in primo genere sunt, qui alios secundum carnem procrearunt & aluerunt: in secundo, qui spiritualiter genuerunt in Christo spiritaliterque gubernant: vt Episcopi, & Curati, cæteriq animarum curam gerentes: in tertio, qui ciuiliter gubernant, vt Reges cæterique Principes, ac Magistratus temporales: in quarto, omnes alii qui curam aliorum gerunt, vt mariti, vxorum: magistri, discipulorum: tutores, & curatores, pupillorum: domini, seruorum. Quæ cum ita sint, distinguendus est hic liber aliquot capitibus, quorum primum sit de iis quæ in genere ad hoc præceptum pertinent. Reliqua de obligationibus adinuicem parentum & filiorum cuiusque generis ante memoratorum.

CAPVT I.

De iis quæ vniuerse spectant ad ipsum quartum Decalogi præceptum.

SVMMARIVM.

1 *Ratio cur quarto loco in Decalogo ponatur præceptum, de honorandis parentibus.*
2 *Quid sit quod iubetur per illud.*
3 *Qui parentum nomine in eo comprehendantur.*
4 *De præmio longæ vitæ quod eidem præcepto adiungitur.*
5 *Explicite quidem filiis tantum imponitur idem præceptum, sed implicite imponitur & patribus.*

Nu. 1. PRæceptvm de honoradis parentibus, quod quartum est ordine in Decalogo, merito primũ locum habet in secunda tabula. Cum enim omnia quæ in ea continentur, respiciant proximum; maxime autem omnium nobis proximi sint parentes, præceptum sane quod de eis honorandis traditur, præferendum fuit reliquis. Adde quod cum in præcedentibus primæ tabulæ præceptis actum sit de honore exhibendo Deo, qui principium est vniuersale omnium; proximum fuerit, vt ageretur de honore parentum qui sunt particulare nostrum principium. Id quod post D. Thom. 1.2. *quæst.* 100. *art.* 6. & 2.2 *quæst.* 122. *art.* 5. & Alexandrum Alensem 3. part. quæst. 33. de quarto præcepto, membro tertio, ar. 3. annotant D. Anton. 1. par. tit. 14. cap. 4. §. 5. & Sotus lib. 2. De iust. & iure, quæst. 4. art. 5. Concilium Colonienſe in expositione huius præcepti in principio: vbi dicitur conuenisse, vt post præcepta primæ tabulæ quibus ad Deum ordinamur præceptum de honorandis parentibus proxime sequeretur: cum illi nobis Dei loco sint hoc nomine, quod ab illis vitam acceperimus, & multa alia necessaria, in quo habent similitudinem cum Deo. Vnde, *vt Philo Iudæus in lib. De Decalogo dixit*, illi medij sunt inter Deum & alios proximos: & pietas quæ illis debetur admodum affinis est ei, quæ debetur Deo: siquidem vel Aristot. teste in lib. 8. Ethic. cap. vlt. Duo sunt quorum beneficiis nemo potest respondere: nimirum Deus & pater, cuius testimonij meminit D. Thom. in cit. quæst. 100. art. 7. ad 1.

Pro plena autem intelligentia sententiæ, quam istud idem præceptum continet. Notandum est primo, quod varie quidem soleat honor describi; sed hanc inter cæteras videri probandam illius descriptionem, quam ponit Alexand. Alensis in cit. quæst. 33. memb. 2. art. 2. & 3. in fine, cum ait: quod honor est protestatio præeminentiæ in exhibendo aliquid ei, qui honoratur. Hæc enim cæteris clarius aperit idem quo ipsius honoris formale consistit: pura in protestatione præeminentiæ: illud enim quod exhibetur, nempe beneficium, obsequium, obedientia, reuerentia, & aliud eiusmodi, materialiter tantum dici honor, vt idem Alexand. ait in memorato art. 3. Quod igitur hoc præcepto iubemur parentes honorare, idem est ac nos iuberi vt eorum præeminentiam, exhibitione aliqua protestemur; quænam vero illis sint exhibenda in hanc protestationem, quæve hic honor, qui parentibus tribuendus est, complectatur: diuersimode Doctores exprimunt. Placet autem quod ait Concil. Colon. in expositione huius præcepti (quod etiam Alexandrum Alensem secuti tradunt in verbo Filij, Sylu. num 25. Tabiena num. 17. ac Armilla in principio) talem honorem complecti tria: amorem scilicet, obedientiam, & reuerentiam: quæ parentibus non tantum affectu sed etiam reipsa & effectu exhibeantur. Qualiter vero hæc in particulari sint accipienda constabit ex postea dicendis. Nu. 2.

Notandum est secundò, *quod iam initio obiter attigimus*, parentũ nomine primo ac principaliter hic intelligi eos ex quibus sumus secundũ carnem geniti, vt Conc. Colon. & Catechism. Conc. Trid. editus exponunt: quib. cõsentit Nauar. in Ench. c. 14. n. 3. Intelliguntur deinde Ecclesiæ præsides & pastores ac Sacerdotes, vt habetur ex eisdẽ: q. etiam tradunt D. Anto. 1. *part. tit.* 14 *c.* 4. §. 6. & Alex. Alens. in cit. q. 33. memb. 1. art. vnic. Præterea cõprehenduntur ij qui potestatẽ habent sæcularem, & Rempub. gubernant ex Conc. Colon. & Catechismo Conci. Trid. ac D. Anton. & Nauar. in iisdem locis. Deniq; omnes qui nostri curã gerunt, patres nostri dicũtur: Nu. 3.

cuiusmodi sunt tutores, curatores, domini, magistri, & mariti, quoad vxores, iuxta eosdem authores. Quinetiam senes, & ætate prouecti suo modo patres dicuntur, vt notarunt Concil. Colon. & Catechismus Concilij Tridentin. D. Thom. quoque 2.2 *quæst.* 122. *art.* 5. *ad* 2. *& Sotus in* 2. *De iustit. & iure, quæst.* 4. *art.* 5. significant patriam & consanguineos appellatione parentum hic comprehendi: quod idem loco cit. tangit Nauarrus. Cæterum ad omnia prædicta parentum genera præceptum istud sic extenditur, vt honor debitus parentibus carnalibus sit regula, & mensura honoris, qui aliis omnibus debetur. Parentum vero carnalium nomine intellige non tantum patrem & matrem, sed etiam omnes ascendentes in recta linea, hoc est auum, & auiam, abauum & abauiam: proauum, & proauiam qui mediate nos secundum carnem genuerunt.

4. Notandum tertio, conuenienter huic præcepto de honorandis parentibus adiunctum fuisse præmium illis verbis, *vt sis longæuus super terram,*] cuius conuenientiæ rationes diuersæ videri possunt apud D. Thom. 1.2. quæst. 100. art. 7. ad 3. & Alexan. Alen. in eadem quæst. 33. memb. 3. art. 2. D. Anton. 1. par. tit. 14. cap. 4. §. 8. Vnam enim attigisse sufficeret; nempe ideo seruantibus hoc præceptum fuisse propositum eiusmodi præmium; longitudinem inquam vitæ, quia decentissimum est, vt vita iis prolongetur qui parentes colunt, à quibus post Deum eam acceperunt. Quæ ratio est D. Tho. 2.2. quæst. 122. art. 5. ad 4. & Soti in fine citati art. 5. aliorumq; communiter.

Cæterum longitudo ea intelligenda est promissa, non solum pro futura sed etiam pro presenti vita ex D. Thoma & Soto in iisdem locis, & constat ex illo prioris ad Timoth. cap. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ. Vbi D. Paulus alludit ad hoc quartum præceptum, in quo iniungitur parentum honoratio, quæ actus est spectans ad virtutem pietatis, iuxta ea quæ tradit D. Thomas 2.2. *quæst.* 101. *art.* 1. & post eum D. Anton. 4. *par. tit.* 5. *cap.* 9. *in princip. & Nauar. in Enchir. cap.* 14. *num.* 1. Cur vero non semper ita eueniat, vt is qui parentes honorat, diu viuat, quin potius aliquando, vt breuiore vita potiatur: ratio est, quia promissiones bonorum temporalium semper ordinantur ad promissionem vitæ æternæ; & ideo si contingat, vt temporalis vitæ longior, detrimentum sempiternæ vitæ afferat alicui, Deus illum ad se aduocat: quod post D. Thom. 2.2. *quæst.* 122. *art.* 5. *ad* 4. annotant Concil. Colon. & Catechismus Concil. Trident. in expositione huius præcepti versus finem.

5. Notandum est quarto, quod licet in hoc præcepto agatur præcise de honore qui à filiis exhibendus est parentibus; ipsum tamen implicite comprehendere obligationem parentum erga filios, quæ pariter est virtus pietatis, de cuius actu hoc præceptum censetur datum: sicut præcedentia de actibus virtutis religionis: hocq; est quod aliqui dicunt, præceptum istud de honorandis parentibus, esse vltro citroque obligatorium. Cur autem expressa mentio facta sit tantum de honore parentum, nihilq; dicatur de filiis honorandis D. Anton. 1. *par. tit.* 14 *cap.* 4. §. 5. *post Alexand. Alen.* 3 *par. quæst.* 33. *memb.* 3. *art.* 1. rationem reddit: quod naturalis inclinatio satis ostendat in patribus, quod debeant filiis obsequium & beneficium. De quo præstando non fuit proinde opus dare in Decalogo præceptum; vt nec de amore sui, quem naturalis inclinatio satis commendat.

Porro sicut hic per parentes intelliguntur etiam alij à carnalibus vt in 2. notab. dictum est; ita etiam censendum est sub hoc præcepto contineri quoque eam obligationem quã iidem habent in ordine ad illos quorum censentur quasi parentes: nempe obligationem quæ incumbit Prælato in ordine ad subditos & domino in ordine ad seruos, &c.

CAPVT II.

De obligatione filiorum erga parentes ex vi huius præcepti.

SVMMARIVM.

6 *Obligatio filiorum erga parentes, ad quæ sit, & qualiter sit ad mortale.*

7 *Obligatio filiorum ad amorem parentum.*

8 *Talis amor exigit tum fugam odij contrarij, tum exhibitionem eiusdem amoris.*

9 *Obligatio filij subueniendi necessitati spirituali parentum.*

10 *Obligatio eiusdem subueniendi necessitati corporali eorumdem.*

11 *Filius non potest ingredi religionem reliquendo patrem in extrema necessitate, nisi et aliunde vt eat sufficienter prouidere.*

12 *An is qui iam est professus teneatur ob similem necessitatem egredi religionem.*

13 *Conditiones quas talis egressus requirit vt sit licitus.*

14 *Obligatio filij subueniendi parentibus etiam condemnatis perire fame, & constitutis in necessitate spirituali.*

15 *Obligatio filiorum obediendi parentibus.*

16 *Quod non obedire parentibus sit ad quandoque peccatum mortale.*

17 *Dubia in quibus filius tenetur, aut non tenetur sub mortali obedire parentibus.*

18 *Quomodo teneatur filius obedire parentibus quoad matrimonium contrahendum.*

19 *Quod pater non debeat cogere filium, aut filiam ad matrimonium cum aliqua certa persona ineundum.*

20 *Quod filij non teneantur obedire parentibus præcipientibus, aut prohibentibus ingressum religionis.*

21 *Quid agere debeat filius cum parentes nulla necessitate compulsi impediunt ipsius ingressum in religionem.*

22 *Quid operetur patria potestas.*

23 *Modi quibus filius ab eadem potestate liberatur.*

24 *De peccato filij per vtentis, aut contumeliam afficientis parentes, aut nolentes eos agnoscere.*

25 *Quando sit, aut non sit permissa filio parentum accusatio.*

26 *De patre filius conqueri potest in iudicio: non item contra eum ferre testimonium.*

27 *Documenta de peccato quod filij committunt accipiendo, vel excipiendo bona paterna.*

28 *Quomodo filius possit interdum accipere aliqua de bonis paternis in mercedem laboris quem suscipit in aliis adaugendis, aut conseruandis.*

TRIA potissimum sunt (vt ex Concil. Colon. in præced. cap. sub finem primi notabilis attigimus) quæ filij parentibus tenentur exhibere, vt debitum illis honorem impendant: amorem nimirum, obedientiam, & reuerentiam. De quibus in particulari quædam annotabimus quæ maxime ad institutum nostrum facere videntur: si tamen duo de iisdem vniuersè præmiserimus. Alterum est, quod quamuis talia aliquando debeantur aliis proximis; facilius tamen peccatum mortale committatur, cum denegantur patri, quam cum denegantur aliis. Nam etsi grauitas materiæ, semper requiratur ad peccatum mortale: illa tamen iniuria, quæ respectu aliorum est leuis: respectu patris sæpe est grauis. Alterum est quod quando peccatum mortale contra patrem committitur, oriatur noua circumstantia in confessione exprimenda: vt si quis percusserit patrem, non est satis si dicat se percussisse proximum, sed explicare debet se percussisse patrem: vt bene notat Nauarr. in Enchir. cap. 14. num. 11. 6.

SECTIO I.

De obligatione filiorum ad amorem parentum.

ATque vt ad particularia ipsa veniamus. Notandum est primo, quod ad amorem attinet, non posse in dubium vocari quin parentes sint maxime diligendi: si enim quemque proximum vti nos ipsos diligere debemus, quid de parentibus sentiendum est? qui & proximi nobis sunt, & vitæ nostræ causa: qua ex parte in eis quoddam diuinæ maiestatis vestigium adumbratum est, vt habet Concil. Colonien-se in expositione huius præcepti, versu, Iubet. Inde inferens nos post Deum intimo, ac supremo amore parentem prosequi, amplectique debere. Nec aduersatur quod Lucæ 14. Christus dicit discipulum suũ esse non posse eum, qui patrẽ & matrem odio non habuerit: solum enim voluit patrem & matrem non esse ipsi præferendos: quin potius ipsum esse omnino anteponendum, vt recte notauit idem Concil. Colon. in seq. versu, Sed dices: & post ipsum Nauar. *in cit. cap.* 14. 7.

num. 4. idque congruenter doctrinæ D. Thomæ 2 2. *quæst.* 101. *art.* 4.

8. Talis vero amor quo filius diligere debet parentes consistit in duobus; nimirum in fuga contrarij, id est, vt parentes ipsos non habeat odio. Ex quo capite præceptum istud est negatiuum, obligans pro omni tempore; præterea in exhibitione amoris: hacque ex parte idem præceptum est affirmatiuum obligans non pro omni, sed pro eo solum tempore quo necessitatem vrgere ex circumstantiis prudenter iudicatur. Adde quod idem amor nõ solum interior, sed non nunquam exterior etiam debeat esse: *ex Syluest. in verbo Filij, quæst.* 22. *& Armilla in verbo Filius*, §. 22. Filius ergo qui parentes prosequitur odio, aut graui molestia afficit, vel qui notabile damnum eis optat, puta mortem, mendicitatem, & id genus alia, mortaliter peccat: teneturq; talem circumstantiam aperire in confessione, *ex Nauar. in Enchir. d. cap.* 14. *num.* 11. Quod locum habet quantumuis quid eiusmodi vsurpet, non ex odio; sed vt à custodia parentum citius ea ratione liberetur: vel citius possit bonis ipsorum frui, *ex eodem Nauar. in seq. num.* 13. *vers.* 9.

9. Similiter peccat filius si necessitati spiritali patris nõ prouideat, cum possit. Nam amor quo erga eum debet affici postulat vt in tali necessitate ei subueniat. Vnde ait Concil. Colon. in cit. versu, Iubet: si parentes habeas in quibus pietatem desideres, summa ope niti debes, vt eos non quidem acerbe sed reuerentissime admoneas, & ad Christum & pietatem trahas: vt de voluntate Dei instructos ex malis bonos efficias. Quod si in mortis sint articulo, à filiis ipsis danda est opera, ne ij decedant sine confessione; & aliis sacramentis quæ debent tunc percipi ab hominibus Christianis. Id quod Catechismus Concilij Trident. iussu editus habet in expositione huius præcepti: mortaliterq; peccaret filius, qui tunc prohiberet ne parentes aliquid pauperibus pro animæ suæ salute erogarent; aut ne testamentum conderent, & multo magis qui voluntatem ipsorum auerteret à facienda restitutione illorum, quæ restituere tenentur: de quo Nauar. in cit. vers. 9. Vbi aduerte quod si quid cum hæreditate paterna filio obuenerit quod alienum esse sciret, is debeat illud omnino restituere, nec possit retinere; vt ꝓbatur ex cap. Michael, De vsuris: nisi q; leuitas materiæ excuset, nolendo restituere, peccat mortaliter. Quod idem dicẽdum est ex Nauar. in seq. ver. 16. si sine iusta causa differat restitutionem debitorum quibus paterna hæreditas est obnoxia. Pro qua re faciunt cap. In literis, De raptorib. & quæ Couar. tradit ad cap. Si hęredes, De testamentis.

10. Ad eundem amorem parentibus à filiis debitum, illud adhuc pertinet, vt in corporalibus necessitatibus subueniant ipsis: vnde si in captiuitate sint, debent dare operam, vt ab ea liberentur: si mente capti, vt eis sufficienter prouideatur: ex Nauar. in prius cit. ver. 9. Debent quoque si sint in graui, & extrema necessitate, ex propriis subuenire illis, iuxta D. Tho. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 5. *ad* 3. *Alexan. Alen.* 3. *par. quæst.* 33. *membr.* 2. *art.* 1. *Nauar. in cit. num* 13. *vers.* 10. *Sotum lib.* 2. *De iustit. & iure, quæst.* 4. *art.* 5. Estque & hęc obligatio de iure naturali ex Couarr. in Epitome 4. decretalium *par.* 2. *cap.* 8. §. 6. *num.* 5. Iuxta quem etiam, si quis sit ex meretrice genitus tenetur suos parentes alere si egeant, nam in eo quoq; eadem iuris naturalis obligatio viget.

7. Sed quæres si pater patiatur quidem grauem necessitatẽ, sed à qua se possit arte aliqua & officio leuare, an tunc à peccato excusetur filius si ei non subueniat. Respondetur excusari, nisi tale officium esset dedecori statui illius, vt Nauarrus habet loco cit. Quis vero in hac subuentione facienda patri ordo sit à filio obseruandus, & quibusdam debeat patrem in ea præferre intelligendum est ex tractatu de eleemosyna.

Explicatio difficultatis de impedimento quod parentum necessitas adfert filijs ne fiant Religiosi.

11. Hic autem offert se dubium: An filius ob sustentandos parentes, teneatur non ingredi religionem, ac nũm iam ingressus teneatur egredi. Quod cum bipartitum sit ad priorem partem respondetur teneri non ingredi, si quidem necessitas parentum sit extrema: seu qua ipsorum vita periclitetur, nec ei aliunde possit occurri. Pro quo faciunt tradita per D. Thom. 2. 2. quæst. 101. art. 4. ad 4. Syluestrum in verb. Religio, 6. quæst. 9. Tabienam in verbo Pietas, num. 2. Nauar. in comment. 3. De regularib. num. 48. & in Enchir. cap. 14. num. 14. Eaque est communis Theologorum omnium concors sententia, teste Azorio 2. par. lib. 2. cap. 3. quæst. 4. Ac probatur: quia alioqui fieret contra hoc præceptum, ex quo filius tenetur patri in necessitate subuenire. Neque liberum est propter opus consilij relinquere id quod est præcepti; cum *vt recte ait Syluester*, consilia seruentur vt præcepta melius impleantur.

Idem pari ratione dicendum est quando pater, si non extrema, at certe ea necessitate premeretur, cui filius occurrere teneatur (ex Nauar. in citato, num. 14.) nec possit per alium. Quod adde: quia si posset per alium, non impediretur ab ingressu religionis ex Syluest. *Religio* 2. *quæst.* 7. Istudq; procedit, etiamsi filius vouisset ingredi Religionem iuxta ea quæ habent Syluest. *in ead. quæst.* 7. & Tabiena *in cit. num.* 2. Adde quoque etiam si parentes ipsi, culpa sua deuenerint in talem necessitatem. Sed aduerte id esse intelligendum cum exceptione hac: Nisi sit periculum salutis spiritualis; seu periculũ ne ea de causa filius ipse lapsurus sit in peccatum mortale. Quando enim est tale periculum (vt esse potest ex circumstantia loci, temporis complexionis, ac propinquarum occasionum, & malorum habituum) non debet quis præ illo curare vllam patris necessitatem: quia ex charitate ordinaria, animæ propriæ anteferenda est saluti corporali non tantum patris sed etiam propriæ.

Posterior vero pars propositi dubij. An scilicet is qui iam 12. est professus teneatur religionem egredi propter parentum iam dictam necessitatem, valde controuersum est inter Doctores. Et quidem D. Thomas in cit. quæst. 101. art. 4. ad 4. nulla facta distinctione vult filium egredi non posse, idemque significat Alexander in citata quæst. 33. membro 4. & admittit Syluest. Religio 6. quæst. 9. si pater post filij professionem in necessitatem deueniat. Caietanus autem ad cit. ait 4. vult quod si necessitas sit extrema filius debeat egredi. Idem habent Tabiena & Armilla in verbo Pietas; contenditque Caietan. id non esse alienam à sententia D. Thomæ loco cit. Cæterum sequenda videtur Nauarri doctrina in memorato num. 14. *sicut Azor sequitur in seq. quæst.* 5. quod si extrema sit patris necessitas, siue ea præcesserit professionem siue sequatur, filius ob eam teneatur egredi, quando non potest ei occurrere. Nec dici potest quod debeat illos committere diuinæ prouidentiæ, quia id esset tentare Deum, petendo vt parentes miraculose aleret, quos alioqui ipse sustentare posset & deberet. Si vero sit quidem grauis necessitas, non tamen extrema: nempe si parẽtes sint adeo pauperes vt sublato filij subsidio, cogantur mendicare, aut seruire alios non quidem quomodocumque; sed cum magna status sui indecentia. Si talis inquam necessitas sit quæ professionem præcedat, tunc quoque tenetur filius egredi: non item si professionem sequatur. Cuius differentiæ ratio hæc reddi potest: quod filius non tenetur parentum necessitati futuræ perinde prouidere ac præsenti vt bene docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 2. *ad* 2. congruenter verbis D. Pauli, cum ait in posteriori ad Corinth. cap. 12. Filios non thesaurizare parentib. sed parentes filiis. Videndus est pro pleniore confirmatione Nauarr. *in memorato commentario* 3. *de regul. num.* 48. *& sequenti.* Ad quam etiam facit quod Dominus cum quidam ab ipso inuitatus ad se sequendum diceret. Permitte mihi primum ire & sepelire patrem meum: non permisit ex Lucæ cap. 9. sub finem.

Cæterum de Religiosorum professorum egressu à religione ad subueniendum parentibus constitutis in extrema ne- 13. necessitate, tacendum non est, ipsum requirere aliquot conditiones vt licitus censeatur. Prima est, vt licentiam petat à suo Prælato; vnde peccat mortaliter egrediendo ea non petita, quoniam ex voto tenetur obedire Prælato qui petitam non negabit, quam tunc dare tenetur, vt consequens est ex antedictis. Secunda, vt talis Religiosus professus, manendo in Religione, nequeat subuenire parentum necessitati. Vnde si vel Prælatus offerret illi necessaria ad subueniendum vel in monasterio permitteret modum lucrandi eadem necessaria; vel petendi eleemosynam à deuotis & ab

amicis

amicis nullo modo posset egredi. Tertia, vt necessitas parentum sit vere extrema. Nam licet grauis illa, in qua ipsi nequeant viuere nisi mendicando, aut seruiendo aliis cum notabili indecentia sui status sufficiat ante ingressum vt filius profiteri non possit; non sufficit tamen ad filium post professionem reuocandum: quia minor est obligatio in hac re professi, tanquam mundo mortui, quam adhuc liberi. Vnde quia necessitas vere extrema rarissime contingit; communiter fit vt ij quæ prætextu paupertatis parentum post professionem egrediuntur securi non sint in conscientia. Quarta conditio est, vt egressus gestet habitum religionis, nisi inde impediretur lucrari: tunc enim cogente necessitate posset in aliquem alium decentem mutari de licentia Papæ, vel Episcopi, vel etiam proprij Prælati, cum negotium adeo vrget, vt ad illos recurri non possit. Quinta, vt quamdiu manet in sæculo obseruet non solum essentialia religionis, sed etiam maiores obseruationes, suæ religionis proprias, siue ieiuniorum, siue aliorum prout poterit. Sexta, vt statim ac parentes subleuauerit ab illa extrema necessitate, eisque prouiderit, reuertatur ad suam religionem. Tenetur autem quam primum moraliter potest subleuare; ita vt id differens ex industria, vt diutius moretur in sæculo, non sit tutus in conscientia. Vltima, vt quandocumq; iussus fuerit à Prelato suo redire, oblatis necessariis pro subleuatione necessitatis parentum, teneatur redire.

Quomodo autem iure gentium teneatur filius parentib. egentibus alimenta præstare, etiam authoritate Iudicis damnatis ad pereundum fame, & graui pœna imposita alimentum eis præbenti: qui volet videat apud Azorium *in 2. par. lib. 2. cap. 3. in princip.* Postea *in quæst. 6.* referentem causas ob quas filij possunt priuare parentes debitis alimentis; quæ coincidunt cum illis, ob quas viceuersa parentes possunt priuare filios debitis etiam alimentis, quas proponemus in seq. cap. sectione priore.

14. Porro quod dictum est de obligatione filiorum subueniendi parentib. in corporali necessitate constitutis, eadem, ac etiam maiore ratione dicendum de constitutis in necessitate spiritali: ideoque ex morbo periculose decumbentibus, tenentur procurare sacramentorum administrationem, & piorum virorum visitationem, à quibus monita salutis audiant. Vita functis vero curare, vt corpora eorum iustæ ac debitæ sepulturæ mandentur, & pro eis iuxta Christianorum morem, preces & sacrificia Deo offerantur: æs alienum quod contraxerunt, & legata quæ instituerunt soluantur; prout citatis D. Anton. & Nauarr. addit Azor in eodem cap. quæst. 8.

Sectio II.

De filiorum obligatione obediendi parentibus.

15. NOtandum est secundo, quoad obedientiam, nec dubitari posse quin filij parentibus exhibere eam teneantur. Ad quod confirmandum Concil. Colon. in expositione huius præcepti versu 2. inducit tum illud Prouerb. 1. Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, &c. Tum quod Isaac figura Christi, patri se liganti non restiterit Gen. 22. & quod Rechabitæ iussione Ionadab patris, facti sint abstemij Ieremiæ 35. Tum demum quod Lucæ cap. 2. Christus Dominus licet verus Deus, legatur Ioseph & Mariæ parentibus subditus fuisse.

16. Est autem mortale, non obedire parentibus. Ad quod probandum Nauarr. *in Enchir. cap. 14. num. 2. ver. 3.* inducit: tum quod Deut. 21. filij contumaces præcipiantur obrui lapidibus: tum quod ad Roman. cap. 1. *(adde & in posteriori ad Timoth. cap. 3.)* inter eos qui grauissime peccant, ponantur, non obedientes parentibus. Accedit etiam quod parentum præceptum rationem habeat legis humanæ; & ideo transgressio illius debeat iudicari mortalis eo modo quo transgressio legis humanæ iudicanda est, iuxta documenta tradita in præced. lib. 15. cap. 5. Id vero intelligendum est procedere in materia graui. Nam in materia leui, filius non tenetur sub mortali obedire parentibus; quia cum præcepta diuina in leuibus non obligent sub mortali, multo minus obligabunt præcepta humana, etiamsi parentum sint. Vide in cit. cap. 5. tradita: & adde ex eodem Nauarr. ibidem *(quod etiam insinuant Syluest. verbo Filij, num. 25. & Tabiena verbo Filius, num. 17. & Angelus ac Fumus eodem verbo, ille, nu. 30. & hic in principio)* ad tale mortale non sufficere rem esse grauem; sed adhuc requiri, vt sit de iis quibus filius parentibus subiicitur: in aliis enim mortale non est, illum huic non obedire.

Filius autem parentibus subiicitur in iis quæ pertinent ad domesticam gubernationem, ex Caiet. in verbo Filij pec- 17.
cata, & ex Angelo Sylvest. Tabiena, Armilla & Nauarro locis citatis. Quin adhuc in huiusmodi rebus, si ex incogitantia absque contemptu & obstinatione, filius non obediret; solum peccaret venialiter, prout notauit Nauar. in sequen. num. 12. Tenetur etiam filius secũdum citatos authores obedire parentibus in iis quæ pertinent ad bonos mores: puta si præcipiant fugere noxia sodalium contubernia, ludos prohibitos, meretrices, aliaq; id genus, prout ait Nauarr. loco proxime citato.

Quando igitur parens præcipit aliquid quod nec ad rem domesticam, nec ad bonos mores spectat, filius nõ obediendo peccat solum venialiter, quia non infert ei grauem iniuriam, tanquam minime lædens ius ipsius. Imo vero potest nullo modo peccare in duobus: nempe in eligendo statu vitæ, postquam excessit annos pubertatis: nam ea in re non est patri subiectus, ex D. Thoma 2. 2. *quæst. vltima, art. 6.* Deinde in dispensando ea quæ potest suo iure dispensare: etiamsi adhuc sit sub potestate patris, vt censetur posse; primo peculium castrense, id est, bona quæ filius ipse familias acquirit in bello. Secundo peculium quasi castrense, id est, bona quæ eidem proueniunt ex aliquo officio publico, vt Medici, Aduocati, &c. vel ex beneficio aut pensione, aliove stipendio Ecclesiastico. Tertio, peculium aduentitium cum vsufructu. Vbi aduerte, quod etsi illud quod ab alio quam à patre donatur filiofamilias, *quod nomine peculij aduentitij significatur*, ordinarie sit patris, quantum ad vsum & ad vsumfructum, quamdiu ille est sub potestate ipsius: tamen si ipsum donetur filio sub hac conditione, vt is, non autem pater vsumfructum habeat, eundem filium posse illud alienare. Quarto, peculium profectitium mixtum. Vbi quoque aduerte, quod etsi filius illud quod habet à solo patre profectum, *quod dicitur peculium pure profectitium*, non possit alienare inuito ipso patre: quando tamen ab hoc acceperit certam pecuniam ad aliquod opus peragendum, & ipse interea sua industria, aut parsimonia reseruauit aliquid peracto rite opere, possit tale residuum pro arbitrio alienare: sicque ille cui pater quotannis dat certam pecuniæ summam vt alat se, potest si quid sua parsimonia sibi reseruet, illud donare. Videndi sunt Summularij in verbo Peculium, & Nauarr. in Enchir. cap. 17. numero 141. & aliquot sequentibus.

Sectio III.

Dubia quædam de eadem obedientia.

Hic dubia quædam occurrunt. Primum est, An quoad 18.
matrimonium contrahendum filius teneatur parentibus obedire. De quo D. Thom. 2. 2. *quæst. 104. art. quinto in corpore sub finem*, sentit non teneri. Quæ sententia sic accipienda videtur, vt nihilominus procedat illud, quod in verbo Filius dicunt Angelus §. 25. Tab. quæst. 13. & Armil. §. 19. posse quidem filium sine patris licentia matrimoniũ contrahere valide (valere enim matrimonium, quod filius absq; patris consensu celebrarit, habetur expresse in Concil. Triden. sess. 24. cap. 1. De reformat. matrimonij) negandum tamen non esse quin honestum sit, vt filij de parentum consensu talem contractum ineant. Imo sunt qui teneant id esse de præcepto quos magno numero refert Thom. Sanchez lib. 4. de matrimonio, disput. 23. quæst. 2. licet ipse contrarium sentiat cum multis aliis quos etiam refert.

Sufficit autem huic instituto notasse tres casus allatos à Nauar. in Enchir. *cap. 14. num. 15.* in quibus mortaliter peccat filius ducens vxorem inuito patre. Primus est, quando contra patris præceptum accipit vxorem se minime dignam, in notabilem ignominiam suæ familiæ. Secundus est, quando multum interest parentum, vt tale matrimonium non inierit: quia per aliud possunt sedarigraues inimicitiæ inter patrem; & aliquem alium: per quas rediguntur parentes ad necessitatem: cui *(nisi forte causam recusandi matrimo-*

nium

nium habeat iustam, arbitrio prudentis) filius ipse ex virtute pietatis teneatur remedium adferre. Tertius casus est, quando pater ei ante pubertatem desponsauit vxorem, & ei reiecta aliam accipit cum debeat omnino patris in eo voluntatem implere ex cap. 1. De respons. impuberum. Verumtamé quia debitum illud solũ est honestatis (pro quo multos authores citat Sanchez in præced. quæst.) bene mouet Nauarr. ibid. quod si filius causam rationabilem haberet, posset sine peccato sic desponsatam reiicere. Quartus casus addi potest, quando filius vxorem duxit, vt tristitia & molestia afficeret parentes, exemplo Esau, de quo Gen. 28. vers. 8. Id enim aperte est contra honorem hic præceptum.

19. Cæterum quidquid de his sit: pater non debet cogere filium vel filiam ad matrimonium cum tali vel tali ineundum, ex cap. De neptis tuæ coniugio, 31. quæst. 2. Ratio est, quæ habetur in cap. Requisiuit, De sponsalibus: quod matrimonia, cum sint contractus onerosi, onere quod homini cohæret perpetuo, debeant esse libera; & in iis coactiones soleant difficiles exitus frequenter habere. Adde quod nefarium sit matrimonij libertatem violare, prout dicitur in Concil. Trident. sess. 24. cap. 9. de reform. matrimonij. Vbi quoque excommunicantur temporales domini ac Magistratus, qui directe vel indirecte subditos suos, vel quodcunque alios cogunt matrimonia cõtrahere. Quam excommunicationem quidam voluerunt esse generalem in quoscumque cogentes. Sed Sanchez in eod. lib. 4. disput. 22. sub finem, bene ostendit comprehendere solum habentes iurisdictionem in foro externo.

Quod vero attinet ad ciuiles leges & statuta quibus prohibetur, ne filij aut filiæ absque parentum consensu matrimonium ineant, sufficit hic monere (qui plura scire volet videat Azorium 2. par. lib. 2. cap. 2. quæst. 6. 7. 8. & 9. corrigi per illud, quod sacri canones omnimodam in matrimonio libertatem exigant; vnde ne hæc impediatur, in cap. Gemma, De sponsalibus, pœna sponsalibus apposita annullatur. Cur autem in hac re ius canonicum iuri ciuili præualeat, est quod etiamsi matrimonium censeatur ad ius ciuile pertinere, prout est contractus quidam quo in reip. dispendium ac perturbationem contrahentes abuti possunt: p. incipaliter tamen de eo disponere pertinet ad ius canonicum: cum id quod in illo dignius est, sit sacramentum, ideoque res spiritalis, quæ tanquam dignior minus dignum *puta contractum*, ad se trahit.

Porro non tantum valide iuxta cap. Sufficiat, 27. q. 2. potest à filiis matrimonium contrahi: sed etiam plerumq; sine peccato, vt cum nimia est auaritia parentum recusantium in matrimonium cõsentire, eo quod dare nolint dotem quam debent; aut cum plus æquo lucri cupidi, suorum nuptias negligunt, aut in longum tempus differunt: maxime si iidem iuramento, aut alio vinculo ad eas se adstrixerunt; aut etiam cum quis vxorem quam pater dare vult, iusta de causa recusat.

20. Secundum dubium est; Vtrum filius teneatur obedire parentibus cum vetant illis religionis ingressum. Respondetur, quod si filius iam sit pubes, seu adultus, non teneatur, prout habet ex D. Thom. 2. 2. *q.* 189. *art.* 5. Syluester *in verbo Religio*, 2. *q.* 15. per cap. Si Dominus, 11. quæst. 3. Quod tamen intelligendum est regulariter, seu ita vt possit exceptionem pati, prout constat: tum ex iis quæ ibidem tradidit D. Thomas: tum etiam ex iis quæ in sectione præced. diximus tractantes difficultatem, Vtrum quis possit religionem ingredi relictis parentibus in necessitate.

Tertium dubium est; An possit filius non obedire parentibus, si ipsum cogant ad ingrediendum religionem. Ad quod respondetur affirmatiue; hoc est, posse non obedire, quia in iis quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis (vt maxime censetur electio status vitæ) non tenetur homo homini obedire: sed solum Deo; prout docet D. Thom. 2. 2. q. 104. ar. 5. in corpore prope finem. Ad idem facit quod circa fœminas Concil. Trident. sess. 25. cap 18. De regularibus, statuit subiiciendo anathemati quascumq; personas cuiuscumq; qualitatis vel conditionis fuerint, si quomodocumq; coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem præterquam in casibus iure expressis, ad ingrediendum monasterium.

Quartum dubium est; An ex obligatione huius præcepti, 21.
filius teneatur abstinere ab ingressu religionis, cum parentes inde grauiter offendantur, non ob necessitatem quam patiantur; sed ob carnalem affectum. ex quo ægre ferunt separationem illius à se. Ad quod respondendum videtur: filium non obligari quidem ea de causa abstinere omnino ab ingressu religionis: obligari tamen aliquando ad illum differendum per aliquod temporis spatium. Cuius responsionis prior pars ex eo patet, quod de se irrationabile sit offendi de bono opere: quod natum est non scandalum, sed ædificationem, & consolationem adferre. At ingressus religionis, *vt nemo Catholicus negat*, est bonum opus. Offensio igitur seu scandalum quod inde manat, passiuum est; ac natum, vel ex eorum qui scandalizantur malitia: & ideo contemnendi sunt tanquam cæci *ad instar illorum, de quibus Matth. 15. vers. 12.* vel certe ex ipsorum infirmitate & ignorantia; *vt sæpe so et in rudibus*, quorum non est tanta ratio habenda, vt omittatur bonum opus, quod existimatum fuerit necessarium ad propriam salutem spiritalem: quoniam ex charitate ordinata, quisque tenetur magis suam salutem spiritalem diligere, quam alienam. Vnde si quis omittendo aut differendo aliquod opus bonum, peccaturus sit; nullo modo tenetur illud omittere, aut differre ob alterius scandalum: etiamsi ipsum sit mortale peccatum: quia nemo tenetur peccare ad alterius peccatum vitandum. Quare si casus contingat, in quo quis sub peccato teneatur ingredi religionem (vt quia transgrederetur alioqui votum de ea ingredienda factum) ob nullum scandalum inde consurgens, postea à tali ingressu abstinere.

Quod si opus agendum tantummodo sit consilij, non est quidem ob aliquorum scandalum omnino omittendum, est tamen differendum ad tempus (prout habet secunda pars responsionis) quousque ignarus instruatur, aut debilis confortetur, vel reddatur saltem sufficiens ratio ad instruendum vel confortandum. Nam quantum possumus sine præiudicio nostro, tenemur impedire peccata proximi. Talis autem dilatio potest esse sine præiudicio. Quod si infirmus post redditam rationem sufficientem, ad ipsum quietandum, adhuc perseueret in suo scãdalo, non est obligatio vlterius differendi: quia scandalum illius esse ex infirmitate, incipit esse ex malitia.

Adde nec dari talem obligationem quando imminet periculum salutis, nisi statim idipsum opus consilij impleatur: quia tunc idem opus est in præcepto. Qua ratione filius volens ingredi religionem si aduertat parentes velle v. g. ad eum introducere meretricem, vt pudicitiæ faciat iacturam, potest nulla habita ratione cuiuscumque scandali ipsorum, statim ingredi religionem. Addiderim etiam quandocumque per dilationem talis ingressus, redderetur postea impossibilis aut certe maxime difficilis; tunc enim satis esse potest, si post factum, reddatur ratio illius sufficiens ad tollendum (si quod ea occasione oriatur) infirmorum aut ignorantium scandalum. Quod si nihil proficiatur, mala inde secuta non imputabuntur filio, qui ingressus est: sed ipsis parentibus scandalizantibus se absque rationabili causa. Atque per hæc satis patet quando repugnet, aut non repugnet huic præcepto ingredi religionem contra parentum voluntatem.

Vltimum dubium est; Quid operetur patria potestas, & 22.
quomodo filius ab ea liberetur. Eius vero priori parti respondetur, varios quidem referri effectus patriæ potestatis: sed omnes reduci ad tria capita, iuxta ea ad quæ se eadem potestas extendit. Quorum primum est, voluntas filij: quoad quam idem filius duo habet respectu patris, scilicet vt idem sit cum eo; & vt sit sub ipsius potestate. Atque ratione prioris, nullus contractus, nulla actio, nulla obligatio ciuilis potest esse inter patrem & filium: quoniam ista sunt inter diuersos. Ratione posteriori vero, nullum contractum vel actionem ciuilem potest filius facere sine consensu patris. Secundũ est substantia, seu bona filij quæ omnia sunt patris, exceptis peculis quæ commemorauimus supra nu. 17. Tertium est, persona filij; hacque ex parte, pater pro sua potestate potest filium verberare. Cæterum patria ipsa potestas non tantum est in filiũ ipsum: sed etiam in omnes per ipsum descendẽtes, vt in nepotem vel pronepotem, in neptem & pro-

neptem:

neptem: est tamen tantum in filiam, non vero in eos qui per eam descendunt, prout habetur Institutis de patria potestate, §. finali.

23. Posteriori autem parti dubij respondetur: octo maxime modis filium liberari à patria potestate. Primus est quando pater moritur, ex tit. Quibus modis ius patriæ potestatis soluitur, in principio, Institutis. Secundus, quando pater transit in potestatem alterius, vt fit per ingressum religionis, quo transit in potestatem sui Superioris. Ita Syluest. & Armilla verbo patria potestas. Et ratio esse potest, quia tunc pater moritur mundo, nec potest amplius proprium habere. Tertius est, quando filius ingreditur religionem post 14. annum, vt habetur ex cap. Si in qualibet, 20. quæst. 2. & expressit glossa fin. ibid. Quartus est, quando filius fit Episcopus, vt habetur ex cap. Si seruus, 2. distinct. 54. Quintus, quando pater deportatus est, nõ item quando est relegatus, vt habetur Institutis titulo proxime citato §. 1. Vbi aduerte damnatum perpetuo exilio, dici deportatum, damnatum vero ad tempus, dici relegatum ex lege Relegatorum §. 2. ff. De interdictis, relegatis ac deportatis. Sextus est, quando pater fit hæreticus, vt habetur ex cap. 2. De hæret. in 6. §. finali. Septimus, quando pater exponit filium infantem, vel languidum, aut alio ipsum exponente consentit, aut id ratum habet. Octauus, quando filius emancipatur à patre, id est, quando pater coram Iudice competente, hanc potestatem, quam in filium habet, relaxat.

Sunt etiam aliquot causæ, quæ licet non liberent à patria potestate, propter eas tamen pater in foro exteriori cogi potest ad emancipandum filium. Nimirum vt notauit Couar. De testam. ad cap. Raynutius num. 21. illæ propter quas filius potest exhæredare patrem, de quibus postea: itemque aliæ quatuor, quas commemorant Summularij in verbo Emancipatio, 1. si pater sine misericordia filium verberibus afficiat. 2. si cogat filium peccare in corpus suum. 3. si filium arrogari permittit, id est, adoptari ante pubertatem, & ille post pubertatem probauerit id sibi non expedire. 4. si pater agnouit sibi relictum legatum, vt filium emanciparet. Addunt iidem ibidem emancipatum redire rursum in patriam potestatem propter alimenta iniuste denegata patri in necessitate graui, aut extrema. De quibus differere plenius Iurisconsultorum est maxime.

Sectio IV.

De filij obligatione ad reuerentiam parentum.

24. Circa reuerentiam exhibendam parentibus vt debitus honor illis reddatur, notandum est mortaliter delinquere filium, qui patrem percutit: etiamsi percussio sit leuis: vt recte notat Nauar. in Enchir. cap. 14. num. 13. Quæ enim est natura sua leuis, ex hac circumstantia (quod scilicet qui percutitur parens sit) aggrauatur mortaliter. Qua ratione etiam crediderim filium qui deliberate manum tantum attolleret ad percutiendum patrem, etiamsi percussio non sequatur, mortaliter delinquere. Quanquam potest aliquando filius non peccare nõ percutiendo patrem, nimirum si id faceret defendẽdo seipsum à nece, quam ei pater ipse intentat, nec aliter se tueri valeat: aut defendendo rempublicam, aut Principem vt seruetur incolumis. Ad quod faciunt ea quæ scribit Couar. ad cit. cap. Raynutius in princip. num. 9. Mortale pariter committit filius si parentes afficiat contumeliis, opprobriis, conuitiis, vel eis viuis aut mortuis deliberate maledicat. Quod idem dicendum est de filio, qui ex cõtemptu parẽtes agnoscere dedignatur, vt ex Alex. Alensi habet Nauar. in cit. num. 13. vers. 8. Excusaretur tamen à mortali is qui citra contemptum iusta de causa dissimularet: vt si quis cum venerit ad pinguiorem fortunam, non vult agnoscere suos parentes: non quidem ex contemptu: sed ne si id fecerit, patiatur dispendium honoris, vel rerum temporaliũ: quem à mortali excusari, maxime si parentes ipsi consentiant, expressit etiam loco cit. Nauarrus.

25. Insuper peccat mortaliter filius accusando patrem alicuius criminis, ex Nauar. in præced. ver. 7. Quod intellige etiamsi crimen verum sit, argumento eius quod docet Couarruuias in seq. num. 11. de exhæredatione filij ob talem accusationem. Ac etiam maledictionis quæ in Cham fulminata est à patre suo Noe, ob ipsum ab eo irrisum. Concedendũ tamen est, quod aliquando absque peccato filius patrem de crimine accusare possit: puta cum crimen fuerit proditionis in regnum, vel in remp. aut hæresis, iuxta Nauarrum loc. cit. Quod videtur restringendum ad casum in quo nondum esset facta proditio, aut in quo pater esset aut dubitaretur futurus disseminator hæresis: quia talis accusatio conceditur filio, vt totam communitatem à graui malo temporali aut spiritali possit liberare: ad quod extra eos casus, non est necessitas accusationis.

Concedendum item est, quod sine peccato possit nonnunquam, tam in causa ciuili quam in criminali filius conqueri de patre, seu aduersus patrem implorare Iudicis auxilium, ex cap Prohibentur, 2. q. 1. De qua re vide Tabienam in verbo Filius, num. 16 & Syluestrum in verbo Filij, num. 28. Et adde in confirmationem quod Couar. ex communi sententia habet in Epitome 4. Decretalium par. 2. cap. 7. in principio, num. 4. litem permitti inter patrem & filium. Pro qua facit cap. Non est. De sponsal. in quo Rex Anglorum cogitur restituere vxorem filio repetenti. Vtrum autem peccent filij si aduersus parentes testimonium ferant, difficultas esse potest. Videtur vero tenendum quod peccent: pro quo facit textus in lege Parentes, Cod. De testibus, & in cap. Si testes prope fin. 4. quæst. 3. & ita tradit Syluester in verbo Correctio, quæst. 7. post medium. 26.

Explicatio difficultatis de peccato quod à filiis committitur accipiendo aut expendendo bona paterna.

Sectio V.

27. Hvius difficultatis quotidianis occursus exigit, vt antequam ad alia transeamus aliquot documẽta ad eius explicationem, pro Confessarij institutione addamus.

Primum est, filium mortaliter peccare cum obligatione ad restitutionem, si notabilem summam accipiat de bonis parentum ipsis merito inuitis. Hoc communiter receptum est. Et patet per illud Prouerb. 28. Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.

Secundum est, similiter peccare filium si expendat in res turpes & vanas (vt in ludum, vel compotationem, vel fœminas) notabilem summam contra voluntatem parentum, ex iis pecuniis quas hi dederunt illi ad emendos libros aut vestes, aut ad alium aliquem peculiarem vsum. Istud est Nauarri in Enchir. cap. 17. num. 164. Et probatur quia parentes ipsi non intendunt donare simpliciter tales pecunias filio, & dominium illarum in ipsum transferre: sicut si darent addito solum mandato, vt honeste & in bonos vsus impendat: *sic enim videretur à restitutione excusari*, sed intendunt donare cum limitatione ad vsus à se determinatos: adeo vt filius ipse non acquirat talium pecuniarum dominium ad alios, quam ad tales vsus. Potest tamen in illo quoque censu censeri excusatus à restitutione. Primo, si in ipsius tantum incommodum abusus ille cesserit, nec parens vllum damnum inde accipiat: quia non fuit illi ea de causa plus expendendum, quam alioqui expendisset. Secundo, si parens condonauerit vel putetur facile condonaturus, si filius ipse auderet eum rogare. Tertio, si constet alios cohæredes, tantundem similiter expendisse.

Tertium documentum, non peccare mortaliter filium accipiendo bona paterna in quantitate quæ prudentis iudicio, notabilis nõ censetur pro conditione status, & personarum; aut quam probabile est parentem cõcessurum si rogetur. Huius prior pars patet ex cõmuni doctrina de paruitate materiæ excusante à mortali. Posterior vero ex eo quod tunc parens non videatur esse inuitus, quoad substantiam acceptionis, etiamsi forte sit, quoad modum accipiendi.

Quartum documentum, excusari posse à peccato filium, qui dum versatur in studiis, aut alias extra domum paternam aliqua expendit in eleemosynam aut in honestas recreationes more aliorum suæ conditionis. Hoc est Nauarri in eod. cap. 17. num. 157. Et probatur quia parens merito præsumitur id permittere, cum non sit à ratione alienum: nisi de contraria voluntate ipsius constet probabiliter.

Quintum est, non peccare filium si aliquid de bonis parentum accipiat ad subueniendum proximo in extrema, aut

graui

graui necessitate constituto. Probatur: quia parens non potest esse de eo rationabiliter inuitus: cum & ipsemet idem facere teneatur, per communem doctrinam de eleemosyna.

Sextum est, non peccare filium etiam adhuc constitutum in patris potestate, accipiendo ex bonis suis castrensibus, aut quasi castrensibus, seu quæ acquisiuit occasione militiæ, vel officij publici, aut beneficij Ecclesiastici. Hoc patet, quia talia bona non pertinent ad patrem, sed ad solum filium: qui proinde respectu eorum sit quasi paterfamilias ex communi doctrina, de qua Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 142. Quod notandum est à Confessariis ne facile cogant ad restitutionem filium cuius pater percipit fructus beneficij, quod habet, Ecclesiastici.

28. Septimum est, filium gerentem negotia patris posse (deductis expensis quas pater ipse facit in illo alendo) pro suo labore & industria, tantundem accipere quantum in mercedem daretur extraneo: nisi ille intendat facere gratis, aut teneatur facere ad alimentum patri exhibendum. Hæc est Nauarri doctrina in cit. cap. 17. num. 144. fundata in naturali æquitate, quæ dictat, vt laborans iustum stipendium accipiat. Quanquam ad id necessarium est, vt filius expresse vel tacite ostendat se velle luerari. Nam qui gerens alterius negotium quærit mercedem, debet id illi explicare: quia forte dare nō vult; nec ea ratione, sed alia, rebus suis consulere. De quo si nihil constare possit; nec filius ob reuerentiam paternam audeat parentem interrogare, sufficere ei potest, quod parens ipse non possit iure, tale quid ægre ferre. Quod si probabiliter cōstaret, parentem idipsum negotium alioqui gesturum esse per seipsum aut per aliū qui gereret gratis, vel mercede minore, tunc non esset locus tali compensationi laborum: vt nec si illi essent subeundi ad subueniendum parenti constituto in necessitate: quia esset obsequium debitum ex charitate ac gratis exhibendum.

Aduerte obiter quod cum talis merces non numeretur inter bona filiorum quæ castrensia, aut quasi castrensia dicuntur: sed aliorum quæ vocantur aduentitia: illius vsumfructum non competere filio ante emancipationem suam, aut mortem patris, ad quem spectat vsusfructus bonorum eius generis, ex lege Non solum, & ex lege Cum oportet, C. De bonis quæ liberis in potestate constitutis acquiruntur. De quo Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 143.

CAPVT III.

De obligatione parentum erga filios.

SVMMARIVM.

29 *Obligatio parentum alendi filios etiam spurios.*
30 *Causæ excusantes ab eadem obligatione.*
31 *Quod talis obligatio non tangat ex æquo patrem & matrem, & in quo sit diuersitas.*
32 *Obligatio alendi filios locum habet non tantum quoad legitimos, sed etiam quoad spurios.*
33 *Explicatio dubij, an mater teneatur filium lactare proprio lacte.*
34 *Patri incumbit obligatio dotandi filiam.*
35 *Parentes tenentur mediocrem diligentiam adhibere in comparandis temporalibus bonis pro filiis. Et quando per hos accepta mutuo, illi non teneantur restituere.*
36 *Parentes tenentur filium constituere hæredem.*
37 *Causæ ob quas pater potest exhæredare filium.*
38 *Quædam circa easdem causas notanda.*
39 *Quomodo ea non sufficiant ad negandum filio alimenta quibus indiget simpliciter.*
40 *Documenta aliquot de parentum obligatione alendi filios.*
41 *Obligatio parentum ad bonam educationem filiorum.*
42 *Quomodo illi hos castigare possint, & quæ debeant circa eosdem curare.*
43 *Quid sit iudicandum de expensis quas parentes faciunt alendo filium in scholis.*

MVLTA quidem sunt ad quæ parentes erga filios seu filias tenentur vt colligere est ex iis quę tradit D. Anton. 1. *par. tit.* 14. *cap.* 4. §. 6. sed ad duo fere omnia reducūtur: quorum alterum est debita vitæ sustentatio; alterum bona educatio prout attigit Caiet. in verbo Adulterium, in fin.

SECTIO PRIOR.

De obligatione parentum ad sustentationem filiorum.

QVod ad prius attinet, parentes teneri filios suos alere, habetur ex lege 1. 2. & 3. Cod. De alendis liberis, & ex lege, Nec filium, Cod. De patria potestate; estque hæc obligatio naturalis prout communem omnium sententiam esse habet Azor *in 2. par. suæ summæ lib. 2. cap. 4. quæst. 1.* Et patet ex eo, quod oriatur ex ipsa naturę propensione, quæ communis est homini cū belluis: siquidem feræ etiam quantumcumq; alioqui sæuæ & immanes, nutriunt proles suas. Quapropter parentes mortaliter delinquerent qui filiis notabiliter deessent in necessariis alimētis absq; causa rationabili, prout habet Nauar. in Enchir. *cap.* 14. *n.* 17. Et probatur efficaciter ex cap. Si quis reliquerit, dist. 30. in quo anathema talib. dicitur. Id quod locum habet etiam quoad filios spurios, vt in verbo Alimenta tradunt Sylvest. & Tabiensis: ille quæst. 1. & hic nu. 5. & late Couar. in Epitome 4. Decretal. *par. 2. cap.* 8. §. 6. quibus Azor aliis adhuc citatis, assentitur *in seq quæst.* 7. Neque quoad hoc faciendam esse distinctionem inter filios illegitimos ante vsum rationis vel post eundem, probatur ex cap. Cum haberet, De eo qui duxit in matrimonium in fine: vbi aperte statuitur talibus, necessaria subministranda esse à patre, secundum quod facultates ei suppetunt. 29.

Dixi, *absq; rationabili causa*: quia ex eiusmodi causa excusarentur parentes: vt si non haberent in bonis, ex quo id præstare possint prout loco cit. Nauar. & Sotus *in 4. dist. 41. quæst. vnica, art. 2. concl.* 2. ac Sylu. *verbo Filij, quæst.* 21. & Tabiena *verb. Alimentum, nu.* 7. tangunt. Item si filius habeat aliunde patrimonium, aut artem vnde seipsum alere posset, prout ex lege Si quis à liberis, §. Si filius, ff. de liberis agnoscend. tradit multis aliis citatis Couar. *in memorato* §. 6. *num.* 9. Addens id intelligi, dummodo non sit dedecus filio talem artem exercere: quod idem addit Sylu. in cad. quæst. 21. 30.

Censendi sunt quoque parentes similiter excusari, cum etiamsi diuites sint, filium tamen alere non possint sine vitæ propriæ periculo: quę est expressa sententia Soti loco cit. ponentis exemplum de matre quæ filium suscepit ex adulterio. Vnde licet alias parentes mortaliter peccent exponēdo filios suos alendos in hospitalibus, vel in aliis similibus domibus (nec enim obligationi quam habent illos alendi, debent ea ratione satisfacere, iuxta Nauar. in cit. num. 17. & alios quos Couar. refert & sequitur in cod. num. 9.) tamen in euentu nullum peccatum foret exponere filium alendum eiusmodi locis: non secus ac licite idipsum facerent parentes, quando extrema aut valde graui necessitate premerentur. Attamen debent tempus, locum, aliasque circumstantias obseruare, vt filij sui institutionem possint curare. Atque si pater aut mater indigens non sit, debet pro expensis illius satisfacere hospitali, prout notant Caiet. in verbo Adulterium, & in eodem verbo Sylvest. q. 5. Armil. §. 8. Tabiena num. 6. post D. Anton. 2. *par. tit* 2. *cap.* 7. *circa fin.*

Excusantur adhuc parentes ab alendis filiis ex aliis causis: vt intelligere est ex Panorm. ad cit. cap. Cum haberet, & ex Sylu. in verbo Filij, q. 21, & Tabiena verbo Alimentum, n. 7. De quibus illud in vniuersum cōstat, quod ex quibus causis licitum est patri filium exhæredare, licitum quoq; sit eidem alimenta denegare. Id quod pluribus aliis in eandem sententiam citatis tradit Couar. *in cit.* §. 6. *num.* 17. Quæ vero sint eæ causæ paulo post dicemus.

Si quæras, An prædicta obligatio alendi filios tangat parentes ipsos ex æquo. Respondetur negatiue. Ad matrem enim spectat, filio vsque ad primum triennium subministrare necessaria, vt habetur ex lege Nec filium, Cod. De patria potestate: traduntq; Syl. in verbo Alimentum *quæst.* 2. Tab. eod. verbo *quæst.* 4. Nauar. in Enchir. *cap.* 14. *n.* 17. & Couar. *in eod.* §. 6. *n.* 13. Ad patrem vero secundum eosdem, deinceps pertinet præfata subministratio. Quod si fiat diuortium inter parentes, Iudex qui illud facit, statuere debet à quonam ali debeant filij, prout tradit Sylvest. *in verbo Filij, q.* 21. De qua re pluribus tractat Thom. Sanchez *lib.* 10. *De matrimonio, disput.* 20. Cæterum si contingat matrem non posse per illud triennium alere filium, ad patrem id pertinebit; sicut & ad matrem pertinebit, etiam post triennium, eundem alere si 31.

ipsa sit diues, & pater sit pauper, vt tradunt Sylues. & Tabiena *l. cis c. 1.* & ex Panorm. *ad cap. fin. De conuersione infidelium, Couar. in cit num.* 13. annotat.

32. Hæc autem locum habere etiam quoad filios illegitimos satis probabile est. Quod enim Panorm. *ad cap. Cum haberet, De eo qui duxit in matrimon um*, contendit onus alendi filios illegitimos pariter patri & matri incumbere, nulla constituta ætatis differentia; pro dubio incertoq; habendum esse iudicat Couar. *in fine eiusdem nu.* 13. Iudicium quoq; sufficienti fundamento haud niti, quod habet Sotus *in 4. dist. 41. quæst. vnica. art. 4 concl.* 2. patrem etiamsi matrimonio solutus esset, non teneri de rigore iuris filium spurium agere, quia non tenetur credere suum esse: neque si credat, *aut ille*, alendi cura ipsi incumbit, sed matri *si potest*, cuius est certus filius: quod si ipsa non possit, ille ex quadam misericordia debeat eundē filium educare. Quæ ratio propterea non videtur sufficiens, quod nimis multum probet: nimirum de iure patrem spurij ad nihil amplius quoad eum teneri, quam alium quemcumque qui non est pater.

33. Si petas: An mater (si quidem ad illam spectat in primo triennio filium nutrire, vt dictum est) teneatur proprio lacte filium ipsum lactare. Respondetur non teneri sub mortali, etiamsi non habeat iustam excusationem; *x Nauar. in Enchir. cap. 14. num.* 17. Et ratio est: quia in eo charitas vel pietas debita non læditur grauiter, cum is non afficiatur graui damno. Quod tamen intelligendum est dummodo prouideatur illi de bona nutrice, quæ scilcet habeat lac, nec infecta sit morbo, quo possit infantem inficere, *vt attigit Nauar. & expressit Couar. in eod. num.* 13. Attamen dubium non est quin optimum consilium sit, vt matres per seipsas lactent filios suos: neque id vel Reginis dedecus esse ex Pauorino apud Gellium, Macrobio, Plutarcho ac D. August. Couar. ibid. adfert. Et ratio confirmat, quia debent filiis hoc amoris signum exhibere, præsertim cum ab ipsis mores cum lacte quodammodo hauriantur (in quam sententiam plura Azor *in supra citato cap. 4. q. 5.*) ita vt merito matres, nisi rationabilis causa eas excuset videantur in hoc venialiter peccare ex Nauar. & Couar. locis cit. Cuiusmodi causa est (vt ex iisdem & aliis habet Azor *in præced. quæst. 3.*) aut quod mater ipsa adeo debilis sit, vt sine vitæ dispendio non possit præbere lac filio; aut adeo pauper sit, vt compellatur victum aliunde quærere, neque id possit lactando filium; aut quod propter receptum patriæ morem ignominiosum sit tali fœminæ proprio lacte filium nutrire.

4ℰ. Addendum est hoc loco ad superiora: obligationem incumbere patri dotandi filiam quæ vult nubere. Id quod, *ex Nauar. in memorato num. 17. ver. 3. & Conar. in cit. §. 6. n* 11. *aliisq; multis quorum ipsi meminerunt*, locum habet etiam respectu filiæ spuriæ. Adde quoque ex probabiliore sententia locum habere respectu filiæ, quæ inuitis parentibus nupsit. Id quod latius tractatum videri potest apud Thom. Sanchez in lib. 4. De matrimonio disput. 25. & 26.

35. Addendum est præterea parentes debere mediocrem saltem diligentiam adhibere in comparandis temporalib. bonis pro filiis, iuxta illud poster. ad Corinth. 12. Non enim debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filiis. Dixi autem mediocrem diligentiam: quia obligare ad summam adhibendam, esset nimis durum. Neque ex verbo thesaurizandi colligas, patrem teneri ditare filium, & eleuare supra suum statum: sed solum in longinquum (quod ipsum thesaurizandi verbum importat, vt attigit D. Thom. 2. 2. *quæst.* 101. *art.* 2. *ad* 2.) relinquere ei hæreditatem sufficientem ad conditionem sui status; vel saltē eum ita promouere, vt possit sibi de rebus, iuxta statum suum sibi necessariis prouidere: siue laborando, siue arma tractando, siue etiam munus aliquod literarium exercendo.

36. Addendum est adhuc patrem non teneri ad restitutionem pecuniæ quam absque ipsius consensu filius in patria potestate adhuc constitutus, mutuam accepit. Nam per leg. 1. ff. De S. C. Macedoniano, tale mutuum non inducit, *post mortem etiam patris*, obligationem ad restitutionem. Quæ lex ex communi Doctorum sententia prout cum Molina notat Lessius *lib. 2. de iust. & iur. cap. 20. nu.* 8. locum habet in conscientia: vtpote quæ legi naturali admodum congruenter, talem pœnam imponit, vt omnis occasio machinationis prauæ contra parentes filiis præscindatur.

Aliquot tamen excipiuntur casus in quibus facienda est talis restitutio. Primus est, si filius habeat bona castrensia, aut quasi castrensia. Secundus, si publice putabatur sui iuris. Tertius si aliud accepit quam pecuniam de qua tantum lex loquitur, nisi id fecerit vt inde conflaret pecuniam. Quartus, si pecunia accepta versa sit in vtilitatem patris. Quintus, pater secundum rectam rationem debuisset suppeditare illam filio, tanquam ei necessariam ad suam sustentationem. Aduerte vero, quod si filius iurauerit se soluturum: quia iuramentum in alterius fauorem factum seruandum est cum potest sine peccato, is debeat soluere cum primum potest commode, nisi obtineat à Prælato talis iuramenti relaxationem, quæ dari potest, eo quod illud appositum fuerit in fraudem legis quæ inde facile redderetur inutilis.

Addendum est, ad extremum quod parentes debeant filios instituere hæredes ex Nouella 115. Iustiniani, in Authentica, Vt cum, De appellationibus, §. Aliud quoq; capitulum; ita vt eos exhæredantes sine causa non excusentur à mortali, tanquam notabilem iniuriam inferentes. Causæ vero ob quas iuste potest filius exhæredari, referuntur in proxime cit. §. & tractantur à Couar. ad cap. Raynutius, De testam. in princ. nu. 8. & aliquot sequentib. Itemque a Syluest. in verb. Hæreditas 2. & passim ab aliis Summulariis in eodem verbo illas, glossa vlt. ad cap. Quintuallis, De iurciurando, his versibus expressas habet:

37. *Bis septem causis exhæres si ius esto:*
Si patrem feriat, si maledicat ei.
Carcere detrusum si neglegit, ac furiosum,
Criminis accuset, vel paret insidias,
Si dederit grauia illi damna, nec hoste redemit
Tristari prohibet, vel dat arena locum.
Si prauos sequitur, vel genitoris amicam.
Non orthodoxus; filia quando coit.

Quorum versuum sensus est primam dictarum causarum esse, si filius percutiat patrem; quæ intelligenda est ex Couar. cum exceptione, nisi percutiat defendendo iuste seipsum, aut patriam. Secundam, si grauem ei intulerit iniuriam, de qua re iudicare spectat ad iudicem coram quo lis tractatur. Tertiam, si parentem captum, de carcere noluerit cum posset, educere fideiubendo pro eo. Quartam, si non succurrat patri furioso. Quintam, si accuset patrem in causa criminali, nisi sit de hæresi, vel de crimine læsæ maiestatis prout in præced. nu. 25. Idemq; est (vt aliis citatis habet Couar. num. 11.) si quis sponte, nec coactus, testis fuerit aut Aduocatus contra patrem in eodem crimine. Sextam, si vitæ parentum fuerit insidiatus veneno, aut alia quauis arte. Septimam, si parentes ex dilapidatione filij sustinuerint grauem rerum dispendium; quod quantum esse debeat arbitrio iudicis relinquitur ex Couar. in seq. num. 14. Octauam, si non redemit patrem captiuum. Nonam, si impedimento sit, ne paret faciat testamentum. Decimam, si sine facultate patris versetur cum arenariis seu mimis: cum pater ipsius non fuerit illius conditionis. Vndecimam, si conuersetur cum maleficis seu incantatoribus. Duodecimam, si habuerit rem cum vxore patris, seu cum nouerca sua, vel cum eiusdem patris concubina. Decimamtertiam, si filius fuerit hæreticus, cum pater sit Catholicus. Vltimam, si filia fornicata sit; cum parentes vellent pro suo posse, eam dotare, nisi eam maritare neglexerint vsque ad 25. annum: quæ verba sunt memoratæ glossæ. Cui adde, *ex Sylvest. in verbo Hæreditas, 2. num. 7. sub fin.* quod si mater meretrix fuerit, ipsa non possit ob meretricium exhæredare filiam; possit vero pater etiamsi luxurietur. Adde etiam quod si filia quæ fornicata fuerit, pœnitentiam egerit, pater illi teneatur præbere alimentum, & dotem, *vt habet Sylvest. in verb. Dos, q. 4. in fine.*

Omnes autem hæ quatuordecim causæ locum habent tam in maribus quam in fœminis præter vltimam, quæ tantum habet locum in fœminis: & tertiam quæ tantum in maribus: eo quod fœmina fideiubere non possit prout Sylvest. notat *Hæreditas 2. num. 3.* ex lege 1. & 2. ff. ad S. C. Velleianum. Item aliquæ ex eis sunt (vt patet ex Authentica cit. §. Iustum autem perspeximus) propter quas filius potest exhæredare patrem: nimirum 4. 5. & 6. item 8. 9. 12. & 13. quibus in eod. §.

Hæc

Hæc octaua adiungitur: si pater tentauerit interficere vxorem filij.

38. Quatuor vero obseruanda sunt circa easdem causas. Primum est: si aliæ occurrant, omnes sub illis intelligi: quatenus fuerint maiores ipsis & grauiores, vt multis citatis tradit Couar. in cap. Raynutius, De testam. in prin. num. 16. Secundum est, per ingressum religionis auferri omnem causam ingratitudinis, tam filij quam patris; & ex cap. fin. 19. quæst. 3. quod contra Alciat. & Balduinum optime defendit Couar. ibid. *num.* 20 *&* 21. Tertium est, si filius post ingratitudinem egerit pœnitentiam reconciliatusq; fuerit patri, ipsum non debere à patre exhæredari, si nõ dum exhæredatus est: quod si iam exhæredatus sit, exhæredatio locum habebit etiam in foro externo, nisi expresse reuocetur. De qua re ibidem Couar. *num.* 17. *&* 18. Quartum est, quod habet Azor in 2. part. suæ Summæ, lib. 2. cap. 3. quæst. 6. in fine; tales causas nõ sufficere ad neganda alimẽta filio illis indigenti simpliciter. Ratio est, quia ille non tollunt ius naturale, positum in instinctu homini cum bestiis communi, ad alendum fœtum suum.

39. Vbi aduerte filium non esse censendum agere simpliciter, cum ipse potest aliunde victum sibi quærere ac comparare: vt quando habet sufficientia bona propria, vel vires & robur, vel industriam artemve (nisi hæc dedeceat conditionem personæ ipsius) vnde possit si velit victum acquirere, aut certe aliquos alios habeat à quibus alatur. In quo, tanquam fundamento, nituntur responsiones ad multa dubia quæ Azor persequitur in seq. cap. 4. consistentes in his. Primo, quod pater filium Religionem professum si per iustam sententiam ab ea expellatur, debeat alere, si aliunde non habeat vnde viuat. Secundo, quando rem aliquam certam loco alimentorũ à patre assignatam, filius ipse sua sponte cõsumpsit ac dissipauit, culpam ipsius nõ impedire quominus simpliciter egenti alimenta pater præbere debeat: quia inde nõ cessat lex, qua de æquitate naturali pater debet alere filium in extrema, aut graui necessitate. Tertio, si filius cesserit iure alimentorum, quæ ipsi à patre debentur (quantumcunq; iuramento firmarit cessionem) ac postea ad egestatem extremam, vel grauem deuenerit, patrem teneri alimenta ei dare, non obstante iuramento interposito, quod intelligendum est interpositum esse cum hac tacita conditione, *nisi necessitas extrema vrgeat*, vt argumento est, quod nemo approbet talem cessionem vrgeri, vel fieri tunc temporis, cum filius inopia egestateq; premitur graui, aut statim ad eam deuenturus videretur.

37.

40. Alia ad hunc locum spectantia quæ idem Azor sub finem eiusdem 4. cap. & in seq. cap. 5. persequitur, sufficiet complecti aliquot documentis. Primum est: patrem æs alienum contractum à filio ad se alendum, tenere soluere tanquam suo nomine contractum. De quo iam dictum est antea. Secundum est: filium qui aliunde alitur, si quid à patre accipiat tanquam liberaliter donatum, non tenetur illud restituere. Tertium est: alimẽta præstanda filio, debere talia esse, qualia ipsum decent, conditione eius spectata, ex ætate, nobilitate, & professione ipsius: ac etiam instituto, more, ac consuetudine patriæ in qua degit. Quartum est: eodem iure naturali quo parentes filiis, auos, cæteros q; ascendẽtes debere alimenta præbere nepotibus & neptib. cum pater & mater desunt. Quintum est: cum matrimonia debeant esse libera, patrem non posse bona conscientia filiæ alimenta seu dotem negare eo nomine, quod nupserit sine suo consensu, nisi nuptias inierit indignas, viles & ignominiosas, aut repugnãtes sacris canonibus iuribusve Ecclesiæ. In quo casu naturali æquitati consentaneum est seueritati vti, ad familiæ perturbationem atq; odia & dissidia quæ inde oriri solẽt, vitanda. De hoc plenius idem Azor in præced. cap. 2. q. 7. 8. & 9. sed ipsum spectat proprie ad tractatum de matrimonio.

Sextum est, obligationem parentũ alendi filios etiam spurios, transire ad hæredes ipsorum: similiterq; ad alios ad quos ex donatione vniuersa bona illorum peruenerunt: non item ad illos ad quos peruenerunt ex emptione. Fiscum autem ad quem eadem bona peruenerint ob parentum crimina, teneri saltem vitæ necessaria filiis relinquere, cum debeantur eis de iure naturali: nec insontes filios ob patris crimen priuare talibus, sit æquitati naturali cõsentaneum. Hoc plenius idem author tractat in cap. 5. quæst. 5. & 6.

Septimum est: quando filius potest absq; dedecore ali à parentibus, peccatum esse cum obligatione ad restitutionem expensarum, exponere illum nutriendum in hospitali domo; nam hospitalia instituta sunt tantum in subsidiũ pauperum. Qua etiam de causa is qui filium quem alere potest, exponit ad vitandum dedecus & infamiam quamuis excusari possit à peccato, non excusatur à restitutione expensarum factarum in eo alendo. De qua re Azor ipse plenius in quæst. 7. & not alias cum de restitutione. Quæ in reliqua parte eiusdem quinti capitis peculiaria de matre ille habet, & pluribus sequentib. capitibus, de diuersis filiorum generibus erudite tractat, ei qui volet apud ipsum videnda possumus relinquere: vt non adeo necessaria ad nostrum institutum.

Sectio Posterior.

De parentum obligatione ad filiorum educationem.

41. AD duo reuocari diximus quæ parentes debent filiis; de priori hactenus. Quod attinet ad posterius, nempe ad bonam educationem, notandum est teneri parentes per se vel per alias personas honestas, bonis moribus filios instituere, atq; adeo spiritalem ipsorum salutem primo, principaliterve curare: cauẽdo ne occasiones peccati mortalis habeãt, corrigendoque delinquentes, nec sinendo ipsos duci suis affectibus: atque procurando, vt præcepta quibus adstringuntur, siue Dei, siue Ecclesiæ teneant, eaque obseruent; atque orationem Dominicam cum salutatione Angelica, symbolumq; Apostolorum addiscant, prout Nauar. monet *in tract. De oratione, cap. 3. num.* 20. congruenter cap. Vos ante omnia, de consecr. dist. 4.

42. Debent quoque abstinere à nimia seueritate erga filios, ne illos ad indignationem prouocent, ex cap. 3. Epist. ad Colos. Quanquam si ab eis aliqua commissa sit culpa, quæ necessario castigationem & obiurgationem requirat, cauere debent ne quid liberis dissolutis, per indulgentiam remittant; vt circa finem explicationis huius præcepti monet Catechismus iussu Concil. Trident. editus. Videri potest Diuus Anton. 1. *par. tit.* 14. *cap.* 4. §. 6. versu *Debet tertio*. Quamuis autem *vt recte Socus docet lib.* 5. *De iust. & iure, quæst.* 2. *art.* 1. patres non possint occidere filios, vel mutilare, aut vulnerare: tamen possunt in castigatione (dummodo id sit ad ipsorum vtilitatem) vsque ad verbera procedere, vt post D. Thom. 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 2. habet Sylvest. *in verbo Vxor. quæst.* 3. *& in verbo Percussio*. Debet autem esse moderata verberatio, *vt ibid. addit Sylvest.* sique percussio atrox fuerit, peccatum erit mortale, *ex Soto in sequen. art.* 2. Non est vero talis censenda illa, ex qua non imminet notabilis læsio, etiamsi facta sit aliqua excoriatio.

Insuper debent parentes dare operam ne filij prauæ consuetudini assuescant, & ne malos habeant magistros, aut alios cum quibus, siue domi siue foris versentur. Corrumpunt enim (*vt dicitur in priori ad Corinth. cap.* 15.) mores bonos, colloquia praua. Ne item otio torpeant, quandoquidem ex Ecclesiast. cap. 33. multam malitiam docuit otiositas. Debent præterea seipsos præbere liberis magistros virtutis, æquitatis, continentiæ, & sanctitatis, *vt citatus Catechismus habet in eodem loco*, adeoque illud maxime curare ne malo suo exemplo illi deprauentur: in quo grauissime peccarent. Vide tradita à D. Antonino in memorato §. 6. vers. Quarto debet. Illud vero inter cætera turpissimum est in educatione filiorũ, si parentes præpostera illis consilia præbeant, illosque ratione aliqua inducant ad peccata. Atque ex his deduci possunt aliqua in particulari in quibus parentes delinquunt, qualia sunt: tum alia, tum quæ proponuntur à Nauarr. in Enchir. cap. 14. num. 18. spectantia ad licentiam à parentibus permissam suis liberis in vano cultu corporis proprij, & in turpi cõuersatione cum aliis.

43. Addendum est autem obiter iuxta ea quæ Azor habet in 2. part. suæ summæ *lib.* 2. *cap.* 4. *quæst.* 17. *&* 18. patrem teneri in conscientia, sumptus & expensas facere, vt filius det operam literis: quibus cæteri paris conditionis, more patrio eruditi informarique solent, nec filium ipsum patre mortuo dum inter fratres paterna hæreditas diuidetur, teneri easdem expensas referre, & in legitimam suam computare: quoniam cæ iudicantur à patre gratis ac liberaliter factæ, nisi alicunde

constaret quod ipse voluerit, vt filius in partem suæ legitimę eas haberet.

CAPVT IV.

De obligatione ad inuicem parentum, coniugumve, ac filiorum, seu fratrum.

SVMMARIVM.

44 *Obligatio inter virum & vxorem præsertim ad subiectionem & reuerentiam mutuam.*

45 *Aliquot modi quibus vxor contra talem obligationem mortaliter peccat.*

46 *Explicatio difficultatis: An vxor teneatur sequi virum mutantem domicilium.*

47 *Modi quibus vir peccat mortaliter contra propositam obligationem.*

48 *Obligatio alendi vxorem.*

49 *Obligatio fratris subueniendi fratri, & filii ipsius.*

50 *An ea possit impedire in illo religionis ingressum, explicatur distinctione.*

44. CVM vir & vxor indiuiduam vitæ consuetudinem societatemque ineant ex l.1.ff.de ritu nuptiarum, & ex cap. Illud, De præsumptionibus, efficianturque duo in carne vna, ex cap.19 D. Matthæi, dubium non est quin debeant non tantum interno actu; sed externis etiam amoris signis se inuicem honorare, proprioſque defectus mutuo tolerare, ac sibi subiectionem & reuerentiam mutuam exhibere: potissimum autem vxor viro: quia licet hic in illam non habeat dominium politicum: habet tamen dominium quoddam naturale, secundum quod superior illius est atque caput, prout ab Apostolo dicitur in priori ad Corinth. cap. 11. Ad quod facit quod prima mulier formata sit non de pede, quia non debet esse ancilla, nec de capite, quia non debet esse domina: sed de latere tanquam socia data viro suo, vt ex Magistro sententiarum habet D.Anton. *3.part.t.tit.14. cap.9.§.1.versu, De conuersatione coniugatorum.* Et quamuis quod ad debitum coniugale attinet, ea ius æquale habeat cum marito *(vt enim vxor potestatem sui corporis non habet sed vir: ita nec vir potestatem sui corporis habet, sed mulier, ex Apostolo in præced.cap.7.)* id tamen non impedit, quominus in aliis, *præsertim ex gubernatione domus*, ius superioritatis penes maritum residear, ex D.Anton. in initio citati paragraphi. Quocirca si vir vxori debeat reuerentiam, eandem vxor viro multo magis præstare tenetur. Cuius rei egregium exemplum dedit B.Virgo *ex D.Lucæ cap.2.sub finem*, cum filium reperiens in templo dixit: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego, &c. præposuit enim sponsum honoris gratia. Sara item cum de marito suo Abraham ageret, vocauit illum dominum: inquiens, Et Dominus meus vetulus est, Gen.18.

Efficitur præterea ex dictis vxorem teneri obediri viro in iis in quibus ipse superior est: qualia sunt quæ pertinent ad bonos mores & familiæ gubernationem: quod notat Nauar. in Enchir. *cap.14.num.20.* Ad quod faciunt quæ ex D. Augustt. habentur apud Gratianum in cap. Est ordo, in cap. Hæc imago, in cap. Satis in cap. Mulier, & ex D. Hieronymo in cap. Cum caput, 33. quæst.5.

Obligatio vxoris erga virum.

SECTIO I.

45. ATque his congruenter, pro praxi in particulari dicendum videtur, quod ad vxorem attinet, in ordine ad virum eam peccare mortaliter, si debitam huic subiectionem præstare contemnat: aut in re graui non obediat præcipienti aliquid eorum in quibus ipse est superior: aut si suis rixis ac verbis maritum prouocet ad blasphemiam, sciens, aut scire debens ipsum ex talibus, taliter prouocatum iri: hæc Nauar. habet in cit.num.20.vers.6.& 7. Quibus adde si marito pertinat, nisi id faciat defendendo se cum debita moderatione, alioqui enim grauem illi infert iniuriam ob superioritatem. Sequitur etiam ex prædictis, quod cum ad virum pertineat gubernatio domus; rerumque administratio, peccet vxor si contra expressam vel tacitam voluntatem illius, aliquid notabile expendat, etiam in eleemosynis: nisi paraphernalia, id est, bona aliqua vltra dotem habeat, vel artem multum lucrosam, vt loc.cit. expressit D.Anto.& explicuimus tractantes de eleemosyna in lib.4.num.276.

Sed petes; An mortaliter peccet vxor, si virum suum nolit sequi cum ex vna ciuitate migrat in aliam, in quā vult eam 46.
ducere, mutando domicilium. Ad quod respondetur affirmatiue, iuxta ea quæ tradunt in verbo vxor *Syluest. quæst. 8. Armilla §.6.Tab.quæst.2.Nauar.in Enchir.cap.14.num.20.vers.5. & Couar.cum aliis in Epitome 4.Decret.al.part.2.cap.7.in prin.ip. nu.5.* Intellige autem nisi maritus fecisset antea pactum cum vxore de domicilio non mutando. De qua re dicetur plenius in seq.lib.31.num.309.& 310. Hæcque quoad vxores in ordine ad viros dicta sint.

Obligatio viri erga vxorem.

SECTIO II.

QVod vero ad maritum spectat in ordine ad vxorem, ex 47.
supradictis consequens est peccare mortaliter maritum *(quod Nauarr. expressit in cit.cap.14 n.um.19.)* qui indiscrete & sine causa valde rationabili, percutit vxorem, etsi negandum non est quin si huius defectus id postulent, maritus qui caput est illius, ex priori ad Corinth.cap.11. possit vsque ad verbera in vxoris castigatione procedere: iuxta ea quæ tradunt D.Anton. *3.part.tit.14.cap.9.§.1.ver. Secundo modo debet*, & in verbo Vxor, Syluester quæst.3. Armilla §.2.& Tab. quæst.2. Ait autem Sotus *in 5.de iustit.& iure, quæst.2.art.2. ante solutionem argumentorum:* quod nisi grauis vrgeat necessitas dedecus sit viro, adeoque nefas, tali iure vti. Curandus enim est vxorum honor, nec ad castigationem veniendum est, nisi tales sint earum mores, vt recta ratio dictet, ipsas esse puniendas. Rursus consequens est mortaliter peccare maritos, si aspere tractent vxores tanquam seruas *(quod Nauarr. habet in eodem num.19.vers.3.)* easque afficiant iniuriis de se aptis ad infamandum, etiamsi ipsi non habeant infamandi animum: si quidem sequatur infamia, vel probabile illius periculum. Item animo inferendi illis notabilem iniuriam, furibunda verba contra eas proferant; quantumuis ea non sint iniuriosa sua natura, multo magis vero si talia sint quæ lædant ipsarum honorem, & innuant fidem violatam.

Amplius mortaliter peccant viri qui absque legitima causa vxores impediunt, auocantq; à piis exercitiis, quæ ipsæ so- 50.
lent facere sine præiudicio eiusdem viri & administrationis domus: aut etiam ab obseruatione præceptorum siue Dei siue Ecclesiæ; v.g. ab audiendo sacro diebus festis, à communione in Paschate, &c. *Quod etiam Nauarr. loco cit. ver.1. expressit.* Idem iudicium est, si nolit vxorem alere, iuxta Sylu. in verbo Alimentum, *quæst.1.vers.3.* & D.Anton. *in memorato §.1.ver.1.* Quod intellige, nisi ex impotentia excusetur: vt D.ipse Anton. admonet. Intellige etiam, *quod Thomas Sanchez in lib.9.de matrimonio, disp.4. quæst.2.tractat.alias abunde citatis*, nisi vxor propria temeritate recedat à consortio viri, sine huius culpa. Nam vxor debet esse in viri obsequio, ex cap. Hæc imago, 33. quæst.5. Vnde si obsequium debitum præstare nolit, non accipiet alimentum sibi debitum. Quod si vxor recedat culpa viri, vt ob ipsius sæuitiam, alenda est ab illo: quia cum tunc non vxoris, sed viri culpæ tribuendum sit, quod illa non sit in huius obsequio, perinde censendum est, ac si reuera esset in obsequio. Quod si vtriusque culpa sit, *addit memoratus author ibid. num.24.* attendendum est, cuius sit vltima, vt si vxor culpa quidem sua recessit, sed pœnitentia ducta redit ad virum, is nolendo eam recipere causam dare censetur separationi, & ideo teneri ad alimenta. Item si vxor inculpatæ quidem ob mariti sæuitiam recessit, sed maritus ei cautionem sufficientem offert de securitate in posterum suauis tractationis; ita vt prudentis iudicio non habeat causam iustam recusandi oblatam conditionem, ipsaque nihilominus recusat; ei vir extra consortium suum existenti, non tenebitur alimenta tradere. Intelligi adhuc idem debet nisi dos promissa sit, nec soluta. De qua re idem Sanchez plenius in sequent. disput. 5. De eadem autem commodior locus dabitur in seq. *lib.31.* qui erit de matrimonio.

Obligatio fratrum ad inuicem.

SECTIO III.

49. DE hac iuxta tradita ab Azorio 2. par. suæ summæ lib. 2. cap. vlt. habendum est pro documento: fratrem fratri indigenti debere alimenta præbere. Quod satis patet, cum egestas fuerit extrema vel quasi extrema seu grauis: nam & extraneis taliter indigentibus subsidium debetur ex lege misericordiæ; sed difficultas est, an etiam teneatur cum egestas fuerit tantummodo, eo quod conuenienter conditioni sui generis & familiæ viuere non possit. Cuius partem affirmantem idem author merito tenet tanquam consentaneum ei, quod ex communi sententia Iurisperitorum habet Panorm. ad cap. Peruenit, De arbitris, num. 1. fratrem debere fratri alimenta, & sorori dotem, quæ loco alimentorum succedit. Pro eadem quoq; facit, quod ratio æquitasq; naturalis postulet, vt frater fratri subueniat, nõ solum charitatis lege, qua etiam extraneo simpliciter, aut grauiter egẽti debemus prout possumus subuenire: sed ratione quoque pietatis erga sanguine coniunctos exercendę, vt succurrat indigenti necessariis ad agendam vitam, quæ deceat hominem suæ conditionis, qui alioqui futurus sit cæteris ludibrio.

Quæ ratio procedit siue fratres sint ex vtroque parente, siue ex altero tantum, ex eod. ibid. quæst. 2. In quibus sequentibus addens fratrem ab ea obligatione non liberari: quod frater indigeat sua culpa: siue quia consumpsit dissipauitque bona sibi à patre tradita, quibus poterat se commode alere: siue quia pater illũ exhæredauit. Nam hæc non obstant quin vere indigeat, nec habeat vnde viuat: ac consequenter quin ex fraterna pietate subueniendum sit ei, si nequeat aliunde sibi de necessariis prouidere. Quod vero ille deinde docet Clericum prædictæ obligationi satisfacere posse, ex reditibus sui beneficij tractandum erit, cum agetur de beneficiis Ecclesiasticis lib. 30. tract. 3. Atque quod de fratribus dictum est, idem ait dicendum esse de nepotibus ex fratre, vel ex sorore: quia id ex naturali æquitate eis debetur, cum non habent vnde sustententur.

50. Quæstionem autem; An teneatur quis ab ingressu religionis abstinere ob indigentiam alimentorum quam frater, aut soror patiuntur, censet explicandam distinctione: vt si necessitas sit extrema, aut quasi extrema, seu per quam vita fratris, vel sororis periclitetur, debeat ea durante abstinere à tali ingressu, qui solum est consilij; quia fraternę indigentiæ in ea subuenire tenetur iure naturali, cuius præceptum negligi non potest, vt consilium impleatur. Non debeat vero, si necessitas non sit valde grauis, vt cum frater vel soror solum indiget bonis necessariis ad statum & honorem dignitatemq; suam tuendam ac cõseruandam; nisi forte aliquibus circumstantiis concurrentibus, inde sequeretur tantum scandalum aut commode damnum, vt prudentis arbitrio cedendum esset tempori, & talis ingressus omnino differendus: quod raro contingere potest: sicut & illud propter quod idem author ait ingressum posse egredi petita licentia, etiam non obtenta: nempe si frater perinde egeat illius subuentione, ac si vellet se suspendio, aut præcipitio necare, nec quisquam esset qui ab eo vitæ periculo ipsum eripere vellet.

CAPVT I.

De obligatione parentum & filiorum aliorum, quam carnalium.

SVMMARIVM.

51 *Obligatio mutua pædagogorum, & puerorum eis commissorum.*
52 *Magistrorum obligatio ex charitate erga discipulos, & specialis imposita Doctoribus iuris, & medicinæ.*
53 *Specialis imposita Doctoribus Theologiæ.*
54 *Peccata mortalia quæ contra iustitiam magister committit, in ordine ad suos discipulos.*
55 *Casus in quibus discipuli mortaliter peccant.*
56 *Obligatio tutorum & curatorum, contra quam ipsi peccant mortaliter in tribus casibus.*
57 *Obligatio dominorum & seruorum.*
58 *Casus in quibus contingit dominos peccare mortaliter in ordine ad seruos.*
59 *Casus in quibus seruos contingit peccare mortaliter in ordine ad dominos.*
60 *De domini obligatione subueniendi famulo ægrotanti.*
61 *De obligatione soluendi eidem mercedem.*
62 *De obligatione domini, respectu delicti famuli.*
63 *De obligatione simili defendendi dominum suum.*
64 *Obligatio Principum erga populo sibi subditos, & horum erga illos.*
65 *Potestas præcipiend. in Principe, quæ.*
66 *In quibus Princeps communiter peccet mortaliter.*
67 *Obligatio ad inuicem patrum & filiorum spiritalium.*
68 *Obligationes particulares Curatorum.*
69 *Obligationes particulares Episcoporum.*

NOTANDVM huius tractatus annotauimus hoc præcepto præter parentes, & filios carnales obligari quosdam alios, de quibus sigillatim aliquid dicendum est. Primo quidem de iis, quorum alij aliorum priuatam curam gerunt. Secundo, de iis quorum alij alios ciuiliter gubernant. Tertio, de iis, qui filij vel parentes sunt spiritales.

SECTIO I.

De obligatione ad inuicem eorum quorum alij aliorum curam gerunt.

IN horum numero ponuntur magistri & ipsorum discipuli: tutores item & curatores, ac pupilli ipsis commissi: & denique domini & serui.

De obligatione magistrorum & discipulorum

§. 1.

ATque de magistris illud notandum est: quosdam eorum esse quibus cõmittitur à parentibus cura puerorũ 51.
in iis, quæ pertinent ad bonos mores; & pædagogi ex eo dicuntur, quod pueris semper adesse debeant. Tenentes igitur parentum locum, grauissime peccant dissimulando talium puerorum delicta, nec gerendo curam debitam illorum in iis quæ ad suum officium pertinent, vt potissimum pertinere censentur; instructio in à bonis morib. ac pietate Christiana, & in literis promotio: in quibus tanta ac talis potest esse ipsorum negligentia, vt mortaliter delinquant. Atque ad cohibendum puerum sibi commissum non obiurgatione tantum, sed etiam verberibus si opus sit ad emendationem, vti poterunt: iuxta ea qua tradit Sotus *li. 5. de iust. & iure, qu. 2. art. 2.* Quod intellige, *ex eodem ibidem*, nisi ob illorum ætatem, vel alias qualitates id ipsis fas non sit; aut dummodo in hoc non excedantur consueti limites, nec facultas, seu beneplacitum eorum à quibus tacitam vel expressam habent puniendi potestatem.

Ij vero qui sub pædagogo sunt peccare possunt, si ei debitam reuerentiam non exhibeant: & in rebus ad bonos mores pertinentibus inobedientes sint. Nam ipse gerit vicem parentum, eisque succedit in cura, quam iure naturæ habere debent educationis filiorum. Qua de causa iidem parentes male faciunt tractantes pædagogos tanquam famulos, cum inde fiat vt pueri, ipsos facile perinde vt reliquos famulos, contemnant.

Alij autem magistri sunt, qui profitentur grauiores scien- 52.
tias, quibus non incumbit quidem tanta cura rectæ institutionis suorum scholasticorum, quos supponunt iam esse institutos, aut ab aliis instituendos; tamen tenentur saltem ex charitate nonnunquam aliquid inter legendum interponere, quo in bonis moribus eosdem scholasticos suos promoueant; & procurare deprauatorum emendationẽ, iuxta præceptum de correctione fraterna, quo ad id tenentur pluſquã cæteri communiter, ob rationem nonnullam quam habent patris, ob quam etiam ipsis reuerentia specialis debetur. Aduertant autem qui ius ciuile, aut medicinam docent ipsos mortaliter peccare, si ad suas prælectiones scienter admittant Religiosum, Presbyterum aut Clericum dignitate Ecclesiastica præditum. In eo enim cooperantur peccantibus mortaliter transgressione præcepti quo in cap. vlt. Ne Clerici vel Monachi; iidem Religiosi, Presbyteri & Clerici sub excommunicatione ipso facto incurrenda, prohibentur ta-

libus studiis dare operam. Imo si Religiosos habitu suo dimisso leges vel physicam seu medicinam audientes, scienter docere aut in scholis suis præsumpserint retinere, eo ipso incurrunt in excommunicationem.

Circa quam, nota primo eam requirere vt Religiosus studeat legibus aut medicinæ, habitu dimisso. Vnde si aliis disciplinis studeat, aut his quidem sed retento habitu, magister docens ipsum, peccare quidem potest, non incurrit tamen in eiusmodi censuram. Nota secundo, personas in quas fertur, esse doctores siue magistros: quæ duo nomina censeri possunt sic coniuncta, ad significandum quemcunque docentem leges aut medicinam, siue doctoratus gradum habeat, siue non. Nota tertio duas esse actiones, propter quas talis censura fertur; nempe scienter docere, & retinere in suis scholis, quarum vnamquamq; seorsim ac diuisiue efficere ad illam incurrendam, coniunctio disiunctiua ostendit. Ea enim est vis illius, vt faciat simul posita, accipi seorsim: sicut coniunctio copulatiua facit simul posita, etiam simul accipi. Vnde colligitur quod si doctor legum ciuilium aut medicinæ talem aliquem in sua schola scienter doceat, incurrere in talem censuram, etiamsi non retineat illum in ea. Quo retinendi verbo aduerte significari concursum aliquem positiuum; siue rogando, siue consulendo, siue authoritate sua, aut fauore defendendo: præsertim autem violentia adhibita ad religiosum eiusmodi tuendum, quo perseueret in sua schola.

Ignorantia autem, etiam aliquo modo culpabilis, excusat ab eadem censura, cum imposita sit præsumenti, atque adeo scienti, aut negligenti scire cum facile potest. Excusat quoque violentia per quam Doctor compellitur talem auditorem ferre, quia adhibita quam potest diligentia in procurando ne scholam ingrediatur, aut vt ingressus ex ea exeat, nihil proficere potest. Cuius excusationis ratio sumi potest ex eo, quod talis censura requirat vt scienter doceatur. Quare, & vt voluntarie, cum in moralibus scientia non aliter requiratur, quam ad perfectionem voluntarij.

Si quæras, quid Doctor de quo agimus teneatur facere, si dum docet aduertit talem Religiosum adesse inter alios: bene respondet Suarez *tom. 5. in tertiam part. disput. 23. num. 4.* si non habeat aliunde iurisdictionem, ipsum non posse, *vt nec aliam priuat im personam*, sua authoritate vim ei inferre; nisi quod per modum defensionis, possit sine effusione sanguinis vel magno scandalo, aut violetia procurare vt exeat: quod si non sufficerit, spectabit ad Superiorem scholarum vim illi inferre efficacem, compellendo omnino vt exeat. Quod si non obtineatur, non teneatur Doctor, *addit ille*, à suo munere cessare, ne à tali audiatur; quem censebitur solum tolerare inuitus, non autem scienter docere sicut censetur cæteros suos auditores docere.

53. Iam qui Theologiam docent debet aduertere, statui de ipsis in Concil. Trident. sess. 5. cap. 1. De reform. quod habens beneficium sacræ Theologiæ lectoribus deputatum, cogatur, etiam per detractionem fructuum, prælegere per se si est idoneus, alioqui per idoneum substitutum, ab Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, & aliis locorum ordinariis eligendum: vt de cætero beneficium huiusmodi non conferatur nisi idoneo ad id munus obeundum. Statui præterea, quod nemo ad huiusmodi lectionis officium admittatur, quin prius ab Episcopo loci de vita, moribus, & scientia examinatus, & approbatus sit. Item in eodem Concil sess. 13. can. 11. excommunicari ipso facto eum, qui præsumpserit docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, aut disputando defendere necessarium non esse habenti cõscientiam peccati mortalis, confessionem Sacramentalem præmittere ante communionem, si copia detur Confessarij. De qua excommunicatione Suarez *ad 3. partem D. Thom. tom. 3. d. sp. 66. sect 3. vers. Sed quæres*, disputat quæ Concilij fuerit intentio in ea ferenda. Verum pro praxi potest nobis sufficere, quod idem iudicat esse probabilius: directam intentionem, *inquam*, Concilij fuisse pœnam eam imponere, illis qui ausi fuerint quocumque titulo, vel quæsito colore, negare obligationem præmittendi sacræ communioni confessionem sacramentalem, cum quis & conscientiam peccati mortalis habet, & copiam Confessarij.

Aduerte vero obiter, quando in bulla edita in confirmationem Concil. Trid. à Pio IV. generatim omnibus personis prohibetur commentarios aut interpretationes suas edere in decreta eiusdem Concilij, nõ esse sermonem de interpretationibus quæ in scholis fiunt docendo, prout ostẽdit vsus fundatus in necessitate; si quidem sine tali interpretatione, doctrina Theologica vix tradi potest.

Porro peccata mortalia quæ contra iustitiam magistri in ordine ad discipulos possunt committere, referuntur à Nauarr. *in Enchir. cap. 25. num. 57. & 58.* Primum est; si sciens aut scire debens doceat falsa, aut inutilia in alicuius notabile damnum siue spiritale siue temporale: aut in rerum delectu modoque docendi, non habeat rationem capacitatis & profectus auditorum. Secundum est: si per se aut per alios inducat auditores alterius doctoris ad se audiendum illo relicto cum notabili damno profectus eorumdem auditorum, & dedecore illius alterius doctoris: probe alioqui fungentis suo docendi munere. Tertium, si lectiones omittat cum notabili auditorum damno: nisi arbitrio prudentis iusta causa ipsum excuset. Quartum, si aliquid mercedis à suis discipulis exigat habens stipendium publicum, vel beneficium Ecclesiasticum cui impositum est onus docẽdi. Quintum, si scholasticum crudeliter castiget: cum leuis solum castigatio sit ei permissa, iuxta cap. Presbyterum, De homicidio. Sextum, si simpliciores ita contemnat, vt inde notabile accipiant damnum honoris aut aliorum bonorum ipsis debitorum ex legali iustitia. Quæ omnia & mortalia esse & contra iustitiam patet ex eo quod perpetrentur cum notabili iniuria proximi. 54.

Addit Nauarr. in sequen. num. 59. quoad discipulos, peccare ipsos mortaliter. Primo, si ob mortalẽ finem studeant; commune est enim omni actioni, vt malitia sui finis inficiatur iuxta cap. Cum minister 23. quæst. 5. Deinde si habentes in Academia ius ferendi suffragium in electione Rectoris, aut prælectoris, aut beneficiarij, suffragentur, aut curent alium suffragari indigno: nam id contra iustitiam est, notabiliter damnosum. Quod si iuramentum præstiterit de eligendo digniori, ne quidem dignum, relicto cõpetitore digniore eligere possunt, nisi peccato mortali periurij. Tertio, si scientias superstitiosas addiscant: tale studium enim coniunctam habere animarum perniciem, vt præter experientiam, ostendit quod Actorum 19. refertur: cum multi credentium venirent ad D. Paulum confitentes, & annunciantes actus suos, multos qui erant curiosa sectati, contulisse & combussisse coram omnibus libros denariorum quinquaginta millium. Quarto, si contra veritatem quam sciunt, altercentur circa pertinentia ad sanctam fidem Catholicam, aut circa necessaria ad salutem animæ vel corporis. Talis enim contentio secum habet coniunctum periculum irreuerentiæ diuinæ, aut læsionis siue sui siue proximi in re valde graui. Quinto, si cum possint non soluant magistro stipendium debitum: aut arrogent sibi gradum literarium quo carent: vtrumq; enim est contra iustitiam, & ideo mortale in materia graui. Postremo, si studendo sint notabiliter negligentes quando propriis sed alienis impensis, aut ex reditibus Ecclesiasticis aluntur in studiis. 55.

Licet enim propendens inutiliter, tanquam nulli faciens iniuriam, solum damnetur de veniali prodigalitate; expendens tamen aliunde accepta in certum finem, tanquam nequiter agens, non vacando talis finis consecutioni, grauis criminis reus iudicatur. Et certe, vt de beneficiariis nihil dicam: quorum abusus in re proposita turpior est; non possunt non grauissime peccare filij qui contra incognitam intentionem parentum, bona horum inutiliter insumũt cum notabili familiæ damno: quibus propterea iidem parentes sumptus præbent, quod resarciendos sperent per ipsos cum docti euaserint. Qua spe per talem pernicioſam negligentiã fraudantur. Præter Nauarr. de his agunt Caiet. in summula verbo Doctor, & verbo Magister, Tabien. in verb. Magister, & Syluester in verbo Doctor.

De obligatione tutorum aut curatorum pupillorum, ipsis commissorum §. 2.

56. DE obligatione tutorum, aut curatorum in ordine ad pupillos suæ fidei commissos, notandum est ex Nauarr.

in eod.

in eod. cap. 25 nu. 66. & 67. peccatum mortale committi illius transgressione in tribus casibus. Primus est, cum Tutor, aut Curator non conseruat nec defendit bona sui pupilli: vel qui sine necessitate, vel vtilitate alienat ea; & qui est in culpa vt actionem vel ius aliud perdat: & qui non vendit, cum emptor inuenitur, res mobiles, quæ reseruatæ nullam vtilitatem pariunt nec pretium conuertit in bona immobilia, quæ vtilitatem parerent: quod peccatum inducit obligationem restituendi damna. In quorum confirmationem allata lege Tutor qui repertorium, §. 1. 2. & 3. ff. De administratione & periculo Tutorũ, &c. admonet Tutorem dici eum qui præficitur pupillo qui nondum excessit aut annũ 12. si est femella aut 14. si est masculus. Curatorem vero dici eum qui præficitur pupillo qui quãuis excesserit memoratos annos, nondum tamen attigit annum 25. aut etiam qui præficitur furioso, vel prodigo. Ratio talis peccati vt & sequentis aperta est, ex eo quod vterq; ille soleat iurare se recte officio suo functurum. Secundus casus, quando Tutor aut Curator est notabiliter negligens in imbuendo, siue per se siue per alium pupillo bonis moribus, seruandoq; à vitijs & peccatis. Parentum enim tenent locum quibus ideo honor debetur ex præscripto huius quarti mandati. Tertius casus est, cum Tutor, vel Curator pecuniam pupilli dederit ad lucrum vsurarium: quod peccatum coniunctam habet obligationem restituendi idipsum lucrum. Quam restitutionem si pupillus cui illud accreuit nõ faciat, Tutor ipse vel Curator facere tenetur: licet possit ad seruandum se indemnem vti compensatione seruatis conditionibus traditis ab eodem Nauarr. in præced. cap. 17. num. 112. & aliquot sequentibus, quas antea proposuimus in lib. 10. n. 258.

De obligatione autem pupillorum erga suos Tutores aut Curatores, idem est dicendum ac de filijs erga parentes. Nimirum quod teneantur ipsis obedire, & reuerentiam exhibere tanquam parentibus quorum locum illi tenent.

De obligatione Dominorum & seruorum. §. 3.

57. DE obligatione Dominorum & seruorum. Notandum est, duo distingui genera seruorum: vnum eorum qui mancipia sunt, de quibus late disserit Azor *in par. 2. Moral. Instit. lib. 2. cap. 30. & aliquot sequentibus*: sed quia praxis nobis proposita, non vrget vt in illis hæreamus, ei qui volet relinquemus illa apud ipsum videnda. Alterum genus est eorum qui dicuntur famuli, liberiq; sunt quidem, sed mercede obsequium suum alteri locant: in hoc distincti ab operarijs, quod cum hi suas operas locent ad certum genus operis faciendum illi locent seipsos ad obsequium alteri præstandum, siue ministrandum prout opus fuerit.

58. Atque vt aggrediamur quod proposuimus nostri est. Contingit Dominos mortaliter in ordine ad seruos peccare quãdo sunt notabiliter negligentes in procurandis ijs, quæ pertinent ad salutem spiritualem ipsorum, prout habet Nauar. in Enchir. *cap. 14. nu. 21.* per illud prioris ad Timoth. capit. 5. Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, infidelis est, & infideli deterior. Cuiusmodi negligentiæ censendi sunt rei, *vt idem Nauarr. ibid. expressit*, si non curent, vt serui confiteantur semel in anno & communicent in Paschate. Similiter si illis constitutis in graui & periculosa ægritudine, non procurent administrari Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Peccant similiter ex eod. Nauar. qui non curant seruos ignorantes edoceri per se aut per alium, doctrinam Christianam, ac qualem vitam Christiani agere teneantur.

Adhuc similiter peccant, qui nõ concedunt seruis facultatem eundi ad Missam diebus festis: nisi id faciant ob causam legitime excusantem. Item qui ipsos cogunt laborare diebus festis in casu non concesso, iuxta dicta præcedenti libro 19. cap. 3. parte priore. Item qui peccata seruorum non corrigunt, quique permittunt seruas domi cum seruis libere conuersari, cum occasione multorum peccatorum; & multo magis si significent turpitudinem sibi placere, vel ad eam inuitent. Similiter si seruis in victu necessario desint, vel in ægritudine denegent necessaria. Item si seruos afficiant contumelijs, præsertim eos vocãdo nominibus indignis, à quibus aures abhorrent; qualia sunt; canis, Diabole, & similia quæ nemo nisi perditus libens audiat. Item si seruis immodicis onerent laboribus, ac nimis rigide, & aspere tractẽt. Aduerte vero quod quamuis similiter peccent, si nimis crudeliter eos verberent, vt attigit Sylu. *in verbo Vxor quæst. 3.* tamen non esse negandum, quin possint eos ob delictum verberare debito modo ac moderate, iuxta sentẽtiam Soti *lib. 5. De iust. & iure quæst. 2. art. 2.* & Sylu. loco cit. post D. Thom. 2. 2. *quæst. 65. art. 2.*

Iam quod ad seruos attinet respectu dominorum: grauiter peccant si debitum eis honorem non deferant; contemnendo ipsos, negligendoq; vel irridendo. Item, si non obediant ipsis in rebus grauioribus in quibus subijciuntur. Postremo, si faciant ipsis fraudem grauiterq; noceant, vt reuelando secreta, tenenda silentio: nec impediendo quantum possunt, ne Dominus ipse in rebus, aut in persona damnum patiatur. 59.

Responsio ad aliquot dubia de mutua obligatione dominorum & famulorum.

HIs annexa sunt aliquot dubia notatu digna pro quotidiano vsu, bene explicata ab Azorio in eod. libro 2. capit. 39. 60.

PRIMVM EST. An Dominus debeat alimenta famulo ægrotanti, ita vt in ipsius morbo curando, expensas soluere iure cogatur. Pro solutione autem aliquot alijs citatis idem Azor ait Primo, Dominum debere expensas soluere quas famulus faceret si valeret. Secundo, non cogi iure expensas soluere, quæ immodicæ fuerint, & ingentes ob morbi magnitudinem. Id quod ex Bartolo habent in verbo Familia Angelus Sylu. & Tabiena. Modicas autem existentes, debere soluere: quia scilicet proximo in necessitate constituto subueniendum est, cum id fieri potest nihil, aut parum nos incommodando. Tertio, si expensæ fuerint simpliciter necessariæ ad conseruandum ipsum in vita: debere quidem eas suppeditare ipsi, non tamen vt famulo, sed vt homini in extrema necessitate cõstituto, iuxta communem doctrinam de eleemosyna.

SECVNDVM EST. An liceat Domino famulum ægrotantem mittere ad ea loca publica quæ ex pietate & misericordia extructa sunt ad pauperes excipiendos, & infirmos curandos. Respondet Azor distinctione: quod si morbus periculosus sit, & grauis qui non nisi magnis impensis curari queat, mittere possit ad talia loca destinata grauiter egentibus, de quorum numero est famulus qui nullibi habet vnde tales expensas faciat, aut compenset pro se factas. Sin morbus sit leuis cui remedium facile adhiberi possit non debeat eo mittere, sed domi suppeditare necessaria ad morbũ eiusmodi curandum: cum alienum sit à Christiana charitate, proximo apud te egenti, negare subsidium quod possis facile præstare.

TERTIVM EST. An Dominus iure possit mercedẽ subtrahere famulo ægrotanti, pro ea parte temporis qua ægrotat. Hoc in vtramq; partem citatis legibus Azor ipse disputat: & sequitur affirmantem tanquam communem fere omnium sententiam. Cuius fundamentum in citato verbo Familia Angelus, Sylu. & Tabiena constituunt: quod ex communi Canonistarũ doctrina ad cap. 1. De Clerico ægrotante: si steterit per eum qui locat operas suas, quominus eas præstet etiam morbo (vel casu fortuito impeditus addit Azor) liberet conductorem ab onere præstandi mercedem pro rata portione temporis quo operas nõ soluit. Pro quo facit illud, quod in lege Si vno §. Item cum quidem ff. Locati, dicitur. Cum quidam naue amissa, vecturam quam pro mutua acceperat, repeteretur: rescriptum esse ab Antonino Augusto, non immerito procuratorem Cæsaris ab eo vecturam repetere, cum munere vehendi functus non sit. Quod in omnibus personis similiter obseruandum est: vt ibidem quoque additur. 61.

QVARTVM EST. An famulus qui locauit se ad annum, & sex mensibus in Domini obsequio positis, recedit à fide data, acquisierit mediam annuæ mercedis partem integram. Ad quod Sylu. responsio in verbo Familia num. 6. bona est, tali non deberi dimidiam mercedis portionem, sed aliquantulum minorem viri boni arbitrio æstimandam inspectis detrimentis & molestijs inde secuturis, aut secutis Domino.

QVINTVM EST. An famulus qui nulla certa mercede paciscitur cum Domino, possit ab eo illam exigere, atq; ipso nihil volente soluere, aliquid ex bonis ipsius occulte capere in æquam compensationem. Cui (vt cætera omittam quæ Azor ipse habet) satisfit sufficienter dicendo, quod tenenda sit pars affirmans, dato quod pactum de certa mercede omissum sit: non quod ipse famulus voluerit seruire sine illa; sed quod quantitas illius relicta sit Domino taxanda; tunc enim hic tenetur ex iustitia, vi contractus locationis, iustam arbitrio viri boni soluere mercedem: siq; recusет: iustæ compensationi locus esse potest. Pars vero negans sequenda sit, cum quis se administrandum obtulerit non mercedis gratiâ, sed officij tantum atq; spe conciliandi sibi amicitiam Domini; aut quia necessitate pressus ei qui famulo non indiget mercede conducto, offert se vt donec idoneũ Dominũ inueniat sit in obsequio ipsius, si victũ ei & vestitum habitationemque præbere velit. In quo casu merces tanquam solummodo debita ex liberalitate, non dat ius exigendi aut vtendi cõpensatione. Vide quæ habentur in seq. lib. 25. cap. 44. sectione posteriore.

SEXTVM EST. An Dominus qui famulum minore quã par est mercede conduxit, teneatur id addere per quod iusta reddatur. Ad quod merito Azor censet respondendum esse affirmatiue: quia perinde est in ea re, ac cum quis emit rem infra iustum pretium, aut conduxit equum minore mercede quam iustâ. Sicut ergo vterq; hic tenetur ex iustitia supplere id in quo alterum lædit, minus soluendo quam iuste debeat, ita & Dominus de quo agimus.

62. SEPTIMVM EST. An Dominus obligetur ex delicto famuli. Respondet Azor ex communi Summulariorum doctrina non teneri, nisi idem famulus iussu & authoritate Domini deliquerit: nimirum in fungendo ministerio seu munere aliquo, de Domini mandato: aut nisi deliquerit, cum Dominus eum corripere & à delicto prohibere debuit ac potuit. In quibus casibus censeri potest mortaliter concurrere ad tale delictum, ideoq; ex eo obligari. Cuius responsionis ratio est, quod non sit æquum vt Dominus pro nequitia famuli puniatur, aut pater pro nequitia filij, cum nihil ad eam contulit.

OCTAVVM EST. An Dominus debeat famulos à se dimittere, quos nouit esse corruptos prauis moribus. Respondet quoque idem author ex communi Summulariorum doctrina debere dimittere, si viderit eos monitionibus, & obiurgationibus non emendari: nisi probabiliter credat quod ejecti è sua domo sint euasuri peiores, ac licentiosius victuri: aut nisi probabiliter speret futurum vt retenti apud se reducendi sint ad meliorem vitæ frugem; aut nisi Dominus ipse sit inde accepturus graue nocumentum, carendo famulatu sibi & debito, & necessario. Faciat tamen semper, quam cõmode potest, vt tales famuli corrigãtur: caueatq; ne propriæ culpæ attribuantur peccata illorum. Ad quod faciunt, quæ dist. 47. in trib. vltimis capitulis habentur, spectantia ad institutionem eorum qui familiæ præsunt.

63. Addi potest nonum dubium. An famulus teneatur cum periculo propriæ vitæ defendere bona & vitam Domini sui. Cui videtur respondendum, quoad communes famulos, nõ teneri eos qui parum quid à Domino accipiunt pro mercede; cum enim ipsa non sit tanto oneri proportionata, ac vix respondeat communibus obsequijs, quæ à famulis cõmuniter præstantur, non est consentaneum obligare eos ad tantum onus subeundum: nisi forte casus adesset in quo posset saluti Domini consulere: cum aliquo periculo quidem vitæ suæ, non tamen euidenti. Quoad famulos autem quos Dominus peculiariter ad sui defensionem mercede maiore conduxerit; saltem ex conuentione, ad talem defensionem teneri cum vitæ suæ periculo; etiamsi excusari possint, cum Dominus inuadens alios, aut alteri operi illicito vacans, vitam exponit discrimini: quia id esset peccato ipsius cooperari: quod non licet. Idem iudicari potest quando ille temere aperto discrimini se exponit; præsertim quando non apparet spes ipsum liberandi, quod esset temeritati alicnæ consentire cum notabili sui læsione.

SECTIO II.

De obligatione ad inuicem eorum quorum alij alios ciuiliter gubernant.

GVbernantes ciuiliter alios, sunt Principes: ijdemq; alij, sunt populi, quibus principes ipsi præsunt. Iam Principes in ordine ad populos quibus præsunt tenentur communi ipsorum vtilitati plusquã propriæ prouidere: imo si necessitas exposcat, vitam etiam pro eorundem communi salute exponere. Hac enim ex causa Respub. sibi Principem præficit & ei obedit, soluitq; tributa, vectigalia, & id genus alia. Procedit vero istud, non tantum cum Principes ab ipso populo eliguntur: sed etiam cum per successionem principatum obtinent: quia id quoq; ius, concessione Reipublicæ habetur. 64.

Populi autem subditi Principibus, tenentur obedire ipsis in omnibus præceptis iustis & honestis nec nimis rigidis. Ob translatam enim à communitate in eos potestatem administrandi rempubl. obediendum est illis, & in ijs quæ ad talem administrationem bonam pertinent. Quisq; etiam priuatus ciuis tenetur Principi obedire, nõ tantum significatione externa; sed etiam animi iudicio & voluntate, & reuerentiã exhibere: recognoscendo in illo ministeriũ, & ordinationem Dei, prout habet Concil. Colonienſe in expositione huius præcepti. Pro quo facit illud ad Rom. 13. Omnis anima potestatib. sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo &c.] Porro de honestate & iustitia, aut nimio rigore præceptorũ quæ à Principe dantur: communitatis est populi iudicare, vnde fit vt inter conditiones requisitas ad obligationem legum de nouo emanantiũ à Principe, ponatur hæc: vt recepta sit à populo.

Notandum est autem primo, Principem posse populum sibi subditum cogere ad aliquid agẽdum vel vitandum cum proprio vitæ periculo, ac sub pœna mortis. Cum vitæ periculo quidem; quotiescunq; necessarium est ad conseruationem Reipub. quo modo tempore belli cogit ad conflictionem cum hoste, ad excubias, & explorationes castrorum hostilium. Sub pœna mortis vero cogere potest in materia graui. Quæ grauitas spectãda est potissimum in ordine ad rempub. ita vt in materia graui Princeps præceptum dare censeatur, cum præcipit aliquid quod magni interest Reipub. 65.

Notandum est secundo, Principem cõmuniter in his peccare mortaliter primo, si notabiliter negligens sit in procuranda Reipub. salute: vel si propria sua commoda procuret, cum notabili præiudicio eiusdem Reipub. 66.

Secundo, si vexet populum indebitis exactionibus, præcipue imponendo sine magna necessitate, noua pedagia aut onera; siue realia, siue personalia. Siq; non habens potestatem talia imponendi, ea imponat: incurrit in excommunitionem latam in Bulla Cœnæ Domini expositam à nobis in præcedenti lib. 9. cap. 16.

Tertio, si non habeat apud se bonos ac peritos consiliarios. Certum est enim non posse per seipsum solum, prouidere omnibus Reipub. necessitatibus, ideoq; indigere operâ & consilio aliorum. Cum autem magis expediat nullos, quã malos consiliarios habere: ille tenetur bonos, doctosq; accipere: & quia contingunt eidem diuersa negotiorum genera, tenetur quoq; alios habere peritos in rebus ciuilibus, alios in re militari, alios in Theologia, alios in vtroq; iure eruditos.

Quarto, si dissimulet notabiliter peccata suorum subditorum, & præsertim ea quæ magis nociua sunt communitati: vt homicidia, latrocinia, & id genus alia. Inter quæ nociua maxime cẽsentur, tum blasphemiæ, quibus potissimum diuina ira prouocatur: tum etiam hæreses, aliaque peccata, contra res diuinas committi solita.

Quinto, si intromittat se in causas spirituales: quæ de iure pertinent ad forum Ecclesiasticum; siue ratione personarũ, quia sunt Clerici, vel Monachi; siue ratione rerum, quia sunt spirituales, aut spiritualibus annexæ. Atq; ob tale peccatum tam Princeps iple quam officiales ipsius incurrunt in censuram Bullæ Cœnæ Domini à nobis quoq; expositam consequenter in citato lib. à cap. 20.

Sexto, si aliquid faciat, aut ab alij fieri permittat; vel dicat aut dici ab alijs permittat, contra fidem Catholicam directe vel indirecte. Quanquã excusari potest quoad ea loca, in qui-

bus

bus hæresis adeo inualuit, vt nequeat omnino, aut certe vix ipse possit prouidere, & obstare tanto malo.

Septimo, si vsurpet bona communitatis: à quo peccato absolui non debet, nisi illa cum suis fructibus, cum potest, restituerit iuxta doctrinam communem de restitutione.

Octauo, si indignis officia conferat scienter, aut non adhibita diligentia debita in inquirendo, num idonei sint illi quibus confert; à quo item peccato absolui non debet, nisi restituat omnia in quibus tales officiales ipsius fraudem fecerunt subditis, vel illos coegerit ad restituendum. An pariter peccet dando officia dignis, relictis dignioribus dubitari potest: quia ratio exigere videtur, vt ea dispensentur secundum vniuscuiusque meritum: atque adeo vt digniora dignioribus. Sed obstat quod durum sit Principem qui eget multorum obsequio, non posse officium conferre bene de se merito, *si digno*, eo quod detur alius dignior, cui in nullo obstrictus est.

Nono, peccat Princeps exigēdo à subditis seruitium personarum, aut iumentorum sine mercede. Ad quam postea soluendam, adigi debet à Confessario.

Decimo peccat, si parte ius petente contra aduersarium, non administret iustitiam. Vbi aduerte in vno tantum casu licere Summo Principi etiam instante parte, non damnare ad mortem eum qui illam meretur; nimirū si persona damnāda, esset Reip. valde vtilis: tunc enim data parti læsæ omni satisfactione, potest ei qui læsit donare vitam.

Vndecimo, peccat gerendo bellum iniustum, aut ita de iustitia dubiū, vt contrariæ partis iustitia probabilior sit quā ipsius Principis. Vbi aduerte Principi ad mouendum bellum non sufficere tantam probabilitatē, quanta sufficeret ad mouendam aduersario litem corā aliquo tribunali: quia in hoc certius constituitur Iudex, qui facilius potest inuenire, ac detegere iustitiam partiū. In bello vero Princeps qui illud mouet, constituit seipsum Iudicem: quod vt bene fiat (quia nullus solet esse bonus Iudex in causa propria) requiritur magna iustitiæ probabilitas; eo etiā maximè nomine, quod ex bello infinita damna proueniant, quæ semel illata vix possunt amplius reparari.

Duodecimo, peccat si permittat domesticos suos licentiosius se gerere erga suos subditos, eosq; vexare; aut non permittere vt ad ipsum recurrant, ac ipsum alloquantur, aut quid simile. De quibus peccatis, ac nonnullis alijs videri possunt Sylvester in verbo Dominium quæst. 4. & Nauar. in Enchir cap. 25. in principio per aliquot numeros, & Azor in 2. par. Moral. Instit. lib. 11. cap. 6.

Sectio III.

De obligatione adinuicem filiorum & patrum spiritualium: & Parochi in particulari.

67. NOmine patrum spiritalium intelligimus hic Prælatos Ecclesiasticos; qui cum animi parentes sint, præcipuo quodam dilectionis affectu diligi debent: curandumq; est, vt eorum necessitatibus corporalibus succurratur. Quod non tantum Clericis, sed etiam laicis incumbere argumento est: quod his etiam possit Episcopus exactionem imponere, quando est manifesta & rationabil's causa, per expressum textum in cap. Cum Apostolus, De censib. §. Prohibemus. Item perinde ac parentibus carnalibus, non vulgaris veneratio eis impendenda est. Obedientia quoq; eis præstari debet iuxta illud ad Hebr. 13. Obedire præpositis vestris, & subiacete eis: ipsi enim perui gilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri.] Quare qui illis honesta præcipientibus non obediunt grauiter delinquunt.

Ex aduerso vero, cum Prælati subditos debeant habere tanquam filios, eorumque curam paternam gerere: & tanquam pastores ac duces eis adesse pastorali vigilantia; procurando modis omnibus eorum salutem, eisq; præcundo, instar ducis, in omnibus bonis operibus. Cum inquam Prælati sic se habere debeant: graue sane peccatum committunt illi qui non curant de grege quem illis, ex cap. 20. Actorum Spiritus sanctus commisit: vel nihil aliud quam proprium lucrum consectantes: qui residere, suoq; gregi adesse negligunt, ac alia multa prætermittunt quæ ipsis ex obligatione incumbunt. De illis ex instituto dicetur in sequenti libr. 10 tract. 3. Hic autem nonnulla quæ peculiariter incumbunt Episcopo & Parocho (quibus nomen & ratio patris spiritalis in primis attribuuntur) paucis perstringemus: ac prius quæ Parocho, (quia paucioribus expediri possunt) in præsenti sectione. Posterius vero, illa quæ Episcopo, propria sectione sequenti.

Quæ ergo particulariter ex iure communi Parocho incumbunt, sunt decem: quorum sex prima habentur in Cōcil. Trid. sess. 23. in Decret. De reform. cap. 1. vbi de iure diuino esse dicuntur. Primum est, residere, suove gregi assistere prout ibidem explicatur. Secundum est, pro suis ouibus sacrificium offerre. Quamuis autem Sotus *l. b. 9. De iustitia & iure quæst. 3. art. 1.* putet Curatum diuitem teneri singulis diebus Missam dicere; melius tamen Syluester contrarium innuit in verbo Missa 1. quæst. 7. sub finem: cum docet ex Panorm. beneficium non posse institui cum obligatione beneficiati, ad quotidie celebrandum, quia daretur materia peccati: per periculum scilicet indebitæ dispositionis. Itaque videtur dicendum cum Nauar. in Enchir. *cap. 25. nu. 134.* teneri solum diebus festis, vel quando vrget necessitas, vel propter defunctos, vel propter nuptias; nisi aliqua consuetudine aut constitutione particulari adstringeretur sæpius, aut etiam quotidie celebrare per se aut per alium. Tertium est, administrare populo suo ea Sacramenta quæ potest (nimirum Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Extremæ vnctionis cum solemnizatione matrimonij) pigros ad eadem suscipienda exhortari, præsertim in necessitate, vt in periculo mortis. Vnde scire debet modum quo administranda sunt (de quo cum de singulis in sequenti tomo) ac etiam in doctrina casuum conscientiæ esse versatus. Quartum est, concionari & rudes docere Christianam doctrinam per se, aut per alium singulis diebus Dominicis, & Festis solemnibus: quod expresse statuitur in eod. Conc. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4. & 7. Quintum est, dare bonum exemplum alijs. Sextum, magnam curam habere pauperum. Vnde sequitur quod debeat talibus Sacramenta gratis administrare, & eos gratis sepelire: itemq; debere commendatam habere hospitalitatē. Id quod omnibus beneficia Ecclesiastica obtinentibus commendat idem Conc. sess. 25. cap 8. De reformatione. Septimum est, frequenter visitare infirmos ex cap. 1. De celebr. Missarum. Octauum, non admittere simul plura beneficia curata, etiam tenuissima: iuxta idem Concil. Triden. sess. 24. cap. 17. De reform. vbi tale peccatum grauiter punitur. Nonum corrigere publica vitia & peccata suorum subditorum, vel ea deferre Episcopo. Nam hoc quoq; ad ipsius munus pastorale pertinet. Decimum est, obedire Synodo Episcopali, & Episcopo in omnibus quæ legitime ab ipso ei præcipiuntur. 68.

Sectio IV.

De Episcopi particulari obligatione multiplici.

69. EPiscopi nomen, quod Græcum est, Latine idem significans quod speculator, seu Superintendens; ostendit officium Episcopi esse intendere gregi, ac studere spirituali saluti hominū qui ei subsunt; siue illi sint Clerici, siue laici. Cuius rei gratia multa illi incumbunt iure cōmuni, siue diuino siue humano. Sunt autē ista. Primum, vt ipse irreprehensibilis sit (quod D. Paulus præcipit discipulo suo Timotheo, & simul omnibus Episcopis in ca. 3. prioris ad eundem Timotheum) hoc est; sic viuat, vt nullo modo sit scandalo, sed potius bono exemplo subditis omnibus. Quandoquidem iuxta verbum Domini Matth. cap. 5. Episcopus lucerna est ardens supra candelabrum posita, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Quocirca si incidat in aliquod peccatum graius, atq; tale propter quod merito in subditorum reprehensionem incurrat (vt censeri potest incurrisse, si fuerit impudicus, si vinolentus, si percussor, si auarus, si superbus & iracundus, si litigiosus: quæ aliena esse ab ipsius dignitate & officio habetur ex eodem Apostolo loco cit. vers. 3. & ex Epist. ad Titum cap. 1. versu 7.) non nudum peccatum cōmittit, puta fornicationis aut ebrietatis, & sic de cæteris; sed vestitum, seu aggrauatum, per circunstantiam personæ,

repu-

repugnantem Apostoli præcepto, quo statuit Episcopum irreprehensibilem esse debere.

Secundum est, *spectans ad Episcopi victum, & vestitum*, quod habetur præscriptum in Conc. Carthag. 4. cap. 15. his verbis. Episcopus vilem supellectilem & mensam & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ authoritatem fide & vitæ meritis quærat. Qui canon renouatus est in Concil. Trid. sess. 25. cap. 1. De reform. Adde præscriptum esse in Concil. 3. Tolet. can. 7. vt conuiuijs illius sacra lectio admisceatur. Qui canon refertur dist. 44. cap. Pro reuerentia.

Tertium est, vt Episcopus per se concionari prædicareve Dei verbum debeat, non per alium: nisi sit legitime impeditus. Quo casu potest & debet substituere idoneos: nempe viros doctos & probos ac sanæ doctrinæ, qui id faciant. De hoc, *canonibus in margine citatis*, Concil. Trid. sess. 24. cap. 4. De reform. vbi ait in esse proprium Episcoporum munus: & addit exerceri debere saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis. Temporibus item ieiuniorum, Quadragesimæ, & Aduentus Domini; quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere Episcopus ipse duxerit, explicentur sacræ Scripturæ. Quæ de diuini verbi prædicatione, quæ viderentur hic notanda iam tradita sunt in præced. lib. 18. tract. 2. cap. 1.

Quartum est, vt quotannis conuocet synodum diœcesanam, in qua tractet de rebus ad statum Ecclesiæ suæ pertinentibus. Hocilli iniungitur à Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. De reform. vbi præcipitur quoq; Metropolitanis vt quolibet saltem triennio, Concilium Prouinciale congregent, in quo Episcopi omnes qui sub eis sunt conueniant. Cuius præcepti ratio reddi potest, quod interdum occurrant causæ graues, quæ cum ad totam Diœcesim vel Prouinciam attineant, non possint facile definiri, nisi in totali Prælatorum conuentu.

Quintum est, vt singulis annis visitet suum Episcopatum: sique non possit totum, saltem maiorem partem: ita vt in biennio totus visitetur. Si autem iuste impeditus fuerit, id faciat per Vicarium. Quod iure antiquo præceptum, 10. quæst. 1. cap. Relata, & duobus sequentibus: renouatum est in Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. De reform. Vbi etiam proponitur, ob quos fines sit talis visitatio instituenda: qui sunt, ad sanam & orthodoxam doctrinam, expulsis erroribus, inducere; bonos mores tueri, prauos corrigere, populum adhortationibus & admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere, alia, prout locus, tempus & occasio feret ex visitantium prudentia, ad fidelium fructum, constituere. Ratio vero talis præcepti est, quod Episcopo commissum sit à Deo regimen Ecclesiæ, ex cap. 20. Actorum illis verbis: Attendite vobis & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.] Quod regimen exigit, vt Episcopus super populum suum vigilet, mores illius exploret, consideretque diligenter; peccatis publicis, vt adulterijs, cæterisq; scandalosis obuiet, studendo extirpare ea, tum prohibendo, tum etiam, *si opus sit*, castigando. Ad quorum notitiam visitatio requiritur; quam omittere graue peccatum est in Episcopo, tanquam participante in criminibus quibus obuiare tenetur ex officio; præsertim quando illa fuerint Clericorum, quos, *vtpote exemptos à foro ciuili*, castigare, specialiter ipsius curæ, ac solicitudini relinquitur.

Quintum quod Episcopo incumbit, est: vt Episcopatum suum non deserat absq; Summi Pontificis licentia. Istud præscriptum est ab Innocentio 3. in capit. Nisi cum pridem, De renunciat. vbi referuntur sex causæ, ex quibus licet Episcopis petere, & Papæ illis concedere licentiam cedendi Episcopatui, indicatæ his versibus:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.

Prima igitur est debilitas corporis, siue ex infirmitate, siue ex senectute prouenies; quâ non possit, aut non expediat ipsum gerere tale officium. Secunda est, defectus necessariæ scientiæ, quæ debet esse tum iuris canonici ad gubernandum, tum Theologiæ ad erudiendum populum sibi commissum, & coarguendum eos qui errant. Tertia, conscium sibi esse, ac probe nosse, quod nõ possit implere tale munus suum, sed in eo passim peccare. Quarta est, irregularitas, in qua Episcopatus collatio facta, nulla est: ob impedimentum quod illa adfert exercendi officia ordinis Episcopalis; pro quo exercitio datur Episcopatus, prout is est beneficij genus. Quinta causa est malitia plebis, seu exosum esse plebi sibi subiectæ, vnde fit vt ei prodesse non possit. Vltima est, infamia quam contraxerit peccatis suis publicis ac scandalosis.

Sextum quod præterea Episcopis incumbit, est ex cap. 1. De treuga & pace, ad pacẽ firmiter tenendam, sibi mutuum consilium & auxilium præbere.

Septimum est curare vt testamenta adimpleantur; idque hæredes cogere cum non impleuerint, ex cap. Si hæredes, De testamentis.

Octauum, Sacramenta confirmationis, & ordinis administrare; quod est proprium suæ dignitatis: sicut est, & consecratio ac benedictio quarundam, tum personarum: vt Episcoporum, Abbatum, Virginum: tum rerum, vt templorum, altarium, calicum, cœmeteriorum.

* *
* *

LAVS DEO.

LIBER SEXTVS, ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVS PRIMVS.

DE IIS QVÆ SPECTANT AD SPECIALEM RATIONEM iudicandi de peccatis in ordine ad quintum Decalogi præceptum.

PRÆFATIO.

MATERIAM de homicidio tractat Gratianus in decreto causa 23. præsertim quæst. 5. habetur in aliis iuris Canonici partibus titulus De homicidio. Tractant quoque D. Thomas ac interpretes ipsius 2. 2. quæst. 64. Alex. Alens. 3. part. quæst 34. Summularii in verbo Homicidium, Franciscus à Victoria in relect de homicidio Sotus in 5. de iust. & iure quæstio. 1. & Couarr. ad Clemen. Si furiosus De homicidio, & nouissimè Ludouicus Molina tomo 4. de iust. & iure in tractatu tertio. Quintum autem hoc præceptum, in quo illud prohibetur, traditur Exod. 20. his verbis, Non occides. In ordine ad quem, ratio de peccatis iudicandi in his consistit, vt intelligatur primo, quis verus sit illius præcepti sensus. Secundo, An eo non obstante liceat aliquando, & cui liceat malefactorem occidere. Tertio, An aliquando liceat occidere innocentem. Quarto, An aliquando liceat occidere seipsum. Quinto, An ad defensionem sui, liceat occidere alterum. Sexto, An ad defensionem quoq; tertii. Septimo, Quid sentiendum sit de duello, quo includitur sui simul & proximi occisio. Octauo, De bello in quo multorum occisio committitur, quid sit tenendum. Ac postremo quid item tenendum de ira; quam Christus Matth. 5. hoc præcepto prohiberi declarat. Specialis obligatio autem ad restitutionem quam perpetratio homicidii inducit explicata est in præcedenti lib. 10. cap. 22.

CAP. I.

In quo explicatur quis sit verus sensus propositi quinti præcepti Decalogi.

SVMMARIVM.

1 *Præcepto 5. Decalogi non prohibetur occisio cuiusuis viuentis, sed solius hominis.*
2 *Neq; hæc omnis, sed solum iniusta.*
3 *Et ea sine exceptione vlla cuiuscunq; hominis sit, & à quocunq; homine, ac quomodocunq; fiat; & siue opere siue voluntate sola committatur.*
4 *Inductio alterius ad peccatum, non comprehenditur numero prohibitorum hoc præcepto, sicut comprehenduntur mutilationes & aliæ illationes damnorum corporalium.*
5 *Comprehenduntur quoq; procurationes abortus.*
6 *Homicidium peccatum est mortale graue. quod potest augeri ex quatuor circunstantijs.*
7 *Cætera hoc præcepto prohibita, mortalia quoque sunt ex suo genere: in quibus excusatio ex materiæ leuitate locum habere potest.*

Nota. AD intelligendum quis sit verus quinti præcepti Decalogi sensus, aduertendum est primo, etsi verba hæc *Non occides*, valde generalia sint, omnemq; occisionem videantur comprehendere, ea tamen sic accipienda esse, vt nec ad plantas, nec ad irrationalia animalia referantur; etiamsi tam illa, quam hæc viuant: nec enim interdictum est talia interimere, vt post D. Augustin. libro 1. de ciuit. capit. 20. tradunt cum D. Thoma 2. 2. *quæstio 64. artic. 1.* D. Anton. 1. *part. titul. 14. capit. 4. §. 9. & 2. parte titul. 7. cap. 8. in principio.* & Sotus libr. 5. de iust. & iure *quæst. 1. art. 1.* Deducitur que efficaciter ex illo Gen. 9. Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum.] & illud in præced. cap. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semẽ super terram, & vniuersa ligna fructifera, vt sint vobis in escam.] Vnde damnatur error quorundam hæreticorum dicentium nefas esse vesci carnibus. Contra quos differit Alphonsus à Castro libr. 4. aduersus hæreses, in verbo Cibus hæresi 1. Neque obstat quod Exodi capite 22. pœna statuitur occidentibus bouem vel ouem proximi, nam eius rei ratio non est, quod anima nequiuerit citra culpam occidi, sed quod damnum inde illatum proximo compensandum fuerit, vt à D. Anton. annotatum est in cit. capit. 8. sub initium.

Aduertendum est secundo, prædicta huius præcepti verba, adhuc esse ita accipienda, vt non omnem hominis occisionem comprehendant, prout notant Concil. Colon. & Catechismus iussu Concilij Trident. editus *in expositione eiusdem præcepti*, ac etiam D. Anton. *in memorato §. 9.* Et ratio est quia contingit aliquando (quod ex post dicendis satis constabit) eam perpetrari sine peccato, ex cap. Si homicidium 23. quæstio. 5. Nulla occisio vero prohibita hoc præcepto, fit sine peccato. Vnde quia sola iniusta occisio hominis fit cum peccato, sola quoq; intelligi debet prohibita hoc præcepto; ita vt verus sensus ipsius sit, quem D. Thom. 1. 2. *quæstio. 100. artic. 8. ad 3.* tangit. Non occides hominem indebite, hoc est, contra rectam rationem, seu siue iusta ratione & causa: sicut cum Christus Matth. 5. dixit non esse iurandum omnino; subintelligitur sine causa. Nam cum præceptum hoc sit legis naturalis, *vt & cætera Decalogi*, debet intelligi iuxta legem naturæ, seu rectam rationem: vt eius sensus sit ille quem diximus, Non occides contra rectam rationem.

Aduertendum est tertio, quod sicut sola, sic & omnis iniusta hominis occisio (quam proprie homicidium dici Syluester expressit in verbo Homicidium 1. in initio) prohibita sit hoc præcepto, à quocunq; homine ea perpetretur, aut cuiuscunq; hominis sit. Nulla enim exceptio est, quicunq; sit qui occidit, siue potens aut diues, siue Dominus aut pater, quandoquidem omni discrimine remoto, hominem occi-

dere

dere vetitum est hominibus: quicunq; sit qui occiditur, nec enim vllus homo est tam vilis, & abiectæ conditionis, quin huius præcepti authoritate defendatur, neab alio sine iusta causa valeat occidi.

Aduertendum est quarto, nihil referre quod attinet ad hanc occisionem, quonam modo fiat homicidium. Siue enim quis proprijs manibus, siue ferro, siue lapide, siue laqueo aut veneno, siue etiam imperio, consilio ope, persuasione, aut quauis alia ratione, illius causa sit, in hoc præceptum delinquit iuxta Concil. Colon. in illius expositione & Catechismum iussu Concilij Trident. editum ac D. Anton. 1. *part. tit.* 14. *cap.* 4 §. 9. Adde contra hoc præceptum facere, eum etiam qui voluntatem habet alios occidendi: commune est enim præceptis omnibus, vt illorum transgressio congat voluntate operandi, sicut & opere; siue voluntas sit efficax seu propositum operandi, siue complacentia simplex de opere, iuxta documentum 2. traditum in præced. libro 16. cap. 3. Et peculiariter quoad hoc præceptum satis aperte deducitur ex eo, quod Dominus Matthæi 5. explicans ipsum, dixit. Ego autem dico vobis quod omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.

4. Aduertendum est quinto, hoc præceptum non infringi ab eo qui priuat alium vita spirituali, inducendo scilicet ipsum ad aliquod peccatum mortale. Istud enim non est homicidium, quod hic vetatur, vt probe notauit Nauar. in Enchir. *cap.* 15. *num.* 1. *vers.* 2. non ideo tamen negandum est mortaliter delinquere eum qui tale quid faciat, prout patet ex communi doctrina de scandalo dato. Cæterum sub nomine occisionis hic vetitæ, accessorie intelligũtur quoq; iniustę mutilationes, percussiones, verberationes, torturæ, aliaq; huiusmodi pertinentia ad damnum alterius corporale, iuxta Nauar. *loco cit. & ad cap. Homicidium, De pœniten. dist.* 1. *num.* 2. & D. Anton. in cit. §. 9.

5. Censendi sunt etiam in hoc præceptum delinquere, non ij solum qui sunt in causa vt aborsus sequatur quando fœtus iam est animatus animâ rationali (quo casu verum homicidium interuenit, *ex Syluest. Homicidium* 1. *versus principium, & Caietan. in verbo Aborsus, & Couarr. ad Clemen. Si furiosus* 2. *part.* §. 3. *numer.* 1.) sed etiam quando nondum est animatus: quia impeditur ne animetur; in quo licet non interueniat occisio hominis, interuenit tamen ei affinis voluntas mortaliter peruersa, prout expresserunt Nauarrus *in cit. cap.* 15. *num.* 14. & & Caiet. *in eod. verbo Aborsus.* Pro eoq; facit cap. Si aliquis, De homicidio; cum dicitur: tenendum vt homicidam eum, qui fecerit vt mulier, non possit concipere vel generare, vt proles non possit nasci. Quando vero fœtus animetur, varie quidem authores definiunt: sed tenere possumus ex glossa ad principium distinctionis quintæ, verbo Quadraginta; quod fœtus masculinus vt longissimè incipiat esse animatus 40. die, fœmininus vero, 80. Ea enim est sententia (vt annotant Nauar. *in eod. nu.* 14. & *in cap.* 27. *nu.* 22. & Couar. *in memorato nu.* 1.) recepta communiter: ideoq; teneri potest sine temeritate.

6. Aduertendum est sexto, homicidium hic prohibitũ peccatum esse suo genere mortale ex communi sententia: quod satis patet: quia est, & contra charitatem, & contra iustitiam. Immo, vt bene aduertit Sotus *libro* 5. *de iust. & iure quæst.* 10. *artic.* 3. *concluf.* 1. peccatum est grauius cæteris quæ in proximum committuntur. Quod & augeri potest ex quatuor circunstantijs. Prima est, circunstantia personæ occisæ. Multum enim interest, vtrum ille qui occiditur sit pater aut alius sanguine coniunctus, necne: itemque fueritne reipub. necessarius, aut priuatis personis: ac demum fueritve persona in quam violentas manus inferens incurrit in excommunicationem. Secunda circunstantia est loci, nam occidere aliquem in loco sacro est sacrilegium, in confessione declarandum. Tertia est, circunstantia temporis: non quidem quod referat an die festo, vel profesto quis interficiatur, sed an occisor longo tempore animum occidendi habuerit. Quarta circunstantia, est sociorum: quia is qui alios induxit ad se iuuandum in homicidio, grauius peccauit quam si solus occidisset.

7. Si petas, an delicta alia, quæ diximus ad hoc præceptum pertinere sint mortalia? Respondeo esse ex suo genere: tamen ex leuitate materiæ (*quæ non habet locum in homicidio*) posse esse tantum venialia perinde ac possunt ex subreptione, defectuq; plenæ deliberationis.

CAP. II.

In quo explicatur an aliquando liceat, & cui liceat malefactorem occidere.

SVMMARIVM.

8 *Licitum esse publica authoritate malefactorem occidere.*
9 *Quomodo id procedat cum talis cognoscitur moriturus in malo statu.*
10 *Procedit quoad nocentes captos in bello, & quoad malefactores ex quorum maleficio respub. magnum accepit detrimentum.*
11 *Præter publicam authoritatem, & iustam causam, conditiones ad licitam occisionem malefactoris requisitæ.*
12 *Circa ordinẽ iuris ad propositam occcisionem necessarium limitationes notandæ.*
13 *De eo, quod Clerici perhibentur malefactores occidere, etiam authoritate publica.*
14 *Habentes iurisdictionem temporalẽ sufficientem, non prohibentur constituere Iudices qui exerceant iudicium sanguinis.*
15 *Quomodo possint conqueri de iniurijs acceptis, non obstãte quod in malefactorem exercendum sit iudicium sanguinis.*
16 *Peccatum est mortale occidere propria authoritate hominem etiam morte dignum.*
17 *De viro occidente vxorem deprehensam in adulterio.*
18 *Potestas facta cuiq; occidendi diffidatum, quinq; conditiones requirit vt licite mandetur executioni.*
19 *De quæstione, An licitum sit cuiq; occidere tyrannum.*
20 *Mutilare aliquem priuata authoritate non licet.*
21 *Nec item vulnerare, verberare, &c. sine iurisdictione.*
22 *De talis iurisdictionis vsu notanda cum Petro à Nauar.*
23 *Quas pœnas ius imponat homicidæ.*
24 *Causa ob quas occidens hominem excusari potest à mortali.*

HAnc explicationem bipartitam faciemus. In priore parte persequemur eam quoad occisionem factam publica authoritate; & in posteriore quoad factam authoritate priuata.

PRIOR PARS CAPITIS.

In qua explicatio proposita traditur, quoad occisionem factam authoritate publica.

8. LIcitum esse publica authoritate malefactorem occidere, quando delictum tanta pœna dignum est (quod præsertim iure ciuili & cõsuetudine patriæ cognoscitur) bonumq; commune id postulat, patet: quia sicut se habent membra & partes corporis humani ad totum corpus humanum, ita mẽbra, & partes reipub. ad totam rempublicam. Quare sicut cum expedit ad conseruationem & bonum totius corporis humani abscindere membrum putridũ, idipsum licitum est ex natura rei (quandoquidem naturale est vnum membrum exponere ad totum corpus saluandũ) ita quando bono communi & illius conseruationi expedit, vt aliqui corrupti moribus omnino abscindantur, morteq; afficiantur in iustam pœnam: fas similiter est ex natura illius rei cuius sunt quædam membra, *puta reipublicæ*: vt à publicis ministris ad id deputatis plectantur rescindanturq;. Quæ ratio est D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 2. Cuius doctrina communiter tenetur cum Caietan. ibid. & in Summula verbo Homicidium, ac cum D. Anton. 2. *par. tit.* 7. *cap.* 8. §. 1. *versu Quantum ad secundũ*; Francisco à Vict. in relect. de homicid. *num.* 11. *dicto* 7. Soto in 5. de iust. & iure *quæst.* 1. *art.* 2.

9. Ex qua consequens est, talem occisionem non esse hoc præcepto vetitam, prout annotant in eiusd. expositione Cõcil. Colonienſe & Catechismus iussu Concil. Tridentini editus. Quinimo, vt Sotus in eod. art. sub finem ostendit: quantumuis Iudex satis sciat nocentem quem pœnitere nolentẽ occidit, esse æternis supplicijs addicendum, nihilominus licite eum morti secundum leges adiudicat propter bonum

commu-

commune, quod particulari præferendum est ordine charitatis: & maxime in hac re dum ob vnius salutem multi exponerentur perditioni per impunitatem quam consequerentur fingentes impœnitentiam.

Neque obiici potest, quod talis constitutus sit in spirituali necessitate: nam potius est in voluntate peruersa, cuius non est tunc habenda ratio, etsi quantum æquitas patitur, & ratio suadet, morte damnandis procuranda sunt ea quæ pertinent ad ipsorum salutem spiritualem, eisque tribuendum est competens tempus, in quo possint se ad gratiæ diuinæ consecutionem præparare, præsertim per sacramentalem confessionem: ad quam tale tempus ipsis negare peccatum est mortale: vtpote dignum excommunicatione, iuxta Clementinam 1. De pœnitent. & remiss. nisi quis esset flagitiosus valde, & ex cuius diuturniore conseruatione periculum immineret reipub. tunc enim acceleratione vti liceret, tanquam procedendo cum eo magis ad defensionē necessariam reipub. quam ad ipsius punitionem. De qua re Petrus à Nauarr. De restitut. lib. 2. cap. 3. num. 224. & aliquot sequentibus. Vbi quoque tractat difficultatem de Eucharistia vtrum eam damnato ad mortem negare liceat. Cui satisfaciemus in sequenti lib. 29. num. 71.

10. Porro licet ex prædictis intelligere, dubium non esse quin respub. citra peccatum possit obtenta iam victoria animaduertere in hostes nocentes, eosque morti addicere, prout notat à Victoria in relect. de iure belli num. 19. Vbi aduerte obiter non ideo licere tunc militi hostem in bello captum & apud se detentū occidere; quia non publica, *sicut in conflictu & congressu belli*, sed priuata authoritate occideret, quod est contra iustitiam. Ex iisdem intelligitur quoq; licitum esse Iudici adiudicare morti eum qui delictum morte dignum commisit, quamuis ingens ex illo emolumentum reipub. obuenerit: vt cum fur aliquem bonis omnibus spoliauit, simulq; literas machinatę proditionis obtinuit, quas reipub. obtulit vnde liberata est à periculo. De qua re Couar. ad Clemen. Si furiosus De homicid. 2. part. in initio, num. 4.

11. Iam præter conditiones iam dictas, publicæ inquam potestatis, & causæ legitimæ, tres adhuc requiruntur ad licitam occisionem malefactorum. Prima est, vt ij qui potestatem habentes adiudicant morti malefactores, id faciant amore iustitiæ, non liuore vindictæ, neque ex delectatione effundendi humanum sanguinem, aliove malo animo: prout notarunt D. Anton. 1. *par. tit. 14. cap. 4. §. 9.* Nauarr. in Enchir. *cap. 25. num. 15.* & Sotus 3. De iustitia & iure, *quæst. 4. art. 2.* & tractat Petrus à Nauar. *in cit. cap. 3. à nu. 232.* Satis autem probatur ex cap. Cum minister 23. q. 5.

De obseruando iuris ordine in proposita occisione.

12. Secunda conditio est, vt seruato iuris ordine, mortis sententiam ferat: sicut notauit Caietan. *in verbo Homicidium vers. Vel ex parte modi.* Qui consequenter docet peccare, homicidiique reos esse, qui veneno vel aliter secreto de mandato Principis occidunt non citatos, non auditos, non damnatos: etiamsi illi haberentur rei læsæ maiestatis: Princepsque ipse, non nisi priuata scientia seu absque publica probatione compertum haberet, talem aliquem mille mortes mereri. Cui sententiæ Nauar. assentitur in Enchir. cap. 25. num. 9. Ratio vero est, quia hic ordo iuris pertinet ad ius naturale: quandoquidem natura actus publici (*qualis est iusta occisio hominis ex publica authoritate*) exigit vt sit, sicut ex publica authoritate, ita & ex publica scientia; alioqui enim causæ nec inter se, nec cum suo effectu erunt commensuratæ. In iure naturæ autem (cum sit Superioris, puta Dei) Princeps non potest dispensare, vt constat ex dictis in præced. lib. 13. num. 46. & ex traditis à Panormit. ad cap. 1. De causa possessionis. Cuius capituli verba illa Pontificis, *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire*: ad eam rem valde faciunt. De qua late Petrus à Nauar. *in eod. cap. 3. num. 178. & aliquot sequentibus.*

Secus vero est, si solus ordo positus à Principe, esset iusta aliqua de causa omissus. Nam tunc nullum foret peccatū, quandoquidem lex talem ordinem imponens, quia est Principis, non habet in ipsum vim coactiuam, sicut in subditos: sed solum directiuam, vt patet per tradita in præced. lib. 13. num. 169. & sequenti: talisque directio cessat interueniente iusta causa: quæ præsumenda est in Principe quamdiu non constat de contrario: vt tradit multis aliis citatis Couar. in Epitome 4. Decretalium 2. *par. cap. 6. §. 9 num. 9.* Imo tanta posset esse causa, vt ea stante concederetur Principi, ius naturale ita interpretari, vt iudicet ipsum non prohibere, quin illius ordo licite in tali casu omittatur; iuxta ea quæ docte notat idem Couar. in eodem §. 9. num. 2. & 3.

Attamen vt Principi tunc obtemperandum sit, oportet de tali causa constare. Vnde ex Caiet. *in verbo Homicidium, versu, Vel ex parte modi*: sicut illicitum est, Principi nocentem aliquem ex priuata scientia damnare, ita & cæteris in tali re ei annuere consulendo, vel exequendo; quod facientes ait pariter homicidas esse. Cui Sotus consentit *in lib. 5. De iustitia & iure quæst. 3. art. 3. ante solutionem argumenti*, & sequitur Nauar. *in Enchir. cap. 25 num. 9.*

Neque refert, quod *vt inferius dicemus*, Princeps iuste possit ex priuata scientia innocentem absoluere: quia dispar est ratio, cum facilius nocentem viuere permittamus, quam innocentem morte afficiamus: possitque Princeps relaxare legis pœnam in flagitiosum decretam; quando id satius esse iudicauerit. *Ita Nauar. in eod. cap. 25. num. 14. & Sotus in 5. De iustitia & iure quæst. 4. art. 4. conclus. vlt.* Adde quod absoluendo innocentem contra allegata, & probata, solum vitietur ordo iuris humani in repub. constituti, ne alias peccata putentur relinqui impunita: eōdemnando autem nocentem inauditum, ordo iuris naturalis peruertatur. Iam quod ait Sylu. in verbo, *Homicidium 1. quæst. 2. ver. 3.* quando reus propter potentiam puniri nequit via ordinaria procedendo, Principem non peccare faciendo illum occidi sine iudiciario ordine, nō est admittendum, nisi intelligatur posito casu, quod publica notitia interuenerit: ea saltem ratione qua Nauar. tradit *in præced. num. 10.* cum indicat Principem qui superiorem non recognoscit, minime peccare si aliqua magna, & iusta de causa, omittat audire, & vocare reum morte afficiendum; dummodo curet pro ipso absente, allegari & probari quæcumq; possunt; vt factum est cum quidam magnus Monarcha virtute processus facti in absentia, & sententiæ latæ sine citatione, iussit quemdam militum ducem capite plecti: quia sine metu rebellionis eiusdem ducis, ac maioris partis exercitus audiri non poterat.

Quærenti vero, An si notorium sit delictū, possit Princeps sine alio ordine licite præcipere occisionem. Respōdendum est affirmatiue de mente Caiet. *in eod. verbo Homicidium* & Nauar. *in cit. num. 10.* Ratio est, quia id non dicitur tunc ex priuata scientia; sed potius ex publica fieri, quandoquidem factum notorium loco accusatoris, & testium facit publicam scientiam, argumento cap. Euidentia, De accusationib.

Quod autem in eodem loco Caietan. expressit Iudices inferiores pari ratione posse excusari si repertos in flagrāti delicto notorio iubeant suspendi; intelligendum est: nisi à lege tale quid sit eis interdictū: ij enim delinquunt non modo si iuris naturalis ordinem prætermittant; verumetiam si iuris humani ordinem non obseruent, argumento cap. 1. De constit. & cap. 1. De senten. & re iudicata. Aduerte vero quod etsi delictum sit notorium, Iudex nihilominus debeat sententiam ferre, *vt attigit glossa ad cit. cap. Euidentia*, & tradit Panorm. ad cap. Vestra, De cohabit. Clericorum & mulierum num. 18. qui tamen addit, quod feratur sine solemnitate.

De prohibita Ecclesiasticis tali occisione.

Restat tertia conditio; vt persona quæ occidit non sit Ecclesiastica, inferior Summo Pontifice. Illicitum enim est omni tali aliquē authoritate etiam publica damnare ad mortem; quia ei prohibitum est omnino (non tamen diuino, sed humano tantum iure *vt bene ostendit Ludouicus Molina, De iust. & iure, tom. 3. tract. 3. disput. 8. num. 1.*) ne in causa sanguinis seu mortis, aut mutilationis, quantumuis 13.

iusta se immisceat. Ita enim habetur ex cap. Clericis, & ex cap. Sententiam, Ne Clerici vel Monachi: traditque D. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 4. & est communis Doctorum sententia. Ratio vero huiusmodi prohibitionis est, quod indecens sit tali munere fungi Clericos, qui per ordines susceptos ministerio altaris deputantur: in quo per Missæ sacrificium passio Christi agni mansuetissimi repræsentatur, qui cum pateretur non comminabatur.

Atque si quis talium maioribus ordinibus initiatorum aliquid huiusmodi faceret, peccaret mortaliter, prout memorata iura indicant, cum illos ob tale delictum statuunt honore priuandos, & per censuram Ecclesiasticam compescendos Sicque Sotus *lib.* 5. *De iust. & iure, quæst.* 1. *art.* 4. & recentiores communiter tenent. Reliqui autem Clerici ex eodem Soto peccant solum venialiter. Quamquam de beneficiatis dubitari potest, tanquã Deo & Ecclesiæ iniuriosis in eo: cum per talem cooperationem efficiantur irregulares, & consequenter inepti ad sacrum ministerium, pro quo habent ab Ecclesia ipsa beneficium.

Cæterum cum eadem prohibitio qua Clerici à causis sanguinum arcentur, sit solum humana, vt dictum est: fit vt Summus Pontifex citra peccatum: possit non solum iusta causa oblata semotoque scandalo sententiam sanguinis aliquando ferre, sed etiam ea ex parte dispensare cum Clericis, potestatemque ipsis facere, vt causam sanguinis agant eidemque se immisceant, siue consulendo, siue alia quauis ratione: adeo vt immiscentes se non peccent, nec in irregularitatem incurrant: etiamsi ex tali facto ipsorum mors, aut mutilatio alicuius consecuta fuerit. Ita Sotus *in citato art.* 4. *sub finem*, & Couar. ad Clemen. Si furiosus De homicid. 2. *par.* §. 5 *num.* 1. aliique docent.

14. Aduerte autem Episcopis, & cæteris Prælatis atq; aliis quibusque Clericis iurisdictionem temporalem habentibus: siue ex suo patrimonio, siue annexam Ecclesiasticæ dignitati: licitum esse committere causam sanguinis, Iudicibus quos subditis suis præfecerint, neque in ea re metum esse peccati, quantumcumque ille munus suum exequentes, mutilent aut interficiant malefactores. Eis enim tantum est prohibitum tales causas siue per seipsos, siue cum aliis exequi, aut ad illarum executionem cooperari, non item præficere Iudices, & potestates laicas, à quibus executioni mandentur, prout habetur ex cap. finali, Ne Clerici vel Monachi in 6. Nec solum eis fas est tales causas generaliter committere; sed etiam particulariter præcipiendo vt circa talem causam inquirant, & faciant quod iustum est: ac quando Iudices à se deputati recusant facere, præficere alios seu assignare, qui in particulari de tali causa cognoscant; prout colligitur ex cit. cap. fin. & affirmat Panormit. ad cap. Clericis, Ne Clerici vel Monachi. Attamen nihil possunt dicere, vel facere, quo Iudicem à se constitutum moueant ad executionem mortis vel mutilationis, nec possunt exhibere præsentiam suam, aut sententiam proferre ad executionem talis pœnæ, prout colligitur ex cap. Ex literis, De excessibus Prælatorum.

15. Adhuc licitum est personis Ecclesiasticis cõqueri apud Iudices sæculares de quibuscumque malefactoribus, qui ipsis quodcumque damnum aut iniuriam fecerint; & petere emendam competentem; & vt prouideatur, ne in posterum contra ipsos tale quid fiat: præmissa tamen expressa protestatione, quod nõ intendant ipsos puniri pœna sanguinis, id est, mortis, aut mutilationis. Atque tunc, etiamsi Iudices ex officio suo, iuxta criminis qualitatem eosdem malefactores morte afficiant, & ideo maneant eo ipso irregulares: Clerici tamen qui præmissa illa protestatione, conquesti sunt: nec manent irregulares nec peccant. Sic enim constitutum est in cap. 2. De homicid. in 6. Idque factum est, ne laici videntes Clericos non audere conqueri coram Iudicibus secularibus timore irregularitatis; ipsi auderent eos interficere; & bona eorum diripere. Cætera quæ possent de hac re annotari, reiiciuntur in tractatum de irregularitate, instituendum in seq. lib. 30.

tract. 2.

POSTERIOR PARS CAPITIS.

In qua traditur eadem proposita explicatio, quoad occisionem factam authoritate priuata.

ILLicitum, atque adeo mortale homicidium esse, priuata authoritate hominem, etiam malefactorem, occidere, probat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 3. authoritate D. Augustini, & ratione: postque ipsum Sylu. *Homicidium* 1. *num.* 5. *ver.* 4. D. Anto. 2. *par. tit.* 7. *cap.* 8 §. 2. & passim alij. Aperte autem ostenditur ex eo, quod vindictam sumere de malefactoribus ad solos Principes, solasve publicas potestates pertineat, vt D. Paulus satis indicauit in cap. 13. Epist. ad Rom. illis præsertim verbis, Si malum feceris: time: non enim sine causa gladium portat (de constituto in potestate publica loquitur) Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum facit. Idemque satis monstrat ratio naturalis: qua duce nulla vnquam fuit natio tam agrestis, quæ priuatis personis proprias iniurias vlciscendi copiam fecerit. Et merito, quia nemo alioqui esset, quin si posset, vltra iustum & æquum se vindicaret: cum quisque obnubilata ratione, ob iniuriæ acceptæ dolorem, pessimus sit Iudex latitudinis pœnæ infligendæ, nec facile audiat excusationes eorum qui afficerunt iniuria. 16.

Ex qua generali doctrina colligitur in particulari, quod mortaliter peccet vir, si propria authoritate vxorem in adulterio deprehensam occidat. Pro quo plures authores citant Couarr. in Epitome 4. Decretal. *par.* 2. *cap.* 7. §. 7. *nu.* 9. & Thomas Sanchez in lib. 7. De matrimonio *disput.* 16. *in principio*: quibus merito addi potest Sotus lib. 5. De iust. & iure, *quæst.* 1 *art.* 3. *ad* 1. *dubio tertio, & in* 4. *senten. distinct.* 37. *quæst. vnica, art.* 3. vbi plenius ea de re agit. Nobis autem sufficere potest quod de tali peccato aperte constet ex cap. Admonere, 33. quæst. 2. per illa verba, Nam si verũ (quod absit) fuisset, sicut ille adulter mentitus est; post septem annos pœnitentia peracta, dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses; occidere autem nullatenus debuisti. Ex quibus verbis patet non excusari ab homicidio mortali virum qui vxorem in adulterio deprehensam occiderit. 17.

Neque huic doctrinæ aduersantur leges ciuiles. Non enim talibus occisionem permittunt, sed tantum leuius puniunt, quam alioqui facerent, vt patet ex lege Si adulterium §. Imperator ff. Ad legem Iuliam de adulteriis. Neque si permitterent daretur excusatio à peccato, cum id sit res de se homini Christiano illicita, vt expressum est in cap. Si quod, 33. quæst. 2. Neque in foro conscientiæ refert, quod leges ciuiles secus habeant, quam canonicæ: nam vt dicitur in cap. Iuter hæc, eadem quæst. 2. sancta Dei Ecclesia mundanis nunquam constringitur legibus. Verumtamen ex Syluestro *Homicidium* 1. *quæst.* 2. *ver.* 6. id intelligendum est, cum lex permittit, non puniendo, Nam si permittat committendo particulari potestatem ad talem executionẽ, excusatio erit à peccato; quia inde talis commissarius efficitur publicus iustitiæ minister: vt, *ex Soto*, quando lata à Superiore sententia sit marito potestas occidendi vxorem adulteram. Quod vero licet legi, licet & ei cui lex committit. Sed aduerte debere adesse conditiones, quas ad homicidium licitum necessarias esse, habitum est in præced. huius cap. parte.

Cæterum istud quod de marito cui à lege vel à Principe fuerit facta potestas occidendi vxorem adulteram, dicimus excusari ab homicidio mortali: pariter dici debet de illis qui à Principibus facta legitima potestate (vt nõnunquam etiam proposito præmio fieri solet) occidunt diffidatos, id est, malefactores in quos postquam citati in iudicio, & condemnati non comparuerunt, data est cuique potestas illos interficiendi. Qua de re Ludouicus Molina De iust. & iure, tomo 3. tract. 3. disput. 7. & Petrus à Nauar. lib. 2. De restit. cap. 3. à num. 216. 18.

In ea autem quinque conditiones sunt obseruandæ, vt peccatum omnino vitetur. Prima est, vt talis extra ditionem dicti Principis non occidatur, nisi consentiente Domino regionis. Hâc habet Syluester Homicidium 1. *quæst.* 3. Altera, vt ipse diffidatus non toleretur iam ab aliquot

annis;

annis; inde enim diffidatio censetur cessasse tanquam tacite reuocata. Tertia, vt non sit pater eius qui interficit. Nam nec in foro exteriori committitur filio vt in patrem mortis sententiam exequatur, vt nec in seipsum. Quarta, vt non interficiatur ex odio, vel ex alio prauo affectu, sed ex zelo iustitiæ. Quinta, vt sententia illa per quam diffidatur, sit iusta. Ad quod necessaria sunt hæc. Primum, vt causa propter quam fertur grauis sit. Secundum, vt seruetur in eo iuris ordo, de quo dictum est in præced. num. 12. Tertium, vt necessitas sit eam ferendi: nempe quia non potest talis malefactor alia ratione interfici. Concedere autem eiusmodi potestatem, *vt Sotus in memorato art. 3. admonet*, est solius Principis, aut legis; nō vero Iudicum particularium: neque, *vt ille addit*, concedenda est quacumque de causa: quia cum malefactores sic occiduntur plerumque decedunt è vita sine sacramento, & cum peccato mortali: ac sæpe in tali casu, interficiuntur ex odio.

Quæstiones aliquot de eadem re.

19. HIc aliquot quæstiones ad rem propositam spectantes occurrunt explicandæ breuiter.

PRIMA EST. De occisione tyrāni quam tractant Caietan. & cæteri Diui Thomæ interprete 2.2. quæst. 64. Soto 5. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. Syluester & alij Summularij in verbo Tyrannus, distinguentes duplicem tyrannum, vnum in modo regendi: qualis est qui cum iustum habeat titulum, verusque Rex sit, tyrannice tamen regit, omnia in propriam vtilitatem conuertens. Alterum vero in iure dominij: qualis est ille qui vel vi armorum, vel alias inique occupat. Rempub. Quidquid autem sit de posteriori constat de priori non esse liberum ipsum occidere tum quia vxor alioqui posset pari ratione occidere maritum suum, si tyrannice in illam dominaretur; & filius patrem si legem paternæ dominationis tyrannice excederet. Itemque oues pastorem, siue ille sit simplex Parochus, siue Episcopus siue Papa, si quidem aliquis talium tyrannice regeret: vnde sequeretur maxima totius iustitiæ confusio. Patet etiam ex eo quod Diuus Petrus in prima sua canonica, cap. secundo, admoneat Christianos subditos esse dominis suis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Atque de hoc tyranno, vt citati authores notant (*& probat Petrus à Nauarra, De restit. lib. 2. cap. 3. à num.* 306.) intelligitur definitio Concilij Constantien. sess. 15. statuentis hæresim esse existimare, quod cuilibet liceat tyrannum occidere.

20. SECVNDA QVÆSTIO, An liceat priuatis si non occidere, saltem membro mutilare aliquem priuata authoritate. Ad quam respondendum est, iuxta D. Thom. 2.2. *quæst. 65. art. 1.* non licere: ne quidem volente illo cuius est membrum: quia per id fit iniuria communitati: nisi forte ille tale quid vellet ob curationem: vt quando putridum est membrum, aut à vipera tactum, ex eodem D. Thoma, & Soto *lib. De iust. & iure, quæst. 2. art. 1.* Qui in art. 2. merito addit, nec patri esse licitum priuare filium membro suo: tantum abest, vt possit illum occidere.

21. TERTIA QVÆSTIO. An liceat priuatis, si non mutilare saltem vulnerare, verberare, incarcerare, ligare aut aliud eius generis facere. Ad quam respondendum est, talia non licere quidem ei qui nullam habet iurisdictionem in alterum, quia eiusmodi actus sunt superioritatis; quam vsurpando fit iniuria, tum ei in quem vsurpatur, tum Superiori ipsius, cuius læditur ius. Licere autem ei qui iurisdictionem in alterum habeat, siue iure naturæ, prout pater habeat in filium: siue iure positiuo, prout dominus in seruum: siue delegatione, prout pædagogus in discipulos suæ curæ commissos. Nam quamuis alicui non liceat occidere, aut mutilare, aut infligere aliam pœnam atrocem (qualis est vulnerum, adustionum, flagellorum per vias publicas cum infamia, & percussionū cum periculo mortis, aut vitæ imminutione: aut amissione membri vel partis illius) quia id non est œconomicæ, sed politicæ potestatis tanquam maioris, ad quam causas, & pœnas maiores pertinere oportet.

Nihilominus tamen in vsu œconomicæ potestatis, licere potest verberare, & aliam eiusmodi reparabilem pœnam infligere ad punitionem & correctionem proprij inferioris: cum domus alioqui bene Instituī & gubernari nequeat. Quæ doctrina est D. Thom. 2. 2. *quæst. 65. art. 2.* & sectatorum ipsius, quos refert & sequitur Petrus à Nauarr. *in lib. 2. De restit. cap. 3. num.* 459. Consequenter bene admonens, tales correctiones debere fieri cum moderate, quia excessus in eis iniustus est (adeoque peccatum mortale, si arbitrio prudentis is magnus sit) tum etiam ex bono zelo, non autem ex ira & indignatione per quam subditi prouocentur ad iracundiam fiantque deteriores. Id quod Apostolus ad Ephes. cap. 6. prohibet inquiens: Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios vestros.] Estque peccatum mortale, nō tantum ob iræ vehementiam, & perperam factam correctionem: sed etiam ob participationem in alieno peccato mortali, cui insipienter ac temere occasio datur.

Amplius idem consequenter subiungit contra Sotum, licere Superiori prædictis pœnis afficere suos Inferiores, non solum ad emendationem ipsorum, seu ne de cætero peccent: sed etiam ad punitionē, siue eo quod antea peccarint. Nam potestas ipsorum est quasi Iudicis, Superiorisve dominum aliquod habentis in subiectos: non vero potestas solummodo correctionis fraternæ: vt patet ex eo quod in familia sicut in repub. peccata commissa puniantur etiam in emendato, ad aliorum saltem exemplum. 22.

Subiungit secundo, non licere patruo, vel fratri, nepotes, fratres aut sorores punire, quando ij non sunt curæ illorum commissi; cum tunc non sint veri Superiores ipsorum, ita vt possint per modum castigationis, manus in eos iniicere. Quanquam negandum non est, quin ob coniunctionem sanguinis ad damna eorūdem vitanda, tale quid possint, quantum probabiliter ad illud sufficit, nec amplius. Pro quo facit quod ex cap. Cum voluntate in fine De senten. excommunic. excusentur ab excommunicatione, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum graduum, seu minorum ordinum leuiter percutiunt, vt cohibeantur ab insolentiis suis. Quod Molina De iust. & iure, tract. 2. disput. 228. §. Illud obiter, extendendum censet ad seniores qui pueros absentibus parentibus insolescentes compescunt aliqua percussione moderata. Nisi enim rixæ cum parēcibus inde orituræ sint, opus est pium, parentum vices in eo supplere: præsertim cum ad Iudicem tales deferre ridiculum esset.

Subiungit tertio idem à Nauarra, maritum habere ius verberandi vxorem: de quo dictum iam est in præced. lib. 20. num. 47. Ad extremum subiungit, quod ex cap. 1. cap. Episcopum, cap. Cum Beatus, dist. 45. & ex cap. 1. & 2. De Clerico percussore, habetur illicitum esse verberare Clericos, intelligi debere de verberatione facta ex ira, & subita passione sine iuris ordine: qua ratione non tam castigatio quam iniuriosa læsio esse censetur.

QVARTA QVÆSTIO. Quas pœnas incurrat homicida? Ad quam respondendum est, ob peccatum homicidij incurri primo iure ciuili, pœnam capitis; quæ approbatur tam iure diuino, per illud Matth. 26. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt: quam iure canonico, in cap. 1. De homicidio: cuius verba sunt *ex cap. 21. Exod. sumpta*. Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum vt moriatur. Secundo, incurri iure Canonico ab eo qui Clericus sit, pœnam depositionis ab officio & beneficio Ecclesiastico, inhabilitatisque ad omne tale officium, & beneficium: ac etiam irregularitatis. Qua de re suis locis, nempe cum de beneficiis & irregularitate. Olim in foro conscientiæ, pœnitentia perpetua imponebatur illi qui de industria homicidium commisisset. Ei vero qui commisisset casu, pœnitentia 7. aut 5. annorum, vt habetur ex cap. Eos vero. & duobus sequentibus dist. 50. Postea autem in Concil. Triburiensi cap. vlt. id ita temperatum est, vt summa pœna etiam eius qui de industria homicidium commisisset, constitueretur septem annorum. Sed tales canones sicut & cæteri pœnitentiales, vt annotauimus libro septimo, num. 53. in desuetudinem abierunt; ac pœnitentia iam relinqui- 23.

tur imponenda. Confessarij arbitrio. De obligatione ad restitutionem quæ iure naturali ab homicida incurritur, egimus libro decimo cap. 20. in priore parte capitis. Excommunicatio autem quæ ob percussionem Clerici imponitur, exposita est à nobis in appendice ad primum librum. Ea vero quæ in cap. 1. De homicid. in 6. imponitur occidenti Christianum per Assassinos, omittere possumus tanquam inusitatam: iuxta ea quæ habent Sylvest. in verbo Assassinus, & Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 135. §. 29. & expresse notat Couar. in lib. 2. var. resol. cap. 20. numero 10.

24. QVINTA QVÆSTIO. An aliquæ dentur causæ excusantes homicidium à peccati malitia, saltem mortali. Ad quam respondetur; tres tales assignari posse: iustitiam, necessitatem, & inconsiderationem. Propter iustitiam enim licet interficere malefactores, eo modo quo expositum est in priori parte huius capitis: & indicat illud Psal. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.] Propter necessitatem vero, licet alium occidere, ad propriam aut alienam defensionem, eo modo quo postea exponetur. Propter inconsiderationem demum, qui alterum occidit, excusatur à peccato homicidij in sex casibus. Primus est, quando is qui occidit, furiosus est, aut mente captus. Secundus, quando est puer ante vsum rationis. Tertius, quando est dormiens, qui tres casus habentur in Clemen. vnica De homicidio. Quartus, cum est ita ebrius vt ex nimia ebrietate priuetur vsu rationis. Quintus, quando interficit ex subito motu ante omnem rationis deliberationem. Sextus, quando casu & præter intentionem interficit: idque, siue dando causam non efficacem, id est, ex qua non soleat vt plurimum sequi interfectio, vt si inflixisti alicui vulnus non lethale, & secuta est mors, vel malitia Medici, qui noxia apposuit: vel negligentia eiusdem, vel temeritate læsi qui oportuna remedia adhibere noluit. Pro quo facit cap. Significasti 2. De homicidio. Siue etiam dando causam efficacem quidem, seu periculosam: sed cautione sufficienti adhibita ne inde aliquid incommodi sequeretur: quia talis diligentia abstergit periculum. Pro quo facit cap. Tua nos, De homicidio.

Obseruandum est itaque, totam rationem peccati, si quæ in istiusmodi casibus inueniatur sumi ex negligentia illius qui interficit: siue is dum interficit, det operam rei licitæ, siue rei illicitæ: adeo vt ille qui præter intentionem interficit, si in præcauendo non sit negligens, *etiamsi vacet rei mortaliter illicitæ*, non committat mortale homicidium: sin negligens sit, crassa seu magna negligentia, committat homicidium mortale. Sin vero sit negligens leui tantum negligentia, committat solum veniale. Quæ doctrina est Caiet. 2. 2. *quæst.* 64. *art. vlt.* Sori lib. 5. De iust. & iure, *quæst.* 1. *art.* 9. Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 237. & Couar. ad memoratam Clemen. *par.* 2. §. 4. *num.* 10.

Illius autem fundamentum est, quod in eiusmodi casibus, occisio nõ sit voluntaria, nisi in sua causa. quæ est negligentia ipsa, cuius proinde tantum ratione, illa potest ad culpam imputari. Atque hinc, quando adulter est in causa vt vxor à marito interficeretur, si id casu contigerit, & præter omnem expectationem ipsius; licet sit reus adulterij, non est tamen homicidij. Non refert vero, quod forte actio prædicta coniunctum habeat periculum homicidij: quia quamuis possit quis contra charitatem peccare, id volendo, quod est coniunctum cum damno proximi: tamen si adhibita fuerit sufficiens diligentia, vt periculum ipsum vitetur, vtque damnum non sequatur, excusatio est à tali peccato: quia ad peccatum requiritur consensus, qui nullus tunc est in homicidium. Nec enim homicidium sub voluntarem cadit tunc directe, quia ex hypothesi contingit præter intentionem: neq; indirecte, quia, *ex hypothesi quoque*, adhibita est ad illud cauendum omnis diligentia; ita vt desit negligentia ob quam censeri possit quis voluisse indirecte. Quanquam quia occidens perci-

tus ira, diligentiam raro adhibet, soler in foro externo præsumi homicida: in interno autem

statur ipsius relationi.

CAPVT III.

In quo explicatur sitne aliquando licitum interficere innocentem.

SVMMARIVM.

25 *Nunquam licitum est directa intentione occidere innocentem.*

26 *Quando liceat vel non liceat in bello iusto innocentes occidere cum nocentibus.*

27 *Non licet filios innocentes occidere ob crimen patrum.*

28 *Non licet occid. re innocentem pro reipub. liberatione.*

29 *Quid licite agi poss. t tyranno petente sibi tradi innocentem.*

30 *Iudex eum quem esse innocentem scit priuata scientia, ad mortem condemnando secundum allegata & probata, non peccat, nisi id faciat contra suam conscientiam.*

31 *Si Iudex sit inferior debet illum remittere ad superiorem: non item officium suum dimittere.*

32 *Princeps potest illum liberare, vitato tamen scandalo.*

33 *Quatenus licita sit carnifici executio sententiæ, quam nouit iniustam.*

34 *Quatenus licita sit militibus occisio aduersariorum in bello de cuius iustitia eis non constat.*

35 *Quando liceat cum periculo vitæ alienæ suam seruare.*

36 *Explicatio difficultatis, An liceat fœtum excutere, vt mater à morte liberetur.*

REM hanc non carere difficultate videre est apud Petr. à Nauar. in lib. 2. De restit. cap. 3. num. 118. & aliquot sequentibus. Sed tenendum est cum D. Thomã 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 6. prout tenent Sylu. *Homicidium* 1. *quæst.* 2. *ver.* 2. Caiet. *eo lem verbo circa principium*, Sotus *in* 5. *De iust. & iure, q.* 1. *art.* 7. & à Victoria *in relect. de iure belli numero* 35. Numquam licitum esse directa intentione occidere innocentem iuxta illud Exodi 23. Insontem & iustum non occides. Nec obstat quod Abraham occidere voluerit Isaac filium suũ innocentem; quia id volebat ex mandato Dei, qui tanquam vitæ dominus vniuersalis, poterat ad id facultatem dare, prout bene ait Sotus *sub finem cit. art.* 7. Procedit autem hæc dõctrina quantumuis certo constet talem innocentem futurum beatum, quia innocentis occisio ex tali prætextu, nulla ratione licita redditur, cum & tunc iustitia per eam violetur, vsurpando sibi dominium vitæ alienæ, quod solius Dei est: neque sunt facienda mala vt eueniant bona. 25.

Dubia de re proposita.

PRIMVM EST, An quando licitum est bellum gerere ob interuenientem iustam causam, sit etiam licitum interficere innocentes, qui hostibus nocentibus mixti sunt. Hoc tractat à Victoria *in relect. de iure belli num.* 34. *& aliquot sequentib.* partemque negantem amplectitur: tum quia fundamentum iusti belli est iniuria: quæ illata non est ab innocente: tum quia non licet in repub. pro delictis malorum, punire innocentes: tum demum quia Deuter. 20. mandatur filiis Israel, vt quando vicœperint ciuitatem, alios interficiant quidem, sed parcant mulieribus, & paruulis. Vnde infert idem author in bello contra Turcas non esse occidendos paruulos nec mulieres, exceptis iis quas constaret esse in culpa; addítque videri idem iudicium esse de innoxiis agricolis apud Christianos: imo & de gente togata pacifica, itemque de peregrinis & hospitibus, qui apud hostes peregrinantur: ac demum de Clericis quia omnes tales in bello præsumuntur innocentes, nisi contrarium probabiliter constet, vt cum actualiter pugnant. 26.

Negandum tamen non est, quin liceat innocentes simul cum nocentibus interficere, quando victoria contra eosdem nocentes nequit aliter haberi: vt ibidem num. 37. à Victoria fatetur: proponens exemplum cum iuste oppugnatur arx aut ciuitas in qua multos innocentes esse constat, neque bombardæ in eam displodi aut tela mitti possunt, aut ignis subiici ædificiis, quin innocentes cum nocentibus opprimantur. In quo casu si illicitum esset innocentes occidere, non posset contra nocentes bellum

geri;

geri; & ita causa bellantium frustra esset iusta. Itaque occisio innocentum per se quidem illicita est, sed per accidens, seu ex certis quibusdam euentibus potest licita censeri: vt constabit ex post dicendis in hoc ipso capite.

27. SECVNDVM DVBIVM, An liceat ob patris delictum grauissimum, quale est læsæ maiestatis, occidere filium ipsius innocentem. Cuius pars affirmatiua confirmari videtur ex eo, quod dicitur in lege Quisquis, §. filij Cod. Ad legem Iuliam maiestatis: ex lenitate Imperatoria factum esse ne filij eorum qui crimine læsæ maiestatis notati sunt, morti traderentur. Innuitur enim, id alias licitum esse. Sed oppositum tenendum est: quia talis occisio perinde ac aliorum innocentum, habet veram ac propriam rationem homicidij, cum non per accidens, vt in bello, sed per se ea fiat; ideoque licere, *tanquam de se mala*, non possit. Quinimo ex D. Thomæ sententia 2.2. *quæst.* 108. *art.* 4. *ad* 2. ne quidem mutilare licet quemquam, absque culpa propria, etiamsi possit alia pœna affici, prout in eod. articulo præclare declaratur. Lex vero Quisquis, in contrarium allata, nihil obstat; quia illud inique insinuauit, vt Couar. attigit in 2. var. resolut. cap. 8. num. 1. conclus. 3. per illud Deuter. 24. Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur.] Quod vero legitur in lib. 2. Regum cap. 21. Dauidem tradidisse septem viros innocentes de stirpe Saul, ob peccatum ipsius, vt morte afficerentur, non est ad rem, quia diuina reuelatione id factum est, vt ex initio illius capitis satis intelligitur.

28. TERTIVM DVBIVM, An licitum sit tradere innocentem tyranno quando aliter resp. liberari non potest à vastatione. De qua re sententia est Soti *lib.* 5. *de iustitia & iure quæst.* 1. *artic.* 7. & aliquot aliorum quorum meminit Petr. à Nauarr. *lib.* 2. *De restit. cap.* 3. *num.* 119. etiamsi nolit tyrannus desistere à deuastanda ciuitate, nisi occidatur innocens qui intus est: reipub. tamen non esse licitum, ea de causa illum occidere, vt nec sacramenta prophanare, aut hæreticas ceremonias inducere ad talem tyranni petitionem: cum alicui vitam auferre absque vlla sua culpa, malum sit intrinsece, ac diuino naturalique iuri immutabili repugnans, sicut fornicari, vel furari, ita vt innocentem interficere tam sit illicitum ad liberãdam rempub. quam prostituere puellam. Mala autem non sunt facienda vt eueniant bona, ex cap. decimotertio ad Roman.

Ipse vero Petrus à Nauarr. in eod. cap. consequenter talem sententiam improbat. Sed quia res est quæ rarissime contingit, in ea nos immorari diutius non est necesse. Itaque contenti erimus quod ea nitatur bona ratione: ad cuius confirmationem facit, quod occisio innocentis absolute prohibita sit, tanquam iniuriosa non tantum innocenti ipsi, sed etiam Deo cuius est vita illius. Vnde eiusdem sententiæ sunt tum Ludouicus Molina. *De iust. & iure tomo* 4. *tract.* 3. *disput.* 10. tum etiam Petrus Aragonius *ad* 2. 2. *D. Thomæ quæst.* 64. *art.* 6. vbi habet inter cætera, quod quamuis innocens pro tali bono communi teneatur ex charitate offerre se hostibus occidendum, remp. tamen non posse ipsum ad id cogere: quoniam illa tunc demum potest suos ciues pro communi bono exponere manifesto mortis periculo: cum id fuerit medium per se necessarium ad consulendum publicæ saluti: non item cum fuerit medium necessarium per accidens, seu ex alterius tantum malitia, vt in proposito casu ex malitia tyranni. Nec refert quod innocens teneatur tunc ex charitate se tradere: quia tenetur etiam quis ad martyrium subeundum se exponere, cum necessarium est ad Dei gloriam: nec tamen potest ad id à repub. cogi, etiamsi puniri possit propter peccatum quod committit nolendo facere id quod tenetur ex charitate, sicut punitur si recusset eleemosynam facere constituto in extrema necessitate, aut vendere suum triticum tempore famis.

29. Sed quæres, quid iuris sit cum tyrannus solum petit innocentem sibi tradi, ac nisi tradatur cessaturus non sit à reipub. deuastatione. Respondetur, non videri dubium quin respub. permittere possit vt innocens à tyranno capiatur; nimirum non cooperando ad illius defensionem, sed habendo se ad eam negatiue. Neque enim tenetur respub. cum tanto damno suo illum à morte eruere. Præterea videri satis probabile, quod respub. possit absolute in eo casu tradere innocentem tyranno ad euadendum adeo grande periculum: non intendendo tamen vt is interficiatur, etiamsi probabile sit interficiendum esse: perinde ac tempore belli cogit vt statationem suam obeat, cum aperto mortis periculo & in extrema necessitate auferre potest ei ex manu panem necessarium ad saluandam vitam Principis. Ratio autem est quia talis traditio de se non est mala, sed indifferens, atque si quæ malitia cernatur in ea, solum est ex parte tyranni ob animum ipsius deprauatum, cui respub. non consentit, prætendens tantummodo suam liberationem. Neque est perinde in tali casu tradere tyranno innocentem, atque illum occidere; nam istud intrinsece malum est; illud vero est indifferens, prout tenet se ex parte reipub. & insuper fit optimo fine, & legitima authoritate superioris in inferiorem: neque Sotus potest id negare cum admittat simile, affirmando scilicet innocentem ipsum posse illo modo offerre se ac tradere tyranno pro salute reipub. cum tamen ei non liceat se occidere ad petitionem tyranni.

30. QVARTVM DVBIVM, An si aliquis vere sit innocens sed secundum allegata & probata nocens esse conuincatur, Iudex qui secundum priuatam scientiam certus est de illius innocentia, peccet condemnando ipsum secundum ea ipsa allegata, & probata. Ad quod cum D. Thoma 2.2. *quæst.* 67. *art.* 2. negatiue respondent Caiet. ibidem & in verbo Homicidium Syluest. *verbo Iudex* 2. *quæst.* 5. & Sot. 5. *de iust. & iure quæst.* 4. *art.* 2. Couarr. *in* 1. *var. resolut. cap.* 1. Petrus à Nauarr. *lib.* 2. *de restitut. cap.* 3. *num.* 152. *& aliquot sequentibus*, & alij quos hi tres citãt, referentes quoque contrariæ sententiæ propugnatores. Ratio vero est, quia cum Iudex sententiam ferat tanquam persona publica, is actum publicum exercens potestate publica, debet eam ferre secundum scientiam publicam, vt seruetur debita proportio notitiæ, cum potestatis vsu. Publica autem scientia est, quam Iudex habet ex actis secundum leges. Qua ratione cum cognoscat nocentem esse eum, quem alias priuata scientia innocentem esse nouit: licite illum morti adiudicat: neque illi talis occisio, etiamsi innocentis sit, imputatur ad peccatum, tanquam ab ipso non per se, sed per accidens commissa. Neque etiam putandus est eo nomine peccare, quod contra propriam conscientiam faciat: quia quamuis sciat innocentem esse, non habet tamen hanc conscientiam practicam, *Iste non est occidendus, vel dubito an sit occidendus*: quam si haberet, eaque manente sententiam mortis ferret, mortaliter peccaret, ex Nauarr. ad cap. Si quis autem, De pœnitent. distinct. 9. num. 128. Patetque per doctrinam communem de conscientia, propositam à nobis in præced. lib. 13. tract. 2. Vnde ad exequendum tunc sine peccato munus suum, talem cõscientiam deponere debet: vt secundum antedicta, rationabiliter potest. Aduerte autem quod si Iudex à principio possit accusationem repellere, vel ita eam præuenire, vt ad vlteriora non procedatur, debeat tali cautela tunc vti, ex Caiet. *in cit. artic.* 2. *versus finem*: itemque curare vt si ad interrogationem testium veniendum sit, diligenter eos interroget, ad falsitatem si possit deprehendendam, exemplo Danielis, prout monet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *artic.* 6. *ad* 3.

31. Sed rogabis, An si Iudex sit inferior, debeat in proposito casu innocentem ad superiorem remittere iudicandum. Respondetur, quod licet Sotus in 5. de iust. & iure quæst. 4. artic. 2. neget id esse necessarium, contrarium tamen, *quod Sylu in verbo Iudex* 2. *quæst.* 5. *insinuauit*, videri potius tenendum; quoniam licet tale diuerticulum nõ prosit ad liberandum innocentem, vt Sotus arguit; prodest tamen vt innocens vita potiatur, durante saltem eo interuallo. Quocirca remissio ea, si absque præiudicio legum possit fieri, omittenda non est.

An autem Iudex si possit innocentem liberare dimittendo officium suum, teneatur ad id, non constat. Sylvest. quidem loco cit. putat Iudicem ad id teneri, Sotus vero negat. Petrus autem à Nauar. loco cit. pro vtraque parte

plures citans, rem latius persequitur. Sed satis est notare, videri relinquendum prudentis arbitrio, an ea officij iactura talis sit, quam Iudex ex vi ac lege charitatis teneatur subire pro eiusmodi proximi bono. Aduerte autem obiter, quod si Iudex aperiendo carcerem liberare possit innocentem, debeat illo remedio (cessante tamen scandalo) vti, ex Soto in eod. art. 2.

32. Rogabis secundo, An vt Iudex inferior, sic Princeps nequeat secundum priuatam conscientiam liberare innocentem. Respondetur, liberare posset quia cum Princeps solutus sit legibus, rectaque ratio conuincat liberandum esse innocentem: dubium non est quin id licite faciat, prout docet Couarr. in 1. var. resol. cap. 1. num. 7. sub finem. Debet tamen Princeps ipse, iuxta Caiet. (cuius ibidem Couarr. meminit) 2. 2. *quæst. 67. art. 2.* vt scandalo occurrat, iuramento publice affirmare, se certum esse de rei innocentia.

33. Rogabis tertio, An etiam excusandus sit carnifex qui exequitur homicidij sententiam quã priuata scientia nouit iniustam. Respondetur, excusandum esse, vt post Caiet. *ad citatum D. Thomæ articulum 2. in fine*, tenet Couarr. *in eod. cap. 1. num. 10.* Pro quo ex cap. Pastoralis. §. Quia vero, De officio delegati, sumi potest hæc ratio: quod ad subditum nihil aliud pertineat quam exequi quod ei iubetur. Quanquam negandum non est, quin executor quamdiu iuste seu salua obedientia potest, debeat efficere ne eiusmodi sententia executioni à se mandetur: & contendere vt ab ea implenda liberetur: sicut ex eodem textu quoque habetur.

Adde quod si præfata sententia errorem manifestum contineret, non debeat carnifex illam exequi: quia tunc non tenetur obedire, prout post Caiet. & quosdam alios notat Couarr. *in eod. num. 10.* Probaturque satis per cap. Inter cæteras De sententia, & re iudicata. Ex glossa autem finali ibidem cõtingit error manifestus, si ex ipsamet sententia appareat contra ius eam latam esse. Et ita concedendum est, quod si tyrannus absque vlla causæ cognitione, mandato nudo præciperet occisionem, nõ esse parendum: quia tunc non procedit tanquam Iudex; neque ratio vlla est cur oporteat ei parere, iuxta antedicta numero 12. de obseruando iuris ordine.

34. Rogabis postremo, an excusandi sint milites qui de iustitia belli quod gerunt dubitantes, aduersarios ex præscripto suorum superiorum occidunt. Respondetur, excusandos quoque esse: quia inferior in dubiis tenetur superiori obedire, & nominatim in bello gerendo, vt ex cap. Quid culpatur 23. quæst. 1. satis constat: expresseruntque Caiet. *in verbo Homicidium* Nauarr. ad cap. Si quis autem *De pœnitentia distinct. 7. nu. 8.* Sotus in 5. de iust. & iure *quæst. 3. art. 3. ante solutionem primi argumenti*, & à Victor. *in relect. de iure belli num. 31.* Id autem intelligendum est, dummodo milites ipsi dubium practicum deponant per eam rationem, quod vbi non est manifesta iniustitia, obediendum sit superiori præcipienti, iuxta cap. Inquisitioni, de sentent. excommunic. §. 2. Et quia *vt ibidem à Victoria argumentatur*, Princeps non potest semper, nec debet rationem reddere belli à se suscepti: sique subditi non nisi intellecta iustitia belli militare possent, resp. frequenter pateret iniuriæ hostium. Recte quoque idem à Victoria *in præced. num. 22.* docet, quod si subdito constet de iniustitia belli, non liceat ei militare, etiam ad imperium Principis: id quod habetur etiam ex memorato cap. Quid culpatur. Item quod si subditi conscientiam habeant de iniustitia belli, non liceat eis bellum sequi quamdiu illam retinent, siue erronea sit, siue non sit; quia quod fit contra conscientiam etiam erroneam, peccatum esse ostensum est in præced. lib. 13. cap. 8.

Qvintvm dvbivm, An propter necessitatem qua quis premitur, liceat ei ad mortem euadendam protrudere alterum in flumen, vel ex alto agere præcipitem, vel conculcare in via, quando fugit hostes à quibus quæritur ad necem: & alter ille præter expectationem in loco angusto occurrit.

Sextum est, An cum plures sunt in naui, liceat aliquos ex iis proiicere in mare orta tempestate, vt cæteri saluentur. Septimum, An licitum sit in naufragio eripere alteri tabulam, aut in tempore famis eripere panem si ambo sint in extrema necessitate. Octauum, An liceat alicui interficere innocentem ne ipsemet à tyranno occidatur. Nonum, An liceat excutere fœtum mulieris grauidæ, vt ea liberetur à morte, cuius aperto periculo exponitur.

Ad quæ paucis respondetur: ad quintum quidem, *cum Petro à Nauarr. lib. 2. de restit. cap. 3. num. 135.* id non licere si certitudo sit moralis, mortẽ innocentis inde secuturam; quam inferre nunquam licitum esse, antea habitum est. Sin autẽ aliqua probabilis spes esset non secuturam mortem, tunc fugientem (licet in eo spes ipsum fefellerit) non censeri homicidij reum. Cuius respõsionis ratio est, *quam idem author habet in sequen. num. 136.* quod ille innocens, sicut & iste fugiens, habeat ius ad eum locum, iustamque habeat illius possessionem. Vnde sicut illicitum esset panem vel tabulam, quam alter est assecutus, quaque extreme indiget ad propriam salutem, ei auferre: ita & in proposito casu, cum quis à loco quem iuste possidet, & in quo inculpabiliter manet nequit recedere sine vitæ suæ discrimine, adeo vt extreme egeat illo. Dixi *inculpabiliter manet*, quia non videretur habenda ratio illius qui crederetur ibi hærere per suam aut aduersarij malitiã: nisi quod cauenda sit directa intentio occidendi. Cum vero dubium fuerit, mortem innocentis euenturam, ideo non erit homicidium, quod non teneatur quis certo mortis periculo se committere, vt in dubio conseruet vitam alterius, etiam innocentis; quanquam tenetur eam circumspectionem adhibere, quam pro tempore & loco potest, ne tali noceat. 35.

Ad sextum vero: si omnes sint contenti, posse tunc sortibus rite missis definiri quinam proiiciendi sint, & eos super quos sors ceciderit proiici sicut factum est Ionæ 1. aut certe cum omnes ad nauim par ius habeant, fortitudine rem transigi, nam cum duo æquale ius habent ad eandem rem, vterque potest vti iure suo, neuterque tenetur cedere alteri, sed potest res transigi fortitudine; quemadmodum in bello vtrinque iusto, milites possunt aduersarios vtrinque interficere, etiamsi forte innocentes sint.

Ad septimum, tale quid non licere: quia non est par ius vtriusque, sicut in præcedenti casu. Nam ille qui rem possidet, potiorem titulum habet iuxta regul. 65. iuris in 6. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

Ad octauum respondetur; id nequaquam licere. Ratio est: quia ille qui per coactionem hominis mali nocet alteri, efficitur minister iniquitatis ipsius: quod nullo modo licet.

Ad nonum respondetur; id directe licere, quando fœtus mortuus est in vtero: quia nihil datur quod obsteт. Quando vero capax est vitæ, sed nondum viuit: non licere quidem directe: quia talis excussio est de se illicita, perinde ac pollutionis procuratio; vtpote quæ (fiustrando nimirum semen fine ad quem natura ipsum destinat) perinde contraria est naturæ generationis humanæ, nec est de se medium institutum ad recuperandam sanitatem. Indirecte autem posse licere: nempe si matri periculose laboranti nõ supersit aliud accommodatum remedium, quam tale pharmacum, quod etsi directe tendat in ipsius curationem, habet tamen coniunctum abortionis periculum: propter hoc enim mater (dummodo abortionem non intendat directe) non impeditur post susceptum semen virile, *vt nec ante*, vti remedio necessario ad conseruationem vitæ suæ, quam non tenetur posthabere alienæ, maxime existenti solummodo in potentia. 36.

Quando autem fœtus viuit infusa in eum anima rationali, nullo modo licitum esse præbere matri medicamentum etiam directe curatiuum, cum valde probabili periculo prolis, quam probabile est viuam alioqui edendam. Istud atque præcedens docent Sylvest. in verbo Medicus, *quæst. 4.* Armil. in verbo Abortus *num. 2.* Nauarr. in Enchir. *cap. 25. num. 62.* & alij quos refert Petrus à Nauarr. *in lib. 2. de restit. cap. 3. num. 137.* Probatur vero: quia ob necessitatẽ spiritalem proximi tenemur vitam nostram corporalem, quando illa id requirit, exponere; iuxta illud

1. Ioan. 3. Nos debemus pro fratribus animas ponere.] Sed in eo casu si infans interficiatur, æterna salute priuabitur ob defectum baptismi. Quare tenetur mater vitam suam corporalem periculo exponere potius, quam occasionem dare morti sui infantis; per quam æterna salute irremediabiliter priuabitur. Dictum est autem: *cum valle probabili periculo prolis*: quia, vt Petrus à Nauar. expressit *in sequent. nu.* 144. si probabiliter constaret quod matre exposita extremo mortis periculo infans viuere nequeat, sed moriturus sit cum matre; huic sanguis minui, aliaque medicamenta porrigi possunt ex quibus speratur alterum duobus saluandum esse. Atque iuxta Nauar. *in eod. nu.* 62. non peccabit medicus, si credens probabiliter fœtum non esse animatum anima rationali, matri periclitanti de vita, pharmacum iuxta antedicta præbeat: quo eam à tanto periculo liberet. Non enim est locus reprehensioni in eo qui ratione probabili innixus agit. De his videri potest Thomas Sanchez in lib. 9. de matrimonio disput. 20. per totam, & Lessius lib. 2. de iustitia & iure, cap. 9. dub. 10.

CAPVT IV.

In quo explicantur, an aliquando liceat occidere seipsum.

SVMMARIVM.

37 *Seipsum dedita opera occidere non licet, cum homo non sit vitæ suæ dominus.*
38 *Solutio obiectionis de Sampsone & nonnullis aliis, qui non reprehenduntur ex eo, quod sibi mortem intulerint.*
39 *Nec fœlicitatis consequendæ gratia, nec in causa religionis, aut ad virginitatis conseruationem licet mortem sibi consciscere.*
40 *Tenetur homo vitam propriam conseruare.*
41 *Inter actus eidem conseruationi contrarios, quidam nunquam, & quidam aliquando liciti esse possunt.*
42 *Quando liceat, aut non liceat permittere se ab agressore occidi.*
43 *Permittendum esse potius se occidi, quam fornicationem aut aliquid aliud intrinsece malum committere.*
44 *Quando damnandus ad mortem peccat non fugere oblata fugiendi commoditate.*
45 *Homicida occultus non tenetur se detegere ad liberandum eum qui tanquam reus loco ipsius, afficiendus est extremo supplicio.*
46 *Secus est si suo testimonio falso ipsum exposuit tali periculo.*
47 *Varij casus in quibus licet vitam suam periculo exponere.*
48 *Quando mortaliter peccetur breuiando vitam per abstinentiam à cibis.*
49 *Quando à tali peccato possit esse excusatio.*
50 *Explicatio dubij de eo qui fecit votum abstinendi à carnibus. An possit illis vesci, cum id illi necessarium est ad vitæ conseruationem.*
51 *Cum necessarium est ad vitæ conseruationem, vesci licet cibis vetitis: nisi quod specialis ratio sit de carnibus humanis.*
52 *De obligatione obediendi medico præcipienti sumptionem certi pharmaci pro vitæ conseruatione.*
53 *Non licet mutilare seipsum, exceptis duobus casibus.*
54 *Obligatio ad conseruationem sui, cessat in quatuor casibus.*

37. LICET excusetur à peccato qui præter omnem suam intentionem interficit se (vt accidit mulieri de qua mentio est in cap. Et parte 2. De sepulturis) semper tamen illicitum est seipsum occidere, vt post D. Thom. 2. 2. *quæst.* 64. *art. quinto* habent Sylvest. Homicidium 1. *nu.* 4. Nauar. in Enchir. *cap.* 15. *nu.* 11. Couar. in 1. variar. resolut. *cap.* 2. *num.* 9. Sotus lib. 5. de iust. & iure *quæst.* 1. *art.* 5. Petrus à Nauar. lib. 2. de restitut. *cap.* 3. *nu.* 14. *& aliquot sequentib.* ac Ludouic. Molina de iustitia & iure, tomo quarto, tract. 3. disput. 9. Estque sententia D. August. in 1. De ciuit. à cap. 15. ad 26. constatque ex cap. si non licet, & tribus sequent. 23. quæst. quinta: in quorum vltimo, *sumpto ex Concil. Bracharensi*, prohibetur ne vlla pro eis in obligatione fiat commemoratio: neque cum psalmis ad sepulturam corpora eorum deducantur. Confirmatur etiam aperta ratione; quia id est contra charitatem, quam homo sibi debet: & suo etiam modo contra iustitiam, cum dominium exerceat in vitam, cuius ipse dominus non est, ex lege, Liber homo ff. Ad legem Aquiliam: quod Sotus tractat in 4. De iust & iure, *quæst.* 2. *art.* 3. & post ipsum Ludouicus Molina in præced. disput. prima. Vnde est, quod si quis alterum de ipsius etiam cõsensu interfecerit, non sit à culpa liber; quia licitum: alter ille talem potestatem ei facere nequiuit: vtpote vitæ propriæ dominum non habens: sicque Dauid. 2. Reg. cap. 1. iuste puniuit morte Amalecitem, qui Saulem ad ipsius petitionem interfecit.

Si obiicias factum Sampsonis Iudic. 16. qui alios occi- 38.
dendo, seipsum etiam necauit. Respondetur id fecisse Dei reuelatione prout habetur ex cap. Si non licet, 13. quæst. 5. & ex D. August. *in lib.* 1. *De ciuitate cap.* 21. refert D. Thom. *in cit. art.* 5. *ad* 4. Dici potest etiam Sampsonem ipsum, absque alia dispensatione, vt ad cõmune bonum interimeret hostes, tanquam fortissimum militem voluisse periculo se obiicere; prout habet Sotus lib. 2. De iustitia & iure *quæst.* 3. *art.* 8. *ad* 3. & ante eum Franc. à Vict. *in relict. de homicid. num.* 37. Actus enim fortitudinis est, vitam exponere pro republ. Quo etiam nomine fortissimus Eleazarus à culpa excusatur, dum cum tanto vitæ periculo elephantum interemit, vt Machabæorum narrat historia lib. 1. c. 6. Similiter à peccato excusatur qui ingressus in hostium nauem, aut domum: illam submergit, aut hanc incendit vt hostes ipsos iuste puniat quantumuis periturus sit cum eis. Excusari quoque potest ille qui post latam in se à Iudice sententiam mortis, vt ostendat se libenter pati propter iustitiam; sua sponte scalas ascendit, aut manus porrigit ligãdas, aut ceruicem submittit carnifici, aut immissum in os à carnifice venenatum poculum haurit; quoniam ille qui cooperando Iudicis sentẽtiæ ac mandato tale quid facit, non tam agit quam patitur libenter; prout notat Sotus. 5. De iustitia & iure *quæst.* 6. *in fine.* Id quod procedit iuxta Couar. *in* 1. *var. resolut. cap.* 2. *num.* 10. *vers.* 5. siue quis iuste, siue iniuste sit condemnatus.

Potest etiam metus maiorum tormentorum in hac re excusare: quia cum quis cogitur, actio non est tam ipsius, quam cogentis. Sicque possunt excusari Catholici, qui nostris temporibus sunt ab hæreticis coacti bibere venenum, vel ex altis locis se præcipitare, grauiora alioqui passuri tormenta. Excusari quoque potest is qui grassante incendio si non suppetat alia ratio euadendæ mortis tam horrendæ, deiiciet se è sublimi cum certo vitæ periculo. Ad quod facit quod non sit homini prohibitum ne vnquam exponat vitam periculis; sed ne sine iusta causa exponet, nec tanquam habens exosam, auferat sibi eam.

Ex hac autem propositæ difficultatis explicatione de- 39.
ducitur primo, mortaliter peccare eum, qui sibi mortem conscisci, quantumuis id faciat fœlicitatis consequendæ gratia, aut vt huius vitæ miserias euadat, prout notauit D. Thomas 2. 2. quæst. 64. art. quinto, ad 3. Deducitur secundo nulli vnquam licere secluſa diuina iussione, etiã causa religionis & martyrii vltro seipsum iugulare, aut veneno occidere. Istud Couar. notat *in memorato cap.* 2. *num.* 9. *vers.* 2. & post ipsum Petrus à Nauar. *lib.* 2 *De restit. cap.* 3. *nu.* 107. Immo neque fœminæ licet seipsam occidere ne ab alio constupretur (vt est ibidem D. Thomæ recepta sententia) quia in muliere per vim opprimi, crimen non est, si consensus absit: tunc enim potius dicitur pati quam agere. De qua re Nauarr. in Enchir. cap. 16. num. 1. proque ea multi canones habentur 32. quæst. quinta. Notat autem D. Anton. 2. *par. tit.* 5. *cap.* 6. *sub finem*; quod etiamsi virgo in eo casu signaculum amitteret et viginitatis, non perderet tamen virginitatem, debeturque ei, *inquit ille*, aureola virginitatis: quod etiam docet Sotus *in* 4. *distin.* 49. *quæst.* 5 *art.* 2. *concl.* 2.

Quod si obiicias, minus malum esse proprium occisionem, quam à Dei charitate excidere; ideoque ad istud vitandum, illam licite elegi posse. Respondetur negando fœminam per hoc quod vi opprimitur excidere à Dei charitate. Si virgeas saltem constitui in periculo consensus in peccatum. Respondetur euentum periculi esse incer-

tum; præsertim cum Deus, quo maior fuerit occasio periculi, eo maius suppeditabit auxilium: nec fœminam ipsam patietur supra vires tentari; iuxta illud quod D. Paulus pollicetur in priori ad Cor. cap. 10. v. 13. Quod si adhuc obiicias pleraſq; fœminas quas colit Ecclesia, ne virginitatem amitterent sibiipsis mortem consciuisse: vt Diuus Augustinus testatur lib. 1. De ciu. cap. 26. Respondetur eas ex diuina reuelatione id fecisse, vt ex eodem D. Augustino tenet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 124. *art.* 1. *ad* 2. aut inuincibili ignorantia potuisse excusari. Nam etsi Caiet. ad eum locum D. Thomæ, & Franciscus à Victoria *in relect. De homicidio, nu.* 37. negent posse circa hoc præceptum dari iustam ignorantiam: tamen quoad hunc casum, secus sensit Sotus *lib. De iust. & iure, quæst.* 1. *art.* 5. *in fine*, & post ipsum Ludouic. Molina de iustitia & iure, *in citato tract.* 3. *disput.* 9. *sub finem*: quia cum quid est de iure naturali occultū, neq; facile peruiā habet rationē; in ipsum cadere potest ignorātia inuincibilis. Id quod in proposito casu vsuenire nō ægre concederet, qui considerauerit fœminas esse castitatis seruandæ studiosissimas intuitu Dei & virtutis: neque in subtilitatibus iuris versatas. Sicque intelligi potest quod ex cap. Non est nostrum, 23. quæst. 5. obiicitur, licitam esse fœminis occisionem sui, ad conseruationem castitatis.

Aduerte autem obiter, non esse facile credendum inspirationibus cooperandi efficaciter suæ morti, cum ex Apostolo *in 2. ad Corinth. cap.* 11. Satanas transfiguret se in Angelum lucis: adeo ut merito quisque sibi ipsius fraude timere debeat ac cauere. Quæquidem fraus eo maxime indicio detegetur, si talis suggestio non tendat ad Ecclesiæ ædificationem vrgente necessitate, sed tantum ad propriam complacentiam & æstimationem.

Difficultas antedictis annexa, de vitæ propriæ conseruatione.

40. SEd difficultas hoc loco occurrit, An vt nemini licet seipsum occidere, ita nec liceat vitam propriam non conseruare. Tenendum est autem cum Francisco à Victoria *in relect. De temperantia, nu.* 1. non licere. Quod patet ex cap. Non mediocriter, de consecr. distin. 5. & ex eo, quod 22. quæst. 147. art. 1. ad 2. D. Thomas habet ex D. Hieron. nihil interesse, parua an lōgo tempore te interimas. Ac demum ex eo, quod non conseruare vitam suam, repugnet charitati, qua quisque tenetur diligere seipsum; sicut negare proximo necessaria ad vitam conseruandam, contrarium est charitati quæ ei debetur.

Attamen multæ in hac re particulares difficultates possunt esse. At quarum resolutionem aduertendum est, inter actus mortiferos, esse quosdam qui positiue, & immediate, ex propriaq; natura, tendunt ad mortem: vt potus veneni, iugulatio, strangulatio, proiectio in rogum, præcipitatio ex alto loco, & alij quibus homo semetipsum interficit: quosdam vero esse qui negatiue, & mediate, atq; ex accidenti ad mortē adferendam apti sunt: vt non fugere à loco vbi viget pestis, oblatam tabulam in naufragio relinquere alteri, non sumere cibum aliquē, vel portionē, & similia quib. homo censetur non cōseruare vitam suam.

41. Priores igitur nunquam licent: posteriores vero ex aliqua causa sæpe liciti sunt, vt recte notauit Petr. à Nauar. *li.* 2. *De restit. c.* 3. *nu.* 72. post Couar. in lib. 1. variarum resolut. *cap.* 3. *nu.* 8. *sub finem*. Cuiusmodi causa est, tum Dei honor per testificationem diuinæ veritatis, aut euitationem alicuius peccati, aut executionem alicuius virtutis, quando ea est in præcepto, aut in consilio; tum salus Reipub. tum etiam proximi salus spiritualis: quam vtramque, esse vitæ temporali præferendam, tamquam maius bonum minori, recta ratio præscribit. Neque enim in tali casu imputatur homini sua mors, vt nec nautæ imputatur submersio nauis ob absentiam ipsius; quando ea fuit propter maius bonum, vt propter vitam propriam tuendam, vel propter spiritualem animæ suæ salutem.

Istud ipsum autem (actus inquam, posterioris modi licitos esse ex causa) maxime omnium dicendum est de nonnullis per quos vita impeditur prolongari: vt exempli gratia, quod aliquis iusta de causa non conferat se ad locum vbi sit salubrior & clementior aura, prout notat à Victoria *in relect. De homicidio, nu.* 33. aut quod non vtatur salubribus medicinis, prout habet Medina in Cod. De ieiunio *quæst. vltima ad primam rationem*. Aduertendum enim est, præceptum de se conseruando, non obligare in casu quo id omittitur propter maius & melius bonum; cum tunc, saltem consilium sit, anteponendi bonum maius, & melius minori: neque ad aliud obligat, quam ad vitam conseruandam per media de se ad id ordinata. Non enim tenetur quis in vniuersum vti omnibus mediis quibus vitam conseruare, prout notat quoque à Victoria *in sequen. num.* 35. Et patet, quia obligatio esset ad moraliter impossibile.

Conclusiones deductæ ex propositæ difficultatis explicatione.

EX qua doctrina infertur primo, quamuis non sit obligatio, licitum esse tamen alicui non occidere aggressorem; id est, cum quis aliter euadere nequit, permittere potius se occidi, quam occidere inuasorem, vt ei relinquat tempus ad agendam pœnitentiam. Talis enim actus non defendendi se est de eorum numero, qui ex accidenti, & negatiue tendunt ad mortem: ideoque secundum paulo antedicta, licitum esse potest ex iusta causa; qualis in hoc casu censentur esse bonum eminentis charitatis, qua vita propria pro aliena salute spirituali ponitur exemplo Christi. Ita docent præter Caiet. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. plures alii, quos refert, sequiturque Petrus à Nauar. *in cit. cap.* 3. *num.* 62. 42.

Ad quod illustrandum induci potest illud ex cap. Non est nostrum, 23. quæst 5. Non est nostrum mortem arripere, sed illatam ab aliis libenter accipere. Et illud ex sequent. quæst 8. cap communior. Vultis in vincula rapere, vultis in mortem: voluntas est mihi, &c. Quod si possit quis euadere fugiendo, debet potius fugere quam permittere se occidi. Atque si aliqua forte de causa contingat non esse bonum supererogationis, consiliumve non defendere seipsum, oportebit omnino, *etiam cum aggressoris occisione, si aliter fieri non potest*, vitam propriam defendere. Nam vt non est licitum spiritalem vitam propriam amittere pro spirituali vita proximi: ita nec licitum est, pro temporali salute hominis priuati, tradere se morti voluntariæ; quia vt illud, sic & istud, est contra charitatis ordinem, secundum quem teneor meæ saluti prius prouidere, quam alienæ, nisi interueniat specialis ratio ob quam aliter agendum sit. *De qua re Petrus à Nauar. in eodem cap.* 3. *num.* 38. *& aliquot sequentibus.*

Infertur secundo, hominem mori debere potius, quam committere fornicationem, etiam posito, quod non possit aliter vitam suam conseruare. Fornicatio enim est intrinsece mala, quæ nulla circumstantia cohonestari potest. Vbi aduerte quod Petrus à Nauar. notat *in eod. cap.* 3. *n.* 104. *&* 105. ob nullum mortis metum, licere viro cum aliena coire: quia cum actione concurrat, id nequit, quin consentiat. Aliaque ratio est de fœmina: quæ sine suo cōsensu corrumpi potest, vt iam ante attigimus; & ideo ad euitandam mortem quæ ei alioqui certo inferenda est, pati potest se corrumpi, dummodo absit tum consensus in turpitudinem, tum etiam eiusdem periculum apertum. Veruntamen, quia ob vehementem, naturæ inclinationem in eum actum, raro abest tale periculum, licitum est fœminæ se occidi permittere potius, quam tale quid perpeti. Quod autem de fornicatione dictum est, eadem ratione dicendum est de quauis actione similiter mala intrinseca: adeoq; de quauis præcepti transgressione in contempum legitime præcipientis. Ad quod faciunt tradita in præcedenti lib. 11. cap. vlt. 43.

Infertur tertio, ex proposita doctrina, licitum esse ex iusta causa martyrium expectare nec fugere, quemadmodum notant Couar. in lib. 1. variarum resolut. *cap.* 2. *num.* 9. Nauar. in Enchir. *cap.* 11. *num.* 40. Sylu. verbo Martyrium. Quando vero iusta causa interuenire censeatur, Petrus à Nauar. *in memorato cap.* 3. *num.* 111. vno verbo expressit: inquiens, tunc hominem teneri pro Christo vitam offerre, cum si non faceret, vituperio esset apud infideles ministerium nostrum. Eadem ratione dicendum est, quod qui iuste detinetur in carcere probabiliter afficiendus extremo supplicio, possit non fugere, oblata etiam 44.

iam opportunitate. Tunc enim iusta datur causa per quã actus non fugiendi iustificetur; nimirum satisfactio delicti eiusque punitio in aliorum exemplum. Ita obseruat post Caiet. 2.2.*quæst.* 69.*art.* 4. Couar. in cit. cap. 2. *nu.* 10. *vers.* 6. & post Ioannem Maiorem Perrus à Nauar. *in eod. cap.* 3. *num.* 77. Contrarium vero quod aliqui tenent, *vt Franciscus à Victoria in relect. De homicidio, num.* 29. admiserim, cum quis tale quid fecerit bono fine quidem, non tamen sufficienti; prout facile contingere potest, id facienti ex ira, vel alia passione.

De detento autem in carcere, qui cum innocens sit iniuste damnandus est ad mortem simpliciter iudicandum est, non posse data oportunitate de carcere non fugere: quoniam in tali casu nõ datur sufficiens causa iustificans: adeo vt is per præceptum de se conseruando, fugere teneatur ex Couar. *in sequen. v.* 7. Qui postea *nu.* 12. docet innocentem si aliter condemnationem iniquam euadere non valeat, posse cum carceris effractione euadere: neq; inde secuta damna, illi imputanda esse: cum vtens iure suo nemini sit iniurius. Quod tamen intellige regulariter loquendo quoniam posset aliquando ex fuga sequi tanta Reipubl. perturbatio, vt vinctus teneatur non fugere, cum bonum publicum anteponendum sit priuato.

45. Infertur quarto, ex eadem doctrina; quod non teneatur quis detegendo homicidium quod perpetrauit, mortis periculo obiicere se; ad liberandum innocentem qui tanquam eiusdem homicidij vere reus, morte afficiendus est secundum allegata, & probata. Id quod Sotus expressit *lib.* 4. *De iustitia & iure quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. *argument.* Et probatur, quia is nihil committit in innocentem, cuius mors ex actione ipsius sequitur: quidem non tamen per se, quasi in illud ea dirigatur natura sua, aut ex agentis intentione: sed tantum per accidens: nempe quod acciderit immiscerei accusationem testificationemq; aliorum quæ ad talem mortem per se dirigantur. Neque obstat, quod tale quid prouidere potuerit: quia inde tantum sequitur peccasse contra charitatem, omittendo cautionẽ requisitam ad impediendum proximi damnum: non autem contra iustitiam, contra quam est homicidium; quia quando ex aliqua actione damnum sequitur tertio, non ex natura actionis, sed vel ex malitia vel ignorantia aliorum, quę ei se immiscet, actio eiusmodi non iudicatur iniuriosa esse respectu agentis, sed alterius malitiosi, aut ignorantis qui occasione illius damnum dat. Veruntamen licite atque laudabiliter talis faceret, si suum delictum fateretur, quia actus is, quo fateretur; seque Iudici offerret, pertinet ad posterius genus actuum, qui nu. 40. & 41. propositi sunt. Deinde potest id cohonestari per circunstantiam, quod ea ratione ille qui reus est, non autem innocens, pœnas peccati admissi pendat.

Porro quod à Victoria in relect. De homicidio *nu.* 29. innuit esse actum de se malum, si latro offerat se Iudici, certum non est; nam eum cohonestari posse ex iusta causa Nauar. satis indicare videtur, cum in Enchir. *cap.* 15. *n.* 21. *vers.* 2. dicit homicidam non teneri seipsum carceribus aut morti sibi inferẽdæ tradere; etiamsi hoc facere, saluti animæ valde conduceret. Hoc enim addens significat cohonestari posse: quia si non posset nec saluti animæ vllo modo cõducere valeret. Ad quod etiam facit quod D. Thomas 2.2. *quæst.* 64. *art* 5. *ad* 2. ait publicam potestatem habenti, non licere quidem ob peccatum quodcumque se occidere, licere tamen se committere iudicio aliorum.

46. De cætero negandum non est quin is qui suo testimonio alium morti falso addixit, possit cum vitæ propriæ periculo seipsum retractare: immo & ad id teneatur, iuxta Sotum loco paulo ante citato atq; alios quos refert & sequitur Petrus à Nauar. *in sæpe memorato cap.* 3. *num.* 251. perinde ac is qui rem alterius furatus est tenetur omnino, etiam cum proprio damno rei familiaris, domino necessitatem alias patienti, illam restituere. Licet enim mihi plus tenear quam proximo, quando omnia sunt paria: tamen quando ego sum efficax causa damni, conditio damnificati, *vtpote innocentis*, potior est, quam mea, qui sum nocens. Qua in re idem iudicium est de eo qui causa fuerit talis falsi testimonij vt idem à Nauarra, *in seq. num.* 253. habet: quia parui refert an per tuum testimonium, an vero per inductionem alterius ad testimonium ferendum occidas proximum: cum reuera constet quod tua causa illi sit iniuste moriendum. Attamen si retractatio nihil esset pro futura, non teneretur quis ad illam cum vitæ periculo. Sicut nec si quis per ignorantiam quandam, aut obliuionem inculpabilem falsum testimonium dixisset, *vt idem ibid. num.* 254. *addit. ex Caiet.* quia materialiter tantum dixit falsum (sicut is qui librum accipit nesciens esse alienum, materialiter tantum committit furtum) ideoque non obligatur ex iustitia in commodum subire ratione delicti. Hocque quod de falso teste dicitur, pari ratione dicendum est de Iudice qui innocentem damnauit.

47. Infertur quinto, ex proposita doctrina, quod etsi communiter peccatum sit, se mortis periculo exponere (exemplo sunt illi quorum meminit Nauar. *in eod. cap.* 15. *nu.* 8. qui ne timidi habeantur per nimiam audaciam se exponunt itemque funambuli ac duellantes) in multis tamen casibus id licere propter circumstantiam aliquam cohonestantem actum eum. Hac enim ratione ob publicam necessitatem milites exponẽres se periculo belli, excusantur: prout notant à Vict. *in relect. De temperantia nu. nono, & in relect. De homicid. n.* 32. Medina in quæst. vlt. De ieiunio *ad secundam rationem*, Couar. in 1. var. resolut. *cap.* 2. *nu.* 10. *vers.* 9. & Sotus lib. 5. De iust. & iure *quæst.* 1. *art.* 6. *concl.* 1. Ratioq; est quia bono publico postponenda est vita priuati: sicut incolumitati totius, natura magistra, postponitur incolumitas patris. Item ob vtilitatem publicam, *vt notat à Victoria in cit. nu.* 32. excusatur nauigatio in mari, etiamsi vix contingat non dari in ea magnum aliquod vitæ periculum. Excusantur etiam ij qui vitam corporalem pro corporali proximi vita prudenter exponunt periculo: prout docent à Victoria *in relect. De homicid. num.* 25. Sotus *in cit. art.* 6. *concl* 3. Pro quo facit illud 1. Ioan. 3. In hoc cognouimus charitatẽ Dei quoniam ille animã suam pro nobis posuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.] Id quod non ad solum proximorum spirituale bonum spectare, sed etiam ad corporale satis indicant, quæ ibidem proxime sequuntur. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, &c.] Facit etiam quod habet D. Paulus ad Ephes. cap. 5. Viri debent diligere vxores suas, sicut corpora sua.]

An autem excusetur vxor si cum magno suo periculo assideat marito peste laboranti, quando hoc officium nullo modo profuturum est, neque facit alio prætextu, quam vt pereunti marito adsit, & consolationem impendat. A Victoria quidem in relect. De homicidio videtur hæsitare dicens *in num.* 31. non audere eam condemnare: sed in relect. De temperantia *nu.* 9. *vers.* 3. eam plane excusat. Excusandum similiter esse coniugem reddentem coniugale debitum coniugi leproso petenti, si adsit periculum fornicationis, patet: quia is actus non est de se ad mortem ordinatus, quantumuis sit periculosus: tunc que circunstantia adest quæ illum cohonestat. Maius vero dubium est, an coniux ad id teneatur, quod tractandum est cum de matrimonio.

Addendum est, iuxta Nauarrum in Enchir. cap. 15. excusari eum qui agit illa, in quibus ordinarie periculum est mortis; sed ea circumspectione, & moderatione vtitur, vt probabiliter euadere possit: nec videatur periculum adesse. Sic enim excusat in num. 8. funambulos, qui iis viribus, & agilitate corporis pollent, & sunt ita circumspecti in suis iocis exercendis, vt periculum verosimiliter abesse iudicetur. Item haurientes venenum sumpto statim efficaci antidoto, & in seq. n. 9. exercentes torneamenta, habentia adiunctum mortis periculum, cum aduersus hoc adhibent sufficiens remedium. Item nu. 13. matrem, seu nutricem quæ noctu in lecto prope se infantulum collocat adhibita tanta diligentia aduersus periculum suffocandi ipsum, vt probabiliter credatur nullum adesse. Ac demum in nu. 18. eos qui tauros agitant cum ea moderatione & circumspectione vt nullum sit in eo periculum mortis, aut mutilationis. Veruntamen quia tales periculosa sunt natura sua; neq; per moderationem peri-

culum

culum omnino tollitur, itaut nonnunquam inde mors, aut mutilatio contingat, non videntur consulenda, nisi bonum cõmune exigat: vt contingere potest quoad torneamenta: quoad taurorum autem agitationem vix: & quoad ambulationem super funem, nunquam.

48. Infertur sexto, qualiter iudicandum sit de abstinentiis, aliisque id genus, quibus vita breuiatur, An liceant necne? Nam loquendo absolute tenenda est pars negatiua: vt tenent Franc. à Vict. *in relect. De temper. quæ. vlt.* & Couar. 2. 2. *quæst.* 147. *art.* 1. & Medina in Cod. De ieiunio, *quæst. vlt.* extendendaque est non solum ad casum in quouis ex intentione, *siue vt cito moriatur*, id facit: sed etiam ad eum in quo non intendit quis aliquid eiusmodi: aduertit tamen vitam suam notabiliter inde breuiari. Id quod Nauarr. in Enchir. *cap.* 15. *num.* 12. annotans, vult in tali casu mortale committi, nisi bona fides excuset: vt censetur cum etiamsi quis tale quid aduertat, nihilominus existimat se benefacere: exstimatione scilicet, quam purget ignorantia probabilis; adeoque sufficiens ad agentem excusandum à peccato saltem mortali.

Cæterum si quis aduertat se ex abstinentia damnum vitæ capere, non tamen notabile: tunc peccat solum venialiter ex Caiet. loco cit. quia leue nocumentum constituit tantum peccatum veniale, idque adhuc, quando aduertit se virtutis abstinentiæ limites excedere: nam alias ne quidem veniale committeret: propterea quod intra abstinentiæ limites cadit vitam ex bono fine aliquantulum breuiare per exiguum nocumentum: prout tum rationibus, tum patrum authoritatib. & exemplis ostendit Medina in cit. quæst. vlt. Qua de re videri potest Petrus à Nauar. in lib. De restit. *cap.* 3. *nu.* 85. & aliquod sequentibus.

49. Iam licet nulli omnino fas sit interimere se abstinendo à cibo; posset tamen in ægroto tanta esse animi deiectio, & appetitiuæ virtutis conseruatio, vt non possit nisi cum summo labore & cruciatu cibum sumere, eaque de causa (*quia tunc impossibilitas quædam interuenire censetur*) talis excusandus est saltem à mortali: præsertim quando exigua, aut etiam nulla fuerit spes vitæ. Ita docet Franciscus à Victoria, *in relect. De temperantia nu.* 1. Similiter concedendum est non teneri quem per alimenta vitam quantum potest prolongare. Nec enim tenetur vti cibis optimis, & delicatissimis, quamuis sint salubriores; *ex eod. a Vict. in sequ. n.* 11. *& de homicid. nu.* 34. Itemq; ex Couar. *lib.* 1. *var. resolut. cap.* 2. *nu.* 10. *in principio*. Ratio autem horum est, quod Deus non iniunxerit nobis, vt vsque adeo soliciti essemus de vita. Sufficiet igitur communibus vti alimentis, nec oportebit carne potius vti, quam piscibus, vel ouis: & potu vini potius quam aquæ, etiamsi medicus id consulat, nisi forte ad id cogat ægritudo, cuius causa acquiescendum est consilio medicorum, & ideo abstinendum ab iis quæ illi iudicarent nociua; non secus ac sani debent non modo à venenosis, sed etiam ab aliis nociuis cibis se præseruare. Quę doctrina est Franc. à Victoria *in cit. num.* 34. Ex qua intelligitur, quod si alicui etiam nocenti præciperet Iudex, vt per se sumeret potum venenatum, illi obediendo tali iniusto præcepto, tanquam occidens seipsum grauiter delinquat, iuxta Sotum *in* 5. *De iust. & iure quæst.* 6. *art.* 4. *in fine*. Confirmatur vero, quia talis actus est de genere eorum qui directe immediateque tendunt ad mortem; quo fit vt nulli vnquam licere possit. Et si concedendum videatur multos bona fide aliquid eiusmodi facientes, excusari à peccato per ignorantiam.

Dubia aliquot, De eadem conseruatione vitæ propriæ.

50. Occurrunt hic nonnulla dubia. Primvm est, An qui votum emisit abstinendi perpetuo à carnibus possit illis vesci, cum id ipsi necessarium est ad vitæ conseruationem. Cui satis fit sequentib. propositionib. Prima est: quod talis, si nullus sit alius cibus qui sumi possit, teneatur carnem comedere. Hæc est Franc. à Vict. *in relect. De temper. n.* 10. & Medinæ De ieiunio *quæst. vlt. ad.* 4. *rationem*. Et probatur: quia tunc non comedere est in effectu se occidere. Secunda est: quodsi extrema sit necessitas vescendi carnibus ad vitam conseruandam, etiam alij cibi suppetant, talis quoque possit illis vesci. Ratio est. quia votum non censetur pro tali casu emissum: Nam pro regula habetur, *inquit loco cit. Medina*, id quod impediret voti obligationem, si tempore emissionis adesset, id ipsum post emissionem superueniens, tollit obligationem eiusdem. Extrema autem necessitas impediret, vtpote reddens illud incautum, & ideo illicitum: adeout semper in eo locũ habeat exceptio extremæ necessitatis, etiamsi non exprimatur. Attamen quando ex tali esu oriturum esset graue scandalum vt in ordine Carthusiensi quia censeretur inde labefactari disciplinæ austeritas; abstinentia ab eodẽ esu iudicaretur permissa: propterea quod in tali casu non comedere carnes, actus est secundi generis: seu de illorũ numero qui indirecte tantum ad mortem tendunt. Namq; illud quod nõ comedendi mortem tunc adfert proxime, non est eiusmodi abstinentia, sed praua corporis & humorum dispositio: quo fit vt iuxta supradicta, possit eadem abstinentia cohonestari, licitaq; reddi ex causa iusta.

Tertia propositio est: Quod si iudicio medicorum omnes alij cibi sint nociui infirmo habenti memoratum votũ, & solę carnes sint ei profuturæ, tunc ille tenetur carnes sumere. Hæc probatur: quia ipse non potest absolute non comedere, cum id ad mortem directe tendat: neq; licet ei edere quæ iudicio medicorum sunt ipsi nociua, vt antea dictum est. Si ergo omnia præter carnes nociua sint ipsi, tenebitur illis vesci, pro vitæ suæ conseruatione.

51. Secvndvm dvbivm. An si nihil aliud habeas quod comedas præter cibum vetitum, sit tunc tibi licitum eo vesci. Ad hoc respondendum est affirmatiue: quia intentio legislatoris talem cibum vetantis, non fuit, vt cum tanto damno, sua lex adstringeret. Vnde Dauid in necessitate constitutus exhib. 1. Reg. c. 21. panes propositionis comedit sine peccato, vt constat ex cap. 12. Diui Matt. Similiter in Quadrages. carnes, & alia tunc vetita, licite sumi possunt in escam: immo necessario sumenda sunt, si desit cibus alius necessarius ad vitæ conseruationem.

52. Tertivm dvbivm. An si quis tantum habeat carnes humanas quibus vesci queat, teneatur illis vesci ad vitam conseruandam. Ad hoc respondendum est negatiue: quia contra præceptum iuris naturæ est talibus vesci, prout bene explicat Caiet. 2. 2. *qu.* 148. *art.* 2. *ad* 2. *argument. Martini*: qua in re nos immorari non est necesse. Quinetiam probabile est, illicitum esse in extrema necessitate vti eis in cibum: quod à Victor. in relect. De temperantia, num 6. probat ex eo, quod semper habitum sit tanquam immane, quod aliqui in obsidione vsi sint tali alimento. Quanquam loco cit. Caiet. & Abulen. 4. Reg. cap. 6. (referente ibidem à Victoria) putant id per accidens licitum esse: nimirum quando nõ est nocumentum proximi, vt quando est caro hominis iuste occisi, & tam apud comedentem, quam apud alios, necessitas vrgens operit immanitatem.

Qvartvm dvbivm. An si medicus præcipiat alicui vt quotannis pharmacum sumat ad euitandam mortem, is teneatur sumere. Respondendum est: quod si mortaliter certus sit, sumpto pharmaco se sanitatem recepturum, & alioqui moriturũ, nec vlla sit causa quæ cohonestet actum non sumendi: mortaliter delinquere nisi sumat. Id quod à Victor. *in relect. De temper. nu.* 1. ex eo probat, quod mortale esset tale pharmacum denegare proximo in tali necessitate cõstituto. Quare erit & denegare sibi ipsi: præsertim cum ad necessitatem vitæ, corporalis medicina instituta sit à natura, seu creata à Deo, ex cap. 38. Ecclesiastici. Verum si ad vitam solummodo prolongandam spectet medici consilium, de sumendis quotannis pharmacis, non tenetur quis ei stare: vt expressit à Vict. *in ead. relect. quæst. vlt. propos.* 3. sicut nec tenetur patrio solo relicto migrare in alium locum, vbi felicior sit aura: vt idem etiam expressit *in relect. De homicidio, nu.* 33. Nec item, vt idem *in sequenti nu.* 35. habet, tenetur dare totum patrimonium pro remedio seruandi vitam. Et ratio esse potest, quod non videatur credibile Deum velle vt cum tanto dispendio quis propriam vitam conseruet. Vnde approbandum quoque est, quod Sotus *in lib.* 5. *De iust. & iure quæst.* 2. *art.* 1. *concl.* 3. indicat, excusari à peccato eum qui velit potius mortem pati, quam permittere cum maximo dolore pedem sibi secari. Cui affine est quod idem *in eod. lib. quæst.* 10.

articulo secundo, sub finem, habet hominem non teneri cum tanto cruciatu quantus est reorum, qui à Iudicibus torquentur, vitam suam seruare: sed breuiorem mortem sibi permittere posse.

De mutilatione sui ipsius appendix ad antedicta.

53. His quæ fusius de occisione sui ipsius tractata sunt hactenus, paucis ob rerum connexionem, illud de mutilatione addendum est: quod vt nulli fas est seipsum occidere, ita nec se parte aliqua mutilare: quod patet ex cap. 4. & aliquod sequentib. dist. 55. Ratioque est, quam post D. Thom. 2. 2. *quæst. 65. art. 1.* Sotus habet *lib. 5. De iust. & iure, quæst. 2. art. 1.* quia vita totius constat ex membrorum integritate. Quare sicut homicidium nulli est licitũ: ita nec mutilatio, nisi bonum totius corporis exigat: sicut contingit, tum quando membrum ita male affectum est, vt sit periculum ne toti corpori extremam adferat perniciem, vt quando putridum est, aut veneno infectum, tum quando alias ea necessaria est ad euadendũ præsens mortis periculum: vt cum quis ab incendio quo corripitur locus in quo est, aliter euadere non potest quam manum qua tenetur ligatus, abscindendo (*quod exemplum est Soti*) aut quin saltet per fenestram, quantumuis prouideat sibi ex saltu frangendum esse crus, aut brachium.

Non licet vero abscindere sibi aliquod membrum ad euitandum peccatum: vt D. Tho. 2. 2. *quæst. 65. art. 1. ad 3.* ex Diuo Chrysostomo, notat. Quod etiam patet ex citato cap. 4. & sequentibus. Ratioque est, quia peccatum potest semper alio modo vitari; nempe libera voluntate cum diuinæ gratiæ auxilio. Nec vnquam membra adferunt animæ perniciem (alioqui enim Deus præue naturam instituisset, quod dicere blasphemia est) sed malitia & negligentia liberæ voluntatis. Si obiicias illud Matth. quarto. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, &c.] Sotus in fine cit. art. 1. respondet id esse intelligendum per hyperbolem, qua moraliter significetur quasuis peccatorum occasiones esse amputandas.

54. Porro sicut non debet homo membrum vllum, vt nec vitam sibi auferre: ita debet membra, vt & vitam suam, conseruare tanquam à Deo constitutus, vt vitæ, sic & membrorum suorum custos. Quamquam quatuor sunt casus in quibus non tenetur quis ad sui conseruationem. Primus est, quando est reus mortis, & ad mortem rapitur à ministris iustitiæ. Immo grauiter peccat eis resistens, iuxta illud ad Rom 13. Qui potestati resistunt, ipsi damnationem acquirunt.]

Secundus casus: quando contra id ipsum quod adest periculum mortis, remedium adhibetur sufficiens: qua ratione illi excusantur, qui cum præsens ac certum remedium habeant, ad ostendendum ipsum efficax esse contra aliquod venenum, sumunt id ipsum venenum. De hoc casu Nauar. in Enchir. *cap. 15. nu. 8. vers. 8.* & post eum Petr. à Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 3. nu 82. & 83.* Ad quem requirunt primo, vt tale remedium sit de consilio insignium medicorum, iuxta præcepta medicinæ ab homine legali compositum: secundo, vt periculo facto in bruto animali, virtus eius comprobata sit: tertio, vt tam qui dat quam qui sumit venenum, credat remedium esse antedicto modo compositum, nec vllum subesse mortis aut alterius corporalis damni notabilis periculum. Quæ cum difficile sit explorata habere, ideo curandum est talem experientiam in bruto fieri non in homine.

55. Tertius casus est, quando remedium adhibendum ad conseruandam sanitatem, est ingentis pretij, aut ipsum est valde difficile, iuxta antedicta in responsione ad quartum dubium. Quartus est, quando causa rationabilis adest cur debeat quis exponere se mortis aut mutilationis periculo: vt in iusto bello aut ad iustam sui, aut alterius defensionem, iuxta post dicenda. Cæterum hic sumimus mutilationem & membrum generaliter: sub illa comprehendentes non tantum abscissionem membri, sed etiam debilitationẽ, qua alicui sic debilitatũ est membrum absq; abscissione, vt suam functionem exercere non possit. Sub membro autem comprehendentes corporis partes etiam minores, vt digitum aut articulum digiti.

CAPVT V.

In quo explicatur, an licitum sit ob propriam defensionem occidere alium.

SVMMARIVM.

56 *Ob vitæ propriæ defensionem licitum est occidere aggressorem*
57 *Quatuor conditiones ad id requisitæ, & quando liceat præuenire aggressorem in occidendo.*
58 *An obligatorium sit occidere aggressorem, cum ad defensionem sui, id necessarium est.*
59 *Is etiam qui se in vitæ discrimen coniecit sua culpa, potest vti iure defensionis cum moderatione inculpatæ tutelæ.*
60 *Quomodo liceat occidere ad defensionem sui honoris.*
61 *Explicatio difficultatis vtrum liceat insequi eum qui honorem læsit, vt percutiatur cum id necessarium videtur ad tale damnum resarciendum.*
62 *Quo modo tale quid possit homo militaris.*
63 *Difficultas, an occidere liceat ad defensionem rerum propriarum.*
64 *Id licet non solum cum defensio fuerit coniuncta cum periculo propriæ vitæ, sed etiam sine eo.*
65 *Solutio eorum quæ obiiciuntur in contrarium.*
66 *Furem fugientem rebus tuis vnius lum insequi licet, & occidere, si nulla alia via res ipsæ possint recuperari.*
67 *In istiusmodi difficultate, par ratio est Clericorum ac laicorum.*

In re proposita est difficultas. 1. An tale quid sit licitum ob defensionem vitæ propriæ. 2. An ob defensionem proprij honoris. 3. An ob defensionem propriarum rerum: de quibus sigillatim dicendum est.

Prima difficultas, quoad defensionem vitæ propriæ. 56.

De prima igitur difficultate, quod licitum sit ob vitæ defensionem occidere aggressorem, sententia est D. Thomæ 2. 2. quæst. 64. art. 7. Caiet. & aliorum interpretum illius, Soti in 5. De iust. & iure, quæst. 1. art. 8. Nauarr. in Echir. cap. 15. num. 2. Couar ad Clemen. vnicam. De homicidio 3. part. § vnico num. 1. alios plures in eamdem sententiam citantis: quam esse communem ait Petr. à Nauar. lib. 2. de restit. cap. 3. num. 332. Probatur vero: quia lex naturalis vnicuique facit potestatem seipsum defendendi ab aggressore: ex lege vt vim, ff. de iust. & iure, & ex eo, quod existere, adeo naturale sit cuiq; rei, vt in id quod sibi nocet, statim insulet. Sicque in cap. Ius naturale distinct. 1. inter ea quæ sunt iuris naturalis, tanquam facta instinctu naturæ, ponitur violentiæ per vim repulsio. Accedit ratio: quia in eiusmodi contentione homo plus tenetur prouidere vitæ suæ quam alienæ: quia semper incumbit illi cura prouidendi saluti vitæ propriæ: prouidendi vero saluti vitæ alienæ, non item: præsertim proposito casu in quo alter coniiciens se ex mera malitia in salutis discrimen, non est in necessitate: sed in voluntaria iniquitate: atque seipso neglecto, tunc alij consulere, occasio esset nefariis hominibus inuadendi viros bonos: dum nimirum illi certi essent se ab his minime occidendos. Qualem occasionem arripuisse videntur Machabæorum hostes, ex lib. 1. historiæ ipsorum cap. 2. Idem confirmari potest per cap. 3. sententia excommunicationis §. Si vero, & per Clemen. vnicam De homicidio. Illic enim dicitur quod vim vi repellere omnia iura permittant: hic vero ab irregularitate ex homicidio excusatur is, qui non valens mortem aliter vitare, inuasorem suum occidit, aut mutilat.

Illud autem D. Pauli ad Rom. 12 Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ intelligendum est de defensione quæ fit cum iuore vindictæ, ex glossa interlineari, quam D. Thomas sequitur in cit. art 7. ad 5. Cuiusmodi defensionẽ illicitam esse non negamus. Immo vero etiamsi cõcedamus, quod possit quis absq; peccato mortem aggressoris sumere tanquam medium defensionis,

seu

seu, *quod idem est*, possit se defendendo habere animum occidendi aggressorem (*prout docent Sotus loco cit. Nauar. in Enchir. cap. 15. nu. 2. Molina de iustitia & iure tomo 4. tract. 3. disput. 11.*) quia sæpe fieri nequit, vt te defendas, nisi inuasori vulnus lethale infligas. Negamus tamen cum Caiet. *in verbo Homicidium*, licitum esse sic voluntate ferri in homicidium vt in eo sistas principaliter; sicut contingit cum quis ideo defendit se vt occidat, vel cum non est contentus defensione, nisi occidat. In foro enim conscientiæ occidere tunc licitum est tantummodo per accidens, id est, ideo tantum, quod nequeat quis se defendere quin inuasorem occidat. Per se enim intendere seu absolute desiderare vt inuadens moriatur, non est necessarium ad sui defensionem, sicut est vt concidat viribus, sicque non lædat amplius: quod curando, si necesse fuerit, mors inferri potest.

Conditiones requisitæ vt occisio hominis, ad defensionem sui facta, censeatur licita.

57. POrro vt hominis occisio facta in defensionem propriam censeatur licita, quatuor conditiones requiruntur. Prima, vt vis inferatur, quam secundum omnes leges licet vi repellere, ex cap. Significasti 2. De homic. & cap. Si vero 1. De sententia excommunic. Secunda, vt occisio fiat ad propriam defensionem, & iniuriæ propulsationem: ad quam, *vt iam ante attigimus*, natura vnicuique facit potestatem. Tertia, vt occasio fiat in ipso actu defensionis, ex cit. cap. Significasti: ex quo habetur illam debere fieri cum moderatione inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam: siue, *quod idem est*, ad se defendendum aduersus iniuste inuadentem, aut accedentem ad inuadendum.

Circa quam conditionem, notandum est primo, mihi non licere quidem, quamdiu res dubia est, occidere eum à quo mortem iniustam mihi parari suspicor, etiamsi vehementia appareant indicia, quod ita res habeat: quia illum de quo dubitatur an innocens sit, non licet tanquam nocentem occidere: nihilominus tamen id non impedit, *prout notatum est à Molina in sequent. disput. 12.* quominus si quis faceret aliquid vnde mors meritissime timeretur, admoneri posset vt ab eo desisteret: significando iuste timeri de illius sinistra intentione; sique admonitus nollet desistere, neque vellet reddere sufficientem rationem eorum quæ faceret ad pacandos timentium animos, occidi posset tanquam iniustus aggressor si constaret tale periculum mortis ab eo imminere, quod alia ratione vitari, nequeat. Id enim damnum, imputandum est recusanti facere quod debuit; non autem inferenti, qui non tenetur expectare donec interficiatur; sed potest vnica quæ se offert iusta defensione, præcauere ne damnum quod ex illo timetur, eueniat. Qua tamen in re tanquam abusibus obnoxia, procedendum est cum maxima circumspectione, maturoque consilio.

Notandum est secundo, ex Nauarr. in cit. num. 2. Eum censeri inuasorē in negotio de quo agimus, qui decernit occidere alium cui nullum aliud est effugium euadendi mortem quam illum præuenire occidendo. Pro quo facit Clemen. vnica De homicidio; per quam licet occidere inuasorem quando nulla alia suppetit via euadendi mortem ab ipso intentatam. Facit etiam, quod non idcirco fas sit mihi inuasorem occidere, quod aggrediatur me interficere: sed quod sua aggressione me iniuste ita constituat in discrimine vitæ, vt nulla pateat mihi alia via ad me eruendum ab eo periculo, quam illius interfectio. Sic ergo fit, *inquit Molina in fine citatæ disput. 12.* vt si solo decreto, aut quauis alia ratione vitam alterius iniuste ponat quis in discrimine, à quo erui non possit nisi illum interficiendo, licite interfici possit.

Notandum est tertio, perinde esse in re proposita siue quis alium occidere tentet armis, vt ense vel catapulta: siue veneno, siue opere, vt percussione siue verbis, vt falso testimonio: & siue per se immediate, siue per alios, vt per sicarios. Nihil enim refert quo ex talibus modis insidietur quis vitæ alienæ, ad eam efficaciter auferendam. Ex quibus intelligitur, quod si accedas catapultam disploSurus ad me occidendum, nec possim aliter mortem euadere, nisi præueniam occidendo te, posse me præuenire: quia erit defensio vitæ cum moderatione inculpatæ tutelæ. Similiter si nondum accedis quidem, tamen iam es ad occidendum instructus, meque sic concluſum obsessumque tenes, vt non possim euadere nisi de occidendo præueniam. Exemplum in fine citati num. 2. Nauarrus ponit de vxore, quæ certo scit maritum sub ceruicali pugionem condidisse ad ipsam dormientem occidendam, nec fugere potest, ianua clausa claue. Item si famulos voces ad me occidendum, nec aliter saluus esse possum quam te occidendo, possum occidere. Ob parem rationem si maleficia signis suis magicis per dæmonem me infestet, possum iure defensionis eam verberibus cogere vt ab iniuria cesset, dummodo mihi certo constet eam esse mei mali authorem, & ea putetur sine nouo maleficio posse tollere illud quo me infestat vtens dæmone administro. De qua re Thomas Sanchez in opere morali lib 2. cap. 41. num. 24.

Ad hæc si parasti mihi venenum, illud possum aliqua industria in te conuertere, si non sit alia ratio euadendi mortem, quam mihi intentas. Deniq; si eas ad ferendum contra me falsum testimonium, ex quo accepturus sim mortis sententiam; nec alia est ratio effugij: licitum est mihi te occidere, tanquam alioqui occisurum me: cum nihil referat in tali re, an tuo vel alieno, puta carnificis, gladio me occidas. De quo plenius à Nauar. *lib. 2. de restit. cap. 3. num. 352. & aliquot sequentibus.* Quoad hoc autem & alia huiusmodi; in praxi habenda est ratio cautelæ proponendæ in sequent. num. 63. vers. Cæterum.

Quarta conditio est, vt occisio fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ *ex cit. cap. significasti, & ex cap. Olim 1. De restit spoliat.* sicut censebitur fieri, si quis tunc solum occidat, cum id ad defensionem quam intendit, fuerit necessarium secundum regulas prudentiæ: seu cum probabilis coniectura est, nullum aliud esse propriæ mortis effugium; prout habet Petrus à Nauarr. *in præced. num.* 344. Vnde infertur, quod si aggressor sentiens se viribus inferiorem, fugiat; ille qui iniuriam patitur non possit eum insequi, vt occidat: quia talis occisio non esset propulsatio iniuriæ, sed vindicta. Infertur etiam quod cum quis potest leui percussione defendere se ab aggressore, non possit licite eum occidere. Vide Sylu. *in verbo bellum 2. quæst. 1.* Locum habent autem hactenus dicta etiamsi aggressor fuerit innocens, id est, puer vel dormiens, aut alius, nisi sit minister iustitiæ exequens sententiam latam secundum allegata & probata, prout addit idem Nauarra *in eod. cap. 3. num. 347.*

58. Quæret aliquis. An cum licitum est occidere aggressorem in propriam defensionem, teneamur id facere; an vero debeamus mortem pati potius quam inuasorem interficere. Cui respondendum est cum Soto in 5. de iust. & iure *quæst. 1. art 8. post medium*, & Molina de iust. item & iure *tomo 4. tract 3. disput. 14.* Quodsi aggressor sit rex vel dux, vel alia denique persona, quæ reipublicæ valde necessaria, & inuasus persona sit cuius vita ad bonum commune parum aut nihil referat: iste ex charitate tenetur se non defendere, si nequit aliter id facere quam talem inuasorem interficiendo: quia ex ordine charitatis bonum commune præferendum est priuato. Si vero inuasus, persona sit reipub. valde necessaria, & inuasor vilis, aut nebulo, illum sub mortali teneri se defendere, etiamsi id facere nequeat nisi hunc interficiendo. In reliquis autem mediis casibus, inuasum ita ius habere defendendi se contra quemcunque aggressorem iniustum; *prout bene declarat Sylu. in verbo Bellum 2. quæst. 5.* vt nihilominus sit ei liberum, ex charitate qua pro inimicis vita poni potest, eiusmodi iuri renunciare, exemplo Christi ac Sanctorum Apostolorum & Martyrum: nisi quod forte putans quis se inquinatum esse mortali peccato, valde timeret se damnandum iri, si tunc occidatur, debeat quantum potest se tueri: cum plus debeat diligere animam suam, quam proximi.

59. Quærere adhuc potest quis, An proposita excusatio locum habeat in eo qui dando operam rei illicitæ coniecit seipsum in illud discrimen, vt nequeat mortem aliter euadere

dere quam occidendo aggressorem suum: vt cum repertus in adulterio non potest mariti manus aliter euadere quam occidendo ipsum. Ad quod negatiue respondendum esse Nauar. in Enchir. cap. 15. *num.* 7. indicat: eo quod talis censeri possit homicidia, tanquam is qui constituit se in necessitate, quam præcauere potuit: iureque se defendendi priuatus est eo nomine, quod illicite immiscuerit se negotio, propter quod manus alterius nequit euadere sine sua, aut illius morte. Sed oppositum est tenendum cum Soto *lib. 5. de iustitia, & iure quæst. 1. art. 9. circa medium:* qui asserit Clericum cui aliquid huiusmodi contingeret, non incidere in irregularitatem, eo quod in tali casu esset immunis à peccato homicidij iuxta Clement. vnicam De homicidio, quamuis non esset immunis à peccato adulterij. Quod idem ex Sylvest. verbo Homicidium 3. *quæst.* 4. *vers.* 3. refert & approbat Petrus à Nauarra *lib. 2. de restit. cap. 3. nu.* 362. hac ratione: quod cum talis iuste se defendat, & alter illicite illum inuadat (maritus enim peccat in eo casu, authoritate propria occidens adulterum, *vt diximus in posteriori parte 2. cap.*) potest tantam iniuriam quacumque via repellere, atque adeo aggressorem occidendo, si nulla alia suppetat. Quæ sententia vt non minus probabilis, atque mitior teneri potest in praxi. Immo simpliciter tenendam esse contendit Molina de iustitia & iure *in citato tract. 3. disput. 15.* Nec obstat ratio in contrarium: quia ius defendendi vitam suam contra iniustum inuasorem, perpetuum est; vt & perpetuus est naturalis instinctus agendi secundum illud. Nec etiam obstat, quod iuxta cap. Dilectus cap. Ex litteris & cap. Ioannes, De homicidio: irregularitas tanquam homicidij pœna, incurratur quando præter intentionem occiditur aliquis vacando rei illicitæ. Nam, vt memorati authores notant, id intelligendum est de re quæ ideo illicita est, quod ex se sit ita periculosa, vt mors plerumque ex ea sequatur: cuiusmodi non est adulterium.

Secunda difficultas quoad defensionem honoris.

60. DE secunda difficultate: quod pro defensione honoris *si is sit notabilis momenti*, licitum sit, debito moderamine seruato, occidere aggressorem, eumve qui illum auferat, sentiunt Sotus in præced. art. 8. *versus finem*, & Nauar. in Enchir. *cap. 15. nu.* 3. ac Sylvester in verbo Homicidium 1. *quæst. 2 vers.* 5. quos sequitur Petrus à Nauar. in lib. 2. de restit. *cap. 3. num.* 370. Ratio vero est: quia si, *vt ostendetur in explicatione sequentis difficultatis*, tale quid licet ad defensionem rerum propriarum, quæ bona sunt inferiora honore, iuxta illud Prouerb. 22. Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ:] multo magis licebit ad defensionem proprij honoris seu depulsionem contumeliæ, quando nulla alia ratio suppetit. Et confirmatur qui daretur alioqui licentia improbis, optimos quosque vexandi contumeliis, quæ acerbiores sunt magisque mordent animos, quam damna rei familiaris.

Atque hinc est, quod si prudentum arbitrio notabilis ignominia sit alicui laico, ta gorressorem fugere, ille possit non fugere, & hunc sine peccato dummodo id fiat tantum animo compescendi ipsum, non autem liuore vindictæ, occidere cum fuerit necessarium ad sui defensionem, prout habetur ex Panormit. *ad cap. Olim* 1. *De restitut. spliat, num.* 17. & communem sententiam esse ex Iasone, & Decio ad legem. Vt vim, ff. de iustitia & iure Couar. refert ad Clement. Vnicam De Homicid. 3. *part.* §. *vnico num.* 4. Quam cum eodem, Petrus à Nauarr. in sequen. num. 372. & 373. merito existimat non procedere quoad defensionem honoris, qui ad bonos mores minime pertinet, nec est reipubl. vtilis nec religioni Catholicæ commodus. Quandoquidem æqua non est, immo iniqua est vitæ cum tali honore commutatio. Neque vero vt Petrus ipse à Nauarr. consequenter addit, refert an quis honorem auferre moliatur armis, an lingua & detractione. Adde & an baculo vel alapa: an vero contumeliosis aliquibus signis.

Monachi autem Sacerdotes, & alij Ecclesiastici quia fugiendo, honorem non amittunt (laus enim ipsorum non est in armis & audacia, sed in pietate & humilitate) tenentur omnino fugere, vt habet idem à Nauarr. ibidem num. 389. aliis citatis post Couarr. in eod. num. 4. Qui & admonet id intelligendum esse dummodo fuga non sit periculosa; vt si ea propriæ mortis periculum induceret, eo quod aggressor fugientem occisurus, instet à tergo, capiens ex fuga audaciam animumque maiorem: tunc enim ex Felino ad cap. Suscepimus. De homicid. & ex aliis quorum ibidem ipse quoque Couar. meminit, tales possunt non fugere, & occidere aggressorem, si nequeant aliter manus illius euadere.

Atque ex hac propositæ difficultatis explicatione potest obiter deduci: dicendum esse eadem ratione; quod virgo licite possit occidere volentem se opprimere, cum nequit aliter tale dedecus cum periculo peccandi coniunctum vitare: prout dicunt Sylvest. *Homicidium* 1. *quæst.* 5. & Caiet. 2. 2. *quæst.* 64. *art. in fine.* Quod tamen ex Nauar. in Enchir. *cap. 15. num.* 5. secundum communem sententiam non procedit; quando virgo castitatem suam saluo omni honore suo, defendere potest fugiendo, vel vociferando, vel alio modo quam occidendo. Aduerte autem cum cum Petro à Nauarr. in eodem cap. 3. num. 393. & 394. id quod in hac re dicitur de virgine, posse dici pariter de quacumque honesta muliere. Item quod dicitur de muliere dici posse etiam de quocumque quem ea in suum auxilium vocauerit, nempe licere ipsi inuasorem castitatis occidere, cum necessarium plane fuerit ad illius defensionem. Aduerte quoque ista omnia accipi debere cum ea moderatione quæ habetur in sequent. num. 63. vers. Cæterum. 61.

Difficultas præcedenti annexa vtrum alicui ad defensionem honoris liceat insequi eum, à quo læsus est vt percutiatur, cum id requiri videtur ad reparationem eiusmodi læsionis.

EIdem autem propositæ difficultati annexa est alia maior, An videlicet sit licitum propter defensionem honoris, insequi eum qui iniuste vulnerauit, sed iam discedit, atque ipsum similiter vulnerare aut etiam occidere, si id ad seruandum honorem sit necessarium. Qua in re certum est. primo, quod eum qui iam destitit, vel discedit, non liceat insequi ob illatam corpori iniuriam, seu quia vulnerauit, quoniam id vindicta est potius, quam repulsio iniuriæ, prout glossa habet, 24. quæst. 1. *in initio ad verbum propulsandam.* Certum est secundo, quod nec liceat fugientem qui vulnerauit insequi prædicta ratione, quando potest honor recuperari per Iudicis officium, aut aliam iustam viam, vt per veniæ postulationem, aut aliam humilationem. Certum est tertio, quod non liceat ad hoc insequi vt reddatur malum pro malo. 62.

Quæstio est igitur, An viro militari liceat insequi eum à quo vulneratus est, quando reputatur illi esse ignominiosum ita vulnerari. Hanc citatis pro vtraque parte authoribus Petr. à Nauarr. pleniùs tractat *in eodem cap. 3. à nu.* 378. *ad* 390. Pars autem affirmans, *licitum inquam esse*, quam ille sequitur, ex eo confirmari solet: quod liceat incontinenti insequi illum qui auferat res temporales, ac percutere si hæ aliter saluæ esse nequeunt. Ergo pariter eum qui violato honore alteris fugit, licebit insequi ac percutere, si honor ipse aliter nequeat seruari. Et confirmatur: quia magna licentia alioqui improbis esset, contumeliam in quemuis ingerendi (quod malum pluris æstimatur quam multæ pecuniæ iactura) si sola fuga & cessatione, statim tuti essent. Quam rationem futilem esse censet quidem *Sotus in 5. de iust. & iure quæst. 1. art. 8.* sed rei veritas satis patebit, si notemus rationem qua vindicta & defensio inter se distinguuntur, esse quod vindicare proprie sit velle reddere malum pro malo, quod illicitum est priuatæ personæ per illud ad Rom. 12. Nulli malum pro malo reddentes] & illud Ecclesiastici 28. Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam: & peccata illius seruans seruabit] & demum illud quod habetur ex cap. 6. D. Matthæi vers. 13. 14. & 15. & ex cap. 18. in fine de condonandis offensis. Defendere autem se, est aggressorem compescere, atq; impedire damnum quod iam imminet, vel sic illatum est, vt adhuc maneat in su-

spenso. Istas enim esse defensionis partes, manifestum est ex facto illius qui furantem res suas, vel auferre molientem impedit vel iam auferentem insequitur: vt enim illa impeditione, sic ista insecutione censetur res suas defendere, si quidem recuperari valeant. Quod addo quia si non valeant, & si insequar eum qui damnum intulit non possum ob aliam causam id facere, quam vt reddam malum pro malo. Cum vero damnum illatū resarciri potest, eum qui intulit insequi licite possum: nō quidem vt malum referam pro malo, sed vt mihi illatum resarcire curem: si quidem mihi ad id nulla alia ratio suppetat. Quod additur, quia si suppeteret, non daretur propositæ insecutioni locus tanquam vindicatiuæ.

63. Ac cum hæc ita sint, patet illud rationem defensionis, non vindictæ habere, quod homo militaris eum à quo vulneratus est insequatur, non quidem vt malum pro malo reddat, sed vt conseruet honorem sibi ablatū, dummodo tamen id fiat incontinenti, cum res adhuc est in suspenso, non autem postquam is qui abstulit, domum se iam recepit, vel alia negotia gerit, iuxta dicenda in explicatione sequentis difficultatis de latrone qui rem alienā, ablatam iam quiete domi habet: vtriusque enim par est ratio, vt bene monet Petrus à Nauarr. *in eod. cap.* 387. Addens consequenter, quod est obseruatione dignum, eum qui iuste percutitur in talibus casibus, non habere ius resistendi: quia daretur alioqui bellum ex vtraque parte iustum secluſa ignorantia: non debere tamen sinere se occidi, sed petendo veniam, vel aliter satisfacere. Quod si faciat, nec alter cessare velit, iniuste inuadetur, & sic poterit inuasorem offendendo, se defendere. Quod autem Sotus obiicit non asportari honorem, sicut asportantur res quæ in insecutione recuperantur, parui momenti est. Nam etsi eæ non adsportarētur à fure, qui illas abiecisset in flumen, posset tamen damnum passus, talem non minus, quam de facto asportantem insequi, vt tantumdem restituere cogat. De qua re idem Petrus à Nauarr. *in eod. cap.* 3. *num.* 384. *& quatuor sequentibus.*

Cæterum quidquid sit in speculatione, non videtur in praxi permittenda facile eiusmodi insecutio ob periculum odij, vindictæ, excessus, pugnarum, & cædium in reip. perniciem: quam semper vitare oportet in vsu defensionis: iuxta illud quod recta ratio dictat, bonum cōmune esse priuato anteferendum. Ex quo fundamento soluitur difficultas, quam idem à Nauarr. mouet in præced. num. 375. Num si detractor meam honestam famam denigrare nitatur, nec possum illud notabile damnum famæ alia ratione auertere, quam interficiendo ipsum occulte: idue licite possim. Nam quamuis in speculatione pars affirmans nō careat omni probabilitate: in praxi tamen negans est sequenda: quia in iure defensionis, semper considerandum est, ne vsus illius vergat in reip. perniciem, nec dubium est quin sequendo affirmantem, præbeatur occasio multis cædibus occultis, cum magna reip. perturbatione. Accedit quod si infamia iam sit illata, ea non extinguatur per mortē infamantis: si n inferenda sit, plerumque non satis constat, possitne alia ratione impediri, quam occasione infamaturi, sicque non sit liberum eo genere defensionis vti.

Tertia difficultas, quoad defensionem rerum propriarum.

64. QVod pro defendendis rebus propriis non liceat occidere aggressorem, sententia est Abulensis *ad cap.* 5. *D. Matth. quæst.* 110. & aliorum quos refert Petrus à Nauar. *in eod. cap.* 3. *num.* 395. quia pro vita proximi seruanda, debemus bona temporalia exponere; iuxta cap. Pasce distinct. 86. Ergo pro seruandis iisdem bonis, non est licitum vitam proximo adimere. Adde quod in cap. 2. & 3. De homicidio, non aliter admitti videatur homicidium ad rerum defensionem, quam cum vitæ propriæ defensio est simul coniuncta. Sed oppositam sententiam tenent Caiet. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. Nauar. in Enchir. *cap.* 15. *nu.* 2. Sotus *in* 5. *de iustitia & iure quæst.* 1. *art.* 8. aliique multi, quos refert Couarr. ad Clemen. vnicam De homicidio *part.* 3. §. *vnico num.* 5. & sequuntur Petrus à Nauar. *loco cit. nu.* 397. *aliquot que sequentibus*, ac Molina de iustitia & iure tomo 4. *tract.* 3. *disput.* 16.

Pro explicatione vero duas statuemus conclusiones. 65.
Prior est, Quod si quis ad necessariam defensionem sui simul & rerum suarum seruato moderamine occidat aggressorem, occidat licite. Hæc probatur efficaciter ex cap. 2. De homicidio; & ex eo quod ante habitum est ad defensionem sui, licitum esse occidere aggressorem, quia alioqui occisurus est. Inde enim aperte constat à fortiori, licitum esse occidere ad sui simul, & suarum rerum defensionem. Ex qua conclusione ab omnibus recepta, casuum particularium resolutionem deducit Couarr. in citat. num. 6.

Posterior conclusio est. Quod solis etiam rebus cum aliter defendi nequeunt, aggressor licite occidatur. Ad huius confirmationem facit, quod per cap. Olim 1 De restitut. spoliatorum, cuique licitum sit rerum suarum vsurpatores iniustos, statim ac innotuerunt vi repellere: quodque moraliter loquendo talis repulsio aliquando contingat cum occisione. Facit quoque cap. Dilecto De senten. ex communicationis in 6. cuius verba sunt: Præterea cum omnes leges, omniaque iura vim vi repellere, cunctisque se defensare permittant: licuit vtique ipsi Decano, si prædictus Balliuus eum bonis suis mundanis iniuriose spoliare, vel ea violenter occupare præsumserit, contra illius violentiam, & iniuriam se tueri. Quæ verba satis indicāt quod liceat vim iniuste illatam in rebus alia vi iuste arcere. Et certe daretur alioqui occasio implendi rempub. iniquissimis latronibus, scientibus se violenter rapere posse sine resistentia.

Nec obstat ratio in oppositum allata pro Abulensi, 66.
quoniam ea procedit in casu quo proximus constituitur in necessitate: non autē in iniqua tantum voluntate, prout contingit in casu præsenti. Pro quo faciunt tradita à Molina in præced. disput. 13. Textus vero eidem rationi antea additus ex cap. 2. De homicidio, cum habet (te tuaque liberando) non est accipiendus quasi indicet liberationem personæ simul & rerum requiri ad licitam occisionem aggressoris: quandoquidem licita alioqui non esset occisio pro sola vita defendenda: quod falsum est iuxta supra dicta. Quocirca ex Couar. loco citat. versu, Sed ad textum: verba illa (te, tuaque) intelligi debent alternatiue,, vt sensus sit: te vel tua.

Maiorem difficultatem habet quod in seq. cap. 1. dicitur licere occidere nocturnum furem, diurnum minime, nisi telo se defendat; quia tunc est plus, quam fur: & discerni potest, an ad occidendum vel ad furandum venerit. Quibus verbis innuitur tunc solum licere furem occidere, cum probabile saltem adest periculum vitæ propriæ. Respondendum est vero, innui tantum quod res debeant cum debito moderamine defendi, neque in earum defensione esse vsque ad occisionem procedendum, nisi necessitas omnino compellat: quod vix contingit quando fur diurnus non defendit se telo. Sic textum illum Sotus intellexit in 5. De iust. & iure quæst. 1. art. 8.

Itaque tenendum est pro rerum defensione aggressorem licite occidi posse quando eæ aliter defendi non possunt, neque aliqua iuris via valent recuperari. Quod addo: quia, *vt idem Sotus ibid. habet ex doctrina iurisperitorum*, cum spes est, furtum recuperandi via iuridica, non licet furem occidere. Quod tamen, *addit idem*, verum est tantū, cum certa spes fuerit, quod ea ipsa res furto sublata facili negotio recuperari possit: nam cum id dubium fuerit dominus suo iure vti poterit, atque adeo inuasorem ad defensionem rerum suarū occidere, cum aliter defendi nequeunt. Immo non obstante ea spe, si fur velit se vi tueri contra eum qui nitur furtum impedire, hic poterit illam vim vi repellere, quantum necesse est vt rem eam saluam habeat: hocque est quod ait Sylu. Bellum secundo, nu. 3. quando res per viam iudicij potest re haberi, non licere eam defendere, nisi dum est in ipso rapi.

Quæres, An si fur rebus tuis onustus fugiat, illum insequi liceat tibi; & præmonitum de suo periculo nisi eas relinquat, disploſa catapulta interimere quando non potes aliter ipsum sistere. Ad quod responderi potest affir- 67.

matiue

mariue cum Syluestro Excommunicatio 6. *num.* 6. *casu.* 9. & Soto *in eod. art.* 8. ac Petro à Nauar. in sæpe cit. *cap.* 3. *num.* 409. *& aliquot sequentibus.* Ratio est: quia tunc etiam, *iuxta ante habita ex cap. Olim.* 1. *De restitut. spoliat.* durat aggressio, saltem quoad inuasionem rei, etiamsi persona non inuadatur. Et confirmatur, quia si id non esset licitum, defensio rerum maxima ex parte esset inutilis, cum quilibet fur possit rapere, & statim fugere.

Quando autem fur iam se aliquo recepit, vbi rem ipsam quiete possidere incipiat, memorati authores dicunt non licere vi ipsum aggredi: quia non videtur violentia tunc inferri rebus alienis, quæ iam plene possidentur; sed tantum in retinendis committi iniustitiam, ob iam priuata authoritate occidere non est licitum. Plene autem possideri censebuntur, postquam fur domi iam est pacificus vel ad alia negotia diuertit, prout D. Anton. 3. *par. tit.* 4. *c.* 3. §. 2. attigit. Vbi quoque docet, non solum pro rebus suis, posse quemque defensionem suscipere, vim vi repellendo, sicut pro sua persona, sed etiam pro rebus apud se depositis, vel sibi commodatis & pro amicorum propinquorumque rebus, eos scilicet adiuuando. Quod etiam Sylu. habet in verbo Bellum 2. num. 10.

Ad illud autem quod hic quæri potest, An ei qui nequit ob reipubl. perturbationem, rem suam aliter recuperare: liceat domum detentoris intrare, & illam auferre, vi etiã adhibita, si impediatur. Respondeo Leon. Lessij lib. 2. De iustitia & iure, *cap.* 12. *dubit.* 11. placet, videri licere, si talis res extet in sua specie v. g. equus, vestis, torquis, &c. quia in eo non est proprie aggressio, sed potius defensio. Sin autem illa nõ extet, non licere ea ratione in compensationem illius accipere æquiualentem: cuius cum non sis dominus, sed alter cui eripere vis: ipse ius habet resistendi tibi: tuque censeris aggressor, non vero ipse, cum in eo non retineat rem tuam, sed tu rem illius inuadas.

68. Cæterum hæc censenda sunt non solum ad laicos, sed etiam ad Clericos pertinere; prout docet Petrus à Nauar. *in eod. cap.* 3. *num.* 414. *& quatuor sequent.* Nam per glossam *ad principium* 1. *quæst. causæ* 23. *verbo Populsandam*: Clerici quoque possunt ad defensionem rerum suarum occidere aggressorem. Atque carentes culpa, irregularitatem non incurrere ea de causa Couar. ad Clemen. vnicam, De homicid. 3. par. §. vnico expressit.

Id autem quot aliquot Canonistas contra sensisse iudicat, non habet sufficiens fundamentum: cum talis defensio nullo iure sit prohibita Clericis: & canones quos illi pro se citant, intelligendi sint de illa defensione in qua quis excedit moderamen inculpatæ tutelæ, vt idem Couar. bene notat: & illustratur per casum cap. Suscepimus, De homicidio: in quo fratres qui sine occisione se suaque salua habere poterunt latrones occiderunt, damnantur peccati, & irregularitate puniuntur.

Aduerte obiter quantumuis Clericis secundum ius antiquum, ne quidem vitam propriam licuerit defendere cum alterius interfectione, vt patet ex cap. De his 1. dist. 50. iam tamen constare ex memorata Clemen. vnica, De homicidio, Clericis licere interficere ad necessariam vitæ propriæ defensionẽ. Quod etiam deduci potest ex cit. cap. Olim 1. De rest. spoliat. Notandũ est vero, hoc quod diximus aggressorẽ occidi posse pro rerum defensione, debere intelligi quando res prudentis arbitrio, circunstantiis attentis, sunt non modici valoris: vt notarunt Sotus *in cit. art.* 8. & alij quorũ meminit Couar. *in eod* §. *nu.* 6. *v.* 10. Ratioque patet: quia iniquum est, pro rebus parui momenti seruandis vitam alicui auferre. Ex eodem Soto autem, Molina in cit. tract. 3. disput. 16. num. 6. modicum valorem determinat trium, quatuor, aut quinque ducatorum.

CAPVT XVI.

In quo explicatur. An licitum sit proximum sicut seipsum defendere, cum occisione aggressoris.

SVMMARIVM.

69 *Aliquando licita est occisio ad necessariam defensionem proximi, non modo laico sed etiam Clerico.*

70 *Obligatio est sub mortali ad reuelationem coniurationis in proximum, cum necessaria est ad conseruationẽ vitæ ipsius.*

71 *Obligatio est conseruandi vt vitam proximi, sic & illius bona alia.*

72 *Explicatio difficultatis, An liceat mortem proximi optare.*

SIcut nobis, ita & innocenti proximo (*qui charitatis vnione nobiscum vnus est*) vim illatam, licere vi repellere, argumento est: quod si ipse iustum bellum gerat contra aggressorem, illud exequi proximum iuuando, licitum sit & charitatis officium. Quo argumento vsus Petrus à Nauar. *lib.* 2. *De restit. cap.* 3. *num.* 419. *&* 420. bene admonet innocentem in hac re censendum esse, eum etiam qui aggressor quidem fuit in principio, sed vult deinceps ab iniuria desistere. Propositæ ergo difficultati satisfit dicendo, si quis proximi vitam, quæ iniuste ei adimitur, aliter defendere nequeat, quam cum aggressoris occisione, posse cum eadem illum defendere. Id quod à Pannormitano notatum ad cap. Clerici 1. De vita & honest. Cleric. num. 3. communiter receptum est à Doctoribus, vt Molina monet, De iustitia & iure, tom. 4. tract. 3. disput. 18. num. 1. Atque pro ea facit cap. Dilecto, De sent. excom. in 6. cum in eo dicitur licere cuilibet suo vicino vel proximo pro repellenda iniuria ipsius, suum impertiri auxilium. Faciunt item canones quos habet ibid. glossa ad verbum Vicino. Notat autem Panormit. (citatis Hostiensi & Innocentio) per verbum, *cuilibet*, significari tam Clerico quam laico tale quid licitum esse. 69.

Patitur vero id aliquot exceptiones. Prima est, nisi inuadens sit patet defendentis: à quo sic occidi repugnat naturali obseruantiæ filiorum erga parentes. Secunda est, nisi constet inuasum velle potius pati mortem quam inuasorem occidi: idque in casu in quo tale quid ei licitum est: vt si in causa fidei offert se martyrio. Extra quem casum, cum non sit vitæ suæ dominus, non potest eam alteri donare: proindeque non potest cæteris adimere ius defendendi ipsum. Tertia est, nisi agressor sit talis persona, quam inuasus propter bonum commune teneatur non occidere: ne ad defensionem sui quidem. Si enim ille ad id teneatur, à fortiori teneris & tu: quandoquidem tibi occidere non aliter licet, quam ob ius quod ille habet ad se defendendum cum aggressoris occisione.

Si quæras, An extra hos casus, non tantum licitum sit etiam obligatio sit sub mortali interficere iniustum inuasorem, quando non possumus aliter à morte eruere inuasum, & ea ratione possumus. Molina, *Nauarro & à Victoria citatis*, respondet affirmatiue in seq. num. 6. per illud Prouerb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare non cesses. Quod præceptum tanquam datum de re graui, nimirum de liberatione proximi à morte, certum est obligare sub mortali. Et quia liberatio innocentis inuasi, in pari periculo anteponenda est liberationi inuasoris iniusti (illius enim meliorem, quam huius conditionem esse debere satis de se constat) videtur pariter certum, similem obligationem esse liberandi à morte innocentem, occidendo iniustum aggressorem, quando non possumus aliter illum liberare. 70.

Atque his congruenter statuendum est, eum peccare mortaliter: qui non reuelat proximo homicidium in ipsius persona committendum, quando non potest ipsum alio modo liberare. Id quod Caietan. *in verbo Homicidium. cap.* 2. *sub finem*, notat: & locum habet, etiamsi Clericus sit, aut Religiosus ille qui non reuelat, iuxta doctrinam eiusdem Caiet. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. quia talis reuelatio incumbit ex iure naturæ; cui ius Ecclesiasticum non derogat, cũ imponit irregularitatem Clerico, qui morti alicuius causam dederit. Locum etiam videtur habere etiamsi quis promiserit se seruaturum secretum: cum tali quoque promissioni ius naturale præualeat. Quamquam si sigillum esset sacramentale, detegendum non esset nequidem ad conseruandam vitam cuiusuis, aut ad reipubl. excidium aut quocumque aliud malum auertendum, ex communi doctrina de eodem sigillo à nobis tradita in lib. 3. cap. 2.

Quod autem teneatur quis honorem aliaque bona proximi defendere cum potest, resque exigit; satis signifi- 71.

catum est in cit. cap. Dilecto, §. finali, cum dicitur, Et quidem cum liceat cuilibet vicino vel proximo pro repellenda ipsius iniuria, suum impertiri auxilium. Immo vero si potest & negligit, videatur iniuriantem fouere, ac esse particeps eius culpæ. Hæc ibi. Attamen ille non tenetur ex tali ope in similia mala incurrere. Nam vt vitam alterius conseruare non tenetur cum propriæ vitæ periculo verosimili: ita nec honorem aut rem familiarem ipsius cum simili sua iactura: quod pro generali regulâ habendum esse notat Petrus à Nauar. *in citato cap. 3. num.* 428.

Aduerte autem obligationem defendendi vitam & bona externa proximi, cum propriæ vitæ iactura; cessare in iis etiam, qui ex officio tenentur illum defendere; vt ij qui sunt publica authoritate præditi ad aliorum gubernationem; velut Principes, Prætores, Magistratus, & qui authoritate ipsorum sunt ad id constituti, vt publici officiales. Tale officium enim non obligat ipsos, vt pro bono priuato, vitam exponant, sed tantum pro bono publico, cuius proprie ac directe constituuntur custodes.

Aduerte præterea quod satis ratione congruenter docet Molina De iust. & iure, to. 4. tract 3. disp. 18. nu. 6. pro defensione bonorum proximi: nos non solum non teneri exponere periculo propriam vitam, aut corpus mutilationi, vel vulneri aliiue notabili læsioni: sed nec teneri notabilem nostrorum bonorum pari iacturam, aut magnam molestiam. De cuius siue iacturæ siue molestiæ magnitudine sufficienti ad excusandum à mortali, nõ datur certa regula; sed relinquitur arbitrio prudentis iudicandũ in singulis euentibus. Ad quod iudicium iuuare poterit cõmunis doctrina de eleemosyna, quam secuti sumus in præced. lib. 4. à c. 19. Et aduertet interea, quod cum peius sit damnum inferre alicui, quam ne ab alio inferatur, non impedire; minus requiri ad non impedientem damnum proximi, quam ad inferentem excusandũ à peccato mortali: bonamq; fidem in re tam incerta, posse non parũ ad huiusmodi excusationem seruire. Probarim quoq; illud, quod idem Molina habet in præced. nu. 4. obligatũ tantummodo ex charitate ad defensionem proximi ab iniuria in bonis externis, nõ teneri id facere cum inuasoris occisione, quæ notabilem molestiam, & horrorem adferat: in tali præsertim casu, in quo pro bonis ordinis longe inferioris, plerumque cum vita corporis adimitur vita animæ, etiamsi id malitiæ pereuntis sit tribuendum.

72. Superest paucis attingenda difficultas, quam tractat Petr. à Nauar. lib. 2. De restit. cap. 3. à num. 206. ad 216. Nam liceat aliquando optare proximi mortem. De qua certum est, id non licere, si nullus sit rationabilis finis, quo quis ad id moueatur; ne si quidem alter nocentissimus sit; quia in eo peccatur contra charitatem per inuidiam vel odium. Licere autem, si talis sit finis ob quem subire mortem, etiam innocentissimus teneatur, vt Christi gloria, adimpletio voluntatis diuinę, reipub. salus temporalis, aut salus spiritalis alicuius hominis, cum ad eas res talis mors medium est necessarium. Qua item ratione licitum etiam est optare alicuius mortem, morbum, dedecus, vel aliquam in re familiari iacturam, per quam ad emendationem vitæ inducatur, aut tot, quod solet, facinora impediatur perpetrare, prout ex D. Thoma & Soto habet Nauarrus in Enchir. *cap. 15. num.* 10.

Difficultas est igitur, An id desiderare liceat ob alios fines inferiores, vt ob aliquod nostrum commodum, aut incommodum temporale. Ad quam Petrus ipse à Nauar. ibidem num. 209. & aliquot sequentibus respondet, non esse quidem illicitum gaudere simpliciter de morte alicuius, prout ea contingit diuina voluntate; quia licet suam voluntatem conformare diuinæ: nec item gaudere simpliciter de temporali emolumento ex ea secuto: quia talis effectus bonus est. Esse tamen illicitum gaudere de morte ob talem effectum ex ea secutum. Id enim est contra charitatis ordinem, secundum quem tenemur pluris facere vitam proximi quã bona nostra temporalia. Is vero qui propter hæc mortem alterius desiderat, facit contrarium. Deinde tenemur prædicta bona dare pro vita proximi, cum ipse est in extrema necessitate. Ergo non possumus ob illa, mortem ipsius licite desiderare.

CAPVT VII.

de Duello.

SVMMARIVM.

73 *Definitio duelli cum explicatione.*
74 *Duo casus in quibus illicitum est duellum.*
75 *Nequit licite permitti à Principibus, nisi ad maius malum vitandum vrgente necessitate.*
76 *Pœnæ pugnantium in duello.*
77 *Pœnæ participantium iisdem.*
78 *Quod conflictus particulares, qui fiunt in bello, nõ sint duella.*
79 *Quodque nihil minus vt plurimum sint illiciti.*
80 *Necessitas non facit duellum licitum.*
81 *Duelli reprobatio per Concilium Tridentinum.*
82 *Pontificum aduersus illud editæ constitutiones: quarum ea quæ est Clementis octaui cæteras complectitur & innouat.*
83 *Personæ quæ ratione duelli excommunicationem, aliasque pœnas incurrunt.*

HABETVR de hac materia in iure Canonico cap. Monomachiam. 2. quæst. 4. & titulus De Clericis pugnantibus in duello, ac titulus De purgatione vulgari in Decretalibus Gregorij. Agunt de eadem Summularij in verbo Duellũ, Caiet. 2. 2. quæst 95. in fine, Nauarr. in Enchir. cap. 11. num. 39. & cap. 15. num. 9. Petrus à Nauarr. lib. 2. De restit. cap. 3. à Num. 280. Gregor. à Valent. 2. 2. disput. tertia, quæst. 17. puncto 1. Comitolus in lib. 6. responsionum Moral. à quæst. 12. ad 19. & Thomas Sanchez in opere Morali lib. 2. cap. 39. Illius autem explicationem complectemur responsione ad aliquot quæstiones.

QVÆRITVR ERGO PRIMO, Quid sit duellum. 73. Respondetur esse pugnam duorum, vel plurium institutam ad cædem seu vulnera, idq; ex condicto, ac certo pugnantium numero constituto, atque tempore locoq; pugnæ designato. Dicitur primo, *pugna*, quia digladiationes illæ quæ ioco fiunt, aut exercitij gratia, non sunt duella. Secundo, *duorum vel plurium*: quia duellum non est tantum inter duos solos; sed, aliquando inter plures: vt quando duo contra duos pugnant, sex contra sex, aut alio numero vtrimque pari. Tertio dicitur, *instituta ad cædem, seu vulnera*: quia cætera exercitia militaria, quæ nõ sunt ad hunc finem instituta, sed ad discendam artem militarem, vel ad virium conseruationem, non censentur proprie duella: nec etiam illicita sunt, nisi vt habent adiunctum periculũ mortis, vel vulnerum, non adhibito aduersus illud remedio vt torneamenta illa quæ prohibentur, & in quib. qui moritur, etiamsi pœniteat Ecclesiastica sepultura priuatur in cap. 1. De torneamentis. Sunt enim illa in quibus est probabile periculum, occasioq; mortis vel vulnerum: non vero illa quę exercentur eo moderamine, quo cædes, & alia pericula vitantur. Talia enim, *quantumuis mors aliquando casu sequatur*, illicita non sunt, vt D. Thomas attigit 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *in fine*, & expressit Nauar. in cit. num. nono, & post ipsum Petrus à Nauar. *in citato cap. 3. nu.* 300. Hacq; ratione, à Ioanne XXII. *in Extrauag. vnica, De torneamentis*, censentur torneamenta permissa esse, ob commune bonum: cui expedit talibus pugnis vmbratilibus, suos propugnatores exerceri. Dicitur quarto, *ex condicto, id est, ex pacto inuicem inito*: quia conflictus quotidiani, qui nascuntur ex improuiso ac subito iræ feruore non sunt duella: vt nec quando quis defendit seipsum contra furem vel alium, propulsando iniuriam. Propterea additur, *certo pugnantium numero constituto*, vt duellum distinguatur à bello, in quo relinquitur liber certantium numerus.

Quod vltimo loco ponitur distinguit duellum à rixa, de qua in fine huius libri fit q; sine præmeditata inuitatione ad pugnam. Ex eo autem licet deducere cum Thom. Sanchez *in cit. cap. 39. nu.* 28. duelli rationem contingere: si animo pugnandi vnus dicat alteri: veni, expectabo te in tali loco, alterque acceptet. Nam nihil ad duellum tunc apparet deesse, quam certum tempus. At non deest. Nam præsens, quod ex pacto illi constituunt, nõ minus est certum, quam tempus crastinum. Idem iudicium est si iniu-

ria affe-

ria affectus ab alio, quem videt non habere ensem, dicat: Vade, quæsitum ensem tuum, te hic expecto. Nam & tunc destinantur locus & tempus. Non vero si ab alio læsus in templo, dicatei, Exi foras; intendens significare quod velit sibi cauere ab irreuerentia loci sacri. Non autem assignare locum pugnæ. Licet etiam deducere cum Lud. Molina, De iustitia & iure, tomo 4. tract. 3. disput. 17. nu. 4. non posse in rigore, quin duella sint, pugnæ initæ ab iis qui cum essent in naui, aut in alio loco ad pugnam non commodo ipsorum iudicio, vnus alteri dixit egrediamur in terram: vel te expectabo in tali loco: vel quisque nostrum eat quæsitum ensem suum pugnaturi in tali loco, & tandem pugnant, neque concurrentibus aliis ad spectaculum, neque interueniente alia solemnitate. In quibus ratio quidem solemnis duelli minime cernitur, priuati tamen duelli non est obscura.

74. QVÆRITVR SECVNDO, An licitum sit duellum. Respondetur vero, illicitum esse in duobus casibus. Alter est, quando ipsum fit ad indagationem veritatis: nimirum vt ea diuino iudicio censeatur esse à parte illius qui superior euaserit: quodquidem est tentare Deum, contra illud Matth. 4. Non tentabis Dominum Deum tuum. Etenim tali ratione veritas occulta exquiritur à Deo indebito modo; iuxta cap. Monomachiam 2. quæst. 4. perinde ac per appositionem manuum ad ferrum candens, vel aquam feruentem, ex cap. Consuluisti ead. quæst & ex cap. finali, De purgatione vulgari.

Alter casus est, quando quis alium prouocat ad duellum, vel illud acceptat ob inanem gloriã, vel iram, vel ad vitium ostentationem, aut aliam causam præter necessitatem defensionis vitæ, vel honoris, vel rerum, in instanti temporis quo inuaduntur. Illa enim ratione homicidium committitur contra hoc præceptum, prohibeturque non modo iure canonico, Extra De Clericis pugnantibus in duello: sed etiam iure ciuili, Cod. De gladiatoribus, lege vnica.

73.

75. Neque vero licitum est vnquam Principi permittere tale duellum fieri, cum ipsum aduersetur non tantum charitati (tam scilicet in eo, quod dirigatur ad mortem vel mutilationem proximi: quam in eo, quod sit cum cõditione, vt neuter à quoquam impediatur alterum offendere) sed etiam iustitiæ: immo & bono publico, vt de se satis patet: nec licet de ea veritate vllatenus dubitare: cum in Conc. Trid. sess. vlt. cap. 19. De reformatione, omnes Principes, & Domini temporales, qui duellum inter Christianos concedunt, sint excommunicati ipso facto, & domino ciuitatis aut loci in quo vel apud quem duellum permissum est, priuati sint: si illud ab Ecclesia obtinuerunt, aut si feudale sit, directis dominis statim acquiratur. Quanquam (vt citatis aliis notat Thom. Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 39. num. 30. post Gregor. à Valent. in fine memorati puncti primi) in aliquo casu extraordinario ad vitanda maiora mala & scandala, Princeps excusari posse videtur, cum duellum permittit inuitus, eo modo quo interdum nonnulla alia mala permittuntur ad euitanda aliqua maiora. Exemplum est: si ciues bacchaturi sint in mutuas cædes, nisi duobus qui sunt dissensionis authores, duellum permittatur.

76. QVÆRITVR TERTIO. Quæ sint pœnæ pugnantium in duello aut illis participantium in eo crimine. Respondetur, septem pœnas contra pugnantes in duello cõstitutas esse ab Ecclesia. Prima est, si ille qui pugnat mutilet aut occidat, siue per seipsum siue per alium loco ipsius constitutum, efficitur irregularis, ex cap. 2. De Clericis pugnantib. in duello. Secunda, Clericus qui pugnat in duello debet ab episcopo deponi ab omni officio & ordine; ex cap. 1 eod. tit. Vbi tamen additur, quod Episcopus ipse possit cum eo dispensare, si non occidit vel mutilauit: quod si occidit vel mutilauit ad nullum ordinem sacrum promoueri potest, iuxta Conc. Trid. sess. 14. c. 7. De reformatione. Tertia pœna est, quod qui pugnãt in duello sunt ipso facto excommunicati, ex eodem Conc. Trid. sess. vlt. cap. 19. De reformatione. Nec obstat, quod vtatur verbis imperatiui modi, quæ videri possunt significare nõ sententiam latam, sed ferendam per Iudicem: quoniam ea non diriguntur ad Iudicem vt censeantur requirere illius actionem, sed ad reum, quem per imperiũ efficax ligauit.

Accedit quod Gregorius XIII. & Clemens VIII. in suis constitutionibus de eadem re (quarum in sequentibus sufficiens mentio fiet) sic illud Concilij Decretum intellexerunt. Quarta pœna est perpetuæ infamiæ ex eodem Concil. in eod. cap. 19. Quinta est, proscriptio omnium bonorum, ex eod. adhuc ibid. Sexta, quod debeant puniri vt homicidæ, iuxta sacros canones, prout ibidem etiam habetur. Septima, quod priuandi sint Ecclesiastica sepultura qui moriuntur in duello, ex eiusdem Concilij Decreto ibidem.

Non immerito vero Ecclesia tot pœnas statuit contra huiusmodi peccatum. Imprimis enim per illud iustitia maxime peruertitur; tamquia milites & nobiles, ad duella confugiunt, relicta ipsa iustitia: quam quia plerumque ille qui iustam habet causam succumbit in duello, vt tangitur in cap. 2. De purgatione vulgari. Præterea quando permittuntur duella, in dies fiunt homicidia infinita: quia pro quouis iniurioso verbo homines ad illa se prouocant. Denique non tantum interficiuntur corpora: sed etiam animæ ipsæ, quæ pereunt in peccato mortali. Ob quã maxime causam Ecclesia tam seuere duella ipsa prohibet: pro ea scilicet cura speciali, quam debet habere salutis animarum.

77. Quod autem attinet ad illos qui participant in crimine pugnantium in duello; præter reatum peccati mortalis (quem constat illos incurrere, qui quouis modo alios ad duella incitant; aut qui ab illis non reuocant, cum teneantur & possunt) incurrunt quinque pœnas Ecclesiasticas. Prima est, vt qui duellum præcipiunt, consulunt, aut defendunt pugnantes in eo, si homicidium vel mutilatio sequatur, sint irregulares, ex cap. 2. De Clericis pugnantibus in duello. Secunda, vt patrini pugnantium in duello, sint excommunicati ipso facto & incurrant perpetuam infamiam ac proscriptionem omnium bonorum, & puniendi sint vt homicidæ, ex Conc. Trid. sess. vlt. cap. 19. Tertia, vt omnes qui in causa duelli dant consilium siue in iure siue in facto, sint excommunicati, incurrantq; perpetuam maledictionem ex Concil. Trident. ibidem. Quare cauere debent Ecclesiastici de hac re interrogati, ne respondeant duellum esse licitum. Nam in excommunicationem incurrunt, si ipsum sequatur; & celebrantes in tali excommunicatione, fiunt irregulares ex violatione censuræ. Quarta, vt omnes qui id quacumque ratione suaserint, sint excommunicati ex eod. Conc. ibid. Quinta, vt omnes spectatores sint etiam excommunicati, ex eodem quoque Concil. ibidem. Quod aduerte, *cum pœnæ sint interpretatione restringendæ*, non videri extendendum (quod etiam notat Tho Sanchez in seq. nu. 31.) ad eos qui casu aliquo spectant, vt accidere potest transeuntibus, obiter aspicientibus: cum spectatores vocari non soleant, nisi illi qui se in publico exhibent, & præsentia suo concurrunt ad solemnitatem spectaculi. Cæteri autem qui aspiciunt non sunt quidem obnoxij excommunicationi, sunt tamẽ peccato, tanquã vacantes operi vituperio, non autem laude digno. De quibus dubium non est idem dici posse quod de aspicientibus torneamenta, aut alia spectacula in quibus exhibendis imminet probabile periculum mortis aut mutilationis: nempe ex Angelo in verbo Interrogationes nu. 8. in fine, peccare mortaliter: tum quando respiciunt animo ita affecti, vt nollent desistere etiamsi id eis præciperetur: tum quando aspectio ipsorum est talis spectaculi causa, vt quando ipsum alioqui non fieret. Adde & quando in eo datur aliis scandalum, vt facile potest ab Ecclesiasticis, non modo Religiosis, sed etiam sæcularibus.

78. QVÆRITVR QVARTO, Vtrum liciti sint conflictus illi particulares, qui inter hostes solent fieri tempore belli inter vnum & vnum, decem & decem, &c. Respondetur primo, huiusmodi conflictus non esse duella, quando bellum est iustum, sed esse partes quasdam iusti belli. Differunt enim trib. modis à duello. Primo, ex parte principij: fiunt enim publica & legitima authoritate, sicut bellum. Duellum vero, vel fit priuata authoritate, vel non legitima

gitima. Secundo, differunt ex parte effectus. Nam per huiusmodi conflictus, vires hostium possunt debilitari, & per duella vires Reipub. quandoquidem vt plurimum vterque pugnantium est pars eiusdem Reipubl. Tertio, differunt ex parte finis. Nam finis istorum conflictuum principalis, est defensio Reipub. proximus vero est interficere Reipublic. hostes, illosve qui possunt iuste interfici. Finis vero principalis duelli est priuatum commodum; proximus autem est interficere illum, qui non potest iuste interfici. Vnde duellum est contra istud quintum præceptum, non item cõflictus illi qui fiunt in bello.

79. Cæterum quamuis hæc ita sint, tales tamen conflictus, vt plurimum illiciti sunt, duas ob causas. Altera est, quod Dux permittens illos, temere milites suos exponat mortis periculo. Nam cum sint pares numero cum aduersariis, valde probabile est quod neutra pars superabit, sed potius mutuis vulneribus se conficient, quemad. 2. Regum, cap. 2. accidit, cum pugnarent 12. contra 12. omnes se mutuo interfecerunt. Altera causa est, quod id sit quædam tentatio Dei, nec prudenter fiat; cum securius sit, & consultius defendere rempublicã omnib. viribus, quam tam paucis hominibus, vt euentus ostendit in memorato conflictu: ex quo non esse secutam pacem, sed crudelissimum bellum, patet ex eodem cap. 2.

Item vix concesserim tales conflictus esse licitos, nisi cum ad eos impulerit vrgens causa: qualis censetur primo, ille qui iustum bellum gerit, non habeat vires aduersariis pares ad confligendum copiis omnibus. Nam tunc securius est ei pugnare paribus viribus in particulari conflictu, quam imparibus in conflictu generali: & ita sentientes multos refert Thomas Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 39. nu. 16. Secundo, si ille qui causam habet iniustam prouocet ad talem conflictum, periculumque sit ne proprij milites, *nisi conditio admittatur*, cadant animis; sicque perdatur victoria; aut iidem meticulosi, & ignaui existimentur ab hostibus, qui inde efficiantur animosiores. Causa sufficiens vero non censetur esse ostentatio virium, vel vana gloria. Immo neque vt parcatur multitudini. Licet enim ex vna parte videatur misericordiæ esse curare, vt pauciores potius, quam multi interficiantur, ex altera parte tamen, tentatio quædam est Dei, qua ab eo miraculum exquiritur, cum id quod totis viribus conandum est modico tandum conatu adhibito obtinere volumus: præsertim cum ipse velit expectantes auxiliũ ipsius, operari ex parte sua quidquid possunt. Qua de re Caiet. 2. 2. *quæst.* 95. *in fine*, Petr. à Nauar. *lib.* 2. *de restit. cap.* 3. *nu.* 295. & 296. ac Thom. Sanchez in citato capite 39. *n.* 12. 13. & 14.

80. QVÆRITVR 5. An licitum sit ob aliquam necessitatem duellum suscipere. Respondetur, nulla vnquam de causa licitum fuisse duellum suscipere. Quod communiter senserunt Doctores etiam ante Concil. Trident. Ita enim habet glossa *ad cap. 1. verbo Obligatum, De Clericis pugnantibus in duello: & ad cap. 1. verbo aliquatenus, de purgatione vulgar*: habet item D. Anton. 3. *part. tit.* 4. *sub finem*, quem Tabiena in verbo Duellum *nu.* 4. sequitur: simul approbans quod ille expressit, nulla consuetudine duellum potuisse reddi licitum, vtpote de se malum & pernicioſum. Adde Sylvest. alios citantem in eodem verbo *quæst.* 4. *sub finem*. Id autem probatur facta inductione per causas ob quas maxime videri potest licere duellum suscipere. Primo enim, id non licet ob metum infamiæ, siue eo quod timeat quis ne dicatur de ipso quod sit vilis, & degeneris animi. Nam metus eiusmodi, *vt communiter Summularij docent in verbo Metus*, nullo iure excusat, cum non imitatur rationi vel legi; sed, *vt recte notat Caiet. loco cit. causa* 3. stultæ opinioni vulgi. *Atque vt Bannes habet* 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. *in fine*: si quæ contingat in hac re amissio honoris & famæ, tantum est apud homines vanos, & amatores huius seculi. Apud bonos enim & timoratæ conscientiæ homines, nihil famæ, & honoris amittit is, qui ne Deum offendat, & in Ecclesiasticas censuras incurrat, non vult acceptare duellum: præsertim cum licite possit euadere infamiam, respondendo prouocanti. Ego quidem vbicunq; me aggressus fueris, paratus sum me defendere: sed duellum nõ accipio; quia impium est, & iustis legibus damnatum.

Deinde nec iusta causa suscipiendi duellum esse potest, vel defensio rerum, vel conseruatio honoris, aut vitæ: tum quia tale remedium nimis atrox est, ac etiam ineptum: vtpote quo honor, res, & vita aperto discrimini obiiciuntur. non autem seruantur. Tum quia etiamsi liceat ipsum defendendo vim vi repellere, tamen vt sit vera defensio, id debet fieri incontinenti, non autem post interuallum temporis vt expresse habetur ex cap. 3. De sentent. excommunic. In duello vero non propellit quis iniuriam incontinenti, sed post interuallum temporis. Quinimo in eo, neuter pugnantium defensor est, sed vterque aggressor.

Si quis obiiciat pugnam quam Dauid suscepit contra Goliat. Occurrendum est pugnam eam non fuisse duellum, sed partem iusti belli. Pugnauit enim Dauid cum hoste reipubl. suæ: idque tunc, cum in summis angustiis esset exercitus populi Dei. Adde quod cum esset propheta, id fecerit ex speciali instinctu Dei: cum alioqui tam impar viribus, suscepisset talem pugnam valde inconsulte, & cum quadam tentatione Dei.

Porro magna difficultas fuit ante Concilium Tridentinum, An duellum suscipere liceret ei qui falsò accusatur ab alio de crimine propter quod interficiendus esset, nisi ex mandato Iudicis purget se duello? sed post ipsum Concilium non videtur relicta ratio dubitandi, quin id sit illicitum. Generaliter enim ac sine restrictione prohibitus est vsus duelli sess. vltima cap. 19. his verbis Detestabilis duellorum vsus fabricante diabolo introductus, vt cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur.] 81.

Et certe, *vt iam insinuauimus*, licitum censeri non potest, ad conseruationem rerum temporalium: quia per idem Concilium ibidem, qui pugnat in duello incurrit præscriptionem omnium honorum. Nec etiam ad famæ conseruationem, quia talis simul incurrit veram infamiam iuris, nec sepelitur in loco sacro, adhuc ex eodem Concil. ibidem. Neque item ad vitæ conseruationem, quia incurrit mortem animæ, cui mors corporis postponenda est, iuxta expressum Christi documentum Lucæ 12. vers. quinto. Nec denique ob metum vllius Iudicis, quoniam pro nullo metu debet quis peccatum mortale committere, vt notatur in cap. Sacris De iis quæ vi, metusve causa fiunt. Quanquam tamen (*iuxta doctrinam quam ex Caiet. habet Nauarr. in Enchir. cap.* 11. *num.* 39. *& cap.* 15. *nu.* 9. *& plenius tractat Thomas Sanchez in opere morali lib.* 2 *cap.* 31. *& aliquot sequentibus*) quando fuerit necessarium ad defensionem vitæ contra iniustum inuasorem, nec alia patuerit via ad euadendum, potest acceptari duellum: immo & offerri ad hunc modum: nempe, si inimicus armatus te aggrediatur inermem, petas dari tibi arma, vt militanter te occidat. Talis enim petitio habet rationem veræ defensionis, non autem duelli ad iniustam occisionem instituti, quod Ecclesia punit excommunicatione ea quam Patres Concilij Trident. in cit. cap. 19. tulerunt, extenderuntque ad eos qui consilium dederint in causa duelli: aut hoc suaserint, aut eius spectatores fuerint.

Cæterum præter Concil. Tridentinum hanc animarum simul & corporum perniciem eliminare ab Ecclesia constitutionibus seueriſſimis magno studio conati sunt: Pius quartus, & Gregorius decimusertius, ac postremo Clemens octauus: innouans ab illis constituta; & quædam superaddens, ad frænandos animos furiis sic agitatos, vt & Dei & sui omnino obliuiscantur, in suam extremam perniciem tam animæ quam corporis. Vtile autem erit constitutionis eiusdem Clementis quam edidit anno Domini 1592. & incipit: Illius vices; summam hic attexere post Georgium Sayrum in libro tertio Thesauri casuum conscientiæ *cap.* 31. *à num.* 21. *ad* 26.

Summa constitutionis à Clemente octauo editæ contra pugnantes in duello.

PRimo renouat bullam quamdam à Pio 4. de hac re editam, contra quoscumq; Principes ac domicellos, ac alios omnes, permittentes in suis dominiis & terris duel- 81.

lum

lum fieri, aut singularia certamina: aut diffidationes facientes, ac ad id inuitantes, procurantes, auxilium, consilium, vel fauorem dantes, illisque adstantes & interessentes, necnon chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes. Qui omnes & singuli Imperatore ac Regibus inferiores, si laici fuerint maioris excõmunicationis: sin Ecclesiastici fuerint vltra eam, etiam priuationis omnium dignitatum, beneficiorum & officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, & alia in posterum obtinenda, pœnas eo ipso incurrunt à quibus non nisi à Romano Pontifice absolui possunt.

Secundo innouat decretum Concilij Trident. sess. vlt. De reform. cap. 19. antea memoratum à nobis. Tertio cõfirmat bullam Gregorij XIII. *quæ incipit Ad tollendum*, editam anno Incarnationis Dominicæ 1582. nono Decembris Pontificatus eiusdem, anno vndecimo: vbi præfatus Pontifex impositas à Concil. Trident. pœnas extendit aduersus omnes illos, qui non publice quidem, priuatim tamen ex condicto, statuto tempore, & in loco conuento monomachiam commiserint, etiamsi nulli patrini, sociive ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæ prouocatoriæ literæ, aut denuntiationis chartulæ præcesserint. Quas etiam pœnas extendit contra locorum dominos, si certamen ex condicto permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint: necnon contra eos omnes qui duellum huiusmodi fieri mandauerint, instigauerint; auxilium, consilium, vel fauorem dederint, aut equos arma, pecuniam, commeatum, & alia subsidia scienter submini-strauerint, aut ex composito spectatores vel socios se se quouis modo præbuerint, etiamsi illi qui ad locum destinatum pugnaturi accesserunt impediti, pugnam nõ commiserint si per ipsos non steterit quominus illa committeretur. Quarto confirmat omnes tres prædictas, hoc est, Pij 4. Concil. Trident. & Gregor. 13. constitutiones, cum censuris, pœnis, decretis, & extensionibus earumdem; ac insuper easdem constitutiones ac decreta locum habere vult vbique gentium & terrarum: inter quascumque personas etiam armatas, & in castris seu propugnaculis, militantes etiam in terris & dominiis hæreticorum.

83. Quinto explicat in particulari personas quæ prædictas pœnas incurrunt: & sunt istæ. Primo, quilibet miles qui in bello publico, & forsan iuste indicto, contra alterum in aduersario exercitu militantem, siue alias in hostium castris, præsidiis, aut terris degentem, priuatas inimicitias & simultates publicæ causæ intermiscendo, etiam Ducum permissu ex cõdicto ad singulare certamen descendit, aut ad illum prouocat.

Secundo, qui pactiones ineunt de dirimendo certamine cum primum altervter vulneratus fuerit, seu sanguinem effuderit, aut certus ictuum numerus vtrinque illatus fuerit; vel si conueniant, vt non singuli cum singulis, sed bini terni, aut plures hinc inde pugnent.

Tertio locorum domini, magistratus, Præsides, locumtenentes, militum duces, & Capitanei in castris vel extra ea, in alieno vel hostili solo; qui cum militibus exercitus aduersariorum, monomachiam in quocumque casu per præsentem, vel prædictas constitutiones prohibito, permittunt; vel quantum in ipsis est non prohibent, aut post admissum crimen, veniam & impunitatem concedunt.

Quarto omnes & singuli qui suo vel alieno nomine, scripta (*manifesta, seu fides vulgo appellata*) in hac bulla prohibita, aut libellos, epistolas, earumve exempla dictant, componunt, scribunt, mittunt, deferunt, diuulgant, affigunt, exemplar typis imprimunt, subscribunt, intimant, vel etiam verbo denuntiant, seu attestantur.

Scripta vero quæ in ea bulla prohibentur, sunt omnia illa scripta, quæ vel expresse prouocant ad huiusmodi certamen, vel sunt quasi quædam præparatoria ad chartulas seu libellos prouocatorios, & ad duellum: atque illorum veluti radices; aut semina vt plurimũ, lacessendi aliquem ad pugnam, & suscitandæ simultatis, atque inimicitiæ materiam & occasionem præbent, dum in illis per modum epistolæ, libelli, aut publicæ attestationis, & intimationis, siue per authentica documenta, siue per vnius, pluriumve chyrographum, subscriptiones, aut reuelationes, sub prætextu proprij vel alieni honoris & famæ, more militari atque, *vt vulgo dicitur*, cauallaresco tuendi, aut lædendi: siue ad illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut iniuriæ prolationem; seu tollendam illius suspicionem rei alicuius gestæ ad id pertinentis, vel verborum aut responsionum series, & ordo narratur vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, vt qui contradixerit is siue nominatim, siue in genere mendacij arguatur seu mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum militari etiam consuetudine quæritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quidpiam eiusmodi, quod ad superius expressa spectet, gestum, dictumve sit: vel offert se quispiam contra certam vel incertam personam: vel generatim contra quemcunq; ad probandum armis, & verificandum, etiam inito certamine, aliquid ita esse, aut fuisse vel non fuisse. Imo vero non solum prohibentur huiusmodi scripta ad effectum de quo superius dictum est, sed etiam qualescumque denuntiationes, narrationes, declarationes & testificationes talium rerum, supta dicta quoquo modo concernentium, & ob huiusmodi causas, etiam factæ sine scripto, in locis publicis vel priuatis, vbi hominum multitudo conuenire solet.

Sexto, qui aliis ad singulare certamen publice vel occulte ineundum vel ad prouocandum aliquẽ ad pugnam; siue ad huius generis scripta (*quæ manifesta quæque chartulæ prouocatoriæ appellantur*) scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, diuulganda, auxilium, consilium, operam, vel fauorem præstiterint, siue id suaserint, aut mandauerint. Quive in præmissis vel eorum aliquo se quomodolibet intermiscuerint, etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen aut effectus, nec accessus aut actus ad pugnam proximus, neq; expressa & aperta prouocatio subsecuta fuerit, neque scriptiones prædictæ in publicum prodierint, aut cuiquam intimatæ extiterint, si per eos non steterit quominus publicatio aut denuntiatio fieret.

Septimo denique omnes, & quicumque publice vel priuatim, palam vel occulte in quibuscumque locis, modis, & formis ac casibus in hac bulla & aliis prædictis constitutionibus, *videlicet Pij IV. & Greg. XIII. & Concil. Trident.* ac decretis comprehensis singulare certamen, *quod duellum vulgo dicitur*, ex composito ineuntes, necnon id scelus suadentes, aut prouocantes, opem, consilium vel fauorem præstantes, equos, arma, vel commeatus præbentes, aut comitentes, vel circa chartulas, seu libellos, literas, nuntios, aut quæcumque alia scripta huiusmodi quomodolibet peccantes, huiusque delicti socij de industria spectatores, patrini, fautores, defensores quacumque Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

Hi omnes si singulares personæ sint, cuiuslibet communitatis, vniuersitatis, collegij, aut reipub. maiorem excommunicationem ipso facto incurrunt: & si in ipso conflictu obierint, sepultura Ecclesiastica priuantur. Ciuitates vero, terræ, oppida, vel castra, & loca in quorum territoriis id factum scientibus, & tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus dominis, aut magistratibus, vel Senatu, aut populo admissum fuerit, interdicto Ecclesiastico supponuntur. Cuius interdicti relaxationem, aut excommunicationis absolutionem ab alio quam à Summo Pontifice pro tempore existente, pœnitentia & satisfactione congrue peracta, nisi in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibusuis personis tam Ecclesiasticis cuiuscumque ordinis, aut militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quam laicis, etiam imperiali, regali, vel alia mundana præeminentia insignitis per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum: quæ omnia quoad præmissa nemini suffragari possunt: pœnis aliis tam spiritualibus quam temporalibus contra eos inflictis nihilominus in suo robore permansuris. Hactenus summa bullæ Clementis verbis eiusdem vix mutatis. Indicauit autem abunde ipse Pontifex mentem suam esse tali constitutione duellorum abominandum vsum penitus tollere extirpatis ra-

dicibus eorum ac fibris excommunicationem, aliasque pœnas imponendo non modo ob duellum: sed etiam ob scripta quæ duellum antegredi solent: aliaq; habentia incitamentum ad idem scelus, suntque illius semina. Vnde Paulus Comitolus in lib. 6. responsorũ moralium quæst. 14. num. 6. deducit (& satis cõsentiunt quæ Thomas Sanchez in opere morali lib. 2. cap. 39. num. 24.) generaliter esse illic sermonem de duello, sumpto scilicet hoc nomine, pro dimicatione singulari ex vtriusq; dimicantis placito & approbatione quamuis certo tempore & loco ad pugnam delecto ea careat. Nam si Papa hac sua constitutione duellorum semina & radices auertere voluit à fidelium cœtu: quanto magis genera omnia duellorum?

Addit idem author quæst. 17. esse responsum ab Clemente ipso octauo, Cõfessarios qui ante decretum ipsius, de quo dictum est, poterant per priuilegium Papale, absoluere à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, posse quoque absoluere ab excommunicatione, quæ in eodem decreto imponitur respectu duelli. Qua ratione id ad suam notitiam tale responsum venerit, Comitolus ipse sufficienter ibidem aperit.

CAPVT VIII.

De Bello.

SVMMARIVM.

84 *Bellum esse licitum.*
85 *Bellum aliud offensiuum, & aliud defensiuum, ac vtriusque differentia.*
86 *Necessaria vt bellum defensiuum sit iustum.*
87 *Necessaria vt offensiuum sit iustum, ac primo de authoritate.*
88 *De causa iusta, quod certa esse debeat, ne dubium esse sufficiat.*
89 *Cæteræ conditiones necessariæ.*
90 *Quatuor casus in quibus Clericis pugnare licet.*
91 *Discrimen inter conditiones ad iustum bellum offensiuum necessarias.*
92 *Quid faciat is qui acceptam iniuriam valet vendicare bello; & cum superiorem recognoscat; non habet authoritatem illud indicendi.*
93 *Causæ indicendi iuste bellum.*
94 *De causa infidelitatis.*
95 *De causa hæresis.*
96 *De cæteris causis.*
97 *Gloria, aut dilatatio imperii non est sufficiens causa iusti belli.*
98 *Quomodo bellum possit esse vtrinque iustum, & vtrum liceat in eo vti insidiis.*
99 *Quo tempore liceat bellum gerere.*
100 *Quatenus liceat in bello vti Infidelium auxilio.*
101 *Quatenus teneatur Princeps à bello desistere si iusta satisfactio ei offeratur.*
102 *De compositione quam Princeps facit cum hostibus, quoad quæuis damna suis subditis illata.*
103 *Quid teneantur milites facere, cum dubia est belli causa.*
104 *Quando teneantur ad restitutionem damnorum aduersariis illatorum in bello.*
105 *An teneantur, & peccent quando inferunt sine legitima authoritate.*
106 *Responsio ad quæstionem, Num licitum sit militibus exponere se euidentissimo mortis periculo.*
107 *Licitumne sit Clericis ad bellum proficisci.*
108 *Quatenus liceat in iusto bello damna hostibus inferre.*
109 *De iis quæ capiuntur in bello iusto.*
110 *Quæ circa innocentes seruanda sint in bello iusto, quoad personas ipsorum.*
111 *Quæ quoad bona ipsorum.*
112 *De eo quod milites à rusticis suæ reipub. vitam gratis accipiunt.*
113 *De grauamine eorumdem rusticorum per ipsos milites.*
114 *De iis ex hostibus, qui in iusto bello occidi non possunt.*
115 *Quatenus liceat ciuitatem iuste oppugnatam tradere militibus in prædam, & quod tunc non liceat nocere iis, qui ad loca sacra confugiunt.*
116 *Quatenus liceat in iusto bello rebus Ecclesiasticis nocere.*
117 *Explicatio quæstionis, An extracta de manibus hostium quæ diripuerunt, sint reddenda propriis dominis.*
118 *Explicatio alterius quæstionis, An captis in bello, fugere liceat.*
119 *Quando captiui possint in bello iniusto exercere actum aliquem ad idem bellum spectantem.*
120 *De repressaliis.*

DE bello ex professo tractat Gratianus per totam causam 23. præsertim quæst. 1. 2. 5. & 8. tractant etiam Summularij in verbo, Bellum D. Thom. 2. 2. quæst. 40. & ibid. Caiet. & Bannes, ac Gregor. à Valen. disput. 3. quæst. 16. D. Anton. 3. part. tit. 4. Francisc. à Victoria in relect. de iure belli, Couar. ad regulam, peccatum, de regulis iuris in 6. part. 2. §. 9. 10. 11. Alphonsus à Castro in lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 14. & in lib. 3. aduersus hæreses, in verbo Bellum Petr. à Nauarr. lib. 2. De restitut. cap. 3. à num. 258. ac Ludouicus Molina in tomo 1. de iustitia & iure, tractatu 2. disput. 98. & aliquot sequentibus. Considerabimus autem bellum ipsum primo secundum se; secundo quoad indicentes illud; tertio quoad milites illud gerentes; & postremo quoad effectus illius.

De bello secundum se.

SECTIO I.

QVÆRITVR 1. An liceat gerere bellum. Responsio est; bellum non esse sua natura malum, sed licite fieri posse: imo & cum magno merito, vt satis clare ostenditur 23. quæst. 1. cap. Noli existimare, & quatuor sequentibus: contrariumque sentire est hæresis: quam in cit. verbo Bellum refutat Alphonsus à Castro, & post ipsum locis cit. Bannes *art. 1. dub. 1.* Petrus à Nauar. *à num. 249. ad 267.* Gregor. à Valen. *punct. 1.* & Molina *disput. 99.* Qua in re immorari nõ est huius instituti: cui sufficit ea plusquam moralis certitudo quæ habetur ex Sanctorum exemplis, qui bellum in veteri Testamento gesserunt: hoc est, Abrahami, Moysis, Iosue, & aliorum. Itemque ex eo, quod D. Ioannes Baptista Lucæ 3. militibus de via salutis consilium petentibus non consuluerit militiam deserere, sed neminem cõcutere, & Dominus Matth. 8. Centurionem quãuis dicentem quod haberet sub se milites, laudauerit; & Matth. 22. tributa regibus soluenda dixerit, cum tamen ea exigantur ad gerendum bellum, & pacem conseruandam. 84.

QVÆRITVR 2. quotuplex sit bellum. Responsio est, duplex esse: vnum offensiuum, alterum defensiuum. Offensiuum vocatur, quando quis prior bello alterum aggreditur. Defensiuum vero, quando quis se defendit contra alium aggressorem. Inter quæ bella discrimen est. Tum quod finis belli defensiui tantum sit defendere seipsum & suam rempublicam: finis autem belli offensiui sit, sumere vindictã de altero; vnde & vindicatiuum dicitur. Tum quod bellum defensiuum sit actio cuiusvis hominis, etiam priuati: cui conceditur ius se defendendi. Bellum vero offensiuum sit hominis fungentis authoritate publica; siquidem eo ipso quod vnius reipub. homines inferunt iniuriam alteri reipublicæ, neq; Princeps ipsorum vult, vel dissimulat satisfactionem reddere: dominus reipub. offensæ potest sumere vindictam, seu punire illatas iniurias tanquam verus Iudex in ea causa. Principum enim est nõ tantum defendere suos, contra illos qui inferunt ipsis iniuriam: sed etiam illatam vlcisci, iuxta illud ad Rom. 13. Dei minister est vindex in iram ei qui malum agit.] & illud 1. Petri 2. Siue Regi quasi præcellenti siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum.] Quod etiam ratio confirmat. Nam cum Princeps qui superiorem non recognoscit (de quo tantum principe hic loquimur) debeat in se habere omnia quæ sunt necessaria ad bonam reipub. gubernationem, & defensionem: fit vt iure naturæ Iudex sit eorum qui iniuriam sibi inferunt: atque vt reipub. paci bonoque consulendo, possit sceleratorum hominum crimina reprimere ac superbiam frangere. 85.

QVÆ-

86 QVÆRITVR 3. quæ sint necessaria vt bellum defensiuum iuste suscipiatur? Respondeo est, tria esse. Primum, vt is qui bellum infert nolit desistere, etiam rogatus. Ex bello enim tam multa incommoda sequuntur, vt non nisi compellente necessitate, suscipi debeat. Secundum, vt iusta sit causa suscipiendi tale bellum. Quanquam quia ex regula 65. iuris in 6. in pari delicto, vel causa, melior est conditio possidentis, non est necessarium vt ille qui se defendit, certo sciat se iustam causam habere: sed satis est vt cognoscat se non habere causam iniustam: vel si dubitet, vt paratus sit stare determinationi, & arbitrio bonorum virorum. Tertium est, vt bona sit intentio, ex cap. Quid culpatur 23. *quæst.* 1. Et ratio est: quia bellum suscipi debet vt pax habeatur & respub. defendatur. Si ergo hæc tria adsint, bellum est iustum quando defensiuum, non autem quando offensiuum fuerit.

Authoritas vero Superioris non est necessaria in ipso bello defensiuo, vt ex communi Theologorum & Iurisperitorum sententia notat Bannes ad cit. art. 1. dub. 2. concluſ. 1. Et ratio est, quia quælibet persona etiam priuata iure naturali potest seipsam defendere, seu vim vi repellere propria authoritate. Id tamen intelligendum est, quando vrget necessitas, nec adiri potest Superior; nam si rempus patitur vt Superior consulatur, expectanda est ipsius authoritas: quam sibi vsurpare nefas est, nisi necessitas excuset.

87. QVÆRITVR 4. quænam conditiones sint necessariæ, vt bellum offensiuum iuste inferatur. respondeo est, eas in vniuersum septem esse. Prima est authoritas, ex cit. cap. Quid culpatur, nam cum inferre bellum sit actus Iudicis (*spectat enim ad iustitiam vindicatiuam instituta ad peccatorum punitionem*) necesse est vt is qui bellum infert, habeat ad id authoritatem. De quo in particulari notandum est, quod quando suscipitur bellum pro causa spirituali; nimirum pro fide, aut contra excommunicatos contumaces, possit authoritate Summi Pontificis vel Episcopi loci, bellum geri prout refert ex Hostiensi Syluester Bellum 3. quæst. 1. Quando autem est temporalis causa, ordinarie potestas inferendi bellum (prout Molina in cit. tract. 2. disput. 100. communem Doctorum consensum esse ait aliquot eorum commemoratis) est solum penes eum qui non agnoscit superiorem in temporalibus: id est à cuius iudicio non solet appellari ad superiorem in causis ciuilibus: nam cum talis non habeat in terris superiorem ad quem confugiat, & à quo ius petat, necesse est vt ipsemet tanquam verus Iudex in ea causa iure naturali cõstitutus, sumat vindictam. Vnde olim cum omnes erant subiecti Romano imperio, nemo poterat alteri inferre bellum sine facultate Imperatoris, vt habetur ex lege 1. Cod. Vt armorum vsus. Nunc vero authoritatem indicendi bellum habent Reges, Respublicæ & Duces, qui in temporalibus non agnoscunt superiorem ad cuius tribunal debeant recurrere. Attamen quia totum hoc negotium dependet ab humano iure, consuetudo multum potest in contrarium; ita vt si inter eos qui superiorem agnoscunt aliqui ex antiqua consuetudine habeant, quod possint aliis bellum inferre, id eis denegandum non sit, prout notat Francisc. à Victoria in relect. De iure belli num. 9. Sed tamen (vt ex Caiet. habet Molina in cad. disput. 100. post medium) id intelligendum est, dummodo tales bona fide fuerint in possessione; quod non est sentiendum de iis quos constat rebellando aduersus proprios dominos, authoritatem eam obtinuisse potentiæ magnitudine.

Secunda conditio, est iusta causa belli, ex cap. Dominus noster, 23. q. 2. de qua dicetur in sequen. sect. quæst. 2.

88. Tertia conditio est, Vt certo aut valde probabiliter constet de huiusmodi causa iusta, adeoq; legitime cognita iudicataque sit. Etenim graue peccatum est, in dubia causa, inferre bellum, vt docent à Victoria de iure belli, num. 27. & alij, quorum meminit Greg. à Valent. 2. 2. disput. 3. quæst. 16. punct. 2. versu Quinto certum est. Et probatur: tum quia neque homo particularis in dubia causa puniendus est; multo ergo minus tota respub. tum etiam, quia in dubia causa potior est conditio possidentis, ex 65. regula iuris in sexto. Neque vero satis est vt Princeps quoquo modo credat se iustam habere causam, *alioquin enim excusarentur Turcæ inferentes bellum Christianis*, sed vt iustitiæ causa diligentissime examinata sit, idque ab illis qui minime ducantur prauis affectibus; propterea quod ex bello plurima sequuntur incommoda: atque homo ductus prauis affectibus cæcutire sæpius solet.

Quamquam tamen quando causa est dubia, is etiam qui pacifice possidet, tenetur, *vt infra num. 29. habet à Victoria*, eam diligenter examinare, & admittendo legationem, audire pacifice rationes alterius partis, si forte possit ex eis certum cognoscere. Nam non censeretur alioqui bona fide agere, tanquam recusans intelligere veritatem prout tenetur. Etenim Principes cum sint Iudices in suis causis iuxta antedicta, tenentur in dubio ea quæ in contrarium opponuntur examinare. Inique enim agit Iudex qui litigante contra possessorem opponente aliquid, recusat illud examinare. Atque post talem recusationem ab ipso Principe factam, alter Princeps qui bellum ei infert non omnino certus de iure suo, excusaretur à peccato, tanquam iustam habens causam taliter petendi compensationem aliquam pro iure quod ad Remp. de qua agitur, minus dubium habet, quam ille qui eam possidet. Dico (minus dubium) quia si ius esset æqualiter dubium non posset ratione illius, possessorem bello lacessere: quia in pari causa melior est conditio possidentis. De quare plenius Bannes ad eumdem art. 1. dub. 5.

Quarta conditio est, Vt causa belli habeat proportionem cum grauibus incommodis, quæ ex bello ipso sequuntur: in quo non tantum qui sunt ex parte hostium innocentes & Ecclesiastici patiuntur: sed etiam illi ipsi qui bellum inferunt plurima damna sentiunt, adeo vt causa inferendi debeat esse grauissima, & quæ omnia alia damna compenset. 89.

Quinta conditio est, Vt obseruetur iuris forma. Cum enim bellum sit vltimum & extremum remedium aduersus illatas iniurias; antequam ipsum adhibeatur, omnia sunt prius tentanda: videlicet mittendi sunt legati, aut consulendi superiores, siue temporales, siue Ecclesiastici, per quos iusta satisfactio pro illata iniuria obtineatur: aliaque remedia, si quæ suppetant vsurpanda; iuxta illud Deuter. 20. Si quando accesseris ad oppugnandam ciuitatem offeres primum ei pacem.

Sexta conditio est, Vt qui infert bellum habeat rectam intentionem ex cap. Quid culpatur & duobus sequentib. 23. quæst. 1. Censetur autem recta intentio quando bellum infertur, non vt alijs noceatur: sed vt iustitia exerceatur. De quare in particulari plenius Molina disputat. 107.

Septima conditio est, Vt illi qui bellum gerunt non sint personæ Ecclesiasticæ, nam illis interdictum est gerere bellum, 23. quæst. 8. cap. 1. & aliquot sequentib. De quare etiam plenius, tum Bannes ad sequentem artic. 2. tum Molina disput. 108. Sed ad institutum nostrum notare sufficiet, id quod ibidem sub finem hic habet ex communi Doctorum sententia: constitutos in maioribus ordinibus pugnando propriis manibus peccare mortaliter exceptis quatuor casibus.

Primus est, quando non possunt aliter propriam vitam conseruare. Secundus, quando id sic necessarium est, quod illis pugnantibus patria aut ciuitas vel exercitus conseruabitur: non pugnantibus vero destruetur, aut capietur. Nam tunc pugnare non solum possunt: sed etiam tenentur iure naturali, cui lex Ecclesiastica nequit præiudicare. Tertius est, quando id omnino necessarium esset ad consecutionem iustæ victoriæ, à qua pax & cõmune bonum Ecclesiæ pendeat. Quartus, quando id omnino necessarium esset ad defendendam vitam innocentis, qui rogaret opem sibi ferri aduersus nocentem, qui mortem ei est alioqui illaturus. Nam in tali casu vt & in duobus præcedentibus Clerici iure naturali obligantur pugnare, si possint absque suo notabili periculo. 90.

Irregularitatem vero non incurrunt occidendo in talibus casibus: quod idem author tractat disput. 109. Nec item pugnãdo extra eosdem casus: etiãsi initiati sint maioribus

ribus ordinibus, nisi occidant, aut mutilent: de quo idem etiam *in seq. disput.* 100. Quanquam tamen gradu officioque suo sunt priuandi, iuxta cap. Clerici, cap. Quicumque ex Clero, & cap. Quo ausu, 23. quæst. 8. Sique in pugna moriantur, oblationes, & orationes pro eis fieri non debent, ex cap. Quicumque Clericus, 23. quæst. 8. Id quod ex eodem Molina, *in præced. disput.* 108. proprie quidem locum habet in iis qui initiati sunt maioribus ordinibus: probabiliter tamen idem iudicandum est, *vt ille addit*, de aliis Ecclesiasticis, si beneficiarij fuerint: nisi antea reliquerint beneficia sua; itemque de Religiosis professis.

91. Porro magnum discrimen est inter septem memoratas conditiones. Nam si prima earum vel secunda, vel tertia desit, is qui bellum infert, non tantum grauiter peccat, sed etiam tenetur resarcire damna omnia quæ illata fuerint, tam hostibus quam propriis subditis. Sin autem quarta tantum aut quinta conditio desit, peccat item qui bellum infert: atque teneturresarcire damna etiam hostium, quando dedita opera excessit modum in sumenda vindicta; contra illud Deuter. 25. Modus plagarum erit secundum mensuram delicti;] aut quando iustam satisfactionem pro illatis iniuriis oblatam recusauit. Qua de re Bannes 2. 2. quæst. 40. art. 1. dub. 8. & 10. Subditorum autem suorum damna resarcire tenetur, si ipsos bellum suscipere coegerit: non item, si illud vltro ipsi suscipiant: quia consentienti non fit iniuria De regulis iuris in sexto regula 27.

Iam vero in duobus casibus quinta conditio non est necessaria; vnus est, si vrgeat necessitas, id est, suscipiens bellum non habeat commoditatem sumendi vindictam post interpositam longam moram temporis: qua ratione Abraham statim secutus est hostes suos, non tentatis aliis mediis, Genes. 14. Alter est, si statis constet quod hostes sint omnino pertinaces, nec flectentur prædictis legationibus. Quod si tantum desit sexta, vel septima conditio, peccat quidem qui bellum infert: sed sine obligatione ad restitutionem: quia tunc sibi ipsi non alteri adfert de se nocumentum.

Sectio II.

De bello quoad indicentes illud.

92. Qværitvr primo, Quid facere possit ille, qui cum recognoscat superiorem, & ideo nō habeat authoritatem indicendi bellum, patitur grauem iniuriam, quam posset indicto bello vindicare. Ad quod respondetur tali suppetere illud remedium, quod assignat à Victoria, De iure belli, nu. 9. inquiens: Si sub eodem Rege duæ sint ciuitates vel duo principes quorum alter alteri infert iniuriam, Rexque ipse negligit vel non vult eam vlcisci: illum qui iniuriam patitur posse non solum se defendere, sed etiam antedictis conditionibus concurrentibus inferre bellum: quia necessitas licentiam ei & authoritatem dat: cum nequeat aliter ius suum tueri: & superior dissimulans, censeatur consentire tacitè. Qui si expresse dissentiret ob cōmune totius reipublicæ bonum probabiliter, æquo animo esset ferenda iniuria & à bello abstinendum, iuxta illud quod habet idem à Victoria in sequen. numero 33. de bello illicito, ob secutura Reipub. incommoda.

93. Qværitvr secvndo, Quænam sint causæ, ob quas ille qui habet authoritatem, iuste potest bellum indicere. Ad quod respondendum est: in genere quidem (prout à Victoria De iure belli num. 13. habet, & probatur ex cap. Dominus noster 23. quæst. 2.) esse iniuriam: non tantū eam, quæ est cum peccato; vtpote qua scienter damnum illatum est; aut alienum occupatur iniuste: sed etiam interdum eam quæ est sine peccato; vt cum res aliena detinetur quidem sed probabiliter putatur esse propria; vt contigit Chananæis, qui ignorarunt à Deo datam esse filiis Israel terram ipsorum possidendam. De qua re plenius Molina De iust. & iure, to. 1. tract. 2. disput. 102.

In particulari autem multas esse tales causas, sicut multi sunt modi quibus iniuria infertur. Aliquot referunt Alphonsus à Castro, *in lib. 2. De iusta hæretic. punitione, cap. 14.* & post ipsum Molina, *in seq. disp.* 104. vt & Couar. ad regulam Peccatum, *par. 2. §. 9. num. 2. 3. & 4.*

Tredecim autem sunt, quæ sacræ Scripturæ testimonio illustrantur. Prima est infidelitas, qua Deo infertur iniuria. Ad cuius causæ illustrationem facit, quod Exodi 34. ver. 12. & Deuter. cap. 7. ver. 2. & cap. 12. ver. 2. iussi sint filij Israel interficere infideles, & bello exterminare. Sed notandum est, quod nunc temporis non liceat ob meram infidelitatem bellum aliis inferre, ipsorumque bona occupare; vt habent à Victoria *in relect. De Indis sect. 1. num. 19. & sect. 2. num. 15.* & Couar. ad Regul. Peccatum, *par. 2. §. 10. num. 4. & 5.* ac post vtrumque Molina in cit. tract. 2. disput. 106. Probaturque primo, quia infideles qui nunquam fidem susceperunt, non possunt cogi ad fidem suscipiendam. Secundo, quia infideles principes habēt verum dominium: nam Romani tempore Apostolorum erant infideles, quibus tamen obtemperandum esse docet Apostolus ad Rom. 13. Deniq; peccatum infidelitatis est contra solum Deum. Illa autem peccata quæ sunt contra solum Deum relinquuntur diuinæ vltioni. Nam si hæc bello vindicari possent, potius malis Christianis quam infidelibus esset inferendum bellum: quia grauius peccant: vt intelligitur ex cap. 10. ver. 28. & 29. & cap. 12. ver. 25. epist. ad Hebr. suntque causa cur blasphemetur inter gentes nomen Dei ad Rom. 2. 94.

Attamen septem sunt casus in quibus licitum est inferre bellum infidelibus, non quidem ob solam infidelitatem, sed ob aliquam circumstantiam ei annexam. Primus est, quādo infideles possident terras quæ olim erant Christianorum: quo titulo Christiani inferunt bellum Turcis. Secundus, quando infideles inferunt iniurias Christianis, vt ipsi Turcæ solent. Tertius, quando abducunt Christianos à vera religione; quæ causa assignatur in Deuteronomio locis citatis. Quartus, quando infideles impediunt liberam prædicationem Euangelij. Potest enim tunc inferri illis bellum authoritate Ecclesiæ; quæ cum à Christo potestatem acceperit prædicandi Euangelium per totum orbem terrarum, Matth. vlt. & Marc. vlt. is qui prædicationem eiusmodi impedit, infert Ecclesiæ iniuriam, quā bello propulsare potest. Qua de re pluribus à Victor. in relect. De Indis, sect. 3. nu. 9. & aliquot sequentibus. Qua in re immorari non est necessarium ad nostrū institutum. Quintus casus, quando infideles qui Principi Christiano subsunt, leges ipsis ab eo præscriptas legi naturæ consentaneas, obseruare nolunt. Sextus, quando Princeps infidelis, nulli fideli subditus committit peccata quæ nō tantum sunt contra Deum, sed etiam cōtra proximum. Tunc enim Princeps Christianus potest ei bellum indicere, si admonitus nolit desistere: quod à Victoria ibid. num. 15. annotat.

Vbi obseruandum est, quod quamuis peccata ea quæ sunt contra solum Deum (vt infidelitas, idololatria, & similia) iudicio diuino relinquantur: ea tamen quæ sunt contra iustitiam & detrimentum adferunt proximo, posse ab aliis Principibus impediri. Nam vt illimet qui iniuriam patiuntur, possunt iuste se defendere, ita etiam quiuis potest, & dum necessitas vrget, tenetur illis succurrere, iuxta illud Ecclesiastici 7. Vnicuique mandauit illis de proximo,] & illud Prouerb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses.] Itaque si Princeps infidelis constitueret vt homines, etiam inuiti sacrificent idolis, potest ob tale crimen bellum ei inferri, etiamsi ille qui iniuriam patitur auxilium non petat tunc expresse, quia licet etiam inuitum ab iniusta morte eripere. De qua re Molina in memorata disput. 106. concl. 6. Septimus casus est, quando Deus alicui Regi aut populo reuelat se velle infidelium peccata vlcisci ea ratione, prout factum est cum ex lib. 1. Regum cap. 15. Saul Dei iussu bellum Amalecitis intulit.

95. Secunda causa propter quam potest bellum indici, est hæresis, seu recessus à fide, veroque Dei cultu. Nam olim Deus Deuter. 13. filiis Israel præcepit vt ciuitatem quæ in tale crimen incurrisset bello delerent, & ita vniuersi ipsi filij Israel voluerunt bellum inferre filiis Ruben, & Gad, quod existimassent ipsos recessisse à fide ex cap. 22. Iosue.

Hanc

Hanc etiam causam probant Patres relati 23. quæst. 4. cap. Displicet, & multis sequentib. Ratio vero est, quia hæresis grauissima damna toti Reipublicæ adfert. In qua tamen re obseruandus est ordo iuris: nec enim potest hæreticis, bellum inferri nisi ab Ecclesia declarentur hæretici, ex cap. Cum secundum leges, De hæreticis in 6. Post declarationem autem potest quiuis Princeps Catholicus suis subditis pro iurisdictione quam in eos habet inferre bellum, & bona ipsorum occupare.

96. Tertia causa est, quando negatur aliquid quod iure naturæ debetur, ob hanc causam populus Israeliticus bellum intulit Amorrhæis, qui illis negabant innoxium transitum cap. 21. Numerorum: quem locum ita accepit D. Augustinus, relatus 23. quæst. 2. cap. finali. Quarta causa, quando terræ vel regna quæ iniuste ab alio possidentur. Ob quã causam Dauid intulit bellum Isbosseth filio Saul, 2. Reg. cap. 2. Quinta causa, quando populus iniuste opprimitur seruitute, vel aliis iniuriis. Ob quam causam bella multa gesta sunt ab Israelitis contra Philistæos: vt patet ex libris Iudicum, & Regum. Sexta causa, quando populus præbet auxilium inimicis qui gerunt iniustum bellum. Nam ob hãc causam Dauid intulit bellum Syris, eo quod filiis Ammon opem contra ipsum tulissent, ex 2. Reg. cap. 8. & 10. Septima causa, quando legati alicuius Principis afficiuntur magna contumelia. Ob quam causam Dauid bellum intulit filiis Ammon, ex eod. cap. 10. Octaua causa, cum quis seditionem mouet vel rebellionem contra Principem. Ita Dauid intulit bellum Sebæ ex lib. 2. Regum cap. 20. Nona causa, cum quis defendit hominem sceleratum, qui iuste petitur ad supplicium. Ob quam causam vniuersi filij Israel intulerunt bellum tribui Benjamin ex lib. Iudicum cap. 20. Decima causa, quando Princeps, & populus non stat pactis vel pollicitis. Quam ob causam Moabitis Reges Israel & Iuda intulerunt bellum, quos Propheta Elisæus iuuit; ex lib. 4. Regum cap. 3. Vndecima causa, defensio amicorum, & liberatio eorum ex captiuitate, vel aliis angustiis, quemad. Gen. 14. Abraham bello liberauit Loth, & alios captiuos. Duodecima causa esse potest, cædes alicuius viri qui in magna potestate erat, & præsertim si Principi sanguine iunctus fuit. Ita 1. Machab. cap. 9. Simon & Ionatas Machabæi, vlti sunt bello cædem fratris sui Ioannis. Decimatertia causa, quando populus confœderatus, & amicus habet iustam causam inferendi bellum. Potest enim alter populus amicum populum in tali bello iuuare, quemadmodum ex lib. 4. Regum cap. 3. filij Iuda iuuerunt filios Israel.

97. QVÆRITVR TERTIO, An gloria, dilatatio imperij, aut alia regni vtilitas censenda sit Principi esse iusta causa indicendi bellum. Responsio est: quod cum non liceat nocere vni particulari propter propriam cõmoditatem, multo minus licere toti Reip. Deinde, vt bene ait Franciscus à Victoria *in relect. De iure belli, num.* 11. alias causa æque iusta esset ex vtraque parte belligerentium: sicque omnes essent innocentes, ideoque non liceret eos occidere: & ita gerendum esset iustum bellum, in quo occidere non liceret; quod absurdum est.

98. QVÆRITVR QVARTO, An bellum possit esse vtrimque iustum. Responsio est, remota ignorantia non posse: posita autem ignorantia probabili, bellum esse posse vtrimque iustum. Poni autem potest talis ignorantia non modo ex parte militum, quod frequenter contingit, sed etiam ex parte Principis: qui licet reuera habeat causam iniustam, probabiliter tamen existimare potest se habere iustam; vt quando homines eruditi & boni quos cõsulit, respondent ipsum iustam habere. Ita à Victoria *in relect. De iure belli, num.* 32. & Couar. *ad Reg. Peccatum par.* 2. §. 10. *num.* 6.

QVÆRITVR QVINTO, An licitum sit Principi, vti insidiis in bello iusto. Respondendum est, licitum esse, dummodo absint mendacia, ex cap. Dominus noster, 23. quæst. 2. Idem habet D. Thom 2. 2. *q.* 40. *art.* 5. Et confirmatur tum ex cap. 8. Iosue vbi Deus præcepit vti insidiis in bello; tum ex eo, quod in talibus insidiis, nihil affirmetur, aut negetur; & proinde absit mendacium, sicut & in facto Christi, cum finxit se longius ire, Lucæ vlt.

95.

QVÆRITVR SEXTO, An Princeps possit bello certare quouis tempore. 99.
Responsio est, tempore treugæ seu induciarum, non posse inferre bellum. Nam & hosti seruãda est fides, 23. q. 1. cap. Noli existimare De qua re agens Molina, *in cit. tract. 2. disput.* 111. notat non habere locum primo, cum hostis fidem ipsam non seruat: quia pactum semper habet illam conditionem racitam, modo tu vicissim omnia illa serues. Secundo, cum promissum ex obiecto iniquum est & malum: quia in malis promissis non expedit fidem seruare ex 69. Reg. iuris in 6. Tertio, cum constat promissum iniuste exigi & accipi ab hoste, neque ipsum confirmatum est iuramento. Quod si de iniustitia non constet, seruandum est: quia nihil datur, quod excuset ab obseruatione. Similiter si confirmatum sit iuramento; propter inuiolatum scilicet testimonium Dei, ex cap. Debitores de iureiurando.

Quouis autem alio tempore extra iam dictum induciarum, si vel vrget necessitas, vel affertur opportunitas rei bene gerendæ, potest geri bellum, vt habetur 23. quæst. 8. cap. Si nulla. Abstinendum est tamen à bello in die festo, si non sit causa tunc gerendi, ex D. Thoma, *in cit. quæst.* 40. *art.* 4. Quanquam non est mortale peccatum; tunc bellare, *vt ibid. notat Caiet.* Quod intellige, dummodo Missæ sacrum ante iniatur habita commoditate, prout notat Molina in cit. disput. 111. volens idem esse de hac re iudicandum, ac de hastiludio, quod sit die festo. Cæterum olim quidem prohibitum erat bellum gerere ab Aduentu vsque ad Octauas Epiphaniæ, & à Septuagesima vsque ad octauas Paschæ, vt constat ex c. p. 1. De treuga & pace. Sed Canon ille iam non est in vsu, *vt notat. ibidem glossa, ad verbum frangere.*

QVÆRITVR SEPTIMO, An liceat Principi Christiano petere auxilium ab infideli. 100.
Ad quod respondendum est tribus propositionibus. Prima est, licitum esse etiam inito fœdere societatis armorum, petere auxilium ab infidelibus contra alios infideles, quemadmodum petierunt Machabæi à Romanis 1. Machab. cap. 8. 12. & 15. Secunda est, Petere auxilium ab infidelibus contra Christianos in iusto bello non esse malum ex se. Ita existimat Lyranus *lib. 1. Regum, cap. 28. ad versum* 4. Et ratio docet: quia si liceat vni particulari cum affligitur petere auxilium ab infideli, multo magis id licet toti Reipublicæ. Tertia est, Tale quid nihilominus ob circumstantias, hoc est, ratione scandali & damnorum: esse vt plurimum graue peccatum. Hæc probatur: quia solent multum scandalizari infideles à quibus petitur tale auxilium. Præterea ipsi plurimum nocent religioni Christianæ, dum fideles abducunt captiuos, eosque apostatare faciunt; vel illos prauis suis moribus verbo & exemplo inficiunt. Item sæpe plus, aut saltem tantum nocent illis à quibus vocantur in auxilium, quam hostibus.

QVÆRITVR OCTAVO, An Princeps teneatur desistere à bello, & acceptare iustam satisfactionẽ oblatam. 101.
Responsio est: duo hac in re esse certa; alterũ, quod Princeps teneatur acceptare satisfactionem, si offeratur antequam incœptum sit bellum. Alterum est, quod non teneatur acceptare satisfactionem, si timeat ne alter postea perturbet, nec seruet pacem, *vt notat glossa ad cap. Noli existimare.* 23. *quæst.* 1.

Dubium autem esse, quando non timetur futura perturbatio & offertur satisfactio post incœptum bellum. De quo sententia est Caietani in verbo Bellum: quod Princeps nõ teneatur à bello desistere, post ipsum incœptum: quia iudex cœpta causa non tenetur desistere à punitione Rei, quantumuis satisfactionem offerat. Sed contrarium tenendum est, iuxta memoratum cap. Noli existimare: cuius hæc sunt verba. Itaque hostem pugnantem necessitas deprimat non voluntas; sicut bellanti, & resistenti violentia redditur: ita victori capto misericordia iam debetur, maxime in quo pacis pertubatio non timetur] Ex quibus verbis satis patet eam misericordiam deberi hosti; vt si offerat satisfactionem iustam, cessetur à bello, cum id fieri potest sine nouæ perturbationis periculo. Deinde vt argumentatur Molina sub finem præced. disput. 103. ab eo, momento temporis quo offertur sufficiens satisfactio,

cessat

cessat iniuria aduersariorum: ita vt Princeps pro iniuria præterita iustum bellum gerens, nihil possit amplius licite exequi quam ea ipsa accipere quæ in iustam satisfactionem ei offeruntur.

Argumentum vero Caietani propterea non concludit: quia triplex est discrimen inter punitionem vnius particularis, & bellum. Primo enim, qui punit particulare hominem, est Iudex ipsius ordinarius: ideoque non tenetur desistere; qui autem bello punit, Iudex est extraordinarius, ratione tantummodo iniuriæ. Quare hac per oblatam iustam satisfactionem cessante, cessat iusta causa belli, & per consequens bellum ipsum nequit iustum esse. Secundo, quando vnus particularis punitur, solus reus patitur: in bello autem, non patiuntur soli rei, sed multi alij innocentes; & sæpe ob peccatum solius Principis patitur totus populus. Tertio, quod quando punitur vnus particularis id fit sine præiudicio, & damno punientium, sed quando infertur bellum, non tantum patiuntur hostes, sed etiam illi qui contra ipsos bellum gerunt. Vnde Princeps si non propter hostes, saltem propter suos, debet acceptare satisfactionem.

102. Cæterum circa compositionem quam Princeps facit cum hostibus quoad damna quæuis illata subditis suis, notandum est cum Molina, *De iust. & iure, to. 1. tract. 2. disputat. 123.* si ea fiat cum libero cõsensu ipsorum subditorum, standum ei esse omnino; non item si fiat sine tali consensu: quia tunc Princeps ipse tenetur talia damna resarcire; quorum iniusta causa fuit gerendo bellum iniustum: nisi iidem subditi conscij iniustitiæ belli, sponte neç imperio coacti ipsum comitati essent in tali bello: quo casu deberent sibi talia damna imputare. Imo etiamsi gesserint iustum bellum, aut quod probabiliter putauerint iustum esse, similiter Princeps tenetur damna resarcire quæ acceperint: cum debeat ius dicere subditis, ac cogere aduersarios ad reparandas iniurias ipsis illatas: quas cõdonando censetur detrimentum eisdem adferre, quod compensare teneatur; nisi aliud exigat Reipublicæ necessitas propter quã particulares detrimentum pati tenentur. Adde quod ibid. concl. 5. & 6. memoratus author habet: aduersarios qui scienter iniustum bellum gesserunt, per compositionem non liberari in foro conscientiæ ab obligatione, resarciendi damna quæ intulerunt: quoniam illa solum ad redimendam vexationem, nec libere facta est; perinde ac si collitiganti litem iniustam se habere scienti, des aliquid vt ab ea desistat. Secus esset autem si incerta esset iniustitia belli; quia tunc pactum non iniretur simpliciter ad redimendam vexationem iniustam, sed ad definiendum ius tunc ambiguum.

Sectio III.

De bello quoad milites illud gerentes.

103. Qværitvr primo, An milites possint proficisci ad bellum in causa dubia. Responsio est: milites qui subsunt alicui Principi, aut qui accipiunt stipendium tam pacis tempore, quam belli (*cum hi tanquam famuli reputentur mercede conducti*) posse proficisci in causa dubia, & tamdiu manere in bello, quamdiu illis non constiterit certo, bellum esse iniustum: etiamsi Dominus, seu Princeps sit infidelis. Hanc esse communem Doctorum sententiam aliquot in eam citatis notat Molina *in eod. tract. disput. 113.* quæ habetur expresse ex D. Augustino in cap. Quid culpatur, 23. quæst. 1. Itaq; si Princeps id illis præcipiat, tenentur obedire, quia semper obediendum est Superiori nisi constiterit peccatum esse quod præcipit. Accedit quod neque expediat, neque fieri possit vt omnibus de plebe reddatur ratio publicorum negotiorum: neque hi sufficientes sint ad ea examinanda, aut etiam percipienda: item q; deceat perfectum obedientem non disputare, sed recta de suo Superiore præsumere: quando neque rumor, neque indicia sunt de iniustitia belli. Quod addo: quia si hæc adsint, ipsa suadent non debere subditos committere se Principis definitioni: sed debere aliunde inquirere de veritate, quantum quisque commode potuerit, ne ignorantia ipsorum censeatur affectata, neque à peccato excuset. Ad quod facit quod non excusentur milites Turcæ gerentes bellum contra Christianos, à quibus nulla iniuria affecti sunt: nec item milites Pilati qui ex ipsius mandato Christum crucifixerunt.

Alij autem milites puta amici, consanguinei, stipendiarij externi, non possunt proficisci ad bellum in causa dubia, ex communi quoque Doctorum sententia, vt aliquot ex eis citatis habet Molina in seq. disput. 114. Qui recte infert, grauiter peccare & in statu damnationis esse, nec absolui debere illos, qui parati sunt in quacumque causa pugnare, siue iusta, siue iniusta. Ratio est, quia sine iusto titulo se exponunt periculo inferendi grauissimam iniuriam aduersariis, eos priuando vita, & bonis quibus iuste potiuntur. Quod si talium aliquis innixus fundamento ad moralem certitudinem sufficienti credat causam belli esse iustam, potest ad illud proficisci, etiamsi non sit penitus certus: quia laborabit probabili ignorantia quæ excusat à peccato.

Qværitvr secvndo, Quid debeant facere milites qui ignoranter pugnarunt in causa belli iniusti. Respondendum est: quamdiu ignorant iniustitiam causæ nihil debere facere, si probabilis sit eorum ignorantia, seu quæ adhibita morali diligentia vinci non potuerit præsertim si sint secuti principem cuius sunt subditi. Itaque non tenentur restituere ea quæ consumpserunt bona fide, neque resarcire damna quæ intulerunt. Vbi autem sciuerint bellum esse iniustum debent ab eo desistere, ac restituere ea quæ ex hostium spoliis apud se adhuc habent, eave in quibus facti sunt locupletiores. Qui autem subditi non sunt dubitantes de belli iniustitia, si postea constat bellum iustum esse, ad nullam restitutionem tenentur, cum nec Princeps quem iuuerunt, ad illam tunc teneatur. Sin constet de iniustitia, vel de ea dubitetur, iidem tenentur restituere, principe, qui est causa præcipua damni illati, non restituente. 104.

Sic igitur prout habet Molina disput. 114. si Princeps ipse iniustum bellum gerens per inuincibilem ignorantiam excusetur à culpa, prædicti restituere debent (ob malam scilicet fidem ipsorum quam dicta ignorantia non purgat) omnia damna quæ ipsimet dederint, vel quæ data non essent nisi auxilium tulissent. Sin idem Princeps fuerit dubius de iustitia belli, quando illud intulit, deeoque constet talibus, qui auxilium tulerunt: iidem omnia damna aduersariis illata, resarcire tenentur in defectum eiusdem Principis non resarcientis. Namque cooperatores tenentur restitutione supplere defectũ præcipui agentis, vt latius tractatum est in præced. lib. 10. cap. 9. & 10. Quod si non constet qua conscientia Princeps bellum intulerit, neque ille restituat: dicti cooperatores tenentur malorum quæ intulerunt partem maiorem, vel minorem restituere prudentis arbitrio pro quantitate dubij seu verisimilitudinis maioris, vel minoris, quod bellum fuerit iustum. Nam si fuisse constaret ad nihil tenerentur, si constaret fuisse iniustum, tenerentur ad totum. Quare si id dubium sit, tenentur ad quantitatem maiorem, vel minorem, secundum quantitatem dubij.

Qværitvr tertio, An milites iustum bellum gerentes peccent, & teneantur ad restitutionem, si hostibus noceant sine legitima authoritate. Cui quæstioni vt satisfiat notandum est in hac re id censeri factum contra legitimam authoritatem, quod fuerit factum contra expressam, aut præsumptam voluntatem supremi Principis indicentis bellum: aut ducum quos ipse bello præfecerit. Expressam autem voluntatem censeri, quando est expresse declarata: præsumptam vero quando non est quidem expresse declarata, probabiliter tamen creditur, quod tale quid Principi ipsi futurum sit gratum, & ratum habebit: de qua re non potest certa regula dari, sed relinquitur prudenti iudicandum ex circumstantiis, vt monet Molina De iust. & iure, tomo 1. tract. 2. disput. 101. cum quo propositæ quæstioni satisfaciemus per sequentes conclusiones. 105.

Prima est: Si causa propter quam Princeps negat militibus authoritatem pro arbitrio nocendi hostibus, sit quia æquitas, aut iustitia belli, vel pietas Christiana id

postu-

postulat; tunc milites mortaliter peccare nocendo sine authoritate; & teneri ad restitutionem damni illati. Hæc patet, quia tunc manifesta iniustitia committitur. Per ignorantiam tamen probabilem excusantur à peccato & à restitutione eorum quæ consumpserunt bona fide. Secunda est, si dicta negatio authoritatis fiat, non quidem vt damnum non inferatur hostibus: sed solum vt disciplina militaris seruetur: tunc milites peccare quidem nocendo, sed non teneri ad restitutionem. Ratio est, quia voluntati Principis contrauenitur quidem tale damnum inferendo, nõ tamen illatum non resarciendo: probabiliter enim præsumitur gratum ei esse hostium damnum, licet inobedientia militis displiceat. Tertia est, si Princeps neget militibus authoritatem nocendi hostibus, ne hi lacessiti longe maiora inferant, quamuis illi peccent inferendo, nõ tenentur tamen ad restitutionem illatorum. Huius conclusionis eadem est ratio quæ secundæ præcedentis.

Aduerte vero, quod si per restitutionem sedandi essent hostes, & impediendi ne ditioni Principis damna inferrent, ea esset ex obligatione facienda: quia tunc merito præsumeretur talis esse voluntas Principis. Adde etiam quod teneantur restituere damna ipsa ab hostibus illata, quorum fuerunt causa iniusta. Porro quando tales inoedientiæ militum sint peccata mortalia, iudicandum est ex periculo pœnæ cui illi se exponunt, & ex periculo damni iniusti quod alijs, & bono publico inde imminet; itemq; ex ipsa qualitate rei, aut ex præcepto Principis id seuere vetantis, aut valde ægrè tolerantis.

106. QVÆRITVR 4. Vtrum licitum sit militib. euidentissimo mortis periculo exponere se in bello. Responsio est: non esse quidem consultum, Princeps vel alius vir, ex quo multa dependent, se huiusmodi periculo exponat; alios tamen milites licite posse cuicũq; periculo se exponere in iusta causa. Ratio est: quia ob id laudatur Eleazarus in 1. lib. Machab. cap. 6. Videri potest Couar. *in lib. 1. var. resolut. cap. 2. n. 10. vers. 9.* ac notari ex Molina in seq. disput. 116. quod sicut Princeps tenetur soluere militi stipendium, ita militem vicissim pro stipendio, etiam cum vitæ periculo, teneri sub mortali seruare stationem, & præstare quod commissum sibi fuerit cum obligatione restituendi damna secuta ex omissione eius, ad quod ita tenebatur. Ratio est: quia mutuus contractus inter Principem, & militem interuenit, vt ille soluat stipendium, & hic pro stipendio militet ad mandatum illius.

Attamen quando nulla est spes prævalendi seu resistendi hosti, non tenetur miles frustra expectare mortem; quoniã nec se ad id adstrinxit, nec tutâ conscientiâ potuit se adstringere. Adhæc, etiamsi Principi liberum sit milites dimittere quando ei libuerit, non est tamen liberum vicissim militibus discedere quando voluerint: quoniam ea lege, pactove tacito conducuntur ad militiam, vt integrum relinquatur Principi eos dimittere quando eis non indiguerit; ipsis vero non liceat recedere sine facultate.

107. QVÆRITVR 5. An Clerici possint ad bellum proficisci. Respondendum est posse: ac etiam teneri, necessitas plane vrgeat præsertim in causa pia ac spectante ad religionem, si quia ratio id exposcit. Extra casum necessitatis vero, Clericum non debere ad bellum ire, vt pugnet propria manu, prout D. Thomas docet 2. 2. *quæst.* 40. *art.* 2. Imo vero debet Episcopus alios inducere ad pacem & concordiam, vt habetur De treuga & pace, cap. 1. Sed nec vllus Clericus arma gestare debet, & gestans excommunicandus est, ex capit. 2. De vita & honest. Clericorum. Quod tamen non habet locum, si ei transeundum sit per loca periculosa, *vt notat ibidem glossa verbo Clerici arma*, Adde, quod si ter admonitus non desistat ab armis ferendis, priuilegium Canonis excommunicantis Clerici percussorem, perdat ipso facto, ex cap. In audientia, De sententia excommunic. Porro Prælatus Ecclesiasticus in pia causa, non tantum potest cum necessitas vrget, potestatem dare suis, vt bellum gerant, prout prædictum est: sed etiam exhortari laicos ad illud suscipiendum, iuxta cap. Hortatu, 23. quæst. 8. Possunt quoque Clerici ad bellum proficisci vt spiritaliter, hoc est, pijs cohortationibus, & Sacramentorum administratione subueniant militibus pugnantibus in iusta causa.

Sectio IV.

De effectibus belli.

QVÆRITVR 1. An tempore belli licitum sit inferre hostibus damna tam in rebus, quam in personis. Adquod respondetur sequentibus propositionibus. 108.

Prima: Quando bellum est iniustum, illi qui damna inferunt non tantum peccant, sed etiam tenentur ad restitutionem. Ratio: est quia id faciunt contra iustitiam, & ideo in tali bello versari, valde periculosum est.

Secunda: Circa amicos & ciues in bello iusto, obseruanda est regulà D. Ioannis Baptistæ Lucæ 3. Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, sed contenti estote stipendijs vestris. Vnde sequitur, grauiter peccare eos qui plura, aut tanta amicis damna inferunt, quanta inimicis.

Tertia: Circa hostes in bello iusto possunt omnia fieri, quæ ad defensionem propriam, boniq; communis securitatem conseruandam iudicata fuerint necessaria: vt arces eorum dirui, propugnacula propria in terris ipsorũ extrui, auferri ab illis arma & cætera belli adiumenta. Hanc à Victor. *in relect. de iure belli num.* 18. (& post eum Molina *in eod. tract. 2. disp.* 117. *concl.* 1.) probat: quia finis belli est pax & securitas, ex cap. Noli, & cap. Apud veros, 23. quæstio. 1. Ergo quæ sine fraude & dolo iudicata fuerint ad eam necessaria, possuntq; dari sine peccato, ea ab hostibus in iusto bello licet exigere. Addunt vero rectè ijdem, quod cessante ea necessitate (*ita nimirum vt nihil ab hostibus sit amplius timendũ*) restituenda sint quæ ad securitatem conseruandam occupata fuerint de bonis hostium.

Quarta: In bello iusto nocentes hostes, qui vel gerunt arma vel gerentibus præbent auxilium, lædi possunt, non tantum in bonis, sed etiam in personis. In bello enim iusto non tantum fas est occupare omnia ea quæ ad nos pertinent, sed etiam accipere de bonis hostium compensationem damnorũ omnium que intulerunt; necnon impensarum: hoc nomine intelligendo sumptus belli, & iustam mercedem pro laboribus quos subierunt, & pro periculis quibus se exposuerũt. Item fas est sumere de hostibus iustam vindictam pro delictorum quantitate, & qualitate: etiam plectendo capite si fuerit opus, aut alias pœnas imponendo: vt tributa, & cætera id genus. Nam Princeps iustum bellum gerens, rationem habet Iudicis; qui in hostem malefactorem potest iustâ pœnâ animaduertere. Videri potest Molina in cit. disput. 117. concl. 2.

Quinta propositio, *quam idem Molina consequenter subiungit*, est: Si in bello etiam iusto vsurpetur aliquid amplius, quam quæ notata sunt duabus præcedentibus propositionibus, ita vt vel pœna excedat culpam, vel recompensatio excedat quantitatem damnorũ, earumque rerum quæ ad iuste bellantes pertinẽt; obligationem esse ad restitutionem, nam nullus est iustus titulus quo possit excessus ille accipi & retineri. Vnde non licet Principi (*quod attigit à Victor. in relect. posteriore de iure belli, numero* 56.) occupare totum regnum eius qui vnam tantum, vel alteram ciuitatem ipsius occupauit: nisi forte pax alia ratione conseruari nequeat. Quanquam iure gentium de mobilibus bonis, specialis ratio est: nimirum vt fiant capientium quantumuis excedant compensationem damnorum. In quorum bonorum numero ponuntur homines, qui fiunt mancipia capientium: nisi tam capientes quam capti, sint Christiani: quoniam consuetudo est in contrarium: captique ita retinentur, vt acceptâ aliquâ pecuniâ quasi in capientium præmium, facile dimittantur. De qua re in sequent. concl. 4. Molina plures alios citans. 109.

Sexta propositio est. Non debent innocentes in bello, quantumuis iusto, directe & ex intentione interfici: quæ est communis Doctorum sententia, *vt notat idem Molina disput. 119. concl. 1. aliquot eorum citans*, & confirmatur per illud Exodi vigesimotertio. Insontem & iustum nõ occides. Vide tradita in præced. cap. 3. Cæterum innocentes vocantur ex parte hostium, pueri, mulieres, & si qui sunt alij non ferentes arma. Vnde in Deuter. cap. 20. de ciuitate rebelli datur hæc lex: Percuties omne quod in ea generis masculini est absq; mulieribus & infantibus. Nam si mulieres quoq; nocentes 110.

centes essent, & viros in bello iuuarent, possent, *præsertim adultæ*, cum eis trucidari, vt post Franciſc. à Victoria memoratus author habet.

Septima propositio: Possunt innocentes ex parte hostiũ interfici indirecte, & præter intentionem, id est, quando illi qui eos interficiunt optarent quidem ipsos fieri saluos si fieri posset; tamen quia non possunt interfici nocentes, vel certe obtineri victoria nisi interficiantur innocentes, hos interficiunt ex necessitate quadam, vt fieri solet quando tormentis bellicis oppugnatur ciuitas, vel ignis supponitur turri actis cuniculis ad eam euertendam, vel mittuntur globi in triremus Turcarum, in quibus pleriq; Christiani habentur captiui, cum ipsis Turcis submergendi. Hanc quoq; esse communem Doctorum sententiam Molina notat in seq. concl. 2. Et confirmatur: quoniam non posset alioqui geri bellum iustum aduersus nocentes, periretque iustitia eorum qui iustam causam haberent cum magno detrimento boni communis. Id quod iam attigimus in memorato cap. 3. dubio 1.

III. Octaua propositio. Innocentes qui sunt partes reip. hostium (non item hospites & peregrini cum de eorundem hostium numero nullatenus esse censeantur) possunt duci in captiuitatem, & qui aduersus eos iustum bellum gerunt, possunt bona ipsorũ deprædari, eaq; sibi retinere, dummodo, *iuxta præced. quintam propositionem*, non excedatur summa bonorum quæ sufficiunt ad damnorum compensationem. Ratio huius est: quia tota respub. reputatur hostis: fasq; est eam in omnibus suis membris prout partes illius sunt, punire quoad bona fortunæ. Hæc enim de causa fas est imponere tali reipub. tributum soluendum ab omnibus ipsius partibus: imo & ab omnibus successoribus, prout futuri sunt eiusdem reipub. partes: quantumuis cooperati non sint delicto illius. Qua de re post Franciscum à Victor. in relect. de iure belli, numero 40. 41. & 42. Molina disputat. 120. & 121.

Sed nota quædam esse personarum genera quæ eximuntur; & quarum bona prædari etiam in bello iusto non licet. Atq; varia quidem olim ea erant, vt videre est, 24. quæst. 3. cap. Quisque, & trib. sequentibus, & De treuga, & pace ca. 2. Sed quia canones ij iam fere abrogati sunt per contrariam consuetudinem (*quod notat Caiet. in verbo Bellum, vers. 4.*) in talium exemptorum numero ponuntur (*idq; iure gentium*) soli legati qui mittuntur ab hostibus: deinde Ecclesiastici, tanquam segregati à reliquo populo in sortem & ministeriũ Domini, *vt ibid. Caietanus habet*; & demum peregrini. Attamen si tales quoq; personæ pugnauerint cum hostibus, vel eos iuuerint, perdunt illud suum priuilegium: quia tunc hostes, & sontes, non innocentes, censentur: sicut ex aduerso (*quod notat Molina sub finem citatæ quæstionis 121.*) ciues illi qui sequuntur partes eius qui iustum bellũ gerit, aduersanturq; quodammodo cæteris de republica sua, quæ parere nõ vult, nõ sunt reputãdi hostes, nec habendi partes eiusdem reipub. quæ repugnauit.

Nona propositio: Fas est innocentes quoscunque spoliare ijs bonis & rebus quibus possunt opitulari hostibus ad bellum sustinendum. Quod est, fas esse sumere arma ipsorũ, naues, frumentum, equos, & id genus alia; necnon deuastare agros quantum iudicatum fuerit expedire ad hostium vires minuendas ipsosq; superandos. Hanc post Franciscum à Victoria *in eadem relect. D. iure belli num. 39.* habet Molina *initio disput. 121.* Et confirmat quia si fas est indirecte & præter intentionem interficere innocentes, quando id postulat status belli, expedireq; iudicatur ad victoriam obtinendam: fane longe maiori ratione fas erit efficere omnia ea quæ commemorata sunt, quando belli status id postulat, & hostes possunt ex talibus sumere, vel conseruare vires ad bellum sustinendum.

Addit autem Molina ibidem concluſ. 2. quod si eiusmodi bona (quamuis fuerint Ecclesiasticorum, aut peregrinorum innocentium) essent deuastata secundum belli indigentiam, ij qui iustum bellum gerunt non tenẽtur ad restitutionem, nisi facti sint ex illis locupletiores. Neq; enim tenentur ratione rei acceptæ, quæ perijt, & ex qua non sunt facti locupletiores, *vt supponimus*: neque ratione iniustæ acceptionis, cum in tali deuastatione nulla interuenerit deuastantis culpa. Addit adhuc idem Molina in eadem conclusione, illos ex quorum parte bellum est iniustum, quoniam fuerunt in causa vt aduersarij damna illa darent, teneri ea dictis innocentibus restituere. Iam si peracto bello aliqua talium bonorum manserint, vel si gerentes iustum bellum, cum scirent innocentium esse, illa in vsus suos quacunque ratione consumpserint, vel ea plus destruxerint quam belli status postularet, tenentur eadem proprijs dominis restituere. Quod ipse Molina in sequent. concluſ. 3. probat: quia dominium talium bonorum est eorundem innocentium, aduersus quos illi qui iustum bellum gerunt, nullum ius habent, cum illi non censeantur partes reipub. quæ iuste impugnatur.

Qværitvr 2. vtrum possunt milites à rusticis eiusd. reipub. gratis accipere victum. Ad quod respondent Caiet. in verbo Bellum sub finem, quem Armilla sequitur *in eodem verbo, num. 12.* itemque Driedo in lib. 2 de libertate Christiana, quem refert & sequitur Molina *disput. 116. fuò finem*: milites peccare mortaliter, rusticos aut alios suos hospites grauando, exigendove ab illis id ad quod iure nõ tenentur: quale est suppeditare sibi victum & alia necessaria: ad quæ verberibus, & vastationibus rei familiaris compelli solent. Nec illi ex eo excusantur quod stipendia non accipiant, vt recto aiunt memorati authores: quia bona rusticorum non sunt ea de causa ipsis obligata: nec item ex eo, quod Principes & duces concedant talem rusticorum vexationem, quoniam ea est iniusta. De qua re lubet verba doctissimi Driedonis attexere, vt qui sic peccant minus habeant quod cõtemnendum censeant. Liquidum est (*inquit ille pag. 324. mei codicis*) iniustum esse Principis præceptum aut mandatum, quo subiectus populus non secundum proportionem grauatur oneribus; veluti si Princeps exercitus mandet rusticis, & ciuibus apud quos militiam declinare contigerit, vt alant milites, & equos, iniustum est mandatum. Princeps etenim milites alere debet ex ærario publico, & prouentibus quos populus secundum proportionem diuitiarum tribuere debet. Quamobrem ciues illi ac rustici præ cæteris grauari non debent. Neq; milites excusantur ex eo, quod eis stipendium non soluitur: quoniam non propter hoc bona illorum rusticorum ac ciuium sunt eis obligata; nisi forte milites sint aut in extrema necessitate, aut omnino necessarij ad defensionem reipub. illorum rusticorum, non habentes aliunde stipendium. Iam enim vtiliter gerentes negotium illorum rusticorum, non possent absq; præiudicio & damno magno à bello discedere. Tametsi plerunq; etiam in casu illo, Princeps cuius est particularem rusticorum communitatem defendere, tenetur rusticis illis stipendium militibus solutum, ex ærario publico refundere, aut ad tempus à tributis soluẽdis liberare secundum proportionem stipendij soluti, neque Principis, aut capitanei dissimulatio eos facit in conscientia tutos. Hæc ille. III.

Cuius postremum hoc dictum intelligendũ est cum hac exceptione: nisi ea dissimulatio esset in pœnam ipsis rusticis inflictã, eo quod fuerint rebelles, aut in aliam culpam incurrerint, ob quam essent tali pœna digni: quod notarunt Caietanus, & Armilla locis citatis. Vbi etiam habent, quod si alicubi consuetudo recepta obtinuerit vt milites gratis accipiant ligna & paleas, id non videri damnandum. Sed non video rationem cur istiusmodi onere præ cæteris grauentur rustici, nisi specialis necessitas vrgeat, aut sponte eidem oneri se submiserint: quia tale grauamen est contra iustitiam distributiuam, exigentem ne vnus præ alio grauetur: sed debita proportio seruetur. III.

Porro si in eo quod iam diximus peccatum cõmitur mortale, illudq; inducẽs obligationem ad restitutionem, cum sit contra iustitiam: multo magis committetur: tum quando dux mentiens suorum militum numerum pro pluribus quã habeat, stipendia accipit à Principe: aut quãdo à quibusdam pagis pretium accipit, ne ad eos milites diuertant qui interea alios supra modum grauant. Tum quando vnus miles sibi plures domos assignari facit, ad quas diuertat, & accepto pretio ab alijs, in vna tantum diuersatur. Quæ omnia aliaq; similia Princeps nec intendit, nec intendere potest iuste, in tantum reipub. detrimentum, quantum videmus. De qua re in cit. disput. 116. Molina.

Qværi-

114. QVÆRITVR 3. Vtrum in bello iusto possint omnes sontes interfici sine vllo discrimine? Responsio est, quod quamdiu conflictus durat ac ante victoriam, possint omnes interfici; sed parta iam victoria debeatur victis misericordia, nisi oporteret in aliquos adhuc animaduertere vt postea pax melius conseruetur, ex cap. Noli existimare, 23. qu.1. De qua re plenius à Victoria *in cit. relect. n.44. & aliquot sequentibus*, ac Molina disp.122.

QVÆRITVR 4. An obsides hostium possint interfici cum hostes ipsi non seruant fidem datam. Respondendum est, si obsides sint ex numero sontium, id est, illorum qui tulerunt arma, posse interfici, vt dicit à Victor. *in præced. numero 43.* Sed si sint innocentes non posse interfici, etiamsi parentes ipsorum fidem fregerint: quia non sunt interficiendi filij pro parentibus, nec contra: sed vnusquisque pro peccato suo Deuter.24. Possunt tamen obsides innocentes alijs modis quam morte puniri: vt priuatione bonorum, carcere; exilio, damnatione ad triremes, aut ad metalla.

QVÆRITVR 5. Vtrum possint in bello interfici illi qui hactenus fuerunt innocentes, sed putantur futuri nocentes: vt pueri hostium: aut viri qui hactenus non tulerunt arma. Ad quod bene respondet à Victoria *in ead. relect. num.38.* non posse interfici: tum quia nemo interficiendus est ob peccatum futurum, cum futura sint incerta: tum quia potest alijs modis occurri eiusmodi periculo, vt captiuitate, exilio, damnatione ad triremes.

115. QVÆRITVR 6. An liceat tradere ciuitatem militibus in prædam. Ad quod respõdendum est cum Francisco à Victoria *in seq. num.52.* & Molina *initio disput.122.* per accidens quidem id esse nefas propter cædes & cruciatus innocẽtium, stupra, adulteria, deuastationes templorum, & alia sæua, ac iniusta, quæ solent tunc accidere: per se tamen non esse illicitum si necessarium est ad bellum expediendum, vel ad deterrendos hostes, vel ad accendendos militum animos; sicut ex tali causa rationabili licet ciuitatem incendere. Tenentur tamen duces ipsi prædicta sæua & iniusta impedire quam commode poterunt. Quod si non assequantur, id tribuetur non ipsis, sed militum malitiæ.

QVÆRITVR 7. An licitum sit vim aut nocumentum inferre illis qui tempore belli cõfugiunt ad templa, aut ad alia sacra loca tanquam ad asyla. Respondendum est, prohibitum esse tam iure ciuili quam canonico, nẽ quis lædat eos qui confugiunt ad loca sacra cap. Inter alia, De immunit. Ecclesiarum, & leg.2.3.& 6. Cod. De ijs qui ad Ecclesias confugiunt. Res vero eas auferre quas ad huiusmodi loca confugientes secum eo deferunt, prohibitum habetur in cap. Sicut antiquitas, & in cap. Definiuit, 17. qu.4. idq; sub pœna excommunicationis.

116. QVÆRITVR 8. An licitum sit tempore belli nocere rebus Ecclesiasticis. Responsio est, quod etsi res Ecclesiasticæ sint exemptæ vt prædiximus; in tribus tamen casibus milites posse eis nocere. Primus est, quando Ecclesiastici miscẽt se bellis ciuilibus, iuuantq; hostes; nam tunc habentur loco hostium. Secundus, *quem habet Syluest. in verbo Bellum 3. quæst. 6.* quando huiusmodi nocumentum infertur non ex proposito, sed quasi præter intentionem; vt quando alia ratione victoria obtineri non potest. In eo casu enim gerentes bellum iustum, quando ex professo hostibus tantum nocere intendunt, possunt ex accidenti & consecutione quadam nocere quoq; rebus Ecclesiasticis: ea ratione quæ proposita est in præced. quæstione 1. propos. nona. Tertius casus est, quãdo Ecclesia est incastellata, id est, munita more castri: quod fieri prohibetur in capit. Sanctorum Patrum 10. quæstione 1. Sed vt notat Syluester *loco cit. quæstio. 5.* Ecclesia potest duobus modis incastellari: vno modo, ad inferendam vim vel iniuriam hostibus, eosve oppugnandos: istudq; est quod in cap. citato prohibetur. Alio modo incastellari potest Ecclesia solum ad defensionem vel personarum Ecclesiasticarum, vel cæterorum laicorum innocentium, qui non possunt se alio modo defendere; istaq; incastellatio Ecclesiæ non est probita. Itaq; si Ecclesia sit incastellata priore modo, potest expugnari, dirui, incendi. Sin sit posteriori modo, non est ei inferenda vis, neq; personis innocentibus quæ in ea sunt. Possunt tamen auferri omnia arma & tormenta bellica quæ ibi congregata fuerint ab hostibus: quia hi postea possunt illis vti.

QVÆRITVR 9. An quæ bello iusto extracta sunt de hostium potestate, reddenda sint prioribus dominis, quibus illa detraxerunt. De qua re latius tractat Molina *de iust. & iure tom.1. tract. 2. disp.118.* Sed sufficiet ad nostrum institutum statuisse aliquot propositiones. Prima est: Si hostes dominium illorum bonorum sibi comparauerint iusto bello, alioue iusto titulo (quod relinquitur arbitrio prudentis definiẽdum) nihil esse cur ea restituantur prioribus dominis. Ratio est, quia hi dominium suum amiserunt. 117.

Secunda est: Si bello iniusto aut alia simili ratione, hostes talia bona occupauerint, ea esse restituenda prioribus dominis; siue ij sint de nostra, siue de alia repub. Ratio est: quia priores illi domini non amiserunt suum dominium per talem acceptionem, quæ fuit iniusta, & vera rapina, per quam nõ transfertur dominium. Sicut igitur cum res furtiua emitur (etiamsi emptio de se sit actus sufficiens ad dominium acquirendum) restituenda est ei à quo ablata est, quoniã dominium apud ipsum perseuerat: ita etiam restituenda sunt prioribus dominis bona ab hostibus extracta, quorum dominium apud illos remansit, nec apud hos fuit. Neq; refert quod illi nunquam recuperaturi essent talia bona: quia id non impedit quin vere sint eorum domini, eaq; ab alijs iniuste retineantur.

Tertia est: Obligationem esse persoluendi valorem industriæ & operarum positarum in extrahendis huiusmodi bonis, quatenus id vtiliter cessit in bonum domini, cui de iure debentur. Ratio est: quia æquitas postulat, vt quando industria, & opera vtiliter apponuntur. *esto apponẽs intenderit agere in suam vtilitatem*, is in cuius commodum cesserunt pro eis soluat, in quantum fuerunt ipsi proficuæ.

Quarta est: Quando ita bono communi expedire iudicaretur, ad acuendos audacioresq; reddendos milites aduersus hostes: statui posse à Principe, aut consuetudine præscribi, vt eorundem militũ fiant quæcunq; hostib. detraxerint, etiamsi alios veros dominos habeant. Ratio est: quia cum bonum commune sit priuato præferendum, fas est spoliare homines dominio rerum suarum, illudq; in alios transferre quando bonum cõmune id omnino postulat. Id quod patet ex ijs quæ communiter traduntur de præscriptione, & de testamentorum ac contractuum inualidatione inducta per leges humanas. Accedit, quod quãdo nulla aut certe modica spes est veris dominis, talia bona per se, aut suos recuperandi; consentaneum sit, vt modicum illud spei pro magno reip. cõmodo libentes amittant: præsertim cum possint simili iure vti: vt si aliorum bona hostibus ipsi detrahant, faciant sua. Sed nota istud procedere tantum comparatione subditorum eiusdem reip. non item subditorum alienæ, quos leges & consuetudines alterius reip. non obligant, nisi sit consuetudo mutua; vt si Itali quæ detrahunt ex manibus Turcarum de rebus Hispanorum his non restituant, nec vicissim hi illis, quod de rebus illorum ab hostibus extraxerint, sed vtriq; quidquid detraxerint indifferenter sibi retineant.

Quinta propositio est: Quando verosimile est prædictas res alienas ab hostibus extractas nunquam peruenturas esse in potestatem dominorum suorum, licitum esse eas emere vili pretio eo animo vt si proprius dominus comparauerit, illas accipiat pro eodem pretio: sin minus, emptor illas sibi retineat. Hæc probatur: quia talem esse domini voluntatẽ valde probabiliter præsumi potest: præsertim cum esset irrationabiliter inuitus, nisi ita vellet. Quod similiter dici potest de quibusdam rebus ad cultum diuinum spectantibus quas hæretici ad Catholicorum terras portant, & vili pretio venales proponunt. Nam merito præsumitur eorũ ad quos talium rerum dominium vel administratio spectat voluntatem esse, vt potius emantur vilius à Catholicis diuinoq; cultui mancipentur, quam vt vendantur alijs à quibus in prophanos vsus conuertentur.

QVÆRITVR 10. An captis in bello, fugere, liceat. Ad quod respondetur tribus propositionibus. Prima est, si captiuus de non fugiendo suam fidem iureiurando obstrixit, non potest aufugere siue bellum sit iustum, siue iniustũ. Probatur, quia regula generalis est, quando promissorium iuramentum sit homini de re cuius adimpletio ex parte iurantis 118.

illicita nõ est, ne quidem venialiter: obligatio consurgit implendi illud quod ita promissum est, ex cap. Debitores De iureiurando. Et ratio est, ne ea iniuria Deo irrogetur, qua censendus sit in testem infidelis promissionis adductus.

Secunda propositio est, Quando bellum est iniustum ex parte capientis, captiuus potest aufugere si non dederit fidem se aufugere nolle. Imo quantumcunque id iurauerit, & postea aufugerit, licet grauiter peccet fugiendo, Prælatus tamen cum eo dispensare potest, ex capit. Si verò, De iureiurando.

Tertia: Capti in bello etiam iusto si fidem non dederint se aufugere nolle, possunt aufugere. Quamuis enim glossa ad capit. Ius gentium *distinct. 1. verbo Seruitutes*, secus sentiat per cap. Si quis seruum, 17. quæstio. quarta: probabilior tamen est sententia Soti libr. 4. De iustitia & iure, quæstio. 2. artic. 2. dicentis, quod quiuis captiuus potest aufugere siue sit Christianus siue non. Ratio est: quia huiusmodi captiuitas est pœna quædam iuris quæ infligitur à victoribus, qui locum tenent Iudicis in bello iusto, vt supra diximus. Sicut ergo non est obligatio subeundi alias pœnas, nisi quando à Iudice infliguntur, *ita ut infligendas euadere cum fieri potest, non sit illicitum*: sic etiam, quia captiuitas pœna est corporis, qua vexandus est captiuus, is licite potest aufugere ad illam euadendam. Canon autem quẽ citat memorata glossa, intelligendus est de seruis emptitijs quos constat non debere aufugere, quia dominos suos priuarent sua possessione. Illi verò de quibus agimus, tantum eripiunt se à pœna captiuitatis.

119. QVÆRITVR II. An captiui possint in bello iniusto exercere actum aliquem ad idem bellum spectãtem. Cui quæstioni vt satisfiat præmittendum est: in bello notari primo, actum per quem hostis immediate offenditur in bello, *cuiusmodi sunt telorum iactus, bombardarum displosiones, & alij quibus confligitur cum hoste*. Secundo notari actum, qui quamuis sit ex se indifferens, & possit ad aliud ordinari quam ad bellandum, dispositio est tamen, & via ad ipsum bellandi actum: vt remigare in triremi Turcarum, asportare sarcinas, & necessaria ad bellum, munire vallo castrũ, extruere propugnacula, & si quid aliud est huiusmodi. Ad quæstionẽ ergo cum Molina in tom. 1. tract. 2. de iustitia & iure, disput. 115. respondetur sequentibus propositionibus.

Prima est, Ne quidẽ mortis metu fas esse captiuis in bello quod norunt iniustum, pugnare: aliquem interficiendo, vulnerando, persequendo. Probatur: quia id intrinsece malum est, vtpote innocentis percussio absq; iure & authoritate. Secunda est, Metu mortis, aut alterius notabilis detrimẽti, velut abscissionis membri, fas esse remigare, aliaq; similia facere. Probatur quia tales actus ex se indifferentes sunt, & ab agente in bonum finem referuntur: nimirum ad vitæ propriæ cõseruationem, quam ex lege charitatis homo anteferre potest vitæ alienæ. Nec refert quod is agat accõmodate ad nocendum innocentibus, quia nihil tale intendit: sed totum id prouenit ex malitia hostis iniusti, à quo ad talem actum metu incussio impellitur. Tertia est, Si non immineat notabilis detrimenti periculum, peccatum esse mortale captiuis, aliquid talium facere. Ratio est, quia quiuis, si sine suo notabili detrimento potest, debet impedire aliena damna iniusta. Quare ad illa, ne quidem per accidens cooperari debet.

Quarta est, Ad vitandum maximum suæ reipublicæ damnum vt ad impediendam alicuius insignis castri, vel ciuitatis, vel regis, aut alterius insignis personæ captionem ab hostibus, captiuum teneri abstinere à dictis actibus, etiamsi mors illi subeunda sit. Probatur: quia pro maximo Reipub. bono tenetur quisque sub mortali, vitam suam exponere. Talis tamen casus raro euenire potest, cum vix desint qui facile præstent id quod talis recusaret facere: ita vt illius recusatio non censeatur simpliciter necessaria ad vitandum tale damnum. Quinta est, Metu mortis, aut amissionis membri fas esse captiuis nocumentum inferre innocentibus in bonis externis: ea ad hostium imperium destruendo, capiendo, asportando in triremes. Probatur: quia tunc talibus bonis externis indigent ad vitam propriam conseruandam. Et quantum fas est cuique in extrema necessitate sumere de bonis aliorum ad conseruandam propriam vitam, tantum damni fas est eiusmodi captiuis, inferre bonis aliorum ad tuendam vitam propriam.

De repressaliis.

SVpereſt quæstio de repressalijs vtrum sint licitæ. Quæ vt intelligatur obseruandum est, quod cum quis iniuste suis rebus spoliatur, nec potest alia ratione obtinere iustitiam, facultas ei concedi soleat, vt tantumdem accipiat ab alijs qui ad spoliantes pertinent, hoc est, qui sunt de eodem regno, vel prouincia. Quæ facultas dum exercetur sæpe interueniunt cædes, vnde istud est genus quoddam belli. Communis autem sententia Summulariorum in verbo Repressaliæ est (vt quæstioni respondeamus) quod repressaliæ sint suâ naturâ licitæ, dummodo adsint tres conditiones: sine quibus peccatum committitur vtendo tali modo persequendi suas iniurias. Prima est: vt cum repressaliæ sint bellum quoddam offensiuum, interueniant quæ in sect. 1. quæst. 4. proposita sunt requiri in iusto bello offensiuo. Secunda: vt non plus accipiatur quam ablatum fuit, aut certe quam respondeat iniurijs illatis. Vnde quia istud sæpe non obseruatur, fit vt repressaliæ ipsæ dicantur periculosæ, nec satis conuenire æquitati naturali. Tertia, vt repressaliæ non detur contra personas Ecclesiasticas. Nam qui illas dederit nisi reuocet intra mensem, excommunicatur per cap. vnicum De iniurijs in 6. 120.

Circa quod aduerte non incurri talem censuram si detur alicui facultas accipiendi à Clerico debitore, bona æquiualentia suo debito, quod aliter recuperare non potest: quia id non est dare repressalias: ad quas requiritur, vt vnus grauetur pro alio, propter modum quendam pignorationis. In illo casu autem Clericus grauatur pro seipso.

Aduerte secundo, Eandem censuram incurri nõ tantum quando repressaliæ conceduntur expresse contra personas Ecclesiasticas, sed etiam quando concessæ contra locum in quo sunt personæ Ecclesiasticæ, circa has bonaque earum illæ extenduntur, vel executioni mandantur. Id quod in eodem capit. satis significatur, cum vltra concessionem extensio repressaliarum circa personas Ecclesiasticas prohibetur: concessio quidem Superioribus; extensio vero Inferioribus exequentibus illam: quantumcunq; factam ab habente potestatem sufficientem & causâ bene ponderatâ, inuentâque iustâ: quia textus generaliter loquitur. Ita post glossam ad idem capitulum, habet Nauar. in Enchir. *cap. 17. nu. 136.* Cõsequenter attingens quod in verbo *Concedi*, habet eadẽ glossa: talem extensionem, ne tunc quidem fieri posse, cum repressaliæ dantur ob debitum Clerici.

Quibus adde quod Suarez notat *in 3. par. D. Thom. tomo 5. disput. 23. sect. 4. numero 50.* cum in re proposita Inferiori vt resipiscat, eâdem proportione mensis spacium concedatur, quâ Superiori vt suam facultatem reuocet: sicut hic ab illo die quo talem licentiam cõcessit debet computare mensem intra quem nisi illam reuocet, censuram incurrat, etiamsi executio nondum inchoata sit: ita Inferiorem debere talem mensem computare ab eo die quo executionem inchoauit, siue concessio multo, siue modico tempore præcesserit: quoniam ea temporis differentia nihil facit ad culpabilem executionem, ob quam proposita censura imponitur, & cuius respectu datur spatium vnius mensis ad resipiscendum.

CAP. IX.

De peccato iræ.

SVMMARIVM.

121 *Ira duplex est quædam in parte sensitiua hominis, & quædam in intellectu existens: quarum neutra est de se mala.*
122 *Quando contingat iram esse malam.*
123 *Quando mortale committatur irascendo.*
124 *Tres modi iræ malæ.*
125 *Ira peccatum est capitale cuius sex filiæ ponuntur.*
126 *De indignatione, & tumore mentis.*
127 *De blasphemia, clamore & contumelia.*
128 *De rixa.*

Ad

AD quintum Decalogi præceptum reduci peccatum iræ patet ex verbis Domini Matth. 5. Audistis quia dictum est antiquis, Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, Qui autem dixerit fratri Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue reus erit gehennæ ignis.] Hæc enim satis indicant idipsum præceptum violari nõ tantum per homicidium, sed etiam per iram tendentem ad illud: seu qua quis optat mortem proximi. Eiusdemque iræ tres distingui gradus (quod D. Thomas notat 2. 2. *quæst.* 158. *art.* 5. *ad* 3. Primum, iræ intus latentis: secundum, iræ foras prorumpentis in contumeliam, sed leuiorem: qualis est Raca; & tertium, prorumpentis in contumeliam grauem: qualis est fatue.

Documenta de peccato iræ.

121. AD iudicandum autem specialiter de peccato iræ notanda sunt sequentia documenta. Primum est, quandam iram esse homini cõmunem cum bestijs: ex eo in parte sensitiua contingentem, quod ille percipiat sensu malum aliquod sibi illatum, vel proxime inferendum, quod non possit à se facile repellere. Etenim ex tali perceptione nascitur, *tanquam eiusdem mali leuamen*, appetitio vicissim ei qui intulit aut illaturus est, inferendi aliud malum. Quandam vero esse propriam hominis, contingentem in rationali parte; quando intellectu malum illatum aut inferendum percipiente, oritur in voluntate desiderium ei qui intulit illud, aut illaturus est, inferendi aliud malum, vt ipsum illatum aut inferendum repellat: ex eaque repulsione ira definiri solet *Appetitus vindictæ*, quæ est definitio vtrique iræ communis.

Secundum documentum est: Iram in parte sensitiua hominis existentem non esse peccatum ex se, cum non sit actus ex libera voluntate prouenies, sed, *sicut cæteras passiones*, rem indifferentem esse. Certe non esse de se malam ex eo patet, quod valde vtilis sit naturæ ad sui conseruationem. Vt enim illam amor ad boni prosecutionem iuuat; sic ira ad mali seu nocui depulsionem: neq; eam torpere ac languere patitur.

Tertium documentum est, Neq; iram in parte rationabili existentem esse de se malam, sed bonam esse posse, iuxta illud Psal. 4. Irascimini & nolite peccare.] Quod & probatur, quia potest esse rationi consentanea: vt censetur ea qua Dæmoni, quia nobis author fuit mali, irascimur, decernendo ei deinceps obsistere, nec vnquam ei acquiescere: atque adeo peccatum per quod ei consensimus, & potestatem in nos habet, ab anima nostra cum Dei auxilio eliminare omnino. Qua ratione ira dicitur zelus.

122. Quartum documentum est, Eandem malam seu peccatum esse (*qua ratione dicitur iracundia*) cum in ea modus à ratione præscriptus non seruatur. Quod contingere potest primo, ex parte obiecti: idq; dupliciter; vel cum appetitur vindicta iniusta: qualis censetur ea cuius non datur causa legitima; aut quæ maior est quam oporteat; vel cum absque publica authoritate vindicta mandatur executioni. Contingere potest secundo, ex parte motus eiusdem iræ, vt cum quis nimium excandescit interius, vel per signa nimium patefacit exterius ipsum iræ motum. Priore modo autem peccatum est suo genere mortale, cum sit contra charitatem in proximum, vel contra iustitiam. Quod tamen, *sicut alia*, veniale esse potest: tum ex defectu plenæ deliberationis, vt cum illius motus præuenerit perfectum rationis iudicium; tum ex paruitate materiæ seu nocumenti quod infertur: vt cum quis ex appetitu vindictæ modicum malum alteri infert, vt qui puero aliquantulum vellit capillos: quod est exemplum D. Thomæ *in eit. quæst.* 158. *art.* 3. Posteriore modo vero peccatum est suo genere tantum veniale; vtpote quo de se nec charitas in proximũ nec iustitia læditur, nisi forte quis adeo irâ accendatur interius, vt paratus sit facere aliquid quod peccatum sit mortale: aut exterius illam ostendat signis quibus grauiter scandalizet præsentes.

123. Constitutum sit igitur ex his; peccatum mortale committi irascendo, primo, si homini innocenti desideretur graue malum: secundo, si nocenti quidem, sed qui non sit tantum malum meritus, quãtum illi desideratur: tertio, si & nocenti, & qui tantum malum meritus sit quidem, sed desideratur illi inferri contra ordinem iustitiæ: nempe non publica sed priuata authoritate. Exemplum est de eo qui vult per seipsum occisori fratris inferre mortem qua dignus est: peccat enim mortaliter tali appetitione vindictæ, ob defectum recti ordinis iustitię qui requirit vt vindicta (*qua infligitur pœna personalis, quam persona pati non tenetur nisi post sententiam Iudicis*) fiat à magistratu, non item à persona priuata: nisi vrgeat necessitas defensionis in præsenti periculo: seu, *vt Iurisconsulti loquuntur*, incontinenti: quomodo Francisc. à Victoria in relect. De iure belli, numero 5. excusat eum qui accepto colapho, impingentem gladio incontinenti percusserit, quando ad vitandam infamiam notabilem necessariũ ei fuerit. Postremo si seruentur quidem prædicta, sed desit finis debitus: vt quando ex odio priuato optatur alicui per iustitiæ ministros inferri graue malum quod vere meritus est.

124. Quintum documentum est: Tres distingui modos iræ malæ ex Aristot. lib. quarto, Ethic. cap. quinto, quos post Diuum Gregorium Nyssenũ, & D. Damascenum, D. Thomas in sequenti artic. quinto, tangit. Primus est, quo aliqui celeriter irascuntur: & quibus non oportet, & quando non oportet, & vehementius quam oportet, sed statim placantur: similes calamis, *vt habet Diuus Gregorius Romanus in libr. quinto Moral. capit.* 3. qui citius quidem flammam faciunt, sed protinus in fauilla frigescunt. Secundus est, quo aliqui postquam excanduerunt, sunt propemodum implacabiles: non dispares, *vt ibidem habet D. Gregor.* lignis durioribus quæ accensionem tarde suscipiunt, sed semel accensa difficilius extinguuntur. Habet autem hic iræ modus fundamentum in humore melancholico, sicut præcedens in humore biliosо. Tertius, demum modus est, quo aliqui ira perciti nunquam placantur, nisi iniuriam vlti sint: non tam ob melancholiam aut bilem, vt antedicti: quam quia imaginationem defixam habent in vltionem, cuius faciendæ conueniens tempus expectant. Aduersus quos habetur illud D. Pauli, ad Roman. 12. Non vosmetipsos defendentes (*Græcè ἐκδικοῦντες, id est, vlciscentes*) charissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam.]

Possunt autem ijdem modi spectari: vel vt initium, & quasi fundamentum habent in naturæ dispositione: qua ratione passiones sunt nec bonæ, nec malæ moraliter; vel vt voluntariæ sunt, seu dependent à consensu voluntatis: eaq; ratione sunt peccata specie distincta, per distinctas specie inordinationes, quas illis inesse satis intelligitur ex antedictis, & ad citatum art. 5. Cajet. ostendit.

De ira vt est peccatum capitale.

125. POstremum documentum est ex D. Thoma *in eadem quæstio.* 158. *artic.* 6. Peccatum iræ inter Capitalia poni, quia plura alia solent ex eo nasci siue ex parte obiecti ipsius, quod est vindicta; ad cuius appetitionem sub ratione iusti, & honesti, studium propriæ dignitatis solet allicere; siue ex parte impetus, quo in ira ipsa, homo ad multa inordinate agenda, & ad quiduis audiendum, vindictæ desiderio, se præcipitat. Hinc ex Diuo Gregor. in libr. 31. Moral. capit. 31. à D. Thoma in sequenti articulo septimo, ponuntur sex filiæ peccati iræ, nempe indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, blasphemia seu maledictio, & rixa: ad quarum declarationem constituit, iram habere tres status.

126. Primum quidem in corde, vbi parit indignationem, & tumorem mentis. Indignatio autem est, qua illum à quo nos aliquid pati contingit, contemnimus, ac vilipendimus tanquam indignum à quo tale quid patiamur. Ea vero tunc est peccatum mortale, cum habet coniunctum personæ contemptum, contra charitatem proximo debitam; aut cum in tantum procedit, vt paratus quis sit non iuuare talem proximum in ijs in quibus tenetur præcepto siue charitatis, siue iustitiæ: aut se ab illius amicitia, & conuersatione subtrahendo notabile scandalum adferat alijs: Extra quos casus peccatum esse tantum veniale expressit Toletus in tract. De peccatis capitalibus, cap. 58. Tumor mentis vero est, quo quis irascens extollit seipsum, ac præfert alteri. Vnde insurgere audet ad sumendam vindictã: ex qua audacia præterea

insurgunt in mente cogitationnes de modo eiusdem vindictæ: ex cuius grauitate, genus istud peccati iudicandum est mortale esse: nisi defectus plenæ deliberationis excuset, prout loco cit. attigit idem Toletus.

127. Secundum statum ira habet in ore, vbi parit clamorem, contumeliam, & blasphemiam. Clamorem quidem faciendo vt vocem extollamus, multa inordinate, & confuse iactantes; contumeliam vero iactando conuicia verborum in proximum, blasphemiam demum, iactando in Deum. Atq; de hac dictum est antea in lib. 18. tract. 2. De contumelia dicetur in sequenti libro 24. commodius, propter affinitatem quam habet cum detractione: ad hanc enim perinde affecta est ac rapina ad furtum vt ibidem tradetur. De clamore illud tantum occurrit monendum quod ibidem Toletus habet: eum ex se veniale peccatum esse: fieri autem mortale ob scandalum.

128. Tertium denique statum ira habet in operis executione: qua ex parte generat rixam: quæ ex Diuo Thoma 2. 2. *quæst.* 41. *artic.* 1. est quoddam bellum inter priuatas personas percutientes se mutuo ex ira; suoq; genere peccatum esse mortale, patet: tum ex eo quod D. Paulus ad Galat. 5. eam numeret inter peccata carnis, quæ qui agunt regnum Dei non possidebunt: tum quia repugnat charitati & iustitiæ: vtpote spectans eo vt damnum corporale inferatur proximo. Aduerte tamen ex eodem D. Thoma ibidem: ex parte eius qui non est inuasor sed solum defensor, rixam nullum peccatum esse in illo, si non plus repugnet, aut lædat inuasorem quam necessarium sit ad se defendendum: neque ex odio inuasoris, aut ex ira inordinata id faciat; sed ex ordinato amore sui ipsius: quandoquidem licitum est vim vi repellere cum moderamine, *vt dicitur*, inculpatæ tutelæ. Item peccatum solummodo veniale esse si in alterutro prædictorum, ipse modicum excedat. Quod si multum excedat peccatum erit mortale. Ex parte autem eius qui est inuasor, non datur excusatio à mortali: nisi illa communis ex defectu deliberationis, aut exiguitatis materiæ seu damni illati: qua ratione à mortali frequenter excusantur rixæ pueriles, & per consequens ab excommunicatione lata in Clerici percussorem.

DEO GRATIAS.

LIBER SEPTIMVS, ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVS SECVNDVS.

IN QVO TRADITVR SPECIALIS RATIO iudicandi de peccatis, habito respectu ad sextum, & nonum Decalogi præceptum.

PRÆFATIO.

HÆc ratio continetur explicatione, tum actuum qui talibus præceptis prohibentur: tum peccati luxuriæ; tum etiam peccati gulæ, quod est ei affine. Complectetur ergo hic liber quatuor capita, quorum primum erit de actibus, qui prohibentur sexto præcepto, Non mœchaberis; secundum de iis, qui prohibentur nono, Non concupisces vxorem proximi; tertium, de peccato luxuriæ; & quartum, de peccato gulæ. De hac autem materia tractatur in Decreto Gratiani causa 32. & 36. per plures quæstiones: & in Decretalibus habetur titulus De adulteriis, & stupro. Tractatur etiam à D. Thoma 2. 2. quæst. 153. & 154. & à pluribus aliis tum Theologis, tum Summulariis, tum etiam Catechistis: quorum nonnullos Sebastianus Medices commemorat in summa de peccatis, tit. 8. quæst. 1. quibus accesserunt aliquot recentiores.

CAP. I.

De actibus prohibitis sexto Decalogi præcepto. Non mœchaberis.

SVMMARIVM.

1 *Actus prohibiti sexto præcepto Decalogi.*
2 *Cogitationum turpium excusatio à peccato ob defectum voluntarij.*
3 *Excusatio pollutionum nocturnarum ob eandem causam.*
4 *Ad quid teneatur puella cum opprimitur.*
5 *Contactus carnales sic de se indifferentes sunt, vt contigat plurimum peccata esse mortalia; & quando contingat; & cuius speciei sint.*
6 *De his quæ fiunt non carnalis, sed honestæ delectationis causa, ac de his quæ fiunt inter coniuges.*
7 *Iudicium de aspectibus turpibus quando sint, aut non sint peccata mortalia.*
8 *Iudicium de verbis turpibus siue prolatis, siue auditis.*

SEXTO Decalogi præcepto prohibetur, *vt notatum est à D. August. quæst. 71. in Exodum* non tantum adulterium: sed etiam omnis carnalis actus voluntarius: siue sit copula, siue pollutio carnalis, siue actus ad copulã aut pollutionem carnalem disponens: hicq; rursus; siue sit exterior, siue interior, atque exterior; siue sit factum aliquod; nimirum libidinosus aspectus, aut contactus, puta osculum, aut aliud eiusmodi; siue etiam aliquod verbum; vt sermo impudicus & cantilenæ lasciuæ. Interior vero; siue sit mentis, vt cogitatio libidinosa: siue voluntatis, vt propositum committendi actum carnalem, & deliberata de eo complacẽtia. Nam ad actum etiam interiorem libidinosum, prohibitio huius præcepti extendit, patet per illud Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autẽ dicto vobis, quod omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.] Patet adhuc ex eo, quod complacentia in imaginatione rei turpis, sit plane similis ei quæ contigit in eiusdem rei vsu, vt ostenditur à simili: quia ex imaginatione occisionis, vel crudelis tractationis inimici, afficitur quis eadẽ Nu. 1.

ratione

ratione qua solet affici ille, qui habens inimicum in sua potestate, ipsum male tractat. Vnde intelligitur similem quoq; esse in malitia. Nec obstat quod simplex complacentia sit affectus inefficax: quia inde non impediri rationem peccati, patet ex inuidia, qua peccatur dolendo de bono, & gaudendo de malo proximi.

Excusatio à peccato transgressionis sexti præcepti.

SECTIO I.

2. NOtandum est autem pro praxi, in huiusmodi actibus rationem peccati cessare, si esset ratio voluntarij. De quo late Salas 1.2. tom. 2. tract. 3. disp. 6. sect. 1 & 2. Sufficit autem pro praxi quod nullum peccatum sit nisi voluntarium. Vnde intelligitur primo, à peccato excusari turpes cogitationes, quas aliqui patiuntur omnino cõtra voluntatem suã, ita vt nolint eas, nec præbeant eis occasionem, vacando operi, ex quo nascantur. Quanquam etiam vacando tali operi, (*dummodo absit periculum consensus*) excusatio esse potest, si idipsum opus sit de se licitum, *vt est audire confessiones*, atq; exercere ipsum incumbat ex officio, vel ex necessitate ad vitãdum aliquod notabile damnum, ex eiusdem omissione incurrendum in persona, aut in bonis externis. Pro quo Ioan. de Salas in seq. sect. 7. varios authores adfert. Vacando autem rei illicitæ, aut licitæ quidem; sed nullatenus necessarię, non censebitur iusta adesse excusatio: quia nulli peccatum proprium debet patrocinari.

3. Intelligitur secundo, à peccato excusari pollutiones quæ in somno contingunt; nisi in vigilia procuratæ sint per cibos calidos, aut per potum vini meri, aut per turpes cogitationes voluntarias, aut per certam corporis compositionem in lecto, ex qua pollutio nasci soleat. Vbi aduerte si talia fiant ea intentione vt ex pollutione delectatio carnalis habeatur, peccatum mortale committi; voluntarie scilicet carnalem delectationem desiderando in sua causa. Sin fiant ob alium finem, neque ipsa sint de se mala, finisque bonus sit & honestus (qualis censetur releuatio ab aliquo morbo, vel liberatio à carnali stimulo) excusationem à peccato esse posse: non obstante periculo pollutionis; dummodo huic aduenienti non adhibeatur consensus. Qua de re Nauar. in Enchir. cap. 16. numero 17. nosque in sequenti cap. tertio, cum de mollitie.

Intelligitur tertio, carnalem copulam per vim extortam excusari à peccato (adde & contingere sine violatione virginitatis, *vt ex multis Patribus per alios uot Canones Gratiani, 32. quæst. 5.*) si persona quæ vim patitur non consentiat voluntate deliberata ad actum ipsum, neque in eam delectationem quæ sensu percipitur in tali actu. Vbi aduerte non requiri ad istiusmodi excusationem, vt delectatio non sentiatur in parte sensitiua; quia id non est in hominis potestate, cum delectatio eiusmodi sit naturalis: requiri vero vt voluntas, *sicut potest, cum sit libera*, non consentiat deliberate in eam.

4. An autem in puella quæ opprimitur, requiratur vt propriis manibus, aut clamoribus resistat, repellẽdo à se conantem opprimere, difficultas aliqua est. De qua Nauarri opinio est *in Enchir. cap. 16. num. 1.* eam non teneri manus iratas inicere in inferentem vim, nec clamore se defendere (etsi non probet dictum Soti *lib. 5. De iustitia & iure, quæst. 1. art 5.* quod talis non teneatur membris suis resistere) dummodo non componat se, accommodetq; ad obscœnum actum.

Cæterum videtur rationi consentaneum requiri, vt clamet, si clamando possit violationem vitare, sine magno notabilique damno suo: quale contigeret si oppressor mortem ei minaretur, si clamet. Idem iudicium est, si nihil proficeret clamando, vt existens in sylua; vbi ex clamore nullum auxilium sperare potest: aut si ex nimia verecundia clamare non auderet. Similiter vt propriis manibus, aliisve corporis partibus resistat; neq; vllo modo componat, accommodetve se ad turpem actum illum, requiri (nisi verecundia nimia, aut iustus timor damni notabilis, *puta mortis, infamiæ, aut amissionis bonorum omnium excuset*) merito videtur: quia per talem resistentiam debet se munire aduersus periculum consentiendi in turpem actum: ac tenetur quantum potest impedire proximum, ne flagitium perpetret. Siue hoc enim siue illud negligere sine proprio notabili damno, vnde excusationem à peccato habere valeat, nulla ratione apparet.

Porro pari studio à puella vitandi sunt contactus, per se impudici: quos patiendo, exponitur perinde periculo pollutionis, ac eos agendo: non enim tantum actiuus, sed etiam passiuus contactus impudicus, illam proxime excitat; ideoq; vitandus est sub mortali iuxta post dicenda.

De osculis, & aliis contactibus turpibus.

SECTIO II.

5. NOtandum est præterea quoad actus præuios ad opus carnis, nempe quoad oscula, amplexus, cæteroſq; tactus turpes; eos non quidem semper, vt plurimum tamen, esse peccata mortalia.

Quod qua ratione accipi debeat, sequentibus propositionibus declaratur.

Prima est: Tales actus esse ex suo genere indifferentes. Ratio est: quia consistunt in sensus functione, quæ tantum ex fine in quem vsurpatur, bona est vel mala: ita vt nihil obstet quin sint liciti, si fiant non quidem affectu concubitus illiciti, sed ad testandam signo externo beneuolentiam secundum honestam patriæ consuetudinem; aut certe ob necessitatem, qualis est medicationis infirmi; aut ob aliquam aliam rationabilem causam: neq; deprauẽtur circumstantia aliqua mala: prout deprauari contingit, si non seruetur decorum, aut detur scandalum, sicut dari potest ab Ecclesiastico, *maxime à Religioso*, osculante fœminam, etiam tantummodo ad amicitiam erga eam testandam. Quod si iidem tactus fiant praua intentione (quod vnus probabiliter suspicans in altero, tenetur ex charitate eosdem contactus quantum commode potest declinare) peccata sunt mortalia aut venialia, eadem ratione qua intentio ipsa prima fuerit mortaliter, aut venialiter mala: prout deduci potest ex dicto illo Domini Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam (intellige extra matrimonium) iam mœchatus est eam in corde suo.

Secunda propositio: Oscula, amplexus, aliive id genus actus, quos coniugium non cohonestat, si deliberate fiant, animo oblectandi: se carnaliter, seu potiundi venerea delectatione ex eis consurgente, peccata sunt mortalia. Ratio est: quia tales actus cum tali delectatione ordinantur natura sua ad concubitum tanquam ad finem, prout patet: tum ex eo, quod bruta eiusmodi tactibus vtantur cum se ad coitum præparant: tum ex eo, quod natura in iisdem tactibus voluptatem apposuerit sicut in coitu: illique ad instar huius, immutent corpus, ipsumq; delectent. Iam vero finis malus, malitia sua inficit media ad ipsum ordinata. Cum igitur concubitus extra matrimoniũ malus sit mortaliter, tactus quoque ad eum ordinati erunt mortaliter mali. Ita sentientes authores magno numero refert Thomas Sanchez lib 9. De matrimonio, disput. 46. num. 7. Et ad confirmationem facit, quod Apostolus ad Galat. 5. vers. 19. inter peccata quæ excludunt à regno cœlorum ponat impudicitiam: quæ, vt habet D. Thomas 2. 2. *quæst. 154. art. 1. ad 5.* pertinet ad actus circantes actum venereum, quales sunt oscula, tactus, & alia huiusmodi.

Locum habet autem hæc propositio in eius generis tactibus, siue ij fiant circa partes secretiores corporis, sintque de se impudicisiue circa alias quascumque, nec sint de se impudici. Id quod Nauarr. in Enchir. cap. 16. num. 11. attingens; addit habere locum iuxta doctrinam D. Thom. & interpretum ipsius quãtumuis quis tales actus vsurparet circa personam quam desiderat aut sperat accipere in cõiugem, si nondum acceperit. Porro in istiusmodi peccato non contingit (sicut in aliis pluribus) excusatio à mortali per materiæ leuitatem. Ratio est, quia omnis voluptas venerea extra matrimonium captata, ordinatur de se ad finem mortaliter malum, puta fornicationem, quæ in talem voluptatem influit malitiam suam, tanquam finis in medium ordinatum ad ipsam. Vnde cum in fornicatione non detur modicum excusans à mortali, neque datur in eadem illa voluptate. Ad cuius argumenti vim intelligendam, aduerte voluptatem veneream dependere ex motu quo substantia seminis incalescens ex commotione spirituum genitiuorum descendit ad

partes obscœnas: qui descensus suapte natura ordinatur ad actum generandi, mediante seminis effusione, mortaliter (si per matrimonium non cohonestetur) malum, tanquam fornicarium.

Tertia propositio: Quando tactus, amplexus, aliaque id genus, ordinantur ad illicitum concubitum, sunt in confessione aperienda cum suis circumstantiis, tanquam peccata pertinentia ad eandem speciem, ad quem pertineret concubitus inter personas flagitium eiusmodi consummantes; nempe ad incestum, si sint personæ sanguine iunctæ; sin sint Deo per votum castitatis dicatæ, ad sacrilegium: & sic de cæteris. Cum enim libidinosus tactus est sui ipsius ad mollitiem; cum vero bestiæ, ad bestialitatem. Hęc propositio (pro qua multos refert Ioan. de Salas 1. 2. tom. 2. tract. 3. sect. 22.) ex eo patet: quod tales actus hoc ipso, quod ordinantur ad carnalem copulam, malitiam eius participent tanquam deriuatam ex fine ad media. Cæterum circa eandem ac cæteras propositiones notãdum est, id quod loco cit. à num. 10. Sanchez authoribus allatis habet: tactus de se impudicos, *quales sunt: partium verendarum, aut verendis proximarum*, vsurpatos sine necessitate, nunquam excusari à mortali: vt nec fornicatio excusatur. Ratio, quia præter indecentiam, coniunctum habent periculum maximum fornicationis: cum ex natura rei tendant ad delectationem venereæ, illamque valde excitent. De eo autem quod ille subiungit locum esse excusationi ex materiæ paruitate in nonullis actibus: eius generis, si careant tum desiderio delectationis venereæ, tum periculo consensus in illam. De eo inquam, quidquid sit in speculatione, dubium non est in praxi, quoslibet tales esse improbandos, ac curandum serio ne transeant in consuetudinem, quæ vix caret periculo inducendi in mortalem consensum: & qui amat periculum peribit in illo, Ecclesiastici 3. Cui periculo maxime obnoxius esse iudicandus est ille, qui ex ea experientia, quam de sua infirmitate habet, nouit consensum turpitudinis venereæ se trahi solere oblatu eiusmodi occasione.

6. Quarta propositio: Quando tactus, amplexus, &c. fiunt non libidinosæ, sed honestæ delectationis causa inter personas aliquas de quibus nequit suspicio esse turpitudinis, non sunt peccata, *saltem mortalia*. Hæc est Caietani in summula, verbo Impudicitia, & Nauarri in memorato num. 11. vbi excusat eos qui causa honestæ cuiusdam delectationis (ex amore scilicet suaui teneræ ætatis, ad cum modum quo solent nutrices infantulos) tangunt, osculantur & amplectuntur pueros, aut puellas, cognatos aut cognatas. Verumtamen quidquid item sit in speculatione, id in praxi videtur cauendum ob periculum vlterioris consensus in libidinosam delectationem, vel etiam in pollutionem; ratio habita alicuius temperamenti & dispositionis corporis.

In cuius rei gratiam aduerte prædictos actus etiamsi prouenient ex honesta amicitia (vtpute fundata in consanguinitate & affinitate, aut etiam in aliqua societate, seu vitæ instituto laudabili) non coerceri tamen termino eiusdem amicitiæ, fouendo coniunctionem animorum, sed vlterius ciere desiderium coniunctionis corporum, ad perceptionem voluptatis venereæ, positæ in seminis resolutione; ad quam talis actus tanquam dispositiones & præambula tendunt natura sua: vt patet ex iis quæ in bestiis contingere notantur. Pro maiore autem intelligentia aduerte amplius, duplicem ex prædictis actibus delectationem posse prouenire: vnam libidinosam, quæ sentitur in carne cum spirituum generationi subseruientium commotione circa partes libidinosas: alteram qua proprij vel alieni corporis tactus placet ob solam proportionem, & naturæ conformitatem rei tactæ, cum organo tangendi: hæcque est cui conuenit honestam esse posse: non autem illi, nisi per matrimonium cohonestetur.

Quinta propositio: Si coniuges, tales tactus inter se exerceant delectationis tantummodo causa peccant solum venialiter. Ratio est: quia concubitus ipse ad quem illi referuntur, inter coniuges (quod Sanchez authoribus magno numero in eam sententiam citatis tractat in præcedenti disput. 11.) non est peccatum plusquam veniale: quantumcumque fiat carnalis delectationis solum causa: quia malitia eiusmodi tantum est peruersionis finis: qua coniugalis copula principaliter exerceatur propter delectationem, quæ adiuncta est illi vt quid accessorium. Quale exercitium aduersatur quidem rectæ rationi: non tamen adeo grauiter, vt sufficiat ad mortale: præsertim cum idipsum non obstet quin copula ipsa contineatur limitibus matrimonij: ac de se ordinetur ad prolis generationem.

Iam allatam propositionem posse etiam locum habere in sponso, & sponsa de futuro (nisi spõsalia essent conditionata, necdum impleta esset conditio) ex eo doceri videtur, quod etsi copula non sit eis licita pro illo statu, licitum est tamen vti præambulis: quia sicut matrimonium cohonestat copulam: ita sponsalia (quæ matrimonij initium sunt) cohonestare debent tales tactus: præsertim cum per illos amor foueatur in ordine ad matrimonium ineundum: atq; contractus de futuro matrimonio sponsalium nomine significatus, det ex natura rei facultatem ad actiones ordinatas ad coniugalem copulam. Id quod à Caiet. traditum 2. 2. *quæst.* 154. *art.* D. Nauar. commendat in Enchir. *cap.* 16. *num.* 12. plurimiq; sequuntur relati à Ioanne de Salas *in memorata disp.* 6. *sect.* 26. Sed vt Nauar. ipse admonet, requiritur vt in vsu eiusmodi præambulorum cautela sufficiens adhibeatur, ne inde contingat pollutio aut periculum probabile illius incurrendæ, aut in illam consentiendi, aut etiam in copulam coniugalem ante matrimontum reipsa contractum. Quando enim est tale periculum, tactus semper sunt illiciti inter quoscumq; fiant, & quoniam raro cõtingit tale abesse, quando spõsus & sponsa in secreto loco se osculantur, tangunt & amplectũtur, valde expedit tales opportunitates eis nõ permittere, donec matrimonium contraxerint, vt idem Nauar. merito addit. Quæ eadem aliis adhuc citatis habet Sanchez *in lib.* 9. *De matrim. disput.* 46. *quæst.* 4.

Addens inter cætera, num. 52. quod etsi amplexus & oscula habita inter sponsum & sponsam, in signum tantum beneuolentiæ ac sine periculo pollutionis, non sint peccata plus quam venialia: tactus tamen impudicos, *seu partium pudendarum, aut eis proximarum*, inter eosdem peccata esse mortalia: quia cum proximi sint copulæ, illis tantum licent, quibus copula tunc temporis licet, hoc est, solis coniugatis: quandoquidem tales suapte natura ordinantur ad seminis effusionem, illicitam extra matrimonium quidquid de eo facta sit promissio: sicut illicita est acceptio rei alienæ inuito domino: etiamsi ab hoc de illius venditione facta sit promissio. De quo Ferdinandus Rebellus De oblig. iustitiæ par. 2. lib. 3. quæst. 19. sect. 2.

Aduerte obiter quod habet de Salas in fine sectionis 16. sponsam de futuro non teneri ex iustitia permittere sponso supra dictos tactus licitos, neque eos facere ipso poscente: quia promissione sua obligauit se tantum ad matrimonium suo tempore contrahendum.

De aspectibus turpibus.

Sectio III.

IDem esse de aspectibus, ac de tactibus turpibus iudicium ferendum, quoad rationem peccati, est quidem multorum sententia quos refert Sanchez in lib. 9. De matrimonio disput. 46. quæst. 2. Sed videtur diuersitas agnoscenda, sicut etiam Sanchez ipse agnoscit cum Caietano *in verb. impudicitia & in verbo Delectatio, §. Secundum an delectatio: & in tomo* 1. *opusc. tract.* 14 *dub.* 3. & cum Nauar. in Enchir. *cap.* 16. *num.* 11. *ac nonnullis recentioribus.* Cum enim turpis tactus suapte natura ordinentur ad carnalem copulam, consensus in illorum delectationem sensibilem, est quasi inchoatio quædam copulæ, & est consensus in delectationem de eadem. Turpes aspectus vero, cum ad venerea non adeo ordinentur (cõstat enim non excitare tantopere ad talia appetitum sensitiuum, quantopere tactus turpes excitant) non debent tam facile, quam illi de mortali damnari. Pro quo de Salas in præced. sect. 23. nu. 153. multos citat. 7.

Cæterum pro praxi videntur propositiones hæ tenendæ Prima. Turpes aspectus, si vsurpentur ad delectationem veneream, peccata esse mortalia eiusdem speciei, cuius est ipsum opus venereum. Hæc patet ex dicto Domini Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.] Vnde confitendo de illis, exprimere oportet circumstantias, perinde ac de operibus

confitendo

confitendo, sicut in præced. sect. 2. propos. 3. dictum est de tactibus turpibus.

Secunda. Eosdem quoque vsurpatos ob solam curiositatem, cum fuerint valde turpes (vt cum sine vrgenti necessitate vir aspicit verenda fœminæ vel contra) censeri peccata mortalia. Ratio est: quia valde aduersantur naturali honestati: vnde ex Genesi cap. 3. primi parentes quantumuis matrimonio coniuncti, statim ac cognouerunt se nudos esse, consuerunt folia ficus, & fecerunt ibi perizomata, consulentes scilicet pudori. Deinde quia illi valde periculosi sunt: vtpote valde efficaces ad prouocandum veneream libidinem, vt constat ex Dauide viro alioqui sanctissimo, qui inspecta muliere nuda lauante se, ita in illius concupiscentiam exarsit, vt nullo Dei timore reuocaretur à flagitio non tantum adulterij, sed etiam homicidij, ex lib. 2. Regum cap. 11. Et ratio est: quia talis aspectio facit vt phantasia apprehendat rem aspectam, non solum vt delectabilem visui, sed etiam vt delectabilem tactui carnali, ex qua phantasiæ imaginatione, affectus ad carnalem delectationem sequitur naturaliter, commotioque spirituum, & ex ea descensus seminis ad partes obscœnas, & rebellio in iisdem. Adeo vt curiosi aspectus solicite vitandi sint tanquam facile perducentes ad lapsum. Quod expertus Dauid, in Psalm. 118. orat: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Et S. Iob, vir perseuerans in innocentia sua pepegit fœdus cum oculis suis, ne vnquam cogitaret de virgine, ex eiusdem historia cap. 21.

Tertia propositio. Partium non verendarum aspectus, si ob solam curiositatem fiant absque desiderio voluptatis veneræ, aut periculo notabili consentiendi in eam, non esse peccata de se mortalia. Ratio est: quia turpitudo illorum non est tanta de se; nec illi tantopere de se ad veneream libidinem incitant, vt mollitiæ mortalis suo genere esse, censeri debeant. Vnde intelligitur quid iudicandum sit de iis qui confitentur se aspectus turpes habuisse; aut occasionem habendi aliis dedisse: sine intentione tamen cõsentiendi in veneream libidinem, siue suam siue alienam. Nimirum eos nõ excusari à mortali, si nihilominus periculum talis consensus adfuerit siue in ipsomet. Nam *Ecclesiast.* 3. Qui amat periculum, peribit in illo] siue in aliis, cum quis dans alteri occasionem talis ruinæ, vacando rei quæ nec necessitatem, nec pietatem habet, peccet contra charitatem in re notabili. Pro quo videnda sunt de scandalo actiuo tradita in præced. lib. 4. *in priore parte cap.* 4.

Atque hinc ratione periculi, ille qui coeuntes coniuges aspiceret tantum ex curiositate, mortaliter peccaret ob vehementem incitationem ad libidinem, natam inde sequi. Item eadem de causa mortaliter peccarent coniuges coeuntes in loco publico. Itemq; ob eandem rationem mortaliter peccaret vir qui fœminam nudam curiose aspiceret, aut fœmina quæ virum. Quod si vir virum, aut fœmina fœminam taliter aspiciat, minor quidem indecentia est: potest tamen mortale esse ratione consensus in voluntatem vel in actum turpem, vel ratione scandali.

Aduerte autem periculum quod in hac re non est de se notabile, censeri posse notabile respectu aliquorum infirmorum. Et ita licet demus quod Sanchez habet in cit. disput. 46. num. 27. non esse mortale si vir respiciat virum nudum, aut fœmina fœminam nudam, neque (*quod idem in num. 31. addit.*) mortale esse aspicere brutorum concubitum, vel partes ipsorum fœdas turpiter commotas; tamen vtrumque negandum est, si adeo vehemens fuerit aspicientis propensio ad libidinem, vt inde venerea delectatio in ipso redundet.

Cuiusmodi infirmitate, cum ex mala educatione prauaque consuetudine plerique hodie laborent, non sunt tales aspectus à Confessario facile tolerandi, tanquam excusato à peccato mortali ex materiæ leuitate; vt nec pectorum nudationes in fœminis, per quas eæ præbent iisdem infirmis occasionem ruinæ: nam esto eiusmodi nudationes non sint de se mortaliter malæ (*quod declarat Ca. et. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 1. dub. um. vers. Ad obiectionem autem, &c.*) nihilominus tamen vsurpatio earum cum tam graui proximi periculo ac damno, non potest (nisi forte per ignorantiam inculpabilem, aut iustam aliquam necessitatẽ) à mortali excusari. Id quod Caiet. non negaret: cum ibid. addat, quod vbi talis nudationis consuetudo non est, ea inhibẽda sit, ac cito extirpanda ne crescat: quoniam habenda est ratio ne animi iuuenum molliscant.

De verbis turpibus.

SECTIO IV.

DE grauitate peccati quod committitur loquendo, aut audiendo, aut scribendo turpia verba iudicandum est, sicut de grauitate illius quod committitur aspectu turpi: nempe ex adiuncta voluptate venerea notabili, aut eiusdem notabili periculo mortale esse. Contingens autem ex sola animi leuitate, & vani tantum cuiusdam solatij gratia, percepti ex artificio dicendi, sine affectu delectationis venereæ peccatum esse tantum veniale, nisi ipsum aggrauetur circumstantia scandali mortalis; vt fieri potest quando præsentes propensi ad libidinem, ac in se debiles, & verba sunt valde impudica. Atque istud quod dicitur de vsu verborũ turpium, dicendum est eadem ratione de nutibus & gestibus atque cantilenis turpibus. 8.

Agit aliis citatis Sanchez plenius de his in memorata disput. 46. quæst. 3. sed cum sit res ex se satis clara, sufficiet addere pro praxi, quæ ex iisdem ipse bene infert. Primum est: excusari à mortali eum, qui simulate præ se fert lætitiam, *eriam ridendo*, dum turpia dicuntur, aut gestibus insinuantur, ne inurbanus habeatur, aut de hypocrisi damnetur, aut scõmatis lacessatur, interea carens omni venerea delectatione notabili, ac illius periculo. Non excusaretur tamen à mortali si in eo ipse esse causa cur alij mortaliter peccarent, aut exponerentur probabili periculo peccandi mortaliter; vt si præstaret authoritatem ipsis verbis aut gestibus turpibus, ita vt eis tanquam cohonestatis risu ipsius, iidem alij se carnaliter oblectare non dubitent. Nec etiam excusatur si propterea rideat, quod existimari velit deditus venereæ turpitudini; & ea de causa laudari ac magnifieri: quoniam de re mortali gloriam quærere peccatum est mortale ex doctrina quam tradit Nauar. in Enchir. *cap. 23. num.* 12.

Secundum est: peccatum mortale esse, comœdiis interesse, in quibus res turpes repræsentantur, aut modus repræsentandi est turpis: si quidem audiantur ob carnalem delectationem inde prouenientem, aut ob curiositatem quidem solam, sed coniunctam cum periculo notabili consentiendi in eiusmodi delectationem, aut certe cum scandalo: vt contingere potest maxime Ecclesiasticis; qui eo præsertim nomine prohibentur talibus nugis interesse De consecr. dist. 5. cap. Non oportet, 2. & de vita & honest. Cleric. cap. Clerici, 2. Multo vero magis peccare censendi sunt qui tales comœdias aut componũt, aut exhibent, cum sint causa ruinæ multorum. Nec refert quod eam non intendant: quia dant ei sufficientem causam.

Tertium est: pari ratione peccare mortaliter cantantes aut audientes cantari cantilenas, plenas lasciuiis ad venerem prouocantibus. Quartum est: idem esse dicendum de pingentibus imagines lasciuas, vt fœminam detectis verendis aut velo transparente opertis. Quintum est: lectione librorum tractantium de turpibus amoribus, peccatum mortale committi si in ea intendatur voluptas venerea, consurgens ex apprehensione rerum turpium, de quibus iidem libri tractant: aut si non intendatur quidem voluptas venerea fiatque lectio ex curiositate tantum; sed cum probabili periculo consentiendi in talem voluptatem enascentem. Ob quod periculum in regula 7. Indicis editi iussu Concilij Trident. omnino tanquam inuehentes bonorum morum corruptionem prohibentur libri qui res lasciuas & obscœnas ex professo tractant, narrant, aut docent, atque iidem tum legi tum haberi prohibeatur sub mortali in bulla Pij IV. eidem Iudici præfixa. Permittuntur tamen in eadem regula, antiqui ab ethnicis conscripti ob sermonis elegantiam & proprietatem: sed cum restrictione vt pueris nulla ratione prælegantur.

* *
*

CAP.

CAPVT II.

De actibus prohibitis nono Decalogi præcepto, Non concupisces vxorem proximi sui.

SVMMARIVM.

9 *Concupiscentia rei venereæ prohibita nono præcepto, est in appetitu sensitiuo mortaliter mala, per consensum voluntatis in eam.*

10 *Cogitationis seu delectationis morosæ tres modi.*

11 *Peccata, quæ contra nonum Decalogi præceptum committuntur, matrimonio non obstante.*

12 *Explicatio difficultatis de delectatione orta ex cogitatione copulæ coniugalis sitne peccatum mortale, siue in coniugibus siue in sponsis de futuro, siue in viduis.*

13 *Consensus in concupiscentiam rei venereæ cum est efficax, peccata constituit diuersæ speciei: non item cum est solummodo simplex complacentia.*

14 *Id illustratur exemplis, ac quædam specialiter notantur de habente votum castitatis.*

9. NONO Decalogi præcepto, Non concupisces vxorem proximi tui; explicite quidem, vt hæc verba satis indicant, tantum prohibetur concupiscentia rei venereæ; sed implicite prohibetur quoq; concupiscentia voluptatum earum quæ eandem veneream excitant: vt crapula, iuxta illud, quod Ezechielis cap.16.vers.49. incausas iniquitatis Sodomæ ponitur saturitas panis; itemque ebrietas, iuxta illud ad Ephes.5. Nolite inebriari vino in quo est luxuria: vnde nobis propositum est in sequenti cap.4. dicere de peccato gulæ (cuius species sunt crapula & ebrietas) per respectum ad ipsum præceptum nonum Decalogi.

Sciendum est autem concupiscentiam voluptatis venereæ, alteriusve illicitæ duplicem esse; vna enim est solius voluntatis complacentia, quæ hoc præcepto non prohibetur proprie, quia sexto præcedenti iam est prohibita: sicut quinto voluntas occidendi, & septimo voluntas furandi, altera vero est appetitus sensitiui concupiscentia, quæ hic prohibetur proprie. Nam sicut præcedentibus præceptis ostenditur quomodo voluntas humana debeat actus exteriores dirigere: ita duobus postremis ostenditur quomodo eadem voluntas debeat gubernare appetitum ipsum sensitiuum. In quo quamuis ratio peccati nō habeat locum quatenus vsum rationis præuenit, tamen quatenus subiacet imperio voluntatis (iuxta illud Genes.4. Sub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius) in concupiscentiis ipsius peccatum mortale non minus esse potest, quam in exterioribus actionibus: nimirum per voluntatis in eas consensum, qui hoc nono, & sequenti decimo præcepto prohibetur per verba. Non concupisces: quorum proinde idem est sensus, ac illorum quæ habentur Ecclesiastici 8. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.

Modi quibus peccatur contra nonum præceptum Decalogi.

SECTIO I.

10. SOlet autem eiusmodi peccatum à Theologis vocari cogitatio aut delectatio morosa. Contingit vero tribus modis. Primus est, quando ratio animaduertit appetitum sensitiuum versari circa rem illicitam, & voluntas id approbat; tuncque vocatur cogitatio & delectatio morosa positiua, & aperte peccatum est mortale, quando illud, circa quod appetitus ipse versatur, res est mortaliter illicita. Quam esse communem Theologorum opinionem testatur Nauar. in Ench. cap.11.num.9. Eos magno numero refert De Salas 1,2.tomo 2.tract.3.disp.6.sect.4.num.45. Probatur vero, tum per cap. Hinc etenim, §. Ponderosus, distin. 49. congruenter verbis Domini, Matth.5. Qui viderit mulierem ad concupiscendū eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Tum etiam ratione, quia sicut peccatum est, exhibere membra exteriora seruire immunditiæ, ex cap.6. Epist. ad Rom. vers.19. ita etiam est exhibere appetitum sensitiuum seruire immunditiæ, præsertim cum idem appetitus, efficacius quam membra, promoueat voluntatem.

Secundus modus est, quando prælucēte intellectu voluntas huiusmodi illicitos motus appetitus sensitiui aduertit, nec repellit: etiamsi eos non approbet expresse: Etenim vt peccatum est illum approbare, sic & illum non impedire cum possis, ac tenearis; perinde scil. ac peccatum est gubernatori, vt nauem submergere, sic & submersionem illius non impedire cum possit, & teneatur. Tale peccatum autem vocatur cogitatio morosa negatiue. Quod vt sit mortale, tres conditiones requiruntur. Prima est: vt homo non obiter sed plene aduertat illud quod mente versat, esse malum legi Dei contrarium: ita vt semiplene tantum (*& multo magis nulla ratione*) ad id animaduertēs etiamsi per integrum diem (ex Caiet. in verbo Delectatio, sub initium, & Nauar. in Ench. cap.11. num.9.) perseuerer in eiusmodi cogitatione, non censeatur peccatum mortale committere: præsertim si omnino reiecisset, aduertens illius malitiam. Secunda conditio est, vt quis possit reprimere tales motus: nam si non possit, sufficit conatum ab eo adhiberi ad explorandum, an reprimere possit nec ne: ac comperto quod nequeat, censebitur pati eosdem motus, non autem agere. A quibus nihilominus abhorrere oportet, monente Sapiente Ecclesiast. cap.21. Quasi à facie colubri fuge peccata. Tertia conditio est, vt eos ipsos motus reprimere teneatur: prout tenetur cum adest periculum ne voluntas eis consentiat. Cum nostro conatu autem in ea re, necessarius diuini auxilij concursus est humiliter improrandus, per illud Psal.6. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: aut illud Isaiæ 38. Domine vim patior, respondē pro me: aliud vesimile. Cętera ad hunc eundem modum spectantia, nota esse possunt ex dictis in præced. lib.11. cap.5. & lib.15.cap.vlt.obseruat.6.

Tertius modus est quando quis delectationem desiderat sub cōditione licita, delectaturq; interea. Quamuis enim desiderium non sit tunc illicitum: delectatio tamen consequēs, est plane illicita: vt cum quis cogitat si illa mulier nō nupsisset, acciperem illam in vxorem, & interea delectatur in illius concupiscentia. Ratio est, quia desiderium quidem admittit conditionem, cum futura etiam, & absentia desiderentur: sed delectatio est de se absoluta, ac sine vlla conditione: cum homo nonnisi de præsenti delectetur. Eadem ratio est, cum vidua cogitat de actib. coniugij præteritis, vel maritus de vxore absente. Quamuis enim liceat desiderare huiusmodi actus matrimonij absentes: tamen si consurgat delectatio, nō quidem absens, sed iam præsens in appetitu, oportet illā reiicere tanquam alienam ab honestate coniugali; prout docuimus in cit.cap.5.regula 6. & late tractat Sanchez *in lib.9. De matrimon. disp.44.& 47.* Ex quo pro praxi de peccatis quæ non obstante matrimonio contra nonum præceptum committuntur, addenda sunt nonnulla, si prius obiter monuerimus posse aliquos ab eiusdem præcepti transgressione mortali excusari per ignorantiam probabilem: propterea quod concupiscentiæ per ipsum prohibitæ malitia, naturali ratione difficulter cognoscitur: prout satis indicant illa D. Pauli verba ad Rom.7. Concupiscentiam nesciebam, nisi diceret lex: Non concupisces.] Quocirca si quis vel retinuit turpes cogitationes, vel delectatus est in eis, existimans non esse peccatum mortale, sique sciuisset esse, nullatenus cōsensisset, excusatur à peccato mortali. Postquam tamen admonitus est, desistere tenetur sub peccato mortali.

De peccatis quæ contra nonum Decalogi præceptum committuntur, matrimonium minime obstat.

SECTIO II.

11. MAtrimonium spectari potest, vel vt præsens vt in coniugibus; vel vt præteritum, vt in viduis; vel vt futurum, vt in sponsis de futuro. Non obstante igitur matrimonio, contra hoc præceptum peccat mortaliter coniux, qui in actu coniugali delectatur carnaliter in alterius viri, aut fœminæ cogitatione, qua cogitat se ei copulari. Ita habetur ex D. Anton.3.par.tit.1.cap.20.§.1. & ex Syluestro in verbo Debitum, quæst.2. Ratio vero est, quia egreditur in eo limites matrimonij; & ideo peccatum luxuriæ committit eius speciei, cuius esset illud quod committeret si carnaliter copularetur cum persona taliter cogitata: actus enim internus & externus eiusdem speciei sunt, cum tendunt ad idem obiectum, neque ex circumstantiis est varietas.

Quamuis

12. Quamuis autem magna difficultas sit; An mortaliter peccent coniuges qui morosè delectantur in copula cogitata tanquam præsenti, dum absentia aut locus, vel tempus non patitur eam exercere (de qua re in vtramq; partem Sanchez lib. 9. De matrimonio, disput. 44. quæst. 1. authores refert magno numero) negantem tamen vt bona ratione fultam, tenere possumus sicut tenuimus in memorata regula sexta. Neque enim grauior est culpa in coniugibus de copula coniugali cogitare ob delectationem carnalem, quam copulam ipsam actu exercere ob eandem delectationem solam. Illud autem non est peccatum plus quam veniale, quia non habet de se aliam peruersitatem, quam finis indebiti: nempe quod pro fine actus, statuatur id, quod tantum est illi accessorium. Quo argumento probari pariter potest, quod multis pro se citatis asserit de Salas in seq. sect. 25. nimirum aspectus, amplexus, oscula, & colloquia à coniugibus inter se vsurpata ad captandam voluptatem venereamab sque animo perueniendi ad copulam, non esse peccata mortalia; nisi interueniente notabili periculo pollutionis aut consensus in eam, quo casu culpa esset mortalis ex circumstantia mortali: vtpote repugnante fini matrimonij, qui est liberorum susceptio ad conseruationem generis humani. Etenim quia pollutionis voluptas ingens est: & incommodis vacat: ea aliquatenus concessa, negligeretur à plerisque coniugatis carnalis copula, præsertim ab iis qui liberos nutrire aut collocare nõ sine molestiis magnis possunt. Porro nequaquam videtur negandum, quin peccatum sit mortale nondum coniunctos matrimonio delectationem veneream captare cogitatione copulæ quam habituri sunt tempore matrimonij. Tum quia eiusmodi cogitatio non habet rationem præambuli ad celebrationem matrimonij, cum intus latens & occulta, ad fouendum mutuum ac reciprocum amorem non sit accommodata. Tum etiam quia licet illa sit de re licita futura: nihilominus tamen actus appetitus sensitiui ex eadem consurgens, est commotio præsens ordinata ad habendam de præsenti copulam (*cuius illa est quædam inchoatio*) quam habere non licet nisi matrimonio constante. Ob quam etiam rationem peccatum est mortale in viduis si admittant delectationem veneream ortam ex cogitatione copulę habitæ tempore matrimonij. Quæ doctrina est Nauarri in Enchirid. cap. 16. num. 9. & 10. eamque recentiores sequuntur quos Sanchez refert in citata disput. 47. num. 4. & 7. Beneque in sequen. 8. monet pro solutione argumentorum contrariorum: licitam quidem esse complacentiam voluntatis de talibus actibus licitis, quod ij vel habendi sint, vel habiti sint suo tempore: illicitum esse tamen eiusdem voluntatis consensum in delectationem sensitiuam: quæ contingens cum præsenti commotione carnali, nõ ordinatur ad futuram aut præteritam copulam licitam: sed ad præsentem illicitam: vtpote quam matrimonium præsens non cohonestat.

Modus quo peccata contra nonum Decalogi præceptum commissa, diuersæ sunt speciei.

SECTIO III.

13. DIfficultas autem hic occurrit; An peccatorum quæ cõtra nonum ipsum præceptum committuntur sint plures species. Cui vt satisfiat paucis, relicta longiore tractatione videnda apud memoratum de Salas sect. 6. nõtandum est consensum id rei veneræ concupiscentiam, quæ nono præcepto prohibetur, duplicem esse posse, iuxta antedicta *lib. 11. cap. 3. docum. 2.* Vnum efficacem; qui est cum affectu perpetrandi opus illicitum concupitum; alterum inefficacem; qui est simplex complacentia de opere illicito concupito. Si ergo peccata quæ contra nonum præceptum committuntur sint consensus efficaces, diuersæ sunt eorum species, perinde ac operum illicitorum, quæ dant eis suam malitiam, prout in eodem documento expositum est. Vnde si quis appetitui concupiscenti vxorem alienam aut consanguineam cõsenserit: optando talis cõcupiscentiæ adimpletionem, nõ confitetur sufficienter dicendo se consensisse venereæ concupiscentię: sed exprimere tenetur adulterij vel incestus speciem, quam talis consensus accipit ex opere concupito, & sic de cæteris paulo post memorandis.

Si vero dicta peccata sint simplices complacentiæ, sine vllo affectu ad opus; omnia sunt vnius speciei, cum sint eiusdem malitiæ: vtpote oppositæ vni tantum virtuti castitatis, ac eodem modo: nimirum per turpitudinem veneream in qua absolute versantur: secus quam vsueniat peccatis operum venereorũ: quæ castitati ita opponuntur, vt vel oppositionis modus sit diuersus; vt patet in fornicatione, & in peccatis contra naturam, *nempe mollitie, Sodomia, & bestialitate*; vel adhuc alteri virtuti opponantur; vt raptus adhuc opponitur iustitiæ pietatis paternæ; adulterium, iustitiæ fideiconiugalis; incestus, iustitiæ pietatis debitæ sanguine iunctis, & sacrilegium, religioni. Sicut igitur simplex complacentia venereorum non extenditur ad vsum venerei operis, ex quo in peccatis castitati contrariis oritur aggrauatio mutans speciem, ita neque ad illam extenditur eiusmodi aggrauatio, prout illustratur exemplis.

Namque in simplici complacentia de raptu, solummodo notatur talis malitia contra castitatem, qualis est fornicationis: non item malitia contra iustitiam (*sicut notatur in ipso raptu*) quia per complacentiam eiusmodi, proximus in nullo læditur; vt nec per simplicem complacentiam de furto, quæ non extenditur ad rei alienæ vsurpationem per quam peccatur contra iustitiam. Similiter simplex complacentia de actu carnali cum coniugata, est quidem contra castitatem, eadem ratione qua fornicatio; sed non est de se contra iustitiam: quia cum ad læsionem proximi non extendatur, iustitia non censetur instituta ad illius moderationem. Pari quoque ratione simplex complacentia de actu carnali cum habente castitatis votum, tantum est contra castitatem: non autem contra religionem, nisi vsurpetur in religionis opprobrium: non enim per eam, sicut per opus, committitur irreuerentia contra cultum Deo debitum: sed tantum turpitudo contra castitatem: sicut nec per simplicem complacentiam de trucidatione Clerici peccatur per irreuerentiam contra cultum Deo debitum, sed solum per proximi odium. 14.

Aduerte vero obiter eum qui habet castitatis votum absolutum, si complaceat sibi in delectatione venerea, etiam sine affectu ad opus venereum, peccare non tantum peccato fornicationis, seu contra castitatem, sed etiam peccato sacrilegij & contra religionem. Ratio est, quia votum castitatis absolute emissum, comprehendit non solum opus externũ; sed etiam delectationem omnem contra castitatem: cum de hac emissum sit absolute & sine restrictione.

CAPVT III.

De peccato luxuriæ.

SVMMARIVM.

15 *Luxuria dicitur tum generaliter, tum proprie; hocq; posteriore modo peccatum est genere suo mortale.*

16 *Quod luxuria peccatum sit capitale, & qua ratione ex ea oriantur peccata quædam interna, filiæ ipsius dicta.*

17 *Qua ratione quædam externa.*

18 *Septem luxuriæ species, quæ peccata sunt suo genere mortalia, de quibus faciendæ est specialiter confessio.*

19 *Quid sit fornicatio, & quod sit peccatum suo genere mortale.*

20 *Duo casus in quibus actus fornicationis excusatur à mortali.*

21 *De concubinatu tanquam continuata fornicatione, quod sit graue peccatum, & grauiter puniatur in vtroque foro.*

22 *Quid stuprum superaddat fornicationi, per quod constituat distincta species luxuriæ.*

23 *Obligatio quam stuprum habet coniunctam.*

24 *Quid sit adulterium, quidve malitiæ superaddat fornicationi.*

25 *Quomodo Confessarius debeat se gerere, quando proles suscepta est ex adulterio.*

26 *Quid sit incestus, & quam malitiam superaddat fornicationi, exprimendam in confessione, tanquam circumstantiam mortaliter aggrauan em.*

27 *Eiusdem grauitatis varietas, & quando in confessione sit exprimenda.*

28 *Quid raptus fornicationi superaddat.*

29 *Corallaria de eadem re.*
30 *Raptum genere suo peccatum esse mortale: ad quod confirmandum referuntur pœnæ, quibus is à iure punitur: præsertim nouo Concilij Trident.*
31 *Quomodo sint eadem pœnæ accipiendæ.*
32 *Quid sit sacrilegium prout luxuriosæ species: & quot modis contingat.*
33 *De sacrilegio quod committitur vsu actus luxuriosi in loco sacro.*
34 *Quando committatur à coniugibus illic ytentibus coniugali copula.*
35 *Quatenus committatur per actum luxuriosum occultum, aut cum est sine carnis copula, aut desiderio illius habendæ in loco sacro.*
36 *Quæ in hac re comprehendantur nomine loci sacri.*
37 *Quodnam dicatur peccatum contra naturam, & vnde sumantur variæ species illius.*
38 *Quando peruersio modi in copula coniugali sit tantum peccatum veniale: & quando etiam mortale.*
39 *Definitio mollitiei; cum annotatione de distillatione, quæ ei affinis est.*
40 *Quod mollities sit peccatum mortale: sit etiam procuratio dictæ distillationis.*
41 *Modi varij quibus contingere potest carnalis pollutio.*
42 *Obligatio sub mortali remouendi causam futuræ pollutionis, cessat ob necessitatem agendi ad notabile commodum consequendum, aut notabile iocommodum vitandum.*
43 *Difficultas an eadem aliquando cesset, si absit agendi necessitas.*
44 *De malitia pollutionis in sua causa præuisa quidem, non tamen intenta.*
45 *De peccato quod committitur dando occasionem distillationi, aut commotioni spirituum generationi deseruientium.*
46 *Quid ad Sodomiam proprie dictam requiratur, & de generaliter dicta.*
47 *Illius grauitas & pœnæ.*
48 *De bestialitate.*

15. LVXVRIA generaliter significat omnem excessum non solum in re venerea; sed etiam in vestitu, epulis, & similibus deliciis. Specialiter vero significat solum excessum in re venerea: sicque in præsentiarum accipitur, & est peccatum suo genere mortale, iuxta illud, quod ad Gal. 5. cap. ea ponitur inter opera carnis, quę qui agunt, regnum Dei non consequentur. Quod & ratio docet: qui est peruersus excessus in re graui, nempe in generatione humana, ordinata ad conseruationem humani generis; & ideo maxime necessaria ad commune bonum, si iuxta normam rectæ rationis vsurpetur. Quandoquidé ex D. August. in lib. De bono coniugali, cap. 16. quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis.

16. Est etiam peccatum capitale ex D. Gregorio lib. 31. Moral. cap. 31. quoniam ex ea tanquam ex fonte, ob vehementiam delectationis venereæ, multa alia *(quæ ideo vocantur filiæ luxuriæ)* oriuntur: præsertim autem ista: cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, & horror futuri. Id quod declaratur hac ratione, quam D. Thom. habet, 2. 2. *quæst.* 153. *art.* 5. Cum in intellectu sint quatuor operationes in ordine ad spiritale bonum: prima, simplex consideratio, per quam homo idipsum bonum comprehendere dicitur: secunda, bona consultatio: de mediis ad idem exequendum: tertia, iudicium de mediis illis quæ occurrerunt: quarta, imperium, quo ratio operam dat, vt quæ iudicata fuerint oportuna, mandentur executioni: luxuria prout reddit mentem ineptam ad considerationem rerum spiritualium, parit cæcitatem mentis; prout vero ad consultandum de recte viuendi mediis, præcipitationem: prout autem ad recte iudicandum de mediis ad æternam salutem conducentibus, inconsiderationem: prout demum reddit debilem ad exequendum bona proposita, inconstantiam.

Præterea cum in ordine ad bonum ipsum spiritale, duę in voluntate operationes sint: nempe intentio finis, & electio mediorum: luxuria quoad intentionem, sic eandem voluntatem trahit ad voluptates venereas, vt omnes cogitationes & curas referat ad eas consequendas; vnde sequitur vt se in illis adeo amet, vt oderit Deum qui illas tanta seueritate prohibet, indeque generat tum amorem sui, tum odium Dei. Quoad electionem vero, luxuria voluntatem sic peruertit oblectamentis voluptatum corporearum; vt qui inhærent in illis, velint in hac vita perpetuo manere: quod est generare in eis amorem huius sæculi: nolint autem mortem, per quam se priuandos voluptatibus norunt, & exponendos grauibus pœnis subeundis pro illicito vsu earum: & ita parit horrorem futuri sæculi. Ex quibus satis intelligi potest solicitudo de æterna sua salute, curandum esse peculiari studio, vt animam à luxuriæ sordibus purgatam habeat, ab eaque iuxta Ecclesiasticum cap. 21. tanquam à facie colubri fugiat.

Porro ad propositas, *vt vocant*, luxuriæ filias, quæ interne sunt, & malitiæ mortalis (tanquam impedimenta grauia æternæ salutis consequendæ) D. Thom. *in cit. art.* 5 *ad* 5. addit quatuor externas. Prima est, turpiloquium, quod contingit homini luxurioso ex abundantia turpitudinis, quia cor habet plenum, iuxta illud Matth. 12. Ex abundantia cordis os loquitur. Secunda est, scurrilitas, positain verbis & factis parum honestis risum mouentibus: quæ nascitur ex eodem fonte cum præcedente. Tertia est, sermo ludicrus comparatus ad iocos, quibus libidinosi impensius delectantur: eaque ex causa ex variis libris colligunt turpes, & ludicras narrationes, quas in promptu habeant dum versantur ab aliis. Quarta est, stultiloquium: mens enim cæca libidine effutit multa stulta, seu aliena à ratione. Hæ autem infectæ malitia luxuriæ, à qua manant tanquam à fonte, iudicari debent peccata mortalia. Sequitur, vt de eiusdem luxuriæ speciebus dicamus. 17.

De speciebus luxuriæ.

SECTIO I.

18. SPecies luxuriæ septem numerantur, fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam quarum mentio habetur, 36. quæst. 1. cap. Lex illa 2. eaque peccata esse genere suo mortali (quod iudicatum in Clemen. final. De hæreticis, glossa ibid. notat, ad verbum Non est) ex eo sufficienter probatur quod fornicatio quæ peccatum est minus cæteris, numeretur à D. Paulo inter ea, quæ à regno Dei excludunt: cum in priori ad Corinth. cap. 6. ait: Nolite errare, neque fornicarij, neq; idolis seruientes, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt. Et ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis quæ sunt: fornicatio, immundicia, &c. quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, & ad Ephes. cap. 5. Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus; &c. non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. De qua re pluribus disserere non est necessarium ad nostrum institutum. Legat qui volet Gregorium à Valent. 2. 2. disput. nona, quæst. 3. puncto 3. aut Leonard. Lessium De iust. & iur. lib. 4. cap. 3. dub. 7.

Intelligitur autem ex his: illud quod moneri solet, faciendam esse breuiter Pœnitentis interrogationem circa præcepta de quibus agimus: non obstare quin oporteat distincte cognosci circumstantias, quæ in hoc peccati genere variant species: nempe si solutus cum soluta rem habuerit: vnde constituitur fornicatio: si vir cum virgine, vnde stuprum si adhibita violentia, vnde raptus: si cum cōsanguinea aut affine intra quartum gradum, vnde incestus: si cum persona per votum castitatis deuota Deo, vnde sacrilegium; si cum nupta alteri, vnde adulterium; si cum masculo, vnde nefandum Sodomiæ scelus: si se polluit, vnde mollities; si denique cum bestia, vnde bestialitas. De quibus sic statuendum est, vt fornicatio iudicetur peccatum minus graue cæteris, & adulterium ea grauius: & adhuc grauius stuprum, *cui addit grauitatem raptus:* & stuprum in grauitate incestus sequatur. Sacrilegium autem cæteras luxuriæ species aggrauet; & grauissima sint peccata contra naturam, inter quę infimum grauitatis locum tenet mollities, medium Sodomia, & supremum bestialitas.

De for-

De fornicatione simplici.

SECTIO II.

19. IAM vero vt de singulis aliqua dicamus quantum requiritur ad nostrum institutum: cum fornicatio simplex definitur concubitus soluti cum soluta: nomine soluti intelligitur vir qui nec coniux est, nec consorti criminis, consanguineus, vel affinis, nec votum habet castitatis. Nomine solutæ vero intelligitur fœmina similiter se habens, quæ iam amisserit virginitatem. Peccatum est autem mortale ex antedictis, à quo neminem ordinarie ignorantia excusare potest. Prohibetur enim præcepto naturali quod ab vtentibus ratione nullo modo, *ad longum saltem tempus*, potest ignorari: cum ipso naturali ingenij lumine constet fornicationem esse contra finem propter quem Deus humanum concubitum concessit. Patet enim, quod talis non solum sit susceptio liberorum: sed etiam eorum sustentatio, & educatio: quæ nequit fieri nisi illi habeant certum ac determinatum patrem, prout euenit in coniugio, non item in fornicatione.

20. Duo vero casus dantur in quibus locum habet excusatio à tali peccato. Prior est, quando deficit vsus rationis, vt in amentibus & ebriis, qui rationis compotes non sunt: nisi tale periculum præuiderint, & neglexerint cauere sibi ab eo, quando potuerunt. In quo casu censendi sunt, *tanquam periculum amantes*, periisse in illo. Posterior est, cum interuenit vis, qua quis ad concubitum cogitur: nam si in talem actum non consentiat voluntate, licet delectationem carnis sentiat, excusatur à peccato saltem mortali, quod requirit plenum consensum voluntatis: cum quo consensu fornicari, nullo mortis metu licet: ne si quidem mille mortes essent perferendæ.

21. Solet vero ad istud peccatum referri concubinatus soluti cum soluta: quia is non est aliud, quam fornicatio posita in consuetudine, seu ita continuata vt quodammodo sit cohabitatio talis, qualis cernitur in coniugio. De eo autem illud occurrit monendum, graue peccatum esse, & valde periculosum: quia homo in eo non solum peccat: sed etiam manet in statu peccati, & continuo proposito peccandi. Quo fit vt concubinarij, nec possint, nec debeant ante absolui sacramentaliter, quam concubinas eiecerint, cum proposito ad illas non redeundi amplius. Neque excipiendi sunt constituti in articulo mortis, nisi forte mors instet ac tempus desit: quo casu, necessitas facit, vt sufficiat propositum firmum de cætero vitandi tale flagitium. Quod si occurrat concubinarius non habens domi concubinam, experientia aliqua de continentia ipsius sumenda est ante absolutionem: præsertim quando frequenter proposuit se seruaturum ab illa, nec seruauit; nisi tam aperta præberet signa doloris, & firmi propositi emendationis: vt nihil appareret cur absolutio differri deberet: quod satis rarum est in talibus personis.

De concubinariis Concil. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. matrimonij decreuit, vt ab Ordinariis ter admoneantur; idem etiam de concubinis, atque si illi non pareant admonitioni, excommunicentur: sique censuris neglectis in concubinatu perseuerent per annum, seuere castigentur. Hæ vero si post trinam illam admonitionem non respuerint, grauiter pro modo culpæ puniantur & eiiciantur ex pago, vel ciuitate, vel etiam ex tota diœcesi.

De stupro.

SECTIO III.

22. STuprum non accipitur hic generaliter pro concubitu legibus vetito: sed particulariter pro virginis fœminæ defloratione, seu propeccato luxurię quo virgo fœmina defloratur. Quandoquidem peccatum grauius est simplici fornicatione: quia & totam illius malitiam habet, ex eo quod exerceatur extra coniugium; & vlterius aliquam, ob additam signaculi virginalis fractionem; quæ ab eiusmodi turpitudine reuocare deberet habita ratione detrimenti magni, quod ea adfert, tum virgini ipsi, quam reddit minus idoneam ad inundum coniugium: tum parentibus sub quorum cura, & custodia de se est virginitas illius; dicente Sapiente Ecclesiastici 7. Filiæ tibi sunt, serua corpus illarum.

An autem ea aggrauatio fiat mutando speciem ita vt debeat aperiri in confessione dubitatio est, de qua in vtramque plures authores citat Ioan. de Salas *ad 1. 2. tomo 2. tract. 3. disp. 6. num. 59.* Affirmans autem sequenda est in praxi tanquam omnino tuta.

Aduerte vero ex Caiet. 2. 2. q. 154. *art. 6. in responsione ad 2. dubium:* & Nauar. in Enchir. cap. 16. num. 3. non viri, vtpote carentis memorato signaculo, sed fœminæ virginitatem esse illam ex cuius violatione (*tanquam circumstantia animum specialiter obsistentis expletioni libidinis*) stuprum habet suam peculiarem deformitatem; neque ad illius rationem propriam, *ex eodem Caietano*, sufficere, vt per qualemcumq; obscœnitatem violetur virginitatis virtus, sed requiri effractionem clausuri virginalis, quæ fit per defloration em fœminæ virginis.

Habet vero peccatum hoc coniunctam obligationem ad 23. restitutionem: 1. quando quis ad copulam vi cogit virginem aut precibus importunis: 2. quando falsis persuasionibus, & promissionibus eam decipit: 3. quando se illam ducturum in vxorem promittit, siue cum iuramento, siue absque eo; si interius non intendat eam ducere. Tenetur enim in talibus casibus eam ducere, aut damnum illatum aliter resarcire: nimirum dotando, vel ad arbitrium boni viri reddendo aliud, quo sufficienter compenset; quando ducere non potest: siue quia ipse est disparis conditionis; siue quia illa recusat ei nubere; siue quia parentes nolunt vt ei nubat; siue quia sequetur ex matrimonio graue scandalum. De qua re ante plenius cum de restitutione libro decimo à num. 326.

Quando autem virgo nec decepta, nec coacta est sed spõte consensit, non est obligatio ad restitutionem ex iustitia: sed solum ex charitate, præcipue si potens est is qui stuprum intulit, & fœmina pauper, timeturq; periculum perditionis eius. Quanquam in foro externo stuprator tanquam obligatus ex iustitia, nonnunquam compellitur ducere aut dotare eam quæ sibi sponte consensit: quia in illo foro præsumitur decepta esse, etiamsi forte consenserit. Quæ præsumptio non habet locum in foro externo, in quo proinde stuprator non compellitur ad restitutionem; quasi iniuriam intulerit: cum iuxta regulam iuris, scienti & consentienti non fiat iniuria: vnde intelligitur quod latius tractat Thomas Sanchez *in lib. 7. de matrimon disp. 14.* Vbi nulla vis infertur virgini non esse necessario exprimendam conditionem virginitatis; quia tunc per eam, stuprum non addit fornicationi malitiam notabilem. De qua re videri potest etiam Leon. Lessius de iust. & iure, lib. 2. cap. 10. dub. 1. Porro intelligenda sunt iam dicta, non modo de virgine quæ talis erat reuera, sed etiam de ea quæ publice virgo habebatur, etiamsi non esset. Nam ratio dictat tali quoq;, pro fama publice amissa, ad arbitrium boni viri æquiualens reddendum esse ex iustitia in casu in quo veræ virgini restitutio facenda esset.

De adulterio.

SECTIO IV.

ADulterium est illicitus concubitus coniugati cum soluta, aut soluti cum coniugata, aut denique cõiugati cum 24. coniugata. Supra fornicationem autem aggrauatur mortaliter, & in distincta specie constituitur per specialem deformitatem quam ex eo accipit, quod per ipsum violetur coniugij fides sanctitasq;, specialiter repugnans illicitæ expletioni libidinis. Quando igitur hæc effrænata fuerit, vt tanto obstaculo non reprimatur, specialem prauitatem in confessione declarandam contrahit, non tantum quando vterque criminosus fuerit coniugatus: sed etiam cum alter tantum. Etsi enim is qui solutus est, nihil agat contra coniugalem fidem à se datam, cum talem nulli dederit: cooperatur tamen alteri in violanda fide quam is dedit coniugi, ideoque reus est eiusdem criminis, & obnoxius restitutioni damnorum tale crimen consequentium. Attamen in hoc est differentia: quod crimen istius posterioris modi, sufficienter declaretur dicendo absolute commisi adulterium: non item crimen prioris modi: q;, quia duplicẽ continet iniuriam mortiferam (siquidem eo violantur duorũ matrimoniorum iura, duoq; coniuges damno afficiuntur) nõ exprimitur sufficienter nisi explicetur circumstantia, ratione cuius iniuria duplicatur.

25. Cæterum quomodo in hac re Confessarius se gerere debeat, quando ex adulterio proles susceptа fuerit, difficultatem habet quę tractata quidem est ex professo in lib. 10. c. 19. quæst. tertia: consultū est tamen, quæ Cōfessarium in promptu habere necessitas cogit in re non insueta, paucis perstringere.

Primum est adulteram, quæ cum prole illegitima habet legitimam, si bona propria habeat de quibus possit libere disponere, debere proli legitimæ resarcire damnum quod patietur ex eo quod in diuisione hæreditatis, illegitima proles sit habenda pro legitima.

Secundum est, adulteram cum nequit prædictam restitutionem facere, debere aliquando legitimis filiis reuelare illegitimum: aliquando vero non debere. Non enim debet quando sibi, vel illegitimæ proli ex reuelatione immineret vitæ periculum, aut infamia publica: nisi forte tam magnum bonum publicum ex reuelatione prouenturum esset; vt vita ac fama propria exponi deberet periculo: prout contingere potest cum spurius in regnum vel alium principatum successurus esset. Nec etiam debet adultera reuelare adulterium, quando probabiliter putat se ea reuelatione nihil profuturam apud illos quibus fieret. Debet autem reuelare, quando nec vitæ nec famæ periculum ipsi imminet, speratque se profuturam reuelando: siue quia credetur ipsi: siue quia sufficientia habet argumenta seu indicia quibus possit illegitimam prolem ostendere.

Tertium est, adulterum eadem ratione qua adulteram teneri vel non teneri ad restitutionem, aut sui manifestationem.

Quartum est, prolem illegitimam non teneri credere matri manifestanti adulterium nisi probationem adferat indicia sufficientia ad fidem faciendam. Quanquam tamen interdum iudicandum est rationabile esse, vt ipsius reuelationi credatur sine vlla probatione; vt cum satis patet, quod bona fide dicat omnia: velut cum dicit post susceptionem sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ: præsertim cum probabile est quod reuelet ob religionem ei iniectam à Confessario.

Quintum est, illegitimam prolem credentem matri manifestanti adulterium suum, teneri in conscientia hæreditatem relinquere: non autem illa restituere quæ consumpsit bona fide.

Sextum est, Quæ de prole illegitima, deque adultera vel adultero dicta sunt; similiter de prole supposititia, & eam supponentibus dicenda esse: siue quoad restitutionem, siue quoad manifestationem.

Septimum est, licitum esse ad vitandam infamiam aut periculum vitæ imminens, ex adulterio susceptos filios spurios in hospitali domo exponere: cum obligatione tamen eidem reddendi quæ sunt ad sumptum necessaria: nisi q̄ pauperes excusentur, quoniam instituta sunt hospitalia pro pauperib. Tam ij nihilominus, quam diuites debent à se expositorum curam diligentem habere: visitando, vel instituendo prout potuerit occulte: nunquam autem licet, ne quidem ad mortem siue propriam siue alienam vitandam, occidere prolem vel aborsum procurare.

Octauum est, inter alias adulterij pœnas (de quibus Sylu. *in verbo Adulterium, num.* 8. & latissime Ludouicus Molina de iustitia & iure, *tom. 3. tract. 3. disp. 89. & aliquot sequentibus*) hanc poni, vt adulter perdat ius petendi debitum coniugale, ita vt alter possit illud petenti negare absque peccato: nisi ipse quoque similiter peccauerit: quia tunc esset par vtriusq; ius, prout habet Nauar. in Enchir. cap. 22. num. 23. aut nisi crimen ipsius non esset notum sufficienter. iuxta doctrinam eam quam tradit Thomas Sanchez *lib. 1. de matrimonio, disp. 68. quæst. 1. & lib. 10. disput. 12. num.* 8. ad sequentem librum 31. pertinentem.

De incestu.

Sectio V.

26. INcestus est concubitus cum consanguinea, aut affine intra gradus prohibitos, quales sunt omnes gradus cōsanguinitatis vsque ad 4. inclusiue, & affinitatis vsque ad eundem pariter gradum, si ea contracta sit ex matrimonio: sin ex fornicatione vsque ad 2. gradum iuxta Concil. Trident. sess. 24. De reformatione matrimonij. Fornicationi autem superaddit specialem malitiam: quia propinquitas consanguinitatis vel affinitatis, peculiari nomine debet deterrere à turpitudine actus venerei ob reuerentiam debitam personæ propinquæ, prout D. Thomas docet 2.2. *quæst.* 154. *art.* 9. Eam vero esse mortalem malitiam patet ex eo, quod sit transgressio præcepti Ecclesiastici in re graui. Per quod præceptum annullatur quoque matrimonij contractus intra tales gradus; tum etiam ex eo, quod in priori ad Corinth. cap. 5. Apostolus tantopere exaggeret & execretur eiusmodi turpitudinem cum persona tantummodo affine. Omnino, *inquit*, auditur inter vos fornicatio, quales nec inter gentes, ita vt vxorem patris habeat aliquis. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis.

Porro in his, quanto maior est inter personas incestuosas coniunctio, tanto grauius peccatum est incestus: vt commissus cum consanguinea, maius peccatum est quam commissus cum affine; & inter consanguineos commissus, eo grauius peccatum est, quo gradus propinquior fuerit: vtpote turpius & magis repugnans rectæ rationi. An autem per tales excessus, diuersæ constituantur species incestus, relinquemus Theologis scholasticis disputandum. Qui volet poterit id sufficienter tractatum videre apud Leonardum Lessium de iust. & iure lib. 4. cap. 3. dubit. 12. Ad nostrum enim institutum sufficit notare (quidquid in speculatione videatur) rem esse talem, quæ ad intelligendum à Confessario plene statum pœnitentis, debeat exprimi in confessione saltem quoad diuersitates, ex quibus cognoscendum est, num incestus commissus fuerit cum consanguinea, an cum affine; idque an supra primum gradum, seu cum affine patre vel matre, socero vel socru. Itemque, an in 1. gradu, seu an cum fratre siue proprio, siue vxoris; aut cum sororе similiter siue propria siue vxoris. In quibus abhorrendus à natura varius turpitudinis excessus exigit ipsum varietate detegi ad informationem plenam Confessarij. Diuersitates vero quoad reliquos gradus detegi, ideo videri potest non necessarium, quod respectu illorum incestus non habeat varietatem turpitudinis, ex qua iudicium Confessarij de pœnitente notabiliter variari debeat, cum illamet turpitudo tota pendeat ex Ecclesiæ prohibitione: quæ in omnibus gradibus est similis; licet ratio paternæ reuerentiæ qua nititur, maius habeat pondus in superioribus quam in inferioribus gradibus. 27.

Aduerte autem præter dictam carnalem affinitatem, dari tum legalem, quę nascitur ex adoptione alicuius in filium: eo quod adoptanti reuerētia paterna debeatur: tum spiritalem quæ nascitur ex baptismo & confirmatione inter suscipientem & susceptum: & illum, ac huius parentes: quæ affinitates prout Ecclesiæ statuto impedimenta matrimonij constituuntur (ob paternam scilicet reuerentiam quam exigunt) copulæ carnali addunt turpitudinis augmentum notabile, adeoque exprimendum in confessione, prout aliis citatis notat Thomas Sanchez in lib. 7. de matrimonio *disput.* 5. *num.* 9. & 10.

Aduerte etiam ex cap. Transmissæ, De eo qui cognouit consanguineam vxoris: per fornicationem commissam cum consanguinea vxoris, impediri in fornicario petitionem debiti coniugalis, etiam quando eadem vxore mortua, duxerit aliam. Id quod tamen intelligendum est cum restrictione ad 1. & 2. gradum, iuxta Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. de reformat. matrimonij.

De raptu.

Sectio VI.

28. RAptus ad malitiam fornicationis super addit rapinam, per quam venere ę libidinis causa abducitur per vim iniustam persona, siue masculus sit siue fœmina, & hęc siue nupta, siue innupta: hæcque rursus, siue virgo siue corrupta, & hæc demum, siue vidua honesta, siue meretrix. Atque ea in re ex Gratiano in cap. De raptoribus, 36. q. 1. (*quod & expressit D. Thomas, 2.2. quæst. 154. art. 7.*) nihil refert siue vis inferatur personæ abductæ, siue iis sub quorum est cura, & potestate, siue vtrisque.

29. Vnde intelligitur primo, ad eam differentiam qua raptus constituitur luxuriæ species diuersa à fornicatione,

sufficere

sufficere vt vis quomodocunque inferatur fœminæ ad extorquendam ab ea carnalem copulam: cum sic ad malitiam fornicationis, castitati contrariam, addatur malitia alterius speciei: puta violentiæ illatæ contra iustitiam.

Intelligitur 2. raptum contingere, si fœmina ad consentiendum in carnalem copulam adducatur talibus precibus importunis, quæ violentiæ æquiualeant (*quales dari posse patet ex illis quibus Dalila coegit Sampsonem detegere in quo consisteret fortitudo ipsius, Iudicum 16. num. 16.*) Non item si preces importunæ sint tantum simplices, quæ non magis vim adferant quam pretium oblatum.

Intelligitur 3. non esse proprie raptum, quando facta pollicitatione matrimonij, aut alia fraude, copula extorquetur à fœmina, aut ipsa cognoscitur ignorans flagitium, quia dormit, aut bona fide putat virum suum esse qui ad eam accedit. Ratio est, quia quantumuis fraus, & ignorantia auferant voluntarium, non inferunt tamen violentiam quæ necessaria est ad raptum verum, proprieq; dictum.

Intelligitur 4. raptum verum contingere, non modo cum fœmina domo abducitur inuita, & carnaliter cognoscitur inuita; sed etiam cum volens quidem abducitur, sed postea cognoscitur inuita: aut contra, cum abducitur quidem inuita sed postea volens cognoscitur. Ratio est, quia in his etiam casibus inuenitur violentia superaddita fornicationi. Et verum est, quantumcumque fœmina sit meretrix, quoniam is status non obstat quin violentia sit iniusta.

Intelligitur 5. speciem raptus cõstitui saltem sufficienter, vt debeat in confessione explicari, si fœmina constituta sub parentum aut tutorum potestate abducatur, illa quidem volente; sed his inuitis. Ratio est, quia ipsis sit manifesta iniuria, dum constituta sub ipsorum custodia, extrahatur ipsis rationabiliter inuitis.

Intelligitur 6. ad constituendam speciem raptus nihil referre, siue vir fœminam, siue fœmina virum rapiat. Nam vtroque datur iniuria iniuste illata, per quam in actu libidinoso, malitiæ fornicationis additur diuersæ speciei malitia. Quæ maior tamen est, quando vir fœminam rapit; solaque facit obnoxium pœnis raptorum, de quibus paulo post dicetur.

Intelligitur postremo raptum, de quo tanquam de particulari specie luxuriæ agimus, non contingere quando fœmina rapitur ex alia causa quam venereæ libidinis: nam ad rationem luxuriæ requiritur affectus libidinosus. De quo aduerte quando adest, etiamsi coitus non sequatur, raptũ posse adesse. Cum ad eum constituendum sufficiat inferri vim animo libidinis explendæ.

30. Iam quod raptus sit genere suo peccatum mortale: ex eo patet, quod per violentiam iniustam, quam cum turpitudine actus luxurioſi, malitia ipsius includit, notabiliter augeatur contra iustitiam. Patet etiam ex grauibus pœnis quibus tale flagitium punitur vtroque iure. Nam ciuili Cod. de raptu virginum, lege vnica, pro raptu puellæ vel mulieris honestę, siue nuptæ, siue innuptæ, supplicium capitis statuitur: tum raptori, tum iis qui fuerint ei auxilio; & ipsius raptoris bona per iudicem addicenda sunt mulieri raptæ, si sit ingenua. Iure Canonico vero antiquo inter cætera statuitur, vt raptores puellarum siue mulierum, & cooperatores ipsorum, si Clerici sint, decidant à proprio gradu, id est, deponantur; sin laici, anathematizentur, 36. q. 2. cap. 1. Iure autem nouo, Concil Trid. sess. 24. cap. 6. De reform. matrim. inter raptorem & raptum nõ potest esse matrimonium, nisi rapta in libero loco posita, libere cõsentiat. Raptor vero ipse & omnes ei consilium, auxilium, & fauorẽ præbentes, sunt ipso iure excommunicati, & perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, siqui sint Clerici, deiiciendi sunt de proprio gradu. Tenetur præterea raptor mulierem raptam siue duxerit eam in vxorem siue non, decenter arbitrio Iudicis dotare.

Si opponas, non omnem raptorem subiici talibus pœnis. Ergo male ex eis generaliter inferri raptum esse peccatum mortale. Respondeo non posse negari antecedens: tum quia Concilium Tridentinum punit solummodo raptum fœminæ, factum à viro causa contrahendi cum ea matrimonij: tum quia dantur tres casus in quibus pœnæ antiquo iure cõstitutæ, non incurrebantur: quos in verbo Luxuria, quæst. 6. dicto 2. Syluester ex Panorm. refert: quorum primus habetur ex cap. Si quis virginem, 36. quæst. 2. cũ quis rapit sibi desponsatam. Secundus ex cap. Lex illa, in præced. quæst. 1. cum rapit illam cum cuius parentibus præcessit contractus de nuptiis cum eã contrahendis. Tertius ex cap. Cum causa De raptoribus: quando mulier in matrimonium futurum parentibus quantumuis inuitis consentit. Consequentia autem eiusdem oppositionis ideo negari potest, concesso antecedente: quia in iis quæ prohibita sunt quia mala, quando par est ratio malitiæ, par quoque malitia esse censenda est.

Cæterum circa pœnas à Concil. Trident. constitutas pro 31.
praxi nobis proposita: notandum occurrit difficultatem esse posse, an in tribus casibus allatis eæ locum habeant, si mulier abducatur vt matrimonium etiam inuita ineat. Nam quod locum habeant, videtur ex eodem doceri: quod intentio Concilij sit suo decreto libertatem matrimonij tueri, pœnas eas grauissimas imponendo illam offendentibus per raptum: vt offendit ille etiam qui sponsam inuitam abducit ad ineundum matrimonium. Sed contrarium quod tangit Henriquez in sua summa lib. 12. cap. 14. num. 5. non caret probabilitate: quia decretum prædicti Concilij, cum sit pœnale, intelligendum est cum restrictione ad proprie dictum raptum: non autem cum extensione ad alium (*præsertim per ius antiquum*) improprie dictum, prout raptus sponsæ dicitur, cum sit rei ad quam ius habetur. De raptu autem mulieris consentientis dissentientibus parentibus sub quorum fuerit custodia, idem maiore ratione dici potest: quoniam ad libertatem matrimonij, parentum voluntas nihil confert; sed tantum voluntas contrahentium. De impedimento matrimonij per raptum quæ notanda sunt commodius tradentur in sequenti tomo cum de matrimonio ipso.

De excommunicatione vero in eodem decreto raptori imposita, occurrit notandum: tum quod ea sit latæ sententiæ, vt patet ex particula, *ipso iure*, quæ in decreto ipso habetur expressa: tum eam nulli esse reseruatam: quia id alioqui debuisset in eodem decreto indicari; *iuxta cap. Nuper, De sent. excommunic. §. In 2. casu*, nec indicatur.

De aliis pœnis ibidem à Concil. additis notandum occurrit eas non incurri ante Iudicis sentẽtiam, prout patet de infamia, quæ est pœna iuris, infligenda à Iudice. De incapacitate vero omnium dignitatum, idem coiici potest; tum ex eo, quod Concil. verbis illis: *ac perpetuo infames, omniumq; dignitatum incapaces*, significet incapacitatem eiusmodi, eadem ratione qua infamiam, hacque præcedente incurri: tum etiam ex eo, quod tanta sit eiusdem pœnæ acerbitas, vt merito censeatur Iudicis sententiam exigere, prout citatis Nauarro & Molina, Sanchez argumentatur *lib. 7. De matrimon. disp. 13. num. 1.* In qua disput. & præced. 12. bene persequitur spectantia ad hanc materiam.

De dotatione demum, quod sententiam Iudicis requirat verba illa: *decenter arbitrio Iudicis dotare*, satis clare indicãt. Circa quæ obiter aduerte *quod etiam Sanchez in eodem num. 1. habet*, in tali arbitrio spectanda esse, tam raptoris quam raptæ, conditionem personæ: cum eiusmodi pœna imponatur in compensationem iniuriæ illatæ; hæcque secundum eandem conditionem æstimanda sit siue maior siue minor. Aduerte item si quæ damna secuta sint raptæ ex ipsius raptu, ea in foro conscientiæ esse à raptore resarcienda, non expectata Iudicis sententia: quoniam tunc, sicut in aliis illationibus damnorum, obligatio est de iure naturæ.

De sacrilegio.

Sectio VII.

IN materia luxuriæ, sacrilegium dicitur esse violatio rei sa- 32.
cræ per actum venereum. Quæ contingere potest quinq; modis. Primo, quando persona votum habẽs castitatis, quo se Deo consecrauit, consentit in actum luxuriæ; siue externum, siue internum, vterque enim est contra castitatem de qua tale votum est emissum. Secũdo, cum in actum luxuriæ circa personam prædicto modo consecratam Deo exercendum consentit persona, quæ non est similiter consecrata; vt contingit quando persona non adstricta castitatis voto for-

nicatur, aut optat fornicari cum adstricta eodem voto: puta cum Sacerdote, cum moniali, &c. Nam in eo consentit cooperari sacrilegæ voti violationi. Tertio, cum in eiusmodi actum, persona consecrata Deo, similiter consentit: cuiusmodi consensu, perinde ac in adulterio coniugati cum coniugata, duplex peccatum committitur: vnum violatione voluntaria proprij voti, & alterum consensu in violationem voti alieni. Quarto cum actus luxuriosus exercetur interuentu rei sacræ: prout fit cum quis vtitur sacra Scriptura ad iocos impudicos, quibus se & alios carnaliter oblectet. Id quod notabilem rei sacræ iniuriam continere, ideoque peccatum mortale esse, perinde ac voti violationem dubitandum non est. Pro quo facit prohibitio Concilij Triden. in fine quartæ sessionis: ne verba & sententiæ ipsius sacræ Scripturæ, conuertantur & torqueantur ad scurrilia, fabulosa, vana, &c.

33. Postremo cum actus luxuriæ exercetur in loco sacro, vnde malitia ipsius supra fornicationis malitia, mortaliter augetur. Id quod latius tractat Thomas Sanchez *in lib. 9. De matrimonio disput.* 15. Pro praxi autem nobis proposita sufficiet notare sequentia.

Primum est: per sanguinis aut seminis humani effusionem in loco sacro, hunc pollui, seu prophanari: ita vt consecratione indigeat, vt diuina in eo celebrentur, ex cap. Ecclesiis, distinct. 68. ex cap. Si motum, & cap. Ecclesiis, De consecr. distinct. 1. ex cap. finali, De consecratione Ecclesiæ, & cap. vnico, eod. tit. in 6. Cum vero per eiusmodi effusionem grauis iniuria contra virtutem religionis inferatur diuinis (impediendo nimirum celebrationem eorum, explendæ libidinis venereæ gratia) manifestum esse quod istiusmodi sacrilegium, cum mortali malitia castitati contraria coniunctam habeat mortalem malitiam religioni contrariam, eamque specie diuersam: vtpote virtuti diuersæ speciei contrariam.

34. Secundum est: huic eidem peccato obnoxios esse coniuges, si in loco sacro vtantur copula coniugali: nisi necessitas ipsos excuset. Etenim per talem copulam locum ipsum sacrum pollui, negant quidem aliqui: cæterorum tamen sententia (*vtrosq; magno numero commemorat Sanchez loco cit. n.* 7.) affirmatium pollui, pollui, probabilior est, vt & tutior: quoniã iura ante memorata generaliter ac sine distinctione statuunt Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis emissione. Sicut ergo conceditur secundum eadem iura, sanguinis effusione, etiamsi alias licita (vt cum reus dignus morte occiditur à iustitiæ ministris) pollui locum sacrum in quo facta fuerit: ita etiam concedendum est pollui effusione seminis, etiam alias licita, vt est in legitimo matrimonio.

Tertium est: non modo petentem sed etiam reddentem coniugale debitum, obnoxium esse prædicto peccato; quia actus ille carnalis, in quo committitur, æque pendet ex redditione atque petitione debiti. Ita tenentes plurimos commemorat *ibid. num.* 8. Sanchez. Consequenter agens pluribus de necessitate quæ vtrumq; excusare potest, meritoq; assentitur illis, qui concedunt eam contingere quando coniuges intra locum sacrum sic obsessi sunt, vt non pateat ipsis ad loca non sacra egressus, & longo tempore duratura est obsessio: ita vt attenta humana fragilitate, moraliterq; loquendo, censeri possit in coniugibus adesse incontinentiæ periculum, cui Ecclesia (*ne videatur dicipulam infirmis tendere*) nolit occasionem dare, statuendo locum sacrum violari per sanguinis, aut seminis effusionem: sed potius, commiserando eidem filiorum suorum infirmitati, noluisse statutum illud suum extendi ad casum vrgentis necessitatis euadẽdi periculum mortaliter peccandi. Pro quo ipse Sanchez *in seq. num.* 14. citat aliquot authores.

35. Quartum est: difficultatem esse; An sacrilegium istiusmodi contingat, si copula carnalis in loco sacro occulte exerceatur. Pro cuius vtraque parte, idem author aliquot Doctores citat *in eadem disput. nu.* 10. *&* 11. Cum eodem vero distinguendum videtur: vt sacrilegium tunc cõtingat quidem ex natura actus: non tamen ex modo quem eadem copula requirit, vt reipsa impediat diuinorum celebrationem. Oportet enim manifestam esse; vt palam constet de irreuerentia loco sacro illata, ob quam sit ibi omittenda diuinorum celebratio. Id tamen non obstat, quin etiamsi factum sit occultum, debeat cum eo circumstantia loci exprimi in confessione: ob hanc maxime causam, quod sic fundet sacrilegij malitiam, vt quantumcunq; nullus alius actus libidinosus interueniat: ex ipso (tanquam sacrilegio ex natura actus) prophanatio supra memorata consurgat, cum manifestatio eius aduenerit per communem famam, vel criminosorum protestationem, ei probabiliter æquiualentem.

Quintum est: non esse sacrilegium de quo agimus, si quis fœminam quam videt, aut cuius meminit, concupiscat in loco sacro, nisi appetat expresse, illam suam voluntatem exequi in eodem loco. Item nec si aspectus, nutus, aut verba inhonesta: imo & actus alios quantumcumq; turpes ibidem vsurpet, dummodo periculum absit pollutionis, effusionisve seminis; ita vt necesse non sit de talibus confitendo circumstantiam loci aperire. Ratio est, quia tales actus cum sint, *vt supponimus*, sine seminis effusione in loco sacro, ac sine illius periculo, non repugnant consecrationi loci, neq; eum violant: adeo vt possint diuina officia in eo peragi ac defuncti sepeliri. Aduerte tamen si tales turpes actus coniuncti sint cum desiderio perpetrandi ibi carnalis operis, declarandam esse talis loci circumstantiam, non secus ac si perpetratum esset ibi opus: quoniam actus internus, & externus pertinent ad eandem speciem, quando vterque tendit ad idem obiectum cum iisdem circumstantiis: cum mutatis vero circumstantiis, minime. Et ideo sacrilegium est quidem, etiam existentem extra locum sacrum, optare copulam carnalem exercendam in loco sacro: nõ est tamen existentem in loco, etiam sacro, eam optare exercendam extra talem locum. De quibus Sanchez quidem pluribus *in eadem disput. 15. quæst. 2.* Sed dicta, nobis sufficiunt.

Sextum est: *quod idem in seq. quæst. 3. late persequitur: & ad quod pertinent tam dicta à nobis in lib. 14. cap. 6. sub initium*, nomine loci sacri significari maxime Ecclesiam consecratam, aut benedictam ab Episcopo: ac diuinis, authoritate ipsius, deputatam. In qua, ad iudicandum de sacrilegio nobis proposito, spectandum est spatium pertinens ad corpus ipsius interius: vt pertinere censetur illud quod in ea est à pariete summi altaris ad parietem oppositum, limenq; ianuarum, & à pauimento vsque ad interius tectum seu tabulatum, aut cõcameration em. Cætera enim spatia supra vel infra, vel extra Ecclesiam esse dicuntur, non autem in Ecclesia: nisi forte in illis constituta essent sacella eiusdem Ecclesiæ, ad quæ per eam pateret aditus: talia enim censerentur ad ipsum corpus Ecclesiæ pertinere, atque conditionem ipsius subire; si ad diuina deputentur, id est, ad canendas preces Canonicas, aut ad Missam dicendam, aut ad fideles sepeliendos. Quæ conditio additur, vt excludantur cameræ institutæ ad aliũ vsum; vt sacristia ad conseruandas res Ecclesiæ, & campanile ad cõtinendas campanas quibus populus ad diuina vocatur: claustra item Religiosorum non destinata ad sepulturam: eorundem habitacula, & officinæ. 36.

Quæ omnia citatis authoribus Sanchez *in eadem disput. 15. quæst. 4.* tractans; amplius notat *in num.* 37. illam nomine Ecclesiæ non censeri, quæ authoritate Superioris destructa est sine spe reparationis; & in num. 38. partem qua amplificata est Ecclesia aliqua, licet non benedicatur comprehendi nomine loci sacri: quia pars addita coalescit in vnum corpus cum prioribus partibus. De eo quod idem disputat *num.* 39. an eodem nomine loci sacri comprehẽdantur oratoria, quid teneri debeat satis intelligi potest ex iis quæ diximus in memorato cap. 6. De cœmeteriis ab Episcopis benedictis quod reputari debeant loca sacra in quibus seminis aut sanguinis effusio sit sacrilega; patet ex eo, quod nequeant ibi fideles defuncti sepeliri, donec reconcilientur: ex cap. vnic. De consecr. Ecclesiæ in 6.

De peccato contra naturam.

SECTIO VIII.

37. VLtima species luxuriæ, est peccatum contra naturam, consistens in actibus venereis, in quibus peruertitur ordo quem natura postulat, vt sequatur conceptio prolis eiusdem speciei. Qui ordo quinque requirit. Primum est, cõiunctio duorum: secundum, eadem natura in vtroq;: tertium, sexus diuersus: quartum, vasa congrua: quintũ, debitus modus: ex quibus distinguuntur diuersæ talis peccati species

(de

(de quibus cum D. Thoma Caiet. 2.2. quæst. 154. art. 11.) nam ex defectu primi, constituitur mollities, consistens in corruptione sui absque alterius coniunctione: ex defectu vero secundi, constituitur bestialitas, quę committitur coniunctione hominis cum bestia, vel etiam cum dæmone: ex defectu porro siue tertij siue quarti constituitur Sodomia, qua mas cum mare, aut fœmina cum fœmina, coniungitur; aut si mas cum fœmina, id non fit in vase congruo accommodatove ad generationem: ex defectu demum quinti modi, cõstituitur inordinatus concubitus: qui cum sit quoad cætera naturalis, quoad modum est contra naturam, ita vt semen ad prolis generationem recipi vel attrahi non possit. Idem iudicium est, si alter ex cõcumbentibus, receptionem ipsam, vel attractionem impediat, iuxta ea quæ loco cit. dub. 5. habet Caiet. cuiusmodi peccatum censetur fuisse commissum ob Onan filio Iudæ, quando cohabitando cum Thamar effundebat semen in terram: eamque ob causam occidit eum Dominus, tanquam facientem rem detestabilem, ex cap. 38. Geneseos.

38. Quod si peruersio modi non sit tanta quin cõceptio prolis sequi possit, non censebitur peccatum istius generis, neq; de se mortiferum ex probabiliore sententia: pro qua authores magno numero refert Thom. Sanchez *lib. 9. De matrim. disput. 16. num. 3.* Ad cuius confirmationem supponendum est primo, eam intelligi de copula coniugali: quoniam de alia, tanquam fornicaria, non dubitatur peccatum esse mortale. Supponendum est secundo, inordinationem, ex qua in coniugali copula oritur malitia, ratione peruersionis modi naturalis, accidentariam esse eidem copulæ, cum secundum substantiam suam tantum requirat, vt exerceatur inter legimos coniuges, accommodate ad finem coniugij: qui est prolis generatio. Supponendum est tertio, eandem inordinationem influere malitiam in coniugalem copulam; non quidẽ ex parte situs corporis secundum se sumpti, sed ex parte causæ propter quam is vsurpatur: vt pater, quia non est illicitus, quando ex iusta causa vsurpatus fuerit sine periculo effusionis seminis extra vas, ac sine impedimento conceptus prolis. Cuiusmodi causa cẽsetur dispositio corporis in homine valde obeso, itemque periculum suffocationis fœtus in muliere grauida, & si quid aliud sit, quod non patiatur modum ordinarium coeundi.

Quibus ita suppositis, proposita sententia ex eo confirmatur, quod malitia contingens in coniugali copula peruersi ordinis, sit tantum finis indebiti: puta delectationis venereæ in illa quæsitæ intemperanter: quæ intemperantia nõ est mortalis, nisi egrediatur terminos coniugij; prout censetur egredi in eo, qui ad talem delectationem adeo afficitur, vt quantumcumque vxor non esset ea cum qua copulatur, aut etiamsi conceptio fœtus impediretur, vellet nihilominus ea frui: Quæ voluntas perinde peccatum est mortale, ac copulatio cum aliena, aut cum propria quidem sed impediendo prolis generationem: quia actus internus & externus sunt eiusdem malitiæ.

Consequens est autem ex his, quod præter alios, *quos Sanchez refert*, Toletus in summa lib. 5 cap. 13. sub finem habet: à mortali excusari actum coniugalem in quo vir succumbit fœminæ, vel retro ad eam accedit si absit periculum effusionis seminis extra vas (*vt abesse potest, cum semen in fœmineam matr. cem attrahatur per vim naturalem existentem in ea, sicut in stomacho inest naturalis vis attrahendi cibum*) nec conceptus prolis impediatur. Quod tamen nõ obstat quin ad notitiam status Pœnitentis, talis circumstantia aperienda sit in confessione: tum quia illam mortalem esse multorum sententia est, quorum in præced. num. 2. Sanchez meminit: tum quia omnes concedunt esse veniale valde graue, quod tanquam brutalitatem quandam Confessarius dissuadere debeat, etiam ex obiurgatione.

Cæterum quærenti; An coniugi exigenti copulam quoad modum indebitam, alter teneatur, aut possit reddere. Respondendum est *vt respondet Sanchez aliis citatis in ead. disp. 16. num. 8.* nec teneri: nec posse reddere cum periculo effusionis seminis extra vas, aliove impedimento generationis prolis: quia peccatum esset de se mortale, contrarium legi proprioque fini matrimonij. Alias autem si necessitas petentem excuset à peccato, alterum & posse & teneri reddere, quia nulla est causa recusandi. Si vero necessitas non excuset, quia ille petit tantum ad maiorem delectationem; debere quidem recusare ob abusum: posse tamen reddere si alioqui timeret verbera, aliave incommoda iudicio prudentis merito metuenda: perinde ac vsuenit debitori respectu creditoris ab eo ad abusum, pecuniam sibi debitam petentis, grauib. minis interpositis.

De mollitie.

Sectio IX.

Mollities est voluntaria seminis emissio absque copula, quæ alias dici solet voluntaria pollutio & immunditia. 39.
Pro cuius maiore notitia notandum est primo, quod aliis citatis habet Sanchez, *in lib. 9. de matrimonio, disp. 45. in princip.* ex membro pudendo præter vrinam & semen, procedere aliquando tertium quendam humorem medium, qui semini est similis in colore, & infectione, carnisque commotione, quæ ipsum aliquando comitatur: dissimilis autem in eo, quod nõ sit ita mordax ac crassus, faciliusque fluat, nec cum tanta carnis commotione, & in minore copia; atq; aliquando inperceptibiliter, & sine carnis motu. Solet autem appellari distillatio: de qua, *nisi rebellio carnis eam comitaretur*, non esset magis curandũ quam de sudore; vt idem addit ex Caie. *in tom. 1. opusc. tract. 22. art. 2. in fine.* Eam autem non esse pollutionem, D. Thom. *in Opusc. 64. cap. De fluxu seminis*, notat deprehendi hoc signo, quod pollutio in vigilia nequeat esse absque carnis commotione, & venerea delectatione, seu tali, qualis percipitur in concubitu.

Notandum est secundo, quod mollities peccatũ sit mortale, constare ex eo, quod D. Paul. in priori ad Corinth. cap. 6. 40.
versu 9. ponat molles inter eos qui à regno cœlorum excluduntur, & ad Galat. cap. 5. immundiciam ponat inter peccata quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur. & ad Ephes. cap. 5. immundum numeret inter eos qui non habent hæreditatem in regno Christi & Dei. Accedit ratio, quod ipsa sit contra naturam, vtpote quæ aduersatur generationi, ad quam natura destinauit semen: itemq; bono communi, quod magnopere lęderetur per fornicationes, adulteria & alia id genus flagitia: quæ censerentur concessa, si extra matrimonium eiusdem seminis liceret.

Quæ ratio etiamsi locum non habeat in distillatione prę-memorata: sufficienter tamen insinuat illius procuratione, peccatum mortale committi: cum & ipsa tunc coniunctam habeat notabilem commotionem spirituum vitalium, generationi & seminis effusioni deseruientium; vnde fit vt cẽseatur pollutio quædam inchoata, & ad eius consummationem ordinetur.

Hic occurrit dubium; An cum semen est pernicioſum vitæ, liceat conari illud expellere. Ad quod Thomas Sanchez *in præced. disput. 17. num. 19.* respondet distinctione: inquiens illam perniciem oriri posse, vel ex quantitate seminis, quia nimis abundat; vel ex qualitate; quia corruptum est, transiuitque in qualitatem venenosam. Atque superbundantem non esse licitum expellere, quia prolificum est: cuius effusionem aliter curare non licet, quam per copulam coniugalem. Corruptum autem licitum esse pharmaco, & medicinis expellere, quando iudicio medicorum id fuerit necessarium ad vitæ conseruationem. Rationem reddit, quia talia medicamenta nullatenus ordinantur ad effusionem veri seminis, sed tantum corrupti, quodque transierit venenosam qualitatem. Nec refert, quod aliqualis emissio veri seminis per accidens, & præter intentionem subsequatur: quia id prouenit ex re necessaria ad salutem corporis; vnde sicut est licitum pudenda ostendere chirurgo cum exigit necessitas medendi eis, aut ea incidendi (vt quando fœmina est arcta) etiamsi per accidens ac præter intentionem aliquid pollutionis sequatur, pari sani ratione licebit expellere prædictam prauam qualitatem in quam semen transiit; præsertim cum in tali casu (etiamsi per accidens sequatur pollutio) procul absit periculum in eam consentiendi ob delectationem: tali infirmitate scilicet obsistente, reprimenteque eius vehementiam.

Iam si esset dubium, num ex quantitate, an vero ex qualitate seminis infirmitas proueniret: si quidem iudicium medicorum tale sit, vt qui doctiores sunt inter eos neutri

parti acquiescant, non licebit illud expellere, tanquam manens in possessione opinionis quod ipsum sit verum, & generationi aptum: cum talis aptitudo ei suapte natura conueniat. Sin autem iidem medici opinentur probabiliter infirmitatem prouenire ex qualitate seu corruptione seminis, licebit tunc expellere illud, non obstante formidine aliqua de contrario; quoniam probabilem opinionem sequēs, potest tutus esse in conscientia, tanquam agens prudenti consilio.

41. Notandum est tertio, quod cum pollutio carnalis contingere possit, tum in somno, seu omnino dormientibus: tum in vigilia, seu omnino excitatis à somno: tum demum partim in somno, partim in vigilia, seu nondum ita excitatis à somno, quin adhuc semidormiant. Notandum, inquam, est primo modo contingentem, non esse in se peccatum ob defectum vsus rationis, in eo, qui polluitur: & tertio modo non esse peccatum plusquam veniale ob defectum pleni vsus rationis: ita vt secundo maxime modo, sit ea cui conuenit memorata ratio peccati mortalis.

Notandum est quarto, pollutionem quæ nō est in se peccatum mortale, posse esse in alio: nimirum, tum in sua causa, tum in suo effectu: seu, quod idem est, tum in antecedentibus, tum in consequentibus ipsam. Atque in antecedentibus tripliciter: prout patet ex Nauar. in Enchir. *cap.16. num.* 7. & 8. Ac primo in desiderio, affectuq; deliberato: vt cum quis deliberate desiderat pollutionem habere; idque ob delectationem carnalem. Quod addo: quia si desiderat prout simpliciter via naturali prouenit à naturalib. causis sine omni libera cooperatione, idq; ob aliquem rationabilem finem: vt ob sanitatem, vel ad sedandas carnis tentationes quibus interdiu vexatur, excusari potest à peccato: dummodo non sit tale desiderium quod det causam pollutioni. Pro quo præter Nauar. aliquot alios Lessius De iust. & iure lib. 4. cap. 3. num. 106. refert.

Secundo, peccare potest procuratione ipsius pollutionis; sicque semper est peccatum mortale ob quemcumq; finem ea procuratur. Vnde qui cibis calidis vescitur, vel aliud facit eo animo, vt in somno pollutio ei accidat, mortaliter peccat. Quod si obiicias, licere pollutionem desiderare propter sanitatem, ideoq; pariter licere, illam propter hanc procurare. Respondet Nauar. non valere eam consequentiam, vt nec istam. Licet desiderare mortem hominis nequam & perditi: ergo licet ipsum occidere.

Tertio, peccare potest mortaliter in eo quod non remoueat causam futuræ pollutionis quam animaduertit, aut debet animaduertere. Nec enim excusatur ille qui facit id vnde sequitur pollutio, si probabiliter cognoscat eam indesecuturam: aut ignoret quidem, sed ex magna sua negligentia: sicut censetur is qui sæpe experitur pollutionem sequi ex eo, quod tali modo dormiat, & negligit ad id aduertere. Attamen ad tale peccatum non sufficit in hoc casu aduertere causam: sed præterea requiritur. Tum vt quis eā animaduersam remouere valeat, cum non valens nō peccet: nisi forte, quod intrinsece malum est, in pollutionem ipsam consentiat, sibive in ea complaceat. Tum etiam, vt talis causa sit, quam teneatur remouere: sicut teneri censetur cum nec ad notabile bonum consequendum, nec ad notabile detrimentum euitandum, siue proprium siue alienum ea conducit.

42. Sic enim conducat, *dummodo absit periculum consentiendi, nec sit res quæ de se conferat ad pollutionem, nec ad eam ordinetur intentione agentis:* quantumuis præuideat quis eandem secuturam ex tali re, non ideo tenebitur hanc remouere, ob periculum pollutionis, si sciat hanc secuturam tantummodo per accidens: nempe patiendo eam ex humana infirmitate, neq; consentiendo in eam. Ratio autem est, qui a perse quenti ius suum, seu facienti quod iure potest, non imputatur effectus inde per accidens, ac præter intentionem suam subsecutus: cum alioqui multæ actiones necessariæ omittendæ essent, innumerique viderentur laquei timoratis conscientiis iniecti, quod minime dicendum est.

Ex qua doctrina *pro qua authores magno numero refert Sanch: 2 in lib. 9. De matrimonio, disput. 45. num. 4.* deducitur, eum qui predictarum rerum studio incumbit, non ex curiositate, sed ad bonum finem, non teneri ob periculum pollutionis relinquere idipsum studium; nisi simul periculum esset consentendi in illam. Quod idem iudicium est de aliis occupationibus non conferentibus quidem ad pollutionem, habentibus tamen per accidens cōiunctum illius periculum, si necessariè sint ad aliquod notabile bonum acquirendum, vel notabile detrimentum vitandum. Sic qui ex certo accubitu intelligit pollutionem sequi: si aliter nequeat dormire, non tenetur aliter accumbere. Similiter qui non habet cibos quibus vescatur, nisi eos vnde pollutio timetur, non tenetur abstinere, si abstinentia sit ei notabiliter nocitura. Item qui ex causa valde vrgente (*vt quia morbus est grauis, nec alius adest qui mederi valeat*) medici exercet ministerium: quod etsi de se ad pollutionem nihil conferat: ex eo tamen, *spectata sua infirmitate*, præuidet imminere sibi illius periculum; siquidem firmiter sibi persuadeat se minime in eam consensurum, excusari potest à peccato. Potest etiam is qui scit se periculo pollutionis equitando, si talis equitatio sit ex causa rationabili; & cesset periculum consensus. Potest quoque fricans verenda ad sedandum pruritum illorum, & ex quo magnam patitur molestiam.

In quibus & aliis similibus periculum pollutionis non obstare excusationi à peccato, dum agendi necessitas vrget (*modo absit periculum consensus in illam*) ex eo patet, quod mulier nupta patiens verendorum arctitudinem, si per incisionem à chirurgis factam, possit apta fieri copulæ, teneatur illam pati, ex cap. Fraternitatis, De frigidis & malefic. Itemque ex eo, quod matronæ, vt iuxta cap. Nec aliqua, 27. q. 1. & cap. Proposuisti, De probationib. iuuare valeant puellam aliquā esse virginem; possunt illius verenda inspicere ac tangere. In quo vtroque casu dubium non est adesse periculum pollutionis satis probabile. Et certe durū esset de mortali damnare sordes verendis adhærentes abstergentem, ne pruritum & fœtorem patiatur: cum eiusmodi actio non sit talis, quæ ad pollutionem tendat de se, sed tantum per accidens; nempe ex infirmitate agentis; absitq; ex diuinæ maiestatis timore, vel amore, periculum consentiendi in eam: quod quidem si adesset nulla daretur excusatio.

Notandum est quinto: magnam difficultatem esse inter 43.
Doctores; An ante tradita excusatio locum habeat, quantumuis non absit agendi necessitas, dummodo absit periculum consensus in pollutionem. Ac diuersos diuersa sentientes refert Sanchez *in cit. disp. 45. n.* 11. 12 & 13. Nobis pro praxi sufficiet cum eodem in sequen. numeris, illam explicare supposita distinctione causarum, in quibus pollutio præuidetur. Quædam enim sunt ex luxuriæ genere seu per se tendentes ad actus venereos, ordinatosve ad excitandum seminis fluxum: vt tactus, aspectus, & verba quibus appetitus ad luxuriam excitatur, relinquendo vestigium quoddam, & inclinationem ad illam, prout argumento sunt luxuriosa somnia, cū pollutione contingentia dormientibus, sicut D. Thom. 2. 2. *quæst. 154. art.* 5. attigit. Quædam vero non sunt ex genere luxuriæ, id est, de se minime pertinent ad luxuriam, vt esus vel potus abundantior, equitatio, aliæque similes actiones, ex quibus præter intentionem agentis, prouenit seminis decisio; non quidem facta per appetitum sensitiuum, quæ tendit suapte natura ad coitum: sed per vim expulsiuam, tendens de se ad naturæ alleuationem.

Quæ cum ita sint: si quidem causa in qua pollutio præuidetur sit prioris generis; nimirum actio per se tendens ad venereos actus excitandos, ac pollutionem consummandam, excusatio non est à mortali, nisi ex indeliberatione: quia lex naturalis obligans ad nō procurandam semin. s effusionem, obligat quoque, *nisi necessitas excuset*, ad euitandas causas per se ac notabiliter influentes ad eam; cum tales nulla necessitate vrgente admittere, sit in effectum ipsarum, *pollutionem inquam*, consentire: quod censetur mortale. Sin autem causa in qua pollutio præuidetur sit posterioris generis, seu nō venerea; & per accidens tantum, concurrens ad pollutionem, potest esse excusatio à mortali: dummodo absit consensus in ipsam pollutionem, ac in eiusdem periculum. Ratio est, quia licet ad illam concurrat per accidens, non est tamen vere & mortaliter causa illius. Vere enim procedit à vi naturali expultrice, quam suum effectum sortiri nemo sub mortali impedire tenetur, nisi forte concurrat alia causa per se volita, influens notabiliter in eiusmodi effectum: id quod prudentis iudicio definiendum relinquitur.

Notandum

44. Notandũ est sexto de malitia pollutionis quæ in sua causa non pertinente ad luxuriam, præuisa est quidem, non tamẽ intenta: iudicandum non esse ex speciali malitia quam ea ipsa causa habet; ita vt quantumcunq; eadem suo genere sit mortalis; si prout talis nihil conferat ad pollutionem, hæc non sit propterea mortalis censenda: vt si quis comedat rem suæ sanitati valde nocentem in qua præuidet, sed non intendit pollutionem. Istud Sanchez habet *in ead. disput. 45. n. 17.* & ante eum Suarez & Vasquez, quos ipse refert *in præced. nu. 16.* Ratio vero est, quod de peccatorum aggrauatione iudicandum sit tantum ex accidentibus quæ ad illam conferunt, prout habitum est in præced. libr. 14. cap. 2. sub initium. Cætera enim censentur esse tantum physica, non item moralia accidentia.

Notandum est septimo: pollutionem nullo modo in se volitam, sed indirecte tantum in sua causa, non esse peccatũ, suâ malitiâ interiore sed exteriore suæ causæ: quia non aliter quidquam peccatum est, quâ prout voluntarium; cum vbicunq; cessat ratio voluntarij, cesset & ratio peccati. Ita docentes plures refert idem Sanchez *in seq. n. 28.*

Consequenter inferens, *pluribus quoque citatis*: eum qui occasionem culpabilẽ dedit pollutioni, si de eo legitime pœnituerit, antequam hæc subsequatur, postea subsequentem vacare culpâ: cum non habeat intrinsecam vtpote in se non voluntariam: nec extrinsecam ex data illius causa; quia culpa commissa eam dando abstersa est; prauaq; voluntas emẽdata pœnitendo. Attamen in confessione aperienda erit subsecutio ipsa ad plenam manifestationem culpæ antegressæ.

45. Notandum est octauo, Quoties peccatũ mortale est pollutioni præuisæ causam dare, non remouendo hanc notabiliter influentem in illam, toties similiter mortale esse, causam dare præuisæ notabili ei distillationi, cuius meminimus in præced. nu. 39. & 40. aut cõmotioni spirituum vitalium generationi seruientium. Ratio est, quia talis tum distillatio, tum commotio notabiliter turpis est, & quædam pollutio inchoata, & ad eius consummationem de se ordinata. Quanquam tamen sicut coniugati possunt sine mortali culpa se mutuo tãgere & aspicere, ac inter se verba lasciua vsurpare, deq; futura copula cogitare cum aliqua venerea delectatione, ita etiam possunt a mortali excusari si in eo sentiant spõte aliquam cõmotionem spirituum vitalium generationi deseruientium, aut etiam distillationem prædictam; etiamsi nõ excusentur si consentiant in pollutionem, aut in pollutionis periculum: quoniam voluntaria effusio seminis prouenions aliunde, quam ex coniugali copula, nusquam à mortali excusatur: cum semper repugnet naturæ institutioni, quâ ob commune bonum administratio eiusdem seminis, nullo modo extra ipsam coniugalem copulam, permissa est hominis arbitrio.

46. Notandum est nono, Actum mortaliter turpem contra sextum præceptum, si in eo præuideatur pollutio, etiamsi non intendatur, habere specialem malitiã mollitiei, ob ipsam pollutionem præuisam: cum qua connexionem habet naturalem, per quã notabiliter in eam influit: & est per se illius causa. Quinimo ob hanc eandem rationem, *vt bene Sanchez notat in nu. 24.* idipsum verum est etiamsi pollutio non præuideatur: si quis tamdiu persistat in actu turpi ex quo sequitur pollutio, vel eius periculũ; vt censendus sit debuisse præuidere: quod arbitrio prudentis relinquatur.

Notandum est decimo, quamuis non liceat pollutionem procurare tamen quãdo cœpta in somnis, est in naturali fluxu (dummodo cesset periculum consensus in delectationem veneream, ad quod opus est imploratione diuini auxilij) licet eam non impedire ad vitandum morbi periculum. Ratio est, quia id non est procurare sed pati effusionem seminis, ne corruptum noceat. Pro quo, aliquot authoribus citatis, Sanchez *in seq. disp. 47 nu. 17.* ait, ipsum habere etiam locum vbi pollutio cœpit culpa patientis: si quidem præteritæ culpæ pœniteat: quia per pœnitentiam amouet causam præteritã culpabilem: de neepsq; solummodo patitur, ac non resistit eidem passioni, ad sanitatis conseruationem, quæ est finis conueniens ac optabilis.

47. Notandum est vndecimo, Quoad pollutiones ex Dæmonum illusione, vel natura debilitata prouenientes in somno, eas non esse de se peccata; posse autem esse, tum in sua causa iuxta antedicta: tum etiam in suo effectu: vt quando quis in ea facta complacet sibi ob delectationem veneream acceptam, quæ est materia de se illicita: non vero si ob aliquem bonum finem, vt releuationem à carnis vehementioribus stimulis.

Notandum est duodecimo, Pollutionem etiam contingentem in vigilia cum plena rationis aduertentia, non esse peccatum, si quis voluntatis consensum ab ea omnino cohibeat, studeatq; causam eius remouere iuxta antedicta. Imo vero si patienter ferat molestiam, quam patitur occasione talis infirmitatis, ea est illi causa meriti. 48.

Notandum est decimotertio, In pollutione voluntaria, cum peccato mollitiei peccata alia concurrere: aliquando vnum, aliquando plura: nam si quis illam admittendo, desideret vel imaginetur vnam virginem, vnum stuprum: si vnã coniugatam, vnum adulterium: si plures, plura siue stupra siue adulteria, cum mollitie concurrunt: & sic de cæteris siue specie siue numero differentibus: quæ omnia in confessione distinctæ explicanda sunt.

Notandum est postremo, Mollitiem aliquando committi ab vnica persona seipsam prouocante, siue mas sit siue fœmina: aliquando à duabus vna alteram adiuuante: quod multis modis contingere potest: quos quia speciem peccati non mutant, non est necesse Confessarium cognoscere, sed sufficit vt cognoscat pollutionem factam esse cum auxilio vel sine auxilio alterius. Hæc qui plenius tractata optet, legere potest Ioannem de Salas ad 1. 2. D. Thomæ tomo 2. tractat. 13. disput. 6. sect. 11. & septem sequentibus. Ea paucis perstringere visum est consultum, & sufficere Confessario pro ordinaria praxi.

De Sodomia & bestialitate.

Sectio X.

AD constituendam proprie dictam Sodomiam *(liceat nobis pro animarum salute quod medicis licuit pro salute corporum, res suis verbis vt facile capiantur exprimere)* requiritur cõmixtio viri siue cum viro, siue cum fœmina in ea corporis parte per quam, vt Scriptura loquitur Matth. 15. numer. 17. quod intrat in os vadens in ventrem emittitur in secessum. Vnde in rigore, nõ est Sodomia si mares se mutuo complexi etiam vno alteri supposito, sequatur seminis effusio; dummodo ea non fiat, intra memoratum vas: quia si fiat complebitur ratio Sodomiæ. Vnde aduerte *(quod Nauar. attigit in Enchir. cap. 27. nu. 249. §. 4. versus finem* D. Thomam 2. 2. quæstio. 154. art. 11. generaliter sumere nomen Sodomiæ, dum eo comprehendit omnem pollutionem habitam cum alio vel alia extra vas ordinarium: quia ipsum proprie dicitur tantum de ea effusione seminis intra memoratum vas, quam Nauarrus appellat copulam Somoditicam: adferens in confirmationem id quod habetur in cap. finali De sponsalibus, non consummari copulam nisi intra vas naturale semen effundatur. 49.

Memorata igitur effusio non Sodomia, sed mollities est proprie: ea tamen grauissima, perinde ac quando vir coiens cum muliere effundit de industria semen inter coxas ipsius, vt accidit Onam coeunti cum Thamar cuius antea meminimus. Ob quam grauitatem mollitiei superadditam, talis circunstantia quantumuis non muter speciem explicanda est in confessione ad aperiendam magnitudinem intemperantiæ, & effrenatæ libidinis cum qua tale flagitiũ perpetratum fuit. Adde & consensum in alterius peccatum mortale, aut certe ei illatam iniuriam, si is à peccato excusetur, eo quod non sponte sed violenter, aut ignoranter. *vt contingere potest dormienti*, tale quid ipsi contigerit. Sic autem fieri potest talis declaratio tacitis studio honestatis particularibus modis. Passus sum voluntariam pollutionem cum alterius contactu aut amplexu, aut etiam congressu: sine Sodomitico tamen affectu; quiquidem affectus interueniens exprimendus est, tanquam mutans speciem: quippe qui Sodomiæ malitiam habet.

Quam graue autem peccatum sit Sodomia, satis patet ex supplicio quo punitum est, à Deo Genes. 19. & ex exaggeratione 50.

ratione qua D. Paulus ad Rom. 1. aduersus illius reos vtitur, & ex pœnis quibus eosdem afficiendos esse ius decernit. Ciuile enim in authenticis, collat. 6. tit. Vt non luxuriẽtur homines contra naturam, decernit pœnam acerbæ mortis: nimirum flammarũ, iuxta ea quæ ex eodem iure notat Couar. ad Clemen. vnicam De homicidio, 1. *parte* §. 1. *n* 6. atq; receptam consuetudinem. Canonicum ius vero statuit in capit. Clerici de excessibus Prælatorum: si Clerici sint, deponantur vel in monasterium ad agendam pœnitentiam detrudãtur. Sin laici excommunicẽtur. Et per constitutionem Pij 5. verbis illis, quæ refert Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *n.* 249. omni priuilegio clericali, officio, beneficio ac dignitate priuantur: ac præcipiuntur tradi brachio seculari post degradationem ipsorum per Iudicem Ecclesiasticum. Quæ priuatio, vt Nau. ipse bene declarat, incurritur ipso iure, ab eo qui tale flagitiũ exercet, id est, id est, qui sic in illud labi consueuit, vt arbitrio boni viri dici possit exercitator illius; non autem ab eo qui cadit aliquoties, & ipsum pœnitet cecidisse.

Legendus est ibidẽ ipse Nauarrus: tum pro pleniore eius rei notitia: tum pro eiusmodi criminosi excusatione ab irregularitate, cui Couar. loco cit. obnoxium ipsum esse existimat, relatis aliquot alijs in suam sententiam. Quam Nauarr. ex eo reijcit, quod irregularitas incurratur tantum in casibus iure expressis ex cap. Is qui, De sentent. excommun. in sexto. Neq; ad eam peccati enormitas sola sufficiat, cum odiũ Dei sit peccatum naturâ suâ grauius quam Sodomia, nec tamen cum fuerit occultum, inducit irregularitatem: vt non negarit Couar. Quare nec Sodomia occulta inducet. Quæ ratio cum tanti doctoris authoritate, potest in praxi sufficere ad moralem certitudinem.

51. De bestialitate, quod grauitate malitiæ Sodomiam superet, ratio ipsa naturalis, & conscientiæ dictamen *(quod ne quidem in improbißimis penitus extinguitur)* satis superq; vnicuiq; testificatur. Certe cum Sodomiam in se perinde includat, ac adulterium, fornicationem, superaddendo differentiã mortaliter aggrauantem, censenda est malitiæ grauissimæ: quam Scriptura sacra indicauit cum in illius detestationem statuit Leuitici 18. & 20. non modo illius perpetratorem, sed etiã bestiam cum qua perpetrata fuerit, morte delendam esse. Quod autem ijsdem pœnis quibus Sodomia faciat obnoxios illos qui eâ se contaminauerint, non videtur dubium: cum vt diximus Sodomiã ipsam includat: perinde ac adulterium, fornicationem.

Cæterum cuius speciei fuerit bestia cum qua commissum est tam nefandum scelus, non est necesse Confessarium inquirere: quia inde non variatur species peccati: nisi forte fuerit bestia infernalis, seu dæmon incubus aut succubus: quia coniunctam haberet malitiam pacti cum dæmone, aperiendam in confessione, tanquam aggrauantem mutando speciẽ. Circa Sodomiam autem inquirẽda est circunstantia personæ, ad intelligendũ an coniunctam habeat malitiam adulterij, aut sacrilegij aut incestus. De cætero circa vtrumq; tale flagitium antequam absolutio detur, curandum est vt sublata sit occasio illorum propinqua: imo vt criminosus ad Superiorem pro ea remittatur non tantum quando fuerit illi reseruata, vt plerunq; solet: sed etiam nonnunquam quando non fuerit: nimirum propter illius enormitatem, de qua cõsultum est Superiorem cognoscere, qui efficacius remedium ei adhibere posse censetur.

CAP. VLTIMVM.

De gula.

SVMMARIVM.

52 *Definitio gulæ, cum modis quibus ea contingit.*
53 *Septem casus in quibus peccatum gulæ est mortale.*
54 *Species gulæ crapula & ebrietas, quodq; peccatum gulæ censeri possit solummodo veniale etiamsi in eo commissus sit excessus vsq; ad vomitum.*
55 *Ebrietas procedens vsq; ad priuationem vsus rationis peccatum est mortale, duobus casibus exceptis.*
56 *Quid sit iudicãdum de nimio potu sine priuatione vsus rationis.*
57 *Signa ex quibus deprehenditur cuiusmodi fuerit ebrietas.*
58 *Peccatum concurrentis ad alterius ebrietatem.*
59 *Quomodo explicandum sit in confessione peccatum ebrietatis.*
60 *Quomodo facta in ebrietate sint peccata, aut à peccato excusentur.*
61 *De contractibus factis in ebrietate, & pœnis ebriorum.*
62 *De filiabus gulæ.*

DE gulæ peccato agitur in ordine ad sextum & nonũ Decalogi præceptum, tanquam de eo quod fouet luxuriam, iuxta illud tritũ, Sine Cere & Baccho friget Venus; & illud quod Ezechielis 16. vers. 49. inter causas iniquatis Sodomæ ponitur saturitas panis: & quod ad Ephes. cap. 5. vers. 18. Apostolus vetat inebriari vino in quo est luxuria. De illa autẽ instituunt tractationem Gratianus dist. 55. 41. & 44. D. Thomas ac ipsius interpretes 2. 2. quæst. 148. & 150. Summularij in verbo Gula, & in verbo Ebrietas. Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 119. & alij quos commemorat Sebastianus Medices in sua summa De peccatis tit. 7. quibus accesserunt recentiores aliquot.

Definitio gulæ, & quibus modis ea contingat.

SECTIO I.

EST autem gula cibi potusq; appetitus inordinatus, seu excedens rationis præscriptum. Quod fieri potest quinq; modis indicatis hoc versu: 52.

Præpropere, laute, nimis ardenter, studiose.

Quorum sensus est, peccatum gulę comedendo vel bibendo committi ab eo, qui præuenit tempus debitum, aut qui quærit nimis, pretiosum cibum & potum, aut qui nimis, multum sumit, aut qui sumit cum nimia auiditate, aut qui cibos quærit nimis delicate præparatos. Hos ex D. Greg. lib. 30. Moral. relatos tractat D. Thom. in cit. qu. 148. art. 4. De quibus notandum est, peccatum gulæ cõmitti, tum in substantia cibi & potus, cum præter modum ea est pretiosa & lauta; tum in quantitate, cum quis plus sumit cibi & potus, quam egeat ad sustentationem suam; tum in qualitate, cum quis quærit cibum nimis exquisite apparatũ: tum in ipsa delectatione gustus: quæ nimis placens, efficit vt cum auiditate nimia cibus & potus sumantur: tum demum in tempore, cum cibus & potus in debito tempore sumuntur.

Casus in quibus gula peccatum mortale est.

SECTIO II.

PORRO quocunq; ex his modis peccatum gulæ committatur, mortale est in septem casibus. Primus est, quando in delectatione cibi & potus ponitur vitæ finis: vt censetur fieri ab ijs qui nihil quærunt aliud, quam edere, & bibere: ei delectationi postponentes diuinam voluntatem: ita vt quadret in eos illud Apostoli ad Philip. 3. Quorum Deus venter est.] 53.

Secundus, quãdo ex appetitu cibi, & potus aliquis id agit à quo abstinere ex præcepto obligatur sub mortali, vt is qui diebus vetitis vescitur carnibus, aut in diebus ieiunij, illud frangit, cum seruare possit, aut qui lautis ac pretiosis cibis vescendo contrahit debita; seq; impotentem reddit ad ea soluenda, aut qui non succurrit proximo, grauem necessitatem patienti, aut qui ideo filias suas in statu debito non collocat.

Tertius, quando damnũ notabile corpori infertur: vt cũ quis cibi & potus sumptione grauiter offendit sanitatẽ corporis: item cum alteri causa est eiusdem incommodi; illum in talem finem ad edendum & bibendum inducendo. Ad q; vtrumq; requiritur vt quis ad tale quid aduertat aut aduertere debeat: prout debet cum alias expertus est idipsum sibimet, aut alijs nocere.

Quartus, quando graue scandalum datur proximo. Quã in re quam grauiter peccetur ostenditur illud ab Apostolo dictum in priori ad Corin. cap. 8. Si esca scandalizat fratrem meũ, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.]

Quintus, quando cibus & potus est contra naturam: sic vesci carnibus humanis, aut sanguinem humanum bibere, mortale peccatum esse docent communiter Theologi, quia id repugnat naturæ: vt argumento est, quod omnes gentes apud quas fuit aliquid ciuilitatis, semper cẽsuerunt tale quid esse inhumanitatis ac feritatis. Quanquam vt causâ infirmitatis, sic & causâ necessitatis grauis, licere talem vsum arbitrantur pleriq;: quos refert & sequitur Leonardus Lessius

de iu-

de iustitiâ & iure lib.4.cap.3. dubit. 2. Et ratio est, quod talis causa possit inhumanitatem ac feritatem abstergere, nisi in eum finem quis occidatur.

Sextus casus est, quando ex cibi, & potus sumpti quantitate, aut qualitate, probabiliter timetur peccatum aliquod mortale committendum, & nihilominus non abstinetur à sumptione. Sic mortaliter peccat, qui compertum habens experientiâ, se ex aliquâ sumptione cibi & potus concitari ad venerea cum notabili periculo consensus, non cohibet se ab illa.

Septimus casus est, quando quis ob gulæ voluptates, peccatum aliquod mortale committit; vt furatur, contractus iniquos facit, &c.

Species gulæ, crapula & ebrietas.

Sectio III.

54. QVoniam gula partim in cibi, partim in potus immoderato vsu versatur, vt patet ex ipsius definitione: duæ species illius assignantur; crapula scilicet, & ebrietas: quarum prior cibi & posterior potus est appetitus inordinatus: de quibus Dominus Lucæ 21. admonet. Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate] & Apostol. ad Rom. 13. Sicut in die honeste ambulemus non in comessationibus & ebrietatibus.] Qui idem ad Galat. cap. 5. inter opera carnis quæ qui agunt regnũ Dei non possidebunt, ponit comessationes & ebrietates.

Atq; de crapula dubium est, an peccatum sit mortale cum quis deliberate ad vomitum vsq; replet se cibo. Cuius partem affirmantem tenent Angelus in verbo Immundicia, & Sylu. in verbo Gula num. 2. Negantem vero Caiet. in verbo Gula & in verbo immundicia, & Nauar. in Enchir. cap. 23. nu. 119. cum putãt tunc tantum in esse peccatum mortale, cum quis sibi notabile detrimentum inde accersit. Ratio est, quod gula sit de eorum peccatorum numero, quibus homo peccat in seipsum, vnde sine graui læsione sui cõmissum, censeri potest minus, quam mortale, nisi aggrauetur aliunde.

Notanda de ebrietate.

Sectio IV.

55. DE ebrietate notandum est duplicem eam esse: vnã quâ homo priuatur omnino vsu rationis: & alteram qua nimium bibit quidem, non tamen priuatur vsu rationis. De priore communis consensus est, peccatũ esse mortale. Nam D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 6. vers. 10. inter eos qui regnum Dei non possidebunt, ponit ebriosos. Item constat hominem per talem ebrietatem nulla vrgente causa seipsum afficere magno damno; nimirũ priuatione vsus rationis per quam bruto similis redditur. Id quod mortale est tanquam contrarium charitati quâ seipsum diligere tenetur. Hoc quidem pluribus, tum authoritatib. tum rationibus confirmari potest, vt videre est apud Leonardum Lessium, *de iustitia & iure lib. 4. cap. 3 dubit. tertia:* sed quia res est satis aperta, nobis sufficiet pro praxi addere duos casus, in quibus ebrietas eiusmodi excusatur à mortali. Prior est, *qui vix habet locum in soluto se inebriare*, quando inebriatur quis præter intentionem: nimirum ignorando potus nimietatem, aut vim vini, aut complexionem suam.

Posterior casus est, quando quis secutus medicorum iudicium inebriat se ad recuperandam sanitatem, quæ nequit alia ratione recuperari. Ita docent in verbo Ebrietas Caietanus Fumus & Sylvest. quæst. 3. Ac probatur: quia si in simili casu licet membrum abscindere, multo magis licebit se vsu rationis priuare ad breue tempus, vt longo tempore libere eo vtendi facultas habeatur. Deinde vini vsus non est malus, nec illicitus: nisi sit contra temperantiam: sicut censetur tunc esse, cum bibitur intemperanter; atque adeo aliter, quam conueniat ad corporis sanitatem: quod non fit in proposito casu, in quo medicus potum vini ad ebrietatem vsque, iudicat necessarium ad sanitatem recuperandam. Quod igitur Apostolus ad Ephes. 5. vetat inebriari vino, intelligendum est de ebrietate contraria temperantiæ: qualis non est illa, quæ ad corporis sanitatem censetur plane necessaria.

De posteriore ebrietate cõmunis doctrina est, genere suo 56.
pecccatũ esse solummodo veniale: q̃ per accidens fiat mortale in casibus qui propositi sunt in præced. sect. 2. Et facilius, q̃ crapulam: quia magis fouet alia vitia, prout indicant verba illa Sapientis Prou. 20. Luxuriosa res est vinũ: & tumultuosa ebrietas. Certe dist. 35. cap. vlt. ebrietas apette dicitur fomes, & nutrix omnium vitiorum. In quam sententiam qui plura videre volet, legat memoratum Lessium: possunt enim hæc sufficere ad iudicium nobis propositum.

Notandum est secundo vtrum ebrietas priore modo cõ- 57.
tigerit, deprehendi *(quod etiam Lessius notat)* his signis. Primo, si factus ebrius non mansuerit postridie; quid tunc dixerit, egerit, quomodo domum, aut cubitum ierit, à quo ductus sit vel adiutus. Secundo, si ea cõmisit quæ mente sanus nunquam solet: vt si turpia, & absurda locutus sit; cum alias castus sit, & prudens; sicq; de alijs, quæ cum omnino insolita ei fuerint, indicia sunt, rationis consopitæ per imaginationis perturbationem ex vino prouenientem. Tantum autem posteriore modo ebrius esse censendus est: qui adhuc potest inter licitum, & illicitum discernere, malum vitare, & bonum eligere: quantumcunq; verbo vel opere ostendat ineptam lætitiam; & cerebrum sic turbatum sit vt domus aliquo modo verti videatur, & ambulando titubet, vertiginẽq; patiatur: non tamen tantam, quin solita officia exequi possit, etsi non sine difficultate. Quæ doctrina est Caiet. in verbo Ebrietas.

Notandum est tertio, in quibus casib. peccatum est mor- 58.
tale inebriare seipsum, esse quoq; inebriare aliũ. Eodem enim peccato se contaminat, qui alterum inducit ad malum, ac qui malum facit, ex cap. 1. Epist. ad Rom. in fine. Vnde patet quod ex D. Anton. 2. part. titul. 6. cap 3. §. 2. habet Tabiena in verbo Ebrietas num. 2. mortaliter peccare eum, qui ad põtandum inuitat alium, quem probabiliter scit ebrium fore; ac multo magis *(quod Tabiena addit ex Angelo in verbo Ebrietas §. 1. sub finẽ)* eum qui quouis modo procurat, vt alius inebrietur, etiamsi ebrietas non sequatur: quia consentit in notabile damnum proximi. Mortalis adhuc criminis reum cum D. Anton. Tabiena constituit illum, qui commode potest impedire ne alius inebrietur nec impedit: in confirmationemq; adfert cap. Si culpa De iniurijs, & damno dato. Cui accedit ratio: quia id, est contra charitatem proximo debitam. Ex quibus infert porro Tabiena grauis peccati reos esse caupones qui ex auaritia quadam ministrant bibentibus vinum, quo inebriandi sunt: vt ea ratione plus pecuniarum emungant.

Inferri quoq; potest sanctos Patres (vt Diuum Basilium homil. in ebrietatem: D. Ambrosium de Elia & ieiunio cap. 13. & D. August. serm. 231. & 232.) merito inuehi in consuetudinem prouocandi ad æquales haustus: cum ex tali potandi certamine ebrietas facile sequatur: cuius periculo probabili se vel alium exponere, peccatum est mortale: perinde ac se exponere probabili periculo alterius peccati mortalis. Adde quod mera corruptela sit bibendi regulam statuere, non quidem rationem, nec naturæ necessitatem, aut bonam valetudinem, sed alieni ventris & viscerum capacitatem, tanquam lagenæ, aut cloacæ potius in quam vinum transfunditur perdendum. Nec est quod dicatur ea re foueri mutuam amicitiam: quia facit Deum inimicum *vt bene vrget D. Aug. in cit. serm.* 231. quod maximum est malum, ipsaque morte peius. Vnde in sequenti sermone inter cætera, D. ipse Augustinus ait: etiamsi ad hoc veniretur. Aut bibas aut morieris: melius erit vt caro tua sobria occidere tur, quam per ebrietatem anima moreretur.

De ijs quæ fiunt in ebrietate.

Sectio V.

59. NOtandum est quarto, quod vt is qui sæpius factus est ebrius, non satisfacit si in confessione dicat se fuisse ebrium: sed debet dicere quoties id ei contigerit, ita nec satisfacere eum qui procurauit plures, aut aliquem pluries inebriari, si dicat se inebriauisse aut inebriare voluisse alios: sed debet exponere quoties, & quor personas voluerit inebriare. Adde iuxta paulo post dicenda si quæ mala ex ebrietate contigerint, esse pariter exprimenda. Ad quorum confirma-

tionem

tionem facit communis doctrina de requisitis ad integritatem confessionis, tradita in lib. 6. cap. 4.

60. Notandum est quinto, mala quæ in ebrietate fiunt esse aliquando peccata specie distincta ab ebrietate, aliquando vero esse circunstantias aggrauantes ebrietatem, & demum aliquando nec peccata nec peccati circunstantias esse. Peccata enim sunt specie distincta, quando ante ebrietatem menti occurrerunt explicite: aut implicite quidem, sed in principio moraliter sufficienti, vt eadem excitaretur ad talia præuidenda, præcauendaque. Ratio est, quia ille qui vult ebrietatẽ ex qua hæc vel illa peccata probabiliter subsecutura nouit: is in ea ipsa ebrietate, tanquam in causa, pariter vult eadem peccata, reusq; illorum coram Deo efficitur: siue ex illa (ebrietate inquam) postea de facto subsequantur, siue non subsequantur: quia istud esset per accidens ex defectu obiecti; perinde ac si quis domum alterius incenderet, putans multos tali incendio vitâ priuandos, secusq; contingeret, eo quod accideret neminem ibi esse, quem corripiendo ignis priuaret vita. In ebrietate vero peccata commissa tunc sunt circunstantiæ ipsius, non item species ab ipsa distinctæ, quãdo ea fuerit culpabilis, & ante eam peccata eiusmodi minime in mentem venerint, nec moraliter venire potuerint. Tunc enim voluntaria in se non sunt, quandoquidẽ ebrietas (dum fiunt) aufert rationis vsum: & ideo nequeunt culpam, vel deformitatem specificam habere aliam, quam ebrietatis. Vnde vt ex D. August. habetur in cap. Inebriauerunt, 15. qu. 1. Loth culpandus est, non quantum incestus, sed quantum ebrietas meruit.

Deniq; commissa in ebrietate nec peccata sunt nec circunstantiæ peccati, quando ebrietas ipsa fuit omnino inculpabilis. Nam nec voluntaria sunt in se: nec in ebrietate, quæ ex hypothesi fuit omnino inculpabilis: ob quam etiam causam nequeunt circunstantiæ peccati censeri. In horum gratiam aduerte commissa in ebrietate, etiam voluntariâ, propterea non esse peccata in se, quod in tali statu, ob defectum vsus rationis, non exerceantur libere. Imo vero nec esse peccata in alio, tanquam effectus peccati cuius malitiam contrahant, nisi in eodem præuisa sint. Quando enim nullo modo præuideri potuerunt; nullo modo peccata esse, patet: quia quod nullo modo cognitũ est, nec cognosci potuit adhibita morali diligentia, nullo modo voluntariũ est, ac proinde nec peccatum. Sic à mortali excusari potest homicidiũ in ebrietate commissum ab eo, cui nihil omnino occurrit, quod excitaret dubitationem, vel timorem talis mali, sibi euenturi ex ebrietate; vel si aliquatenus dubitauerit aut timuerit, cautionem adhibuit humano modo sufficientem, ne quid tale contingeret.

Neq; obstat, quod idipsum peccatum causam habeat omnino liberam, quia non ideo fuit effectus liber: vtpote qui posità semel causâ non fuit amplius in hominis potestate; hausto enim largius vino, indeq; secuto rationis defectu; opera quæ in tali statu deinceps sequuntur, non sunt in libera hominis potestate; ac proinde nec sunt peccata: de quorum ratione est, vt à voluntate taliter pendeant, quod liberum sit eorum perpetrationem inchoare, vel non inchoare, inchoatamq; abrumpere, vel continuare: quod in ebrietate contingere nequit, ob eum quem diximus defectum vsus rationis.

61. Notandum est sexto, contractus factos in ebrietate non valere, vt matrimonium, venditionem, emptionem, &c. Ebrius enim quando ebrius est, reputatur amens: atque ab amente facti contractus, nulli sunt: vnde sequitur eum qui ab ebrio lucratur ludendo, aut dono aliquid accipit, teneri ad restitutionem. Sed aduerte ex Sylvest. in verbo Ebrietas, qu. 5. istud esse intelligendũ de ebrio proprie, seu qui omnino priuatus est vsus rationis: si enim adhuc habeat rationis vsum: possunt quidem validi esse ab ipso initi cõtractus: sed in foro exteriori dissoluuntur: quia ebriosis succurri solet per misericordiam iuris (*inquit idem author*) quod nihilominus, ebrietatem ipsam non relinquit impunitam. Nam in cap. Episcopus, dist. 35. præcipitur, vt Episcopus aut Presbyter aut Diaconus ebrietati seruiens deponatur: cæteri cõmunione priuẽtur. Et in ead. dist. cap. vltimo habetur ex Conc. Agathensi: vt is quẽ constiterit ebrium fuisse, spatio 30. dierum à cõmunione summoueatur, aut corporali subdatur supplicio: & in cap. A crapula, De vita & honest. Cleric. statuitur vt Clerici ebriosi, vel qui alios ad ebrietatem incitant, vel ad æquales haustus se obligant nisi admoniti emendauerint se, suspẽdantur ab officio vel beneficio. Quas pœnas & alias eiusmodi à Sumis Pontificibus, aut sacris Concilijs constitutas Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. De reform. præcipit ad vsum reuocari ab Ordinarijs; ac etiam maiores imponi.

De difficultate an ebrius irregularitatem incurrat committendo homicidium, dicetur commodius in sequenti lib. 30. tract. 2. qui erit de irregularitate, vt impedimento Sacramenti ordinis.

De filiabus gulæ.

Sectio Vltima.

GVla constituitur vnum ex peccatis capitalibus, ex quo nascuntur quinq; quasi filiæ, hebetudo mentis, inepta lætitia, stultiloquium, scurrilitas, & immunditia: quæ à D. Gregorio traditæ in lib. 31. moral ca. 31. explicãtur à D. Thoma 2. 2. quæst. 148. art. 5. & 6. Ex immodico igitur cibi & potus vsu, in quo gula consistit, nascitur in mente hebetudo: tum ratione vaporum quibus oppletur cerebrum, tum ratione delectationis superfluæ, cum eodem vsu coniunctæ: ex qua fit, vt mens ipsa sit, *vt dicitur*, in patinis. Mens vero hebetata cum non percipiat altiora, conquiescit in prædicta delectatione, tanquam in participatione quadam beatitudinis: indeq; prouenit in appetitu lætitia inepta; quæ in risu & alijs id genus signis ostenditur. Prouenit præterea in ore: tum stultiloquium, tum scurrilitas: stultiloquium quidem, quia mens dum nimis intenta voluptati ex cibo & potu perceptæ, non considerat quid dici debeat, fit vt temere dicatur quidquid venit in buccam. Scurrilitas vero, quia ex inepta lætitia sequitur vt multa indecora, ac etiam turpia agantur aut dicantur, risus mouendi gratia. Deniq; gula parit in corpore immunditiam: quia ex ingluuie, luxuria nata est sequi: vt iam notauimus initio huius capitis: tum quia excessus in cibo & potu, sæpe parit vomitus, & alias fœdas superfluorum excreationes. 62.

Cæterum vt gula ipsa, sic & istiusmodi filiæ ipsius, peccata sunt suo genere venialia: excepta immũditia, quatenus tunc contrahit malitiam, luxuriæ quando hanc parit. Quatenus autẽ parit vomitus quamuis aliqui existimarint tunc quoq; esse peccatum de se mortale, contrarium tamen teneri posse antea numero 54. docuimus.

* *
* *

LAVS DEO.

LIBER OCTAVVS ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVS TERTIVS.

IN QVO TRADITVR SPECIALIS RATIO IVdicandi de peccatis, in ordine ad septimum, & decimum præceptum Decalogi.

DE IISDEM PRÆCEPTIS PRÆNOTANDA.

SVMMARIVM.

1 *Quæ cadant sub septimum Decalogi præceptum.*
2 *Quid prohibeatur decimo Decalogi præcepto.*
3 *Concupiscentia quæ in eo prohibetur, quæ contineat, & quando contingat esse vel non esse peccatum mortale.*
4 *Quæ cadant sub iudicium de peccatis faciendum in ordine ad septimum & decimum præceptum Decalogi.*

Nu. 1. ETsi in septimo præcepto habeatur tantum expressa mentio furti, cum dicitur Non furtum facies: receptum est tamen eo prohiberi non tantum illud quod specialiter ac proprie furtũ dicitur, postea describendũ à nobis: sed etiam rapinam, & aliam quamuis rei alienæ iniustam siue acceptionem siue retentionem: atq; adeo illud omne per quod iniuste proximo damnum infertur, iuxta D. August. relatum in cap. Pœnale, 14. quæst. 5. quem sequuntur in sua expositione Concilium Colonienſe & Catechismus iussu Concil. Trid. editus. Vnde fit, vt innumeri prope sint modi speciales, quibus contra idipsum præceptum peccatur. Certe D. Anton. 2. par. tit. 2. cap. 1. centum numerat: atq; ad id applicans illud Psal. 103. Hoc mare magnum & spatiosum manibus: ponit viginti manus Diabolicas, & cuiq; manui attribuit quinque digitos, id est, modos quibus iniustitia exercetur, adeoq; peccatur cõtra hoc ipsum præceptum de non lædendo proximum in bonis suis pecuniarijs.

Receptum est etiam communi Doctorum consensu, ipsum esse negatiuum, quod contineat affirmatiuum de facienda restitutione rei iniuste acceptæ, vel iniuste detentæ: itemq; damni iniuste illati: quoniam hoc ipso, quod prohibetur retentio iniusta rei alienæ, iubetur illius restitutio: cum res aliena, hoc ipso quod retineri non potest, sit restituenda.

2. Decimo vero præcepto prohibetur consensus in concupiscentiam rei alienæ. Quod vt plene intelligas: nota primo, cum bonum sit triplex, honestum, delectabile, & vtile: appetitum sensitiuum (*cuius concupiscentia inordinata prohibetur duobus vltimis Decalogi præceptis*) non posse desiderare bonum honestum: cum sensus non percipiat rationem honesti. Cõcupiscentiam autem inordinatam boni vtilis prohiberi præcepto decimo, sicut cõcupiscentia inordinata boni delectabilis, prohibetur præcedenti nono.

3. Nota secundo, duo esse consideranda circa decimum ipsum præceptum, nempe concupiscentiam quæ prohibetur, & res circa quas concupiscentia ipsa prohibita versari potest: atq; eandem concupiscentiam tres actiones continere: nimirum, desiderium, amorẽ, & delectationem. Desiderium autem rei alienæ contigere posse tribus modis: quorum primus est, cum quis desiderat rem alienam: optando illam habere modo iniusto, vel cum graui detrimento proximi; & tale desiderium omnino prohibetur prædicto præcepto: estque naturâ suâ peccatum mortale, prout D. Thom. 2.2. *quæstio.* 118. *artic.* 4. expressit. Secundus, cum quis desiderat superflua proximi; vel non desiderat ipsum priuari sua re: sed optat habere rem similem, quod quidem licitum est si bono fine fiat, nec res mala sit. Tertius, cum quis desiderat absolute rem alienam, quia est sibi vtilis: non cogitando de proximi detrimento, vel de iniustitia; & istud tunc solum est peccatum mortale, cum talis appetitus adeo excrescit, vt ad illud explendum homo paratus sit facere contra præceptum obligans ad mortale.

Atque idem quod dicimus de desiderio, pari ratione intelligendum est de amore & delectatione: nempe amorem rei alienæ, aut delectationem quam quis concipit de habenda re aliena: non esse peccatum mortale nisi simul includatur amor nocumenti proximi. Ratio est, quia capere res proximi, non est alia ratione peccatum mortale, quam quâ inde proximo graue detrimẽtum infertur ipso inuito. Quod addo, quia totum etiam mundum habere nemine inuito, non censeretur peccatum mortale, quia in eo nulli fieret iniuria, in qua illud fundari posset. Quando igitur quis absolute desiderat rem alienam, vel in ea habita delectatur appetitu sensitiuo: consensus in ciusmodi actum non est peccatũ mortale, nisi is vel expresse includat notabile proximi nocumentum: vt quando quis res alterius desiderat animo nocẽdi ipsi: vel includat æquiualenter; vt cum quis desiderat quod haberi non potest sine graui proximi detrimento. Qua in re committi peccatum mortale habetur ex D. Thom. 1.2. *quæst.* 74. *art* 8. *ad* 5.

Iam ex his licet intelligere in tradenda ratione iudicandi de peccatis in ordine ad septimum Decalogi præceptum, primario spectanda esse quæ pertinent ad furtum: & in ordine ad decimum, ea quæ spectant ad auaritiam: secundario autem possunt ad illa quæ eis affinia sunt: reduci autem possunt ad tria capita: quorum primum est, acceptio iniusta rei alienæ, & animus accipiendi, prout contingere possunt: sicut extra contractum, per furtum aut rapinam: ita & in contractu: siue per illius celebrationem cum altero, aliquid ab eo iniuste exigendo, aut accipiendo: siue non implendo illud ad quod contracta est obligatio per eandem celebrationem. Secundum est, iniusta retentio rei alienæ, aut rei debitæ alteri, iusto aliquo titulo, & animus retinendi. Tertium, iniusta illatio damni in alienis bonis pecuniarijs, & animus inferendi. Ea vero tam multa sunt, vt bene longos libros de eis seorsim elaborare oporteat: vt de restitutione, qui decimus præcessit in 2. parte ob coniunctionem quam in vsu fori pœnitentialis restitutio ipsa habet cum sacramentali satisfactione: itemque de contractibus ciuilibus qui erit sequens decimus. Tractanda vero de Ecclesiasticis contractibus, *qui beneficia dicuntur*, inferentur cõmode sequenti lib. 30. cum tradentur pertinentia ad rationẽ iudicandi de peccatis Cleticorum. Illud autem in quo considerando iam nos immorari oportet, est malitia in prædictis contingens: quæ aliorum quidem, est furti contra iustitiam commutatiuam & plurimorum, auaritiæ contra liberalitatem: aliorum vero acceptionis personarum contra iustitiam distributiuã: aliorum præterea, vsuræ contra iustitiam

4.

item

item commutatiuam: aliorum porro simoniæ, contra Religionis virtutem: aliorum demum iniustæ illationis damni contra iustitiam siue commutatiuã siue distributiuam. Vnde dicendũ nobis est primo de furto: secundo de auaritia: tertio de acceptione personarum: quarto, de vsura: & quinto de simonia. Iniusta autẽ illatio damni (quæ species est ab his distincta propriæ nomine carens) non requirit considerationẽ distinctam ab ea quæ traditur de restitutione ex iniusta acceptione: de qua tam in genere quam in specie sufficienter dictum videtur in memorato lib. 10.

CAP. I.

De furto.

SVMMARIVM.

5 *Definitio furti.*
6 *Iusta acceptio rei alienæ non induit rationem furti.*
7 *Nec item acceptio rei propriæ ab alio detentæ: quæ tamen vt licita sit, requirit sex conditiones.*
8 *Quid eadem concurrentes operentur.*
9 *Violentia duplex, ex qua alieni acceptio potest rapinæ rationem habere.*
10 *De consensu domini excusante à ratione furti acceptionem rei alienæ.*
11 *Furti diuisio in simplex & aggrauatum peculiari circunstantiã.*
12 *Huius quatuor species assignantur sacrilegiũ, peculatus, abigeatus: & plagiatus.*
13 *Quæ assignantur etiam rapinæ, & aggrauant mortaliter.*
14 *Furtum est peccatum suo genere mortale, leuius tamen, non solum rapina sed etiam alijs mortalibus.*
15 *Quando in eo excusatio à mortali ex paruitate materiæ habeat, vel non habeat locum.*
16 *De tali paruitate quatenus iudicari possit.*
17 *Quid alij de ea determinent.*
18 *Nihil de eadem secundum se determinari certo potest; in ordine ad personam autem, consideratis duabus circunstantijs, potest.*
19 *Quid in particulari possit determinari habita ratione diuersitatis personarum, quibus surripiuntur sua.*
20 *Per imperfectionem inuitæ voluntatis domini, furtum rei de se notabilis domesticorum, aut amicorum potest à mortali excusari.*
21 *Casus aliquot probabiliter excepti.*
22 *Quando per furta paruæ peruenientia ad notabilem quantitatem, contingat mortale comitti.*
23 *Quando contingat peccatum mortale committi per minima à pluribus ita commissa, vt notabile datum alicui irrogetur.*
24 *Pœnæ quæ propter furtum incurruntur.*

DE furto agitur in Decreto Gratiani, 14. quæst. 5. & 6. & in Decretalibus, tit. De furtis, & à D. Thoma inter pretibusq; ipsius 2. 2. quæst. 66. à Soto lib. 5. De iustitia & iure, qu. 3. à Medina in Cod. De restitutione, qu. 4. à Summularijs in verbo Furtum, à Nauar. in Ench. cap. 17. in initio, & à plerisque recentioribus.

Inquirendum est autem primo, quid sit furtum: secundo, quotuplex sit: tertio, quale peccatum sit: quarto, quomodo iudicandum sit de quantitate ex qua est peccatũ mortale: quinto, quæ pœnæ per ipsum incurrantur. Addendum esset sexto, quo modo ipsum committatur tum in impositione & solutione gabellarum, tum in venatione, piscatione, lignatione, de pastu animalium, ludo, & retentione inuentorum, nisi id iam esset satis notum ex dictis de ijsdem, in libro decimo tract. 4. cap. 4. cum actum est de obligatione quam inducunt ad restitutionem.

QVÆSTIO I.

Quid sit furtum.

5. INter alias, vna est furti definitio plurium Doctorum calculis comprobata, teste Petro à Nauarro in lib. 3. De restitutione cap. 1. num. 20. nempe vsurpatio dolosa rei alienæ, inuito domino; siue, Acceptio iniusta rei alienæ, absque vi quidem, sed sine consensu domini. Per cuius primam particulam, *acceptio*, reijcitur. Tum contrectatio rei alienæ absque animo illam sibi accipiendi, aut vtendi eâ inuito domino; vt quando quis eam tantum per iocum occultat: vel eam accipit, vt præseruet à latronibus: Tum etiam iniusta damni illatio per incendium & eiusmodi alia: quæ vt non sunt acceptiones proprie, ita nec sunt proprie furta. Indeq; est, quod is qui alterius domum vel sata combussit, non dicatur illa furatus esse. Tum demum iniusta retentio rei debitæ, quæ non est acceptio, sed mora iniusta reddendi alteri illud, quod ad ipsum spectat.

Per secundam vero particulam, *iniusta*, excluditur à ratione furti ea acceptio rei alienæ, quæ fit domino illius iniuste, seu contra rectam rationem inuito: vt accidit cum quis alienum accipit ad præstandum id quod dominus præstare tenetur, vel ad euitandum id quod ille tenetur euitare. Vnde qui occulte aufert ab alio rem quam iniuste retinet, vt eam restituat illi ad quem pertinet, non committit furtum; vt nec ille qui libros hæreticos cõburit, occulte detractos ei cui non permittitur illis vti; aut qui gladiũ aufert ei, qui alioqui interfecturus est aliquem. Idem iudicium est cum vxor clam accipit pecuniam mariti ne perdat eam ludendo. 6.

Aduerte vero in hac re non sufficere, vt dominus illud ad quod faciẽdum res ipsius accipitur, teneatur facere tantummodo tanquam melius bonum: sed requiri vt sub peccato mortali facere teneatur siue ex charitate, siue ex iustitia. Neque enim ad faciendam eleemosynam, ad quam quis non tenetur, licet bona ipsius accipere, prout habetur ex capit. Forte, 14. quæst. 5. licet vero, *iuxta D. Thomam 2. 2. quæst. 14. art. 7.* acciere ad faciendam eleemosynam extreme, aut grauiter indigenti, cui aliter subueniri non potest; cum obligatio ad eam, tunc sit sub mortali; iuxta communem doctrinam de obligatione præcepti de eleemosyna dati, quam persecuti sumus in præced. lib. 4. ca. 20. Qua tamen in re cauendum est, ne is à quo talis res accipitur inde cõstituatur in pari necessitate: quia cum melior est conditio possidentis, fieret ei iniuria. Similiter cauendum est, atq; ita agendum vt scandalum euitetur.

Circa tertiam particulam, *rei alienæ*, notanda sunt duo. Alterum, nomine rei, in ea comprehendi non modo alienum, quod quis sibi vsurpat, illud integre lucrifaciendi gratiâ: sed etiam quod tantum gratis illo vtendi, aut illud possidendi inuito domino. Quod attingens Ludouicus Molina De iustitia & iure *tract. 2. disput. 181. num. 7. in fine*; inde consequenter, tum alia, tum hæc infert. Primo, quod si quis habeat rem locatam ad certum vsum, vel certum tempus, & eâ vtatur ad alium vsum, aut per longius temporis spatium, inuito domino, furtum committat ea contrectatione. Secundo si creditor vtatur pignore, aut depositarius re deposita inuito domino. Tertio, si quis alterum, ipso inuito, priuet possessione rei quam obtinet, etiamsi is non sit eiusdem dominus: vt si quis auferat pignus de potestate creditoris, aut rem locatam de potestate locatarij: aut rem depositam de potestate depositarij, aut custodis. Ad quæ facit, quod ex lege lex creditoris ff. De furtis: nomine rei alienæ veniat non tantum ea, cuius quis habet dominium: sed etiam ea cuius habet custodiam, vel vsumfructum, vel quam accepit in depositum, vel in pignus.

De acceptione facta in compensationem.

ALterum circa eandem particulam notandum est, per eam à ratione furti excludi acceptionem rei propriæ, vel quæ putatur propria, vel iure deberet esse propria. Nam ea non est furtum, iuxta legem, Si is qui rem, ff. De furtis. Sic enim furtũ non fuit, quod Hebræi retinuerunt sibi, accepta ab Ægyptijs, quia fuerunt sua: vtpote concessa ipsis ab omnium Domino Deo ex cap. 11. & 12. Exodi: ipsisq; debita pro obsequijs quæ Ægyptijs præstiterant, & pro iniusta oppressione quam ab illis pertulerant. Vnde Sapien. 10. dicitur, Et reddidit iustis mercedem laborum suorum.] Et infra: Ideo iusti tulerunt spolia impiorum, &c.] Attamen si quis rem propriam ab alio iniuste detentam accipiat propria authoritate, etiam occulte, peccat vt plurimum contra iustitiam legalem: hoc nimirum nomine, quod ipse vsurpet iudicium 7.

rei pro-

rei propriæ prætermisso iuris ordine prout notat D. Thomas 2.2. *quæst. 66. art. 5. ad 3.* Dixi, *vt plurimum*: quia si sex conditiones adsint, id potest sine peccato fieri, vt sentiunt Angelus, & Sylu. in verbo Furtum; ille n. 40. & hic nu. 17. Caiet. ad cit. D. Thomæ locum, Sotus *in 5. De iustitia & iure quæst. 3. art. 3. ante 2. argumentum*, Nauar. in Enchir *cap 7. num. 112. & aliquot sequentibus*, Couarr. plures alios citans, *in lib. 1. variarum resolut. cap. 2. num. 14. ver. 4.* & in seq. num. 15. Earum etsi iam meminimus in præced. lib. 10. num. 258. tract. 3. de iis paulo plenius hic dicendum videtur.

Prima igitur est, vt accipienti certo constet rem esse suam: sibique deberi ex iustitia: si enim id dubium esset cum in dubio melior sit conditio possidentis, non posset eam accipere, nec item si deberetur tantum ex gratitudine. Quod vtrumque confirmatur: quia sicut tunc is qui rem possidet non tenetur eam dare nec totam, nec quoad partem, ita & illam auferre ei, contra iustitiam est.

Secunda, vt accipiens merito existimet, se non modo petitione facta debitori: sed nec Iudicis authoritate cõmode recuperare posse illud quod sibi debetur, vt si desint ei probationes, aut debitor sit potens, quem Iudices soleant timere, adeo vt periculũ sit ne ex eo timore aut ex ignorantia, vel alia causa, ille qui occurrit, iniustam ferat sententiam: vel necessarij sint magni sumptus, aut labores, & molestiæ ad debitum ipsum via iuridica recuperandum, aut timetur aliqua iactura honoris, aut amissionis amicitæ initæ cum debitore, aut alterius damni: dummodo tamen tali sint alicuius momenti, habita ratione rei de qua agitur.

Tertia est, vt ipse accipiens caueat ne alij ex tali acceptione patiantur detrimentũ, vt serui, & qui debuerunt rẽ quæ accipitur custodire: quia nemo debet cũ alterius iniuria, vel iactura locupletari ex Reg 48. iuris in 6. Vnde etiam intelligitur non debere compensationẽ fieri ex re aliena apud debitorẽ deposita, aut ei cõmodata vel tradita in pignus: aut quã per furtum, vel vsuram, aliumve similẽ modum, quo dominiũ non acquiritur, acceperit: quia restituenda erit ad reddendum verum dominum indemnem.

Quarta, vt idem curet ne alter à quo accipitur, vel hæredes ipsius denuo restituere compellantur: vel etiam vltra restituant putantes se ad id teneri: vel certe cum peccati conscientia, restituere omittant. Secus enim faciens, peccat saltem contra charitatem proximo debitam.

Quinta est, ne accipiatur amplius quam debeatur: quod erit facilius si compensatio fiat in re eiusdem speciei cum ea quæ debetur, nempe in pecunia aut tritico, si debeatur pecunia aut triticum: & sic de cæteris.

Sexta, vt vitetur periculum ne tota res patefiat, vnde sequatur detrimenteum in fama, quam non licet prodigere: aut etiam scãdalum vel perturbatio aliqua oriatur in repub. ob quam causam ex Scoto loco cit. non licet vti apparentia vi in tali recuperatione suæ rei: sed ea debet occulte fieri.

8. Quibus conditionibus concurrentibus datur cum excusatione à peccato, excusatio ab excommunicatiõe lata in retinentes talem rẽ, & ab obligatione respondendi aperte, & sine amphibologia, inquisitioni factę à Iudice ad ipsos detegendos: quoniam tam hæc, quam illa præsupponit acceptionem iniustam, quæ resarcienda sit restitutione. Hinc, *vt habet Molina in sequen. disput. 691. num. 11 sub finem*, in tali casu iurare potest is qui fecit compensationem, se nihil scire subintelligendo quod teneatur confiteri: quia & sensus verus est: & si is exprimeretur, rectus Iudex diceret, se non alio modo interrogare.

Porro rem suam iniuste detentam vsurpans propria authoritate propterea nõ peccat contra institiam legalem positis conditionibus ante traditis: eo quod tunc, non dicat quid ius sibi, sed exerceat ius naturale quod subuenit ipsi habenti ius humanum plane impeditum quemadmodũ notat Armilla *in verbo Furtum, num. 5.* Dixi (iniuste detentã quoniã ex doctorum consensu, *teste Molina in præced. disput. 690. concl. 2.* quãdo aliquis rem suam accipit clam ab eo qui illam iusto titulo detinet, neq; adhuc tenetur eam reddere, furtũ cõmittit aliquo modo: nempe quatenus legitimũ detentorẽ priuat iure quod habet adhuc eam retinẽdi, & commoditate quam iure potest ex illa percipere: vnde tenetur illum seruare indemnem: adeoque restituere totum lucrum illi cessans aut damnum ex eo emergens: quod talem rem iniuste acceperit.

De acceptione violenta, ac de facta cum consensu domini.

PEr particulam, *absque vi*, excluditur rapina quæ cætera posita in definitione habet quidem communia cum furto, sed est species ab eo distincta ratione violentiæ per quam perficitur: prout annotarunt D. Thomas *in cit. quæst. 66. art. 4.* & Caiet. ibidem, ac Scotus in cit. quæst. 3 art. 2.

Aduerte autem quod cum duplex sit violẽtia, ex cap. Maiores. De baptismo: altera absoluta, cum quis renitens nec consentiens cogitur aliquid facere: aut ipso renitẽte nec cõsentiente aliquid ei eripitur, altera cõditionata cum quis iniuste: metu cogitur consentire & facere aliquid, quod seclusa eodem metu non faceret. Aduerte, inquam, violentiam hanc, sicut & illam, posse sufficere ad rapinæ rationem: quia quantumuis in ea ob exhibitum consensum detur voluntarium simpliciter; nihilominus secundum quid ob coactionẽ per quam (*licet minus proprie quam prior*) & nomen & definitionem violentiæ obtinet sufficienter ad constituendam speciem rapinæ distinctam à specie furti. 9.

Per particulam denique *sine consensu domini*, excluditur acceptio rei alienę per consanguineum vel amicum veri domini facta sub illius ratihabitatione. Item acceptio vsuraria & alia quæcumque est illicito cõtractu libero: quia cum absolute fiat de consensu contrahentium, non debet censeri furtum proprie, etiamsi in ea interueniat aliquid inuoluntarij: ex quo rationem iniuriæ habens, inducit obligationem ad restitutionem. Eius generis sunt supergressiones & circumuentiones de quibus in priori ad Thessal. ca. 4. illis verbis: Et ne quis supergrediatur & circumueniat fratrẽ suum in negotio. Quas quidem aliqui dicunt inuoluntarij habere constat: propterea quod damnum patiens in eis, ideo patitur, quod ignoret iniustitiam, vel si cognoscat consentit pressus necessitate, aut metu alia ratione compulsus. Ex quibus patet, quid sit tenendum de plerisque vendẽtibus aut locãtibus supra iustum pretium, vel ementibus aut conducentibus infra iustum. 10.

Aduerte obiter ex doctrina quam Sylu. in verbo Furtum quæst. 1. confirmat, cum qui rem alienam accipit credendo dominum si adesset id permissurum, si quidem iusta subsit causa credendi, excusari à peccato furti, nõ autem si vel nulla talis causa subsit, vel tantum incerta: cum in dubio præsumendus sit dominus inuitus, nec consentire (cum nemo censeatur velle sua esse prædæ exposita) etiam si videat rem suam auferri, non contradicat: idque ex timore, vel ex verecundia faciat. Quod addo, quia non contradicens cum liberrime potest, censetur consentire in acceptionem.

QVÆSTIO. II.

Quotuplex sit furtum.

OMissis alijs furti diuisionibus quæ videri possunt apud Syluestrum in verbo Furtum, qu. 1. & apud Medinam in qu. 4. De rebus restituendis circa principiũ: ac Ludouicũ Molinam De iustitia & iure to. 1. tract. 2. disput 648. duas attigisse sufficiet quę ad Cõfessarij institutionẽ alicuius momenti esse videtur. Vna est sumpta ex parte subiecti seu iuris, in materiale tantum, & in formale tantum, & in materiale simul & formale. Si enim accipiens rem alienam, probabiliter credat dominum illius nõ fore inuitum, reuera tamen is inuitus sit, committit furtum tantummodo materiale. Si credat dominum fore inuitum, nec tamen inuitus sit, committit furtũ formale tantum: eum aũt & dominum inuitum esse crediderit, & reuera is fuerit inuitus, committit furtum quod simul est materiale, & formale. Atque materiale tantum excusatur à culpa, nõ item formale tantum, vt nec materiale simul & formale: quia in illo perinde atque in hoc adest peruersa voluntas, quæ abest à furto primi modi. 11.

Altera diuisio est sumpta ex parte obiecti, furtum rei alienæ, quæ furripitur, in illud, quod ipsum furti non ẽ simplex sibi vendicat: & in ea quæ peculiare habent nomen, & furtum simpliciter dictum, peculiari quadam circunstantia aggrauant sicut Diuus Thomas attigit *secunda secundæ q. 66. art. 6. ad 1.*

Sunt autem quatuor, quorum primum dicitur sacrile- 12.

gium & contingit quando surripitur res sacra, vt calix vel alia ad sacrificium peragendum instituta, vel alias cultui diuino mancipata. Idque siue surripiatur ex loco sacro, siue ex profano, iuxtà cap. Quisquis 17. quæst. 4. traditq;. Nauar in Enchir. cap. 6. num. 4. idem sentiens cum res non sacra surripitur ex loco sacro, ante eum sensit Medina in cit. quæst. 4. habeturque adhuc ex eodem cap. Quisquis, ac deduci potest ex cap. Quid ergo. 233. quæst. 4. Quis vero locus censendus sit sacer traditum est in præcedenti libro 22. cap. 3 num. 36. Secundum peccatum dicitur peculatus, & est furtum de re publica, vt de ærario factum: cuius mentio est in citato cap. Quid ergo, & in iure ciuil. ff. habetur titulus Ad legem Iuliam peculatus. Tertium nuncupatur abigeatus, & est cum de gregibus qui pascuntur, aliquid surripitur. De quo in iure ciuili Digestis est etiam titulus De abigeis. Quartum tandem dicitur plagiatus, & est cum quis alienum mancipium suscipit & celat: ex lege Eum qui ff. Ad legem Fluiam De plagiariis. Item cum quis seruo alieno persuaserit, vt à domino dominave fugiat. ex lege sequenti: aut alienos liberos surripuerit, ex lege finali Cod. eodem titulo. Plura de his Molina in eodem tract. 2. disput. 684. quæ relinquemus ei qui volet apud ipsum videnda.

13. Aduerte autem in eadem specie rapinam pariter distingui posse, prout notatum est à Soto *lib. 5. De iustitia & iure, quæst. 3. art. 1.* Nam vt eæ ad furtum pertinent non intercedente violentia: sic quando violentia interuenerit, pertinent ad rapinam. Aduerte præterea, quod tales circunstantiæ furto simplici superaddant notabilem turpitudinem ob quam in confessione exprimi debeant. Eam enim talem esse, quæ sufficiat ad immutandum Confessarij iudicium, patet ex eo, quod sufficiat ad ferendam iustam sententiam mortis in foro externo, ex D. Thoma loco paulo ante citato.

Qvæstio II.

Quale peccatum sit furtum.

14. Qvod furtum sit peccatum mortale ex genere suo, nemo est qui dubitet, cum per illud charitas lædatur, iustitia violetur, pax & tranquillitas reipub. perturbetur: constetque præcepta decalogi dari de ijs quæ ad æternam salutem sunt necessaria, iux a illud Matth. 19 Si vis ad vitam ingredi serua mandata.] Quibus adde apertum D. Pauli testimonium in priori ad Corinth. cap. 6. nonentis fures & auaros inter eos qui regnum Dei non possid. bunt.

Iam si furtum cum rapina conferatur, illud mortale est hac leuius, ex D. Thoma. *2. 2. quæst. 66. art 9.* Et patet, quia rapinæ ineft violentia, quæ in vsurpatione rei alienæ aggraua t iniustitiam. Sin autem conferatur cum peccatis mortalibus quæ committuntur contra alia Decalogi præcepta, leuius etiam est illis, atque adeo genere suo minimum mortalium: sicut bona pecuniaria in quibus per ipsum proximus læditur, sunt omnium infima. Videri potest Sotus *l b. 5. de iust. & iure quæst. 3. art 3.* Vbi quoque illius additi, *genere suo,* rationem reddit, quod furtum non nunquam possit ex circumstantia esse grauius aliis mortal bus: quod quando contingat cognosci poterit per documenta tradita in præced. libro. 14. præsertim cap. 1. & 3. Illud vero quod habetur in Prouerb. cap. 6. Non grandis, est culpa, cum quis furatus fuerit. Illud inquam cum Soto *ibidem ad 3.* possumus congruenter ante habitis, intellig. re propterea dictum esse, quod furtum inter mortalia sit minimum.

15. Iam vt in alijs peccatis, sic in isto imperfectio actus ex materiæ paruitate, vel defectu plenæ deliberationis excusat à mortali, iuxta ea quæ dicta sunt in præced. libro 15. cap. 5 vnde ex communi Doctorum sententia teste Petro à Nauarr. *lib 3. de restitutione cap. 1. num. 29.* Si quis rem modicæ quantitatis seu modici valoris surripiat, non erit reus mortalis culpæ: immo tam modica quantitas esse posset vt ne venialis quidem culpæ reus censeretur ex Medina *in Cod. De rebus restit. quæst. 4. fubfinem.* Vbi & rationem reddit: quia licet damnum aliquod per tale furtum irrogetur, illud tamen dominus aut habet pro nihilo, aut habere probaliter præsumitur, itaut nihil sit, cur ipso inuito contingere existimari debeat.

Quod in parua etiam quantitate nonnunquam sit peccatum mortale.

Sectio Prior.

Concedendum est nihilominus, quod etiamsi minimi valoris sit res quæ surripitur, furtum esse mortale si adfuerit animus surripiendi in quantitate & valore notabili, vt si quis, cum furaretur calculos habuit animum furandi nummos aureos: non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur, vt ex D. Hieronymo habetur 14. quæst. 6. cap. finali. Idem dicendum esse de illo qui sæpius furatur parum ea voluntate, vt tandem res crescat in magnam quantitatem ex Nauarr. *in Enchir. cap. 17. num. 140.* Et patet, quia talis voluntas est consensus in furtum rei magni valoris, & in modum augendi rem suam societati humanæ valde repugnantem, ac in omni repub. bene instituta valde exosum, quamcumq; accipiatur à diuersis, ac nemini particulari fiat notabilis iniuria: prout contingere potest in in vsu ponderum vel mensurarum, iusto minorũ: quibus res venales mensurantur. In quo mortale committi indicatur per illud Prouerb. 20. Pondus & pondus, mensura & mensura vtrumque abominabile est apud Deum.] Adde & quod habetur Deuter. 25. vers. 13. 14. 15. & 16.

Secus est vero, *vt ibidem Nauar. notat,* de eo qui vult tantum furari parum & interea ex paruis furtis repetitis notabilis summa efficitur præter intentionem ipsius. Nam talis non peccat plus quam venialiter: tum quia infinita venialia non constituunt vnum mortale, vt ostendimus in præced. libro 15. cap. 6. obseruatione 6. tum quia in eo casu, *sicut & in præcedenti,* magna quantitas non cadit sub voluntatem, sed tantum multæ paruæ. Ex quibus intelligitur in confessione percontandum esse à Pœnitente, an voluerit, ac quoties voluerit, quantitatem notabilem surripere, etiam si illud quod confitetur se surripuisse, sit minimum.

Præterea sentit Syluester in verbo Furtum, quæst 2. quod etsi res sit modica, peccatum nihilominus mortale esse, si intelligatur grauate ferri à domino, eo quod ipsa res sit illi multum chara. Sed vix ausim ex eo capite, aliquem mortalis culpæ reum constituere: nisi is forte crederet aut credere deberet, *prout Nauarr. habet in Enchir. cap. 17. num. 3. lit. B.* dominum magna molestia & perturbatione inde afficiendum: vel cum vero simile foret eumdem dominum, tali occasione data lapsurum in aliquod peccatum mortale siue iræ siue alterius passionis: vt Sotus inquit *in lib. 5 de iust. & iure quæst. 3 art 3. ad 3. argumentum D. Thomæ.* Simul indicans id nõ habere locũ, quando res esset tam exigua, vt merito haberetur ludibrio is, qui ex illius ablatione se offensum putaret: vel deniq;, cũ res quidem minima surriperetur, sed ex ablatione illius notabile damnum sequeretur proximo, prout contingere potest quando calamus surripitur scribæ, vel acus sartori, prout Sotus & Nauarrus fatentur locis citatis.

In quo tamen casu requiritur vt is qui dedit occasionem damni sciuerit illud secuturum esse, vel certe culpa sua nesciuerit, ex c. finali De in iurijs. Ratioque est, quia inculpabilis ignorantia alias ipsum excusaret. Adde obiter in eodem quoque casu & ante memoratis non incurri excommunicationem latam ob mortale furtum: quia in illis ratio malitiæ mortalis non est furti, vtpote quæ non pendet ex re accepta inuitio domino, cum sit modica: sed ex adiuncta circunstantia malæ voluntatis accipiendi si facultas daretur, aut scandali dati aut iniustæ damnificationis, quæ peccata sunt diuersæ rationis à furto proprie dicto.

De magnitudine valoris requisiti ad furtum mortale.

Sectio Posterior.

16. Cæterum quænã quantitas quantusve valor requiratur in re, furtum in ea commissum censendum sit mortale, magna est difficultas. De qua tres diuersas sententias refert Petrus à Nauarr. *lib. 3. restit. cap. 1. num. 30. & nonnullis sequentib.* Notandum est autem, nõn posse quidquam in hac vita definiri infallibiliter, ex quo in vniuersum de furto iudicetur an mortale sit nec ne. Quamuis enim constet furtum

tum vnius quadrantis. v. g. non esse quantitatis notabilis, quæ ad mortale sufficiat? & furtum 20. scutorum esse quantitatis notabilis, atque adeo sufficientis ad constituendum mortale: attamen de plerisque furtis mediæ inter eas quantitatis, non constat nec ab homine definiri certo potest: sed aliquid tantum per prudentiam coniici ex circunstantiis temporis, loci, modi, effectorum & personarum iuxta iam dicta, & alia post dicenda.

Porro cum ex Soto loco cit. quantitas notabilis considerari possit duobus modis: vno per respectum ad personam cui res surripitur; altero secundum se, id est attenta ipsamet quantitate absolute; si ea priore modo consideretur, plane constat nullam quantitatem esse tum modicã quin reputari possit notabilis: quãdoquidem pauperi obolus interdum est quid maius quã nummus aureus diuiti, vt recte ait Sylvester *in verbo Furtum quæst.* 2. quia interdum ille potest inde impediri ne emat panem ex quo sustentet vitam. Vnde proposita difficultas est solummodo de quantitate spectata posteriore modo.

17. Ad illam autem minuendã, quia, vt diximus, nihil certò definiri potest, diuersi diuersam quantitatem assignant, qua minorem coniiciunt nõ sufficere ad constitutionem peccati mortalis. Sotus quidem in citata responsione ad 3. duos, aut tres ducatos assignat, quoniam si ea quãtitas à rege surripiatur, etiamsi is illam flocci faciat, crimen committitur. Nauarr. vero in cit. cap. 17. num. 3. lit. F, assignat vnum vel alterum regale: immo & dimidium, itemque vnam gallinam vel 12. oua. Alij autem ne quantitatem quidem centum regalium, aut 100. nummorum aureorum putarunt materiam peccati mortalis facere ex natura rei, sed cum dominus ex tali furto nõ pateretur aliud graue damnum: quorum sententiam vt nimis laxam, & illam Nauarri vt nimis rigidam Petrus à Nauarro reiicit, solutis argumentis quibus eæ nituntur. Nobis autem satis est explicatione sequentis quæstionis, docere quid in praxi sequendum videatur.

QVÆSTIO IV.

Quomodo iudicandum sit de quantitate, ex qua furtum est peccatum mortale.

18. AD huius explicationem constituemus aliquot propositiones. Prima est, *quam ex Medina habet Petrus à Nau.* non posse in re proposita statui certam regulam, loquendo de furto secundum se, & sine ordine ad personam. Ratio patet quia furtum est mortale propter graue damnum quod infert: nec intelligi potest inferre, nisi personæ alicui, saltem in genere: puta Principibus, diuitibus, communibus personis, vel pauperibus.

Ratio iudicandi de tali quantitate.

SEcunda est: vt in ordine ad personam furtum iudicetur esse mortale, considerandæ sunt duæ circunstantiæ: nimirum, quã res furtiua necessaria fuerit illi à quo ablata est, & quanti idem æstimauerit talem rem. Hæc probatur: quia furtum tunc tantum est peccatum mortale, cum aduersatur charitati in proximum, vt patet per illud Apostoli ad Rom. 13. Qui proximum diligit, legem impleuit. Itemque per illud quod nullus contra charitatem in proximum peccet mortaliter, nisi grauem iniuriam ei, aut graue nocumentum inferat. De qua iniuria vel nocumento iudicandum est ex duabus prædictis circunstantiis. Nam si res neque est necessaria domino, neque is illam magni facit, censendum non est iniuriam magnam inferri illi, cuiusdem ablatione. Vnde licet intelligere minorẽ quantitatẽ sufficere ad constituendum furtum mortale pauperi factum, quam ad furtum mortale factum prædiuiti: quoniam quantitatem quam prædiues pro nihilo ducit, homo communis sortis magnifacit: & quam hic parui æstimat, pauper magnifacit. Ad iudicandum autem quamnam quisque quantitatem habeat pro magna: putarim considerandum esse id, quod si pro sua conditione sufficeret ad hominem non infimæ sortis sustentandum per integrum diem. Humano enim modo talis quantitas non solet modica reputari.

Determinatio quantitatis sufficientis ad furtum mortale.

LOco tertiæ propositionis subiiciendum videtur, Si quid sit in particulari determinandum de quantitate rei alienæ ad furtum mortale sufficienti secluso omni alio externo damno esse illud, quod visũ est Petro à Nauarr. aliis citatis, lib. 3. de rest. it. cap. 1. num. 39. Nimirum talem quantitatem respectu diuitum, esse circiter vnius nummi aurei, seu 60. assium: respectu vero personarum communiũ circiter viginti assium, & demum respectu pauperum circiter septem assiũ. Addidi (circiter) quia quantitas nõ potest mathematice, sed tantum moraliter statui: sicut iusta pretia rerum quæ nõ consistunt indiuisibili termino, nisi is lege vel consuetudine definitus sit. Pro quo facit quod eiusmodi quantitates respectu talium personarum arbitrio prudentis non censeantur paruæ, nec ab ipsis contemnendæ: cum per eas possint comparare sibi bona notabiliter vtilia ad personales vsus suos. Quoad pauperes quidem & mediocris fortunæ personas, quia quãtitas proposita sufficere potest illis ad se iuxta conditionem suam honeste sustentandũ vno die: aut certe ad vsus alios quoad personas vere diuites: quia licet vsibus personalibus ipsarum non valde noceat qui surripit ipsis vnum aureum nummum, nocet tamen notabiliter si spectes vsus alios, ad quos per talem quantitatem iuuarentur notabiliter: ad soluendum seruo alicui stipendium, vel ad subueniendum alteri domesticæ necessitati, neque si illi abundent ideo floccifaciunt rerum suarum abundum. sed eas non minus tutas esse volunt ab iniuria, quam velint alij. Accedit ad confirmationem quod nimis durum sit ob quantitatem minorem ea, quæ assignata est, damnare aliquem peccati mortalis, adeoque iudicare supplicio æterno dignum. Assignare maiorem vero in qua detur excusatio à mortali, sit aperire viam ad furta liberius perpetranda, & ad neglectum quemdam sententiæ ab Apostolo prolata in priori ad Corinth. ca. 6. Quod fures regnum Dei non possidebunt. 19.

Quod ad mortale maior quantitas requiratur in furtis domesticorum quam aliorum.

QVarta propositio est. Prædictam quantitatem, regulariter non esse censendam notabile, quando domino non multum inuito surreptio facta fuerit. Ratio est: quia sicut ex rei paruitate, sic ex imperfectione inuitæ voluntatis domini furtum potest veniale esse, quod alioqui esset mortale. Nã ad acceptionẽ in qua consistit furti natura, perinde requiritur vt ipsa fiat inuito domino, ac vt sit rei alienæ. Vnde intelligitur, quod vxores non debeant de mortali ordinarie cõdemnari si à maritis, nec filij si à parẽtibus, nec serui si à dominis, nec denique famuli si ab iis quibus inseruiunt surripiãt quãtitatem prædictam. Nam cum dominus sit minus inuitus minusque ægre ferat rerum suarũ ablationem, quæ ei fit à domesticis, quam quæ ab externis *(nisi forte aliquid eorum sint amicitia aut alio vinculo ita ipsi coniuncti, vt merito par eorumdem ratio habeatur ac domesticorum)* & minus quæ ab vxore & filiis quam quæ à seruis aut famulis. Accum ratio furti cæteris paribus existimetur eo minor, quo dominus fuerit minus inuitus, efficitur sane vt maior quantitas requiratur ad constituendam lethalem culpam in furtis domesticorum & amicorum, quam in furtis aliorum: atqueadeo in illis, *domesticorum inquam & amicorum furtis*, variandã esse quantitatem ipsã, prout respectu nonnullorum magis quam aliorum dominus inuitus fuerit. Qua de causa circa eiusmodi furta assignari nequit aliqua certa quantitas qua minor censenda sit non notabilis: præsertim cum inter dominos, quidam sint de se liberaliores, & ad aliquos melius quam ad alios sint affecti: itaut in iisdem furtis de sufficienti quantitate ad culpæ mortalis constitutionem, definire sit relictum arbitrio prudentis, bona fide procedentis ex inspectione circunstantiarum. 20.

In ea re autem attendendum erit, quod etiamsi furta sint in notabili quantitate, non ideo de mortali esse statim condemnanda, nisi sint facta dominis quoad rem inuitis: quia cum fiunt quoad modum tantum inuitis, non sunt censenda plusquam venialia; vt cum domino displicet tantum,

quod res sua auferatur sibi per furtum: non autem quod ea sit in quantitate: in qua quidem nō multum curat; iacturam illius facere respectu talis personæ, illam sibi capientis. Quæ doctrina est Caietani in verbo Furtum, Fumi in eod. verbo num. 2. Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 139.

21. Probabiliter vero, censenda videtur non habere locum primo, quando res surripitur ad vsum ad quem dominus nullo modo voluisset eam concedere; vt ad scortationes compotationes, ludos, & similia: tunc enim surreptio est verum furtum, tanquam vera acceptio rei alienæ inuito domino. Secundo, quando dominus ostendit sibi magnam iniuriam factam esse talis rei ablatione. Tertio, quando constat ipsum optare vt sibi res ablata restituatur, nec contentum esse quod ea retineatur. In quibus casibus Confessarius debet talis criminis reum compellere ad restitutionem faciendam; vel certe ad petendam illius relaxationem ab eo cui illa facienda fuerit: quicumque criminosus sit qui de de eiusmodi furto se accusat etiamsi vxor vel filius, Soto *lib. 5. de iustitia & iure quæst. 3. art. 1.* & Sylvest. *in verbo Furtum quæst. 11.* (quod intellige secundum antedictā lib. vigesimo num. 27. & 28.) & siue summa notabilis accepta sit tota simul, siue per minima furta iterata. Tam enim hoc modo peccasse quam illo, sufficit ad obligationem restituendi sub mortali, iuxta tradita à nobis in præced. lib. 10. tract. 1.

De furtis paruis, quorum iteratione peruenitur ad notabilem quantitatem.

22. QVinta propositio. Cum per furta parua ad notabilem quantitatem peruenitur, illud per quod eadem quantitas completur, mortale esse, quando cætera parua præcedentia debent inter se ac cum eo reputari vnum: non autem cum non debent. Huius prior pars, *quam Sotus habet in cit. q. 3 art. 3. ad 3.* probatur: quia tunc maxime locum habet illud axioma: quod nihil referatur simul, vel sigillatim aliquem spolies. Deinde quia vltimum ipsum furtum in virtute præcedentium seu posito damno per præcedentia furta dato, causa est proxime notabilis damni iniuste dati, in cuius consummatione cōsummatur peccatū mortale. Posterior pars vero ex eo probatur, quod multa venialia quantocumque sint numero, nunquam possint constituere vnum mortale, quandoquidem malitia illorum finita est, & huius infinita.

Porro multa furta modica in vnam quantitatem redundantia, tunc videntur vnum moraliter reputari posse, quando eodem tempore moraliter, siue (quod idem est) quando continuatione voluntatis augendi suum ex alieno, ac quando eodem modo eademve arte committuntur: semper aliquid amplius quam oportet accipiendo affectu lucrum augendi subinde; prout maxime contingit vendentibus minutim merces, carnes, vinum & id genus alia. Ex aduerso autem furta modica non videntur pro vno reputanda, quando interuallum temporis notabile, puta mensis, hebdomadæ, diei, vel dimidiæ saltem diei interea intercedit: siue diuersis hominibus fiant, siue eisdem: sine aduertentia tamen ad quantitatem notabilem, ad quam per ea peruenitur: & sine animo furandi talem, id est, notabilem quantitatem; sicut solet sæpe contingere famulis, & aliis qui comestibilia, aut alia quædam minima diuersis temporibus furantur. Signum vero quod istis dictus animus vel aduertentia desit potest esse ex Caietano *in verbo Furtum notabili* 1. quod existiment se non furari, quia modicum est quod accipiunt, vel certe modicum esse putant: adeo vt nullum nec expressum nec tacitum habeant animum furripiendi notabile, quodque sufficiat ad furtum mortale; & ideo per ignorantiam excusantur à mortali, præsertim rudes & idiotæ, qui ignorant istiusmodi subtilitates de furtis minimis.

Nota autem quod cum non soleant homines perinde inuiti esse, quod suæ res surripiantur per minima, quam quod simul surripiantur; nec item quod furreptio fiat interlapso longo tempore, quam quod breui tempore interposito; omnino dicendum esse, q̄ quæ quantitas cēseretur notabilis & sufficiens ad peccatū mortale, si simul alicui surriperetur, nō esse similiter censendā sufficientem quando acciperetur illo altero modo; sicut frequenter contingit in furtis domesticorum. In quibus attendendum est etiam, quod domini minus inuiti sint illa ab his fieri quam fieri ab externis, cum sciant difficile esse ita vitam hanc transigi, quin famuli modicum quid interdū accipiant. Quocirca quantitas quæ quoad furta ipsa minima longo temporis interuallo facta, censetur notabilis arbitrio prudentis; non est statim cæteris paribus iudicanda talis, quoad domesticorū furta eiusdē modi.

Congruenter autem dictis monere possumus cum Lud. Molina de iustitia & iure to. 1. tract. 2. disput. 688. num. 2. in fine, in taxanda summa de qua agimus, sic attendendum esse ad qualitatem & diuitias dominorum; & ad tenacitatem ac liberalitatem eorum; & ad qualitatem rerum quæ furripiuntur, atque ad reliquas circunstantias concurrentes; vt (nisi surrepta summa esset magna, attenta dominorum qualitate, aut furta essent frequentia, aut domini ipsi notabiliter egeant) non fit necesse restitutionem iniungere. Quia licet iidem domini videantur tenaces, neque putentur velle talia furta fieri: præsumendum est tamen, postquam eo modo facta sunt, nolle obligare ad restitutionem: præsertim quando sunt debitores, ac generosioris animi, & splendidiorem habent familiam. Quanquam tamen Confessarii vrgere debent ne de cætero talia fiant nisi petita licentia à domino: aut nisi is qui confitetur certus sit dominum nullatenus fore inuitum si rem sciat: aut nisi idem dominus accipienti deneget illa, quæ ei præstare tenetur ad conuenientem sustentationem aut iustam mercedem: quo casu daretur locus compensationi, *de qua in præced. quæst.* 1. si quidem petens, nullo modo vel non sine iurgio, aut verecundia, aliave molestia notabili debitum obtinere queat.

De furtis minimis per quæ à pluribus damnum infertur notabile.

23. SExta propositio est. Quando per furta minima notabile aliquod damnum irrogatur à pluribus, quorum nullus per se surripuit quantitatem notabilem, si omnes simul ad tale damnum concurrant: *puta mutuo se inuitando, aut adiuuando, aliaue ratione cooperando ad ipsam damni illationem*; tunc vnumquemque eorum peccare mortaliter: sicut vnusquisque est totius damni causa totalitate (vt vocant) effectus: licet partialis sit, partialitate quæ dicitur efficientiæ: quia est vnus effectus totus simul à pluribus causis efficientibus profectus. Sin autem concurrerent quidem simul, sed vnusquisque esset tantum causa damni illati à se; non autem illati à cæteris: distinguendum est: vel enim quisque tunc scit de damno per alios dato, vel certe ignorat. Si sciat, tunc omnes peccant mortaliter opinione multorum (quos refert & sequitur Petr. à Nauarr. *in lib. 3 de restit. cap. 1. num. 49.*) sed vt id concedendum sit quoad eum cui placuerit alios secum concurrere in notabile damnum proximi: negari potest tamen quoad eum, præter cuius intentionē est, quod modica pars damni quam infert aliis partibus modicis iungatur, vt ex omnibus notabile damnum cōstituatur. Non enim hic, sicut ille prior consentit in ipsum notabile damnum, quod displicet ei, nec est illius author, nec adiutor nisi in modica quantitate. *De qua re plenius Lessius lib. 2. de iustitia & iure cap. 12. dub. 9.* Sin autem quis per ignorantiam excusabilem nihil sciat de causa, quam alii cum ipso dabant, aut daturi erant, aut certe iam dedissent notabilis damni, furtum ipsius commissum in re tantum modica excusatur à mortali: quia non alia culpa tunc cernitur, quam quæ in minimo furto præcise datur. De restitutione facienda in talibus casibus diximus in præced. lib. decimo tract. 1.

His pro praxi addendum est primo cum Molina in seq. disput. 689. maiorem quantitatem requiri ad culpam mortalem cum quis furatur à multis, sed à nullo quid notabile: quam cum furatur ab vno solo. Ratio est, quia cū nulli eorundē multorum inferatur notabile damnum, omnes sunt minus inuiti, quam vnus cui soli totum damnum inferretur.

Addendum est secundo, quantitatem minorem sufficere ad culpam mortalem quando quis simul furatur à multis (surripiendo scilicet ex cumulo multis communi) aut intra breue tempus quam qui longo temporis decursu, aut seorsim à multis furatur. Ratio est: quod domini plus offendantur, sintque magis inuiti, quod his modis bona ipsorum surripiantur quam illis. Et vero, quod domini sint minus inuiti, sufficiens causa est, vt maior quantitas requiratur ad culpam mortalem.

Adden-

Addendum est tertio maius damnum requiri ad mortalem culpam multorum, quorum quilibet accepit modicum quid, neque fuit causa damni aliorum, quam requiratur ad mortalem culpam vnius tantum qui dedisset totam eam damni latitudinem. Ratio est; quia magis iniuriosum censetur causam esse totius alicuius damni; quam tantum partis; ideoque istud requirit maiorem quantitatem ad constituendum mortale.

Addendum est quarto: non videri peccatum mortale, si post datum totū aliquod notabile dānum, aliquod leue superaddatur: vt si post transitum exercitus per vineam alicuius, vnum aut alterum racemum ex cadē quis accipiat. Ratio est: quia modicum solummodo accipit, nec causam dedit notabili damno præcedenti, sed inuenit iam illatum. Quæ ratio etiam potest esse eius, quod ipse Molina habet in fine eiusdem disputationis: non esse inijciendum scrupulum peccati mortalis accipienti modicum, nisi constiterit ei, aliis simul accipientibus illatum esse domino graue dānum, cuius particeps censeri debeat. Nec item probabile est, quod sufficiat vt ei de cuius bonis modicum quid accipitur, decursu longi temporis alias fuerit ab alijs datum aliquod notabile damnum: namque id non est causa sufficiens, ne rei paruitas accipientem excuset à mortali, vtpote qui ob id nullo modo infert notabile damnum: aut notabiliter auget prius datum.

Vltima quæstio, quæ pœnæ ob futurum incurruntur.

24. REsponsio ad hanc est, præter æternæ damnationis reatum (de quo constat ex antedictis) iure naturali fures obligari ad rerum furto ablatarum restitutionem de qua in præcedenti parte libro decimo. Iure canonico vero per cap. Fures, De furtis, fures qui inter furādum occisi sunt, priuantur orationibus fidelium. Item per cap. Cum non ab homine, De iudicijs, Clericus in quocumque ordine constitutus qui furtum commiserit si legitime conuictus fuerit, debet à Iudice Ecclesiastico deponi: Sique depositus incorrigibilis perseueret in tali peccato, debet contumacia crescente excommunicari. Et demum si in profundum malorum veniens contempserit, debet potestati seculari tradi vt puniatur.

Aduerte autem ex concil. Trident. sess. 25. cap. 3. excommunicationes pro furtis à nemine prorsus, quam ab Episcopo decerni posse; & tunc non alias quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum ipsum examinata: quæ animum eius moueat, neque ad eas concedendas, cuiusuis secularis, etiam magistratus authoritate, adducatur, sed totum in eius arbitrio & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore, eas decernendas esse iudicauerit.

Aduerte etiam pro furto excommunicationem ferri non ad puniendum, cum sit præteritum, sed ad obtinendam restitutionem damni per ipsum dati: à qua excusatur siue ob impossibilitatem, siue ob condonationem creditoris, *qualis præsumitur in marito, respectu vxoris: in parentibus respectu suorum liberorum, aut in amico respectu amicorum familiarium*, siue ob compensationem seruatis debitis conditionibus factam: excusatur pariter ab excommunicatione ipsa lata ob furta. Iure deniq; ciuili fures patibulo addicuntur. De qua re quia parum spectat ad nostrum institutum qui volet potest videre Couarr. *lib 2. var. resolut. cap. 9. num. 7.* vbi refutat Scotum negantem *in 2. sententiarum distinct. 15. quæst. 3.* quod fur simplex, seu non raptor, nec sacrilegus possit morte puniri. Quam etiam sententiam impugnant Caiet. 2. 2. *quæst. 64. art. 2. Sotus in 5. De iust. & iure, quæst. 3. art. 3. ad 4. Molina de iustitia & iure, tomo 1. tract. 2. disput. 695.* vbi quoq; de cæteris pœnis temporalibus pro furto imponendis agit.

Neque immerito impugnant: quia si licet priuato ad rerum suarum defensionem necessariam occidere furem vt suo loco docuimus (*& latius tractat Petrus à Nauar. lib 2. De restit. c. 3. n. 395 & aliquod sequentibus*) sane licebit etiam Iudici vt alias pœnas, ita & mortē pro tali crimine aliquando inferre: nempe cum pro quantitate culpæ consideratis omnibus circunstantiis iudicauerit id conferre ad commune bonum ac Reipub. pacem. Nam fures plerumque non solum ijs à quibus furantur damnum inferunt: sed etiam bonum commune lædunt, perturbantes Reipub. pacem, causamque præbentes cædibus & aliis malis.

CAPVT II

De auaritia.

SVMMARIVM.

25 *Quid sit auaritia, & quod ea non modo liberalitati sed etiam iustitiæ opponatur.*
26 *Quando sit vel non sit peccatum mortale suo genere: & qua ratione delegenda sit; consistens in detentione alieni.*
27 *Quando pariter prodigalitas peccatum sit, vel non sit suo genere mortale.*
28 *Septem filiæ auaritiæ.*
29 *Documenta de inquietudine, quoad malitiæ ipsius grauitatem.*
30 *Admonitio de violentia, fallacia, fraude, & periurio.*
31 *Quatuor modi quibus potest proditio contingere, & esse peccatum mortale.*

DE auaritia satis fuse disputat D. Thomas 2. 2. quæst. 118. contenti erimus docere quid sit, quale peccatum sit: & cum ponatur in numero vitiorum capitalium, quas habeat filias. Cætera sufficienter ad nostrum institutum intelligi poterunt ex iam dictis de furto, & ex post dicendis de acceptione personarum, vsura, & simonia quibus immiscetur.

QVÆSTIO I.

Quid sit auaritia.

DEfiniri potest auaritia, amor inordinatus habendi: seu (quod idem est voluntatis affectus carens modo & regula rationis, quo fertur in diuitias, seu pecunias & res alias quæ pecunia æstimantur: vt pecora, vineæ, agri, domus & eiusmodi alia vtilia ad præsentis vitæ vsus. Vnde intelligitur, eam versari circa actus externos, positos in retinendo pecunias, aliasve res ad vitam vtiles, idque præter modum: hoc est, non dando eas quando, quomodo, & quibus oportet: aut acquirendo congregandoque eas immoderate seu absque rationis modo, & mensura. Intelligitur quoque eam *tanquā alteri extremo vitioso*, opponi prodigalitati, consistenti in dando propria plusquam oportet, & in conseruando illa minus quam oportet. Liberalitati vero tanquam virtuti mediæ; positæ in moderatione amoris diuitiarum: sic vt hæ dentur & conseruentur, quando ac quomodo oportet. 25.

Non modo autem liberalitati, sed etiam iustitiæ aduersatur auaritia, vt post. D. Thomam in cit. quæst. 118. art. 1. habet Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 70. Etenim sicut liberalitati aduersatur, quatenus est affectus immoderatus circa bona propria, sic aduersatur iustitiæ, quatenus est circa bona aliena, prout accidit quando ex immoderato affectu diuitiarum, non datur alteri quod ei debetur, aut alienum accipitur via iniusta per furtum, rapinam, vsuram, &c. Pariet iam ratione prodigalitas repugnat tam iustitiæ quam liberalitati: huic quidem, cum per eam propria tantum consumuntur: illi vero cum etiam aliena: vt cum quis multa debens inutiliter pecunias consumit: vnde fit impotens ad soluendum creditoribus.

QVÆSTIO II.

Quale peccatum sit auaritia.

HOc paucis & perspicue Toletus explicat in suo tractatu de peccatis capitalibus c. 25. inquiens ad cognoscendū quale peccatum sit auaritia oportere considerare quando ea sit cōtra iustitiam, & quando cōtra liberalitatem. Suo genere enim peccatum est mortale, quando committitur contra iustitiam: vt cum quis ex pecuniæ affectu retinet alienum quod restituere tenetur, aut accipit alienum via aliqua iniusta. In eo enim peccatum mortale committit contra hoc septimum præceptum: nisi materiæ leuitas, aut defectus plenæ deliberationis ipsum excuset. 26.

Peccatum vero est suo genere tantum veniale, quando committitur solum contra liberalitatem: vt cum quis bono-

rum propriorum est nimis tenax: sic tamen, vt nullam iniustitiam in alterum committat. Ex accidenti autem mortale esse potest, coniunctam habendo voluntatem transgrediēdi præceptum obligans ad mortale: vt cum quis ex auaritia non succurrit posito in extrema, aut graui necessitate, aut cū generat aliis scandalum: quod vtrumque est contra præceptum charitatis obligans ad mortale, aut cum alias est paratus quodcumque preceptum ad mortale item obligans, trāsgredi potius, quam auaritiæ suæ non satisfacere: prout vsuenit iis qui ex affectu diuitiarū parati sunt furari, si possint aut mutuum dare ad vsuram, extreme indigenti negare subsidium, aut simoniam committere, aut restitutionem à se faciendam rei notabilis omittere sine causa legitima, qualis censetur: tum impotentia restituendi, tum distractio talis, per quam non sit tunc, *perinde ac in somno*, in potestate hominis cogitare de alieni detentione: tum etiam creditoris consensus in retentionem rei sibi debitæ. De quibus & aliis id genus à restitutione excusantibus dictum ex instituto, in li. 10. cap 18. & duobus seq.

Aduerte autem obiter pro praxi nobis proposita: cessante eiusmodi causa, detentionem ipsam crescere in malitia: crescente scilicet proximi iniuria: ex qua mala est interueniente volūtatis consensu, qui virtualiter continuatur, quamdiu cum potest, non reuocatur, per consensum contrarium, aut reuocatus, renouatur postea. Vnde fit, vt confessio de tali peccato sic facienda sit: vt explicetur primo, quamdiu res fuerit detenta, ad iudicandum scilicet aliquo modo multudinem interiorum consensum in talem detentionem, aut continuationem vnius æquiualentis pluribus aliis. Secundo, quoties habita commoditas restituendi, neglecta sit: ad declarandam multitudinem omissionum exteriorum culpabilium: quæ tempore detentionis contigerunt. Tertio, an graue damnum aut molestiam dominus senserit ex ea ipsa detentione: vt intelligatur sufficienter, quam magna sit eiusdem malitia.

17. Porro de prodigalitate sicut de cōtraria auaritia dicendū est etiam, peccatum esse suo genere mortale, quando habet coniunctam violationem iustitiæ: vt cum Tutores, & Curatores inutiliter consumunt res suorum pupillorum; vel dispensator res sibi traditas prodigit contra domini voluntatem, aut debitor per suā prodigalitatem reddit se impotentem ad soluendum creditoribus: aut ad prouidendū de necessarijs vxori & liberis suis ac cęteris de sua familia. Veniale autem peccatum esse suo genere, cum est tantum contra liberalitatem; nisi sit adhuc contra charitatem: vt cum per eam generatur scandalum aut omittitur subuentio debita extremo aut grauiter indigenti: aut fit cum præparatione animi qua quis paratus est potius peccare mortaliter, quam à sua prodigalitate desistere.

Qvæstio III.

Quæ sint filiæ auaritiæ.

18. INter vitia capitalia ponitur auaritia: cui D. Greg. in lib. 31. Moralium cap. 31. tribuit septem filias, relatas ac tractatas à D. Thom. 2. 2. quæst. 118. art. 8. nimirū proditionem, fraudē, fallaciam, periurium, inquietudinē, violentiā, & obdurationem contra misericordiam. Earum ratio habetur ex ipso D. Thoma: quod auaritia sit excessus, tum in retinendo tū in acquirendo: atque vt est in retinendo parit obdurationē qua misericordiæ viscera clauduntur pauperibus. Vt vero est in acquirendo, parit in affectu quidem, inquietudinem: affectus enim habendi immoderatus, facit vt homo semper sit mente solicitus, variisque curis & anxietatibus distrahatur. In effectu autem parit violentiam, fallaciam & periurium. Interdū enim impellit ad hoc, vt vim inferat quis proximo (prout faciunt latrones) vnde est violentia: interdum (quod communiter fit in contractibus) vt vtatur dolo: qui commissus nudo, est fallacia: & commissus additō iuramento, est periurium. Commissus vero opere circa rem aliquam, est fraus: & circa personam, est proditio.

Cæterum de malitia & grauitate obdurationis iudicandum est ex iis quæ in lib. 4. à cap. 19. tradita sunt de eleemosyna, cuius præcepto illa aduersatur. Et de malitia & grauitate inquietudinis seu solicitudinis inordinatæ: tum ex antedictis lib 17. cap. 7. parte 2. capitis; tum ex his documētis quę Toletus habet in tractatu de peccatis capitalibus, cap. 43.

Primum est, solicitudo de re mortaliter mala, vt de occi- 29.
dendo inimico, de rapienda vxore aliena, & sic de similibus, mortalis est: solicitudo vero de re venialiter mala, vt de aliqua prodigalitate facienda in conuiuio; de fingendis mendaciis iocosis aut similibus, est venialis. Secundum est, solicitudo de re temporali, constituendo in ea finem vltimum, peccatum est mortale. Quod tunc censetur contingere, cum quis paratus est mortale peccare potius, quam eiusmodi rem non acquirere, aut non conseruare sibi. Tertium est, qui ex eadem solicitudine omittit id, ad quod tenetur sub mortali, peccat mortaliter: vt is qui nimis de re temporali solicitus, omittit Missæ sacrum audire in die festo. Quartū, peccat mortaliter, qui præ solicitudine irrationabiliter timet, tanquā diffidens de Dei prouidentia: vt cū quis positis conuenientibus ac sufficientibus mediis, timet se non consecuturum quod intendit, etiamsi putet id sibi necessarium ad maiorem Dei gloriam. Quintum, peccat de se venialiter qui de re extra tempus proprium, est solicitus, vt de vindemia tempore hyemali. Nam licet prudentiæ sit prospicere futuro quando possumus in præsenti ei prouidere: quando tamen id nec possumus nec debemus, vana est solicitudo, & ideo peccatum veniale.

De violentia iudicandum est, sicut de rapina, *ad quam* 30.
constituendam, illa furto superadditur: nempe genere suo peccatum esse mortale.

De fallacia & fraude cum sint species quædam mendacij pernicioſi, *contingentes potissimum in contractibus & commercijs*, ferendum erit iudicium ex dicendis, tum de prædicto mendacio in sequen. lib. 24. tum de legitimo vsu contractuum in lib. 25. Cæterum pro certo tenendum est peccata esse genere suo mortalia, quando habuerint coniunctum notabile proximi detrimentum, nisi ignorantia excuset: vt censetur quando nulla fuit intentio fallendi aut fraudandi. De periurio dictum est suo loco in lib. 18.

De proditione tandem, *quæ est manifestatio occulti, nata in-* 31.
ferre nocumentum alteri, notandum est, posse contingere quatuor modis. Primo, circa personas, cum quis manifestat eas ad inferendum eis nocumentum: prout Dalila prodidit Sampsonem, ex cap. 16. Iudicum: & Iudas Christum, ex cap. 26. D. Math. hocque modo, est graue peccatum mortale. Secundo vero, circa res immobiles, vt cum quis prodit ciuitates, villas aut castra verorum dominorum: quo etiam modo est graue peccatum mortale, habens coniunctam obligationem ad restitutionem. Dixi, verorum dominorum, ad insinuandum quo habet ex D. Anton. & Armilla, Toletus in cit. tract. cap. 43 si tyrannice teneantur ab alijs, fas esse talia ijsdem dominis prodere: concurrentibus his conditionibus. Prima, vt id fiat principaliter ex zelo iustitiæ, excluso omni prauo affectu. Secunda, vt ex traditione nō sequātur occisiones hominum aut grauia scandala. Tertia, vt veri domini nequeant talia recuperare alia via. Quanquā autē his deficientibus, minimū peccetur venialiter agendo indebito modo: non incurrit tamen obligatio ad restitutionem: quia non accipitur alienum à vero domino, sed ei suū redditur. Tertio porro modo contingit proditio circa res mobiles, vt cum quis alterius pecunias, aut vestes ostendit latroni, eas surrepturo: & sic quoque peccatum est mortale cū obligatione ad restitutionem. Quarto denique modo contingit circa secreta: vt quando secretum alterius detegitur, cum ipsius detrimento: & sic adhuc pecatum est mortale quando res grauis fuerit, quam celare tenebatur is qui illam reuelat. Quod plenius intelligetur ex dicendis in seq. lib. 24. cap. 6.

Caput III.

De acceptione personarum.

SVMMARIVM.

32 *Quid sit acceptio personarum.*
33 *Dolo requisita ad acceptionem personarum.*
34 *Ea peccatum est suo genere mortale.*
35 *Locum habet in distributione publicorum bonorum & officiorum, tum Ecclesiasticorum, tum secularium.*

36 Item-

36 *Itemque in exercitio, iudiciorum, & impositione onerum publicorum, ac etiam in delationibus honoris.*
37 *De collatione publicorũ officiorum secularium facta indignis.*
38 *Quatenus licitum sit vendere publica officia secularia.*
39 *Obligatio suscipientis aliquod eiusmodi officium.*
40 *De acceptione personarum in iudiciis, quod sit damnabilis, & habeat locum in iis etiam iudiciis, quæ relinquuntur Iudicis arbitrio.*
41 *Iudex nihilominus potest pro amico iudicare secundum quãcunque opinionem probabilem, cum non datur probabilior, & abest occasio scandali.*
42 *Tenetur iudicare secundum opinionem probabiliorem: siue oppositam falsam esse putet, siue non.*
43 *De acceptione personarũ in honoribus exhibendis duo notãda.*

DE acceptione personarum agunt D. Tho. & interpretes ipsius 2. 2. *quæst.* 63. Summularij in verbo Acceptio personarum, & in verbo Dignitas, Sotus li. 3. De iust. & iure, quæst. 6. & latius Abulensis ad cap. 22. D. Matth. qu. 108. & pluribus sequentibus. Sufficiet autem vt explicemus quid sit, ac quale peccatum ea sit, & in quibus habeat locum.

Quid sit & quale peccatum sit acceptio personarum.

Sectio I.

32. DEscribi potest personarum acceptio: vitium quo in distributione bonorum & onerum communium, id quod ex iustitia debitum est vni, propter aliquam causam, datur alteri intuitu alterius causæ, ob quam non debetur.

Pro pleniore intelligentia autem notandum est præter iustitiam commutatiuam, *quæ efficit vt inter personas priuatas seruetur æqualitas rei ad rem, ita scilicet vt alteri tãtum reddatur, quantum ei detractum fuerit*, constituit iustitiam distributiuam inter personam publicam & priuatam; quæ iustitia faciat vt bonum, & onus commune distribuatur legitime; nimirum ea ratione, vt de illis plus vel minus illæ personæ accipiant quæ plus vel minus dignæ censentur. Quod dum non seruatur, sed is qui bona, aut onera communia distribuit (non seruata proportione dignitatis personarum in ordine ad eadem bona vel onera) illud quod debet euenire personæ digne, nõ tribuit eidem; siue absolute, siue secundum quantitatẽ debitam: sed confert illud alteri personæ propter aliquam causam (vt quia consanguineus est) nihil; aut minus quam par sit, facientem ad rem. Tunc inquam committitur acceptio personarum de qua agimus.

33. Vnde intelligitur duo ad eam requiri. Alterum est, vt bona quæ distribuuntur, sint cõmunia; siue de se, siue destinatione distribuentis: vt si is ludos instituat propositis præmiis, hæc enim distribuens, non quidem victoribus sed amicis, peccat peccato acceptionis personarum. Alterum est, vt interueniat conditio personæ ob quam debeantur potius vni quã alteri; quia si ratio debiti ablit, cessat acceptio personarum. Sic enim apud Deum non est acceptio personarum, quia sua bona propria distribuit, ad quæ nullum ius habent ij quibus distribuuntur. Illa autem ratio debiti respectu bonorum communium est dignitas quam quæque pars communitatis consecuta est, redundantem in ipsius cõmunitatis dignitatem: cuius generis censentur doctrina, pietas, vigilantia & similia: quæ quanto magis redundant in ipsam communitatis dignitatem, tanto bonis eiusdem digniorem reddunt personam. Respectu vero communium onerum quæ sit talis ratio intelliget ex dicendis in sequ. num. 36.

34. Quod autem acceptio personarum sit peccatum genere suo mortale, consentiunt Doctores: quia fit cum proximi iniuria, quæ de se est contra iustitiam, ac tanquam læsiua proximi, contra charitatem animæ vitam: quodquidem est commune omni iniustitiæ ex D. Thoma 2. 2. quæst. 59. art. 4. Consentiunt etiam Doctores, esse per accidens peccatum solummodo veniale: ex leuitate nimirum materiæ: seu quando ea committitur in re paruí momenti: aut quando ex duobus aliquo munere dignis, vnus est mediocrium tantummodo dignior.

In quibus locum habeat personarum acceptio.

Sectio II.

POrro inter ea in quibus acceptio ipsa personarum habet locũ, primo ponuntur beneficia Ecclesiastica, in quibus ea maxime contingit, quando minus dignus ad illa promouetur relicto digniori: multoque magis quando indignus. Id quod longam tractationem requirit tradendã in sequen. lib. trigesimo, tractatu tertio, tit. 2. qui erit de acquisitione beneficiorum. Interea autem aduerte acceptionem personarum in beneficiis ipsis habere locum, quia non fuerunt instituta vt libere donarentur; sed principaliter, vt essent stipendia eorum qui munus aliquod in Ecclesia exercerent; & minus principaliter vt essent præmia distribuenda bene meritis de ipsa Ecclesia. 35.

Ponuntur secundo dignitates, & officia sæcularia: nimirũ Præsidis, Senatoris, Prætoris, & similia: in quibus personarum acceptio contingit ob rationem præcedenti parem: quia officia sæcularia & dignitates cum suis emolumẽtis, instituuntur principaliter ad stipenda publicorum ministrorum: vt scilicet Respub. habeat idoneos; & minus principaliter vt viri bonis moribus, scientia, arte, ac prudentia præditi, conuenientia meritis accipiant præmia.

Vnde intelligitur, attendendum esse in eiusmodi distributione, tum vt eligatur qui aptus sit ad exercendũ munus ad quod eligitur: alioqui enim peccaretur contra iustitiam commutatiuam, lædendo Rempub. in eo quod stipendium acciperetur, nec exhiberetur obsequium: tum vt attendatur meritum eorum inter quos fit electio, alioqui fieret contra iustitiam distributiuam: secundum quam talia publica præmia distribuenda sunt melioribus seu magis aptis ad officia publica, ob quæ sunt constituta.

Tertio loco per 12. regulam iuris in 6. ponuntur iudicia: in quibus personarum acceptio committitur quãdo Iudex, iuris, *tanquam boni cuiusdam communis*, dispensator constitutus, illud inter partes distribuit, respiciens aliquid præter causarũ merita: vt fit nõ modo cũ in sententia ferenda, personas, nõ æquitatẽ causæ respicit: sed etiã cum causas aliorũ protrahit, & aliorum expedit: aut cum vni parti longiorem tribuit terminum ad probandum, quam alteri quamuis sit par ratio vtriusque. Hinc Prouerb. 18. dicitur, non esse bonum accipere personã in iudicio. Intellige nõ modo diuitis contra pauperem: sed etiam pauperis contra diuitem iuxta illud Leuit. 9. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: iuste iudica proximo tuo. 36.

Quarto loco ponuntur onera publica, quę iusta proportione distribui debent. In illis autem personarum acceptio cõmitti potest duobus modis: vno in impositione illorum, quando cæteris paribus per ea pauperes plus grauantur quã diuites aut etiam æqualiter: cum naturalis ratio dictet contrarium. Dixi, cæteris paribus: quia aliquæ circunstantiæ concurrere possunt, ob quas iudicandum sit diuites nõ deberet grauari: vt quia aliunde iam satis grauãtur. Altero modo contingere potest in exemptione ab iisdem oneribus: vt quando aliqui sine causa eximuntur, ita vt cæteri iniuste grauentur. Quod si iusta adsit causa eximendi, datur excusatio à peccato; vt cum ab illis milites eximuntur, quia quotidie exponunt se mortis periculo pro Reipub. salute. Eximuntur item Clerici & Religiosi: quia per sua spiritualia opera, laborant pro obtinenda à Deo incolũitate Reipub.

Cæterum de tributis & gabellis, aliisque id genus oneribus egimus pluribus in præced. lib. nono in explicatione quinti Canonis Bullæ Cœnæ Domini, & in lib. decimo, tract. 4. capite vigesimoquarto, quæ sufficere possunt ad notitiam acceptionis personarũ contingentis in illis. Tantum occurrit hic obiter monendum, consequens esse ex proxime dictis, tributa q̃ imponuntur per capita hominum communiter iniusta esse, personarumque acceptionem cõtinere, ob æqualitatem constitutam inter personas inæquales, perinde grauando pauperem ac diuitem. Esse item iniustas, ac personarum acceptionem continere, gabellas impositas super panem, quia præterquam quod speciem aliquam habent crudelitatis, continent etiam natũra sua inæqualitatem inter personas quibus imponũtur. Nam in eis,

nisi aliunde fiat compensatio, pauperes euidenter plus grauantur, quam diuites: cum illi plus panis comedere soleant carentes aliis cibis, quam diuites. Secus vero esse potest de impositis super carnes: quia minus ex eis comedere solent pauperes, quam diuites.

Postremo loco ponuntur delationes honoris, & reuerentiæ: in quibus acceptio personarum committitur, quando in publico consessu non assignatur cuique locus qui ratione suæ conditionis & gradus ei debetur. Vbi aduerte, *iuxta Diuum Thomam secunda secundæ quæst. 63. art. quarto*, titulum ob quem alicui homini honor & reuerētia debetur, esse excellentiam ei congruentem, quatenus rationabilis est: siue congruat ex parte intellectus, prout congruit sapientia: siue ex parte voluntatis, prout congruit virtus: siue ex parte eius, cuius tenet locum. Sic ergo honorandi sunt homines sapientia & virtute præditi: itemque potentes, authoritatem à Deo & à repub. consecuti; qui cum vtriusque huius locum teneant, effecti sunt suo modo eiusdem potentiæ participes, eoque nomine honorabiles. Sunt item honorandi, tum senes, eo quod senium sit sapientiæ & virtutis signum; tum etiam diuites, non quidem ob diuitias præcise consideratas, sed vt eæ sunt instrumenta virtutis, & ad multa bona opera facultatem præbent.

Vbi obiter aduerte, excusationem quidem esse posse à peccato, si dives precise spectatus, honoretur exterius ob receptam consuetudinem, quę non censetur per se mala. Non vero si honoretur ob interiorem aliquam reuerentiam erga diuitias: per quam eæ ita æstimentur, vt scientiæ vel virtuti præferantur aut exæquentur. Ea enim ratione cōmitteretur peccatum acceptionis personarum: de quo D. Iacobus in cap. 2 suæ Canonicæ ait. Fratres mei, nolite in personarū acceptione habere fidē Domini nostri Iesu Christi glorię &c.

Notanda de acceptione personarum in distribuendis publicis officiis sæcularibus.

Sectio III.

AD iudicandum de acceptione personarum commissa in distribuendis publicis officiis sæcularibus, vltra iam dicta, & ea quę ex dicendis suo loco de beneficiorum Ecclesiasticorum dispensatione, *ob rationu paritatem*, satis intelligi poterunt, sequentia notare oportet.

37. Primum est. Conferre indignis eiusmodi officia, non solum peccatum esse mortale, sed etiam vt plurimum obligare, tum collatorem ad deponendum constitutum à se in tali officio: tum eundem constitutum, ad resignādum idipsum officium. Ratio est: quia respublica in eo læditur, dando ei officialem indignum, cum dignus ex iustitia illi debeatur. Vt ergo tali iustitiæ, prout debet, satisfiat, amoto indigno dandus est dignus. Accedit, quod ex tali collatione nascatur multorum malorum occasio, quæ tollenda est per remotionem causæ ex qua nascitur.

Itaque mortaliter peccant non modo conferentes indignis magistratuum officia: sed etiam indigni ipsi, qui suæ indignitatis sibi conscij, talia siue acceptant siue retinent: propter iustitiæ nimirum distributiuæ violationem, in quam consentiunt: ac propter periculum cui exponuntur agendi multa contra iustitiam commutatiuam, quando officia annexam habuerint iurisdictionem; vt Gubernatorum, Iudicum, Prætorum, & cæterorum id genus Magistratuum. Ac etiam propter reipub. damnum inde prouenies: maxime in eo, quod digni dum vident talia officia indignis conferri, despondentes animum, negligant studia per quæ reddantur ipsius reipub. ministri idonei. Quibus tamen non obstantibus, si quis esset bene meritus de Principe: probeque sciretur nolle facere iniustitiam in exercitio alicuius officij, posset talis in eo tolerari, assignato ipsi assessore docto, qui suppleat defectum doctrinæ ipsius: vel certe dari ei vicarius, qui officio illo fungatur accepta congrua stipendiorum portione.

Secundum est. In electione ad officia sæcularia maiorem rationem habēdam esse vtilitatis reipub. quod spectat ad iustitiam commutatiuam; quam meriti personarū, quod spectat ad distributiuam: itaut ille aliis ad officium obtinendū habendus sit dignior, qui cum maiore vtilitate Reipub. illud obiturus cognoscitur. Ratio est: quia talia sunt principaliter instituta ad vtilitatem Reipub. eaque de causa, in hac honores ac stipendia attributa sunt suscipientibus illa.

Tertium est. Excollatione publici officij facta indigno, præter peccatum, oriri obligationem damna inde secuta resarciendi, tam ab eo qui officium contulit, quam ab ipso indigno qui damnum intulit. Quod tamen locum non habet, quando ipsamet respub. contulerit officium indigno: quoniam si ipsa damnum inde patiatur, debet illud imputare sibi, quæ tali periculo se sponte exposuerit, cum non fiat volenti iniuria. Secus esset vero, si indignus per vim curasset officium sibi à Repub. conferri: aut eam per malitiam læderet in aliquo: in quo læsurum esse, ea non potuit probabiliter existimare. In vtroque enim hoc casu is tenetur resarcire damnum ipsi reipublicæ illatum. Tenetur præterea resarcire damnum per iniustitiam illatum ciuibus, quantumcumque respub. officium ei sponte contulerit. Non enim ea de causa excusatur, vt nec si Princeps contulisset.

Quartum est: Peccatum acceptionis personarum ratione infidelitatis, committi à Proregibus, præsidibus cōsiliorum regiorum, & aliis quibus à Regibus aliisve Principibus non agnoscentibus superiorem in terris suis commissa est potestas & cura dispensandi officia ipsa secularia, quādo dignioribus præferunt minus dignos. Nam non esse eam mentem illorum quorum vices gerunt debēt probabiliter præsumere, cum cōtrarium sit melius, ac magis deceat bonum Principem; neque careat probabilitate; Immo vero censeri possit moraliter certum, quod princeps ipse ad id teneatur ob incommodum antea tactum: quod scilicet alioqui negligantur studia & alia exercitia quibus ciues reddunturidonei ad publica munia obeunda. Etenim Rex etiam ex iustitia teneatur vitare damnum reipub. vtpote qui ab ea potestatem & imperium accepit in vtilitatē illius, non in detrimentum. Adde quod cum rex debeat talia officia aliis distribuere (quandoquidem non potest solus ea obire) non debeat id facere pro mera sua voluntate absq; vllo ordine, id quod sine dubitatione redundaret in reipub. detrimentum, cui ipse obuiare tenetur ex iustitia. Debebit igitur in eo seruare aliquem ordinem: qui conuenientior esse nequit pro reipub. commodo quam ordo iustitiæ distributiuæ: postulans, vt nisi necessitas aliud exigat, singula singulis pro vniuscuiusque dignitate & merito conferantur.

Quintum est: De rigore iuris naturalis, secularia ipsa officia vendi posse, etiamsi id nō expediat extra casum grauis necessitatis. Probatur: quia respublica libera, potest seipsam vendere in casu grauis necessitatis, vt patet ex eo quod Gen. 47. Ægyptij se & suam terrā vniuersalē graui necessitate famis pressi, vendiderunt Pharaoni, emēte sancto Ioseph. Multo magis igitur potest officia sua vendere, quæ sunt bona quædam publica pretio æstimabilia: vtpote lucrosa, nec spiritalia aut spiritalibus annexa. Malis autem quæ possunt inde oriri, prouideri potest curando, vt non nisi dignioribus magisque idoneis, idque moderato pretio, vendantur. Hoc autem quod dicitur de repub. pari ratione dici potest de summo Principe, in quem illa transtulit potestatem suam disponendi de bonis communibus: non vero de principe inferiore, seu superiorem recognoscente, quia non est in eum similiter translata eiusmodi potestas. 38.

Iam quod talis venditio nō expediat, etiāsi fiat dignioribus, ex eo patet: quod vix possit impediri, quin ille qui emit conetur lucrum quærere non solū ad sustentationem suam, sed etiam ad recuperationem pecuniarum quas pro officio soluit: quin item plerumque ambitiosis, nec satis dignis eadem officia isto modo dentur: ac quin ea de causa, languescant studia virtutis & literarum: ita vt merito iure ciuili prohibita sit huiusmodi venditio in Authenticis collat. 2. titul. 2. cap. primo, vbi præcipitur vt personę quibus officia publica conferuntur, nihil soluant.

Postremū est: Eum qui aliquid huiusmodi officium publicum suscipit, obligare se tacite: tum ad curandum ne sua negligentia detur damnū vllum, cui debeat obuiare, officij sui administratione: tū etiam ad illius, cui per tale officium seruit, commoda quam commode poterit promouenda. Censetur enim id in se recipere, admittendo officium quod probe nouit tali mente sibi dari: cum nemo sit qui famulum 39.

velit

velit habere, nisi quem expectat officio suo functurum vtiliter. Qua tamen ex parte obligatio nõ est ad restitutionem aliquam, nisi detur damnum quod adhibita morali diligentia potuit vitari: aut omittatur aliquid ex officio faciendum necessario, in alterius commodum. Nam extra hos casus peccatur tantummodo contra fidelitatem requirentem, vt quam commode fieri potest sectemur commoda illius, cuius obsequio deuincti sumus. Eaque de causa ij delinquunt, *iuxta quartum notabile præcedens*, qui non curant solicite publica officia dignissimis maximeq; idoneis committere: præsertim cum in eo perinde agant infideliter, ac agit œconomus qui cum teneatur, quam commode potest, domino suo operarios maxime idoneos conducere, eligit minus idoneos spectans in eis, quod sint amici aut consanguinei, aliudve eiusmodi, cui infideliter posthabet eiusdem domini sui commodum. Quocirca grauiter peccant tanquam violantes fidem datam reipublicæ, qui huius publica officia (præsertim ea ex quibus bonus status ipsius multum pẽdet, vt v.g. gubernatoris, præsidis. consiliariorum, secretarii, thesaurarii, &c.) conferunt sanguine vel amicitia coniunctis: aut ijs qui munera obtulerunt, aut qui suis priuatis intentionibus seruituri sunt, aliis longe aptioribus omissis.

Notanda de acceptione personarum in iudiciis, & in delationibus honoris, ac reuerentiæ.

Sectio IV.

40. PRimum notandum est: acceptionem personarum in iudiciis damnabilem esse, haberi aperte ex cap. 18. Prouerb. illis verbis: Accipere personam in iudiciis non est bonum. Neque iustificari ex conditione personæ pauperis: cum dicatur Exodi. 23. Pauperis quoque non misereberis in iudicio. Hinc de regulis iuris in 6. regula 12. absolute dicitur. In iudiciis non est personarum acceptio habenda. Peccatum autem esse grauissimum, patet: quia monstro simile est, vt Iudex qui peculiariter est iustitiæ custos, iustitiam labefactet: prout ei contingit cum in iudiciis ferendis non procedit secundum ordinem iustitiæ distributiuæ, exigentis vt quanto quis dignior est fauorabiliori sententia, tanto magis faueatur ei in iudicio: itaut Iudex contra eiusmodi ordinem faciat (ideoque personarum acceptor sit) qui alicui indigno patrocinatur sententia fauorabili, quæ alteri digniori debebatur. Quam dignitatem, aduerte pensandam esse secundum causæ æquitatem vniuscuiusque personæ.

Secundum notandum sumitur ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 60. art. quinto.* Est autem: Iudici semper esse iudicandum secundum legem scriptam, si ea contineat ius naturale, à quo, tanquam Dei constitutione, nunquam licet recedere. Sin cõtineat tantum ius humanum, secundum eam, *tanquam Principis sui constitutionem*, Iudici inferiori semper quoque iudicandum esse; nisi casus adsit quem constet legislatorem noluisse verbis legis comprehendere. In iudicando enim, legatoris mens, *quæ est legis anima*, attendenda est potius, quam cortex verborum. Quod si de ipsa mente legislatoris dubitare contingat, is consulendus est. Quod si fieri nequeat commode, nec res moram patiatur, sequendum erit illud quod probabilius iudicatum fuerit, esse de ipsa legislatoris mente, quæ prævalet verbis. Atque si de ea sit dubium in vtramq; partem probabile, iudicandum erit secundum verba legis: quia hæc tunc, velut manet in possessione suæ authoritatis, & in dubio potior est conditio possidentis. Neque iudex inferior, qui ex officio custos est legis, potest eam priuare sua authoritate.

Alia vero est ratio de summo Principe qui authoritatem habet dispensandi in sua aut sui prædecessoris lege: eiusque rigorem vel pœnam relaxandi, aut mitigandi prout existimauerit reipub. expedire: cuiusmodi potestate inferiores carent, nisi eis fuerit expresse aut tacite à Superiore concessa.

Tertium notandum, est acceptionem personarum habere locum in iis etiam iudiciis, quæ relinquuntur Iudicis arbitrio, seu de quibus lex nihil statuit. Ratio est: quia non minus teneretur Iudex seruare ordinem institutæ distributiuę in iudiciis, si nullæ essent ei præscriptæ leges, quam nunc tenetur constitutis legibus. Nam authoritas ipsi concessa est ad exercenda iudicia, ea dispensando *tanquam communia bona*, ac vindicando ab iniuriis illos de communitate, qui eadem patiuntur.

Quartum notandum, est versari in dubio, An Iudex absque acceptione personarum possit in fauorem amici iudicare secundum opinionem quamcumque probabilem, quando ius dubium est inter Doctores, Respondendum autem videtur, *cum Grego. à Valentia 2. 2. disput. 5. quæst. 7. puncto 4.* tribus propositionibus.

Prima est, Iudicem si rationabiliter putet vtramque dubii partem æque probabilem esse, licite posse iudicare secundum eam quæ magis fauet amico: Ratio est: quia tunc non tenetur ex vi iustitiæ distributiuæ, magis alteri quam amico conferre bonum iudicii fauorabilis. Cum enim æque ac cæteri sit dignus, ratio iustitiæ distributiuæ non dictat potius illi quam alteri, esse tunc fauendum: quia deest fundamentum talis dictaminis, nempe maior dignitas vnius quam alterius. At vero vbi cessat ratio iustitiæ distributiuæ, cessat pariter acceptio personarum ei opposita. Cessabit igitur in casu istius propositionis, perinde ac in eo, in quo ex communi sententia, superior beneficium Ecclesiasticum conferre potest cui voluerit ex pluribus, qui æque digni se ad illud offerunt. 41.

Si obiicias inferri ex hac doctrina, Iudicem posse in tali dubio, nunc secundum vnam opinionem, & alias secundum contrarium iudicare pro amico. Respondetur cum Soto de iustitia & iure *lib. 3. quæst. 6. art. 5. in fine*, id non habere apertam peccati rationem: dummodo absit scandalum & caueatur solicite ne amicitia, aut affectus alius offundat intellectui caliginem, per quam in probabilitate diiudicanda decipiatur erretque. Si rursus obiicias rationem iustitiæ distributiuæ exigere vt distributio rei communis fiat secundum cuiusque dignitatem. Quare æque dignos debere æquam partem accipere. Respondetur id habere exceptionem in iudiciis, in quibus ad vitandas nimias perplexitates, & occasiones multiplicandarum litium, ius fauorabile ei soli tribuitur ex obligatione, ad quem spectat secundum magis probabilem opinionem, nec diuidi solet inter litigantes. Quæ maior probabilitas deficiens statur arbitrio Iudicis. Neq; est quod quis vrgeat, eum cui æque probabilis opinio fauet pati damnum: quia tenetur illud pati propter bonum cõmune, sicut & patitur is contra quem præscriptio currit.

Secunda propositio est, Iudicem, qui vnam dubii partem ita putat esse altera probabiliorem, vt simul existimet illam veram esse, & hanc falsam, committere peccatum acceptionis personarum, si ob amicitiam, vel aliam eiusmodi causam, ferat iudicium secundum opinionem, quam minus probabilem falsamque esse putat. Ratio est: quia contra rationem iustitiæ distributiuæ, non attendit ad dignitatem maiorem, ex qua vni potius quam alteri debetur iudicium fauorabile. Quo debito malitiose fraudat eum, quem secundum opinionem probabiliorem & veram, iudicat aut iudicare debet fauorabili iudicio digniorem esse, quam alterum pro quo fert sententiam, secundum opinionem quam minus probabilem ac etiam falsam existimat. 42.

Tertia propositio est, Peccare quoque Iudicem peccato acceptionis personarum, nisi iudicet secundum opinionem quam existimat probabiliorem etiamsi adhuc circa eam nonnihil hæsitet nec omnino putet contrariam falsam. Ratio est: quia is cui fauet opinio existimata probabilior, censetur eo ipso dignior sententia fauorabili. Quare si alter in iudicio ei præferatur, quia fiet contra ius digniori, personarum acceptio contra iustitiam distributiuam admittetur.

Quintum notandum, est honores qui in repub. singulis pro dignitate exhiberi possunt, & debent: dupliciter considerari: tum vt actu exhibentur huic vel illi personæ: tum vt possunt huic vel illi exhiberi: prioreque modo non esse bona communia, in quibus acceptio personarum habet locum, cum sint particularia ac propria singularum personarum quibus exhibentur: posteriore modo vero bona esse communia morali æstimatione, ex qua proueniat vt debeant pro cuiusque dignitate distribui: quod si secus fiat violata iustitiæ distributiuæ regula, committatur peccatum acceptionis personarum: quale est (*quod D. Iacobus reprehendit in cap. 2. suæ canonicæ*) si quis ob diuitias magis honoretur, 43.

quam

quam alius longe honore dignior propter excellentem virtutem.

Sextum notandum, est honorem esse bonum commune, quod debeat huic aut illi applicari in compensationem dignitatis per quam de communitate bene mereatur: etiam si particulariter non bene mereatur de persona à qua exhibetur. Atque esse bonum talis naturæ, quod ad vitandam personarum acceptionem, priuata etiam quæque persona debeat (*prout recepta consuetudo satis ostendit*) illud distribuere seruata proportione iustitiæ distributiuæ. Cuius generis acceptio personarum, si attentis omnibus circunstantiis censeatur esse irreuerentia grauis, poterit iudicari peccatum mortale, tanquam notabilis læsio proximi in bonis ipsius honorariis: quę pluris æstimantur, quam pecuniaria: in quibus grauem læsionem proximi, mortale cõstituere constat.

CAPVT IV.

De vsuræ malitia.

SVMMARIVM.

44 *Tractantes de vsuræ, & eiusdem propriatio.*
45 *Error est contra fidem affirmare eam non esse peccatum.*
46 *Scripturæ sacræ loca ex quibus iste error refellitur.*
47 *Explicatio eorum quæ in contrarium obijci possunt.*
48 *Non modo canonico sed etiam ciuili iure prohiberi vsuram.*
49 *Prohiberi quoque iure naturæ.*
50 *Vsuram non excusant vsus pecuniæ mutuatæ, nec fructus, aut commoditas prouenies ex ea.*
51 *Quæ priuatio opportunitatem vtendi pecunia, possit excusare ab vsura & quæ non possit.*
52 *Expectatio temporis non excusat ab vsura: nec item priuatio oblectationis in possessione propriæ pecuniæ: nec affectus beneuolentiæ exhibitus mutuatario.*
53 *Nec etiam periculum, nisi sit particulare: nec numeratio pecuniæ adiunctum haberet aliquod onus.*
54 *Nec liberatio à fideiussione, aut quod vtilius sit mutuatario accipere sub vsura, quam non accipere.*
55 *Nulla humana potestas reddere potest vsuram licitam.*

44. DE vsura (per quam contractus ciuiles de rebus temporalibus, sicut per simoniam contractus ecclesiastici, de rebus spiritualibus vitiantur) agitur in iure canonico apud Gratianum dist. 46. in duobus vltimis capitibus, & insequenti dist. 47. itemque causa 14. quæst. 3. 4. & 5. In Decretalibus verò tam antiquis, quam nouis, ac in Clementinis, titulo de vsuris. In iure ciuili autem lib. 22. Digestorum, tit. 1. & 2. in lib. 4. Codicis, tit. 32. & 33. & alibi prout notatum videri potest apud Petrum Gregorium lib. 3. Partitionum iuris canonici in initio tituli quinti. Tractant de eadem Theologi scholastici in 4. dist. 15. & D. Thomas ac interpretes ipsius 2. 2. quæst. 78. Summularij in verbo vsura, aliique magno numero: & inter eos late Conradus de contractibus, à quæst. 21. ad 50. Medina toto Codice de acquisitis per vsuram, Nauarrus in coment. De vsuris ad cap. Si fœneraueris 14. quæst. 3. & in Enchir. cap. 17. à numero 206. Couar. lib. 3. variarum resolut. cap. 1. 2. 3. & 4. Sotus in lib. 6. de iust. & iure, quæst. sexta. Ludouicus Lopez in parte posteriore sui instructorij, à cap. 54. ad 86. Petrus à Nauarra lib. 3. de restit. cap. 2. part. 2. & ex nostris aliquot; maxime autem Ludouicus Molina de iust. & iure in 2. tractatu tomi primi à disput. 303. ad 336. circumfertur quoque volumen impressum Francofurti continẽs tractatus de ea trium eruditorum virorum Petri Gregorij, Alfonsi à Neapoli, & Lælii Zecchi.

Cum autem cætera quæ ad illam pertinent iam sint tradita in præcedenti libro decimo, cap. 26. hic considerandæ occurrunt tum ipsius malitia: tum interesse per quod maxime talis malitia excludi censetur: (aliæ causæ ab ea excusantes considerabuntur cum dicetur de mutuo in seq. lib. 25) tum demum petentes ad vsuram, vt intelligatur an participent in eadem malitia: de qua iudicandi rationem aperire, est huius loci maxime proprium. Incipiendum esset autem ab explicatione, nominis, definitionis, & distinctionis vsuræ, nisi iam tradita esset loco citato. Ea ergo præsupposita sufficere potest hic prænotasse: vsuram consistere tantum in mutuo, nec locum habere in aliis contractibus: nisi vt ii rationem aliquam habent mutui. Eam autem tunc contingere, cum ex vi mutui lucrum exigitur, deducituve in pactum vel intenditur principali intentione. Ad quod aduerte non sufficere, quod quis non daret mutuo, nisi inde speraret lucrum: sed amplius requiri vt vltra eam spem, pluris faciat lucrum ipsum, quam quid aliud. Ac proinde si quis principaliter ex amicitia, vel misericordia daret mutuo, etiamsi secundario lucrum aliquod inde speraret non deductum in pactum: sed vt remuneratorium, de gratia non de iustitia debitum: non esset proprie vsura, vt bene contra Sotum docet Nauarr. in Enchir. cap. 17. n. 109. Nec item esset, si ex alio titulo, quam ex vi mutui lucrum quæreretur: vt ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, aut alterius oneris æstimabilis pecunia iudicio prudentis. Lucrum autẽ, idve quod vltra quantitatem rei mutuatæ exigendo vi mutui, aut etiam principaliter intendendo, committitur vsura, nõ solum est pecunia, sed etiam id quod est pecunia æstimabile, vt seruitus emendi tantum in mutuantis officina, vel molendi tantum in ipsius molendino, vel coquendi in ipsius furno.

Vsuram est licentam error est in fide.

SECTIO I.

ATque vt his præmissis de vsuræ malitia dicere aggrediamur: quod ea moraliter mala, illicitaque sit, ac de se peccatum, receptissimum est, ac indubitatum apud Catholicos, propter definitionem Concilii Vienensis quæ habetur in Clemen. vnica. De vsuris §. finali his verbis. Sane si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat exercere vsuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum: locorum nihilominus ordinariis & hæreticæ prauitatis inquisitoribus districtius iniungentes, vt contra eos quos de errore huiusmodi diffamatos inueuerint, aut suspectos, tanquam contra diffamatos vel suspectos de hæresi procedere non omittant. Quo errore laborasse Albigenses hæredicos notat D. Anton. 4. par. tit. 11. c. 7. §. 5. in fine: itemque Græcos, schismaticos, ex Guidone carmelita habet Alfon à Castro in fine librorum aduersus hæreses. 45.

Refutatur autem primo talis error, ex 7. præcepto Decalogi; quo ex cap. Pœnale. 14. quæst. quinta prohibetur omnis illicita vsurpatio rei alienæ; qualem esse vsuram qua lucrum accipitur ex mutuo vi mutui, hac ratione concluditur. Illicitum est, & contra iustitiam commutatiuam in commutatione vnius rei pro alia, plus exigere & accipere quam valeat res ea quæ datur, nisi aliquid aliud interueniat ratione cuius illud amplius iuste accipiatur. At in mutuo recipere aliquid vltra sortem, quantitatemue rei mutuatæ (quod dicimus facere lucrum ex mutuo vi mutui) est pro commutatione rei quæ datur, plus accipere quam iuste accipiendum fuit. Ergo lucrum facere ex mutuo vi mutui, est illicitum, & contra iustitiam commutatiuam: & per consequens vsurpatio illicita rei alienæ. Cuius ratiocinationis maior sumptio patet in vẽditionibus, locationibus, ac quibusuis aliis commutationibus: in quibus vt iustitia seruetur, semper respicitur ad æqualens: siue pretij in ordine ad rem quæ venditur, siue pensionis in ordine ad vsum rei quæ locatur. Minor autem ipsa comprehensionem terminorum ex quibus constat, potest nota esse: quia vltra sortem accipere, non est aliud, quam accipere vltra valorem rei quæ datur mutuo; vt fit quando res ipsa principalis quæ redditur, sola adæquat per omnia illud quod mutuo datum est: nec ea contentus mutuans, aliquid vltra accipit. Authoritates sacrarum Scripturarum, quibus confutari potest memoratus error, habentur Numerorum c. 22. versu 25. Deut. 23. versu 19. Esdræ 2. c. 5. ver. 7. Psalm. 14. verbis illis: Qui pecuniam suam nõ dedit ad vsuram: quibus præceptum Dei contineri habetur ex cap. Si quis oblitus & ex cap. Quoniam. 14. quæst. 4. illudque obligare sub mortali patet ex ijs quæ in eod. Psal. antecedunt: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? Item Psal. 54. ver. 12. Prouerb. 28. versu 8. Ezech. 18. versu 8. & versu 13. cuius verba sunt. Ad vsuram dantem, & amplius accipientem nunquid viuet? non viuet. Quæ quidem satis indicant vsuram (vt potemorte dignam) esse peccatum mortale. Adde quod habetur in seq. cap. 22. versu 12. & Luc. 6. versu 34. & 35. Ita vt merito

dicatur

dicatur in cap. Super eo de vsuris, quod vtriusque testamẽti pagina detestetur crimen vsurarum: & in cap. Consuluit eod. tit. quod omnis vsura & superabundantia prohibeatur in lege.

47. Neq; est quod obiiciatur illud Deut. 28. Fœnerabis gentib⁹ multis, & ipse à nullo fœn⁹ accipies.] Nã ex D. Thom. 2.2. quæst. 78. art 1. ad 2. ibi, fœnerare accipitur pro mutuare: sicut & Ecclesiasticí 29 versu 1. 2. & 10. vt sensus sit, populum seruantem Dei legem sic abundaturum bonis temporalibus, vt dare possit mutuo aliis & ab aliis mutuo accipere non egeat Et certe cum in præced. cap. 23. dicatur, Non fœnerabis fratri tuo ad vsuram: non potest reiici illa acceptio verbi fœnerandi, ne dicendum sit ei inepte addi, ad vsuram. Nec præterea est quod obiiciatur illud Luc. 19. Et ego veniens, cum vsuris vtique exegissem illam. Nam ex D. Th. in eodem art. 1. ad 1. vsura ibi accipitur metaphorice, pro superescentia bonorum spiritualium: quia exigit Deus vt in bonis acceptis ab eo, semper proficiatur. Dici etiam potest proprie accipi nomen vsuræ, & esse argumentum ad hominem, vt ostendunt verba præcedentia. De ore tuo te iudico serue nequam, sciebas quod ego homo austerus sum, tollens quod ego non posui, & metes quod ego non seminaui. Quare nõ dedisti pecuniam meam ad mensam, vt ego veniens, cum vsuris vtique exegissem illam.] Vnde patet tantum abesse vt inde colligatur licite accipi vsuram, quin potius colligatur contrarium: cum id non concedatur alicui, nisi vt austero tollenti quod non posuit, & metenti quod non seminauit.

Vroque iure humano prohibitam esse vsuram.

SECTIO II.

48. IVre diuino prohibitam esse vsuram, consequens est ex dictis, vnde non potest dubitari quin sit etiam iure canonico, quod ita apertum est ex distin. 47. & ex aliis locis ex eodem iure memoratis in initio huius capitis: vt nullus relinquatur ambigẽdi locus. Iure autẽ ciuili nunc legibus Christianorũ regum, expresse prohibitã esse vsurã notat Nau. in Ench. cap. 17. nu. 208. Implicite vero prohibitã esse à tẽpore Iustiniani Imperatoris, cõmunem sententiã esse idem ibid. addit: & ex Panor. ad cap. Cũ sit De foro competenti nu. 18. habet Couar. in *lib. 3. var. resol. cap. 1. nu.* 6. Pro qua sententia facit quod Iustinianus in Nouella 131. cap. 1. iussit seruari decreta Cõcilij Nicæni, in cuius canone 18. aperte prohibetur vsura. Illa⁹ verba habentur in cap. Quoniã d. 47. Facit item, quod in lege Cunctos populos Cod. De summa Trinit. & fide Cathol. idem præcipiat omnes sibi subiectos sequi fidẽ Romanę Ecclesię: cuius authoritate cõstat vsuram nunquã fuisse probatam sed semper improbatam vt alienam à sacris literis. Ipse tamẽ Couar. ibid. putat legib⁹ Iustin. approbatas fuisse vsuras, tãquam licitas. Cui fauet, ex Pandectis lex Placuit cum duabus seq. tit De vsuris, & ex Codice eodẽ tit. lex Eos, cum duabus seq. Qui tamen à ratione alienum videtur Iustin. principem Catholicum approbasse, quod in sacris literis: tã aperte dãnatur; alij *(inter quos est Sotus l. b. 6. De iust. & iure, quæst. 1. art. 1. ad* 3. congruenter doctrinæ D. Thom. 2. 2. *qu. 78. art. 1. ad* 3.) dicunt prædictis legibus non approbari vsurã, sed permitti tanq; minus malum ad vitandum maius. Quod potest impugnari ex eo, quod per tales leges cõcedatur actio ad exigendas vsuras cõsuetas, & negetur repetitio earum iã solutarum. Sed siue Iustinianus cõcesserit vsurã vt licitam, siue solum permiserit impune, vt minus malũ parui refert ad nostrum institutum. Nobis enim sufficit eiusmodi leges, *vsurarum fautrices*, abrogatas esse in Cõcilio Vienensi per Clementinã vnicã De vsuris: simulq; sancitum esse: vt si q̃ potestas publica iudicare præsumpserit, vt soluãtur vsuræ, aut vt solutæ, cum repetuntur nõ soluantur, sit ipso iure excõmunicata. Vnde intelligitur hac ex parte nullam memoratas leges aliasque similes vim habere in conscientia: iure canonico prẽualente iuri ciuili: eo quod in Summo Pontifice plena sit potestas super potestates laicas, quoad ea quæ salutẽ animarum, supernaturalẽve finem cõcernunt, prout traditur in cap. Solitę De maior. & obed. Illicitę igitur sunt omnes vsuræ, non modo maiores centesimis, quas leges ciuiles repudiant: sed etiam centesimæ, atque his minores.

Vbi aduerte obiter ex Soto in cit. art. 1. & Couar. in lib. 3. var. resol. c. 9. n. 6. vsuram centesimã dictã esse, quia singulis mensibus soluebatur vnum, pro 100. mutuatis: ita vt singulis annis 12. soluerentur. Quæ tamen vsura, quia erat aliquantulum grauis, solum permittebatur in pecunia traiectitia, id est, quando mutuo dabatur mercatori traiecturo illam per mare: cum conditione, vt si periisset naufragio, periculo esset creditoris ex leg. Traiectitiæ Cod. De fœnore nautico. Inferiores centesimæ erant besses vsuræ, cum soluebatur duæ partes ex tribus partibus centesimę id est, octo pro 100. quolibet anno. Item vsuræ semisses; cum soluebatur dimidia pars centesimæ id est, sex pro 100. quolibet anno. Item vsuræ quincunces cum quinque soluebantur quolibet anno pro 100. Item vsuræ trientes cum quatuor (quæ sunt 3. pars cẽtesimę vsurę) soluebãtur pro 100. quolibet anno de quibus, & aliis minoribus latius Petrus Greg. in tract. De vsura, lib. 2. c. 2. Aduerte etiã nullas vsuras vsurarum fuisse iure ciuili permissas, vt patet ex lege Placuit. ff. De vsuris, & ex lege Vt nullo Cod. eodem tit. v. g. Si accepisses mutuo centum pro lucro anno 12. nec in fine anni soluisses 12. non licebat in 2. anno accipere vsuram pro 100. & 12. sed tantum pro 100. sicut in primo anno.

Iure naturæ prohibitam esse vsuram.

SECTIO III.

IVre deniq; naturali prohibitam esse vsuram, atq; adeo de se illicitam esse, ostẽdunt tum authoritates prophanorum eam damnantiũ, quas refert Couar. in cit. cap. 1. n. 5. tum rationes quas passim Doctores adferunt, inter quos Conrad. de cõtr. q. 22. cõcl. 2. adfert 25. multa in eandem sententiam tum in ead. quæst tum in sequenti proponens. Sed satis erit vnam præcipuam, cæteras fere omnes continentẽ, attigisse: nempe quod lucrum ex mutuo ratione mutui, cum nõ detur gratuito, sed rationẽ habeat pretij, nõ possit iure exigi, nisi sit aliqua res pro qua exigatur. Id enim cõmune est omnibus quæ oneroso, & non gratuito titulo exiguntur. Nihil autem est, pro quo lucrum ex mutuo exigi iure possit. Ergo lucrum ex mutuo vi mutui, non est licitum. Consequentia est manifesta cum maiore: Probatur minor. Primo enim, id pro quo lucrum ex mutuo accipi iure possit, nõ est rei mutuatæ dominium, quod mutuans transferat in mutuatarium: per æqualem enim summam eidem mutuanti reddendam, iuste & ad æqualitatem, ipsum compensatur, dum tantundem restituitur quantum acceptum est. 49.

Secundo, nec est vsus sum̃æ acceptæ: quia hoc ipso quod per æqualem summam cõpensatur translatio dominij pecuniæ capitalis, compensatur etiam vsus eiusdem pecuniæ. Nam cum dominium pecuniæ, aliquid eatenus valeat quatenus valet vsus ipsius (quandoquidem dominium de se, nihil aliud est, quam ius tam vtendi quam abutendi re aliqua) eo ipso, quod compensatur pecuniæ dominium, compensatur & vsus: non secus, ac eo ipso quod vsurarius per mutuum transfert in mutuatarium, dominium pecuniæ mutuatæ: in eundem transfert facultatem omnem illa vtendi, nec vllam sibi retinet. 50.

Tertio, neq; est fructus, quem pecunia proferat: quando quidem ea, cum sit de se sterilis non fructificat, nisi per operam & industriam illius qui ea vtitur: vnde vsurarius nõ potest lucrum iure exigere ob fructum quem profert pecunia mutuata: nec enim ius habet exigẽdi illud ratiõe industriæ, quia aliena est non sua: nec ratione pecuniæ, quia illius plenum dominium transtulit in alium pro simili summa: quam proinde solam potest exigere: sicut si mihi terram sterilem iusto ac sufficienti pretio vendidisti, & illam meo labore & industria fertilem reddiderim, non teneor soluere tibi aliquid supra id ipsum iustum pretium inter nos constitutum.

Quarto, neque est vtilitas seu cõmoditas, quam mutuatarius circa res suas (eas scilicet seruando, promouẽdo, &c.) percipiat ex mutuo accepta pecunia. Nam talis vtilitas seu cõmoditas, vel cõmunis est vel particularis: siquę cõmunis sit, id est, quæ per se in vno tempore, æque ac in alio coniuncta est cum pecunia, compensatur per æqualem pecunię summam quæ restituitur; siquidẽ ei etiam annexa est similis vtilitas. Sin particularis sit (qualis censerur ea quam forte ex prẽsenti pecunia, supra ipsius integrum valorẽ mutuatarius

accipit

accipit ob aliquam opportunitatem oblatã quę non est de se nata sequi ex mutuo, (cũ plerumq; sit sine ero) pretium supra capitalem summã pro illa in mutuo exigere, perinde est ac si quis rem aliquam supra iustum pretium vendat ob vtilitatem, & commoditatem quæ emptori ex eadem re obuenit: quod illicitum esse recte probat D. Thom. 2. 2. *quæst.* 77. *art.* 1. ex eo, quod talis commoditas non sit aliquid venditoris, pro quo ipse iure possit pretium accipere: sicut posset pro incommoditate, tanquam sua, si quam subiret vendendo rem suam ad seruiendum commoditati emptoris.

51. Quinto, neque illud pro quo possit exigi lucrum ex mutuo est quod mutuans carendo sua pecunia, priuet se interea aliqua vtilitate: nempe, quia interea possunt incidere opportunitates negotiandi & faciendi lucrum, aut vitandi damnum. Nam etsi concedendum sit, quod si tales commodorum opportunitates fuerint proximæ, quia nimirum præsens adest occasio aliqua lucrandi ex pecuniæ vsu, quæ mutuanti elaberetur ob mutuo datam eandem pecuniam. Concedendum sit, inquam, non committi tunc vsuram, lucro aliquo supra summam principalem accepto quo compensetur lucrum cessans vel damnũ emergens ratione mutui, *prout exponuntur in seq. c.* Nihilominus tamen si opportunitates fuerint solum remotæ, negandum non est vsuram cõmitti in proposita exactione. Nam tales opportunitates censentur eæ, quæ semper comitantur pecuniam, vt ipsa est de se instrumentum lucrandi: quo fit, vt in hoc genere nihil dicatur de pecunia vno tempore, siue præsens sit, siue futurum: quin idẽ dici possit de æquali pecunia in alio tempore: atque adeo mutuo acceptã in vno tempore, sufficiẽter compensari per æqualem pecunię summã alio tẽpore redditam à mutuatario. Vnde quia mutuans nihil minus habebit, quã haberet, si mutuo non dedisset: amplius accipiens, censebitur vsuram committere, vtpote non aliunde quam ex mutuo lucrum accipiens. Ad cuius confirmationem illud facit, quod tales opportunitates pẽdeant ex vsu, qui cuilibet pecuniæ communis est, quocunque ea habetur. Quapropter idem iudicium est de eo, ac de ipsa pecunia; & ita, sicut nihil accipere licet supra sortẽ ratione mutuatæ pecuniæ, ita nec ratione dicti vsus communis, prout omnium consensum esse notat Sotus, *lib.* 6. *De iust. & iure quæst.* 1. *art.* 3. *pag.* 2.

52. Sexto, neque est expectatio temporis: nam si vsurarius lucrum exigat propter ipsum tempus formaliter, quo mutuatarius retinet pecuniam, manifeste est iniquus: quia tempus cum sit commune omnibus, vendibile non est. Si vero exigat propter tempus materialiter, id est, eo quod per spatium temporis careat vtilitate suæ pecuniæ, id perinde reiicitur, ac reiecta est proxime præcedens causa.

Septimo, neque etiam quod mutuanti molestum incommodumque sit non habere potestatem vtendi sua pecunia, aut se in illius possessione, aut contrectatione oblectandi hodie vel cras; sicut haberet si hodie & cras illam retineret. Nã id non auget pecuniæ mutuatæ valorem: qui totus consistit in vnico ipsius vsu præcipuo: nempe in ipsius distractione: quæ, *moraliter loquendo*, perinde, & æque vtiliter potest accidere breui temporis spacio ac longo. Et certe si id augeret valorem, fatendũ esset plus valere pecuniam iuuenis quam senis: item plus valere pecuniam recenter excusam, *cum possit esse diuturnior*, quam iam attritam. Quæ vt absurda sunt, sic absurdum est pecuniam plus valere propter diuturniorẽ potentiam ea vtendi hodie vel cras. Quod vero non sit iusta causa lucri accipiendi ex mutuo, quod per hoc vsurarius se priuet oblectatione, quam percipit ex possessione & contractione suæ pecuniæ, patet: quia compensatio, iuxta naturalem æquitatem iustitiæ faciendæ, æstimari non debet ex priuata cuiusq; cupiditate inordinata, *qualis est illa auara*: sed est ad rectam rationis normam exigenda.

Octauo, neque est benuolentiæ affectus: quo mutuans voluit mutuatario subuenire: nam etsi negandum non est, quin ex honestate & gratitudine mutuatarius, pro illo mutuantis erga se affectu, gratiam referre debeat: ex iustitia tamen quæ respicit æqualitatem rei ad rem: non autem (vt cæteræ virtutes) affectum: ad nihil aliud tenetur, quam ad summæ mutuatæ compensationem per aliam æqualem: centum, verbi gratia, pro centum reddendo: tam efficaci propensa voluntate, quã illi antea mutuo data est talis summa, compensandoque damnum, si quod mutuator pertulit iniuste ratione mutui.

Nono, neque est periculum commune, cui capitale exponitur per mutuum. Nam licet cum peculiare aliquod periculũ probabiliter imminet, possit propter ipsum peti aliquid supra sortẽ: non potest tamen cum fuerit tantũmodo comune: quia cum non suppetat tunc ratio, qua eiusmodi periculo prouideri possit à contrahentibus, neque ij moraliter sint de se illius causa, ipsum sane non debet in pactum deduci. Alioqui enim, cum res omnes humanę expositæ sint innumerabilibus eiusmodi periculis, vix vnquam posset contractus vllus iniri sine pliciter & absolute; sed tantum cum pacto dandi aliquid ratione periculi quod potest contingere. 53.

Decimo, neque est onus numerandi pecuniam, quoniam substantia ipsa mutui illud secum fert: numeranda enim est pecunia quæ mutuo datur vt tantum postea reddatur, quantum acceptum est, neuterque contrahentium fraudetur: perinde ac substantia venditionis fert secum onus tradendi rem venditam, pro qua iustum pretium dandum est. Quocirca pro tali numeratione lucrum exigere, idẽ est ac exigere pro mutuatione (quod prohibetur per illud Luc. 6. Mutuum date nihil inde sperantes) sicut pro labore necessario ad sacramentorũ administrationem, munus accipere, idem est, ac pro ea ipsa administratione accipere, contra illud Matthæi 10. c. Gratis accepistis gratis date.] Quod si aliquod onus, ad substantiam mutuationis non pertinens, subeundum sit; potest in illius compensationem aliquid accipi: quia non accipietur ex vi mutui.

Vndecimo, neq; est, quod vsurarius possit à mutuatario petere fideiussorem. Nam licet pro fideiussione pretium accipi possit, quia fideiubendo contrahitur obligatio soluendi debitum in defectum mutuatarij, quæ æstimabilis est pecunia: non potest tamen pro mutuatione, quæ nullam eiusmodi obligationem inducit vt de se patet. Quanquam si quis obligaret se ad mutuandũ cæteris de ciuitate, quoties cumque indiguerint, obligatio esset æstimabilis pecunia, pro qua lucrum supra sortem capi posset, vt ex Scoto post Sotum notat Nauar. in comment. De vsuris, num. 62. 54

Duodecimo, neque est, quod plerumque vtilius sit mutuatario, mutuo accipere pecuniam restituendam cum vsura, quam ea carere. Nam maior illa vtilitas nullum ius mutuanti dat accipiendi supra sortem, cum ea proueniat à re mutuata: quæ non illi sed mutuatario fructificat, tanquam domino (cuius periculo quoque est exposita) perinde scilicet ac res vendita, emptori tanquam domino, non autem venditori fructificat. Nec obstat quod in tali casu libere consentiat in solutionem vsurarũ. Nam talis consensus non est pure liber, sed cum admixtione inuoluntarij: quandoquidem mutuatarius ipse nollet vltra sortem dare, si posset aliter mutuum accipere. Quare inuoluntarie dat. Ita ex D Thoma quæst. 13. de malo art. 4. habet Molina De iust. & iure, tomo 1. tract. 2. disput. 304.

Cum autem constet ex dictis, vsuram de se malam esse: ideoque nullo ex fine licitam fieri: consequens est quod eam exercendi, non modo Princeps sæcularis, sed nec Papa potestatem possit facere: ne quidem Iudæis aliisve infidelibus, vt bene notatum est à Couar. *in lib.* 3. *variarum resolutionum, cap.* 1. *num.* 8. textu que habetur de eo præclarus in cap. Super eo, De vsuris. Quanquã fatendum est Papã posse in dubio declarare, an cõtractus aliquis vsurarius sit, necne. Quę autem in defensionem vsuræ obiici possunt, partim ex dictis, partim ex deinceps dicendis dissoluuntur. Ea si quis requirat sigillatim, ppposita, poterit videre apud Gregoriũ à Valẽtia 2. 2. disp. quinta, quæst. 21. in vltima parte pũcti primi. 55.

CAPVT V

De eo, quod nulla vsura sit licita contra Carolum Molinæum,

SVMMARIVVM.

56 *Nullam dari vsuram licitam.*

57 *Quo modo accipiendum sit, quod Iudaispermissum sit, alieno dare ad vsuram.*

59 *Vsuram peccatum esse grauissimum, ostendunt quæ in illius vituperationem dicuntur à Patribus.*

59 *Errores opinio Caroli Molinæi de vſura.*
60 *Inepta reſponſio eiuſdem Molinæi ad loca Scripturæ; quibus idem error refellitur.*
61 *Rationes aduerſus eundem errorem.*

EX dictis conſequens etiam eſt, vſuram cum de ſe aduerſetur iuri ac rationi naturali; & ideo ſit intrinſece mala, nullam poſſe dari licitam: atque adeo ſicuti ſint ſtatuta, aliquam concedentia, ea repudiari debere tanquam peruerſa, & à ratione aliena, omneſque introductas conſuetudines illam exercendi, cenſendas eſſe corruptelas, iuxta cap. finale De conſuet. vtpote contrarias iuri naturali & diuino.

57. Nec obſtat illud Deuteron. 23. Non fœnerabis fratri tuo ſed alieno: per illud enim (vt placet D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 1. *ad* 2. & aliis quorum meminit Couar. *in lib.* 3. *var. reſol. cap.* 1. *num.* 7.) Iudæis ad duritiam cordis ipſorũ, permiſſum eſt impune fœnerari gentibus (ſicut & vxoribus dare libellũ repudij ex Marci cap. 10.) ad vitanda maiora mala: nõ autẽ illis eſt reddita licita vſura: ſicut nec reddita licita fornicatio cum alienigenis, quando dictum eſt in eod. cap. Nõ erit inter vos meretrix de filiabus Iſrael. A cuius proinde permiſſionis vſu, ipſos per Chriſtũ reuocandos prædixit Dauid. Pſal. 71. inquiens: Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum. Id quod Chriſtus ipſe præſtitit, cum Lucæ ſexto dixit, Mutuum date nihil inde ſpectantes.] Atque hanc eſſe illius loci Deuteronomij germanam interpretationem, pluribus contendit quidem Sotus *lib.* 6. *De iuſt. & iure, quæſt.* 1. *art.* 1. *ad.* 2. Alij tamen quos cõmemorat & ſequitur Couar. loco cit. malũt Iudæis permiſſam eſſe vſuram, tãquam licitam ex authoritate Dei dantis illis dominium lucri per eam acquirendi. Quodquidẽ eſt, circunſtantiæ additione facere, vt iam non ſit formaliter, ſed materialiter tantum vſura: ſicut ſpoliatio Ægyptiorum Exod. 12. confeſſione Dei omnium Domini, effecta eſt furtum materialiter tantum, & reddita licita. Vnde intelligitur quod vſuræ non fuerint Iudæis licitæ cum omnibus gentibus, ſed tantum cum illis quibus tanquam hoſtibus poterant authoritate Dei, bellum inferre, & eos vita ac bonis ſpoliare: ſicut poterant habitatores terræ promiſſionis: quos bello propter ipſorum ſcelera Deus deleri iuſſit: & bona ac prædia ipſorum ſcelera à Iudæis occupari, tanq; largitione diuina, ad ipſos pertinẽtia.

58. Aduerte autem vſuram ſic intrinſece malam eſſe, vt peccatum ſit grauiſſimum, prout oſtendunt quæ in illius vituperationem dicuntur à Sanctis Patribus: quale eſt illud D. Baſilij in Pſal. 14. An ignoras quod maior tibi exurgat peccatorũ aceruus, quam ſit opum acceſſus, quẽ ex vſuris venaris? Item illud D. Gregorij Nyſſeni homil. 4. in Eccleſiaſten: Quid refert an clanculum perfoſſis muris, prædonis more alienum habeas & prætereuntis cædes, te eorum quæ habeat dominum conſtituas, an fœnoris neceſſitate, acquiras ea, q̃ ad te non pertinent. Et inferius de eadem vſura agens: Hic eſt ille partus quem parturit quidem auaritia, parit autẽ iniquitas, & obſtetricatur inhumanitas. Idemq; illud quod ex D. Auguſt. habetur 14. quæſt. 4. ca. Quid dicã, an crudelior eſt qui ſubtrahit aliquid vel eripit diuiti, quam qui tradat pauperem fœnore? Præterea illud quo D. Chryſoſt. hom. 57. in Matth. tomo 2. miſerias fœneratoris ex eo oſtendit (poſtquã in eũ multa dixit) quod per talẽ pecuniæ fœtum, anima illius perinde corrodatur, ac viperæ venter per ſuum partum: eoque magis, quo talis fœtus copioſior fuerit. Adhuc illud D. Ambroſij in Tobiã cap. 4. Vſurarij ſimiles ſunt Iudæis: qui dederunt pecuniam Iudæ, vt occideret Saluatorem, iſti vt occidant innocentẽ. Item illud appoſite dictum à D. Baſilio loco citato: quod fœnerator debitorem, tanquam canis feram perſequatur: itaut latebras cõpellat quærere, nec quieſcere minus ſinat, quam canis leporẽ: nempe ex Pſal. 9. Oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua, &c.]

Accedunt etiã alia ex iure Canonico; vt quod in cap. 1. De vſuris in 6. vocetur vſurarum vorago, quæ animas deuorat & facultates exhaurit. Itẽq; quod in c. Sicut hi, diſt. 47. dicatur, vſuræ arte nequiſſima, aurum ex auro naſci: multaq; alia quæ collecta habentur apud Petrum Crepetium in ſumma fidei catholicæ, verbo Vſura: in quibus recenſendis non eſt opus immorari: quia quem hæc non moueant, nec alia mouebunt. Vtinam moueat æterna futuræ vitæ miſeria, quam Moſes, & Prophetæ (in iis ſcilicet ſacræ Scripturæ locis, ex quibus in præcedenti cap. notauimus probari vſuræ malitiam) vſurariis denunciant: ne eant in locum tormentorum paratum iis qui illos in tali negotio non audiunt. iuxta ea quæ in hiſtoria epulonis diuitis habentur apud D. Lucam cap. 16.

Moueat vtinam quoque vitæ miſeria illa, in quam vſurarius redigitur ab Eccleſia, pia licet matre, vt ab Eccleſiaſtica ſepultura arceatur (quod poſtea exponetur) eique ſacramenta, vitæ ſpiritualis neceſſaria ſubſidia, denegentur; tanquam cani alios rodenti, cui ſanctum dare prohibemur in cap. ſeptimo D. Matth. verſu 6. Quæ ſi nihil facit pleriſque auaris contingit, quorum mens (ex cit. cap. Sicut hi) ſemel vinculis cupiditatis adſtricta, nihil niſi aurum & argentum videt: ſicut ij qui mente per inſaniam translati, non iam res ipſas, ſed paſſionis ſuæ fantaſias vident. Illud ſane negligere non debet, quod experientia docet, iuſto Dei iudicio fieri, vt vltra animæ detrimentum, ex vſura ſequatur etiam propriarum facultatum breuis poſſeſſio, acceleratæque ſubuerſio. Cuius experientiæ habetur mentio Cod. De adminiſtratione tutorum, lege 22. ſub finem: cum dicitur, quod pecuniæ fœnerandi vſus vix diuturnus & ſtabilis ſit; quo ſubſecuto, intercidente ſæpe pecunia, ad nihilum patrimonia deducuntur.

Atque licet hæc ita ſint, ac doctrina de intrinſeca vſuræ malitia tot authoritatum & rationum momentis confirmata ſit: vnus tamen impius (*vt à Nauar. in Enchir. cap.* 17. *num.* 209. *nominatur, ob dogmatum hæreticorum quæ tenuit impietatem*) Carolus Molinæus in tract. commerciorum & vſurarum num. 10. 11. 78. 70. 80. affirmat vſuram, niſi fraus intercedat, aut nimium opprimatur proximus, non eſſe peccatum, ſed eſſe licitam, quantumcunque (vt ipſe fatetur in eod. num 80.) Doctores omnes 600. annis contrarium docuerint. Qua in re, *tanquam alteri Iſmaeli G. neſ* 16. contingit ei, vt ſicut ipſius manus contra omnes fuerunt, ſic contra ipſum ſint manus omnium. Exploditur enim ab omnibus ſententia ipſius tanquam noua, & plane abſurda, ac etiam valde periculoſa; nec immerito. Primum enim eſt contra expreſſa ſacræ Scripturæ loca, quæ in præcedenti cap. memorata ſunt. Abſolute enim & ſine limitatione vlla condemnant vſuras, tanquam illicitas, & voluntati Dei contrarias. 59.

Ineptum vero eſt, quod in præced. num nono, ad ea Molinæus reſpondet: inquiens vocẽ Hebraicam נֶשֶׁךְ qua vtitur Scriptura, ſignificare morſum: ideoq; in illa tantummodo prohiberi proximi morſum, id eſt, illius oppreſſionem. Imprimis enim argumenta ab etymologia ſunt valde infirma: atque ſi hęrendum eſſet in vi vocabuli, dicendum potius eſſe ſcripturam prohibere ne quis proximum ſuum dentibus mordeat, quam ne vſuram exerceat. Adde quod licet ſermo non ſit de vero morſu proximi, ſed de metaphorico; nempe de leſione illius in bonis pecuniariis: inde tamen patere omnem vſuram eſſe authoritate Scripturæ illicitam, cum in omni vſura vere committatur talis læſio: plus ſcilicet exigendo, quam ſit ex iuſtitia debitum: quandoquidem in ea ſemper aliquid exigitur ſupra ſortem capitalem. Præterea Scriptura non tantum vtitur voce נֶשֶׁךְ ſed etiam alia Hebraica, videlicet מַרְבִּית quæ ſignificat omne id q̃ ſumitur vltra ſortem: & venit à radice רָבָה ſignificãte auctus eſt, itaut מַרְבִּית ſignificet augmentũ ſeu quidquid datur vltra id quod mutuo acceptum eſt. Deinde hæc ſententia eſt contra Patres antiquos, qui docent id omne efficere peccatum vſuræ, quod accipitur vltra ſortem: vt videre eſt apud Grat. 14. quæſt. 3. ex D. Auguſt. D. Ambroſio D. Ieronymo & Concil. Agathenſi. Quamuis autem tale quid ſibi obiici Molinæus parum curaret, qui ſpiritu hæretico turgidus, contempſit ſexcentorum annorum (vt ante ex ipſomet meminimus) communi Doctorum conſenſu receptam in Eccleſia doctrinam: non fuit tamen tacendum ad inſtitutionem catholicorum apud quos Patrum authoritates, ac ſacrorum Concil. & Summorum Pontificum definitiones maius momentum habent, quam vllæ humanæ rationes: quæ non deſunt validiſſimæ aduerſus prædictam Molinæi ſentẽtiam. 60.

Prima eſt, Si vſura non niſi ratione fraudis, vel oppreſ-

sionis, peccatum esset: cæsane absolute non esset peccatum: sed tam licita esset quam emptio & venditio. Nam in emptione & venditione sæpe est, tam fraus quam oppressio: nec tamen propterea quisquam dixit vnquam emptionē & venditionem esse peccatum. Secūda est, Molinæus pcius sentit de hac materia, quam ipsi Gentiles. Nam vt omittam alios, quorum meminit Couar. *in lib. 3. var. resolutionum, cap. 1. nu. 5.* Aristoteles lib. 1. polit. cap. 7. agnoscit vsuram esse peccatū, & cōtra naturę legem. Addens optimā rationem; quia contra rationem est exigere à re sterili fœtum & partū. Sed pecunia, sua natura est sterilis, nihilque parit: si accedat industria humana; quæ cum sit illius qui accipit mutuo, nō autē eius qui dat; ille, nō autem hic, potest ex ea lucrū percipere.

Tertia est D. Thomæ, 2. 2. *quæst. 79. art. 1.* Pecunia res est quæ vsu cōsumitur sicut vinum: quia vt potu vinum, sic distractione, *quæ est illius principalis vsus*, pecunia perit proprio domino. Sed in rebus quæ vsu consumuntur, vsus ipse non distinguitur à domino: adeout nihil accipi possit pro vsu, postquā iustū pretium solutū est pro earū dominio. Id quod patet exemplo: quia aperte iniustū esset, si quis cum iustum pretium acceperit pro vino, aliud pro vini vsu accipiat. Quare nihil sumi potest pro vsu pecuniæ postquam translatum est illius dominium in alium: sicut sit in mutuo, quod est rei propriæ alienatio, prout nomen ipsum indicat, cum mutuum dicatur ex eo, quod meum, fiat tuum.

Quarta ratio est, Etiamsi vsus pecuniæ distingueretur à pecunia, & esset res quę seorsim vendi posset sicut vendi potest fructus vaccæ retento illius dominio: adhuc nihilominus vsura esset illicita. Nam quando venduntur fructus rei fructiferæ, ea est natura talis venditionis, vt si pereat res ipsa, cuius est fructus, nihil possit amplius accipi pro eius fructu: quia pereūte re, perit fructus & vsus rei: nec ꝓ eo quod periit, aliquid potest iuste accipi. At vero in vsura, etiamsi pereat pecunia mutuo accepta: nec accipiens vsus sit illa: aut certe sic vsus sit, vt nihil omnino lucrifecerit, obligatur ad restitutionem totius eiusdem pecuniæ acceptæ, & ad solutionem pretij pro lucro, tanquam illius fructu; cum tamen nullum protulerit. Quare vsura non potest ab iniquitate ex eo excusari, quod rationem quandam habeat venditionis fructuum, redituumve.

Quinta ratio. Fatetur ipse Molinæus, quod vsura sit illicita, quando mordetur proximus, seu læditur contra charitatem. At in omni vsura proximus contra charitatem læditur in rebus suis. Probatur: quia in ea ex luero, quod proximus acquisiuit vsu pecunię, cuius dominium per mutuū adeptus est, partem capit vsurarius; quantumuis eiusdem pecuniæ dominium à se per mutuum abdicauerit. neque ea vsus sit ad lucrandum, aut se vlli periculo exposuerit: quodquidem iniquum est & læsiuum proximi; cum inde plerumque contingat, vt principalis causa, id est, mutuatarius qui negotiatur ex pecunia, nihil plane cōsequatur. Imo si sortem amittat, nec quidquam lucretur; debeat nihilominus mutuum acceptum ac ēt lucrum expectatū soluere; in quo cernitur proximi læsio valde iniqua: vtpote qua ille qui nulli se periculo exponit, neque damnum sentire potest, sentit commodum & lucrum, etiam sine labore. Ille autem qui laborat non sentit commodum: nisi se damno exponat. Quod adeo est contra rationem, vt pro regula habeatur (quæst est 55. De reg. iuris in 6.) Eum qui sentit onus, sentire etiam debere commodum, & è contra. Ex qua etiam intelligitur, quod si ille qui mutuat, voluerit se quoque exponere damno, sicut ille qui negotiatur: posset etiam iuste fieri particeps lucri: prout suo loco exponetur cum de societate in sequenti libro 25. agetur. Molinæi autem argumenta facile erit soluere ex supradictis: nec ea quid amplius probant, quam mutuationem rem esse commendatam in sacris literis. Neque esse illicitum vrgente necessitate, ab vsurario exigente vsuras mutuum accipere: In quibus illi non aduersamur.

CAPVT VI.

De interesse per quod maxime excludi censetur vsuræ malitia.

SVMMARIVM.

62 *Licitum esse capere interesse.*
63 *Quid significetur per interesse.*
64 *Varium interesse distinguitur.*
65 *Interesse petibile, quoddam est intrinsecum, & quoddam extrinsecum.*
66 *Quid generaliter sit petibile interesse; quidque specialiter.*
67 *Specialiter (qua ratione est huius loci propriū) quoddā dicitur lucri cessantis, & quoddam damni emergentis.*

62. Licitum esse capere interesse ab eo, cuius causa incurritur in aliquo negotio, certum est ex iure canonico in cap. Si quis, 12. qu. 2. in cap. Constitutis, De procuratoribus: in cap. fin. De iis quæ vi: in cap. Dilecti de foro competenti: in cap. Peruenit, De fideiussoribus, & in cap. Sacro De senten. excomm. ideoque ipsum solet in hac materia considerari, tanquam circunstantia per quam malitia vsuræ excluditur: sicut per defensionē propriæ vitæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ, tollitur malitia homicidij, quo inuasor occiditur. Vbi aduerte, quod ex Medina habet Petr. à Nauar. *in lib. 3. De rest. cap. 2 num. 185. & 186.* vsuram sumptam simpliciter, vt nihil aliud importat quam lucrum vltra sortem occasione mutui, nec bonam de se esse, nec malam, sed ex adiecta circunstantia causæ. Itaque mala est cum lucrum accipitur ob solum mutuum, quia causa est iniusta: non autem cum ob interesse, aliamve causam iustam.

63. Quid autē dicatur interesse, potest familiariter declarari dicendo cum Alphonso à Neapoli *in tract. De vsuris, quæst 18. num. 1.* quod sit amissio alicuius temporalis boni iuste obtinendi: sic appellata, quia ille qui tale bonum amittit, dicere potest sua interesse illud perdere. Additur vero, *iuste obtinēdi*: quia amissio boni iniuste obtinendi, nō constituit interesse proprie dictum. Vnde nec in iudicio actio datur pro eo recipiendo, iuxta legem. Itaque fullo, ff. De furtis; vbi ratio ea redditur, quod nemo de improbitate sua consequatur actionem.

64. Diuidi vero potest interesse, vt idē Alphonsus latius persequitur *num. 14. & aliquot sequentibus*, in inæstimabile & æstimabile; iuxta duplex scilicet boni tēporalis genus. Quoddam enim est pretio seu pecunia inæstimabile, vt hominis liberi vita, ex lege 1. §. Sed cū liber homo, ff. De his qui effuderint vel deiecerint. Quoddā vero est pretio æstimabile, vt vinum, frumentum, domus, ager, &c. in illiusque amissione cōsistit interesse inæstimabile; & in huius amissiōe, consistit interesse æstimabile. Quod rursus diuiditur in non petibile, & petibile. Illudque est quod incurritur sine alicuius facto iniusto, vel cessatione iniusta: cuius exemplum habetur in lege, Proculus, ff. De damno infecto: vbi statuitur, interesse non posse peti, si iuxta me ædificia habeas, & ea iure tuo altius tollas; aut in vicino agro tuo cuniculum facias, vel fossam, & illinc obscurentur domus meæ lumina, aut hinc aqua in meum fundum influere impediatur.

65. Petibile vero interesse est, quod incurritur propter alicuius factum iniustum, vel cessationem iniustam: de quo tantū est in præsentia sermo: contingitque aliquando intra rem, & dicitur intrinsecum; aliquando extra rem, & dicitur extrinsecum. Vtriusque modi exemplum habetur ex lege Si sterilis, De actionibus empti & venditi. Prioris quidem, mutuo dedi tibi frumentum, aut vinum reddendum calendis Aprilis, nec reddidisti, illiusque pretium auctum est vsque ad Augustum; teneris ratione interesse, soluere mihi quanti plurimi valuit à tempore iniustæ moræ, ex lege Vinum ff. Si certum petatur. Quodquidem interesse, dicitur intra rem esse, eoquod immediate procedat ex re, id est, ex frumento tanquam fructus & partus quidam illius. Posterioris vero modi exemplum est; si fœnum à me tibi mutuo datum non restituisti tempore præstituto, & ideo equi mei fame perierunt; tale enim interesse extra rem est, cum non profluxerit ex ea: nec enim fœnum, sed fames talem mortem intulit.

66. Atq; prætermissis (*Nauarri imitatione in cōment. De vsuris, num. 40.*) subtilitatibus de definitione, & diuisiōe ac subdiuisionibus istiusmodi interesse, *quibus ipsum ex parte obscurari idem Nauarrus ait.* cōcti crimus, *& sufficere potest ad negotii iustitutum*, dicere interesse petibile sumptum generaliter esse id, quod quis perdidit de suis rebus; quia illud quod dari vel fieri debuit, non est suo loco, vel tēpore, vel alias vt debuit, datum vel factum. Specialiter vero sumptum, & vt ad

hunc

hunc locum proprie spectat, esse id, quod mutuans perdit de suis rebus, aut desinit lucrari eo quod mutuet, aut eo quod ad præstituturn diem non soluatur mutuum.

67. Eaque ratione distingui, quod vnum sit damni emergentis, & alterum lucri cessantis. Quorum prioris exemplũ est: Habeo pecunias quibus reficiam domum ne corruat: aut quibus volo æstate triticum emere in totius anni alimẽta familiæ meæ, aut pecoribus emere pabulum, aut me ære alieno liberare; quas pecunias tibi dedi mutuo, nec ad præstitutum diem restituis: vnde fit vt domus mea corruat, vel triticum duplo carius emam, vel pecora mea fame pereant, vel creditoribus meis soluam interesse; vel res meas viliori pretio vendere compellar ad soluendum creditoribus: tale damnum ex mutuo secutum dicitur interesse damni emergentis. Posterioris vero exemplum est: sum mercator habens pecunias quibus volo ad negotiandum, merces emere; & tu eas à me acceptas mutuo, non restituis tempore præfixo, ideoque cessũ lucrum facere; quæ cessatio dicitur meum interesse lucri cessantis.

CAPVT VII.

De interesse damni emergentis.

SVMMARIVM.

68 *De damno emergente ex mutuo, si ipsum sit incertum, non licet pacisci nisi sub condition.: sin certum sit, licet pacisci absolute.*
69 *Quid si damnum sit verosimile.*
70 *Extensio doctrinæ traditæ de interesse damni emergentis.*
71 *Conditiones quibus eadem limitatur.*
72 *De eo, quod oporteat damnum incurri precise, occasione mutui.*
73 *Conditiones duæ ex parte mutuatarij.*
74 *Aliæ duæ ex parte ipsius interesse.*
75 *Mutuatarius non tenetur resarcire interesse damni emergentis, si nullum de eo præcesserit pactum cum mutuatore.*
76 *Tres casus excepti.*
77 *Mora in faciendæ solutione capitulis, quatenus inducat obligationem resarciendi interesse damni emergentis.*

QVÆSTIO PRIOR.

An possit quis pacisci de interesse futuro damni emergentis, accipiendo pro eo pretium.

68. AD huius explicationem aduertendum est: huiusmodi damnum futurum, triplex esse. Vnum certo futurum, alterum probabile seu verosimile, & tertium plane incertum. Quando igitur ipsum est omnino incertum, non potest de eo fieri pactum, nisi cum hac conditione: si damnum secutum fuerit. Nam res quæ non existimatur verosimiliter futura, vendi non potest, nisi sub hac conditione, si futura sit: quando quidem sine hac illa æquiparatur nõ futuræ. Quando vero ipsum est omnino certum: de eo sine vsura pacisci licet, ex communi consensu Doctorum, *quorum plures commemorat Alfonsus à Neapoli, quæst. 19. concl. 1.* quia ratio iustitiæ & æquitatis non postulat, nec patiatur vt quis ex beneficio mutui, damnum incurrat, in suisve rebus detrimentum propter alterum patiatur gratis.

69. Similiter quando ipsum omnino probabile verosimileve est (etiam si forte nunquam contingat) *vt Nauarr. in comment. De vsuris num. 54. conditione 5. statuit argumento cap. In ciuitate De vsuris*) licet aliquid accipere ratiõe probabilis periculi, cui mutuũ exponitur: tale enim est pecunia æstimabile, sicut & illud cui fideiussor se exponit soluendi capitale; pro quo pacisci, & pretium accipere potest ex cap. 2. & 3 De fideiussoribus. Itaque si ille qui pecuniam mutuat, volens restaurare domum quæ minatur ruinam, cogitur restaurationem differre ob mutuationem, potest à mutuatario vltra sortem, id est, summam principalem, accipere ac retinere sibi aliquid ratione damni probabiliter futuri. Quanquam in eo casu non debet tantum accipere, quantum ille cui damnũ certo contingeret. Nam incertitudo diminuit aliquid ex pretio damni emergentis, sicut & ex pretio lucri cessantis: vt post D. Thomam 2.2. *quæst. 62. art. 4. notat Sotus lib. 6 de iust. & iure quæst. 1. art. 3. in fine*; inquiens non licere integrum accipere, quantum in re futurum erat, sed quantum in spe, secundum coniecturalem prudentiam, verosimili.

Procedit autem doctrina hæc de damno emergente, quantumcunque mutuum datum fuerit sponte, & sine vlla vi: & quantumcunque terminus præfixus solutioni nondũ effluxerit, cum damnum emersit. Nam tunc quoque locum habet generalis ratio, quod nemo teneatur cum damno proprio beneficium alteri præstare; nisi necessitas ad id ipsum compellat. Id quod Lælius Zecchi annotans *in tract. De vsuris cap. 5. in 8. casu*, addit mutuatarium teneri tantum ad interesse propinquum, id est, teneri tantum ad solutionem damni, quod proxime emersit ex mutuo: non autem ad interesse remotum; id est, quod per intermedium propinquũ, emergere potest mutuãti: alioqui enim procedi posset in infinitum in iis ad quæ resarcienda mutuatarius teneretur; quod absurdũ est: vt si res ob mutuum proxime amissa, sit galina, quæ peperisset oua ex quibus generarentur pulli, ex quorum pretio aliquid fructiferum emeretur, & ex fructibus productis aliquid aliud, & ita in infinitum; pro quibus pacisci, & pretium soluere, esset intolerabile; immo plane iniquum: cum vt habet D. *Thomas 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 1.* non debeat quis vendere id quod nondum habet, & à quo habendo potest multipliciter impediri. Idem patet per tradita ab Angelo *Vsura 1.* §. 30. Quæ referentur in fine huius capitis.

70.

Conditiones requisitæ vt interesse damni emergentis excludat vsuræ malitiam.

71. CÆterum vt licite accipi & retinere possit aliquid in compensationem interesse dãni emergentis, aliquot conditiones requiruntur, quas post Conradum persequitur Medina in Cod. De rebus acquisitis per vsuram, quæst. 3. Ex parte enim mutuatoris requiritur 1. (*si iis authoribus credendum est*) vt quoad lucrum ipse malit aut saltem æque velit, suam sortem seruare (*sicque damnum emergens euadere*) quam mutuando aliquid vltra illam recipere ob interesse damni ex mutuo emergentis. Nam voluntas opposita includit voluntatem alicuius lucri capiendi ex mutuo, quæ vsuraria est. Dixi (si illis credendum est) quia non immerito obiicit Nauarr. *in Enchir. cap. 17. num. 212.* & post ipsum, Petrus à Nauar. *lib. 3. De restit. cap. 2. n. 300.* quod talis voluntas non reddat acceptionem iniustam; cum iniustum non consistat in prauitate intentionis, sed in rerum quæ commutantur inæqualitate, quę non cernitur in compensatione damni emergentis, aut lucri cessantis ex mutuo. Ad quod plenius intelligendum dicenda in seq. nu. 82. & 85. iuuabunt.

72. Secundo requiritur vt mutuator præcise occasione mutuationis, damnum incurrat. Nam si incurrat alterius rei causa, vt propriæ negligentiæ, vel vanitatis, vel malitiæ; non erit interesse, de quo hic agimus, damni emergentis ex mutuo. Itaque si ob carentiam pecuniæ mutuatæ alteri, rem tuam minoris quam valeat vẽdas, non quidẽ necessitate compulsus, sed propter volũtarios tantum vsus, nec vtiles nec necessarios: aut necessitate quidem compulsus vendas ad vsus & expensas necessarias: sed proueniente ex tua negligentia, vel malitia (qua voluisti mutuatarium grauare) non potes recipere, nec retinere pretium datum pro tali interesse. Quod similiter dicendum est si tua domus ob defectum mutuatę pecunię passa est ruinam, aut compulsus es aliam pecuniam accipere ad vsuram, nolens per negligentiã aut malitiam id indicare mutuatario, qui potuisset, restitutione tibi mature facta, se liberare à tali damno. Idem etiam iudicandũ est, si poteras & neglexisti, aut malitiose noluisti alia via facili, nec dispendiosa, damno quod emersit obuiare, vt cum domi habuisti alias pecunias vel grana; aut vina quæ conuenienti pretio vendere posses, vel amicos qui facile tibi mutuo darent gratis. Idem adhuc iudicandum est, vt idem author ibid. habet, cum mutuator damnum idem incurrisset, etiamsi pecuniam suam mutuo non dedisset: tunc enim mutuum non est causa damni: vt cum quis alicui mutuo dat merces, quas vendere non potuit nisi credita pecunia: causa damni emergentis non est mutuum, sed conditio mercium quæ præsenti pecunia vendi non potuerunt.

73. Ex parte vero mutuatarij requiritur primo, vt non sit talis persona, cui gratis donare sit in præcepto; vt ei qui tam inops (inquit Medina *in Cod. De remissa quæst. 6. conclus. 1.*) vt propria bona actu non habeat quæ retribuere possit; nec etiam artem, nec vires, nec industriam, nec denique modum aliquem vnde necessaria vitæ possit aliter, quam mendicando acquirere. Cum enim tali necessitatem grauem patienti subueniendum (sit de præcepto? neque is ad retributionem (vtpote ipsi impossibilem) obligari possit: ei donandum est gratis, & sine spe retributionis ab ipso prouenturæ. Idem iudicandum est de patre constituto in necessitate, in qua filius tenetur ei subuenire gratis. Item de creditore, cui contra iustitiam debitor nolit nomine solutionis, sed nomine mutui, dare quod debet.

Secundo requiritur, vt idem mutuatarius non compellatur refundere interesse à mutuatore prætensum ratione mutuationis, antequam ipsum positum sit in esse, id est, antequam damnum actu emerserit ex mutuatione. Ratio est: quia mutuatarius ad solutionē interesse damni emergentis non ante tenetur, quam mutuator illud patiatur ex mutuatione, cum is nondum grauetur & ideo nondum sit obligatio ipsum releuandi à grauamine: sicut sufficit damnum illatum frugibus resarcire in messe, quia dominus earum non ante patitur illud: vt bene ait Nauarr. *in commen. De vsuris, num. 54.* Cum autem damnum actu emerserit, exigi potest illius interesse, etiam à principio mutuationis, si tunc actu emergat: vt si à principio mutuationis mutuatori nō habenti pecuniam mutuandam, necesse sit res suas minus quam valeant vendere, vt subueniat amico roganti sibi mutuari. Idem pari ratione seruandū est, respectu probabilis periculi incurrēdi interesse: nimirum vt pro eo existente nihil exigatur & pro existente ab initio mutuationis, aliquid ex tunc exigi possit, ac de eo pacisci: vt habet Nauarr. in præcedenti num. 42. Cui adde congruenter doctrinæ quem Couarr. habet *in lib. 3. var. resol. cap. 4. num. 5. in fine*, quando interesse fuerit certum, & quantitas illius incerta, vt cum est successiuum: id est, cum non contingit totum simul sed per partes, & successu temporis, posse per modum transactionis constitui certum pretium quod soluatur quotannis.

74. Ex parte demum ipsius interesse requiritur primo, vt realiter tantum emergat quantum à mutuatario prætenditur: alioqui ipsum simularetur in fraudem vsurarum: illudque quod vltra sortem perciperetur vsurarium esset, paliatum prætextu damni emergentis, vt notum est de se. Requiritur secūdo, vt id quod exigitur nō excedat interesse, propter quod exigitur; vt si ratione mutuationis amissus sit tantum vnus nummus aureus, nihil supra sortem, nisi vnus talis exigatur, nomine interesse damni emergentis. Nam plus exigere iniustum est, cum mutuatarius teneatur tantum ad resarciendum damnum quod occasione mutuationis sibi factæ, incurrit mutuator. Addunt memorati authores adhuc requiri vt mutuator vitet se infamare: quia ex cap. Nolo, 12. qu. 1. qui fidens suæ conscientiæ famam negligit, crudelis est. Sed ea conditio non est propria huius negotij, sed cōmunis omnibus humanis, in quibus semper cauendum est, ne nobis vel proximo iniuste noceamus: vt fit per irrationabilem sui aut alterius infamationem.

Posterior Qvæstio.

An obligatio sit resarciendi damnum ex mutuo emergens, cum id non est deductum in pactum.

75. Ad hanc respondetur negatiue: quia quamuis is etiam qui sponte mutuat alteri rem, ex cuius carentia damnum incurrit, possit suæ indemnitati consulere, paciscendo cum mutuatario de aliquo lucro (*sicut & is qui rem suam vendit, per cuius carentiam detrimentum aliquod patitur, potest, re emptori declarata, indemnitati suæ prouidere, accipiendo aliquid pro tali damno emergente*) non licet tamen tale quid facere, nisi mutuatarius sciens, & prudens voluerit tanquam sibi commodum mutuo sibi dari cum tali onere. Nā que iniuria fieret ei, si absque ipsius expressa voluntate, mutuator aliquid supra sortem capiat: quia forte id sciens nollet sub ea conditione mutuum accipere, sed apud alium sine onere quærere. Imputare vero debebit mutuator sibi (ait Sotus *lib. 6. De iust. & iure q. 1. art. 3. concl. 3.*) quod ex mutuo damnum incurrat: quandoquidē de eo cū mutuatario pacisci omisit sua culpa.

Tres tamen sunt casus in quibus ista responsio non procedit, sed mutuatarius tenetur refundere interesse emergens. Primus est, cum ipse mutuum extorquet vi, vel à nimium inuito; tunc enim debet damnum ex mutuatione emergens resarcire ex cōmuni sententia, in quam plures authores refert Petrus à Nauarr. *lib. 3. de restit. cap. 2. num. 278.* Et confirmatur: quia quilibet potest iuste, eius damni quod ab alio iniuste patitur, exigere compensationem. Sed ille cui inuito damnum emergit, damnum iniuste patitur. Ergo iuste poterit exigere illius compensationem. 76.

Secundus casus est, quando mutuator sponte quidem aut saltem non inuite, mutuum dedit absque pacto expresso per manum notarij facto de resarciendo damno emergente: sufficienter tamen mutuatario indicauit se velle seruari indemnem ab interesse quod passurus est ratione mutuationis. In tali enim casu manifestum est nullam iniuriam fieri mutuatario, si conditionem non recusauit.

Tertius casus est, quando culpa, aut mora in solutione, præcesserit damnum ex mutuatione emergens. Tunc enim mutuatarius tenetur ad talis damni satisfactionem; vt inter omnes conuenire habet Nauarr. *in comment. De vsuris num. 42.* vbi in confirmationem cit. cap. Dilecti; De foro competenti, cap. Peruenit, & cap. Constitutus De fideiussoribus.

Quibus accedit ratio: quia dans iniuste causam efficacem damni, tenetur illud resarcire. Sed mutuatarius iniuste dat mutuatori causam efficacem damni quod emergit ratione mutuationis, cum in termino præfixo non soluit mutuum. Ergo tenetur tale damnum resarcire. Et confirmatur à simili. quia debitor qui tempore præfixo non soluens creditori, damno est suo fideiussori, tenetur hunc indemnem reddere, vt statuitur in citato cap. Peruenit. Ergo si creditori idem damnum intulerit, illud pari ratione tenetur resarcire.

Aduerte autem cum Lelio Zecchi in tract. De vsuris cap. 16. num. 4. versu Tertia conditio: ex Angelo Vsura 1. §. 30. si mora fuerit, quia mutuatarius suo tempore soluere non potuit, obligationem tantum esse ad interesse intrinsecum, id est, quod ex re mutuata profluxit; vt si mutuum dederim fœnum, quod à tempore moræ vendere possem viginti, & nunc tantum vendere possum 15. teneris restituere illius interesse proueniens ex mutuo, contra meam voluntatem non soluto: nec vllo iusto titulo à me gratis tua causa, subeundum. Non esse autem obligationem ad interesse extrinsecum, quod promanauit ex omissione actus soluendi in termino constituto: quoniam impossibilitas eam excusat à culpa: cum ex sexta regula iuris in 6. nemo possit ad impossibile obligari: & ex sequenti 41. imputari non debeat ei, per quem non stat, si non faciat quod erat ab ipso faciendum. 77.

Et certe omissio ineuitabilis nullam habet rationem acceptionis aut retentionis iniustæ, quæ constituatur radix obligationis ad restitutionem. Vnde ex cap. Significante De pignoribus, creditor debet esse contentus sorte, si debitor in captiuitate detentus, mutuum certa die soluendum sub iuramento, remiserit per mutuum reputatum fidelem, sibi præter morem infideliter agendo, illud in termino præfixo non tradiderit. Vbi ratio redditur, quod in tali casu debitor quantum in se fuit impleuerit iuramenti debitum. At vero si mora fuerit, qua mutuatarius soluere potuit, sed non curauit; obligationem esse ad resarciendum interesse, non modo intrinsecum, sed etiam extrinsecum; seu quod procedit quidem ab alio, quam à mutuo non soluto: ipsa tamen non solutio dedit illi occasionem; vt quando occasione fœni non soluti, fame mortua est vacca mutuatoris: qui si non potuit alia via tali incōmodo obuiare, mutuatarius qui potuit & neglexit soluere, tenetur damnum illud resarcire.

Quod tamen ex Angelo loco cit. non est extendendum ad occasiones remotas: quia sic procedi posset in infinitum. Et ita quamuis nolendo soluere mutuum cum potui, dederim occasionem ruinæ domus mutuatoris, & per eam intermediam expensis quas ipse deinceps faciet in locanda aliena domo; non teneor tamen, sicut pro ruina domus, ita & pro omnibus dictis expensis seu pensionibus, ei satisfacere: sed tantum pro illa primi anni quæ moraliter censetur esse damnum idem cum prædicta ruina. Excusatio autem nulla est, quod mutuatarius non putauerit damnum emer-

surum,

surum, sique purasset, præsto soluisset: quia id non impedit quominus existens in mora, causam illius culpabiliter dederit legè diuina, & ipsius conscientia non minus admonente de mora, quam si creditor admonuisset. Hocque est quod significari solet, cũ dies seu terminus præfixus dicitur interpellare pro homine. Ita notat Petr. à Nauar. in cit. cap. 2. num. 282. vbi etiam monet præmissa nõ procedere, cum debitor verosimiliter confideret, & existimaret creditorẽ ratam habiturum dilationem solutionis: quia tũc, etiam trãsacto termino, non censetur esse in mora, sicut est quando verosimiliter cogitat, aut cogitare debet, creditorem nolle maiorem dilationem dare; siue quia iam sæpius repetiuit debitum, siue quia aliquid aliud simile interuenit; vnde satis cognoscitur ipsum velle sibi statim solui.

CAPVT VIII.

De interesse lucri cessantis.

SVMMARIVM

78 *Interesse lucri cessãtis restituẽdũ est ei, qui inuitus mutuauit.*

79 *Ille qui sponte mutuat pacisci potest de lucro cessante post elapsum terminum solutioni præfixum.*

80 *Controuersia, An in pactum deduci possit, vt soluatur interesse lucri cessantis, contingens ante quam elapsus sit terminus præfixus solutioni.*

81 *Pars affirmans potest tuta conscientia teneri.*

82 *Refutatio eorum quæ pro contraria parte fieri videntur.*

83 *Pactum de lucro cessante licet in speculatione bonam rationem habeat: in praxi tamen ita periculosum est, vt antequam fiat dissuadendum sit.*

84 *Mutuum debet esse causa propinqua lucri cessantis, vt eius cõpensatio per mutuatarium non censeatur vsuraria.*

85 *Nihil accipi potest ratione lucri cessantis, si mutuum factum sit ex pecunia non exposita negotiationi.*

86 *Nec ex exposita negotiationi quidem, sed ab eo qui aliam habet, quam possit exponere.*

87 *Totum lucrum speratum non est deducendum in pactum: & regula statuendi quantum sit deducendum.*

88 *Duo modi quibus potest pactum fieri de compensatione lucri cessantis.*

89 *Quæ in considerando determinanti pretium compensationis lucri cessantis.*

90 *Compensatio lucri cessantis non est accipienda statim ab initio mutuationis.*

91 *Scandalum vitandum in repetitione lucri cessantis.*

OMnia fere quæ de interesse damni emergentis ante constituta sunt, in hoc etiam locum habent, ex communi doctorum consensu.

78. Primum enim cõsentiũt, quod cum aliquis inuitus mutuat, & lucrũ inde illi cessat, possit ipsum exigere, de eoque pacisci: immo quod is qui cogit ad mutuum, teneatur vt damnũ emergens, sic & lucrum inde cessans restituere, etiãsi pactum non interuenerit; quia naturalis lex æquitatis postulat, vt eum qui per te iniuste patitur, indemnẽ per omnia serues. Proinde ille qui à mercatore furatur pecuniam, quã ad negotiandum habet paratam, tenetur vltra illam, soluere lucrum ei cessans, vt patet ex doctrina de restitut. tradita per D. Thom. 2. 2. *qu.* 62. *art.* 4. Quæ procedit iuxta Sotum *in* 6. *De iust. & iure q.* 1. *art.* 3. *concl.* 2. etiam si coactio prædicta fiat sine peccato: vt cum Rex ingruente bello ob reipub. vrgentem necessitatẽ, à mercatoribus inuitis pecuniam mutuo accipit. Adde etiam, *ex eodem ibidem*, procedere, etiamsi coactio per comminationem mortis, aut aliorum grauium incõmodorũ nõ interuenerit: metus tamen fuerit iustus: vt cum vassallus grauiter meritoq; metuit se molestias perpessurum & diu exandum à domino suo, nisi ei det mutuo: immo etiamsi tantũ fuerint preces importunæ, prout Iacobus à Graphiis *in lib.* 2. *De iust. aur. cap.* 104. *num.* 26. notat per illud, quod vis, metus, & importunæ preces æquiparentur. Itaque si habeam pecuniam expositã negotiationi licitæ, precibus importunis alicuius mei familiaris illam mutuaui, possum licite petere interesse lucri cessantis, *inquit ille citatus Sotum*, qui quidem in citata conclusione 2. id insinuat, dum vtitur verbis illis: quomodocunque inuitus cogatur mutuare.

Secundo consentiunt Doctores, eum qui ita sponte mutuat vt velit certum terminũ præfixum ex solutione mutui: posse pacisci, vt de damno emergente: ita & de lucro cessante, quod contigerit si solutio non fiat in termino. Et ratio est: quia elapso termino nõ amplius sponte sed inuitus, *sicut & in præcedenti casu*, mutuare censetur. Immo vt plenius docet Lud. Molina, De iust. & iure tomo 1 tract. 2. disp. 315. cõ. Ius. 2. quantumuis tale onus non fuerit expresse deductum in pactum; illud subire tenetur mutuatarius, si in termino mutuum non restituat. Et ratio est: quia pecunia cum lucro ex ea faciendo, pluris valet, quam ipsa per se spectata. Potest ergo pro ea mutuata plus exigi, quam ipsa per se valeat: quandoquidem illam tradens, censetur simul tradere lucrum, quod in illa negotiationi destinata, latet virtute: sicut prouentus frugum latet in tritico sationi destinato. 79.

Tertio consentiunt acceptionem & retentionem pretij supra sortem ratione lucri cessantis, non esse tam facile licitam, quam ratione damni emergentis; neque dubitandum esse, quin ad eam requirantur omnes conditiones in præced. capite propositæ.

De interesse lucri cessantis contingente ex mutuo, ante terminum assignatum ipsius solutioni.

SECTIO PRIOR.

80. INcontrouersia autem versatur num concurrentibus etiã in eadem conditionibus, ille qui sua sponte, & à nemine coactus mutuum dat, deducere possit in pactum, vt ei soluatur lucrum quod cessat antequam mutuatarius sit in mora soluẽdi: vt v. g. aliquis habeat pecuniam destinatam ad negotiandum hoc anno, ex qua hoc eo. anno sperat 100. aureos lucri, aliusque eam mutuo petat soluendam post annum. Difficultas inquam est, num mutuans possit in pactum deducere, vt mutuatarius tantum restituat vltra sortem, quantum æstimatur lucrum illud in spe. Atq; partem negantem sequitur Innocentius ad cap. finale De vsuris, & cum eo aliquot Iurisperiti, quorum meminit Cou. *lib.* 3. *var. resol.* 4. *num.* 9 & videtur tenere D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. ad 1. dum concedens mutuantem posse pacisci de damno emergente, subiungit non posse pacisci de lucro cessante: quia nondum illud habet, & potest ab habendo multipliciter impediri. Quod autem (*in iure*) tale est, vendi non potest. Eamdem potius sequendam censet Sotus in citato art. 3. concl. 4. licet contrariam affirmantem nõ audeat reprehendere. 81.

Pro qua multo plures sunt authores quos referunt & sequũtur Couar. loco citato, Nauar. in comment. De vsuris, nu. 43. Petr. à Nauar. lib. 3. De restit. cap 2. nu. 287. Alphons. de Neapoli in tract. De vsuris quæst. 18. num. 29. & 30. & Lud. Molina loco citato, versu Cõtraria tamen. Pro ea autẽ (quam insignium Doctorum authoritate fultam possumus tuta conscientia tenere) plures quidem rationes afferuntur, sed vnica sufficiente pro praxi, contenti erimus, addita ei definitione cap. In ciuitate, De vsuris: per quam absolute conceditur ratione interesse lucri cessantis vendere merces vltra currens prætium, si venditor voluisset illas reseruare in aliud tempus in quo plus esse valituras verosimile esset.

Ratio vero talis est, quia cum in pecunia sit duplex potentia ad lucrum: altera absoluta, quæ semper in pecunia cernitur, etiam reposita in arca; altera quæ cõtatur pecuniã non absolute; sed vt stat sub tali vel tali industria; apud talem vel talem mercatorem: paratum ad talem vel talem negotiationem: vel rei frugiferæ emptionem, secundum ptiorem quidem potentiam, non dicitur plus valere: neque licet pro ea aliquid vltra sortem accipere, iuxta dicta in præcep. cap. 4. secundum posteriorem tamen potentiam plus valet quia per industriam hominis illi accedentem, perinde ac instrumẽtum mechanicum, exsterili efficitur res nata fructificare.

Pro quo fructu licitum esse pretium accipere, patet per duo absurda quæ alioqui sequerentur. Prius est, quod mercatorem ad nundinas profecturum detinens, nullum ad id habendo ius, non teneretur ad refusionem lucri quod ille verosimiliter facturus erat. Posterius est, quod nec esset quis compellendus ad refusionem damni, quod mechanicus incurreret, impeditus ab ipso (*item non habente ad id ius*)

rem suum artificium exerceret. Cum ergo hæc ita sint, & mutuatarius à mercatore accipiendo mutuo pecuniam, quam habet exposità negotiationi, causa sit cessationis lucri, quod a proferret manens exposita: is (mutuatarius inquam) tenebitur idipsum lucrum eidē mercatori refundere. Qui proinde in tali casu poterit cū mutuatario pacisci de pretio refundendo pro interesse lucri ex eiusmodi mutuo cessantis.

81. Neque refert quod forte pecunia plus valeat quidem in manu mutuatoris, non tamen in manu mutuatarii: quid id nō impedit quominus mutuator vere causa mutuatarij sentiat detrimentum, ad quod resarciendum obligatio detur: cum non sit iustum vt ille dispendium patiatur vnde meruisset præmium ex cap. Peruenit, De fideiussoribus. Nec item refert quod, *vt Sotus dicit*, mutuator prædictę cessationi lucri, voluntarie omnino consentiat: cique sit liberum suam pecuniam sibi reseruare. Nam aliud est in damnum consentire, & aliud damnum remittere: neque necesse est vt si mutuator consentiat se pati interesse ex mutuo, teneatur gratis pati, nulla refusione facta secundum iustitiæ exigentiam. Alioqui enim, nec ratione damni emergentis, nisi inuitus illud patiens, posset aliquid accipere: si quidem iuri suo cedat eo ipso, quod in mutuum consentit. At id absurdum est: quia ex eo, quod quis sponte in gratiam alterius aliquid præstat, non debet deterioris esse conditionis quam si præstaret inuitus; cum illud quam hoc laudabilius sit: sic enim rusticus quem rogas tibi viæ ignotæ fieri ducem, ex eo quod tibi sponte consentiat, non minus potest recompensationem exigere pro operibus à quibus voluntarie cessat, quam si inuitus cessaret. Item si petas ab artifice instrumenta artis quibus est lucraturus, non minus ipse potest tecum pacisci de lucro cessante, si sponte concedat, quam si inuitus. Quia ergo pecunia mercatori negotianti est velut instrumentum quoddam quo lucrari potest: dum eam tui causa à negotiatione fructificante summouet, si libere summoueat, non debet esse peioris conditionis quam si id faceret coactus.

Quamuis autem Caiet. 2.2. *quæst.* 78. *art.* 2. requiri putet, vt mutuans saltem ex charitate cogatur mutuum dare, vt salua conscientia possit aliquid in pactum deducere ratione lucri cessantis: tamen videtur assentiendum Nauarro *in comment. De vsuris, n.* 52. (sicut assentitur Petr. à Nauar. *in cit. c.* 2. *n.* 300.) asserenti mutuatorem siue sua sponte, siue precibus alterius adductus, siue affectu charitatis, siue affectu lucri: immo & odij, vel crudelitatis mutuo det non impediri ab exigē lo lucro sibi vere inde cessante: quia licet per malum affectum peccet, non violat tamen iustitiæ æquitatem, cum petat sibi debitum, vt bene ibidem Nauar. ostendit.

Quod si Caietanus obiiciat pecuniam, vt est in statu lucri, seu parata ad negotiationem plus quidem valere, si tamen auferatur ab illo statu, desinere plus valere; ideoque illum qui sua omnino sponte, nec charitate saltem impellente, aufert à negotiatione suam pecuniam vt mutuet, nihil amplius quam ea per se valeat, posse citra vsuram accipere. Respondendum est. Non obstante, quod nulla charitas ad mutuo dandum compellat; ratione lucri cessantis posse aliquid supra sortem in pactum deduci, quia id non accipietur pro pecunia posita extra statum lucri, vt sic spectata; sed vt à lucro ipso distrahitur ad mutuum, interueniente conuentione cum mutuatario de resarciendo lucro cessante: quod mutuator exigere potest in casu quo non tenetur mutuare. Is enim potest suam indemnitatem procurare, ac suas diuitias plus quam proximi diligere.

83. Porro consequens est ex dictis quod Alphonsus à Neapoli *in tract. tu De vsuris q.* 18 *n.* 32. confirmat: si adsint omnes conditiones quas requiri diximus, posse tuta cōscientia exigi interesse lucri cessantis, nō tantum post primum annum à die mutuationis, sed etiam in subsequentibus annis, donec facta sit totius capitalis solutio; pro rata tamen: nempe, vt si fuerit soluta media pars, tantum exigatur interesse pro alia medietate non soluta; & sic deinceps. Immo addit ille non soluto interesse, quod soluendum erat ratione capitalis, posse aliud interesse exigi pro eo, si solutum exponeretur negotiationi, & pro rata fructificaret perinde ac capitale. Ad quod tamen requiritur, vt mutuatarius singulis annis moneatur, vt videat num velit, & possit alia ratione sibi prouidere. Verum id admissum in speculatione; dissuadendum est in praxi antequam fiat, prout bene monent Conradus De contractibus, *quæst.* 30 *in fine*, & Medina in Cod. De acquisitis per vsuram q. 3. versu. Est ergo resolutio; atque alii quorum meminit Lælius Zechi in tract. De vsuris cap. 16. num. 7. deduciturque ex cap. In ciuitate De vsuris. Et ratio patet: quia quidquid paciscentes dicant, se velle omnes conditiones requisitas seruare, facile est vna ex parte, vt mentiatur iniquitas sibi; & ex altera difficile, vt omnes tales conditiones simul concurrant, ac seruentur debite. Postquam autem factum est tale pactum diligenter attendendum est; an omnes eiusmodi conditiones fuerint obseruatæ; quia cum illis omnibus celebratum pactum de refundendo lucro cessante, non est vt vsurarium condemnandum. Atque vt de eo facilius iudicari possit, explicationi earundem conditionum traditæ in præced. cap. 7. aliquot documenta addere conferet.

Documenta vtilia ad iudicandum an illicitum sit pactum initum cum mutuatario, de lucro cessante refundendo.

Sectio Posterior.

PRimum est: Ad hoc vt lucrum reuera cessare censeatur, opus esse inprimis, vt pecunia aut quiduis aliud quod mutuo datur, sit aliquid ita deputatum negotiationi, vt nisi mutuum interuenisset, negotiatum de facto esset: sicque cessationis à negotiatione, & amissionis lucri ex ea prouenturi, mutuum causa fuerit propinqua: vt contingit, *quemadmodum notat Alphonsus à Neapoli in cad. quæst.* 18. *num.* 33. cum mercator iam habebat præ manibus tales merces emendas; ex quibus verosimiliter lucratus fuisset, si illas emisset ex pecunia mutuata; aut cum nobilis, vel alius homo dies propter mutuationem, impeditus est ne prædium tunc venale, vel castrum, vel censualem reditum emeret, contra quam plane statuerat & poterat de præsenti. Cuius documenti ratio est, quod quando mutuum causa est tantum remota amissionis lucri; in re quæ mutuo datur, non inest ille maior valor, quem supra diximus: sed solum potentia ipsa remota ad lucrandum, propter quam, supra etiam diximus, pecuniam non valere aliquid plus, quam de se valeat. Atque de lucro proueniente ex huiusmodi potentia remota exponendus est. D. Thomas loco cit. cum negat mutuantem pacisci posse de lucro cessante. Nam alioqui secum ipse pugnaret cum *in* 2.2. *quæst.* 62. *art.* 4. satis aperte innuat fas esse accipere pretium pro lucro cessante; re scilicet quæ mutuo datur, consideratā prout exposita est negotiationi. 84.

Ex hoc documento dependet illud quod ex Panorm. & aliis, Sylu. habet Vsura 1. quæst. 19. lucrum cessans, vt pro eo aliquid accipi possit, debere esse in actu, aut quasi in actu (*quod est debere verosimiliter esse*) non autem esse tantummodo in possibilitate: quod potius est non esse, quam esse. Dependet etiam quod habet Petrus à Nauar. *lib.* 3. *De restitut. cap.* 2. *num.* 301. interesse lucri cessantis censendum tantum fictum, nec verum, cum vel mutuator non statuerat negotiari cum pecunia quam mutuo dedit, vel si statuerat, negotiatio talis fuit ex qua lucrum alicuius momenti vero similiter sperandum non fuit. Dependet denique quod habet Lælius Zecchi in tract. De vsuris cap. 16. nu. 5. in 2. & 3. conditione. Ad hoc vt lucrum istud prætendi queat, requiri vt mutuans possit, velit, & propositum habeat negotiari, atque id procuret. Proindeque Clericum, qui negotiari prohibetur, non posse illud prætendere; nec item doctorem aliamve eiusmodi personam, quæ negotiari non solet, nec etiam mercatorem cum habet pecunias, expectans occasionem emendi merces, nec de propinquo empturus est quod Gallice dicimus: *Il n'est encores sur le point d'acheter.* Ex quo eodem authore in præcedenti cap. 5. num. 8. versu Secundo debet, aduerte: quod etsi in foro conscientiæ Pœnitenti pro se, aut contra se loquenti credatur: petenti tamen lucrum cessans non credi in foro externo: ne quidem iuranti, nisi probet sibi cessare cum omnibus conditionibus requisitis ad illud iuste exigendum.

Secundum documentum est: Quod vt ex mutuo facto de pecunia quæ non est exposita negotiationi, nihil ratione lucri cessantis possit accipi; ita nec posse quando mutuum fit de pecunia quæ erat quidem ad negotiandum destinata, 85.

destitit

destitit tamen destinata esse, per hoc quod mutuans mutauerit propositum negotiandi ex illa. Inde enim desinit coniuncta esse cum industria humana, per quam fructifera reddebatur ex sterili. Et ita recte inquit Nauar. *in Ench. cap. 17. nu.* 212. finem: quod nequeant quidquam ratione interesse lucri cessantis iuste capere ij, qui nolunt, vel non possunt negotiari, nec res emere frugiferas expositas venales.

Quod idem proponens in commen. de vsuris, *not. ab li* 19. præmittit *in nct.* 18. ex communiter recepta D. Antoninis sententia, quod volens emere prædium aut aliud quod sibi prouentum annuatim redderet, si alteri pecuniam qua emturus est, mutuet (præsertam compensationem promittenti) possit accipere ab ipso prouentum euenturum sibi, ex eo quod emisset, nisi mutuasset, tum quia talis æquiparatur mercatori mutuanti pecunias paratas ad merces emendas tum quia illud accipit ratione interesse lucri cessantis sicut mercator: tum quia ex communiter etiam recepta sententia, is qui vendit aliquod prædium iusto pretio & tradit illud emptori non soluenti, potest ad seruandum se indemnem sine violatione æquitatis, loco interesse tantum accipere, quantum id ipsum prædiu deductis expensis reddiderit. Quare poterit similiter accipere à mutuatario, si par lucrum ei cessaret ex mutuatione illi facta. 86.

Tertium documentum est: Nihil accipi posse ratione lucri cessantis ex pecunia mutuo data, negotiationi exposita, si is qui mutuo dedit, aliam habuerit non expositam, quam mutuo daret, vel quam exposuit, aut exponere potuit in mutuatæ locum. Ratio huius est: quia tunc vel ipsi lucrum prouenturum non cessabit, vel ex ipsius tantum negligentia cessabit. Vnde non est quod à mutuatario aliquid exigat ratione lucri cessantis. Quod idem sentiendum est, si aliquod negocium peragat ad quod non erat applicaturus operam suam, si ex mutuata pecunia negotiaretur, quia inde tantundem lucraretur, quantum lucraretur ex negotiatione: ideoque tunc lucrum non cessat ei ob mutuum, itaut in fine anni tantum habeat, quantum habuisset si non mutuasset. Quod si contingeret minus habere vel cum maiori labore acquirere, talis damni emergentis compensatio exigi posset, prout notat Molina *de iust. & iure tomo* 1. *tract.* 2. *disput.* 316. *in tium.* Propositum autem documentum ex Caiet. & Med. approbans Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 212. & in comment. de vsuris, num. 54. vtrobique conditione 3. ipsum limitat, vt non procedat in casu, quo quis habet aliam pecuniam reseruatam quidem, *sed moderate, pro conditione suæ personæ* destinatam ad subueniendum fortuitis necessitatibus, verosimilibus: quam non statuit negotiationi exponere, sed reseruare in illum finem, prout prudentia dictat, & prudentes facere solent. 87.

Quartum documentum est: Non esse deducendum in pactum totum lucrum speratum, sed solum quantum valet in potentia pecuniæ expositæ negotiationi. Hoc, *anted. cbi consentaneum*, habet ex D. Thomæ doctrina Nauarr. in cõment. De vsuris num. 54. versus finem. Itaque talis potentiæ æstimatio expendenda est, vt lucrum cessans in pactum deducatur. Æstimatio vero eiusmodi facienda est secundum lucri sperati, nec dum habiti, quantitatem incertitudinis, propter quam res minus valet, quam valet iam habita. Optima autem regula statuendi in hac re iustum pretium potest esse: vt qui mutuat, tantum remittat ex lucro cessante, quantum ipse daret alteri ob contractum assecurationis, id est, quantum daret illi qui ipsum securum redderet de toto lucro sperato: in seipsum suspiciens totum periculum, vt v. g. si quis speraret lucrum 15. pro 100. & libenter daret 5. pro assecuratione, posset tantum accipere 10. pro lucro cessante, quia hæc soluens, reddit ipsum securum. 88.

Aduertendum est autem (*quod habet P. tus à Nauar. lib. 3. de rest. t. cap. 2. num* 303. & aliis antiquioribus citatis attigit Molina in memorata disput. 316. versus finem) de cõpensatione lucri cessantis dupliciter posse fieri pactum: vno modo indeterminate, vt scilicet interesse quomodocumque postea euenerit, mutuatarius teneatur quantum ipsum fuerit, resarcire, & mutuatorem seruare indemnem, quod est posse pactum iniri, vt mutuatarius tantũ lucrum det mutuanti, quantum alii suæ artis lucrati sunt ex simili pecunia, siue parum sit, siue multum, siue nihil, aut quantum valituri sunt fructus prædij, quod emendum fuerat ex mutuata pecunia: deductis expensis, laboribus, & periculis. Altero modo pactum fieri potest determinate in empatis ẽdo à principio de certo pretio quod mutuatarius soluat pro lucro cessante, siue minus, siue etiam nullum (*vt ex Medina C. De acquisitis per vsuram qu. 3. versu Est ergo: soluto: & ex S. to lib. 6. De iust. & iure quæst. 1. art. 3. habet Nauar. in Enchi. cap. 17. num. vlt. litt. N. versi.* 4.) postea comperiatur cessare. Quod est, *ex Medina*, tale pactum non inniti veritati lucri euenturi, sed vero similitudinii rationabiliter habitæ.

Excipe, nisi forte lucrum speratum esset certum, vt cum quis habet in promptu pecuniam qua propediem censum omnino statuit emere super possessionem quæ sub censu venalis est: ac victus præcibus amici mutuum exigentis, dictam pecuniam dat mutuo declarata conditione lucri cessantis cuius compensationem mutuatarius promittit. Tunc enim quia lucrum certum est, de eo pascisci licet, & totum exigere tuta conscientia: prout (citato Iosepho Angles) expresse docet Alfonsus de Neapoli in tract. De vsuris quæst. 18. condit. 9. Et confirmatur: quia in eo nulla cernitur iusta causa defalcandi.

Porro in determinando memorato pretio, non tantum ob incertitudinem antedictam, defalcandum est aliquid de lucro cessante, sed etiam deducendæ sunt expensæ, quas in negotiatione facturus erat mutuans maiores, quam faceret cessans ab illa: quoniam pro earum quantitate lucrum speratum minuitur: & propterea ex illo deducendæ sunt. Adde etiam ex pretio lucri cessantis deducendam esse aliquam portionẽ: ratione periculi cui capitale in negotiatione subiacebat, iuxta Medinam in C. de acquisitis *per vsuram quæst.* 3. §. *Conditiones. in* 8. *conditione & Sylu. Vsura.* 1. *numer.* 10. Eamque maiorem aut minorem, prout maius minusve fuerit tale periculum, Ad quod definiendũ, hæc regula, antetraditæ similis, vsui esse potest, vt qui mutuat, tantum de lucro remittat, quantum alteri daret qui ipsum faceret securum de suo capitali, talem enim securitatem illi præstat mutuatarius qui tenetur integrum capitale restituere. 89.

Addunt etiam dicti authores aliquid esse de æstimatione lucri detrahendum pro labore, à quo per tale mutuum eximuntur mutuans, & quem ipse alioqui esset in negotiatione subiturus. Quod communiter quidem verum est, non tamen simpliciter. Nam vt recte ait Sotus *lib. 6. de iust. & iure quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 4. *sub finem*: merito posset aliquis (maxime si aliunde non haberet vnde victum quæreret) malle in negotiando laborem suum impendere, quam amittere aliquid de lucro quod spectat: sicut & mercenarius qui rogatur cessare à labore, iuste posset petere totum quod acciperet, si laboraret, quia potest malle laborare, vt totum pretium recipiat, quam à labore desistere, si minus propterea est recepturus. Aduerte aũt non posse mutuatarium cogi ad pacisc̃endum posteriore modo, si tantum priore velit pacisci, quia sufficit vt indemnem seruet mutuatorem: ad quod sufficienter se adstringit pacisc̃endo priori modo. Non grauatur tamen iniuste per pactum posterioris modi si seruentur ante dicta: quia sicut in eo exponitur periculo plus soluendi, ita mutuator exponitur periculo minus accipiendi, quam ei cessaturum sit lucri.

Postremum documentum est lucri cessantis æstimationem & exactionem nõ esse ita faciendã, vt mutuatarius statim à principio mutuationis teneatur pro interesse satisfacere antequam illud sit positum in esse. Hoc habet Medina *in præcedenti condit.* 7. & Nauar. in comment. De vsuris *n. mero* 54. *condit. quinta* & fusius persequitur Petrus à Nauarr. *lib.* 3. *de rest. cap.* 2. *num.* 305. & aliquot sequentibus. Ratio vero eius est, quia quod pro interesse soluitur, eidem subrogatur, neque eius quod nondum extitit, subrogatio exigi potest. Et certe si æstimatio fiat, vt lucrum cessans exigatur ab initio mutuationis, ipsum non est tantum quantum æstimatur. Namque si pro lucro cessante ex 1000. aureis mutuatis, statim recipiatur aliquid vt 100. aurei, tunc reuera lucrum non cessat ex 1000. aureis: quia in effectu, tantum 900. mutuantur, ideoque iniustitia est accipere lucrum quantum cessaret ex 1000. cum 100. sint, ex quibus lucrũ non cessat mutuatori, qui ea retinens, vel reconditi in arca, vel exponit negotiationi, & sic nõ habet causam 90.

iustam exigendi interesse pro illis. Accedit quod alioquin si ei posset vt mutuatarius obligetur ad solutionem mutui nihil accipiens. Fieri enim aliquando potest, vt lucrum speratum adæquet sortem: quod si ab initio mutuator capiat, nihil restabit mutuatario obligato ad solutionem sorti, quod iniquissimum est.

91. Cæterum in praxi non tantum curandum est, vt prædicta omnia seruentur, sed etiam cauendum est sibi diligenter à scandalo. in istiusmodi lucri repetitione, Nam quamuis ea possit esse sine vsura, aut iniustitia, plerumque tamen est cum aliqua illius specie, seu apparentia: vnde fit, vt scandalizentur pusilli; vel iudicantes recipientē vsurarium, aut iniustum, vel existimantes sibi licitū esse ex mutuo lucrum facere. Atque ex dictis, multa quæ in praxi quotidiana occurrunt, resolui possunt. Ea trademus commodius in sequenti lib 25. in tractatu de mutuo.

CAPVT IX.

De pœnis vsurariorum, ex quibus inter cætera innotescit, quam grauis sit vsuræ malitia.

SVMMARIVM.

92 *Pœnæ canonicæ vsurario impositæ incurruntur tantum ob vsuram manifestam.*
93 *Cuius iudicis sit, crimen vsuræ punire.*
94 *Quis censendus sit vsurarius manifestus, pœnis canonicis obnoxius.*
59 *Quæ sint tales pœnæ.*
96 *De eo quod vsurarius manifestus non sit suspiciendus in loco sacro, nec absoluendus a peccatis donec satisfaciat quantum potest.*
97 *De eo, quod irritum sit vsurarij manifesti testamentum.*
98 *De excommunicationis pœna constituta nonnullis qui fauorem exhibent vsurariis in exercendis vsuris.*
99 *Duæ vltimæ pœnæ spectantes ad forum externum.*

92. PRæter pœnas iuris naturalis & diuini, quæ sunt reatus æterni supplicij (iuxta tradita in præcedenti cap. 4. de mortali malitia vsuræ) & obligatio ad restitutionem, de qua dictum est suo loco in præced. lib. 10. tract. 4. cap. vlt. parte 5. aliæ sunt iuris canonici: impositæ vsurarijs, non quidem omnibus, sed tantum manifestis, iuxta communem Doctorum sententiam, *ex Angelo in verbo Vsura* 2. §. 19. *& Sylu. in eodem verbo nono, quæst.* 1. De quibus antequam dicamus, præmittenda est explicatio dupl cis dubij, quorum prius est. An vsuræ crimen, seu pœnam vsurario infligere, pertineat tantum ad Iudicem Ecclesiasticum, an etiam ad Iudicem laicum: posterius vero, quis dicatur vsurarius manifestus, pœnis canonicis obnoxius.

Explicatio dubij, An vsuram punire, sit tantum Iudicis Ecclesiastici.

SECTIO I.

93. ATque de priori, duæ sunt sententiæ, in quam vtramque plures authores citat Couar. *lib. 3. resol. c. 3. varia. in principio.* Vna est, vsuram esse simpliciter crimen Ecclesiasticum. Altera est crimen esse mixti fori: & ita Iudicem sæcularem inter laicos, & Ecclesiasticum inter Clericos, posse de hoc crimine iudicare, quam sententiam ipse Couarr. amplectitur. Cæterum non videtur dubitandū quin tam laici quam Clerici puniri possint pœna Ecclesiastica. Nam in cap. 2. & in cap. Præterea De vsuris, laici vsurarij à Iudicibus Ecclesiasticis puniuntur pœna excommunicationis. Et certe quia ratione cuiusque peccati, quilibet Christianus Ecclesiasticum forum sortitur, *ne R gibus quidem exceptis: ex cap. Nouit De iudicijs*, manifestum est non tantum in Ecclesiasticis, sed etiam in laicis crimen hoc vindicari posse authoritate Ecclesiastica. Nec etiam videtur negari posse quin à sæculari Iudice crimen vsurę vindicari valeat in iis qui pertinent ad ipsius forum. Nam vsura perinde ac furtum prohibita est, non tantum iure supernaturali, sed etiam naturali, nec tantum iure canonico, sed etiam ciuili: neque ius canonicum vllibi eam reseruauit Iudici Ecclesiastico,

Immo in cap. Post miserabilem De vsuris, permittit Iudicibus sæcularibus de ea cognoscere. Verum est tamen, quod vsurarum punitio speciali quadam ratione, magis quam furtum censeri possit ad forū Ecclesiasticū pertinere. Nam quia iure canonico nullæ vnquam permissæ sunt vsuræ iure ciuili vero aliquæ sunt permissæ, prout habitum est in cap. 4. ea de causa (cum Magistratus seculares conniuere censerentur in earum animaduersione) effectum est, vt Iudicis Ecclesiastici correptioni relinquerentur: adeoque vt illarum crimen Ecclsiasticum diceretur, sicut dicuntur periurium, blasphemia, & quædam alia. Est & alia causa cur dicatur crimen Ecclesiasticum; nempe quod licet dum de punitione agitur, & quæstio est facti, vsura pertineat tam ad laicum quam ad Ecclesiasticum Iudicem; quando tamen quæstio est iuris, hoc est, quando inquiritur num contractus sit vsurarius, proprie pertinet ad Iudicem Ecclesiasticum de ea cognoscere: vt ex Panorm. quibusdam aliis habet Sylvest. Vsura nono, in principio.

Explicatio alterius dubij, Quis censendus sit vsurarius manifestus.

SECTIO II.

DE posteriori autem dubio dicendum est cum Angelo & Sylvest. locis cit. Nauarr. *in Enchir. cap 17. num.* 280. & Couar. *in cit. cap. 3. num.* 4. vbi alios commemorat) quod per vsurarium manifestum intelligatur primo, is qui est notorius per euidentiam facti, vt est is qui in conspectu populi vsuras exercet tot id conspicientibus. vt nulla tergiuersatione negari possit. Nec requiritur vt plures actus vsurarios exerceat, vel vt quibusuis petentibus tribuat (quod insinuare videntur Angelus & Syl. dum aiunt debere esse in domo paratum mutuare omnibus volentibus: ad eum modum quo meretrix in prostibulo parata est ad flagitium) sed sufficit vt vnum actum vsurarium tali modo exercuerit, vt ex Panorm. habet loco cit. Nauarrus. Nec item requiritur. vt vsurā exercuerit in mutuo formali & aperto, sed sufficit vt in mutuo virtuali, & palliato quale est rectum, contractu venditionis, quando merces ob dilatam solutionem manifeste venduntur carius pretio earum rigoroso ex Nauarr. loco citato, & Sylu. in sequenti quæst. 2. 94.

Intelligatur secundo, per manifestum vsurarium, quicumque de seipso tale crimen confessus est in iudicio, etiamsi *inquit l. co citato Couarr.* simplex confessio sit, neque professus fuerit se manifestum vsurarium esse. Item quicumq; per sententiam iudicis ob tale crimen damnatus est. Namque & propria confessio, & iudicis pronunciatio efficit notorium, quod vocatur iuris, æquiparatum notorio facti in cap. finali De cohabit. Cleric. & mulierum, & in cap. Cum olim De verb. signifie.

Intelligatur tertio, per manifestū vsurarium, (*vt Angelus & Sylu. locis citatis habent ex glossa ad cap. Quamque De vsurijs 6. verb. Manifesti*) qui coram Sacerdote, & testibus, publice fatetur se vsurarium, & vsuras restitui mandat, libros rationum tradens. Sed, *vt Couarr. in cit. nu. 4. admonet ex communi sententia*, id verum est tantum cum ex confessione crimen in plurium notitiam venerit. Ratioq; esse potest, quod præter notorium iudiciale, id est, per confessionem rei in iudicio, vel sententiam Iudicis; nullum aliud extraiudiciale ponatur in præcitatis capitulis, quam illud quod ad tam multos peruenit vt publicum fit, nec tergiuersatione celari possit. Vnde *addit Couarr.* non referre, an confessio extra iudicium fiat coram Sacerdote, vel coram notario, dummodo facta fuerit ita palam ac publice, quod ad plurium aures, cognitionem, & scientiam peruenerit. Alij autem modi quibus innotescit vsuræ crimen, non faciunt vsurarium manifestum, sufficienter ad pœnas de quibus actum fuimus incurrendas: vt locis cit. monent Angelus & Sylu. Itaq; ad id de se, non sufficit quod vsurarius crimen suum fateatur, extra iudicium etiam coram testibus; aut quod eiusdem criminis infamia laboret; aut quod sint contra eum argumenta & indicia vsuræ admissæ, & sic de reliquis. Talia tamen ad hoc sufficere possunt, vt per Ordinarium loci publicetur vsurarius esse, vt iidem authores addunt.

Decem pœnæ Canonicæ vsurariorum manifestorum.

SECTIO III.

95. POenæ à iure canonico vsurariis manifestis impositę sunt decem. Prima est, infamia, ex cap. Infames 3. quæst. 7. §. Porro: quæ etiam irrogatur iure ciuili per legem Improbum fœnus Cod. Ex quibus causis infamia irrogetur: eaque notatus Clericus vsurarius, ab obtinendo beneficio repellitur: ita tamen (*de quo videri potest Ludouicus Molina de iust. & iure tomo* 1. *tract.* 2. *disput.* 334. *versu* Clericus.) vt post peractam pœnitentiam Episcopus possit ad eum ipsum effectũ obtinendi beneficium Ecclesiasticum talem infamiam tollere. Non est vero Clericus vsurarius propter vsuram ipso iure depositus à beneficio, quod iam habebat; sed tantum est authoritate sui Iudicis deponendus. De quibus plenius Couarr. *in cit. cap.* 3. *num.* 2. & 3.

Altera pœna vsurarii manifesti est, quod illius oblatio non sit recipienda in Ecclesia, & Sacerdos qui illam recipit reddere cogatur, & sit suspensus ab officio donec satisfecerit ad arbitrium sui Episcopi, ex cap. Quia in omnibus, De vsuris.

Tertia pœna est, quod vsurarius manifestus non sit sepeliendus in loco sacro, & is qui illum sepelierit, incurrat non tantum suspensionem ab officio ex cit. cap. Quia in omnibus, sed etiam incurrat excommunicationem ipso facto, sibi scienter facere præsumat: à qua non possit absolui, donec satisfecerit ad arbitrium sui Episcopi, prout habetur in in Clemen. 1. De sepulturis.

Quarta pœna est, quod manifesti vsurarii non sunt admittendi ad sacram altaris communionem, (*non autem quod sint excommunicati, prout notat Syluest. Vsura* 9. *quæst.* 4. *Pœna.* 2. *& cum eo tenet Molina in sequenti versu*) donec eo modo quo postea dicetur satisfecerint publice, iuxta constitutionem Concilii Lateran. in citato cap. Quia in omnibus, & innouatam in Concilio Lugdunensi, quemadmodum refertur in cap. 1. De vsuris in 6.

96. Quinta pœna est, *quæ statuitur in c. Quanquam De vsuris in* 6. quod manifestus vsurarius nec ad sepulturam ecclesiasticam, nec ad confessionem sacramentalem admittendus sit, aut à peccatis absoluendus antequam vsuras, vt potest, restituerit, aut cautionem idoneum dederit de restituendo iis à quibus illas extorserit, si præsentes sint; aut alioqui iis qui ipsis possint acquirere, vel tales desint, loci Ordinario, vel eius vices gerenti, vel rectori parochiæ in qua vsurarius ipse habitat idque coram fide dignis personis de ipsa parochia, aut coram aliquo Notario publico ex Ordinarii mandato: itaut exprimat in cautione veram debiti summam si sit manifesta: sin minus, aliam moderandam arbitrio recipientis cautionem: qui si scienter minorem moderetur, quam verosimiliter credatur sufficere, ipse ad satisfactionem residui teneatur: Hæc constitutio.

Ad quorum pleniorem intelligentiam, notandum est primo, ex Sylu. Vsura 9. quæst. 5. per cautionem idoneam intelligi pignora & fideiussores; quæ si vsurarius dare non possit, sufficit vt iuret se non posse dare, ex Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *num.* 279. Siquex paupertate & inopia, nullomodo satisfacere, nec cautionem inuenire possit, satis est vt iuret, si aliquando peruenerit ad pinguiorem fortunam, se satisfacturum, *ex Syluest in seq. quæst.* 18. qui addit ad vitandum scandalum, bonum esse vt id fiat de licentia Episcopi.

Notandum secundo, ex eodem Sylu. in cit. qu. 5. & Nauar. in seq. num. 281. per eos qui aliis acquirunt, intelligi liberos sub patris adhuc potestate constitutos, & legales seruos siue proprios, siue alienos bona fide possessos: non aũt procuratores, vt addit ibid. Syluest. Admonens etiam, præter Episcopum nomine Ordinarii in præposita constitutione posse intelligi Decanum, Archipresbyterum, vel Abbatem iurisdictionem in spiritualibus habentem, vbi vsurarius degit. Item nomine Rectoris parochiæ, comprehendi tam Curatum loci in quo habitat is cui vsurarius debet restituere, quam loci in quo habitat ipse vsurarius: itemque illum de ordine Mendicantium, qui est expositus ad audiendas confessiones: quia Iudex est sibi confitentis per priuilegium in corpore iuris clausum in Clement. Dudum De sepulturis. Immmo ex Nauarro comprehenditur quilibet Confessarius habens legitimam potestatem audiendi confessionem eiusdem vsurarii.

Notandum tertio, ex Sylu. *in cit. quæst.* 18. quod Sacerdos qui absoluit aut sepelit vsurarium, antequam prædicto modo satisfaciat, non tantum peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem vsurarũ, si vsurarius noluerit eas restituere: ita tamen vt ad id non teneatur semper, sed quando ille, vel hæres illius restituisset, aut cautionem dedisset si absolutio vel sepultura denegata fuisset: quia tunc Sacerdos ipse dat efficacem causam talis detrimenti, non vero quando facta non fuisset restitutio, etiam si absolutionem, & sepulturam negasset: in quo proinde casu peccat quidem absoluendo vel sepeliendo, sed ad nullam restitutionem tenetur.

Notandum quarto, ex Sylu. *in ead. quæst.* 18. & Nauar. in præced. num. 280. si verosimiliter credatur, quod vsurarius manifestus nequeat prædicta seruare satisfaciendo, vel dando cautionem paratus sit tamen ad omnia: ipseque versetur in probabili mortis periculo, audiri possit in confessione, & contritus absolui à quolibet Sacerdote: qui quidem obtenta facultate ab ipso, debebit promissionem ipsius declarare Episcopo vt ipsum si conualuerit, aut hæredes ipsius si moriatur, compellat ad restitutionem iuxta cap. Tua nos, De vsuris iuncto cap. finali De sepulturis.

Cum autem vsurarius fuerit occultus, eadem ratione procedendum est cum eo, ac cum cæteris, qui ad restitutionem obligantur ratione iniustæ acceptionis. De qua ratione Sylu. *Restitutio. sexto qu.* 1. Ea autem est, vt quando vsurarius occultus, est soluendo in totum, is statim soluat, debita quidem incerta, seu quorum creditorem ignorat, conferendo in pios vsus: certa autem restituendo iis à quibus accepit. Cum vero est soluendo in parte tantum: certa prius quam incerta restituat, & ex certis illa quæ sunt antiquiora. Quod si nihil penitus restituere possit, coquod nihil habeat absolutio non est ei neganda, dummodo proponat restituere quando potuerit. Nec etiam neganda est, quando non dolose, sed aliquo bono fine, per aliquod non longum tempus (vt 15. dierum) valens restituere, differret restitutionem (*quia leges regulariter, vt inquit Syluest. minima non ponderant.* (nisi is, cui restituendum est, interea notabiliter patiatur. Atque in his *addit Sylu.* credendum est in pœnitentiali foro Pœnitenti pro se loquenti, adeout possit sine exactione cautionis, vel iuramenti absolui, nisi vehemens præsumptio esset, quod ea de causa, non satisfaciet suæ obligationi tanta celeritate, quanta tenetur: vt si iam sæpius spopondisset siue Confessori, siue alii, celerem restitutionem, nondum tamẽ fecerit illam. Quanquam posset in eo etiam casu tam efficaciter spondere, totque suæ firmæ voluntatis signa dare, vt ei sine cautione, vel iuramento credendum esset.

Iam si quis habeat quidem vnde restituat, sed sua distrahere non possit sine magna incommoditate: debet, *si potest sine scandalo & infamia*, petere per se aut per alium, sine fraude, aut coactione, remissionem aut dilationem à creditoribus, si certi sint: aut ab ipso Episcopo, vel Confessario si incerti sint creditores, nec cognosci possint, rationabilis adsit remittendi, aut differendi causa, *ex eodem Syluest. Restit.* 7. *quæst.* 1. *in fine.* Obtenta autem petitione, tutus erit, immo & non obtenta, quando talis incommoditas esset cum priuatione necessariorum ad vitæ, & proprii status conseruationem, iuxta ea quæ habita sunt lib. 10. cap. 19. quæst. 5.

Sexta pœna est, quod nemo debeat interesse manifestorum vsurariorum testamentis, nisi prædicto modo satisfecerint, ex cap. Quanquam, De vsuris in 6.

Septima pœna *ex eodem c.* est, quod testamentum vsurarii sit irritium ipso iure, nisi prædicto item modo satisfecerit. Vbi aduerte primo, quod de testamento vsurarii dicitur intelligendum esse quoque, *per gl. ff. tum vltimam ad cit. cap. Quanquam*, de codicillo; & alia ipsius vltima voluntate: pro quo aliquot authores Couarr. refert *lib.* 3. *variarum resol: cap.* 3. *num.* nono. Ratio vero est, quam habet Syluest. in verbo *Vsura* 9. *quæst.* 7. quod talibus, nomen testamenti conueniat large, quodque facile esset alioqui eludere prædictam cõstitutionem. Excipit autem ibidem Syluest. legata ad pias causas, facta ab vsurario manifesto, cũ e vita decedi- 97.

pœnitens,

Pœnitens, datis contritionis signis. Quod enim talis, ad animæ suæ subsidium sine alterius præiudicio facit, non est censendum lege canonica improbatū. Excipit etiam donationem inter viuos, factam actu distincto à testamento, nisi esset de media, aut maiori bonorum parte, quæ censeretur facta in fraudem.

Aduerte 2. ex eodem Sylu. *in seq. quæst.* 9. hanc pœnam non habere locum, quando est quidem mutuo datum ad vsuram, sed nihil receptum: habere vero locum etiamsi dictus vsurarius quidquid exigitur ab eo in prædicto cap. Quanquam, voluerit præstare, sed non potuerit morte præuentus, prout idem *in quæst.* 14. atque alij *ques Couarr. refert loco citato*, annotant. Immo etiamsi iusserit satisfieri, & hæredes post mortem ipsius idoneam cautionem dederint, *vt idem Syluester notat quæst.* 10. talis pœna locum adhuc habet; non tantum quoad testamentum, quod factum fuerit post vsuras acceptas: sed etiam quoad factum ante illas; si testator moritur manifestus vsurarius (*ex eodem in quæst.* 11.) non item si primo fuerit manifestus vsurarius, & deinde egerit pœnitentiam, modo supradicto: quantumcumque postea fiat vsurarius occultus. vt idem etiam habet *in sequ. quæst.* 13. Hæc omnia approbans Lud. Molina *in memorata disput.* 334 *post medium*, præmittit notatu dignum: nempe validum esse testamentum illius vsurarij qui ante mortem non erat notorius, etiamsi post mortem sufficienter probetur ipsum exercuisse vsuras, eaque de causa ipse damnetur, & hæredes ipsius præcipiantur restituere; sicque crimen fiat notorium. Ratio est: quia cum testamentum confirmetur morte testatoris, si hic nec ante mortem nec mortis tempore impedimentum habuit, ne testamentum ipsius valdum esset, manet sane post mortem validum.

98. Octaua pœna habetur ex cap. 1. De vsuris in 6. vbi statuitur, vt nec collegium, nec vniuersitas, nec quæcumq; singulares personæ, cuiuscumq; status sint, vel conditionis; alienigenis & quibuscumq; non oriundis ex eadem repub, qui publice exercent aut exercere volunt vsuras, permittant domos conducere, aut conductas habere vel alias habitare in suis terris, sed intra tres menses expellant eos; in posterum nunquam admissuri. Alioquin contrarium facientes Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, ipso facto sint suspensi: cæteri vero Ecclesiastici inferiores, sint excommunicati, & collegium, vel vniuersitas, ipso facto interdicatur. Sique animo indurato per mensem interdictum sustinuerint, ipsorum quoque terræ subiaceant eidem Ecclesiastico interdicto, quousque vsurarios eiiciant. De laicis autem præcipitur ibidem, vt ipsi ab Ordinariis suis omni cessante priuilegio, compescantur per censuram Ecclesiasticam. Vnde non sunt ipso facto excommunicati per eam constitutionem: sicut sunt illi de quibus sancitum est in Clement. De vsuris: vt communitates, earum potestates, Iudices aut quicumque alij Officiales, qui condiderint, scripserint vel dictauerint statuta quibus vsuræ permittantur, aut solui compellantur, vel repeti prohibeantur postquam fuerint solutæ: sint eo ipso excommunicati: similique pœnæ subiaceant, qui scienter iudicare præsumpserint vt vsuræ soluantur, aut vt non restituantur quando repetuntur, postquam solutæ sunt. Itemque vt nisi prædicta statuta intra tres menses ab iis deleantur, qui ea delere possunt, sint eo ipso excommunicati: atque vt ij qui vel ea, vel similem consuetudinem seruauerint, eandem pœnam incurrant.

99. Nona pœna est: vt vsurarius manifestus repetere non possit in foro exteriori vsuras quas alius ab ipso iniuste extorserit, nisi prius quas ipsemet extorsit, restituat, ex cap. Quia frustra, & ex cap. Michael, De vsuris. Quod tamen fallit in Clerico, vel procuratore repetente vsuras à se solutas nomine Ecclesiæ: auditur enim sic repetens, quantumuis & ipse sit vsurarius. Id quod notat ex Panor. Sylu. Vsura, 9. quæst. 4. versu Nona pœna.

Decima pœna est: vt quamuis vsurarius cedat omnibus bonis, eius tamen necessitati nō subueniatur beneficio talis cessionis: quæ tantum instituta est in commodum illorum qui debita contraxerunt bona fide: de quorum numero vsurarius censeri non potest. Hanc ibidem consequenter habet Sylu. cum Angelo *Vsura* 2. §. 16. *ex glossa ad cap. Cum tu, De vsuris, verbo In facultatibus.* Admonet vlterius Syluester in fine eiusdem quæstionis ex communi Doctorum sententia, vsurarium, *quia restituere tenetur ad modum raptorum*; debere restituere non modo acceptum, sed etiam fructus omnes ex eo perceptos, aut qui percipi potuerunt à vero domino. Cæterum quando agitur in foro externo de vsura, quam aliquis commisisse præsumitur, per censuram cogi debet exhibere libros suarum rationum, vt res melius cognoscatur, ex Clement. vnica De vsuris, §. Cæterum.

CAPVT X.

De petentibus mutuum ad vsuram, An redundet in eos ipsius vsuræ malitia.

SVMMARIVM.

100 *Diuersa sunt, alterum inducere in peccatum, & vti peccato alterius.*

101 *Accipere mutuum sub vsura non est de se peccatum: est autem inducere alterum ad taliter dandum.*

102 *Non tantum cum necessitas, sed etiam cum commoditas rationabiliter exposcit, potest absolute mutuum ab eo qui existimatur non daturus, nisi sub vsura.*

103 *Sine necessitate, aut alia rationabili causa prædictam petitionem facere, peccatum est.*

104 *Nolenti in extrema necessitate aliter subuenire, suaderi potest vt subueniat, saltem mutuum dando sub vsuris.*

105 *Duo modi quibus id intelligi potest, & secundum quem censeri debeat verum.*

106 *Modus secundum quem negari debet esse verum.*

107 *Vt petere, sic & soluere vsuras peccatum est, si rationabilis causa non excuset.*

DE petentibus mutuum ad vsuram, vnica difficultas occurrit: An ipsi peccent sic petendo. Ad cuius explicationem præ notandum est: aliud esse inducere aliquem ad peccatum & aliud vti peccato alterius. Nam inducere ad peccatum, est cooperari peccato, quod intrinsece malum est, nec licere potest, etiamsi quis ad peccandum paratus sit: cum per id saltem ostendatur approbari, ac placere peccatum. Vti vero peccato alterius, est peccatum quod alius facere decreuit, ordinare ad aliquod bonum: quod quidem licitum est: cum vtens peccato alterius, non cooperetur peccato, sed præsupponat peccatum esse: sicut & vniuscuiusque rei vsus, præsupponit ipsam existere. Atque hoc ita constituto, difficultas proposita explicatur ad nostrum institutum accommodate, sequentibus propositionibus. 100.

Prima est: Accipere mutuum sub vsuris non esse de se peccatum, Hanc Caiet. in verbo Vsura, cap. penult. probat; quia id non est aliud, quā agere mutuum: id est, ad mutuum actiue concurrere, & pati vsuram, id est, passiue ad vsuram concurrere, quorum neutrum de se malum est. Quanquam potest ex circustantia illicitum reddi; vt si quis ea via ex alienum contrahat in præiudicium vxoris, filiorum, aut priorum creditorum; tunc enim delinqueret, etiam mortaliter, vt iuxta tradita per Sotum *in 6. De iust. 1. art.* 5. habet Nauar. in Enchir. *cap.* 17. *num.* 263. 101.

Secunda propositio est: Petere mutuum sub vsuris inducendo mutuantē, peccatum est mortale. Probatur; quia tenetur quilibet ex charitate peccatum à proximo remouere, Ergo contra charitatem grauiter peccat, qui non tantum non remouet, sed proximum ipsum ad peccandum inducit: præsertim cum id sit peccato ipsius cooperari, in illudque consentire: atque adeo pariter peccare, iuxta D. Paulum ad Romanos cap. 1. in fine. Ita aliis citatis habet Nauar. in præced. num. 262. Idque latis notum est ex iis quæ latius de scandalo disputari solent. Vide dicta in præced. lib. 14. c. 4.

Tertia propositio: Is qui mediocriter pecunia indiget, aut ad notabile lucrum faciendum ex sua iuduſtria, aut ad vitam negotiatione sustentandam, aut ad aliam necessitatem, vel penuriam qua premitur, subleuandam; nec facile potest illam aliunde habere, etiamsi nequeat mutuum sub vsuris petere modo antedicto; potest tamen petere simpliciter, quantumuis intelligat, eum à quo petit, responsurum, se nō aliter daturum, quam sub vsuris. Probatur quia quod sic petitur bonum est, puta mutuum: sique inde sequatur 102.

malum

malum, puta dari ad vsuram, id sequitur tantum ex malitia mutuantis, cui nulla ratione petens cooperatur, cum tantam vtatur iure suo per medium de se licitum: bona intentione prouidens suæ necessitati. Quæ doctrina est D. Thomæ 2.2. *qu.* 78. *art.* 4. quam sequuntur Caiet. Sotus & Nauar. locis cit: aliique passim. Eam vero D. ipse Thom. confirmat exemplo eorum qui ad euadendam mortem (vt illi qui Ieremiæ 41. Ismaeli dixerunt, Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro) latronibus indicant sua bona, quæ illi non possunt capere sine peccato.

Quinimo ex Diuo Antonino *secunda parte tituloprimo c. nono*, §. 14. quem Nauarrus citat *in Enchir. cap.* 17. *num.* 263. Et probat: quia id non est inducere proximũ ad peccandum, sed volenti grauius peccare, consulere vt minus peccet, nempe potius peccatum vsuræ committat quam homicidii, sicque ex duobus malis minus eligat. In eadẽ sententia fuisse De Augustinum, patet ex ipsius verbis quæ referuntur 33. qu. 2. cap. Si quod. Facturus est quod non licet (*puta vel vxorem occidere vel dimittere*) iam faciat adulterium, vt non faciat homicidium, &c. Porro de tota hac re plenius Adrianus *quodlibeto* 3. *qu.* 2. & post eum Sotus *lib.* 6. *De iust. & iure, quæst.* 1. *art.* 5. & Petrus Aragonius *ad cit.* D. *Thomæ art.* 4.

Vbi recte notat duobus modis posse intelligi, quod citati authores dicunt in casu extremæ necessitatis licitum esse inducere vsurarium ad mutuandum sub vsuris: vt sic impediatur à perpetratione maioris mali, quale est indirecte occidere laborantem extrema ipsa necessitate, nolendo ei subuenire. Prior modus est, vt nihil aliud sit quam auertere animum vsurarij ab illo maiori malo, exponendo ei quemadmodum suæ cupiditati habendi satisfacere possit, & simul maius illud malum homicidii vitare. Quodquidem est commissuro maius malum, offerre materiam minoris mali, vt omittat perpetrare maius. Posterior modus est, vt inducere vsurarium ad dandum sub vsuris; cum non vult aliter extreme indigenti subuenire, non sit tantummodo illum auertere à maiori malo, proponendo ei minus: sed etiam ei vere consulere id ipsum minus malum, si non simpliciter, saltem comparate, nempe si nolit aliter indigenti subuenire, immo velit mortem indirecte illi inferre, nisi ei dentur vsuræ, has accipiat, nec se illo alio grauiori crimine contaminet. Quoad priorem autem modum posse propositioni allatæ locum esse, hinc patet: quia in ea re tantum cernuntur vitatio maioris mali, & propositio minoris: quarũ illam esse licitam de se patet. Idemque de hac (licitam inquã eam esse) probatur ex eo, quod nõ sit inductio ad peccandũ, sed potius ad culpam ex aliqua parte minuendam: atque ea fiat iusta de causa, bonaque intentione, neque detur per eam scandalum, sed accipiatur ab vsurario: cui liberum est, immo tenetur ab vtroque tali malo proposito abstinere. Istaque ratione memorati Authores congruenter cap. Offerebat, 32. quæst. 7. à peccato excusant illos qui Ieremiæ 41. Ismaeli dixerunt se habere thesauros in agro: itemque Loth Gen 19. cum indicant Sodomitis se habere duas filias virgines quas ad ipsos educeret, & Elias 3. Reg. 18. cum Sacerdotibus Baal. proposuit vt sacrificium facerent idolo Baal. Veruntamen cauendum est magnopere, ne tale quid fiat cum cuiusquam tertii detrimento salutis, vt recte docet loco cit. Adrianus: qui propterea monet Loth debuisse persuasum habere filias suas tantæ virtutis esse, vt in peccati turpitudinem non essent consensuræ: nec aliter, quam per vim absoluram oppressæ, manerent mente incorruptæ: quod fieri posse constat per tradita in memorata causa 32. q. 5. per totam.

105.

Quoad posteriorem modum vero, ita nimirum vt propositionis sensus sit, licitum esse suadere vsurario vt subueniat extreme indigenti, sique nolit aliter, saltem id fiat dando mutuo ad vsuram, negandum est tali doctrinę locum esse: quia, quod ad peccatum attinet, nihil interest inter consilium, & executionem, si vno eodemque modo se habeant ad obiectum illius. Quare sicut is peccat qui facit minus malum, etiamsi faciat ad vitandum maius (cum nunquam sint facienda mala, ne quidem vt inde eueniant bona iuxta Apostolum ad Rom. 3. ver. 8) peccat similiter is, qui consulit minus malum, etiãsi id faciat ad vitandum maius: cum sic ipse quoque in malum consentiat illudque approbat. Nec est, quod dicatur id esse tantum consulere alicui, vt potius minus malum, quam maius faciat: quia recte sequitur: Hic consulit potius hoc malum, Ergo consulit hoc malum.

106.

His ad extremum addendum est, quod Gregor. à Valen. 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 21. *pun.* 4. *vers. Iam. de* 2. *capite*, tangit: idẽ esse iudicium de petitione mutui sub vsuris, & de solutione vsurarum, vt sicut peccatis qui absque rationabili causa sub vsuris petit mutuum ab vsurario, ita etiam peccet is qui sine rationabili causa soluit vsuras, cum similiter cooperetur peccato vsurarii, quod is accipiendo aliquid supra sortem, perinde committit ac idipsum exigendo.

107.

Quarta propositio: Is, qui absque vlla necessitate aut rationabili commoditate mutuum, *etiam simpliciter*, peteret ab eo quem scit exacturum vsuram, quantumcumque illum inueniat iam habituliter paratum ad ita mutuandum, censendus est peccare. Probatur: quia lege charitatis quisq; tenetur sub mortali vitare peccatum mortale proximi, si sine graui suo incommodo, & molestia, id potest. Ergo à fortiori tenetur non offerre nouam peccati occasionem. Vnde (quidquid locis cit. contradicere videantur Caiet. & Sotus) existimarim tenendum esse cum Sylueſtro in cit. quæst. 1. peccare mortaliter eum, qui ad opus vanum, & inutile vt ad otiose ludendum vel epulandum, a d vana spectacula, & nugas alias petit mutuo pecuniam ab eo, quem scit non nisi sub vsura daturum. Idem sentit Molina De iust. & iure, to. 1. tract. 2. disput. 335. versu Vtrum autem: excipies casum, in quo, ceteris eiusdem status concurrentibus ad aliquid eiusmodi exhibẽdum, indecorum esset talem non cõcurrere simul cum eis. Ratio vero quæ pro Sylueſtro facit, est: quia talis non tantum vacat rei veniliter illicitæ, sed etiam peccandi materiam proponit proximo, perinde atque puella quæ sine necessitate exhibet se conspiciendam ei, quẽ scit occasionem peccandi inde arrepturum. Videri possunt tradita à nobis de scãdalo in superius memorato cap. quarto.

103.

Quinta propositio (quæ secundæ præcedentis explicationem quandam continet) est: Eum qui non vult aliter extreme indigenti subuenire, licitum esse ad hoc saltem inducere, vt subueniat sub vsuris. Hęc probatur: quia minus malum est, quod is vsuras recipiat, quam quod alterum occidat, vt censetur non subueniendo extreme indigenti, iuxta illud dist. 86. cap. Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem seruare poteras, si non pauisti, occidisti. At cum quis dimoueri non potest ab executione maioris mali, licitum est suadere ei vt exequatur potius minus malum. Ita post Innoc. & Panor. ad c. Super eo De vsuris, Angelus *Vsura* 2. §. 2. *Sylu Vsura* 7. *quæst.* 1. *in fine & Caiet.* 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. communiterque receptam sententiam esse notat Nauar. *in*

104.

CAPVT XI.

De peccato simoniæ vniuerse.

SVMMARIVM

108 Tractantes de simonia.
109 De nomine simoniæ.
110 Definitio simoniæ, indicans tres conditiones ad eam requisitas; & quæ voluntas requiratur ad eandem.
111 Quæ res spiritales aut spiritualibus annexæ censeantur materia simoniæ.
112 Non est simonia, dare res & scientias naturales docere pro pecunia.
113 Solutio eorum quæ obici possunt in contrarium.
114 Spirituale dicitur, tum per essentiam, tum per causam, tum per effectum.
115 Annexum spirituali dicitur, tum antecedenter, tum comitanter tum consequenter.
116 Varietas rerum quæ spiritualibus annexa sunt.
117 Regulæ aliquot notandæ ad iudicandum quando committatur simonia.
118 De acceptis in sustentationem per eum qui spiritalia exercet.
119 Quas operas suas locare possit exercens spiritalia.
120 Documenta notanda ad iudicandum qua ratione committatur simonia.
121 Duo requisita ad venditionem & emptionem, qua committitur simonia.
122 Non committitur simonia, dando pure spirituale pro pure spirituali.
123 Aliquot modi quibus sine simonia dari potest temporale pro spirituali.
124 Quatenus sine simonia detur temporale pro spirituali ad redimendam vexationem.
125 Redemptio iustæ vexationis, qua temporale datur pro spirituali, non est licita.
126 Præuenire iniustam vexationem aperte futuram quando sit licitum.
127 Nunquid præuenire certo iustam; nec eam de qua constat, an iusta sit vel iniusta.
128 Pretium in redemptionem vexationis accipiens, quando in eo committat simoniam.
129 Redemptio vexationis, cum spirituale non habet annexum temporale cõmodum, quomodo excusetur à labe simoniæ.
130 Vexatus possessione, cum habet ius ad eam certum, potest vexationem sine simonia redimere.
131 Secus si ideo molestetur, quod habeat incertum.
132 An necesse sit prius recurrere ad Superiorem, quam vti redemptione vexationis.
133 De redemptione vexationis, qua Ecclesiæ præficitur indignus, quid sit tenendum.
134 De consuetudine accipiendi temporale pro spirituali.
135 Ea non excusat pactum præcedens exhibitionem spiritalis.
136 Excusare autem potest exactionem temporalis, post exhibitum spirituale.
137 Qualiter exactio temporalis pro spirituali cohonestetur per consuetudinem.
138 Committitur simonia dato spirituali in compensationem obsequij pecunia æstimabilis.
139 De ratione qua potest sine simonia, Prælato obsequium exhiberi ad obtinendum ab ipso Ecclesiasticum beneficium.
140 Qua ratione sit, aut non sit simonia dare beneficium, pro obsequio exhibito, aut exhibendo in Ecclesia vtilitatem.
141 Quando sit simonia vel non sit dare spirituale ob munus à lingua, precesve.
142 Dare beneficium principaliter ob solas preces, aut fauorem humanum, quodnam peccatum sit, si non sit simonia.
143 Non est simonia conferre alicui beneficium ratione consanguinitatis.
144 Quale peccatum sit tali ratione conferre digno.
145 Non est simoniacum ob metum conferre beneficium, nisi collatio resoluatur in commodum temporale.
146 Simoniacam est sponsione deponere spirituale contra temporale.
147 Simoniam committit mutuo dans pecuniam alteri ea lege, vt sibi conferat beneficium.
148 Tria requisita ad transactionem; & quod hæc sit simoniaca quando per eam temporale pro spirituali remittitur aut retinetur.
149 Quod non sit, quando spirituale pro spirituali remittitur aut retinetur.
150 Nisi vnum sit mere spirituale, & alterum annexum spirituali: aut vnum sit annexum spirituale antecedenter, & alterum consequenter.
151 Quando in transactione committatur simonia, per pecuniam compensando excessum, quo vnum ex iis super quibus transigitur, superat alterum.
152 Dare aliquid alteri æstimabile pecunia, ad ipsum inuitandum ad vsum spiritalium, non est simoniacum.
153 Diuisio simoniæ in mentalem, commentionalem, & realem.
154 Alia diuisio in prohibitam iure naturali, & prohibitam iure canonico.
155 Tres modi quibus contingit simonia pure positiua.
156 Responsio ad fundamentum Durandi existimantis nullam dari simoniam positam.
157 Notanda praxi de simonia confidentiali.
158 Talis datur, tum naturalis, seu iure naturali prohibita: tum positiua, seu prohibita iure canonico.
159 De Bulla à Pio quinto aduersus talem luem edita.
160 Duæ reliquæ diuisiones simoniæ.
161 Simonia peccatum est de se mortale grauissimum.
162 Rationem habeat tum auaritiæ, tum iniustitiæ, tum peccati contra charitatem.
163 Itemque rationem sacrilegæ irreligiositatis.
164 Quomodo repugnet simonia iuri tum naturali, tum positiuo; tam diuino quam humano.
165 Quæ ignorantia excuset à peccato simoniæ.
166 Quomodo materiæ paruitas ab eodem excuset vel non excuset.
167 De difficultate, An necessitas ab ea excuset: diuisa Doctorum sententiæ.
168 In extrema necessitate circa spiritalia vexatus iniuste, quando possit vexationem redimere dato aliquo temporali: & quando possit.
169 Quomodo sine simonia vrgente extrema aut graui necessitate, dari possit temporale ad consequendum spirituale.

108. DE simonia agitur in iure Canonico causa prima fere totam: & in reliquis eiusdem iuris libris, titulo De simonia: & pariter à Canonistis. Itemque à Summulariis in verb. Simonia: à Theologis præterea in 4. dist. 25 à D. Thoma & interpretibus ipsius 2. 2. qu. 100. à D. Anton. 2. parte tit. 1. cap. 4. & 5. ab Adriano in quodlibeto nono, à Caiet. in 2. tom. opusc. tract. à Soto in libro 9. De iust. & iure quæst. 5. 6. 7. & 8. à Francisco à Victor. in relect. De simonia, ab Alphonso à Castro aduersus hæreses, verbo Simonia: à Nauarr. in Enchir. cap. 23, à nu. 99. & pluribus aliis recentioribus: inter quos nouissime illius explicationem fuse persecutus est Franciscus Suarez, in opere de virtute religionis, tractatu tertio, libro quarto. Quę autem vniuerse pertinent ad rationem iudicandi de illius malitia, complectemur aliquot quæstionum explicatione: quibus subiiciemus pertinentia, tum ad pœnas, quæ ob eam incurruntur: tum ad varias species seu modos.

QVÆSTIO I.

Quid sit simonia.

109. QVod attinet ad quid nominis: dicta est simonia à Simone mago, qui primus commisit hoc peccatum in noua lege (*Act.* 8.) volendo non tantum emere, sed etiã postea vendere donum Dei, vt declaratur in cap. Saluator 1: quæst. 3. Sæpe etiam in iure canonico, vt 1. quæst. 1: cap. 3. 4. 5. & 11. dicitur simoniaca hæresis, nõ q̃ simonia natura sua sit hæresis, aut semper cum hæresi coniuncta: sed quod in illo suo authore Simone Mago coniuncta fuerit cũ hæresi: quãdoquidem ipse existimauit (vt illi in cit. cap. 8. D. Petrus exprobat) donum Dei pecunia posse dari. Quam hæresim D. Gregorius relatus in cap. Cum liqueat, 1. quæst. ait ante omnes radice pestifera surrepsisse. Accedit, quod vt habet in cit.

quæst.

quæst. 100. art. 1. ad 1. D. Thomas, simoniacus facto hæresim hoc nomine profitearur, quod agat perinde ac si existimaret se dominum esse doni spiritalis: vtpote illud vendens, alienansve à se, pro pecunia. Id enim hæreticum est. Quanquam tamen, de hæresi talis damnandus non est: nisi reuera intellectu credat rei spiritalis dominium pro pecunia acquiri, & in alium transferri posse ad instar rerum venialium: cum non nisi Spiritui sancto illa sit accepta ferenda. Videri potest Suarez in memorato lib. 4. sub initium.

110. Quod attinet ad quid rei: illud tam Theologi quam Canonistæ, cum D. Thom. in eod. art. 1. & cum glossa ad initium primæ causę, explicant hac definitione, Symonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum. Per quam definitionem indicantur tria necessaria vt simonia committatur. Primum est voluntas studiosa, vbi voluntatem accipe pro voluntatis actu, qui solus peccatum est. Et aduerte eum nō modo cū actu externo coniunctum, sed etiam sine illo posse ad rationem simoniæ sufficere, vt communiter (contra glossam ad cap. Consulere, verbo Voluerunt: & ad cap. finale, verbo Affectu, De simonia) Theologi docent ex eo, quod alioqui ne ipse quidem Simon Magus fuisset simoniacus: quia illius voluntas emendi fuit sine actu externo, cum D. Petrus nihil ab ipso acceperit. Quanquam ex Nauar. in Enchir. cap. 23. nu. 100. dici potest glossam citatam nihil significare aliud, quam quod sola deliberata voluntas, vendendi aut emendi rem spiritalem, non sit simonia, quam puniat Ecclesia, quę de externis tantum iudicat. Nam Canonistæ communiter de simonia tractant tantum in ordine ad forum externum, in quo non puniuntur internæ voluntates peccandi nisi ad actum opusve externum peruenerint.

Quod vero additur, *studiosa*, intellige non quod ad simoniam requiratur vt ex studio, id est, ex malitia, vel de industria, ac dedita opera, facta sit emptio, vel venditio rei spiritalis, sed quod facta sit ex deliberatione (*sine qua peccati rationem non haberet*) itaut studiosa voluntas idem sit, ac actus voluntatis deliberatus. Colliges vero ex hac conditione nō committi simoniam, cum aliquid spiritale emitur, aut venditur ex ignorantia probabili, nec item quādo quis promittit se aliquid temporale daturum pro re spirituali (*quod alioqui ad simoniam suffi. eret ex cap. cum essent, De simonia*) si non habeat voluntatem præstandi promissum. Nam, vt recte notat Caiet. *in cit. tract. 9. quæst. 2.* vbi deest emendi voluntas, ibi secundum veritatem emptio non est. Atque in eo casu, sicut deest voluntas præstandi, ita secundū veritatē deest voluntas emendi, tantumq; adest voluntas faciendi fraudē.

Secundum necessarium vt simonia committatur, est res spiritalis, vel annexa spiritali, quæ constituitur materia circa quam simonia ipsa committitur, in sequenti quæst. considerauda. Tertium est emptio, & venditio: quo nomine intelligitur omnis contractus non gratuitus, seu factus interueniente pretio aliquo, vel re pretio æstimabili: itaut eo comprehendatur omnis transactio, permutatio, locatio, nominatio præsentatio, electio, confirmatio, renunciatio, remissio, & missio in possessionem, itemque omissio eius generis, cuius est illa, qua quis pretio recepto omittit aliquem ordinare vel absoluere, vel eligere, vt colligitur ex cap Nemo, De simonia: *& ibidem ad verbum Celet, glossa colligit.* Quoniam autem tertium istud, modum ac rationem continet, qua simonia committitur, vt plenius intelligatur, tractabitur tertia sequens quæstio.

QVÆSTIO. II.

Quenam sit materia simoniæ.

111. MAteriam simoniæ, seu id in quo simonia committitur, esse rem spiritualem, aut spirituali annexam omnes admittere annotat Franciscus à Vict. *in 1. parte relect. De simonia num. 3.* Idque merito, vt ipse probat per illud Act. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. Pro plenior autem intelligentia, notandum est primo, nomen quidem Spiritus, á quo dicitur spiritalis appellatio, late patere iuxta tradita eundem authorem *in seq. n. 4. & Nauar. in Enchir. cap. 23. n. 99. ac Sotum lib. 9 De iust. & iure quæst. 5. art. 1. pag. 2.* sed rem spiritualem hic specialiter sumi, vt à Spiritu sancto appellationem accipit, *prout Caietanus notat in verbo Simonia sub initium:* vt idem sit, ac res quæ haberi non potest naturæ viribus, sed Spiritus sancti dono. De qua illud Math. 10. Gratis accepistis, gratis date, aptissime intelligitur: præsertim cum Actor. 8. Simon Magus à quo simonia est nominata in eo peccauerit, quod voluerit emere donum Spiritus sancti. Et in veteri Testamento, vbicumque reprehenditur emptio, & venditio, agatur de aliquo spirituali; vt Numer. 22. ver. 23. & 2. Petri 2. versu 16. quod Balaam pro spiritu prophetico accipere voluerit pretium à Balac rege Moabitarum: & 3. Reg. cap. 13. in fine, quod Ieroboam pro authoritate Sacerdotali, pretium acceperit, & 4. Regum cap. 5. Giezi munera acceperit pro gratia sanitatis. Quæ omnia sunt spiritalia, eo modo quo diximus.

112. Atque hinc sequitur ad dubitationem, sitne simonia accipere pretium pro tradenda, aut docenda naturali arte vel scientia (de qua in vtramque partem authores referunt *à Vict. in seq. num. 5.* & Sotus in citata pag. 2. quamque late tractat Suarez *in memorato lib. 4. cap. 8.*) sequitur inquam, respondendum esse negatiue, vt iidem & Nauar. in Enchir. *cap. 23. nu 100.* respondent: quia scientiæ, & artes natutales quamuis gignantur in nobis dono Dei, tamen vsu & exercitio nostro acquiruntur interueniente generali Dei concursu. Immo quantumuis speciali Dei miraculo eas quis obtinuisset, non committeret simoniam; quia per accidens est, quod illæ taliter acquirātur; nec id impedit quin eiusdem speciei sint cum aliis scientiis & artibus, quæ nostro labore acquiruntur: sicut quod Adam fuerit creatus à Deo, non impediuit quin fuerit eiusdem speciei cum Abel, qui genitus est ab ipso. Et certe si quis per miraculum à Deo accepisset vires corporis ad portandum vel aliud faciendum: sine simonia liceret que posset accipere pretium pro portando, vel faciendo illud aliud. A pari ergo poterit quis pro docenda naturali scientia, etiam per miraculum acquisita, pretium accipere, quantumuis sit Theologia; cum & ipsa numeretur inter naturales scientias, quæ labore & doctrina comparantur.

113. Quod autem in contrarium afferri potest ex cap. 1. & 2. de magistris: illicitum esse pro docendo, aut pro licentia docendi alicui data, pretium exigere; referendum est ad eos qui tenetur gratis docere, quia illis ea de causa attributum est Ecclesiasticum beneficium, aut aliud salarium sufficiens; atque ad eos, qui pro danda licentia docendi; prætextu sui officij aliquod pretium non debitum extorquent ab inuito: quod peccatum est non simoniæ, sed concussionis, quemadmodum notant in verbo Magister, Angelus, num. 15. & Tabiena num. 11. ac Sylu. in verbo Doctor quæst. 11. Illud præterea Prouerb. 23. Veritatem eme, & noli vendere sapientiam, & doctrinam: non indicat simoniam, aut aliud peccatū esse, docere pretio, cum suadeat veritatem emere, sed sapientiam & doctrinam pluris esse faciendam quauis pecunia.

114. Notandū secundo, spiritale dici tripliciter: primo per essentiam; prout dicuntur: tum gratia qua Deo grati sumus: tum virtutes supernaturales, vt fides, spes, charitas, & aliæ diuinitus infusę: tum Spiritus sancti dona: vt prophetia, gratia sanitatum, & cætera quæ Apost. commemorat in priori ad Corinth. cap. 12. & quæ dici solent gratiæ gratis datæ: tum demum characteres, qui in annua quorumdam Sacramentorum susceptione imprimuntur. Secundo, dici spiritale per causam: nempe quia est causa gratiæ. & virtutum supernaturalium, sicut sunt omnia Sacramēta instituta à Christo in noua lege. Tertio, dici spiritale per effectum: vt dicantur omnes actus & officia quæ exercentur potestate supernaturali: vt prophetare, facere miracula, excōmunicare, suspendere, absoluere à censuris aut à peccatis, & quemcumque actum Sacramenti à Christo instituti exercere, ac etiam dispensare in votis.

115. Notandum est tertio, annexum spiritali (quo nomine significatur res natura sua temporalis, sed coniuncta cum ea re spirituali de qua nobis sermonem hic esse præmonuimus) dici quoq; tripliciter: nimirū antecedenter, comitanter, & consequenter. Dicitur autem antecedenter spirituali annexum, quod ad spirituale requiritur, tanquā prævium & dispositio: vt ius nominandi & præsentandi Clericum promouendū ad beneficium, & dignitatem Eccl siasti am:

item Calices consecrati, altaria, templa, vestes benedictæ, quæ vt dispositiones quædam requiruntur ad actus sacramentales; item ius quod Christianus habet vt sepeliatur in Ecclesia; & vt particeps sit precum Ecclesiæ, quæ fiunt pro mortuis. Dicitur vero comitanter annexum spirituali, quod comitatur ipsum spirituale: vt labor corporis, quem Ecclesiasticus suscipit in exercendo aliquo actu Sacramentali; talis enim comitatur sacramentum, cum huius administratio illum omnino exigat. Dicitur demum consequenter annexum spirituali, quod requirit vt in recipiente præcedat aliquid spirituale. sicut ius habendi beneficium, vel exigendi decimas, oblationes, & similia: ius concionandi, requirit Ordinem in eo qui idipsum ius habet.

116. Notandum est quarto, inter ea quæ annexa sunt spiritualibus, nonnulla esse iura quædam, in personis residetia: vt potestates quas aliqui habent nominandi, præsentandi, aut confirmandi Clericos promouendos ad beneficia Ecclesiastica. Alia vero esse actus & officia, quæ ex prædictis iuribus oriuntur: puta nominare, præsentare, &c. Alia demum esse res quasdam: sicut sunt aqua vel candelę benedictæ, reliquiæ Sanctorum, calices, altaria, & aliæ id genus res: quarum nonnullæ dicantur benedictæ quæ verbis tantum, *certa quadam eorum formula præscripta ab Ecclesia*, benedicuntur: vt aqua, fructus terræ, vestes, candelæ. Nonnullæ autem dicuntur consecratæ: quæ præter benedictionē quæ fit verbis, habent etiam aliquam vnctionem ex oleo benedicto, seu chrismate factam: vt calices, altaria, & similia. Quam benedictionis aut cōsecrationis formam ipsos amittunt, cum ita dissoluuntur ac vastantur, vt amplius seruire nequeant ad illos vsus sacros ad quos sunt benedidictæ vel consecratæ. Aliæ autem res Ecclesiasticæ, quæ nullam habent benedictionem, vel consecrationem, *ex Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 99. versa Ex quo*, non censentur annexæ spiritualibus sufficienter ad committendam in eis simoniam: quamuis dicantur sacræ hoc sensu; quod vel seruiant ad sustentationem aut aliam necessitatem sacrorum ministrorum, vel ad ornatum Ecclesiæ, vt fructus beneficiorum iam collecti, ac panis, vinum, & animalia, aliaque huiusmodi quæ solent Ecclesiasticis offerri à fidelibus, pietatis studio. Item libri, vrceoli, aulæa, candelabra, & huiusmodi alia, quæ destinata sunt vsibus Ecclesiæ, & ideo sacra dicuntur; illaque furando sacrilegium quidem committitur, non tamen simonia.

Præter hæc autem ad iudicandum qua in re committatur simonia, obseruandæ sunt aliquot regulæ, quæ in verbo Simonia à Caiet. & ab Armilla traduntur: in quibus præsupponendum est simoniam comitti, id vendendo & emendo, quod nec vendi, nec emi de se potest: sed vt gratis à Deo acceptum, gratis dari debet, iuxta illud Matth. 10 Gratis accepistis, gratis date. quo simonia ipsa à Christo prohibetur.

Regulæ iudicandi qua in re simonia committatur.

117. PRima igitur est: Res pure spiritalis nullo modo emi vel vendi potest. Hæc patet ex memorata Christi prohibitione.

Secunda est: Nulla res ex spirituali & corporali mixta emi vel vendi potest ex parte illa, q̄ spiritualis est, quantumcumque spiritualitas sit modica. Ex ea parte vero qua corporalis est, vendi quidem, & emi aliquando potest (prout sequens regula declarabit) non tamen maiori pretio, ratione spiritualitatis annexæ: vt calix consecratus vendi quidem potest, non tamen pluris quam si non esset consecratus. Hæc (*quam expresserunt tum Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 99. in fine, tum Sotus l. b. 9. De iust. & iure in fine quæst. quintæ*) priori ex parte ex eadem Christi prohibitione: ex posteriori parte vero, satis patere potest ex duabus sequentibus regulis.

Tertia est: Nulla res ex spirituali & corporali mixta vendi, vel emi potest absolute, si spirituale in ea sit principale, & corporale sit accessorium: prout labor corporalis accessorius est celebrationi Missæ, prædicationi Euangelij, & collationi Ordinum.

Quarta est: Si in re mixta dicto modo, corporale contra, sit principale, & spirituale sit accessorium (vt contingit in aliis sacris) ea vendi ac emi absolute potest: nisi id iure positiuo prohibeatur. Cuius vtriusque regulæ idem est fundamentum: nempe quod congruat, accessorium sequi naturam principalis, ex regula 42. iuris, in 6. Quo fit, vt quando principale vendi & emi non potest, nec etiam mixtum possit absolute: & contra quando principale vendi emique potest, possit etiam absolute & mixtum: siquidem vnumquodque cum absolute tractatur, debet secundum suum principale iudicari: vt inductione confirmat Caiet. in verbo Simonia, regula 2. Cum enim tractatur de homine, tractatur prout est rationalis: & cum de naue, prout est artificialis: & de Episcopo, prout est pastor ouium. Sic ergo quia pure spiritale vendi non potest, ita nec ex eo principaliter compositum, potest absolute; prout habet tertia regula: Item sicut corporale vendi potest, ita & absolute potest principaliter ex eo compositum, quemadmodum 4. regula præscribit.

Quinta regula est: Stipendium sustētationis exercentium 118.
spiritualia, licitum est & velle & accipere: Hæc est D. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 2. & 3. aperteque probatur per illud Domini Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo: & per illud prioris ad Corinth. 9. Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat; & illud prioris ad Timoth. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: vbi glossa ex D. August. habet, Accipiant sustentationem necessitatis à populo, & mercedem dispensationis à Domino. Et certe ea in re non committi simoniam ratio conuincit: quia id non est spiritalia vendere, seu pro eis pretium ac mercedem accipere; sed est velle habere necessaria ad vitam corporalem, sine qua non potest quis spiritalia exercere; adeout exercenti ea, iure naturæ debeantur necessaria ad vitæ sustentationem.

Sustentationis autem nomine hic intellige non tantum cibum & potum: sed etiam quodcumque necessarium ad victum, siue suum siue suorum, id est, eorum quorum cura illi incumbit: quia non tenetur mendicare pro ipsorum sustentatione.

Locum habet vero proposita regula, quantumcumque exercens spirituale, diues sit: habeatque aliunde sufficienter; vnde sustentetur; vt contra Caiet. docent Nauarr. in Enchir. *cap. 23. numero 101. & Sotus lib. 9. De iust. & iure quæst. 6. articul. 1.* quia licet in ea re, species aliqua auaritiæ notari possit, non tamen simoniæ: cum ex rei natura, si non merces; at certe sustentatio debeatur ministro spiritalia exercenti: per accidens que est quod is sit diues. Quamuis autem hæc ita sint, tamen ad vitandam omnem mali speciem, prius debent spiritualia gratis exerceri, quam stipendium sustentationis exigi. Quod si postea laici recusent, possunt authoritate Superiorum cogi dare eleemosynas, quæ ex consuetudine laudabili solent dari in sustentationem ministrorum: etiamsi hi aliunde habeant vnde viuant, ex cap. Ad Apostolicam, De simonia.

Sexta est. Quamuis locare operas suas in exercitationibus 119.
quæ principaliter sunt spirituales (*vt dicere Missam, audire confessiones, cōcionari verbū Dei, & alia huiusmodi,*) per se nō licet: licere tamē potest per accidens propter aliquod adiunctum. Huius regulæ prior pars nititur eodem fundamento quo præcedens tertia & 4. hoc est, quod cū accessorium sequatur naturā principalis, sicut pure spiritale locari non potest sine simonia (quandoquidem locatio, est appretiatio, & venditio quædam) ita nec mixtum ex eo principaliter, potest absque simonia absolute locari. Quæ ratio est Caiet. tum in verbo Simonia, regula quinta: tum etiam 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 2. dubium: cui consentit Sotus loco citato. Posteriorem partem vero iidem Authores & à Victoria in relect. De simonia sub finem, probant ex consuetudine Ecclesiæ, qua vinculum & obligatio seruitutis spiritualia exercendi, aliaque grauamina ad quæ minister non tenetur, pretio compensantur sine simonia: sicut compensari potest obligatio dandi mutuo, etiamsi ex mutuo lucrum accipi non possit sine vsuræ labe.

Atque ex his intelligitur, quod etsi pro labore per se comitante actū qui est principaliter spiritualis, nequeat sumi pretiū absque simonia: (cum sic sumere, perinde sit ac fuere pro spirituali, cum quo idem labor est reipsa vnum idēque) tamen pro labore accidentario, licite accipi potest stipendiū: vt pro obligatione celebrādi, certa die, aut hebdōada to-

ti, ex

ta, ex Caiet. & Soto locis cit. & patet ex cap. Significatũ De præbendis. Itemq; pro labore excubias agendi in domo defuncti recitãdo Psalterium, ex Nauarr. *in Ench r. cap.* 23. *num.* 104. *vers.* 9. Item etiam pro labore itineris, cum quis ex longinquo accersitur ad celebrandam Missam: quia tales labores extranei sunt rei spiritali, & labori quem ea per se requirit (nec enim actus celebrandi Missam caret omni labore) suntque de se pecunia æstimabiles.

Septima regula est: In iis quæ sunt principaliter corporalia (vt officium Vicarij, Sacristæ, Iudicis Ecclesiastici, Doctoris, etiam in Theologia, & alia eiusmodi quibus debentur certa stipendia) sine scrupulo locatio operarum habet locum. Hæc habetur ex Nauarro *in Enchir. cap.* 23. *num.* 101. *vers.* 10. *in fine, & ex Caiet. in memorato dub.* 2. Nititur autem eodem fundamento quo præcedentes: nempe quod mixtũ debeat iudicari secundum suum principale. Cæterum per has regulas multa pro praxi quotidiana definiri possunt, quæ Deo iuuante sigillatim persequemur in sequentibus, agendo in particulari de variis simonię speciebus seu modis.

Qvæstio III.

Qua ratione simonia committatur.

120. AD huius plenam explicationem trademus primo nonnulla generalia documenta: deinde respondebimus ad aliquot specialia dubia, quæ in ea inuoluuntur.

Primum documentum est Simoniam semper committi venditione, & emptione rei spiritualis, pro commodo temporali: seu, *quod idem est*, dato pretio pro re spirituali. Hoc patet ex definitione simoniæ tradita in quæst. 1. Ex eoque sequitur; quod cum emptio & venditio non sint sine acquisitione vnius rei pro alia; simoniam non committi nisi detur spirituale pro temporali commodo quod nondum habetur, sed tantum expectatur futurum. Vnde intelligere licet posse cum Angelo in verbo Simonia. 3 § 38. (quidquid contradicat Syluester in eo. verbo quæst. 17.) non committi simoniam ab Episcopo, qui dat alicui beneficium Ecclesiasticum, vt inducat ipsum ad soluendas pecunias quas ei iuste debet. Nam talis solutio non habet rationem pretij; cum pretium omne debeat esse indebitum; nec quisquam censeatur emere id quod sibi ex iustitia deberi certum est.

Secundum est. Non committi Simoniam, nisi spirituale pro habendo temporali, aut temporale, pro habendo spirituali, *seu in commutationem*, principaliter detur; itaut vnum alterius habendi sit principalis, executiua, ac immediata causa: si enim minus principalis & impulsiua ac remota tantum causa esset, non committetur simonia, quantumcumq; esset causa sine qua non fieret actus; iuxta sententiam communem *teste Couar. in l. b* 1 *var resolut. cap.* 20. *num.* 4. propterea quod tantum esset causa motiua non item finalis: sicut pretij causa finalis est res quę emitur. Hinc que est, quod à simonia excusatur Sacerdos qui propter Deum quidem principaliter Missam celebrat, sed ad celebrandum excitatus est expectatione eleemosynæ: quam nisi expectasset, non celebrasset. Vide tradita à Nauarr. in Enchir. *cap.* 23. *num.* 100. *vers.* 4 & 5.

121. Tertium documẽtum est Emptionem & venditionem, qua committitur simonia, duo requirere: prius est, vt pro spirituali detur aliquid temporale, quod sit æstimabile pecunia; atque tale quod obiectum auaritiæ possit esse. Namque simonia includit auaritiam seu appetitum immoderatũ lucri. Eiusmodi temporale autem, est bonum vtile, iuxta cap. Saluator. 1. quæst. tertia: ex quo D. Thomas *in cit. qu.* 100. *art.* 5. & alij communiter referunt distinctionem eiusdem boni in munus à manu, quod est pecunia, vel aliud quod manu datur; & in munus ab obsequio, quod est seruitium: & denum in munus à lingua: cuiusmodi sunt fauor, preces, laudes, doctrina; quorum nullum efficit simoniam nisi inquãtum resoluitur in temporale commodum, lucrumve quod sit auaritiæ obiectum. De illis pluribus quidem Suarez in memorato libro 4. cap. 37. 38. 39. & 40. quæ apud ipsum scindi cupidus videre poterit. Sufficientia ad praxim trademus in sequentibus.

Posterius quod requiritur est, vt temporale prædictum, detur tanquam pretium: non autem alio modo; qui potest multiplex esse licitus, vt inferius du. 2. trademus. Datur vero aliquid tanquam pretium, quando quis principaliter & immediate intendit pro re temporali. *siue in commutationem illius*, rem spiritalem obtinere. Quam intentionem aduerte non excusari à malitia simoniæ, ex eo quod quis se ab hac alienum sentiat. Nam hoc ipso, quod vult opus cuius executione committitur simonia, censetur, si non formaliter, saltem virtualiter consentire in talem malitiam. Non generale principium est; quod ad peccatum sufficiat voluntas operis habentis adiunctam malitiam, etiamsi hæc minime intendatur. Sic ergo à simonia nõ excusatur is, qui etsi spirituale emere non intendat formaliter: dat tamen temporale, principali intentione illud obtinendi. Ad quod confirmandum induci potest cap. Tua nos De simonia: sicut inducit Suarez in cod. lib. 4. cap. 36. num. 7.

Quartum documentum sumi potest ex similitudine simoniæ cum vsura; quam similitudinem inducant præcepta similia quibus prohibentur. Gratis accepistis, gratis date: quo Matth. 10. censetur prohibita simonia. Et mutuum date nihil inde sperantes: quo Luc. 6. prohibetur vsura. Itaque habere possumus pro documento, simoniam committi dando, vel accipiendo pro spiritali illud, quod si daretur, vel acciperetur pro mutuata pecunia, committeretur vsura. Ad quod diiudicandum, faciunt tradita in præcedentibus capitibus.

Dubia propositæ quæstioni annexa.

PRIMVM AVTEM DVBIVM EST, An sit simonia, largiri spiritale pro spirituali. Hoc latius tractat etiam in præcedenti cap. trigesimo Suarez. Contenti autem erimus breuiter respondere: largitionem rei pure spiritualis, cui nihil temporale annexum est, pro re itidem pure spirituali, vt orationem v. g. pro administratione Sacramenti, non esse simoniacam. Probatur: quia Simon magus eatenus commisit simoniam, quatenus voluit Dei domum pecunia possidere: & Dominus noster Matth. 10. post damnatam simoniam illis verbis, Gratis accepistis, gratis date, protinus subiunxit. Nolite possidere aurum neq; argentum &c. quod vtrumq; satis indicat pecuniam, & quidquid est ex pecunia æstimabile, esse id quo dato pro re spirituali, simonia committitur. Accedit ratio: quia in permutatione rei spiritualis cum spirituali nulla fit rebus spiritualibus iniuria. An vero idem sit dicendum de largitione rei spiritualis habentis temporale annexum, intelliget per tradenda in sequentibus. 122.

SECVNDVM DVBIVM EST, An aliquis modus sit, quo licite, & absque simonia accipi, vel dari possit temporale pro spirituali.

Ad istud respondetur, non vnum tantum sed plures esse tales modos: quibus tamen tẽporale ipsum accipitur non quidem in pretium spiritualis, sed alia de causa honesta, nec repugnante legibus. Primus est, quando accipitur, vel datur in eleemosynam, & sustentationem debitam, sic damus pauperibus vt pro nobis orent: & datur aliquid Concionatori, quo se sustentet, neque in eo proprie datur temporale pro spirituali. Nam eleemosyna (quia est impetratoria remissionis peccatorum. Daniel. cap. 4. vers. 24. immo & regni cœlorum iuxta illud quod de emptione margaritæ pretiosæ dicitur Matth. 13. vers. 46.) res est spirituali annexa cõsequenter, sicut & omne aliud opus meritorium, tanquam procedens ex supernaturali Dei gratia. Secundus modus est, quãdo datur vel accipitur aliquid in pœnam peccati: vt cum quis ita absoluitur ab aliqua censura, vt simul ei imponatur mulcta pecuniaria. Tertius est, quando datur vel accipitur, prout spirituali annexum; siue antecedenter, vt cum alicui Ecclesiæ legatur certa pecunia cum onere celebrandi aliquot Missas (*de quo Syl. in verbo Simonia quæst.* 17.) vel consequenter; vt cum datur aliquod beneficium habens certa onera annexa. Quartus est, quando datur, vel accipitur ad redimendam vexationem iniustam: ad cuius plenior̃ declarationem proponetur sequẽs tertium dubium. Quintus est quando datur vel accipitur ob consuetudinem receptam & approbatam. Pro cuius etiam intelligentia proponetur quartum sequens dubium. Sextus est quando aliquid datur vel accipitur ob gratitudinẽ exhibendã benefactoribus, seu ob remunerationẽ: *& vt vocãt, ad antid ta*: quia remuneratio 123.

debitum est tantum morale, non autem legale, nisi pactum interueniat, ex quo nascatur obligatio ciuilis, quæ onus est æstimabile pecunia. Quia igitur remuneratio de se rationem habet donationis liberalis, non autem solutionis pretij: ea simpliciter facta, non constituit simoniam. De qua re Nauarr. *in Enchirid. cap. 23. num. 106. ad 4. & Couar.* in lib. 1. variarum resolut. cap. 20. num. 4. atque Suarez late in eodem lib. 4. cap. 45.

124. TERTIVM DVBIVM EST, quatenus licitum, nec simoniacum sit dare temporale pro spirituali, ad redimendam iniustam vexationem. Ad hoc respondetur; dupliciter posse contingere, vt aliquis iniuste vexetur; vno modo dum impeditur à consecutione eius quod ei aliqua ratione debetur, vt à consecutione beneficij cuius est dignus, aut ad quod iam habet ius quæsitum, non tamen plenum; altero modo, cum spoliatur re iam habita iamque possessa; vt beneficio quod iure habet ac possidet. Prioreque modo simoniam esse, dare rem temporalem pro spirituali ad redimendam vexationem, ex cap. Matthæus & cap. Sicut tuis De simonia. Ratioque est: quia per talem redemptionem, mediante pecunia acquiritur res spiritalis, quę antea non habebatur; quod est illam emi, atq; adeo simoniam committi. Accedit quod tale quid non sit proprie redimere vexationem, sed per pecuniam facere sibi viam ad spiritale acquirendum. Et ita cum duo litigant, aut sunt duo electi, vnus non potest emere ius alterius.

Posteriore vero modo, non esse simoniam, ex cõmuni sententia teste Nauarr. in Enchir. *cap. 23. nu. 101. vers. 8.* per cap. Dilectus 1. De simonia. Ratioque est: quia per talem redemptionem non datur pecunia pro aliqua re spiritali acquirenda, quæ supponitur iam haberi: sed pro iniuria vitanda. Et ita si Episcopus decreuisset spoliare Clericum beneficio quod habet bono iure, nisi pecuniam aliquam ei det, licite ac sine labe simoniæ dare posset: quia non emeret rem spiritalem, sed solum redimeret vexationem. Quod autem potest obiici ex supra memorato c. Mathæus, damnari eum qui electus à maiori parte electorum, pecuniam dedit reliquis, ne vexarent ipsum in ea electione. Soluitur dicendo, vexationem eam non potuisse esse in illo iure, quod electus à maiori parte, acquisiuit plenum: sed tantum in confirmatione eiusdem iuris, quæ ad electionem accedere debuit. Quia de re plenius Suarez in citato lib. 4. cap. 50. nu. 3. & aliquot sequentib. Nonnulla autem hic occurrunt obseruanda pro praxi.

125. Primum est, in quo omnes consentire ibid. num. 10. idem author habet, Si proposita vexatio iusta sit, non licere eam redimere. Ratio est: quia cum quis iuste vexatur circa quodcumque ius spiritale iam habitum, eo ipso idem ius non est omnino firmum. Quo fit vt redimens talem vexationem, emat aliquid spiritale: vtpote qui per pecuniam comparat sibi firmitatem spiritalis iuris infirmi: quod est saltem ex parte emere spiritale.

126. Secundum est, Aliquando licitum, aliquando vero illicitum vexationẽ præuenire, remouendo eam pecuniam. Licitum est enim, si aperte futura sit iniusta: quia talem redimere non est emere spiritale, sed iniuriam inferendam vitare: parumque refert, vt in eodem cap. 50. num. 11. Suarez habet, quod vexatio fiat per vim priuatam, vel per Iudicis authoritatem: immo & ab ipso Iudice vel à Prælato. Quod intellige ea quæ idem disputat ibid. num. 23. & aliquot sequentibus: dummodo redemptio sistat in cessatione à praua vexandi voluntate. Nam si ordinetur vlterius ad spiritale habendum: scilicet per eam inclinata ad conferendum voluntate collatoris (siue is sit vexator, siue alius qui apud ipsum valet gratia) committetur simonia: quandoquidem redemptio tunc non esset tantum remotio impedimenti: sed etiam exhibitio pretij pro obtinendo spiritali. Et ita ex cap. Sicut tuis De simonia: dedisse pecuniam Episcopo, qui vt illam extorqueret, rite electum nolebat confirmare & instituere; simoniacum censetur esse.

127. Illicitum est vero, eãdem vexationem præuenire, quãdo ea futura est aperte iusta: vt quando cũ minus docto doctior concursurus est ad oppositionem, per quam obtinendum est beneficium Ecclesiasticum: aut cum quis impedimentum habet, vel delictũ commisit, per quod est ipso iure incapax rei de qua agitur, sicut spurius vel homicida est beneficij Ecclesiastici. Ratio autem est, quod eiusmodi vexationem redimere (*cum non sit iniuriam emouere quæ nulla sit*) sit viam sibi per pecuniam parare ad obtinendum spiritale. Idem etiam dicendum est si dubitetur iustane an iniusta futura sit vexatio: quia ratio dubitandi erit infirmitas iuris prætensi: ad quod firmandum pecuniam dare, simoniacum est; cum id sit emere illud, saltem ex parte. Aduerte tamen eum qui vexatur in iure suo infirmo: non quidem ea ex parte qua infirmum est, & iuste impugnari potest: sed ex alia qua cẽsetur firmum, posse talem vexationem tanquam iniustam redimere: prout in eod. cap. num. 12. notat Suarez. Porro de alicuius iure, firmumne sit an infirmũ ratio iudicandi est: vt videatur, num periti in hac scientia, communi consensu potiores tali deferant in tali iure: tunc enim censeri poterit ius firmum, alias vero infirmum esse, dubiumue.

Tertium est, Eum qui aliquid accipit vt cesset à vexatione: peccare quidem contra iustitiam, & teneri ad restitutionem accepti, tanquam eum qui illud per iniuriam extorserit, & cui non sit voluntarie datum: non committere tamen simoniam, nisi tali cessationi adiuncta sit cessio alicuius spiritalis iuris: pro quo pecunia censeretur, adeoque simonia committi. Itemque nisi pro eadem cessatione daretur aliquid spirituale, vt fit quando ille qui vexatur in pingui beneficio quod possidet, offert vexanti aliud tenue quod habet vltra illud: vel eum constituit vicarium suum vt desistat vexare: dat enim spirituale pro temporali commodo, quale censetur liberatio à vexatione. Ad hoc facit quod in cap Euthemium & Thomam 2. quæst. 3. illi duo tanquam simoniaci puniantur, eoquod pro deserenda accusatione sui Episcopi, sacros ordines acceperint. 128.

Quartum est, *quod Suarez attigit in fine citati capitis* 50. Ex communi quidem Ecclesię vsu & sensu; censeri illicitam redemptionem vexationis, quam in adeptione rei spiritalis exhibet is, cuius est illam cõferre, si eadem res coniunctum habeat temporale emolumentum, *prout habent beneficia Ecclesiastica*: non tamen si sit mere spiritalis; vt est administratio sacramentorum, & absolutio à censuris. Dum enim per iniuriam negatur aut per vim impeditur, nec sine magno dispendio remedium per Superiorem speratur; ille qui in ea iniuste vexatur potest talem vexationem redimere pecunia, cum id nõ sit hanc dare in pretium rei spiritalis: sed vrgente necessitate per eam remouere impedimentum obtinendi animæ subsidium, quod sibi iure debetur. Id quod perinde est de se licitum, ac soluere vsuras cum necessitas premit nec aliter haberi potest mutuum debitum ex charitate. Cupienti pleniorem, notitiam spectantium ad eiusmodi redemptionem suppeditabit idem Suarez in præced. cap. 12. 129.

Quintum est: difficultatem esse inter Doctores, *quos in vtramque partem Suarez commemorat in prius citato cap. 50. nu. 30. & 31.* an si post sufficientem titulum per collationem & confirmationem adeptum, iniuste impediatur possessio rei spiritalis, possit quis siue simonia talem vexationẽ redimere. Partem autem affirmantem idem Author merito amplectitur: quam prærer cõmemoratos ab ipso, adhuc tenent Rosella Simonia 1. §. 13. & Angelus Simonia 2. § 11. Innocentio, & Panormit. citatis. Ratio qua nititur, est: quod possessio secundum se spectata, non sit ius aliquod spirituale, sed solum quoddam factum corporale, quod censetur annexum spirituli quatenus pendet ab aliquo spiritali titulo. Vnde postquam idem titulus iam plene acquisitus est, sine ipsa rei possessione; hæc non prætenditur consequenda vt quid annexum spiritali, sed per se, & vt quid corporale immediate debitum. Ideoque simonia non est redimere vexationem, in ea taliter spectata factam: quia non est dare pecuniã pro spiritali iure, sed pro corporali facto, secundum se sumpto. 130.

Secus esset vero si eo quod ius ipsum vocaretur id dubiũ, possessio negaretur: quia tunc possessio non iam per se sola redimeretur, sed vt annexa est iuri spiritali. Addit Suarez ex Turrecremata, pari ratione non esse simoniam redimere vexationem quæ fit possidenti beneficium iusto titulo; negando ei fructus illius, via tantum facti. Secus esset autem, si via iuris: seu quia vexator reuocat in dubium, an iustus sit titulus quo ij percipiuntur. Tunc enim redimere, 131.

esset

esset pecuniam dare pro re vt est annexa spiritali. Addit etiam (aliis pro se citatis) maiori ratione eum, qui per vim aut fraudem priuatur possessione beneficij, cuius verum certumque ius habet, posse sine simonia redimere vexationem suam: quia per talem iniustam detur bationem, in nullo diminuitur, sed integrum ei manet spirituale ius ipsius: in nuda-que possessione grauatur, quam, *iuxta antedicta*, redimere simoniacum non est.

132. Si quæras, an licita sit etiam proposita redemptio cum vexatióni potest per Superiorem adhiberi remedium. Idem Suarez num. 32 in fine respondet affirmatiue quoad forum conscientiæ: quia iure canonico is recursus nusquam præscribitur, nec iure naturali necessarius est: cum talis redemptio non sit de se simoniaca, quia licet res circa quam versatur, sit annexa titulo spirituali: non redimitur tamen ea ratione qua sic annexa est, sed tantum secundum se, sumtaque seorsum ab eodem titulo. Quanquam ad scandalum vitandum, recursus ille suadendus est.

133. Postremum est, *quod Nauarg. in Enchir. cap. 23. nu. 101. versu 8. commendat traditum à Soto in lib. 9 De iust. & iure quæst. 6. artic. 1. ad 5. argumen. & plenius tractat Suarez in eod. cap. 50. à num.* 35. non esse simoniam principali intentione dare pecuniam ad redimendam vexationem Ecclesiæ iniustam: per quam ei præficiendus est indignus: etiamsi dans desideret se promoueri: prout contingere potest, si quis pecuniam, ne ad beneficium indignus eligatur aut nominetur, ipseque solus sit dignus. Ratio est, quod in eo non ematur spirituale, sed procuretur cessatio ab iniquitate, & remotio imminentis damni Ecclesiæ. Adde nec ex secundaria intentione iudicari de simonia, vt in præcedentibus docuimus.

Quia tamen doctrina hęc in se periculum habet scandali, & mali speciem; non est ea vtendum, cum ad Superiorem pro remedio recurri potest: nec vnquam committēdum, vt redimendo talem vexationem, electior seu collator per pecuniam inducatur ad eligendam determinate hanc personam, eo colore, quod sola sit digna, aut cæteris dignior. Rationem reddit Suarez num. 41. quod id non sit, intentione sistere in qualitate personæ eligēdæ (quod solum necessarium est ex rei natura, ad cauendam iniquitatem aduersus Ecclesiam) sed vlterius progredi ad ejusdem qualitatis applicationem ad talem personam: atque adeo procurare per pecuniam, vt eadem persona eligatur, siue vt digna siue vt aliis dignior: quod perinde simoniacum est ac cum plures sint æque digni, pro vno eligendo pecuniam dare: quando quidem illud non est simpliciter redimere vexationem, sed etiam collatorem rei spiritalis, per pecuniam inducere vt illam tali personæ conferat: quod est, spiritale huic procurare pro pecunia, adeoque emere. Cæterum etiamsi peccet is qui iniustæ vexationis redemtionem recipit: non peccat tamen qui eam dat, offertq; inuitus: vt nec is qui latroni offert crumenam, ne ab eo percutiatur. Vide dicta in præced. cap. 10. De petentibus mutuum sub vsuris.

134. QVARTVM DVBIVM EST. An absque simonia possit ob consuetudinem accipi temporale pro spiritali. Pro huius parte negatiua facit, quod in cap. Non satis, De simonia, præscribatur, ne aliquid exigatur, prætextu etiam consuetudinis, pro sepulturis, nec pro benedictione chrismatis vel olei: & in cap. Cum in Ecclesiæ corpore, eod. tit. aboletur consuetudo, qua pro Episcopis, Abbatibus, vel quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis, seu introducendis in sedem, aut beneficium, vel pro sepulturis aut exequiis defunctorum, vel pro benedictionibus nuptiarum, aliquod temporale accipitur. Item in cap. Iacobus, eod. tit. reprobatur consuetudo, qua quis vt recipiatur de nouo in canonicum, compellitur dare aliis prandium. Et demum in cap. Abolendę De sepulturis, reprobatur consuetudo qua pretium soluebatur pro terra sepulturæ.

Pro parte vero affirmatiua, facit quod in cap. Ad Apostolicā De simonia dicitur, laicos esse cogendos ad laudabiles consuetudines obseruandas in istiusmodi rebus, & prauas exactiones esse tollendas. Facere quoque possunt cap. Nec numerus 10. qu. 3. & cap. Cum ex officij, De præscript atque Conc. Trid. sess. 24. ca. 14. De reform. vbi aliquas iustiusmodi consuetudines agnoscit laudabiles. Respondebimus autem duabus propositionibus. Quib. præmittendum est, aliud esse loqui de temporali, quod exigitur pro spirituali, ante huius collationem: aliud vero de temporali quod exigitur, post iam datum seu administratum spirituale. Item aliud esse de temporali quod sponte offertur: & aliud de temporali, quod exigitur ex pacto, promissione, vel cōuentione aliqua.

Prior igitur propositio est: Simoniam comitti cum minister non vult spirituale conferre, nisi prius vel detur temporale, vel pactum seu promissio fiat de eo dando. Hæc probatur: quia per eiusmodi exactionem, fit quædam venditio rei spiritualis pro tēporali: quandoquidem pro illius administratione, pretium exigitur; & ita accipiendi sunt canones pro parte negatiua citati. Quanquam, vt ait Caiet. in verbo Simonia §. Ex eo autem (quod Nauar. approbat in Enchir. cap. 23. num. 106. ad 2.) temporale consuetum dari, aliquando absque labe simoniæ peti potest ante collationem rei spiritualis, ad euadendas contentiones & molestias quæ probabiliter putantur alioqui futuræ. Quod tamen reprehenditur ob speciem quam habet simoniæ, generant. m scandalum quando recusatur, vel differtur spiritualiū administratio, nisi temporale ante detur; etiāsi nō exigatur vt pretium, sed vt ex lege, vel laudabili consuetudine debitum. Quod habet præsertim locum, quando exigitur à pauperibus inuitis, vel nimium exigitur à diuitibus: immo in foro externo simonia omnino esse censebitur, iuxta cap. 20. 29. 30. & 41. De simonia: nisi id quod exigitur sit iure canonico expresse debitum: vt illud quod dandum est Episcopo pro cōsecratione Ecclesiæ, ex cap. Cum sit Romana. De simonia. Id quod attigit in Sylvest. verbo Simonia quæst. 9. dicto 5. 135

Posterior propositio est: Non esse simoniam post administratum spirituale, exigere temporale (etiam implorato officio Iudicis) quod solitum est ea de causa conferri. Hæc patet ex cit. c. Ad Apostolicam; ex quo illam probat Panor. ad cap. Abolendæ De sepulturis, num. 7. Eamque confirmant tradita à D. Thoma & Caiet. 2. 2. quæst. 100. art. 3. & à Nauarr. in Enchir. cap. 23. nu. 100. Et ratio in promptu est: quia in tali casu non accipitur temporale, vt pretium rei spiritualis, sed vt debitum ex laudabili consuetudine. Nec est quod obiicias consuetudinem nō valere contra ius diuinum; atque dare temporale pro spirituali, esse contra illud præceptum Christi Matth. 10. Gratis accepistis gratis date. [Respondetur enim facile, consuetudinem non esse aliquid pro spirituali accipiatur in pretium, *quod Christus prohibet*; sed vt detur in subsidium vitæ; cum debeant à populo sustentari illi qui spiritualia ministrant, iuxta illiud prioris ad Corint. cap. 9. Quis militat suis stipendiis vnquam, &c.] vel detur in liberale donum, vel in reuerentiam, vel in oblationem, vel alia de causa legitima, qua potuit introduci consuetudo; quæ initium & fundamentum habere debet non quidem vitiosum (vt habet quando incipit ab exactione & extorsione) sed laudabile: vt censetur habere in hac materia cum introducta est ex mera liberalitate, & deuotione populi: qui merito ex longa obseruatione dandi certum quid administranti spirituale, censetur se ad id voluisse obligare; Deum recognoscendo in ministris ipsius, & redimendo eleemosynis peccata sua. De his videri potest Suarez in eod. lib. 4. cap. 48. 136.

Ex quo illud pro praxi adde; exactionem temporalis pro spirituali cohonestari consuetudine: non quidem mutando ius diuinum, *quod fieri non potest*: sed materiam illius vestiendo circunstantiis, cum quibus desinat subesse talis iuris prohibitioni (ad cum scilicet modum qui traditus est in præced. lib. 16. num. 19.) quibus ve arbitrio prudentis iustificetur: idque tali ratione, vt non modo à malitia, sed etiam à malitiæ specie & suspicione repurgetur sufficienter; iuxta Concilii Trident. præscriptum Episcopis datum sess. 24. cap. 14. his verbis: Ingressus eos qui simoniacæ labis aut sordidę auaritiæ suspicionem habent, fieri non permittant. Tales autem circunstantiæ ex eodem authore ibidem, num. 9. 10. & 11. sunt hæ. 137.

Prima, vt quod tali exactione accipitur, reduci possit ad stipendium sustentationis quoad suam originem: siue vt ideo debitum sit, quod ab initio consuetudinis, tale onus cœperit imponi ob Clericorum Deo ministrantium indigentiā: vix enim potest alia iusta causa impositionis assignari. Talis autem causa rationabilius præsumitur in consuetudi-

ne laicorum in ordine ad Clericos, quam aliquorum Clericorum in ordine ad alios Clericos, hoc nomine, quod laici Clericos loco parentum habeant: & Clerici alij alios, loco tantum fratrum: & rationabilius sit stipendium sustentationis à filiis, quam à fratribus vltro delatum esse. Secunda circunstantia est: vt talis exactio sit facta Superioris authoritate, ac consensu in talem consuetudinẽ: quod probabiliter præsumi potest, quando consuetudo ipsa apparet rationabilis, tam ex parte obiecti ipsius, quam ex parte temporis, loci, personarum, aliorumque id genus. Tertia est, exactio non sit solita fieri, modo specialiter prohibito in iure: qualis est extorquere temporalia, negando spiritalia nisi illa, aut certe illorum cautio prius dentur. Id quod iura maxime damnant, tanquam habens speciem venditionis, cap. In tantum, & tanquam habens speciem mali cap. Audiuimus: ac tanquam prauam exactionem, cap. Ad Apostolicam, De simonia. Iudicare autem de aliqua eiusmodi consuetudine: an tanquam patiens aliquem defectum: aut scandalosa, reprobanda sit, proprium est Episcopi, cui à Concilio Trident. imponitur executio talis reprobationis.

138. Quintvm dvbivm est. An committatur simonia dando spirituale in compensationem exhibiti obsequii. Ad hoc respondendum esse affirmatiue, habetur ex cap. Cum essent De simonia, Et confirmatur: quia tale obsequium prætii rationem habet, vtpote pecunia æstimabile, & pro mercede exhiberi solitum. Hinc consequens est, simoniacum esse primo, si quis Episcopo principaliter seruiat pro habendo beneficio, quod ei conferatur tanquam stipendium, & merces sui laboris. Istud expressit Sotus *lib. 9. De iust. & iure quæst. 7. art. 3. ad 1 argumen.* inquiens illum esse simoniacum qui inseruit Prælato, aut ipsius agnatis, vel amicis, vt sacerdotium tãquam eiusdem obsequij merces sibi ab eo rependatur. Secundo, si quis episcopo stipendium sibi pro seruitio debitum remittat, vt beneficium ab ipso recipiat. Istud notat Rebuffus in praxi beneficiorum, titul. Quot modis beneficia acquirantur, nu. 5. Tertio, si Episcopus famulo beneficium conferat ea intentione, vt per id liberet se à legali obligatione faciendi ei remunerationem seu satisfactionem ministerij & obsequii sibi impensi. Istud notant Couar. *in lib. 1. var. resol. & cap. 20. num. 4.* Et à Vict. *in rel. ct. priore de simonia, num. 36.* Ipsum autem non pugnat cũ eo quod supra in fine dubij 2. diximus. Nam ibi egimus tantum de obligatione morali, & ex honestate ad remunerationem, hic vero agimus de obligatione legali, & ex iustitia. Colliges vero inde post mortem Prælati soluẽdam esse mercedem debitam Clericis, qui ei in vita famulati sunt, non obstante quod dum viueret, beneficia his contulerit.

139. Quæres, An si Episcopus asciscat aliquem in familiarem suum constituta mercede annua, donec ei beneficium conferatur, committat simoniam, Respondetur non committere, vt ab Hostiensi traditum, communiter receptum esse Nauar. in Ench. cap. 25. num 113. notat; restringendo illud hac conditione: dummodo nullum intercedat pactum de seruitio gratis impendendo post collatum beneficium. Similiter dicendum est non esse simoniam, immo esse modo licitum: quod Episcopus qui iustam mercedem tẽporalẽ suis famulis soluit: iisdem si idonei sint beneficia conferat: quia talis collatio fit simpliciter amicitiæ, non autẽ mercedis gratia: prout probe *post glossum ad cap. Cum essent. De simonia*, notant Sotus loco citato, & Rebuffus in sequenti num. sexto. Immo nec simonia esset, si quis obsequium præstaret Prælato, ad consequendam ipsius beneuolentiam, ratione cuius obtineat beneficium: omni pacto, & obligatione legali cessante: quoniam obsequium tunc non interuenit per modum pretii. Adde nec item esse simoniam, dare Episcopo munera, non quidem animo accipiendi ab eo spiritale pro tẽporali (in quo simoniã committi quoad Deum patet per expressum textũ in cap. Tua nos De simonia) sed animo cõsequendi ipsius beneuolentiã: cum fiducia tamen & expectatione consequendi beneficiũ ex tali beneuolentia. Quãquam in praxi id vitandum est, tanquam scandalosum, & quo facile sit interuenire pactum tacitum: quo simoniam coram Deo committi, constat quoque ex citat. cap. Tua nos.

Atque vtrumque istud de obsequio, & munere, expresse docet à Vict. in seq. num. 37. Tã in priore autem corũ quã in posteriore, committi potest aliud peccatum, nimirum ambitionis: quod idẽ author ibid. significat, inquiens tale quid facere, turpe esse ac nefarium. Verum id non habet locum, si quis vellet ad hoc familiaris esse Episcopo, vt ab eo agnoscatur idoneꝰ, cui de beneficio debite ac legitime prouideat. Nec enim videtur tunc locus esse reprehẽsioni. Qua ratione debet accipi quod Sotus habet loco cit. seruire Antistiti propter Ecclesiasticum Sacerdotium, non esse in vniuersum culpabile: nisi quãdo illud quodammodo reducitur ad emptionem, nimirum quando ipsum spectatur tanquam pretium obsequij.

Porro an simõia cõmittatur si spiritale detur propter obsequiũ, quod quis alicui Prælato impẽdit ad Ecclesiæ vtilitatem, ministrorum ve Ecclesiæ auxilium, late disserit Suar in eod. lib. 4. cap. 39. hæcque statuit. Primo, simoniam esse ob tale obsequium siue exhibitum siue exhibendum (siquidẽ sit temporale, vt docere grammaticam vel cantum) dare spiritale: quod satis patet ex dictis. Secundo, cum onus tẽporale annexum est rei spirituali, *vt beneficio*, licitum esse eam dare cum illo onere. Id constat ex cap. 1. & 4. De magistris, & ex Conc. Trid. sess. 5. cap. 1. & sess. 23. ca. 18. De refor. Et ratio est, quia redditus Ecclesiastici cõparati sunt nõ solum ad spiritalia ministeria: sed etiã ad temporalia Ecclesiæ necessaria: qualia sunt cantãdi in choro, fungẽdi officio sacristæ, thesaurarij &c. Tertio, obsequium spirituale iam exhibitum, non habere rationem pretii, sufficienter ad simoniam naturali iure prohibitam, nisi resoluatur in aliquid temporale: Ratio est: quia definitio simoniæ non quadrat in cõmutationem spiritalis cũ spiritali, à quo tẽporale omnino secluſum est. Quarto, quantũuis iure naturæ simoniacũ nõ sit, obligari ex pacto ad obsequiũ spiritale pro beneficio Ecclesiastico: est tamen iure canonico, iuxta cap. De hoc, De simonia: in quo statuitur simoniã esse, beneficiũ promittere pro electione ad Episcopatum. Quinto, obsequium spirituale annexum beneficio (vt celebratio Missarũ, solet esse Capellaniæ) non habere rationẽ pretii: & ideo idipsum beneficium conferre sub onere exhibẽdi talis obsequii, nõ esse simoniacũ. Hoc patet ex cap. Significatum, De præbendis. Et confirmatur, quia nullũ in eo pactum interuenit: sed res cum onere suo transit ad accipientem cã. Quod si exprimatur dari cũ tali onere, id non fit ineundo pactum, aut ad aliquid super addendũ: sed ad explicandum id quod inest rei, & ad tollendam omnem ignorantiam ac tergiuersationem. 119.

Sextvm dvbivm est. An sit simonia, si spiritale ob solas humanas preces, seu supplicationes, vel laudes, aut fauores conferatur. Ad quod Adrianus quodlib. 9. art. 2. dubio 1. Sylues. verbo Simonia quæst. 16. dicto 3. & quidam alii, *quorum Suarez meminit in sequ. cap. 40 sub initium*, simpliciter respondent affirmatiue. Sed cum Caietano in verbo Simonia, sub finem, vers. Quinto nota: Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 101. & num. 106. in fine: pluribusque aliis, *quos etiam refert ibidem Suarez. num. 2.* videtur respondendũ cum distinctione: nimirum quod vbi preces non subierint rationem pretij, sed in sua natura permanserint, nulla committatur simonia: committatur autem si eæ debeant pretium reputari: vt debent quando precibus ipsis & fauore humano, emolumentum aliquod temporale prætenditur, vel speratur: nempe si Episcopus ad preces hominis qui Regi est à consiliis, beneficium det, *siue digno siue indigno*, sperans fore quod ea de causa apud Regem negotia sua promouebuntur. In quo casu & aliis similibus simoniam committi traditum à D. Thoma 22 *quæst.* 100. *art.* 5. *ad* 3. explicat Sotus li. 9. De iust. & iure *qua. 7. art. 3. ad 3.* Ratio vero est, quam habet á Victoria *in priore pa te relectionis de simonia num. 34.* quia ad simoniam nihil interest, quod mediate (*vt fit in talibus casibus*) pretium accipiatur pro spiritali. Accedit quod tunc motiuum dandi non sint preces vt preces, sed commodum temporale quod eæ censentur habere adiunctum. 141.

Cum vero preces fuerint nudæ, nullumve incluserint pactum aut promissionem expressum vel tacitam alicuius boni, quod rationem habeat pretij: nec comminationem alicuius mali, quod tali bono æquiparetur: quo esse simoniã ob eas dare vel accipere spiritale. Probatur, quia talibus precibus aliquid obtinere non est emere; sed per gratuitam donationem accipere. Neque enim accipiens precarium, dat

pretium

pretium sicut ille qui emit. Accedit, quod in c. Tua nos, De simonia: is qui rogauit humiliter vt in Canonicum admitteretur, liberetur à scrupulo simoniacæ prauitatis; si preces ipsius fuerint sine pacto, & conditione seu conuentione.

142. Cæterum licet tunc non committatur simonia, cõmittitur tamẽ aliud peccatum; dum beneficium digno quidem datur sed principaliter ad captandam amicitiam, fauorẽ, & laudem humanam. Ratio est: tum quia in eo fit iniuria rebus sacris: tum vili eas æstimando: tum quia res sacras sic distribuere, alienum est à ratione: quia cum gratis acceptæ atque communes sint, consentaneũ est vt sine personarum acceptione distribuantur. Id tamen peccatum non est de se plusquam veniale: vt idem author num. 30. ex eo docet, quod videatur solum esse vana gloria: cuius malitia tantum est indebiti finis, & ideo de numero venialium. Indigno autem beneficium dare talibus de causis, mortale est propter iniustitiam quæ in eo committitur.

143. Septimvm dvbivm est, An sit simonia si beneficium vel aliud spirituale conferatur alicui ratione consanguinitatis. Ad quod etsi affirmatiue aliqui responderunt, quorum meminerunt Sotus *lib. 9. De iust. & iure quæst. 7. art. 3. ad 2.* & à Victor *in priore parte relect. De simonia, num. 26.* & Suarez *in libro ante citato cap. 37. num. 5.* tenendum tamen est oppositum cum D. Thom. in cit. art. 5. ad 2. vt tenent tam iidem authores ibid. quam alij plures quos refert & sequitur Couar. in lib: 1. var. resol. cap. 5. num. 4. Ratio est, quia in hoc casu nulla ratio pretij interuenit: cum dare beneficium ratione consanguinitatis non sit accipere aliquid temporale, aut de eo pacisci, aut spirituale commutare in illud; sed pro motiuo dandi beneficium habere consanguinitatem: quod non est magis simoniacum, quam ex tali motiuo facere aliquem suarum precum & satisfactionum participem. Nonnulla quæ ex iure Canonico obiici posse videntur, Suarez in seq. num. 7. soluit. Locum autem habet allata responsio, quantumcunque is consanguineus, tunc cum beneficium confertur, sit eo indignus. Nam etsi tũc aliud mortale peccatum (puta iniustitiæ, acceptionisq; personarum contra fidem Episcopalis officij) committatur: non tamen simonia: quia non accipitur pretium pro dato spirituali: vt probe loco cit. notat Sotus.

144. Vtrum vero committatur pariter peccatũ mortale acceptionis personarum, si consanguineo digno beneficium cõferatur: resoluunt Sotus ibid. & à Victio. in seq. num. 28. inquientes contra Altisiodorensem non videri peccatum esse de se plusquam veniale: quia in eo nulla iniustitia violatur, nec alia ratio peccati cernitur, quam quod, cum beneficia instituta sint vt sacra ministeria digne exerceantur: alio respectu ea dare, sit vitiosum. Quinimo, vt iidẽ authores addunt, quãdo cætera fuerint paria, *seclusa saltem scandalo*, nullum in eo peccatum committitur: quod idem tenent alij, quos Cauar. refert in memorato num 4. approbatq; Suarez in eod. cap. cap. 37. nu. 8. Probatur vero: quia ratione habere honestę amicitię, qualis est proueniẽs ex cõsanguinitate, nõ est peccatum, sicut nec est de se vituperabile. Veruntamen aduertit à Victoria in seq. nu. 29. Pontifices paratos ad dandum sine delectu beneficia cõsanguineis, mortaliter peccare; præsertim si animum gerant conferendi illis qualescumque sint: cum sic cõmuniter omittant digniores, & multos promoueant indignos, sintque magno scandalo, ac malo exemplo in Ecclesia. In quam sententiã Sotus loco cit. propos. vltima ait: Antistites qui in proposito habent, aut vniuersa, aut cuncta quæ pinguiora sunt beneficia, in consanguineos & affines profundere (*etiamsi adiunctam habeant intentionem non nisi dignis conferendi*) non habere conscientias tutas: immo vix posse à mortali culpa excusari: tum quia sic affecti, facile decipiuntur à tali affectu, vt eos pro dignis habeant, qui vere non sunt: tum quia non possunt non dare scandalũ; tum quia aliis qui digni sunt, & forte digniores, iniuriam irrogant, illisque occasionem dant, vt fauore, & præmio destituti, segniores sint ad literarum & probitatis studia exercenda. Hæc ille.

145. Octavvm dvbivm est, An simoniam cõmittat, q propter metũ, beneficiũ vel aliud spirituale confert. Ad q Adrianus quodlib. 9 art. 2. dubio vlt. & alij quos refert à Victoria in priore parte relect. de simonia num: 22. respondet affirmatiue. Sed oppositum est tenendum: vt idem à Vict. *in seq. nu. 23.* & cum eo Sotus *in eod. art. 3. ad 3.* probat. Tum quia talis collatio fit gratis; cum liberatio à metu non habeat rationem pretij, quasi pro ea in commutationem detur spiritale: sicut cum is qui dat aliquid alicui ad conciliandam sibi illius beneuolentiam, non intendit dare huius pretium: quia oporteret interuenire pactum, prout debet in cõmutatione; sed intendit vsurpare motiuum ex quo beneuolentia nata est sequi. Pari ratione nec intendit is qui dat ad remouendam maleuolentiam, ex qua alter metum ei incurrit. Tum quia orans, vel Missam celebrans, vel audiens confessionẽ ob metũ sibi incussum, non iudicatur simoniacus, vt nec is qui incussit: cum nec ille vendere, nec iste emere spirituale ideo censeatur. Tum demum quia iuste lex ferri potest, qua Episcopus beneficium conferens indigno, mulctetur pœna decem aureorum. Cuius pœnæ metu conferendo digno, nemo dixerit committere simoniam. Quare ob metum rei spiritualis collatio non est de se simoniaca.

Cæterum illicitum vel licitum esse, ob metum conferre spirituale, censendum est eadem ratione, qua ob amicitiam conferre, antedictum est. Quamuis autem in casu quo talis collatio subiret rationem pretij, resolueturve in temporale cõmodum: An simonia committatur dubitet à Victoria; merito tamen Sotus sine hæsitatione asseuerat committi. Nam conferretur spirituale ad venandum temporale, quod simoniacum est. Exemplum ponit, si rex aut aulicus ipsius, minaretur Episcopo, quod nisi beneficium tali personæ conferat, à gratia regia excidet, neque ad aliam cõscensurus sit sedem. Ponit etiam à Victoria aliud accomodatum: si Princeps daret Episcopo stipendium: & Episcopus ipse timens illud perdere, vel vt illud de nouo habeat, beneficium conferret. Secus esset vero, *vt addit Sotus*, si metus ei incuteretur amittendi vitam, aut temporalia bona quæ iam possidet, quia tunc metuens non censetur venari lucrum. Videri potest Suarez in citato cap. 37. nu. 12. pluribus agens de tali materia.

146. Nonvm dvbivm est. An simonia esse censeatur, sponsione deponere spirituale contra temporale. Ad quod respondetur affirmatiue: quia talis sponsio, est contractus non gratuitus. Exemplum est, si quis certum aureis cum Episcopo certet, quod non dabit suo filio aliquod beneficium. De qua re Nauar. in Enchir. cap. 23. nu. 105.

147. Decimvm dvbivm est. Vtrum simoniam cõmittat qui alteri mutuo dat pecuniam ea lege vt Ecclesiasticum beneficium sibi conferat. Ad quod ex Nauar. in comment. De vsuris num. 17. respondendum est affirmatiue: quia in tali casu spiritale venditur, cum mutuo dans accipiat illud tanquam pretium mutuationis ideoq; committat vsuram eamque simoniacã, seu coniunctã cum simonia; prout idem ibid. docet: itemque Sotus *in lib. 6. De iust. & iure quæst. 1. art. 2. circa principium.* Qui & recte notant, quod res consecratæ dicantur inæstimabiles, non esse quod per consecrationem amittunt rationem pretij, quam habent suapte natura: sed quod ius eas ab hominum commercio remoueat; atque gratis dari constituat, quæ sunt gratis acceptæ; spiritualia enim, *inquit Sotus*, non sunt propria eorum à quibus conferuntur, sed sunt à Deo commissa eis gratis, vt tanquam bona ipsius, gratis dispensent.

148. Vndecimvm dvbivm est. An transactio super re spiritali fieri possit absque simonia. Huius explicationem erudite persequitur Suarez in opere de virtute relig. tract. 3. lib. 4. cap. 51. Eam ad nostrum institutum accomodate, cõplectemur breuiter aliquot documentis: quibus præmittẽdum est, ad transactionem tria requiri. Primum, vt res super quam transigitur sit dubia, saltem probabili existimatione vtriusque partis: alias enim iniuria fieret parti clare habenti ius potius: quæ non componere transigendo, sed vexationem redimere censeretur. Secundum est, vt conuentio sit cum aliquo onere vtriusque partis, alioqui donatio esset, non transactio. Tertium est, vt sit in ordine ad litem componendam vel dirimendam: siue lis ipsa intentata iam sit, siue tantum sit controuersia mota, & intentari possit lis, iuxta legem Eleganter, §. Si quis post ff. De condict. indebiti.

Primum autem documentum est: Malam & simoniacam esse transactionem in qua spirituale pro aliquo temporali

re ritur vel retinetur. Hoc certum esse communiterque omnibus expressit num. 6. Suarez. Patet vero ex cap. Præterea primo & secundo, De transactionib. ex c. Cum pridem, De pactis ex c. 2. De arbitris: & ex c. fi. De rerum permutatione. Ratioque confirmat: quia si transactio fiat remittendo spirituale pro temporali, venditur spirituale ab eo qui illud remittit: sin fiat retinendo firmandoque spirituale dato temporali, emitur ipsum spirituale: periculo ac in redemptione vexationis contingere, dictum est in præced. dubio tertio. Hinc ex citato cap. Præterea secundo, si iurisdictio spiritalis vocetur in litem, non licet transigere dando pecuniam. Item ex cap. Constitutus, De transactionibus: si beneficium sit litigiosum non licet componere litem: vel dando pecuniam actori, vt desistat: vel recipiendo ab eo pecuniam vt beneficium ei relinquatur. Item ex cap. Præterea 1. eod tit. si de iure præsentandi quæstio sit suborta, non licet transigere data ab vno pecunia, vt alter desistat, illique cedat.

149. Secundum documentum est. In materia spiritali extra beneficialem, transactionem cum compensatione rei spiritalis, per largitionem alterius rei spiritalis eiusdem ordinis, ac proportionatæ, non esse simoniacam. Hoc ex Panormit. & aliis Canonistis ad c. Super eo De transactionibus habet loco cit. nu. 8. Suarez. Patet vero ex eo, quod nec permutatio in tali materia sit simoniaca: non quidem iure diuino, secundū quod, ad simoniæ malitiam requiritur, vt pecunia, aut æstimatum pecunia detur pro spiritali, iuxta illud Actorum 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei æxistimasti pecunia possideri.] Nec itē iure canonico: vt citatis in eam sententiam aliquot Canonistis Suarez in præced. cap. 51. num. 10. ex eo probat; quæ talis permutatio non inuenitur in eo iure reprobata, tanquam damnabilis. Nec obstat quod in eodem iure simpliciter & absolute improbetur omnis pactio in spiritalibus, vt patet ex cap. Quam pio 1. qu. 2. ex cap. vlt. De pactis ex cap. Præterea 2. ex cap. Super eo, De transactionibus ex cap. vlt. De rerum permutatione, & ex cap. Tua nos De simonia. Nam intelligendi sunt ij canones & alij similes de pactione inhonesta (*ex glossa ad citatum cap. Quam pio, ad verbum Pactio*) id est, de pactiōe in qua turpiter temporale datur pro spiritali in huius iniuriam. Id enim reprehenditur ob iniuriam quæ eidem spirituali fit, illi æquiparādo tēporale, quo longe dignius est.

Et certe improbantes pacta in quibus datur aliquid pro spiritalibus obtinendis: satis insinuant illud esse aliquid distinctum à spiritalibus: atq; adeo esse temporale: de quo expressi fit mentio in cap. vltimo De rerum permut. illis verbis: Cum permutatio de spiritalibus ad temporalia improbetur.] Ad quæ verba glossa notat, non posse quidem commutari spirituale cum temporali, posse tamen cum alio spirituali. Id quod intelligendum est cōgruenter sequentibus documentis. Si queras, An Episcopalis authoritas ad talē transactionem sit necessaria? Respondet Suarez in citato cap. 51. nu. 10 non esse quidem ad simoniæ labem vitandam: esse tamen alia de causa: vt quia res quæ datur in compensationem, talis est quæ authoritate Episcopali debeat conferri: aut quia talis compensatio est cum alienatione aliquorum bonorum Ecclesiasticorum, requirente Episcopalem authoritatem:

150. Tertium documentū est. Transactionem non esse quidem simoniacam, in qua spirituale, pro alio eiusdem ordinis remittitur aut retinetur (vt argumento est, quod in cap. Ad quæstiones De rerum permutatione, approbetur permutatio pure facta vnius Ecclesiæ pro alia) non carere tamen ea labe, si spiritale alterius ordinis remittatur aut retineatur. Hoc confirmatur: quia committi simoniam quando annexum spiritali pro pure spirituali, vt beneficium Ecclesiasticum pro suffragio electionis ad Episcopatum, habetur ex cap. De hoc, tit. De simonia. Item quia dum annexum spirituali datur pro pure spirituali, per temporale quod in illo includitur, istud emitur: quod simoniacum est: vt patet ex definitione simoniæ. Præterea dando annexum spirituali antecedenter, pro annexo spirituali consequenter, vt calicem aureum consecratum pro beneficio Ecclesiastico, simoniam committi manifestum est: quia vere datur temporale pro spirituali, cum de annexo seu mixto aliis, æstimandum sit secundum illud quod in eo est principale: tale autē in annexo spirituali antecedenter, est temporale: in annexo vero spirituali consequenter est spirituale. Quando igitur illud pro hoc datur, merito temporale pro spirituali dari censetur: atque adeo simonia committi.

Quartum documentum est. In transactione aut permutatione spiritalium eiusdem ordinis, cum nō fuerint proportionata, non cōmitti simoniam, defectū vnius compensando per pecuniam, si ea fuerint annexa spiritalibus antecedenter, & excessus alterius sit ex parte temporalis: vt si transigatur de duobus calicibus consecratis, quorum vnus maioris sit pretij quā alter: huius enim defectus potest in transactione per pecuniam sine simonia compensari; quia tantū emetur temporale, quod vendi potest non obstante quod sit annexum spiritali: quia non est sic annexum vt pendeat ab eo, quod ipsi (*tanquam principali*) est solummodo accessorium: cui congruit naturam principalis sequi, non contra: ex regula 42. iuris in 6. Quod si excessus sit ex parte spiritalis, cōpensatio p pecuniam erit simoniaca; quia temporale dabitur pro spirituali: vt si Rosarium magni pretij habens modicas indulgētias, detur pro alio parui pretij, habente magnas indulgētias: Idem iudicandū est si ea de quibus trāsigitur sint annexa spiritalibus consequenter: quia cum principale in illis sit spirituale, pecunia pro temporali quod ei accessorium est, dari non potest, quin detur etiam pro ipsomet spirituali, cuius naturam sequitur; iuxta memoratam regulā 42. 151.

Quintum documētum est. In materia beneficiali transactionem non est quidem simoniacam iure naturali, *vt nec permutationem*; esse tamē iure Canonico, nisi fiat authoritate Prælati. Huius prior pars ex eo patet: quod beneficium principaliter sit spirituale, sicut cætera quæ dicuntur spiritalibus annexa consequenter, & ideo beneficium pro beneficio dare, sit spirituale pro spirituali dare, quod non est simoniacum iure naturali. De posteriori parte autem late disserens Suarez *in eodem cap. 51. à num. 11.* fundamentum illius in eo cōstituit, quod talis transactio sit prohibita iure canonico, argumento ca. Constitutus, De transactionibus: vbi transactio, qua hinc inde fide præstita, sopita est cōtrouersia quæ super quadā capella emerserat, dicitur habuisse speciem simoniæ: itemque argumento cap. Statuimus, eodē titulo, in quo assensus Episcopi vel Archiepiscopi requiritur ad debitam transactionem super decimas. Quod maiore ratione censendum est requiri ad transactionem super beneficia.

Post remvm dvbivm est, An in hoc & similibus committatur simonia. Aliquis est apud infideles captiuus cum quo Christianus paciscitur, se illum pecunia redempturum, si redemptus baptizetur. Respondetur, tunc non esse simoniam, nec aliud peccatum: sicut nec si quis paciscatur cum muliere infideli, se accepturum illam in vxorem, si baptismum suscipiat. Nam in talibus non datur, vel accipitur temporale tanquam pretium sacramēti: sed datur ad alium alliciendum, & incitandum ad id, quod ipse iure diuino præstare obligat; quodquidem licitum est: sicut & quod parentes promittunt filiis vestem nouam, aut aliud munus, si Missam diebus festis audiant, aut concionem adeant: itemque quod magistri inuitant discipulos præmiis temporalibus, vt bene viuant & à peccatis abstineant. Nam talia (vt recte notatum est à Nauar. *in comment. De datis & promissis notab. 32. num. 47. circa medium*) non dantur in pretium vel in finem principalem talium sanctarum actionum, sed in calcar siue incitamentum ad earum executionem. 152.

Qvæstio. IV.

Quotuplex sit simonia.

Mvltipliciter diuiditur simonia: ac primo ex parte modi, in mentalē tantum, conuentionalē, & realē. Quam diuisionem tradūt Nauar. in Enchir. *cap. 23. nu. 102.* & Sotus lib. nono De iust. & iure, *quæst. 8 art. 1.* de illiusque sufficiētia Suarez differit late in memorato libro quarto cap. 41. 42. & 43. Porro simonia mentalis dicitur, quādo aliquid tēporale pro spirituali datur vel accipitur: siue externo pacto quidem, siue expresso siue tacito: cum animo tamen dandi vel accipiendi temporale pro spirituali: prout contingit cum nulla intercedit inductio mutua ad consensum vēdendi vel emēdi spiritale: tantumque datur temporale ex vna parte, & 153.

spiritale

spirituale traditur ex altera: ostendēdo exterius animum gratuitum: sed interius prauus est animus conformandi se alteri, qui scitur vel diuinatur habere animum vendendi: seu intendere vt spirituale quod ab ipso expectatur, sibi compensetur, pro eoque fiat satisfactio. Qua de re pluribus Suarez in seq. cap. 44. Conuentionalis vero simonia dicitur, quando temporale pro spirituali dari vel accipi conuentum est per pactum siue expressum siue tacitum, quod nondum sit executioni mandatum. Ex qua conditione constituitur triplex: vt vna sit, quando præcessit quidem conuentio, & promissio, sed nondum est datum aliquid vel acceptum: altera, quādo iam est datum vel acceptum spirituale, nondum autem tēporale: tertia, quando contra, iam datum vel acceptum est temporale, non autem spirituale. Dixi. *siue etiam tacitum*: quia vt habet Caiet in verbo Simonia sub initium cap. 2. nihil refert in hac re vtrum partes disceptando, an primo verbo cōueniant: an item, sciendo mutuū affectum, detur vel accipiatur pretium. Realis autem simonia, dicitur, quando vltra conuentionem aut pactum, siue expressum siue tacitum tam spirituale quam temporale datum est, & acceptum.

154. Diuiditur secundo simonia, ex parte iuris quo prohibetur: quod alia iure diuino, & alia iure tantum Canonico prohibita sit. Illa dicitur prohibita, quia simonia, seu quia facit sua natura contractum simoniacum: & hæc simonia, quia prohibita: seu quia non ex se: sed tantum ex eo, quod ab Ecclesia prohibeatur, facit cōtractum simoniacum. Quæ diuisio sumpta est ex glossa *ad c. Ex parte 1. De officio delegati, verbo Dimittere.* Circa quam dubitatur, An detur aliqua simonia iure tantum Canonico prohibita, & per consequens an bona sit hęc diuisio. De qua re Durandus in 4. distinct. 25. quæst. 5. art. 2. asserit in rigore nullam esse simoniam, quæ solo iure humano sit prohibita. Præcipuum autem fundamentum ipsius est; quod ius humanum non mutet naturas rerum: vnde cum simoniæ natura sit, vt in re spirituali committatur; omnisque sic commissa, prohibeatur iure diuino, nulla sane potest esse prohibita solo iure humano. Eandem opinionem (licet fundamentū quo nititur soluat) probabiliorem esse contraria, putat Palud. eadem *distin. qu. 4. art. 2.*

Dari simoniam positiuam, & quibus modis.

SEd aliter sentiendum esse videtur, sicut & senserunt plures quos refert & sequitur à Victoria *in priore parte relect. de simonia numer. 12.* quibus accedit Sotus *in 9. D. iust. & iure quæst. 5. art. 2.* & nouissime Suarez in præced. cap. 7. nempe, quod licet omnis quę propriè simonia est, sit contra ius diuinum: qualis censetur omnis in qua spirituale venditur etiam si ipsum, quod spiritale sit habeat tantum à iure Ecclesiastico (*vt habent multares, velut vasa sacra & vestes sacræ, quibus spirituales esse*, conuenit tantum per benedictionem, & consecrationem ab Ecclesia factam) nihilominus nonnullæ res dantur, quæ quamuis nihil spiritalitatis habeant, tamen ob Ecclesię prohibitionem circa eas factam intuitu religionis; seu ob reuerentiam debitam rebus sacris, perinde vendi nequeant, ac si spiritales essent.

155. Atque tales sunt in quibus vendendis committi censetur simonia iuris positiui: de cuius ratione cum sit, vt per Ecclesię prohibitionem factam intuitu religionis, proportionem aliquam habeat cum simonia iuris naturalis: hæc autem requirat tum rem spiritalem tanquam materiam, tum rem temporalem tanquam pretium, tum etiam venditionem tāquam sacrilegam actionem: fit vt tribus modis ea possit cōtingere, prout secundum vnumquodque eorum trium, dicta proportio seruari potest. Primus modus igitur est, quo aliquid, etiamsi nō sit sacrum, tamen ab Ecclesia prohibetur intuitu religionis, idque ad maiorem rerum sacrarum immunitatem à labe simoniæ iuris naturalis. Talis modi exempla sumi possunt ex cap. Saluator 1. quæst. 3. vbi ob simoniā vendi prohibentur multa officia, quæ ordinari videntur potius ad administrationem temporalium, quam spiritualium. Namque prohibetur ibi per pecuniam fieri: procuratorem rerum Ecclesiasticarum: procurator autem intelligitur (vt textus declarat) quilibet administrator & propositus seu œconomus, qui præest rebus Canonicorum: itemque vicedominus, qui præest rebus Episcopi. Prohibentur etiam vēdi alia officia (prout videre est apud Sylu. in verbo Simonia qu. 13. dicto 7.) in quibus nulla quidem inest spiritualis, sed ob eorum concomitantiam, annexionemve certam cum spiritalibus (quod notat à Victoria in sequenti num. 16.) vēdi prohibita sunt iure positiuo. Quia vero non sunt prohibita iure diuino, nulla in eis simonia alia committitur, quam pure positiua. Hæcque causa est, cur talem simoniam Papa, *cum sit supra ius omne E. clesiasticum*, nullummodo committat, vendens officia illius generis, quę ad nullum munus spirituale exequendum instituuntur. Atque hic vnus est simoniæ positiuæ modus tenens se ex parte materiæ.

Alter modus, *tenens se ex parte pretij*; est cum quid etiamsi non sit vere pretium, perinde tamen prohibetur recipi pro spiritali, acsi pretium esset illius. Hoc modo simoniam positiuam committunt examinantes ad beneficia, quia occasione talis exanimis aliquid accipiunt, ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 18. De reform. cuius verba sunt: Caueant ne quidquam prorsus occasione huius examinis, nec ante nec post accipiant: alioqui simoniæ vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, &c.]

Tertius modus tenet se ex parte venditionis, quando non est quidem vera venditio: nihilominus tamen prohiberetur intuitu religionis, ad maiorem immunitatem rerum sacrarum à labe simoniæ. Hoc modo permutatio beneficiorum Ecclesiasticorum sine authoritate Superioris simoniaca est, ex cap. Quæsitum, De rerum permutatione (*prout notat. Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 100. illatione tertia*) quantumuis in ea non detur temporale pro spirituali, sicut requiri ad simoniam iure naturali prohibitam, certum est ex illius definitione. Quod idem iudicandum est de simonia, quæ committitur in acquisitione beneficii, pacisendo de pensione non solita solui, ex cap. Cum Clerici, De pactis.

Ad fundamentum autem Durandi respondendum est cū 156.
Francisco à Victoria loco citato num. 17. sub finem: quod etsi Ecclesia per suam legem non possit facere id physice spiritale, quod spiritale non est, possit tamen facere moraliter: vel annectendo illud spirituali, vel subiiciendo illud iisdem legibus quibus spiritale subiicitur: & ideo ad instar spiritalium vendi nequeant. Quodquidem sufficere potest ad simoniam pure positiuam: quæ non dicitur ex eo simonia, quod definitio in quæst. 1. tradita, ei conueniat, sed quod simoniæ speciem quandam habeat: tanquam ideo prohibita ab Ecclesia, quod contingens in aliquo, quod est antecedens aut consequens ad aliquid spiritale, occasionem & periculum contineat simoniæ: vel certe tanquam condemnata ac punita ad instar simoniæ: quemadmodum in Bulla Clementis octaui publicata Romæ secundo Iulii anno Domini 1594. tanquam simoniæ rei puniuntur regulares vtriuslibet sexus: qui peccant, non quidem vendendo spirituale, sed transgrediendo præceptum quo prohibētur mittere aut dare munera cuius personæ laicæ vel Ecclesiasticæ, cuiuscumque status, vel conditionis, quacumque ex causa: iam ex fructibus & prouentibus aliisque bonis, quæ communiter administrantur & fationi reddendæ sunt obnoxia, quam ex pecuniis, quæ á singulis quoquo modo à quouis attributæ, & vt ad libitum de iis disponant per superiorem concessæ fuerint.

Tertio diuiditur simonia ex diuersa ratiōe qua committitur: quod alia sit quæ committitur per expressam traditionem rei tēporalis pro spiritali, aut spiritalis pro spirituali contra Ecclesiæ prohibitionem: alia vero quæ per confidentiam seu certam spem recipiendi pro spirituali temporale, vel etetiam spirituale contra Ecclesiæ prohibitionem: & hęc confidentialis simonia dicitur, circa quam nonnulla notanda sunt pro praxi.

Notanda de simonia confidentiali.

PRimum est, eam potissimum contingere in Ecclesiastico 157.
beneficio resignando, vel conferendo, aut in Clerico eligendo vel præsentando ad tale beneficium. Atque in resignando contingere, cum quis beneficium in manibus collatoris resignat, confidens ac sperans à resignatario, in cuius gratiam illud resignat, dimittitque, elapso aliquo tempore id ipsum se denuo recepturum per renunciationem, quam resignatarius faciet in fauorem ipsius, vel consanguinei, vel amici vel alterius cuiuscumque, quem designare voluerit, aut certe se recepturum omnes beneficii fructus vel

partem

partem illorum, vel pensionem ex iisdem fructibus, vel aliquod aliud commodum ex alio beneficio, vel aliunde ex quibuscumque rebus resignatarii. Contingere vero in conferendo, quando is qui confert beneficium, sperat se recepturum commodum ex ipso beneficio collato, vel aliunde. Contingere denique in eligendo vel præsentando Clericum ad beneficium quando eligens vel præsentans sperat idem quod antedicti:

Secundum est, confidentiam in beneficio aliquando fieri cum pacto expresso vel tacito; aliquando vero sine vllo prorsus pacto, sed solo animo concepta spe, quod is cui beneficium confertur, post aliquod tempus illud resignabit in fauorem resignantis, vel conferentis vel præsentantis, aut quod reddet fructus illius vel partem, vel pensionem iisdem fructibus.

158. Tertium est, confidentiam in beneficio simoniacã esse iure tum naturali, tum positiuo Naturali, quidem, cum in alicuius fauorem beneficium resignatur, aut confertur alicui cum spe recipiendi aliquid ab eo, tanquam pretium beneficii resignati vel collati; tunc enim vere adest voluntas vẽdendi spiritale, contraria rectæ rationi, expressoque Christi præcepto. Iure positiuo autem Ecclesiastico, cum resignans, vel conferens aut præsentans non intendit accipere resignationis, vel collationis aut præsentationis pretium: sed solum pascitur de commodo aliquo, sibi pro resignatione vel collatione, aut præsentatione reddendo. Id enim aduersatur decreto Ecclesiæ in cap. Pactiones, De pactis, & in cap. Quæsitum, De rerum permutatione, & in Clemen. vnica De supplenda Prælatorum negligentia. §. Eadem quoque authoritate, & in Concil. Trident. sess. 25. cap. 7. De reform. vbi in margine alii canones citantur. Porro sola intentione mentis concepta, nec in pactum deducta spes commodi accipiendi, ex beneficii resignatione, vel collatione, vel præsentatione, nullo iure prohibetur, vt videre est apud Nauar. *in Enchir. cap. 35. num. 109.*

159. Qui insequenti num 110. proponit & explicat Bullam à Pio V. editam: in qua, secutus aliam Pii V. damnat & punit *(idque pœnis grauioribus quam puniantur cætera simoniæ species, vt recte ibidem Nauar. declarat)* beneficiorum resignationes, collationes, & præsentationes in confidentiam factas eo modo, quo propositum est in primo notabili: non tamen omnes, sed eas duntaxat quæ fiunt spe commodi resignanti, vel conferenti, vel præsentanti, prouenturi ex ipso beneficio resignato, seu dimisso aut collato. Ex qua restrictione colliges non pertinere ad simoniam in ea Bulla damnatam *(licet pertineat ad damnatam iure communi)* si quis resignet beneficiũ suum in fauorem Titii, vt Titius ipse vicissim in fauorem illius resignet aliud beneficium quod habet: vel renuntiet pensioni quam habet. Quod idem dicendum est si quis renunciet beneficio cum cõfidentia in pactum deducta, quod ei dentur ducenti nummi aurei loco fructuum quos idipsũ beneficium redditurum est duobus annis, quantumuis id sit simonia iure naturali prohibita.

Colligi potest etiam ex eadem restrictione: cum quis beneficium suum alicui ideo resignat, quod promittat se de victu ei prouisurum, esse quidem simoniam confidentialem iure naturali damnatam, non tamen damnatam in dicta Bulla, nisi promissio fuerit conferendi ei victum ex fructibus beneficii resignati, non ex aliis bonis. De aliis ad eamdem rem pertinentibus videri debet Nauarrus loco cit. vbi satis perspicue ea proponit. Subtilius tractata qui optauerit, ei satisfacere poterit Suarez. in tract. 3. De virtute religionis lib. 4. cap. 43.

160. Quarto diuiditur simonia ex parte temporalis commodi quod datur, vel accipitur pro re spiritali, quod alia sit qua datur vel accipitur munus à manu, id est pecunia, vel res æstimabilis pecunia: alio vero qua munus à lingua, id est, fauor aliquis humanus: qui vt plurimum captatur verbis per laudes vel preces. Et demum alia, qua datur vel accipitur munus ab obsequio. id est seruitium temporale: de quibus sufficienter dictum est in præced. quæst. 3.

Quinto & postremo diuiditur simonia ex parte materiæ, seu rei in qua committitur: quod alia sit quæ committitur in re essentialiter spirituali, alia quæ in re spiritali causaliter, alia quæ in re spiritali effectiue, alia quæ in re antecedenter annexa spirituali, comitanter, alia demum quæ in re annexa spirituali consequenter: de quibus sigillatim dicetur in sequentibus à cap. 13.

QVÆSTIO V.

Quale peccatum sit simonia.

COmmunis consensus est, simoniam de se peccatum esse mortale: quod & exprimitur in c. Qui studet 1. quæst. 1. vbi ad exaggerandam illius grauitatem hæresis vocatur, vt & alias in iure canonico, prout in præced. nu. 109. attigimus Quæ quidẽ grauitas patefit abunde per illud D. Petri dictũ Simoni Magõ Act. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem. Et paulo post: In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis, video te esse. Atque per illud, quod idẽ Apostolus in 2. canonica cap. 2. vrget tali peccato contaminatos, sequi viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit, & correptorem habuit suæ vesaniæ subiugale mutum animal, hominis voce loquens, ex cap. 22. Numerorum. Accedit quod Diuus Iudas in sua canonica iisdem pronuntiet vę, quo satis indicat miserum esse hominis simoniaci statum: quem vtcumque adumbrat tum lepra qua percussus est Giezi cũ suis posteris, ex 4. Regum cap. 5. in fine: tum etiam desperatio Iudę proditoris: qui vendito Christo se laqueo suspendit, ac suspensus crepuit medius. Legẽdus est supra memoratus Canon Qui studet, cum aliis plurimis in eadem causa, & in tit. De simonia: quibus docemur abunde quam sit nefandum simoniæ crimen. 161.

Certe (vt breuitatis studio taceam cæteros) in Can. Eos, eadem quæst. dicitur tolerabilior impia hæresis Macedonii, & sectatorum ipsius, quam simonia: quia illi Spiritum sanctum esse seruum Dei Patris & Filii delirando fatentur. Simonicaci vero eundem efficiunt seruum suum, pro illius donis accipiendo pretium: cum id sit attribuere sibi dominium, eorumdem (& consequenter illius cuius solius dona sunt) quandoquidem is qui vendit, vult in alium trãsferre, & qui emit, vult sibi acquirere dominium rei de qua transigitur. Item in cap. Sicut 1. De simonia, Simoniacapestis dicitur sui magnitudine alios morbos vincere.

Patet adhuc ex illius modi criminis grauitas ex eo, quod habeat primo rationem auaritiæ per inordinatam habendi cupiditatem, quæ radix est omnium malorum, ex prioria Timoth. cap. 6. Deinde rationem iniustitiæ: per quam is, qui dominus non est, sed tantum dispensator (iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei) vendit rem domini sui contra voluntatem ipsius. Dixit enim Christus, rerum spiritualium Dominus, Math. 10. Gratis accepistis, gratis date. Iistudque voluit esse ostiũ, per quod intrandum est in ouile ouilum: itaut intrãtes aliunde, sint fures, & latrones, ac tanquã lupi veniant, vt mactent & perdant gregẽ. Tertio rationem habet peccati grauis contra charitatem: quandoquidem per eam non tantum vnus aut alter, sed tota respublica, immo vniuersum regnum grauatur: vt in cap. Fertur 1. quæst. 1. habetur ex D. Gregorio, qui lib. 7. epist. 114. eo argumento excitauit Theodoricum & Theobertum Francorum reges ad eliminandum tam nefarium scelus ab ipsorum regno, vbi iam tunc vigebat. 162.

Certe quam sit toti Ecclesiæ pernicioſa simonia indicat abunde antea relatum ex cap. Sicut 1. De simonia: quod simoniaca pestis sua magnitudine omnes alios morbos vincat adeout statim ac illius signa apparuerint in persona, ab Ecclesia Dei ea eliminari repellique debeat. Id quod locũ habere, præsertim quando simonia in ordine, aut in beneficio Ecclesiastico committitur, satis indicauit Paulus secundus in 2. Extrauag. communi De simonia: cum in virtute obedientiæ omnibus & singulis districte iniungit reuelare per se vel per alios, quam cito potuerint, Summo Pontifici, vel cui idem Pontifex censuerit committendum, illos quos cognouerint talẽ simoniam (in ordine, inquam, vel beneficio) commisisse, aut vt committeretur procurasse, vel mediatores fuisse: sique non fecerint, absolui nequeant donec reuelarint.

Quod tamen præceptum, quia non fuit vsu receptum, longa desuetudine abrogatum non obligat, vt ex Sylu.

D. An-

D. Anton. & Caiet. notat Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 106. quantumuis ipsum sit iustissimum: siquidem ipsa simoniaca pestis perniciosa est, non tantum iis qui illa inficiuntur, sed etiam toti Ecclesiæ, iuxta illud in cap. Turbatur, 1. quæst. 4. Turbatur nauicula Petri, in qua erat Iudas; quia qui suis meritis erat firmus, turbatus est alienis. Et ratio cõfirmat quia: per simoniam Spiritussanctus Ecclesiam viuificans, quasi opprimitur, dum illius dona pretio subiiciuntur. Cuius tam pernicioſi effectus argumentum est, quod simoniæ peste laborantes, tanquam suffocato viuifico spiritu, difficillime á sua nequitia resipiscant, minusq; quam Simõ Magus qui territus est comminatione D. Petri, aut quam Iudas, qui pretium sanguinis Christi restituit: disponi videantur ad pœnitentiam, cum minas diuini iudicii sperant ac irrideant: pauciſſimiq; sint, qui sacrilege accepta restituere velint.

163. Postremo simonia rationem habet sacrilegæ irreligiositatis per irreuerentiam & iniuriam maximam quæ rebus sacris irrogatur, dum ita vilipenduntur, vt cum sint inæstimabiles, soloque supernaturali dono aduenient hominibus, pretio subiiciantur: quod est directe contra earum naturam, & dignitatem: ac specialis earum iniuria. Ex qua factum est, vt istiusmodi scelus, particulare nomen acceperit: cum cæteræ iniuriæ rebus sacris illatæ, appellentur communi sacrilegii nomine. Immo, quod peius est, ipsæ res sacræ dæmoni impie subiiciuntur, per eam idololatriam de qua ad Ephes. 5. Auarus quod est idolorum seruitus.]

Accedit quod simonia cum peruersitate voluntatis coniunctam habeat peruersitatem intellectus, hoc est, errorem quo simoniacus peruerse iudicat rem spiritualem esse minoris aut æqualis, non autem maioris momenti, quam temporalem. Qui error si sit cum pertinacia persuasionis quod veritas ita habeat, hæresis erit (de qua re Alphon. à Castro De hæresib. verbo Simonia) cum Simon magus ea ratione fuerit hæreticus, vt constat ex illis verbis. D. Petri Act. 8. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri. Adhuc patere potest eadem grauitas peccati simonię (vt omittam grauitatem pœnarum quibus punitur, proponendarum in sequenti cap.) ex eo, quod fit contra omne ius:

Contra naturale quidem, quia tam contra naturam est, rebus spiritualibus ad spiritualem generationem institutis, abuti in impedimentum eiusdem generationis, quam abuti facultate generandi in impedimentum carnalis generationis. Atque adeo cum spiritualis generatio longe præstet carnali, simonia impeditiua spiritalis generationis, censenda est deterior nefando carnis peccato, contra naturam impeditiuo carnalis generationis. Contra præceptum vero diuinum seu reuelatione diuina constitutum, tale peccatũ esse, patet ex sacræ Scripturę locis initio huius quæstionis citatis. Contra humanum denique esse patet per sacros Canones qui habentur in decreto Gratiani tota causa prima: & in cæteris iuris Canonici partibus titulo De simonia. Illum quo Gratianus claudit suam illam primam causam retulisse, non erit absre: aperit enim quam graue sit tale scelus ac quam pernitiosum, & ideo ab Ecclesia omni conatu eliminandum. Patet (inquit in eo canone Paschalis Papa) simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos, ab omnibus fidelibus respuendos, & si commoniti non resipuerint, ab exteris potestatibus opprimendos, omnia enim crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur. Quod idem repetitur in cap. Per tuas, De simonia. §. Hæc omnia.

Dubitatio propositæ quæstioni annexa, An simonia semper sit peccatum mortale.

Tria sunt ex quibus potest excusatio esse à mortali: inuincibilis nimirum ignorantia, paruitas materiæ, & ne-
156. cessitas.

Ac quod attinet ad inuincibilem ignorantiam, certum est eam excusare, cum tollat voluntarium, sine quo non est peccatum. De vincibili vero distinguendum est. Nam si fuerit iuris, vt quando quis ignorat simoniam esse peccatũ: non excusat. Tali enim laborat Symon magus existimans donum Dei pecunia possideri: qui tamen (*cum contrarium satis de se constaret*) non est excusatus ab ipso simonię peccato. Sin fuerit ignorantia facti: vt cum quis ignorat contractum quem init simoniacum esse, siue sciret minime iniret, excusatur à simonia saltẽ mortali: nisi negligentia in eodem facto expendendo talis interuenerit, vt censeatur merito plusquam venialis. Ratio est: quia taliter contrahens non habet, aut saltem non plene habet voluntatem emendi vel vendendi spirituale, quæ requiritur ad plenam, adeoque mortalem simoniæ rationem.

Quod attinet ad materiæ paruitatem, habetur ex cap. Etsi quæstiones De simonia §. finali, quod paruitas rei temporalis, quæ datur vel accipitur pro spirituali, excuset à simonia: vbi & ratio tangitur: quia id quod modicum est pro nihilo reputatur: nec ipsum dari solet in pretium: sed solum beneuolentiæ & honestatis causa. Vbi aduerte paruitatem ciusmodi non esse æstimandam ex eo quod ipsa non sufficiat ad furtum moralẽ: sed ex eo, quod res non sit tanta quæ probabiliter præsumatur recipientem motura, & à recto flexura, quemadmodum recte declarat Nauarr. in commẽ. De datis & acceptis pro gratia & iustitia obtinendis, notab. 10. Et patet ex citato cap. Etsi quæstiones: ad quod glossa finalis habet, in talibus Ecclesiam interpretari simoniam non committi, eo quod non sit verosimile, quod ob huiusmodi modica moueatur quis ad aliquid iniquum faciendum. 166.

Quod autem attinet ad paruitatem rei spiritualis, nulla 167.
ratione excusare videtur à mortali: quia cum res spiritualis sit inæstimabilis, dependeatque tantum à gratuita Dei donatione, grauis tam Deo, quam illi fit iniuria, dum pretio subiicitur, aut certe æquiparatur: quasi distrahendo eam ab illa dignitate grauitati doni Dei, redigendoque in ordinem rerum quas natura pedibus nostris subiecit, calcandasque dedit. Quod docens Suarez in sæpe citato lib. 4. ca. 3. num. 4. addit peccatum esse mortale vendere vnum minimum (vt vocant) Agnus Dei, aut vnam Salutationem angelicam. Nec obstabit quod res temporalis, quæ tunc datur in pretium, sit modica: quia cuiuscumque quantitatis sit illud quod pro spiritali datur, si reuera vt pretium datur vel accipiatur, grauiter vilipenditur ac contemnitur res sacra: qsam pretio siue magno, siue modico æquiparare, est paruam ac vilem eam existimare, in grauem ipsius iniuriam: & temporale lucrum acquirere turpissime, per sacrilegum eiusdem rei sacræ abusum.

Quod attinet ad necessitatem: Palud. in 4. dist. 25. quæst. 167.
3, art. 3. Sylu. in verbo Simonia quæst. 8. dicto tertio: Tabiena eod. verbo. nu. 29. & in verbo Baptismus 6. quæst. 3. & alii quorum meminit Sotus in lib. 9. De iust & iure quæst. 6. art. 1. ad. 1. & post eum Suarez. in eod lib. 4. cap. 12. num. 1. nullam necessitatem excusare existimant, eo quod simonia sit intrinsece mala, per iniuriam quæ fit rebus sacris, dum omne pretium excedentes, pretio cõmensurantur: vt sit per earum emptionem & venditionem. Sotus vero ipse ibidem & Caiet. 2. 2. quæst. 100 art. 2. Angelus in verbo Simonia 2. num. 12. Rosella in verbo Simonia 1. nu. 18. & Armilla adhuc in eodem verbo num. 29. post alios quos referunt Patres Aragonius ad memoratũ art. 2. dubio primo, & Suarez. in sequenti num. tertio: existimant extremã necessitatem excusare à simonia; vt cum infans qui de vita periclitatur baptizandus est, nemoq; adest qui baptizare sciat, aut possit vel velit, nisi sacrilegus, qui sine pretio id facere omnino recusat. Eorũ fundamentum est, quod etsi licitum non sit in tali casu pecuniam dare eo animo quo sacrilegus exigit: quia id esset emere baptismum, quod intrinsece malũ est, & ideo licete non potest, ne quidem pro alicuius æterna salute: cum non sint facienda mala vt eueniant bona, ex cap. 3. epist. ad Rom. licitum tamen est dare intentione redimendi vexationem iniustam paruulo factam, inique exigendo pecuniam pro eo, ad quod gratis recipiendum, habet ius concessum à Christo rerum spiritualium Domino.

Sed id fundamentum infirmum esse patet: quia cum dupliciter quis vexari possit iniuste circa spiritualia: vel non conferendo ei, quod sibi debitum est aliqua ratione: vt quãdo digno petente beneficium, elector se ad indignum inclinat: vel spoliando illum eo, quod iã habet ac possidet; vt quãdo Clericus iure obtinens beneficiũ eo spoliatur posteriori 168.

quidem

quidem modo per redemptionem vexationis nõ committitur simonia: quia per pecuniam sic datam nihil de nouo accipitur nec acquiritur: priore tamen committitur: quia per pecuniam sic datam, vere acquiritur res spiritualis, quæ antea non habebatur: quod est illam emi.

Nec refert quod is cui spirituale sibi debitum negatur, patiatur iniuriam. Nam iniustitia illud negantis, non efficit vt à peccato excusemur non seruantes honorem rebus sacris debitum: alioqui enim sequeretur quod duobus idem beneficium petentibus, quorum alter sit dignus, alter indignus, si electror esset propensus ad conferendum beneficium indigno, dignus posset eidem electori pecuniam dare ad depellendam talem iniuriam. Id quod simoniacum esse deduci potest ex cap. Matthæus De simonia.

Neque vero audiendus est Sotus, cum vult non esse perinde intrinsece malum emere rem spiritualem, ac vendere; sicut nec accipere ad vsuram, perinde malum est ac dare. Non enim est par ratio: quia quantumuis sine alterius iniuria dari nequeat ad vsuram: potest tamen ad vsuram accipi. Vnde non est consequens si illud sit peccatum, istud quoque esse. At vero, sicut vendere, ita & emere rem sacram includit huius iniuriam. Quare si illud est de se peccatum, est & istud: ad quod confirmandum facit, quod Simon Magus Act. 8. istius sceleris arguatur, quod donum Dei pecunia possideri, seu emi posse existimarit.

Cæterum si extrema necessitas non excusetà simonia, multominus excusabit grauis necessitas contra Adrianum quodlib. 9. art. 3. ad 2. & auctorem Supplementi Gabrielis in 4. dist. 25. qu. 2. litera M. Cum volunt recusanti alioqui baptismum conferre, dari posse pecuniam non modo ob supradictam necessitatem infantis (quæ extrema est, cum is nullum aliud habeat salutis remedium) sed etiam ob similem necessitatem adulti, quæ extrema quidem non est, cum illi adhuc supersit remedium contritionis, ac conuersionis ad Deum ex toto corde (sicut & agenti animam, cum ei malitiose negatur sacramentum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ) est tamen grauis: quia cum talis conuersio, sit res adeo occulta, vt de ea nullus possit certus esse sine speciali Dei reuelatione: merito grauis censetur illa necessitas, quam agens animam patitur sacramentorum, duorum susceptione ex attrito fieri possit contritus.

169. Quibus nihilominus authoribus Suarez assentitur ibidem n. 13 & seq. assentiendumque sensim in praxi, concurrentibus duab. conditionibus. Prior est, vt neganti administrationem Sacramenti non detur pecunia cum intentione satisfaciendi ipsius voluntati prauæ, qua non nisi accepto pretio vult administrare Sacramentum; sed cum intentione abducendi ipsum ab ea prauitate, satisfaciendo per liberalem donationem inordinatæ ipsius cupiditati habendi. Posterior conditio est, vt certa sit necessitas, cui nequeat alia ratione subueniri. Ideo vero prior nõ sufficit sola, quod ea non obstet quin largitio pecuniæ facta ea ratione, speciem habeat simoniæ: cum ad modum emptionis sit correlatiua receptioni, rationem venditionis habenti, ex intentione recipientis. Cum posteriore autem censeri potest sufficere: quia periculo diuinæ irreuerentiæ dubio (*quale contingere in proposito casu, opinionem varietas relata ostendit*) concurrente cum periculo certo aut valde probabili perditionis animæ, sic confidendum est de bonitate Dei, qui vult omnes homines saluos fieri: quod non offendetur, si prius illud periculum permittatur ad obuiandum posteriori, quando nullum aliud remedium suppetit.

Etsi autem ea res non careat difficultate, *quam late eodem cap. Suarez persequitur*, admitti tamen potest, tanquam ab authoribus bonis approbata, & commendans Dei misericordiam in homines, multumque valens ad piorum solatium. Atque hæc sufficiant ad intelligendam simoniæ malitiam, eiusque grauitatem valde abominabilẽ: qua oppressus, si non exhorrescat se in felle amaritudinis & obligatione iniquitatis esse, nec cor habere rectum coram Deo; deterior est magoillo, qui talia de se audiens, tremefactus dixit, Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat super me horum quæ dixistis.

CAPVT XII.

De pœnis quæ incurruntur per simoniam.

SVMMARIVM.

170 *Prima pœna quæ per simoniam incurritur est reatus mortis æternæ.*
171 *Explicatio difficultatis, An pœnæ canonicæ incurrantur per simoniam conuentionalem.*
172 *De pœna suspensionis, quod ea incurratur tantum per simoniam in ordine.*
173 *De excommunicatione imposita ob simoniam commissam in ingressu religionis.*
174 *De alia imposita ob commissam in ordine.*
175 *De tertia ob commissam in Ecclesiastico beneficio.*
176 *Collatio simoniaca beneficij vel officij Ecclesiastici, est nulla: inducitque inhabilitatem ad beneficium sic collatum.*
177 *Quomodo ignorantia non excuset in ea re.*
178 *Quomodo excuset contradictio promouendi, scientis simoniam in sua promotione committi.*
179 *Quid sit sentiendum de eo quo ignorante promissa aut soluta est pecunia pro ipsius promotione: si eandem pecuniam restituat, postea certior de re factus.*
180 *Pœna inuaditatis actus, ob nullam aliam simoniam, quam commissam in beneficio vel officio Ecclesiast. eo incurritur.*
181 *Sacramentorum administratio, professio in religione, venditio calicum, & aliarum similium rerum, non desinunt valere ob simoniam in eis commissam.*
182 *Quid dicendum sit de vendit. one officiorum Ecclesiasticorum.*
183 *Quatenus pœnæ constitutæ in 2. Extrauag. communi De simonia attineant ad simoniam conuentionalem.*
184 *Quod non incurrantur ob simoniam in beneficio, tantum positiuam.*
185 *De liberatione simoniaci à pœnis suspensionis & excommunicationis.*
186 *De liberatione à pœnis inualiditatis & inhabilitatis.*
187 *Tria ne. faria ad ratihabitionem quæ retrotrahitur.*
188 *Pœnæ canonicæ simoniacorum per iudicem imponendæ.*

HAs pœnas persequuntur Sylvest. in verbo Simonia quæst. 19. Angelus & Rosella Simonia 6. & Nauarr. in Enchir. cap 23. num. 111. versu, ad 15.

Prima est mors æterna; qua, nisi inconsideratio vel paruitas materiæ excuset, dignus est omnis simoniacus; cum simonia ex suo genere peccatum sit mortale, ex traditis in præcedenti cap. quæst. vltima. Quam aduerte habere locum etiam in simonia ficta; tunc contingente, cum exterius rei tẽporalis pro spiritali, vel spiritualis pro tẽporali fit promissio sine intentione implendi promissum, vel obligandi seipsum: licet ea nomine tantum: non autem ratione, sit simonia; vt Suarez ostendit in eod. lib. 4. cap. 42. Et patet: quia simonia rationem habet contractus, deficiente alterutrius contrahentis consensu: vt patet ex matrimonio. Nihilominus tamen ex ratione quam habet tum mendacij pernicios, tum scandali, tum sacrilegij commissi in notabilem rei sacræ iniuriam, tum etiam iniustitiæ qua fraudulenter alteri suum detrahitur merito censetur esse malitiæ mortalis. 170.

Secunda pœna est obligatio restituendi: quæ quando & quomodo per simoniam incurratur, expositum est in fine libri 10. & erudite tractat Suarez in hb. 4. memorato num. 59. & 60. Antequam autem pœnas cæteras referamus præmonendum est: Cum simonia possit esse vel mentalis, vel conuentionalis vel realis, vt declaratum est in præced. cap. quæst. 1. constare quidem eas non incurri per mentalem simoniam vt patet per illud quod habetur in cap. finali De simonia: sufficere delinquẽtibus in ea: vt per pœnitentiã suo creatori satisfaciant: constare pariter eas incurri per realem simoniam externã & omni ex parte cõpletam: Sed difficultatem esse vtrum per simoniam conuentionalem (quæ est simonia media inter duas illas memoratas) eædem pœnæ incurrantur: saltem si iam traditum sit temporale nondum

accepto

accepto spiritali: quod addo, quia non incurri cum nec temporale nec spiritale datum est, vel acceptum, consentiunt Doctores, vt notat Suarez in seq. cap 55. num.12. & plurimi ex eod. in seq. num. 16. idem concedunt, cum tantum fuerit datum & acceptum spiritale: adeo vt difficultas sit præsertim, cum datum vel acceptum est temporale non dato nec accepto spiritali.

De qua per ea quæ contra Sotum & Caietanum disputat Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 103. & 104. videtur dicendum non incurri: quia pœnæ sunt interpretatione restringendæ, non autem extendendæ, vt habetur de pœniten. dist. prima cap. Pœnæ: & confirmat regula 15. iuris in sexto: cuius verba sunt, Odia restringi, & fauores conuenit ampliari. Cum ergo ius canonicum imponens simoniacis pœnas, non vtatur verbis significantibus solas conuentiones simoniacas: sed dationes & receptiones ex ipsis prouenientes, *vt bene declarat Suarez in cit. lib. 4. cap. 55. num. 12. & 13.* ipsum sane ad conuentionalem simoniam, non est interpretatione extendendum, sed potius restringendum ad realem, quæ illis dationibus & receptionibus externis consummatur: præsertim cum stylus Romanæ curiæ ita obseruet, vt Nauarr. ipse ibid. habet ex Cassadoro & Gomesio.

Et certe Caiet. & Sotus concedentes istud quoad conuentionalem in qua iam datum est temporale, & adhuc expectatur spirituale; concedere similiter debent, quoad conuentionalem, in qua datum est spirituale, & adhuc expectatur temporale promissum: cum inde non perdat rationem conuentionalis: quandoquidem ad realem requiratur, vt de facto tam spiritale quam temporale sit datum & acceptum. Nec obstat, quod emere anticipata solutione sit vere emere; quia vendere credita pecunia est quoque vere vendere. Idque tantum ostendit, *quod non negamus*, illam de qua loquuntur esse veram simoniam: non autem quod per illam incurrantur pœnæ canonicæ: quæ cum inductæ non sint iure naturali, sed tantum humano, non sequuntur simoniam secundum se: sed eatenus tantum quatenus imponuntur per sacros canones. Ac sic imponuntur, vt non ob vnam potius quam ob aliam simoniam conuentionalem incurri dicendæ sint, vt patet ex 2. Extrauag. communi De simonia: in qua eiusmodi pœnæ imponuntur iis qui in ordine vel beneficio simoniam cõmittunt dando vel accipiendo: non determinato modo committendi, spiritualene, an vero temporale dando, aut accipiendo. Quocirca interpretando stricte (*vt conuenit in materia odiosa*) intelligi debet dando vel accipiendo tam spirituale quam temporale: præsertim cum nõ possit magis intelligi de datione aut acceptione solius temporalis, quam solius spiritualis: quandoquidem verba iuris pœnas statuentis, perinde possunt in vnam partem quadrare ac in alteram.

Hanc doctrinam vt in praxi tuta conscientia sequi possimus præter illius fundamentum propositum, facit authoritas illam approbantium: qui sunt vltra Nauarrum Couarruuias ad regulam Peccatum parte 2. §. 8. num. 7. in principio. Armilla verbo Simonia num. 4. Petrus à Nauarr. lib. 2. De restit. cap. 2. num. 428. & reliqui recentiores passim, Suarez in seq. num. 17. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 35. dub. 27. & alij. Aduerte autem non conuentionalem, sed realem censendam simoniam, quando spiritali accepto, nõ est quidem datum totum temporale promissum, data est tamen illius pars non ita modica, vt reputanda sit pro nihilo: quia quod promissum sit aliquid amplius, non obstat quin detur materia sufficiens ad realem simoniam, eamque mortalem constituendam congruenter ante dictis in num. 166.

Pœnæ iuris Canonici, quæ per simoniam incurruntur.

SECTIO I.

PRo simonia in vniuersum nullam pœnam canonico iure communi latam esse, ab omnibus supponi Suarez in eod. lib. 4. cap. 55. num. 6. notat. Specialiter vero latæ inueniuntur aliquot; omnes innouatæ à Concilio Triden. sess. 24. cap. 14. De reformat. De quibus est consequenter dicendum.

Tertia igitur pœna est suspensio, quæ incurritur ipso facto in vno casu; nimirum quando quis suscipit ordinem simoniace, dato pro collatione pretio; talis enim quantumuis occultus, suspenditur ab ordine, id est, sacros ordines siue suscipere, siue susceptos exercere prohibetur per supra citatam Extrauag. secundam, De simonia: & cap. Si quis Episcopus, & cap. Statuimus 1. quæst. 1. & cap. Tanta De simonia. Videri potest ea de re Syluest. in verbo Suspensio quæst. 7. vbi inter cætera dicto 2. admonet, simoniacum in beneficio non esse suspensum ab ordine: ita vt renuntians beneficio taliter acquisito, possit post pœnitentiam, ordine suo vti. Idem ex Innocentio habet Nauarrus in Enchir. cap. 23. num. 111. §. 15. dicto 3. Et probat, quia nullo iure nec antiquo, nec nouo tale quid cauetur: quod quidem communis consuetudo, *quæ est optima legum interpres*, ostendit, vt vrget aduersus contra sentientes Suarez in seq. cap. 56. num. 19. 172.

Quanquam si tale crimen esset adeo notorium, vt nulla tergiuersatione celari posset: suspensio iuxta eundem Sylu. ibid. incurreretur: non quidem à iure decreta, sed de honestate seruanda: cum valde indecorum sit sacrorum ordinum vsum permittere ei qui tam turpi scelere contaminatus palam cognoscitur. Porro quod simoniacus in ordine incurrat solam suspensionem ab executione suorum ordinum, siue suspensione à beneficio vel ab executione iurisdictionis, vel ab administratione Ecclesiæ, docet Suarez in præced. num. 10. ostendendo id non haberi ex iure: quo alioqui imposita esse deberet talis suspensio, tanquam pœna canonica. Vnde, vt ille addit Episcopus ordinans simoniace, incurrit quidem suspensionem ab omni functione pontificalis ordinis: non tamen ab vsu iurisdictionis, non requirente pontificalem consecrationem, neque ab administratione Ecclesiæ.

Quarta pœna est, Excommunicatio quæ ob simoniam incurritur in tribus casibus. Primus est, quando datur vel accipitur aliquid pro ingressu religionis: tunc enim tam dantes, quam accipientes eo ipso incurrunt in excommunicationem Summo Põtifici reseruatam per primam Extrauag. communem De simonia. Quod tamen aduerte in monialium dote, quæ ejs in ingressu religionis datur, non habere locum, ex declaratione Martini quinti prout refert Sylvest. in verbo Simonia quæst. 15. in fine, & Clementis septimi, vt habet Nauar. in Enchir. cap. 27. nu. 106. versu quarto. Nec etiam quando ingressurus, aliquid offert sua sponte; quia donatio liberalis non habet rationem venditionis requisitæ ad simoniam: aut tam modicum est illud quod dat, vt merito reputetur pro nihilo. Nec item cum ingressus fuerit tantum inchoatus sumptione habitus; non autem consummatus emissione professionis: quia ex communi doctrina ad incurrendam excommunicationem requiritur consummatio actus propter quem imponitur. Vnde vt Suarez habet in eod. cap. 56. num. 7. licet receptio ad habitum fuerit simoniaca, si postea factum retractetur, & pecunia vel non recipiatur, vel recepta reddatur: ita vt mere gratis fiat professio; non incurritur hæc excommunicatio. Ex aduerso vero licet admissio ad habitum gratis facta fuerit, si tempore professionis in pretium aliquid recipiatur, sufficiet ad incurrendam; quoniam actus erit plene consummatus. 173.

Secundus casus est, ex Extrauag. 2. communi quando simonia committitur in ordine siue maiore, siue minore: imo, *vt existimat Suarez in præced. num. 5.* & in prima tonsura: per quam, *etiamsi ea non sit ordo proprie*, constituitur quis in ordine Clericorum. Quanquam in contrarium multum vrget quod pœnæ restringendæ sint interpretatione: vixque ex verbis propositæ Extrauag. id sufficienter confirmari posse videatur. Nihil autem referre in ea re siue pretium detur ordinatori, siue alicui tertio, habet ex Innocen. Nauarrus *in Enchir. cap. 25. num. 68. §. 2.* dummodo tamen sit ante ordinationem datum; nam qui absque simonia ordinem suscepit, etiamsi postea det aliquid, non incurrit propositam censuram; cum non possit ideo dici, 174.

ordinem simoniace dato pretio suscepisse: quod etiam notat Suarez in eod.num.5.

175. Tertius casus est, quando committitur in beneficio Ecclesiastico. Nam per memoratam 2.Extrauag.communem De simonia, omnis simoniacus realis in ordine vel beneficio tam occultus quam notorius; itemque is, qui mediator extiterit, vel procurauerit, vt simonia realis in ordine vel beneficio fiat; est ipso iure excommunicatus: à qua excommunicatione nullus nisi Papa absoluere potest, præterquam in articulo mortis.

Cæterum quod aliqui, *vt Suarez habet in prius memorato cap.55.num.4.* existimant omnem simoniacum realem excõmunicatum esse per memoratam Extrauag. idem merito improbat in num. 5. quia Doctorum, qui post editam eamdem Extrauag. scripserunt (plures ipse refert: quorum præcipui sunt Nauar.in supra cit.num.111. ad 15. versu 7. Sylu. verbo Simonia quæst.19. Tabienæ eod. verbo q. 73. Angelus Simonia 6. num. 9.) communis sententia est, non alium quam Simoniacum realem in ordine vel beneficio per illam excommunicari: cum nullam cæterorum simoniacorum ea faciat expressam mentionem; neque excommunicatio interpretatione sit extendenda vltra casum in sententia expressum; quandoquidem ea est lex pœnalis, & in materia odiosa. Vnde illud sequitur quod ibidem habet Nauar. ad 13. non incurri excommunicationem ob simoniam in pensione: cum hæc non sit beneficium Ecclesiasticum: sed aliud ius. Sequitur pari ratione nec incurri ob simoniam commissam in iis officiis Ecclesiasticis quæ non sunt beneficia: quale est officium Vicarij ad tempus: de quo idem consequenter ad 14. Ratio excusandi ab hac pœna, est eadem quæ excusandi à sequente, in qua proinde non immorabimur.

176. Quinta pœna habetur ex eadem secunda Extrauag. communi De simonia, & ex alia quam Pius quintus edidit contra blasphemos & simoniacos: quod omnis præsentatio, nominatio, electio, promissio, & quæuis alia dispositio actiove iurisdictionis Ecclesiasticæ ordinata ad conferendum beneficium vel officium Ecclesiasticum, per simoniam realem etiam occultam facta: viribus omnino careat, atque adeo nullum effectum sortiatur tanquam inualida (quod Suarez tractat in seq. cap. 57. num. 33. & aliquot sequentibus) ita vt quæsitum per illam, relinqui statim debeat etiam ante sententiam Iudicis, prout Nauar.in cit.num.111. ad 15.versu 8. confirmat ex eo quod iure naturali debeant relinqui aliena, iuxta cap. Si res 14. quæst.6. Additque fructus inde perceptos, aut qui à vero possessore præcipiendi erãt, esse reddendos: excepto quod per ignorantiam à peccato excusatus, non teneatur ad restitutionem eorum quæ bona fide consumpsit. Videndæ sunt regulæ traditæ libro 10. cap.2. addendo quod Suarez in præced. num. 26. ex Nauarro & Cassadoro habet, non esse restitutioni obnoxia emolumenta quæ tali prouenerint non ratione, sed tantum occasione talis beneficij: vt stipendia Missarum aut aliorum suffragiorum, quæ vt extraordinaria dantur: nec enim sunt fructus beneficij, sed quædam remuneratio personalis. Quod autem illi dicunt idem de distributionibus quotidianis, censet ipse Suarez admittendum, si non de rigore saltem de benigna interpretatione iuris.

Sexta pœna est inhabilitas. Nam iuxta cap. Quicumque 1. quæst. 5. is qui per simoniam beneficium acquisiuit, censendus est ad illud inhabilis: ita vt dispensatione egeat ad illud habendum ex cap.penult. De electione.

Notanda de pœna inualiditatis & inhabilitatis quæ incurritur per simoniam in beneficio & officio Ecclesiastico.

Sectio II.

177. Circa has duas pœnas illud primo aduertendum est ignorantiam non excusare ab illis: adeo vt si pater, aut frater, aut quiuis alius in fauorem vel gratiam mei pecuniam pro beneficio Ecclesiastico dederit me inscio, statim ac resciuero tenear illud relinquere ex cap. Nobis, & cap. Sicut tuis, & cap. Exinsinuatione, De simonia: nisi ab alio esset data pecunia in fraudem & detrimentũ meum: nimirum vt compelleret acceptum relinquere: contra quam fraudem ius mihi prouidet in dicto cap. Nobis: tali exceptione restringens eam pœnam.

Pro cuius rei pleniore notitia ad praxim necessaria, aduertendum est secundo: ex citato cap. Sicut tuis haberi, scientem aut probabiliter suspicantem cõmitti simoniam in ipsius promotione ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum, valide promoueri si contradicat, repugnetque ex animo: ac dicat se nolle in eam labem consentire. Nec obstabit quod nihilominus detur pecunia, dummodo id fiat ipso omnino ignorante: ita vt bona fidẽ puter suam contradictionem obstitisse ne daretur. Ratio autem in eodem cap. tangitur, quod alioqui factum vnius forte inimici, & insidias parantis, noceret innocenti, cui illud omnino displiceret: quod absurdum est. Quod si non obstante ipsius contradictione pecuniam datam esse cognoscat, aut probabiliter iudicet; & consequenter promotionem suam esse simoniacam; non videtur excusandus à simonia, nec à pœna proposita, si eam admittat: quia quãtumuis ipso contradicente commissa fuerit simonia, voluntarie tamen admittit per eam quæsitam beneficium vel officium Ecclesiasticũ: quod est ad illam aliquo modo cooperari: quandoquidem ea inde accipit suam consummationem: per quam *tanquam realis*, inducit pœnam, de qua nobis est sermo. Accedit quod in citato cap. Sicut tuis, ad excusationem quam ipsum continet, vltra contradictionem requiratur ignorantia, dum dicitur: Ex eo quod contra prohibitionem & voluntatẽ tuam à qua postmodum minime recessisti, aliquis te penitus ignorante promisit pecuniam, & exsoluit: nihil debet tibi ad pœnam & culpam imputari.] Vnde non est censenda talis excusatio habere locum in eo qui nouerit commissam esse eiusmodi simoniam. 178.

Porro verba illa, *à qua postmodum non recessisti*, vt & illa quæ in eod.cap. sequuntur (nisi postea consenseris pecuniam soluendo promissam, aut reddendo solutam) significant contradictionem & ignorantiam, non excusare ab inualiditate simoniacæ promotionis ad beneficium, vel officium Ecclesiasticum; si quis postmodum in illam consentiens, pecuniam promissam, aut iam solutam ab alio, reddat. Quod manifestum est, si consensus contingat ante acceptum beneficium vel officium ipsum Ecclesiasticum: quia tunc est reuocatio contradictionis, & influxus seu cooperatio ad simoniam, inualiditatis causam. 179.

Sin autem consensus contingat post acceptum beneficium vel officium Ecclesiasticũ, distinguendum est, prout in eod.cap.57.num.31. tangit Suarez. Nam si is non sit ratificatio, seu approbatio simoniæ factæ suo nomine; sed tantum liberalis voluntas soluendi pecuniam promissam, aut iam solutam ab alio restituendi, ne sua causa ille detrimentum patiatur; datur locus excusationi sicut prius: quia talis solutio non est emptio beneficij, nec fit cum consensu in emptionem antea factam, neque ad eam retrotrahitur, cum ille qui soluit non sit eius author. Sin autem consensus sit ratificatio talis simoniæ, quamuis ratificans non debeat ideo censeri illius propria causa: tamen (nisi excusatio detur secundum dicenda in seq.num.186. & 201.) obnoxium facit propositæ pœnæ incurrendæ; non quidem ipso facto, sed per Iudicis sententiam. De qua re videri potest idem Suarez in seq.num.32.

Aduertendum est tertio (*quod ostendere in ante memorato cap.57. Suarez maxime propositum habet*) inualiditatem actus simoniaci, ob nullam aliam simoniam incurri, quam ob memoratam in citata Extrauag.2. non quidem iure diuino, eo quod Dominus dixerit, Gratis accepistis gratis date; quoniam ex ea forma verborum tantum, habetur à Christo præscriptus modus dandi spiritualia; non autem irritus factus dandi actus. Nec item iure naturali, quia simonia nõ obstat de se, quin validus sit actus in quo committitur: vt nec obstant cætera peccata, quoad actus illos in quibus committuntur. Sic enim sponsalia clandestina valida sunt, etiamsi grauiter peccetur illa contrahendo. Nec item incurri iure Canonico: quandoquidem in eo nõ inuenitur imposita ob aliam simoniam; quam prohibet solum tanquam modum agendi illicitum: neq; addit 180.

irrita-

irritationem actus taliter perfecti. Atque hinc multa colliguntur, quæ memoratus author persequitur: aliqua pro praxi referemus breuiter.

181. Primum est, valere sacramentorum administrationem simoniace factam, si seruata sint omnia substantialia: de quibus dicetur cum de ipsis sacramentis in sequenti tomo. Idem dicendum est de consecratione Ecclesiæ vel calicis, deque omnibus functionibus sacramenti Ordinis, ac benedictionibus sacramentalibus aquæ, panis, &c. Quod autem in cap. Ecclesia, 1. quæst. 4. habetur: quod Ecclesia quæ pactione consecrata fuerit, potius execrata quam cõsecrata dici debeat: intelligendum est, *inquit Suarez in citato num. 5.* quantum est ex parte sic consecrantis: qui quãtum est ex se polluit Ecclesiam; circa illam gerendo se, ac circa locum profanum. Quod non obstat, quin consecratio valida sit ex parte Ecclesiæ: cuius potestate & authoritate ille exercet tale officium.

Secundum est, Professionem in religione factam per simoniam, esse validam. Aduerte tamen quod etsi ius canonicum non irritet talem professionem: in pœnam tamen, prohibere talem Religiosum permanere in monasterio in quo sic professus est. Textus habetur in cap. De regularibus, in cap. Veniens, & in cap. Quoniam, De simonia. Dubitatur vero de eadem pœna, An sit latæ sententiæ. Partem autem negantem vt mitiorem, nec sufficienter impugnatam libenter sequor cum eodem authore ibid. num. 8. & 9. quem consule si luber.

Tertium est, Simoniam, qua Rosarium benedictum, calix consecratus, reliquiaria, & id genus alia, carius emũtur ratione spiritalitatis eorum, non obstare quin retineri possint: cum nullam omnino habeant rationem beneficij, vel officij Ecclesiastici. Idem dicendum de simonia, qua emitur ius patronatus, vel pensio Ecclesiastica: aut Vicariatus temporalis, & id genus alia: quæ licet speciem aliquam habeant beneficij, in rei tamen veritate, non sunt beneficia: ita vt pœna constituta ob simoniam in beneficio, non habeat in eis locum: cum pœnæ non sint interpretatione extendendæ.

182. Quartum est, venditionem officiorum Ecclesiasticorum temporalium, ne iure quidem canonico esse inualidam: licet enim illo iure prohibita sit, vt patet ex cap. Saluator, 1. quæst. 3. & ex aliis quæ Suarez persequitur in præced. cap. 29. non est tamen verbis quæ ostendant, illam tali prohibitione irritari. Neque ad eam extenditur irritatio facta in memorata Extrauag. 2. quoniam ibi sermo est de officiis Ecclesiasticis spiritalibus: vt videre est pluribus tractatum apud eumdem authorem in prius memorato cap. 57. num. 46. & aliquot sequentibus.

Censetur autem officium spiritale illud, cui annexa est authoritas, seu iurisdictio ad spiritalia administrãda. Qua ratione spiritalia officia censentur tum alia plurimarum etiam ea quibus religionum Prælati suas Religiosas familias gubernant. Quæ memorata extrauagante comprehendi, patet ex verbo, *in monasteriis*, in ea expressum. Censetur vero temporale officium Ecclesiasticum, quo Ecclesiæ res annexæ spiritalibus, sine spiritali iurisdictione administrantur quoad temporalia. Huiusmodi est officium Procuratoris, instituti ad Ecclesiastica bona temporalia administranda vice Prælati aut Clerici; officium item Aduocati, quem Ecclesia instituit ad causas suas agendas. Itemque officium Iudicis, quem Prælatus Ecclesiæ iurisdictionem temporalem habens, constituit ad illam exercendam: atque alia multa quæ recensere nimis longum esset. Sufficiat ergo addidisse officium sacristæ, seu custodis sacræ supellectilis; quia spectat quidem ad administrationem rerum sacrarum; sed quoad earum temporale, vt bene conseruetur.

De simonia conuentionali ac de positiua in beneficiis & officiis Ecclesiasticis incursa, An inducat pœnas inualiditatis & inhabilitatis.

Sectio III.

183. ADuertendum est quarto, quamuis iuxta tradita initio huius capitis propositæ pœnæ non incurrantur ob simoniam conuentionalem: eas tamen quodammodo inchoari, hoc nomine; quod cum primum cõsummata fuerit dato temporali, quod promissum est cum acciperetur beneficium vel officium Ecclesiasticum: eædem pœnæ de facto ita incurrantur, vt retrotrahantur vsque ad tempus contractæ talis simoniæ. Quod explicatur exemplo, Petrus beneficij vel officij Ecclesiastici collator, illud confert Paulo promittenti centum nummos aureos: quos antequam soluat, valet collatio: quia simonia in eo commissa adhuc retinet conuentionalis rationem; necdum transiit in naturam realis, per quam memoratæ pœnæ incurruntur. Cum primum autem cœperit promissum soluere, etiam ex parte; inualida redditur collatio; non modo respectu futuri temporis, sed etiam præteriti vsque ad illius factæ initium. Hoc Nauar. in Enchir. cap. 23. nu. 104. confirmat per antiquum stylum Romanæ curiæ, seruatum Papa sciente & tolerante.

[a] Vnde consequens est, quod si pecunia promissa, soluta sit post menses aut etiam annos aliquot: quia collatio habenda est pro nulla, restituendos esse fructus perceptos tanquam alienos: etiamsi is qui percepit aureos, potuerit illos retinere tanquam suos. Quanquam id locum habere tantum quod forum externum (*quod approbant Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 35. dubit. 27. in fine, & Suarez in cit. cap. 57. num. 56.*) idem Nauarrus ibidem significat, inquiens: Non ignoro facilius responderi posse dicendo nullitatem tituli & excommunicationem, non inde ab ipso tempore dati tituli incurri, sed a tempore simoniæ ab vtraque parte perfectæ: nisi contrarium seruaret stylus antiquus, cui standum est: subintellige, quoad forum externum: quandoquidem stylus curiæ non est de interno foro, sed de externo; ita vt is non obstet, quin negemus illam retrotractionem habere in conscientia locum: præsertim cum de ea nihil habeatur ex memorata Extrauag. 2. De simonia, sed tantum de inhabilitate quæ ipso facto incurritur statim ac completa fuerit simonia in beneficio, vel officio Ecclesiastico; dato & accepto hinc inde spiritali & temporali: de retrotractione, nulla facta mentione: vnde sequitur non haberi de ea lege, qua adstringatur conscientia.

Quod tamen aduerte pati exceptionem in vna beneficiali simonia: nempe in ea quæ est conuentionalis confidentiæ ex Bulla Pij quinti, quam Nauar. habet in Enchir. cap. 23. num. 110. In ea enim talis simonia, præter excommunicationem Papæ reseruatam, & inhabilitatẽ ad omnia beneficia, & alia, *de quibus videndus est ipse Nauarrus*, imponitur; vt simul ac quis beneficium recipit in confidentiam, antequam impleat quod promisit; ipso iure collatio ei facta sit nulla, teneaturque ad restitutionem omnium fructuum quos perceperit a die acceptionis. Qua ex causa ibid. Nauarrus notat peiorem esse talem simoniam, quacumque alia conuentionali, etiam postquam est consummata. Quod etiam habetur ex eo, quod per eandem Bullam, omnia beneficia collata & accepta per ipsam simoniam confidentialem, reseruata sint Sedi Apostolicæ: adeo vt illa obtinens, alterius quam Summi Põtificis authoritate (*quia non accepit ab eo qui conferre poterat*) canonicum titulum non censetur habere: pro quo habendo ad Summum ipsum Pontificem illi recurrendum esse. Porro de pœna, quæ est inhabilitatis ad omnia beneficia, Suarez docet in lib. quarto cit. cap. 58. in fine; probabile esse: eam non incurri ante sententiam declaratoriam Iudicis: nec aliter esse vsu receptam tanquam alioqui valde seueram, & nouam omnino; seu haud nitentem iure antiquiori. Adeo vt in ea re dispensatio non sit necessaria ad acquisitionem noui beneficij, nisi delictum deductum sit ad forum contentiosum, & in eo declaratum. Eumdem vide si lubeat.

Aduertendum est postremo difficultatem esse, An memoratæ pœnæ incurrantur ob simoniam in beneficio, tãtummodo positiuam; qualis est quæ committitur permutatione vnius beneficij Ecclesiastici cum alio, traditione vtriusque secuta sine authoritate Superioris. Atque licet nonnulli, *quos refert & sequitur Suarez in citato cap. 57. nu. 42.* velint incurri: non videtur tamen carere probabili- 184.

tate: quod docent Petrus à Nauar. *in lib. 2. De reſtit. cap. 2. à num. 435. vſque ad finem*, & Petrus Aragonius *ad D. Thomam 2.2. quæſt. 100. art. 6. dub. penult.* non incurri ipſo facto pœnas excommunicationis, & priuationis beneficij acquiſiti per talem ſimoniam: ſed eas à Iudice tantummodo eſſe imponendas; quia, vt illi recte argumentantur, iura quæ puniunt ſimoniam in beneficio, de ea loquuntur abſolute: vt patet tum ex propoſita ſecunda Extrauag. tum ex antiquioribus iuribus; in cap. Cum pridem, De pactis, in cap. Cum eſſet, & in cap. Inſinuatum, & in cap. Sicut tuis, De ſimonia. Cum ergo ipſa ſint pœnalia, ſtricte accipi debent: illa intelligendo tantummodo de ea quæ proprie ſimonia eſt: conſiſtens in venditione & emptione rei ſpiritualis pro temporali: qualis non eſt ea poſitiua de qua agimus: cum ſpiritale detur in ea pro ſpirituali; ideoque extenſione tantum, ac ſimilitudine ſit ſimonia; quemad. expoſuimus in præced. cap. quæſt. 4. diuiſione 2.

Quam doctrinam ſatis clare approbat Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 105. in fine: cum ait ſimoniace renuntiantem beneficio ſuo, caſtigari quidem poſſe: non tamen perdere titulum, nec ius renuntiatum. Ei vero minime aduerſatur cap. Cum olim De rerum permutatione: in quo permutatio beneficiorum propria authoritate fieri prohibetur ſub pœna priuationis eorumdem beneficiorum. Nam vt recte notat Petr. à Nauar. num. 438. ea non eſt pœna ipſo facto incurrenda, ſed à Iudice inferenda: vt ſatis patet ex verbis illis: *Et hunc præpoſitura, & illum Archidiaconatu curauimus ſpoliare; ſuper hoc definitiuam contra eos ſententiam proferentes.* Nec quemquam mouere debet verba illa memoratæ Extrauag. 2. *quomodolibet dando vel recipiendo*: ſenſus enim eorum eſt, vt notat quoque Petrus à Nauar. loco cit. eo ipſo quod ſpirituale datur pro temporali, quomodolibet id fiat: ſiue pecunia, ſiue ſeruitio, ſiue munere à lingua, incurri ipſo facto pœnas quæ ibidem imponuntur.

De liberatione ſimoniaci à prædictis pœnis.

Sectio IV.

A Prima eſt, quæ eſt reatus mortis æternæ, liberatur per veram pœnitentiam. A ſecunda, quæ eſt obligatio ad reſtitutionem, liberatur ſatisfaciendo eidem obligationi. De qua re tractatum eſt in fine præcedentis partis ſecundæ.

185. Tertia autem & quarta, id eſt ſuſpenſio, & excommunicatio auferri poſſunt per abſolutionem Epiſcopi, cum fuerint occultæ, necdum ad forum externum deductæ, iuxta facultatem Epiſcopis conceſſam à Concilio Triden. ſeſſ. 24. De reformat. cap. 6. Alias recurrendum eſt ad Papam cui reſeruantur in 1. ac 2. Extrauag. communi De ſimonia: niſi quod Epiſcopus cum ſuſpenſo ob ordinem ſimoniace ſuſceptum diſpenſare poſſit in duobus caſibus, quos refert Sylu. in verbo Suſpenſio, quæſt. 7. dicto 3. Prior eſt, quando quis per ſimoniam promotus eſt ignoranter, ſeu neſciens pro ſua promotione datam eſſe pecuniam: tunc enim ex cap. De ſimoniace ordinatis, De ſimonia, iuncta glоſſa; diſpenſare poteſt Epiſcopus; ſed in eo caſu (quidquid eadem glоſſa & Sylu. contra ſentiant) non incurritur ſuſpenſio, prout notat Nauar. *in Enchir. cap. 25. nu. 68. §. 2.* Et ſatis indicatur per illud quod in citato cap. habetur, ſic ordinatum non eſſe ſimoniacum, ideoque poſſe in ſuis ordinibus remanere.

Neque refert quod D. Thom. 2. 2. *quæſt. 100. art. 6. ad 3.* dicat ordinatum ſimoniace ipſo neſciente carere ordinis executione: quia tempore ipſius id verum erat in eo qui ordinabatur à ſimoniaco, id eſt, ab Epiſcopo qui pro ordinatione pecuniam accepiſſet, & ideo ſuſpenſus erat, neq; ordinis executionem conferre poterat. Nunc autem per Extrauag. Martini quinti, quam habet Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 35. nullum neque ſuſpenſum neque excommunicatum vitare tenemur, *niſi ſit notorius percuſſor Clerici, aut denunciatus*; atque ea quæ per illum ex officio publico geruntur rata habentur, vt ex inſtituto in lib. vltimo, cum de excommunicatione agetur declarandum erit. Poſterior caſus eſt, quando quis ſine ſimonia promotus eſt ad inferiores ordines; tunc enim poteſt Epiſcopus cum eo diſpenſare vt in illis miniſtret; non item vt miniſtret in Ordine quem ſimoniace ſuſcepit, vel vt aſcendat ad altiorem gradum. Quod ſi commiſſa eſſet ſimonia cum ipſomet Epiſcopo, is nec tunc diſpenſare poſſet: vtpote vitandus ob turpitudinem ſuam, iuxta cap. Erga 26. quæſt. 6. ſed ad ipſius ſucceſſorem vel ſuperiorem (prout loco citato tangit Syluester) recurrendum eſſet.

Quintam autem pœnam (inualiditatis inquam) auferendi vnus eſt modus; per pacificam nimirum poſſeſſionem trium annorum: cum quis toto eo tempore ignorans ſimoniam in acquiſitione ſui beneficij eſſe commiſſam, illud bona fide tenuit; nemine ipſum ſiue de iure, ſiue de facto turbante in eiuſdem poſſeſſione. Talis enim vere præſcribere iuſque acquirere cenſetur: prout oſtendendum eſt ſuo loco cum de beneficiis in ſequenti lib. 30. 186.

In ſexta vero pœna, hoc eſt, inhabilitatis ad beneficium ſimoniace acquiſitum: cum eo qui talem ſimoniam ſciuit, in eamque pro ſe factam conſenſit, ſolus Papa diſpenſare poteſt, vt conſentiunt Doctores, cum glоſſa *ad cap. penult. De ſimonia, verbo Sedem Apoſtolicam.* Quod poteſt colligi ex cap. Sanctorum. ex cap. Qui ſtuder, ex cap. Erga Simoniacos 1. quæſt. 1. & ex cap. 1. ead. cauſa quæſt. 5. De qua re videri poteſt Suarez in citato cap. 61. num. 10. & 11. Cum eo vero quo ignorante commiſſa eſt ſimonia in acquiſitione ſui beneficij, poſt huius liberam reſignationem, ſi beneficium ſit ſimplex, diſpenſare poteſt Epiſcopus: niſi ipſe ſit is cum quo commiſſa eſt ſimonia. Qua de re textus eſt expreſſus in cap. penultimo De elect. Poteſt pari modo Capitulum diſpenſare, quando collatio beneficij in quo commiſſa eſt ſimonia ad ipſum ſpectat; vt confirmari poteſt per cap. Ex inſinuatione, De ſimonia.

Quod ſi beneficium fuerit curatum: glоſſa *ad cap. Poſt translationem, De renuntiatione, verbo Nequeat*: diſtinguendum cenſet: vt ſi is qui taliter beneficium acquiſiuit, illud ſponte reſignet, ſtatim ac ſimoniam commiſſam cognoſcit, nec expectet Iudicis ſententiam, poſſit Epiſcopus cum eo diſpenſare, iuxta cap. finale 1. quæſt. 5. Et confirmatur, quia cum impropriè ac ſimilitudine tantum, ſimoniacus ſit, argumento cap. De ſimoniace Extra De ſimonia: non videtur ratio eſſe cur ad Papam pro diſpenſatione recurrere compellatur. Si vero beneficium non reſignet ſtatim ac cognouit ſimoniam; ſed Iudicis ſententiam expectet, tunc ſolus Papa poteſt cum eo diſpenſare, ex cap. penult. De electione; & cap. Nobis, De ſimonia. Ratioque eſt, quia is qui Iudicis ſententiam expectat, poſtquam cognouit ſimoniam ſuo nomine commiſſam, cenſetur in eam conſenſiſſe; & ita vere ſimoniacus realis eſſe. Quo eodem argumento probatur, multo minus poſſe Epiſcopum diſpenſare cum eo, cuius nomine pro beneficio data eſt pecunia ipſo quidem ignorante: ſed poſtquam id reſciuit, ratum habente. Cum enim ratihabitio retrotrahatur & æquiparetur mandato, ad Papam pro diſpenſatione recurrendum eſt: perinde ac ſi eſſet ſcienter commiſſa ſimonia: ex cap. Sicut tuis, De ſimonia iuncta glоſſa ad verbum, Conſenſeris.

Vbi aduerte, ratihabitionem, quæ retrotrahitur & æquiparatur mandato requirere tria. Primũ eſt, vt id quod ratum habetur factum ſit nomine eius qui ratum habet, ex cap. Cum quis De ſentent. excommun. in 6. & ex regula 9. iuris eodem libro. Factum vero nomine alicuius, cenſetur id quod ipſius contemplatione ſeu intuitu, aut propter illum factum eſt: ſiue explicetur verbis taliter fieri, ſiue taceatur. Secundum eſt, vt idipſum ratum habeatur non tantum animo, ſed etiam externo ſigno: quale eſt ſoluere pecuniam promiſſam, vel ſolutam reddere: alioqui non induceret pœnam Eccleſiaſticam, ex glоſſa *ad citatum cap. Cum quis, verbo, Tuo nomine*, quia de internis non iudicat Eccleſia. Tertium eſt, vt non tantum ratum habeatur factum, ſed etiam qualitas facti, id eſt, vt quis non tantum factum eſſe, ſed etiam factum eſſe ſuo nomine ratum habeat: ex Sylu. *in verbo Conſenſus, quæſt. 5 dicto 2.* 187.

Cæterum his pœnis obnoxius non eſt, vt ex Caiet. habet approbatque Sotus *lib. 9. De iuſtitia & iure quæſt. 8. art. 1.*

qui

qui fictam & deceptoriam simoniam committit, promittendo scilicet temporale pro spirituali sine animo implendi promissum: quia vere non emit spirituale, sed fingit se emere; vnde vere simoniacus non est, & per consequens (congruenter antedictis) nec excommunicatus, nec obligatus tali pacto acquisitum beneficium resignare.

Aliæ adhuc præter hactenus memoratas dantur iuris Canonici pœnæ; quæ vt à simoniaco, *etiam reali*, incurrantur, imponendæ sunt per sententiam Iudicis. Prima est infamia, ex cap. Sane 15. quæst. 3. & ex cap. Inquisitionis De accusationibus. Secunda est depositio ab omni ordine, & beneficio Ecclesiastico, ex cap. 2. De confessis. Tertia est, detrusio in arctum monasterium ad agendam perpetuam pœnitentiam, ex cap. Quoniam De simonia. Quarta est, vt contra simoniacum ad accusationem & testimonium admittatur quicumque etiam infamis & meretrix, ex cap. Tanta de simonia. Quinta est, vt duplum reddere cogatur simoniacus, qui exigit aliquid pro institutione ad beneficium, vel pro ingressu religionis, vel pro sepultura, ex cap. Audiuimus de simonia. Eiusdem generis est, inter impositas per bullam Pij quinti ante memoratam, illa de amittendis beneficiis & officiis iam antea iuste habitis, non enim esse latæ sententiæ, sed per Iudicem ferendæ habetur ex Nauarr. *in fine citati numeri* 110. Ratio vero est: quia pœna qua quis à iure priuatur re sua iuste possessa, non est sic accipienda, vt ille teneatur eam exequi in seipso. Pro quo faciunt tradita in præcedenti tomo lib. 13. *num.* 276. *& aliquot sequentibus.*

CAPVT XIII.

De simoniæ peccato vt committitur in re essentialiter spirituali.

SVMMARIVM.

189 *Quæ comprehendantur nomine rei essentialiter spiritalis.*
190 *Simonia est, pro vicariatu spiritalis potestatis dare pecuniam.*
191 *Simonia committitur data pecunia pro ingressu religionis.*
192 *Nec consuetudo nec statutum in eo excusat.*
193 *Accipi tamen potest in sustentationem, nisi monasterium sit satis opulentum.*
194 *Explicatio dubii, An pecunia accipi possit pro religionis ingressu, cum expletus est numerus personarum quas monasterium alere potest ex suis redditibus.*
195 *Explicatio alterius dubii, An simonia sit seruire monasterio ad impetrandum ingressum in illud.*
196 *Responsio negatiua ad dubium, An sit simonia, quod quis promittat in ingressu alicuius sodalitatis, se quotannis certum quid soluturum.*

189. NOMINE rei essentialiter spiritalis comprehenduntur gratia, qua Deo grati sumus, septem dona Spiritus sancti, gratiæ quas appellant gratis datas, in quibus prima omnium commissa est simonia per Simonem magum, cum putauit donum Dei pecunia possideri. Act. 8. In talibus autem commissa simonia, vix nunc vlla est in vsu; ideoque in ea non immorabimur. Quæ ad eam spectant Suarez tractat in tract. 3. de relig. lib. 4. cap. 9.

Comprehendi quoque potest iurisdictio Ecclesiastica; quæ cum supernaturaliter sit primum à Christo data (*ex cap. Ita Dominus dist.* 19. *& ex aliis, quæ in eam sententiam habet Nauarrus ad cap. Nouit De iudiciis, not. ab. 3. illatione* 24.) pecuniam pro ea communicanda accipiendo, simonia committitur huius speciei.

190. Et ita idem Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 111. ad 14. definit, *iuxta cap. Ad nostram De simonia & cap. Licet de pœnis*, simoniam committere eum qui emit vel conducit, vel per alium quemliber contractu non gratuitum, acquirit Episcopi vel Parochi vel alterius beneficiarij Vicariatum, & quamliber iurisdictionem vel potestatem spirituale, etiam ad tempus tantummodo. Additque contractum eiusmodi esse nullum, iuxta cap. fin. De pactis: & ideo per eum non acquiri talem Vicariatum; ita vt is qui sic accepit teneatur in conscientia illum relinquere: etiamsi non sit propterea factus ad illum postea obtinendum inhabilis, nec in excommunicationem incurrerit: quia nullo iure id statuitur. Secus esset vero de Vicariatu perpetuo si acquireretur pretio: quia cum sit beneficium ex Clemen. 1. De offic. Vicarij, simonia quæ in eo committitur inhabilitatem & excommunicationem inducit, sicut commissa in alio beneficio.

Huc etiam reuocari potest simonia, quæ committitur 191.
dando vel accipiendo temporale pro ingressu religionis: quia cum vocatio ad talem statum sit donum Dei, accipere pecuniam pro dicto ingressu, est donum à Christo acceptum vendere, vt concluditur in cap. Quam pio, 1. q. 2. Vnde non modo per eumdem canonem & proxime sequentem id fieri prohibetur ab Ecclesia, tanquam simoniacum: sed etiam per plures alios, nempe 8. 19. 25. 30. 40. Extra de simonia; & per 1. Extrauag. communem eod. tit. in qua (vt retulimus in præced. capite) tam sic dantes, quam accipientes subiiciuntur excommunicationi reseruatæ Summo Pontifici: ita tamen vt excipiatur casus in quo quis sponte aliquid ex deuotione offert recipientibus: tunc enim non peccatur, ne quidem si illi, qui largas dant eleemosynas facilius cæteris admittantur, ex D. Tho. 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4. Procedit vero dicta prohibitio non modo quoad Religiosos, sed etiam quoad Moniales, iuxta cap. Quoniam de simonia.

QVÆSTIO EST autem si temporale accipitur, non 192.
quidem pro ingressu religionis, sed ob consuetudinem, vel statutum aliquod immemorabile, & per Romanam sedem confirmatum, vel pro sustentatione eius qui ingreditur. Ad quod respondetur omnem eiusmodi consuetudinem vel statutum iam non habere locum, propter definitionem Conc. Trid. sess. 24. cap. 14. qua abrogatur. Ad quod etiam facit cap. Veniens, De simonia.

Ratione vero sustentationis aliquid accipere, non esse 193.
quidem simoniacum quoad forum internum, cum sic nihil temporale pro spirituali accipiatur reuera; quoad forum tamen externum esse præsumptiue; id est, in foro externo præsumi commissam esse simoniam. Quod intelligo, si monasterium aliaue religiosa familia, ad quam vt admittatur quis pecuniam dat, sit iam satis diues, vt post Syluest. *verbo Simonia quæst.* 15 *dicto* 2. intelligit Sotus *lib. 9. De iust. & iure quæst. 6. art. 3 in fine.* Addens id nihilominus esse peccatum scandali. Imo vero esse peccatum de se, *nec tantum ex illa circumstantia*, patet à simili: quia si quis conferret gratis beneficium, & postea pro fructibus illius pretium à beneficiario acciperet, inique ageret: quia venderet rei, quod iam suum est. Pari quoque ratione, si quis gratis admittatur ad religionem, quę opes sufficientes habens, teneatur eo ipso illum sustentare: dum ab illo pro tali sustentatione pretium accipitur; ei quod suum est inique venditur.

Quod si monasterium sit tenue, ita vt petentem ingressum non possit alere: sententia est D. Thomæ 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 4. Caiet. ibid. & in summula verb. Excommunicatio cap. 73. Syluest. loco citato post plures alios quos ipse commemorat, Tabienæ in verbo Simonia, §. 63. 64. 65. Armillæ eod. verb. nu. 50. & in verbo Excommunicatio, excommunic. 60. à Victoria in relect. posteriore De simonia num. 12. & aliorum quos loco cit. num. 7. Suarez refert (late de eadem re consequenter disserens) licite posse necessarium ad sustentationem ab illo exigi, cum non debeatur illi aliunde. Id quod ex Panorm. Syluest. Tab. & Armil. admonent debere fieri per viam simplicis protestationis dicendo, Nos te libenter recepimus, sed si vis manere nobiscum, porta tantum vel tantum tecum, vnde viuere valeas.

Quod vero dicitur in cap. Quoniam De simonia, quod nec etiam prætextu paupertatis liceat aliquid etiam à monialibus exigere, intelligendum est, *vt iidem authores annotant*, vt sensus sit: quod non liceat exigere in fraudem, qua sub prætextu paupertatis accipiatur aliquid respectu religionis, non ob solam sustentationem: vt fieri censetur cum etsi monasterium reuera pauper non est: nihilominus prætextu paupertatis aliquid exigitur: aut licet pauper sit, aliquid vltra petitur, quam sufficiat ad sustentan-

dam commode vnam personam talis status. De quo Suarez num.14.

194. Dubium autem hic oritur. An cum expletur est numerus personarum religiosarum, quæ ali possunt ex annuis reditibus monasterij, possit aliqua sufficienter ditata, cum sua dote supra illum numerum admitti. Ratio dubitandi est: quod in cap. vnico §. primo De statu regularium in sexto, & in Concilio Triden. sess. 25. cap. 3. De regularibus, prohibeatur ne ad monasteria plures moniales admittantur, quam possint ex reditibus eorum sustentari. In contrarium vero est communis consuetudo, optima legum interpres: quam D. Thom. loco citato approbauit. Vnde memorati canones intelligendi sunt prohibere, ne quando plures fœminas monasterium alere non potest, quam in eo iam sint, non admittantur aliæ sine dote, expensis monasterij alendæ: ita Nauar. *(cui Suarez consentit in seq. num. 17.)* in tract. de reditibus Eccles. *quæst. prima monitione 62.* vbi plenius ea de re agit.

195. Dubium aliud hic occurrit: quid dicendum sit, si quis seruiat Religiosis, ob promissionem sibi factam de eo admittendo post aliquod tempus. Ad quod Rosella verbo Simonia 5. num. 2. respondet simoniam esse. Sylvester vero in cit. quæst. 15. dicto 5. id negat. Distinctione autem vtendum est. Nam si loco stipendij promittatur, vel concedatur ingressus, aperte simonia est: si vero gratis inseruiat, vt probetur, vel vt seruiens alliciat Religiosos ad se facilius vel citius admittendum, non est simonia: quia tale seruitium non habet rationem pretij, sed potius liberalis donationis. Qua ratione censeri quoque potest non esse simoniam, si religio soluat debita alicuius, vt eam ingrediatur; vel si obstringat se parentes ipsius alere; vel aliud offerat, ea tantum intentione vt alliciatur animus ipsius ad amplectendam religionem: quod non esse illicitum habetur ex D. Thom. 2, 2. quæst. 100. art. 3. ad 4.

An autem simonia committatur si quis aliquid det alicui, vt ei sua intercessione ingressum in aliquam religionem impetret, intelligitur satis per explicationem dubij quod in fine seq. cap. proponetur: cum par sit ratio intercessionis factæ pro obtinendo ingressu religionis, & factæ pro ordine, aut beneficio Ecclesiastico obtinendo.

196. Mouet dubitationem Sylvest. in ead. quæst. 15. dicto 7. An sit simonia, quod quis in ingressu alicuius sodalitatis, ex statuto promittit se quotannis aliquid daturum. Recteque respondet non esse: quia talis sodalitas non est Religio, sed tantum plurium congregatio ad benefaciendum: in qua laudabile est aliquid imponi pro eleemosynis, vel expensis cereorum, & aliarum rerum quæ faciendæ sunt, cum sodales conueniunt ad tractandum de salute animæ suæ. Ita ille.

CAPVT XIV.

De peccato simoniæ, specialiter prout committitur in re causaliter spirituali.

SVMMARIVM.

197 *Quando simonia committatur acceptione pecuniæ pro Sacramentis aut sacramentalibus.*
198 *Simonia in ordine quoad ordinantem.*
199 *Eadem quoad ordinatum.*
200 *Item quoad ministros ordinantis.*
201 *Quando simoniacum sit vel non sit id, quod post collationem ordinis datur.*
202 *Quando simoniacum sit dare Episcopo pecuniam, ne aliquem ordinet.*
203 *Quando dare ianitori pro accessu ad ordinationem.*
204 *Quando dare intercessori ad impetrandam ordinationem.*

197. IN numero rerum causaliter spiritualium ponuntur Sacramenta & Sacramentalia: quæ sunt benedictiones quædam, vel consecrationes factæ ab Ecclesia. Pro quibus ratione sui, certum est nihil pecuniæ æstimabile accipi posse, sine labe simoniæ. Dico *(ratione sui)* eo quod ratione laudabilis consuetudinis in sustentationem ministri à quo conferuntur, aliquid tanquam eleemosyna, aut oblatio accipi potest, iuxta tradita in præced. num. 134. & seq. Nec refert, quod in matrimonio detur dos: non enim datur pro matrimonio vt Sacramentum est, sed vt est contractus quidam ciuilis, quo vir obligat se ad vxorem alendam, & onera matrimonij sustinenda. De singulis in particulari *(de quib. Sylu. in verbo Simonia quæst. 8. & plenius præsertim pro speculatione, Suarez in cap. 10. & 11. eiusdem lib. 4.)* sufficiet pro praxi nonnulla circa Sacramentũ Ordinis annotasse, quoad personas, quæ concurrunt ad illius collationem: suntque ordinator Ordinandus, & ordinatoris minister: nimirum examinator promouendorum ad ordines, & notarios qui scribit promouendos vel eos vocat, quiq; scribit literas testimoniales Ordinis accepti, quemad. loco citato, dicto quinto Sylvest. habet.

Quoad ordinatorem igitur notandum est, Episcopum non posse absque labe simoniæ aliquid temporale recipere pro collatione Ordinis, ex cap. Quidquid, 1. quæst. 1. & ex cap. 1. De simonia & ex Extrauag. 1. communi, eodem tit. & ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. in decreto de reformatione: ex quo habetur id procedere in collatione quotumcumque Ordinum, etiam tonsuræ Clericalis. Quanquam tamen post ipsam collationem Ordinis, liberaliter ac sponte, & non in compensationem oblatum, recipi potest: dummodo absit scandalum, ex cap. Sicut Episcopum, 1. quæst. 2. & ex cap. Dilectus 2. §. finali De simonia.

Quoad ordinandum vero, notandum est simoniam 198.
committere rogando Beneficiarium, vt suum beneficium resignet in ipsius fauorem, quo ordinari possit ad beneficij titulum, intereaque facta conuentione, quod denuo in fauorem ipsius idipsum beneficium resignabit. Item rogando patronum, vt præsentet ipsum ad beneficium, ad cuius titulum ordinari possit, facta similiter conuentione, quod illud denuo resignabit in fauorem eius quem volet is ipse patronus. Et quamuis vtraque hæc simonia conuentionalis, sit in beneficio: perinde tamen ac si commissa esset in ordine, ob eam incurritur suspensio in ordine per cap. Neminem, & cap. Sanctorum distinct. 70. & cap. Cum secundum, De præbendis: in quibus talis suspensio imponitur ei qui sacros ordines suscipit absque titulo beneficij, vel alterius quod pacifice possessum, ad victum sibi honeste sufficiat. Quam pœnam Concilium Trident. innouat in sess. 21. cap. 2. De reform. ea de re amplum statutum tradens. Titulus autem fictus, qualis est in duobus propositis casibus, pro nullo habetur.

Simoniam quoque is committit qui ab Episcopo ordinatur sine titulo facta conuentione de non petendo ab ipso aliquid in propriam sustentationem. Cum enim iure communi Episcopus Clericum pauperem ordinans sine titulo, teneatur ei prouidere de honesta sustentatione per citatum cap. Cum secundum: sane simoniaca erit dicta conuentio, tanquam ea in qua onus pecunia æstimabile relaxatur pro habenda re spirituali; indeque ordinator per triennium & ordinatus in perpetuum suspenditur suspensione Sedi Apostolicæ reseruata, per cap. Si quis, De simonia. Vbi etiam idem statuitur de eo qui ad ordines præsentatus est ab aliquo, facta conuentione de non petendo ab eo aliquid pro sua sustentatione. Cum qua fallacia, coincidit illa nimis frequens, qua parentes pauperiores filio ficte constituunt patrimonium sufficiens ad sustentationem, confecto publico instrumento; quod antequam eidem filio tradatur, aliud conficitur per quod tali constitutioni ille renuntiat: ita vt ordinetur ad titulum patrimonij fictum.

Adde etiam ordinandum simoniam committere, si præsentatori suo aliquid temporale ad hoc det vel promittat, vt ad ordines ab ipso præsentetur. De quo habetur textus in cap. Ex tua, De simonia.

Quoad ministrum denique ordinatoris, notandum 200.
est; non tantum Episcopum qui ordinem confert: sed etiam ministros qui quasi accessorij, illum in ea collatione adiuuant, prohiberi aliquid etiam sponte oblatum pro illa accipere, vt videre est in Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. De reform. cui consonat cap. Sicut pro certo, De simonia.

monia. Aduerte vero obiter, ideo censeri simoniam committi, si ad hoc detur vel promittatur aliquid examinatoti, vt aliquem approbet; quod per examinationem, & approbationem, *tanquam ministerium iurisdictionis Episcopalis delegatum*, facultas quædam, dispositioque acquiratur ad ordines recipiendos. Item constare quidem Notarium cui constitutum est salarium publicum pro officio exercendo, non posse quidquam exigere pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa, pro accessorio ad collationem ordinis, ex cap. De simonia, & Concil. Trident. loco cit.

Quæritur vero, vtrum idem Notarius possit aliquid accipere, quando nullum habet stipendium sibi constitutum ab Episcopo. Communior autem sententia est ex Angelo Simonia 3. num. 22. & Syluestro in citato dicto quinto, quod ille tunc possit aliquid exigere pro labore & expensis chartæ & ceræ, factis in literis dimissoriis, vel testimonialibus. De quo concilium Trid. in cit. cap. 1. statuit pro singulis eiusmodi literis, decimam partem aurei accipi posse, neque ex talibus Notarij commodis, quidquam directe vel indirecte ratione collationis ordinum, posse prouenire Episcopo: non obstantibus quibuscumq; taxis, consuetudinibus etiam immemorabilibus, aut quorumcumq; locorum statutis contrariis: quæ omnia cessant ac interdicuntur.

201. Cæterum post susceptos iam ordines vltro oblatum, & absque vlla antecedente pactione donatum, recipi potest sine simonia: ex glossa penult. *ad cap. 1. De simonia & Sylu. in fine citatæ quæstionis* 8. & Nauarr. in Enchir. *cap. 23. num. 101. vers. 11.* Pro quo facit cap. Sicut Episcopum, 1. quæst. 2. Sed meminisse oportet nunquam censeri donatum liberaliter, *non item in pretium*, quod immediate datur pro ordinatione: siue ante siue post eam detur: & siue Episcopus fuerit alioqui gratis collaturus ordinem, siue non: & siue accipiens sit ipse Episcopus collator, siue alius: & siue dans sit is qui ordinatur, siue alius ex Sylu. in verb. Simonia quæst. 6. Qua tamen in re ignorantia probabilis, *vt & in alijs*, excusat à peccato, & à pœna illud sequente: adeout is non suspendatur ab ordine, pro cuius ordinatione data est pecunia ipso inscio; vel ipso conscio quidem, sed contradicente: nisi postea certior redditur de facto, ratificet illud. De quo Nauarr. in Enhcir. cap. 25. num. 68. sub finem: pro eoque faciunt ante habita num. 178. Nonnulla dubia possunt hic adhuc moueri: quibus satisfacere oportet paucis.

Solutio aliquot dubiorum.

202. PRIMVM EST, An simonia committatur dando pecuniam Episcopo ne ordinet aliquem. Ad quod ex Sylu. quidem in cit. quæst. 8. dicto 5. simpliciter respondendum est affirmatiue: argumento cap. Nemo, De simonia. Sed iuxta ea quæ Suarez in eod. memorato lib. 4. cap. 22. late disputat de omissione actuum spiritualium, an ea possit esse materia simoniæ; videtur distinctione vtendum: ac dicendum si talis omissio sit nuda negatio liberi vsus potestatis ordinandi: pro ea pretium accipere, non esse simoniam: quia illud pro quo accipitur, quodq; sic venditur, est tantum libertas naturalis agendi vel non agendi: perinde ac si quis accipiat pretium vt non dicat Missam, quod est ei liberum. Sin autem omissio annexa sit vsui potestatis spiritalis; adeout tantum in hac habeat æstimationem, efficaciamque moralem, simonia est pro ea pretium accipere, quia tota ratio dandi sumitur ex eadem spiritali potestate, ipsaque est propter quam principaliter datur. Cæterum huius posterioris modi, omissio esse deprehenditur ex effectis proportionatis potestati ordinandi quibus annexa est: quales effectus sunt: non admittere ordinandum ad examen consuetum, aut examinatum non permittere inscribi in catalogo ordinandorum, aut inscriptum repudiare, offerentem se cum cæteris ordinandis.

203. ALTERVM DVBIVM EST. An simonia sit, dare aliquid temporale ianitori vt ordinandum introducat ad Episcopum pro literis dimissoriis, vel ordine, vel alio spirituali petendo vel obtinendo. Ad quod respondetur, cum Angelo in verbo Simonia 3. num. 25. non esse simoniam, nisi ea intentione detur vt per intercessionem introducentis, res spiritualis obtineatur, aut introducens aliquid plus exigat ratione ordinis, alteriusve rei spiritualis obtinendæ, quam alioqui exigeret pro obsequio, quod exhibet.

TERTIM DVBIVM EST, An simoniam committat qui dat alteri pecuniam, vt suis precibus intercedendo, procuret ei ordinem aut beneficium conferri. Ad quod Sotus *lib. de iust. & iure quæst. 7. art. 3. sub in tium*, absolute quidem respondet nō esse simoniam ex parte Prælati habentis intentionem gratis dandi, quamuis ad dandum inducatur precibus intercessoris recipientis pecuniam. Sed cum Nauarr. *in Enchir. cap. 23. num. 106. post plures alios, quorum ipse ibid. meminit*, videtur distinctione respondendum. Nempe si is pro quo intercedit, det pecuniam intercessori pro obtinendo ordine, vel beneficio, tunc simoniam committi: quia emere intercessionem qua ordo vel beneficium obtinetur, est emere ipsum ordinem vel beneficium. Qua ratione concedimus Soto, paria esse, dare pecuniam intercessori & collatori. Si vero det pecuniam intercessori; non quidē pro obtinendo ordine vel beneficio per intercessionem ipsius: sed pro labore industria & diligentia, qua tale negotium procurat, vel pro expensis, vel pro damno quod illi emergit aut lucrum quod illi cessat: tunc non esse simoniam quia sic non emitur intercessio pro ordine vel beneficio obtinendo; sed emitur *vt recte ibid. ait Nauar.* aliquid ante dictorum quod intercessor non tenetur gratis præstare. In hocque distinguitur intercessor à collatore, quod collator pro suo etiam labore in conferendo ordine, vel beneficio, non possit licite pecuniam accipere: intercessor vero possit, dummodo tamen non accipiat plus quam meretur eius labor & industria, iuxta dicenda in fine sequentis capitis. 204.

CAPVT XV.

De peccato simoniæ prout committitur in re spirituali effectiue.

SVMMARIVM.

205 *Quæ comprehendantur nomine rei spiritalis effectiue.*
206 *Quatenus simonia committatur in iis quæ sunt potestatis ordinis.*
207 *Quatenus officia minorum ordinū vendere simoniacum sit.*
208 *Quatenus sine simonia possit pro sepultura accipi pecunia.*
209 *Varietas actuum qui procedūt ex Ecclesiastica iurisdictione.*
210 *Simoniacum est pecuniam dare pro actu communicandi Ecclesiasticam iurisdictionem.*
212 *Similiter pro actu exercendi eiusmodi iurisdictionem.*
213 *Quod procedit etiamsi talis actus versetur in temporali materia.*
214 *Non item si respectu illius temporale accipiatur ex consuetudine laudabili: vt respectu visitationis quæ fit à Prælato.*
215 *Aut in pœnam, vt cum dispensatio datur in gradibus consanguinitatis: aut per modum compositionis, vt cum dispensatur in voto faciendi opus aliquod pium.*
216 *Aut in sustentationem prout accipitur à concionatore.*
217 *Potest quis locare suas operas, ac stipendium accipere pro labore exercendi actus aliquorum officiorum Ecclesiasticorum.*
218 *Quomodo accipiendum sit, quod in Romana curia quædam officia Ecclesiastica vendantur.*
219 *Quatenus liceat aut non liceat pecuniam dare pro interuentu apud Papam aut alium Prælatum, pro iustitia vel gratia ab eis obtinenda.*
220 *Quatenus liceat post obtentam, temporale dare iis quorum interuentu obtenta est.*

NOMINE rei spiritualis effectiue comprehenduntur primo illa, quæ ex gratia Dei, & virtutibus supernaturalibus proficiscuntur; vt omnia opera meritoria, impetratoria, & satisfactoria: pro quibus vt talia sunt (cum procedant à diuina gratia, in ea- 205.

que nitatur vtilitas & efficacia illorum) pretium accipere, simonia est quidem: non est tamen, dare alicui aliquid temporale vt ad eadem exercenda excitetur: quia tunc tantummodo datur spiritale pro spirituali: quandoquidem proximum indicere ad meritorie operandum, est quoque opus meritorium: nisi prudentis iudicio obstet aliqua circunstantia mala.

De simonia vt committitur in iis quæ sunt potestatis ordinis.

Sectio I.

206. COmprehenduntur secundo illa quæ procedunt ex potestate ordinis: vt dicere Missam, cantare Euangelium vel Epistolam solemniter, celebrare exequias defunctorum, & alia diuina officia: vt processiones quæ publice fieri solent, siue ad venerationem festorum, siue ad impetrandum à Deo auxilium in communibus necessitatibus, consecrare Abbates, Virgines, & templa, benedicere nubentibus, aquæ, pani, &c. Pro quibus non licet pacisci absolute, nec pretium accipere: vt nec pro collatione ordinum, ex quibus habent suum esse spirituale: pro sustentatione tamen ministrorum illa exercentium, licitum est aliquid dare & accipere secundum Ecclesiæ constitutionem vel consuetudinem. De quibus plura in particulari Syluester *verbo Simonia quæst. 9.* atque Suarez erudite *in eod. lib. 4. cap. 15.*

Ad iudicandum autem de illis quando occurrent, sufficere possunt antedicta *in cap. 11. quæst. 2. & 3.* inter ea obseruando; in tali iudicio distinguẽdum esse inter id quod exigitur, & id quod sponte offertur: ac inter id quod ex consuetudine offerendum est, & id quod vltra consuetudinem postulatur. Nam in cap. Ad Apostolicam De simonia; in hac re, piæ consuetudines obseruari præcipiuntur, & exactiones fieri prohibentur. Quanquam spiritalium ministri voluntarij, seu non habentes constitutum sibi publicum stipendium, permittuntur (consentanee scilicet doctrinæ D. Pauli in priore ad Corint. cap. nono) petere aliquid in congruentem sustentationem: eo tamen modo, quo ab specie mali abstineatur.

207. Offert vero se dubitatio. An simonia sit emere, vel vendere officia minorum ordinum. De qua tenendum est: quando talia exerceri solent tantum per Clericos ad ea ordinatos: vt officium exorcizandi: aut per laicos quidem interdum, ex commissione Ecclesiæ: sed ad diuinorum officiorum partem spectat exercitium eorum (*vt officium inseruiendi Sacerdoti celebranti, aut legendi lectiones in officio matutino*) simoniam cõmitti emptione & venditione eorum, tanquam spiritalium effectiue: vtpote procedentiũ ab ordinibus ipsis, quorum potestate authoritateque *interuentu praedictæ commissionis* exercentur. Cum vero tanquam multum corporalia (qualia sunt claudendi Ecclesiæ fores, custodiendi sacras vestes, aspergendi aquam benedictam in domibus) solent per laicos exerceri, ac si non essent actus ordinis, non censentur simoniæ materia ex Syluestro *in verbo Simonia quæst. 8. in fine*, & Rosella *eodem verbo primo*, §. 16. Id quod Suarez concedit *in præcedenti cap. 13. in fine.*

208. Ad quam differentiam illustrandam facit quod liceat pro sepultura pretium accipere, quoad ea quæ fieri possunt à laico: qualia sunt effodere sepulchrum, corpus defuncti ferre, humo tradere, & cooperire, pulsare campanas; non autem quoad ea quæ fiunt à solis Ecclesiæ ministris, qualia sunt dare facultatem sepeliendi in loco sacro, exequias celebrare officio Ecclesiastico: puta psalmodia & aliis suffragiis, consuetis in Ecclesia fieri pro defunctis: & processio quæ solet fieri à domo defuncti ad Ecclesiam. Pro quibus. *vtpote spiritualibus ac solitis exerceri per solos clericos*, pretium accipere, simoniacum censendũ est, iuxta cap. Abolendæ, De sepulturis: & cap. Non satis, cap. Cum Ecclesiæ. & cap. Suam. De simonia: sicut nec pro benedictione nubentium, ex eod. cap. Suam. Non ideo tamen de simonia damnandi sunt qui obligationes tempore funeris recipiunt; quoniam eæ fieri solent ex laudabili consuetudine pro sustentandis Ecclesiæ ministris. Ratione cuius consuetudinis possent omissæ, repeti authoritate Iudicis, iuxta cap. Ad Apostolicam. De simonia, Nec valeret statutum ciuitatis factum in contrarium, vt habet Panor. ad citatum cap. Abolendæ sub finem.

Quod idem dic de acceptione pannorum quib. mortui conteguntur, vbi est consuetudo vt in vsum Clericorum cedant: ex D. Anton. 2. *parte tit. 1. cap. 5. §. 22. & Sylu. in verbo Simonia qu.* 11. Qui addunt de talium cautione, tanquam temporalium, Clericos cum heredibus ante sepulturã pacisci posse absq; simonia: non autem posse negare sepulturam, si talis cautio negetur: etsi officio Iudicis vti possint, *iuxta citatum cap. Ad Apostolicam*, ad obtinendum sibi ea ratione debitum, si negetur. Videndi sunt memorati authores. De simonia commissa accipiendo pretium pro sepultura in loco sacro dicetur in sequent. num. 226.

De simonia prout committitur in iis quæ sunt iurisdictionis Ecclesiasticæ.

Sectio II.

209. COmprehenduntur denique nomine rei effectiue spiritualis omnes illi actus qui procedunt à potestate iurisdictionis Ecclesiæ: sic inter se distincti, vt alij sint, quibus eiusmodi iurisdictio confertur, & alij quibus administratur. Ac prioris generis rursus, alij sint quibus confertur iurisdictio ordinaria, ad quorum exercitium requiritur authoritas Superioris, qua valeat conferre dignitatem cui coniuncta sit eiusmodi iurisdictio: qualis authoritas est in Papa absolute, & interdum in Episcopo respectu suorum inferiorum. Alij vero sint, quibus confertur delegatio: ad quorum exercitium sufficit habere iurisdictionem ordinariam non impeditam. Posterioris generis autem: alij sint quibus iurisdictio prædicta mandatur executioni in externa administratione Ecclesiæ, & alij ad eiusdem administrationis directionem pertineant, vt præceptorum se legum lationes in Ecclesiastico foro: alij vero ad executionem, vt actus iudiciorum Ecclesiasticorum, siue ciuilium siue criminalium, & cæterorum qui ad eosdem reducuntur.

Ac nonnulli talium dicuntur actus iurisdictionis voluntariæ, quia coactio non interuenit in eis, sed gratia: huiusmodi sunt dispensationes, priuilegia, facultatum concessiones, legitimationes, &c. Alij vero dicuntur actus iurisdictionis contentiosæ, eo quod spectent ad Ecclesiastica iudicia: de quorum strepitu nonnulli minus habent, & plus de animarum commodo; vt visitationes inferiorũ per Prælatos; impositiones censurarum & earumdem ablationes: Alij autem plus habent de illo & minus de hoc: vt actus omnino forenses litium ciuilium vel criminalium, personarum Ecclesiasticarum. His ita distinctis Suarez in eodem lib. 4. cap. 20. statuit sequentes propositiones de istiusmodi genere spiritalium effectiue.

Prima est, actus communicandi spiritalem iurisdictionem esse simoniæ materiam. Hæc patet, quia si illi vendantur, simul venditur spiritalis iurisdictio, quæ per eos communicatur: cuiu vendere actum per quem res traditur, nihil aliud sit quam vendere rem traditam: & vice versa, rem traditam vendere, nihil aliud, quam vendere ipsam traditionem. At talis iurisdictio donum est Dei supernaturale, prout ostendit supernaturalis finis ad quem ordinatur. Quare est sufficiens simonia materia. Eaque est cõmunis sententia, pro qua faciunt cap. 1. 2. & 3. extra Ne Prælati vices suas. Et ex illa infertur: nec aliquem Iudicẽ spiritalem, siue delegatum siue ordinarium: nec vicarium siue cathedralis, siue alterius Ecclesiæ, etiam ad nutum amouibilem, constitui posse pretio: siue ipsum detur ab eo qui officium, seu iurisdictionem suscipit, siue ab eo qui confert. Pro quo facit cap. Ad nostram, De simonia. Infertur item non posse vendi ius eligendi ad dignitates, aut beneficia Ecclesiastica, aut confirmandi factam ad ea electionem: aut illa conferendi, quandoquidem omne tale ius est spiritale, ipsumque communicare alicui, est spiritalis iurisdictionis. 210.

Secunda propositio est, Actus quibus iurisdictio vo- 211.

luntaria

luntatia exercetur, si in spiritali materia versentur, esse quoque materiam simoniæ: vt relaxationes iuramentorum & votorum, dispensationes in legibus Ecclesiasticis, irregularitate, impedimentis matrimonij, & sic de id genus aliis; vt de priuilegiis aliisque fauoribus & gratiis ac licentiis in re spiritali concessis: quæ vel dispensationes quædam sunt, vel eas virtute continent, aut eandem cum illis rationem habent. Pro hac, *communiter recepta*, facit quod omnes tales actus sint supernaturalis iurisdictionis: pro cuius functionibus pretium accipere prohibitum est generaliter in citato cap. Ad nostram & in seq. cap. Consulere. Qua generali prohibitione patet contineri imprimis memoratas dispensationes: cum & versentur in materia spiritali, & ordinentur ad finem spiritalem: salutem nimirum animarum. Accedit quod ex Concilio Triden. sess. 24. cap. 5. De reform. matrimonij, dispensationes in matrimoniis dandæ sint gratis, itemque in legibus Ecclesiasticis, ex seq. sess. 25. cap. 18. De reform.

213. Tertia propositio est, Actus Ecclesiasticæ iurisdictionis contentiosæ, esse adhuc materiam simoniæ. Huic assentientes authores Suarez adfert. Ea vero probatur: tum illa generali ratione, quod tales actus spirituales, supernaturalesve sint ratione sui principij: nimirum potestatis supernaturalis à Deo datæ ad gubernandam suam Ecclesiam: adeoque tanquam Dei dona, sine simonia vendi & emi nequeant: tum ex speciali prohibitione quæ in iure canonico habetur de vnoquoque, ne pretium pro eo accipiatur: vt de actu visitandi, in cap. 1. §. penultimo, & in cap. 2. De censibus, in 6. & in Conc. Trident. sess. 24. cap. 1. De reform. Deinde pro actu Ecclesiastici iudicij; in cap. Cum ab omni, De vita & honestate clericorum: quod & attingitur in cap. Vendentes, 1. quæst. 3. cum dicitur, Item in templo vendentes sunt: qui hoc quod iure competit quibusdam, ad præmium largiuntur: iustitiam enim vendere est, hanc pro præmij acceptione seruare. Ac etiam satis clare significatur per prohibitionem factam in cap. Ad nostram ante citato: cum dubium non sit, iudicia Ecclesiastica cõputari inter ministeria Ecclesiastica, de quibus est ibi mentio. Præterea pro actu ferendi censuram & pro actu absoluendi ab ea; in cap. Ad aures, De simonia: in quo fit quidem tantum mentio absolutionis: sed inde satis insinuatur censuræ latio, quæ ab eodem spiritali principio prouenient, est pariter spiritalis. Accedit quod vtraque sit de numero actuum Ecclesiastici iudicij.

Quarta propositio, Ad simoniam sufficit, actum pro quo pecunia datur, prouenire ab Ecclesiastica potestate spirituali (secus sentiendum est de temporali, qualem habent in terris sui dominij Papa, ac nonnulli Prælati) etiamsi versentur in materia temporali & humana: cuius generis inter actus iurisdictionis voluntariæ censetur legitimatio: quatenus per eam tollitur inhabilitas quædam ad temporales honores, & commoda. Item licentia studendi humanioribus literis, aut philosophiæ, aut iurisprudentiæ, aut Theologiæ: itemque licentia easdem disciplinas docendi. Nam studere & docere actus sunt naturales, proxime ordinati ad humanam commoditatem: quamuis de actu docendi Theologiam aliqua sit difficultas: quam late tractat Suarez cap. 18. vbi inter cætera bene monet nu. 9. quod licet Theologiæ doctrina sit supernaturalis: actiones tamen magistri illam docentis sunt naturales, quib. naturali modo cooperatur ad hoc, vt auditores discant: iuuando eos & illuminando ad discendum.

De concionandi actu alia est ratio, vt idem in seq. num. 22. & 23. pluribus citatis habet; quia concionator concionando fungitur quasi munere legati Christi ad populum in ordine ad huius æternam salutem: illo præcipiente Discipulis Marci vltimo, Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Vnde in posteriori ad Corint. cap. 5. ait Apostolus: Legatione fungimur pro Christo. De catechista idem author subiungit in fine capitis, idem sentiendum esse ac de concionatore; si christianam doctrinam doceat modo persuasiuo, seu per modum cõcionis qua excitentur auditores ad tenendam firmam fidem eandem doctrinam, & ad operandum secundum eam. Sin doceat tantum ad iuuandam & exercendam auditorum memoriam, idem existimandum est ac de magistro docente Theologiam. Inter actus vero iurisdictionis contentiosæ seu inuoluntariæ prædicti generis censentur illi, qui spectant ad causas mere ciuiles inter Clericos, de bonis temporalibus, vel de criminibus aut iniuriis. Ratio autem allatæ propositionis est quod vsus iurisdictionis spiritalis, sit de se spiritalis, non obstante quod versetur in materia temporali: cum hæc non cadat sub talem potestatem, nisi vt ordinata ad finem supernaturalem, cuius gratia potestas eiusmodi constituitur. Qua de re pluribus agere spectat ad Theologum scholasticum.

De modis quibus aliquid potest licite accipi pro spiritalibus effectiue.

Sectio III.

214. PRo antedictis quæ ratione sui principij sunt spiritalia aliquid temporale (non obstante doctrina iam tradita) accipi potest: vel ex consuetudine laudabili ad sustentationem ministri: quo modo Episcopus visitans suam Diœcesim accipere potest illas quas vocant procurationes, tanquam stipendium sibi pro sustentatione debitũ, ex D. Thoma 2. 2. quæst. 100. art. 1. ad 3. quod habetur, ex cap. Cum Apostolus, ex cap. Cum venerabilis, ex cap. Procurationes, De censibus & ex Concilio Trid. sess. 24. cap. 3. De reform. in quo visitatores sic prohibentur cuiquam graues esse inutilibus sumptibus: aut pecuniam vel munus quodcumque qualitercumque offeratur, accipere; vt excipiantur victualia quæ sibi aut suis frugaliter, moderateq; pro temporis tantum necessitate, nec vltra ipsis ministranda. Cætera ibidem statuta de ipso visitandi actu, legenda sunt iis quibus tale munus incumbet.

215. Secundo, respectu eorumdem spiritalium, potest aliquid accipi in pœnam, quæ ab Ecclesia pro inobedientia, & contumacia (ne lex Ecclesiastica facile contemnatur) consueuit infligi ex cap. Venerabilibus, De sententia excommunic. in 6. §. Deniq;. Et ita sentit D. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 2. ad 3. Qua tamen in re cauendum est, *vt bene monet Sylu. verbo Simonia, quæst. 8. dicto 4.* ne talis exactio cupiditati potius, quam correctioni adscribatur. Atque ex hoc capite Rebuffus in praxi beneficiorum parte 3. in regula De dispensatione in gradib. prohibitis, glossa quinta, num. 13. excusat à simonia, quod solet fieri, cum duo qui propinqui sunt in tertio vel quarto gradu consanguinitatis, petunt dispensationem, vt matrimonio copulentur: ea hic conceditur vt iubeantur soluere certam pecuniæ summam. Namque talis solutio imponitur in pœnam: cuius timore fideles cohibentur à facili transgressione legis Ecclesiæ, qua eiusmodi copulatio prohibetur, ac etiam vt Summus Pontifex leuaretur à molestia, quæ quotidie exhiberetur ei per multitudinem assidue petentium talem dispensationem.

216. Tertio eorumdem spiritalium respectu, aliquid accipi potest per modum compositionis, prout fit quando Christiano, pro eo quod præstare debet ex voto vel alia obligatione, eleemosyna alioqua imponitur in redemptionem. Sic ergo cum in votorum dispensatione, aliqua pecuniæ solutio iniungitur, id non fit in pretium, sed in eleemosynam; in quam, vt in opus pium, commutatur votum. relaxando ipsum; non quidem per dispensationem nudam, sed per mixtam cum commutatione.

Quarto, aliquid recipi potest in sustentationem talia ministrantis, cui nullum cõstitutum est aliud stipendium. In exemplum induci potest quod accipitur à concionatore. Munus enim concionandi exercetur potestate, & authoritate Ecclesiastica; quam authoritatem esse donũ Christi supernaturale, patet per illud quod in priori ad Corinth. 12. vers. 28. & ad Ephes. 4. vers. 11. inter gratias à Christo gratis datas Ecclesiæ, ponatur authoritas docendi, per illa verba: Alios posuit Pastores & Doctores: vnde sequitur ipsum esse gratis exercendum, iuxta cit. cap. Vendentes: neq; pro eo pretium accipi posse sine simonia. Pro quo aliquot authores citat, additis rationibus Suarez in memorato cap. 18. à num. 22. Nihilominus concionator,

iuxta cap. Cum voluntate §. Prædicatores, De sentent. excommunic. accipere potest necessaria ad sustentationem vitæ, immo & studiorum suorum, vt consuetudo habet, monetque Sotus in lib. 9. De iust. & iure quæst. sexta art. 2. ad 2. Vbi & addit, quando concio non est prorsus necessaria, illum non contrahere simoniæ labem, si malit ibi prædicare verbum Dei, vbi melius sustentabitur; immo nec culpam committere, si ibi concionari renuat, vbi non sperat victum sibi suppeditandum esse. Sed in ea re & alias quotiescumque pro sustentatione minister spiritualium aliquid exigit, cauendum est populi scandalum, ne nomen Clericorum blasphemetur, tanquam auarorum ac reputantium spiritalia esse venalia: prout bene monet Caiet. in verbo Simonia, regula 4. in fine.

217. Quinto, potest quis sine peccato locare suas operas, & stipendium accipere pro labore exercendi officia sacristæ, Iudicis, & doctoris, etiam in Theologia, & aliorum, quorum functiones principaliter sunt naturales; & ideo non censentur materia simoniæ, quemadmodum expresserunt Caiet. *in verbo Simonia regula sexta*, & Sylu. *in eod. verbo qu.* 14. *dicto* 3. quod probat per cap. Charitatem 12. quæst. 2. Prælati tamen nullo modo locare possunt, & multo minus vendere officia iurisdictionem ipsorum requirentia, vt ibid. addunt Caiet. & Syluester. iuxta titulum Ne Prælati committant vices suas, &c. quibus consentit Nauar. *in Enchir. cap.* 23. *num.* 111. *ad* 14. Et confirmatur per illud Concilij Trident. sess. 25. cap. 11. De reform. Non liceat etiam iurisdictiones Ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi vicarios in spiritualibus locare; nec conductoribus per se aut per alios exercere.

218. Si quis obiiciat quod in curia Romana vendantur officia quædam habentia iurisdictionem vel administrationem Ecclesiasticam. Respondendum est, talia officia fructuosa esse, seu solita prouentus annuos reddere, ex multis variisque causis: nec pecuniam exigi, vel solui in pretium pro ipsis officiis, sed pro illis annuis prouentib. quos ipsa reddunt; qui cum sint temporales, nec Papa teneatur illos gratis concedere, non committit simoniam accipiendo pro illis pretium, iuxta doctrinam Panormit. quam habet Angelus Simonia 2. §. 25. quamque sequitur Suarez in seq. cap. 20. nu. sexto: sicut nec committit alius Prælatus, vel Curatus, cum locat alicui Sacerdoti fructus Ecclesiæ suæ: simulq; animarum curam gratis & sine vllo pacto committit, ex Sylu. loco cit. Et ratio est, quia nec dat nec accipit pretium pro re spirituali.

219. Postremo, simonia est, dare temporale pro intercessione seu interuentu, quo quis apud Papam, aut alios Prælatos interuenit, vt largiatur dispensationem, aut aliud ex spiritualibus effectiue. Ratio est, quod ad simoniam committendam pretium dando pro re spirituali, nihil interest siue illud is accipiat qui confert spirituale, siue alius; siquidem tam hoc, quam illo modo pecunia donum Dei possidetur. Idem etiam patet ex 1. Extrauaganti communi De sentent. excommunicationis innouata à Gregorio XIII. per Bullam relatam & copiosè explicatam à Nauar. in comment. De datis, & promissis pro iustitia & gratia obtinendis.

Nihilominus tamen ea in re simonia non committitur, si quis intercessori, promissionem iure gratitudinis debitam faciat verbis, aut scriptis generalibus, nihil addendo quo promissio iure naturali debita, transeat in ciuilem. Exemplum est, si quis bona intentione dicat, Non ero tibi ingratus si pro me obtinueris dispensationem: vel ero tibi gratus: vel me habebis amicum; vel nunquam te pœnitebit obsequij mihi exhibiti; vel loco, & tempore opportuno tibi gratias referam; vel me tuum in omnib. esse cognosces; vel fidelem, gratum, & amicum inuenies; vel de me ac de meis rebus, vt voles disponere poteris, & sic de cæteris; quibus homines in communi conuersatione vti solent implorantes alterius auxilium, sine animo aliter se obligandi, quam ex honestate præstita vrbanitatis causa: quæ nullo iure prohibetur: immo est debita iure naturali. Hoc habetur ex Nauar. in cit. commen. nota. 11.

Ex quo in præced. 10. adde: excusationem quoque esse saltem à mortali *(de quo antea in præcedenti num.* 166.*)* cum id quod in tali re promittitur, datur vel accipitur modicum est: quia in omni materia paruitas excusat à peccato mortali. Adde etiam ex sequent. nota. 32. à num. 51. non esse simoniam si intercessori aliquid detur ob aliam causam, quam ob dispensationem, vel aliam eiusmodi gratiam obtinendam; vt cum datur & accipitur ob meram liberalitatem, vel beneuolentiam, vel vt debitum iure stipendij, aut aliquo alio iure siue scripto, siue non scripto; quo mediatores, sollicitatores, & quicumq; alij intercessores possunt aliquid accipere pro suo labore, industria, diligentia, impensis, vel damno eis emergenti aut lucro cessante perinde ac possunt Notarij, & Aduocati.

Vnde quamuis cubicularij, secretarij, aliique familiares Papæ vel alterius Principis, aut Prælati, nihil debeant accipere pro mediocri opera, quam ex officio tenentur ponere in recipiendis iis qui pro obtinenda gratia ad illos veniunt, quia pretium acciperent pro eo quod debent gratis dare: tamen si in ea re maiorem operam & diligentiam adhibeant quam ipsorum officium exigat: nempe in benigne, & humaniter excipiendo ipsos venientes ad obtinendam gratiam: in præbendo eis aditum faciliorem, frequentiorem, opportuniorem: in deferendis supplicibus libellis citius & opportunis, in monēdo eos quid facere, & quomodo se gerere debeant: in reuocando Principi in memoriam negotium, ac rogando sæpius, aliutve agendo, quo citius & melius totum expediatur. Pro tali maiori opera & diligentia, possunt aliquid accipere: sicut & pro damnis, si quæ fecerint intercedendo: nempe quod ea de causa *(quia scilicet Princeps inde satisfactum eis putabit)* perdant obligationes aliquas antidotales: id est, quibus ex honestate remuneranda erant à Principe aliqua beneficia, vel amittant eas spes quibus à Principe aliquid expectant ob opinionem bonam de eis conceptam; vel ob beneuolentiam qua Princeps ipsos prosequitur: vel ob præstita obsequia: dummodo tamen non detur, & accipiatur plus quam mereantur prædicta.

Si quæras, An vt ante sic post obtendam gratiam aliquid dare intercessori sit simonia. Respondetur distinguendo. Nam si datur ex pacto, vel promissione præcedente; vel si datur tanquam pretium, quod soluitur pro gratia obtenta, est simonia. Si vero absque vllo pacto & promissione præcedente datur, non est de se simonia: cum non videatur dari in pretium, sed tantum ratione gratitudinis, amicitiæ vel liberalitatis. 220.

CAPVT XVI.

De peccato simoniæ prout committitur in re annexa spirituali antecedenter, seu antecedendo spiritalitatem.

SVMMARIVM.

221 *Non committitur simonia vendendo sacra vasa & alia temporalia quæ sint consecrata aut benedicta dummodo nihil accipiatur ratione consecrationis aut benedictionis.*

222 *Ratio qua talis venditio fieri potest licite.*

223 *Eam doctrinam proced. re. etiam quoad ea quæ nequeunt perdere acceptam benedictionem.*

224 *Oleum cuius est vsus in administratione Sacramentorum vendi non potest sine simonia.*

225 *Etsi absque simonia res antecedenter spiritales vendi possint, non licet tamen de eis negotiari.*

226 *Quatenus licitum sit aut non sit pro sepultura pretium accipere.*

EX quarta regula tradita in præcedenti cap. 11. quæst. 2. habetur, quod ad hanc rem pertinet, vasa sacra & vestes cæteraque omnia quæ sunt benedicta, vel consecrata, *vt candelæ, Rosaria, Agnus Dei, vt vocant, aliaque eiusmodi*: si ratione benedictionis aut consecrationis, quæ esse quoddam supernaturale acquirunt (per supernaturalem scilicet potestatem ordinata ad supernaturalem finem) maiore pretio vendantur, quam sine ea venderentur, si- 221.

moniam

moniam committi; non item si ratione tam materiæ quam artificij vendantur eo pretio, quo sine ipsa benedictione aut consecratione venderentur. Id quod (vtra eos quos citat Suarez in eodem lib. 4. cap. 14. num. 6.) annotant Angelus in verbo Simonia 2. quæst. 23. & Sylu. eodem verbo quæst. 12. Atque addunt, *quod ex communi sententia habetur ibid. Suarez*: eiusmodi vasa, vestes, & cætera id genus vendere, aut locare Ecclesiæ, vel Ecclesiasticæ personæ ad sacros vsus non esse simoniacum; quandoquidem non est necesse si vendantur, simul vendi spiritalia: vtpote quibus annexa dicuntur, non quod eis adiaceant, sed quod habeant ea sibi adiuncta tanquam accessorium sit vt nihil obstet quin secundum se vendi possint, sicut poterant ante eiusmodi annexionem (dummodo spiritalia ipsa transeant sine pretio ad emptorem) siquidem ratione suæ substantiæ & conditionis naturalis sunt res pretio æstimabiles quæ valorem suum non amittunt ratione benedictionis, vel consecrationis. Rationes quæ in contrarium adferri possunt late Suarez persequitur in eodem cap. 14. à nu. 12. in quibus, studio breuitatis non immorabimur: quia cum eodem possumus sine scrupulo in praxi sequi communiter receptam sententiam bona ratione fultam.

222. Ad vsus autem profanos talia vendere (*quod nonnunquam necessitas Ecclesiæ vel pauperum compellit facere*) iidem quoque addunt non esse licitum, nisi confringantur; itaut amittatur forma seu artificialis figura quam benedictio seu consecratio in subiecto cui accidit, requirit tãquam necessariam dispositionem. Addit præterea Syluester eadem posse etiam laico vendi integra, dummodo ille emat ea ad sacros & Ecclesiasticos vsus, vt ad celebranda mysteria diuina per suum sacellanum. Itemque posse laico obligari: quod intellige, ratione materiæ. Adde adhuc ex Soto *l. 9. De iust. & iure quæst. 5. art. 2. in fine*: posse eadem, cum aliis similibus benedictis consecratis commutari, vt calicem cum calice, & sic de cæteris. Qua etiam de causa existimandum est non esse illicitum ratione certæ vel alterius cuiuscumque materiæ vendere candelas, Rosaria benedicta, & id genus alia; etiam integra laicis vendantur, dummodo emantur in eos vsus ad quos sunt benedicta. Nec obstare quod talis materia sit parui valoris, ostendit Suarez in eod. cap. 14. num. 10.

Immo nec illicitum esse in prædicta commutatione si materia vnius talis rei fuerit maioris pretij, quam materia alterius; compensationem facere, ad æqualitatem, priuata etiam authoritate. Quod idem pari ratione sentiendum est de reliquiariis thecis, quæ ex materia aut ex forma artificiosa sunt pecunia æstimabiles. Adde & de castro; aut villa, vel prædio cui annexum est ius patronatus, seu nominandi, aut præsentandi ad aliquod Ecclesiasticum beneficium. Namque in omnibus talibus, locum habet memorata quarta regula: perinde ac habet ratio rei antecedenter annexæ spirituali.

Aduerte autem sequi ex dictis, quod ex D. Thoma habet Syluester in citata quæst. 12. dicto 5. prædictum castrum, villam, vel prædium vendi posse, vel dari in dotem, dummodo pretium non augeatur ratione iuris spiritualis eis annexi: quod esset simoniacum.

223. Sequi item quod Suarez habet in eodem cap. 14. num. septimo, non modo vestes & vasa sacra vendi posse ratione materiæ, sed etiam liquores benedictos, vt vinum aut oleum benedictum, dummodo non detur plus quam valerent sine benedictione. Nec obstat quod suam benedictionem nunquam perdere queant; cum ad eam nullam requirant formam artificialem tanquam necessariam dispositionem, sicut pleraque alia. Namq; ratione suæ substantiæ & conditionis naturalis, vt iam antea attigimus, sunt res pretio æstimabiles, nec valorem suum amittunt ratione benedictionis aut consecrationis. Quod vero hac posita nequeant in profanos vsus conuerti, pertinent quidem ad reuerentiam, ex accidenti debitam talibus rebus; sed non facit vt ipsæ amittant naturalem suum vlorem.

224. Occurrunt autem nonnulla notanda, per quæ in praxi moderanda est eadem memorata regula, ne contingat secundum eam agentem peccare. Primum est, quod Syluester notat *in citato verbo Simonia quæst. 8. dicto 6.* pro chrismate, seu oleo, quod benedictum ad vsum sacramenti Baptismi, per Ecclesias distribuitur: nihil, *ne quidem ratione honoris*, accipi posse sine labe simoniæ: saltem positiuæ: quandoquidem prohibitum est iure canonico 1. quæst. 1. cap. Placuit 2. idque natura religionis, ad vitandum specimen & periculum venditionis rei sacræ. Multo magis vero existimandum est nihil accipi posse pro oleo cuius est vsus in Sacramentis Confirmationis, Ordinis & Extremæ vnctionis. Namq; sacramentum, secundum nullam sui partem, sicut nec secundum se totum, vendi potest: cum, vt totum sacramentum, sic pars illius siue sit materia siue forma, rationem habeat rei (de qua dictum in præced. cap. 14.) causaliter spiritualis.

Secundum est, *quod Suarez habet in sequente num. 25.* licentiam vendendi eas res, quas vocamus antecedenter spiritales, non esse extendendam ad profanas negotiationes, quæ sint iniuriosæ earumdem rerum sanctitati, ob indecentiam quæ in eis notaretur: vt si emptæ in quantitate ad instar aliarum mercium ferrentur ad nundinas vendendæ & reuendendæ: quod quidem vix potest fieri sine periculo plus accipiendi ratione benedictionis. Nec item extendendam esse ad locationem earumdem rerum, *addit idem author.* ob eamdem rationem, ac etiam ob maiorem: qua cum locatio rei, sit venditio quædam vsus illius: non potest fieri rerum sacrarum, sine earum iniuria: vt patet si locatio sit ad vsum prof. num. Et probatur si ad vsum spiritalem: quia pro eo pretium accipere est rem spiritalem subiicere pecuniæ, quod illicitum simoniacumque est. 225.

Tertium est, quod idem author persequitur in eod. cap. 14. à num. 17. ad 23. Iure Canonico prohibitum esse accipere pretium pro sepultura, in omni loco facto, ad eam destinato ex cap. Quæsta est & tribus sequentib. 13. quæst. 2. & ex cap. Abolendæ, De sepulturis, & ex cap. Audiuimus, De simonia. Neque dici potest talem prohibitionem fieri tantum ratione spiritalitatis loci, puta benedictionis. Nam ratione quoque terræ cui benedictio accessit fieri patet ex illis citati cap. Abolendæ verbis, Inoleuit vt decedentibus, non prius permittatur effodi sepultura quam pro terra in qua sepeliendi sunt; certum pretium Ecclesiæ persoluatur. Id quod locum habere non tantum respectu Clericorum, qui non sunt domini loci: sed etiam laicorum habentium in eodem loco certam partem tanquam sibi propriam, pro sua & suorum tantum sepultura, deducitur ex cap. In Ecclesiastico. 13. qu. 2. cum generaliter dicitur, Interdictum sit omnibus omnino Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare: de quo Suarez ibidem nu. 21. 226.

Et citatis D. Antonio & Syluestro addit maiore ratione illicitum esse pro honoratiori loco sepulturæ pretium accipere: quia maior is honor prouenit ex maiore sanctitate, quæ æstimatur ex maiore propinquitate ad sanctissimum Sacramentum. Qua ratione sepultura censetur honoratior in templo, quam in cœmeterio, & in choro, quam extra eum. Attamen, vt idem etiam amplius addit, si quis velit onerare Ecclesiam, & ita possidere ius sepulturæ in aliquo certo loco illius, vt alius non possit ibi sepelirí; Clericiad subeundam talem obligationem & seruitutem, quæ onerosa est, nec de se spiritalis, aut rei spiritali annexa, possunt pretium accipere de consensu Prælati sui. Item si quis habet sepulchrum suis sumptibus ædificatum pro se vel suis, simonia non est illud quoad proprietatem vendere, respectu habito tantum ad expensas pro eodem ædificando factas. Id quod Suarez ipse in præced. nu. 18. notans adfert in confirmationem, quod talia loca iure hereditario transire soleant à parentibus ad filios ratione temporalitatis, in qua, *non autem in spiritalitate*, potest esse successio. Vnde consequens est posse eadem ratione, in alios pretio transferri, sicut alia temporalia; cum non nisi antecedenter, spiritalia sint. Veruntamen vt idem author admonet in fine sequentis cap. 28. vitandi est talis venditio, cum non careat specie auaritiæ, ac turpis lucri.

CAP-

CAPVT I.

De pecccato simoniæ, prout committitur in re annexa spiritali comitanter.

SVMMARIVM.

227 *Sententia dicentium non esse simoniacum capere pretium pro labore qui ponitur in administratione spiritalium.*
228 *Aliorum sententia, simoniam esse accipere pro labore necessario ad talem administrationem.*
229 *Qualiter is labor censeatur spiritalis, itaut vendi nequeat sine simonia, etiamsi necessarius sit tantum ex subiecto.*
230 *Responsio ad fundamenta prioris sententiæ: & quod pro labore non necessario ad spiritualium administrationem possit pretium accipi.*
231 *Explicatio dubij, an id pactum deduci possint ad sustentationem debita pro Sacramentorum administratione.*
232 *Quando possit Sacerdos maiorem eleemosynam accipere pro celebranda Missa, quam sit taxata constitutione Superioris aut consuetudine.*
233 *Oppositæ sententiæ de dubio An Sacerdos satisfaciat dicendo vnam Missam, pro pluribus à quibus singulis singulas accepit eleemosynas sufficientes.*
234 *Pars negans tenenda.*
235 *An mortale peccatum sit de se, non dicere Missam pro eo qui vt diceretur, dedit stipendium taxatum.*
236 *Quando peccet mortaliter qui accepto stipendio pro pluribus Missis celebrandis, per longum tempus differt celebrationem.*
237 *Documenta de anticipata celebratione Missarum pro iis qui daturi sunt eleemosinam pro celebrandis.*
238 *Quatenus obligatio quam Parochus habet celebrandi pro sua parochia, impediat ne possit stipendium pro celebranda accipere.*
239 *De quo quod faciendum est cum monasterium aut alia Ecclesia, onus habet celebrandi tantum Missarum numerum, vt ei satisfacere non possit.*
240 *Quando is qui plures eleemosynas accepit vt curaret Missas dici, possit aliquid sibi reseruare de summa accepta.*
241 *Quomodo lex possit fieri ab Ordinario, vt laici tantum dent nec minus, pro Missæ celebratione.*

227. RES annexa spiritali comitanter est labor necessario coniunctus cum spiritalium administratione: nec enim esse potest absque labore aliquo: pro quo pretium accipere, an simonia sit, versatur in controuersia. Nam Adrianus quodlib. 9. qu. 1. lit. D. & alij quos Suarez in seq. cap. 21. nu. 2. refert, volunt licitum esse pro tali labore, pretium accipere: etiamsi non sit licitũ accipere: pro ipsa administratione spiritualium, quæ ex Christi præcepto, expresso Matth. 10. debet fieri gratis. Eorum fundamentum est quod talis labor non sit de se quid spirituale: atque pro eo merces accipi possit iuxta illud Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo] & illud in priori ad Timot. cap. 5. Dignus est operarius mercede sua.] Quod etiam videtur aperte statui: 1. quæst. 1. cap. finali. Videtur & ratio ostendere quia talis labor, cum possit habere fatigationem, & aliam incommoditatem coniunctam æstimabilis est pretio: sicut & labor militantis, aut plantantis vineam, aut pascentis gregem, quibus apte comparatur: vt ex cap. nono prioris ad Corinth. habetur.

228. Contrarium autem (præter eos quorum ibid. Adrianus meminit lit. B, & C.) sentiunt D. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 3. ad 2. & ibidem Caiet. ac Sotus lib. 9. De iust. & iure quæst. 6. art. 1. paulo ante solutionem argumentorum, pluresque alij quos refert & sequitur Suarez in eodem cap. 21. à num. 5. licitum esse quidem administranti spiritualia, aliquid in vitæ sustentationem accipere, non tamen pro labore, qui omnino necessarius est in actu administrandi spiritualia. Ratio est: quia eo ipso quod Christus spiritualia gratis dari instituit, pariter instituit absque pretio dari laborem, qui necessarius est omnino ad ipsa administranda. Cum enim administrari nequeant absque aliquo labore: Christus præscribendo vt gratis administrarentur, consequenter præscripsit, vt labor ad talem administrationem omnino necessarius, daretur gratis: itaut simonia sit pretium pro eo accipere, tanquam pro eo quod non est simpliciter temporale, sed immixtum spiritali.

229. Hoc scilicet nomine, quod spiritualium administrationi, prout moraliter ab hominibus exerceri potest, necessarius sit omnino eiusmodi labor: vnde fit vt is cum illa coalescat in vnum corpus morale, & consequenter de eius valore perinde iudicandum sit, ac de valore ipsius administrationis: nimirum non esse pretio æstimabilem, nec vendi posse, sed omne pretium excedere. Ad quod illustrandum facit quod in profanis, quando actio nullius momenti est, nullius pretij censetur labor in ea positus: atq; prout ea fuerit maioris vel minoris momenti, labor in ea positus pluris aut minoris æstimatur, ac emi solet: quia talis ob illam tantum appetibilis est & quæritur. Vt igitur actio spiritalis vendi non potest, ita nec labor ad illius exercitium necessarius. Ad quod facit illud cap. Si quis obiecerit 1. quæst. 3. Quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum prouenit, neutrum inuenditum derelinquit. Facit etiam ratio. Quia labor necessarius ad aliquam actionem coalescit cum ea in vnum opus morale: eaque de causa conditionem eius accipit siue corporalitatis siue spiritalitatis. Non refert vero in hac re, an labor sit ad actionem necessarius intrinsece ex parte ipsiusmet actionis; an extrinsece ex parte agentis: nec enim ex eo quod Sacerdos senex sit aut æger (*ideoque debeat plus laborare in dicenda Missa quam iunior, aut sanus*) aut concionator eo quod multo plus laborat in dicendo, aut in præparando se ad debite exequendum illud munus, potest aliquid exigere in pretium & compensationem talis excessus laboris; vt nec potest Iudex lata sententia: ad quam debite ferendam plus laboris in studendo ponere debuit quam alius posuisset; aut alia sententia requireret: quia obligatus ad actionem, pariter obligatur ad subeundum laborem necessario requisitum pro illius executione.

230. Ad fundamentum vero oppositæ sententiæ respondendum est: ad authoritates quidem scripturæ non esse intelligendas de mercede quæ sit pretium laboris; sed quę sit stipendium personæ laborantis, vt necessaria ad suam sustentationem habeat, qui exercitium spiritualium, reuocatur ab exercitio temporalium, quibus illa acquiruntur. Ad rationem vero respondendum est, laborem sua natura vendibilem, fieri inuendibilem, ex ipsius necessaria connexione cum administratione spiritalium, prout satis aperte constat ex paulo ante dictis.

Cæterum præter illum necessario coniunctum in administratione spiritalium datur labor ei non necessario, sed solum per accidens coniunctus: vt exempli gratia cum quis petit à me vt ad aliquod oppidum me transferam ad celebrandum pro ipso, talis labor itineris non est necessario coniunctus cum celebratione Missæ, sed tantùm ex accidenti, seu ob circumstantiam interuenientem. Itaque minister potest pro tali labore pacisci, ac pretium accipere: quia est onus de se temporale, *retinens suam conditionem*, pecunia æstimabile: sicut & obligatio ad celebrandum expectando per longum tempus eum pro quo celebratur: aut obligatio celebrandi certa hora, certoq; loco, aut cum alia onerosa circumstantia. Hoc confirmatur ex consuetudine qua solent aliqui Sacerdotes locare suas operas ad sacramenta &, alia spiritalia ministranda in aliqua Ecclesia; (*etiam si locatio sit quædam venditio*) quia id non fit ad accipiendum pro administratione, sed pro obligatione qua tenebuntur quocumq; tempore & loco necessitas exiget, spiritalia ministrare. Id quod declaratur exemplo vsuræ. Nam licet pro mutuo nihil accipi possit: nihilominus pro obligatione mutuandi, aliquid exigi potest: quoniam ea est æstimabilis pretio: & ad mutuum habet se per accidens, itaut conditionem illius non contrahat.

231. De his plenius Suarez in citato cap. 21. quibus addenda est responsio ad vnum quæsitum. An illud quod administranti

nistranti spiritalia licitum est accipere in debitam & necessariam vitæ sustentationem, deduci possit in pactum: dicendo exempli gratia, Da mihi victum ad vitam necessarium, & ego impendam tibi omnem meam operam in celebrando sacrum pro te, & in audiendis confessionibus. Ad quod respondetur, id non esse secundum se illicitum. Nam ex natura rei, illud quod est de se alias debitum, deducere in pactum non est malum, nisi iusta aliqua de causa, Superioris ipsum prohibeatur; sicut in beneficiis multa pacta fieri prohibentur iure Canonico, quæ ex natura rei illicita non sunt. De quibus in sequent. cap. At in iure Canonico non inuenitur prohibitum pactum illud de quo agimus. Quanquam tamen potest peccatum in eo contingere; vel ratione nimiæ cupiditatis habendi, vel ratione scandali; præsertim quando pacifcens aliunde habet sufficientissime, quo se sustentet.

Dubia particularia, De iis quæ dantur, & accipiuntur pro Missæ celebratione.

AD hoc caput pertinent dubia particularia de iis quæ pro celebratione Missæ dantur, vel accipiuntur in sustentationem celebrantis. Ad quorum explicationem, iuuaret quidem cognitio multiplicis valoris Missæ, ac diuersorum modorum quibus is applicatur: sed quia paucis tradi non potest, differenda est in sequentem romum, in quo dicendum erit de Missa, cum de Eucharistiæ sacramento, lib. 29.

232. PRIMVM ERGO DVBIVM EST, An Sacerdos possit maiorem eleemosynam accipere pro celebranda Missa, quam sit taxata constitutione Superioris, aut consuetudine. Ad quod respondetur non posse, nisi ab eo qui taxationem scit, aliquid amplius sponte offeratur, aut donetur ex liberalitate, vel in compensationem laboris, vel obligationis quæ ad celebrationem ipsam requiritur solum ex accidenti. Cuius responsionis, ratio est: quod tota sic accipiendi causa iusta, sit stipendium ministro necessarium ad vitæ sustentationem: cuius quantitatem definire, non est ipsius ministri, sed Episcopi in synodo diœcesiana: vel Generalis præpositi ordinis in generali capitulo ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. De reformatione. Vnde si quis nesciens taxationem eleemosynæ, plus det Sacerdoti pro Missæ celebratione, quã taxatum sit, putans in tanta quantitate factam esse taxationem: Sacerdos ipse non potest illud accipere, quia non offertur ei voluntarie, cum vt dici solet, nihil sit volitum nisi cognitum.

Attamen quia lex positiua & consuetudo, debet iuri naturali cedere, si accipienti aperte constaret nihil tunc ei dari amplius, quam quod necessarium est ad alendum eo die pauperem Sacerdotem, posset illud retinere sine dantis iniuria, à quo potest iure naturali & diuino recipere temporale stipendium, quo indiget vt celebrando possit de altari viuere.

Hinc Melchior Canus *in lib. 12. De locis Theologicis cap. 13. ad 10. argumentum* (cui assentitur aliis citatis Petr. à Nauar. in lib. 2. De restit. *cap. 2. num.* 333.) Omnis, inquit, opinio in hoc conueniat necesse est, Sacerdotem siue pro paucis siue pro multis offerat, vitæ necessaria suscipere iure suo posse: quem cibum si vnus non dederit, nulli facit iniuriam si expectet à plurib. Immo iniuriosus es, si cogis Sacerdotem, vt solum pro te hostiam offerat, nisi tu illi præbeas cibum qui quantus qualisq; sit homini necessarius, prudentia magis quam Theologia diiudicat: vno enim tempore & loco, non satis erit nummus argenteus, &c. alio vero, abunde sufficere potest de quo iudicare prudentis est.

Id autem aduerte procedere, non modo cum celebrans pauper fuerit, sed etiam cum fuerit diues: vt post Sotum & Nauarr. notant Petr. à Nauar. *in sequenti nu.* 335. & Suarez ad 3. partem D. Thomæ disput. 86. sect. 3. quia Sacerdos diues, sicut & pauper, ius habet de altari viuendi; dummodo debita officia præstet. Quod spectandum esse in ea re, non autem quod Sacerdos diues sit aut pauper, argumento est, quod concedatur, diuitem Sacerdotem stipendij pro Missa determinati esse de se capacem; nec pauperem posse aliquid supra illud accipere, quando fuerit ad antedictam sustentationem sufficiens.

233. SECVNDVM DVBIVM EST. An Sacerdos satisfaciat, celebrando vnam Missam pro illis omnibus, à quibus singulis, singulas accepit eleemosynas, sufficientes vt celebraret pro singulis singulas. Cuius explicationem Petr. à Nauar. lib. 2. De restit. cap. 2. à nu. 313. late persequitur. In partem autem affirmantem inclinant, *congruenter doctrinæ D. Thomæ 3. par. quæst. 79. art. 5.* Caiet. in tomo 2. opusculorum tract. 3. cap. 2. & Sylu. Missa 1. quæst. 9. & Armil. eodem verbo quæst. 23. quia cum sacrificium Missæ sit infinitæ virtutis, tantum prodest pro multis oblatũ, quantum si pro singulis singulatim offerretur. Et ita cum ipsum non solum generaliter pro Ecclesia offeratur, sed etiam specialiter pro iis qui in momento cogitantur, ac pro omnibus circumstantibus, qui non sunt certo numero definiti; nec tam multi sunt, quin adhuc plures esse possint: fit inquam, vt nullus eorum propter cæterorum consortium minus habeat de effectu Missæ; sed singulis meritorum Christi, tanquam influxus capitis applicetur diuersis membris, iuxta mensuram deuotionis vniuscuiusq; prout Caiet. ait indicari per verba, Quorum tibi cognita est fides, & nota deuotio quo quibus tibi offerimus, vel tibi offerunt hoc sacrificium laudis, &c.

Nauarrus vero in Enchir. cap. 25. nu. 92. vers. 25. citans Scotum, Maiorem, & Gabrielem, & Melchior Canus loco ante citato, ac Sotus lib. 9. De iustitia & iure quæst. 2. art. 2. circa medium: postque eos Henriquez in lib. nono De sacramentis cap. 22. §. 5. & Iacobus à Graphiis lib. 2. Decisionum aurearum cap. 44. ac Petrus ipse à Nauarra & alij, partem negantem censent tenendam esse: quia Sacerdos cui sub conditione & onere celebrandi specialiter pro me sufficientem dedi eleemosynam, peccat contra iustitiam violatione pacti initi, si pro me specialiter non celebret. Non ergo potest eleemosynam alteri us admittere; pro quo simul, communiter ve celebret. Deinde *vt Sotus aduersus sententiam oppositam maxime vrget:* si ea esset vera, liceret Sacerdoti pro vna Missa statutum à iure vel consuetudine stipendium accipere, non tantum à duobus, vel tribus, sed etiam à triginta, immo à trecentis: quod nemo dicere audeat, cum aperte repugnet vsui Ecclesiæ ac mentidantium.

234. Cæterum quidquid sit de eiusdem sententiæ oppositæ fundamento, de quo grauissima difficultas est alibi tractanda: tenendum videtur cum his iisdem authoribus (*quos etiam sequitur Suarez in 3. partem tomo 3. disp. 86. sect. 4.* illicitum esse quando vnus pro celebratione, sufficientem dedit eleemosynam, adhuc alias ab aliis pro eadem celebratione recipere. Namq; *vt recte argumentatur Petrus à Nauarr. num. 330. & iribus sequentibus:* etiamsi concedatur nihil deperire de fructu sacrificij ex eo, quod alij simul admittantur ad illius participationem: vt nec quidquam deperiret alicui de fructu baptismi, si plures simul cum eo baptizarentur, dicendo Ego vos baptizo, &c. id tamen non obstabit quid committatur iniustitia, in illa aliarum eleemosynarum receptione: quia stipendium celebranti Missam non datur ob applicandum sacrificij fructum: quandoquidem alioqui simonia committeretur, non minus quam si daretur Prælato pecunia ob applicandum seu conferendum beneficium Ecclesiasticum: sed datur in stipendium temporale quo celebrans indiget vt administrando spirituale possit viuere. Accepto igitur eo quo ad ipsius strictam sustentationem sufficit (strictam dico quoniam ea satis est ad Missæ celebrationem, debetque Sacerdos necessaria aliunde habere vt argumento est quod ordinari non debeat sine beneficio, vel alio titulo vnde possit sustentari) contentus esse debet, neque plus, nisi voluntarie oblatum, potest accipere sine iniustitia: cum de iure ei nihil amplius debeatur.

Atque licet accipiendo, nihil in particulari inferat notabile damnum, quantumcumque centum, *aut etiam plures*, dent singuli sufficiens stipendium: accipit tamen illis rationabiliter inuitis, ob magnam inæqualitatem, vel laboris suscepti, ad mercedem; vel stipendij, ad sustentationem necessariam: ideoque peccat grauiter sicut &,

cum quis furatur modica à diuersis, ex quibus magnam quantitatem confici videt, peccat mortaliter: etiamsi nullus eorum quibus furripuit sit in particulari læsus notabiliter, quia omnes simul, & sunt irrationabilier læsi, & sunt rationabiliter inuiti, quod talis fur contra ius naturæ dicatur ex furto.

Intelligitur autem ex his beneficiarium aliumve qui accepto sufficienti stipendio iam est obligatus celebrare pro benefactore, non posse tertio stipendium accipere, nisi sub obligatione aliam Missam pro eo celebrandi per se, vel per alium, vel restituendi acceptum. Quod confirmatur: quia stipendium in hac re, sub ea tacita conditione datur, vt præter proprium fructum ex obligatione sacrificij referendum, dans intendat: tum vt sua causa in Ecclesia multiplicentur Missæ, ob speciales orationes efficaciorem habentes vim impetrandi ex assiduitate & deuotione Sacerdotis tum etiam vt sua causa iuuetur Ecclesia, per ampliationem cultus diuini, vtilitatemque viuorum & defunctorum: vt recte notat Henriquez in citato § 5. litera F, Si tamen quis sciens priorem obligationem Sacerdotis, nihilominus ei det stipendium, merito præsumitur quod det gratis, nec pro eo imponat obligationem, quam videt apertum impedimentum habere.

235. TERTIVM DVBIVM EST. An sub mortali sit obligatio ad vnius vel plurium Missarum celebrationem, pro qua acceptum stipendium, non est quantitatis sufficientis ad furtum mortale constituendum, iuxta antedicta in cap. 1. huius libri quæst. 4. Ad quod dubium Petrus à Nauarr. *lib. 2. Dereſtit. cap. 2. n. 381.* respondet non esse sub mortali, si is qui iussit Missam celebrari, sciat eam omissam esse: nec, cum possit, mandet omissam suppleri: quia non censetur talem iacturam tanti facere, vt per eam notabiliter læsus, aut iniuria graui affectus æstimari velit. Esse vero sub mortali si nihil tale excuset: quia Sacerdos, qui iustum stipendium pro celebratione Missæ accepit, cum qui dedit priuat iniuste notabili fructu spirituali, quem intendit sibi & aliis procurare.

236. QVARTVM DVBIVM EST, Quid dicendum sit de Sacerdotibus qui magnam Missarum multitudinem anticipato stipendio promittunt, nec per lõgum tempus implent promissum; aut qui cum non habent eleemosynas, dicunt Missas anticipatas vt postea aliquo offerente eleemosynam pro Missa eidem, illa accepta, applicent vnam vel plures ex Missis ipsis antea dictis. Ad cuius dubij priorem partem respondetur ex Sylu. Missa 1. quæst. 10. in fine tales peccare mortaliter: quia soluere tenentur, quam cito possunt; non minus quam illi qui habent pecuniaria debita. Idem notat à Nauar. in cit. cap. 2. nu. 366. & duobus sequentibus: admonens posse tamen pauperem Sacerdotem aliquas habere eleemosynas anticipatas, non multas, nec longo tempore (quod suæ conscientiæ & arbitrio boni viri relinquitur definiendum) quando alioqui ad vitæ sustentationem necessaria, ei suo tempore non supperetent.

237. Ad posterioris vero partis explicationem idem author *ibidem num. 369. & aliquot sequentib.* ista statuit.

Primum est: Sacerdoti non habenti: obligationem aliam, licere Missas anticipare, quas in posterum certa intentione dicere tenetur: vt si teneatur pro fundatore dicere ter Missam singulis hebdomadibus, potest hac hebdomade dicere, sex, anticipando solutionem faciendam sequenti hebdomada. Rationem ille reddit, quia anticipato soluere; boni debitoris est, & vtile creditori: præcipue animæ existenti in purgatorio. Hoc tamen intelligendum est, *vt ille mon. 1.* cum hac exceptione: nisi contrarium specialiter haberetur in fundatione: vt cum ad decorem, præciperetur ne hebdomada vlla prætermitteretur sine sacro Missæ.

Secundum est: Sacerdotem, qui non habet Missas ex obligatione dicendas, posse intentione alterius, qui plures habet dicendas, vel vt dicantur procurandas celebrare: eoque monito quod pro ipsius intentione toties celebrarit, accipere stipendia solita dari pro tot celebrationibus. Huius rationem idem author affert: quod talis celebrarit pro intentione certæ personæ: quæ quod non fuerit præmonita, nec præsciuerit pro se faciendum, nullo modo impedit effectum sacrificij Missæ.

Tertium est, dupliciter posse, Missam celebrari sine applicatione ad aliquem: vno modo nihil cogitando de ea reseruanda, vt postea applicetur pro intentione certæ personæ; sicque pro celebratione ipsa Sacerdos non potest eleemosynam accipere, nec de ea promissionem vel applicationem facere; quia opus meritorium, nec applicatum, nec reseruatum alicui, pertinet ad Ecclesiæ thesaurum, cuius dispensator est solus Papa. Altero modo illud fieri potest cum expressa aut virtuali voluntate reseruandi Missæ celebrationem, in posterum applicandã pro intentione certæ personæ: vt sit cum quis celebrat indistincte pro eo quem Deus nouit petiturum ab ipso, vt pro eo Missam celebret: hocque modo posse postea eleemosynam recipi à certa illa persona, ad quam applicatio prædicta determinatur. Id quod Petrus ipse à Nauarra probat à num. 373. quia licet opus illud sit præteritum respectu nostri, in Deitamen acceptatione & æternitate manet præsens. Vnde quod attinet ad Deum acceptanté ita recens est, ac si eodem momento offerretur. Ergo sicut haberet valorem sibi debitum, si nunc offerretur: ita etiam nunc applicatum tantundem valebit. Erit enim retentum, & quasi depositum vsque ad tempus applicationis: perinde ac si artifex vas aliquod pretiosum formaret vt Regi offerat, illudque apud se retineat, idoneum tempus præsentandi expectans. Nec refert quod vas sit quid permanens, & celebratio Missæ quid successiuum, & iam præteritum: quia respectu Dei neque præterita prætereunt neque futura expectantur vt veniant, sed ipse in sua æternitate omnia tempora prætergrediens, in eadem retinet illa recentia ac præsentia. Vnde sicut bona opera Christi & Sanctorum, ex quibus conflatur Ecclesiæ thesaurus, applicantur Christi fidelibus à Summo Pontifice: quia quamuis iam præterierint, remanent nihilominus in æternitate, & acceptatione diuina; ita sacrificium Missæ præteritum potest applicari danti eleemosynam, cum ipsum similiter permaneat in Dei æternitate, & acceptatione. Qua de re, licet adhuc possint adferri alia quæ eam reddant in speculatione satis probabilem ipsa tamen in praxi non caret periculo scandali (à quo cauendum est) cum facile sit aliquos induci ad existimandum accipi stipendium nec persolui ministerium pro quo datur.

238. QVINTVM DVBIVM EST. An obligatio quam Parochus habet celebrandi pro sua parochia, impediat quominus stipendium taxatum possit pro celebratione accipere. Ad quod respondetur, in cæteris quidem parem esse Parochi & aliorum Sacerdotum obligationem; sed in hoc diuersam esse, quod eo die quo de iure, vel de consuetudine pro sua parochia celebrare tenetur, non possit quidem accipere eleemosynam ad celebrandum pro fidelib. alterius Parochiæ: possit tamen pro fidelibus suæ Parochiæ; quia quantumuis teneatur celebrare pro tota sua Parochia generaliter: consuetudine tamen introductum est, ex tacito consensu offerentium eleemosynas, vt à Parochianis oblatas pro sui commendatione facienda in Missa, Parochus ipse accipiat, etiam quando celebrat generaliter pro tota Parochia. Quem tacitum consensum in tali re excusare, habet ex Scoto quodli. 20. arti. 2. si Nauar. *in Enchir. cap. 25. nu. 92. in fine*: & locũ habere, etiam Parochus dicues sit, expressit Henriquez in lib. 9. De sacramentis cap. 22. §. sexto: vbi habet adhuc aliam excusationem: nempe si beneficium Parochi esset adeo tenue, vt illum non alat congrue: nec aliunde à Parochianis ei prouideatur de congrua sustentatione.

239. SEXTVM DVBIVM EST. Quid faciendum sit, quando monasterium vel alia Ecclesia onus habet celebrandi tantum Missarum numerum, vt ei satisfacere non possit, siue ob ministrorum paucitatem, siue quia stipendium nimis tenue est: nempe quia in fundatione Missarum data est quædam eleemosyna quæ tunc temporis solita erat dari, sed multo minor quam sit ea quæ nũc dari solet per legem vel consuetudinem taxata. Cuius dubij responsio habetur ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. De reform. vbi datur Episcopis facultas in synodo diœcesana sta-

na statuendi in hoc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, ac Ecclesiæ vtilitatem viderint expedire: ita tamen vt semper defunctorum, qui Missas celebrari instituerunt, & eorum qui pro suarum animarum salute legata ad pios vsus reliquerunt, commemoratio fiat. Quam eandem facultatem idem Concilium ibidem, tribuit Abbatib. & Generalibus ordinum: vt scilicet in suis capitulis generalib. re diligenter perpensa, possint pro sua conscientia idem statuere in suis Ecclesiis, quas tali prouisione indigere cognouerint.

Ad quod Henriquez in citato §. sexto in fine addit: Episcopum vt temperet onera dicendi Missas in capellania collatiua habente prouentum nimis tenuem, non egere Synodi congregatæ consensu: sique casus necessitatis vrgeat, satis ei esse capituli consensum. In quam sententiam plures alios citat in margine litera P, atque in 7. §. subiungit: quod quando ad finem anni multarum Missarum stipendia supersunt, quibus monasterium satisfacere non potuit, soleant eædem Missæ pro dictis reputari: ipsaque stipendia vim habere eleemosynæ: Papa rationabiliter commutante voluntatem contribuentium. In quo ideo non fit ipsis iniuria: quia quoad impetrationem diuinorum donorum satisfit ipsis per Missas quæ in tali monasterio celebrantur generali intentione pro benefactoribus: quoad satisfactionem vero, per bonorum operum monasterij vel religionis applicationem, iisdem benefactoribus factam. Cuius doctrinæ fundamentum est, quod Papa in restitutione bonorum, quæ sunt in incerta, & in obligationibus vltimarum voluntatum, ac in piis causis, facultatem habeat dispensandi propter commune Ecclesiarum bonum. Immo sicut potest taxare generaliter eleemosynas, quæ pro missis celebrandis dantur, atque illas augere si expedire iudicauerit: ita potest in illis dispensare in bonum huius vel illius monasterij, aut Ecclesiæ, quando necessitas eius exegerit.

240. SEPTIMVM DVBIVM EST, An Sacerdos qui ab aliquo plures eleemosynas accepit, vt curaret Missas pro ipso celebrari, licite possit aliquid sibi ex iisdem eleemosynis sumere pro cura & labore quem suscipit in quærendis Sacerdotibus qui easdem Missas celebrent. De hoc, *vt Nauar. meminit in Enchir. cap. 25. nu. 91. v. 24.* vna sententia est Maioris *in 4. dist. 45. quæst. 3.* negantis posse accipere: & altera Soti *lib. 9. De iust. & iure quæst. 3. art. 1.* affirmantis posse, si sit Parochus, vel alius cui ex statuto vel consuetudine incumbat ratione sui officij, *quale esse potest sacristæ*, tales elemosynas iis quæ celebrarint distribuere.

Ipsemet autem Nauarrus distinguendum censet. Nam si datæ sint eleemosynæ maiores quam requirantur de consuetudine, vt celebretur is Missarum numerus, qui à dante petitur; excessus ille potest accipi à Sacerdote celebrationem procurante: quia dantes scienter eleemosynas solito maiores, videntur reuera dedisse excessum loco stipendij, pro cura & labore quem suscipit procurans vt celebretur. Si vero datæ eleemosynæ nihil excedant stipendium solitum dari pro numero Missarum quæ petuntur, nihil de ipsis detrahi potest: quia id fieret vel in iniuriam celebrantium, si his detrahatur aliquid de solito stipendio, nisi id de libero ipsorum fiat consensu: vel etiam in iniuriam petentium Missas, si pro ipsis non celebrentur tot quot petierunt dato sufficienti stipendio.

Hic aduerte quod Henriquez habet in fine citati 22. capitis. Capellanum cui pingue stipendium respondet pro paucis Missis, si impeditus sit, aut non sit aptus celebrare, obligationi satisfacere easdem Missas celebrando per alium data ei consueta eleemosyna, quantumuis minor sit eo, quod obuenit ipsi: quia reliquum sibi retinet titulo beneficij, quod beneficiatio suo fructificat: dummodo tamen vitet ne Sacerdos cui dat, videns eleemosynas de se tenues per vnam Missam satisfaciat multis commendatis.

241. POSTREMVM DVBIVM EST. An ab Ordinario fieri possit lex, vt laici tantum, nec minus dent pro Missis aut alijs diuinis officijs celebrandis. Ad quod respondetur: quando nullum scandalum inde imminet, id licite interdum fieri posse: quia sicut laici possunt compelli ad obseruandas laudabiles consuetudines, & ad dandas consuetas eleemosynas post administrata spiritualia ex cap. Ad Apostolicam, De simonia: ita etiam constitui licite potest, *præsertim vbi Clerici inopia præmuntur*, vt non detur eleemosyna solito minor aut iam alias taxata: non potest tamen constitui ne Clerici eleemosynas minores solitis, accipiant pro administratione spiritualium; quia id esset liberalitati, pietati, & charitati aditum occludere: possunt enim Clerici in eleemosynis sibi debitis in toto aut in parte remittendis liberales esse.

CAPVT XVIII.

De peccato simoniæ prout committitur in re annexa spiritali consequenter.

SVMMARIVM.

242 *Quid beneficij nomine significetur, & quo modo ipsum sit spirituale.*
243 *Beneficium multis modis acquiritur in quibus potest simonia contingere.*
244 *Documenta de simonia quæ committitur in electione ad beneficia.*
245 *Resignatio quid & quotuplex sit.*
246 *Resignatio facta in fauorem tertij quomodo sit simoniaca.*
247 *Eadem potest in manibus Papæ, non item in manibus Ordinariorum.*
248 *Quando in resignatione beneficij contingat, vel non contingat simonia mentalis.*
249 *Non est simoniacum post resignationem beneficij factam pure & simpliciter in manibus superioris, rogare ipsum vt illud certæ personæ conferat.*
250 *Renuntiationes quæ non valent facta ad rem permutationis in manibus Ordinarij.*
251 *Simoniaca est resignatio beneficij facta cum reseruatione pensionis sine authoritate Papæ.*
252 *Quando committatur simonia tractando de pensione imponenda beneficio sub Papæ beneplacito.*
253 *Quando renuntians committat simoniam accipiendo temporale ea de causa.*
254 *Resignationes simoniacæ cum regressu, aut cum accessu, aut cum ingressu, quid sint, & in quo differant.*
255 *Renuntiatio quæ tantum est titulo, fieri potest propria authoritate: non autem cum admixtam habet quandam permixtionem beneficiorum.*
256 *De ratione qua cum beneficium de quo litigatur vnicum est, possit pro illius renuntiatione, vel non p. s. t aliquid accipi.*
257 *De bono pacis, & alia iusta causa, ob quam authoritate Prælati, pro renuntiatione litis aliquod temporale accipi potest.*
258 *Ratio qua non potest, & ratio qua potest Prælatus pensionem imponere ei cui adiudicat beneficium litigiosum.*
259 *Quod talis pensio imponi possit ad vitam illius cui assignatur.*
260 *Conuenientia inter beneficij resignationem & permutationem: quodque hæc fieri nequeat sine Episcopi authoritate.*
261 *Quæ in hac re comprehendantur Episcopi nomine.*
262 *Permutationi beneficiorum, quatenus à permutantibus, tractatio de ea præmitti possit.*
263 *Permutatione beneficium facta sine Superioris authoritate, illicita est ac simoniaca.*
264 *Beneficium tantum cum beneficio, potest permutari authoritate Episcopi.*
265 *Beneficium simoniace obtentum aut aliter habitum sine titulo, non potest cum alio beneficio permutari.*
166 *De difficultate, An simonia committatur in beneficiorum permutatione, in qua inæqualitas per pecuniam reducitur ad æqualitatem.*
267 *De simonia quæ committitur in vsu iuris patronatus.*
268 *Quando sit aut non sit simonia beneficium conferre consanguineo.*

269 *Simonia est iure diuino prohibita, vendere prouentus annexos iuri spiritali, quatenus tales.*
270 *Quo modo fieri possit Papæ authoritate eorundem prouentuum venditio seu alienatio.*
271 *De annatis, quod non sit simonia eas exigere.*
272 *De quindemiis, quod nec in earum solutione sit simonia.*
273 *Nec item in taxationibus & compositionibus quæ fiunt pro expeditione literarum Apostolicarum ad obtinenda beneficia.*
244 *Pensio quid & quotuplex sit.*
275 *Pensiones communes, seu quæ indifferenter tam laicis, quam Clericis conferuntur, sine simonia vendi posse probabile est.*
276 *Non item Clericis propriæ, seu quæ illis vt Clerici sunt conferuntur.*
277 *Earum aliæ dantur pro spirituali officio, seu ministerio: quæ sunt variæ.*
278 *Aliæ dantur pro beneficio Ecclesiastico: idque tribus modis.*
279 *Nonnullæ de iisdem notanda.*
280 *Papa potest pensionem imponere super aliud beneficium resignatarij, quam illud quod ei resignatur.*
281 *Quomodo nec simonia nec iniusta sit clausula apposita in reseruationibus pensionum vt soluantur, siue habita, siue non habita beneficij possessione.*
282 *Quomodo labe simoniæ careat quod pensio authoritate Papæ redimatur anticipatis solutionibus.*

AD hunc locum spectat maxime, simonia quæ in beneficio Ecclesiastico cõmittitur committitur, tanquam ea quæ præcipuam difficultatem habet: ad quam minuendam faciunt quidem multa eorum, quæ antea in cap. 11. & 12. generaliter dicta sunt de simonia; sed tamen supersunt adhuc multa: quæ complectemur explicatione aliquot quæstionum.

242. Cui præmittendum est primo, beneficij nomine significari ius percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, Clerico competens ob diuinum officium. Vbi aduerte beneficium non esse fructus, seu prouentus qui percipiuntur ex reb. Deo dicatis: neque esse ministerium Ecclesiasticum, ob quod illi percipiuntur: sed esse ius illos percipiendi tanquam profectos ex reb. quæ fideliũ pietate in Deum, oblatæ sunt, & Ecclesiæ authoritate institutæ ad sustentationem ministrantium Deo Clericorum. Dicuntur vero dicatæ Deo seu consecratæ in ipsius cultum & obsequiũ: quia id quod impenditur Clericis prout Dei ministeria obeant, Deo ipsi tribui dicitur.

Prænotandum est secundo, beneficij ius esse spirituale, prout vocatur in cap. Dilecto, De præbendis §. Procurator. Et ratio est, quod non nisi personæ Ecclesiasticæ, nec nisi ob ministerium Ecclesiasticum, nec nisi authoritate Prælati Ecclesiastici detur; prout satis patet ex probato Ecclesiæ vsu. Vnde nulla controuersia est, quin illud vendendo, simonia iure diuino prohibita committatur. De quo postea. Iam vero beneficium ius est spirituale, non quidem secundum suam substantiam, cum consistat in rebus temporalibus, puta in vino, tritico, & alijs eiusmodi percipiendis: sed quia annexum est spiritali eo nomine, quod in illo à quo habetur, ordinem Clericalem ac ministerium clericale præsupponat.

Prænotandum est tertio, multis modis beneficium acquiri: nempe collatione, præsentatione, nominatione
243. cum institutione, itemq; postulatione vel electione cum confirmatione: de quibus agendum est pluribus in sequenti lib. 30. tract. 3. qui erit de pertinentibus ad statum Clericorum.

Prænotandum est quarto, pro generali regula teneri: quod simonia committatur in beneficio quoties pro ipso habendo aliquid pecunia æstimabile promittitur aut datur, nempe si quis promittat, vel det aliquid tale vt nominetur aliquis, vel præsentetur, vel postuletur, vel eligatur, vel instituatur, vel confirmetur in beneficio, vel vt conferatur alicui beneficium, vel in alicuius fauorem resignetur, vel cum aliquo permutetur. Quæ regula manifesta est ex cap. Super eo, De transactionibus: immo ex toto tit. De simonia: & ex 1. quæst. 3. apud Gratianum fere per totam, & aperte ex Concilio Trident. sess. 24. cap. 14. De reformat. Quibus ita prænotatis ad propositam explicationem aggrediendum est.

QVÆSTIO I.

Quomodo simonia committatur in electione ad beneficia.

DE hac re notanda sunt aliquot documenta. Primum 244.
est, Merito excusari à simonia eum, qui dat pecuniam ne eligatur indignus, relicto digno: non item eum qui dat vt eligatur dignior relicto minus digno: quando electio arbitrio eligentium tota relinquitur. Huius prior pars probatur: quia tunc intentio dantis censeri potest tantum esse impedire iniustitiam quæ committeretur eligendo indignum prætermisso digno. Posterior vero probatur: quia tunc intentio dantis non censetur esse impedire peccatum, quod nullum in eo est (cum digniorem tunc eligere, sit tantummodo consilij) sed facere vt dignior eligatur: quod nequit eo modo, sine labe simoniæ: nisi talis pecunia detur ad redimendam vexationem: quæ conditio sufficit ad talem labem abstergendam, iuxta dicta in præced. num. 133.

Secundum est, Non modo temporale, sed nec beneficium licet promittere pro suffragio, seu voce electionis; ex cap. De hoc, extra De simonia: vbi id punitur pœna depositionis.

Tertium est, Simoniam esse, si quis alicui Ecclesiæ det sua bona vt eligatur in canonicum, etiamsi daret vt præbenda ex illis constitueretur: non autem si ea absque vllo pacto offerret & simul rogaret in Canonicum admitti, sibique permitti eadem bona pro præbenda retinere: atq; eiusdem Ecclesiæ Clerici pure consentiant. Ita statuitur expresse in cap. Tua nos, De simonia. Adde talem bona sua donando Ecclesiæ, posse sibi reseruare aliquam partem fructuum, sicut & postulare concedi sibi ius patronatus.

Quartum est, non esse simoniam si quis ad beneficium eligatur & admittatur cum pacto vt soluat onera, & præstet debita obsequia eidem beneficio imposita: hoc habetur ex cap. Significatum, De præbendis.

Quintum est, Simoniam committi, si electores sibi inuicem dicant: placeat tibi pro meo suffragium ferre, & ego pro tuo suffragium feram, vel aliud æquiualens. De qua re videndus est Sylu. in verbo, Simonia, quæst. 13. dicto. 4.

QVÆSTIO II.

Quomodo committatur simonia in resignatione beneficij.

PRænotandum est, resignationem beneficij esse libera- 245.
lem eiusdem dimissionem, factam in manibus Superioris, illiusve ad quem pertinet in eodem beneficio alium instituere. Quæ dimissio dicitur etiam, tum cessio, tum renuntiatio: vnde Summularij de illa agunt in verbo Renunciatio. Distinguitur autem in absolutam seu puram, & in conditionalem: quarum illa est, quæ in manibus Superioris fit, vt ipse cui voluerit beneficium resignatum conferat. Pro qua sumendo pecuniam, simoniam committi certum est, ex cap. Cum pridem De pactis. Videri possunt quæ Sylueſter habet in verbo Renuntiatio quæst. 6. dicto 1. Conditionalis vero est duplex; vna quæ fit ex causa permutationis, de qua in sequenti quæst. & altera quæ fit in fauorem alicuius tertij, vt illi beneficium resignatum conferatur. De qua instituitur præsens quæstio. Ad cuius explicationem aliquot documenta proponemus.

Primum est. Resignationem beneficij factum in fauo- 246.
rem tertij, idest, adiecta conditione quod nec alias, nec alio modo fiat: non esse quidem simoniacam iure naturali & diuino: esse tamen iure positiuo, tanquam per ipsum prohibitam, vt iniuriosam rei spiritali.

Huius prior pars ex eo patet, quod talis renunciatio non sit venditio rei spiritualis pro temporali: quandoquidem pro nulla re datur, gratisque offertur: non tamen

men cuilibet, sed solum ei personæ in cuius fauorem resignatur; quod non est contra Christi præceptum, Gratis accepistis gratis date; quod nec iubet, nec prohibet dare vni potius quam alteri. Posterior vero, *quam habet Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 107. ad 10. cum pluribus aliis, quos refert & sequitur Suarez in memorato lib. 4. cap. 35. num. tertio*: confirmatur ex cap. fin. De pactis: vbi omne pactum & conuentio circa spiritualia dicitur debere omnino cessare: & ex cap. Quæsitum. De rerum permutatione: vbi dicitur, quod pactio circa spiritualia vel annexa spiritalibus labem simoniæ semper contineat. Adde quod ex Concilio Triden. sess. 25. cap. 7. De reform. & ex Canonibus qui ibidem in margine citati habentur: interdicta sit in beneficiis species omnis hæreditariæ successionis: cuiusmodi aliquam talis resignatio continet. Et certe experientia docet plerumque fieri, vt ex resignationibus multa mala oriantur, dum beneficia ad indignos relictis dignis perueniant: eo quod in illis resignandis præcipua ratio habeatur carnis & sanguinis.

247. Secundum documentum est. Prædictam renunciationem licite fieri in manibus Papæ. Ratio est, quod id sit tantum contra ius Canonicum, supra quod Papa potestatem habet. Adde quod idem à multis seculis secundum Romanæ curiæ stylum, sit seruatum teste Nauar. loco cit. vbi & notat Gregorium XIII. cœpisse nihilominus ab eo recedere: etiamsi permitteret vt simul cum renunciatione vnius, præsentaretur petitio alterius, cui renuntians vellet beneficium conferri.

Tertium documentum est. Eandem resignationem in manibus Ordinariorum fieri, prohibitum esse non solum stylo curiæ Romanæ, sed etiam iure communi. Hoc ex glossa ad cap. Ex parte 1. De officio delegati habent Nauar. loco supra memorato, & Rebuffus in praxi beneficiorum par. 3. tit. De pura resignatione: per cap. Quam pio 1. quæst. 2. & cap. Cum pridem, & cap. fin. De pactis: quibus prohibitur omnis conditio, conuentio, & pactio in beneficiis Ecclesiasticis. Inde enim sequitur, Prælatos Papa inferiores, qui violationem iuris communis (*cui ipsi quoq; subiiciuntur, ex cap. Cum inferior, De maiorit. & obedien.*) purgare nequeunt: non posse admittere resignationem beneficij factam sub ea conditione, seu pacto, vt tali vel tali conferatur: adeout beneficium sic acceptum, tanquam per simoniam collatum, possit à Papa impetrari, vt ibidem in fine Rebuffus habet, concludendo contra Staphileum, talem resignationem fieri non posse. Idem contra Sotum tenens Suarez in sequenti num. sexto; in confirmationem adfert perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, quæ habet vt inferiores Prælati non admittant tales renunciationes. Id quod argumento est reseruari Papæ; siue cuius proinde licentia (*vt idem ibid. tractat à num. 11.*) si ipse inferior, cum tali conditione renuncitionem acceptans, conferat beneficium, collatio erit nulla tanquam facta à non habente sufficientem authoritatem. Erit item nulla, si contra acceptet quidem renuntiationem, sed reiecta conditione resignantis, beneficium conferat alij quam ei in cuius fauorem resignauit; quia per talem renuntiationem beneficium non vacat, donec adimplera sit conditio; sub qua, & non aliter, talis voluit se priuare eodem beneficio. Videri potest idem author.

248. Quartum documentum est. Ne mentalem quidem simoniam esse, si in manibus Ordinarij resignatio pure simpliciterque fiat: adeoque sine vlla conditione, vel pacto expresso aut tacito: quantumcunque fiat ea intentione, vt detur certæ personæ. Istud est Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 107. ex communiter recepta glossa *ad cap. Ordinationes 1. quæst. 1. verbo. Pretia.* Estque Diui Anton. 2. par. tit. 1. c. 5. §. 11. Item Sylu. in verbo Renuntiatio quæst. 6. dicto 2. Tab. eodem verbo num. 4. & Armillæ nu. 3. Confirmatur vero, quia ibi non est voluntas percipiendi aliquid pecunia æstimabile pro re spirituali. Si quis tamen haberet intentionem resignandi beneficium in manibus Ordinarij, non simpliciter, sed cum pacto vt conferatur certæ personæ, simonia est mentalis, saltem positiua: vt sufficienter probatur ex iuribus antea memoratis, prohibentibus pacta pro spiritalibus obtinendis. Quam simoniam peccatum esse mortale Nauar. expressit in fine eiusdem nu. 107. Et ratio esse potest, quod iniuriosa sit Ecclesiæ; in quâ fouere potest pernicioſam in beneficiis successionem, quasi hæreditariam.

Quintum documentum est. Non esse simoniam; nec illicitum in foro conscientiæ, *quidquid sit de foro externo*, si post resignationē pure ac simpliciter factam in manibus Ordinarij resignans oret eundem Ordinarium, vt beneficium resignatum conferat alicui certo, qui dignus sit. Istud etiam habet Nauarr. in eodem num. 107. ad 10. & in lib. 5. consiliorum tit. De simonia consil. 36. & 38. Et confirmatur; quia id non est contra ius naturale vel diuinum: cum tota res sit relicta arbitrio eiusdem Ordinarij: itaut liberum ei sit cuiuis idoneo illud conferre: idquod, ipsum resignandi verbum importat. Nec etiam est contra ius canonicum qui tantum repugnat resignatio facta cum pacto & conuentione. De qua tota re latius Suarez in eodem cap. 35. num. 15. & deinceps; additis nonnullis, quæ comprehenduntur aliquot sequentibus documentis. 249.

Sextum est igitur, *de quo ille in num. 18.* Non valere renunciationes, titulo ac colore permutationis factas coram Ordinario: vt si ego renunciem in fauorem tui nepotis, & tu in fauorem mei: quia licet videatur quædam permutatio, non est tamen pura, sed mixta cum resignatione in fauorem tertij; ad quam approbandam non est Ordinariis data potestas iuxta antedicta. 250.

Septimum est, *de quo idem num. 19. & 20.* Non esse licitum permutationem fingere, vt renuntiatio quæ fit in gratiam tertij ab Episcopo acceptetur tanquam permutatio. Nam id aperte iniuriosum est, tum Ecclesiæ contra cuius canones per apparentem permutationem, vult quis reddere validam simplicem renuntiationem in fauorem tertij factam: quam nullam esse idem ius decernit: Tum etiam Episcopo qui tui piter decipitur, dum putat se acceptare renunuciationem factam gratia permutationis, & reuera acceptat simplicem, in fauorem tertij. Vnde fit vt talis renuntiatio sit nulla, *vtpote quæ fit sine sufficienti authoritate*, nec etiam valeat collatio consequens: quia licet ad eam Episcopus sufficientem habeat potestatem: in eam tamen non consentit sufficienter, ignorantia impediente. Immo etiamsi hæc abesset illa non valeret: eo nimirum nomine, quod beneficium conferri non possit, nisi vacet: & in tali casu cum renuntiatio sit nulla, non inducit vacationem.

Octauum documentum est, *quod insinuatur à Nauar. in cit. num. 107. ad 7.* Simoniacum esse, resignationem beneficij, quæ sit reseruata pensione sine authoritate Papæ. Hoc ab omnibus receptum esse notat Suarez. Et probatur tum ex cap. Cum Clerici. De pactis; tum ex eo quod pensio sit res pure temporalis: vtpote quæ solum est onus quoddam pecuniarium: nimirum obligatio numerandi certam pecuniam, imposita beneficio antequam ipsum conferretur. Quam obligationem aduerte non habere rationem pretij; quia non imponitur beneficiario ad compensationem faciendam: sed imponitur beneficio antequam conferatur, quod ita oneratum transit ad ipsum beneficiarium. Id quod non est natura sua illicitum: ideoque fieri potest Papæ authoritate: qui non subest Ecclesiasticis sanctionibus. 251.

Quod autem in hac re dicitur de pensione, pari ratione dicendum est de omni alio onere quod sit æstimabile pecunia. Vnde, *vt Suarez ipse bene monet in fine nu. 23.* in beneficij renunciatione facta in manibus Papæ cum conditione pensionis, cauendum est ne priuatim, & sine eiusdem Papæ approbatione, adiiciantur onera quæ non sint inclusa in pensione ipsa: quale esse potest: quod pacto antecedente, is qui beneficium acceptarus est obligetur ad dandam laicam cautionem de pensione soluenda: aut ad dandam aliquam anticipatam solutionem. Item quod is qui habuit beneficium litigiosum, & multas expensas fecit litigando, atque illud tandem obtinuit, renuntiat eidem in fauorem tertij; sub conditione vt is tales expensas sibi refundat: quodquidem constat esse onus pecunia æstimabile: nec per se, nec per accidens coniunctum bene-

ficio, aut illius collationi. Vnde fit, vt pro his illud subire, non sit satisfacere obligationi beneficio annexæ: sed pretium pro eo soluere; quia tales expensæ factæ sunt tantum in commodum illius qui litigabat, neque is cui postea beneficium collatum est, talium fuit causa: & ideo nullo iure tenetur ad earum solutionem; itaut ab eo nulla alia ratione petantur quam compensationem renunciationis beneficij factæ in ipsius gratiam: perinde ac si lis antea fuisset de domo, quam quis vendens exigeret vltra iustum pretium expensas quas feciſſet in litigando. Nam quia nullo iure ei debentur, merito censetur non alia ratione eas petere, quam in compensationem venditionis domus: quod sicut iniustum est, sic & illud, est simoniacum, naturali etiam simonia: quam non modo Episcopus, sed nec Papa purgare potest. Licet possit pensionem imponere, aut partem aliquam fructuum in sustentationem, renuncianti assignare: vel alio modo ei consulere: quod & licite posset, etiamsi expensæ non præcessissent.

252. Nonum documentum est, *quod tangit Iacob. à Graphiis in lib. 2. Decis. aur. in fine cap. 96.* Simoniam etiam esse cum tractatum est de pensione imponenda cum consensu Papæ: & superaddita est conuentio de ea extinguenda: nec quando beneficium ab eodem Papa impetratur, de tali conuentione facta est ei mentio. Nam cum omnis conuentio in adeptione beneficij contraria sit iuri Canonico est ex cap. finali De simonia, purgari debuit authoritate ipsius Papæ: quod fieri non potuit ipso eam ignorante. Vbi nota obiter ex Nauar. in lib. 5. cons. tit. De simonia consil. 49. conuentionem factam sub beneplacito Papæ non purgari donec Papa eam actu probarit: ideoque perinde committi simoniam adimplendo cõuentionem ante habitam Papæ approbationem, ac implendo non factam sub ipso Papæ beneplacito. Adde etiam ex Sylu. in verbo Renunciatio qu. 6. dicto 3. esse quidem simoniam si quis pro pecunia, vel pensione ex pacto soluenda, renunciet literis Apostolicis De prouisione beneficij sibi facienda, quia vendit ius ad beneficium in iis litteris sibi acquisitum: non esse tamen simoniam si ex officio Iudicis vel bonorum virorum interuentu pure renunciet, & aliquod commodum temporale sibi ab altera parte de honestare, misericorditerve oblatum recipiat: prout deduci potest ex cap. Sane, De renunciatione.

253. Decimum documentum est. Simoniam committere eum qui pro temporali commodo recipiendo, renunciat liti super beneficio Ecclesiastico aut alio spirituali. Hoc habent in verbo Renunciatio Angelus num. 9. Tab. num. 5. Sylu. in cit. qu. 6. dicto 4. & volunt id procedere quantumcumque dictum commodum exigat ratione expensarum & sumptuum, quos fecit in procurando tali Beneficio litigioso. Probatur autem ex cap. Cum pridem, De pactis. Addunt iidem ex Innocentio & Hostien. (de quo plenius in sequenti docum. vltimo) non esse simoniam si authoritate Superioris compositio fiat, & propter bonum pacis detur aliquid renuncianti. Item si compositio fiat authoritate Iudicis, aut etiam alicuius boni & honesti viri constituti Iudicis arbitri, in quem à partibus litigantibus facta sit compromissio ad bonum pacis. Hæc confirmantur ex cap. Nisi essent, De præbendis. Subiungunt iidem consequenter pecuniam dare alicui ne super re spirituali, *vt super beneficio*, litem excitet, non esse simoniam, si dans habeat ius quæsitum in eadem re spirituali, & pecuniam det pro redimenda vexatione. Esse vero simoniam, si vel nullum habeat ius acquisitum ad talem rem, vel dubium sit an habeat iam acquisitum, necne. Ad quod confirmandum faciunt dicta in præcedenti cap. 11. quæst. tertia, dub. tertio.

254. Vndecimum documentum est. Inter cæteras resignationes in fauorem tertij factas, damnari maxime per sacros Canones (vt patet ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 7. De reformatione, & ex Canonibus qui ibidem in margine notati habentur) eam quæ fit cum regressu aut cum accessu, aut cum ingressu: fit vero cum regressu, quando quis resignat beneficium, & facultas ei datur, vt ipse si resignatarius præmoriatur, redeat ad beneficium resignatũ, habeatq; in eo ius pristinũ. Fit autem cum accessu quando quis impeditus est obtinere beneficium: vel ob ætatis defectum, vel ob censuram Ecclesiasticam aut irregularitatem, vel ob aliquod crimen; daturque ei facultas, vt post legitimam ætatem, vel absolutionem à censura, vel dispensationem in irregularitate, vel purgationem à crimine, accedere possit propria authoritate ad ipsum beneficium & illud habere. Fit demum cum ingressu, quando quis beneficium resignat ante acceptam illius possessionem, daturque illi facultas, vt si resignatarius præmoriatur, resignans accipiat propria authoritate suum beneficium resignatum, & intret in possessionem illius.

Vnde aduerte differentiam inter tria illa: nimirum, quod regressus supponat plenum aditum ad beneficium resignatum. Accessus vero & ingressus non supponant; sed ingressus supponat aditum tantum ex parte, quandoquidem non supponit aditum ad possessionem beneficij: & accessus nullo modo supponat aditum, sed potius exclusionem illius per impedimentum Canonicum, quo ponitur obex consecutioni beneficij. Atque de his Rebuffus notat in praxi beneficiorum. 3. part. tit. De regressibus: si fiant ex causa publicæ vtilitatis, vt scilicet melius deseruiatur Ecclesiæ, fauorabiles esse, & ampliandos: sin minus damnabiles esse & reprobandos. 255.

Tanquam documentum vltimum addi potest de renunciatione beneficij super quo litigatur primo si renunciatio sit litis tantum eam fieri posse propria authoritate, vt cum duo sibi mutuo litem mouerunt super beneficiis quæ possident: & inter se conueniunt, vt vno simpliciter renunciante liti alter simili modo renunciet, itaut vterq; sine onere nouo perseueret in sua possessione, totaq; res maneat in suo statu. Ratio vero est quia id non est de se illicitum nec iure canonico sic prohibitum vt opus sit authoritate Superioris purgari.

Secundo, si cum renunciatione litis coniuncta sit renunciatio beneficij, vt si in proposito casu litigantes transigant, vt vicissim alter alterius beneficium accipiat; tunc opus esse authoritate Superioris ratione permutationis beneficiorum quæ interuenit. Ea enim est pactio iure canonico prohibita per cap. finale De pactis: ideoque eget purgatione facta per authoritatem Superioris: qui esse potest non modo Papa: sed etiam Ordinarius, vt ante notatum est ex cap. vnico De rerum permutat. in 6. Idem iudicium est, si lis sit super plura beneficia, & litigantes transigant inter se vt vnus vnum beneficium pacifice possideat & alter alterum. Nam & in eo cernitur quædam ratio permutationis. Deinde cum ius vtriusque sit dubium, consentaneum est authoritate Superioris ad quem pertinet collatio transactionem fieri: cum contingere possit vt alterutrius, nullum ius sit de facto: quod alter ei authoritate propria dare non potest. 256.

Tertio, si de vno tantum beneficio contendatur & pro litis renunciatione (quia illud diuidi nequit) detur aliquod aliud beneficium: vt cum litigans pro beneficio pingui collitiganti offert beneficium minus, vt renunciet liti: quia in tali casu cernitur quædam ratio permutationis, debet authoritas Superioris sicut in præcedentibus interuenire: aut si rationem permutationis neges, debes concedere rationem resignationis in fauorem tertij: quã ante diximus requirere authoritatem Papæ.

Quod si in eodem casu detur aliquid temporale: vel datur ex sola honestate & misericordia, post pure factam renunciationem: & tunc non esse necessariam Superioris authoritatem, dubium non est; quia cum non modo naturali sed nec canonico iure id prohibitum sit, non eget ipsius superioris purgatione. Vel datur vt pretium, quod ne Papæ quidã authoritate licitum esse potest tanquam iure naturali & diuino damnabile ac simoniacum. Vel datur alia iusta de causa tanquam onus rationabiliter subeundum: de quo iudicare non relinquitur voluntati litigantium: qui solent intendere propriæ vtilitati, maxime temporali: sed committitur prouidentiæ Iudicis, qui ratione officij præsumitur intentionem habere rectam. Et cum in tali causa constitutus sit tanquam distributor, ei conceditur vt vtrique parti prouidere possit de fructibus beneficij, prout visum fuerit magis expedire,

propter

propter bonum pacis & vtilitatem; iuxta cap. Nisi, De præbendis.

257. Quo pacis & vtilitatis nomine vt Suarez notat *in tract.3.De religione lib.3.cap.51.nu.12.* intelligitur commodum illud temporale, *& ideo pretio æstimabile*, quod litigans cõsequitur per pacem cum collitigante constitutam: tanquam liberatus à magnis incommoditatibus quas adferre solent lites. Qui & addit in tali impositione oneris temporalis eidem commodo correspondentis, Iudicem posse rationẽ aliquam habere iustitiæ & æquitatis, ob quam beneficiarius merito debeat illud sustinere: qualis in eo cernitur, quod Clericus suo iuri renuntians patiatur necessitatem alimentorum: ad quæ recipienda ex tali beneficio, possit iustam causam habere, ratione illius iuris etiamsi dubij. Item quod multos labores susceperit, magnas expensas fecerit, aliasque incommoditates in prosecutione causæ perpessus sit. Quæ rationes cum temporales sint, expendi possunt à Iudice, vt aliquid temporale adiudicet litiganti qui renuntiat liti.

Quod autem hæc habeant locum in Iudice arbitro, seu in quem litigantes compromiserint, vt rem componeret: Doctores consentire per cap.2. De arbitris, notat idem Suarez in sequenti num. 24. qui & rationem addit: quia manifesta iniustitia committeretur: eum beneficio qui ius in illud habuerit priuando sine compensatione iure concessa ob bonũ pacis, aliamve iustam causam. Admonet quoque idem ibidem, supponendum imprimis esse tale arbitrium compromitti non posse nisi in Clericos, *quandoquidem materia & personæ sunt Ecclesiasticæ*, eosque viros prouidos & honestos quorum ordinatio nec suspecta esse, nec malum exemplum habere queat: iuxta cap. Nisi, De præbendis. Quod & ratio dictat: quia illud munus est graue: requirens authoritatem cõferendi beneficium: in tali casu iure concessam in eodem cap. cum fieri possit, vt titulo existente dubio, beneficium adiudicetur ei qui in rei veritate non habet illum: ideoque arbitrando conferendus sit ei, vt censeatur bene sufficienterque prouisus.

258. Cæterum licet intelligere ex dictis, octauum documẽtum, in quo dictum est simoniacam esse resignationem factam cum reseruatione pensionis sine Papæ authoritate; restringendam esse ad casum in quo partes de beneficij resignatione inter se tractantes in ordine ad consensum & ordinationem Prælati, conueniunt vt resignatio beneficij fiat cum onere soluendi ex eo pensionem. Cuiusmodi trãsactio reprobatur iure canonico in cap. Constitutus cap. Præterea & 1.2. De transactionibus, & in cap. Cum pridem De pactis: ideoque à Prælato qui tenetur eidem iuri se conformare, admitti non potest. Secus est vero, si partes nihil prius inter se de pensione tractarint: sed rem totam Prælati arbitrio componendam reliquerint. Nam is arbitrio suo, modum eum compositionis potest constituere, vt vnus retineat beneficium de quo litigatur, & pensionem de illo soluat collitiganti. Quod eidem Prælato tunc licitum esse ob bonum pacis Doctores *quos refert Gigas de pensionibus quæst. 6. num. 3. & 4.* colligunt ex verbis illis citati cap. Nisi. Quod autem ordinatum est circa reliquum, vt ipse viginti libras de reditibus Capituli, & quadraginta de prouentibus prioratus, percipias annuatim: hoc secundum prouidentiam intelligitur esse præceptum ex arbitraria potestate. Non est autem existimandum, in eo compensationem iuris spiritalis fieri, pro temporali onere, *quod illicitum est ex cap. 2. De arbitris, & ex cap. finali De rerum permutatione:* sed Prælatum concessione iuris, per suã prouidentiam iustis de causis separare à fructibus beneficij certam portionem, & alteri eam applicare.

259. Versatur autem in dubio, An talis pensio imponi possit ad vitam eius cui assignatur: an solum ad vitam personæ cui beneficium attribuitur. Hoc tractat Suarez *in eodem cap.51.num.18.* sequiturque sententiam eorum qui existimant imponi posse ad vitã eius cui assignatur: eo quod vsus communis declarauerit id esse magis conforme iuri; ad idemque faciat, quod in cap. De cætero De transactionibus dicitur pensionem impositam per transactionem iuridicam sine authoritate Episcopi, non excedere vitam eius cui est imposita. Vnde per argumentum à contrario inferri potest, authoritate Episcopi talem imponi posse quæ vitam eiusdem excedat, sitque ad vitam eius cui assignatur. Nec obstat memoratum cap. Nisi: in quo contrarium satis aperte insinuari videtur: quia in casu illius, pensio non erat imposita authoritate Episcopi; sed aliorum arbitratorum iudicio: sicut & in illo cap. De cætero, & in cap. 3. De collusione detegenda.

Qvæstio III.

Quomodo de simonia committatur in permutatione beneficiorum.

260. Magnam habet conuenientiam cum resignatione permutatio beneficiorum, cum nihil sit aliud quam mutua, & reciproca beneficiorum resignatio, facta vt mutuo alter, beneficium obtineat alterius. Nec enim qui beneficium permutat, ius suum transfert in alterum, vt fit in aliis permutationibus; sed ius suum cedit, & resignat in manu collatoris, vt is illud alteri conferat, ita vt non sit tam permutatio, quam duplex resignatio, cum duplici collatione. Cæterum ad propositæ quæstionis, sicut ad præcedentis explicationem, aliquot documenta trademus.

Primum esse potest: quod in permutatione beneficiorum non committatur simonia iure diuino, sed iure tantum canonico prohibita: nisi fiat ob pecuniam, in prẽtium illius datam. Atque non committi iure diuino probatur; quia non aliter quam dando temporale in pretium rei spiritualis, committitur simonia iure diuino prohibita. In permutatione autem beneficiorum datur solummodo ius spirituale vnius, pro alio simili iure spirituali alterius. Committi vero simoniam iure canonico in eodem casu (prout expresserunt Nauarrus *in Enchir. cap.23. num.100. vers.3.* & à Victoria *in relectione priore De simonia num.17.*) patet ex cap. Quæsitum: & ex cap. Cum olim & ex cap. Cum vniuersorum De rerum permutatione. Quod intellige tunc tantum contingere, cum talis permutatio sine Superioris authoritate facta fuerit; prout notat glossa ad citatum cap. Quæsitum *verbo Non possunt*, iuxta textum ibid. §. Si autem, & cap. Inter cætera De præbendis. Ex quibus locis, & clarius ex cap. vnico De rerum permutatione in sexto) patet adhuc Superiorem illum esse posse, non modo Papam, sed etiam Episcopum.

261. Cuius nomine qui comprehendantur, copiose disserit Suarez in citato lib. 4. cap. 32. Contenti etimus pro praxi notare primo, quod ille aliis citatis habet num.11. nomine Episcopi intelligi eum qui habet iurisdictionem Episcopalem, etiamsi non habeat Episcopalem dignitatem: vt Capitulum sede vacante: & Abbas exercens in suos, illa quæ sunt officij & curæ Episcopalis, non requirentis consecrationem Episcopalem: cuius generis esse actionem permutationis beneficiorum, dubium non est.

Mouetur autem difficultas, quam idem author consequenter tractat, An eodem nomine comprehendantur alij Prælati, qui etsi talem iurisdictionem non habeant: ad ipsos tamen spectat collatio beneficiorum permutandorum: adeo vt ipsi possint eorum permutationem sufficienter approbare, neque ad id sit opus interuenire Episcopi authoritatem. Censet vero, pro solutione distinguendum esse: vt vbi Prælatus, ad quem pertinet collatio, consuetudinem habuerit approbandi permutationem beneficiorum suæ collationis, illam nihil amplius requirere tanquam factam Episcopali iurisdictione, quam ad eum actum, tali Prælato per præscriptionem acquisita sit. Vbi autem non est consuetudo, quæ tale ius præscriptione acquisitum indicet, requiri authoritatem Episcopi approbantis permutationem, & conuentionem partium; sine qua approbatione censebitur simoniaca: ex cap. Quæsitum De rerum permutatione. Non poterit tamen ipse Episcopus procedere ad collationem eorundem beneficiorum, nisi de consensu illorum Prælatorum ad quos ea pertinet; ac etiam patronorum, si sint beneficia iuris patronatus.

262. Secundum documentum est: Volentes permutare beneficia, posse absque simoniæ labe tractare de tali permutatione facienda, & concludenda beneplacito, & authoritate Superioris, ad quem pertinet permutationem ipsam approbare. Hoc (etiamsi contradixerit Hostiensis) tenendum esse cum aliis, notat Syluester verbo Permutatio 2. q. 5. Addens ne quidem tunc labem eam, permutantes incurrere, cum permutationem concluserint obligando se ad standum conuentioni inter se factæ: dummodo fecerint, non quidem simpliciter, & absolute, sed sub expressa conditione, si Superiori placuerit. Talis enim conclusio nondum habet vim contractus validi, cum suspendatur vsque ad Superioris consensum. Quod vero per cap. finale De pactis, & per alia in præcedenti documento citata, damnatur conuentio & pactio in beneficiorum permutationibus: debet intelligi de ea quæ sic concluditur priuata permutantium authoritate, vt authoritatis Superioris nulla ratio habeatur, neque ad illius officium exigendum conclusio ordinetur. Et certe quod inter se tractare de beneficiorum suorum permutatione, non sit illicitum beneficiariis, satis constat ex eo, quod Superior beneficium permutationis causa in manibus ipsius resignatum, alteri quam ei cum quo de permutatione facienda conuentum est, conferri nequeat: ex Clemen. vnica De rerum permutatione. Sicut igitur permutatio ipsa est licita, erit quoque tractatio, quæ eam tanquam medium necessarium præcedere debet.

Quam doctrinam Suarez approbãs in memorato cap. 32. num. 7. mouet præter ea dubium: An in tali tractatione liceat permutantibus obligare se, ad perseuerandum in sua conuentione, donec ea præsentetur Superiori, isque recuset eidem consentire. Respondet autem affirmatiue: quia talis conuentio non est de permutatione beneficiorum, nisi iuxta iuris concessionem; totaq; consistit in mutua promissione perseuerandi in concordia inter eos facta: quæ de se bona est, nec vitiatur ex obiecto: cum vt supponitur, sit de eo, quod iura permittunt: puta de permutatione facienda secundum beneplacitum eius Superioris, cuius est illam approbare aut reprobare.

Tertium documentum est: Beneficiorum permutationem factam sine Superioris authoritate non tantum simoniacam esse iure positiuo, *vt ante habitum est:* sed etiam esse de se illicitam. Istud satis indicant verba illa cap. penult. De rerum permut. Licet ipsi per se de iure nõ possent Ecclesiastica beneficia permutare. Et confirmatur: quia permutatio beneficiorum includit eorundem vt resignationem, sic & nouam collationem: quam facere priuata authoritate, est iniuste sibi vsurpare ius Superioris, ad quem ea pertinet; vt ad dispensatorem authoritate Apostolica constitutum: non modo spiritualium, sed etiam temporalium bonorum illius Ecclesiæ cui præficitur. Accedit quod permutatio beneficiorum requirat illorum, tum renuntiationem, quæ fieri debet in manu Superioris iuxta textum expressum in cap. Admonet, De renuntiatione: tum nouam collationem iuxta textum item expressum in regula 1. De regulis iuris extra. Adeo vt verum sit, non posse permutationem beneficiorum fieri propria permutantium authoritate. De quo Suarez in fine eiusdem. cap. 32.

264. Quartum est: Non posse absque simonia (saltem positiua seu prohibita iure canonico) permutari beneficium cum pensione vel patrimonio ad cuius titulum Clericus est ordinatus, neque cum iure decimarum, vel cum iure patronatus, vel cum re mobili benedicta aut consecrata, puta calice, aut alia, cuius est vsus in sacro ministerio, vel cum iure ad beneficium, quod non sit ius in re, sed tantum ad rem, per accessum, vel regressum vel electionem, vel præsentationem, vel aliam nominationem. Istud est Nauarr. *in Enchir. cap. 23. num. 100. vers. 3.* Quod extendit ad permutationem iuris ad rem, cum simili iure, aut cum beneficio siue iam quæsito, siue adhuc vacante. Patet autem ex cap. Cum pridem. & cap. finali De pactis, in quo omnis pactio & conuentio pro spiritalibus obtinendis, prohibita est: adeo vt ipsa fieri nequeat absque Papæ dispensatione. Imo ne cum ea quidem, si id quod datur in commutationem beneficij sit quid temporale, nisi quod detur exceptio in permutatione beneficiorũ: quæ in cap. Quæsitum De rerum permut. & in cap. vnico eodem tit. in 6. permittitur fieri authoritate Episcopi.

Quibus in locis beneficij nomen esse intelligendum proprie, non autem extendendum ad illa memorata, quæ non nisi improprie, beneficia censeri possunt: bene ostendit Suarez *in tract. 3. de relig. lib. 4. cap. 33. præsertim num. 7. & 8.* Qui legendus est pro plena totius huius rei notitia: additis iis quæ idem habet in præced. cap. 31. à num. 16. Nam in iis immorari nimis longum esset nec pro praxi est omnino necessarium, cum constet esse in ea re tenendum certum, & relinquendum incertum; sicut est id, quod nititur tantum interpretatione verborum, qua transferuntur à propria sua significatione: sicut transfertur nomen beneficij accipiendo ipsum in sensu quo ante memorata significet.

Quintum est: Eum qui beneficium simoniace obtentum, aut aliter habitum sine titulo, permutat in manibus legitimi Superioris, cum alio beneficio: nullum ius acquirere ad idem beneficium. Hoc habet Sylu. in verbo Permutatio 2. quæst. 13. concluſ. 6. Et probatur: tum quia ex præcedenti documento, is qui permutat beneficium, debet ius quæsitum in eo habere, iuxta illud in cap. vnico De rerum permut. Secundum formam iuris sua beneficia permutare volentes. Nam vox (sua) significat ius quæsitum habere: tum quia Prælatus conferens beneficium causa permutationis non confert simpliciter & libere, sed ob aliud dimissum: tum demum quia res aliena permutari non potest ex lege 1. § 3. ff. De rerum permutatione. Beneficium vero, cuius non habetur iustus titulus, alienum est. 265.

Sextum documentum est: Certum esse quidem simoniam committi quando permutando beneficium dignius cum minus digno (vt decanatum cum canonicatu simplici) datur pecunia in compensationem inæqualitatis illius spiritalis: quia nihil ad simoniæ labem contrahendam refert, an detur pretium pro re spirituali, siue in partem siue in totum. Nihilominus difficultatem esse, vtrum simonia committatur dum fiunt duo cõtractus: prior quidem, quo beneficia simpliciter & libere permutantur, nulla habita ratione possessionum eis admixtarum: posterior vero, quo permutãtur eæ ipsæ possessiones; quæ cum temporales sint, possunt per temporale datum & acceptũ, reduci ad æqualitatem. Atque talem reductionem factam per tractatum huius posterioris permutationis licitam esse, aperte sentiunt Sylu. in verbo Permutatio 2. quæst. 6. Angelus in eodem verbo num. 6. Tabiena in verbo Beneficium 3. num. 18. & in eam sententiam propendent Cajet. 2. 2. quæst. 100. art. 4. & Nauarrus in Enchir. cap. 23. nu. 100. vers. 3. in fine: quorum fundamentum est cap. Ad quæstiones De rerum permut. 266.

Illicitam vero esse indubitãter asserit à Victoria in prior parte relectionis De simonia numero 17. sub finem. Cuius fundamentum est, quod alioqui, si quis permutaret præbendam non habentem reditum, cum habente reditum ducentorum aureorum, posset dare ei mille aureos ob talium beneficiorum inæqualitatem: quod dicere est beneficia ipsa venalia facere: cum id perinde sit ac dicere pecuniam dari posse pro beneficij renuntiatione in compensationem emolumentorum temporalium quæ habet admixta. Eamdem sententiam pluribus aliis in eam citatis in sequenti cap. 34. num. 6. Suarez præfert præcedenti. Ratio vero est, quod talis permutatio sine simonia iure diuino prohibita fieri nequeat nisi possessiones ipsæ à beneficio, iureve spiritali cui coniunctæ sunt, separentur. Nam manente admistione: is qui vnum vendit, nihil inuenditum relinquit, iuxta cap. Si quis obiecerit prima quæst. 3. nempe vendit quoque spirituale, cui est admixtum consequenter seu tanquam suo principali: ad quod faciunt dicenda in sequenti num. 269.

Iam vero solus Papa potest eiusmodi separationem facere; tanquam eam, quæ etsi non repugnet iuri naturali, repugnat tamen iuri canonico, prohibenti diuisionem in beneficio fieri: vt patet ex toto titulo vt beneficia sine diminutione conferantur. Extra: satis indicant, tum verba

illa

illa capituli Nisi essent De præbendis. Ne forte circa prouentus, aliqua videatur facta sectio prioratus: tum etiam communis praxis ac stylus Romanæ curiæ. Cum igitur Papa non adstringatur canonicis legibus, tanquam earum conditor, aut paris authoritatis: cum conditore: adstringantur vero cæteri Prælati tanquam subditi; mirum non est quod illi in re proposita conceditur, istis negari. Quæ de re ad scholasticam eruditionem accommodate pluribus Suarez in toto eodem cap. 34. Sed pro praxi ista paucis dicta nobis sufficere possunt.

Tantū addendum est cap. Ad quæstiones, in quo prior sententia fundatur, non aduersari huic doctrinæ: quia ex eo tantum habetur, quod vt beneficiorum permutationes non sunt de se illicitæ: ita nec permutationes possessionum eis annexarum, etiam quando refunditur certa pecuniæ quantitas pro valore maiori vnius quam alterius, quoad temporale sumptum præcise, & seorsim à spirituali iure cui admiscetur: sicut quando calix cum calice permutatur, temporale quod in illo maioris valoris est compensatur pecunia nullo respectu habito ad consecrationem: quod quidem non est prædictam beneficiorum permutationem Ordinario ita permittere faciendam: vt tuto & clare iudicari, tenerique valeat superfluum esse ad Papam pro ea recurrere.

QVÆSTIO IV.

Quomodo simonia committatur in aliis spectantibus ad beneficia.

AD huius, vt ad præcedentium explicationem, aliquot documenta proponemus pro praxi.

267. Primum est: Simoniam committi quoties patronus pro præsentatione, vel nominatione ad beneficium Ecclesiasticum, temporale commodum accipit. Ad quod facit cap. Præterea primi, De transactionibus. Et confirmatur: quia sunt actiones spiritualibus annexæ, perinde ac ius patronatus, cuius sunt proprius vsus: quod quidem ius esse spirituali annexum, nec vendi posse expressum est. Extra De iure patronatus cap. De iure: latequæ tractat Suarez in præced. cap. 28.

Committi etiam simoniam cum pactum fit de beneficio resignando, quando, & in cuius fauorem patronus voluerit: aut pactum de pensione soluenda ei cui ille voluerit. Istud patet per ea quæ dicta sunt in præced. cap. 11. de simonia confidentiali num. 157. & seq. Committi præterea, cum quis ordinatur præsentationem alicuius patroni cum pacto nihil petendi ab eo, ex cap. Si quis. De simonia. Committi denique, si quis habeat ius patronatus litigiosum, & cum causidico paciscatur se nominaturum ipsum, si causam sedulo ac diligenter agat. Hoc habetur ex cap. Cum essent De simonia: & patet quia in eo temporale commodum accipitur pro re spirituali: sedulitas enim illa, & diligentia, res est pretio æstimabilis.

268. Secundum documentum est: Non esse quidem de se simoniam conferre beneficium consanguineo, vt in eodem, cap. 11. quæst. 3. dub. 7. habitum est; esse tamen si conferatur alteri, non in solum bonum ipsius, sed vt conferens inde prouideat de aliquo temporali cōmodo collatoris consanguineis: aut si consanguineo conferatur ad hoc, vt conferens magnificetur, vel fiat potentior, vel exaltetur ipsius parentela, vel aliud simile commodum accipiat: quoniam id est in collatione spiritalis spectare temporale. Ita Syluester habet in verbo Simonia quæst. 13. dicto 6. Cætera ex quibus iudicandum est de simonia commissa in collatione beneficij, satis nota esse possunt ex traditis in eadem quæst. 3.

269. Tertium documentum sit. In beneficiorum prouentibus committi simoniam, iure etiam diuino prohibitam: si quatenus vnum quid ex illis, & ex iure exigendi illos ob ministerium Clericale, conflatur aliquid temporale accipiatur. Ita expresse post Caietanum tenet Nauarrus *in Enchir. cap. 23. num. 107. ad 11. vers. 5.* Et probatur: quia in illo vno, prouentus sunt quid accessorium: & ius illos exigendi, est quid principale: quod quidem (vtpote spirituale) vendi non potest. Quare nec poterit quod mixtum est ex eo & ex ipsis prouentibus: vt patet ex 3. reg. tradita in memorato cap. 11. quæst. 2. Et confirmatur per illud vsurpatum in eamdem sententiam à D. Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 4. ex cap. Si quis obiecerit prima quæst. 3. Quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum prouenit, nullum inuenditum derelinquit. Nullus igitur emat Ecclesiam vel præbendam vel aliquid Ecclesiasticum, nec pastillum nec pastum antea, vel postea pro huiusmodi soluat. Hæc ibi.

Nec refert quod authoritate tantū Ecclesiæ tales prouentus spirituali iuri annexi sint, ac sacri. Nam vt loco citato rectè argumentatur Nauarr. Omne spirituale est inuendibile iure diuino, ex cap. Qui studet 1. quæst. 1. & cap. Quam pio in sequenti quæst. 2. At non solum datum vel institutum immediate à Deo, sed etiam ab Ecclesia per potestatem diuinitus ei concessam, constitui potest spirituale: adeo vt simonia censeatur diuino iure prohibita, vestem ab Ecclesia benedictam, aut calicem consecratum vendere, quatenus benedictionem vel consecrationem habet: & pari ratione vendere possessiones, authoritate eiusdem Ecclesiæ admistas iuri spiritali in Ecclesiasticis beneficiis. Nec canonistas contrarium sentire moner loco cit. Nauarrus. Quodque (*vt idem ibidem meminit*) sensit Panormit. in beneficiis simplicibus non committi talem simoniam, intelligendum est comparate: vt sensus sit, non committi tam grauem, quam in beneficiis curatis & dignitatibus. Alioqui enim id falsum est: quandoquidem beneficia simplicia, sunt vere spiritualia, perinde ac curata.

270. Quod si prouentus beneficiorum sumantur seorsum à iure illo spirituali, cui annexi sunt: illos vendere non est alia simonia quam iure Ecclesiastico prohibita, cum de se non sint res spirituales, vt manifestum est. Quo fit (quod iam attigimus) vt authoritate Summi Pontificis, qui est supra omne ius Ecclesiasticum, illi separari possint à iure, & titulo Clericali, & ab omni ministerio Ecclesiastico: adeoque vendi, vel etiam alicui laico concedi: quemadmodum videmus ipsa Papæ authoritate nonnumquam fieri, vt Reges partem talium prouentuum accipiant ad bellum gerendum aduersus hæreticos, & cæteros infideles: aut etiam vt hospitalibus concedantur in subsidium pauperum vel ægrotantium, vel confraternitatibus in publicum bonum institutis; aut seminariis iuuenum literis vacantium: aut publicis Academiis ad stipendia & alimenta professorum & magistrorum. Itemque ad redimendos captiuos. Qua eadem ratione laudabilis consuetudo obtinere potest, vt fructus præbendæ in bonum Capituli deputentur ad stipendium alicuius Aduocati vel Medici vel periti in pulsandis organis, vel habentis curam pulsandi campanas, aut docendi pueros primæ literarum rudimenta, vel Ecclesiasticum cantum; vel in stipendium œconomi, æditui, vel syndici Ecclesiæ.

271. Quartum documentum est: Annatas vitio simoniæ carere. Annatæ autem in beneficiis, consistunt in eo quod is cui de beneficio prouidetur, dimidiam partem fructuum primi anni soluat fisco Apostolico in subsidium Cardinalium & aliorum ministrorum curiæ Romanæ. Quod quidem non esse simoniacum probatur: quia nulla simonia est, si Papa legem constituat, vt is qui in posterum tale beneficium obtinuerit, partem fructuum primi anni soluat in subsidium huius vel illius conuentus, vel seminarij, vel Ecclesiæ, vel hospitalis, iuxta præcedens tertium documentum. Sicut igitur Papa potest partem fructuum primi anni reseruare in bonum aliorum, sic etiam potest reseruare in bonum suæ curiæ, quæ non est peioris conditionis. Deinde nulla simonia est, si Pontifex beneficiariis pensiones imponat in bonum ac subsidium aliquorum aliorum. At reseruare partem fructuum in bonum & subsidium curiæ Rom. nihil est aliud, quam onus & pensionem imponere ad tempus. Ergo non est simonia, nec res de se mala.

272. Quintum documentū est: Quindennia nullum simoniæ vitium habere. Istud probatur ex præcedenti: quia si annatæ omni vitio simoniæ careant, quindennia quoque

care-

carebunt; vt patet ex ratione qua introductæ sunt: quæ talis est. Beneficia sæpe vniuntur Collegio, Capitulo, Monasterio, aut Conuentui: vel in eorum fauorem resignantur, aut dimittuntur: tuncque non vacant amplius per mortem, quia communitas cui vniuntur, non moritur: ideoque Romanæ curiæ stylo introductum est, vt elapsis quindecim annis à tempore vnionis factæ, soluatur pars fructuum ipsius beneficij sic vniti, talisque pars soluenda, quindennium vocatur propter tempus quindecim annorum præfixum ei solutioni; quæ decimoquinto quoque anno fieri debet fisco Apostolico.

Introductio vero facta fuit quadam iuris fictione: qua tale beneficium spectatur, ac si transactis quindecim annis vacaret: ideoque noua illius prouisio fieret, ratione cuius annata soluereturofficialibus cancellariæ Romanæ. Quia ergo beneficium vnitum Collegio seu personarum communitati, nunquam amplius vacat: ne fiscus Apostolicus & Rom. curiæ ministri detrimentum paterentur ob defectum annatarum, constitutum est vt beneficia sic vnita decimoquinto quoque anno vacare fingantur, & consequenter annata soluatur, perinde ac si noua beneficij prouisio fieret in bonum illius collegij. Cui ea in re nullam fieri iniuriam, patet: quia posset Papa beneficium vnire Collegio ad tempus: item posset pensionem imponere in singulos annos soluendam. Neque vero est à recta ratione, vel ab æquitate alienum, vt beneficium vnitum loco pio in perpetuum, fingatur vacare decimoquinto quoque anno; quia si esset alicui ad vitam collatum, potuisset ante illud tempus vacare, perinde ac post illud.

273. Sextum documentum est: In taxationibus & compositionibus quibus cum beneficia per Sedem Apostolicam in Rom. curia conferuntur, pro literarum Pontificiarum expeditione certa quædam pecuniæ summa soluitur, nullum esse simoniæ vitium. Tum quia Summi Pontificis authoritate approbantur: tum quia nihil in eis est contra ius diuinum: quandoquidem pecunia quæ sic soluitur datur in stipendium ministrorum Curiæ, qui plures concurrunt ad talem literarum expeditionem: dignique sunt stipendio ob operam & laborem suum. Ita docent Angelus in verbo Simonia 3. nu. 45. & Syluester eodem verbo quæst. 13. dicto 2. in fine.

QVÆSTIO V.

Quomodo simonia committatur in pensionibus quæ imponuntur super beneficiis.

274. PRænotandum est, pensionem esse certam portionem, quæ soluitur alicui ex fructibus Ecclesiastici beneficij: aut potius, esse ius talem portionem exigendi: in hoc distinctum à beneficio, quod hoc sit ius perpetuum, nec extinguatur morte beneficiarij, sed tantum vacet: pensio vero extinguatur morte pensionarij.

Prænotandum est secundo, vnam esse pensionum primam varietatem, indicatam in Bulla Pij quinti quæ incipit Ex proximo, edita anno Domini 1572. nimirum vt quædam sint quæ omnibus, hoc est, tam laicis quam Clericis: quædam vero quæ solis Clericis, vt Clerici sunt, dantur. Prioris generis censentur esse, *vt Suarez. notat in tract. 3. De relig. lib. 4. cap. 26. num. 3.* quæ vel conferuntur laicis, vel Clericis quidem, sed in quibus nulla clericalis conditio eo nomine requiritur: vel quæ dantur ob causam aliquam de se temporalem, humanamve aut corporalem: quales sunt, assignatæ pro seruandis rebus Ecclesiæ, pulsandis campanis, & huiusmodi aliis. Posterioris generis vero censentur, quæ assignantur Clericis vt Clerici sunt: de quo genere iudicandum est ex eo, quod in tali assignatione, eamdem sub tali conditione fieri, sufficienter significetur, saltem tacite: vt fit cum pensiones ob aliquod spirituale munus obeundum conferuntur.

275. Quæ cum ita sint, de pensionibus prioris generis Nauarrus *in Enchir. cap. 23. num. 111. ad 13.* sentit emptione & venditione earum, cõmitti simoniam. Cuius fundamentum est, quod vere sint iura spiritalia: vtpote institituta authoritate Ecclesiastica, & annexa beneficiis Ecclesiasticis. Sententiam autem contrariam, quam pluribus in eam commemoratis (inter quos apertissime loquitur Caiet. *in tomo 1. opusc. tract. vltimo, responsione 10.*) Suarez *in eodem cap. 26.* sequitur, inquiens communem esse. Nititur autem fundamento contrario: quod nimirum tale ius sit mere temporale; neque enim ex eo censendum est spirituale esse, quod ab Ecclesia concessum sit, vt nec spiritalis censeretur eleemosyna authoritate Papæ facta ex bonis Ecclesiæ.

Nec item ex eo, quod (etiam collatum laicis) attineat ad beneficium Ecclesiasticum, perinde ac ius patronatus. Nam diuersa est ratio vtriusque illius iuris in ordine ad beneficia Ecclesiastica. Ius enim patronatus cum sit ad acquirendum Ecclesiasticum beneficium per præsentationem ad illud, dici potest annexum ei esse, ad instar causæ, ex qua proueniat: & qua vendita, ipsum non relinquatur inuenditum, ex cap. Si obiecerit, 1. quæst. 3. Ex iure pensionis vero, beneficium non prouenit; sed potius alienatur: per detractionẽ scilicet partis prouentuum ipsius: quod est à spiritali statu ad temporalem traducere eam, perinde ac traducta est pars decimarum, Principi attributa. Pro quo facit vsus, per quem pensiones istius generis redimuntur. Ad quam redemptionem, licentiam Papæ requiri Nauar. putat loco citato; sed eam non esse necessariam Suarez ibid. num. 2. sentit cum Toleto in sua summa *lib. 5. cap. 92.* & consequens est ex dictis proxime.

De pensionibus autem posterioris generis, quæ dantur Clericis vt Clerici sunt (suppositaPij quinti constitutione in antememorata bulla, per quam illis adiuncta est obligatio ad aliquod spiritale ministerium, quod est recitandi officium Beatæ Virginis) bene statuit Suarez *in eodem memorato cap. 26. num. 8.* eas esse simoniæ materiam, nec licere eas vendere aut redimere sine Papæ authoritate, qua constitutæ sunt cum obligatione spiritalis muneris: ita vt requirant non solum Clerici statum, vt conditionem: sed etiam spiritale ministerium, ratione cuius habeatur ius ad aliquam portionem fructuum beneficij. Quod ius, cum sit spirituale, *vtpote datum ob officium spirituale*, impedit ne pensio quæ illud includit, vendi possit aut redimi, nisi ipsum tollatur: quod tantum fieri potest authoritate Papæ, à quo constitutum est. 276.

Porro ex istius generis pensionibus quædam solent dari pro aliquo munere spirituali, tanquam stipendium sustentationis requisitæ ad illud obeundum; quædam vero pro beneficio: illæque nonnunquam imponuntur super beneficium, siue ad certum tempus: vt cum alicui ad vitam suam datur pensio super Episcopatum, aut aliud beneficium Curatum, vt pro Episcopo vel Curato concionetur; vel Vicarij munere fungendo obeat alia ipsorum Ecclesiastica munera: siue etiam in perpetuum, vt cum pensio alicui Parochiali beneficio imposita est perpetuo ad cõcionatorem in Quadragesima (nulla designata certa persona) sustentandum. Atque siue hoc siue illo modo impositæ, nequeunt sine simonia vendi: cum vere sint res annexæ spiritalibus: vtpote ad spiritale ministerium constitutæ ab Ecclesia. Nonnunquam vero imponuntur, non quidem beneficio, sed beneficiario; vt quando Episcopus suo Vicario aut alteri pro se ministranti in spiritalibus, aliquam assignat, in ipsius sustentationem congruam. 277.

De quibus Suarez in eodem cap. 26. num. 21. hæc monet. Primo, licitum esse de eis pacisci intra latitudinem stipendij iusti ad sustentationem congruam. Ad quod facit vsus receptus. Quod si tale stipendium esset à lege vel consuetudine taxatum, pacisci ad aliquid de eo demendum, simonia esset, qua pro iure spiritali delegando, emolumentum temporale caperetur. Secundo, simoniacum pariter esse aliquid temporale capere pro tali potestate vni potius, quam alteri deleganda: aut dare aliquid siue deleganti siue alteri, ad eam obtinendam. Tertio, facta iam eiusmodi delegatione licitum esse delegato stipendium suum vendere fructus ob eam debitos, vt quid annexum spiritali antecedenter; non enim proueniunt ex aliquo spiritali iure, sed ex obligatione personæ, quæ adstrinxit se ad illud soluendum; admixtamque habet obligationem ad spiritale ministerium, perinde ac aurum in

calice

calice aureo consecrato admixtam habet consecrationem. Quæ autem spiritalia sunt antecedenter vēdi possunt absque simonia, prout habitum est in cap. 16. Sed aduerte, tali venditioni locum non esse, si ipsum spirituale ministerium relinquatur: quia eo ipso cessaret pensio, nec superesset emolumentum vendibile.

278. Quod attinet ad pensiones in beneficio: tribus modis eæ possunt imponi. Primo, pro beneficio cui aliquis renuntiauit, cum illud pacifice possideret, & commode posset illi inseruire. Secundo, pro beneficio litigioso, cum per transactionem & arbitrium Iudicis, vni datur beneficium, & alteri certa pensio super illud. Tertio, pro beneficio, cui aliquis per plures annos seruiuit & amplius seruire non potest. Vt cum pastor senex dimittit beneficium suum; & assignatur ei pensio ad suam sustentationem.

279. De iis autem notandum est, quod Suarez in fine memorati capitis 26. tradit: fuisse quidem incertū ante Bullam Pij quinti, num essent materia simoniæ nec vendi possent; post eamdem bullam tamen, omnino constare quod nequeant vendi sine simonia. Nam cum ibi Papa omnes pensiones reuocet ad duo genera: neque istæ sint laicæ: vtpote quæ reuera dantur intuitu clericatus, atque adeo Clericis vt Clerici sunt: ita vt censeantur pensiones posterioris generis: ideoque materia sint simoniæ, cum dentur ob ministerium spirituale, saltem recitandi officium paruum Beatæ Virginis, cui fic annexæ sunt, vt qui ipsum omittit, emolumenta illarum amittat ex eadem Pij quinti Bulla: in qua beneficiis hac ex parte æquiparantur: vt & in eo quod per contractum matrimonium amittantur sicut beneficia: vt ex stylo Romanæ curiæ habet Gigas De pensionibus, quæst. 54. num. 4.

276. Cæterum sicut pensiones non vacant, *vt beneficia*, sed extinguuntur morte pensionariorū; ita relinqui possunt (quod nō vsuuenit beneficiis Ecclesiasticis) sine resignatione earum in manu Superioris: nisi eæ transferantur in alium: ad quod opus est authoritate Papæ, si pro translatione aliquid pecuniæ æstimabile accipiatur: aut si gratis transferantur, opus est authoritate illius Prælati, à quo possint de nouo conferri: vt fere vsuuenit iis quæ pro spiritali officio ministerioue dantur.

Aduerte vero eadem distinctione qua responsum est ad propositam quæstionem de pensionibus, respondeti ad similem quam Suarez tractat in seq. cap. 27. De commendis, coadiutoriis, & hospitalibus: nempe simoniam committi in illis emendis & vendendis, si ab Ecclesia ordinentur ad administrationem spiritalium.

De impositione pensionum per Summum Pontificem dubia nonnulla.

ANtequam finem faciamus, breuiter respondendum est ad aliquot dubia, quæ moueri possunt circa pensiones solitas à Papa imponi super beneficia.

280. PRIMVM EST. Quomodo excusetur à simonia, quod Papa in bonum resignantis imponat aliquando pensionem, nō super fructibus resignati beneficij, sed super fructibus alterius beneficij, quod resignatarius præhabuit: prout fieri potest cum beneficium resignatum, est tenue. Ad quod respondendum est, excusari; quia cum Papa dispositionem in beneficiis Ecclesiasticis, liberam habeat: perinde beneficio iam ante collato potest pensionem, aut aliud onus imponere, ac beneficio proxime conferendo. Si instes, quod Papa posset pari ratione conferre alicui beneficium imponendo pensionem soluendam ex fructibus sui patrimonij. Respondetur negando, quia bona patrimonialia Clerici non subsunt liberæ dispositioni Papæ. Quapropter Clerico beneficium conferre ea conditione, vt annuam pensionem soluat ex suo patrimonio, esset beneficium ipsum vendere, contra ius diuinum, in quo Papa non dispensat.

281. SECVNDVM DVBIVM EST. Quomodo simoniaca, aut saltem iniusta non sit clausula apponi solita in reseruationibus pensionum: vt pensio soluatur siue habita possessione beneficij, siue non habita. Ad quod respondetur: propterea talem clausulam nec simoniacam nec iniustam esse: quod beneficiarius per illam nō obligetur dare temporale pro clericali iure, titulove sui beneficij: sed partem fructuum beneficij dare: quod non est (vt patet) temporale pro spirituali dare: adeo vt non committatur in eo simonia iure diuino prohibita. Si quæ vero in ea re sit iure Ecclesiastico prohibita, illa purgatur consensu & authoritate Papæ.

Nec etiam committitur iniustitia: quandoquidem tali obligationi, beneficiarius spōte sua liberum præstat consensum: scienti autem & sponte consentienti non fit iniuria. Non est vero iniustum ab illo exigere talem consensum: quia id fit ad euitandas lites, fraudes, & mendacia: quia magna solet esse difficultas in probanda apprehensione possessionis; seu in probando quis sit legitimus beneficij possessor, & quis in illud intrusus. Quocirca ne pensionarius facile fraudetur debita pensione, prædictum onus resignatario imponitur: ad quod sustinendum ipse potest se obligare. Nec refert quod is aliquando debebit soluere pensionem ex fructibus nondum perceptis: quia satis est, quod sit spes percipiendos esse, & in rebus pecunia æstimabilibus, *quales sunt prædicti fructus*, non solum potest aliquod temporale emolumentum dari, vel exigi pro iam perceptis, sed etiam pro iis qui sperantur percipiendi; vt patet ex eo quod vendi soleat iactus retis, quod est vendere pisces qui non habentur quidem, sperantur tamen habendi.

TERTIVM DVBIVM EST. Quomodo omni vitio simoniæ careat, quod authoritate Apostolica concedi solet, vt pensio alicui assignata possit in alium ab eo transferri, vel in totum vel ex parte. Ad quod respondetur propterea carere; quia id non est contra ius diuinum: vt ex eo constat, quod ius patronatus, quod est spirituale, concessum authoritate Apostolica patronis, trāsmittatur ad hæredes. Accedit, quod non sit graue onus si beneficiarius adhuc habens ex beneficio necessaria ad commodam sustentationem, obligetur vni, itemque alteri, soluere aliquam pensionem ob indigentiam eorum, vel aliam iustam causam.

282. QVARTVM DVBIVM EST. Quomodo simoniæ vitio careat quod authoritate Summi Pontificis pensio redimatur anticipatis solutionibus. Ad quod respondetur propterea carere: quod tunc pensio per Papam gratis extinguatur, volente pensionario: cui interea concedit accipere aliquot annorum anticipatas eiusdem pensionis solutiones; quod non est de se illicitum: sicut nec quod eadem Papæ authoritate, totum aliquod beneficium extinguatur, data Ecclesiæ alia compensatione.

Laus Deo Virginique Matri.

LIBER NONVS, ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVS QVARTVS.

IN QVO TRADITVR SPECIALIS RATIO IVDICANDI de peccatis, habito respectu ad octauum præceptum Decalogi. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

PRÆFATIO.

OCTAVVM præceptum, sicut præcedentia, datur Exod. 20. & Deuteron. 5. quod quamuis primario, & expresse prohibeat falsum testimonium: secundario tamen ac tacite prohibet omnem noxam, qua proximum iniuria per linguam afficimus, seu lædimus in bonis honorariis: sicut quintum sub nomine homicidii, prohibet omnem proximi læsionem redundantem in ipsius personam: & sextum, sub nomine adulterii, omnem illicitam voluptatem venereami: ac demum septimum sub nomine furti, omne damnum rebus proximi illatum, prout Concil. Colonienſe initio explicationis huius præcepti, post D. Thomam 1. 2. quæst. 100. artic. 5. in corpore: & 2. 2. quæst. 122 art. 6. ad 2. annotat. Recte deinde addens vim huius præcepti ex Christi doctrina, extendi non tantum ad verba quibus prædicta noxa infertur: sed etiam ad cogitationes, & facta illis similia; vt ad temerarium iudicium: quod Christus prohibet Matth. 7. dicens: Nolite iudicare, & non iudicabimini: & ad hypocrisim de qua Luc. 12. Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Adde quoque ex Catechismo iussu Concilij Tridentini edito, sub initium expositionis huiusce præcepti: cum ipsum, sicut tria præcedentia, sit negatiuum (vtpote prohibens ne falsitate adulteremus cogitationes, dicta & facta nostra) perinde atque illa continere affirmatiuum præceptum, iubens vt cogitationes, dicta & facta, simplici veritate metiamur. Adde adhuc quod in eodem Catechismo paulo post subiungitur (congruenter doctrinæ insinuatæ à Christo Lucæ 10. per parabolam de eo, qui descendens ab Ierusalem in Ierico incidit in latrones) hic proximi nomine intelligi quemcunque egentem opera nostra: siue ille propinquus sit, siue alienus; siue ciuis, siue aduena; & siue amicus, siue inimicus. Ex quibus satis innotescit, quis sensus sit propositi præcepti octaui.

Porro plurimi sunt speciales modi quibus contra idemmet præceptum peccari potest; quorum alii taciturnitati (quæ virtus est moderatrix locutionis) opponuntur, vt multiloquium, & species eius: nempe stultiloquium, seu imprudens & inconsiderata locutio: turpiloquium, seu sermo de rebus turpibus & impudicis: ac vaniloquium, id est, verbum quod caret ratione iustæ necessitatis, & intentione piæ voluntatis. Alii vero opponuntur veritati, vt mendacium, & species ipsius: quarum prima est mendacium mentale, quod proprio nomine appellatur iudicium temerarium. Secunda vero, mendacium verbale: quod in iudicio dictum, vocatur falsum testimonium: dictum vero extra iudicium prout fama proximi per ipsum læditur, vocatur detractio: prout læditur honor, vocatur tum contemptus, quatenus proximus per illud vilipenditur: tum contumelia, quatenus aliqua culpa exprobratur proximo: tum conuitium quatenus, eidem exprobratur naturæ vitium: tum etiam improperium, quatenus exprobratur miseria & pœna quam ipse patitur: tum præterea derisio quatenus cachinnis, risu & sannis ipse excipitur, tum demum quatenus laus ipsius læditur maledicendo ei in sua persona, aut in suis rebus, & dicitur maledictio. Reduci adhuc potest ad verbale mendacium tum adulatio, quæ est immoderata alicuius laus instituta ad lucrum vel gratiam captandam: tum etiam iactantia, qua quis se laudat immoderate.

Tertia denique species est mendacium reale seu facti: quod quidem vel versatur in moribus hominum, vt simulatio qua quis fingit se alium esse quam sit: vt Iehu se simulauit idololatram esse, vt omnes sacerdotes Baal posset occidere 4. Regum 10. Item fictio qua quis fingit se præstare quod non præstat: vt se velle conferre, vel suscipere Sacramentum, nec vllam habet intentionem id faciendi. Itemque hypocrisis, quæ est sanctitatis, iustitiæ & bonitatis fictio: vel versatur in rebus ciuilibus, vt falsatio: qua falsum exponitur pro vero: vt filius spurius pro legitimo, vel moneta adulterina, pro genuina; iniustum pondus vel mensura pro pondere, vel mensura iusta. Quo etiam referuntur falsificationes publicorum instrumentorum aut literarum: vel denique versatur in contractibus, vt perfidia seu violatio promissionum, & pactorum. Itemque dolus & fraus quibus circumuenitur proximus in contrahendo.

Porro nonnulli ex prædictis modis opponuntur amicitiæ, vt susurratio, qua quis amicitiam

dissol-

dissoluere nititur; discordiarum item seminatio, qua cordium & voluntatum consensus tollitur: item q; contentio, qua vincendi animo impugnatur veritas verbis importunis, & clamore inordinato, ac demum murmuratio iniusta. Alii præterea ex iisdem modis opponuntur fidelitati, vt detectio seu reuelatio secreti, & variæ illius species: quæ tot distingui possunt quot secreti. Hoc autem; vel est sacramentale, quod Sacerdos tenetur seruare audita confessione; vel naturale, quod sciens reuelare prohibetur iure naturæ, eo nomine, quod per talem reuelationem proximo notabilis iniuria inferatur: vel est commissum; vt cum quid dicitur alicui vt illud secreto seruet. Ad quod nonnumquam accedit expressa promissio audientis, dicitur q; secretum expresse promissum: nonnunquam etiam iuramentum, & dicitur secretum iuratum.

Cæterum dicemus primo, de mẽdacio vniuerse: secundo in particulari de iudicio temerario: tertio, de falso testimonio: quarto, de detractatione: quinto, de contumelia: sexto, de reuelatione secreti: quoniam peculiarem difficultatem habent. De cæteris possunt sufficere dicta cum egimus suis locis de illis peccatis capitalibus quorum constituuntur filiæ. Quibus addemus tum pertinentia specialiter ad rationem iudicandi de peccatis, quæ in iudicio committuntur: quia ipsa quoque difficultatem peculiarem habent. Ac tandem attingemus aliqua de adulatione & quibusdam aliis peccatis linguæ.

CAP. I.

De mendacio vniuerse.

SVMMARIVM.

1 *Quid sit mendacium.*
2 *Simulatio sic est mendacium, vt tamen possit nonnunquam à peccato excusari: & quando.*
3 *Intentio fallendi quo modo spectet ad mendacium, & quæ intentio dicendi falsum excusetur à peccato.*
4 *Varia diuisio mendacij.*
5 *Octo species illius à D. August. positæ.*
6 *Mendacium ita malum esse, vt nunquam licitum esse possit.*
7 *Corollaria inde deducta.*
8 *Responsio ad obiectiones de Abrahamo, Iacob, & Raphaele, qui videntur mentiti.*
9 *Celatio veritatis per responsionem ambiguam.*
10 *De responsione ambigua, ob aliquid subintellectum in mente, nec exterius expressum.*
11 *Vt licita sit debet abesse voluntas fallendi & faciendi iniuriam, ac iusta causa vtendi eâ.*
12 *Corollaria inde deducta.*
13 *Mendacium iocosum & officiosum de se, est tantum peccatum veniale.*
14 *Adiuncto iuramento est mortale, aut adiuncto scandalo, aut adiuncto mendacio pernicioso.*
15 *Ob solam assuetudinem ipsum proferendi, non est censendum mortale.*
16 *Mendacium pernicioſum mortale est ex suo genere; sed sit veniale ex leuitate materiæ, vel ex defectu plenæ deliberationis.*
17 *Mendacium pernicioſum in materia fidei, aut sacræ Scripturæ, grauissimum est: & quæ ad illud reuocentur.*
18 *Quando sit mendacium mortale violare promissionem factam.*
19 *Mendacium pernicioſum mortale committitur ab eo, qui tribuit sibi falso quod non habet, ad obtinendum beneficium Ecclesiasticum.*

DE mendacio agit Gratianus 22. quæst. 2. & differunt tum D. Thomas, & interpretes ipsius 2. 2. quæst. 110. tum alij Theologi cum Magistro in 3. senten. distinct. 38. post D. August. in libris de mendacio, & contra mendacium, tomo 4. Summularij in verbo Mendacium, D. Anton. 2. part. tit. 10. ca. 1. Sebastianus Medices, *alios referens*, in summa de peccatis capitalibus tit. 6. quæst. 24. & quinq; sequentibus, atq; cæteri qui de peccatis in ordine ad hoc præceptum tractant, vt Nauar. in Enchir. cap. 18. à nu. 2. & alij.

Definitio mendacij.

SECTIO I.

Nu. 1. QVæritur autem primo, quid sit mendacium. Atque respondetur ex D. August. in libr. 1. De mendacio sub finem quarti capitis, esse falsam vocis significationem cum intentione fallendi. Vocis vero nomine intelligitur omne signum externum, quo falsum significatur. Etenim quia inter signa externa vox obtinet primatum, ea vsurpari potuit ad illa vniuersa iudicanda, prout D. Thomas monet 2. 2. *qu.* 110. *art.* 1. *ad* 2. Inde inferens eum qui nutibus falsum significare intenderet, non esse à mendacio immunem. Pro quo facit, quod mutus perinde ac verba assumantur in instrumentum fallendi, & ideo quoad peccatum, nihil refert, an quis verbo an nutu mentiatur: vt nec an quis occidat gladio an veneno: quod bene notat Sylvest. in verbo Furtum quæst. 5.

Eadem etiam ratione D. Thomas in seq. quæst. 111. art. 1. 2.
simulationem (quæ consistit in factis externis, quibus significamus id quod non est) dicit esse mendacium. Id quod est ita admittendũ cum Nauarr. in Enchir. cap. 18. nu. 8. & Caiet. in verbo Simulatio, vt non negetur, quin aliquando licitũ sit signo aliquo exteriori occultare veritatem; dummodo sine intentione significandi falsum. Namq; esse quandam simulationem vtilem, & in tempore assumendam habetur ex D. Hieronymo 22. quæst. 2. cap. Vtilem, admittitq; D. Thomas loco proxime citato in respon. ad 2. & Nauarr. confirmat ad cap. Humanæ aures, quæst. 2 num. 10. Qui etiam in sequen. quæst. 3. nu. 8. tradit differentiam inter simulationem licitam & illicitam; quod hæc sit, quã quidam sine iusta causa, vel nõ curantes an mentiantur: aliquid, seu verbis seu factis simulant inesse quod non inest, vel non inesse quod inest. Illa vero sit qua quidam prudẽter, iusta aliqua de causa, & sine dolo malo, astutiave vulpina, dicunt vel faciunt aliquid; quod separatum per se quidem significat falsum, sed ipsum aliquo subintellecto, efficitur verum: quo modo in citato nu. 10. idem Nauarrus ait Dauidem 1. Regum 21. licite simulasse amentiam coram Rege Achis: subintelligendo se non teneri suam sanam mentem patefacere.

Quod in definitione sequitur, *cum intentione fallendi*, id 3.
est, ingenerandi in alterius animo falsam opinionem: non ideo additur, quod talis intentio ad mendacij essentiam pertineat: quia id communi sententiæ aduersatur ex Nauarr. in Enchir. cap. 18. num. 2. sed quod vt plurimum ea cum mendacio concurrat; vel certe quod per eam mendacium in sua specie maiorem peccati grauitatem acquirat, prout significant D. Thom. 2. 2 *quæst.* 110 *art.* 1. *ad* 3. & D. Anton. 2. *par. tit.* 10. *cap.* 1. §. *primo, versu.* Tertium, cum dicunt intentionem fallendi pertinere ad perfectionem seu implementum mendacij: sed non ad eius speciem. Quod si cum Caiet. ad cit. D. Thom. locum explicemus, *cum intentione fallendi*, id est, cum intentione dicendi falsum: asserendum erit particulam eam pertinere ad mendacij essentiam: positamq; esse in definitione, ad explicandum formale mendacij: in eo consistens, vt illud quod dicitur, falsum esse putetur. Etenim si quis falsum dicat, putans esse verum, non mentitur formaliter, sed tantum materialiter. Sin verum dicat quidem, sed quod putat falsum, nimirum volendo dicere falsum, in formale mendacium incurrit, ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 1. *in corpore*: & est communis sententia: pro qua facit textus apertus in cap. Is autem, 2. 2. quæst. 2.

Aduerte autem istud ipsum quod dicimus de intentione dicendi falsum, intelligi debere, *sicut Syluester intellexit in verbo Mendacium sub initium*, de intentione dicendi assertiuè,

non autem ſolum modo recitatiuè, aut repræſentatiuè. Ea enim de cauſa, à mendacio excuſantur qui fabulam aliquam tanquam fabulam narrant, vt Nauarr. *in Enchir. cap.* 18. *num.* 2. expreſſit. Excuſatur etiam diſputans dum falſa ſcienter aſſumit: quia loquitur ex perſona negantis veritatem, vt loco cit. ex D. Thoma *in* 3. *diſtinct.* 39. *art.* 5. Syluester habet; vel vt Alexander Alen. ait in 3. part. quæſt. 37. membro 6. ad 2. obiectum: quia falſum dicit tantum ſupponendo, vt ad inconueniens, in quo intellectus conquiescere non poſſit, deducat reſpondentem, & cogat ipſum noſſe & amplecti veritatem: ſicut factum eſt ab Apoſtolo in priori ad Corinth. cap. 15. cum dixit, Si Chriſtus non reſurrexit à mortuis, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra. Inuenimur autem & falſi teſtes Dei.

Diuiſio mendacij.

Sectio II.

4. QVæritur ſecundo quotuplex ſit mendacium. Reſpondendum eſt autē, poſſe iuxta antedicta diſtingui, quod aliud ſit vocis, & aliud ſit facti, ſeu operis: *adde & aliud cogitationis, quale eſt iudicium temerarium.* Item quod aliud ſit materiale ſimul & formale: quo ſcilicet id dicitur, quod & eſt, & eſſe putatur falſum: ſiue dicatur tantum cupiditate mentiendi: ſiue ad aliquem externum finem, ſeu bonum, ſeu malum. Qua ratione communiter poſt Magiſtrum in 3. ſenten. diſtinct. 38. & D. Thom. 2. 2. quæſt 100. artic. 2. diſtinguitur in iocoſum, officioſum, & pernicioſum. Iocoſum vero eſt, quod nulli nocet delectandique cauſa dicitur. Officioſum autem, quod ſine alicuius iniuria dicitur, vt alicui proſit ad bonum aliquod acquirendum, aut malum aliquod vitandum, ſiue ipſi dicenti ſiue alteri, imminens. Pernicioſum demum, quod cum alterius nocumento dicitur, ſiue *vt habet Nauarr. in cit. cap.* 18. *numero* 3. quod alicui in rebus ſpiritualibus, corporalibus, aut temporaneis nocet: ſiue potius, *vt habet Caier. in verbo Mendacium*, quod iniurioſum ſeu nociuum eſt diuinis vel humanis.

5. Sic igitur mendacij ſpecies conſtitui poſſunt mendacium nudum, iocoſum, officioſum, & pernicioſum: ad quas reducantur octo illæ quæ ex D. Auguſt. commemorantur in cap. Primum, 22. quæſtio. 2. cum dicitur; vnum eſſe in doctrina religionis: id eſt, quo aliquid dicitur contra fidem, aut bonos mores: hocq; cōplectitur omnes hæreſes: ſecundum vero, quod nulli prodeſt & obeſt alicui, quale ſolet in detractione contingere: tertiū, quod ita prodeſt vni, vt obſit alteri: quartum, quod ſit fallendi libidine: quintum, quod placendi cupiditate, ſoletque in adulatione contingere: ſextum, quod nulli obeſt ſed prodeſt alicui ad conſeruandam pecuniam: ſeptimum, quod nulli obeſt ſed prodeſt alicui ad vitandam mortem: octauum, quod nulli obeſt ſed prodeſt alicui ad euitandam corporis immunditiem, vt ſi volenti defloraré virginem dicas ad id impediendum, eam eſſe coniugatam.

Hæ autem ad prædictas reducuntur: quia tres primæ ad mendacium pernicioſum pertinent, vt loco cit. D. Thomas expreſſit. Addens primæ ſpeciei mendacium eſſe grauiſſimum: quia peccata contra Deum, ſemper ſunt grauiora. Secundæ ſpeciei autem, eſſe grauius tertiæ ſpeciei mendacio, quod minuitur ex intentione proficiendi alteri. Quartæ ſpeciei mendacium, nudum conſtituit: quia non habet finem alium à ſeipſo. Quintæ ſpeciei, coincidit cum mendacio iocoſo. Cæteræ ſpecies ad mendacium officioſum pertinent. Ac cum quanto bonum intentum eſt melius, tanto magis minuatur malitia mendacij; & bonum vtile præferatur delectabili, & vita corporalis præferatur pecuniæ; ac demum vitæ corporali, præferatur honeſtas: *vt ibidem addit* D. Thomas: octauæ ſpeciei mendacium eſt minus malum, quam ſeptimæ; & huius, quam ſextæ; & huius porro quam quintæ.

Mendacij malitia.

Sectio III.

6. QVæritur tertio, vtrum omne mendacium ſit peccatum, nec vllum dari poſſit licitum. Reſpondetur autem ex D. Thomæ 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. ſententiâ communiter receptâ: omne mendacium eſſe peccatum, iuxta illud Eccleſiaſtici 7. Noli velle mentiri omne mendacium: neq; poſſe licitum eſſe, cum de ſe ac intrinſece malum ſit, prout D. ipſe Thomas ibidem probat, non modo authoritate Ariſtotelis, qui aperte in 4. Ethic. cap. 7. ait mendaciū per ſe prauum eſſe & fugiendum: ſed etiam ratione efficaci; *quæ ex D. Auguſtino habetur* 22 *quæſt.* 2. *cap. Is etiam*: nempe quod contra naturam & rationem ſit, *& ideo intrinſece malum*, vt quis voce ſignificet aliud: quam quod habet in mente: cum voces naturæ inſtitutione, ſint ſigna notionum interiorum. Per mendacium autem, tale quid fit. Ipſum igitur intrinſece malum eſt: atq; adeo ſemper illicitum: ita vt nulla de cauſa, qui mendacium protulerit, eſſe poſſit à culpa immunis: *inquit Sotus in lib.* 5. *De iuſtitia & iure quæſt.* 6. *art.* 1. *concl.* 3.

Ex qua doctrina intelligitur primo, nunquam eſſe licitum dicere mendacium pro euitanda alterius iniuria: quod notauit Panormit. ad regulam Qui ſcandalizauerit De regulis iuris; imo nec pro ſaluanda vita ſiue propria ſiue aliena, vt ex D. Auguſt. refertur in cap. Ne quis arbitretur, & in cap. Faciat; & in cap. Si quis, 22. quæſt. 2. Id quod alij quoq; ſenſerunt, quos citat Alphon. à Caſtro aduerſus hæreſes in verbo Mendacium, idemq; S. Pontifex in cap. Super eo, De vſuris expreſſe dicit. Nec demum pro ſempiterna ſalute: ad quam nullus deducendus eſt opitulante mendacio, vt habetur ex D. Auguſt. in cap. Primum §. Non eſt igitur, 22. quæſt. 2. & tradunt expreſſe Sylueſt. in verbo Mendacium, *quæſt.* 2. & Nauar. *in Enchir. cap.* 18. *n.* 3. 7.

Quare venerabilis Caſſianus, *vt notant D. Anton. 2. part. tit.* 10. *cap.* 1. §. 2. *& Syluest. loco citato*, audiendus non eſt in eo, quod dixit, ad aliquam vtilitatem magnam conſequendam, vel magnum aliquod malum vitandum, licere aliquando mentiri: id quod aperte repugnat prius dictis: Quocirca mentiens non poteſt à peccato excuſari aliter, quā per ignorantiam inuincibilem; quæ quamuis nequeat locum habere circa mendacium, loquendo tam de eo, quam de perſonis generaliter: nihilominus tamen circa mendaciū officioſum reſpectu vnius vel alterius perſonæ, pro aliquo tempore, nō videtur negandum quin poſſit locum habere: iuxta ea quæ de ipſa inuincibili ignorantia, ſunt à nobis tradita in præced. lib. 11. cap. 3.

Intelligitur ſecundo, nunquam ex Papæ diſpenſatione mendacium licite dici poſſe, cum ipſum ſit illicitum iure naturali, in quo Papa diſpenſare nequit: vt patet ex dictis in libro 13. capit. 5. ſub finem. Imo neque ex Dei diſpenſatione mendacium licite dici poſſe, conſtat ex doctrina D. Thomæ 1. 2. *quæſt.* 100. *art.* 8. *& Soti in* 2. *De iuſtitia & iure quæſt.* 3. *art.* 8. ita vt Deus, neque per ſe neque per alium mentiri vnquam poſſit: vt abunde eruditeque oſtendit Melchior Canus *in libro* 2. *De locis Theologicis capit.* 3. Et patet: quia alioqui non haberemus firmum fidei fundamentum. Nam dici aut putari poſſet, quod Deus diſpenſauerit in mendacio cum aliquo ex ſacris ſcriptoribus, vt non proponeret verum, vel ſaltem proponeret aliquem falſum articulum: quod eſſet ſummum inconueniens. Intelligitur adhuc, ex eadem doctrina, quod pluribus alijs citatis habet Couar. *in lib.* 1. *var. reſolut. cap.* 2. *n.* 1. Aduocatum qui iuſtam cauſam habet, non debere conari obtinere eam per mendacium. Intelligitur demum, quod idem Couarr. in ſequen. num. 3. notat, Baldum recte dixiſſe, ei qui ex falſa mutui ſcriptura in iudicium deducitur, non licere falſum ſolutionis inſtrumentum producere.

Obijcientibus autem, quod Abraham Geneſ. 20. dixerit Saram eſſe ſororem ſuam, cum eſſet vxor: & quod Iacob Gen. 27. patri dixerit ſe eſſe primogenitum ſuum Eſau. Item Angelus Raphael Tobiæ 5. dixerit ſe eſſe de filijs Iſrael Azariam, Ananiæ magni filium. Reſpondendum eſt, tales non fuiſſe mentitos, ſed ambigue loquēdo celaſſe veritatem ſine mendacio. Sara enim ſoror fuit Abrahami, ſumēdo ſororis nomen pro conſanguinea, ſicut ſumpſit nomen fratris pro conſanguineo, Gen. 13. cum dixit ad Loth, Fratres enim ſumus. Quæ interpretatio eſt D. Aug. relata in cap. Quæritur, 22. qu. 2. & approbata à D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. *ad* 3. communiterq; recepta. Nec refert quod dixerit illam filiam patris ſui: nam ſenſus eſt, quod ad eam atttineret ex parte 8.

patris,

patris, vt ibidem notat D. Thomas. Erat enim filia Aram fratris Abrahæ, & patris Loth: vt plenius declarat Sotus *in 4. distinct. 40 quæst. vnic. a art. 4. ad 2.* Similiter Iacob fuit primogenitus Isaac, iure quod illi datum fuit à Deo dicente, Maior seruiet minori: quodque Esau illi cessit pro esca lentis: licet non fuerit primogenitus nativitate. Ita D. Thomas loco cit. & Alensis *3. par. quæst. 37. membro 6. col. vlt.* Quod quidem videri non debet durum, cum Dominus dixerit Ioannem esse Eliam, quem constat imitatione tantum, non autem personâ, Eliam fuisse. Deniq; Angelus Raphael verum dixisse inuenietur, si consideretur interpretatio trium illorum nominum, Israel, Azarias & Ananias: namque Israel significat videntem Deum: Azarias vero adiutorem, & Ananias gratiam Dei. Vnde fit vt Raphael vere attribuerit sibi illa, vtpote qui videbat Deum, & adiutor erat Tobiæ, ac Dei gratia dignus. Quæ doctrina est D. Anton. 2. part. tit. 10. capit. 1. §. 1. sub finem.

Celatio veritatis sine mendacio.

Sectio IV.

9. QVæritur quarto, Vtrum liceat ambigue loquendo celare veritatem. Respondetur vero congruenter iam dictis id licere. Nam quamuis forte diceret quis Abraham & Isaac tali locutione peccasse venialiter: tamen de Raphaele Angelo dici non potest. Ambiguitas autem quâ celatur veritas sine mendacio, cõtingit quando id quod quis dicit, verum est secundum suam intentionem, licet falsum sit secundum intentionem audientis, & communem intelligentiam prout docet Nauar. ad cap. Humanæ aures, quæst. 2. num. 10. 11. 12. In quorum 10. ex glossa *ad cap. Ne quis 22. quæst. 2.* refert: eum in cuius domo aliquis latet, quem hostes persequuntur, iis scisciantibus vbi est: posse respondere non est hic, accipiendo (*est*,) non vt venit à Sum, sed vt ab edo. Item in nu. 11. ex Angelo de Perusio & Ioanne de Anania excusari à mendacio D. Franciscum, qui interrogatus ab ijs qui homicidam persequebantur, an illac is transiisset, missis manibus intra manicas, respondit non transijt hac: intendendo contra cõmunem consuetudinem & mentem interrogantis, nõ transijsse per suas illas manicas.

10. Aduerte autem amphibologiam de qua hic agitur, esse non tantum eam quæ contingit ex diuersa verborum significatione vt in ante propositis exemplis; sed etiam quæ contingit cum verba prolata, sunt quidem falsa seorsim, per seq; sumpta, sed vera sunt aliquibus adiunctis, quæ à dicente subintelliguntur. Quo modo illud Psalmi primi: Non resurgent impij in iudicio: verum est tantum, subintelligendo, *ad gloriam.* Et illud in cap. Nihil 1. De consecr. dist. 5. Nihil prodest homini, orare, ieiunare, & alia religionis bona opera facere, nisi mens ab iniquitate reuocetur; subintelligendo, *quoad meritum vitæ æternæ.* Alioqui enim tam hoc quam illud falsum est & hæreticum.

Atq; hoc etiam posteriore genere licitum esse vti, si absit animus tum mentiendi, tum etiam nocendi alteri, & adsit iusta causa eo vtendi, Nauar. ex instituto ostendit ad memoratum cap. Humanæ aures, quæst. 1. vbi num. 4. in confirmationem adfert, quod Dominus interrogatus de die vniuersalis iudicij quando esset futurus, respondit, *vt habetur ex cap. 24. Matth. & cap. 13. Marci*, neq; Angelos neq; Filium, sed solum Patrem id scire. Ad cuius responsi veritatem, quoad Filium Patri omnino æqualem, aliquid subintelligendum est, nempe quod nesciret: ita vt conueniret illis interrogantib. manifestare, sicut communiter subintelligere Theologos & Canonistas idem author ait.

Addens num 5. adhuc in confirmationem: quod ex communi consensu Confessarius qui interrogatur, An talis pœnitens ei tale peccatum confessus sit, respondere possit non esse confessum: subintelligendo, ita vt illud dicere teneatur. Qua subintellectione omissa, falso responderet, si res aliter haberet, id est, de tali peccato confitentem audiuisset. Nec valere subterfugium dicentium quod non audiuerit vt homo, sed vt Vicarius & Minister Dei: idem author bene probat ibidem vsq; ad finem illius quæstionis. Et patet quia id non obstat quominus sit absolute verum, & quod audiuerit, & quod sciat illud de quo interrogatur. Quia in re immorarinõ est huius loci. Eundem vsum cælandæ veritatis per ambiguam responsionem cum necessitas vrget approbant tanquã licitum D. Ant. 2. par. tit. 10. cap. 1. §. 1. versu Videtur, Syluester verbo Mendacium quæst. 6. ver. 3 & Couarr. lib. 1. variarum resol. cap. 2. nu. 4.

Cæterum in tali re voluntas mentiendi, seu fallendi & faciendi iniuriam, dicitur abesse debere, quoniam ea de se mala est ac peccatum. Dicitur quoque iusta causa adesse debere: quoniam alioqui, *etiamsi mendacium abesset*, peccaretur contra virtutem veritatis, quæ inclinat hominem ad se per dicta, & facta ostendendũ proximo talem, qualis reipsa est: vt ab Aristot. notatum in 4. Ethic. D. Thom. approbat 2. 2. *quæst. 109. art. 3.* Rationem optimam addens, cur contrarium merito iudicetur vitiosum: nempe quia societas humani generis conseruari non posset, si nos alios quam simus, alijs ostenderemus dictis aut factis. Prædicta vero iusta causa adesse censetur ex eodem Nauarr. *in cit. quæst. 1. sub finem & in sequenti secunda, num. 2.* si veritas celetur causâ salutis animi vel corporis; vel honoris; vel & rei familiaris, aut cuiuscunque actus virtutis. Ex qua etiam doctrina in seq. q. 3. nu. 10. 11. & 12. deducit tum alia, tum tria hæc corollaria pro vsu quotidiano notanda. 11.

Primum est: quod non tantum laudandi sint qui tacent quando, & vbi non tenentur loqui: sed etiam, qui aliqua iusta de causa non respondent ad interrogationes ad quas non obligantur respondere: aut etiam qui ad eas ita respondent, vt falsæ sint quidem responsiones separatim sumptæ: sed si aliquid subintellectum cum eis coniungatur, efficiantur veræ, prout exemplis ante declaratum est. 12.

Secundum est: quod vt is qui respondere tenetur, debeat secundum interrogantis intentionem & intelligẽtiam communem respondere, *iuxta cap. Quacunque arte, 22. quæstio. 5.* ita eum qui nullatenus tenetur respondere interroganti; nec teneri secundum intentionem ipsius respondere: sed posse secundum propriam intentionem subintelligere aliquid, quod coniunctum suæ responsioni, faciat illam veram suo sensu, quidquid sit de alio sensu in quo interrogans, illam accipit. Ratio Nauarri est quod sicut talis nullo modo tenetur ad respondendum: ita nec ad respondendum secundum alterius intentionem, si nulla causa ad hoc magis, quam ad illud vrgeat.

Tertium corollarium est: posse nos per hanc doctrinam cuitare innumera peccata saltem venialia, quæ passim committuntur cum interrogamur quo eamus, quid comedamus, quantum pecuniæ habeamus, quid dederimus, quas literas, quæ noua acceperimus, quid hic vel ille nobis dixerit, aut scripserit, & id genus alia, quibus absque peccato respondere possumus, aliqua subintelligendo, quibus vera fient ea quæ affirmando, aut quæ negando respondemus: vt si petenti librum quem non tencor, vel non conuenit dare, respondeam non habeo: supple tibi dandum. Verum quidquid sit in speculatione: tale quid non videtur vsurpandum sine iusta, nec leui causa: cum alias aduertatur rectæ rationi dictanti, sincere nec deceptorie esse agendum cum proximo: ne detur occasio scandali & rixarum, aliorumq; id genus malorum aduersantium bono pacis.

Grauitas malitiæ mendacij.

Sectio V.

QVæritur quinto, Vtrum omne mendacium sit peccatum mortale. Cui quæstioni satisfit sequentibus propositionibus.

Prima est: Si mendacium non habeat aliam maculam quam falsitatis, nunquam de se, ex suo ve genere esse mortale. Hanc habet Sotus *lib. 5. De iust. & iure. quæst. 7. art. 4. ante solutionem argumentorum*: eamq; tangunt D. Thomas 2. 2. *quæst. 70. art. 4. & Caiet. in verbo Mendacium.* Probatur vero: quia mendacium non tollit charitatem ob falsitatem solam, quæ nec contra religionem est, nec contra iustitiam. Quocirca in sequenti quæst. 100. art. 4. D. Thomas tam officiosum, quam iocosum mẽdacium ait esse solummodo veniale. Quod idem habetur ex cap. Ne quis, 22. quæst. 2 §. Duo vero sunt: receptumq; est ab omnibus. Probatur autẽ: quia in huiusmodi mendacio cernitur tantũ macula falsitatis: quod enim cedat 13.

in alterius cõmodum vel alios delectet, non facit: sed potius diminuit rationem culpæ, ex ipso D. Thom. *in cit. quæst. 110. art. 2. in corpore.*

Nec obstat quod D. Gregorius lib. 18. Moralium, cap. 2. mendacium ab obstetricib. dictũ Pharaoni Exod. 1. mortale fuisse significet, cum ait: Benignitatis earum mercedem, quæ potuit eis in æterna vita tribui, præmissa culpâ mendacij, declinatam esse in terrenam remunerationem. Etenim ex eodem D. Thoma in eadem quæstio. art. 4. ad 4. id ita accipiendum est, vt Sanctus ille doctor velit significare deformitatem mendacij non repugnare perinde merito remunerationis temporalis, ac repugnat merito remunerationis æternæ.

Porro licet mendacium iocosum, sicut & officiosum sit peccatum tantum veniale; grauius tamen eodem esse censetur: quia, quod ioco asseratur falsum, culpam mendacij extenuat, ac quod proferatur ad impendendum alteri obsequiũ: præsertim cum necessitatis ratio (*pietate, misericordia, aut religionis zelo suadente*) illud quodammodo extorquet; prout habet Conc. Colonienſe in expositione huius precepti versu Sed inquies.

14. Secunda propositio est, Tam iocosum, quam officiosum mendacium, si cum iuramento fiant, mortalia esse ob periurium. Hanc tangit D. Thomas 2. 2. *quæst* 70. *art.* 4. *ad* 2. & post eum Nauar. *in Enchir. cap.* 18. *n.* 3. *in fine*: satisq; patet per ea quæ de periurio dicta sunt in præced. libro 18. Ratioq; in promptu est: quod in materia etiam leui, ipsum fiat cum notabili iniuria Dei; vtpote adhibiti in testem falsitatis. Hincq; est quod ex eodem Nauar. in præced. cap. 12. num. 5. communiter reijcitur quod habet glossa ad cap. Veniens De iureiurando: non esse peccatum plus quam veniale, iurare falsum iocandi causa.

Tertia propositio est, Errare eos qui mendacium tam iocosum quam officiosum mortale esse putãt, si dicatur ab eo, qui sit in statu perfectionis. Hæc est D. Thomæ 2. 2. qu. 110. art. 4. ad 5. & Syluester sequitur in verbo Mendacium, qu. 3. sub finem. Probatur autem: quia circunstantia status perfectionis de se minuit potius, quam aggrauat peccatum commissum (*vt fieri solet in viris perfectis*) ex infirmitate, prout cõfirmauimus in præced. lib. 14. in secunda parte capitis quarti. Cæterum negandum non est, quin aliquando ratione scandali possit in viris perfectis, siue iocosum, siue officiosum mendacium mortale esse. Hoc enim concedunt D. Thomas & Syluester locis cit. & Nauar. in Enchir. *cap.* 18. *nu.* 3. & Armilla *verbo Mendacium* §. 3. patet q; per ea quæ à nobis tradita sunt in priore parte antecitati capitis quarti.

Quarta propositio est, Iocosum aut officiosum mendacium ex eo, quod in iudicio dicatur non esse mortale. Hanc contra Caietanum, cum Nauarro & Soto tenet Couar. *in* 1. *var. resol. cap.* 1. *num.* 2. Et quoad mendaciũ officiosum expresse ostendit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 4. *ad* 2. dum docet eum qui vt à morte liberet, per falsos testes, vel per Iudicis peruersitatem, iniustâ sententiâ damnatum, fert falsum testimoniũ sepositâ periurij ratione, nõ committere peccatum mortale. Quod idem post eum sentit Sotus *lib.* 5. *De iust. & iure, quæst.* 7. *art.* 4. *ad* 2.

Quinta propositio est, Mendacium officiosum vel iocosum, si non esset simpliciter tale, sed haberet aliquid de pernicioso admixtum, mortale esse posse. Hæc patet: quia mendacium pernicioſum est genere suo mortale: quo fit vt alteri adiunctum reddat ipsum mortale. Talis mendacij hoc est officiosi pernicioso admixti, D. Thom. 2. 2. *quæst.* 69. *ara.* 1. *ad* 2. exemplum ponit cum ait: quod mentiri ad liberandum aliquẽ à morte cum iniuria alterius nõ esse mendacium simpliciter officiosum. sed habere aliquid admistũ de pernicioso.

Sexta propositio est, Mendacium iocosum non esse ex eo mortale ex se, quod assiduè ab aliquo vsurpetur. Probatur, quia assiduitate sola, peccatum tantummodo multiplicatur. Peccata autem venialia quantocunq; sint numero, nequeunt æquiualere vni mortali, vt ostensum est in præced. tomo, li. 15. ca. vlt. sect. 4. Quocirca iocosum ex eo, quod assiduè dicatur, non est censendum mortale. Vnde, quod Conc. Colonienſe *in expositi huius præcepti, versu Mendacium autem iocosum*: ait, mendacium iocosum futurum capitale si assiduitate aggrauetur, eodem modo intelligendum est, quod D. Thomas 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 4. *ad* 1. intellexit illud D. Augustini tractat. 12. in Ioannem non procul à fine, tomo nono: quod peccata minima, *id est, venialia*, si negligantur, occidant. Vult enim sensum esse tale mendacium sua assiduitate, dispositiuè causare peccatum mortale.

Septima propositio est, Mendacium pernicioſum mortale esse ex suo genere. Ita docent Caietanus in verbo mendacium, & in verbo Perfidia, ac Sotus lib. 5. de iust. & iure, qu. 7. art. 4. ante solutionẽ argumentorum. Probatur vero, quia tale mendacium charitati aduersatur: vtpote proximo damnosum; & est peculiariter contra hoc octauum præceptum: *quod expresse prohibet proximum læsi verbo*: cum cætera mendacia, non nisi reductitie, ad illud attineant. Accedit quod ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 4. *ad* 1. de eodem mendacio pernicioso intelligatur illud Psal. 5. Perdes omnes qui loquũtur mendacium. Verumtamen negandum non est, quin vt in alijs materijs imperfectio actus excusat à mortali, iuxta tradita in præcedenti libr. 15. sub initium quarti capitis; sic etiam in mendacio pernicioso excusare, ita vt contingat veniale tantum per illud committi: prout expresserunt Caiet. *in verbo Mendacium* & Armil. *in eodem verbo* §. 1.

Imperfectio autem ea, ex Caiet. ibid. potest in ipso mendacio tripliciter contingere: primo, ex parte actus, qui surreptitius est, nec plene deliberatus: secundo, ex parte materiæ: nempe quia nocumentum modicum est: postremo ex parte formæ; quia scilicet tale mendacium nõ dicitur animo inferendi nocumentum alicui: sed solum ex loquacitate: ita vt materialiter tantum sit pernicioſum, perinde ac ante diximus, falsum siue intentione fallendi dictũ materialiter tantum esse mendacium. Quanquam vt loco cit. Armilla attigit: non excusaretur à mortali si nocumentũ esset adeo graue, vt ad illud debuerit aduertere, & à tali mendacio linguam omnino cohibere: quod negligendo censetur damnum eiusmodi intendisse tacite.

Corollaria quædam de mendacio pernicioso.

SECTIO VI.

POrro, ex hoc quod constitutum est: mendacium pernicioſum mortale esse ex suo genere, possunt corollaria quædam deduci.

Primum est: Mendacium esse mortale, quando ipsum dicitur in materia fidei, vel sacræ Scripturæ. Hoc habet D. Thomas 2. 2. qu. 110. art. 4. alijq; post ipsum. Et probatur: quia *vt bene Naua. notat in Enchir. cap.* 18. *n.* 4. est mendacũ natura suâ notabiliter pernicioſum: adeoque notabiliter; vt censeatur peccatum inter mendacia grauissimum: quod ex D. Augustin. libro de mẽdacio cap. 14. habet D. Thomas *in cit. quæst.* 110. *art.* 2. Et ratio confirmat: quia peccata contra Deum semper sunt grauiora: vt post ipsum D. Thomam 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 3. ostensum est à nobis, in præced. lib. 14. nu 5. 17.

Aduerte autem ad hoc genus mendacij reuocari primo mendacium, quo quis timore mortis negaret se esse Catholicum, prout notant Armilla in verbo Mendacium nu. 2. & Nauarr. *in fine commentarij, ad cap. Humanæ aures,* 22. *quæst.* 5. Reuocari secundo, mendacium illius, qui falsas reliquias pro veris Sanctorum adorandas proponit; vel qui pro falsis miraculis, seu beneficij confictis, *tanquã per miraculum acceptis*, votiuas imagines offert imagini Crucifixi, aut Beatæ virginis, alteriusve Sancti, vt lucri gratia alios inducat ad similia in eodem loco offerenda. Cuius mendacij post Caietanum in verbo Superstitio meminit Nauar. in Enchir. cap. 11. n. 26. Reuocari tertio, mendacium quo quis scienter falsum miraculum in concione, aut in Sancti vita profert; aliter quam res sit, referendo illud. Ratio est; quia qui sic mentitur, quãtum in se est, veritatem miraculorum Christi, & Sanctorum tollit hoc nomine, quod ea de causa putabuntur falsa. Ita notat Caietan. 2. 2. *qu.* 110. *art.* 4. *in fine: & in verbo Confessio cap.* 1. *in quarta conditione: & in verbo Prædicatorum peccata*: insinuatque Concil. Colonienſe in expositione huius præcepti, *versu Mendacium autem iocosum*: dum ait non leuiter peccasse eos, qui è suggestis loco Euangelij aniles fabulas ac exempla impudenter conficta vulgo prædicarunt: quia eo ipso non vulgarem suspicionem ac contumeliam doctrinæ fidei, quam profitebantur, attulerunt. 19.

Quapro-

Quapropter credit Caiet. in verbo Prædicatorum peccata: in vniuersum quando prædicator mentitur circa doctrinam fidei, bonorum morum, historiam Sanctorum, miraculorum, & Prophetiarum ad docendum aut instruendum, aut persuadendum aut monendum auditores, mortale peccatum committere. Quæ eadem est doctrina Armillæ *in verbo Prædicator num.* 3. & Nauarr. in Enchir. *cap.* 25. *numer.* 141. Quinimo ex eodem Caietano in verbo Mendacium. Omne mẽdacium prædicatoris contra veritatem, spectans ad ipsius officiũ *(quod est auditores suos erudiendi, ædificandi, ad bene monendi)* mortale est ex suo genere, vtpote quod constituit ipsum coram Deo, tanquam falsarium adulterantem prædicationis officium, annunciando in persona Christi, & Ecclesiæ *(iuxta illud posterioris ad Corinth. cap.* 5. *Pro Christo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos)* id quod nec Christus nec Ecclesia commisit ei. Quod si prædicator ipse, non quidem circa veritatem ad officium ipsius spectantem: sed circa extranea, impertinenter inserta, mentiretur: non esset ideo de mortali condemnandus: nisi forte ratione scandali, vt adhuc cum eodem Caiet. docent Armilla & Nauarrus locis citatis. Quo referri potest traditum ab eodem Caietano in cit. fine art. 4. mentientem in nominibus authorum, aut quotationibus; puta cap. 10 pro 12. aut Isaiam, pro Ieremia; aut Ieronymum, pro Augustino dicendo, peccare quidem, sed non mortaliter: quia non contra, sed præter veritatem doctrinæ, mentitur. Falli namq; in talibus, non est falli in in doctrina, sed in accidentibus eius. In quo consentiunt cum eo Syu. in verbo Mendacium quæst. 4. & Nauarr. in Enchir. cap. 18. num. 4.

18. Secundum corollarium est: Peccatum mortale committi non adimplendo factam promissionem, si ea sit de re notabili. Tunc enim mendacium suo modo pernicioſum cõmittitur *(quod D. Thomas tangit 2. 2. quæst.* 110. *art.* 3. *ad* 5.) atq; adeo mendacium mortale: cum negari nequeat simplicem promissionem, obligare sub mortali ad sui impletionem, si sit de re graui, prout docet D. Antoninus 2. *part. tit.* 10. *cap.* 1. §. 4. *sub finem*: sequiturque Caietanus *in verbo Perfidia*: & 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 1. *circa principium.* Atq; probatur: quia promissio inducit obligationem seruandi promissum: alioqui enim tolleretur fides hominum inter ipsos; siq; sit in re graui, violatio illius graue nocumentum adfert proximo contra charitatem, animæ vitam. Debet vero istud intelligi dummodo talis promissio sit de re licita, & possibili, factaq; absq; vi, dolo, & fraude, iuxta tradita per Nauar. in sequent. num. 7.

Porro dictum est, si fuerit de re notabili; quia si de re leui sit promissio, veniale tantum committetur, si ea non seruetur; ex Caiet. locis cit. & ex alijs communiter. Idq; Nauarr. in eodem num. 7. confirmat à maiori: quia si furtum rei leuis non est mortale, multominus erit violatio promissionis de re leui: vt de dicenda alicui salute tuo nomine. Adde ex eodem Nauarr. ibidem nullum esse peccatum non seruare promissionem, si ita rerum status immutetur, vt vis promissionis eneruetur: sicut sit cum is cui facta est promissio illam remittit: argumento textus in capit. 2. Desponsalibus. Itemq; quoties alia quæuis mutatio interuenit, quæ si à principio fuisset: talis promissio, tunc minime facta esset: aut saltem casus talis tunc occurrens, esset exceptus, iuxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 110. *artic.* 3 *ad* 5. quam adhuc loco cit. Nauarrus habet.

19. Tertium corollariũ est: peccare mortaliter peccato mendacij pernicioſi eum, qui fingit se in aliqua scientia esse doctorem, vt Ecclesiasticam dignitatem obtineat: ad quam ea qualitas requisita est omnino. Hoc expresse tradit Nauarrus in eod. cap. 18. nu. 8. in fine: & est de se clara.

Quartum corollarium est: similiter peccare eum qui vt aliquam cathedram, vel canonicatum obtineat, pro se verba facit; mendaciter inquiens v. g. se libros edidisse in lucem, aut quid aliud per quod falsam de se concitat opinionẽ: quæ cedens in notabile proximi detrimentũ, mendacium est pernicioſum: iuxta tradita per D. Thomam 2. 2. *quæst.* 112. *art.* 2. & Nauar. in Enchir. cap. 23. n. 16.

Quintum est: simili quoque modo peccare eum qui per hypocrisim simulat sanctitatem, vt ea ratione beneficiũ consequatur. In tali enim hypocrisi mendacium dari, constat ex definitione mendacij in principio huius capitis assignata, & ex communiter recepta doctrina de hypocrisi, quam in 2. 2. qu. 111. D. Thomas persequitur. An autem ea sit mendacium pernicioſum mortale, an veniale, D. ipse Thom. ibid. art. 4. docet esse discernẽdum ex fine: qui si repugnet charitati in Deum vel in proximum, erit mendacium mortale, vt quando quis sanctitatem simulat, vt falsam doctrinam dissemnet: vel vt alipiscatur Ecclesiasticam dignitatẽ indignus: & sic de similibus, quæ fiunt cum notabili Dei aut proximi iniuria. Sin autem idem finis charitati minime repugnet, mendacium non censebitur plusquam veniale, cum vitam animæ, *quæ est charitas*, non auferat.

CAP. II.

De iudicio temerario.

SVMMARIVM.

20 *Quid sit temerarium iudicium, & quale peccatum sit.*
21 *Excusatio à peccato mortali, dum de proximo malum iudicatur eo quod res sit aperta, aut habeantur illius sufficientia indicia.*
22 *Iudicium temerarium non est mortale, nisi sit de re graui.*
23 *Ad iudicium temerarium non sufficit, vt fiat de re absolute, sed requiritur vt fiat contra proximum.*
24 *Ad temerarium iudicium requitur vt ipsum sit certum fixumve.*
25 *Vt censeatur peccatum mortale requiritur vt deliberate fiat.*
26 *De opinione, dubitatione & suspicione temerarijs, quid sint & quando sint peccata mortalia.*
27 *Quod à mortali excusentur, quando sunt ex errore, non tamen semper.*
28 *Mortalia peccata sunt, cum proueniunt ex prauo affectu & maleuolentia erga proximum.*
29 *Documenta de eo quod dubia sint in meliorem partem interpretanda.*
30 *Explicatio dubij, An liceat iudicium de proximi bonitate, malitiaq; suspendere.*

HIc de temerario iudicio agitur tanquam de interno mendacio seu mentali testimonio falso contra proximum. Ipsum est enim, cum quis ex leuibus & insufficientibus indicijs apud se contra proximum fert iudicium certum, & deliberatum in re graui: vt cum iudicat ipsum peccare mortaliter, aut esse in statu peccati mortalis. In eo autem mendacium mentale committitur: quia spectat etiam ad mendacium, si certo id definiamus, quod nescimus an tale sit, sicut ad periurium spectaret si de eodem iuraremus, ex Nauarro *in Enchir. cap.* 12. *numero* 8. Est vero mendacium pernicioſum ex eodem Nauarro *in sequent. cap.* 18. *n.* 9. Et patet: quia is proximo nocet, tam qui in propria, quam in aliena mente falsam de eo opinionem ingenerat. Esse autem mortale habetur ex D. Thoma 2. 2 *quæst.* 60. *art.* 3. *& D. Anto.* 2. *part. tit.* 3. *cap* 8. §. 1. *versu Quantum ad secundum.* Quibus accedunt plures alij, quos refert Petrus à Nauar. *lib.* 2. *De restit. cap.* 4. *num.* 446. Ratio est vero, quia per hoc fit proximo grauis iniuria, notabiliter contemnendo ipsum, infamandoque iniuste: quod ad mortale sufficere patet: quia si causam daret vt alius eandem quam ipse, siniſtram opinionem de illo haberet, mortaliter peccaret tanquam infamans in re notabili; faciensq; ei notabilem iniuriam. Perinde autem nocetur proximo, siue in propria, siue in aliena mente ingeneretur de eo praua opinio. Quisq; enim ius habet ad bonam de se existimationem in vnoquoque alio, nisi obstet causa aliqua rationabilis. Ergo & perinde peccatur. Accedit quod quis tali iudicio vendicet sibi quodammodo id quod Dei proprium est; nempe scrutari aliorum corda: à quo scelere nos reuocat Apostolus in priori ad Corinth. capit. 4. Nolite, *inquiens*, ante tempus iudicare quoad vsq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.] 20.

* *
*

Obseruationes pro praxi notandæ de iudicio temerario proprie dicto.

SECTIO I.

21. ADuerte autem primo, quod si res patenter esset mala, *sicut est homicidium factum priuata authoritate, aut fornicatio*, is qui illam videret ab aliquo perpetrari, nullum delictum committeret iudicando ipsum peccare: quia sufficientem habet causam iudicandi. Quam esse D. Thomæ loco cit. communiter receptam sententiam annotans Greg. à Valen. *2.2. disput. 5. quæst. 4. punct. 3.* in confirmationem adfert illud Domini Ioannis 12. Nolite iudicare secundũ faciem, sed rectum iudicium iudicate. Rectum est enim, quod in sufficienti ratione fundatur, & non tantum in leuibus coniecturis; qualis est quæ fit ex facie. Imo si de perpetratione quidem constaret solummodo ex indicijs, sed talibus quæ sint sufficientia ad ferendum prudenter iudicium: ille qui ferret, non delinqueret saltem mortaliter: vtpote non iudicans temere, sed nixus fundamento ad moralem certitudinem sufficienti. Non enim obstat quod nonnihil dubietatis interueniat: quia in moralibus, parum pro nihilo reputatur: vt bene ait Sotus *lib. 3. de iust. & iure quæst. 4. art. 3. post tertiam concl.* Inde inferens, quod vbi ita certus es in sententia, vt nihil fere dubites, censearis certum iudicare sufficienter ad excusandum à mortali. Similiter si iudicium sit repentinum; vt cum videns iuuenem cum puella absq; arbitris colloquentem, subito raperis ad male de eis iudicandum: in eo enim iudicio, ex defectu plenæ deliberationis, non perinde peccas, ac peccares si cum animi reflexione, plenaq; deliberatione eandem sententiam confirmares.

Cæterum in vsu habendum est commendatum salubre consilium quod ex D. Bernardo Concil. Colonien. habet *in expositione huius præcepti, versu Mendacium peruicaosum*; nimirum vt in talibus, qui potest excusetactionem; qui non potest, excuset intentionem: & qui neq; hanc excusare potest, excuset tentationem: quia vt ita faciat, postulat charitas quæ operit multitudinem peccatorum.

Iam quæ indicia existimari debeant sufficientia, certo definiri in particulari non potest: sed tantum in genere dici, in priuato iudicio non inesse temeritatem, quando talia sunt indicia, aut testimonia ex quibus vir prudens merito moueatur ad tale quid iudicandum, prout notat Sotus in eodem artic. 3. non multo ante solutionem argumentorum. Addens exemplum de eo qui visus est noctu scalis concendere fenestras alicuius domus; & de iuuene qui visus ex in loco secreto petulanter amplexari puellam non repugnantem. De quibus siniſtrum ferre iudicium ex talibus indicijs non est temerarium: immo nec culpa, ex eodem authore. Quod idem potiori ratione existimandum est, si quis de alio malum suspicetur, vel suspendat iudicium, vel dubitet cum sufficientibus indicijs, ex Petro à Nauarr. *in cit. capit. 4. num.* 447. Addente in numero 448. cum indicia fuerint tantum probabilia, id est, media inter leuia & violenta, seu graues præsumptiones, iudicium ex eis factum non videri plus quã veniale: quod censebitur eo leuius, quo indicia fuerint probabiliora; & grauius, quo fuerint minus probabilia, ex Soto loco cit.

22. Aduerte secundo, quod si iudicium temerarium non sit de re graui, mortale non committi, quantumcunque leuia, imo nulla, aut etiam falsa sint indicia, ex quibus ipsum fertur, prout expressit idem Petrus à Nauar. *in præced. nu.* 444. Rem autem grauem intellige eam, quã per ipsum temerarium iudicium proximo infertur notabilis iniuria: siue ea sit talis, quæ rationem peccati mortalis habeat; siue quæ tantum peccati venialis, imo nullius peccati rationem contineat. Nam ex Soto *in eodem loco*, grauitas temerarij iudicij non sumitur ex grauitate peccati, quod iudicatur alicui inesse: sed ex grauitate iniuriæ quæ fit illi, dum temere aliquid de illo iudicatur: siue peccatum sit siue non sit id, vnde contra suam voluntatem, in animo iudicantis vilipenditur notabiliter. Sic enim peccatum est graue hominem honoratum, & magni nominis, ex leui causa iudicare natum esse ex infamibus parentibus: etiamsi hoc non sit in se peccatum. Contra vero peccatum est leue, ex leui causa iudicare militem furibundum occidisse hominem in duello, etiamsi id sit graue peccatum mortale, quia talis miles non putat in eo suam famam lædi, sed id sibi gloriæ tribuit. Huic doctrinæ congruenter Lud. Molina De iust. & iure, tract. 4. disput. 16. nu. 5. in fine: notat non esse peccatum mortale, si quis in re graui temere iudicaret de aliquo determinato quem à longe videt, vel ei noctu occurrit, ita vt non agnoscat, nec in posterum agnituros sit quis ille sit. Neq; enim magna iniuria læsio ve notabilis infertur tunc proximo. Vnde notabiliter ægre ferre debeat de se taliter existimari.

23. Aduerte tertio, quando temerarium iudicium non est contra proximum, sed fertur tantum de ipsa re (vt cum quis audiens verbum turpe dici puellæ, iudicat illud esse peccatum mortale) minime pertinere ad iudicium de quo hic agitur: sicut pertineret si is à quo verbum ipsum turpe dicitur, mortaliter peccare iudicaretur. Ratio est, quia tale iudicium factum de rebus secundum se, non est pernicioſum; per illud enim non infertur iniuria proximo, sicut per factum contra proximum ipsum: quem cum excusare possis, quod tale quid ex surreptione dixerit; turpitudinem mortalem ei inuris: quod est iniuriosum & contra charitatem. Hæc doctrina est Caietani in verbo Iudicium temerarium, & Armillæ *in eod. verbo* § 8. *post.* D. Thomam 2.2. *quæst.* 60. *art.* 4. *ad* 2. vbi idem Caietanus videri potest.

24. Aduerte quinto, ad peccandum mortaliter per iudicium temerarium requiri, *prout ibidem Sotus adhuc notat*, vt ipsum sit certum: seu tale, quod dubietatem permixtam non habeat, aut certe, *quandoquidem in moralibus parum pro nihilo reputatur*, non nisi valde paruam. Atq; hinc est, quod ille qui ex insufficientibus indicijs de alterius bonitate vel peccato iudicat, nihil definiens, sed dubitatiuè se habens, aut definiens quidem, non tamen firmiter: sed cum hæsitatione circa partem oppositã, non peccat peccato temerarij iudicij: quia cum desit sententia definitiua, non est iudicium; sed potius dubitatio: vel ad summum opinio. Id quod *à Caiet. notatum 2.2. quæst. 60. art. 3. circa initium*, obseruatione dignum est pro multis qui se in temerarium iudicium incidisse putãt ob malam opinionem quam conceperunt de proximo. Etenim falluntur in eo, quando sic interea dispositi sunt, vt si interrogarent seipsos; num apud se talem existimationem haberent certam, se non habere inuenirent, sed hæsitare, aut forte etiam credere falsam eam esse.

25. Aduerte quinto, ad hoc vt temerarium iudicium sit peccatum mortale, requiri vt deliberate fiat. Nam vt in alijs peccatis, ita in hoc defectus plenæ deliberationis à mortali excusat. Vnde fit vt quando timorati, & scrupulosi maxime, si passi sunt siniſtras cogitationes de proximis, & dubitant an mortaliter peccauerint, interrogari debeant. An si tunc aduertissent illud esse iudicium temerarium, & peccatum mortale, deliberate consensissent: siq; respondeant negatiue, putandum est, quod non peccarint mortaliter; quia vel nullus fuit consensus voluntatis, vel certe si aliquis fuit, non fuit plene deliberatus, nec sufficiens ad mortale.

De opinione, dubitatione, & suspicione temerarijs.

26. HÆ cum iudicio temerario eam connexionem habent, vt simul tractari merito possint: propterea quod in eas ipsum frequenter degenerat per solum defectũ certitudinis, per quem vnum distinguitur ab eisdem: quoniam eæ quoque sunt indicia ex leuibus causis, de bonitate aut malitia proximi: non quidem ad instar illius certa: sed cum incertitudine ac formidine. Sic autem inter se differunt, quod opinio sit iudicium in vnam partem determinatum quidem, sed vacillans, coniunctam habendo formidinem de parte opposita. Dubitatio vero sit, qua sic animus hæret vt in neutram partem inclinet: ac demum suspicio qua animus in vnam partem inclinat sed sine determinato iudicio: tantum enim est concitatio quædam animi ad assentiendum vni parti, eo quod species veri subluceat in illa, quæ non in altera.

De earum malitia autem quid sit tenendum sufficienter ad institutum nostrum tradi potest sequentibus propositionibus. Prima est: Indicia quæ non sufficerent ad ferendum ex eis absque temeritate iudicium firmum, posse sufficere ad haben-

habendam sine temeritate opinionem de alio. Atque ad dubitationem sine temeritate habendam, sufficere posse indicia minora iis, quę satis sunt ad opinionem ipsam à temeritate eximendam. Ac demum ad subrogandum sine temeritate posse quæque iudicia sufficere. Huius ratio esse potest quod ad liberandum à temeritate iudicium, de se minus firmum requiratur fundamentum rationis minus firmum, quam ad liberandum iudicium, de se firmius.

27. Secunda propositio est: Eas de se ordinarie excusari à mortali, si contingant ex errore quodam intellectus, quo apprehendit indicia tanquam sufficientia ad sic iudicandum. Hanc indicat D. Thom. 2.2 *quæst.* 60 *art.* 3. cum docet iudicare de proximo ex leuibus causis aliquod malum graue pro certo, peccatum esse mortale: dubitare autem veniale tantum esse. Vbi nomine dubitationis, comprehendit non solum proprie dictam, sed etiam assensum quemcumque vacillantem ex formidine ei permixta: *prout Caiet. ibid. & Sotus lib. 3. De iustitia & iure, quæst. 4. art. 3.* interpretantur; & post vtrumque Gregor. à Valent. 2.2. *disput. 5 quæst 4. puncto 3. propositi. 3.* Addens quod notatum est à Nauarro *in commentario ad Rubricam de iudiciis, num. 50. in fine*, eam formidinem esse non modo actualem, id est, qua quis iudicando vacillat actu: sed etiam virtualem, contingentem in casu in quo si iudicans interrogaretur, an pro penitus indubitato habeat illud quod iudicat, responderet quod non habeat, imo quod forte illud sit falsum.

Probatur autem propositio ex eo, quod assensus vacillās seu admixtam habens formidinem notabilem in proposito, actus sit imperfectus quo non infertur iniuria magna proximo. Cum enim siue opinans, siue dubitans, siue suspicans, putet expresse vel tacite se falli posse, iudicium quod sic fertur de proximo, nō est natum in ipso generare grauem contemptum proximi: præsertim cum, *vt supponimus*, nō ex malitia, sed ex humano errore sic iudicet; paratus se corrigere, vbi ad rem melius aduerterit. Accedit quod vehemens propensitas ad iudicandum de aliis, ex signis quæ non carent verisimilitudine multum minuat deformitatē talis iudicij. Vnde D. August. tract. 90. in Ioan. inter cætera inquit. Ignoscatur nobis quod de occultis hominum aliquando, imo assidue non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tētationem pertinere arbitror: sine qua duci ista non potest vita, ita vt Apostolus diceret 1. Corinth. 10. Tentatio vos non apprehendat nisi humana, &c.

Cæterum cur in eadem propositione addita sit particula, *ordinarie*, ratio est, quam ex Soto Gregor. à Valent. habet, quod quandoque possint esse tales circumstantiæ rei & personæ, vt non obstante notabili formidine, iudicium temerarium sit peccatum mortale: vt si ex leuibus causis de honesta & religiosa persona voluntarie dubites an peccatum enorme, v.g. incestum cum matre commiserit: quia ex enormitate ejusdem peccati & personæ honestate, plus augetur deformitas talis iudicij, quam minuatur ex formidine ei cōiuncta. Et sic alias quoties apertum esset magnam iniuriam tali personæ fieri, si inducerentur alij ad tale quid de eo dubitandum, vnde vilipenderetur & faceret notabilem famæ iacturam. Quo spectant tradita à Soto in lib. 3. de iust. & iure, quæst. 4. art 3.

28. Tertia propositio est: Eum qui non tam ex errore intellectus, quam ex prauo affectu voluntatis & maleuolentia erga proximum, etiamsi aduertat indicia nō esse sufficientia, opinatur vel dubitat vel suspicatur de eo malum graue, quod ve sit ei occasio magnæ infamiæ, peccare mortaliter. Hæc probatur: quia in eo infert iniuriam proximo in re graui. Neque excusatur, sicut in casu præcedentis propositionis, ex errore vel ex infirmitate humana cum deliberate & ex malitia ita iudicet: eo quod velit proximum contemnere & pro vili habere pro se. Nec item ex formidine, quia etsi putet se falli posse, aduertatq; se non habere causam iustam: tamen vult in sua prava opinione pertinaciter persistere. Vnde licet iudicium illius non sit firmum ex parte obiecti *cum putet fieri posse vt res aliter habeat*: est tamen ex parte subiecti: quod sufficit ad impedimentum diminutionis iniuriæ. Accedit quod Dominus noster Matth. 7. & Luc. 6. iudicio & condemnatione dignos doceat eos qui minora fratrum suorum vitia infectantur, & condemnant tanquam sanctiores: cum longe iniquiores sint. Peccatum enim est graue ex maleuolentia imaginari proximos, non quales reuera sunt, sed quales ex prauo tuo affectu velis haberi in propriam tuam commendationem, & contemptum illorum.

Difficultas An dubia sint in meliorem partem interpretanda.

29. HAnc D. Thom. tractat. 2.2. *quæst.* 60. *art.* 4. Tenenda autem videntur hæc documenta, quæ bene Lessius notauit, De iustit. & iur. lib. 2. cap. 29. dubit. 4.

Primum est: Dubia de rebus, æstimanda esse suis momentis: de personis autem interpretanda esse in meliorem partem. Ratio est, quia in iudicio rerum id tantum agitur vt veritas attingatur: in iudicio personarum vero, veritas sic quæratur, vt maxime cauendum sit ne proximo iniuria irrogetur.

Secundum est: Dubia de personis in meliorem partem interpretanda esse intelligi debere negatiue, non autem affirmatiue. Hoc est Caietani, *ad memor. art.* 4. eiusque sensus est in dubio, nos non teneri actu positiuo iudicare proximum innocentem esse coram ipsa, nec peccasse mortifere, ac bonam intentionem habuisse: teneri autem non habere ipsum pro improbo, vel pro authore criminis, propter dubium. Quorum illud probatur ex eo, quod non teneamur ad iudicium expositum probabili periculo erroris, cū omnis error pertineat ad aliquale malum intellectus, quod sapienti vitandum est, quam commode fieri potest. Hoc vero probatur ex eo, quod iustitia postulet vt in dubio nemo tanquam criminis reus infametur, non modo exterius, sed etiam interius in animo: cum quisque ius habeat vt sibi certa pœna nō irrogetur pro incerta culpa. Id enim esset irrogari sine iusta causa de qua constet: quod est contra iustitiæ regulam.

Tertium documentum est. Quando agitur de damno vitando aut de remedio aduersus illud adhibendo, dubia accipienda esse in deteriorem partem: non quidē iudicando proximum esse improbum, vel habendo eum pro tali: sed cauendo sibi ab illo exterius, tanquam ab eo, de cuius probitate incertus sis. Hoc est D. Thomæ loco citato ad 3. vbi rationem reddit: quod ad remedium adhibendum siue nostris siue alienis malis, expediat vt id supponatur quod deterius est: quia remedium quod est efficax contra maius malum, multo magis est contra minus malum. Hinc excusantur qui admittentes aliquem ignotum in suas ædes cauent rebus suis, perinde ac si dubia esset eius probitas, dummodo eum non habeant pro improbo. Excusantur item Superiores qui ob indicia quædam dubia, subditos obiurgant, aliaq; remedia illis corrigendis, tanquam malis, adhibent ob speciem mali, à qua Apostolus in priori ad Thessal. cap. 5. præcipit abstinere: dummodo interius non habeant eos pro malis: sed factum in animis suis excusent, aut certe intentionem: caueantq; ne vel modum excedant vel eos reddant aliis suspectos, vel de virtutibus eorum diffidere videantur.

Altera difficultas, An sit peccatum suspendere iudicium de aliquo, nolendo cogitare ipsum bonum esse vel malum.

30. DE hac re videtur tenendum cum Petro à Nauar. *lib. 2 de restit. cap. 4. num.* 453. Iuspensionem eiusmodi non esse peccatum. Quod contra Medinam ille probat, quia certum est, quod possit quis velle nunquam de alio cogitare. Id autem si faciat, omnino iudicium circa illum suspendit, nec bonum nec malum de illo cogitans. Quare suspensio de qua agimus non est de se peccatum. Præterea si ab initio non teneatur quis habere bonam existimationem, sane meram gratiam facit illi, bene de illo nunc existimando: nec vllam facit illi iniuriā eiusmodi gratiam subtrahendo. Quamdiu enim ea interior est, nec ab illo acceptata, nullum ius ille ad eam acquirit, potestque pro libito reuocari sine illius iniuria, dummodo opposita, *nempe mala opinio*, non admittatur de illo. Vnde intelligitur non peccare, saltem mortaliter, eum qui occasione aliquorum signorum etiam leuium; circa aliquem habet se negatiue, nihil siue boni siue mali cogitando iudicandoque de eo: veritati liberum suum locum relinquens: ac totam rem tanquam incertam, iudicio

Dei committens. Quanquam tamen charitati valde consentaneum est, vt dubia semper in bonam partem interpretemur: iudicando scilicet proximum habendum esse pro viro probo, quamdiu non constat de contrario: atq; ita affectu interno ac externo, agendiq; modo ipsum tractando, ac si reipsa sit probus. Quod tunc maxime seruandum est quando negotium aliquod cum eo transigendum, tale quid exegerit, aut prauus in eum motus animi vincendus fuerit.

CAPVT III.

De falso testimonio.

SVMMARIVM.

31 *Mendacium à Iudice dictum in iudicio quando sit vel non sit mortale.*
32 *Non est mortale dictum à Iudice condemnante secundum allegata & probata eum, quem scientia priuata scit esse innocentem.*
33 *De mendacio accusatoris; & quod hic teneatur restituere per illud acquisitum.*
34 *Explicatio dubitationis: An accusator antequam accuset teneatur reum præmonere vt satisfaciat.*
35 *Mendacium rei in iudicio tanquam pernicioſum, rationem habet peccati mortalis.*
36 *Obseruanda à Confessario quoad tale mendacium.*
37 *Rationes suadentes probabile esse, quod reus cuius crimen non est plene probatum, à mortali excusetur, si illud in iudicio neget ad mortem vitandam.*
38 *Nonnulla ad quæ aduertendum est in iudicio ferendo de eiusmodi mendacio.*
39 *Requisita vt quis censeatur legitime interrogatus.*
40 *De infamia requisita.*
41 *De indiciis ac semiprobatione.*
42 *Reus potest respondere ambigue, quando non interrogatur iudice, & fugere nondum captus.*
43 *Falsum testimonium peccatum mortale est suo genere.*
44 *In eo excusatio non habet locum ex materiæ leuitate, cum fuerit iureiurando confirmatum.*
45 *Quid tenendum sit de eo qui bona fide putat se dicere ac iurare verum.*
46 *Testis cum non interrogatur secundum iuris ordinem, perinde celare potest veritatem ac reus, etsi nonnulla cernatur differentia.*
47 *Etiam si crimina sint notoria,* nisi vergant in reipub. perniciem, aut notabile damnum tertij: *author omnino occultus celari potest.*
48 *Non tenetur quis testificari cum graui suo damno: & quid agere debeat, cum non interrogatur iudice,*
49 *Denunciatio mendax quando sit peccatum mortale.*
50 *De denunciatione facienda iussu Superioris intendentis punitionem.*
51 *De facienda iussu eiusdem intendentis correctionem Rei, aut partis satisfactionem.*
52 *Eam fieri non præmissa correptione fraterna, si peccatum sit omnino occultum* (excepto casu hæresis) *Superior præcipere non potest.*
53 *Quid agi debeat cum crimen sit notorius est.*
54 *Aliter procedendum est cum Superior præcipit reuelationem fieri per modum denunciationis, ac per modum iudicij.*
55 *De reuelatione criminis quod vergit in reipub. perniciem, aut notabile damnum tertiæ personæ.*
56 *De monitione Rei, quando præmitti debeat eidem reuelationi.*
57 *Alia aduertenda de eadem reuelatione.*
58 *Facienda est, cum quam minime fieri potest noxij detrimento.*
59 *Qua ratione Prælato aut denunciari possit peccatū occultum proximi, quod ei soli nocet.*
60 *Obligatio corripiendi publice peccantem, & quædam alia aduertenda circa prædictam denunciationem.*
61 *Obligatio obedienti Superiori præcipienti vt criminosi secreto reuelentur sibi, tanquam patri.*
62 *Seruanda est forma edicti quo Superior præcipit aliquid reuelari.*
63 *Quædam circa eandem reuelationem notanda pro praxi.*
64 *Excusati ab obligatione, quæ imponitur sub excommunicatione reuelandi eos qui aliena bona retinent.*

FAlsi testimonij nomine intelligitur hic generaliter omne pernicioſum mendacium, quod in iudicio dicitur, siue à Iudice, siue ab actore seu accusatore, siue à defensore, aut notario vel procuratore, siue à reo, siue à teste, siue à denũciatorib. Non habet aũt difficultatem in defensore, notario & procuratore specialẽ, quæ non satis intelligatur, tum ex mox dicendis de aliis; tum ex speciali ratione iudicandi de peccatis earundem personarum, tradenda in sequenti libro tractatu vltimo. Dicemus ergo hic 1. de mendacio Iudicis, secundo, de mendacio accusatoris; tertio, de mendacio rei, quarto, de mendacio denunciatoris.

SECTIO I.

De mendacio Iudicis.

CIrca hoc notandum est, quod si Iudex in iis quæ ad iudicium attinent, mentiatur, tale mendacium censeatur 31.
pernicioſum, & per consequens mortale iuxta tradita à D. Thoma 2.2. *quæst.* 110. *art.* 4 Idque expresse docent Caiet. in verbo Mendacium & Armilla eodem verbo §. 2. æquiparantes mendacium Iudicis, dictum contra veritatem spectantem ad officium ipsius, mendacio prædicatoris dicto contra veritatem, ad officium ipsius spectantem. Quod si mendacium à Iudice prolatum in iudicio, non esset de iis quæ ad iudicij veritatem pertinent, is de mortali non esset condemnandus, iuxta eundem Caietanum ad citatum D. Thomæ art. 4. sub finem: quem Nauar. sequitur ad cap. Fratres *De pœnit. dist.* 5. *num.* 21. & 22. Intellige autem nisi aliunde sit mortale, vt ex iuramento adiuncto. Quinimo & Nauarr. in eod. num. 22. addit in iis etiam quæ ad iudicium pertinent, Iudex posset venialiter tantum peccare mentiendo, ob materiæ leuitatem, quam in tali peccato, perinde ac in aliis, excusare à mortali, non videtur negandum; licet Caiet. *in summula, verbo Mendacium* contrarium iudicet. 31.

Sed quæres, quid sit dicendum, si Iudex contra propriam scientiam proferat sententiam in re graui, puta condemnando aliquem ad mortem secundum allegata & probata, quem certo nouit innocentem: Vtrum mortaliter peccet tanquã mentiens pernicioſe in iudicio. Ad quod negatiue respondendum esse patet per tradita in præcedenti lib. 21. *cap.* 3. *dub.* 4. post Caiet. 2.2. *quæst.* 67. *art.* 2. ac Soto *lib.* 5. *De iust. & iure, quæst.* 4. *art.* 2. Ratio vero est: quia vt in Iudice duplex est persona: nimirum priuata, & publica: ita duplex est scientia, vna priuata, altera publica, quam habet vt Iudex, ex allegatis & probatis: vnde fit vt mirum videri nõ debeat, si quando sententiam profert tãquam Iudex, *adeoq; secundum scientiam publicam*, dicatur veram, non autem falsam proferre sentẽtiam: dum profert eam secundum allegata & probata: etiamsi id faciat contra priuatam scientiam. Verumtamen si conscientia dictet ei, quod talem sententiam proferre nequeat, debet illam omnino deponere, antequam sententiam ipsam ferat: quoniam peccaret alioqui, iuxta antedicta in præced. lib. 13. tract. 2. cap. 11. reg. 3.

SECTIO II.

De mendacio accusatoris.

IN iudicio ex parte accusatoris seu actoris, datur pernicio- 33.
ſum mortaleque mendacium, quando calumnioſe falsoque accusat, iuxta tradita per D. Thomam 2.2: *quæst.* 68. *art.* 3. & per Sotum lib. 5. de iust. & iure, quæst. 5. art. tertio, & Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 31. secundum quem talis tenetur omnia damna subsecuta resarcire: quod idem habet Armilla in verbo Accusatio, num. 11. Posset autẽ quis iuxta D. Thomam in eod. art. 3. ad 1. aliquando per iustam ignorantiam in hoc excusari à peccato (& pariter à restitut. ex Armilla ibidem) nempe quando accusationem institueret de falso, quod probabiliter putaret verũ esse. Quanquam talis mortaliter peccaret, si vbi primum nouit falsitatem, non desistat ab accusatione, secundum Nauar. loco cit.

Secundum

Secundum quem etiam, is qui poſt definitiuam ſententiam quam contra alium obtinuit, cognoſcit ſuam cauſam fuiſſe iniuſtam, tenetur ad reſtitutionẽ eorum quæ per eandem ſententiam acquiſiuit: quia, *inquit ille*, ex Innocentio ad cap. Quia pleriq; De immunitate Eccleſiarum communiter recepto, ſententia iniuſta non tribuit ius in cõſcientia. Intellige etiamſi ea in rem iudicatam ideo tranſierit quod ab ea non ſit intra legitimum tempus appellatum. Item etiamſi iudex ſecundum allegata & probata ſententiam tulerit, neque enim inde cauſa fit iuſta ex iniuſta. Attamen expenſas quas Reus fecit interim dum bona fide contra ipſum legitime agebatur, non tenebitur accuſator exſoluere: quia damnum nulla noſtra culpa acceptum, non tenemur reſarcire. Imo nec rem ipſam tenebimur reſtituere, ſi poſt latam ſententiam durante bona fide, per legitimum tempus eam præſcripſerimus, vt conſtat ex iis quæ de præſcriptione dici ſolent à Doctoribus. Locum autem hæc habent in fiſco, ſicut & in cæteris; adeo vt ſi quis fuit de hæreſi falſo accuſatus, & ex allegatis, & probatis condemnatus: fiſcus qui bona ipſius acquiſiuit per priuationem ex condemnatione ſubſecutam; vbi primum de iniuſtitia ei conſtiterit, teneatur acquiſita reſtituere.

34. Hic occurrit dubitatio: An accuſator antequam accuſet teneatur rem præmonere, vt debito ſatisfaciat. Quam bene tractat Petrus à Nauar. *in lib. 2. De reſtit. cap. 4. à num. 250.* Ac pro parte affirmante adfert: tum quod alioqui iniuſte & ſine cauſa, Reus infametur apud Iudicem: tum quod Chriſtus Matth. 18. præſcripſerit vt antequam diceretur Eccleſiæ, ſeu Prælato, delinquens ſecreto primum corriperetur, ac deinde teſtes adhiberentur quibus poſſet accuſatio poſtea comprobari. Pro parte negante vero adfert; tum quod vnuſquiſque ius habeat recuperandi illud quod ſibi vel alteri iuſte debetur, procurandique reipubl. commune bonum: tum quod ea ratione cæteri à peccato deterreantur, & à delinquentis conſortio, & familiaritate qua inficiendi erant reuocentur. Pro ſolutione vero, tres tangit concluſiones.

Prima eſt: In foro cauſarum ad accuſationem Rei non eſſe neceſſariam eius præmonitionem. Hanc deducit ex eo, quod per cap. Qualiter, 2. verſ. Verum, De accuſationibus; ad accuſationem quæ intenditur ad Prælati degradationem: non admonitio ſed inſcriptio requiratur, id eſt, obligatio accuſatoris ad eandem pœnam ſi non probauerit, prout interpretatur gloſſ. cap. Super his, eod. tit. *ad verbum Oportet inſcribi.* Confirmatur etiam ex eo, quod præmonitio ſit ad emendationem: accuſatoris vero finis in foro cauſarum ſit punitio Rei, non autem emendatio.

Secunda eſt, *quam ſi ut præcedent idem author omnium eſſe ait.* Quando ita neceſſarium fuerit ad bonum commune, vel ad priuatam ſatisfactionem quæ alter haberi non poteſt: licitum eſſe ſine admonitione Reum *etiam extra iudicium* accuſare, quantumuis delictum iam ſit emendatum. Huius ratio eſt: quod vnuſquiſque tanquam reipubl. membrum, ius habeat petendi, vt in ea puniantur delicta ad exemplum aliorum, & vt tranquille in ea viuatur: itemque ſibi vel alteri fieri reſtitutionem famæ, aliorumve damnorum, ius habeat procurandi apud Superiorem per modum querelæ: præſertim quando aliter ea non obtineretur facile: & peccatũ illud quo ipſe, aut alter læſus eſt, peccatũ eſſet iniuſtitiæ. Non eſt tamen negandum, quin ſi in tali caſu præmonitio ad Rei emendationem iuuet, ea præmitti debeat: quia quomodocumque contra eum agatur, ſalus eius nunquam eſt negligenda.

Tertia concluſio eſt: Quando nec ſatisfactio facienda eſt, nec aliud damnum imminet quam quod Reus manebit impunitus nos vti debere potius admonitione ad illius emẽdationem, quam accuſatione ad punitionem. Hæc probari poteſt per cap. Si peccauerit, 2. quæſt. 1. exemplo ſancti Ioſeph, qui cum iuſtus eſſet, B. Virginem inuentam grauidam noluit manifeſtare Iudici, qui illam puniret, tanquam adulteram: ſed voluit occulte dimittere eam, ac rem occultam, neque vlli alij nociuã, tegere ſilentio. Accedit quod agamus alioqui contra charitatem, mutuamq; dilectionem qua tenemur defectus proximorum ac damna eorum vitare, dum commode & ſine alterius præiudicio id facere poſſumus. Pro eadem etiam concluſione faciunt rationes initio propoſitæ pro parte affirmante.

Iiſdem autem prout primæ & ſecundæ concluſioni ante poſitæ, aduerſari videntur, reſpondendum eſt. Ad priorem quidem Reum dum accuſatur apud Iudicem, non infamari ſine cauſa, ſed propter reip. tranquillitatem, ad cuius procurationem quiſque ius habet, neq; inde iniuria fit Reo: quia ex quo peccauit coram iis per quos delictum probari poteſt; quæſitum eſt illis ius accuſandi ipſum, & petendi ipſius punitionem, nec ei ſeruandi ſecretum. Ad poſteriorem vero reſpõdendum eſt: ibi agi de denunciatione fraterna, quæ cum ſit inſtituta ad emendationem fratris, ſi is admonitione reſipuerit, aut probabiliter iudicetur futurum vt reſipiſcat, fruſtra fieret infamatio ipſius apud Superiorem. Secus eſt vero de accuſatione facta ad punitionem, vel ſatisfactionem, ad quam Reus etiam emendatus tenetur.

De mendacio Rei.

Sectio III.

35. REum qui legitime interrogatus in iudicio veritatem negat, pernicioſi mortaliſq; mendacij culpam incurrere docet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 69. art. 1.* & poſt ipſum Sylueſt. *in verb. Accuſatio, quæſt. 13.* Sot. lib. 5. de iuſt. & iur. *quæſt. 6. ar. 2.* Nauar. in Enchir. *cap. 18. num. 57.* & ad cap. Inter verba, *concl. 6. nu. 20.* aliorumq; communiter, quorum plures refert Petrus à Nauar. lib. 2. De reſtit. cap. 4. num. 138. Fundamentum autem præcipuum talis doctrinæ eſt, quod ſubditus teneatur in conſcientia, parere iuſto præcepto Superioris, cum faciat alioqui contra obedientiam initio cap. 13. epiſt. ad Rom. præſcriptam illis verbis: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:] ipſique Superiori inferat iniuriam violando ius ipſius. At præceptum quo Iudex legitime, ſed iuxta legum præſcriptum procedens, præcipit Reo vt veritatem ſibi reuelet, iuſtum eſt: vtpote inſtitutum ad euitandum damnum quod reſpub. alioqui caperet, dum malefactores ſubinde creſcerent per confidentiam impunitatis. Igitur Reus tenetur tali præcepto parere: ſique contra illud mendaciter neget veritatem in re graui, ſeu valde nociua reipublicæ, aut perſonæ priuatæ, mortaliter peccat: poteſtq; ab eo per torturam veritas ipſa extorqueri, iuxta cap. 1. §. penul. De depoſito. Quod aduerte locum habere, etiamſi tale mendacium dicatur à Reo ſine iuramento, prout notat in lib. 5. De iuſt. & iure, quæſt. 6. art. 1. Et ratio eſt: quia fundamentum cuius meminimus, non conſiſtit in iuramento: ſed in ipſa Rei conditione. Locum habere quantumcumq; Reus mentiatur ad euitandam mortem ſibi ex ſua confeſſione irrogandam, ex D. Thoma *in eod. art. 1. ad 2.* quem ſequuntur Sotus loco cit. & Ludouicus Beia *in priore parte ſuarum reſponſionum, caſu 32.* ac Nauar. in Enchir. cap. 25. *nu. 35.* Ratio D. Thomæ eſt, quod mentiendo faciat iniuriam ei cui obedire tenetur, denegando quod ipſi debetur. Adde quod Ioſue, *ex illius hiſtor. cap. 7.* tale debitum exegerit ab eo qui ſatis ſcire potuit ex confeſſione veritatis, mortem certo ſibi imminere: Fili mi *(inquit)* da gloriam Domino Deo Iſrael, & indica mihi quid feceris, ne abſcondas.

36. Cæterum in hac re tria ſunt obſeruanda Cõfeſſario. Primum eſt, vt cum de tali defectu Reus nihil ſe accuſat, eum interroget tantũ vniuerſe, an ipſum ita pœniteat vitæ præteritæ propter Deum vt nullo modo velit, ne quidem ad mortem vitãdam ipſum mortaliter offendere; & ab ipſius gratia, ac æterna gloria excidere. Nam interrogando in particulari, num habeat propoſitum dicẽdi veritatẽ, etiamſi ei moriendũ ſit, reuocari poſſet à concipiendo propoſito vitandi omne peccatum mortale: quia facilius eſt contẽnere inc õmoda cõcepta ſub cõmuni ratione, q̃ ſub aliqua particulari cuius periculũ immineat. Secũdũ eſt vt nõ ſit facilis in præcipiẽdo vt veritas ab eo dicatur, in iacturã corporis: nec facilis in permittendo vt veritatẽ teneat, vel celet, in iacturã animæ: ſed ſumma maturitate & cõſilio rem & circũſtantias omnes expendat.

37. Tertium eſt, vt in dubio inclinet ad fauorem Rei. Circa quod monendum occurrit, nõ ſine rationum fundamento, Petrum à Nauar. *in lib. 2. De reſtit. cap. 4 à num. 142.* & Leonar. Leſſium *De iuſtit. & iure, lib. 2. cap. 31. dub. 3. nu. 6.* Emanuelem Rodericum, *Regularium quæſtionum, tomo 2. quæſt. 19. art. 4.* opinari poſſe pie probabiliterque teneri, quod Reus, cuius crimen non plene probatum, poſſit in cauſa capitis, ad

mortem

mortem euitandam, celare veritatem nõ obstante Superioris præcepto de ea dicenda. Rationes sunt: prima, quod ex l.4.ff. De testibus, nemo cogi possit ad testificandum contra sanguine iunctum. Nemo autem cuiquam magis sit coniunctus sanguine quam sibi ipsi. Secunda est, quod vehemens inclinatio quam natura indidit cuique ad sui conseruationem, indicet naturam ipsam illi fecisse facultatem liberrimam se tuendi per omne medium de se licitum: quale censeri potest veritatem celare ad mortis periculum vitandum: siquidem spes sit illud euadendi. Quod addo, quia si non sit spes, vt cum constat haberi posse probationes sufficientes, cessaret ratio iusta celandi. Postrema est, quod lex humana non obligat cum periculo mortis, nisi magnitudo negotij aliud exigat, prout expositum est in præced. lib. 11. in fine. Ergo nec obligabit præceptum humanum, quandoquidem vtriusq; eadem est ratio, si cæteræ sint paria. Quocirca criminosus non tenetur præcipiente Iudice veritatem detegere, si alias liber sit à periculo mortis (vt cũ aduersus ipsum sufficiés publica scientia haberi nequit) ne scilicet in illud se coniiciat per eandem detectionem: quod quidem vitandi instinctum, iusque à natura habet maximum.

Neque obstat quod Superior illam præcipiat, tanquam legitime officio suo fungens, gratia boni publici. Nam in istiusmodi casu ob memoratum ius, præceptum ipsius censeri potest datum ad Reum terrendum, inducendumq; ad detegendam veritatem, non autem ad obligandum ipsum in conscientia. Vnde habetur respõsio ad rationem D. Thom. antea propositam num. 35. qua saltem pateat eam non esse omnino necessariam. Quæ omnia in medium adferre libuit, quæ satis ostendere videntur Confessarium debere esse liberalem erga Reum sibi confitentem (nisi id fieret in iniuriam diuinæ gloriæ aut in ingens detrimentum publicum, iuxta antecitatum ex libro Iosue) vt Reum non facile compellat ad veritatem fatendam, quando id propterea recusat, quod sciat suum scelus ita occultum esse, vt scientia ad sententiam mortis requisita, aliter haberi non possit, quam per suam confessionem.

Monendus autem hic est obiter idem Confessarius, quod curare debeat vt audita sacramentali confessione Rei, ita in exteriori facie se componat, seq; ita gerat, vt Iudex nequeat de auditis quicquam suspicari: sique ille ipsum interrogauerit, respondere debeat se suum munus peregisse, nec quicquam amplius dicere, iuxta communem doctrinam de sigillo Sacramentali.

Obseruationes pro iudicio de Rei mendacio.

SECTIO IV.

38. CÆterum præter iam dicta, in iudicio de proposito mendacio aduertendum est 1. Reum qui citra iuramentum in re leui mendacium profert, non nisi venialiter peccare, etiamsi illud in iudicio proferat, prout contra Caiet. tenent Nauar. *ad cap Fratres, De pœnit. dist. 5. num. 22.* Couar. in lib. 1. var. resolut. *cap. 1. num. 2.* Sotus lib. 5. De iustit. & iure, *quæst. 6. art. 1. sub finem, & quæst. 7. art. 4. concl. 2.* Quorum fundamentum est, quod non detur ratio cur leuitas materiæ, non excusset à mortali in ea re, sicut excusat in aliis.

Aduertendum est secundo, Reum quem Iudex interrogat de facto, quod absque culpa, *saltem lethali*, perpetrauerit: non teneri veritatem fateri. Exempli gratia: Titium inuadentem occidisti seruato moderamine inculpatæ tutelæ, aut certe absq; notabili excessu: non teneris fateri te occidisse. Ratio est: quia mens Iudicis est quærere de occisione criminosa; vt argumento est, quod si rectus sit, & interroget ur, de qua occisione intelligat, omnino respõdebit de criminosa, cum pro alia non possit ferre sententiam mortis.

Aduertendum est tertio, Reum nisi legitime interrogetur in iudicio, non teneri respondere veritatem fatẽdo. Quę est doctrina D. Thomæ 2.2. *quæst. 69. art. 1.* recepta ab omnibus, teste Petro à Nauar. *lib. 2. De restit. cap. 4 num. 136.* Fundamentum est autem, quod Iudex non possit tunc Reo imponere obligationem aperiendi suum crimen, aut compellere ad iurandũ, *& multo minus ipsum corporaliter torquere*, cum ius non tribuat ei talẽ authoritatem, vt satis indicatur in cap. Qualiter & quando primo, De accusationibus: cũ improbatur iudicium in quo seruatus non est ordo præscriptus à iure.

Vt vero cẽseatur quis legitime interrogatus, opus est primo, vt interrogatio fiat ab eo quem Reus nouit esse legitimum suum Iudicem, ex Soto lib. 5. De iustitia & iure, *quæst. 6. art. 1. concl. 2.* & Nauar. ad cap. Inter verba *concl. 6. n. 20.* & *in Enchir. cap. 18. nu. 57.* Et ratio est: quia nemo tenetur suscipere graue onus, impositum ab eo quem nescit posse imponere, seu potestatem imponendi habere. Si autem sciatur esse legitimus, nihil refert, an sit Iudex ordinarius, an vero delegatus, dummodo sit eiusdẽ Rei Iudex quoad talẽ causam. Secundo opus est, vt secundum iuris formam fiat interrogatio: nempe *vt habet Nauar. locis citatis*, præcedente aut infamia, aut delicti probatione, saltem semiplena, aut indiciis sufficientibus. Sed de eadem forma pluribus postea in lib. 25. cap. 54. sect. 3. 39.

Porro prædictam infamiam non sufficit esse simplicem, quæ rationem quidem habet accusationis, non tamen probationis; sed *ex Nauar. in citato num. 20.* oportet esse plene probatam: scilicet per duos minimum testes iurantes se audiuisse à pluribus personis, non discolis, neque inimicis, sed fide dignis: quemadmodum ex Bartholo & aliis iurisperitis habet Ludouicus Beia *in parte priore suarum responsionum casu 32.* aut si mauis talem per quam apud probos viros persona reddatur de eo crimine rationabiliter suspecta: prout habet Caiet. 2.2. *quæst. 69. art. 1. & 2.* Cui assentitur Nauar. ad rubricam De iudiciis, num 58. Neque satis est, *vt iidem addunt*, quod discolorum hominum ea vox sit, id est, quod de eo discoli homines tale quid iactent, iuxta illud in cap. Qualiter & quando 2. De accusationibus. Non quidem à maleuolis, sed à prouidis & honestis: nec semel tantum, sed sæpe quod clamor innuit, & infamatio manifestat.] Id quod Petrus à Nauar. *in cit. cap. 4 num. 152.* annotat: & in præcedenti 151. commendat dictum à Soto: ad infamiam non sufficere certum numerum testium, sed requiri maiorem partem vel populi, vel Parochiæ, vel saltem viciniæ. Ac in sequenti num. 153. cum Syluest. contra Angelum addit, non esse necesse famam, seu clamorem populi deferri ad Iudicem pro tribunali sedentem: quia id nec iure aliquo flatuitur, nec reipubl. gubernationi, & necessariæ delictorum punitioni conuenit.

Sufficientia autem iudicia intellige esse, quæ infamiæ prædictæ, aut semiplenæ probationi (de qua paulo post) æquipolleant: aut etiam quæ manifesta sint: sufficienter ad mortalem certitudinem iudicio prudentis. Idque eo modo quo bene explicat loco cit. Caiet. his verbis. Quod author dicit (de D. Thom. loquitur) id tria referri: intelligi primo, ad factum, cuius est indicium: ita quod manifeste indicent tale factum. Secundo, ad personam: ita quod manifestent ipsam perpetrasse tale facinus. Tertio, ad processum: ita quod eiusmodi indicia manifestentur reo, vt sciat se esse in tali articulo constitutum, quod teneatur obedire Iudici præcipienti & extorquenti veritatem. 41.

Ex quorum trium duobus prioribus, consequens est, quamdiu dictum fuerit ita occultum vel incertum, vt reus se probabiliter tueri, & obiecta depellere valeat, non posse in foro conscientiæ imponi ipsi obligationem ad illud in suam perniciem aperiendum; cum id non minus durum sit, & à ratione alienum, quam spoliare aliquem armis quibus iuste se, suaque tueri videtur. Ex tertio vero consequens est, Iudicem teneri aperire reo statum causæ, probationem, indicia & testes (idque propriis nominibus ex cap. Qualiter & quando, 2. §. Debet, De accusatoribus) vt videat procedi contra se iuridice, seque interrogari posse: vtque si quid habeat contra, possit & obicere, ac excipere. Quæ doctrina communiter recepta & specialiter expressa à Nauarr. *ad Rubricam De iudiciis, num. 58.* hinc confirmatur: quia sicut nemo tenetur legi obtemperare, ante illius promulgationem; ita nullus tenetur parere vbi cõtra se agitur, nisi eum qui iubet, Iudicem suum esse, & iuste præcipere ipsi constet. Quamquam tamen istud censeri potest non necessarium, quando interrogatio in iis casib. fieret, in quibus ex legitima approbataq; consuetudine, non requiritur tanta solemnitas in interrogando reo: aut quando Iudex adeo probus fuerit, vt fas non sit suspicari eum procedere contra ius.

Per semiplenam denique probationem, intelligendus est testis omni exceptione maior, oculatus aut alias fide dignissimus,

ſimus, qui iudicialiter parte legitime citata, depoſuerit iuratus. Is enim ad interrogandum reum per viam inquiſitionis erit ſatis: cum ſaltem infamiæ æquipolleat, vt bene explicat Nauar. ad eandem rubricam De iudiciis, num. 65.

42. Aduertendum eſt quarto, Reum quando non interrogatur iuridice, mentiri quidem non poſſe (etiamſi in eo non peccaret pluſquam venialiter, ex Soto *lib. 5. De iuſtit. & iure, quæſt. 6. art. 1. concl. 3.* quia mendacium eſſet tantũ officioſum) tamẽ ſi interrogetur; An ſciat, aut an viderit, vel audierit, nec reſponſionem commode ſubterfugere valeat; poſſe dicere, ſe neſcire, ſe non vidiſſe, non audiuiſſe, intelligendo intra ſe (ita vt tunc dicere teneatur) prout in ſeq. ſectio. quoad teſtẽ exponetur. Imo ſi rogetur; An fecerit, poterit dicere nõ feci: ſimiliter intelligendo, *ita vt id tunc dicere teneatur*, vel quid ſimile cum quo tota reſponſio coniuncta, ſit vera, prout antea explicatum eſt in cap. 1. nu. 9. 10. & 11. Adde quod ſi Reus ea ipſa ſub iuramento affirmare præciperetur, poſſet eodem modo diffiteri citra vllum peccatum, iuxta tradita à Nauar. in comment. ad cap. Humanæ aures, quæſt. 3. num. 11. & ſequentibus; & à nobis in præced. lib. 18. num. 90. & 91. Nota vero obiter quod ex Couar. & aliis Doctoribus tradit Leonardus Leſſius De iuſtit. & iure, lib. 2. cap. 31. dubit. 3. num. 15. vt Reo iuramentum deferri poſſit in cauſa criminali, requiri ea indicia ſeu probationes quæ ſufficiãt ad torturam (de quibus ad forum externum ſpectantib. idem in præced. cap. 26. dubit. 17.) quia iuramentum eſt quædam ſpiritalis tortura: cum ipſum mentem non peſſimam, nõ minus vrgeat ad veritatem dicendam, quam tortura.

Aduertendum eſt poſtremo, Reum, quantumuis captus veritatem fateri teneatur, iuxta antedicta: non teneri tamen iubente Iudice comparere, ſi vitæ bonorumq; temporalium iactura illi imminеat: ſed fugere poſſe, vel abdere ſe ne capiatur, licet nominatim citetur & quæratur: quia id iure naturali ei conceditur: debet tamen ſi quem læſerit, ſatisfacere illi: iuxta communem doctrinam De reſtit. & ſanam intelligentiam textus in cap. Quidam maligni, 5. q. 1. de qua Sotus lib. 5. De iuſtit. & iure, quæſt. 6. art. 2. part. 4.

De mendacio teſtis.

Sectio V.

43. DE teſte ſicut de antedictis tenendum eſt primo, quod ſi in iudicio falſum teſtimonium proferat, mortaliter delinquat. Quæ eſt expreſſa doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæſt. 70. art. 4.* relata à Sylueſt. in verbo Teſtis, *quæſt 8 verſ. 6.* & à Nauar. in Enchir. *cap. 18. num. 1.* Probatur vero: quia illud eſt, quod huic octauo Decalogi præcepto maxime, proprieq; aduerſatur, vt Concil. Colonienſe notat *in ſua expoſitione verſu Peccant autem.* Vnde intelligitur excludere à regno cœlorum, cum Dominus dixerit Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata. Probatur item per illud Prouerb. 21. Teſtis mendax peribit] ac per illud quod ex Danielis cap. 13. lapidati ſint ſenes, qui aduerſus Suſannam teſtimonium falſum tulerunt. Adde & per illud quod Ioan. 19. Iudæi qui Chriſtum falſis teſtimoniis accuſarunt maius peccatum habuerint quam Pilatus.

Hoc autem procedit non ſolum quando teſtis id affirmat quod ſcit eſſe falſum: ſed etiam quando dubitat an ſit verum, ex Nauar. in Enchir. *cap. 25 num. 40.* aut quando tacet verũ, in notabile proximi damnum, *ex eodem ibidem.* Ad quod vtrumq; facit cap. 1. De crimine falſi, per illud. Vterq; reus eſt, & qui veritatem occultat & qui mendacium dicit.] Aut etiam quando teſtatur verum quod credit eſſe falſum, ex eodem adhuc *in ſeq. num. 41.* Ad quod facit, quod id ſit formaliter falſum teſtimonium, iuxta communiter receptam D. Thomæ 2. 2. *quæſt. 110. art. 1.* doctrinam de mendacio materialiter, & mendacio formaliter, de quo aliquid habes in præcedenti cap. 1. num. 3. Idem etiam procedit quantumcumq; tale teſtimonium ſit abſque iuramento, prout expreſſerunt Nauar. *in cit. num. 40.* & Sotus *in lib. 5. De iuſt. quæſt. 7. ar. 4. concluſ. 2.* Et patet ex argumento D. Thomæ in cit. art. 4. quod falſum teſtimonium ex violatione iuſtitiæ, ſit peccatum ſuo genere mortale, ſicut omnis alia iniuſtitia: quodq; ſimpliciter prohibeatur octauo Decalogi præcepto.

44. Tenendum eſt ſecundo; Teſtem, etiamſi teſtimonium quod fert mẽdaciter, ſit de re leuiſſima, mortaliter delinquere ſi (vt fieri ſolet iuxta cap. Hortamur, 3. queſt. 9. & cap. Si teſtes, §. Item iuſiurandi, 4. quæſt. 2. & 3. atque cap. Quoties, & cap Nuper De teſtibus & atteſtationibus) iuramento illud confirmarit. Id quod expreſſit Sotus in eodem art. 4. concl. 3. Et conſtat ex eo quod non obſtante materiæ leuitate, grauis iniuria inferatur Deo per periurium: vtpote quo ipſe adhibetur in teſtem falſitatis. Quod ſi eidem falſo teſtimonio iuramentum deſit, ipſum poteſt ex tenuitate materię à mortali excuſari eadem ratione, qua mendacium Rei, de quo in præced. ſect. 4. in initio.

45. Tenendum eſt tertio, quod teſtis pernicioſam quidem falſitatem dicens in iudicio, ſed putans ſe verum dicere, ſi moralem diligentiam adhibuerit, quæ ad debitã recordandum, debiteq; teſtificandum requiritur, excuſetur à mortali, iuxta D. Thom. 2. 2. *quæſt. 70. art. 4. ad 1.* Cui aſſentiuntur Caiet. ac cum eo cęteri eiuſdem D. Thomæ interpretes ibidem, atque D. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 19. §. 7. Sotus in citato art. 4. ad 1. Sylueſt. verbo Teſtis, quæſt. 8. ſub finem: Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 40. paſſimq; recentiores. Habet autem locum, etiamſi talis iuramento confirmarit ſuum teſtimoniũ, vt Sotus & Caiet. attigerunt. Addentes ipſum eſſe quoque immunem ab obligatione reſtituendi damna, ſi quæ inde ſecuta fuerint. Quod probatur quia nõ tenetur ex re accepta, vt patet, cum nihil retineat alien: neq; ex iniuſta acceptione cum ignorãtia ipſum excuſet à peccato; perinde ac à peccato & reſtitutione excuſat cum qui alienum conſumpſit, bona fide putans eſſe ſuum. Monet tamen probe ibidem Sotus, quod ſi leuitate aliqua vſus ſit in credẽdo, aut aliqua negligentia in præmeditando obligatio detur reſtitutionis alicuius faciendæ, pro ratione quantitatis culpæ in eo commiſſæ.

Adde eundem poſtquam ſe falſum teſtificatum eſſe intellexerit, teneri primo partem monere, in cuius fauorem teſtimonium dixit, vt reſtituat: ſique appareat non reſtituturus, idipſum teſtimonium coram Iudice reuocare; ſi reuocatio parti prodeſſe poſſit: vt maxime poteſt, ſi ipſe poſt teſtificationem ſe confeſtim corrigat, iuxta cap. Præterea, De teſtib. cogendis; & notant Sotus ac Nauar. locis citatis. Imo etiamſi ex interuallo id faciat, ipſum poterit prodeſſe ſaltem quoad teſtimonium falſum quod tulerat, debilitandum, vt Nauar. ibidem declarat. Veruntamen obligare ipſum, vt cum ſuo notabili detrimento, ſe ſic retractet, nimis durum videtur: nam cum in nullo peccauerit, non tenetur ad id ex iuſtitia in pœnam peccati: quia duo hæc cohærere nequeũt, vt damnificatio ſit inculpata, & reſtauratio damni facienda ſit ratione culpæ. Qua vero alia ſpeciali ratione quam culpæ admiſſæ, talis cenſendus ſit ad reſtitutionem teneri, vix aſſignabitur; præſertim cum charitas qua iuuari debet innocens, non obliget cum magno incommodo proprio, neque cum onere reſtituendi.

Cæterum retractando ſe coram Iudice, debet etiam ſub iuramento, *ſi opus ſit*, affirmare ſe in lapſu memoriæ dixiſſe falſum: ſed re diligentius conſiderata deprehendiſſe veritatem, atque vrgente cõſcientia ſe accedere ad illam aperiendam, retractandumque prius dictum. Atque ſi Iudex nolit ei credere, id non obſtabit quin excuſetur, cum fecerit quod debuit.

46. Tenendum eſt quarto, quod teſtis cum non interrogatur ſecundum iuris ordinem, ſi celet veritatem perinde excuſetur à mortali ac excuſaretur celans extra iudicium. Pro quo facit doctrina, quam ex D. Thoma 2. 2. *quæſt. 70. art. 1.* habent tum interpretes ipſius, tum alij vt D. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 19. §. 7. Sylueſt. in verbo Teſtis, *quæſt. 8.* Sotus lib. 5. De iuſt. & iure, *quæſt. 7 art. 1. concl. 1. & 2.* Greg. à Valent. 2. 2. *diſp. 5. quæſt. 14. puncto 1.* Ea enim eſt illum teneri ferre teſtimonium, qui à Iudice interrogatur ſecundum iuris ordinem: non teneri autem eum qui ſecundum iuris ordinem non interrogatur. In priore enim caſu, debet Iudici obedire tanquam egenti ipſius opera ad crimina, *pro publico ſuo officio*, eliminanda à repub. In poſteriore vero, non tenetur obedire, tanquam abutenti contra ius eodem ſuo officio, egredientive limites ſuæ poteſtatis. Vnde colliges cũ qui in tali caſu mentitur in iudicio, nõ plus peccare quam ſi extra iudicium mentiretur. Sed aduerte eam recuſationem dicendi teſtimonium eſſe poſſe mortale peccatum contra fraternam cha-

ritatem;

ritatem; si verum aperiendo, liberaretur aliquis à morte iniusta, vel ab alio graui malo, quod ei iniuste infligendum est. Imo tunc, etiamsi quis non interrogetur, ad euitandum eiusmodi proximi malum, tenetur facere quod potest bono modo, veritatem denunciando ei qui prodesse potest.

Porro dicitur quis secundum iuris ordinem interrogari, quando criminis, de quo interrogatur præcedente infamia plene probata, vel indiciis ei æquipollentibus, vel semiplena probatione: ab eo qui Superior est, & in tali causa Iudex, iubetur veritatem dicere: prout in præcedenti sectione quoad Reum explicatum est. Quanquam tamen aliqua in hac re differentia constituitur inter Reum & testem. Si enim Iudex ex delicti notorietate, absque indiciis vel infamia particularis personæ, aut absque semiplena aduersus eam probatione, procedat tantummodo ad inquisitionem personæ in genere: siue, quisnam idipsum delictum commiserit, tantummodo inquirat (*pro officio nimirum suo consulendi bono reip. & conseruandi cuique suum ius*) atque inter cæteros forte interroget illum qui reus est, is veritatem poterit reticere; non item alius, qui interrogatus, (*nisi forte aliquo modo, eiusdem criminis particeps, se proderet*; ad quod non tenetur, vt nec Reus) tenebitur tãquam testis manifestare veritatem, quam Superior exigit ab eo vt sibi necessariam ad prouidendum reipubl. aut alicui particulari notabilem iniuriam patienti. Vnde, vt inquit Sotus *in cit. art. 1. ante solutionem argumentorum*; is qui fraude & dolo subduceret se, ne à Iudice vocaretur in testem, grauissime peccaret, & damna inde secuta restituere teneretur.

Iam si testis non sciat, sed mente dubitet; An interrogetur seruato iuris ordine, debet eligere illud in quo est minus periculi, argumento cap. Iurauit, 22. quæst. 4. Et ita si nullum ex confessione veritatis immineat detrimentum siue boni communis, siue particularis; debet Iudici deferre, obediendo illi præcipienti: quia id tutius est in conscientia; cum obediendum sit mandato Superioris, quamdiu nulla ratio sufficinter probabilis contrarium suadet. Sin ex tacita veritate, priuato tantum immineat detrimentum; in fauorem Rei ea taceri potest, quando detrimentum ex cõfessione eidẽ Reo secuturum non est minus. Etenim tutius est erga eum misericordia vti, quod commendabile est: quam vti seueritate, qua forte innocens cogatur pœnam indebitam luere iniuste; quod est vituperabile. Sin autem ex tacita veritate immineat damnum boni communis, vt in crimine hæresis, aut læsæ maiestatis, aliisve id genus, ea dicenda est, quoniam id tutius est: quia in dubio inclinandum est potius in periculum boni priuati, quam boni communis, cui illud debere cedere certum est.

47. Nota vero crimina notoria, quorum author est prorsus occultus, nisi vergant in reipub. perniciem, vel in notabile alicuius particularis damnum, relinqui posse diuino iudicio, iuxta cap. Si omnia, 6. q. 1. (*quæ de re legi potest Sot. lib. 5. de iust. & iur. q. 6. ar. 2. concl. 5.*) nec quemquam in tali casu vt testem, teneri Superiori inquirenti detegere personam, de qua nec infamia, nec semiprobatio, nec indicia probabilia præcesserunt. Sicq; admitti potest doctrina quam ex Sylu. & quibusdam aliis habet Petr. à Nauar. *lib. 1. De rest. cap. 4. n. 167. & 168.* Quod non modo Reus, sed nec testis teneatur veritatem aperire quãdo persona est omnino occulta. Ratio autem qua id nititur, est quod talis sit exemptus ab inquirentis iurisdictione, per defectum nimirum sciẽtiæ publicæ ad iuridicam sententiam ferendam necessariæ.

Addit idem Petrus à Nauar. in sequen. num. 222. & 223. quod si quis authorem criminis non vergẽtis in reipub. perniciem, vel notabile damnum tertij acceperit sub sigillo secreti naturalis ad consilium vel remedium adhibendum ei in anima vel corpore (vt solent Medicus, Obstetrix, Aduocatus, aut alius similis) non possit quantumcumq; præcesserit infamatio vel semiprobatio, sine mortali & obligationi ad restitutionẽ eum detegere: nisi forte idipsum adhuc cognoscat alia via. Tum quia ius naturale postulat vt fides præstita non frangatur sine iusta causa. Tum quia is qui iusta necessitate compulsus secretum sub fide commisit alteri, habendus est perinde, ac si illud sibi seruasset, nec rem aperuisset; nisi obstet reipubl. aut tertij iniuria non emendata, sed adhuc pendens in futurum, prout Sotus habet loco cit. Quæ iniuria omnium consensu (*teste Petro à Nauar. in memor. nu.* 223.) facit vt promissio secreti & iuramentum, non adeo obligent, quin possit & teneatur quis illud quod scit reuelare, nisi fuerit secretum sacramentale: quod nulla de causa quantumcumque graui, licet frangere.

Amplius, vt testis secundum iuris ordinem interrogatus esse dicatur: opus est ei, *sicut de Reo ante dictum est*, notum fieri præcedere id quod satis sit ad constituendũ ipsum in articulo, in quo teneatur in re graui aduersus alium ferre testimonium iubente Superiore. Debet autem conditio ista intelligi cum ea moderatione, quæ ante proposita est, cum de Reo ageretur: nempe vt non procedat in iis in quibus legitima consuetudo oppositum habuerit; nec quando Iudex ita fuerit probus, vt credendum non sit ipsum contra ius procedere, etiamsi delicta non sint talia, quæ vergant in damnum reipub.

Tenendum est quinto, quod testis iuridice interrogatus 48.
non teneatur dicere veritatem, si inde timeat sibi euenturum aliquod graue damnum siue spirituale siue temporale in persona, in honore, aut in bonis externis, iuxta Baldi sententiam receptam, *vt habet Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 50.* Itemq; si ex eo, sit oriturum scandalum, *prout idem addit ibid. ex Syluest.* Ratio esse potest, quod præcepta humana nõ censeantur dari pro casu in quo illorum obseruatio valde grauis nimisq; onerosa esset. Quod in illis cauendum esse patet, tum Christi authoritate Matth. 11. dicentis, iugum suum esse suaue. onusque leue; & in sequenti cap. 23. reprehendentis Phariseos imponentes onera grauia & importabilia in humeros hominum. Tum etiam ratione: quia humana infirmitas adeo abhorret à nimium molestis & arduis; vt præcepta cum tali rigore data, offendiculo essent potius, quam subsidio in via salutis. Pro quo facit cap. Alligant, 28. quæst. 6. Videri possunt tradita in præced. lib. 11. cap. 8. in posteriore parte capitis, regula 3.

Tenendum est postremo, testem cum non interrogatur iuridice, vel aliunde excusatur à manifestanda veritate, mentiri non posse: debere autem Iudici dicere, se dato quod sciret, non teneri respondere ad interrogata. Quod si ille velit ipsum cogere, debet appellare, nisi timeat illum sæuiturum in ipsum. Quo casu potest respondere se nihil scire; sibi intelligendo quod dicere teneatur, prout tradit Nauar. in Enchir. *cap. 25 num. 43.* consentitq; Sotus in lib. 5. De iust. & iure *quæst. 6. art. 2. concl. 7.* consentiunt & alij quorum meminit Petrus à Nauar *lib. 2. De restit. cap. 4. num. 228.* Pariter potest dicere se non vidisse, aut non audiuisse, subintelligendo vt dicere teneatur, nec vllius delicti reus erit, etiamsi sub iuramẽto, vt moris est, præcipiatur respondere: iuxta ea quæ diximus sub finem præced. sectionis.

De mendacio denunciatorio.

Sectio VI.

DE hoc in vniuersum illud statuitur. Quod si alicui legi- 49.
time præcipiatur denunciare crimen quod nouit, ipseque veritatem neget pernicioſi mortalisque mendacij reus constituitur. Quia enim tale mendacium est in re graui & contra iustum Prælati præceptum, factum ad commune, aut alicuius priuati damnum vitandum, aut bonum procurandum, pernicioſum est notabiliter, atque adeo mortale, eadem ratione qua mendacium dictum à Reo vel à teste mortale esse supra docuimus. In particulari autem circa idem notanda sunt aliqua documenta. Quibus præmittendum est, Superiorem duobus modis præcipere posse vt manifestetur sibi aliquod crimen: vno modo in forma iudicij; nempe quando intendit iuridice, debitove modo tanquam Iudex tale crimen scire, vel ad delinquentis debitam punitionem, vel ad præcauenda aut impedienda aliqua mala impẽdentia in futurum, vel vt parti læsæ satisfiat, vel vt consulatur vtilitati publicæ, aut etiam priuatæ. Altero modo extra formam iudicij: quando nimirum Superior ipse intendit delinquentem reuelari sibi non tanquam Iudici ad ipsum puniendum, sed tanquam patri ad correctionem & emendationem ipsius, vel ad satisfactionem partis læsæ.

Primum igitur documentum est, sumptum ex D. Anton. 50.
3. par. tit. 9. cap. 6. Angelo in verbo Denunciatio sub finem, &

Armilla in verb. Inquisitio, num. 8. Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 134. & 135. Quod quando Iudex intendens punitionem delinquẽtis, iubet denunciationem: vt quis teneatur denunciare, opus sit vt illud per testes, *idoneos intelligẽ*, probare possit: quia si ex personis leuibus, quæ non sunt fide dignæ, rem sciret, excusaretur à denunciando, prout notat Petrus à Nauar. *in memor. cap. 4. num.* 228. Et confirmari potest: tum per textum satis expressum in cap. Plerumq; 2. quæst. 7. & in cap. Si tantum, & in cap. Placuit, 6. quæst. 1. tum etiam per rationem eam: quod temere inde inferret damnum; tam sibi, qui leuitatis notaretur: quam denunciato, quem exponeret manifesto periculo infamiæ; & forte castigationis iniustæ. Vnde Superiore reuelationem præcipiente sub excõmunicatione, ille in eam censuram non incurrit qui veritatem sciens, eam propterea non denunciat iudicialiter, quod illam probare nequeat. Id quod Angelus expressit in verbo Excommunicatio 3. § 20. Imo etiamsi iurauerit quis se denunciaturum, non tenebitur denunciare, si probare nequeat illud quod denunciandum est, ex D. Anton. 3. par. tit. 9. cap. 9. Et ratio est, quia in eo male ageret iuxta proxime dicta; neque iuramentum est vinculum iniquitatis.

Cæterum censebitur quis in iudicio posse probare illud quod præcipitur reuelari, cum proferre potuerit vnum testem fide dignum, si & ipse sit homo fide dignus, cuius testimonium recipiatur. Sic enim probatio erit per duos testes fide dignos. Quod si ipse non sit homo fide dignus, debebit ad probationem denunciationis habere duos testes fide dignos: quia vnus solus non plus probaret, quam ipse solus, si esset fide dignus.

Secundum documentum est, *quod omnes Doctor. tenere Petrus à Nauar. testatur lib. 2. De rest. cap. 4. n. 149.* Quando delictum occultum fuerit, & author eius occultus, Iudicem non posse licite de illis inquirere, neq; reum an fecerit, neq; alium an sciat, interrogare vt reuelet. Sic enim accipiendum est illud cap. Cum oporteat, De accusationib. Mandamus, quod nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noueritis, vos ad inquisitionem non subito procedatis.] & illud cap. Inquisitionis, eod. tit. Nullum esse pro crimine aliquo puniendum, super quo nulla laborat infamia.

Intelligendum est vero documentum istud cum illius restrictione, quam sequens quartum continebit. Licet autem aliquis existimare possit, ipsum habere locum quando crimen est notorium, & Iudex generaliter inquirit, quis illud commiserit: contrarium tamen videtur tenendum; nempe Iudici taliter inquirenti, & reuelationem præcipienti obtemperandum esse sub pœna peccati mortalis, ac etiam excommunicationis, quando is præcipit sub excommunicatione. Nam cum factum notorium ostendit seipsum, non indiget clamore accusatoris, vt expressis verbis dicitur in cap. Euidentia, De accus. sed vicem supplet accusationis, facitque vt testes possint examinari num sciant authorem sceleris, perinde ac si accusatio eius præcessisset. Deinde in cap. Ad nostram tertio De iureiurando dicitur, quod secundum traditiones canonicas manifesta non indigeant accusatione, nec in eis ordo iudiciarius obseruandus sit, qui debet in aliis obseruari.

51. Tertium documentum est. Quando Superior præcipit criminosos sibi denunciari, intendens præcipue eorum correctionem & partis satisfactionem, etiamsi nulla præcesserit infamia Rei, nec vlla semiplena probatio, vel accusatio criminis, obtemperandum esse sub peccato mortali, & sub excommunicatione, si sub tali pœna, *vt plerumque fit*, denũciatio præcipiatur. Probatur autem, quia Superior tale præceptum facit ex officio: ac sine iniuria criminosi; famæ ipsius non parcens, vt saluti animæ ipsius consulas, vel vt damnum proximo illatum resarciri curet. Obtemperandum est ergo ei denunciationem præcipienti; siquæ præcipiat sub excommunicatione, in eam incurrit non obtemperans, simulque contrahit obligationem ad restitutionem damni inde secuti, vt Nauar. monet in Enchir. *cap. 17. num.* 135. nisi illum excuset iustus seu probabilis metus alicuius grauis damni: iacturę scilicet vitæ vel bonorum suorum.

Aduerte vero ex D. Thom. 2. 2. *q.* 33. *art.* 7. quem sequuntur Palud. in 4. dist. 19. quæst. 4. D. Anton. 2. part. tit. 9. cap. 6. § 4. Angelus in verbo Denunciatio non longe à fine, Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 134. cap. 18 num 56. & cap. 25. nu. 46. tali denunciationi præmittendam esse fraternam correctionem, per quam Reus inducatur mandato Superioris satisfacere: nisi præsumatur probabiliter, quod talis correctio non proderit. Atq; si facta profit, nulla manet obligatio denunciandi; sin contra non profit, manet obligatio denunciandi: dummodo tamen quis sciat ac probare possit illud quod denunciandum est ex Nauar. *in cit. n.* 134. Vbi addit exceptionem, nisi Prælatus talis esset qui prodesse posset, non item obesse. Ad quod facit cap. Hoc videtur, 22. quæst. 5.

Porro Superior præcipere non potest, vt prætermissa correctione prædicta reus occultus vel crimen ipsius occultum denuncietur; neque ei tale quid præcipienti est obtemperandum: quia oportet Deo magis obedire quam hominib. ex Actis cap. 5. Dei autem præceptum est de correctione fraterna, datum Matth. 18. Non ideo tamen damnandum est præceptum quod ad inquisitoribus fidei datur; statim, nullaque præmissa monitione denunciandi eum quem constat hæreticum esse. Nam correctio fraterna locum non habet, cum non est spes emendationis delinquentis. In crimine autem hæresis ordinarie nulla est spes emendationis per correctionem fraternam. Cum enim de illius ratione sit pertinacia in dissentiendo ab eo quod vniuersalis Ecclesia tenet, quis merito speret se priuata sua admin tione lucraturum, & vt oportet conuersurum hæreticum, cui iudicium totius Ecclesiæ non sufficit ad conuersionem: cum præsertim experientia soleat esse in contrarium, & periculum sit si moneatur ne fingat se conuersum, & interea alios secreto inficiat: aut videns se detectum, alio se conferat, vbi tuto possit in sua hæresi perseuerare: aliosq; inficere. Cui malo prouideri in magnum totius Ecclesiæ bonum, Christus suo præcepto impedire noluit. Non est vero negandum, quin si firmiter nec immerito existimaret quis, se per secretam adminitionem conuersum hæreticum ac impediturum omnia mala quæ ab eo timeri possunt, ipse debeat vti prænonitione. Sed iam raro, intercedunt circumstantiæ ex quibus quis debeat tam firmum iudicium de hæretico prudenter formare: ita vt rationes sint vtrimq; bene expendendæ: quæ si relinquant rem aliquo modo dubiam, bonum commune anteponendum est priuato. 52.

Iam quando crimen publicum, notoriumq; est: siue iure, quod scilicet Reus illud sit confessus in iudicio condemnatus: siue facto, nempe quod ita notum sit commissum esse, vt nulla tergiuersatione celari possit; simulque Reus est manifestus necessarium non est secretam correctionem fraternam prætermittere antequam denunciatio fiat Prælato; sed huic præcipienti statim deferendum est, vt præter memoratos authores docet Richardus *in 4. distinct. 19. art 3. quæst. 1.* per illud cap. 1. De pœnitent. & remiss. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.] Et per illud prioris ad Timoth. 5. Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Videri potest Petrus à Nauar. in lib. 2. De restit. cap. 4. à num. 178. vbi & monet in hac re habendam esse rationem emendationis delinquentis, quæ sine denunciatione certo speratur, quantum sufficit ad tollendum scandalum datum: nisi forte punitio illius necessaria esset ad terrendos alios, qui videntes talia peccata publica relinqui impunita, arriperent alioqui ansam similiter peccandi. Ideo n. dixit Apostolus, Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Monet quoque idem bene in sequenti num. 184. quod si nec communi damno, & scandalo, nec saluti & bono delinquentis consuletur per denunciationem, aut correctionem fraternam, tacendam omnino esse & ingemiscendum, Deumq; exorandum, in cuius manu sunt hominum corda. 53.

Atque ex dictis colligere licet, aliter procedendum esse, quando Superior præcipit reuelationem fieri in iudicio per viam testimonij & aliter cum per viam denunciationis. Illo enim modo reuelans non tenetur Reum prius corrigere priuatim, nec Iudici per testes, illum esse criminis reum probare, vt ex Angelo habet Nauar. *in cit. cap. 17. n.* 135. Sed sufficit vt sciat præcessisse rei infamiam de tali delicto, vel semiprobationem vel accusationem, iuxta D. Thom. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. & *Caiet. ibidem.* Quamquam nec tunc tenebitur, si sit de eorum numero, qui à testificando excusantur, vel ob 54.

consanguinitatem, vt ascendentes, & descendentes, ex cap. Si testis, §. Parentes, 4 quæst. 2. & 3. (non autem collaterales, vbi ibidem glossa expressit: quam intellige iuxta antedicta lib. 9. num. 210.) vel ob affinitatem, vt maritus & vxor. De qua re Angelus in verbo Denunciatio sub finem, Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 48. Nota obiter, quod si ex verbis, aut coniecturis præcepti, colligi non possit Iudicem præcipue intendere correctionem criminosi, vel proximi læsi satisfactionem, is præsumi possit intendere potius punitionem: quia in hac potius quam in illis occasio est celandi intentionem.

55. Quartum documentū est, quod post D. Thom. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. habent Caietan. ad eundem artic. & Sotus in lib. 5. De iustit. & iure, *quæst.* 5. *art.* 1. ac Nauar. in Enchir. *cap.* 18. *nu.* 54. ac alij quorum meminit Petrus à Nauar. *in lib.* 2. *De restit. cap.* 4. *n.* 186. Quod etiamsi nullum sit præceptū Superioris: eum qui nouit Reum & crimen ipsius ex quo graue damnum imminet reipub. aut tertiæ personæ, teneri talem criminosum reuelare quantum necessarium est ad obuiandum eiusmodi damno: iuxta illud Psalm. 81. Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate,] & illud Prouerb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem.] Accedit quod lex charitatis obliget occurrere Domino, quod alicui ex alterius malitia imminet.

Aduerte autem primo, tali obligationi nō obstare, quod ipse criminosus inde diffamabitur: quia iuste id continget ob ipsius culpam, quam emendare non vult, tali pœna dignam, quando damnum fuerit notabile. Quod addo quia damni leuis nō tanta ratio habenda, quin fama proximi debeat ei præponderare, vt ex Gabriele admonet Petr. à Nauar. *in seq. num.* 190. Ideo statuens, quod si vir bonę alioqui famæ furaretur aliquid non magni momenti, potius dissimulandū sit, quam quod is diffametur.

56. Aduerte secundo, ex D. Thoma in præced. quæst. 33. ar. 7 tali denunciationi non esse de necessitate præmittendam secretam monitionem criminosi: quia is non peccat in te, sed in alios quibus nocumentum parat. Quocirca in illo non habet locum sententia Euangelica Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus, &c.] Excipit autem D. ipse Thom. nisi denunciator firmiter crederet per suam secretam admonitionem, emendatum iri fratrē, & sic occursum iri damno; tunc enim contra charitatem, ac etiam contra iustitiam infamaretur apud Iudicem: cum id fieri nulla iusta causa exigat. Quam exceptionem authores approbantes bono numero commemorat Petrus à Nauar. *in eod. cap.* 4. *num.* 186.

Consequenter mouens dubium; An eidem exceptioni locus sit, cum incerta est criminosi emendatio ex monitione. Ac negantem partē sequitur, fultus in hac ratione. Quod si emendatio sit dubia, damnum erit etiam dubium. Cui si publicum sit, magis consulendum est quam priuato. Nec enim consentaneum est rempubl. periculo exponere, ne priuatum delinquentis bonum periculo exponatur. Imo *addit idem author ex Nauar.* cum certo damno hominis priuari, maxime noxij, periculum probabile reipub. euitandum est. Sin autem damnum sit priuatum: *vt furtum, adulterium, homicidium,* magis consulendum est bono innocētis quam nocentis, prout dictat lex charitatis de impediendo damno, quod alicui imminet ex alterius malitia, satisq; ostendit ius à natura concessum, defendendi innocentem contra nocentem tanquam illius iniustum aggressorem.

57. Aduerte tertio, crīmina publica hic dici, nō vt in præced. documento notoria; sed quæ contra bonum publicū committuntur, illatiuaq; sunt damni publici, quantum secreta; vt hæreses & proditiones: quę natura sua tendunt ad peruersionem populi, aut reip. perturbationem; itemq; veneficia, lepra, pestis, aut alius cōtagiosus morbus, falsatio literarum, & adulteratio monetæ, ambitiones, & subornationes in Ecclesiasticis, aut sæcularibus electionibus, crimen læsæ maiestatis, & deprædationes.

Aduerte quarto, *ex Caietano ad cit. D. Thom. artic. 7. & ex Nauar. in Enchir. cap. 18. num. 54. & ex aliis quorum meminit Petrus à Nauar. in cit. cap. 4. num. 229.* Quod Clerici & Sacerdotes possint ac debeant, proditiones aliaque reipubl. pernicios peccata perpetranda denunciare Iudici absque periculo irregularitatis, dummodo protestentur se id facere tantum ad mala quæ imminent, præcauenda sine sanguinis effusione.

Aduerte quinto, in his enormib. peccatis ex quibus graue damnum reipub. vel tertiæ personæ imminet denunciandis publice in iudicio ex præcepto Superioris; opus esse *iuxta dicta in* 1. *documento*, vt denuncians probet per idoneos testes talem ea perpetrasse, aut velle perpetrare: sique id non possit, teneatur saltem secreto extra iudicium, denunciare Superiori tanquam ei qui potest prodesse, & non obesse: quia omni quo potest iusto modo debet talia mala impedire. Aduerte denique ex Petro à Nauar. *in præced. num.* 223. documentum istud procedere, quantumcumq; rem quis sub sigillo secreti (*excepto tamen Sacramentali quod pro nulla re violare licet*) acceperit, vt misero delinquenti remedium in corpore, vel in anima adhiberet: vt medicus, obstetrix, aduocatus vel alius consiliator, siue adiutor. Ratio est: quia data fides etiam iurata seruari non debet cum fieret vinculum iniquitatis: prout fieret cum respublica vel tertius ea de causa notabile detrimentum iniuste pateretur.

Quintum documentum est: In denunciatione facienda secundum præcedens documentum, tanquam in defensione cum moderamine inculpatæ tutelæ, delicta non esse plus manifestanda, quam satis sit vt damnum quod imminet euitetur: quia non esset alioqui simplex propulsatio iniuriæ, sed mixta cum illius illatione. Itaq; si ad obuiandum damno sufficiat crimen meditatum detegere, non debet detegi persona in particulari: vt si sciam aliquem decreuisse rem alienam furari hac nocte, nec possum ab eo proposito mea monitione illum reuocare, contentus esse debeo eiusdem monere rei dominum, vt sollicite eam custodiat: si id satis sit ad cauendum furtum. Item si sciatur aliquis priuatus, cuius monitione criminosus sufficienter suadēdus sit desistere à damno inferendo, ei potius quam Iudici facienda est denunciatio. Itaque tunc demum ipsi Iudici facienda est quando priuata persona damnum quod imminet, non potest impedire: aut cum iam illatum est, is qui intulit nō vult illud reparare præmonitus sufficienter. 58.

Intelligitur autem ex hoc documento, cum à Prælato in edictis sub pœna excōmunicationis præcipitur, vt quicumq; sciuerit quisnam certam rem furatus sit, id manifestet intra certum tempus, manifestationem esse faciendam, admonito prius delinquente, si spes sit emendationis. Qua tunc omissa denunciatio facta, *nisi ignorantia excusaret*, censenda est peccatum, ob non seruatum in ea ordinem correctionis fraternæ, exigentem vt frater peccans prius corripiatur priuatim, quam publicetur Ecclesiæ.

Aduerte vero cum damnum nondum illatum est sed imminet (*vt quando mors paratur alicui, vel vult quis furtum committere*) vtendum quidem esse denunciatione, prout iudicatur conuenire ad hoc, vt is cui illud imminet tutus reddatur; vbi tamen longe maius damnum ex ea timeretur, quam sit illud ipsum imminens, ab ea abstinendum esse: nisi daretur Prælatus aut alius, qui ea sibi facta, prodesse posset nec grauiter obesse. Quod relinquitur prudentis arbitrio ex consideratione circumstantiarum.

Sextum documentum est: Cum proximi delictum pendens in futurum, fuerit occultum, nec alij, quam deliquenti nociuum antequam testes adhibeantur & Prælato fiat denūciatio, monendus est idem delinquens, si sit in eo spes emendationis; nec notabile damnum ex præmonitione merito timeatur. Ratio est: quia sicut corporalis medicus tenetur curare corpus cum quam minimo potest illius damno: sic etiam vtens correptione fraterna tanquam animæ curatione, dare debet operam vt ea vtatur quam commode potest in bonum delinquentis: vitata ipsius confusione maiore ac famæ iactura apud alios. Quæ præter alia incommoda externa, habent quoque illud animæ, quod pudore & fama perditis, maiore facilitate prolabatur quis in peccatum: à quo illis conseruatis retraheretur. Dixi autem modo spes sit emendationis nec damnum timeatur: quoniam si nulla sit talis spes, aut ex admonitione timeatur notabile damnum, siue peccantis siue admonentis, aut etiam alterius, illa omittenda esset: & alia via tentanda ad legitime occurrendum malo imminenti. 59.

Ex quo documento intelligitur, abstinendum esse ab

iſtiuſmodi denunciatione, quando monitio noſtra ſufficere poteſt ad emendationem delinquentis; vt & quando ad hanc illa nihil conferret, aut fieret in deteriorationem delinquentis. Intelligitur etiam, quod ſi delinquẽs amicum habeat piũ, & diſcretum virum, cuius monitione melius emendabitur, quam mea aut Superioris; conſultum eſſe denunciationem tali fieri. Intelligitur denique eam debere Superiori fieri potius vti patri, quam vt Iudici.

60. Aduerte autem primo, non modo Prælatum iuxta cap. Si peccauerit, 2. quæſt. 1. & cap. 1. De pœnitent. & remiſſ. ſed etiam perſonam priuatam debere publice peccantem publice arguere, quando id neceſſarium fuerit ad occurrẽdum ſcandalo aliorum, aut ad tuendum Dei honorem. Ad quod vtrumque tenetur quiſque ex charitate: niſi interueniat aliquid eorum quæ excuſant ab obſeruatione præcepti de correctione fraterna, à nobis tradita in præced. lib. 4. cap. 25. vbi videri poterunt. Vt autem publice peccantes ſunt publice arguendi, ita & qui coram aliquo, aut aliquibus paucis, peccant, coram iiſdem argui aut moneri pariter debẽt, cum inde nihil famæ ipſis pereat, vt nec perit publice peccantibus ex eo, quod publice arguantur: & interea conſulitur ædificationi præſentium, tolliturq; ſcandalum ſeu occaſio peccandi eis data.

Aduerte ſecundo, quod Petrus à Nauar. habet in eodem cap. 4. nu. 247. & duob. ſequentib. Si verò ſimile ſit eum qui deliquit non rediturum ad vomitum: vt quia occaſiones ablatæ ſunt, & ipſe notabiliter mutatus eſt in mentem meliorem, abſtinendũ omnino eſſe à denunciatione: cum ex præcepto de correptione fraterna dato Matth. 18. habeatur, tunc demum fratrem peccantem denunciandum eſſe Eccleſiæ, cum monitus primum ſolus, deinde adhibito vno aut altero teſte, audire non vult. Quod locum habere, non modo cum emendatio eſt certa, ſed etiam cum probabiliter ſperatur: ſatis inſinuatum eſt per verba Domini in eod. cap. 18. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Illuſtrari poſſunt hæc ſimilitudine. Nam etſi quis corporali vulnere grauiter laborauerit, ſi iam ſanus factus eſt, aut veroſimiliter ſanandus eſt, non videtur opus eſſe medico, iuxta illud Matth. 9. Non eſt opus valentibus medicus.]

Aduerte tertio, Prælatum, cui facienda eſt denunciatio, quando non eſt ſpes quod proximus ſufficienter reſipiſcet per ſolam admonitionem (*ita vt relabendi periculum perſeueret*) debere talem eſſe qualem oportet: nempe talem qui tanquã pater nolit obeſſe, & poſſit prodeſſe. Alioqui enim denunciatio non fieret ex charitate, quæ poſtulat vt bono proximi conſulamus quantum fieri poteſt. Quod autem Superior ipſe talis ſit, ſemper eſt iudicandum, niſi certo conſtet de contrario: præſertim in iſtiuſmodi negotio, in quo criminoſum aliquid pati pro animę ſuæ remedio, non eſt incommodum: nec alius poteſt illud æque bene gerere ac Superior; qui ad conſilium, addere poteſt metũ, aut alia remedia efficacia ad illum à relapſu præſeruandum, & cautiorem in poſterũ reddendum. Ad quod facit illud quod Petr. à Nauar. habet *in lib. 2. De reſtit. cap. 4. n. 235.* eſſe aliquarum religionum conſtitutiones à Sede Apoſtolica approbatas, vt quicumq; errores & vitia inferiorum, Superiorib. manifeſtentur per quemcumque qui extra confeſſionem cognouerit.

Aduerte poſtremo, aduerſus illud quod dictum eſt, cum delictum fuerit occultum præmittendam eſſe denunciationi monitionem ſecretam delinquentis: obiici poſſe, quod D. Petrus Act. cap. 5. publice reprehenderit peccatum occultum Ananiæ, nulla præmiſſa admonitione. Cui obiectioni occurrendum eſt, Deum pro immenſa ſua ſapientia & poteſtate poſſe ſtatim procedere ad crimina, prout ei libuerit punienda, idemque ſeruos ipſius poſſe facere ex ipſius particulari inſpiratione, & quaſi nomine ipſius. Id quod contingere cenſendum non eſt, niſi adſit peculiaris cauſa: ſicut adfuiſſe in propoſito caſu exiſtimandum eſt: in quo D. Petrus ſicut ex Dei reuelatione peccatum illud occultum & pœnam mortis qua puniendum erat cognouit: ita etiam ex eiuſdem inſpiratione idem peccatum publice arguit; & mortis ſententiã protulit: ea peculiari de cauſa, quod peccatum illud extraordinarie manifeſtari ac puniri expedierit bono communi: vt initio naſcentis Eccleſiæ cæteri timerent, & à perpetrandis criminibus auerterentur, ſimulq; fides confirmaretur. Quam cauſam coniicere licet ex effectu ſecuto. Nam vt in eod. cap. 5. additur. Factus eſt timor magnus in Eccleſia, in omnes qui audierunt hæc.] Simile quid euenit in eo quod Ioſue 7. cum Deus ſortibus patefecit ac puniri fecit peccatum occultum Achan, qui contra diuinam prohibitionem aliquid de anathemate tulerat & abſconderat.

Septimum documentum eſt. Si ſuperior præcipiat, vt qui 61.
nouerint talis criminis authores ſibi ſecreto tanquam patri reuelent ad eorundem emendationem, vel ſatisfactionem læſi; cognoſcentes extra confeſſionem, etiam ſi nullo modo probare poſſint, teneri (*idque ſub excommunicatione ſi ſub ea factum ſit præceptum*) ſecreto tales criminoſos denunciare: duobus tamen præſuppoſitis: alterum eſt, quod conſtet Superiorem omnino velle in eo procedere vt patrem, nempe ad correctionem, non autem ad punitionem, vt habetur ex cap. Hoc videtur 22. q. 5. Alterũ, quod præmittatur ſecreta monitio inter te & ipſum ſolum, ac etiam inductio teſtium iuxta Chriſti præceptum, ſi illa non ſufficiat, & hæc exiſtimetur profutura. Atque ſi ex tali monitione ſit ſpes emendationis, non tenebimur nec debebimus denunciare Prælato: ſecus vero ſi nulla ſit ſpes. Ita habetur ex Richardo in 4. diſtinct. 19. art. 3. q. 1. Sylueſt. in verbo Correctio, q. 8. Angelo in verbo Denunciatio §. 13. & aperte tradit in lib. 2. De reſtit. cap. 4. n. 221. Petrus à Nauar. bonam rationem addens propoſiti documenti: nimirum, quod in eo caſu, nulla immineat pœna qua delinquens moleſtetur, nec timenda ſit infamia ipſius; quandoquidem nomen iniuſtitia apud vnum qui loco patris habetur, non debet dici infamia.

Octauum documentum, *quod ex iiſdem authoribus habetur*, 62.
eſt: Cum Superior edicit vt ſubditi manifeſtent ſibi quæ ſciunt vel audierunt de certis aliquorum delictis, eos teneri obedire ipſi, ac reuelare prout præſcribitur in forma edicti, & Superior ipſe, prout vult reuelari: nempe ſiue ſecreto, ſiue in iudicio publico, ſiue per denunciationem, ſiue per teſtificationem, & ſiue ad punitionem, ſiue ad correctionem, ſiue ad ſatisfactionem (*ſeruatis tamen iis quæ in præcedentibus documentis diximus eſſe ſeruanda*) ita vt diligenter ſit notandus præcipiẽdi modus: ex illiuſq; diuerſitate colligendus diuerſus modus, quo ſubditi ad aliquod obligãtur. Ad id faciunt tradita in præced. lib. 9. cap. 12. quæ conſule.

Nonum documentum eſt. Quando præcipitur vt illi re- 63.
uelent qui ſciuerint vel nouerint delictum & perſonam delinquentem. Illi ſcire cenſendi ſunt, qui vſu vel aliquo alio externo ſenſu perceperunt, vel ex ipſius Rei confeſſione, extra pœnitentię ſacramentum nouerunt, iuxta cap. Hoc videtur, 22. q. 5. vel qui ex iuſta & rationabili cauſa pro certo habent, ipſum eſſe reum talis criminis; prout ex Innoc. ad cap. Cum cauſa, De iuramento calumniæ notat Nauar. in lib. 5. conſil. tit. De hæreticis, conſil. 9. num. 1. vel demum, qui audiuerunt à fide digni (*quos debent nominare cum denunciant Superiori*) illud ſcientibus, vt ibidem ex quadam gloſſa habet Nauarrus.

Decimum eſt, *ex Thom. 2. 2. quæſt. 70. art. 4. ad primum.* Quod cum ex humanæ memoriæ labilitate contingat, vt homo quandoque reputet ſe certum eſſe, de eo quod falſum eſt: ſi ipſe cum debita ſollicitudine recogitans, de aliquo quod falſum eſt, exiſtimat ſe certum eſſe, non peccet mortaliter aſſentiens illud in iudicio: cum non dicat falſum ex intentione, ſed tantum per accidens, contra ſuam intentionem.

Vndecimum eſt, *fundatum in eo quod habet Nauar. in Enchir. cap. 25 num. 46. de obligatione inferiorũ parendi Iudici præcipienti vt denunciet talia vel talia crimina, vel debita.* Quod is qui non reuelat Superiori prout debet intra tempus præſcriptum, teneatur poſtea id facere quamdiu id commode poteſt, atque reuelatio ipſius adhuc eſt aliquo modo profutura: ita vt maneat in excommunicatione, ſi quam ea de cauſa incurrerit, neque ab ea abſolui poſſit donec reuelauerit, prout tenetur.

Duodecimum documentum eſt. Cum ſub excommuni- 64.
catione Superior præcipit ſibi reuelari eos qui aliena bona retinent; illos, qui non reuelantes excuſantur à peccato mortali iuxta antedicta, excuſari quoq; ab excommunicatione: quę cum ſit maior non niſi ob mortale peccatum incurritur,

ex cap. Nullus, & cap. Nemo 11. quæst. 3. Et ita cum certo scitur quis, talia bona retinere loco iustæ compensationis: sicut excusatur à peccato eum non reuelans. sic & ab excommunicatione. Dico (scitur) quia non esset locus tali excusationi si de eo dubitaretur, prout docent Angelus in verb. Furtum, §. 41. Syluest. Excommun. 2. quæst. 8. Armilla verbo Inquisitio, § 9. Medin. in C. De rebus restituendis, quæst. 11. Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 114. & 115. Ratio vero documenti est, quod de iusta voluntate Superioris sit præsumendum, quod ipse nolit quem spoliare naturali iure, quod habet recuperandi ea ratione, bona sua. Attamen cõcesserim cum Syluestro, sicut concedit Petr. à Nauar. in cit. cap. 4. num. 227. esse obediendum, si in præcepto addatur clausula, vt ij etiam reuelentur, qui sciuntur causa compensationis accepisse. (*idem iuste præcipi potest ob præsumptionem illicitæ vel nimiæ compensationis, aut debiti dubij*) nisi timeatur coactio ad iniustam restitutionem, ex qua præceptum contineret errorem intolerabilem, & per consequens non obligaret.

CAPVT IV.

De detractione.

SVMMARIVM.

66 *Tria bonorum genera: ac distinctio famæ à rumore: illiusque diuisio in bonam, & malam.*
67 *Detractio & contumelia peccata sunt specie distincta.*
68 *Definitio detractionis cum explicatione singularum partium eiusdem.*
69 *Varij detractionis modi.*
70 *Iusta causa excusat à peccato detractionis.*
71 *Detractio peccatum est mortale suo genere.*
72 *Quando aggrauetur mutandi speciem, & quando censeatur peccatum tantummodo veniale.*
73 *Detractio materialis quando sit, vel nõ sit peccatum mortale.*
74 *Materiæ leuitas ex qua detractio excusatur à mortali, variis modis contingit, & quibus.*
75 *Eis numerandum esse eum, quo reuelatio sit ei, cui dicere perinde est ac si nulli dicatur: & cũ quo accepta iniuria narratur, ad consilium & solatium.*
76 *Modus dicendi excusans detractionem à mortali, cum sua exceptione.*
77 *An narratione auditorum committatur detractio mortalis.*
78 *A mortali excusatur qui ex iis quæ patent, detegit alicuius famam esse maiorem, quam par sit.*
79 *Quando reuelatio naturalis defectus proximi, peccatum sit mortale.*
80 *Quando reuelatio peccati venialis.*
81 *De detractione ex reuelatione grauium criminum.*
82 *Infamatum de maiori crimine, non licet infamare de minori.*
83 *Explicatio dubij: An licitum sit de peccatis proximi colloqui cum eo, qui illa nouit.*
84 *Peccatum notorum patefacere illud nescienti, quando sit peccatum: & quæ notorietas facti ab eo excuset.*
85 *De peccato quod committitur narrando nescientibus peccatum alicuius, quod iuridice prodi um est.*
86 *De peccato quod committitur reuelando crimen, quod olim fuit notorium, sed iam sopita est illius memoria.*
87 *De peccato quod committitur infamando seipsum, contrariæ sententiæ.*
88 *Probabilior, non esse mortale suo genere.*
89 *Casus in quibus est mortale ex circumstantia.*
90 *De infamante se metu tormentorum.*
91 *Quando metu tormentorum liceat infamare proximum.*
92 *Quando liceat aut non liceat diffamare eum, qui per mendacium adeptus est bonam famam.*
93 *Quatenus liceat amico referre iniuriam acceptam ab aliquo, cuius fama inde lædetur apud illum cui refertur.*
94 *Quando sit peccatum tacere virtutes alienas.*
95 *De peccato quod committitur audiendo detractores.*
96 *Quando peccetur inquirendo de defectibus aliorum.*
97 *Pœnæ detractorum.*

PRænotandum est primo, tria distingui bonorum humanorum genera. Primum est, bonorum animi, vt scientiæ, virtutis, &c. Secundum, bonorum corporis, vt vitæ, integritatis membrorum, sanitatis, &c. Tertium, bonorum externorum: quorum alia sunt honorabilia, vt fama, honor, gloria: alia vtilia, vt res familiaris, aliaque ad vitæ conseruationem necessaria. Quibus honorabilia præstare patet per illud Prouerbior. 22. Melius est nomen bonum quam multæ diuitiæ.] 65.

Prænotandum est secundo, famam esse communem opinionem voce manifestatam. Atque per illud quod communis sit, hoc est, quod sit maioris partis populi eam distingui à rumore, quod est minoris partis populi. Per illud vero, quod voce manifestata sit, distingui ab æstimatione, quæ tantum est interior opinio. Cum autem fama quædam sit bona; quæ est de bono alicuius, æstimando nempe, quod bonus sit moraliter, vel sit ad aliquem finem vtilis. Quædam vero mala, quæ est de alicuius malo contrario: hic de bona tantum agemus. A qua honor in hoc tantum differt, quod is sit de bono alicuius, non quocumque, sed excellenti; & consistat non tantum in bonis verbis: sed etiam in factis: vt in apertione capitis, genu flexione, & aliis, per quæ testimonium exhibetur excellentiæ, quę in homine est, maxime secundum virtutem, ex D. Thoma 2.2. quæst. 103. artic. 1. 66.

Prænotandum est tertio, detractionem & contumeliam peccatã esse inter se specie distincta: & ideo proferentem contumelias animo detrahendi, lædendive alterius famam, non satisfacere accusando se de cõtumeliis, nisi circumstantiam detractionis exprimat. Cuius distinctionis fundamentum est, non tantum, quod detractio in læsione famæ: & contumelia, in læsione honoris consistat: sed etiam, vt habetur ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 1. quod proximus per detractionem, sicut per furtum, clam lædatur; & per contumeliam, sicut per rapinam, lædatur coram, & aperte: ideoq; seorsum de vnaquaque dicendum est: prius autem de detractione: de qua agunt Gratianus 6. quæst. 1. cap. Ex merito & aliquot sequentibus. D. Thomas & ipsius interpretes 2. 2. quæst. 73. Summularij in verbo Detractio. D. Anton. *id. 3. pte.* in 2. par. tit. 8. cap. 4. Adrianus erudite in quodlibet. 11. Sot. in lib. 5. De iust. & iure, quæst. 10. Sebast. Med. in summa peccatorum, tit. 3. quæst. 6. vbi plures alios commemorat. Quibus accesserunt Greg. à Valent. 2. 2. disput. 5. quæst. 17. & Leon. Lessius De iustit. & iure, lib. 2. cap. 11. dubit. 2. & aliquot sequentibus. Lud. Molina De iust. & iure, tomo 5. tract. 4. Ea quæ ad eam pertinent, sequentium quæstionum explicatione complectemur. 67.

QVÆSTIO I.

Quid sit detractio.

AD huius explicationem varie quidem à variis (vt patet ex citatis authoribus) afferuntur definitiones detractionis. Sed hac familiari contenti erimus, qua detractio dicitur ablatæ famæ propriæ vel alienæ, quocunque tandem signo, absque iusta causa. In qua definitione, primo loco dicitur, *Ablatio*, vt significetur detractionem non esse, quando dicuntur alicuius vitia iam nota, aut ita leuia, vt inde nihil de fama detrahatur: neque illam minuendo; neque, *quod peius est*, illam penitus extinguendo: neque, *quod pessimum est*, aspergendo infamia. Quos tres modos Adrian. in cit. quodlib. 11. litera D, explicat exemplo boni odoris, quem qui extenuat, minus offendit, quam qui omnino tollit: & grauissime offendit qui illud per mali odoris aspersionem aufert. Secundo dicitur, *famæ*, quia vt contumelia tollit debitum honorem, id est, externam reuerentiam: ita detractio aufert famam, id est, æstimationem animi bonam quam quis habet de proximo, exterius manifestatam. Tertio dicitur, *propriæ aut alienæ*, quia peccatũ istud committi potest quoq; ab eo qui sibi ipsi famam aufert, prout in seq. exponetur. Quarto dicitur, *quocunq; signo*: quia q̃uis iudicium temerariũ possit esse sine vllo signo, cum tantũ auferat ꝓpriam æstimationẽ: detractio tñ requirit aliq; signum externũ, cum auferat æstimationem aliorũ. Idem quoq; dicitur ad significãdum; tum q; non tantum verbis; sed etiã factis, imo & taciturnitate fiat famæ ablatio: tum quod multi sint detractionis modi. 68.

Commu-

Communiter ponuntur octo, quos omnes eiusdem speciei esse notat Sotus *lib. 5. De iustit. & iure, quæst. 10. art. 1. in fine.* Eorum autem quatuor circa malum versantur hoc versu expressi.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Alij vero quatuor versantur circa bonum, hoc alio versu expressi:

Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatq; remisse.

Quorum sensus est: primum detractionis modum esse, cum scienter crimen alicui falso imponitur; qui quidem pessimus est omnium, *vt ibidem ait Sotus:* secundum vero, cum quis peccatum auget verbis, aut aliis signis externis; id quod, *etiam in obiurgationibus,* cauendum est: tertium, cum quis crimen occultum manifestat: quartum, cum id quod bonum est, nititur ostendere ex mala intētione profectum esse: quintum, cum negat bona opera alterius, vere narrata, vt impediat bonam opinionem quæ de illo concipitur: sextum, cum diminuit aliena merita: septimum, cum aliena bona ex liuore reticet, vbi & quando propalare debet; vt cum de aliquo quem probum esse cognosco, sermo bonus initur, teneo silentium quasi non probem dictum: octauum, cum quis frigide laudat, vt credatur nihil reperire posse, quod in laudib. iure ponat. De hoc loco cit. Sotus & alij ex D. Thoma 2.2. *quæst.* 73. *art. 1. ad tertium.*

Quibus modis ex Adriano in eodem quodlib. 11. litera F, & G, addi potest. Tum nonus, cum ad laudandum quis submittitur, qui adeo suspectus est de mendacio vt semper falso dicere putetur; eoque consilio submittitur vt præcedentes alterius, alioqui fide dignorum commendationes, per suas subsequentes, faciat suspectas. Tum decimus, cum quis immodice de virtute minima laudatur, vt nihil vel parum de maxima habere credatur: vt si quis Theologum laudaret à peritia medicinæ: vnde iudicaretur Theologiæ parum incubuisse. Tum vndecimus, cum aliquem magna laude efferimus, tanquam idoneum ad aliquod munus, vt confusioni & periculo exponamus eum inuentum non satis idoneum. Tum duodecimus, cum quis parum laudat; quo scilicet ei tanquam non inimico credatur, vt magis vituperet; aut multa bona apponit, vt vnū quod ad rem pertinet vituperet. Tum decimustertius, cum quis à crimine ita excusatur, vt coniecturæ & verosimilitudines inducantur in contrarium: v.g. dicendo contra talem, talis rumor est, sed non possum de eo tale quid iudicare, quanquam raro sine igne fumus videtur. Decimumquartum Nauar. addit *in Enchir. cap. 18. num. 44.* cum quis ita vnum laudat, vt alterius famam extenuet: vt, *inquit,* ille, plerumque fit in aulis principum, in scholis, imo etiam in religionibus.

70. Quinto dicitur in definitione, *absque iusta causa:* quia is qui alium infamat ob iustam causam, non committit peccatum detractionis. Est autem causa iusta quæ spectat ad Dei gloriam vel maiorem sui humiliationem, ac proximorum ædificationem: vt quando S. Augustinus multa mala de seipso narrauit in libris Confess. & D. Anselmus, cum in suis scriptis lamentatur à se amissam virginitatem. Quos plures Sanctos viros nostro tempore, imitatos esse ad maiorem spiritalem profectum suum, notat Petrus à Nauar. *lib. 2. De restit. cap. 4. num. 108.* Addens in religionibus quibusdam vsum sanctissimum seruari, vt Religiosi cum approbatione Superioris, defectus suos tam culpæ quam naturæ publice coram aliis voluntarie referant.

Est etiam iusta causa, quæ spectat ad publicam vtilitatem; vt cum multa narrantur ab historiographis perperam ab aliquibus gesta: aut quæ spectat ad zelum iustitiæ, prout contingit in accusatione iusta criminosorum: aut quæ spectat ad vtilitatem illius qui diffamatur, prout contingit in denūciatione, de qua in præced. cap. sect. vlt. & in confessione Sacramentali; & extra eam, in petitione cōsilij, per quam aperit quis suum defectum Theologo, vel Aduocato, vel Medico, vel cuicumque amico: aut demum quæ spectat ad priuatum commodum alterius proximi, ne scilicet is decipiatur, aut peruertatur à criminoso ipso, aut etiam temporalia damna alicuius momenti ab eo inferantur: quod impedire, charitatis est, qua proximum diligimus sicut nosipsos. Itaq; si noui Petrū furem esse, possum monere eos quibuscū habitat, vt sibi caueant: si gerit se pro medico, & imperitum esse noui, possum monere eos quib. ex illius imperitia imminet periculum. Item ad liberādum à morte Petrum qui plectendus est ob crimen quod imponitur ei, à Paulo commissum; detegere possum veritatem ad eum liberandum. Imo & debeo cum non fuerit certum, damnum quod ex manifestatione secuturum est, tanti esse, vt illius præ alio, ratio haberi debeat. Quæ doctrina est Nauar. in Enchir. *cap. 18. num. 31.* confirmaturq; ex eo, quod tunc criminosis nulla iniuria fiat, cum debeant damnum ipsis secutum in fama, sibi imputare; tanquam illius principali causæ.

QVÆSTIO II.

Quale peccatum sit detractio.

AD huius explicationem trademus tria documenta. Primum est: Detractionem natura sua esse peccatum mortale. Probatur per illud ad Rom. 1. Detractores Deo odibiles, &c.] Et confirmatur: quia per illam fama aufertur; quæ pretiosior est pecunia, iuxta illud in cap. 22. Prouerb. Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ] & illud Eccles. iast: 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam multi thesauri magni & pretiosi. Quare si auaritia per quam aufertur pecunia, est de se peccatum mortale: erit sane & detractio: idque etiamsi tantum fuerit in intentione nocendi famæ, nocumento non sequuto re ipsa. Namque vt intentio furandi in re graui, peccatum est mortale, etiamsi reipsa non fureris, ita etiam animus detrahendi (*vt ex Caiet. & Sylu. atq; aliis habet Petrus à Nauar. in cit. cap. 4. num. 106.*) etiamsi de facto non detrahas. 71a

Secundum documentum est: Peccatum detractionis ex tribus capitibus ita augeri, vt speciem mutet: ideoque debeat in confessione tale incrementum exprimi. Primum eorum est ex parte illius cui detrahitur, vt cum quis detrahit Sacerdoti ex cap. Sacerdotes, & sequenti, 6. quæst. 1. Item cum detrahit suo patri, ex eodem cap. Sacerdotes in fine. Secundum est, ex parte principij, vt quando ea procedit ex odio vel ex alia affectione mortali. Tertium est ex parte modi detrahendi. Nam longe grauius peccatum est detrahere per scripta ac libellos famosos, quam solo verbo. 71b

Tertium documentum est: Detractionem non esse semper peccatum mortale: sed fieri peccatum veniale quatuor modis. Primus est, ex parte indeliberationis seu defectus iudicij: quod etiam in omnibus reliquis peccatis vsuuenit. Secundus est, ex parte defectus intentionis. Ad quem intelligendum, notādum est ex D. Thom. 2.2. q. 73. *art. 2.* aliam esse detractionem formalem, qua peccatū, vel naturalis defectus alterius, clam ipso manifestatur intētione lædendi ipsum infamia: & hęc, nisi materiæ leuitas excuset, peccatum est mortale iuxta primum documentum.

Aliam vero esse materialem, qua aliquid natura sua diffamatiuum dicitur sine intentione detrahendi: quod non est peccatum si obseruatis debitis circumstantiis, dicatur intendendo aliquod bonum fama melius, aut necessarium; vt in casibus qui propositi sunt num. 70. præced. Est vero peccatum, si ex animi leuitate ac loquacitate, omninoque propter causam non necessarium dicatur: ipsum tamen non est plus quam veniale, nisi per illud proxime notabile damnum inferatur: in quo casu patet ipsum mortale esse ex iniusta læsione proximi non leui, quam quis implicite voluisse cēsetur, dum explicite voluit illud ex quo per se sequebatur. Imo quantūcumq; de facto tale damnum non sequatur, sufficit ad mortale quod culpabiliter data sit causa notabili lęsioni proximi, *ex Nauar. in Enchir. cap. 18. num. 21. & ad cap. Inter verba, concl. 6. corol. 2.* vbi id probat, quia exponens se probabili periculo peccandi mortaliter, *vt tunc fit,* peccat mortaliter, iuxta illud Ecclesiast. 3. Qui amat periculum, peribit in illo. Quando autem contingat talem causam dari, patebit per tertium propositionem sequentis quæstionis. Cæterum notabile damnum detractione inferri censetur, *ex Nauar. in cit. num 21.* quando causam dat, vt bonum aliquod notabile animæ, corporis, honoris, aut pecuniarum alicui pereat, aut is putetur illo indignus. Pro notabili autem bono animæ vel corporis ve honoris vel pecuniarum, habendum esse, quod viro prudenti & bono videtur consideratis circumstantiis personæ, loci, temporis, &c. 73.

Tertius modus est, ex parte materiæ: nam quando leuis 74.

est materia, seu quando leue detrimentum infertur, famę detractio peccatum est veniale. Potest autem ea leuitas contingere, vel ex parte eius quod dicitur; vt cum ipsum est tantum veniale peccatū, vel defectus tantum naturæ & membrorū, vt gibbosum esse, claudum & similia, quæ, *inquit Nauar. in sequ. nt. num.* 23. de se non inferunt notabile damnum famæ, nec illi causam dant: vel ex parte illius qui dicit: vt quando is est homo leuis, cui non creditur, aut certe credi non debet (iuxta illud Ecclesiast. 19. Qui cito credit leuis est corde) & ideo diffamatoria proferendo, non dat sufficientem causam ablationis famæ in mente audientis: ideoq; non committit mortalem detractionem: si quidem recitatiue tantum ex loquacitate; & nō ex intentione notabiliter nocendi eam proferat, *prout Syluester attigit in verbo Detractio, quæst.* 1. *sub finem.* Vel etiam ex parte eius de quo quid dicitur: vt quando ipse existimat illud non esse contra suam famam, imo se de illo iactat vt iuuenis procax de tentata puellæ pudicitia, miles de inito duello: *cuius rei meminit Nauar. in cit. cap.* 18. *num.* 33. Vel quando persona est quæ non habet magnam famam, in qua notabiliter lædi possit: vt cum crimina quæ de illō narrantur sunt notoria; siue facto, quod tergiuersatione celari non potest: siue iudicis declaratione, secundum iuris ordinem facta; etiāsi audientes prius ea ignorarint, ex Nauar. *in eo. c. n.* 26. Vel deniq; ex parte illorum coram quibus dicitur: quando ij vel non credunt dicenti; vel si credant, id leuiter & ex inconsideratione faciunt, tanquam pusilli, non considerantes quod lingua in lubrico posita sit, perfectusque vir sit, qui non offendit in verbo *(quo in casu nimis graue esset de mortali condemnare: vt ex Soto in 4. dist.* 15. *habet Adrianus quodlib.* 11. *lit. G.)* vel non existimant id quod dicitur esse contra famam alterius: vel si existiment, breui postea id ipsum alia via sciuissent: prout in eodem num. 26. habet Nauar. & ante eum Syluest. in in cit. quæst. 1.

75. Similiter quando quis vni aut alteri qui non est reuelaturus aliis, & cui dicere perinde est ac si nulli diceretur, prout cum Caiet. 2.2 *quæst.* 73. *art.* 2. *in principio; contra Sotum in lib.* 5. *De iustit. & iure, quæst.* 10. *art.* 2. *concl.* 4. *tenet Petr. à Nauar. lib.* 2. *De rest. cap.* 4. *num.* 335. *& duobus sequentibus:* volens id procedere, etiamsi non ad remedium peccati, vel ad alium bonum finem, sed ex leuitate & loquacitate fiat: quia quamuis sit peccatum detractionis, non est tamen mortale: cum leue damnum sit, quod vnus (qui est ac si nullus sciret) meum crimen sciat. Notabile enim damnum, *inquit ille citans Nauar. in Enchir. cap.* 18. *num.* 21. solum est, vel quando est periculum publicitatis; vel ex reuelatione vni facta, timetur aliquod damnum animæ, corporis, aut pecuniarum notabile, viri prudentis arbitrio.

Vnde idem author cum Caiet. colligit, quod quando maritus confabulatur cum vxore de secreto peccato alterius, nō esse peccatum mortale, si verosimile sit, quod ea nō euulgabit, sed tacebit. Colligi item potest, multo minus esse, cum vxor marito, *imo & altas patrisfamilias*, reuelat bona intētione crimen graue occultum filiorum aut seruorum: tanquam ei cuius curæ & correctioni, hi sunt subiecti. Qua de re Lud. Molina, De iust. & iure, tract. 4. disp. 29. n. 4. Nobis sufficiūt dicta in præced. cap. De denunciatione.

Ad illud autem quod obiicit Sotus, maius damnum æstimari, si apud virum grauem, sit quis in mala opinione, quam si sit apud plures alios. Respondendum est, tale damnum nō esse de se graue, vt argumento est, quod nullum sit tam graue peccatum quod in confessione, ex eo solum taceri possit, quod Confessarius, *qui rem omnino taciturus est*, malam opinionem de pœnitente concepturus sit.

76. Quartus modus est, ex parte modi loquendi: nempe cum ille qui detrahit, dat quidem aliquam occasionem, non tamen sufficientem illius infamiæ, quæ deinde forte sequitur. Is enim, cum non det causam sufficientem damni, ipsum nō est ei imputandum, nec propter illud debet peccati mortalis damnari. Exemplum est cum quis ioco (ita vt ei ab aliis non credatur) dicit aliquid, & ille de quo dicitur, adeo conqueritur apud multos, vt seipsum reddat suspectum illius criminis.

Idem iudicandum est, quando quis bona intentione narrat peccatum alicuius, vt simul pœnitentiam, quam pro eodem peccato fecit: ac secus quam existimasset futurum, auditores inde opinionem malam concipiunt. Cum enim id faciant malitiose, nullaque sufficienti causa ipsis data: alter ille ex tali damno non est de mortali condemnandus; nisi forte peccata sint adeo enormia, vt existimare debuerit eum de quo narrat, ideo fore in animo audientium contemnendum.

Idem iudicium est ex Sylu. *in verbo Detractio, quæst.* 1. quando quis loquitur generalibus verbis, quæ possunt significare tum peccatum mortale, tum veniale, tum etiam inclinationem, seu conditionem naturalem eius de quo loquitur; vt si dicat talis est auarus, iracundus, superbus, &c. & auditores intelligant de mortali; cum ille qui ita loquitur iuste potuerit existimare eosdem auditores dictum interpretaturos in meliorem partem. Communiter enim tale quid intelligitur de leuibus peccatis, aut de inclinatione naturali; ita vt putanda non sit detractio mortalis; nisi expresse vel tacite significetur de mortalibus sermonem esse; aut nisi fiat coram iis personis de quibus credi potest, quod sint concepturæ mortales culpas. Quanquam *vt recte monet Petrus Aragonius* 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 2. *sub finem, & Petrus à Nauar. in eod memor. cap.* 4. *nu.* 320. in talibus consideranda est conditio personæ cui detrahitur: quia dicere de Episcopo aut Religioso viro, quod sit auarus, iracundus, &c. mortale esse potest ob notabilem infamiam quam inde incurreret, tanquam decidens à statu perfectionis: quem habere vel prosequi tenetur.

77. Idem pariter iudiciū est, cum quis non affirmat, sed tantū narrat audita sine amplificatione aut intentione infamandi. Licet enim Sotus *lib.* 4. *De iustit. & iure, quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. *& lib.* 5. *quæst.* 10. *art.* 2. existimet secuta infamia illud esse peccatum mortale: communis tamen sententia est, si absit intentio nocendi, nec aliquid addatur prouocans ad credendum (vt si tales circumstantiæ addantur, quæ rem credibilem ac persuasibilem audientibus efficiant) nec plus affirmetur, quam sit auditum, tantum esse veniale. Ita habet ex Scoto, Gabriele, Caiet. Syluest. Cordubēsi, Armil. & Nauar. (quem vide in cit. cap. 18. num. 36.) Petrus à Nauar. *in sequenti num.* 330. Addens idem censendum esse (quod etiam tenet Molina De iustit. & iure, tract. 4. disput. 30. num 5.) cum quis sub dubitatione crimen alicuius detegit. Cuius sententiæ fundamentum est, nō nocumentum infamiæ tunc contingens, proueniat potius ex leuitate audientis, qui cito, & temere credit; quam ex sermone crimen referentis, qui non nisi narrando, aut dubitando illud profert. Quanquam, vt idem author num. 331. addit, non excusaretur à mortali qui referret personis leuibus & procliuibus ad credēdum malum, aduertens famam apud illos esse lædendam; aut si ipse referens, persona sit ita grauis, vt non soleat nisi & certa referre; ex quo audientes aliquid, persuaderent sibi verum ato; credibile referri. Nam tunc erit virtualis intentio lædendi, charitati repugnans.

78. Hic pro quotidiana praxi occurrit obiter monendum ex Ludouico Molina, De iustit. & iure, tract. 4. disput. 26. nu. 5. de eo qui maiorem quam par sit, famam habet in scientia vel in alia re, *etiamsi id sit in moribus:* iudiciū verum proferre ex iis quæ apparent & cōspiciuntur in illo *(crimen ipsius aut vitium occultum minime detegendo)* non censeri peccatū saltem mortale: quia nulla iniuria infertur ei, cum non manifestetur vitium ipsius occultum, sed solum ex iis quæ apparent, quæq; habet ipsa rei natura, verum iudicium profertur de eo, circa quod alij errant, non perpetrando illud; aut non satis attendendo ad illud. Si tamen tali iudicio admisceretur sinistra aliqua intentio, dubium non est ipsum ex ea peccatum etiam graue, censeri posse.

Qvæstio III.

An omne & solum peccatum mortale sit illud quod reuelando, mortaliter peccatur, peccato detractionis.

79. HVic satisfaciemus aliquot propositionib. Prima est; Id quod dicitur cum praua intentione lædendi notabiliter famam proximi, etiamsi ipsum non sit peccatum mortale, sed veniale tantum: aut defectus tantum naturalis, aut etiam virtus, rationem habet detractionis mortalis. Hæc manifesta est ex eo, quod omnis voluntas praua inferendi notabile damnum proximo, sit peccatum mortale tanquam repugnans charitati & iustitiæ, in re magni momenti.

Secunda

Secunda est, Reuelare alicuius naturales defectus: vt quod sit spurius, aut ortus ex Iudæis, vel Mahometanis, aut natus patre hæretico aut infami, aut quod sit imprudens, ignarus, indiscretus, cocles, claudus, gibbosus vel aliquo alio simili, siue naturalium, siue animæ siue corporis defectu laboret, non esse quidem de se peccatum mortale detractionis, sicut nec reuelare peccatum ipsius veniale: esse tamen si notabile damnum ex tali reuelatione intendatur, aut illius sufficiens causa iniuste detur. Hanc ex Nauar. habet Petrus à Nauarr. *libr. 2. De rest. cap. 4. num.* 307. Cuius prior pars probatur: quia sicut peccatum veniale non est de se materia infamiæ, eo quod nihil magis notum sit, quam hominem facile labi posse in tale genus mali; ita nec sunt defectus naturales, cum æquè notũ sit eos non esse in hominis potestate. Posterior vero pars probatur: quia contra charitatem proximi est, defectum occultum illius, siue naturæ, siue morum reuelare in ipsius notabile damnum, nisi id fiat bono fine, ac ordinate iudiceve, prout explicat Nauarr. in Enchir. cap. 18. num. 30. In quam sententiam dicta præcedentib. quæstio. in memoriam reducere oportet.

Mortaliter autem peccare, reuelatione defectus naturalis, contingit potissimum, cum per eam impeditur quis à cõsequendo aliquo magno bono; aut cum efficitur, vt perdat iam consequutum. Excipe nisi bonus ac iustus aliquis finis excuset: vt censetur contingere cum interrogatur quis ad informationem habendam pro officijs cõmittendis, vel matrimonijs cõtrahẽdis, vel personis in aliquam familiam admittendis. Tunc enim talis potest dare consilium verum & bonum, neq; innocentem interrogantem debet decipere, vt nocenti subueniat. Vnde qui vt aliquem ad religionem, vel ad Ecclesiam suam, vel ad sacros ordines, vel ad matrimoniũ admittant de alicuius genealogia, vel alia infamia, aut nota publica inquirunt sincerè, vt caueant id quod cauendum est; neque ipsi peccant, nec alij sub secreto dicentes veritatem eis quibus proderit, nec ea publicabitur vt supponimus. Ratio est, quia sic ipsi alij implent officium debitę fidelitatis & charitatis. Qui nihilominus videre cauereq; debent ne falsa dicant, vel incerta asserant; nec rem ipsam aggrauent supra veritatem; nec ijs dicant qui nocere multum & prodesse parũ, aut nihil solent. De qua re Petrus à Nauar. in eod. *cap. 4. num.* 289. 301. 308.

80. In sequenti 314. addens, peccatum mortale reuelatione venialis mendacij, commiti in duobus casibus. Alter est, quãdo alicui contumeliose ipsum exprobatur: quod vt grauem iniuriam, videmus plerosque omnes molestissime ferre. Alter est, quando aliquis infamatur de consuetudine mentiendi. Ea enim est grauis infamia, vt ex eo patet, quod illos qui consueuerunt mentiri videamus parui fieri non solum à grauibus viris, sed etiam à communi plebe. Quod idem est sentiendum de consuetudine aliorum peccatorum venialium respectu quarundam personarũ, vt idem à Nauar. subiungit *num.* 315. & 316. inquiens: quod si de Episcopo & Religioso homine aliquod veniale peccatum proferas quod habeat in consuetudine: vt quod soleat nimiũ ridere, aut verbis otiosis ac vanis delectari, & nugis, aut alijs similibus leuitatibus & ineptijs crebro vti, inanis gloriæ cupidum esse, &c. tali reuelatione peccatur mortaliter ob circunstantiam personæ, de cuius bona existimatione multum inde minuitur apud cordatos viros, ac etiam ab illis despicitur, vt constat experientiâ.

81. Tertia propositio est, *quam ibidem habet Petrus à Nauarr. numer.* 324. Peccatum mortale detractionis committi reuelatione criminis, quod propalatum, malæ opinionis generatiuum est, ac bonæ famæ inimicũ: vt sunt stuprum in virgine vel alia ad illud idem viam parantia: adulterium in vxore, fornicatio in Clerico, latrocinium, periurium, vsura, Sodomia, hæresis, falsatio literarum vel monetæ, blasphemia, iudaismus, ebrietas, dæmonum inuocatio. Ratio propositionis est, quod cum talia ex se vim habeant infamandi notabiliter, cum cui imponuntur, aut de quo propalantur; detegi non possint de aliquo, sine notabili periculo infamiæ illius.

Locum autẽ habet hæc propositio, etiamsi ex leuitate solum modo animi reuelatio facta sit, si infamia ipsa sit secuta de facto: cum de se sufficiens causa ei data sit. Exceptionem vero patitur: tum in casu in quo interuenerit iusta causa reuelandi de qua in præced. numero 70. tum in casu in quo attentis circunstantijs personæ cui dicitur, aut à qua, vel de qua dicitur, nullum est tale periculum non modo infamiæ, sed nec alterius notabilis iniuriæ (de quo Nauarr. *in Enchir. cap. 18. num. 33.*) tum demum in casu, quo tale crimen detegitur non detecta persona, quæ eo laborat; nec verosimile est veniendum esse in illius notitiam aut vehementem suspicionem (per quam valde læditur fama, *etiamsi non tantum ac per certam opinionem*) quia tunc nullius fama in singulari læditur notabiliter; nisi forte personæ tacitæ qualitas detegatur, vnde infamia redundet in alios: vt si criminosus dicatur esse alicuius certæ religionis, aut cœnobij, aut familiæ alioqui bonæ famæ; quæ iniuste læderetur tali reuelatione peccati occulti. Quod si iam laboret infamia de eiusmodi peccato, eaq; sit magna, tunc quoq; esse posse excusationem à mortali, tangit Ludouicus Molina De iust. & iure, tract. 4. disput. 27. n. 3.

Quarta propositio est, Reuelantem graue peccatum alterius, vt furtum; non excusari à detractione mortali ex eo, quod is iam sit de grauiori, vt de homicidio, diffamatus. Hanc contra Sylueſt. *in verbo Detractio quæst. 0. 1.* probat Petr. à Nauarr. *in sequent. numero* 326. quia qui circa vnam speciem peccati famam habet læsam, non ideo habet circa aliã, sed bonum nomen habere potest; quod auferendo, fit illi iniuria. Deinde sequeretur, quod si quis infamatus esset de crimine omnium grauissimo, quale est odium Dei, posset infamari de quibusuis alijs nefandis, vt de hæresi, Sodomia, veneficio, & cæteris: quod est absurdum. Patitur autem hæc propositio exceptionem, *vt notat idem author, numero* 327. & 328. in peccatis eiusdem speciei, cum quis de multis illorum aut de consuetudine in illis, est iam diffamatus. Nec enim is qui detegit vnum vel alterum furtum eius qui de centum furtis, aut de consuetudine furandi est infamatus, peccat mortaliter: quia in eo non læditur notabiliter fama, propterea quod iam est abunde læsa. Locus autem non est tali exceptioni, si de paucis tantum diffamatio sit. Neque enim est consequens, vt si quis infamatus sit quod vnum aut alterum hominem occiderit, tertium quoque occidisse præsumi debeat, præsumptione ad hoc sufficienti, vt peccatum tertium homicidij, quando fuerit occultum, possit absque peccato mortali reuelari, si nulla necessitas nec alia iusta causa excuset. 82.

QVÆSTIO IV.

An cum peccatum notorium est, perinde committatur detractio, ac cum est occultum.

HAc quæstione inuoluuntur aliquot dubia quorum solutione, ea explicatur.

PRIMVM EST, An de peccatis proximi, cum eo cui nota sunt, colloqui peccatum sit, & quale sit. Ad quod respondetur ea de re iudiçandum esse, *vt recte notat Petrus à Nauarr. libr. 2. de restit. cap. 4. num.* 285. ex intentione & fine colloquij; nempe si talis finis bonus sit, id non esse peccatum: si vero sit malus, esse peccatum vel mortale vel veniale, pro varietate malitiæ eiusdem finis. Itaque peccatum non est si colloquamur de proximorum peccatis quæ pariter nouimus, si quidem id faciamus, vt ab eis nos seruemus, moti exemplo illorum qui ceciderunt; aut qui pœnas dederunt criminum suorum puniti per Iudicem, aut à Deo: talis enim narratio, est ad Dei gloriam, & nostram vtilitatem. Peccatum vero est veniale si, *vt plerumque fieri solet*, ex curiositate, aut leuitate, aut otiositate, aliove inutili fine, de ijs colloquamur. Hoc enim est peccatum ex indebito fine: non tamen mortale: quia nulla fama læditur, quæ iam læsa non sit apud eos cum quibus loquimur. Peccatum denique est mortale si intentione mala: vt afficiendi iniuriâ proximum, renouandi malam de eo conceptam opinionem. Nam ille qui sic affectus est, perinde reuelaret occultum ac reuelat notum: quodquidem indicat voluntatem nocendi proximo notabiliter, & per consequens peccatum mortale. Quia tamen non sortitur effectum nocendi, nullam inducit obligationem ad restitutionem, vt Petrus Nauarr. ibid. notat. 83.

84. SECVNDVM DVBIVM EST, An cum quis per notorietatem facti (*de qua plurib. Molina De iust. & iure tract. quarto disput. 31. numer. 1.*) læsam habet famam apud multos de ciuitate, si quis crimen ipsius notorium narrat ei qui adhuc illud nescit, peccet mortaliter. Ad quod respondet Sylvest. *in verbo Detractio quæstio.* 1. peccare mortaliter, nisi crimen ipsum esset statim venturum in cognitionem illius cui narratur. Sed Nauarr. *in Enchir. cap.* 18. *numero* 2. contrarium tenet cum Maiore Caietan. & Soto, & post ipsum Ludouicus Molina sequen. disput. 32. & Petrus à Nauarra in præcedenti num. 284. Rationem reddens in sequen. numer. 291. quod talis, ius secreti amiserit per publicitatem, cui causam dedit committendo crimen in aliorum conspectu, vel dando vicinis, & cæteris indicia, per quæ perpetratio criminis euulgatur, & inter multos narratur: vt cum quis videntibus cunctis ingreditur & egreditur domo mulieris impudicæ, à qua libenter admittitur. Verumtamen si ob meam narrationem, plus notabiliter infamaretur criminosus (vt cum crimen notum vni tantum vicinæ, publicaretur in tota ciuitate) aliudve incurreret notabile damnũ, peccatum mortale committeretur ob notabilem iniuriam quæ proximo inferretur.

Hîc aduerte quod à Nauar. consequenter docet aduersus eundem Sylvest. quod quamuis ad notorium facti, quoad alios effectus iuris (*puta vel ad probationem delicti, vel ad inquisitionem ex infamia inter vicinos*) sufficere possit notitia decem personarum quæ plebem: vel etiam sex, quæ maiorem partem plebis constituere possunt: non sufficere tamen ad hunc effectum narrandi peccatum alicuius, ijs qui illud ignorant, alioqui si sex homines sciant concubinatum v. g. alicuius viri honorati, siue laici, siue Ecclesiastici, liceret de eo libere confabulari; & concionatori illud in particulari reprehendere publice ac prodere, cum ex omnium sententia, publica peccata publice sint reprehendenda, iuxta illud prioris, ad Timoth. cap. 5. Peccantes coram omnibus argue vt cæteri timorem habeant. At id fieri non potest sine scandalo & peccato. Existimãdum igitur est ad notorietatem facti quoad effectum de quo agimus, nempe manifestandi licite crimen alterius ei qui illud ignorat, requiri vt in frequenti populo, aut in maiori vel certe nobiliori parte populi, fama notitiaq; peruagetur. Aduerte etiam ex Lud. Molina De iust. & iure, tract. 4. disp. 32. num. 3. si cuius crimen factum est iniuste publicum, vt si aliquis vel aliqui pluribus reuelarint illud, cum esset secretum, verosimile esse: illius vlteriorem reuelationem cum vlteriori famæ læsione pariter iniustã esse: sicq; eum per quem infamia crescit, extendendo se ad plures: illius incrementi reum censeri: perinde ac is reus est furti, qui de bonis alienis sibi capit aliquid, eo quod alij iam cœperunt capere.

85. TERTIVM DVBIVM EST, An cum crimen alicuius iuridice proditum est, siue quia ipse illud confessus est in iudicio, siue quia est de eo per testes conuictus, vel per sententiam Iudicis condemnatus; liceat ipsum manifestare ijs qui illud nescíunt, siue in eodem populo, siue in diuerso. Ad quod iuxta ea quæ pluribus tradunt Petrus à Nauarr. in eodem *cap. 4. à numero* 286. & Ludouicus Molina *in citato tract. 4. disput. 33.* Respondetur paucis, id non esse peccatum contra iustitiam, quod ad aliquam restitutionem obliget: quia talis per suam publicam confessionem, vel probationem, vel sententiam Iudicis perdidit ius secreti. Ideo enim potest à quocunque inquiri, liciteque sciri tale crimen: & per consequens licite prodi à scientibus; propterea quod Iudicum, ac legum publice punientium intentio est, vt talis crimis reus innotescat omnibus. Qua de causa videmus pro criminibus flagella, truncationes, mortem, & alias id genus pœnas à Iudice infligi non noctu vel clam in carcere: sed in media luce ac palam coram populo. Sicut ergo non peccaretur contra iustitiam capiendo bona Rei, quæ essent direptioni à Iudice exposita in pœnam criminis quod commisit; ita nec peccatur contra iustitiam detrahendo de illius fama; ad cuius amissionem est à Iudice condemnatus, tanquam ad pœnam illi propriam: flagella enim, truncationes & mortem sentire commune illi est cum bestijs, sed erubescere ob honorem amissum, proprium est hominum: qui ratione præditi sensum habent honoris & opinionis de ipsis conceptæ, prout experientia docet. Idipsum tamen peccatum patet esse contra misericordiam: quia infamatum denuo infamare & eius vulnera innouare, est sine iusta causa facere id, à quo misericorditer abstinendum esset. Quanquam non est mortale, nisi talis reuelatio fiat cum intentione notabiliter nocendi, aut notabile nocumentum de facto sequatur: vt cum reus iam emendatus, bonam famam assecutus est in loco vbi crimen ipsius reuelatur, quam perdit ob talem reuelationem.

86. QVARTVM EST, An crimen quod olim in aliquo loco notorium fuit, liceat postea, cum illius memoria sopita est, diuulgare in eodem loco. Exemplum est, si quis ante 60. annos affectus fuit supplicio, & senex videns aliquem de ipsius posteris, dicat: Vidi ipsius anum pro hæresi affici extremo supplicio. Ad quod dubium *iuxta ea quæ latius tradunt Lud. Molina in sequen. disput. 33. & Petrus à Nauarr. an memorato cap. à numer.* 297. respondetur excusationi locum esse posse, cum reuelatio facta fuerit iusta de causa, prout expositum est in præced. num. 70. Alias vero, si is de quo agitur non fuerit iudicialiter notatus & infamatus, *etiamsi probabile sit tandem notandum esse ac infamandum*, committi peccatum mortale, non tantum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam: diuulgando id per quod infamia ei inuritur. Ratio est: quia tunc sine vlla iusta causa proximus graui iniuria afficitur; ideoq; & incurritur obligatio ad restitutionem damnorum sequutorum. Sin autem idem de quo agitur, fuerit iudicialiter infamatus, reuelationem non esse quidem peccatum contra iustitiam; quoniam ex publica sententia amisit ius famæ, & secreti ei seruandi; cum sit per illam ea intentione punitus, vt crimen ipsius notum esset omnibus, prout iam ante notauimus. Quapropter nihil iniuste tollitur ei, imo nec posteris ipsius, qui ad famam eius non habent plus iuris, quam ipse habeat.

Esse vero contra charitatem probatur: quia id naturâ suâ, est alterius contristatiuum, & boni nominis læsiuum apud alios, redundatque in damnum innocentum, puta posterorum: qui sine sua culpa, illud à priuata persona accipiunt. Adde quod non minus peccetur contra charitatem, olim infamatum deletâ iam infamiâ, denuo infamando, quam infamatum in vno loco, infamando in alio, vbi non laborat, nec breui laboraturus est tali infamia: vt quia longe distat, nec frequens commercium solet esse ex vno talium locorum in alium. De quibus Molina in citata disputat. plenius. Quocirca meminerint ij qui elapsis multis annis alienos defectus iam obliteratos refrunt, etiam vitâ functorum, quorum crimina occulta narrando (nisi bona intentione id fieret ad Dei gloriam & proximorum ædificationem, narratâ simul pœnitentiâ) posse quoque detractionem mortalem committi cum obligatione ad restitutionem famæ (*sicut & falsum testimonium dicendo*) Petrus à Nauarr. ostendit in eodem cap. 4. à numero 351. hac ratione maxime: quod homines ex naturali inclinatione, nominis sui optent odorem bonum posteris relinquere, etiam post mortem. Hinc (vt ex Adriano & Soto habet Ludouicus Molina in eodem tract. disput. 28. num. 2.) peccant grauiter historiographi, qui defunctorum peccata omnino occulta scribunt. Minus autem occulta (*vt quæ sufficienter probari possent in foro externo*) scribentes posse à peccato excusari si id faciant pro bono publico cui priuatum cedit: nempe vt rerum gestarum memoria habeatur, & vt homines cum viderint turpia & indecora, historijs mandari perpetuæ memoriæ, inducantur ad illa vitanda ac fugienda.

QVÆSTIO V.

Quale peccatum sit diffamare seipsum.

87. IN hac re certum est nullum esse peccatum diffamare seipsum propter causam legitimam, præsertim piam, vt iam in præcedentibus attigimus. Certum item est peccatum esse diffamare seipsum sine legitima causa. An autem id sit peccatum mortale, grauis difficultas est. Nam affirmantem partem tenet Caiet. 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 3. *& in summula verbo Detractio:* aliqui item alij quorum meminit Petrus à Nauarr. *libro 2. de restit. cap. 4. num.* 111. Negantem vero amplectuntur plures, quorum idem author meminit, *in sequen. numero* 112.

vt &

vt & Ludouicus Molina De iust. & iure *tra. 4. disput. 2. num. 7.* Inter quos sunt Nauarrus in Enchir. capit. 18. num. 28. & 46. Sotus lib. 4. De iust. & iure, qu. 2. art. 3. & lib. 5. qu. 10. art. 2. & Couar. lib. 1. var. resol. cap. 2. num. 8. Ratio vero difficultatis inter vtrosq; est: quod illi dicant famã hominis nõ esse in ipsius potestate, sicut nec vitam: & ideo perinde esse de se peccatum mortale diffamare seipsum sine iusta causa, ac seipsum occidere. Hi vero contra, dicant famam hominis esse in potestate ipsius, perinde ac sunt ipsius diuitiæ; & proinde illam sicut has prodigendo non peccare de se plusquam venialiter. Pro qua sententia facit quod illa, sicut hæ, sit de genere bonorum vtilium, tanquam pertinentium ad hanc vitam; quæ vt regitur libero hominis arbitrio, sic in eiusdem potestate sunt posita, quæ ad eam pertinent ex D. Thom. 2. 2 *quæst. 64. art. 5. ad 3.* Tali ergo sententia supposita (quæ plenius tractata videri potest apud Lud. Molinam in eodem tract. 4. disput. 2.) quæstioni propositæ satisfaciemus aliquot conclusionibus.

88. Prima est. Infamare seipsum etiã sine causa, non esse peccatum ex suo genere mortale. Probatur: quia id nec est contra iustitiam; cum iustitia sit ad alterum, nõ autem seipsum. Nec contra charitatem erga proximum, quia talis infamatio de se ex suoq; genere soli infamanti, non alteri nocet. Nec contra charitatem erga seipsum: quia per illam sibi nec in anima nec in corpore, infamatos nocet; sed in bonis tantum externis, sicut cum diuitias prodigit. Et certe, si, *vt prioris sententiæ authores volunt*, eadem sit ratio famæ in hac re, quæ vitæ, non autem quæ diuitiarum: sicut illicitum est mortem *cum inferatur* non euitare, si id fieri possit facile, & sine alterius præiudicio, sic etiam illicitum erit non vitare famæ iacturam, cum quis facile pro se respondere potest: quod dici non debet.

Etsi enim fatendum est, tunc esse opus pro se respondere, & suam innocentiam manifestare cum tempus necessitatis instat, vel scandalum ex taciturnitate imminet, vel damnum notabile sibi vel tertio: tamen cum solum timetur iactura bonæ æstimationis apud homines: licet suas virtutes & innocentiam suam contegere: atque iuxta Apost. ad Roman. 12. Non se defendere, & dare locum iræ: exemplo Christi, qui cum malediceretur non maledicebat, & cum pateretur non comminabatur, primæ Petri 2. ac tanquam agnus coram tondente se obmutuit Isaiæ 53. Exemplo item D. Augustin. & aliorum Sanctorum, qui ex studio humilitatis ad Dei gloriam sua peccata detexerunt, & publice planxerunt.

Ita vt merito probandum sit consilium, quod in quibusdam religionibus, *inquit Petrus à Nauar. in cit. cap. 4. num. 117.* vt quemadmodum mundani homines quæ mundi sunt diligunt, sequuntur, & quærunt magnâ cum diligentia, honores scilicet, famam, magni nominis existimationem in terra: sic qui procedunt in spiritu, & Christum Dominum sequuntur amant & ardenter exoptant, quæ sunt eis omnino contraria, &c. Cuius consilij rationem bonam tangit Nauarr. *in Enchir. cap. 18. num. 61.* quod magis quandoque prosit proximis, alacris Religiosorum patientia falsæ infamiæ, quam eius contradictio. Nec ideo illi propriam famam negligunt, sed eam Deo offerunt. Quod tamen bene monet non procedere, quando charitas in Deum vel proximum exigit contrarium: quia sicut quiuis religiosus licite curam de sua fama habere potest, & eam tueri: ita si degit inter personas ad se imitandum paratas, secus faciendo (puta negligendo famam) peccaret grauiter: & à fortiori seipsum infamando. Rationes quæ contra eandem conclusionem adferri possunt Lud. Molina De iust. & iure in eodem tract. 4. disput. 37. in initio proponens, soluit in fine, apud quem vide si lubet.

89. Secunda conclusio est. Infamare seipsum, peccatum esse mortale ex circunstantia, in aliquot casibus: pro quorum pleniore notitia qui volet, Molinam in eadem disputat. 37. legere poterit. Primus est cum aliquis perperam, & sine causa, sic de se dicit crimina, vt in eis glorietur, seseque iactet. In ea enim re duplex grauis iniquitas notatur: & quod eadem crimina illi placeant; & quod sit alijs scandalo, audientibus ipsum persistere in eo affectu: & spiritualis ruinæ causam aliquam inde captantibus. Secundus casus, *quem habet Nauarr. in cit. numero 61.* cum Episcopus aut alius Prælatus, vel publica persona ad prouidendum aliorum saluti constituta, seipsam infamat, aut se notabiliter infamantibus, non resistit. Id enim est mortale; non quidem de se, vt patet ex præced. conclus. sed ob damnum quod contra charitatem alijs infert: siue in bonis animæ, quia inde scandali, & murmurationis ac cuiusdam notabilis contristationis occasionem accipiunt; siue in bonis temporalibus, quia per talem infamiam reddens se ineptum ad gerendum debite publicum officium, priuat suos temporali subsidio, quod alioqui perciperent, quodque ipsis necessitate pressis ex charitate debetur. Ita Petrus à Nauarr. in eod. cap. 4. num. 123. notat.

Tertius casus est, cum falsum crimen de seipso profert cum iuramento: omne enim periurium peccatum est mortale. Quartus, *cuius meminit Nauarr. in Enchir. cap. 18. num. 28.* est, cum infamatio sui ipsius vergit in damnum propriæ vel alienæ vitæ: vt cum quis detegit vel sibi imponit peccatum, ob quod sua vel alterius damnatio ad mortem, vel mutilatio membri sequenda est. Id enim prodigalitas est vitæ propriæ vel alienæ, eaque notabilis, & prodigere id cuius dominium non habeas, peccatum est contra iustitiam, genere suo mortale. Quanquam vt notat Petrus à Nauarr. *ibidem numero 116.* si ob virtutem iustitiæ id faceret, non peccaret; vt si iudice interrogatus veritatem fateretur, vnde ipse vel alius de vita periclitetur; immo etiamsi prodat se Iudici non interrogatus, volens sponte delicti sui pœnas dare. Secus esset autem si se proderet priuato: vt fratri virginis quam violasset, à quo occidendus esset: peccaret enim mortaliter, inducendo alium ad talem necem priuata authoritate, & per consequens cum peccato mortali, inferendum.

Quintus casus est, *quem ibid. Nauarr. tangit*, cum ex infamatione sui ipsius sequitur alterius infamia, vt si religiosus vel monialis crimen suum detegat, ex quo religioni vel monasterio sequatur notabilis infamia. Tunc enim peccat mortaliter contra iustitiam, quia fama ipsius est potius religionis, quam sua: ita vt ei cedere non possit: ipsiusque infamia in religionem redundet. Sicut enim honor qui religioso exhibetur, sæpe defertur ei non tam ob merita ipsius, quam ob habitum, & status, religionisque sanctitatem: ita vice versa crimẽ ipsius, in dedecus resultat religionis, vt merito dici possit, religionis honorem consistere in manu cuiusque priuati Religiosi: qui propterea debeat ita se gerere in vitæ exemplo, ac si totius religionis & communitatis honos ex ipso solo pendeat. Quamuis enim religio non maculetur ob alicuius religiosi hæretici vel simoniaci, vel fornicarij crimen: attamen splendorem quendam & decorem non potest non amittere apud homines, qui talis peccati reuelatione scandalizantur, aut magnâ tristitiâ afficiuntur, aut adducuntur ad illicita & temeraria iudicia, aut accipiunt occasionem peccandi, existimantes sibi licere illud quod faciunt exemplo Religiosorum hominum. Ita habet Petrus à Nauarr. *in sequent. numero 357. & 358.* Inde inferens non posse à mortali excusari eos, qui cum Religiosum in flagitio deprehenderunt, illud propalant. Immo vero, teneri ad restitutionẽ ratione infamiæ illatæ religioni, quantumcunque talis Religiosus de sua fama nihil curare cognoscatur.

Sextum casum addit his ex Iosepho Angles Petrus à Nauarr. *ibid. num. 128.* quando infamia seipsum infamantis, redundat in detrimẽtum notabile suorum posterorum, quod est contra charitatem eis debitam, graue peccatum, iuxta illud prioris ad Timoth. cap. 5. Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Videri potest Lud. Molina *in eadem disp. 37. num. 15. 16. & 17.*

Tertia conclusio est. Seipsum infamare metu tormentorum non esse de se peccatum. Hæc est authorum quos diximus tenere contra Caietan. quod homo sit suæ famæ dominus. Ex qua doctrina hæc confirmatur: quia sicut potest homo cum iactura suæ pecuniæ eximere se à tormentis: ita etiam poterit cum iactura suæ famæ, quæ similiter est in ipsius potestate. Quanquam si mendacium adsit quo de se confiteatur crimen à se non commissum, peccatum erit 90.

de se

de se veniale. Si contra obijcias ex Caiet. 2.2. *quæst* 73. *art.* 2. talem infamationem nocere communitati, cuius ille pars est, sicut infamatio religiosi nocet religioni. Respondetur cum Petro à Nauar. lib. 2. De restit. cap. 4. num. 129. infamiam nõ ita deriuari in alias communitates, ac in religionem: eo quod illæ, *sicut & tota Ecclesia* facile intelliguntur constare mixtim ex bonis & malis, non item religionem, quæ perfectionem profitetur.

Si vero quæras, Num quis metus grauium tormentorum sufficiat ad propositam excusationem à mortali. Idem à Nauarr. *alijs citatis*, *in sequent. numer.* 133. Respondet eum tantum sufficere, qui tunc contingat cum habentur proxima signa voluntatis, quam alter habet grauiter torquendi, ad reuelationem extorquendam: vt si iam ligauerit in equuleo ostendens se paratum ad inferenda tormenta. Nec enim sufficiunt nudæ minæ factæ ad incutiendum terrorem: cum voluntatis torquendi signa perinde possunt esse ficta ac vera.

Quarta conclusio est. Seipsum falso infamantem de peccato pro quo afficiendus est morte, aut membro mutilandus, peccare mortaliter, etiamsi id faciat metu tormentorum. Hanc tangit Nauarr. *in Enchir. cap.* 19. *num.* 28. Et probatur: quia non est vitæ & membrorum suorum dominus, ideoque peccat mortaliter, tanquam dans causam destructioni rei alienæ. Vnde colligere licet cum Petro à Nauarr. *num.* 134. eum qui contra se falsum testimonium dicit, teneri se retractare in extremo: si non ratione famæ, cuius est dominus, certe ratione vitæ propriæ cuius priuationi per sui infamationem iniuste causam dat, *cooperaturque, perinde ac alius falsus testis*, qui tale testimonium cõtra ipsum tulisset. Nec inde permittit se occidi (quod patet licere) sed ad occisionem sui moraliter concurrit tanquam concausa, contra Decalogi præceptum Non occides. Verumtamen, vt idem author addit, si nihil se ex retractatione profuturum sperat, nihil videtur cur tacere non possit, cum tunc eius taciturnitas dici non possit causa mortis. Eadem docet Molina *in seq. num.* 18. Addens in 19. contra Sotum mortaliter peccare filium, qui crimen ob quod pater ipsius iuste plectendus erat morte, sibi imponeret in se transferens mortem quam pater subiturus erat. Ratio est, quia id non est tãtum propriam mortem permittere, & pro patre vitam exponere, sed est iniuste cooperari ad propriam mortem, vt pater à iusta & cõmerita morte fraudulenter liberetur: quod cum non liceat, nec excusatio erit à peccato, de quo mentio est in allata propositione.

Qvæstio VI.

An sit aliquando licitum priuata authoritate infamare proximum.

CVm vt in defensione vitæ, sic etiam in defensione famæ & honoris, licitum sit vim vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ: videtur plane admittendum quod docet Sotus *in* 4. *De iust. & iure, quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. *in fine*; quod quamuis infamatus non possit per modum vindictæ lædere nomen infamatoris: possit tamen vim vi repellẽdo, prodere aliquod ipsius crimen, quod necessarium est ad labefactandum ipsius testimonium. Difficultas est autem in tribus potissimum casibus. Primus est, cum quis metu tormentorum compelletur alium infamare. Secundus, cum infamatur, qui per mendacium bonam famam adeptus est. Tertius, cum quis infamatur referendo iniuriam, quam referenti intulit.

91. Quod primum autem, in ordine ad explicationem propositæ quæstionis, vtendum est distinctione. Certum enim videtur illicitum esse, adeoq; peccatum mortale, metu tormentorum de crimine falso infamare alium. Hoc enim est mendacium pernicioſum, quo innocens afficitur notabili damno, quod nec ille tenetur subire, nec ego possum ad meum commodum licite vsurpare. Nec obstat quod necessitate vrgente ad vitæ meæ conseruationem possum, quantum ad eam opus est, sumere de alienis diuitijs; quoniã diuitiæ generaliter ad humanæ vitę conseruationem ordinatæ sunt à Deo, & collatæ hominibus: nõ autem fama & gloria, quam constat non esse medium aptum ad talem finem.

Ob eundem autem metum tormẽtorum infamare alium de crimine vero, etiamsi sub sigillo secreti, non tamen sacramentali, ipsum sit acceptum: Sotus *lib.* 5. *De iust. & iure, quæst.* 10. *art.* 2. *sub finem*, licitũ esse putat, quantumcunq; crimen sit morte dignum. Ratio est: quia non tenetur quis cum tanto suo dispendio famam alterius & vitam seruare, nisi reuelatio esset contra Regem, aut rempub. aut etiã priuatam personam morte propterea afficiendam.

Adde quod reuelatio eiusmodi non infamet efficaciter, iuxta illud in cap. Si quando que, 15. quæst. 6. Omnis confessio quæ fit ex necessitate fides non est. Confessio ergo in talibus extorqueri non debet, sed potius sponte fieri: pessimum est enim de suspicione, aut extorta confessione quemquam iudicare, &c. Quo argumento Sylvest. verbo Detractio quæst. 3. (*cui assentitur Petrus à Nauar. lib.* 2. *De restit. cap.* 4. *n.* 131. affirmare audet, ne quidẽ infamantem aliũ falso in tormentis peccare mortaliter, nisi postea extra tormenta, dictũ ratificet. Sed id admiserim tantũ: quando infamia non fuerit secuta de facto, vt quia audientes fuerint tales personæ, quæ satis intelligerent non esse habendam fidem ijs, quæ vi tormentorũ imponuntur alijs. Quod si notabilis infamia secuta sit de facto, quia consequenter erit data sufficiens causa iniuriæ notabili; culpa inde censebitur mortalis, cum obligatione ad restitutionem tam famæ ablatæ, quam aliorum damnorum secutorum. Videri potest Lud. Molina *in m. morata disput.* 37. *nu.* 21 *&* 22.

Quod attinet ad secundum casum; distinctione quoque 92.
vtendum esse cum Soto censet Petrus à Nauar. in cit. cap. 4. nu. 141. (qua etiam vtitur Leon. Lessius De iust. & iure libr. 2. capit. 11. dubit. 10.) vt si is qui per mendacium bonam famam in repub. adeptus est, sit ipsi reipub. pernicio us; vt si fingat se Theologum, medicum, aut quid simile, detegi debeat; quia offendit rempub. Si vero innox è viuat, nulliq; noceat (vt contingit quibusdam mulierculis quæ prætextu sanctitatis ex eleemosynis viuunt) non sit detegendus. Ratio est: quia si non licet detegere peccatorem occultum, qui falso & merito quidem famam bonam habet: non tamen per fallaciam aut mendacium acquisitam: neque etiam licebit detegere eum qui in repub. bonum nomen sibi fraude comparauit, quia damnũ maius huic, quam illi inferretur: siquidem illius vnum tantum peccatum reuelaretur: & huius duo: nempe illud, quo infectus est, abeſlq; à sanctitate; & hypocrisis seu simulatio sanctitatis. Iam vero peccati occulti reuelationem, nisi necessaria sit ad præcauendum damnum reipub. aut alicuius tertiæ personæ, aliaue iusta de causa fiat, etiam mortaliter illicitam esse satis patet ex antedictis quæst. 2. 95

Quoad tertium casum, adhuc vtendum est distinctione, 93.
cum Petro à Nauarr. *in sequent. numero* 346. si quis enim iniuriam sibi ab aliquo illatam refert alteri intentione detrahendi in vindictam, peccat mortaliter, tanquam sibi vsurpans quod Dei est; iuxta illud ad Roman. 12. Mihi vindictam & ego retribuam. Si vero eam referat vt consolationem accipiat ab amico, siue vt conqueratur de illo qui iniurius fuit, vt ea ratione narrando causam doloris quo premitur, idem remittatur; non videtur peccatum mortale: vtitur enim iure suo: est que per accidens, quod vtendo, detegat alterius crimen. Sicut ergo cum quis accusat vel querelam adfert ad Superiorem, non peccat, etiamsi exinde sequatur proximi infamatio, quoniam ei iure suo vtenti non est imputanda, sed ipsi illatori iniuriæ: ita etiam cum apud amicũ, vel alium, vt sese soletur, vel vt querelam suam, & iustitiam explicet, ac de iniuria sibi illata tractet, non videtur committere peccatum saltem mortale: imo nec veniale, si cum debita moderatione id faciat, ad Dei gloriam, vel ad suam aut aliorum vtilitatem.

Qvæstio VII.

Quando peccatum sit celare virtutes alterius.

AD hanc respondetur tribus propositionibus cum Petro à Nauarr. De restit. lib. 2. cap. 4. num. 343. & duobus sequentibus.

Prima est, Nullum esse peccatum virtutes alterius celare, quando nulla vrget necessitas detegendi illas. Neq; enim 94

siue ex iustitia, siue ex charitate teneamur omnes homines iustos, & perfectos semper commendare. Imo potest esse in ea re re vitium ob excessum, quo aliqui vel omnia laudant, vel laudando ita efferunt, vt vani laudatoris vitium incurrant; vel oppositum etiam vituperationis vitium admittere: cum laudem alicui tribuere; quæ ei non competat, non sit aliud quam irridere, & bonis verbis reipsa vituperare.

Secunda est, Peccatum esse mortale cum obligatione ad restitutionem, immodice aliquem laudare, vt famam alterius extenuet. Hanc ex Adriano habet Nauar. *in Enchr. cap.* 18. *numer.* 44. *in fine*. Ratio; illius est, quia vt ante quæst. 1. meminimus, is est vnus ex modis quibus cõmittitur detractio: quæ ex suo genere peccatum est mortale, per tradita in quæstio. 2. Exemplum est: si dicatur prædecessor talis officiarij iuste exequebatur suum officiũ, nullum opprimebat ex qua laudatione, excitatur de successore opinio, quod iniquè se gerat, aliquos opprimat.

Tertia propositio est, Tacere alicuius laudem in articulo necessitatis, seu cum ex taciturnitate notabile capiet detrimentum, peccatum esse mortale. Hæc est Nauarri in præced. numer. 37. Et probatur: quia lege charitatis cum necessarium est ad vitandum notabile detrimẽtum proximi, perinde tenemur virtutem ipsius non celare, sed detegere; ac tenemur crimen ipsius non detegere, sed celare: contraque faciendo, tam in illo, quam in hoc committitur peccatum detractionis, inducens, *vt notat Petr. à Nauarr. in eodem cap. 4. num.* 345. obligationem ad restitutionem; quoad eos qui tenebantur ex officio virtutem detegere: vt testis in iudicium vocatus, vel Prælatus ex officio suo; non item quoad cæteros, à quibus informatio vel consilium de alicuius vita accipitur, & tacent ipsius virtutes. Quamuis enim ipsi quoque mortaliter contra charitatem peccent, non tamen contra iustitiam.

Qvæstio VIII.

Quando peccatum sit audire detrahentes de alio.

95. Adistam (de qua post D. Thom. 2. 2. quæst. 73. art. 4. ipsius interpretes, & adhuc Caiet. in summula verbo Detractio, Sotus lib. 5 De iustitia & iure, quæstiõ. 10. art. 4. Sylvest. verbo Detractio q. 2. & alij quorum meminit Petr. à Nauarr. ibid. n. 334.) respondetur tribus propositionibus, *quæ etiam habent De iustitia & iure Lud. Molina, tract. 4. disput. 34. & Leon. Lessius lib. 2. cap. 11. dubit. 4.*

Prima est: Peccare mortaliter eum, qui suâ audientiâ concausat alterius detractionem, iuuando, incitando, vel interrogando, laudando, vel approbando, vel si eius auditio causa sit auditionis aliorum, vel denique si interius complaceat sibi in tali auditione. Ratio est, quia cooperatur alterius detractioni, eidemq; consentit, & de malo proximi gaudet: sicq; non minus peccat quam detrahens, iuxta illud quod loco cit. D. Thomas ex Bernardo habet. Detrahere aut detrahentem audire quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.

Secunda propositio est: Non esse peccatum, detrahenti non resistere ob bonum finem: nempe ex necessitate vel pietate; quia scilicet maior Dei gloria vel reipub. bonum exigit; vt talia peccata cognoscantur: vel ex iusto timore; aut quia non expectatur fructus ex resistentia & reprehensione, sed potius timetur quod detrahens fieret ex ea deterior. Ratio huius est: quod audire alterius actus, sit res ex se indifferens; quæ bona est quando exercetur cum omnibus debitis circunstantijs, vt censetur exerceri in proposito casu.

Tertia propositio est: Eum peccare solummodo venialiter, qui audit detrahentem quem posset impedire, sed ex negligentia non impedit: sine vllo affectu malo aut cooperatione ad malum: aut etiam qui malo ex detractione secuto non obuiat, veritatem aperiendo si falsum sit id de quo infamatus est proximus. Ratio est: quia id quod in eo damnabile censetur, tantum est leuitas animi in audiendo, vel negligentia in impediendo, vel alia similis causa: si excipias tres casus in quibus (vt Petrus à Nauarr. lib. 2. De restit. cap. 4. num. 337. & 338. habet ex supra citatis authoribus) mortaliter peccatur, ideoque in eis allata propositio locum non habere censetur.

Primus est: quando quis ex officio tenetur detrahentem corrigere, & ex negligentia omittit obuiare tali detractioni: peccat enim contra iustitiam & restituere tenetur tanquam concausa. Qua de re pluribus Molina *in citata disput. at.* 34. *numero* 4. *&* 5. Secundus casus est: quando quis ex humano timore omittit obuiare detractioni, si quidem talis timor peccatum mortale sit, vt notant locis cit. Sylvest. & Caietan. quod quando contingat explicuimus supra libr. 17. nu. 223. Tertius est: quando contingit articulus necessitatis; vt censetur, cum ex tali detractione subsequeretur aliquod notabile malum; vel infamiæ, vel reifamiliaris, vel vulneris. In quo tamen casu, *quia peccatum solum est contra charitatem*, obligatio ad restitutionem non incurritur: & per consequẽs, nec excommunicatio si in detrahentem ea feratur, *vt addit idem à Nauar. num.* 339. Et ratio est: quia excommunicatio non fertur vt peccatũ præteritum puniatur, sed vt damnum ex eo sequens tollatur.

De quo casu Molina num. 6. consequenter agens, ad illam conditionem de notabili damno, duas alias addit. Vna est, vt spes sit verosimilis vitandi nostra oppositione, tale damnum; quia si nullus ex ea speretur fructus, laudabile est ab ea abstinere: & maxime cum crederetur detrahentem ex ipsa oppositione accendendum esse irâ, vel odio: aut alia mala maiora secutura esse: vt potest facile contingere cum detrahens est persona illustris; & opponens se ei, est seruus vel alia persona abiecta. Altera conditio est, vt quis sine suo damno & molestia graui, possit pro qualitate damni ex detractione prouenturi, seipsum opponere: potius enim sibi quâ alteri consulere in pari aut pene pari periculo, non est à ratione alienum. Istiusmodi facilitatis exemplum est, si impediri possit detractio, ostendendo, se molestè ferre talem narrationem; vel aliquâ facetia opponendo se ei, vel aliter diuertendo sermonem ad alia, vel inde discedendo: nisi detrahens appareat inde accepturus occasionem grauius peccandi, vt blasphemandi, exardescendi odio, &c.

Qvæstio Vltima.

Quando sit peccatum inquirere de alterius defectu.

96. Ad hanc ex Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 26. respondetur: Non esse peccatum inquirere de alterius defectu, siue naturæ siue morum, si id fiat bono fine, & debito modo; nempe ad recte prouidendum bono siue communi, siue priuato in electionibus, aut matrimonijs *alijsq; id genus*, ineundis; informatione accepta ab ijs qui obesse non possunt: aut certe per lectionem aliquarum scripturarum ex quibus potest de veritate constare. Esse vero peccatum mortale, si fiat animo notabiliter nocẽdi, aut alio fine mortaliter malo, aut cum graui periculo notabilis damni, vel cum scandalo, aut cum affectu delectandi se de malo proximi. Sin id fiat tantum ex leuitate & curiositate, nisi alia adsit mala circunstantia non videtur esse mortale: sicut nec est reuelare alterius defectum vni personæ quæ obesse non potest, prout tradidimus in quæst. 7.

97. Superest notandum, detractionem præter reatum æterni supplicij, incurrere pœnam restitutionis, prout explicatum est suo loco in libro decimo, cap. 23. Deinde vt testis esse nõ possit si ex consuetudine detrahat, ex capit. Detractores, 3. quæst. 4. & ex cap. Nullus, eadem causa, quæst. 5. Denique vt qui spargit libellos famosos debeat excõmunicari, & cum ipso alij qui inueniunt eosdem libellos, nec eos lacerant, vt habetur 5. quæst. 1. 2. & 3. imo & flagellari ex eod. cap. 1. Adeoque iure ciuili debeat plecti capite, vt in citato cap. 3. habet Gratianus ex lib. 9. Codicis tit. De libellis famosis. Late de pœnis eius generis, atque actione iniuriarum disserentem qui volet videre potest Ludouicum Molinam De iust. & iure: in citato tractat. 4. disputat. 38. & 39.

* *
*

CAP.

CAP. V.

De contumelia.

SVMMARIVM.

98 *Contumeliæ & detractionis inter se conuenientia & differentia.*
99 *Quid sit contumelia, & quomodo differat ab improperio & conuitio.*
100 *Contumelia peccatum est suo genere mortale.*
101 *Tria quæ eam excusant à mortali, si desit intentio nocendi, tam tacita, quam expressa.*
102 *Contumeliæ omnes sunt eiusdem speciei, & quo modo exprimendæ sint in confessione.*
103 *Obligatio ferendi contumeliam qualis sit, & quando contingat.*
104 *Quis licitus modus sit resistendi calumnianti.*
105 *Contumeliâ affectus non potest quidem vindictam sumere: potest tamen in iudicio iniuriam suam prosequi zelo iustitiæ.*

DE hac agunt D. Thomas & ipsius interpretes 2.2.quæst. 72. Summularij in verbo Contumelia, D. Anton. 2. par. tit. 7. cap. 6. Sotus lib. 5. De iust. & iure quæst. 9. Nauar. in Enchir. cap. 18. nu. 10. & aliquot seq. Sebast. Medices in summa de peccatis capitalibus alios commemorans tit. 4. quæst. 17. aliquotq; sequentibus, & Petrus à Nauar. lib. 2. De restit. cap. 4. à num. 63. ac Lud. Molina De iust. & iure in eod. tract. 4. disp. 18. & aliquot sequentibus.

98. Maxima autem ex parte quę ad eam pertinent intelliguntur ex ijs quæ de detractione dicta sunt: cum ad hanc, illa perinde affecta sit in bonis honorarijs; atque in bonis pecuniarijs rapina ad furtum: nempe quod vna clam fiat communiter, altera palam, iuxta illud quod ab omnibus fere annotatum Petrus à Nauarr. ait *in citato numero* 63. nempe differentiam esse inter hæc tria ex vna parte; detractionem, murmurationem, & susurrationem: & inter hæc tria ex altera parte: contumeliam, conuitium, & improperium: quod illa fiant occulte, & in absentia, sicut furtum: hæc vero fiant palam, & in facie, sicut rapina: aut, *vt ex D. Thom. deducit Sotus in cit. quæst 9. art 1. ante solutionem argumentorum*, clam quidem, sed ea intentione vt veniant in notitiam eius in quem conijciuntur: quod per literas scriptas aut libros famosos fieri notat Tabiena in verbo Contumelia, sub initium. Quæ vero supersunt addenda comprehenduntur sequentibus documentis.

99. Primum est, Contumeliam esse, qua alicui honor & reuerentia debita aufertur, siue per verba, siue per facta, siue per quidquid aliud habens vim significandi. Quod ex D. Tho. 2.2.q.72. *art.* 1. annotant in verbo Contumelia in princip. Angelus, Syluest. Rosella & Armilla. Addentes illius differentiam à conuitio & improperio (cum quibus illi cõmune est repræsentare defectum alicuius in detrimentum honoris ipsius) quod per eam repręsentetur defect⁹ culpæ, quo quis laborat, siue à natura siue ex aliquo euentu: per improperium autem repræsentetur defectus (vt vocant) minorationis seu indigentiæ.

Sic ergo contumelia censetur esse si quem voces furem: conuitium vero si voces claudum: improperium autem si iniurioſe ad memoriam reuoces auxilium quod ei necessitatem patienti contulisti. De illis plura Molina De iust. & iure, tract. 4. disput. 21. vt & de illusione, derisione, irrisione, & subsannatione. Sed quidquid sit de talium differentia, quam ille persequitur: ad iudicium de peccatis nobis sufficit ad detractionem eas pertinere prout lædunt famã; & ad contumeliam, prout lædunt honorem: ideoq; sufficienter confessiones fieri de illis, si dicatur: De proximo detraxi: aut Contumelia affeci proximum, cum graui famæ vel honoris læsione. Aduerte autem nihil interesse ad rationem contumeliæ; vtrum quis alteri coram, an in absentia illam inferat; neque vtrum per se an per alios; neque vtrum ad breue an ad longum tempus: quoniam talia pertinent tantum ad maiorem, vel minorem grauitatem contumeliæ: de cuius ratione tantum est, vt quis significet aliquid in detrimentum honoris proximi.

Secundum documentum est, Contumeliam genere suo peccatum esse mortale. Quod cum D. Thoma in seq. art. 2. cæteri communiter tenent. Et probant: quia si furtum, & rapina peccata sunt suo genere mortalia, propter damnũ quod per illa proximo infertur in suis diuitijs; multo magis erunt contumelia, conuitium, & improperium, per quæ damnum infertur in honore: qui est bonum melius diuitijs: iuxta illud Prouerb. 22. Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ.] Accedit illud Matth. 5. Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ. 100.

Sed aduertendum est cum Soto *lib. 2. De iust. & iure quæst. 9. artic. 2. concluſ. 1.* discrimen esse inter peccata quæ in facto consistunt, vt homicidium & furtum; & peccata quæ consistunt in verbo, vt detractio, & contumelia: quod in illis genus malitiæ ex solo obiecto perpendatur: in his vero non nisi ex adiuncta simul intentione, quia verba non lædunt seipsis, sicut facta: sed significatione, quam accipiunt ex intentione aliquid exprimendi. Cum igitur contumelia sit in verbis: vt suo genere peccatum sit mortale, procedere debet ex intentione conuitiandi, vel expressa vel certe tacita: qualis censetur procedens ex crassa ignorantiâ, & negligentiâ aduertendi illud quod dicitur, contumelioſum esse: vt-pote quo sufficiens causa datur notabilis læsionis honoris. Atque cum dicitur aliquid cum intentione expressa notabiliter nocendi alteri in honore, nulla est excusatio à mortali, etiamsi nocumẽtum non sequatur, quia voluntas quoad culpam, reputatur pro facto. Tria vero dantur, quæ extra eum casum possunt illam à mortali excusare.

Primum est, expressa intentio proficiendi nec nocendi ei cui vitium obijcitur: talis enim intentio excusat à peccato, si debita moderatio seruetur. Exemplum est, quod habet Sotus in sequent. conclusione 2. cum pater, vel Prælatus, aliusve maior natu, inferiorem corripit, obijciendo illi ex affectu charitatis crimina sua (*non autem alia, qua alioqui mentiretur*) exemplo Christi qui impingenti sibi alapam dixit, Si bene loquutus sum, quid me cædis? Item cum quis honeste iocatur cum amico exhilarationis gratia, ei aliquid obijcit cum ea circumspectione, vt merito censeri possit ignorare inuincibiliter damnum vllum inde secuturum. Quã dere Petrus Aragonius *ad cit. D. Thom. art. 2. propos. 5.* & Molina *in fine disputationis* 18. *citati tractatus quarti.* Secutus est vero, si conuitium graue, per iracundiã quis euomeret, quia mortaliter peccaret: vt loco cit. addit Sotus. Et ratio est: quia daret iniuste causam alteri, etiã inferiori vel amico, vt (cum plerumque contumelioſa verba pugnant acrius quam verbera) amarulento fiat animo; & vt in contemptum veniat apud alios. Quanquam cum defectus contingunt contra honorem fidei, & religionis, pium est & sanctum contraire obiurgatione acriori, exemplo Christi, qui cum exclamatione Discipulos stultos & tardos corde ad credendum vocauit: sicut D. Paulus, etiam cum exclamatione, Galatas vocauit insensatos. 101.

Secundum excusans contumeliam à mortali, est paruitas rei: qui enim crimen alteri obijcit animo & intentione parũ nocendi, vt parum contristandi ipsum, & reuera parum nocet: siue quia persona cui obijcitur parũ habet honoris, siue quia honorem paruipendit nec curat: vt plerunq; rustici vel pueri, solũ peccat venialiter; sicut & qui furatur rem leuem animo, & intentione parum nocendi.

Tertium est, defectus cautelæ seu aduertentiæ, ad id quod dicitur: per quem sæpe fit vt iacientes sibi inuicem contumelias à mortali excusentur: vt Sotus censet sæpe cõtingere inter mulierculas & homines infimæ sortis, qui se mutuo aspergunt conuitijs prout in buccam venerint: quibus tanquam sine cautela loquentibus perparum aut nihil fidei adhiberi solet.

Aduerte autem quod monent Gregorius à Val. 2.2. *disputat. 5. quæstio. 16. puncto 2. assertione* 3. & Lud. Molina in memorata disputat. 18. numer. tertio, fieri posse vt contumelia; etiam sine expressa intentione lædendi honorem, sit peccatum mortale; nempe si quis ita incaute attẽtis circunstantijs de alio quid dicat ad conuitium pertinens, vt quamuis non intendat lædere honorem illius, is tamen apud alios lædatur.

Ratio

Ratio est: quòd censeatur habuisse tunc tacitam intentionem nocendi, cùm teneretur & posset abstinere à sermone quo alterius honor lædendus fuit, nec abstinuit. Quodquidem notandum est pro iis qui alios publice obiurgant coram illis, qui malam opinionem facilè concipient.

102. Tertium documentum (quod post Caiet. 2. 2. q. 72. art. 1. tradit Sotus lib 5. De iust. & iure, quæst. 9. in fine art. 1. & post vtrumque Lud. Molina in sequenti disput. 19. num. 3.) est: Omnes contumelias eiusdem speciei esse: quia quamuis in cæteris diuersitas cernatur; conueniunt tamen in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri suum honorem sine iusta causa. Vnde sequitur, satis esse in confessione dicere, Toties contumelia affeci meum proximum; nec requiri vt dicatur illum vocari ebrium, scurram, adulterum, &c. nisi quod, *vt addit Sotus*, aliquando contumeliæ grauitas tantum augeri possit, vt eius expressio sit de necessitate confessionis: vt si quem hæreticum aut patriæ proditorem, aut quid aliud simile appelles.

103. Quartum documentum (quod ex D. Thom. in cit. quæst. 72. art. 3. cæteri communiter tradunt) est: vnumquemque teneri animum habere paratum contumeliis ferendis, quandocumque expediuerit: non tamen semper teneri eas ferre. Id quod præclare probatum à D. August. habes in cap. Paratus, 23. quæst. 1. per præceptum Domini Matth. 5. Si quis percusserit te in vnam maxillam, præbe illi & alteram. Quod de præparatione ad ferendam contumeliam dictum, non semper obligare: patet per illud quod militi alapam impingenti Christo, Ioan. 18. ipse responderit, Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me cædis: Et D. Paulus Actorum 23. percussus in facie iussu Principis Sacerdotum, dixerit ei, Percutiet te Deus paries dealbate. Quando autem oporteat illam contumeliam repellere, nec liceat contemnere, prudentis est definire, per ea quæ ratio fraternæ charitatis in casu occurrente exigit.

Quodquidem potest cognosci potissimum ex duplici capite, iuxta Sotum *in sequenti art.* 3. quorum prius est, bonum eius qui contumeliam infert; nempe vt ipsius tumentis animi insolentia reprimatur, ne talibus iniuriis assuescat: iuxta illud Prouerb. 26. Responde stulto, iuxta stultitiam suam; ne sibi sapiens videatur.] posterius est bonum aliorum, tam præsentium quam absentium; quorum profectus ex mea patientia impediretur. De quo D. Greg homil. nona in Ezechielem. Hi, inquit, quorum vita in exemplo imitationis posita est, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant: & in prauis moribus remanentes, bene viuere contemnant.

Porro prædicta præparatio animi, *vt docet ibidem Sotus*, non requirit actuale propositum ferendi suo tempore & loco iniurias, quæ sibi illatæ fuerint: sed sufficit ad eam generale propositum seruandi mandata Dei: in quo illud particulare includitur. Necessarium vero est, *vt idem author subiungit*, tale propositum esse non solum ad non vindicandum propria authoritate iniuriam acceptam, *quod manifestum est non licere*, sed etiam ad non resistendum inferenti, quando ratio fidei, aut boni publici, aut vitatio scandali, vel grauis detrimenti, id exegerit prudentis iudicio, cui relinquitur definiendum, quando iniurianti respondere conueniat, quando non.

104. Quintum documentum, *sumptum ex Soto sub finem art. tertij ante citati*, Quando licitum est calumnianti resistere, non permitti vt pro vna contumelia accepta, altera reddatur in compensationem: vt si quis me appellet latronem, illum appellem adulterum; aut si notet meum genus, ego notem ipsius mores. Ratio est: quia præterquam quod non licet aliquid falso obiicere, cum id mendaciũ sit, illudque pernicioſum: obiicere verum siue occultum siue publicum, habet modum vindictæ priuatæ: nisi fiat ad defensionem, vim vi repellendo cum debita moderatione. Quod vt censeatur fieri, requiritur, vt id tantum obiiciatur, quod facit, & necessarium est, ad iniuriantis authoritatem, & fidem in eo quod mihi impingit, labefactandam: vt si dicam ipsum esse mendacem, & proferam aliquot ipsius mendacia; non autem si dicam ipsum esse concubinarium, si me vocauit latronem, quia per hoc non infringitur fides ei habenda in tali contumelia.

Sextum documentum, *quod ex Cordub. & nonnullis aliis habet Petrus à Nauarr lib. 2. De restit. cap. 4. num. 102.* est, Iniuriatum obligari ad deponendum odium; ita vt non desideret vel procuret, vel delectetur de malo proximi; animo vindicatiuo. Quamuis tale malum zelo iustitiæ desiderare, & procurare authoritate publica licitum sit: vt videre est apud Nauar. in Enchir. cap. 14. nu. 25. & Couar. libro 2. variar. resol. cap. 10. nũ. 7. & Sotum libro 4. De iust. & iure quæst. sexta, art. 3. ad 5. Item eundem non posse illi à quo affectus sit iniuria allocutionem denegare, aut signa dare inimicitiæ, vt cum occurrerit, toruis eum oculis aspicere, vel declinare à via, & eiusmodi alia facere, quibus ei, aut cæteris indicetur ipsum odio haberi. Tale quid enim est aperte contra charitatem. De restitutione honoris vel famæ, cuius obligationem contumelia & detractio inducunt, suo loco dictum est lib. decimo cap. 23. 105.

CAPVT VI.

De reuelatione secreti.

SVMMARIVM.

106 *Reuelatio secreti peccatum est, & quale.*

107 *Vnus modus quo contingit obligatio seruandi secretum, est ex natura rei.*

108 *Alter quo propterea eadem contingit, quod per iniustitiam ventum sit in notitiam secreti.*

109 *Tertius quo adhuc eadem contingit, eoquod post notitiam secreti, interuenerit pactum aut promissio de eo non reuelando.*

110 *Quartus porro, quo illa ipsa contingit ex pacto, cum quo detectum est ea lege, vt non manifestetur, nisi idem aliunde cognoscatur.*

111 *Ad eiusdem pacti obseruationem ille etiam tenetur, qui ex eiusdem iniusta violatione, cognouerit secretum sub illo commissum.*

112 *Quatenus ad eiusmodi obseruationem obligatio cesset ob damnum secuturum reipub. aut etiam personæ priuatæ, nisi fiat secreti commissi reuelatio.*

113 *Quæ qualiter sit facienda.*

114 *Quintus modus spectans ad sacramentum Pœnitentiæ.*

115 *Responsio ad obiectionem quod Christus detexerit peccatum secretum Iudæ proditoris.*

AD hoc præceptum reuelationem secreti pertinere satis indicauit Nauar. in Enchir. cap. 18. num. 51. Et patet per illud, quod ab initio monuimus, eo prohiberi omnem noxam qua proximum in bonis honorariis lędimus: eiusque modi esse, *inter cæteras*, illam qua contra fidelitatem proximo debitam, reuelamus secretum quod is nobis commisit. In quo peccatum committi, omnes Doctores fateri meminit Petrus à Nauar. *lib. 2. De restit. cap. 4. nu. 459.* Ratioque est, quia cum fidelitas iure naturali seruanda sit, peccatur per contrariam perfidiam: idque mortaliter in materia graui, secũdum qualitatem negotij, personarum, & aliarum circunstantiarum: & cum obligatione ad restitutionem damnorum inde secutorum, tanquam prouenientium ex transgressione legis iustitiæ, talem læsionem prohibentis. 106.

Nec vero in hac re distinguendum est inter eum cui secretum cõmissum est sub sigillo, & prohibitione ne reueleretur; & inter eum qui sine tali commissione rẽ nouit. Hoc enim solo, quod res commissa est tanquam secreto seruanda; *proutcensetur, cum de aliqua, quam secretam teneri expedit communicamus cum amico, aut cum viro docto ad petendum consilium, vel consolationem accipiendam*, obligatio est ad secretum tenendum: quia sicut secretum sacramentale tenendum est, etiamsi Confessario non sit specialiter sub fide, & sigillo secreti commissum, *eo quod alias fieret iniuria sacramento*: ita qui peccatum vel aliud secretum proximi cognouit, tenetur illud seruare, nec detegere; quoniam alias ei contra ius fidelitatis apertam inferret iniuriam. Id quod potissimum habet locum, *vt notat Petrus à Nauar. in sequent. num.* 462. cum quis tale secretum cognouit via iniusta: vt si li-

teras inique reſeruit, vel de re inquiſiuit illicite, vel illius reuelationem extorſit metu, &c. Ad confirmandum idipſum de ſecreto ſeruando facit cap. Si peccauerit, 2. quæſt. 1. ex D. Auguſt. ſerm. 6. De verbis Domini: vbi non eſſe prodendum proximi peccatum occultum recte probat ex facto Beati Ioſeph: qui cum iuſtus eſſet noluit Beatam Virginem traducere, quam adulteram ſuſpicabatur, cum gratidam videret nunquam à ſe tactam.

107. Porro varii ſunt modi quibus contingit obligatio ſeruandi ſecretum, iuxta hoc præceptum. Vnus enim eſt, quo ea contingit ex natura rei, nullo pacto tacito, vel expreſſo, promiſſione ve interueniente eius, qui tenetur illud ſeruare; ſed ſolum quatenus quiſque ex natura rei tenetur nihil facere quo proximus lædatur in bonis ſuis; ſiue ea ſint famę, ſiue honoris, ſiue corporis, ſiue pecuniaria. Itaque is qui manifeſtat aliquod ſecretum, ex cuius reuelatione honor, aut fama proximi irrationabiliter læditur contra iuſtitiam, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem damnorum inde ſequutorum, iuxta communiter receptam doctrinam de reſtitutione: non ſecus ac mortaliter peccare, & ad reſtitutionem teneri cenſetur ille, qui caſu nouit pecuniam alicuius latere in aliquo loco, & reuelat, ſi inde ſequatur eiuſdem pecuniæ furtum, & ſic de ſimilibus, prout bene notat D. Anton. 2. *parte, tit. primo, cap. 22. §. quinto*; per illud in cap. finali De iniuriis. Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur.

108. Alter modus eſt, quo nonnumquam obligatio ſeruandi ſecretum contingit non ſolum ex natura rei, modo iam explicato, ſed ſimul etiam, eo quod iniuſte venerit quis in ipſius ſecreti cognitionem: vt per vim aut fraudem. Inde enim obligatio peculiaris oritur ſeruandi illud: quia ſicut is qui caſu inuenit rem alienam reſtituere tenetur ſolum ratione rei acceptæ; qui vero per furtum illam abſtulit, obligatur & ratione rei acceptæ, & ratione acceptionis, illam reſtituere; ita qui per iniuſtitiam venit in notitiam alicuius ſecreti, cuius manifeſtatio nociua eſt proximo, tenetur ex iuſtitia illud ſeruare: & quia ita poſtulat natura rei, vt dictum eſt: & quia per iniuſtitiam in talem cognitionem venit. Sicque ille qui inique reſeruit alicuius literas, & ea via venit in notitiam alicuius ſecreti, arctiori vinculo tenetur illud ſeruare, quam ſi eſſet ei ſimpliciter indicatum: & ſic in aliis. Qui modus, *vt & ſequentes*, cum peccatum notabiliter aggrauet noua ſpecie iniuſtitiæ, eſt in confeſſione exprimendus.

109. Tertius modus eſt, quo obligatio ſeruandi ſecretum prouenit ex promiſſione & pacto; quo poſt ſecretum ipſum cognitum, promiſit quis ſe illud non reuelaturum: vt ſi poſtquam vidi aliquem commiſiſſe delictum, celebro cum eo pactum de illo non reuelando. Aduerte autem tale pactum cum intelligi debeat ſaluo iure Superioris, etiamſi iuramento firmatum ſit, non impedire quin is qui alias ob legitimum Superioris imperium obligatur ſecretum reuelare; debeat tali obligationi ſatisfacere reuelando. Nam ad id perinde manet obligatus, ac ſi tale pactum taleque iuramentum non interueniſſet. Per illud enim tantum efficitur; vt qui alias, ſeu illo non interueniente, tenebatur ſeruare ſecretum, teneatur ea de cauſa idem arctius ſeruare. Vel vt qui poterat abſque peccato illud reuelare pro arbitrio, tanquam minime damnoſum, *vtpote quod eſſet actus virtutis, quem notum eſſe expediret ad gloriam Dei*: vel quod potuit tanquam ſibi noxium deferre in iudicium productis ſufficientibus teſtibus ad obtinendam debitam ſatisfactionem: ratione pacti & iuramenti tacere teneatur. Indeque eſt, quod vt habitum eſt *in præced. cap. 3. ſect. 4.* is qui nouit crimen ſecretum alicuius, ſi Iudex, pro ſuo Superioris iure, iuridice procedendo interroget ipſum tanquam teſtem, teneatur tunc tale crimen detegere non obſtante quod promiſerit, ac etiam iurarit ſe illud non manifeſtaturum, quia promiſſio & iuramentum alioqui, *contra regulam 58. iuris in 6.* vinculum eſſet iniquitatis, qua ſuperior fraudaretur iure quod habet exigendi teſtimonium ab iis qui ſciuerunt veritatem, probatam quidem, ſed inſufficienter ad proferendam ſententiam. Qua de re videri poteſt Sotus lib. 5. De iuſt. & iure quæſt. 5. art. 1.

110. Quartus modus eſt, quo obligatio ad ſecretum ſeruandum conſurgit ex pacto tacito aut expreſſo: quando illud alicui ipſum neſcienti, ea lege aperitur. vt non manifeſtetur. Is enim cui committitur, tenetur, ſub mortali illud reticere, prout poſt D. Anton. *in cit. §. 5. verſu. 3. modo, attigit Sylueſt. in verbo Secretum dicto.* 2. Et ratio eſt, quoniam ſeruare ſecretum commiſſum ſeu fidelitatem, de ſe eſt de iure naturali: non ſolum quando ex neceſſitate aliqua ipſum commiſſum eſt, vt ad ſumendum conſilium: vel leuandam triſtitiam: ſed etiam quando ex leuitate animi committitur. Atque hinc fit, vt quia præceptum humanum cedit diuino, non debeat iſtius modi, *ſicut præcedentis*, ſecretum reuelari præcipiente Iudice, quantumuis ipſe iuridice procedat. Ita poſt D. Thom. 2. 2. *quæſt. 70. art. 1. ad ſecundum, & quodlibeto 1. a. t. 15.* habent Sylueſt. in verbo Teſtis *quæſt. 8. dicto 2.* & Nauarr. in Enchirid. *cap. 18. nu. 60.* Quibus aſſentiens Lud. Molina De iuſt. & iure *tract. 4. diſput. 5. num. 3.* colligit inde pro praxi: quod quando is qui ſolum ſub ſecreto ſibi commiſſo nouit aliquid, interrogatur à Iudice, num id ſciat; tunc eſto ſub iureiurando interrogetur, reſpondere poſſit ac debeat ſe id non ſcire: intelligendo, itaut poſſit illud detegere licite: præſertim cum in eo ſolo euentu & ſenſu Iudex ſuam interrogationem intelligere debeat, ſi intendat iuridice interrogare. Quod in alio euentu & ſenſu intelligens, non interrogaret iuridice, ideoque opus non eſſet ad mentem ipſius reſpondere, ſed ſufficeret reſpondere in illo alio ſenſu, in quo ſolo intelligere deberet ſi probus eſſet, iuridiceque interrogare intenderet. Aduertendum eſt vero iſtud non habere locum, quando tale ſecretum poſtea eſſet alia via cognitum: quia tunc detegi deberet Iudici legitime interroganti: quandoquidem pactum de ſecreto ſeruando obligauit ſolummodo ad celandam notitiam, quæ fuit cum eo commiſſa: ſique per illud intentum fuit aliud, ipſum, *tanquam turpe*, obligatorium non fuit, eadem ratione qua ante dictum de promiſſo non reuelandi ſecretum tertii modi: cuius naturam habet ea ex parte.

111. Aduertendum eſt præterea, illud quod dicitur reſpectu eius cui commiſſum eſt ſecretum, non poſſe nec debere illud detegere etiam Iudici, &c. intelligendum eſſe pariter dictum reſpectu tertii, cui prior ille contra fidem à ſe datam, idipſum reuelaſſet, ſiue præmiſſo pacto de non detegendo, ſiue non præmiſſo. Ratio eſt: quia talis cognitio quam tertius ille haberet, oriretur à praua manifeſtatione facta contra promiſſam fidelitatem: vt ex eo patet, quod nō faceret fidem, niſi dependenter à confirmatione eius qui infideliter ſecretum reuelauit, vtriuſque igitur par eſt obligatio. Atque adeo, quia iniuriam illius qui primo manifeſtauit, cederet vlterior manifeſtatio facta tale ſecretum reuelando, ipſe tertius, perinde ac ſecundus cui ſecretum commiſſum fuit, ſi vlterius reuelet, tenebitur ad reſtitutionem damnorum, quæ ex ſua reuelatione ſecuta fuerint, niſi ignorantia inuincibilis ipſum excuſet à culpa *(vt aliquando poteſt eum qui à iudice interrogatur)* quia conſequenter excuſabitur ab onere reſarciendi damnum natum ſequi ex iniuſtæ acceptionis radice.

112. Aduertendum eſt tertio, Ea quæ de hoc quarto modo dicta ſunt hactenus, eſſe intelligenda dummodo ſecretum quod committitur, non ſit de delicto ex quo periculum reip. vel alicui priuato immineat, quod aliter impediri nequeat, quam detectione ſecreti commiſſi: vt prodenda ſit ciuitas, aut aliquis occidendus, &c. quia ſciens tenetur tunc reuelare quantum opus eſt, vt illa impediantur: maxime interueniente Superioris præcepto iuxta tradita in præced. cap. 3. ſect. 5. docum. 4. Quod tamen intelligi debet locum habere, quando talia mala imminent ex nequitia committentis ſecretum, qui deſiſtere non vult ab incepto: tunc enim talis reuelatio efficitur neceſſaria ad propulſandam iniuriam in quam ille actu incumbit, & à qua non vult deſiſtere, prout tenetur. Nam ratio naturalis dictat, innocentem tunc eſſe ab iniuria etipiendum, etiam cum nocentis iactura: contra quod dictamen facta promiſſio, tanquam bonis moribus contraria, non eſt obligatoria.

Nihilominus ſi ex alicuius peccato præterito damna aliqua per accidens ſic immineant, vt ipſe non teneatur illa impedire, detegendum non eſt ſecretum ab ipſo commiſſū.

Exem-

Exempli gratia: Petrus interfecit Ioannem, cuius mors imputatur Paulo innocenti, & ideo vita huius periclitatur, si detegatur Petrus qui secreto alicui reuelauit se talis homicidij authorem esse, tale secretum regulariter detegendum non est, quando quidem Petrus regulariter non tenetur prodere se ipsum vt vitam Pauli conseruet, cum tanto suo damno, prout docet Sot. *lib. 4. De iust. & iure quæst. 6. art 3. ad 4.* adeout permittens talem mortem sequi, non sit ideo in culpa. Verum si talis in loco tuo collocatus esset, teneretur consulere vitæ innocentis, detegendo se occidisse: vel permittendo ei cui secretum suum commisit, veritatem detegere. Quod si ipse nolit, cum possit sine graui suo periculo, hic detegere debebit tale secretum ad liberandum innocentem, qui ob eius à quo commissum est actualem culpam, exponitur imminenti mortis periculo, quod aliter impediri non potest; quam per eiusdem detectionem.

Atque hoc ipsum quod dicimus de reuelatione secreti licita, ad impediendum mala ingruentia quæ nequeunt aliter impediri, procedit ex Nauar. ad cap. Sacerdos, De pœnit. distinct. 6. num 37. etiamsi secretum commissum fuerit accepto iuramento: Nam iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis, vt confirmatum est paulo superius per 58. reg. iuris in 6. In tali casu vero iuramentum fieret vinculum peccati, quod committeretur non subueniendo proximo in sua graui necessitate, cum id fieri potest sine graui nostro vel alieno incommodo. Addendum similiter est procedere, quantumcumque is qui secretum committit, dicat se illud aperire in confessione etiam facto signo crucis, *absque proposito tamen confitendi peccata, & recipiendi Sacramentum pœnitentiæ.* Neque enim ex tali reuelatione resultat sigillum sacramentale quantumcumque quis dicat se sub eiusmodi sigillo secretum recipere prout à nobis traditum est in prima par. lib. tertio, cap. 1. num. 5.

113. Meminisse vero oportet, quod etiamsi reuelandum sit secretum ad obuiandum damnis ingruentibus, *præhabitum est*, reuelationem tamen ita faciendam esse, vt illud solum præcise manifestetur quod satisfuerit ad obuiandum iisdem damnis. Quare si ad id sufficiat reuelatio delicti committendi, sine reuelatione personæ, hæc reticenda erit: sique per priuatam admonitionem perpetratio delicti impedietur non est vsurpanda reuelatio secreti, iuxta tradita per Nauar. *ad cit. cap. Sacerdos num. 23. 24. & 25.* Quod si necessarium fuerit personam delinquentis manifestare ad obuiandum damno imminenti, vt ad euitandam necem quæ alicui inferenda est, nec poterit aliter ab eo vitari, ipsa quoque debet modo antedicto manifestari, ex Gaiet. *in verbo Homicidium cap. 2. sub finem.* Item si propter periculum necesse fuerit, potest absque alia monitione fieri reuelatio, vt in proditionibus, & in hæresis crimine ex Nauarr. *in Enchir. cap. 24. num. 14.*

114. Postremus modus quo contingit obligatio seruandi secretum oritur ex lege diuina positiua, illius reuelationem prohibente. Nam eadem lege qua Christus constituit Sacramentum pœnitentiæ, & ad confessionem secretum Sacerdoti faciendum, obligauit prohibuit etiam detectionem eorum quæ per sacramentalem connfensionem scirentur, ne sacramentum ipsum pœnitentiæ, ex manifestatione acciperet detrimentum in eo quod homines auocarentur ab illius vsu: qua ex parte talis detectio rationem habet sacrilegij, & peccati contra virtutem religionis: sicut ea ex parte: qua fit in detrimentum confitentis *(qui crimen suum ea lege & pacto tacito reuelat, vt Confessarius illud non detegat.)* rationem habet perfidiæ & peccati contra iustitiam, inducens obligationem ad restitutionem: tam famæ, quam cæterorum damnorũ in aliis bonis sequentium eiusmodi reuelationem. Sed de iis quæ ad Sacramentale secretum pertinent dictum est abunde in prima parte lib. tertio.

Superest pro complemento huius capitis, vt satisfaciamus obiectioni, quæ aduersus antedicta fieri potest: quod Christus in cœna Ioan. 13. manifestauerit peccatum Iudæ occultum, quod esset ipsum traditurus: vnde sequitur quod cum Christus peccare non potuerit, reuelatio secreti non sit censenda peccatum. Respondetur ergo, vel Christum non detexisse peccatum secretum quod erat in Iuda, sed spiritu prophetico prædixisse peccatum quod erat futurum, vt intelligeretur sua sponte se obtulisse morti, cum præuideret media quibus ea futura erat: posset que eam vitare, vel detexisse iusta de causa nimirum vt confirmarentur corda discipulorum dum cernerent rem euen sse sicut prædixerat. Et certe Christus cui omnia tradita sunt à Patre, cum fuerit dominus famæ Iudæ sine iniuria potuit illam ei auferre.

Appendix de euulgatione libellorum famosorum, & de apertione alienarum literarum, tanquam circunstantiis aggrauantibus peccata, de quibus dictum est proximis capitibus.

SVMMARIVM

116 *Quid significetur nomine libelli famosi.*
117 *Quale peccatum committatur compositione & euulgatione libelli famosi, qui que in illud incurrant.*
118 *De obligatione quam inducit ad restitutionem.*
119 *Quæ peccatum sit aperire literas alienas.*
120 *Causæ rationales excusantes à tali peccato.*
121 *Peccatum quod committitur legendo chartam, in qua quis memoriæ gratia scripsit sua peccata.*

INter modos quibus proximi fama læditur facto, vnus est per libellos famosos, exprimendus in confessione, eoquod talem læsionem aggrauet sufficienter ad immutandum Confessarii iudicium de pœnitente: vnde requirit specialem considerationem: vt & apertio literarum alienarum, similiter aggrauans secreti reuelationem, quæ per eam fit. Quocirca consultum est ad antedicta addere aliquot documenta, ex quibus possit de illis iudicari.

Documenta de euulgatione libellorum famosorum.

Sectio Prior.

PRimum est, nomine libelli famosi intelligi scripturam 116.
continentem alicuius infamiam nondum publicam, vt publica fiat: siue res effectum sortiatur, siue non. Hinc aduerte literas ad aliquem priuatum missas, non habere rationem libelli famosi, etiamsi in eis detrahatur de alicuius fama: quia nisi scriptæ sint vt publicarentur, perinde est ac si verbo detraheretur. Schedulas vero quæ continent alicuius crimen occultum, euulgantur, vt ea via ipsum in aliorum notitiam, siue statim sine paulatim veniat, censeri libellos famosos, etiamsi lacerentur ab aliquo aut exurantur aliave ratione impediantur publicari. Eius generis (prout plenius declarat Lud. Molina *De iustitia & iure tract. 4. disput. 35. num. 2.*) sunt eæ schedulæ quæ de occulto crimine deferuntur ad iudicem vel Prælatum, vt pro suo munere super eo inquirat, vt publica scientia effectum notum, possit pro sua potestate, illud in proprio subdito punire. Ad hoc facit quod in cap. Inquisitionis §. Ad hæc de accusationibus, eius generis schedula appelletur libellus diffamationis, & ibidem prohibeatur ne ex eo procedatur ad iniquisitionem.

Secundum documentum est, Euulgationem libelli fa- 117.
mosi seu compositi in alicuius infamiam, peccatum esse mortale suo genere. Est enim de se contra charitatem & iustitiam, læsiua proximi in bonis suis honorariis & nonnumquam etiam in pecuniariis: malitiamque habet detractionis, aggrauatam duabus conditionib. nimirum quod ea facile serpat & capiat incrementum. Item quod ea læsus soleat talem iniuriam egerrime ferre, tanquam ignominiose infamatus: cuius aggrauationis indicium sunt variæ pœnæ constitutæ aduersus talem nequitiam: de quibus ad externum forum spectantibus, videat qui volet Ludo. Molin seq. disput. 39.

Tertium documentum est, in prædictam culpam incurreretum eum qui librum famosum confecit vt euulgaretur, aut quouis modo cooperatus est ad illum conficiendum: tum eum qui manifestat illum, aut qui infamia nondũ existente publica, in causa est vt alterius manifestetur: tum etiã eos omnes qui aliquid talium efficere interius statuũt. Nã

ij omnes consentiunt in eiusmodi peccatum. De quorum numero esse censendi sunt, qui canunt & referunt quæ composita sunt in alicuius ignominiam: si id quod canitur aut refertur non sit iam publicum. Quod addo, quia si iam sit publicum amissa erit fama: ideoque non lædetur per id quod canitur aut dicitur, aut etiam scribitur. Id quod Molina notans *in citata disp. 35. num. 4.* Addit rationi congruenter, in idem crimen incurrere eum, qui signum aliquod apponit, quo significetur quidpiam infamatorium: vt si ad fores alicuius appendat cornua, ad significandum vxorem fallere ipsi fidem, adulteramve esse: nam tale quid non minus læsiuum est famæ, quam scriptura qua illud idem significaretur.

118. Quartum documentum est. Quando ex libello diffamatorio infamia secuta est reipsa, aut aliquod vlterius damnum, incurri obligationem ad illorum restitutionem; prout patet ex communi doctrina de restitutione, tradita in preced. lib. decimo. Quæ obligatio iuxta eamdem doctrinam, cadit in omnem eum qui talis libelli quouis modo causa fuit, aut euulgauit: itemque in eum qui ad illius compositionem aut euulgationem cooperatus est.

Quintum documentum est, *quod Molina habet in fine citatæ disput.* Eum quidem qui libellum famosum composuit, aut primo euulgauit, teneri ad restitutionem læsionis famæ, aliorumque damnorum inde secutorum: non tamen omni ex parte ante alios: qua si quis vlterius libellum ipsum euulgauerit, talis tanquam executor, censebitur primaria causa damni ex ea vlteriori diuulgatione secuti: is vero qui composuit, aut primo euulgauit (nisi eandem vlteriorem diuulgationem mandauerit) tanquam cooperator qui præbuerit executori instrumentum, restituere tenebitur tantum in illius defectum.

Documenta de apertione literarum alienarum.

SECTIO POSTERIOR.

PRimum est. Semper esse peccatum literas alienas sine
119. rationabili causa aperire: nisi id fiat de consensu mittentis, aut eius ad quem mittuntur. Idemque est, si quis legeret aliquod scriptum alienum etiam non clausum: *si quidem præsumeret eum cuius illud est, legi nolle*; quia cum is idem habeat ius ad nolendum, fit ipsi iniuria, illud violando contra ipsius voluntatem. Erit vero peccatum mortale litteras alienas aperire, aut legere, quando timeri potest inde euenturum aliquod notabile damnum infamiæ, aut quodcumque aliud: vel quando iuste timeri potest ea via deueniri posse in cognitionem alicuius rei, quam secretam esse multum expediret, vel quam merito is cuius sunt literæ, vel is ad quem mittuntur ita clausæ, multum optaret esse occultam. Nam quamuis ex ea apertione nullum sequatur damnum: iniuria tamen quæ fit illas aperiendo, tanta aliquando esse potest, attenta qualitate rei quam quis vult esse secretam, vt pertingat ad culpam mortalem. Quando vero ex apertione, vel lectione literarum nihil tale iuste timeretur, solum esset veniale peccatum illas aperire aut legere. Quod si ex iniusta apertione, aut lectione damnum aliquod sequatur: quia causa huius per illam dabitur, sequetur quoque obligatio ad eiusdem damni restitutionem.

120. Secundum documentum est. Si adfuerit causa rationabilis, tamen apertionem aut lectionem posse fieri sine peccato, vt quando Prælatus Religiosorum vel Religiosarum, ex sue religionis statuto potest cum iudicauerit expedire, literas quæ ad subditos suos mittuntur aperire, & eas quas iidem subditi ad alios mittunt, legere. Item quando tempore belli in locis finitimis hostium, aperiuntur literæ à ministris ad id à repub. deputatis, aut alias, quoties ex aliqua graui causa iudicatur ita expedire reipub. aut bono communi. Tenentur tamen prædicti ministri quæ secreta legerint, non propalare, perinde ac alia secreta. Immo si certo scirent nihil contineri in talibus litteris quod reipub. noceat, tenentur desistere ab earum lectione: quoniam illud solum licitum est, quantum sufficit ad prospiciendum bono communi.

Priuatus etiam licite aperire potest literas alienas, ex quibus iuste timet, aliquod damnum sibi iniuste parari, vt illud impugiat aut impediat. Immo quãdo iuste timeret parari proximo; vt illud impediret. Nõ liceret tamen plus in eis legere, quam satis esset ad tale damnum iniustum cauendum. Item quando ex consensu expresso vel præsumpto eius qui mittit, aut eius ad quem mittuntur, literæ aperiuntur: vt cum amicus ad amicum vel socium literas missas aperit, ne illius negotia iacturam grauem patiantur, vel vt ea melius fiant: bona fide interim credens nullum ibi esse, à quo ille ad quem mittuntur, malit eas aperiri, quam ab ipso, i. taut ipsi talis apertio videatur placitura. Hæc omnia habentur ex Sylvest. in verbo Falsarius quæst. 1. Caiet. & Armilla in verbo Literas, Navarr. ad cap. Sacerdos, De pœnitent. distinct. 6. num. 10. & aliquot sequentibus.

Tertium documentum (*quod Molina proponens initio sequentis disp. 36. notissimum merito ait.*) est. Illum qui inuentam chartam in qua memoriæ gratia descripta habentur alicuius peccata, mortaliter peccare legendo illam, si antequã legat aut cum legere cœperit, aduertat quidnam id sit, nec abstineat à legendo. Peccat enim grauiter contra iustitiam, comparans sibi notitiam, quæ talis est aut esse potest, vt proximus cuiquam committi nolit tanquam sibi damnosam. Adde in eo iniuriam fieri Sacramento pœnitentiæ, ad quod ordinatur talis scriptio facta ad habendã peccatorum memoriam. Qua de re alias in 1. parte lib. 3. plenius. Multo vero maius peccatum erit talem chartam aliis ostendere, vel alia ratione peccata contenta in ea detegere: quia tunc magis datur occasio infamię & aliorum damnorum, si quid reueletur alicuius momenti. Quæ damna secuta refarcire debent restitutione, vt manifestum est.

CAPVT VII.

De pertinentibus specialiter ad rationem iudicandi de peccatis in iudicio commissis.

SEptem suut personæ quæ in iudicio forensi possunt peccare; Iudex, Aduocatus, Procurator, & Notarius vna cum parte; & accusator, reus & testis ex altera. Quæ autem ad illos pertinent trademus in fine libri sequentis, vbi de officiis ipsorum instituetur tractatus: quæ vero ad hos pertinent in præsentiarum persequemur, sequentes præeuntem Gregorium Sayrum ad Decalogum libro vltimo, vbi de iisdem personis elaboratam habet tractationem: ita plenam, vt ei addenda, vix occurrerint.

SVMMARII PARS PRIMA.

122 *Vnde dicatur accusator, & illius definitio.*
123 *Solennitas cum qua iuris ciuilis præscripto, accusatio fieri debet.*
124 *Licite quidem priuatus potest alium de iniuria sibi illata accusare, sed ad id non tenetur.*
125 *Obligatio accusandi quando crimen vergit in detrimentum boni communis.*
126 *Si ad remedium sufficiat denunciatio, non est vsurpanda accusatio.*
127 *Quæ sit obligatio priuatæ personæ, cum crimen vergit tantum in damnum priuatum, & quæ officialis publici.*
128 *Qui reiiciantur ab accusando.*
129 *Quilibet admittitur ad accusandum de hæresi.*
130 *Ad licitam accusationem requiruntur debitus modus probandi, & recta intentio.*
131 *Requiritur quoque iustitia, quæ violatur calumnia, prænaricatione & tergiuersatione, & quid sit calumniari.*
132 *Quid prænaricari, quidque tergiuersari.*
133 *Quatuor modi quibus accusator potest ordinate, & cum iusta causa ab accusatione desistere.*

De accusatore.

SECTIO I.

ACCVSATOR, vt habetur in cap. Forus, De verborum signific. vocatus est, quasi causator, quia ad causam vocat, eum quem appellat. Quid autem sit, satis intelligitur ex definitione accusationis, qua definitur maleficii alicuius apud Iudicem delatio ad vindictam publicam. Eius prior pars tenens locum generis, indicat illud in quo accusatio conuenit cum actione proprie dicta, & eum

denuncia-

denunciatione. Nam & hæ possunt esse delationes maleficij apud Iudicem. Posterior pars vero indicat illud in quo differt ab iisdem. Etenim accusatione aduersus Reum agimus ad vindictam publicam; non autem vt nobis aliquid detur aut fiat. Actione vero proprie dicta, rem nostram commodumve proprium persequimur. Exempli gratia: si quis aduersus furem agat, vt quadruplum rei sibi ab eo ablatæ consequatur, actionem seu iudicium ciuile instituit: sin ad id potissimum agat vt fur flagris cædatur, aut ad aliquam pecuniam fisco applicandam condemnetur, instituit accusationem seu iudicium criminale. Denunciatione demum, deferimus eumdem non ad vindictam, seu vt puniatur; sed solum ad emendationem, seu vt Superioris prouidentia nocere impediatur. Cæterum pro ratione iudicandi de peccatis accusatoris duo præcipue nobis occurrunt consideranda: obligatio accusandi, & quæ necessaria sunt vt accusatio licite fiat.

123. De solennitate autem, cum qua debet accusatio fieri ex præscripto iuris ciuilis, sufficiet monuisse eam potissimum consistere in solemni protestatione libello inscripta (vnde dicitur inscriptio, eo sensu quo tam digestis quam codice ponitur titulus De accusationibus & inscriptionibus) qua accusator profitetur se accusare reũ, huius vel illius criminis, hoc tempore & modo commissi. Per eam autem (*licet id forte non aduertat*) tacite obligat se ad subeundam, si non probauerit, eamdem pœnam quam si ipse probauerit, subiturus est reus. Eaque de causa debet tanquam correus, pendẽte iudicio in carcere detineri, aut fideiussores dare. Ita habetur ex lege penul. & vltima Cod. De accusationibus. Addendum etiam est, *quod Gregorius à Valent. ex Soto habet 2. disput. 5. quæst. 12. in fine*, longo vsu accusationem desiisse seruari, secundum solennitatem iuris; & introductum esse querimoniam faciendam denunciatione verbali. Nam tum ad bonum commune, *vt facilius tectis accusatoribus puniantur delinquentes*; tum ad bonum priuatum, *vt obuiaretur incommodis eorum qui nocentes crimina, ad Iudicem ea deferrent*; introduciac constitui cœpti sunt Procuratores fiscales qui ex officio crimina quæ populares priuatim accusare deberent, ipsi ad iudicium deferrent, accepta ipsorum denunciatione criminali, ratione cuius possent in testes induci cõtra delinquentem. Quod inuentum accomodatissimum fuit aduersus incommodum quo crimina in repub. manerent impunita: cum vix vllus priuatus inueniatur qui cognoscens crimina, velit ea ad Iudicem deferre ea conditione, vt si defecerit in probatione, eandem pœnam subire debeat: quam si probauerit, subire debet is quem defert: ac etiam multorum inimicitias, odiaque incurrere.

De obligatione accusandi.

Sectio II.

114. RAtionem specialem de peccatis ex hac obligatione iudicandi, complectemur aliquot documentis. Primum est, licitum esse quidem priuato, alterum de iniuria sibi illata accusare; ad id tamen non obligari. Huius prior pars ex eo patet; quod accusatio vindicatioque iniuriarum authoritate publica, actus sit iniustitiæ, si fiat debitis circunstantiis seruatis, *de quibus postea*. Posterior vero patet ex eo, quod Dominus in oratione Dominica Matth. 6. docuerit nos petere, Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris] & D. Paulus ad Rom. 12. moneat nos, inquiens, non vosmetipsos defendite charissimi, sed date locum iræ.] Ratioque aperta est: quia cum quisque sit bonorum suorum dominus, liberum est ei si velit condonare iniuriam in eis sibi illatam: nisi tanta premeretur paupertas, vt se & familiam alere non posset condonans sibi iniuste ablata: quia tunc charitas exigeret, etiam interuentu accusationis si opus esset, ea repeti. Aduerte vero obiter, memorata sacræ Scripturæ loca consilium continere non præceptum, satis intelligi ex eo quod temporibus etiam Apostolorum, accusatio fuerit in vsu: vt patet ex verbis D. Pauli in priori ad Timoth. cap. 5. Accusationem aduersus presbyterum noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.]

125. Secundum documentum est: Quando crimen directe immediateq; vergit in detrimentum boni publici, siue spiritalis, siue temporalis: estque in fieri, vel in procinctu, vt fiat: eum qui sufficienti testimonio illud probare potest, teneri authorem eiusdem accusare apud Iudicem. Hoc aperta ratio docet, quia vnicuique iure naturæ incumbit cura boni communis, eiusque detrimentum, siue spiritale, siue temporale omni modo quo potest impedire. Aliquando autem accidit, vt non possit aliter id facere, quam accusando apud publicam potestatem, authorem criminum in eiusdem boni graue detrimentum directe immediateque vergentium: qualia censentur dissemination prauorũ dogmatum, expilatio ærarij publici, proditio patriæ, coniuratio in regem, falsificatio monetarũ, homicidia per Assassinos, grassationes latronum, & id genus alia quæ versantur in quadam impugnatione boni communis. Quocirca tali casu occurrente, quisque valens probare sufficienti testimonio, tenebitur accusare, nulla habita ratione priuatæ amicitiæ, cum in tali casu, nec habenda sit propriæ vitæ, quæ periculo exponenda est, quando pro tuendo bono communi necessarium fuerit; sicut brachium in corpore humano, naturæ instinctu exponit se periculo, pro tuendo capite.

Aduerte vero quod etiamsi crimen sit contra bonum publicum: si tamen iam sit omnino completum, itaut nullo modo actu maneat, non esse obligationem illud accusandi aut denunciandi (vtpote boni communis per illud oppugnatione desinente, ac deficiente) sed tantum ferendi super eo testimonium si interrogatio fiat secundum formam iuris, id est, ab habente potestatem & præuia infamia, vel indiciis manifestis, vel semiprobatione. Atque hinc, *vt ait Toletus in summa lib. 5. cap. 57.* si cognoscas aliquem qui fuerit falsificator monetarum, aut lapsus fuerit in hæresim, simulque scias resipuisse omnino à tali peccato, non teneris illum accusare.

Tertium documentum est: Non esse locum obligationi accusandi quando ad remedium detrimenti communis, sufficere potest simplex denunciatio facta Superiori, cuius est illud adhibere. Ratio est: quia sicut in medendis corporibus male affectis, non est vtendum medicamentis asperioribus, quando leniora sufficiunt: ita nec in propulsandis aliis malis, vtendum est remediis molestioribus, cum suauiora sufficere possunt: prout ad propositum remediũ adhibendũ per Superiorem, sufficere potest vt tota res ei denuncietur; nisi adsit casus in quo denunciatio nõ censeretur bonum exitum habitura, propter Rei astutiam vel potentiam; aliud ve eiusmodi: esset que res valde grauis, ac negotij circunstantiæ tales essent, vt si ipsum per viam tantum denunciationis, ad Iudicem deferretur, maxima ex parte elaberetur occasio succurrendi bono communi, impediendique mala magna quæ à communitate arceri magni referat. Quod si non sint mala magni momenti; non esse vtendum accusatione (quæ graue malum est) habet ex communi sententia Gregorius à Valent. *2. 2. disput. 5. quæst. 12 puncto 1. versu. Nihilominus.* Quando vero detur obligatio faciendi denunciationem, & quando non detur, intelligendum est ex documentis traditis in præcedenti cap. tertio sect. 6.

Quartum documentum est: Quando crimen vergit in 127.
detrimentum priuatum, seu alicuius tantum priuatæ personæ, *vt mendacium pernitiosum, adulterium, homicidium, simplex furtum*, cum qui illud nouit, dum est in fieri, aut in procinctu vt fiat, & probare potest sufficienti testimonio, tenetur ad accusationem: nisi aliam viam commodiorem habeat, per quam impediat damnum secuturum; vt si per solam monitionem criminosi, posset ipsum adducere ad resipiscentiam; aut sufficeret illum secreto denunciare Iudici: aut de periculo monere eum qui periclitatur: nõ nominata tamen persona à qua illud imminet: quia neminem licet fama lædere priuata authoritate, vt nec in vita, aut in aliis suis bonis. Istiusmodi obligationis ratio est: quod vnusquisque debeat quantum potest, via licita proximum ab omni damno & iniuria illæsum tueri, iuxta illud Ecclesiastici 17. Attendite ab omni iniquo. Et mandauit illis vnicuique de proximo suo. Procedit autem documentum istud, etiam in casu quo quis iurauerit se seruaturũ de tali re secretum, ex Nauar. in Enchir. cap. 25. nu. 33. Et ratio est:

quia tale iuramentum nullum est, tanquam vinculum iniquitatis. Ad eiusdem vero intelligentiam pleniorem, ei accommodanda sunt antedicta pro explicatione duorum præcedentium documentorum.

Quintum documentum est: Priuatum quidem, omissione accusationis in casu quo ad eam obligatur, peccare solummodo contra charitatem, ideoque non teneri ad restitutionem damnorum siue reipub. siue priuatæ personæ inde secutorum. Officialem publicum tamen, qui ex officio obligatur accusare, teneri ad restitutionem, cum peccet etiam contra iustitiam, ex cuius violatione obligatio ipsa ad restitutionem consurgit. Et ita eidem officiali perinde vsuenit ac custodi vineæ, qui pro debito sui officij non denuncians domino damnum vineæ, peccat & tenetur ad restitutionem eiusdem damni. Vide dicta in præcedenti lib. decimo *num.* 96. & 97.

128. Sextum documentum est: Non omnes ad accusationem admitti sed aliquos ab ea repelli. Alios quidem in pœnam suorum delictorum: vt infames, per cap. Prohibentur, 2. quæst. prima, & per legem Qui accusare, aliquotq; sequentes, ff. De accusationibus. Et ratio est: quia accusatio requirit authoritatem in accusante, qua tales carent; vt reipub. proditores, concubinarij, vsurarij publici, ac illi qui subornati falsum testimonium dixerunt. Alij vero ob indecentiam: sicque subditi prohibentur accusare suos Prælatos, serui dominos suos, & filij parentes suos ex citato c. Prohibentur, & multis aliis, in sequenti quæst. 7. Alij autem ob sexum vel ætatem: vt mulieres & pueri ex eod. cap. Prohibentur. Alij demum ob reuerentiam status ipsorum. Sic enim Clerici nisi clericatui renuncient (vt possunt, nondum initiati sacro Ordine) nequeunt accusare, ne quidem laicos maxime in causa sanguinis, iuxta cap. Sicut Sacerdotes in citata quæst. 7. & cap. His à quibus 23. q. 8. & cap. Sententiam, Extra ne Clerici vel Monachi. Ratio vero est ex D. Thoma. 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 4. quod Clerici ad ministerium altaris electi sint, in quo repræsentatur passio Christi, qui vt habetur 1. Pet. 2. cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur. Vnde intelligi potest, accusationem, maxime in causa sanguinis, alienam esse à statu Clericorum. Quamquam ex cap. Prælatis, De homicidio in 6. permissum est illis, apud Iudicem sæcularem de laicis malefactoribus suis deponere, petendo emendam sibi fieri & prouideri ne contra ipsos talia de cætero præsumantur; interea protestando expresse, quod vindictam seu pœnam sanguinis non intendant.

129. Aduerte autem ad accusationem de crimine hæresis, *ob illius summam perniciem*, quemlibet admitti in fauorem fidei: sine qua impossibile est placere Deo ad Hebr. 11. De qua re textus est apertus in cap. Præsumunt, 2. quæst. 7. & facile deducitur ex cap. In fauorem, De hæreticis in 6. Non admitti autem similiter ad accusationem de cæteris criminibus, etiamsi essent in perniciem reipub. Sotus expressit *li.* 5. *De iust. & iure quæst.* 5. *art.* 1. *ad* 3. Et ratio est: quia illi quos ius excludit sine exceptione, iuridice procedendo, non possunt admitti. Idem nihilominus tale crimen (*nisi esset solummodo notum eis ex sacramentali Confessione*) tenentur Iudici denunciare, vt ipse faciat id quod ex officio debet ad obuiandum tali incommodo. Id quod Sotus ibidem addit ex D. Thoma & Caietano 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. Et probatur: quia ius positiuum non repellit illos à tali denunciatione: atque ius naturale ad eam stimulat eo ipso, quod ratio dictat, esse prout possumus obuiandum damnis non modo publicis; sed etiam priuatis: quandoquidem naturali etiam lumine ingenij notum est illud quod habetur Matth. 7. Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.

De conditionibus requisitis ad accusationem liciam.

SECTIO III.

130. TRes sunt istiusmodi conditiones; debitus modus probandi veritatem, recta intentio, & iustitia. Circa primum notandum est: Accusatorem teneri non tantum dicere verum, sed etiam illud veritate confirmare, non autem mendaciis aut testibus vel instrumentis falsis; in quo peccaret mortaliter mendacio pernicioso, de quo dictum in præced. cap. 3. sect. 2. & ad restitutionem teneretur: nisi quod in iudicio ciuili per falsam probationem quod suum est recuperans, etiamsi peccet peccato mendacij, non teneatur tamen recuperatum restituere: quia non est alienum. Hoc Nauar. *in Enchir. cap.* 25. *num.* 32. expressit.

Circa secundū notandum est: Bonam eam intentionem positam esse in eo, vt ad defensionem boni publici, vel priuati, *siue proprij siue alieni* iustam recuperationem, accusatio instituatur; idque zelo iustitiæ, non autem priuatæ vindictæ (*qua aliena est à Christiana religione, iuxta cap. Ira,* 11. *quæst.* 3.) aut alio affectu mortaliter malo. Qua tamen in re quantumuis mortaliter peccetur, non incurritur obligatio restituendi ex Nauar. *in præced. num.* 31. Et ratio est: quia in eo non est læsio proximi iniusta.

Circa tertiam notandum est, quod sub initium cap. Si quem, 2. quæst. 3. citatur ex lege 1. ff. ad Senatusconsultum Turpillianum, iustitiam in accusando violari: tum calumnia, tum præuaricatione, tum tergiuersatione. Dicitur autem is calumniari, qui alteri falsum crimen imponit; idque scienter & ex malitia. Quod addo, quia is qui obiicit alicui crimē quod bona fide putat esse verū, non calumniator, sed accusator temerarius dicitur, etiāsi leuiter crediderit; quippe qui tantummodo audierit ab alio, neque vsus sit diligentia in examinando, an verum esset: adeoque peccauerit mortaliter, si res de qua accusat sit grauis: atque tenetur ad restitutitionem detrimentorum inde secutorum. 131.

Præuaricari vero dicitur ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 68. *art.* 3. *ad* 2. qui fraudulenter occultat crimina de quibus instituit accusationem, colludens cum Reo, dissimulando vel non inducendo, quas habet contra eum, veras legitimasq; probationes; vel acceptando falsas exceptiones, vt vincatur. Qua in re pernicioſum mendacium committi genere suo mortale, ac inducens obligationē ad restitutionem damnorum inde secutorum, siue reip. siue priuatæ personę. Dicitur denique tergiuersari ex eodem D. Thoma ibidem ad 3. qui inordinate & absque iusta causa desistit ab accusatione ad quam obligatur ratione boni communis, aut saltem præcepto Iudicis, ex officio in tali causa procedentis: qua in re tanquam inferens iniuriam bono communi, perinde ac præuaricando peccat peccato mendacij pernicioſi. 132.

Verumtamen aduerte quatuor modis accusatorem posse ordinate, & cum iusta causa ab accusatione desistere. Primo quidem in causa propria, seu in qua de priuata iniuria sibi illata accusat. Nisi enim sequatur scandalum aut detrimentum aliquod boni communis, aut priuati tertiæ personæ (*quo casu nec Iudex nec accusator desistere potest à causa prosequutione, vt nec de tali bono disponere*) liberum est ei, etiam in criminalibus, si Iudex consentiat, cessare ab accusatione, siue condonando liberaliter iniuriam; siue accipiendo pecuniam in illius compensationē secundum quantitatem damni: Medina, *in Cod. De rebus restit. q.* 29. *in fine*, & Couar. *in lib.* 2. *var. resolut. cap.* 10. *nu.* 7. *versu Secundum.* Ad idque facit lex Transigere, Cod. De transactionibus. Secundo vero modo, quando quis initio accusationis bona fide accusauit: sed in progressu aduertit se deceptum esse, siue ab Aduocato, siue à testibus, aut certe putat Iudicem non recte iudicatum. Tunc enim potest desistere; vt ex cap. Si quem pœnituerit, 2. quæst. 3. habetur. Tertio, quando metus cadens in constantem virum vrget accusatorem desistere ab accusatione. Neque enim cum tanto dispendio tenetur persistere, nisi adsit tanta necessitas publica, vt illud subeundum sit: Postremo propter authoritatem & imperium Principis summi, quæ tanta est vt possit, & in principio accusationem impedire: & cœptam abolere iusta de causa: vt quando personæ criminosæ dignitas aut vtilitas vel necessitas reipub. exposcit: magisve expedit bono communi, talem personam absolui quam puniri. 133.

SVMMARII PARS SECVNDA.

134 *Cum reus scit se contra ius interrogari, aut de eo probabiliter dubitat, non tenetur respondere.*

135 *Quando reus censeatur interrogari contra ius: & quod ex illius responsione per vim aut fraudulenter extorta contra ius, Iudex nequeat procedere aduersus ipsum.*

136 Quod

136 *Quod non procedit si vis aut fraus extra iudicium proueneriit à persona priuata: & cur perinde sit siue à Iudice siue à ipsius ministris vis aut fraus proueniat.*

137 *Casus in quo ex responsione per vim & fraudem extorta à reo in iudicio, Iudex potest contra eum procedere.*

138 *Iudici licet cum reo dissimulatione bonoque dolo vti, nec impeditur contra reum procedere, si ex leuitate, nec graui metu compulsus, nec magna fraude circumuentus, crimen suum confessus sit.*

139 *De obiectione quam reus potest facere testi ad infirmandum ipsius testimonium.*

140 *Quod eam possit facere quantumcumque testimonium verum sit: interuenientibus tamen tribus conditionibus, & quibus.*

141 *Reus conuictus in iudicio de vno crimine, non tenetur respondere aliis à se commissis interrogatus, quando contra eum de talibus non præcedit infamia, aut semiprobatio, vel indicia aequipollentia.*

142 *Duo casus in quibus id patitur exceptionem.*

143 *Reus de commissis omnino occultis interrogatus, non tenetur respondere, tanquam non interrogatus iuridice.*

144 *Nisi sit crimen læsæ Maiestatis, seu vergens in grauc reipub. damnum.*

145 *Ad quid teneatur reus, qui mentiens in iudicio euasit pœnam ad quam erat condemnandus.*

146 *Non tenetur reus iniuste condemnatus perinde parere Iudici, aut iuste condemnatus: sed interdum potest se defendere. & quomodo, ac quando.*

147 *Quatenus licitum sit reo à lata inse sententia appellare.*

148 *Quando reus in carcerem coniectus, possit vel non possit eo fugere.*

150 *An tali fugæ obstent, incommoda custodibus secutura aut eorum deceptio, aut effractio compedum, vel ianuarum, vel parietum carceris.*

151 *Quatenus licitum sit vel non sit ipsum in ea re iuuare.*

152 *An inde sequatur aliqua obligatio ad restitutionem.*

De reo, quoad ea ad quæ ipse tenetur antequam sit conuictus de crimine.

Sectio IV.

134. PRo ratione iudicandi de peccatis quæ reus committere potest in iudicio, ad antedicta in cap. 3. sect. 4. addenda sunt aliquot documenta. Primum est: Reum non teneri ad confessionem delicti, si sufficienter sciat eam contra ipsi præcipi. Ratio est: quia tale præceptum cum sit iniquum, aduersatur Dei præcepto, acproinde non obligat. Nec item teneri si de eo prudenter dubitet. Ratio esse potest: quod in dubiis melior sit conditio possidentis: ideoque sit fauendum Reo manenti adhuc in possessione honoris, famæ, & vitæ. Pro quo etiam facit, quod quisque ius habeat vt bonus existimetur quamdiu non probatur malus. Attamen si crimen cuius confessionem Iudex exquirit à reo, esset in damnum publicum, vel priuatum alterius, quod vel immineat, vel sit in fieri, tunc Reus ipse tenebitur aut desistere omnino à tali damno inferendo: aut debite interrogatus, idipsum crimen confiteri: quia Superior quamdiu recipub. aut alteri damnum imminet, habet ius interrogandi, ad propulsandum illud: & per consequens subditus ipsius adstringitur debito respondendi ei. Quod quidem ius, cum in Iudice cesset cessante omni periculo damni per ipsum propulsandi (*vt esset per pœnitentiam seu resipiscentiam plenam criminosi*) cessabit quoque in subdito debitum respondendi.

135. Secundum documentum est, Confessionem delicti censeri contra ius, iniusteve præcipi reo, quando præcipiens non habet ad id authoritatem, aut nulla infamia publica, vel semiprobatio vel inditia externa sufficientia præcedunt. Pro quo faciunt tradenda in capite 54. lib. sequentis de eadem authoritate, ac de forma iudicij. Sed occurrit difficultas, An Iudex possit ex tali confessione procedere ad punitionem rei. De qua authores & rationes in vtramque partem habet Petrus à Nauar. lib. 2. De resti. cap. 3. num. 242. & aliquot sequentibus.

Ceterum putarim dicendũ: Quando Iudex minis vel tormẽtis, aut promissionibus fictis, aliisve mendacibus deceptionibus, *vt dicendo se iam habere sufficientem probationem, indicia ac testes fide dignos, cum non habeat*, siue per se siue per suos administros sine præmiis antedictis, à reo extorquet in iudicio confessionem delicti: non posse regulariter vlterius ad inquisitionem & punitionem inde procedere: siquæ forte bona fide ab initio processerit, eo quod clam se, à suis deceptio facta sit, debere ab incœpto desistere. Ratio est: quia effectus ex causa iniqua proueniens, est iniquus: vis autem illata contra ius, & deceptio in magnum detrimentum alienum, iniqua est. Ergo & inquisitio ac punitio inde procedens. Et confirmatur: quia ex illa non habetur ad hanc authoritas per quam censeri debeat iuste fieri. Etenim sicut latro nõ acquirit dominium pecuniæ, quam minando mortem accipit á viatore: ita nec Iudex in reum authoritatem acquirit ex confessione per vim aut aliam rationem iniquam extorta; itaut teneatur illum in eadem immunitate relinquere, in qua fuit ante acceptã illam iniuriam; præsertim cum maius scandalum sit, & magis reipub. perniciosum, Iudicem abutendo potestate sua, iniuriam facere in iudicio: quam reum per iniquitatem confessum, dimitti impunitum. Nec enim, *ex cap. Qualiter & quando 1. De accusationibus*, fas est inde nasci iniurias, vnde iura nascuntur.

Dixi autem per se vel suos ministros: quia si Iudex sciret 136.
crimen Rei, detectum quidem per iniuriam eidem Reo illatam, sed à priuata persona extra iudicium, & cui Iudex ipse nullo modo sit cooperatus: potest iuridice præcedere in inquisitione & punitione delicti, quod non est amplius occultum. Nec obstat quod detectum sit alterius malitia & iniquitas; quia id per accidens est: perinde ac si ab aliquo qui perpetrari vidisset, detectum esset per imprudentiam, qua de eo aliquid ex ore exciderit. Aduerte autem perinde esse in hac re; siue per Iudicẽ ipsum siue per ipsius ministros, *etiam absque illius culpa*, vi aut fraude reus ad confessionem delicti inducatur: quia sicut instrumenta ad causam efficientem reducuntur, ita actus ministrorum iustitiæ, reducuntur ad actus Iudicis (inde enim iudiciales censentur) ac proinde quando ij iniqui fuerint, Iudex vtendo illis ad inquirendum aut puniendum, inique agere censebitur.

Addidi vero particulam, *regulariter*: quia quando delictũ 137.
est in magnum reipub. damnum & imminens, aut adhuc positum in fieri: ad illudque auertendum ac populi scandalum, vitandum, necessaria est punitio. Iudex potest ad eam procedere: quantumcumque per iniquitatem innotuerit ei delictum: vt sic hoc sit disseminatio hæresis, proditio ciuitatis, aut aliud simile. Ratio est: quod tanta vis sit boni communis, vt ad illius conseruationem Iudicibus liceat aliquando præter iuris ordinem procedere: quando nimirum eidem bono prospicere ipsi aliter non possunt. Memineris autem, ne quidem in tali casu, licitum esse Iudici procedere, cum crimen innotuit ei per solam confessionem sacramentalem, vt si Sacerdos homicidium, de quo quis apud ipsum confessus est sacramentaliter, aut alius qui audiuit de eo confitentem, reuelarit illud siue in iudicio siue extra iudicium. Qua de re iam ex instituto diximus in præced. lib. 3. cap. 2.

Memineris etiam antedicta non obstare quin licitum sit 138.
Iudici dissimulatione, bonoque dolo vti ad notitiam veritatis delicti, etiam si non liceat eam á reo extorquere mendacibus promissis. Pro quo facit cap. Vtilem, 22. quæst. 2. cum dicitur homines iustos aliqua simulare pro tempore ob suam vel aliorum salutem; exemplo Domini nostri, qui non habens peccatum nec carnem peccati, simulationem peccatricis carnis assumpsit; vt in carne condemnans peccatum, nos in se faceret iustitiam Dei. Ibidem quoque in argumentum adfertur ex 1. Reg. 21. quod Dauid immutauerit os suum coram seruis regis Geth, ad euadendum manus illorum: & quod ex 4. Reg. 10. Iehu, ad tollendum de medio omnes prophetas Baal, simularit se velle eidem seruire. Facit etiam, quod dolo bono gestum est à Salomone lib. 3. Reg. cap 3 & citatur in cap. Afferte, De præsumt. Is enim contendentibus coram se mulierculis duabus de infante, quem vtraque suum esse vrgebat; veritatem detexit dolo bono, quo iussit eumdem infantem medium diuidi & vnicuique partem dari: cui diuisioni cum vna consentiret, &

dissentiret altera: huic tanquam veræ matri infantem ipsum adiudicauit.

Meminerís demum quod si ex animi leuitate reus crimẽ suum detexerit, nullo graui metu compulsus, nec fraude magna circumuentus, nihil ipsum iuuare, quod non sit cum co seruatus ordo iuris: argumento ca. primi De accusationibus in 6. vbi statuitur eum, qui coram Iudice confessus est peccatum suum, non posse punitionem quam iustitia suadet euadere, allegando quod sine infamia (atque adeo contra iuris ordinem,) interrogatus sit. Adde obiter quod si Iudex dubitaret de sua potestate, aut de infamia vel indiciis sufficientibus, debeat abstinere ab interrogatione Rei, tanquam acturus alioquin contra conscientiam dubiam: ideoque peccaturus.

139. Tertium documentum est, Cum multi sint (prout tradetur in sequen. sect. 8.) qui de iure non admittantur ad ferendum testimonium in iudicio, quos Iudex tanquam iuris custos, & legis executor sibi oblatos tenetur repellere: Reum ad infirmandum testimonium contra se latum, posse obiicere testi aliquid de quo constat manifeste, aut quod in iudicio sufficienter probare potest, si illud sit de numero eorum quæ reddunt inhabilem ad testificandum. Vbi aduertendum est: nunquam, ne quidem ad mortem euadendam, esse licitum obiicere testi falsum crimen ad infirmandum ipsius testimonium. Ratio est: quod mendacium sit intrinsece malum, & ideo nunquam licitum, ne quidem tunc cum falsum testimonium latum fuerit nec iuris ordo seruatus. Licitum autem esse obiicere crimen verum, etiam occultum, quod possit in iudicio probare. Ratio est: quia tunc reus vim vi repellit, sibive à læsione cauet vtendo remedio sibi iure etiam naturali concesso, iuxta legem Vt vim, ff. De iust. & iurc: de quo Couar. ad Clemen. Si furiosus 2. par. §. vnico num. 1. Procedit autem non modo cum testis falsum dicit ex malitia, sed etiam cum ex ignorantia inuincibili: quæ licet à peccato excuset, non obstat tamen quin testimonium sit de se iniquum ac pernicioſum, & habeat rationem iniustæ inuasionis quam propellere possim, inuasori resistendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. Neque obstabit innocentia inuasoris: quia in pari casu innocentiæ, mihi plus teneor quam ipsi. Sic enim si furiosus in me irruat occisurus, etiamsi non peccet, vtpote carens iudicio, possum ipsum occidere, si nequeam aliter euadere mortem, quam mihi allaturus est.

140. Quinimo procedere etiam, quando testimonium fuerit verum, ex eo docetur, quod Reus non peccet, ad propriam defensionem ei à iure concessam, obiiciens testi verum crimen (etiamsi occultum, dummodo illud sufficienter possit in iudicio probare) quo testimonium ipsius eneruet. Ad quod confirmandum facit, quod si testis inde infametur, debeat imputare non quidem reo, qui in eo vtitur beneficio sibi concesso, sed potius sibi, quod sciens tale damnum sibi ex sua testificatione imminere, voluit testificari, quamuis ad id non teneretur (*iuxta ante habita in cap. 3. num. 48.*) cum tam graui suo incommodo, nisi forte bonum communeid exegerit.

Veruntamen aduertendum est quod attigit Sotus *l. b. 5. De iust. & iure quæst. 7. art. 3.* & post eum vltra alios Gregorius à Valent. 2.2. *disput. 5. quæst. 14. puncto 3.* tres conditiones requiri ad propositam criminis occulti obiectionem licitam. Prima est, vt reus illa tantum crimina testi obiiciat quæ faciunt ad inualidandum ipsius testimonium. Cætera enim illi obiicere, quæ ad propositam propriam defensionem necessaria non sunt, peccatum est non tantum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, tanquam læsio proximi sine causa iusta. Secunda conditio est, vt reus non possit alia ratione se defendere, quam eiusmodi obiectione. Non enim licet vim vi aliter repellere, quam cum moderatione inculpatæ tutelæ; quæ tunc non seruatur, cum ad defensionem infertur damnum, ad id minime necessarium; itaut inferens non defensor sed inuasor censeatur. Tertia est, ne talis obiectio, pro vitando leui damno Rei, fiat cum graui damno testis, vt v. g. exponendo ipsum periculo perdendi vitam, vel maiorem partem suorum bonorum, & sic de similibus.

De Reo, quoad ea ad quæ tenetur conuictus de crimine.

SECTIO V.

QVantum documentum est (pro quo authores refert Petrus à Nauar. lib. 2. De restit. c. 4. n. 170. quibus accesserunt Gregor. á Valent. 2.2. disput. 5. quæst. 13. puncto 2. & Toletus in lib. 5. Instruct. Sacerdot. cap. 58. aliique recentiores) Reum de vno crimine in iudicio conuictum, de aliis occultis à se commissis interrogatum, non teneri respondere, si de illis nec infamia, nec semiprobatio, nec indicia sufficientia præcesserint. Ratio est: quia tunc non interrogatur iuridice: cum interrogatio iuridica æquiualeat iuridicæ inquisitioni speciali, quæ requirit præuiam infamiam aut semiprobationem, vel æquipollentia indicia prout latius declarabitur in sequenti libro num. 648. aliquotque sequentibus. Et certe cum nihil obstet quin diffamatus de furto bonum nomen habeat, famamque retineat respectu aliorum criminum quæ commisit, iniuria ei fieret si per interrogationem compelleretur ea reuelare ac se infamare. Sicut ergo quantumcumque de vno crimine sit quis diffamatus, nihilominus peccato detractationis peccat is, qui alia peccata ipsius occulta reuelat: vtpote valde lædens famam eius, quam habebat circa ea illæsam: ita etiam peccat qui diffamatum de vno crimine, aliud occultum circa quod non habeat famam læsam, interrogatione compellit reuelare, cum in eo causam det læsioni famæ proximi. Accedit quod durum sit, vt hoc ipso quod quis de aliquo crimine diffamatus est, ipse teneatur quæcumque alia à se commissa fateri in foro externo, cum famæ, & cæterorum forte bonorum suorum iactura graui. Vnde in cap. Cum oporteat De accusationibus, prohibetur inquisitio aduersus quemdam fieri, si non esset infamatus de eo quod inquirendum fuit 141.

142. Patitur autem exceptionem documentum illud in duobus casibus. Prior est, quando crimen confessum, fuerit sufficiens indicium aliorum criminum de quibus interrogatur: vt si quis conuictus esset de adulterio, & postea adulteræ maritus inueniretur occisus in suo cubiculo, talis reus posset non tantum interrogari, sed etiam cogi ad fatendum an occiderit. Posterior casus est, quando crimen de quo conuictus est Reus, ita est moraliter annexum cum alio, vt sit illius indicium sufficiens ad inquirendum, vt si quis conuictus sit occidisse hominem qui iuuentus est spoliatus, interrogari potest de eiusdem spolio: & si quis conuictus sit de furto commisso in Ecclesia, potest interrogari num ipse sit qui fores illius fregerit.

143. Quintum documentum est, Reum qui crimen confessus est in iudicio, interrogatum de sociis criminis, ita occultis vt nulla sit de eis infamia, nec semiprobatio, nec indicia sufficientia, non teneri respondere. Ratio est: quia talis interrogatio non est iuridica. In quam sententiam Petrus á Nauar. *in citato cap. 4. num. 173.* aliquot authores commemorat. Quibus adde Angelum in verbo Confessio delicti num. 4. & Nauarr. in Echir. cap. 17. num. 58. & 59. ac Toletum. in supra memorato cap. 58. Est autem documentum, hoc consequens ex præcedenti. Namque eadem ratione qua reus non tenetur detegere crimen suum omnino occultum, nec etiam tenetur alienum. Et confirmatur: quia proximum in plena possessione suæ famæ existentem infamaret læderetque sine iusta causa: immo & contra præscriptũ iuris, vt patet per illud in cap. finali 15. quæst. tertia Nemini (*præterquam de crimine læsæ maiestatis.*) de se confesso, super alienum crimen credi oportet: quoniam eius atque omnis Rei professio periculosa est & admitti aduersus quemlibet non debet. Item per illud in cap. 1. De confessis. De se confessi super aliorum conscientiis interrogari non debent: & (crimine læsæ maiestatis excepto) de reatu proprio periculosa confitentis confessio, non est aduersus quemlibet admittenda. Aduerte autem primo: modum quo periculosa sit eiusmodi confessio, haberi ex lege finali Cod. De accusationibus: nempe quod faciat aliquando ad se vindicandum de suis inimicis, aut de iis quorum opem implorauit, nec fauerint: aliquando vero ad se liberandum, accusando

tanquam

tanquam complices viros graues & potentes, spe concepta se eadem via liberandum qua illi.

144. Aduerte secundo, exceptionem illam de crimine læsæ maiestatis, complecti omnia crimina vrgentia in commune reipub damnum: qualia censentur hæresis, proditio ciuitatis, coniuratio in Principem, falsatio monetæ, latrocinium publicum, seu quo latrones vias publicas obsident, conspirantque deprædari quoscumque potuerint, & id genus alia, quibus obuiare Iudex tenetur ex officio, in eoque consulere bono communi, quocumque priuati in commodo non obstante. Adeout cognoscens in eam rem opus esse reuelatione complicum, debeat illam exigere à Reo, qui eam tenetur facere, etiam non interrogatus, ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. *ad* 2. Non obstante item, quod forte is cum iuramento promiserit se non reuelaturum complices ipsos: quia iuramentum non obligat quando seruari nequit absque peccato: quale est quod contra rationis dictamen committitur, posthabendo bonum commune priuato.

Aduerte tertio, ex Petro à Nauar. *lib.* 2. *De restit. cap.* 4. *par.* 2. *dubit.* 6 hanc regulam dari posse. Vt quoties ex non inquirendo maius malum commune consequitur, liceat sine præuia infamia procedere inquirendo. Ex quo, in præced. dubit. 5. nu. 173. & 174. adde: in criminibus priuatis quæ complicem ex sua natura requirunt, Reum de complicibus á Iudice interrogatum teneri respondere eique parere, quando necessarium fuerit ad bonum commune peccatores occultos detegi. Ratio est: quia necessitate exigente, inferiores tenentur Superioribus cooperari in conseruatione boni communis. Et certe quando crimen, quod nequit sine socio perpetrari publicum est, & constat de vno authore illius, consequenter publicum est, alium aliquem esse cum eo eiusdem criminis reum: vnde nisi de illo Iudex inquirat officio suo satisfaciens: populus occasionem capiet existimandi quod ipse velit relinquere peccata impunita, quæ æstimatio impunitatis in magnum reipub. damnum cederet. Iam si nulla necessitas vrgeat, secretum, prout ratio dictat, seruandum est: itaut nec Iudex debeat interrogare, nec reus teneatur interroganti respondere.

De Reo, quoad ea, ad quæ tenetur post prolatam in ipsum Iudicis sententiam.

Sectio VI.

145. Sextum documentum est: Reum qui legitime interrogatus veritatem negauit, & ideo absolutus est á Iudice non teneri in conscientia soluere pœnam ad quam condemnatus fuisset veritatem confitens, si ea esset corporalis vt mors, mutilatio, exilium, &c. tum quia non tenetur ad talem pœnam ante Iudicis condemnationem, vt receptum esse notat Nauar. *in Enchir. cap.* 8. *num.* 49. tum quia talem pœnam in seipsum exequi, *vt seipsum occidere, vel mutilare*, est quid immane, & à quo abhorret natura, vel saltem est valde durum: vt cum est diffamatiuum sui, vt v. g. abire in exilium. Interesse autem pecuniarum si quod ex tali mendacio quis iniuste patiatur tenebitur resarcire: vt quando ex lege condemnandus erat ad mulctam pecuniariam in alicuius vtilitatem, aut compellendus erat rescindere aliquem contractum alicui damnosum, aut resarcire damnum aliquod temporale, quod intulit delinquendo; & sic de similibus, in quibus inuenitur proximum lædisse contra iustitiam. De quo vide dicta in præced. lib. 13. num. 291. Et aduerte obiter pro praxi, quod Nauarrus habet *in Enchir. cap.* 25. *num.* 38. eum qui rite interrogatus negauit delictum, quod confiteri tenebatur, & nihilnominus damnatus ducitur ad supplicium, non teneri illud confiteri, nisi inde aliquod notabile damnum alioqui sequeretur: quia nullo iure contrarium euinci potest, itaut ad salutem animæ sufficiat ei debita confessio, cum absolutione sacramentali, iuxta cap. Quem pœnitet De pœnit. dist. 1.

146. Septimum documentum est. Reum iuste condemnatum teneri in conscientia parere Iudici, nec posse per violentiam resistere, inxta illud ad Ro. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit; Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt] Iniuste damnatum vero non teneri parere, posse quelicice Iudici resistere tanquam inuasori, & eo iniquissimo: vtpote qui iniuriam inferat quam propulsare deberet. Quamquam si talis resistentia reipub. perturbationem pareret, esset ab ea abstinendum, præferendo bonum commune priuato. Habent hoc documentum D. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 4. & cum eo Caietanus & cæteri interpretes ipsius ibidem, ac Sottis in 5. De iust. & iure quæst. 6. art. 4. ac Gregor. à Valent. disput. 5. quæst. 13. puncto. 4. Haber item Gabriel in 4. dist. 15 quæst. 6. art. 2. concl. 6.

Aduerte autem ex Soto ibidem, innocentem qui secundum allegata & probata conuictus nocens ad mortem damnatus est, etiamsi ob innocentiam suam licite possit se defendere, vel fugiendo vel recipiendo se in locum aliquem munitum, aut connitendo dum capitur, liberare se à satellitum manibus: non posse tamen per vim resistere, inferendo mortem aut vulnera infligendo Iudici, vel aliis iustitiæ ministris. Ratio Soti est, quod cum Iudex in iudicio probatum nocentem iuste condemnare possit (prout habitum est in præced: lib. 21. num. 30.) si condemnatus posset etiam vi & armis se à Iudice aut à ministris ipsius defendere, daretur in eo bellum ex vtraque parte iustum. At non ita est, vt patet ex eo, quod talis innocens sic defendendo se per vim, si Iudicem aut ministros eius vulneraret, iuste puniretur (etiam cognita postea ipsius innocentia) tanquam is qui Iudici vtenti iure suo in eo condemnando, fecerit iniuriam. Veruntamen si condemnatus Iudicem roget vt veritatem melius exploret, indicata ei aliqua via, qua probabiliter possit eam detegere, nec velit acquiescere, sed persistere in executione condemnationis, poterit contra eum tanquam iniustum inuasorem se per vim tueri: nisi obstet inde secutura perturbatio reipublicæ.

147. Octauum documentum est: Reum scientem se iniuste à Iudice grauari, posse licite ab ipsius sententia ad Iudicem superiorem appellare: prout patet exemplo D. Pauli qui Cæsarem appellauit Actorum cap. 25. Et confirmatur ratione, quia iure naturali vnicuique concessum est defendere seipsum meliori quo potest modo: atque oppresso per iniustam sententiam, tanquam vnus valde bonus, conceditur appellatio: per illud in cap. Omnis oppressus 2. quæst. 6. Omnis oppressus libere Sacerdotum si voluerit appellet iudicium, & à nullo prohibeatur: sed ab his fulciatur, & liberetur & audiatur. Neque obstabit, quod appellatio sit prouocatio ab inferiore ad superiorem Iudicem, vt sententiam illius male iniusteque latam reformet: quia Iudex inferior imputare sibi debet incommodum, quod ex tali appellatione secutum ei fuerit. Cum enim in mortalibus iudicia inferiora pendeant à superioribus à quibus dirigantur ac corrigantur, is nullam iniuriam facit inferiori Iudici, qui per sententiam ipsius iniuste grauatus, prouidet sibi appellatione ad superiorem, confidens quod suam innocentiam cognoscet.

Quod si reus sciens iuste latam esse contra se sententiam, appellet ad eam repellendam, vel differendam illius executionem: tanquam calumniose defendens se, peccat mortaliter, tum violando obedientiam Iudici debitam, tum etiam faciendo iniuriam eidem; quasi sententiam falsam tulerit; & testibus, quasi falsum testimonium dixerint, tum denique aduersario, perturbando ius ipsius, cui tenetur refundere expensas quas ideo fecerit, prout expressum est in cap. Omnino, 2. quæst. 6. Quod si dubia sit sententiæ æquitas iudicio patronorum, non erit illicita appellatio in criminalibus: in quibus Iudex inclinare debet in Rei fauorem, iuxta illud in regula 11. iuris in 6. Cum sunt partium iura obscura, reo potius fauendum est, quam actori.

In ciuilibus vero, etsi idem possit habere locum, quando Iudex in iudicando sequutus est opinionem minus probabilem, aut etiam probabilem æque ac contrariam (cum tũc Iudex superior possit ipsi appellanti perinde fauere ac Iudex inferior á quo appellat, fauit suo aduersario habenti tantum ius æquale) non tamen quando iudicauit secundum communem, probabiliorem que opinionem: quia tunc *prout debuit*, sententiam tulit pro eo qui fuit potior in iure. Hoc etiam documentum locis citatis habent D. Thomas & ipsius interpretes, habent item Sotus in præced. art. 3.

Gregor.

Gregor. à Valent. puncto 3. & Gabriel in eadem conclusione sexta.

De fuga rei ex carcere.

SECTIO VII.

148. NOnum documentum est (quod habent adhuc memorati authores locis pro septimo documento citatis. & alij quorũ meminit Couar. lib. 1. var. resolut. cap. 2. nu. 10.) Reum criminis sicut ne in carcerẽ coniiciatur à iustitiæ ministris potest euadere ex eorum manibus, dummodo ipsis, *cum non sint iniusti aggressores*, non inferat vim percutiendo, vulnerando, occidendo: ita etiam captum & in carcerem coniectum, posse vitæ suæ, de qua periclitatur, consulere euadendo è carcere; dummodo id faciat sine vi custodibus illata. Ratio est: quia in eo vtitur iure quod habet conseruandi vitam, nec in eo est inobediens; quia carceri à Iudice mancipatur, non quidem puniendo ipsum, sed custodiendo puniẽdum. Quod si puniret iuste condemnando ipsum ad carcerem siue temporalem, vt donec soluat debitum: siue perpetuum (ea scilicet ratione, qua Ecclesia materna benignitate à pœna mortis abstinens crimina grauiora ne impunita maneant, pœna perpetui carceris punit, congruenter cap. Quamuis De pœnis in 6.) reus teneretur obedire; nec licite posset exire: prout expresserunt in iisdem locis Caiet. dubio 2. & Sotus circa medium illius articuli 4. præsertim cum pœna carceris sit eius conditionis, vt non egeat executione alterius quam puniti: vnde fit vt ad eam damnatus, teneatur sua cooperatione illam subire, perinde ac multatus exilio, tenetur in exilium ire, & prohibitus exire ciuitatem, tenetur in ea permanere.

149. Nisi forte sententia fuerit iniusta, latave non seruato legitimo iuris ordine: itaut causa iusta detur excusans ab illius obseruatione: qualis est ex Nauar. *in Enchir. cap. 17. num. 101.* in eo qui ob debita damnatus ad carcerem, nihil omnino habet vnde soluat. Quod præsertim verum est, si fugiat cum bona intentione dandi operam vt suo labore, aut aliter acquirat vnde satisfaciat creditoribus: quodquidem rationabiliter his displicere non potest: cum sic negotium illorum melius geratur, quam ipso manente in carcere. Qualis item est in eo, cui ad perpetuum carcerem damnato, custos carcerisinique detrahit necessarium cibum, aut aliquid cæterorum, sine quibus nequit sustentare vitam. Nam quamuis sententia iusta fuerit; modus tamen exequendi eam, est tunc iniustus, ideoque subiici ei necesse non est.

Decimum documentum est: Dubitationem quidem esse, ac dissensionem inter Doctores, vtrum liceat reo fugere è carcere non obstantibus incommodis quæ custodibus inde subsequentur; aut in eum finem, eosdem custodes aliqua arte fallere, vt largum potum & cibum illis procurando vt contingat ipsis tunc dormire cum aderit occasio fugiendi: aut etiam compedes limare fores effringere, aut murum perforare. Partem autem affirmantem sufficienter probabilem esse ad hoc vt reus eam sequi volens, non debeat molestari in confessione, recusando ei absolutionem. Ratio est: quia licet magnæ virtutis esset (*contrarium tenendo*) nolle obsequi naturali propensioni, quam quisque valde vehementem habet ad vitam propriam tuendam: sed velle mori pro iustitia, id est, pœnam suo peccato iuste debitam exoluere in exemplum aliorum: ad id tamen non tenetur, neque tale quid ab eo exigendum est, tanquam durum valde, nimisque arduum habita ratione humanæ infirmitatis.

Neque vero fuga quæ ex præcedenti documento licita est, redditur illicita per subsequutura custodibus incõmoda, vt docent Caiet. 2. 2. *quæst. 64. art. 4.* & Sotus *lib. 5. De iust. & iure quæst. 6. art. 4. ad 2.* hac ratione: quod talia incommoda ex ea fuga non sequantur intentione fugientis; sed per accidens, dum reus ipse vtitur iure suo conseruandi propriã vitam. Nec reddi illicitam deceptione custodum, significant Angelus in verbo Fugere, num. 1. & Tabiena in verbo Accusatio, quæst. 10. Id quod intelligendum est, dummodo absit omne mendacium siue verbi, siue facti, siue cuiuscumque signi: quia cum illud intrinsece malum sit, nulla ratione licere potest: adeout talis deceptio debeat cõsistere in aliquibus æquiuocationibus siue dictorum, siue factorum, siue quorumcumque signorum externorum, ad quas si custodes non aduertant, stultitiæ ac negligentiæ ipsorum possit attribui. Nec demum reddi illicitam ob effractionem compedum, & carceris (dummodo nulla vis illata fuerit custodibus ipsis, ligando eos, obturando os ne clament, percutiendo, aliove corporali damno eos afficiendo) præter cæteros tenent Caiet. 2. 2. quæst. 69. art. 4. dubio 3. ac cæteri D. Thomæ interpretes, ad eumdem articulum, Sotus loco citato, Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 101. Gregor. à Valent. 2. 2. disput. 5. quæst. 13. puncto 4. ad 5 contra 3. conclusionem, Toletus in instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 58. Quorum fundamentum est; quod habens ius fugiendi ad vitæ suæ conseruationem, possit tollere fugæ impedimentum, dummodo nulli in eo vim iniuste inferat.

Eorum autem qui contrarium tenẽt (inter quos est Couar. lib. 1. variar. resol. cap. 2. num. 14.) præcipuũ fundamentum est ab eodem Couar. propositum, quod leges ciuiles (eas ipse refert) imponant talibus effractoribus pœnas grauissimas, quæ iniustæ essent, tanquam impositæ ob nullam culpam. Ad quod respondeti potest; propterea tales leges non esse iniustas: quod iusta de causa imponantur, nempe ad consulendum bono communi, pro quo priuatum grauare sine sua culpa, non est de se iniustum.

Atq; tenentes licitam esse talem effractionẽ, consequenter tenent licitum esse aliis illam effractori consulere: nisi ex officio tenerentur tanquam ministri iustitiæ eamdem impedire: quia in eo grauiter peccarent peccato infidelitatis. Idem vero dissident in eo, quod Caiet ad eumdem art. 4. in explicatione quintæ dubitationis, nonnullique alij D. Thomæ interpretes concedant: amicos ad talem effractionem suppeditare posse Reo instrumenta, quantumcunque non possint eis vti in eum finem: quia id esset potestati publicæ vim inferre, iustitiæ ordinem perturbare, nihilque tutum Iudicibus relinquere. Sotus vero loco citato (cui Greg. à Valent. assentitur loco ité citato in responsione ad secundam probationem) negat tam illud prius quam istud posterius esse licitum. Cæterum in vsu fori pœnitentialis existimarim teneri posse Caietani sententiam, quoad eum, qui neque ex obligatione sui officij, neq; ex mandato regis aut alterius Superioris, neque ex qualitate delicti, neque ex alia re particulari prohibetur tale auxilium præbere, atque probabiliter credit, quod reus sine corporali pœna resipiscet à peccato. Etenim cum his conditionibus potest ipsum iuuare ad euadendum manus ministrorum iustitiæ, *prout habet Nauar. in seq. num. 103.* antequam capiatur; vt v. g. commodare illi equum ad fugiendum, dare illi seruum comitem per quem introducatur in aliquem locum tutum. Et certe si non esset licitum præbere reo instrumenta quibus tollat fugiendi impedimenta, nihil esset cur censeretur licitum suadere ei fugam cum effractione vinculorum & carceris, cum instrumenta ad talem effractionem necessaria vix moraliter possit habere aliunde quam ab amicis. 151.

In quæstione autem quę moueri potest, An reus teneatur ad restitutionem damni, quod in carcere fecit, frangendo: nihil est quod immoremur: quia, vt loco citato ad 3. dubit. in fine Caiet. ait, is non se præbebit in ea re difficilem si possit: aut si non possit, excusabitur facile in conscientia: præsertim cum illud intulerit vacando rei licitæ, vtens iure quod habuit conseruandi vitam; perinde ac si hostes se insequentes fugiens, conculcasset alienas segetes. Quæ ratio ostendit quod Gregor. à Valent. loco cit. insinuat paulo ante quartam conclusionem: non esse certum, dari in tali casu obligationem ad restitutionem; quia cum in eo non peccetur, nec committitur iniustitia, quæ sit radix talis obligationis. 152.

Pari quoque ratione idem ab eadem excusari posse videtur, si ex portarum effractione, aliqui pro debitis in carcere simul detenti fugerint, & creditoribus illa perierint: quæ cur is restituere teneatur (nisi forte nolentibus fugere, præsuaserit fugam) ratio non satis apparet. Tunc enim perinde contingit ac cum hostes, cum ipso plures alios persequerentur, ipseque fracta sepe qua cingitur ager, per medias segetes fugiat, illique alij videntes, eum sequantur & 153.

segetes

segetes conculcentur. Ad quod damnum resarciendum nemo facile dixerit ipsum teneri, cum illius causam non aliter dederit, quam vtendo iure suo.

Cæterum licet non desint, qui his contradicant: nobis tamen sufficere potest, quod non careant fundamento sufficienti ad probabilitatem moralem; cui quoad forum conscientiæ possit reus se conformare, sine obice sacramentalis absolutionis, maxime cum in fauorem illius sit inclinandum in dubio, iuxta illud in cap. Alligant. 26. quæst. 7. Melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem.] Et illud ex cap. finali De sent. & re iudicata, quod in dubio præferatur sententia inclinans in fauorem Rei. Adde & regulam 11. iuris in 6. Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius quam actori.]

SVMMARII PARS TERTIA.

153 *Non omnes idonei sunt ad testimonium ferendum; & qui reiiciantur ob malos mores.*
154 *Qui ob naturam, & qui ob fortunam.*
155 *Qui ob affectum voluntatis inordinatum.*
156 *Qui ob suum statum, & de casu in quo ad testificandum admittitur is qui est iure inhabilis.*
157 *Quando quis vocatus in test. m coram Iudice, teneatur vel non teneatur testificari non habens conteſtes.*
158 *Duo casus in quibus is qui s. lus nouit aliquod crimen, tenetur illud Iudici reuelare.*
159 *Quando quis teneatur reuelare quod promisit & iurauit se seruaturum secretum.*
160 *Quando non possit.*
161 *Obligatio est ex charitate offerendi se in iudicio ad ferendum testimonium, cum id fieri potest sine propio in. ommodo graui.*
162 *Quædam circa idipsum aduertenda.*
163 *Quando celans veritatem quam reuelare tenetur incurrat obligationem ad restitutionem.*
194 *Quando non incurrat.*
165 *Facto edicto sub excommunicatione vt aliqua scriptura proferatur, quando is qui illam habet teneatur, & quando non teneatur proferre.*
166 *Differentia inter testimonium debitum solum ex charitate, & debitum etiam ex iustitia.*
167 *Explicatio dubij, An qui testimonio suo falso exposuit aliquem condemnationi ad mortem, teneatur seipsum retractare, cum vitæ propriæ periculo.*
168 *Duo casus in quibus tenetur, quando tulit cum aliis falsum testimonium.*
169 *Tres in quibus tunc non tenetur.*

De teste.

SECTIO VIII.

DE hoc agunt Canonistæ ad titulum De testibus & attestationibus, D. Thomas & interpretes ipsius. 2. 2. quæst. 70. artic. 3. Sotus in 5. De iust. & iure quæst. 7. Gregorius á Valent. disp. 5. quæst. 14. Summularij in verbo Testis, Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 40. & aliquot sequentibus, Toletus in instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 59. atque alij.

153. Principio autem aduertendum est, non debere quemuis ad ferēdum in iudicio testimonium indifferenter admitti: prout patet, tum per illud quod Exodi 23. prohibemur in iudicio plurimorū acquiescere sententiæ; tum etiā quia ratio dictat, illum tantum esse in testem adhibendum, qui dignus sit, cui fides adhibeatur in iudicio. Vnde fit, vt expendere oporteat, an aliquid sit, quod ipsum suspectum ac testimonium ipsius, *tanquam indignum audiri in iudicio*, ineffica x reddat. Modus vero expendendi est: vt in eo considerentur mores, natura, fortuna, animus, & status. Atque quoad mores considerāda est hominis malitia: quæ cum faciat illum male affectum ad Deum reddit pariter suspectum de defectu bonæ affectionis erga proximum. Qua ratione à testificando contra Catholicum, reiiciuntur infideles; & ita ij qui ad testificandum admittuntur fideles esse debere, statuitur in cap. primo testibus, & attest. & ab eo numero nominatim excluduntur Iudæi in cap. Non potest. 2. quæst. 7. & cum eis tam pagani quam hæretici, in cap. Pagani, ibidem. Aduersus se inuicem vero iidem testari non prohibentur. ex cap. Si hæreticus, adhuc ibidem. Eadem quoque ratione reiiciuntur infames, tanquam homines nequam, etiamsi orthodoxi. Pro quo textus habetur in Cap. Alicui erroris, eadem quæst. 7. & in cap. Præterea De testibus cogendis §. secundo.

Quoad naturam: considerāda est ex ea dependens inopia consilij: ob quam impuberes (*& pari, vt etiam maiori ratione furiosi*) excluduntur à munere testificandi, 4. quæst. capit. 1. his verbis. Ad testimonium autem infra annum 14. suæ ætatis constituti, non admittantur. De quo videnda est glossa ibidem. Excluduntur etiam mulieres, ex cap. Mulierem 33. quæst. 4. idque in causa criminali; vt glossa ibidem notat: addita exceptione casuum in quibus ob enormitatem crimihis, ad testimonium admittuntur etiam infames: sicut meretrix ad testimonium admittitur aduersus simoniacum, ex cap. Tanta, De simonia. Aduerte obiter commune esse mulieri cum impubere ac quibusdam aliis, vt in testamento non debeat testis adhiberi, ex titulo De testamentis §. Testis, Institutis. 154.

Quoad fortunam: considerāda est conditio tum seruitutis tum paupertatis. Ob hanc enim pauperes à testimonio repelluntur, ex cap. Prohibentur, 2. quæst. prima. Quod ibidem glossa *ad verbum Paupertatem* temperat limitatione hac. Dummodo ratione paupertatis sint suspecti: quæ insinuatur in cap. Si testes §. Item testium 4. quæst. tertia, illis verbis. An etiam egenus sit vt lucri causa quid facile admittat. Ob illam vero, *seruitutem inquam*, in eodem cap. §. Item idonei, excluduntur tanquam non idonei, testes illi quibus imperari potest vt testes fiant, prout seruis, potest à dominis. Verumtamen, *vt in sequenti §. additur*, serui responso tunc est credendum, cum ad eruendam veritatem non est alia probatio. Adde & tunc, cum casus adsunt in quibus etiam contra dominos, testari possunt. Qui tres sunt, adulterij, defraudati census, & læsæ maiestatis, ex cap. Quæstionem; 12. quæst. 2.

Quoad animum affectumue voluntatis: considerandum est num is inordinatus sit, & ideo perturbet iudicium: quandoquidē in teste est cauendum. Et sic iura non permittunt, quemquam esse testem in re propria, ex cap. Si testes §. Item omnibus 4. quæst. 3. nec gerens cum aliquo inimicitias admittitur testis contra illum, tanquam suspectus ne nocere cupiat: & læsus, se vlcisci velit. De quo est textus expressus 3. quæst. 5. cap. Accusatores 1. Idem esse dicendum de domesticis, familiaribus & consanguineis, habetur ex sequen. cap. Accusatores 3. vbi ratio redditur, quod amor in familiaribus & propinquis suspectus esse debeat, tanquam impediens veritatem videre, prout oportet ad ferendum debite testimonium. Verumtamen si crimen sit læsæ maiestatis humanæ, vt proditio ciuitatis, vel coniuratio in Principem, seruus testari potest contra dominum, & filius contra patrem: argumento legis penult. Ad legem Iuliam maiestatis. Et confirmatur ex eo, quod non fiat ipsis iniuria, cum constet ad talia publica damna propulsanda priuatos teneri etiam vitam profundere. Vnde quod dicitur patrem exhæredare posse filium à quo criminaliter accusatus est, intelligi debet cum exceptione casus læsæ maiestatis, ex Angelo in verbo Exhæredatio num. 1. & Sylu. Hæreditas 2. quæst. 3. Idem maiori ratione dici potest, si crimen sit læsæ maiestatis diuinæ, vt disseminatio hæresis, cum periculosior sit iactura salutis animarum quam commodorum temporalium: & Dei honor cuique commodatior esse debeat, quam vita non modo parentum, sed etiam propria. 155.

Quoad statum deniq; duo sunt considerāda. Alterum, quod quia Clericis solent laici esse infesti, hos aduersus illos non admitti testes in causis criminalibus, prout late 2. quæst. 7. tractatur ex professo. Alterum vero, quod nullus simul possit esse accusator, Iudex, & testis. De quo est textus præclarus, 4. quæst. 4. cap. 1. 156.

Cæterum quia iure naturæ & lege charitatis, quisque tenetur iniuste læso fauere potius, quam lædenti quisquis ille sit: quando idē læsus indiget auxilio alicuius ex impeditis testificari, vt quando nō inuenit alium qui posset testificari,

debere

debere per talem ei subueniri: quia inhabilitas est tantum de iure humano, quod non potest legi charitatis, vel iuri naturæ præiudicare. An autem adsit eiusmodi indigentia, colligendum est ex natura causæ, & ex loci, temporis, ac personarum circunstantiis. Quæ si nequeat ea ratione colligi, standum erit iuramento ipsius indigentis, quo confirmet se non posse alium testem habere: nec enim tunc offert se alia ratio cognoscendæ veritatis. Porro dubium non est, quin ob scandalum aliorum vel proprium detrimentum notabile, iure inhabilis perinde ac habilis excusetur à testificando. Hæcque hactenus de prohibitis testificari. De permissis ad idque habilibus, pro plena ratione iudicandi de peccatis nobis proposita antedictis incapit. 3. sect. 5. addenda est aliquot dubiorum explicatio.

De teste habili seu idoneo, aliquot dubiorum explicatio.

Sectio IX

157. Primvm est, An cum Iudex scitur procedere iuridice, & vnus solus est qui adhibere possit tanquã idoneus ad testificandum, is ab ipso Iudice interrogatus, teneatur veritatem aperire. De quo præsumus probabiliter tenere cũ Soto *in 5. de iust. & iure, quæst. 7. art. 1. sub finem*, non teneri si interrogetur via inquisitionis; nisi infamia sufficienter probata, vel indicia satis manifesta præcedant. Hoc enim est quod D. Thomas 2. 2. *quæst. 70. art. 1. in corpore*, asserit, tunc testem iuridice interrogari, cum de manifestis, vel de iis de quibus infamia præcessit interrogatur. Ratioque est, quod omnino occulta nõ subsint inquirentis iurisdictioni, quæ ad vsum suum requirit vt potestatem, sic & scientiam publicam. Qua de re videdicta in præced. num. 47. Teneri autem fateri veritatem, si iuridice interrogetur via accusationis, vt censendus est interrogari, quando accusator adest, offerens se ad crimen in iudicio probandũ producendumque testes, & ipse qui solus scit producitur. Quem iuridice interrogatum teneri veritatem fateri, *prout expressit Sotus*, ratio hæc suadet: quia Iudex ex officio suo obligatur ipsum interrogare: tum vt consulat famæ accusatoris, qui alioqui haberetur calumniator; sicque damnum referret ex procuratione boni communis: tum ad vitandum populi scandalum, qui iudicabit peccata impunita relinqui, quod erit reipub. pernicioſum: tum ad reprimendam peccandi licentiam, Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ.

Iam vero, eadem lege, qua Iudex ad vitanda eiusmodi incommoda in repub. tenetur exposcente ac vrgente accusatore, testem sibi productum interrogare, tenetur testis ipse respondere, siue solus sit, sine sint alij contestes; præsertim cum sufficiens infamia ex eo censeri possit præcedere in iudicio, quod accusator adsit omnium exceptione maior, qui protestatur se accusationem suam probaturum. Neque ex eo excusabitur, quod vnius testimonium non faciat plenam probationem: quia licet non sufficiat ad condemnandum reum: sufficit tamen ad extorquendam ab eo, *etiam per torturam si aliter non possit*, confessionem veritatis, ad quam tenetur antegressa semiprobatione eiusmodi.

158. Secvndvm dvbivm est, Num aliquando is qui solus nouit crimen aliquod, teneatur illud Iudici reuelare non interrogatus. Ad quod respondetur, duos casus dari in quibus tenetur. Prior est cum crimen est contra commune bonum reipub. aut notabiliter lædit iniuste personam aliquam priuatam, taleque est in fieri, seu adhuc pendet in futurum. Tunc enim qui nouit reum talis criminis, quantũcumque solus nouerit, nec à Iudice interrogetur, tenetur ex charitate (nisi nosset tantummodo ex sacramentali confessione) illum reuelare eidem Iudici: tanquam ei cui ex officio incumbit cura boni communis & defensio innocentis. Nec obstabit periculum cui reus ipse exponitur per tale testimonium; quia debet id sibi imputare, non autem testificanti, qui damnum commune præferre debet priuato; & damnum innocentis, damno nocentis.

Posterior casus est; quando crimen est notorium, & criminosus occultus, ac Superior generaliter edicit sub graui pœna (qua scilicet ostendat se stricte obedientiam imponere) vt quicumque sciuerit in particulari talis criminis perpetratorem, eum sibi reuelet: quisquis enim scit, *etiamsi solus*, tenetur ipsum reuelare. Ratio est: quod obediendum sit iusto Superioris præcepto: quale merito censetur propositum: quandoquidem iustum est præcipere, vt authores perpetratorum criminum, à quocumque illos sciente, reuelentur. Alias enim in graue reipub. detrimentum, crimina impunita manerent: eaque ratione mali passim fierent audaciores ad delinquendum.

Aduerte autem priorem casum procedere quantumcũque promiserit quis, ac etiam iurauerit se seruaturum secretum iuxta receptam D. Thomæ doctrinam 2. 2. *quæst. 70. art. 1. ad 2.* Ratio vero est, quod tale siue promissum iuramentum non sit obligatorium tanquam factum de re mala, nempe de transgressione iuris naturalis, obligantis ad postponendum damnum priuati, damno communitatis, & damnum criminosi, damno innocentis. Sicque cap. In malis 22. quæst. 4. dicitur. In malis promissis rescinde fidem: & Regula 69. iuris in 6. In malis promissis non expedit fidem obseruari, & cap. Inter cætera 22. quæst. 4. & cap. Quanto, De iureiurando, iuramentum non esse institutum vt vinculum esset iniquitatis: ac etiam Regula 58. iuris in 6. non esse obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum. 159.

Quod autem posterior casus non procedat illo eodem modo (quæ est etiam D. Thomæ loco citato recepta sententia) ex eo intelligitur, quod tam promissum quam iuramentum de iure naturæ seruandum sit, cum seruari potest sine dispendio salutis. Potest autem in casu in quo nulla imminet læsio boni, siue communis siue priuati: vt cum reus sic est emendatus, vt nihil sit de eo timendum in posterum: & quoad præteritum, paratus sit omnino damna resarcire quantum poterit. Neque in contrarium vrget Superioris præceptum: quia ipsum est humanum, & præceptum seruandi promissum ac iuramentum, est naturale; ideoque illi prævalet. Neque item, quod peccatum manebit impunitum: quia cum nulla præuia sit infamia, nec indicia manifesta, vel accusatio, nullum potest inde oriri populi scandalum. Adde & quod commendabile sit occultorum punitionem relinquere diuino iudicio, quando ex eis nullum notabile damnum imminet. 160.

Atque hinc inferre licet Doctores, Procuratores, Tabelliones, Aduocatos, Consiliarios, Medicos, Chirurgos, Obstetrices & similes, quibus aliqui sua secreta litium, dubiorum, & morborum aperiunt, vt eorum consilio, auxilio & opera iuuentur: nullo modo posse reuelare secreta sibi commissa, testificando contra eos, nisi illa sint in damnum imminens communitatis, aut tertiæ personæ innocentis; ne si quidem interrogentur à Iudice sub iuramento, quia non habet ad id sufficientem authoritatem: eum, vt diximus, præceptum de seruando secreto admisso, sit iuris naturalis, ideoque prævaleat præcepto de eodem reuelando, quod tantum est humanum.

Tertivm dvbivm est, An is qui testis est idoneus, teneatur nõ vocatus aliquando offerre se ad testimonium ferendum in iudicio. Ad hoc iuxta receptam D. Thomæ sententiam. 2. 2. *quæst. 70. art. 1. in corpore*: respondetur affirmatiue: quia lege charitatis quisque tenetur proximo in necessitate existenti succurrere; iuxta illud: Mandauit illis vnicuique de proximo suo Ecclesiastici 17. Et istud, Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate, Psal. 81. ac illud Erue eos qui ducuntur ad mortem Prouerb. 24. Sic autem accipienda est responsio, vt non procedat cum quis prudenter iudicat se nihil profuturum suo testimonio. Item cum reus damnum passurus, iuste patietur: quia illud debebit sibi imputare, qui illius periculo, volens se exposuerit. Adde quod aduersa pars læsa, iuste iudicem, vt sibi satisfiat vrgens, merito possit conqueri non vocatum offerre se ad testificandum, cum ipsius damno non leui. Neq; item procedat (nisi grauis reip. pernicies auertenda exposceret) quando testimonium valde damnosum esset ipsi testificanti: vt si haberet scripturam qua exhibita in iudicio, multum quidem iuuaret aliquam in causa magnæ quantitatis pecuniarum; sed ex illius exhibitione merito 161. 162. 163. 164.

suis

suis & sibi ipsi timet notabile damnum in bonis suis & suorum temporalibus, in vita, vel in fama; posset non exhibere: quia in casu nimis difficili, præcepti obligatio suspenditur. Secus vero si modicum sit damnum quod sibi timet, & graue quod imminet proximo innocenti: à quo liberari potest ipsius testificatione. Nam per modicum incommodum non suspenditur lex charitatis.

162. Aduerte autem primo, vt sua sic & suorum incommoda grauia, excusare ab obligatione testificandi: quia testificationes damnosæ communiter solent generare dissensiones, rixas, & inimicitias: quæ inter sanguine iunctos sunt in repub. valde perniciosæ, tanquam in primis obsistentes conseruationi pacis in ea. Et ita si non valeam testimonium ferre de innocentia alicuius, ad liberandum ipsum à morte, nisi patrem aut fratrem meum coniiciam in simile periculum, non teneor ferre, vt nec innocentem defendere quem districto gladio pater aut frater adoritur; si nequeam aliter defendere quam patrem vel fratrem occidendo: quod natura abhorret.

Aduerte secundo ex eodē. D. Thoma loco citato: quādo quis aliqua de causa non potest innocenti suo testimonio subuenire: debere alicui alteri indicare veritatem, qui efficacius possit illum liberare à malo inferendo ei iniuste.

Aduerte tertio ex Nauarro *in Enchir. cap.* 18. *num.* 32. non esse iustam causam omittendi testificationem pro innocente, quod nocens exponendus sit vitæ discrimini: quod alioqui euaderet. Exemplum est. Si Titius tanquam homicidij reus sit capite plectendus, nisi ei subueniam detegendo Caium perpetrasse ipsum homicidium: vnde fiet vt idem Caius subiiciatur pœnæ capitis, quam alioqui euasisset. Ratio esse potest, quod innocenti constituto in graui necessitate subueniendum sit ex charitate, cum fieri potest nullo aut modico tantum, nostro incommodo, atque fieri modo profuturo, eoque licito: qualis est in proposito casu, præuia infamia plene probata aut antegressis manifestis indiciis vel semiprobatione testificari contra vere criminosum, aut certe accusare ipsum, offerendo se ad tale crimen de eo probandum in iudicio, quando potest id præstare obseruatis conditionibus propositis in præced. sect. 3. in initio.

163. QVARTVM DVBIVM EST, Quando is qui celat veritatem quam tenetur reuelare, obligetur ad restitutionem. Pro cuius solutione supponendum est, ea sola damna esse restitutioni obnoxia, quæ oriuntur ex peccato contra iustitiam. Vnde sequitur primo, ad restitutionem damnorum secutorum teneri eum, qui iuridice interrogatus veritatem negat aut occultat: vtpote qui causa est vt Iudex sententiam tulerit in damnum eius, in cuius alioqui commodum erat laturus. Tale enim peccatum committitur contra iustitiam: vtpote quo litigans priuatur testimonio, quod per mandatum Iudicis fuit ei applicatum tanquam subsidium ex publico debitum ad seruandum ius suum: quo subsidio ipsum frustrare, iniuriosum est.

Sequitur secundo ob eamdem rationem, ad restitutionem similiter teneri eum, qui postquam intimatum est ei per ministrum iustitiæ mandatum Iudicis, quo vocatur ad testificādum, se per fraudem subduxit. Contrarium autem, quod Lessius non improbabile censet, *de iust. & iure lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 59. locum habere potest in eo qui ideo se subtrahit, quod alioqui immineat ipsi periculum vitæ aut iacturæ notabilis siue famæ, siue rei familiaris. Cum quo damno non tenetur impedire (vt post docebitur) alterius priuatum. Aut certe quod sciat litigantem habere in promptu

164. alios, qui sufficienter pro ipso testificentur.

Sequitur tertio, eum qui bona fide abfuit, & ideo non fuit illi intimatum Iudicis mandatum, quo ad testificandum vocabatur, non esse obnoxium restitutioni. Non enim peccauit contra iustitiam tanquam inobediens Iudici: quando quidem mandatum ipsius neminem obligat, donec ipsum fuerit ei intimatum: sicut nec leges Principum obligant, donec fuerint promulgatæ.

Sequitur quarto, nec obnoxium esse restitutioni eum, qui dedita opera occultat se, ne vocetur in testem, aut vocatus celat prudenter veritatem, ad vitandum aliquod magnum damnum suum aut parentum & consanguineorum: cum (nisi obstet bonum commune pro quo tuendo tale damnum pati necessarium sit) peccato excusetur. Quandoquidem præceptum Superioris, quod suaue esse oportet, non obligat in casibus illis difficillimis, in quibus ad eius obseruationem, oporteret subire periculum mortis, aut grauis infamiæ, aut magnæ iacturæ bonorum nulla boni communis necessitate vrgente.

Sequitur quinto, in casu quo is qui sub excommunicatione iubetur proferre aliquas scripturas, excusatur à peccato causam habens iustam non proferendi: eundem pariter excusari & ab excommunicatione & obligatione restituendi, si non proferat: vtpote qui non peccat contra iustitiam: Casus istiusmodi contingit: tum quando talis scriptura propria est illius à quo proferri iubetur: quandoquidem nemo tenetur aduersario suppeditare arma quibus ipsum impugnet: tum quando fuerit vtrique communis, & cætera sunt paria: tunc enim melior est conditio possidentis: tum demum, cum etiamsi propria sit illam exigentis, eam tamen habitam bona fide, non exhibet ad vitandam iniustam condemnationem, quam probe nouit se alioqui subiturum. Excusatur enim tunc à peccato: quia nemo cum graui suo damno iniusto, tenetur ad restitutionem ex re iuste accepta. Peccabit vero contra iustitiam, & consequenter ad restitutionem tenebitur, si scriptura sit publica, seu continens causæ acta iudicialia: puta interrogationes, responsiones, confessiones, aliaue id genus: quoniam tale tanquam maxime pertinentia ad executionem publici iudicii, exhibenda sunt: itaut ea celans, peccet grauissime, & teneatur resarcire damnum quod inde alter iniuste accipiet. Peccabit similiter si scriptura propria sit partis contrariæ, quam mala fide retineat, vt si eam per se, aut per alium, sit illi sufuratus. Iniquum est enim surripere alteri arma quibus se iuste defendere posset, itaut damnum inde sequutum tanquam iniuste illatum resarciendum sit.

165.

Sequitur sexto, ad restitutionem non teneri eum qui nō offert se vltro, ad testimonium ferendum pro liberatione innocentis, quando potest commode: quia etsi grauiter peccet contra charitatē, non tamen contra iustitiā sicut ei contingit quando vocatus ad testificandum, & Iudici oblatus, Iudex ipse pro publica sua potestate illum assignat reo, imponitque illi testis officium: ratione cuius ex iustitia eidem reo obligatur ad verum testimonium ferendum in ipsius causa: & ad seruiendum Iudici ipsi, in habenda cognitione necessaria: vt valeat iudicare secundum æquitatem. Vnde sequitur quod teneatur de damno quod euenerit ex testimonii sui, *ex iustitia debiti*, defectu iniurioso.

166.

QVINTVM DVBIVM EST, An is qui dedita opera falsum testimonium in iudicio tulit contra innocentem, vnde ad mortem iniuste damnatus est teneatur ad eum liberandum retractare se, etiam cum vitæ propriæ periculo.

167.

Ad cuius explicationem: dico primo cum Petro à Nauar. de restit, *libro* 2. *cap.* 3. *num.* 251. certum esse quod si talis retractatio nihil profutura sit, falsum testem (etiamsi tunc non liberetur ab obligatione restituendi damna quę fuerint inde secuta) ad eam non teneri, quandoquidem frustra discrimini vitæ exponeret se, quod non est rationi consentaneum.

Secundo, quod si idem testis in loco tuto cōstitutus possit sufficienter ad liberationem innocentis retractare se, non teneatur se Iudici sistere: quia ei sufficit vt obuiet malo, cui causam dedit. Tertio, quod idem in eodem casu teneatur cum vitę proprię dispendio retractare suum dictum, vt innocentem liberet à mortis periculo, cui ipse falso testimonio suo causam dedit. Ita enim tenē. Sotus in 4. De iust. & iure *quæst.* 6. *art.* 3. *ad* 4. *dubio tertio* Medina in Cod. De rebus restituendis *quæst.* 3. *causa* 4. *ad* 4. in Nauar. in Enchir. *cap.* 15. *num.* 17. Couar. ad regulam peccatum 1. *par. num. sexto, versu Tertio aduertā.* Ratio vero est: quod si quid obstaret quominus tenearur, maxime esset quod vnusquisque magis obligetur suæ vitæ prouidere, quam alienæ. Ad id tantum habet locum in pari casu innocentiæ. In dispari enim *si ut est in casu proposito*, recta ratio dictat ius maius esse potius penes innocentem patientem iniuriam, quā penes nocentem illam inferentem. Et confirmatur ex eo, quod ille inuadatur, & hic inuadat iniuste: ideoque ille ius habeat defendendi se, non autem hic nisi ab inuasione desistat: sicut

tenetur, etiam cum propriæ vitæ periculo: cum mors temporalis postponenda sit morti æternæ: cui obnoxius manet non desistens à mortali peccato, prout censetur testis non reuocans testimonium; per quod causam dat morti innocentis, illius vitam iniuste inuadens.

168. Porro cum quis non solus sed alij cum ipso falsum testimonium tulerunt, nec volunt reuocare: illud habet locum in duobus casibus: quorum prior est quando ipse iisdem author fuit illud dicendi. Quia enim quidquid est causa causæ, est etiam causa causati; non tantum illi suo falso testimonio innocentem inuadere cæsebuntur: sed etiam ipse sua inductione, quæ causa est eiusdem testimonij. Posterior casus est: quando etsi aliis author non fuerit testificandi falsum: communi tamen consensu cum illis conspirauit in talem inuasionem innocentis. Cui sub mortali tenetur obuiare: quia ex eo, quod alij in peccato perseuerare velint, non licet ipsi in illo permanere: neque ex eo excusatur, quod alij perinde ac ipse teneantur ad retractationem sui dicti, quia pari ratione tenetur in solidum, qua teneretur si cum iisdem de communi consensu, spoliasset aliquem bonis: quo casu tenetur integre satisfacere, si illi non possent aut nollent id facere. Pro cuius pleniore notitia videnda sunt tradita in præced: lib. 10. num. 113. & aliquot sequentibus.

169. In tribus autem aliis casibus illud ipsum non habet locum: Primus est, quando testimonium non fuit efficax, id est, nihil confert ad pœnam reo inferendam, aut ad illius incrementum: quia videlicet aliorum testimonia, quæ præcesserunt, sufficientia fuerunt sine suo. Nam etsi contra charitatem peccauerit falsum dicendo, non tamen contra iustitiam; vtpote qui nec de damnum nec illius causam efficacem dederit: ideoque tenetur tantum ex charitate retractare suum illud testimonium. Cuiusmodi obligatio non est talis, quæ cum vitæ periculo impleri debeat. Ordine charitatis enim, vita propria præfertur alienæ.

Secundus casus est, quando effectus falsi testimonij iam est secutus, vt quando falso accusatus, iam est affectus supplicio. Quia cum quod factum est, infectum esse nequeat: non manet falsi testis obligatio obiiciendi se mortis periculo ad liberandum eum quem simili periculo iniuste exposuit; sed obligatio satisfaciendi Deo per pœnitentiam: & propinquis per restitutionem, faciendam eis secundum doctrinam traditam in memorato lib. decimo cap. 20.

Tertius casus est, quem ex Caiet. habet Petrus à Nauar. *de restit. lib. 2. cap. 3. nu. 255.* quando quis per ignorantiam seu obliuionem non damnabilem, falsum testimonium dixit. Sicut enim excusatur à malitia peccati iniustitiæ, ita & ab obligatione restituendi satisfaciendive: perinde ac ille, qui similiter ex ignorantia seu obliuione inculpabili peierat, excusatur à malitia periurij & ab obligatione pro eo satisfaciendi. Vnde obligatio obuiandi damno ex tali testimonio secuturo, solum est ex charitate proindeque non habet locum in casibus nimis arduis, inter quos locum præcipuum tenet casus periculi mortis.

CAPVT VIII.

De adulatione, susurratione, murmuratione, & derisione.

SVMMARIVM

170 *Quid sit & quale peccatum sit adulatio.*
171 *Quid sit susurratio, & illius differentia à detractione & contumelia.*
172 *Quando sit peccatum mortale & quando veniale.*
173 *Quid sit murmuratio: quodque esse possit tum contra Deum, tum contra Prælatos: de qua quando sit mortalis, regula generalis non datur.*
174 *Quid sit decisio & quando censeatur peccatum mortale, quando tantum veniale.*

SVPERSVNT paucis attingenda aliquot peccata linguæ, quæ nonnihil affinitatis habent cum detractione & contumelia.

170 Primum est, adulatio, quam Angelus *in verbo Adulatio, in principio*, definit peccatum ex sermone vanæ laudis exhibito alicui, intentione complacendi. Vanam autem laudem intellige, prout idem indicat, qua aliquis laudatur de eo quod non est laudandus; aut plusquam est laudandus, aut quæ non fit eo fine, quo fieri deberet. Potest autem eiusmodi peccatum esse mortale tribus modis ex D. Th. 2. 2. q. 115. ar. 2. Ac primo ratione materiæ, puta quãdo aliquis laudat alicuius peccatum: quia id dilectioni Dei cõtrarium est: quandoquidem in eo iustitia diuina damnatur, per quam Deus ipse peccato aduersatur repugnatque. Contrarium item est: dilectioni proximi, quem fouet in peccato. Hinc illud Isaiæ 5. *Væ qui dicitis malum bonum.*] Secundo ratione intentionis; vt cũ quis ad hoc adulatur alicui, vt noceat ei vel corporaliter, vel spiritualiter. Vnde Prouerb. 27. dicitur meliora esse vulnera diligentis, quam fraudulenta odientis oscula. Tertio, ratione occasionis: puta cum, laudando aliquem, ei præter intentionem occasio præbetur peccandi mortaliter. Qua tamen in re videndum est, sitne occasio data, an accepta; pro quo consulere tradita de scandalo in præced. lib. 14. cap. 4. Addit autem D. Thomas, ep si aliquis ex sola auiditate delectandi alios, vel ad cuitandum aliquod malum, vel ad cõsequendũ aliquod bonũ sibi necessariũ aduletur alicui, *tanquã nihil dicens aut agens contra charitatem*, nõ peccare mortaliter.

Secundum peccatum est susurratio, quæ, *ex Caiet. in verb. Susurratio, n. 171* describi potest; obloquutio instituta ad amicitiam inter aliquos tollendam. Qua descriptione indicatur illius differentia à contumelia, quæ lædit honorem; & à detractione quæ lædit famam. Talis differentiæ D. Thomas mentionem inferens 2. 2. *quæst. 74. art. 1.* eidem congruenter *in sequenti art. 2.* docet quod Sotus *in 5. de iust. & iure qu. 11. art. 1. plenius tractat*: susurrationem ipsam esse peccatum grauius contumelia & detractione; quoniam amicitia bonum est melius honore & fama, ex Arist. lib. 8. Ethic. cap. 1. Ad quod facit illud Ecclesiastici cap. 6. *Amico fideli nulla est comparatio.*] Vnde ex Nauar. *in Enchir. cap. 18. num. 13.* Susurro absolui non debet, donec eos quos discordes fecit, reconciliet inter se; aut saltem proponat firmiter se id serio curaturum: sique id consequi nequeat, se damnis secutis satisfacturum iuxta iudicium boni viri. 171

Attamen, vt notat Caiet. in verbo susurratio, communiter contingit, tale peccatum esse veniale ob imperfectionem actus. Siue ex parte intentionis: cum scilicet quis non intendit quidem lædere amicitiam; materialiter tamen dicit aliquid procuratiuum eiusmodi læsionis. Excipe, nisi de facto eadem sequatur grauis; susurrone id aduertere debente: quoniam tanquam illata contra contra charitatem, non haberet tunc excusationem à mortali. Siue etiam ex parte eius, quod dicitur; nempe quando ipsum modicum est, nec sufficiens de se ad dissoluendam inter aliquos amicitiam. Siue denique ex parte modi dicendi puta quia iocose, non item serio dicitur. Adde quod Sotus habet *in cit. art. 1. paulo ante solutionem argumentorum*; veniale quoque esse susurrare, non quidem vt ex amicis facias inimicos: sed solum vt assiduam familiaritatem ab eis amouens. Immo nullum peccatum esse susurrare ad dirimendam amicitiam perniciosam, dummodo id fiat citra infamationem. 172

Tertium peccatum est murmuratio: quæ definitur querela cum impatientia, in iis, quæ homo debet patienter ferre. Committitur autem aliquando contra Deum; vt cum displicet quod prosperitatem vel aduersitatem non tribuat in hoc seculo, secundum merita hominum; vel quod non regat mundum nostro arbitrio: tuncq; peccatum est mortale, quando coniunctam habet notabilem De irreuerentiam; vt si vsurpetur credendo Deum esse iniustum; non gerere debitam curam hominum; aut in ea cura temere procedere, vel quid simile. Est igitur captiuandus intellectus, & in talibus humiliter dicendum cum Dauide Psal. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum*] & Psal. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.*] Vt plurimum vero, contra Prælatos est murmuratio, cui pœna in cap. Alienus dist. 90. statuitur, vt qui murmurat, sit ab vnitate fratrũ alienus. Contingit autẽ tum ex parte rei, de qua murmuratur; cum scilicet ea talis est, quam iuste quis patiatur; & nihilominus clanculũ conqueritur: tum etiam ex parte modi, cum nempe cũ patiens iniuste id fert impatienter, conquerendo clanculum, cum 173

possit

possit remedium adhibere, monendo Prælatum coram. Iam quando siue hoc, siue illo modo facta murmuratio, sit peccatum mortale, & quando veniale, arbitrio prudentis relinquitur diiudicandum ex circunstantiis seu qualitatibus & conditionibus rerum & personarum, neque id potest regula generali definiri, prout in verbo murmuratio expresserunt Angelus, Sylvester & Tabiena.

174. Quartum peccatum est derisio; quam congruenter doctrinæ D. Thomæ 2.2.q.75.*art.*1. & 2. Nauar. in Enchir.*cap.* 18.*num.*15. definit, significationem inordinatam mali culpæ, pœnæ, vel defectus naturæ ad iniiciendam erubescentiam; idemq; admonet inordinatam dixisse, eo q; ordinata, actus sit virtutis Eutrapeliæ, inclinantis ad recte vtendū ludicris.

Porro mortalis censetur derisio, *vt ex cit. art.* 2. *habent Sylvest r & Tabena in verbo Derisio*: cum quis deridendo, aliquem omnino paruipendit, tamque vilem existimat, vt de eius malo non sit curandum, sed pro ioco habendum: Addit cum Iacobo à Graphiis *in lib.* 2. *decis. aurear. cap.* 141. quando per derisionem notabilis erubescentia animique perturbatio iniicitur alicui, aut iniicere intenditur, aut illius sufficiens causa datur, derisore id aduertente aut aduertere debente. Tanto autem grauius est tale peccatum, quanto derisor magis tenetur reuereri eum, quem derider. Ideoque derisio Dei peccatum est grauissimum, rationem habens blasphemiæ, vt ex eo intelligitur, quod D. Lucas in c. 22. Irrisioni Christo factæ à dicentibus *Prophetiza nobis Christe, &c.* addiderit, *& alia multa blasphemantes.*] Derisio item tum sanctorum, tum priorum parentum peccatum est valde graue. Veniale vero peccatum est ex materiæ leuitate: nempe cum quis ioco se modicum deridetur: aut de malo admodum exiguo: quia erubescentia inde sequens, pro nulla reputatur. Intellige cum Soto *l. 5. de iust. & iure quæst.* 11. *art.* 2. *concl.* 2. genere suo: quia si quis, *vt lle bene ..it*, vitium non adeo per se malum illudendo obiiciat alteri, quem scit irrisionem ægerrime laturum, peccat grauiter contra charitatem; vt si honestissimo ac Religioso viro in f. cie obiiceret ipsum absque arbitris fuisse cum puella locutum, vndeingenti rubore ille suffunderetur, mortaliter profecto peccaret tanquam illicite contra charitatem graui molestia afficiens proximum.

LAVS DEO.

LIBER DECIMVS, ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVSQVINTVS.

DE SPECIALI RATIONE IVDICANDI DE peccatis in ordine ad contractus, & ad quasi contractus ciuiles.

PRÆFATIO.

QVI volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & desideria multa & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Quæ salutaris monitio D. Pauli in priori ad Timoth. cap. 6. rationem eam habere potest, quod cum diuitiarum acquirendarum modi alii sint de se illiciti, & alii de se liciti: radix omnium malorum (vt ibidem appellatur ab Apostolo) cupiditas faciat, vt non modo illi sint pernicioſi, sed & hi sint periculosi: tanquam ii in quos malitia illorum deriuatur, dum ad eosdem palliandos seu tegendos, vsurpantur. De qua vsurpatione vt iudicetur, ad antedicta in lib. 23. De modis ipsis illicitis: addenda sunt pro sufficienti instructione Confessarii, quæ spectant ad modos acquirendi licitos: præsertim cum necessaria sit eorum notitia ad iudicandum, qui censeri debeant illegitimi, & degenerasse in illicitos. Varii verò sunt modi liciti acquirendarum diuitiarum, seu rerum temporalium: nam quandoque hæ nullius domini sunt, vt quæ pro derelictis habentur: quandoque verò dominum habere probabile est; sed quis sit ignoratur: de quarum vtrarumque vsurpatione, sitne illicita, iudicandum est secundum ea quæ tradita sunt de inuentis in præcedenti li. 10. ca. 13 sect. 3. Quandoque autem sunt communitatis bona: quorum vsurpatio à priuatis, per venationem, aut piscationem, aut lignationem, quando illicita sit iudicandum est per tradita in sequenti cap 24. par. prima & secunda capitis. Quandoque demum sunt bona propria aliquorum: eorumque vsurpatio potest esse vel à magistratu per impositionem vectigalium, gabellarum & aliorum id genus onerum: de qua quando illicita sit, iudicandum est per consequenter tradita ibidem par. 3 capitis: vel à persona priuata: idq; dupliciter, vel de consensu domini vt fit in contractibus, de quibus iam nobis propositum est dicere, quantum sufficit ad iudicandum quando sint illiciti; vel sine consensu domini vt fit per vsu capionem & præscriptionem, de quibus dictum est in eodem lib. 10. cap. 20. vt videtur sufficienter ad iudicandum quando talis acquirendi modus sit illicitus. Atque de contractibus varii tractant, quorum in sequentibus habebitur mentio: inter cæteros autem latissime Conradus septem tractatibus, & nouissime tum Ludouicus Molina De iustitia & iure tractatu secundo tomo primo, tum Ferdinandus Rebellus in opere quod inscripsit, De obligationibus iustitiæ. Nos Deo iuuante persequemur ad nostrum institutum accommodate: primo tractatu quidem, generaliter spectantia ad rationem iudicandi de peccatis in ordine ad contractus ciuiles: reliquis vero, specialiter spectantia ad eorumdem singulos, & ad quasi contractus.

TRACTATVS PRIMVS.

De iis quæ generaliter spectant ad rationem, iudicandi de peccatis in ordine ad contractus ciuiles.

QVSTIVSMODI sunt præcipue: vis quarumdam vocum iuridicarum, quibus significantur ea quæ connexionem habent cum dominio, cuius maxime respectu, contractus ciuiles considerantur in iudicio de peccatis. Deinde generalis definitio contractus. Tertio, huius varietas seu varia diuisio. Quarto, consensus requisitus ad validitatem contractus. Quinto, solita apponi contractibus ciuilibus. Sexto, nonnulla quæ passim inueniuntur cum illis coniuncta. Septimo, effectus ex iisdem nascentes. Octauo, accidentia quibus iidem effectus impediri possunt. Postremo, persona quæ censetur ad valide contrahendum iure inhabiles.

CAPVT I.

De vi quarumdam vocum iuridicarum.

SVMMARIVM.

1 *Quid sint potestas & facultas, & in quo differant.*
2 *Quo modo sumatur ius in doctrina de contractibus.*
3 *Quid sint vti, abuti, & ius abutendi.*
4 *Definitio dominij cum declaratione.*
5 *Quid significetur nomine tituli: quodque titulus alius sit verus & alius præsuptus: & quatenus dicatur causa dominij.*
6 *Quid sint ius in re, & ius ad rem: ac in quibus acquiratur ius in re, absque huius traditione.*
7 *Duo modi quibus vox proprietas sumitur in hac doctrina.*
8 *Quid & quotuplex sit verum seruitus.*
9 *Quid sint vsus fructus, seu fructus, & vsus, ac quo modo inter se differant.*
10 *Quid sit simplex vsus facti: quodque is possit tum iuste, tum iniuste fieri, tanquam pendens ab vtentis voluntate.*
11 *Possessio accipitur tum pro rebus quæ possidentur, tum pro actu possidendi: quidque sit hac accepta: tum demum pro effectu eiusdem actus.*
12 *Diuisio possessionis in naturalem tantum, ciuilem tantum, & naturalem simul & ciuilem.*
13 *Modi quibus possessio amittitur.*

Nu. 1. PRima earumdem vocum est *potestas*, quam latissime patere, habetur ex lege potestatis verbo, ff. De rerum & verborum significatione. Conuenit autem omni ei, qui vim aliquam, potest in rem aliquam exercere, seu de ea disponere.

Secunda vox est *facultas*, minus late patens quam potestas: vtpote quæ non significat omnem potestatem, sed tantummodo expeditam: seu nullo iure impeditam: itaut deriuari debeat, non quidem à fas, quasi significet iustam potestatem: *prout sentit Conradus, De contractibus, quæst. 1. concl. 1.* sed à facilitate, seu facili, sicut difficultas deriuatur à difficili, vt ait Pomponius Festus, De verborum significatione. Quamquam, *vt idem addit*, differentia inter facultatem & facilitatem ponitur, quod illa rerum, & hæc morum sit.

2. Tertia vox est *Ius*, quæ in hac materia non significat scientiam, sed potestatem, non quancumq;, sed illam quæ cõiuncta est cum iustitia: itaut Ius nihil aliud sit, quam iusta potestas: dictumque sit vel à iustitia, vt volunt Vlpianus. ff. De iustitia & iure lege 1. vel à iusto siue æquo, vt ex Isidoro refertur distin. 1. cap. Ius generale: & habetur ex cap. Ius, De verborum signific. Ea vero potestas interdum habet se in modum actiuæ, vt in iure ad aliquid agendum, vel retinendum, vel impediendum: interdum vero in modum passiue: vt in iure quod habet quis, vt alatur, vt custodiatur, vt ei seruiatur. Quod autem eadem iusta sit, habet ex eo, quod conceditur à lege, siue naturali, siue positiua: Nam quæ non competit secundum legem, ius non est sed iniuria.

Quarta vox est *vti*, significans percipere proprium commodum ex re aliqua, salua eius substantia, id est, itaut res ipsa non intereat, quemadmodum exponit Ioannes 22. in Extrauag. Ad conditorem, De verborum signific. Sic, *exempli gratia*, ille vtitur grege, qui vescitur lacte gregis, hoc saluo permanente. 3.

Quinta vox, *abuti*, præcedenti opposita: significans, *vt in eodem loco Ioannes 22. explicat*, ita percipere commodum ex re aliqua, vt ipsius substantia cõsumatur, prout fit quando quis sumit commodum ex vino vel cibo: tunc enim consumitur substantia vini vel cibi: vnde illud non tam est vti, quam abuti. Aduerte autem hic per rei consumptionem intelligi, non solum eam consumptionem per quam res ipsa prorsus interit: sed etiam per quam substantia rei distracta fuerit, seu transierit in alterius dominiũ. Sic enim quem abuti suo mancipio, non est illud interficere, quod ei non licet: sed est mancipium vendere alteri. Similiter abuti pecunia, est mutuo eam tradere, vel dono dare alteri: quia sic substantia rei perit priori domino, qui desinit esse illius dominus.

Sexta vox est, *ius vendi*, significans *interprete eodem Ioanne 22 ibidem*, iustam potestatem per quam licitum est alicui vti re aliqua, substantia eius salua.

Septima vox est, *ius abutendi*, significans iustam potestatem, qua quis licite potest consumere rem aliquam: vt adhuc Ioannes 22. in eadem Extrauag.

Octaua vox est *dominium*, cuius significatum declaratur definitione, qua dicitur esse ius perfecte disponendi de re, nisi quis lege prohibeatur. Cuius restrictionis addendæ, causa est quod etsi dominium ex sua natura tale sit, vt rei dispositionem, vsumue tribuat: tamen lege impediente, interdum fit, vt ea potestas nequeat exire in actum. Sic enim pupillus rem suam alienare prohibetur vsque ad certũ tempus: cum tamen sit verus dominus, ex cap. 4. epist. ad Galat. Vnde lex inducens tale impedimentum, non tollit naturam dominij: sed solum impedit illius vsum: quo impedimento per lapsum temporis, aut aliter cessante: eundem vsum habet liberum, sine acquisitione noui iuris: perinde ac si præditus visu impediatur videre, sublato eo impedimento absque accessione nouæ facultatis, potest in actum videndi exire. Porro in ea definitione, dominium potius dicitur ius, quam potestas: vt detur per proximum genus, quod est iusta potestas quam ius significat, non autem potestas absolute, quæ est genus remotum: quandoquidem complectitur iam iustam quam iniustam potestatem. Quod etiam de causa potius ponitur ius quam facultas, quæ tam iustam quam iniustam complectitur. 4.

Quod additur in eadem definitione ostendit id quod proprium est dominij pleni: vt nimirum illud habens possit re sua, & vti & abuti, pro arbitrio eam vel reseruando sibi, vel vendendo vel donando vel vastando: nisi lege Superioris impediatur. Excludit quoque à ratione pleni dominij, tum dominium directum, quod est nudæ proprietatis sine vsufructu: tum dominium vtile, quod est solius vsusfructus, vel vsus rei: tum quodcumq; aliud ius in re ad eius vsum aliquem, non autem ad omnem. Non enim ad vendendum, donandum aut destruendum pro arbitrio.

Nona vox est *titulus*, qua significatur non quidem dominium, vt quosdam cum Gersone perperam sensisse meminit Sotus *lib. 4. De iustitia & iure quæst. 1. art. 1. circa medium*: sed potius causa & ratio ex qua nascitur dominium: vt emptio, venditio, donatio, præscriptio, testamentum: & in beneficiis Ecclesiasticis, electio, resignatio, collatio. Neque titulus tantum est dominij, sed etiam vsusfructus, possessionis, atque adeo cuiusuis iuris: quandoquidem nihil est aliud quam causa & ratio iuris. Distinguitur autem titulus in verum, qui reipsa alicui conuenit: & in præsumptum, qui conuenit sola præsumptione: qualis est emptio qua quis bona fide rem furtiuam emit à latrone. Ex quorum priore nasci potest dominium; non item ex posteriore sed tantum possessio, & fructus. Cæterum titulus dicitur causa dominij, eo quod istud in illo primitus fundetur: non autem, quod totum ex illo proueniat: quia debet adiunctam habere rei traditionem, iuxta illud in lege Traditionibus, Cod. De pactis. Traditionibus dominia rerum, 5.

non

non nudis pactis transferuntur. Quæ verba indicant ex vi donationis, vel emptionis, vel alterius eiusmodi tituli, non resultare dominium, quo habeatur ius in re, nisi accedat traditio: etiamsi acquiratur aliquod ius ad rem.

6. Decima vox est *ius in re*, & vndecima *ius ad rem, seu in rem*: quarum explicatio ex duarum præcedentium explicatione pendet: ius enim in re, vt latius declarat Molina *in tractatu 2. De iustitia & iure disp. 2.* idem est, ac dominium, seu ius quod quisque habet ad vtendum ac fruendum re sua, seu ad illam distrahendam, alienandam, & de manu cuiuscunque sibi vendicandam, tanquam legitimus dominus. Ius vero ad rem est aliud minus (*ad quod facit cap. finale in fine. De conces. præbenda in 6.*) vtpote quod nihil est supra titulum, cum vltra eum ad habendum dominium, traditio requiratur, vt ante habitum est: & communem Doctorum sententiam esse Molina notat *in eadem disput. 2.*

Attamen, *vt videre est apud eundem in sequenti disp. 3.* in nonnullis traditio non censetur necessaria ad dominium acquirendum. Ac primo in beneficiis Ecclesiasticis, in quibus ex cap. Si tibi absenti, De præbendis in 6. ius in re acquiritur per collationem & acceptationem. Secundo in hæreditate ad cuius dominium acquirendum siue ex testamento, siue ab intestato, requiritur tantum, *ex lege Cum heredes ff. De acquirenda vel amittenda possessione*, vt adeatur hæreditas id est, acceptetur verbo vel facto. Tertio, in legato. Is enim cui certa res legata est, potest tanquam dominus illam sibi vendicare, hoc ipso quod hæres acceptat hæreditatem. Id quod satis significatum videtur per illud quod in lege A. Titio ff. De furtis, res legata dicitur transire recta via, ab eo qui legauit ad eum cui legata est. Quarto, in eo quod donatur, venditur, aut relinquitur ciuitatibus; Ecclesiis, aut aliis piis locis, aut in redemptionem captiuorum: quod deduci potest ex lege vltima C. De sacrosanctis Ecclesiis. Quinto, in contractu societatis omnium bonorum per matrimonium. De qua re Couar. *in lib. 3. variarum resolutionum cap. 19. in principio.* Sexto ex lege 1. Cod. De donationibus quæ sub modo conficiuntur: si donasti & tradidisti alteri domum aut fundum, aliudve simile sub ea conditione, vt alimenta tibi præberet: illo non præbente vt debet, statim recipis dominium & possessionem illius rei, absque vlla traditione. Septimo, si Princeps contrahat cum aliquo, vel aliquid ei donet intendendo transferre dominium, ipsum erit translatum absque alia traditione. De qua etiam re Couarr. *in præcedenti lib. 2. cap. 19 num. tertio* quæ fundatur in eo, quod cum ex Principis voluntate proueniat, vt traditio requiratur ad acquisitionem dominii, in eiusdem sit arbitrio, vt ea omittatur.

7. Duodecima vox est *proprietas*, quæ dupliciter sumitur: vno modo, vt idem fere significet ac dominium. Dico fere, quia dominium proprie est, quando quis non tantum est dominus rei, sed etiam percipit omnes fructus: & dicitur dominium solidum. Quando vero fructus rei alteri conceduntur, illud quasi nudum dominium quod remanet, dicitur proprietas: & aliquando ad maiorem explicationem vocatur nuda proprietas. Quando autem coniuncta est cum fructibus, plena proprietas appellatur. Secundo modo sumitur proprietas in iure canonico, vt opponitur communitati, sicut proprium opponitur communi: qua ratione dicitur, quod religiosi non habeant proprietatem: & quod Religiosi proprietarij damnentur, Extra De statu Moniach. cap. Cum ad monasterium. Quæ proprietas multum differt à dominio. Nam ex vna parte latius patet, cum inueniatur etiam in vsufructu, & in possessione, ac etiam in vsu: vnde proprietas quædam, dicitur proprietas vsus, in cap. Exiit §. Profecto, De verborum significatione in 6. Ex altera vero parte angustius contrahitur: quandoquidem inuenitur dominium, vbi non est proprietas. Nam Religiosi qui habent bona immobilia in communi, habent quidem dominium, non habent tamen proprietatem.

8. Decimatertia vox est *seruitus*, quæ conuenit hominibus & rebus. Ac de seruitute hominum hic non loquimur, sed de seruitute rerum, quæ est quoddam ius, quod quis alteri constituit in re, vel ex re sua; & est duplex, personalis & realis. Personalis est quando res seruit personæ, vt fit in vsu & vsufructu & in possessione: quæ sunt illius species quædam. Realis vero est quando vna res seruit alteri, & dicitur vrbana, quando prædium seruituti subiectum, est habitaculum hominum, etiamsi villa sit. Rustica vero dicitur, cum fuerit aliquid aliud: vt stabulum, horreum, vel ager. Sic ergo vrbana seruitus est, quod domus attolli nequeat, ne vicinis luminibus officiat; Rustica vero, quod liceat per tuum fundum transire ad alienum, & sic de similibus.

Decimaquarta vox est, *vsus fructus seu fructus*: qua proprie significatur ius vtendi & fruendi re aliena, salua eius substantia, vt dicit Ioan. 22. in Extrauag. Ad conditorem, De verborum significat. Atque ille qui habet tale ius dicitur vsufructuarius, aut fructuarius. 9.

Decimaquinta est (*vsus*) significans ius vtendi re aliena (*non tamen fruendi*) salua eius substantia, vt ibid. habet Ioan. 22. atque is qui habet tale ius dicitur vsurarius. In duobus autem vsus & vsusfructus conueniunt: vnum est quod non versentur circa substantiam, sed tantum circa accidentia, *in quo differunt à dominio*: indeq; ortum habent variæ obligationes fructuarij & vsurarij, conseruandi rem qua fruuntur vel vtuntur: de quibus legi potest Sylu. in verbo Vsus. Alterum est, quod vterque constituatur ex re aliena; & per consequens, sit seruitus personalis: quandoquidem dominium rei, cuius emolumenta vsu aut vsufructu capiuntur, est penes alium.

Differunt autem, quod vsusfructus sit quando quis habet ius accipiendi omnes fructus rei: itaut possit alteri eos donare, locare, aut vendere: quod est non tantum vti re, sed etiam frui. Vsus vero ad necessitatem referatur; & fit, quando quis habet ius accipiendi ex fructibus rei, illa tantum quę sunt ei necessaria ad victum & vestitum itaut reliqui fructus spectent ad alterum, nempe ad eum penes quem manet rei dominium. Cæterum fructus dicuntur: in grege quidem, lana, ac fœtus: in fundo vero, fœnum ac segetes, virgulta, salices & arbores cæduæ, glandes, poma, & id genus alia. De quibus obiter nota ex §. Is vero, Instit. De rerum diuisione: si fructuarius moriatur antequam eos collegerit, non acquiri hæredibus ipsius, sed cedere domino fundi: cui quandiu adhærent, censentur esse vnum cum solo, adeoq; pertinere ad dominium eiusdem soli, donec fructuarius ea colligendo fecerit suos. De hoc & aliis modis quibus amittitur vsusfructus, videri potest Sylucster loco citato quæst. 11.

Decimasexta vox est, *simplex vsus facti*, cuius habetur mentio in cap. Exiit. §. Profecto, De verborum significatione in sexto. Est autem eiusmodi vsus, *prout habetur ex citata Extrauag. Ad conditorem §. Licet autem*, ipse actus vtendi seu abutendi. Vnde intelligitur quod non sit seruitus personalis, sicut vsusfructus: neque mere ius personale, sicut ius vtendi, immo neque vllum omnino ius, sed tantum esse actionem transeuntem: quæ potest tam iuste quam iniuste fieri: *qua de causa vsus facti, non autem iuris dicitur*. Iuste autem fieri censetur, quando fit de consensu domini rei, in qua exercetur: iniuste autem, quando fit sine tali consensu. Namque vsus facti pendet à voluntate Domini in eoque differt ab vsu iuris, qui pendet solum à voluntate vsuarij, cui ius facit vtendi potestatem. Exemplum vsus facti, esse potestis, quem seruus habet vestis, quam dominus potest quoties voluerit, ei tollere. 10.

Decimaseptima vox est *possessio*, quæ tribus modis sumitur. Primo, pro ipsis rebus quæ possidentur, vt cum quis dicitur habere multas possessiones, vel vendere suas possessiones: sicque Matth. 19. & Act. 2. sumitur. Lex autem ciuilis, *vt constat ex lege Quæstio est, ff. De verb. significa.* hanc acceptionem aliquando contrahit, vt cum distinguit inter agrum & possessionem: quod ille sit prædium cum dominio, hæc vero prædium sine dominio seu proprietate. 11.

Secundo modo sumitur pro ipso actu possidendi; & sic definitur occupatio rei corporeæ facta proprio nomine. Cuius definitionis prima pars, *occupatio*, indicat rationem nominis. Nam possessio dicitur quasi potens sessio. & sedere idem significat ac occupare: quia qui sedet, locum occupat: quo fit vt possidere censeatur idem ac potens occupare. Cuiusmodi potestas quia non tantum iusta, sed etiam iniusta esse potest, fit quoque vt duplex possessio distinguatur: vna quę dicitur iuris, quando quis iusto titulo rem possidet; & altera quæ vocatur facti, quando quis possidet sine iusto

titulo: quæ distinctio habetur ex cap. Cum nostris, §. Auditor De concessione præbendæ. Secunda vero *rei corporeæ*, ideo in eadem definitione ponitur, quod sola res corporea, id est, quæ videri tangique potest, proprie dicitur possideri. Reo enim incorporeæ, vt sunt seruitutes, iura, obligationes & huiusmodi aliæ quæ percipiuntur tantum mente & intellectu, non dicuntur proprie possideri, sed quasi possideri, ex cap. Conquæstus, De foro compet. *iuncta glossa ad verbum, Quasi possessione.* Tertia demum pars, *quæ sit proprio nomine*, additur: quia cum quis occupat rem nomine alterius, vt tutor vel procurator, pupilli vel clientis nomine, non dicitur possidere. Nam alter ille, cuius nomine occupat, est qui possidet, vt habetur ex lege Generaliter ff. De acquirenda vel admittenda possessione.

Tertio modo sumitur possessio, pro effectu antedicti actus occupandi: & ita possessio est ius retinendi, & vtendi re occupata ab aliquo tanquam proprio ipsius domino. Ex ea enim actuali possessione, nascitur istiusmodi ius retinendi & vtendi re, tanquam effectus ex sua causa: in hacque significatione sumitur possessio, quando dicitur esse vsus: vt in antecitata lege Quæstio est: sensus enim est, esse ius vtendi.

Plura de possessione tradit Couar. ad regulam Possessor par. 2. in initio, cum eoque recentiores præsertim Ludouicus Molina tract. 2. De iustitia & iure disput. 12. & quinque sequentibus.

12. Sed potest sufficere huic loco, eam distingui in ciuilem & naturalem. Ciuilis est, quæ solo animo retinetur: vt accidit cum quis abest à rebus quas possidet, interea habens animum eas retinendi. Dicitur vero ciuilis, eoquod magis ciuili, quam naturali iure constet. Naturalis autem est, quæ tum animo tum etiam corpore retinetur: vt cum quis rem aliquis occupat tanquam suam. Quæ quidem occupatio, nonnunquam fit apprehensione vera: vt cum res accipitur manibus, si sit mobilis, vel cum in eam, saltem secundum partem aliquam, pedibus intratur, si sit immobilis. Nonnunquam vero fit apprehensione ficta, seu quæ ex iuris fictione, eamdem vim habet cum vera: vt si in conspectu cellæ vinariæ, aut horrei, alteriusve loci in quo sunt merces quas acquirere desideras, accipias à priore possessore claues eiusdem loci, censeris ex fictione iuris accipere seu acquirere talium rerum possessionem naturalem. Similiter per vsum oculorum, tanquam magnæ cuiusdam manus, censeris ex fictione iuris acquirere possessionem naturalem prædij, si prior possessor, aut Iudex illud tibi ostendat: significando se ea ratione tradere tibi illius possessionem. Idem iudicandum est, si tibi successuro, prior possessor tradat scripturam, quæ continet titulum quo eam possidebat.

Modi autem quibus possessio tum ciuilis tum naturalis amittitur, sunt. Rerum quidem mobilium, primus per voluntatem possessoris, nolentis eas amplius possidere: secundus per furtum aliamve vsurpationem, qua quis sibi vsurpat aliena tanquam sua: tertius est per amissionem crumenæ, annulli, & similium: aut per fugam cum sunt animalia quæ aberrarunt, nec consuetudinem habent per se redeundi: nec dominus curat inuenire. Rerum vero immobilium possessio amittitur, primo si possessor sit longo tempore absens, nec per alium insistat rei, nec protestetur se nolle amittere illius possessionem. Secundo, si quis sciat rem suam esse ab alio occupatam, & negligat. Tertio, si eam repetat quidem, sed repulsam passus, non audeat insistere. Quarto, si timens repulsam pati, non audeat ipsam rem suam repetere aut inuadere illius possessionem: quinto, si nesciat rem esse suam, ideoque non censeat illam in propriis bonis: sexto, si res ita sit occupata, vt nulla sit relicta probabilis spes eam recuperandi.

CAPVT II.

In quo generalis definitio contractus traditur.

SVMMARIVM.

14 *Quid sit contractus generaliter, quidque proprie sumptus.*
15 *Quid sit sumptus minus proprie.*
16 *Impropriæ sumptus de quibus dicatur.*
17 *Depositum & pignus sunt proprie contractus.*
18 *Sunt item assecuratio, census, cambium, custodia, matrimonium, prout vim habet ex iure naturæ: itemque conuentiones omne, vtrimque obligantes.*
19 *Non item legata, nec fidei commissa nec precarium, nec compromissum, nec arbitrium, nec delatio iuramenti, nec transactio.*

COntractus late sumptus definiri potest, actio hominis erga alium, ex qua obligatio vtrimque, aut ex altera saltem parte nascitur, aut nata dissoluitur. Qua definitione comprehenditur omnis contractus siue proprie, siue minus proprie siue improprie sumptus. Vt ipsum sumi posse habetur ex glossa, ad legem Labeo 2. ff. De verborum signific. 14.

In qua quidem lege proprie sumptus definitur: vltro citroque obligatio: id est, actio inter duos, mutuo consensu inita: cum scilicet, exempli gratia, ego causa tui, & tu vicissim causa mei, data vtrimque fide aliquid facimus, & ratum habemus: ex qua actione vtrimque nascitur obligatio ex iustitia: vt in emptione, & venditione: in locatione, & conductione: in commutatione, & societate. Itaque vt recte Sotus monet, *in 6. de iust. & iure quæst. 2. art. 1.* ea definitio causalis est, non formalis: quandoquidem obligatio, non est forma seu essentia contractus, sed illius tantum effectus qui indicat ipsum formaliter, esse prædictam actionem: quæ ex eo appellatur nomine contractus: quod per eam quis, trahendo ad se ex re alterius, quod est sibi commodum vel necessarium, ipse obligetur ad dandum vel ad faciendum ex re sua quod commodum sit vel necessarium illi alteri.

Minus proprie vero sumptus contractus, dicitur de quocumque pacto, ex quo consurgit obligatio, saltem ex vna parte: hacque acceptione intelligendum est, donationem inter contractus numerati à Nauar. *in Enchir. cap. 17. num.* 180. non autem propria præced. acceptione. Etenim donatio tantum habet obligationem ex parte donantis: qui ex eoquod rem donauit, tenetur illam tradere donatario: qui ex vi donationis ad nihil tenetur nisi ad gratum animum ex honestate: sique ad aliquid ex iustitia (sicut solet ratione contractus) teneri contingat; id non est ex vi donationis, sed alicuius admixti: vt in donatione serui, quam ex lege Aristo. ff. De donationibus, Titius fecit Caio sub conditione, quod illum post quinquennium manumitteret. Ea enim, mixta est pacto, quo Caius tenetur acceptum dono seruum, quinquennio expleto manumittere. Intelligendum etiam est illos quos vocant contractus claudicantes, ista tantum acceptione censeri contractus: vt v. g. emptionem qua quis emit á pupillo sine tutoris authoritate: qui ex vi illius, obligatur quidem pupillo, non tamen ei vicissim pupillus, ex lege Iulianus §. Si quis à pupillo, ff. De actionibus empti & venditi. Hac quoque acceptione tantum, solutio indebiti videtur censenda contractus: ex vna enim tantum parte cum obligare constat: quandoquidem est, cum quis credit se aliquam pecuniæ summam debere alicui, cui nihil debet, illã ex errore soluit. Inde enim obligatio consurgit tantum ex parte recipientis, qui ad restitutionem tenetur. 15. 16.

Improprie demum sumptus contractus, dicitur de omni pacto, etiam eo, ex quo nulla oritur obligatio. Qua acceptione, vt videre est apud Conrad. in tract. 1. De contractibus quæst. 16. contractus dicitur etiã de donatione quę à traditione rei donatæ ita incipit, vt donator statim initio, dominium eiusdem rei transferat in donatarium, concurrente pariter vtriusq; consensu: vnde fit vt nulla obligatio ex ea nascatur, neque donatoris, cum à traditione donationem incipiat: neque donatarii, qui ad nihil tenetur ex iustitia, vt ante dictum est. Hac quoque acceptione sumptus contractus dicitur de acceptilatione: quandoquidem ex ea nõ modo obligatio non consurgit, sed etiã illa quæ ante erat in debitore respectu creditoris dissoluitur, ex § 2. tit. Quibus modis tollitur obligatio lib. 3. Institutorum. Acceptilatio enim est imaginaria debiti & obligationis solutio, quæ fit quando debitore interrogante creditorẽ an velit ei debitũ remittere acceptũq; habere: is respõdet Volo & habeo. Dicitur deniq;

eadem

eadem acceptione sumptus contractus, de omni obligatione quæ ex delicto nascitur; iuxta legem, Omnem, ff. de iudiciis. Trium harum acceptionum in citato art. 1. meminit Sotus, citans Sylu. in verbo. Contractus, & Conradum in memorata quæst. 16.

17. Cæterum quod idem Sotus *in eod. art. concl.* 2. negat contractum dici proprie de depositio & pignore, non videtur admittendum. Nam quod illa fiant gratis, commune habent cum mutuo & commodato, quæ ipse ponit inter species contractus proprie dicti. Item quamuis depositio gratis fiat, ipsa tamen facta, nascitur vtrimque obligatio: quia depositarius debet depositum custodire & restituere tempore præstituto: nec potest eo vti pro libito. Et deponens eo ipso quod deposuit, debet soluere impensas si quas depositarius fecit necessarias in custodiendo deposito, quod similiter dicendum est de pignore.

18. Multo vero minus quod contractus sint, negari potest de assecuratione, quæ species quædam est emptionis, vel locationis: aut de censu, qui emptionis: aut de cambio, quod permutationis: aut de emphyteusi, quæ locationis species quædam est: aut de custodia quæ quando custos gratis fide sua rem sumit custodiendam, species est depositi: quando vero sumit accepto pretio suæ diligentiæ, & operæ: vt cum pastor ouium locat suam operam ad gregem custodiendum, est species locationis. In quibus omnibus cum vtrimque nascatur obligatio, merito de iis dicitur quod sint proprie contractus, sicut & de matrimonio quatenus ex iure naturæ vim habet. Ea enim ratione species est societatis contractæ inter virum & vxorem: tam ad prolem, quam ad mutua vitæ obsequia & rei familiaris curam. Ac demum de omni conuentione ex qua nascitur vtrimque obligatio, vel dandi vt des, vel faciendi vt facias; vel dandi vt facias, vel faciendi vt des: itaut ludus coniunctus conuentioni, qua ludentes sic inter se contrahunt: *Victus soluam, vt tu victus soluas*, censeri possit proprie contractus: sicut & sponsio, dicta Gallicé *gageure*, quæ est talis quidam ludus.

Secus autem dicendum est vt de donationibus, ita & de legatis, quæ sunt donationes à testatore factæ, & ab hæredibus præstandæ; ex lib. 2. Institutorum, tit. De legatis § 1. Itemque fideicommissa quæ sunt legata, testamento relicta cum conditione, quod post aliquod tempus restitui debeant. Nam hæc quoque donationes esse, habetur ex lege, Et fideicommissum, ff. De legatis & fideicommissis tertio. Secus item de precario, quo precibus petenti aliquid vtendum, conceditur tandiu, quandiu is qui concessit patitur; ex lege prima, ff. De precario, & ex cap. finali. De precariis. Ipsum enim est quædam donatio vsus rei, nisi malueris esse commodatum ad tempus incertum.

19. Secus quoque dicendum esse, vt de acceptilatione, ita & de compromisso, arbitrio, delatione iuramenti, & transactione: quæ habent rationem dissolutionis contractus. Etenim compromissum, est pactio quædam & conuentio inter litigantes ad lites finiendas, ex lege prima, ff. De receptis arbitris. Arbitrium vero est, quo Iudices arbitri, à litigantibus eliguntur ad litem componendam. Delatio autem iuramenti est, qua creditor debitore negante debitum, defert illi iuramentum; vt si iuret debitum esse iam solutum, non sit amplius ab illo exigendum. Ac demum transactio, est pactio de re dubia, & lite incerta nondum finita, aliquo dato vel retento vel promisso, vt lis esset, ex lege prima, ff. De transactionibus, & ex lege, Transactio, Cod. eodem titulo, & ex cap. Super eo, eodem quoque titulo, Extra. Quod quidem est inter debitorem, & creditorem ita conuenire vt ille soluat certam debiti partem, ne cadens causa totum soluere compellatur: & hic partem remittas, ne forte cadens causa totum perdat. Ex quibus facile erit similiter iudicare de cæteris, sitne proprie, an minus proprie, aut tantum improprie dicti contractus. Aduerte autem obiter antedicta de donatione, pertinere ad ipsam simplicitet sumptam: prout scilicet prouenit ex liberalitate vel munificentia vel charitate mera. Non enim videtur negandum, rationem proprie dicti contractus habere, cum est coniuncta cum pacto vt detur, vel fiat aliquid in nostram gratiam: vel quia aliquid datum vel factum est.

CAPVT III.

De varietate seu varia diuisione contractus.

SVMMARIVM.

20 *De contractuum varietate, ac primo de ea quæ sumitur ex personis cum quibus illi fiunt.*
21 *De ea, quæ ex rebus de quibus fiunt.*
22 *De aliis quæ ex modis quibus fiunt.*
23 *Qui contractus dicantur bonæ fidei, & qui stricti iuris.*
24 *Qui dicantur gratuiti, & qui onerosi.*
25 *De vltima diuisione late patente, quod quidam rem vnius transferant in alium quoad dominium, & qui.*
26 *Quidam quoad vsumfructum tantum, & qui.*
27 *Quidam quoad vsum tantum.*
28 *Quidam quoad traditionem rei tantum.*

QVoniam contractus pendent ex libera hominum vo- 20.
luntate, ij admodum varij sunt ac multiplices: nouis indies, ac diuersis apud diuersas nationes subortis, pro diuersitate ingeniorum. Vnde fit vt in hac re, quæ ex tam inconstanti ac mutabili principio pendet, non sit facile seriem texere, qua in certum Ordinem tanta varietas digeratur. Nihilominus vt quantum fieri potest confusionem vitemus: tria in contractibus spectabimus ex quibus illi possunt inter se distingui: quæ sunt personæ cum quibus, res de quibus, & modi quibus fiunt.

Primum ergo ex personis cum quibus contractus fiunt, iidem distinguuntur in diuinos, diabolicos, Ecclesiasticos, & ciuiles. Diuini sunt, quibus contrahimus cum Deo, vel cum Sanctis in ordine ad Deum; vt vota omnia. Diabolici vero sunt, quibus contrahitur cum diabolo: vt magia, maleficia, veneficia, omniaque alia pacta cum dæmone. Ecclesiastici autem sunt, quibus cum Ecclesia Dei sponsa contrahimus: vt solemnis professio Christianismi in baptismo, beneficia Ecclesiastica, solemne votum continentiæ in Ordinibus sacris, & professio religiosa in religione aliqua per Sedem Apostolicam approbata. Ciuiles denique sunt, quibus homo contrahit cum homine: quorum alij sunt innominati, alij nominati. Dicuntur innominati, qui certa & peculiaria nomina iure gentium non acceperunt: & sunt quatuor, ex lege Naturalis, ff. De præscriptis verbis. Do vt des, facio vt facias: Do vt facias, & facio vt des: ad quos reuocandi sunt omnes de quibus dubitatur quam speciem & naturam nominatorum habeant, non item cæteri: quantumuis in eis talis ratio generaliter inueniatur: vt in permutatione inuenitur prima ratio: nempe Do vt des. Dicuntur vero nominati, qui certa & particularia habent nomina iure gentium: vt emptio, locatio, &c. vel qui iure ciuili cum peculiari nomine sunt introducti, vt emphyteusis, stipulatio, & quidam alij.

Secundo, ex rebus de quibus contractus fiunt, ipsi dis- 21.
tinguuntur: quod quidam fiant de personis; vt matrimonium, & mancipiorum permutationes atque venditiones. Quidam vero fiant de rebus spiritalibus, vt simonia, & beneficia: & demum quidam de rebus temporalibus seu externis, vt mutuationes, emptiones, & cæteri quorum est vsus in hominum commerciis.

Postremo, ex modis quibus fiunt contractus, variæ ipso- 22.
rum diuisiones sumuntur. Prima est, quod alius sit mutuus, alius non mutuus. Dicitur mutuus, quando ex vtraque parte obligatio nascitur; vt contingit in emptione & venditione, conductione, & locatione, commodatione, mutuatione, impignoratione. Non mutuus vero, quando ex vna parte, non ex altera nascitur obligatio: vt fit in simplici promissione gratuita, in donatione, libero legato, fideiussione, fideicommissione, & liberatione à solutione per acceptilationem.

Secunda diuisio est, quod alius sit simplex & absolutus, & alius conditionatus. Dicitur absolutus, cui nulla conditio additur: conditionatus vero, cui aliqua conditio additur, qua posita sequatur obligatio. Qua de re inferius in cap. 1. vbi agetur ex instituto de eadem conditione.

Tertia diuisio est; quod alius sit licitus, qui secundum legem, & æquitatem fit; alius vero illicitus, vt simoniacus, vsurarius, & omnis alius qui contra legem, æquitatemque fit.

Quarta est, quod alius sit temporalis, id est, ad certum tempus tantum, & alius perpetuus, id est, semper duraturus.

Quinta est, quod alius fiat re, alius verbis, alius scriptura, alius consensu: eadem ratione, qua in sequenti cap. sexto dicetur de pacto, in quarta illius diuisione posita proxime ante primum documentum.

23. Sexta, quod alij sint bonæ fidei: vt venditio, locatio, societas, & cæteri qui commemorantur in §. Actionum, Institutis, De actionibus: alij vero sunt stricti iuris; vt mutuum stipulatio & arbitrium. Non dicuntur autem bonæ fidei, quod in eis solis inueniri debeat bona fides: quia in omni contractu ea debet interuenire, ex lege, Bonam fidem, Cod. De obligationibus & actionibus; sed quod in illlis Iudex debeat iudicare ex æquo & bono, quantum ad id quod restituendum est vel compensandum; non autem ex rigore legis scriptiue iuris: sicut in aliis, qui ex eo dicuntur stricti iuris, quod in illis iudicandum sit ex rigore legis, iurisve scripti: atque ex rigore conuentionis factę inter contrahentes. De hac contractuum distinctione plura qui volet videre potest apud Couar. ad regulam, Possessor, *par. 2. §. 6. aut Ludouicum Molinam in tract. 2. de iust. & iu e disput. 259.*

24. Septima diuisio est; quod alij sint gratuiti, alij non gratuiti. Dicuntur gratuiti qui non fiunt ob solutum pretium vel mercedem acceptam (vnde etiam dicuntur facti titulo gratioso) vt mutuum, cõmodatum, precarium, depositum, mandatum, fideiussio. Non gratuiti vero dicuntur qui fiũt ob pretium vel mercedem, vel ob aliam quamcumque rem factam vel datam, vel faciendam, vel præstandam: vnde dicuntur etiam onerosi, quia obligatio soluendi pretium vel mercedem, vel rem aliam dandi vel faciendi est onus.

Octaua diuisio est; quod alij fiant in gratiam tantum & bonum recipientis: vt mutuum & commodatum regulariter: alij vero fiant in gratiam tantum dantis: vt depositum, & mandatum regulariter: alij demum fiant in gratiam & bonum vtriusque: vt emptio, locatio, permutatio, pignus, societas. Ideo dixi *regulariter*: quia depositum, mandatum, & commodatum aliquando fiunt in bonum vtriusque, nam depositario interdum permittitur vti re deposita, & mandatum quo quis cum absente contrahit per literas, ei committendo vt merces, vel aliquid aliud pro se emat, de se quidem gratuitum est, sed interdum mandatarius ex eo commodum accipit, quod si fiat loco mercedis, inducit rationem locationis: interdum denique commodat quis rem suam in propriam vtilitatem: vt cum quis alteri commodat suam supellectilem vt communis amicus nomine ipsorum honorificentius excipiatur.

Nona diuisio est; quod alij fiant per se seorsimque ab aliis contractibus separati: alij vero ex sua natura coniuncti sint aliis, & propter alios fiant: huius generis sunt assecuratio & fideiussio: & ex quorundam sententia pignus, atq; societas: prioris autem generis sunt cæteri.

25. Postrem est; quod quidam sint, qui rẽ vnius ad alterum transferunt quoad dominium: & quidam quoad vsumfructum tantum: quidam autem quoad vsum tantum, & quidam denique quoad traditionem rei tantum. Ac rursus qui transferunt quoad dominium, vel transferunt gratis, vt donatio gratuita & liberum legatum; vel non gratis: tuncque vel res datur pro re; vt vinum pro oleo, & est permutatio; ad quam reuocatur cambium, quod est lucrosa permutatio pecuniæ pro pecunia: vel res pro pretio seu pro pecunia, & est emptio ac venditio: sub qua comprehenduntur negotiatio, societas & assecuratio: vel res cuius vsus non distinguitur à dominio, pro simili postea accipienda: vt mutuum, sub quo comprehenduntur contractus, quos vocant montes pietatis.

26. Ex iis vero contractibus qui rem transferunt quoad vsumfructum tantum, quidam transfert in perpetuum & gratis, vt feudum, quo quis reseruato sibi dominio, seu proprietate rei immobilis, *puta domus vel prædij*, in alterũ transfert dominium vtile, hoc est, fructus & emolumenta, idque gratis seu nullo pretio, vel annua pensione petita; sed tantum seruitio personali: quale est quod vassalli debent suo Principi. Quidam vero, qui siue in perpetuum, siue etiam ad tempus dominium transfert; non quidem gratis, sed pro annua pensione, vt emphyteusis, quæ cætera habens cum feudo communia, in hoc ab illo differt, quod non gratis, & tam ad tempus, quam in perpetuum fiat. Quibus duobus, possunt tanquam eiusdem generis, addi primo, contractus liuellarius, quo emphyteuta omne ius suum, quod habet in emphytheusi, trãsfert in tertium, & id in perpetuum. Deinde census, qui est ius accipiendi reditum annuum ex re aliena. Tertio, censualis pensio; quæ est contractus, quo quis omne ius quod in rem aliquam habet transfert in alterum, pro pretio quidem, sed ita vt sibi nihilominus præstetur pensio annua. Et demum contractus superficiarius, quo quis retento sibi dominio directo, & proprietate soli, dat alteri superficiem fundi, id est, molendinum, vel domum, vel aliud ædificium in eo existens: idque siue imposita pensione annua, siue non imposita (vtroque enim modo fieri potest) sic tamen vt idem finiat, pereunte ipsa superficie; hoc est, vt si domus vel molendinum vel aliud ædificium datum pereat, seu destruatur incendio, vel impetu aquarum, vel vi ventorum, vel alia ratione, talis contractus cesset, nec detur potestas reædificandi.

27. Ex iis porro contractibus qui rem transferunt quoad vsum tantum: quidam est, quo simpliciter vsus rei gratis transfertur, & dicitur commodatum, seu commodatio. Quidam vero quo vsus vnius rei transfertur pro vsu alterius, & dititur permutata commodatio. Quidam demum quo vsus rei transfertur pro pretio, & dicitur locatio, & conductio.

28. Ex iis denique quibus tantum traditur res, quidam est quo traditur tantum ad custodiam: vt depositum seu depositio ad custodiam: quidam vero est quo res traditur ratione alicuius obligationis, vel fideiussionis: & dicitur impignoratio, cum est rei mobilis; & hypothecatio, cum est rei immobilis. Ex tanta autem varietate soli ciuilesin hoc libro occurrunt considerandi. Nam quæ ad alios pertinent partim tradita iam sunt, partim tradentur in sequenti tomo.

CAPVT IV.

De consensu requisito ad validitatem contractus.

SVMMARIVM

29 *Consensus liber ad contractum validum requisitus est, & quomodo intelligendum sit contractus aliquos constare solo consensu.*

30 *Quando metus sit censendus leuis, & conditiones requisitæ, vt grauis censeatur.*

31 *Metus etiam grauis non efficit regulariter contractum inualidum, licet faciat inualidabilem.*

32 *Contractus qui metu facti, cum requirant consensum liberum cum conditione libertatis, sunt inualidi.*

33 *Propter solum metum grauem contractus irritantur in foro externo: in interno etiam propter leuem: & talis differentiæ causa.*

34 *Metus ab quem irritus est contractus, debet prouenire à principio externo.*

35 *Debet quoque esse iniuste incussus.*

36 *Restitutioni obnoxium est metu, etiam leui, extortum.*

37 *Qui metu aliquid extorsit, & illud, & omne damnum inde secutum restituere tenetur: in quo si deficiat, qui ei cooperati fuerint, tenebuntur supplere.*

38 *Metus reuerentialis quando tantum grauis sufficiat ad rescindendum contractum.*

39 *Talis ex metu reuerentiali sufficit ad rescindendum contractum, qui contrahenti valde præiudicat.*

40 *Metus reuerentialis quoad conscientiam forum, sufficit ad obligationem restituendi quod acceptum fuerit.*

41 *Corollaria inde deducta.*

42 *Metus reuerentialis in quos cadat.*

43 *Quando contingat preces importunas inducere metum sufficientem ad rescindendum contractum.*

44 *Quando sufficiant quoad forum conscientiæ ad inducendam obligationem ad restitutionem.*

45 *Error contingens in contractu, quid amest antecedens, & quidam comitans, hicque non impedit validitatem contractus.*

46 *Ille vero, qui tantum quoad forum conscientiæ, impedit.*

47 *Error contractum iure inualidum, non validat.*

48 *Modi quibus contingit errorem antecedentem reddere inualidum contractum, cui causam dedit.*

49 *Iuramentum non desinit obligatorium esse, & indigere dispensatione, ex eo, quod appositum sit contractui inualido, si seruari possit absque salutis dispendio.*

50 *Obligatio quam iuramentum inducit, appositum contractui inualido.*

51 *Iuramentum appositum contractui inualido, ob turpitudinem quam is contrarius habet, non confirmare ipsum.*

52 *Nec item confirmare eum, qui primo & principaliter à iure annullatur ob fauorem publicum.*

53 *Confirmare autem eum, qui primo & principaliter annullatur ob fauorem priuatum, exceptis tribus casibus.*

54 *Contractus metu graui aut dolo extortus non confirmatur iuramento.*

55 *Contractus factus contra prius iuramentum, valere potest.*

29. IN omni contractu liber consensus requiritur: quia contractus gignit in homine obligationem nascentem ex ipsius consensu: quo tanquam particulari lege, se alteri adstrinxit. Debet autem talis consensus, qui est actus interioris voluntatis, declarari signo externo: quia homo homini obligari non potest per solum actum internum; qui natura sua latet, ac fugit hominis cognitionem. Quare cum quidam contractus dicuntur solo consensu constare, *vt matrimonium contrahi solo consensu*, non est ita intelligendum, quasi ad eos non requiratur consensus internus, aliquo externo signo declaratus: puta nutu, aut alio æquiualente signo, vel verbis: sed quod ad eos, consensus istiusmodi sufficiat (prout censetur sufficere ad emptionem, locationē societatē & mandatū, ex lege, Consensu, De obligationibus & actionibus) cum cæteri contractus amplius requirant: vel traditionem rerum, vt mutuum, commodatum, pignus, depositum & indebitum: in quibus vltra consensum contrahentium requiritur vt interueniat res vni parti data, ex titul. Quibus modis acquiritur obligatio, Institutis. Vel requirant certam verborum formam, vt stipulatio; Institutis, De verborum obligationibus: itemque fideiussio, quando-quidem verbis & stipulatione obligantur fideiussores. Vel denique requirant scripturam: non quidem iure naturæ, sed humanæ legis dispositione, vel conuentione partium. Hac enim ratione dantur nonnunquam mutuationes & emptiones, quæ ex eo imperfectæ censentur, quod interuentu scripturæ confectæ non sint. Ad statuendum autem quando tale quid contingat, inspicere oportet, an sit aliqua consuetudo loci, vel conuentio inter partes: quæ id ferat. Porro iudicandi de peccatis perpendenda sunt circa propositum consensum, ea, quibus impediri potest ne sufficiat ad contractus validitatem; qualia sunt, metus, reuerentia, preces importunæ, & error. Perpendendum est item iuramentum, tanquam ad eamdem validitatem efficiendam aliquod robur addens. De quibus singulis documentis aliquot subiiciemus.

Documenta de metu, quo impediri potest propositus consensus ne sufficiat ad contractus validitatem.

SECTIO I.

30. PRÆMITTENDVM EST, *quod plenius tractauimus in præcedenti lib. 1. cap. vltimo*, metum alium esse leuem, & alium grauem. Atque leuem censeri, quando malum quod timetur, leue est quidem ex se, aut certe non imminet probabiliter: sed homini meticuloso, ex animi leuitate & sine probabili ratione, graue, aut imminere videtur. Grauem metum vero censeri, concurrentibus quinque conditionibus (eas citatis pluribus authoribus refert Thomas Sanchez de matrimonio lib. 4. disput. 1.) quarum prima tenet se ex parte metuentis, vt is non possit facile occurrere malo quod sibi metuit: nam si possit, leuiter ac sine ratione metuere censebitur. Secunda ex parte incutientis metum: vt is valeat minas executioni mandare. Tertia ex parte eiusdem; vt solitus sit intentatas minas executioni mandare. Non enim est viri constantis, sed meticulosi, timere minas illius, qui aut eas exequi non potest, aut qui facile iram deponit, & nunquam aut raro mandat executioni ea quæ minatur. Quarta ex parte mali, quod metuitur; vt ipsum imminere at: alioqui enim leuiter vaneque, nec rationabiliter timeretur. Quinta ex parte eiusdem, vt ipsum sit malum vere graue, quod vir constans merito timeat; cuiusmodi sunt mors, seruitus, carcer perpetuus, vincula, aut verbera, maximi cruciatus, infamia, dedecus, stuprum, & amissio patrimonii: non item alia, *vt Syluester monet in v. rbo Metus, sub finem n. primi*, nisi in quantum possunt ad hæc reduci; quod arbitrio iudicis aut viri prudentis relinquitur definiendum: sicut & absolute quisnam sit metus grauis, prout communem sententiam esse notat Nauar. *in Enchir. cap. 22. num. 51.* Addens in huiusmodi arbitrio prudentis, præter obiectum, *id est, mala imminentia*, considerandas esse circunstantias fortitudinis vel fragilitatis; non tantum sexus, verum etiam ætatis, ac innatæ magnitudinis vel paruitatis animi, aliorumque accidentium eius, qui metum patitur.

De his plenius Sanchez *in seq. quæst. 3. & 5.* Ex quo in disput. 4. adde ea locum habere, siue talia mala timeantur in propria persona, siue in consanguineorum & aliorum intimorum personis. Item ex disput. 6. & 7. nonnunquam metum reuerentialem, id est, quo inferior reuerentia superioris, *vt vxor, mariti*: filius patris, &c. itemque importunas preces, inducere rationem metus grauis, reddentis cōtractum inualidabilem, & plerumque relinquere illum, in sua natura.

PRIMVM documentum autem est. Metum non modo leuem, sed nec grauem, regulariter efficere inualidum contractum: reddere tamen, *vt loquuntur*, inualidabilem. Hoc ex glossa ad Cap. Abbas, De iis quæ vi, &c. communiter receptum esse notat Nauar. in Enchir. partim *præludio 6. n. 6. partim. c. 22. n. 50.* Eius vero prior pars inde probatur, quod cum factum metu, absolute sit à voluntate libera (vt potè quę absolute potuit illum nō elicere) contractus metu factus, non debeat censeri penitus inualidus, tanquam patiens absolute defectum libertatis; sed ipsum esse de se, vt absolute liberum, sicut & absolute validum, si adsint cætera requisita. Pro quo Thomas Sanchez *in citato lib. quarto, disp. 8.* multos authores refert. Qui & argumentis quæ in contrarium adferuntur solutis, inde infert nu. 5. per contractus metu etiam graui celebratus, transferri dominium: cū per eos tanquam validos titulus conferatur: & concurrente cum titulo traditione (qua completur alienatio rei) eiusdem dominium transferatur in alium: ex lege, Traditionibus, C. De pactis, & ex §. Per traditionem, Institutis, De rerum diuisione. 31.

Posterior vero pars documenti, ex eo probatur, quod factum metu, præsertim graui, sit secundum quid inuoluntarium, vtpote cui voluntas consentit repugnanter, & tantummodo ob periculum aliquod propositum, quod si abesset, plane dissentiret. Vnde quia sic facti cōtractus plerunque solent habere exitus pernitiosos, consentaneum est rationi, vt ij iudicentur tales esse, qui possint per Ecclesiasticam, ac etiam per ciuilem potestatem irritari. Nec refert in hac re, illene in cuius fauorem celebratus est contractus, metum intulerit, an alius, iuxta illud in lege. Item si cum exceptione, ff. Quod metus causa, &c. In hac actione non quæritur vtrum is qui conuenitur, an alius metum fecerit: sufficit enim hæc docere, metum esse sibi illatum: & ex hac re, eum qui conuenitur, etsi crimine careat, lucrum tamen sensisse. Ratio autem additæ particulæ (regulariter) innotescet per duo sequentia documenta, quibus præmittendum est, quod ex Panormit. ad Cap. Cum locum, De sponsalibus, habent Angelus & Sylu. *in verbo Metus: ille num. 7. & hic num. 8.* quosdam contractus (vt gratiosos, quorum obligatio tota pendet ex libera intentione gratificantis) requirere consensum liberum cum conditione libertatis: ita nimirum, vt consentiens securitate gaudeat, ne per timorem dicat sibi placere, quod odit, ex cit. Cap. Cum locum: alios vero non requirere talem conditionem.

32. ITAQVE secundum documentum, *quod Nauar. in Enchir.pralu.6.n.6.expreſſit*, eſt. Contractus qui requirunt conſenſum liberum cum conditione libertatis, inualidos eſſe, ſeu nihil valere, etiam ſine reſciſſione, ſi metu fiant. Huius ratio aperta eſt quam Angelus & Sylu. habent locis citatis: quia metus inducens voluntatem ad id, quod alioqui ipſa auerſatur, tollit conditionem libertatis, quæ eſt de ſubſtantia talis contractus; & per conſequens tollit, inualidumque reddit ipſum. Addunt iidem poſt Panormit. ad Cap. Abbas, De iis quæ vi, &c. contractus iſtius generis eſſe, primo, opera meritoria. Sed, *vt loco citato recte ait Nauarrus*, opus metu factum, quia eſt actus humanus liberve poteſt aliquando eſſe meritorium: quando ſcilicet adfuerint cætera quæ ad meritum requiruntur: nempe bonum eſſe, & in ſtatu gratiæ factum amore Dei ſupernaturali.

Ideoque primus ſit matrimonium metu contractum, ex Cap. Veniens 2. & Cap. Cum locum. & Cap. Conſultationi, De ſponſalibus. Secundus, vero ſit promiſſio, vel ſolutio dotis per metum: ex lege, Si mulier, §. ſi dos. ff. De eo quod metus cauſa. Tertius, metu facta alienatio rei Eccleſiaſticæ, præſertim non ſeruata forma ſtatuta in Clemen. 1. De rebus Eccleſiæ non alienandis: de qua alias, cum de beneficiis Eccleſiaſticis. Quartus, votum factum metu humano, hoc eſt, ab homine ad hoc incuſſo alicui, vt voueret (exemplum ſumi poteſt ex Cap. Perlatum, De iis quæ vi) non item factum metu incuſſo ex alio reſpectu, vt Angelus verbo Metus, §. 8. ſub finem expreſſit: & probat, quia Deus non vult, niſi voluntarium, libera voluntate conuerſum, argumento Cap. Sicut nobis. De regularibus. Quintus eſt, iuriſdictionis collatio, aut prorogatio per metum extorta, ex lege 2. in principio, ff. de iudiciis. Sextus, authoritas tutoris per metum item extorta, ex lege 1. §. fin. ff. De authoritate & conſenſu tutorum. Quos ſex tantum huius generis contractus ponit gloſſa ad prædictum Cap. Abbas, per hos verſus:

Tutor iudicium, dos, ſacrum, copula, votum:
Hæc ſex vi facta de iure ſciás fore nulla;
Cætera ius patitur, ſi d poſſint conuentur.

Addantur nihilominus adhuc ſequentes, vt ſeptimus ſit, abſolutio ab excommunicatione per metum data, ex cap. 1. De iis quæ vi, in 6. Octauus, teſtimonium, cum teſtes metu ſunt in teſtamento adhibiti; ex lege, Qui teſtamento ff. Qui teſtamenta facere poſſunt, §. finali. Nonus, quilibet contractus, per iniuſte incarceratum initus cum eo à quo detinetur; ex lege, Qui carcerem, ff. Quod metus cauſa. Decimus, eleemoſyna, & donatio, quæ ſua natura poſtulat, vt gratis & liberaliter fiat. Cui adde pari ratione ea quæ habent vim donationis: vt teſtamentum, legatum, remiſſio debiti; quę non valent in foro conſcientiæ, niſi careant omni metu: per tradita à Caiet. 2. 2. *quæſt. 32. art. 7. ſub finem.* His accedit electio certæ ac determinatæ perſonæ, ex Cap. Vbi periculum, §. Cæterum, De electione, in 6. non tamen electio vnius perſonæ ex his quę ſunt certæ multitudinis. Ratioque diſcriminis eſt, quod hic maneat ſubſtantia electionis liberæ, non autem illic. Itaque quando ciuitas à Tyranno compulſa, magiſtratum eligit: ſi quidem metu compellatur eligere certam perſonam, non valeat electio; ſin autem eligere ex certo tantum genere perſonarum, valet.

33. Tertium documentum eſt. Metum propter quem contractus irritari reſcindiue poſſunt, eſſe metum grauem ab externo principio per iniuriam incuſſum homini, ad illos faciendos. Metum grauem dico: quia vt in verbo Metus, expreſſerunt *Angelus num. 13. & Sylu. numer. 9.* contractus metu leui facti, ſi alias ſint legitimi, non reſcinduntur. Quod tamen verũ eſt, tantummodo quoad forum exterius, vt iidem inſumant: & patet per illud quod docet Nauarr. *in Enchir. 22. n. 51.* ad reddendum actum inefficacem coram Deo, ſufficere quemlibet timorem, etiam minorem iuſto; dummodo is fuerit cauſa principalis, & quæ niſi interueniſſet, contractus initus non fuiſſet. Quod additur ad excludendam cauſam, quę tantum eſt impulſiua, & ſine qua factus fuiſſet contractus, licet non ita prompte & facile.

Ex quo documento conſequens eſt, *facitque ad illius confirmationem*, quod in foro conſcientiæ reſtituenda ſint extorta per metum leuem. Quod quidem ſentientes authores magno numero Thomas Sanchez refert *in eodem lib. 4. diſpu. 9. n. 4.* & confirmat, hac ratione: quia in contractibus, ſubſtantia obligationis conſiſtit in conſenſu: ex lege obligationum, ff. de actionib. & obligat. ideoque, vt recte & abſque iniuſtitia ineantur, debet concurrere libera vtriuſque contrahentis voluntas, quæ iniuſte qualicunque metu cogitur. Quare cogens tenetur ad reſarciendam eiuſmodi iniuriam, reſcindere contractum, reſtituto altero cõtrahente in ſuam libertatem priſtinam, omni metus occaſione ſublata.

Si quæras, vnde ſint obnoxia reſtitutioni extorta metu leui, ſi contractus per eum factus ſufficiat, *vt antea oſtenſum eſt*, ad transferendum dominium? Reſpondetur, inde eſſe, quod à iure, in integrum taliter læſus reſtituatur per Cap. 2. De iis quæ vi; in cuius fine verba hæc habentur. Vnde quia quæ metu & vi fiunt, de iure debent in irritũ reuocari; mandamus quatenus prædicto cũ integritate reſtituas vniuerſa.

Si rurſus quæras, cur in foro externo ad irritationem talium contractuum, metus grauis requiratur, ſi in conſcientia, & coram Deo ob metum leuem irriti eſſe poſſint? Reſpondetur, cauſam eſſe, quam Nauar. *in Enchir. cap. 17. nu. 19.* ſub finem tangit: quod ſi in foro exteriori daretur reſciſſio actuum ob leuem metum, omnium fere peteretur reſciſſio: & ita Reſpub. litibus ſupra modum abundaret: quod eſt contra iuris inſtitutionem.

Dicitur deinde in documento (*ab externo principio*) quia 34.
non irritantur contractus, ex eo, quod facti ſint metu orto ab interno principio, vnde, *vt Couar. habet in Epit. 4. De retalium par. 2. cap. 3. §. 4. num. 16. & 17.* matrimonium quod quis in mortis periculo exiſtens contrahit cum ancilla, vt maiore cura & diligentia ei ſubueniat in ægritudine, non erit pro nullo habendum, ex eo, quod metu mortis contractum ſit, neque alias contrahendum fuerit. Nec item cenſeri poteſt matrimonium nullum, quod iuxta conſuetudinem ſiue Gallorum, ſiue Hiſpanorum, *vt habet etiam Couar.* aliquis damnatus ad mortem contrahit cum publica meretrice, vt liber dimittatur. Idem ex cap. Sicut 2. de regularibus, iudicandum eſt de voto nuncupato ab ægroto. Adde pari ratione, & ab eo qui in belli, naufragii, aut alterius periculi diſcrimine verſatur. Similiter, *vt idem Couar. num. 13. adhuc habet*, captus in bello iuſto, pro ſua redemptione pretium honeſtum ac moderatũ promittens, non poteſt ſe ab obligatione ſoluendi exim re, ex eo, quod metu captiuitatis id pretium promiſerit. Aduerte autem obiter per metum ortum ab infito principio, hic ſignificari omnem eum, quem homo concipit ex malis, quæ vel non infliguntur illi, vt aliquid faciat: prout accidere poteſt ægro metuenti mortem, nautæ metuenti naufragium, latroni metuenti ſuſpendium. Vel infliguntur quidem ea de cauſa, ſed id non conſtat ipſi; vt accidit metuenti morbos, vel alias pœnas, quas Deus ſæpe immittit ad incutiendum hominibus timorem, vt conuertantur; vel vt aliquid faciant, quod alioqui non erant facturi: ſed quia metuenti non conſtat immitti in talem finem, ideo metus ipſius cenſetur ab interno principio oriri.

Dicitur adhuc in documento (*per iniuriam incuſſum homini*) 35.
quia ſi cui ſua culpa metus ſit incuſſus, ea quæ per talem metum geſſerit, tenent: neque ei competit aliquod remedium. Id quod ad Cap. Abbas, De iis quæ vi, nu. 7. Panorm. notat habendum eſſe pro generali regula. Satis vero ipſum conſtat ex lege, Mulier, ff. Quod metus cauſa: cum ſtatuit, quod ſi liberta contra patronum ſuum ingrata facta, ſciens ſe de ſtatu periclitari, aliquid eidem patrono dederit, vel promiſerit, ne in ſeruitutem redigatur; non eſſe ſubueniendum illi contra talem promiſſionem: quia ſua culpa eum metum patitur.

In hac re igitur cum Angelo in verbo, Metus, n. 10. & Syl. in eodem verbo, n. 6. quoad forum conſcientiæ, vtendum eſt diſtinctione, vt ſi metus, quem quis ſua culpa patitur, iuſte illi incutiatur (*prout ſit, cum quis alteri minatur ſe crimine, quod commiſit, accuſaturum ipſum, niſi centum donet*) contractus non reddatur irritus, neq; ex eo naſcatur obligatio reſtituendi id, quod taliter acceptum fuerit ab illo, qui donare potuit. Si vero metus quem quis culpa item ſua patitur, iniuſte illi incutiatur: vt cum pater, iuueni deprehenſo cum filia, minatur ſe necaturum ipſum (*quod iuſte quoad Deum facere non poteſt*) niſi eam ducat in vxorem, tali metu contractum matrimonium non tenet; & ſic de ſimilibus.

Dicitur

Dicitur vltimo in documento (*ad tales contractus faciendos*) ad significandum quod iam ante actum est, contractum alia de causa principaliter factum, validum esse, etiamsi metus interceſſerit; tanquam causa impulsiua.

36. QVARTVM documentum est. In conscientia restituendum esse omne illud quod extortum est per metum: etiamsi is leuis fuerit. Ita sentientes magno numero Thomas Sanchez refert *lib. 4. de matrim. disput. nona, nu. 4.* Ratio vero est, quia metu etiam leui contractum extorquens reus est iniustitiæ, cum rem accipiat à renitente; vtpote eam ob metum principaliter dante: qui reatus requirit restitutionem fieri, per quam reducatur res ad pristinũ statum; & cogens resarciat illatam iniuriam, contrahente quem coegit, restituto in pristinam suam libertatem.

Et hoc autem documento consequens est, quod memoratus author aliis citatis habet in seq. nu. 17. creditorem condonantem partem debiti, vt reliquam recuperet, timens ne totum perdat, culpa aliqua vel fraude debitoris, non relinquere hunc tutum, qum teneatur partem sibi condonatam restituere; itaut condonans vti possit occulta compensatione, si nequeat aliter restitutionem obtinere. Secus esset vero si nulla interueniret debitoris culpa, sed tantum vera illius impotentia, ob quam si creditor partem debiti remittat, id censebitur facere voluntarie motus misericordia, non autem timore fraudis & violentiæ debitoris.

37. Aduerte vero primo, differentiam inter contractus gratiosos & onerosos; quod in illis aliquid extorquens metu leui, teneatur illud restituere, nulla re sibi reddita, cum nihil dederit: in his autem restituendum sit ei, quod ipse dedit in pretium, commutationemve rei quam metu extorsit. Aduerte 2. non tantum esse restituendnm, quod extortum fuerit per metum; sed etiam resarciendum esse omne damnum inde secutum; quia qui damni causam dat, damnum dedisse censetur: & ideo obligari lege iustitiæ ad illud resarciendum, si iniuste, *prout supponimus*, dederit.

Aduerte 3. *ex Syl. Restitutio. 2. dict 7.* per legem, Metum 3. §. finali. & legem, Item si cum exceptione, §. Pedius, ff. De eo quod metus causa: ad restituendum metu extortum, teneri non tantum eum qui extorsit; sed etiam omnem alium ad quem res peruenerit. Ratio vero est, quod is qui per metum rem alienam extorsit, nullum ius acquisiuerit eam retinendi: nec metum passus, ius ad illam sibi vendicandam amiserit per talem alienationem iniustam: vt argumento est, quod eadem res sit ei restituenda iuxta prędicta. Quare ad quemcumque eadem peruenerit, restituenda est tanquam iniuste accepta.

Documenta de metu reuerentiali, & precibus importunis.

SECTIO II.

38. PRIMVM EST, *de quo late Thomas Sanchez lib 4. de matrimonio disput. sexta*, metum reuerentialem quo inferior reuerentia sui superioris) *vt vxor, mariti: filius, Patris, &c.*) inducitur ad celebrandum contractum, sufficere ad hunc inualidandum, seu rescindendum, cum fuerit metus grauis atque cadens in constantem virum. Hoc eadem ratione probatur qua posterior pars primi documenti num. 31. probata est. Difficultas vero est quando reuerentialis metus censendus sit grauis. De qua Sanchez ipse *ibidem quæst. prima*, refert quatuor sententias & bene expendit. Cõtenti autem erimus cum eodem statuisse pro praxi propositiones sequentes.

Prima est. Metum reuerentialem non esse de se grauem, nec tantam vim habere ad impellendam voluntatem, vt vir constans eo terreri debeat. Hanc ille *n. 7.* cõfirmat pluribus: sed nobis sufficere potest, quod in Cap. ex literis, De desponsatione impuberum; ad irritãda sponsalia, metu reuerentiali parentum inita, ponderentur non solum paterna reuerentia, sed etiam paternæ minæ: cum dicitur nolens & inuita, minis parentum impulsa.

Secunda propositio est. Fieri posse attentis occurrentibus circunstantiis particularibus, vt metus reuerentialis absque minis censeatur grauis; vt si is cui debetur reuerentia, crudelis sit, & sæuitiam præ se ferat, solitusque sit sæuire cum non obtemperatur ipsius voluntati. Hanc ille *nu. 12.* probat: quia licet minæ tunc desint actu: adsunt tamen virtute, cum probabili timore proximæ coactionis, siue illationis mali notabilis.

Tertia est. Magnam læsionem cum metu reuerentiali, etiamsi absint minæ, omnium contractuum, (præterquam matrimonij, quod ex solo errore personæ, aut conditionis seruilis annullatur, prout docebitur cum ex instit. de eo agetur suo loco) rescissionem operari. Ratio huius est quam habet Couar. ad Cap. Quamuis pactum, *tertia part. §. 4. nu. 7. congruenter legi, si supersit.* Cod. *de dolo malo*: quia in taliter facta conuentione, dolus præsumitur adhibitus, & oppressio quædam: cum non sit verosimile, quod sic contrahens, tantæ læsioni voluntarie consenserit.

Quarta propositio est. Metum reuerentialem adiectis minis, non esse dicendum grauem sufficienter ad rescindendos contractus, nisi minans solitus sit minas exequi. Ratio est, quod solitus minas iactare, & parum eas exequi, virum prudentem parum moueat: vtpote iudicantem tales minas vanas nulliusque momenti esse. Ita sentientes magno numero Sanchez refert nu. 21. In sequenti. 22. addens in dubio, vt quando vir potens, vel magistratus minatur, & de conditione eius dubitatur, sint ne atrox & solitus minas suas executioni mandare; metum reuerentialem pro graui esse tunc habendum: quoniam is qui talem patitur, iustam habet timendi causam. Dum enim minatur vir potens, cui reuerentia debetur, & cuius mores ignorantur, æquum non est, quem exponere se periculo grauis mali perpetiendi.

Quinta propositio est. Metum reuerentialem quo quis tacendo censetur in contractum consentire, non esse sufficientem ad inualidandum ac rescindendum eundem contractum: nisi is grauiter præiudicet taliter contrahenti. Hæc ex eo probatur: quod etsi patri maxima reuerentia debeatur, tamẽ si pro filia præsente & tacente sponsalia contrahat; ea valent ex Cap. vinco, §. Porro, De desponsatione impuberum, in 6.

Additæ autem exceptionis de graui præiudicio, ratio eadem est, quæ precedentis propositionis tertiæ. Proque ea facit, quod ex lege penult. ff. De furtis, habetur: videntẽ res suas capi, & tacentẽ ob reuerentiam, agere posse actione furti. Inde enim patet taciturnitatem prouenientem ex reuerentia, non sufficere ad consensum in præiudicium proprium; nisi ipsum modicũ sit: ita nimirũ, vt possit pro nihilo reputari. Pro qua doctrina Sanchez *ibidem nu. 35.* refert plures authores. Ex eaque sequitur quod ipse habet *in sequenti nu. 38.* si matrimonium, aut sponsalia essent filio indigna, valdeque ei præiudicarent, & ipse taceret ob reuerentiam patris, pro ipso contrahentis: non præsumi ob solam taciturnitatem, consensum præbuisse. Solam dico, quia si ad eam consensus interior reuera accedat, valebit contractus tanquam sufficienter voluntarius. 39.

SECVNDVM documentum est. Metum reuerentialem, cum absunt minæ siue actu, siue virtute iactatæ, non sufficere quidem ad rescissionem contractuum iuxta antedicta: sufficere tamen vt detur in foro conscientiæ obligatio ad restitutionem, si efficiat inuoluntarium maximum, seu volitionem mixtam cum nolitione, saltem conditionali; prout accidit cum quis metu ipso reuerentiali ductus, consentit quasi coactus seu repugnanter. Vnde aduerte ad eiusmodi metum non sufficere verecundiam, quæ naturaliter inest filiis coram patre, aut coram aliis quibus reuerentia debetur: sed adhuc requiri vt reuerentia inducat metum offendendi patrem, vel alium cui debetur reuerentia, atque pudorem ei contradicendi: vnde fiat, vt etiamsi nullum aliud malum timeatur: tamen adhuc voluntate omnino repugnante, & quasi coacte, consensus præbeatur. Fundamentum autem quo tale documentum nititur, est; quod eiusmodi metus habendus sit, saltem leuis: qui ex præcedenti documento sufficit ad obligationem restituendi quoad forum conscientiæ. Idem sentientes plures authores citat Sanchez *in seq. d. sput. 9. num. 12.* 40.

CONSEQVENTER tradens corollaria dictis consentanea, quæ paucis attingere pro quotidiana praxi vtile erit. Primum est, in foro conscientiæ si renunciatio hæreditatis paternæ, solo quidem metu reuerentiali fiat; sed vere inuoluntarie, modo proxime expositio, patrem teneri restituere 41.

hæreditatem

hæreditatem sic renunciaram. Ratio est, quia talis metus, tanquam saltem leuis, sufficit ad rescissionem actus in foro conscientiæ. Et ita filius, qui sic renunciauerit, *vt idem addit*, si ei non fiat restitutio, poterit compensatione vti; dummodo prius obtinuerit ab Episcopo relaxationem iuramenti, si eo confirmauerit renunciationem.

Secundum est, vxorem metu reuerentiali mariti compulsam (vt vitet offensam illius & iurgia) fideiubentem pro illo, non teneri in conscientia seruare talem fideiussionem, quantumuis seruatę sint in ea solēnitatis omnes requisitæ vt valeret: qua sunt, vt fiat instrumento publico, & accedat iuramentum, ac renunciatio priuilegij Velleiani: de quibus Molina *tract. 2. de iust. & iure disp. 546.* Huius autem corollarij ratio eadem est quæ præcedētis; & eadem limitatio: nempe, vt si vxor ipsa velit cōpensatione vti ex bonis mariti, ne compellatur pro eo solucre, *ad quod non tenetur in conscientia*: prius obtineat ab Episcopo relaxationem iuramenti, quod fideiubendo præstitit. Quæ tamen relaxatio, *vt idem addit*, non erit necessaria, si velit tantum abscondere bona sibi necessaria ad vitam, ne omnibus spoliata prematur egestate, carendo nec ssariis: quia tunc non contraueniet fideiussioni naturæ: sed tantum ex iusta causa licite volet differre solutionem, donec ad pinguiorem fortunam venerit.

Tertium corollarium est: vxorem quæ mariti, & filium, qui patris, ad ipsius morientis instantiam reuerentiali metu (timens illius indignationem, aut illum molestia afficere) promisit soluere ipsius debita aut legata, *alias nullo modo promissurus*, non obligari in conscientia ad standum tali promisso. Huius ratio est eadem quæ præcedentium. Quod si promissum in tali casu impleatur per errorem, quo promittens existimat se obligatum; aut maritum vel patrem alioqui in pœnis detinendum, debebit ei restitui quod dederit; cum esset indebitum, vel voluntatem habuerit illud liberaliter donandi. Secus esset vero si vltro vxor dicat viro: ne sis solicitus de tuis debitis: & lega quidquid velis; quia deficientibus tuis bonis, soluain ex meis. Nam ea ratione liberaliter concedere viro facultatem disponendi de suis bonis: ideoque teneretur eadem debita & legata soluere: nec metu, nec errore excusante eam quo tale quid dixerit.

42. Tertium documentum est. Metum reuerentialem cadere in eos, qui subsunt alteri, aliquo subiectionis iure: vt Clerici, Episcopo: laici, magistratui, filij, patri; ac etiam matri cum fuerit austerior, & solita minas excqui: vxor, viro; gener, socero; nepos, auo, minor annis, curatori: soror aut frater, fratri maiori natu; nepos aut neptis ex fratre, proauo; de quibus idem Sanchez agit in eodem lib. 4. disput. 6. quæst. quarta. Ratio autem est, quod quando aliqui sunt subiecti, & alij superiores; his illi quodam naturę præscripto reuerentiam quandam & obsequium debeant: ex quo debito timor ac pudor ille prouenit; ob quem horum voluntati illi minus audent contradicere.

43. Quartum documentum est. Preces importunas non sufficere ad inferendum metum grauem, propter quem rescinduntur contractus, nisi adiunctas habeant minas aut metum reuerentialem, quibus vir constans (qualis censetur is qui nec contra rationem pertinax est, nec leuiter ac sine ratione mouetur) terreatur merito, secundū ea quæ sunt in præcedentibus tradita de metu sufficienti ad rescissionē ipsam contractus. Ratio vero esse potest: quod precibus, etiam importunis, nō videatur de se tantā vim inesse, vt merito debeant virum constantem permouere. Nam interdum habere possunt quidem vim permouendi virum prudentē, ad aliquid stultum & ineptum faciendum, vt earum importunitatem & tædium repellat: nunquam tamen habere ita excusandi ipsum, vt eo nomine prudenter, ac constanter ad agendum motus dici debeat; cum prudentem ac cōstantem minime deceat tali modo cogi. Quæ in contrarium obiici posse videatur, Thomas Sanchez *de matrimonio lib. 4 disput. 7. refert nu. 4. & soluit nu. 9.* Cuius solutionis summa est, quod tantum probent preces importunas esse quandam quasi coactionem, & violentiam: iisdemque dolum plerumque immisceri.

Addit idem *nu. 7.* si ad preces importunas accedat reuerentia personæ petentis, ex ea coniunctione dari causam sufficientem ad consensum extorquendum à viro prudente & constante: quia reuerentia personæ potentis vim habet efficiendi pusillanimem ac timidum eum à quo petitur, ne audeat contradicere, petitumque negare. Id quod non est ita certum, quin contrarium (*pro quo idem in præced. nu. 6. aliquot authores citat*) suam habeat probabilitatem. Cum enim de se talis metus solum sit leuis, vt ante habitum est; negari potest: quod tantam vim addat precibus, vt per eas vir prudens & constans induci debeat ad consentiendum, voluntate alioqui rationabiliter repugnante.

Cæterum, quidquid de eo sit; pro conscientiæ foro nobis sufficit, preces assiduas & importunas seu instantissime & sæpius repetitas ac inculcatas, *vt & reuerentiam*, metum saltem leuem incurrere: sicque, *iuxta ante dicta in præced. documento* 2. obligationem restituendi per eas obtentum, inducere, ob admixtionem nolitionis conditionalis: quia is qui dedit, nullo modo dedisset rogatus, nisi incercessisset talis importunitas: cum dederit, *vt supponitur*, repugnante voluntate, & quasi coactus, ad depellendam á se molestiam, quam eadem importunitas ei adferebat: cuiusmodi fuit ea quam à Dalila passus est Sampson: de qua dicitur in cap. 16. Iudicum. Cumque molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, &c. 44.

De hac re plenius agens Sanchez *in eodem lib. 4. d sput. 10.* admonet nu. 6. eadem corollaria hinc inferri, quæ ante illata sunt ex 2. documento: quia factum precibus importunis perinde admixtum habet inuoluntarium, ac factum metu reuerentiali. Addit etiam consequenter alia duo. Prius est. In foro conscientię non valere donationes, quas vir ab vxore, pater à filio, nimia importunitate extorserit. Quod idem iudicium est de aliis, similiter aliquid extorquentibus. Nec obstat quod pauperes plerumque importunis precibus obtineant eleemosynam: quia paruipendi solet talis importunitas: & eleemosyna per eam obtenta, communiter datur voluntarie: neque si restitueretur, is qui dedit vellet recipere; quod si vellet, inuitusque omnino dedisset, acceptare stitui ei deberet; nisi ad eam, lege saltem charitatis, obligatus fuerit: quemad. idem habet in fine eiusdem disputationis. Posterius corollarium est. Licentiam per Religiosum precibus valde importunis extortam, ad accipiendum vel retinendum aliquid, quando Superior reuera inuoluntarie consentit, vt importunitatem repellat, *alioqui omnino recusaturus*, non excusare ipsum à proprietatis vitio; itaut tutus non sit in conscientia: quandoquidem ea non est voluntaria licentia, sed quasi coacta permissio ad vitandum aliquod maius incommodum.

Documenta de errore, quo adhuc impediri potest consensus, ne sufficiat ad contractus validitatem.

Sectio III.

Prænotandvm est, errorem speciem esse ignorantiæ; dicique prauæ dispositionis ignorantiam, ad differentiam alterius, quæ dicitur puræ negationis; quæque ex se nullum requirit præuiam cognitionem; sed contenta est sola negatione notitiæ: cum error exigat iudicium intellectus peruersum; nec enim excludit omnem cognitionem, *sicut ignorantia puræ negationis*, sed solam veram; vt si te quem video, existimem pauperem, cum sis diues, erro: sed si te nunquam viderim, nec de te audiuerim: id ignoro ignorantia puræ negationis. Iam respectu habito ad consensum in contractum, ignorantia semper est cum aliqua cognitione: quandoquidem consensus nullo modo esse potest sine præuia cognitione: quia nihil volitum nisi cognitum: ideoque ea semper est prauæ affectionis & error. Qui ad contractum potest habere se aut antecedēter, aut comitanter: antecedēter quidem, causam dando contractui faciendo: itaut illo non interueniente, hic nō fieret: vt cum quis errore ductus, rustici filiam, quam putat nobilibus parentibus ortam accipit in vxorem. Comitanter vero sic comitando contractum, vt nullo modo ad eum inducat: itaut illo non existente, hic nihilominus fieret; vt si is de quo dictum est, rustici filiam duceret, quantumuis talem sciret. 45.

Primvm autem documentum est. Contractū ex interueniente errore comitante, liberi consensus defectu haud

laborare

saborare censendum non esse ob dispositionem contrahentis, qua illum iniuisset etiamsi contrariam notitiam habuisset: vt vxorem duxisset quantumuis rustici filiam sciuisset. Ratio est quia error comitans licet non faciat inuoluntarium, cum non sit causa alicuius repugnantiæ voluntatis (cuius proinde propensioni ad contrahendum nihil officit) facit tamen non voluntarium, quia excludit cognitionem, quæ ad voluntarium est omnino necessaria: quandoquidem nihil volitum esse potest nisi cognitum. Quę doctrina est D. Thomæ 1. 2. quæst. 6. art. 8.

46. Secvndvm documentum est. Errorem antecedentem posse in foro saltem conscientiæ reddere contractum inualidum: non modo cum fuerit inuincibilis, seu qui vinci non potuerit: sed etiam cum vincibilis, seu qui potuerit diligentia adhibita superari. Hoc docet Thomas Sanchez de matrimonio lib. 5. disput. 3. nu. 10. & 13. Ratio vero est quia talis error tollit consensum necessarium ad contractum: cum admixtam habeat voluntatis ab eo aucrsionem: quandoquidem si talis error abesset, ille qui eo laborat, contrahere nollet: alioqui enim non antecedens, sed tantum concomitans error censeretur. Negligentia vero admissa in acquirenda cognitione, non obstat quin error sortiatur suum illum effectum impediendi consensum necessarium ad contractum.

47. Tertivm documentum est. Errorem antecedentem non posse eadem ratione, qua reddit inualidum contractum lege permissum: reddere validũ eum quẽ lex irritat, facitue inualidum: imped endo scilicet, ne quando is fit, vim habeat obligatoriam. Hoc probatur quia talis irritatio sit vel reddendo personas inhabiles ad contrahendum: vt consanguineos, ad matrimonium ineundum intra quartum gradum: vel impediendo ne dominium rerum vnius, transeat ad alium per contractum: vt ne per emptionem, res pupilli acquirantur ab alio. Ad quorum neutrum requiritur scientia, aut voluntas nostra: sed tantum Superioris, inhabilitatem ad contrahendum, vel ad dominium acquirendum, imponentis: conditionibus designatis, quæ illam efficiant, eo quod in aliquo homine fuerint inuentæ.

48. Qvartvm documentum est: sequentibus modis contingere vt error antecedens, inualidum reddat contractum. Primus est, si erretur in specie contractus: vt si tibi tradam pecuniam causa donationis: tu vero accipias tanquam mutuam: tunc enim contractum esse nullum habetur ex lege, si ego. ff. de reb. creditis. Secundus est, si erretur in pretio: vt si in contractu emptionis vel locationis, venditor vel locator maius pretium intelligat quã emptor vel cõductor. Nam ex lege in venditionibus, ff. De contrahenda emptione, contractus est nullus. Tertius modus est si erratum sit circa rem de qua contrahitur: vt si in eodem contractu emptionis, ego putem à te emere talem fundum: tu vero putas te alium vendere. Nam & tunc ex eadem lege, In venditionibus, contractus est nullus: Quartus est si erretur in materia & substantia rei vt si ęs pro auro vel stannum pro argento ematur. Qui potissimum error impedit consensum: cum voluntas non feratur incognitum: nec contractus valeat nisi in rem de qua is fit, voluntas consentiat.

Ceterum si quis putet se aurum optimum emere & illud quod ei venditur mixtum sit ære vel argento, valet venditio: quia non erratur omnino in materia, quę aurum quoddam est. Ita habetur ex lege, Aliter, & ex lege, Quid tamen, ff. De contrahenda emptione. Attamen quia illud pro auro optimo emptum, deterius est, iniustitia in eo commissa, resarciri debet restitutione, iuxta legem, Iulianus, §. Si venditor ff. De actionibus empti & venditi. Quod si putet quis se mensam ex argento solidam emere: & vendatur lignea vestita laminis argenteis, emptio non valet ob errorem in materia. Qua de re textus est expressus in fine legis, Cum ab eo, ff. De contrahenda emptione. Quod vero attinet ad cętera quæ non sunt de materia & essentia contractus, si error, etiam antecedens & inuincibilis contingat in eis, non censetur vitiare contractum, vt pote quem relinquit in substantialibus integrum, sic ex citata lege, In venditionibus, §. 2. error in nomine, non impedit, quin contractus sit validus, vt quod quis, eam quam sibi desponsat Mariam vocari putet; cum vocetur Barbara, non impedit quin sponsalia sint valida.

Documenta de iuramento, quo propositus consensus solet confirmari.

Sectio IV.

De hoc etiam, pro iudicio nobis proposito notanda sunt aliquod documenta. Primum est, *pro quo plures authores refert Thomas Sanchez. de matrimonio lib. 4. disput. 20. nu. 4.* Iuramentum appositum contractibus etiam inualidis, quamuis metu graui extortum sit, obligatorium esse si seruari possit absque peccato, relaxationeque indigere. Hoc probatur ratione ea quæ tangitur in cap. Cum contingat, De iureiurando, & in cap. 2. De pactis in 6. Quod tale iuramentum seruari possit sine salutis æternæ dispendio. Quam rationem locum habere etiamsi iuramentum fuerit metu extortum, patet: quia tunc quoq; ipsum seruari potest sine culpa: Immo seruari debet, cum metus non impediat ipsius vinculum ex cap. vero, & cap. verum, De iureiurando. Et confirmatur, quia per iuramentum metu extortum obligatio acquiritur Deo, ne ipse in testem falsitatis adducatur, ex cap. Debitores, eodem tit. 49.

Si quis opponat in cap. Cum contingat, & in cap. 2. citatis, statui: pacta quæ secluso iuramento sunt irrita, seruari debere eo accedente, si præstetur absque vi & dolo, vnde sequitur à contrario sensu, nihil esse cur seruentur, si iuramentum accedat, vi aut dolo extortum. Respondendum est inde haberi tantum, pacta non confirmari eiusmodi iuramento, vt irreuocabilia sint; quia nullo negotio reuocantur obtenta dispensatione: cuius dandę causam sufficientem præbet metus grauis: immo & leuis quoad forum conscientiæ, *vt disputat Sanchez in memorata disput. 20. quæst. 2.* Et ratio potissima est, quod turpe sit & iniquum, non modo graui, sed etiam leui metu, indebitum extorquere: nemoque de sua iniquitate reportare debeat commodum iuxta cap. Ad nostram, De emptione & vendit. & c. Tuæ, De Clericis non residentibus. Eam dispensationem autem non modo Papam, sed etiam Episcopum dare posse: idem Sanchez. multis aliis citatis expressit in præced. lib. 1. disput. 32. num. 15. circa medium.

Secvndvm documentum, *quod ipsum Sanchez in ead. disput. 32. num. 3, & aliquod sequentibus erudite persequitur.* est. Iuramentũ contractui inualido appositum, nonnunquã confirmare illum, nonnunquam non confirmare; ac quando confirmat si forte relaxetur ratione alicuius læsionis; contractus ipse nihilominus manet validus: prout indicant verba illa in cap. 2. De pact. in 6. (*omnino seruari debebit.*) Et ratio est, quia iuramentum, tunc paritius, non tantum in ordine ad Deum, ne fiat testis falsitatis, sed etiam in ordine ad proximum, cum quo valide contractum est causa interuenientis iuramenti: cuius dispensatione facta Dei nomine iusta aliqua de causa, per Prælatum vicarium ipsius in terris, tollitur quidem prior obligatio, *itaut iuramento contrauenies post eam, à peccato periurii excusetur,* sed non tollitur posterior obligatio (quam esse sententiam communem notat Azor in prima par. moral. instit. lib. 11. cap. 7. quæst. 5.) itaut contractui ipsi contrauenire nequaquam liceat; cum validitas illius perseueret. Nam ex regula 73. iuris in 6. factum legitime, retractari non debet: licet casus postea eueniat, à quo non potuit inchoari. Talem contractum autem, legitime factum esse, constat argumento, Cap. Cum contingas, De iureiurando, & c. 2. De pactis in 6. in quib⁹ decernitur contractum factum à minore, & alienationem fundi dotalis, etiamsi alias non valerent, debere seruari si iuramento firmentur. Quare eidem regulæ congruenter dicendum est, contractum, superueniente exclusione iuramenti sine quo ab initio non valuisset, retinere suam validitatem: ideoque non licere ei contrauenire donec iudex, *causa plene discussa,* minime seruandum esse definierit: prout idem Sanchez aliis citatis tangit loco citato nu. 5. in fine. 50.

Cum autem iuramentum non confirmat contractum alias inualidum, relinquit ipsum in sua natura, tantumque obligat in ordine ad Deum, ne ipse adducatur in testem falsitati; non item in ordine ad hominem, quia talis obligatio

requirit contractum, ex quo ipsa proueniat: vnde in præcedenti casu iuramentum non aliter talem inducit, quam firmando contractum: quod cum non faciat in casu præsenti, nec etiam obligationem inducit in ordine ad hominem. Quocirca ipso relaxato, nihil obstat quin contractui contraueniatur: Non quidem iuramentum ipsum, quod relaxatione extinguitur: nec item contractus, quem supponimus inualidum, nullumue esse. Quando autem iuramentum confirmet contractum: quando vero non confirmet sequentibus documentis declaratur.

51. TERTIVM igitur documentum (de quo ac de sequentibus ex Bartolo Syluester in verbo, iuramentum 4. quæst. 16. & Couar. late ad Cap. Quamuis pactum, De pactis in 6. parte 2.) est, contractum inualidum ob turpitudinem quã habet contra ius naturale, diuinum, aut humanum (ita nimirum vt impleri nequeat absque peccato) non confirmari iuramento. Pro quo facit, quod ex cap. Inter cætera, 22. quæst. 4. iuramentum non sit vinculum iniquitatis: quodque ex regula 58. iuris in 6. non sit obligatorium contra bonos mores præstitum: vt censetur cum inuitat ad delinquendum. Exemplum est, *ex glossa ibidem*, si quis rem suam apud alium deponat, & iuret se illam, quantumcumque ab ipso male dissipatam, ab fraudulenter distractam, non repeturum in iudicio: item se occisurum partem: nisique faciat, se soluturum centum aureos. Multo vero minus obligatorium erit si ipsum seruare sit delictum: cum quo nec cum alterius iniuria iuramentum seruari debere, habetur ex Cap. Cum contingat, De iureiurando. Vnde fit, quia certum est impletionem cõtractus habentis turpitudinem contra ius, delictum esse ac dispendium salutis: fit inquam, vt negandum sit eum iuramento firmari. Sic ergo iuxta Cap. Debitores, De iureiurando, contractus iuratus de soluendis vsuris, non confirmatur iuramento, nec obligationem inducit tanquam omnino inualidus, cum habeat turpitudinem contra ius naturale: prout in præcedenti libro 23. cap. 8. ostensum est. Quanquam tamen vsuræ ipsæ propter iuramentum sunt soluendæ, vt satisfiat Deo: sed ita vt solutæ repeti possint tanquam indebitæ, quandoquidem contractus cum vsurario factus tanquam inualidus nullum ius ad illas pepererit.

52. QVARTVM documentum est, contractum non firmari iuramento, quando primo & principaliter à iure annullatur in fauorem publicum: quod tunc contingit, cum talis dispositio iuris, est de rebus publicis: vt de equis aut armis vel pecuniis non extrahendis ex regno; tunc enim executio illius, principaliter dirigitur in bonum commune: & toti reipublicæ ex ea resultat vtilitas. Probatur documentum hoc, ex Cap. Si diligenti, De foro competenti, & ex lege ius publicum, ff. De pactis: hæc enim habet ius publicum priuatorium pactis mutari non posse. In illo vero deciditur irritum esse pactum iuratum, quo Clericus priuilegio fori renunciat: eoquod tale priuilegium concessum sit in fauorem totius clericalis status. Accedit ratio quia ex antedictis (& habetur ex Cap. Cum contingat, De iureiurando) iuramentum non confirmat contractum, qui est contra bonos mores aut in præiudicium tertii. At ille qui principaliter est contra vtilitatem publicam reipublicæ, eidem tanquam cuidam tertio præiudicat principaliter. De qua re exempla videri possunt apud Couar. ad Cap. Quamuis, De pactis in 6. par. 2. §. 1. num. 2. 3. & 4.

53. QVINTVM documentum est. Iuramento confirmari contractum qui iure inualidatur principaliter ob priuatum bonum contrahentium, & minus principaliter tantum, ob publicum bonum: prout contingit cum tale ius disponit de bonis priuatorum: ad eorumque vtilitatem executio illius immeditate dirigitur, ad publicam, vero tantũ meditate, tanquam talis, quæ cum toti Reipub. nullo modo obsit, parti ipsius prodest. Probatur documentum hoc, ex Cap. Cum contingat De iureiurando, & ex cap. Licet, eod. tit. in 6. Namque in eis decernitur, alienationes rerum dotalium iure ciuili prohibitas, tenere; si mulieres in quarum fauorem tale ius constitutum est, sine metu & dolo eas fecerint, & iuramento confirmauerint. Item ex Cap. Quamuis pactum, De pactis in 6. vbi pactum patri factum à filia dum nuptui tradebatur, vt dote contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet (quod ius ciuile improbat Cod. De collationibus, lege Pactum) iuramẽto confirmatum valere dicitur. Ratione item probatur: quia vbi lex edita est in fauorẽ, vt ea censeatur non operata, sufficit constare eum in cuius illa fauorem principaliter respexit, renunciasse suo iuri, argumento Cap. Ad apostolicam, De regularibus. At in casu proposito documenti, ille qui iurat contractum, quem lex in fauorem ipsius inualidat, iurando renunciat eidem fauori, ne alioqui periurus sit. Et ita contractus alias inualidus, accedente iuramento sic confirmatur, vt perinde valeat ac si lex eum non reprobaret. Qua de re late differit Couar. in memorato §. 1. numer. 5. & nonnullis sequentibus.

Cæterum tres dantur casus, in quibus documentum istud patitur exceptionem. Primus est, cum ius reprobat contractum in odium eius, in cuius fauorem iuratur. Quo modo, ex Cap. Debitores, De iureiurando promissio iurata soluendi vsuras, inualida est: cum ob iuramẽti sanctitatem solutæ, restitui debeant: non enim deberent, si esset valida. Secundus est, cum ius reddit irritum non tantum contractum, sed etiam iuramentum ei appositum. Huius exemplũ videri potest in Concil. Triden. sess. 25. cap. 16. De regularibus. Tertius est (*pro quo Sanch. Lib. 1. de matrimonio disput. 7. num. 24. multos ait hoc refert*) quando iuramentum appositum est contractui facto in fauorem tertii, qui illum non acceptauit valide: tunc enim, quia accessorium sequitur naturam principalis: sicut contractus includit tacitam conditionem, si is acceptetur: iuramentum eidem appositum, pariter includet: itaut possit ante acceptationem reuocari, ne acceptetur ab alio, vsuenire potest in promissione facta absenti, quæ nec ab ipso, nec ab alio eius nomine est valide acceptata. Nec obstat quod Deus vocatus sit in testem: quia id nisi factum sit per modum voti, intelligendum est obligare iuxta exigentiam actus, cui tanquam accessorium apponitur.

54. SEXTVM documentum est. Iuramentum metu graui aut dolo extortum, non confirmare contractum. Hoc habetur satis aperte ex Cap. Cum contingat, De iureiurando, & ex Cap. Licet, eod. tit. in 6. Et confirmatur, quia iuramentum non impedit, quin ratione iniuriæ, talis extortor iure naturæ teneatur ad restitutionem eius quod sic accepit. Nihilominus probabile est non licere contrauenire tali contractui ante relaxationem iuramenti, quando ipsum fuerit extortum metu: quandoquidem metus non tollit voluntarium. Licere autem cum extortum fuerit dolo: per quem inducitur inuoluntarium. De qua re Couar. ad Cap. Quamuis pactum, par. 3. §. 4. numer. 2.

55. SEPTIMVM documentum est. Contractum per se ac sine iuramento validum, etiam factum contra prius iuramentum valere ex communi sententia, teste Couar. in sequenti §. 2. n. 3. Et ratio est: quia prius iuramentum contra quod agitur, solum facit vt peieretur contraueniendo: non autem vt inualidus sit contractus: qui cum per se validus sit, non debet censeri robur suum à iuramento accipere. Et ita si quis fecit sponsalia cum iuramento: & post, cum alia matrimonium contrahat, valet matrimonium: vt communem quoque sententiam esse per Cap. Sicut ex literis, De sponsalibus, habet Couar. tum ibidem, tum in Epitome 4. decretalium par. 1. cap. 5. n. nono. Similiter si quis cum iuramento promisserit Titio se venditurum ei domum: si post vendat Caio, valet venditio, si ea compleatur traditione domus venditæ.

Secus erit vero, si contractus factus contra prius iuramentum, per se absque iuramento sit inualidus: quia non potest confirmari iuramento contra prius iuramentum: nec enim illud, contra istud potest obligare: quandoquidem esset obligatio ad periurium. Et ita is, qui fecit sponsalia iurata, si alia faciat etiam iurata, non valent: quia secluso iuramento, sponsalia secunda inualida sunt per se ex eo, quod alia iam sint contracta. Similiter is qui Titio promisit cum iuramento se venditurum ei domum, si idem similiter promittat Caio, non valebit promissio, vtpote per se inualida ex præcedenti promissione, quæ cum valeat iure naturæ: sequentis impletione peccaretur id ipsum ius violando.

SVPERESTobiter monendum: dupliciter iuramentum addi posse contractui: vno, si iures te ex animo contra-

here:

here: vt donare, vendere, &c. sicque non confirmare contractum, nec ei robur addere: cum non sit promissorium; sed tantum assertorium eius quod fit. Altero vero, si iures te contractum semper habiturum ratum, nec reuocaturum: & sic confirmare contractum: Qui plenius tractatam materiam hanc cupiuerit, satisfacere ei Suarez poterit in tract. 4. de religione libro 1. cap. 20. & aliquot sequentibus. Poterit quoque Thomas Sanchez in Opere morali lib. 3. cap. 11.

CAPVT V.

De solitis apponi contractibus: quæ sunt, conditio, modus, demonstratio & causa.

SVMMARIVM.

56 *Quid significetur conditionis nomine, & quibus particulis exprimatur.*
57 *Quid nomine modi, & quibus item particularis exprimatur.*
58 *Quidque nomine demonstrationis, & quid nomine causæ, & quibus particulis exprimatur.*
59 *Quæ conditio faciat contractum conditionalem.*
60 *Conditio quæ est contra substantiam contractus, vitiat illum reddituc inualidum.*
61 *Contractus cui conditio impossibilis, aut conditio turpis de futuro apponitur, non valet.*
62 *Contractus valide sub conditione factus reuocari non potest.*
63 *Modus appositus contractui, quid circa illum operetur, declaratur duobus documentis.*
64 *Documentum de demonstratione addita contractui.*
65 *Non valet contractus factus ob causam existimatam veram, quæ est falsa.*
66 *Quin validus sit contractus factus ob causam, non obstat quod aliud interuenerit quo cognito non fuisset factus.*
67 *Cum principalis causa contrahendi est falsa, contractus est nullus.*

56. CONDITIONIS nomine in hac materia, significatur clausula contractui ad illius suspensionem adiecta, per particulam (*si*) aut aliam ei æquipollentem. Exemplum est si dicatur lego Titio, si fuerit Consul. Particulæ autem æquipollentes conditionali si (ex Sylueſtro in verbo Conditio, quæſt. 2.) sunt, cum, vbi, quandocumque. Nam lego Titio, cum, vel vbi, vel quandocumque fuerit Consul, eundem habet sensum, cum præcedenti exemplo. Item, (*nisi*) nam vendo tibi librum meum tanti, nisi alius hodie pluris emere velit: sensus est, alius hodie pluris emere velit, non vendo. Item (*alioqui, alias*) nam scribes mihi librum intra mensem, alioqui, vel alias quartam mercedis partem perdes, pœnæ nomine: sensus est, si non scripseris perdes. Item, *aut, vel siue*, cum alternatiue sumuntur. Nam relinquo prædia mea propinquis, aut Ecclesiæ: sensus est, si non sint propinqui, habeat Ecclesia. Item (*quandiu*) nam lego centum Titio in annos decem, quandiu gesserit res hæredis mei: sensus est, lego si gesserit, &c. Item (*donec*), quousque, vel dum fuerit cum filio meo, sensus est, si non fuerit cũ filio meo, nõ lego.

57. NOMINE AVTEM modi, significatur clausula contractui per particulam *vt, aliam æquipollentem*, adiecta ad illius moderamen, per oneris impositionem, *ex Sylu. in eodem verb. quæst. 3.* exemplum est; si dicatur: do vel lego tibi domũ meam, vt hoc vel illud facias. Particulæ vero æquipollentes sunt, *ex eodem in seq. quæst.* 4. dũmodo: nam idẽ est; do dummodo facias; ac do vt facias. Item, (*ne*) nam Titium instituo hæredẽ, ne fidei commissum ex Sempronij testamento retineat: sensus est; vt non retineat. Item *ad, pro*, nam, do ad ædificandũ hospitale, vel pro ædificando hospitali; sensus est: do vt ædificetur hospitale. Item (*in, & nomine*) nam lego tibi in redimendos captiuos, vel nomine redimẽdi captiuos: sensus est, vt redimantur captiui. Differt autem modus à conditione, *vt notat glossa ad Cap. Verum, De conditionibus appositis, verbo, conditione*: quod hæc suspendat contractum, ita ut non valeat nisi expleta conditione. Modus vero adiectus contractui, non suspendat ipsum: adeout res contractu donata sub modo, statim debeatur, statimque peti possit.

NOMINE PORRO demõstrationis per tradita à Sylu. in eodem verbo Conditio, quæst. 6. significatur clausula ex aliquo præterito vel præsenti accidente, reddens nos certos de re quæ geritur: vt si quis leget vxori sericam vestem, quam habet in arca clausa: his accidentibus demonstratur res, de qua disponitur. Similiter; si quis vendat agrum inter hos & illos confines existentem; aut domum palatio proximam. 58.

Nomine denique causæ significatur clausula, quę adiicitur contractui ad iudicandum illius causam: fitque talis adiectio per particulam *quia, vel aliam similem*; vt lego tibi mille, quia negotia mea gessisti: vel eo quod filium meum recte instituetis. Potest autem duplex esse istiusmodi causa: quædam finalis; propter quam scilicet contractus fit: & qua non subsistente, ille non fieret: quædam vero impulsiua, ob quam nimirum facilius, vel citius, vel libentius fit contractus.

Documenta de conditione contractui apponi solita.

SECTIO PRIOR.

DE CONDITIONE notanda sunt pro praxi aliquot documenta. Primum est. Conditionem quę facit contractum conditionalem, debere esse expressam: non enim sufficit tacita, ex Sylueſtro *in verbo Conditio, quæst.* 9. per legem, Conditiones, ff. De conditionibus & demonstrationibus. Item debere apponi à principio contractus: non enim sufficit apponere post contractum; quando iam ille partium voluntate dissolui non potest: quod Sylu. habet *in sequenti quæst.* 10. Item debere esse de futuro euentu incerto, non autem de præterito, vel de præsenti, vel de futuro certo, *quale est, si moriar*; quia talia non suspenduntur, cum habeant esse, vel iam in actu positum, vt præterita & præsentia: vel dependens ex causis ita certis & determinatis, vt licet futura sint, in illis tamẽ, præsentia quodammodo censeantur, propter certitudinem prouenienti ex illis. Ita sentientes authores magnõ numero. Thomas Sanchez refert *lib. 5. De matrimonio disput. 2. numer.* 2. beneque monet num. 3. id non habere locum, si contrahentes existimarint conditionem esse appositam de futuro contingenti, quia contractus effectum conditionis de euentu incerto, tunc sortiretur, ex intentione contrahentium, conditionem apponentium, à qua conditionalis contractus pendet. 59.

SECVNDVM documentum est, *de quo adhuc idem Sylueſter in citata quæst. 10. pro eoque faciunt quæ disputat Sanchez in sequen. disput. 9. 10. & 11.* Conditionem adiectam, vitiare contractum, si ea sit contra illius substantiam: vt esse censetur, *argumento Cap. Tua, De sponsalibus*; quando contractus ipse non potest cum ea stare. Quo modo contra mutui substantiam est conditio, vt soluatur aliquid supra principale; & contra societatis substantiam, vt lucrum & damnum non sit commune: non vitiare autem contractũ, si solum sit contra illius accidentia: quia potest sine eis stare; quandoquidem sublatis accidentibus potest manere substantia. 60.

TERTIVM docum. est. Conditionem appositam contractui, quantumuis non sit contra eius substantiam, si tamen sit impossibilis, vitiare ipsum: vt si dicatur, lego Titio centum si manu cœlum tetigerit: nec item si sit turpis; vt si dicatur, hæredem instituo Titium si hæreticus fiat. Tam enim hæc, quam illa contractum reddit inualidum, iuxta illud quod de Cap. finali, De pactis, dicitur, pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis, de iure vel de facto nullã obligationẽ inducere. Atque de impossibili est textus expressus Institutis, De hæredibus instituendis. §. Impossibilis, & in lege, Non solum, ff. De obligationibus, & actionibus, vbi ratio insinuatur; quod omnium ea cogitatio sit, vt nihil agi existiment apposita ea conditione, quam sciant esse impossibilem. Et certe talis conditio *cuiuscumque temporis sit*, signũ est manifestum, nõ adesse consensum serium in contractũ; sed potius dissensum, dum consensus suspenditur per illud quod est impossibile. Nec obstat quod forte conditio putetur possibilis; quia licet tunc consensus serius sit: tamen suspenditur à cõditione, quę nec extitit, nec extabit. Neq; inde oritur alia obligatio (ne peccetur cõtra conscientiã) quã expectandi euentum, donec conditionem impossibilẽ esse 61. sciatur.

sciatur. Eo autem cognito cessabit talis obligatio quæ à parte rei ab initio nulla fuit.

De conditione autem turpi cur irritet contractum ratio, hæc redditur quod cum turpis conditio, contractui communiter adiiciatur vt impleatur, si ille valeret, adstringeret, aut saltem alliceret directe ad peccatum: quod aperte alienum est à ratione. Vnde & intelligitur talem conditionem debere esse de futuro, cũ ad præteritum aut iam præsens, nemo alliciatur. Indeque porro fit, vt contractus valeat factus sub conditione de peccato præterito, aut præsenti: vt, do tibi agrum meum quia fuisti, aut quia es hæreticus. Nam ea non adstringit, nec allicit ad peccatum faciendum, quod supponit iam fieri, aut factum esse. Quam doctrinam aliquot authoribus citatis habet Thomas Sanchez *lib. 5. De matrimonio disput. 15. num. quinto*, & aliquanto plenius Leonardus Lessius *de iust. & iure lib. 2. cap. 18. dubit. 15. num. 121.*

62. Qvartvm documentum est. Contractum sub conditione valide factum, reuocari non posse: non quidem conditione adhuc pendente, quia expectari debet euentus illius, quandiu cessat ingratitudo, & alia quæuis sufficiens causa reuocandi: nec item conditione adimpleta, quia tunc contractus cessante suspensione, ex conditionali fit merus & absolutus, & ideo effectum obligandi sortitur, omni impedimento, quod obstabat, sublato. Cæterum difficultas est an hoc ipsum contingat, cum ab altero tantum ex cõtrahentibus conditio apposita fuerit cõtractui. De qua re quatuor sententias (citatis variis authoribus) refert Sanchez De matrimonio lib. 5. disput. 13. Possumus in praxi tenere cum eodem, contractum vitiari per diuersitatem in consensu, quæ contingit quando vnus pure & absolute consentit, & alter solum sub conditione, ex lege 1. §. Si quis similiter, ff. De verborum obligationibus. Et ratio est quia consensus tunc non vniuntur inter se, ideoque non oritur ex illis contractus consistens in actione minimum inter duos, mutuo consensu inita.

Documenta de cæteris contractui apponi solitis.

Sectio Posterior.

63. Primvm est (pro quo faciunt quæ habet Sanchez in sequenti disput. 19. à num. 5.) Modum contrarium substantiæ contractus cui apponitur, eum annullare, patet, quia contrahens sub modo, obligatur ad eundem seruandum: qui sit contra substantiam contractus cõsequenter est illius destructiuus, atque adeo illum annullat. Modum autem impossibilem aut turpem haberi pro non apposito: ideoque non vitiare contractum cui apponitur: communem sententiam esse tradit Lud. Molina de iust. & iure *tract. 2. disput. 208. versu, Modus impossibilis.* Et ratio est, quia modus non suspendit contractus dispositionem, sicut conditio: sed eam præsupponit perfectam & validam.

Secvndvm documentum est, an valeat contractus factus sub modo possibili & licito, intelligendum esse, *iuxta ea quæ consequenter addit Molina*, ex apponentium intentione, aliquando est tantum alliciendi alterum ad talem modum implendum, præbendique illi ad id motiuum: vt si quis dicat, Do tibi librum meum, ea lege, vt illum legas. Aliquando vero est quidem obligandi ad modum ipsum seruandum, sed absque impositione oneris, vt si ille non impleatur, contractus eo ipso reuocetur. Aliquando denique est & obligandi ad modum seruandum, & imponendi onus, vt si ille non seruetur, contractus sit nullus; vt si quis dicat; Lego domum Titio sed ea lege, vt Caio soluat centũ quæ debeo. Cum igitur hæc ita sint, & secundum intentionem contrahentium valeat contractus: pro documento tenendum est; Modo appositio non subsecuto, valere contractum in primo illo & secundo casu: non autem in hoc tertio.

64. Tertivm documentum est, *de quo iuxta legem, Quintus Mutius, ff. De auro & argento Syluester in verb. Conditio, quæst. 7.* Quandocumque per verba præcedentia apparet de donata, etiamsi demonstratio adiecta in donatione falsa sit, donationem ipsam ex tali falsitate non reddi irritam. Exemplum est, si quis dicat, Dono vxori vestem meam purpuream quæ ipsius causa facta est: valet enim donatio etiamsi vestis non fuerit facta ipsius causa: quia ex verbis præcedentibus constat tam de re donata, quam de voluntate donantis. Quando vero nihil de re donata constat (quia nimirum nulla est) donationem reddi irritam: vt si quis dicat; Do vxori vestem, quæ ipsius causa parata est, & nulla est parata. Alia exempla vide apud eundem authorem.

Qvartvm documentum est, *de quo, ac de sequenti Lud. Molina in eod. tract. 2. disput. 209.* Si quis contrahat principaliter ob causam existimatam subsistere, sed non subsistentem seu falsam, animum habens contrahendi seque obligandi tantummodo tali causa existente vera; contractum non obligare in conscientia; si eadem causa sit falsa, itaut inde acceptum, sit in conscientia restituendum. Idque ex *Nauarro in Enchir. cap. 18. num. 6*, siue causam apponens, eum animum suum exprimat, siue taceat. Ratio vero documenti est, quod in contractibus obligatio pendeat omnino à voluntate contrahentium: quæ cum est sub conditione, nulla esse censetur quousque hæc aduenerit: proprium est enim conditionis suspendere actum, seu impedire ne effectum sortiatur, do nec ipsa compleatur. Iam vero in casu proposito voluntas contrahendi conditionalis est: nempe si causa ob quam contrahitur, sit vera. Quare eadem existente falsa, non adest voluntas contrahendi: ac proinde contractus talitur factus inualidus est nec induxit obligationẽ. Aduertetamen *cum eodem Molina vers. Hoc loco*, in tantum procedere, quando quis ita esset animo affectus, vt si sciret causam non subsistere, non modo nollet contrahere, sed etiam vellet taliter factum contractum esse nullum. Nam si esset eo animo, vt nollet quidem contrahere tali causa non subsistente: sed tamen post factum contractum vellet omnino ei stare, si fiat, tanquam sufficienter voluntarius, censebitur validus. 65.

Qvintvm documentum est, *quod Molina ibidem addit his verbis.* Quando causæ quæ ad gratuito disponendum impulerunt, veræ sunt: quamuis aliquid aliud latuerit disponentem, quod si sciuisset, non solum non ita disposuisset, sed etiam voluisset, vt talis dispositio nulla esset; ea vtique valida est. Probatur, quia voluntas gratuito disponentis, fundatur in iis, quibus ducitur ad tali modo disponendum: itaut illis subsistentibus dispositio ipsa sit voluntaria, & sufficiens ad dominium transferendum. Neque obstabit ignoratio aliorum, quæ si cognouisset, non disposuisset. Si enim vt dispositio censeatur valida, necesse sit disponentem vniuersum penetrare omnia, quæ ipsum á tali dispositione retrahere poterant: nullus fere accipiens aliquid gratuita dispositione, tutus esset in conscientia: vtpote qui iniuste timere posset, circunstantiam aliquam circa mores suos, aut circa aliud, disponentem latuisse; quam sciens non haberet animum eo modo disponendi. Si quis igitur motus ex sola paupertate alicuius vere pauperis, donauit aliquã eleemosynam, valida est donatio, quamuis latuerit ipsum circunstantia (*vt, talẽ donatarium esse perditis moribus aut hæreticum*) quam si sciuisset non modo non donasset, sed etiam factam donationem vellet esse nullam. 66. 67.

Sextvm documentum est. Si principalis causa finalis disponendi sit falsa, dispositionem esse nullam. Ratio est: quia talis causa tacite continet conditionem hanc. Si res ita sit. In qua conditione innititur totum ius repetendi indebitum solutum, de quo est titulus tũ Digestis, tum Codice, De condictione indebiti. Vnde sequitur illud quod habet Medina in C. De rebus restit. q. 24. ad 5. fingentem se infirmũ aut sanctum & pium, vt extorqueat eleemosynam ab eo qui alio nomine non erat daturus, donationem ei factam esse nullam: atque sic acceptum esse restituendum. Quod intellige nisi esset alias debitũ ob veram causam, vt cum fingens præmittur summa egestate, aut cum non potest aliter recuperare sibi iuste debitum. Etsi enim peccet mentiendo, non infert tamen iniuriam danti, à quo nihil accepit, quin teneatur dare. Quod si quis vere pauper esset, & petens eleemosynã, vt facilius impetret fingat se infirmũ, aut pium aut cõsanguineũ, etiamsi peccet fingendo: potest tamen retinere quod ei datum est ad releuandam paupertatem: quia vere laborat: quia cæteræ causæ fictæ non sunt principales, sed solum impulsiuæ, (*vt supponimus*) ob quas non est datum, sed solummodo facilius aut citius datum. 68.

CAPVT

CAPVT VI.

De iis quæ passim inueniuntur coniuncta cum contractibus persertim ciuilibus.

SVMMARIVM.

68 *Quid sit promissio, pollicitatio, stipulatio, & pactum, ac in quo differant.*
69 *Differentia inter pacti, & promissionis obligationem.*
70 *Quæ sit vis promissionis, & illius diuisio in nudam & vestitam.*
71 *Pacti diuisiones variæ.*
72 *De ea quæ diuiditur in nudum & vestitum.*
73 *De ea qua in vtile & inutile; & ea, qua in honestum & turpe.*
74 *Promissio tantum interna facta homini, non est obligatoria, sicut est facta Deo.*
75 *Simplex promissio etiam externo signo expressa, non obligat antequam acceptata sit ab eo cui sit.*
76 *Obseruationes pro praxi de promissione acceptata.*
77 *Qui sint qui promissionem acceptare possint pro alio ad obligationem sufficienter.*
78 *Promissio onerosa valide acceptatur tantum ab eo cui sit.*
79 *Quæ exigantur, vt possit quis pro alio valide acceptare.*
80 *Differentia inter mandatum donandi, & promissionem donandi.*
81 *Promissio facta ob Dei honorem, obligat non acceptata ab eo cui sit.*
82 *Quod promissio signo externo expressa, & sufficienter acceptata obliget sub peccato, genere suo mortali.*
83 *Ad validitatem promissionis requiritur, vt cum plena deliberatione facta sit.*
84 *Quanta quantitatis debeat esse quod promissum est, vt violatio promissionis censeatur peccatum mortale.*
85 *De excusatione ab impletione promissionis, ob mutationem circunstantiarum.*
86 *Circa eandem excusationem obseruanda.*
87 *Obseruatio notanda circa excusationem ob mutatum rerum statum.*
88 *De excusatione per ignorantiam, aliamue iustam causam.*
89 *Promissio facta absque animo promittendi, quando obliget.*
90 *Explicatio difficultatis de promissione facta animo quidem promittendi, non tamen se obligandi.*
91 *Promissio habentis expressam voluntatem non obligandi se, non obligat.*
92 *Ad quid teneatur is qui aliquid promisit pro alio, ipso inscio.*
93 *Ad quid teneatur ille qui est incertus an promiserit, aut qui licet sciat se promisisse, incertus est an id fecerit animo se obligandi.*
94 *Et ad quid, si incertus sit, an promiserit cum plena deliberatione.*
95 *De obligatione cum facta fuerit duobus, nec vtrique simul satisfieri potest; quæ cui sit præferenda.*
96 *Promissio simplex non inducit obligationem ad restitutionem.*
97 *Quid sentiendum sit de ea quæ facta est cum adiectione alicuius oneris.*
68 *Quid sit sentiendum de promissione facta cum adiectione oneris turpis.*
99 *Dicta de promissione quomodo quadrent in pactum & donationem.*

68. PAssim cum contractu ciuili promissio, pollicitatio, pactum, & stipulatio inueniuntur coniungi, quæ sic inter se distinguuntur, vt promissio proprie sit; cum quis præcedente rogatione, seu petitione, vel interpellatione alterius, spondet se aliquid daturum vel facturum: vt si rogem te, vt mihi mutuo des centum, & spondes te daturum. Pollicitatio vero sit, cum quis sponte sua, non rogatus vel interpellatus ab alio, promittit aliquid alteri: hocque est quod significatur in lege, Pactum, ff. De pollicitationibus; cum pollicitatio dicitur esse offerentis solius promissum; nulla scilicet præcedente petitione, vel interpellatione alterius. Vnde patet, neque promissionem, neque pollicitationem esse inter duos, quorum vnus sit debitor, & alter sit creditor, sed tantum esse sponsionem vnius, qua se obligat alteri, cum ipsius consensu.

Pactum autem sit id, quod duo vel plures ex diuersis motiuis, post varias disceptationes de vno aliquo conueniunt, & concludunt vt fiat, vel vt non fiat, itaut verba præmittantur à promittente, & confestim sequantur verba in admittente, vt v.g. dabo tibi centum, vt mihi vendas equum: & tu statim respondes, mihi placet: hocque sensu accipiendum est quod in lege 1. ff. de pactis, habetur, pactum à pactione dici, & pactionem esse duorum vel trium consensum in idem placitum: si enim id simpliciter, *vt verba sonant*, accipiatur, pactum censendum erit, cum duo Philosophi, Medici vel Iurisperiti, in aliqua suæ artis vel scientiæ quæstione vnum idemque sentiunt, quod alienum est à communi loquendi vsu. Stipulatio denique sit, *vt habetur ex lege Stipulationum 2. §. Stipulatio, ff. De verborum obligationibus*; verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, respondet se daturum, aut facturū illud, quod interrogatus est, v g. interrogo: Promittis te mihi daturum centum? tu statim respondes, promitto: stipulatio est.

Atque ex his intelligitur, quoad obligationem, parem esse promissionis, & pollicitationis rationem: cum in hoc tantum differant, quod illam faciamus rogati: & hanc nostra sponte, nullo rogante. Itemque parem esse pacti & stipulationis: quandoquidem in hoc tantum distinguuntur, quod pactum fiat quando præcedunt verba promittentis, & subsequuntur verba admittentis: stipulatio vero quando contra, verba admittentis præcedunt, & subsequuntur verba promittentis, eo modo quo ante proposita exempla ostendunt. Vnde quia consideratio hæc eo tota refertur, vt intelligatur obligatio in conscientia, quam talia pariunt: sufficiet de promissione & pacto, *horum obligationem inquirendo*, disserere. De quibus habentur tituli: in iure quidem ciuili: ff. De pactis, & ff. De pollicitationibus, & Cod. De pactis. In iure vero Canonico, tam Extra, quam in Sexto, titulus De pactis. De iisdem varii Doctores agunt, & inter eos latissime Couar. ad Cap. Quamuis pactum: & qui nobis in ea re cæterorum loco esse potest, Ludouicus Molina *de iust. & iure tract. 2. d. disput. 252.* & aliquot sequentibus.

69. PORRO inter promissionem & pactum quoad obligationem, hoc discrimen notatur; quod ex promissione iam acceptata ab alio, obligatio nascatur tantum ex parte promittentis: quoniam ex fit gratis, nec ei cui fit quidquam imponitur. Ex pacto verbo nascatur obligatio ex parte vtriusque paciscentis: quia fit, tam promittente, quam admittente, se ad aliquid dandum, vel faciendum, vel præstandum adstringente. Id quod commune quidem est pacto cum contractu propie sumpto, sed ab eo differt tanquam latius patens: quia pacta interueniunt tam in iis quæ contrahendæ, quam quę tollendæ obligationis causa inter partes aguntur. Sic enim datur pactum de non petendo debito: itemque de non petendo damno per iniuriam illato. Præterea in transactionibus, pacta fiunt finiendæ litis dubiæ causa; atque pacta pacis, & induciarum ad belli cessationem. Aduerte autem, vt contractui, sic & promissioni conditionem, modum, demonstrationem, & causam solere apponi. Adderem & tempus futurum: sed de hoc si id incertum, iudicandum est tanquam de conditione: nempe, suspendere obligationem. Sin sit certum, tanquam de promissione absoluta, ex qua statim consurgat obligatio; tametsi non statim soluatur sicut promissum: sed tempore in promissione præfixo: itaut si ante diem præfixum soluatur, non detur soluenti repetitio, sicut daretur, si in diem incertum, aut aliter sub conditione in futurum pendente, promissum esset, nec conditio esset impleta. Videndus est Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 284. & aliquot sequentibus.

Documenta de obligatione promissionis & pacti.

70. CVm, vt iam attigimus, nobis incumbat potissimum explicatio obligationis, quæ ex promissione vel pacto nascitur: immorabimur in tradendis de ea aliquot documentis. Quibus præmittendum est de promissione: vim

illius *ex D. Thoma* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. esse in eo, vt quemad. homo imperando, statuit quid velit sibi ab inferiore fieri: & deprecãdo, quid à superiore obtinere cupiat: sic promittẽdo statuat quid factutus sit in alterius gratiam: se libertate sua priuando circa illud, iusque alteri concedendo ad illud à se exigendum. Præterea ipsam posse esse, vel simplicem, id est, sine iuramento: vel iuratam id est, iuramento confirmatam. Illamque rursus esse posse, vel rei alias debitæ, vt cum quis mutuo acceptam pecuniam se soluturum promittit; vel rei non debitæ. De qua demum promissione, *quia duarum reliquarum obligatio satis patet ex iuramento, aut ex dicto præcedente*, sermo est hoc loco. Quæ quidem fieri potest duplicitet, ex Caiet. ad memoratum art. 1. vno modo in actu signato simul, & exercito: vt quando quis profert verba quæ significant promissionem ipsam: *qualia sunt, promitto, spondeo, & æquipollentia*. Altero modo in actu tantum exercito: vt quando quis profert verba, quæ significant opus exhibendum: vt, hæc faciam, soluam, liberabo te ex carcere, & similia.

71. Quæquidem, *vt idem author addit*, possunt tria significare. Primo voluntatem seu propositum intentionemue faciendi: vt idem sit, faciam; ac voluntatem habeo faciendi, seu propono vel intendo facere. Secundo. euentum; vt sensus sit, continget hoc à me fieri. Tertio, obligationem sequentem ex promissione implicita, quę continetur in talibus verbis futuri temporis. Qui demum sensus, solus est ad hunc locum accommodatus: quia in aliis huiusmodi verba non continent promissionem, sed tantum dictum seu ennnciationem, qua quis indicat illud quod habet in voluntate, vel euentum futurum. Quando autem illo tertio sensu accipientur, non potest aliunde intelligi quam ex mente illius, à quo proferuntur: ideoque de ea consulendus, si possit, aut ex circunstantiis prudenter coniiciendum.

71. Depacto autem præmittendum est, posse fieri tam inter absentes, quam inter præsentes; ipsumque multipliciter diuidi. Primo enim diuiditur in conuentum seu expressum, & in tacitum: quorum illud est, cum partes inter se expresse paciscuntur: hoc vero, quod ratione alicuius legis interuenit, quantumcunque partes non paciscantur inter se: vt cum tutor eligitur, pupilli quorum curam accipit, habent ex iuris constitutione tacitam hypothecam in illius bonis: sic etiam vxor in bonis mariti, propter res dotales.

Secundo diuiditur, quod aliud sit in rem; & aliud in personam. In rem autem esse dicitur (vt habetur ex lege Iuris gentium. §. 8. ff. De pactis) quoties generaliter paciscor, ne petam rem. In personam vero, quoties paciscor, ne à persona petam.

Tertio, diuiditur in personale & reale; illud est, quod ad aliam personam, nempe ad hæredem non transit: hoc vero, quod transit ad hæredem; vt cum paciscor tecum, ne petas à me, & possis petere à meo hærede: vel paciscor, ne petam à te, & hæres meus possit à te petere.

72. Quarto, diuiditur in nudum, & vestitum: illud est, quod simplici tantum placito firmatur: vt. dabo tibi Stichum, & tu mihi dabis Pamphilum: hoc vero est, *ex Sylu. in verbo Pactum, quæst.* 2. quod firmatur re, vel verbis, vel scriptura, vel consensu firmiore, quam sit simplex placitum, vel cohærentia cõtractus, vel rei interuentu. Ac quatuor primis modis firmatum, nomen & rationem habet diuersorum cõtractuum, vt hinc patet: quia ex tit. Quibus modis re contrahatur obligatio, Institutis, re paciscí contingit in mutuo, commodato, depósito, & pignore: propterea quod requiritur, vt vltra consensum contrahentium, interueniat in eis res data alteri parti; neque alioqui contrahetur.

Verbis vero paciscí ex tit. De verborum obligationibus, Institutis, contingit in his in quibus vltra consensum requisitum in omni contractu, necesse est interuenire certa contrahentium solemnia verba; quæ, *vt in eodem titulo*, §. 1. *habetur*: talia olim tradita sunt; spondes, spondeo, promittis, promitto, fide promittis, fide promitto: fideiubes fideiubeo, dabis, dabo, facies, faciam.

Scriptura autem paciscí contigit in contractu chirographario: quo quis potest in iudicio agere contra aliquem ex solo ipsius chirographo. Itemque in alio contractu, in quo vltra consensum, necessario, siue ex legis dispositione, siue ex conuentione partium requiritur, vt scriptura interueniat. Sunt enim aliquando rerum emptiones, quæ non intelliguntur perfectæ, nisi interueniat scriptura confecta ex legis dispositione.

Consensu demum paciscí contingit in emptionibus, locationibus, societatibus, mandatis; ex lege Consensu, ff. De actionibus & obligationibus. Vbi aduerte, quod quamuis in omni contractu requiratur consensus contrahentium: hos tamen specialiter dici consensu fieri; quod cum in tribus præcedentibus, vltra simplex placitum requiratur vt res, vel verba, vel scriptura interueniat, in his solus consensus sufficiat ad firmitatem perfectionemque contractus. Etenim emptio v. g. perfici potest sine traditione pretij, sola fide habita, & sine scriptura de eo soluendo. Item fieri potest sine traditione mercium, sola fide data de iis tradendis. Item fieri potest sine vllis verbis, per nutus, aut alia signa indicantia consensum internum: immo & inter absentes, per nuncios aut literas.

Pactum vestitum cohærentia contractus. à Syluestro loco citato illustratur hoc exemplo: Vendidi tibi domum cum pacto, quod morer adhuc in ea per annum: quod pactum vestitũ est cohærentia contractus venditionis; quo semoto nudum maneret. Pactum vero interuentu rei vestitum, alio exemplo idem author sic declarat. Promisi tibi dare aliquid, vt faceres mihi vel dares aliud: statim atque tradidero tibi illud quod promisi, pactum ex parte mea est vestitum interuentu rei.

Quinto, diuiditur pactum in vtile & inutile: illud est in 73.
quo persona obligatur, quæ potest iure se obligare; aut obligatur res quæ non est prohibita obligari: hoc vero est, cui aliquid ex dictis; seu, *quod idem est*, rei aut personæ circunstantia debita deest: vt quia res non est propria, sed aliena: aut persona inhabilis est ad contrahendum, Qua de re post. ea in cap. 8.

Postremo, diuiditur pactum, in honestum & turpe: illud est quod fit consentanee legi: hoc vero, quod fit contra legem, siue diuinam, vt contractus simoniacus, vel vsurarius, siue humanam, vt ludus: non quidem is qui vel exercet corpus, vt ludus armorum, luctæ, cursus; vel exercet ingenium, vt ludus schaccorum: sed ludus in quo plus est fortunæ quam ingenij, vel exercitij corporis; vt ludus alearum & foliorum lusorum: qui etsi natura sua malus non est, sed indifferens (itaut factus recreationis honestæ gratia, & seruatis debitis circunstantiis, peccatum non sit) lege tamen humana, ob periuria, fraudes, iurgia, & huiusmodi alia, quæ ex eo frequenter sequuntur, prohibetur tam clericis, quam laicis: lege canonica, quidem in Cap. Episc. dist. 35. Immo in Cap. Clerici 2. De vita & honestate Clerico. prohibentur Clerici, non tantum ludere, sed etiam interesse tali ludo. Lege ciuili vero, ff. De aleatoribus, in lege 2. & 3. & Cod. eod. tit. in lege Alearum vsus. De ludo egimus antea in lib. 10. cap. 25. parte posteriore.

De promißione tantum interna.

Sectio I.

Atque his ita præmissis; primum documentum est. Si 74.
quidem homini promissio fiat: hoc vt obligatio inde sequatur, non sufficere eam esse tantum internam, soloque animo conceptã: sed debere verbo aut alio nutu, aut alio externo signo declarari: sin aũt fiat Deo, sufficere ad obligationem, solo animo illam fieri. Istud est D. Thomæ 22. *quæst.* 88. *art.* 1. & aliorũ quos refert & sequitur Thomas Sanchez de matrimonio *lib.* 1. *disput.* 3. *nu.* 5. Quoad priorem autem partem probatur: quia homines non obstringunt se aliqua obligatione, nisi humano modo; qui est per consensum alteri declaratum verbo vel nutu, vel alio signo externo, vel interuentu alicuius rei. Non enim homines (qui tantum vident ea quæ parent, ex 1. Reg. in 16.) agunt inter se solis consensibus internis, qui natura sua latent, sed consensibus exterius declaratis. Et ita matrimonium, aut sponsalia non contrahuntur solis consensibus internis: neque valida est donatio solo interno consensu facta: & sic de cæteris. Quod si quis obiiciat signum exterium consensus interioris, declarare tantum obligationem; proindeque eam potius supponere factam, quam facere. Ocurrendum est etiamsi id ita

sit. ad

sit, ad obligationem tamen promissi quod fit homini, signũ externum perinde requiri, atque ad obligationem legis humanæ requiritur promulgatio, per quam interior voluntas Principis pateat subditis, quandoquidem acceptatio, *quæ requirit notitiam rei acceptandæ*, conditio est sine qua promissio non obligaret; sicut approximatio ligni ad ignem conditio est sine qua non fieret illius combustio.

Posterior vero documẽti pars ex eo patet, quod Deus sit vbique præsens, videatque semper, ac cognoscat interiores cõsensus nostros, acceptetq; id quod per illos ei debite offerimus. Sicque fit vt votum obliget, etiamsi factum sit solo interiore actu animi, sine vlla externa illius declaratione, prout habitum est in præced. lib. 17. n. 205.

De promissione signo externo manifestata, sed ab eo cui facta est, nondum acceptata.

Sectio II.

75. Secundum documentũ est. Promissionẽ etiã simplicem, signo externo expressam, non obligare antequã acceptata sit ab eo cui fit, vel ab alio qui habeat ad id potestatem: itaut possit ante acceptationem tuta conscientia reuocari. In hoc Doctores communiter conuenire Ludouicus Molina, *de iust. & iure tract. 2. disput.* 263. etsi discrepent, quod aliqui velint in iuris tantum ciuilis dispositione, ipsum fundari: alij vero constare de iure etiam naturæ; de quo contendere, nihil est necessarium pro praxi nobis proposita: cum sufficiat permissam iure ciuili reuocationem promissionis, locum habere in Ecclesiastico, conscientiæque foro: in quo iura ciuilia, authoritatem obtinent, quando nihil definiunt Iuri Canonico contrarium, prout constat ex Cap. 1. De noui operis nunciatione. In ea autem re iura ciuilia consentiunt cum Iure Canonico. Etenim quod de liberali pollicitatione habetur ex lege 1. ff. De pollicitationibus; & de liberali donatione, ex lege Absenti, ff. De donationibus; & ex lege Qui absenti, ff. De acquirenda vel amittenda possessione: de se & antequã acceptata sit, non habere vim obligandi: consentaneum est Cap. Si tibi absenti, De præbendis in sexto: vbi statuitur per collationem beneficij non accepratam, ius in ipso beneficio minime acquiri. Iam vero si donatio non habeat vim obligãdi donec acceptata sit à donatario, multo minus habebit promissio dandi. Ad idem confirmandum facit ratio, quam tangit D. Thomas 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 2. quod promissio fiat homini, in ipsius gratiam & bonum: ideoque non ante obliget quam ipse declaret eam sibi gratam bonamque esse: adeoque consensus illius, cum consensu promittentis conueniat in idem placitum, iuxta ea quæ habentur lege 1. ff. De pactis. Deinde cum tam donatio, quam promissio fiant ex liberalitate: certe si acceptatæ non sint, nullam obligationem pariunt, reuocarique possunt, tanquam adhuc positæ in fieri, atque pendentes ex libera voluntate promittentis vel donantis. Quam voluntatem mutando non facit alteri iniuriam, nec damnum infert: quandoquidem nihil habuit quæsitum, quod inde ei pereat, & ita videmus passim vsu receptum, vt liceat suam obligationem reuocare antequam sit acceptata: nec exigi vt expectetur, donec acceptetur vel reiiciatur. Nam ex citata lege Qui absenti; is qui promittit vel donat, non habet mentem, vt velit possessionem suæ rei statim à se dimittere, sed expectare donec alter certior factus, acceptet.

Obseruationes pro praxi de eadem.

Sectio III.

76. Hic aduerte primo, quod cum promissio dandi vel faciendi non acceptata, obligationem, non habeat: multo minus habere illum, cui facta est monendi eam factam esse. Secundo, quod promissio duret, quandiu non reuocatur: si is cui facta est, illam nondum reuocatam acceptet post interuallum temporis, perinde vim obligandi accipere, ac acceptasset ab initio acceptata.

Tertio, prò non acceptante habendũ esse eum, qui dixerit; neque accepto, neque non accepto: quoniam vere non acceptat. Habendum vero esse pro acceptante, si præsens, & audiens promissionem taceat; prout multi docent quos Sanchez refert *lib* 1. *de matrimonio, disput.* 6. *nu.* 11. Et ratio est quia tacens, quoties de ipsius commodo agitur, censetur consentire in sui fauorem: tunc enim, *si vnquam alias*, locum habet regula iuris in 6. Qui tacet consentire videtur: prout idem in præced. disput. 5. nu. 5. multis aliis citatis notat.

Quarto, acceptationem promissionis (cuius interuentu hæc habet vim obligandi) posse fieri non tantum per eum cui promittitur; sed etiam per alium, cui id negotij commiserit; aut cui de iure id conueniat; vt conuenit ei qui sic est sub illius potestate, vt non sit sui iuris; iuxta illud, & contrario sensu, in §. Si quis alij. Institutis, De inutilibus stipulationibus. Si quis alij, quã ei cuius iuri subiectus est, stipuletur, nihil agit. Sic ergo acceptare potest filius pro patre: seruus legalis pro domino; religiosus pro Prælato suo. Et ratio est, quia tales censentur vna persona cũ eo cui subiiciuntur. Conuenit item ei, qui alterius curam gerit: quia si potest ei facere potestatem stipulandi, eam quoq; ipse vsurpare potest: & ita tutor acceptare potest pro pupillo, curator pro furioso, princeps pro subdito, & notarius conficiens instrumentũ promissionis. De qua re pluribus Couar. *lib.* 1. *variarum resol. cap.* 14. *n.* 11. *& sequentibus.* Cõuenit præterea illi, qui ex promissione vel donatione facta absenti, reportat cõmodum, vel aliquo onere liberatur. Pro quo est textus in citato titulo, De inutilibus stipulationibus, §. Sed & si quis. Et sic creditor acceptare potest pro debitore: socius pro socio, vxor pro marito. Conuenit demum cuique etiam priuato, acceptare fauore causæ piæ; ex communiore sententia, vt aliquos in eam citatis habet Sanchez in nu. 10. sequentis disputationis 7. in qua de præcedentibus quoque agit. 77.

Cæterum istud quod dicitur de acceptatiõe promissionis pro absente, non est extendendum ad promissionem onerosam, & vltro citroq; obligatorium: vt cum promitto me venditurum domum patri tuo, si pro ea mille dare velit. Ratio est, quia in tali promissione, vt firma sit & irreuocabilis, necessarius est consensus absentis, quo se vicissim obliget. Nam cum sit contractus respectiuus, includit tacitam conditionem, si alter in retributione, & grauamine apposito consentiat. At nõ obstante acceptatione facta suo nomine, non potest consentire, recusando subire tale grauamen. Ergo & is qui sic promisit, potest resilire: alioqui reciprocus contractus claudicaret, vnum astringens, & alterum solutum relinquens; quod non est rationi consentaneum. Hanc limitationem notat post Molinã *de iust. & iure tract.* 2. *disput.* 264. Sanchez de matrimonio *lib.* 1. *disput.* 7. *nu.* 12. & post vtrumque Lessius de iust. & iure *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 7. *nu* 51. 78.

Quinto, aduerte quod item Lessius in præcedenti nu. 49. habet ex Couar. vt is qui præsens est, possit pro absente in illius commodum promissionem valide acceptare, exigi vt verba promissionis ad ipsum dirigantur: si enim dirigantur tantummodo ad absentem, *vt si dicatur: Petro absenti promitto centum*, is qui præsens est, non potest promissionem acceptare; quia non fit ei, nec ad eum dirigitur intentio promittentis. Addit idem bene in nu. 50. Eum qui nomine alterius valide acceptauit promissionem, non posse eam condonare: quia ex legum dispositione, iam est tertio quæsitum ius, quo non potest illum priuare. Quanquam obligatio qua promissor adstringitur pendet, donec ab eodem tertio fuerit acceptata, qui illam, *vtpote factam sub ipsius beneplacito*, repudiare poterit; adeoque irritam reddere. Donec ergo de tali beneplacito constiterit promissori; ipse non tenebitur exequi promissum. Vnde quia nec tenetur de eo monere promissarium, fieri potest, *si nes moneatur ab eo qui acceptauit, ad id minime obligatus*, vt sine peccato nulla sequatur executio. 79.

Sexto aduerte quod Sanchez tractat *in eod. lib* 1. *disput. sexta. nu.* 7. *&* 8. mandatũ donandi expirare quidem mandatis morte, ex lege Mandatum, Cod Mandati (& ratio est, quia cum vita desinit authoritas, quæ debet executioni mandati vim dare) non tamen promissionem donandi, quæ ex parte promittentis fuit valida & perfecta. Et licet reuocabilis quoq; fuerit, iuxta antedicta; nõ fuit tamen, *vt supponimus* 80.

de facto reuocata: adeout maneat capax acceptionis, & obligationis eam sequentis. Nec obstabit præiudicium hærendum promissoris; quia, cum vt in commodis, sic & in incommodis censetur vna persona. De quo idem author plenius in præced. num. 5. Consequenter in nu. 6. addens, quod eodem fundamento nititur, mortuo illo cui facta est promissio, hæredes ipsius posse eam acceptare. Pro quo plures citat; & inter alios Molinam in memorata disput. 264. §. Iuxta hactenus dicta.

81. Postremo aduerte. *quod aliis citatis Sanchez ipse adhuc ibidem habet nu. 17.* promissionem, si facta sit ob Dei honorem, itaut animus promittentis non feratur in hominem, aut in locum cui promittit; valere promissionē antequam acceptetur ab eo in cuius vtilitatem facta est; vt si quis dicat. Promitto me Dei amore daturum pauperi puellæ centum in dotem. Ratio autem patet, quia talis promissio censetur esse votum quod statim obligat tanquam factum Deo, qui semper & vbique præsens est. Locum autem obligatio hæc habet (addit idem) etiam in dubio: seu cum quis dubitat, intenderitne promittere homini, an Deo: quia in causis piis, dum promissio fit in absentia illius, cuius commodum concernunt, intentio communiter fertur in Deum: & ideo vt non peccetur ei contraueniendo, opus esset dispensatione Episcopi ad relaxationem illius, tanquam voti cuiusdam nuncupati Deo. Idem dicendum est de promissione facta homini, cum fuerit iurata, quia quantumuis acceptata non sit, obligat ratione iuramenti, iuxta superius tradita in cap. 4. sect. 4.

De promissione declarata signo externo & acceptata.

Sectio IV.

82. Tertium documentum est Promissionem simplicem factam homini & acceptatam ab illo cui facta est, obligare in conscientia. In hoc Doctores consentiunt: cum certum sit transgressione in illius peccatum esse; vtpote repugnantem rectæ rationi: quæ dictat non esse fallendum, sed datam fidem seruandam esse. Consentiunt etiam peccatum esse tantummodo veniale, quando res promissa fuerit leuis; mortale vero, quando ea fuerit grauis, aut quando talis trāsgressio grauiter nocet alicui, aut graue scandalum, vel grauem perturbationem generat ob fidem violatam. Dissentunt vero quod nonnulli ipsum existiment genere suo peccatum esse solummodo veniale, & alij esse mortale; vtrorūque meminit Sanchez *in præced. disput. 5. dubio 3.* iisq; assentitur, *& merito*, qui suo genere mortale esse censent. Nam tale peccatum est sufficiens ad imponendam excommunicationem, iuxta illud in cap. 1. De pactis. Aut inita pactum suam obtineant firmitatem: aut conuentus, si se non cohibuerit, Ecclesiasticam sentiat disciplinam. At excommunicatio imponi potest tantum pro mortali, ex Cap. Nemo Episcoporum 11. quæst. 3. Deinde quandocumque in foro externo quis iure cōpellitur aliquid adimplere, cēsetur ad illud fuisse in conscientia obligatus ex iustitia (nisi iudicium innitatur falsę præsumptioni, aut tantum sit damnationis ad pœnam) cum iudicis sententia eo tendat, vt vnicuique ius suum reddat, & constituat æqualitatem, in qua consistit medium iustitiæ, cuius violatio est suo genere mortalis. At in foro externo, etiam Ecclesiastico, is cuius promissio acceptata est, illam implere compellitur, vt per cap. 1. De pactis, Doctores commmuniter statuunt, teste Couar. *ad Cap. quamuis pactum, par. 2. §. 4. numer. 14.* Ergo talis promissionis obligatio eiusmodi est; vt violare eā de se, suoque genere sit mortale.

Nec obstat, quod *ex eodem Couar. ibidem*, tunc solum actio iure Canonico detur contra promittentem, cum in promissione causa eius exprimitur. Nam id pro foro externo dicitur, in quo adiectio causæ promissionis desideratur, ne ioco & absque animo promittendi, aut per errorem facta esse præsumatur; alioqui si aliunde cōstaret de promittentis voluntate, is in eodem foro compelleretur seruare fidem. Cum autem in foro conscientiæ cesset præsumptio; promissio obligat, etiamsi causa illius non sit expressa; quod aliquot aliis citatis habet Sanchez *in eadem d. sput. quinta, n. 22. in fine.*

Accedit ad hæc quod peccatum violatæ promissionis non solum contra veritatem committatur, tanquam mendacium (prout sentire videtur Caiet. in verbo Perfidia) sed etiam contra fidem datam homini, tanquam peccatum infidelitatis, ex D. Thoma 2. 2. *quæst. 110. art. 3. ad 5.* At infidelitas graue peccatum est de se, vtpote oppositum fidei; quæ virtus est moralis, in qua fundatur iustitia omnis obligationis contractus, & conuentionis inter homines. Adde, idem peccatum adhuc esse contra charitatem, postulantem vt simus fideles in promissis seruandis: cum secus facere sit contra societatis humanæ tranquillitatem, & odij seminarium. Accedit præterea quod iniquitas sit de se peccatum mortale, iuxta illud prioris ad Corin. cap. 6. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Non seruare autem promissum, iniquitas sit: sicut seruare, æquitas est, vt habetur ex initio primæ legis, ff. De pactis. Quare peccatum est mortale. Ad quod confirmandum facit illud Prouer. 12. Abominatio est Domino, labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei.

Obseruationes de eadem, pro praxi.

Sectio V.

Pro praxi autem aduerte primo. Quantumcunque acceptata sit promissio, nisi facta sit cum plena deliberatione, inualidam eam esse, vt communiter Doctores merito affirmare, habet Molina *de iust. & iure tract. 2. d sput. 267.* in initio; quia non est alioqui integre actus humanus: cum de se obliget ad mortale, *vt ante habitum est*, exigit deliberationem ad mortale requisitam: talem scilicet ad obligandum homini, illius intimatione, qualem ad obligandum se diabolo, illius transgressione, iuxta glossam 1. *ad Cap. Mulier 32. quæst. 2.* communiter receptam, teste Nauarro *in Enchir. cap. 12. numer. 24.* Et ita inualidas censeri promissiones, non modo eorum qui rationis vsum non habent, vt infantum & amentium: sed etiam eorum qui habent quidem, sed illas non faciunt cum plena deliberatione: vt contingit ei qui ira aut alia perturbatione animi subita percitus, aliquid Deo aut homini promittit, si perturbatio tanta fuit, vt rationis iudicium obtenebrarit; ac deliberationē ad peccatum mortale requisitam, ita impedierit, vt si eodem passionis motu hominem occidisset, homicidium mortale nō commisisset. Qua de re plenius Thomas Sanchez *lib. 1. de matrimonio. disput. 8. difficultate 1.* Sed sufficiet addere quod ille habet num. 7. ex Caiet. 2. 2. *quæst. 88. art. 1. circa primam conditionem ad votum requisitam*: Ad plenam deliberationem requiri, vt quis de aliquo deliberat, conferat ipsum cum suo opposito, vt intellectus tali collatione viam muniat voluntati (ostendendo scilicet ei in vtroque boni rationem quam eligat) ad alterutrum libere admittendum, vel repudiandū. Quam quidem collationem idem ait imperceptibiliter fieri posse: vt si occurras homini irato volenti vouere, & dicendo ei, quid facis, vel aliunde in mentem veniat ei cogitatio vt de vouendo, sic & de non vouendo, nihilominus voueat. Pro quo videnda sunt dicta in præcedenti lib. 15. cap. 4. sect. priore.

84. Aduerte secundo, nimis rigidū esse, quod Nauar. in Enchir. cap. 18. nu. 7. indicat, in simplici promissione materiam grauem, ex qua illius violatio sit mortalis, cēsendam esse rem eam, quæ sufficiat ad furtum mortale. Nam obligatio soluendi promissa, multo minor est, quā restituēdi furto ablata; cum hæc sint aliena, non item illa, quandoquidem per promissionem etiam acceptatam non transfertur dominium antequam interueniat traditio rei promissæ, & donatio sit completa. Traditionibus enim & vsucaptionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur, prout habet lex Traditionibus, Cod. De pactis. Quod Doctores significant, dicentes promissione acquiri ius; nō quidem in re, sed ad rem: seu vt is cui facta est promissio, possit agere ad interesse aduersus eum qui illam sibi promisit, prout habet Molina *de iust. & iure tract. 2. disput. 273.* Accedit quod homines cæteris paribus grauius conquerantur de furto sibi facto, quam de non adimpleta sibi facta promissione.

Sicut igitur ex communi doctrina maior quantitas requiritur ad constituendum furtum mortale, cum commit-

titur

ritur ab vxore vel à filio; quam cum committitur ab extraneo: quia maritus vel pater, minus grauiter ferunt, minusq; inuiti sunt, sua surripi ab vxore vel filio, quam ab extraneo: ita etiã quia consentaneum est, vt is cui ex mera liberalitate promissum est aliquid; minus egre ferat sibi non solui, quam si esset ei furto sublatum (*iuxta illud in Cap. Ex parte, De censibus: liberaliter oblata benigniter exigenda sunt*) maior sane quantitas requiritur ad constituendam violationem promissionis mortalem, quam ad constituendum furtum mortale. Si quæras, quanto maior requiratur? Respondet Thomas Sanchez *in eod. lib. 1. disput. 5. numer.* 24. requiri quadruplo maiorem: cui contradicere, quod compellat, nihil occurrit. Cæterum quæ quantitas sufficiat ad furtum mortale, expositum est in præcedenti lib. 2, cap. 1. quæst. 3. in fine.

85. Adverte tertio; Quod ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 110, *art.* 3. *ad* 5. habetur: vt quis teneatur adimplere promissionem obligantem, opus esse vt non mutetur status personarum, rerum, & negotiorum: communiter quidem receptum esse, teste Molina *in cit. tract.* 2. *disput.* 272. Sed tamen habere tantummodo locum, *vt idem notat*, tum quando ex mutatione, adimpletio facta est impossibilis, vt si promisi equum meum tibi dare certo die, & ante illum diem moritur; tum quando eadem reddita est illicita: vt si alicui promisisti te daturum ei ensem, & is interea in amentiam vel furiam incidit: tum demũ quando talis mutuatio cõtingeret, quæ si occurrisset, non esset facta promissio, nisi cum illius exceptione. Sic ergo non teneris ad impletionem promissi de danda certa pecuniæ summa, si postea deueneris ad eam egestatem, quam si præsciuisses, nunquam tale quid promisisses. Similiter non teneris stare promisso degerendo foris negotio alicuius, si filius tuus in graue morbũ domi inciderit, opera, præsentiaque tua indigens; quia non intenderas obligare te in eo euentu. Non teneris, inquam, quia liberalis, gratuitaue promissio non obligat plus, quam promittens intenderit se obligare. Etenim sicut in generali cõcessione non veniunt ea quæ quis non esset in speciali verosimiliter concessurus, ex regula 81. iuris in 6. ita nec in promissione veniunt euentus, qui si in specie venissent promittenti in mentem dum promisit, illos excepisset. Cuius rei melior interpres esse nequit quam ipsemet promittens: ita ut dum dubitatur de aliquo euentu: an ipse teneatur in eo seruare promissum, interrogandus sit: eone animo fuerit dum promitteret, vt si talis euentus in mentem ei tunc venisset, illum omnino excepisset: si enim respondeat accepturum fuisse, nec habiturum intentionem se obligandi, iudicandus erit liber ab obligatione.

86. Adverte quarto nonnulla (*quæ in eadem disput. Molina notat*) circa iam dictam excusationem esse obseruanda. Primum est. Eum qui fuit in mora implendi promissum, damnis inde secutis resarciendis, ex superueniente impedimento excusari quidem pro tempore, quo idipsum durat; non tamen pro eo in quo ipsum iam cessauerit. Ratio est, quia tunc est debitor, non tantum ex promissione; sed etiam ex delicto, quo fuerit in mora. Exemplum est; si promisisti dare centum hoc mense, & cum posses, omisisti sine iusta causa soluere: interea autem redactus es casu ad egestatem grauem, ea quamdiu durat (*tanquam obligatione per eandem sopita*) excusat te; non autem postquam cessarit: quoniam ex iniusta illa detentione præcedente egestatem, manes obligatus post eandem, perinde ac maneres ex alia iniusta damni illatione.

Secundum est. Quod dicitur de accusatione implendi promissionem ob mutatum statum rerum; locum habere, quantumcumque illa sit iuramento confirmata, ex Cap. Quemadmodum, De iureiurando. Et quia nihil aliud iuramento promittitur, quam quod promissio continet in se, fit vt si eius adimpletio iustam excusationem habeat, iuramentum etiam quo confirmata est, habeat.

87. Tertium est. Quod diximus, promissionem non obligare ob mutationem status rerum, quæ si in mentem venisset, illa non fuisset facta; minime comprehendere factam ab eo qui non penetrauit omnino, quæ in re promissa continebantur: exquibus si aliqua perfecta habuisset, expertusue fuisset, omnino abstinuisset à tali promissione. Nam hoc ipso, quod quis aliquid promittit, illud promittit secundum omnia contenta in eo: quod si non cognoscat omnia, imputare sibi debet, quod promiserit rẽ, cuius annexa non satis expenderit. Et ita ex cõmuni sententia, non est liber ab ingressu religionis qui illam vouit nõ penetrans difficultates quas habet annexas. Quanquam leuitas illa in vouendo, mouere potest Superiorẽ ad facilius dispensandũ cum illo, quando adfuerint aliæ dispensandi causæ: vt quod non habeat mores seu naturam statui quem vouit satis aptam, nec vires competentes ad ferendos religionis labores.

His Molina in fine eiusd. disput. contra Nauarrum addit, si duo sibi mutuo aliqua alias indebita, nec in aliquam compensationem, promittant, licitum esse vni promittentium ex eo non implere promissum, quod alter à se factũ implere nolit; quia eius ingratitudo id meretur: quæ ex §. 2. in fine; Institutis, De donationibus; & ex lege vltima, Cod. De reuocandis donationibus, potest sufficere ad reuocandã donationem completam; & multo magis promissionẽ etiam acceptam, cui illa superaddit traditionem rei promissæ. Videri potest idem Molina in sequẽti disput. 281. in qua refert & explicat causas de quibus ob ingratitudinem donatarij, donatio reuocari potest: quarum mentio habetur in Cap. finali De donationibus, his verbis. Si forte in ipsum impias manus iniecerit (de donatario sermo est respectu donantis) aut sibi atroces iniurias, seu graue rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit.

Adverte postremo excusationem per ignorantiam 88.
in hac re locum habere: namque fieri potest vt ex obliuione inuincibili, absque peccato non seruetur promissum. Habere item ex fiducia quam quis habet de eo cui promisit, quod non displiceat illi promissum differri, aut etiam nusquam præstari: Immo ex quacumque alia causa, quæ prudentis arbitrio cẽsetur rationabilis, & ob quã promissarius merito consentire debeat in talem dilationem, nisi scandalum aliud notabile nocumentum, aliudue eiusmodi accidens obstaret. Ita docet Caiet. in verbo Perfidia, sub finem.

De promissione ficta.

Sectio VI.

Quartum documentum est. Cum promis- 89.
sio fieri possit aut sine animo promittendi, aut cum animo promittendi quidem, sed non obligandi se, aut demum cũ animo promittendi & obligandi se: sed sine animo implendi promissum: certum esse hoc tertio modo factum promissionẽ obligare; quoniam peruersa intentio non implendi promissũ, non eximit ab obligatione quæ naturaliter consurgit ex promissione facta animo se obligandi. Primo vero modo factam promissionem, cum non sit vera, sed tantum ficta, non obligare ad promissum implẽdum: siquidem promissio fuerit nuda omnino, ac sine intuitu causæ futurę. Quod addo, quia si fuerit cũ tali intuitu vt, promitto tibi centum, si hoc facias; etiam si ficta sit promissio, ea obligat posita in actu tali causa: quia licet qua parte ficta est, non obliget eum qui bona fide contrahit: eum tamen qui mala fide contrahit, obligat ad resarciendum omne damnum quod aliter passus fuerit ratione doli, quo erga illum vtitur contra iustitiam, in omni conuentione & contractu mutuæ obligationis retinendam. Et ita (*quod fuse tractat Thomas Sanchez in lib. 1. de matrimonio disput. 10. & 11.* ille qui puellæ promittit se accepturum) illam in vxorem, si suæ voluntati consentiat, obligatur seruare promissũ ratione contractus: faciã, vt facias: non obstante quod dolose promittat.

An autem obliget promissio 2. modo facta; versatur 90.
in dubio, *quod idem author in præced. disput. nona tractat.* Pro explicatione autem notandum est dupliciter contingere posse, vt promittens non habeat animũ obligandi se; vno modo positiue, seu habendo actum positiuum quo nolit obligari; altero negatiue, vt cum nec voluntatem se obligãdi, nec contrariam habet. Quod rursus potest contingere dupliciter: vno modo habendo implicite voluntatem se obligandi; vt contingit cum quis sciens promissionis naturam esse, vt obligatio ex ea consurgat, nõ habuit voluntatem contrariam: altero modo, ne quidem implicite habẽdo talem voluntatem; vt accidit cum promittens ignorat talem esse promissionis naturam; vt inducat obligationem

seruandi

seruandi promissum. Quæ cum ita sint, ad propositum dubium satisfit his propositionibus.

Prima est. Cum promittēs habet se negatiue isto posteriore modo, non obligatur ad impletionē promissi. Ratio est, quia obligatio promissionis consurgit ex lege priuata, quam promittens sibi imponit: nullaque lex obligat, nisi legislator obligare intendat: nec quisquam se obligat, nisi voluntatem habeat se obligandi, ex lege 3. §. primo, ff. De actionib. & obligationib. At eo de quo loquimur modo promittens, ne quidem tacitam habet voluntatem obligandi se, promittendo: cum voluntas nullomodo feratur in omnino incognitum. Attamen si ignorans promissionis naturam, intentionem habeat faciendi illam, eadem ratione qua cæteri solent, censeretur tacitam habere sufficienter ad obligationem: sicut is qui baptizat ea intentione, qua cæteri solent, in Ecclesia, sufficientem habet ad validitatem sacramenti. si cætera ad sint.

Secunda propositio est. Cum promittens habet se negatiue priore modo, hoc est, nouit quidem promissionis naturam & vim inducendi obligationem: sed promittendo, nec exprimit voluntatem obligandi se, nec illam excludit per contrariam voluntatem; vere se obligat. Huius ratio in promptu est: quia obligatio est naturalis effectus promissionis. Ergo illa, *nisi excludatur per contrariam voluntatem*, ex hac sequitur: sicut calefactio ex igne.

91. Tertia propositio est. Si promittens, expresse habeat voluntatem non obligandi se, probabile est quod non obligatur. Ita sentiunt in verbo Pactum, Angelus, & Syluester quæst. 4. Tabiena & Armilla quæst. 2. atque alij, quorū Sachez loco cit. n. 5. in fine meminit. Probatur vero, quia nemo se obligat nisi sua voluntate, vt satis patet ex prædictis. Quia igitur talis non habet animū obligandi se, profecto non obligabitur. Sed obiiciet aliquis, voluntati promittendi suapte natura consequentē esse, in eaq; implicitam cōtineri voluntatem obligandi se ad seruandum promissum: sicut in voluntate ambulandi in campo media æstate, implicite continetur voluntas æstuandi. Cui occurrendum est; inde tantum concludi, quod ex vi promissionis, promittens obligetur, etiamsi non habuerit expresse animum obligandi se: non autē quod per voluntatem contrariam non potuerit impedire obligationē. Id enim potuit, sicut Princeps potest per voluntatem non obligādi subditos, impedire suæ legis obligationē. Quod si vrgeat, legē latam cum voluntate non obligandi, materialiter tantū & improprie esse legē. Occurrendum est similiter, promissionem factam cum voluntate non obligandi se, tantū esse materialiter, & improprie promissionem. Supersunt de promissione aliquot dubia, quorum explicatio vtilis est pro praxi.

Explicatio aliquot dubiorum de promissione.

Sectio VII.

92. Primum est. Ad quid teneatur qui etiā sub iuramento aliquid pro alio promisit ipso inscio; De hoc citatis Sanchez *lib* 1. *de matrimonio, disput.* 24. agens, statuit talem teneri bona fide, ac sine fictione omnem adhibere diligentiam, quam promissi qualitas exposcit, vt ipsum impleatur. Ratio est, quia ipsius spondētis mens, sensusque fuit se curaturum, & effecturum quantum posset, vt alter promissum impleret. Nam alia ratione tale iuramentum illicitum esset tanquam promissorium rei dubiæ, nec positæ in propria potestate. Illius igitur violatione tunc peccabit, qui illud præstitit, si negligens sit in procuranda promissi adimpletione: aut fraudulenter agat; vt si ipso petēdi modo ostendat voluntatem parum propensam ad assequendum. Sic enim is qui vouit religionem, non satisfacit, ingressum petendo verbis: si ita frigide id faciat, vt indicet optare se non admitti.

Addit idem author cum Molina de iust. & iure. *tract.* 2. *disput.* 268. §. *Quod si is*, promissorē facti alieni, qui negligens fuit in curanda promissi adimpletione, debere per seipsum præstare, quod alius debuerat: tanquam sponsor scilicet, per quem stetit ne quod spopondit ad effectum perduceretur. Immo & resarcire damna inde orta, tanquam ex causa culpabiliter data, iuxta communem doctrinam de restitutione, quā tradidimus in libro decimo cap. 8. Quibus incōmodis non censetur obnoxius is, qui diligentiā, quā potuit, adhibuit in curando vt obtineret ab illo alio, quod bona fide promisit se obtēturū, nec potuit obtinere. Ex quo fundāento idem Sanchez *in sequenti disput.* 25. *n.* 3. *cum pluribus quos refert*, statuit talem, nec teneri tunc ad pœnam subeundam, quam suæ promissioni adiecerit. Addens *n.* 6. *cum pluribus item, quos & refert*, si tali constet quod voluerit se ad pœnam vel interesse adstringi in omnem euentum, non dari excusationem ab eiusmodi obligatione, eo nomine quod fecerit illud quod in se erat: vt si promisit se seruaturum indemnem promissarium, vel de propriis bonis omne interesse ei soluturum. Namq; tunc non promittitur factum alienum, sed proprium, in euentu quo alter non faciat illud quod de eo promittitur. Itaq; promissarium indemnem reddere tenebitur; non in solutionem pœnæ, sed in compensationem defectus facti alieni promissi.

Secundum dubium est. Ad quid tenetur is qui incertus est de sua promissione.

93. Ad hoc respondetur, incertitudinem eam posse esse de promissione. 1. an eam fecerit. 2. si fecerit an animo se obligandi fecerit. 3. si hoc modo fecerit quidē, sed an cū plena deliberatione. Atq; quoad incertum primo modo; si adhibita sufficienti diligentia in inquirendo, nihil certitudinis acquirere potuit, ad nihil tenetur; quia in dubio melior est conditio possidentis bona fide. In tali casu autem, voluntas possidet suam libertatem bona fide, ob adhibitam sufficientem diligentiam in inquirēdo vinculo, quo adstricta esse existimari valeat. Quod si quis inquirendo, inuenerit adeo probabile esse, quod promiserit, vt oppositum vix habeat aliquid probabilitatis; consentaneum est, vt existimet se teneri: si n inuenerit vtramq; partem probabilem, liberum erit ei quam volet eligere. Pro quibus faciunt quæ Sanchez *lib* 2. *de matrimonio, disput.* 41. persequitur fuse.

Quoad incertū autem secundo modo, an teneatur seruare promissum, idem Sanchez *lib.* 2. *disput. nona à n.* 12. disputat rationibus allatis in vtramque partem: cum quo tenenda videtur pars affirmans; præsertim cum antea admiserimus quod obligatio naturaliter sequatur promissionem, nisi oi expresse apponatur contraria voluntas non obligandi se. Quare dum constat de promissione, si de obligatione illius dubitetur, consentaneum est hanc illi tribuere, tanquā naturalem effectum, cuius nullum assignatur impedimentum. Hinc enim est, quod statim ac quis affirmat se promisisse, nō quæratur an se obligare voluerit: quoniam quæ naturæ consecutione insunt, præsumuntur semper inesse, nisi constet aliquod efficax impedimentum interuenisse.

94. Quo ad incertum denique 3. modo; ille qui etsi sciat promissionem suam factam esse animo obligandi se, dubitat tamen an fuerit facta cum plena deliberatione, eo quod promiserit ira aut alia perturbatione grauiter commotus: tenendum videtur (*quod aliis citatis habet idem Sanchez in præced. disput.* 8. *nu.* 10.) in tali dubio promissionem obligare: cum, *ex hypothesi*, constet eam esse emissam: non constet autem de defectu deliberationis, ob quem censeri debeat validitas illius impedita; quinimo sit de se probabilius, externos actus liberos fieri cum plena deliberatione, quam cum illius defectu: vt ex eo patet, quod vix soleat à peccato excusari ille qui ex vehementi iracundia alterum percusserit. Nec enim tali motu facta, sicut facile præsumi possunt gesta esse absque maturo consilio: possunt similiter præsumi gesta esse absque plena deliberatione: quia, vt bene notat Caiet. 2. 2. quæst. 88. art. 1. circa medium; licet deliberatio requirat actualem mentis collationem, qua voluntati offerantur opposita: nempe agere, & abstinere ab agendo; eam tamen perceptibiliter fieri, non est necessarium: itaut censeri possit quis ex deliberatione egisse, etiamsi non satis sciat, an vsus sit actuali collatione. Sic, *vt idem addit*, qui impetu iræ commotus ad occidendum vel blasphemandum, occidit vel blasphemat, ex deliberatione egisse censeri potest, eo nomine; quod etsi passione impellente ad vindictam vt consonam; instinctus aliquis in oppositum occurrat tanquam reuocatio à proposito malo; nihilominus prævalente passione agatur: actus ex deliberatione esse peccatumque censetur.

Tertium dubium est. Aliquid obligiet promiss o facta duobus cu n promiss r non potest vtrique præstare promissum.

95. AD hoc respondendum est distinctione, *quam habet Sylu. in verbo sponsalia, quæst. 7.* nimirum; quod si promissio vtraque sit nuda ac simplex, prior valet, nō posterior: quia iure naturæ in obligationibus secundū omnia paribus si vna est prior, altera posterior non valet posterior cū detrimento prioris: quando quidem ex reg. 54. iuris in 6. prior tēpore, potior sit iure. Sin autem promissio prior sit nuda, & posterior aliquid annexum habeat, quod eum cui fit, afficiat damno nisi impleatur, posterior valet, non autem prior. Exempli gratia: pauperi centum promisi in eleemosynam, & idem postea alteri promisi in compensationem damni quod illi intuli: neque possum vtrique satisfacere; debeo dare posteriori centum, cum tantundem ei debeam ex iustitia, & alteri solummodo ex simplici promissione, quæ non obligat, nisi omnia maneant immutata. Atq; hinc est, *prout habetur ex Cap. Sinter. De sponsalibus*, q. si quis duabus promittat matrimonium vni post aliam, is obligetur priori, non ite posteriori; quia vtriq; fecit nudam promissionē. Sed si priori nude promisit, & posteriori adiuncta copula; non obligatur illi, sed huic, quæ contra iustitiam afficeretur damno, si matrimonium cum ea non contraheretur. Quod si prior promissio sit nuda, & posterior sit iurata; illa valet, non hæc: quia iuramentum eam firmans nullum est, vtpote contra bonos mores adhibitum in re illicita: cum prior promissio obliget iure naturæ, & ideo posterior, etiam iurata, impleri nequeat absque peccato, quod committatur tali, iuris violatione.

Adhæc, si vna promissio facta est Deo, & altera homini, quæ simul impleri nequeat: vt cum quis fecit votum simplex castitatis, aut ingrediendæ religionis, aut suscipiendorum sacrorum ordinum; & præterea promisit puellæ se ducturum eam in vxorem: dicendū videtur primo si promissio facta puellæ simplex sit, votum valere, siue præcesserit, siue secutū sit eiusmodi promissionem: quia licet votum sit quoque simplex promissio, præualere tamen debet tanquam facta Deo; eoque ipso rationem habens melioris boni, cui alia promissio prædicta impedimentum adferre non debet, ne censeatur esse contra bonos mores. Sin promissioni quæ facta est puellæ, adiunctum sit aliquid eidem puellæ ex iustitia debitum, tunc siue votum præcedat, siue sequatur, promissionem ipsam obligare, neque eam tolli per votum: quod tunc tale est, quod nequit impleri absque illicita proximi læsione contra iustitiam. Attamen eiusdem voti dispensatio peti debet, eo quod ex se vim obligandi habeat, licet sopitam per interuenientem obligationem debiti ex iustitia, cui cum illius obseruatione satisfieri nequit. Sed de voto iam dictum est ex instituto in præcedent. lib. 13. tractatu tertio.

Quartum dubium. An promissio aliquando pariat obligationem ad restitutionem.

96. HINC satisfieri potest sequentibus propositionibus. Prima est, non nasci obligationem ex nuda promissione. Probatur, quia obligatio ad restitutionem oritur tantum ex læsione iustitiæ commutatiuæ, quæ non contingit violatione promissionis nudæ. Nam non soluens promissum, non aufert, nec detinet bonum alterius, sed negat bonum suum promissum alteri, qui ad illud non acquisiuit aliud ius, quam vt posset in conscientia illud petere, & conqueri de violata fide data. Ratio est, quia nuda promissione nō transfertur dominium, iuxta illud in lege Traditionibus, Cod. De pactis. Traditionibus & vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. Locum habet autem hæc propositio; etiāsi promissarius expensas fecerit, aut æs alienum contraxerit, nixus non quidem conuentione aliqua, vt tale quid faceret, dum promissū expectat; sed sola nuda promissione ex liberalitate. Ratio est quod debeat imprudentiæ suę imputare, tale incommodum, cuius ipse author sibi fuit: dum expectatum ab alio ex debito honestatis vel misericordiæ, existimat tale, quale si debitum esset ex iustitia.

Secunda propositio est. Obligationē esse ad restitutionem, seu ad persolutionem promissi tanquā debiti ex iustitia; cum promissio acceptata adiunctum habet onus, quod impletum est ob conuentionem qua promissor & promissarius consenserunt in eiusmodi adiectionem. Exemplum est, si promiserim me daturum tibi centum aureos, dummodo Romam eas: & acceptata promissione Romam iuisti animo satisfaciendi iustæ conuentioni. Ratio vero propositionis est, quod is qui non stat tali conuentioni, inferat iniuriam proximo, grauando illum contra æquitatem; cui iniuriæ lege iustitiæ satisfaciendum est: quod fit per restitutionem, tanquam iustitiæ actum, ad id de se institutum. 97.

Tertia propositio, *quæ præcedentem declarat*, est. Promissionem acceptatam cum adiectione oneris, nō inducere proximē obligationem prædictam, quandiu onus ipsum adiectum, nondum fuerit mandatum executioni: aut si mandatum sit quidem, non tamen propter conuentionem factam: vt, non teneor dare tibi centum quæ promisi, dummodo Romam ires, si nondum eo iuisti: aut iuisti quidem, sed ob aliam causam quam ob conuentionem inter nos factam. Ratio vero est, quia vel conuenientium animus non fuit, sic obligare se; vt quantumcumque nihil ab vno adhuc esset præstitum, alter nihilominus teneretur implere quod est suarum partium: vel certe, quia iniuria infertur ei qui est in pari causa. vt accidit in dicto casu, in quo, quia vnus nihil amplius quam alter præstat ad impletionem conuentionis, neuter potest contra alterum de iustitia violata conqueri, si non stet eidem conuentioni: sed solum de violata fide data.

Quarta propositio, *quæ adhuc antecedens 2. declaretur*, esse potest, vt quantumuis promissio fuerit cum adiectione oneris turpis, ea nihilominus, si hoc fit executioni mandatum, impleri debeat, quando potest absque peccato. Ratio est, quod in tali casu contingere possit læsio æquitatis; cum vna pars satisfecerit conuentioni, non altera; quæ posset sine peccato satisfacere; vt, soluere stipēdium militibus promissum, quibus vsus est quis in bello iniusto: non quidem soluendo ob peccatum iniustitiæ quod commiserunt: sed ob laborē quem susceperunt gratia ipsius, & obsequium quod ei exhibuerunt in se spectatum, exclusis circunstātiis vitiosis. Qua ratione, soluere promissum, quod cum adiectione oneris turpis factum fuit, non est peccatum: quia id non fit intuitu turpitudinis quæ iam desiit; sed solum intuitu æquitatis. Nisi quod interdum ipsa solutio de se, seu ex obiecto suo est turpis, vt solutio pretij promissi pro resignatione beneficij; quod pretium cum sit simoniacum, dari non potest sine simoniæ peccato. 98.

Quod autē pacta turpia non obligare, habetur ex Cap. Vnusquisque 22. quæst. 4. & ex Cap. Pactiones, De pactis: quodque ex regula 59. iuris in 6. item habetur, in malis promissis fidem non expedire seruari: & demum ex lege Generaliter, ff. De verborum obligationibus; turpes stipulationes nullius momenti esse: intelligendum est de pactis turpibus, prout inducunt ad perpetrandam turpitudinem: quia cum sint humana, nequeunt vim habere aduersus diuinum ius, prohibens ipsam turpitudinem: sed si ita exuantur turpitudine ipsa; vt illorum impletioni nulla lex obstet; vim habere negari non debet.

ATQVE hæc hactenus de promissione: de quibus obiter monendum est; quatenus requiruntur ad illius validitatem & obligationem, requiri pariter ad validitatem & obligationem, tum pacti, tum donationis à quibus includitur, parumque differt: cum pactum idem sit quod promissio acceptata, vt annotat Lud. Molina de iust. & iure *tract. 2. disput.* 252. §. *Pactum seu pactio*: id confirmans ex definitione pacti: qua dicitur duorum vel plurium in idem placitum & consensus, lege 1. ff. De pactis: aut duorum consensus & conuentio, lege 3. ff. De pollicitationibus. Quam vtramque definitionem manifestum est quadrare in promissionem acceptatam, cum hæc sit promissoris & promissarij consensus in idem. Donatio vero incompleta & tātum verbalis, eadem est adhuc cū ipsa promissione acceptata. Vnde perinde atq; hæc obligatoria nō est, nisi ex liberalitate; neque transfert 99.

dominium

dominium, donec compleatur traditione rei; sicque transeat in contractum: prout idem Molina tradit in sequenti disput. 273.

CAPVT VII.

De effectibus ciuilis contractus validi, ac primo de obligatione.

SVMMARIVM.

100 *Generalis definitio obligationis; ac prima illius diuisio in eam quæ est ex honestate, & eam quæ ex necessitate: & huius in eam quæ ex iustitia, & eam quæ ex charitate; vel alia virtute.*

101 *Diuisio obligationis ex iustitia in naturalem, ciuilem, & mixtam.*

102 *Explicatio dubitationis. An in contractu cesset obligatio naturalis, cum is irritatur iure ciuili.*

103 *Princeps sua lege facere potest illicitam in conscientia translationem dominij.*

104 *Lex humana quæ afficit personas ad contrahendum inhabiles, obligat in conscientia.*

105 *Quæ vero præscribit tantum solemnitatem seruandam in contractu, non ita obligat, vt quod acceptum fuerit per eum, restitui debeat ante Iudicis sententiam.*

106 *Quid debeat post iudicis condemnationem.*

107 *Nisi procedatur mala fide: quod quando contingat.*

108 *Quid sit actio.*

109 *Diuisio illius in realem & personalem.*

110 *Alia in eam quæ est bonæ fidei, & eam quæ stricti iuris.*

111 *Cui à iure detur actio realis, & cui personalis.*

112 *Discrimen inter vtramque eam actionem, in ordine ad praxim.*

113 *Quid sit euictio, & quando contingat.*

114 *Quæ regula de euictione, prout debetur ex contractu lucratiuo, seu donatione.*

115 *De euictione, prout debetur ex contractu venditionis.*

116 *De euictione, quæ debetur ex aliis contractibus onerosis.*

100. EFFECTVS ex contractu ciuili prouenientes tanquam ex causa, sunt maxime, obligatio, actio, & euictio. Obligatio autem sumpta vniuerse, est vinculum quo adstringimur ad aliquid dandum vel faciendum, vel non dandum aut nõ faciendum. Diuiditurque in eam quæ fundatur in honestate, & eam quæ in necessitate; quarum prior non est ad culpam, quia inducit tantummodo mortale debitum cuiusdam honestæ obseruationis: laudabilis quidem, non tamen necessariæ ex vi alicuius præcepti; sed ex vi honestatis, qua quisque gratus esse debet suo benefactori, & omnibus, *prout expedierit*, benefacere. Posterior vero obligatio est ad culpam; quia oritur ex aliqua lege seu præcepto, siue iustitiæ, siue charitatis, siue alterius virtutis, vt religionis, fidelitatis, &c. Cæterum ea quæ est effectus contractus (& hic occurrit à nobis consideranda) de illis est, quæ ex lege iustitiæ oriuntur, & requirunt animum seu intentionem se obligandi, iuxta legem Obligationum, ff. De obligationibus & actionibus.

Quod autem contractus non sit adæquata illius causa; patet ex eo, quod iuxta legem primam, eodem titulo, ipsa adhuc nasci possit ex quasi contractu: vt cõtingit in casibus qui traduntur Institutis, tit. De obligationibus quæ quasi ex contractu nascuntur. Quorum primus est, cum quis negotia alterius gessit sine ipsius mandato; de quo titulus, ff. De negotiis gestis. Secundus est, cum quis ex tutela pupillorum, aut curatela minorum obligatur. Tertius, cum aliqui habent rem communem, non ex societate, sed ex eo, quod pariter sit illis legata, seu donata. Quartus, cum hæredi imposita est solutio aliquorum legatorum. Quintus, cum per errorem, solutum est indebitum.

Nasci adhuc potest eadẽ obligatio, tum ex officio quod geritur. Eo ipso enim quod quis suscipit aliquod officium administrandum, quasi contrahit cum eo qui ipsum in tali officio constituit. Tum etiam ex delicto seu maleficio contra iustitiam admisso; vt ex adulterio, homicidio, aliaue iniuria contra iustitiam alteri illata. Tum demum ex quasi delicto; quando quis contra iustitiam lædit ur: non quidem ex malitia & dolo, ex imprudentia tamen vel imperitia. Sic Iudex per imperitiam male iudicando, obligationem incurrit resarciendi detrimentum inde secutum. Similiter obligatur is ex cuius domo aliquid effusum fuerit, vel eiectum quod transeuntibus intulerit damnum; aut si ipsius animalia, aut serui nocuerunt alicui contra iustitiam.

PORRO eadem obligatio ex iustitia triplex distinguitur, vt quædam sit naturalis tantum, quædam ciuilis tantũ, & quædam mixta. Naturalis tantum est, quæ ex iure naturali aut gentium nascitur sine ciuili: seu quæ obligat in foro conscientiæ, non obstante quod ius ciuile non concedat ex ea agere. Fit enim aliquando, vt legislator ob aliquam circunstantiam non approbet conuentionem, ex qua obligatio ipsa naturalis nascitur: vt si credam pupillo pecuniam; vel aliquid ei vendam sine tutoris authoritate: aut si frater fratri pecuniam credat: quorum vterque adhuc sit sub patris potestate; aut si pater contrahat cum filio: aut si filius aliquid surripiat patri, vel vxor marito. Ex quibus siue contractibus, siue delictis ius ciuile non dat actionem in foro externo; quia pupillus & tutor, reliquæ item personæ memoratę, habentur pro vna, in ordine ad patrimonium, quod habent indiuisum. 101.

Obligatio vero tantum ciuilis, est quæ vim habet ex iure humano, nihilque de ea ius naturæ statuit. Exemplum est, si Titio dem syngraphum, per quam spe remunerationis futuræ, profitear me debere ei centum; obligor enim authoritate iuris ciuilis per legem in contractib. Cod. De non numerata pecunia: adeout Iudices quamtuncunque nihil acceperim, videntes meam syngraphum, sint condemnaturi me in debitorem centum. Titio cui de iure naturali, *atque adeo in conscientia*, nihil debeo: quandoquidem à parte rei præsumptio non respondet veritati. Additur aliud exemplum ex lege vlt. Cod. De iure deliberandi; per quam hæres, si adierit hæreditatem non confecto inuentario, obligetur in solidum creditoribus & legatariis defuncti, etiam vltra vires hæreditatis: quod non habere locum in conscientia communior sententia est. Quæ tamen habet difficultatem, vt videre est apud Ludouicum Molinam *de iust. & iure tract. 2. disput. 217. §. Quod attinet ad 1.* Et certe cum ea non debeat fouere peccatum: quando per fraudem aut negligentiam notabilem omissum fuerit inuentarium, videtur ab eadem discedendum esse.

Obligatio denique mixta ex naturali & ciuili, est quæ oritur ex iure ciuili fundato in vera aliqua ratione & æquitate naturali: vt obligatio consurgens ex emptione, vel mutuo, vel aliis similibus actibus rationi consentaneis, & à iure positiuo approbatis. In qua obligatione aduerte contingere posse, vt ciuilis obligatio tollatur manente naturali; & contra manente ciuili, tollatur naturalis. Nam si debitor per sententiam Iudicis absoluatur, quia creditor non probauit mutuum, tollitur obligatio ciuilis manente naturali. Si vero creditor paciscatur cum debitore se nunquam repetiturum ab eo debitum; nec tale pactum potest in iudicio probari, debitor liberatus est quidem ab obligatione naturali, non tamen à ciuili.

Cæterum ciuilis obligatio interdum assistit naturali: vt fit cum ei admixta, parit actionem in foro externo; interdum vero ei resistit; vt contingit cum contractus iure naturali validus, irritatur iure ciuili: ex qua irritatione cessetne in contractu, naturalis ipsa obligatio, explicandum est consequenter.

Explicatio dubitationis. An in contractu cesset obligatio iuris naturalis, quando is irritatur iure ciuili.

SECTIO I.

EO spectat hæc explicatio, vt intelligatur vtrum in foro externo, ita in interno, & quoad Deum, nulla sit translatio dominij facta per contractum, validum quidem, si spectes ius naturæ; non tamen si spectes ius humanũ ob defectum conditionum quas ipsum requirit ad contractus validitatẽ. In exemplũ datur translatio ea dominij quæ fit per testamentum, cui interfuerunt tantum duo vel tres testes, 102.

qui

qui sufficiunt iure naturæ, iuxta illud Matth. 18. In ore duorum vel trium stat omne verbum: non autem iure ciuili, quod septem testes ita requirit, vt si vnus defuerit, testamentum ipso iure deficiat: Cod. De testamentis, lege Si vnus. Item ea quæ per donationem, aut venditionem fit à pupillo sine consensu tutoris. Nam tales contractus iure naturali validi (*vtpote facti libero vtriusque partis consensu licito & possibili, prout supponimus*) nullam pariunt obligationem iure ciuili, ex lege Iulianus, §. Si quis à pupillo, ff. De actionibus empti & venditi. Duæ autem sunt ea de re sententiæ oppositæ, quas fuse persequitur, & expedit Ludouicus Molina *de iust. in tract. 2. disput. 81. post Sotum, lib. 4. de iust. & iure, quæst. 5. art. 3. & Couarruuiam ad regulam Peccatum, par. 2. §. 3. num. 9. & 10.* & ad Cap. Cum esses, de testamentis alios referentem. Quid autē possit in praxi teneri, complectar aliquot propositionibus.

103. Prima est. Rempublicam seu Principem ad tollendas fraudes, & impedienda damna, quæ suboriri facile possent, habere potestatem condendi leges, quæ vniuerse reddant irrita, & ad dominium in foro conscientiæ transferendum inefficacia testamenta, aut contractus quibus defuerint conditiones quas adesse iudicauerit expedire. Hæc probatur, quia vt subditi, sic & eorum bona, publicæ potestati subiacent in ordine ad commune bonum, & ad tollenda incōmoda quæ possunt in Republica oriri. Quare licet quisq; solo iure naturali spectato, distribuere possit bona sua prout libuerit: tamen Princeps, si bono communi ita expedire iudicet, potest certos modos & formas præscribere, quibus fiat talis distributio: simulque statuere irritum, nullius que momenti fore, quidquid alio modo factum fuerit, nihil obstante manifesta distribuentis voluntate. Hac ratione alienatio facta à pupillo sine tutoris authoritate, nulla est in foro conscientiæ: etiamsi contingat pupillum ipsum iudicio maiore pollere, quam aliquos adultos, à quibus si fierent alienationes, censerentur validæ.

Non solum autem in foro externo, sed etiam in conscientia, istiusmodi leges habere locum, quantumuis ferantur tantum authoritate ciuili, pater per tradita in præcedenti lib. 13. tract. 4. cap. 3. quæst. 2. Præcipue autem per illud ad Roman. 13. Non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Nec possunt eædem leges dici procedere ex præsumptione cui veritas sit in cōtrarium; ideoq; non habere locum in conscientia. Namque, vt *supponimus*, eæ feruntur ex certa scientia principis, & iustis de causis. Atque si lex humana irritans vel restringens naturæ legem, locum haberet tantum in foro exteriori, non item in conscientia; sequeretur matrimonium contractum in gradibus, lege tantum Ecclesiasta prohibitis, vt in 2. vel 3. vel 4. esse inualidum in foro tantum exteriori, non item in conscientia, quod hæreticum est, ex Concil. Trident. sess. 24. Can. 3. & 4. de sacramento matrimonij.

Secvnda propositio est. Legem humanam, quæ efficit personas omnino inhabiles ad aliquem contractum, obligare in conscientia, impedireq; obligationem naturalem alioqui secuturam; ita vt nihil efficiatur contrahendo. Sic irritum nullumve est matrimonium clandestinū, seu non factum coram Parocho, & duobus aut tribus testibus (quod antea valebat, licet prohiberetur ab Ecclesia) quia Concilium Tridentinum in eadem 24. sess. in decreto de reform. matrimonij cap. 1. eos qui sic contrahere attentauerint, reddit sic ad contrahendum omnino inhabiles; decernendo contractum eiusmodi irritum, nullumque esse: imo illum irritum facit, annullatque: dato quod tale ipsius decretum fuerit promulgatum in parochia sic contrahentium.

104. Ad confirmationem autem allatæ propositionis, facit illud quod ante posita D. Pauli verba satis indicant: Principibus potestatem inesse, qua possint si velint, subditos etiam in conscientia adstringere. Quia igitur Princeps per tales leges aperte ostendit se velle vti ea potestate, quam respectu inferiorum habet, reddendi iusta de causa contractus ipsorū irritos; id ita fieri censendum est: quandoquidem vbi cum potestate voluntas efficiendi cōcurrit, effectus sequitur. Neq; enim potest negari secutus, nisi quia agens, illum aut non potuit, aut non voluit efficere.

Tertia propositio est. Probabile esse legem humanam quæ non facit personas omnino inhabiles ad contrahendum; sed tantum præscribit solemnitatem, seu conditiones necessario seruandas in contractu, non habere eam vim in conscientia; vt is qui contrahendo acquisierit aliquid, teneatur acquisitum restituere alteri, antequam repetatur in foro exteriori coram Iudice, & interueniat cōdemnationis sententia, per quam rescindatur contractus, aliaue dispositio cui deest à iure præscripta solemnitas. In exemplum induci possunt testamentum sine solemnitate iure ciuili requisita celebratum: & electiones ad beneficia Ecclesiastica, atque alienationes bonorum Ecclesiæ, factæ sine solemnitate requisita iure Ecclesiastico. 105.

Cum autem duo contineat hæc propositio: vnum, propositas leges non irritare contractum sine solemnitate celebratum quam eæ requirunt: alterum, reddere eundem irritabilem per sententiam Iudicis: quo ad prius (*quidquid locis citatis contradicat Couarruuias*) ipsum satis ex eo cōstat, quod probabile sit Principum mentem eam esse in ferendis eiusmodi legibus, vt nolint naturalem obligationem omnino impedire, annullando contractus, aut dispositiones ex quibus ea consurgit. Id enim licet conicere ex eo, quod Principes cum alias volunt omnino impedire naturalem obligationem, id ipsum ita exprimant per verba irritatoria facti, vt nullum locum dubitationi relinquant. Licet quoque idem colligere ex nonnullis legibus, iuxta quas possumus eandem mentem probabiliter interpretari, quod in hac re non sit impediendi omnino obligationem naturalem. Eas refert & expendit Molina *in citata disput. 81. §. Hanc autem, & aliquot sequentibus.* Nobis sufficit attigisse vnam in exemplum; quæ est lex Etsi inutiliter, Cod. De fideicommissis: in qua Antoninus Imperator ait: Si testator inutiliter, *hoc est, sine debita solemnitate*, reliquit fideicommissum: & hæres sciens illam fuisse defuncti voluntatem, illud soluit: neque ipsum, neque hæredes ipsius posse illud repetere. Addit que rationem, dicens: Cum non ex sola scriptura, *minus solemni scilicet*, sed ex conscientia relicti fideicommissi defuncti voluntati satisfactum esse videatur. Quæ verba aperte indicant ex vltima voluntate testatoris minus solemni, oriri obligationem naturalem. Quam esse communiorem Doctorum sententiam ex Iulio Claro, & Couar. habet Molina ibidem §. Quarto idem mihi suadet: atque pro ea aliquot nobiles authores Leon. Lessius *lib. 2. de iust. & iure cap. 19. dubit. tertia, num. 14.* refert, quam & approbat cum eodem Molina. Simul in num. 21. & aliquot sequentibus ex ea inferens.

Primo, hæredem ab intestato si sciat defuncti voluntatem, qua alterum constituerit hæredem, aut ei aliquid legarit testamento minus solemni, teneri in conscientia tali restituere hæreditatem legatum ve soluere. Secundo, si ea de re fuerit dubius, teneri propter dubium cum illo altero componere: nam cum nec ipse, nec alter ille adhuc cœperit possidere bona fide, par est in dubio vtriusque conditio. Tertio, si hæres ipse ab intestato hæreditatem aut legata retineat: illos quibus per testamentum minus solemne fuerit, aliquid relictum, posse seruatis debitis conditionibus, vti compensatione. Quod Syluester *in verbo hæreditas 3. quæst. 7. in fine*, ait posse furari sibi relicta. Quarto, si idem hæres fateatur mentem testatoris fuisse, vt hæreditatem alteri traderet nomine fideicommissi, vel vt legatum aliquod solueret: aut si oblato ei iuramento compellatur dicere an tale quid sciat, recusetque iurare, cogendus est in foro etiam externo hæreditatem tradere (detracta tamen quarta parte) factum ve legatum soluere iuxta §. vltimum, De fideicommissariis hæreditatibus, Institutionibus, & legem; Quæstionem De fideicommissis Codice.

Quo ad posterius autem, in allata propositione cōtentum, vt stabilitum censeatur, tenendum est cum Soto *lib. 4. de iust. & iure, quæst. 5. art. 3.* (quod loco cit. Lessius nu. 31. probabile esse fatetur) mentem Principum in ferendis legibus, de quibus agimus, non esse, relinquere omnino integram iuris naturalis obligationem, ex contractu se- 106.

quentem. Pro quo facit maxime, quod tales leges alioqui essent cooperationes ad peccatum vsurpationis rei alienæ: quando quidem earum authoritate per sententiam Iudicis extraherentur res ab illis à quibus habentur ex testamento, vel ex contractu non solemni: quod quidem est aperte contra iustitiam: dato quod inde in nullo imminutum habeant de iure naturali, earum dominium. Id autem est incommodum maximum, ratione cuius eædem leges essent omnino repudiandæ: cum, *vt habetur in cap. vlt. de præscriptionibus*, generaliter sit omni cõstitutioni derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari. Quare dicẽdum merito videtur, Principem in illis ferendis, mentem eam habuisse, vt à minus solemni testamento vel contractu naturalem obligationem excluderet quidem, sed solum pronuntiata secundum eas à Iudice sententia; per quam talis obligatio declararetur nulla manere. Cui doctrinæ vt assentiar in ordine ad praxim, facit exterioris fori vsus: quem peccati damnare, nisi certa ratio cõuincat, durum est. Fert enim, vt testamenta eo ipso, quod aliqua eis deest solemnitas, sine scrupulo ab Aduocatis & Procuratoribus ostendantur, & à Iudicibus pronuntientur nulla: hæredesque ab intestato occupent absque scrupulo, & possideant defuncti bona, nec legata soluant in eis relicta; nisi fuerint pia, quæ in foro etiam externo suam vim & efficaciam ex testamento minus solemni obtinent, iuxta Cap. Iudicante, & Cap. Relatum 1. De testamentis.

107. Non negarim tamen contrariæ doctrinæ locum esse, quando proceditur mala fide: vt fieri censetur, cum quis proba nouit, certusque est testatoris voluntatem plenam, fuisse constituendi alterum hæredem, aut certum quid legandi ei. Nam tali fraudulento patrocinandi, mentem legislatoris esse minime existimandum est. Quod & licet conijcere ex eo quod tali fatenti se scire veritatem, aut recusanti iurare (si ab eo petatur sub iuramento) an eam sciat; auferenda sit hæreditas, & tradenda alteri, ex § vltimo, & lege Quæstionem ante memoratis: vnde illud sequitur, quod *de iust. & iure tract. 2. disput. 81. §. Quod si hæc, in fine.* Molina habet: Aduocatos (nisi sequantur opinionem Couarruuiæ, existimantis testamentum, *etiam in conscientia*, inualidum esse ex defectu solemnitatis) teneri in istiusmodi negotio interrogare clientulos, qui patrocinium ipsorum petunt, an sciant illam fuisse voluntatem testatoris, vt hæreditas alteri deferretur: sique illi annuant: aut si ipsimet Aduocati illis negantibus, id sibi persuadeant; non posse illis præstare patrocinium: vtpote ad rem iniustam expetitam, tenerique illos admonere quod non possint tuta conscientia exigere talia bona; si indubitanter existiment, eam fuisse testatoris voluntatem; sin de eo dubitent, debere facere compositionem, prout ante dictum est. In soluendis rationibus Couarruuiæ non immorabimur: quia nihil fere aliud probant, *vt videre est apud Molinam in fine eiusdem disput.* quam quod habet prima nostra propositio.

De actione.

Sectio II.

108. VT ex contractu obligatio, sic ex obligatione actio nascitur: de qua pro foro interno, satis est docere quid, & quotuplex sit. Ergo, vt habetur lege Nihil aliud, ff. De obligationibus & actionibus; Actio est ius, quod sibi debeatur, iudicio persequendi. Aduerte vero actionem sumi dupliciter: vno modo late pro omni iure, quod iudex ex officio suo tribuit, cum auxilium ipsius imploratur, seu petitur, vt ex officio suo aliquid faciat. Qua ratione actio dicitur, quod Iudicis authoritate in communi necessitate, diuites compellantur subuenire indigentibus: & in communi penuria, habentes frumentum cogantur illud iusto pretio vendere reliquis ciuibus indigentibus. Altero autem modo actionem sumi stricte, vt præter officium Iudicis, requirat debitorem, & creditorem; vel quasi debitorem, & quasi creditorem: itemque vt creditor, vel quasi creditor, *qui actor dicitur*, suum ius in iudicio petat ac persequatur.

109. Qua tantum acceptione, definitio ante allata conuenit actioni: quaq; eadem distinguitur in realem, quæ vendicatio; & in personalem, quæ contractio dicitur, ex lege Actionum genera, ff. De obligat. & actionib. Realis autem est, per quam rem nostram, ab alio possessam petimus; & nascitur semper ex dominio rei, vel quasi dominio, seu (quod idem est, iuxta legem In rem, ff. De rerum vendicatione) ex iure quod habemus in re. Vnde semper est aduersus eum qui rem nostram possidet; etiamsi nihil nobiscum contraxerit, nihilque contra nos deliquerit, ex quo personam suam habeat nobis obligatam. Personalis vero actio est, qua cum eo agimus, qui nobis ad aliquid faciendum vel dandum obligatus est ex aliquo contractu, vel quasi contractu; aut ex aliquo delicto, vel quasi delicto: vnde semper est aduersus eum cuius persona est nobis obligata tanquam debitrix.

110. Dividitvr præterea actio, quod quædam sit bonæ fidei, & quædam stricti iuris: illius sexdecim species referuntur Institutionibus, tit. De actionibus, §. Actionum: nempe, ex empto, vendito, locato, cõducto, negotiorum gestorum, mandati, depositi pro socio, tutelæ, commodati, pigneratitia, familiæ erciscundæ, seu hæreditatis diuidendæ, communis diuidendi, præscriptorum verborum, quæ de æstimato proponitur; *vt quod tibi tradens rem meam, existimarim, vt eam venderes decem, aut tantundem pro ea solueres*, item quæ ex permutatione competit, atque hæreditatis petitio.

Has referens glossa *ad Cap. Cum venerabilis, De exceptionibus, verbo, Bonæ fidei*, addit cæteras (vt ex mutuo, ex arbitrio, & alias) esse stricti iuris. Dicitur autem actio bonæ fidei, nõ ex eo quod debeat in illa seruari bona fides: nam id illi commune est cum actione stricti iuris: sed quod in eam veniant, quæ debentur ex æquitate, & bonitate: etiamsi neque dicta, neque cogitata sint à contrahentibus. Actio vero stricti iuris dicitur, quod in eam veniant tantum quæ natura eius, vel contrahentium conuentio stricte exigit: ac quæ, si per eosdem contrahentes expressa non sint, potuerint, *saltem verosimiliter*, ab illis cogitari. Videri potest Couar. ad Regulã possessor, De regulis iuris in 6. par. 2. §. 6.

111. Porro, iura (*quod notat Molina in cit. tract. 2. disput. 2. in fine*) actionem realem tribuunt ei, qui ius habet in re: ita vt duo ista reciprocentur. Ius habet in re, & conceditur illi actio realis. Ei vero qui solum habet ius ad rem, concedunt solam actionem personalem. Ad discernendum autem, quãdo ius habeatur in re, & quando tantum ad rem, hoc documentum seruire potest. Vbicumq; reperitur ius secluſa persõnæ obligatione, ipsum censetur esse in re. Vbi vero ius nõ reperitur nisi in obligatione personæ, esse personale. Exemplum est. si Titius bona fide possideat rem alienam, verus dominus habet in ea ius, ratione cuius possit agere contra Titium actione reali: non vero personali, ratione alicuius obligationis, qua adstrictus sit ei Titius: qui nec ex contractu, nec ex delicto ei obligatur. Sin autem idem Titius mutuo acceperit centum, creditor non habet ius in rebus ipsius, vt possit agere actione reali; sed tantum in ipsius persona, quæ ex ipso mutuo illi est obligata. 114.

In ordine autem ad praxim, inter vtramque eam actionem discrimen satis latũ cernitur: nempe quod cum realis sequatur rem in qua ius reale competit; ea detur contra quemq; possessorem rei, quocumque titulo eam apud se habeat, etiamsi per mille manus transierit, iuxta legem Actionum genera, ff. De obligat. & actionibus. Ratioque est, quia cum talis actio fundata sit in iure, quod quis habet in re, ad quemcunq; ea transeat, cum onere suo transit. Actio vero personalis non egreditur personam obligatam: quia cum sit in talem personam, eam semper sequitur quidem: sed eadem extincta, & ipsa extinguitur, nisi detur aliqua alia persona quæ ipsam repræsentet: sicut hæres debitoris, censetur ipsum repræsentare. 112.

De euictione.

Sectio III.

113. De hac habetur titulus, digestis De euictionibus & duplæ stipulatione: & agit Couar. in lib. 3. variarum

resol.

resol.cap.17. Est autem euictio, rei emptæ vel donatæ. vel ex alia causa acceptæ, interposito iudicis decreto, ablatio. Hæc accidit cum quis rem propriam in iudicio repetit ab eo, cui dedit, aut vendidit alter ad quem ea non pertinebat. Atque de euictione, vt debetur ex contractu lucratiuo, seu ex donatione, duæ regulæ sunt notandæ, quas tangit Ludouicus Molina *de iust. & iure tomo* 1. *tract.*2. *disput.*252. §. *Secundo sumitur contractus.*

PRIOR EST, quæ habetur ex lege Aristo. §. vlt. ff. De donationibus. Quando incipit donatio à traditione rei quædonatur; eum qui donauit non teneri de euictione, nisi donatarius expensas feciſſet in re sibi donata: ac ipse qui donauit tunc cum donaret, rem esse alienam sciret. Quo casu tenebitur ad refundendas eadem expensas, & alia damna subsecuta; non autem ad rei valorem; quia in illis, non item in hoc, donator censetur donatarium læsisse contra iustitiam.

POSTERIOR regula est. Cum donatio à promissione incipit, si ea sit in genere: dandi v.g. aliquot modios tritici, vel aliquot boues, aut aliquot nummos aureos: si promissor adimplendo promissionem det alienum, tenebitur de euictione: quia cum promittendo non magis respexerit ad hos, quam ad alios tritici modios, vel boues, vel nummos aureos; non liberatur à promisso tradendo alienum, *etiam per ignorantiam:* cum dominium illius transferre nõ potuerit. Sin autem promissio sit certæ rei in singulari, vt huius domus, vel huius equi, promissor de euictione non tenebitur, ea tradita; quantumcumque fuerit aliena. Ratio est, quia promissio ortum habens ex liberalitate, promittentem non obligat in conscientia amplius, quam intenderit se obligare. Is autem qui rem determinatam in singulari promittit, non intendit (nisi alius fuerit animus ipsius quam nude promittendi) adstringere se ad aliud donandum quam eandem rem determinatam. Ergo illam tradens, ad nihil amplius tenebitur ex vi promissionis: etiamsi ipsa tanquam aliena euincatur: nisi, *vt dictum est*, ad expensas, & alia damna donatarij; si dando præsumeret talem rem esse alienam.

114. DE EVICTIONE autem, vt debetur ex contractu oneroso, vt ex venditione, permutatione, &c. bene differit idem Molina *in sequenti disput.*380. Atque de ea quæ debetur ex venditione, illud pro praxi nobis proposita notandum est; venditorem regulariter teneri emptori de euictione, hoc est, si res empta auferatur ab emptore, eo quod non esset venditoris, hunc debere illi æstimationem rei, & interesse; seu teneri soluere quantum res æstimatur eo tempore quo euincitur, & quantum emptori ipsi interest eandem rem non esse euictam, ac etiam damna inde subsecuta. Hoc habetur ex lege Libera, Cod. De euictionibus, & ex lege Euicta, ff. eodem tit. & ex Cap. finali. De empt. & venditione.

Ratio autem additæ particulæ (*regulariter*) est, quod dentur aliquot casus, in quibus ille qui rem vendidit, aut alio titulo alienauit, non tenetur de euictione. Eos ipse Molina persequitur in eadem disputatione, apud quem videri possunt. Nam ad institutum nostrum sufficiet attigisse paucis spectantes ad illud: quorum primus est, quando in contractu expressum fuit, vt venditor de euictione non teneretur. Qui casus debet intelligi cum conditione: si bona fide agatur; vt censebitur agi, si venditor emptori aperiat rei statum quem nouit. Si ergo sciat alienam esse, idque sufficienter aperiat; de euictione non tenebitur, hoc nomine, quod liber sit ab obligatione soluendi interesse, & damna emptori subsecuta: non autem quod liberetur ab obligatione reddendi pretium acceptum, nisi cõtrahendo fuerit expressum in particulari, quod ne quidem ad pretium teneatur.

Sin autem dubitet an sit aliena; & id item aperiat, liberetur etiam à pretij restitutione. si res ab emptore euincatur seu abstrahatur: quia perinde cum eo contraxit, ac contrahit ille qui vendit iactum rectis, siue pisces capiantur, siue non. Ita habetur ex lege Emptorem, §. vlt. ff. De actionibus empti. Quod si mala fide agatur; venditore nimirum sciente rem esse alienam, aut de eo dubitante, nec aperiente illius statum: tunc ob dolum interuenientem obligatio erit non tantum ad restituendum pretium, sed etiam ad interesse damnaque secuta resarcienda, iuxta communem doctrinam de obligatione ad restitutionem ex iniusta acceptione.

Secundus casus est. Cum res vendita, extracta est de potestate emptoris per sententiam aperte iniustam: siue ea lata sit per iudicis imperitiam, siue per nequitiam, aut in odium possessoris, aut quia voluit actori iniuste fauere, ex Cap. vltimo, De emptione, & vend. & ex lege Si per imperitiam, ff. De euictionibus. Ratioque est quod tunc perinde sit, ac si per furtum aut vim res esset iniuste ablata, aut casu fortuito periisset: in quibus euentibus constat rem ei perire, apud quem est illius dominium, sicut rei venditæ dominium est apud emptorem.

Tertius casus. Quando emptor præscribere potuit rem emptam: nec præscripsit: adeo vt culpa mertiaque sua sit ab ipso ablata, ex lege Si dictum, §. Si cum posset, ff. De euictionibus.

DE EVICTIONE quæ debetur ex aliis contractibus 115.
onerosis, hæc habet idem author sub initium memoratæ disputationis. De euictione rei teneri eum qui illam permutauit; ex lege Si permutationes, Cod. De euictionibus, & ex lege 1. Cod. De rerum permutatione. Item qui quouis alio contractu oneroso rem in alterum transtulit: vt cum eam dedit in debiti solutionẽ, ex lege Libera. Cod. De sententiis & interlocut. Præterea, quando hæredes diuidunt inter se hæreditatem, aut socij rem ipsis communem: si enim aliquid eorum quæ vnus accepit euincatur, alij hæredes aut socij tenentur ei de euictione; ex lege Si familiæ. Cod. Familiæ erciscundæ, & ex lege Si fratres, Cod. Communia vtriusque iudicij. &c Addit idem (quod facere potest ad nostrum institutum) in contractu transactionis, seu quando aliquid alicui datur, vt à lite discedat, cedatve iuri quod habet in re litigiosa. si eadẽ res postea euincatur tanquam aliena, non esse obligationem restituendi acceptum ea de causa: quia non fuit datum pro re quæ euincitur, sed pro cessione iuris quod prætendit se in ea habere: etiamsi in rei veritate nullum forte habeat. Imo vero, si illud ipsum quod ei datum est, euincatur per aliquem alium, is qui dedit tenetur illi de euictione: ex lege, Si pro fundo, Cod. De transactionibus. Quanquam si litigantes ita litem componerent, vt vnus vnam, & alter alteram rei litigiosæ partem acciperet: si vnius pars euinceretur, alter non teneretur de euictione: quia partem suam non accepit in alterius partis compensationem, vt fit in diuisione hæreditatis; sed vt cederet obscuro iuri suo, quod habuit in illud totum quod conflatum erat ex talibus partibus. Qua de re adhuc idem author in eodem tract. 2 disput. 556. sub finem. Quando autem aliquid marito datum in dotem euincitur; quousque ille agere possit, cum spectet potissimum ad forum externum, relinquemus videndum apud eundem in præced. disput. 427.

CAPVT VIII.

De accidentibus contractus.

SVMMARIVM.

116 *Quæ sit ea culpa quæ censetur accidens contractus ipsum infirmans.*

117 *Quid sit dolus generaliter: & diuisio illius in bonum & malum.*

118 *Dolus malus (qui solus constituitur accidens contractus) quid sit.*

119 *Varia diuisio eiusdem.*

120 *Dolus tollens consensum in contractum, reddit ipsum inualidum.*

121 *Dolus dans causam contractui non obstat, quin is sit validus, si vero animo contrahendi celebretur.*

122 *Corollarium inde consequens: deceptum posse quo ad forum conscientiæ compellere deceptorem ad implendum contractum.*

123 *Validus est contractus cui causam dedit alicuius tertii dolus, neuterque contrahentium ei communicauit: nisi is tollat liberum consensum eorumdem contrahentium.*

124 *Dolus solum incidens in contractum, quid in eo operetur.*
125 *Corollaria de vtroque dolo, hoc est, tum dante causam contractui, tum solum incidente in eum.*
126 *Quid sit casus fortuitus.*
127 *Regula de eodem: & casus in quibus ea patitur exceptionem.*
128 *De primo casu, qui est quando culpa præcessit contractum.*
129 *De secundo, qui est quando mora præcessit; & quæ ad eum requirantur.*
130 *Quid in contractu operetur casus fortuitus, cum contingit ante moram.*
131 *Quid quando contingit post moram.*
132 *Aliquot dubiorum breuis solutio.*
133 *De tertio casu, qui est cum fit conuentio contrahentium: & quæ hæc operetur in contractu.*
134 *Tres casus in quibus non tenetur de casu fortuito ille, qui ad eum se obligauit.*
135 *De quarto casu, qui est cum res fuerit æstimata: & quod locum habet tantum quando per contractum transfertur dominium.*
136 *Diuersis modis res dicitur aliena; & quod res aliena non consumptibilis vsu, idonea non sit ad contractum valide celebrandum.*
137 *Quid operetur talis contractus, si nihilominus celebretur.*
138 *Quando censeri possit validus contractus, quo distrahitur res actu aliena, & vsu consumptibilis.*
139 *Quando autem is quo distrahitur res quæ aliena est potestate.*
140 *Inhabilitas contrahentium qua infirmatur contractus.*

QVÆDAM accidunt contractibus ratione quorum vis obligandi in eis infirmatur, & ideo examinari, ponderarique debent in iudicio de peccatis. Sunt autem dolus, culpa, casus fortuitus, materiæ incapacitas, & contrahentium inhabilitas.

De dolo, & culpa.

SECTIO I.

116. NOmine culpæ non significatur hic, sicut alias, peccati macula, quæ dicitur culpa Theologica: sed imprudentia siue imperitia, qua quis ignorat, quod scire debet: vel negligentia, qua quis non prouidet, aut non cauet, aut non facit quod prouidere, aut cauere, aut facere deberet; quæ appellatur culpa iuridica. De qua, & de illius diuisione in latam, leuem, leuissimam: ac de illius vi infirmandi obligationem natam ex contractu, iam dictum est sufficienter in præcedenti lib. 10. cap. 3.

117. Dolus autem generaliter dicitur de solertiæ executione, dicendo aliquid aut faciendo vel omittendo, per quod alter in aliquo decipiatur, siue bene siue male: siue id sit in damnum ipsius, siue non sit: Vnde fit vt sumatur tum in bonam, tum in malam partem: distinguaturque in dolum bonum, & in dolum malum: quorum ille est solertiæ executio, dicendo, faciendo, aut omittendo aliquid quo rectæ rationi congruenter, alius decipiatur: cuiusmodi ille fuit quo vsus est Salomon 3. Regum, cap. 3. cum coram se contendentibus mulieribus de infante, veritatem detexit iubendo puerum diuidi medium. Est & ille quo duces in iusto bello sæpe vtuntur, simulando, vt decipiant hostes.

Dolus vero malus est solertiæ executio peruerse facta ad aliquem decipiendum: in hoc distinctus à culpa iuridica, quod ipse sit ex intentione ac voluntate nocendi, & hæc sit cum scientia quidem: sed sine voluntate nocendi: aut simul, & sine scientia, & sine voluntate nocendi. Quāquam culpa cum fuerit lata in ordine ad contractum, æquiparatur dolo, ex lege Quod Nerua, ff. Depositi, & ex lege Magna negligentia, ff. De verborum & rerum significatione. In hoc autem loco sermo est de dolo malo.

118. Circa cuius definitionem traditam ff. De dolo malo, lege 1. §. 2. quod sit calliditas, fallacia, machinatio ad circumueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita: notandum est, quod glossa ibid. tangit; calliditatem esse quando quis alterum circumuenit reticendo vitium rei: quod cum detegere teneatur, illud ea ratione occultat. Fallaciam vero esse, cum quis alterum verbis decipit. Etenim fallacia consistit in verbis, sicut fraus in factis, ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 118. *art.* 8. Machinationem denique esse, cum quis aliquem verbis aut factis decipere aut circumuenire attentat. Vnde, vt notat Molina *de iust. & iure tract.* 2. *quæst.* 293. *sub initium*, machinatio sub se comprehendit fallaciam & fraudem: & dolus tam has quam illam sub se.

De dolo documenta pro praxi.

SECTIO II.

PRo praxi autem nobis proposita, aliquot documentis declarandum est quid dolus malus efficiat in cōtractibus. Quibus præmittere oportet, duplicem distingui talem dolum: vnum, qui dicitur dare causam contractui, alterum, qui dicitur solum incidere in contractum. Ille est, quo quis inductus est ad contrahendum; siquе abfuisset, non contraxisset: vt cum quis dolo deceptus rem inutilem emit, eo quod vēdens iactaret, eam valere ad morbum aliquem depellendum; aut emit equum vitiosum, quem venditor commendabat, vt carentem omni vitio. Atque talis dolus in contractu interuenire potest, aut per aliquem ex cōtrahentibus; aut per alium: vt per proxenetam: hocque adhuc dupliciter, nempe aut aliquo ex contrahentibus communicante in eodem dolo: aut nullo eorum communicante. 119.

Alter vero dolus (solum, inquam, incidens in contractum) est qui etiamsi abfuisset, contractus nihilominus factus esset: non tamen dato pro re, eodem pretio: sed aut maiore, aut minore. Qui dolus rursus duplex est; vnus dicitur dolus ex proposito: & incidit in contractum, cum vnus contrahentium sciens & volens decipit alterum: vt cum venditor inducit emptorem ad emendam rem pluris quam valeat; falso asserendo multum sibi eam constitisse, aut de longinquo adue ctam esse: quo casu dolus non dat causam emptioni, sed quantitati pretij. Alter autem dicitur dolus reipsa, seu materialiter; & incidit in contractum, quando abest quidem decipiendi animus: alteruter tamen cōtrahentium decipitur: vt cum ambo contrahunt bona fide, nescientes verum valorem rei, & emptor maiori, vel minori pretio emit, quam iustum sit. His ita præmissis, quid dolus faciat in contractibus, declaratur sequentibus documentis. 123.

PRIMVM EST. Contractum esse nullum, si dolus ei causam dederit, tollendo consensum voluntatis, in quo substantia illius consistit. Hoc manifestum est: quia nihil subsistit sine eo quod est de illius substantia. Tale quid vero potest contractui contingere, quando per expressam voluntatem contrariam contrahens resistit tali dolo: vt cum quis dolose inducitur ad matrimonium contrahendum cum persona aliqua, tanquam diuite & nobili: ipse vero sic contrahit, vt expressam voluntatem habeat non contrahendi, si tales conditiones desint. Item, quando dolus secum adfert errorem, quo tollitur consensus ad contractus validitatem necessarius: prout fit cum erratur in materia de qua celebratur contractus, vna substituta pro alia: vt cum vitrum venditur pro gemma; & vna puella nuptui traditur pro alia. Neque enim is qui decipitur, consentit in substitutam; sed in aliam pro qua substituitur: vt qui emit vitrum pro gemma, non consentit in emptionem vitri, sed gemmæ: similiter qui vendit gemmam putans esse vitrum, non consentit in alienationem gemmæ, sed vitri: ideoque emptor illam retinere non potest, vtpote nullo iusto titulo possessam. 120. 124.

SECVNDVM documentū est. Etiamsi dolus det causam contractui, & is ab altero contrahentium proueniat, aut saltem participetur communicando in eo; cōtractum ipsum non esse omnino irritum, extra casus præcedenti, documentis dummodo verus adsit animus cōtrahendi, & non sola fictio. Probatur, quia talis dolus nō versatur circa substantiam contractus, sed tantum circa causam contrahendi, quæ eidem substantiæ accessoria est, & extrinseca; ideoq; non tollit consensum, qui aliquo modo sufficiens sit ad naturam contractus. Deinde signum, quod talis 121.

contra-

contractus non sit omnino inualidus, illud censetur satis apertum, quod si deceptus velit ei stare, deceptor nō possit resilire. Etenim cum non debeat lucrum de suo dolo reportare, ex cap. 1. De eo qui duxit in vxorem: sicut obligaretur per consensum absolutum in contractum, si dolus abesset, obligati pariter debet, quantumcumque dolus adsit: cum obligans se ea ratione, idem ex sua parte faciat, quod faceret sincere agens, contrahendo cum intentione obligandi se alteri, dato quod ille stare velit contractui.

122. Hinc consequens est, deceptum compellere posse deceptorem ad implendum contractum absque nouo illius consensu; cum obligatio ex primo consensu perseueret, quamdiu deceptus non resilit à contractu, cognita deceptione. Ex huius enim arbitrio, non illius, pendet irritatio talis contractus: cum per eum hic patiatur, & ille inferat iniuriam; restitutione in integrum resarciendam. Nec obstat, *prout bene notat Leonar. Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 17. dub. 5. num. 31. versus finem*, quod eiusmodi contractus aliquando dicatur irritus, vel nullus, vel nullam vim habere: quia intelligi potest hoc sensu dictum, quod deceptor nihil solidi iuris ex illo acquirat, nisi deceptus illum ratificet; sed ipse deceptor teneatur ad restitutionem in integrum ante sententiam Iudicis. Vel certe, quod deceptus possit, cum deceptionem resciuerit, talem contractum reddere irritum, & petere restitutionem rei alienatæ, & damnorum ex tali alienatione perceptorum, quibus causam iniustam idem deceptor dedit. Imo si aliter recuperare nequeat, vti valeat occulta compensatione.

123. Tertium documentum est. Si alicuius tertij, *v. g. proxeneta*, dolus in quo neuter contrahentium communicet, causam det contractui; ipsum in foro conscientiæ (nisi sit cum errore tollente consensum, iuxta 1. documentum) validum esse contractū ipsum. Hoc habent contra Conradum & Medinam, *Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 352. §. Vt quod sentio, & Lessius in memorata dub. 5. nu. 33. citatis Bartolo ad legem Et eleganter, ff. De dolo, & Couar. ad regulam, Possessor. par. 2. §. 6. num. 6.* Fundamentum vero eiusdem est, quod talis dolus sit tantum cum errore circa extrinseca allicientia ad contractum: adeo vt non impediat consensum circa intrinseca, per quem contractus habeat necessaria ad substantiam, validitatemque suam. Neq; quod non fieret, si dolus abesset, obstat quin voluntarius sit sufficienter ad validitatem: quia id non importat aliquem voluntatis dissensum actualem, aut virtualem: sed solum habitualem, qui non habet vim irritandi contrarium consensum, quem quis hic & nunc actu adhibet in contractum, sibi probe notum ac exploratum.

124. Quartum documentum est. Contractum in quem dolus incidit quidem, sed non dedit ei causam, validum esse: sique inciderit ex proposito, damnum omne compensandum esse ab eo, qui illum adhibuit, sin inciderit reipsa, seu neutro ex contrahentibus illum adhibente, aut consentiente in adhibitionem, relinqui in arbitrio; *non quidem decepti, qui damnum patitur in defectu pretii*, sed alterius; vt vel stet contractui, supplendo eiusmodi defectum, vel contractum ipsum rescindat. Hoc habet glossa finalis ad Cap. Cum dilecti, De emptione & vēditione: & communem sententiam esse Doctorum aliquot relatis notat Molina *in citata disput. 352. conclus. 2.* Et quoad primam partem patet, quia etiamsi talis dolus abfuisset, contractus factus esset. Quare factus est ex consensu sufficiente ad validitatem. Secunda pars autem habetur ex lege Iulianus, §. 4. ff. De actionibus empti. Et confirmatur, quia dolum dans ex proposito, causa est iniusta damni inde secuti: ideoque ex iustitia tenetur illud resarcire. Tertia demum pars habetur ex lege 2. Cod. De rescind. venditione. Et confirmatur, quia cum validus fuerit contractus, neq; ille cuius conditio est melior, causa sit deceptionis; alter nihil habebit vnde conqueratur de ipso, eo quod velit retinere ius à se quæsitum bona fide, si refundat illud in quo contigit inæqualitas. Quanquā si contractus non sit completus traditione rei vel pretij, *ideoque non sit adhuc translatum dominium*, decepto resilire licet ob rei statum notabiliter mutatum; si non secundum se, at certe respectu notitiæ de nouo habitæ: cuius habendam esse rationem, patet ex eo, quod contrahentium tacita mens soleat esse nō obligandi se ad implendum contractum, si deprehenderint se deceptos esse: Cuius mentis, consuetudo passim vsu recepta, sufficiens indicium est.

125. Quintum documentum est. Ex dictis haberi quæ notat Molina in fine citatæ disput. Primo, si vnus contrahentium decipiatur ignorante altero, nullaque inæqualitas in contractu oriatur, quia nulla transgressio facta est limitum iusti valoris: nō esse necesse vllam in eo facere mutationem: sin oriatur inæqualitas, eo quod acceptum sit vltra iustum pretium rigorosum, vel datum infra pium seu infimum, faciendam esse in foro cōscientiæ reductionem ad æqualitatem, seu ad limites iusti pretij. Secundo, idem seruandum esse, quantumuis vnus sciuerit alterum decipi, dummodo agat bona fide, nihilque reticeat eorum quæ manifestare tenetur. Tertio, cum mendacia aut dolus interuenerint ad inducendum alterum ad contrahendum, vel ad augēdum pretium, vel dandam compensationem, idem quoque seruandum esse; si quidem talia non dederint causam contractui, aut incremento, vel decremento pretij aut recompensationis: prout cōtingere potest, cum fuerint quidem cogitata, sed pro nihilo habita; neque fides habita fuerit eis, tanquam positis in consuetudine apud illos qui eiusmodi contractus celebrant. Sin autem causam dederint cōtractui, aut incremēto, vel decremento pretij aut recompensationis, procedendum est iuxta præcedentia documenta. Quarto, non esse culpam de se mortalem (licet sit venialis) re integra, non rescindere cōtractum: nisi talis sit inter datum & acceptum inæqualitas, vt quantitas excessus possit sufficere ad peccatū mortale. Et ratio est, quia proximus inde non læditur grauiter. Vnde à mortali memoratus author excusat eos qui mentiuntur vinum suum esse plurium annorum, aut certi loci, quamuis si sciretur rem aliter se habere, omnino non emeretur tali pretio; dummodo spectatis circumstantiis vinum sit æque bonum, æqualisque valoris.

De casu fortuito infirmante contractum.

Sectio III.

126. Casus fortuitus, est inopinatus rei euentus, quem humana diligentia præuidere non potuit, nec vitare: vt ruina, vel incendium domus, tempestas maris, vis fluminis exundantis, corruptio aeris, animalium mortes, terræ motus, latronum vis, incursiones hostium, iniusta sententia, falsum testimonium, & alia id genus, in quorum numero ex Angelo, & Syluestro in verbo Casus fortuitus, ponendum est furtum commissum à persona coniuncta, à qua diligentissimus quisque non præcauisset: vt ab vxore, filio, consanguineo, amicoq; fideli: aut ab infideli quidem, aut extraneo, sed qui propinauit potionem soporiferam, quæ non potuit præcaueri.

127. Traditur autem de casu fortuito hæc generalis regula: Quæ peremit casu fortuito, domino suo peremit. Secundum quam si aliquis reuersurus in patriam, equum accipiat commodato, & pecuniam mutuo: hancque & illum postea remittens per seruum existimatum fidelem, qui in via spoliatur à latronibus; commodanti perit equus, cuius manet dominus; cum per commodationem non transferatur dominium: pecunia autem perit ei qui ad solutionem mutui eam misit, quia missæ dominium retinet, donec sit restituta mutuanti. Sed tres casus habentur ex Cap. vnico De cōmodato, in quibus ea patitur exceptionem. Primus est, quando culpa præcessit ipsum casum fortuitum. Secundus, quando præcessit mora. Tertius, quando interceßit conuentio partium de obligatione ad casum fortuitū: quibus quartus addi solet à Canonistis ad idem Cap. vnicum, quando res alteri datur æstimata.

128. Circa quorum primum duo occurrunt notanda. Prius est, eum de iuridica culpa, seu de defectu diligentiæ esse intelligendum iuxta naturam cōtractus, quo quis rem quæ periit, tenebatur conseruare. Si enim contractus talis sit ex sua natura, vt celebretur ad vtilitatem solius accipientis, *vt contractus commodati*, sufficit culpam seu negli-

gentiam in seruando, fuisse leuissimam: sin tam in dantis, quam in accipientis vtilitatem, *vt contractus locati & conducti*, fuisse leuem culpam: sin demum in vtilitatem solius dantis, *vt contractus depositi*, requiritur vt fuerit lata culpa. Posterius est, iuridicam ipsam culpam nõ esse intelligendam quocumq; modo; sed solum prout ordinatur ad casum propositum, tanquã dispositio quædam, prout sequẽtibus exemplis declaratur. Si quis enim equum sibi datum cõmodato relinquat in agro absq; custodia: & superuenientibus hostibus capiatur; in culpa est quidem, non tamen ordinata ad eum casum fortuitum: vt patet ex eo, quod etiamsi custodem adhibuisset, perinde ablatus fuisset. Idem iudiciũ est de culpa nautæ, qui merces vehendas imposuit naui parũ tutæ, & perierũt naufragio: quia perinde periissent impositæ naui multũ tutæ; & sic de similibus.

De mora impediente ne res quæ perit casu fortuito, pereat domino.

SECTIO IV.

129. CIRCA 2. casum notandum est. Primo, multa requiri vt quis censeatur fuisse in mora. Primum est, vt facultatem habuerit præstandi à se debitum: vel dolose fecerit, ne haberet. Secundum, vt sciuerit, vel scire intelligereque debuerit, se tale quid debere. Tertium, vt debitũ ipsius sit purum, non autem conditionale, & in diem. Quartum, vt præcesserit interpellatio ab homine, vel à die statuto: prout censetur ab homine quidem, cum creditor petiit sibi solui debitũ: à die vero, quando solutioni præfixa est certa dies. ea enim, *vt dicitur*, interpellat pro homine; præsertim cum debitor tenetur debitũ offerre creditori. Quod addo, quia nonnunquam consuetudo habet, vt elapso termino non offeratur, sed expectetur donec petatur à creditore.

130. NOTANDVM est secundo. Duo tempora esse distinguenda circa casus fortuitos: vnum ante moram debitoris, & alterum post eam. De priori autem duo documenta occurrunt tradenda pro praxi. Prius est. Debitorem rei determinatæ in individuo: vt huius domus, vel huius equi, liberari à tali debito per casum fortuitũ quo eadem res perierit. Ratio est, quia nõ manet obligatus ratione rei, quæ nõ extat amplius; nec ratione culpæ, seu negligentiæ, cum ille non fuerit in mora: neque interitui rei causam dederit iniustam.

Posterius documentum est. Debitorem rei determinatæ solummodo in specie, vt pecuniæ, vel tritici, vel vini, &c. non liberari à solutione talis debiti, ex eo, quod ante moram casu fortuito perierit certa quantitas rei, illius speciei, quam constituisset creditori, suo tempore tradere in solutionem. Hoc patet, quia cum debetur pecunia, aut triticum vniuerse; nõ debetur magis hæc in singulari quantitas pecuniæ, aut tritici, quam alia. Deinde, quia vniuersum non extinguitur interitu vnius singularis, ideoque res proposito modo debita, censenda non est extingui interitu particularis quantitatis designatæ ad solutionem. Et ita neque ob casum illum fortuitum extinguetur obligatio soluendi debitum.

Verumtamen id locum nõ habet in tribus casibus. Primus est, quando creditor quantitatem sibi oblatam accipere recusauit sine causa. Nam si ea deinde casu fortuito pereat, creditori ipsi petit, ex lege Qui decem, ff. De solutionibus. Et ratio est, quia talis oblatio rei debitæ creditorem constituit in mora, in eumq; transfert periculum casus fortuiti deinceps contingentis. Alter casus est, quando culpa creditoris perierit, quantitas illa constituta ei in solutionem: quia talem iacturam alioqui resarcire teneretur. Tertius est, quando debetur quantitas, non quidem absolute, sed determinate ad certam speciem, vel locum: vt si deberetur vnus ex equis testatoris, vel 100. aurei ex iis qui habentur in arca, aut 10. modij tritici ex his qui sunt in horreo, vel in naui: tunc enim si pereant omnes equi, aut furata sit omnis pecunia in arca, aut totum triticum quod erat in horreo, perierit incendio, aut quod erat in naui, perierit naufragio, liberatur debitor. Ratio est, quia quando debitum circumscribitur aliquo limite siue rerũ, siue locorum, circumscribitur pariter obligatio soluendi illud, nec illum egreditur.

DE TEMPORE autem posteriore, *nimirum post moram* 131. hæc regula traditur. Quod si res debita pereat post morã, periculum interitus, aut deteriorationis pertineat ad debitorem morosum, etiamsi nulla alia culpa ipsius præcesserit. Patitur autem exceptionem. Primo, si talis res facto, aut culpa creditoris periret: quia illius iactura ei imputaretur. Secundo, si huiusmodi res quæ post moram perit apud debitorem, eodem modo peritura erat apud creditorem. Nam tunc debitorem morosum in foro conscientiæ à debito liberari, nec teneri ad illius æstimationem, docẽt in verbo Mora, Angelus & Sylu. *ille nu. 2. & hic quæst. 4.* & Nauarrus in Enchir. *cap. 17. num. 179.* & Ioan. Medina in Cod. De rebus restituendis, *quæst. 6. propos. sexta.* Secũdum quem habet locum, non solum cum res fuerit debita ex contractu, sed etiam cum ex delicto; vt cum ex furto; verba enim illius sunt: Si res in potestate furis periit, qualiter omnino in potestate domini peritura fuisset, satisfacit fur, si fructus perceptos, & quos dominus percepisset, restituat: & pro interesse, si quod passus est (ab initio videlicet temporis moræ vsque ad tempus interitus rei) satisfaciat. Quæ doctrina in hoc fundatur, quod siue fur, siue alius existens in mora restituendi, solummodo teneatur resarcire damnum ab ipso illatum per acceptionem, aut retentionem iniquam. Quando igitur dominus rem detentam amisisset eodem modo, aut deteriorem habuisset, nullum sane damnum paritur ex eo præcise, quod iniuste detenta fuerit; quando quidem ea ex parte nihil minus habet, quã haberet, si ea apud ipsum mansisset.

SED QVÆRES primo. Si dubitetur, an eodem modo 132. res esset peritura apud dominum, eius debitor morosus teneatur soluere illius æstimationem? Respondent Angelus & Sylu. *locis citatis in fine*, quod teneatur; eo quod iuxta legem Cum res, §. finali, De legatis primo; contra ipsum faciendã sit interpretatio. Ratioq; est, quia in dubiis tutior pars est sequenda, præsertim quando in minus tuta periculum est læsionis proximi. Adde potiorem rationem habendam esse innocentis, quam criminosi.

QVÆRES secundo. An si probetur res periisse, *vt equum mortuum esse*, nec probari possit interiisse ex culpa, præsumenda sit interiisse ex casu fortuito? Respondetur, videri præsumendum in iis casibus fortuitis, in quibus vt plurimum nulla solet culpa contingere: non item in iis in quibus interitus solet euenire ex aliqua culpa: vt in casibus incendij, furti, & similium, quæ diligentia vitari possunt.

QVÆRES tertio. An si apud dominũ res erat peritura casu, & apud furem, aliumve morosum, non casu: sed culpa ipsius perierit, hic teneatur soluere quantũ illa æstimabitur? Respondetur, teneri, prout sentit Petrus à Nauarra *lib. 4. de rest. cap. 1. n. 23. citatis Medina & Couarruuia.* Et probat: quia fur, aut alius morosus non est melioris conditionis, quam depositarius; qui iusto titulo rem habet, neq; censetur esse in mora, cum detineat rem de voluntate domini. At depositarius tenetur ad compensationẽ rei depositæ, si ea pereat sua culpa lata, aut etiam leui si pro custodia accipiebat mercedem; quantumcumq; apud dominum etiam ea periisset. Ergo fur, aut alius morosus, potiore ratione tenebitur ad compensationem rei iniuste apud se retentæ, si interea perierit sua culpa, non obstante quod peritura quoque fuisset apud verum dominum: quia illius conseruationem tenebatur cum diligentia curare.

De duobus aliis casibus, in quibus res quæ casu fortuito perit, non perit domino.

SECTIO V.

133. CIRCA tertium casum notandum est, posse fieri pacto contrahentium, vt teneatur quis de casu fortuito, *de quo alias non teneretur*, ex inito contractu: sicut è contra fieri potest, vt nõ teneatur quis de culpa, ad quam contractus iustus alias obligat. Quale pactum in foro etiam conscientiæ potest habere locum, iuxta Cap. vltimum De cõmodato. Et ratio est, quia quisque sciens & volens potest iuri suo cedere, ac se obligare ad id, ad quod alias nõ tenebatur. Pro quo tamen onere, cum sit pecunia æstimabile, æquitas postulat aliquid in pretium dari, æstimatione viri prudentis, circumstantiis inspectis & ponderatis.

Notan-

Notandum est secundo, ex Angelo & Syluestro *in verbo Casus fortuitus quæst.* 3. ex pacto generali inito, quo quis pacisci tur se teneri de omni casu, nullo expresso (*idem iudicium est, si in se susciat omne alicuius rei periculum*) non teneri in conscientia de casu fortuito. Ratio esse potest, quod casus fortuitus, cum sit valde specialis & insolitus, non debeat in materia odiosa contineri sub verbis generalib. nisi contrarium conuincatur, vt potest primo, quando quis se in genere obligauit expresse ad omnes casus fortuitos. Secundo, quando quis facit conuentionem, qua suscipit in se periculum alicuius casus fortuiti: vt naufragij, vel excursionis latronum, addendo clausulam generalem: Et ad omnes alios casus & pericula me obligo. Nam per eam additionem censetur obligatus ad casus alios fortuitos similes expressis, non vero ad maiores, *vt memorati authores addunt*: quia ex Clementina. Non potest, de Procuratorib. in clausula generali non veniunt maiora expressis: quod verum est maxime in materia odiosa qualis est ea de qua agimus.

134. Notandum est 3. tres numerari casus, in quibus etsi quis se obliger ad casus fortuitos, non tenetur tamen de illis. Primus est, quando culpa creditoris talis casus euenerit: vt si ob inimicitias quas exercet, iniectus sit ignis in domum quam locauit: conductor qui se obligarit ad casum fortuitum, non tenebitur de eo. Secundus est, cum euenerit ex facto eiusdem creditoris, etiam iusto; vt si iustum bellum gerens, agri, vineæ, & ædificia quæ locauit, ab hostibus vastata sint. Tertius est, quando creditor, *cum possit & debeat*, non vult impedire casum fortuitum: vt cum Princeps negligit impedire incursiones latronum, quibus impediuntur receptiones vectigalium. Qui enim hæc conduxerunt, non tenentur de tali casu, quantumuis obligauerint se ad omnem casum fortuitum. Ratio horum eadem est, quod nimirum damnum, aut illius causam dans, debeat illud sibi imputare: neque ad alio, qui ad illud nihil contulit, possit iuste exigere sibi compensari.

135. Circa quartum casum ex ante popositis nu. 127. notandum est, difficultatem esse, quam loco citato quæst. vltima tractant Angelus & Syluester: An existimatio faciat, vt quis de casu fortuito teneatur? v.g. commodat quis vel locat alteri æquum, facta illius æstimatione: dubitatur, an si casu fortuito idem equus pereat, cõmodatarius aut conductor teneatur ad solutionem pretij quo æstimatus est? Cui difficultati satisfieri potest duabus propositionibus. Prior est; quoties res datur æstimata in contractu, quo transfertur dominium, æstimatio facit vt in dubio, idem contractus eo ipso transeat in emptionem, & ideo periculum rei pertineat ad eum cui datur res æstimata. Exemplum est de contractu, per quem dotis dominium, constante matrimonio, transit in maritum, si ei illi detur æstimata, vt obliger se ad reddendam eius æstimationem. Nam huiusmodi contractus censetur esse venditio, qua res data in dotem, venditur pro illius æstimatione restituenda. Vnde fit, vt periculum interitus vel deteriorationis eiusdem rei pertineat ad maritum. De qua legi potest Couarr. in lib. practicarum quæst. cap. 28.

Posterior propositio est; in contractu, quo non transfertur dominium, vt in commodato, depositõ, pignore, & locato, æstimatio rei datæ ad hoc solum fit, vt illius pretium sciatur in casu, quo res periret culpa commodatarij vel conductoris. Ratio est, quia fieri ad transferendum dominium; dici non potest, cum id sit contra naturam talium contractuum. Vnde sequitur, neque ex tali æstimatione accipientem teneri de illius periculo, si casu fortuito pereat, quia peribit domino. Hæc ex Bartolo & Panormit. habet Syluester in verbo commodatum quæst. 7. Aduerte tamen, quod si in commodato aut locato fiat æstimatio cum adiectione pacti, quo accipiens teneatur, vel eam reddere, vel pretium, quo æstimata est, soluere, locum esse priori propositioni; quia sic contractus transit in emptionem transfertque dominium.

De incapacitate materiæ, infirmante contractum

Sectio VI.

136. Incapacitas hæc consistit in eo, quod contractus materia sit res aliena. De qua, vt quid tenendum sit, doceamus, præmittendum est; rem posse esse alienam, tum actu, tum potentia: actu quidem, cum non habetur illius dominium; potentia vero, cum est alteri debita; vt cum ex ea facienda est creditoribus solutio. Rursus actu alienam quandam esse vsu consumptibilem: vt ea censetur esse, quæ secundum vsum proprium ipsius, vno actu consumitur, vt argentum, ad cuius consumptionem sufficit prima solutio debiti facta ex eo: vinum item, quod prima potatione consumitur, & sic de similibus: quandam vero non esse vsu consumptibilem: nempe quæ etsi vno actu consumi possit, non tamen secundum vsum proprium ipsius; vt vestis, quæ per vnam quidem venditionem consumitur, seu nostra esse desinit, sed is non est proprius illius vsus. Quibus ita præmissis, quatenus contractus infirmetur ex eo quod in re aliena celebretur, sequentibus documentis pro conscientiæ foro declaratur.

Primvm est. Contractum, quo distrahitur res actu aliena, non consumptibilis vsu, minime sortiri effectum transferendi dominium in recipientem. Ratio est, quia alioqui daret quis illud quod non habet. Itaque per talem contractum res non desinit esse aliena: adeout possit verus dominus illam sibi vendicare, ad quemcumque deuenerit. Pro quo textus est in lege Rem alienam, & in lege. Si in emptione, §. Item si, ff. De contrahenda emptione: immo iuxta communem doctrinam de obligatione ad restitutionem ratione iniustæ acceptionis, contra quemcumque illam iniuste detinentem & contrectantem, agere potest ad totum interesse inde subsecutum.

Aduerte nihilominus, contractum prædictum, hac ex parte effectum sortiri; quod si res ipsa aliena fuerit euicta per verum dominum, ille qui pro ea pretium accepit, teneatur illud restituere illi à quo accepit: etiamsi is petinde ac ipse, sciuerit rem esse alienam. Nulla enim ratio datur, cur ipse debeat illud lucrari. Atque si sciuerit rem fuisse alienam, altero id ignorante, ignorantia non crassa, tenebitur adhuc eidem ad omne interesse inde secutum, siue lucri cessantis, siue damni emergentis; tãquam is qui iniuste causam illi dederit. Non vero, si aut aliena esse ignorauerit, aut sciuerit quidẽ, sed altero pariter sciente, aut ignorante solum crassa ignorãtia, cui tunc non fiet iniuria: siquidem ex regula 27. iuris in 6. Sciente & consentienti non fit iniuria, neque dolus. Et ex seq. 86. Quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis, imputare. Intelligenda sunt autem hæc, nisi inter contrahentes interuenerit conuentio aliqua in contrarium: quandoquidem contractus in conuentione legem accipere dignoscuntur; vt habet proxime præcedens regula. 85. 137.

Secvndvm documentum est. Contractum, quo detrahitur res actu aliena, consumptibilis vsu, siue lucrosum, siue onerosum validum esse in foro conscientiæ, quantumuis à contrahentibus sciatur aliena esse, atque adeo furtiua: si dans statuat omnino per aliam eiusdem speciei, & æquiualentem soluere, absque damno & molestia resultante in verum dominum ex mora solutionis: atque accipiens firmum habeat propositum supplendi sufficienter defectum omnem ipsius dantis si propositum non exequatur. Fundamentum huius est, quod nullum tunc sit validitatis impedimentũ. Nam ea est natura rerum vsu consumptibilium, vt sufficienter soluantur per alias similes: ideo enim dici solent functionem recipere: quod est, vnam per aliam similem à debitore solui posse, vt habetur ex lege 2. §. 1. ff. De rebus creditis, & si certum petatur. Quod cum ita sit, nec verus dominus possit esse rationabiliter inuitus, talem rem suam alienari, seruatis ante tactis conditionibus; consentaneum sane est stentire, validum esse contractum, quo fit talis alienatio. 138.

Tertivm documentum est. Validum esse contractum, quo distrahitur res quæ aliena est potentia, si debitor illam distrahens non reddatur inde impotens ad soluendum creditoribus. Hoc de se patet: quia ex eo quod quis habeat debita, non impeditur sua distrahere, dummodo id non faciat in fraudem creditorum, reddendo impotentem ad soluendum. Quod si faciat, alter qui aliquid ab eo per contractum gratiosum, hoc est, per donationem: etiamsi bona fide procedat, nesciens tale incommodum, tenetur ad restitutionem accepti ex lege. Quod autem, §. Simili modo, & ex lege Pupillus, ff. Quæ in fraudem creditorum. Et ratio est quia locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura, vt habet regula 48. iuris in 6. Is vero qui accipit per titulum onerosum & bona fide, soluto iusto pretio, non tenetur in conscientia ad restitutionem accepti: supposito quod contractus per quem accepit, sit alias sufficiens ad transferendum dominium. Nam non tenetur ratione rei acceptæ, quia illam distraxit is, *vt supponimus*, qui fuit illius vetus dominus, nec obligatam habuit creditoribus speciali hypotheca. Nec item ratione iniustæ acceptionis, quia in ea re minime peccauit, sed bona fide celebrauit contractum onerosum per quem reddidit æquiualens accepto. 139.

Quod si titulo quidem oneroso, sed mala fide, seu scienter, in fraudem creditorum accepisset, *vt cum non reddidit tantumdem, aut etsi reddiderit, alter aliqua de causa inde effectus est impotentior ad soluendum*, tenebitur ad damni subsecuti restitutionem faciendam creditoribus, saltem ratione cooperationis iniustitiæ, quæ erga eos exercebitur. Etenim conscius fraudis, quam alter committit ineundo contractum cum ipso, fit socius illius, tanquam æqualiter influens in memoratum damnum creditorum: vtpote qui celebrando contractum per quem illud datur, est illius partialis efficiens causa moralis. Ad quorum pleniorem intelligentiam videnda sunt dicta in præcedenti lib. 10. nu. 421. & tribus sequentibus, in quibus traditur explicatio dubij, an vsurarius possit valide sua distrahere. Nam quæ illic dicta sunt de vsurario, dici pariter possunt de cæteris debitoribus.

De inhabilitate contrahentium infirmante contractum.

Sectio VII.

Hæc inhabilitas locum habet generaliter in omnibus qui carent administratione suorum bonorum. Non enim possunt contrahere, nisi de consensu eorum quibus subsunt in eadem administratione; quæ maxima ex parte consistit in ipsis contractibus ineundis. Sine controuersia autem locum habet in iis quæ carent vsu rationis, quos constat non posse per seipsos contractum celebrare (*cum is sit actus humanus seu deliberatus*) quales sunt infans, dormiens, ebrius, furiosus, phreneticus, aliique similes: adeout valida non sit donatio ipsis facta, nisi per aliũ acceptetur ipsorũ nomine. Sunt autem alij plures de quib. difficultas est: an etiamsi rationis vsu polleant, possint cõtrahere, seq; obligare; tanquã iure prohibiti, aut semper, 140.

aut quoad certos aliquos euentus: in quorum numero ponuntur vxor, filiifamilias, Religiosi, minores 25. annis, prodigi & serui legales seu mancipia, de quibus iam dictum est in prima parte lib. 4. cum de eleemosyna corporali: explicando à quibus ea fieri posset; cætera quæ videntur addenda persequemur in sequenti cap.

CAPVT IX.

De personis quæ censentur ad contrahendum iure inhabiles, ac primo de minore.

SVMMARIVM.

141 *Qui dicantur minores: eorumque tres status, primus infantiæ, in quo per se nullo modo contrahere possum: secundus, pupillaris ætatis.*
142 *In hoc possunt contrahere in suum commodum, non item in incommodum.*
143 *Tertius pubertatis, in quo quatenus contrahere quis possit.*
144 *Minoribus cum in suum incommodum celebrarint contractum, succurri potest, tum per rescissionem contractus, tum per restitutionem in integrum.*
145 *Respectu cuiuscumq; contractus concessum est minoribus priuilegium restitutionis in integrum: & quamdiu ipsum duret.*
146 *Ei coniunctum est priuilegium exceptionis: & quibus aliis quam minoribus sit concessum: & quid operetur aduersus eum qui cum minore contraxit.*
147 *Modi quibus eidem succurritur.*
148 *Etsi minor rationis compos, possit obligare se homini per contractum: si tamen lex ei resistat, non potest valide, & in quibus casibus detur talis resistentia.*
149 *Extra eosdem casus, validos esse in conscientia contractus initos à minoribus, donec destruantur per restitutionem in integrum.*
150 *Minor non potest ideo uti compensatione occulta, quod non valeat uti beneficio restitutionis in integrum.*
151 *Ludens credita pecunia, non tenetur eam soluere victori, si velit uti beneficio restitutionis in integrum.*
152 *Quatenus minori non liceat uti restitutione in integrum, & restitutus ad quid teneatur alteri.*
153 *De quibus possit, & de quibus non possit filiusfamilias libere contrahere ac disponere.*
154 *Contractus filiifamilias celebrati sine authoritate patris, si non sint in huius, aut alterius præiudicium, validi sunt, etiam ciuiliter, nisi ille adhuc esset impubes.*
155 *Quatenus nequeat filiusfamilias contractum mutui celebrare, aut uouere valide.*
156 *Quas suas operas possit filiusfamilias locare, & alias à paterna domo discedere inuito patre.*
157 *Quando sint, vel non sint validæ donationes factæ patri à filio, vel contra.*
158 *Quatenus valeant contractus ab vxore celebrati sine mariti consensu.*
159 *Quatenus Religiosus inhabilis sit ad valide contrahendum.*
160 *Quatenus prodigus.*
161 *Quatenus mancipium.*
162 *Quatenus Institor.*
163 *Quatenus Procurator.*

141. IN iure is dicitur minor, qui 25. nondum complet annum: intra quod spatium temporis, tres constituuntur status illius. Primus est infantiæ, in quo careat vsu rationis, & ideo nequit contrahere, ne quidem consentiente tutore: itaut tutor ipse omnia illius administret per se. Secundus est pupillaris ætatis: quando proximus est pubertati, in quo statu masculi censentur esse vsque ad 14. annum & fœminæ vsque ad 12. ad quod vsque tempus dicuntur impuberes, postea vero puberes. Porro masculus dicitur proximus pubertati ex communi sententia (pro qua plures citat Thom. Sanchez *libro primo de matrimonio disputatione 51. num. 24.*) peracto anno 10. cum dimidio: fœmina vero completo 9. cum dimidio: etsi, *vt ille addit ex Couarruuia, nonnullisque aliis*, satius est id relinquere prudentis arbitrio.

Sed quidquid sit, possunt pupilli in eo statu sine tutoris authoritate contrahere in suum commodum, non autem in incommodum suum. De quo textus est expressus initium tituli, De authoritate tutorum, Institut. & in lege Pupillus, De acquirendo rerum dominio. Id quod iura statuerunt in fauorem illius ætatis: vt scilicet minoribus ætas in damnis subueniret; & in prospere gestis non obesset. Non habet autem locum tale priuilegium, si minor contrahat cum alio minore, qui eodem priuilegio gaudet. Quod si accedat tutoris consensus, efficaciter siue pupillus, siue pupilla, ex contractu obligatur, iuxta legem Mors, ff. De acquirenda hæreditate, & alias, quas Sanchez *in sequenti lib. 6. disput. 38. num. 5.* citat cum suis glossis.

Tertius status est ab anno 14. vsque ad 25. quo tempore in locum tutoris solet curator succedere, qui in hoc differt à tutore, quod tutor præcipue detur personæ pupilli, & secundario bonis: curator vero detur præcipue bonis, & secundario personæ. Atque in hoc tertio statu, si minor habeat curatorem, non potest contrahere, aut se obligare absque illius consensu, ex lege Si curat. habens, Cod. de in integrum restitutione minorum 25. annis. Immo in alienatione rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum, nec curatoris consensus sufficit ei, ad valide contrahendum, sed requiritur adhuc decretum Iudicis cum causæ cognitione, ad iudicandum de vrgente necessitate; ex qua tantum facienda est talium bonorum alienatio. Qua de re titulus habetur ff. De rebus eorum qui sub tutela, vel cura sunt non alienandis, vel supponendis. Pro eaque faciunt leges 7. 11. & 13. De prædiis, & aliis rebus minorum. 143.

Documenta pro praxi de contractibus minorum.

SECTIO I.

IN IVDICIO de peccatis ex contractibus minorum, oportet sequentia documenta notare. Primum est: minoribus, cum in suum incommodum celebrauerint contractum, succurri duobus modis: altero per contractus rescissionem, & altero per restitutionem in integrum. Possunt enim contractum iure irritum rescindere, tanquam non obligantem ipsos in conscientia, licet obligent alios, qui se voluerunt & potuerunt obligare, Institutis, De inutilibus stipulat. §. Pupillus: aut non sit eis, *sicut illis*, liberum resilire. Institutis, De authoritate tutorum, initio. Neque obstat quod sic fiat, vt claudicet contractus: quoniam id alias quoque vsuenit: vt cum dolus causam dat contractui; tuncenim obligat deceptorem, deceptum non item. 144.

Contractum vero non irritum iure, possunt iidem minores beneficio restitutionis in integrum, *non autem priuata sua authoritate*, elidere ac destruere, iuxta legem. Ait Prætor ff. De minoribus 25. annis, & legem 3. ac 5. Cod. De integrum restitut. In fauorem enim ætatis, concessum est illis, vt cum se actu aliquo læsos deprehenderint, implorent Iudicis officium citata parte: vt si rem minoris iusto vendiderint: aut quam vendere non oportebat, agant ad iustum pretium accipiendum aut ad rem recuperandam. Similiter, si donarint rem notabilem, tanquam læsis ea restituatur: nisi ex rationabili causa donauerint: vt propter obsequia ipsis à donatario præstita, quæ decuit sic remunerari: aut etiam propter nuptias, iuxta legem 1. Cod. Si aduersus donationem. Quo adhuc vtroque casu, ne lædi censeantur, exitur vt talis donatio, spectata qualitate personarum, & consuetudine regionis, fuerit prudenter, & secundum rectam rationem facta. Idem iudicium est eorundem læsione ex mutuo: nempe, vt si illud acceptum amiserunt, aut male consumpserunt, implorare valeant Iudicis officium ad negandam solutionem. Pro quo facit lex 2. Cod. De filiofamilias. 147.

Immo gaudere minores tali priuilegio respectu cuiuscunque contractus, quo se læsos inuenerint, patet ex totis titulis De minoribus, & De in integrum restitut. digestis. Ipsumque durare vsque ad 29. annum completum, 145.

seu

seu quatuor annis supra 25. expletum, in quo desinunt esse minores, habetur ex lege vltima, Cod. De temporibus in integrum restitutionis. Quod intellige, dummodo nihil accidat, quo id impediatur: sicut impedit, quod is qui minor contraxit, ratificauerit contractum post expletum 25. ætatis annum, ex lege 1. & 2. Cod. Si maior ratum habuerit. Item, quod quis à se factum contractum iuramento confirmarit, *Etiamsi adhuc existens in minore ætate*, ex Authentic. Sacramenta impuberum. Cod. Si aduersus venditionem: vbi generaliter sic dicitur; Iuramẽta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, inuiolabiliter custodiantur.

146. ADVERTE AVTEM, cum priuilegio restitutionis in integrum, coniunctum esse priuilegium exceptionis, qua minores eum læsi fuerint, possunt se tueri aduersus petentem rem tradendam, aut solutionem debitam ex inito cũ eis contractu. Nam ex regula iuris habetur; tum in sexto regula 71. tum digestis regula 156. eum qui ad agẽdum admittitur, multo magis admitti ad excipiendum.

Aduerte 2. eodem priuilegio gaudere, tum Ecclesiam & hospitalia, aliaque similia loca; tum Rempublicam & principem quoad bona coronæ & fisci; quæ reputantur bona Reip.

Aduerte 3. cum quis beneficio restitutionis compellitur rem acceptam reddere, si acceperit donatione teneri simul restituere fructus ex ea perceptos, deductis expensis factis in illis colligendis: sin acceperit soluto pretio iusto, non teneri: quia quando persolutum est pretium iustum, contractus non censetur damnosus, potestque is cui persolutum est, sibi ex eo procurare cõmodum, quod adæquetur prædictis fructibus. Quod si non fecerit, incommodum assignandum est negligentiæ ipsius. Sin autem solutum sit quidem pretium, sed minus iusto; per remedium restitutionis in integrum repeti potest ea pars fructuum, quæ respondet rei, qua parte excedit pretium datum; vt si excedat media aut quarta parte, repeti potest media aut quarta pars fructuum: & sic de cæteris. Et ratio est, quia venditor tunc censetur læsus, non tantum in rei venditione, sed etiam in illa fructuum portione. Hæc latius tractata videri possunt apud Lud. Molinam, de iust. & iure tract. 2. disput. 573. 574. & 575.

147. SECVNDVM documentum est. Ei qui cum minore contraxit, certis quoque modis succurri. Ac primo, quod non teneatur rescindere contractum bona fide cum minore celebratum, de eo cuius idem minor, & dominium, & liberam administrationem habuit: vt censetur habuisse bonorum castrensium, eorum ve quæ ex officio militis acquisiuit: aut quasi castrensium, seu eorum quæ acquisiuit ex officio publico; puta Medici, Aduocati, Doctoris & similium. Nam cum liberam habuerit de illis dispositionem, potuit sine curatoris consensu de iisdem disponere, nisi enormem læsionem passus sit: quia tanquam prodigo cui datus est curator, concederetur, *iuxta legem Is cui bonis, ff. De verborum obligationibus*, vti beneficio restitutionis in integrum, ratione ætatis, perinde ac in aliis actibus: in quibus est grauiter læsus, vt si hæreditatem sibi damnosam acceptrauerit: aut lucrosam repudiauerit.

Secundo, quod is ipse, qui cum minore contraxit, non teneatur acceptum restituere ei ante sententiam Iudicis: nisi pretiũ quod dedit, idem minor ipsi reddat, prout tenetur de æquitate naturali, habeturque ex lege vnica De repetitionibus quæ fiunt in iudicio. Post sententiam autẽ, qua minor fuerit in integrum restitutus, sic talis æquitas manebit elisa, vt obligationem inducat ad illud tantum restituendũ, in quo minor inuenitur factus ditior, iuxta legem 1. ff. De authoritate tutorum: itaut pro eo, quod ipse consumpserit, nihil teneatur restituere, nisi dolo malo id fecerit; quo casu priuilegium ei non patrocinabitur, iuxta citatam legem vnicam in fine illis verbis. Verum & si quid dolo eius factum est; hoc enim præstare conuenit.

Tertio, quod idem qui cum minore contraxit, quantumuis non possit resilire, possit tamen non implere contractum, donec minor ipse procuret consensum curatoris, vel decretum Iudicis, ad validitatem necessarium: vel nisi contractum iureiurando confirmauerit. Nam contrahens se alioqui exponeret damno: & minor prædicta recusans censeretur mala fide agere.

TERTIVM documentum est. Puberem, aut proximum pubertati, præditum rationis vsu, sicut potest Deo per votum se obligare, & diabolo per peccatum: ita etiã posse homini per contractum ciuilem, nisi leges obstent: prout censetur, cum sic resistunt tali contractui, vt illum irritum esse velint, ac personam reddant inhabilem ad contrahendum: sicut fit in cõtractibus quibus res minoris immobiles, aut pretiosæ alienantur, sine curatoris authoritate, & Iudicis decreto. Nam per legem. Si ad resoluendam: & legem Si quidem, ac legem Si minor, Cod. De prædiis, & aliis rebus minorum, tales sunt irriti. Vnde is qui eiusmodi aliquem cum minore inierit, *quandoquid. m nullum ius acquisiuit*, tenetur ante omnem Iudicis sententiam restituere illud quod accepit: neque ad ipsum recipiendum minor opus habet restitutione in integrum: neque tenetur præstare illud ad quod obligauit se tali contractu: quoniam obligatio nulla est. 148.

Quod idem est sentiendum de contractu, quo pupillus in suum incommodum contraxit cum suo tutore. Tali enim ius resistit in lege Pupillus, in principio, ff. De authoritate tutorum. Immo & punit tutorem tali contractu acquirentem, lege Non licet, ff. De contrahenda emptione: nisi contutorem pupillus ipse habeat, de cuius consensu contraxerit, ex eadem lege Pupillus, §. 2. Videri potest Thomas Sanchez de matrimon. *lib. 6. disp. 38. nu. 25.* plures alios citans. Idem adhuc sentiendum est de contractu inito cum eo cui Iudex iusta de causa interdixerit suorum bonorum administrationem: quod idem in seq. n. 27. habet; & constare potest ex lege Is cui bonis, ff. De verborum obligationibus; vbi dicitur: Is cui bonis interdictum est, tradere non potest, vel promittendo obligare.

QVARTVM documentum est. Minores cæteris contractibus quos ineunt priuata authoritate, sine curatorum consensu, obligari in conscientia ex probabiliore sententia, in quam multos citat idem Sanchez *in eadem disput. 38. nu. 21.* & post eam Leonard. Lessius de iust. & iure *lib. 2. cap.* dubit. 8. *nu.* 61. fundatur vero in eo, quod etsi ius ciuile talibus contractibus non assistat, id est, non concedat ex eis agere in foro externo aduersus minorem, vt compellatur eis stare, eosve adimplere: illis tamen non resistit, hoc est, non ita aduersatur, vt elidat, extinguatve naturalem obligationem cõsequentem ex minoris ratione vtentis consensu in contractum celebratum de re cuius est verus dominus. Ad quod confirmandum duo faciunt. Alterum est: quod lex ipsa ciuilis interdum expresse indicet minorem ex tali contractu obligari: vt ex mutuo accepto, indicat lex. Si pupillus, ff. ad legẽ Falcidiam; & ex promissione, lex prima, ff. De donationibus. Alterum est: quod lex ciuilis obliget fideiussorem minoris cõtrahentis sine authoritatẽ tutoris aut curatoris. Textus est apertus in principio legis finalis, ff. De iureiurando. Verba enim illius sunt: Pupillus autem hoc solo defendebatur, quod tutor eius non interuenisset, &c. hoc casu fideiussorem Prætor non tuebitur. At si minor nullo modo obligaretur ex contractu: necetiam obligaretur qui in eo fideiussor factus est pro ipso: iuxta legem. Cum lex, ff. De fideiussoribus. Et ratio est, quia deficiente principali obligatione, non valet, accessoria, ex regula 178. iuris digestis. Cum igitur fideiussor pupilli contrahentis sine authoritate tutoris obligetur, pupillus ipse pariter obligabitur: ni minimum naturali obligatione. 149.

Eamdem sententiam secutus Molina de iust. & iure *tract. 2. disp. 224. sub. finem*, ex ea infert; & post eum locis citatis Sanchez & Lessius; eum qui nullo dolo aut metu, aliave simili circunstantia interuenientе, à pupillo aut minore per contractum oneroſum, *vt venditionem, permutationem, ludum, &c.* aut per donationem absque curatoris authoritate aliquid habet, ad cuius alienationem non requiritur Iudicis decretũ, nõ teneri illud restituere, interim dũ minor ipse aut tutor loco ipsius, id non repetit coram Iudice, vtens beneficio restitutionis in integrum; quia ille naturaliter, & in foro cõscientiæ tenetur stare cõ-

tractui

tractui, dum non eliditur beneficio restitutionis in integrum. Nec obstat quod per talem contractum aut donationem non transferatur dominium, iure ciuili id impediente, ex §. Nuncadmonendi, Institutis. Quibus alienare licet: quia sufficit vt habeatur ius accipiendi & retinendi, quod obligatio naturalis (*quam ius ciuile non impedire supponimus*) in proposito casu tribuit. Ita Sanchez habet in cad. *disput.* 38. *nu.* 20. *& 36. post Molinam loco citato.*

150. SED QVÆRI potest 1. An si minor nequeat absque magnis expensis petere coram Iudice restitutionem in integrum, vti possit occulta compensatione? Ad quod aliquos affirmatiue respondisse meminit Sanchez *ibid. num.* 32. Sed idem sentit contrarium esse tenendum: nisi forte læsio talis esset, quam spectatis circumstantiis ratio aperte dictaret, Iudicis sententia non expectata resarciendam esse. Fundamentum ipsius est, quod beneficium restitutionis in integrum minoribus læsis concessum non sit, vt alter teneatur ipsis ante Iudicis sententiam resarcire læsionem; sed vt minores ipsi gaudeant priuilegio, vt Iudex audita parte, possit ipsis concedere restitutionem. Et ita minor, qui ludendo perdidit, non potest ante Iudicis sententiam vti compensatione occulta: nec si priuata authoritate sibi restitui petat lucrum iam solutum, alter tenetur restituere, donec condemnetur.

151. QVÆRI potest 2. An minor possit non soluere debitum ex tali contractu: vt si lusit credita pecunia, an teneatur in conscientia eam soluere victori petenti? De qua quæstione authores in vtramq; partem *ibid. num.* 33. *& 34. Sanchez refert*: cum quo assentiri possumus iis qui negant in conscientia teneri soluere. Nam, vt ille bene argumentatur; Quoties lex humana iusta negat actionem ad aliquam rem petendam in iudicio, & concedit eiusdem rei possessori & debitori repetitionem, si soluerit licet eidem possessori rem eiusmodi retinere: quando quidem, cui actio datur ad recipiendum, eidem datur exceptio ad retinendum, iuxta regulam 71. iuris in 6. Et confirmatur, quia frustra aliquid petitur, quando ipsum statim restituendum est, ex præced. regula 59. quæ habet; Dolo facit qui petit, quod restituere oportet eumdem. Quia igitur in talem solutionem datum, statim restitui deberet authoritate Iudicis, superuacaneum esset illud dare. Quocirca obligatio illa naturalis, de qua diximus, limitanda est exceptione: nisi minor velit vti concesso sibi à iure beneficio restitutionis in integrum: ex quo potest excipere, atque rem, alioqui tradendam retinere.

152. QVÆRI potest 3. An minor semper possit pro arbitrio in istiusmodi contractibus vti beneficio restitutionis in integrum: Respondendum est, non posse, cum iuramento confirmauerit contractum: quia debet omnino seruare tale iuramentum, cum sit de re licita, quæ potest sine peccato præstari: aut certe relaxationem illius petere ratione imperfectæ ætatis; qua obtenta, liberum ei erit vti beneficio ipso restitutionis in integrum. Qua de re aliis citatis idem Sanchez *ibid. nu.* 12. *& 30. in fine.*

QVÆRI potest 4. An minor cum restituitur in integrum, ad aliquid teneatur ei qui talem restitutionem facit? Respondetur, teneri ad refundendum illud in quo factus est locupletior, Ex lege Eatenus, ff. De institoria actione; non autem illud quod amiserit, siue ludendo, siue alia ratione. Pro quo Sanchez adhuc authores ibidem refert nu. 1. Et ratio esse potest, quod priuilegium talis restitutionis sit institutum, vt minores in suis rebus non paterentur detrimentum, sed ipsis saluæ conseruarentur. Atq; ita ex Sylu. *restitutio. 2. dict 5.* soluens debitum pupillo sine tutoris authoritate, debebit iterum soluere, excepto eo in quo idem minor factus fuerit locupletior.

De filiofamilias.

SECTIO II.

153. IN filiofamilias notari potest; & quod sit minor annis & quod sit sub potestate patris: ex quo duplici capite censeri potest inhabilis ad contrahendum. Quo fit, vt ante dictis addere oporteat aliquot documenta, quibus ostendatur quatenus filius ipse familias, prout patri subiectus, possit sine eius consensu valide contrahere. Præter ea autem quæ desumi possunt ex traditis de ludo in præced. libro 10. nu. 389. ista hic occurrunt tradenda.

PRIMVM est. Filiumfamilias, si pubes sit, aut pubertati proximus (secus de infante) posse quidem libere disponere ac contrahere de bonis suis castrensibus, & quasi castrensibus: non tamen de cæteris, quæ aduentitia, aut profectitia dicuntur. Atq; in hoc Doctores consentiunt. Ratio vero prioris partis est, quod ille talium bonorum administrationem liberam perinde habeat, ac si omnino sui iuris esset. De qua re late Lud. Molina *de iust. & iure tract. 2. disp.* 230. *&* 231. Itaque Clerici, literarum Professores, Medici, Aduocati, Iudices, cæteriq; publici officiales disponere possunt libere de bonis acquisitis ex suis officiis. Posterioris autem partis ratio est, quod talia bona sint patris: profectitia quidem (id est, quæ profecta sunt ab ipso patre, vel habita eius causa, vel de eius bonis) quoad dominium directum: vnde fit, vt de eis tanquam alienis, contractus celebratus non valeat: aduentitia vero (id est, habita aliunde quam à patre, aut quam ex eius bonis) quoad vsumfructum, ob quem filium impediri de illis cõtrahere, inuito patre, habetur ex lege finali, Cod. de bonis quæ liberis, &c. in cuius §. 5. habentur hæc verba (filios autem familias in his duntaxat casibus, in quibus vsusfructus apud parentes constitutus est: donec parentes viuunt, nec de iisdem rebus testari permittimus, neq; citra voluntatem eorum, in quorum potestate sunt, vlla licentia eis concedenda, dominium rei ad eos pertinẽtis, alienare vel hypothecæ titulo dare, vel pignori adsignare.) Quod nota constitutum esse ob paternam reuerentiam: cum alioqui ex lege 2. Cod. De vsufructu, proprietate habens, possit illã alienare inuito vsufructuario. De eo vero, quod eadem lex indicat, filium familias de patris consensu posse talia bona alienare; videri potest Molina *in sequenti disp.* 261. De memorata autem diuisione bonorum in castrensia, quasi castrensia, profectitia, & aduentitia, iã diximus in lib. 4. cap. 21. sect. priore, documento 4. Vide quoq; Nauar. in Enchir. *cap.* 17. *nu.* 141. *& al. quos sequentib.*

154. SECVNDVM documentum est. Quod possit filiusfamilias pubes sub patris potestate existens, nõ tantum naturaliter (*tanquam præditus libertate voluntatis*) sed etiam ciuiliter, se obligare per promissiones, & quosuis contractus non redundantes in patris, vel alterius præiudicium. Hoc aperte habetur ex § Item inutilis. Institutis, De inutilibus stipulationibus: cum dicitur, Seruus non solum domino suo, sed nec vlli obligari potest: filij vero familias aliis omnibus obligari possunt: & ex lege 57 ff. De iudiciis, cum dicitur, Tam ex contractibus, quam ex delictis in filiumfamilias competit actio: & ex lege 39. ff. De actionibus & oblig. cum dicitur, Filiusfamilias ex omnibus causis, tanquam paterfamilias obligatur: & ob id agi cum eo, tanquam cum patre familias potest: Quod si filiusfamilias impubes sit, ne de patris quidem consensu potest contrahere, vt satis indicat quod Institutis, eodem titulo, §. Sed quod, his verbis habetur. Sed qui in potestate parentis est impubes, ne authore quidem patre obligatur. Id quod verum esse, licet bona quæ contrahendo alienaret, essent castrensia, aut quasi castrensia, notat Molina *in eod tract. 2. disput.* 230. §. *Licet filiusfamilias*. Id ipsum vero intelligendum esse de obligatione ciuili, non item de naturali, si filiusfamilias sit proximus pubertati, rationis vsum habens sufficientem ad contrahendum, admonet Thomas Sanchez *in sequenti disput. 39. num. 2. in fine.*

155. TERTIVM documentum, *quo præcedens restringitur*, est. Quod filiusfamilias, etiam pubes, non obligetur ex mutuo, nec ex voto. Ac de mutuo constat ex toto titulo, ff. ad Senatusconsultum Macedonianum: illique æquiparatur in eo quilibet contractus alius factus credita pecunia, prout idem Sanchez adnotat in sequenti nu. 4. Veruntamen casus aliquot dantur, in quibus id non habet locum, relati à nobis *in præced. lib. 20. n. 36.* & plenius tractati à Lud. Molina *de iust. & iure tract. 2. disp.* 301. Eos hic repetere non videtur necesse: præsertim cum illud Senatusconsultum Macedonianũ non liberet filiumfamilias ab obligatione naturali, qua tenetur in conscientia mutuo acceptum

soluere

soluere, *prout bene docet Couarr. ad regulam Peccatum, par.2.§. 3.num.4.* sed solum mutuanti neget actionem in foro externo: quod est tantum non assistere contractui; non autem resistere, destruendo illius obligationem naturalem.

De voto vero, quod filiusfamilias nec obligetur, constat ex lege 2. §.1. De pollicitationibus: cuius verba sunt. Filiusfamilias, & seruus voto sine domini, patrisve authoritate non obligantur. Quod tamen sic intelligendum est, vt sensus sit, non obligari irreuocabiliter: sed itaut pater possit reuocare filij votum personale, ante pubertatem emissum: reale vero post pubertatem emissum, de iis quæ fuerint sub eiusdem patris potestate, nec alienare potuerit, nisi in eiusdem præiudicium, iuxta communem doctrinam de voto traditam in præced.lib.18.cap.21.sect. quarta.

156. QVINTVM documentum est. Contractum, quo filiusfamilias suas operas artificiales locat alteri inuito patre, validū censeri. Ratio est, quia ille non debet huic operas suas artificiales, nisi cum eo viuat, aut ab eo alimēta accipiat. Alias enim ei debet tantū ex pietate operas obsequiales, quæ consistunt in exhibitone honoris & reuerentiæ, ac in subuentionis patientium necessitatem. Confirmatur autem hoc documentum ex lege penult. ff. De obsequiis, per illud, Pietatem liberi parentibus, non operas debent. Pro eoque plures authores Sanchez refert *in memorata disput.39.num.5.* Vnde sequitur, quod idem pluribus quoq; citatis habet in præced.nu.patrem non posse amouere filiumfamilias puberem, qui se obligauit ad ministrandum alicui certo tempore.

Sequitur item, quod aliis citatis habet Ferdinandus Rebellus. *De obligation.iustitiæ & religionis par.2.quæst.8.nu.* 32. filiumfamilias, si pater non egeat ipsius opera, posse à paterna domo discedere, ad quærendum aliquod vitæ honestæ genus, præsertim petita facultate, quam pater ei denegare non potest: quia id nihil esset aliud, quam hominem liberum cogere seruitutem seruire, contra legem 2.ff. Si quis à parente fuerit manumissus. Accedit quod in lege finali, ff. De liberis exhibendis, aperte filius dicatur liberam facultatem abeundi, vel remanendi habere. Vnde inferri potest illud quod idē, *aliis adhuc citatis*, subiūgit, fas esse filiofamilias inuitis parentibus operam literis nauare; neq; in eo, ab illis sine rationabili causa (*qualis esset, quod ineptus aut negligens inueniretur*) impediri posse: nec necessaria negari, si possint commode suppeditare. Atq; quod in hac re, de filiofamilias dicitur respectu patris; eadem ac etiam maiore ratione intelligendum est respectu matris. Quod vero attinet ad ea quæ filiusfamilias lucraturipsa locatione suarum operarum, cum (*si nec castrensia, nec quasi castrensia fuerint*) rationem habeant bonorum aduentitiorum, vsusfructus eorum spectabit ad patrem, in cuius proinde potestate debebit tradere ea quæ sibi supersuerint vltra necessaria ad proprios vsus.

157. QVINTVM documentum est, Donationes, filiis vtriusq; sexus factas à patribus; aut contra, patribus factas à filiis, quamdiu hi fuerint sub illorum potestate, esse regulariter inualidas. Hoc habent *Sylues. in verbo Donatio 2. quæst.7.& Nauar.in Enchir.cap.17.nu.145.* Et probant: quia pater & filius tunc ciuiliter pro vna & eadem persona reputantur, ex lege vltima Cod. De impuberum, & aliis substitutionibus.

Aduerte autem primo, istud non habere locum, *prout ex Gomesio habet Lessius de iust. & iure lib. 2. cap. 18. nu. 90.* in donationibus patris in filium emancipatum, nec in filium spurium: necitem in donationibus matris in filium: nec in donationibus filij in patrem vel matrem, factis de bonis castrensibus, aut quasi castensibus: quia in talibus non interuenit impedimentum patriæ potestatis, quæ tantum est patris respectu filiorum suorum legitimorum circa bona, quorum ipsi non habent liberam dispositionem.

Secundo aduerte; illas ipsas donationes, quas dicimus inualidas, confirmari morte donantis, non item morte donatarij. Eadem enim est ratio earum, atq; earum quæ fiunt inter virum & vxorem de quibus expresse tale quid statuitur in Cap. finali, De donationibus inter virum & vxorem, & in lege Cum hic status, §. 10. ff. eodem tit. Intelligendum est autem, dummodo eæ non impediant, ne alij filij accipiant suas legitimas partes, prout Nauar. *in seq. nu* 147. addit per legem 1. De inofficiosis donationibus: & legem vnicam De inofficiosis dotibus. Item dummodo non fiant in quantitate iure prohibita: vt cum quis donat omnia sua bona, tam futura, quam præsentia: quod reprobatur lege Stipulatio, hoc modo, ff. De verborum oblig. cum tollat potestatem testandi contra mores, quos decet esse in repub. bene instituta. Quamquam tamen illud non est censendum de se illicitum; cum non sit dubium, quin officium pietatis sit, & Christi consilium; vt suam personam, sic & omnia sua bona, etiam futura monasterio tradere. Pro quo Couarr. ad rubricam de testamentis par. 2. num.13. multos citat. Item quantitas est iure prohibita, cum quis sine insinuatione, seu declaratione suæ mentis facta Iudici, donauerit vltra 500. solidos, ex lege penult. sub finem, Cod. De donationibus. Id quod, vt breuiter cōcluimus, tractatum relinquemus videndū apud Lessium de iust. & iure *l.b.2.cap.18.dubit.13.* contenti obiter monere, tum quod ille ex Iulio Claro habet, 500. solidos æquiualere 700. scutis Hispanicis, aut vt alij volunt 750. tum quod is cui vltra summam illam donatum est, possit excessum etiam ipsum retinere: quia lex non reddit ipsum inhabilē ad retinendum: sed donatori facit potestatem pro arbitrio repetendi: quod quamdiu non facit, non est obligatio restituendi, quia scienti & consentienti non fit iniuria.

Aduerte tertio, additam esse documento particulam (regulariter) ob casus, *quos loco citato num.145. & 146. Nauarrus refert addita probatione*, in quibus valida est donatio patris facta filio. Primus est; cum donat in dotem, aut propter nuptias. Secundus, cum mobilia dat filio eunti ad bellum. Tertius, cum donat vsumfructum quem habet in bonis aduentitiis filij. Quartus, cum pro meritis & seruitiis filij, tantum ei pater dat, quantum daret extraneo. In dubio autem, *addit Nauar.* præsumendum est donasse ob merita, si ea præcesserint donationem: sique non præcesserint, donasse ob meram liberalitatem. Addit præterea, validam adhuc esse talem donationem in omnibus casibus, in quibus (*prout post dicetur*) valet donatio facta à marito vxori, vel ab vxore facta marito: quos refert idem Nauar. in seq. num.149. & 150.

De vxore.

SECTIO III.

158. QVATENVS censeatur vxor inhabilis ad contrahendum sine consensu mariti, vt indicetur; præter constituta particularibus legibus locorum, *de quibus respondere proprium est Aduocatorum*, seruire possunt aliquot communia documenta.

PRIMVM est. Contractum inualidum esse quem sine mariti consensu, saltem tacito, vxor celebrauerit circa bona quorum non habet administrationem. Hoc in Hispania lege sancitum, & in Gallia vsu receptum esse habet Couar. *in Epitome 4.decret.par.2.cap.7.§.1.n.3.* Et ratio est, quia id alioqui cederet in mariti præiudicium. Qua de causa, *vt addit Couar.* ne si quidem talis contractus iuramento confirmetur, validus erit: quia iuramentum non firmat contractum in præiudium alterius, quam contrahentis, ex Cap. Cum contingat, de iureiurando.

Quoad ea vero bona, quorū habet administrationem (eorum scilicet quæ cum iniret matrimonium, sibi excepit, reseruauit ve sibi eorum dispositionem) vxor de iure communi, vt notat Molina de iust. & iure *tract.2.disput.* 343. §. *De vxore*, potest celebrare contractus, atque agere, ac defendere se in iudicio, saltem per procuratorem (eadem ratione nimirum, qua potest filiusfamilias quoad bona sua castrensia, aut quasi castrensia) eo quod habeat illorum administrationem.

SECVNDVM documentum est. Si maritus & vxor cum aliquo tertio contractum celebrent, eo ipso illum censeri facultatem huic dare ad eum celebrandum. Hoc ex se notissimum esse. Molina cōsequenter notans, *citatis*

aliquot

aliquot legibus ciuilibus; addit, maritum censeri quoque vxori dare facultatem contrahendi, si eam exponat alicui negotiationi, aut administrationi, aut ea in ipsius præsentia contrahat, ipseque taceat.

TERTIVM documentum est. Validum esse contractum vxoris in ipsius vtilitatem celebratum sine expressa viri facultate; eo quod is absens sit; siquæ præsens adesset, verosimile est quod illum approbaret. Hoc quoque addit consequenter Molina, & probat à pari, quia perinde vxor potest in suam vtilitatem cum alio contrahere sine mariti authoritate, ac minor potest sine authoritate Tutoris aut Curatoris, contrahendo sibi alterum obligare in propriam suam vtilitatem, iuxta antedicta in sect. 2.

QVINTVM documentum est. Donationes factas inter coniuges, regulariter non esse firmas: sed à donantibus ante mortem suam posse reuocari pro arbitrio. Hoc habetur ex Cap. finali, De donationibus inter virum & vxorem; & ex lege 1. 2. & 3. ff. eod. titulo. Quibus in locis ratio talis prohibitionis hæc redditur, ne coniuges mutuo amore se bonis suis spolient. Sic ergo maritus illud quod donauerit vxori, potest vendere, & pretium in cõmune conferre, non minus quam si non donasset. Admittit autem documentum hoc varias tum extensiones, tum restrictiones, & exceptiones, quas copiose & erudite persequitur Thomas Sanchez *in toto fere lib. 6. De matrimonio*: ad cuius sacramenti tractationem spectant potius, quam ad hunc locum.

De Religioso.

SECTIO IV.

159. INHABILITAS Religiosi ad valide contrahendum ex eo pendet, quod is non sit sui iuris: sed Prælato suo subsit, arbitrio ipsius regendus. Quod tamen non obstare, quin per promissiones, honestasque conuentiones ipse possit obligare se homini, patet à simili. Nam potest per votum obligare se Deo, ex recepta D. Thomæ sententia 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 8. *ad* 4. Vnde poterit pari ratione obligare se homini: quandoquidem similiter ad vtrumque requiritur & sufficit in efficiente liber vsus rationis. Quanquam eadem subiectio facit, ne talis obligatio sit tam firma, quin valeat irritari à Prælato, cui subiicitur ille qui se obligauerit. Facit etiam, *quod amplius est*, vt si ex propria persona Religiosus contrahat, conuentionemve honestam cum alia persona ineat sine consensu, saltem præsumpto, sui Prælati (& multo magis si prælato ipso rationabiliter contradicente) nulla sit obligatio, prout licet deducere ex Cap. Monacho. 20. quæst. 4. Et ratio est, quam tangit loco citato D. Thomas: quod in contractibus, & aliis conuentionibus eorum qui subsunt alienæ potestati, intelligatur debita conditio: Si superioribus suis placuerit, vel illi non renitantur.

Quæ ratio etiam ostendit, valere contractum, aut conuentionem Religiosi factam sub Prælati sui beneplacito. De quo antequam constiterit, non tenetur obligationem implere: tenetur autem vbi de illo constiterit, aut saltem præsumi poterit probabiliter. Citra quam probabilitatem, implendo eandem obligationem, peccaret: multoque magis si Prælati voluntatẽ in contrarium esse cognosceretur, aut probabiliter præsumeretur: prout, *nisi obstet manifesta ratio*, præsumi debet, cum statuta Religionis expresse prohibent iniri conuentiones, per quas Religiosi se obligent absque expresso consensu Prælati sui. Aduerte vero quod habet Molina in eodem *tract.* 2. *disp.* 140. §. *Potius distinguerem*: quod si taliter contrahendo conuentionemve ineundo, aliqua iniustitia interueniat ex parte Religiosi, per quam contrahens cum ipso damnum aliquod patiatur, ipse ad eiusdem damni restitutionem obligetur ex delicto, perinde ac si furatus esset. Quam obligationem status Religionis, *etiamsi plerumque impotentia excuset à culpa non implentem* minime tollit. Quocirca debet curare, vt si aliquid possit habere quod Prælatus suæ liberæ dispositioni relinquat, inde satisfaciat.

Cæterum si Religiosus non ex propria persona, sed nomine Prælati, aut Conuentus aliquid promitteret, aut celebraret contractum aliquem ratione alicuius administrationis aut negotij sibi à Prælato, vel Conuentu expresse, aut tacite commissi; ac exigentis talem promissionem aut contractum fieri (vt quando constitutus esset temporalium rerum procurator) nasceretur inde obligatio, cui Prælatus ipse, aut Conuentus satisfacere teneatur. Nam eo ipso quod illi negotium commisit, censetur tacite cõsensisse in contractus, quos idipsum negotium rationabiliter postulauerit, ac si eosdem celebrandi facultatem dedisset. Ita ex Innocent. & Panormit. habet Molina *loco citato*, §. *Item ex contractu*.

De Prodigo.

SECTIO V.

160. DICITVR prodigus, is qui inconsulte dissipat patrimonium suum. Ei autem causa cognita solet à Iudice curator dari, & administratione bonorum suorum interdici. Quod vbi factum fuerit, ipsum non posse contrahere: immo nec posse facere testamentum aut codicillos, habetur ex lege Is cui bonis, ff. De verborum oblig. & ex lege prima, Cod. De curatore furiosi & prodigi: in qua prodigus æquiparatur furioso, quem constat ex natura rei contrahere non posse, vtpote carentem vsu rationis, & consequenter consensu libero, ad contrahendum necessario: nisi forte habeat lucida interualla: tunc enim per ipsum gesta quo tempore sanæ mentis est, habentur rata, iuxta legem Cum furiosus, ff. De Iudiciis. Iam cum eiusmodi leges contractibus prodigi resistant, ille qui ab eo aliquid habuerit ex donatione, tenetur in conscientia id ipsum reddere, quia donatio fuit nulla; legescilicet reddente prodigum ipsum inhabilem ad alienanda sua. 163.

Quod eum vero prodigum, cui non est à Iudice bonis interdictum; is peccat quidem male dissipando substantiam suam: non tamen contra iustitiam, ex qua sit obligatio restituendi acceptum ipso donante: sed solum contra liberalitatem, quæ non inducit obligationem restituendi, nisi exerceatur cum alterius damno.

Quod autem valide contrahere possit, sententia est communis; quia iure ciuili non impeditur in eo, donec sit ei à Iudice bonis interdictum. Nec item iure naturali, quia prodigalitas non tollit rationis vsum, nec consensum liberum in contractum. Hincque est, quod solet discrimen inter prodigum, & furiosum constitui: quod prodigus non ipso iure, sed sententia Iudicis priuetur administratione bonorum suorum; furiosus vero priueturipso iure. Non negarim tamen tales interdum interuenire circumstantias, ex quibus vir prudens iudicet, turpe ac peccatum esse, sic accepta retinere.

De Seruo.

SECTIO II.

161. SERVVS aut mancipium, aut famulus. Ac de illo, quatenus sit inhabilis ad contrahendum, intelligi potest ex regula 32. ff. de regulis iuris: qua dicitur; Quod attinet ad ius ciuile, serui pro nullis habentur: non tamen & iure naturali, quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines æquales sunt. Ex quibus verbis deducitur, quod cum status mancipij pro nullo habeatur in iure ciuili, pariter pro nullis in eodem iure haberi promissiones, aliosve contractus ab homine talis status cum quouis alio initos. Quod quidem intelligendum est, nisi initi fuerint de iis, quorum liberam dispositionem dominus illi concesserit: eo modo, quo diximus *in* 1. *parte lib.* 4. *cap.* 21. *sect. priore, documento* 3. & tradit Molina de iust. & iure *tract.* 2. *disp.* 277. §. *mancipium*. Eadem vero verba aperte indicant, hominem eiusmodi status posse iure naturali contrahere obligationem, per quam ratione virtutis (fidelitatis nimirum, quæ communis est tam seruo, quam liberis) teneatur sub peccato datam fidem seruare, quoad poterit, sine præiudicio obsequij & obedientiæ debitæ domino suo: præsertim cum, *vt habetur lege* 1. *De pactis*, nihil magis rationi ac fidei humanæ congruat, quam fidem datam præstare.

161. DE FAMVLO autem; is in hac re consideratur, potest, vel vt Institor, vel vt Procurator. Dicitur vero Institor in

iure

iure, is qui alicui negotio præpositus est ab alio: Istiusmodi sunt, tabernarij quibus domini vtuntur in vendendis, aut emendis vino, aut frumento, aut panno, aliisve mercib. sunt etiam illi quibus dantur vestes circũferendæ. Itemq; mulionum seu rhedariorum, aut nautarum præfecti, per quos ditiores mercatores, suas negotiationes exequũtur. Tenendum est vero in hac re de Institore, eum à quo præficitur in suis negotiis, tantum obligari ex contractibus quos celebrauerit in negotiis illis, quibus fuerit præpositus. & secundum conditiones illis adiunctas ab eo qui ipsum præfecit. Cui obligationi locum esse, etiamsi initus fuerit contractus post reuocationem eiusdem Institoris; nisi ea sic publice proposita sit, vt nemo queat se excusare de illius ignorantia. Ita habetur ex lege Sed etsi pupillus, ff. De institoria actione, §. Proscribere; vbi statuitur eiusmodi reuocationem proponendam esse palam, claris literis, vnde possit de plano recte legi: ante tabernam scilicet, vel ante locum, in quo negotiatio exercetur: nõ quidem loco remoto, sed euidenti, atq; literis ibidẽ vsitatis, ne quis causari possit earum ignorantiam, aut se non obseruasse, quod publice positum erat, & passim legebatur.

163. De Procvratore notandum est. Primo, dici eum qui aliena negotia mandato domini administrat; atque ex contractibus per ipsum celebratis, obligare illum à quo est constitutus; nisi quod vltra ei datum generale mandatum, interdum speciale requiratur: vt in matrimonio, ex Cap. vlt. de Procuratoribus, in 6. neq; talem obligationem impediri Procuratoris reuocatione (*etiamsi de se rim habentereddendi irritum, quod gestum fuerit, iuxta Cap. Ex parte Dexani, De rescriptis*) nisi ea intimata sit illi: ac etiam aliis quorum interfuerit: deducitur ex Cap. Mandato, De Procuratoribus. Ad quod faciunt etiam, lex Si mandassem, & lex Inter causas ff. Mandati.

Notandum est secundo. Si Dominus qui Procuratorem sibi constituit, moriatur; gesta per hunc post illius mortem, quantumuis eam ignorarit; non valere. Est enim regula generalis: Quod mandatum re integra, soluatur morte mandantis; ex lege Mandatum, Cod. Mandati. Quã aliis citatis Thom. Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 6. n. 9.* bene monet pati exceptionem, cum mandatum fuerit ad pias causas: vt si quis alicui mandaret certam eleemosynã largiri: atq; re adhuc integra mandans decederet. Fauore enim causæ piæ, mandatum non censeretur expirare obitu mandantis; ideoq; eleemosyna esset largienda. In confirmationẽ argumento à pari adfertur lex Si pater, in principio, ff. De manumissis vindicta: ex qua habetur, fauore libertatis, mandatum non expirare mandantis morte.

Videretur dictis addendum aliquid de iis qui crimen admiserũt propter quod lex ipsorum bona addicit fisco: ac de iis qui non sunt soluendo. Sed de illis sufficere nobis possunt habita in præcedente lib. 13. nu. 289. De his vero, habita in lib. 10. cap. 17. num. 238. & aliquot sequentibus, & in sequenti cap. 18. num. 251.

TRACTATVS II.

De mutuo.

QVIA vsuræ primaria sedes est mutuum, fit vt iidẽ authores qui de illa agunt, pariter agant, de eo. Aliquot retulimus in præced. lib. 23. sub initium quarti capitis; In iure ciuili habetur de eo titulus, Cod. De rebus creditis. Ipsum autem considerabimus primo, secundum se, deinde, in ordine ad vsuram, ac postremo, in ordine ad causas, lucrum in eo factum excusantes ab vsuræ macula.

CAPVT X.

De mutuo secundum se.

SVMMARIVM.

164 *Varia mutui acceptio.*
165 *Definitio mutui cum explicatione singularum partium.*
166 *Differentia mutui à cæteris contractibus ex diuersitate materiæ.*
167 *Alia differentia ex diuersitate effectus.*
168 *Diuisio mutui in expressum & tacitum, seu palliatum.*
169 *Aliæ diuisiones eiusdem.*
170 *Vt mutuum sit licitum, quis illud dare, de quo dari, & cui dari debeat.*
171 *Cur item, & quomodo, quando, ac quo ordine, & vbi dari debeat.*
172 *Quæstio, an mutuum dare, sit in præcepto.*
173 *Verba Christi Lucæ 6. Mutuum date; continere præceptum: & quando idipsum obliget.*
174 *Obligationes quæ ex parte mutuantis oriuntur ex mutuo, & aliæ quæ ex parte mutuatarij.*
175 *De actione quæ oritur ex mutuo: cui & quando competat.*
176 *Priuilegia infirmantia obligationem & actionem ex mutuo.*
177 *Quomodo accipiendum sit priuilegium non soluendi mutuum.*
178 *Quatenus Ecclesia vel ciuitas teneatur soluere mutuum suo nomine acceptum.*
179 *Si pecuniæ valor creuerit edicto Principis, mutuatam esse restituendam secundum illum, quem habet tempore solutionis.*
180 *Quomodo licitum sit mutuo dare pecuniam rustico, quam soluat in frumento.*
181 *Non est mutuum, dare vnam omem, aut aliam eiusmodi rem vt postea similem & æqualem recipias, nec dare pecuniam, vt eandem numero recipias.*
182 *Cum crescit mensura vini, tritici, & aliorum similium, mutuum de eis factum, restituendum est in mensura, in qua fuit datum.*
183 *Si mutuum datum in vino, tritico, aut alia eiusmodi re, restituatur in pecunia; secundum cuius temporis, aut loci æstimationem faciendasit restitutio.*
184 *Oppositæ sententiæ de dubio, in qua mensura, pondere, & numero debeat mutuum restitui, quando pretium mutatum est.*
185 *Quid ea de re tenendum sit.*
186 *Licitum est vinum, aliamque eiusmodi rem quo tempore carior est, mutuo dare, restituendam in æquivalenti valore.*
187 *Quatenus liceat, aut non liceat, dato mutuo veteri frumento alio ve eiusmodi, pacisci vt restituatur nouum.*
188 *Quid sit tenendum de mutuatione pecuniæ, cuius valor probabiliter creditur minuendus Principis, aut Reipublicæ statuto.*

MVTVVM dupliciter sumitur, vno modo generaliter, vt cum de commodatione dicitur in lib. 4. Regum cap. 4. illis verbis, Vade, pete mutuo, *id est, commodato*, ab omnibus vicinis tuis vasa non pauca; vt & illis, in sequent. cap. 6. Et hoc ipsum mutuo, *id est, commodato* acceperam. Altero modo sumitur proprie, prout distinguitur à commodatione, & ab omnibus aliis contractibus: sicque adhuc dupliciter; vno modo, pro actione mutuandi, altero modo, pro obiecto eiusdem actionis, seu pro re, quæ apta est mutuo dari, vel quæ mutuo datur: vt pecunia, vinum, frumentum, & aliæ eiusmodi res quæ dicuntur vsu consumptibiles, in hoc à cæteris differentes, quod vsus earum non distinguatur ab ipsarum consumptione, cæterarum vero distinguatur. 164.

Ex qua differentia tres aliæ sequuntur. Prima est; vt his posterioribus vti possumus, ipsis non consumptis: vt patet ex vsu agri, equi, domus, & aliarũ similium rerum: non possimus vero illis prioribus, vt patet ex vsu vini, olei, tritici, & aliarum huiusmodi, ac etiam pecuniæ, cuius consumptio consistit in alienatione: itaut ipsam consumi vsu, sit illius dominium transferri in alium. Secunda differentia, vt posteriorum vsus possit transferri in alium sine dominij translatione: qui enim alicui dat equum vtendum, non facit illum eo ipso equi dominum: priorũ vero vsus nequeat transferri in alium, quin simul transferatur earum dominium: itaut quicunque alicui vinum dat vtendum, eundum faciat vini dominum. Tertia differentia est, quod vsus rerum prioris modi, nullam habeat

æstimationem, neque veniat in contractum sine substantia earundem: vsus vero cæterarum rerum, aliquid per se valeat absque ipsarum substantia, itaut illa sine hac in contractum venire possit: vt patet in locatione equi, domus & similium. Cæterum, hic de mutuo disserimus, prout est actio quædam, & cõtractus à cæteris distinctus, qui ex parte dantis quidem, liber gratuitusq; est: sed ex parte recipientis est obligatorius: inducit enim obligationem tantum reddendi, quantum est acceptum. De eo autem, secundum se dicendum est, 1. quid sit, 2. quotuplex sit, 3. num sit in præcepto, 4. quænam obligatio & actio ex eo oriatur, postremo, quid respondendum sit ad quædam dubia quæ de eo mouentur.

Qvæstio I.

Quid sit Mutuum.

165. DEFINIRI potest Mutuum (*congruenter iis quæ de illo habentur sub initium tituli, quibus modis re contrahatur obligatio. Inst. & in lege 1. ff. De actionib. & obligationib. §. 2. & in principio legis Mutuum ff. De reb. creditis*) contractus, quo rem nostram in numero, vel pondere, vel mensura consistentem, damus alteri, vt reddat nobis post lapsum temporis aliam eiusdem generis. Cuius definitionis prima pars, *contractus*, indicat, ad quod rerum genus Mutuum pertineat. Secunda, *quorem nostram*, indicat, quod dans mutuo, debeat esse dominus eius quod dat: aut certe vice domini illud dare, tanquam seruus, aut filius, aut Procurator, aut administrator, aut tutor, aut curator, iuxta citatam legem Mutuum, §. penult. Tertia pars, *in numero, vel pondere vel mensura consistentem*, distinguit mutuum à cæteris contractibus, qui versantur in aliis rebus.

166. Pro illius autem intelligentia aduerte, *quod iam ante insinuauimus*, duo esse rerum genera: vnum earum quarum vsus est consumptio ipsarum, talesque dicuntur consistere, vel in numero, vt numismata, poma, pira, & similes: vel in pondere, vt panis, caro, aromata, & aliæ quæ ponderari solent: vel deniq; in mensura, vt vinum, oleum, grana, & aliæ id genus, siue liquidæ, siue aridæ. In quibus omnibus mutui natura versatur. Alias vero res esse, quarũ vsus non est consumptio earum, etiamsi ad hanc tandem disponat, prout contingit in ædibus, vestibus, equis, & aliis eiusmodi reb. quæ vsu quoad substantiam attenuantur vel redduntur debiliores, aut deteriores, in quibus mutuum non versatur regulariter, sed commodatum, vel alius contractus. Dico regulariter, quia iuxta legem Rogasti, ff. De rebus creditis, tales res possunt tenere locum pecuniæ, vt cum quis non habens pecuniã, mutuo petenti 10. aureos dat vestem tantũdem valentem, ex qua illos sibi comparet: quod est vestem non cõmodato, sed mutuo dare, cum nõ detur ad vsum vestis, hoc est, ad induendum, sed ad vsum pecuniæ, id est, ad distrahendum illam. Sicut ex aduerso, si pecuniæ, & aurei nummi, vel frumentum, aut vinum dentur alteri, non vt ea consumat, sed alia de causa: puta ad ostentationem, vel in pignorationẽ aut ad sanitatẽ, vt cum dantur alicui aurei nummi, vt eos manu tractet, ponat in iusculo: & vina, aut grana traduntur recondenda in domo, vt ea fit salubriora: talis traditio non habet rationem mutui, sed commodati, si gratis fiat, vel locationis, si fiat pretio & mercede.

167. QVARTA pars, *damus alteri*, significat quod res per mutuum transeat reuera in dominium mutuatarij: separatque mutuum à pignore, deposito, hypotheca, commodato, & locato, in quibus dominium non transit in alium. Fũdatur vero hæc pars in eo, quod res, quæ mutuo datur, sit vsu consumptibilis, in qua dominium ab vsu separari non potest, & ideo non potest vsus illius per mutuum cõcedi, nisi concedatur ei dominium. Id quod indicatur per illud quod habetur in memorata lege Mutuum, §. 2. appellatam esse mutui dationem ab eo, quod de meo tuum fiat. Cuius sensus est, per mutuum rem ita fieri mutuatarij, vt sua sit, ac possit ea vti tanquam propria.

Quinta pars, *vt nobis reddat*, ponitur ad distinctionem donationis, qua dominium rei transfertur in alterum liberaliter, & sine obligatione illam restituendi.

Sexta pars, *post temporis lapsum*, additur, ad distinctionem cambij, in quo pro re data, statim restituitur alia, vt pro aureo nummo, nummi argentei: ad distinctionem item permutationis, in qua si equus detur pro boue, ille qui equum accipit, tenetur statim, non autem post temporis lapsum, bouem reddere.

Vltima pars, *aliam eiusdem generis*, indicat distinctionem mutui à commodato, & locato, in quibus redditur idem specie, non autem genere tantum, quod fieri nequit in mutuo: vtpote consistente in rebus, quarum vsus est consumptio ipsarum: ac quæ non possunt consumptæ restitui eædem specie, sed tandum eædem genere; nimirum pecunia pro pecunia, vinum pro vino, frumentum pro frumento & sic de cæteris. Hinc initio eiusdem memoratæ legis Mutuum, dicitur: Mutuum damus recepturi, non eamdem speciem quam dedimus, *alioqui commodatum erit aut depositum*, sed idem genus. Vbi aduerte Iurisconsultos vocare idem specie, quod Philosophi, & cum eis Theologi vocant idem numero, seu in indiuiduo, & vocare idem genere, quod Theologi & Philosophi vocant idem specie. Vtrique autem volunt significare, in mutuo non esse restituendam eam ipsam rem quæ accepta est, *vt fit in commodato, & deposito, aut locato*, sed aliam illi parem in substantia, intrinsecaque qualitate seu bonitate, ac tantumdem in numero, pondere vel mensura: hoc est, pecuniam æque bonam, frumentum æque bonum, &c. in ea quantitate in qua acceptum fuit. Atque hinc est, quod res quæ sub mutuum cadunt, suntque vsu consumptibiles, dicuntur functionem recipere, vt sensus sit, quod aliæ omnino similes possint eis substitui, tanquam functuræ sufficienter vice ipsarum.

Qvæstio II.

Quotuplex sit Mutuum.

168. MVltifariam diuiditur mutuum. Primo quidem, ex parte modi quo datur, in expressum, & tacitum. Illud est, in quo aperte seruantur quæ ad illius naturam & rationem spectant, iuxta definitionem ante expositam: hoc vero, in quo eadem quasi velantur. Vnde dicitur mutuum palliatum: quia si formam externam, & verba contrahentium spectes, mutuum non est, sed alius contractus: si vero spectes formam latentem, & mentem contrahentium, est verum, aut saltem præsumptum mutuum: vt cum quis rem aliquam pluris, quam soleat carissime vendi; ideo vendit, quod non ante aliquot menses habiturus sit solutionem. Talis enim rem ipsam, quam dedit loco pecuniæ mutuandæ, præsumitur eo fine dedisse, vt pretium acciperet loco sortis; id vero quod in eo excessiuum est, exigeret loco actuarij: prout est casus in cap. In ciuitate, De vsuris.

169. Diuiditur 2. mutuum ex parte rei, quæ mutuo datur: quod *iuxta traditam præced quæst.* aliud sit rei consistentis in numero, aliud rei consistentis in pondere, & aliud consistentis in mensura.

Diuiditur 3. ex parte temporis; quod vel detur ad tempus definitum, vt v.g. vsq; ad Calendas Augusti, vel detur ad tempus indefinitum, vt ad dem mei obitus, vel donec veneris ad pinguiorem fortunam. Eodemque pertinet; quod aliud ab initio robur suum obtineat, aliud vero pendeat ex futuro euentu; vt si tibi dem aliquot nummos sub certa conditione, quæ si euenerit, tui sint, sin minus, sis mihi pro illis obligatus ex mutuo: vt est casus in lege Proinde, ff. De rebus cred.

Diuiditur 4. parte personarum, quod vel detur in gratiam, & bonum tantum mutuatoris, vt cum quis non indigenti mutuo dat suas pecunias, ad vitandas occasiones male perdendi eas: vel in bonum tantum mutuatarij, vt cum diues mutuat pauperi, ad subleuandam ipsius necessitatem: vel demum in bonum vtriusque, vt cum vestem habeo venalem, ac tibi à me petenti mutuum, trado eam vendendam pro pecunia quam postulas: vt in lege Rogasti, ff. De reb. cred. Diuiditur denique ex parte circunstantiarum in licitum, & illicitum: quorum istud est, in quo seruantur omnes debitæ circunstantiæ; hoc vero in quo non seruantur.

DEBI-

170. DEBITÆ autem circumstantiæ sunt, quæ indicantur his vocibus, *quis, quid, cui, cur, quomodo, quando, quo ordine, quæue loco.* Primam igitur, *hoc est, Quis,* mutuum requirit: quia non debet is, qui pro se, & suis eget, dare mutuum quandoquidem ordinata charitas incipit à se ipso: sed mutuans debet habere superfluum, vel naturæ, vel status: quod est habere vltra id, quod ei necessarium est ad suam, & suorum vitam sustentandam, vel ad decentis status sui conseruationem. Excipitur tamen casus extremæ, aut grauis necessitatis, in quo subueniendum est proximo, si non cum pari sua necessitate, certe cum aliqua sua incommodo munem doctrinam de eleemosyna.

Secundam circumstantiam, *hoc est, Quid,* mutuum requirit: quia nemo potest licite alienum, aut inique acquisitum, vel retentum mutuo dare, saltem inuito domino: cuius rem contrectare cõtra voluntatem ipsius, peccatum est, & maxime in mutuo, in quo res aliena contrectatur à duobus. Præterea non debet quis mutuo dare quod fuerit omnino necessarium vitæ suæ, vel suorum.

Tertiam, *hoc est, Cui,* mutuum requirit; quia non est cuiuis dandum mutuo, sed indigenti, quia mutuare non indigenti, vitiosum esset, maxime si tu ipse, vel tui egeant. Deinde, non est mutuo dandum illi, quem scis abusurum re mutuata: quia id esset concurrere ad peccatum alienũ. Et quidem indigenti dandum est mutuo, siue is sit fidelis, siue infidelis, siue Catholicus, siue hæreticus, aut excommunicatus, siue amicus, siue inimicus, siue bonus, siue malus, siue iustus, siue iniustus, siue peccator, siue sanctus. Nam hæ personarum conditiones non reddunt de se illicitam mutationem, quia tales per eas non desinunt esse proximi nostri, quibus necessitate, *præsertim extrema,* laborantibus subueniendum est: itaut infideli presso extrema necessitate, potius quam fideli communi tantum necessitate laboranti, sit mutuandum, & ita de aliis conditionibus. Si vero tam fidelis, quam infidelis in pari necessitate constituerentur, illi potius, quã huic cæteris paribus esset mutuandum: quandoquidem magis coniunctiminus cõiunctis regulariter præferendi sunt. Dico autem regulariter, quia possunt occurrere circumstantiæ, ob quas prudentia dictabit secus faciendum esse, vt si magis cõiunctus certo sciatur abusurus mutuo: aut si in pari necessitate, cõcurrente infideli cum fideli in petitione mutui, spes sit quod ille conuertetur ad fidem si mutuum ei detur: aut cum velit fidem susc ipere, verendũ sit, ne si petenti mutuum denegetur, mutet animũ, tunc enim quantumcumq; non minor sit fidelis necessitas, quã infidelis, hic tamen præferendus est, propter ipsius salutem spiritalem, quæ alterius necessitati corporali anteponenda est.

171. Quartam conditionem, *cur, seu, ob quem finem,* mutuum quoque requirit, quia ipsum dandum est ob honestum finem si enim mutuo addatur malus finis, vitiosum erit: atque si detur ad faciendum ex eo lucrum, vsura committetur.

Quintam conditionem, *id est, quomodo, seu certum modum,* adhuc mutuum requirit; quia modus præstat formam actioni. Modus autem requisitus in mutui largitione, idem prorsus est, qui requiritur in eleemosyna erogãda, consistens in his. Primo, debet fieri misericorditer, id est, ex affectu compassionis. Secundo, benigne & affabiliter, hoc est, suauibus verbis. Tertio, sufficienter, seu quantum sufficit ad subleuandã proximi necessitatem. Quarto, humiliter. Quinto, hilariter. Sexto, discrete. Non enim ita mutuandum est aliis, vt ipse mutuans, vel sui coniciantur in eandem necessitatem, vel maiorem. Septimo, celeriter. Octauo, pie. Nono, facile, & non morose. Decimo, ordinate: ita nimirum, vt prius det magis indigentibus, quam minus, & prius prouideat sibi, atque suis, & coniunctis, quam externis.

Sextam conditionem, *hoc est, quando, seu quo tempore,* mutuum requirit: quia non est omni tempore mutuandum, vt cum mutuarius abusurus esset mutuo, vel mutuator haberet suos æquali aut maiori necessitate oppressos; quibus aliunde subuenire non posset. Quanquam laudabile esse potest, suorum necessitati præferre necessitatem personæ publicæ, valde necessariæ, aut vtili Reip. vel Ecclesiæ. Adhæc habenda est aliqua ratio temporis opportuni.

Septimam conditionem, *quo ordine,* mutuum requirit quia iuxta prędicta, ordo pertinet ad modum in ipso mutuo requisitum. Octo autem considerandasunt in seruãdo tali ordine. Primum est, qualitas, seu conditio personæ: nam cæteris paribus mutuum dandum est potius magis egentibus, quam minus egentibus & potius iustis, quam peccatoribus. Secundum est, locus, potius enim mutuandum est iis qui detinentur captiui ab hostib. quã aliis qui sunt liberi; etiam in æquali necessitate: quia illi possunt sibi consulere, & suas necessitates indicare. Tertium est, causa melior: sic enim iusto, qui grauiter vexatur in carcere, ob iustum debitum, potius est subueniendum, quam peccatori. Quartum, debilitas, seu infirmitas: nam cæteris paribus magis est subueniendum infirmis, vt claudis, cæcis, valetudinariis, & huiusmodi aliis, quam sanis & robustioribus. Quintum, nobilitas: nam magis subueniendum est per mutuum nobilibus modestis & verecundis pauperibus, qui non audent indicare suas necessitates, aut petere mutuum, quam communibus pauperib. Sextum, ætas: nam cæteris parib. subueniendum est potius senibus, & fractis viribus, quam iuuenibus & robustioribus, qui proprio labore possunt vitam tolerare. Septimum coniunctio, seu vinculum quo sumus colligati. Magis coniunctis enim, seu sanguine, seu aliquo alio vinculo, subueniendum est per mutuum, quam aliis, iuxta ante dicta, vt parentibus, quam alienis, conciuib. quam exteris, fidelib. quam infidelibus, &c. Octauum modus, de quo paulo ante dictum est.

Postremam conditionem, *hoc est, vbi,* mutuum requirit, hoc saltem nomine, quod in altari, vel in alio loco sacro pecuniam mutuatario numerare non deceat. Hæque sunt conditiones ad mutuationem licitam requisitæ; quibus vt meritoria sit æternæ salutis, addenda est vna: nimirum, vt fiat ex charitate Christiana.

QVÆSTIO III.

An mutuum dare sit in præcepto.

OCCASIONEM de hac re disputandi præbuerunt illa verba Christi Luc. 6. Mutuum date: quæ vtrum contineant præceptum, an habeant tantum vim consilij, difficultas est. Atque Molinæus in tractatu contractuum, & vsurarum, quæst. 1. num. vndecimo, putat continere tantum consilium, ideoque vsuras non esse prohibitas. Quidam etiam, *licet Catholici,* quantumcumque maxime damnent vsuras vt illicitas, non putant tamen eas prohibitas esse illis Christi verbis, tanquam cõtinentibus solummodo consilium, non autem præceptum. De his est Sotus *lib. 5. De iust. & iure quæst. 1. art. primo in 3. ratione pro prima conclusione.* Sed tenendum est cum Diuo Antonino 2. parte tit. 1. cap. 7. §. 2. in fine, & Conrado De contractibus, quæst. 19. conclus. 2. Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 207. Couar. in lib. 3. variarum resolutionum, cap. 1. nu. 5. & vsuras esse illicitas *(quod à nobis in præced. l. b. 23. capite quinto ostensum est)* & dicta verba rationem præcepti habere. 172.

Id quod confirmatur, quia ibidem illud generale præceptum præmittitur, Prout vultis vt vobis faciant homines & vos facite illis: atque particularia aliquot præcepta, tanquam ex eodem generali deducta, subiunguntur: atque inter cætera, dandum esse mutuo nihil inde sperando, vt & diligendos esse inimicos: non esse temere iudicandum. Accedit quod eadem præcepta quæ habentur Luc. 6. habeantur etiam Matth. 5. & 6. vbi Christus se præcepta dare satis indicauit, cum exorsus est: Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum. Adhæc in cap. Quia in omnib. & in Cap. Super eo. De vsuris habetur quod vsurarum crimen, vtriusque Testamenti pagina detestetur. At locus in eam sententiam ex nouo Testamento accommodatior vix afferri potest, quam is, de quo agimus. Nec dici potest cum Soto, haberi præceptum. Non furtum facies: quia cum id præceptum sit legis naturæ, ac tam vete- 173.

ris, quam noui Testamenti, Pontifex dixisset potius, vsuram prohiberi lege naturali, & diuina. quam vtriusque Testamenti pagina. Sed quidquid de eo sit, ex cap. Consuluit, De vsuris, & ex Concil. Lateranensi sub Leone X. sess. 10. in primo decreto, *quod est de montib. pietatis*, habetur expresse, dictis verbis prohibitã esse vsurã. Accedit quod si verba illa Christi Luc. vndecimo, Quod superest, date eleemosynam] censeantur continere præceptum de eleemosyna, per quam sine retributione subueniatur necessitati proximi: pari ac etiam maiori ratione censeri debeant illa [Mutuum date] continere præceptum mutuandi, seu proximi necessitatem subleuandi, expectata retributione, seu restitutione ad æqualitatem eius quod datum fuerit mutuo.

Veruntamen quia istiusmodi præcepta sunt affirmatiua, ideoq; obligatio eorum non est pro omni, sed tantum pro aliquo tempore, sit vt pro circumstantiarum varietate, mutuum dare sit aliquãdo consilij tantum; & aliquando præcepti: sicut & dare eleemosynam. Ad quod diiudicandum considerandi sunt tres gradus. Primus est, quãdo proximus petens mutuo, non eget magnopere, & ille à quo petit, nequit mutuo dare sine suo incommodo. In quo casu consilium tantum est, non autem præceptum, sic dare mutuo, vt debeat quis esse contentus receptione primariæ sortis. Namque tunc licet mutuanti aliquid vltra sortem exigere ratione interesse, seu incommoditatis quam patitur ex mutuo. Secundus gradus est, quando proximus petens mutuum, est in necessitate, non tamen graui, & ille à quo petit, potest dare illud sine suo incommodo: in eoq; casu mutuum dare, præceptum est charitatis, exigentis vniuersè, vt bonũ proximi eligatur, quando ipsum non obest nostro proprio. Ad quod facit illud 1. Ioan. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei in eo manet? Quanquam tale peccatum non videtur censendum mortale, nisi proximus graue detrimentum ex eo patiatur, aut is constitutus sit in graui, vel in extrema necessitate. Qua de re latius Conradus in citata quæst. 19. Tertius gradus est, quando is à quo mutuum petitur, non solum proximo necessitate patienti non subuenit ex charitate, cum possit sine suo incõmodo: sed etiam lucrum ab eodem inuito extorquet, quod peccatum est non tantum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, capiendo alienum nullo iure sibi debitum: atque adeo vsuram committendo.

QVÆSTIO IV.

Quænam obligatio & actio oriatur ex mutuo.

174. EX parte mutuantis tres obligationes oriuntur ex mutuo. Prima est, qua mutuans teneatur ad resarciendũ damnum secutum, si sciens mutauerit rem vitiosam. Secunda est, qua mutuans non potest iure mutuum repetere ante illius consumptionem. Ea enim est natura mutui, vt detur & accipiatur ad subueniendum alterius indigẽtiæ. Quanquã si solutioni mutui non esset præfixus terminus, posset statim repeti superueniẽte causa iusta, quæ ad id cogat: prout attigit Molina de iust. & iure *tra. 2. disp.* 259. §. *Quando solutioni*: vt si accideret casus in quo mutuator necessitate premeretur ac mutuatarius. Sibi enim prius, quam alteri potest consulere, iuxta illud: Charitas incipit à seipso. Tertia obligatio est, qua ex communi Doctorũ sententia, *teste Petro à Nauar. lib. 3. de rest. cap. 2. nu.* 252. mutuans tenetur relinquere mutuatarium liberum, vt mutuum reddat quamprimũ voluerit: obligare enim ipsum, vt rem, quæ modo paruo pretio vænit, non reddat nisi tempore, quo pluris æstimabitur, manifestam continet iniustitiam; tam quia sic facit illum tantummodo rei suæ custodem, quam quia cogit ipsum, vt non nisi cum sumptu possit eam restituere.

Ex parte mutuatarij vero oriuntur ex mutuo quatuor obligationes. Prima est, qua tenetur tempore constituto, seu intra terminum præfixum restituere mutuum; siq; nõ faciat, tenetur ad omnia damna quæ moram sequuta fuerint, mutuanti: itemq; ad id, quod ipse forte insumpserit in repetitione talis debiti. Ratio est, quia per talem iniustam dilationem, causa est mutuanti talium damnorum, quæ proinde in conscientia tenetur resarcire, nulla expectata Iudicis sententia, vt Molina habet *in præcedenti paragrapho citatis aliquot legib. ciuil. lib.* Secunda obligatio est, qua tenetur restituere rem eiusdem generis; nempe triticum pro tritico, panem pro pane, pecuniã pro pecunia, ex lege Mutuum, ff. De reb. cred. Vnde ex glossa ibid. si mutuo accepi pecuniam, non possum reddere frumentum: neccõtra reddere pecuniam, si mutuo accepi frumentũ: nisi in id mutuator consentiat. Quanquam mutuatarius in casu quo frumentũ non haberet, nec emere posset, censendus est quoad forum conscientiæ, satisfacere reddendo pecuniam æquiualentem. Tertia est, qua tenetur mutuũ reddere in re quæ in substantia, quantitate, & qualitate sit æque bona, ac fuit res mutuata; ex lege Cum quid, ff. De reb. cred. vbi aduerte eum qui mutuo accepit pecuniã auream vel argenteam, posse quidem satisfacere suę obligationi soluendo in pecunia ærea, vel alia minuta secundum eamdem æstimationem (*cuius in pecuniis ratio per se habetur, materiæ vero tantum ex accidente*) tamen mutuantem pecuniam auream, vel argenteam, posse pactum ponere, vt mutuum sibi reddatur in eadem pecunia, habente aliqua commoda, quæ mutuans non tenetur remittere; sicut ænea, & minuta pecunia habet incommoda, à quibus idem potest sibi cauere: non tamen pacisci cum æneam, & minutam mutuo dat, vt sibi pro ea reddatur aurea, vel argentea: quia esset pactum de reddendo mutuo in re meliori, & commodiori, quod est onus pretio æstimabile; ex quo pactum redderetur vsurarium. Quarta mutuatarij obligatio est, qua tenetur mutuum reddere, quantumcunque res mutuata perierit casu fortuito. Nam cum dominium rei per mutuum transierit in ipsum, omne eiusdem rei periculum pertinet ad ipsum.

ACTIO oriens ex mutuo est, qua repetimus quod 175.
mutuo damus: diciturq; in iure condictio certi, quando in iudicio certũ quid petimus: itaut appareat quid, quantum, & quale sit id, quod nobis debetur; ex lege Certum est, ff. De rebus cred. vt si quis petat 10. amphoras vini Rhodij optimi. Ad intelligendum autem cui, & quando talis actio competat, Iurisperiti duplex mutuum distinguunt, vnum naturale, cum tibi numero re ipsa pecuniam meam, vel aliam rem tibi do mutuo in pondere, vel mensura consistentem: alterum vero ciuile, quod iuris ciuilis fictione actionem dat ei, qui reuera non dedit mutuo, vt fit in sequent. casibus.

Primus est, cum filiusfamilias pecuniam quam acquisiuit patri, mutuo dedit alicui: talis enim mutuatarius obligatur patri ratione mutui, etsi pater nihil mutuo dederit. Secundus est, cum quis apud alium 100. nummos aureos deposuit, & postea permisit vt depositarius iis vteretur: tunc enim ius ciuile fingit numerationem mutui præcessisse, licet non præcesserit; datq; creditori actionem mutui in debitorem; lege Certi condictio, § fin. De rebus creditis. Tertius est, cum res aliqua non consistens in numero, pondere, vel mensura; vt vestis datur alicui vt vtatur pretio, quo æstimatur: tunc enim licet mutuum non sit reuera, iuris tamen ciuilis fictione pro tali habetur, iuxta legem Si pro mutua pecunia. Cod. si certum petatur. Quartus est, cum mutuum datur alicui, qui est in potestate alterius, vt filiofamilias, aut seruo. Iuris enim ciuilis fictione censetur datum esse ei in cuius est potestate; si ex eius iussu, aut voluntate datum sit: vel in rem, aut vtilitatem ipsius versum fuerit. Et per consequens in ipsum, vt in debitorem, acquiritur actio. Quintus ex lege Singularis. ff. De reb. creditis, cum petenti mutuum à me, iubeo debitori dare illi pecuniam mihi debitam, aut ipsi debitori pecuniam quam ex alia causa, vt ex vendito, vel locato mihi debet, permitto vt habeat titulo mutui, tunc enim actio mutui datur, etiãsi non præcesserit pecuniæ numerario. Sextus est, ex lege Si furioso, & ex lege, Nam & si fur, ff. De reb. cred. cum à furioso, vel ab alio qui alienare potuit, vt à fure, pecuniam quis acceperit, etsi enim ea dũ consumpta non est, non fiat accipientis, *sicut fit in mutuo*, postquam tamen is illam consumpsit, iudicatur quasi mutuo accepisse: ideoque actio mutui in eum datur.

CÆTE-

176. CÆTERVM tam obligationi, quam actioni ex mutuo obsistunt eam infirmando; tum priuilegium Ecclesiæ; aliorumq; locorũ piorum, *vt hospitalium*, quo per Authenticam, Hocius porrectum, De sacrosanctis Ecclesiis (relatam decima quæst. 2. sub initium cap. 2.) non tenentur soluere mutuum acceptũ, nisi mutuans prober, illud fuisse cõuersum in ipsorum vtilitatem. Tum aliud simile priuilegium, quo idem conceditur Ciuitati aut oppido per legem Ciuitas, ff. Si certum petatur. Tum etiam aliud non absimile minorum, tutorem aut curatorem habentium: quo si idem tutor, aut curator aliquid nomine ipsorum mutuo accipiat, non tenentur soluere illud, nisi creditor probet conuersum fuisse in eorum vtilitatem. Id quod colligitur ex lege 3. Cod. Quando ex facto tutoris; & à Doctoribus communiter tenetur: vt notat Molina *de iust. & iure tract.* 2. *disput.* 300. *sub finem.*

177. CIRCA quæ priuilegia, tanquam habentia locum in conscientia, notare oportet primo, in vtilitatem siue Ecclesiæ, siue Ciuitatis, siue minoris in re proposita dici insumptum, cum tantumdem de rebus illius insumi debuisset, nisi tale mutuum insumptum esset. Ita habetur ex lege In pupillo, ff. De solutionib. Et ratio est, quia in eo inuenitur locupletior, quando quidem de suo habet adhuc, quod alioqui non haberet. Secundo eiusmodi priuilegium non liberare ab obligatione soluendi, si mutuum rationabiliter insumptum sit in eo, quod prudenter iudicabatur cedere in mutuatarij vtilitatem: sed ex aliqua inopinata circunstantia, aut fortuito euentu, non cessit. Hoc probatur à pari, quia iuxta legem. Sed an vltro §. Is autem, ff. De negotiis gestis, administratori bonorum Ecclesiæ in euentu inopinato, quo res ab eo gesta male cessit, competit actio negotiorum gestorum aduersus Ecclesiam ipsam, vt persoluatur sibi, quod prudenter insumpsit in eadem re. Quare & mutuanti competet pariter actio aduersus eandem, vt soluat sibi mutuum, quod minister ipsius prudenter & accepit, & insumpsit.

178. Tertio, notare oportet doctrinam quam habet Molina *in citata disput.* 300. de memorato priuilegio Ecclesiæ, fieri posse, vt mutuo datum Ecclesiæ, acceperit, vel Prælatus, simul cum Capitulo, vel solus Prælatus, vel aliquis alius administrationi bonorum eiusdem Ecclesiæ deputatus. Atque si acceperit Prælatus simul cum Capitulo & ad solutionem necessaria sit alienatio bonorũ immobilium, aut mobilium pretiosorum, quæ seruando seruari possunt, locũ habet priuilegium memoratũ, ex quo eiusmodi bona non debent ad talem solutionem alienari, nisi constet mutuum susceptum, & cõsumptũ fuisse in Ecclesiæ vtilitatem. Et ratio est, quod talia bona alienari nequeant absque necessitate, manifesta ve Ecclesiæ vtilitate, ex Cap. Sine exceptione 12. quæst. 2. Quæ ratio, quia non habet locum in similibus bonis Ciuitatis, fit vt si huius concilium, aliquid mutuo accipiat, mutuans non teneatur probare, ipsum conuersum esse in vtilitatem Ciuitatis. Itaut hæc teneatur illud soluere, etiam cum bonorum suorum immobilium, aut pretiosorum alienatione. Sic ex Bartolo & Panormit. habet ibid. Molina *in* §. *Hæc autem.*

Insequenti addens; quod si à Prælato simul & Capitulo acceptum mutuo, possit solui ex reditibus & aliis bonis mobilibus Ecclesiæ, non esse necessarium, vt mutuator prober, illud conuersum esse in Ecclesiæ vtilitatem. Ratio est, quia libera talium bonorum administratio competit Prælato & Capitulo. Nec ad eorum alienationem necessarium est, vt fiat ad euidentem Ecclesiæ vtilitatem. Idem iudicium est, si solus Prælatus acceperit mutuum, cum & ipse habeat liberam administrationem eorundem bonorum, non minus quam haberet alius ab ipso de consensu Capituli administrator cõstitutus. De cuius mutuo accepto in sua administratione, obligari Ecclesiam, cuius administrator est, habetur ex Cap. Quod quibusdã, de fideiussoribus. Quia vero Ciuitatis rector non habet tam liberam bonorum eiusdem mobilium administrationem; fit vt eiusdem Ciuitatis conuentus possit resistere solutioni mutui quod acceperit, nisi probetur illud conuersum fuisse in communem vtilitatem. Pro quo facit lex Ciuitas, ff. Si certum petatur.

Denique cum particularis deputatus Ecclesiæ administrationi aliquid mutuo accipit nomine eiusdem; illud soluere debet, dummodo ipsum non excedat summam, ipsi deputato ab Ecclesia; id est, à Prælato & Capitulo taxatam, quam debeat mutuo accipere: ad cuius summæ excessum, nec ad alium quem committeret, si neque esset eidem taxatum, Ecclesia non tenetur, nisi quantum conuersum esset in ipsius vtilitatem; ex citato Cap. Quod quibusdam. Vnde creditori incumbet probare, illud quod repetit, esse cum suo excessu conuersum in illius vtilitatem.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quid respondendum sit ad quædam dubia quæ de Mutuo mouentur.

PRIMVM DVBIVM EST. An quando post datum mutuum, æstimatio pecuniæ creuit authoritate Principis, aut Reip. illud reddendum sit secundum æstimationem quam pecunia habet tempore solutionis, an secundum eam quã habet tempore mutuationis? Ad quod Sotus *lib. 5. de iust. & iure quæst. 1. art. 2. ante solutionem argumentorum*, respondet: pecuniam esse reddendam secundum æstimationem quam habuit tempore mutuationis; quæ eadem est sententia Medinæ *in Cod. de reb. restit. quæst. vlt. §. Est itaque.* Angelus vero *in verbo Solutio*, §. 2. & Sylu. eodem verbo *quæst. 2. & in verbo vsura 1. quæst. 14.* cum aliis, quos ipsi referunt, existimant soluendum esse huiusmodi mutuum secundum æstimationem pecuniæ in tempore solutionis. 179.

Quod probabilius est, vt patet, quando pecunia aurea vel argẽtea mutuata fuerit cum pacto, vt aurea vel argentea restituatur; faciendaq; est restitutio in ærea minutaq; pecunia: eo quod mutuatarius aliter soluere nequeat: tunc enim dubitari non potest quin solutio fieri debeat secundum æstimationem quam aurea vel argentea habet tempore quo soluitur: & multo magis quando mutuata est pecunia aurea vel argentea cum pacto, vt reddatur minuta secundum æstimationem, quam pecunia ipsa aurea vel argentea habebit quo tempore soluetur. Idem vero, cum eiusmodi mutuum pecuniarum fuerit factum simpliciter sine vllo pacto *vt plerumque fiat*, probatur procedere: quia naturalis æquitas postulat, vt ex meo beneficio non patiar detrimentum: sed tam bonum in substantia & internis accidentibus accipiam, quam mutuo dedi: ac proinde cum soluitur pecunia aurea vel argentea mutuata, solutio ita fieri debet, vt nihil minus habeam, quam si mutuo non dedissem. Ad quod opus est, vt vel similis pecunia mihi restituatur; vel tantundem alterius, quantum sufficiat ad similem mihi comparandam: quod est tantum restitui debere, quantum mutuata pecunia tempore solutionis valet. De qua re videri possunt plura apud Couarruuiam in collatione veterum numismatum cap. 7. in fine.

Censuerim autem sententiam Soti procedere in contractibus aliis à mutuo, & in pœnis pecuniariis lege statutis, quando non fuerit expressum, vt solueretur pecunia talis materiæ, vel formæ: quia in venditione, censu, tributo, & cæteris contractib. vel in lege pœnali, pecunia attenditur secundum valorem. Quare obligatio est reddendi valorem quem ea tempore contractus habebat, cum valor ipse attenderetur.

SECVNDVM DVBIVM EST. Ad licitum sit mutuo dare pecuniam rustico, quam soluat in frumento, vel vino, vel alio quocunque fructu terræ, secundum communem æstimationem, quam habebit tempore solutionis? Ad quod respondetur affirmatiue. Nam etsi talis contractus nomine mutui vulgo appelletur, non est tamen reuera mutuũ, sed futuri fructus emptio anticipata solutione. Namq; rusticus tunc vẽdit futuros terræ fructus, pretio per anticipationem accepto, licet sub nomine mutui; & cum pretium sit iustum, quia relinquitur taxandum secundum æstimationem communem futuri temporis; in eo nulla est iniustitia. Neque rusticus ad vendendum suos fructus huic, & non alteri, manet obligatus ex mutuo, sed ex emptione, soluto pretio per anticipationem. 180.

Vnde sequitur vsitatam in ea re praxim non esse de se damnandam & illicitam.

181. TERTIVM DVBIVM EST. An sit mutuum, si dem tibi quinque oues, vel quinque vlnas panni, vt mihi totidem reddas? Ad quod respondendum est, non esse mutuum ex natura rei; quia non do rem, quæ ipso vsu consumatur: esse vero mutuum ex voluntate contrahentium, quia inter eos conuenit, vt perinde ac in mutuo, tot reddantur eiusdem generis, quot accepta fuerint: id quod sufficere potest ad fundandam aliquam vsuræ rationem, ex Sylu. *vsura primo, quæst.* 13. Quæri quoque potest, an sit mutuum, si tibi dederim mutuo pecuniam, & tu ante quã ea vtereris, mihi eamdem restituisti? Item, si dederim tibi pecuniam, vt tuo creditori eam dares pignori, vel certe vtereris ea, ad ostentationem & pompam? Ad quorũ prius respondetur, tunc esse verum mutuum, quia solum ex accidenti factum est, vt pecunia eadem numero mihi restitueretur: cum ex vi contractus per me tecum initi, non eamdem, sed aliam similem reddere obligatus esses. Ad posterius vero non esse tunc mutuum, sed commodatum, nam licet data sit pecunia: tamen ex vi contractus quo data est & accepta obligatio fuit restituendi eamdem numero, prout sit in commodato.

182. QVARTVM DVBIVM EST. An si mutuo tibi dederim 10. cados vini, vel 10. modios tritici; & postea Principis vel Reipub. authoritate, eiusmodi mensuræ sint factæ minores, tenearis restituere secundum mensuram priorem, an secundum nouam? Respondendum est restituendum esse secundum mensuram priorem: quia ex vi mutui tantumdem restitui debet quantum acceptum est, quod non seruaretur restituendo secundum mensuras factas minores.

183. QVINTVM DVBIVM EST. An si pro tritico quod mutuaui tibi, non triticum, sed pecuniam restituas, debeas restituere secundum æstimationem, quam triticum ipsum habuit tempore mutuationis, an secundam eam, quam habet tempore solutionis? Respondendum est, ex lege Vinum ff. De reb. creditis, restituere debere secundũ eam quam habet tempore solutionis. Ratio est, quia ex vi contractus reddi debebat triticum. Ergo cum soluatur pecunia loco tritici, necesse est, vt tanta soluatur pecuniæ summa, quanti æstimatur triticum: cum ad hoc soluatur, vt mutuans possit, si velit, tantam tritici quantitatem emere quantam mutuauit. Pretij vero quod valuit tempore mutuationis, non habetur ratio: quia ex mutui obligato tantum est reddendi æque bonum in substantia, & cæteris intrinsecis: pretium autem extrinsecum est rebus, aduenies ipsis ex hominum æstimatione. Et confirmatur, quia mille aurei quos quis habet in arca dum minor est æstimatio, si postea æstimatio fiat maior, manentes iidem omnino in se, mutantur in valore, qui proinde non promanat in eis ex ipsorum interna perfectione, sed eis extrinsecus aduenit, ex hominum scilicet noua æstimatione.

Ex quibus sequitur, quod si anno superiore tibi mutuo dederim triticum, tunc valens 10. aureos: nunc autem tantumdem habere possim pro quinque; sequitur, inquam, te satisfacere mihi, si quinque soluas, quando consentio solutionem mihi fieri in pecunia. Et è contrario, si dedi tibi valens tantum quinque, & tempore solutionis valet decem, si velis mihi soluere in pecunia, debes soluere decem; ex quibus possim, si velim, tantumdem tritici emere.

Si quæras, an æstimatio rei mutuatæ, vt tritici, sit tempore solutionis censenda tanta, quanta est in loco vbi mutuum soluitur, an quanti æstimatur triticum in loco vbi mutuum acceptum est? Respondetur, si initio inter contrahentes conuenit, vt mutuum certo loco redderetur, soluendum esse secundum eam æstimationem, quam in eodem loco tale triticum habet tempore solutionis. Si vero de loco nihil conuenerint, soluendam esse pecuniam, quanti æstimatur triticum in loco vbi repetitum est, ex supra citata lege Vinum.

Si rursus quæras, an solui debeat quanti æstimatur triticum tempore quo redditur, an quanti æstimatur cum repetitum est à mutuante? Respondetur, in foro conscientiæ solui debere quanti æstimatur, cum mutuans petit triticum sibi debitum. Nam mutuatarius non soluens, incipit eo tempore esse in mora.

184. SEXTVM DVBIVM EST. In qua mensura, pondere, aut numero, mutui restitutio fieri debeat, quando pretium mutatum est. Exemplum sit, si mutuo dederim decem modios tritici, valentes singulos triginta asses, possumne nunc quindecim modios recipere in solutionem, quando singuli valent tantum viginti asses? Ad quod Sotus *lib. 6. de iust. & iure quæst. 1. art. 2.* respondet: siue pretium maneat idem, siue diuersum, mutuum reddendum esse in eadem quantitate naturali, eiusdem qualitatis, atque bonitatis, cuius fuit datum: itaut is qui decem accepit mutuo, teneatur tantum reddere decem eiusdem bonitatis. Quam responsionem Nauar. *in Enchir cap. 17. nu. 242.* approbat. Petrus vero à Nauar. *lib. 3. de restit. cap. 2. nu. 251. & aliquot sequent.* eam reiicit, quia vt in cæteris contractibus, sic & in mutuo valor (cui, non autem substantiæ rei, conuenit mensuram esse ciuilem) attendi debet, ad hoc, vt nulla iniustitia committatur, sed proportio seruetur reddendo æquale pro æquali. Sic enim licet vinum sit inæquale oleo in substantia, aut quantitate, si tamen æquale sit in valore, dum in solutionem non inuito mutuatore datur, nulla iniustitia committitur. Potest vero committi, si accepta quantitate tritici quindecim aureorum, parem in mensura & bonitate restituas, quando valet tantũ decem aureos. Nam id perinde esse potest, ac si acceptis mutuo à me 15. aureis, quos potui ex meo tritico mihi cõficere, tantũ restituas decem. Quando quidẽ non possum plures ex tritico restituto habere. Accedit quod ex cõmuni Doctorum cõsensu iniustũ sit obligare mutuatarium, vt rem quæ modo paruo pretio vænit, non reddat nisi tẽpore quo pluris æstimabitur; quæ iniustitia non cõtingeret, si in mutuo, ex substantia rei mutuatæ, non autẽ ex illius valore, attendenda esset æqualitas: quia ex eo, quod valor rei augeatur, nõ desinit esse æqualitas in substantia.

185. Pro resolutione dicendum est. Primo, si tempus non statuatur solutioni faciendæ in eadem specie, mutuatorem posse exigere mutuum, quando frumentum, oleum, vinum, numisma, &c. videt plus valere, nisi mutuatarium prius soluere volentem impedierit. Ratio est, quia tale damnum mutuatarius ipse sibi imputare debet, quod ante non soluerit, cum id liberum ei esset. Qua tamen in re si non contra iustitiam peccatur peccato concussionis, at certe contra liberalitatem, peccato auaritiæ; aut contra charitatem, peccato inhumanitatis peccari potest. Id quod ex circunstantiis, *maxime personarum, & temporis, ac loci*, erit diiudicandum.

Dicendum est secundo, si solutioni certum tempus statuatur, & æque dubium sit, num triticum, vinum, oleum, aut aliud eiusmodi quod mutuo datur, plus, an vero minus valiturum sit tempore solutionis, quam æstimetur tempore mutuationis; pactum fieri posse, vt tantumdem reddatur in eadem specie, pondere, vel mensura, quantũ datur. Ratio est, quia nulla in eo cõmittitur iniustitia: cum sicut mutuatarius exponit se periculo soluendi aliquid supra sortem, sic etiam mutuator exponat se pari periculo perdendi aliquid de sorte. Atque hac ratione procedere potest sententia Soti; in solutione mutui non esse habendam rationem pretij, sed substantiæ rei mutuatæ: vt scilicet tam bona, in pari pondere, numero, vel mensura reddatur, quam accepta est, siue plus, siue minus valeat.

Dicendum est tertio, si frumentum, vinum, oleum, aut aliud eiusmodi cum mutuo datur, sciatur tempore solutionis futuræ plus valiturum, vti oportere distinctione. Etenim si mutuator tale suum frumentũ, vinum, &c. erat seruaturus vsq; ad tẽpus illud quod solutioni præfigitur, non peccat petendo, vt tantumdem fruméti, vini &c. sibi in eadem specie, paris bonitatis, & mensuræ reddatur: dummodo tamen mutuatario non tollat libertatem antea soluendi, si voluerit. Ratio est, quia nihil plus habet ex mutuo, quam sine eo habuisset. Si vero non erat seruaturus, vsuram committeret lucrum faciens ex mutuo, accipiendo incrementum pretij, tritici, vini, &c. quod alias

non

non erat percepturus. Est enim communis Doctorum sententia, *vt etiam tradit Petrus à Nauarr. loco citato num.264.* quod vsura committatur, siue pecuniam, siue valorem quemcumq; pecuniæstimabilem accipiendo causa mutui: nec ab eo peccato excusetur, qui in mutuo, rem pretij maioris, quam dedit, exigit ex obligatione. Secus vero, si ex amicitia tantum, vt in sequen. cap. exponetur. Hæc ita docent Med. *in Cod. De rebus restit. quæst.38. §. Est itaque.* Angelus *vsura* 1. §.36. Sylu. eodem verbo, *quæst.*14. Couar. lib.2. variarum resol. *cap.*3. *num.6. sub finem*: ad quos Petrus à Nauar. *in præced. n.* 262. præter Palud. & Scotum, adiungit Nauarrum, tanquam sibimet contrarium *in eod. cap.*17. *num.*219. subscribentem sententiæ Angeli.

186. SEPTIMVM DVBIVM EST. An frumentum, vinum, &c. quando carius est, licite possim æstimatum pretio currente, mutuare Caio, reddendum iuxta idem pretium? Ad quod respondendum est affirmatiue ex Syluestro *in sequenti quæst.*16. imo ex omnium mente ad Cap. In ciuitate, De vsuris, *prout habet Nauar. in sequenti num.* 225. Et ratio est, quia tunc est venditio frumenti, vini, &c. pro pretio currente: facta gratia mutuatario, vt possit solutionem differre. Aduerte vero, quod etsi liceat cõtractu venditionis, frumentum, vinum, &c. cum timetur minus valiturum, dare alteri soluendum iuxta pretium præsens; nõ licere tamen contractu mutui, qui vsurarius est, quando res aliqua traditur cum obligatione restituendi aliam maioris pretij, siue sit similis in substantia, & quantitate, siue nõ: quod bene notat Petrus à Nauar. in præcedenti n.258.

187. OCTAVVM DVBIVM EST. An liceat frumentum, oleum, aut aliud eiusmodi vetus, mutuare, vt nouum reddatur? Ad quod respõdendum est distinctione. Nam qui frumentum, vel oleum, &c. certo, aut probabiliter nouit futurum melius, & maioris pretij, committit vsuram taliter mutuando; maxime, si mutuatario tollens libertatem soluendi quando voluerit, ipsum obliget restituere nouum. Si autem mutuet, ne suum frumentum, vel oleum corrumpatur, & tale tanti nunc æstimetur, quanti æstimabitur nouum tempore solutionis, nullam committit vsuram. Ita docent Angelus vsura 1 §.74. & Sylu. eodem verbo quæst. 17. Nauar. in Enchir. cap.17. n.224. Sotus in 6. De iust. & iure quæst. 1. art. 2. Ratio autem est, quod in priori casu lucrum accipiatur, nõ item in posteriori. Quod enim mutuator in eo viter damnum corruptionis sui frumenti, id fit sine iniuria mutuatarij, qui non compellitur plus reddere quam accipiat, perinde ac si idipsum factum esset sine iniuria emptoris, cui illud iusto pretio venditum fuerit. Quinimo, vt ibidem addit Nauarrus, non esset vsura, si frumentum quod statim venditurus eras mutues exigendo lucrum, quod es percepturus ex venditione; siquidem frumentum nouum verosimiliter minus valiturum est, quam valuerit ipsum vetus. Id enim non est plus exigere ratione mutui; sed ratione lucri cessantis, quod licitum est per tradita in præced. lib.23. cap.8.

188. VLTIMVM DVBIVM EST. An si Titius habeat pecuniam, quam timet in futurũ minus valituram, eo quod certo, aut probabiliter credat eius æstimationẽ minuendam lege Principis, aut Cõmunitatis statuto, an inquam possit licite eam mutuare Caio, reddendam in eo pretio quo tunc æstimatur? Ad quod respondendum est, nõ posse, si pecuniam ipsam erat seruaturus vsque ad tempus talis diminutionis; quia vsuram committeret faciendo lucrum ex mutuo, seu plus habendo ratione mutui, quam sine eo habuisset. Si vero erat statim eamdem consumpturus antequam pretium minueretur, potest pretium currens tempore mutuationis exigere, ratione damni, quod alioqui ex mutuatione ipsa sibi emergeret. Nec refert q̃ seruata non esset tanti valitura. Nam possum mutuare pecuniam æquali pretio reddendam, quantumcumque esset alioqui apud me peritura: sicut possum iusto pretio rem meam vendere, quam certo scio, apud me manentem à latronibus surripiendam. Nam quamuis sperare non liceat lucrum ex mutuo, licet tamen vitare damnum, dummodo sine damno alterius fiat. Ita docent in verbo vsura 1. *Angelus* §.76. *& Sylu. quæst.*15. *ac Tabiena quæst.* 9.

CAPVT XI.

De Mutuo in ordine ad vsuram.

SVMMARIVM.

189 *Mutuans ad conciliandam sibi mutuatarii amicitiam, etiamsi eam deducat in pactum, non committit vsuram.*

190 *Dando mutuum ad consequendum Ecclesiasticum beneficium, committi tum simoniam, tum etiam vsuram.*

191 *Quatenus vsurarium sit mutuum dare exigendo supra sortem aliquid alias debitum.*

192 *Quando tale quid censeatur illicitum, etiamsi non sit vsurarium.*

193 *Non est vsurarium mutuo dare, ad redimendam vexationem iniustam.*

194 *Est autem, dare ad redimendam vexationem iniustam.*

195 *Quod verum est, etiam quoad pœnam quæ non debetur ante iudicis condemnationem.*

196 *De dubio, an vsura committatur, cum quis alicui mutuat cum pacto, vt sibi remutuet: cuius pars affirmans est tenenda.*

197 *Qua ratione possit nihilominus teneri pars negans.*

198 *Non esse illicitum dare mutuo pecuniam, adiecto pacto, vt mutuatarius alium contractum statim celebret.*

199 *In quo tamen cauendum est, ne mutuatarius damnificetur, ac ne scandalum generetur.*

200 *Vsurarium est mutuum, quod datur adiecto pacto, vt mutuatarius teneatur venire ad molendum in mutuatorũ molendino, &c.*

201 *Taliter mutuans, quatenus teneatur ad restitutionem.*

202 *Vsura committitur dando mutuo Principi, adiecto pacto, quod concedet ei officium aliquod temporale.*

203 *Quatenus teneatur mutuans dimittere officium tali modo acceptum.*

204 *Vsurarium est mutuare sub pignore cum pacto, quod fructus ex illis percepti, interim dum solutio non fit, cedant in commodum mutuantis.*

205 *Obligatio ad restitutionem inde sequens.*

206 *Explicatio dubii, an qui dicuntur montes pietatis, sint liberi ab omni vsura.*

207 *Sententia dicentium esse liberos, est tenenda, & cur.*

208 *Solutio rationum in cõtrarium, cum aliquot additionibus.*

209 *Duo dubia de cumulo qui in subsidium pauperum ex contributionibus ciuium constituitur.*

210 *Quatenus vsurarius sit, vel non sit contractus ille quo Principi, aut Reip. mutuo datur ea lege, vt aliquid ex illius reditibus accipiatur quotannis.*

211 *Quando vsurarius sit, aut non sit contractus assecurationis à mutuatario celebratus cum mutuatore.*

212 *Quomodo intelligendum sit Cap. Nauiganti, De vsuris.*

VSVRÆ peccatum in mutuo tantum per se contingere, & in cæteris contractibus non nisi ratione mutui, satis constat ex præcedenti lib.23. cap.4. & aliquot sequentibus. Vnde etiam sufficienter intelligitur generalis ratio iudicandi, quando in eodem illa contingat: sed quia descendendo ad particularia, tale quid peculiarem habet difficultatem in nonnullis casibus; non est absre hic ei occurrere aliquot dubiorum explicatione.

189. DVBIVM IGITVR PRIMVM EST. An si quis alteri ad hoc mutuet, vt sibi sit amicus, mutuũ sit vsurarium? Ad quod respondendum est negatiue: quoniam amicitia non est pecunia æstimabilis, quæ madmodum esse requireretur ad rationem vsuræ, iuxta ea quæ circa illius definitionem dicta sunt in memorato cap. 4. Atq; Doctores cõmuniter ita tenent, & satis expresse indicauit D. Thom. 2. 2. *q.*78. *art.*2. Neque refert quod (*vt in comment. De vsuris, n. 6. & in Enchir. cap.*17. *n* 207. *Nauar. hal et*) omnis vir probus bonorũ amicitiam pluris, quam aliquam pecuniæ quantitatem æstimaret, imo illam pretio emeret. Sciendum enim est, non ideo negari amicitiam pecunia æstimabilem esse, quod non sit pretiosior quam pecunia; sed quod suapte natura, nec vendatur, nec ematur, consistatque in voluntate, quæ non cogitur, sed libero suo arbitrio, prout libuerit, affectum eiusmodi elicit, aut cohibet.

Procedit vero allata responsio, quantumcunque amicitia ipsa deducatur in pactum. Cum enim ea non sit pecunia æstimabilis, prout ad vsuram requiritur, quod ipsa in pactum deducatur, nihil facit ad rationem vsuræ. Hinc Couar. *in lib. 3. var. resol. cap. 1. num. 2. versus finem*, expresse asserit, quod si quis in mutuo amicitiam alterius paciscatur, non committat vsuram: quod etiam docet Sotus *lib. 6. De iust. & iure quæst. 1. art. 2. sub finem 1. pag.* addens ne quidem tunc committi vsuram, dum deducitur in pactum, vt à mutuatario externa amicitiæ signa inter amicos cõsueta, mutuanti exhibeantur: nisi forte ex tali pacto mutuatario incumberet alia obligatio, quam quæ est honestatis, & gratitudinis: vt, *ex eod. auctore in sequen. pag. 2.* cum impudicus iuuenis cum puella propter mutuum ei factum, paciscitur de amicitia in obsequium turpe, quia petens id quod est onus pecunia æstimabile, mutuum reddit vsurarium.

190. Dvbivm secvndvm est. Vtrum sit vsura mutuo dare cum pacto, vt mihi, vel alteri beneficium Ecclesiasticum conferatur? De qua re diuersas sententias refert Petrus à Nauar. *lib. 3. de restit. cap. 2. à num. 267.* Omissa autem subtili consideratione quam ille instituit, paucis respondendum est cum Nauar. *in comment. de vsuris num. 17.* tunc & simoniam, & vsuram committi; siue, *vt ille ait*, simoniacam vsuram, aut vsurariam simoniam: adeoque esse duplex peccatum; aut vnum cum circumstantia necessario confitenda. Etenim simonia cũmittitur in eo, quod temporale obsequium, principali intentione impendatur ad obtinendum spirituale. Nam, vt argumentatur Petr à Nauar. *in sequen. num. 275.* licet mutuum non sit æstimabile pecunia; est tamen contractus temporalis, temporalia adferens emolumenta. Non solum autem simonia est dare, vel accipere spirituale pro temporalibus, sed etiam pro quacumque re, aut emolumento temporali, cum fiat iniuria rebus spiritualibus, eas cuicumq; temporali æquando vel subiiciendo. Obiicies, amicitiam, *propter quam licet sperare beneficium*, esse quid temporale: respondetur, amicitiam quidem esse quid temporale, sed non posse deduci in pactum, ex iustitia obligãs ad exhibitionem; quoniam amicitia talis est, quæ gratis exhiberi debeat. Gratis vero exhibendo obsequium, etiam temporale, quãtumuis inde spiritale secundario intendatur, non committitur simonia, vt patet de eo qui Episcopo ministrat, principali intentione obtinendi illius amicitiam, & huius occasione aliquod beneficium. Eum enim à simonia excusari patet per tradita libro 23. num. 139.

Committi pariter vsuram in proposito casu, Nauarr. loco cit. probat: quia ad committendam vsuram sufficit, vt accipiatur, vel speretur principaliter lucrum rei suapte natura æstimabilis pecunia: quales sunt non modo mere temporales, sed etiam mixtæ ex temporalibus & spiritualibus, vt patet de vestibus benedictis, calicibus consecratis, adeoque de Ecclesiastico beneficio, seu spiritali iure percipiendi aliquos prouentus, seu fructus temporales. Ita vt dubium non sit, quin tales fructus accipere ratione mutui, sit ex mutuo lucrum facere, atque committere vsuram. Id etiam Medina fatetur *in Cod. De acquisitis per vsuram, quæst. 4. vers. Inde etiam sequitur.*

191. Tertivm dvbivm est. Vtrum sit vsura, exigere ex mutuo vltra sortem illud quod sibi alias debetur? Respondendum est, non esse vsuram ex communi, *vt habet Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 1. num. 2.* sententia. Et aperte probatur ex eo, quod tunc non intendatur proprie lucrum ex mutuo; quod ad vsuram requiritur, *per tradita in præced. lib. 23. num. 44.* Non enim censetur is lucrari proprie, qui nihil accipit, nisi quod iam suum erat.

Difficultas est autem, quo pacto oporteat mutuanti debitum esse illud, quod sibi ex mutuo vltra sortem dari ipse paciscitur. Ad cuius explicationem dicendum est primo, non esse satis, vt lege tantummodo charitatis sit debitum: sicut est, cum ægrotus Medico mutuat, vt ex pacto medeatur ipsi, quando non est alius qui id velit, aut possit facere; aut cum tibi do mutuo, vt defendas me ab iniuria, quando non est alius qui possit, vel velit me defendere. In eo casu enim vsuram cõmitti, ex eo probatur, quod mutuans tunc in mutuatario requirat obligationem iustitiæ, quam non habebat, eamque pretio æstimabilem, vt patet: quandoquidem in Rep. stipendium assignatur iis, qui ex officio talem obligationem suscipiunt. Locum autẽ istud habet, non solum si mutuans curationem, aut defensionem velit sibi gratis impendi (prout Medina habet *in Cod. De acquisitis per vsuram, quæst. 1. vers. Respondetur*) sed etiam si iustum laboris stipendium dare velit; quia obligatio ipsa iustitiæ plus valet, quam obligatio charitatis: cum efficiat, vt is qui ita obligatur, teneatur ad damna quæ sua culpa mutuanti, *non subueniendo illi*, obuenerint: ad quæ non teneretur, si tantum ex charitate subuenire obligaretur.

Dicendum est secundo, quod si quid mutuanti sit lege iustitiæ debitum, siue ratione delicti, vt furti: siue ratione cõtractus, vt emptionis, possit illud ex pacto per mutuum intendere: quia inde nihil lucratur; cum tantum accipiat illud, quod est alioqui determinate & personaliter ipsi debitum ex iustitia. Neque tale debitum soluere creditori æstimabile esse pretio, satis patet ex eo, quod licitum non sit pro ea ipsa solutione mercedem recipere, prout loco cit. recte notat Medina. Atque iuxta hæc statuendum est, quod si iusad aliquid sit alicui post Iudicis tantum sententiam, per quam ei adiudicetur, non licere ratione mutui paciscí de eodem dando ante ipsam Iudicis sententiam: quoniam non esset obtinere illud quod iam tuum sit. Obtinere vero, quod nondum tuum est, censetur pecunia æstimabile.

Si quæras, an non solum citra vsuram, sed etiam citra 192.
peccatum possit quis ex mutuo recuperare quod sibi debetur ex iustitia? Respondetur distinctione: si enim mutuans nulla alia via potest suum debitum recuperare, nullum in eo committit peccatum, dummodo per id non det scandalum, præcaueatq; ne alia ratione idipsum debitum iterum soluatur, siue à debitore, siue ab ipsius hæredibus, vt recte admonet Nauarr. *in Comment. de vsuris, nu. 25.* quia iniustitia aperta in eo cõmitteretur. Si vero mutuans possit alia via suum recuperare, dicendum est cum Medina *in cit. quæst. 1. vers. Responsio*, quod si mutuatario explicet se illud incrementum exigere loco debiti prius contracti, dicendo: Mutuabo tibi ea lege, vt 10. quæ alias mihi debes, simul cum capitali soluas, & tunc, etiamsi debitum posset alia via recuperari; nec vsura est, quia non quærit lucrum ex mutuo, *vt iam ante dictum est*, nec aliud peccatum, quia res palam agitur sine fraude, & de vtriusque partis libero consensu: si vero id non explicet mutuatario, censebitur fraudulenta exactio; adeoque pecuniosa, si alia via iusta, patenterque posset rem debitam recuperare; etiamsi eam taliter recuperatam posset retinere tanquam suam, dummodo vitet in eo scandalum, & tertij læsionem.

Qvartvm dvbivm est. An possit quis sine vsura ex mutuo intendere, se à vexatione redimere, vt, exempli gratia, dum alter ei, aut hæredibus ipsius minatus, mutuando eximit se à multis sumptibus, quos debebit ad suam tutelam facere? Responsio est autem ex Soto *lib. 6. de iust. & iure quæst. 1. art. 2. pag. 2.* & Medina *Cod. De reb. acquisitis per vsuram quæst. 1. vers. Lucrum autem*, Caiet. *in verbo vsura cap. 2. casu 3.* & ex aliis quos commemorat & sequitur Petrus à Nauarr. *lib. 3. de rest. cap. 2. num. 381.* si vexatio fuerit iniusta; siue infligatur authoritate priuata, siue publica (vt quando quis calumniose accusatus est) licere ex mutuo redemptionem vexationis intendere: quoniam mutuans non dicitur tunc aliquid lucrari, sed potius euitare damnum, quod timet sibi euenturum; neque enim lucri rationem habet, si ea quæ alioqui expendissem, mihi maneant: cum id non sit acquirere, sed tantummodo retinere mea, ad quorum iacturam faciendam iniuste compellendus eram. Accedit quod si ad recuperandum suum quis posset mutuare, prout paulo ante habitum est; non videatur esse ratio cur non item possit mutuare ad conseruandum suũ, quod per iniustam vexationem alioqui amissurus est. Et certe si pro redimenda vexatione iniusta, conferre Ecclesiasticum beneficium simonia nõ est, iuxta tradita in memorato lib. 23. cap. 11. quæst. 3. dub. 3. nec vsura erit ea de causa mutuo dare.

Sin autem vexatio fuerit iusta, is committet vsuram, 194.

qui

qui redemptionem illius intendit ex mutuo, vt si mutuet alteri, vt eximatur à solutione gabellæ, quæ illi iuste imposita est. Namque talis redemptio est æstimabilis pecunia, neque ipsi mutuanti alias debita. Quo fit, vt ipse illam exigens ratione mutui, vsuram committat, exigendo nimium luctum ex mutuo. Quocirca certum non est illud Syluestri in verbo vsura 1. quæst. 11. quod si quis alium iniuria affecerit, possit ex mutuo intendere, vt ei iniuria affectus parcat. In contrarium enim est, quod vexatio quam timet, in tali casu non sit iniusta. Illud vero quod Sotus vult *in cit. art.* 2. licitum esse per mutuum, remissionem illatæ iniuriæ intendere, saltem antequam fiat condemnatio ad mulctam pecuniariam: quia licet illata iniuria æstimari possit pretio; tamen iure amicitiæ solet ex natura sua condonari: ita vt pactum factum de tali condonatione, non videatur aliud esse, quam amicitiæ fœdus. Illud, inquam, neque certum est, quandoquidem fundamentum quo nititur, debile videtur. Cum non sequatur, vt si aliquid soleat per beneuolentiam condonari, vsura non cõmittatur illud (*si quidem sit pecunia æstimabile*) acquirendo principaliter, non ex beneuolentia, sed ex mutuo. Itaque, vt repudiata ea ipsa Soti doctrina Petr. à Nauarr. *in cit. cap.* 2. *nu.* 385. ait; Licitum quidem est mutuare, vt illata iniuria remittatur, si id petatur atque concedatur ex quadam vrbanitate, & significatione generosi animi, libere omnino condonantis, prout in vsu est inter nobiles, qui iudicant degeneris animi esse pro accepta iniuria pretium accipere: non autem licitum, sed vsurarium esse tale quid perere, atque concedere tanquam ciuile debitum, seu ex ciuili obligatione, non autem ex vrbanitate sponte profectum.

195. Porro quod Nauarr. in Enchir. *cap.* 17. *nu.* 237. existimat non committi vsuram, si pactum fiat de remissione iniuriæ quoad pœnam, quam mutuatarius potest iuste exigere in iudicio: propterea admittendum non videtur, quod talis pœnæ remissio æstimabilis sit pecunia; prout patet ex eo, quod liceret alioqui mutuare cum pacto, vt vltra sortem mutuatarius transferat ius, quod habet ad petendum pœnam sibi ex iniuria accepta debitam. Quod nemo concedet, cum id aperte sit pecunia æstimabile, & lucrum virtuale: vt bene declarat Med. *in citato vers. Lucrum autem.* Quia, *inquit*, si quis iuste persequitur me, siue in iudicio, siue alias: in qua persequutione ego eram aliquod damnum passurus, siue in corpore, siue in fama, siue in pecuniariis bonis, illeque ab eadem persequutione volens, ad meam instantiam cessat, tunc dicor lucrari virtualiter, quantum eram, ipso me persequente, de meis bonis amissurus. Ac proinde, *addit ille*, si mutuans ego intendo me à damno illo liberare, quod alioqui iuste passurus eram: quia intendo lucrum virtuale (liberationem scilicet, quæ nõ est mihi alias debita) eiusmodi mutuatio est vsuraria. Cui doctrinæ aliis adhuc citatis subscribit Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 307. sub finem. Non est tamen negandum, quin ex mutuo possit intẽdi, vt mutuatarij odium ac rancor cesset, sicut & potest (iuxta antedicta in explicatione primi dubij) intendi amicitia, & cum ea, *secundaria tamen intentione, ex Soto loco cit.* vt plena quoad omnia remissio postea habeatur: non quidem ex vi mutui per obligationem ciuilem: sed ex ipsa amicitia, per liberalem condonationem.

196. QVINTVM DVBIVM EST. An committatur vsura quando quis mutuat alicui cum pacto, vt sibi in simili necessitate remutuet, vel aliquem alium iustum contractum cum ipso ineat: vt v.g. vendat domum, vel locet suas operas iusto pretio accepto? Cuius dubij tractatio spectat eo, vt intelligatur, quod cum mutuator possit absque peccato petere à mutuatario, vt sibi remutuet ex ea obligatione, qua iure gratitudinis, ex honestate tenetur benefacere benefactori. An vsura committatur, si ratione mutui obligatio ea in pactum deducatur; ita vt ex vrbana fiat ciuilis, tollens libertatem contraueniendi, quam obligatio vrbanitatis reliquit; cum nemo cogatur ad id quod ex vrbanitate tantum & honestate debet; sicut quis cogitur ad id quod debet ex pacto? De ea autem re in vtramque partem diuersos authores referunt Petrus à Nauar. *lib. 3. de rest. cap. 2. nu.* 234. & 235. & Lud. Molina de iust. & iure *tract. 2. disput.* 308. *sub initium.*

Pars autem affirmans tenenda videtur cum D. Thoma 2. 2. q. 78. art. 2. ad 4. vt cõmuniter Doctores tenere idem annotant: nimirum, si celebretur contractus mutui, & ex causa, viq; illius extorqueatur obligatio, remutuandi, aut colendi agrũ; ita vt remutuatio, aut locatio operarum rustici sit effectus dependens ex mutuo, vsuram committi. Probatur, quia tunc ratione mutui exigitur à mutuatario obligatio, qua priuatur libertate quã habet alioqui suum sibi retinendi, vel in alios vsus conuertendi, vel suas operas locandi alteri; quod quidem est onus æstimabile pecunia; vt argumento sunt stipendia in Repub. constituta iis qui omnibus petentibus mutuant ex officio. Namque stipendia assignantur maiora iis qui adstringunt se ad tale obsequium ex obligatione præstandum, quã si relinquantur in libertate illud præstandi vel omittendi quãdocumque libuerit; ratioque est, quod talis obligatio sit onus habens incommoditatem pretio æstimabilem: perinde ac haberet onus, quod velles me subire vendendo tibi domum meam cum mea incommoditate: ratione cuius plus accipi posse in pretium eiusdem domus, quam alioqui ea æstimetur, nemo negat. Hãc doctrinam de stipendio mutuantis ex officio, traditam à Soto *in lib. 6. de iust. & iure, q. 1. art. 2. in solutione primi argumenti*, commendat Molina loco citato, vers. Ex decisione.

Pars autẽ negans propositi dubij teneri potest secũdum ea quæ post Gabrielem *in 4. in dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 1.* habet Petrus à Nauar. *in cit. cap. 2. n.* 235. & *aliquot sequent.* nempe, si non ineatur proprie cõtractus mutui, sed potius venditionis, aut locationis; ita vt id ꝙ in alium cum prædicta obligatione transfertur, rationem habeat, non mutui, sed potius pretij rei venditæ, aut mercedis operæ locatæ anticipata solutione: prout contingere potest cum quis opera coloni indigens dicit ei: Nolo tibi mutuare; sed cõducere operas tuas, quibus egeo ad præsens, vel ad tale tempus, quarũ pretium tibi statim persoluam, si mihi eas locare velis. Quo casu si iustum pretium ei persoluam, nõ committam vsuram, cum non dem mutuo: sed iusto pretio paciscar contractu conductionis, fauorabili quidem mihi, occasione meæ indigentiæ: sed sine alterius læsione. 197.

Rationem autem diiudicandi, interueniathe mutuum, an venditionis, aut locationis contractus; idem à Nauarr. *in num.* 238. aperit optimam, nimirum si data sit pecunia reuocabiliter, seu ita vt dans posset eam repetere, censendum est vere mutuum esse; quandoquidem constat ex omnium sententia, mutuum esse dationem reuocabilem. Si vero data sit irreuocabiliter; seu ita vt dans non possit sic datam repetere, manifestum indicium est, eam non esse receptam virtute mutui, sed vẽditionis aut locationis initæ anticipata solutione. Et ideo vi eiusmodi contractus non potest repeti datum, *vt nec potest vi cuiuscunque alterius venditionis facta anticipata solutione*: sed exigi illud de quo transactum est, vel illius compensationem.

Addit autem, *contra Sotum loco cit. & Medinam in Cod. De acquisit. per vsuram, quæst. 4. vers. Supposito ergo*, idem Petrus à Nauar. *in num.* 242. & *aliquot sequenti. ius*, non esse illicitum dare mutuo pecuniam adiecto pacto, vt mutuatarius alium cõtractum statim celebret; vt si pecuniam mutuem, vt statim vendas equum tuum iusto pretio, vel mihi mutues triticum, vel aliud quo nunc indigeo. Ratio est, quia nullam causã mutui extorquet obligationem pretio æstimabilem, cum mutuatarius inde non maneat ad aliquid in posterum obligatus. Neq; est quod dicas mutuatarium per talem obligationem perdere libertatem vendendi, vel mutuandi in posterum: quia ex quo per illam in præsens tantummodo, non in futurum est quis subiectus, nullum cẽserur inde subire onus pretio æstimabile. Alioqui enim si absque mutuo accederem ad emendum ab eo, quantumcunque voluntarie venderet rogatus à me, posset vltra iustum rei pretium accipere aliquid pro obligatione per quam se similiter priuat prædicta libertate. Quod quidem dici non posse patet, cum alioqui similiter dici deberet, me quando mutuo do, posse aliquid exigere pro actu quo me priuo libertate mutuandi alteri rem meam, 198.

quod

quod absurdum est; illudque approbare, est viam munire ad approbationem vsuræ.

Accedit quod durum sit de vsura damnare hunc, aut similes contractus satis vsitatos, Do tibi mutuo 100. aureos, vel 100. amphoras vini, vt mihi vicissim mutues 100. modios tritici, vel vēdas iusto pretio 100. cados olei, præsertim cum, vt dictum est, talis obligatio imposita mutuatario (*vtpote quæ est ad breuissimum tempus*) nihil, aut parum onerosa censeatur, neque pretio æstimabilis. Adeo vt antedicta intelligi debeant de ea, quæ ad tempus futurum pertinet, vt satis aperte indicat D. Thom. 2.2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 4. inquiens: Licet simul mutuanti vinum, aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet, eum obligare ad mutuum in posterum faciendum. Quæ verba, quod Sotus dicit intelligenda esse de mutuo gratis, non autem ex obligatione statim facto; Petrus à Nauarr. *in nu.* 242. bene reiicit, quia mutuum quod gratis fiet in posterum, non est illicitum. Neque ratio fuit cur D. Thomas damnaret solummodo mutuum factum sub obligatione remutuandi in futurum, si perinde illicitum existimauit factum simul *statimve* sub obligatione remutuandi, aut ineundi alium contractum.

199. Recte vero idem author *num.* 246. admonet esse obseruandum, ne mutuatarius in contractu statim faciendo damnificetur, vt si ratione mutui cogatur emere illud quo non indiget: vt mercem inutilem, vel aliud eiusmodi onus subire; quale est emendi à te agrum sterilem, vel iura aut census parum vtiles, aut quorum fructus recuperare difficile sit, parumque secutum, &c. Tunc enim est vsura aperta, inducens obligationem resarciendi damnū quod mutuatarius subire cogitur ex mutuo, *vt idem author docet in sequent. num.* 404. Et ratio est, quia damnificatio censetur virtualis quædam alieni acceptio: quæ cum est iniusta, *vt in eo casu*, inducit obligationem ad restitutionem. Quæ obligatio, *vt idem addit*, habet etiam locum quando onus mutuatario impositum fuerit, etiamsi non lucrosum mutuanti; quale est, remutuandi, aut vendendi, aut locandi iusto pretio: Etenim sicut damnificatio, ita & impositio oneris, est quædam alieni acceptio: vnde si iniusta sit, inducit obligationem, tum relaxandi idipsum onus, tum soluendi pretium quo erat æstimabile: prout in explicatione sequentis dubij dicetur.

Admonet etiam recte idem *in eodem cap.* 2. *num.* 272. illud quod dictum est, in mutuo non committi vsuram, imponendo obligationem ineundi statim alium cōtractum, posse quidem in speculatione locum habere, quantumcumque res non tradatur statim, vt si quis mutuet mihi cum pacto, quod simul ei vendam iusto pretio triticum, quod non sum ei statim traditurus. Obligatio enim qua obstringo me ei triticum traditurum in posterum, non oritur ex mutuo, sed ex venditione, ex qua, in me gratiam ille vult expectare traditionem rei à se emptæ, adeo vt non ab ipso, vel à mutuo ipsius maneam obligatus, sed à me ipso, qui volui traditionem rei differri. Nihilominus tamen in praxi, propter turpis lucri, & fœnoris speciem, quam tale quid præ se fert, primoque aspectu videtur habere, sequendum esse contrarium.

200. Sextvm dvbivm est. An vsura sit, mutuare alicui, adiecto pacto, quo teneatur venire ad molendum in tuo molendino, vel ad emendum in tua officina, vel ad frequentandum tuam scholam? Ad quod cum Caiet. *in verbo vsura exterior, casu* 8. *Syluestro eodem verbo* 1. *quæst.* 7. *Tabiena eodem item verbo num.* 3. *Soto in* 6. *de iust. & iure quæst.* 1. *art.* 2. *pag.* 2. *sub finem. Nauar. in Enchir. cap.* 17. *nu.* 220. respondendum est affirmatiue, hoc est, vsuram in eo committi. Ratio est, quia eiusmodi pactum est onerosum, cum per illud mutuatarius subeat obligationem priuantem ipsum libertate ea, qua poterat adire quod vellet molendinum, aut quam vellet officinam. Quæ sane obligatio æstimabilis est pecunia, & vendibilis: perinde atque est ea, quæ colono imponitur, quando mutuo ei datur sub pacto, quod iusto pretio accepto coleat agrum mutuatoris: in quo vsuram committi patet ex explicatione præcedentis dubij.

201. Aduerte vero in casibus in quibus vsura committitur imponendo mutuatario obligationem aliquam ciuilem, mutuantem teneri, & eam ipsam relaxare in posterum, omninoq; remittere, & mutuatario ad arbitrium viri bōni restituere quantum eadem valuit per totum tempus, quo ipsa præcessit: prout Caietanus & Nauarrus habent locis citatis. Couar. item *lib.* 3. *var. resol. cap.* 2. *nu.* 5. *vers. Quantum vero.* Id autem procedit, prout Nauarr. addit, etiamsi mutuatarius nihil inde perdat, neq; mutuator aliud commodum acquirat, quā quod mutuatarius debeat ad molendinum ipsius ire, aut in officina ipsius emere. Porro in computando valore dictæ obligationis, animaduertendum est; quod si mutuatarius ex ea priuatus fuerit libertate accedendi ad alios à quibus vilius emere, aut quibus maiori pretio operas suas locare potuisset, inde & ex aliis similibus circumstantiis quantitatem restitutionis augeri: sicut & ex eis augetur grauamen oneris impositi ob mutuum.

Lucrum autem illud quod mutuator reportat ex eo, quod mutuatarius veniat ad molendinum suum, vel ad suam officinam, non tenetur restituere, quando iustum fuerit, nec excedens mercedem pro molitione constitutam, neque pretium pro mercibus emendis determinatum: ita vt mutuatarius non grauetur in alio plus cæteris, quam in obligatione qua adimitur ei libertas eundi alio ad molendum, vel emendum; ita locis cit. Caiet. & Medina docent. Ratioque est, quia in nullo ea ex parte lædi-tur, aut grauatur proximus; ideoque non committitur iniustitia, quæ fundet obligationem ad restitutionem. Neque refert quod mercatores ad se emptores venire, tanti faciant, vt stipendium dent proxenetis, qui eos quærunt, & ad se adducunt. Id enim fit, quia plus ipsi lucrantur, quando pluribus iusto etiam pretio vendunt: neque emptoribus ipsis in eo nocent, damnumque inferunt, si, *vt supponimus*, iusto pretio illis vendant. Id quod annotans Petrus à Nauar. in cit. cap. 2. num. 269. attingit bonam rationem, qua docetur prædictum lucrum non esse vsurarium: quia nimirum quoties nec in pecunia, nec in aliare pretio æstimabili, proximus grauatur occasione mutui, etiamsi mutuator lucrum reportet, non debet censeri commissa vsura, quæ essentialiter est læsio proximi, & iniustitia contra septimum præceptum Decalogi, ex dictis in præced. lib. 23. cap. 5.

Septimvm dvbivm est. An sit vsura, mutuare 202.
alicui Principi cum pacto, vt concedat tibi officium Prætoris, vel aliud temporale? Ad quod communiter post D. Thom. in opusc. 21. quæst. 5. respondetur affirmatiue; quia talis concessio de se est pretio æstimabilis, cum illud quod conceditur, possit pecunia vendi, nec gratis dari, vt ipse D. Thom. in ead. quæst. definit, *addens tamen tale quid non expedire.* Procedit autē istud documentum, quantumcumque stipendium tali officio annexum nō excedat pretium laboris subeundi in eo gerendo, *vt contra Adrianum cum Med. in Cod. De acquisitis per vsuram, quæst.* 4. *vers. Inde sequitur, annotat Petrus à Nauarr. lib.* 3. *de rest. cap.* 2. *num.* 273. quoniam ea quoque ratione tale officium est pretio æstimabile: vtpote temporale, quo tanquam iusta mercede possunt suscepti labores compensari. Quod cum ita sit, manifestum est vsuram maiori ratione cōmitti in his casibus. Primus, si quis mutuet Principi vel Communitati cum pacto, vt tributum, vel gabellas non soluat; siue in perpetuum, siue durante mutuo. Secundo, si mutuet vt concedatur sibi aliqua prærogatiua, aut ius ad aliquid. Tertio, si mutuem tibi, vt pro me deprecetis Papam, vel Episcopum, vel Regem, vel alium, ad fauorem aliquem temporalem obtinendum. In quibus præter vsuram potest etiam simonia, aut aliud peccatum committi, quod erit ex circumstantiis iudicandum.

Si quæras, an mutuans teneatur officium dicto modo 203.
acceptum dimittere: ita vt liberum sit mutuatario, illud alteri conferre? Ad quod Petrus à Nauar. *in sequen. nu.* 409. respondet distinctione: nempe si tale officium possit solealque lege vel consuetudine vendi, restituendum esse pretium quod valet: quia mutuans lucratur illud iniuste ex mutuo, cum damno mutuatarij, qui pro eodem officio posset idipsum pretium accipere. Si vero gratis erat conferendum, non videri obligationem esse restituendi, siue offi-

officium ipsum, siue fructus ex eo perceptos, etiamsi excederent operas & labores, quando mutuum & collatio officij simul fiunt. Ratio reddi potest, quia sicut nulla vsura est, nec iniustitia mutuare cum pacto, vt res alia mutuo detur, vel commodetur, vel iusto pretio vendatur, dummodo id fiat statim, nullaque relicta obligatione in posterum, ita nec officij vel alterius rei temporalis collatio facienda gratis, censeri debet vsuraria, vel iniusta, si quis mutuet ea lege, vt statim ea fiat: nulla enim mutuanti iniuria per id irrogatur, nec imponitur obligatio æstimabilis pretio tanquam onerosa: adeo vt nullam iacturam, nec damnum inde sentiat. Obligatio autem ad restitutionem non est, nisi interueniat proximi læsio, contra iustitiam commutatiuam. ex communi doctrina de restitutione.

104. OCTAVVM DVBIVM EST. An sit vsura, mutuare sub pignore, cum pacto quod fructus ex illo percepti, interim dum solutio non fit, cedant in commodum mutuantis? Ad quod respondetur affirmatiue iuxta textum in Cap. 1. & 2. De vsuris. Et patet, quia ibi est lucrum ex mutuo vi mutui, non autem alicuius alterius contractus annexi. Neque enim ibi emptio est: quia is qui pignus accipit, non acquirit illius dominium: neque est societas, quia nihil in commune confertur à contrahentibus quod lucro, & damno exponatur: sed vterque contrahentium seorsim sibi lucrum acquirit, vnus ex pecunia mutuata, alter ex pignore. Nec denique est locatio, quia dans pignus nullam ex eo mercedem accipit, cum debeat totam pecuniam mutuo acceptam reddere.

105. Quocirca tenetur mutuator præfatos fructus, vel domino pignoris reddere, vel in sortem principalem computare, etiamsi dominus ipse nõ erat alias tales percepturus, vt contra Sotum *in 6. de iust. & iure quæst. 1. art. 2. sub finem* Nauar. probat in Enchir. *cap. 17. num. 216.* quia id non impedit quominus tales fructus sint producti ex re debitoris. Nec vero fructus tantum pignoris in sortem computandi sunt; sed etiam vsus pignoris, si talis sit qui pretio soleat æstimari, nisi is vsurpetur de volũtate domini expressa, vel saltem tacita: qualis censetur, cum res data in pignus, talis est, cuius vsus inter amicos gratis dari solet, vt vsus libri. Non est vero negandum, mutuatorem posse bona fide pacisci de suo damno vitando in oneroso pignore: posseque non computare in sortem expensas quantitati talis oneris congruentes quæ domino pignoris sunt imputandæ. Ita docet Caiet. *in verbo vsura cap. 2. Casu 11. consentitque Sotus lib. 6. de iust. & iure quæst. 1. art. 6.*

106. NONVM DVBIVM EST. An montes qui dicuntur pietatis sint liberi ab omni vsura? Ad cuius explicationem prænotandum est; per montem pietatis significari summam aliquam, seu cumulum pecuniarum, aut tritici institutum vt ex eo mutuum detur pauperibus, & quibuscumque indigentibus cum hac triplici lege. Prima est, vt ex pecunia montis (qui est semper quidam certus pecuniarum cumulus) detur mutuo singulis indigentibus vsque ad 10. aureos soluendos infra annum, vel duos annos. Secunda est, vt mutuatarius monti det idoneam pignora, quæ transacto tempore ad solutionem statuto, statim vendantur si ipse non soluat, vt ex pretio pecunia monti debita soluatur, & reliquum mutuatario restituatur. Tertia est, vt singuli mutuatarij soluant vltra sortem certum lucrum singulis mensibus pro quantitate mutui, ad satisfaciendum stipendiis ministrorũ montis, & cæteris necessariis expensis pro custodia pignorum, & conseruatione eiusdem mõtis: nam ad id conducitur domus, emitur arca, conficitur liber in quo singula describantur, nonnullaque alia necessaria fiunt. Constituuntur vero huiusmodi montes aliquãdo ex bonis donatis seu relictis ab aliquo Principe, aliove domino diuite; aliquando ab aliqua Communitate ex eleemosynis & contributione ciuium, vel ex eiusdem Communitatis bonis, seu ex ærario publico.

Quæ cum ita sint, de proposito dubio sunt duæ sententiæ. Prior Caiet. in tract. De monte pietatis, *qui sextus habetur in tomo 2. opusc. ipsius*, & Sotus *lib. 6. de iust. & iure, quæst. 1. art. 6.* vsuram contingere in monte pietatis, per tertiam legem ante propositam. Primo, quia vsura est si mutuator aliquid à mutuatario accipiat vltra sortem. Secundo, quia idem facere liceret cuique priuato. Tertio, quia ad eum qui montem ipsum instituit, pertinet satisfacere expensis quæ circa illum fiunt, cum mutuator teneatur suum illud officium mutuandi præstare gratis.

Posterior sententia est Medinæ *in Cod. de acquisit. & per vsur. am, quæst. 10.* Nauar. in Enchir. *cap. 17. num. 213. & in comment. De vsuris nec tabli 20.* (quibus assentiuntur Lud. Molina *in citato tractatu 2. disput. 325.* & Ferdinandus Rebellus in 2. parte De obligationibus iustitiæ *lib. 8. cap. 13.*) montem prædicto modo constitutum, esse licitum, & ab omni vsura liberum. Ratio est, quia lucrum quod mutuatarij in eo soluunt, non soluitur ratione mutui, sed propter expensas ipsius montis; atque adeo ratione damni emergentis; aliqui enim mons ipse vel omnino, vel saltem ex parte periret; cui damno vt prospiceret ille qui montem ipsum instituit in gratiam pauperum, potuit eis imponere onus cõtribuendi ad id, quod necessarium esset ad illius conseruationem: præsertim cum ex reg. 55. iuris in 6. Qui sentit commodum, sentire debeat onus, sicut & è contra: atque ad eum spectet rei custodia, in cuius commodum custoditur. Adeo vt rationi consentaneum sit, quod pauperes, in quorum vtilitatem institutus est mons, faciant eiusmodi expensas necessarias ad illius cõseruationem. Adde quod eius generis montes per Paulum II. Sixtum IV. Innocen. VIII. Iulium II. Alexand. VI. probatos, Concilium Lateran. sub Leone X. confirmet sess. 10. per Bullam quam refert Medina in citata quæst. 10. Quod si quis respondeat, non omnia illius Concilij decreta esse vsu recepta; occurrendum est, quod etiamsi talis responsio possit locum habere in censuris, & aliis pœnis ac decretis iuris tantum humani, ibi editis, non habere tamen in definitione illius quæstionis, qua quæreba tur, an istiusmodi montes sint liciti, necne? quia quæstio est fidei, & morum: a cuius definitione per Ecclesiam facta, nõ licet recedere: ac proinde nec dicere, eosdem montes esse illicitos. Quapropter caute legendus est Sotus loco cit. aut forte non legendus.

107. Ad illius autem & Caiet. primam rationem respondetur, lucrum illud non solui vi mutui, sed pro stipendiis ministrorum & aliis expensis faciendis ad conseruationem ipsius montis. Ad secundam; cum priuatus destinat pecuniam ad mutuandum indigentibus, retinet apud se illius dominium, etiam dum est ad id parata: ideoque non potest aliquid exigere à mutuatariis pro illius conseruatione: quia cum sit ipsius, debet tanquã dominus, illam suis expensis conseruare. Secus autem est in fundatore montis pietatis, qui simpliciter donauit totã pecuniam quam in eo reliquit, à seque abdicauit illius dominium, & ideo non pertinet ad ipsum conseruare eumdem montem: sed ad eos quorum est mons ipse, nempe ad mutuatarios, quibus habent sumendi ex eo mutuum. Quæ responsio eadem est ad tertiam rationem.

208. Aduerte autem primo, quod quemadmodum mutuatarius qui longiore tempore mutuo acceptã retinet, plus soluit pro lucro cessante, eo quod plus lucri cesset: ita etiam æquitatem postulare, vt is qui pluribus mensibus detinet pecunias montis pietatis, plus contribuat ad expensas, in quantum est impedimento ne mensibus illis eas accipiant alij, qui contribuerent ad satisfaciendum expensis. Aduerte 2. cum in satisfactione pro talibus expensis nequeat omnino æquitas attingi, satis esse statuere leges rationabiles, secundum quas, quantum rei natura patitur, æqualitas seruetur. De quibus legibus non est quod mutuatarij conquerantur, cum nemo ad eas subeundas (sicut nec ad talem contractum incundum) cogatur: ac quæ per illas ordinantur, eo spectent, vt indigentes à longe maioribus grauaminibus liberentur. Aduerte 3. cum Medina loco cit. vsuram committi, si in dictis montibus lex apponatur, vt vltra sortem & taxam pro expensis, mutuatarij dent aliquid aliud pro montis augmento: quia id lucrum acciperetur ex vi mutui.

209. DECIMVM DVBIVM EST. An sit vsura, si ciues contribuant, vt ex contributionibus fiat magnus quidam numerus pecuniarum, ex quo singulis indigentibus detur mutuo, & mutuatarij teneantur contribuentibus soluere

quin-

quinque pro 100. ratione lucri cessantis, vel damni emergentis? Ad quod respondetur, talem mutuandi modum generaliter illicitum esse, & vsurarium; quia non omnibus ciuibus qui contribuunt, lucrum cessat: cum non omnes eas pecunias, quas contribuerunt, habuerint negotiationi expositas. Quanquam tamen ratione illorum quibus reuera lucrum cessat, aut damnum emergit, excusatio potest esse ab vsura.

VNDECIMVM DVBIVM EST. An sit vsura, si in subsidium indigentium ciuitas constituat censum quinque pro centum super bonis suis, & cogat ciues singulos certam portionem eiusdem census emere, vt inde fiat pecuniarum cumulus, ex quo accipientes mutuo, supra sortem & taxam, pro expensis ad illius conseruationem necessariis, soluant quinque pro 100. in censum quem ciues emerunt? Ad quod respondetur, non esse vsuram. Nam ex parte ciuium contribuentium nõ est mutuum, sed emptio census facta iusto pretio. Nec ex parte mutuatariorum iniustitia committitur qua grauentur: cum in commodum ipsorum institutus sit talis contractus: eisque relinquatur liberum vti beneficio illius, vel nõ vti, perinde ac in monte pietatis, de quo præcedenti dub. 9.

210. DVODECIMVM DVBIVM EST. An vsura cõmittatur, cum Princeps, vel Respub. egens pecunia, cogit ciues ad mutuandum sibi ea lege, vt donec acceptam pecuniam restituerit, soluat eis quotannis 5. vel 6. pro 100. vel concedat ius accipiendi certos reditus annuos, quos habẽt ex vectigalibus, aut gabellis, aut aliis impositionibus, siue antiquis, siue nouis, aut etiam ex iuribus principalibus: hocque cum conditione, quod ipsi ciues datam pecuniam repetere non poterunt, etsi liberum ipsis erit reditus ob datam accipiendos, transferre in hæredes, aut alteri resignare, vel vendere eadem lege: nimirum vt non possint pecuniam ipsam datam repetere: Princeps autem, vel Respub. possit cum voluerit pecunias acceptas restituere, & se ab illo onere redimere? Respondetur, id posse sine vsura fieri: quoniam habet rationem quandam census annui. Sicut enim in censu emitur ius percipiendi annuam pensionem ex re alterius: sic etiam illi qui ita Principi, aut Reipub. suam pecuniam dant, emunt ius percipiendi fructus, seu prouentus ex illius bonis: vixq; in alio differunt, quam ciues cogantur emere tales census.

Vt autem eiusmodi contractus fiat sine vsura, aut alia iniustitia, requiritur primo, vt is fundetur in veris Principis, vel ciuitatis iuribus, vel reditibus, siue antiquis, siue nouis; alioqui non esset vera, sed tantum ficta emptio: & per consequens vsuraria, habens rationem mutui, ex quo lucrum capiatur. Secundo, requiritur vt ciues pecunias suas non dederint mutuas: nempe ita vt possent eas si vellent, repetere, sed dederint in pretium iustum quo emerent quinque vel sex pro centum: alioqui enim, *vt patet*, cõmitteretur vsura. Idem iudicandum est de cæteris quæ ad censum requiruntur, vt non sit vsurarius; de quibus inferius suo loco. Tertio, requiritur vt talis contractus non fiat sine graui, & vrgente necessitate: cum sine hac nemo cogi debeat ad emendum.

211. DECIMVMTERTIVM DVBIVM EST. Vtrum sit vsura, si quis nauiganti mutuet mille aureos cum pacto & obligatione, vt mutuatarius secum faciat contractum assecurationis, per quem teneatur sibi certum quid soluere pro quolibet centenario numero illorum aureorum? Ad quod respondendum est affirmatiue: quia obligatio qua mutuatarius sic adstringitur, est quid pecunia æstimabile, iuxta ea quæ supra de obligatione veniendi ad molendinum, & aliis id genus, diximus. Vnde fit, vt sine vsura imponi nequeat ratione mutui. Id quod expresse docet Caiet. *in verbo vsura cap. 2. Casu 12.* & indubium esse ait Nauar. *in Enchir. cap. 17. nu. 283. litera A.* tenetque aliquot aliis citatis Couar. *in lib. 3. variarum resol. cap. 2. num. 5.* Id quod habet locum, etiamsi mutuans ita diceret, Do tibi mutuo ea lege, vt si cum aliquo sis initurus contractum assecurationis huius pecuniæ, illum mecum ineas. Nam hæc quoque obligatio æstimabilis est pecunia. Nec refert quod mutuans non nisi iustum pretium pro assecuratione accipiat, quia non ideo ipsum in tali casu vsurarium dicimus, quod supra iustum pretium aliquid accipiat, sed quod ex mutuo obligationem acquirat pretio æstimabilem.

Cæterũ si mutuo sine aliqua obligatione accepto, mutuatarius contractum assecurationis celebret cum mutuante, non est dubium quin pro periculo quod in se suscipit, possit accipere pretium iustum, seu tanti valoris iudicio prudentis, quãti est obligatio quam in se suscipit, sicut posset quiuis alius. Neque enim ex eo quod sit is qui mutuauit, censendus est conditionis peioris esse quam alius. Quocirca nullam committit vsuram, vt memorati authores, aliique passim notant: imo nec aliud peccatum in eo cõmittit, si pretium reuera iustum sit, & absit scandalum. Cum enim rem in tuto constituere, sit pretio æstimabile, is qui periculum illius in se susceperit, potest ob eam causam pretium citra vllam iniustitiam recipere à contrahente secum, dummodo fraus aliunde non interueniat. Id quod locum habere, etiamsi assecurator nullam operam impensurus sit pro periculo effugiendo, propterea videtur existimandum, quod tunc pretium non accipiatur pro eiusmodi opera, sed potius pro assecurando rei euentu dubio. Vbi aduerte obiter, assecurationẽ supponere rem esse in periculo, vel esse posse: vnde si iam sit secura; vt si nauis scitur peruenisse ad portum, aut contra iam periisse; contractus assecurationis est nullus, tanquam fraudulentus, & in quo pretium accipitur pro eo quod nullius pretij est, puta pro periculo dubio, quod non datur in illis casibus. Videndus est Lud. Molina de iust. & iure tract. 2. disp. 507.

Porro dictis obstare videri potest textus in Cap. Nauiganti, De vsuris: sic enim habet; Nauiganti vel eunti ad nundinas certam mutans pecuniæ quantitatem; eo quod in se suscepit periculum recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus. Sed non obstat; quandoquidem possumus cum Nauar. loco cit. illum intelligere, vt pertinentem ad lucrum externum; in quo vsura præsumitur in mutuante, quando aliquid accipit ob mutuum numeratæ pecuniæ, nisi probet se alia ratione quam mutui accipere. In foro interno autẽ, si rei veritas sit, quod ob solam securitatem præstitam accipiat, excusatur ab vsura, nisi acciat plus quam pro eadem securitate tertius acciperet. Possumus quoq; sequi sensum illum cõmuniter à Theologis approbatum, prout Couar. in cit. num. 5. vers. 2. annotat; vt non sit tibi sermo de omni assecuratione: sed tantum de ea quæ sic fit, vt mutuatarius simul cum sorte capitali teneatur tantum mutuanti soluere, quantum pro assecuratione solueret tertio: vt si quis mutuando dicat, mutuo tibi nauigaturo centum; atque loco assecurationis quam eras alioqui adhibiturus; quinque mihi quæ eras illi daturus, solues eo nomine, quod te liberem ab assecuratore ponendo: ita nihilominus vt ad capitale soluendum maneas obligatus. Etenim contractus eiusmodi vsurarius est ex natura rei: quia mutuans nullam obligationem suscipit, sed fingit se suscipere eo nomine, quod à dando fideiussore liberet mutuatarium, nihilominus manentem illi obligatum ad totum capitale soluendum.

CAPVT XII.

De mutuo in ordine ad causas excusantes ab vsura.

SVMMARIVM.

213 *Causæ ob quas licet capere lucrum in mutuo.*
214 *Quid significetur feudi nomine.*
215 *Quid sit emphyteusis.*
216 *Quatenus feudum & emphyteusis ab vsura excusent lucrum in mutuo.*
217 *Definitio fideiussionis cum sua explicatione.*
218 *Quatenus fideiussio excuset lucrum in mutuo.*
219 *Duo obseruanda de fideiussore.*
220 *Qui sunt qui nequeunt fideiubere.*
221 *Alia de fideiussore obseruanda.*
222 *Solutio dotis dilata, est iusta causa accipiendi lucrum in mutuo, & cur sit.*
223 *Corollaria inde deducta.*

224 Quod

224 *Quod tale lucrum possit esse vt in fructibus pignoris, sic in pecunia illis æquipollente.*
225 *Alia corollaria de vsu pignoris dotalis fructiferi.*
226 *De acceptione lucri in mutuo, licita eo quo habeat rationem quandam recuperationis sibi debi i.*
227 *De eadem licita ob lucrum ex mutuo cessans, vel damnum emergens.*
228 *Licitum esse aliquid supra sortẽ in mutuo accipere in pœnam omissæ solutionis.*
229 *Qualiter imponi, & qualis esse debeat talis pœna.*
230 *Excusatio à tali pœna.*
231 *Quando eadem censeri possit imposita in fraudem, vel exigi non possit.*
232 *De lucro ex pacto retrouendendi rem emptã, vel vendendi pignus, nisi mutuum datum soluatur in termino præfixo.*
233 *Per donationem fit licite lucrum in mutuo, & quæ conditiones ad id requirantur.*
234 *Explicatio dubij, an licite accipi possit quod creditur dari intentione obtinendi mutuum.*
235 *Explicatio alterius dubij de accipiente à mutuatario, cui inculcauit mutuum datum.*
236 *Quid tenendum sit de eo, quod Principes mutuo accipientes, aliquid supra sortem addunt, quod se liberaliter donare dicunt.*
237 *Lucrum licitum in mutuo ad contractum societatis, vel ob secundarium pecuniæ vsum.*
238 *De conditione viduali, ob quam lucrum accipi potest in mutuo.*
239 *Quædam circa eandem notanda.*
240 *Conditio pupillaris excusans lucrum in mutuo.*
241 *Pignus onerosum qualiter excuset.*
242 *Qualiter assecuratio.*
243 *Qualiter antiqua consuetudo.*
244 *Qualiter euentus, aut quod mutuum repeti non possit.*
245 *De labore, cura, opera, & alijs id genus, item q̃, de vsu depositi, de administratione, ac de cambio.*
246 *De periculo amittendi sortem.*

213. ETsi non liceat propter mutuum, alioquid vltra sortem accipere, licet tamen propter alias causas, quæ fæpe sunt ipsi mutuo adiunctæ: quod quidem est lucrum capere, non quidem ex mutuo, aut pro mutuo; sed in mutuo. Quindecim vero tales (quibus nonnullas alias addemus) communiter assignari solent indicatæ his versibus.

Feuda, fideiussor, pro dote, stipendia Cleri,
Venditio fructus, cui velles iure nocere,
Vendens sub dubio, pretium post tempora soluens,
Pœna nec in fraudem, lex commissoria, gratis
Dans socijs, pompa, plus sorte, modis datur istis.

Prima causa, feudum, ac eius affinis, Emphyteusis.

214. CIrca primam causam præmittendum est, feudi nomine significari contractum, quo quis retento sibi dominio directo, seu proprietate rei immobilis, puta fundi, domus, vel prædij dominium vtile in alterum transfert gratis, id est, pro nullo pretio, vel annua pẽsione, solum pro seruitio personali. Atque is qui dominium vtile acquirit, hoc est, qui quasi dominus totam rei vtilitatem percipit, feudarius, & vassallus dicitur. Ille vero qui illud concedit retento dominio directo, seu proprietate rei, dicitur Princeps: illeque huic præstare debet iuramẽtum fidelitatis: quod nimirum non inferet ipsi damnum, sed ipsum defendet, iuuabit consilio, re, & personâ suâ: nisi id faciendum esset contra superiorem dominum, qui debet semper excipi in iuramento; aut contra ius proprium, quod potest defendere, etiam contra dominum suum. Ab vsufructu vero feudum in hoc distinguitur, quod vassallus re acceptâ vtatur iure dominij, quo potest illam vendicare sibi vtiliter: neq; morte ipsius illud finitur, sicut vsus fructus: sed tranfertur ad hæredes, qui per se, aut per alium possint præstare obsequium debitum. Cætera de feudo late persequitur Sylueſter in verbo feudum: & de eo titulus habetur in Decretalibus Gregorij, qui est 20. lib. 3. & in iure ciuili habentur libri qui inscribuntur Consuetudines feudorum.

EMPHYTEVSIS autem (de qua habetur Cod. titulus De iure emphytheutico: & ff. titulus, Si ager vectigalis, *id est*, Emphyteuticarius petatur) est contractus, quo quis retento sibi dominio directo, seu proprietate rei alicuius immobilis, in alterum transfert dominium vtile, seu quo tanquam dominus, totam rei vtilitatem ad longum tempus, vel in perpetuum percipiat pro annua pensione: sicque dicta est ab ἐμφυτεύειν, quod est, inserere, seu plantare: vt indicaretur ratio cur in perpetuum, aut certe in longum tempus hic cõtractus fiat: nempe, quia nemo vult arbores plantare nisi in agro suo, aut saltem in fundo ad diuturnum tempus conducto: Item, quia vt plurimum in Emphyteusi dantur steriles fundi, vt emphyteuta eos colat, & fructiferos reddat; adquod requiritur lõgum tempus. Cætera quæ spectant ad Emphyteusim ipsam, qui volet videre, adhuc poterit apud Syluestrum in verbo Emphyteusis, & latissimè apud Ludouicum Molinam *de iustit. & iure tractat. 2. à disputat. 444. vsque ad 485.* Satis enim fuerit huic loco, annotasse Emphyteusim à feudo distingui eo maximè, quod in isto res detur pro personali obsequio: in illa vero pro annua pensione: ideoque illud personæ potius, quam patrimonio adhæreat: hæc vero contra. 215.

Atq; vt ad rem accedamus, prima causa propter quam licet accipere lucrum in mutuo, est feudum, ex cap. Conquestus, De vsuris, & cap. 1. De feudis; vbi directo domino feudi facultas datur percipiendi fructus eiusdem feudi, non cõputatis illis in sortem, quando feudatarius mutuum accipiẽs ab ipso, dat ei in pignus idipsum feudum. Quod ideo fit sine vsura (vt declarant Medina in Cod. De acquisitis per vsurã *quæst. 2 vers. Ad Cap. Conquestus*; & Sotus in 6. de iustit. & iure *quæst. 1. art. 2. ad 2.*) quia de natura feudi est, ex citato cap. 1. De feudis, vt quando vassallus domino directo illud impignorauerit, dominiũ vtile, seu fructus feudi ad ipsum dominum directum pertineant cum hac conditione, vt vassallus ipse sit liber à seruitio, quod erat ob feudum soluturus. Quâ sane ratione perceptio fructuum vsuraria non est: quia non percipiuntur vi, seu causa mutui, sed quia ex natura cõtractus feudalis, domino directo tunc debentur, suntque illius tempore pignorationis. Nec item est iniustitia: quia frequẽtissimè fructus rei feudalis sunt eiusdem æstimationis, & valoris, cuius sunt ipsa seruitia, quæ ratione feudi à vassallo debentur domino directo, prout notat Couarr. lib. 3. var. resol. cap. 1. num. 4. 216.

Locum autem hæc habent, siue feudum sit Ecclesiasticum, siue seculare, iuxta tradita à Medina loco cit. Habent etiam locum ex Couarr. in fine citati numer. 4. in Emphyteusi. Nam si emphyteuta domino directo det in pignus rem quam ab eo accepit pro pensione annua, potest idem dominus talis rei fructus interea accipere; non quidẽ ratione mutui: sed quod interea, non accipiet pensionem sibi ex eiusmodi re debitam. Veruntamen, vt hæc procedant, necessariæ sunt certæ conditiones, quas Alfonsus à Neapoli in tractat. De vsuris quæst. 21. concl. vltima refert. Prima est, vt res feudalis aut emphyteutica impignorata, fuerit gratis cõcessa pro seruitio, vel pensione. Secunda, vt eadem res non fuerit meliorata per feudatarium aut emphyteutam. Tertia, vt dominus directus debitum seruitium, vel pensionem nõ recipiat, quandiu percipit dictos fructus. Nisi enim conditiones hæ concurrãt, mutuatarius grauabitur, & mutuator faciet ex mutuo lucrum; quod vsurariũ est. Qua de re Petr. à Nau. *lib. 3. De restit. cap. 2. num. 369. & aliquot sequentibus*, latius disserit: addens quartam conditionem, nempe vt seruitium illud quod remittitur, æquipolleat fructibus percipiendis, ne lucrum accipiatur ex mutuo.

Secunda causa, fideiussio.

HÆc frequens est in mutuo; & commendatur tanquam Reipub. vtilis: quia multis indigentib. vix vnquam sine ea mutuo daretur pecunia: vixq; emptiones fierent creditâ pecuniâ. Adde quod per eam assecurentur debita. Atq; de fideiussione agitur in iure ciuili tit. 21. lib. 3. Institutorum, & tit. 7. lib. 27. ac tit. 1. li. 46. Digestorum; titulo item 41. lib. 8. Codicis, & in iure canonico titul. 22. libr. tertij Decretalium Gregorij.

217. Est autem fideiussio contractus, quo quis pro alio principali debitore, se per stipulationem accessorie obligat; illo principali nihilominus manente obligato. In qua definitione particula, *pro alio debitore*, separat fideiussorem ab eo qui se pro seipso soluturum promittit. Particula vero, *per stipulationem*, eundem separat à mandatore, qui non per stipulationem, sed nudo suo consensu alienam obligationem in se suscipit. De quo est titulus 27. lib. 3. Institut. & tit. 1. lib. 17. Digestorum, & tit. 35. lib. 4. Codicis. Particula, *accessorie obligat* eundem separat à correo, qui non accessoriè, seu secundario obligatur, sed principaliter, seu tanquam principalis debitor, de quo titulus est De duobus reis, & c. 17. lib. 3. Instit. tit. 2. lib. 45. Digestorum, & 40. lib. 8. Codicis. Quod restat in definitione, indicat fideiussorem non transferre in se obligationem ex toto, sed principali non satisfaciente.

218. Ex communi ergo sententia (vt in eam multos authores referens notat Couar. *lib. 3. var. resol. cap. 2. num. 6.*) fideiussio causa est iusta accipiendi lucrum in mutuo; dummodo ipsa sit vera, vt quando Titius reuera de suo mutuat Sempronio, & Caius fideiubet. Nam si ficta sit, dubium non est committi vsurâm palliatam, vt cum Titius pecuniâ suam tradit Caio mutuandam Sempronio, vt ipsemet Titius pro eodem Sempronio fideiubens accipiat aliquid supra sortem in precium fideiussionis. Porro cum fideiussio fuerit vera, pretium ratione illius dupliciter accipi potest licite: vno modo propter officium fideiubendi, quemadmodum tradunt Sylvest. Angel. & Tabien. verbo fideiussor in fine, alijq; multi quos post Couar. loco cit. commemorat Alphonsus à Neapoli *in tractatu de vsuris quæstio. 23. conclus. 4.* Et probatur, quia omnis obligatio ciuilis, æstimabilis est pecuniâ; & per cõsequẽs, tutâ conscientiâ vendi potest, iuxta *D. Thom. 2. 2. quæst. 78. artic. 2. ad 4. & Caiet. an. ibid.* Ergo fideiussor qui ciuiliter se obligat ad soluendum pro mutuatario, potest huic obligationem illam vendere tanquam de se æstimabilem pecuniâ: non minus quam illam, quâ se obligaret ad mutuandum.

Difficvltas est autem, an istud locum habeat, siue fideiussor exonat se periculo perdendi, q̃ pro debitore soluerit, siue non exonat. De qua Petr. à Nauar. in vtramq; partem authores referens *in lib. 3. De rest. cap. 2. n. 147. & 148.* affirmantem merito sequitur: quia fideiussio sola, seorsimque ab eodem periculo sumpta, est ciuilis habens adiunctũ onus supplendi in posterũ debitoris defectum in soluendo: ideoq; æstimabilis est pretio. Id quod patet etiam ex eo, quod nemo dixerit licitum mihi esse mutuo dare alteri, adiecto pacto & obligatione, vt apud tertium pro me fideiubeat. Verum in hac materia cauendum est ab iniustitia, quæ accideret si fideiussor pretium iniustum acciperet; vel iustum quidem, sed quando nullum esset periculum, eo quod constaret mutuarium soluturum: ita vt fideiussio tantum esset pro forma, atq; adeo moraliter loquendo, minime esset pretio æstimabilis. Itemq; accideret, si sumeret magnum pretium, quando periculum esset modicũ: ex iustitiæ æquitate enim pretium periculo respondere debet.

Altero modo pretium accipi potest ratione fideiussionis, quando quis non tantũ fideiubet, sed etiam soluit pro alio; sæpe enim accidit vt debitor non soluat suo tempore, & ideo fideiussor cogitur loco illius soluere. In quo casu certum est ex cap. 2. De fideiussoribus; quod fideiussor vltra id quod soluit, accipere possit omne interesse, id est, omne damnum emergens, vel lucrum cessans ratione talis solutionis. Non potest vero eo solo titulo, quod pro alio soluat, aliquid accipere vltra sortem, quia esset vsura, cum talis solutio rationem habeat mutui. Itaq; ex sola quidem fideiussione nunquam nascitur vsura, quia fideiubere, non est mutuare, vt recte docet Sylu. in verbo fideiussor in fine: nasci tamen potest ex fideiussione coniunctâ cum solutione.

Hic propter frequentem vsum fideiussionis in mutuo, nõ erit abs re ex multis quæ latè persequitur Lud. Molina *de iust. & iure tract. 2. à disp. 539. ad 548.* nonnulla in eodem vsu imprimis notanda paucis perstringere.

219. Primvm est, *de quo Angelus §. 13. & Sylvest. quæstio. 10. in verbo fideiussor*, fideiussorem ex Authentica, Præsente, De fideiussoribus, non posse præsente, & indiscusso principali debitore, conueniri vt pro eo soluat, exceptis tribus casibus: primus est, quando principalis ipse debitor non est soluendo: secundus, quando idem procul abest, vel non habet bona in eodem territorio, ita vt commode conueniri nequeat: tertius, quando fideiussor ipse renunciauit expresse beneficio memoratæ Authenticæ, quod fauore ipsius constitutum est. Adde extra eosdem etiam casus; cum fideiussor soluerit ignorans eiusmodi beneficium, *quod poterit opponere ad se tuendum*, solutionem valere, nec creditorẽ teneri eam restituere, provt ex Gomesio habet Leonar. Lessius *De iust. & iure lib. 2. cap. 28. num. 10.* per hanc rationem; quod tale beneficium non sit iure inductum contrà substantiam actionis, & obligationem, sed solum modo ratione ordinis procedendi. Id quod plenius explicatum videre est apud Molinam *in cit. tract. 2. disp. 546. à medio ad finem vsque.*

Secvndvm est, *quod cum Panormit. communiter teneri, notant in verbo fideiußio Angelus §. 17. & Sylvest. quæstio. 14.* cum terminus solutionis à creditore prorogatur in fauorem debitoris, fideiussorem manere obligatum, si simpliciter se obligauit pro debitore; non autem si se tantum ad certum terminum obligauit. Ratio est, quia priore modo contracta obligatio non tollitur aduentu termini, sicut posteriore.

Tertivm est, quod fideiubere possit tantum is qui liberam suorum bonorum habet administrationem: adeo vt fideiussor debeat habere propria bona, & sufficientia ad satisfaciendum creditori, & damnis secutis; principali debitore non satisfaciente. Itaque, *iuxta habita in præced. cap. tract. 9.* filiusfamilias nisi habeat peculium castrense, vel quasi castrense, non potest fideiubere sine facultate patris, nec pupillus sine facultate tutoris, nec minor 25. annis, sine facultate curatoris, nec item amentes, nec furiosi, nec etiam Religiosi, nisi ab Abbate & Conuentu mandatũ ad id habeant, ex cap. penult. De fideiussoribus. 220.

Adde quod nec clericus possit fideiubere pro laico, ex cap. 1. eodem titulo. Excipiendus est tamen casus necessitatis, in quo sicut tenetur clericus indigenti subuenire, ita & pro eo fideiubere. Imo aliqui satis probabiliter putant, clerico prohibitas esse tantum frequentes fideiussiones; ita vt constitutio illa facta sit ad reprimendam in Clericis fideiubendi, ac litigandi libidinem. Pro Ecclesia autem, aut pro alio Clerico potest Clericus fideiubere, ex sequenti capit. 2. etiamsi tantum ex fructibus beneficij Ecclesiastici habeat ad satisfaciendum. Adde etiam quod nec fideiubere possit Abbas nisi de Capituli consensu expresso, aut saltem tacito qualis censetur dari cum res fuerit parua. Adde adhuc, nec fœminam posse fideiubere pro viro suo, & ex Authen. Si qua mulier, Cod. ad S. C. Velleianum: aut pro alio, ex lege Antiquæ, §. finali, Cod. eodem tit. exceptis tamen nonnullis casibus, quos in verbo fideiussor commemorant *Ang. lus §. 4. & Sylu. quæst. 1.* De ijsdem, & alijs quæ huc spectare possunt, plenius Molina *in citato tractatu 2. disput. 540.* Nobis pro praxi ordinaria sufficere potest, notasse inter eos casus esse tres præcipuos. 222.

Primvm, si fœmina iuramento confirmarit suam fideiussionem.

Secvndvm, si mercedem acceperit ad fideiubendum, vel deceptorie fideiusserit.

Tertivm, si expresse renunciarit priuilegio Senatusconsulti Velleiani; quod alioqui opponere potest ad elidendam obligationem fideiussionis. Quæ tamen renunciatio, vt valeat, fieri debet coram Magistratu, quia cum ætas, aut fragilitas personæ, est causa priuilegij, non sufficit ad illud elidendum simplex renunciatio, quia ipsum alioqui esset vanum, quandoquidem possunt tales personæ tam facile induci ad renunciandum suo priuilegio, quam ad ineundum contractum.

Qvartvm est; etiamsi fideiubendo fides tantum detur verbis, seu absq; animo promittendi, obligationem tamen esse standi promissio: quia fidelitas, sine qua labascit humana societas, exigit vt in re graui teneamur animum verbis conformare: maxime autem cum damnũ aliquod proximo alioqui sequeretur. Videnda sunt pro pleniore intelligentia, quæ diximus in præced. cap. 6. sect. 6. 221.

Qvintvm est, fideiussorem ex vi fideiussionis non esse obligatũ, si contractus quo principalis debitor se creditori

torio obligauit, nullus sit, vt cum filiusfamilias sine facultate patris, mutuo accepit pecunias, vel credito aliquid emit; & alter pro eo fideiussit, nullâ fraude, aut dolo vsus: eo quod, nimirum, creditor probe sciret conditionem debitoris, aut certe vterque, *id est, tam creditor, quam fideiussor*, eandem cõditionem ignoraret. Si vero fideiussor (siue sciens, siue nesciens talem cõditionem) fallat creditorem asserendo, quod debitor possit & contrahere, & debitum soluere, tanquam dans causam efficacem damni, quod debitor patietur, tenebitur illud restituere. Fundamentum istius doctrinæ, Institutis, §. Fideiussores. De fideiussoribus, istud habetur; quod cum obligatio fideiussoris sit accessoria obligationi principalis debitoris, eiq; innitatur, ipsa non extenditur plusquam hæc. Videndus est Molina in sequenti disp. 541. pro subtilitatibus iuris, quæ ad eam rem pertinent. Paucis enim perstringi nequeunt, nec conuenit nos prolixiores esse in ijs, in quibus Confessarium à pœnitente inducias petere ad libros, aut doctiores consulendos, indecorum non est.

Sextvm est. Etsi quando plures sunt fideiussores pro eodem debito, singuli ad solutionem teneantur in solidum; tamen si quis eorum in solidum cõueniatur, ipsum excipere posse, vt quilibet cæterorũ conueniatur pro sua parte: adeoque oblatâ suâ parte, remittere creditorem ad reliquos, à quibus reliquam partem debiti exigat. Id quod habetur ex lege Inter fideiussores, ff. De fideiussoribus, & ex lege Non recte, Cod. eod. titulo. Huc etiam pertinẽt multæ iuris subtilitates quas consequenter Molina persequitur.

Septimvm est, ex cap. finali De fideiussorib. in tribus casibus fideiussorẽ posse ad hoc agere contra debitorẽ, vt à fideiussionis periculo liberetur antequam debitum soluatur. Primus est, si debitor cœperit ad inopiam vergere. Secundus, si à tempore fideiussionis, longum spacium temporis sit elapsum. Tertius, si fideiussor ipse condemnatus sit soluere. De quibus & alijs spectantibus ad liberationem à fideiussione, plenius Molina in priore parte citatæ disput. 546.

Tertia causa, Dos.

222. Dotem esse iustam causam accipiendi lucrum in mutuo, habetur ex cap. Salubriter, De vsuris. De qua re Nau. in Enchir. *cap. 17. n. 273. & in comment. De vsuris not. ab.* 21. Medina in Cod. De acquisitis per vsurã *quæst. 2. §. ad cap. Salubriter.* Sotus lib. 6. de iust. & iure, *quæst. 1. sub finem, art. 2.* Couar. *li. 3. var. resol. cap. 1. n. 3.* multiq; alij, quorum meminerunt Alphonsus à Neapoli *in tract. De vsuris, quæst.* 22. & Petr. à Nauarr. *in lib. 3. De rest. cap. 2 num* 351. *& duobus sequent. bus.* Notandum vero est, in cap. Salubriter, De vsuris, statui, quod quando socer nõ soluit dotem genero, & interea dat pignus ei fructificãs, idem possit vltra sortẽ accipere omnes eiusdem pignoris fructus. De cuius definitionis ratione, deq; titulo iusto, quo tale quid accipi sine vsura possit; variæ sunt sententiæ, quas ijdem Alphonsus & Petrus, ac etiam Lud. Molina de iust. & iure, *tract. 2. disp.* 321. referunt, ac expendunt.

Cæterum non est tantummodo damnum emergens, vel lucrum cessans genero, nec sola tacita donatio soceri, quia damnum emergens, & lucrum cessans, tam locum habent in alijs, quam in genero. In prædicta constitutione autem aliquid de genero specialiter statuitur; cui potestatem dat accipiendi memoratos fructus: non quidem, vt concessos ex sola liberalitate: sed vt debitos ex iustitia. De quo debito interrogatum esse Summum Pontificem, non autem de alio, satis indicat ratio, quam in eod. cap. Salubriter, reddit.

Cæterum censeri potest vera ratio, quæ in cit. cap. Salubriter, indicatur his verbis: Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda: quamq; locis citat. assignant Medina, Sotus, Couar. & Molina, quod eiusmodi fructus dentur ad sustinenda matrimonij onera. Pater enim qui filiam in matrimonio collocat, debet eam alere, vel dare vnde alatur: propterea enim solet dos constitui, vt ex fructibus eius ipsa iuncta matrimonio alatur, ac sustineantur alia matrimonij onera. Vnde quando pater dotem non dat, gener põt aliquid ab ipso accipere quotannis ad sustentationem vxoris, & familiæ. Quod si contingeret, generum nullũ onus matrimonij sustinere (vxore scilicet ipsius manente apud patrem à quo alitur) vel certe fructus dotis notabiliter excedere onera matrimonij, ipse nequiret fructus superantes accipere, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; aut certe tacitæ donationis. Pro qua re est tum textus expressus in lege Pater, ff. De dolo mali, & metus exceptione; tum etiam aperta ratio, quia cessante causa, cessat effectus. Onera autem matrimonij, sunt causa iusta percipiendi fructus pignoris dotalis: Ergo illis cessantibus, talis perceptio cessare debet.

Vnde sequitvr quod Alphonsus à Neapoli bene tractat loco citato, concl. 3. (& satis deduci potest ex eod. capit. Salubriter) generum posse fructus pignoris dotalis accipere, etiamsi socero dederit dilationem solutionis dotis; nisi simul iuri suo expresè renunciarit: quia nihilominus eadem causa accipiendi prorsus manet, quia, *vt manifestum est*, per talem dilationem socero alimenta quæ præstare debet filiæ, nõ remittet, tanquam volens tam eam, quam familiam gratis alere. Secus esset vero si remitteret in totum, sicut censetur facere is qui omnino indotatam ducit. Itemq; si remitteret ad tempus; vt censetur is qui constituit tempus soluẽdæ dotis nullo adiecto pacto de aliquo sibi soluendo in eo medio tempore quo expectabit dotis solutionem: neq; aliquo pignore frugifero recepto à principio matrimonij. Iudicatur enim velle socero donare quodcunq; interesse lucri cessantis vel damni emergentis eo medio tempore incurrendum ex dote non soluta. 223.

Sequitur secundo, quod gener possit non tantum à socero suo fructus pignoris dotalis accipere, sed etiã ab alio quocunque, quamdiu non soluitur ei dos: vt v. g. ab hæredibus soceri post eius mortem; vel ab eo cui socer vendiderit dominium huiusmodi pignoris. Ratio est, quia iusta causa accipiendi manet, & res oppignorata ad illos alios transijt cum suo onere. Quod autem de genero comparatione soceri hîc dicitur, pari ratione dici potest comparatione alterius qui vxorem ipsius dotauerit: nam à tali quoq; dos assignatur ad sustentationem onerum matrimonij. Id quod notat Molina *in citata disp. 321. vers. Huic primo.*

Sequitur tertio, quod gener sicut potest fructus dotalis pignoris accipere, possit etiam cum nullum ei datur pignus fructificans, dosq; in pecunia tantum ei promittitur; possit, inquam, singulis annis ex tali pecunia tantum accipere vltra sortem, quantum posset mediocriter industrius lucrari ex negotiatione eiusdem pecuniæ. Id quod docent *Sylu. in verbo vsura 2. quæst. 3. & Couar. Nauar. ac Sotus loc. cit.* atque alij quorum meminit Alphonsus à Neap. concl. nona, communemque sententiam esse habet Molina ibid. *vers. Dubium est.* Cõfirmatur vero, quia in contractu mutui licet vnicuiq; seruare se indemnem, ex cap. Peruenit, De fideiussoribus. Ergo gener, qui ratione morosæ solutionis dotis, sustinet onera matrimonij, sine alia talis damni satisfactione; potest tutâ conscientiâ pacisci de tali verosimili interesse, quod cogitur pati ob dilatam dotis solutionem. Adde quod non liceat socero locupletari cum generi iactura; vt nec cuiquam cum alterius iniuria & iactura, ex regula 48. iuris in sexto. Præterea, quod cum gener in recompensationem iustam pro matrimonij oneribus, quæ sustinet, licite accipiat fructus alicuius possessionis, nulla sit ratio cur non possit similiter pacisci, vt quotannis tanta pecuniæ summa sibi soluatur, quanti æstimabuntur onera quæ sustinere debebit. 224.

Aduerte obiter, *quod habet Molina in præced. vers. Tertio colligo*, nihil referre in hac re, quod genero lucrum aliquod cesset, aut non cesset, ex eo quod ei dos non soluatur statim: quia fructus pignoris, aut pecunia loco illorum, non dantur pro expectatione solutionis dotis, sed in iustam compensationẽ pro matrimonij oneribus sustinendis debitam, iuxta priuilegium in cap. Salubriter, De vsuris, generaliter concessum, tam ijs qui solent ex sua pecunia negotiando lucrari, quam ijs qui non solent.

Sequitur quarto, generum pro dote non soluta recipientem fructus pignoris priusquam alimenta vxori præstet, teneri computare illos in dotem. Id quod habetur ex lege Videamus 2. §. Ante matrimonium, ff. De vsuris: & ex lege Si ante nuptias, ff. Soluto matrimonio. Et probatur, quia cum tunc cessent onera quorum causa tales fructus dantur, sine iusta causa ij percipiuntur.

Sequitur quinto, generum qui noluit contrahere, nisi numerata dote, vel pignore fructifero pro ipsa assignato, posse

tutâ conſcientiâ accipere pro ſupportandis oneribus matrimonij, omnes aſſignati pignoris fructus, etiamſi excedant eadem onera, dummodo pignus ipſum in ſuo valore conſeruetur, reſtaurando ex ijſdem fructibus, quod in eo deperierit. Ratio eſt, quia in tali aſſignatione cenſetur cõtineri à ſocero tacite facta donatio partis fructuum, quâ exceduntur onera matrimonij. Secus vero cenſendum eſt, ſi pater filiam alere ſtatuiſſet; & impeditus, illam curam aliquoties transferret in generum, commendato ei pignore fructifero, ex cuius fructib. onera matrimonij ſuſtineret. Tunc enim ſuperabũdantes fructus gener tenetur reſtituere, vel in ſortem computare: cum ſocer intenderit tantum releuare ipſum ab expenſis onerum matrimonij. Iſtud ac illud prius habetur ex lege Creditor, §. Si inter maritum, ff. mandati. De qua re prędictus quoq; Alphonſus concl. 3. Qui & in ſequenti 10. ac 11. ponit differentiam inter hæredes generi legitimos (quales ſunt filij, quos ille ſuſcepit ex vxore, pro cuius dote acceptũ eſt pignus fructiferum) & hæredes aduentitios (quales ſunt cæteri non ſuſcepti ex ead. vxore) quod illi, ad quos materna hæreditas de iure pertinet, tutâ conſcientiâ loco patris mortui fructus dicti pignoris dotalis accipere poſſint, ſi & ipſi onera matrimonij ferant, matrem ſuam alendo: alij vero non poſſint, ſed teneantur viduæ relictæ reſtituere idipſum pignus, pro dote non ſoluta acceptum ab ipſius marito; cui illud datum eſt à ſocero in gratiam tantum filiæ, & filiorum ex eâ ſuſcipiendorum.

Quarta cauſa, Stipendium Cleri, & quatuor ſequentes.

226. QVarta cauſa habetur ex capit. primo, De vſuris, vbi ſtatuitur, quod cum laicus iniuſte vſurpat bona Eccleſiaſtica, & eadem in pignus, mutui dat illi Clerico ad quem de iure pertinent; idem Clericus poſſit vltra ſortem fructus talium bonorum accipere, cum ad eum iure pertineant. Quod dicendum eſt pari ratione de laico cui bona ſua in pignus data fuerint ab eo, à quo iniuſte poſſidentur. Quod ſi bona Eccleſiaſtica data Clerico in pignus non eſſent ipſius, ſed alterius, ipſe nequiret accipere illorum fructus: neque, *ex capit. De decimis*, deberet tale pignus, *cũ iniuſte detur*, acceptare; niſi forte eo animo id faceret, vt fructus perceptos reſtitueret proprio domino.

De quinta cauſa, *quæ eſt venditio vſus fructus*, dicetur in ſequentibus, cum de contractu cenſus: eadem eſt enim cum venditione & emptione cenſuum.

Sextæ cauſæ, *cui vellet nocere*, ſenſus eſt, quod poſſit in mutuo aliquid vltra ſortem accipi ab hoſte Reip. contra quem iuſtum bellum geritur, ex cap. fin. 14. quæſt. 4. Cuius Canonis, *ex Couar. lib. 3. var. reſol. cap. 1. nu. 7.* verus intellectus non eſt, quod ſicut hoſtis cum quo iuſtum bellum geritur, poteſt ſuis rebus vi & armis ſpoliari: ſic etiam poſſit mutuatione, quâ aliquid accipiatur vtra ſortem. Nam *inquit ille*, talis conuentio ſit iure pacis, & commercij, non autem belli, & hoſtilitatis. Sed verus intellectus eſt, quod cum hoſti mutuo datur, mutuator vltra ſortem aliquid accipere poſſit in cõpenſationem damnorum ſibi ab ipſo iniuſte illatorum, aut ad recuperationem aliquorum ſuorum bonorum, quæ idem hoſtis iniuſte poſſidet.

227. Septima cauſa, *venditio ſub dubio*, ſumitur ex cap. In ciuitate, & ex cap. finali, De vſuris. Circa quam obſeruandum eſt, vſuram eſſe, vendere rem carius, aut emere vilius iuſto pretio, propter dilatam, vel anticipatã ſolutionem, vt in ſequentibus ſuo loco exponetur, habeturq; ex cap. Quoniam, De vſuris. Nihilominus pretium augeri, vel minui poſſe propter dilatã, vel anticipatã ſolutionem quando quis dubitat de pretio futuro. Id quod illuſtratur exemplo ſumpto ex memoratis capitulis, de eo qui rem ſuam carius nunc vendit, quam ſoleat communiter, eo quod ſoluenda ſit alio tempore; vt poſt tres, vel quatuor menſes; quando probabile eſt, quod eadem res plus valebit. Ipſe enim poteſt hoc tempore pretiũ accipere, quod probabiliter ſperat futurum tempore ſolutionis: dummodo eam ipſam rem, *vt ex cit. cap. finali habetur*, ſeruaturus eſſet vſq; ad tempus illud in quo augendũ pretiũ probabiliter ſperat. Si enim ſeruaturus non erat, ſed venditurus de præſenti, non poſſet maius pretium accipere, prout ibidem habetur. Verum de emptione, & venditione dicendum eſt ex inſtituto in ſequenti tractatu. Hic ſolum obſeruandum eſt, quod cum quis merces ſuas vendit creditâ pecuniâ, poſſit vtra iuſtum pretium accipere lucrum ceſſans ſeruatis conditionibus ad id requiſitis, de quibus egimus in præced. lib. 23. cap. 8. Itemq; re tota ſufficienter emptori declaratâ: nempe quod tantum accipiat pro iuſto pretio, & tantum pro lucro ceſſante. Ita Nauar. in Enchir. *cap. 23. num. 82.* annotat. Ratioq; eſt, quia emptor non niſi ſciens & volens debet ſe tali oneri ſubijcere.

Octauæ cauſæ, *pretium poſt tempora ſoluens*, ſenſus eſt, quod quando is qui debet aliquam pecuniarum ſummam non ſoluit tempore præſcripto, ratione talis moræ accipi poſſit ab eo aliquid vtra ſortem ob detrimentum quod ideo patitur ille cui debet: ſiue illud ſit damni emergentis, ſiue lucri ceſſantis. Ita habetur ex cap. 2. & 3. De fideiuſſoribus. 231.

Nona cauſa, Pœna, nec in fraudem.

228. HVius ſenſus eſt, poſſe aliquid accipi in mutuo vltra ſortem nomine pœnæ, quæ à lege, vel à Iudice, vel de cõmuni conſenſu vtriuſq; partis, à creditore debitori imponitur ob culpam negligentiæ, ſi principale non ſoluat tempore præſcripto. Quod quidem licitum eſſe, nec vſurarum Doctores conſentiunt teſte Ludouico Molina *in cit. tract. 2. diſp. 317. verſ. Quæ de pœnis*; vbi aliquot commemorat: habeturq; ex cap. Suam, de pœnis; & ex lege Si pacto quo pœnã, Cod. De pactis. Et patet hac ratione, quia cum rem alienam iniuſte retinens inuito domino, ſit in culpa, pro qua poteſt plecti pœnâ: atque mutuatarius talis ſit, per vecordiam iniuſte, inuitoque mutuatore retinens rem mutuatam, ſane ea de cauſa poteſt ab ipſo pœna iuſte exigi: atq; adeo ſine vſura, cum non exigatur mutuationis, ſed pœnæ nomine. Non enim obligat mutuator abſolute mutuatarium ad ſibi dandum aliquid ſupra ſortem, ſed conditionate, ad ſibi dandum in pœnam, eo caſu, quo mutuatam pecuniam non ſoluerit in termino qui de conſenſu ipſius præfixus eſt ſolutioni. Quod cum ita ſit, mutuatarius elapſo termino tenetur in cõſcientia, etiam ante Iudicis condemnationem, cum ſorte principali ſoluere pœnã, de qua cum mutuante conuenit, ſi ab illo ea exigatur. Quod addo, quia pœna conuentionalis non debetur antequam à parte fuerit expreſſe, vel tacite petita, prout habet Couar. *in Epit. 4. decret. cap. 6. §. 8. n. 11.* Rationem addens; quia ſicut Iudicis executio in legali pœna eſt neceſſaria, ita in cõuentionali petitio creditoris expectanda eſt, cum is qui pœnam promiſit, iuſtâ coniecturâ præſumat alterum nolle eam recipere, ſi eam non petierit. 232.

Cauẽdum eſt vero in hac re, ne pœna apponatur in fraudem vſurarum, ac curandum omnino, vt totum negotium bonâ fide peragatur: puta apponendo pœnam ipſam: ſiue quia intereſt mutuantis, vt debitum ei ſoluatur in tali termino; ſiue etiam, quia vult in illo termino habere quod ſibi debetur, ſiue ipſius interſit illud habere, ſiue non. Etenim eo ipſo quod mutuatarius contra mutuatoris voluntatem mutuum detinet vltra terminum præfixum, facit ei iniuriam, incurritq; in culpam, pro qua poteſt exigi pœna, quæ vtriuſq; partis conſenſu, aut Iudicis, vel legis, *ſiue generalis, ſiue particularis, municipalis ve*, authoritate ſit moderata, quæ & culpæ cõmiſſæ in non ſoluendo proportione reſpondeat, & ad finem ad quem imponitur deſeruiat, cum, *vt monet Med. in Cod. De reb. acquiſitis per vſuram, quæſt. 3. cauſa 4.* non poſſit eſſe adeo parua, vt debitor nihil aut parum metu illius ad ſoluendum moueatur: nec eſſe adeo exceſſiua, vt quãtitati culpæ proportionata non ſit. Et quamuis, *addit ille*, moroſus debitor ex contractu quodammodo furti æquiparetur: nõ debet tamẽ contra eum tanta pœna imponi, quanta contra furem, aut alium debitorem ex delicto. 233.

ADVERTENDVM autẽ eſt primo, q̃ ſi abſq; culpa ſolutio omittatur fieri in termino præfixo, etiamſi intereſſe inde emergens exigi poſſit, *vt recte monet Med. in fine citatæ qu. 3.* pœna tamen non poſſit exigi, prout Angelus *vſura 1. n. 31.* & Nauar. *in Enchir. cap. 17. nu. 215.* merito dicunt: quia vbi non eſt culpa, nec eſt pœna quâ puniatur, ex cap. 2. De conſt. Vnde ſequitur, pœnam non poſſe exigi ab eo qui ideo non ſoluit, q̃ vere non potuerit. Nec etiam (*ex C. Aiet. verbo vſura, cap. 2. in fine*) quando ſoluendi mora contigit de conſenſu creditoris: nimirũ quia tempus ſolutionis faciendæ prorogauit. Neutra enim talium morarum culpabilis eſt: imo nec poteſt vere appellari mora, cum per debitorem non ſteterit quin ſolueret. 234.

Aduer-

Aduertendum est secundo, *ex Nauarr. loco cit.* mutuatarium, si partem debiti soluerit præfixo tempore, non esse compellendum ad totam pœnam: sed ab illa detrahendum esse aliquid pro ea portione, secundum quã excluditur mora culpabilis. Id tamen intelligendum est, nisi obligatio soluẽdi indiuidua esset: vt tunc censebitur, cum solutio partis non adferet commodum, quod adferret si alias simul, seu totum solueretur, prout accidit cum solutio mutui exigitur in termino ad emendum aliquid quod emi non potest, nisi totius debiti solutio accipiatur.

231. Aduertendum est tertio, *ex communi sententia, teste Nauar. loco cit.* pœnam censeri impositam in fraudem vsurarum, si mutuator dum apponeret, sciuit, aut verosimiliter credidit mutuatarium non posse soluere in termino præfixo: vel eã intentione imposuit, vt lucrum haberet vltra sortem; non autem, vt metu talis pœnæ debitor cõpelleretur soluere suo tempore. Addit Medina *loco cit. vers. Oportet tamen*, cauendũ esse, ne is qui huiusmodi pœnam imponit, inde infametur, aut alios scandalizet, aut ne aliquid siniſtre contra illum ideo præsumatur, quæ conditio est in omni contractu seruanda.

Addit etiam aliam conditionem ad vitandum in hac re peccatum, quæ est, vt dilatio solutionis sortis non sit in præcepto. Est vero in præcepto, cum debitor adueniente termino adeo impotens est ad soluendum, vt contra charitatem sit, ipsum compellere ad sortis solutionem. Exemplum est, si tam parum habeat, vt vestem vnicam quã induitur, aliamque supellectilem sibi necessariam vendere cogatur. Quod idem iudicandum est, si tempore solutionis faciendæ detineretur in carcere, vel captiuus esset inter hostes, vel infirmus, vel in loco distanti, vel aliã eiusmodi ratione impeditus, quominus posset tunc soluere. Nam sicut talis immunis est à culpa omissæ solutionis, ita etiam à pœna eidem culpæ debita. Quãquam, vt Molina annotat sub finem citatæ disput. 317. si debitor in talem impotentiam inciderit suã culpã, *quandoquidem culpabiliter esset impotens*, non liberaretur à pœna tanquam inexcusabilis.

Decima causa, Lex commissoria.

232. NOmine *legis commissoriæ* hîc significatur venditio cum pacto retrouendendi, de qua in tract. sequenti, De emptione, & venditione. Censetur autem excusare lucrũ in mutuo, quoniã is qui taliter emit, potest tãquam dominus quoadusque redimatur res, fructus eius suos facere, & sic lucrari sortem, cum hanc recepturus sit integram, dum res ipsa redimetur. Pactum vero alium legis commissoriæ, quo mutuator accipit pignus sub conditione, vt nisi ad præfixum diem redimatur, sit venditum, illicitum est (ex Nauarr. in Enchir. cap. 17. n. 216.) dum additur in eo, quod omnes fructus, vel pars illorum vsq; ad eum diem capientur. Sunt enim alieni; cum per impignorationem non amittatur rei impignoratæ dominium. Itaq; accepti computandi sunt in sortem, vel in interesse, si quod interuenerit, vel in satisfactionem pro pœna, cum apposita est sine fraude vsurarum, & incursa. Imo illicitũ est tale pactum, nisi illud quod mutuo acceptũ est, adæquet iustum pretium pignoris, aut certe id quo ab ipso pignore superatur, in pœnam iustam ante descriptam, impositum sit non soluenti in præfixo termino.

Vndecima causa, Gratis.

233. PEr dictionem, *Gratis*, significatur donatio ipsius mutuatarij. Si enim ille qui nullum mutuationis beneficium alteri contulit, potest id quod sponte sibi donatũ fuerit, recipere; poterit à fortiori ille qui mutuo dedit: cum peioris cõditionis ad datum recipiendum non sit effectus ex eo, quod mutuauerit: imo cæteris paribus effectus sit melioris, quam si non mutuasset. Aduerte tamen quædam requiri, quibus deficiẽtibus vitiatur istiusmodi receptio, prout explicat Medina *in Cod. De reb. per vsuram acquisitis. quæst. 3. causa 3.* Etenim præter scandali cuitationem, *in omni actione curandam*, requiritur ex parte mutuatarij, vt sponte ac liberaliter offerat id quod donat: quia nõ esset alioqui donatio, cum ad rationem illius spectet, vt spontanea, liberalisq; sit. Quocirca si donet, tanquam vi mutui debitum: aut quia timet; quod nisi donet, nõ dabitur amplius illi mutuum, non potest titulo donationis accipi oblatum ab ipso.

Ex parte mutuatoris vero oblatum accipientis vult quidẽ memoratus author requiri, vt idipsum oblatum recipiat tãquam donatum, nõ autem tanquam debitum sibi ex vi mutui. Sed etsi id valeat ad vsuram mentalem euitandam, non est tamen necessarium ad hoc, vt donatio præsumi possit liberalis: ac tanquam iuste acceptum retinere id quod donatum fuerit; si mutuator ipse, illud nec directe, nec indirectè petijt: aliudve signum dedit prauæ suæ voluntatis faciendi lucrum ex mutuo, prout contra ipsum Medinam habet Petrus à Nauar. *lib. 3. de restit. cap. 2. num. 315.* Et ratio est, quia vt iuste taliter acceptum retineat, tanquam adeptus illius dominium, requiritur tantum vt ei constet mutuatarium spõte liberaliterq; donare: aut vt idipsum verosimiliter præsumat. Quod non potest habens causam probabiliter præsumendi oppositum, consequenterque nec potest bonã conscientiã retinere id quod ei oblatum est, quasi sibi vere donatum.

Cuiusmodi causam *(præsumendi, inquam, probabiliter oppositum)* idem Medina hãc assignat: Si mutuatatarius qui munus offert, prematur paupertate; aut sit illiberalis, & qui talia non soleat offerre liberaliter; sed ob beneficium inde speratum; aut qui non tam ob negotiationem & lucrum faciẽdum, quam ob necessitatem mutuo accipiat: aut demum qui ante mutuum, vel simul cum muto, vel ante solutionem mutui alioquid offerat, vel promittat. In talibus enim casib. iuxta personæ qualitatem, iuste præsumitur quod nõ gratis, & liberaliter munus offerat: sed vt in posterum cum indiguerit sibi mutuetur, vel vt terminus solutionis sortis prorogetur; quod quidem est secundo mutuare. Adhæc si mutuator tempore mutuationis, verbis aut signis insinuauit se munus aliquod ex mutuo sperare, etiamsi io coſe id dixerit; mutuatarius autem vt serio dictũ accepit, ideoq; munus aliquod postea offert, is iuste præsumitur nõ dare illud liberaliter, sed tanquam aliquo modo exactum.

MOVET AVTEM dubium memoratus Medina; An quãdocunq; mutuans intelligit sibi vltra sortem, siue ante, siue post illius solutionem, aliquid donari à mutuatario eã intentione, quando is indiguerit, aut petierit, denuo ipsi mutuet; An, inquam, illud licite & accipere, & retinere possit? Ad quod reiectã eiusdem Medinæ responsione Petrus à Nauar. respondet distinctione, *in citato cap. 2. num. 329. & sequenti.* Aut enim donator de mutuo futuro aliquid in particulari explicat; siue expresse, siue per aliqua probabilia indicia ostendens se ex tali donatione expectare mutuum à donatario (quod est suo modo emere mutuationem: sicut dare Iudici, vt sententiam dicat, est emere ipsius sententiam) aut tantum explicat in communi, dicens se ei donare, quia amicus est, aut ipsum vult habere amicum, aut reddere gratum & officiosum. 234.

Atque quacunq; ratione prius illud fiat siue explicite, siue signis sufficientibus declarando intentionem, illicita est receptio; cum talis donatio sit nulla, tanquam non libera: vtpote cui metus, ne mutuum postea negetur, causam reuera dederit. Sin autem posterius fiat, neq; donator de spe futuri mutui quidquam significet, sed tantum de amicitia, valet donatio, quia fertur in amicitiam: neque eam esse coactam donatarius potest intelligere, vel debet iudicare. Atq; factũ amicitiæ, & gratificationis causa, credendum est liberaliter potius, quam aliter factum esse. Iam si donator spem futuræ mutuationis mente conceptam, nullo modo significet exterius, coniecturis opus est; ex quibus si merito ipse præsumatur in eum finem principaliter donare, vt postea mutuo ei detur, non erit licita receptio: si vero probabiliter præsumatur ipsius intentionem esse tantum donatarij animum disponere ad beneuolentiam, per quam paratior sit ad mutuandum, licita erit receptio.

ALIVD DVBIVM mouet Petr. à Nauarr. num is qui mutuo dedit, possit ei reducendo in memoriam mutuo data, petere licite donari sibi ab eo bonum aliquod temporale? Et respondet *in eodem cap. 2. numer.* 324. quod si de mutuo nullam in particulari mentionem faciat, sed tantum in communi beneficia cõmemoret; possit licite sic donatum recipere: quia potest & debet præsumere, amicitiæ, & gratitudinis causa esse sibi oblatum. Si vero antefacta mutua commemoret in particulari, possit quoq; accipere oblatum ab eo 235.

qui scitur, *saltem verosimiliter*, mutuum nõ esse proxime petiturus: quia talis omnino liber est ad donandum, vel non donandum; nec vlla necessitate, nec metu vllo mutui sibi in posterum negandi compellitur ad donationem. Non possit vero accipere ab eo, qui probabiliter existimatur proximè petiturus mutuum, cum sit consequenter præsumendus ad donandum adduci metu, ne sibi quando egerit mutuum negetur.

236. Hîc merito aliquis inquirat, quid sentiendum sit de contractu quem Principes celebrare solent cum diuitibus, accipientes ab his mutuum ad certum terminum, factâ scedulâ in qua promittunt aliquid supra sortem, addẽdo se ex tunc, & pro tunc gratis, & liberaliter id eis dare. Ad quod respondeti potest; quod si tale mutuum accipiatur ad res omnino necessarias, vt ad debita soluenda, ad subueniẽdum familiæ, vel defendendum regnum ab hostibus, tunc contractũ censeri vsurarium; cum non possit præsumi libera donatio, sed potius coacta per vrgentem necessitatem. Si vero accipiatur non ad necessitatem, sed ad lucrum & augmentum rei familiaris, non esse contractum vsurarium: acceptumq; iuste retineri posse: quia tunc donatio rationabiliter præsumi potest facta sponte, & liberaliter: cum donans non tantum non timeat facere aliquam iacturam, sed etiam lucrum speret, ratione donationis.

Duodecima causa. Dans socijs: & 13. Pompa.

237. PEr particulam, *Dans socijs*, significatur contractus societatis, in quo ex pecunia quæ ad societatem datur, lucrum accipi potest, vt post D. Thom. 2.2. *qu.* 78. *art.* 2. *ad* 5. Summularij communiter docent. Qua de re postea ex instituto, cum de eodem contractu.

Per particulam vero, *Pompa*, significatur illud quod habetur ex D. Thom. *in præced. art.* 1. *ad* 6. licere in mutuo lucrari quando ipsum fit ad secundarium vsum pecuniæ: nempe quâdo pecunia mutuo datur ad ostentationem, tanquam aliquid pretiosum, vel vt alicui tradatur in pignus. Hæq; sunt causæ quæ traduntur commmuniter; quibus adhuc aliæ addi possunt, quæ licet ad eas reducantur aliqua ex parte: quotidiana tamen praxis exigit, vt de eisdem particulariter dicatur.

Aliæ causæ quæ ante traditis versibus non comprehenduntur.

Decima quarta causa, Conditio vidualis.

238. VIdua vel separata à merito per diuortium, potest ratione pecuniæ dotalis marito solutæ, neque ab eo, aut eius hæredibus restitutæ, tantum accipere, quantum homo mediocriter industrius lucrari potest, si habeat talem pecuniam; dummodo tamen eadem pecunia retineatur viduâ ipsâ inuitâ, vel consentiente quidem, sed ex pietate: vt quando ijdem hæredes nequeunt cõmode ſtatim soluere acceptam. Ea autẽ (*iuxta antedicta in explicatione tertiæ causæ*) potest tale quid accipere, nõ tantum ratione interesse, sed etiam ratione alimentorum, etiam si nullum interesse patiatur.

Quam doctrinam post Sotum *in 6. De iust. quæst.* 1. *art.* 2. *sub finem*, & Sylu. *in verbo vsura tertio, quæst.* 7. Nauarr. in Enchir. *cap.* 17. *nu.* 213. tradit, & fusius tractat Alphons. à Neap. in tract. De vsuris, *quæst.* 22. *concl.* 12. 13. 14. & 15. Probatur vero, quia vna ex parte vidua permanẽ, in sua viduitate, fictione iuris censetur perseuerare in matrimonio, & ideo ob acceptam dotem, nisi ea reddatur, alimenta illi eâdem ratione suppeditanda sunt, quâ prius. Ex altera parte vero, cum viduæ maritus; sicut priusquam moreretur, ius habuit in dotali pecunia, vel in possessione frugifera, quæ pignorata sibi fuit pro dote non soluta; ita etiam habuerit onus alimentandi vxorem & familiam. Vnde fit, vt pari iure hæredes mariti iam defuncti, si velint eidem in hæreditate succedere, debeãt vel dotem restituere, vel viduam ipsam alimentare, cum à defuncto, cui succedunt, nõ potuerit in ipsos plus iuris transferri, quam ei antequam moreretur, cõpeteret, iuxta textum expressum in regula 79. iuris in 6. Porro onus illud ex Sylu. loco citato, communiter æstimatur secundum quantitatem dotis, quia secundum eam mulier est alimentanda eaq; in re, pro mensura illud sumitur, quod mediocriter industrius posset ex tali pecunia lucrari.

ANNOTAT autem ex Bart. memoratus Alphonsus in concluſ. 13. quod si vidua in domo hæredum, siue rationabili, siue irrationabili de causa manere nolit, possit petere alimenta debita sibi ratione dotis: quoniam illa sunt indistincte ei cõcessa. Id quod habere locum, etiamsi nubat, dummodo pauper sit, nec à secundo marito, aut ab alio ei alimenta suppeditentur, notat ex Couar. Molina De iust. & iure *tract.* 2. *disput.* 322. *vers. Interim dum*: additq; duo. Prius est; si viduæ ab alio præbeantur alimenta, hæredes mariti non teneri ea soluere, nisi ideo præbeantur quod ab illis petita, recusarint ministrare, ideoq; vidua fuerit coacta ab alijs petere. Ratio vero esse potest, quod cessante causa cesset & effectus: sic enim maritus, cuius vxorẽ socer, aut alius liberaliter alit, nequit eiusdem alimenta petere ob dilationem solutionis dotis. Exceptionis autem additæ ratio est, quod nemo debeat de sua iniquitate lucrum reportare: ideoque talia alimenta tanquam mutuo ipsis data teneantur refundere ei qui ministrauit, nisi condonet. Posterius est, quia ius ipsum alimentorum, priuilegium est personale vxoris, quo illi ea debentur quamdiu dos non restituitur: post mortem ipsius, illa non deberi hæredibus suis, dote nõ restituta: deberi tamen fructus, si quos res dotalis proferat; & compensationem interesse, sicuti ex solutionis iniusta dilatione. 239.

Addit præterea memoratus Alphonsus loco cit. quod si hæredes in alimentis, statui eiusdem viduæ conuenientibus, minus expendant quam sint fructus dotis, illud quod abundantius est, sibi retinere possint, sicut poterat maritus, cui successerunt: atq; ex aduerso, si tales fructus non sufficiant, debeant de suo supplere. Et ratio est, quia in priore casu, illud plus censetur genero concessum à socero: & in posteriore gener censetur minus illud de suo supplere voluisse. Iam vero hæredes succedunt, tum in commodis, tum etiam in incõmodis defuncti. Annotat adhuc in sequen. concl. 14. ex eod. Bart. idem Alphonsus, viduam quæ suscipit alimenta ab hæredibus mariti, donec dos ei soluatur, debere quod lucrata fuerit ex propria opera, & artificio, tribuere hæredibus à quibus alimentatur (*sicut debuit marito*) siue in eorũ domo permaneat, siue ab ea discedat: ita vt de alimentis tantum deduci debeat, quantum interest hæredis eam in ipsius commodum operari manibus, sicut operabatur in commodum mariti. Quod procedere existimarim quando hæredes alioqui grauarentur, non percipientes ex dote fructus qui ad alimẽta illi suppeditanda sufficiant: quia si sufficientia captant, nulla ratio videtur cur debeat cõpelli ad operandum pro alijs, qui dotem, aut per solutionis dilationem iniustam, aut eis ex pietate concessam, retinent.

Decima quinta causa, Conditio pupillaris.

240. COnditio pupillaris ideo ponitur in causas faciendi lucrum in mutuo, quod pupillus possit accipere honestũ lucrum à tutore suo, qui negligens fuerit, illud ex ipsius pecunijs acquirere, siue emendo prædia, siue dando ea alicui mercatori ad partem honesti, & liciti lucri recipiendã secundum regionis seu prouinciæ consuetudinẽ: argumento Cap. Per vestras, De donationibus inter virum & vxorem. Qua de re *Couar. lib* 3. *var. resol. cap.* 2. *num.* 1. & *Sylues. verbo vsura* 1. *quæst.* 24. & 29. & *verbo Tutela, quæst.* 4. Aduerte autem id fieri in pœnam negligentiæ, & ideo tutorem si fecerit quod in se erat, nec per ipsum steterit quominus ex talib. pecunijs lucratum sit, ad nihil teneri, vt Sylues. in ead. quæst. 4. expressit; & patet per antedicta de noua causa, quæ est pœna. Aduerte etiam, *quod idem quoq; habet in citata quæst.* 29. quod si tutor pecunias exposuerit vsuris, cum nõ posset aliter ex eis lucrari, pupillũ ipsum taliter acquisita teneri restituere, siq; nolit, aut non possit, restitutionem incumbere tutori tanquam cooperatori.

Decima sexta causa, Pignus oneroſum.

241. RAtione pignoris oneroſi tantum supra sortem accipi potest in mutuo, quantum proportione respondeat oneri. Sic ergo ille qui accipit à Principe ciuitatem, vel castrum in pignus, potest interea fructus, seu reditus illius percipere, propter onus exercẽdi illic iustitiam, & prouidendi necessi-

tatibus

tatibus publicis; propter quod tales reditus à subditis soluuntur. Sic etiam licite supra sortem accipi possunt expensæ factæ gratia fructuum rei impignoratæ quærendo, colligendorum, & conseruandorum: necnon factæ circa rem ipsam impignoratam, si fuerint necessariæ vel vtiles, nec tantum voluptariæ. Hoc (de quo Alfons. à Neap. in tract. De vsuris *quæst.21.concl.5.* post Conradum De contract. *quæst.32.concl.5.* & Sylu.verbo Pignus *quæst.13.*) aperta ratio docet, quia vnusquisq; in mutuatione potest se indemnem seruare, ne oporteat, *quod absurdum est*, mutuationē sine sua culpa ex mutuatione, quæ opus est charitatis, pati damnum, faciendo iacturam eorum quæ circa pignus vtiliter consumpsit: cum debeat potius pro labore suscepto aliquid accipere supra expensarum compensationem.

Cæterum ex lege Impensæ, ff. De rerum & verb. signific. expensæ necessariæ dicuntur, quæ si non essent factæ circa rem oppignoratam, ea aut deteriorata, aut plane perempta esset, vt factæ & in reparanda domo, alioqui ruitura. Vtiles autem dicuntur quæ meliorem reddunt rem ipsam, vt factæ in vinearum plantationib. arborum, plantationibus, agrorū cultura, armentorum pascendorum cura. Voluptariæ demū expensæ dicuntur factæ tantum ad speciem & decorem rei: non autem ad eam cōseruandam, aut ad augendos illius fructus: vt sunt quæ fiunt circa viridaria, fontes salientes, inscrutationes, picturas, & id genus alia.

Decima septima causa est, mons pietatis, de quo dictum est in præcedenti cap. dubio nono.

Decima octaua causa, Assecuratio.

241. AD huius causæ intelligentiam aduertendum est primo, nomine assecurationis significari cōtractum, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, obligando se vel gratis, vel certo pretio, & eam compensandam si perierit. Atque si gratis talem obligationem suscipiat, dicitur gratuita promissio: sin pretio, cōtractus est similis emptioni & venditioni. Etenim qui pretio assecurat, videtur vendere obligationē qua se adstringit ad solutionem æstimationis rei, quo casu perierit: eandemque obligationem alter emere videtur. Quod esse licitum (si seruetur æqualitas, id est, tanti valeat iudicio viri intelligentis obligatio illa, quanti valet pretium pro ea datum, aut è contra) hinc patet, quia susceptio in se periculi alicuius rei, onus est temporale pretio æstimabile, pro cuius quantitate maiore, vel minore, consentaneum est pretium crescere, aut decrescere assecuratori qui illud in se suscipit.

Aduertendum est secundo, in contractu societatis, cum vnus pecunias, alter vero laborem, & industriam ad negotiandum confert; si illi coniungantur duo contractus assecurationis, vnus summę principalis, & alter lucri sperati, posse supra capitale aliquid lucri haberi hoc modo. Petrus dat Ioan. 100. ex quibus nomine vtriusq; (atque adeo societatis titulo) lucretur negotiando. Sperat autem Petrus probabiliter pro parte lucri sibi respondente, se consecuturum 12. ex quibus quatuor remissurū se Ioāni pollicetur, si volet ipsum securum facere de non amittendo capitali: & rursus si velit eum facere securum de lucro reliquo, remittet ex illo tria: sicq; remanebunt quinque, de quibus, & de capitali erit securus. Qua ratione licitum esse lucri in mutuo, ne vsuram committi, tenent Couar. *lib.3.var.resol cap.2. nu. 4. & Nauar. in comment. De vsuris, num.32. & in Enchir. cap.17.num. 254. &* 255. aliisq; quos referemus cum de hac ipsa re agemus ex instituto in tractatu de societate ipsa: in quem etiam locum differemus illius probationē, licere etiam ei qui industriam confert in societatem, de lucro quod sperat, assecurare se apud alterum socium conferentem pecuniam. Sylu. in verbo Societas, 1.quæst.3. ex eo probat, quod tunc censebitur tantum locare alteri suam operam pro iusto pretio; sicut solent ij quos vocant factores mercatorum: quæ etiam est sententia Nauar. *in seq. num.257.*

Decimanona causa, Consuetudo antiqua cum tacita assecuratione.

243. DE hac Nauar. in eod. cap.17. num. 256. & seq. Ad eam autem duę conditiones requiruntur: altera, vt antiqua illa consuetudo sit publica; altera, vt paruum lucrum accipiatur, velut quatuor pro centum. Ex quarum conditionū priore talis causa iustificatur, quia de consuetudine introducta authoritate publica, semper debet præsumi, quòd iusto modo fuerit introducta, si potuerit iusto modo introduci neque manifeste constet de contrario. Modus autem ille iustus esse potuit, si ab initio cōstitutum fuerit, vt pecunia daretur ad societatem cum contractu assecurationis, cuius interuentu, salua capitali summa, acquiri posset aliquod lucrū, iuxta Cap. Per vestras, De donationibus inter virum & vxorem. Præsumendum est igitur in eiusmodi consuetudine ita factum esse ab initio: cuius rei indicium Nauar. ait esse, quod cum in societate inita cum mercatore, lucrum verosimile, esset minimum duodecim, vel quindecim pro centum; tanquam remissa à parte alia pro assecuratione capitalis, & redemptione incertitudinis talis lucri, accipiantur tantum quatuor pro centum, quod ad secundam conditionem pertinet. Et ita idem author excusat consuetudinem quæ habetur in Gallia, & in nonnullis aliis locis, vt Ecclesiæ, viduæ, & pupilli antiquo more suas pecunias conferant mercatoribus, vt quatuor secura pro centum in suam sustentationem lucrentur.

Vigesima causa, Euentus, cum quinq; aliis.

RAtione euentus in mutuo aliquid supra sortem accipi potest, quando quis mutuo dat alicui frumentum, 244.
aut vinum, aut aliud vsu consumptibile: & postea quando ipsum restituendum est, augetur pretium, sicque mutuator lucratur. Qua de re Conrad. *De contract. lib. quæst.38.* & Sotus lib.6. De iust. & iure, *quæst.1. art. 2. ante solutionem argumentorum.* Sed aduertendum est; hoc non habere locum, quando quis aliquid eiusmodi principali intentione mutuat, vt lucretur; quia esset vere vsurarius captans lucrum ex mutuo: sed tantum quando sincera intentione mutuat, nimirum vt succurrat proximo, eiq; gratificet: esto, existimet pretium esse mutandum. Id quod Sylu. habet *in verb. Vsura, 1.quæst.17.* vide antedicta 187.

Vigesima prima causa, est conditio mutui. Circa quam aduerte, lucri capiendi in mutuo, causam inter cæteras statui, quod ipsum detur irreuocabiliter, seu, ita vt mutuator illud repetere non possit, & mutuatarius soluat illud cum lubuerit; tunc enim dato pignore, nō est tam mutuatio, quam venditio quædam ipsius pignoris cum potestate illud redimendi. Non dato vero pignore, est quædā donatio, ac proinde in priore casu, fructū pignoris, & in posteriore aliquid remunerationis loco accipere, non est lucrari ex mutuo, & per consequens nec est vsura. De qua re late Conrad. in q.33. & 34. De contractibus.

Vigesima secunda causa, sunt labor, opera, industria, ex- 245.
pensæ, cura, diligentia, & id genus alia extraordinarie in mutuo suscepta in vtilitatem mutuatarij, propter quæ licere aliquid vltra sortem in mutuo accipere. Nauar. in Enchir. c.17. n.283. litera D, & Conrad. De contract. q.46. concl.3. cas.13. annotant. Et ratio patet, quia talia sunt digna compensatione, quam ab eo in cuius vtilitatem fuerint impensa, moderatam accipere in mutuo, non est à ratione alienum, vt nec est in aliis negotiis.

Vigesima tertia causa, est Depositum: quæ causa consistit in eo, quod iuxta legem 3. & 4. Cod. Depositi, vel contra: quando is qui pecuniam in depositum accepit, ex ea negotiatur contra voluntatem deponentis: huic, *cuius est ea ipsa pecunia*, debeat lucrum reddi, saltem quantum redderetur, si esset initus contractus societatis cum assecuratione, secundum antedicta in declaratione causæ 18. Cuiusmodi restitutio lucri videtur depositario in pœnam imposita iure ciuili; non tam ad grauandum ipsum, quam ad ipsum à maiore pœna liberandum in foro externo: in quo tanquam fur puniri posset, iuxta citatam legem tertiam.

Vigesima quarta causa, est Administratio, quæ in eo consistit, quod ex Angelo *in verbo Vsura*, 1. §. 47. is qui ratione administrationis debet negotiari cum pecunia sibi commissa, si id omiserit facere, illi cuius erat administrator, potest ea de causa honestam compensationem accipere cum suo capitali.

Vigesima quinta causa, est cambium: quæ patebit per ea quæ suo loco de cambio ipso in sequentib. dicentur.

Vigesima sexta causa est, periculum amittendi sortem.

246. HANC causam faciendi lucri in mutuo, cum periculum fuerit ex parte pecuniæ mutuatæ (*vt cum trahicienda est per mare, vel per loca latronibus infesta*) Canonistæ ad Cap. Nauiganti, De vsuris, passim admittunt, vt per plures alij, quorum meminit Couar. *lib.3 variar.resol.cap.2.num.5.* Sed cum tale periculum fuerit ex parte mutuatarij; vt quia facile fieri potest, vt is effectus pauper, non sit soluendo: vel quia solet esse fraudulentus, ac malę fidei debitor; talem causam negant aliqui, quorum meminit Ferdinandus Rebellus, De obligationib. iustitiæ, *par.2.lib.9.quæst.12.* inter quos sunt Sotus *lib. 6. De iustit. & iure, quæst.4.art.1.* & Nauar. in Enchir. *cap.23. num.81.* Medina vero in Cod. De reb. restit. *quæst.38. in tertia causa*, eam censet admittendam, dummodo omnis fraus absit, & seruentur conditiones damni emergentis, propositæ in præced. lib.23.cap.7. Illius fundamentum est, quod omne creditum, eo ipso quod periculo exponitur, dignum sit pretio, vt patet ex eo, quod ratione talis periculi possit, & soleat exigi fideiussor, qui pro eodem suscipiendo in se, potest pretium accipere: quod ei non liceret, si non esset pretio æstimabile. Deinde subire tale periculum, grauamen est compensatione dignum. Sicut enim potentia proxima ad aliquid acquirendum, per se est commoditas quædam pretio digna: ita & potentia proxima aliquid amittendi, grauamen est & damnum quoddam, quod nemo gratis subire tenetur.

Cæterum quidquid probabilitatis in speculatione habere possit hæc sententia, ea non videtur sequenda in praxi. Primo, quia contraria est communis, tam Canonistarum, quam Theologorum, teste Nauar. loco citato, innixa definitioni Papæ, De vsuris, Cap. In ciuitate, vbi absolute (nec habita ratione vlla periculi, tanquam causæ augendi pretiũ) determinat illicitum esse vendere ex libris credita pecunia, quod præsenti pecunia daretur pro quinque. Accedit quod cum vix soleat mutuo dari, aut credito vendi sine aliquali capitalis periculo, aperiatur per eam sententiam ostium vsuris, prætextu talis periculi passim palliandis. Deinde cum in venditione pretium perinde ac capitale in mutuo, sit obnoxium periculo natura sua; præcaueri solet per fideiussorem, aut per impositam pœnam, non autem per venditionẽ: præsertim cum venditio excludat gratiam mutuo. Sicut enim si commodans mihi equum tuum, exigas pretium pro periculo cui illum exponis, gratiam commodati excludis: ita etiam exigens pretium pro periculo mutui, excludis huius gratiam. Præterea debitor, siue ex mutuo, siue ex emptione, satisfacit plene creditori, & quoad debitum, & quoad periculum quod metuebat, si ei integre soluat. Nam & reddit quantum debet, & liberat metu periculi. Quare talis metus non fuit de se pretio æstimabilis: cum sine hoc, illi satisfiat sufficienter.

Neque obstat quod fideiussor pro eodem periculo in se suscipiendo, iuste accipiat pretium, quia hoc non datur pro illo, sed pro obligatione illud in se suscipiendi; quæ cum sit ex iustitia, pretio æstimabilis est. Si obiicias, tali obligationi æquiualere mutuationem cum eodem periculo factam. Respondetur, mutuationem sua natura gratis fieri; etiam habentem periculum adiunctum: quod quia illi accessorium est, sequitur illius naturam, iuxta textum expressum in regula 42. iuris in 6. Adde quod mutuatio nullam ex parte mutuatoris inducat obligationem ex iustitia, sicut fideiussio inducit ex parte fideiussoris.

Atque tollitur per hæc prius Medinæ fundamentum. Ad posterius autem responderi potest, volentem dare mutuo, consequenter iuxta mutuationis naturam, debere dare gratis; quam naturam coniunctum periculum non mutat: sed, vt prædiximus, sequitur efficiendo tantum, vt gratitudo qua mutuator in mutuatarium vtitur, sit maior, à qua non contingat ipsum reuocari per periculum perdendi suum capitale. Quod quidem periculum subire nolens, licite potest ab eo sibi præcauere per pœnam impositam, aut per fideiussorem, aut per pignus.

Aduerte autem mutuatorem non posse propria authoritate pretiũ à mutuatario capere loco pœnæ imponẽdæ, cum id sit sibi met quasi ius dicere, & periculo iniustitiæ temerarie se exponere, accipiendo certam cõpensationem damnorum quæ nondum sunt, & forte nec erunt. Nec item posse capere pretium subeundo vicem fideiussoris: tum quia naturæ fideiussionis repugnat, vt per eam quis se sibi ex iustitia obliget: tum quia fideiussio est contractus, qui minimum inter duos necessario esse debet. In proposito casu autem, idem obligaret se sibi: nam fideiussor pro debitore, quasi vna persona cum eo, obligat se creditori; tum quia per fideiussionẽ fideiussor suscipit in se periculum, quo liberat creditorem. Quare si idem esset fideiussor & creditor, idem liberaretur à periculo, & maneret ei obnoxius, quog repugnat naturæ fideiussionis: imo simpliciter absurdum est. 147.

Porro eadem quæ dicta sunt de periculo amittẽdi sortem ex parte mutuatarij (vt memoratus Ferdinandus aliis citatis cõsequenter docet) dici pariter possunt de periculo q timetur patiendi difficultates, subeundi labores, ac faciẽdi expensas in recuperando debito. Pro quibus tamen incommodis, si verosimilia sint, in assecurationem exposcere licet aut pignora, aut fideiussionem; aut etiam rationabili pœna *seclusa tamen fraude*, contractum communire

Cæteræ quæ esse possunt causæ iustæ accipiendi in mutuo aliquid supra sortem, vel reducuntur ad memoratas, vel cognosci poterunt hoc indicio. Quod quoties vltra mutuum datur aliquid quod præmium mereatur, dignumve sit compensatione; ipsum censeri queat causa iusta aliquid supra sortem accipiendi secundum quantitatem, quam prudens definierit: neq; enim certa constituitur, vltra quam non liceat ob vllam causam in mutuo lucrari. Nam talis quantitas non est æstimanda ex mutuo, ratione cuius nihil plene potest accipi vltra sortem accipere, nempe cõsidera grauitate, & circumstantiis talis causæ, definienda est lucri accipiendi quantitas, quæ illius quantitati proportione respondeat. 148.

TRACTATVS III.

De emptione & venditione.

DVOBVS maxime peccatis contractus ciuiles contaminantur: vsura nimirum, qua pretium accipitur, vbi accipi non debet, puta in mutuo, quod iubemur dare gratis: & iniustitia, qua aliquid supra iustum pretium accipitur; quod contingit potissimum in emptione & venditione, de quibus propterea prius quam de cæteris contractibus dicemus. Agitur vero de iisdem in iure Canonico lib.3. Decretal. tit.17. & in iure ciuili lib.3. Instit. tit.24. & toto Digestorum lib.18. & lib.19. tit.1. itemq; lib.4. Codicis à tit.38. Agunt etiam præter eorundem iurium interpretes, ac Summular. in verb. Emptio, Theologi, tum alij in 4. dist.15. tum D. Thom. cum suis interpretib. 2.2.q.77. Sot. lib.6. De iust. & iur. q.2.3. & 4. & cum eis Greg. à Valent. disp. 5. quæst.20. Conrad. De contractib. à quæst.50. ad 72. Medina in Cod. de reb. restituend. q.30. & omnibus sequentibus, Nauar. in Enchir. cap.23. à n.77. ad 99. & post eos aliquot recẽtiores, inter quos accuratissime Lud. Molina De iust. & iur. tract.2. à disp.336. ad 380. Dicemus autem primo de illarum natura, & diuisione. Secundo, de iis quæ emi & vẽdi possunt. Tertio, de iis, qui vendere, vel emere prohibentur. Quarto, de iusto pretio rerũ venalium. Quinto, de pactis quæ solent inter emptores & venditores intercedere. Sexto, de vẽditione quæ fit credita pecunia. Septimo, de emptione quæ fit anticipata solutione, & de venditione per proxenetas. Octauo, de vẽditione quæ fit sub hasta. Nono, de negotiatione. Decimo, de monopoliis. Vndecimo, de obligationib. vẽditoris, & emptoris. Duodecimo, de periculo rei vẽditę. Decimotertio, de obligationib. quæ nascuntur ex empt. & vendit. Decimoquarto, de perfectione emptionis, & de eiusdẽ recisione. Cæterũ promiscue (vt olim veteres, *ex l. Veteres, ff. de actionib. empti, & venditi*) vtemur appellationib. emptionis, & vẽditionis, nomine scil. emptionis cõprehendentes venditionem, & nomine vẽditionis emptionẽ, eo quod vna alteram necessario sic sequitur, vt nec esse, nec intelligi sine ea possit.

CAP.

CAPVT XIII.

De natura & diuisione emptionis.

SVMMARIVM.

247 *Definitio emptionis cum declaratione.*
248 *De eo quod emptio dicitur perfici consensu.*
249 *De eo quod dicitur fieri de re, pro pretio.*
250 *Diuisiones emptionis ex parte rerum quæ emuntur, & ex parte modificationum, cum quibus perficitur.*
251 *Alia ex parte modi quo fit, & ex parte finis in quem fit, & ex parte pretij.*

247. HAc definitione explicatur natura emptionis. Contractus bonæ fidei, vltro citroque obligatorius, qui perficitur consensu de re, pro pretio. Prima pars, *contractus*, indicat genus sub quo emptio tanquam species continetur. Secunda, *bonæ fidei*, illam separat à contractibus stricti iuris, & indicat eam talem esse, in qua iudex debeat iudicare ex æquo, & bono, quantum ad id quod restituendum est, aut compensandum non autem ex rigore legis iurisve scripti. Tertia pars, *vltro citroq; obligatorius*, illam separat à contractibus non mutuis, vt à donatione & cæteris, quorum meminimus in tract. 1. cap. 3. num. 22. indicateq; emptorem obligari ad pretium soluendum, & venditorem ad rem tradẽdam: tamq; in huius, quam in illius bonum, huiusmodi contractum institui.

248. Quarta pars, *qui consensu perficitur*, separat emptionem à contractibus vestitis, qui vt firmi sint, requirunt cum consensu exhibitionem rei, aut verba, aut scripturam, prout expositum est in tract. 1. cap. 6. num. 72. Ea enim, *vt ibidem quoq; annotauimus*, est contractus nudus, cuius obligatio contrahitur solo partium consensu, etiamsi verba & scriptura non interueniant, nec res aliqua data sit, id est, nec pretium solutum, nec merx tradita: sed exhibita est sola fides de illo soluendo, aut hac tradenda. Quod aduerte non esse ita accipiendum, quin ad emptionem verba, vel loco eorum nutus, aut alia signa requirantur, quibus manifestetur consensus. Cum enim simus homines, consensus mutuos non possumus cela rare, nisi exterius exhibito aliquo signo; proindeque in contractu, qui mutuo partium consensu perficitur, verba, aut alia signa eis æquipollentia, sunt omnino necessaria. Sensus est igitur; emptionem cum sit iuris gentium, ex lege 1. §. finali, de contrahenda emptione, & venditione, ex se non requirere verborum solemnitatem, vel scripturæ certam ac præscriptam formam, quæ iure tantum ciuili introducta est.

Emptionem vero, iuris gentium esse patet satis ex eo, quod initio ante citatæ legis habetur de illius origine: nimirum eam in locum permutationis rerum ad vitę sustentationem necessariarum, successisse hac ratione. Cum magna sit rerum inæqualitas, ac sæpe vnus non egeat rebus, quas alter vellet cum suis permutare, vt commutationes ad humanam societatem, & vitæ sustentationem necessariæ facilius fierent; instituta est pecunia, quæ rerum omnium esset quasi mensura, & cum ea introductus emptionis, & venditionis contractus, quo res darentur pro pecuniis, vicem gerentibus rerum aliarum, quæ in commutationem dandæ essent.

Porro ex eo, quod nudo consensu perficiatur emptio, sequitur illud quod habetur ex cit. §. fin. vt inter absentes, per literas, aut internuncium ea celebrari possit. Aduerte vero, idipsum non obstare quominus cuique contrahentium integrum sit à contractu recedere, quantumcumque mutuus circa rem, & pretium interuenerit ipsorum consensus, si eorumdem intentio fuerit, vt non nisi scriptura simul interueniente, perfectus esset contractus. Quam intentionem tunc adfuisse existimare debemus, cum inter contrahendum vterque contrahentium, aut alter, verbis aut aliis sufficientibus signis expressit, vt scriptura fiat: maxime id addat vt contractus aliter vim non habeat. Dico, inter contrahendum: quia si post celebratam communi cõsensu emptionem, vnus petat ab alio scripturam ea de re fieri, contractus non desinet esse perfectus, cum sic non petatur, vt cõtractus perficiatur, sed vt ei maior firmitas, & plenior probatio adhibeatur. Pro quibus facit textus in principio tituli De emptione & venditione, Instit. & in lege Contractus, ff. De fide instrumentorum. Videri potest differens de his Molina in citato tract. 2. disput. 337.

Quinta pars, *de re*, additur: quia ex lege Nec emptio, & ex 249.
lege Etsi consensu, ff. de contrahenda emptione; sine re venditio non subsistit. Nam omnis emptio est alicuius rei, quæ ab vno emitur, & ab altero venditur. Vltima pars, *pro pretio*, separat emptionem à locatione, in qua interuenit stipendiũ, siue merces, siue pensio, non autem pretium: licet aliquando merces soleat dici pretium, sed improprie. Item à permutatione, in qua vna res cum alia permutatur absque interuentu pretij. Fit autem venditio, non modo cum pretium, & quantitas eius determinate exprimitur, sed etiam cum dicitur confuse, verbi gratia, vendo pro pretio quod Petrus iustum esse arbitrabitur, aut pro pretio quo tu rem talem emisti: vel pro pecunia quam habes in tuo marsupio, vel pro pretio quo communiter talis res venditur in foro. Imo si dicatur, emo pro iusto pretio, seu prout iudicatum fuerit rem valere. Ad quod facit lex Si fundus, §. fin. ff. De pignoribus.

Variæ diuisiones emptionis.

MVltifariam autem diuidi potest emptio. Primo quidem ex parte rerum quæ emuntur: quod quædam sit rei immobilis; vt agri, vel domus: quædam sit rei mobilis, vt armorum, librorum, vestium, quædam rei se mouentis, vt mancipij, vel animalis quædam rerum incorporalium, vt iurium, actionum, debitorum, seruitum rusticarum, vel vrbanarum, pensionum. 250.

Secundo vero diuidi potest ex parte modificationũ cum quibus ea perficitur, quod quædam perficiatur contrahendo pure, vt quando neque dies, neque conditio, aut pactum ei adiicitur; sed ipsa simpliciter fit. Quædam autem contrahendo sub conditione, vt quando aliquis dubius, & incertus euentus ei adiicitur. Exemplum est si dicam; vendo tibi fundum meum si contigerit me Senatorem creari. Quædam demum perficitur cum pacto addictionis in diem, aut legis commissoriæ, aut retrouendendi, aut soluendi certam pensionem quotannis, si nõ soluatur pretium. De quibus pactis dicetur in sequenti cap. 17.

Diuidi tertio potest ex parte modi quo fit: quod quędam palam fiat, vt cum aliquid venditur sub hasta in foro, vel in 251.
alio loco publico, vel voce præconis, quædam vero non fiat plam. Item quædam fiat mercibus minutim venditis, & quædam in cumulo, seu copia venditis, vt cum venditur aceruus tritici.

Quarto diuidi potest ex fine, quod quædam fiat ob quæstum, & lucrum, & quædam ob alium finem. Item quædam fiat, vt res quę emitur, immutata prorsus, eadem iterum vendatur; qua ratione venditio dici solet negotiatio, estq; mercatorum propria; quædam vero fiat, vt res quæ emitur, mutata per artificium, & laborem, ac industriam, iterum vendatur: quæ emptio vsitata est artificibus, opificibus, ac etiam agricolis.

Postremo diuidi potest ex parte pretij, quod quędam fiat credita pecunia, hoc est, fide data, & accepta de soluendo in posterum pretio: quædam vero fiat præsenti, seu numerata pecunia: & demum quædam anticipata solutione, id est, soluta quidem pecunia, sed fide tantummodo data, atque accepta, de mercibus postea tradendis.

CAP. XIV.

De rebus quæ emi & vendi possunt.

SVMMARIVM.

252 *Vendi non possunt res spirituales, nec corporales Deo dicatæ.*
253 *Nec publicus vsibus dicatæ, nec litigiosæ: & quando venena.*
254 *Quatenus valida censeri possit venditio rei alienæ.*
255 *Quatenus emptio rei propriæ.*
256 *Explicatio dubij, an homo vendi possit.*
257 *Quatenus officia publica vendi possint in Republica.*
258 *Quando talis venditio sit peccatum, & de translatione prædictorum officiorum ab vno in alium.*

MVLTA de his ex iure ciuili habet Lud.Molina de iust. & iure, tract.2.disput.340. Quæ ad nostrum institutum sufficient, perstringemus, ac prius certa, posterius dubia proponemus.

252. Certum igitur est primo, res spirituales vendi non posse. Nam eas natura à nostro commercio exemit: atque vt dicitur in lege Si in emptione, §. Omnium rerum, ff. De contrahenda emptione; rerum quas vel natura, vel gentium ius, vel mores ciuitatis à commercio exemerunt, nulla venditio est.

Certum est secundo, vendi non posse res sacras, & religiosas. Qua de re late in tractatu de simonia quem instituimus in præced. lib.23.à cap.11. Hic tãtum monendum est primo, idipsum per ciuiles etiam leges prohibitum esse; lege Sancimus, 1.C. De sacrosanctis Ecclesiis, & lege Sed Celsus, ff. De contrahenda emptione.

Secundo, idem pati exceptionem in hoc, quod tales res (vt vestes sacerdotales; corporalia, mappæ, cortinæ, & vela altarium) si ita discissæ fuerint, vel consumptæ vetustate, vt non retineant formam, seu figuram ad sacrum vsum in eis requisitam, vendi possint; vt & templi diruti tigna, trabes, lapides, &c. Vendendæ, inquam, non ad vsus profanos, sed ad pios, alioqui comburendæ, & cineres in Ecclesia reponendi, iuxta cap. Ligna, & seq. De consecr. dist.1. Quod bene in particulari declaratum, videndum est apud Sylu. in verbo Benedictio, quæst.7. in cuius fine monet, Ecclesiastica vasa (maxime autem calices) integra vendi non posse, nisi alteri Ecclesiæ, vel loco Religioso.

253. Certum est tertio, res publicis vsibus destinatas vendi non posse, vt forum publicum: quia tales non habentur in pecunia populi, sed in publico vsu; vt dicitur in cit. lege Sed Celsus.

Certum est quarto, venena, & alia quæ nullo modo per adiectionem, vel mixtionem alterius rei, vsui humano seruiunt, vendi non posse. Cuius rei ratio hæc redditur in lege Quod sæpe, §. Veneni, ff. De contrahenda emptione: quod nec societas, nec mandatum flagitiosæ rei vires vllas habeat. Secus est vero de iis quæ mixta alij materiæ, adeo naturã nocendi deponunt, vt ex illis antidota, seu medicamenta quædam salubria conficiantur: talia enim, vt in eadem lege statuitur, vendi possunt.

Certum est quinto, res litigiosas, hoc est, de quarum dominio causa mouetur inter possessorem & petitorem, vendi non posse. Id enim satis constat ex Codicis titulo toto de litigiosis. Adde, nec rem pupilli, sine tutoris, rem minoris, sine curatoris; rem in feudum, aut in emphyteusim acceptam, sine domini directi authoritate, & consensu vendi posse. Nec item Ecclesiæ bona vendi posse à Prælatis absque authoritate Papæ, exceptis quibusdam casibus, de quibus agetur cum de Ecclesiasticis beneficiis in sequenti lib.30.

Dubiorum explicatio.

254. DVBITATVR AVTEM primo; An res aliena vendi possit valide? Ad quod respondetur tribus propositionibus. Prima est, talem venditionem nõ esse validam in præiudicium domini rei venditæ; adeo vt is semper habeat ius hanc repetendi, sibiq; vendicandi, siue inter scientes, siue inter ignorantes contigerit, celebratum esse ipsum venditionis contractum: nisi forte interuenerit legitima præscriptio. Et ratio est, quia cum nemo det quod non habet, venditor rei alienæ, dominium quod non habet, transferre non potest in emptorem.

Secunda propositio, *sumpta ex lege, Si in emptione, §. Item si & emptor. ff. De contrahenda emptione*, est, emptionem rei alienæ ad hoc validam esse, vt si ea fiat emptore talem rei conditionem ignorante, ipse, *quia est in bona fide*, possit rem eandem capere, ac præscriptam legitimo temporis lapsu, sibi retinere: possit quoque, *quia deceptus est*, iure repetere pretium datum, & quidquid sua interest. Id quod locum habet, siue pariter venditor eandem alieni conditionem ignoret, siue sciat illam. Istud que est, quod venditor de euictione teneri dicitur, seu, *quod idem est*, emptorem à quo res authoritate Iudicis ablata est, & vero domino restituta, seruare indemnem, restituendo ei pretium: & præterea quidquid aliud inde accepit damni; exceptis tribus casibus qui habentur in cap. finali, De emptione & venditione. Primus est, si emptor ipse in iudicio conuentus, venditorem ad litem defendendam non vocauerit. Secundus, si vocauit quidem, sed in iudicio contumax fuit, ita vt magis ob contumaciam suam victus videatur, quam eo quod malam causam habuerit. Tertius, si per iniuriam Iudicis ipse causa cecidit. De his Sylu. in verbo Emptio, quæst.25. alios addens eis, sed pertinentes ad forum externum.

Tertia propositio, *sumpta quoque ex memorato paragrapho*, est, si emptor sciat rem esse alienam, tunc emptionem non valere, hoc est, emptori ipsi non dari actionem qua repetat quod sua interest: quia sibi debet imputare quod pretium soluerit, cum sciens & volens id fecerit. Quamquam in foro conscientiæ, si contractum rescindat tamquam illegitimum, habet ius repetendi pretium à venditore: quod si nequeat recuperare, tenebitur nihilominus rem emptam vero domino restituere: ac debebit sibi damnum imputare.

255. DVBITATVR secundo, an emptio rei propræ valeat? Ad quod respondetur ex lege Suæ rei, & lege Si in emptione, §. Rei suæ, ff. De contrahenda emptione; non valere, siue emptor sciat, siue ignoret rem suam esse. Vnde cum ex tali contractu nulla obligatio nascatur, emptorem ipsum habere ius repetendi pretium quod soluit; siquidem emit data fide de pretio soluendo, non obligari ad illud soluendum, iusque habere retinendi rem suam. Aduerte tamen emptionem valere, si quis emat rem suam, quam forte timet desituram esse suam, ex l. Existimo, ff. eod. tit. vt si quis donatione rem acquirat ea conditione, vt si Titius redeat ex Vngaria, eam illi reddat: potest enim eam emere, emptioq; ad hoc erit valida, vt etiamsi Titius ex Vngaria redeat, nõ teneatur eam illi restituere. Aduerte etiam ex duabus legib. præcitatis; quod si quis in re mea ius aliquod habeat, vt vsum, vel vsumfructum vel possessionem, vel pignus, vel hypothecam, posse me illud emere: quia non est, rem meam emere, sed prædictum ius, seu seruitututem, vel onus sub quo res mea est alteri obligata.

256. DVBITATVR tertio, an homo vendi possit? De quare, vt minime apud nos vsitata, pauca tantum breuiter notabimus. Primum est, iure gentium introductam fuisse quandã quorundam hominum, *vt bello captorum, & ex eis procreatorũ*, seruitutem ratione cuius vendi possent. De quo videri possunt Summularij, vt Angelus, Sylu. Tabiena, in verbo Seruitus, & Sotus *lib.4. De iustit. & iure, quæst.2 art.2.* & nouissime Ferdinand. Rebellus, De obligationib. iustitiæ, *part.1. lib.1. quæst.9. & quatuor sequent.*

Secundum est; hominem liberum vendi quidem non posse, ex l. Sed Celsus, ff. De contrahenda emptione: patrem tamen extrema fame oppressum, posse vendere filium; ex lege 2. Cod. De patribus qui filios suos distraxerunt. De quo videri potest Couar. *lib 3. variar. resol cap.14 n.4.* Quæ venditio consentanea est iure naturali, cp dictat patris & matris vitam esse præferendam libertati filij, qui illis debitor est ortus & vitæ. Vnde inquit loco cit. Couar. non existimantur peccasse contra paternam charitatem illi, qui lib.2. Esdræ cap. 5. dixerunt: Filij nostri, & filiæ nostræ multæ sunt nimis, accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & viuamus. Verumtamen vsu reprobata est apud Christianos (inquit Sotus loco citato, concluſ.2.) huiusmodi venditio; neque immerito, quia patri, & matri fame, aut alia necessitate oppressis facile subueniri potest aliis remediis; inter quæ illud deesse non potest, vt filiorum operæ locentur anticipata mercede, quantum ea necessitas exegerit.

Tertium est, Christianum captum à Brasilienſibus, à quibus in aliquo loco occidendus est, posse vendere se ipsum alicui, qui velit pecuniis suis eum redimere.

Quartum est, hominem liberum posse vendere seipsum pro alio redimendo. Hoc patet per exemplum D. Pauli Episcopi Nolani, qui seipsum vendidit pro filio viduæ.

Quintum est, licitum esse homini vendere se ad soluendam pecuniam quam debet. Namq; id in veteri Testamento vsitatum fuisse patet per illud Leuit. 25. Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, &c. Ratioq; confir-

mat,

mat, quia quisque iure naturali habet suę libertatis dominiũ. Inter Christianos tamen hoc non est in vsu, ideoque non est nobis in eo immorandum diutius.

257. DVBITATVR quarto, an officia publica secularia vendi possint in Republica? De qua re agunt D. Thom. opusc. 21. Caiet. in verbo Officiorum secularium venalitas. Tabien. verbo Dominus, quæst. 11. Armilla verbo Officium. Sot. lib. 3. De iust. & iure, q. 6. art. 4. in solutione secundi argumenti, Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 7. Pro explicatione autem, docent primo, talia officia ex natura rei vendi posse. Quod probatur ex eo, quod ipsi sint vendentium; puta, Regis aut Reipub. liberæ, aut Principis non agnoscentis superiorem in temporalibus: atq; sint res humanæ fructuosæ, ac magnæ dignitates pretio æstimabiles, quas ij ipsi quorum sunt, non tenentur gratis dare. Accedit quod huiusmodi officia vendi videamus tam in Romana curia, quam in aliis Regũ & Principum curiis; quod non est damnandum facile; cum consequenter damnentur, tum Papa, tum Principes, quod sine aperta ratione non decet.

Docent secundo, magis præstare, vt talia officia gratis in Republ. dentur, quam vt vendantur. Ratio est, quia quantumuis tales venditiones possint esse licitæ, si fiant iusto, honesto, & moderato pretio, & hominibus idoneis ad fungendum talibus officiis, eisq; taxetur certum, ac determinatum stipendium, quod accepturi sint propter exercitium eorundem officiorum: tamen plerumq; contingit illas ita fieri, vt multa incommoda facile sequantur. Nam qui pecuniis abundant, emunt potius quam cęteri: & tales vt plurimum sunt minus idonei. Item qui maius pretium offert, obtinet: ita vt in illis ipsis officiis conferendis nõ habeatur ratio dignitatis, & meritorum, sed pretij. Item, qui emunt, vt pretium quod dederint, recuperent, & adhuc aliquid amplius lucrentur, inducuntur facile ad multa perperam agenda; & ad constituẽdos inferiores ministros, non habita ratione, an sint idonei, dummodo habeant, quorum opera vtantur ad plus pecuniæ congerendum. Et quamuis non sequantur necessario ex tali venditione eiusmodi abusus, tamen, vt Caiet. & Armilla locis citatis bene notant, cum actiones humanæ iudicandæ sint secundum illud quod in pluribus inuenitur, optandum est, vt huiusmodi venalitates à Republ.

258. eliminentur, tanquã fouentes in ea perniciosissimos abusus.

Docent tertio, *peculariter Nauarrus*, mortaliter Regem peccare, qui officia sui regni tam care, & talibus personis vendit, vt probabiliter credat, aut credere debeat, eas illis male vsuras; vt oppressuras esse subditos. Ratio aperta est, quia subditorum damnis dat occasionem, quam ex officio propulsare tenetur; vnde obligatur illa resarcire, eo qui infert, non restituente. Addit idem Nauarrus, talia officia vendendo peccare mortaliter Principes qui superiores agnoscunt in temporalibus: quia scilicet vsurpant sibi ius alienum, Principis inquam sui. Respubl. vero non liberæ, Duces, Marchiones, & cæteri domini qui Imperatorem, aut alium superiorem agnoscunt supra se in temporalibus, habent tantum modo ius nominandi, præsentandi, vel eligendi idoneos ad officia. Principis autem sui est, eadem conferre, nisi quod nonnunquam ab illo facultatem habent expressam, vel tacitam, generalem, vel specialem, ea conferendi, ac etiam vendendi.

CAPVT XV.

De iis qui emere aut vendere possunt.

SVMMARIVM.

259 *Laici per Principis prohibitionem, ne vendant non soluentibus sibi gabellas, non impediuntur vendere Clericis.*

260 *Regulariter qui prohibetur vendere per se, nequit vendere per aliũm.*

261 *Is cuius authoritate perficitur venditio, prohibetur emere.*

262 *Explicatio dubij, an licitum sit emere ab eo qui scitur statim consumpturus pretium.*

263 *Quatenus peccet qui alicui vendit aliquid, quo est abusurus, sed id nescit.*

264 *Quid si talequid sciat, aut probabiliter præsumat, an aliquam excusationem habeat à peccato.*

265 *Si quis probabiliter credatur re empta abusurus in Reipubl. aut proximi perniciem, vendens ei non excusatur à peccato.*

266 *Quatenus Rex possit vendere bona suæ regiæ dignitatis.*

267 *Quatenus possit, aut non possit vsufructuarius vendere suum vsumfructum.*

268 *Quando maritus dotalem fundum vxoris possit, aut non possit vendere.*

HVc pertinent aliquod dubia, quibus satisfacere o- 259.
portet.

PRIMVM EST. An cum à Principe facta est prohibitio de non vendendo aliis, quam suis subditis, soluentibus sibi gabellas, aut subeuntibus alia Reipub. onera, laicus possit vendere sua Clericis & Religiosis personis, quæ à talibus oneribus sunt exemptæ? Respondendum est autem, posse: cum eædem personæ possint à tali emere; non enim obstat ea prohibitio, quæ cum lex sit ciuilis, non obligat tales personas: dato quod passim Doctores tradunt, leges ciuiles non esse extendendas ad personas Ecclesiasticas, eo quod includerent alioqui illicitum, puta violationem libertatis Ecclesiasticæ.

SECVNDVM DVBIVM EST. An prohibitus ven- 260.
dere, & emere per se, possit id facere per interpositam personam propinquorum, vel amicorum? Ad quod respondendum est, non posse, quia eo ipso censeretur fraudem committere contra legem prohibentem: nisi forte talis prohibitio esset facta ob aliquam personæ indecentiam; quæ non interueniat vendendo, & emendo per interpositam personam; vt cum Clericus cui prohibita est negotiatio, de qua in sequent. cap. 9. per alium emit materiam, *vt lanam*, ex qua faciat pannum vendendum per illum, vel emat animalia minora alenda in suo prædio, quam cum creuerint, maiore pretio vendat, quam empta sint. Quæ doctrina est Medinę in Cod. De rebus restit. *quæst.* 30. §. *Secundo modo, vers. Hæc tamen.* Cui fauet quod in Clement. 1. De vita, & honest. Clericor. prohibetur, ne Clerici officium tabernarij, aut macellarij personaliter exerceant. Non enim absque causa dicitur *personaliter*. Quanquam res est ex se satis periculosa, & quæ mali speciem quandam habet in homine, cuius sors, & pars hæreditatis est Deus.

TERTIVM DVBIVM EST. An executor testamenti 261.
licite possit emere rem defuncti vendendam in executione, & tutor rem pupilli, & curator rem minoris? Ad quod respondendum videtur: quoad forum quidem externum emere non posse, iuxta textum expressum in lege Non licet, & in lege Si in emptione, §. Tutor, ff. de cõtrahenda emptione. Ratioq; est, quod fraus in ea re præsumatur, eo quod talis venditio debeat per ipsos fieri; vt patet de executore testamẽti. Et probatur de aliis, quia pupilli, & minores nequeunt per se, sed tantum authoritate, atque consensu, illi quidem tutoris; hi vero curatoris vendere sua. Pro quo faciunt antedicta in cap. 9. sectione prima. Quoad forum autem conscientiæ, nihil prohibere, quominus illi possint licite emere, si iustum pretium soluant, & ab omni fraude, & mala fide abstineant; imo quoad forum etiam externum poterunt, si bona fide, palamque emant, ex lege Cum ipse, Cod. De contrahenda emptione. In quo foro bona fide emere censebuntur, cum emerint iusto pretio, & vtilitas, vel necessitas vendentis postulauerit, vt ipsi emant. Palam vero emere iudicabuntur, cum venditio facta fuerit sub hasta, voce publica præconis.

QVARTVM DVBIVM EST. An possim licite emere 262.
ab eo quem scio pretium statim consumpturum? Ad quod congruenter legi Si quis cum sciret, ff. Pro emptore, respondetur, id quidem per se licitum esse, quia non impedit quominus alter censeatur rem suam vere vendere; ex circumstantia tamen id esse illicitum, nempe si venditor per legem, aut iudicem prohibitus sit vẽdere; vt furiosus, aut prodigus: quibus legitima etiam ætate impleta, solent curatores tribui, ex lege 1. Cod. De curatore furiosi, & prodigi. Item, si sciam ipsum esse consumpturum pretium in perniciem alterius, vel in detrimentum propriæ animæ: quo casu in conscientia non possum emere; quia pro viribus vitare debeo damnũ proximi, & illius salutem curare. Quod si

certum

certum non sit taliter consumpturum esse: vt cum lusurus est, & æque probabile est lucraturum esse, ac perditurum ludendo, nihil videtur impedire, etiam in conscientia, quominus possit emi ab eo, qui alias non est prohibitus vendere, aut taliter ludere.

263. QVINTVM DVBIVM EST. An liceat vendere merces iis qui abusuri sunt illis? Ad quod respondetur, certum esse, *vt iam attigimus in præced. cap.* quando merces sunt tales, quibus nemo, aut fere nemo bene vtitur, sed fere omnes illis male vtuntur, non licere eas vendere. Vnde qui vendunt, puniuntur tam iure Canonico; vt ij qui distrahunt libros famosos. 5. quæst. 1. per totam: quam iure ciuili, vt ff. ad legem Corneliam, De Sicariis, l. 3. Illi qui vendunt venena ad nullam medicinam vtilia. Quando vero merces sunt tales, quibus potest quis tam bene, quam male vti, *vt nonnulla venena vtilia ad medicinam*: aut quas potest tam in bonum, quam in malum finem referre, præsertim cum de se respiciunt bonum finem (*sicut domus de se respicit habitationem*) etiamsi possit ab homine in malum finem referri: vt ad vsuras exercendas. Non peccare enim qui eas vendit, aut locat, aut commodat, quando nec scit, nec probabiliter præsumit emptorem, vel conductorem, vel commodatarium illis abusurum.

264. Quod si tale quid sciat, vel præsumat probabiliter; difficultas est, an peccet vendēdo, aut locando, aut commodando? Tollitur autem distinctione: nam talis vel ex iustitia, vel ex charitate, vel simul ex vtraq; tenetur impedire illud peccatum, quod scit, vel præsumit inde secuturum: vel nullo modo tenetur impedire. sique teneatur impedire, cum multo magis teneatur non suppeditare materiam peccandi, distrahens rem suam abusuro, peccat grauiter: idq; vel contra charitatem, si quidem ex charitate teneatur idipsum peccatū impedire. prout quilibet cēsetur teneri ex præcepto de correctione fraterna, nisi alter ex malitia peccet ipseq; impediēdo, damnum aliquod notabile sibi creet. Vel peccat contra iustitiam, si ex iustitia obligetur impedire: vt cum id illi incumbit ex officio. Atque sic grauiter peccaret is, qui cum teneatur impedire ne sceleratus interficiat innocentem, illū non modo non impedit, sed etiam vendit ipsi, aut locat, aut commodat arma quibus interficiat: taleque peccatum est in eo eiusdem speciei, cuius est in illo à quo perpetratur: quandoquidem idemmet peccatum ei placet, aut certe nō displicet, cum debeat displicere.

Quod si non teneatur quis tale peccatum impedire; distinguendum est rursus: vel enim rem qua scit alterum abusurum, distrahit ea intentione, vt ille qui eam accipit, peccet: siue intentio actualis sit, vt quando actu intendit illius peccatum: siue sit virtualis, vt quando licet nō intendat formaliter peccatum, parum tamen curat siue alter peccet, siue non: aut distrahit ad aliquem finem bonum, honestum, & licitum, vt propter moderatum lucrum pro sustētatione familiæ suæ, aut propter amicitiam. Igitur priore modo distrahens rem suam, peccat tanquam consentiens, & cooperans alieno peccato: distrahens autem posteriore modo, id est, nō ea intentione vt alter male vtatur accepto: sed ob alium bonum finem, minime peccat, dummodo ipsi peccatū alterius displiceat, neq; teneatur illud impedire. Quæ sentētia est D. Thomæ & Caiet. 2. 2. *quæst.* 169. *art.* 2. *ad vlt.* & Nauar. *in Enchir. cap.* [illegible] *num.* 25.

Et probatur primo, quia talis in sua intentione neque directe, neque indirecte inesudit peccatum alterius: non quidem directe, quia non habet illud sibi propositum, sed aliquem alium bonum finem, *vt supponimus, exempli gratia lucrum iustum & honestum*; neque indirecte, quia is tantum indirecte concurrit ad peccatum alterius, qui tenetur illud impedire, nec impedit. Nemo autem sic tenetur impedire peccatum alterius, qui peccat ex mera malitia, vt pariter teneatur cessare à negotiatione, qua licite alioqui prouidet sibi de necessariis ad familiam sustentandam. Si dicas, talem præbere materiam peccati: Respondetur; id non referre: quia quamuis Deus proponat materiam circa quam homines peccant, non ideo tamen dicitur ad peccatum ipsorum concurrere.

Præterea, vt Nauarrus argumentatur loco cit. Quando actio aliqua est ex se indifferens: seu quæ potest bene & male fieri: qui bono fine ad illam alium inducit, non peccat: vt qui exigit iuramentum ab infideli, quem scit iuraturum per falsum Deum: & qui mutuo petit pecuniam ab vsurario, quem nouit non daturum sine vsura. Quare multo minus peccabit qui offert alteri materiam indifferentem, seu qua potest bene vel male vti: cum offerre materiam minus sit, quam inducere ad actionem: idque, *vt supponimus*, non fiat proponendo sibi peccatum illius. Si vero obiicias, vnumquemq; ex lege charitatis debere quantum in se est, impedire ne proximus labatur in peccatum: ideoque non excusari à peccato contra charitatem, qui offert ei materiam aliquam peccati. Occurrendum est, præceptum charitatis esse affirmatiuum, & ideo tantum obligare in alterius graui necessitate. Quando autem quis peccat sua sponte, non censetur esse in eiusmodi necessitate: quoniam se à peccando cohibere est in ipsius potestate.

Veruntamen si sciatur, aut verosimiliter credatur perpetrādum peccatum in damnum Reip. vel in iniuriam & scandalum proximi, peccatum est vendere: quia suppeditare alteri materiam iniurioſe nocendi, est contra charitatem, aut contra iustitiam, vel contra vtramq; potius. Itaque fatemur quod is peccet, qui meretrici ornamentum aliquod vendit, quod probabiliter creditur ab illa emi ad scandalizandū innocentem aliquem ac pusillum: peccet inquam, non quasi cooperans meretricii ipsi, quæ sua tantum malitia peccat: sed tanquam concurrens ad proximi ruinam, quod est peccatū contra charitatem. Fatemur similiter peccare illum qui vendit gladium ei, quem probabiliter credit emere ad gerendum iniustum bellum, aut ad occidendum alium: quia suppeditare arma in Reipub. vel proximi perniciem, est contra charitatem & iustitiam, cum inde iniuria inferatur Reipub. aut proximo. Idem dic, si quis gladium vendat ei quem probabiliter credit velle sibi adimere vitam: cuius nō ipse sed Deus est specialis dominus; Respub. vero specialis custos: cui proinde iniuriam in eo facit. 265.

SEXTVM DVBIVM EST. An possit Rex vendere bona (*vt vrbes & castella*) suæ regiæ dignitatis? Ad cuius explicationem ex Couar. & aliis, quos ipse commemorat ac sequitur *ad cap. Quamuis pactum, de pact. in 6. part. 2. §. 2. num. 4.* dicendum est non posse, quando in notabile Reipub. præiudicium alienatio vergeret: quoniam talia bona potius sunt regni, quam Regis, qui Reipub. non dominus, sed administrator est. Secus esset vero, quando non nisi modicum præiudicium possit timeri: Tunc enim Regem habere potestatem alienandi res regni, argumento est, quod idem author aliis citatis addit, ipsum posse rem aliquam pertinentem ad dignitatem regiam titulo donationis transferre in alium qui de ipsa Republ. sit bene meritus. 266.

Notat idem author consequenter, quod si Rex aliquam ciuitatem vel castrum regiæ dignitatis iusta de causa alienauerit: excepta intelligantur iura exigendi gabellas, vectigalia publica, ac puniendi reos pœna sanguinis, nisi hæc etiam fuerint expressa in alienatione. Imo & tali expressione facta, adhuc apud Regem ipsum maneat suprema iurisdictio, & facultas ad eum appellandi. Notat item, ciuitatem aut castrum non posse alienari inuitis hominibus qui sunt de tali ciuitate aut castro: sique dominus velit ex causa necessitatis alienare, ipsi debeant admitti ad emptionem libertatis, si eidem domino tantum dare velint, quantum ab alio emptore fuerit oblatum.

SEPTIMVM DVBIVM. An vsufructuarius possit vsumfructum vendere sine authoritate & consensu domini rei, cuius fructum capit? Ad quod respōdendum est distinctione. Nam si vsusfructus sumatur pro iure quo vsufructuarius, fructus quos ex re alterius, perceptos facit suos; is vendi non potest sine dicto consensu: quia tale ius est personale, quodque vni personæ conceditur, non censetur statim alteri concessum: quia sæpe vna persona placet, non altera: vnde fit, vt idipsum ius extinguatur morte vsufructuarij. Si vero vsusfructus sumatur pro fructib. qui percipiuntur; ille vt locari, aut gratis donari, sic & vendi potest, sicut quæuis alia res propria. 267.

Idem pari ratione dicendum est de alimentis quæ alicui dantur ex alicuius voluntate vltima: nimirum si eorum nomine intelligatur ius quod quis habet vt alatur ab alio; ven-

di, locari,

di, locari, aut donari non posse alteri, quia est ius personale. Si vero accipiantur pro fructibus ipsis quibus alitur quis; vendi, locari, aut donari posse. Idem pariter dicendum est de pensione quam quis ex alterius beneficio Ecclesiastico percipit: nempe si eo nomine intelligatur ius percipiẽdi certam portionem ex beneficij fructibus, non modo vendi nõ posse; sed nec locari, vel donari sine Papæ facultate. Sin autem intelligantur ipsi fructus, vendi, locari, ac donari posse. Sicut ius percipiendi decimas, ne quidem locari, aut donari potest absque Papę consensu: fructus tamen qui percipiuntur, possunt non tantum locari, vel donari, sed etiam vendi.

Item beneficiarius, ius quod habet percipiendi fructus sui beneficij, ne quidem gratis alteri donare potest sine cõsensu Papę: fructus autem quos percipit, potest non tantum gratis dare, sed etiam vendere vel locare. Quibus accedit pari ratione quod Emphyteuta possit vendere fructus quos percipit: non possit autem ius quod habet, in alterum transferre, ex l. finali, Cod. de iure emphyteutico. Item feudatarius possit vendere fructus quos ex feudo percipit; nõ autem ius ipsum percipiendi, ex tit. De prohibita feudi alienatione, in consuetudinibus feudorum.

268. OCTAVVM DVBIVM EST. An maritus vendere possit fundum dotale, hoc est, rem immobilem quæcumq; sit, siue ædificium siue prædium, &c. datam ei in dotem vxoris? Ad quod respondendum est distinctione, *vt est apud Syluestrum in verbo Dos, num.13.* nempe, si res dotalis data sit pretio æstimata, & tanquam emptitia, maritus accipiens (maxime si alia bona habeat ad sustinenda matrimonij onera) possit eam tanquam dominus alienare de consensu vxoris. Sin æstimata non sit, eam alienare non possit, exceptis aliquot casibus relatis ab eodem Syluestro. Quorum præcipui sunt, cum necessitas ipsum cogit, & cum vxoris vtilitas id exigit. Addere his possumus quod Iudæus, Paganus, aut hæreticus non possit mancipium Catholicum emere, cum illi prohibeantur hunc habere seruum ex lege Deo nobis, §. his, C. De Episcopis & Clericis. Cum qua Ecclesiæ statutum consentit in cap. 1. 2. & vlt. Extra, de Iudæis.

CAPVT XVI.

De iusto pretio rerum venalium.

SVMMARIVM.

269 *In quo consistat iustitia, vel iniustitia pretij rerum venalium.*

270 *Ratio qua iustum pretium constituitur.*

271 *Pretium iustum aliud legitimum, aliud naturale: & inter vtrumq; differentia.*

272 *Notanda de eo, quod iustum pretium constitui debeat secundum legem, vel communem æstimationem, quæ fuerit in loco & tempore quo perficitur venditio.*

273 *Prima causa augendi, vel minuendi pretium rerum venalium, est earundem penuria, vel copia.*

274 *Quid sint lucrum cessans, & damnum emergens: & quatenus sint causa iusta augendi pretium rei venalis.*

275 *Vtilitas aut necessitas emptoris non est iusta causa augendi.*

276 *Quatenus labor, industria, & periculum in comparandis & conseruandis mercibus esse possit causa augendi pretium rerum venalium.*

277 *Regula à Scoto de eo tradita reijcitur: & traditur quando illa causa locum habeat.*

278 *Donatio causa est augendi, vel minuendi pretium iustum, ad quam diiudicandam seruiunt quatuor documenta.*

279 *Inter amicos & consanguineos facile præsumitur donatio, non autem inter extraneos.*

280 *Quatenus modus vendendi sit causa augendi, vel minuendi iusti pretij.*

281 *Mercatores ratione officij aliquanto maiore pretio vendere possunt, quam alij.*

282 *Ementes simul in magna quantitate, possunt ea de causa minus soluere, quam alij.*

283 *Legitimum pretium quid sit, & quid requiratur ad illius iustam taxationem.*

284 *De eadem taxatione quædam notanda.*

285 *Quid iuris sit, si facta taxatione, venditores inueniantur iacturam facere, vendendo secundum pretium taxatum.*

286 *Legibus ciuilibus pretia rerum taxantibus subijciuntur etiam exteri & Clerici.*

287 *Quod dicatur pretium naturale, & qui dixerint ipsum excedentes excusari à peccato, aut saltem à restitutione: ac quo fundamento.*

288 *Vendentes supra pretium rigorosum, aut ementes infra pium, regulariter peccant, ac tenentur ad restitutionem.*

289 *De eo quod in contrarium ex iure ciuili adfertur, rem tantum valere, quantum vendi potest: & quod vnusquisq; in suis rebus sit moderator & arbiter.*

290 *De altero, quod permittatur deceptio infra medium iusti pretij.*

DE hoc cum D. Thom. 2. 2. q. 77. art. 1. ad 1. agunt ipsius interpretes; Caiet. quidem & alij ad eundem art. D. Anton. vero 2. part. tit. 1. in posteriore part. cap. 16. Sotus in 6. De iust. & iure, q. 2 art. 3. Sylu. in verbo Emptio, quæst. 6. Gregor. à Valent. disp. 5. q. 20. punct. 2. Aguirr etiam Gabr. in 4. distin. 15. q. 20. art. 1. Conrad. De contractib. quæst. 56. Medina in Cod. De rebus restit. quæst. 31. & 36. Couar. lib. 2. variar. resol. cap. 3. Nauar. in Enchir. cap. 23. n. 78. ac nonnulli alij, quorum meminit Petrus à Nauar. lib. 3. De restit. cap. 2. num. 1. Ad illud etiam pertinent quæ habet Molina in eod tract. 2. disput. 347. & quatuor sequentib. Trademus autem 1. quædam communiter recepta documenta, vtilia ad intelligendum quodnam sit iustum rerum venalium pretium. 2. proponemus causas propter quas tale pretium augeri, vel minui potest. 3. dicemus de pretio legitimo. 4. de pretio naturali.

Documenta de iusto rerum venalium pretio, communiter recepta.

SECTIO I.

PRIMVM EST pretij iustitiam & iniustitiam, ex quibus emptionis & venditionis iustitia & iniustitia pendent, in hoc cõsistere, iustitiam quidem, quod valor ipsius sit æqualis valori rei vẽditæ: iniustitiam vero, quod sit inæqualis, hoc est, quod venditor plus pretij accipiat, quam res valeat: vel emptor minus pretij det, quã res valeat. Ad quod diiudicandum, *ex communi Doctorum consensu*, non debemus considerare solam rei perfectionem physice sumptam: sed ipsius vsum, per quem subuenitur humanæ indigẽtiæ, quæ est regula æstimationis rerum, prout traditum est ab Aristot. 5. Ethic. cap. 6. & communis experientia satis ostẽdit; cum videamus communiter tanto pluris, vel minoris æstimari res ab hominibus, quanto hi, illis magis indigent ad aliquem finem, vel necessarium humanæ vitæ, vel iucundum, vel vtilem. Vnde licet quælibet res anima prædita, sint natura, atque naturalibus accidentibus perfectiores rebus inanimis; harum tamen quædam, eo quod homines plus eis indigeant, pluris æstimantur quam quædam res animatæ. Nam vt recte ait D. Augustin. in lib. 11. De ciuit. Dei, cap. 16. Quis non malit domi habere panem quam mures? & nummos quam pulices? Hinc videmus pro varietate locorum & temporum, ac gentium, pretia rerum variari: quia pro eadem, æstimatio hominum est varia. 269.

SECVNDVM DOCVMENTVM EST, rum rerum pretium constitui, prudenter inspectis occurrentib. causis, ob quas possunt res venales plus aut minus valere, *de quibus dicetur in seq. sect.* idq; fieri dupliciter: vno modo, lege, aut statuto Principis vel Reip. edicto Gubernatorum, vel Senatorum, ꝙ dicitur pretium legitimum, id est, lege positũ: altero modo, cõmuni hominum prudentium æstimatione; ꝙ dicitur pretiũ naturale: non quod à natura, sed quod naturæ seu naturali humanæ ve rationi congruenter constitutum sit: nõ vero ex affectu, nec ex vtilitate singulorum, *vendentis inquam, vel ementis*, ex lege Pretia, ff. Ad legem Falcidiam. 270.

Vbi aduerte, quod sicut communis æstimatio iusti pretij antefertur æstimationi particulari vendentis vel ementis, ita vt ille pluris rem suam vendere, & iste minoris emere non possit, quam ea æstimatur communiter: quidquid vteruis il-

iorum particulariter contra existimet. Consentaneum est enim semper credere, priuatum hominem in æstimatione iusti pretij male iudicare, & falli potius, quam omnes communiter. Sicut, inquam, communis æstimatio in hac re anteferatur particulari: ita etiam legis taxationem anteferendam esse communi æstimationi: quia vt Principum, & Gubernatorum est cæteras in Republ moderari; sic etiam est pretium rerum taxare, ad tollendam occasionem oppressionis indigentium, aliorumque damnorum. Neque ob communem æstimationem facile iudicanda est legis taxatio iniusta: cum credendum sit, *nisi de contrario aperte constaret ex circumstantiis*, Principes in ea recte expendisse omnia quę requirebantur, vt iustitiam & æquitatē seruarent. Vnde quantumuis decursu temporis merces pluris æstimētur communiter, quam sit lege taxatum: non ideo tamen licitum est secundum illam æstimationem, contra hanc taxationem vendere. Quanquam, *vt à Doctoribus notare habet Petrus à Nauar. lib. 3. de restit. cap 2. num. 2.* mutari debent leges quando circumstantiæ notabiliter variantur: sique Princeps in eo esset notabiliter negligens, lex inciperet esse iniusta, nec in conscientia obligaret. Sed non est facile tale quid iudicandum, præsertim cum tribuatur imprudentiæ, si Princeps leges passim mutet, & de nouo condat.

271. TERTIVM DOCVMENTVM EST, pretium legitimum in indiuisibili consistere: adeo vt cum pluris merces venduntur, vel minoris emuntur quam sit taxatum, iniustitia contra proximum committatur, inducens obligationem ad restitutionem, vt bene ostendit Medina *in Cod. De reb. restit. quæst. 36.* vbi aduerte obiter cum Petro à Nauar. *in cit. cap. 2. nu. 4* legem aliquando statuere, ne vltra certam quantitatem res vendatur, nihil curando an talis taxatio æqua sit necne: eo quod communi æstimatione definiendam relinquat, posita limitatione certi termini non excedendi, vt euitentur Reip. damna: atque tunc poterit res minoris emi, si minor fuerit illius æstimatio communis hominum. Pretium vero naturale non consistere, in indiuisibili, sed intra iustitia latitudinem habere tres gradus: summum inquam, ex quo rigidum; infimum, ex quo pium, & medium ex quo mediocre seu moderatum pretium dicitur: quæ quidem iusti pretij latitudo cum non excedatur, iustitia commutatiua non violatur: adeo vt absque illius violatione, *quemadmodum habet Sotus in 6. De iust. & iure, q. 2. art. 3.* possit eadem res in eodem loco, eodemq; tempore carius vendi vni, quam alteri: non amico, quam amico: diuiti, quam pauperi: ementi credita pecunia, quam ementi numerata: nimirum vendendo vni, pretio rigoroso; & alteri, pretio mediocri aut pio.

Ratio autem huius documenti est, quod pretium legitimum ex iudicio vnius, *puta Principis, aut Gubernatoris*, pendeat: cum cæteri sint tantum illius consultores. Inde enim fit vt ipsum punctum possit assignari vnum idemque, quod debeat ab omnibus seruari indiuisibiliter. Pretium naturale vero consurgat ex multorum iudicio & æstimatione: vnde vix fit vt idem ab omnibus statuatur; sed quod vnus iudicat iustum, alius maius, aut minus iusto esse censet.

272. QVARTVM DOCVMENTVM EST, iustum pretium debere constitui secundum legem, vel communem æstimationem, quæ est eo tempore, quo venditio perficitur: quæq; est in eo loco in quo celebratur contractus. Istud autem est quidem de se notum: sed circa illud duo sunt notanda. Prius est, venditionem, quantum requiritur vt ipsum procedat, perfici cum emptori traditur res quæ venditur, aut habetur pro tradita: nempe fide habita de pretio soluēdo, vel pignore aut arrhis datis venditori ab emptore: ita vt periculū rei pertineat ad emptorem. Posterius est, idipsum documētum locum habere, quantumcumque res venalis sit alibi: aut alibi tradatur emptori, quam vbi celebratur contractus. Nam si pretium quod in tali loco, lege, vel communi æstimatione taxatur, iustum est, recedere ab illo in venditione est iniustū: nisi id fiat ratione expensarum & periculi in re venali transportanda ad alium locum, atque tradenda emptori cum securitate: quæ onera sunt pretio æstimabilia. Item, nisi contractus ita de facto celebretur in vno loco, vt virtute in alio celebrari censeatur: vt cum illud quod Mediolanum transportaturus, vendo tibi Lugduni, perinde ac si celebrarem Mediolani contractum: quo casu possum accipere pretium lege, aut communi æstimatione Mediolani constitutum, deductis expensis ac periculo transportationis, quibus emptor me liberat per hic factam emptionem. De qua re Petrus à Nauar. *lib. 3. De restit. cap. 2. n. 6.*

POSTREMVM DOCVMENTVM EST, in æstimando rerum venalium valore ac iusto earundem pretio cōstituendo, considerandas esse causas, ob quas idem valor, & ex consequenti pretium ipsarum rerum crescere, & decrescere potest: quæ proinde sunt deinceps considerandæ cum eodem Petro à Nauarro, & aliis quos ipse recenset in eodem cap. 2. num. 20.

Causæ augendi, vel minuendi iustum pretium.

SECTIO II.

PRIMA EST, penuria aut copia rerum venalium; quarum illa augendi pretium: hæc vero minuendi causa est: 273.
quia illa maiorem indigentiam, hæc minorem arguit, cum facile sit rem eam habere, cuius est copia; & periculum sit carendi re, quam non omnes habent, aut non nisi difficulter habere possunt. Ad hanc causam reducitur maior copia vel inopia pecuniarum, quam mercium: itemque multitudo, aut paucitas emptorum, quam venditorum. Cæteris enim paribus cum est maior pecuniæ copia, quam mercium, aut multi sunt qui emant, & pauci qui vendant; res venales pluris æstimantur propter maius periculum carendi iis quibus egeas. Reducitur etiam causa illa quæ sumitur ex eo loco vel tempore; namque radix maioris, vel minoris pretij in vno loco, quam in alio: aut vno tempore, quam alio: vt verbi gratia, tempore belli, vel pestis, quam pacis, vel incolumitatis: est, quod in vno maior, vel minor sit pecuniarum, quam mercium; aut emptorum, quam venditorum copia. Quod autem emptor re quæ venditur, indigeat, si eiusdem rei non sit communis indigentia, non debet censeri causa sufficiens augendi pretium: sicut nec censetur causa minuendi quod venditor non indigeat re quam vendit. Et certe alioqui fas esset carius vendere pauperi, quam diuiti: quod absurdum est.

SECVNDA CAVSA EST, lucrum cessans vel damnū 274.
emergens. De qua hæc praxi occurrunt notanda. Primum est, per lucrum cessans esse cum Petro à Nauar. in cit. cap. 2. num. 284. hic intelligendam amissionem, & iacturam boni habendi, incerti tamen, & impedibilis. Per damnum emergens vero, *prout idem habet, num. 276.* amissionem certi boni, siue præsentis, & iam habiti: siue futuri, & habendi; vt est hæreditas, vel pecunia, vel res alia pretio æstimabilis, cuius iacturam certam quis faciat, aut facere debeat ratione venditionis.

Secundum est, quod idem Petr. à Nauar. *in eodem cap. n. 23.* habet ex Syluestro *in verb. Emptio, quæst. 6.* & Nauar. *in Enchir. cap. 23. num. 83.* secutis D. Thomam *in 2. 2. q. 77. art. 1.* Cum res in gratiam, & ad instantiam emptoris venditur, eam ob lucrum cessans, vel damnum emergens posse pluris vendi, atque adeo venditoris damnum in pactū deduci: non autem quando venditori vtile est rem suam distrahere, eamve gratia sui distrahit: Tunc enim damnum siue illatum, siue inferendum, imputandum est ipsi, non autem emptori: vt nec si cōtractus venditionis tali damno nullo modo causam dederit. Extendendum est vero istud ad affectum, non quidem eum quo venditor rem suā pluris æstimat, quam sit lege, aut communi æstimatione taxatum: quia contra eas priuata æstimatio nihil potest vt patet ex dictis in præced. cap. sed *(prout attigit Petrus à Nauar. in præced. nu. 22.)* ad affectum, ratione cuius venditor damnum patitur priuando se re quæ adeo placet ei, vt magnam ex illa capiat delectationem. Namque talis priuatio delectationis est pecunia æstimabilis, tanquam incommoditas quædam, perinde ac priuatio vtilitatis.

Non obstabit autem quod rei quæ venditur pretium iustū determinatum sit lege, aut communi æstimatione: quia tale auctuarium non accipitur ex vi venditionis, nec ratione rei venditæ; sed ratione damnorū prouenientium ex venditione. Lex vero, aut æstimatio cōmunis determinat tantummodo pretium rerum venalium, non item damnorū prędictorum.

Aduerte

Aduerte autem, quod recte monet Sotus *lib. 6. De iust. & iure, q. 3. art. 1. concl. 3.* vt pro talibus damnis pretium accipi possit, requiri vt emptor de ea re moneatur, quia forte nollet illa subire, sed solum rem emere qua indiget, ideoq; sibi aliunde prouideret. Adde probabile esse, item requiri vt affectus ille non sit à ratione alienus, quia talis corrigendus est; non autem enormi pretio solandus.

Tertium est, *quod in eod. num. 83. ex D. Thoma in cit. art. habet Nauar. & omnes fateri ait Pet. à Nauar. in seq. num. 24.* non licere pluris vendere rem, eo quod pluris valeat emptori tanquam ei necessaria, vel commoda. Ratio est, quia id esset illi suam necessitatem, vel commoditatem vendere. Sic ergo, *inquit idem Petrus*, si esset domus iuxta meam, quæ mihi esset valde vtilis aut necessaria, non liceret eam pluris mihi vendere quã in se valeat, nisi ratione interesse lucri cessantis, aut damni emergentis venditori.

Quartum est, his non obstare Bullam Pij V. quam habet Nauar. in Enchir. cap. 17. nu. 283. litera N. prohibentem pactum ab initio iniri de certo & determinato lucro cessante. Nam loquitur tantum de tali pacto cum fit in materia cambiorum: neque prohibet de lucro veraciter cessante, contrahentes pacisci, euitata omni iniustitia, vt Nauar. ibidem annotat.

TERTIA CAVSA augendi pretium, est industria, labor, & periculum in cõparandis, curandis, conseruandis, & transferendis mercibus. Nam hęc arguunt difficultatem rei obtinendæ: & consequenter æstimationis augmentũ inducunt, nisi mercator (*quod recte monet 2. 2. disput. 5. quæst. 20. punct. 2.* Gregor. à Valent.) per imprudentiam deceptus, posuerit, *moraliter loquendo*, operam non necessariam, nec mercibus per se vtilem: tunc enim apertum est, non subesse causam aliquid plus accipiendi ab emptoribus. Itemque nisi res quæ proponuntur venales, pretium habeant determinatum ex communi æstimatione, vel publica taxatione. Nam omnes fatentur, vt notat Petrus à Nauar. lib. 3 De restit. cap 2. num. 25. rem non posse vendi carius quam valeat in communi æstimatione, aut quam taxatum sit lege: cum tam lex, quam communis æstimatio perpendat omnia requisita in valore assignando; eique cedere debeat particularis æstimatio hominis priuati.

Neque si quis plures aliquando sumptus fecerit, ac iacturam passus sit (vt cum nauis qua merces vehebantur, periit, aut domus in qua seruabantur, conflagrauit) ideo debet iustum pretium à lege, aut communi æstimatione taxatum excedere, vt se seruet indemnem. Tum quia res pereuntes, iis peremit, quorum sunt: non autem aliis. Tum quia hæc mercatorum conditio est, vt lucro, & damno sint expositi. Et certe si illæ circumstantiæ, non autem lex, vel communis æstimatio, essent regula iusti pretij, is qui exiguo labore, & modicis sumptibus merces comparasset, non posset eas vendere pretio currente secundum legis, vel communis æstimationis taxationem; quod nemo dixerit. Vnde Couar. *lib. 2. var. resol. cap. 3. n. 4.* infert in æstimatione iusti pretij non esse considerandũ quanta res ipsa empta fuerit, nec quot labores pro ipsius acquisitione venditor sustinuerit: sed habendam esse rationem communis æstimationis hominum. Adde, nec vltra pretium rei taxatum communi æstimatione posse venditorem quidquam accipere eo nomine, quod illam pluris emerit: quandoquidem rerum pretia non sunt ex lucro, vel damno mercatoris æstimanda, sed ex communi illarum æstimatione in loco vbi venduntur, facta, attentis omnibus debitis circumstantiis.

Atque inde est, quod Doctores communiter & nominatim Medina *in Cod. De rebus rest. quæst. 31. §. Ex dictis*, & Sotus, *lib. 6. De iust. & iure, q. 2. art. 3.* reiiciunt vt falsam, regulam quam tradit Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. art. 1. sub finem. Ea enim habet; iustum rerum pretium ita esse in manu mercatorum, vt computare valeant expensas omnes quas fecerunt emendo, transportando, atque seruando tales merces, insuper & iustam mercedem, quam merentur pro industria & labore, quem susceperunt: ac etiam pro periculis, quibus se exposuerunt: perinde ac si ea in parte seruirent Reipub. conducti mercede; atque adeo si pretio his omnibus, plus minus correspondente vendiderint, censeantur iusto pretio vendidisse. Quod quidem est, iustum rerum pretium constituere, non ex indigentia publica, & æstimatione communi, sed ex vtilitate, & æstimatione particulari, ac priuata venditorum.

Communi etiam omnium consensu (addit Petrus à Nauarra) statuitur traditæ doctrinæ congruenter, propositam tertiam causam locum habere tantũ quando res venales fuerint exquisitæ; & quæ de noua ad Remp. aduehantur. Tunc enim cum valorem non habeant assignatum à lege, vel communi æstimatione, iustum pretium illarum statuendum est consideratis expensis, industria, laboribus & periculis susceptis à venditore, in eis curandis, conseruandis, & transferendis. Id quod Nauar. quidem *in Enchir. cap. 23. num. 78. post Gabrielem*, censet venditori relinquendum esse: sed recte monet Petrus à Nauarra in eodem cap. 2. num. 26. esse potius committendum iudicio prudentium: quia difficile est, vt quis in causa propria sit æquus iudex, nec amore sui & cupiditate habendi decipiatur. Quanquam si quis ita esset rectę intentionis, vt absque remorsu certum pretium sua conscientia tanquam iustum ei dictaret, teneri posset illa Nauarri sententia.

QVARTA CAVSA augendi, vel minuendi pretium, est donatio venditioni admixta, si liberalis sit, nec coacta; nam talis de se licita est in venditione: quia volenti, & cõsentienti non fit iniuria. Quæ causa est ita clara, vt omnes de ea consentiant, prout notat Petrus à Nauar. *in seq. num. 27.* Verumtamen quando ea contingat, difficile est iudicare; ad quod sequentia documenta iuuabunt. 278

Primum est, *pro pro consequenter nu. 28 plures authores commemorat Petrus a Nauar.* Eos qui necessitate compulsi, sua vendunt minoris quam alias valeant, non censeri liberaliter donare defectum iusti pretij. Ratio est quia si generaliter non intendant contrahentes in vendendo, & emendo exercere liberalitatem, multo minus præsumendus est intendere is, qui res suas distrahit ex necessitate; nõ distracturus, nisi præsens necessitas vrgeret; nec vilius venditurus, si carius vendere posset. Quod tamen non impedit quominus emptio fiat absq; peccato, & obligatione restituendi, iuxta dicenda in explicatione sequentis causæ: nisi, *vt memoratus author in seq num. 32. notat*, ita repente in aliquod graue malum quis incideret, vt rem pretiosam, verb. g. gemmam, vilissimo pretio daret ad illud euadendum. Esset enim venditio extorta, ac etiam iniusta: cum eiusmodi res non adeo vilescat ex repentino casu, quin si per tempus & locum liceret, multi inuenirentur, qui plus darent.

Secundum documentum est. Eum qui ignorat iustum pretium rei, nõ censeri donare illi us excessum in vendendo, vel defectum in emendo: ac proinde contrahentem mala fide cum eo, peccare mortaliter, ac teneri ad restitutionem eius, in quo alterum defraudauit. Quod pariter dici debet, *prout habet ex D. Thoma, & aliis Nauar. in Enchir. cap. 23 num. 27.* de eo qui bona fide egit quidem: sed postea cognoscens errorem, non vult restituere. Aperta est autem huius documẽti ratio: quia ignorantia qua laborauit defraudatus, abstulit ab ipso voluntarium, sine quo donatio esse non potest. An autem procedat in eo, qui ex imprudentia, & leuitate pluris emit, aut minoris vendit, difficultas est. Ac Petrus ipse à Nauar. consequenter num. 33. pro parte negante citans Medinam sentientem non procedere (eo quod deceptus debeat imprudẽtiæ & leuitati suæ tribuere iacturam quam patitur) partem affirmantem merito tenet cum Angelo, Conrado, & D. Antonino, dicentibus in eo etiam decesse voluntarium, ad liberalem donationem requisitum, quod quidem esse debet cum conditione libertatis, qua excludat omnem aliam conditionem ipsum diminuentem.

Tertium documentum est. Amicos, consanguineos, coniuges, sodales, & eiusmodi alios, cum vendunt, aut emũt nulla necessitate compulsi, & rei valorem scientes, præsumi donare pretij excessum, vel defectum. Nam ex quo quispiam sciens & volens absque necessitate rem cariori pretio emit, vt viliori vendit coniugi, consanguineo, aut alteri, cui gratis donare mos est, rationabiliter præsumitur habere donandi voluntatem. 279.

Quartum documentum est. In emptionibus & venditionibus inter extraneos nõ præsumi donationem. Hoc, Conrado, Caietano, & aliquot aliis citatis habet Couar. *lib. 2. var.*

resol.cap.4.n.11.vers.Superest casus. Et confirmatur, quia inter contrahentes, maxime extraneos, vbi alia donationis indicia non apparent, vsitatissimum, ac rationi conuenientissimum est, totam eorum intentionem esse emendi, & vendendi secundum naturam eiusmodi contractus, quæ postulat, vt in eo seruetur æqualitas inter pretium & rem venalem.

280. QVINTA CAVSA augendi, vel minuendi pretij (de qua Caiet.2.2.quæst.77.art.1.& in summula, verb.Emere; Medina in Cod.de rebus restit.quæst.31.vers.Similiter, Couar.lib.2.var.resol.cap 3.num.5. Nauar. in Enchir. cap.23.nu.78. & 87.) est modus vendendi. Sæpe enim ex modo vendendi variatur pretiũ rei, præsertim cum is est causa, vt sit paucitas, vel copia emptorum: talis enim copia pretium auget; & paucitas contraria illud minuit. Vnde fit, vt cum merces exponuntur sub hasta, & publica voce præconis venduntur (quia venditores proclamando quærunt emptores, vel rogant, vt emant) aliud pretium habeant, quam si à mercatoribus venderentur: item vt parta belli victoria, res vilius vendantur in exercitu: item vt finitis studiis, scholastici in patriam reuersuri, libros suos minoris vendant: item ciuibus ob pestem è ciuitate excedentibus, vilescant merces: item in fine nundinarum merces minoris vendantur, quam initio: item vt aliquando merces in potestate vnius pluris æstimentur: quia is habetur pro perito mercatore, & qui soleat habere optimas merces.

28. SEXTA CAVSA, *ex Medin.in cit.quæst.31.vers.Et procedit*, est officium mercatoris. Ait enim mercatores causam iustam habere, sicut & campsores, ratione officij aliquid amplius accipiendi pro mercibus, quam alios non habentes tale officium, ac proinde non esse damnandum eum qui merces à non mercatore vilius emerit, quam vendantur in domo mercatorum: nempe arbitrio prudentium, defalcato eo, quod respondeat eiusmodi circumstantiæ tanquam augenti pretium: prout recte aduertit Petrus à Nauar. *in eod.cap.2.nu.* 40 Recte etiam notans, quod cum lex, & communis æstimatio determinans pretium rerum, habeat inter alia respectum ad officium mercatorum, qui eas ordinarie vendunt: ita nimirum, vt ratione illius officij, pro talibus rebus plus aliquid determinet super valorem earum, quam exigerẽt aliæ circumstantiæ, *puta industria, expensa, copia emendium*, &c. Adeoque cæteros non habentes tale officium, nõ posse assumere eandem determinationem, videlicet vendendo eodem pretio quo ipsi mercatores vendunt.

282. His causis, *quas alij attigerunt*, Petrus à Nauar. *in sequent. num.*42. addendum censet septimam, nempe emere res in magna quantitate, & simul. Sic n.eas minus valere, probatur ex communi vsu quo mercatores, vt expediliores sint ad alias statim comparandas, æqui bonique consulunt, se vendere vilius ei qui plura simul emit; ita vt in eo genus quoddam rogandi interueniat ex parte illorum, semper volẽtium magis ac magis vendere, quo plus lucrentur: quod contingit ipsis, etiamsi ea ratione minore pretio vendant quam alij qui minutatim maiore pretio vendunt quidem, sed longiore tempore.

De iusto pretio legitimo.

SECTIO III.

283. IVSTVM est quod taxatur, aut per legem, seu constitutionem Principis supremi; aut per statutum ciuitatis liberæ, nec agnoscentis Superiorem in temporalibus, aut demum per edictum Gubernatorum, Senatorum, & Magistratuum, qui cum sint personæ publicæ, potestatem habent determinandi, *cum viderint bono communi expedire*, certum rerum venalium pretium, quod ciues teneantur seruare, intra latitudinem tamen iusti pretij naturalis. Quod addo, quia in tali determinatione, ab illis sunt animaduertendæ, & ponderandæ circumstantiæ, seu causę quæ de facto concurrunt, queq; ex rei natura, pretium de facto quoq; augent, vel minuunt. Namque ex talibus bene perpensis licitum est, *non aliter*, intra limites æquitatis, hoc vel illud pretium lege definire. Itaque si superueniente ingenti sterilitate Princeps vellet triticum eodem pretio vendi, quo rationabiliter vendebatur tempore abundantiæ, inique ageret.

Nec refert quod tale quid statuere, expediat bono communi: vt scilicet pauperes subleuẽtur, & possint viuere. Non refert, inquam, quia si æquitas, naturaq; rei postulet, vt domini tritici, *ne defraudentur iusto pretio*, tunc plus accipiant, illud ipsum expediens, *quod per accidens ille resultat*, curandum non est: sed potius pauperum necessitati occurrendum est, subueniendo ei per eleemosynam debitam ex charitate, quâ contra iustitiam statuendo pretium quod aperte valorem rei venalis non adequet: præsertim cum empturi tali pretio, sint non tantum pauperes, sed etiam diuites. Imo hi præcipue, qui & pluribus ad sustentationem egere solent: & per potentiam, *cum venditores nequeant ipsis resistere*, semper obtinent, vt pretio taxato fiat eis venditio; quod pauperibus difficile est consequi. Accedit quod equitas nõ patiatur, vt in Repub. ad subueniendum indigentibus, triticum habentes grauentur præ cæteris, qui abundant pecunia, aut aliis rebus, quæ in pretium dari dossunt.

284. NOTA autem primo, quod quando dubium est, an taxatio sit iusta, nec constat quod iniusta sit, standum omnino illi esse in foro conscientiæ; quoniam in dubio sententia Superioris præponderat particulari subditorum existimationi, cum illius sit præscribere, & horum sit parere.

NOTA secundo, non esse putandum, taxationẽ aliquam rei, *v.g. frumenti*, iniustam ex eo censendam esse, quod aliæ res, quibus agricolæ indigent, v.g. calcei, vinum, oleum, stipendia operarum, non taxentur, quia satis est quod pretium quo frumentum taxatur, de se eis proportionatum sit, attentis debitis circumstantiis: frumentum enim non nisi per accidens, pendet ex aliis rebus, quibus agricolæ indigent. Veruntamen si taxentur calcei, non taxato corio ex quo cõficiuntur, ita vt sutores non valeant iustum laboris sui percipere stipendium, non apparet ratio, qua tunc censeantur ea lege obligandi in conscientia. Quod idem est dicendum, si pistoribus taxetur panis, non taxato tritico; ita vt illi peccent iustum sui laboris stipendium. Idem etiam pari ratione dicendum est de similibus, quæ per se pendent ex aliis, quæ non taxantur.

NOTA tertio, quod etsi triticum, quod aliquis vendit, aliquantum melius sit eo quod venditur communiter, non ideo licere vendendo illud, taxam lege absolute definitam transgredi: quoniam is excessus, vtpote modicus, pro nihilo reputandus est: cum præsertim taxa alioqui deseruire nequiret: quandoquidem nullum fere est triticum quin comparatione alterius inueniatur aliquantulum melius, aut aliquantulum deterius. Idem iudicium est de cæteris mercibus, quarum pretium fuerit lege taxatum. Crediderim autem propter notabilem rei venalis excessum in bonitate, posse vendendo ascendi vltra pretium lege taxatum; sicut propter defectum in bonitate debet infra idem pretium descendi: vt si triticum sit putridum, aut scatens vermibus; ita vt notabiliter peius sit tritico quod communiter venditur. Tunc enim ratio dictat, venditorem proportionaliter debere in pretio tantum descendere, quantum tale triticum inuenitur deterius esse tritico communi. Cui rationi legislatorem ferendo legem illam, se accommodasse consentaneum est sentire.

NOTA postremo, tolli, aut saltem suspendi taxæ obligationem, si Princeps sciat eam ab vniuerso populo, aut à maiore parte illius non seruari, & dissimulando toleret, cum possit sine magno incommodo suo, transgressores punire. Nam qui non reclamat cum debet, & potest, censetur consentire, ex regula 43.iuris in 6. Iam Principis consensus vim habent tollendi obligationem legis à se latæ. Sicut enim lex pro voluntate Principis habet vim obligandi; ita etiam ipso id volente, eandem vim amittit, cum per quas causas res nascitur, possit per easdem tolli, ex cap.1. De regulis iuris. Extra quæ ratio est Medinæ *in Cod.De rebus rest.quæst.36.vers.Ad quartam*, addentis bene, talem obligationem non censeri pari ratione tolli, si cum aliquibus transgressoribus Principis dissimulet, siue ex rationabili causa, siue per acceptionem personarum. Namque talis tolerantia nihil amplius operatur quam dispensatio facta in lege: quam ipsa non tollit, vt nemo negat.

285. OCCVRRIT hoc loco quæstio, an cum in aliqua Prouincia lege taxatum est pretium frumenti, farinæ, vel panis: & sumptus quos agricolæ fecerunt in eis, excedunt idipsum pretium, iidem agricolæ vendere possint supra talem taxam,

vt seruent

vt seruent se indemnes? Ad quod respondendum videtur distinctione, nempe tales agricolas, si sint pauci, non posse sua vendere supra legis taxam, quia casuale est, quod ipsi præ cæteris damnum ex lege sentiant: neque lex propter illud quod casuale est, cessat: sed robur suum retinet secundū illud quod fit vt plurimum. Vide dicta in præcedenti sectione, ad explicationem tertię causæ. Sin autem agricolæ omnes eiusdem prouinciæ tale damnum reuera patiantur: quia nimirum casus, propter quos faciendi fuerūt plures aut maiores sumptus, quam sit pretium lege taxatum, in tota prouincia contigerunt; non videri peccatum esse taxam legis excedere, quantum potest sufficere ad sumptus, & impēsas factas resarciendas, atque vt agricolæ seruent se indemnes (*non vero vt lucrentur*) quia id naturalis æquitas postulat: contra quam legislator nō intendit sancire legem, maxime in iniuriam omnium, aut plurium suorum subditorum.

Eadem distinctione respondendum est quærenti de cauponibus, quibus lege, vel statuto definitum est certum pretium pro hospitibus excipiendis, si cogantur in eos facere sumptus maiores, quam taxa ferat. Itemque de Notariis & aliis iustitiæ ministris, quibus taxata stipendia non sufficiunt ad suam sustentationem. Nam simili distinctione responderi potest, vt si pauci sint quibus stipendia non sufficiant, lex taxans seruanda sit in conscientia. Sin communiter eiusmodi ministri tale damnum patiantur, excusari posse aliquid supra taxam exigentes: dummodo prudentis iudicio non excedant quod sufficiat, vt seruent se indemnes in sumptibus, quos necessario, & conuenienter suo statui faciunt, non autem ad immodicas victus expensas. Tutius est tamen in tali casu ad vitandum periculum excedendi in

286. æstimatione (*quod innata cupiditas habendi creare facile potest*) à Republ. vel Principe petere, vt augeant antiquitus taxata stipendia.

Cæterum istiusmodi legibus taxantibus rerum pretia, obligantur etiam externi vendentes, vel ementes in eo loco & tempore, pro quo definita est taxa. Nam lege naturali quisque tenetur merces vendere iusto pretio: quale est quod lege, vel communi hominum æstimatione constitutum est in eo loco, vbi eædem merces venduntur. Aliquando tamen ad prouidendū Reipub. necessitati, vt exteri mercatores alliciantur, authoritate Principis ab obligatione taxę eximūtur, concedendo ipsis, vt expensas exigant, ac pro labore & periculis in aduehendis mercibus, aliquid accipiant. Obligantur pariter Clerici, quantumcumq; sint alioqui à legibus ciuilibus exempti. De qua re videri potest Medina in C. de rebus restit. quæst. 36. vbi de ea late tractat.

De iusto pretio naturali.

Sectio IV.

287. Ex antedictis constat, istud pretium esse, quod communi prudentium æstimatione constituitur attentis causis, *de quibus sectione 2. egimus*, augendi, vel minuendi pretium rerum venalium. Vna autem de ea difficultas est, huius instituti maxime propria: vtrum peccetur, & obligatio restituendi incurratur transgrediendo illud in venditione & emptione; prout contingit cum vltra rigorosum, venditor accipit aliquid, aut emptor minus dat, quam piū seu infimum? Namque Durādus quidam Ordinis Minorum, vt meminit Sotus *lib. 6. De iustit. & iure, quæst. 3. art. 1. circa primum argumentum*: existimauit licitum esse in conscientia rem pluris vendere quam valeat, dummodo non vendatur vltra dimidium iusti pretij: Gerson vero, prout meminerunt Sotus ibid. & Medina *in Cod. De rebus rest. quæst. 32. vers. Sexto opponunt*: existimauit id esse quidem peccatum, sed sine obligatione ad restitutionem: quod idem Syluest. *in verbo Emptio. qu. 8.* tribuit Rosellæ. Vtrique autem ei sententiæ fauere videtur, primo illud, quod idem Syluest. *in sequenti quæst. 9.* habet ex l. 1. §. Si hæres, ff. ad Senatusconsultum Trebellianum; & ex leg. Quærebatur, ff. ad legem Falcidiam; quod res tantum valeat, quantum vendi potest. Secundo, quod ex lege In re mandata, Cod. Mandati; vnusquisque in re sua sit moderator & arbiter. Vnde sequitur, quod quisque possit quantum voluerit pretium pro ea petere, & recipere. Tertio, quod ex lege Rem maioris, C. de rescindenda venditione, & ex lege In causa, §. Idem Pomponius, ff. De Minoribus; & ex lege. Item si pretio, §. vlt. ff. locati (*quibus ex iure Canonico adstipulatur, Cap. Cum dilecti, & Cap. Cum causa, De emptione, & venditione*) non detur actio ob deceptionem factam in emptione, & venditione, nisi sit illa vltra dimidium iusti pretij. Vnde sequitur, aliquid accipi posse supra iustum pretium, dummodo ipsum non excedat huius dimidium.

Quod quomodo deprehendi possit, tractat Couar. *lib. 2. var. resolut. cap. 3. num* 8. duas refens opiniones; vnam asserentium venditorem tunc decipi vltra dimidium iusti pretij, cum res duplo superualet pretio conuento, vt si æstimetur viginti, & venditori data sint solummodo decem: aut cum duplo minus valet: vt si æstimetur viginti, & ematur 40. Alteram vero, intelligētium deceptionem vltra dimidium iusti pretij, si verbi gratia, res valeat decem, & vendatur 16. quæ superant 10. amplius media eorum parte. Deceptionem vero infra dimidium iusti pretij, si illud quod valet decem, ematur quatuor, quæ minus sunt quam media illorum pars. Istaq; est communis, & vsu recepta Theologorum intelligentia.

288. De proposita difficultate vero tenenda est sententia præcedentibus omnino oppositа: nempe, vendentes supra pretium rigorosum, aut ementes infra pium, & peccare, *nisi ignorantia illos excuset*: & teneri ad rescindendum contractum, vel reducendum ad æqualitatem per restitutionem eius quod fuerit extra latitudinem iusti pretij. Quæ doctrina D. Thom. 2. 2. *quæst. 77. art. 1.* & post ipsum in locis citatis, Sylvestri, Soti, & Medinæ, itemque Nauar. ad Cap. Nouit, De iudiciis, *notab. 6. à num. 47.* & aliorum plurium, quorum meminit Petr. à Nauar. *lib. 3. De rest. cap. 2. n. 13.* communemq; sententiam esse Theologorum & Iurisperitorum habet Lud. Molina De iustit. & iure, *tract. 2. disput. 350.* Fundamentum autem est, quod ea venditio & emptio sit iniusta, in qua non seruatur illa pretij æqualitas ad rem quam iustitia commutatiua requirit. At talis æqualitas extra latitudinem iusti pretij non seruatur. Ergo venditio, aut emptio facta extra latitudinem iusti pretij, est iniusta: atque adeo illicita cum obligatione ad restitutionem. Itaque is qui illud pretio rigoroso ad summum valebat decem, vendidit pro sexdecim, aduersariorum confessione tenetur ad restitutionem totius latitudinis, quæ est supra decem, nempe sex; quibus sexdecim superant ipsa decem. Quod non esse ad id referendum, quod excessus ille sit vltra dimidium iusti pretij, patet: quia nulla datur ratio, cur si ille qui pro re valente solummodo decem, recepit sexdecim, teneatur restituere sex, quibus excessit dimidium iusti pretij: non teneatur etiam quinque restituere, si pro eadem acceperit quindecim, quantumcumque excessus ille non sit vltra dimidium iusti pretij. Et certe pariter in vtroque casu peccari ex eo patet, quod in vtroq; pariter locum habeat illud D. Pauli in priori ad Thessal. cap. 4. dicentis: Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.

289. Illa autem quę allata sunt in contrarium: nimirum quod res tantum valeat, quantum vendi potest, & quod vnusquisq; in suis rebus sit moderator & arbiter; Pet. à Nauar. in præced. nu. 11. notat vera esse solummodo in rebus iis secularibus, quæ nec lege, nec communi hominum æstimatione appretiari solent: vt sunt gemmæ, lapilli, accipitres, canes venatici, equi pretiosi, & alia quę venduntur ad splendorem, decorem, delicias, & voluptates. Pro talibus enim, seclusis fraude, & metu, potest tantum accipi in pretium, quantum venditor arbitratus fuerit; & emptor sciens & prudens dare consenserit. Etenim si nulla sit eiusmodi rerum indigentia in Repub. nec vlla necessitas ad nobilitatis in ea splendorem; sed tantum ad curiositatem pertineant: iustum pretium earum non aliter determinatur, quā æstimatione mentis, qui illas tanti facit, vt putet pertinere ad nobilitatis suæ, ac diuitiarum splendorem, dare tale pretium.

Cæterarum vero rerum, quæ sunt homini ad victū & vestitum, aliosque eiusmodi vsus necessariæ, alia ratio est: quia in talibus etiamsi nihil irrepserit fraudis, aut doli; tamen, vt bene ait Sotus in 6. de iustitia & iure, *quæst. 2. art. 3. in fine*, violentia est, quantum potueris, tantum illas vendere. Quo fit, vt talium iusta pretia non relinquantur arbitrio venden-

tium, sed ad vitandam prædictam violentiam, quam indigentes paterētur, ea determinentur lege, aut communi venditorum æstimatione. Aduerte nihilominus, quod etsi regulariter in emptionibus & venditionibus, *vt nec in aliis contractibus oneroſis*, non ſit præſumenda donatio exceſſus, aut defectus, quo à latitudine iuſti pretij receditur; tamen ſi contrahentes ſciant rerum valorem, & neuter neceſſitate compulſus contrahat cum alio, neque interueniat vis aut metus, aut fraus, aliudve ſimile, donationem eiuſmodi exceſſus, aut defectus præſumi poſſe; quemadmodum Nauarrus ſentit *in citato notabili 6. num. 51.* licet aliqui ab ipſo relati contradixerint.

290. AD ALIVD VERO de deceptione vltra medium iuſti pretij Petrus à Nauar. *in ſeq. num. 10.* adfert duas reſponſiones: vna ex Couar. *in cit. cap. 3.* id eſſe verum intra latitudinem iuſti pretij: vt ſenſus ſit, licitum eſſe vendenti, ita cum emptore agere, vt eo offerente pium, vel mediocre pretium, ipſe rigoroſum iuſtum accipiat: vel ementi ita cum venditore tranſigere, vt à petente rigoroſum pretium, accipiat pro mediocri, vel pio: quæ non eſt vera deceptio, ſed tantum ſimilitudinaria: qua non violatur iuſtitia, neque circumuenitur in negotio proximus, quandoquidem nihil ab eo contra naturalem æquitatem extorquetur, cum pretium quod pro re datur, ſit iuſtum. Alteram reſponſionem adfert ex Medina De rebus reſtitut. quæſt. 32. non longe à principio; in hoc conſiſtentem, quod iura negent actionem, ob deceptionem infra dimidiū iuſti pretij, non quidē approbando deceptionem ipſam tanquā licitam, ſed relinquēdo impunitam, ad vitandas infinitas lites quæ emergerent propter naturæ corruptæ propenſionem ad talem deceptionem. Quod autem non approbent deceptionem, patet ex lege 1. Cod. De reſcindenda venditione, vbi dicitur irritam eſſe malæ fidei venditionem: qualis ſine dubio eſt illa, in qua contingit vera deceptio. Et ita in foro etiam externo, *ex Couar. lib. 3. variar. reſolut. cap. 14. num. 3.* Iudices cum aliquem puniunt ob violatam legem pretium taxantem, debent ei imponere onus reſtituendi illud, quod vltra taxam acceperit, licet non ſit vltra medium iuſti pretij. Qui id pluribus tractatum videre volet, legat Lud. Molinam in præced. diſput. 349. & Ferdinandum Rebellum De obligationibus iuſtitiæ, par. 2. quæſt. 3. & 4. libri 9.

CAP. XVII.

De pactis quæ ſolent inter venditores, & emptores intercedere.

SVMMARIVM.

291 *Explicatio dubij. an pactum de retrouendendo ſit licitum.*
292 *Quatuor modi, quibus idem pactum fieri poteſt licite.*
293 *Tres conditiones neceſſariæ vt fiat licite.*
294 *Licitum eſt pactum de redimendo ſi animus vſurarius abſit, & ſeruetur iuſtum pretium.*
295 *Propoſitio caſuum in quibus difficultas eſt, an redemptio ſit licita.*
296 *Explicatio eiuſdem difficultatis.*
297 *Quod licita ſit venditio cum pacto legis commiſſoriæ.*
298 *Aliquot notanda de eadem venditione.*
299 *Quod licita ſit venditio cum pacto addictionis in diem, nonnullaq; circa eam notanda.*
300 *Modi quibus contingit melior conditio, reſcindens talem venditionem; quibus additur diſtinctio de obligatione ſoluendi gabellas.*
301 *Quando licitum ſit interea dum pretium rei frugiferæ non ſoluitur ab emptore, accipere penſionem ex fructibus quos profert.*
302 *De duobus ſimilibus caſibus quid ſit tenendum.*
303 *Quod licitum ſit emere domum cum pacto retrouendendi, & eam locare venditori, dum ab eo non redimitur: quatenus verum ſit.*
304 *De quibuſdam aliis pactis quid ſit ſentiendum.*

MVLTA ſunt pacta quæ interuenire ſolent in emptorem & venditorem, de illiſq; extat tit. 54. in lib. 4. Codicis. Nos explicatione aliquot quæſtionum complectemur quæ ad ea pertinent.

PRIMVM ERGO QVÆRITVR, an pactum retrouendendi ſit licitum? De quo communiter tractant Canoniſtæ ad Cap. Ad noſtrum, De emptione & venditione; & ex Summulariis, Angelus vſura, 1. §. 66. & aliquot ſequentibus, Sylueſter vſura, 2. quæſt. 15. Roſella vſura, 1. quæſt. 45. & 46. Ex aliis vero Conrad. De contractib. quæſt. 83. Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 247. & 248. Sotus lib. 6. De iuſtit. & iure, quæſt. 5. art. 3. Couar. lib. 3. variar. reſolut. cap. 8. & 9. alios commemorans, eodemque pertinent quæ Lud. Molina in eod. tract. 2. diſput. 374. & aliquot ſequentibus perſequitur. 291.

Pro explicatione autem notandum eſt primo, pactum retrouendendi eſſe, cum ego v. g. vendo tibi fundum meum ea conditione vt quando pretium reddidero, mihi illud reuendere debeas; interea autem cum non reddo, tuos facias fructus illius, ita vt non ſint in ſortem computandi. Vbi aduerte ex lege ſecunda, Cod. De pactis, inter emptorem & venditorem ſtatim ac redemptor pretium obtulerit, alterum deſinere fructus facere ſuos. Aduerte item quod cum fructus fuerint adhuc pendentes, nec dum collecti, debeant inter eos diuidi pro rata temporis, quo res fructificans prius fuit vnius; poſterius, alterius: vt ſi res quæ redimitur eſſet locata, penſio annua locationis diuidenda erit inter emptorem & venditorem ſeruata proportione temporis illius anni, in quo res fuit illius, ad tempus in quo fuit huius. Ita habet ex Couar. Lud. Molina *in citata diſput. 374. verſ. fructus rei.* Et ratio eſt, quod æquitati conſentaneum ſit, rem domino ſuo fructificare.

Notandum eſt ſecūdo, iſtiuſmodi pactum reddi ſuſpectū de vſura: adeoq; communiter damnari ex tribus circumſtantiis. Prima eſt, ſi res ſit vendita valde vili pretio: quia tunc videtur potius pignori data q̄ vendita; & ideo ex eo tanquam ex pignore fructum percipiendo, committi vſuram. Secunda, *quæ habetur ex cap. Illo vos, in fin. De pignor.* ſi emptor de quo agitur ſoleat exercere vſuras. Tertia, *quæ habetur ex antememorato cap. Ad noſtram*, ſi cum ab eo petitæ ſint mutuo pecuniæ, reſponderit petenti ſe nolle dare mutuo, ſed velle bona ipſius emere, modicoq; pretio emerit, facta ei poteſtate redimendi illa: ſic paciſcens ea intentione, vt illud lucrum quod optaret ex mutuo, niſi obſtaret aperta vſura, ſibi compararet per tale pactum quo vſura velatur.

Notandum eſt tertio, pluribus modis poſſe addi venditioni pactum retrouendendi. Primus eſt, vt quandocumq; venditor voluerit, poſſit rem venditam redimere, & emptor teneatur illam ei reuendere. Secundus, vt intra certum tempus emptor reuendere teneatur, ſed non poſſit illo elapſo cogi ad reuendendum. Tertius, vt non poſſit res vendita redimi ante certum tempus. Quartus, vt res vendita poſſit redimi in fine cuiuſq; anni, non autem poſt inchoatum aliquod anni tempus. 291.

QVIBVS ita prænotatis, pro explicatione dicimus primo, omnib. illis modis propoſitum pactum cenſeri poſſe licitū: vt de primo & ſecundo Canoniſtarum & Theologorum ſententiam communem eſſe notat Nauar. *in cit. num. 247.* Et confirmatur authoritate tum ſacræ Scripturæ Leuit. 25. tum ſacrorum canonum, Cap. Cum Ioannes, de fide inſtrumentorum, & Cap. Illo vos, antememorato, tum etiam legum ciuilium, quas ipſe Nauarrus commemorat: tum demum ratione, quia ſicut alia onera, ſic & iſtud venditioni apponere licet, dummodo ipſum compenſationem ita reſarciatur, vt nulla fiat parti iniuria. De tertio modo vero, *etiamſi aliqui contradixerint*, idem merito docent locis cit. Angelus §. 65. & Roſella §. 46. quia conſentaneum eſt rationi, emptorē pacto retrouendendi apponere poſſe conditionem, vt intra quinquenniū non teneatur reuendere; tum fieri poſſit, vt interſit ipſius intra illud tempus, aliqua, *vt vocant*, melioramenta facere in re empta, ad percipiendos ex ea fructus vberiores. De quarto deniq; modo idem probatur: quia in bonum emptoris eſſe poteſt, vt non cogatur rem emptam reuēdere incepto iam anno, quia fortaſſis incōmodum aliquod accipiet, à quo vt ſeruet indemnem, poteſt conditionem apponere, vt an-

tequam

tequam annus elabatur, res vendita redimatur, nec post elapsum possit redimi.

393. Dicimus secundo, *ad moderationẽ dicti præcedentis*, tres cõditiones necessarias esse vt pactũ ipsum de retrouendendo sit licitum. Primum est, vt idipsum pactum fiat sincerâ intẽtione, id est, non animo fingendi emptionẽ & venditionem: sed vere emendi & vendendi, ne sit mutuum palliatum, ex quo commodum sine onere sentiatur, contra illud vulgatum.

Commoda si sentis, iungas onus emolumentis.

Secunda est, vt pretium sit iustum, id est, neq; nimis paruum, neque nimis magnum. Vbi aduerte cum Gabriele *in 4. dist. 15. q. 11. art. 2. concl. 4. lit. L. & M.* pactum rem emptam retrouendendi venditori, eiusdem rei pretium iustum minuere: quia licet talis obligatio non faciat rem minus valere in se, quam si illa abesset: facit tamen eam minus valere emptori qui non habet cum illa tam plenum dominium, quam haberet sine illa. Non enim potest alteri rem emptam vendere, aut aliter alienare; venditore adhuc retinente in eam ius; quod quidem onus est pecuniâ æstimabile.

Si quæratur quanto minus valeat res vendita cum pacto retrouendendi, quam si venderetur absolute? Respondet Nauarr. in Enchir. *cap. 23. n. 86.* minus valere quartâ parte: ita scilicet, vt valens 20. absolute vendita, valeat tantum 15. vendita cum pacto retrouendendi. Couarr. vero *l. b. 3. var. resol. cap. 10. num. 1.* respondet valere minus tertiâ parte: ita vt valens 30. absolute vendita, valeat tantum 20. vendita cum pacto retrouendendi. Cæterum in ea re videtur standum consuetudini patriæ, & arbitrio virorum prudentium: hoc vniuersaliter seruato, vt quanto cæteris paribus maior ac amplior fuerit redimẽdi libertas, tanto debeat pretium esse minus in compensationem talis oneris: sic tamen vt res non vendatur infra dimidium iusti pretij. Id quod illicitum esse habetur aperte ex Cap. Ad nostram, De emptione & venditione.

Tertia conditio est; vt quando reuenditur res, soluatur idem pretium quo prius vendita fuit. Nam vis pacti retrouẽdendi in eo est, vt qui emit, restituat rem, restituto pretio pro ea per ipsum soluto; perinde est enim cum eo pacto vendere, ac cum pacto, vt liceat post aliquod tempus contractum dissoluere. Neq; refert quod res illa tempore redẽptionis pluris forte æstimetur; quia id perinde est ac si vẽditio iusta de causa rescinderetur restituto integro pretio, emptore nihil perdẽte de suo. Ad idem facit quod ex cõmuni sententia Molina *sub finem disp. 374.* habet; gabellam iam solutam in prima venditione, non deberi ex tali reuenditione, quæ non est secunda venditio, sed potius dissolutio primæ, vi pacti in ea positi de ipsa dissoluenda.

Quanquam tamen ratio postulat, vt si res effecta sit meliori industriâ emptoris, ea maiore pretio redimatur, cum id quod melius est, valeat plus quam quod est deterius: dummodo tamen emptor ipse non faciat fraudulenter magnas expensas ad excludendum à redemptione inopem venditorem. Adde, emptorem posse à venditore exigere, vt quando volet redimere, soluat quanti tunc æstimabitur, quia non tenetur consentire in pactum quo venditio est dissoluẽda: sed potest exigere, vt quando venditor volet rem eandem recuperare, emat eam nouo contractu; atq; adeo pretio quo tunc æstimabitur, quantumcunq; probabile sit pluris tunc esse valituram. Ad quod faciunt tradita à Molina *in 5. quen. disp. 376. dubio 2.*

De dvbitatione quæstioni huic annexa; vtrum si is qui rem emit cum pacto retrouendendi illam vendat tertio, prior venditor possit eam huic eripere; idem Molina videri potest *in prius memorata d. sp. 374. dubio primo*: vbi contra Couarruuiam tuetur partem negantem, dicens ex tali cõtractu nasci tantum actionẽ personalem, seu quâ compellatur persona damnum sic datum resarcire.

249. Secvndo qværitvr; an sicut licitum est pactum retrouendendi, sic etiam sit pactum redimendi, id est, quo venditor obligatur reddito pretio rem venditam redimere, quãdo emptor voluerit? Ad quod respondendum est affirmatiuè, prout Couarr. *lib. 3. var. resol. cap. 9. nu. 3.* probat, tum ex Cap. Illo vos, De pignoribus: tum ex eo quod paria sint cõtrahentium iura, ideoq; emptor possit obligare venditorem ad redimendum, sicut venditor potest obligare emptorem ad retrouendendum. Cauendum est autem ab intentione vsuraria, & curandum vt pretium sit iustum. Circa quod aduerte; cum venditioni pactum apponitur in fauorẽ emptoris, *quale est, si placuerit ipsi, teneatur venditor redimere quod vendit*, maius debere esse pretium, quam si tale pactum non adijceretur. Ratio est, quia in tali casu soluere debet, & quantum res ipsa valet, & quantũ valet onus quod imponit venditori pretio æstimabile: alioqui nõ seruaretur æqualitas; eo quod emptor rem consequeretur in perpetuum, non minus quam si emeret nullo adiecto pacto: venditor vero, sine compensatione, grauaretur onere eam redimendi.

Occasionem hæc quæstio præbet exponendi quid sentiendum sit de his & similibus, quæ notantur esse aliquando in vsu. Titius egens pecunijs, mutuas petit à Caio mercatore, qui nolens mutuare, vendit ei merces summo pretio, iusto tamen, quas emptas Titius vult reuendere, vt ex eis faciat pecunias, quas optat: cui Caius ipse dicit; ego illas emam eo pretio quo alius emere voluerit: licq; minoris emit, quã vendiderit. Item Titius egens pecunijs, adit Caium, & emit ab eo creditâ pecuniâ vas aliquod argẽteum: pro quo Caius exigit pretium, computando laborem, industriam & expensas quibus idipsum vas elaboratum perfectumque est: deinde Titius vult illud vendere accepto statim pretio: quia ad hoc emit vt præsentem haberet pecuniam, etiamsi amittat valorem laboris, industriæ, & expẽsarum quæ fuerunt illi in pretium computatæ. Ei autem dicit Caius; ego illud emam sicut emeret alius: & ita conueniunt, vt Titius accipiens 95. se obliget soluturum 100. Caio, qui sic lucrabitur quinque, quantumcunq; non tradiderit vas Titio. In quibus exemplis, & alijs similibus dubitatur an peccetur contra iustitiam in eo, quod mercator minoris ab eodem emat, quam ei vendiderit: sic tamen vt in vtroque contractu accipiatur pretium iustum, seu quod sit intra latitudinem summi & infimi: nempe vendendo creditâ pecunia, summo pretio iusto, & redimendo numeratâ pecuniâ, infimo pretio iusto. 295.

De qua re agunt Angelus vsura 1. §. 60. Rosella vsura 2. nu. 20. Gabr. in 4. dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 3. Sylu. vsura 2. qu. 4. & verbo Emptio, qu. 11. Nauar. in Enchir. cap 23. n. 91. Petr. à Nauar. lib. 3. De restit. cap. 2. à num. 166. ex quorum doctrina tria tenenda sunt. Primum est, quod si Caius mercator vendat supra iustum pretium creditâ pecuniâ, aut redimat infra iustum pretium numeratâ pecuniâ, peccet contra iustitiam, & ad restitutionem teneatur tanquam vsurarius, quod de se satis patet. Secundum est; quod Caius vendens, & redimens intra latitudinem iusti pretij, nempe vendẽs pretio summo, & redimens pretij infimo, excusetur ab vsura, si bonâ fide vendat & redimat. Non enim peccat contra iustitiam: quia (*vt supponimus*) iustum pretium soluitur tam in prima emptione, quam in redemptione, imo nec contra charitatem: sicut nec peccaret tertius qui eod. infimo pretio rem talem emeret ab ipso Titio, cui vendita fuit rigoroso pretio. Deinde videmus vsu receptum esse, vt mercator vendẽdo vas aureum, vel argẽteum, sumat pretium pro valore laboris, industriæ & expensarum; redimendo vero nullam rationem talis valoris habeat, sed tantum det pretium argẽti vel auri; quod quidem non solet damnari tanquam iniustum. 296.

Adde, manifestum esse quod Caius mercator possit infimo pretio redimere rem à se venditam rigoroso, quando Titius emptor tradit illam præconi, in publico foro vendendã voce ipsius, nec quis est qui plus offerat, quam idem Caius. Similiter, & quãdo Titius emptor nullum alium emptorem inueniens redit ad Caium, qui emit tantidem, ac alius emeret. Si dicas in eo esse pignus, vel commodatum palliatum; id negatur: quia vere est emptio, cum interueniat reuera, pretium, & merx, vt argumento est, quod si res pereat antequam redimatur, pereat emptori; quod non fieret, si in pignus, aut commodato solum data esset. Quamuis autem hæc ita sint, non est tamen talis contractus facile cõsulendus propter periculum peccati quod in eo genere venditionis magis imminet, quam in alijs, & propter apparentiã quam hãbet peccati, ex qua pusilli facile scandalizantur.

Tertium ex memoratorum doctrina tenẽdum, est, quod mercator committat vsuram qui ex composito, & animo eliciendi lucrum, merces creditâ pecuniâ vendit rigoroso pre-

tio, quas statim numeratâ pecuniâ redimat pretio pio. Ratio est, quia talis contractus resoluitur in mutuum: perinde est enim ac si Caius mutuasset Titio summam illam minorem qua redemit, vt tempore solutionis reciperet summam maiorem pro qua rem eandem Titio vendidit: quod quidem est mutuum vsurarium contractu venditionis palliatum, vt locis cit. sentiunt Angelus, Gabriel. Rosel. & Sylu.

Occasionem adhuc præbet proposita quæstio dicendi de retractu, seu redemptione rei venditæ, ad quam ius habetur ratione propinquitatis, aut ratione communitatis in re: sed quia illius tractatio videtur à nostro instituto paulo remotior, eam, vt breuitati consulamus, relinquemus ei qui volet, videndam apud Lud. Molinam de iust. & iure *tract. 2. disput.* 370. & 371.

297. TERTIO QVÆRITVR; an licitum sit pactum legis commissoriæ additum venditioni; dicendo, v. g. vendo tibi fundum meum tanti, cum pacto, quod si pretiũ intra tres menses non solueris, fundus sit inemptus? Cui quæstioni communiter respondetur affirmatiuè: quia id abunde patet per totum titulum de lege commissoria digestis: & per vsum receptum, in quo nulla iniuria proximo fieri notatur. Apponitur autem tale pactum dupliciter, vt ex communi sententia Couar. *lib. 3. var. resolut. cap. 8. n. 1.* annotat: vno quidẽ modo, verbis directis: vt cum dicitur; Si pretium non solueris, res sit inempta, vel ab emptione recedatur. Altero modo, verbis obliquis; vt cum dicitur; Si pretium non solueris, res vendita redeat, vel pertineat ad me, vel restituatur mihi.

298. Nota vero primo, ex lege 1. ff. De lege commissoria, venditionem factam sub istiusmodi pacto, esse puram & absolutam: licet rescindatur adueniente cõd tione appositâ: ideoque emptorem statim atq; res ei fuerit tradita, ipsum effici dominũ illius, ac omnes fructus & accessiones eiusdẽ statim lucrari, siq; ipsa pereat, perire ipsi tanquam domino; quod non fieret si esset tantum conditionalis: sicut censeretur esse inita his verbis: Ita tibi vendo, vt venditio perficiatur, si intra tres menses mihi solueris pretium; tunc enim venditio ipsa suspenderetur in futurum euentum. Nota secundo, ex lege Si fundus, & seq. eod. tit. rescisâ venditione propter pactum legis commissoriæ, emptorem teneri fructus rei extantes restituere cum ipsa re; quia non stans pacto, amittit omne eius, vt in re, sic in illius fructibus. Consumptos vero non tenetur restituere tanquam bonæ fidei possessor, posito quod bonâ fide, & non dolose pactum inierit. Nota tertio, ex lege De lege commissoria, eod. tit. emptorem non stantem pacto legis commissoriæ perdere arrhas quas dedit venditori. Nota quarto, ex lege Cum venditor, & seq. eod. tit. venditorem non teneri vti lege commissoria, si emptor non soluerit tempore statuto: sed id relinqui ipsius voluntati, nisi partem pretij petierit, & habuerit: quia eo ipso censetur tali suo iuri renunciasse, ex lege Post diem, eod. tit. Nota postremo, pactum legis commissoriæ non efficere, vt venditor debeat interpellare emptorem vt pretium soluat; sed vt emptor etiam non interpellatus, vel monitus, vltro debeat pretium offerre cõstituto tempore. Quod si non habeat cui offerat, potest esse securus. Ita statuitur in lege Si fundus. §. finali. eod. tit.

299. QVÆRITVR QVARTO; an licitum sit apponere venditionib. pactum addictionis in diem; quod sic fit, ex lege 1. ff. De in diem addictione: Vendo sic tibi fundum meum centum, vt si alius intra Calendas Ianuarias proximas, meliorem conditionẽ obtulerit vel fecerit, sit inemptus? Ad quod respondendum est, licitum esse: quia in eo nulla sit emptori iniuria. Nonnulla autem de hac venditione, *vt & de præcedenti*, occurrunt notanda. Primum est ex lege Quatenus, ff. de in diem addictione, eam esse puram, sed quæ adueniente conditione appositâ rescindatur.

Secundum est, per eam, re traditâ statim acquiri dominium, & consequenter fieri, *quod in citata lege habetur*, vt emptor tanquam rei dominus lucretur omnes illius fructus & accessiones: itemq; vt ad ipsum pertineat illius periculum, si pereat: quod quidem non fieret si venditio esset conditionalis: sicut est, cum dicitur; Si infra Calendas Ianuarias proximas alius non obtulerit meliorem conditionem, tunc perficiatur venditio, & tua sit hæc res pro tali pretio. Sic enim suspenditur venditio in futurum euentum, nec ante eum positum acquiritur rei dominium: ita vt illa tunc periens venditori, non emptori pereat, eiusq; fructus, non huius, sed illius sint.

Tertium est; *quod habetur ex lege Item quod. ff. eodem titul.* Quando intra diem in quem res est addicta, alius offert meliorem conditionem, primum emptorem teneri fructus rei, cõmoda, & accessiones refundere illi secundo offerenti meliorem conditionem: quoniam hâc ab illo oblatâ, prior venditio rescinditur, & rei dominiũ ad ipsum secundum transit cum fructibus, commodis; & accessionibus eius, subintellige extantibus: quia non tenetur restituere fructus perceptos & consumptos ante allatam meliorem conditionem: quando bonâ fide consumpserit illos, tanquam dominus vtens iure suo.

PORRO ex lege Si ex duobus. §. finali eodem titulo, melior cõditio adferri censetur, si pretio aliquid addatur à secundo emptore: item licet nihil pretio addatur, offertur tamen solutio pretij facilior vel maturior. Præterea si locus assignetur opportunior soluẽdo pretio, vel si persona magis idonea ad emendum accedat: item si veniat emptor eiusdem pretij quidem, sed qui lenioribus conditionibus emat. Item licet paratus sit viliori pretio emere, remittat tamen ea, quæ venditori grauia erant in priore cõditione. Hæc in ea lege: atq; in sequenti additur, quidquid ad vtilitatem venditoris pertinet, pro meliori conditione haberi debere. 300.

QVÆRITVR QVINTO; an in venditione rei immobilis fructiferæ habitâ fide de pretio, & ad tempus dilatâ eius solutione, licitum sit pactum, vt si emptor ad condictum diem non soluerit integrum pretium, aut illius partem; teneatur venditori quotannis, vel singulis mensibus certam pensionẽ soluere? De qua re Angelus *in verbo Emptio. §. 5. & in verbo vsura 1. num. 18.* Gabr. *in 4 dist. 15. q. 11. art. 2. concl. 4. casu 3.* & late Couar. *in lib. 3. var. resolut. cap. 4.* ac post eum Lud. Molina *in citato tractatu 2. disp. 368.* Videtur autem pro praxi vtendum esse distinctione; dicendo quod si dominiũ rei venditæ tunc transeat ad emptorem, vt accidit cum vẽditio fit pure & simpliciter, pactum prædictum esse vsurarium: quia cum omne commodum omnisq; fructus rei venditæ pertineat ad emptorem, illud quod venditor exigit, non ob lucrum cessans, aut damnum emergens, sed ob solam dilationem solutionis pretij; censendum est exigi ob mutuũ, *ideoq; vsurariè*, quoniam dilatio solutionis habet rationem mutui. Si vero dominium ad emptorem non transeat: vt cum vendo tibi fundum meum hac conditione, vt dum pretium non soluis, cõductuarium illum habeas, & loco mercedis pensionem mihi soluas: aut vt dum pretium non soluis, dominium non habeas: sed ego retineam & illud, & rei fructus, aut eorum partem percipiam; tunc nulla committitur vsura, nec alia iniustitia. Nam tale pactum esse potest omnino liberum: ac venditor tanquam dominus commoda, & fructus rei iure percipit, aut pro eis certam pensionem exigit ab emptore, donec soluerit: quia rem tunc potius habet conductam, quam venditam. Quæ responsio non tantum est Theologorum communis: sed etiam nobilium interpretum vtriusq; iuris, quos Couar. refert *loco cit. nu. 4.* Neq; mouere nos debet lex Curabit, Cod. De actionibus empti & venditi: in qua absolute pactum eiusmodi approbatur: namq; eo nomine, illa non habet magis locum in foro conscientiæ, quam leges aliæ ciuiles quæ permittunt vsuras. Quod si quam interpretationẽ admittat quæ eam à tali nota liberet *(qualem ex Couar. approbat Molina loco citato)* verbis quidem aduersabitur allatæ distinctioni, sed non sensu. 301.

Pari quoque ratione videntur explicandi duo casus quos ab vsura excusat Couar. *in sequent. num. 5. & 6.* Prior est in quo vendens fundum, & eo tradito, habitaq; fide de pretio, ac simul libere concessa emptori dilatione eiusdem pretij, fundum ipsum accipit in pignus, cum pacto, quod non tenebitur fructus illius computare in sortem, solutionemve prædicti pretij. Posterior in quo vendens fundum duobus millibus aureorum, soluendis post octo annos, adiungit pactum, quod emptor toto illo octennio tanquam locator eiusdem fundi soluet certam summam quotannis pro pensione. Distinguendum est igitur in vtroque casu: nam si dominium fundi transierit in emptorẽ, pactum est vsurarium: vt recte loco citato docet Gabriel. Si vero dominium maneat 302.

penes

penes venditorem, pactum est licitum: in priore quidē casu, quia tunc venditor ex re sua percipit fructus: neque dicitur formaliter, sed materialiter, & non ine tantum, habere dictum fundum loco pignoris: cum nemo propriè rem suam pignori habeat. In posteriore casu vero ex re sua similiter fructum percipit; quā vendidit tantum cum pacto, vt post octo annos, cum pretium emptor soluerit, dominium ad ipsum pertineat, non ante.

Eādem quoq; distinctione vtendum est, quando pretium fundi solutum est tantum ex parte: si enim per venditionem translatum sit in emptorem totius fundi dominium, vsura est pro parte non solutâ pensionem accipere, donec ea soluatur: secus vero si non fuit translatum dominium; quia non censetur tun reuera interuenire ipsius partis non solutæ venditio; sed potius locatio, donec emptor soluerit integrum fundi pretium. Quocirca ratione talis partis pensionem accipiens non peccat; quia accipit tanquam fructum suæ rei: secus esset vero si acciperet pro fundi parte perfectè vendita, quia acciperet ex re non sua.

303. Aduerte autem ex Nauar. in Enchir. *cap. 17. num. 247. in fine*; licitum esse emere domum cum pacto retrouendendi, eamq; locare venditori pro certo pretio, interea dum nō redimitur. Quod verum est, si contrahentes intendant simul celebrare veros contractus venditionis & locationis, seruato in eis pretio iusto, neque enim ex vnoquoque eorum seorsim, neq; ex cōiunctione vtriusq; iniustitia tūc orietur. Quāquam potest in eo esse periculum scandali, magnâ curâ vitandum. Tales autem contractus censebuntur non veri, sed pecuniæ mutuatio palliata: & per consequens vsurarij, si res tempore locationis periens, venditori pereat, non emptori: quandoquidem contrarium debet accidere, si illi sint veri contractus, quoniam dominium ad emptorem, non ad venditorem tunc pertineret. Censebuntur vero iniusti, si pretium emptionis sit diminutum, vel pretium locationis excessiuum: inducentq; consequenter obligationem ad restitutionem.

304. QVARTVM POSTREMO; quid sentiendum sit de cæteris pactis? Et respondetur primo de pacto, vt soluatur res non pretio currente tempore venditionis, sed aliquo futuro in quod solutio differtur, id dicendum esse ac dictum est de mutuo in præced. n. 183. nempe vsurarium esse, quando venditor certo aut probabiliter nouit, tunc futurum maius pretium: nisi ad illud tempus esset rem suam seruaturus vendendam: quo casu pactum non esset illicitum. Nec item eo quo esset incertum an tempore solutionis res pluris; aut minoris sit valitura. Secundo, de pacto, vt emptor pretio currēte soluat in alio loco, quam vbi emit: dicendum est similiter ipsum vsurarium esse, si certum sit maius illīc, quam hīc esse pretiū currens: non autem si probabiliter de eo dubitetur: aut venditor nō hīc, sed illīc erat rem suam venditurus: quia lucrum ideo cessans illi, quod hīc in emptoris gratiam vendat, potest capere ab ipso præmonito.

Tertio, de pacto, vt emptor donec pretium soluerit, rem habeat tantum pro voluntate venditoris: vt si is voluerit, possit contractum reuocare, ac rem suam repetere; dicendū est, videri licitum, si fiat de vtriusq; libero cōsensu: & id onus aliquâ iusti pretij diminutione compensetur; quia res oneri vel seruituti subiecta, minoris æstimatur, quam ab onere & seruitute libera. Quod idem est dicendum de cæteris pactis emptori onerosis: quale est, vt teneatur rem venditam locare venditori, ita vt illa apud hunc maneat iure, ac titulo locationis. Item vt emptor non possit alteri vendere rem emptā, quam venditori, aut certe teneatur eum cæteris præferre, & sic de multis alijs.

CAP. XVIII.

De emptione quæ fit creditâ pecuniâ.

SVMMARIVM.

305 *Non licet carius vendere ex eo tantum, quod solutio differatur ad aliquod tempus.*

306 *Licitum est quidem intra limites iusti pretij augere pretium in venditione, quæ fit creditâ pecuniâ: non tamen extra eosdem limites.*

307 *Quatenus liceat in venditione illius generis, supra iustum pretium ascendere ob periculum perdendi pretium, vel laborem ac difficultatem illud recuperandi.*

308 *Seruanda in eo incremento, ad vitandum periculum palliandi vsuras.*

309 *An liceat merces in magna copia supra iustum pretium vendere, eo quod minutatim supra illud venderentur, distinctione explicatur.*

310 *Quando is qui vendidit infimo pretio, possit accipere summum iustum, eo quod contra suam expectationem differatur solutio.*

311 *Illicitus est contractus quo debitor suum debitum emit minoris, quam ipsum sit: nisi detur excusatio lucri cessantis, aut damni emergentis.*

312 *Quodidem habeat locum si tertius emat quando debitum est certum.*

313 *Secus vero cum debitum periculo expositum fuerit, vel recuperandum est cum labor. bus & expensis.*

PRIMVM AC PRINCIPALE de hac re dubium est; an liceat rem vendere carius creditâ pecuniâ, seu dilatâ ad tempus solutione, quam præsenti numerataque pecuniâ? De qua re D. Thomas in opusculo 67. & qui eum interpretantur 2. 2. quæstio. 78. art. 2. & D. Anton. 2. part. tit. 1. cap. 8. §. 4. Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 11. dub. 9. Medina in Cod. De restitut. quæst. vlt. Sotus in 6. De iust & iure quæstio. 4. art. 1. Angelus vsura 1. §. 58. Sylvest. vsura 2. quæst. 1. Nauar. in Enchir. capit. 17. numer. 206. & capit. 23. numer. 81. Couarr. libr. 2. variar resolut. cap. 3. numer. 6. alios citans. Beia in 1. par. responsionum, casu sexto. Petrus à Nauarr. libr. 6. De restitut. cap. 2. à numer. 98. ad 132. Lud. Molina in citato tractat. 2. disput. 355. cæterique recentiores hanc materiam tractantes. Quid autem videatur tenendum explicabimus aliquot propositionibus.

Prima est, ex eo solo, quod merces venduntur dilatâ ad aliquod tempus solutione, nō esse licitum, eas supra pretium lege, aut communi æstimatione taxatum vendere. In hac Doctores consentiunt; ad eius confirmationem adferentes Cap. In ciuitate, De vsuris, & Cap. Ad nostram, De emptione & venditione, & Capit. Illo vos, De pignoribus. Ad quæ accedit aperta ratio: quia pretium rei quæ vēditur (nisi ea res seruanda esset in aliud tempus, in quo probabiliter sciretur pluris valitura, prout habetur ex Cap. Nauiganti, De vsuris) est illud quod aut lege, aut communi æstimatione taxatum currit, quando venditio perficitur. Quare ille qui plus tunc exigit, iniustitiam cōmittit, rem vendens pluris, quam tunc valeat. 305.

Ad confirmationem facit, quod rei dominium transferatur per venditionem: & ideo, *quidquid in futurum ea valitura sit*, non valet plus domino suo qui illâ venditurus est statim, quam valeat de præsenti. Accedit quod ea in re vsura committatur. Nam si rem cuius summum pretium est decem aureorum. v. g. vendo tibi. 16. ob dilatam solutionem; perinde est ac si tibi mutuo dedissem decē, vt post certum tempus mihi redderes sexdecim, quod est vsura ex Cap. Consuluit, De vsuris.

Quamuis autem Sotus loco cit. ab hac propositione excipiat merces nauticas, tenendum est tamen cum Nauar. in Enchir. *capit. 23. numer. 82.* neque tales supra iustum pretium licite vendi creditâ pecuniâ: quia ex natura rei est, vt iustum pretium in venditione non excedatur; natura autem rei, vbique & semper in omnibus eadem est. Non refert vero quod merces nauticæ non soleant, nec commode possint vendi, soluto statim pretio: cum enim tempus de se, non sit circunstantia, ex qua iustum pretium varietur; de illis qui creditâ emunt, perinde iudicandum est, ac si præsenti, seu statim numeratâ pecuniâ emerent. Quod quidem locum habet, etiamsi ipsæ nauticæ merces probabiliter tempore solutionis sint pluris valituræ: quia res statim vendendæ, nec seruandæ in tempus, in quo plus valebunt, non possunt creditâ pecuniâ vendi pluris, quam venderētur pecuniâ statim numeratâ, vt contra Caiet. docent Sotus *lib. 6. De iust. & iure, quæst. 4. art. 2.* & Couar. *lib. 2. variarum resolutionū, cap. 3. num. 6.* Quod patet ex Cap. Nauiganti, De vsuris, vbi res vēdens pluris creditâ pecuniâ, quam valeant, non excusatur ab

vsura,

vsura, nisi ille has esset seruaturus ad tempus, in quo pluris verosimiliter valebunt.

306. Secunda propositio est. Licitum esse pluris vendere creditâ ad tempus pecuniâ, quam statim numeratâ, dummodo id fiat intra latitudinem iusti pretij, hoc est, non ascendatur supra rigorosum. In hac quoq; consentiunt Doctores, quorum nonnullos refert Couar. *lib.2.var. resolut.cap.3. num.2. in fine.* Probatur vero aperte supposito eo quod in præced.capit.16.tractauimus, iustum pretium mercium, non quidem lege: sed mercatorum cõmuni æstimatione taxatũ bonâ fide (*spectatis circunstantijs omnibus ad rem facientibus*) in indiuisibili minime cõsistere, sed latitudinem habere summi, medij, & infimi, vt exempli gratiâ, pretiũ iustum vlnæ panni ex cõmuni æstimatione potest esse, infimum quidem sex librarũ, medium vero sex cum dimidio: & summum septem, quo mercator vendit creditâ pecuniâ: libenter vẽditurus medio, aut etiam infimo, pecuniâ numeratâ. Qua in re nec iniustitiam committere, nec obligationem ad restitutionem incurrere patet: quia reuera vendit rem iusto pretio, *etsi rigoroso*, nec aliquid vltra sortem accipit. Quod vero fuisset cõtentus pretio mediocri, aut infimo, si alter numeratâ pecuniâ emisset, nihil refert, quia ipse potest de suo facere, quod sibi libet intra iustitiæ terminos.

Tertia propositio. Licet merces supra taxatum pretium, non possint pluris vendi creditâ pecuniâ, quam statim numeratâ, posse tamen alijs de causis. Ratio est, quod ea dilatio habeat rationem mutui. Quo fit, vt ijs de causis, quibus in mutuo aliquid potest accipi supra summam capitalem, possit quoque recipi in venditione, quæ fit dilatâ solutione. Quæ causæ sunt, tum interesse, de quo cum de vsura in præced. libr.23. capit.6.7.& 8. disseruimus: tum aliæ causæ quas persecuti sumus in fine capit.12. huius libri. De periculo tamen coniuncto, siue perdendi pretium ipsum, siue subeundi molestias, & labores, vel faciendi expensas in illius recuperatione, an esse possit causa iusta vendendi pluris creditâ, quam statim numeratâ pecunia, authores non consentiunt.

307. Secvndvm dvbivm sit igitvr; an periculum perdendi pretium, subeundi laborem, & molestias, ac faciendi expensas in illo recuperando, sit causa legitima rem supra suum valorem vendendi dilatâ solutione? Ad quod habetur ex memorato fine cap. duodecimi iuxta Medinam, respondendum esse affirmatiuè, sed in praxi id non videri cõsulendum tanquam periculosum, vt ibidem addimus. Volenti tamen sequi eam Medinæ doctrinam non restiterim omnino; præsertim cum illa habeat strenuum propugnatorem Petrum à Nauarr. De restitut. *lib.3.cap.2.à nu.*98. Non restiterim inquam, dummodo seruare velit sequentia documenta.

Primum est. Non esse licitum mercatori creditâ pecuniâ vendenti ascendere supra iustum pretium in omnibus, sed in ijs, in quibus verosimiliter, ac discreto prudentis iudicio, timetur antedictum periculum, neque id in omnibus æqualiter, sed tantum pro quantitate periculi, & verosimilitudinis, atq; cessante omni scandalo: quæ omnia prudenti dijudicanda relinquuntur.

Secundum est. Supra iustum pretium ascendere, præterquam quod est res plena periculi, & apta ad generandũ scandalum, *ideoq; non consulenda*, esse pariter peccatum inducens obligationem restituendi; nisi tempore contractus manifestetur emptori, quibus de causis ascendatur, & ipse consentiat emere cum eiusmodi onere compensandi damna, quibus venditor subijcit se in ea venditione. Huius ratio est, q; si emptor intenderet rem iusto tantum pretio emere; non item cõpensare pericula illa, quibus venditor putat se subijci, fieret ei iniuria; quandoquidem ipso ignorante pretium pro ijsdem periculis acciperetur. Non fieret autem si præmoneretur, quia scienti, & consentienti non fit iniuria.

308. Tertium est. Quod ad vitandum periculum palliandi vsuras, incrementum illud quod supra pretium currens accipitur, debeat tempore contractus in pactum deduci: monito, *vt diximus*, emptore; ipsum item debeat esse moderatum pro quantitate & qualitate damnorum, in quorum compensationem accipitur: præterea sit habẽda ratio personæ emptoris; videndo an tale grauamen ei imponere sit consentaneũ: Item oporteat in eo periculo, de quo agim⁹, aduertere quod debeat prouenire ex natura rei, non autem ex auaritia, aut pusillanimitate venditoris. Sunt enim, *inquit Petrus à Nauar. num.*117. nonnulli mercatores ita auari, vel melancholici, vt timeant vbi non est timendum; quique, licet securum debitorem habeant, sine anxietate esse non soleant. Cuius anxietatis & solicitudinis cum ipsi causa sibi existant, nõ est fas emptorem compellere ad pretij incrementum, per quod ea compensetur. Porro in hac re incrementum censeri poterit moderatum, si arbitrio prudentis ipsum proportione respondeat quantitati qua debitum minus valet cum tali periculo, quam sine eo: nempe si periculum sit tale, vt pro debito 100. aureorum vix darentur 90. aut 80. prudens arbitrabitur incrementum esse moderatum, si non sit maius, quam vt debitum tali periculo expositum æstimetur 100. aureis, nec excedat.

Tertivm. dvbivm est; an venditori liceat merces creditâ pecuniâ ideo pluris vendere, quod si illas vendidisset minutatim, maius pretium accepisset? Ad quod respondetur distinctione. Si enim talis venditor erat de facto easdẽ merces minutatim venditurus, licet ei in magna copia vendenti creditâ pecuniâ, capere illud lucrum q̃ accepisset minutatim vendendo: quia id non est aliud quam ratione lucri cessantis, maius pretium accipere. Si vero non erat minutatim venditurus, non licet ei vendere tanti, quanti vendidisset minutatim: etiamsi, *iuxta antedicta in explicatione primi dubij, concl.*2. possit vendere summo eo pretio, quo in eadem magna copia vendidisset, si pecuniæ essent statim numeratæ. 309.

Qvartvm dvbivm; an venditori qui suas merces vendidit infimo pretio iusto, quod credebat statim soluendũ ab emptore: dum videt quod is nolit statim soluere, liceat illi pro infimo exigere summum pretium iustum? Ad quod respondetur distinctione; nam si perfecta est venditio cum conuentione de pretio infimo iusto, non licet exigere summum: quia id esset secundum contractum venditionis inire, ad quod emptor non videtur iuste cõpelli; si vero perfectus non fuit venditionis contractus, tunc licet venditori ab eo discedere, ac sic variare in exigendo pretio, vt pro infimo exigat summum iustum pretium, quo potuit ab initio suas merces vendere, præsenti pecuniâ vendendo. Quando vero censeri debeat perfectus venditionis contractus, intelligetur per post dicenda in seq. cap.26. 310.

Qvintvm dvbivm est, an pretium cuius solutio dilata est, & in tempus futurum debetur, possit anticipatâ solutione minoris emi, quam ipsum sit: vt emi pro 80. vel 90. aureis, quod est debitum 100. aureorum. Pro explicatione dicendũ est primo, quod si ipsemet debitor emat à creditore debitum (nisi lucrum cessans, aut damnum emergens excuset) contractus sit illicitus & vsurarius, prout Caiet. habet in verbo vsura, §. De vsura autem consurgente casu tertio. Et probat, quia ex tempore anticipatæ solutionis reportat lucrũ, quod est vsurarium, cum anticipata solutio sit æquaualenter mutuum. Atq; iniustitiam saltem continere patet: quia licet debitum in ordine ad aliquem tertium qui illud à creditore emeret, non valeat plus quam illud ius quod creditor habet, attentâ prauâ debitoris dispositione ad soluendum, prouenient siue ex iniquitate, siue ex alia causa: attamen debitor ipse tenetur debitum integrè soluere, ac integrè satisfacere obligationi quam in se suscepit, totumq; quod in se est facere, nequitiâ omni exclusâ. Quod si nequeat debitum plene soluere, tenetur dare illud quod potest, & reseruare obligationem reliquam, cui in posterum cum potuerit, satisfaciat. Quare quidquid dederit anticipatâ solutione, si id fit minus, quam integrum debitum, committit iniustitiam: quia cum ius quod creditor habet, plus valeat, nõ emit illud iusto pretio; de quo aliquid detrahendi iustam causam non habet: nõ quidem solutionis anticipationem secundum se; quia neq; respectu tertij est iusta causa, vt paulo post docebitur; neque periculum, de quo diximus dubio secundo, quia tenetur liberare creditorem ab illo, non autem per illud grauare ipsum in proprium commodum. 311. 312.

Dicendum est secundo, quod si talis emptio non fiat ab ipsomet debitore, sed ab alio tertio (quidquid Caiet. *in verbo vsura, §. Cogor hoc loco*: & post eum Nauar. *in Enchir. cap.17. numer.*231. contra censeant) prædictum venditionis contractum,

313. 314.

ctum, quando nullũ ex parte ementis interuenit lucrum cessans, aut damnum emergens; ac debitum tale est, vt morta-
liter loquendo, integre absq; expensis, & labore recuperan-
dum sit suo tempore, contractum esse illicitum, & inducere
obligationem restituendi vsque ad complementum latitu-
dinis pretij quod debebatur. Ita præter Med. in Codic. De
rebus restit. quæst. 18. cuius meminit Nauar. tenent. D. An-
ton. 2. par. tit. 1. cap. 8. §. 3. & 4 Angelus vsura 1. §. 63. Sylue-
ster vsura 2. quæstio. 14. vers. 4. Gabr. in 4. distinct. 15. quæ-
stio. 11. dub. 4. Sot. 6. de iust. & iure, quæstio. 4. art. 1. in so-
lutione tertij argumenti, quos sequitur Petrus à Nauar. lib. 3.
de restit. cap. 2. num. 163. & tribus sequentib. ac Lud. Molina
de iust. & iure tract. 2. disput. 361. Gregor. à Valen. 2. 2. disp.
5. quæstio. 20. puncto 2. concl. 5. Leonar. Lessius De iust. &
iure lib. 2. cap. 21. dubit. 8. & Ferdinandus Rebellus de obli-
gat. iustitiæ, par. 2. quæst. 13 nec immerito. Nam ius ad cen-
tum, cum ita certa sunt ac si essent in arca, tantum valent ac
centum præsentia; alioqui sola temporis expectatio daret
valorem rei: quod concedere, est vsuris ianuam aperire. Nec
refert quod pluris æstimetur pecunia præsens quam pecunia
futura: quia illa æstimatio non est rationabilis, nec virorum
prudentium: sed vel necessitatem patientium, vel auarorum
lucri auidorum.

Accedit quod emere 100. futuro tempore soluenda pro
90. in præsenti soluendis; sit virtualiter mutuo dare 90. pro
100. postea recipiendis, quod de se vsurarium est. Præterea
si obligatio ad soluendum 100. post annum non valeret 100.
in præsenti, sequeretur licere carius vendere creditã, quam
numeratã pecuniã, etiam quando venditor non esset suas
merces seruaturus, & quando nullum lucrum illi cessaret ex
eo, quod vendat creditã pecuniã: vendendo enim centum
illud quod valet tantum 90. dicet se pro his emere ius ad ipsa
centum. Id autem est contra Cap. Nauiganti, De vsuris; ac
etiam contra resolutionem dubij primi præcedentis. Quan-
quam non negamus, quin si emptori tantum lucri cesset ex
anticipata debiti solutione, vel tantum damni illi inde emer-
gat, quãtus est excessus debiti supra solutionem ipsam, quin
inquam, eidem liceat excessum illum accipere, præmonito
venditore, quod ea de causa accipiat. Constat enim ex supra
dictis nõ fieri iniuriam, si in emptione, & venditione aliquid
amplius aut minus ratione interesse, accipiatur de mutuo cõ-
sensu contrahentium.

313. Dicendum est tertio, quod cum merito timetur debitum
non esse integre soluendum, aut non sine labore & expensis;
tunc ipsum ab aliquo tertio licite emi potest minore, quan-
tum arbitrio prudentis talibus de causis minus valere vide-
bitur. Hoc confirmatur per differentiam, quam prædicti o-
stendunt interuenire in hac re, inter ipsum tertium, atq; de-
bitorem. Aduerte autem idem plane esse, si debitum sit liti-
giosum, aut non plane certum. Aduerte item id quod dicitur
quoad debita in futurum, ipsa nimirum ex prædictis causis
minori pretio emi; locum habere etiam in debitis quæ essent
in præsenti soluenda, nec soluuntur, aut quæ iam erant in præ-
terito tempore soluenda, nec dum soluta sunt.

CAP. XIX.

*De emptione quæ fit anticipata solutione, & de venditio-
ne, quæ fit per proxenetam.*

SVMMARIVM.

314 *Emptio quæ fit anticipata solutione, descendendo infra pre-
tium infimum, est de se illicita.*

315 *Reijcitur quod Sotus sentit, sine vsura mercatores infra infi-
mum pretium emere à rusticis lanas, aliquanto post solu-
tionem tradendas.*

316 *Quando proxeneta possit accipere aliquid de pretio rei quæ
fuit ei tradita vendenda.*

317 *Quatenus is qui emit nomine alterius, possit vltra quam eme-
rit, ab eo accipere.*

314. PRæcipue quæritur; an in emptione quæ fit anticipatâ so-
lutione, descendere liceat infra infimum pretium? Pro
cuius explicatione ponendum est, quod deducitur ex Capit.
In ciuitate, De vsuris, iustum pretium esse, quod taxatum cõ-
muni æstimatione, currit eo tempore, quo res vendita tradi-
tur, non autem, quod currit tempore contractus. Quo posi-
to sententia cõmunis est, si res credatur minus valitura cum
tradetur, quam cum venditur, eam licite, & sine obligatione
ad restitutionem emi posse pretio, quo creditur minus tunc
valitura, quãtumcunq; illud sit infra infimum currens, tunc
cum celebratur contractus. Pro qua sententia textus est ex-
pressus in Cap. Nauiganti, De vsuris. Is enim est secundus
casus, qui ibidem à Gregorio IX. definitur, vt recte notat
Sotus *in 6. De iust. & iure, quæst. 4. art. 2. concl. 1.* Ratio vero in
promptu est, quia rei valor cui pretium debet proportione
respondere, censetur is quem res habet cum traditur vten-
da, & consumenda: maximè enim, quando venditio absol-
uitur (*vt tunc fit*) est habenda ratio, vt interueniat æqualitas
inter pretium & rem venditam, vt requiritur ad venditionis
iustitiam. Pari ratione existimandũ est quod si res quæ tem-
pore contractus valet quatuor, *exempl. gratiâ* creditur tem-
pore traditionis sex valitura, non esse licitũ emere illam tan-
tummodo quatuor: quia committeretur alioquí vsura pal-
liata, duo demẽdo de pretio iusto, seu dando quatuor in pre-
senti, vt in futuro accipias sex, non alio titulo, quam anticipa-
tæ solutionis, quæ mutuum quoddam est.

Vndenam videtur quomodo Sotus *in cit. quæst. 4. art. 1.* 315.
sub finem, lanas quas agricolæ & pastores solẽt vendere mul-
to ante quam mercatoribus tradantur, velit sine vsura, &
obligatione ad restitutionem emi, anticipato pretio mino-
ri, quam sit infimum, quod lanæ ipsæ credantur valituræ eo
tempore quo sunt tradendæ. Nulla enim datur ratio, cur ta-
les sint potius ab vsura, & restitutione excusandi, quam alij;
quandoquidem similiter anticipatâ solutione emunt infra
pretium illud infimũ, quod creditur futurum tempore tra-
ditionis, & receptionis lanarum. Vnde Medina *in Cod. De re-
bus restit. quæstio. 38. in explica ione sextæ causæ, dubio pen ult.* &
Nauarr. *in Enchir. cap. 23. num. 82.* aperte docent illicitam esse
talem emptionem. Quæ vero Sotus pro se adfert, tantum
probant lanam ob indigentiam agricolarum emi posse anti-
cipato pretio; quod tamen taxandum sit secundum com-
munem earum æsti nationem illius temporis quo traden-
tur. Ex vsu autem mercatorum, qui est in contrarium, ni-
hil aliud colligitur, quam aut ipsos male agere, aut excusari
ob lucrum aliquod ex tali anticipati ne ipsis cessans, vel da-
mnum emergens, vel ob periculum, cui lanæ ipsæ sunt ex-
positæ pereunt ipsis. Qui plenius tractatam eandem diffi-
cultatem videre volet, legat Lud. Molinam in citato tract. 2.
disput. 359. & 360.

De venditione quæ fit per proxenetam, illud occur- 316.
rit explicandũ. An si proxenetæ, aut al cui alteri tradatur ali-
quid vendẽdum pro decẽ, & ille vendat duodecim, is tenea-
tur domino rei venditæ, totum, puta duodecim dare? Ipsum
ergo *de quo Angelus in v. rbo Emptio. §. 8. Sylu. eod. verbo, nu. 25.
Gabr. in 4. d. st. 15 u. 10 art. 3. dub. 4. Nav. in Enchir. cap. 23. n. 97.*
distinctione explicatur. Nam si duo illa quæ proxeneta ac-
cipit, sint supra iustum rei pretium rigorosum, aut lege taxa-
tum, restituenda sunt emptori, tanquam iniuste ab eo acce-
pta, cum res in rigore non valuerit plus quam decem. Si vero
illa non sint supra iustum pretium, & pactum tacitũ, vel ex-
pressum fuerit, vt proxeneta domino rei tantum decem red-
deret; siq; aliquid in pretiũ vltra inueniret, sibi retinere, tunc
certum est, quod possit duo illa retinere. Quod si tale pactũ
non interuenerit, *quidquid dicat Angelus*, tenendum est cum
cæteris, illa esse restituenda domino rei; quia reuera sunt pars
iusti pretij suæ rei; ipsiusq; voluntas cum determinauerit pre-
tiũ rei vendendæ, tantum fuit, ne infra illud venderetur, nõ
autem ne supra illud, si occasio ita ferret. Ipse vero proxene-
ta tenebitur, saltem ex fidelitate, vendere quam optimè po-
terit intra latitudinem iusti pretij. Idq; locum habet siue is
stipendium à domino accipiat pro facienda venditione, siue
non, sed gratis, & ex amicitia rogatu domini rei illam faciat;
quia siue hoc, siue illud sit, sicut rem integram debuisset red-
dere domino, si vendere non potuisset; ita & debuit totum
eius pretium reddere.

Aduerte idem pari ratione dicendum esse, cum quis ro- 317.
gauit alium, vt sibi rem aliquam emeret, posset que rogatus
emere illam à proximo mercatore, pro duodecim, quæsi-
uit alium à quo habuit pro decem: dicendum, inquam, esse,

quod

quod nec tunc posſit accipere duo illa, quibus minoris emit, quia totum id intelligitur pertinere ad induſtriam quam roganti detulit liberaliter. Nec enim cenſetur in ea re extraordinariam operam ponere; quam ſi poneret, incrementum ex ea proueniens ſibi ſumere poſſet. Exemplum eſt, ſi quis cum non poſſet pro re inuenire vltra decem, detulit eam ad alium locum diſtantem, vbi plus valebat: plus enim ibi vendendo, incrementum quo ſuperatur ſummum illud pretiũ, quod potuit hîc inueniri, retinere poteſt, tanquam fructum extraordinariæ ſuæ operæ. Idemq; pari ratione cenſendum eſt de eo qui iuſſus aliquid emere, aſportaret illud ex aliquo loco diſtante, vbi minus valebat. Nã illud quo emit minoris quam potuiſſet hîc emere, capere poteſt tanquam fructum extraordinariæ operæ ſuæ.

CAP. XX.

De venditione, quæ ſolet fieri ſub haſta.

SVMMARIVM.

318 *Quando venditio fiat ſub haſta, & leges in ea ſeruandæ.*
319 *Explicatio dubij, an emptio ſit eo ipſo exiſtimanda iuſta, quod facta ſit in ſubhaſtatione.*
320 *Fraudes per quas talis venditio redditur iniuſta.*
321 *Quatenus liceat ei cuius bona venduntur ſub haſta, ſupponere aliquem ad aug. ndum pretium.*

318. VEnditio ſit ſub haſta, quando publicâ proclamatione præconis, res exponitur venalis authoritate legis, vel Iudicis & plus offerenti conceditur. Sunt autem certæ leges in ea ſeruandæ. Prima eſt, quod debeant publicâ voce præconis proclamationes fieri intra certum tempus, quod in reb. Fiſci & Eccleſiæ definitum eſt iure ciuili, 20. dierum, Cod. De ſacroſanctis Eccleſijs, lege Hoc ius porrectum. In alijs bonis vero eſt arbitrarium, id eſt, relictum arbitrio eorum, quorũ authoritate bona ipſa venduntur; nempe tutorum, curatorum, exequutorum teſtamenti, vel Iudicum, ac Magiſtratuũ. Secunda eſt, quod res quæ venditur, tradi debeat plus offerenti intra tempus ſubhaſtationis; intra quod ſemper admittitur alius qui plus offerat, primusq; offerẽs liberatur ab obligatione emendi per ſecundum plus offerentem: ita tamen vt ſemper libere poſſit denuo plus offerre quantum voluerit. Tertia eſt, quod ſtatim aliquis offert pretium, obligetur etiã in conſcientia dare quod obtulit, niſi alius plus offerat infra tempus ſubhaſtationis. Quarta eſt, quod res quæ venditur, poſſit dari minus offerenti, propter faciliorem, vel vtiliorem pretij ſolutionem, ſeu quia magis idoneus eſt quis ad ſoluendum. Si vero plures ſimul concurrant æquè idonei, ac tantumdem offerentes, locus eſſe poteſt gratiæ, ſicut in alijs venditionibus, *dummodo abſit fraus*, vel res diuidenda ſit cuilibet pro rata.

319. Hîc occurrit dubitatio, an eo ipſo, quod res venditur ſub haſta, cenſenda ſit vendi iuſto pretio, ita vt ſtatim ac rem ſub haſta venditam eſſe acceptum eſt, debeamus iudicare in cõſcientia, venditam iuſto pretio? Cui ſatisfieri poteſt, dicendo enim quidem vim eſſe iſtiuſmodi vẽditionis (*quemadmodum poſt Medinam in Cod. De rebus reſt. quæſt. 31. verſ. Similiter ſi merces, annotat Petrus à Nauar. lib. 3. De reſtitutione cap. 2. n. 36.*) vt liceat vilius emere in ſubhaſtationibus quam currat cõmunis æſtimatio fori ciuitatis; nihilominus tamen non ſequi continuo, vt ſi res vendita ſit ſub haſta, eo ipſo debeat cenſeri vendita iuſto pretio: quia in tali venditione, interuenire poſſunt multæ fraudes, per quas peccatur contra iuſtitiam emendo viliori pretio, quam res vendi poterat; vnde incurritur obligatio reſcindendi contractum, aut reſarciẽdi damnum, quod exinde oriri cognoſcitur. Ita enim æquitatem naturalem poſtulare manifeſtum eſt.

320. COMMITTI VERO poſſunt tales fraudes, ex parte quidem eorum quorum authoritate bona venduntur. Primo, ſi tempore quo pauci ſunt emptores qui pretium augeant, res exponatur venditioni. Secundo, ſi faciant vt merces expoſitæ venditioni, tradantur offerenti pretium, antequam finiatur tempus ſubhaſtationis. Tertio, ſi ſcienter vitia earundem mercium occultauerint, vel tacuerint. Quarto, ſi alios arcuerint ab offerendo, vel augendo pretio, vt res minoris emantur, & tradantur, quibus ipſi volunt, amicis videlicet aut conſanguineis. Quinto, ſi aliquos inducant ad pretium augendum, vt pluris, quam communi hominum æſtimatione valeant, res ipſæ vendantur.

Aduerte tamen quod ſi auctio fieret ex certa ſcientia emptorum, qui ne alius rem ferat, deditâ operâ pretium ita augent, vt duplo ſuperet illud quo apud mercatorem talis res emeretur, excuſatio ſit & à peccato, & à reſtitutione, vt bene monet Petrus à Nauar. *in ſeq. num. 37.* quia in eo caſu merito præſumitur donatio incremẽti: cum nec ignorantia, nec neceſſitas, nec vlla vis, aut fraus interueniat, ex qua idipſum pretium ſoluens, iniuriam pati cenſeatur. Et certe, *vt ille quoque tangit*, non videtur à ratione alienũ, vt in hoc genere venditionis publicæ, in quo ex tepiditate emptorum res ferè ſemper minoris venditur quam valeat, tunc pluris vendatur ſcienti, & volenti ſic emere. Nam vt illud ad malam, ita iſtud ad bonam fortunã venditoris pertinere cenſebitur. Ex parte vero emptorum poſſunt committi fraudes. Primo, ſi quis eorũ curet ne eius augeat pretium, vt ipſe minoris emat. Secundo, ſi ipſi inter ſe conueniant, vt quisq; parum, aut nihil augeat pretium. Tertio, ſi quis eorum per inuidiam, vel odium, perſiſtat in contendendo, & augendo pretio, non vt emat, ſed vt alius carius emat.

SI QVÆRAS, an illi quorum bona venduntur ſub haſta, male faciant inducẽdo aliquem, vt pretium augeat, ne merces vendantur minoris, quam æquum ſit? Reſpondetur, q; ſi probabiliter credãt res eſſe minoris emẽdas, quam alioqui emerentur, etiam ſi venderentur ſub haſta, non male facere in eo: quia non inducunt vt merces pluris quam deceat, ſed vt iuſto pretio, vendantur. Si vero inducant ne merces minoris vendantur, quam aliæ ſimiles venditæ, ſunt aliquando, etiam ſub haſta, vel alibi vendi ſolitæ male faciunt, quia pretium huiuſmodi venditionis variari ſolet, *vt recte ait Medina loco cit.* paucitate, vel multitudine emptorum, quam ſecum adferre ſolent tempus, & locus. 321.

CAP. XXI.

De negotiatione.

SVMMARIVM.

322 *Quid & quotuplex ſit negotiatio.*
323 *Ea aliquando eſt, aliquando non eſt licita.*
324 *Quando illicita ſit ex parte materiæ, & quando ex parte eorum cum quibus exercetur.*
325 *Clericis & Monachis prohibita eſt negotiatio, niſi honeſtetur circunſtantijs, & quibus.*
326 *Quomodo illicita ſit negotiatio ex circunſtatijs loci, temporis, finis, & modi.*

322. NEgotiationis nomine ſignificatur emptio, non quæquis, ſed ea duntaxat, quæ ad reuẽdendum cauſa lucri ordinatur. Vnde qui emit vt vtatur emptis, non dicitur negotiari, nec qui emit ſibi & familiæ neceſſaria, & deinde vendit quæ ſuperſunt: nec qui emit merces, vt familiæ ſuæ prodeſſet, & mutato conſilio eaſdem vendit; nec qui locat propria prædia, & conducit aliena. Perinde eſt autem, ſiue quis per ſe, ſiue per alium emat ad reuendendum, vt negotiari cenſeatur. Duplex eſt vero negotiatio: vna, quâ res emitur, vt reuendatur non mutata, vt ea quâ emitur frumentum, vt idemmet poſtea reuendatur. Altera eſt, quâ res emitur, vt reuendatur immutata per aliquam artem, vt ea quâ emitur ferrum, vt vendantur claui: emitur lignũ, vt vendantur ſcabellæ: emitur lana, vt vendatur pannus. Earum prior (quæ proprie eſt negotiatio) confunditur cum mercatura, vt patet ex Cap. Eijciens, diſt. 88. & poſterior confunditur cum artificio. 323.

Porro quod de negotiatione occurrit hoc loco tractandum, eſt, an ſit, vel non ſit licita. Atq; aliquando eſſe licitam, & aliquando illicitam, *ac proinde ex ſe indifferentem*, patet per illud D. Aug. relatum in Cap. Fornicari, ead. diſt. fornicari hominib. ſemper non licet, negotiari aliquando licet. Antequã enim quis fiat Eccleſiaſticus, licet ei negotiari, facto iam non licet. Atque ſpeciem turpitudinis potius quam honeſtatis præ ſe ferre, D. Thom. 2. 2. quæſtio. 77. artic. 4. deducit

ex illius

ex illiùs fine; qui eſt lucrum non habens ex ſe rationem honeſti ſed ſolum, vt refertur ad alium finem honeſtum; qualis eſt ſuſtentatio familiæ: quamuis, *vt idem addit*, ipſa de ſe ſit Reipub. neceſſaria. Non enim regiones omnes abundant omnibus, ſed in quibuſdam aliqua, in aliis alia reperiuntur, quorum vt fieret communicatio, neceſſaria fuerit negotiatio. De quibus Molina in eod. tract. 2. diſput. 339. plenius.

334. SEPTEM vero modi ſunt quibus negotiatio redditur illicita, de quibus Medina *in Cod. De rebus reſtit. quæſt.* 30. & Gabr. in 4. *diſt.* 15 *quæſt.* 10. *aliquanto poſt principium.*

PRIMVS eſt ex parte materiæ, id eſt, rerum in quibus exercetur; nempe cum quis negotiatur reuendendo res vendi prohibitas; vt cum quis negotiatur circa res ſpirituales: puta beneficia, ſacramenta, officia diuina; actus iuriſdictionis ſpiritualis, & alia eius generis: quæ quidem negotiatio peſſima eſt omnium, & vocatur ſimonia; de qua in præcedenti lib. 23. cap. 11. & ſequentibus diſſeruimus. Præterea cum quis negotiatur circa res non ſuas, ſed alienas abs ſe vſurparas abſque conſenſu dominorum. Tertio, cum quis negotiatur circa res vitioſas in ſubſtantia, quantitate, vel qualitate, non patefacto vitio, aut non diminuto pretio rei, ad modum poſtea exponendum. Quarto, cum negotiatur circa illa quæ ſunt prohibita lege humana: vt aſportando extra regnum, vel prouinciam, vinum, frumentum, vel alias merces aſportari prohibitas legibus, aut ſtatutis municipalibus. Quinto, cum negotiatur circa res, quib. emptor abuſurus eſt, vendendo contra charitatem, aut iuſtitiam. Qua de re vide antedicta in capite 15. dubio 5. Poſtremo, cum negotiator vendendo ea quibus nemo bene vti poteſt, aut quibus omnes male vtuntur: qualia ſunt venena quæ nulli bono vſuiſeruiunt, aut ſeruire poſſunt.

SECVNDVS modus eſt ex parte eorum cum quib. quis negotiatur: vt ſi vendat arma aut alia ad bellum pertinentia, Turcis, & aliis infidelibus quibus oppugnant Chriſtianos. Quod graue peccatum eſt, habens annexam excommunicationem reſeruatam in bulla cœnæ Domini: quam expoſuimus in præcedenti lib. 9. de eodemque argumento Nauarrus in tomo 2. ſuorum operum late diſſerit, ad Cap. Ita quorundam, de Iudæis.

TERTIVS eſt ex parte illorum qui negotiantur, ſi ſint Clerici vel Monachi: quibus vtriſque ſub interminatione anathematis interdicta eſt negotiatio in Cap. Cum ſecundum inſtituta. Extra ne Clerici vel Monachi: adeout mortaliter peccent negotiando: ſi quidem anathema, ſeu excommunicatio maior, non imponitur, niſi pro peccato mortali, ex Ca. Nemo Epiſcoporum 11: quæſt. 3. Ratio vero talis prohibitionis eſt indecentia maxima, de qua in ca. Conſequens, diſt. 88. per illud, quod Dominus noſter è templo eiecit vendentes & ementes, Ioan. cap. 2. & quod Apoſtolus dicat in 2. ad Timoth. cap. 2. Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus.

ATTAMEN dantur ſex circunſtantiæ quæ efficiunt vt non ſit mortale.

Prima; ſi Clericus negotians nondum ſit ſacro ordine initiatus: quod annotans Syluester *in verbo Clericus* 3. *quæſt.* 3. rationem affert, quod tali ſit liberum ad laicalem ſtatum redire: non item Clericis initiatis maioribus ordinibus, neque Monachis, etiam laicis, quos vocant conuerſos.

Secunda, ſi adſit neceſſitas quæ Clericum vel Monachum negotiari cogat. Illa enim excuſat, dummodo negotiatio non ſit infamis & turpis, cuiuſmodi ſunt eæ quæ referuntur in cap. 1. Extra ne Clerici vel Monachi. Hinc ex Cap. Dilecti, De decimis: ſi Clerici, *vt ibid. Lexpreſſit gloſſa prima*; aut ex alia gloſſa prima ad Cap. Peruenit, diſtinct. 86. ſi Monachi tam pauperes ſint, vt nequeant aliter commode ſuſtentari, quam conducendo alienos agros, de quorum fructibus partim veſcendo, partim vendendo, vitæ neceſſaria ſibi comparent, non cenſentur exercere negotiationem prohibitam ſacris canonibus, quam neceſſitas facit licitam.

Tertia circunſtantia, ſi Clericus vel Monachus pupilli aut minoris curã habere cogatur ex conſuetudine, vel lege, ipſum adſtringente, aut negotietur ad ſuccurrendũ pupillo, vel viduę, vel aliis perſonis miſerabilibus neceſſitate preſſis, aut certe in rebus Eccleſiaſticis ex præcepto ſui Epiſcopi. Nam in talibus caſibus non peccat: quia id illi permittitur per decretum Concilij Calcedonenſis relatum in citato Ca. Peruenit.

Quarta, quam habent Sylu. & Medina locis citatis quando negotiatio non eſt pura, ſed mixta, *quæ dicitur artificium*, id eſt, quando res empta immutatur arte antequam reuendatur: vt quando emitur papyrus, & libri ſcripti venduntur. Cum enim inter rei emptionem & reuenditionem interuenit ars, *niſi ea ſit prohibita*, per quam eadem res immutatur, negotiatio eſt Clericis ipſis licita; pro quo plures canones à Molina *de iuſt. & iure tract.* 2. *diſput.* 342. *concl.* 4. referuntur. Confirmatur vero aperte ex eo, quod Actorum cap. 18. D. Paulus Chriſti Apoſtolus & Epiſcopus, artem ſcenofactoriam exercuiſſe dicitur. Quatenus autem in tali negotiatione gabella ſit ſoluenda, Molina *in eadem diſput. verſ. Secundum eſt*, declarat plenius. Summa vero eſt, ſoluendam eſſe, tum quando aliquid emitur vt minutatim vendatur; tum quando non emitur quidem, ſed eſt fructus perceptus ex rebus propriis, qui per famulos ad id conductos immutatur ac venditur. Non eſſe autem ſoluendum, ſi Clerici ipſi aut Monachi per ſeipſos materiam ex ſuis rebus perceptam immutent, vt ſi ex lanis ſuarum ouium faciant pannũ, & vendant: quia id non eſt negotiari, ſed vendere ſuos fructus.

Quinta eſt, *quam habent Sylu. & Nauar. locis memoratis*, quando non per ſe, ſed per accidens: neque ex intentione, ſed præter intentionem Clerici vel Monachi negotiantur: vt contingit cum Clericus pro annua ſua prouiſione, alicubi emit multum frumenti & vini, & poſtea cogitur inde diſcedere. Nam poteſt id ipſum frumentum & vinum reuendere ſine peccato, etiamſi multum lucretur.

Sexta eſt, *quam habet Caiet, verbo Clericus*, quando Clericus qui negotiatur, non eſt à Prælato ſuo monitus vt deſiſtat: non enim peccat, ſaltem mortaliter, niſi interueniat aliquod ſcandalum, aut aliud quod laicis etiam illicitum eſſet. Licet enim peccatum cui annexa eſt maior excũmunicatio, ſit de ſe mortale, tamen ſi excommunicatio ſit ſolummodo comminatoria (vt eſt ea, de qua in ante memorato Cap. Cũ ſecundum inſtituta, quam is tantum incurrat, qui licet admonitus ſit, vt ab aliquo actu deſiſtat, perſeuerat nihilominus in eo) non eſt peccati mortalis ſufficiens argumentum, donec admonitio præceſſerit; vt nec ante eam eſt ſufficiens cauſa incurrendæ.

QVARTVS modus quo negotiationem illicitam eſſe contingit, eſt ex parte loci. Nam non licet negotiari in loco 326.
ſacro, hoc eſt, in tẽplo, cœmeterio, vel aliis locis diuino cultui dicatis, ex cap. 2. De immunit. Eccleſiarũ in 6. Et confirmatur, ex facto Domini, qui, vt refertur Matthæi cap. 21. eiecit à templo vendentes & ementes. Locum habet autem hic modus, etiamſi res quæ emuntur, & vendentur; non tenentur in ipſo loco ſacro, ac contrahatur tantum verbis aut ſcriptis: re quæ tradenda eſt exiſtente alibi, ex Medina *in eadem quæſt.* 30. § *Quarto redditur.* Et ratio eſt, quia ius ſimpliciter prohibet, negotiationes fieri in loco ſacro, tanquam eas per quas (*non autem per merces*) in eodem loco, homines ab oratione, cultuque diuino ibi perficiendo diſtrahuntur ruptione ſilentij: atque adeo ſunt de numero eorum quæ Concilium Triden. ab Eccleſia arceri præcipit Prælatis ſeſſ. 22. in decreto de obſeruandis, & euitandis in Miſſ. celebratione.

QVINTVS modus eſt ex parte temporis: nam non licet negotiari dieb. feſtis ex Cap. primo de feriis. Quanquam, vt admonet Medina *in ſequenti* §. *Quinto redditur*: conſuetudo in contrarium multum valet, quando iam eſt præſcripta etiamſi forte malũ habuerit initiũ: vel multum etiam valet publica, vel priuata neceſſitas, quæ aliud exigat, prout attigit D. Thomæ 2. 2. *q.* 122 *art.* 4. *ad* 4. Notat autem Sotus *lib.* 6. *De iuſt. & iure quæſt.* 2. *art.* 2. *concluſ. quinta*, de hac circunſtantia ac etiam de præcedenti, eas de ſe (vtpote modici momenti) non reddere negotiationem mortalem, niſi interueniat ſcandalum, aut impeditio officij diuini.

SEXTVS modus eſt ex parte finis: quia negotiari propter ſolum lucrum, peccatorum eſt auaritiæ; quod ſua quidem natura tantum eſt veniale, ſed valde periculoſum: quia, vt inquit Apoſtolus in priori ad Timoth. cap. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in varias tentationes, laqueum diaboli

SEPTIMVS modus est ex parte modi, quo exercetur negotiatio: nam cum in ea interueniunt periuria, & mendacia, negotiatio peccatum est, cum nemo peieret aut mentiatur sine peccato. Item quãdo res venditur aut emitur pretio non iusto, vt expositum est in præcedentibus, aut quando mercatores vtuntur monopolio priuata authoritate de qua re consequenter ex instituto dicendum est.

CAPVT XXII.

De monopoliis.

SVMMARIVM.

327 *Quid specialiter, quidque generaliter dicatur monopolium, & quomodo specialiter dictum, si authoritate publica fiat, censeatur licitum.*

328 *Quando sit, vel non sit licitum monopolium, per quod negotiatores inter se conueniunt de non vendendis mercibus, nisi pretio taxato suo arbitratu.*

329 *Par iudicium de nonnullis aliis positis in vsu.*

330 *Quatenus licitum sit, vel non sit monopolium, in quo negotiatores supprimunt suas merces: vt dum apparent pauciores, crescat pretium illarum.*

331 *Quatenus illud, in quo vnus, vel pauci conuenerunt omnes merces certi generis, vt illas pro arbitrario postea vendant.*

332 *Impediens ne maior mercium copia afferebatur, quo modo peccet.*

333 *De monopolio emptorum; & quod ex monopolio non nascatur obligatio ad restitutionem, si iustum pretium in eo seruetur.*

327. DE his agentes authores Petrus à Nauarra commemorat *in lib. 3. de rest. t. cap. 2. dubit. 9. n. 77.* quibus accesserunt Petrus Aragonius *ad 22. q. 77. ar. 4. & de iust. & iure*; tum Lud. Molina *tract 2. disput. 345.* tum Leon. Lessius *lib. 2. cap. 21. dubit. 20.* Monopolium autem specialiter quidem dicitur, quando vnus, vel pauci efficiunt vt ipsi soli aliquod mercium genus vendant eo pretio quo libuerit ipsis: generaliter vero dicitur de omni machinatione aliquorum mercatorũ, qua efficiunt vt ipsi soli vel vendant certum quid, vel certe eo pretio quo voluerint, vẽdant. Duplex autem distinguitur dictum specialiter monopolium: vnum quod fit publica authoritate, vt quando Princeps, aut Magistratus concedit alicui typographo, vt solus imprimat, & vendat certum librum; vel vt talis mercator solus vendat certas merces. Alterum quod fit authoritate priuata, vt cum mercatores inter se conspirant, ne quisquam ipsorum vendat infra, vel emat supra certum pretium. Atque vt prius licitum sit, præter publicam authoritatem requirit duas conditiones, vt bene declarat Medina *in Cod. De rcb. restit. quæst. 30. non procul à fine.* Alteram, vt concedatur id exigente bono communi (alioqui enim contra iustitiam inferretur damnum tum emptoribus tum aliis mercatoribus) vt fit quando Respub. indiget aliquibus mercibus, quarum negotiatio damnosa erit mercatori, nisi priuilegium ei concedatur, vt solus tales vendere possit. Alteram vero, vt authoritate quoque publica attentis omnibus circunstantiis taxetur ac constituatur iustum pretium, nec relinquatur arbitrio eorum quibus tale priuilegium conceditur: præsertim in mercibus communiter necessariis ad commode ciuiliterque viuendum; vt sunt frumentum, vinũ, &c. Nam in eo daretur priuatis occasio, pro ipsorũ arbitrio grauandi, dãnoque magno afficiendi Rempub. & per consequens peccãdi mortaliter: de quo peccato Nauar. in Enchir *cap. 23. nu. 92.* Secus est vero in illis rebus quæ solum ad recreationem, vel luxum pertinent, iuxta ante tradita in num. 286. huius libri. Et ratio est, quia in talibus nemo grauatur nisi libere volens, cui proinde non fit iniuria. De posteriori autem monopolio, quando sit, aut non sit licitum, exponitur distinctis illius variis modis.

328. PRIMVS EST, quando negotiatores inter se conueniunt de non vendendis mercibus, nisi certo pretio taxato pro suo arbitratu. De quo statuuntur duæ conclusiones. Prior est: taliter factum monopolium esse illicitum, quando ex illo augetur pretiũ rerũ, & caritas inducitur: seu quando fraudulenter negotiatores inter se cõueniunt vt res vendant vltra iustum pretium, etiam rigidum: & emant infra iustum pretium, etiam infimum. Hæc probatur, quia in eo est aperta iniquitas & violentia facta Reipub. atque perniciolissimum genus expilandi ciues: eo iniquius ac sceleratius, quo merces in Repub. fuerint magis necessariæ; vt panis, vinum, carnes, oleum, &c ideoq; iure communi in lege vnica, Cod. De monopoliis, ipsum est prohibitum sub pœna amissionis omnium bonorum, atque perpetui exilij. Præter peccatum autem in eo casu est obligatio ad restitutionem eius, quod contra iustitiam acceptum fuerit supra iustum pretium, aut datum infra: quandoquidem censeri non potest liberaliter donatum, sicut nec quod vsurario soluitur supra sortem ratione mutui.

Posterior conclusio est, istiusmodi monopolium tunc posse licitũ esse, cum ideo tantum fit, vt merces iusto pretio vendantur: vel operæ iusta mercede locentur. Huius ratio est, quod quando negotiatores non alia de causa inter se ita conueniant; quam vt pretio iusto res suas vendant, nihil de ipsarum valore amittendo: nec artifices alia de causa, quã vt locent iusta mercede operas suas, & vendant opera suæ artis pretio iusto inter ipsos constituto, per quod non inducunt caritatem, nec Rempub. aut priuatum aliquem lædunt: sed solum industria & diligentia vtuntur, vt ipsi iusto pretio emant vel vendant, neque in vendendo cogantur pretij vilitatem subire, vel in emendo grauari pretij incremento. Qua in re censendi non sunt peccare, cum nulli inferant iniuriam.

Idem quoque eadem ratione dicendum est de illis qui in 329.
publica licitatione rogant amicos, ne plus certa quantitate dent, vt ipsi si rem quæ venalis proponitur, habere possint pro iusto pretio: quia hoc, *etiamsi det tantummodo infimũ pretium*, non est rem emere minoris quam valeat, nec alios viaut metu impedire ne augeant. Dicendum item est idem eadem ratione de iis qui volentes emere officium, aut vectigalia, vel prouentus alios conducere, rogant cæteros emptores vel conductores, ne plus dent quam iustum illud pretium quod offerunt. Sed quamuis non peccetur in his contra iustitiam, peccari potest tamen contra charitatem, perinde ac cum aliis non miseremur proximi afflicti.

SECVNDVS MONOPOLII MODVS EST, quando 330.
negotiatores supprimunt suas merces, nec eas venum exponunt, vt dum pauciores apparent, crescat earum pretium. De quo hæ conclusiones statuuntur. Prima, si quis merces suas exposuerit, ac deinde eas supprimat, ex eaque suppressione sequatur caritas notabiliter maior, peccat contra iustitiam, & tenetur ad restitutionem. Hæc, *quam habet Petrus à Nauar. in c. tata dubit. 9. num. 82.* probatur: quia hoc ipso, quod merces illas exposuit venditioni, Respub. ius habet emendi eas pretio, quod spectata mercium copia iustum censetur. Ergo iniuriam infert ciuibus, dum supprimendo illas, facit vt pluris æstimentur, pretiũque augeatur. Nec est quod opponatur, ipsum iure suo vti suprimendo rem suam: perinde ac vteretur mutando simpliciter animum vendendi; aut donando gratis rem suam; vel eam transferendo alio, aut etiã eam destruendo. Nam propositæ conclusionis vis non est in eo posita, vt negetur illum qui rem animo vendendi aduexit, eamque venalem exposuit, posse postea eamdem non vendere: sed vt affirmetur quod si subtrahendo merces venales, caritatem iniuste inducat, efficiens vt res quæ tunc prostant venales, pluris valeant, ob earum quæ apparet inopiam: non possit maius pretium exigere quam accepisset, si non abscondisset; quia censeretur per vim fraudulenter illatam Reipub. (*quæ alioquin ius habuit illum cohibendi, ac etiam puniendi tanquam sibi magis nocium*) illud plus accipere; & ideo ad restitutionem illius teneri, adeoq; damni quod ipsius causa ciues paterentur, coacti emere ab aliis mercatoribus supra pretium iustum. Attamen iidem alij mercatores non videntur teneri ad restitutionem incrementi quod acciperint supra pretium illud, quod sine tali fraude existimatum esset iustum. Namque vendiderunt pretio currente, quod iustum existimabatur spectata paucitate rerum quæ venales exponebantur, prouenientе ex iniqua alterius suppressione, quæ non fuerit in ipsorum potestate, nec sint ei cooperati.

Secunda conclusio. Si ex suppressione non sequatur maior caritas: vt cum quis paucas merces habet, aut talium magna copia est in ciuitate; non peccatur contra iustitiam ab eo,

qui

qui donec pretium augeatur, merces suas recondit. Ratio est, quia per id nulli damno causam dat. Quanquam si multi sint qui faciant idem: itaut pretium inde notabiliter crescat; distinguendum est, ac dicendum, quod si de communi consilio id faciant (*etiamsi ex suppressione cuiusque seorsim spectata, pretium non crescat notabiliter*) quisque ad restitutionem tenebitur in solidum tanquam cooperatus ad illationem totius damni. Sin autem singuli seorsim ac solo motu proprio suppresserint; quisque eorum pro sua parte tenebitur, quantum ad idem damnum cooperatus est, iuxta ea quæ in præced. lib. 10. cap. 10. quæst. tertia.

Tertia conclusio. Cum quis merces in ciuitatem aduexerit animo vendendi eas, quando erunt cariores, ac interea illas apud se retinendi aliquandiu, expectando pretii incrementum, non peccare, etiam dato casu quod pretium non augeretur, si easdem merces statim exponeret venales: dummodo tamen non differat donec pretium enormiter fiat maius, vt in duplum, vel eo circiter. Hæc, *quæ etiam est Petri à Nauar.* probatur: quia mercatores, præsertim ij qui foris merces aduehunt, videntur hoc ius habere, vt non teneantur statim eas exponere, quando similium adhuc est sufficiens copia, quæ tolerabili pretio possunt haberi (*cum maxime aliquandiu expectare sit prudentiæ*) sed tunc demum cum pretium inciperet enorme esse, nisi exponerent: tunc enim, quia tales merces sunt in Repub. habente eo ipso ius ad illas emendas pretio iusto, faceret eidem iniuriam, si diutius tenendo reconditas, magnam caritatem induceret.

331. TERTIVS MONOPOLII MODVS EST, quando vnus vel pauci congerunt omnes merces certi generis, vt pro suo arbitratu aucto postea pretio, vendant ciuibus nequentibus tales aliunde habere, cogendo eos tantum dare, quantum ipsi volunt. Quod quidem illicitum esse patet ex aperta iniuria, quæ tunc fit Reipub. inducendo caritatem, ac pro suo arbitratu augendo pretium, quod determinare priuata authoritate non est mercatori concessum: prout habitum est antea in cap. 16. vnde istud monopolii genus tanquam manifestam iniuriam complectens damnatur à Pio V. in bulla de Cambiis; quam habet Nauar. in Enchir. *cap. 17. n. 283. litera M.* Quod si quis magnum quidem mercium quantitatem emat, sed tamen cum nullo fraudulenter conuenit, neque animo augendi pretium vltra iustum, id fecit; non est censendus peccasse in eo: nisi in certa re, *vt solet in frumento*, lex aliqua specialis id prohibeat. Namque emptio ad reuendendum, licita est cuilibet mercatori, siue in magna, siue in parua quantitate ea fiat: neque venditoris vnitas est de se inductiua caritatis: cũ pretiũ mercium mutetur ex iearum maiore, vel minore indigentia: parumque ad id referat, siue vnus siue plures vendant eas: cum iustum pretium à Repub. determinandum sit, aut corrigendum, quando circunstantiis debite consideratis, excessiuum inuenitur.

332. POSTREMVS MONOPOLII MODVS EST, quando quis vi, aut fraude impedit ne aliunde copia maior mercium importetur: vt manẽte earum raritate caritas fiat in Repub. Qui modus illicitus est etiam moraliter, ob notabilem iniuriam quæ Reipub. fit dando causam caritati, qua ciues grauantur, dum compelluntur emere notabiliter carius, quam alioqui emissent, pretio decrescente propter copiam mercium. Non videbitur autem ad restitutionem teneri, si absque vi & fraude impediuerit: sicut nec is tenetur qui pari ratione impediuit ne quis obtineret illud quod alter statuerat ei dare, iuxta ea quæ tradita sunt in præced. parte lib. 10. n. 151.

333. Cæterum hæc quæ dicta sunt de monopoliis venditorum, intelligenga sunt vice versa de monopoliis emptorum, cum facta fuerint ad diminuẽdum iustum pretium merciũ: vt si naui appulsa, illi qui emere possunt, sibi mutuo dent fidem, se non nisi certo pretio empturos, vt defectu emptorum venditor cogatur pro tali pretio, quantumuis iustum non sit, merces suas relinquere. Qua in re constat committi peccatum. Attamen si venditores monopolium fecissent, emptores quasi vim vi repellendo iuste possent inter se conuenire, vt nullus nisi certo pretio quod iustum sit, emat. Id enim est prudentiæ. Aduerte vero obiter, quod etsi monopolium per quod merces non nisi rigoroso pretio emi, aut non nisi infimo pretio vendi possunt, non inducat obligationem ad restitutionem, quia nihil accipitur supra, aut infra iustum pretium, esse tamen peccatum contra charitatem arctando proximum ad sic vendendum, vel emendum, qui alioqui posset aliquid lucri iuste facere.

CAPVT XXIII.

De obligatione venditorum & emptorum.

SVMMARIVM.

334 *Quinque obligationes venditoris.*
335 *Præmittenda explicatio difficultatis; an necesse sit vitium mercis declarari in illius venditione.*
336 *Si venditor defectum mercis celet, mentiendo eam carere omni defectu, venditio nulla est, ipseque tenetur ad restitutionem damnorum inde secutorum: non autem si defectum celet tantum reticendo ipsum.*
337 *Peccat contra iustitiam cum obligatione ad restitutionem qui non detegit notabile vitium mercis (secus si modicum) quod emptori adferet detrimentum, nisi & ipse idem vitium ignoret.*
338 *Dubio, an peccet contra charitatem qui vitium mercis non detegit emptori, qui emeret, etiamsi illud nosset.*
339 *Quatenus peccet qui vendit vnam rem pro alia.*
340 *Quatenus qui rem mixtam vendit propura. Et an sciens rei venalis virtutem occultam, teneatur illam emendo, ascendere in pretio.*
341 *Nonnulla certa de difficultate, an possit quis merces suas vendere pretio currente, quas scit ob futurum aliarum aduentum, paulo post minus valituras.*
342 *Quidquid aliqui contradicant, nihil eo committitur contra iustitiam.*
343 *Quatenus contra charitatem.*
344 *Solutio duarum obiectionum.*
345 *Quando peccet qui priuatim sciens statuto principis minuendum pretium tritici, aut valorem pecuniæ vendit, aut mutuo dat secundum communem æstimationem.*
346 *Quando peccetur in quibusdam aliis similibus casibus.*
347 *Obligationes propriæ emptoris.*
348 *Obligatio emptoris prænonendi venditorem de valore rei supra pretium quod offert, & ad resarcienda damna ex illius culpabili mora soluendi secuta.*
349 *De empto ex alienapecunia, cuius sit.*

334. PRIMA obligatio quam venditor contrahit ex venditione, est, quod teneatur rem venditam tradere emptori, & in ipsius dominium, aut quasi dominium transferre. Vbi aduerte, venditorem dici tradere dominium rei venditæ, quando vendit res corporales, quarum est dominus, vt fundũ, domũ, &c. tradere vero quasi dominiũ, quãdo vẽdit res incorporales, vt iura, actiones, seruitutes, annuos reditus, &c. Quod si venditor non sit dominus rei venditæ, neque dominium, neque quasi dominium illius traditi, sed tantum dat conditionem, & causam vsucapiendi, ex lege Clauib. ff. De contrahenda emptione & venditione. Vnde si quis rem alienam vendat, emptor qui illam bona fide emit, statim ac incipit ex empto eamdem possidere, vsucapio incipit: adeout intra tẽpus legibus constitutum (de quo in præced. libro. 10. nu. 297.) possit illam sibi præscribere tanquam à se possessam titulo & iure emptionis. Secunda obligatio venditoris est, vt teneatur rescindere venditionem factam vi, metu, aut dolo. Tertia, vt teneatur restituere quidquid accepit vltra iustum pretium, ac damna emptoris, siquę passus est ex venditione vi, dolo, aut metu facta. Quarta, vt teneatur de euictione, id est, si aliquis ab emptore petat rẽ emptam tanquam suam, dicens eam esse sibi obligatam, aut aliquod ius in ea habere, emptor ipse recursum habeat ad venditorem, qui debet ei assistere, eumque seruare indemnẽ, prout ante in præced. cap. 14. dub. 1. propositione 2. expositum est. Quinta, vt teneatur detegere occultos defectus rei venditæ. De qua D. Thom. & interpretes ipsius 2. 2. *q. 77. art. 3.* plures; alii quos Petrus à Nauar. refert. *in lib. tertio de restit. cap. 2. dubit. 7. in initio.* quibus accesserunt Gregorius á Valent. 2. 2. *d. sput. 5. q. 20. puncto 3.* Lud. Molina *in citato tract. 2. disput. 353.* nonnullique alii specialem enim

habet difficultatem, cuius explicationem oportet consequenter tradere.

De venditoris obligatione manifestandi defectus mercis, quam proponit venalem.

335. AD HVIVS explicationem premittendum est primo, quod triplex in genere possit esse defectus rei venditę, vnus in substantia illius, vt si aurum falsum pro vero vendatur: vel vitrum pro gemma. Alter in quantitate, vt si mẽsura diminuta vendatur pro integra: tertius in qualitate, vt si res vendatur tãquam habens aliquam vim ad curandum, vel ad aliũ effectum, nec talem habeat. Præmittendum est secundo, quod quilibet horum defectuum possit esse vel manifestus, ac per se notus omnibus: vt cum venditur equus alterum oculum habens effossum: vel occultus, & qui non facile pateat. Qui potest ad huc esse triplex: vnus per quem vsus rei sit emptori noxius, alter per quẽ idem vsus sit eidem periculosus, & tertius per quem res quæ venditur, vsui nulli sit ipsi emptori. Prænotandũ est tertio, quod defectus interdũ talis sit, vt si emptor illũ sciret, rem pro nullo pretio emeret, interdum vero, vt etiamsi sciret, nihilominus emeret, licet forte non tanto pretio. Prænotandum est quarto, quod aliud sit occultando defectũ, descendere in pretio iuxta exigentiam eiusdẽ defectus: & aliud non descendere. Item quod aliud sit venditorem defectum rei venditæ tacere, & aliud asserere quod ea nullum habeat. Itemque aliud, siue illud tacere, cum interrogatum est num res vitium habeat; & aliud sine tali interrogatione tacere.

Quibus ita præmissis, de proposita obligatione sic dicemus, vt certa ab incertis distinguamus: sicut post Medinam *in C. De rebus restit. q.* 34. faciunt Petrus à Nauarra *in citata dubit. septima*, & Petrus Aragonius *ad memoratum D. Thomæ art. tertium.*

Certa inter Doctores de proposita obligatione.

336. CERTVM IGITVR EST PRIMO, quod si venditor rei defectuosæ dicat eam non esse defectuosam, contractus sit nullus, si defectus talis est, vt veritate cognita, res nõ emeretur, taliterque vendens tenetur resarcire quodcumque damnum ex eiusmodi venditione subsecutum, siue defectus sit occultus, siue manifestus. Cuius nullitatis ratio est, quia dolus tali cõtractui causam dedit: quod sufficit ad hoc, vt inuoluntarius esset, & per consequens nullus, cum ad rationem cuiuscumque contractus humani spectet vt sit voluntarius. Obligationis vero ad restitutionem ratio est, quod cuiusuis damni culpabiliter ab aliquo dati facienda sit à dante compensatio, ex Cap. finali De iniuriis & damno dato. Nec refert quod defectus fuerit manifestus, & ideo ignorantia illius facile vitari potuerit, quia emptor à venditore audiens rem quam emit, defectu carere, excusatur non apponens aliam diligentiã ad inquirendã veritatẽ. De quibus videri potest Molina *in citato tract. 2. disput. 353. concl. 1. & 2.*

CERTVM EST SECVNDO, quod vitia manifesta quæ facile cognosci possunt, non teneatur venditor explicare, nisi, videat emptorem laborare imperitia & inanimaduertentia inuincibili. In tali casu enim iniustitiam perinde committeret, ac celans defectum occultum: non vero extra eundem casum, seu cum emtor ex sua negligentia non aduertit ad defectum ipsum, quia cum potuerit ignorantiam suam vincere, debet sibi imputare illud, quod fuerit ex ea factum, non itẽ venditori; qui tacendo cõsuluit rei propriæ, quod cuiq; licet, quando non est ideo causa damni alieni. Id quod expresse D. Thomas docet *in citato art. 3.* Tenebitur tamen venditor restituere quidquid acceperit excessiuum, iuxta rei qualitatem: quia acceptio est iniusta, ideoque restitutione ad æqualitatem iustitiæ reducenda.

CERTVM EST TERTIO, quod vitia occulta non dicens contra iustitiam peccet, quando ab emptore rogatur an res careat vitio, vel quando petitur ad vsum, ad quem vitium, quo laborat, reddat eam inutilem, aut parum habilem. Ratio est, quia venditor tenetur ex officio in tali casu aperire emenți conditionem rei quam exponit venalem. Alioqui enim ianua aperta esset multis fraudibus, quas emptores perinde non possent vitare, ac quando permitteretur emptori in pretium dare res, aut pecunias vitiatas, venditore non monito de vitio. Deinde, *vt Medina in fine ante memorata quæst. 34. habet*, si venditor sciat, aut coniiciat emptorem à se emere ad aliquem vsum, credendo ad eundem valere, sibique profuturam, *cum in eo desipiatur*, ille tenebitur huic veritatem intimare, alioqui obligabitur ad resarciendum ei totum interesse, neque sufficiet quod in pretio descendat, nec plus accipiat, quam res valeat, quia licet inde excusetur à peccato superueniditionis, non tamen à dolo, & culpa iniustæ deceptionis.

CERTVM EST QVARTO, quod item non dicens vitia occulta, si vendat iusto pretio (tantum scilicet descendendo in eo quod lege, aut communi æstimatione taxatum est, quantum ratione eorundem vitiorum minuitur ipsarum rerum valor) non peccet contra iustitiam, & ideo nec teneatur restituere. Probatur, quia nulla iniuria fit in eo, cũ tantummodo accipiatur iustum pretium. Attamen si tunc emptor cognita veritate non emeret, contractus est nullus cum sit inuoluntarius, non autem si emptor cognita veritate emeret nihilominus, quia erit voluntarius. Neque obstabit quod eo pretio minime emeret, quia id non sufficit ad reddendum talem contractum inuoluntarium, cum rationabile fuerit, vt vellet emere iusto pretio.

CERTVM EST QVINTO, peccare contra iustitiam; 337.
& ad restitutionem teneri mercis venditorem, qui occultat eiusdem talem defectum, ex quo damnum temporale, vel illius periculum secuturum sit emptori, vt si quis alteri venderet domum pestiferam, vel militi equum infirmum, vel homini infirmo vnam medicinam ei inutilem, pro alia vtili, & sic de alia re, quæ non esset vsui emptori, vt si is crederetur quærere vinum, vel frumentum diu seruandum (*secus si statim consumendum*) & venderetur eiusmodi quod non posset seruari. Ratio est ex D. Thom. loco cit. quod occasionem periculi, aut damni, alteri dare nulli sit licitum: etiamsi nemo lege iustitiæ, vel charitatis cogatur consilium auxiliumue alteri præbere, per quod à periculis, & damnis eripiatur, nisi id incumbat illi ex officio proprio, vel alter ille graui indigentia prematur. 338.

Procedit autem istud etiam respectu tertiæ personæ, hoc est, quando ex huiusmodi venditione sequeretur detrimentum tertię personæ, vt quando emptor emeret aliquid, quod statim reuenditurus esset alteri, tãquam non vitiosum. Quãquam tunc sufficit declarare vitium rei, postquam emptor iam illam emit & antequam reuendat prout Caiet. ad cit. D. Thom. locum. notat, & post eum Nauar. *in Enchir. cap. 23 num. 89.* simul monens, *quod etiam habet Sotus lib. 6. De iust. & iure, quæst. 3. art. 2. concl. 2.* non sufficere declarationem fieri confuse, vt cum vendens equum dicit se nolle teneri de vllo eius defectu, sed requiri vt speciatim declaret defectũ, quem ipse nouit. Multo autem minus, si dicat se vendere, siue sit claudus, siue cæcus, siue calcitro, &c. nominando cum defectu quo laboret, plures alios manifeste falsos, vt in eis mentiendo aperte, putetur & in occultis mentiri.

Admonet quoque Molina *in ead. disput. 353. ac late tractat post septimam conclusionem*, quando vitia non reddunt rem notabiliter minus vtilem ad id, ad quod emitur. venditorem nõ teneri illa manifestare, etiamsi præsumat, quod si emptor ea cognosceret, non emeret. Rationem adfert, quia hæc res moraliter accipienda est tanquam iustificabilis ex circunstãtiis, nimirum quia si artifices teneantur manifestare quoscunque defectus, etiam minimos rerum quas exponunt venales, vix ipsis vtile, immo damnosum esset ipsorum artificium. Inde enim multum de pretio iusto detraheretur, deterritis emptoribus vitiorum manifestatione, quorũ plerique etiam ab emendo reuocarentur. Vnde magnam occasionem timorati acciperent tentationis agendi contra conscientiam, præsertim videntes cæteros vitia celantes, & lucrari, & abundare emptoribus. Accedit quod etiamsi ratio dictet detegenda esse in venditione vitia rerum venalium, id tamen sit accipiendum cum benigna interpretatione, quam exigit commerciorum conseruatio in Repub. & hominum fragilitas, quæ non patitur humeris ipsorum imponi onus nimis graue, quale sane est venditorem teneri quæcũq; *etiam leuissima*, 13. rei venalis vitia manifestare, vt

expe-

experientia potest abunde docere. Admonuerim etiam obiter venditorem, si sciat; quod emptor velit rem quam emit statim consumere, posse totum pretium recipere, nulla facta declaratione; quod seruari non possit. Cum enim res habeant valorem per ordinem ad vsus humanos, & res illa ad vsum præsentem tantum valeat, quantum si haberet dispositiones diu conseruantes, fit vt toto pretio currente, iuste vendi possit.

CERTVM EST SEXTO, quod venditor à culpa excusetur, si ignorans rei defectum, vendat eam bona fide pro pretio quod ipsa valitura esset, si nõ haberet talem defectũ. Ratio est, quia ignorantia, nec fraudulenta, nec dolosa excusat à culpa. Quando tamen venditor defectum rei cognouerit, tenebitur ad instantiam emptoris rescindere contractum reddito pretio, & recepta re cum fructibus, *si quos protulerit*, deductis expensis, vel eum ad æqualitatem reducere, prout æquitas postulat. Vnde licet talis contractus valeat, tamen aduersus venditorem in foro externo datur actio, *vt vocant*, quanto minoris, iuxta legem Iulianus, in principio, ff. De actionibus empti. De qua re Molina in præcedenti concl. 3. vbi D. Thomam, aliosque plures in eandem sententiam refert. Quod si defectus talis esset, quem si emptor habens perspectum, nullo modo rem eiusmodi emeret; dabitur in foro externo actio, quæ dicitur redhibitoria, seu rehabendum pretium datum; estque in conscientia contractus inualidus, quia emptor in eo, non modo non consentit in pretium excessiuum, sed nec in ipsum contractum, qui ea de causa inuoluntarius est, & per consequens iudicandus in conscientia inualidus.

Dubia de proposita obligatione.

338. PRimum est, an defectum occultum tacens ei, qui illo non obstante rem emeret quidem, non tamen pro tanto pretio, peccet, saltem contra charitatem, etiamsi in pretio descendat quantum idem defectus exigit, atque solummodo iustum accipiat?

De hoc sunt oppositæ sententiæ. Nam Medina Cod. De reb. restit. *quæst.* 34. *dicto* 3. partem affirmantem sequitur, inquiens, peccatum in eo committi contra charitatẽ; hac potissimum ratione adductus, quod sicut ille contra charitatem peccat, qui à suo debitore clam accipit debitum, quod ille paratus est soluere; sic pariter peccat is, qui occulte ab emptore parato soluere, accipit pretium sibi ratione mercis debitum. Cæteri autem partẽ negantẽ, *hoc est, non modo contra iustitiam, sed nec contra charitatem peccatum in eo committi*, tenent congruenter doctrinæ D. Thomæ in eodẽ art. 3. cuius fundamentum est, quod ea ratione vendens ad vitandũ proprium detrimẽtũ, iure suo vtatur dum occultat defectũ suarum mercium, vt possit eas distrahere. Nam secundum legem charitatis quilque potest sibi ipsi consulere potius quam alteri: præsertim quando non datur ei causa damni, sed ipsum solummodo permittitur euenire, prout in casu proposito contingere supponimus. Accedit quod vt emens rem defectu carentem pro defectuosa, *dummodo illius iustum pretium soluat*, non teneatur integritatem illius manifestare venditori; ita nec venditor teneatur emptori detegere vitium rei defectuosæ, dummodo pretium pro rei qualitate iustum non excedat. Ad argumentum autem Medinæ respondetur, peccatum esse à debitore suo clam ipso debitum accipere, eo quod Iudicis officium in eo vsurpetur; non autem, quod proximus in eo decipiatur. At in nostro casu non vsurpatur officium Iudicis, sed accipitur pretium de manu emptoris, illudque iustum, & in quo soluendo ipse dici non potest rationabiliter inuitus: Cum enim, *vt supponimus*, rem ipse alias empturus esset, non potest iuste conqueri, cum ei detur tali pretio, quod iustum moderatumque sit.

Secundum dubium; an peccet vendens rem vnam pro alia, aut mixtam pro pura.

HVic dubio occasionem dat, quod res in substantia similes possint esse diuersæ in qualitate; ratione cuius vna censeatur pretiosior altera, vt in hac regione vinum Arbosianum vino Dolano; itemque vna res admittat alterius admixtionem, vt vinum admixtionem aquæ, vnde minoris valoris esse iudicetur.

Respõdendum est autem, quoad priorem dubij partem, fieri posse, vt sine peccato vna res vendatur pro alia, quia in venditione cuiusque rei, æstimatio desumenda est, non ex illius substantia, sed ex vtilitate, quam in ordine ad actus humanos importat, & ideo cum non est tanta rerum differentia in substantia; vel qualitate, quin illæ se æqualiter, aut pene æqualiter habeant in ordine ad humanam vtilitatem, emptori non fit iniuria, si diuersitas ex quia nullum dispendium patitur, non detegatur. Secus esset vero si notabilis aliqua differẽtia daretur in ordine ad humanam vtilitatem, vt si vinum Arbosianum vim aliquam medicinalem haberet, ratione cuius venale quæreretur. Quomodo ex D. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 2. ad 1. nonnullisque aliis, *quos commemorat & sequitur Petrus à Nauar. l. b. 3. De restit. cap. 2. num.* 65. regulariter illicitum est vendere aurum alchimicum pro vero auro, quia illud non valet ad omnes vsus veri auri, vt ad exhilarandum, aut ad medicandum. Quanquam, vt habent in verbo Alchimia, Caiet. & Sylue. quæst. vlt. ipsum vendi potest pro eo quod ipsummet est; nempe pro auro non vero, sed alchimico, quia nulla est iniustitia vendere rem pro eo quod ipsa est, & valet. 339.

Quoad posteriorem autem partem dubij, de his qui vinum lymphatum, aut alias res mixtas vendunt emptoribus ignorantibus. Respondendum est distinctione cum Medina *Cod. De rebus rest. 1. quæst. 34. sub finem*, nempe quod tales aliquando peccent, & ad restitutionem teneantur; vt quando talis mixtio nociua est proximo, *id quod verũ est, siue venditor descendat in pretio, siue non.* Item quando res non valet tanti mixta, quanti pura, *etiãsi mixtio nullum damnum, aut periculum sit allatura*, & venditur tanquam pura, maxime si diminutio proueniens ex mixtione sit notabilis. Non peccent autem, nec ad restitutionem teneantur, quando mixtio non facit rem ad vsum eum, ad quem emitur, minoris valoris, aut vtilitatis esse, quam si illa nõ interuenisset, resq; ipsa pura esset, aut quando ex mixtione tam parua diminutio facta est, vt homines nihil de ea curent, aut saltem secundum rectam rationem nihil curare debeant. Ex quibus intelligitur quid sit iudicandum de Pharmacopolis dantibus, *vt vocant*, qui pro quo; nempe cum ab eis petitur certum oleum, vel vnguentum quod non habent, dant aliud. Non enim excusantur nisi dent, quod sit eiusdem effectus, atque virtutis, iustoque pretio vendant, vt satis intelligitur ex dictis. Intelligitur etiam aurifices licite eodem pretio, quo aurum, vel argentum, vendere illud metalli genus quod solet auro, vel argento misceri, ad ipsum bene conuertendum, & solidandum; dummodo admisceant solummodo illud quod necessarium est, & in vsu; quia per eam admixtionem aurum, vel argentum non fit minoris valoris, aut vtilitatis. 340.

Tertium dubium; an sicut ob rei defectum occultum venditor tenetur descendere in pretio, per legem, aut communem æstimationem taxatosic emptor sciens rei occultam virtutem teneatur ascendere supra pretium similiter taxatum.

AD huius pleniorem explicationem faciunt quæ habet Molina *in citata disput.* 353. *concl.* 4. Paucis autem respõderi potest; eadem ratione qua venditor peccat contra iustitiam, vendendo rem defectuosam pro integra; peccare quoque emptorem emendo rem integram pro defectuosa. Nam hic sicut ille violat leges commutatiuæ iustitiæ. Attamen quando in re venali, vt in gẽma, virtus aliqua specialis latet, cõmuniter etiã peritis ignota, non tenetur peritissimus aliquis eam emens talẽ virtutem detegere, dummodo soluat pretium lege, vel communi peritorum æstimatione constitutum. Probatur, quia tale pretium est iustum, cũ sit illud, quo cõmuniter secundum circunstantiã loci, & temporis, res eiusmodi æstimatur. In quã æstimationem singularis illa virtus non cadit, quia non cognoscitur, sicut nec thesaurus occultus in agro sub eius æstimationem cadit; adeo vt is qui thesaurum nouit emens agrum pretio, quo cõmuniter æstimatur, nihil refundere teneatur, vt in Enchir. *cap. 17. num. 175.* habet Nauar. ex D. Thom. 2, 2. *quæst. 66. art. 5 ad 5. cuius*, & sequitur Sotus *lib. 6 De iust. & iure, quæst. 3. art. 2. sub finẽ.* Atq; ex his intelligitur ratio cur cessãtur excusãdi

Hispani qui ad Indos primi venerunt, vili pretio ab eis ementes gemmas, quę hic magni fiunt, nempe quia emerunt pro pretio quod secundum communem illius Reipub. æstitionem putabatur iustum, neque tenebantur indicare eis quanti fierent tales res in Europa.

Quartum dubium; an possit quis merces suas vendere pretio currente, quas scit intra paucos dies ob futurum aduentum aliarum minus valituras.

DE hoc post D. Thomam 2.2. quæst. 7. art 3. ad quartum agunt interpretes ipsius ibid. & Sotus in 6. De iust. & iure, quæst. 3. art. 2. sub finem: præterea Gabr. 4. distinct. 15. quæst. 10. art. 3. dub. 3. Conrad. De contractibus, quæst. 62. Medina in God. De rebus restit. q. 35 & Summularij in verbo Emptio, vt Sylvester, quæst. 15. Ang. §. 26. item q; Couar. ad reg. Peccatum, par. 2. §. 4. num. 6.

341. CERTVM EST autem primo, quod cum res emitur statim consumenda, ea vendi possit integro pretio currente. Ratio est, quia in ordine tantummodo ad eum vsum, *minime postea futuræ* æstimationem habet; atque adeo iustum pretium illius est, quod hic, & nunc valet secundum æstimationem communem.

Certũ est secundo, quod si vtrique contrahentium incognita sit futura pretij variatio, licitum sit vendere pro pretio currente, neque venditorem teneri ad aliquam restitutionem ob secutum postea illius decrementum, sicut ad nullã teneretur emptor venditori, ob illius incrementũ. Ratio est, quia cum neuter tunc decipiat alterum, æqua debet esse vtriusque conditio.

Certum est tertio, quod si vtrique fuerit nota futura mercium copia, licite possit pretium currens accipi ab emptore consentiente in illud sua sponte; quia nolenti, & scienti non fit iniuria.

342. TOTA ergo difficultas est, quando emptore ignorante, venditor scit futuram pretij variationem. De qua sentẽtias oppositas referunt Petrus à Nauar. *libro 3. De restit. cap. 2. à nu. 67.* Ludouicus Molina *in tape memorato tractatu 2. disput. 354.* Vnam negantium id esse licitum, quæ est Conradi ac Medinæ, & tutior probabiliorque contraria existimatur à Gabriele. Alteram vero affirmantium id esse licitum, quæ est D. Thomæ, Caiet. Sylu. Soti, Couarruuiæ, & recentiorum cõmunis, & sine scrupulo teneri potest tanquã habens multos, & bonos authores, & fundata in bona ratione, qua ostenditur in eiusmodi venditione nõ peccari contra iustitiã; nempe quod per eam res vendatur iusto tãtum pretio lege, aut communi hominum æstimatione constituto; cuius iustitiam priuata notitia venditoris non variat, vt nec ignorãtia variaret; cum (vt in præcedenti num. 270. habitum est) vbi publica taxatio mercis, à lege, vel Principe facta est, cõmunis hominum æstimatio non habeat locum, nec vbi est communis æstimatio, locum habeat priuatum vnius hominis iudicium. At in casu proposito solus venditor est qui ob notitiam adfuturarum, vilius æstimat merces. Non ideo igitur variatur pretium currens; nec venditor ipse tenetur ex iustitia descendere in eo, aut aliquid restituere si vendat; sicut nec tenetur alius qui ignorauerit adfuturas merces. Nam reipsa merces illæ non valent plus in manu ignorantium alias similes superuenturas, quam in manu id scientium. Deinde scientia futuræ penuriæ, quam aliquis particularis habet, non obstat quin possit emere pretio currente. Ergo nec scientia futuræ abundantiæ obstabit quin vendere possit pretio item currente, cum par sit ratio, parque conditio contrahentium in contractibus venditionis, & emptionis, qui sunt reciproci, antecedens vero patet ex eo quod Ioseph peccatum iniustitiæ alioqui commisisset, quando *ex Genesis cap. 41.* triticum emit pretio currente, sciens priuata scientia, non multo post futuram penuriam, quam si Ægyptij similiter sciuissent, nunquam tam vili pretio illud vendidissent.

343. Sed dices, esto non peccetur contra iustitiam in ea venditione; peccari tamen contra charitatem. Respondetur, D. Thomam contrariũ indicasse loco cit. cum ait abundantioris virtutis esse manifestare abundantiam futurarũ merciũ, aut minuere de pretio; quod idem est ac si diceret esse opus supererogationis, seu consilij, cuius cõtrariũ non est peccatum. Quanquam negandum nõ est quinaliquando possint in eo committi peccatum contra charitatem. Quandoquidem iudicandum est ex communi lege charitatis, qua tenemur bono proximi consulere, quando sine magno detrimento proprio id possumus. Et ita, si Petrus sciens cras adfuturã magnam frumenti copiam, Paulusque vellet ab ipso magnã quantitatẽ hodie pro currẽti pretio emere, vnde fieret vt ad paupertatem redigeretur, Petrus ex charitate tenebitur monere ipsum, vt in diẽcrastinũ expectet; non vero, si ob talẽ monitionẽ Petrus ipse esset in similẽ paupertatẽ redigẽdus, quia bene ordinata charitas incipit à se ipso.

344. SVPEREST vt respondeamus duabus obiectionibus, quæ contra propositam sententiam fieri possunt. Prior est, iustum rerum valorem non desumi ex quacunque communi æstimatione, sed ex prudenti & discretã, qualis non est illa quæ procedit ex ignorantia & errore ciuium, cum si scirent proximam rerum abundantiam, non æstimarent eas tanti, quanti æstimant. Respondendum est, quod etsi in communi æstimatione, qua iustum pretium constituitur, contingat decipi ob ignorantiam, non contingere tamen agi imprudenter, quando ignorantia fuerit earum conditionũ quas sciri nõ requirebatur, vt eas quæ fortuito, & præter omniũ expectationẽ accidũt, velut in nostro casu, copia merciũ nullatenus expectata cõmuniter. Ex qua ferre iudicium de communi valore rerum, ac iustum earum pretium 347.
constituere; non prudentiæ, sed imprudentiæ potius tribueretur rationẽ habere illius in taliũ merciũ æstimatione.

Posterior obiectio est, perinde iniquũ esse, rem vendere pretio integro, cum ipsum breui minuendum esset, ac vẽdere pro integra, eam quæ est defectuosa. Sicut igitur in pretio rei defectuosæ descendendum est secundum quantitatem defectus, ita etiam descẽdendũ est in pretio rei statim ob futuram copiam minus valituræ. Respondendum est, disparem rationem esse, quia defectus rei, sunt conditiones intrinsecæ in illius substantia, aut quantitate, aut qualitate consistentes, quæ considerandæ sunt ad constituendum iustum pretium ipsius: siquidem constat aliud esse pretium 348.
rei in substantia, vel quantitate, vel qualitate defectuosæ, & aliud rei integræ.

Copia vero, & cætera quæ pendent ex causa fortuito, aut libera hominum voluntate, sunt extrinsecæ conditiones rei venalis; ideoque iustum pretium ipsius non est æstimandũ ex illis, per quas nec in sua bonitate, aut valore naturali, nec in sua substantia vel, quantitate ipsa res mutatur. Per accidens tamen fit, vt ex talibus iustum rei pretium eo nomine pendeat, quod quando in communem hominum notitiam venerint, mutetur æstimatio communis, ex qua determinari debet, quis sit valor, ac iustum pretium rei. Constitutum sit igitur, venditorem debere detegere vitia præsentia quæ sunt in re, non autem commoditates illius extrinsecas. Ideoque Thales, *de quo Aristoteles 1. Polit. capite 7.* minime reprehenditur, quod cum ex astris, aliisque naturalibus causis præuidisset futuram magnam annonæ inopiam, emit pretio præsenti quantam potuit illius copiam, ac deinde vendidit multo carius; cuiusmodi aliquid patriarcham Ioseph fecisse in Ægypto ante attigimus ex cap. 41. Geneseos.

345. EX HAC propositi dubij explicatione, pro praxi infertur primo, eum qui scit legem esse condendam, qua pretium frumenti, aut pecuniarum valor minuetur; posse tuta conscientia vendere frumentum pretio currente, & mutuo dare pecuniam reddendam in valore quem ea tunc habet, non minus quam cæteri possint non habentes talem notitiam, ac quam posset ipse, si eam non haberet. Neque enim consentaneum est ipsum inde fieri deterioris conditionis. Quod si plus frumẽti, aut pecuniæ distraheret ob notitiam futuræ diminutionis, quam esset alioqui distracturus, fraudulenter alliciendo ad emendum, aut mutuo accipiendum, peccabit contra iustitiam, & tenebitur resarcire detrimentum inde acceptum ab iis, qui nisi ea fraude essent inducti, emptionem, aut mutuationem distulissent in aliud tempus, in quo non essent passi tale detrimentum. De qua re plenius Molina *in citata d disputatione 354. à vers. In hoc tamen.* 349.

Infertur secundo, *quod tum idem sub finem eiusdem disput. habet ante solutionem argumentorum, tum Petrus à Nauar l. 3. De rest. cap. 2. num. 81.* non peccare eum qui sciens obsidionẽ 346.

futuram,

futuram, vendit res suas pretio currente, aut qui locat domum suam in vrbe in qua est curia regia, sciens breui inde discessuram: vtitur enim iure suo præferendi proprium commodum alieno, nec impeditur ex parte rei, cui extrinseci sunt tales defectus, nec ex parte cõtractus, quia, *vt supponimus*, fraus, dolus, aut metus non dedit ei causam, nec ex parte pretij, quia, *vt item supponimus*, est iustum secundum legem, aut communem æstimationem.

Infertur tertio, quod vendens pretio currenti librum quem scit prohibitum iri, peccet, nisi præmoneat emptorem de defectu, propter quê prohiberi debet; nã talis defectus est intrinsecus. Infertur quarto, quod habet Nauar. in Enchir. *cap.* 23. *num.* 89. Si quis vendat rem ob hæresim, vel aliud crimen confiscatam, peccare contra iustitiam, si probabiliter credat condemnationem criminis futuram. Nam is quoq; defectus est intrinsecus, ob eumq; exponit emptorem periculo perdendi suum pretium. Quamquam si adeo occultum esset crimen, vt omnino crederetur non esse in iudicio condemnandum, quia cessaret omne eiusmodi periculum, excusationi locus esset, quia cessante causa cesset effectus, Cap. Cum cessante, De appellationibus. Inferuntur quoque alia, de quibus erit similiter iudicandum.

De obligationibus emptoris.

347. PRÆTER obligationes quæ ex dictis colligi possunt, ob reciprocam naturam venditionis, & emptionis; dantur quædam propriæ emptoris. Prima, qua tenetur iustum pretium soluere integrum tempore constituto. Secunda, qua tenetur restituere, si rem minoris emerit quam sit iustum illius pretium. Tertia, qua tenetur præmonere venditorem de pretio iusto rei venditę. Quod aduerte fieri posse dupliciter, vno modo generaliter, videlicet præmonendo rem pluris valere, quam petat, non expresso speciatim illius iusto pretio. Altero modo specialiter, nempe expresse præmonendo quodnam sit iustum pretium.

348. Atq; priore modo præmonuisse sufficit iudicio Caietani in verbo Emptio, sub initium. Et ratio est, quia audiens rem suam valere pluris, quam pro ea petat, nolens cum possit, de iusto pretio inquirere, censetur illud quod plus est, liberaliter donare, si omnis fraus, dolus, & metus absit. Sed minime videtur eidem authori assentiendum in eo, quod ibidê excusat à peccato dicentem ignoranti; ego à te tanti emam gemmam, si tu mihi libere remittas, vel dones si quid pluris valuerit. Nam neutro modo vẽditorem præmonet de iusto pretio rei; cũ id ne quidê in genere sit dicere, tua res pluris valet. Quocirca ex parte vẽditoris, qui per inuincibilem ignorantiam errat in eo quod agit, emptio efficitur inuoluntaria; iuxta tritum illud; Nihil volitum, nisi cognitum.

349. Postremo, emptor si fuerit in culpabili mora pretium soluendi tempore statuto, tenetur perinde ac venditor, tam de leui culpa, quam de lata, & dolo; iuxta legem Custodiã, & legem Si vendita, ff. De periculo, & commodo rei venditæ. Et ratio est, quia talis contractus initur in bonum vtriusque; vnde fit, vt vterque teneatur diligentiam adhibere, quam adhiberet in re sua, immo exactiorem hoc sensu, quod etsi aliquando soleant homines esse negligentes in suis rebus, non ideo tamen possunt esse circa rem venditam.

Aduerte obiter, venditorem si rem ex aliena pecunia suo nomine emat, illam acquirere sibi, nõ ei cuius erant pecuniæ, ex lege Si ex ea, Cod de rei vindicatione. Id quod patitur aliquot exceptiones. Nam emptum ex pecunia Ecclesiæ, est Ecclesiæ, & emptum ex pecunia pupilli, aut minoris à tutore, vel curatore, fit pupilli, aut minoris; ac emptum ab vno coniugum ex pecunia alteri eorum donata, fit eius cuius est eadem pecunia. De quibus videri possunt in verbo Emptio Angelus, §. 12. & Syluester quæst. 22.

CAPVT XXIV.

De periculo, & commodo rei venditæ.

SVMMARIVM.

350 *Statim ac perfecta est venditio, periculum, & commodum rei venditæ pertinet ad emptorem, nisi venditio fit conditionalis aut requirat scripturam.*

351 *Cuius sit periculum rei, cum venditio facta est sub disiunctione, aut indeterminate.*

352 *De qua culpa venditor teneatur, & ad quid, cum fuerit in mora tradendi rem venditam.*

353 *De res venditæ quæ publicatur, & de vendita, quæ consistit in pondere & mensura.*

354 *De res quæ gustari solent.*

355 *De fructibus rei venditæ.*

DE hac re extat titul. 6. in lib. 18. Digestorum, & 48. in lib. 4. Codicis, de eaque nonnulla habent in verbo emptio Angelus, §. 11. & Syluester quæst. 2. & 3. Trademus autem aliquot documenta.

350 PRIMVM est. Regulariter statim atque emptio perfecta est modo proposito in præced. num. 248. periculum, & cõmodum rei venditæ, etiamsi nondum sit tradita, ad emptorem pertinere. Venditorem enim liberum esse ab obligatione; quidquid acciderit absq; dolo, vel culpa ipsius, post perfectam emptionẽ, ex lege Id quod, ff. tit. citato, & lege prima, ac ex lege Cum inter, Codic. titulo item citato: atque ex §. Cũ autem, Institutis de empt. & vendit. Et ratio est quod de iure gentium, deque mente contrahentiũ sit, vt celebrato vẽditionis cõtractu, res vẽdita sit emptoris, cũ suis cuentibus. Dixi *regulariter*; quia multi dantur casus in quibus id patitur exceptionẽ, prout sequentia documẽta indicabunt.

SECVNDVM est igitur. Cum venditio non fuit pure contracta, sed sub conditione, si res pereat pendente in futurum conditione, periculum illius esse venditoris, non emptoris; ex lege Necessario, ff. eod. tit. vbi ratio tangitur; quod emptio, sicut & stipulatio, facta sub conditione, extinguatur si res pereat pendente conditione. Vbi additur etiam, quo si res non pereat quidem pendente conditione, deterior tamen fiat, damnum erit emptoris, & per consequens erit & commodum, si melioretur.

TERTIVM est. Si venditio fiat in scriptis, periculum ad venditorem ante scripturam perfectam spectare: cũ neuter agere possit aduersus alterum, donec ea perficiatur; ex lege Contractus, ff. De fide instrumentorum. Quod quidem, *vt Angelus & Sylu. admoneni* intelligendum est, cum inter ipsos conuenit, vt contractus non ante valeat quam scriptura sit perfecta; ex lege Cum res, Cod. De probationib. Secus est enim, contractus ab initio simpliciter fiat, & postea ad probationem scriptura conficiatur; ex lege Contrahitur, ff. De pignoribus. Porro scriptura intelligitur esse perfecta, si contrahentibus recitata, lectaue fuerit, ac vtriusque probata; ex citata lege Contractus.

351 QVARTVM est. Si venditio sit sub alternatione seu disiunctione, v.g. vendo tibi hunc, vel illum equum meum: si vnus eorumdem equorum perierit, tenebitur venditor alterum dare; quia primus periit ipsi. sin vterque perierit, emptor tenebitur posterioris pretium soluere: aut si vterque simul perierit, pretium soluere illius ex duobus quem voluerit: sicut venditor potuit ex duobus superstitibus dare eum quem voluit; ex lege Si in emptione, §. penult. ff. De contrahenda emptione.

QVINTVM docum. est. Si aliquid venditum est indeterminate, vt tot mensuræ tritici, aut olei, aut tot oues, non designando in individuo quas oues; tunc si illa pereant ex quibus venditor soluere decreuerat: aut sic deteriorentur, vt non habeant qualitates eas cum quibus emi intelligebantur, venditori ipsi, non autẽ emptori perire, vel deteriorari. Ratio est, quoniam emptor per talem contractum nullam rem in singulari comparauit sibi; sed solum obtinuit vt traderetur sibi res talis speciei, & qualitatis; neque venditor vllam præcise in particulari tenebatur ei dare: sed aliquam indefinite. Vnde fit, vt quæcumque res illius speciei pereat apud venditorem, pereat ipsi, non autem emptori. Idque est, quod Iurisperiti aiunt, genus perire non posse: argumento textus in lege Incendium, Cod. Si certum petatur. Aduerte tamen, si illud quod ita debetur in genere quoad valorem varietur, cõmodum & incõmodũ inde resultans pertinere ad emptorem, vt colligitur ex Cap. Nauiganti De vsuris.

Aduerte etiam ex Sylu. *in cit. quæst.* 3 documentum istud non procedere, quando genus non est determinatum, seu quando venditur certum, de incertis: vt vendo tibi decem sextaria ex hoc dolio, & vnum asinum ex iis quos possideo. Si enim totum quod est in dolio effundatur, aut omnes

asini mei pereant, sine dolo aut culpa mea, teneberis ad pretium 10. sextariorum & vnius asini, necdum solutum poteto repetere. Ratio est quia tunc venditio est rei certæ, & vt Iurisperiti vocant, in specie, vel vt Philosophi, in indiuiduo; cuius perfectæ ea vis est, vt vnus contrahentium tanquam emptor pro pretio acquirat ius, quo venditor teneatur in illum transferre dominium eius de quo perfecta est. Sed tamen, quia saltem virtualiter (idem enim valet, vendo tibi vnum ex asinis, quos possideo, ac vendo tibi hunc vel illum, aut 3. vel 4. &c. asinum quem possideo) si incerta illa pereant tantùmodo in parte: itaut supersint quæ emptori tradantur, debebunt ei tradi, iuxta præcedens documentum: vt si venditor domi habeat duos asinos, vnusque moriatur, tradat alterum. Similiter si vini dolium effusum sit bona ex parte, tradet ex residuo decem sextaria, & sic de similibus.

352. SEXTVM documentum est. Ex natura huius contractus venditorem teneri tantum de culpa lata, & leui: non autem de leuissima, aut casu fortuito; ex lege Quod sæpe, §. Si res, ff. De contrahenda emptione; & ex lege Si vendita, ff. De periculo, & commodo rei venditæ: potest tamen ex pacto speciali omne periculum, etiam casus fortuiti, de quo specialiter conuentum fuerit, ad ipsum pertinere; ex lege Si in venditione, ff. De periculo & commodo rei venditæ.

SEPTIMVM documentum est. Si vēditor fuerit in mora tradendi rem venditā, etiam si ea casu fortuito pereat, aut deterioretur, illi perire, aut deteriorari, ex lege Cum res, ff. De legatis 1. §. finali. Quanquam ex Sylu. *in præced. quæst. 2. dicto 9.* si eodem modo erat peritura apud emptorem, tunc in foro conscientiæ eidem periret; itaut illud tantum procedat, quoad forum externum: sin autem emptor fuerit in mora, atque causa ne res vendita ei traderetur, periculum pertinere ad ipsum, ex lege Lectos, & lege Illud sciendum est, ff. De periculo, & commodo rei venditæ. Sin demū tam emptor, quam venditor in mora fuerint, posteriorem moram nocere ei, id est, periculum esse illius qui posterior fuerit in mora, ex tit. lege Illud sciendum est. Nempe si post moram venditoris, emptor sit in mora recipiendi rem emptam: vtpote recusans, aut negligens accipere oblatum sibi à venditore; tunc illi, non huic eam perire. Excipe ex Angelo & Sylu. citatis, nisi posterioris moræ prior morosus causa fuerit. Quia sic illa non nocebit posteriori morosо.

353. OCTAVVM documentum est. Si res vendita publicetur propter delictum venditoris, eam non perire emptori absolute; quia restituendum est illi pretium, si iam soluit, ex lege Si fundus, ff. Locati.

NONVM est. Siid quod absolute, non autem conditionaliter venditum est, consistat in pondere, aut mensura, distinguendum esse. Nam siue gustari soleant, *vt vinum, cinamomum, & quædam alia*: siue non soleant, *vt trit cum, massa auri, aliaque multa*, duobus modis vendi possunt: altero, ad pondus vel mensuram, vt si dicatur, vendo tibi hoc dolium vini tanto pretio pro vnaquaque amphora, aut vendo tibi aceruum tritici tanto pretio pro vnoquoque modio, aut hoc cinamomum tanto pretio pro qualibet libra. Altero modo, non ad pondus vel mensuram, sed vendendo certo pretio totum aliquid designatum in particulari, vt totum vinum quod est in aliquo dolio pro certo aliquo pretio. Si ergo quæ consistunt in pondere, aut mēsura, sint posteriori modo vendita, eo ipso quod celebratus est contractus, periculū pertinet ad emptorem, *nisi venditor illud in se susceperisset*, quia tunc censetur res vendita in indiuiduo omnino determinato. Quinimo si nullus esset constitutus terminis in quo traditio fieri deberet, & venditor in se susceperisset periculum rei ea ratione venditæ, hoc ipso, quod emptor gustaret talem rem, si ipsa sit de numero earum quæ gustari solent; periculum illius pertinet ad eumdem emptorem: de quo in seq. docum. 11. Quanquam custodia semper ad venditorem pertinebit, nisi aliud conuentum sit, ideoque si ipsius lata, aut leui culpa res pereat, illi peribit. Habentur hæc ex lege Quod sæpe, §. In his, ff. De contrahenda venditione & ex lege 2. Cod. De periculo. & commodo rei venditæ, iuncta lege 1. in principio, ff. eod. tit.

Sin autem ea quę consistunt in pondere & mensura, vendantur priori modo, constituto scilicet in pondus aut mensuram eorum pretio (quod idem iudicium est de iis quæ in numero consistunt, si vendantur constituto in numerum eorum pretio: vt si grex arietum, aut armentum boum vendantur certo aliquo pretio pro quolibet ariete, aut boue) tunc post mensurationem, ponderationem, aut numerationem periculum pertinet ad emptorem: ante vero ad venditorem, nisi interuenerit rei venditæ traditio (qua illius dominium transferri docebitur in sequen. ca. 16.) quemadmodum ex communi Doctorum sententia Couarr. notat *in lib. practicarum resolut. cap. 3. num. 6.* qui toto eod. cap. recte persequitur quæ pertinet ad istiusmodi venditionem, quæ fit in mensura, quem, si lubet, consule.

354. Aduerte vero, quod si de communi consensu à venditore & emptore aliquis terminus constitutus fuerit, in quo res vendita mensuranda esset, vel ponderanda, vel numeranda, vel etiam degustanda, *si de numero sit earum quæ gustantur*, atque per emptorem steterit quominus reipsa id præstitum sit, periculū deinceps ad ipsum pertinere: nec venditorem teneri nisi de dolo, aut lata culpa, ex lege Si quis, & lege Si per emptorem, ff. De periculo, & commodo rei venditæ.

DECIMVM documentum est. Si venditor aliquid de bonitate vini affirmauit, per quod emptor sibi persuaserit illud in eadem duraturum, & ante traditionem vitietur periculum esse eiusdem venditoris, etiamsi facta sit venditio certæ rei, seu in indiuiduo. Quod pariter dicendum est, si vēditor sciebat vinum nō duraturum, nec admonuit emptorem, ad quem periculum illius iam pertinebat: tunc enim iuxta antedicta cap. 23. venditor tenebitur emptori quanti eius interest admonitum fuisse. 356.

VNDECIMVM documentum est. In rebus quæ degustari solent, distinguendum esse: vel enim quoad periculum specialiter conuenit inter contrahentes, vt ipsum pertineat ad venditorem, vel contra ad emptorem: & tunc eatenus siue hic, siue ille ipsum sustinebit, quatenus conuentum fuerit: vel certe non conuenit; & tunc vsque ad degustationem periculum erit venditoris; post vero emptoris, quia per degustationem censetur perfecta vini emptio & venditio. Vnde si vina non sint degustata, quantumcumque signata iam sint dolia ab emptore, adhuc periculum erit venditoris, nisi aliud inter eos conuenerit, ex leg. 1. & lege Si quis vina, ff. De periculo, & commodo rei venditæ.

DVODECIMVM documentū est, *de quo Couar. lib. 1. var. resolutio. cap. 15.* esse potest de fructibus rei venditæ: eos qui nascuntur post perfectam venditionem, esse emptoris, adeo ut si venditor moram fecerit in tradenda re vendita, nō tantum perceptos, sed etiam eos qui percipi poterant, præstare teneatur, iuxta legem Si res, & legem Si sterilis, §. Cum per venditorem, ff. De actionib. empti & venditi. Et probatur, quia res debet illi fructificare, cum illi pereat, aut deterioretur, iuxta 1. documentum. Neque esset æquitati consentaneum illos accipi à venditore, si quidem inæqualis esset contrahentium cognitio: quia vēditor esset extra omne periculum, & emptor exponeretur periculo, vnde si ille cū hoc paciscatur vt fructus sibi tradantur, quandiu pretium non fuerit solutum, debet simul suscipere in se rei periculum, si contigerit eam perire, aut deteriorari. Nam ei non debentur ob nō solutū pretium quoniā ea mora, perinde ac alia iniusta detentio, inducit tantum obligationē vltra capitale, soluendi interesse, quod si nullum interueniat, non possunt alia de causa accipi, quam dilatæ solutionis, in quo committitur vsura. Videri possunt Sylu. *v. usura 2, quæst. 11.* & Petrus à Nauar. *De restitutione lib. 3. cap. 2. n. 152. & aliquot sequentibus.* 357.

PORRO fructus pendentes tēpore venditionis, emptori debentur, nisi aliter conuentum fuerit, ex lege Iulianus, § Si fructibus, ff. De actionibus empti. Ratio est, quia fructus tunc rei cohærentes censentur pars illius, ex lege Fructus pendentes, ff. De rei vindicatione: vnde censentur emi cū re: ideoque emptori deberi, perinde ac ipsam rem, fructus autē separati tēpore venditionis, sunt venditoris, ex lege 2. C. De emptionib. empti & venditi: vt ligna cæsa, & cęteri fructus à solo separati & nondū à venditore ipso collecti. Itē accessiones, & partus rei venditæ, & pensiones ex locatione animalium, vel domorum, vel ex operis mancipiorum post factam venditionē, sunt emptoris: cui etiā cedendæ sunt actiones. De his enim, & similibus idē dicendum est ac de fructibus agri iam maturis, prout habetur Digestis de actio- 358.

nibus

nibus empti & venditi, lege Iulianus, §. 1. his verbis: Si fructibus iam maturis ager distractus sit, etiam fructus emptori cedere, nisi aliud conuenit, exploratum est. Adhæc, si equus venditur, intelliguntur vendita ornamenta quib. ornatur tempore venditionis, iuxta legem Ædiles 2. ff. De ædilitiis edictis, §. vendendi

CAPVT XXV.

De actionibus quæ nascuntur ex emptione, & venditione.

SVMMARIVM

356 *Actio quædam est ex empto, & quædam ex vendito: ac quid vtraque sit.*
357 *Quatenus venditor emptori teneatur de euictione.*
358 *Actio redhibitoria, & actio quanto minoris locum habent tantum quoad forum externum.*
359 *Varij casus in quibus quis cogi potest ad vendendam rem propriam.*

356. DVæ sunt istiusmodi actiones; vna quæ dicitur actio ex empto, & altera quæ dicitur actio ex vendito: hæc competit venditori ad consequenda ea quæ emptor debet præstare: in eamque veniunt damna, & incommoda quæ venditor passus fuerit ex emptoris mora, & culpa non soluti pretij. Illa vero competit emptori aduersus venditorem, vt tradat rem venditam corpoream cum fructibus, vel accessionibus eiusdem: vel vt quasi tradat rem incorpoream emptam, hoc est, censum, vsumfructum, ius, vel actionem, aliudve cæterorum quæ in iure dicuntur quasi tradi, & quasi possideri.

Complectitur autem talis actio alias quatuor. Primam, de euictione. Si n. venditor non fuit dominus rei venditæ, & res euincatur, id est, à domino per legitimã probationẽ in iudicio vindicetur, emptor habet actionem contra venditorem, vt pretium sibi restituat. Secunda, quę redhibitoria ideo dicitur, q̃ instituatur ad rehabendũ pretium datũ. Et est, qua emptor intra sex menses à die celebrati cõtractus agit ad rescindendum contractum: si vendita sit res habens vitium occultum, quo cognito empta non esset. Tertiam, quæ ex eo dicitur quanto minoris, quod instituatur ad obtinendum à venditore, quanto minoris emptor emisset, si cognouisset vitium rei quam ille vendidit. Et est quæ emptori conceditur per spatium vnius anni á die celebrati contractus ad repetendum à venditore in foro externo quanto minoris rem venditam vitiosam erat empturus, si vitium sciuisset. Quartam demum, quam præscriptis verbis actionem vocant. Et est qua si venditor pacta adiecta venditioni non seruauerit, emptor contra eum agit vt is illa impleat.

357. Circa actionem autẽ de euictione aduerte cum Sylu. *in verbo Emptio, q. 25. ex glossa, & Panor. ad Cap. finale, De emptione & venditione*; venditorem ita teneri emptori de euictione, vt si monitus non defendat ipsum, teneatur ad omnes expensas quas idẽ emptor fecerit in iudicio: siue causam obtinuerit, siue non; exceptis tamen tribus casibus quos vide in præced. 14. dubit. 1. propos. 2. Aduerte etiam ex eodem Sylu. *in sequen. q. 26.* etiamsi venditor fecerit pactum, quod de euictione non teneatur; ipsum nihilominus *iuxta legem Ex empto, ff. De actionibus empti, & venditi*, ad pretium teneri re euicta: si quidem generaliter sit facta pactio: puta dicendo, à quocumque euincatur res: non item si sit specialiter facta, seu cum conditione, si res euincatur à certa persona, vel in certa causa: quia tunc venditor ipsa re euicta, non tenebitur ad restituendum pretium; ex lege Qui libertatis, in principio, ff. De euictionibus, iuncta glossa ibid.

358. Circa actionem redhibitoriam vero, & actionem quãto minoris, aduerte, leges quibus conceduntur, relatas à Lud. Molina *in supe citato tract. 2. disput. 353. concl. 2.* non habere locum in conscientia, ea ex parte qua tantummodo spatiũ sex mensium, aut vnius anni concedunt emptori decepto, ad seruandum se indemnem: quia ex ipsa rei natura venditor obligatur tali indemnitati consulere, aut per reciffionem contractus, aut per augmentum pretij, quantum requiritur, vt hoc censeatur iustum: contra quam obligationem statuere tam exiguum tempus præscribendi, durum est. & quod approbare ratio refugit.

Hvc revocari potest dubium, an aliquãdo possit quis cogi rẽ suã vendere? quod tractatur á Sylu. *in verbo Emptio, quæst. 5.* à Couarr. *lib. 3. var. resolut. cap. 14.* & à Molina *in eodem. tractat. 2. disput. 341.* Respondendum vero est, de iure communi neminem cogendum esse rem suam vendere, ex lege Inuitũ, Cod. De contrahenda empt. & vendit.

Excipiuntur tamen aliquot casus. Primus est, quãdo quis habet seruum communem cum aliis tunc enim potest eum manumittere inuitis sociis, si det partem pretij ipsis debitam, lege 1. Cod. De communi seruo manumisso. Secundus est quando quis habet prædium commune cum fratre, si frater vendiderit partem suam; alter potest contra emptorẽ agere eo modo quo traditur in lege 1. & in lege Ad officium, Cod. De communi diuidundo; quod explicandum relinquimus Iurisconsultis, quorũ est propriũ. Tertius est, quando quis habet plus iuris in re: tunc enim si is qui minus iuris habet, vendat; cogetur vendere eidẽ, ex lege Sancimus, §. Ne autẽ, Cod. De donationibus. Quartus est, cum quis, rem ad victum pertinentem, venum publice exposuerit, cogitur eam vendere. Similiter qui publice officium aduocationis suscepit; officio Iudicis cogi potest præstare patrocinium litigantibus; dummodo ei congrua stipendia ministrentur, etiamsi non habeat publica. Item caupo, & stabularius, qui officium tale publice suscepit, potest officio Iudicis cogi ad hospites excipiendos, pro iusto pretio. Ita habet loco cit. n. 1. Couar. Quintus est, quod ratione publicę necessitatis, & indigentiæ possit quis cogi ad rem suam vendendã, etiamsi nõ exposuerit venalem; de qua re Couar. in seq. n. tertio. Sextus est, quod cum est annonæ caritas, ciues cogi possunt frumentum ex agris ciuitatis collectum, ciuibus & oppidanis vendere, non tamen exteris: itaut detur facultas ciuibus frumentum exteris venditum retrahere eod. pretio oblato. De qua re idem author pluribus in seq. n. 6. Quin etiam ratione talis necessitatis, edicto Prætorum solet frumentum cuiusque inscribi, vt habeat quod sibi, & suæ familiæ necessarium est, quodque supereſt, teneatur vendere, vt alij habeant quod seminent, vel quod manducent; de quo etiam idem author ibid. Septimus est, quod ratione pietatis publicæ statuatur, vt merces, & res ad victum necessariæ, eodem pretio vendantur peregrinis & hospitibus cæteris, quo publice incolis venduntur, iuxta cap. 1. De empt. & vendi. Octauus est, quod ratione religionis, dominus omnino compellatur vendere agrum aut domum propriam, si iis sit opus ad constructionem vel amplificationem alicuius Ecclesiæ, aut Monasterij. De hoc Couar. late in eodem cap. 14. n. 7. & 8. vbi & addit inter cæterea notatu digna, *& post eum Molina in citata disput.* quod iure prohibitum sit priuatum ædificium sic attolli, vt ex eo videri possint Religiosi, aut Religiosæ intra proprias domos religiose habitantes. Nonus, *quem idem Couar. attingit in eodem n. 8.* quod ad vendendum agrum vel domum possit etiam quis compelli ratione publicæ vtilitatis; puta viæ sternendæ, reficiendę, muniendę fori extruendi, vel ampliandi. Qua etiam ratione incolæ & ciues triticum quod Respub. emit, ne illi egestate premerentur, cogi possunt emere eodem pretio, *licet caro*, quo ipsa emit. Nam in illorum bonum emit, ipsaque potest se indemnem seruare. Similiter iidem cogi possunt ad emenda arma quæ Respub. emit, & illis distribuit ad ipsius defensionem imminente bello periculoso.

CAPVT XXVI.

De perfectione emptionis, ac eiusdem rescissione.

SVMMARIVM.

360 *Duo modi quibus venditio perficitur.*
361 *Tria requisita vt venditio sit perfecta sufficienter ad transferendum dominium.*
362 *Quando censenda sit venditio perfecta sine translatione domini.*
363 *Quid arrhæ conferant ad perficiendam venditionem.*
364 *Quid sit agendum cum res vendita est duobus.*
365 *Quid specialiter cum venditio fuerit iurata.*
366 *Quid cum vtraque venditio fuerit eiusdem modi.*

67 *Sextuplex error contrahentium, ratione cuius contractus venditionis, & emptionis rescindi potest.*

368 *Aliæ causæ ob quas adhuc potest idem rescindi.*

360. EMPTIONIS & venditionis perfectio dupliciter spectatur: vno enim modo perfecta dicitur, quãdo dominiũ rei venditæ ad emptorem transfertur. Altero vero modo, quãdo periculũ, & cõmodũ rei venditæ transit & pertinet ad emptorem, licet venditor sit adhuc rei dominus.

161. Atque de perfectione prioris modi notandum est eã requirere tria. Primum est, vt vẽditio facta sit cõmuni cõsensu. Secundum, vt pretium sit solutum vẽditori, aut sit ipsi satisfactum: siue quod emptor fideiussorem, aut pignus dederit; siue quod ei fides habita sit de pretio soluẽdo, ex lege Quod venditi, ff. De contrahenda emptione. Tertium est, vt res vendita sit emptori tradita, Instit. tit. De rerum diuisione. § per traditionem, & §. venditæ: & Cod. De pactis, lege Traditionibus. Aliquando tamen iure quodam singulari ex solo contractu sine traditione, transfertur dominium rei. Sic enim ex priuilegio, in Ecclesiam vel ciuitatem dominium transfertur absque rei traditione, prout iuxta legem vlt. Cod. de SS. Ecclesiis, notat Couar. *lib. 2. resolut. cap. 19. n. 2.* Aliquando etiam solent esse statuta, vel dominium rei venditæ non intelligatur translatum, donec pretium persolutum sit venditori: etiamsi res sit emptori tradita, & de pretio ipso fides habita.

362. DE PERFECTIONE autem posterioris modi notandum est primo, quando apparet de pretio, & de eo quod venditum est, quid, quale, & quantum sit: atque pure facta est venditio, tunc (*quemadmodum habitum est initio præcedentis capitis* 24.) periculum, & commodum rei venditæ transire & pertinere ad emptorem, quantumuis res non sit tradita, nec venditor adhuc sit illius dominus. Et ita venditio perfecta accipitur in lege Necessario, ff. De periculo, & commodo rei venditæ. Notandum est 2. venditionem eo ipso quod contrahentes in rem & in pretium consentiunt, sic perfici, vt neutri eorum liceat in conscientia altero inuito ab illa recedere: liceat autem de mutuo vtriusque consensu.

Notanda sunt tertio tria documenta, quæ Molina tractat *in eodem tract. 2. disput.* 337. quorum primum est nõ censeri venditionem perfectam, in qua pretium reiicitur in arbitrium personæ designatæ, quia tale pretium nullum est, quousque á tertia illa persona definiatur. Secundum est, perfectam censeri venditionem factam hoc modo: Si vsque ad talem diem debitum non solueris, pignus tuum maneat vẽditum pretio, prout prudens arbitratus fuerit, iusto. Ita habetur ex lege Si fundus, §. vltimo, ff. De pignoribus. Tertium est, ad hoc vt tum venditio, tum emptio censeatur perfecta, quando certum pretium statuitur tantum in relatione ad aliud (v g. dicendo; Emo à te hanc rem, quanti eam emisti, aut quanti illam emit, qui tibi eam donauit, aut pro pecunia quam habes in marsupio) requiri vt illud aliud sit quid verum, nec tantum imaginarium: nempe v. g. vt venditor rem, de qua agitur, aut ille qui eam donauit, emerit certo pretio: aut emptor certam pecuniæ summam habeat in marsupio. Nam si nihil tale sit reuera, contractus est nullus, tanquam factus nullo statuto pretio. Ad quod faciunt lex Hæc venditio, §. Huiusmodi, & lex Si quis fundum, ff. De contrahenda emptione.

363. Notandum est quarto, in perficienda eiusdem modi emptione & venditione, solere dari arrhas; idque dupliciter, vno modo in venditionis tantummodo signum & probationẽ; vt fit maxime, cum non datur pecunia, sed annulus, aut aliud eiusmodi. Altero modo nõ tantum in signum, sed etiam in partem pretii. Atque de iure communi, quando arrhę dantur solummodo in signum, is per quem stat ne contractus perficiatur, si eas dedit, illas perdit, alter vero tenetur in duplũ. Quãdo autem dantur in partem pretii, vnus non potest à contractu emptionis recedere sine alterius consensu: quia cũ pars pretii soluta sit in arrhis datis, res nõ est amplius integra. Hæc Sylu. habet in verbo Arrha n. 1. & 2. citatis legibus ciuilibus. Cui addendum, est esse videndum quid sit cõmuni vsu receptum in ea re, aut quid intentum à contrahẽtibus. Nonnulla alia quæ habet Molina in seq. disput. 338. Iuisperitis relinquere possumus tanquam ipsorum propria.

De venditione facta duobus.

364. RESTAT monendum, quod ex proposita doctrina possit iudicari quid agendum sit, cum res duobus, seu bis vendita fuerit. Quando enim prior vẽditio fuit perfecta priore modo, seu ita, vt in priorem emptorem translatum sit dominium, ipsi priori danda est res vendita & à posteriore auferenda. Quando autem venditio perfecta fuit tantum posteriore modo, res est relinquẽda posteriori emptori, si illa acquisierit venditione priore modo perfecta, acquirẽdo ve rei venditę dominium. Ita habetur ex lege Quoties, Cod. De rei vendicatione, & ex lege Traditionibus, Cod De pactis: lateque tractat Couar. in citato cap. 19. vbi n. 2. excipit casum in quo venditio fuerit posteriore modo facta Ecclesiæ, aut ciuitati. Cum enim per eam fiat translatio dominii, vt n. 361. diximus, per subsequentem prioris modi illud acquiri non poterit. Excipit item in seq. n. 7. casum in quo per venditionem posterioris modi, res vendita, hypothecata fuit emptori in securitatem contractus: tunc enim secundus emptor nõ potest per traditionem dominium acquirere eiusdem rei; ex lege Si creditor, §. finali, ff. De distract. pignorum. Et ratio est, quia is qui pignus habet, debet simplici creditori præferri in ipso pignore.

365. Aduerte autem ex eod. Couar. in Epitome 4. decretalium par. 1. cap. 5. nu. 9. & 10. quod venditio facta posteriore modo, seu absque translatione dominii, fuerit iurata, non obstare quin subsequens facta priore modo, seu cum translatione dominii valeat: itaut ab emptore posteriore res ei tradita, nequeat auferri, quia inde effici quidẽ potest, vt peiurus sit venditor, non tamen vt à posteriore emptore possit rem venditam auferre, & priori tradere: nisi forte iple posterior eundem venditorem induxerit ad vendendam sibi eam quam probe sciuit iam venditam esse, in quo casu, tanquam dans causam damni quod alter inde patitur iniuste, tenebitur illud resarcire tanquam ad id obligatus ex iniusta acceptione. De eo autem qui iurauit se rem suam Titio venditurum, & postea vendit Caio, addit idem Couar, obligari eiusdem rei traditionẽ facere Titio propter iurammentum ei præstitum. Atque istud quod dicitur de venditione facta duobus, paribus ex citata lege Quoties.

366. Porro cum vtraque venditio fuerit posterioris modi, res tradenda est priori emptori: quia ex regula 54. iuris in 6. qui prior est tempore, *saltem in pari causa*, potior est iure. Similiter si vterque emptor asserat se emisse priore modo, nec de veritate possit constare: ob eamdem rationem tradenda est priori, nisi forte posterior numerauerit pretium, prior vero minime: quod aliis citatis habet Couar. loco cit. n. 6. Et ratio est, quia merito creditur rei traditionem ei factam fuisse potius, quam illi qui non soluit pretium.

De rescissione contractus venditionis & emptionis.

366. TITULUS habetur tam Digestis lib. 18. quam Codice lib. 4. De rescindenda venditione. Debet vero venditio rescindi, primo, ratione erroris, ac dissensus contrahẽtiũ: qui quidem error sextuplex esse potest. Primus, quo erratum est in pretio: tunc enim in conscientia vel rescindi debet venditio, vel ab emptore suppleri quod deest ad iustum pretium, vel à venditore quod abundantius est, restitui enim postulat æquitas seruanda ex iustitia. Secundus est, quo erratum est in contractu, vt cum existimaui me vendere, tu vero putasti me tibi donare rem meam, non enim valet tunc vẽditio, ex lege Si ego 1. ff. De rebus. creditis. Tertius est, quo erratur in corpore, vt si putaui me vendere tibi fundum meum Sempronianum, & tu credis te emere Cornelianum, vt habetur ex initio legis In venditionibus, ff. De contrahenda emptione. Quod si error tantum esset in nomine, & de corpore constaret, nihil esset cur venditio non valeret, ex ead. lege, §. 1. Quartus, quo erratur in qualitate, aut materia, vt si quod tempore venditionis est acetum, pro vino, vel æs pro auro, vel stannum pro argento distrahatur. Nam tunc, sicut & alias, quoties erratur in materia, nulla est venditio, ex ead. lege, §. 2. Quintus est, quo erratur in sexu, vt si quis putet se vendere equam, & tu putas te emere equum,

ex lege

quam emptore ignorante, ex lege Domum, §. finali, ff. eodem adhuc titulo. In quibus omnibus casibus, non tantum in externo, sed etiam in interno foro venditio nulla est, ex defectu scilicet consensus tam veri, quam debiti.

368. Rescindi secundo debet venditio ratione violentiæ: quia venditio per violentiam facta, tanquam inuoluntaria, est in vtroque foro nulla. Debet tertio rescindi ratione metus illati; non tamen quod sit ipso iure irrita, sed quod officio Iudicis irritari debeat in foro externo, in quo actio, Quod metus causa, datur contra eum qui incussit metum. Debet quarto ratione ætatis rescindi authoritate Iudicis; nam pupillis, ac minoribus, *vt & Ecclesiis, ac ciuitatibus*, solet in iudicio concedi restitutio bonorum alienatorum. Debet quinto rescindi ratione solemnitatis in alienando omissæ. Vide dicta in præced. cap. 7. sect. 1. ad intelligendum qua ratione id accipi debeat. Debet sexto rescindi ratione pacti non seruati, si venditio non erat alias perficienda. Nam sic ea censenda est inuoluntaria. Debet denique ratione conditionis non adimpletæ, quia venditio contracta sub conditione, imperfecta est, donec conditio ipsa impleatur.

TRACTATVS IV.

De societate.

QVONIAM mutuum vsurarium velari solet maxime contractu societatis, idemque contractus magnum habet vsum in negotiatione, quæ perficitur emptionib. & venditionibus; tractationem eius præcedentibus proxime subiiciemus. Atque de societate in iure ciuili libro 17. Digestorum, & lib. 4. Codicis titulus extat, qui dicitur Pro socio, ac in lib. 3. Institut. qui dicitur, De societate. De eadem vero præter eiusdem iuris interpretes, & Canonistas ad cap. Per vestras, De donationibus inter virum, & vxorem, ac Summularios in verbo Societas, & in verbo Vsura, agunt tum Sotus in lib. 6. D. iust. & iure quæst. 6. Nauarr. in Enchir. cap. 17. n. 251. & in conuent. De vsuris, num. 32. & aliquot sequentibus, Conradus De contractibus, quæst. 97. Couar. in lib. 3. var. resolut. cap. 2. tum post ipsos, plerique recentiores, vt Gregorius Valentia 2.2 disput. 5 quæst. 24. Petrus à Nauar. in lib. 3. De rest. cap. 2. à num. 436. vsque ad finem, Ludouicus Molina de iust. & iure tract. 1. disput 411. ac nonnullis sequentibus, aliique. Dicemus vero primo de illa in genere. Secundo, de illius multiplici varietate. Tertio, de ea in specie, vt est circa negotiationem. Quarto, de ea, vt est circa animalia.

CAPVT XXVII.

De societate in genere.

SVMMARIVM.

369 *Quid sit societas & quod debeat esse saltem duorum.*

370 *Ad eam pertinet conuentio contribuendi, per quam potest fine rei traditione, aut scriptura.*

371 *Pertinet item, vt quisque sociorum aliquid, aut aliqua contribuat.*

372 *Pertinet adhuc, vt eadem contributio fiat ad commune lucrum sociorum, & quod interdum sic fiat, vt constituat, non societatis, sed locationis contractum.*

373 *Vsurarium non est, quando pecuniam contribuens ex ea lucretur, nulla apposita sua industria.*

374 *Socius dans causam damni in societate, quatenus teneatur ad illud resarciendum.*

375 *Quinque modi quibus contractus societatis finitur.*

369. QVID SIT, societas, non omnes eodem modo explicant, vt patet ex Nauar. in citato num. 251. Sylu. in verbo Peculium 2. quæst. 1. Soto in citata quæst. 6. art. 1. sed varietas tantum est in verbis, quibus indicare volunt, naturam societatis consistere in duorum, vel plurimum conuentione contribuendi aliquid, vel aliqua ad commune lucrum.

Vbi aduerte ad societatem pertinere, vt sit duorum vel plurium, quia vnus solus non contrahit societatem, sed duo, aut plures inter se, qui vt ad id sint idonei, ex Sylu. *in sequenti, quæst. 2.* requiritur, vt possint se obligare, & contrahere. Quod quidem non possunt ij, qui donare prohibentur, nempe ex eodem Sylu. *in verbo 1. Donatio 1. quæst. 1* Primo quidem mentis impos. Secundo, prodigus cui datus est curator, vel alienatio interdicta est. Tertio, minor 25. annis, nisi post eosdem expletos, etiam habuerit à se factam donationem. Quarto seruus, & Religiosus, atque alij qui nihil proprij habent. Quinto, vxor. Sexto, ij quibus alienatio est interdicta legibus, vt hæretici, & rei criminis læsæ Maiestatis. Septimo, illi quorum bona sunt confiscata. Octauo, non domini rei dandæ. Nono, is qui non est soluendo creditoribus. Videndum est cap. nonum huius libri.

370. ADVERTE secundo, ad societatem pertinere, vt sit cõuentio cõtribuendi, aliter enim contracta conuentio, etiãsi nomine societatis significetur (vt videre est apud Sylu. ipsum *in verbo Peculium 2. quæst. 3. & sequentibus*) non pertinet ad hunc tractatum, vt ex eo confirmatur; quod si vna res legata fuerit duobus, vel si hæreditas pluribus communiter contigerit, vel eadem res à duobus empta fuerit, non competat actio, quæ in iure dicitur Pro socio, ex lege Vt sit, ff. Pro socio. Quod satis ostendit, tales communicationes non habere veram societatis rationem. Potest vero conuentio cõtribuendi solo contrahẽtium mutuo cõsensu fieri ad hoc sufficienter vt societas perfecta sit absque rei traditione, aut scriptura aliaue solemnitate publica; adeout celebrari possit, non solum inter præsentes, sed etiam inter absentes per epistolam, aut internuntium. Pro quo est textus satis expressus in lib. 3. Institut. tit. De obligationibus ex consensu, & deducitur ex lege Societatem, ff. Pro socio.

371. ADVERTE tertio, ad societatem quoque pertinere, vt quisque contrahentium, *qui socij dicuntur*, aliquid, vel aliqua contribuat. Quod sic intelligendum est. In societatem conferri possunt. Primo, pecunia, vel alia res æstimabilis pecunia, vt vinum, frumentum, animalia, &c. Secundo, opera, vt labor nauigandi in exteras regiones, emendi, vendendi, ac portandi merces. Tertio, industria, qualis est negotiandi; consistens potissimum in his, vt scilicet videatur in quibus mercibus emendis pecuniæ sint expendendæ; vndenam illæ petendæ, & quando, & à quib. emendæ sint, quonam pacto cõseruandæ, quibus, & quo loco distrahẽdæ. Adde, diligentiam adhibendam esse in seruanda ratione dati, & accepti, & in faciendis expensis, seu sumptibus moderatis. Cum autem hæc ita sint; propositorum verborum sensus est: Societatem perfici, siue quis tantum vnum ex memoratis contribuat, vt tantum pecuniam, vel animalia tantum, vel operam tantum; siue contribuat simul plura ex eis. vt quando multi mercatores conferunt in commune suas pecunias, vt ex eis communi opera emptas merces ex æquo diuidant inter se, aut multi eiusdem officij, & artis, & pecuniam, & operas, ac industrias conferunt ad aliquod opus, vt multi piscatores ad aliquam piscationem, multi agricolæ ad alicuius agri culturam, multi pastores ad custodiam alicuius gregis.

372. ADVERTE quarto, ad societatem adhuc pertinere, vt dicta contributio fiat ad cõmune lucrum sociorum. Nam, si quis animalia tradat alicui ad custodiam, aut pecuniam ad negotiationem cum hac conditione, vt totum lucrum sit tradentis, & alius certum stipendium pro operis positis accipiat; non erit tunc societas, sed locatio operarum, ex parte eius qui illas apponit; & conductio ex parte eius qui dat stipendium; siquidem hoc detur in pecunia. Quod addo, quia erit alioqui contractus innominatus, non absimilis locationi, prout declaratur cum de locatione ipsa agitur. Quod si ei qui industriam, & operas est posiurus, decerneretur speciatim pars lucri aliquota (*quæ etsi quoad latitudinem incerta sit, eius tamen spes æquipollet certo, & determinato stipendio iusto, quod illi dandum esset, locando ipsius operas*) tunc si exprimatur in contractu, quod eadem pars detur illi in stipendium, non societatis, sed potius conductionis contractus celebratus censeri debet. Vbi vero non exprimeretur eam partem in stipendium dari, sed simpliciter celebraretur contractus sub ea conditione, vt tot partes lucri sint ponentis capitale, & vna talis aliquota sit illius qui præficitur negotiationi, aut custodiæ pecorum; &c. contractus erit societatis; quando quidem reuera conuentio interuenit contribuendi ad commune lucrum postea diuidendum.

Refert autem plurimum, sitne contractus societatis, aut locationis operarum: quia si sit societatis, ad diiudicandam proportionis æqualitatem, *quæ in hoc contractu debet maxime obseruari*, oportet expendere, quantum in ordine ad lucrum tales operæ valeant comparatæ cum ipso capitali, attentis singulorum apponentium periculis perdendi illud quod apponunt. Si vero contractus sit locationis, ad obseruandam quam oportet æqualitatem, satis est vt lucrum quod speciali ter promittitur, æquiualeat certo stipendio iusto operarũ appositarum. Vnde sæpe fiet, vt pars lucri, quæ secundum hanc considerationem ex contractu locationis censebitur iusta merces pro operis ipsis debita, non censeatur iusta portio secundum priorem considerationem, siue vt est ex contractu societatis debita; eo quod non seruetur æqualitas iuxta eam portionem, quam capitale habet ad eadem operas in ordine ad lucrum. De qua re plenius in sequentibus.

373. Aduertẽ quinto, non debere mirum videri, neque vsurarium existimari, quod is qui apponit capitale in pecunia, quantumcumque nihil industriæ apponat, particeps fiat illius communis lucri. Id enim nõ est, industriam apponenti talẽ pecuniam mutuo dare cum pacto aliquid vltra sortem accipiendi, vt fit in vsura, quia is qui pecuniam tradit in societatem, non abdicat à se illius dominium (*Ideo enim socius non potest ea vti pro libito, & extra societatem extrahere*) ac in negotiatiõe substat dãtis periculo, id est, si pereat, ei perit. Inde igitur fit vt illa tanquam res ipsius censeatur cooperari ad lucrum, eaque de causa possit titulo societatis accipere aliquid tanquam fructum suæ pecuniæ negotiationi expositæ. Quod si aliquando in societate pecunia apposita non stet periculo apponentis, fit ex eo quod interuenerit contractus assecurationis, prout in sequenti cap. exponetur. In mutuo autem cum dominium pecuniæ transeat in mutuatarium, & ideo stet ipsius periculo, id est, si pereat, ipsi perit, fit vt mutuans nihil possit accipere vltra sortem. Ita ex D. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad quintum*, notat Nauar. in Enchir. *cap.* 17. *num.* 25. & consentiunt Sotus *in* 6. *De iust. & iure, quæst.* 6. *art.* 1, & Sylu. *in verbo Societas* 1. *quæst.* 1.

374. Aduertẽ sexto, *quod habetur ex* §. *vlt. Inst tutis, De societate, & ex lege Cum duobus*. §. *Venit, & duobus sequentibus*, ex lege Non ob eam, & sequenti, ex lege Socius, & ex lege Si fratres, §. Si qui societatem, ff. Pro socio; vnumquemque sociorum ex vi contractus societatis, de toto damno, quod dolo, vel latæ aut leui culpa ipsius euenerit, teneri aliis tanquam cum qui iniuriam illis fecerit; eidem damno malitia, aut negligentia sua causam dando: neq; ex eo excusari, quod alias per industriam ipsius multum lucri iisdem aliis accesserit, prout habetur ex citata lege Non ob eam. Et ratio est, quia iure societatis, cæteri socii participes sunt lucri, quod per vnius industriam accessit. Quod si damnum casu fortuito, aut culpa leuissima contigerit, ipsum est omnibus sociis commune, & inter eos diuidendum, quia societatis contractus in omnium vtilitatem celebratur, & communiter in contractibus ea ratione celebratis, de culpa leuissima, aut de casu fortuito nemo tenetur. Porro ex §. vltimo, & ex lege Socius, ante citatis, nomine leuis culpæ, hic intelligenda est negligentia, qua socius omisit adhibere diligentiam, quam communiter adhiberet, aut par esset ipsum adhibere propriis rebus, attenta qualitate & ingenio ipsius. Quod si quis sibi parum diligentem, aut parum industrium socium assumpserit, de se tantum conqueri debet, vt ibidem additur.

Aduertẽ septimo, socium qui ab alio, aut ab aliis sociis conuenitur quoad ea quæ ad societatem spectant, priuilegium habere iure communi (*Institutis scilicet*, §. *Sed etsi quis De actionibus, & Digestis, lege Verum in principio* addita ratione, quod societas ius quodammodo fraternitatis in se habeat) quod est, vt ipse non teneatur vltra illud quod potest facere, commode scilicet, vt interpretari licet congruenter legi In condemnatione, ff. De regulis iuris, præscribenti in condemnatione personarum habendam esse rationem ne egeant. De quo plenius Ludouicus Molina *De iust. & iure tract.* 2. *disput.* 413. qui legendus est pro ratione iudicandi de tali egestate, spectante potissimum ad eos qui causas agunt in foro externo. Quoad forum vero internum circa idem priuilegium obseruandum est, ipsum non habere locum in eo qui dolo malo fuit in causa, vt non possit soluere, ex citata lege Verum in principio. Deinde illum qui per tale priuilegium non soluit integrum debitum, præstare debere cautionem, seu promittere, se integre soluturum, si ad pinguiorem fortunam venerit. Quod si habeat vnde cõmode soluat, cogi potest ad integrã solutionem, Neque in ea re habendam esse rationem, quod alia debita habeat, quam ex societate, intelligitur ex eadem lege Verum; §. Id quod.

Atque in hac doctrina fundari potest illud, *quod post Petrum à Nauar. lib.* 3. *De restit. cap.* 1. *num.* 114. *contra Nauarrum in Enchir. cap.* 17. *num.* 155. *habet Leonar. Lessius De iust. & iure lib.* 2. *in fine, cap.* 22. in contractu societatis inter virum, & vxorem, quo lucra sunt eis communia, si maritus cui cõmissa est administratio, prodige agat, soluto matrimonio heredes ipsius teneri vxori, quia prodiga administratio, profusio est potius quam administratio, & hoc ipso, quod aliqua lucra extant, sunt vxoris pro media parte iuxta conditionem societatis initæ ad commune lucrum. Neque maritum excusat, quod talium lucrorum administrationem habeat, cum vxor perinde ac ipse, eiusmodi lucrorum dominium, & possessionem habeat ab initio quo acquisita sunt. Quocirca ille non minus obligatur ad restitutionem, quam alius socius, cui socii cæteri cõmisissent totã administrationẽ in commune bonum. Quã si vxor ipsa, addunt illi, nõ possit alia ratione obtinere; vti poterit occulta cõpensatione, quantũ ex prodige consumptis à marito, ad eam pertinebat.

Aduertẽ octauo, cõtractum societatis fi iri quinque 375. modis: ac primo, renunciatione; & id vel expresse, vel tacite. Expresse quidem, cum socii specialiter societatem dissoluunt ex communi consensu. De qua re in §. Manet, Institutis De societate; debentque omnes socij renunciare, alioqui ex lege Actione, §. Item qui societatem, ff. Pro socio, qui socius renunciat, socios à se liberat, non autem se à sociis, & ideo particeps est damni, si quod contingerit, non item lucri. Tacite autem finitur societas renunciatione, cum quisq; sociorum cæperit seperatim negotiari, ex lege Itaque, ff. eodem titulo. Cum autem quis solus renunciat (*quod liberum est, quando nullum tempus præfinitum est intra quod societas dissolui non possit, ex lege vltima, Cod. Communi diuidundo*) debet socios monere, lucrumque quod fecerit, antequam certiores facti sint, commune erit, non item damnum, quod quidem erit proprium ipsius, ex lege Sed & socius, §. 1. ff. Pro socio. Ex qua etiam habetur, illud quod iidem socii acquiserint, esse tantummodo ipsorum; detrimentum vero ab eis factum esse commune. Adhæc si renunciatio fiat procuratori absentis, ea huic non nocebit, donec ratam eam habuerit, ex supra cit. lege Actione, §. Item scriptum. 376.

De qua renunciatione occurrit notandum, eam tanquam irrationabilem non licere. Primo, si intempestiue fiat, itaut damnosa sit societati. Secundo, si fiat dolose, vt scilicet renũtiãs solus participet aliquo lucro, cp esset alioqui commune cæteris sociis. Tertio, si inita sit præfinito certo tempore, intra quod perseuerare deberet, nec dũ illud efluxerit, nisi aliquis euẽtus excuset, vt si renũciantinon seruentur pacta, & cõditiones sub quib. inita fuit societas. Itẽ si socii ita sint iniurioſi, ac damnosi, vt prudentis iudicio non sint ferẽdi. Itemq; si cesset spes obtinendi id, cuius gratia societas est inita. Ac demũ si talis ideo renunciet, quod Reip. causa diu, & inuitus absens esse debeat, nisi per alium posset societatem commode administrare, aut sine suo detrimento totam alijs sociis committere. *De quibus Lud. Molina in sequenti disput.* 414. *versus finem.* 377.

Secundo, *ex* §. *Soluitur, Institutis de societate, & ex lege Actione*, §. *Morte, ff. Pro socio*. nisi aliter conuentum sit, societas finitur morte vnius ex sociis, non modo naturali, qua separatur anima à corpore, sed etiam, *ex lege Verum*, §. *finali ff. Pro socio*, ciuili, qua socius diminutionem patitur capitis maximam, aut mediam, nimirum libertatem, aut ius ciuitatis amittendo. Hæres autem defuncti socii non succedit in ipsius locum, ex lege Plane si hi, ff. eod. tit. Et ratio est, quia certam personam eligit, qui societatem contrahit. Et non raro accidit, vt hæres non sit tam idoneus ad societatem, quam defunctus socius. De qua re pluribus Molina in principio disputationis 414. citatæ.

Tertio finitur societas, finita negotiatione propter quã cõtracta fuit, ex citata lege Actione. §. Itẽ si alicuius. Quarto

dissolui-

dissoluitur publicatione bonorum omnium, hoc est, si socij bona vniuersa ob delictum aliquod publicentur, Instit. loco citato, §. Publicatione, & lege Actione, ff. Pro socio, §. Publicatione. Vbi ratio additur, quod talis pro mortuo habeatur, cum alius in locum ipsius succedat. Quinto, finitur si vnus ex sociis ære alieno pressus cesserit bonis, ex §. Item si quis, Institutis De societate. Addi etiam potest ex lege Verum, §. finali, ff. Pro socio, societatem dissolui (*sicut dissoluitur mortuis personis*) si capitale perierit in totum, aut si conditionem ita mutarit res circa quam contracta fuit societas, vt ad hanc illa iam non sit idonea, vt si in parte agri quem rusticus inita societate cum domino suscepit colendum pro media parte fructuum, Ecclesia ædificetur publica authoritate.

CAPVT XXVIII.

De multiplici varietate societatis.

SVMMARIVM.

376 *Societas quædam initur expresse, quædam tacite.*
377 *Quædam in omnibus bonis, quædam absque mentione omnium bonorum, & quædam in vna tantum negotiatione, vel in vna tantum re.*
378 *Quædam ad definitum, & quædam ad indefinitum tempus, & quædam vno vnum tantum apponente, cæteris apponentibus plura, & quædam singulis plura apponentibus.*
279 *Quædam in mercatura, quædam in aliis initur, & quædam licita est, quædam illicita.*
380 *Conditiones requisitæ, vt censeatur licita.*
381 *Quædam est simplex, ac nuda, & quædam mixta aliis contractibus, præsertim assecurationis.*
382 *Quid operetur assecuratio.*
383 *Fraudes quæ in assecuratione contingere possunt.*
384 *Quodnam censendum sit iustum pretium assecurationis, & an non tantum de mercibus, & lucro ex eis quærendo, sed etiam de vita hominis assecuratio fieri valeat.*

376. PRIMA societatis varietas est, quod quædam ineatur expresse, & quædam tacite. Expresse quidem, quando duo, vel plures consulto, ac deliberate de rerum suarum cõmunione, expressis verbis cõueniunt. Tacite vero, quando duo fratres exempli gratia, ætate maiores contulerint quidpiam in commune, & ex eo negotiati fuerint; tacite enim inter eos in illa negotiatione societas est contracta, secus esset vero si ad communem hæreditatem vocarentur.

377. Secunda varietas est, quod alia expresse ineatur in omnibus bonis, seu expresse consentientibus inter se sociis, vt ea sit omnium bonorum, & tunc in eam veniunt bona omnia tam præsentia, quam futura, quæ perseuerante societate acquirentur, siue ex negotiatione, siue hæreditario iure, siue ex legato, aut donatione. Id quod sufficienter exprimitur per notam vniuersitatis, *Omnium*, & apertius si addatur ei, *Quocunque titulo res acquirantur*. Tali autem societate dissoluta, nisi ab initio illius initæ, aliud inter socios expresse, vel tacite fuerit constitutum, facienda erit diuisio in partes æquales. Nec obstabit quod non sint á singulis apposita bona æqualia, quia qui minus apposuit compensare potuit per suam industriam, aut nobilitatem, aliamve qualitatem, aut cæteri, illud in quo deficit, ei condonare. In his omnibus Doctores consentire notat Molina *in tract. 2. disput. 412. sub initium*. De quibus habentur textus, Institutis De societate, §. 1. & ff. Pro socio, lege 3. §. Cum specialiter, & lege quinta, ac lege Si societatem. Alia vero contrahatur simpliciter absque mentione bonorum omnium, tuncque in eam veniunt solum ea quæ ex quæstu operave personali socii acquisierint, nimirum locando operas suas, aut quid aliud, aut emendo, vel vendendo, vel permutando, aut quocunque alio titulo oneroso. Hæreditates autem, aliaque acquisita titulo gratioso, non veniunt in talem societatem, eo quod non obueniant ex quæstu, operave personali, sed ex beneuolentia, & liberalitate alicuius. Habetur hæc doctrina ex lege Coiri societatem, & sex sequentibus, ff. Pro socio. Alia porro contrahatur in vna tantum negotiatione, puta vini, olei, frumenti, lanarum, & aliarum huiusmodi rerum. tuncque in eam veniunt tantummodo lucra profecta ex eadem negotiatione. Alia denique contrahitur in vna tantum re, vt in vno equo emendo, vel in vno officio administrando, & tunc societas non extenditur vltra eam rem.

Tertia varietas est, quod quædam contrahatur ad certum definitumque tempus, & quædam ad indefinitum, vt vsque ad socij, vel alterius nominati mortem ex lege 1. ff. Pro socio. Ex qua habetur contrahi etiam posse sub conditione, nempe, vt vim habere incipiat dependenter ab aliqua conditione, vel vt finiatur aduenientе aliqua conditione. 378.

Quarta varietas est, quod cum in societatem plura conferri possint, *vt in præced. cap. annotauimus*, quædam sit in qua singuli socii singula ex illis conferunt, vt vnus pecuniam, alter operam, & laborem, tertius industriam, & quartus expensas, aut instrumenta necessaria, velut retia ad piscandum, nauigia, aut iumenta ad portandum merces. Quædam verosit, in qua singuli conferunt illa omnia; & quædam in qua nonnulli, vnum, aut duo ex illis ponunt, & reliqui, vel omnia, vel duo, vel tria. Atque quod quisque ponit, dicitur ipsius fors, seu capitale, aut principale, de cuius valore in societate cum oritur difficultas, recurrendum est ad peritos in tali negotio, ad illorumque arbitrium valor ipse taxandus est.

Quinta varietas est, quod quædam in mercatura versetur, vt quæ initur cum mercatore, & mercatoria dicitur: quædam vero versetur in artificiis, seu opificiis, vt quæ cum artifice aliquo initur, quædam autem versetur in animalibus, vt quæ initur cum pastoribus, seu rusticis, & socida dicitur, quædam porro in piscatione, vtpote quæ initur cum piscatoribus, & dicitur nautica, seu piscatoria, quædam porro in frugibus, & cultura agrorum, quæ dicitur societas agricolarum, & quædam in officiis, quæ dicitur societas officiorum. 379.

Sexta varietas est quod alia sit iusta, licita, & æqua, altera illicita, iniusta & iniqua: sed hæc non censetur proprie societas, iuxta illud quod habetur ex lege Quod autem, & tribus sequentibus, ff. Pro socio. Inita quacunque societate, si vnus sociorum aliquid furto, aut alio maleficio acquirat, id non pertinere ad societatem, nec aliis sociis commune effici. Quo fit, vt si idipsum quod socius male acquisiuit, sua sponte in societatem conferat, cæteris existentibus in bona fide, fit inquam, vt si illud repetatur, iidem socij teneantur contribuere quantum acceperunt, vt tradatur ei cui faciенda est restitutio. Sin ijdem fuerint socij maleficij, tanquam participantes in iniusta acceptione, teneantur ad integram restitutionem, & ad pœnam qua tale maleficium punitum fuerit authoritate Iudicis. Pro quibus facit communis doctrina de restituendi obligatione ex participatione in iniusta acceptione.

CÆTERVM vt licita sit societas, quinque conditiones requiruntur, quarum vna aliqua deficiente, illicita erit. Prima est, vt sortes exponantur alicui negotiationi, idque periculo exponentium: ita & pereuntes pereant ipsis: nempe pecunia quidem pereat exponẽti ipsam, opera similiter pereat ipsam exponenti, & sic de cæteris, nisi interuenerit contractus assecurationis, de quo paulo post. Itaque iniqua & vsuraria est societas, qua aliquis Clerico, aut alteri qui non est negotiatus, dat centum aureos, vt pro illis accipiat quinque quotannis. Non enim est tunc societas, sed vsura palliata societatis specie, cum talis pecunia mutuetur re ipsa, non autem detur in societatem. 380.

Secunda conditio est, vt negotiatio cui sortes exponuntur, sit licita, nec prohibita; vnde iniqua est societas quæ initur cum vsurario ad committendas vsuras, aut cum campsore qui cambia iniqua exercet, aut cum mercatore ad iniustas ac fraudulentas emptiones & venditiones.

Tertia conditio est, vt sortes cuiusque socij æqualiter exponantur tam periculo, & damno, quam lucro: vel certe si inæqualiter exponantur, aliunde inæqualitas ipsa compensentur, vt fit quando societati adiungitur vel contractus quo assecuratur capitale: vel contractus quo lucrum incertũ, certo pretio emitur: vel certe vterq; simul sit. Interuenire autem potest aliquis talis contractus vel formaliter, & expresse: vel tacite, & virtute tantum, vt cum dantur pecuniæ iis qui in societatẽ communiter solent admittere socios,

diminuto lucro pro ratione alicuius contractus ex prædictis, quem societati ipsi adiungunt. Qua ratione intelligendum est fieri licite quod legata relicta ad pias causas dantur mercatori, vt inde aliquid certi quotannis haberi possit in sustentationem facientis sacra pro legantibus.

Quarta conditio est, vt totum damnum & lucrum in diuisione societatis, quandocunque fiat, distribuantur æqualiter pro rata sortis cuiusque, & periculi eam perdendi: ita ut si sortes singulorum fuerint æquales, & pericula paria; æquale sit lucrum & damnum: alias vero, inæqualia sint damna, & lucra, pro inæqualitate sortis, & periculi, iuxta receptam regulam, quæ habet, illicitam, iniquamque esse societatem initam cum pacto, quo notabile damnum, *iudicio viri boni*, infertur alicui ex sociis: aut in qua commoditates quæ distribuuntur, non respondent sortibus sociorum: aut in qua quis plus vel minus de lucro participat, quam de damno; vt cum vnus habet duas partes lucri, & vnam tantum damni ante, contra duas damni, & vnam tantum lucri.

Quinta conditio est, vt in societate fraus, dolus, aut deceptio non immisceatur: alioqui enim esset iniusta, inducens obligationem restituendi damnum inde secutum.

Vltima varietas est; quod quædam sit simplex, nuda, absque vllo alio contractu: quædam vero sit mixta cum aliis contractibus, & potissimum cum contractu assecurationis, de quo Sylu. *in v. rb. negotiatio qu. st. 4. & 5.* Sotus *in lib. 6. De iust. & iure quæst. 7.* Conrad. *De contract. quæst. 71.* Et est quo quis certo pretio suscipit in se periculum alicuis rei, vt si ea pereat, tenearur illius pretium seu valorem soluere domino: vt si mercator habeat nauem mercibus onustam ad Indos transmittendam: & alius accepto certo pretio eum securum reddat, quod eadem nauis salua & integra traiiciet mare cum mercibus, aut iacturam illius ipse reiarciet.

Sicut igitur in contractu fideiussionis, fideiussor obligat
382. se ad soluendum creditori, si debitori, non soluerit; ita in hoc assecurator obligat se ad soluendas merces, aut alias res assecuratas, si contingat eas perire. Et vt fideiussor iuste pretium exigit eo nomine, quod in se receperit periculum soluendi debitum; ita & assecurator, quod exponat se periculo restituendi rem assecuratam, si pereat; quod locis antecitatis notant Sylu. Conradus & Sotus, ac alij quorum meminit Lælius Zecchi in tract. De vsuris cap. 6. num. 3. Et confirmatur, quia pro qualibet re pretio æstimabili, potest quis pretium recipere; constituere autem in tuto rem periculis expositã, est pretio æstimabile. Ergo pro assecuratione, in qua tale quid fit, potest pretium accipi, sicut & pro fideiussione; præsertim cum illa, sicut hæc, sit Reipub. necessaria, nec de se vllo modo vsuraria: quandoquidẽ pro ea pretium accipere, non est ex vi mutui accipere, vt patet. Abesse tamen debet omnis fraus, dolus, & impostura ex parte vtriusque contrahentis: quod est commune cuilibet contractui licito.

In assecuratione autem duæ fraudes contingere solent ex
383. parte assecuratoris; prior quidem, si non habeat sufficientia bona vt possit rem assecuratam, si perierit, restituere. Posterior vero, si assecurat rem de qua certus est omnino, quod salua sit, & in tuto; vt si nauis est in portu salua, & eam assecurat ac si nondum appulisset. Ex parte autem alterius, cui res assecuratur, duæ quoque fraudes possunt contingere: vna quidem, cum certus est omnino rem periisse, & procurat vt aliquis eam assecuret. Quod si certus non sit, potest assecuratio fieri: quia, vt recte ait Sylu. *in cit. q. 4.* in mercibus, & aliis rebus quæ expositæ sunt casibus fortuitis, nullus potest ita securus esse, quin aliquod periculum, vel aliqua difficultas interu nire possit. Altera vero contingit quando loco rei assecuratæ posuit aliam rem minoris valoris, vt cum quis petit, vt aliquis suam nauim assecuret onustam frumento; qua debet traiicere mare, cum tamen vacua, aut arenæ plena sit mare transitura. De quibus post Sotum Lælius Zecchi loco citato.

Porro iustum pretium assecurationis est quod com-
384. muni hominum æstimatione approbatum in vsu versatur: atque pro ratione periculi cui res assecurata exposita est, solet pretium maius esse, aut minus: accipiendo quatuor, vel quinque, vel sex pro centũ, prout bonus & peritus vir iudicauerit. Potest vero contractus assecurationis fieri non solùm pro sorte, sed etiam pro lucro ex societate expectato, quod in seq. cap. exponetur. Immo quidquid aliqui contradixerint, *vt Syl. meminit in cit. quæst. 4.* fieri potest pro alterius vita *vt loco cit. notat Sotus*. Et probat, quia talis cõtractus, non prohibitus lege aliqua humana, licitus est ex natura rei: vt-pote nullam continens iniquitatem; cũ æqualiter per eum vterque contrahens exponatur lucro, aut damno; isq; Reip. vtilis censeatur. Exẽplum sit: si filius fãilias mutuum à me petat quo moriente ante patrem suum; perdam meam pecuniam, & ideo recuso illi mutuare, nisi quis assecuret mihi vitam ipsius post mortem patris. Item Episcopus petit à me mutuo pecunias, vt soluat pro expeditione suarũ bullarum, quo ante quatuor, vel quinq; annos moriente ego perdam illas, & ideo nolo ei dare nisi quis assecuret mihi ipsius vitam per quatuor, vel quinque annos. Nec est q̃ in contrarium obiiciatur inde fieri posse, vt aliena mors desideretur: nam contractus non est propterea illicitus. Alioqui enim donatio causa mortis, testamẽta, legata, & id genus alia censeri deberent pari ratione illicita. Vt autem in ea re cesset omnis turpis lucri ratio, spectandum est principaliter proximi obsequium perinde ac cum aliquis transiturus per loca periculosa, ab alio securus redditur, quod liber à periculis perueniet quo vult.

CAPVT XXIX.

De Societate, vt est circa negotiationem.

SVMMARIVM.

385 *Inter conditiones requisitas ad societatem licitam, duæ imprimis obseruandæ sunt inducentes obligationem ad restitutionem.*

386 *Æqualitas proportionis seruanda inter socios, vt societas censeatur licita.*

387 *Ea latitudinem habet, sed intra certos limites; de quibus iudicare prudentis est.*

388 *Quæ ratione pecunia exposita negotiationi debeat proportione respondere operæ, vel industriæ, quam alter in societatem apponit.*

389 *Ratio determinandi de tali proportione.*

390 *Difficultas; an capitale saluum, diuidendum sit cum lucro in fine societatis explicatur distinctione.*

391 *Reiicienda est sententia dicentium, cum societas soluitur, sicut capitale saluum recipit qui illud apposuit; sic valorem operæ, vel industriæ cum qui illam apposuit, debere recipere.*

392 *Duæ sententiæ de difficultate, an si capitale perdatur, damnum sit commune sociis, an proprium eius qui illud apposuit.*

393 *Quando tale damnum ad eum qui apposuit operam aut industriam, spectet siue ex toto, siue ex parte.*

394 *Quæ damna apponentis operam, vel industriam sint, & quæ non sint communia aliis sociis.*

395 *De expensis gratia societatis factis ab apponente operam, vel industriam, quid sit tenendum.*

396 *Tres opiniones de difficultate; an licita esse possit societas in qua capitale saluum sit ei à quo apponitur, illiusque periculum subeat is qui operam, vel industriam apponit.*

397 *Probatio sententiæ dicentium licitam esse, si virtute sui rem contineat contractum assecurationis tum etiam capitalis, tum etiam lucri expectati.*

398 *Rationes ostendentes nihil obstare quin tales contractus assecurationis possint ab apponente pecuniam fieri cum socio apponente operam, vel industriam.*

399 *Quando in ea re contingat illicita palliatio mutui vsurarij.*

400 *Documenta vtilia ad iudicandum an talis palliatio contingat in societate circa negotiationem habentem coniunctos contractus assecurationis.*

QVID & quotuplex sit negotiatio, ac quibus modis efficiatur, traditum est in præcedenti cap. 21. additis septem modis quibus est illicita. Conditiones vero quas societas circa eam requirit, vt censeatur licita, eæ sunt quas

antea num.380.recensuimus in explicatione sextæ varietatis societatis. Inter eas vero duæ imprimis sunt obseruandæ ad vitandam restituendi obligationem. Prior est, vt capitale quod quisque apponit, stet ipsius periculo, sicut & lucro; hoc est, periens pereat damno apponentis, sicut fructificans eiusdem commodo fructificat. Posterior est, vt in omnibus arbitrio boni & experti viri seruetur inter socios æqualitas proportionis: ac prò quantitate partium collatarum, id est, pecuniæ, operarum, industriæ, &c. lucrum diuidatur, prout habent Caiet. 2.2. quæst. 78. art. 2. ad 5. Sylu. Societ. 1. quæst. 1. Sotus lib. 6. de iust. & iure quæst. 6. art. 1. Nauar. in Enchir. c. 17. num. 251. Couar. in 3. variarum resol. cap. 2. num. 2. & Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 415. vbi varios persequitur modos ineundi istiusmodi societatem.

386. Sic autem accipe æqualitatem proportionis; vt qualis fuerit proportio eius quod vnusquisque apponit ad ea, quæ alij apponunt, talis sit proportio lucri quod quisque est reportaturus ad lucrum quod alij reportaturi sunt: talis item proportio periculi & damni cui se exponit, ad pericula & damna quibus alij se exponunt: aut si in aliquo istorum inæqualitas inueniatur, ea aliunde compensetur, itaut computatis omnibus arbitrio prudentis, æqualitas inter socios, in ipso contractu cernatur.

Vbi aduertendum est æstimationem plurium ex iis quæ ad istiusmodi contractum contribuuntur, non consistere in indiuisibili; sed habere suam latitudinem. Nam æstimatio operarum suam habet, attento propriæ personæ periculo maiori, vel minori, cui se exponit is, qui operas ipsas apponit: vt si per mare exportaturus sit merces. Item attenta maiore, vel minore molestia & labore subeundis ab eo. Æstimatio item industriæ, quam quis est appositurus, latitudinem habet: quia industria illius, qui dexteritatem habet ad distrahendas merces, aut ad aliam executionem accommodatam ad lucrum (*quod plurimum pendet ex huiusmodi dexteritate peritiaue negotiandi*) plus valet, quam industria alterius, qui talis non est. Ideoque, vt Instit. de societate, §. 2. dicitur; sæpe quorundam ita pretiosa est opera in societate, vt eos iustum sit conditione meliore in societatem admitti. Præterea æstimata vsus nauigij, aut cuiusuis alterius instrumenti necessarij ad negotiationem & lucrum, suam etiam habere potest latitudinem.

387. Quæ cum ita sint fit vt æqualitas quæ in contractu isto societatis requiritur, non consistat in indiuisibili: sed habeat latitudinem, aliquando maiorem, aliquando minorem: quod relinquitur prudenti iudicandum ex concurrentibus circunstantiis. Et ita quando arbitrio prudentis continget egredi totam latitudinem æqualitatis, quam iustitia exigit: contractus censendus est iniustus, ac inducere obligationē restituendi, quantum est opus, vt is ad æqualitatem reducatur, atque intra dictæ latitudinis limites contineatur. Id quod Caiet. loco cit. sic illustrat exemplo. Ponat vnus mille ducatos: alter operas æstimatas mille item ducatis, & tertius industriam æstimatam quingentis; itaut communis summa sit duorum millium, & quingentorum ducatorum: dum fiet diuisio siue lucri, siue damni ex societate secuti, primus & secundus parem portionem accipient, & tertius partem medio minorem, alioqui erit inæqualitas. Idem vero locum habet, cum socius qui grauatur inæqualitate, eam non condonat liberaliter, sed inuoluntarie patitur: siue quia eam ignorat: siue quia scit quidem, sed tolerat: quia id illi melius est quam abstinere à tali contractu. Quod si ex liberalitate pati velit talem inæqualitatem; siue quia socius sanguine, aut amicitia ei coniunctus est: siue quia remunerare vult obsequia sibi exhibita; siue quia vult elemosynam facere: nulla iniustitia committitur: quia volenti, & consentienti plena liberalitate, nulla fit iniuria. Nonnullæ dubitationes mouentur circa huius generis societatem, quibus deinceps satisfaciendum est.

* * *

Prima dubitatio; qualiter pecuniæ quæ in contractu societatis contribuuntur, considerandæ sint, vt fiat proportio earum cum opera, aut industria, quæ ab alio ponitur.

DIFFICVLTAS hæc versatur in eo; an pecuniæ ipsæ sint considerandę iuxta quantitatem in qua contribuuntur: an vero iuxta valorem periculi cui in tali societate exponuntur; Sententia autem Soti est *in l. b. 6. De iust. & iure quæst. 6. art. 1.* iuxta periculi valorem debere pecuniam considerari. Ratio eius est, quod pecuniam contribuens in societatem, non det illam, nequeillam omnino amittat, cum si salua maneat, eam sit integram recepturus. Vnde reuera nihil aliud videtur conferre quam pecuniæ periculum: cuius proinde valor (*qui tantus esse censendus est, quantū ipse pro eiusdem assecuratione dare vellet*) conferendus est cum eo quod valet industria, ab alio apposita, vt æqualitas seruetur. Nauar. vero in Enchir. cap. 17. nu. 251. & nonnulli alij quorum meminit Petr. à Nauar. *lib. 3. De restit. cap. 2. num. 448.* tenent oppositum: nempe habendam esse rationem valoris pecuniæ secundum se. Quæ sententia conformior est vsui communi: nam vt recte Nauar. ait, illud inuentum Soti nouum est, quo nulli negotiatores adhuc vsi sint. Et certe ex eo sequeretur, quod si quis decē millia ducatorum contribueret ad aliquam negotiationem tutissimam, ex qua ingens lucrum speraretur, etiamsi modica ad ipsum comparandum opus esset industria, & labore; ille nihil fere lucri posset accipere: sed totum fere pertineret ad socium cuius operæ fuerint modicæ, & ad quas modico stipendio potuisset conduci. Id autem vt aperte falsum, intellectus admittere omnino respuit. Præterea cum ad lucrum faciendum tota pecunia illa principaliter concurrat cum industria hominis, nec desinat esse, sed maneat in dominio illius qui eam ad id apposuit: itaut periculo sit ipsius, si ea perierit; sane à ratione alienum videtur asserere quod ipse apponens possit solum de lucro participare, quantum æstimatur pecuniæ periculum: nec simul quantum effectus, *id est, lucrum ipsum*, ex ea pendet. 388.

Quanquam tamen iuxta ea quæ Petrus à Nauar. consequenter tradit, non est accipienda hæc sententia in eo rigore, quo valor pecuniæ sic attendi debeat, vt æquipollentes omnino debeant ab altero poni operæ. Nam sic contingeret inæqualitas. Cum enim constet pecuniam recuperari posse, si bene res succedat; non autem operas ipsas, *quæ sunt actiones fluxæ*, nō esset æqua sors & cōditio contrahentium, quandoquidē apponens operas, & industriam, tantum apponeret valoris, quantum alter: nihilominus, etiamsi res bene succedat, perdet eumdem valorem: seu illas suas operas; quas si locasset, tantum valuissent sibi, quantum alteri valet pecunia sua, quam recipit integram. Qua sane in re est aperta inæqualitas.

CONCLVDENDVM est igitur cum memorato authore; virum bonum in constituenda æqualitate inter socios, quorum vnus pecuniam, & alter industriam, vel operas contribuit; neque solum valorem pecuniæ secundum se, neque solum periculū illius amittendæ considerare debere, *prout propositæ rationes satis ostendunt*. Sed cum tria notari possint in pecunia negotiationi exposita: primum, valor illius secundum se spectatæ: secundum, valor eiusdem spectatæ in ordine ad lucrum, & vt exposita negotiationi fructifera est: ratione cuius valoris fit, vt in mutuatione possit supra sortem accipi actuarium illud quod dicitur lucri cessantis: tertium demum, periculum amittendi vtrumque valorem, nihilq; lucrandi. Itemq; possint in industria duo considerari: nimirum valor ipsius, & periculum perdendi lucrum ex ea speratum. Cum inquam hæc notari possint; vir ipse bonus, cuius arbitrio æstimatio committitur; taxare debet vna ex parte, tum (*sententiæ Soti congruenter*) periculū amittendi pecuniam; tum (*congruenter sententiæ Nauarri*) eiusdem pecuniæ valorem quē habet in ordine ad lucrum: statuendo quantū ea plus valeat exposita in negotiatione, quā non exposita. Altera ex parte vero, taxare valorem operæ, vel industriæ, statuendo quantum existimanda sit valere in ordine ad lucrum futurum: cui valori si duo antedicta æquipol- 389.

leant. socii æquales, in sortibus censebuntur, sin minus, inæquales.

De periculo autem amittendi lucrum speratum, nulla difficultas est, quia pariter omnes socii exponuntur ei pro rata sortis ab vnoquoque appositæ, sicut & pro rata participes sunt lucri, quod secutum fuerit ex negotiatione, circa quam inita est societas.

Secunda dubitatio, an quando vnus sociorum ponit pecuniam, & alter operam, & industriam: absoluta huiusmodi societate, sit inter eos diuidendum solum lucrum, deducta pecunia capitali, quæ integra permaneat apud eum qui illam apposuit: an vero sicut lucrum, sic & capitalis pecunia diuidenda sit inter socios pro rata.

390. DE hac re plerique sentiunt solum lucrum diuidendum esse: capitale autem esse deducendum, ac dandum ei qui illud apposuit. Inter eos sunt Caiet. *in verbo Societas*, Sotus lib. 6. De iust. & iure *q. 6. art. 1. in fine*, Nauarrus in Enchir. *cap. 17. num. 253.* Sed videtur distinctione vtendum cum Lud. Molina de iust. & iure *tract. 2. disput. 416.* & Petro á Nauar. *in ante citato cap. 2. n. 458.* ac dicendum, quando opera, & industria apposita secundum se in valore æquipollet pecuniæ, quam alter apponit: vt si vnus sociorum apponat ducentos aureos, & alter operam & industriam tantundem valentē, licite iniri contractum quo tam lucrum, quam capitale diuidatur æqualiter inter socios. Quinimo pactum quod fieret tunc in contrarium, vt solum lucrum diuidendum sit, & capitale integre ad eum pertineat qui illud apposuit, iniquum esset: obligationem inducens restituendi quātum sufficit vt ad æqualitatem contractus reducatur. Quin etiam tales socii conuenientes, se in fine societatis diuisuros per partes æquales, non exprimendo, solumne lucrum, an vero totam summam, ne videantur celebrasse contractum iniustum censendi sunt intendisse quod totam summam diuiderent. Pro qua doctrina facit aperta ratio, quia æqualitas *quæ maxime in hoc contractu sequenda est, vt prædiximus*, exposcit sic, & non aliter fieri, vt de se patet: ficque docent Conradus de contractibus quæst. 95. & alii quos refert & sequitur Couar. *in l. b. 3. var. resol. cap. 2. num. 2.*

Quando vero opera, aut industria æquipollet tantum vsui pecuniæ: seu quando pecunia præcise, vt exposita negotiationi, tanti valoris est, quanti ipsa opera, vel industria, tunc si negotiatione finita maneat salua pecunia sine lucro, non est ex ea compensatio facienda socio qui operam, vel industriam contulit, quia alter qui pecuniā ipsam apposuit, æquale damnum sustinuit (*valoris nimirum eiusdem pecuniæ in ordine ad lucrum*) & illius dominium semper retinuit, nec ab se abdicauit per contractum societatis. Qua de causa, sicut in tali causa, si aliquid de eadem pecunia post negotiationem deesset, alter socius non teneretur illud supplere: ita ipse eadem de causa, quando integra manet, non habet ius ad aliquid illius.

391. Eadem adhuc de causa, *cum Angelo Societas 1. §. 17. Syluestro eod. verbo quæst. 20. Rosella quæst. 30.* reiiciendum est, quod aliqui dixerunt, cum societas soluitur, postquam is qui pecuniam contulit eam integram recepit, ille qui operas posuit, debeat illarum valorem accipere, ac deinde lucrum residuum, pro rata sortis cuiusque diuidi. Nam, vt recte ait Angelus, operæ non sunt vt pecunia aliquid permanens in sorte, sed aliquid transiens. Est enim vsus quidam personæ in ordine ad lucrum, sicut distractio ipsius pecuniæ expositæ negotiationi, est illius (vt vocant) interusorium, id est, vsus in ordine ad lucrum. Vnde patet, quod cum vterque vsus (personæ inquam & pecuniæ) æqualis valoris fuerit in ordine ad lucrum, non esse rationem cur potius specialis cōpensatio operarum (*id est vsus personæ*) fiat, quam vsus pecuniæ æquiualentis illi, præsertim cum, *vt ait Sylu.* plerumque fieret vt nihil, vel parū admodum lucri reportaret is qui pecuniam apponit. Cæterum si operarum maior sit valor, quam vsus pecuniæ in negotiatione, is qui saluum recipit capitale, tenetur alteri excessum valoris recompensare ex ipso capitali: sicut é contra si operæ essent minoris valoris, is qui illas apposuit, tenetur pro rata de tali damno accepto, *quemad. ex Couar. notat Petrus à Nauar. incit. cap. 2. nu. 462.* Et patet quia æqualitas in contractu societas seruanda, postulat vt quisque sociorum eadem proportione sit particeps damni, qua esset lucri ex societate emergentis.

Tertia dubitatio, an quando perditur pecunia capitalis, damnum debeat esse commune socijs, vel esse tantum eius qui illam apposuit.

DE hac re duæ sunt sententiæ percipuæ, *vt videre est apud Angelum §. decimo, Sylu. quæst. 6. in verbo Societas 1. & apud Couar. paulo post citandum*, quarum prior habet: quando opera, vel industria socii non æquiualet pecuniæ in commune collatæ, tunc siue ante, siue post operam collatam pecunia pereat eam resarciri debere ab illo qui ex contractu societatis tenebatur operam conferre: quando vero opera, vel industria æquiualet pecuniæ, si hæc perdatur antequam illa ponatur, iacturam eiusdem pecuniæ debere pro rata resarciri ab eo qui operam apponere debuit; non item si iactura eiusmodi contingat post operam appositam. 392.

Posterior sententia vero habet: in vniuersum, siue ante, siue post operam appositam, pecunia capitalis pereat, perire tantum illi qui eam apposuit, hancque memorati authores priore probabiliorem putant: quam etiā sequuntur Caiet. in verbo Societas, Nauar. in Enchir. cap. 17. n. 452. Couar. lib, 3. variar. resolut. cap. 2. num. 2. Armilla in verbo Societas num. 3. Sotus in lib. 6. De iust. & iure quæst. 6. art. 1. ad primum, & Petrus á Nauar. in eod. cap. 2. num. 461. rationem bonam adferens, quia societate absolute contracta, dominium pecuniæ non transit in socium, nec fit commune sociis: sed retinetur ab eo qui pecuniā ipsam cōfert in societatem. Quare ei soli perit, sicut ei soli salua manet. Atque hoc, siue ante siue post operam positam pereat: cum substantia & natura societatis exigat, vt sicut opera amitti potest illam ponenti, sic etiam pecunia perire possit illam conferenti in societatem. 395.

Quam tamen sententiam aduertendum est non procedere, cum talis perditio pecuniæ acciderit culpa leui, vel lata apponentis operam: quia tunc is tale damnum resarcire tanquam illius causa tenetur, non minus quam in depositō, vt ex Sylu. habet Petr. à Nauar. *in sequ. nnm.* 462. Addens consequenter ex eod. & ex Couar. loco cit. & Nauar. *in sequen. n.* 253. non procedere, quando societas facta fuerit tali conditione, vt ex pecunia vnius, & opera alterius fieret vnus cumulus vtrique communis quoad dominium, sicut futurum est lucrum commune. Tunc enim si æqualis sit sors quam quisq; contulit in illum cumulum, æquale damnum etiam erit in capitali sicut lucrum deberet esse æquale. Sin autem alter minus posuit, tunc pro rata sentiet damnum: & econtra si opera perdita maneat capitale, debet similiter pro rata compensatio fieri ei qui illam apposuit. Ratio est, quia ille cumulus erit communis: quare nō est maior ratio cur potius vni perdatur, quam alteri, vel vni saluus sit, & non alteri. Vnde idem quod de lucro diceremus (participandum esse scilicet á singulis, pro rata sortis quam quisque in eumdem cumulum contulit) pariter dicendum est de damno. Quæ tamen intelligenda sunt de societate, prout est absolute contracta, nihil paciscendo de capitali. Aliquando enim pacto sociorum tacito, vel expresso, aut etiam ex patriæ seu prouinciæ consuetudine, alia ratio agendi tenenda est. 393.

Aduerte ergo finita negotiatione circa quam inita est societas, faciendam esse lucri vel damni diuisionem, prout ab initio inter socios conuenerit expresse, vel tacite, siquenulla inter eos facta fuerit conuentio, esse in diuisione seruandam patriæ vel prouinciæ consuetudinem, solitam inter similes negotiatores seu socios seruari. Quod si non sit talis aliqua consuetudo, in diuisione siue lucri, siue damni procedendum est iuxta doctrinam ante traditam.

Quarta dubitatio, vtrum damna sociorum vltra capitale contingentia, sit inter ipsos communicanda.

394. AD hanc in verbo Societas 1. respondent Angelus §. 15. Sylu. quæst. 9. Armilla nū. 12. dāna quæ socius incurrit ex ipsa

ex ipsa societate, seu intuitu societatis, esse communicanda: nisi lata, aut etiam leui culpa sua incurrisset in ea: quia tunc ex vi contractus initi, imputarentur illi. Hinc si deferens pecuniam negotiationis gratia, vulneratus est à latronibus, ideoque fecit expensas: aut si aliqua perdidit, quæ non habuisset secum, nisi communi aliorum nomine profectus esset, compensanda est ei ex communi talis iactura. Secus vero est, *vt addunt Sylu. & Armilla*, si damna incurrat quidem occasione societatis, sed alio intuitu, quam societatis: vt si ab hoste socius vulneretur, non spoliationis, sed inimicitiæ gratia, quantumuis in manus illius non incidisset, nisi profectionem eam suscepisset, longe enim diuersa sunt commodum, aut incommodum socii, occasionem habuisse ex societate, & aduenisse ex ipsa societate: in posteriore euentu enim, vt commodum, sic & incommodum commune est sociis: non item in priore. Quod communiter Doctores asseuerare notat Molina *de iust. & iure tract. 2. disput. 418. vers. Obserua.*

Adde item iudicium esse, si occasione societatis abfuit socius á ciuitate, ideoque consanguineus moriens non constituit ipsum hæredem. Etenim talem iacturam cæteri socii resarcire non tenentur, tanquam nihil ad eos spectantem: vt ex eo patet quod non fierent participes talis hæreditatis, vt nec alterius commodi, quod per occasionem suæ profectionis, ei obuenisset, vt si à Rege donatus esset castro, aut alio munere. Ea enim sola lucra, vel damna apponentis operam, debet sociis communia esse, quæ contingunt ei ratione societatis, non autem quæ propriæ personæ, licet occasione societatis.

395. Istud vero quod de damno dicitur extendendum est ad expensas gratia societatis factas ab apponente operam, vel industriam, vt ibid. Angelus & Sylu. *vterque quæst. 12.* & Armilla *num. 13.* docent: cum dicunt eas esse deducendas ex communi pecunia: quia lucrum intelligitur deductis expēsis, causa illius factis: demendo tamen sumptus qui domi alioqui faciendi essent. Quam demptionem non esse iniustam Nauarrus concedit *in Enchir. cap. 7. num. 282.* etiamsi velit eam non habere locum, quando non fuerit deducta in pactum: cui Molina assentitur in seq. disput. 418. vers. Aliæ.

393. Aduerte autem pro praxi, *iuxta legem Si fratres, §. Si quas ex sociis, ff. Pro socio*, in numero expensarum, causa societatis factarum, censeri eas quæ ipsarum, mercium sunt: exempli gratia, si conducātur iumenta vel nauigia ad eas portandas, vel si aliquid expendatur ad eas seruandas, aut meliorandas, nisi expresse aliud in pactum iustum sit deductum: aut nisi in aliquo euentu particulari contrarium habeat consuetudo rationabilis. In quib. omnes conuenire notat Molina *in eadem disput. sub initium.* Censeri pariter eas, quæ sunt socii, vt laborantis pro societate: nempe id quod iter faciendo, pro mercibus ipse vel famuli expendunt, *si expensæ sint rationabiles*, ad se alendum, vel resistendum volentibus ipsos spoliare in via: vel ad curandum ipsos à latronibus vulneratos: tales enim expensæ communes sunt toti societati, sicut alia damna quæ ratione eiusdem contingunt, vt quod socius ponendo operam spoliatus sit á latronibus pecunia sua, pallio, ense, &c. quod morbo correptus sit, vel captus ab hostibus, & ad sui curationem, vel redemptionem sumptus extraordinarios facere coactus sit, & sic de cæteris, quorum per se societas causa fuerit, iuxta legem Cum duobus, §. Quidquam sagariam, & legem Secundum Iulianum, ff. Pro socio.

394. Notat vero Petr. à Nauar. *in cit. cap. 2. numer. 464.* ista procedere, quando aliquid remanet de capitali, seu de bonis in quibus constituta est societas. Nam de aliis bonis, alius socius non tenetur damna incursa resarcire, nisi inter vtrosque societas esset omnium bonorum, aut omnium lucrorum, aut certe nisi ab initio inter socios conuentum esset expresse, vel tacite, aut consuetudo patriæ recepta aliter haberet, iuxta antedicta in fine præcedentis dubii.

QVÆRI potest vero, an si socius non habeat ex communibus bonis, vnde necessarias expensas faciat, teneatur ex iustitia illas facere ex suis propriis, tanquam societati mutuo datis? Ad quod cum Molina in eodem tract. 2. disput. 418. vers. Quando aliquis, respondēdum est teneri, si nequeat alia ratione damnum commune auertere, quia tenetur eam diligentiam rebus communibus adhibere, quam quisque propriis adhibere solet. Cum igitur quisque ad res suas conseruandas de suo impendat, idem præstare debet ad conseruationem rerum communium, non quidem gratis, sed cum iure resumendi ex communi id quod impenderit, non minus quam si aliunde illud mutuo accepisset in eum vsum.

Quinta dubitatio, an licite iniri possit societas, vt pecunia ei qui illam apposuit salua sit, & totum eius periculum subeat ille qui ponit operam, vel industriam.

396. DE hac re sunt tres opiniones. Prima, non posse iniri licite. Ita Panormit. ad cap. per vestras, De donat. inter virum, & vxorem. Armilla *in verbo Societas, num. 8.* Sotus *in 6. de iust. & iure, quæst. 6. art. 2.* Altera est Caiet. *in tomo primo Opusc. Opusculo vltimo, responsione 11.* licite iniri per varios contractus, variis temporibus factos, non autem per vnum, aut per diuersos eodem tempore factos. Tertia est, posse licite eodem etiam tempore iniri per vnum contractum virtute continentem duos, vel tres, nempe contractum societatis, contractum assecurationis sortis, aut etiam contractū venditionis lucri expectati pro certo pretio: *quorum trium meminimus in præced. nu. 242.* Ita post Maiorē expresse sentiunt Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 255. & Couar. in lib. 3. var. resolut. cap. 2. num. 4. Et assentiuntur Petrus à Nauar. eosdē ac alios citans in lib. 3. De restit. cap. 2. num. 442. & Gregorius à Valent. 2. 2. disput. 5. quæst. 24. & 25. vtrobiq; puncto 2. vbi ait, agitata Romæ præsenti dubitatione in nobili Theologorum consessu, itū esse in hanc sententiam. In quam etiam ire censendi sunt, qui absolute docent licitum esse inire societatem appositō contractu assecurationis, seu pacto de securitate capitalis, aut etiam lucri sperati, inito cum vno ex socijs, aut cum aliquo alio pro iusto pretio. Id quod docent in verbo Societas 1. Angelus §. 7. & Sylvest. quæst. 2. Gabriel. in 4. distinct. 15. quæst. 11. art. 3. dub. 10. Contrad. De contractibus quæst. 97. & Ioseph. Angles in 2. parte florum Theolog. initio. tractatus De societ. assentiunturque recentiores, vt Molina tract. 2. De iust. & iure, disput. 417. & Leon. Lessius lib. 2. cap. 25. dubit. 3.

397. Probatur autem ea sententia, quia si quis alicui ponenti industriam, & operam, det pecuniam ad societatem, ex qua verosimiliter speratur lucrum, v. g. centum, potest cum alio tertio pacisci de securitate suæ sortis principalis, p qua parte dicti lucri sperati, nec dum certi, atq; illud quod speratur est ex eodem lucro sperato, adhucque incerto, potest vendere alteri pro alia eius certa parte, seruando tamen in huiusmodi pretiis æqualitatem commutatiuę iustitiæ, secundum boni, ac periti viri arbitrium. At qua ratione tertius potest illam assecurare, eadem potest & socius, vt à Sylu. loco cit. dictum cōmendat Nauar. *in Enchir. cap. 17. num. 254.* Quare ab initio quando contraxit, potuit prædictos tres contractus inire cum socio, primū scilicet societatis, ex qua verosimile lucrum speratur: secundum assecurationis capitalis pro quarta parte eiusdē lucri sperati, & tertiū venditionis partis reliquę lucri sperati, & incerti pro quinq; vel quatuor certis.

Idem confirmatur ex definitione Cap. per vestras, De donatione inter virum, & vxorem. Per eam enim statuitur, vt si apud maritum vergentem ad inopiam, neque habentem pro cōseruanda vxoris dote sufficientem cautionē, eadem dos dari debeat alicui mercatori (*ad negotiationem nimirum*) & vt secura sit apud illum, & ex ea salua sustineri possint onera matrimonij. Id quod nequiret tanquam licite factum excusari aliter, quam per tres iam dictos contractus cum mercatore initos, vt recte in Enchir. *cap. 17. num. 756.* declarat Nauar. Addens idem esse iudicium de consuetudine quæ viget in quibusdā Gallię, & Italiæ locis, vt Ecclesiæ, pupilli, viduæ, scholastici pauperes, suas pecunias in commune cōferant cum mercatore, hac lege, vt quatuor, vel quinq; accipiant pro centū, salua semper ipsorum capitali pecunia. Nā talis consuetudo non potest aliter excusari ab vsura, quā quod initium habuerit ex celebratione trium prædictorum contractuum, quos virtute contineat ille, quē sic celebrant. Idē etiam confirmatur ratione, quia cum plures contractus diuisi, sunt iusti, coniunctio eorum non facit iniustitiam,

nihil aliud est, quam contractum iustorum collectio, & quasi cumulus.

398. Confirmatur adhuc à simili per Cap. vnicum De commodo, vbi approbatur pactum commodationi adiunctum, ex cuius vi periculum rei commodatæ maneat penes commodatarium, licet commodans retineat dominium, & iuxtà Cap. Bona fides, de deposito, approbatur pactum depositioni adiunctum, quo periculum rei depositæ sit penes depositarium, manente nihilominus domino eius penes deponentem. Quare non videtur ratio dari, cur in societate non approbetur pactum, quo socius cui pecunia traditur ad negotiandum opera, vel industria sua, totum eiusdem periculum assumat, facta ei iusta compensatione pro quantitate periculi quod in se suscipit; etiamsi is qui tradidit, retineat dominium,

Neque pactum eiusmodi censendum est contra societatis naturam esse; quandoquidem cum eo perinde, ac sine eo, ille ipse qui pecuniam apposuit, vere manet eiusdem dominus (vt contra Sotum Molina in cit. disp. 417. concl. 2. ostendit) atque ex ea tanquam ex re propria lucrum accipit titulo societatis. Neque mercator cui tradita est, quantumcunque illam assecurauerit, potest pro libito eam inquemcunque vsum transferre, sed debet iuxta voluntatem socij, à quo in societatem collata est, eam exponere negotiationi, non minus quam si non esset à se, aut ab alio assecurata. Neque sic instituta societas, est illa Leonina, reprobata in iure, lege Si non fuerint, §. Aristo. ff. Pro socio; talis enim est qua totum periculum reiicitur in socium, nec id onus aliunde compensatur.

Neque etiam dici potest societatem per præfatum pactũ transire in mutuum: falsum est enim, quod Sotus putat, cum periculum capitalis transmittitur in socium, ad hunc pertinere dominium illius; eo quod solius domini sit periculum rei subire, iuxta illud ab omnibus receptum. Quod si res pereat, debere domino perire. Falsum inquam illud est, quia idipsum receptum ab omnibus, verum est tantum ex natura, & communi conditione rei; itaut nihil impediat rem, vt domino, sic & alteri perire, qui illius periculum in se susceperit ex pacto, & stipendio ea de causa conuento; sicque saluus maneat societatis contractus, non obstante quod pecuniæ periculum non subeat is qui illam contulit. Adde, nec ipsum societatis contractus inde vitiari aliqua iniustitia, si periculum subeunti fiat debita compensatio; ita nimirum vt seruetur id, quod est de natura societatis, vt damnum, & lucrum inter socios communia sint ex æquo, nec minus damni sentiat ille, qui plus lucri erat percepturus, vel contra.

399. Constitutum sit ergo, à peccato excusari eum, qui sine celebratione explicita trium antedictorum contractuum, pecunias suas mercatori, vt negotietur, committit cum pacto recipiendi, *saluo etiam capitali*, tantum lucri quantum attenta ratione negotiationis, temporis, personarum, &c. iuste posset exigi, si expresse celebrarentur omnes iidem antedicti contractus.

Qva tamen in re cauẽda maxime est palliatio mutui vsurarij, quæ continget, nisi à tradente pecuniam, *vt à Petro*, intendatur vera contractus societatis celebratio cum eo cui traditur, *vt cum Paulo*, qui reuera negotietur, atque adsit vtrique verus animus dandi, & accipiendi pecuniam ad eiusmodi societatem; itaut Paulus debeat velle ex tali pecunia negotiari, & Petrus velle, vt ille reuera negotietur. Nam tali voluntate deficiente, quia non agetur ea qua par est fide in adiiciendo contractui societatis duos alios memoratos; nõ poterit tuta conscientia lucrum supra sortem accipi; cũ vt Nauar. *in cit. cap. 17. nu. 258.* recte ait ait, mortaliter peccet is qui in societate pecuniam in certum lucrum dat illi, quem scit non esse ex ea negotiaturum; velut militi, vel Clerico indigentibus. Et ratio est, quia quantumuis addat contractum assecurationis; societas tamen tantum est simulata, velans mutuum vsurarium, in quo salua manente pecunia lucrum capitur nulla iusta causa id excusante.

Porro quo is qui tradit pecuniam in societatem adiectis contractibus assecurationis pecuniæ, & lucri expectati, non habuerit verum animum ineundi societatem; signum esse potest, si ipse illam non iniret, si contractus eiusmodi non adiungerentur. Id enim indicat animum lucrandi ex pecunia salua, sicut sit in mutuo vsurario; nisi id faceret socio vltro cõsentiente, ad euitandam molestiam conficiendarum rationum dati, & accepti, vel certe eo quod sit de eiusdem socij fidelitate incertus, nec facile debeat ei fidere. Quod si diffidendi iustam causam non haberet, & nihilominus sine talibus contractibus adiectis societatem inire omnino recusaret, ne capitale suum exponeret periculo, quod subeundum est in societate, vehemens sane tunc suspicio esset, quod pecuniam non tradat ad societatem, eo modo quo licitum esse diximus, sed mutuum palliatum celebret. Neque aliud auderem in praxi statuere, nisi in aliquo particulari casu tales circunstantias adesse viderem quæ aliud mihi persuaderent. Vnde consequens est, quod etsi non videatur tenenda sententia Caietani existimantis tres prædictos contractus non posse à principio simul cum socio iniri, eam tamen esse hoc nomine commendandam; quod quando ex interuallo post celebratam absolute societatem, celebrantur duo alij contractus assecurationis pecuniæ, & venditionis lucri ex illa sperati, satis constare videtur, quod socius conferens pecuniam, noluerit mutuum palliare, sed veram societatem celebrare.

Notanda pro praxi consentanea explicationi propositæ difficultatis.

400. Cæterum pro praxi quædã notanda sunt circa iam propositam sententiam nostram. Primum est, eam non habere locum si voluntas fuerit mutuandi; quia eo ipso contractus societatis cum assecuratione, tam capitalis, quam lucri sperati, vsurarius est ac iniquus coram Deo.

Secvndvm est, eam posse locum habere quantũcunque antedicti contractus assecurationis non apponantur formaliter societati; dummodo enim adsit voluntas, non nisi licito modo contrahendi, neque maius lucrum petatur q̃ æquum sit pro ratione negotiationis, & aliarum circunstantiarum; sufficiet si illi intercedant virtualiter; vt si is qui appositurus est operas, non curans formaliter adhibere tres contractus, dicat; Da mihi centum aureos ad talem negotiationem, & si velis, in me suscipiam totum illorum periculum, insuperque tibi tale lucrum certum dabo, retento mihi toto, eo quod ex eadem negotiatione prouenturum est. Aut si is qui in societatem tradit pecuniam, simile pactum offerat, in quo virtute contineantur tres dicti contractus, vnus societatis, & duo assecurationis.

Tertivm est, de rigore quidem veram esse talem sententiam, quando pretia assecurationum sunt iusta, & abest voluntas mutuandi: in praxi tamen non esse facile suadendam, aut etiam sequendam, propter periculum defectus veri animi celebrandi sincere societatem. Cui defectui occasionem præbere maxime potest quod prædicti assecurationis contractus, societati ipsi virtualiter tantum apponantur. Accedere etiam potest scandalum, quod quoties, *spectatis omnibus circunstantiis*, ex tali modo contrahendi dari iudicabitur, contractus licite celebrari non poterit, quia, esto, non sit contra iustitiam, erit tamen contra charitatem.

Qvartvm est, per eandem sententiam difficilius exteris excusari, immo vix excusari, posse eos qui semper, & ex omni genere negotiationis, aut artificij, à quacunque persona eandem summam lucri (verbi gratia quinque pro centum) saluo capitali petunt. Vix enim fieri potest, quin ibi adsit mutuandi affectus, immo & plerumque aperta iniustitia; cum oporteat pro diuersitate negotiationis, & temporis, aut loci, in quo ea exercetur, aut personarum à quibus, aut cum quibus exercetur, æstimationem periculi, & spem lucri variari; & per consequens iustum pretium assecurationis, siue capitalis, siue lucri sperati mutari. Quo fit vt nequeat sine iniustitia semper idem seruari; prout recte notatum est à Caietano in tomo 1. Opusculorum, tract. 31. responsione 11. sub finem.

Qvintvm est, ex eadem sententia recte inferri contra Sylu. *Societas 1. quæst. 5.* ab vsura excusari posse contractum societatis cum pacto, quod tertia pars periculi pecuniæ pertineat ad eum qui illam apponit, & duæ aliæ ad eum qui

apponit

apponit operas; dummodo huic ab illo iusta compensatio fiat; tantum, verbi gratia, ei cedendo de lucro eo negotiatione expectato, quantum æstimari potest tale periculum, verusque adsit vtrinque animus negotiandi. Nam si quis potest reiicere totum periculum in socium, id recompensando sufficienter data maiore, *quam esset alias ei debita*, lucri parte, prout antea ostensum est, cur non poterit simili modo in eum reiicere periculum duarum partium capitalis relinquendo ei tot partes lucri, quot sufficient ad compensandam periculi susceptionem? Vsura autem esset manifesta, si quis absque iusta compensatione, vellet capitale sibi pro parte securum esse; quia pro parte etiam interueniret mutuum ex quo lucrum caperetur.

Sextvm est, eidem sententiæ nõ aduersari bullam Sixti V. quæ incipit, Detestabilis, cum damnat societatem initam cum pacto de saluo capitali. Nam intelligenda est, cum tale pactum sit ex vi ipsius societatis; non autem cum fit ex vi alterius contractus ei admixti, vt Toletus qui ei à consiliis erat, respondisse fertur. Et ratio esse potest, quia per hoc non tollitur ratio & iustitia licitæ societatis; per illud autem tollitur. Est enim manifesta iniustitia, si quis eo solo nomine, quod in societatem tradat alteri pecuniam, velit vt se faciat de ea securum. Namque vi solius societatis, ad nihil aliud socii tenentur ex iustitia, quam ad iustam distributionem damni, & lucri; periculo sortis vniuscuiusque remanente apud vnumquemque. Quinimo, vt bene loco cit. notat Caietan. ex vi solius societatis, socius non potest alium socium cogere ad ineundum secum assecurationis contractum; quia id onus est, quo ipse grauari non potest, nisi vltro suaque sponte velit illud subire.

Septimvm est, eidem sententiæ consentaneum esse, quod Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *num.* 257. habet licitum esse legare parocho, aut beneficiariis alicuius Ecclesiæ certam pecuniam, vt illam perpetuæ negotiationi exponant accipiendo quatuor, vel quinque pro centum singulis annis, ex quibus soluatur stipendium dicentibus aliquot Missas, quia id est legare fructum quem talis pecunia etiam manens salua, potest exposita negotiationi proferre, ob adiectos ad contractum societatis duos alios assecurationis iustos. Postremum est, eadem ratione qua admittitur proposita sententia admitti pariter posse, licitam esse societatem, qua is qui operam suam collocat in commune, vult tantum certum quid, & esse prorsus liber à damno. Nam id est societati addere contractum assecurationis, aut potius inire contractum locationis operarum, quo in stipendium accipitur pars lucri ex negotiatione prouenientis, *quemadmodum habent in verbo Societas* 1. *Angelus*, §. 6 *& Sylvest. quæst.* 3. Multa quidem alia ob negotiantium miras inuentiones occurrere possunt dubia de istiusmodi societate, sed de illis eadem ratione ac de præcedentibus iudicandum est; quandoquidem in illis pari ratione expendendum est; an quid illicitum, aut iniquum contineant, necne.

CAPVT XXX.

De societate circa animalia.

SVMMARIVM.

401 *Varij modi quibus societas circa animalia celebratur.*
402 *Conditiones requisitæ, vt societas circa animalia censeatur licita.*
403 *Quod illis concurrentibus sit li ita.*
404 *De societate in qua conseruatur capitale restaurando iacturam animalium quæ moriuntur, substitutione aliorum quæ nascuntur.*
405 *De societate in qua dantur animalia, æstimata pretio, ad quod soluendum obligetur recipiens, etiamsi illa pereant sine vlla ipsius culpa.*
406 *De quadam societate quæ iniri potest cum Monasterio, vel Eccl. sia.*
407 *De societate in qua dantur anima'ia ad certum tempus, plus tunc valitura, quam cum dantur.*
408 *De societate in qua omnium ex fructibus capitale compensatur apponenti illud.*
409 *De societate in qua pericu'um capitalis pro medietate stat apponenti operam, vel industriam.*

DE hac societate quam socidam appellant, latius disserunt D. Ant. 2. par. tit. 1. c. 7. § 39. & quatuor sequentibus, Conrad. de contract. q. 88. Angel. & Sylvest. Societas 2. Tab. vsura 3. n. 6. & 7. Lælius Zecchi in tract. de vsur. c. 7. n. 7. & 8. Gabr. in 4. distinct. 15. quæst. 11. art. 3. dubio 11.

Ea autem contrahitur nonnunquam; animalia, & circa 401.
illa industriam, ac operas in ordine ad lucrum conferendo in commune; quasi cumulo facto ex omnibus, & lucra, & damna ab vnoquoque pro rata partis per ipsum appositæ participentur, eo modo quo expositum est in superiori capite, dubio 2. Nonnunquam vero, quod frequentius est contrahitur vno dante animalia alteri, qui suas operas, & industriam ponat in eis pascendis, & fructibus colligendis ex iisdem. Qui modus adhuc varius est, vt patet per tradita loco cit. ab Angelo, & Sylu. Nam in eam societatem interdum conferuntur animalia cum aliquo prædio ad illius culturam; vt quando villico pauperi traduntur boues, aut equi quibus agros colere possit. Item aliquando traduntur firma, & certa in omni euentu. id est, cũ conditione, vt si pereant, quocunque casu id fiat, illorum iactura resarciatur per accipientem. Aliquando vero traduntur non certa; itaut pereuntia absque lata, vel leui culpa recipientis, pereant danti.

Quorum tamen modorum priore non celebratur vere contractus societatis, sed potius, *vt recte notat Sylvester*, contractus venditionis. Qui vt cẽseatur licitus, requirit vt dans nihil accipere possit præter iustum pretium; itaut de fructibus adhuc participans, vsuram committat palliatam: nisi ille cui dedit, moram trahat in soluendo idipsum pretium, & nihilominus percipiat fructum ex animalibus emptis; quo casu accipi potest aliqua pars fructuum tanquam interesse, quemadmodum loco cit. habent *Angelus* §. 9. *& Sylvester* q. 4. Quod intellige cum distinctione ante tradita nu. 301. Item aliquando ille qui animalia confert, certum stipendium soluit ea recipienti: aliquando vero recipiens dat certum quid animalia ponenti; quod vtrumque locationis contractus potius est quam societatis, cum illud sit conducere operas, & istud sit conducere animalia.

Iam vt socida censeatur licita, tres conditiones requi- 402.
runtur. Prima est, vt animalia in societatem collata sterit periculo ea ponentis: quoniam ex vi societatis ipse retinet illorum dominium; quo fit, vt pereuntia debeant ei, tãquam domino, perire; nisi interueniat contractus assecurationis eorundem animalium; ea ratione factus, qua in superiori capite habitum est fieri contractum assecurationis pecuniæ capitalis. Aut nisi interueniat pactum, vt periculum quocunque modo contingat, sit commune; facta ob id compensatione iusta recipienti: qui quidem non tenetur alioqui illud subire, si nulla sua lata, vel leui culpa (de qua vtraque vnumquemque socium teneri habitum est in præcedenti num. 374.) contingat animalia ipsa perire.

Secunda conditio est, vt ex vi talis contractus lucra, & damna communia sint ex æquo, pro rata sortis vniuscuiusque socij; perinde ac in societate circa negotiationem dictum est in proxime præcedenti capite.

Tertia est, vt nullus sociorum oneretur plus alio, ex vi talis contractus, sicut censetur onerari cum minimum est pretium, quo æstimantur animalia data in societatem, aut is qui operas ponit, iustam earum mercedem non accipit iudicio boni, peritique viri, aut cogitur soluere pensionẽ intra gram eo tempore quo animalia in societatem accepta, fructum suum proferre desierunt, sine vlla sua culpa, aut ob culpam apponentis, aut ob aliquem casum fortuitum, prout docet Nauar. *in Enchi. c.* 17. *n.* 260. aut demum periculũ animalium quocumque modo eueniat, cogitur subire, sine iusti pretii compensatione, aut subire eiusdem periculi partem; non facta ideo diminutione pensionis in iustam compensationem, ex eod. ibid. Et ratio est, quia aperte inter socios contingeret inæqualitas, qua vnus præ alio grauaretur contra iustitiæ commutatiuæ æquitatem; & ideo cum peccato & obligatione ad restitutionem.

Atqve conditionibus hisce concurrentibus dubium nõ 403.
est quin licite iniri possit societas circa animalia in ordine ad lucrum, & ad fructus ex illis percipiendos. Si enim pecunia in societate circa negotiationem, deseruire potest ad percipiendũ ex ea lucrum; poterunt sane potiori iure in hac

quoque societate deseruire animalia, quę ex se reddunt fructus pecunia estimabiles. Quod quidem apertissimum est in societate ea, in qua plures socij emerunt animalia communia, & expensas omnes soluerunt, ac inter se fructus, & lucra diuiserunt secundum proportionem capitalis ad capitale, quod quisque apposuit; atque secundum eandem proportionem ad expensas contribuerunt, ac periculum capitalis in se susceperunt. Nam dubitari non potest quin talis societas sit licita: ad quam, vt ad regulam examinari debent cæteræ. Sed interea aduerte variationem in aliquo, aut in aliquibus eorum, quæ ad illam concurrunt, non impedire quo minus ipsa sit iusta, quando illud in quo variatio cõtingit, sufficienter aliunde compensatur; quia vt sine compensatione efficietur iniusta; sic ea interueniente, constituetur æqualitas quam iustitia commutatiua exigit.

Cæterum animalia quæ in societatem traduntur, alia sunt minora, quæ in valore matres æquant intra annum; vt oues, capræ, sues: alia vero minora, quorum fructus annuus ordinarie non ascendit ad valorem matris. Atq; societas circa hæc inita, communiter durat quinque annos: inita vero circa illa tres tantum annos.

Cætera quę de hoc societatis genere in cõmuni addenda viderentur, satis nota esse possunt ex dictis in duobus præcedentibus capitibus. Quę autem in particulari sunt addenda, spectant ad pactiones quibus ipsum vestiri solet. Atque constat quidem seruandum esse in eo illud quod inter socios iusta pactione conuentum fuerit: sique nihil conuentum sit, standum esse consuetudini loci, nisi prudentium arbitrio, ea censeatur peruersa. Multa sunt tamen dubia, quæ in particulari mouentur de plerisque pactis, sintne vsuraria, aut iniusta: quæ omnia persequi non est necesse; sed sufficiet quæ frequentiora sunt attingere: quandoquidem ex antedictis in communi, & ex eorundem frequentiorum sequenti explicatione, erit facile, *dispectu ac ponderatu circumstantiarum*, satisfaccre cæteris quæ occurrerint.

Dubia de proposita societate.

PRIMVM ERGO DVBIVM EST; an licitum sit contractus quo tradit quis pastori, aut alteri rustico centum oues his conditionibus. Prima, vt illas pascat, & custodiat: secunda, vt cõseruentur semper in eo numero; mortuas restaurando ex earum fœtibus: tertia, vt in fine cuiusq; anni ex earundem fœtibus residuis accipiat mediam partem.

404. Respondendum est ex Syluestro *Societas 2. quæst. 9.* talem contractum non esse vsurarium: quia nulla est in eo conditio de saluo capitali, itaut eædem oues si absque fœtu pereãt morte naturali, aut casu fortuito, danti pereant tanquam domino, non autem recipienti. Esse vero iniquum, quia perinde initur, ac si oues de se essent immortales. Quod tamen aduerte tantum procedere, quando dominus, & pastor, seu rusticus non fuerint æqualiter expositi dammo, & lucro: sed rusticus grauari inueniatur; vt quando media illa pars residuorum fœtuum, sæpe minus valet quam ipsius opera, & industria mereatur; non item quando sæpe eadem pars operas ipsas, & industriam pastoris excedit. Cæterum, vt in hac re procedatur tutiore conscientia, consultum esset, vt dominus conduceret pastoris operas certo prætio illis æquiualenti, boni peritique viri arbitrio.

SECVNDVM DVBIVM; an licitus sit contractus quo aliquis centum oues certo pretio æstimatas dat alicui cum pacto, vt de earum fœtu aliquid ei tribuat, & adhuc reddat pretium quo fuerint æstimatæ, etiamsi nulla sua lata, vel leui culpa, sed casu fortuito aut morte naturali perierint.

405. Ad quod respondendum est in Sylu. *in præcedent. q. 4. & Tabien. vsura 3. n. 6.* contractum esse vsurarium, quia in eo casu dominus vendit illas oues rustico, ei dans mutuo illarum pretium, & ex tali mutuo accipiens lucrum, quod vsurarium est. Immo etiamsi id fiat solum, vt accipiens reddatur diligentior, sine intentione illum reuera obligandi, aut aliquid ab eo accipiendi, illicitum est, tanquam scandalizatiuum, vt habet Sylu. quæst. 7. concl. 2.

TERTIVM DVBIVM; an bonus sit contractus, quo quis Monasterio, vel Ecclesiæ tradit centum oues cum pacto, quod pro singulis accipiet quotannis duos solidos tota sua vita, siue omnes, siue plures interea moriãtur: quotquot autem ipso defuncto manserint, eiusdem Monasterij sint, vel Ecclesiæ.

Ad quod idem Sylu. *in præced. quæst. 3.* respondet, bonum esse contractum, dummodo absit dolus, & fraus omnis, qualis esset si oues morbo aliquo inficerentur, vel essent morti vicinæ, neque recipientes ad id aduerterent. Ad cuius responsionis confirmationem facit; quod in eo idem fere cõtingat, ac cum quis Monasterio, Ecclesiæ, Capitulo, aut Hospitali donat sua bona, aut eorum partem, vel pecuniæ summam cum onere, quod semet, vel alium sustentabit tota ipsius vita, ipsoq; mortuo habeat omnia quæ supersunt. 406.

QVARTVM DVBIVM; an licitus sit contractus quo Titius animalia Sempronio dat, vt ea suis expensis, industria, & cura nutriat, curetque vt fructus, & fœtus edant; dat inquam cum pacto, quod in fine quatuor, aut quinque annorum ea vendantur, & Titius suum capitale accipiat, si saluum fuerit; reliqua vero ex æquo diuidantur.

Ad quod respondetur, licitũ esse, prout expressit Tabien. *vsura 3. num. 7.* dummodo animalia ipsa exposita sint periculo Titij, ad nihilque teneatur Sempronius, si illa in ipso fine minus valeant, *quod est periisse ex parte*, vt nec si in totum periissent; atque media illa pars lucri probabiliter expectati, sit iusta merces operarum quas Sempronius ponet, & compensatio expensarum quas faciet. 407.

QVINTVM DVBIVM; an licitum sit animalia in societatem tradere alteri ea lege, vt lucrum sit commune; sed qui illa accipit, de hoc nihil capiat, donec iustum eorumdem animalium pretium ex ipso lucro sit domino refusum.

Ad quod respondet ex D. Anton. Nauar. in Enchir. *cap. 17. num. 261.* talem contractum esse licitum, dummodo ea animalia perierint ante recuperatam sortem, pereant domino, non autem ea recipienti: nisi id contigisset sua lata, vel leui culpa, iuxta antedicta. Sylu est tamen *vsura 2 quæst. 7. concl. 5.* putat in eo committi iniustitiam, etiamsi non committatur vsura, quia si post dictam recuperationem sortis statim perirent omnia animalia, socius qui operas apposuit, perderet omnino illarum fructum. Sed quia alter quoque perdit æqualẽ fructum ex suis animalibus; iuste *ve supponimus*, per societatem expectatum; par est vtriusque conditio, eo modo quo expositum est in præcedenti numer. 391. 2. Quatenus in re vt iustitia seruetur, requiritur, vt tanto maior portio lucri sperati debeatur rustico, quanto plus ei impendet periculi perdendi suam operam, & impensas ab ipso faciendas. Id enim requiritur ad æqualitatem proportionaliter seruandam in societate. 408.

VLTIMVM DVBIVM est; an liceat dare rustico oues hoc pacto, vt si illæ perierint, ipse ex æquo cum eas apponente particeps sit damni: si vero non perierint, fuerintque multiplicatæ, extrahatur capitale, & detur apponenti; ac deinde lucrum inter eos æqualiter diuidatur.

Ad hoc respondendum esse quod non liceat, patet, quia in tali contractu rusticus minis grauatur: quandoquidem ipse perdit tam mediã partem sortis, quã operas appositas; cum alter socius amittat solummodo dimidium sortis: vnde fit vt socij contra naturam contractus societatis non sint in damno sustinendo æquales. Neque satisfaciet quis dicens in tali contractu contineri virtute alium venditionis talium animalium pro media parte; perinde ac si illa apponens, rustico operam, & industriam appositurο daret mutuo dimidiatam partem pretij eorumdem animalium, & ipse alteram adderet ad illa eadem coniunctim emenda. Nã si ita sit, vsurarius erit contractus, in quo videlicet, ob mutuo datam illã medietatẽ accipitur pretium ratione mutui: sti pẽdium, inquam, rustico debitum pro parte operæ, & industriæ ac expensarum, quas fecit nomine alterius socij: qui sicut particeps est commodorũ pro medietate, debet esse & onerum. Quod si quis dicere malit, in tali contractu virtute contineri alium assecurationis; concedemus locum esse posse propositæ societati; dummodo in ea res sic ad æqualitatem prudentis arbitrio redigatur, vt rusticus accipiat iustam mercedem operę, & industriæ suę, ac expensarum iustumque pretium oneris quod subit, suscipiendi in se mediam partẽ periculi. Id quod in proposito contingere dici non potest: nisi constet tantũ fructus percipi ex ipsis animalibus, vt æqualeat tam pensioni quæ domino soluitur, quam mercedi 409.

rustico

rustico debitæ pro ipsius opera, industria, & expensis: ac etiã pro iusto assecurationis pretio, Si enim secus accidat, violatur illa generalis regula iuris. Secundum naturam est, commoda cuiusque rei eum sequi, quem sequentur incommoda. Quæ regula est 10. ff. De regulis iuris. Violatur etiam illa specialis passim recepta ab authoribus in hac materia. Quod quantumcunque alia, atque alia pacta adiiciantur in societate, tam lucrum, quam damnum debeat esse commune, atque portiones lucri, ac damni debeant spectato periculo, cæterisque circunstantiis ita distribui, iuxta quantitatem rerum contributarum; vt is qui cæteris paribus plus contribuit, maiorem portionem recipiat, æqualem vero, qui æqualiter contribuit, cum sit consentaneum partes lucri proportionaliter respondere partibus in societatem collatis: grauaminibus omnibus interea compensatis. Quod quidem curandum est, quia societas alioqui erit, aut vsuraria, aut saltem iniusta: atque adeo laqueus de quo Apostolus in priori ad Timoth. cap. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diabolí.

TRACTATVS V.

De censibus & Cambiis.

Hic tractatus præcedentibus proxime subiungitur; quia census & cambium ratione aliquam habent venditionis & emptionis. De censibus autem agunt Theologi scholastici in 4. distinct. 15 potissimum Gabriel quæst. 12. Sũmularij in verbo cẽsus, & in verbo vsura. Cõradus de cõtractib. àquæst. 73. ad 87. Medina in Cod. De acquisitis per vsurã quæst. 11. & deinceps. Sotus lib. 6. De iustitia & iure quæst. 5. Nau. in cõment. De vsuris à notabili 22. vsq; ad finẽ, & in Enchir. cap. 17. num. 232. & quatuor sequentibus. Couar. in lib. 3. variar. resolut. à cap. 7. ad 11. Angelus in 2. parte florũ Theol. quæst. De censibus. Gregor. à Valẽtia 2. 2. disput. 5. quæst. 22. Lud. Molina de iust. & iure tract. 2. à dispu. 381. ad 395. Leon. Lessius lib. 2. De iust. & iure ca. 22. Ferdinãdus Rebellus de obligat. iustitię par. 2. lib. 10. De cãbiis vero agunt Theologi loco citato. Sũmularij in verbo Cambiũ aut Campsor: adhucque Angelus in verbo vsura 1. à n. 51. Tab. vsura 15. Sylu. vsura 4. Rosel. vsura 6. Caiet. in tomo 2. opusc. tract. 7. Med. in Cod. De acquisitis per vsurã, à quæst. 5. ad 10. Conrad. De contractibus quæst. 99. Sotus lib. 6. De iust. & iure quæst. 8. & sequẽtib. Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 283. vsq; ad finẽ; Couar. in collatione veterum numismatum cap. 7. Angles loco cit. quæst. De cãbiis. Gregor. à Valent. in sequen. quæst. 23. Molina à sequenti quæst. 396. ad 410. Lessius in sequenti cap. 23. & Rebellus in sequen. lib. 11. Ad aliquot autem quæstiones reuocabimus ea quæ videntur hic tradenda.

CAPVT XXXI.

De natura & conditionibus census.

SVMMARIVM

410 *In quo consistat natura census.*
411 *Quatuor conditiones iure naturæ seruandæ in emptione censuum.*
412 *Collectæ ex Extrauagantibus Martini V. Calix'i III.*
413 *A Pio V. in bulla relata à Nauarro plures assignatæ.*
414 *Quarum obseruatio non sit necessaria, vbi eadem bulla nec recepta vsu, nec publicata.*
415 *Census vsu frequens licitus, in quo aliquot eiusmodi conditiones non seruantur.*
416 *Census vtrinque redimibilis licitus quidem est in speculatione, sed in praxi vitandus tanquam pernitiosus.*
417 *Quatenus liceat venditorem census cogere, vt præter rem ipsi censui subiectam, alia sua bona in pignus obliget, vel fideiussorem det.*
418 *Quatenus licitum sit pactum, vt post quadriennium mutetur res subiecta censui.*
419 *De contractu quo dominus famulo non valens soluere notabilem summam ei debitam, constituit eidem certam pensionem annuam, & de contractu simili quo debitor non valens soluere creditori, constituit ei censum annuum.*
420 *De contractu, vt pereunte re census suppositæ, manear persona venditoris obligata ad solutionem pensionis annuæ.*
421 *De censu constituto super domum, aut molendinum quod corruit.*
422 *De censu constituto super rem iam satis oneratam.*
423 *De censu constituto authoritate Iudicis condemnantis.*
424 *Explicatio dubij, an census redimi possit ex parte.*

QVÆSTIO I.

Quid sit census.

VARIIS modis census dici videre est apud Couar. initio citati cap. 7. libri 3. variar. resolut. & apud Lud. Molinam in citata disput. 381. hic autem sumitur prout est contractus; cuius natura cõsistit in eo quod sit ius exigẽdi pensionem de alterius re vtili emptione acquisitum. Intellige autem iuris nomine facultatem seu potestatem faciendi aliquid secundum iustitiam, seu titulo iusto: qualis in censu est ex emptione; non quidem pensionis, *vt quis existimauerit*; sed iuris eam exigendi. 410.

Nomine pensionis vero, intellige vtilitatem pecuniariam aut fructuariam, quæ emptione, & venditione prædicti iuris acquiritur in re frugifera; cuius dominus immediatum ius habet in fructibus eius, & mediatum in pecunia quę ex iisdem fructibus distractis confici potest; ideoque in se suscipere potest onus soluendi pensionem, sicut fructuariam, ita & pecuniariam illius vice.

Nomine demum rei vtilis alterius, intellige rem ex qua venditor census potest reuera, legitimeque vtilitatem percipere, siue ipsa sit res immobilis: vt fundus, domus, flumen, sylua, portus, fodina metallica, annui reditus, & alia similis ex qua emolumẽtum percipitur: siue etiam mobilis, vt grex ouium, armentum boum, &c. dummodo eo ipso res statum lucrosum habeat, quemad. Medina notat *in Cod. De acquisitis per vsuram quæst. 11.* Et confirmatur: quia ius percipiendi vtilitatem ex re quæ nullam potest reipsa gignere, fictitium est. Census vero censetur eius generis esse, quando non consistuitur in re fructifera. Quare fictitius, meraque vsura palliata esse, existimari debet. Quod idem pariter dicendum est de censu fundato in re non præstante domino suo tantam vtilitatem, quanta est pensio soluenda: quandoquidem vt se habet totum ad totum, sic se habet pars ad partem: nec potest quisquam vendere, aut pendere vtilitatem, quam non potest percipere.

Atq; facile potest ex his distingui contractus censualis à mutuo, locatione & emphyteusi, cum quibus habet similitudinem. Cum enim per mutuum transferatur dominium cum obligatione tantumdem restituendi; per censualem contractum transfertur tantum ius exigendi, & percipiendi pensionẽ, sine necessaria obligatione restituendi capitale, si pensio ipsa soluatur. Itẽ cũ in locatione, & emphyteusi pẽsio accipiatur ex re propria, in cẽsu accipitur ex re alterius. Aduerte autem obiter, à Doctoribus in hac materia frequenter accipi nomẽ census, vt pro iure exigendi pensionẽ, sic & pro ipsa pensione. Itẽ eũ qui pensionẽ soluit, censuariũ, & eũ cui soluitur, cẽsualistã dici à nõnullis: quos imitari nõ pudebit.

QVÆSTIO II.

Quas conditiones census requirat vt sit licitus.

DE iure naturali quatuor conditiones in emptionib. cẽsuum seruari debent. Prima, vt census fundetur in re frugifera: hoc enim in præced. quæst. satis aperta ratione probatũ est. Secunda, vt ematur iusto pretio: hoc enim ex D. Thoma 2. 2. *q. 77. art. 1.* necessarium est ad omnem emptionis & venditionis contractum. Tertia, vt si res censualis aut in totum, aut in partẽ pereat, aut sterilis fiat absque culpa & malitia censuarij, cesset census pro rata; cessante scilicet vtilitate ad quã percipiendã dicebatur esse ius: atq; adeo sublato fundamento, quo idipsum ius nitebatur. Confirmatur quia sic natura comparatũ est (nisi periculari cõtractu aliud iuste caueatur) vt res ita domino suo pereat, quod ipsa pe- 411.

nitus

nitus extincta, is qui dominium habuit directum, perdat illud: itemque cessante ipsius vtilitate, similiter dominium ipsum vtile perdat is, qui habuit illud, prout in re censui subiecta censetur habuisse is, qui censum emit.

Accedit authoritas (quam aduersus Couar. vrget Molina *disput.* 383. *vers. Hinc. constat*) Extrauagantium post memorandarum, tum Martini V. & Calixti III. in quibus dicitur pereuntibus possessionibus, in quibus census erat constitutus, nullam competere actionem emptoribus census, ad recuperationem pecuniæ: tum etiam Pij V. vbi is aperte statuit pereunte re super quam census collocatur, aut infructuosa reddita, censum quoque ipsum perire. Accedit quoque ratio à pari, quia sicut seruitus, ita & census in re in qua cõstituitur, hæret tanquam in fundamento: quo sublato necesse est corruere illud quod in eo fundatur, iuxta Cap. Cum Paulus 1. qu. 1. Idem aduersus Sotum bene tuetur Nauarrus in Comment. de vsuris n. 74.

Neque obstat, quod in vsu sit, vt exigatur census, quantumcumque res ei subiecta fructum non reddat in aliquo anno, quia tunc res non desinit omnino vtilis esse: sed si cessat ferre fructus vno anno, feret alio. Adde quod in emptione census nõ emantur fructus quos res ei subiecta feret singulis annis, sed ius percipiendi pensionem ex illius fructibus: prout bene notat Sotus in lib. sexto De iust. & iure, *quæst.* 5. *art.* 1. *concl.* 5. Itaque aduerte propositam conditionem intelligendam esse de re quæ in perpetuum periit, vel infrugifera est reddita. Omnium enim confessione, teste Leon. Lessio de iust. & iure *lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 88 si res censui subiecta secundum nullam sui partem est absolute effecta infrugifera, in perpetuum ea manet secundum se totam, & secundum omnes sui partes obligata pro tota pensione. Et ratio est *quam habet Molina in citata disput.* 383. *vers. Constat deinde*: quia emptor census nollet alioqui contractum sic celebrare: exponendo nimirum se discrimini, vt si res subiecta censui transiret ad diuersos possessores, cogeretur à singulis exigere partem census, cum magno suo labore, & non sine detrimento.

Postrema conditio est, vt inscio emptore census, dominium rei quæ censui subiicitur, venditor non transferat in alium, à quo pensio soluenda, ægre minusque secure soluatur, alioqui enim fieret eidem emptori aperta iniuria, propter impedimentum & grauamen, quod subiret ad obtinendam solutionem sibi debitam. Quod ex Soto in sequen. art. 3. annotans Gregor. à Valen. 2. 2. disput. 5. quæst. 22. puncto 7. addit quod si venditor rem censui subiectam velit transferre in aliquem, à quo æque tuto possint recipi pensiones, is non videatur iure naturæ teneri ad consensum ab emptore petendum, cum nullum inde immineat ei periculum: ne si quidem pluribus diuisim vendatur; cum ex Nauarro in comment. De vsuris numer. 114. possit à quocumque illorum voluerit, exigere totam pensionem, quandoquidem consentaneum non est ex tali diuisione conditionem ipsius deteriorem fieri.

412. De IVRE autem positiuo, plures iis conditiones requirit venditio censuum. Namque ex Extrauagantib. Martini V. & Calixti III. inter communes, tit. De emptione & venditione, habentur octo, vt notatum est à Nauar. in citato commentario n. 72. reuocat ad sex per Barth. Carranzam in summa Conciliorum post Concilium Floren. quarum prima est, vt res super quam census fundatur, sit fructifera, certa ac determinata. Secunda, vt eadem res tot habeat fructus quot respondeant pensioni annuæ soluendæ. Tertia, vt pereunte eadem re in toto, vel ex parte, pereat etiam census in toto vel ex parte pro rata. Quarta, vt pretium sit iustum. Quinta, vt semper sit liberum venditori census, eum redimere. Vltima, vt venditor ipse cogi non possit ad redimendum censum venditũ. In quibus discutiendis non est necesse nos immorari, quia exceptis iis quas diximus esse de iure naturæ, non sunt de necessitate seruandæ: cum, *vt loco citato aduigit Nauarrus, & clarepost eum expresse Lud. Molina in citato tract. 2. disput. 389. non longe ab initio*, Prædictorum Pontificũ mens tantum fuerit approbare quosdam census, cum certis quibusdam conditionibus, *de iure naturæ alioqui non necessariis*, institutos, ac relatos in iisdem ipsorum Extrauagantibus, non autem, *prout aduertit Sotus in antememorato art. 1. sub fi-*

nem, exigere eiusmodi conditiones in omnibus censibus, ac condemnare de peccato, quotquot caruerint aliqua earum.

Ex BVLLA vero Pij V. *relata à Nauar. in Enchir. cap.* 137. 413.
num. 24. *& in memorato comment. n.* 84. habentur adhuc plures. Prima, vt census constituatur super re immobili, ac certis finibus, *& vt vocant* confrontationibus designata. Secunda, vt sola illa res maneat illi censui subiecta. Tertia, vt pretium iustum detur: quæ est de iure naturali. Quarta, vt totum pretium simul soluatur. Quinta, vt venditor possit redimere censum, siue quoad totum, siue quoad partem, quãdocumque voluerit, non obstante quacumque præscriptione, aut pacto in contrarium. Sexta, vt venditor non obligetur ad redimendum. Septima, vt re censuali pereunte census pereat. Octaua, vt res censualis tantum reddat, quantus est census. *Quæ vtraque est de iure naturali.* Nona vt pretium census soluatur in pecunia numerata coram Notario, & testibus qui videant illam tradi. Decima, ne fiant anticipatę solutiones pensionum, neque in pactum deducantur: seu ne venditor cogatur soluere pensionem nisi pro rata temporis elapsi. Quæ conditio de iure naturali est; eaq; patet emptorem non posse dum pretium numerat detrahere pensionem primi anni per modum anticipatæ solutionis, nempe elapsa parte temporis, posse amplius exigere, quam pensionem illi parti respondentem. Vndecima, ne venditor census obligetur ad casus fortuitos, quia est contra naturam talis contractus, vt percipiantur fructus quando nulli omnino sunt: secus vero si percipiantur aliqui, etiamsi pauci: ex illis enim emptori satisfaciendum est. Duodecima, ne fiat pactum restringens venditori facilitatem alienandi rem censui subiectam, nec quidquam soluendi pro consensu, & facultate alienandi, facta ab emptore. Decimatertia, vt si res subiecta censui vendenda sit, dominus census præferatur aliis: eique omnes rei venalis conditiones explicentur, & totus mensis insuper expectetur. Decimaquarta, vt census non augeatur pensionibus non solutis, aut non soluendis: nec nouus statuatur, aut augeatur super eadem re, vel diuersa. Postrema, ne fiant pacta determinantia venditori solutionem onerum, ad quæ ipse de iure, & ex natura contractus non tenetur. Harum discussionem qui volet videre, poterit apud Lud. Molinam in eodem tractatu 2. disput. 389. 390. 391. & 392. & apud. Ferdinandum Rebellum, De obligationibus iustitiæ lib. 10. quæst. 6. 416.

Eam enim breuitatis studio omittere possumus, quoniam bulla eiusmodi obligat quidem quoad illa quæ continet iuris naturalis, *quandoquidem talia neque non vsu, neque contrario vsu tolli possunt, ex Cap. finali, De consuetudine*: quoad illa tamen quæ tantum sunt iuris positiui, non obligat eos apud quos eadem vsu recepta non est: immo potius est contrario vsu repudiata. Non vsum enim, aut contrarium vsum sufficere ad tollendam legis humanæ vim, habetur ex cit. cap. fin. & ex cap. In istis, dist. 4. Qua de re Nauar. in citato comment. *n.* 106. *&* 107. Accedit cp ea ipsa bulla nihil contineat, vnde sufficienter colligatur mentem Pontificis in alia ferenda, fuisse vt obligaret ante illius promulgationem, & receptionem in prouincia. Neque probabile est prudentissimum Patrem instituisse perturbari alios Principes in sua iurisdictione temporali, aliam formam rationi minime repugnantem sequentes censibus constituendis. Accedit etiam, quod circa easdem conditiones vix occurrant difficultates. Eiusdem bullæ explicationem si quis optet, illam inueniet apud Nauar. in antea memorato comment. num. 84. 414. 415.

Cæterum circa formam vsitatam in his regionibus, occurrit monendum eidem bullæ repugnare; quod census non in re certa, sed indifferenter in omnibus bonis venditoris instituatur, & cautio fideiussoria exigatur, nec redimi possit per partes (nisi aliter conuentum sit) sed totus simul redimi debeat: eam nihilominus non esse de peccato propterea condemnandam: nam vt secuti Nauarrum *in sequent. n.* 106. notant Gregor. à Valent. 2. 2. *disput.* 5. *quæst.* 22. *puncto* 2. *sub. fine*, & Lud. Molina, *in citata disput* 392. *sub initium*, mens Pontificis non fuit declarare, iniquitatis vsurariæ illos reuera esse reos, qui in emptione census non seruarent omnes prædictas conditiones: sed ipsos esse præsumendos vsurarios, quod pertinet ad forum externum: quandoquidem

in fo-

in foro conscientiæ non est locus præsumptioni, quando veritas est ei contraria: vt ibidem probat Nauar. per Cap. Tuanos, De sponsalib. & Cap. Humanæ aures 12. quæstio. 5.

Itaque is qui seruatis omnibus conditionibus de iure naturali necessariis ad iustitiam census, eum emerit, potest in conscientia tutus esse ab vsuræ labe: etiamsi alias ab cod. Pontifice positas omittat, & addat eis contrarias, dummodo non repugnantes iuri naturali: sicut non repugnant illæ, quas proposuimus. Nam posse ab aliquo licite vendi censum ex omnibus suis rebus, nullam certam determinando, ratio manifesta ostendit, quia vere habet ius percipiendi vtilitatem ex omnibus rebus suis indeterminate. Ergo potest illud idem vendere, prout docent Maior, Medina, Sotus, & Couar. quos citat & sequitur Gregor. à Valen. *in memorato puncto, ver. s. Tertio sequitur.*

Præterea iudicio omnium, contractus fideiussionis est licitus, sicut & alterius assecurationis. Ergo sicut aliis contractibus assecuratio per fideiussionem licite coniungi potest, poterit quoque eadem adiungi emptioni census. Sicque iudicatum esse in disceptatione doctissimorum Theologorum habita Romæ se præsente anno Domini 1581. tradit idem Gregor. in sequen. puncto 6. sub finem. Addens tamen rem esse periculosam, & ideo minime suadendam: Immo vero dissuadendam ne surrepat intento vsurario, qua intendas obligatum habere venditorem ad reddendum pretium à te acceptum, lucratis interea pensionibus non deducendis in sortem.

Postremo, pactum vt census redimi non possit nisi totus, non esse à ratione alienum postea docebimus, estque expressa doctrina Soti in lib. 6. De iust. & iure quæst. 5. art. 3. concluf. 4.

Dubia propositæ quæstioni annexa.

SVNT quædam conditiones, cum quibus an licite census celebretur, dubitatur: vnde vt propositæ quæstioni plene satisfiat, explicanda sunt sequentia dubia.

416. PRIMVM EST. An licitus sit census vtrinque redimibilis, seu factus cum conditione, vt emptor ad illum redimendum possit cogere venditorē, sicut venditor potest cogere emptorē ad illum reuendēdum? De qua re sententia est Soti *in cit. art. 3. concl. 1.* censum cum ea conditione esse vsurarium. Contrarium autē tenent Ioannes Maior, & Gabriel in 4. dist. 15. *ille q. 43. & 44. in fine, & hic q. 12.* ac Medina in Cod De acquisitis per vsuram, *quæst. vltima post medium*, & Conrad. De contractibus *quæst. 84. concl. 5. in fine, & corol. 1.* quos commemorat & sequitur Gregorius à Valent 2. 2. *disput. 5. quæst. 21. puncto 6. col. 3.* Addens in consultatione multorum Theologorum peritissimorum, habita Romæ anno Domini 1581. id ipsum fuisse iudicatum probabile: pro quo & bonas rationes adfert. Sufficit autem nobis satis patere, quando census fuerit constitutus super rem certam, pereunte enim illa re antequam redimatur census, perit pariter ac perditur tota summa capitalis: quod quidem fieri nequit in vsura, in qua capitalis summa, semper est certa. Deinde quantumcumque eiusmodi census esset super omnia bona, id tamen non obstaret quin sicut emptio cum pacto retrouendendi est licita, sic & emptio cum pacto redimendi, quādo vtrumque pactum de mutuo consensu fuerit factum cum iusta compensatione oneris quod venditori in eo imponitur. Itaque obseruandum est, quia in tali contractu venditor oneratur, pretium in eodem debere augeri quantum requiritur ad tale onus compensandum: vt si in censu redimibili ex parte solius venditoris, iustum pretium sit ad rationem 8. vel 10. pro 100. in censu vtrinque redimibili, pretium iustum censeatur ad rationem 5. vel 6. pro 100.

Cæterum merito Medina loco citato monet tale pactum minime suadendum esse in praxi propter scandali periculum, cum ipsum quandam vsuræ speciem habeat, facileque sit incautos & lucri auidos per illud velare mutuum vsuraritum. Adde, & esse plane dissuadendum, vbi lege prohibetur, vt in hac regione, in qua venditoribus tantum conceditur ius redimendi censum venditum: non autem emptoribus, ius compellendi eos ad redimendum: quia talis lex obligat in conscientia, sicut cæteræ ciuiles legitima authoritate, ob publicum bonum rationabiliter latæ: ex communi doctrina tradita in præced. libro 13. tract. 4. tit. 1.

SECVNDVM DVBIVM EST. An licite fiat, quod passim emptor census cogit venditorem vt præter rem censui suppositam, alia sua bona loco pignoris seu hypothecæ obliget, aut fideiussores sibi det? Ad quod respondendum est, id posse varie fieri. Primo enim aliquando fit in hunc finem, vt si res censui suppositа pereat, ea bona loco illius obligata maneant, istudque est contra emptionis & venditionis, atque adeo census naturam. Nam si res empta pereat, debet in damnum emptoris perire. Adde quod id perinde esset, ac si quis sub ea conditione domum emeret, vt quandocumque rueret, venditor teneretur illam reædificare. Secundo fieri potest ad assecurationē rei emptæ, hoc sensu, vt si forte res censui suppositа prius sit subiecta alteri censui, aut sit res aliena, res posterius suppositа teneat illius locum. In quem finem licet venditorem census obligare ad hypothecanda, seu danda in pignus alia sua bona, aut etiam subiicienda censui, ne emptor aliqua fraude ab eodem venditore circumueniatur, siue rem ipsam censui subiectam vitiando, siue alij censui illam subiiciendo, siue per negligentiam sinendo eam perire. Tertio fieri potest ad euitanda damna, & pericula quæ emptor census potest incurrere, ob non solutam à venditore pensionem annuam: tuncque talis obligatio licite exigitur; quia nec est contra naturam census, nec contra prædictas bullas Martini V. & Iulij III. atque cuique contrahenti cum altero conceditur, se ab eo indemnem seruare. Aduerte obiter differre inter rem subiectam censui, & rem hypothecatam in censu. Quod illa pereunte, census extinguatur; non item hac pereunte, sed tantum desinat esse securus. Item quod re censui subiecta transeunte ad tertium, is debeat soluere pensionem annuam, *quandoquidem res transit cum suo onere seruitutis & obligationibus*, non autem transeunte re hypothecata, cum non sit ea ex qua pensionem exigendi ius habetur, sicut est illa alia. 417.

TERTIVM DVBIVM EST. An licite apponatur conditio qua venditor census teneatur intra quadriennium aliam rem nouam supponere obligatam censui; siquē intra illud tempus id non faciat, emptor census habeat liberam facultatem repetendi id quod dedit in pretium census? Ad quod respondendum est, primo eam conditionem vbi est in vsu; fuisse introductam bono fine; nempe euitandas fraudes, quibus aliqui imponebant emptoribus censuum, subiiciendo eisdem censibus res simil. bus oneribus iam subiectas, aut alienas, aut dubias; quæ quidem fraudes intra quadriennium detegi poterant ac solebant. Secundo, nunc quoque vbi similia pericula probabiliter timerentur, *sicut solet maxime initio contractus*, licite posse talem conditionem exigi: quia venditor iure naturali tenetur vendere rem tutam, certam, & sine vllo vitio. Non posse autem vbi pericula non timerentur, cum sit contra naturam contractus, vt duæ res obligentur censui, si vna est reuera sufficiens. 418.

QVARTVM DVBIVM EST. An licitus sit hic contractus. Sempronius debet suo famulo mille aureos nummos pro stipendiis seruitij ei præstiti, quos non potest facile & commode soluere; atque ne famulus ipsum infestet, compellendo statim soluere, eidem promittit annuam pensionem soluendam quotusque prædictam summam mille aureorum tradiderit? Ad quod respondetur, talem contractum reduci posse ad censum constitutum super personam: qui nisi à lege ciuili, aut recepta cōsuetudine sit reprobatus, potest esse licitus, si debite fiat. Debet enim Sempronius esse liber ab obligatione soluendi mille, *quandoquidem accepit ea in pretium census*, alioqui erit mutuum, & per consequens contractus vsurarius. Debet etiam Sempronio ipso mortuo, talis census extingui, & perire, nimirum pereunte re in qua erat constitutus; alioqui esset mutuum, inter cuius cōditiones ponitur, vt ad hæredes debitoris obligatio illius transeat, quæ conditio non habet in censu personali locum. 419.

QVINTVM DVBIVM EST; an sit licitus contractus vsitatus, quo in pretium census datur pecunia, quam emptori venditor alias debet. Ad quod respondetur, in foro conscientiæ, si fraus absit & dolus, census ea ratione licite constitui, vt cum ex mutuo, vel alio iusto titulo debitam pecuniā soluere mihi non potes, inter nos cōuenimus, vt in

census

censum perpetuum illam habeas. Istud Nauar. in Comment. De vsuris, num. 88. ex eo confirmat, quod si antequã tibi traderem pecuniam meam, potui ex ea emere à te censum; ratio non sit cur id mihi non concedatur postquam illius vsum tibi liberum per aliquod tempus reliqui. Similiter cum vendo tibi domum, aut prædium, vel merces iusto pretio, sine fraude, vel dolo, & ex eodem pretio, quod non potes soluere, constituis mihi censum qualem venderes numerata tibi pecunia; talem quoque licite constitui, habetur ex eodem in sequenti num. 121. Et probatur, quia perinde est me tradere tibi domum valentem reuera centum, ac me numerare de facto centum. Adde quod tunc virtute interueniant duo contractus, vnus quo ego vendo tibi domum centum, alter quo emo à te censum quotannis soluendum, seu annuam pensionem pro centum, quæ mihi soluere debebas in pretium domus à me tibi venditæ.

420. Sextvm dvbivm est; an licitus sit contractus, vt pereunte re censui supposita maneat persona venditoris obligata ad solutionem pensionis annuæ? Ad quod respondetur, non videri de se licitum, cum sensus super re constitutus, alius sit ab eo qui super persona constituitur; neque obligatio vnius inducat obligationem alterius, nisi speciali contrahentium consensu (*idq; in locis in quibus census personalis est in vsu*) & remota omni fraude, numeratoque iusto pretio, quod vtrique eidem censui in vnum coniuncto, æquualeat, habita scilicet ratione, quod tam vnus, quam alter, sit onus vere æstimabile pretio. Vbi aduerte obiter ex Nauar. in memorato Comment. num. 95. quod non solum census totus pereat perempta re, cui est impositus, sed etiam pars pro rata partis peremptæ; quodque in hac re paria sint rem perire, & infructiferam fieri.

421. Septimvm dvbivm est; an census constitutus super domum, aut molendinum quod plane corruit, cesset? Ad quod Nauar. in eodem Comment. num. 118. respondet, cessare. Et ratio est, quia corruente fundamento, perit res in eo fundata; & pereunte subiecto, perit accidens, quod in illo est. Quare & pereunte re, perit illius fructus. Quod procedit etiamsi domus, aut molendinum denuo restauretur, quia restauratum, *etiam si ex eadem materia*, erit diuersum á priore. Quanquam tamen si culpa venditoris res censui subiecta perierit, is tenebitur, vel pretium census emptori restituere, vel nouum censum super restauratam, aut aliam rem constituere.

422. Octavvm dvbivm est; an census super re non idonea, *nempe aliis oneribus iam p'us satis subiecta, vel fictitia*, constitutus valeat? Ad quod in eodem num. 118. Nauar. respondet, non valere, quia illud reipsa á mutuo nihil differret, quo volentes ad vsuram dare, facile vterentur; constituentes census super prædia mutuatarij imaginaria, vel aliena. Vnde etiam fit, vt non possit census constitui super re (*siue sit magni pretij, vt magnificum palatium, siue non*) cuius fructus non possint æquare annuam pensionẽ, quia ex ea parte naturam haberet mutui, esset que vsurarius. Nam, vt recte argumentatur Nauar. in preced. num. 79. qui emit censum super prædium quod non est aut non tantos prouentus adfert, quantus est ipse census, perinde committit vsuram, atque is qui emit prædia, aut pecora, quæ alter non habet, aut plura quam habet, & eidem alteri illa locat pro annua pensione. Quod etiam docet Syluester vsura 2. quæstione 6.

Nota autem ex eodem Nauar. in cit. num. 118. quod si quis censum antedicto modo constitutum emisset, totaque fraus esset ex parte venditoris, acceptam bona fide annuam pensionem is non teneatur restituere, possitque venditorem ipsum compellere ad restitutionem pretij, quod ei pro tali censu soluit. Ad quod facit quod ex lege Iulianus, ff. De actionibus empti, venditor celans vitia rei venditæ, teneatur emptori ad interesse. Non possit autem compellere ad solutionem futuram pensionis annuæ, ad quam non est ei quæsitum ius, quod in tali re constitui non potuit. Sin autem fraus esset quoque ex parte emptoris; vtpote qui sciuerit, vel suspicatus sit defectum, imputabitur ei totum interesse, cui sciens, & volens se subiecerit, ex lege Si fundum, Cod. De euictione.

423. Nonvm dvbivm est; an licita sit constitutio census, facta authoritate Iudicis condẽnantis vnam partem ad soluendum mille, vel annuum censum, donec mille soluat? De hoc Nauar. in eodem Comment. De vsuris, nu. 99. rationes in vtramque partem adfert, & tandem concludit, coram Deo, & quoad forum conscientiæ illicitam esse constitutionem, si mens Iudicis, & partis victricis fuit, vt altera pars obligaretur ad solutionem census annui pro vsu pecuniæ ad quam soluendam condemnatur, quia id vsurarium est. Non autem si mens fuit obligare ad soluendam eandem pensionem tanquam interesse, aut in pœnam contumaciæ: & reuera in non soluendo, inueniatur interesse, aut contumacia.

Decimvm dvbivm est; num census possit redimi ex parte; ita nimirum, vt emptor obligetur in conscientia accipere quod ei offertur in redemptionem partis census; an vero possit recusare redemptionem, nisi pretium totum simul ei reddatur; vt si hoc sit centum aureorum, & offerantur decem in redemptionem decimæ partis. Ad quod Nauar. in eod. Comment. num. 95. & 101. simpliciter respondet, posse libere in totum, & ex parte censum redimi. Sed melius est cum distinctione dicere. Primo, posse in censu apponi pactum, vt non redimatur per partes, sed totum simul. Secundo, etiam licite apponi posse pactum, vt non redimatur nisi per partes certæ magnæ quantitatis; non aũt per minimas, quia emptor inde sentire potest graue damnum. Nam si centum quæ dedit, cogatur recipere per decem, & decem, aut alias minutas partes, non erit ei integrum emere similem cẽsum, sicut posset si centum ei simul restituerentur, quod est onus graue, ac damnosum. Tertio, si pactum apponatur, vt census tantum redimatur restituto simul toto pretio, ipsum esse seruandũ in conscientia, quia & est de communi consensu initum, & de se licitum, vt patet ex eo, quod pactum retrouendendi ita fieri soleat, vt res tota simul reuendatur, sicut tota simul empta fuit. Quarto, quando nullum adiectum est pactum, tunc emptorem non cogi in conscientia acceptare pretium redemptionis per partes, præsertim minimas, quia in eo damnum & onus sentiret. Quinto, si ex partium consensu appositum sit pactum, vt census per partes redimi possit, tunc posse emptorem cogi, vt acceptet redemptionem per partes. Nec enim illicitum est tale pactum, ipsumque supponitur esse de communi partium consensu initum. 424.

CAPVT XXXII.

De modis quibus diuiditur census, ac de illius iusto pretio.

SVMMARIVM.

425 *Quinque varij modi quibus census diuiditur.*
426 *Sententia negantium censum realem esse licitum.* 426.
427 *Contrariam tenendam esse probatur.*
428 *Solui potest census ex aliis fructibus quam rei in qua constituitur.*
429 *Solutio census assecurari potest in ordine ad casus fortuitos.*
430 *Duplex census personalis.*
431 *Difficultas; an census personalis sit licitus, explicatur distinctione.*
432 *Ad iustum pretium census non requiritur, vt quantitas summæ pensionum, sit illi æqualis.*
433 *Quodnam sit iustum census pretium.*
434 *De pretio redemptionis census.*
435 *De pretio census constituti ad certum annorum numerum.*
436 *De iusto pretio census personalis perpetui.*
437 *De iusto pretio census vitalitij.*

QVÆSTIO III.

Quodtuplex sit Census.

Qvinqve modis diuidi potest census. Primo, ratione modi quo constituitur, in reseruatiuum & consignatiuum. Ille est cũ quis rem suam, v.g. prædium, vel domum dat alteri, translato illius dominio, tam directo, quam vtili, reseruando sibi certam pẽsionem quotannis soluendã. Qui circa res tẽporales non annexas spiritualibus raro est in vsu; 425.

itaur

itaut non sit necesse in illo ea ratione considerando nos diutius immorari. Qui volet, legat Ludo. Molinam De iust. & iure *tract.* 2. *disput.* 381. & 382. Circa res spiritales annexas vero est satis frequens, vt cum beneficium Ecclesiasticum conceditur retenta pensione, qua consideratione spectat ad tractatum tertium sequentis libri 30.

Consignatiuus vero census est, cum quis retinet sibi rem suam, v.g. prædium, vel domum, & soluit alteri pensionem consignatam, ac constitutam in eod. prædio, vel domo hicque circa res mere temporales est vsu frequentissimus, de eoque instituitur præsens tractatio, & intelligenda est definitio ante proposita in quæstione 1. ac traduntur sequentes diuisiones.

Diuidi ergo potest secundo census ratione pensionis quæ soluitur, alius enim est pecuniarius, qui soluitur, in pecunia loco fructuum rei, quæ ei subiicitur, alius fructuarius, qui soluitur in fructibus ipsis. Itemque alius est, quo pensio solui debet in parte determinata, vt cum constituitur vt soluantur tot aurei, tot gallinæ, tot dolia vini, tot modij frumenti; & alius qui solui debet in quantitate incerta quidem, sed aliquota fructuum; vt cum constituitur, vt tertia, quarta vel quinta pars fructuum perceptorum soluatur.

Diuidi potest tertio ratione rei in qua imponitur, vt alius sit realis; qui constituitur in rebus, seu bonis immobilibus alicuius, aut quæ pro immobilibus habentur, vt iura, vel officia, quæ fructus annuos reddunt. Alius vero sit personalis, qui constituitur super aliquam personam priuatam, vel super communem, vt super Collegium, Conuentum, vel Mnoasterium, Ciuitatem, vel Rempub. Alius demum mixtus, qui constituitur super rem, & personam immediate, itaut persona maneat obligata, quantumuis res pereat.

Diuidi quarto potest ratione temporis quo soluitur pensio, quod alius sit perpetuus, cuius scilicet pensio perpetuo durat, & alius temporalis, qui vel est ad tempus certum, vel ad tempus incertum: puta ad vitam alicuius, vnde vitalitius dicitur.

Diuidi potest quinto ratione pacti, cum quo celebratur; quod alius sit redimibilis, qui constitutus est cum pacto, vt redimi queat. Alius irredimibilis, constitutus cum pacto, vt redimi nequeat. Redimibilis autem esse potest, vel in fauorem venditoris tantum emptoris, vel in fauorē vtriusque. Quod est redemptionem census aliquando in arbitrio tantum venditoris relictam esse, aliquando in arbitrio tantum emptoris; & aliquando in arbitrio, tum emptoris, tum venditoris.

Notanda peculiariter de censu reali, & de personali, diuisionis præcipua membra.

416. NOTANDVM EST autem primo circa censum realem, quod Henricus Gandauensis in quodlibeto octauo, quæst. 24. nonnullique alii, *quos referunt Couar. in lib. 3. variarum resolut. cap. 7. num. 2. & Sotus in libro 6. De iust. & iure, quæst. 5. art. 1. & post vtrumque Molina in sæpe memorato tractatu 2. disput.* 385. putarunt absolute vsurarium esse censum de nouo constitutum, quantumcumque cōstituatur in prędio, aut alia re immobili, quæ ad id sit specialiter obligata, si quidem annui reditus per partes recipiendi, excedant valorem pecuniæ pro censu ipso datæ. Ratio eorum fuit, quod sic pecunia virtualiter detur mutuo, per partes restituenda cum incremento, nec constitutio census in prædio, ad aliud seruiat, quam vt prędium ipsum sit tanquam pignus, aut hypotheca. Quod si census iam esset antea licite constitutus, vt cum dominus prædij ex eo donasset alicui annuum reditum, licite, *inquiebant illi*, posset emi per aliquem tertium, quia reperiretur verum ius emptioni præexistens, quod tanquam merx ematur.

Verum communis sententia est in contrarium, nempe censum realem licite vendi posse, si pretium sit competens & iustum, secundum rationabilem loci consuetudinem. Hanc contra prædictos propugnāt Medina in Cod. De acquisitis per vsuram, quæst. 12. & locis citatis Sotus, Couarruuias, & Molina plures alios in eam referens: quibus adde Gregorium à Valent 2. 2. disp. 5. quæst 22. puncto 1. Leon. Lessium De iust. & iure lib. 2. cap. 22. dubit. 3. & Ferdinandum Rebellum De obligat. iustitiæ par. 2. lib. 10. quæst. 2.

Patet autem, quia aduersariorum confessione postquam 427.
talis census iam est constitutus, licite emi potest; quare potuit & antea emi eodem pretio. Nec enim opus est vt merx præexistat emptioni: sed satis est, vt in spe sit; quando quidem partus ouium, & pisces qui sperantur ex iactu retium, & denique fructus qui sperantur ex vinea, venduntur licite, vt manifestum est. Præterea si titulo donationis, vt illi fatentur, quisque potest in suis bonis constituere ius percipiendæ pensionis, cur non poterit etiam titulo emptionis, sique antiqui census vendi possunt, cur non & noui? nec enim lapsus temporis illos fecit iustos ex iniustis si tales extiterint noui.

Adhæc quod fructus ex prædio quotannis percipiendi, tandem excessuri sint valorem pecuniæ, quæ in illius pretium datur, non impedit quominus licita possit esse emptio, qua prędium ipsum transeat in emptoris dominium tam directum, quam vtile. *Nec enim iusta pretia rerum debent infinita esse, vt aut excedi nequeant.* Quare nec potest impedire quominus licite id ipsum prædium transeat in dominium tantum vtile emptoris, prout fit in censu reali. Et confirmatur, quia sicut valor fructuum, prout sunt in potentia prædii, non efficit prędium ipsum valoris infiniti (*esto, possint percipi in infinitum*) ita nec efficit, vt pretio aliquo finito iuste emi nequeat ius illorum percipiendorum in perpetuum. Quod idem est ac constitui censum realem irredimibilem, siue perpetuum. Denique id aperte constat ex definitione Martini V. Calixti III. in Extrauagantibus cōmunibus, De emptione & venditione, qua declararunt authoritate Apostolica, census eos, qui conditiones ibidem positas haberent (*eas in præcedenti num. 412. retulimus*) esse iustos, & licitos, & debitores ad solutionem obligari.

428. NOTANDVM est secundo, nihil referre quod census realis constituatur in prædio, aut alia re immobili, & pensio annua soluenda sit in pecunia cuius prędium ipsum, aut alia res censui subiecta ferax non est, quia sufficit, vt reddat fructus qui sint pecunia æstimabiles. Nec etiam refert quod cēsus statuatur reddendus in fructibus, qui percipi non possunt ex re in quæ illi subiecta est, vt cum obligatio census est vt reddantur tot mensuræ olei, aut tritici quotannis; & ille constitutus est in vinea. Ad cuius rei confirmationem induci potest, quod in memoratis Extrauagantibus agatur de censu constituto in domo, qui aliter solui non poterat, quam in pecunia, vel in aliquibus fructibus, quorum ferax domus non est.

429. NOTANDVM est tertio, nihil quoque referre si census realis ita ematur, vt soluendus sit quotannis, siue prædium in quo constitutus est, ferat quotannis fructus sufficientes, siue non; dummodo tamen ita sit fructiferum, vt casus sit fortuitus si non ferat sufficientes. Ratio est quia sicut cum mutuo, societate, & aliis contractibus, ita & cum censu reali coniungere licet lucri ex eo sperati, contractum assecurationis in quibuscunque euentibus, & casibus fortuitis. Itaque si pretium datur iustum attento periculo quod in se suscipit, licitum est emere censum realem cum onere vt soluatur, siue prædium super quo constituitur, fructus sufficienter quotannis reddat, siue non.

430. NOTANDVM est quarto, censum personalem esse duplicem: vnum mere personalem, cui nulla respondet obligatio realis, vt cum nulla res, sed sola persona est illius solutioni obligata: alterum non mere personalem, in quo vltra personam est aliquid obligatum, non quidem tanquam res in qua constituatur, & ex qua debeatur: sed tanquam hypotheca ad assecurationē solutionis illius. Inter eum autem, & censum realem est hoc discrimen, quod census realis pereunte re in qua constitutus est, pereat, quia tantummodo in illa, & ex illa debetur. Census vero personalis cum hypotheca non pereat, pereunte hypotheca ipsa, quia ille non est in hac constitutus, sed in persona quæ vendidit, eiusmodi censum. Perit vero assecuratio, ex qua debitore deficiente in solutione, quæ suppleretur, ad quemcumque res hypothecata peruenirent salua.

431. NOTANDVM est quinto, versari in controuersia; an personalis censui sit licitus, quam pluribus authoribus in vtramque citatis tractāt locis supra memoratis Lud. Molina, disput. 387. Rebellus quæst. 3. & Leon. Lessius dubit. quarta.

Pro praxi autem nobis proposita sufficiet paucis monere; partem illius negantem habere locum, si talis sensus sic accipiatur, quasi emptor illius acquirat ius in re super personam quæ illum vendit, eo modo quo emptor census realis acquirit ius in re super prædium in quo constituitur, quasi talis persona vendi, seu redigi in seruitutem possit, non valens aliunde pensionem soluere, sicut in simili casu vendi potest, sibi ve vsurpari res censui reali supposita, cum deest commoditas aliter accipiendi pensionem in ea constitutam. Pro quo Nauar. in Comment. De vsuris num. 81. rationes adfert, & inter cæteras, quod tale quid sit insolens in Repub. Christiana, & ideo tanquam nouum, & mali exempli repudiandum; iuxta Cap. finale distinct. 11. & Cap. Ex parte, De consuetudine.

Affirmanti vero parti locum esse, quando persona in qua census cõstituitur, talis est, vt velit, & possit propria industria, & opera parare sibi vtilitatem aliquam, alterque emit ius ad illius perceptionem. Id quod præter memoratos authores attingens paucis Gregor. à Valent. 2.2. disput. 5. quæst. 22. puncto 2. idem probat, quia quando persona talis est, qualem dicimus, ea habet vere ius percipiendi ex propria opera vtilitatem. Ergo vere habet aliquid quod possit alteri vendere. Confirmatur, quia si nihil haberet tale, nihil esset vnde superiores exigerent tributa personalia; quæ tamen exactio sæpe fit, & olim factam esse habetur ex Deut. cap. 12 vbi præceptum est filiis Israel, vt offerrent primitias, & decimas manuum suarum. Item ex libro 2. Esdræ cap. 10. fideles constituerunt super se annuum reditum tertiæ partis sicli ad opus domus Dei. Accedit in Cap. Non est, De decimis; fideles iuberi decimas soluere ex operibus personalibus, nimirum ex negotiatione, ex militia, & ex venatione. Vnde satis intelligitur esse posse ius pretio æstimabile, vtilitatem accipiendi ex persona fructifera, seu præferente illam, opera, & industria sua; atque adeo posse dari censum personalem in tali iure consistentem.

QVÆSTIO. IV.

Quodnam sit iustum pretium census.

432. ADæstimandam iustitiam pretij census duo documenta notanda sunt. Prius est, ad eam non requiri, vt quantitas summæ pensionum soluendarum sit ipsi pretio æqualis; quod ex communi Doctorum sententia traditum á Medina *in Cod. De acquisitis per vsuram quæst. 12.* Greg. à Valent. 2.2. *disput. 5. quæst. 22 puncto 5.* referens, ratione addit, quia id quod proprie, & per se venditur in emptione census, non est ipsa summa pensionum, statis temporibus soluendarum; sed ius pensiones eásdem recipiendi, quod per emptionem ipsam emptor acquirit, in eumque transfertur itaut eadem summa sit quidem illud propter quod fit emptio, non sit tamen illud quod emitur. Quocirca non est necesse, vt pretium sit æquale quantitati ipsarum pensionum, sed æstimationi & valori memorati iuris. Quo fit vt mirum videri non debeat, certo pretio censum emi, quantumuis nequeat pensionum accipiendarum in posterum certus valor (vt nec numerus) assignari, sicut prædium certo pretio emitur, cum tamen fructuum ex eo percipiendorum in posterum *ratione quorum emitur, perinde ac census, ratione pensionum*) certus valor nequeat determinari.

Pro confirmatione autem allati antecedentis fecit, quod emptor census, sicut dat certum pretium, ita velit aliquid certum pro eodem ad se transferri; quale est prædictum ius; non vero pensiones ipsæ, quę sunt incertę. Adde quod cum sine iniustitia, *prout receptus vsus docet*, pretium minus pro agro detur sine scrupulo, quam sit valor fructuum qui probabiliter ex eo sperantur longo tempore. Itemque minus pro equo detur, quam sit quantitas lucri quod ex continua locatione sperari potest, idemque communiter fiat in venditionibus cæterarum rerum, quæ non consumuntur vsu. Adde, inquam, negari non debere quin idem contingat in emptiõe census, quo emitur ius aliquod in re, de numero existens eorum quæ immobilia censentur, nec vsu consumuntur. Si opponas, tale ius non ob aliam causam pretio æstimari, quam quod pensiones per ipsum percipiendæ aliquid valeant. Respondetur, neque prædium quod venditur, aliter pretio æstimari, quam quia fructus ex eo percipientur; inde tamen non fieri, vt fructus agri vendi, & emi dicantur in venditione agri; sed dicitur solus ager.

Posterius documentum est, iustum pretium census esse illud quod vel lege statutum fuerit, vel iudicio proborum, 433.
ac prudentum virorum tanti æstimatum fuerit, quanti ius ipsum recipiendi annuam pensionem, attenta conditione rei in qua census ipse constituitur, & temporis ad quod emitur, & quantitatis pensionis quæ soluenda est; atque aliis communibus rationibus cognoscendi in quacumque emptione, & venditione, iustum pretium; de quibus egimus in præced. cap. 16. sect. 2.

Si quæras, an idem pretium debeat esse redemptionis 434.
census quod fuit emptionis? Respondetur affirmatiue, quia, vt habitum est num. 293. vna ex conditionibus requisitis ad licitam venditionem cum pacto retrouendendi, est, vt emptori à venditore idem pretium ac dedit reddatur. Idem etiam dicendum est, si alius quam venditor eundem censum redimat, nisi interueniant aliquæ iustæ causæ minuendi pretium, eadem ratione qua expositum est in sequenti num. 315. de redemptione debitorum. Nam redemptio census rationem quandam habet emptionis debiti; quam non impedit quod iustum ipsius census pretium sit à lege taxatum: quoniam talis taxatio tantum est respectu eius qui censum de nouo constitutum emit, & respectu venditoris eundem redimentis, non autem respectu tertij, iam venditum ementis; tanquam alienum debitum. 417.

PORRO circa prius documentum aduertendum est, ipsum non procedere quoad censum constitutum ad certum 435.
annorum numerum. Is enim illicitus videtur si ematur minori pretio quam sit tota pensionum collectio, nisi adsit lucrum cessans, aut damnum emergens, vel periculum, siue difficulter recuperãdi, siue facile amittendi solutionem, vel aliquid cęterorũ, propter quæ minus pretium iuste dari posse habitum est in præcedenti cap. 16. sect. 2. itaut non debeat plus descendi in pretio, quã potest ex aliquo tali capite iuste descendi: atque descensus ipse deducendus est in pactũ (exprimẽdo nimirũ, quod in pretio alias iusto ea de causa descendatur) vt & partium cõsensus appareat, & absit vsurę suspicio. Quod vero aliter quam dicimus nequeat census iste celebrari, hinc satis patet, quia si ius decem aureos percipiendi quotannis vsque ad decem annos, licite emeretur nonaginta aureis, licitum etiã esset mutuum, quo nunc nonaginta aurei acciperentur, vt in fine decennij centum simul restituantur. At consequens est falsum, quia in tali cõtractu cernitur vsura manifesta: ergo & antecedens. Confirmatur, quia parum, aut nihil differunt accipere centum per partes, & accipere simul, vt ex eo patet, quod si accepta essent iniuste, ad parem restitutionem obligares, siue quis hoc, siue illo modo accepisset.

Atque hoc ipsum quod dicitur de iusto pretio census ad 436.
certum tempus; locum habet etiam in censu personali perpetuo, seu qui ad hæredes venditoris transit cum defuncti hæreditate. Qua in re talis census differt à censu reali perpetuo, cuius pretium de se potest minus esse quantitate pensionum omnium percipiendarum, iuxta prius documentum ante traditum. Talis vero differentiæ ratio est, quia in eiusmodi censu personali, immediate emitur debitum personale, ad pensiones in fututum soluendas; quod sane debitum in valore æquatur quantitati pensionum. Manifestum est enim debitum quo oneror ratione talis contractus; neque maius esse, neque minus ea summa quam debeo soluere, vt me liberem eiusmodi onere, talisque summa non est alia quam omnium pensionum soluendarum. In censu reali autem emitur pars iuris in re, ideoque pensiones non emuntur, nisi dependenter ab eadem re, in cuius sunt potentia, & cum qua sic exponuntur periculo, vt ipsa desinente esse, vel fructifera esse, illæ quoque desinant, nec amplius exigi possint. Qua de causa censentur de se minus valere, itaut necesse non sit earum pretium æquari quantitati ipsarum positarum in actu.

Si obiicias, antedictas etiam pensiones personales, expositas esse pari periculo ratione personarum in quibus constitutus est census, q̃ si omnino pereat, aut non sint soluendo, peribit & ipse census. Respondetur quia in censu reali peri-

culum

culum amittendi pensiones, imminet ex ipsarum statu, quo tantum sunt in rerum potentia, merito iudicari de se minus valere quam positas in actu. In illo autem censu personali de quo loquimur, periculum totum pendet ex personis, ex quibus non pendet valor pensionum soluendarum, quæ debentur tanquam fructus positi in actu. Cuius generis periculum non facere pensiones ipsas minus valere, quam sit tota earum quantitas percipienda, ex eo patet, quod alioqui posset in mutuo accipi aliquid vltra sortem, quandoquidem mutui debitum pendet à mutuatarij, & bonorum ipsius incolumitate exposita passim periculo. Adeoque vsura subinde esset licita: quod dici nullo modo potest. Negandum tamen non est, quin vt in aliis censibus, ita & in hoc ratione verisimilis periculi non recipiendi pensiones, aut non nisi cum difficultate, vel expensis recipiendi, aliisque de causis, minui possit pretium quo talis census emendus est. Immo vero, non nisi cum talium consideratione, tale pretium videtur seruata iustitiæ æquitate, determinari posse.

437. De censv constituto ad tempus incertum (qui vitalitius ideo dicitur, quod ad vitã siue ementis, siue vendẽtis, siue etiam alterius soleat esse) supereſt monendum iuxta plenius tradita per Medinam in Cod. De acquisitis per vsuram *quæst.* 14. pretium ipsius censeri iustum, quando pensionibus percipiendis est proportionatum, iuxta spem quæ datur, quod census ipse plus, vel minus durabit attentis circunstantiis. Nihil refert vero, quod forte percipiantur pensiones plures, quam fuerit quantitas pretij, quia cum pauciores quoq; percipi potuerint, par est periculum pro vtroque contrahentium. Ita præter Medinam aperte sentiunt Sotus *en 6. De iust. & iure quæst. 5. art 2. in fine*, pluresque alij quos refert & sequitur Molina *in memorato tract. 2. disp.* 388. & passim recentiores. Probatur vero, quia iniustitia non cõmittitur vbi æqualitas seruatur, prout fit in proposito; vbi ille qui plus accepit, fuit in pari periculo minus accipiendi: sique minus accepisset, alterum iniustitiæ minime arguisset. Accedit quod census vitalitius, sit quædam res communi hominum iudicio æstimabilis certo pretio, quod fere semper minus, quam pensiones speratæ statuitur, eo nomine; quod nemo alioqui vellet illum emere, ob maiorem commoditatem pecuniæ præsentis, quam in futurum expectatæ cum multis periculis. Atque de censu ad praxim sufficienter hactenus. Si quæ alia addenda viderentur; vel ex illis satis intelligi possunt, vel in praxi sunt adeo periculosa, vt dissuaderi debeant, vel adeo insolita; quod securior & facilior sit vsus aliorum, & maxime eorum, *bona ex parte*, de quibus dictum est hactenus.

CAPVT XXXIII.

De cambio tum in genere; tum in particulari de sicco, & de minuto.

SVMMARIVM.

438 *Triplex permutatio, & quæ cambij nomine significetur.*
439 *Quid sit cambium fictum, seu siccum: quidque verum seu reale, & eiusdem varia diuisio.*
440 *Cambium non esse ex natura sua illicitum.*
441 *De lucro quod in eo potest licite accipi.*
442 *Cambium siccum illicitum est ex natura rei.*
443 *Modi quibus tale cambium contingit.*
444 *Vnde iustificetur acceptio lucri ex cambij minuto.*
445 *Quatenus liceat hominibus priuatis ex eo ipso cambio lucrum facere.*
446 *Licitum est lucrum quod campsor facit dando pretium iustum pro moneta quæ non currit.*
447 *Quando liceat campsori pecuniam in maiori valore computare, quam taxata sit: & quando non liceat.*
448 *Id negat Medina licere eo nomine quod moneta sit melioris materiæ: sed contrarium videtur cum aliis tenendum.*
449 *Solutio rationis Medinæ.*
450 *Quando liceat œconomo per cambium pecuniæ sibi à domino commissæ, facere lucrum.*

QVÆSTIO V.

Quid, & quotuplex sit cambium.

438. Cambivm est lucrosa permutatio pecuniæ, pro pecunia. Vbi aduerte triplicem esse permutationem, vnam rei pro re, vt olei pro frumento, vel vino: quæ proprio nomine carens retinet generale nomẽ permutationis: alteram rei pro pecunia, quæ emptio, & venditio dicitur: & tertiam numismatis pro numismate, hæcq; dicitur cambium: quod duplex est, vnũ gratuitũ seu liberale, quo quis gratis mutat numisma pro numismate, de quo non est in præsentia sermo: alterum lucrosum, quale exercent in Repub. illi qui vocantur campsores, ex officio permutantes pecunias pro pecuniis, vt lucrum accipiant: istudque est de quo agitur hoc loco. Et diuiditur à Nauar. in septem species, *vt videre est in Enchir. cap. 17. num 283. litera B*, sed commodius diuidi potest primo in fictum, & verum seu reale.

439. Ac fictvm, *quod etiam dicitur siccum, tanquam carens succo ad fructificandum*, est cambium nominetenus, reipsa vero mutuum velatum nomine, & specie cambij: cum non sit aliud, quã pecuniæ permutatio secundũ tempus simpliciter: seu pecuniæ præsentis pro futura, itaut temporis mora sit tota causa propter quã lucrum in eo accipiatur. Cambium autem verum seu reale, est in quo fit vera permutatio pecuniæ pro pecunia, & distinguitur. Primo, in simplex & mixtum. Simplex est, *ex Molina in Cod. De acquisitis per vsuram quæst. 5.* permutatio pecuniæ pro alia pecunia dissimili statim tradenda, cui non est admixtus alius contractus, nec diuersitas alia, quam numismatum quę permutãtur. Mixtum vero, est in quo alia, quam numismatum diuersitas concurrit: ratione cuius admiscetur ei alius contractus, maxime autem venditio, locatio, & assecuratio.

Secundo, idem reale distinguitur in minutum & locale: minutum, *quod & manuense dicitur*, est permutatio pecuniæ præsentis cum præsenti, aut quo maiores pecuniæ pro minoribus, vel contra, permutantur: vt aureæ pro argenteis vel æreis: fractæ, arrasæ, dubij valoris, in paucis prouinciis recipiendæ, minoris ponderis, imparioris, ac imperfectioris materiæ, & omnino deteriores permutãtur pro melioribus. Locale autem cambium est permutatio pecuniæ præsentis pro absenti, secundum locum: seu quod fit ex vno loco in alium. Ipsumque est triplicis generis: primum quando hic do alibi recepturus: secundum, quando hic recipio, alibi redditurus: tertium quando ego permuto pecuniam quam hic habeo cum ea quam alibi habes. Quanquam autem illud quod est primi generis, ad siccum reducere videantur *Angelus vsura 1. §. 54. Tabiena vsura 15. §. 3. & Sylu. vsura 4. quæst. 9.* potius tamen cum Soto *in sexto de iust. & iure q. 10. art. 1.* reducendum esse ad locale patet: quia sicut in secundo genere campsor subit onus transferendi pecunias ex loco vbi eas accipit, ad locum vbi easdem est soluturus: sic in illo subit onus eas aduehendi ad locum vbi ipsas dat, vt petentibus cambia, habeat ibi paratas.

QVÆSTIO VI.

An cambium sit licitum.

440. Non esse ex natura sua illicitum, patet: quia quod est in Repub. necessarium; consentaneum est aliqua honesta ratione exerceri posse alioqui enim hominum generi & cõuictui non esset sufficienter prouisum. At cambium est in Repub. necessarium, vt constat tum ex diuerso valore numismatũ, siue eiusdem siue diuersę speciei, & materię, in diuerso loco, & tempore; tum ex varia hominum indigentia, tam in eodem, quam in diuerso loco: tum ex commoditate & securitate pecuniam transferendi ex vno loco in aliũ. Accedit quod ars cambiendi eadem ratione, qua mercatura, sit approbanda; vtraque enim pari ratione occupatur in mercibus: nam etsi primarius vsus ad quem inuẽtæ sunt pecuniæ, sit vt rerum venalium essent mensura: quia tamen eæ constant vt certa materia, figura & signo publico; aliquãdo sunt meliores, aliquando deteriores, aliquando absunt, aliquando præsentes sunt, aliquando abundant, aliquando deficiunt, aliquando oportet eas transferre, aliquando aliunde

aduehere sicut merces: ea causa introductus est secundarius vsus, quo perinde ac merces inter se permutantur, quatenus res quædam sunt, venduntur, aut locantur ratione materiæ, vel figuræ ac signi, vel ratione præsentiæ, aut absentiæ, vel alia de causa.

441. Et certe commune est omnibus oneribus, etiam non æstimabilibus pretio; vt lucrum peti possit ob laborem annexum in eis obeundis, prout vsuuenire videmus Iudicibus, testibus, & Clericis in vsu suorũ ministeriorum. Sed officium cambiendi habet annexum laborem, v. g. conquirẽdi magnã pecuniæ copiam, conquisitã conseruãdi, faciendi ratiocinia, accipiendi sỹngraphas, attendendi ac consumendi tempus in eo negotio: quibus adde & periculum errandi in numerandis pecuniis. Quare pro eo peti potest lucrum. Quod quantum esse debeat, ne cambium sit illicitum, intelligendum est ex legis taxatione, vel communi æstimatione peritorum: puta campsorum, aut mercatorum, qui considerare debent causas ob quas vna pecunia potest pluris valere, quam alia.

Quæ causæ ex Nauar. in Enchir. *cap. 17. num. 283. litera I.* sunt primo, diuersitas metalli: secundo, diuersitas bonitatis eiusdem metalli: tertio, diuersitas formæ & ponderis: quarto, diuersitas locorum: quinto, diuersitas temporis: sexto, reprobatio monetæ ex toto, vel ex parte: septimo, illius copia vel inopia: octauo, eiusdem præsentia. Quibus adde actus varios, labores, industriam, & expensas in exercendo cambio; itemque officium, onera, & obligationem campsoris, certitudinem ac magnitudinem lucri cessantis, aut damni emergentis, & aliorum periculorum, si quæ inde imminent: & denique campsorum, aut campsariorum copiam aut penuriam. Atque hæc in genere de cambio. Consequenter docendum est in particulari quid de variis cambij speciebus tenere oporteat.

QVÆSTIO VII.

Quid in particulari dicendum sit de cambio sicco.

442. DE cambio sicco inter Doctores conuenit, ipsum ex natura rei illicitum vsurariumque esse: quod Sotus expressit *lib. 6. de iust. & iure quæst 10. art. 2.* Et ratio est quia ipsũ exercetur exigendo lucrum ob solam temporis dilationem. Tale autem exercitium consistit in eo quod campsor nunc det pecunias, alio tempore eas cum actuario ibi recepturus, vbi illas dat: quod est ob solam dilationem solutionis, & ratione tantum temporis (*quod de se non variat pecuniæ valorem*) vltra sortem aliquid accipere; in quo committitur iniustitia vsuraria. De qua re videndus est Nauar. *in Enchir. cap. 17. nu. 283. lit. M. N.* Vbi & habet Bullam Pij V. per quam istiusmodi cambium damnatur. Non est tamen negandum, quin ipsum ob diuersitatem temporum fæpe iustificetur; non quidem ratione temporis, sed ratione interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, quod concurrit cum tali tempore. Id enim patet ex communi doctrina de eodem interesse tradita in præced. lib. 23. cap. 6. & duobus sequentibus. Quidquid igitur Sotus dicat, licitum est campsorem cambire maiori pretio pecuniam soluendam in proximis nundinis, si tunc minus valitura est, quam nunc valeat: sicut mutuo dans mensuram tritici, quæ nunc valet octo, soluendam eo tempore, quo valebit tantum quatuor, pacisci potest vt sibi duæ mensuræ tunc soluantur, iuxta Cap. Nauiganti, De vsuris.

443. Cæterum contingit cambium esse siccum, quoties in eo lucrum accipitur ob solam dilationem solutionis. Deinde quando interuenit mera fictio, quod pecuniæ alibi quam vbi receptæ sunt, reddantur quia nulla tunc est pecuniæ transportatio, nec datur aliud quam tempus, propter quod accipiatur lucrum. Contingit vero talis fictio. Primo, quando nullæ literæ mittuntur, & finguntur mitti. Item quando mittuntur quidem, sed inanes, & quæ absque effectu referuntur eo, vnde proferuntur: vt eum campsor accepit Romæ pecuniam Lugduni soluendam, vbi nec pecuniam habeat, nec aliquem qui loco ipsius soluat. Tertio, quando cãpsor solutioni faciendæ locum statuit, in quo campsarium, nec pecunias, nec amicũ nec socium, nec aliam commoditatem soluendi habiturum nouit: adeo vt is cogatur pecuniam ibi soluere, vbi illam accepit. Quarto, quando campsor cogit campsariũ vt literę mittantur ad suum correspondentem, cum campsarius ipse aliũ habeat qui pro se soluat illic, vbi est idem correspondens. In quibus casibus vsura committitur accipiendo incrementum, quod datur in pretium transportationis pecuniæ de loco in locum, cum tunc nulla fiat talis transportatio, neque actualis, neq; virtualis neq; obsequium aliud quam mutui, campsario præstetur: data inquã presenti pecunia, eo absente tantummodo secundum tempus: pro quo obsequio incrementum accipere, vsurarium est. De iis quæ definita habentur in ante memorata Bulla Pij V. videri possunt *Nauar. in cit. nu. 283, Sotus in 6. De iust. & iure quæst. 10. art. 1. Caiet. in tomo 2. opusc. tract. 7. cap. 1.*

QVÆSTIO VIII.

Quid in particulari tenendum sit de cambio minuto,

HÆc quæstio quærit explicationem aliquod dubiorum, quæ de istiusmodi cambio proponuntur.

PRIMVM EST. Vnde iustificetur lucrum quod campsor accipit ex tali cambio? Ad quod respondendum est, iustificari, nõ quidem ex eo, quod in illo detur pecunia pro pecunia, sicut nec in mutuo: sed ex aliis causis quæ in sequentium dubiorum explicatione proponentur: præcipue autem ex obsequiis quæ campsor ipse impendit in vtilitatem illorum qui cambium ab ipso expoſcunt: talia enim merentur stipendium, pro eisque citra iniustitiam posse aliquid moderatum supra sortem accipi ab eo, qui in officio cambiendi constituitur à Repub. communis Doctorum sententia est, vt post Sylu. vsura 4. quæst. 7. habet Couar. in collatione veterum numismatum *c. 7. n. 4.* & expressit Nauar. in Enchir. *c. 17. n. 283. lit. D.* 444.

Immo posse etiam à priuato, nisi aliunde sit legitimum impedimentum, tenent tum iisdem tres in iisdem locis, tum etiam *Angelus vsura 1. §. 52. Roscl. vsura 6. n. 6. Sot. lib. 6. de iust. & iure quæst. 9. art. vni. o. concl. 2.* vbi Caietanum contra sentientem *in citato cap. primo & sequenti 6.* ex eo reprehendit, quod si talis cambitio sit de se licita, vt cum cæteris Caiet. ipse fatetur, nulla sit ratio cur etiam priuatim non liceat eam exercere. Eamque communem sententiam esse aliis adhuc citatis notat Lud. Molin. *de iust. & iure tract. 2. disput. 399. §. Dubium est.* Verumtamen si tale quid à Magistratu interdiceretur priuatis, peccatum esset contrauenire, cum obligatione ad restitutionem: vt in sequen. conclu. 3 idem Sotus habet. Cui non videtur quoad obligationem ad restitutionem assentiendum esse (*nisi forte in pœnam lex redderet incapacem ad lucrum in eo factum sibi retinendum*) quandoquidem contraueniens, nec Reipub. nec campsario damnum infert, cum, vt supponimus, non accipiat plus quã ei sit debitum, in stipendiũ, ex cõmuni pretiorũ æstimatione iustũ. 445.

In qua æstimatione notandum est minus deberi illi, quam campsori à Repub. instituto, cui ex officio plura incumbunt onera; & præsertim, quod tanquam depositarius teneatur in gratiam campsariorum apud se habere, & custodire multas ac varias pecunias. Notandum est quoque (*ex Sylu. in citata quæstione 7. ver. 3. Rosella loco ante notato, & Gabr. in 4. dist. 15. quæst. 11. dub. 12.*) priuatum, si ex huiusmodi cambio nullum interesse patiatur, vel periculum notabile, nec magnam iacturam temporis faciat in numerando, nec meliorem monetam det quam accipiat, nec cambiendi onus ferat obligatus ex iustitia illud obire, nihil lucrari posse; cum ratio desit propter quam ei liceat lucrari; vnde quod lanius, caupo, aut alius abundans minuta pecunia, cum ei offertur aureus nummus pro ea permutandus (*quatumuis malit aurum habere, quam talem pecuniam*) aliquid accipit: nec à peccato, nec ab obligatione restituendi excusatur, vt ibidem expressit Gabriel. Excipe nisi mere liberaliter datum sit, vt fieri potest ex honestate. 446.

SECVNDVM DVBIVM EST. An licitum sit lucrum, quod campsor facit dando pro moneta, quæ non curit hic vbi cambit, aut certe minus valet, quam in alia regione, vbi poterit illam distrahere? Ad quod, *per tradita à Medina Cod. de acquisitis per vsuram quæst. 7. sub finem, & à Caiet. in supra cit. opusc. 7. cap. 6.* respondendum est affirmatiue, posito quod seruetur pretium pro quo talis pecunia currit vbi

fit cam-

fit cambium, nec minus detur quam ipsa valet, quoad materiam ex qua constat. Probatur, quia in eo nulla datur iniustitia, quandoquidem de facto est venditio quædam, in qua ex vna parte pecunia data accipitur vt res, & quasi merx quædam: & ex alia, pecunia redditur, quæ sit pretium iustum, saltem pium seu infimum. Quod si ea esset infra infimum pretium iustum, quo deberet prior pecunia æstimari, iniustitia committeretur, & consequenter daretur obligatio ad restitutionem.

TERTIVM DVBIVM EST. Vtrum liceat campsori hac cambij specie vtenti, aliquando in maiori valore computare pecuniam, quam taxatus fuerit quando cussa est nec interea talis taxatio mutuata fuerit authoritate publica.

Dicendum est primo, quod si ex consuetudine, aut alia
447. legitima de causa, pecuniæ valor qui præscriptus est à Principe, non sit ita stabilis ac fixus, quin pro ipsarum, aut ipsas quærentium multitudine, vel paucitate crescat, & decrescat ad instar mercium non taxatarum lege (*sicut videmus vsuenire in Gallicu scutis aureis, quorum taxatio quidem est 60. solidorum: sit tamen vt valeant aliquando 64 solidos; aliquando etiam plures iuxta raritatem ipsorum, & alias circunstantias occurrentes*) tunc nulli dubium esse quin campsor licite possit talem pecuniam iuxta incrementum currens computare: quandoquidem pecunia eiusmodi non habet lege statutum valorem stabilem ac fixum: sed variabilem pro varia ratione circunstantiarum.

Dicendum est secundo, quod si valor pecuniæ taxatus authoritate seu ordinatione publica firmus sit, *vt plurumque solet*, tunc etiam ratione lucri cessantis, campsorem vltra illum aliquid accipere posse: nempe si paratam haberet aliquam monetam transportandam ad eum locum vbi ea plus valet: aut moneta quam pro aureis recipit, non currat in regno in quo empturus est merces, itaut impediatur ab emendo (*vnde lucrum ei cessabit*) aut certe emere non possit nisi amissa parte valoris suarum monetarum. In quibus casibus prænonito campsario, potest campsor pro commutatione talis monetæ, tantum accipere quanti æstimari debet interesse quod inde patitur: siue damni emergentis, siue lucri cessantis; nam cũ licitum sit in mutuo, *quod omnes concedunt*, non autem in cambio seruare se indemnem, nulla ratio reddi potest.

448. Dicendum est tertio, quod si pecunia quam petis à campsore, ratione materiæ, tunc temporis plus valeat, quam sit taxa definita Principis lege, aut communi patriæ consuetudine: non satis constare an liceat campsori aliquid amplius capere, nimirum quantum eadem pecunia ratione materiæ plus valet. De quare Medina quidem *in Cod. De acquisitu per vsuram q.7.* contendit, quod quamdiu publica taxatio monetæ vim habet, nefas sit plus accipere quam taxatum fuerit ipsam valere, quantumcumque ex materia *vt ex auro* pretiosior sit, quam aliæ in eodem valore ordinarie currentes: atque adeo aptior sit ad sanitatem, & ad alias commoditates. Rationem reddit: quia tunc cum monetæ valor per legem, vel communem patriæ consuetudinem taxatur, habetur quoque ratio eiusmodi commoditatum.

Sotus vero *in lib. 6. De iust. & iure quæst. 9. art. vnico concl.* 1. Sylu. *vsura. 4. quæst. 3.* Couar. in collatione veterum numismatum, *cap. 7. numer. 3.* contra sentiunt, & merito, quia cæteris paribus metallum præstantius, & ad plures vsus accommodatius ex se pluris æstimatur, neque suam illam qualitatem amittit ex eo, quod sit signatum, & rationem monetæ habeat. Quare quoties in aliquo loco, pro auri frusto quod signatum non esset, nec monetæ rationem haberet, acciperetur incrementum pretij vltra illud quod pro moneta eiusdem ponderis, lege taxatum est, licite quoque idem incrementũ acciperetur pro moneta illius ponderis & bonitatis. Neq; enim æquitas patitur, vt materia monetæ, ex eo quod sit signata signo publico, inferioris valoris sit, quam alioqui ipsa sit in se, & quam alia ei in pondere & qualitate similis, censeatur esse, neque eam fuisse mentem legislatoris credendum est.

449. Ad rationem autem pro Medina factam, respondetur: Principem cum determinat valorem nummorum, non intendere taxationem illorum facere secundum omnem rationem illorum, & quoad omnem vsum quem habere possunt: sed solum secundum rationem formalem, quę est, mẽsuram esse rerum venalium, & solutionis debitorum. Pro quo facit quod videamus aureis nummis eiusdem speciei (*non obstante quod aliorum materia melior sit, & aliorum deterior*) authoritate Principis constitutum esse parem valorem seruandum in facienda solutione mercium & debitorum. Secundum rationem vero ipsorum materialem, seu ratione conditionum quas habent ex materia, puta ratione puritatis, vel raritatis, vel commoditatis, vel antiquitatis, vel figuræ, non sunt taxati: sed relicti sunt vulgari æstimationi; qua sicut materia excellentior non redacta in monetã continuo crescit in valore; ita & materia monetæ, quæ est illi omnino similis. Vnde fit vt tũc cesset vis legis impedientis ascendere in pretio talis monetæ; quia nimirum valor illius taxatus non fuit tanquam rei cuiusdam, sed tanquam pecuniæ mensuræve rerum venalium, & solutionis debitorum.

Quanquam tamen non grauate concesserim Medinæ, quod si in pecuniis eiusdem metalli & signi, modica tantum diuersitas sit in natura, quoad puritatem metalli; aut si materia melioris monetæ non excedat pretium eidem monetæ à lege taxatum: tunc legem æquale pretium vtrique monetæ constituentem, seruandam esse tanquam iustam: quia non est consentaneum, vt ob quamcumque rerum modicam varietatem lex varietur: alioqui de rebus humanis, *quarum tanta est inconstantia*, nulla certa lex dari posset. Aduerte vero obiter, non reprehendi tanquam illicitum, quod æstimatio nummorum crescat supra taxam Principis, ex appretiatione & vsu vulgi (*Principe ipso non contradicente*) propter materiæ puritatem, vel pondus, vel quia in locis vicinis pluris æstimantur.

POSTREMVM DVBIVM EST. An si œconomus 450.
aut procurator, vel alius qui à domino accepit pecunias ad aliquid emendum, vel ad debitum soluendum, vel pro aliqua fabrica, eas cum aliis hoc genere cambii permutet lucrum accipiendo; an inquam possit licite idipsum lucrum sibi reseruare? De quo plenius Molina *in 1. tract. 2. disp. 402.* Tenendum autem est, quod possit; quia tale lucrum est ex ipsius industria, labore, & opera. Neque obest esse ex aliena pecunia, iuxta legem. Si ex ea, Cod. De rei vendicatione: nec quod destinata ad solutionem creditori faciendam: quia talis species pecuniæ non erat ei debita, & in alia soluitur ei sufficienter. Si tamẽ ea fuerit mens domini, vt suo creditori illa species pecuniæ traderetur ad gratificandum ei, dandamque occasionem lucrãdi: & peccaret tunc œconomus, & tenetur resarcire damnum lucri cessantis, si quod creditor inde acceperit.

CAPVT XXXIV.

De Cambio locali, & à nundinis ad nundinas.

SVMMARIVM.

451 *Varij modi cambij localis.*

452 *Licitum est lucrum ex cambio, quo suscipitur onus pecuniam acceptam transportandi in alium locum.*

453 *Quod verum est, etiamsi transportatio sit tantum virtualis.*

454 *Quod sit iustum pretium in eiusmodi cambio.*

455 *Cum campsor illud capere possit, non obstat quod tali pecunia egeat.*

456 *Licitum est cambium in quo campsor dat pecuniam, vt alibi recipiat.*

457 *Quod procedit quantumcumque pecuniam acceptam non transferat alio.*

458 *Refutatio eorum quæ obijci possint in contrarium.*

459 *Mala fides, siue campsarij, siue campsoris in tali casu, inducit obligationem ad restitutionem.*

460 *Explicatio dubij, an sit licitum lucrum in cambio locali, cũ campsor exigat pecuniam in loco ad quem debet pecuniam à campsario acceptam transmittere.*

461 *Quid tenendum sit de cambio locali; quando siue lege, siue consuetudine, in vno loco plus valoris taxatum est pecuniæ, quam in alio.*

462 Causæ ob quas pecunia, etiamsi taxatione legis, aut communis æstimationis sit æqualis in diuersis locis, accidentaliter tamen plus valet in vno, quam in alio.
463 Quid sit tenendum de cambio locali, cum ex aliquali causa p. cunia plus valet in vno loco, quam in alio.
464 Vnde diiudicari debeat, an pretium, quod in eo accipitur, sit iustum.
465 De cambio à nundinis ad nundinas.
466 Modi varij quibus fit; cum regula seruanda vt licite fiat.
467 Conditiones ad illud requisitæ per Bullam Pij V. de cambiis.

QVÆSTIO IX.

Quid tenendum sit de cambio locali.

451. CAMBIVM reale ratione diuersi loci, fieri potest dupliciter: vno modo, vt moneta quæ permutatur transferenda de loco in locum, sit eiusdem valoris in vtroque loco. Altero modo, vt sit diuersi valoris. Cumque ratione vtriusque modi non sit idem de eo statuendum; prius considerabimus illud prout exercetur in moneta eiusdem valoris, & posterius prout exercetur in moneta diuersi valoris. Et rursus cum ipsum triplicis generis esse notauerimus in quæst. 5. sub finem; primum docebimus quid tenendum sit de eo, in quo campsor accipit pecuniam in vno loco, vt postea det aliam per se, aut suum correspondentem in alio loco. Deinde, quid de eo, in quo campsor prius tradit pecuniam, vt alibi per se, aut per suum correspondentem, illam recipiat. Postremo, quid de eo, in quo ad vtriusque vtilitatem campsor dat pecuniam quam Lugduni verbi gratia habet, vbi campsarius ea indiget: pro simili pecunia quam iste habet Lutetiæ, vbi campsor ipse ea indiget. Aduerte autem obiter in hoc cambio locali sicut in minutô, lucrum licitum esse non tantum campsoribus publicis, sed etiam priuatis, nisi illudaliqua humana lege prohibeantur exercere quod à Soto traditum *in 6. De iust. & iur. quæst.* 10. *art.* 1. probatur: quia priuatus subit idem onus, quod campsor publicus: eademque præstat, nec tenetur gratis ea præstare, cum de se sint pretio digna, à quocumque præstentur.

Responsio, cum campsor accipit pecuniam, vt alibi reddat.

452. DE cambio igitur locali primi generis, tenendum est, lucrum quod campsor ex eo percipit, esse licitum, dummodo arbitrio prudentium non excedat valorem eius quam suscipit actualis, aut virtualis transportationis pecuniæ de loco in locum, habita ratione distantiæ, onerum, periculorum, laborum & expensarum. In hoc enim conueniunt Doctores (*quod notat Molina disput.* 403. *aliquot præcipuis citatis*) & consentit Pius V. in Bulla quam de cambiis edidit, relata à Nauar. in Enchir. *cap.* 17. *n.* 283. *lit. N.* Et probatur quoniam agazones, & nautæ pro trãsportatione pecuniæ de loco in locum, iuste accipiunt mercedem, & eo maiorem quo loca magis distant, & quo itinera pluribus obnoxia sunt periculis, & quo pecunia est in maiori quantitate; & sic de cæteris circumstantiis quæ transportationis valorem augere possunt. Ergo pari modo campsor iuste pro simili transportatione stipendium accipiet.

453. Nec refert quod is vt plurimum non transferat actualiter pecuniam quam accipit, sed habeat correspondentes, vel famulos in locis distantibus, qui ibi eam soluant, quia eandem commoditatem, & operam pretio æstimabilem præstat petentibus istiusmodi cambium, ac si actualiter pecuniam ipsam transferret. Quod vero ipse facilius id facere possit quam alius & paucissimis, aut fere nullis sumptibus, periculis, aut laboribus, id spectat ad ipsius solertiam & industriam, vel ad fœlicem ipsius conditionem ea in parte, sicut si tabellario centum aureos tranferendos Lugdunum tradam certo pretio, & ille hominem inueniat qui hic accipiat, & paratus sit id oneris subire, non minus idem tabellarius iuste à me accipiet pretium promissum, quam si ipsemet de facto eandem pecuniam transtulisset, quia facit id quod æquipollet ipsi translationi. Neque etiam refert, quod campsor acquirat pecuniæ acceptæ dominium, non autem tabellarius: quia eo non obstante, campsor, sicut & tabellarius, operam præstat alteri æstimabilem pretio, dum facit, vt is pecuniam quam habet in vno loco, accipiat in alio; itaut titulo locationis operæ, merito censeatur ex istiusmodi cambio lucrum capere, prout statuit Sotus *in 6. De iust. & iure, quæst.* 10. *art.* 1. & patet ex ratione ante proposita. Censeri quoque potest capere titulo assecurationis; quia campsor accipiens hic pecuniam alio transferendam, non suscipit onus transferendi, sed etiam periculum pecuniæ præstat; vt si ea pereat, non pereat danti, sed ipsimet campsori, quod est secundum onus pretio æstimabile, vt patet, cum de translatione pecuniæ transigitur cum tabellario. Nec refert quod campsori in pecunia transferenda nullum sit periculum; cum ipse alibi eam paratam habeat, quia id bonæ conditioni ipsius, vel industriæ tribuendum est, sufficitque illud quod alteri præstat, esse pretio æstimabile, dum obligat se rem alterius tutam in loco condicto repræsentare.

454. PORRO pretium ac lucrum iustum in hoc cambio, *nisi sit lege definitum*, illud est, quod in cõmuni foro taliter cambientium constitutum est. Quod quidem non consistit in indiuisibili, sed crescere, & minui solet pro multitudine, & paucitate campsorũ, & campsariorum, etiam quando campsores ex certissima pecunia, & sine magnis laboribus, & expensis lucrantur. Etenim multitudo petentium cambium, & paucitas campsorum, ipsam auget, & contra multitudo campsorum, & paucitas petentium cambium minuit, perinde ac fit in aliis mercibus. De qua re Medina in Cod. De acquisitis per vsuram, quæ. 8. Quod si per tyrannidem monopolij, aut insatiabilis sitis augendi aurum, maius pretium introducatur, quam rei natura, & circumstantiæ postulent, sumere illud erit peccatum contra iustitiam, cum obligatione ad restitutionem, sicut & quoties alias, sumit quis maius stipendium quam debeatur pro obsequio quod impendit. Veruntamen non committit vsuram, quia istiusmodi cambium nullam mutui, *quod est proprium vsuræ subiectum*, habet rationem.

455. Atque ex his intelligitur, quid respondendũ sit ad hunc, & alios similes casus. Opus mihi est pecuniam meam è Burgundia Romam transmittere, & campsor ea indigens in Burgundia suscipit in se onus eam transmittendi Romam; possitne is licite exigere à me transmissionis pretium, perinde ac si non indigeret eadem pecunia? Respondendum enim est, posse, quia reuera liberat me onere, labore, periculis, & expensis transmittendi, quod non minus est æstimabile pretio, quam si pecunia mea non indigeret. Ad quod faciunt tradita per Sotum *in cit. art.* 1. *circa medium* & per Medinam *in Cod. De acquisitis per vsuram, quæst.* 9. *vers. Secus forte.* Quinimo si videns campsorem egere pecunia, illi dem meam cum onere tantumdem restituendi in alio loco distanti, committam vsuram, tanquam vltra sortem exigens eiusdem pecuniæ transportationem, quæ est onus pecunia æstimabile.

Cæterum de hoc cambio dicta procedunt etiam cum loca in quibus fit, eiusdem regni fuerint; prout contra Sotum expressit Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *num.* 283. *lit. E.* Nulla enim id negandi, afferri potest sufficiens ratio ex natura rei, cum tunc quoque campsor subeat onus pecunias transferendi, quod non tenetur gratis sustinere.

Responsio, cum campsor dat pecuniam, vt alibi recipiat.

456. HOc cambij localis genus vsurarium esse alicui apparere potest, quia campsor illud exercens non videtur transferre campsarij pecuniam, sed potius contra, facere vt suam campsarius ipse transferat.

Sed tenendum est contrarium cum Caiet. in tomo 2. Opusc. tract. 7. cap. 6 Soto lib. 6. De iust. & iure, q. 10. art. 1. sicut illis, aliquot que alijs citatis tenent Lud. Molina in sæpe memorato tract. 2. disput. 404. & Leon. Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 23. dubit. 3. Tum quia in Bulla Pij V. De cambijs, *relata à Nauar. vt ante meminimus*, hoc cambium non reprobatur secundum se, sed vt habet adiunctas malas circunstantias, quales sunt ante relatæ in quæst. 7. Tum quia pecunia quatenus distans; per se annexam habet transportationẽ cũ industria, & sumptibus faciendã, & ideo pretio æstimabilem. Tum demũ quia illud quallatum est in cõtrarium, facile

reii, itur,

reiicitur, quia in casu proposito campsor pecuniam quam campsarius alibi habet, censetur ex eius intentione, & petitione transferre. Ideo enim campsarius tunc adit campsorem, quod pecuniam quam alibi habet, velit habere præsentem in valore; non autem quod velit curam suscipere transferendi alio pecuniam campsoris.

457. Neque refert quod campsor dando pecuniam suam, non transferat illam campsarij alibi habitam, quia satis est quod faciat in eo illud, quod prudentium æstimatione æque valet, ac si transferret huc pecuniam alibi acceptam; non minus quam si petens à tabellario, vt debitos mihi Lugduni centum nummos aureos, inde huc adferat; & ille antequam hinc discedat, totidem de suo mihi numeret. Quare sicut tunc tabellarius capiens pretium soluendum pro asportatione, non censetur committere iniustitiam, ita nec censendus est campsor committere in nostro casu, sed lucrari iusto titulo locationis operæ in transportanda pecunia.

458. Nec est quod obiiciatur campsorem posse pecuniam facere præsentem sine periculis, & sumptibus. Nam id absolute falsum est, cum sæpe multos, & magnos sumptus faciat, & pericula ea de causa subeat, factoresque alibi habeat magna mercede conductos. Deinde, vt id plerumque verum sit, tamen industriæ, aut bonæ conditioni ipsius assignandum est. Sufficit enim pecuniam absentem ex ipsa rei conditione, communiter non sine magnis periculis, & sumptibus haberi posse. Similiter nec obstat quod interdum campsori commodum sit pecuniam habere absentem, quia id non prouenit ex ipsa conditione rei per se consideratæ; sed ex industria campsoris qui pecuniam absentem nouit vtiliter impendere; vnde non tenetur ea de causa descendere in pretio cambij, sicut nec is cui cõmodũ est equum Lugduno Parisios reducere; cum aliquis in eodem reducendo, vult operam illius conducere. Et ratio est, quia istiusmodi cambium non fit ad instantiam campsoris, vt alibi pecuniam ipse recipiunt, sed campsarij qui pro pecunia absente quærit præsentem. Quo fit, vt in illo contractu campsor non teneatur æstimare, quod absentia futura sit ei commoda, sed sufficit rerum conditiones per se considerare.

459. Cæterum, si campsarius cui ad hoc cambium bona fide datum est, non soluat in loco constituto, quia ibi nec pecuniam habet, nec correspondentem, tenebitur campsori refundere quantum illius interest, traditam esse pecuniam in designato loco; itaut cogi possit illam suis expensis eodem transmittere, si possibile sit, aut campsori ipsi illam restituere cum incremẽto, cum quo erat illam recepturus in eodem loco destinato. Ratio est, quia contractus per quem talis campsarius contraxit obligationem, licitus fuit, & bona fide cum eo celebratus; vnde fallens campsorem, perinde tenetur ipsum indemnem reddere, atque ille qui rem alienam vendidit ementi bona fide. Quod si mala fide campsor contraxisset, quia nimirum sciuit probabiliter campsarium non habere in eo loco pecuniam, tanquam vsurarius in vtroque foro condemnaretur, nec campsarius ad aliud ei teneretur, quam ad restitutionem summæ acceptæ.

Responsio, cum vterque simul dat, & accipit.

460. QVOD proposita quæstione hoc tertio sensu quæritur, est; an si ego Parisiensis, v.g. opus habeam centum aureis Lugduni, vbi pecunia careo, & tu Lugdunensis opus habeas totidem aureis Parisiis, vbi similiter pecunia cares; an, inquam, inter nos inito cambio, alteruter possit aliquid lucrifacere? De qua re tenendum est primo, quod si vterque det, & petat, parque sit valor pecuniæ vtrobique, neutrum posse lucrifacere, sed centum aureos esse commutandos cum totidem eiusdem æstimationis. Hoc de se manifestum est; quia vtrobique omnia sunt paria, siue valorem pecuniæ, siue officium transportationis spectes.

Tenendum est secundo, quod si ob aliquam causam sit inæqualitas æstimationis dati, & accepti, ea sit compensanda. Istud etiam de se manifestum est. Namq; in eiusmodi cambio nihil aliud incumbit curandum, quam vt iustitia seruetur in vtroque eo contractu, qui implicite in tali cambio cõtinetur; alter quidem quo Lugdunensis censetur pecuniam Parisiis transferre Lugdunum in gratiam Parisiensis; alter vero quo hic vicissim in gratiam illius censetur transferre pecuniam Lugduno Parisios. Ergo eadẽ ratione vterq; potest accipere id ab alio, quod ei competeret ex iustitiæ æquitate.

Tenendum videtur tertio, quod etsi tam mihi, quam tibi commodissimum sit cambium, si tamen petas á me tanquã à campsore, nec vicissim ego petam operam tuam, possim lucrifacere pretium translationis. Ita Sotus in 6. De iust. & iure, quæst. 10. art. 1. Et ratio est, quia meum commodum non potest mihi vendere, aut ad illud prosequendum tuam operam mihi locare, nisi eam conduxerim. Quare nec poteris lucrum à me capere, qui minime à me requisitus, sed tibi soli seruiens celebrasti mecum cambium.

QVÆSTIO. X.

Quid tenendum sit de cambio locali, quando pecuniæ valor maior est in vno loco, quam in alio.

ADVERTENDVM est duobus modis posse contingere, vt aliqua pecunia maiorem habeat valorem in vno loco, quam in alio.

Prior modus est, quo plus valet, quia lege, vel recepta 461. consuetudine plus valoris illi taxatum est in vno loco, quam in alio per comparationem ad alias monetas eorumdem locorum; siue id contingat, quia melior est illius materia in vno loco, quam in alio; puta argentum, vel aurum purius, aut maioris ponderis, siue quia sic statuit potestas publica: ad hoc scilicet, vt moneta maiorem valorem habens in sua ditione quam alibi, pecunia confluat eo aliunde, vel certe ob aliam causam. Atque tunc tenendum est, quando campsor dat pecuniam vbi minus valet, eam recepturus vbi plus valet, cambium esse illicitum, nisi illa inæqualitas compensetur ex increment o, quod licet ei in mercedẽ translationis accipere, iuxta antedicta in explicatione præcedentis quæstionis, aut ex valore accidentario, qui secundo modo; quẽ paulo post subiiciemus, pecuniæ contingit vltra eum quem habet authoritate publica taxatum. Ratio est, quia sicuti n cæteris omnibus commutationibus, ita & in cambio requiritur, vt æqualitas quoad valorem, seruetur inter ea quæ commutantur; alioqui erit iniustitia, nisi aliunde facta compensatione iustificetur contractus. Et ita docet Sotus *libro 6. De iust. & iure, quæst. 12. art. 1. concl 3.*

Quando autem campsor dat pecuniam vbi plus valet, recepturus eam vbi valet minus, tenendũ est per eandẽ rationem, quod possit accipere incrementum; quia non seruaretur alioqui æqualitas. Immo potest insuper capere mercedem transportationis, quia si tales pecuniæ haberent vtrobique valorem æqualem lege taxatum, campsor iuxta antedicta in præced. quæst. posset incrementum capere ratione translationis; cur ergo similiter nõ poterit, si sint valore inæquales? Si instes, pecuniam campsori dari transferendam ad alium locum, non pro se, sed pro campsario; ideoque illud quo plus valet ibi quam hic, campsarij esse, non autem campsoris, qui proinde nõ potest pro illo compensationem capere. Respondetur, de ratione istiusmodi cambij nõ esse, vt campsor instar baiuli per se, aut per alium realiter transferat acceptam pecuniam; sed vt transferat eius valorem, dando alibi tantumdem de suo, ad campsarium leuandum ab onere & molestiis transferendi pecuniam suam; ideoque accipere potest tum excessum valoris, quem in illo alio loco habet pecunia, tum etiam pretium dicti leuaminis.

POSTERIOR MODVS, quo pecunia plus valet in vno 462. loco, quam in alio, contingit quando ea, licet per omnia sit æqualis valoris taxatione publica in vtroque loco, potest tamen in vno loco plus valere, quam in alio accidentaliter ex triplici causa. Prima est, maior illius raritas in vno loco, quam in alio: nam sicut raritas mercium inducit maiorem æstimationem earum; ita & raritas pecuniarum, maiorem æstimationem earum, non quidem legalem, quæ conueniat pecuniæ, vt pecunia est, seu rerum venalium mensuræ, sed aliam pecuniæ, vt res est permutabilis, cõuenientẽ ei propter indigentiã natã ex ipsius raritate, quę quo maior vel minor in mercibus fuerit, siue in diuersis

locis, siue in eodē loco, diuerso tempore; causa est maioris, vel minoris valoris, prout expositum est in præced. cap. 16.

Secūda causa est maior multitudo petentium pecuniam ad cambium, & maior paucitas volentium illam dare. Tam enim hæc, quam illa facit. vt in loco vni contingit, pecunia ipsa pluris valeat quam in alio, vbi contingit. Immo, & in eodem loco, & in eisdem nundinis, in quarum principio, pecuniæ plus, aut minus valent, quam in medio, aut in fine, vel contra, secundum quod crescunt, aut decrescunt illi qui offerunt, & qui petunt cambiū. Nam pecunia quę per cambium in vno loco accipitur reddenda in alio, habet se veluti merx; & ideo pretium illius variatur pro varia multitudine, aut paucitate dantium, vel accipientium ad cambium; non tamen quacunque, sed communi, & quæ passim sit. Non enim ex eo quod multi à te petunt, potes augere pretium, nisi communiter & passim id fiat, etiam apud alios, itaut crescat communis æstimatio, iuxta tradita in citato cap. 16.

Tertia causa est, maior securitas pecuniæ in vno loco, quā in alio. Nam res exposita periculo, minoris æstimatur quam secura, vt patet ex mercibus quæ habentur in naui exposita tempestati maris. In illis ergo locis vbi secura est pecunia, plus ipsa valet, cæteris paribus, quam vbi est exposita periculo; siue periculum sit omnium ibi commorantium, siue sit particulare campsiorum, qui illic soluere tenentur. Aliquando autem omnes hæ causæ inueniuntur simul concurrere, aliquando tantum duæ & aliquando vna seorsim ab aliis. Quibus aliqui addendam censent opportunitatem loci ad merces comparandas commodissimi in quo campsor soluit, recepturus in loco ad id incommodo. Sed talis causa tantum potest locum habere, dum campsor efficaciter vult negotiari, nec aliam pecuniam habet; itaut inde sequatur ei interesse lucri cessantis; alioqui enim faceret lucrum ex alterius commoditate, eam illi vendendo, quod est à ratione alienum.

463. Atque ob secundi huius modi varietatē valoris pecuniæ, tenendum est, in cambio illius ab vno loco in alium, descēdendum esse, vel ascendendum iuxta quantitatem valoris, quam in iis locis habuerit. Quod Sotus attigit *libro 6. De iust. & iure, quæst. 11. art. 2.* Et probatur, quia commutatio æqualis pro æquali in valore licita est ex rei natura. Ergo si aliquo tempore in Flandria, v.g decem scuta aurea tantum valent, quantum in Hispania vndecim, propter penuriam pecuniarum quæ est in Flandria, & abundantiam quæ est in Hispania, aut propter alias causas; licitum erit, cæteris paribus, cambium illud quo decem scuta dantur in Flandria, pro vndecim quæ recipiantur in Hispania & è cōtra: perinde ac licita est commutatio centum mensurarum vini in Hispania pro octoginta quæ reddantur in Flandria, & è contra; posito quod hic tantum valeant 80. mensuræ vini, quantum ibi 100. Atque ad hunc maiorem, vel minorem pecuniæ valorem dicit Sotus in eodem art. 2. potissimum respicere cambientes à loco in locum, per eumque potissimum iustificari ipsorum cambia.

464. Sed merito quæret aliquis vnde diiudicari debeat, quodnam sit iustum pretium, quod in cambio de loco in locum accipitur propter maiorem valorem accidentalem pecuniæ in vno loco, quam in alio? Ad quod respondēdum est, ea de re propter circunstantiarum varietatem, & inconstantiam non posse dari generalem regulam; itaut nunc hoc, nunc illud iudicandum sit iustum pretium. In quo iudicio haberi debet pro mensura, id quod tali tempore in loco cambij cōmuniter obseruatur. Nam deuiare ab eo, est transgredi limites iusti pretij cōmuni æstimatione determinati. Quod tamen intellige, dummodo tale commune pretium non sit introductum per monopolium, vel aliam fraudem campsorum nimis auidorum lucri. Neq; n. ex eo, quod pretium cambiorum commune sit, statim sequitur iustum esse, quia fieri potest, vt iniusto, vel certe nullo iusto titulo capiatur, vt si propter maiorem solutionis expectationem, maius pretium pro cambio acciperetur.

Tunc demum ergo reputādum est tale pretium iustum, cum fuerit in communi vsu, non vsque adeo excrescens, vt manifesta iniustitia appareat. Atque interim dum non cōstat de ea, etiamsi grandia sint pretia, quæ cōmuniter in foro cambiorum determinantur; non sunt tamen campsores ad restitutionē facile condemnandi. Confessarij possunt in foro conscientiæ, eorūdem campsorum cōfitentiū iudicio rem cōmittere, cū ipsi tāquā in eadem re periti melius quā cæteri iudicari possint, an illud commune pretium sit iustū. Quanquam monendi sunt serio, vt in tali iudicio rationem habeant salutis animarum suarum, caueantque ne amor diuitiarum obnubilet in ea re intellectum ipsorum.

Qvæstio. XI.

Quid tenendum sit de cambio à nundinis ad nundinas.

465. Adhuius explicationem notandum est primo, cambiū locale, seu per literas, nonnunquā ita celebrari, vt statim visis literis solutio fieri debeat; vnde dici solet cambium ad statim soluendum visis literis, quanuis in eo apponantur aliquando octo, vel decem, vel duodecim dies, vt is qui soluturus est, visis literis id facere possit commode. Qui quidem dierum numerus, tanquam modicus, non impedit quominus tale cambium retineat suum illud nomen, quia parum pro nihilo reputatur. Nonnunquam vero ipsum ita fiat, vt solutioni præfigatur terminus trium, vel aliquot mensium, siuē vt solutionem daturus satis temporis habeat ad illam parandam, siue quia illam recepturus non indiget ea intra illos tres, vel quatuor menses. Nonnunquā demum ita fiat, vt solutioni præfigantur primæ, vel secundæ, vel tertiæ nundinæ.

Notandum est secundo, nundinas ad quas datur cambium, soluere quotannis inter mercatores quater celebrari, itaut singulæ celebrentur tribus mensibus elapsis post præcedentes. Quod spatium temporis mercatores ipsi aiunt requiri, vt commode ex vno loco in alium literæ mittantur, & pecunia paretur. Itaque cambium fieri ad primas, seu proximas nundinas, est fieri ex pacto, vt eius solutio debeat fieri post tres menses. Et fieri ad secundas nundinas, & fieri ad sex menses, & fieri ad tertias, fieri ad nouem menses dilata solutione.

466. Notandum est tertio, cambium quod est ad nundinas, aliquando fieri ab vnis nundinis ad alias nundinas in eodem loco celebrandas: aliquando vero fieri ab vnis nundinis ad alias celebrandas in alio loco. Aliquando præterea fieri ab vno loco, in quo non fiunt nundinæ, ad alium locum, in quo fiunt nundinæ. Et demum aliquando fieri à nundinis vnius loci ad alium locum, in quo non fiunt nundinæ. Quæ cum ita sint, de cambio à nundinis ad nundinas, sicut & de cæteris cambiis, tenenda est illa generalis regula Sylu. *vsura 4. quæst. 9. dicto 2.* Quoties arbitrio bonorum, & in arte campsoria peritorum, pars capiens cambium non grauatur magis quam dans, neque hæc magis quam illa, nihilque distantia temporis adfert lucri, neque cambium fingitur, tunc non committi peccatum, nisi adsit siniſtra intentio. Non enim committitur vsura, quia *vt supponimus*, si quid accipitur, non accipitur ob dilationem solutionis, sed alia iusta de causa. Nec item alia iniustitia, cum, *vt etiam supponimus*, neuter contrahentium grauetur.

Qvænam autem sit iusta causa aliquod incrementum capiendi, seu lucrandi in cambio; quantūmque illud esse debeat, vt iusti pretij ratio seruetur, nec iustitia violetur, iudicandum est per antedicta. Id quod non modicam habet difficultatem ob varias subtilitates quas ex affectu lucrandi campsores excogitarunt; itaut plerumque vix aliqua superfit ratio cum eis agendi, quam vt totum committatur ipsorum conscientiæ, vt coram Deo considerent num pro ea notitia quam habent de suo cambio, aliquid eis occurrat, vnde suspicentur quod aliquam vsurę, aut alterius iniustitię labem contineat. Interea autem monendi sunt serio, valde lubricam, & plenam periculis esse cambiorum materiam, proindeque caueant diligenter, ne pecuniarum cupiditas eos transuersos agat, & diaboli laqueis innectat. Quare nihil temere moliantur, nec suis, aut alienis inuentis nimis facile insistant in aucupando aurum, & argentum per cambium; sed à doctissimis, & peritissimis præscriptas, & approbatas, tanquam licitas cambiendi rationes, ad vnguem in omnibus sequantur.

467. Quod autem attinet ad conditiones cambij quas

præscripsit

præscripsit Pius V. in Bulla relata à Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 283. lit. N. Prima quidem, vt cãpsor non paciscatur de aliquo lucro, ratione solutionis dilatæ vltra terminum, rigide seruanda est, cum alioqui de iure naturæ cõmittatur vsura. Secunda vero, *ne scilicet de certo interesse paciscatur. siue à principio celebrationis cambij, siue postea*, quoniam fundatur in præsumptione, *ex Nauar. ibidem*, procedit tantum in foro externo. Vnde idem author censet, in foro conscientiæ valere pactum tam de certo, quam de incerto interesse; si moraliter constet illud esse iustum. & quo campsarius in nullo, sine legitima causa grauetur. Tertia demum conditio, *ne realia cambia aliter fiant, quam ad proximas nundinas, vel vbi nundinæ non agantur; ad proximum terminum consuetum designari in cambio ad talem locum*, intelligenda est ex Nauar. non quod prohibeat cambium ad secundas, vel tertias nundinas; sed quod prohibeat lucrum maius campsoris cambientis eo nomine, quod solutionem differat ad secundas, vel tertias nundinas. Neque enim intentio Pontificis fuit impedire solutionis dilationẽ, cum fiat in bonum campsarij; sed tantum impedire vsuram quæ committitur capiendo lucrum ob ipsam dilationem solam.

De praxi cambiorũ vsitata hodie malo tacere, quã perperã dicere inexpertus, cũ tot subtilitatibus scateat, tenebras offundentibus, vt sicut paulo ante attigimus, Cõfessario nihil sit reliquum, quã campsores hortari, vt pro ea notitia quam habent, indicent tanquam constituti in articulo mortis, num quid interueniat de quo conscientia illos remordeat. Qui volet aliqua de tali praxi (quæ paucorum locorum est, ac paucarum personarum) in particulari scire; legere poterit Ludouicum Molinam, Leonardum Lessium, & Ferdinandum Rebellum locis antea citatis.

TRACTATVS VI.

De commodato, & Locato.

EX contractibus ciuilibus alij sunt per quos transfertur rei dominiũ, alij per quos non transfertur. De illis, Deo propitio, dictũ est hactenus; de his est cõsequẽter dicendũ. Quorũ alij sunt per quos vsus rei transfertur, vt cõmodatũ, & locatum; alij per quos rei custodia, vt depositũ, & pignus, seu hypotheca. De illis prius quã de his agemus propter maiorem eorum cõuenientiam cũ mutuo, & emptione. Atq; in iure Canonico extat in lib. 3. Decretalium, titulus 15. de cõmodato, & titulus 18. de locato, & conducto. In iure Ciuili autẽ, ff. lib. 13. titulus 6. commodati, vel contra, & lib. 19. titulus 2. locati, & conducti. Item Cod. lib. 4. titulus 23. de cõmodato, & tit. 65. de locato, & conducto, & Instit. lib. 3. tit. 25. de locatione, & conductione. Late de cõmodato agit Molina De iust. & iure, tract. 2. disp. 294. & quatuor sequentibus, & de locato ibidẽ, à disput. 486. ad 505. Contenti autem erimus de illis docere primo, quid, & quotuplicia sint: secundo, quænam ex eis obligationes, & actiones oriantur: tertio, cuius damno pereat, aut deterioretur res in eis: quanto, quomodo finiantur,

CAPVT XXXV.

De definitione, & diuisione commodati, ac de actionibus, & obligationibus quæ ex eo oriuntur.

SVMMARIVM.

468 *Vnde dictum commodatum, & quid ipsum sit.*
469 *Commodati diu sio triplex.*
470 *Commodatum proprie, & differentia illius à precario, & huius à donatione.*
471 *Quinque obligationes quas commodatarius habet, ex commodato.*
472 *Actiones quæ nascuntur ex commodato.*

Definitio commodati.

468. DICTVM est cõmodatum quasi vtẽtis cõmodo datum, vt notat glossa ad Cap. vnicum De commodato, verbo Commodatum. Definiri vero potest (iuxta textum in §. Item is, Institutis, Quibus modis re contrahatur obligatio) gratuita alicuius rei concessio quoad vsum tãtum. Dicitur, *gratuita*, quia si interueniat merces, erit locatum aut contractus innominatus, do vt des vel do vt facias, ex cit. glossa. Dicitur, *alicuius rei*, ad indicandam materiam commodati, per quam ipsum distinguitur à mutuo. Ea enim est, non quæuis res, sed quæ non consumitur vsu, siue sit immobilis, vt domus, siue mobilis, vt liber, securis, &c. siue se mouens, vt seruus, equus, mulus, &c. siue sit corporalis, quales sunt iam memoratæ, siue incorporalis, vt iura vtendi, vel fruendi ipsis corporalibus, quæ dicuntur, vsusfructus; itemque seruitutes prædiorum, vt eadem glossa annotat. Mutui autem materia, est res vsu consumptibilis. Aduerte tamen ex lege Sed mihi, *in fine*, & ex lege Sæpe videtur, ff. Commodati: rem vsu consumptibilem posse commodari ad pompam. Vbi pompæ nomine, *ex Sylu. in verbo commodatum quæst. 1.* intellige omnem vsum per quem res non consumitur ex toto. Et ita, quantumuis pecunia sit de iis rebus quæ vsu consumuntur: nonnunquam tamen contingit celebrari in ea commodati contractum; vt quando traditur alicui ad ipsum exhilarandum, vel ad ostendendas magnas diuitias. Dicitur denique, *quoad vsum tantum*: quia reuera per commodatum, aliquid commodatario dantur; non quoad dominium, & proprietatem; ex lege Rei commodatę, ff. Commodati: sed solum quoad vsum rei commodatæ: in hoc que distinguitur à depositio & pignore, in quibus nec dominium, nec vsus rei traditur.

Diuisio commodati.

469. IAM tripliciter diuidi potest cõmodatum. Primo, ex parte rei cõmodatæ. Est enim, vt iam attigimus; vel rerum mobilium, vel se mouentium, vel immobilium, vel incorporalium. Et mobilium rursus; vel prophanarum, vel sacrarum. Item se mouentium, vel liberarum, vt famulorum: vel non liberarum, vt cæterarum. Denique incorporearum: aut iurium siue vtendi, siue fruendi; aut seruitutum prædij, siue rustici, siue vrbani.

Secundo diuidi potest cõmodatum ex parte contrahentium. Nam fieri potest in bonum tantũ commodatarij, *quod frequens est*, vel in bonum tantum commodatoris, vel in bonum vtriusque. De quo Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 184.

479. Postremo diuidi potest ex modis quibus fit: aliquando enim fit proprie, nempe dum res ad certum tempus commodatur: siue expresse, vt si commodem tibi equum ad tres dies; siue etiam tacite; vt si commodem tibi librum describendum: tunc enim, *vt & quoties alias commodatur res ad aliquem vsum*, censetur tacite commodata in id tempus quod requisitum est ad eum vsum habendum: v. g. ad totum tẽpus quo liber cõmodatus debet, & potest transcribi; nisi aliud inter partes conuentum sit; aliquando vero commodatum ipsum fit impropie, & tunc dicitur precarium, de quo est titulus 26. lib. 43. Digestorum, & titulus 14. lib. 3. Decretalium. Ex cuius cap. finali habetur, ipsum esse id quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu quamdiu is qui concessit, patitur. Ex qua definitione intelligitur ipsum distingui à donatione, quod donans concedat rem tanquam non recepturus; dans vero precario, tanquam recepturus quando volet. A commodato vero proprie dicto distingui, quod nõ detur ad certum tempus vel ad certum vsum, sicut commodatum: sed detur ad tempus indefinitum; ideoque ipsum reuocari possit quandocumque voluerit is per quem est concessum: non item commodatum; sed tantummodo finito tempore, & vsu ad quem res expresse, vel tacite est commodata.

Obligationes & actiones quæ ex commodato oriuntur.

471. PORRO ex cõmodato cõmodatarius habet quinq; obligationes. Prima est; vt re cõmoda vti nõ possit, nisi ad eum vsum, ad quẽ cõmodata est: ex lege Si vt certo, §. Sed interdum, ff. Commodati: vt si commodaui tibi equum vt ires ad villam, & illum duxisti ad bellum. Id quod est contra naturam cõmodati. Similiter, vt nõ possit vti diutius, nec alibi quã sit conuentio facta, prout habetur ex principio citatæ legis.

tæ legis. Secunda est, vt commodatarius teneatur commodatum restituere tempore præstituto, ex eadem lege, §. Rem tibi, & ex lege De restituendis; Cod. De commodato. Tertia est, vt eamdem rem numero restituere teneatur, ea enim est aliena: cum in ipsum non sit translatum illius dominium, sed tantum vsus, iuxta antedicta num. 468. in fine. Quo fit, vt inuito domino retineri non possit. Quarta, vt teneatur rem commodatam restituere, non factam deteriorem dolo, aut culpa sua ex lege Eum qui, & lege In rebus, §. Siue autem, ff. Commodati. Quinta est, vt teneatur rem commodatam seruare eadem cura & diligentia, qua res suas, ex cit. lege Si vt certo, §. Quod vero senectute.

472. Quod attinet ad actiones quæ ex commodato oriuntur, commodanti, & hæredibus ipsius competit, vt cogere possit commodatarium, & heredes ipsius, restituere rē eamdem numero: sique ea sit facta deterior, præstare eidem commodanti, quod interesti; sius. Item si conuentum sit inter contrahentes, vt res certo loco & tempore redderetur: compellere possit commodatarium tale pactum seruare: aut alioqui damnum soluere, ex lege Si vt certo, in pricipio. ff. Commodati. Commodatario vero competit, vt ipse, vel hæres ipsius possit iure petere restitui sibi totum damnum quod passus est ex eo quod res commodata, sit ei ablata ante illius vsum expletum. Item petere sibi solui expensas quas in re commodata curanda, vel reficienda maiores fecerit, necessario factas, ex lege In rebus, §. Possunt, ff. Commodati. Ac demum petere, vt commodans resarciat damnum, si scienter rem vitiosam commodauerit, ex cad. lege §. Item.

CAPVT XXXVI.

De quæstione, cuius damno pereat, aut deterioretur res in commodato.

SVMMARIVM.

473 *Prænotanda ad quæstionis propositæ explicationem.*
474 *De qua cul a commodatarius teneatur.*
475 *Quatenus commodatarius teneatur de casu fortuito.*
476 *Ad quid teneatur qui res proprias præfert commodatæ hæc-que ideo apud i: sum perit.*
477 *Cui pereat commod.atum, dum perit in manu tertij, per quem remit itur.*
478 *Qui rem precario accepit, si ea p:reat, tenetur de dolo tantum, & læ a cu pa.*

473. PRÆNOTANDVM est, commodatum, etsi plerumque fiat tantum in bonum commodatarij; aliquando tamen fieri in bonum tantum commodantis, & aliquando in bonum vtriusque. Deinde tria esse propter quæ censeri possit commodatarius teneri rei commodatæ iacturam resarcire, si ea pereat, vel deterioretur; nempe dolum, culpam, & casum fortuitum, de quibus satis multis egimus in præced. cap. 8. atque culpam esse triplicem, latam, leuem, & leuissimam, quarum definitiones tradidimus lib. 10. cap. 1. num. 18. Denique, *vt Sylu. ex Bartholo habet in verbo commodatum, sub finem*, quosdam esse casus, qui de facili non accipunt sine culpa, vt incendium, vel furtum in propria domo: quosdam vero, qui vt plurimum accidunt sine culpa, vt incursus hostium. In hisque præsumi culpam abesse, non item in illis: itaut commodatario incumbat probare in eis casum fortuitum, in aliis non incumbat.

474. QVIBVS POSITIS, sequentes conclusiones ad propositæ quæstionis explicationem statuuntur. Prima, si commodatum fiat in gratia tantum commodanti, *vt cum sponsus commodat sponsæ ornamenta, vt ad eum accedat ornatior*, commodatarium non nisi de dolo, aut culpa lata, *quæ dolo æquiparatur*, teneri, iuxta legem Si vt certo, §. Sed interdum, ff. Commodati. Sin tantum in gratiam ipsiusmet commodatarii, teneri de dolo, & omni culpa etiam leuissima, per Cap. vnicum De commodato. Si denique in gratiam tam commodantis quam commodatarii, vt si commodata sint vasa ad excipiendum in hospitio communem amicum, vtriusque nomine, teneri eumdem commodatarium de culpa lata, & leui, non de leuissima, iuxta legem In rebus, ff. Commodati Vide regulas in memorato cap. 1. consequenter traditas. Et aduerte ista accipienda esse, spectata contractus natura: quia si aliter conuentum sit, standum erit pacto, ex lege Contractus, ff. De regulis iuris. Ideoque si commodatarius pacisca tur, vt de dolo solummodo teneatur, quantumuis commodatum in ipsius tantum gratiam celebratum sit: non erit ad aliud compellendus, iuxta citatum §. Sed interdum. Quod si pactum fiat ne commodatarius damnum ex ipsius dolo prouenies soluere teneatur, tale pactum non erit ratum, iuxta legem In commodato, ff. Commodati, & citatam legem Contractus, quia id contra bonos mores est, & contra naturam commodati.

SECVNDA conclusio est. Commodatarium non teneri de casu fortuito, nisi contrarium deductum sit in pactum, iuxta legem primam, Cod. De commodato: aut nisi is vsus sit re commodata aliter quam concessa sibi fuerit; aut denique nisi ex illius mora restituēdi talis casus euenerit. Quæ omnia habentur in Cap. vnico De commodato, & procedunt, quantumcumque res commodata tradita sit æstimata: quia talis æstimatio non fit ad transferendum omne periculum in commodatarium, sed solum vt sciatur rei pretium, in casu quo res commodata ex toto, aut ex parte perierit. Quod si res commodata, eodem modo peritura erat, quantumcumque commodatarius non fuisset in mora, aut non fuisset re aliter vsus, quam sibi concessa erat: ipse idem commodatarius non tenebitur ad illius restitutionem: sed solum ad satisfactionem æstimationis vsus rei, vltra eum ad quem commodata fuit: aut etiam lucri quod forte domino eiusdem rei cessauerit, aut damni quod emerserit ob talem moram. Ratio est, quia commodatarius non tenetur plus eidem domino, quam fuerit illi causa damni, ratione illius moræ, aut vsus non concessi. Quando autem res eodem modo erat peritura suo domino, commodatarius non fuit causa cur in damnum eiusdem domini perierit, 475.

TERTIA conclusio est. Quod si commodatarius non possit simul seruare res proprias, & rem commodatam: illasque huic præferat, & sic fiat vt casu fortuito, ea ipsa pereat illis saluis: quod, *inquam*, ad restitutionem minime teneatur, si res sit commodata tantum in gratiam commodantis, vel in gratiam vtriusque: quandoquidem, cæteris paribus, quisque potest res proprias alienis præferre. teneatur autem, si commodata sit in gratiam tantum commodatarij: quia consentaneum est vt is caueat, ne alter ex collato sibi beneficio detrimentum capiat. Quanquam si res proprię essent longe pretiosiores, & digniores re commodata, non videbitur teneri hanc illis præferre: quia nemo tenetur subire dānum maius, vt auertat alterius damnum minus. Sed aduerte quod si in tuum solius commodum rem habeas commodato, iacturam illius debeas tunc quoque compensare: quia illam petens in tuum duntaxat commodum, tacite obligas te ad illius conseruationem diligentissimam: quod non obstat quidem, quin res tuas eidem præferas, sed ita vt animum habeas compensandi deperditam: prout teneris saltem ex quadam gratitudine, quæ postulat vt tuum benefactorem velis seruare, indemnem. Non vero ex iustitia, quæ patitur vt res suo domino pereat, non alteri, qui nullo modo sit in culpa, vt supponimus de commodatario in proposito casu. Pluribus hac de re agentem Molinam qui volet videat in memorato tract. 2. disput. 297. 476. 478.

QVARTA conclusio, *quam ipse Molina tractat in posteriore parte eiusdem disputationis*, est. Commodatarium, si commodatum remisit per seruum, vel nuntium quem ad illud repetendum dominus miserat non teneri restituere, si vel culpa, vel dolo eiusdem serui, aut nuncij, vel casu fortuito perierit, ex lege Eum qui §. Sed etsi, & lege Si mei causa, & lege Argumentum, ff. Cōmodati. Immo in vniuersum si commodatarius non commisit culpam, quā ex pacto, vel alia de causa vitare tenebatur, res quæ perit non ei, sed domino perit. Id enim commune est omnibus contractibus, in quibus dominium non transfertur, vt notatum est à Panorm. *ad Cap. Significante, nu. 8. De pignoribus*, & à Nauar. in Enchir. *cap. 17. nu. 185.* Qui addunt secus sentiendū esse, quoad contractus in quibus dominium transfertur, *quales sunt ij de quibus egimus antea*. Nimirum, etiamsi absque culpa vlla, adeoque casu fortuito pereat res, pereat ipsi metenti: non autem ei cui facienda est restitutio, prout constat 477.

ex me-

Et ita si quis ab aliquo qui pecuniam mutuo dedit ei, equum accipiat commodato ad redeundū in patriam, à latronibus casu fortuito spoliatus fuerit, non tenebitur (nisi aliter conuentum sit) damnum equi resarcire: pecuniam autem mutuo acceptam restituet. Ratio est, quia cum celebratus fuerit contractus commodati quoad equum: & mutui, quoad pecuniam; dominium equi non fuit translatum, idcoque damno commodantis periit, pecuniæ vero mutuatæ dominium translatum fuit in mutuatarium: & ideo illi periit, non mutuanti.

Cæterum si creditor (*ex quocunque contractu ei debeatur*) designasset aliquem, per quem debitum ei mitteretur; tunc si ipsum periret postquam eidem designato traditum esset, periret creditori: quod expresse quoad commodatum, habetur ex paulo ante citatis legibus. Secus esset vero, si creditor mitteret nuntium ad debitorem, qui dicat ei vt commodatū remittat: non dicat autem vt per ipsummet remittat. Nam tunc non magis excusabitur debitor ei tradens cōmodatum, si pereat antequam venerit ad manus creditoris; quam si id tradidisset cuicumque extraneo. Et ratio est, quia nuntius ille solum fuit destinatus vt debitorem ipsum moneret, mittendum esse commodatum, non vero vt per eundem monentem mitteretur.

Sed quid si creditor conuenisset cum debitore, vt pecuniam quam ei debet, mittat per aliquem qui gestet certum signum, & alius id audiens, signum assumat, pecuniamque petat, & cum ea fugiat, cuinam illa peribit? Respondendum est distinctione. Si enim debitor manifestauit illud, quod conuenerat inter ipsum & creditorem; idque fuit occasio, vt alius dicta ratione fingeret, peribit debitori. Si vero creditor idem manifestauit, vel dum ambo inter se conuenirent, tertius præteriens, aut assistens illis, id audiuit, probabile est quod debeat perire creditori: quia taliter paciscendo, ipse occasionem dedit, vt pecunia periret, fuitque contentus, vt debitum sic ei solueretur.

478. Qvinta conclusio est, eum qui rem precario accepit, si ea pereat, aut deterioretur, teneri non tantum de dolo (quod Syluest. sensit in verbo Commodatum quæst. 8.) sed etiam de lata culpa, vt idem melius indicat in verbo Precarium, quæst. 2. secutus Panorm. ad cap. Precarium, nu. 14. De precario. Et ita expresse habetur ex lege Quæsitum, §. Eum quoque, ff. De precario: vbi dicitur, dolo de quo tenetur is qui precario accepit, contineri culpam dolo proximam: quæ quidem est lata culpa.

Quod si obiicias, antea generaliter dictum esse in contractu qui solum fit in gratiam recipientis, ipsum recipientem teneri ex leui, & leuissima culpa. Respondetur, optimo iure exceptum esse precarium ab illa generali regula: quia licet ipsum sit in solum bonum recipientis, est tamen reuocabile pro nutu & arbitrio concedentis: quæ causa sufficiens esse potest, cur habenti precarium imputetur solum dolus & lata culpa. Nam leuem culpam imputare sibi debet concedens precarium (cum illud potuerit libere reuocare quoties vellet) & multo magis leuissimam, ac casum fortuitum. Aduerte autem accipientem aliquid precario non teneri de casu fortuito, iisdem exceptionibus esse restringendum, quibus antea in secunda conclusione habitum est restringendum esse simile dictum de accipiente commodato. Nam precarium species quædam est commodati: neque datur ratio ob quam oporteat aliud de eo sentire hac ex parte, quam de cæteris commodatis.

CAPVT XXXVII.

De modo quo commodatum finitur.

SVMMARIVM.

479 *Non tenetur qui rem commodato accepit, eam reddere ante term. num sibi præfixum.*

480 *Qui precarium concessit absolute, potest illud reuocare quoties ei placuerit.*

481 *Quatenus aliter quam voluntate concedentis, censendum sit precarium finiri.*

482 *Ad quas impensas rei commodata teneatur commodatarius.*

483 *Quatenus commodatarius possit rem sibi commodatam retinere loco compensationis alicuius debiti.*

484 *Quæ accidit rei cōmodatæ, simul cū ea cōmodata censentur.*

485 *Vbi res commodata restituenda sit, distinctione explicatur.*

Cvm proprie dictum commodatum sit, quo res ad certum tempus commodatur; & improprie dictum seu precarium, quo res conceditur quāndiu voluerit is qui concessit (*prout notauimus in nu.* 476.) certum est illud finiri lapsu termini constituti, hoc vero voluntate eius qui rem concessit. Sed sunt quædam dubia quorum explicationem subiicere oportet.

Primvm est; an qui ad certum tempus expresse, vel 479.
tacite rem commodato accepit, teneatur ante idem tempus finitum exposcente commodante statim illam ei tradere? Ad quod respondendum est negatiue, quia commodatarius ex vi contractus, ius habet commodatum retinendi interim dum durat tempus ad quod concessum est; ex Cap. vnico, De commodato. Vnde si contra ipsius liberum consensum, commodans rem ei eripiat, iniustitiam committet: tenebitur; ad interesse, & ad damna inde subsecuta, iuxta legem In commodato. §. Sicut, ff. Cōmodati: Quod notans Angelus *in verbo Commodatum num.* 4. addit; quod si commodans simile detrimentum passurus esset, nisi ante lapsum terminum rem commodatam haberet, tunc possit eā sine peccato sibi resumere. Sed Nauar. *in En. tit. c.* 17. *n.* 182. existimat, quod etsi ante commodatum factū possit quis re suā sibi prouidere, postquam tamen ipsum factum est, *etiamsi ex mera liberalitate processerit*, iam tale quid non esse ei licitum propter ius commodatario quæsitū per commodationem.

Quæ opinio plane videtur anteferenda, si commodans præuiderit, aut timuerit secuturum detrimentum, & nihilominus rem commodauit: tunc enim visus est se liberaliter exponere ei periculo. Quinimo etiamsi commodanti post traditam rem commodatam, grauis & inopinata necessitas superueniat, adhuc stare potest Nauarri sententia: quoniam commodans, per traditionem rei commodatæ transtulit vsum illius in commodatarium, vnde reuocari non potest: sicut nec posset illius dominium, si per donationem facta traditione rei ipsum esset translatum. Non est tamen negandum, quin si commodanti inopinata, & vrgens occurrat necessitas rei commodatæ antequam illam tradiderit, minime compellendus sit eam tradere, quantumcumque sequatur inde aliquod damnum ei cui promissa est, siq; promissa non esset, aliunde sibi prouidisset, damnūmque vitasset. Nam promissio non extenditur vltra mentem promittentis: sed in ea inest tacita cōditio, dummodo tempore adimpletionis non superuenerit talis mutatio rerum, quæ si prænosceretur, nullo modo promitteretur. Quod à Seneca notatum approbat D. Thomas 2. 2. *quæst.* 110. *art* 3. *ad* 5. Vide Ludouicum Molinam in memorato tract. 2. in posteriore parte disputationis 294.

Secvndvm dvbivm est; an res quæ commodato minus proprio, hoc est, precario datur, possit reuocari à 480.
commodante quotiescumque ei placuerit? Ad quod respōdendum est, posse quidem absolute, vt ante attigimus: & patet ex lege 2. ff. De precario: cui consonat textus in cap. finali, De precariis. Idque procedit, *ex Panor. ad idem cap.* 3. *&* 4. *& Couar. lib.* 3. *var. resolut. cap.* 15. *in principio*, etiamsi appositū fuerit pactum de ea non reuocanda: quandoquidem tale pactum nullum est: vtpote contrarium naturæ precarii, & bonis moribus, cum non liceat rem alienam possidere inuito domino, vt argumentatur Celsus Iurisconsultus in lege Cum precario, ff. De precario. Existimandū tamen non esse (*vt rectè ibid. docent Panormit. num.* 13. *Couar. nu.* 6. *itemque Angelus, & Sylu. in verbo Precarium*) quod ita ad libitum concedentis reuocari possit precarium, vt in continenti id faciat absque rationabili causa; & cum damnō eius cui illud cōcessit. Nam concessio precarij est beneficium, quo iuuari oportet accipientē, non decipi. Quare si nulla in contrarium superuenerit causa rationabilis, aliquale tempus iudicio prudentis, ad vsum concedendum est ei qui rem precario accepit. Quamquam si reuera dolus absit, nec vllum alteri oriatur in commodum, cui ex charitate obuiandum sit; non videtur condemnandus ille, qui absque causa precarium ipsum statim reuocauerit, cum in eō vtatur iure suo.

481. TERTIVM DVBIVM EST; an aliter quam voluntate concedentis censendum sit precarium finiri; Respondendum est, cum designatum fuerit tempus ad quod vsque fiat; finiri, voluntate concedentis, sic & temporis designati lapsu, *prout Sylu. & Angelus in verbo Precarium annotarunt*: ac præterea morte eius qui illud accepit, iuxta textum expressum in cit. cap. finali, & in cit. lege Cũ precario. Idque etiam si cõtingat eum mori ante finitũ tempus designatum: quia talis concessio est personalis, quæ extinguitur cum persona, nec transit ad hæredes, ex eadem lege Cum precario. Iam si concessum sit absolute, quousque reuocetur; licet finiatur morte accipientis; non finitur tamen morte concedentis. Vnde interim dũ non fuerit ab ipsius hæredibus reuocatum, durabit: ex eadem adhuc lege Cum precario, & ex lege Quæsitũ §. Quod à Titio, ff. De precario, traditq; Cou. *in cit. c. 15. n. 1.* Et probat, quia præsumẽdus est quis in ea voluntate persistere, in qua decessit. Hæredes autẽ idipsũ precarium reuocare possunt, perinde ac posset ille cui aliena esset res precario concessa, ex Cap. fin. De precariis. Iam vero si precarium concessum fuit sub hac forma: vsque ad meum beneplacitum: vel vsque dum hæc mea voluntas erit; tunc ipsum morte concedentis plane expirat, ex lege Locatio, ff. Locati. & deducitur ex Cap. Si gratiose, De rescriptis in 6. traditque Panorm. ad citatum Cap. fin. num. 6.

482. QVARTVM DVBIVM; an commodatarius reposcere possit à commodante expensas quas fecit circa rem commodatam? Respondendum est, quod si eæ fuerint ordinariæ, vt circa cibum, & hospitium serui, vel equi commodati, non posse; quia ipse ad tales tenetur. Si vero fuerint expensæ extraordinariæ: vt circa valetudinem serui, vel fugam illius, posse exposcere; nisi eæ sint exiguæ & leues: ad quas etiam ipse teneretur. Hæc expresse habentur ex lege In rebus, §. Possunt, ff. Commodati.

483. QVINTVM DVBIVM EST; an commodatarius licite possit rem sibi commodatam loco compensationis vel deductionis pro aliquo debito retinere in totum, vel ex parte? Ad quod Armilla in verbo Commodatum, n. 3. ac etiam Molina *de iust. & iure tract. 2. disput. 267. art. 3.* respondent, non posse. Sed communis sententia est in cõtrarium, prout notant Sylu. verbo Commodatum, quæst. 3. & Nauar. in Enchir. cap. 17. n. 186 quia ex lege finali, Cod. De conpensationibus, compensatio prohibetur solum in depolito: & consequenter in aliis cõtractibus admittitur: cum exceptio generalẽ regulam firmet in aliis, argũento Cap. Dominus, 32. quæst. 7. Nec obstat lex finalis, Cod. De commodato quã citat Armilla: quoniam ea loquitur de compensatione debiti tantum probabilis: hęcque sententia intelligenda est, vt Sylu. expressit, de compensatione debiti omnino certi & explorati. Censuerim tamen parce, & necessitate tãtum valde vrgente, vtendum esse tali compensatione, cum naturalis ratio dictet, **vt in depolito**, sic in commodato ex vi contractus seruandam esse fidem & conuentionem de restituenda re domino à quo accepta est.

484. SEXTVM DVBIVM; an quæ accedunt rei commodatæ, id est, quæ eam comitantur, vel sunt ei coniuncta, intelligantur, esse commodata: Ad quod respondendum est affirmatiue, ex lege. Si vt certo, §. vsque adeo, ff. Cõmodati; vbi exemplum ponitur: si tibi commodaui equam, quam pullus comitabatur, intelligitur etiam commodatus pullus.

485. OCTAVVM DVBIVM EST; in quo loco restituenda sit res cõmodata? Ad quod respondetur distinctiõe. Si enim conuentio facta est inter cõtrahentes de re cõmodata restituenda in certo loco; ibi restitui debet, ex lege Si vt certo, in principio, ff. Cõmodati. Si vero de loco nulla facta est expresse conuentio, tunc vel res accepta est in bonum tantum accõmodatarij, *vt plerumque fit*, is illam restituere debet vbi accepit: quantũuis ipse alio migrauerit: cum cõmodans non debeat pati damnũ ex officio charitatis & liberalitatis quod in commodando præstitit. Vel res accepta est in donũ tantum cõmodantis, & tunc cõmodatario sufficit illam restituere vbi ipsa existit. Nec enim tenetur expensas facere pro ea transferenda; sed potius cõmodans, in cuius bonũ gratis officiũ suum præstitit. Vel denique accepta est in bonum vtriusque, & tũc restituẽda est vbi accepta fuit: quia id videtur sequi ex natura huius cõtractus. Debet tãen ea restitutio fieri expensis vriusque: sicut in bonum vtriusque celebratum fuit commodatum. Qui enim sentit lucrum, sentire debet & onus.

CAPVT XXXVIII.

De definitione ac diuisione locati & conducti.

SVMMARIVM.

486 *Definitio locationis.*
487 *Illius differentia ab emphyteusi.*
488 *Conductio locationi respondens, & conductor ab ea nominatus.*
489 *Locari possunt omnia, quæ vendi.*
500 *Quando res locata pereata conductori.*
501 *Quo modo necessarium sit ad rationem locationis, vt merces pecuniaria interueniat.*
502 *Decem similitudines inter emptionem & locationem.*
503 *Varij modi quibus diuiditur locatum & conductum.*
504 *Beneficiarius locare potest reditus sui beneficij sine licentia sui Prælati, & quatenus.*
505 *Quatenus possit quis domum quam conduxit, locare tertio.*
506 *Non licet rem locare ei qua scitur male vsurus.*
507 *An liceat rem locabilem locare cuilibet, qui creditur eam non male vsurus.*

Definitio Locationis.

LOCATIO ex Hostiensi in sua summa tit. de locato & conducto, in principio, definitur; personæ, vel rei concessio ad vsum pro pecuniaria mercede. Quæ definitio indicat, quod vt in emptione soluitur pecunia tanquam pretium rei emptæ; sic in locatione solui pecuniam tanquam mercedem pro vsu rei, ac vsufructu seu perceptione emolumentorum quæ ipsa proferre potest. Item separat locationem ab emptione, mutuo, & permutatione, quibus rei dominium transfertur in alterũ: cum per illã transferatur tantum vsus rei: sicut & per cõmodatum; à quo tamen differt; quandoquidem cõmodatum gratis fit, & locatio fit pro mercede: eaque pecuniaria, id est, soluẽda in pecunia; prout indicat posterior particula definitiõis traditæ: per quã locatio adhuc distinguitur à contractu innominato. Do vt des, vel vt facias: Facio vt des vel vt facias, quo licet aliquando solus vsus transferatur; tamen id non fit pro mercede, sed pro alia re; vt cum boues meos ad colendos agros tuos ad triduum tibi concedo ea conditione, vt tu vicissim concedas mihi ad triduum boues tuos ad colendum meos agros. 486.

487. ABEMPHYTEVSI autem quo modo locatio differat, aliqua difficultas est. Videtur autem dicendum quod distinguatur tantum, vt genus á sua specie, sed quæ tam multa superaddat, vt opus sit commoditatis gratia, tanquam diuersum contractum, eam seorsim considerari. Emphyteusis enim consistit solum in immobilibus, cum locatio consistat etiam in mobilibus. Deinde requirit scripturam, ex lege prima, Cod. De iure emphyteutico, cum locatio perfici possit solo consensu, sicut emptio, & venditio, ex lege 1. ff. Locati. Item in emphyteusi datur ab initio certa pecuniæ summa, & deinde constituitur modica pensio, *quæ Canon dicitur*, nõ pro rei fructibus, sed in recognitionem directi dominij; quodquidem non fit in locatione. Præterea emphyteusis solet esse ad longum tempus, hoc est, *Panorm. interprete ad Cap. Propter sterilitatem, de locato, & conducto, num.* 17. ad decennium, aut vlterius; locatio vero ad breue tempus, hoc est, infra decennium. Denique per emphyteusim cum vtili dominio transit naturalis possessio rei, & ius in re, quod non fit in locatione: & ita in libro 4. Codicis ad titulum 65. De locato, & conducto, additur 66. De iure emphyteutico; vbi lege prima ius emphyteuticum aperte constituitur diuersum à iure locationis.

Conductio autem est contractus quo persona, vel res ad vsum, vel fructum comparatur pretio: respondetq; locationi, sicut emptio venditioni, ab eaq; conductor dicitur is, qui soluit mercedẽ pro cõcesso sibi vsu personæ, vel alterius rei: sicut à locatione locator dicitur is, qui pro mercede sibi soluenda cõcedit alteri vsum suæ rei, vel personæ. Ac cõductor 488.

in iure

in iure appellatur inquilinus, cum conduxit prædium vrbanum; colonus vero, cum prædium rusticum, ideoq; inquilinus in ciuitate, & colonus in villa habitare dicitur.

Notanda ad plenius intelligendam locationis definitionem.

489. PRIMVM est, quod post Hostiensem loco cit. habent Angelus, Sylu. & Tabiena verbo Locatio, sub initium, & plenius explicat Molina De iust. & iure tract. 2. disput. 489. locati posse omnes res quæ vendi possunt, siue sint immobiles, vt agri, domus: siue mobiles, vt libri, vestes: siue se mouentes, vt animalia, mancipia, imo & personæ liberæ, quæ seipsas locare dicuntur, locantes suam industriam, artem, laborem, vel operam in aliqua re custodienda, vel efficienda, vel transferenda. Iure tamen ciuili (*addunt iidem per legem Locare, ff. Locati*) excipiuntur prædiales seruitutes, quales sunt via, iter, & quæ dicuntur prædiorum subiectiones. Quod idem dicendum est de personalibus seruitutibus, quales sunt vsusfructus, seu iura recipiendi fructus; quæ sicut vendi non possunt, ex §. Finitur, Institutis De vsufructu; ita nec possunt locari. Et ratio est, quia iura personalia, vtpote specialiter concessa personæ, transferri non possunt in aliam personam, nisi voluntate concedentis. Secus est vero de fructibus quos eadem iura adferunt; ij enim vt vendi, sic & locari possunt. Adde his, quod per se notum ait Molina initio præcedentis disputationis, eos qui emere possunt, & vendere, posse quoque locare, & conducere: quia non requiritur plus ad hæc, quam ad illa.

490. SECVNDVM est, in locatione interdum rem dari, vt restituatur eadem, vt cum locatur opera fullonis ad vestem colore aliquo tingendam; interdum vero dari rem, vt ex ea immutata per artem, fiat noua res quæ restituatur, vt cum in locatione operæ artificis datur argentum, vt restituatur vas argenteum. Hocq; posteriori modo transfertur non modo vsu rei datæ, sed etiam illius dominium; ita vt periens pereat accipienti, non autem danti. Priori vero modo dominium maneat apud dantem, cui proinde res perit, si contingat eam perire; ita habetur ex lege Inauem Saufeij, ff. Locati.

491. TERTIVM est, quod ante attigimus (*& patet ex lege 1. §. Si quis seruum, ff. Depositi, & ex lege Natura lis, §. At cum do, vt facias, ff. De præscriptis verbis*) ad rationem locationis necessarium esse, vt interueniat merces soluenda in pecunia, impugnari posse per illud quod est in vsu cõmuni, vt prædium locetur pro certis frumenti modiis soluendis, vel hortus pro aliquot corbibus fructuũ reddendis. Ad quod respondendum est, *ex Panorm. ad Cap. Si propter sterilitatem. de locato, & conduct. num. 14. Angelo, Sylu. & Tabiena, verbo Locatio, in principio*, tale quid pertinere ad contractum innominatum, locationi persimilem, de quo proinde sit secũdum regulas locationis iudicandum. Vnicuiq; enim contractui innominato hoc conuenit, vt reguletur secundum naturam contractus nominati cui assimilatur; nisi aliud fuerit conuentum, vt memorati authores ibidem habent ex Bartholo per citatum §. Si quis seruum.

Dici quoque potest pertinere ad locationem, & ideo mercedem pecuniariam in proposita definitione late sumi, non tantum pro ea quæ soluitur in pecunia numerata, sed etiam pro ea quæ soluitur in certa quantitate alterius rei loco pecuniæ, vt in propositis exemplis soluuntur certi modij tritici, aut aliquot corbes fructuum, & sic de cæteris consistentibus, vel in pondere, vel in numero, vel in mensura, quæ in solutione mercedis, succedunt in locum pecuniæ. Cum autem in incerta quantitate, vt in aliquota parte fructuum, aut lucri quod habebitur, res aliæ in locum pecuniæ succedunt; contractus potius societatis celebratur, quam locationis, vt annotatum est à Panormitano *in cod. num. 14. ex lege Si merces, §. Vis maior. ff. Locati*, vt cum prædium traditur colendum pro tertia, aut quarta parte fructuũ quos proferet, aut nauigium, vel retia dantur ad vsum pro tertia similiter, vel quarta parte lucri per ea faciendi; quam partem qui, vt conductor soluere debet, dicitur partiarius in cit. §.

QVARTVM est, emptionem quidem, & locationem esse contractus diuersæ speciei, vt initio huius capitis insinuauimus, inter vtramque tamen magnam esse similitudinem. Ac primo, quod sicut ob mutuum respectum, emptionis nomine comprehenditur venditio; ita etiam nomine locationis comprehendatur conductio. Secundo, ꝙ vt in venditione sunt tria; res, pretium, & consensus, in quibus substantia ipsius consistit; sic etiam in locatione interuenire debeant res, merces, seu pensio, & consensus. Tertio, quod vt venditio solo consensu, & sine verbis, vel scriptura perfici potest, sic etiam possit locatio, ex lege 1. ff. Locati. Vbi aduerte ex lege Item quæritur, §. Qui impleto, & ex lege Qui ad certum, eod. titulo, locationem sola taciturnitate locatoris redintegrari ad annos singulos eiusdem taciturnitatis: verbi gratia, locaui tibi domum meam ad triennium, finito triennio cum tu in eadem domo maneas, ego taceo, & patior te habitare, intelligor tali taciturnitate, tibi iure ipso eandem domum relocare, & tu intelligeris reconduxisse ad eum annum. Quarto, vt venditio, & emptio contrahitur, si de pretio conuenerit; ita etiam locatio, & conductio, si conuenerit de mercede, ex lege 2. ff. Locati. Quinto, vt emptio, sic & locatio contrahi potest sub conditione, qua impleta, implenda sit quoque conductio, vt cum tu locasti alicui domum tuam, si fieret Senator. Sexto, sicut in venditione, sic in locatione deceptus vltra dimidium iustæ æstimationis, actionem habet, & ius rescindendi contractum, iuxta legem 2. Cod. De rescindenda vendit. Septimo, sicut emptio ex minimo pretio, simulata reputatur, & potius donatio censetur, ex lege Si sponsus, §. Circa, ff. De donationibus inter virum, & vxorem; ita etiam locatio, ex lege Si quis conduxerit, ff. Locati. Octauo, sicut venditio requirit consensum in corpore, seu materia, & in pretio, sic etiam locatio; ita vt mihi egerimus, si locaui tibi ædes meas suburbanas, & tu existimasti te conducere vrbanas: quia non fuit consensus in corpore. Nec item si locaui tibi fundum decem nummis, & existimasti te conducere quinque: quia non fuit consensus in pretio. Istud habetur in lege. Si decem, ff. Locati. Vbi additur, quod si ego putaui me minoris locare; tu vero te pluris conducere, conductionem tanti esse, quanti ego putaui. Et ratio esse potest, quia vtriusque nostrum consensus conuenit in ea minore summa; tu enim consentiens in maiorem summam, simul consentis in minorem quam includit. Nono, sicut in emptione peti potest, vt res tradatur, vel vt præstetur id quod interest; ita etiam in locatione potest peti, vt liceat vti re conducta, aut alioqui soluatur quod interest, ex lege Si tibi alienam, ff. Locati. Postremo, sicut in emptione possum rem emere ea lege, vt mihi liceat illam probare ad certum tempus: sic etiam in conductione, quando rem ad nostrum vsum conducimus. Quæ probatio fieri debet arbitrio boni viri, iuxta principium legis Si in lege, ff. Locati. Quibus adde, locationem in hoc quoq; venditionis similitudinem habere, quod is qui suas operas prius vni, & postea alteri locauit; si ambo simul illas exigant, locatorem ipsum teneri priori conductori prius satisfacere. Ex regula enim 54. iuris in 6. qui prior est tempore, potior est iure. 502.

Varia diuisio locati, & conducti.

DIVIDI potest locatum, primo ex parte rei locatæ, quæ vel est immobilis, vel mobilis, vel se mouens. Secundo, ex parte vsus, qui potest esse, vel certus, vt cum locatur equus ad iter faciendum, bos ad arandum; vel incertus, vt cum locatur equus ad seruiendum, siue vno, siue alio genere seruitij. Tertio, ex parte temporis, quod potest esse certum, vt cum res locatur ad tres, vel quatuor dies, vel menses, vel annos; aut incertum, vt cum locatur domus ad vitam conductoris, vel quousque locator voluerit. Quarto, ex parte mercedis, quæ aliquando soluitur in pecunia, aliquando in alia re, succedente in pecuniæ locum, prout habitum est in præced. num. 501. Postremo, ex parte circumstantiarum, in licitum, in quo omnes debitæ circumstantiæ seruantur, & in illicitum, in quo non seruantur; vt contingit primo, cum locatur res quæ vendi 503.

non potest, aut is locat, vel conducit, qui prohibetur vendere, vel emere (de quo dictũ est in præced. cap. 15.) quia, vt habetur ex lege 2. ff. Locati, tanta est locationis, & conductionis cum emptione, & venditione affinitas, vt iisdem regulis iuris consistant. Secundo, contingit cum nõ datur iusta merces; de qua iudicandum est eadem ratione; qua de iusto pretio propter prædictam affinitatem. Sicut igitur in venditione iustum pretium cõmuni æstimationi, aut statuto Principis committitur, prout expositum est in cap. 16. ita & in locatione, iusta merces. Postremo, contingit quando interuenit aliquid rectæ rationi, aut Superiorum præceptio repugnans. Circa quod descendendo ad particularia, moueri possunt aliquot dubia.

504. PRIMVM EST; an beneficiarius sine sui Prælati licentia locare possit reditus sui beneficij? Ad quod respondendum est affirmatiue cum Panormit. ad Cap. Vestra, De locato, num. 4. ex quo Cap. id ipse probat, ponderando verbum, *libere*, quo Pontifex ibi vtitur agens de eiusmodi locatione. Imo non valeret statutum, aut prohibitio Episcopi, facta in contrarium, vt ibidem habet Panormit. & post ipsum Angelus *in verbo Locatio*, §. 4. propter idem verbum, *libere*, de cuius significatione est, vt non exigatur cõsensus alterius, sed agens relinquatur in plena sua potestate. Quod tamen ita temperandum est, *prout illi ipsi authores notant ex Clementina prima de rebus Ecclesiæ non alienandis*, vt non permittatur ad longum tempus, hoc est, pro pluribus quã nouem annis facere talem locationem. Etenim, *vt in eod. Cap. vestra* dicitur beneficiario facultas locandi ita conceditur, vt locatio nihilo minus extendi ad alienationem nõ videatur. Locatio autem quæ est ad decennium, reputatur alienatio, vt Couar. post multos alios, quos refert, habet in lib. 2. variarum resolutionum cap. 16. numer. 1.

Addiderim etiam, quod si per synodalem constitutionem beneficiarius prohibeatur beneficij sui fructus locare vltra biennium, aut triennium, aut vltra annum, talis prohibitio non repugnet constitutioni citati Cap. Vestra, qua tantum statuitur beneficiarium posse libere fructus sui beneficij locare absque Diœcesani consensu; quod quidem non obstat quin Diœcesanus possit iusta de causa, illi prohibere locationem vltra annum, vel duos annos. Nam id non est absolute tollere illi libertatem locandi. Aduerte vero hodie iure communi per extrauag. vnicam inter communes, tit. De rebus Ecclesiæ non alienandis, prohibitum esse bona Ecclesiastica immobilia, vel mobilia pretiosa locare vltra triennium, talique constitutioni standum esse, vbi nondum est abrogata per contrariam consuetudinem. De qua re pluribus Couar. in cit. cap. 16. num. 4. 5. & 6. quæ differenda sunt in tractatum tertium libri 30.

505. SECVNDVM DVBIVM EST; an possit quis alteri locare domum quam conduxit? Ad quod respondetur, posse locare pro illo tempore, pro quo illam conductam habet, nisi aliter fuerit conuentum; vt habetur in lege Nemo, Cod. Locati; modo tamen locet ad eundem vsum, idoneo conductori, prout rationi consentaneum est. Atque tunc secundus conductor non tenetur soluere pensionem domino domus, sed ei qui sibi illam locauit, cum quo solo contraxit: quamuis bona quæ ipse intulerit, & reperta fuerint in tali domo (*quod late tractat Molina in citato tract. 2. disput.* 497.) maneant tacite obligata eidem domino, pro pensione suæ domus, ex lege Solutam, §. Solutam, ff. De pignoratitia actione. Ex quibus intelligitur verum esse quod dixit Angelus *in verbo Locatio*, §. 7. q. scholaris possit ponere alium loco sui in domo, vel cubiculo conducto, quod approbat Sylu. *in eodem verbo, quæst. 2. dicto* 5. addens id non posse fieri inuitis socius: quia ratio societatis id prohibet.

506. TERTIVM DVBIVM ESSE POTEST; vtrum liceat id quo intelligitur conductor vsurus ad peccatum mortale? Ad quod paucis responderi potest, in iisdem casibus in quibus illicitum est aliquid vendere quando timetur, aut præuidetur abusus inde secuturus; in iisdem illicitum esse illud locare. Nam per locationem, sicut per venditionem transfertur in alterum potestas vtendi re. Qui autem sint illi casus intelliges ex traditis in præcedenti capite 15. dub. 5.

QVARTVM DVBIVM EST; an liceat rem locabilem locare cuilibet, qui creditur ea non abusurus. Occasionem dubitandi dant aliquot leges ciuiles, vt lex Milites, & lex vltima, Cod. De locato, quæ prohibent, milites fieri alienarum rerum conductores, ne armorum vsum omittant, & vicinis iniuriam inferant. Prohibentur similiter curiales; lege Curialis, Cod. eodem titulo. Item domus propinqua vni magistro, prohibetur locari alteri magistro, quando vtriusque docentis voces inter se confunderentur, lege vnica, Cod. De studiis liberalibus vrbis Romæ. Respondendum autem est, tales leges iam non esse in vsu (*quod notat author additionum ad Angelum in verbo Locatio*, §. 10.) ideoque standum esse iuri naturali; vt si ob aliquam circumstantiam recta ratio præscribat locationem in detrimentum Reipub. maiori bono repugnare, ea non fiat. Quod totum relinquitur arbitrio Iudicis in foro contentioso, & extra illud arbitrio prudentis. Ipsum exemplis illustratum vide apud Sylu. in verbo Locatio, q. 3. dicto 4. 507.

CAPVT XXXIX.

De obligationibus locatoris.

SVMMARIVM.

508 *Tres obligationes locatoris.*

509 *De casu in quo conductor potest eiici ob non solutam pensionem.*

510 *De alio casu in quo eiici potest ob necessitatem superuenientem locatori.*

511 *De tertio casu in quo domus indiget refectione.*

512 *De quarto casu in quo conductor expelli potest, eo quod peruersè in re locata versetur.*

513 *Obligatio locatoris refarciendi damna quæ conductor patitur in re locata.*

514 *Obligatio rem vitiosam locantis per ignorantiam.*

PRIMA obligatio est, vt locator teneatur vitium occultum rei locatæ patefacere, eodem modo quo venditorem teneri rei venditæ vitium occultum manifestare, habitum est in præced. num. 337. & 338. 508.

Secunda est, *de qua late Molina De iust. & iure, tract. 2. disp.* 496. vt teneatur soluere expensas necessarias quas conductor fecerit in restauranda re locata, vt si equus conductus male valuerit absque culpa conductoris; hicque in illius curationem sumptum aliquem fecerit. Nam si talis obligatio (*vt habitum est in fine præcedentis capitis* 35.) exurgit ex commodato, quod gratis fit; multo magis exurget ex locato, quod fit pro mercede.

Tertia est, vt locator non possit rem locatam repetere ante tempus locationis finitũ: vt v. g. is qui domum suam ad certum tempus locauit, nequeat ab ea inquilinum expellere, exceptis quatuor casibus notatis in Cap. Propter sterilitatem, §. Verum, De locato, quos accurate Ludouicus Molina persequitur *in sequenti disp.* 499.

Primus est, quando per biennium pensio à conductore non soluitur. Huius mentio est in lege Quæro, §. Inter locatorem, & in lege Cum domini, ff. Locati. Intelligendus est autem ex Panormit. ad cit. Cap. Propter sterilitatem, num. 10. *quem sequuntur Syluester verbo Locatio, quæst. 9. dicto 4 & Rosella eodem verbo num. 3. Nauar. in Enchir. cap. 17. nu.* 193. quando res ad quinquennium, aut ad plures annos locata est, neque conductor pensionem soluit per biennium; quando enim locata est ad pauciores annos, si conductor non soluat eo tempore quo soluere tenetur, potest statim expelli etiam authoritate propria, vt tradit Syluester *in eod. dicto 4. post Panorm. loco cit.* 509.

Si quæras quodnam sit tempus in quo facienda sit solutio pensionis in locatione? Respõdetur, si de eo cõuentum sit inter partes, standum esse conuentioni; sin minus, standum esse regionis consuetudini, quæ si nulla sit, pensionẽ soluendam esse in fine anni. Ita Angelus *in verbo Locatio*, §. 12. per legem Semper in stipulationibus, ff. De reg. iuris. Monet autem Nauar. in sequent. num. 198. id verum

esse

esse regulariter: quia nonnunquam aliter sentiendum est, nimirum quando tempus pro quo, & causa propter quã, & persona cui res locatur; & denique aliæ circumstantiæ, aliud exigunt prudentis arbitrio.

510. Secundus casus est, cum locator propter superuenientem necessitatem, cui aliter occurrere non potest (*secus si posset aliter sibi prouidere*) re sua eget, vt si domus quam habitabat corruerit, vel ipse duxerit vxorem non habens aliam domum. Hunc ex lege Æde quam, Cod. De locato, habent cum D. Anton. 2. *par. tit.* 1. *cap.* 15. §. 6. *Angelus in sequent* §. 13. *Sylu. in præced. dicto* 1. *Tabiena verbo Locatio, num.* 11. *atque Nauar. in memorato num.* 193. Et procedit etiam si conductor rem locatã habeat specialiter, vel generaliter hypothecatam pro obseruatione, & executione alterius cõtractus cum locatore initi, prout contra nonnullos tenet Couar. *in lib.* 2. *var. resolut. cap.* 15. *num.* 4. vbi etiam censet procedere quantumcunq; promissio facta sit conductori de eo non expellendo. Non procedit autem cum dicta necessitas præcessit locationem, vt cum locator domus, ea iam tunc egebat cum locabat. Ita docent Angelus, Syluest. & Tabiena locis citatis, ac ante eos Hostiensis *in summa, titulo De locato,* §. *Quæ actiones*, quia, inquiunt, locator debet sibi imputare incommodum quod patitur carendo vsu suæ rei, cum per dictam locationem se priuauerit suo iure illam repetendi ante terminum à se præfixum, vel certe egerit mala fide. Verumtamen, *vt notat Nauar.* potest talis casus aliquando accidere, vt quantumcunque necessitas præcesserit, cõductor possit expelli, vt si Titius quando locauit domum, habitabat cum alio, & postea duxit vxorem à qua separatim habitare compelleretur, nisi domum locatam conductor restituat. Atque quod dicimus de necessitate superueniente locatoris, videtur pariter dicendum de necessitate superueniente filij, vel filiæ, patris, vel matris, fratris, vel sororis, aui, vel auiæ ipsius, quia quisque talium in necessitate, debet iure naturæ præferri aliis. Adde ex Couar. in prædicto num. 4. idem etiam dicendum esse de hærede vniuersali locatoris, tanquam succedente in ius illius, & personam illius repræsentante; non autem de successore singulari, in quem locator ipse talem rem transtulisset titulo emptionis, aut donationis, aut alio huiusmodi. De qua re videndus est idem author.

511. Tertius casus est, cum domus indiget refectione, qua non indigebat tempore locationis. Istum quoque habent *Nauar. in dicto num.* 193. *& in verbo Locatio, Angelus* §. 13. *Sylu. quæst.* 9. *dicto* 2. *Tabien. num.* 11. ex lege Æde quam, Cod. De locato, & ex Cap. Propter sterilitatem, §. Verum, De locato. Ex quo habetur etiam, *quod illi addunt*, in hoc, & in præcedenti casu pensionem remittendam esse pro rata temporis, quo domus ipsa aufertur à conductore, vel certe ei prouidendum de domo æque commoda, ex principio legis Cum in plures, ff. Locati. Item conductorem ipsum posse iam refecta domo petere se in ea reponi; ex glossa cum textu, in lege Si duo, §. Cum inquilinus, ff. Vti possidetis.

512. Quartus casus est quem adhuc memorati authores referunt ex §. Verum, & ex lege Æde quam, citatis, quando conductor peruerse versatur in domo locata, siue absque detrimento illius, vt cum in ea recipit meretrices, lenones, aleatores, fures, vsurarios, *vnde illa fiat quidem infamis, non tamen deterioretur*, siue cum illius detrimento; vt cum porcos in cubicula inducit, arbores cædit, agrum, vel hortum non colit tempore debito.

Si quæras an locator debeat eo casu pensionem remittere? Respondent post Panormit. *ad cit. Cap. Propter sterilitatem num.* 16. *Angelus in eodem* §. 13. *Sylu. in sequenti dicto* 3. *& Nauar. in sequenti num.* 194. debere remittere pro rata illius temporis, quod restat ex termino præfixo, si inquilinus expellatur ob posterioris modi malam versationẽ in domo locata. Damni vero in domo ipsa dati satisfactionem esse in iudicio petendam, agendo aduersus eundem inquilinum. Sin autẽ expellatur inquilinus ob malam versationem prioris modi, nullam obligationem esse remittendi ei aliquid de pensione, quia locator non debet damnum sentire ex illius culpa. Verumtamen naturalis æquitas tunc quoque postulare videtur, vt pro rata temporis, pensio ei remittatur, & aduersus ipsum in iudicio agatur ad satisfactionem iniuriæ, aut damni, si quod sibi inde sequi locator cognoscat. Nam cum tale compensatum fuerit, cessabit causa exigendi aliquid vltra pensionem debitam pro rata temporis quo domus retenta est. Ita se sentire indicat Diuus Anton. 2. *par. tit.* 1. *cap.* 15. § 6. cum absolute dicit in hoc casu remittendam esse pensionem pro rata temporis, & de damno dato esse agendum aduersus inquilinum.

513. Quarta obligatio locatoris est, vt teneatur restituere omnia damna quæ conductor patitur in re locata, si ea pereat, aut deterior fiat eiusdem locatoris dolo, aut lata culpa, vel etiam leui, iuxta cõditionem scilicet contractus in vtriusq; contrahentis vtilitatem initi. Sic ergo ad damda secuta resarcienda illi tenentur qui equos, aut mulos solitos se in aquam mergere, locant ad res vehendas, conductoribus non monitis de tali defectu. Item si res fuerit locata, locatore sciente eam esse alienam, posteaque euincatur, locator ipse tenetur conductori nõ solum ad damnum inde emergens, sed etiam ad lucrum cessans refundendum, ex lege Si fundus, ff. Locati. Si vero bona fide quis rem locauit, & ea sit euicta, tenetur petere ab eo qui eam euicit, vt illam relinquat conductori, vel tradere huic aliam æque bonam vtendam; siquæ neutrum præstiterit, tenetur ei remittere de pensione pro rata temporis, quod defuerit ad complementum contractus, iuxta legem Si quis domum, ff. Locati. Item si quis locauerit fundum qui ob aliquem ipsius defectum postea confiscatus est, solum tenetur remittere de pensione pro rata temporis quod restabat conductori: non autem soluere ei interesse, & damna inde secuta, ex cit. lege Si fundus; traditque Nauarrus *in Enchir. cap.* 17. *num.* 197.

Præterea si locauit quis operas suas in diem, vel in aliud certũ tempus, nec fideliter laborat præstando industriam, curam, & diligentiam debitam arbitrio boni viri; ita vt infimum laborem iustum pro stipendio constituto minime attingat, tenetur ad restitutionem pro rata debiti laboris in quo defuit; imo & ad interesse, si forte aliquod detrimentum inde subsecutum est conductori, vt facile solet, cum quis ad piscaturam, vel aliud simile conducitur. Quod si quis casu fortuito non potuit locatas operas præstare, tenebitur quidem de pensione pro rata temporis remittere, non tamen soluere interesse, & damnum secutum. De qua re Nauarrus in eodem numero 197. & in verbo Locatio Angelus §. 15. Sylucster quæstione 12. & Tabiena numero 13.

514. CÆTERVM quod habetur ex lege Si addes, §. 1. ff. Locati. Si quis locauit dolia vitiosa, etiam ignoranter, eaque de causa vinum fluxerit, vel deterius factum sit; eum teneri ad damnum vini, & eius quod interest; non item eum qui ignoranter locauit pascua in quibus sunt herbæ nociuæ, per quas depastas, pecora mortua sunt, vel facta deteriora: sed tantum teneri ad mercedem locationis remittendam. Istud, inquam, in foro quidem exteriori vim obtinet: quia ob curam, quæ maxima adhiberi solet, ob liquoris præstantiam; in priore casu ignorantia culpabilis præsumitur potius quam in posteriore; in foro tamen cõscientiæ si constet inculpabilem fuisse ignorantiam, quod scilicet diligentiam quam tenebatur locator, adhibuit, excusandus perinde est in priore casu, ac in posteriore & cæteris similibus, vt habet Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *num.* 196. *cum Angelo in verbo Locatio*, §. 24. *Sylucst. quæstione* 18. *& Tabiena num.* 21. qui addunt eum qui simpliciter locauit dicens conductori, se nescire an dolia sua sint vitiosa, eaque illi exhibens videnda, non obligari in conscientia ad damnum, seu ad id quod interest.

CAPVT XL.

De obligationibus conductoris.

SVMMARIVM.

515 *Sex obligationes conductoris.*

516 *Tres casus in quibus conductor deserere potest rem locatam ante expletum tempus locationis.*

517 *Exempla casus grauis necessitatis superuenientis ex parte rei locatæ.*

518 *Necessitas prouenies ex parte inquilini, non sufficit, vt ipse possit rem locatam deserere ante expletum tempus locationis.*

519 *De eo qui alterius operam conduxit, & ea non vtitur culpa sua.*

515. PRIMA est; vt conductor re locata vti non debeat, nisi ad eum vsum ad quem conduxit illam, exceptis duobus casibus. Prior est, si alius vsus sit facilior, leuior, & minus damnosus: quia in eo seruit commodo locatoris. Alter est, si probabiliter præsumat locatorem gratum habiturum eiusmodi vsum. Secunda obligatio est, vt teneatur tempore constituto pensionem soluere. Tertia est, vt teneatur rem locatam restituere finito locationis tempore. Quarta, vt teneatur restituere eandem numero, seu in individuo. Quinta, vt teneatur restituere integram, nec factam deteriorem. Sexta, vt non possit ante tempus locationis expletum rem locatam deserere, exceptis tribus casibus.

516. Primus est, si soluat integram pensionem locatori. Secundus, si res locata indigeat reparatione, vt conductor ipse possit ea vti, verbi gratia, si domus locata corruerit ex parte, aut si equus locatus male habeat, sine culpa eiusdem cõductoris lata, vel leui. Tertius, si superueniat grauis necessitas quæ cogat eum, rem locatam deserere. Ita ex glossa ad legem Si in lege, §. Si domus, ff. Locati, notant Panormit. *ad Cap. Propter sterilitatem, de locato, num. 7. & post ipsum in verbo Locatio Angelus* §. 14. *Sylu. q.* 10. *& Tabiena nu.* 12.

517. Itaque propter pestem licite dimitti potest domus, vt iidem authores notant, & cum multis aliis Couar. in practicis quæstionibus, *cap.* 30. *num.* 3. Quod intelligendum est eo sensu; vt locator ipsi conductori debeat omnino remittere partem pensionis pro rata temporis non completi: vt ibidem expressit Couar. cæterique memorati indicant. Et ita seruandum esse in conscientia (addidit Tabiena loco cit.) quantumcumque in foro contentioso aliud forte seruaretur, vt indicauit Panorm. *in sequenti num.* 8. & post ipsum Couar. *in cit. nu.* 3. Pari ratione existimandum est, posse ad modum prædictũ, iuste dimitti domum propter bellum graue & periculosum, vel ob aliam similem causam; vt ob grauem vel periculosam inimicitiam, vel ob metum spirituum malignorum, & phantasmatum, quibus domus locata infestatur: vel ob alium quemcumq; metum ratione rei locatæ incussum: cum is fuerit grauis & cadens in constantem virum; de quo egimus in præced. lib. 1. cap. 8. Videri potest Lud. Molina *disput.* 493.

Qui congruenter huic doctrinæ initio sequentis disputatuit, quod si famulus in morbum incidat, aut alio simili impedimento obsequia præstare non possit, nõ teneatur dominus mercedẽ illius temporis ei soluere. Imo si quos sumptus dominus in eo curando fecerit, posse illos ab eo exigere: quia iidem sumptus non ad dominum, sed ad famulum ipsum locantem se, pertinent. Quod si quæras an talis famulus, si in annum, aut aliud certum tempus se locauerit, teneatur valetudine recuperata, perseuerare in famulatu quousque resarciat tempus illud quo ægrotauit? Idem ibid. respondet non teneri, vt nec dominum sinere, vt prorogatione temporis famulatus, resarciat illud quod omisit ægritudine impeditus. Nam famulandi onus, præcise fuit temporis in contractu præscripti: quo proinde transacto non manet onus in tempus sequens; perinde ac cum quis non ieiunat, aut non recitat diuinum officium quo tempore tenetur ex Ecclesiæ præscripto; nõ obligatur sequenti tempore compensare: quia onus fuit illius temporis. Quod etiam habet locum in cæteris locationibus, cum ex parte rei locatæ impedimentum occurrit ea vtendi: nempe vt finito tempore constituto ab initio contractus, non debeat prorogari in tantum tempus, quantum fuit illud in quo occurrit impedimentum.

518. Porro si necessitas quæ superuenerit inquilino, non sit, *sicut est in casibus tam dictis*, ex parte rei locatæ, sed potius ex parte ipsiusmet inquilini: puta quia vxorẽ duxit, vel euectus est ad aliquã dignitatem, & ideo eget maiori domo, vel quia ad opus aliquod suum peragendum, necessarium est illi commigrare alio; tunc non nisi soluta integra pensione potest domum locatam relinquere, prout docet Couar. *in memorato nu.* 3. *circa finem.* Quod similiter dicendum est; etiamsi casu fortuito fieret ex parte inquilini, vt ipse conducta domo nunquam, aut in toto tempore conductionis vti posset: nempe hoc non obstante ipsum teneri ad solutionem integræ pensionis, pro qua domũ conduxerat. Id quod expresse docet Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *num.* 198. addens nullo iure niti illius limitationem, quam in verbo Locatio *Angelus* §. 15. *& Sylu. quæst.* 12. habent; vt procedat solum quãdo locator locando alteri, verosimiliter mercedem habuisset, alias non. Nam talis limitatio *(inquit ille)* iure non probatur: atq; si rationem consulas; ea docet, quod vt locatio non definit ex eo vera esse, quod non offerat se alter, qui simili mercede conducat: ita nec definit inducere obligationẽ soluendi mercedem iustam, quæ communi contrahentium consensu fuerit cõstituta.

519. Quibus adde etiam de eo qui operas alterius conduxit, & culpa sua eis non vtitur, ipsum ad solutionem mercedis teneri per legem Sed addes, §. Cum quidam, & legem Qui operas, ff. Locati: quod tamen per textum in eodem §. Cum quidam, intelligendum est cum exceptione: nisi eodem tempore locator operarum suarum mercedem ab alio acceperit. Imo vero etiamsi casu fortuito contigerit ex parte conductoris, vt ipse vsus non sit operis locatoris, dicendum est etiam, sicut prius cum Nauarro, obligationem manere ad mercedis solutionem: neque admittendam esse restrictionem Sylvestri *in memorata quæst.* 12. volentis id tantũ procedere, quando locator inuenisset alioqui mercedem, si tali conductori suas operas non locasset.

CAPVT XLI.

De actionibus quæ oriuntur ex locatione.

SVMMARIVM.

520 *Duæ actiones oriuntur ex locatione.*

521 *Tres conditiones requisitæ vt in locatione pensio ob sterilitatem remitti debeat.*

522 *Quanta esse debeat ipsa sterilitas.*

523 *Sex casus in quibus sterilitas non impedit quin tota pensio soluatur.*

524 *Quando augeri debeat pensio ob maiorem fructuum vbertatem superuenientem.*

520. DVÆ actiones oriuntur ex locatione; vna dicitur ex locato, quæ conuenit locatori contra conductorem pro re locata, siue mobili, siue immobili; & hæc siue rustica, siue vrbana: vel pro opera aliqua, aut pro pensione soluenda, aut pro restituenda re integra, finito locationis tempore. Talis autem actio non datur, nisi vsus rei conductæ sit expletus. Altera dicitur actio ex conducto, quæ competit conductori contra locatorem; vt si ei non liceat vti re conducta, vel non præstetur quod in locatione conuenit, nempe vt locator soluat illud quod conductoris interest: atque damnum dolo, aut culpa lata, vel leui eiusdem locatoris incursum resarciatur: itemq; restituantur, quæ conductor in re locata necessario, aut vtiliter auxerit, restaurarit, instituerit: etiamsi de eo inter ipsos non conuenisset: ac demum remittatur pensio seu merces, cum adest iusta remittendi causa: qualis ex communi sententia est sterilitas *(de qua abunde Molina disput. 495.)* cum acciderit sine culpa conductoris: vt v. g. ob inundationem maris, vel fluminis, vel ob grandinem, niues, aut imbres insolitos, aut vermes, vel hostilem exercitum deuastantem segetes, & alios fructus; iuxta legem Ex conducto, §. Si vis, & legem Si vno, §. Quicumque, ff. Locati: ac legem Licet, & legem Excepto. Cod. De locato, atque ex Cap. Propter sterilitatem, De locato: ex quo habentur tres conditiones in hac re notandæ.

521. Prima est, vt incommodum sterilitatis sit graue. Secunda, vt præcedentis, vel subsequentis anni fertilitas non compenset talem sterilitatem. Tertia vt remittatur pensio pro rata; hoc est, quando sterilitas in totum, seu tanta fuerit,

fuerit, vt nullus fructus colligatur, pensio remittatur in totum: quando vero non in totum quidem, grauis tamen fuerit sterilitas, remittatur pensio ex parte.

522. QVANTA autem debeat esse sterilitas, vt propter illam tanquam grauem, pensio remitti debeat ex parte, diuersæ sunt sententiæ, vt videre est apud Sylu. *in verbo Locatio quæst.* 13. & apud Couar. *in lib. practic. quæst. cap.* 30. *num.* 1. & Molinam *disput.* 495. Satis autem erit notare, probabile videri quod tenet Nauar. in Enchir. *cap.* 17. *num.* 188. ea in re standum esse conuentioni partium: quæ si nulla sit *(prout habet etiam Sylu. loco cit.)* sequendam esse vulgarem seu communem opinionem confirmatam consuetudine patriæ. Quæ si neque sit, tenendam esse definitionem, quæ non tantum est Bartholi & Ioan. Andreæ, quorum meminit Nauarrus; sed etiam Panormit. ad citatum Cap. Propter sterilitatem, num. 13. nempe quod tanta esse debeat sterilitas, vt ex tribus partibus fructuum, quos ager reddere cõmuniter solet, vix collectæ sint duæ. Nam cum in hac re standum sit arbitrio boni viri *(vt habet loco cit. Sylu. per legem Si in lege, ff. Locati, in principio)* talium ac tantorum Doctorum iudicio acquiescere possumus tuta conscientia. Itaque si sterilitas fuerit eiusmodi, aut etiam maior, facienda est diminutio pensionis pro rata; v.g. si ager reddere solebat 15. & pensio pro illo soluenda erat trium, hocque anno reddiderit tantum decẽ, remitti debet tertia pars pensionis: ita vt ea sit tantum duorum. Id quod procedit, *vt in seq. num.* 189. *Nauar. addit*, siue pensio soluenda sit in pecunia, siue in alia re.

523. ADVERTE tamen esse casus in quibus sterilitas non impedit quin pensio tota soluatur. Primus est, quando sterilitas contigit ex culpa cõductoris, vt cum agrum intempestiue ac male coluit, aut in eo natæ sunt multæ herbæ quæ sementem suffocarunt, vel aliud simile accidit, quod negligentiæ ipsius tribuendum sit, iuxta legẽ ex Conducto, §. Si vis, ff. Locati. Secundus casus parum differens à præcedenti, est quando fructus in domum illati corrumpuntur; vt si vinum in cella vinaria acescat, aut frumentũ in horreo corrumpatur, id negligentiæ conductoris tribuitur: sterilitasque, vt in præcedenti, ita & in hoc casu culpa illius accidisse censetur, iuxta illud in citato §. Si quæ tamen vitia ex ipsa re oriantur, hæc damno coloni esse, veluti si vinum acuerit. Tertius casus est quem iam ante attigimus, quando sterilitas compensari potest fertilitate anni immediate præcedentis, aut subsequentis durante eadem locatione, prout ex Hostien. & Panorm. habet Sylu. *in eadem quæst.* 13. *vers. Quando igitur.* De quo casu *disput.* 495. *versu Quartus*; late Lud. Molina. Quartus, *de quo etiam late idem Molina in eadem disput. aliquanto post*, est; quando initum est pactum, vt propter sterilitatem pensio non remittatur, ex lege Si quis fundum, ff. Locati, & ex lege Licet, Cod. De locato. Quintus est, quando res est locata ad longum tempus, puta ad 10. annos vel plures, quia tunc vix fieri potest quin vbertas vnius anni compenset sterilitatem alterius. Hunc Nauar. proponit in sequen. nu. 190. & ait procedere etiamsi maior pars rei, *non tamen tota res*, pereat casu fortuito: si quidem pensio exigua sit quæ soluatur potius in recognitionem directi dominij, quam pro fructibus percipiendis; non autem si tantum, aut parum minus soluatur, quam solueretur si res esset ad modicum tempus locata.

524. CONSEQVENTER inquirit Sylu. *in sequenti q.* 14. *quod etiam Molina tractat in fine memoratæ disputationis*; num pensio augeri debeat propter maiorem fructuum vbertatem superuenientem? & post Panormit. respondet tria. Primum est, non esse augendam, si vbertas in eo sit, quod fructus hoc anno plus valeant solito: quia non est minuenda ex eo, quod fructus vno anno minus valeant solito. Secundum est, non esse augendam, si vbertas contingat ex industria conductoris: quia nulli sua industria debet esse damnosa, sed proficua potius. Quod etiam dicendum est, si vbertas cõtingat ex bonitate agri: quia dominus illum, qua potuit sufficienti mercede locauit. Tertium est, augendam esse pensionem, quando vbertas contingit casu fortuito & qui præuideri non potuit, ex lege Sed addes, §. Si mulierem, ff. Locati: sicut est minuenda propter sterilitatem simili casu contingentem. Exemplum iidem authores dant: si locauerim tibi molendinum ex quo solebas percipere tantum quinquaginta; sed aliis molendinis destructis, hoc anno percepisti centum, æquum est vt pensio pro rata augeatur; sicut fieret remissio pro rata, si casu fortuito, & quem præuidere non potuisti, percepisses tantum triginta: quia contrariorum contraria est consequentia; vt si bonum est mulierem non tangere: ergo malum est tangere, vt habetur dist. 32. Cap. Hospitalium.

CAPVT XLII

De quæstione; cuius damno pereat aut deterioretur res locata.

SVMMARIVM.

525 *Detrimentum quod in re locata acciderit culpa leui conductoris, est ipsi tribuenda; non item quæ culpa leuissima, nisi pactum sit in contrarium.*

526 *Corollaria inde deducta.*

527 *Conductor tenetur ad damnum quod contigerit, ob conuentionem factam à se non seruatam: aut ob ipsius imperitiam.*

528 *Quatenus conductor, aut locator teneantur de culpa eorum, quorum opera vtuntur.*

529 *Conductor si pro custodia mercedem accipiat, de culpa leuissima tenetur.*

530 *Quando item teneatur ad custodiam ex sola vi locationis.*

531 *Cui in dubio incumbat probare interuenisse culpam in custodia rei locatæ.*

532 *Quando damnum rei locatæ datum ab eo qui gerit inimicitias cum conductore, sit huic imputandum.*

525. DE hac re sententia communis est, teste Sylu. *in verbo Locatio, quæst.* 17. detrimentum quod in re locata tempore locationis acciderit dolo, aut culpa lata, vel leui conductoris, ipsi esse attribuendum cum obligatione ad restitutionem, iuxta conditionem contractus in vtriusque partis vtilitatem celebrati: qualis est locationis contractus. Sin autem contigerit culpa tantum illius leuissima, aut casu fortuito, tribuendum esse locatori, tanquam rei domino, ad quẽ periculum rei locatæ de se pertinet. Nec obstat quod in lege Si merces, 1. Qui columnam, ff. Locati, detur ratio hæc cognoscendi, quod culpa fuerit absens ab eo, qui suam operam locauit in transferenda columna; si omnia facta sint, quæ diligentissimus fuisset obseruaturus. Nam glossa ibidem notat superlatiuum, *diligentissimus*, illic poni pro positiuo, diligens: aut quia in columna, & cæteris quæ facile franguntur, specialiter exigitur vt summa diligentia in eis seruandis adhibeatur; quod eadem glossa quoque tangit; & habent in verbo Locatio Angelus, §. 23. & Rosella num. 19. Verumtamen pactũ erit seruandum, si ipsum interceserit de casu fortuito, vel culpa leuissima; seu si periculum detrimenti, casu vel culpa quantumcumque leuissima contingentis, conductor in se susceperit: dummodo pensio minuatur, aut locator pretium det quantum sufficit ad iustam compensationem talis oneris. Pactum autem ne dolus præstetur in neutro foro, valet: quia est contra bonos mores. Ad horum autem confirmationem *(de quibus plenius Molina disput.* 493.) induci possunt lex Si fundus, & lex Sed de damno, ff. Locati: ad eorumque illustrationem per similia, faciunt in præced. cap. 36. tradita de periculo rei commodatæ.

526. Ex eis autem colliguntur. tum id quod habetur ex lege Si merces, §. Conductor, & ex lege Et hæc distinctio, §. Cum fundum, ff. Locati: nempe ad restitutionem damnorum illatorum teneri eum qui conduxerit vineam, & vt plures fructus ex ea colligeret, ita eam putarit, vt notabiliter læserit, inutilemque reddiderit ad fructus annis sequentibus ferendos. Tum etiam quod habetur ex lege Item quæritur, §. 1. ff. eod. titulo, ad restitutionem mercium teneri nautam, qui ab alio accepit eas vehendas in vna naui, ipsoque inuito transtulit in aliam quæ perit. Quod intelligendum est, *ex Sylu. in fine citatæ quæst.* 17. *Angel.* §. 25. *& Tab. nu.* 22. *in verbo Locatio*, nisi illa quoque nauis,

in qua ex locatione vehendæ erant merces, eadem nauigatione perierit: quia tunc detrimentum mercium nō est subsecutum ex illo culpabili facto nautæ; quandoquidem illæ eodem modo perituræ erant in ea ipsa naui. Possunt similiter multa alia eiusmodi colligi.

527. Cæterum quædam aduertenda sunt in hac re. Primum est; non esse excusationi locum, sed conductorem teneri ad damnum contingens, quando contra legem cōuentionis peccauerit, etiamsi non dederit necessariam & proximam eiusdem damni causam. Hoc patet per illud quod habetur in lege Videamus. §. Si hoc, ff. Locati: nimirum, conductorem si conuenerit inter ipsum, & locatorem, ne ignem haberet, & habuit, teneri de incēdio quod admisit casu fortuito; & in §. Inter conductorem, teneri similiter, si conueniſſet ne fœnum poneret in villa suburbana; & posuit, atque seruus fœnum ipsum succendit. Quod idem dicendum est, si externus succenderit, ex lege proxime sequenti.

Secundum est; imperitiam & ignorantiam non excusare cōductorem ab obligatione resarciendi damnum contingens in re locata. Hoc patet per illud quod statuitur in lege Item quæritur, §. 5. ff. Locati: si gemma quædata est includenda, aut insculpenda frangatur vitio materiæ, non esse actionem ex locato; esse vero, si fracta sit imperitia opus facientis. Item per illud quod in sequen. §. sexto habetur, teneri ex locato fullonem qui vestimenta polienda suscepit, si ea mures corroserint, aut ipse illa cum aliis permutauerit, etiamsi ignarus fecerit. Adde ex lege Si quis fundum, §. Celsus, eodem titulo, imperitiam esse adnumerādam culpæ; & q̄ cōductor qui vitulos pascendos; vel sarciendum quid, poliendumve conduxit, per imperitiam peccauit; culpam esse, quam ipse præstare debeat.

528. Tertium est; conductorem ex vi locationis teneri non tantum de culpa propria: sed etiam eorum quorum opera vtitur, si ipse non præstitit, quod diligens debuit; prout ex lege Si merces, §. Qui columnam, ff. Locati, habetur, & notat Angelus *in verbo Locatio*, §. 23. *in fine, & Rosellanum*. 19. aut si ad opus conduxit non idoneos, ex lege Videamus, in principio, ff. Locati: vel si adhibeat parum peritos, nec moribus, aut vita probos, nec diligentes: atque adeo quos consideratus paterfamilias improbasset. De damno autem ab aliis dato non teneri, si ipse impedire nō potuit; si vero potuit, teneri tanquam custodem; ex lege Sed de damno, ff. Locati. Aduerte vero obiter ex vi item locationis teneri locatorem de culpa serui, si malum, nec idoneum scienter locauit, quia fraudem fecit: non autem si eum quem bonum expertus fuerat. Quod procedit cum locauit certum, vt Paulum: aut incertū quidem, seu, *quod idem est*, indistincte vnum ex suis seruis, & conductor voluit eligere Paulum, pro quo nihil est eidem conductori præstandum, cum talem sibi eligere voluerit. Secus vero est cum quis incertum seruum cōduxit; sed locator quem voluit, exhibuit: quia sic ipse videtur spondere de talis serui fide, & diligentia. Hæc attigit Hostien. in summa de locato, §. Propter sterilitatem, vers. Agitur. & probatur per legem Cum in plures, §. Seruum, ff. Locati.

529. Quartum est, conductorem si mercedem acceperit pro custodia rei locatæ, teneri de culpa leuissima. Ita putant Angelus & Rosella locis citatis: quos Syluester reprehendit *in verbo Locatio q.* 17. sed, vt videtur, immerito: quia ratione talis mercedis culpa conductoris crescit, ex Cap. Bona fides, De deposito. Cum igitur ex vi solius locationis conductor teneatur de leui culpa, vt habitum est initio huius capitis; sane ex vi illius, simul & mercedis pro custodia, tenebitur de aliqua maiori, adeoq; de leuissima: q̄ argumentum est eiusdem Sylu. in verbo Custos, quæst. 2.

530. Quintum est; conductorem aliquando ex vi locationis teneri ad custodiam rei locatæ; quando scilicet locatio talis est, vt in ea intelligatur custodia: vt quādo quis locat pastori sua pecora pascenda: eo enim ipso censetur ad custodiam pecorum simul conduci; atque pro officio custodis tenetur tunc curare ne pereant. Aliquando vero non teneri, quando scilicet custodia est contractus omnino diuersus à locatione: vt cum quis locat horreum pro frumento recondendo: non enim intelligitur eo ipso locasse operam suam ad custodiendum frumentum: vnde non tenetur ex vi locationis curare ne frumentum pereat: sed satis est, vt præstet commodum, & idoneum horreum. Licet ergo si frumentum perierit ex vitio horrei, teneatur de dolo, & de culpa tam lata, quam leui: non tamen si pereat ex causa extrinseca, vt illuuione aquarum, incendio, deprædatione hostium vel latronum: quia non locauit suam diligentiam, in custodiendo frumento, sed tantum horreum, in quo commode condederetur. Ita habetur ex lege Dominus horreorum, & ex lege Cum in plures. Rerum custodiam, ff. Locati, & ex lege 1. Cod. De locato.

Sextum est; quando conductor ex vi locationis suscepit rem custodiendam, illius esse in dubio, probare quod absque sua culpa res locata perierit, vt colligitur ex leg. Si quis fundum, §. Imperator, ff. Locati: & bene docet Sylu. *in verbo Locatio quæst. vltima.* Sufficit autem eam probationē esse per verosimiles coniecturas: vt si pastor probet, aliquot oues non periisse sua culpa; quia totidem, aut plures similiter perierunt ex aliis gregibus. Nam si nō sint aliunde maiores coniecturæ, quod illius culpa perierint, sufficit illa verosimilis. Quando vero conductor non est custos ex vi conductionis, vt nauicularius, aut hedarius, locatoris esse probare quod eiusdem conductoris culpa res perierit. De quo si non possit verosimili coniectura constare, præsumetur res casu fortuito, aut naturali rerum cursu periisse.

Postremum est; si propter inimicitias conductoris, arbores prædij conducti vicini exciderint, id eiusdem conductoris culpæ esse annumerandum; ex lege Si merces, §. Culpæ, ff. Locati. Quod glossa ibid. in verbo inimicitiæ, indicat procedere etiam in casu, quo conductor absq; sua culpa, tales inimicitias patitur. Verum licet ratione talium inimicitiarum conductor ipse debeat se tunc cautius, & cum maiori diligentia gerere in conseruanda re sibi credita, prout eadem glossa tangit: tamen si non sit in culpa seu negligentia maiori quam leui, non videtur obligandus in conscientia, quia damnum imputandum est tantum ei qui sua malitia illud intulit, nulla data ipsi per conductorem sufficienti occasione.

CAPVT XLIII.

De modo quo finitur locatio.

SVMMARIVM.

533 *Locatio finitur contrahentium dissensu, & quando transeat, vel non transeat ad hæredes vniuersales.*

534 *Quod particularis successor (qualis est emptor rei locatæ, aut is cui donata est) non teneatur stare contractui locationis.*

535 *Quatuor casus in quibus id fallit.*

536 *Tenetur minor, aut pupillus stare locationi factæ à suo curatore, vel tutore.*

537 *Quando vxor teneatur stare locationi à marito factæ stante matrimonio.*

538 *Cum beneficiarius redditus sui beneficii locat proprio suo nomine; successor non tenetur locationi stare.*

539 *Quod procedit, etiamsi conductor iam soluerit pensionem pro toto tempore locationis, aut aliquid soluerit hæredi beneficiarii post huius mortem.*

540 *Quod remedium tunc sit eidem conductori.*

541 *Locatio bonorū Ecclesiæ eiusdem nomine facta per ipsius Prælatum seu Rectorem, transit ad huius successorem.*

542 *Idem dicendum est de locatione bonorum Hospitalis, aut ciuitatis facta per ipsius Rectorem.*

543 *Quando fiscus teneatur locationi factæ ab eo cuius bona sunt confiscata.*

De hac re certum est, locationem expleto illius termino finiri: quod tamen non impedit quin conductor eam retinere possit quousque soluantur sibi expensæ vtiles in ea factæ prout docet Molina *de iustit. & iure tract. 2. disput. 498. vers. Hactenus.* Certum etiam est; posse solo contrahentium dissensu; sicut nimirum solo eorumdem consensu cōtrahitur. Atq; si facta sit duratura quoad velletis

qui

qui illam fecit, finiti eiusdem voluntate, atque morte, ex leg. 4. ff. Locati: quia voluntas cuiusque finitur morte ipsius. Vbi aduerte, quod si conductor sciente & patiente locatore perseueret in re conducta retinenda finito iam tempore pro quo locata fuit, censeri ex vtriusque partis consensu prorogatam locationem. Qua de re pluribus Molina in præced. disput. 458. à vers. Quod vero, ad finem vsque.

Dubia de re proposita.

PRIMVM EST; An locatio transeat ad hæredes? Ad quod respondendum est ex Couar. *lib. 2. variarum resol. cap. 15. in initio*, successorem vniuersalem, qualis est hæres, non posse resilire à contractu locationis stabilito à prædecessore, sed ei stare debere: quod de hærede conductoris habetur expresse ex §. vltimo, Institutis De locatione. & ex lege Viam veritatis, Cod. De locato. In cuius legis summario Bartholus idem docet de hærede locatoris: communemq; sententiam esse indicat Molina *disput. 489. sub finem.* Ratio vero est, quia contractuum reciprocorum (quales sunt locatio & cõductio) similis est ratio. Quanquam si quis locasset operas suas aliquid, quod per alium præstari non posset: locatio ad hæredes ipsius minime transiret, iuxta glossam ad legem Veteris, Verbo Sine non, Cod. De contrahenda & cõmittenda stipulatione.

534. SECVNDVM DVBIVM EST; An in singularem successorem, puta emptorem, donatarium, legatarium, transeat etiam locationis contractus; itaut teneatur ei stare? Ad quod respondendum est negatiue: nam ex lege Emptorem, C. De Locato, constat emptorem rei locatæ posse inquilinũ, aut colonũ expellere si velit. Quod probatur, qua cõductor non acquirit ius in re, etiamsi acquiratius in personam, ex lege Si merces, §. Qui fundum, ff. Locati: & ex lege Nihil, §. vlt. ff. De legatis 1. Iuxta quas etiam leges concedendum est, quod pari iure conductor non teneatur cõtractui locationis stare donatario, aut legatario, si nolit. Idem est, si res alienata solum sit, quantũ ad dominiũ vtile: vt si illius vsusfructus sit alicui legatus, vel donatus, aut in emphyteusim ipsa res sit alicui tradita. Nam neque tunc donatarius, aut legatarius, vel emphyteuta tenetur stare contractui locationis: sed potest conductorem expellere, prout definitur in lege Arbores, §. 1. ff. De vsufructu. Et ratio est, quia illi omnes ius habent in re, & conductor tantum habet actionem in locatorem, ipsiusve hæredem, ad petendum id quod sua interest.

535. Sunt tamen aliqui casus in quibus particularis successor locatoris tenetur stare contractui locationis. Primus est, quando in alienatione deductum fuit in pactum vt is cui illa fiebat, teneretur stare locationi antea factæ. Secũdus, quãdo successor in re locata, post locationem sibi factam, conuenit cum conductore, vt perseueret in eodem contractu. Qui vterq; casus habetur ex cit. lege Emptorẽ. Tertius casus est, quando conductor deduxit in pactum, quod res locata esset sibi ita obligata, vt ante locationem finitam non posset alienari. Quod pactum valere habetur ex lege Si creditor, §. finali, ff. De distract. pignorum. Quartus casus est, quando conductor rem ipsam locatam singulariter, aut omnia locatoris bona generaliter habet hypothecata pro obseruatione cõtractus. De qua re Iurisperitorum propria, in lib. 2. var. resol. Couar. latius c. 15. n. 3.

536. TERTIVM DVBIVM; an minor, vel pupillus teneatur stare locationi factæ per suum curatorem, vel tutorẽ? Ad quod respondendum est affirmatiue, iuxta legem Si tutelæ, ff. De adminis. tutorũ; prout tangit Couar. *in seq. n. 5.* & cõmunem sententiam esse notat Lud. Molina *disput. 492.* Ratio vero est, quia tutor, vel curator non suo, sed pupilli, vel minoris nomine rem locauit: siquehos ex locatione grauiter lædi contigerit, conceditur ipsis restitutio in integrum. Idem pari ratione tenendum est de locationibus quas faciunt procuratores, & administratores, nomine eorum, quorum bona ex officio administrant: vt Rectores ciuitatum, administratores Hospitalium, & id genus alij. Nam si quid locent, dominus rei locatæ tenetur stare locationi suo nomine factæ: alioqui multæ in Repub. perturbationes, & dissidia orirentur.

QVARTVM DVBIVM EST; An vxor matrimonio soluto teneatur stare locationi rerum factæ per maritum durante matrimonio? De qua re Couar. in memorato nu. 5. duas refert sententias. Dicendum autem videtur, non teneri stare locationi rerum dotalium: quia maritus durante matrimonio administrator est earum tanquam vsufructuarius, & quasi dominium habens: vnde eas locat proprio nomine, non vxoris. Teneri autem stare locationi rerum paraphernalium, quia maritus non est talium vsufructuarius, sed tantum administrator pro vxore, tanquam tutor, curator, vel procurator. Vnde talis locatio fit tantum nomine vxoris. Item tenetur stare locationi rerũ quæ iuxta loci consuetudinem communes sunt viro, & vxori; vt in hac prouincia, quæ à viris acquiruntur durante matrimonio. Nam talis locatio fit nomine vtriusque. Cæterum, si maritus in dotem accepit aliquam rem locatam, non tenetur stare locationi, nisi prius in eam consenserit: quia se habet, ac si esset donatarius, aut legatarius. Videri potest Molina in citata disput. 492. 537.

QVINTVM DVBIVM EST; An Prælatus, vel beneficiarius succedens in officio, vel beneficio, teneatur stare locationi per suum prædecessorem factæ? Ad cuius explicationem duæ propositiones statuuntur. Prior est: si Prælatus, vel beneficiarius nomine proprio locet reditus suæ dignitatis, vel beneficij in suam vtilitatem, ad tempus iure, vel synodali constitutione permissum, ipseque ante tempus locationis expletum decedat; successor non tenetur iure stare huiusmodi locationi. Hanc ex glossa cõmuniter recepta *ad Cap. fin. Ne Prælatiui ices suæ*, & ex aliis habet Couar. *in cit. cap. 15. num. 6.* Eaque probatur, quia siue quis beneficium habeat in titulum, siue in commendam, siue ad administrationem perpetuam, illius reditus, siue fructus locare potest tantũ ad tempus suæ vitæ quia: in eo se habet vt vsufructuarius; cuius ius, *cum sit personale, id est, constitutum in commodum proprium personæ*, obitu personæ extinguitur, nec transit in successorem, iuxta Cap. De cætero, & Cap. Veniens, vtrobique in fine, De transactionibus. Ex qua eadem ratione efficitur, in tali casu (*quia contractus extinctus est omnino*) successorem si locationi stare velit, nihil posse inuito conductore. Id quod post plures alios notat, & approbat Couar. *in dicto num. 6. sub finem secundæ propositionis*, addens cum aliis, esse etiam idem dicendum, quando non per mortem locatoris; sed per ipsius renuntiationem beneficium vacauerit. 538.

Sed quæres, an si beneficiarius integram pensionem pro toto tempore locationis acceperit, successor obligetur ex eo contractu? Ad quod respondetur negatiue: quia solutio præuenta, seu anticipata non mutat rei naturam. Vnde in Concil. Trid. sess. 25. cap. 11. De reform. merito definitum est, vt omnes locationes eiusmodi quæ anticipatis solutionibus fiunt, nullatenus in præiudicium successorum validæ esse intelligantur, quocumque indulto, aut priuilegio nõ obstante: neque in Romana curia, vel extra eam confirmentur. Cæterum, si post mortem Prælati (*eadem est ratio de alia beneficij vacatione*) conductor ex reditibus beneficij iam collectis, aliquid hæredi defuncti soluit, nondum apprehensa possessione per successorem, successor ipse potest suum repetere à quo maluerit, nempe ab hærede, vel à conductore; siquidẽ vterq; fuit in culpa; alter soluendo post contractum iam dissolutum; alter vero indebitum accipiendo tanquam debitum. Ad quod faciunt tradita per Panorm. ad memoratũ Cap. fin. nu. 6. & 7. Intelligendum est autem procedere quando ea quæ hæredi defuncti data sunt, ad eum in tali casu non pertinebant. Aliquando enim ex patriæ saltem consuetudine, possent ad ipsum pertinere, vt cum vsq; ad certum tempus post beneficiarij mortem aliquid ex beneficij fructibus percipi solet ab hæredibus. Videndum est tamen, an consuetudo sit irrationabilis: quia per consequens esset nullius momenti. 539.

Remedium autem erit conductori, qui beneficiario pensionem annorum sequentium soluit, vt eam repetere possit ab eiusdẽ hærede pro rata temporis quod deest locationi, nisi ob prouentam solutionem tantum esset detractũ de quantitate pensionis, vt hæc non censeretur esse 540.

legitima, sed nimis modica. Tunc enim conductori in conscientia deberetur tantum id quod super esset, detracta iusta pensione pro ratione temporis transacti. Procedit autem tradita propositio, etiamsi Prælatus locando prædictos fructus ad se pertinentes, adiiciat se Ecclesiæ nomine locare. Id enim non efficere quin morte ipsius expiret locatio, tenet & probat Couar. in lib. 2. Var. resolut. cap. 15. in fine.

541. Posterior propositio est, quod si Prælatus, Rectorve Ecclesiæ bona ad eam pertinentia, nomine eiusdem locet legitime, locationem transire ad successorem, nec finiri per ipsius locátis mortem. Hanc, pro ea citatis aliis, habet *Couar in cod. c. 15. nu. 6. propos. 3.* volens absolute concedendum esse, eam procedere. Sed tamen Ecclesia ipsa, si vere inueniretur læsa, posset petere in integrum restitutionem: cum administrator eiusdem non habeat potestatem deteriorandi illius conditionem, *vt recte ait Panorm. in fine citati nu. 7. argumento Cap. 2. De donat.* Probatur vero eadem propositio ex eo, quod perinde se habeat Prælatus, seu Rector Ecclesiæ in tali locatione, atque curator, aut alius procurator legitimus in locatione bonorum, ad quæ locanda constitutus est legitime. Quare sicut ij, quorum nomine curator, vel procurator bona locauit, tenentur stare tali locationi, iuxta legem Si tutelæ, ff. De administr. & periculo tutorum: ita successor in administrat. Ecclesiæ, tenetur stare locationibus eiusdem Ecclesiæ nomine factis per prædecessorem suum.

542. Atque quod dicimus de locatione facta per Prælatum, vel Rectorem Ecclesiæ, pariter dicendum est de administratione bonorum ciuitatis, Hospitalis, aut alterius loci; cum is qui bona quæ nomine eorum de administrat, locauerit: successor enim ipsius tenetur tali locationi stare. Ratio est, quia eius generis administratores plenã administrationem habent, tam respectu rei, quam respectu successoris; sicut & maritus respectu bonorum paraphernalium vxoris, vel tutor respectu bonorum pupilli: quorum proinde locationi vxor, vel pupillus stare tenentur, prout loco cit. nu. 8. tradit Panorm. Vnde Couar. sub. fin. cit. cap. 15. ait, quod si Rector alicuius Hospitalis ad annum tantum electus, res illius locauerit ad triennium, vel ad aliud tempus iure permissum, successorem teneri omnino stare locationi factæ nomine eiusdem Hospitalis; quia fallax alioqui esset talis administrandi potestas. Idemq; addit dicendum de Rectoribus. ciuitatum, vbi ad eorum officium spectat locare res ciuitatis: quia locatio per talem aliquem nomine ciuitatis facta transibit ad successorem, sicut alij contractus.

543. VLTIMVM DVBIVM; ad fiscus succedens in bonis cõfiscatis, teneatur stare contractui locationis facto per cõdemnatum? Ad quod respondendũ est negatiue; si locatio facta sit post commissum delictum. Ratio est, quia nõ potuit præiudicare fisco. Sin ante commissum delictum facta sit? Respondendum est cum distinctione; nam si confiscatio fiat in certis bonis, quia tunc fiscus erit successor particularis, sicut emptor, vel donatarius, non tenetur stare locationi. Sin autem confiscatio fiat in omnibus bonis, aut in aliquota eorum parte, puta dimidia, vel tertia, &c. quia fiscus erit tanquam successor vniuersalis, iuxta legem 2. Cod. ad legem Iuliam, De vi publica, tenebitur stare conductioni factæ. Videri potest Molina De iust. & iure, tract. 2. disput. 491.

Appendix, & libri cap. XLIV.

De emphyteusi, & feudo, ac de iusta mercede locationis famulorum.

SVMMARIVM.

544 *Feudum sicut emphyteusis species est locationis, & qua ratione illud ab hac maxime differat.*

545 *Conditiones requisitæ ad emphyteusim, variæ sunt variarum regionum.*

546 *Ex communi iure ciuili constituenda est in rebus immobilibus, manente earum dominio apud constituentem.*

547 *Obligatio emphyteutæ ad soluendam pensionem, & quomodo eam non soluens emphyteusim amittat.*

548 *Quando emphyteuta liberetur à solutione pensionis, & emphyteusim perdat ob rem emphyteuticam redditam deteriorem.*

549 *Quatenus alienari possit res emphyteutica, & ad quid teneatur is cui alienatur.*

550 *Conditiones requisitæ ad contractum feudalem.*

551 *Duo genera famulorum, & obsequiorum.*

552 *Merces famuli quando censeatur iusta, & quatenus circa eam contingat obligatio ad restitutionem.*

553 *Duo casus in quib. talis obligatio non contingit, etiamsi merces famulatus sit exigua.*

554 *Quid tenendum sit de famulis, qui seruiunt nulla constituta eis certa mercede.*

555 *Quando tales, si quid accipiant de bonis dominorum, peccent, teneanturque ad restitutionem, & quando minime.*

EMPHYTEVSIM secundum suam naturam esse locationis speciem diximus in præced. nu. 487. quod idem potest de feudo dici, cum istud, sicut & illa, nihil sit aliud quam in perpetuum, aut in longum tempus facta locatio rei immobilis, hoc est, fundi, domus, vel prædij; non quidem quæcunque, sed qua quis retento sibi directo dominio, proprietateve talis rei, dominium eiusdem vtile transfert in alium, non pretio, nec pro pensione etiam modica, *vt fit in emphyteusi*, sed pro personali obsequio. Qua maxime differentia inter se distinguuntur duo illi contractus, vt constat ex eorum definitionibus quas tradidimus initio præced. cap. 12. Atque de emphyteusi late quidem Lud. Molina de iust. & iure, tract. 2. ad disput. 444. ad 564. & ab ipso omissum tractatum de feudo, sufficienter persequitur Syluester in verbo Feudum. Sed quia vsum habent maxime in foro externo, illis tanquam spectantibus ad causidicos omissis, contenti erimus attingere conditiones eorundem tanquam præcipue facientes ad iudicium de peccatis nobis propositum. 544

Conditiones requisitæ ad contractum emphyteuticum, & ad feudalem.

SECTIO PRIOR.

PRÆNOTANDVM est, in emphyteutico contractu, si in quo alio, obligationẽ determinari solere additis conditionibus, & iis variis pro varietate prouinciarum. Quo fit, vt nihil aliud de illis generaliter possit præscribi pro iudicio nobis proposito, quam in illarum consideratione habendam esse magnam rationem consuetudinis patriæ & pactorum, quæ contrahentes adiecerint eidem contractui emphyteutico, aliquotque haberi ex communi iure ciuili, Cod. de iure emphyteutico, quas lubet referre eodem modo, quo Leon. Lessius De iust. & iure lib. 2. cap. 24. dubit. 8. refert. 545

PRIMVM igitur est, vt constituatur in rebus immobilibus, iisque solo cohærentibus (*quod additur ad excludenda iura & tributa quæ in numero bonorum immobilium ponuntur*) vt in agris, domibus, pratis, syluis, stagnis, quæ cultura, & industria possunt meliora fieri. Ab initio enim institutus est hic contractus, vt res steriles, & incultæ colerentur, fertilesque redderentur (*licet hodie fertiles quoque, & cultæ in emphyteusim dentur*) prout ipsa etiam ratio nominis indicat; dicta enim est emphyteusis à Græco verbo ἐμφυτεύω, quod significat implantare, seu inserere, aut germina ponere, quod faciendum est, vt prædium ex sterili fiat fertile. 546

SECVNDA conditio est vt dominium directum, seu ciuilis possessio rei, quæ in emphyteusim datur, maneat apud dominum dantem, & solum dominium vtile transferatur in accipientem. Per hoc enim distinguitur emphytheusis ab emptione, permutatione, censu, cambio, & aliis contractibus, quibus directum dominium transfertur item q; ab aliis locationibus, & à commodato; quibus etsi rei vsus concedatur, non tamen fructus si quos pariat, vt equa locata potest pullum parere. Ex eadem conditione infert

ne infert Lessius primo, quod emphyteuta non possit agros quos in emphyteusim accepit; præscribere contra dominum à quo accepit, cum hic illorum dominium directum semper retineat. Secundo, laicum habebentem in emphyteusim agros Ecclesiæ, teneri soluere tributa, quandoquidem ea laicis imponũtur ratione dominij vtilis seu perceptionis fructuum. Tertio, emphyteutam posse talem rem alteri donare, locare, vendere, ac dare in emphyteusim quandam secundariam; quia eadem res ipsius est quoad dominium vtile & ideo potest quoad illud eam in alium transferre, dummodo id fiat sine domini directi incommodo.

547. TERTIA conditio est, vt emphyteuta obligetur ad solutionem alicuius pensionis. In hoc n. emphyteusis à feudo differt, vt iam ante attigimus. Quam pensionem aduerte ordinarie minorem esse, quam rei fructus valeant. Et ratio est, quod non ad lucrum, sed ad honorificam dominij recognitionem suapte natura ordinetur. Potest autem solui, siue in pecunia, siue in fructibus, prout conuentum fuerit.

QVARTA conditio est, vt si talem pensionem emphyteuta suo tempore non soluerit, amittat rem emphyteuticam cum omnib. meliorationibus, & operibus, quæ in ea fecit, atq; ea redeat ad priorem dominum, itaut dominium vtile consolidetur domino directo. Hæc habetur ex lege 2. Cod. De iure emphyteutico. Cæterum, si res data in emphyteusim sit Ecclesiæ, vel pij loci, tempus illud est duorum annorum, per quod si emphyteuta non soluerit pensionem constitutã, amittere rem emphyteuticam, nisi celeri satisfactione sibi consulere studuerit, motamq; purgauerit. Ita habetur ex Cap. Potuit, De locato, & conducto. Sin emphyteusis sit communis, seu laicalis, requiri vt triennio non sit soluta pensio. Sicque, vt non concedatur, *sicut in emphyteusi Ecclesiastica*, moræ purgatio per celerem satisfactionẽ; quemad. habet in verbo Emphyteusis Sylu. quæst. 3. Ex quo seq. quæst. 4. adde ea in re locum esse excusationi, si quis ex ignorantia qua nesciuit rem esse emphyteuticam, aut ex alio legitimo impedimento non soluerit pensionem. Pluribus de eadem conditione Molina disput. 453. eiusd. tract. 2.

548. QVINTA conditio, vt si absque culpa emphyteutæ res omnino pereat, aut absq; recuperationis spe, à mari, vel ab hostibus occupetur, is liberetur à solutione pensionis, nisi pactum interuenerit in contrarium. Hæc habetur ex lege 1. C. De iure emphyteutico. Et probatur, quia tunc res ipsa perit etiam domino directo. Si tamen res superesset aliqua ex parte, nihil esset de pensione minuendum, vt nec ob sterilitatem: quoniam ea soluitur potius in recognitionem dominij directi, quam ad compensationem fructuum. Quanquam si pensio esset magna, itaut responderet fructibus, æquitas postularet remissionem pro rata fieri arbitrio boni viri. Videndus est Molina in sequenti disput. 454.

549. SEXTA conditio, vt si emphytheuta reddat rem notabiliter deteriorem, perdat eam. Hæc quoad emphyteusim Ecclesiasticam habetur expresse ex Authentic. Qui rem Cod. de sacrosanctis Ecclesiis. De emphyteusi vero non Ecclesiastica, quia non est idem in iure expressum, aliqui contrarium senserunt, vt meminit Molina disput. 457. sub initium, non multo post cõmunem sententiam (*aliquot in eam citatis*) addens esse, idipsum quod de Ecclesiastica emphyteusi dispositum est, ad aliam extendendum esse, ob paritatem scilicet rationis. Quæ est, quod cum emphyteusis natura sua sit instituta ad rem meliorandam, merito emphyteuta possit ea priuari, si reddiderit deteriorem, vt si arbores inciderit, si vineam non putauerit, & sic de similibus.

SEPTIMA conditio, vt emphyteuta ius emphyteuticum, & meliorameuta à se facta non vendat, nisi domino directo ante monito, vt ipse si velit, ante alios emere possit: alioqui totum, *nempe res cum meliorationibus*, ad eumdem dominum redeat. De hac, *quæ colligitur ex lege vltima, Cod. de iure emphyteut. & ex Cap. Potuit De locato*: Molina quidem tractat pluribus disp. 459. sed contenti esse possumus paucis illis quæ notat Lessius. Primum est, *ex Sylu. in verbo Emphyteusis quæst. 5. dicto 2.* non esse locum tali conditioni cum res vendita, tradita non est, quia ante rei traditionem venditio non est omnino perfecta, neq; dominium est translatum: adeout res non sit adhuc alienata. Idem dicendum est si facta sit venditio cum hac exceptione, nisi dominus directus rem ipsam velit emere. Nam nec tunc perfecta est venditio.

Secundum est *de quo idem Sylu. ibid. qu. 16. in fine, & in seq. q. 17. ac plenius Molina disp.* 461. Emphyteutam posse rem emphyteuticam donare, legare, permutare, tradere in pignus, vel in solutionem non admonito domino directo: quia ius ista non prohibet, sicut illud, de quo ante dictum est. Non potest tamen quin iure suo excidat, donatarium aliumve inuestire, seu mittere in poss. ssionẽ (quia id esset omnino alienare) nisi roget dominũ directũ, vt id faciat, hoc est, inuestiat. Quod quidem non tenetur facere: nisi ille alius sit persona idonea, à quo solutio pensionis facile obtineri possit, & quæ solemni stipulatione promittat quod soluet debito tempore. Attamen si res emphyteutica sit Ecclesiæ, oppignerari non potest, ex textu expresso in Authentica. Hoc ius, Cod. De sacrosanctis Ecclesiis.

Tertium est. Emphyteutam postquã domino directo significauerit pretium quod ab aliis offertur, si duobus mensibus eidem concessis ad deliberandũ, ille rem nolit pro eodem pretio, procedere posse in venditione, ex lege 3. Cod. De venditione, & ex Cap Potuit, De locato.

Quartum est. Emphyteutam non posse rem emphiteuticam locare alteri ad decennium, aut vltra, domino directo minime requisito, nisi consuetudo patriæ sit in contrarium: posse autem locare ad breue tempus. Ratio est, quod locatio cum per eam dominium vtile transferatur, ad longum tempus facta (quale est de decennium & vltetius) censeatur alienatio, prout habet Couarr. *in l. b. 2. variarum resol. cap. 16. num. 1. multis Iuris prudentis in eam sententiam citatis.* Octaua conditio est, vt cum res emphyteutica alienatur, is qui illam accipit, soluat domino directo laudemium, seu certam partẽ æstimationis rei alienatæ. Ita habetur ex lege 3. C. De iure emphyteutico. Quæ de hac conditione sancita sunt iure communi, habet Sylu. *in verbo Emphyteusis q. 21.* quibus non est necesse in praxi stare, quando consuetudines locorum fuerint in contrarium, quas proinde in iudicio de peccatis inspicere oportet.

QVOD attinet ad conditiones requisitas ad contractum feudalem, eæ non multum differunt à præmissis cõtractus emphyteutici. Eas sic recensẽt Lessius. Primo, cõstitui debet feudum in re immobili, vt in regno, prouincia, vrbe, arce, pago, agro. Secundo, dominium directum rei fedalis remanet apud Principem, eam dantem in feudum, in vassallumq; transfertur dominium vtile. Tertio, vassallus (*si feudum sit purum*) ad nullam pensionem tenetur: sed tantum ad obsequium quando ad illud interpellabitur. Quarto, si is non præstiterit obsequium constitutum, amittit feudũ, sicut emphyteuta emphyteusim cum non soluit pensionem. Quinto, debet à directo domino inuestiri mittive in possessionem, ac tunc eidem iurare fidelitatem. Sexto, non potest sine ipsius domini directi voluntate, feudum donare, aut impignorare. Septimo, si absq; eadem voluntate illud alienarit ipsum amittit. 550.

De iusta mercede locationis famulorum.

SECTIO POSTERIOR.

QVIA in confessionibus frequenter occurrunt difficultates de istiusmodi mercede, institutum nostrũ exigit, vt documenta aliqua pro Confessariis de ea addamus cum Molina in eodẽ tract. 2. disp. 506. duobus præmissis. Prius est, duo famulorum genera distingui: vnum eorum qui inseruiunt certa mercede constituta: alterum eorum qui seruiunt nulla certa mercede constituta. Posterius est horum obsequia interdum talia esse; pro quibus merces ordinarie soluitur: interdum vero non esse talia vt quæ præstari solent relinquendo heris liberum, vt retribuant quod voluerint sicut plerumq; fit ab iis qui seruiunt nobilibus. 551.

PRIMVM autem documentum est mercedem certam famulo constitutam, censeri iustam, quæ attento ministe- 552.

rio in

rio in quo is inseruit, attentaque multitudine aut raritate eorum, qui ad illud exhibendum offeruntur, constitui solet eo tempore, eoque loco in quo exhibendum est. Hoc patet, quia merces rationem habet pretij, ac iustum pretium si non sit lege taxatum, ex communi æstimatione (*prout habitum est in præced. cap. 16. docum. 2.*) iudicandum est, secundum quam ex sequenti documento tertio, latitudinem habet infimi, medij, & summi. Vnde intelligitur, quia pretium ex eo quod sit infimum, non desinit esse iustum: famulum cui constituta est, soluiturq; merces non egrediens limites iusti pretij, nihil amplius posse vel exigere tanquam sibi debitum: vel si ei non concedatur, occulte accipere de bonis domini in compensationem suorum obsequiorum.

Secvndvm documentum est. Si merces minor infima consueta statuatur famulo, restituendum est ei incrementum vsq; ad limites iusti pretij. Hoc patet, quia nulla est ratio cur minore mercede seruire debeat, quam communiter cæteri. Immo, *vt addit in cit. disput. Molina, §. Quod itaque*, si compulsus fuit seruire inuitus, restituendum est illi vsque ad iustum pretium medium: quia velle potest non locare se pro iusto pretio infimo, ad idque habet ius. Patitur tamen exceptionem hoc documentum, *vt adhuc idem ibid. addit*, quando quis non indiget ministerio talis famuli & tantum ad preces ipsius, vel alterius ipsum misericorditer suscipit, & sustentat, donec inueniat cui pro mercede seruiat. Si tamen interea comperiret, operas ipsius vtilia sibi esse, lucrumque ex eis caperet, teneretur ei iuxta perceptam vtilitatem iustum stipendium tribuere, cum æquitas id postulet, nec obstet misericordia quam in eum exercet.

Tertivm documentum. Quando ex contractu locationis (*vt communiter solet*) famulo debetur sustentatio, eam debere talem esse, qualis consueuit similibus famulis suppeditari. Eadem enim ratio est de ea ac de mercede. Vnde Molina à peccato excusat famulum, cui non datur sustentatio quæ perueniat ad eam mediocrem aut infimam, quæ ordinarie dari solet, excusat inquam si aliquid occulte à domino accipiat quo id compensetur: ratio est, quia accipit id quod sibi debetur nec soluitur: quod q; aliter, *vt supponimus*, obtinere non potest, quia nimirum non concederetur petitum, aut non sine rubore, aliove periculo peti potest, aut si in iudicio petatur, plus in obtinendo insumetur, plusq; molestiæ accipietur, quam res valet.

553. Qvartvm documentum est. Eum non teneri ad restitutionem, cui aliquis seruit stipendio minore iusto, cõdonando incrementũ, siue propter beneficia accepta, siue vt amicitiam illius sibi conciliet; cõcepta spe maioris boni ab ipso, aut ipsius intercessione obtinendi. Ratio est, quia tunc nõ est nuda locatio, sed permista cum donatione decrementi pretij iusti. Neque obstabit quod locator forte frustrabitur ea spe, qua ductus, donauit: quia donauit quidem in eum finem, non tamen sub ea conditione, vt si illum non consequeretur, donatio redderetur nulla.

Qvintvm documentum. Iustam censeri mercedem constitutam ministeriis officiorum ad quæ obeunda pro ea, multi reperiuntur, seque offerunt; etiamsi non sit sufficiens ad competentem sustentationem. Hoc probatur, quia illud pretium communi æstimatione iustum merito censetur, quod non solet tanquam insufficiens recusari, aut vno recusante statim adest alius qui admittat. Sicque *vt ibidem §. Vt hæc, Molina notat*, excluduntur excusationes eorum qui gerunt officia regalia, aut alia publica, aut nobilibus inseruientes comitando ipsos, aut ipsorum vxores; aut alia munia obeuntes in domibus ipsorum, occulte de bonis regiis, aut aliorum quibus seruiunt, accipiunt aliquid, causantes stipendium sibi dari sic tenue, vt nequeat se illo sustentare, tanquam ea sit causa sufficiens ad ipsos excusandos ab onere restituendi.

554. Sextvm documentum est. Eos qui alicui seruiunt nulla certa mercede constituta, si obsequia præstent, quæ communiter solent certa mercede constituta præstari, *qualia sunt bubulcorum, pastorum, aurigarum, & similium*, quantumuis mercedem arbitrio domini reliquerint, illis tamen eam soluendam esse pro iisdem ministeriis iustam, in ea regione consuetam. Ita enim ratio aperte postulat. Si vero sint alia obsequia, qualia sunt multa quæ nobilibus exhibentur, videndum esse quid consuetudo regionis ferat, & in seruientium, ac eorum quibus seruitur, obsequiorumque qualitas exigat. Nam interdum obsequia eiusmodi sunt, vt sufficienter compensari censeantur, si famulo competens in victu, & vestitu sustentatio præbeatur. Sic enim Principes de rigore iustitiæ pro obsequiisque exhibent ipsis pueri honesto loco nati, quos parentibus efflagitantibus in suam familiam admiserunt, non cẽsentur plus debere, quam vt illos honeste sustententac vestiant, aulicisque, & vrbanis moribus instituant, atque habiliores ad maiora obsequia, & munia reddant. Interdum vero obsequia eiusmodi sunt, vt vltra competentem victum & vestitum, debeatur pro illis retributio, quæ facienda est ad æqualitatem pro ratione temporis, & eorumdem obsequiorum qualitate. Cui debito nobiles plerumque sarisfacere solent exhibendo famulis fauorem, quo promoueantur ad officium aliquod lucrosum.

555. Vltimvm documentum est. De posteriori genere famulorum idem dici posse, ac dictum est priori, nimirum si aliqua de bonis dominorum, ipsis iuste inuitis, sibi vsurpent, aut male consumant, & peccare, & ad restitutionem teneri. Qua de re serio monendi sunt à confessario, & instruendi de ratione restituendi, si opus sit. Excusari autem, & à peccato, & à restitutione, si capiant in compensationem iustam, nempe, qua, *cum non administrentur ipsis ad victum & vestitum necessaria, qualia aliis domibus communiter solent ac debent similibus famulis subministrari*; tantum de bonis dominorum accipiant, quantum ad compensationem talis iniuriæ requiritur, neque plus. Quod tamen aduerte locum non habere quando sine maximo suo rubore, aut alio notabili detimento, necessaria sibi ad victum, & vestitum, famuli ipsi petere possunt à domino, qui non recusaret. Nam inter conditiones licitæ compensationis, illa vna est, quod res debita nequeat aliter quam per eam obtineri.

TRACTATVS VII.

De deposito & de pignore seu hypotheca.

De deposito in iure Canonic. lib. 3. Decretalium, titulus est 16. & in iure Ciuili Digestis libri 16. titulus 3. ac Cod. libri quarti tit. 34. De pignore autem seu hypotheca in iure Canonico est tit. 21. libri tertij Decretalium, & in iure Ciuili Digestis liber 20. in sex titulos distinctus: & Cod. tit. 14. & aliquot sequentes in libro 8. De vnoquoque autem eorum, vt de præcedentibus docebimus. Primo, quid & quotuplex sit. Secundo quæ obligationes ac actiones ex eis oriantur. Tertio, cuius damno res pereat aut deterioretur in illis. Quarto, quomodo finiantur: addendo tamen aliqua de pactis, & distractione pignorum scitu necessaria pro praxi. Doctores autem iidem de his contractibus agunt, qui de præcedentibus, & inter cæteros Ludouicus Molina copiose, à disput. 522. ad 539. sæpe memorati tractatus secundi.

CAPVT XLV.

De definitione & diuisione depositi: deq; obligationibus, ac actionibus quæ ex eo oriuntur.

SVMMARIVM.

556 *Definitio depositi, & quo modo per eam distinguatur à reliquis contractibus.*

557 *Depositum est tantum in bonum deponentis: & quo modo interdum induat naturam aliorum contractuum.*

558 *Quatenus possit, aut non possit depositarius vti re apud se deposita.*

559. De-

559 *Deposito conuenit, tum non fieri in re propria, tum esse omnino gratuitum.*
560 *Depositum aliud iudiciale, aliud priuatum, quod varium est, tum ex parte rei depositæ, tum ex parte depositoris, tum etiam ex parte depositarij.*
561 *Obligationes quæ oriuntur ex deposito.*
562 *Actiones quæ dantur ratione depositi.*

Definitio depositi.

Sectio I.

556. DEpositum ex lege 1. in principio, ff. Depositi, est id quod custodiendum alteri datum est, eo videlicet significante custodiam se suscipere. Quod addo, quia non esset satis rem simplicer posuisse in ipsius domo. Quæ definitio est quidē depositi prout res: sed satis indicat quid sit prout contractus, nimirum esse quo aliquid alteri tribuitur custodiendum, isque significat se custodiam suscipere. Ex eadem autem intelligitur primo, quod cum per depositum res depositario committatur tantum, vt eam custodiat, ex natura depositi, neque rei depositæ dominiū, neq; illius vsum fructum transire ad depositarium, in eoque ipsum distinguitur à contractibus, de quibus dictum est hactenus. Per eos enim transfertur, vel dominium tam directum quam vtile, vt per mutuum, & emptionem, vel saltem vtile, hoc est, vsus vel vsusfructus. vt per commodatum, & per locatum. Distinguitur etiam à pignore, seu hypotheca, quia etiamsi pignoris vsus non concedatur, *vt nec depositi*, ipsum tamen datur gratia cautionis, & securitatis pro debito, non autem depositum, sed solum ad custodiam rei quæ deponitur.

557. Intelligitur secundo, depositum natura sua fieri tantum in bonum deponentis, non autem depositarij, nisi cum ipsum degenerat in alium contractū, vt cum deposui apud te pecuniam, aut aliam rem vsu consumptibilem, vt frumentū, oleum, vinū, data tibi facultate vtendi illis si velis, tantumdem postea redditurus cum potueris, depositū induit rationem mutui, statim aceo vti cœperis, vt notat Nauar. *in Ench. c. 17. n. 180. in fine.* Similiter si quis apud me deposuerit vestem, vel aliud non consumptibile vsu, cum facultate vtendi, aut etiā distrahendi si voluero, statim ac vsus fuero, rationem induit commodati, & cum primum distraxero, rationem accipit venditi, itaut tunc res deposita periens depositario pereat, tāquam ei in quem translatum est dominium, iuxta legem Si quis nec causam, & legem Rogasti, ff. De rebus creditis, si certum petatur.

Ante vsum autem vel distractionem, in illis casibus nō mutari naturam depositi, colligitur ex lege Si sacculum, & ex lege Die sponsaliorum, ff. Depositi. Et hac ratione cōfirmatur, quia huiusmodi concessione facta, depositarius non suscepit depositum vt eo vteretur, tanquam adeptus illius dominium, sed vt si vellet, vti libere posset, tanquam certus de domini consensu. Sicque eadem concessio non obstat quin penes depositorem perseueret libera potestas repetendi depositum quando voluerit, antequam depositarius eo vtatur, in quo distinguitur à commodante, *& multomagis à vendente*, cui non est liberum, rem concessam repetere ante tempus expresse, vel tacite constitutum, vt habitum est in præced. tract. cap. 37. dub. 1.

558. Intelligitur tertio, non licere depositario vti re deposita contra domini voluntatem, sed vtendo peccare contra septimū præceptum tanquā vsurpatorem ei alienæ inuito domino, quandoquidē in ipsum, neq; directum, neq; vtile dominium translatū est: & ideo si talis vsus sit pretio æstimabilis, *vt est equi, vestis, &c.* tenetur soluere tale pretiū.

Excusabitur tamen primo, si bona fide credat depositorem ratum habiturum talem vsum, etiamsi postea contingat displicuisse, atq;, *eo ita volente*, oporteat eundem vsum compensare. Secundo, si talis vsus sit in bonum eiusdem depositoris, vt v. g. deposuit quis vestem apud me, siq; ea non vtar interdum, à tineis corroditur, aut nisi libris depositis vtar, capient ex puluere detrimentum, aut si equus semper maneret in stabulo, aliquid dāni patietur. Adhæc, ex lege In nauem Sanseij, ff. Locati (*quo pertinet late tradita à Molina disp. 523. & 524.*) quandocumq; res depositæ constiterint in numero, pondere, & mensura, *vt pecunia, vel frumentum, vel vinum*, traduntur que non obsignatæ, seu non clausæ, & absque prohibitione ne vtamur illis, tenemur tantummodo reddere alias eiusdem speciei, & bonitatis. Ideoq; non est de se peccatum talibus vti, & illas consumere, dummodo quandocumq; deponens petierit depositas, restituamus pares in eadem copia, & æqualis bonitatis, præsertim cum id cedat in commodum ipsius deponentis, quandoquidē illas inde habet assecutatas etiā de casu fortuito. Quidquid enim depositarius ita accepit, tenetur restituere, quantumcumque alias esset depositori perituram, si depositarius illud non accepisset.

Cæterum vt commodato, sic depositō conuenit, non consistere in re propria depositarij. Et ita si furto, vel vi sublata est res mea, & is cui data est, illam apud me deponat nesciens esse meam, non teneor legibus depositarij: quia tantum recuperaui rem meam. Ita habetur ex lege Qui rem suam, ff. Depositi. Conuenit etiam depositō esse omnino gratuitum ex natura sua, adeo vt mercede interueniente, accipiat rationem locationis & conductionis: qui enim pro mercede rem sibi cōmissam custodit, locat operam suam & industriam ad eamdem rem custodiendam, iuxta legem primā, §. Si vestimenta, & §. Si quis seruum, ff. Depositi. Vnde sequitur officium depositarij esse mere gratuitum. Neq; aduersatur quod in Cap. Bona fides De depositō dicitur, depositarium obligari etiam ex culpa leui, quando mercedem accipit ad custodiam depositi, quia late ibi sumitur depositarij nomen, pro eo etiam qui degenerauerit in locatarium. 559.

Diuisio depositi.

Sectio II.

IAm depositum quoddam est iudiciale, & quoddam priuatum. Illud est, cum res aliqua litigiosa sub hac conditione traditur depositario (quem vocant sequestrum) vt eam custodiat & retineat, donec ex litis decisione constet cui cū suis fructibus debeatur. De quo in cap. Examinata, De iudiciis, & in lege licet, ff. Depositi, *videri potest Molina disp. 522.* Sed non est in præsentia de illa sermo; sicut nec de eo quod causa vitandarum vsurarum fit, quando creditor recusat accipere debiti solutionem, & ideo debitor ad euitandum cursum vsurarum consignat eam, deponitq; in publica, vel in sacra æde, ex lege Acceptum, Cod. De vsuris: Etenim taliū considerario propria est eorum qui causas agunt in foro externo. Priuatum vero depositū est, quod simpliciter fit custodiæ gratia apud quēcumq; priuatum, de cuius fidelitate confidimus. Et varium est pro varietate, siue rei depositæ, siue depositoris, siue depositarij. Res autem deposita hoc genere depositi (*ex glossa ad Cap. Bona fides, Depositō verbo De culpa, sub finem*) est tantum, vel aliqua mobilis, vt vestis, liber &c. vel aliqua se mouens, vt bos, equus, &c. 560.

Iam res mobilis, vel est vsu consumptibilis, vel nō est, vt libri, arma, vestes. ac vsu consumptibilis porro, vel est pecunia, vel alia res in mensura, aut pondere consistens, vt vinum, frumentum, æs, plumbum, &c. demum pecunia, vel est numerata, vel non numerata, sed obsignata clausaue aliquo sacculo. Atque deponitur vel vt eadē numero reddatur, vel vt alia eiusdem speciei, & inæstimatione, functione vsuq; æqualis, prout ante num 558. traditum est, ex lege In nauem Sanseij, ff. Depositi.

Depositor autem, vel est rei dominus, vel non est. Et hic rursus, vel est legitimus rei deponendæ possessor, vt tutor, curator, œconomus, Prælatus, filiusfamilias, & seruus, bonorum quorum sunt administratores, & vsuarij ac vsufructuarij bonorum quorum habent vsum, vel vsumfructum, vel non est legitimus possessor, vt fur & prædo, qui, vt colligitur ex lege 1. §. Si prædo, & ex lege Bona fides, in fine, ff. Depositi, deponere potest apud alium insciū furti vel prædæ.

Depositarius deniq;, vel est tantum vnus, vel sunt plures, de quibus illud est notandum, quod vterque in solidū obligatur ad depositum, vt habetur ex lege prima §. Si

apud

apud duos, ff. Depositi. Quod idem est iudicandum, si res apud aliquem deposita, ipso mortuo peruenerit ad hæredes ipsius communiter, vt cum diuidi nonpotuit; non item si transierit ex parte ad vnumquemque: vt quando deposita est summa pecuniæ, & vnus hęredum accipit vnam partem, & alius aliam, vnusquisq; solum tenetur ex parte quam accepit. Ita habetur ex lege Si duo, ff. Depositi.

Obligationes, & actiones quæ oriuntur ex deposito.

SECTIO III.

561. ADhæc, quatuor sunt obligationes quas habet depositarius ex contractu depositi. Prima est, rem apud se depositam custodiendi ea fide, & cura qua solet res suas, ex Cap. Bona fides, De deposito, & ex lege Quod Nerua, ff. Depositi. Huius plenior cognitio habebitur ex sequenti capite in priore sectione. Secunda est, rem depositam restituendi absque mora quandocumque dominus illam repetet, ex eod. Cap. Bona fides, & ex leg. 1. §. Est autem, ff. Depositi. Sunt tamen aliquot casus in sequēti cap. sect. posteriore proponendi, in quibus talis obligatio cessat. Tertia est, ex eadem lege prima, §. Si res deposita, rem depositam reddendi in eo statu in quo illam accepit, hoc est, non corruptam, nec fractam, nec diminutam, nec detritam, nec deniq; aliquo modo factam deteriorem: atq; adeo resarciendi quidquid detrimenti eadem res passa est ipsius dolo, aut culpa saltem lata. Quarta, non vti re deposita absque consensu expresso, vel tacito depositoris, siquę vtatur, reus furti in iure dicitur, lege Si sacculum, ff. Depositi, & lege Quj furtum, ff. De condictione furtiua, & §. Furtum autem fit, Institutis De obligationibus quæ ex delicto nascuntur. Non procedit tamē hæc obligatio, iuxta ante habita in nu. 558. quando quis bona fide crederet domino futurum gratum talem vsum, aut quando idem vsus in eiusdem domini commodum cederet.

562. ACTIONES autem quæ ratione depositi dantur, sunt duæ, quæ competit deponenti, & ipsius hæredibus aduersus depositarium, & ipsius hæredes, cum depositarius ipse male versatus est in deposito, aut hæredes ipsius facti sunt locupletiores ex eo; tunc enim datur actio aduersus hos ad restitutionem rei integræ; immo & aduersus hæredem, qui nescíens rem penes testatorem depositam fuisse, alienauit eam, nec potest redimere, quia ad æstimationem rei depositæ condemnabitur per legem primam, §. finali, ff. Depositi. Altera actio, legem Et quem, ff. Depositi, ex aduerso competit depositario, & ipsius hæredibus aduersus depositorem, & ipsius hæredes, qua repetat impensas necessarias, & vtiles, si quas fecit in re deposita; idemque damna, si quæ passus est ex deposito, vt si quis sciens deponeret seruum qui fur esset, vel equum calcitrosum.

CAPVT XLVI.

De quæstione, cuius damno res in depositum data pereat, & de modo quo depositum finitur.

SVMMARIVM.

563 *Depositum perit ponenti, nisi depositarius sit in dolo, aut lata culpa.*
564 *Qui nonnumquam tenetur de leui, ac etiam de leuissima culpa.*
565 *Casus in quibus id contingit.*
566 *De difficultate, An depositarius mercede conductus teneatur tantummodo de culpa leui.*
567 *Qui specialiter pro depositi custodia mercedem accipit, de leui quidem culpa tenetur, non tamen de leuissima.*
568 *Idem iudicium est de eo qui non pro custodia specialiter, sed pro sua opera mercedem accipit.*
569 *Modus quo depositum finitur.*
570 *Casus aliquot in quibus depositarius non tenetur depositum reddere depositori petenti.*
571 *Vbi & cuius expensis restituendum sit depositum.*
572 *Explicatio dubij, An lucrum partum ex deposito, restituendum sit depositori.*
573 *Quædam breuiter notata de deposito.*

Explicatio quæstionis, cuius damno res data in depositum pereat aut deterioretur.

SECTIO PRIOR.

563. SI absque dolo, aut lata culpa depositarij, res deposita pereat, aut deterioretur; eam deponenti perire, aut deteriorari, habetur ex lege 1. Cod. Depositi; vbi expresse dicitur depositarium teneri solum de dolo, aut lata culpa. Quod etiam bona ratione confirmatur in lege 1. §. Is quoque, ff. De actionibus & obligationibus quia depositum ex se, & ordinarie fit in gratiam, & commodum solius deponentis; qui si negligentem rei suæ custodem elegerit, debet, *vt etiam habetur Institutis, tit. Quibus modis re contrahatur obligatio, §. Præterea,* suæ facilitati imputare. Quanquam si magna sit negligentia, merito ea dolo æquiparatur. Nec obstat quod in lege Si vt certo, §. 2. ff. Commodati, dicitur in deposito tantum præstari dolum; & in lege Contractus, ff. De regulis iuris, depositum dicitur recipere tantum dolum. Sic enim intelligendum est, vt doli nomine comprehendatur lata culpa, iuxta textum in lege Quod Nerua, ff. Depositi; acillud, quod in iure lata culpa dolo comparetur, lege aduersus, §. Hæc actio, ff. Si mensor falsum modum dixerit. Atque hæc quidem vera sunt spectata vi & natura huius contractus qui in depositario exigit tantum fidem & curam gratuitam in custodiendo rem depositam.

564. Sed ex alio capite censeri potest teneri, tum de culpa leui, tum etiam de culpa leuissima: immo, & de casu fortuito, vt bene explicat Gabr. in 4. *distinct. 15. quæst. 10. art. 3. dub. vltimo*, nempe si nominatim conuentum est, vt de aliquo talium, vel de omnib. teneatur; ex Cap. Bona fides, De deposito, & ex lege 1. §. Sæpe euenit, ff. Depositi, quoniam contractus legem accipiunt ex conuentione, vt dicitur in ead. lege, §. Si conuenit. Item si mora restituendi, aut dolus, vel lata culpa in restituendo, vel custodiendo depositum, præcesserit culpam siue leuem, siue leuissimā, aut casum fortuitum, depositarius tenebitur de tali culpa, siue leui, siue leuissima, aut casu fortuito, etiamsi apud deponentem res periisset, prout habet glossa *ad cit. Cap. Bona fides, verbo De culpa.* Et ratio esse potest, quod radix obligationis tunc restituendi sit iniusta acceptio.

565. Ex his autem intelligitur damnum semper ad depositarium pertinere, quando per vsum rei depositæ contra voluntatem deponentis, aut aliqua alia ratione ei non permissa, periit res ipsa deposita, aut deterior facta est. Nā talis vsus est cum dolo, qui tanquam causa damni, obligationem inducit illud resarciendi, quæ sic excludit excusationem, vt pactum iniri nequeat, quod depositarius de eo non teneatur, ex leg. 1. §. Illud non probabis, ff. Depositi (*vbi ratio redditur, quod id sit contra bonos mores*) & ex lege Contractus, ff. De regulis iuris, & ex lege Si vnus, §. Illud ff. De pactis.

Adhæc, si depositarius vltro se offerat ad custodiendum depositum, tenetur de culpa leuissima, *non tamen de casu fortuito*, quando deponens quærebat diligentissimū, quem depositarius excluſit offerendo se, illumq; delusit. Istud docent *in verbo Depositum* Angelus §. 3. & Sylu. qu. 1. Tenetur etiam de eadem culpa depositarius, si depositum factum sit tantum gratia ipsius, vt notat Panorm. ad memoratum Cap. Bona fides, num. 3. Sin factum sit in vtriusque commodum, tenetur depositarius de culpa leui, non de leuissima. Similiter si factum sit in commodum quidem solius deponentis, sed depositarius ex amicitia se obtulit, & propterea deponens omisit alteri diligentiori rem suam committere, prout ex communi sententia habet Nauar. *in Enchir. cap. 17. n. 181.*

SPECIALIS autem difficultas est. An similiter de culpa leui tantum censensus sit teneri depositarius, qui mercede præstat rei depositæ custodiam, an etiam de leuissima? Vbi aduerte, constare quidem, cum quis recipit

depositi-

depositum gratis custodiendum, ita vt contractus fiat in bonum solius deponentis; teneri solum, vt ante habitum est, de lata culpa, & dolo, quia tunc contractus non fit in bonum depositarij. Cum vero recipit mercede custodiendum, quia tunc contractus fit tam in ipsius, quam deponentis bonum, teneri de culpa etiam leui. Sed tamen posse dubitari, an teneatur quoq; de leuissima. Quod vt explicetur; notandum est; talem depositarium duplicé esse posse, vnum qui specialiter pro custodia mercedem accipiat, qualis censetur qui nullam aliam operá præstat, nisi fidem suam, & curam in custodiendo rem depositam; alterum qui mercedem nõ accipiat specialiter pro custodia, sed pro opera sua, industria, vel arte ad aliquid præstandum; quod dum præstat, interea custodiam habet, ex leg. Nauta, ff. Nautæ, caupones, & stabularij, vt v.g. lotor, aut sartor accipiens vestes purgandas, aut sarciendas debet interea illas custodire: & balneator gerens curam balnei debet interea custodire vestes eorum qui in illo lauantur. Item gerens curam molendini, debet curam gerere frumenti quod ei traditur molendum. Item nautæ, caupones, stabularij, & alij similes, quorum officium annexam habet custodiam eorum, quæ ipsis traduntur; nisi quando in hospitio, aut in naui suscipiebant, prædixerint eis, vt suarum rerum curam gererent, consenserintque prædictioni; ex lege vltima, in princ. ff. Nautæ, caupones, & stabularij.

367. Quoad priorem depositorem igitur, licet Angelus & Syluester in verbo Custos, in principio aliter sentiant, statuendum videtur ipsum ex leui solummodo culpa teneri, nisi speciali, & expressa conuentione obligauerit se ad exactissimam diligentiam præstandam. Ratio est, quia custodia de se est contractus in vtriusque vtilitatem celebratus. In iure autem cum agitur de obligatione præstandi culpam leuissimam, ea significatur nasci ex contractu celebrato tantummodo in bonum recipientis, vt in Cap. vnico De commodato, & in lege prima, ff. De actionibus & obligationibus. §. Et ille. Itemq; ex lege Contractus. ff. De regulis iuris. Vnde leges quibus memorati authores nituntur, censendæ sunt pœnales; quæ proinde quatenus condemnant ad culpam leuissimam præstandam, non obligant in conscientia ante sententiam Iudicis. Aut certe intelligendæ sunt de eo custode, qui mercede specialiter conductus, expressa conuentione obligauit se ad exactissimam diligentiam præstandam, & per consequens vt de leuissima culpa teneretur.

368. Quoad posteriorem autem depositorem, hoc est, eum qui mercedem non accipit specialiter pro custodia, sed pro alia opera, *vt ante habitum est*; dicendum est pari ratione, ipsum teneri quidem de leui culpa; non tamen de leuissima. Nam & talis custodia, ex qua merces recipitur, fit in bonum vtriusq;, non autem solius custodientis. Ita notant Angelus, & Sylu. verbo Nauta. in princ. Quod si opponas, ex lege Et ita. §. Ex hoc edicto, iuncta glossa. ff. Nautæ, caupones, stabularij; haberi, eo ipso quod scientibus nautis, cauponibus, stabulariis mercedem accipientibus, aut iis quibus ipsi in tali ministerio vtuntur, aliquid in suam nauem, aut hospitium fuerit importatum; ipsos teneri de leuissima culpa, si illud pereat. Iidem authores respondent illud habere locum tantummodo in foro externo: quoniam ea lex est pœnalis, & fundata in præsumptione contra nautas, caupones, & stabularios, vt colligi potest ex verbis in ead. lege præcedentibus: Nisi forte ideo, vt innotesceret Prætor, curam agere reprimendæ improbitatis hoc genus hominum. In conscientia ergo lex ea non inducit obligationem, nisi facta condemnatione in iudicio. Cæterum si quis priuatus, aut amicitiæ, vel humanitatis tantum causa, nullaq; mercede excipiat hospites, res multas secum inferentes in domum, tenebitur solum de dolo, & lata culpa; non autem de leui; quia officium quod præstat, tantũ est in bonum ipsorum hospitũ.

Modus quo depositum finitur.

SECTIO POSTERIOR.

369. DEpositum de se finitur voluntate deponentis, ita vt reddendũ ei sit simul, ac illud petierit. Nam ex Cap. Bona fides, de deposito, & ex leg. 1. §. penult. ff. Depositi licet depositori pro sua voluntate reuocare depositum. Quod procedit etiamsi depositio adiectum sit pactum, vt post mortem depositarij, aut deponẽtis, aut post aliquod aliud certum tempus constitutum, reddatur depositum. Nam tunc quoq; depositor, si velit, mutare potest voluntatem, & repetere depositum, ante tempus constitutum, ex ead. leg. prima. §. Si deposuero apud te. Veruntamen, *ex gloss. ad leg. Si quis vel pecunias, verbo Exceptionem. C. Depositi.* pro expẽsis factis in re deposita, potest depositarius eam retinere quousq; illæ soluantur; non tamen quousq; soluantur alia debita. Nam depositum in hoc habet speciale priuilegium, vt loco compensationis, seu pro debito in totum; aut loco deductionis, seu pro debito ex parte, licite retineri non possit à depositario, ex cit. Cap. Bona fides, & ex citata lege Si quis vel pecunias. Immo vt notat Ludouicus Molina *de iust. & iur. tract. 2. disp. 526. vers. In deposito*, ob idem priuilegium; neq; si duo sint vicissim depositarij, potest vnus detinere alterius depositum quousque sibi suum restituatur; sed ei qui prior repetit, statim restituendum est.

Sunt adhuc & alij casus in quibus depositarius non tenetur depositũ reddere, ei qui deposuit, ipsum repetenti. 570. Primus est, quando si depositum redderetur, id fieret in alicuius iniuriam. Tunc enim illud reddere non tenetur depositarius; vt nec quando sequeretur commune Reipub. damnum. Immo lege iustitiæ tenetur negare, vt cum quis, dum furit arma deposita repetit; cui non esse reddenda expressum est in Cap. Ne quis 22. q. 2. An autẽ cum quis pecuniam, quam apud aliquem deposuit, reposcit ad abusum, depositarius teneatur reddere, dubitatio est, cuius explicationem habes in præced. lib. 10. c. 13. sect. 2. dubio posteriore.

Secundus casus, *qui cum duobus sequentibus habetur ex lege Bona fides, ff. Depositi*, est quando bona deponentis confiscata sunt postquam deposuit. Etenim per confiscationem authoritate legis ob delictũ, priuatur quis suis bonis. Tertius, quando quis rem deposuit apud proprium dominum ignorantem esse rem suam. Nam postea cognoscens esse suam, non tenetur eam reddere deponenti. Quartus, quando fur deposuit apud me rem furtiuam, & deinde ipse simul, & dominus verus eam repetunt. Debet enim tunc idem dominus præponi furi. Quod si fur prius repetat, in eadem lege dicitur ei reddendum esse depositum. Quod verum est in casu, in quo fur repetit domino non comparente. Nam si dominus compareat, & siue ipse ante, siue post furem repetat, ei in conscientia semper reddendum est depositum, cuius est verus dominus, non autem fur.

SI QVÆRAS, vbi sit reddendum depositum, & cuius 571. expensis: respondetur ex leg. Si in Asia; §. Depositum, ff. Depositi, ibi reddendum esse, vbi sine dolo malo exstitit depositarius: nempe si Titius qui vestem à Seio depositam accepit in Asia, commigrauit Romam, secum eandẽ vestem deferens, tenetur solum eam restituere Romæ vbi ea est, siq; transmitti debeat in Asiam, id fiet expensis depositoris: dummodo non sit dolo, aut lata culpa depositarij translata. Ratio est, quia depositum fit in gratiam solius deponentis, & traditum est fidei & curæ depositarij; ad cuius fidelem custodiam pertinet, vt ipse mutans domicilium, deferat secum rem depositam; vnde non debet damnum pati, cum gratis fidem suam, & custodiam adhibeat. Atque ita relinquitur, vt expensis deponentis debeat restitutio fieri. Ad quid teneatur depositarius recusans restituere rem depositam, damnatus in foro externo; vide apud Molinam in cit. tract. 2. disput. 526. sub initium.

Si secundo quæras; an lucrum quod depositarius fecit 572. ex deposito, sit reddendum deponenti? Respondetur, quod etsi tale lucrum sit male partum, cum non liceat depositario vti deposito, *vt habitum est in præced. num. 561.* si tamen fructus non sit rei depositæ, sed industriæ, laboris, & operæ propriæ eiusdem depositarij, *vt cum hic ex illa negotiatur emendo, vel cambiendo*, ipse non tenetur reddere, sed potest tanquam de suo partum sibi retinere. Sin au-

tem lucrum eiusmodi sit fructus rei depositæ, depositarius tenetur illud restituere deponenti, cui illa tanquam domino fructificauit. Exemplum est, si quis equum apud se depositum locando aliquid acquirat.

573. NOTA, quod si æstimatio pecuniæ depositæ authoritate Principis, vel Reipub. crescat, vel decrescat dum manet apud depositarium, eam esse reddendam secundum æstimationem quam habet tempore solutionis; nam vt apud deponentem manet rei depositæ dominium, ita etiam ad eum pertinet illius, siue damnum, siue commodum. Secus autem erit si depositum ita fiat, vt degeneret in contractum, quo dominium transferatur ad modum antea num. 557. propositum. Tunc enim pecunia restituenda est secundum æstimationem quam habebat tempore depositi accepti: nam eo ipso quod rei dominium transiuit in depositarium, ad ipsum pertinuit tam damnum quam commodum.

Nota etiam ex lege Si hominem, §. Quoties. ff. Depositi; quando nummulatij cedunt foro, eos qui apud ipsos deposuerunt, præsertim interuentu publici instrumenti, priuilegium habere, vt præferantur cæteris creditoribus, qui tantum sunt chyrographarij. Immo quotiescunque depositum tale fuerit, quo res deposita non transiit in dominium depositarij, depositor præfertur vniuersæ huius creditoribus omnibus. Vide Molinam de iust. & iur. tract. 2. disp. 526. vers. Quod attinet ad vltimum.

CAPVT XLVII.

De definitione & diuisione pignoris seu hypothecæ.

SVMMARIVM.

574 *Inter pignus & hypothecam quæ præter nominis, sit differentia.*
575 *Quæ res possit dari in pignus.*
576 *Quæ non possit, vt nec vendi.*
577 *Res accepta in pignus, potest tertio eadem ratione dari in pignus, qua accepta est,*
578 *Quo modo possit eadem res pluribus hypothecari.*
579 *Quatenus possit res pupilli in pignus dari.*
580 *Obseruanda de modo quo debet hypotheca intelligi & accipi.*
581 *Variæ diuisiones pignoris seu hypothecæ.*
582 *Hypotheca tacita pro dote, & pro administratione bonorum pupilli, vel minoris, aut bonorum Ecclesiæ.*
583 *Aliæ plures eiusdem generis.*
584 *De hypotheca tacita nascente ex habitationum, aut prædiorum locatione.*
585 *Res empta ex pecunia mutuo data non hypothecatur tacite illi, qui eam dedit.*

Definitio Pignoribus.

SECTIO PRIOR.

574. INTER pignus, & hypothecam nominis tantum sonum differre dicitur in lege Res hypothecæ dari, §. Inter pignus, ff. De pignoribus & hypothecis. Attamen, ex §. *Item Seruiana, Institut. de actionibus. & ex leg. Si rem alienam.* §. *Proprie. ff. de pignoratitia actione.* interdum ii iure sic distinguuntur, vt pignus dicatur proprie cum transit ad creditorem, id est, cum creditori res traditur, retinenda apud se ad securitatem debiti; vnde à pugno vocatum esse, habetur in lege Plebs. ff. De rerum & verbor. significatione, §. Pignus. quia res quæ pignori dantur, manu traduntur; vnde & pignus rei mobilis proprie constituitur, vt ibidem additur. Hypotheca vero dicatur proprie, cum res non transit ad creditorem, nec possessio illius est ipsi tradita; sed tantum supposita, subiectaue obligationi. Id autem quod indifferenter significatur, vtroq; illo nomine definiri potest, *iuxta textum in citato §. Item Seruiana*, quod sit res de qua inter debitorem & creditorem conuenit vt obligetur pro debito. Quæ definitio est quidē tantum pignoris sumpti quatenus res est; sed inde satis intelligitur, quomodo quatenus contractus est, debeat ex obiecto suo finiri, nimirum, quod sit conuentio inter debitorem, & creditorem de re, vt ad securitatem, pro debito obligata sit, ex eaq; satisfiat, si non fuerit aliunde satisfactum. Vnde intelligitur creditorem in pignus seu hypothecam acquirere ius reale; ita vt ad quemcunq; talis res deuenerit, ea transeat cum reali onere, vt satisfiat ex illa; nisi sit aliunde satisfactum. Quod Molina notans *in memorato tract. 2. disput. 528. vers. Iuxta hæc.* aliquot legibus citatis; addit talem contractum perfici solo consensu exterius expresso, etiam per internuntium, aut literas; siue res quæ subiiciuntur pignori vel hypothecæ, præsentes adsint, siue non; perinde ac vsuuenit in contractu emptionis & venditionis.

Porro eiusmodi res potest esse vel mobilis, vt vas aureū, 575.
vel argenteum, gemma, vestis, &c. vel immobilis, vt prædium, vel se mouens, vt pecora: item res incorporalis, vt vsufructus, ex lege Si is. §. Vsufructus. ff. De pignoribus. Item seruitutes viæ, itineris, aquæductus in prædiis rusticis, ex lege Sed an viæ. eo. tit. non autem in prædiis vrbanis, ex citata leg. Si is. §. fin. ne scilicet varietate vrentium, ædificia vrbium deformentur. Item actiones, & cautiones, ex quibus vtilitas percipi potest, ex leg. Cum conuenit. eo. tit. Vbi aduerte obiter, quod Molina in eod. tract. disp 534. in initio tractat; si quis pignori obliget, aut tradat scripturam, seu instrumentum tituli, quo res aliqua ad se pertinet, ipsum censeri eamdem pignori subiicere, iuxta leg. 2. Cod. quæ res pignori obligari possunt. Item dari possunt res futuræ, & quæ tantum habentur in spe, vt fructus arborum, & fructus pecorum, ex lege Et quæ nondum, eo. tit. Dari deniq; possunt alia, *de quibus Molina d sp. 529. a medio* habentis adiunctam vtilitatem, quæ vendi possit ad satisfaciendum debito, pro quo datur pignus. Vniuersim enim quæ vendi possunt, pignori quoq; possunt subiici, iuxta textum expressum in lege Sed & quod. ff. De pignorib.

DEBENT autem esse bona propria quæ dantur in pignus, non autem aliena, ex leg. Si probaueris, & leg. Quæ prædium. Cod. Si aliena res pignori data sit. & leg Qui filios. Cod. Quæ res pignori obligari possunt. Quod tamen intellige, nisi id fiat de voluntate domini; aut ipso quidē ignorante, sed postea approbante factum, ex lege Aliena. ff. De pignoratitia actione *(de quo videri potest Molina d sput. 529. subinitium, & disp. 531. vers. In priori.)* aut nisi pecunia pro qua datum est pignus, versa sit in ipsius vtilitatem, ex lege 1. Cod. Si aliena res pignori data sit; aut nisi is qui ipso ignorante dedit, fuerit procurator generalis omnium bonorum ipsius, ex gloss. ad eand. leg. in verbo Procurator. *(qua de re videri potest Molina in citata disp. 531. subinitium)* aut nisi sit publicus administrator ciuitatis, qui potest illius bona obligare, ex leg. Si is. ff. De pignorib. in princ. 576.

Porro ea quorum non est commercium, sicut emi non possunt, ita nec in pignus recipi, ex l. 1. §. Eam rem. ff. Quæ res pignori, vel hypothecæ datæ obligari non possunt: inter quæ ponuntur homo liber, ex Cap. 2. De pignorib. vbi vide gloss. ad verbum Lex, excipientem tres casus: quorū primus est, cum quis captiuum redemit; eum enim potest seruare in pignus, donec pretium solutum restituat. Secundus, cum pater est in extrema famis necessitate; nam tunc vt vendere, sic in pignus dare potest filium. Tertius, cum pro pace, vel fide data seruanda datur in obsidem. Ponuntur etiam instrumenta & animalia aratoria, ex leg. Executores, & duabus sequentib. Cod. Quæ res pignori obligari possunt. Ponuntur item res sacræ, vt calices, vestes sacerdotales, &c. itemq; loca religiosa: *De quibus vide in verbo Pignus, Angelum §. 2. & Sylu. quæst. 3. & Molinam disp. 530. in princ.* Vrgente tamen necessitate ad alendos pauperes, vel captiuos redimendos, *vt iidem admonent*, non modo in pignus dari possunt; sed etiam vendi: vt & pro debito Ecclesiæ soluendo, quando eæ sunt superfluæ, nec illud potest aliter solui. 577.

NONNVLLA occurrunt hoc loco notanda. Primum est, creditorem posse pignus à debitore acceptum

obliga-

obligare alteri ex lege Grege, §. Cum pignori, ff. De pignoribus, & lege 1. Cod. Si pignus pignori datũ sit. Quod ita intelligendum est, vt possit dare pro tanta quantitate pecuniæ, pro quanta pignoris dominus dedit ei, eodemq; modo, nempe si ille dedit ei pignus cum iure distrahendi, possit & ipse similiter dare, ex lege Nomen, Cod. Quæ res pignori obligari possunt, aliter non: quia nemo potest transferre ius in alium, quod non habet, ex Cap. Nuper §. Nos autem, De dotationibus inter virum & vxorẽ. Quare creditor non potest in plus obligare pignus quod accepit, quam sit ei à debitore obligatum.

578. Secvndvm est, quod habetur ex lege Et quæ nondum §. Qui res suas, ff. de pignoribus. Eum qui rem habet obligatam vni creditori, posse adhuc eam obligare alteri, dummodo ipsum moneat eam esse iam alteri obligatam. *v.g. pro decem*: denuo vero obligare illam in eo, quo excedit, aut in solidum cum liberabitur à primo creditore, hoc est, postquam primo creditori satisfactum fuerit, maneat in totum ipsi secundo obligata. Quinimo in cõscientia nihil videtur obstare quonimus si res sufficiens sit, debitor possit inscio, vel etiam inuito primo creditore, eam obligare: quia perinde est, ac si duæ res sufficientes duobus creditoribus dentur in pignus. Pluribus de hoc Molina in eod. tract. disput. 532.

579. Tertivm est. Rem pupilli non posse ab ipso in pignus dari sine authoritate tutoris ex lege 1. ff. Quæ res pignori obligari non possint, immo nec cum ea, sine decreto Iudicis, ex lege Lex, De administratione tutorum, non modo cum res fuerit immobilis, sed etiã cum fuerit mobilis, ex lege Curator, Cod. Si aliena res pignori data sit. Posset autẽ solus tutor rem pupilli dare in pignus, quando pro defensione caussæ pupilli obligatus esset idoneam cautionem dare, ex lege fin. §. Defensionem, Cod. de administratione tutorum. Nullo autem modo potest agendo negotium proprium, aut alterius quam ipsius pupilli. De quo Molina disput. 531. in fine.

580. Qvartvm est, sic esse accipiendam hypothecam, vt si generalis sit omnium bonorum, sub ea contineantur non modo præsentia, sed etiam futura bona, ex lege 1. ff. De pignotibus, immo & pecuniam quocumq; modo postea acquisitam, ex lege Cum tabernam, §. Creditor, ff. De pignoribus. Non contineantur autem quæ quis verosimiliter obligaturus non esset specialiter, vt vestis, & quidquid aliud habet necessarium in vsu quotidiano, ex lege Obligatione, ff. eodem titulo. Item vt si grex obligatus sit, quæ postea ex eo nascuntur obligentur, ex lege Grege, ff. eodem adhuc titulo, itaut quando priorib. decedentibus, is renouatur natis aliis, totus maneat obligatus, ex eadem lege. Item, vt si fundus sit datus pignori, & deinde alluuione factus sit maior, totus sit obligatus, ex lege Si fundus, in principio, ff. De pignoribus, & ex lege Si conuenerit, § Si nuda proprietas, ff. pignoratitia actione. Ex qua, *in sequente §. Si quis*, adde si sylua pignori data sit, nauẽ ex materia illius factam non esse obligatam. Item, si mãcipia, aut animalia pignori data sint, obligatos quoq; esse partus eorum, ex lege Paulus, § Si mancipia, ff. De pignoribus. Videri potest Molina *disput. 529. vers. Illud est obseruandum.*

Item cum vniuersitas hypothecatur, vt taberna cum omnibus quæ in ea habentur, hypothecantur etiam aliunde substituta, & subrogata, vt merces quæin eam inferuntur, & aliis substituuntur, ex lege Cum tabernam, ff. De pignorib. At quando non vniuersitas, sed specialiter aliqua hypothecantur, non intelliguntur obligata, quæ aliunde substituuntur, nisi ex illis priorib. nata sint, ex lege Fideiussor, ff. De pignoribus. Exemplum est, si Caius obliget specialiter prædia quæ erant in bonis Titij, non erunt obligata prædia duæ idem Caius postea aliunde substituet: quia specialiter obligauit tantum prædia quæerant in bonis Titij.

Quibus adde, qualitatis additionem, vel detractionem circa rem locatam, non extinguere pignus, vel hypothecã, & ideo perseuerare, quantumcumq; res hypothecę data postea mutata sit, vt si de domo factum sit horreum, vel in loco dato pignori plantatæ sint vineæ, vel de nouo sit extructa domus, ex lege Si fundus, §. Si res hypothecæ, ff. De pignoribus. Item in domo pignori data, si ea pereat incendio, & à debitore deinde restauretur, creditorem ius pignoris retinere, ex antecitata lege Paulus, §. Domus, quod habetur etiam ex sequenti lege finali, & ex lege Domo, ff. De pignoratitia actione. Videndus est Molina de hac re latius disserens in disput. 533. Item in pignus data rei proprietate, vsufructum etiam qui ex eã accreuit postea, cedere in pignus, ex lege Si conuerit, §. Si fundus, De pignoratitia actione. Quid agi debeat circa pignus postquam aduenit tempus solutionis, aut ipsum translatum est in tertiam personam, relinquemus videndum apud Molinam disput. 534. à vers. Quod vero. Res enim est spectans potissimum ad praxim fori externi, & ideo propria Causidicorum.

Diuisio pignoris, seu hypothecæ.

Sectio Posterior.

581. Varia sunt genera hypothecæ, seu pignoris quæ triplici diuisione comprehenduntur à Iurisconsultis. Eas persequitur Molina in eod. tract. 2. disput 528 parte posteriore.

Prima est, qua diuiditur hypotheca in generalem & specialem, ex lege Quamuis constet, & lege Quamuis ea. Cod. De pignoribus. Generalis dicitur quæ in omnibus bonis alicuius constituitur, specialis vero quæ in re certa certisve bonis alicuius constituitur.

Secunda est, qua diuiditur in necessariam, & voluntariam. Necessaria dicitur quæ Magistratus, vel iudicis iussu, decretove constituitur, vnde vocatur tum prætoria, tum iudicialis, de eaque habetur in libr. 8. Cod. tit. 22. De pignore prætorio. Voluntaria vero dicitur ea quam hominum cõuentio, vel testamentum inducit, vnde distinguitur in conuentionalem, & testamentariam. Hæc est, quæ testamento constituitur, ex lege Non est mirum, ff. De pignoratitia actione. Illa vero, quæ nascitur ex pactis, & cõuentionibus inter creditorem, & debitorem, contrahiq; potest quibuscumque verbis, & sine scripto, etiam in foro exteriori, dummodo probari possit; ex lege Contrahitur, ff. De pignoribus. Item contrahi in certũ diem ac sub cõditione *(de qua re Molina disp. 532. in initio)* ex lege Res hypothecæ, eod. tit. vt si Titius ex bello redierit, vel ad Calendas vsque Augusti fundus meus sit tibi pignori datus. Ac demum contrahi inter absentes; ex lege Creditor, eodem titulo.

Tertia diuisio hypothecæ est, in tacitam, & expressam. Tacita *(de qua in lege 1. Cod. Communia de legatis)* dicitur, quę ipsa legis constitutione, absq; vllo verbo præcedenti contrahitur. Expressa vero quæ in voluntate, & conuentione creditoris, & debitoris constituitur.

Quæstio de hypotheca tacita. Quando contingat eam à lege induci.

Ante proposita hypothecæ tacitæ definitio petit huius quæstionis explicationem traditam ab Hostien. in summa, titulo De pignoribus, §. Conuentionalium, & à Sylu. verbo Pignus, quæst. 1. & late à Molina disput. 536.

582. Primo igitur, ex lege vnica, §. Et vt plenius, Cod. De rei vxoriæ actione; pro dotis obligatione, bona debitoris subiiciuntur hypothecæ ex vtraq; parte, hoc est, tam mariti qui dotem accepit; quam mulieris, pro dote præstanda; itemque cæterorum, qui aut pro marito dotem susceperunt; aut pro muliere dotem promiserunt. Quod etiam dicendum est quoad bona paraphernalia, seu quæ vxor habet præter dotem. Nam si maritus habeat eorum administrationem, bona ipsius pro illis tacite hypothecantur; non tamen cum priuilegio quo vxor præferatur aliis creditoribus habentibus tacitam hypothecam in bonis mariti *(prout pluribus citatis habet Couar. in lib. 1. variar. resolut. cap. 7. num. 1.)* sicut in hypotheca pro dote. De qua re videndus est Molina disput. 536. in principio.

Secundo, ex lege Pro officio. Cod. de administratione tutorum, bona tutoris sunt tacitæ hypothecæ subiecta

pro administratione bonorum pupilli, & bona curatoris pro administratione bonorum minoris. Quod pari ratione dicendum est de bonis Prælati pro administratione mala bonorum Ecclesiæ, *ex Panor. ad Cap. Ex literis, de pignorib. nu. 11.* quia Ecclesia æquiparatur minori, ex Cap. 1. De in integr. restitut.

583. Tertio, ex lege Si mater, Cod. In quibus causis pignus tacite contrahitur; si mater suscepta liberorum tutela, secundo nupserit, antequam aut iisdem liberis fecerit tutorem ordinari, aut persoluerit, quod eis debetur ratione tutelæ gestæ; tam bona ipsius, quam secundi illius mariti, sunt tacite hypothecata iisdem liberis.

Quarto, ex lege 1. Cod. Communia de legatis; tacita hypotheca contrahitur in bonis testatoris, pro piis legatis ab ipso factis.

Quinto, ex lege Si tutor. Cod. De seruo pignori dato manumisso; res emptæ pecunia pupilli, aut minoris, sunt illis tacite obligatæ.

Sexto, ex lege Cum oportet, Cod. De bonis, quæ liberis, &c. bona patris tacite obligantur filiis pro horum rebus aduentitiis, quarum ille habet administrationem; quia licet vsumfructum habeat; dominium tamen est penes filios.

Septimo, ex lege Hac edictali, Cod. De secundis nuptiis; si pater, vel mater secundum matrimonium contrahat, omnia bona ipsius sunt tacite obligata filiis prioris matrimonii, pro bonis quæ defunctus parens illis reliquit.

Octauo, ex l. secunda. Cod. In quib. caus. pignus, &c. bona illius, qui cõtrahit cum fisco, sunt eidem tacite hypothecata, vt & pro tributo eidē soluendo, ex præcedenti lege prima; bona item illius, qui cõducta habet ab ipso fisco vectigalia, aut tributa, ex lege Si cũ pecuniam. Cod. De priuilegio fisci. Non contrahi autem hypothecam tacitam, si quis propter delictum debeat fisco pecuniatiam pœnam, habetur ex lege Eorum, Cod. De iure fisci.

Nono, ex lege Interdum, ff. Qui potiores, in pignore; is qui pecuniam mutuauit ad reficiendam, vel armãdam nauem, habet tacitam hypothecam in eadem naui; non autem si mutuauerit ad emendam, vt locis citatis habent Hostiensis, & Syluester.

Idem iudicium esse, de eo qui mutuam dedit pecuniã in restitutionem, seu reædificationem ædificij, habetur ex lege 1. ff. In quib. causis pignus, &c.

584. Decimo, ex lege Item quia, ff. De pactis, & lege Eo iure, ff. In quib. causis pignus, &c. in habitationibus & prædiis vrbanis locandis, quæ inuecta, & illata fuerint, hypothecantur tacite locatori pro pensione seu mercede locationis. Idem est dicendum de inuectis, & illatis in horreum, aream, vel diuersorium conductum; ex lege Si horreum, ff. In quib. causis pignus, &c. Idem etiam de inuectis, & illatis in stabulum domui coniunctum; ex lege Eo iure, ante citata.

Circa quod aduerte primo, inuecta dici, quæ iumentorum vectura; inducta vero, quæ manu, & illata quæ dorso imposita, intromittuntur, vt ad memoratas leges notat gloss. Aduerte secundo, ex lege 1. §. penult. ff. De migrando; aliena non posse pignoris nomine retineri, nisi loco pignoris inducta sint; quo casu locator ius ea retinendi habet aduersus inquilinum nolẽtem soluere mercedem locationis: non item si illata sint tanquam aliena, quia verus dominus ius habet repetendi ea tanquam sua. Aduerte tertio, quod si inquilinus rem inuectam alienet, ea semper maneat obligata, quia ius pignoris ita ad rem transit, vt semper eam sequatur; exceptis mercibus quæ per venditionem (*ex leg. penul. ff. de pignorib.*) ab onere pignoris liberantur, eo transeunte ad eas merces, quæ loco illarum reponuntur; quoniam ea est natura mercium vt distrahantur, & aliæ earum loco comparentur. Attamen si locator manum aliquibus iniecerit, & in pignus sumpserit, eæ tanquam specialiter obligatæ transeunt in emptorem cum illo onere.

Aduerte quarto, differentiam esse inter prædium rusticum, & prædium vrbanum, quod (*ex lege Eo iure, ff. In quib. caus. &c.*) illata in prædium rusticum non obligentur tacite locatori; nisi de eo expresse conuentum sit: quia prædium rusticum communiter habet fundum proferẽtem fructum qui locatori, *etiamsi nominatim non conuenerit*, tacite obligatur, ex lege In prædiis, eod. tit. Illata vero in prædium vrbanum tacite obligentur locatori, etiamsi nihil de eo expresse conuentum sit, ex citata lege Eo iure, & ex sequenti lege Licet. Aduerte postremo; ex l. Quamuis fructus, Cod. eod. tit. quamuis fructus prædii rustici sint tacite obligati, prædia tamen quæ emuntur ex eorundem fructuum pretio, non manere obligata tacite. Atq; hæc fere certa sunt.

585. Dvbitatvr autem; an qui mutuam dedit pecuniam ad alicuius rei emptionem, habeat tacitã hypothecam, posito quod pecunia expresse mutuata fuerit causa atque respectu dictæ emptionis, ac de facto expensa fuerit ea de causa, & expendi necessarium fuerit. De quare dissentiunt Iurisperiti, vt videre est apud Couar. *lib. 1. variar. resolut. c. 7. n. 3.* vbi pro vtraq; parte varios citat. Quamuis autem partem affirmantem defendi posse putet; negantem tamen sequendam censet; quia ex iure nihil habetur de tali hypotheca tacita; sed solum de priuilegio personali, quo præferatur aliis creditoribus; aut de hypotheca expressa, hoc est, de qua creditor expresse conuenerit cum debitore.

Quæ responsio adhiberi potest ad alia multa similia, qualia sunt; An qui vendit rem suam credita pecunia habeat illam tacite hypothecatam pro solutione pretij. An qui administrat bona ciuitatis, habeat huic tacite hypothecata bona sua. An bona furis sint tacite hypothecata pro restitutione rei furtiuæ. Namque ex iure nihil habetur de tali hypotheca. Quamquam ex lege Iulianus. § Offerri, ff. De actionibus empti, & venditi, is qui vendit rem suam credita pecunia, potest eam quasi pignus retinere, id est, non tradere donec totum pretium ei solutum sit; sique ciuitas habeat fiscum, vt solet libera non habens superiorem, locus erit hypothecæ tacitæ, ex præced. n. 583 vers. Octauo casu.

His addendum videretur, qui potiores in pignoribus & hypothecis habeantur; qua de re est Digestis tit. 4. lib. 20. & Cod. tit. 18. lib. 8 sed sufficiunt dicta à nobis in præced. par. 2. lib. 10. cap. 17.

CAPVT XLVIII.

De obligationibus, & actionibus quæ oriuntur ex pignore; ac cuius sit damnum; deq; modo quo finitur.

SVMMARIVM.

586 *Tres obligationes quæ ex pignore oriuntur ex parte debitoris illud dantis.*
587 *Sex quæ ex parte creditoris pignus ipsum recipientis;*
588 *Duæq; primæ.*
589 *Tres casus in quibus creditor licite vti potest pignore.*
590 *Reliquæ obligationes.*
591 *Actio quæ oritur ex pignore quædam est pignoratitia, & quædam hypothecaria.*
592 *Pignoratitia quædam est directa, & quædam contraria.*
593 *Quatenus creditor fructus ex pignore perceptos, etiamsi debitor eos non percepisset, teneatur computare in sortem.*
594 *Quatenus teneatur computare fructus quos non percepit quidem, sed sua negligentia.*
595 *Ad quam pensionem teneatur, si re oppignorata vtatur.*
596 *Duodecim modi quibus finitur pignus.*

Obligationes quæ oriuntur ex pignore.

SECTIO I.

586. EX parte debitoris dantis pignus, seu hypothecam oriuntur tres obligationes. Prima, ne rem vni creditori datam pignori, det adhuc alteri, seu secundo creditori; quia

quia alterutri faceret iniuriam, nisi ipsa sit maioris æstimationis, aut saltem tantæ, quantæ est verum mq; debitum, iuxta antedicta nu. 578. Secunda est, qua debitor tenetur soluere omnes expensas necessario factas à creditore circa pignus ne periret, aut deterior aretur, ex lege Si necessarias, & lege Si seruos, ff. De pignoratitia actione. Expensas autem non necessarias, etiamsi vtiles, non tenetur soluere, nisi vtilitas cedat in bonũ ipsius debitoris, nec sint nimis magnæ, prout notant in verbo Pignus *Angelus* §. 15. & *Sylu. qu.* 13. ad idq; facit memorata lex Si seruos. Tertia debitoris obligatio est, quod non possit repetere pignus donec integrum debitum soluerit, itaut creditor ipsum iure retineat, quantumuis ille maioré partem debiti soluerit, ex lege Quamdiu. Cod. De distractione pignorum.

587. Ex parte autem creditoris pignus habentis oriuntur sex obligationes. Prima est, curare ne pignus pereat, aut fiat deterius; itaut teneatur ad restitutionem talium damnorum, siquidem contigerint ipsius dolo, aut lata, vel leui culpa, ex lege Si cum vederet. §. Venit, & ex lege Ea igitur, ff. De pignoratitia actione. Non autem si culpa leuissima, aut casu fortuito, ex lege Quæ fortuitis. Cod. De pignoratitia actione, & Institutis. §. finali; Quibus modis re contrahatur obligatio, nisi creditor ipse fuerit in mora restituendi idipsum pignus, aut conuentum fuerit, vt de culpa etiam leuissima, & casu fortuito teneretur, prout monent Sylu. *in verbo Pignus qu.* 14. & Nauar. *in Enchir. c.* 17. *n.* 203. Secunda obligatio est, vt creditor non possit vti pignore, ex lege Si pignore, ff. De furtis, & per consequens teneatur ad restitutionem quantum valet talis vsus.

589. Sed excipiendi sunt tres casus. Primus est, quando eiusmodi vsus cedit in bonum debitoris. Sicque in lege Creditor 1. ff. De pignoribus, dicitur, quod creditor prædia sibi obligata ex causa pignoris, locare recte possit; quia nimirum prædia solent meliora fieri per culturam. Secundus est, quando pignus ex vsu nullum patitur detrimentum, vt cum quis vase accepto in pignus, semel aut bis vtitur in conuiuiis. Tertius, cum vsus pignoris talis est qui gratis, & communiter cõcedi solet inter amicos, vt lectio libri. Quem casum ex D. Thoma habent D. Anton. 2. *par. tit.* 1. *c.* 15. §. 3. & Nauar. *in Enchir. c.* 17. *n.* 203. addentes cum vsus non fuerit talis, etiamsi fiat cum voluntate domini, siue explicita, siue implicita, vsuram committi, quando videlicet is est pretio æstimabilis, ac conceditur ratione mutui, iuxta communem doctrinam de vsura. Aduerte vero casus hos intelligendos esse dummodo expresse debitor non prohibuerit talem vsum, aut talis vsus non cedat in detrimentum debitoris, vt cum in pignus datus est equus, aut vestis pretiosa, vas argenteum, torquis aureus, & eo ipso, quod debitor cognoscitur illa pignori dedisse, incipit minoris fidei aut æstimationis esse apud alios.

590. Tertia obligatio est, qua creditor tenetur resarcire damna prouenientia ex vsu pignoris ei non permisso, vt ex excisione arborum, vel dirutione domus, iuxta legem Creditor 2. Cod. De pignoratitia actione. Et confirmatur: quia si tenetur de lata, aut leui culpa, tenebitur quoq; de damno per eam dato. Quarta est, qua tenetur ad restitutionem omnium fructuum pignoris quos percepit, aut percepisse debuit: ex lege Creditor 1. eodem titulo. Qua de re plenius Molina *disp.* 535. *in principio*. Quinta est, *quam idem ibidem persequitur*, vt creditor si id in cuius securitatem pignus ei datum fuit, non tradiderit, restituat acceptum, quia tunc ipsum desinit rationem habere pignoris. Idem iudicium est, si aliquid datum sit in pignus sub conditione quæ non est impleta, tam hoc, quam illud, habetur ex lege Solutum, §. *Si quasi*, De pignoratitia actione. Postrema obligatio est, qua creditor soluto sibi integro debito, tenetur debitori pignus restituere. Ea enim est natura pignoris, vt ipsum finiatur facta integra debiti solutione, iuxta post dicenda in sect. quarta.

Actiones quæ oriuntur ex pignore.

Sectio II.

591. Quod attinet ad actiones quæ oriuntur ex pignore, vna est quæ dicitur pignoratitia, & altera quæ hypothecaria, illaque nascitur ex contractu pignoris per quem mutua obligatio inducitur inter debitorem dantem, & creditorem accipientem pignus. Hæc vero ex iure ad rẽ, hoc est, ex iure quod creditor acquisiuit ad pignus, vt illud retinere possit, vel recuperare, si fuerit ab eo ablatum, vel alienare, si ei non sit solutum debito tempore, Institutis, §. Item Seruiana, De actionibus. Quæ eadem actio cõpetit non tantum creditori: sed etiam hæredib. ipsius, ex lege 1. Cod. Si vnus ex plurib. hæredib creditoris, &c. competit etiam non tantum contra creditorem, sed etiã contra hæredes ipsius, ex seq. lege 2. immo & contra tertium possessorem: adeoq; eum, qui rem pignoratam emit à debitore vendente, vt satisfaceret creditori, nec satisfecit, ex lege Distractis, Cod. De pignorib. Et ratio est: quia talis actio est realis, seu nata ex iure acquisito ad rẽ, vt intelligitur ex leg. Pignoris, Cod. De pignoribus & proinde sequitur rem ipsam apud quemcumq; sit.

Pignoratitia autem actio quædam est directa, quædam contraria. Directa est (*ex leg. Pignoris Cod. De pignoratitia actione, & ex lege Si rem alienam* 1. *ff. eodem tit.* quæ debitori si debitum soluerit, omninoq; satisfecerit, competit aduersus creditorem, ad repetendum pignus suum, & torum quod sua interest: fructus nimirum pignoris, & damna accepta dolo, aut lata, vel leui culpa creditoris. Ea enim est conditio contractus celebratiin vtriusque contrahentis vtilitatem. Contraria vero actio est, quæ e contrario competit creditori ad repetendas expensas quas necessario aut vtiliter fecit in pignore conseruando: itaut possit pro eis retinere idipsum pignus, ex lege Si necessarias, ff. De pignoratitia actione. Competit quoq; si debitor rem alienam impignorauerit domino ignorante, aut propriã quidem, sed iam alteri obligatam, cum tamen ea non sufficiat vtrique, quod habetur ex cit. lege Si rem alienam. Aut si æs pro auro in pignus dederit, ex lege Si quis in pignore, ff. De pignoratitia actione. Quod pari ratione dicendum est, si aliæ similes fraudes interueniant. 592.

Explicatio quæstionis, cuius sit rei damnum aut commodum in pignore.

Sectio III.

Pignus, *quia in eo nec rei dominium, nec vsus transfertur*, detrimentum accipit in damnum, & fructificat in commodum dantis, apud quem dominium illius manet, exceptis casibus quos in præced. num. 589. attigimus. Dubia vero quædam hoc loco occurrunt explicanda de fructibus pignoris.

Primvm est. An creditor teneatur in sortem computare fructus ex pignore perceptos, quos debitor non erat alias collecturus, immo nec colligere cogitabat, vt cũ in pignus datur ager qui negligentia debitoris est sterilis, & diligentia creditoris fit fertilis: aut est domus, quam debitor locare non solebat, & creditor eam locat certa mercede, aut est equus indomitus, ideoq; inutilis, & industria creditoris factus est vtilis, & locatur. De qua re cõtra Sotum *in lib. 6. De iust. & iure qu.* 1. *art.* 2. *sub finem*, tenendum videtur cum Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *n.* 216. creditorẽ etiam tunc teneri fructus computare in sortem: quia ad id sufficit tales fructus esse rei pertinentis ad debitorem, neq; creditorem habere iustum titulum, quo sibi eos retinere possit, nisi quantum ipsius diligentia & industria meretur. Nec obstat quod debitor non esset fructus eos percepturus: quia satis est, quod sint fructus rei suæ. Nec item quod debitori nullum detrimentum inde afferatur: quia obligatio talis restitutionis non oritur ex damno illato, sed ex re aliena; quæ fructificans, domino suo fructificat. Nec deniq; quod lucrans sua industria ex deposita pecunia, acquirat sibi tale lucrum, quia illud est ex sola industria ipsius, non autem ex re: quandoquidem pecunia sterilis est de se, & non tantum ex domini negligentia aut inertia. Pari ratione *ex Nauarr. ibidem* sentiendum est debere creditorem restituere fructus quos sua industria multo plures aut maiores ex pignore accepit, quam pignus ipsum apud debitorem reddere solebat: ita tamen vt possit deducere, quod per suam industriam ipse meretur. 593.

594. SECVNDVM DVBIVM EST. An creditor teneatur computare in sortem non tantum fructus perceptos, sed etiam eos quos percipere debuit, sed suâ negligentiâ non percepit? Vbi aduerte certum esse inter Doctores, teneri tanquam fraudulentum, si dolo, aut lata sua culpa non perceperit; vt cum domus accepta in pignus solita erat locari, & neglexit locare, cum offerrentur conductores: non teneri autem, si leuissima tantum culpa sua, aut casu fortuito non perceperit. Ideoq; difficultatem in eo tantum esse; an teneatur quando non percepit leui sua culpa? De qua re contra Hostiensem in summa *tit. De pignoribus, §. Quando efficaciter*, sentiunt in verbo Pignus. *Angelus. §. 12. Sylu. quæst. 11. Rosella num. 8. Armilla nu. 6.* quod teneatur; quia cum pignoratio sit in bonum vtriusque partis, creditor tenetur eam diligentiam adhibere in conseruando pignore, vt non imputetur ei leuis culpa & negligentia; ex qua si debitori damnum contingat, ipsum resarcire teneatur; siue contingat in pignore, siue in fructibus pignoris; tam iis quos protulit, quam quos proferre debuit, iuxta illud, quod in lege Creditor qui prædium, Cod. De pignoratitia actione, statuitur creditorem debere computare in sortem fructus quos percepit ex pignore, vel percipere debuit. Quod etiam habetur ex lege 2. Cod. De partu pignoris, & omni causa.

595. TERTIVM DVBIVM EST. Quam pensionem teneatur in sortem computare is qui domo aut alia re sibi in pignus data vtitur? Ad quod dicendum videtur primo, teneri illam tantum pensionem computare in sortem, quâ accepisset ab alio cui talem rem pignoratam locasset; seu secundum æstimationem, qua conduci & locari domus communiter solent. Ita contra Speculatorē, cum Panor. ad Cap. Cum contra, De pignorib. n. 10. habent in verbo Pignus. *Angel. §. 13. & Sylu. n. 12.* Ratioq; docet; quia creditor non est alterius conditionis quam alius conductor. Id quod procedit quantumcunque aliam domum habuerit in qua habitare posset. Nam eo ipso, quod domum pignoratam non locauit cum posset, tenetur resarcire damnum per id dolo, aut lata sua culpa, vel leui datum; adeoque computare in sortem, pensionem eam quam poterat accipere, si alijs qui offerebantur, locasset. Non procedit autem quando sufficienti adhibita diligentia conductorem non inuenit; tunc enim ad nihil tenetur, licet propriam domum locauerit, in pignoratam migraturus ad eam conseruandam, habitando in ea.

Modus quo finitur pignus.

SECTIO IV.

596. DE hac re, *quam Molina persequitur sæpe memorato tract. 2. disp. 537.* extat Digestis titulus Quib. modis pignus, vel hypotheca soluitur; vnde habetur pignus finiri primo solutione integra debiti; l. Item liberatur. Secundo, remissione creditoris, qua debitum remittit, vel ab hypotheca recedit; lege Soluitur. Tertio, alienatione pignoris facta de consensu debitoris, lege Si consensu. Quarto, finito tempore constituto illius durationi, lege Item liberatur. Quinto, si creditore deferente iuramentum debitori, is iuret se non esse debitorem, aut si lata sit sententia absolutoria in fauorem debitoris, leg. Si deferente. Sexto, emptione; nempe si creditor emit pignus à debitore, lege Titius. In qua additur septimus modus, subscriptione creditoris; nempe si subscribat instrumento in quo debitor profitetur alteri secum contrahenti, eam rem nulli esse obligatam. Adde octauum, si solutum sit creditori ex ipsius voluntate, vel alio quocunq; modo satisfactum sit debito de consensu creditoris, iuxta leg. Si rem alienam, §. Omnis pecunia, ff. De pignoratitia actione. Item nono, redditione instrumenti publici, seu traditione scripturæ de pecunia mutuata vel credita, iuxta legem Labeo. ff. De pactis, & legem Creditricem, Cod. De remissione pignoris. Præterea, decimo, si debitor offerat debitum creditori, qui non vult accipere, & ideo debitor coram testibus fide dignis, pecuniam in marsupio obsignato deponit in loco religioso, vel apud hominem fidelem, iuxta leg. Nec creditores, C. de pignoratitia actione. Adhuc vndecimo, nouatione, ex lege Solutum, §. 1. ff. De pignoratitia actione. & ex leg. Nouatione. ff. De nouationib. Est autem nouatio prioris debiti in aliam obligationē translatio, hoc est, cum ex præcedenti causa, ita noua cōstituitur, vt prior perimatur, prout habet textus in eod. tit. De nouationib. leg. prima. Denique duodecimo, ex consensu creditori, *sicut & ex eodem consensu contrahitur*, iuxta legem Si probaueris, Cod. De remissione pignoris.

CAPVT XLIX.

De pactis & distractione pignorum, ac de transactione.

SVMMARIVM.

597 *Quando sit, vel non sit licitum pactum, vt si debitum non soluatur tempore constituto pignus transeat ad dominium creditoris.*

598 *Tale pactum vitiatur, si sit vt fructus antea percepti, sint creditoris; requiritq; vt iustum pretium intercueniat.*

599 *Illicitum est pactum, vt pignus habeatur in feudum, itemq; vt redimi non possit.*

600 *Licitum est cum fideiussore pactum in pignore, perinde ac cum creditore.*

601 *Pacta legis commissoriæ.*

602 *Debitor liberatur a debito, pignore amisso; creditor vero, acceptum retinere potest quamdiu ei non soluitur integre.*

603 *Quod possit illud alteri pignorare, & quatenus.*

604 *Aliquot documenta de potestate quam creditor habet vendendi pignus sui debitoris.*

605 *De tribus casibus in quibus venditio pignoris potest contingere; & qualiter in vnoquoque eorum sit procedendum.*

606 *Documenta de transactione.*

Notanda de pactis pignorum.

SECTIO I.

597. QVædam supersunt antedictis addenda de pactis pignorum. Primum est, quod si inter debitorem & creditorem conueniat, vt si debitum non soluatur tempore constituto, pignus cedat in ius & dominium creditoris, ac pro vendito habeatur (*nempe debito ipso rationem precii subeunte*) pactum non valeat; vt notat Hostiensis in summa, *tit. De pignoribus. §. Quibus pactis*; sequunturque *Angelus, in verbo pactum, q. 18. Sylu. eod. verbo, q. 14. & in verbo pignus. quæst. 5. & Nauar. in Enchir. cap. 17. num. 203.* Et communem sententiam esse habetur ex Couar. *in lib. 3. variar. resolut. cap. 2. num. 7.* per Cap. Significante, De pignoribus, & legem vltimam, Cod. De pactis pignorum. Pro qua Panorm. ad idem Cap. nu. 7. rationem adfert; quod pignus soleat esse maioris pretij quam debitum, ideoque tale pactum mutuantibus absolute concedere, sit vsuram passim inducere.

598. Verum si eiusmodi pactum geret non quidem in lucrum creditoris; sed potius in pœnam impositam, ad coercendam debitoris contumaciam in non soluendo, tunc non esset censendum illicitum; dummodo non accipiatur plus, quam sit iuste debitum, seruetur; iustum ipsius pignoris pretium (*prout ex Panorm. D. Anton. & Sylu. Nauar. habet in cit. 203.*) & interuenerit mutuus contrahentium consensus, aut Iudicis sententia, absitq; fraus; iuxta ante tradita in cap. 12. causa nona. Quæ vide; & specialiter memineris haberi ex cit. Cap. Significante (*quod ad illud. num. 3. notat Panorm.*) talem pœnam non incurrere debitorem, quando vere non potuit soluere. Id enim propterea inculcandum est; quod periculum sit ne in eo plerumq; peccetur.

599. Secundum est, præfatum pactum; nempe vt pignus in pœnam pro vendito habeatur, nisi ad præfixum tempus

redima-

redimatur; cornere si ei adiungatur, quod omnes fructus, aut pars eorum, capti vsque ad eum diem, sint creditoris, quia factum esset in fraudem vsurarum, & ideo non esset permissum. Ita ex Panor. D. Anton. & Sylu. habet Nauar. in Enchir. *cap.* 17. *nu.* 217. & videtur satis de se apertum.

Tertium est, pactum factum, vt si pecunia debita intra certum diem soluta non sit, ex tunc creditor rem iure emptionis possideat pretio communi æstimatione iusto, licitum esse; quia tunc fit quodammodo venditio conditionalis. Hoc habetur ex lege Si fundus, §. fin. ff. De pignoribus, traditurque ab Hostiens. in summa *De pignoribus*, §. *Quibus pactis.*

599. Quartum est, si pignori pactum apponatur, quod debitore non soluente die præfixo, ex tunc creditor habeat pignus in feudum, nō valere tale pactum, prout in verbo Pignus *Sylu. quæst. 6. Angel. §. 5. & Tabien. quæst. 3.* probāt; quia fraus fieret legi. Nam in lib. primo feudorum, tit. 27. sic statuitur: Si quis obligauerit rem aliquam pignori eo pacto, vt si statuto tempore pecunia soluta non fuisset, res esset creditoris, & eam pro feudo habeat; potest debitor quandocumque pecuniam soluendo, pacto non obstante, pignus recuperare.

Quintum est, si pactum sit ne pignus possit redimi in perpetuum, vel ante diem præfixam, ipsum non tenere, vt Sylu. *in ead. q.* 6. vt notat argumento Cap. Precarium, De precarijs. Idem etiam dicēdum esse de pacto apposito, ne post certum diem possit pignus redimi, habes apud Nauarrum *in Enchir. cap.* 17. *num.* 203.

600. Sextum est, licitum esse cum fideiussore hoc pactum. Sume fundum hunc in pignus; vt si me non soluente debitum, pro quo fideiussisti, tu solueris pro me, tuus sit fundus. Hoc notat Sylu. *in verbo Pactum, q.* 14. *vers.* 4. & habetur expresse in lege finali, ff. De contrahenda emptione. Abesse autem debet fraus, & seruari æquitas iustitiæ, perinde ac si pactum fieret cum creditore. De qua re Couar. *lib.* 3. *var. resolut. cap.* 2. *nu.* 7. & 8.

601. Septimum est, pacta in pignore reprobata legibus, dici legis commissoriæ; quia sunt ad instar eius pacti, quod fit in venditione (*& dicitur lex commissoria*) vt si pretium non soluatur tempore constituto, res sit inempta; de quo antea in cap. 17. quæst. 3.

Aduerte autem pacta eiusmodi non esse sic inualida quin iuramento confirmata (*quia prohibita sunt tantum lege humana*) seruari debeant ob reuerentiam iuramenti; nisi idipsum authoritate Episcopi relaxetur, vt ex cōmuni Doctorum sententia per Cap. Significante, De pignoribus, notat Couar. *ad Cap. Quamuis pactum, par.* 2. §. 3. *num.* 3. Aduerte etiam quia leges prohibent huiusmodi pacta, nō solum in fauorem debitoris, sed etiam in pœnam creditoris, & odium vsurarum, *vt Couar. ibid. attigit*, ea neq; tunc valere, cum debitor renuntiauerit tali beneficio.

602. Octauum est, valere pactum, vt amissio pignoris, quocumq; casu contingat, liberet debitorem. Istud habet Sylu. *in verbo Pignus q.* 6. per textum expressum in lege Quæ fortuitis, Cod. De pignoratitia actione. His addo quod antea attigimus obiter, quamdiu debitor non soluit integre debitum, etiamsi modicum tantum quid desit, creditorem posse retinere pignus, quousque plena fiat solutio, vt ex lege. Quamdiu, Cod. De distract. pignorum, habent in verbo Pignus, Angelus § 18. & Sylu. quæst. 5.

603. Idem cum illis docens Nauar. in Enchir. cap. 17. n. 203. pariter docet, quod si debitor statuto tempore non soluat debitum, creditor possit illud alteri pignorare, ex leg. 1. & 2. Cod. Si pignus pignori datum sit. Imo ille alius cui pignus datum est, potest etiam illud alteri dare pignori, & adhuc iste alius alteri, & sic deinceps, prout in verbo Pignus tenent *Angel. §. 9. & Sylu. quæst.* 8. contra Speculatorem qui ad tres vices restringendum putauit. Ratio illorum est, quod cum ius in pignore creditori quæsitum reale sit, ipsum est transitorium de persona in personam, in mille etiam manus. Cæterum in nullo casu licitum erit pignus alteri pignorare pro maiori quantitate, quam sit ea quæ debetur, prout satis indicant idem Angelus *in sequenti*, §. 11. & Sylu. *in eadem quæst.* 8. *sub finem*; quod & æquitas postulat.

De distractione pignorum.

Sectio II.

DE hac re extat Digest. tit. 5. lib. 20. & C. tit. 28. lib. 8. De qua hæc occurrunt notanda ex iure ciuili.

Primum est, creditorem licet dominus non sit pignoris, habere tamen ius alienandi illud elapso tempore solutioni constituto, si debitum non fuerit integre solutum, ex lege Si conuenerit 1. ff. De pignoratitia actione. Idem iudicium est, si omnibus hæredibus nō sit satisfactum, ex lege Solutū, §. Si creditori, eod. tit. Secundum est, ex multis pignoribus obligatis creditorem posse quod voluerit distrahere in solutionem, ex lege Creditoris, ff. De distractione pignorum. Tertium est, eum qui res plures accepit pignori, non teneri vnam liberare, nisi persolutum sit totum debitū, ex lege Qui pignori, ff. De pignoribus. Quartum est, quamdiu debitum non est integre solutum, creditorem habere ius vendendi pignus, ex lege Quamdiu, Cod. De distractione pignorum, quantumcumque modicum restet soluendum, ex lege Debitoris, Cod. Debitorem venditionem pignoris impedire non posse. 604.

Quintum est, cum pignus per venditorem iusto pretio alienatum fuerit, id quod residuum est vltra debitum, restitui debere debitori, ex lege Quamuis, §. fin. De pignoratitia actione; & expressius ex lege fin. §. Sed si quidem, Cod. De iure dominij impetrando. Vbi additur (*quod etiam habetur ex lege Quæ specialiter, Cod. De distractione pignorum, & ex lege Quæsitum, §. Pomponius, ff. eod. tit.*) si pretium pignoris non sufficerit ad totum debitum soluendum, id quod deest creditorem posse iure à debitore exigere.

Sextum est, cum qui creditori loco debitoris soluerit, habere potestatem vendendi pignus, sicut haberet creditor, in cuius locum successit. Hoc habetur ex lege Cum secundus, ff. De distractione pignorum. Non acquirit autem dominium pignoris; sed debitor illud tanquā suum recuperare potest offerendo ei pecuniam pro se solutam, ex lege Si creditor, eod. tit. Ex qua etiam habetur, creditorem posse cogi à debitore, vt sibi cedat actiones, si quas habeat aduersus emptorem ex venditione pignoris; vt si venditum sit cum pacto, vt illud redimere possit restituto pretio, actionem sibi cedat, qua possit pignus ipsum recuperare ab emptore pretio ei restituto.

Septimum est, pignus vendi non posse antequam debitor sit in mora soluendi, ex lege Cum soluendæ, ff. De distractione pignorum.

Octauum est, venditionem pignoris posse contingere in triplici casu. Primus est, quando conuentum fuit, vt illud vendere liceat. Secundus, quando conuentum est, ne liceat vendere. Tertius, quando nihil omnino circa id cōuentum est. Atq; in primo casu, secundum formam conuentam procedendum est in venditione; ita tamen vt ea prius debitori semel denuntietur idoneo loco, & tempore; neque aliter fieri debere monet D. Anton. 2 *par. tit.* 1. *cap.* 15. §. 3. quem sequuntur Tabien. *in verbo Pignus, num.* 5. Excipe autem cum Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *num.* 204. nisi in pacto adiectum sit, vt denuntiatio non sit ad venditioni necessaria: quia tali cōditioni standum est, saltem cum debitor in eam consentit vltro, aut compulsus quidem, sed iusta de causa, vt ad reprimendam contumaciam in non soluendo, quæ in ipso fuerit prius notata. 605.

In secundo casu vero, cum scilicet deductum est in pactum, ne venditio fieret, tunc quoque creditor non obstante pacto vendere potest, alioqui enim ipsum aduersaretur communi bono, tanquam auerrens homines à mutuando; dummodo tamen prius ter admoneat debitorē, prout locis cit. tradunt D. Anton. & Tabienses; expresseq; definitur in lege Si conuenerit prima, ff. De pignoratitia actione. Nec sufficiet quod ea trina monitio fiat vnica vice, sed triduum debet esse inter vnamquamque, ex glossa ibidem, ad verbum *nisi ei*: sequunturque Sylu. *in verbo Pignus quæst.* 10. & Nauar. *in Enchir. cap.* 17. *num.* 204. Addit eadem glossa quod vltra trinam monitionem debeat in hoc casu expectari biennium; cui fauet textus in lege fin. de qua proxime dicetur. Quæ cum ita sint, conuentio, vt creditor non possit pignus vendere, intelligenda est, vt non

vendatur absq; trina denuntiatione facta debitori, quam iuris dispositio requirit. Qua omissa, is qui pignus distraxerit, furti reus constituitur, ex cit. lege Si conuenerit.

In tertio demum casu, cum videlicet nullum appositum est pactum de vendendo, aut non vendendo; potest quidem fieri venditio, sed præmissa denuntiatione, seu monitione, elapsisque duobus annis, prout habetur ex lege fin. §. Sin autem, Cod. De iure dominij impetrando: vbi glossa verbo *ex denuntiatione*, interpretatur de vna denuntiatione; sequunturque Anton. 2. *par. tit.* 1. *cap.* 15. §. 3. *vers.* 3. Angel. *verbo Pignus*, §. 7. Sylu. *eod. verb. quæst.* 10. & post ipsos Nauar. *in cit. num.* 204. Vbi & notat, eam venditionem elapsis duobus annis posse fieri propria authoritate; ante autem fieri non posse nisi authoritate Iudicis. Illud vero biennium, cum debitum fuerit liquidum, computari debet à tempore vnicæ denuntiationis, quando vnica requiritur; quando vero trina requiritur, ab vltima trium, ex Bartholo ad supra citatam legem Si conuenit. Cum autem debitum fuerit non liquidum, idem biennium computabitur à tempore sententiæ, ex glossa ad eamdem legem Si conuenerit.

Cæterum procedunt hæc quoad pignus conuentionale, quod vltro traditur creditori à debitore. Quoad iudiciale vero, quod capitur pro executione sententiæ definitiuæ; itemque quoad prætorium, quod capitur in contumaciam rei non comparentis, seruatur alius ordo cum ad eorum venditionem proceditur; vt videre est apud Molinam *De iust. & iure, tract.* 2. *disput.* 538. *vers. Sicut autem.* Qua in re tanquam proprie spectante ad praxim fori externi, non immorabimur, vt nec (*eadem de causa*) in aliis quæ ibidem sequentib. versibus idem subiungit de venditione rei in pignus datæ pluribus creditoribus: aut plurium rerum datarum in pignus vni creditori, & de obligatione qua creditor qui rem datam in pignus vendidit, tenetur de euictione.

Subiiciendus esset his tractatus de assecuratione, fideiussione, & transactione; sed de prima vix restant addenda ad ea quæ diximus in præced. cap. 12. causa 18. & in cap. 28. à numero 381. & aliquot sequentibus. De secunda, nihil obstare videtur quin ad vitandum nimiæ prolixitatis fastidium contenti esse possimus antedictis in citato cap. 12. causa 2. Si quis plura requirat, poterit recurrere ad Ludouicum Molinam in sæpe memorato tract. 2. à disput. 539. ad 548.

De transactione.

Sectio III.

606. De tertia, cum ad praxim fori externi spectet maxime, contenti erimus pauca monere quæ facere possunt ad nostrum institutum. Reliqua vero qui volet, petere poterit siue ex Iurisperitis ad tit. De transactionibus, qui est decimusquintus in lib. 2. Digestorum, & quartus in libro item secundo Codicis, & trigesimussextus in lib. primo Decretalium: siue ex Summulariis in verbo Transactio; siue etiam ex aliis qui de contractibus scripserunt, præsertim ex Molina in eodem tract. 2. disp. 556. 557. & 558.

Atque primum sit, transactionem esse quandam speciem pacti generatim sumpti: ab eodem vero, prie sumpto differre, ex leg. 1. ff. De transactionibus, quod hoc de se gratuitum sit, & de re certa indubitataque factum, & transactio facta sit de re dubia, necdum per sententiam definita, hinc inde dato & accepto aliquo. Vbi per rem dubiam intelligitur quæcumque in iudicio tractatur, ac super quam lis pendet, aut certe de qua nobis litem esse mouendam, suspicari possumus. Quodque additur, *necdum per sententiam definita*, indicat, non esse locum transactioni postquam lis per sententiam Iudicis finem accepit: nisi adhuc aliquo appellationis remedio, aut alio, posset talis sententia impugnari: tũc enim valet transactio, ex lege Eleganter, §. Post rem, ff. De condictione indebiti. Et quod postremo ponitur (*huic inde dato & accepto aliquo*) indicat transactionem non posse esse gratuitam, sed semper vtrumque transigentium debere in aliquo onerari; nempe, vt vnus litem remittat; & alter eo nomine, aliquid ei det.

Secundum est, transactionem non habere minorem vim, quam rem iudicatam, ex lege Non minorem, Cod. De transact. Quod quidem constitutum esse causa minuendarum litium, intelligitur ex lege Fratris, eod. tit. Sicut igitur res iudicata, neque rescripto Principis, neque prætextu instrumentorum postea repertorum potest retractari: ita nec transactio bona fide semel inita, ex lege Causas, & ex lege Sub prætextu 1. & 2. Cod. ibid. & ex Cap. 1. de transactionib. Dico bona fide, quia si dolo, aut metu grauj transactio facta sit, ea rescinditur, ex ead. lege Sub prætextu 1.

Tertium est, transactionem adeo fauorabilem censeri, *cum sit modus finiendarum litium*, vt Iudex ex officio suo antequam ferat sententiam, litigantes ad illam pro virili inducere teneatur, iuxta Cap. finale, De transactione: nisi causa eiusmodi sit in qua transigere non liceat, vt de beneficio Ecclesiastico, ex cap. 4. & de subiectione spiritali, ex cap. 10. tit. eodem. Ratio vero est, quod cum transactio gratuita non sit, sed fiat aliquo dato & accepto, si de re spiritali fieret, labe simoniæ inficeretur, ex cap. 7. eod. item tit.

Quartum est, transactionem ad alias res, vel personas non extendi, quam illas de quibus nominatim in ea actum est, ex lege Si de certa, Cod. De transact. Et ita qui cum vno curatore vel tutore transegit, non censetur cum aliis transegisse, ex lege 1. eod. tit. Item si iureiurando firmata sit, is qui eam infringit infamia notatur, & actione cadit, pœnæque subiacet, prout habetur ex lege Si quis maior, ibidem.

Quintum est, transigere posse eum qui potest paciscendo alienare. Hinc enim est, quod regulariter procurator transigere non potest, etiamsi liberam habeat agendi potestatem; quoniam aliud est agere, aliud litem decidere, ex lege Transactionis, Cod. eod. tit. & ex Cap. Qui ad agendum, § finali, De procuratoribus in 6. Excipe cum glossa ad eandem legem; nisi vel speciale mandatum ad id habeat, vel in rem suam, vel omnium bonorum sit procurator. Inde quoque est, quod tutores, procuratores fisci, vasalli, administratores ciuitatis, Ecclesiarum Prælati, & alij similes si transigant de iure dubio, id facere non possunt cum rerum immobilium alienatione, aut condonatione, seu remissione iuris liquidi, prout habetur ex lege Præses, eodem titulo.

Atque de contractibus hæc hactenus; ex quibus licet intelligere, quod possit in illis committi, tum peccatum vsuræ, vt cum ob solam dilationem solutionis lucrum accipitur: tum peccatum concussionis, cum aliquid exigitur in mercedem, vltra illud quod ex æquitate debetur; tum etiam alterius iniustitiæ, quoties contigerit vnum contrahentium præ alio grauari: tum demum peccatum immisericordiæ; cum contigerit ad solutionem vrgeri debitorem, qui nequit eam facere sine suo graui incommodo; cum tamen creditor dilationem ei dare possit sine aliquo, saltem notabili.

607.

TRACTATVS VIII.

De quasi contractibus ciuilibus.

608.

Antedictis adiungenda est consideratio nõnullorum quæ propter obligationem quam inducunt, non absimilem ei quæ oritur ex contractibus, dicuntur quasi contractus; qualia sunt officia ciuilia priuata, ex quibus aliqui aliquibus obligantur priuatim, ad obsequium eis exhibendum, idque gratis; quod additur, quia contractus erit locationis operæ, si pro pretio, seu mercede exhibeatur; etsi nihil obstat quin aliquid in remunerationem oblatum, accipiatur, prout explicat Molina *De iust. & iure. tract.* 2. *disput.* 548. *vers. Locatio.* In hoc genere ponuntur, officium mandatarij, & officium procuratoris, de quibus ipse Molina in eadem disput. 548. & quatuor sequentibus: illudq; est quod mandante, hoc vero, quod rogante alio quis suscipit volens. Item officium gestoris negotiorum, de quo idem consequenter

disput.

disput.553.& 554. estque illud quod quis vltro suscipit gerendi negotium alterius,inscio ipso,nec mandante. Itemque officium tutorum,aut curatorũ; quod suscipere compelluntur authoritate publica. De hoc idem ibid. disput. 555.& latius in præcedenti disput.220.& quinque sequentibus, differens de iisdem tutoribus, & curatoribus. Ad quem recurrere debebit is cui non sufficient alias dicta à nobis; maxime in hoc libro cap. 9.à num.141. ad num.153. & in præced.lib.20. num.56. Censeri pariter possunt ciuilia officia publica, esse quasi contractus cum Republica initi. Itemque *(nisi malis vocare semicontractus)* donatio, testamentum, & legatum. Itaque pro plena ratione iudicandi de peccatis in hoc libro nobis proposita, nonnulla adhuc dicenda sunt, tum de officiis mandatarij,& procuratoris: tum de officio gestoris negotiorum: tum de donatione, testamento, & legatis; & ad modum appendicis in complementũ addendum aliquid de dissolutione obligationis,siue ex contractu, siue ex quasi contractu ortæ. De ciuilibus vero officiis publicis particularis tractatus huicaddetur.

CAPVT L.

De officio mandatarii, & procuratoris, ac gestoris negotiorum.

SVMMARIVM.

607 *Quid sit mandatum, & duo documenta de forma mandati.*
608 *Documenta de susceptione mandati, & de eiusdem reuocatione, & de obligatione mandatoris suppeditandi necessaria ad mandati executionem.*
609 *De cessatione mandati per mortem mandatoris, aut mandatarii, & de qua culpa teneatur mandatarius: ac de mandato contra bonos mores.*
610 *Definitio Procuratoris.*
611 *Procurator alius est ad lites, & aliud ad negotia, & quæ ætas in illis requiratur.*
612 *Procuratoris legitime constituti authoritas.*
613 *Duæ obligationes gestoris negotiorum.*
614 *Duæ actiones eisdem respondentes.*
615 *De quibus teneatur negotiorum gestor.*

DIGESTIS lib. 17. & Cod. lib. 4. titulus habetur Mandati, vel contra: habetur item De procuratoribus Digestis lib. 3. & Cod.lib.2. ac in Decretalibus, tam nouis, quam antiquis libro primo; habetur demum De negotiis gestis, ff.lib.3. & Cod. lib.2. Ad vitandum autem prolixitatis nimiæ fastidium, de singulis attingemus paucis aliquot documenta accommodata ad nostrum institutum.

Documenta de officio mandatarii.

SECTIO I.

607. PRIMVM est, mandatum nihil aliud esse quam officium, siue ministerium quod ab aliquo gratis exhibẽdum suscipitur in gratiam solius mãdantis, vel illius simul & mandatarij, vel in gratiam alicuius tertij, ex lege 2. ff. Mandati. Pro huius pleniore intelligentia videndus est Molina in citato tract.2.disput.548. vbi,*vers.Locatio autem*, monet illud 9. in ea definitione indicatur;ad officium mãdatarij spectare, vt ipsum gratis exhibeatur; non obstare quin exhiberi possit spe remunerationis accipiendę. Nam & cum sic exhibetur, censetur gratis exhiberi; quãdoquidem mandator tunc etiam ad compensationem obsequij sibi exhibiti, non est aliter obligatus, quam ex gratitudine: sique voluit se obligatum ex iustitia, non mandauit proprie,sed conduxit pretio operam alterius.

608. SECVNDVM est, vt gesta per mandatarium sint valida, requiri, vt is seruet formam mandati: quia paria sunt, præter,vel citra mandati formam, & cõtra eam agere; vnde si non seruet, nihil præiudicabit mandanti: sed si quod damnum inde sequatur, tenebitur illud resarcire, ex lege 3.4.& 5.ff.Mandati: tenebiturque emptori de euictione, si mandator rem suam taliter alienatam sibi vendicet, prout posse,habetur ex lege Cum mandati,Cod.eod.tit.De qua re Molina disput.552. Aduerte vero ad mandatorẽ nihilominus pertinere commodum profectum seruata forma mandati, ex §. Is qui exequitur, Institut. De mandato, & ex lege Diligenter, §. finali,ff. eodem titulo. Exemplum est,si mandaui tibi vendere equum meum centum, & tu vendidisti centum & decem: aut si mandaui tibi equum emere mihi pro centum, & emisti pro nonaginta, illud emolumentum meum est.

TERTIVM est,quod colligitur ex lege 3. & 46.ff.Mãdati. Quando certa mandati forma præscripta non est, si mandatarius rem bona fide rationabiliterq; gerat, mandator ei perinde obligatur, ac si certam formam præscripsisset, quam seruasset. Itaque in tali casu,si mandatarius rem mandatoris vendat credita pecunia: & attentis circumstantiis id rationabiliter,prudenterque factum appareat,idipsum debebit idem mandator ratum habere.

QVARTVM est,quod habetur Institutis De mandato, §.11. his verbis: mandatum cuilibet suscipere liberum est; susceptum autem consummandum est,aut quamprimum renuntiandum: vt per semetipsum, aut per alium, eamdem rem mandator exequatur. Nam nisi ita renuntietur, vt integra causa mandatori seruetur eamdem rem explicandi: nihilominus mandati actio (ad damna scilicet omnia ideo subsequuta, quod sua culpa mandatum non impleuerit) locum habet; nisi iusta causa interceserit, aut nõ renuntiandi, aut intempestiue renuntiandi. Hæc ibi. Circa quæ videndus est Molina *in citata disput.552. art.2.*

QVINTVM est, mandatorem posse re integra reuocare mandatum, hocque reuocatum euanescere. Ita habetur ex præced.§.9.Instit. Indeque Molina *ibidem,vers.Mandator*, colligit argumento à contrario sensu, re non integra,seu negotio inchoato, reuocare non posse, si ex reuocatione ei cum quo negotium inchoatũ geritur, vel mandatario damnum proueniat; nisi forte iusta aliqua causa excuset iudicio prudentis. Cæterum si damnum non proueniat, nihil est cur negetur posse mandatorem, re etiam non integra,reuocare mandatum suum, quandoquidem actio mandati datur ad interesse; sique hoc non sit,nec illa datur,ex lege Si procuratorem,§.Mandati,ff.Mandati.

SEXTVM est, mandatarium si expensas aliquas faciat post mandati reuocationem siue expressam, siue tacitam, quam ipse probabiliter ignorauerit, posse eas recte à mandatore exigere, §. Item si, Institutis De mandato; quia iusta alioqui & probabilis ignorantia damnum illi afferret. Vbi aduerte *(quod habet Molina disput.549.vers.Simili modo)* celebrato mandati contractu,ex parte mandantis resultare obligationem soluendi mandatario si quid expenderit in mandato exequendo; contribuendique ei necessaria ad mandati executionem, quando nõ fuerit aliud expressum; itemque soluendi eidem, si quid in gratificationem promisit dum contractus mandati celebrabatur. Hæc ille; quibus addit quædam pro foro externo.

SEPTIMVM est,mandatum expirare morte mandantis,si res sit integra,ex §. proxime citato, & ex lege Mandatum,Cod. Mandati: adde & morte mãdatarij, cum par sit conditio contrahentium. Vnde per argumentum à contrario sensu.si res integra nõ sit, sed negotium peragi cœperit: neq; mandantis, neque mandatarij morte mandatum expirare: sed mandatarium posse, & teneri illud prosequi dum manet superstes: aut eo mortuo, ipsius hæredes, prout annotat Molina *in fine* memoratæ disputationis. 609.

OCTAVVM est. Quando mandatum in solius mandantis vtilitatem suscipitur nulla expectata mercede: mãdatarium teneri tantum de lata culpa. Quando vero suscipitur in vtilitatẽ quoq; mandatarij, is tenetur etiam de leui culpa, secundum communes iuris regulas: nõ autem de leuissima, nisi forte res mandata requirat exactissimam diligentiam: ad quem casum restringenda sunt iura quorum meminit Molina *in eadem disput.549.vers. Exquanta.*

NONVM est, mandatum quod est cõtra bonos mores, nõ esse obligatorium. De hoc pluribus Molina *disput.550.* pro foro externo. Pro interno facit quod ibid. initio habet,mandatum generale ad omnia, non extendi ad illicita. Et si quid mandatarius accepit pro re illicita patranda,

teneri

teneri non implere mandatum: & si quid acceperit eo nomine, teneri illud restituere danti, nisi mãdatum iam impleuerit: tunc enim tanquam is qui satisfecit cõuentioni, potest illud retinere, dummodo sit pretium moderatũ, & quod nõ excedat limites pretij iusti pro tali re exequenda.

Documenta de officio procuratoris.

SECTIO II.

610. PRIMVM est, procuratorem, *ex lege prima, ff. De procuratoribus*, esse qui aliena negotia mandato domini administrat. Circa quod aduerte administrantem sua negotia, non censeri procuratorem, sed dominum. Et quod aliquãdo in iure, *vt in lege Si quis in rem, ff. De pignoribus*, dicatur ꝓcurator in rem suam; non esse sic accipiendum, quasi ad officium procuratoris spectet etiam proprium negotium tractare; sed quod interdum spectet alienum tractare in suam vtilitatem: vt cum dominus ei ius suum & actionem cessit. Aduerte etiam ex ea definitione intelligi procuratoris differentiam à multis aliis, qui negotia administrant; vt à negotiorum gestore, tutore, & curatore, ac syndico, aliisque similibus. Eo enim ipso quod procuratoris est aliena administrare mandato domini, distinguitur à negotiorum gestore, qui absque mandato administrat: & à tutore & curatore, qui non domini mandato, sed publica authoritate legis, aut Magistratus aliena administrant: ac demum à syndico, qui mandatum habet quidem, non tamen à priuata persona, sed ab vniuersitate, cuius negotium gerit. In quo sufficiens differentia consistit ad constituendum titulum diuersum: vt ex eo patet, quod Digestis præter titulum de procuratoribus, alius proxime subiungatur; Quod cuiusque vniuersitatis nomine, vel contra eam agatur.

611. SECVNDVM est, aliena negotia tractari posse, vel in iudicio, vel extra iudicium: ideoque fieri, quod distinguatur procurator, vt alius sit ad lites, qui causam alterius de ipsius mandato sollicitet in iudicio, persequaturque: alius vero sit ad aliena negotia gerẽda extra iudicium. Siue hũc autem, siue illum, constituere potest tantum rei vel litis dominus; nec constitutus potest pro se alium constituere, ex lege Quod quia, Cod. De procuratoribus: nisi quod lite iam contestata tutor & curator possint suo loco procuratorem ad lites constituere; ex lege Neque, eodem tit. Neuter vero eorumdem procuratorũ cogitur inuitus tale officium suscipere, ex lege Inuitus, eodem etiam titulo. Vbi autem susceperit, non potest, *nisi res adhuc sit integra*, renuntiare, nec dominus ipsum ab officio remouere, iuxta legẽ Procuratoribus, & legẽ Nulla, eodem quoq; titulo.

TERTIVM est, procuratorem ad negotia debere esse minimum 17. annorum; ad iudicia vero vigintiquinq; annorũ, ex Cap. Qui generaliter, De procuratorib. in sexto.

612. QVARTVM est, procuratoris legitime constituti authoritatem hãc esse, vt quidquid ab eo fit, à domino censeatur factum, nisi mandati fines excedat; ex lege Si procurator, Cod. eodem tit. Et ratio est, quod procurator aliquid agẽs in negotiis, siue in iudicio, siue extra iudicium, agit nomine & loco eius cuius est procurator. Pro quo faciunt quæ habet Molina *disputatione* 551. Aduerte vero, ex Cap. qui ad agendum, § finali De procuratoribus in 6. etiamsi quis generale mandatum ad lites acceperit, eum tamen nõ posse absque speciali domini mandato iuramentum deferre, nec transigere, vel pacisci; nisi bonorum, vel causæ administratio libera sit ei concessa; vt censetur, *ex glossa finali ibid.* tum quando concessa est specialis facultas ad tale quid: aut generalis & libera administratio data est procuratori: aut concessa est in rem vtilitatem ve suam.

QVINTVM est. Procuratorem ad negotia posse libere alium ad ea deputare, ex cap. 1. §. finali, titulo cit. Sed tamen si aliquod damnum ex substituto obuenerit domino, prior procurator tenebitur ei, & posterior procurator priori, prout habet Molina *in fine citatæ disput.* 551. per legem Si procuratorem, §. Si quis mandauerit, ff. Mandati Ex quo loco habetur procuratorem ad lites posse quidem actorem, non tamen procuratorem instituere sine speciali domini facultate, nisi lite iam contestata, id est, negotio iam cœpto tractari in iudicio de consensu partis. Atque de procuratore ad lites in sequent. cap. 56. plenius. De procuratore autem ad negotia iam dictis adde, ad ipsum pertinere quæ ante præscripta sunt de mãdatario; quandoquidem procurator mandatarius quidam est; procuratioque mandato continetur, tanquam species suo genere.

Documenta de officio gestoris negotiorum.

SECTIO III.

613. PRIMVM est; inter procuratorem & negotiorum gestorem differre tantum ꝙ ille de mandato domini negotia administret, & hic administret sine tali mandato, tanquam voluntarius quidam procurator: ex eo habens authoritatem, quod ipsa rei natura bonumq; commune postulet, ne res & negotia absentium detrimentũ patiantur. Quia vero æquum est, tam ei qui talia negotia gessit, expensas ea de causa factas refundi; quam ei pro quo gessit, rationem expensi & recepti reddi, obligatio vtrinque oritur. Ex parte quidem gestoris negotiorum, ad reddendam rationem eorum quæ gessit: & ad soluendum si quid ad ipsum ex negotio gesto peruenit, siue sint fructus rei administratæ, siue quid aliud, vel si quid periit culpa ipsius: vel lata, si negotia essent deserta, quæ nullus alius erat gesturus, *ex lege 3. §. Interdum, ff. De negotiis gestis*; vel etiam leui, *ex lege Tutori, Cod. eod. tit.* Ratioque est, quia is qui alterius negotia suscipit, diligentiam suam & industriam promittere censetur, quam proinde ordinariam adhibere tenetur; niq; faciat, culpam, de qua loquimur, leuem admittet.

Ex parte vero illius cuius gestum est negotium obligatio oritur, soluendi expensas in bonum ipsius factas, non tamen superfluas; ex lege Si quis negotia 2. ff. eodem tit. In quarum expensarum numero comprehendi valorem industriæ & operarum positarum, expressit Molina *in disput.* 553. *non longe ab initio.* In sequenti disput. 554. parte priore differens pluribus de iisdem expensis in particulari. 616.

SECVNDVM documentum est. Duplici memoratæ obligationi respondere duplicẽ actionem negotiorũ gestorum: vnam directam, quæ competit domino aduersus negotiorũ gestorem, vt rationem reddat administrationis suæ: alteram cõtrariam, quæ competit ei qui aliena negotia absque mandato domini sponte gessit animo repetendi ea, quæ vtiliter in talia negotia impenderit. Aduerte vero, si donandi animo impenderit, non posse illa repetere; qui quidem animus plerumque præsumitur in personis coniunctis, vt cum mater in petendis filio tutoribus sumptum facit, ex lege 1. Cod. De negotiis gestis: & cum pater filio, vitricus priuigno, vir vxori, alimenta suppeditat, ex lege Alimenta, lege Si paterno, & lege Si vxorem, eodem titulo. Cuiusmodi præsumptioni locus non est pari ratione, quoad ea quæ impenduntur in ipsarum personarum coniunctarum rebus, bonisq; conseruandis; ex cit. lege Alimenta, in fine, & sequenti lege Si filius: nec est item quãdo negotiorũ gestor protestatus est se repetere velle quod suppeditauit, ex lege Nesennius, ff. De negotiis gestis. Et ratio est, quia præsumptioni locus non est, vbi aperte constat de contraria veritate. Pluribus de his Molina *in memorata disput. 554. à vers. Vt intelligatur, vsque ad finem.* 614.

TERTIVM documentũ est. Quando multa negotia occurrunt quæ gerantur, & aliquis vnum eorum gerit reliquis omissis, quæ à nullo geruntur, non teneri de iis quæ non gessit: nisi in causa fuerit cur omitterentur; satis aduertẽs præsto esse qui omnia gereret, si ei omnia relinquerentur. Ratio est, quod negotiorum gestori liberum sit incumbere iis quæ voluerit, & alia nõ curare. In quo distinguitur à tutore, & ab aliis qui ex officio, aut susceptо mandato tenentur bona omnia alicuius administrare. De qua re Molina *disput. 553. vers. Vtrum autem.* In sequenti admonens, quando quis putans gerere negotium vnius, gerit negotium alterius, actionem negotiorum gestorum interuenire inter ipsum & hunc, non autem illum, ex lege Liberto, §. 1. ff. De negotiis gestis. 615.

QVARTVM est, *quod habet Molina in seq. disput. 554. paulo ante medium.* Quando aliquis gessit negotia nomine alterius,

terius, qui nec talia gerere consueuit, nec gessisset si præsens fuisset (*vt si emit equos ad negotiationem, nomine eius qui non consueuit tale quid facere, nec fecisset si præsens fuisset*) torum gestum tribui gestori; non autem ei cuius nomine gestum est: nisi hic idipsum ratum habeat. In quo casu lucrum ad eum spectabit, ac debebit expensas omnes soluere. Non posset vero, si multa negotia gesta essent ipsius nomine, quædam in quibus lucrū cerneretur, rata habere: & quædam in quibus damnum comperiretur, nōn habere rata: sed tenetur rata habere omnia, aut nullum. Pro quibus facit lex Si negotia, ff. De negotiis gestis.

CAPVT LXI.

De Donatione.

SVMMARIVM.

616 *Spectantia ad rationem donationis.*
617 *Requisita ad validitatem donationis.*
618 *Retractari non potest ex mera pœnitentia donatoris, & diuisio illius in puram, & mixtam.*
619 *Alia diuisio in eam quæ est inter viuos, & in eam quæ est causa mortis.*
620 *De donatione à patre facta filio existenti sub ipsius potestate.*

DE hac in Decretalibus habetur titulus 24. lib. tertij, & titulus 20. lib. 4. In Institutis titulus 7. lib. 2. In Digestis titulus 5. & 6. lib. 39. In Codice titulus 3. & 16. lib. 5. & titulus 54. 55. 56. & 57. lib. 10. Multis inter recentiores de eadem agit Lud. Molina de iust. & iure tract. 2. à disput. 273. ad 293. Quæ ad iudicium nobis propositum necessaria videntur, comprehendemus aliquot documentis.

616. PRIMVM est, ex lege Senatus, § 1. ff. De mortis causa donationibus; donationem dici quasi doni dationem, eoque nomine significari tunc solum, eam locum habere cum datio ex liberalitate procedit: quandoquidem aliunde procedēs non habet doni rationem. Atque ita donatio definitur, actus liberalitatis quo quis rem aliquam in alterum acceptantem alienat gratis. Vbi aduerte primo, ad donationem requiri tam dantis, quam accipientis cōsensum liberum, siue expressum, siue etiam tacitum, qui ex coniecturis colligitur. Neque enim inuitus, aut ignorans donat, ex lege 10. Cod. De donationibus, inuitoque beneficium non datur, vt habet regula 69. iuris, ff. Adde nec ignoranti. Ideo enim si quis infanti donare velit, id per seruum ipsius fidelem transigi debet; qui pro eo accepter, ex lege 26. Cod. De donationibus. Ideo item, si absens absenti aliquid donauerit, non ante perfecta erit donatio, quam de ea certior factus donatarius voluntatem suam ac consensum declarauerit; argumento legis sextæ, ibidem. Et ratio est, quia donatio requirit coniunctionem consensuum dantis & accipientis, nec in id quod ignoratur, consensus præbetur.

Aduerte secundo, rem quæ donatione in alium alienatur, esse posse tum corporalem, vt domum, fundum, equum, &c. tum incorporalem, vt iura, actiones, nomina debitorum, nonnullaque alia. Sic donatio est, si actionem furti, aut aliam quam in te habeo, remisero, ex lege 18. Cod. eod. tit. Item si nomina debitorum meorum gratis in te transtulero, ibid. lege 2. Item si ius aliquod meum in te transferam: siue sit in re, siue in spe, & ex conditione pendens, ex lege 3. adhuc ibidem.

Aduerte tertio, ad donationem spectare, vt gratis fiat. Nam si fieret ea mente vt donatarius obligetur ad aliquid eo nomine refundendum, non esset donatio seu beneficium; sed creditum aut permutatio. Non refert tamen, quod ex ea speretur remuneratio: quoniam hæc non est compensatio debiti ex iustitia: sed vere est donatio ex liberalitate procedens, & simul ex gratitudine, quæ nō tollit rationem donationis. Vnde est, quod in iudicio non detur actio in donatarium, eo solo nomine ingratū, quod non remuneret: sed solum quod non modo non remuneret, sed etiam donatorem afficiat aliqua atroci iniuria. In quo casu Iustinianus Cod. De reuocandis donationib. lege vltima, dari voluit actionem ad reuocandam donationem. Quodquidem approbatur in Cap. finali De donationibus. De vario genere donationis remuneratoriæ vide Molinam disput. 292.

617. SECVNDVM documentum est, quod ad validitatem donationis requiratur primo, vt res quæ datur, sit propria: nam aliena donari potest quidem, non tamen, *vt nec vendi* valide; seu transferendo dominium, ex lege 14. 21. & 24. Cod. De donationibus. Secundo, requiratur, vt is qui donat, liberam habeat potestatem alienandi rem quam donat: qui enim subsunt alterius potestati, quoad aliquius rei alienationem, nequeunt eam valide facere, sine eorundem consensu: siue nisi quantum intellexerint esse ipsorum voluntatem. Tales sunt illi qui eadem de causa contrahere nequeunt propria authoritate, de quibus egimus in præced. cap. 9 & in lib. 4. cap. 22. explicando à quibus eleemosyna corporalis possit fieri. Tertio, requirantur omnia, quæ sunt necessaria ad validam promissionem de quibus videndum est caput sextum huiusce libri. Quarto, requiratur vt traditio rei interueniat. Nam, *vt habetur lege 20. Cod. De pactis*, traditionibus & vsucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur. Sufficere autem eam quæ iuris fictione, *iuxta antedicta cap. 1. nu. 12.* vim habet veræ traditionis, ex eo constat, quod in beneficiis seu donationibus, *tanquam profectus scilicet ex animo plane liberali*, interpretatio plenissima facienda sit, ex Cap. Cum dilecti, in fine, De donationibus.

Iam ad donationis validitatem nulla solemnitas requiritur (*ex lege vltima, Cod. De donationibus*) præter insinuationem, si donatio ipsa quingentos aureos excedat, ex præcedenti lege penult. Ne quisenim facile vltra modum liberalis esset, aut via pateret confictis donationibus, constitutum est lege, tam immensas Iudici competenti insinuari, & in acta publica redigi: etiamsi fierent inter personas coniunctas, ex lege 25. 27. & 32. Cod. De donationibus. Pluribus differentem de donis quæ insinuatione indiget, aut quæ non indigent: & quid tenendum sit de donatione facta omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum, vide Molinam disput. 278. 279. & 280.

618. TERTIVM documentum est, donationem rite valideque perfectam non posse ex mera donatoris pœnitentia retractari, ex lege 2. 3. & 4. Cod. De reuocandis donationibus; exceptis tamen duobus casibus, quorum prior est, quem ante attigimus, cum donatarius atrocem iniuriam fecit donatori, posterior vero, *qui habetur ex lege Si vnquam, eodem titulo*, cum quis non habens liberos, omnia sua bona, aut magnam eorum partem alicui largitus est. Si enim postea liberos suscipiat, totum quod largitus est, repetere poterit. Vide Molinam disput. 281. 282. & 283.

QVARTVM documentum est, donationem aliam dici puram, seu nudam, tanquam eam cui nihil extrinsecum appositum est, & aliam mixtam, seu vestitam, tanquā eam cui ad instar vestis apponatur, vel tempus futurū, vel conditio, vel modus, vel demonstratio, vel causa: ita vt quædam dicatur facta cum additione in diē, seu tempus futurū: quædam sub cōditione, quædam sub modo, vel demonstratione, & quædam ppter causam. De pura autē nihil peculiare occurrit proxime dictis addendum. De facta cum additione in diē, iudicandum est secundum ea quæ in præced. n. 299. dicta sunt de vēditione cum pacto additionis in diem. De reliquis autem, per ea quæ de conditione, modo, demonstratione, & causa contractui apponi solitis dicta sunt in huiusce libri cap. 5. addere poterit qui volet, tradita per Molinam in disput. 284. 285. & 286.

619. QVINTVM documentum est, *Institutis De donationibus*, § 1. Donationem in genere diuidi adhuc in eam quæ dicitur donatio inter viuos, & in eam quæ dicitur donatio causa mortis: eo quod scilicet donator hanc (*nonitem illā*) faciat adductus cogitatione mortis, aut periculi eiusdem. Vnde sequitur differentia posita in lege 1. & in lege 35. §. 2. ff. De mortis causa donationibus; quod in donatione mortis causa, donator malit se habere rem, quam donatarium: & hunc malit, quam suum hæredem eam hābere. In donatione vero inter viuos, malit donatariū eam habere, etiam quā semet. Est & alia differētia; quod donatio inter viuos egeat insinuatione, si excedat præfinitam

à iure

à iure quantitatem, cuius meminimus sub finem præcedentis documenti secundi. Donatio vero causa mortis, ad instar legati & vltimæ voluntatis, non egere insinuatione vt valida sit, quantumuis excedat summam à iure definitam: dummodo fiat coram quinque testibus, ex lege finali, Cod. De donationibus causa mortis. De quare Molina disput. 288. circa initium.

ADVERTE autem donationem causa mortis factam cum pacto de non reuocando; seu cum promissione de non contraueniendo illi, transire in donationem inter viuos, ex lege Vbi ita donatur, ff. De mortis causa donationibus: vbi ratio hæc tangitur; quod tunc mors censeatur potius causa impulsiua, quam finalis. Quod si aliunde certo constaret donatorem voluisse nihilominus donare tantummodo causa mortis: pactum de non reuocando adiectum habendum esset pro non appositio, tanquam repugnans naturæ talis donationis. Etenim de ratione donationis causa mortis, est, vt rata sit quidem, morte donatoris secuta, tanquam cũditione impleta; sed ante mortem eius reuocari possit, eiusdem pœnitentia, mutationeve voluntatis, qua rem taliter donatam repetat, aut alteri doneț: ex lege 30. ff. eodem tit. De qua donationis specie qui plura volet, videre poterit Molinam disput. 287. & 288. vt & de donatione inter coniuges, & donatione propter nuptias disput. 289. & latissime Thom. Sanchez in lib. 6. de matrimonio.

610. DE DONATIONE à patre facta filio existẽti sub ipsius potestate, idem Molina disput. 291. De qua nobis sufficiet illud attingere: eam inualidam esse, nisi facta sit cum rei traditione; adhucque traditione facta, patri interim dum viuit integrum esse eam reuocare: quod si non faciat, cõfirmari morte ipsius, ac fieri omnino validam, & retrotrahi ad tempus in quo facta fuit traditio: ita vt cum re donata fructus ex ea percepti ad filium donatarium pertineant; nisi donatio facta sit sine insinuatione, & donum tantæ quãtitatis sit vt excedat eam, in qua sola permissum est sine insinuatione donare. Tunc enim donatio, morte patris quoad excessum nõ confirmatur; nisi ipse in extremis positus eam confirmet: quo casu valebit quidem, etiam quoad excessum: non tamen vt donatio, sed vt legatum, *quod insinuatione non indiget*, ideoque non retrotrahetur quoad eumdem excessum; hoc est, si qui fructus inde prouenerint à tempore traditionis vsq; ad mortem patris, ij nõ spectabunt ad filium donatarium. In his communiter Doctores conuenire aliquot citatis, & additis legibus quibus nituntur, habet in Molina *in eadem disput.* 291. Qui de cæteris quæ spectant ad donationem filio factam à patre, videri potest, tum ibidem, tum in aliis disputationibus quas ipsemet illic commemorat. Ea enim hic persequi nimis longum esset, nec necessarium: cum tractari soleant maxime in foro externo, ideoque de eis respondere debeant ex professo Caufidici; vt & de iis quæ pertinent ad testamentum & legata, quæ donationes quædam sunt: de quibus proinde cõsequenter dicturi; pauca tantum attingemus, relinquentes tractationem eorum amplam videndam apud eundem Molinam de iust. & iure tract. 2. à disput. 124. ad finem vsquẽ: aut apud Summularios, præsertim Syluestrum in verbo Testamentum, & in verbo Legatum.

CAPVT LII.

De Testamento & Legato.

SVMMARIVM.

621 *Definitio testamenti.*
622 *Illius diuisio in testamentum in scriptis, & in testamentum nuncupatiuum: & solemnitas, quæ diuersa in illis requiritur.*
623 *Quomodo intelligendum sit quod in iure canonico reprobatur illud, quod ciuile præscribit de septenario numero testium.*
624 *Qui testari non possint.*
625 *Qui hæredes, aut legatarii institui possint, quique non possint. Deque spurio documenta quædam.*
626 *Quid possit is qui institutus est hæres.*
627 *Quibus incommodis sit obnoxius.*
628 *Quid & quotuplex sit substitutio, as de vulgari, pupillari, & exemplari.*
629 *De fideicommissoria.*
630 *De reciproca & de compendiosa.*
631 *De legatis, quod non obstent quin ab hæreditate detrahi possit Falcidia.*
632 *Aliquot euentus in quibus detrahi non potest.*

INTER donationes causa mortis constituitur vltima voluntas; quæ est gratuita dispositio de bonis in tempus sequens mortem disponentis; atque vltimæ voluntatis præcipua species est testamentum: de quo ac de aliis vltimis voluntatibus in iure ciuili multis agitur. In iure canonico vero habetur de eo in lib. 3. Decretalium titulus 26. Nos documenta aliquot trademus accommodata ad nostrum institutum.

Quid sit testamentum.

PRimum est (*de quo Molina in cit. disput.* 124.) Ex lege 1. ff. 621
De testamentis, iuncta glossa, hanc testamenti definitionem haberi, quod sit voluntatis nostræ iusta sententia, de eo quod post mortem nostram fieri volumus, cum hæredis institutione. Cuius definitionis prima pars, tanquam genus, ostendit quod commune est testamento cum contractibus, & donatione inter viuos: nimirum esse voluntatis decretum, exterius prolatum, requirens ad validitatem, vt sit iustum. Nam iniquum non valet, vt illud quo sine iusta causa exhæredatur filius, ex Cap. Si quis 13. q. 2. aut quod est contra bonos mores, aut pietatem, vel verecundiam; iuxta legem Conditiones, & legem Filius, ff. De conditionibus institutionũ. Secunda pars (*de eo quod*, &c.) 623
separat testamentum à donatione inter viuos. Reliqua vero pars, *cum hæredis institutione*, separat ipsum à reliquis vltimis voluntatibus, in quibus hæredes non instituuntur, sed legata seu donationes ab hærede præstandæ, relinquũtur tantum: aut aliud quidpiam testamento accessorium, disponitur; vt fit per codicillum (*de quo Molina differit in disput.* 131. & 132.) in vsu positum, ad aliquid in testamento explicandum, vel mutandum, addendum, vel detrahendum; vel ad legata instituenda, vel ad faciendam substitutionem fideicommissoriam, seu qua quis ab hærede quẽ testamento prius instituit, vel qui debet succedere ab intestato, exigit vt tertio quem substituit, relinquat hæreditatem.

Aduerte obiter inter testamentum, & codicillum, præter iam dictam ex tradita definitione collectam, plures alias differentias assignari; de quibus videri potest Syluester in verbo Testamentum 1. num. 2.

Quotuplex sit testamentum, & quam solemnitatem requirat.

SEcundum documentum est; duplex testamentum distingui? vnum solitum dici testamentũ in scriptis; quia aliter fieri quam in scriptis, eo quod conditor velit tabellionem, & testes latere quid in eo contineatur: vnde vocatur etiam testamentum clausum. Alterum vero solitum dici nuncupatiuum, eo quod voce coram testibus nuncupetur, seu declaretur quid in eo contineatur, quidve testator post mortem suam fieri velit; quod etiam inde consueuit dici testamentum apertum. 622 624.

Hæcita annotans Molina *initio disput.* 125. ista addit de solemnitate ad prius necessaria iure communi post confectam & clausam scripturã, in qua voluntas testatoris contineatur, adhiberi debent 7. testes masculi, liberi, aut qui liberi reputentur, puberes, ac pinde qui 14. annũ compleuerint, ac rogati, hoc est, ad id vocati seu inuitati: coram quibus testator vno eodemq; tempore dicat, ac manifestet illud esse suum testamentũ; illudq; propria manu subscribat, si sciat, & possit: sin minus, adhibendus est octauus testis, qui loco eius illud subscribat. Deinde illud subscribere debent vno & eodem tempore septẽ illi testes, ac singuli subsignare, siue annulo, aut sigillo proprio, siue alieno:

suffi-

sufficitq; vt omnes illud eodem annulo signent, ex lege. Hac consultissima, Cod. De testamentis, & Institutis eod. titulo, §. Sed cum paulatim, & sequentibus. Atq; non valere tale testamentum, si is qui illud scripsit, in eo constituatur hæres: nec item legatum ipsi factum, idem Molina addit citatis legibus, simulque admonens, non ita id contingere in testamento nuncupatiuo: quia contenta in eo coram testibus manifestantur, & ideo cessat omnis præsumptio falsitatis.

Addit porro, *initio disput.* 126. quoad solemnitatem de iure communi requisitam ad nuncupatiuum testamentum; eam necessario requirere, vt septem sint testes, masculi, liberi, aut liberi reputati, puberes, rogati, qui simul conueniant, & audiant, ac intelligant testatoris voluntatem, vel scriptam, vel viuâ voce prolatam: si voce tenus absq; vlla scriptura testamentum condatur. Id quod habetur ex ante citata lege, §. Per nuncupationem, & ex §. vltimo, Instit. eod. titulo. Cætera quæ aliquot sequentibus disputationibus memoratus author persequitur, tanquam propria fori externi relinquere possumus apud ipsum videnda; non enim est instituti nostri omnia persequi, sed quæ videantur satis esse ad iudicium de peccatis. Quale est de talibus solemnitatibus nosse quatenus obligatio in conscientia detur seruandi illas. De qua re quid tenendum videatur iam tradidimus in præced. numero 105. Quomodo autem accipiendum sit, quod memorata solemnitas reprobari videatur in Capit. Cum esses, De testamentis, apud eundem in disput. 133. habetur explicatum, & consequenter disput. 134. tractatum illud quod ibidem in Capit. Relatum 1. statuitur, eandem solemnitatem non esse necessariam in testamento, aut legatis ad pias causas.

623. Tantum monebimus duo: vnum est illud quod in cit. Cap. Cum esses, Pontifex statuit: præscriptum memoratum de septenario testium numero, ad validitatem testamẽti necessario iure ciuili; alienum esse à lege diuina, & generali Ecclesiæ consuetudine; non esse ita accipiendum, quasi peccatum sit plures quam duos, vel tres testes adhibere in testamẽto: eo quod dictum sit Deuter. 19. In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Nam in eodem capitulo præter duos, vel tres testes, requiritur præsentia Parochi tanquã illis superaddita. Sensum vero esse posse, quod quamuis id nõ sit contra, esse tamen præter legem diuinã, & generalem Ecclesiæ consuetudinem, quarum neutra statuit tantum numerum testium requiri ad testamenti validitatem: sed contenta est duobus, vel tribus. Alterum est, ideo Pontificem per memoratum Cap. Relatum, derogare potuisse legibus ciuilibus, quod potestatis Ecclesiæ sit, actiones hominum ordinare ad finem supernaturalem, qui est salus animæ: & consequenter tollere omnia quæ bonorum operum ad salutem pertinentium, studium cursumq; impediunt, vt tales leges impedire censeri possunt.

Qui non possint testari.

624. TERTIVM documentum, *quod Molina De iust. & iure, tract. 2. persequitur disput.* 138. *& aliquot sequentibus*, est; cum actus testandi sit humanus, & ex se licitus; qui vel carẽt rationis vsu, vt infantes, amentes, & alij qui nondum pollent vsu liberi arbitrij plene deliberato; vel quamuis polleant eo sufficienter, iuris tamen dispositione prohibentur testari. Inter quos sunt. Primo impubes, id est, masculus ante 14. & fœmina ante 12. annum expletum, ex lege A qua ætate, ff. Qui testamenta facere possunt; vbi additur; tempus illud debere esse completum, ita tamen, vt sufficiat vltimum diem esse inchoatum. Secundo, surdus simul & mutus à natiuitate, aut qui talis est ex morbo, neque scit scribere, Institut. Quibus non est permissum facere testamentum, §. Item surdus, & Codic. Qui testamenta facere possunt, vel non, lege Discretis. Tertio, filiusfamilias, qui cum de bonis suis castrensibus, aut quasi castrensibus (*seu quæ aduenerint illi eo quod militiam, aut officium publicum gerat*) liberè disponere possit: non vero de cæteris, quæ aliunde ei aduenerint; potest quidem de illis testari, non tamen de his, Instit. In principio: & Codice, lege Senium, & lege penult. titulis ante memoratis; quibus accedit Cap. Licet, De sepulturis in 6. Vbi aduerte obiter, per Authenticam Presbyteros: Cod. De Episcopis, & Clericis: quæcunque bona filiofamilias aduenerint post adeptum Clericatum, sortiri rationem bonorum quasi castrensium: ideoque ipsum tanquam habentem illorum liberam administrationẽ, posse de eis testari. Quarto, prodigus cui interdicta est à Iudice bonorum suorum administratio. Quanquam si ante confeciſſet testamentum, ipsum esset validum; Institutis, §. Quibus non est permissum facere testamentum, §. Prodigus. Quinto, seruus, seu mancipium; de quo vide Molinam disputatione 137. sub initium. Sexto, criminosus, cuius crimini annexa est pœna, quâ ipso facto intestabilis est, vt is qui Cardinalem, hostiliter insecutus est, vel eum cœpit, aut percussit: aut ad aliquid talium est cooperatus, ex Cap. Fœlicis, De pœnis in 6. Item hæreticus, ex lege Manichæos, §. Ergo. Cod. De hæreticis. Itemq; hæreticoru credẽtes, receptatores, defẽsores, & fautores, si quis eorum intra annum, ex quo est excommunicatus non satisfecerit; ex Authentica Credentes. Cod. eod. tit. & ex Capit. Excommunicamus 1 §. Credentes, De hæreticis. Item is qui damnatus est ob libellum famosum confectum in alterum, ex lege is cui, §. vltimo, ff. Qui testamenta facere possunt, vel non. Itemq; vsurarius manifestus, ex Cap. Quanquam, §. vlt. De vsuris in 6. Postremo, Religiosus quem post professionem testari non posse, etiam ad pias causas, habetur ex Authentica Ingressi, Cod. De sacrosanctis Ecclesijs, & ex Cap. Quia monasterium 19. quæst. 3. Videndus est Molina in cit. tract. 2. disp. 139. 140. & 141. Difficultas autem quæ mouetur de Clericis beneficiarijs; vtrum de prouentibus suorum beneficiorum testari possint, explicanda est ex dicendis suo loco in sequenti tomo, lib. 3 o. tractat. 3. de eorundem prouentuum permissio, vel prohibito vsu.

Qui possint, quiq; non possint hæredes, aut legatarij instituu.

625. QVARTVM documentum est: Hæredes instituu posse tum priuatos, tum etiam communitates: vt Ecclesiam, Ciuitatem, Vicum, Collegium, &c. ex lege 1. Cod. De sacrosanctis Ecclesijs, & ex lege Omnibus, ff. ad Senatusc on. Trebellianum. Neq; obstare quod ijdem priuati, vel amentes sint, vel surdi & muti, vel prodigi, vel serui, vel religiosi: habet ex communi sententia Doctorum Molina disp. 154. sub initium; addens exceptionem de professis fratrum Minorum (*quos non posse instituu hæredes constat ex Clement. Exiut de Paradiso, & §. Cum autem, De verborum signif.* itemq; de professis nostræ Societatis. Quibus de iuris communis positiui dispositione, addendi sunt. Primo hæretici, & apostatæ à fide. Nullus enim talium hæres, aut legatarius esse potest, ex lege Manichæos, & ex lege vltima, Cod. De hæreticis, & ex lege Hi qui, Cod. De apostatis. Secundo, credẽtes, receptatores, defensores, & fautores hæreticorũ, si intra annum ex quo sunt ipso iure excommunicati, non satisfecerint; hæredes, aut legatarij esse non possunt, ex Authentica Credentes, Codic. De hæreticis, & ex cap. Excommunicamus 1. §. Credentes, eod. tit. Tertio, qui Cardinales persequuntur, vel percutiunt, vel capiunt. Tales enim ex Cap. Fœlicis De pœnis in 6. hæredes esse non possunt. Quarto, spurius, ex Authentica Licet, Codic. De naturalibus liberis. Vbi in fine dicitur; Qui ex damnato sunt coitu, omni prorsus beneficio secludantur. De qua re multis disserit Molina disputatione 265. & aliquot sequentibus.

626. Pauca tantum attingemus, quia illorum plenior tractatio Iurisperitorum propria est. Primum sit, spurium dici eum, qui natus est ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & natiuitatis ipsius erat impedimentum dirimens matrimonium. In quo distinguitur à filio naturali, qui natus est ex parentibus liberis ab omni tali impedimento; quique licet tempore cõceptionis, & natiuitatis illius non erant matrimonio coniuncti, poterant tamen coniungi. Secundum sit, si spurio pater aliquid in testamento relinquat præter alimenta, nihil iuris per id illi acquiri; cum per legem factus sit incapax: vnde nec hæres ad tale quid tenetur ei aliter, quam ex liberalitate. Quod autem in hac re dicitur de patre, dicendum est pari ratione de matre. Tertium sit; spurijs deberi à parentibus alimenta, si aliunde non possint se sustentare, ex Cap. Cum haberet, in fine, De eo qui duxit in matrimonium, &c. Quo alimẽtorum nomine intelliguntur

omnia quæ pro cõditione personæ sunt necessaria: vt victus, vestitus, habitatio, medicinæ, & id genus alia, quæ suppeditanda sunt, prout parentis, & prolis conditionem exigere prudens iudicauerit. Cæterum, quia clos in locum alimentorum succedit, hinc sequitur eam dari debere filiæ spuriæ. Postremum sit, filium naturalem instituisse hæredem vniuersalem à suis parentibus, si ipsi legitimas proles non habeant, ex lege Humanitatis, Codic. De naturalibus liberis, & ex Authentica Licet, ibidem. Videndus est Molina disputat. 166.

De hærede instituto.

QVÆ ad hunc pertinent latissimè persequitur idem author à disputat. 154. ad 181. sed quia propriè spectant ad forum externum, relinquentes ea Iurisperitis, contenti erimus sequenti documento. Igitur quintum principale documentum est, *quod habetur ex lege vltima, Cod. De iure deliberandi.* Quando aliquis hæres est, siue ab intestato, siue ex testamento, & siue in totum, siue in partem hæreditatis, certusq; est hæreditatem plenissimè sufficere, tum debitis defuncti, tum etiam legatis soluendis, posse non confecto bonorum à defuncto relictorum inuentario; adire hæreditatem, eiq; se immiscere: ita tamẽ vt eo nomine teneatur creditoribus; adeo vt si præter ipsius spẽ eueniat quod de bonis defuncti aliqua debita eius solui nequeant, ipse de suis bonis debeat soluere. Quod si intra tres menses à die qua nouit se institutum hæredem *(qui illi conceduntur ad deliberandum)* hæreditatem repudiet, etiamsi inuentarium non confecerit, nullum onus ob illam subibit, sed tamen carebit quoque omni lucro illius. Ita habetur ex citata lege, §. Cum igitur. Ex qua, *in §. Etsi præfatam, & duobus sequentibus*, adde; etiamsi hæres prorogationem prædicti temporis ad deliberandum, neque à Iudice, neque à Principe petiuerit, sed inuentarium iuxta formam requisitam conficiendo hæreditatem adierit, seque ei immiscuerit; nihilominus hæc commoda consequi.

627. Primum est, vt neq; creditoribus defuncti, neque legatarijs teneatur vltra vires hæreditatis. Secundum, vt à legatis detrahere possit Falcidiam *(de qua postea)* si illis solutis nõ supersit sibi quarta pars bonorum defuncti. Tertium, vt si satisfaciat creditoribus, aut legatarijs primo venientibus, nec supersint bona defuncti, ex quibus posterius venientibus satisfaciat, ad nihil ipse teneatur his; adeo vt nec ipsum, nec eos qui bona hæreditatis ab ipso emerint, inquietare possint ad sibi soluendum, sed agere debeant aduersus eos quibus prius venientibus satisfactum est, repetendo ab illis quod acceperunt; si esset ipsis de iure potius, quam illis soluendum. De his Molina disput. 216. quæ apud ipsum relinquemus videnda, vt & quæ de inuentario addit in tribus sequentibus disputationibus.

De hærede substituto.

QVÆ ad hunc spectant Molina persequitur à disp. 182. ad 193. eâdem ratione quâ præcedentia Iurisperitis relinquenda. Etsi quid & quotuplex sit paucis saltem tradere nobis incumbat omnino: quãdoquidem turpe esset de peccatis iudicantem id nescire.

628. Sextum ergo documentũ sit; Substitutionẽ, *ex qua hæres substitutus nomẽ habet*, esse vnius, aut plurium in alterius, aut aliorum locum vocationem ad hæreditatem. Vnius autem, aut plurium aduerte dici: quia sicut pluribus qui cohæredes instituti fuerint vnus substitui potest; ita plures in vnius locum possunt substitui, siue simul & immediate, siue ordine quodam, vt si quis in suo testamento dicat; Instituo bonorum meorum hæredem Petrum, & si is hæres non fuerit, sit Franciscus, sique Franciscus non fuerit, sit Antonius.

Septimum autem documentum sit, communiter sex distingui species substitutionis; quarum prima dicitur vulgaris; quâ quiuis non prohibitus iure, potest à quouis testatore substitui: quandoquidem fit sub conditione, vt si is qui sibi ex testamento, vel ab intestato succedere debet, nolit esse hæres aut non possit *(vt si propter crimen aliquod fiat incapax hæreditatis)* substitutus succedat. Quæ conditio, si non exprimatur specialibus verbis, tacite subintelligitur: vt cum testator generalibus verbis dicit; Titium instituo hæredem, & Sempronium ei substituo.

Secunda est pupillaris; quâ quis proli impuberi, in sua potestate constitutæ, substituit aliquem. Etenim cum nequeat quis ante pubertatem condere testamentum, concessum est iure; vt pater eius possit loco ipsius quodammodo testari, in tali testamento directe substituendo ei hæredem, si ante pubertatem decesserit è vita, Instit. De substitutione pupillari, in principio. Per quam substitutionem fieri, vt nõ tantum bona quæ tali pupillo erãt ex paterna hæreditate obuentura, sed etiam alia, peruenient ad substitutum, perinde ac si idem pupillus testamentum fecisset; patet ex eo quod dicitur ibid. in §. Igitur: In pupillari substitutione duo quodammodo testamenta esse, alterum patris, alterum filij, tanquam sibi ipse filius hæredem instituisset.

Tertia est exemplaris; quâ ad exemplum pupillaris patet, aut mater liberis, auus, vel auia, proauus, vel proauia nepotibus mente captis, aut alio simili impedimento testari prohibitis, hæredem constituunt: Instit. eod. titulo, §. Quâ ratione, & lege Humanitatis, Cod. De impuberum, & aliis substitutionibus. 631.

Quarta est fideicommissoria; quâ hæres ab intestato, vel 629.
testamento institutus grauatur, vt hæreditatem totam, vel partem eius aliquotam, *v. g. dimidiam, tertiam, aut quartam*, restituat alteri qui fideicommissarius est. Hæc à tribus præcedentibus differt, quod per illas directè, & immediatè hæreditas à testatore deferatur substituto, absq; alterius ministerio, & per hanc deferatur ministerio alterius; nempe eius cui fideicommissum imponitur. Qui si sit hæres de numero descendentium, aut ascendentium, ante omnia potest detrahere suam legitimam: quæ est certa portio bonorum testatoris, qua nequit suos descendentes priuare. Ea quanta iure communi debeat esse iudicandum est secundum illud quod in Nouella 18. cap. 1. & in Authentica Nouissima, ac sequenti, Cod. De inofficioso testamento, sancitum est: vt si testator quatuor, aut pauciores filios haberet, tertia pars bonorum ipsius inter illos æqualiter diuideretur: sin plures essent quam quatuor, diuideretur inter eosdem diuidium bonorum ipsius.

Iam si sit alius hæres, legitimam quidem detrahere non 632.
potest, quæ non est illi à iure constituta; potest tamen Trebellianicam. Qui enim est eâ ratione institutus hæres, vt grauetur onere restituendi hæreditatem, potest detrahere quartam partem eius in quo institutus est, ne vana sit talis institutio. Itaque si quis institutus est hæres in tota hæreditate cum onere restituendi eam alteri, detrahet quartã totius. Si in dimidia cum simili onere, detrahet quartam illius dimidij. Si in decima, detrahet quartam illius decimæ. Quod si testator aliquid certi ei assignet, & reliquum iubeat alteri restitui; si idipsum certum non adæquet quartam partem totius in quo constitutus est hæres; poterit de reliquo detrahere quantum sufficiet ad eandem quartam complendam. Habentur hæc ex §. Sed quia stipulationes, Instit. De fideicommissarijs hæreditatibus, & ex lege 1. & 2. Cod. Ad Senatusc. Trebellianum; vnde eadẽ quarta pars nomen Trebellianicæ accepit.

Quinta substitutio est reciproca, & breuiloqua dicta, quâ 630.
hæredes instituti sibi vicissim substituuntur, vt si dicatur, Instituo Petrum, & Paulum meos hæredes, & eos inuicem substituo.

Postrema est compendiosa, quæ plures complectitur substitutiones quoad tempora diuersas; vt cum testator dicit, Instituo filium meum hæredem, & quandocunq; ex vita decesserit, substituo ei Paulum. Nam si filius ante patrem moriatur, vel alia de causa impediatur hæres esse, substitutio cẽsebitur vulgaris. Sin filius fiat hæres, & moriatur in pupillari ætate, substitutio erit pupillaris. Sin moriatur post pupillarem ætatem, substitutio erit fideicommissoria. De his omnibus speciebus eodem ordine agit Molina à disput. 182. ad 193. vsque. Alia his de testamento, nisi illius tractatio esset propria Iurisperitorum, addere oporteret: tum de illius executione, de qua memoratus author disput. 257. & quatuor sequentibus: tum de illius reuocatione, ad quam spectant quæ idem author docet disputat. 151. & duabus sequentibus; tum etiam de successione ab intestato, de qua idem in disputr.

163.& 164. tum demum de amissione hæreditatis, ad quam pertinent ab eodem tradita in disput.175. & quinq; sequentibus.

Quod attinet ad legata, copiosè idem author disserit de illis à disput.193.ad 206 tanquam de quibusdam partibus testamenti, non quidem spectantibus ad institutionem hæredis; sed ipsi institutioni superadditis, tanquam donationibus, quas testator vult ab hærede suo mandari executioni. Quod fieri potest dupliciter; vno modo dirigendo verba ad legatarium: vt si dicat, Lego, aut relinquo hoc, vel illud Petro; altero modo dirigendo verba ad hæredem, rogando, aut præcipiendo, vt hoc, vel illud det Petro, sicq; vocatur fideicommissum particulare: non tamen ob differentiam aliquam in effectu, vtpote qui idem est in vtriusque illius modi donationibus. Vnde & quidquid de legato dicitur, censendum est dictum de fideicommisso particulari, prout in cit. disput.193.admonet ipse Molina.

De legatis.

632. VLtimum igitur documentum sit, *propositum ab eodem Molina disp.*213. Quando hæres, aut hæredes sunt de numero descendentium, aut ascendentium: tunc non obstantibus legatis à defuncto relictis, ipsi accipere possunt de bonis illius, suas integras portiones legitimas, quibus defraudari non poterunt. Eas de iure communi esse tertiam partem bonorũ defuncti cui succedunt, paulo ante attigimus. Quando vero hæres, aut hæredes sunt alij, quibus legitima portio debita non est, præcipiunturq; legata soluere: ijsdem legatis non obstãtibus possunt retinere quartam partem bonorum defuncti; etiamsi illa legata totam hæreditatem adæquarẽt, ac exhaurirẽt. Atq; si persolutis ijsdem legatis aliquid minus quarta ipsa parte remaneret, ipsum ab illis detrahi potest pro rata, ad supplendum quod deesset, vt ipsis hæredibus remaneat quarta pars bonorum defuncti. Hæc habentur ex titulo De lege Falcidia, Institutis, & ex titulo ad legem Falcidiã, tam Cod. quam Digestis. Porro illud quod hæredes detrahere possunt à legatis, vt quarta pars bonorum defuncti ipsis remaneat appellatur Falcidia à quodã Falcidio talis remedij inuentore, prout ibidem addit Molina: aliquot deinde euẽtus referens in quibus Falcidia nequit à legatis detrahi, quorum præcipui sunt.

632. Primus, cum testator nõ ignarus modi, seu virium sui patrimonij expresse prohibuit illam detrahi. Secundus, quãdo legata sunt ad causas pias; nisi & ipsa hæredis institutio sit etiam ad causas pias, nec enim tunc vna causa priuilegiũ habet aduersus aliam: sed vtraq; simili priuilegio gaudet; ita vt starẽt tunc oporteat iuri cõmuni. Tertius quando res aliqua legata est, vt in perpetuũ alienari non possit. Quartus, quando hæres inuentariũ non confecit intra tempus, & iuxta formã à iure præscriptam. Quintus, si postquam fuerit à Iudice admonitus, testatoris voluntatem intra annum nõ mandauerit executioni. Sextus, quando hæres sciens quantitatem hæreditatis, à principio quibusdam ex legatarijs soluit integra legata. Septimus, quando alicui legatur instrumentum, seu scriptura de re cuius erat dominus. Quibus vero fundamentis hæc nitantur apud ipsum qui volet, inuenire poterit.

CAP. LIII.

De dissolutione obligationis prouenientis ex contractu, aut ex quasi contractu.

SVMMARIVM.

633 *Talis dissolutio sit tum remissione debiti, tum solutione, cuius varij sint modi, ac primo nouatio, & delegatio.*
634 *Deinde compensatio.*
635 *Præterea solutio, quæ quando ea locum habeat, & quando non habeat.*
636 *Quis rectè soluat, quidq;, & cui soluì debeat.*
637 *De acceptilatione, & generali effectu solutionis.*
638 *De dissolutione propositæ obligationis per rei interitum, aut sententiam Iudicis, aut præscriptionem legitimam.*
639 *De ea quæ sit tradendo instrumentum.*

OBligato proueniẽs ex contractu, aut quasi cõtractu, dissoluitur vel remissione eiusdem obligationis facta per creditorem, vel solutione eius quod ex contractu, vel quasi contractu quis debet. Quæ fit varijs modis, ac primo commutatione vnius obligationis in aliam, quâ prior extinguitur, & posterior loco illius succedit ac subrogatur, vt fit in nouatione, & delegatione.

De nouatione, & delegatione.

SECTIO I.

NOuatio enim, *vt habetur lege prima, ff. De nouationibus*, est 633.
prioris debiti seu obligationis in aliam obligationem ciuilem, vel naturalem transfusio atque translatio: ita vt prior perimatur. Neque interest, *vt ibidem additur*, qualis obligatio præcesserit, siue naturalis tantũ, siue ciuilis: & siue verbis, siue re, siue consensu contracta. Ea vero quæ sequitur, & in quam ea quæ præcessit transfertur ac commutatur, validam esse debere saltem naturaliter, ratio postulat, idque habetur ex sequenti lege 2. Cum autem ex lege Delegare 1. De nouationibus, delegare sit vice suâ alium reum dare creditori, aut alteri cui creditor iusserit; ratio delegationis consistet in eo, quod is qui delegatur, se de mandato delegantis constituat reum seu debitorem creditoris pro ipso debitore, debitum illius suscipiendo in se, & sic trium personarum consensus requiritur; primus eius qui delegat, secundus eius qui delegatur, *quia nemo alioqui inuitus delegatur, ex cit. lege* 1. tertius creditoris, qui à delegato sui debitoris stipuletur suum debitum, ex eadem lege 1. Videndus est Molina disputat.559.

De compensatione.

SECTIO II.

SEcvndo dissolutio proposita fit compensatione: quæ 634.
ex lege 1.ff. De compensationibus, est debiti, & crediti inter se contributio hoc est, *vt habet Molina de hac re in seq. disp.* 160. *late differens*, collatio quantitatum in quibus duo sibi inuicem sunt debitores & creditores, vt de eo quod reus actori debet, detrahatur illud quod hic vicissim illi debet: nec amplius debitum censeatur dicaturq;. Vbi aduerte ad compensationem minime necessarium esse, vt debitum sit vtrimque æquale; sed si mihi tantum quinque debeas, & ego tibi decem, vsque ad quinque fieri potest compensatio: ita vt quod amplius restat, nimirum alia quinque, possis à me repetere, ex lege 4. & 5. eodem titulo. De dubio autem quod idem Molina tractat; an qui iurauit se soluturum, possit vti compensatione, iam dictum est in præced. parte libr. 10. numero 290.

Porro quando locum habeat cõpensatio, declaratur his documentis. Primum est, locum habere quando vtrimque debetur res in põdere, numero, & mensura cõsistẽs, si vtrimque debita sint eiusdem speciei, & æqualis bonitatis, ac valoris, vt certa pecuniæ quantitas certa mẽsura tritici, vel vini eiusdem bonitatis, & valoris. Etenim res quæ tales sunt, functionẽ suscipiunt, hoc est, vna loco alterius substitui, adeoq; solui potest. Secundum est, non habere locum si vna eiusmodi rerum ex aliquo capite sit maioris valoris, quam altera, vt quando triticum vtrimq; debitum, soluendum est in diuersis locis, in quorum vno triticum eiusdem etiam bonitatis, pluris venditur quam in alio. In tali enim compensatione non seruaretur æquitas iustitiæ commutatiuæ. Tertium est, compensationem posse quoque fieri quando res nõ consistunt in põdere, numero, & mensura, si vtrimq; debitæ sint eiusdem speciei; & indeterminatæ in indiuiduo, vt si duo sibi vicissim deberent vnum equum indeterminatum in indiuiduo: tunc enim inter res vtrimq; debitas datur æqualitas valoris, cum & sint eiusdem speciei, & similiter indeterminatæ, vnde fit vt functionem recipiant ac vna in alterius compensationem dari valeat etiam creditore inuito.

Quartum est, non esse compensationem inter res quæ in numero, pondere, & mensura non consistunt, quarum vna debetur determinata in indiuiduo, siue alia debeatur similiter determinata, siue non, quia tales, prout tales, non sunt, *sicut vtrimque indeterminatæ*, eiusdem valoris, ideoque vna loco alterius, nisi consentiente creditore dari non potest. Excipit Molina, si ex vna parte debeatur pecunia, & illud quod

ex altera parte debetur, tandem per æstimationem sit in pecuniam resoluendum: tunc enim locus compensationi esse potest per primum documentum ante traditum. Porro locus non est compensationi, si causa ex qua fieri dicitur, non sit liquida, ex lege vltima, Cod. De compensationibus: nec item est in depositо, ex eadem lege: nempe is à quo petitur depositum, non potest eo prætextu illud retinere, quod à depositore aliquid ei debeatur; nec etiam locus est, *ex eadem lege in fine iunctâ glossâ*, quando aliquis condemnatur, vt aliquid reddat alicui, ob vim illatam, vel furtum, aut aliud maleficium. Siue enim res ipsa ablata, siue æstimatio illius, siue quid aliud fuerit in pœnam impositum, non potest fieri cõpensatio retinendo quid talium pro debito eius cui debet restitutio eorũ fieri. Id quod videtur ita statutum in odium delicti commissi; vnde si debitum quoque alterius esset ex simili maleficio, posset esse locus compensationi inter ipsa similia debita.

De solutione specialiter sumpta, ac de acceptilatione.

Sectio III.

635. TERTIO dissolutio proposita fieri potest, solutione sumptâ propriè, nimirum pro exhibitione eius quod debetur, aut alterius rei loco eius, quando vel ipsummet solui non potest, vel creditor contentus est quid aliud loco eius accipere. Quæ definitio occasionem dat nobis dicendi; Quis recte soluat, quid & cui solui debeat; quod fiet paucis. Plura qui volet, videre poterit Molinam disp. 562. & aliquot sequentibus.

636. Recte igitur soluit, vel ipse debitor, vel quiuis alius pro ipso, etiamsi ignorante vel inuito, ex lege 5. & 17. Cod. De solutionib. & Instit. Quibus modis tollatur obligatio, in principio. Solui debet vero res quæ debetur; aliud autem pro ea, inuito creditore non potest: volente vero ac consentiente potest, ex lege 10. 16. 17. & 24. eod. tit. excepto tamen inopiæ casu. Si enim certæ summæ debitor non habeat vnde soluat, potest creditori suo rem quam habet optimam à iudice æstimatam, in solutum dare, ex Authentica Hoc nisi. Cod. ibid. Solui præterea debet ipsi creditori, aut cuiuis alteri cui ipse permiserit, aut mandauerit solui, ex leg. 4. 11. 12. & 19. eodem adhuc titulo.

637. Aduerte dari quamdam imaginariam solutionem, quâ scilicet nihil soluitur, & tamen debitorem ab obligatione liberat; acceptilatio dicta est, ab acceptũ ferendo. Est autem acceptum ferre, idem ac fateri se ab aliquo accepisse: vnde acceptilatio dicitur quædam verborum conceptio quâ creditor à debitore stipulante interrogatus, respondet se (*quasi solutio facta esset*) debitum acceptum ferre: & sic debitorem ipsum obligatione liberat.

Aduerte præterea, solutione nõ modo specialiter, sed etiam generaliter sumptâ, conuenire vt eâ factâ, liberi ab obligatione maneant non modo debitor & hæredes ipsius, sed etiã pignora ac fideiussores, atq; adeo quicunq; alij qui accessorie obligantur cum eodẽ principali. Ratio est, quia extinctâ principali obligatione, extinctæ quoq; manent accessoriæ, prout intelligitur ex leg. 179. ff. De regulis iuris.

De alijs modis quibus proposita obligatio dissoluitur.

Sectio IV.

638. QVARTO potest eadem dissolutio fieri interitu rei debitæ. Quando enim debetur aliquid determinatum in individuo, vel aliquid determinatorum in individuo, ipsumq; perit sine debitoris culpa, aut mora tradendi illud, tunc creditori perit, tanquam domino ad quem pertinet, siue titulo gratioso, vt donationis, commodati, depositi; siue oneroso, vt emptionis vel venditionis: vnde fit vt debitor liberetur ab onere ipsum restituẽdi. Qua de re ex instituto cum de restitutione in præced. li. 10. tract. 2. in quo traditæ sunt aliquot regulæ de ea iudicandi, & tractatu tertio cap. 16. cum dictum est de memorata mora.

Quinto fieri potest per sententiam Iudicis, quâ debitor liberatur à debito. Sed aduerte, talem in conscientia habere tantummodo locum, quando re existente dubiâ, sine fraude & dolo suũ ius quis prosecutus est, pro ipsoq; lata est sententia. Nam si ei constiterit se debitorem esse: imo si idem constet ei post latam sentẽtiam, antequam debitum sibi adiudicatum præscribat legitimè; per eandem sententiam non liberatur quoad forum conscientiæ: quoniam ea non tribuit ius, sed solum declarat ad quem ipsum spectet; solumq; in ipso conscientiæ foro vim habet, cum res ita se habuerit, ac per illam pronunciatum est.

Sexto fieri potest titulo legitimæ præscriptionis, iuxta tradita de eadem præscriptione in memorato lib. 10. cap. 20. Imo iuxta legem Is qui, De solutionibus, si quis in solutionem det alienum, liberatur à debito, si creditor illud præscribat legitimè. 641.

Vltimo fieri potest tradendo instrumentum debiti, aut illud rumpendo, vel cancellando; nisi creditor probet, vi aut metu illud tradidisse: vel furto fuisse ablatum de ipsius potestate: vel aliâ ratione, quam animo remittendi debitum, se illud tradidisse, aut rupisse, aut cancellasse: puta, quia tradidit ad custodiam, vel illud rupit non aduertens esse instrumentum debiti, aut alia de causa: tunc enim remissio debiti non censetur facta. Hæc eadem habet Molina de iust. & iure tract. 2. disput. 561. Quibus coniungenda sunt quæ in eodem libr. 10. cap. 18. & 19. tradidimus de causis excusantibus à restitutione. 639.

TRACTATVS VLTIMVS.

De publicis officijs ciuilibus.

TRACTATIONI de contractibus ciuilibus adiungitur illa de publicis officijs ciuilibus, tanquam de quasi contractibus initis cum Repub. ad eiusdem bonum statum procurandum, ac conseruandũ armorum vsu; vel exercitio iudiciorum secundum leges: vnde quædam ex talibus officijs dicuntur militiæ armatæ, & quædam militiæ togatæ. Atq; de prioribus tradenda pro ratione iudicandi de peccatis, quæ in illis obeundis cõmittantur; sufficienter possunt intelligi ex ijs quæ tradidimus, tractantes de bello in præced lib 21. cap. 8. ad 5. præceptum Decalogi. De posterioribus vero nunc agemus: non de omnibus, sed de præcipuis quæ sunt Iudicis, Aduocati, Procuratorib, & Notarij officia. De quibus copiosè & elaborate Decalogum sub finem Georg. Sairus. 642.

CAP. LIV.

De officio Iudicis.

SVMMARIVM.

641 *Vt Iudex licitè iudicet, potestas in eo requitur.*
642 *Item q̃, veritas.*
643 *Tum vt eruet formam iuris in sententia ferenda.* 643.
644 *Item q̃, in modo procedendi, siue viâ denunciationis.*
645 *Siue viâ accusationis.*
646 *Siue viâ inquisitionis: quæ triplex est, generalis, specialis, & mixta.*
647 *Ad generalem non requiritur accusatio, nec infamia præuia.*
648 *Modus procedẽdi viâ specialis inquisitionis requirit præuiam infamiam.*
649 *Requirit & accusationem, vt procedatur vsque ad punitionem.*
650 *An ad eam sine infamia sufficiant indicia manifesta.*
651 *Iudicium aliud ordinarium, aliud extraordinarium, in quo sufficit accusatio ficta, quæ quintuplex est.*
652 *Modus procedendi in iudicio viâ inquisitionis mixta.*
653 *Tutela iudicij ad eiusdem formam spectans.*
654 *Quantitas & qualitas pœnæ ad eamdem formam requisita.*
655 *Quatenus lege impositam summus Princeps relaxare possit.*

656 Quid

656 *Quid incumbat Iudici cum lex non determinat pœnam delinquenti infligendam.*

657 *Scientia & intentio debita ad licitè iudicandum requisita in Iudice.*

658 *Puritas linguæ & manus ad idem requisita in eodem.*

659 *Licitum est Iudici accipere stipendium, & de iure communi quædam esculenta ac poculenta.*

660 *Quid iuris de aliis muneribus.*

De potestate & veritate requisita in Iudice.

SECTIO I.

641. VT IVDEX suo officio rite ac sine peccato fungatur in iudicio, multa requiruntur: quorum primum est debita potestas, sic necessaria ad sententiam debite ferendam, vt ea illius defectu sit inualida *(prout docet D. Thom. 2. 2. quæst. 67. art. 1. communiter receptus)* tanquam lata in aliquem à non suo Iudice: quæ non tenet, ex Cap. At si Clerici, De iudicijs: ac tanquam lata à dicente ius extra suum territorium, cui impune non paretur, ex Cap. Vt animarum, De constit. in 6. Sit etiam peccatum mortale, tanquam mendaciũ perniciosum, tum Superiori, cuius iurisdictio vsurpatur; tum inferiori, qui per eam iniquè cogitur.

Notandum est autem, quadruplicem distingui talem potestatem; ordinariam, delegatã, arbitrariam, & accessoriam. Ordinaria est, quæ alicui competit ex dignitate, vel officio proprio, tã quam annexa ei de iure, vel cõsuetudine præscripta. Delegata vero est, quæ alicui competit ex commissione habentis ordinariam. Quæ commissio nonnunquam generaliter datur ad omnes causas & lites; nonnunquam specialiter ad aliquam causam vel litem: aut ad certa loca, vel personas. Arbitraria autem est, quæ alicui *(qui inde vocatur arbiter aut Iudex arbitrarius)* ab vtraq; parte litigante conceditur communi ipsarum consensu. Accessoria demum est, quam quis habet super aliquem, alterius iurisdictionis quidem, sed qui delictum commiserit in loco suæ iurisdictionis. Ea enim de causa potest ibidem & accusari, & damnari, ex lege finali, ff. De accusationibus.

Ac cum saltem harum vna ad valide iudicandum sit necessaria, sequitur mortaliter peccare *(iniquâ scilicet vsurpatione potestatis publicæ)* eum qui omni carens, sententiam ferre audet, aut si habeat quidem aliquam, non tamen in loco in quo, vel in personam in quam fert: per quod incurrit etiam obligationem ad restitutionem damnorum exinde secutorum.

642. SECVNDVM quod requiritur in iudice ad licite fungendum suo officio, est veritas; quam non est necesse talem esse ex parte Iudicis; vt iudicium ipsius vero conformetur rei, prout ipsa in se est: sed sufficit vt conformetur eidem, prout allegata probataq; est: adeo vt Iudex sententiam ferens secundum allegata & probata, quamuis de contrario euidentiam habeat per priuatam scientiam, seruet sufficiẽtem veritatem; neque in eo peccet, iuxta tradita in præcedenti lib. 21. capit. 3. dubio 4. Contra veritatem vero iudicans dubium non est, quin mortaliter peccet tanquam pernicioſe mentiens.

De forma iudicij quam Iudex obseruare tenetur.

SECTIO II.

643. TERTIVM, quod ad idem in eodem requiritur, est vt seruet formam iudicij; tum in sententia ferenda; tum in modo procedendi; tum in tutela iudicij; tum in quantitate, & qualitate pœnæ imponendæ; tum demum in vi executionis.

Quod ad sententiam autem ferendam attinet, notandum est in Iudice requiri, vt non ferat sententiam prout libuerit, sed prout ex allegatis & probatis cognoscit ferendam esse secundum leges, seu conformiter iuri, argumento Cap. primi de senten. & re iudicata in 6. Quod si leges nesciat, vel circa eas dubitet, debet adsciscere sibi assessorem, cuius consilio regatur, alioqui peccabit grauissimè. Siq; occurrat casus, de quo nihil sit lege humanâ constitutum, de eo iudicare debet secundum probabiliorem Doctorum sententiam: quæ si in vtramque partem inueniatur æquè probabilis, liberum erit ei sequi quam voluerit, prout traditum est in præcedenti lib. 23. cap. 3. sect. 4. post Greg. à Valent. 2. 2. disput. 5. quæstio. 7. puncto 4.

Notandum est præterea *ex D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 5.* debere quidem Iudicem in iudicando sequi verba legis humanæ, quando ex eius obseruatione nihil contingit iuri naturali, vel diuino positiuo repugnans; non tamen quando ratione loci, temporis aut personæ contingeret iniquitas, quæ quidem vitanda esset iudicando secundum æquitatem ac rectæ rationis dictamẽ. Cuius doctrinæ prior pars patet: quia si Iudex sit inferior, tenetur seruare legem tanquam regulam sibi à superiore suo præscriptam. Sin superior sit, recta ratio dictat, vt quam pro bono & pace communi tulit, ipse quoq; patiatur ad retinendam conformitatem eam, quam conuenit in Republica esse capitis cum suis membris. Posterior pars etiam patet, quia lex humana quæ non consentit cum diuina, perinde inepta est ad actiones humanas rectè dirigendas, ac horologium quod cum Solis motu non consentit ineptum est ad designandas diei horas.

644. QVOD attinet vero ad modum procedendi; is distinguitur in tres quasi vias; denunciationis inquam, accusationis, & inquisitionis. Atq; de denunciatione notandum est, quãdam esse extraiudicialem quæ ad hoc fit Superiori, vt euitetur delictum ab aliquo committendum, vel vt commissum non reiteretur, vlteriusve procedat. Quandam vero esse iudicialem, eamq; vel priuatam, quâ quis Iudici crimen alienũ manifestat, prætẽdens rescisci sibi damnum quod ab eo accepit: vel publicam, qua Iudicis officiales crimen ei denunciant, vt ex officio procedat ad mulctandum reum pœna fiscali, aut alia arbitraria. Notandum est præterea denuntionem iudicialem distingui ab accusatione: primo, quod denunciator iudicialis non teneatur crimem probare testibus, & accusator tenetur: secundo, quod denunciatio iudicialis sit absq; actione, tanquam manifestatio vera criminis, quâ ipsum denunciatur Prælato, vt ex officio id faciat, quod viderit faciẽdum secundum ius. Accusatio vero sit delatio criminis cum actione: quâ Iudex vrgetur punire reum; vnde licet intelligere modum procedendi viâ denunciationis relictum esse arbitrio Iudicis: sic tamen vt debeat iuris æquitatem in ferenda sententia seruare.

645. PORRO, vt Iudex viâ accusationis iuridicè procedat, ac reum interroget, requiruntur indicia manifesta, seu quæ satis patenter ostendant crimen & criminosum authorem illius: quæ quidem interdum oportet plura esse: interdũ vero pauciora sufficiunt pro diuersâ ratione criminum. Imo interdum potest vnum sufficere, vt quando ipsum fuerit adeo efficax, vt multis æquiualeat Iudicis prudentis arbitrio cui id relinquitur statuendum. Sufficere quoq; potest semiprobatio seu testimonium vnius testis omni exceptione maioris. Si enim ad reum condemnandum sufficere potest plena probatio consistens in duorum vel trium testium testimonio, iuxta illud Matth. 18. vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: ad eundem interrogandum *(ad quod cum minus sit, minus requiritur)* sufficere poterit vnius testimonium. Sed de accusatione plenius cum de accusatore dictum est in præced. lib. 24. in prima parte cap. vltimo.

De eadem forma iudicij quoad modum procedendi viâ inquisitionis.

SECTIO III.

646. DE inquisitione notandum est, differre à denunciatione & accusatione; quod has facere, subditis conueniat; & illam facere; siue sit delicti, siue delinquentis, pertineat ad solos Prælatos & Iudices: ex officio scilicet quo iustitiã subditis administrare tenentur. Diuidi autem in generalem, specialem, & mixtam. Cuius diuisionis ratio est: quod interdũ sic fiat inquisitio, vt nec persona, nec crimen de quo inquiritur, nominetur; prout fit cum Prælati visitantes suam diœcesim; aut alij Superiores, prouincias sibi commissas, inquirunt in genere de vita & morib. subditorum suorũ: seruentne leges & statuta loci; sintne ibi aliqui delinquentes quos pœnis coercere oporteat? Interdum vero sic fiat, vt nominatim de certa particulari persona inquiratur, certum particu-

lare crimen: vt, An Petrus sit qui perpetratum aliquod homicidium commiserit? Interdum deniq; sic fiat, vt delictum in particulari exprimatur, non item persona: sed in genere tantum inquiratur; vt cum de certo furto facto inquiritur quis illud fecerit vel contra in particulari exprimatur persona, & delictum tantummodo in genere.

647. Atqve de modo procedendi viâ inquisitionis generalis; notandum est, nec præuiam aliquam infamiam, nec accusationem, aut denunciationē requirere: prout Summularij docent in verbo Inquisitio, *vt Angelus n.1. Syluester q.4. dicto 3. Tabiena nu.1.* sequunturq; recentiores passim: *Sotus De iust. & iure lib.5.q.6.art.2. con.l.5. Nauar. in Enchir. cap.18.nu.38. Gregor. à Valent.2.2.disp 5.q.14. puncto 1. & alij.* Probatur, vero, quia talis inquisitio fieri debet, non ad requisitionem partis, sed ex officio Superioris, ex quo tenetur bono communi prospicere: & per consequens operam dare, vt occasiones delinquendi eliminentur à communitate; & delinquentes castigentur in aliorum exemplum, quantumcunq; nullus sit qui id ab ipso postulet; cum ratio aperte dictet expedire bono cōmuni, vt criminosi corrigantur, neq; suis peruersis morib. viuere sinantur. Qua de causa visitationes fieri vtroque iure inculcatur: ciuili quidem in lege Cōgruit, ff. De officio Præsidis: Canonico vero in Cap. 1. De officio Ordinarij, & in Cap. item primo De censibus in 6. & apertius in Concil. Triden. sess. 7. De reformat. cap. 7. & 8. vbi iubentur visitari beneficia curata, & Ecclesiæ omnes, etiam exemptæ; idque per Episcopum & alios maiores Prælatos, ex præced. sess. 6. c. 4. De reformatione. Quo autem modo ea fieri debeat, habetur ex sequenti sess. 24. De reform. cap. 3. Quamq; magna sit in ea re potestas Episcopi intelligitur ex seq. cap. 10. & ex sess. 25. De reform. cap. 6. Quatens vero subditi visitantis teneantur ad ipsius præceptum crimina, aut criminosos reuelare, intelligendum est ex documentis traditis in præced. libr. 9. cap. 3. sect. 6.

648. De modo legitimè procedendi viâ specialis inquisitionis notandum est primo, requirere præuiam infamiam. Quod expresse tradunt memorati authores in ijsdem locis: habeturque De accusationibus, capit. Cum oporteat, Cap. Inquisitionis, & Capit. Qualiter & quando 2. vbi in confirmationem adfertur quod ex capit. 16. D. Lucæ, postquam villicus diffamatus est apud dominum de iniqua villicatione; tunc ab eodem domino vocatus, sit interrogatus; Quid hoc audio de te, &c. Et quod ex capit. 18. Genes. Sodomitæ non ante destructi sunt, quam clamor eorum seu infamia criminis ipsorum ascenderit ad cœlum; iuxta illud ibidem: Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Hæc enim indicant consentaneum esse vt præcedat infamia, cum in iudicio proceditur viâ inquisitionis specialis. De qua autem infamia id intelligi debeat, habes in præcedenti libro 24. numero 40. Tantum adde quod de mente D. Thomæ habet Gregor. à Valent. 2.2. *disput. 5. quæstio. 14. puncto primo, vers. Quarto est notandum*; eam debere esse cum indicijs manifest s. ac talibus ex quibus probabiliter intelligatur veram esse, & dignam quæ momentū habeat apud graues & prudentes viros; nec facile possit iudicari eam esse leuium & discolorum hominum.

649. Notandvm est secundo, vt ab inquisitione speciali procedatur ad punitionem, requiri vt accusatio præcedat. Pro quo facit illud, 23. quæst. 4. Cap. Si quis potestatem. Iudicis non est sine accusatore damnare; sicut nec Christus Iudam abiecit; hoc est, Christus, quantumuis Iudam furem esse sciret: tamen cum à nemine accusaretur, eum non abiecit. Facit & illud in Cap. 1. De accusationibus. Si legitimus nō fuerit accusator, non fatigetur accusatus. Vnde licet inferre quod Iudici, quantumuis crimen subditi detexerit, atq; sciat esse testes per quos illud sufficiēter probari possit; non liceat viâ inquisitionis procedere ad eum puniendum, nisi sit qui eum accuset. Id quod tanquam naturali rationi consentaneum in consuetudine fuit apud Gentiles, vt patet ex verbis illis Festi Actor. 25. Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is qui accusatur, præsentes habeat accusatores: locumq; defendendi accipiat ad abluenda crimina.] Adde censeri posse, idem indicatum esse à Domino nostro Ioan. 8. cum interrogat adulteram. Vbi sunt qui te accusabant? & tanquam relictam sine accusatore condemnare recusat.

Notandvm est tertio, dubitationem esse; an ad inquisitionem specialem faciendam sola indicia manifesta sufficiant sine infamia? Quam Petrus à Nauarr. *in lib.2. De restitut. cap.4. numer.168.* attingens citatis authoribus in vtramque partem, sequitur affirmantem. Contrariam vero Gregorius à Valent. loco citato, & ante eum alij, vt *Sotus libr.5. De iust. & iure quæst.6. art.2. concluſ.6. & Nauarr. in Enchir. cap.18. num.38.* Cæterum saluo meliori iudicio putarim respondēdum, id ex determinatione iuris humani totum pendere: quia in eo habenda est ratio boni communis, cui quamdiu necessitas exegerit, priuatum seruire debet, alias minime. De qua necessitate iudicare, *sicut & eidem prouidere*, Principis est: adeo vt decretum ipsius in hac re (*nisi abrogatum sit consuetudine contrariâ legitimè præscriptâ*) sit habendum pro regula. Ipsum enim dum viget, ostendit publicam necessitatem: pro qua priuatim facere aliquam iacturam famæ, non est alienum à ratione: vt nec facere aliorum bonorum. Abrogatum vero; ostendit talem necessitatem abesse: & ideo priuatos, vt in cæteris bonis suis, sic & in fama non esse lædendos authoritate publicâ: sed potius protegendos, ac in ea conseruandos, cum id conferat ad bonum commune, sicut bona valetudo membrorum ad valetudinem corporis.

650.

Porro Summi Pontificis authoritate in cap. Inquisitionis, §. Tertiæ dubitationis, De accusationibus, constitutum habetur, Iudicem non posse inquirere contra aliquem non infamatum, etiamsi duo vel tres testes iurati affirment hominem illum de quo specialiter inquisitio facienda proponitur, se videntibus perpetrasse delictum, *vt occidisse*, asseuerent. Vnde manifestum est, quod cum indicia minus momentum habeant ad probationem, quam tale testimonium, sicut hoc non est sufficiens sine infamia, ita nec illa esse de iure canonico. Cui tamen iuri, quia humanum est, derogari potest contrariâ consuetudine rationabili, sicut in hac ipsa re derogatum esse, ostendit iudiciorum vsus in multis locis receptus: quo, *vt meminit Ludouicus Molina De iust. & iure tomo 3. tractat.3. disput.47. numero 2* proceditur ad inquisitionem contra particularem personam, ex sola euidentia criminis: vt cum inuentum est cadauer in platea, & de aliquo certo dantur in particulari indicia (*manifesta quidem, non tamen sufficientia ad plenam probationem*) aduersus eum inquiritur sine infamia, clamoribusve insinuationis: & sic de similibus. In quibus non agitur contra rectam rationem: quia etsi hæc dictet non esse lædendam alterius famam; id tamen locum non habet, cum bonus Reipublicæ status exigit secus fieri, quo ea expurgetur, & immunis seruetur à criminibus, ex quibus perturbationes & scandala, ac damna nascentur: quibus obuiare Iudex tenetur ex officio: præsertim cum in Capit. 1. §. Nos igitur, De postulatione Prælat. dicatur; iuxta canonicas sanctiones quasdam culpas esse, in quibus culpa est relaxare vindictam.

651.

652.

653.

Notandvm est quarto, ex Nauarr. *ad Rubricam de iudicijs num 17. & 18.* indicia quædam esse ordinaria, & quædam extraordinaria: seu quæ contra communes iuris regulas permittuntur: in illisq; requiri accusatorem versū, seu qui actu alium accuset: in his vero sufficere accusatorem fictum: hoc est, aliquid quod vice veri accusatoris fungatur quidem, non sit tamen verus accusator: quale censetur quoduis sequentium, quæ Gregor. à Valent. refert 22. *disput. 5. quæstio. 11. puncto 3.* in fine, & insinuantur à D. Thoma 2.2. *quæst. 67. art.3. ad 2.*

654.

Primum est, infamia publica cum indicijs adeo manifestis vt reus nihil contra obijcere possit. Secundum est, notorietas quâ factum & persona ita noscuntur, vt nullo modo celari possint. Tertium est, euidentia quâ Iudex vidit coram se delictum perpetrari, si & alij simul præsentes viderint: tunc enim præsentia ipsius Iudicis fungeretur vice accusatoris, & præsentia aliorum vice testium, sine quibus accusatio non habet locum in iudicio, & ideo non sufficeret solum Iudicem vidisse: quādoquidem accusator & testis nequit idem simul esse. Quartū est, contumacia, seu rebellio post denunciationē fraternam, id est, factā Superiori emendandi fratris causa. Nam si denunciatus recusat obedire admonitioni &

præce-

præcepto Ecclesiæ, Prælatus potest contra eum procedere via iuridica: eiusmodi rebellione & inobedientia habente vim accusatoris. Quod intellige, dummodo crimen probari possit testibus: si enim frater admonitus crimen neget, Prælatus non potest ad punitionem eius iuridice procedere, quousque occurrat aliquid quod faciat crimen manifestum: aut testes adsint ad conuincendum eum de delicto à se commisso. Processus enim Iuridicus locum non habet nisi manifesta indicia, aut infamia, aut semiprobatio existat. Quintum est, denunciatio iuridica facta ob commune bonum, & tendens ad punitionem delinquentis pernicioſi: quæ etiam fungitur vice accusatoris: nec aliter differt ab accusatione, quam quod non requirat, *sicut hæc*, probationem criminis obiecti, sed contenta sit propositione criminis facta Iudici; vt meliori quo fieri potuerit modo, occurratur damno cõmunis boni. Id quod permittitur, vt ad denunciandum audaciores reddantur, qui alias facile auerterentur metu aliquo suorum incommodorum. Delinquentis autem pernicioſi nomine, intelligitur maxime is, qui molitur aliquid in perniciem animarum, vt qui disseminat hæresim, aut docet, vel facit ea quibus aperitur via ad flagitiosam vitam: aut machinatur mortem Principis: aut molitur proditionem ciuitatis; aut falsificat monetam, & sic de similibus. Videri potest Nauarrus ad Rubricam de iudiciis, num. 92. & aliquot sequentibus.

652. De modo procedendi via inquisitionis mixtæ notandum est, si in ea crimen in particulari exprimatur, & persona in genere (*vt quando constat de certo crimine perpetrato, & inquiritur quis perpetrauit*) ipsam à principio posse fieri sine præiudicia personæ infamia vel accusatione, iuxta modum procedendi via inquisitionis generalis: in progressu vero, cum ventum erit ad certam personam, vt procedatur aduersus eam, requiritur præuia infamia, aut manifesta indicia, aut semiprobatio, & accusatio; eadem ratione qua cum proceditur via specialis inquisitionis. Sin autem in eadem inquisitione mixta exprimatur persona in particulari, & crimen in generali, opus est ab initio præuia infamia, aut indiciis manifestis, aut semiprobatione. Neque enim si cadauer hominis occisi inueniatur in agro, licitum est Iudici inquirere aduersus Petrum in particulari, tanquam talis homicidij reum, si nulla sit infamia, aut indicia, aut semiprobatio, quod illud ipse patrarit.

De tutela, & pœna quantitate atque qualitate requisitis ad formam iudicij.

Sectio IV.

653. Superest vt dicamus de cæteris in quibus forma iudicij consistit. Quartum igitur est tutela iudicij, exposcens vt Iudex ordinem iudicij iuraque ipsa obseruet. Cuius obseruationis defectu multis modis peccat mortaliter, quos refert Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 13. & 14. nimirum iudicando, *etiam si recte*, sine probatione sufficienti; eo quod vel testes suspecti fuerint, aut iniuste torti, vel ipse non admiserit legitimam probationem, vel non viderit processum saltem mediocriter, vel probationem maiorem exegerit quam esset necessaria. Deinde procedendo sine libello aut contestatione litis, cum fuerit necessarium. Item dilationes necessarias negando, vel concedendo superfluas, nec admittendo iustas exceptiones, & concedendo iniustas. Præterea interrogando ea ad quæ pars respondere non tenetur. *De quibus glossa ad ca. 2. De confessis, verbo Rationabili causa.* Præterea in sententia vtendo clausula aliqua obscura, qua condemnatus possit se aliquando tueri contra iustitiam. Item admittendo appellationem aut recusationem quam non debet: vel cõtra, quam debet non admittendõ, & demum differendo sine iusta causa expeditiones iudiciorum.

654. Adde & criminis confessionem extorquendo per iniuriã, sicut facere potest quinque modis, quos refert Leon. Lessius De iust & iure, lib. 2. cap. 29. nu. 173. Ac primo, si à seipso inquisitionem inchoet nulla præcedente infamia, aut denunciatione, quæ eidem inquisitioni viam aperiat. Secundo, si tormentis, vel propinquo metu tormentorum elicuit confessionem, quantumuis nõ essent sufficientia indicia ad torquendum. De quibus indiciis idem Lessius in eodem cap. dubit. 17. videri potest; & addi ex Nauar. ad Rubricam de indiciis num. 53. quod dicitur in hac re de tortura corporis, intelligendum esse quoque de iuramento, vt de quadam animæ tortura. Tertio, si fuerint quidem indicia sufficientia ad torturam; personæ tamen non poterant torqueri ob dignitatem, vel ob ætatem. Quarto, si dolo reum induxit ad confitendũ: vt dolose promittẽdo ei impunitatem. Etenim tam iniuriosum est dolo, quam metu dare damni causam. Quinto, si confugientem ad locum sacrũ abstrahit ab eo. Qua de re videri potest Sylvest. in verbo Immunitas 3.

655. Quintum, quod in eadem forma iudicij requiritur, est quantitas & qualitas pœnæ; seu (prout habetur Deut. 25.) vt pro mensura peccati sit plagarum modus. De quo pro praxi tenendæ sunt sequentes propositiones.

Prima est, nullum Iudicem posse absque causa iusta pœnam à lege impositam relaxare. Ratio est: tum quia Reipubl. fieret iniuria in non seruando iustas ipsius leges, & in non puniendo delicta: cum oderint peccare mali formidine pœnæ; tum quia graue scandalum inde oriretur, atque priuati iniuriam passi inducerentur ad vindicandum se propria authoritate; vnde possent multa damna sequi in Republ.

Secunda est, si debeatur pœna lege statuta ob commune bonum conseruationem vel pacis ciuium; Iudicem inferiorẽ non posse, ne quidem consentiente accusatore, eam mitigare. Ratio est, quod ad ipsum spectet tantũ leges Superiorum exequi non item in eis dispensare.

656. Tertia est, supremum Principem pro potestate sua plenaria, posse pœnam reo condonare, etiam accusatore nolente, si bonum commune ita exigat. Ratio est: quia accusatio, & condemnatio referri debent ad bonum commune: ideoque illa huic obsistere non debeat, sed postponi: quantumcumque priuatus aliquis inde sentiat detrimentum; cum vtilitas priuata postponenda sit communi. Et ita si reus detur valde necessarius Reipubl. Princeps potest pœnam mortis ei condonare, quidquid aliqui, quorum interesse potest, reclament. Videri potest Molina *De iustit. & iure, tract. 3. tom. 4. disput. 48.*

Quarta propositio est, quando pœna debita fuerit solum ob priuatum bonum accusatoris habẽtis ius, vt reus puniatur ratione iniuriæ sibi illatæ; ne quidem Principem supremum posse eam relaxare, accusatore ipso renuente, nisi bonũ commune tale quid fieri exigeret. Ratio est, quia cum Iudex custos sit, & minister iustitiæ, tenetur sic inter partes dicere ius, vt suum cuique reddat.

Quinta est, consentiente accusatore cuius interest, supremum Principem posse relaxare reo pœnam lege impositam. Inferiorem autem Iudicem non posse. Ratio est, quod ille dispensare possit in lege, hic non item. Vnde post Sotum *in 5. De iustit. & iure, quæst. 4. art. 4. ad 1.* merito monet Gregor. à Valent. 2. 2. *disp. 5. quæst. 11. in fine*, periculosum quandoq; esse pro reis intercedere: quia nonnunquam fieri potest, vt illicita pœnæ relaxatio petatur.

656. Sexta propositio est, quando leges pœnas infligendas delinquentibus non determinant, sed relinquunt prudentiæ, arbitrioq; Iudicum, hos debere ad mansuetudinem potius, & misericordiam, quam ad seueritatem, & rigorem inclinare. Probatur per illud in Cap. Alligant, 26. quæst. 7. Melius est propter misericordiam rationem reddere, quam propter crudelitatem. Vnde glossa ibidem infert idipsum quod dicimus. Pro quo facit etiam quod in dubio præferatur sententia inclinans in rei fauorem, exceptis casibus matrimonij, libertatis, dotis & testamenti, ex Cap. finali, De sententia, & re iudicata. Facit & regula 11. iuris in 6. Cum sunt partium iura obscura, reo fauendum est potius, quam actori. Immo, *vt patet ex communi vsu*, Iudex potest ex rationabili causa, præsertim parte læsa consentiente pœnam meritam, ac condignam mitigare in leuioribus criminibus, vt in homicidio commisso casu, ex nonnulla culpabili inaduertẽtia; in furto non adeo magni valoris, & similibus. In criminibus autem maioribus, præsertim atrocioribus (*qualia sunt homicidium ex insidiis, aut per sicarium, aut assassinum, depredatio iter agentium, siue terra, siue mari, aliaque notabiliter nociua in Republ.*) nullus Iudex potest pœnam condignam mitigare, etiam parte consentiente; quoniam id fieret contra commune bonum, quod per talia graue læditur: ideoque Respu-

blica tali mitigationi reclamare censetur, ne in ea foueatur animus,& audacia talia committendi. Ad quod facit illud Deut.13.de idololatria punienda;Non parcat ei oculus tuus, vt miseriaris, & occultes eum: sed statim interficies, &c. vt omnis Israel audiens timeat,&nequaquam vltra faciat quidpiam huius simile.

De cæteris quæ in Iudice requiruntur.

SECTIO V.

657. QVARTVM quod in Iudice requiritur ad debite liciteque iudicandum,est scientia, prout confirmatur: tum per illud in Cap. Non est prima, quæst. 1. in fine. Quisquis Sacerdotium,non ad elationem pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat,prius vires suas cum eo quod est subiturus onere metiatur: vt si est impar,abstineat; & ad id cum metu etiam, cui se sufficere existimat, accedat: tum per illud D. Thomæ 1.2.*quæst.76.art.2.* Vnusquisq; ea scire tenetur, sine quorum scientia non potest debitum actum recte exercere. Vnde omnes tenentur communiter scire ea quæ ad ipsorum statum & officium spectant: tum demum per illud D.Antonini 2.*part.tit.3.cap.6.versus medium.* Videtur pro regula sumi illud; quod quicunque ponit se ad aliquod exercitium publicum, ex quo potest aliis notabile damnum sequi verosimiliter, in persona & in rebus, propter magnam ignorantiam illius circa idem exercitium; quod inquam peccet mortaliter. Adde, & quod teneatur ad restitutionem damnorum inde secutorum, argumento Cap. fin. De iniuriis, & damno dato.

QVINTVM, quod ad idem in eodem requiritur, est debita intentio: ita vt Iudex ad sententiam ferendam non procedat ex odio,aut alia mala passione, sed potius ex amore,affectuve iustitiæ. Cuius conditionis defectu, peccatum committi in iudicando, dubium non est. Tale erit vero, qualis fuerit affectus ille prauus quo Iudex mouebitur ad iudicandum. Sic Iudex per inuidiam occidens aliquem vere probatum latronem,peccato inuidiæ contra charitatem peccasse dicitur: non autem peccato homicidij contra iustitiam,quia ius habuit occidendi. Cæterum amor ille iustitiæ requirit, vt nihil cõtra eandem faciat; sed cuique tribuat quod suum est, secundum merita sententiam ferat, secusq; faciens grauiter peccat peccato peruersi & iniqui iudicij, ex D.Thoma 2.2. 658. *quæst.60.art.2.*

SEXTVM est, puritas linguæ,& manus,qua abstineat,& à verbis iniuriosis, ac contumeliosis, & à verberibus itidem iniuriosis, atque à concussione: quæ tunc ab ipso committitur cum alicui comminatur, nisi hoc vel illud des, aut facias,illud faciam,aut non faciam: adeo vt sententiam faciat venalem,dando eam, quam alias non daturus erat, aut non dando,quam alias daturus erat: aut etiam differendo, quam non erat dilaturus, vel contra non differendo, quam erat dilaturus. Aduersus quam nequitiam authoritates sunt expressæ sacrarum literarum,& sacrorum Canonum. Sic enim Iudicibus dicitur Deut.16. Non accipies personam,nec munera: quia munera excæcant, & mutant verba iustorum. Iuste quod iustum est persequens. Et Ecclesiast. 20. Xenia, & dona excæcant oculos Iudicum, & quasi mutus in ore, auertit correptiones eorum. Præterea in Cap.Non licet,11.q. 3. habetur ex D.August. ad Macedonium. Non licet Iudici vendere iustum iudicium: etsi liceat Aduocato vendere iustum patrocinium,& Iurisconsulto rectum consilium. Et in præcedenti Cap. Qui recte, habetur ex D. Gregorio; Qui recte iudicat, & præmium remunerationis expectat, fraudem in Deum perpetrat: quia iustitiam quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendidit, &c. Præterea expressis verbis habetur in Cap. Cum ab omni, De vita & honestate Clericor. quod nec iustum iudicium Iudici vendere liceat,& venales sententiæ,ab ipsis etiam sæcularibus legibus reprobentur.

659. QVÆ tamen non obstant quin licitum sit Iudicibus, siue Ecclesiasticis, siue laicis, aliquid loco stipendij accipere, ratione officij, pro obligatione, qua se adstringunt ad illud exercendum; talis enim obligatio est quid pecunia æstimabile, etiamsi exercitium quo ea impletur, *puta sententiæ prolatio,* non sit vendibilis. Cum autem à lege, vel conuentione stipendium certum fuerit determinatum, nihil amplius potest à litigantibus accipi:quia indebitum acciperetur;peccareturque contra iustitiam commutatiuam, cum obligatione ad restitutionem. Videnda sunt dicta in præced. lib. 10.cap.11.

Nec item prædicta obstant quin cuiuis Iudici,tam Ecclesiastico, quam laico,& tam ordinario,quam delegato sit licitum accipere esculenta,& poculenta, quæ intra paucos dies consumi solent, nisi lege particulari id fuerit alicubi prohibitum. Nam id permittitur iure Canonico in Cap. Statutum, §. Insuper, De rescriptis in 6. & ciuili iure communi, in lege Solent, De officio Proconsulis, & in lege Plebiscita, De officio Præsidis. Notantque Angelus in verbo Iudex, §.8. Syluest.eodem verbo 1. quæst. 8. dicto 2. Tabiensis eodem quoque verbo, num.7. & Caietan. verbo Iudicis peccata,in fine.

Oportet autem ea esse moderata,& quæ soleant consumi paucis diebus;quorum numerus cum non sit designatus,arbitrio prudẽtis relictus est designandus,ex glossa ad cit.Cap. Statutum,verbo Paucis.Ac de duobus recte intelligi certum est,nec de pluribus est facienda interpretatio, nisi bene ponderatis circumstantiis,*personarum præsertim,*ex glossa eadem. Adde,debere dari ex mera liberalitate, nec vllo modo, siue directe, siue indirecte extorta esse. 660.

Alia autem munera accipi non posse, quoad Iudices Ecclesiasticos,habetur ex Cap. Cum ab omni, De vita & honest. Cleric. In quo licet expressa mentio sit tantum de Iudice delegato; ad ordinarium tamen extendi, ratio quæ ibidem redditur,satis ostendit: nimirum quod is sit beneficiatus; atque is cui datur beneficium cum iurisdictione, teneatur ius subditis reddere gratis; quandoquidem ab illis accipiens stipendium (*cum aliunde sufficiens habeat*) inique ageret. Hæc enim ratio perinde,ac etiam magis locum habet in ordinario, *cuius beneficio de iure communi annexa est iurisdictio,* quam in delegato illo,de quo expressa mentio fit in memorato Cap.Cum ab omni.

Quoad Iudices autem laicos, considerandum videtur, quid leges loci statuant, aut ferat consuetudo rationabilis, & tolerata à Principe,qui possit eam tollere si velit. Tolerata vero censeri potest, cum Princeps eam sciens non reprobat puniendo, aut contrarium præcipiendo. Vt autem censeatur rationabilis,munera debent esse moderata secundum arbitrium prudentum, timoratorumque virorum. Quæ eadem ratio est iudicandi vtrum licite à Iudice accipiantur expensæ, quas fecit in victualibus, vectura, aliisq; similib. cum ad exercẽdum suum munus proficiscitur extra domũ suam. De iis quæ recipiuntur à Iudicibus ratione sui officij qui volet, poterit videre Summularios in verbo Iudex,& præcipue Angelum,à num.8.ad 20.Syluestrum in 1.quæst.8.9.& 10. Tabiens.à num.7.ad 20.ac Caiet.in verbo Iudicis peccata: itemq; D.Anton.3.par.tit.9.cap.2.§.8. & 9. ac Gabriel.in 4. dist.15.quæst.6.art 2.litera F.& G.

CAPVT LV.

De officio Aduocati.

SVMMARIVM.

661 *Laudabile est officium Aduocati,& conditiones requisitæ ad ipsum licite exercendum.*

662 *Illi non permittuntur Aduocati officio fungi, qui funguntur munere Iudicis,nec ij qui ad id sunt impotentes, siue interiori, siue exteriori impotentia.*

663 *Qui non permittantur ob indecentiam: ac primo de Religiosis.*

664 *De Clericis qui initiati sunt maioribus ordinibus, aut habent beneficium Ecclesiasticum.*

665 *De aliis Clericis.*

666 *Ratio iudicandi,peccentne mortaliter qui præsumunt vsurpare officium Aduocati, à quo excluduntur.*

667 *Scientia requisita in Aduocato.*

668 *Obligatio restituendi quæ Aduocato incumbit, si per suam imperitiam perdat causam.*

669 *A quibus cauere debeat Aduocatus, sufficienti scientia instructus; & ad quam diligentiam teneatur.*

670 *Ea in quibus Aduocati fidelitas consistit.*

671 Aduo-

671 *Aduocati suscipientis causam iniustam peccatum & obligatio ad restitutionem.*

672 *Ignorantia inculpabilis excusat à tali peccato, & obligatione restituendi.*

673 *De eo ad quod Aduocatus tenetur qui causam quam initio putauit iustã, deprehendit esse iniustam, aut probabiliter dubitat an sit iusta.*

674 *De eo quod incumbit Aduocato, cum se causam iniustam defendere cognoscit.*

675 *De peccato quod Aduocatus committit exigendo mercedem ampliorem quam iustam.*

676 *Quæ censeri debeat iusta.*

677 *Prohibetur Aduocatus pacisci de aliquota parte causæ pro victoria.*

678 *Quando Aduocatus cui certa merces promissa est pro tota causa, possit totam accipere, non persequens totam ipsam causam ex iusto impedimento.*

661. OFFICIVM Aduocati commendatur in lege Laudabile, Cod. de Aduocatis diuersorum Iudicum, his verbis, Laudabile, vitęque hominum necessarium aduocationis officium, maxime principalibus præmiis oportet remunerari. De eo agunt D. Thomas 2.2. quæst. 71. ac ibidem ipsius interpretes, & Sotus lib. 5. De iustit. & iure, quæst. 8. Gregor. à Valent. disput. 5. quæst. 15. Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 28. & duobus sequentibus. Toletus in Instruct. Sacerdot. lib. 5. cap. 60. & aliquot alij recentiores; & ex antiquioribus, præter Summularios in verbo Aduocatus, D. Anton. 3. par. tit. 6. cap. 1. & 2. & Gabriel in 4. distinct. 15. quæst. 6. art. 2. ver fus finem. Pro iudicio autem de peccatis nobis proposito considerandæ sunt cõditiones requisitę ad idipsum officium licite exercendum, quæ sunt potissimum quatuor, permissio, scientia, fidelitas, & iustitia.

660.

De permissione requisita ad officium Aduocati licite exercendum.

SECTIO I.

NON omnes admitti ad exercẽdum Aduocati officium, sed aliquos ab eo exercitio repelli, notatũ est à D. Tho. in cit. q. 71. art. 2. De qua re pro illius declaratione in ordine ad praxim, subiiciemus aliquot documenta.

662. PRIMVM est. Eum qui in causa aliqua Iudex est, aut assessor, prohiberi officio Aduocati fungi. Hoc habet Sylu. in verbo Aduocatus, quæst. 2. dict. 4. Et probatur quia non licet in eadem causa duo officia exercere, 4. quæst. 4. cap. 1. & 2. vbi textus est expressus.

SECVNDVM est, *quod D. Thom. loco cit. attigit.* Ex numero eorum qui non sunt Iudices, quosdam duabus de causis non permitti munere Aduocati fungi; vna est. impotentia, siue interior, siue exterior, & altera, indecentia. Illi autem, qui impotentiam interiorem non permittunt, sunt tum furiosus, tanquam non habens mentem sanam: tum impubes, qui ætatis defectum non habet vsum rationis perfectum sufficienter ad debite iudicandum de causæ meritis (*quæ etiam de causa videntur mulieres à tali officio excluse*) tum hæreticus, & quicunque alius de aliquo graui crimine in iudicio condemnatus: quia is non est præsumendus in aliorum negotiis iustitiam exercere velle, qui neglexerit eam erga Deum, ac seipsum exercere. Habetur istiusmodi prohibitio, 3. quæst. 7. cap. Infames, & in cap. 1. & 2. antecitatis. Qui autem non permittuntur ob impotentiam exteriorem; sunt surdi, & muti, vt D. Thomas ibidem expressit; rationem tangens, quod tales careant sufficienti sensu exteriori, sicut furiosi, & pueri sufficienti sensu interiori, ad tale officium obeundum. Qui vero non permittuntur ob indecentiam, sunt tum Religiosus, 16. quæst. 1. Cap. Monachi. 2. *Cuius prohibitionem extendi ad omnes Religiosos constat ex cap. Ex parte, De postulando:* cum etiam clericus maioribus ordinibus initiatus; & qui minoribus quidem tantum, sed habens beneficium Ecclesiasticum, ex cap. 1. & vltimo de postulando.

663. Tertium documentum est: quia necessitas tollit indecentiam, *vt bene loco citato ait D. Thomas*, tum Clericum, tum etiam Monachum necessitate exigente posse, ac Superiore præcipiente, patricinari in causis ipsis spectantibus ad Monasterium, ex citato cap. Monachi. Infamem item in necessitate idem posse pro se, ac pro sibi coniunctis, habetur ex cap. Infames, item citato. Pro pleniore intelligentia autem aduertenda sunt nonnulla. Primum est, quod Nauarrus habet in Comment. 2. De regularib. num. 66. licere Monacho pro alio vel aliis etiam Iudice sæculari, postulare de Prælati sui iusta licentia: qualis esse tunc censebitur, cum vel miseria personæ, vel gratitudo ei debita, vel magna necessitas Monasterij, vel grandis commoditas eiusdem, vel paruitas occupationis eam iustificauerit; non autem auaritia, aut ambitio suaserit. Quæ quando interueniant, *addit ille*, arbitrio prudentis relinquitur definiendum, argumento legis primæ ff. De iure deliberandi, & Cap. De causis, *Extra*, De officio delegati.

Secundum est; Sacerdotes (*& multo minus Episcopos*) iuxta 664.
Cap. Te quidem, 11. quæst. 1. non posse quidem coram sæculari Iudice patrocinari; posse tamen (*& à fortiori eos qui sunt ordinis inferioris*) iuxta cap. finale De postulando, coram Ecclesiastico: tum pro se, tum pro personis sibi coniunctis coniunctione carnali vsque ad quartum gradum, quæ non possunt habere alium Aduocatum, aut saltem tam bonum; tum demum pro miserabilibus personis: quales sunt destitutæ auxilio, vt frequenter solent viduæ, pupilli, & pauperes, quos Ecclesia defendere debet, argumento capitis 1. & 2. distinctione 87. Ita habet Sylvester *in verbo Aduocatus, quæst. 2.*

Tertium est, *de quo alii citatis idem Sylvest. in sequenti quæst.* 4. Clericos nondum Sacerdotes, constitutos tamen in sacris, aut Ecclesiasticum beneficium habentes, posse quidem in quatuor casibus proxime memoratis, patrocinari coram laico Iudice; sed tantummodo in negotiis Ecclesiasticis, iisve quæ attinent ad personas, aut res Ecclesiasticas. In talibus enim sequendo forum Rei, licet in eis aduersus laicum litigare coram sæculari Iudice, ex Capite Cum sit generalis. De foro competenti. Quod vero in negotiis, quæ nec ratione personæ, nec ratione rerum sunt Ecclesiastica, tali officio fungi iisdem Clericis non permittatur, habetur ex Cap. 1. De postulando; vbi Panormitanus numero 4. id notat. Atque quod nullo modo possint eodem officio fungi in criminalibus negotiis, seu quando pœna sanguinis est imponenda, satis constat ex Cap. Sententiam, *Extra*, Ne Clerici, vel Monachi.

De cæteris Clericis idem esse dicendum in hac re, ac de 665.
laicis Nauarrus expressit in Commentario secundo De regularibus, num. 66. Neque obstat quoad criminalia periculum irregularitatis: cum illud subire non sit magis peccatum in eis, quam in laicis; ad quorum statum redire, est ipsis omnino liberum. Pro qua doctrina facit praxis illa communis, vt Confessarij nullum scrupulum inijciant iis; qui etiamsi aliquando fuerint insigniti clericali tonsura, nihilominus exercent non tantum in ciuilibus, sed etiam in criminalibus negotiis officia Iudicum, aut Aduocatorum, aut Procuratorum, aut Notariorum. Quanquam tamen ob notabilem indecentiam non esset quis permittendus sese talibus immiscere cum habitu, & tonsura clericali. Nam illa non videtur minor, quam ea, propter quam in Clement. 2. De vita & honestate Clericorum, §. Item, suspensio imponitur Clerico vestem virgatam publice portanti cum clericali tonsura.

Cæterum quando fuerit dubium, an antedictis modis à 666.
patrocinando excluſi, audientes se ingerere ad eiusmodi muneris functionem, morraliter pecceat, circumstantias inspicere oportet, prudenter ex eis iudicando, vtrum tale quid factum sit cum aliorum notabili scandalo, aut cum detrimento temporali clientis ipso inuito, aut cum violatione obedientiæ in notabilem communitatis perniciem, ac bonæ in ea disciplinæ destructionem.

De scientia, & fidelitate requisita in Aduocato ad rite liciteq; fungendum officio suo.

SECTIO II.

QVoad scientiam debet Aduocatus in primis scire ius in 667.
quo versaturus est. Constat enim alienum esse à ratione, quemquam officium Aduocati suscipere, qui non sit ea scientia præditus, qua valeat sufficiẽter iustitiã, & merita causarum

sarum secundum iura cognoscere: nisi *(vt Nauar. habet in Enchir.c.25.n.28.)* ob defectum Iurisperitorum istiusmodi officio fungatur in tribunali, in quo patrocinatur mediocriter instructus lectione librorum sermone vulgati scriptorũ. Et certe nemo est, quin satis videat talem audaciam, & temeritatem abominabilem esse, nõ tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus: quia cum clientuli consilio Aduocatorũ vtantur, siue in lite suscipienda, siue in susceptа dimittenda: stetq; eorum iudiciis & rationib. *(imo iudices iuxta allegata ab eis, & probata iudicare soleãt)* turpissimum est quenq; tale onus suscipere sine sufficienti iuris notitia; præsertim cum illius fini talis defectus plane obstet, idq; in proximi perniciem. Adeo vt taliter susciпiẽs nequeat à culpa mortali esse immunis: tanquam is nimirum per quem causę bona fide ei creditę periclitentur, nec exitum speratum valeant habere.

668. Imo vero perdens eam per suam imperitiam, non solum peccat mortaliter, sed etiam obligatur ad restitutionem damnorum omnium litigantib. secutorum, nisi iidem haberẽt probe cognitam ipsius insciti am; tunc enim damnũ sibi debent imputare, tanq; ij qui tacite in illud consentiunt. Quanquam tamen summa scientia non requiritur in Aduocato: sed sufficit mediocris, pro causarum & negotiorum qualitate. Adde, & pro hominum opinione: quia is qui doctior reputatur, seq; pro tali gerit, debet scientiam maiorem habere; alioqui non erit immunis à peccato, & obligatione restituẽdi damnum, q̃ committẽtes ei causas suas, *opinione ea decepti*, passi fuerint iniquè, propter ipsius imperitiam iuris. Id quod notatum est à D. Anton. *in 3. par. tit. 6. cap. 1. §. Quantum ad* 1. & à Sylu. *in verb. Aduocatus, q.* 24. Et ratio est: quia ex cap. fin. De iniuriis; qui damni causam dat, damnum dedisse videtur.

Atq; hinc intelligitur *(quidquid in contrarium dicat Caiet in verb. Doctoratus)* mortaliter peccare eum qui non habens scientiam iuris sufficientem, gradum Doctoratus in iure accipit, prout Nauar. expressit *in Enchir. c. 25. n. 55.* per glossam ad Clem. 2. verb. Honorem, De magistris, & rationẽ D. Anton. *2. par. tit. 3. c. 5. §. 6.* quod simpliciter audito Doctoris nomine, ad talem accedant in dubiis: qui ne videatur ignarus, id respõndet q̃ nescit; factus magister erroris, qui non fuit discipulus veritatis: sicque multoties fit, vt causam suam ei committentes, etiamsi bonam iustamq; habeant, perdant tamen: cui periculo eos exponere, dubium non est peccatum esse de se mortale.

669. Porro, Aduocatus sufficienti scientia instructus tria cauere tenetur. Ac primo, ne sit præceps, sed consideratus in iudicando de causa, & in cõsultando, eamq; defendendo. Secundo, ne sophisticas opiniones, sed communes sequatur. Tertio, ne sit negligẽs circa causæ cognitionem, & defensionem. Satis erit autem in singulis causis diligentiam eam, & industriam adhibere, quæ prudentum, peritorumq; arbitrio censebitur sufficiens pro ratione, & qualitate causæ. Qua in re notabiliter deficiens peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem damnorũ quę ex sua negligentia parti subsequuntur, iuxta Panorm. ad Cap. Ad aures, De ætate & qualitate, nu. 4. & 6. Ratioq; est: quia omnibus suscipientib. aliquod officium incumbit ex obligatione illud cum debita diligentia gerere. In particulari vero, quo modo Aduocatus debeat se habere, tum ad clientulam suum, tum ad Aduocatum partis aduersæ, tum ad causæ Iudicẽ, qui volet, poterit videre apud D. Anton. 3. par. tit. 6. cap. 2. §. 1. & duobus sequentib.

670. Quod attinet ad fidelitatem quam Aduocatus debet seruare, ea consistit in his. Primo, vt non adducat in medium leges falsas, vel reprobatas doctrinas afferat, vel leges bonas distorqueat in sensus falsos; quanq; in earum interpretatione sequi potest probabiles opin. Doctorum. Secundo, vt in patrocinando, *iuxta leg. Quisquis, C. de procuratorib.* non vtatur conuitiis, & maledictis, sed potius, *vt par est*, nitatur bonis iudiciis, veris legib. & probata doctrina. Tertio, vt nõ instruat clientem ad iurandum falsum, vel falsas scripturas, aut testes falsos inducendos: neq; in grauamen aduersæ partis dilationes quærat non necessarias. Ita expresserunt *Sylues. verb. Aduocatus, q. 9. & Nauar. in Enchir. cap* 25. *n.* 29. Pro eoq; faciunt quæ habet Couar. *lib. 1. var. resol. cap. 25. num. 1.* & quod ait D. Thom. 2. 2. *quæst. 71. art. 3. ad* 3. Aduocato defendenti causam iustam, licere prudenter occultare ea quibus impediri possit processus eius; nõ autem licere ei aliqua falsitate vti. Id quod procedit ex D. Anton. 2. par. tit. 1. cap. 19. §. vlt. etiamsi aliter victoriam obtinere non posset. Ratioq; est: quia nõ sunt facienda mala, vt veniant bona, ad Rom. 3. neq; indebitis mediis vti licet, vt ad bonũ finem deueniatur. Attamen per tale peccatum nõ incurrit obligationem ad restitutionem: cum, *vt supponimus*, causa quam sic peruerse defendit, sit iusta: neq; alteri in eo suum tollat. Quarto, vt non manifestet aduersario merita causa sui clientis; alioqui enim tanquam præuaricator puniendus esset. Id quod locum habet etiam in casu, quo prius existimans causam esse iustam, postea deprehendit iniustam esse, ex D. Thom. in cit. art. 3. ad 2. Vbi & docet, quid tunc agere debeat; de quo dicemus in sequen. sect. docum. 4. Ex tali autem manifestatione, *prout habet Nauar. loco cit.* oriri obligationem ad restitutionem, patet ex eo, quod per illam lædatur proximus contra iustitiam.

De iustitia requisita in Aduocato.

Sectio III.

671. Ad iustitiam in Aduocato requisitam duo pertinent: alterum, vt causa quam suscipit iusta sit: alterum, vt iusta mercede sic contentus. De priore notanda sunt sequentia documenta.

Primvm est, Aduocatum qui causam iniustam scienter suscipit, præbendo auxilium litiganti siue vt litem vincat; siue vt causa ipsa differatur, siue vt faciat collitigantem concordare, & inire pacta, ex quibus graue damnũ is patiatur; nõ tantũ peccare mortaliter, sed etiam teneri ad restitutionem; nisi illo pro quo patrocinatus est, quiq; cõmodum ex victoria iniuste obtenta accepit, eam faciat. Hoc probatur quoad peccatũ: quia ex cap. 1. epist. ad Rom. Digni sunt morte non solũ qui q̃ mortaliter malum est, faciunt: sed etiã qui facientib. consentiunt. Quoad restitutionem vero: quia ad eam tenentur, non tantũ qui inferunt damnũ: sed etiam qui cooperantur inferentib. iuxta cõmunem doctrinam de obligatione restituendi prouenięte ex participatione in iniusta acceptione. De qua egimus lib. 10. c. 9. Idem documentũ tradens Caiet. in verb. Aduocatus, addit verum esse, non tantũ qñ causa principalis est iniusta: sed etiam quando ea habet aliquod iniustum caput, quod Aduocatus ipse assumit ad vexandum aduersarium: impediendo nimirum ne consequatur illud, quod ei iuste debetur, aut efficiendo, vt iudicium differatur vel peruertatur. Fundamentum eius est, quod tali quoque ratione iniustitia committatur.

672. Secvndvm documentũ est, Aduocatum si quando exignorantia inculpabili tueatur causam iniustam, excusari vtà peccato, sic & à restitutione. Ratio est, quia quod fit ex tali ignorantia, cum non sit voluntarium, nec est peccatum: ac proinde nec iniustitia, in qua fundetur obligatio ad restitutionem ratione acceptionis iniustæ. Quod idem pari ratione dicendum est de cliente, qui bona fide putat se causam iustã habere: vt quia Aduocatus suus id illi asseuerauit, aut eum de iniustitia causæ non admonuit, prout debebat. Imo in talibus casibus clienti ipsi Aduocatus tenebitur restituere expensas, tanquam is, qui suo mendacio, aut sua dissimulatione pernicioſa causam illis dederit.

Tertivm documentum est, Aduocatum qui est taliter dispositus, vt quamcumq; causam, siue iustam siue iniustam defendere non vereatur; peccare quidẽ per eam malam animi affectionem: excusari tamen à peccato iniustitiæ, si adhibita diligẽti examinatione causam iniustã defenderet: bona fide existimans esse iustam. Ratio est, quia ignorantia illius nõ esset tunc culpabilis; sicut cõtingeret eam esse sibi debitã diligentiam in examinando non adhibuisset. Hoc habetur ex Caiet. *in verb. Aduocatus, vers. Secunda, & vers. Quarta, atq; in* 2. 2. *q.* 71. *art.* 3. Pro quo facit commune doctrina de ignorantia inuincibili tradita in præced. tom. lib. 1. cap. 3. Limitandũ est vero, vt procedat tantum, cum quis est vir doctus, eruditusve sufficienter in iis quæ secundum statum suum scire tenetur. Nam nihil est cur excusetur ineruditus; quandoquidem in tali negotio mala fide procedere inuenitur. 675.

673. Qvarivm documentum est, Aduocatum statim ac cognoscit se causam iniustam suscepisse, teneri eam deserere, admonito cliente de illius iniustitia, ac suaso vt liti cedat, vel cum aduersario cõponat, sine damno eiusdem, ac sine dolo, & vi illata, aut metu incusso ad extorquendum illius consen-

sum,

sum in compositionem: quãdoquidem talibus rationibus agendi committitur iniustitia. De qua si Aduocatus clientem suum non admonuit, prout potuit & debuit; peccauit, & incurrit obligationem ad restitutionem. Hæc est doctrina D. Thom. 2.2.q.71.art.3. ad 2. & interpretum ipsius ibid. ac Soti lib.5.de iust.& iure,q.8.art.3.ad 2.Greg.à Valent.2.2. disp.5. quæst 8.punct.4.sub finem; Nauar.in Enchir.cap.25.nu.28. & Summulariorum in verbo Aduocatus. Angel.§.14. Sylu. quæst.10. Tabiæ quæst.13.

ADVERTE vero ex Nauarro eandem obligationem esse illius Aduocati, qui etiamsi nesciat certo causam à se susceptã iniustam esse, magis tamen iniustam putat quam iustam. Ratio esse potest; quod tale quid putans, ex consequenti debeat putare ius aduersarij esse potius & melius, ideoq; debere in fauorem eius ferri sententiam: quod quidem conari impedire, iniquum est. Quod si æque in vtramq; partem dubitet ob varietatem opinionum virorũ magnorum, vel ob diuersos intellectus legis, ex qua decidenda est causa; hanc licet ei ad finem vsq; prosequi, si cliens sufficienter admonitus ita voluerit, prout Nauar.addit. Et ratio potest esse, quod tũc neutri parti iniuria fiat tali prosecutione.

874. ADVERTE præterea ex D.Thom.ibid. *(quod cæteri memorati approbant)* Aduocatum deserentem causam à se susceptam tanquam iustam, sed postea cognitã iniustam, non debere contrariæ parti manifestare eiusdem causæ conditionẽ, nec susc ipere illius patrocinium: quia censeretur præuaricator, & clientis sui quasi proditor, iuxta illud quod in Cap. Si quem pœniteat 2.quæst.3. præuaricator dicitur, qui aduersam partem adiuuat, prodita causa sua. Id quod post Sotum Gregor.à Valent. bene limitat, vt locum habeat tantum quando non est causa sanguinis, aut magni momenti; seu qua agitur de alicuius vita, aut de membro abscindendo, aut de alia re quę non multo minoris æstimatur quam mors, vt amissio omnium bonorum, perpetuum exilium cum dedecore maximo, deiectio de nobili statu; & sic de similibus. Ita vt illud D.Thomę dictum referendum sit ad casus in quibus aduersæ parti innocenti tantummodo imminet periculum cuiusdam necessitatis communis & leuis: in qua subueniendi nõ esse obligationem, dici potest iuxta tradita de eleemosyna in lib.4.c.20. sect.4.vers. Secundo controuersum est. Confirmatur vero ꝓposita limitatio ex eo, quod tunc adsit casus grauis necessitatis: in qua etiamsi extrema non sit, obligatio datur subueniẽdi proximo, iuxta habita ibid.in præced.sect. 3.vers. Tertio receptum est.

ADVERTE demum, in vsu eiusdem ꝓpositæ limitationis, notam præuaricationis repurgari debere interuentu aliquot conditionũ. Prima est iam tacta, vt grauis necessitas innocentis vrgeat. Secunda, vt aduocatus certo cognoscat causam esse iniustam. Tertia, vt nullum graue scandalum secuturum obstet. Quarta, vt fraterna admonitio præmittatur, qua accusator inducatur desistere ab incœpto. Qui si nolit respiscere, debebit sibi imputare periculum cui exponitur: quia in tali necessitate melior est conditio innocentis, iniuriam patientis, quam nocentis, illam inferentis. Quinta est, vt Aduocatus iudicet innocentem alioqui cõdemnatum iri, & speret se sua authoritate & testimonio ad liberationem illius profecturum.

De posteriori, quod pertinens ad iustitiam, in Aduocato requiritur, vt scilicet iusta mercede contentus sit, sequentia documenta notanda sunt.

675. QVINTVM igitur est, in militia togata, perinde ac in armata, locũ habere illud q̃ militib. petentib. quid facere deberent, D.Ioan.Baptista respõdit Luc.3. Neminem cõcutiatis, neq; calumniã faciatis, & estote cõtenti stipendiis vestris. Vnde intelligitur cõtra iustitiã peccare Aduocatũ, si mercedem ampliorem, q̃ ei constituta sit, accipiat tanquã sibi debitam ex iustitia; pro quo videnda sunt dicta in lib.10.c.11.

Intelligitur etiam, quod vt Aduocatus cẽseatur obligatus ex iustitia causam aliq̃ suscipere, mercedem iustam illi constitutam esse debere. Quod iura præcipiant, vt pauperi à Iudice Aduocatus detur, id sic accipiendũ est, vt si gratis ille patrocinari nolit, nec merces ei dari possit ab ipso paupere, ea dari debeat ex ærario publico, prout annotat Caiet.2.2. *q.71. ad art.1.in fine.* Item quantumuis Aduocatus recusans patrocinari constituto in extrema necessitate *(vt ei qui plectendus est capite, nisi eum defendat)* aut in quasi extrema *(vt ei qui spoliandus est bonis omnibus)* aut etiam minore quidẽ illius, graui tamẽ *(vt ei qui condemnandus est ad triremes, aut ad publicam fustigationem ignominiosam)* quãtumuis inquam peccet mortaliter, iuxta receptam doctrinam de eleemosyna à nobis traditam in 1.par.lib.4.cap.20. *(& satis confirmatam ex sententia, de qua Matth.25.)* excusatur tamen à restitutione damnorum ex tali peccato secutorũ, eo quod non sit cõmissum contra iustitiã, sed solum contra charitatem proximo debitam.

Quod aduerte verum esse, si tale officium exerceat solum pro arbitratu suo, vt passim fit, ad victum sibi quærendum, remque familiarem augendam. Nam si à Principe, aut Reipubl. conductus esset, mercede assignata ad patrocinandum pro non valentibus ei mercedem soluere, peccaret contra iustitiam; perinde ac medicus qui similiter conductus, omitteret pauperum curationem. Quod vero Caiet.ad cit.ar.sub initium, à mortali excusat Aduocatum recusantem patrocinari pauperi in graui necessitate, nõ extrema; admiserim tm̃ in Aduocato, cui vltra operam quæ ei necessaria est vt lucretur ad statum suum conseruandum, nihil temporis & industriæ supersit. Pro quo facit q̃ Sylu.habet in verbo Aduocatus, num.11. Aduocatum teneri de sua scientia eleemosynam facere miserabilibus personis, quæ defectu Aduocati causas suas perdunt, ita esse limitandum, vt excipiatur casus in quo oporteat ipsum ratione suæ paupertatis pro se lucrari, neq; id possit patrocinãdo pro paupere sine mercede. Ratio vero est, quia ex doctrina communi de eleemosyna, is tantum obligatur subuenire proximo in graui necessitate infra extremam constituto, qui habet superflua status: seu non necessaria sibi secundum suum statum.

676. SEXTVM documentum est. Si authoritate Principis certa merces taxata sit Aduocato pro certa causa, aut certa scriptura, & sic de aliis; ipsum non posse ampliorem aut exigere, aut accipere sine peccato, & obligatione restituendi q̃ amplius acceperit. Ratio est quia talẽ taxam iustam esse putandum est, nisi de contrario aperte constet; cum in dubio melior conditio sit Superioris, & maxime in re proposita tanq̃ Reipub.necessaria ad reprimendam Aduocatorum habendi cupiditatem; & ad consulendum clientib.quos pudet parum dare, & auiditas vincendi extimulat ad multum dandum; vnde facile fieri pot.est vt mercedes immoderatæ introducãtur. Quæ qũ non fuerint publica authoritate determinatæ, earũ determinatio relinquitur prudentum ac timoratorum arbitrio. Qui illas constituunt quatuor potissimum ponderatis: quorum primum est grauitas causæ: minor enim merces sufficit pro causa leui & facili, quam pro graui & difficili. Secundum, labor suscipiendus in talis causæ patrocinio; minori enim minor, & maiori maior merces vt respondeat, consentaneum est. Tertium, dignitas Aduocati: magni enim nominis Aduocato, vt habet Tolet.lib.5.Instruct.Sacerd.cap.60. maior debetur merces: si quidem illud nomen obtinuerit apud prudentes ex scientia & ingenio præstanti: non autem solum apud vulgus ex fastu externo, quo idem vulgus sæpe fallitur; prout satis indicarunt antiqui per illos versus quos D.Anto. refert in 3.tit.4.cap.2.

Vir bene vestitus, pro vestibus esse peritus
Creditur à mille, quamuis idiota sit ille,
Si careat veste, nec sit vestitus honeste,
Nullius est laudis, quamuis sciat omne quod audis.

Quartũ põderandũ, est cõsuetudo patriæ seu regionis in qua degitur, nõ irrationabilis. Constitutũ sit igitur, nõ licere Aduocato quantã libuerit mercedẽ pro patrocinio suo exigere, sed ipsum debere contentũ esse ea quæ præscripta fuerit à lege, aut prudentum arbitrio determinata, tanquam iusta.

677. SEPTIMVM documen.est. Aduocatum non posse pacisci cum cliente de aliquota parte causæ si vincat; nempe vt mediam, aut tertiam, aut quartam partem, &c. consequatur pro victoria. Ita enim statuitur in l. Sumptus, ff. De pact. ob eam rationẽ, ne Aduocati conẽtur per fas & nefas victoriã obtinere, atq; adeo fraudib.faciendis occasio detur. Non esset tũ illicitũ tale pactũ, absq; illa cõditione, *si vincat*, sed absolute factũ ꝓiusta mercede, nõ habito respectu ad victoriã, h.e. siue vincat, siue nõ: quia tunc cessat illa occasio, ꝓut ait Angel. *in verb.Aduocatus*, §.15. Et cõfirmatur, q̃a in eo nihil amplius fit, q̃ cum ꝓmittitur certa pecunię summa pro lite defendenda.

678. OCTAVVM documentū est. Aduocatum, cui certa merces ꝓmissa fuit, posse totam accipere, tum qñ lite iam cœpta clientulus ab ea desistit sua sola voluntate; tum qñ in fraudē illius idem clientulus cum aduersario cōponit; aut bona fide quidem id facit, sed ipsius Aduocati interueniente studio & industria: in quo casu æquialenter præstat illud pro quo locata est ipsius opera. In illis vero priorib. cum paratus fuerit operam locatam exhibere, conductor similiter paratus esse debet constitutam mercedem soluere. Quod si cliens interuentu alterius, quā sui Aduocati iusta de causa composuerit, tunc consentaneum est eundem Aduocatum esse cōtentum parte, quæ sit iusta merces operæ ab ipso positæ.

VLTIMVM documentū est. Si Aduocatus causam cœptā deserat tanquam desperatam: idq; contingat, quia illius iniustitiam non bene præuidit ab initio, mercedem perdit, & ad restitutionem damnorum inde secutorum tenetur. Sin deserat, quia clientulus tali desertioni causam dedit: vt quia aliquid male contra se confessus est; mercedem integram capere potest, quia nihil est ꝙ ipsum cogat resilire à contractu ex quo ea debetur. Quod si nec sua, nec cliētis culpa causam deserat, vt morbo oppressus, aut alio eiusmodi casu ad id compulsus, non perdet quidem salarium, quod fuerit de publico constitutum; argum. leg. 1. §. Diuus, ff. De extraord. cognitionib. non accipiet tamen mercedem à priuato clientulo, ꝓmissam, nisi pro rata temporis quo laborauit, sicut exigit cōmutatiuæ iustitiæ æquitas, seruanda in contractib. Istam distinctionem Sylvest. ex Barthol. habet *in verb. Aduocatus, q.* 21. in duabus præced. ac duab. seq. cætera antedicta docens, & cum eo Tabiens. in eod. verb. n. 19. & sequent. ac ante vtrumque D. Anton. 3. par. tit. 6. cap. 2. §. 4.

CAPVT LVI.

De Procuratoris officio.

SVMMARIVM.

679 *In Procuratore ad exercitium debitum officij sui requiruntur permissio, scientia, diligentia, veritas, & quæ.*

680 *Iustitia in eodem requisita: tum respectu sui, tum respectu aliorum.*

681 *Responsio ad dubium; An Procurator qui gratis aut modico pretio acta iudicialia obtinuit, possit à cliente exigere integram solutionem, & sibi vsurpare.*

682 *Ad quid Procuratori teneatur is, cuius ille causam egit non conductus ab ipso.*

683 *Quando Procurator conductus ad causam aliquam procurandam, alium sibi substituens possit accipere aliquid de mercede constituta.*

679. CONDITIONES quarū defectu Procurator potest peccare in exercitio sui officij, sunt permissio, diligētia, scientia, veritas, & iustitia. Ac de permissione illud sufficit monere, easdem personas quę repelluntur ab officio Aduocati, repelli etiā ab officio Procuratoris ob easdē rationes. Quod attinet ad scientiam, talis in Procuratore esse debet, qua sciat spectantia ad officium suum, perinde ac dictū est de Aduocato. Diligentia vero eiusdem talis debet esse, qua non solū præstet omnia quæ tenetur: sed etiam præstet suo tempore. Cæterum quæ tenetur præstare, sunt ista maxime. In iudicio necessarios terminos petere: appellare cum appellandū est; probare quod probandū est, respondere ꝙ respondendum est, nec in aliis necessariis deesse. Atq; si per ipsius inscitiam aut negligētiam clientulus damnū aliquod capiat, tenebitur ipsum resarcire, tanquam is qui causam illius dederit.

Adhæc, veritatem Procurator habere debet: tum in se, tū etiam in suis clientulis. In se quidem, eadem ratione qua Aduocatus. In suis autem clientulis, vt nunquam inducat ipsos ad negandum veritatem eorum de quibus iuridice interrogantur, & multo minus inducat ad falsos testes producēdos. Atq; secus faciens, damnum quodcumq; aduersæ parti inde secutum fuerit, restituere tenebitur tanquam illius causa.

680. Iustitiam deniq; idē habere debet: primo in ipsamet causa, ad eundem modum quo Aduocatus: nempe, vt non procuret in causa iniusta: ita vt si aliē susceperit, resciens talem esse, teneatur statim ac cognouerit, desistere ab ea. Deinde, vt non exigat, aut accipiat pretia suorum laborum iusto maiora; nisi forte excessus valde modicus sit: cum alioqui non liberaliter, sed inuite dari, satis intelligatur ex eo (*vt Tolet. lib. 5. de Instruct. sacerd. c. 62. in fine habet*) quod dantes talib. soleant eos appellare latrones. In quo etsi reprehēsibiles sint, tamen satis produnt animum suū, non dandi, si necessitas eos non compelleret. Tertio, vt non inducat partes ad iniquam concordiam, nec peruertat Iudicem, nec litem protrahat de industria, vt salariū maius accipiat. Quarto, vt non vsurpet sibi Aduocati munus in prejudicium tum eiusdem, capiendo lucrum attinens ad ipsum: tum clientulorum quos damnificare potest, non sciendo satis quod oportet. Vnde tanq̄ proximo faciens iniuriam, peccat cum obligatione ad restitutionem, vt loc. cit. non longe à fine expressit Toletus; declarans id contingere Procuratorib. qui cum sint exercitati, volunt suscipere defensiones quæ sunt Aduocatorum, ac postea rogant illos vt subscribant iis quæ gesserūt, tanquam gestis per eos, modicum soluendo pro subscriptione. Id quod illi acceptant, quia melius est illis lucrari modicum quam nihil.

Quinto, vt causam primo acceptatam, primo procuret; deinde vero alias posterius acceptatas, nec tot procurandas acceptet, quin possit singulas intra tempus debitū ad finem perducere: alioqui enim peccat & tenetur ad restitutionem damnorum quorū est causa iniusta. Quamquam si rogetur acceptare, & manifestet quod nequeat eas tractare ante certū aliquod tempus veros imiliter determinatū: ac nihilominus clientuli instēt vt acceptent, potest acceptare: cū volenti nō fiat iniuria. Sexto, vt debito modo vtatur in ꝓcurando, id est, non petat terminos impertinentes, aliud ve quidpiam simile faciat. Vltimo, in refellendis testib. non manifestet occulta crimina ipsorum, nisi talis manifestatio esset necessaria ad debilitandum eorundem testimonium, & causa sui clientis esset iusta. Imo & quando iusta est, ei nō licet manifestare crimina occulta, ex quorū manifestatione oriturū est testib. ipsis graue nocumentū, & clienti non nisi leue euēturum est ex ipsorū testimonio; lex enim charitatis exposcit, vt graue proximi damnū pluris faciamus quam nostrum modicum.

Porro possunt hic aliquod dubia moueri quibus satisfa- 681
re oportet.

PRIMVM EST. An si Procurator acta gratis obtinuerit à Notario, vel Curiæ pro illis modicum soluerit: aut Aduocatum habuerit gratis, possit sibi vltra suum, retinere salariū iustum Notario, vel Aduocato debitū? Ad quod respondendum est distinctione. Si n. Aduocatus, aut Notarius, quod sui muneris est gratis faciat in gratiam ipsius Procuratoris, pretium debitū censetur eidem donatum in remunerationem receptorum beneficiorū, vel recipiendorum; ita vt naturaliter illis de honestate obligetur ad tantundem. Quod si iidem (*Aduocatus inquam & Notarius*) nihil, aut modicū accipiant, non quidem debito respectu ad Procuratorem: sed quia sic ipsis placet ad Dei honorem, aliumve finem: Procurator stipendium ipsis debitum retinere non poterit; sed talis beneficentia ipsorum cedet in cōmodum clientis, cuius causa iudicio tractatur. Quæ doctrina est Panorm. ad Cap. Finem litib. nu. 19. De dolo & contumacia. Et confirmatur à simili: quia emens nomine alterius si pro pretio minus iusto res illi detur à vēditore, in illius (*cementis inquam*) gratiam; idem poterit sibi retinere quod deest ad iustum pretium cōplendum; tanquam sibi donatū: non autem si id ipsum factum sit alio respectu: vt quia venditor ipse sciuit emi pro ægroto, vel pro amico, vel pro Religioso: ex Nauar. in Ench. c. 17. n. 79.

SECVNDVM DVBIVM EST. An si litigans non con- 682
duxit Procuratorem, sed hic se ingessit in causa illius, possit post litis victoriam sibi retinere expēsas quas fecisset Procurator conductus? Ad quod Panorm. in seq. n. 30. respondet, non posse; cum hac limitatione tamen, vt id locū habeat tantum, quando ille nihil damni inde accepit. Etenim quia iustitia non patitur, vt quis ex benefacto damnum reportet sine rationabili causa; si tali ex illo suo facto accidat damnum aliquod, siue lucri cessantis, siue damni emergētis, ipse poterit in eius iustam cōpensationem tantum exigere de pretio quod Procuratori constituto soluendum fuisset, quantū ad eandem compensationem sufficiat. Cur autem non possit absolute mercedem exigere, sicut procurator constitutus: ratio esse potest, quod negotium alienum susceperit tantum ex charitate.

TERTIVM

683. TERTIVM DVBIVM EST; an si aliquis fuisset procurator constitutus, assignato ei certo salario; vt certum aureorum in annum, vel pro tota causa, isq; postea substituat sibi alium procuratorem cui det tertiam illius salarij partē, possit tuta conscientia reliquum retinere? Ad quod respondendū videtur: si procurator ipse principalis sic substituat minus principalem, vt nihilominus suscipiat in se periculum negligentiæ, vel ignorantiæ substituti, sustineatque onus admonendi eundem substitutum, & scribendi ad locum vbi Aduocatus moratur, posse retinere partem salarij correspondentē quantitati, & qualitati illius laboris, & periculi. Quod si nihil illorum faciat, tunc totum salarium debere substituto; vtpote cui incumbit totum onus exequendi illud pro quo cōstituta est æqua merces, seu correspondens labori, curæ, & industriæ, pro quibus datur.

CAPVT LVII.

De officio Notarij.

SVMMARIVM.

684 *De permissione, scientia, & diligentia requisitis in Notario.*
685 *De veritate, & fidelitate, deq; ad hanc spectantibus: qualia sunt, nihil actis addere, vel detrahere, ac sincere dicta partium scribere.*
686 *Deinde originale instrumentorum quæ conficit, conseruare apud se, & quo modo.*
687 *Item cauere sibi ab iis quæ in hoc negotio ipsum contaminarēt peccato mortali, iuxta doctrinam Nauarri.*
688 *Deniq; vt bona fide agat quoad instrumenta exhibenda.*
689 *Duo in quibus iustitia in Notario requisita præcipue cōsistit.*
690 *De faciente instrumentum vsurarium.*
691 *De faciente instrumentum contra libertatem Ecclesiasticam.*
692 *Peccatum Notarij accipientis salarium cum non debetur.*
693 *Peccatum accipientis supra taxam à Principe factam.*
694 *De eo, quod Notarius accipere possit gratis datum.*

DE officio Notarij cōmuniter agunt Sūmularij in verb. Tabellio: Caiet. in verb. Notarij peccata. D. Anton. 3. par. tit. 6. c. 3. Nauar. in Ench. c. 23. n. 25. & 52. ac sequ. Petr. à Nauar. lib. 3. De restit. c. 3. n. 11. & aliquot sequent. atq; de Instructione Sacerdotum, Toletus lib. 5. cap. 61.

Conditiones in Notario requisitæ.

SECTIO I.

684. CONditiones autem in eo requisitæ, ex quibus ferendum est iudicium de peccatis, quæ in officij executione committit, sunt permissio, scientia, diligentia, veritas, fidelitas, & iustitia. Atque de permissione monendum est tantum, eosdem, & eadem de causa ab officio Notarij repelli, qui repelluntur ab officio Aduocati.

Quod attinet ad scientiam, ea debet esse mediocris, saltē earum rerum quæ ad idipsum officium pertinent. Diligentiam vero perinde ac Procurator debet adhibere moralem. Quod si per illius negligentiam, *(vt quando lata sua culpa amisit protocollum, vel nō notauit diem, aut aliquem omisit in processu)* pars patitur damnum, peccat mortaliter, & teneatur ad restitutionem, vt expressit Angel. *in verbo Tabellio*, §. 6. Etsi autem non debeat esse Doctor, vt idem addit; debet tamen habere scientiam, saltem mediocrem earum rerum quæ ad artem ipsius spectant, nec ignorare clausulas solitas poni in contractibus; cum vt plurimū imperitia talium soleat damna multa, litesq; causare: vnde multorum conscientia in discrimine constituuntur, prout Conc. Trid. habet sess. 22. cap. 10. De reform. Et ideo decernit, vt Episcopus tanq; Sedis Apostolicæ delegatus, possit priuare, & ad tempus suspēdere quoscunq; Notarios imperitos, vel in officio delinquentes. Quibus dubium non est annumerandos esse eos, qui facientes contractus, apponunt clausulas quæ difficultates inducunt, & contentionib. dant occasionem. Qui & ea de causa tenentur ad restitutionē damnorum secutorū, tanq; obligati, nō tantum Deo, sed etiam hominib. ex D. Anton. in fine cit. cap. 3.

De veritate, & fidelitate.

SECTIO II.

685. QVOD attinet ad veritatem, & fidelitatem in Notario requisitam: is ad obseruationem illius tenetur sub iuramento, q; ab ipso *(vt ex Hostiens. ac nōnullis aliis attingit Nauar. in Enchir. cap. 25. n. 52.)* in sua creatione exigitur, ipseq; præstat. Eadem vero cōsistit in his. Primum est, vt ipse caueat sibi ab omni falsitate, seu veritatis mutatione dolosa, aut malitiosa; aliqua nimirum fingendo, quæ acta nō sunt inter partes, vel ex malitia aliquid eisdem actis addendo, vel detrahendo, vel aliter immutando, vnde instrumentum falsificetur. Qua ratione vltra peccatum graue quod committit, obligationem incurrit ad restitutionem damni inde secuti; vtpote, qui ei causam dat: quod idem est ac illud dedisse, iuxta cap. final. De iniuriis, & damno dato.

Secundum est, vt non solum conficiat verum instrumentum, sed etiam dicta partium ita scribat, vt mens earum sincere intelligatur; cum constet sæpe rem eandem, alio, alioq; modo dictam, alio, alioque modo accipi, atq; detrimentum inde sequi.

Hinc aduerte falsi reum effici Notariū qui in instrumento scribit numeratam esse pecuniam, quam non vidit numerari, & dubitare potest, an numerata sit. Quanquam si coram se fiat numeratio, si non adsit quidem integra, sed tamen partes asserant factam esse integram; bona fide ita esse credens, scribendo in instrumento integram numeratam esse, nō arguetur falsi: quia talis scriptura non tam instituitur ad asserendum quod verum est, quam ad referendum ea de quibus partes inter se consenserunt, iuxta ipsorum verba.

Tertio, vt seruet apud se copiam, seu originale omnium instrumentorum, neq; ipsum det alicui, sed petentib. concedat solummodo transsumptum. Tenetur enim originale apud se diligēter custodire, adeo vt ex Toleto lib. 5 de instruct. Sacerd. cap. 61. ad restitutionem teneatur Notarius, si quando alicui detrimentum ex eo obueniat, quod apud ipsum non maneat originale. Adde etiam, vt non solum seruet originale in breuibus seu in ea forma qua contractus initus continetur breuiter, & protocollum vocatur: sed etiam cum potuerit, extendat illud in formam instrumenti perfecti: redigatq; in registrum, veri instrumenti vim, authoritatemq; habere possit ad subsidium innocentis. 686.

Quarto, vt caueat sibi ab illis peccatis mortalibus, quibus in hac re, *ex Nauar. in Enchir. c. 25. n. 54.* se contaminat, tum is qui rogatus (non rogatus non tenetur ingerere se, ex Sylu. *in verb. Tabellio, q. 8.*) dare aliquod instrumentum quod tenetur dare, non dat, ne parti aduersæ, aut amicis eius displiceat, aut donis corruptus: tum is qui nō informat partem, quæ per ignorantiam renunciatura est alicui iuri. In quo vtroq; casu obligatio est ad restitutionem damni, vtpote cui causa datur: tum etiam qui die festo absque necessitate, solaq; cupiditate lucri instrumenta facit, cum in alium diem differre cōmode possit. Pro quo faciunt dicta in præced. lib. 19. cap. 3. de actib. forensibus in die festo prohibitis. 687.

Tum præterea is qui rogatus à pauperibus non valentib. soluere ei iura sua, recusat scribere ipsorum instrumenta: aut iam scripta in publica forma, eis tradere. Attamen quia ille peccat contra religionem, & hic contra charitatem, non autem cōtra iustitiā, neuter ex solo tali peccato obligatur ad restitutionē. Quod patet de priori, & posteriori, ex eo probatur, q; Notarius sua instrumenta cuiq; exhibere teneatur quidē ex iustitia, nō tamen exhibere gratis, nisi aliunde accipiat iustum salarium. Tum demum is qui conficit testamentum carentis iudicio, aut non vtentis ratione. Qui quidem ad restitutionem tenetur ei qui ab intestato successurus erat. Idē dic si dolo aut importunis precib. inducat testatorem instituere alium hæredem, quam eum quem statuerat instituere. Quamquam ex eod. Nauar. *in seq. cap. 26. n. 36.* non est illicitū verbis simplicibus, sine magna importunitate, per se, aut alium precari testatorem, vt sibi potius, quam alij relinquat hæreditatem suam. Tam hoc autē quam illud Couar. docet ad Regulam Peccatum, *de reg. iur. n 6. par. 2. §. 7. in fine.*

Quinto, ne in gratiam vnius partis occultet instrumentū sine quo altera pars nequit recuperare illud quod est sibi ab ea debitum. In quo cum iniurioſus sit, tenebitur ad restitutionem. Quod idem eadē, ac etiam maiore ratione dicendū est, si occultet instrumēta quæ cōtinent legata aliquib. facta. Imo, si facta esse ignorent, neq; ipsis post longū tempus soluantur, tenetur de factis fidem eis facere, exhibitione instrumentorū, quæ apud se habet. Id enim pertinet ad fidelitatē, quam se in Repub. seruaturum sub iuramento promisit. 688.

Sexto, vt partes de iis quæ violenta, fraudulenta, & obscura sunt, deque aliis quæ possunt ipsis præiudicare, faciat certiores; hoc D. Anton. 3. *par. tit. 6 cap.* 3. §. *vlt.* annotat; & patet, quia censebitur alioqui esse in dolo, atque adeo peccare, cum obligatione ad restitutionem.

Septimo, vt non modo non recuset dare instrumenta, aut transumptum processus, quando legitime ab eo exigentur; sed etiam, vt nihil falsi in eis inserat, nihil diminute scribat, nec sigillum, aut aliquid aliud pertinens ad substantiam veritatis immutet: ex quo & crimen, & pœnam falsarij incurreret. Quæ vero solemnitates sint, per quas cognoscatur, an instrumentum sit validum; & fideliter factum, Iurisperitorum est tradere. De illis qui volet, videre potest D. Anton. 3. parte, tit. 6. cap. 3. §. 5. & Couar. in lib. practicarum quæst. cap. 20.

De iustitia requisita in Notario.

Sectio III.

689. SVpereſt dicendum de iustitia, quæ est conditio vltima earum quæ in Notario requiruntur. Principio igitur notandum est eam consistere præcipue in duobus: nimirum in instrumento conficiendo, & in salario suo exigendo. Atque vt Notarius in conficiendo instrumẽto iustitiam seruet, cauere debet ne faciat illicitum, aut iniustum, nomine iusti cõtractus palliatum: quo casu non tantum peccaret, sed etiam ad restitutionem obligaretur. Illicitum autem instrumentum censetur cum fuerit prohibitum fieri; vt est tum vsurarium, tum quod repugnat libertati Ecclesiasticæ.

690. Circa prius vero notandum est; quod si Notarius instrumentum continens contractum manifeste vsurarium, faciat in loco, vbi debitores in iudicio coguntur vsuras soluere, nec solutas possunt in iudicio ipso repetere; sic mortaliter peccet, vt interdum ad restitutionem teneatur, & plerumque in excommunicationem incurrat per Clementinam vnicam De vsuris. De qua præter glossam ibid. tractant Summularij in verbo Excommunicatio; Angelus in 7. casu, §. 43. Sylu. in 9. num. 82. Tabien. in 5. n. 50. Caiet. cap. 51. D. Anton. 3. tit. 25. cap. 39. Nauar. in Enchir. cap. 27. n. 143. §. 42. & alij inter quos est Suarez tom. 5. in 3. par. D. Thomæ disput. 23. excommunicatione 9.

Quando vero, aut obligationem ad restitutionem, aut hanc censuram à Notario faciente instrumẽtum vsurarium, incurri, aut non incurri contingat, declaratur per illud, quod post Sylueſtrum *vsura 7. quæst. 7. Toletus in lib. 3. Instruct. Sacer. cap. 61. habet.* Quod si Notarius instrumentum faciat de contractu manifeste vsurario, etiam mortaliter peccet, & in excommunicationem incurrat: non teneatur tamen ad restitutionem; quia ex tali instrumento vsurarius non accipit authoritatem repetendi vsuras, cum sit iure ipso nullum; ita vt de eo iudicandum sit ac si non esset: nisi forte contingeret ipsum fieri in loco, vbi siue statutum iniquum, siue consuetudo iniqua vigeret, vt per eiusmodi instrumentum debitor cogi possit ad vsurariam solutionem. Nam tunc non esset excusatio ab obligatione ad restitutionem.

Sin autem faciat instrumentum de contractu quidem vsurario; sed palliato nomine eius veri contractus, in cuius forma celebratur, & instrumentum ipsum scribitur; excusatur quidem ab excommunicatione, quia pœnæ sunt interpretatione restringendæ: peccat tamen mortaliter, & ad restitutionem tenetur, nisi id faciat rogatu partis læsæ, quæ indigens pecuniæ, quam aliter non vult dare mutuo nisi vsurariam; consentit in contractum iniquum; tunc quidem à restituendo Notarius ipse excusatur, quia volenti non facit iniuriam: non tamen à peccato quod committit cooperãdo voluntati vsurarij. Talem contractum hoc exemplo illustrat Toletus ibidem. Petrus dat mutuo Ioanni centum aureos nummos, vt post duos menses recipiat centum & decem, vsura est; ad quam palliandam nomine contractus veri mutui, instrumentum fit de mutuo centum & decem aureorum, cum Petrus dederit & Ioannes acceperit tantummodo centum, qui nihilominus in foro externo, vi talis instrumenti compelletur soluere centum & decem.

691. De alterius generis instrumento, hoc est, de facto contrà Ecclesiasticam libertatem, tantum est addendum, quod Notarius illud faciens peccet mortaliter, cum ideo incurrat in excommunicationem per Cap. Nouerit, & Cap. Grauem, De sententia excommunic. De qua excommunicatione Summularij in verbo Excommunicatio, Angelus in 7. casu 5. Sylu. in 9. num. 31. Tabiena in 5. casu 20. Ad illius autem explicationem possunt sufficere quæ in 2 parte lib. 9. cap. 23. sect. posteriore diximus cum explicuimus clausulam 15. Bullæ cœnæ Domini.

692. QVOD attinet ad Notarij salarium; vt is in illo exigendo seruet iustitiam, cauere debet primo, ne pretium accipiat pro re, pro qua nullum exigi debet; vt pro literis ordinatorum, quemadmodum habet Nauar. *in Enchir cap. 25. n. 54. in fine*, & post eum Toletus *in memorato cap. 61. sub finem*: aperteq; constat ex Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. Vbi ratio tangitur, quod tale quid simoniacum sit, quando, vel loci consuetudo laudabilis fert, vt à Notariis nihil accipiatur, vel ipsis constitutum est salarium pro officio suo exercendo. Quod si, vt *Nauar. addit*, eidem Notario non detur aliquid ex publico ob tale exercitium, ipse potest licite accipere mercedem pro suo labore, considerata ipsius qualitate, non vero qualitate ordinis; nimirum, vt plus ideo accipiat, quod de maiori ordine per testimonium suum fidem faciat. Atque Conc. Trident. ibid. in negotio Ordinis. Notario non habenti aliunde salarium, determinat mercedem decimæ partis aurei.

693. Secundo, cauere debet Notarius, ne exigat pretium iniustum, seu maius eo quod Principis, aut Reipubl. statuto taxatum fuerit. Nam vltra illud recipiens aliquid in notabili quantitate, peccat mortaliter: tum peccato iniustitiæ, & ideo cum obligatione ad restitutionem, ad quam perinde tenetur, ac ille qui in venditione tritici excedit notabiliter iustum pretium: tum etiam peccato periurij, quandoquidem in creatione sua iurare solet se fideliter obiturum suum officium, & leges circa illud latas obseruaturum.

Vbi aduerte ex eo, quod pretium taxatum modicum sit, ita vt constet aperte, non correspondere operæ exhibitæ: Notarium si accipiat aliquid vltra taxam, excusari quidem à peccato iniustitiæ *(si quidem iuxta boni viri arbitrium, non capiat, quam obsequium ab ipso exhibitum meretur)* non excusari tamen à periurio cum violet iuramentum, quod initio susceptionis sui officij præstitit. & singulis annis renouat, de seruandis statutis (*non abrogatis intelligo*) quibus præscribitur ratio procedendi in eodem officio. Istud notans Toletus in fine cit. cap. 61. bene monet, sanctissime facturos Principes, si pretium conueniens habita ratione temporum, & regionum decernerent, vt tale iuramentum, quo multi illaqueantur, auferrent penitus.

694. Aduerte præterea, istud de se non obstare, quin si Notario aliquid gratis detur, possit illud recipere: nisi sit stipendiale statutum, quo prohibeatur recipere etiam sponte oblatum; item nisi dolose inducat litigantes ad aliquid vltra taxam donandum. Quod quidem fieri potest duobus modis, vno aliqualiter inferendo vim, vt v. g. recusando scripturas actorum, nisi illa superabundans quantitas ei detur: quia tunc est extorsio, non donatio; perinde ac cum vsurarius compellit sibi solui vsuras, quæ non debentur ei. Secundo vero modo litiganti taxam ignoranti dicendo plus sibi deberi quam ea ferat, quandoquidem si veritatem ille sciret, supra taxam dare nollet. Iam si Notarius dubitet, an quod sibi datur supra taxam, gratis ei detur, peccat recipiendo; vt potè agens contra conscientiam, seque exponens periculo peccandi contra iustitiam accipiendo indebitum. Ad horum pleniorem notitiam faciunt quæ dicta sunt in lib. 10. cap. 11. quæ eadem ratione, qua ad Notarium, possunt ad Iudicem, Aduocatum, & Procuratorem accommodari.

Laus Deo, Beatæque Virgini.

PRAXIS FORI

POENITENTIALIS, AD DIRECTIONEM CONFESSARII, IN VSV SACRI SVI MVNERIS.

Tertiæ partis, Tomus Tertius,

DE SPECIALI RATIONE IVDICANDI DE PECCATIS SECVNDVM practicam Theologiam Sacramentalem.

Authore P. VALERIO REGINALDO, Burgundo Sequano, è Societate JESV.

PRÆFATIO.

THEOLOGIA practica tanquam ad curationem animæ comparata, *ſicut medicina ad curationem corporis*, duplex cenſetur: vna moralis, poſita in præceptis recte viuendi, tanquam regulis iudicandi de peccatis, prout animæ morbis: altera ſacramentalis, poſita in cognitione recti, debitique vſus ſacramentorum nouæ legis, quæ Chriſtus Dominus in ſua Eccleſia inſtituit, tanquam pharmaca accommodata depellendis ipſis peccatis, & diuinæ gratiæ conſequendæ ac conſeruandæ; in qua conſiſtit animæ ſanitas: itemq; in cognitione cenſurarum: tanquam impedimentorum ſalutaris vſus eorundem ſacramentorum. Ratio autem ſpecialis, ſecundum eandē Theologiam iudicandi de peccatis nobis propoſita, exigit vt conſideremus, tū quę vniuerſe ad ſacramenta ipſa ſpectant: tum quæ particulariter ad ſingula: tum demum quę ad cenſuras. Ea autē attingemus potiſſimum, quæ pertinent ad vſum, tanquā eum in quo peccare contingit. Quę vero ſpeculationis ſunt, Theologis Scholaſticis relinquemus bona ex parte, tanquam propria ipſorū: ideoq; ab ipſis tractari ſolita: cum Magiſtro in quartum ſententiarum, & cum D. Thoma in parte, à quæſt. ſexageſima: & à pleriſq; aliis: quorum (vt & locorum iuris canonici in quibus eadem materia tractatur) meminit Henriquez in initio primæ partis ſuę ſummæ, in qua accommodate ad praxim quam habemus propoſitam, erudite eam ipſam materiā perſequitur. Continebit vero tomus iſte ſeptem libros: quorum primus erit de ſacramentis in genere. Secundus, de Baptiſmo. Tertius, de Confirmatione, Pœnitentia, & Extrema vnctione. Quartus, de Euchariſtia. Quintus, de Ordine. Sextus, de Matrimonio, & ſeptimus, de Cenſuris.

LIBER PRIMVS ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVS SEXTVS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

HIc liber complectetur octo capita; primum erit de natura, & numero sacramentorum: secundum de eorum institutione, & necessitate: tertium de eorundem essentialibus, hoc est, de materia, & forma: quartum, de accidentalibus hoc est, de ceremonijs: quintum, de efficiente: sextum, de effectis: septimum de suscipiente, & dispositionibus in eo requisitis: octauum, de peccatis quibus obnoxij sunt ministrantes, vel suscipientes sacramenta, aut illis cooperantes.

CAPVT I.

De natura, & numero sacramentorum.

SVMMARIVM.

1 *Definitio sacramenti, & conditiones ad naturam ipsius requisitæ.*
2 *Cuius conditionis signa sint sacramenta nouæ legis.*
3 *Qualiter sacramentum significet gratiam iustificantem.*
4 *In vnoquoq; sacramento distinguuntur sacramentum, & res sacramenti, quibus character additur.*
5 *Septem sunt nouæ legis Sacramenta, & qua ratione is numerus concludatur à D. Thoma.*
6 *De fide est, non omnia sacramenta paria esse inter se.*

Nu. 1. AD explicandam sacramenti noui legis naturam, maxime accommodata videtur definitio tradita in Catechismo ad Parochos iussu Concilij Tridentini edito (quod etiam notauit Bellarm. *in tomo 2. Controuersiarum, lib. 1. cap. 11.*) vt sit res sensibus subiecta, quæ ex Christi institutione, sanctitatis & iustitiæ tam significandæ, quam efficiendæ vim habeat. Per eam enim indicantur sufficienter omnes illæ octo conditiones, quas communi Theologorum consensu ad eandem naturam constituendam requisitas idem author *in præced. cap. 9. refert.* Prima est, vt sit signum. Id quod tanquam per se notum, & à Patribus receptissimum præsupponitur à D. Thoma *in 3. par. quæst. 60. art. 1.* prout notat Sotus *in 4. distinct. 1. quæst. 1. art. 1.* Signum vero ex D. Augustin. in 2. de doctrina Christiana cap. 1 dicitur id, quod præter sui speciem, q̃ ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire: vt vestigio viso, transisse animal: & fumo viso, ignem subesse cognoscimus. Secunda est, vt sit signum sensibile: sacramentum enim essentialiter est ceremonia religionis: & ideo actus externus sensu perceptibilis. Tertia, vt sit signum, non quidem naturale, (cũ vestigium est transitus animalis: aut fumus, ignis: sed voluntarium seu institutum ad placidum dantis illud: perinde ac nomina & verba, vexilla, sonus tubæ, vel campanæ & similia. Quarta, vt habeat aliquam similitudinem cum re significata. Ad quam explicandam Bellarminus præter signum naturale, & signum mere voluntarium, ponit signum medio modo se habens; nempe quod quamuis habeat aliquam similitudinem cum re significata: ea tamen est indeterminata, & confusa, vt ad aliquid particulare significandum actu, egeat determinatione: quo modo imago hominis ad nullius particularis hominis similitudinem facta; vt censeatur aliquem in particulari repræsentare, debet determinari adscripto nomine illius qui repræsentandus est; vel aliquo signo addito, quod eidem repræsentando sit proprium; prout ad D. Petrum repræsentandum, *tanquam ei proprium*, claues tenere manu: & ad D. Paulum repræsentandum, tenere ensem, & sic de similibus.

Cuius conditionis signa esse nouæ legis sacramenta, declaratur in Baptismo. Is enim consistit in ablutione corporis ex aqua; quæ ablutio similitudinem habet cum emundatione animæ à sordibus peccatorum: ad quam significandam, & efficiendam assumitur. Sed significationem habet indeterminatam (quandoquidem non minus posset adhuc alia referre) quo fit vt determinetur addita ex Christi institutione, forma illa verborum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: atque intentione ministri, faciendi quod Christus instituit. 2.

Quinta conditio est, vt tale signum rem sacram, non autem prophanam repræsentet; prout nomẽ ipsum sacramenti indicat: dictum enim est à sacro: patet ex eo, quod sacramentum sit religionis ceremonia. Ea res vero sacra ex D. Thom. *3. par. quæst. 60. art. tertio*, triplex est: vna quidem gratia iustificans, quæ & præsens demonstratur: altera vero passio Christi, quæ commemoratur vt præterita, & vt causa gratiæ. Tertia demum vita æterna, quæ præfiguratur, vt futura, estq; effectus gratiæ. Hoc patet ex sacrosancto Eucharistiæ sacramento: de quo canit Ecclesia: O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Principaliter autẽ, essentialiterq; sacramentũ significat gratiam iustificãtem, quæ de præsenti per illud confertur. Nam sacramenta significant id quod efficiunt: atque sunt à Christo instituta, vt ad iustificandum, sic & ad efficiendam gratiam ipsam iustificantem. 6.

Adeoque sexta conditio sacramenti nouæ legis est, vt sit signum sanctificationem significans, non vtcumque; sed vt ipsa sit tunc, cum illud perficitur, suscipiturve. Id quod verba sacramentalia: Ego te baptizo, Absoluo te, Confirmo te, ostendunt. 3.

Septima conditio est, vt signum sit practicum, quod significet sanctificationem, non tantum quæ tunc fiat, sed etiam quæ fiat vi ipsius sacramenti, tanquam causæ instrumentalis eiusdem sanctificationis: seu infusionis gratiæ animam. Neque refert quod eam non semper efficiat actu; quia id per accidens est: nimirum per indispositionem subiecti, adherentem impedimentum; prout contingit in eo qui retinens affectum perseuerãdi in aliquo peccato mortali suscipit baptismum: ponendo ea ratione obicem eidem gratiæ, quam alias ipse Baptismus ex se aptus est efficere. Postrema conditio est, vt sacramentum sit ceremonia religionis stata, & solemnis: quæ ex Christi institutione hominem cõiungat cum Deo, sanctificetque. 7.

Consentaneum autẽ est his, quod in vnoquoq; sacramento distinguuntur sacramẽtum, & res sacramenti. Illud enim est signum visibile sanctificans simul, & causans interiorem 4.

gratiam,

gratiam, iuxta iam dicta. Hoc vero, est eadem gratia significata & causata. Quibus respectu quorundam sacramentorum, *puta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis*, additur, res & sacramentum simul: diciturq; Character sacramentalis; qui simul significatur & significat, prout patebit in seq. cap. 6. & est qualitas indelebilis, quam tria illa sacramenta, *perinde ac gratiam*, imprimunt in anima ex Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere. canone 9.

5. Quod attinet ad sacramentorum numerum; septem, neque plura nec pauciora esse, certum est de fide ex cap. Ad abolendam, De hæreticis: & ex Conc. Floren. in instructione Armenorum: atque apertius ex Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 1. Id quod aduersus hæreticos bene propugnant Bellarm. *tom 2. controuersiarum lib. 2. De sacramentis in genere, cap. 23. & quatuor sequentib. ac Gregor. à Valent. ad tertiam partem D. Thomæ, disput. 3. quæst. 6. puncto* 2. Illius numeri vero rationem, seu conuenientiam D. Thomas 3. *par. quæst. 65. ar. 1.* repetit ex proportione inter corporalem vitam & spiritalem, quæ est sacramentorum finis. Nam vt in vita corporali quædam requiruntur ex parte singulorum hominum, & quædam ex parte vniuersitatis, seu Reipublicæ. Ac ex parte quidem singulorum hominum tria requiruntur per se: nempe generatio, augmentatio, & nutritio: per accidens vero, duo: nempe remedium contra morbos, si contingat hominem ægrotare, & remedium contra reliquias morborum, vt perfecte conualescat. Duo item requiruntur ex parte Reipub. nimirum parentes, qui in ea propagẽt vitam corporalem: & Principes ac Magistratus, qui eam regant & ordinent. Eadem ratione in vita spirituali requiritur primo, spiritualis generatio per Baptismum. Secundo, augmentatio per confirmationem. Tertio, nutritio per Eucharistiam. Quarto, remedium contra morbos peccatorum per pœnitentiam. Quinto, remedium contra reliquias peccatorum per Extremam vnctionem. Sexto, propagatio hominum fidelium, seu multitudinis constituentis Ecclesiam, per matrimonium. Septimo, regimen eiusdem multitudinis, per sacramentum Ordinis. Quam rationem ad eum D. Thomæ locum explicat Suarez: sed nobis satis est, quod rem satis bene declaret, neque esse opus similitudinem per omnia quadrare.

6. De comparatione eorundem sacramentorum inter se, quam D. ipse Thom. habet *in seq art. 2. & 3.* videri potest Bellarm. in cit. lib. 2. cap. 28. quia enim res ad speculationem potissimum spectans, nobis sufficere potest monuisse de fide esse, quod ea non sint ita inter se paria, vt nulla ratione aliud alio sit dignius, ex definitione Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 3.

CAPVT II.

De Sacramentorum institutione, & necessitate.

SVMMARIVM.

7 *Institutio omnium sacramentorum nouæ legis est à Christo: & quod necessarium aliud sit necessitate medij, & aliud necessitate præcepti.*

8 *Duæ differentiæ inter vtramq; illam necessarij speciem.*

9 *Tenenda, de necessitate sacramentorum.*

10 *Quæ dicatur necessitas sacramenti.*

7. EX Concil. Trident. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 1. constat de fide esse, quod sacramenta omnia nouæ legis sint à IESV Christo Domino nostro instituta: atque id immediate, prout Bellarmin. ostendit *De sacramentis in genere, lib. 1. cap.* 23. Quando autem sint instituta, dicendum est postea, de singulis agendo. Vt autem intelligatur eorum necessitas ad animæ salutem, ad quam ordinantur, vt ad finem; notandum est aliquid necessarium esse ad finem, vel simpliciter; cum scilicet finis absque eo haberi non potest: quo modo pedes sunt homini necessarij ad ambulandum: vel secundum quid, nempe cum finis sine eo haberi quidem potest, non tamen ita commode: quo modo equus est homini sano necessarius ad faciendum iter. Rursus necessarium simpliciter posse tale esse, vel necessitate medij, nimirum quando ad finem consequendum ita requiritur, siue ex rei natura, siue ex pacto & institutione alterius, vt sine eo talem finem nemo cõsequi possit: quo modo sumptio cibi necessaria est ad conseruationem vitę corporalis; & sexus virilis ad sacerdotium. Vel posse esse necessitate præcepti: vt contingit cum faciendum est, aut omittendum aliquid, non quod sit medium absolute necessarium in finem propositum: sed quod sit præceptum fieri ab eo, qui velit potiri fine: quo modo bona opera præcepta à Deo, vel ab Ecclesia, authoritate Dei, sunt necessaria Christiano ad consecutionem æternæ salutis.

8. Inter quos duos necessarij modos duplex cernitur differentia; prior est, quia eo ipso, quod aliquid necessarium est ad salutem necessitate medij, consequenter est & necessitate præcepti, quoniam ratio naturalis dictat, præscribitque tale medium assumendum esse: non vero contra, eo ipso, quod aliquid est in præcepto, consequenter medium est ad salutem ita necessarium, vt ea sine illo haberi nequeat. Quemadmodum hoc ipso quidem quod aliquid est de se malum, est quoq; prohibitum: non autem cõtra, aliquid eo ipso malum est de se quod prohibitum sit. Posterior differentia (*qua præcedẽs illustratur*) est, quod cum aliquid est necessarium necessitate medij, si quis non assumat tale medium, nec consequatur finem; etiamsi absque sua copia nequeat id ipsum medium habere: aut licet habere potuerit, tamen ex ignorantia inuincibili, illud non assumpsit. Cum vero aliquid est necessarium necessitate tantum præcepti: si quis propria culpa illud omittat, ipse peccat: non item si omittat ex aliqua iusta causa (vt ex impotentia vel ignorantia inuincibili) sed excusatur, neque impeditur à consecutione finis, puta æternæ salutis: vt is qui extreme indigenti non dedit eleemosynã, quia non habuit quod daret; aut qui in die festo nõ interfuit Missæ, quia morbo graui laborabat. Porro necessarium simpliciter necessitate medij (prout ante indicauimus) quoddam est ex rei natura, vt illud quo alæ sunt ad volandum necessariæ: quoddam vero ex alterius institutione; vt illud quo in ludis attingere metam, medium est necessarium ad reportandum brauium.

9. Quibus ita positis: de necessitate sacramentorum, tenendum est primo, omnia ad consecutionem salutis necessaria esse secundum quid; id est, accommodata, vtiliaque esse. Id enim est de fide ex Conc. Trid. sess. 7. De sacramẽtis in genere, can. 4. In quo anathemati subiicitur qui dixerit sacramẽta nouæ legis, non esse ad salutem necessaria, sed superflua: hoc est, *prout bene declarat Suarez in fine commentarij ad art. 4. antecitatæ quæst. 65. D. Thomæ*, qui dixerit nullum sacramentum esse necessarium ad salutem, aut aliquod esse superfluũ, seu nihil ad eam vtile esse: superfluitas enim vtilitati opponitur. Tenendum est secundo, nullum ex iisdem sacramentis necessarium esse ad salutem ex natura rei, quia dubium non est, quin Deus sine illis possit saluare homines. Tenendum est tertio, posita Christi institutione, quædam esse necessaria necessitate medij simpliciter: quædam non item; namque sine Baptismo vel in re vel in voto, neminem saluari, habetur per illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cœlorum. neque item sine pœnitentia, saltem in voto, saluari eum post Baptismum susceptum mortaliter peccauerit: habetur ex Concilio Triden. sess. 14. cap. 2. in fine, vbi statuitur: sacramentum pœnitentiæ lapsis post Baptismum, ad salutem necessarium esse, sicut nondum regeneratis Baptismus. Aliqui pariter addunt sacramentum Eucharistiæ; sed de eo controuersia est alterius loci. De reliquis autem sacramentis constat non esse necessaria necessitate medij simpliciter. Quatenus vero necessaria sint necessitate præcepti, suis locis dicetur Deo iuuante.

10. Aduerte vero nullam ex his necessitatibus esse eam, quæ dicitur necessitas sacramenti: sed aliam, qua necessarium illud dicitur, sine quo sacramentum perfici & valere nullo modo potest: qualis est necessitas aquæ ad Baptismum. Id vero sine quo potest sacramentum perfici quidem, requiritur tamen ex præcepto (*& ideo sine peccato non omittitur, nisi vrgens ac legitima causa excuset*) dicitur necessarium necessitate sacramenti, non quidem simpliciter, sed ex præcepto: prout exorcismus dicitur necessarius ad Baptismum: aliæq; ceremoniæ ad idem sacramẽtum, aut ad aliquod cæterorum

requisitæ. De quibus Concil. Trid. sess. 7. de sacramentis in genere, can. 13. sic decernit: Si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse, anathema sit. De illis agemus in seq. cap. 4.

CAPVT III.

De essentialibus, nempe de materia & forma sacramentorum.

SVMMARIVM.

11 *Tria ad vnumquodq; sacramentum concurrere oportet vt perficiatur: materia, forma, & minister.*
12 *Modus compositionis sacramenti ex materia & forma.*
13 *Materia cuiusq; sacramenti indeterminata quidem est quoad determinationem, non tamen quoad rem.*
14 *Materia & forma sacramentorum certæ, definitæq; sunt ex Christi institutione.*
15 *Ecclesia nequit mutare essentialia sacramentorum, nec effectum eorum impedire.*
16 *Quod in sacramento, & res, verbi: & verbum, rei habere possit rationem.*
17 *Quæ coniunctio materiæ & formæ requiratur ad sacramentum.*
18 *Quanta item vtriusq; propinquitas.*
19 *Qua ratione sacramentum Eucharistiæ censeatur re constare & verbis.*
20 *Mutatio essentialis in materia & forma sacramenti, reddit istud inualidum: non item accidentalis. Et quando essentialis contingat in materia.*
21 *Quando in forma.*
22 *Ad sacramentum nihil refert, cuius idiomatis sit ipsius forma, neque an eam intelligat qui administrat illud, vel suscipit.*
23 *Dummodo verba habeant significationem vsu receptam, qualem sacramenti forma exigit.*
24 *Sex modi quibus fieri potest mutatio in sacramenti forma: & ratio iudicandi quando illa sit huic essentialis, & quando accidentalis.*
25 *Quid sit faciendum in probabili dubio, An ex mutatione forma pereat.*
26 *Quando ex accidentali mutatione formæ sacramentum irritum reddatur, vel non.*

II. OMNIA legis nouæ sacramenta tribus perficiuntur, vt Concilium Florentinum in instructione Armenorum decernit: videlicet rebus, tanquam materia; verbis, tanquam forma: & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia: quorum si aliquod desit, non perficiatur sacramentum ipsum. Quoquidem decreto significatur vnumquodque antea memoratorum sacramentorum, ex rebus & verbis tanquam partibus componentibus constare. Et satis significauit D. Augustinus relatus in cap. Detrahe, 1. quæst. 1. dicens: Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Atque patet ex eo quod nomina formæ & materiæ, sint partium substantiam rei constituentium. Significatur pariter ex ministro pendente: tanquam effectum nimirum ex suo efficiente: de quo in sequenti capite quinto. De eadem vero materia accommodate ad nostrum institutum dicturi: quæ sunt speculationis scholasticæ relinquemus ei qui volet videnda apud Francisc. Suarez tom. 3. in 3. part. D. Thom. disput. 2. late & erudite suo modo ea persequentem.

12. Notandum est autem primo cum Bellarm. *De sacrament. in genere, lib. 1. cap. 18.* sacramentum non esse quidem proprie aliquod compositum physicum: habere tamen cum eo similitudinem quandam. Nam vt in composito physico materia præcedit, & ad eam accedit forma; sic et accedit verbum ad elementum, seu ad rem, & fit sacramentum. Deinde sicut in composito physico materia est indeterminata, & ex se indifferens ad quamlibet substantiæ corporeæ speciem; & per formam, ad aliquam certam determinatur: sic in sacramento (*quod cum de se signum sit, non aliter componitur ex rebus & verbis, quam vt significant*) rei significatio indeterminata, determinatur per significationem verbi: nec aliter res & verbum veniunt in sacramenti compositionem, quam per talem determinationem significationis. Exemplo est compositio Baptismi ex humani corporis ablutione ex aqua, & ex prolatione verborum: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti facta secundum Christi institutionem. Hæc enim determinate significando emundationem animæ per gratiæ infusionem, ad eandem significationem determinat ablutionem prædictam: quæquidem potest indifferenter, vt illam, ita & aliam emundationem significare: verbi gratia liberationem ab aliqua infamia tanquam à sorde.

Notandum est secundo, quod etsi materia sacramenti 13. quoad significationem indeterminata sit; quoad rem tamen certam ac determinatam, non minus, quam formam. Id quod patet inductione: cum enim duplex distinguatur: vna remota, & altera propinqua: Baptismi materia remota, est aqua naturalis: pœnitentiæ, peccata: Eucharistiæ, panis triticeus, & vinum ex vuis vitis expressum: Confirmationis, Chrisma ex oleo & balsamo confectum, & ab Episcopo benedictum: Extremæ vnctionis, oleum oliuarum, ab Episcopo item benedictum: Ordinis, instrumenta singulorum ordinum: & inter cætera, ordinis sacerdotalis, calix cum vino, & patena cum hostia: Matrimonij denique personæ habiles ad contrahendum. Proxima vero materia Baptismi, est ablutio: Pœnitentiæ, confessio peccatorum cum contritione: Eucharistiæ, species panis & vini: Confirmationis & Extremæ vnctionis, vnctio est antememorato oleo: Ordinis, porrectio seu traditio supradictorum instrumentorum: Matrimonij denique, coniugum consensus ab ipsis expressus signo externo. De quibus singulis erit suis locis in sequentibus dicendum.

Hoc autem loco notandū est vniuerse, in materia remota requiri debitam qualitatem, & quantitatem: vt in aqua Baptismi, quod sit vera & elementaris; atque tanta vt idonea sit 17. ad effectum exterioris ablutionis corporis, per quam possit significari interior animæ ablutio: quæ Baptismo ipso tanquam Dei instrumento perficitur.

Si quis quærat, vtrum materia & forma sacramenti certæ 14. sint & finitæ ex Christi institutione. Respondendum est affirmatiue. Cum enim talis determinatio facta sit ad particularem sacramenti constitutionem: atque, vt habitum est initio proxime præcedentis capitis, de fide sit Christum omnium sacramentorum institutorem esse: non alio, quam ab ipso censeri debet facta talis determinatio; præsertim cum sufficienter id colligatur ex scriptura sacra, Sanctorum Patrum ei adiuncta expositione, & Ecclesiæ traditione, prout videre est apud Bellarm. *lib. 2. de sacramentis in genere, cap. 24. & Suarez tom. 3. in 3. partem D. Thom. disput. 2. sect. 3.* Accedit quod eiusdem fuerit, sacramenta quoad partes suas intrinsecas determinare, cuius fuit illa instituere. A solo Deo autem institui potuerunt, cum sint signa practica, quæ significando gratiam, instrumentaliter illam efficiunt. Neque gratiæ potest esse causa alia principalis tali instrumento vtens ad talem effectum, quam Deus, iuxta illud Psalm. 83. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Et vt D. Thom. 3. *par. quæst. 60. art. 5.* bene argumentatur, solius Dei est sanctificare hominem: quod fit per gratiæ infusionem in animam.

Atque hinc est quod Ecclesia non potest mutare ea quæ 15 sunt essentialia sacramentis, prout attigit Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. probantque Couar. *in lib. 1. variar. resolution. cap. 10. num. 7. & Suarez in seq. sect. 6.* Neque etiam potest impedire effectum sacramentorum, quando essentialia sufficienter concurrunt in eorum administratione: nempe cum idoneus minister, adhibita idonea materia & forma, intendit conficere sacramentum, prout quoque probant Couar. *in seq. num. 8. & Suarez in eadem sect.* Ratio vero in promptu est; quod Dei voluntati nemo resistere possit, ex cap. 13. libri Esther vers. 9. Quamquam in pœnitentia & Matrimonio est aliqua à cæteris diuersa ratio: prout idem Couar. notat *in Epitome 4. Decret. par. 2. cap. 6. §. 10. nu. 17. & adhuc Suarez in fine*

eiusdem

eiusdem sect. propterea quod requirunt actiones nonnullas (*vt pœnitentia actionem iudicis; & matrimonium actionem cum altero contrahentis*) ad quas per Superiorem inferior fieri potest inhabilis, ex qua inhabilitate oritur impedimentum cõcursus omnium ex Christi institutione necessariorum ad ea Sacramenta.

16. Notandum est tertio, vt Sacramentum re & verbo constare dicatur, non esse necessarium: vt ea res non sit verbum, vel illud verbum non sit res: nam satis est si aliquid fungatur vice rei, & aliud vice verbi. Quod probatur: quia in Sacramento pœnitentiæ fieri potest, vt omnia ad substantiam illius spectantia sint verba. Absolutio enim quæ est forma ipsius non nisi verbis datur: fierique potest vt peccata, *quæ sunt eiusdem materia remota*, non sint alia, quam verbo cõmissa: atque vt actus pœnitentis qui sunt materia proxima, non aliter sensibilia sint, quam verbis expressa: nempe cum nullum aliud datur signum interioris contritionis, & indicium satisfactionis faciendæ, quam oris confessio: non gemitus, non suspiria, non genuflexio, aut aliud id genus. Nam pœnitentiæ Sacramentum nihilominus tunc constabit re & verbo: quia peccatum verbo commissum, erit materia ipsius remota: non quidem vt verbum, sed vt peccatum, quomodo quandam rei habet rationem, confessio item oris est materia ipsius proxima: non vt oratio quædam, sed vt actio pœnitentis: quæ prout est signum externum, internæ contritionis, constituitur materia talis Sacramenti.

De forma quoque non esse necessarium, vt sit verbum, ostendi potest ex matrimonio, *in quo omnium sententiâ*, loco verborum sufficiunt nutus, aut literæ: dummodo illis sufficienter exprimatur vtriusq; partis consensus: quia Christus, *inquit Suarez in cit. disp. 2. sect. 2. column. penult.* nihil voluit ad Sacramẽtum illud exigere aliud tanquam sensibile signum; quam quod necessarium esset, ad perficiendum humanum contractum: ad quem sufficiunt signa quælibet, quibus mutuus consensus contrahentium satis exprimitur, etiamsi ea non sint propriè verba.

17. Notandum est quarto, conuenire inter doctores; quod etiamsi materiæ & formæ ratio, partibus Sacramenti non tribuatur propriè: sed tantum secundum quandam accommodationem; nihilominus necessarium esse ad constitutionem Sacramenti, vt eæ aliquo modo cõiungantur: quia n õ nisi aliquo modo coniunctæ, possunt facere aliquo modo vnum. Controuersia est vero, qualem oporteat esse talem coniunctionem. De qua tres diuersas sententias refert Suarez *in ead. disp. 2. sect. 2. column. penu't.* & eam sequitur, quæ est Soti *in 4. distinct. 3. quæstio. vnica artic. 8. versu, At vero*: nempe sufficere coniunctionem, qua eædem partes moraliter simul esse censeantur: quia cum Sacramenta hominibus præscribantur perficienda: sufficit illa perfici more humano, adeoque illorum materiam, & formam simul esse eo modo, quo aliqua apud homines dicuntur simul esse (moraliter nimirum) quæ sibi immediatè succedunt. Si quis enim manu tenens crucem dicat, Ego osculor crucem, postq; deinde osculetur, dicetur moraliter simul protulisse verba, & osculum dedisse cruci.

18. Quando autem propinquitas ad illam immediationem requiratur, docet Suarez ibidem. Inquiens ad Sacramentum inter illius materiam & formam, requiri talem propinquitatem moralem, vt ex modo quo fit actio, quæ est proxima Sacramẽti materia; & ex modo, quo proferuntur verba, quæ sunt eiusdem forma: satis intelligatur secundum humanum morem concipiendi, quod vnum eorum alteri applicetur, ac vnum ab altero determinetur. Quo fit vt pro diuersitate Sacramentorum, diuersa requiratur propinquitas materiæ & formæ. Quando enim propinqua materia Sacramenti est ministri actio, vt in Baptismo, Confirmatione, Extrema vnctione, & Ordine: forma illi: vel illa, formæ debebit succedere immediate, non quidẽ mathematicè, quia vix aliqui posset vnquam constare de veritate, & certitudine Sacramenti: sed moraliter, siue cum propinquitate ea & subordinatione, cum qua per modum materiæ & formæ, censeatur vnum signum componere, eo modo scilicet, quo multæ dictiones successiuè, etiam cum aliqua interruptionis morula prolatæ, vnam orationem componere iudicantur. In Sacramento vero matrimonij; quod rationem habet contractus, tanta propinquitas inter mutuam traditionem, & acceptationem contrahentium requiritur, quanta est necessaria ad contractum humanum. Et in Sacramento pœnitentiæ, quia per modum iudicij perficitur, ipsiusque materia non est (*sicut prius memoratorum Sacramentorum*) actio ministri, sed ipsius pœnitentis: modum habens accusationis rei, sicut & absolutio, *quæ est eiusdẽ Sacramenti forma*, modum habet sententiæ iudici in reum accusatum prolatæ: vnde fit vt in tali Sacramento, sufficiat ea propinquitas quæ moraliter satis sit, vt idipsum iudicium peragi, & per sententiam consummari intelligatur. In Eucharistia autem diuersa est ratio à cæteris Sacramentis: quæ cum in vsu quodam & operatione consistant, tam quoad materiam, quam quoad formam: similiter transeunt quoad vtramque: non item Eucharistia, in qua forma quidem transit, vtpote consistens in verbis; sed manet materia proxima ipsius: vtpote quæ res est permanens: species, inquam, panis & vini, adeo vt difficultas sit non modica: quo modo ei conueniat, ex re & verbo tanquam materia, & forma constare. Ad quam dirimendam longiore examinatione opus esse, Suarez merito monet.

Huic loco vero, pro ratione nostri instituti, sufficere po- 19.
test annotasse, Eucharistiæ formam simul esse cum materia eiusdem remota, pane scilicet, & vino: quandoquidem super eam præsentem proferri debet ad consecrationem corporis & sanguinis Christi; hanc simul cum illa cessare: neque enim substantia panis & vini manet post consecrationem. Cum materia vero propinqua eamdem formam simul esse successiuè, illi enim hæc proxime succedit: siquidem prolatis verbis consecrationis, ex pane & vino, *manentib. tamen eorum accidentibus*, fit corpus & sanguis Christi. Quæ accidentia, continentia corpus & sanguinem Christi, sunt materia proxima Eucharistiæ: cuius applicatione ad hominem (hoc scilicet sumente illam in diuinũ cibum) producitur gratia in ipsius anima: nõ autem coniunctione formæ cum prædicta materia. Neq; enim talis coniunctio est à Christo instituta proxime ad talem productionem, sed ad antedictam consecrationem.

Regulæ aliquot notandæ de mutatione materiæ, & formæ Sacramenti.

PRima est, Si formæ & materiæ fiat mutatio essentialis, 20.
Sacramentum effici nullum. Hæc in eo fundatur, quod res esse non possit, deficiente aliquo spectante ad ipsius essentiam.

Secunda est, Si in materia aut forma Sacramenti fiat mutatio tantum accidentalis, non ideo destrui Sacramentum, sed factum tenere. Hæc fundatur tum in eo, quod mutatio accidentalis non variet essentiam rei; tum etiam in definitione capituli, Retulerunt, De consecrat. distinct. 4. quæ est ob accidentalem mutationem formæ Baptismi ibidem memoratam, illum non fuisse iterandum tanquam inualidum.

Tertia, Tunc solum materiæ mutationem esse essentialem, cum tanta est, vt iuxta communem conceptionem & vsum hominum, ea minime in ratione & nomine conueniat cum illa materia, quam vt à Christo præscriptam, Ecclesia in collatione Sacramenti vsurpat. Quomodo panis aquæ maceratione resolutus in massam, & vinum resolutum in acetum, non sunt materia sufficiens ad Eucharistiam: quia panis & vini nomen, ac rationem non retinent secundum communem hominum conceptionem & vsum; etiamsi forte physice non differant specie. Fundatur autem hæc regula in eo, quod materia cuiusque Sacramenti sit à Christo determinata in ordine ad vsum hominum; sicut Sacramenta ipsa ille instituit suscipienda ab homine ad certi, determinatique finis consecutionem. Sic igitur in Eucharistia sufficiens materia Sacramenti sunt panis, & vinum, quæ simpliciter censentur talia in ordine ad humanum vsum: quæ vero non censentur, nec materia sufficiens censebuntur: & sic de cæteris. Bene autem monet Suarez in citata disput. 2. sect. 4. obseruandam esse traditionem Ecclesiæ vniuersalis, vel ab Ecclesia vniuersali approbatã, ad iudicandum

quid sit vel non sit de substantia materiæ Sacramenti: quia Ecclesia, quæ est columna & fundamentum veritatis, non potest errare in ea re, maximè pertinente ad doctrinam fidei & morum. a

21. Quarta est, Tunc mutationem formæ essentialem esse, cum variat sensum verborum eiusdem, cum vero nõ variat, esse tantummodo accidentalem. Hæc in eo fundatur, quod de essentia formæ Sacramenti sit, determinare illius materiam, quod, *vt ante habitum est*, facit significando; & ideo nõ per verborum sonum, sed per eorum sensum. Quare si maneat idem sensus, significatioq; verborum, in qua consistit formalis horum integritas, quantũuis mutentur voces, censebitur eadem forma manere. Contra vero tolli iudicabitur, si sensus pereat, quantumcunque vna solum litera mutetur; vt si dicatur, Ego te baptizo in nomine matris & Filij & Spiritus sancti.

22. Ad pleniorem autem intelligentiam notãdum est primo, nihil referre ad validitatem Sacramenti, cuius idiomatis sint voces, ex quibus constat ipsius forma, dummodo habeant debitum sensum. Hoc satis patet ex dictis: & ex eo, quod oporteret alioquin Sacramenta cõficere in ea lingua, seu idiomate quo Christus vsus est: quod cõmuni Ecclesiæ vsui aduersatur. Neq; ratio dari potest, cur vnum de cæteris idiomatis potius, quam aliud dicatur ad formam Sacramenti necessarium, vt bene argumentatur Suarez *in cit. sect.* 4. explicans eandem quartam regulam. Vbi & addit ex Caietano, mixtionem idiomatũ, etiamsi in eodem numero forma fiat, non esse contra substantiam Sacramenti, dummodo voces in vnam orationem coniunctæ referant sensum, quem forma debita requirit.

Notandum est secundo, non esse necessarium ad Sacramenti substãtiam, vt qui illud administrat vel suscipit, intelligat idioma formæ verborum; sed sufficit vt habeat intentionem Christi, & Ecclesiæ, quoniam verba ea omnem suam vim habent ex Christi institutione.

23. Notandum est tertio, iuxta D. Thom. 3. *par. quæst.* 60. *art.* 7. *ad* 3. verum sensum verborum censendum esse illum, quem secundum propriam & principalem significationem suam illa habent ex prima ipsorum impositione, aut saltem ex accommodatione vsus. Qua de re agens Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 1. *art.* 8. tangit, id intelligendum esse de accommodatione, non quidem priuata authoritate, pro libito facta per inuentionem nouarum vocum, attribuendo eis significationem verborum talis formæ: sed de recepta publice in aliqua natione vel prouincia; quia cum Sacramenta sint signa propter bonum commune instituta, perfici debent verbis, quæ signa sint authentica, & in communi vsu posita. Sic ergo, *inquit ille*, Sacramentum pœnitentiæ valeret, si quis dans absolutionem Imperatori dicat, Absoluo vestram maiestatem ab omnibus peccatis suis. Non consecraret autem, si pro verbis, Hoc est corpus meum: vsurparet eorundem prima elementa: H. E. C. M. quia mutatio in forma fit illic secundum accommodationem vocũ publicè receptam; non item hic. Videri quoque potest Suarez *in eãdem sect.* 4. *cum explicat secundam mutationem*. Vbi etiam de verbis ambiguis admonet: si debita intentione proferantur in eo sensu, quo debent sacramentalia verba, sufficere ad substantiam Sacramenti: quia licet quoad exteriorem sonum maneant in sua ambiguitate: tamen ex animo & intentione proferentis determinantur ad significationem & sensum formæ Sacramenti, ambiguitate ipsa sublata.

24. Notandum est quarto, mutationem in forma Sacramenti fieri posse sex modis. 1. per additionem alicuius vocis. 2. per detractionem alicuius vocis. 3. per vocis alicuius permutationem: ponendo scilicet vnam pro alia: vt verbi gratia, Tingo te; pro Baptizo te. 4. per corruptionem, qualis est antememorata ex cap. Retulerunt, De consecrat. dist. 4. Ego te baptizo, in nomine Patris, &c. 5. per transpositionẽ, vt dicendo, Te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizo. 6. per interruptionẽ, vt si postquam dixisti. Hic est calix, quiescas: & post addas, Sanguinis mei.

De his Sotus & Suarez locis citatis sigillatim docent: num substantiales, an accidentales sint ipsi formæ Sacramenti; sed nobis sufficere potest, notare cum Bellarm. De Sacramẽtis in genere *libr.* 1. *cap.* 21. *propos.* 2. *notab.* 3. de talibus mutationibus, sintne substantiales, an accidentales iudicium non debere esse mathematicum sed morale. Sic nimirum, vt sensus verborum indicetur tunc conseruari, cum audientes intelligunt, concipiuntq; per ea, *etiam corrupte prolata*, idipsum significari, quod solet per integra verba formæ Sacramẽti. Ad quod declarandum ille inducit exemplum casus propositi in cit. cap. Retulerunt, qui tantummodo quidem pertinet ad mutationem factam per corruptionem, sed pari ratione accõmodari potest ad cæteras mutationes, quãdo viri prudentis iudicio, eas ex cõmuni vsu, & circumstantijs expendentis, non sunt ita notabiles, vt moraliter loquendo identitas sensus verborum constituentium formam Sacramenti, debeat dici ac censeri perire: Pari ratione, *addit idem*, iudicandum est de interruptione. Si enim quis in consecranda Eucharistia diceret, Hoc est cor: & postquam quieuisset per spacium notabile, adderet, pus meum: prudentum iudicio non censeretur dixisse, Hoc est corpus meũ. Secus esset vero si postquam dixerit, Hoc est cor, patiens aliquam breuem mentis euagationem, nonnihil interquieſcẽdo, adderet, pus meum. Nec enim iudicabitur extantilla interruptione, formam Sacramenti perijsse.

Porro cum dubium rationabile fuerit, num sensus formæ 25.
Sacramenti per factam mutationem perierit, ea iteranda est: & quidem sub conditione maxime in Baptismo, Confirmatione, & Ordine: quia cum inprimant characterem indelebilem, nonnisi semel ab eodem homine recipi possunt ex definitione Concilij Trid. sess. 7. can. 9. De Sacramentis in genere. Vnde vt in eis sacrilegium iterationis vitetur: sub conditione in Baptismo, *exempli gratia*, dicendum est, Si nõ es baptizatus, ego te baptizo: ex cap. De quibus, Extra, De Baptismo. 27.

Notandum est quinto, quoties dubium est probabile: an aliquid sit de Sacramenti necessitate, curandum esse vt non omittatur illud quod est certius. Quamuis enim probabilitas opinionis valere possit ad excusationem à culpa; nunquã tamen supplet id quod Christus voluit esse de necessitate Sacramenti.

Notandum sexto, nullo modo licitum esse mutare verborum formam, etiamsi mutatio sit solum accidentalis: quia licet integritas accidentalis non sit de necessitate Sacramenti, est tamen de necessitate præcepti, iuxta post dicenda in cap. vltimo. Imo nonnunquam ob solam accidentalem formæ mutationem, Sacramentũ non perficitur ex D. Thom. 3. *par. quæst.* 60. *art.* 7. *ad* 3. *& in corpore*, patetque ex antememorato cap. Retulerunt. Tunc nimirum, *vt Bellarm. loco cit. paucis tradit*, cum quis vult per talem mutationem introducere essentialem ritum nouum, respectu totius Ecclesiæ. Ratio est: quoniam eo ipso non haberet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, prout requiritur ad Sacramenti validitatem, iuxta dicenda in sequenti capit. Secus est vero, si nouum respectu tantum alicuius Ecclesiæ particularis, quam putat falsam, re veraque intendit facere quod vera Ecclesia facit: licet addat aliquid tanquam essentiale, sed quod tale non est: interea nihil de essentialibus excludens, neque formæ sensum varians, aut variare intendens. Quod addo, quia si non intendat sensum verum, sed falsum, & erroneum velit per talem formam significare, mutatio tunc erit substantialis, & sufficiens ad reddendum Sacramentum irritum. Qua de re late Suarez in eâdem disputat. 2. sect. 5. Exemplum est: si baptizans dicat, Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & beatissimæ Virginis. Nam per eam additionem factam legitimæ formæ Baptismi, si intendat aliquem sensum contrarium eidem formæ, vt Beatam Virginem esse quartam personã diuinitatis, mutatio erit substantialis: sin secus, vt si solum intendat inuocare B. Virginem, vt Dei matrem, mutatio erit tantum accidentalis: vt memoratus quoq; author notat. 26.

Notandum septimo, Eum qui existimat aliquam particulam non esse de essentia formæ, *vt inuocationem Trinitatis non esse de essentia formæ Baptismi*, & nihilominus eam profert: aut qui falso existimat aliquam particulam esse de essentia formæ, quam & profert: si exclusis opinionibus alijs erroneis quas tenet, intentionem hanc habeat, vt per verba à se prolata facere velit quidquid Christus quoad tale Sacramentum instituit, & Ecclesia vere tenuit & tenet: atque 28.

adeo

adeo facere illud quod fieri potest per omnia illa verba, validum esse Sacramentum: quia licet decipiatur errore speculatiuo, & opinione priuata: non tamen errore practico & opinione communi Ecclesiæ. Quod declaratur exemplo illius qui matrimonium contrahit, falsò existimans tali contractui subesse impedimentum dirimens: nam si seruet omnia necessaria, vere contrahit, prout docet Couar. *in Epitome quarti Decreti 2. parte capite 3. §. 7. numero 2.*

CAP. IV.

De accidentalibus, hoc est, de Sacramentorum cæremonijs.

SVMMARIVM.

27 *Quæ propriè dicantur cæremonia Sacramentorum, & magna earum varietas.*
28 *Commune cæremonijs: & quod earum vsus plus sit, & salutaris.*
29 *A solo Papa eæ mutari possunt: nec vsurpari passim possunt à quouis.*
30 *Quem vsum eædem habeant.*
31 *Quo modo conueniat eis producere certos effectus spirituales.*

27. CÆREMONIÆ Sacramentorum, Sacramentalia dicuntur propriè: etiamsi id nomen extendatur quoque ad nonnullos ritus, qui extra Sacramenta quidem seruantur in Ecclesia, sed sunt eiusdem fere rationis cum ipsis cæremonijs: sicque Waldensis de Sacramentalibus agit tomo integro: agunt & alij quorum Suarez meminit *in sequent. disput. 15. sect. prima in fine.* Hîc verò sermo est tantum de prædictis cæremonijs Sacramentorum: de quibus aduersus sectarios agit Bellarm. *lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 29. & sequentibus.* Quæ ad nostrum institutum necessaria videntur, quam paucis fieri poterit, complectemur aliquot documentis.

Primum est: Cæremonias Sacramentorum, seu Sacramentalia vocari propriè, actiones quasdam & circunstantias religiosas: quæ in Sacramentorum administratione, vel in sacrificij oblatione Ecclesia seruat, præter ea quæ sunt de Sacramenti, aut sacrificij essentia. Eas autem esse in tanta varietate, vt naturaliter sumptæ, per omnia prædicamenta distingui possint. Aqua enim admiscenda vino in sacrificio est prædicamenti substantiæ: & modicum in quo admisceri debet, est quantitatis continuæ: sic trina mersio in Baptismo est quantitatis discretæ: & qualitatis est, quod panis debeat esse azimus. Relationis autem, quod interueniente benedictione quadam, talia sint deputata, ac referantur ad Sacramentum vel sacrificium peragendum. Actiones vero & passiones, sunt orationes, gestus data signa: & cætera similia. Ad *vbi* porro, & *quando*, pertinet certi loci & temporis obseruatio. Ad situm esse, genuflexio, & corporis incuruatio: & demum ad habere, vestibus certi generis amictum esse.

28. Secundum documentũ est: Omnibus cæremonijs Sacramentorum commune esse cum Sacramentis, & sacrificio, quod sint externi actus virtutis religionis differant vero, quod sacrificium contineat supremum Dei cultum, quo illius excellentiam, per rei oblatæ sacrificationem immutationemue profitemur: Sacramenta vero ordinentur ad sanctificationem fidelium, quam significant & conferunt in noua lege. At vero cæremoniæ, ad cultum Dei, intermedio sacrificio, aut Sacramento aliquo, ordinentur: vtpote, institutæ vt conuenientiori modo ac cum reuerentia maiore sacrificium offeratur, aut Sacramentum administretur.

Tertium documentum est: De fide esse (*iuxta definitionem Concilij Triden. sess. 7. can. 13. cuius verba retulimus in fine præcedentis cap. 2.*) vsum Sacramentalium, seu ceremoniarum quæ in Missæ sacrificio & Sacramentorum administratione Ecclesia nunc obseruat, pium, & fidelibus salutarem esse. Id quod patet ex illo generali principio: quod non possit Ecclesia errare in ijs quæ ad fidem vel mores pertinent: quandoquidem ipsa est columna & firmamentum veritatis ex capite 3. prioris ad Timoth. Ad fidem vero & bonos mores Ecclesiæ pertinet maxime, vt in ea cæremoniæ sint religiosæ & salutares; non autem superstitiosæ & vanæ. De qua re pluribus Suarez, *in seq. sect. 2.* Sicut & in sect. 3. de eo quod tales cæremoniæ non sint à Christo immediatè institutæ, sed ab Ecclesia, per potestatem quam ei Christus ipse tradidit. In ea immorari non est necessarium ad nostrum institutum, cui sufficit quod ita receptum sit, communi Catholicorum consensu.

Quartum documentum est: De fide quoq; esse ex eodem 29.
canon. 13. quod Sacramentales cæremoniæ non possint per quemcunque Ecclesiæ pastorem mutari. Circa quod notandum est, Summum Pontificem de plenitud. ne suæ potestatis, quam habet eandem cum potestate quâ institutæ sunt tales cæremoniæ, posse eas ipsas mutare etiamsi non debeat sine magna necessitate, vel vtilitate. Alios autem pastores, cum potestatem habeant inferiorem illâ, quæ eædem instituta sunt: non modo non debere, sed nec posse eas mutare: quia inferiores non possunt derogare ijs, quæ à superioribus instituta, præceptaque sunt, sed tenentur illis se conformare.

Quintum documentum est: Sicut cæremoniæ Sacramentales sunt per Ecclesiam institutæ: ita ministros illarum esse eos quos Ecclesia ipsa designauerit. Ad eam enim pertinet designare ministrum, cuius est instituere ministerium. Qui autem illi sint, non potest generaliter doceri. Particulariter autem docendi locus proprius in sequentibus datur, cum de vniuscuiusque Sacramenti ministro in particulari tractatur.

Cæterum vsus talium cæremoniarum est: tum vt Sacra- 30.
menta ipsa cum debito honore & reuerentia tractentur, & in maiore æstimatione habeantur: tum vt mysteriorum nostræ fidei intelligentia crescat, & memoria retineatur: tum demum vt fidelium deuotio conseruetur, & augeatur: prout explicat Suarez *in citata disput. 15. sect. 2. sub finem.* Qui etiam in sequenti sect. 4. explicat quomodo eis conueniat producere quinque fructus: qui si non omnibus illis, at certe nonnullis tribuuntur quorum primus est auxilium aliquod, seu bonus aliquis diuinæ gratiæ motus: secundus, remissio culpæ venialis: tertius, remissio alicuius pœnæ temporalis, cuius reatus manere solet remissa culpa: quartus dæmonis expulsio, vel inhibitio ne lædat; quintus, commodum aliquod temporale, vt sanitas vel aliud huiusmodi.

Summa autem eorum, quæ idem latius tradit, est: nul- 31.
lum ex sacramentalibus, aliquem huiusmodi effectum producere, ex opere, vt vocant, operato: quia oporteret alioquin ipsum habere vim, qua ad eius præsentiam talis effectus produceretur: quod per Ecclesiæ potestatem fieri non potest. Nec enim ratio datur, qua talis potestas sufficienter affirmetur; præsertim cum sicut solius Dei est talia taliter operari; ita etiam solius sit, signa efficacia instituere, quibus politis illa perficiantur. Accedit, quod etsi Deus potuerit talem potestatem dare Ecclesiæ; eam tamen de facto non dedisse, ex eo satis intelligatur, quod in benedictione & consecratione rerum quam Ecclesia facit, pro consequendis à Deo prædictis effectibus, tantum habeatur oratio, qua talia postulantur. Duo igitur tantum modi sunt quibus per Sacramentalia ijdem effectus censeri possunt produci. Alter est, quando ea sunt actiones; tunc enim quia sunt actiones de se bonæ, si fiant in gratia cum debita intentione, debitoque modo, mereri possunt, ex opere vt vocant operantis, consecutionem talium effectuum à Deo. Alter est, quando ea sunt substantiæ aliquæ in quarum benedictione, vel consecratione per Ecclesiæ orationem, ipsæ specialiter ordinantur ad tales effectus. Cum enim preces Ecclesiæ magnam vim habeant apud Deum, qui illam diligit vt sponsam: dici potest, tales effectus per modum impetrationis, à Deo specialiter conferri adhibitis huiusmodi Sacramentalibus. Quo modo existimandũ est in templo consecrato, ratione cõsecrationis Deum specialius assistere, ad exaudiendas fidelium orationes, vel animos eorum ad deuotionem excitandos,

tandos, & sic de alijs. Addit Suarez eam talium effectuum consecutionem non esse infallibilem: quia non est fundata in speciali aliqua Dei promissione, cum de ea nihil constet; sed in cõmuni lege & efficacia orationis, quæ non habet semper effectum, præsertim quando pro alio funditur, prout docuimus in prima parte lib. 4. num. 63. ex D. Augustino tract. 102. in Ioannem.

CAP. V.

De causa efficiente Sacramentorum.

SVMMARIVM.

32 *Triplex causa efficiens Sacramenti, quarũm principalis est Deus.*

33 *Duæ reliquæ, humanitas Christi, & aliquis homo vltra Christum.*

34 *Ad Sacramenti validitatem non est necessaria in ministrante illud, probitas morum.*

35 *Malus minister, vt potest verum Sacramentum conferre, potest & eiusdem verum effectum, puta gratiam.*

36 *Ad Sacramentum perficiendum requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia.*

37 *Virtualem eam esse sufficere potest non autem esse tantum habitualem.*

38 *Quæ dicatur actualis intentio: & quod virtualis dicatur dupliciter, quæq; dicatur habitualis.*

39 *Quatenus ad Sacramenti validitatem sufficiat, aut non sufficiat intentio conditionalis.*

40 *Intentio faciendi quod facit Ecclesia quæ creditur vera. sed non est, potest sufficere ad Sacramenti validitatem.*

41 *Quæ peruersa intentio ministri non impediat Sacramenti validitatem, & quomodo iudicetur de intentione ad hanc sufficiente.*

42 *Error in intentione circa personam, non impedit validitatem Sacramenti.*

32. TRiplex *quemadmodum Bellarm. notat lib. 1. De Sacramentis in genere cap.* 23. consideratur à Theologis causa efficiens Sacramentorum: vna principalis, & omnino independens, in qua est potestas authoritatis: altera instrumentalis quidem, sed instrumenti coniuncti, quæ est potestas quædã excellentiæ; & tertia instrumentalis, instrumenti separati, in quo sit potestas ministerialis. Prima autem est solus Deus; certum enim est ipsum esse, qui Sacramentis dedit vim conferendi gratiam: solumque esse, qui potest hanc infundere in animam, & characterem in eadem imprimere indelebilem: atque ad tales effectus assumere & eleuare Sacramenta, vt instrumenta: prout notatum est à *Soto in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. p. concluſ. 3. cum D. Thoma 3. par. quæstio. 64. art. 1.* Vbi aduerte, Deum sicut per omnipotentiam suam potest sine instrumento quidquid libuerit facere: ita etiam posse ad id faciendum, quibus voluerit rebus vti; non quidem vt iuuetur: sed vel vt easdem res commendabiles reddat, vel in eis infinitam suam potentiam ostendat; sicut ostendit, quando luto reddidit cæco visum Ioann. 9. & quando sputo, visum loquendi reddidit muto, Marci 7. vel etiam animorum saluti consulat, prout Sacramentis vtitur ad infundendam in eas diuinam suam gratiam.

33. Altera Sacramenti causa efficiens, est humanitas Christi hypostaticè vnita diuinitati: ratione cuius vnionis, potestas ipsius dicitur potestas excellentiæ, eo quod conueniat illi tanquam diuinitatis instrumento eidem coniuncto; dicitur & ministerialis, eo quod Christus, vt homo, non habeat eam independẽtem, sed à diuinitate deriuatam ex D. Thom. & Caiet. 3. *par. quæst. 60. art. 5. & 64. art. 3.* Per quam excellentiæ potestatem sunt quoq; à Christo instituta omnia Sacramenta: minime vero ab Apostolis, iuxta definitionem Concilij Tridend. sess. 7. De Sacramentis in genere, canone primo.

Quade re plenius Suarez *in tertiã part. D. Thom. to. 3. disp. 2. sect. 1.* In seq. sect. secunda disputans, An ab alio, quam à Deo instituti potuerint; quod non est præsentis instituti: ad quod sufficit notare nusquam inueniri datam puræ creaturæ talem potestatem: vt satis intelligitur ex memorata definitione Concilij Tridentini: neq; in posterũ dandam esse propterea merito credi; quod sicut lex Euangelica ad mundi finem vsque duratura est, ita & institutio Sacramentorum ipsius semper mansura sit, nec in aliquo mutanda. Eundem authorem qui volet legat, & Greg. à Valent. *tomo. 4. disp. 3. quæst. 5. puncto 3. in principio.*

Tertia causa efficiens Sacramenti, est, homo, non autem Angelus vel anima humana separata à corpore: quamuis extraordinariè Deus ad tale ministerium eis vti possit, ex D. Thoma 3. *part. quæstio. 64. artic. 7.* Namque in sacris libris non alij indicantur Sacramentorum ministri, quam homines, Deique potestas ad conferendam suam gratiam, nulli creaturæ est alligata. Videri possunt Sotus *in 4. distinct. 1. quæstio. 5. artic. 7. & Suarez in sequent. disp. 13. sect. 1.* Non omnes autem homines, *etiamsi Christianos*, habere potestatem conferendi omnia Sacramenta, definitum est in Concilio Tridend. sess. 7. De Sacramentis in genere, canone 10. Id quod aduersus hæreticos propugnat Bellarminus libro 1. capit. 24. & 25. De Sacramentis in genere. Nota vero pro praxi in Baptismo quidem sufficienter ad Sacramenti validitatem quemlibet hominem posse ministrum esse; sed in Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema vnctione posse solum Sacerdotem, & in Confirmatione, ac Ordine (*saltem ordinariè*) solum Episcopum, atque in Matrimonio eos qui illud contrahunt: prout in sequentibus exponetur proprijs locis. Adhæc (excepta Eucharistia, & matrimonio) persona Sacramentum ministrans, vt ipsum validum sit, debet diuersa ab ea cui ministratur; quod etiam patebit in sequentibus; & sine controuersia receptum esse notat Gregorius à Valentia in antememorato puncto tertio, colum 3.

Iam quod ad eandem Sacramentorum validitatem non 34.
sit in ministro illorum, necessaria probitas vitæ, patet ex Concil. Tridend. sess. 7. De Sacramentis in genere can. 12. & ex alijs quæ habent Bellarmin. *in sequenti capit. 26. & Suarez in eadem disput. at. 13. sect. 4.* Rationem hanc attigisse sufficiet: quod minister Sacramentorum operetur virtute Dei, qui datam potestatem non aufert ab eo, propter eius peccata: quandoquidem potestas eius non est gratia gratum faciens, sed gratia gratis data: vtpote quæ in vtilitatem aliorum datur potius, quam in vtilitatem accipientis. Atque istud locum habet in Sacramentis omnibus, & in quocunque genere peccati: siue ipsum sit contra charitatem, siue contra fidem. Quæ doctrina est D. Thomæ 3. *part. quæstio. 64. artic. 5. & 9.* communiter recepta: adeo vt quantumcunque minister iniquus sit, vel hæreticus, conferat verum Sacramentum, si adsint cætera, quibus Sacramentum perfici, antea ex Concilio Floren. retulimus initio tertij capit. Videri possunt auctoritates, & argumenta quæ habet Greg. à Valent. in eodem puncto 3. col. 13. & tribus sequentibus.

Porro sicut malus minister confert verum Sacramen- 35.
tum, ita etiam confert effectum veri Sacramenti: gratiam, inquam, gratum facientem: nisi suscipiens ponat obicem, de quo in sequent. cap. Namque Sacramenta eam gratiam conferre non ponentibus obicem, definitur in Concil. Triden. sess. 7. De Sacramentis in genere can. 6. & 7. Neque enim requiritur probitas ministri ad eam consequendam sicut nec sanitas medici ad cõsequendam sanitatem sumptione potionis: cum à Deo detur ex vi Sacramenti: non autem ex dispositione ministri: quia accidentale est Sacramento, ministrum ipsum bonum esse, vel malum: sicut & potioni, medicum à quo ministratur sanum esse, vel ægrum: aut aquam, qua horti irrigantur, in eos deriuari, per canales lapideos, aut ligneos, ex capit. Si iustus fuerit, 1. quæst. 1. & ex capit. Romanus Pontifex, De consecrat. distinct. 4. Attamen, *vt Caietanus & cæteri cum D. Thoma 3. part. quæstio. 64. artic. 1. ad 2. annotant*, probitas ministri alio nomine iuuare potest: nimirum à Deo impetrando suscipienti bonũ motum liberi arbitrij, quo disponatur ad recipiendam maiorem gratiam. Quod intellige de suscipiente adulto: quia 37.

infan-

infantes non possunt habere talem motum : ideoque nec potest illis tale augmentum impetrari : vt ibidem notat Cajetan. Itemque impetrando eidem adulto, vt tollat obicem impedientem Sacramenti sanctum effectum : atq; vt ipsius deuotio augeatur in Sacramenti susceptione. Restat dicendum de intentione quæ cum legitima potestate requiritur in Sacramentorum ministro, vt valide ea conferat : ad quam spectantia pro praxi aliquot documentis comprehendemus.

Documenta de intentione requisita in Sacramenti ministro.

35. PRimum est, Nomine intentionis hoc loco solum intelligi voluntatem perficiendi Sacramentum. Quam requiri ad Sacramenti validitatem post cæteros scholasticos, *qui in eo conueniunt*, late probat Suarez in citata disput. 13. sect. 2. vt & Bellarm. in lib. 1. De Sacramẽtis in genere cap. 27. & 28. Nobis sufficere potest aperta definitio Concilij Florentini in instructione Armenorum, quâ inter ea, quorum si aliquod desit, Sacramẽtum non perficitur : personam ponit ministri, Sacramentum ipsum conferentis, & intentionem eiusdem, faciendi quod facit Ecclesia : Concilij item Tridend. sess. 7. De Sacramentis in genere can. 11. cuius verba hæc sunt : Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, nõ requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. Accidit quod Deus tali ministro vtatur, tanquam constituto super familiam suam fideli, prudentique seruo : qui per rationem & voluntatem, seu sciens & volens (*quod fidelitas & prudentia de se exigunt*) applicet formam Sacramẽti super debitam materiam, cum ad spirituale subsidium animarum opus fuerit. Hoc enim indicatum videtur per illud Matth. 24. Quis est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?] Accedit etiam quod alioqui si Sacerdos somnians, vel ebrius, vel mente captus proferret verba consecrationis super debitam materiam, consecraret ; quod absurdum est. Quemadmodum igitur contingit, vt si dominus noluerit inire contractum, nisi per voluntatem sui serui, contractus nullus est tali voluntate non concurrente : sic in re proposita accidit, vt non nisi concurrente ministri intentione faciendi quod Christus instituit, Sacramentum sit nullum : quandoquidem voluntas Christi est, secundum intentionem ministri à se instituti Sacramenta operari : vt Paludanus *in* 4. *d. distinct.* 6. *quæstio.* 2. *sub finem*, probat per illud Matthæi 16. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis,] & in seq. cap. 18. Quæcunq; alligaueritis super terram erunt ligata & in cœlis.]

Secundum documentum est, Consultum quidem esse vt in collatione Sacramenti habeatur particularis intentio, puta conferendi Baptismum à Christo institutum, quod confert Ecclesiæ : absoluendi à peccatis potestate relicta à Christo in Ecclesia ; & sic de cæteris : nihilominus sufficere ad Sacramenti validitatem vt habeatur intentio vniuersalis faciendi quod facit Ecclesia : quemadmodum patet ex ante memorata definitione Conciliorum Florentini & Tridentini.

37. Tertium documentum est, Quamuis danda sit opera (*quod D. Thomas monet 3. part. quæst. 64. artic. 8. in fine*) vt intentio sit actualis ; ad validitatem tamen Sacramenti, sufficere posse vt sit virtualis : non vero, quod tantum sit habitualis. Hoc Bellarm. in antecitato cap. 27. probat. Quia nõ est in nostra potestate (*iuxta illud Psal. 39. Cor meum dereliquit me*) quin distrahatur aliquando nostra cogitatio, etiam dum sanctissimis actionibus occupamur : quodquidem cum accidit, necesse est vt in nobis cesset actualis intentio illas prosequendi. Et cum intentio habitualis sit in dormiente, vel ebrio, si ea sufficeret ad Sacramentum, ipsum posset ab illo valide perfici, quod absurdum est : quoniam id esset ipsum casu perfici, non autem humano modo ex deliberatione. Istudque procedit, *vt habet Suarez in eadem disputat. 13. sect. 3. dicto primo* : etiamsi quis voluntarie inebriaretur, sciens se in eo statu prolaturum verba Sacramentalia ; vt verba consecrationis super debitam materiam, nempe super panem : & habiturum voluntatem conficiendi corpus Christi : imo etiamsi antea habuisset intentionem id tunc agendi : quia neq; cum his conditionibus, talis prolatio exercetur imperio voluntatis deliberatæ, sed naturali quodam impetu.

Porro intentio actualis hîc dicitur, quando quis expresse 38.
cogitat, & vult facere, quod Christus facit, & Ecclesia. Habet vero eadem intentio quamdam latitudinem ; positam in eo, quod contingat illud ipsum, vel magis, vel minus distincte cogitare, & velle ; quandoquidem siue ministrans Sacramentum cogitet tantum de Christo, siue tantum de Ecclesia, siue de ipso Sacramento secundum se, siue de eo quod fit ab alijs ipsum ministrantibus ; siue de horum pluribus, siue de omnibus simul, intentio eodem recidit : nempe vt sit faciendi in administratione Sacramenti, id quod Christus facit & Ecclesia. Quod idem habet Greg. à Valent. *tomo* 3. *disp.* 3. *quæst.* 5. *puncto* 3. *col.* 10.

Virtualis vero intentio dicitur dupliciter ; vno modo de ipsa actuali intentione, quatenus etiamsi non adsit præsens ob euagationem mentis, vi illius tamen minister Sacramenti exequitur actum Sacramentalem : v. g. baptizat, consecrat, & sic de cæteris. In qua executione, *tanquam causa in suo effectu*, manens virtute, intentio virtualis dicitur : tamdiuque perseuerat, quamdiu actiones eam sequentes, ideo fiunt quod ipsa præcesserit : id enim est illas virtute ipsius fieri. Durat autem, *vt inquit Suarez in fine sequentis dicti* 2. donec executio illa finiatur, resque intenta obtineatur ; aut donec per contrariam intentionem, aut per superueniens impedimentum interrumpatur, in quo casu necessaria erit noua voluntas, vt interrupta actio rursus inchoetur, aut continuetur.

Altero modo intentio virtualis dicitur, quæ ex naturâ suâ, vel ex Ecclesiæ institutione comprehenditur sub altera intentione cum qua sic coniuncta est, vt ea præsente, censeatur ipsa quoque adesse. Illa scilicet ratione, qua votum castitatis ita comprehenditur sub Subdiaconatu, vt eo ipso, quod quis vult ad hunc promoueri, censeatur velle consentire in votum perpetuæ castitatis seruandæ. Sic igitur eo ipso, quod Sacerdos vult secundum Sacerdotum consuetudinem induere vestes Sacerdotales, habet virtualem intentionem celebrandi Missam. Quia enim induere vestes Sacerdotales medium est ab Ecclesia institutum ad Missæ celebrationem, fit vt in tali actione induendi, comprehendatur virtualiter actio celebrandi : & in intentione induendi, intentio celebrandi : donec adhibeatur actus contrarius, per quem hæc tollatur. Atque huiusmodi quoque intentionem virtualem ad Sacramentum sufficere dicendum est ; alioquin dicendum erit (*prout tangit Sotus in* 4. *distinct.* 1. *quæstio.* 5. *art.* 8. *col. antep. ultima*) multos Sacerdotes non conficere, nec alia Sacramenta conficere : qui nunquam in vita sua expresse cogitarunt, aut intenderunt facere quod facit Ecclesia.

Habitualis denique intentio dicitur inclinatio quædam, seu promptitudo nata ex habitu infuso, vel acquisito ; qualis potest etiam in dormiente inesse. Aduerte autem obiter D. Thomam in cit. art. 8. ad 3. habitualem pro virtuali dixisse : cum voluit eam sufficere ad Sacramenti validitatem, prout notant ipsius interpretes. Vide Greg. à Valent. loco paulo ante citato.

Qartum documentum est : ad validitatem Sacramenti requiri, vt intentio ministri sit absoluta, vel conditionalis æquiualens absolutæ. Hoc probat loco cit. Suarez dicto 3. quia conditionalis voluntas quamdiu talis est, manet suspensa, nihilque operatur. Ergo sola intentio absoluta potest efficax esse ad perficiendum Sacramentum. Tunc autem intentio conditionalis æquialet absolutæ, cum id quod sub conditione intenditur, fuit, vel est re ipsa, sicut tunc intenditur ; prout Suarez ipse plenius declarat, bene eamdem ad Sacramentum perficiendum sufficere, probans ex eo proxime, quod ius approbet formam illam Baptismi, Si non es baptizatus, ego te baptizo. Ita vt verum baptisma sit cum ea conditionali intentione collatum, si reuera is qui baptizandus proponitur nondum sit baptizatus. 39.

Vbi

Vbi aduerte, *quod idem admonet*, talem intentionem conditionalem posse interdum exterius signo aliquo exprimi, & interdum sola mente concipi; neutro modo autem adhiberi debere sine causa necessaria saltem probabiliter: quia in Sacramentorum administratione intentio debet esse determinata, quoad fieri potest. Aduerte etiam, quod adhuc idem plenius docet, intentionem conditionalem de futuro (v. g. *Si restitueris ablata*) nusquam sufficere a Sacramentum: quia suspendit præsentem intentionem, faciens vt minister absolute non habeat hîc & nunc voluntatem perficiendi Sacramentum. Quare non perficitur tunc, ob defectum intentionis; neq; postea, si conditio impleatur, consequetur suum esse; quando quidem tunc deerunt materia & forma, ex quibus Sacramentum ipsum confici debet.

40. Quintum documentum (*quod Bellarm. tangit in antecitato c. 27. vers. Præter quod*) est, sufficere ad validitatem Sacramẽti si minister intendat facere quod facit aliqua Ecclesia particularis: dummodo eam putet veram: argumento cap. Sicut ficti, 1. quæst. 1. ita vt necessarium non sit, vt intendat facere quod facit Romana Ecclesia: sufficiat vero vt intendat facere quod Lutherana, aut Caluiniana Ecclesia facit, si putet eam esse veram Ecclesiam, quantumcunq; reuera sit ficta. Ratio est: quod eo non obstante, virtute velit facere id quod vera Ecclesia facit: etiamsi erret in discernendo quænam ea sit, neq; error speculatiuus circa veram Ecclesiam, vt nec circa vim & efficaciam, aut effectum, aut institutionem Sacramenti, huius validitatem tollit ex parte ministri: sed solum defectus intentionis faciendi quod facit vera Ecclesia. Atq; ita tenetur validum esse baptismum hæreticorum, & schismaticorum: itemq; ordinationem, & Eucharistiæ cõsecrationem ab eis factam: dummodo cum prædicta intentione concurrant materia & forma Sacramenti, atq; potestas ministri.

41. Sextum documentum est sumptum ex D. Thoma 3. *par. quæst. 64. art. 10.* Validitatem Sacramenti non impediri ex eo, quod minister illius non specialem eius finem, *nempe Dei gratiam*, & peccatorũ remissionem sibi proponat: sed potius malum aliquem habeat sibi propositum. Pro quo facit cap. Non illud De consec. distinct. 4. Adde neq; ex eo, quod velit iocari: dummodo (*vt Athanasio puero contigit, de quo in capit. Spiritus sanctus 1. quæstio. 1.*) velit Sacramentum vere conferre: etiamsi accipiat eam collationem pro materia ludi, & oblectationis. De qua re Bellarm. *in seq. cap. 28.* Et probatur: quia ob tales circunstantias, non deest sufficiens intentio faciendi quod facit Eccesia, illæque accidentales sunt Sacramento.

Vltimum documentũ est, adhuc sumptum ex D. Thoma 3 *par. quæst. 64. art. 8. ad 2. de quo Sotus in 4. dist. 1. quæst. 5. art. 8.* Vt ex parte intentionis ministri iudicetur Sacramentum nõ esse inualidum, sufficere si illam exterius exprimat, integram formam vere proferendo super debitam materiam: nisi de eiusdem ministri contraria intentione cõstet: nimirum quia deprehenditur, quod verba fictè protulerit, irridere volens: vel odio, vel metu impulsus. Quo casu non est verum Sacramentum, nec prodest suscipienti: qui tamen ignorans eam fictionem excusabitur à peccato.

42. Restat dubium, *de quo Sotus in eod. art. 8. sub finem, & Suarez tomo 3. disput. 13. sectionis 3.* in fine. An error in intentione circa personam, reddat Sacramentum inualidum: v. g. si quis intendat ordinare filium Petri, & is quẽ ordinat sit filius Pauli, vel Sacerdos intendat baptizare masculũ, & baptizat femellam. Ad quod respondendum est, validum esse Sacramentum: dummodo minister intẽdat eum quem præsentem habet vel ordinare, vel baptizare. Ratio est: quia tunc practicè, minister intentionem applicat determinatè ei quem habet præsentem: nisi forte intentionem expressam haberet excludendi quemcunq; alium ab eo, quem expresse intendit: hoc est, non alium re ipsa, quam v. g. Petri filium, ordinare: vel nullo modo baptizare femellam; prout post Sylvest. *in verbo Baptismus 3. §. vlti.* Sotus habet loco cit. Secus tamen est de matrimonio, *vt idem Sotus ex D. Thom. addit*, quia error in persona, reddit illũm inualidum. Iniurium enim esset, facere vt quis arctissimo illo vinculo illam sibi copularet, cuius non habuit affectum. De qua re dicendi alius datur accommodatior locus.

CAP. VI.

De effectibus Sacramenti.

SVMMARIVM.

43 *Effectus præcipui Sacramentorum, gratia gratum faciens & character: quid ẽ illa sit.*
44 *Omnia Sacramenta nouæ legis conferre possunt secundam gratiam: non item primam omnia simili modo.*
45 *Omnia tamen suo modo possunt.*
46 *Quid sit Sacramenta conferre gratiam ex opere operato.*
47 *In singulis Scramentis gratia specialis confertur, & qualis.*
48 *Quid sit character Sacramentalis, & quorum Sacramentorum sit.*
49 *Triplex officium illius, & quod sit indelebilis.*

REs hęc nec paucis potest pro dignitate tractari, nec diutius in ea immorari est nostri instituti. Contenti ergo erimus nonnulla quasi delibare pro rudi cognitione, qua saltẽ Sacerdotes imbutos esse oportet, & maxime propter frequentem mentionem, quæ de talibus effectibus habebitur in sequentibus.

Ij autem sunt duo maximè notabiles: gratia gratum faciens, & character: de quibus aduersus hæreticos latè Bellarm. toto lib 2. De Sacramentis in genere, & Gregorius à Valent. tomo 4. disp. 3. quæst. 3. & 4. atq; accommodatè ad scholasticum institutum copiosè Suarez in tertiam par. D. Tho. tom. 3. disp. 7. & quatuor sequentib.

De gratia gratum faciente.

SECTIO PRIOR.

ATque de priore, gratia inquam gratum faciente, sciendum nobis est primo, certum esse de fide ex Concil. Floren. in instruct. Armenorum, & ex Concil. Triden. sess. 7. De Sacramentis in genere, can. 6. & 7. Sacramenta nouæ legis significare & continere gratiam gratum facientem: eamque conferre omnibus ea suscipientibus non ponentibus obicẽ. Nomine autem gratiæ gratum facientis significatur habitus supernaturalis infusus animabus nostris ex Dei dono, quo ei reconciliamur, & ad suam amicitiam admittimur: ita vt inde formaliter sancti & iusti simus, ac secũdum spem hæredes vitæ æternæ, ex Concil. Triden. sess. 6. De iustificatione, capit. 7. vel ij qui iam iusti sunt, & sancti, magis iusti & sancti efficiantur. Ideo enim solet eadem gratia diuersi in primam & secundam: vt illa sit quæ datur existenti in statu peccati vel originalis, vt cum baptizatur infans, adhuc carens vsu rationis: vel actualis peccati mortalis: vt cum is absoluitur, qui de peccatis commissis habet quidem dolorem ad Sacramentum pœnitentiæ sufficientem, non tamen ita perfectum, vt eum habere satis sit ad exeundum à peccato, sine actuali susceptione Sacramenti; quod dici solet, attritum solummodo facere, non autem contritum. Gratia vero secunda sit, quæ datur iam existenti in statu gratiæ: facta additione noui gradus eiusdem gratiæ, ad priorem iam habitum.

Sciendum est secundo, certum esse omnia Sacramenta nouæ legis posse conferre secundam gratiam, seu augmentum gratiæ, quando suscipientem inueniunt iam in gratia constitututum. Nam, vt ante habitum est, omnia vim habẽt conferendi gratiam non ponenti obicẽ. Ille vero *si quis alius*, non ponit obicem; quia iam constitutus in gratia, Sacramẽtum suscipit. Cumq; talis non accipiat primam gratiam, vtpote qui iam habet illam: sane accipiet secundam, seu gratiæ augmentum. Ad primam autem gratiam conferendam non omnia Sacramẽta per se, & ex propria, specificaq; sua ratione instituta esse certum est: prout notat Suarez in cit. disputat. 7. sect. 2. non longe ab initio. Et patet: quia id quidem baptismo & pœnitentiæ conuenit, tanquam per se institutis ad peccati mortalis remissionem, seu impij iustificationem, *quæ iuxta definitionem Concilij Trid. sess. 6. cap. 7. sine gratia infusione non fit*: cæteris tamen non conuenit. Nam fines ad quos per se instituũtur, id non important. Sunt enim, Con-

firma-

firmationis quidem & Extremæ vnctionis, perficere seu corroborare gratiam acceptam in Baptismo vel in Pœnitentia; Eucharistiæ vero, eamdem gratiam fouere: quæ quidem de se, dicunt tantum modo gratiæ augmentum. Ordo autem & Matrimonium instituuntur ad bonum commune; vnde fit, vt cum remissio peccati, mortalis sit bonum priuatum personæ, de illis non possit idem dici, quod de Baptismo & Pœnitentia dictum est.

Sed tamen aduerte, hoc non obstante, ex probabiliore Theologorum sententia, omnia sacramenta de facto posse aliquando conferre primâ gratiam. Quod Suarez. *in eadem sect. 2. dubio 3.* probat: quia omnia sacramenta ex Christi institutione vim habent conferendi aliquem gratiæ gradum. Ergo si subiectum non habeat dispositionem actualiter repugnantem gratiæ, semper hanc conferent, vel per modum augmenti, in eo qui iam aliquem talem gradum habet, vel per modum primæ gratiæ, in eo qui nullum adhuc habet talem gradum. Consequentia probatur, quia non est minoris virtutis augere gratiam, quam illam de nouo infundere, quando in subiecto nulla est repugnantia: neque primus gradus gratiæ excellentior est, quam secundus. Cærum homo tunc censetur nõ habere dispositionem repugnantem gratiæ, cum etiamsi in peccato mortali sit, omnino tamen caret praua voluntate peccandi mortaliter dum sumit sacramentum, bonaque fide putat se sufficienter dispositum accedere ad illud. Etenim bona fide procedens, minime ponit actualem obicem prauæ voluntatis; atque *ex hypothesi*, habet pariter attritionem, per quam à peccato auersus, sic disponitur, vt ex parte ipsius non repugnet illud ab anima ipsius eliminari: & ex opere operato (*vt Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere can. 8. loquitur*) gratiam vi sacramenti in eandem infundi. Sed obiici potest superfluum esse pœnitentiæ sacramentum, si alia sacramenta conferant primam gratiam. Respondendum est, negando superfluum esse: quia etiamsi peccata remittantur per alia sacramenta: adhuc tamen pœnitentiæ præceptum obligat ad illa directe subiicienda clauibus, perinde ac cum extra sacramentum, eadem remittuntur per actum perfectæ contritionis.

46. Sciendum est tertio, cum Concilium Trid. ait, sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato, sensum esse, quod conferant gratiam ex vi operis à Deo ordinati ad ipsam gratiam conferendam: non autem ex merito, vel ex fide, vel alio interno motu, siue ministrantis siue suscipientis: itaut illud quod proxime, & instrumentaliter efficit prædictam gratiam, sit operatio illa externa quæ dicitur sacramentum; non autem aliquid aliorum, quod ex parte hominis siue ministrantis siue suscipientis, necessarium sit concurrere ad talem effectionem. Alias, gratia dicitur à Deo conferri ex opere operantis: hoc, mediante opere quod exercet is, qui gratiam ipsam suscipit, prius ad eam suscipiendam auxilio Dei dispositus. Cuiusmodi opus consistit in actu pœnitentiæ, qui sit vera contritio (de qua dictum est in præced. lib. 5.) & in actu charitatis, qui sit dilectio Dei super omnia.

47. Sciendum est quarto (*quod tangit D. Thom. 3. par. quæst. 62. art. 2. & latius declarat Suarez tom. tertio disput. 7. sect. 3.*) per singula sacramenta gratiam specialem conferri, eum illa de qua dictum est, omnibus sacramentis communi: non tamen ab ea differentem essentialiter; nec superaddentem ei habitum supernaturalem: sed tantum quoddam superabundans, & actuale auxilium diuinum, ad particulares fines sacramentorum: seu concursum Dei supernaturalem, debitum ex ipsius ordinatione, qua gratiam suam diuinam per sacramentum collatam, retulit in huiusmodi particularem finem. Eo igitur auxilio solet Deus cum gratia habituali per sacramentum collata, concurrere ad causandum in nobis tempore, & loco opportuno, spiritualem, & particularem finem, seu effectum sacramenti. Qualis est in baptismo delere totum reatum præteritorum peccatorum, animamque confortare ad rite suscipienda alia sacramenta. In confirmatione, corroborare animam ad Christi fidem publice profitendam, & ad toleranda pro Christo quæcumque tormenta. In sacramento pœnitentiæ, iuuare voluntatem ad perseuerantiam in bono proposito nouæ vitæ, & delere de reatu pœnæ peccatorum præteritorum, pro dispositione illud suscipientis. In Eucharistia reficere spiritaliter animam, seu dare robur, & vigorem quemdam in vita spirituali. In extrema vnctione dare virtutem spiritualem contra insultus dæmonum, & confortare animi pusillanimitatem, ac delere peccatorum reliquias, in sacramento ordinis, dare auxilium ad rite exercendum, ordinum actus spiritales. In matrimonio demum; ad seruandum thori fidem, ac refrenandum concupiscentiæ ardorem immoderatum, atque ad rite obeunda munera quæ coniugibus ex eo vinculo incumbunt. Videri potest Henriquez De sacramentis lib. 1. cap. 12. §. 5. 6. 7.

De posteriore effectu, qui est character.

SECTIO POSTERIOR.

48. CHaracter ex Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere can. 9. est quoddam signum spirituale, & indelebile, quod in animo imprimitur baptismi, vel confirmationis, vel ordinis susceptione. Et est iuxta D. Thomam *3. par. q. 63. art. 2.* communemque Theologorum sententiam; qualitas quædam per prædicta sacramenta à Deo producta, qua tribuit spiritualem quandam potestatem actiuam, vel passiuam. Character enim baptismalis reddit hominem aptum ad alia sacramenta suscipienda: itaut ea sint nulla, si baptismus non præcesserit: quod quidem est dare potestatem quandam passiuam, vt de se patet. Character vero ordinis dat potestatem quandam actiuam ad administranda ipsa sacramenta. Character denique confirmationis dat potestatem, minus principaliter quidem, passiuam suscipiendi alia sacramenta, non ita necessariam, quin etiamsi desit; hæc valide conferantur. Principaliter vero potestatem actiuam: nimirum aptitudinem ad profitendam Christi fidem. Cur autem tria illa sacramenta potius, quam cætera imprimant characterem, ratio reddi potest: quod tantum in illis homo deputetur nouo ministerio, tanquam mutans quodammodo statum suum. Namque in Baptismo transit à potestate dæmonis ad Christum: cui vt oleaster in bonam oliuam inseritur, vt bona arbor bonos fructus faciat; in confirmatione adscribitur militiæ Christi, vt insignia ipsius in fronte gerat, & pugnet contra dæmones. In sacramento denique Ordinis assumitur quis in numerum Præpositorum eiusdem militiæ: accipiendo potestatem distribuendi aliis bona domini sui eiusdem militiæ summi ducis.

49. Cæterum iuxta D. Thomæ doctrinam *in sequenti art. 3.* triplex characteris officium distingui potest: prout notauit Bellarm. *lib. 2. De sacramentis in genere cap. 19. propos. 3.* Primum est aptum facere ad cultum diuinum; potestas enim spiritualis, quam Characteris sacramentalis impressione à Deo dari ante diximus, eo spectat vt talis cultus exerceatur, suscipiendo, vel administrando sacramenta, aut fidem Christi confitendo. Secundum, *quod ex præcedenti oritur*, est configurare Christo. Cum enim prædicta potestas sit quædam participatio potestatis Christi, *qui vt summus sacerdos habet omnem potestatem in sacramentis*, fit vt sacramentalis character configuret nos Christo, & faciat nos ei similiores, quam sint illi qui eundem characterem non habent. Tertium, *quod oritur à secundo*, est habentem ipsum à non habentibus distinguere: nam ex eo quod sacramentalis character reddit nos Christo similiores, quam eo carentes, sequitur vt nos quoque distinguat ab iisdem: nempe fideles ab infidelibus, confirmatos à non confirmatis, clericos à laicis.

Indelebilem esse characterem sacramentalem, & ideo sacramenta illum imprimentia iterari non posse, certum est de fide: ex Concil. Trid. loco citato, & ex Concil. Florentino in instruct. Armenorum. Cuius indelebilitatis rationem Bellar. *in eodem cap. 19.* hanc affert, quod talis character non habeat contrarium cuius interuentu pellatur ab anima, isque sit ipsius animæ consecratio tandiu durans quamdiu eadem anima consecrata.

CAPVT VII.

De suscipiente Sacramenta.

SVMMARIVM.

50 *Solus homo præsentem vitam agens, capax est sacramentorum: ad quorum validitatem illius intentio est necessaria, & qualis.*

51 *Recta fides requisita in adulto suscipiente sacramentũ, vt per illud gratiam consequatur: itemque pœnitentia, & quæ.*

52 *Earumdem conditionum defectus, non obstat quin sacramentum vere suscipiatur, excepto pœnitentia sacramẽto.*

50. SOlus homo dum versatur in hac vita, in qua peregrinatur à Domino, capax est sacramentorum. Ea enim instituta sunt vt medicamenta humanæ naturæ. Postquam autẽ homo, obita morte, ad gloria æternæque vitæ terminum peruenit, non est amplius capax talium medicamentorum. Beatus enim tanquam bene valens, non habet opus medico: damnatus autem tamquam male valens, omnino desperatus ea excludit. Iam ad validitatem sacramenti (*excepta Eucharistia, quæ in esse, non dependet à suscipiente*) in eo qui illius capax est, requiritur intentio positiua suscipiendi institutũ à Christo sacramentum: etsi necessaria non sit in illo (*vt nec in ministrante*) rectitudo intentionis qua velit suscipere propter finem in quem à Christo est institutum; sed propter aliquem alium, vt propter lucrum, aut corporalem sanitatem, aut aliud eiusmodi. Quamquam quoad infantes, qui non possunt propriam intentionem habere, sufficit parentum, vel offerentium, vel ministri intentio: sicut ad peccatum originale contrahendum suffecit illis voluntas primi parentis Adami. *De qua re in sequenti libro cap. vltimo.*

Itaque ex cap. Maiores, De baptismo §. penult. in adultis, in quibus requiritur propria intentio, propriusve consensus, sacramentum inualidum est ex defectu intẽtionis illud suscipiendi: vt cũ quis omnino inuitus suscipit; aut per vim absolutam suscipere cogitur. Non vero (*ex eodem §. penult.*) si tantum metu siue iusto, siue iniusto: & siue leui, siue graui: dummodo vere velit suscipere, neque fingat. Satis autem est, ex communi Theologorum sententia, (*prout Suarez testatur in memorato tom. 3. disput. 14. sect. 2. dicto. 1.*) vt intentio sit virtualis sicut in ministro: immo & interpretatiua. quam præcesserit positiua actualis in qua fundetur, sufficere potest, ex cit. cap. Maiores §. vltimo. Confirmatur que per illud quod ex cap. Ægrotantes, De consecrat. distinct. 4. amentes, vel furiosi, vel morbo oppressi, capaees sint sacramentorum Baptismi, & pœnitentiæ, quando habuerunt præcedentem voluntatem ea suscipiendi: quod idem de aliis sacramentis pari ratione dici potest. Hæc eadem Syluester habet in verbo, Baptismus 4. quæst. 14 quæ planiora fient per dicenda de baptismo ipso, *in memorato cap. vltimo.*

51. Amplius ad consequendum primarium sacramenti effectum, *quia est gratia gratum faciens*, in suscipiente qui ad annos discretionis peruenerit, prærequiritur ex parte intellectus, vt rectam habeat fidem, sine qua impossibile est placere Deo, ad Hebræos cap. 11. ex parte voluntatis vero (*quod patet ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 1.*) vt de peccatis commissis habeat veram pœnitentiam: qualis est quę excludit omnem mortaliter peccandi voluntatem, tanquã directe repugnãtem gratiæ gratum facienti, nec eam secum patienti in eodem subiecto. Veruntamen, *vt in cap. Omnis qui, De consecrat. dist. 4. sub. finem dicitur*, ab hac pœnitentia paruuli cum baptizantur immunes sunt: quia nondum possunt vti libero arbitrio. Hæc quoque illustrabuntur per dicenda in eodem cap. vlt. vbi etiam, suppositio eo, quod ante ostensum est, sacramenta, omnia posse conferre primam gratiam, patebit non esse necessarium, vt talis pœnitentia sit vera conritio, hoc est, quã propter Deum ex charitate dilectum, super omnia detestemur peccatum, prout est illius offensa: sed sufficere, vt sit attritio, hoc est, ex Concil. Trid. in sequenti cap. 4. dolor de peccatis commissis, qui excludat voluntatem peccãdi, & oriatur ex supernaturali auxilio Dei, versetur que circa obiectum supernaturale fide cognitum: vt est turpitudo peccati, quam omniũ maximã esse ostendunt sacra eloquia: & timor gehennæ, aut amissionis æternæ gloriæ; talis enim dolor sufficienter tollit ab homine effectum peccati mortalis: ideoque & obicem diuinæ gratiæ, quam sacramenta ex opere operato conferunt, non ponentibus obicem: ex definitione Concilij Trid. sess. 7. De sacramentis in genere, can. 6.

Nec est quod quis dicat requiri contritionem; propter reuerentiam debitam sacramento: quia satis reuerenter accedit, qui secum adfert dispositionẽ ad hoc necessariam, vt non impediatur effectus sacramenti. Quod in baptismo, & in sacramento pœnitentiæ concedatur, concedi etiam potest in aliis sacramentis, cum & ipsa possint conferre primã gratiam. Si enim veram contritionem requirerent in suscipiente, requirerent consequenter & gratiam, quę illam sine sacramento in re susceptо sequitur, iuxta promissum factũ Ezechielis 18. Cõuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & nõ erit vobis in ruinam iniquitas.] Neq; refert quod baptismus, & pœnitentia per se & directe respiciant peccatum tãquam materiam, cætera sacramenta non item: quoniam satis est quod secum adferant gratiam iustificantem, per quam apta sunt illud tollere à suscipiente dispositо. Quamquam tamen propter reuerentiam summam quæ debetur maiestati Christi in Eucharistia contenti, merito in Concil. Trid. sess. 13. cap. 7. præcipitur, vt nullus qui sit sibi conscius peccati mortalis, quantũcunque sibi contritus videatur, absque sacramentali confessione, ad sacram Euchariſtiam accedere debeat.

Cæterum quamuis ille qui sine dictis prædictis dispositionibus (*recta fide inquam & pœnitentia*) sacramentum indigne suscipit, non recipiat, prout dictum est, gratiam sacramenti: vere tamen suscipit sacramentum: vnde si illud sit ex imprimentibus characterem, hunc imprimit indelebilem. De qua re Suarez *in citata disput. 14. sub finem*, rationem adferens, quod in secundum Catholicæ Ecclesiæ ritum baptizati: sunt aut ordinati in hæresi, non baptizentur denuo, aut ordinentur, si resipiscentes ad Ecclesiam Catholicam relicta hæresi reuertantur; quod satis ostendunt validum posse esse sacramentum non obstante defectu veræ fidei in suscipiente, aut carentia pœnitentiæ antea descriptæ eiusdem defectum sequente: quandoquidem talis pœnitentia cũ sit supernaturalis dispositio voluntatis, requirit supernaturale Catholicæ fidei lumen: quo proinde deficiente illam abesse necesse est. Neque sequitur si infidelitas, aut aliud peccatum mortale tollat gratiam, *quæ est præcipuus effectus sacramenti*, tollere debere etiam ipsum sacramentum. Nam causa non dependet in esse à suo effectu quo prior est. Neq; si peccatum mortale directe repugnat gratię, sequitur pariter repugnare characteri, obicemque illi deponere in subiecto: quia licet sint effectus eiusdem causæ, non sunt tamen eiusdem rationis, sed diuersæ, vt satis patet ex antedictis. Bene vero idem author ibidem notat, peculiare esse in sacramento pœnitentiæ, vt quia iam dicta pœnitentia, quæ in aliis sacramentis tantum est dispositio, in eo pars est essentialis: ipsum nullo modo sine eadem perfici posse.

CAPVT VIII.

De peccatis quibus obnoxij sunt ministrantes, aut suscipientes indigne sacramenta, & eorumdem cooperatores.

SVMMARIVM.

53 *Indigne sacramenta tractare, peccatum est suo genere mortale: & grauissimum si quis ea conficere tentet non habens potestatem.*

54 *Quid de eo qui non est certus, an talem potestatem habeat.*

55 *Quatenus soli Sacerdotes censeantur ministri sacramentorum.*

56 *Mutare materiam, aut formam in administratione sacramenti, aut vti incerta, aut non seruare ritum ab ecclesia præscriptum, peccatum est de se mortale.*

57 *Peccatum est suo genere mortale, sacramentum ministrare in statu peccati mortalis.*

58 Anid

58 *An id habeat locum in illo qui ex necessitate administrat, nec est ad tale officium consecratus.*

59 *Quatenus peccet in sacramentorum administratione, omittens cæremonias ab Ecclesia præscriptas.*

60 *Duo modi quibus contingere potest obligatio suscipiendi sacramenta.*

61 *Peccatum est mortale sacramenta sine dispositione suscipere; ac etiam tali indigne susceptioni cooperari.*

62 *Peccat mortaliter ministrans sacramentum suscipienti illud indigne; nisi scandalum, aut iniusta proximi læsio excuset.*

63 *Ignorantia quoque probabilis potest ab eodem excusare.*

64 *Non licet sacramentum petere ab eo qui nequit illud valide, aut digne ministrare.*

HVc pertinent quæ late tradit Suarez in eodem tomo 3. ad 3. par. D. Thomæ disput. 16. 17. & 18. vnde sumemus aliquot documenta, ex quibus iudicari possit de talibus peccatis.

53. Primus est, *multorum aliorum fundamentum*, digne tractanda esse sacramenta, siue dispensanda sint, siue recipienda: sunt enim res sacræ, quas indigne tractare peccatum est suo genere mortale: quia committitur contra religionem, nobilissimam virtutem, & contra honorem Deo debitum: reponiturque à D. Thoma 2. 2. quæst. 99. art. 3. inter grauiores sacrilegij species.

Documenta de ministrantibus.

SECTIO PRIOR.

SEcundum est: graue sacrilegij peccatum committere eũ, qui tentat conficere sacramentum, cuius conficiendi nõ habeat potestatem: Tum quia facit contra Christi institutionem, qui certos instituit sacramentorum ministros: Tum quia quantum in se est, prauum ritum in conficiendis sacramentis introducit: & facto ipso falsam doctrinam profitetur: Tum demum quia deceptione vtitur, ex qua sequi possunt grauia animarum pericula, & scandala. Qui autem habeant huiusmodi potestatem intelligetur, cum in sequentibus docebitur suis locis, qui sint singulorum sacramentorum proprij ministri.

54. Tertiũ est: si quis incertus sit an talem potestatẽ habeat, ne temere exponat se periculo faciendi sacramentum irritũ nunquam ea debere vti, excepto casu, quo pensatis diligenter circunstantiis omnibus, iudicet probabilius esse, quod talẽ potestatem habeat, quam quod non habeat. Cuius exceptionis ratio est: quod talis tunc excusetur á culpa tanquã is qui rationis præscriptum sequitur, alioquin (*quod foret valde durum*) contingeret perplexitate conscientiæ, pias animas ordinarie angi: quandoquidem vt in salubribus, & insalubribus: sic in agendis, vel fugiendis in spirituali vita non inest ordinarie constantia illa, quæ requiritur ad plenam certitudinem cognitionis, sed potius magna varietas ex varia circunstantiarum mutatione. Ita docens Suarez. *in eod. tom. 3 disput. 16. sect. 1. dict. primo sub finem*, adhuc addit exceptionẽ aliam. Nisi necessitas grauis vrgeat, cui non possit alia securiore via subueniri. Et merito addit: quia nec tunc, *licet de sua potestate aliquatenus incertus*, agit contra rationem: cum vt supponimus, iudicet non sine probabilitate, quod in tali casu habeat sufficientem potestatem: neque licet contrariũ æque probabile, aut etiam probabilius forte videatur: exponit se temere periculo faciẽdi sacramentũ irritum: sed solummodo tale periculum, tanquã non certum patitur seu permittit ad obuiandum necessitati vrgenti: interea solicite curans, ne quod aliud detrimentum in Dei, vel proximi iniuriam, sacramenti administratio patiatur.

55. Quartum documẽtum est *quod in dicto 2. idem author subiungit ex D. August. lib. 2. contra Parmenianum cap. 13.* solos Sacerdotes per se loquendo potestatem habere administrandi sacramenta; quia collatio sacramẽti est actio sacra, ad quam digne perficiendam minister consecratur. Excipitur tamen matrimonium, quod cum in quodam contractu consistat, à contrahentibus perficitur: itemque baptismus, qui vrgente necessitate potest etiam à laico quocumque conferri; vt suo loco exponetur in sequenti libro. Quamuis autem huiusmodi potestas sufficit ad conferendum valide sacramentum (*excepto sacramento pœnitentiæ, ad cuius validitatem requiritur iurisdictio, cum sit actus iudicialis*) non tamen ad conferẽdũ licite: nisi ad illam accedat potestas iurisdictionis: vel ordinaria, qualis inest pastoribus, in ordine ad oues suæ curæ commissas: vel delegata ab eo, qui est ordinarius pastor. Ratio est: quia cõstat ex cap. 20 Euangelij D. Ioannis, & ex cap. 4. epistolæ D. Pauli ad Ephesios, aliquos Christi institutione esse in Ecclesia aliorum pastores, qui animarum curam gerant, ad talesque pertinere ius, & officium ordinariũ, ouibus propriis dispensandi sacramenta, quæ sunt animarum medicinæ; itaut peccent grauiter cæteri, quantumcumque pari sacerdotali, aut Episcopali potestate prædíti, qui sine commissione legitima præsumunt alienis ouibus sacramenta ipsa dispensare: tanquam illi, qui indebito modo vtantur potestate sibi data, non seruando distributionem ouium ab Ecclesia factam congruenter, antedictæ Christi institutioni, vsurpandoque illegitime aliorum ministerium.

Quintum documentũ est: omnes, *quotquot licite possunt*, obligari ex charitate sacramenta aliis ministrare: dum extrema, aut alia grauis necessitas vrget: adeout sine iusta causa id omittere, peccatum sit mortale iuxta communem doctrinam de eleemosyna. Obligantur vero ex iustitia ad eandem ministrationem illi quibus ea incumbit, vel ex officio, vel ratione stipendij, aut promissionis, aut pacti cũ rationabiliter tale debitum ab ipsis exigitur. Quod negando quia violatur iustitia in re notabili (*sicut plerumque alias retinendo alienum*) mortaliter peccatur, nisi aliqua iusta causa exculet.

56. Sextum documentum est, quod late tractat Suarez in eadem disp. 16. sect. 2. Sacramentorum ministrum iure diuino teneri in illorum vsu seruare integras materias, & formas à Christo institutas: secusque faciendo graue peccatum sacrilegij committere: quia magnam iniuriam inferret tanto sacramentis, quæ ex eo redderentur irrita, ac nullatenus Christo in eo, quod nouus ritus introduceretur cõtra ipsius institutionem: tum demum fidelibus, qui frustrarentur veris remediis suæ salutis. Neque in hac re potest quis excusari per ignorantiam iuris; quia nemo ignorans quæ requirũtur ad substantiam sacramentorum debet se ministerio illorum ingerere, quin prius talem ignorantiam depulerit. Per ignorantiam autem facti excusari potest aliquando, saltem à mortali, vt cum quis in aqua consecrat, aut aliquod verbum formæ omittit per inaduertentiam inculpabilẽ: qualis censeri potest, contingens cum quis bona fide, & intentione procedit, adhibetque moralem diligentiam, quam ordinarie adhibere solent diligentes, ac timorati. Nec item excusari potest ob materiæ paruitatem, quia talis materia semper est grauis: cum ex illa pendeat tota substantia, & validitas sacramentorum

Septimum documentum est, ministrũ in administratione sacramenti, materia, vel forma incerta vtentem sine vrgente necessitate, mortaliter peccare, ob periculum cui se exponit faciendi sacramentum irritum. Necessitas autẽ vrgens à tali peccato excusat eodem modo, quo in casu tertij documenti. Videri potest in eadem sect. 2. Suarez.

Ex qua sectione amplius habetur octauum documentũ, peccatum mortale esse, non seruare eum modum talis materiæ, vel formæ quem Ecclesia præscribit: vel quem vniuersali, ac recepta consuetudine obseruat: vt v. g. in Ecclesia Latina, consecrare in pane fermentato, vel consecrare in vino sine aquæ admixtione. Ratio est: quia violare Ecclesiæ præceptum in re graui legitime datum, peccatum est graue. Pro re graui autem habendum esse ritum, quo vniuersalis Ecclesia vtitur in administratione sacramentorum ad promouendam fidelium pietatem, nemo Catholicorum negauerit. Quanquam paululum in prædicto modo deficere, excusatio esse potest à mortali (*sicut & in pleriſque aliis*) ratione paruitatis: quia mutatio facta in illis non reddit sacramentum irritum, sicut facta in materia vel forma.

57. Nonum documentum est, *quod idem author late tractat in seq. sect. 3.* qui sacramentum confert ex officio tanquam minister deputatus, seu consecratus ad tale ministerium teneri se præparare ad gratiam, vt illud sancte exerceat: itaut peccet mortaliter, si sciens & volens illud in statu peccati mortalis exerceat. Ad confirmationem huius, *inquiens communi Theologorum consensu receptum esse*, plures authoritates

& rationes idē author habet. Sufficiet autem illa ratio familiaris, quam ad idem ostendendum specialiter quoad Sacramentum pœnitentiæ, vsi sumus in prima par. lib. 1. num. 161. nempe quod ministerio sacramentorum vti vase immundo sit irreuerentia Dei propter indecentiam qua sacramentum, *res adeo sancta, vereque hominem sanctificans*, tractatur tanquam prophana. Quæ indecentia potest esse tanta, vt ob notabilem Dei irreuerentiam quam coniunctam habet, censeatur peccatum mortale. Cum ergo immunditia peccati mortalis sit infinite maior, quam quęcumq; alia: & concursus ministri deputati ad huiusmodi ministerium longe propinquior, excellentiorque sit quocumque concursu vasorum: certe maxima irreuerentia est: qua mortali crimine contaminatus, audet exhibere ministerium in sacramentorum perfectione; præsertim cum id faciat, tanquam Christi, *principaliter tunc agentis*, instrumentum rationale; ad id deputatum per consecrationem sacramentalem, in qua animæ puritas, nisi obicem posuerit, data est ei infusione gratiæ ex opere operato. Quæ quidem satis ostendunt peccatum in eo committi suo genere graue, & eo grauius, quo iniquitas ministri maior fuerit, & sacramentum dignius.

Hincque Suarez bene colligit, Sacerdotē ministraturum sacramentū, si in peccato mortali sit, teneri ad contritionē, quæ cum Dei auxilio semper haberi potest; vel si attritionē solum in se agnoscat, teneri sacramentalem confessionem præmittere, vt ex attrito fiat contritus: quia vt constat ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. peccator per solam attritionem non disponitur sufficienter ad gratiam consequendam. Cęterum in hac re excusat ignorantia probabilis, qua quis facta diligenti discussione, non est sibi conscius peccati mortalis, vel probabiliter se existimat contritum: cum forte tantum sit attritus. Ne autem putet quis doctrinam hanc duriorem esse eo nomine, quod sit difficile, sic auerti à peccato, & ad Deum conuerti, vt quis huius summo amore, illius affectum omnem exuat *(quod ad contritionem requiritur)* aduertere debet Dei auxilium omnibus, & semper præsto esse: ratione cuius quisque dicere possit cum D. Paulo ad Philip. 4. Omnia possum in eo qui me confortat]. Neque difficultatem eam aliunde prouenire, quam ex nostra malitia, qua ob prauam consuetudinem, vel ob proximam peccati occasionem, quam præ manibus habemus, ita obstinate afficimur ad peccatum, vt vix ex eo resurgere posse videamur; quod totum pendet ex mala voluntate nostra, quam in bonam mutare positum est in nostra libertate: alioqui enim non daretur de eo præceptum.

58. De eo autem qui non ex officio, & tanquam publicus Christi, Ecclesiæque minister: sed solum ob necessitatem, sacramentum ministrat *(vt potest lacus baptismum vrgente necessitate)* an teneatur quoque sub pœna peccati mortalis se ad gratiam consequendam disponere per contritionem, si conscius sibi sit peccati mortalis, grauis cō: rouersia est inter Theologos: quam idem Suarez in eadem disput. 16. sect. 4. tractat. Nobis autem satis est; tutiorem quidem esse partem affirmantem: sed negantem teneri posse; tum ob authoritatem D. Thomæ, & aliorum quos idem citat: tum quia censendum est minus oneris imponi iis, ad quos per se non pertinet cura, & administratio sacramentorum, nec ad eam consecratione deputati sunt: sed solum per accidens ea permittitur ipsis ob necessitatem: minus, inquam, oneris quam illis qui ex officio deputati, consecratique per se sunt ad illud munus tanquam propria Christi instrumenta: quibus incumbat specialis obligatio conformandi se in sanctitate suo principali agenti. Quæ ratio, cum solum nitatur benigna quadam interpretatione generalis documenti de digne tractandis, & dispensandis sacramentis, præmonuimus partem affirmantem tutiorem esse, quæ ideo consulenda est in praxi.

Aduerte obiter *(de quo idem il idem in fine)* constare de baptismo quod is vrgente necessitate possit ab alio administrari quam per consecrationem deputato: non item confirmationem, pœnitentiam, ordinem, & extremam vnctionem. De matrimonio vero, & Eucharistia esse aliquam difficultatem suis locis tractandam.

59. Decimum documentum est: ministrum sacramentorum in eorum administratione, teneri seruare non modo essentialia, seu necessaria ex Christi institutione ad illorū validitatē: sed etiam solemnitatem ad cæremonias ab Ecclesia institutas. Hoc patet ex definitione Concilij Trid. sess. 7. De sacramentis in genere can. vlt. & ex recepta consuetudine vniuersalis Ecclesiæ, atque ex communi Catholicorum cōsensu: itaut aliter faciens peccet mortaliter, cum negligit eas seruare, vt omnino superfluas, aut impertinentes. Nam in eo magnam iniuriam infert Ecclesiæ, adeoque Spiritui sancto, cuius instinctu per illam institutæ sunt eiusmodi cæremoniæ, de quibus talis indigne sentit. Peccet item idque grauius, aut minus grauiter, *pro maiori scilicet vel minori grauitate materiæ*, is qui etiam tantum ex fragilitate sciens & volens negligit eas seruare. Id quod prudētis iudicio relinquitur, cum de vnaquaque in particulari agitur. Neque in genere aliud statui potest; quam grauiores esse, & culpabilius omitti cæremonias illas, quæ institutæ sunt propter sacram significationem, quam illas, quæ sunt tantum propter ornatum, & decentiam quandam. Atque inter institutas propter sacram significationem illas grauiores esse, culpabiliusque omitti, quarum significatio est altior; vt est præ multis aliis in azymo pane, & in vino habente aliquid aquæ admixtum, conficere sacramentum Eucharistiæ.

Documenta de suscipientibus sacramenta, & de cooperatoribus tam eorum, quam ministrantium.

Sectio Posterior.

VNdecimum documentum est, Obligationem suscipiendi sacramenta dupliciter posse contingere; vno modo per se, quando ea imponitur ob effectum proprium, vtilitatemque ex sacramento ipso prouenientem, vt cum præcipitur annua confessio, vel sacra sumptio Eucharistiæ in Paschate. De qua obligatione nihil occurrit in genere dicendum. In particulari vero cū de singulis sacramentis agitur docendū est, num aliqua sit imposita de eorū susceptione, & quænam sit. Altero autem modo talem obligationē contingere posse per accidens, vt quando ob extrinsecum aliquem finem, ea censetur adesse: vt ob necessitatem vincendi vrgentem tentationem, aut propulsandi imminens scandalum, aut obuiandi proximo periculo graui, aut quid aliud eiusmodi. 60.

De qua obligatione illud in genere notandum occurrit: peccatum quod illius violatione committitur non esse specialiter contrarium virtuti religionis (sicut est illud quod violatione præcedentis obligationis committitur) sed ei virtuti, ex qua ipsa eadem obligatio oritur. Si enim oriatur ex castitate, vt quando vrget necessitas vincendi tentationem carnis, violatio illius, malitiam habebit contrariam castitati. Quando vero imminet scandalum proximi, aut necessitas eius vrget, quia talis obligatio ex misericordia oritur, violatio eius, peccatum erit contra misericordiam, & sic de cæteris. 63.

Duodecimum documentum est, Eum qui sacramentū suscipit teneri sub graui peccato, omnia præstare, quæ ex parte ipsius necessaria sunt ad validitatem sacramēti, vel ad decentem modum suscipiendi illud, requisita sunt; siue ex natura rei, siue ex præceptō Ecclesiæ. Ratio est, quia si suscipiens sacramentum non adhibeat suum concursum necessarium, vt sacramentum fiat, & decenter, ac cum debita reuerentia suscipiatur, prout ratio postulat, non erit sacramenti digna susceptio, sed indigna, ac sacrilega irrisio, grauisque & iniuriosa Ecclesiæ deceptio. Sic igitur grauiter peccat qui sine intentione, de qua dictum est *in præcep. cap. Septimo*, sacramentum suscipit. Deinde is qui sacramentum suscipit, cuius non est capax, vt si fœmina velit ordinari, vel homo sanus vngi extrema vnctione, vel religionem approbatam professus, aut ad subdiaconatum promotus velit matrimonium contrahere: vel sine dolore, & confessione peccatorum, sacramentaliter absolui. 61.

Decimumtertium documentū est, Suscipientem sacramentū teneri sub mortali, ita dispositum accedere ad illud, vt non ponat obicem effectui principali illius, qui est gratia sanctificans. Ratio est: quia cum sacramenta, institutione

Christi

Christi sint efficacia signa talis gratiæ: seu quę illam efficiant significando: is qui ipsa recipit, tali effectui ponendo obicem; quantum in se est inanem reddit, & falsam eorum significationem: ideoque graue sacrilegium committit. Sic enim ex Apostolo in priori ad Corinth. 11. qui Eucharistiam indigne sumit, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Ea autem dispositio, vt in cit. cap. 7. proposuimus, est certa fides, & pœnitentia in eo qui sibi conscius est peccati mortalis. Quibus adde & relaxationem vinculi excommunicationis; quo irretitus ab omnium sacramentorum perceptione excluditur, ex cap. Nuper, De sententia excommunicationis. Item dispensationem ab irregularitate, ob quam irregularis ab ordinum perceptione reiicitur.

Decimumquartum documentum est, Peccare non modo indigne administrantes, aut suscipientes sacramenta, sed etiam cooperantes illis ad indigne ministrandum, vel suscipiendum. Hoc enim est commune peccatis omnibus, vt illis contaminentur, tam consentientes facientibus, quam facientes ex cap. 1. ad Rom. in fine. De quare egimus in præced. lib. 16. cap. 3. documento tertio. Videri etiam potest Nauar. in Enchir. cap. 11. num. 12. & 13.

62. Decimumquintum documentum est, Graue peccatum esse ministrare sacramenta iis, qui ad illa indigne accedunt. Ratio est, quia id est cooperari illorum sacrilegæ susceptioni, & agere contra fidelem, & prudentem, ad quam tenentur, sacramenti dispensationem, ac contra cultum, ac reuerentiam sacramento debitam. Ad confirmationem facit, quod cum Sacerdos teneatur Eucharistiam in loco decenti collocare, si illam proiiceret in terram, grauiter peccaret contra officium suum: multo ergo grauius peccabit eam porrigendo indigno, quandoquidem peccati mortalis turpitudo, quamcunque aliam longe superat. Nonnunquam tamen per accidens licitum esse potest, dare aliquod sacramentum indigno (*vt verbi gratia, Eucharistiam occulto peccatori eam publice petenti*) ad vitandum scandalum, vel iniustam proximi infamationem. De quare satis constare videtur ex facto Christi, qui ipsam Eucharistiam porrexit Iudæ proditori. Et ratio est: quia exterior receptio sacramenti, ad quam cooperatur ministrans, non est per se mala: sed solum habet adiunctam malitiam per accidens ex praua dispositione suscipientis: ad quam non concurrit, quando compellente necessitate vtitur suo iure, dando operam rei de se licitæ.

63. Amplius à tali peccato excusare potest ignorantia probabilis: quæ quidem vt talis sit, requirit diligentiam adhibitam in examinanda dispositione, quam vnumquodque sacramentum exigit: eane insit ipsum petenti: vt si adultus baptizari petat, examinandus est num habeat fidem, & pœnitentiam sufficientem ad induendum Christum (*iuxta illud ad Galat. 3. Quicunque baptizati estis, Christum induistis*) siue ad hoc vt Christus habitet in corde ipsius, quod fit per fidem cum charitate (*cui repugnat complacentia in peccato mortali*) coniunctam: iuxta illud ad Ephes. 3. Flecto genua ante Patrem Domini mei IESV Christi, &c. vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum eius in interiori homine, Christum habitare per fidem in cordibus vestris in charitate radicati & fundati. Cum vero petit quis humiliter Confirmationem, vel Eucharistiam, vel Extremam vnctionem, vt plurimum ipsa petitio sacramenti tali modo facta à persona idonea, potest absque alijs indicijs sufficiens signum esse bonæ dispositionis. Quamquam tamen prudentia directrix humanarum actionum, interdum dictat opus esse diligentia in examinando verbi gratia, num is qui ad Confirmationem se offert iam sit baptizatus: aut num ille qui petit Eucharistiam sit confessus; aut is qui scitur prius habuisse impedimentum siue peccati, siue censuræ Ecclesiasticæ, num ab eo liberatus sit; aut si scandalum publicum dederit, num illud subsatum sit per iustam satisfactionem ne ipsum accrescat collatione sacramenti. In sacramento Pœnitentiæ tenetur minister, tanquam iudex constitutus in causa Dei, accurate informare se de statu conscientiæ pœnitentis; vt recte possit, nec temere sententiam proferre. In sacramento Ordinis tenetur Episcopus diligenter examinare qualitatem & statum personæ ordinandę: num sit digna tanto Sacramento, ac sacro ministerio, ad quod admittitur. De quare abunde instruitur à Concil. Trid. sess. 23. de refor. In Matrimonio denique, quod inducit vinculum perpetuum, cum multis oneribus, & molestiis de se coniunctum, pastores Ecclesiæ diligenter curare debent, vt illud contrahentes id faciant cum conditionibus requisitis, & dispositione debita; ne vel inualide contrahant, vel ponant obicem sacramentali gratiæ, sibi in tot difficultatibus imprimis necessariæ. Videantur quæ Concil. Trid. habet in sequenti sess. 24. de reformatione matrimonij.

Vltimum documentum est: Neminem posse sacramentum petere ab eo qui illud valide, aut digne administrare non potest. Ratio est quia talis administratio exerceri nequit absque sacrilegio, quo sacramentorum institutori fiat grauis iniuria. Cui sacrilegio cooperari, est pari scelere se contaminare iuxta ante traditum 14. documentum. Sic ergo peccat tali graui peccato qui procurat sacramentum administrari sibi ab eo, qui non est minister illius idoneus (*vt se absolui à Sacerdote qui non habet sufficientem potestatem*) aut administrari ab eo, qui quamuis sufficientem potestatem habeat, ea tamen sic male vsurus est, vt non perficiat sacramentum: aut quamuis illud sit valide administraturus, non potest tamen licite: quia nec est pastori illius, cui administrat, nec ab eodem pastore delegatus; aut etiam licet pastor sit, vel à pastore delegatus, tamen per Ecclesiæ præceptum prohibetur ministrare. In quibus casibus, nisi aliqua iusta causa, *vt necessitas*, potestatem faciat, talis actio sacra non potest absque peccato exerceri. Namque simpliciter carens potestate necessaria ad eiusmodi actionem, si eam exercere præsumat, sacrilegium mortale committet: & carens sufficienti iurisdictione alienum ius vsurpabit iniuste: & suspensus ab Ecclesia, violabit obedientiam eidem debitam. Quod cum ita sit, nemo licite poterit in talibus casibus, alteri cooperari, siue petendo, siue accipiendo ab eo sacramentum; siue etiam deseruiendo ei in ipsa actione sacra, quam exercet praue, nec aliter exercere valet, ob defectum potestatis legitimæ. 64.

De difficultate, An liceat petere, & accipere sacramentum à ministro, qui potest quidem illud licite administrare, sed ex malitia sua administraturus non est sine peccato: nempe quia perseuerare vult in censura ecclesiastica, aut in peccato mortali: quid tenendum sit, aliquot propositionibus explicuimus in 1. par. lib. 1. cap. 14. sect. 3. licet enim ad Sacramentum pœnitentiæ peculiariter eas accommodauerimus, æque tamen pertinent ad omnia reliqua sacramenta. Ibidem ergo videantur.

DEO GRATIAS.

LIBER SECVNDVS, ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVSSEPTIMVS.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

PROOEMIVM.

AVTHORES tam antiquiores, quam recentiores, de Baptismo tractantes commemorat Henriquez initio libri 2. Theologiæ moralis: quibus nouissime accesserunt Gregorius à Valentia, & Franciscus Suarez ad 3. par. D. Thomæ: ille disput. 4. generali: & hic in commentariis, & disput. ad quæst. 66. & aliquot sequentes eiusdem tertiæ partis. In iure canonico apud Gratianum de eadem materia agitur De consecra. dist. 4. & in alijs libris eiusdem iuris, titulo De baptis. & eius effectu. Errore contra sanam doctrinam de baptismo, & authores à quibus refutantur idem Henriquez refert in proœmio eiusdem libri: in qua refutatione hærere non est nostri instituti. Dicemus vero primo, de nomine & definitione baptismi; secundo, de illius institutione, & necessitate; tertio, de materia; quarto, de forma; quinto, de accidentibus; sexto, de ministro; septimo, de suscipientibus; octauo, de præcepto illum suscipiendi; nono, de effectibus illius; vltimo, de dispositionibus quas eorundem productio requirit in suscipientibus.

CAPVT I.

De nomine, & definitione Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *De nomine Baptismi, & quod dicatur tripliciter.*
2 *Vnde dicatur baptismus flaminis, & vnde baptismus sanguinis.*
3 *Definitio baptismi fluminis, de quo hic est sermo.*
4 *In baptismo tria notantur: res sacramenti tantum, sacramentum tantum, & sacramentum simul, & res sacramenti.*

Nu. 1. VARIA sunt nomina quibus hoc sacramentum à Patribus appellatur, prout refert Greg. à Valen. sub initium citatæ disput. quartæ. Ipsum vero baptismi nomen à Græcis acceptum, Latine sonat immersionem in aquam: huic sacramento ideo accommodatam, *prout notat Bellar. to. 2. controuer. 2. controuersinitio libri de baptismo*, quod ordinarie fiat per mersionem, ad repræsentandã Christi sepulturam, iuxta illud ad Colosse. 2. Consepulti ei per baptismum. Cumque à D. Thom. *in cit. quæst. 66. art. 11.* & à cæteris Theologis communiter (*vt in comment. notat Suarez*) triplex distinguatur baptismus: vnus fluminis, alter flaminis, & tertius sanguinis: solus primus hic nomine baptismi intelligitur: quia solus est vere, & proprie sacramentum, de quo ecclesia profitetur, Confiteor vnum baptisma, in remissionem peccatorum]& D. Paulus ait ad Ephes. 4. Vnus Dominus, vna fides vnum baptisma. Cæteri enim dicuntur baptismi, in ordine ad illum: quatenus scilicet possunt supplere eius vicem, & producere spiritualem eius effectum, qui est remissionis peccatorum, cum infusione gratiæ iustificantis. Non sic supplent autem, vt susceptí tollant obligationem illum (*qui vere, proprieque sacramentum est*) suscipiendi, si quando commoditate oblata, suscipi potuerit ex cap. Baptismi vicem, De consecr. dist. 4.

2. Cæterum ex eo baptismus flaminis dicitur, quod fiat afflatu Spiritus sancti. Consistit enim in pœnitentia: ad quam siue actualis sit, vt contritio, siue virtualis, vt dilectio Dei super omnia: necessarium est diuinum Spiritus sancti auxilium iuxta illud Ierem. 31. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus: postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam. Adde & definitionem Concilij Triden. sess. 6. canone 3. Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.

Baptismus sanguinis vero ex eo dicitur, quod consistat in martyrio, quo sanguis pro Christo funditur. De eo multa *authoribus in margine citatis*, Henriquez, *in memorato lib. 2. cap. 24. & sequentibus vsque ad finem. Et Suarez to. 3. disp. 29. in tertiam part. D. Thomæ*; quæ tanquam remotiora à nostro instituto non attingemus.

Baptismus denique fluminis ex eo dicitur, quod fiat ablutione ex aqua. Ad illius naturam aperiendam, sufficiet nobis definitio, quam ex Catechismo iussu Concilij Triden. edito, habet Bellarm. loco citato: sumpta partim ex Ioannis cap. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. &c. partim ex epist. ad Ephes. cap. 5. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ. Nimirum quod sit sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ. In qua definitione, *sacramentum*, genus est baptismi; in quo conuenit cum sacramentis tam veteris quam nouæ legis. Quod vero additur, *regenerationis*, significans illius primarium effectum, qui est iustificatio peccatoris, separat baptismum à sacramentis veteris legis, quibus nulla talis vis inerat: vnde à D. Paulo ad Galat. 4. dicuntur egena elementa. De qua re D. Tho. in præced. quæst. 62. art. 6. Et quod postremo loco ponitur, *per aquam in verbo vitæ*, (indicans baptismi propriam materiam, & formam, de quibus postea) separat eundem à cæteris nouæ legis sacramentis; quorum alia est tam materia quam forma, vt suis locis in sequentibus exponetur.

Hic occurrit notandum ex D. Thoma, *in primis memorata quæst. 66. art. primo*, baptismum esse ex eorum sacramentorum numero, in quibus tria notantur; nempe sacramentum tantum, res tantũ sacramenti, & res simul, & sacramentum: quorum primum, est exterior ablutio facta, accedente verbo Dei, iuxta illud D. Aug. tract. 80. in Io. Accedit verbũ

ad ele-

ad elemementum, & fit sacramentum. Quæ ablutio significat interiorem ablutionem à sordibus peccatorum, factam per gratiæ iustificantis infusionem in animam. Secundum vero est ipsa gratia sanctificans, quam prædicta ablutio externa sic significat, vt simul eam producat. Tertium est character baptismalis indelebiliter impressus in anima, qui dicitur res sacramenti, quatenus per sacramentum, seu exteriorem ablutionem producitur; & dicitur sacramentum, quatenus est signum distinguens fidelem ab infideli.

CAPVT II.

De institutione, & necessitate Baptismi.

SVMMARIVM.

5 *Baptismus institutus est à Christo.*
6 *Quando institutus.*
7 *Qualis sit illius necessitas, & quod talis sit quoad infantes, vt ipsa suscipi debeat, nisi pro Christo mortem patiantur.*
8 *Quod in adulto votum illius sufficere possit quãdo reipsa suscipi non potest.*
9 *An oporteat tale votum esse explicitum.*

CERTVM est de fide à Christo Domino nostro institutum esse sacramentum Baptismi. Nam aperta sunt verba illius Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. & Matth. vlt. Baptizantes eos, &c. Atque inter septem nouæ legis sacramenta, quæ Concilium Floren. *in instruct. Armenorum*, & Concil. Triden. *sess. 7. De sacram. in genere, Can. 1.* definiunt á Christo instituta, primo loco ponitur baptismus: vt is per quem si deles tanquam per ianuam intrantes in Ecclesiam, adunantur in vna vera religione, fiuntque capaces aliorum sacramentorum, prout Henriq. alios citans bene notat, *in lib. 2. Theolog. Moralis cap. 2. initio.*

6. Difficultas est autem, quo tempore institutus fuerit. De qua, *quoniam ad iudicium de peccatis nobis propositum nihil, aut saltem parum facit*; sufficit paucis monere ex D. Tho. in citata quæst. 66. art. 2. & communiori Theologorum sententia, fuisse institutum ante Christi passionem, eo die, quo à D. Ioanne Christus ipse baptizatus est. Quod qua ratione probetur (tanquam scholastici instituti) relinquemus videndum ei, qui volet apud Bellarminum in tomo 2. controuers. libro De baptismo cap. 5. Cui addi possunt Henriquez in cit. cap. 2. & Suarez ad 3. par. to. 3. disput. 19. sect. 2.

7. De necessitate autem eiusdem sacramenti quæritur: num sit necessarium necessitate medij; ita scilicet, vt sine eo salus homini non contingat. Ad quam quæstionem respondet D. Tho. in seq. quæst. 68. art. 2. sine suscepto in re, vel in voto, nullum hominem posse saluari: quod est de fide per illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Et per Concilij Trid. definitionem sess. 7. de baptismo can. 5. Si quis dixerit baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem, anathema sit. Cui accedit quod in præced. sess. 6. cap. 4. statuitur; post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto iustificationem peccatoris fieri non posse, sicut scriptum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Vbi nota particulam *nisi*, indicare medium necessarium: perinde ac cum quis dicit, Nisi comedas, non viues; vel nisi pharmacum sumas, non conualesces. Latius in seq. disput. 27. Suarez de hac re.

Ex qua sequitur, quod cum institutione Christi baptismus sit in re, vel in voto necessarius ad salutem; paruulos qui illum in voto habere non possunt, *vt bene declarat D. Thomas 3. par. quæst. 73. art. 3.* nec posse lege ordinaria consequi æternam salutem, nisi illum in re susceperint, aut certe mortem *(iuxta illud Matth. 10. Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam)* pro Christo patiantur. Vnde sumitur quod Theologi tradunt martyrium esse quoddã baptismã; vimq; habere conferendi gratiam, *quod in tomo 2. controuer. lib. de baptismo cap. 6. Bellarm. & disput. 4. quæst. 3. puncto 4. assertione 4. Greg. à Valen. bene tractant.* Nec vero ideo martyrium dici debet sacramentum: quia quamuis gratiam conferat, non tamen vt signum illius ex particulari institutione diuina: sed ex Christi pacto quodam, & promissione facta verbis citatis ex D. Matth. Et ita pie credendum est, infantes quos ex vtero egressos obstetrices sagæ dicuntur interimere ante susceptum baptismum, æternam salutem consequi, si id ab illis fiat in odium Christi: non item si alia de causa, *ex Angelo in verbo Baptismus, sexto §. 7.*

Quia igitur is qui natus est ex carne, caro est; ideo oportet nos nasci denuo, vt in supra citato cap. 3. Ioannis Dominus asserit Nicodemo: significans nos nasci carnales, infectos originali peccato, tanquam morsu antiqui serpentis, ideoque esse nobis necessarium, regenerari sacramento baptismi: perinde ac Iudæi, qui percussi erant à serpẽtibus *(qua similitudine Dominus ibidem vtitur)* necessarium fuit aspicere serpentem à Moyse erectum in deserto. Videndus est Bellar. in præced. cap. 4. & reiicièdum cum Greg. à Valen. quod aliqui pro paruulis remedium præter baptismum, & martyrium finxerunt. Si enim tale non habetur diuina institutione, quomodo dicemus haberi institutione humana, nisi existimare velimus curam infantum magis ad homines, quam ad Deum pertinere, quod absurdissimum est. Patet autem ex dictis, quod si infans ita baptizetur, vt desit aliquid spectans ad essentiam baptismi: vt si aqua non tangat corpus, vel antequam forma integra proferatur, infans ipse moriatur: vel defuerit intentio ministri, taliter gestum non sufficere ei ad salutem, cum baptismi sacramentum non susceperit vere.

Patet quoque ex dictis: adultum, cum sit capax voti baptismi, capacem quoque esse salutis æternæ, quantumcunque ex defectu aquæ, vel ministri illum reipsa suscipere nequeat. Ad quod confirmandum præter citatum cap. 4. Concilij Triden. & authoritates Patrum quas Gregorius à Valen. loco citato adfert, facit tum cap. Apostolicam, De presbytero non baptiz. & cap. Debitum. De baptismo, & eius effectu: Tum etiam ratio, quia voluntas apud Deum pro facto reputatur, cum deest faciendi facultas. Id quod in malis operibus, cum constet vsuuenire in bonis, idem contingere, nihil est cur dubitetur: præsertim cum Deus propensior sit ad bene faciendum, quam ad puniendum. Quando igitur quis habere non potest copiam baptismi, sufficit ei si votum habeat, seu desiderium illius suscipiendi, adiungatque veram de peccatis se commissis contritionem, quam ante diximus appellari baptismum flaminis: & cui à Deo promittitur peccatorum remissio per illud Ezechielis 18. Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. 8.

Atque necessarium esse illam memorato desiderio adiungi ad eandem remissionem, ex opere, *vt vocant*, operantis consequendam: satis patet per illud Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis omnes peribitis: & per illud quod dicunt Theologi, & definitum est in Concil. Triden. sess. 14. cap. 4. attritionem non fufficere ad peccatoris iustificationem, nisi cum reali susceptione sacramenti: quod gratiam ex opere operato conferens, facere potest ex attrito contritum, seu *(quod idem est)* detestantem peccata sua ex Dei dilectione, per habitum charitatis, qui cum gratia infunditur animæ in reali susceptione sacramenti.

Difficultas est vero, An oporteat prædictum votum esse explicitum, seu quo expresse, & in particulari baptismus desideretur, tanquam sacramentum & remedium à Christo institutum in remissionem peccatorum: An vero sufficiat esse implicitum: sicut censetur esse in desiderio seruandi totam legem diuinam, & quærendi remedia ea, quæ ordinata sunt à Deo ad salutem consequendam, & peccata delenda: In eo desiderio enim virtualiter, & implicite continetur propositum seruandi legem de baptismo suscipiendo. Cui difficultati post Vegam, & Sotum respondet ibid. Gregor. à Valen. implicitum sufficere ei, qui non audiuerit quidquam expresse de Christo, & baptismi necessitate in religione Christiana: *(quod patet ex Cornelio Centurione Actorum 10. qui iustus fuit antequam de Christi religione erudiretur,)* ei vero qui tale quid expresse audiuerit, necessarium esse ad salutem expressum votum baptismi: *quod idem est*, vt velit reipsa baptizari ad implendum Christi præceptum. Tenetur enim id ipsum expresse implere si possit alias vero expresse implere velle; quod est ei possibile, vtpote voluntatem propriam in 9.

sua potestate habens, etiam si illius impletio sit ipsi impossibilis.

CAPVT III.

De materia Baptismi, ac primum de remota quæ est aqua.

SVMMARIVM.

10 *Aqua sola, vera, & naturalis est materia baptismi remota.*
11 *Quæ talis esse, & quæ esse sit in particulari cen enda.*
12 *Quid censendum sit de ea quæ alterata est, aut admixtum habet aliquid aliud.*
13 *Quando liceat, aut non liceat vti aqua, de qua dubitatur, an vera sit & naturalis.*
14 *Ablutio est materia proxima baptismi, requirens vt aqua tangat realiter corpus: & quo modo.*
15 *Corollaria varia inde deducta.*
16 *Infans adhuc existens in matris vtero, eatenus baptizari non potest, quatenus non potest ablui*
17 *Saluti infantis in materno vtero clausi quantenus consulendum.*
18 *Quod sit capax baptismorum flaminis, & sanguinis: & quod ordinarie expectari debeat illius integer egressus antequam baptizetur.*
19 *Nihil refert siue per immersionem, siue per infusionem, siue per aspersionem fiat ablutio ad baptismum necessaria.*
20 *Vna ablutio sufficere potest ad baptismi substantiam, tamen trina adhiberi debet, quando ita fieri consuetudo.*
21 *De ablutione facta immersione sine emersione quid tenendum sit.*
22 *In qua potissimum corporis parte fieri debeat ablutio, si non possit in toto corpore.*

10. CErtum est de fide ex definitione Concil. Triden. sess. 7. baptismo can. 2. aquam veram & naturalem esse de necessitate baptismi, seu esse illius materiam necessariam, necessitate sacramenti. Quod (*vt cætera omittamus, quæ Suarez habet tomo 3. disput. 20. sect. 1.*) satis confirmatur authoritate Scripturæ Ioan. 3 Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.] Act 8. Ecce aqua, quis prohibet me baptizari?] & cap. 10 Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi?] Et ad Ephes. Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ.] In quibus locis nomen aquæ esse intelligendum de vera & naturali aqua patet: quia in expositione Scripturæ numquam recedendum est à proprietate verborum, nisi cogamur euidenti aliquo absurdo: alioqui si liceat pro arbitrio fingere nouos sensus, possemus omnia Scripturæ loca, etiam clarissima, deprauare. Vera autem, & naturalis aqua hic censeri potest, quæ siue alterata sit quoad accidentia, siue non, retinet aquæ naturam & substantiam, atque ad abluendum (*quod baptismi sacramentum requirit*) apta est. Vnde pro praxi hæc documenta colliguntur.

11. Primum est. Nullum liquorem, qui non sit vera aqua quoad substantiam, quantumcumque quoad accidentia appareat aqua, esse baptismi materiã. Contra vero omnem aquã verã quoad substantiã (*nisi ita alterata sit, & mutata, vt censeatur inepta ad ablutionẽ*) esse idoneã baptismi materiam.

Secundum est ex Soto *in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 4.* & Franciscã Victo. in summa de sacramen. quæst. 12. nihil referre siue aqua sit maris, siue fluminis, siue fontis, siue putei, siue lacus, vel stagni, siue pluuialis. Item siue clara, siue turbida, siue dulcis, siue salsa, siue odorifera, siue putida, siue calida, siue frigida, siue etiam resoluta ex niue, grandine, vel glacie. Addit etiam contra Palud. Sotus ibid. ad 4 argumentum, lixiuium, & aquas sulphureas. Hęc enim omnia aquarum genera, retinent substantiam veræ, & naturalis aquæ.

Tertium est ex D. Tho. 3. par. quæst. 66. art. 4. ad vltimum; non esse aptam baptismi materiam, quemcumque alium humorem: etiamsi cõmuniter aquæ nomine appelletur, aut habeat similitudinem cum vera aqua, in colore, aut aliis qualitatibus; vt lacrymæ, sudor, vrina, pituita, humor qui supernatat sanguini, humor qui egreditur ex incisione vitis, aut alterius arboris, aqua artificialis, quæ adiumento artis per distillationem, aut compressionem exprimitur ex herbis, radicibus, aut floribus, vt aqua rosacea, boraginis, & similes. Item quæ vulgo dicitur aqua ardens, & quæ solet ab Alchimistis fieri ad mutanda metalla.

Quartum est ex D. Thom. in eodem art. 4. Illam solam alterationem, & admixtionem diuersi corporis, aut humorum cum aqua, impedire ne ea sit idonea baptismi materia, quæ facit, vt secutum ex tali mixtione, sit magis aliud, quam aqua: vt si modicæ aquæ naturali multum, aut tantundem vini, vel aquæ rosaceæ misceretur: quia ex ea mixtione, aut resultat quid tertium, aut aqua in illud cui admisceatur, cum fuerit potentius, mutatur. Quod si multum sit aquæ, cui parum vini, vel alterius liquoris admisceatur, quia non tollitur aquæ substantia, ea erit apta baptismi materia, vt patet ex eo quod aquæ baptismali admisceatur chrisma. Ex quo documento indicari potest de multis in particulari: vt de ptisana, ceruisia, & de aqua in qua decoquuntur herbæ, vel radices, elixantur carnes, vel pisces. Cuiusmodi non esse veram aquam Sotus *in eod. art. 4. ad 4.* ex eo probat, quod obligatus iciunare in pane, & aqua non possit illis vti.

Quintum est ex Sylu. in verbo, baptismus 2. nu. 1. Angelo in eodem verbo tertio §. 4. aquam non esse idoneam baptismi materiam, quantuncumque suam substantiam retineat, si apta non sit ad ablutionem: quæ est baptismi materia proxima, sicut aqua est materia remota. Vnde admissa etiam sententia eorum, qui volunt niuem grandinem, & glaciem esse aquam veram secundum substantiam, quoad accidentia alteratam: negandum est in eis posse perfici baptismum, nisi liquefacta resoluantur in aquam: quandoquidem aliter non sunt apta ad ablutionem. Quod idem eadem de causa dicendum est de aqua contenta in luto, aut in panno lineo, vel laneo, nisi exprimatur, vt ibidem expresse notant Angelus, & Syluester: sicut nec consecratio sanguinis Christi fieri potest in musto intra vuas contento, quantumuis essentialiter non differat à seipso ex iisdem vuis expresso, quia non est aptum ad potum.

Sextum est quod sub finem citati art. 4. tangit Sotus, eum peccare grauiter qui nulla necessitate vrgente baptismo adhibet aquam, de qua dubitatur probabiliter an sit apta ad sacramentum Probatur, quia exponit se probabili periculo inualidandi sacramentum, maleque consulendi proximo in re grauissima. Quod si in tali causa (*quo scilicet probabiliter dubitaretur aquam esse veram & naturalem*) collatus esset baptismus, is deberet sub conditione repeti cum vera, & naturali aqua, dicendo, Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris. &c. Nam summa huius sacramenti necessitas ita postulat. Pro quo facit cap. De quibus Extra De baptismo, & eius effectu.

In extrema tamen necessitate & periculo mortis liceret vti aqua dubia, si alia deesset: quia sic, quoad fieri potest consulitur probabili periculo damnationis proximi; in quo cum iuuari potest sine certa Dei offensa, ipsum relinquere in extrema necessitate spiritali constitutum, lex charitatis non patitur. Cæterum etiamsi validus sit baptismus cum qualibet aqua vera, & naturali; quia in eo adhibetur, nec deficit materia necessaria necessitate sacramenti: non licet tamen ministro, nisi excuset iusta necessitas (qualis est periculi mortis, aut nimiæ dilationis baptismi) baptizare in qualibet aqua; sed tantum in illa certa quæ fuerit præcepto determinata: qualis est sacrorum fontium. Nam licet talis necessaria non sit necessitate sacramenti; est tamen necessitate præcepti, receptæue consuetudinis.

PARS RELIQVA CAPITIS.

De proxima Baptismi materia, quæ est ablutio corporis.

14 COmmunis Catholicorum sententia est, *inquit Suarez. to. 3. disput. 20 sect. 2.* ablutionem esse baptismi materiam, eamque proximam, iuxta verba Domini Matthæi vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, &c.] & Apostoli ad Ephes. 5. Mundans eã lauacro aquæ in verbo vitę.] Ea enim significant ablutionem, tanquam aquæ applicationem ad corpus: sine cuius interuentu, sacramentum baptismi non perficitur. Nam cum ipsum positum sit in vsu, nec sit quid permanens,

manens, non potest consistere in aqua, *vt sic dicam*, quieta manente: sed in aliquot eius vsu. Quem quidem communis Ecclesiæ traditio, & praxis ostendit esse ablutionem corporis factam *iuxta Christi institutionem*, cum certa verborum forma: de qua dicetur in sequenti cap. De necessitate sacramenti autem requiri vt talis ablutio sic fiat, vt aqua realiter tangat corpus baptizandi, Suarez probat *in ead. sect.* 2. ex vi vocis. Nam nemo vnquam dixerit, aquam quæ non tangit corpus, abluere ipsum ablutione reali, qualis necessaria est ad baptismum tanquam modus quo cõferri debet paulo post tradendus. Id quod indicatur per illud D. August. tract. 80. in Ioannem. Quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & corabluat.

Adde requiri etiam, vt talis contractus sit successiuus, seu cum diffussiõe partium aquę per partes corporis. Quod idem Suarez probat: quia id requiritur ad rationem ablutionis: vt ex eo patet, quod aqua in vase, quamuis illud tangat, non dicatur illud abluere: sicut nec aquæ pars, quæ post baptismum adhæret corpori baptizati: ablui, sed ablutum esse dicitur.

Adde præterea requiri *(prout receptam esse D. Thomæ sententiam notat Greg. à Valen. in citata disput. 4. quæst. 1. puncto 2. versu Ex cuius)* vt tanta sit aqua, & eo modo adhibita, vt persona cui adhiberetur secundum vsitatum, & mortale loquẽdi modum vere dicatur ablui, seu aqua tingi. Id quod de se clarum est: quia vt vera aqua, sic vera ablutio necessaria est ad sacramentum baptismi. Nam baptizandi verbum in sacra Scriptura illam importat eadem ratione, qua ante dictum, est, verbum aquæ importare veram aquam.

15. Ex quibus pro praxi sequitur primo, non esse verum baptismum si aqua tantum modo tangat vestes baptizandi, nec vllo modo corpus: alioqui enim si quis insueretur corio, aut intra capsam clauderetur, posset pariter vere baptizari: quod nemo asseruerit, cum nullo modo abluatur. Vnde talem baptismum iterandum esse Sotus *in eadem quæst. vnica art. 7. sub finem* merito asserit.

Sequitur secundo quod etsi probabile sit valere baptismum, quantumcumque abluatur quis tantum secundum capillos: sicut probabile est contigisse cum Actorum 2. audita concione D. Petri, tria circiter millia hominum susceperunt baptismum: quandoquidem aspersione collatum fuisse (& ideo aquam secundum capillos tantum attigisse aliquos) indicat tanta multitudo, tam breui tempore baptizatorum. Nihilominus tamen: quia non satis constat capillos, sufficientem ad id; corporis partem esse, posse talem baptismum sub conditione iterari indicat Sotus *in eod. art. 7. versu, Ecquid.*

Sequitur tertio, quod ex eodem Soto ibidem subiungit loco memorato Greg. à Valent. non sufficere ad baptismum, sicut nec ad ablutionem, si minutissima tantum aquę gutta, aut etiam aliquot paucis guttulis, quis aspergatur.

16. Sequitur quarto, nec esse satis ad baptismum, si soluatur vterus matris in quo infans continetur. Id quod habetur ex cap. Qui in maternis, De consecr. dist. 4. & confirmatur: quia ille modus non sufficit vt ipsa persona infantis censeatur ablui; quæ cum sit distincta à persona matris; vtpote proprio corpore, propriaque anima constans, non abluitur ablutione matris. Quæ ratio est D. Thomæ *3. par. quæst. 68. art. 11.* Veruntamen, vt inquiunt à Victoria *De sacram. quæst. 32. & Gabriel in 4. dist. 4. quæst. 2. art. 3.* dubio secundo, & post vtrumque Greg. à Valen. *in eod. m puncto 2. versu, Tertio sequitur*: si arte, & opere obstetricis aqua sic mitti posset vt pertingeret vsque ad infantem: addita forma debita verborum, non immerito censeretur verus baptismus: quia nihil necessarium ad sacramentum deesset: etiamsi tunc sicut in aliis casibus dubiis, videatur sub conditione repetendus, si postea infans viuus egrediatur ex vtero.

Dices deesse, quod infans non sit natus: & vt in cit. cap. Qui in maternis, dicitur renasci non possit is, qui non fuerit natus. Respondet à Valentia infantem ad renascedum in Christo per baptismum, sufficienter nasci in Adam, quando in vtero matris concipitur. Si vrgeas idipsum capitulum esse intelligendum de natiuitate per egressum ex vtero. Respondetur id quidem verum esse, sed habito tantum respectu ad id quod ibi statuebatur, nempe baptizari nõ posse infantem, ita inclusum in vtero matris, vt aqua ad illum pertingere non possit: nisi forte aliqua saltem parte sit ex ipso vtero egressus. Neque obstat, quod infans in vtero existens inuolutus sit pelle secundina. Nam & natus potest cum tali pelle baptizari, iudicio Angeli *in verbo, Baptismus 5. §. 4. & Sylu. eodem verbo 4. qu. 1.* ratioque esse videtur quod ea pellis sit corpori adnata, sicut & capilli, vel scabies.

Aduerte autem ex Gabriele loco citato non longe à principio, & à Victoria in seq. quæst. 33. & ex aliis communiter post D. Thomam 3. par. q. 68. art. 11. ad 3. matre mortua si infans credatur adhuc viuere in vtero, eam esse aperiendam, vt ille baptizetur: sique mater damnata sit ad mortem, differri debere executionem pœnæ, donec pepererit ex lege, Imperator Adrianus, ff. De statu hominum, & ex lege Prægnantis, ff. De pœnis. Vide Couar. in lib. 4. variarum resol. cap. 4. Mater autem viuens etiamsi (vt loco cit. addit Sylu.) ob partum moritura esset, scindenda non est, vt extrahatur infans & baptizetur: quia illud est malum directe repugnans præcepto Decalogi de non occidendo: neque facienda sunt mala vt eueniant bona ex cap. 2. epist. ad Romanos. Pari ratione neque mater ipsa ad liberandum se à morte, cum iudicatur moritura in partu, potest sumere medicinam, ex qua probabiliter sequutura sit mors infantis. Id quod procedit maxime quando infans si, erarctur matre mortua victurus, & baptizandus, quia aliena vita spiritualis, nostræ temporali præferenda est. De qua re Nauar. in Enchir. cap. 25. *n.* 62. & Syluester in verbo, Medicus *quæst. 4. dicto 2.* 17.

18. Aduerte etiam infantem in vtero matris omnino clausam etiamsi non sit capax baptismi fluminis, esse tamen tum baptismi flaminis, prout D. Thomas loco cit. ad 1. attigit. & patet, quia Deus potest illum sanctificare, sicut Ieremiam, & D. Ioannem Baptistam: non enim potestas ipsius alligata est sacramentis; Tum etiam baptismi sanguinis: vt si pro Christi fide, aut pro iustitia mater occidatur. Etsi enim intentio interfectoris feratur tantum in matrem, tamen de se extenditur ad infantem quem illa gestat in vtero, cuius mors sequitur ex illius morte.

Aduerte postremo ex D. Thoma ibidem ad 4. & communi omnium sententia teste Syl. *in verbo Baptismus 4. quæst. pr. ma*, expectandam esse totalem egressionem infantis ex vtero vt baptizetur: nisi mors immineat: quia imminente quæcumque pars egrediatur, illum posse in eadem baptizari: hac tamen distinctione seruata, vt si pars illa sit caput, in quo maxime manifestatur principium vitæ, quod est anima *(ad quam à peccato abluendam baptismus confertur)* non sit iterandus baptismus: si totum egredi contigerit: sin sit alia pars, iterari debeat sub conditione, Si non es baptizatus, &c.

De modo quo fieri debet ablutio aliquot dubia.

QVorum primum est, An ad baptismum, *aliquid referat, ablutionem fieri immersione corporis in aquam, an effusione aquæ in corpus?*

19. Responsio est, nihil referre, ex D. Thomæ sententia, *in 3. par quæ. 66. art. 7. & 8.* communiter *(vt ibid. notat Suarez disput. 20. sect. 3.)* receptaà Theologis in 4. dist. 3. sicut & à Summulariis in verbo, baptismus. Et, robatur, qa ex institutione Christi, nihil aliud definitum est, nisi quod hæc ablutio fiat ex aqua. Quod vero hoc, vel illo modo fiat, non est à Christo præscriptum, vt patet ex institutionis verbis Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua] & Matth. vlt. Baptizantes eas in nomine Patris &c.] Quare nullus particularis modus ablutionis est de essentia baptismi: sed solum modo ablutio, de qua antea. Vnde sicut est vera ablutio: ita & cæteris necessariis concurrentibus, verus baptismus erit, siue baptizetur quis per modum effusionis: vt quando aqua in aliquo vase contenta effunditur super baptizandum: siue per modum aspersionis vt quando aqua in spongia, vel in alio corpore contenta spargitur super corpus baptizandi: siue per modum immersionis vt quando minister tenens infantem per latera, aut brachia immergit ipsum in aquam, & statim ab ea eleuat.

Quam-

Quamuis autem hæc ita sint, tamen minister, qui solemniter, & ex officio sacramentũ istud confert, tenetur seruare consuetudinem Cathedralis Ecclesiæ in qua baptizat; non autem Archiepiscopalis, aut Romanæ, nisi sit exemptus; ex Palud. *in* 4 *dist.* 3. *q.* 3. *art.* 2. quem sequuntur D. Anto. 3. *par. tit.* 14. *cap.* 13. §. 1. *sub finem. Tabiena Baptismus* 5. *n.* 1. *& Sotus in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica art.* 8. *conclus.* 3. Quod si non faciat, nec iusta causa ipsum excuset, peccabit grauiter, iuxta D. Thomã *in supra citato art.* 8. non tamen mortaliter, vt vult loco citato Sotus: dummodo id non faciat ex contemptu, aut cum notabili scandalo. Iusta causa autem excusans potest esse, vt in eodem nu. 1. notat Tabiena: tum honestas, vt in adultis, quos mergi non conuenit: tum necessitas, siue ex aquæ paucitate, siue ex debilitate ministri, qui non potest sustentare baptizandum: siue ex debilitate baptizandi, cui potest imminere mortis periculum si immergatur. Tunc enim ex D. Thoma in memorato art. 7. quantumcunque consuetudo haberet (sicut habuit adhuc suo tempore) vt baptismus per immersionem conferatur, posset per effusionem, aut aspersionem conferri.

Secundum dubium est, An ad baptismum sufficiat vnica ablutio?

20. RAtio dubitandi esse potest, quod in cap. Si quis Presbyter, De consecr. dist. 4. pœna depositionis imponatur Episcopo, vel Presbytero, trinã immersione omittenti. Resolutio D. Thomæ autẽ est in memorato art. 8. ablutionem quidem esse baptismo essentialẽ, sed illius modum esse tantum accidentalem. Quod patet ex illius variatione instituta ab Ecclesia, occasione diuersarum hæreseon, prout ab ipso D. Thoma ibidem declaratum videre licet. Iam vt per immersionem fieri, tantum est modus ablutionis; sic & fieri per trinam immersionem: itaut ad necessitatẽ baptismi perinde vna, ac trina immersio sufficiat, ex cap. De trina, ead. dist. 4. & licet ordinarius modus cõferendi baptismũ fuerit per trinam immersionem: tum propter rationes, quæ ex D. Augustin. referuntur in cap. Postquam, eadem dist. tum etiam propter præceptum Apostolorũ in cit. canone, Si quis presbyter (est enim ipsorum 49. nonnullis licet verbis mutatis) tamen postea, vt inquit ibidem D. Thomas, in detestationem erroris rebaptizantium, *vt Donatistarum*: in Concilio 4. Tolet. canone 5. constitutum est, ne baptismus fiat nisi vna immersione. Hic aduerte ex Caiet. ad eundem D. Thomæ locum, & ex Soto *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica art.* 8. *in explicatione tertij argumenti*: ministrum, qui intendit conferre baptismum per trinam immersionem, si in prima tantum, aut in secunda proferat integram formam verborum sacramentalium, perficere verum sacramentum baptismi, dummodo habeat, prout ad sacramentum requiritur, intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Ratio est quia talis intentio ministri fundatur super ritu & consuetudine Ecclesiæ, in baptismo vtentis trina immersione, non tanquam essentiali, sed tanquam accidentali cæremonia: itaut eadem ministri intentio respiciat trinam immersionem, non tanquam essentialem, sed tanquam accidentalem sacramenti ritum: quo omisso, sacramentum ipsum perinde vere perficitur: ac Sacerdos, qui aliquo casu, aut obliuione aquam vino non admiscuit in calice, vere consecrat: quia Eucharistiæ sacramento, admixtio aquæ tantum est accidentalis.

Tertium dubium est, An per immersionem sine emersione possit valide conferri Baptismus?

21. HVic occasionem dat difficultas, de qua in vtramque partem contendentes authores referunt *Greg. à Valen. disput.* 4. *quæst.* 1. *puncto* 2. *versu, Septimo sequitur, & Suarez in ante memorata disput.* 20. *sect.* 3. An si infans in flumen, vel in puteum proiiceretur cum intentione illum baptizandi, debite prolata verborum sacramentalium forma, validus esset baptismus? Quæ difficultas nulla est si in proiectione, immersioni succedat emersio; vt si intra caristrum, funi alligatũ in aquã proiectus statim retraheretur: *quod exemplũ est Angeli in verbo, Baptismus* 4. §. 1. Tota ergo est, cũ immersioni nõ succedit emersio, sed immersus relinquitur suffocandus in aqua. Quod quidem constat damnabile esse, nec vsurpandum: quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona: tamen non impedit quin baptismus ea ratione collatus sit validus, vt iidem Authores probabilius esse censent, quia nihil tunc deesse videtur ad baptismi veritatem: quandoquidem cum ministri intentione requisita, concurrit vera materia & forma, & satis superque in tali casu infans abluitur. Rationes vero quæ faciunt pro parte contraria, iidem bene soluunt, nec nos remorari debent quia talis casus in praxi valde rarus est, & pene inauditus.

Quartum dubium est, An ad Baptismum sufficiat qualemcunque corporis partem abluere?

AD quod respondetur ex D. Thoma. *in citata quæst.* 66. *art.* 7. *ad* 3. si totum corpus non possit aqua perfundi, propter aquæ paucitatem, vel propter aliam causam (*mortis videlicet periculum, vel indecentiam in baptizando, aut imbecillitatem in baptizante*) oportere perfundere caput, in quo vt in sede sensuum manifestatur principium vitæ animalis, seu anima, vt est sensitiua: sicut & in thorace includente partes vitales, eadem manifestatur provt est vegetatiua, seu principium alendi: quem proinde, cum caput non potest, conuenit perfundere (*maxime in pectore quod est sedes cordis*) potius quam artus, seu partes alias in quibus vitæ principium non ita manifestatur: quamuis dicat Angelus Baptismus 4. §. 2. communis teneri, quod qualitercumque attingatur baptizandus (*reali scilicet tactu aquæ*) sit baptizatus: quia tamen id certum non est, datur locus iterationi baptismi sub conditione, prout ex D. Thoma antea tradidimus nu. 18. 22.

Illud restat de tota hac re monendum, nusquam eo ablutionis modo vtendum esse, ex quo probabile mortis periculum baptizatus incurreret. Is enim potius est diuinæ misericordiæ committendus: quia non sunt facienda mala vt eueniant bona, ad Roman. 3. Neque refert quod alioqui ille morietur sine baptismo: quia quisque ex charitate debet prius consulere animæ suæ, quam alienæ. Conuenit autem alium in tale periculum, peccatum est mortale, Cæterum vix tale adesse potest, si modica aqua tepida super caput, vel faciem, vel pectus baptizandi effundatur, aut aspergatur.

CAPVT IV.

De forma Baptismi.

SVMMARIVM.

23 *Catholicorum sententia de forma Baptismi.*
24 *Non est de necessitate baptismi, in illius forma personam ministri exprimi.*
25 *Est autem vt exprimatur persona suscipientis.*
26 *Itemque vt exprimatur actus baptizandi.*
27 *Inuocatio sacrosanctæ Trinitatis est de eadem necessitate.*
28 *Eam oportet esse explicitam.*
29 *Responsio ad illud quod in contrarium obiici potest ex Actis Apostolorum: & ex dicto Nicolai Papæ V.*
30 *De essentia formæ baptismi est, vt in ea cum trinitate personarum significetur naturæ vnitas.*
31 *Forma Baptismi in vulgari lingua esse potest, & quo modo sit coniungenda cum ablutione, quodque possit esse conditionalis; non tamen sine necessitate.*

DE forma baptismi quoad speculationem multæ sunt difficultates, immo & errores, quos refert Bellar. *tomo* 2. *in lib. De baptismo cap.* 3. de quibus tum ipse, tum Suarez *disput.* 21. tum etiam Greg. à Valen. *disput.* 4. *quæst.* 1. *puncto tertio* videri possunt ab auido sciendi.

Quoad praxim vero, conueniunt Catholici, & tanquam de fide certum tenent propter verba Domini Mathæi vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti, & Ecclesiæ definitiones, tum alias, quarum iidem authores meminerunt, tum valde apertas Concilij Florentini in in- 23.

institutione Armenorum, & Alexandri tertii, in cap. 1. De baptismo. Tenent, inquam, istam esse formam legitimam huius sacramenti Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. In qua quatuor exprimuntur. Primo quidem persona ministri, per pronomen, *ego* 2. persona suscipientis, per pronomen *Te*. 3. actio, per verbum *Baptizo* 4. invocatio sanctæ Trinitatis, vt principalis agentis, per ea quæ sequuntur, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.*

Sectio Prior.

De personis, & actione in forma baptismi expressis.

24. De persona autem ministri notandum est, quod D. Thomas insinuauit *in 3. par. quæst. 66. art. 5. ad 1.* & expresse docet D. Anton. *3. par. tit. 14. cap. 13. §. 2.* expressionem personæ ministri, cum ipsa sit tantum causa instrumentalis, nō esse de necessitate sacramenti, sed solum de præcepto Ecclesiæ secundum formam vsitatam Latinis: prout satis intelligitur ex eo quod Græci verum baptismum cōferant *(quem adm. loco citato Concilium Florent. statuit, efficaciterque probat Suarez in ead. disput. 21. sect. 1. sub finem)* nec tamen personam baptizantis exprimant. Dicunt enim: Baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Qua forma Latinus vtens peccat, & quidem mortaliter ex Armilla, *in verbo Baptismus, nu. 10.* quia peruertit Ecclesiæ ritum. Quod maxime verum est si id faciat ex errore, quo existimet validam non esse fomam apud nos vsitatam: aut faciat cum scandalo. Quamquam tamen erit verum sacramentum, vt contra Innocentem, post Adianum probat *Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnica art. 5.* Ex his sequitur quod habet Bellar. *in citato cap. 3. versu Est igitur*: particulam, *ego*, licet non debeat à nobis omitti, quia exprimitur in forma recepta ab Ecclesia Latina, tamen si omittatur, baptismum esse validum: quod patet ex c. Retulerunt, De consecr. dist. 4. vbi forma, in qua pronomen: Ego non exprimitur, approbatur tanquam sufficiens ad validitatem baptismi.

25. De persona vero suscipientis baptismum, notandum est cum Suarezio *in sequenti sect. 2. dicto tertio*; communem omnium sententiam esse, quod de necessitate formæ baptismi sit, vt per eam indicetur persona quæ baptizatur. Ad quod facit cap. 1. De baptismo, in quo statuitur non esse baptismum, nisi dicatur ego te baptizo, etiamsi trina immersio fiat in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti Amen. Cur autem inde similiter non colligatur, pronomen *Ego*, esse de necessitate formæ, glossa ibid. in verbo *Ego*, causam reddit: quia illius detractio non impedit quin sensus integer maneat, argumento citati cap. Retulerunt. Ad idem quoque facit Ecclesiæ traditio, & vsus communis: siquidem tam in forma qua Græci, quam in ea qua Latini vtuntur, persona suscipientis indicatur.

Accedit ratio, quia baptismus, sicut & alia sacramenta *(excepta Eucharistia, quæ habet esse permanens post consecrationem, ac extra vsum)* perficitur & consistit in vsu, quo materia illius ad subiectum applicatur: ideoque forma *(quam oportet significare illud in quo natura sacramenti consistit)* debet exprimere materiam prout applicatur suscipienti: & consequenter exprimere suspicientem. Quod de præcepto quidē debet à nobis fieri per pronomē *Te*; validus tamen esset baptismus: si fieret per aliā vocem æquipollentē ei in significatione, atque sufficientem ad exprimendam personā cui actio ministri applicatur: vt si dicatur, Baptizo hūc puerum, vel hunc hominem, vel hunc filium Principis, & sic de similibus, quæ ex vsus accommodatione idem valerent ac *Te*. Quod procedit (vt etiā post Sotum & alios notat. Greg. à Valen, *in citato punct. 3. versu Quamquam illa*) quantumcumque contingeret errare circa determinatam personam, quæ baptizanda proponitur: vt si minister dicat, Baptizo hunc filium Petri, & proposita sit ei filia Pauli: intentio enim generalis faciendi quod facit Ecclesia *(& ideo designandi personam quæ ei proponitur)* præualet in hac re particulari cogitationi, quam per errorem habet diuersam. Idem ex D. Thoma habet Sylvest. *in verbo Baptismus 3. quæst. 15.* bene mōnens secus esse, si quis intentionem ita dirigat in aliquem, vt illum solum nullo vero modo alium, baptizare institueret. Id quod iam attigimus in præcedentibus.

26. De actu porro baptizandi notandum est, conuenire quoque inter omnes, (vt adhuc præcedenti versu notat Greg. à Valen.) quod sit necessario exprimendus in forma baptismi. Id enim aperte constat ex eo quod Concilium Floren. in instruct. Armen. inter necessaria, vt baptismi sacramentum perficiatur, ponat: si exprimatur actus, qui per ministrum exercetur cum sanctæ Trinitatis inuocatione.

Aduerte vero, quod etsi necesse non sit ad baptismi validitatem talem actum exprimere per verbum, *Baptizo*: Sed sufficere possit aliud æquiualens, vt lauo, abluo, tingo, aut simile: ipsum tamen tanquam maxime accommodatum, etiam quando baptismus confertur vulgari lingua, retinendum esse eo modo quo longissimo iam vsu, Ecclesia Latina *(aquiualentibus non carens)* retinet à Græcis acceptum, & Latinum factum. Quod notans Suarez *in eadem sect. 2. dicto 1. sub finem*: addit non esse necessarium ad validitatem baptismi, vt idipsum verbum, *vsurpetur* in prima persona indicatiui modi, dicendo Baptizo; sed sufficere vt vsurpetur in persona & modo, quo actus baptizandi significetur, prout exercetur de præsenti: dicendo v. g. Baptizaris tu, vel baptizatur iste: aut in imperatiuo præsentis temporis Baptizetur hic. Verum in praxi, oportet se conformare consuetudini receptæ.

Sectio Posterior.

De inuocatione sacrosanctæ Trinitatis, facta in baptismi forma.

27. De inuocatione denique sanctissimæ Trinitatis notandum est, certum esse de fide, quod ea sit necessaria necessitate sacramenti: quia Dominus noster Mathæi vlt. Apostolis dicens, Docete omnes gentes, baptizātes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non tantum præceptum, sed etiam ritum formamque baptizandi dedit: prout Ecclesię consuetudo est interpretata iam inde à temporibus Apostolorum: in quorum can. 49. reprobatur baptismus datus in Domini morte, quia ipse non dixit. In morte mea baptizate: sed Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Vnde satis constat eos accepisse proposita Domini verba tanquam continentia formam baptizandi: sicut & post illos acceperunt antiqui Patres, prout constat ex eorum verbis, quæ refert Suarez in disput. 21. sect. 3. Nec obstat quod eadem verba possint alium sensum admittere (*vt idem sub initium præcedentis sect. 2. ostendit*) secundum quem ex illis non inferretur, baptismi formam debere talem esse, qualem diximus. Nam non agimus quomodo verba illa intelligi possint, sed quomodo intelligi debeant: nempe eo sensu quo à Christo dicta sunt. Is vero est, quam Ecclesiæ traditio, optima Scripturæ interpres, sequitur: non quem quisque sibi finxerit.

28. Difficultas est vero, num de necessitate Baptismi sit trium personarum inuocatio explicita, qualis continetur in forma quam initio huius capitis proposuimus? an satis sit implicita, qualis continetur in hac forma. Ego te baptizo in nomine Christi; aut, Te baptizo in nomine Trinitatis. Sequenda est autem sententia negantium, satis esse implicitam, vt sequuntur Bellarm. & Greg. à Valen. locis citatis initio capitis, & Suarez sect. tertia & quarta qui in illa pro eadem sententia plures authores refert, vt & Henriquez Summa Theolog. Moral. *lib. 2. cap. 8. §. 1. littera l.* Confirmatur autem ex eo, quod in cap. Si reuera, De consecr. dist. 4. statuantur rebaptizandi, qui baptizati fuerint solummodo in nomine Domini: & in cap. Multi sunt ead. dist. improbatur baptismus datus solummodo in nomine Christi, quia ipse Dominus dixit, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: ita vt ille qui vel vnam de sancta Trinitate personam non nominaret, verum baptisma non conferret.

Accedit quod in cap. Firmiter De summa Trinit. §. Sacramentum: dicatur sacramentum baptismi, ad Dei iuuocationem & individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti: consecrari in aqua. Et in cap. 1. De bapt. & eius effectu, ac in Concil. Florent. in instruct. Armeno. prescribatur forma baptismi, quam antea retulimus, in qua ita expressa, & distincta mētio singularium personarum sacro-

sanctæ

sanctæ Trinitatis. Ad idem confirmandum Suarez addit authoritates Patrum, & hanc rationem. Quod cum ex cap. Debitum De baptismo, baptismus sit sacramentum fidei: & ex cap. Veniens, De presbyt. non baptiz. baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum, fiat in eo expressa professio Euangelica fidei: ideoque oporteat in eo tradendo fieri expressam inuocationem Trinitatis: quæ est primarium obiectum, & fundamentum totius fidei, & principalis causa omnium sacramentorũ ac mysteriorum nouę legis.

Atque hinc sequitur primo, omnem illam mutationem per quam expressa inuocatio Trinitatis mutatur in implicitam, vel confusam, esse contra veritatem, & substantiam formæ baptismi: & ideo nullum esse baptismum, qui datur, dicendo baptizo te in nomine Dei; & secundum probabiliorem sententiam, eum etiam qui daretur in nomine Domini Iesu: vel in nomine Christi, non exprimendo alias personas. Quam sententiam locis cit. propugnant Bellarm. Gregorius à Valen. & Suarez, post plures alios quorum hic meminit. Pro ijs autem qui contrariam sequuntur, duo potissimum faciunt. Alterum, quod ex actis Apostolorum habeatur datus baptismus in nomine Christi, cap. 2. 8. 10. & 19. Alterum, quod Nicolaus Papa (*prout refertur in cap. Aquidam Iudæo, De consecr. dist.* 4.) statuerit, verum esse baptismum in nomine tantum Christi collatum, sicut in Actis Apostolorum legitur.

29. Ad quorum prius responderi potest, non esse probabile Apostolos baptizasse alia forma, quam quæ à Christo præscripta erat, quando dixit, Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti (*de qua re bene Suarez in citata sect.* 3. §. *Superest*) ideoque baptismum datum in nomine Domini nostri Iesu Christi, non esse eo sensu intelligendum, vt existimetur quod Apostoli baptizando vterentur hac forma, Ego te baptizo in nomine Christi: sed alio sensu, qui esse potest, vel quod baptizarint in fide Christi, vel quod authoritate Christi, vel quod in morte Christi, iuxta illud ad Rom. 6. Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus: vel quod baptismo instituto à Christo: ad differentiam baptismi Ioannis: vel denique in nomine Christi, non quidem solius, sed adiuncto etiam Patre, & Spiritu sancto dicendo fortassis, Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij eius Iesu Christi, & Spiritus sancti.

Ad posterius eadem responsio adhiberi potest. Nec obstat particula, *tantum*, in citato cap. posita, quæ vt notat Suarez, censeri potest addita ad indicandum sola Christi appellatione cum duabus aliis personis sufficienter significari secundum sacrosanctæ Trinitatis personam: dicendo, Ego te Baptizo in nomine Patris, & Christi, & Spiritus Sancti. Vel dicendum est cum Soto *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica art. sexto in fine*, Nicolaum Papam non definiisse id, vt Pontificem; sed de eo suam explicuisse sententiam, vt priuatum Doctorem. Vbi aduerte in decretis Romanorum Pontificum spectandum esse potissimum quidnam ex instituto decernatur, non quid obiter dicatur. Nicolao autem Papæ fuisse propositam quæstionem, Vtrum illi, qui à quodam Iudæo essent baptizati, vere baptizati essent. Cui quæstioni, quod respondet, nempe esse verum baptisma, decernitur ex instituto; neque licet illud in controuersiam reuocare. Cetera vero, quoniam obiter ab eo dicuntur (*quandoquidem de illis non interrogabatur*) non sunt paris fidei. Vnde Pelagius Papa cum ex instituto interrogatus esset de istius generis baptismo: vtrum scilicet valeret baptismus collatus in nomine Domini, respondit negatiue vt habetur ex cap. Si reuera, De consecr. dist. 4. atque adeo contra sententiam Nicolai Papę, docentis baptismum collatum in nomine Christi validum esse.

30. Porro De essentia formæ baptismi est vt in ea non solum Trinitatis personarum, sed etiam naturæ vnitas significetur: quod fit per particulam *In nomine*: ita necessariam ad hoc sacramentum, vt iudicio Sylueſtri, *in verbo, Baptismus, primo quæst.* 11. *Concl.* 4. *& Angelicodem. verbo* 2. §. 6. & 7. vt nullus sit baptismus, si omittatur, *in*, vel dicatur, In nominibus. Quod bene explicatũ videri potest apud Suarezium *in eadem sect.* 3. *concl.* 2. sicut & in seq. sect. 4. vtrũ necessariũ sit in forma baptismi tres personas sub nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti exprimere: nec sufficiat dicere, in nomine genitoris, & geniti, & ab vtroque procedentis: aut in nomine Trinitatis: aut in nomine vnius & trini: aut in nomine trium personarum, & sic de similibus. Quæres in speculatione quidem difficultatem habet, Scholasticis relinquendam practice tamen certum est: graue peccatum esse mutationem eiusmodi facere: tum propter verba Christi, & consuetudinem Ecclesiæ: tum propter scandalum: quod aliis adferre potest talis præsumpta nouitas: tum etiam propterea quod sacramentum redditur dubium, itaut ipsum iterandum sit sub conditione, quemadmodum Suarez ipse sub finem eiusdem sectionis quartæ monet.

Talis vero dubii ratio consistit in eo, quod personæ diuinæ constituantur, & distinguantur per relationes paternitatis, filiationis, & spirationis, passiuæ: eædemque personæ debeant in forma baptismi exprimi, secundum eas maxime rationes, quibus constituuntur, & inter se distinguuntur. Ad quam distinctionem indicandam, quia particula &, facit aliquid; Sylu. loco citato cum Innocentio ad cap. 1. de baptismo, sentit ea omissa non perfici sacramentum, nisi suppleatur per aliquam æquipollentem. Quod quia aliquid habet probabilitatis, talis omissio sufficientem causam præberet baptismum iterandi sub conditione.

Ex dictis relinquitur, cum baptismus vulgari lingua confertur (*vt potest, immo consultum est, quando minister nescit bene proferre Latine: quod à Victoria tangit in summa, De sacram. quæst.* 18.) dandam esse operam, vt vsurpentur verba, quæ in eo idiomate interpretentur proprie verba, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. De quibus quomodo coniungi debeant cum materię applicatione, dicendum hic esset, nisi id iam satis constaret ex dictis in proxime præced. libro cap. 3. addito eo de quod admonet Greg. à Valen. disput. 4. quæst. 1. puncto 3. quia moralis vsus verborum de præsenti, non admittit, vt illud quod præcessit, significetur tanquam præsens: curandum esse vt forma verborum proferatur antequam ablutio finita sit. Porro quod apud eundem ibidem explicatum habetur, baptismum diuina institutione non esse iterabilem, in sequen. cap. 7. commodius tradetur. Sufficit in præsentiarum notari, in Ecclesia baptizantem sub conditione eum, qui iam domi baptizatus sit, peccare mortaliter: quia iteratio baptismi sub conditione, permittitur tantum in illis, de quibus re diligenter perquisita, dubium relinquitur, an baptismum rite susceperint. Tunc enim baptismus ille toleratur, quia non censetur iteratum, quod sciri non potest esse factum, cap. Solemnitates 1. De consecr. dist. 1. neque interuenit temeritas præsumptionis, vbi est diligentia pietatis cap. Si nulla, De consecr. dist. 4. Alias autem nunquam fas est etiam sub conditione baptismum alicui ministrare, iuxa cap. Cum itaque, eadem dist. 4. vbi bona ratio tangitur. quod scilicet iteratio baptismi aduersetur fidei, qua profitemur vnum baptisma in remissionem peccatorum. Accedit, quod si qualecumque dubium sufficeret ad talem iterationem, ea posset passim vsurpari, cum passim aliquę causæ (*etsi insufficientes*) occurrant dubitandi, an rite administratus fuerit nobis baptismus. Vnde sequendum est, quod habetur in seq. nu. 54.

CAPVT V.

De accidentibus Baptismi, quæ ritus, cæremoniæ illius dicuntur.

SVMMARIVM.

32 *Causæ instituendi cæremonias baptismi, & peccatum eas omittentium.*
33 *Reuocatio cæremoniarum baptismi ad tria capita.*
34 *Cæremonia non adhibita vt par est, postea adhibenda.*
35 *Tempus, locus, cultus externus ministri, & aquæ qualitas, quæ requiruntur ad licitam administrationem baptismi.*
36 *Documenta de patrinis, seu suscipientibus baptizatum.*

EXPOSITIS iis quæ ad Baptismi substantiam spectant, consequenter de illius accidentibus est dicendum: quo nomine intelliguntur ritus, seu cæremoniæ, tanquã debitæ

circun-

circunstantiæ seruandæ in solemni administratione baptismi. De quibus agentes tam recentiores, quam antiquiores authores Henriquez commemorat lib. 2. Theologiæ Moralis cap. 13. in margine initio. Cur autem instituendæ fuerint tales cæremoniæ, tres rationes D. Thomas reddit *in 3. par. quæst. 66. art. 10*

32. Prima est, deuotio fidelium: siue, vt cum maiore reuerentia, & pietate sacramentum ipsum tractaretur. Secunda est, eruditio rudium: siue vt faciliusob oculos poneretur, & in mentibus fidelium magis imprimeretur tam præclarum Dei donum; neque tantum verbis, sed etiam rebus, factis, & operibus fideles instruerentur de virtute, & effectibus tanti sacramenti. Tertia est, debilium auxilium: nempe ad abigendos & prohibendos dæmones, ne impedimento sint sacramentali effectui: adeoque ad tollendum diuinæ gratiæ obicem. Earum autem voluntaria omissione peccatum committi, habet ex Richardo & Soto contra Caiet. Greg. à Valen. *tomo 4. disput. 4. quæst. 2. puncto 1. colum. 3.* Et probat ex eo quod in Clemen. vnica, De baptismo, talis iubeatur grauiter puniri ab Episcopo. Inde enim sequitur ipsum graue, atque adeo mortale peccatum esse, de quo Nauarrus *in Enchir. cap. 22. n. 7.* Pro quo facit, quod Spiritus sanctus disciplinæ effugiat fictum Sapien. 1. quodque D. Tho. *3. par. quæst. 69. art. 9.* inter modos fictionis impedientis effectum baptismi ponat, quod quis celebret tale sacramentum non seruando ritum Ecclesiæ. Id quod, *prout Suarez monet in commentario*, pertinet tum ad ministrantem baptismum: tum etiam ad suscipientem, quando vult sine tali ritu baptizare, aut aliquo modo cooperatur ministro sine tali ritu baptizanti, nulla interuenientе necessitate excusante. Et certe illas ipsas cæremonias, vt res non leues, sed magni momenti, plurimi faciendas esse, magnoque in honore habendas Catechismus iussu Concilij Triden. editus in c. De baptismo, versus finem ostendit, tum ex authoritate instituentium, qui fuerunt Apostoli, prout eorum antiquitas ostendit, de qua constat ex Authoribus quos citant Saurez *disput. 30. sect. 2.* Bellarm. lib. de baptis. *cap. 25. & sequentibus*, Gregor à Valen. tomo *4. disput. 4. quæst. 1. puncto 4. sub finem, & in sequẽti quæst. sexta*: tum etiam ex præstantia finis, in quem sunt institutæ: nempe vt sacramentũ maiori religione, & sanctitate administraretur, ac veluti ante oculos ponerentur præclara illa dona, quæ in eo continentur, & in fidelium animas, passionis Christi merito, infunduntur.

33. Variæ autem sunt quidem cæremoniæ, quibus Ecclesia in baptismi administratione vtitur: omnes tamen ad tria capita reduci possunt, vt in eodem catechismo additur. Quorum primum sit illarum, quæ seruantur antequam accedatur ad baptismi fontem. Alterum earum, quæ adhibentur cum ad ipsum fontem ventum est. Tertium earum, quæ peracto iam baptismo addi solent: quibus ibidem sufficienter instruitur Parochus: pro quibus Bellarminus authoritates antiquorum habet loco citato. Nos vero adiungemus documenta pro quotidiana praxi.

Documenta notanda pro quotidiano vsu ceremoniarum baptismi.

34. PRimum est: si vrgente mortis periculo baptizetur domi infans sine cæremoniis illis, quas liber ritualis habet, eas debere à Parocho postea suppleri in Ecclesia. Pro quo Henriq. lib. 1. Theolog. moralis cap. 11. § 4. lit. A. & lib. 2. cap. 13. § 1. lit. B, & cap. 15. § 4. lit. I in margine authores citat. Et confirmatur, ex eo quod statuitur in Concil. Trid. sess. 7. de sacram. in genere, can. 13. his verbis: Si quis dixerit receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti: aut in nouos alios, per quemcumque Ecclesiæ pastorem mutari posse, anathema sit. Vbi aduerte quod aliis citatis monet Henriquez, *loco postremo ex memoratis*: si baptismus collatus cum solemnitate deprehendatur fuisse inualidus, non tantum ipsum, sed etiam ipsius solemnitatem repetendam esse. Et ratio dari potest, quod sublato subiecto tollatur accidens.

35. Secundum est: quoduis tempus iam censeri aptum sacramento baptismi: atq; adeo infantem quam primum potest, sine mortis periculo, & adultum cum primum fuerit sufficienter instructus, ac dispositus, baptizandum esse; nec differendum baptismum, nisi vrgente necessitate. Hoc D. Gregorij Nazianzeni, & D. Basilij authoritate confirmatum habet Suarez *in citata sect. 2. colum. 3.*

Tertium est: quod idem consequenter habet, & statutum est in Clemen. vnica, De baptismo: non licere *(immo peccatum mortale esse ex Nau. in Ench. cap. 22. nu. 7.)* baptizare in priuatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt fontes ad id specialiter deputati: nisi baptizandi sint Regum, vel Principum liberi, quibus in eo casu valeat deferri, aut necessitas emerserit, propter quam nequeat absque periculo ad Ecclesiam accessus haberi. Principum autem intelligenon quorumcumque, sed eorum, qui cum superiorem non agnoscant, Regibus fere æquiparãtur, *vt notat Suarez congruenter glossa ad eamdem Clemen. verbo, Regum.*

Quartum est: communem vsum obtinuisse, vt minister baptizaturus solemniter, amictus sit saltem superpelliceo, & stola, de quo ibid. etiam Suarez.

Quintum est *(quod id. m in sequenti col. 4. communem quoque vsum obtinu sse notat)* vt licet quæcumque aqua vera & naturalis satis sit ad validitatem baptismi, vt habitum est in principio tertij capitis; tamẽ excepto casu necessitatis, ad illum non assumatur alia aqua, quam prius benedicta, ac consecrata benedictione, & consecratione, quæ solet fieri in vigiliis Paschæ, & Pentecostes. Quo tempore talis aqua *(etiamsi maxime præparetur pro baptismo solemni)* solet accipi, & in domibus seruari, vt si quæ necessitas vrgeat priuatim baptizandi, perficiatur ex ea baptismus.

Sextum est *(de quo Henriquez lib. 3. cap. 15. §. 1. & 2. alii in margine citati)* ipsa susceptione baptismi fieri professionem religionis Christianæ, & obligationem contrahi permanendi semper, non tantum in fide: sed etiã in obedientia sanctæ matris Ecclesiæ. Pro quo facit Concil. Triden. in sess. 7. De baptis. can. 7. & 8. neque opus esse ad eam obligationem, vt infans habuerit proprium actum credendi, aut promittendi, neque vt in adulta ætate interrogetur, an nouo consensu ratum habeat, quod patrinus pro illo promisit. Ad quod facit adhuc Concil. Triden. ibidem can. 13. & 14. Videri potest Saurez tom. tertio disput. 25. sect. 2.

Septimum est: circa cæremoniam eam, qua præter baptizantem & baptizatum adhibetur alia persona, quæ baptizatum suscipit de manu baptizantis: notandum esse primo, talem cæremoniam antiquam esse & rationabilem, vt videre est apud D. Thom. 3. *par. quæst. 67. art. 7. iuncto Suarezij commentario*: in quo hærere non est nostri instituti. Secundo, sic suscipientem teneri ad susceptũ instruendum de rebus fidei, & morum, necessariis ad salutem ipsius, *ex D. Tho in sequenti art. 8.* quia in eo assumpsit sibi munus pædagogi: quod tenetur exequi quando necessitas exigit; vt quando baptizatus parentes habet infideles, vel suspectos in moribus *(prout habet Syluester in verbo, Catechismus, qu. 3.)* vel ita negligentes vt fuium de necessariis ad salutem non instruant. Non est autem perpetua talis obligatio: sed, *vt in commentario sequente art. 8. sub initium Saurez habet*, si semel facta sit sufficienter instructio, cessabit eiusmodi obligat o susceptoris, quia baptizatus censebitur exiisse ex statu infantis, in quo egebat prædagogo. Tertio congruenter cap. Non plures, De consecr. distin. 4. & cap. Quamuis, De cognatione spirit. in sexto, statutum esse in Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. De reform. matrimonij vt vnus, vel vna tantum: aut ad summum vnus & vna baptizatum de sacro fonte suscipiant: ne scilicet inter plures cognatio spiritualis contrahatur; de qua dicendum erit cum de matrimonio. Quarto, neminẽ qui baptizatus non sit, posse de baptismo suscipere alterum, ex cap. In baptismate, De consecr. dist. 4. quia scilicet non est aptus ad explendum munus ad quod assumeretur. Quod idem eadem ratione dicendum est de hæretico, ac etiam de puero adhuc rudi. Idem etiam de Abbate & de Monacho, ex cap. Non licet, ead. distinct. 4. Attamen si contingat ipsos tale munus sus. ipere, tenebuntur ei satisfacere, prout notat Syluester in verbo, Baptismus, 5. quæst. 5.

36.

CAPVT VI.

De ministro Baptismi.

SVMMARIVM.

37 *Triplex Baptismi minister: ordinarius est Sacerdos.*
38 *Ex officio est solus Parochus, & Episcopus.*
39 *Notanda de alio Sacerdote baptizante solemniter.*
40 *Diaconus ex commissione Episcopi potest solemniter baptizare.*
41 *Necessitas & ignorantia excusans baptizantem sine solemnitate.*
42 *Quomodo quilibet homo necessitate sit idoneus minister Baptismi.*
43 *Excluſi ab eo numero: & de casu in quo contingeret plures simul vnum baptizare.*
44 *Ordo seruandus inter idoneos, ad baptismum in necessitate conferendum.*
45 *Peccatum est mortale nolle baptizare in extrema necessitate.*
46 *Extra casum necessitatis baptizare sine solemnitate peccatum est mortale: quod non inducit irregularitatem.*
47 *Quatenus mortaliter peccetur administrando baptismi in peccato mortali & cooperando peccanti in ea.*
48 *Modi varij quibus contingit mortaliter peccare in administratione Baptismi.*
49 *Quatenus sit, vel non sit, licitum plures simul Baptizare.*

37. IN catechismo iussu Concilij Triden. edito, triplex constituitur minister Baptismi, vnus ex officio, alter ex commissione, & tertius ex necessitate.

Ex officio est Sacerdos: cui, quod ex officio baptizare cõpetat, expresse dicitur in Concilio Florent. in instruct. Armen. & in cap. Constat, De consecr. dist. 4. insinuaturque satis aperte in cap. Perlectis §. Ad diaconum dist. 25. & in cap. Diaconus dist. 93. communisque Ecclesiæ vsus satis confirmat. Sicque conuenire D. Thom. 3. *par. quæst* 67. *art.* 2. ex eo ostendit, quod cum Sacerdos institutus sit ad Eucharistiam consecrandam, ratio postularit, vt ei daretur potestas omnia illa administrandi, per quę quisque potest fieri particeps Eucharistiæ tanquam sacramenti Ecclesiasticæ vnitatis; dicente Apostolo in priori ad Corinth. cap. 10. Vnus panis, & vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane, & de vno calice participamus. Per baptismum autem efficitur quis particeps Ecclesiasticæ vnitatis, accipiendo ius accedendi ad Domini mensam. Cæterum Sacerdotis nomine comprehenditur Episcopus, vt ibid. ad 2. monet D. Thomas: quia in omni repub. quod potest inferior, potest quoque ipsius Superior. Quod etiam confirmatur per citatum cap. Diaconus.

38. Si quæras, An omnis Sacerdos sit ex officio minister baptismi? Respondetur negatiue cũ Sylu. in verbo Baptismus 3. nu. 1. & Armil. eodem verbo n. 39. Id enim esse proprium munus Episcoporum, & Parochorum, saltem de præcepto Ecclesiæ, deducitur ex cap. Interdicimus, 16. quæst. 1. & ex eo quod per baptismum recipiantur homines in Ecclesiam, & fiant eius membra; deceatque vt potestas & ius admittendi homines ad Ecclesiam, sit penes pastores illius. Vnde, vt bene notat Suarez *disput.* 23. *sect.* 2. Sacerdos respectu quidem sacramenti baptismi habet sufficientem potestatem, vt illud valide, & digne ministret: sed respectu personæ cui ministrandum est, vt ipsum ei licite ministret, requiri potestatem iurisdictionis: propriam eorũ qui animarum curam gerunt, tanquam coadiutorum Summi Pontificis, cui in D. Petro dictum est à Christo: Pasce oues meas. Vnde & ad eos, tanquam Pastores sub summo pastore constitutos, pertinet mandatum Domini datum Matthæi vltimo de pascẽdis hominibus verbi diuini prædicatione, & sacramentorum administratione, *ac nominatim baptismi*, per illud, Ite: docete omnes gentes baptizantes eos &c. De qua re idem Suarez *in 3 quenti disput.* 31. *sect* 4. *in principio.*

Atque ita habet communis consuetudo Ecclesiæ. Neq; enim extra casum necessitatis alius, quam Parochus, nisi de ipsius licentia baptismum conferre solet: sique conferat, ipso renuente, atque volente in eo fungi suo munere, peccabit mortaliter. Id siquidem est, ius alienum inuadere, & pastorale munus sibi vsurpare cum notabili pastoris iniuria. Quod procedit etiam in extrema necessitate subditi baptizandi: quoniã ea nõ tollit Parocho proprium ius, nec dat licentiam inuertendi ordinem iustitiæ: nec est sufficiens causa vt alius, quam proprius Pastor possit ad baptismum dandum se ingerere: etenim quando is præsens adest, aut facile haberi potest ad illud suum munus exequendum, non est reuera necessarium alterius ministerium.

Quod si Parochus in eo cederet suo iuri, vel ipse nõ posset haberi, vrgente necessitate, alius Sacerdos etiam solemniter baptizare licite posset: quia in eo non fieret eidem Parocho iniuria, nec circa sacramentum committeretur irreuerentia, vt ibidem Suarez bene argumentatur. Nota vero obiter, Sacerdotem baptizantem inuito Parocho ita peccare mortaliter, vt tamen nec excommunicationem, nec irregularitatem ideo incurrat. Quod de excommunicatione patet: quia sicubi imposita censeri possit, maxime in Clementina prima, De priuilegiis. At non est ibi imposita, prout notat Nauarrus *in Enchir. cap.* 27. *nu.* 102. & de irregularitate docent communiter Authores, vt Suarez quoque monet *in eadem sect.* 4 *dicto vltimo.* 39.

Ex commissione autem Episcopi, vel Parochi (*quam ille, hoc etiam inuito dare potest ex D. Anton. 3. part tit, 14. cap. 13. §. 4. not. ab.* 2.) solemniter baptizare possunt nõ tantum alij Presbyteri, sed etiam Diaconi: vt cum Caiet. 3. *p. quæst.* 67 *art.* 1. docet Sotus *in* 4. *distinct.* 4. *quæst. vni. a art.* 1. *colum* 3. Et probat ex eo, quod in ipsius Diaconi ordinatione dicatur; quod oporteat Diaconum ministrare ad altare, baptizare, ac prædicare. Id autem ipsi non conuenire ex officio, sed tantum ex commissione Episcopi, vel Parochi, late docet Suarez *disput.* 26. *sect.* 2. Sed nobis sufficit id ipsum aperte constare ex cap. Constat baptisma, De consec. distinct. 4. simulque aduertere cum Soto loco citato, iam exoleuisse consuetudinẽ committendi Diacono munus baptizandi solemniter, etiamsi adhuc fieri possit, vbi esset magna baptizandorum multitudo, & presbyterorum paucitas: vt in terris remotioribus ab habitatione Christianorum, aut accessu difficilioribus. Cur vero cæteris commmitti non possit administratio baptismi, ratio est, quia etsi facta ea commissione, non fieret iniuria Parocho: fieret tamen sacramento: ad cuius reuerentiam spectat, vt cum sit ministerium sacrum, requirat de se ministrum sacrum: itaut ab alio nequeat cum debita solemnitate conferri, quantumuis possit sine ea, quando vrget necessitas. 40.

Quæquidem duo requirit, & vt mors baptizando instet, & vt non habeatur, nec haberi possit commode dignior, qui in hac re est minus digno præferendus, eo modo quo infra documento primo exponetur. Vbi enim duo hęc non concurrunt, sicut non est vera necessitas, itaut nec est facultas licite baptizandi, vt bene monet Suarez *in cad. sect.* 4. *dicto* 2. Quod tamen aduerte intelligendum esse, secluſa ignorantia inuincibili excusante à peccato: quæ in hoc negotio facile interuenire potest: tum iuris, quod non est tam clarum, quin facile possit à communi plebe inuincibiliter ignorari: tum facti, quia sæpe potest sine culpa periculum mortis ibi timeri, vbi ipsum non est: & ideo accelerari baptismus, non expectato conueniente ministro: sine vera necessitate quidem, cum existimata tamen bona fide, ex zelo charitatis. 41.

Ex necessitate deniq; idoneum baptismi ministrum esse quemlibet hominem, qui debitam materiam, & formam applicare possit baptizato cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, siue sit Clericus, siue Laicus, siue masculus siue fœmina, siue pœnis & censuris quibuscumque innodatus, siue infidelis, hæreticus, vel scismaticus, Paganus, vel Iudæus. Ita disertis verbis statuitur à Concil. Floren. in instruct. Armen. De baptismo. Et in particulari de laico fideli habetur in cap. Ad limina, 30. quæst. 1. & in cap. Constat, & in cap. In necessitate, De consecr. dist. 4. De fœmina: in cap Super quibus, 30. quæst. 3. De Pagano in cap. Romanus, ead. distinct. & de Iudæo, in cap. A quodam Iudæo, eadem etiam distinct. Rationem huius rei D. Thom. *in cit. quæst.* 67. *art.* 3. refert ad summam necessitatem baptismi, de qua diximus in præced. cap. 2. Ne enim homo circa 42.

remedium

remedium tam necessarium pateretur defectum, misericordia Dei, qui vult omnes homines saluos fieri, institutum est (*prout communis sensus & traditio Ecclesiæ interpreatur*) vt sicut baptismi materia, res esset communissima, puta naturalis aqua; ita etiam minister esset talis, qui facile obuius haberetur.

43. Excluduntur autem ab hoc numero, tum membrorum vsu ita priuati, vt nequeant applicare aquam ad abluendum: tum carentes vsu linguæ, cum non possint proferre formam: tum demum carentes vsu rationis, quia non possunt habere intentionem ad baptizandum requisitam. Adde & vnumquemque, ratione sui ipsius: quia nullus potest seipsum baptizare, ne quidem in casu necessitatis ex cap. Debitum, De baptismo. Et probat D. Thom. 3. *par. q. 66. art. 5. ad 4.* quia dicens, Ego me baptizo, mutat formam essentialem baptismi, de qua antea in cap. 4.

39. Cæterum cũ homo nõ baptizet, nisi vt minister Christi, & vicem illius gerens (iuxta illud Ioan. 1. Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat) sicut Christus vnus est, ita oportet, *præsertim quia sufficit*, vnum esse baptismi ministrum, qui Christum repræsentet. Ita D. Thom. *in prius memorata quæst. 67. art. 6.* Vnde statuit non valere baptismum, si ad eum vni conferendum, plures statuant sic concurrere, vt vnusquisque intentionem habeat non baptizandi sine alio, siue talem intentionem exterius exprimant, dicendo: Nos te baptizamus, siue non exprimant. Statuit pariter nec valere, si vnus, *v. g. mutus*, materiam applicet: & alter, *v. g. mancus*, formam proferat: præsertim quia falsa esset forma: nisi forte, *ibid notat Caiet.* mancus ablueret tenendo vas aquæ super caput baptizandi, adiutus à mutuo. Valere autem baptismum si plures sint totales ministri baptizantes eandem personam, seruatis essentialibus, vt vsu venire potest, cũ plures contentiose vnum aliquem baptizare conantur. Quo casu, *inquit D. Thomas*, ille qui prius finit ablutionem, & formam, solus baptizat: cæteri vero nihil faciunt. Qui si vsque ad finem persequantur id quod cœperunt, puniuntur tanquam rebaptizantes. Quod si omnes simul omnino finiant, essent quidem puniendi de inordinato modo baptizandi, non tamen de iteratione baptismi, quia singuli intenderent non baptizatum baptizare, nec traderent aliud & aliud sacramentum, sed Christus qui vnus est interius baptizans, vnum sacramentum per vtrumque ministrum conferret. De quare videri potest Saurez ad eundem locum D. Thomæ disput. 23. sect. 3.

Documenta de ministro Baptismi notanda pro proxi.

44. PRimum est, sumptum ex D. Tho. 3. *part. quæst. 67. art. 4.* quod etsi validum sit baptismi sacramentum à quocumque conferatur, seruandum esse tamen in ea re ordinem: vt digniores præferantur, nempe parochus aliis Sacerdotibus: Clericus laico: vir mulieri; fidelis infideli: non præcisus præciso, id est excommunicato, suspenso ab officio, vel degradato. Quamquam, vt D. ipse Thomas addit, parochus potest præsente Episcopo baptizare, quia id ei ex officio conuenit. Atque mortale peccatum committi baptizando præsente, nec consentiente parocho, iam ante habitum est. Sed aduerte ex Sylu. *in verbo Baptismus 3. num. 10.* excipiendum esse casum in quo Parochus ipse censura Ecclesiastica innodatus impediretur officio fungi: non item causam, in quo impediretur ob commissum peccatum mortale: vt docet Suarez *disput. 3. sect. 4. dicto. 4.*

Peccatum vero quod committit mulier vrgente necessitate baptizando, præsente viro: vel laico, præsente Clerico, cui nec ex officio, nec ex commissione competit baptizare, non videtur plusquam veniale, vtpote consistens solum in quadam indecentia. Immo aliquando nullum peccatum est, vt quando mulier vel laicus, propter maiorem peritiam formæ, ac modi baptizandi, sacramentum administraret. Ita D. Anton. notat 3. *par. lib. 14. cap. 13. §. 4.* Vnde in catechismo iussu concilij Triden. edito, dum agitur de ministro huius sacramenti, approbatur quod obstetrices presente aliquo viro, qui huius sacramenti administrandi minus peritus sit, interdum baptizent. Peccatum autem quod committitur in articulo necessitatis, admittendo hominem infidelem ad baptizandum, prætermisso homine fideli graue esse monet D. Thom. 3 *par. quæst. 67. art. 5.* Quod Saurez loco cit. docet intelligendum, non quidem de se, quia non fit in eo iniuria sacramento, quod à tali in necessitate extrema conferri potest: sed ratione circunstantiarum: maxime scandali, quod oriretur ex ea prælatione, & communicatione in diuinis cum infideli. Itemque ratione periculi ministrandi sacramentum sine debita intentione, aut cum aliqua essentialium mutatione.

45. Secundum documentum est: In casu necessitatis quemlibet prædictorum sub pœna peccati mortalis teneri baptizare, quando non est alius, qui id munus exequatur. Ita docet Palud. *in 4. dist. 5. quæst. 2. art. 1.* & cum eo D. Anton. *in citato §. 4. notabili primo.* Qui addunt ideo bonum esse vt quisque formam baptismi addiscat: quantumuis. *vt D. Anton. ait*, illam scire teneantur tantum ij, quibus ex officio incumbit baptizare: vt Curatis, & obstetricibus, propter pericula frequenter contingentia in partu. Qua de causa illi ignorando necessaria ad baptismum, peccant mortaliter: vt ex iisdem authoribus Nauarrus habet *in Enchir. cap. 22. num. 6. versu 5.* Confirmatur vero propositum documentum ex eo, quod præceptum charitatis, obligans sub mortali ad subueniendum proximo in graui necessitate constituto, fortius obliget ad subueniendum spiritali necessitati salutis animæ proximi, quam necessitati vitæ corporalis.

46. Tertium documentum est: Non Sacerdotem baptizantem solemniter, etiam in casu necessitatis, peccare mortaliter peccato sacrilegij per vsurpationem Sacerdotalis muneris, & incurrere irregularitatẽ (*etiamsi de Laico aliqua sit controuersia, de qua Suarez in citata sect. 4. sub finem*) per cap. 1. De Clerico non ordinato ministrante. Istud docens Sotus *in 4. dist. 4. quæst. vnica art. 3. concl. 1.* addit in sequenti 2. esse quoque mortale, *licet minus graue*, baptizare sine solemnitate quando non imminet extrema necessitas; Quæ est D. Thomæ sententia *in seq. art. 5.* vt illi tribuit Greg. à Valen. *disput 4. quæst. 2. puncto primo.* Vbi post Sotum *in citato art. 3.* refert quod Caietanus docet tunc committi peccatum tantumodo veniale. Nam contrarium satis significatur in Clemen. vnica, De baptismo: cũ eiusmodi peccatum iubetur grauiter puniri ab Episcopo in Sacerdote: in quo proinde ipsum graue est: & maiore ratione in non Sacerdote.

An autem ob illud incurratur etiam irregularitas, maior difficultas est: de qua in vtramque partem Henriquez *lib. 2. cap. 29. §. 1. lit. K, & L*, plures authores refert, negantemque sequitur, sicut & Greg. à Valen. loco citato: quia baptizare sine solemnitate non est exercere actum sacri ordinis. Pro quo faciunt tradita à Nauar. in Enchir. *capit. 27. num. 242.*

47. Quartum est, *quod Henriquez habit authoribus in margine citatis in eod. cap. 29. §. 4.* Eum qui ministrat baptismum solemniter cum conscientia peccati mortalis, vel excommunicatus, aut ab omni officio suspensus, aut ministrat eis quos nouit indigne suscipere, peccare mortaliter tanquam indigne, & cum irreuerentia notabili tractans diuina. Quamquam censeri potest à peccato excusatus ex circumstantiis vt cum necessitas baptizandi vrget, siue ob imminens periculum mortis, siue ob scandalum alioqui oriturum: atque ipse peccati, ac excommunicationis vinculis constrictus, de illis dolens proponit serio absolutionem procurare. Adde quod etsi baptizandi actus sacer sit, non esse tamen obligationem exercendi illum in gratia, nisi quis ipsum exequatur tanquam initiatus ordine qui ad tale ministerium destinatur. Videri potest Nauar. in Enchir. *cap. 25. num. 72. & cap. 27. num. 244.*

Quintum est, *quod ex præced. sequitur, & pro quo authores aliquot citat Henriquez in sequenti §. quinto lit. D. in margine*, vrgente necessitate licitum esse petere baptismum à quocumque, licet peccatore, excommunicato, vel infideli, dummodo credatur ministraturus cum vera & fideli intentione faciendi, quod facit Ecclesia Christi.

Sextum est, *sumptum ex Soto in cit. art. 3. concl. 4.* Cooperantem laico, aut cuicumque alteri extra necessitatem extremam baptizanti sine legitima authoritate (*de qua iudicari*

potest ex dictis in priore parte huius c.) peccare mortaliter: vt si pater traderet suum infantē alicui tali baptizandum: Quo casu infans quidem reciperet gratiam, quia non poneret obicem, non item adultus, nisi ignorantia inuincibilis eum excusaret, quia peccans mortaliter, poneret obicem eidem gratiæ. Ratio autem huius aperta est, quia ex Apostolo ad Romanos 1. Digni sunt morte, non tantum qui mala faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: vt maxime consentiur qui eis cooperantur

48. Septimum est, *quod ex Nauar. in Enchir. cap. 22. nu. 7. habet Henriquez in citato cap. 29. §. 3. & plenius tradit Suarez disput. 31. sect. quinta*, eum qui ministraturus est baptismum teneri scire necessaria, & applicare debite: nempe materiam & formam coniungendo morali saltem coniunctione, habendoque intentionem requisitam, & adhibendo ritus Ecclesiæ, quando baptismus solemniter dari potest: atque cauendo ne baptizatum vngat veteri chrismate, & ne baptismum conferat ei, quem nouit fuisse ante baptizatum (*quo casu irregularis fieret,*) aut ei quem scit indigne accedere: siue quia non est bene instructus, siue quia perseuerare vult in aliquo mortali peccato: siue quia rediturus est ad suos infideles cum probabili periculo peruersionis: siue quia metu coactus baptismum petit: siue quia parentes infideles, sub quorum cura adhuc manet, nolunt cōsentire vt baptizetur. Contra vero curandum est diligenter Parocho, ne quis in sua parochia decedat absque sacramento baptismi, alioqui enim esset in notabili culpa, tanquam negligens in negotio magni momenti ad suum officium spectante: ideoque mortaliter peccaret, iuxta Nauar. in Enchir. *cap. 22. num. 5. versu* 3.

49. Vltimum est: Validum quidem est baptismum, si vnus minister plures simul baptizet, omnes simul abluendo per aquæ infusionem, vel aspersionem cum hac verborum forma, Ego vos baptizo, &c.] *ex D. Thom. 3. par. quæst. 66. art. 5. ad* 4. Non licere tamen absque graui necessitate, aut alia iusta de causa (qualis occurrere potest apud Infideles tempore pestis, vel belli, vel naufragii, cum periculum esset in mora) recedere à consueto more Ecclesiæ, secundum quem vnus vnum tantum non plures baptizat simul. In eo enim peccatum committitur non leue, recedendo in re graui à communiter recepta, & laudabili Ecclesiæ consuetudine: quod mortale esse dici potest, saltem si fiat ex contemptu, vel ex præsumptione, vel cum notabilis scandali periculo.

Alias autem non nisi veniale esse tenendum videtur, vt cum Soto tenet Greg. à Valen. *disput. 4. quæst. 3. sub initium puncti secundi.*

Nota obiter ex D. Th. loco cit. legitimam esse formam, qua dicitur, Ego vos baptizo, &c.] quia *vos* tantundem valet, ac te, & te. Non autem eam qua plures vnum & eundem baptizantes dicunt, Nos baptizamus te, quia *Nos* non valet idem, ac ego & ego, sed idem ac ego, & tu. Si autem vnus vnum baptizaret dicendo honorifice, Nos te baptizamus, valeret baptismus, quia idem erit, ac si diceret Ego te baptizo.

CAPVT VII.

De suscipientibus Baptismum.

SVMMARIVM.

50 *Participes baptismi possunt esse omnes homines prædicti vita etiam infantes.*

51 *Sicut baptismus in se vnus est specie infima, ita vnus hominis vnus numero tantum esse potest, nec iterari.*

52 *Peccatum grauissimum committitur iteratione baptismi.*

53 *De eo quod agendum est, cum dubitatur de aliquo an sit baptizatus.*

54 *Non licet pro arbitrio baptismum conferre sub conditione: Si non es baptizatus, &c.*

50. BAPTISMI participes esse posse omnes homines cuiuscumque vel sexus, vel conditionis, vel ætatis sint dummodo hanc vitam viuant, ex eo patet: quod in Christo spiritaliter regenerari possint quotquot in Adamo per naturalem generationem contrahendo peccatum originale, mortui sunt. Nam sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur, ex priori ad Corinth. 15. Quam viuificationem non contingere absque lauacro regenerationis, aut eius voto, decernitur in Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. per illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum cœlorum. Vide antedicta in cap. 2.

Quod autem hoc de infantibus diuersi hæretici negarunt, bene refutant Greg. à Valen. *in cit. quæst. puncto primo*, Bellarm. tomo 2. controuers. *lib. de baptismo cap.* 8. *Suarez tomo 3. disput 25. sect. 1.* Qua in re immorari non est nostri instituti: cui sufficit scire id esse fide tenendum, tanquam definitum ab Ecclesia, vt constat ex cap. Placuit, 2. De consecr. dist. 4. & ex cap. Maiores, De baptismo, & ex cap. 1. §. Sacramentum, De summa Trinit. sub finem, & ex Concil. Trident. sess. 7. de baptismo can. 13. Cataphrygarum vero insanum errorem, qui mortuos baptizabant, Alphonsus à Castro aduersus hæreses, verbo Baptismus, hæresi 3. bene refutat, ex eo, quod in hac solum vita, detur tempus acquirendi æternam salutem per media diuinitus instituta, quia post illam vbi cecid erit lignū, ibi erit, Ecclesiasticę c. 11.

Iam sicut idem Baptismus, quo capaces esse omnes homines dicimus, vnus est specie infima, *ex communi sententia Theologorum, prout Suarez testatur in disput. 22. sect. prima*: ita etiam vnus tantum numero esse potest vnius numero hominis, itaut iterari nequeat. Id quod Suarez *in sequenti sect. 2.* latius tractat cum D. Tho. 3. *quæst. 66. art. 9.* Sed ad nostrum institutum sufficit monere id esse de fide ex Concilio Florent. in instruct. Armenorum: vbi statuitur Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, quæ characterem imprimunt in anima indelebilem, non iterari in eadem persona. Et ex Concil. Triden. sess. 7. de Baptismo cum anathemati subiicitur is, qui dixerit verum & rite collatum baptismum, iterandum esse illi, qui apud Infideles Christi fidem negauerit, cum ad pœnitentiam conuertitur. Accedit cap. Non licet 2. cum aliquot sequentibus. De consecr. distinct. 4. Adde & illud ad Ephes. 4. Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma. 51.

Peccatum autem esse suo genere grauissimum baptismi iterationem, tam ex parte dantis, quam ex parte illum recipientis voluntarie, habetur tum ex cap. Rebaptizare, in ead. distin. 4. vbi dicitur esse immanissimum scelus: tum ex pœna qua punitur, *mortis nimium*, iure ciuili ex lege 2. c. Ne sanctum Baptisma reiteretur: & ex graui pœnitentia iure Canonico imposita septem, ac plurium annorum, De consecr. dist. 4. cap. Qui bis & cap. Eos quos: tum demum ex eo quod sacramentum in magnam iniuriam eiusdem applicet subiecto incapaci, Adde & in iniuriam Christi: quia cum per baptismum commoriamur: & consepeliamur Christo, qui semel tantum mortuus, sepultusque est, ille qui baptismum iterat, significat Christum esse denuo morti, & sepulturæ obnoxium: rursum sibimetipsi, iuxta Apostolum ad Hebræos cap. 6. Crucifigens Filium Dei, prout tangitur in citato cap. Qui bis. Hoc autem locum habet, quando cōstat aut ex vehemēti præsumptione est verosimile aliquem esse baptizatum: vt cum ibi natus est, vbi Baptismus non solet differri vltra octauum diem. Quo casu non modo non licet baptizare absolute, sed neque sub conditione, vt bene probat Suarez *disp. 31. sect. 6. sub initium*: quia cum iam constat sufficienter quid sit factum, nihil interest addere conditionem ad vitandam irreuerentiam quæ committitur baptismi iteratione. 52.

Addit idem author, *quod habetur ex cap. Paruulos, & aliquot sequentibus, in citata distinct. one* 4. idipsum non procedere in casu dubii, id est, quando sunt quidem aliqua indicia ad suspicandum aliquid de necessariis ad validitatē baptismi esse omissum: aut eum qui offertur esse iam baptizatum (*quos duos dubii modos plenius explicat Suarez disput 22. sect. 2. versus finem*) non tamen sufficientia ad ferendum absolutum, definitumque iudicium: tunc enim periculum perditionis æternæ in homine, exigit vt baptismus ei cōferatur: neq; impedit iniuria sacramenti, quoniā ad tollendū illius periculū 53.

à iure

à iure in cap. 2. De baptismo, prouisum est, vt tunc sub conditione conferatur his verbis. Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Iam si ex loco & circumstantijs valde probabiliter quis præsumeretur non esse baptizatus: vt quia natus est inter Infideles, vbi nullus omnino est baptismi vsus, vtendum videretur forma absoluta.

54. Aduerte autem *ex Soto in 4. distinct. 3. quæst. vnica. art. nono §. Quartum argumentum*: adhibendam esse moralem diligentiam ad tollendum dubium, antequam sub proposita conditionali forma baptismus detur. Ratio est, quia temere alioqui & contra sacramenti reuerentiam ageretur: itaut peruersa sit & damnabilis, *vt idem habet*, quorundam Parochorum contraria consuetudo: & multo magis ea, qua illum, quem constat iam domi baptizatum esse, iterum in Ecclesia baptizant sub conditione. In quo casu ipsi cæremonias tantum, & ritus baptismi deberent supplere, atque ea quæ baptismo substantialia sunt omittere. Quibus peccatis tanquam cooperatores, obnoxij sunt quoque parentes, qui vel suos infantes, nulla vrgente sufficienti necessitate domi baptizari permittunt: vel sic baptizatos iterum baptizandos sub conditione offerunt Parochis.

CAPVT VIII.

De præcepto suscipiendi Baptismum.

SVMMARIVM.

55 *Datum est à Christo præceptum de baptismi susceptione, obligans quidem omnes, sed alia ratione paruulos quam adultos.*

56 *Obligat ad suscipiendum baptismum statim ac digne & commode fieri potest.*

57 *Excusatio dilationis non datur in periculo mortis: extra illud esse potest iusta de causa: & de ea, quæ est mortis naturalis.*

58 *De ea quæ est mortis violentæ, inferendæ siue baptizanti, siue baptizando.*

59 *Excusatio dilationis baptismi ob impedimentum illatum: & quod non detur Ecclesiasticum præceptum de susceptione baptismi.*

55. DIctum est omnes homines esse capaces susceptionis baptismi: iam docendum est num, & quomodo ad eam illi obligentur. De qua re præclare Suarez *disput. 31. in tribus primis sectionibus.* Et quamuis ea nostri instituti sit maxime propria, tamen, quia in nostro hoc orbe vix alij quam infantes baptizantur, contenti erimus ea, quæ ille plenius tractat paucis attingere.

Primum est: A Christo impositum esse hominibus præceptum suscipiendi aquæ baptismum. Hunc enim ipse instituit tanquam medium ad salutem necessarium, prout constat ex verbis ipsius: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei, Ioan. 3.] *Vide antedicta in cap. 2.* Omnia vero media necessaria ad salutem, quatenus sunt in nostra potestate, & arbitrio, cadunt sub præceptum: cum æternæ salutis consecutio tribuatur præcepta obseruanti: dicente domino Matthæi 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata.

Secundum est: tale præceptum obligare omnes homines, sicut & præceptum fidei: quia vt Christiana fides, sic illius professio, *qua fit per baptismi susceptionẽ*, necessaria est omnibus, ad ingressum in Ecclesiam, extra quam non est salus.

Tertium est: idipsum præceptum non pertinere directe ad paruulos ante vsum rationis, liberique arbitrij; quia pro ea ætate non sunt capaces præcepti: pertinere autem indirecte hoc nomine: quod cum illius materia sit ipsi communis cum adultis: ad eos quoque extendatur obligatio, eo modo quo potest: qui non est alius, quam is quo sunt liberæ voluntatis capaces: vnde quia non aliam voluntatem tunc habent, quam paternam, nec etiam aliam obligationem habent ad susceptionẽ baptismi, quam quod ipsorum parentes, vt baptizentur, curare obligentur tanquam ij, qui filijs indigentibus debent ex lege charitatis, & pietatis subuenire, in ijs quæ ad animæ salutem spectant.

Quartum est, *quod in sequenti sect. Suarez fusè tractat*, tale præceptum obligare hominem, vt quamprimum, *moraliter loquendo*, digne & commode potest, baptismum recipiat, vel saltem multo tempore non differat. Ratio est, quia nullam datur vitæ tempus, in quo adultus non laboret magna necessitate ingrediendi Ecclesiam, in qua membrum Christi factum, particeps sit cœlestis influxus ipsius tanquam capitis: ac sacramentorum, fructusque sacrificij Missæ: atque obedientiæ Prælatis Ecclesiasticis debitæ capax redditus, possit vitam spiritalem agere, æternæ salutis meritoriam. Quod eum necessarium sit homini in tota vita, consequens est tempus obligationis fusc ipiendi baptismum, illi pariter in tota vita adesse. Ad quod facit quod Christus, qui voluit suos fideles in hac vita congregare in vna visibili Repub. *quæ est Ecclesia Catholica*, communicantes in vna fide, sub vno capite, & in eorumdem sacramentorum vsu, atque fructu: voluerit etiam ad illam patere ingressum per baptismum: quo tanquam ritu publico, & solemni exterius demonstraretur interior fides, qua efficimur eiusdem Ecclesiæ membra, cuius ipse caput est. 56.

Cumque hæc ita sint, sicut ille qui vouit ingredi religionem tenetur ad eam statim (*moraliter loquendo*) ingrediendam, quia ex vi talis voti, totum vitę suæ tempus habet consecratum illi statui: ita omnes homines per præceptum, de quo agimus, obligantur ad religionem Christianam susciendam statim: seu quamprimum digne, & commode fieri potest. Dico autem digne, quia adultus prius est instruendus, & cæteris debitis dispositionibus, *de quibus post ea*, præparandus quam baptizandus: quandoquidem iure naturali sancta sancte sunt obeunda. Vnde idipsum præceptum obligans ad baptismum quamprimum susciendum, consequenter obligat ad non negligendas, nec nimium differendas ad id requisitas dispositiones. Dico etiam *commode*, id est, oblata opportunitate, & remotis incommodis; ad indicandum dari posse aliquas causas excusantes ab obseruatione talis præcepti. De quibus agit ipse Suarez in antememorata disput. 31. *sect.* 3. attingens hæc documenta.

Primum est: tales causas complures, ac varias esse posse. Nam secluso mortis periculo (*in quo spiritalis necessitas baptismi est extrema, tanquam ea, cui subueniendi commoditas postea non datur*) ad differendum baptismum, non est necesse causam adesse grauissimam, sed sufficit grauem, & rationabilem, prout vir prudens iudicauerit. Non enim talis dilatio perinde rationem habet omissionis extra necessitatem extremam; ac in extrema necessitate. In hac enim adest periculum probabile numquam implendi propositum præceptum; & extra eamdem ipsam abest. In moralibus autem exponere se probabili periculo non faciendi quod præcipitur, perinde censetur peccatum, ac non facere illud: quandoquidem, vt Ecclesiastici tertio dicitur, qui amat periculum peribit in illo. 57.

Secundum documentum est: mortis naturalis periculum, sufficientem causam esse ad excusandum ab obligatione præcepti de baptismo: quandoquidem nec suæ, nec alienæ morti licet cooperari. Verumtamen loquendo moraliter, vix accidere potest, vt ob eiusmodi periculum, omittendus sit baptismus: quoniam ex vna parte, extrema necessitas spiritalis vrget illius susceptionem: & ex altera parte, non est difficile prædictum periculum cauere: diligentia solicite adhibita ad vitandũ omne corporis damnum: vt si baptismus aspersione fiat, & in modica aquę quantitate, ad baptismum sufficienti: atque fiat in ea parte corporis, in qua minus nocere possit: siquc opus fuerit, aqua ipsa modico calore temperetur, & statim post aspersionem detergatur. Quæ si obseruentur, vt facile fieri potest, vix moraliter loquendo fingi potest quo modo ex baptismo augeatur mortis periculum, aut vitæ desperatio.

Tertium documentum est: Si baptizandus sit infans, cui instet mortis naturalis periculum: non esse prætermittendum illius baptismum ob timorem violentæ mortis, hoc est, eo quod ab alio occidetur ea de causa. Ratio est: quia licet tunc mortis corporalis periculũ augeatur ex baptismo; id tamen merito permittitur ad vitandum æternæ mortis periculum. Nec datur occasio mortis, sed ab alio per prauam 58.

suam voluntatem accipitur ex alieno facto licito, à quo alter non tenebatur abstinere ad vitandam iniuriam inferendam baptizato, cui melius est, sic finire vitam mortalem, quam ab æterna excidere.

Quartum documentum est: Si in eodem casu immineat baptizandi mortis periculum, non ideo ipsum excusari ab obligatione baptizandi, quando eam impleri, vel fidei defensio exigit; vt si in illius odium vis illa inferatur: vel honor Christianæ religionis idipsum requirit: vt cum fidelis nequit metu mortis collationem ipsam baptismi omittere sine magno scandalo, & ignominia religionis, vel denique vrget obligatio præcepti charitatis, qua proximo de æterna salute periclitanti, teneor vitam meam temporalem postponere.

59. Quintum documentum est: Quando non versatur quis in mortis articulo, & exterius infertur vis ad impediendum ipsius baptismum, hic sine peccato differri potest (*nisi inde capiat fides, detrimentum, aut Christianæ religioni creetur infamia*) donec vel maior instet necessitas, vel melior se offerat baptismi opportunitas. Ratio est: quia illa non est omissio absoluta; sed solum dilatio, cuius satis rationabilis tunc occurrit causa. Si quis quærat: An præter diuinum, sit etiam Ecclesiasticum præceptum de susceptione baptismi. Respondeo negatiue, quia Ecclesia non habet iurisdictionem in illos, qui non sunt in eam per baptismum ingressi. Ergo non potest illos precepto adstringere. Patet cõsequentia quia istud est actus iurisdictionis, Antecedens confirmatur per illud, quod (*congruenter dicto Apostoli in priori ad Corinth. cap. 5.* Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare) Concil. Trid. habet sess. 14. cap. 2. his verbis. Constat certe baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Concedendum tamen est Ecclesiam posse parẽtes Christianos suæ iurisdictioni subiectos adstringere, ad recenter natos filios offerendos ad baptismum, & ministris baptismi super eo aliquid iniungere, perinde ac præscribit ritus baptizandi.

CAPVT IX.

De effectibus Sacramenti Baptismi.

SVMMARIVM.

60 *Primus effectus baptismi conferre animæ gratiam iustificantem, & quatenus ea non conferatur, aut conferatur aqualiter omnibus.*
61 *Secundus effectus, remissio omnium peccatorum.*
62 *Tertius, remissio omnis pœnæ pro peccatis diuinitus cõstitutæ.*
63 *Pœnæ communes naturæ humanæ in hac vita manent, auferendæ in futura.*
64 *Effectus baptismi ianuam regni cœlestis aperiendi, & baptizatum subiiciendi Ecclesiasticæ iurisdictioni, ac quidã alij.*

DE his effectibus latius D. Thomas 3. *par. quæst. 69.* ac interpretes ipsius: & aduersus hæreticos Bellar. to. 2. in lib. De baptismo, cap. 12. & aliquot sequentibus. Sed quoniam eorum consideratio remotior est à ratione iudicandi de peccatis nobis proposita, contenti erimus paucis eosdem attingere.

60. Primus est igitur, animæ conferre gratiam instificantem cum comitantibus eam (*ex communi Theologorum sententia*) virtutibus Theologicis, fide, spe, & charitate: ac septem quæ commemorantur Isaiæ 11. Spiritus sancti donis: sapientiæ, inquam, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, ac timoris Domini: atque *secundum D. Thomæ doctrinam par. 2. quæst. 63. art. 3.* virtutibus moralibus infusis. Patet hic effectus per illud D. Pauli ad Titum 3. Saluos nos fecit per lauacrũ regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde, &c.] Et per definitionem Ecclesiæ in Concil. Viennensi, quæ refertur in Clemen. vnica, De summa Trinit. §. Verum. Locum autem habet tam in paruulis, quam in adultis; quia illi, sicut & hi fiunt in baptismo membra Christi, ideoque ab ipso recipiunt influxum gratiæ & virtutũ, tanquam à suo capite. Vnde in Concil. Trid. sess. 5. in decreto de peccato originali nu. quinto, generaliter & sine distinctione definitur, Baptizatis gratiam conferri, per quam, & veterem hominem exuant, & nouum induant. De quibus plenius Suarez *disput 26. sect. 2.*

Si quæras, an per baptismum omnibus illum suscipientibus detur æqualis gratia. Respondetur cum Francisco à Victoria *De sacram nu. 22.* iuxta D. Thomam. 3. par. quæst. 69. art. 8. dari quidem æqualem ex vi sacramenti, sed in adultis ratione dispositionis esse inæqualem. De qua re videri potest Suarez *disput 28. sect. 3.* Videri potest etiam Gregor. à Valen. *disput. 4. quæst. 4. puncto 1. sub initium*, pro refutatione Scoti, & Gabrielis: qui contra D. Thomam asserunt paruulis ob deuotionem offerentium, vel ministri aut ratione prædestinationis diuinæ, dari in baptismo inæqualem gratiam. In quibus scholastici instituti est, non huius nostri immorari.

Secundus baptismi effectus est, remissio omnium peccatorum hoc est originalis, & actualium omnium. Hinc D. Thom. *in eadem quæst. 69. art. 1.* probat per illud Ezechielis 36. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris. Quem locum Patres de baptismo intellexisse, ostendit in comment. Suarez. Probari quoque potest: quia ex D. Paulo ad Rom. 6. Per baptismum morimur peccato, & viuimus Deo. Ad quod requiritur vt in nobis, suscepto baptismo, nullum vigeat, maneatve peccatum. Et ex cap. 5. ad Ephes. Christus mundat Ecclesiam suam in lauacro aquæ: quod cum sine dubitatione faciat perfecte, nullam relinquit in baptizato vllius peccati maculam. Quæ doctrina habetur etiam ex cap. A. paruulo, & ex cap. Regenerante, De consecr. dist. 4. & ex cap. Maiores, De baptismo, & ex definitione Concilij Floren. in instruct. Armenorum, & ex Concil. Triden. in cit. nu. 5. & in sess. 14. cap. 1. De sacram. pœnitentiæ, ac demum ex Patribus, quos commemorat Greg. à Valen. *in citato puncto 1.* Idem ex Sacra scriptura plenius confirmatũ, qui volet videre poterit apud Bellar. *in cap. 13. antecitati libri*: & tã authoritate Patrũ quã rationibus apud Suarezium *disp. 26. sect. 1. dist. 2. & 3.* 61.

Tertius effectus est, personæ quæ baptizatur liberatio ab omni pœna propter peccatum, diuinitus constituta. De hoc D. Tho. *in citata quæst. 69. art. 2.* cuius sententiam omnes doctores admittere notat à Victoria, *De sacramentis nu. 20.* & aperte confirmant verba D. Augustini relata in cap. Per baptismum, De consecr. dist. 4. & apertius definitio Concilij Floren. in citata instructione Armenorum. Accedit quoque ratio, quam ibidem habet à Victoria: tum quod post baptismum pœnitentia non imponatur baptizato: nec ante eundem ab illo exigatur exterior peccatorum suorum confessio. *De quo vtroque D. Thom. in præced quæst. 68. art. 5. & 6.* at tam illa imponi, quam hæc exigi alioqui deberet, sicut fit in sacramento pœnitentiæ. Tum quia ex cap. 6. epist. ad Rom. Quicunque baptizati sumus in Christo, in morte ipsius baptizati sumus: vnde nobis per baptismum (*quo efficimur membra illius corporis, cuius ipse caput est*) tanquã et commortui, satisfactio mortis ipsius nobis baptizatis cõmunicatur ad remediũ, ac si ipsi passi, & mortui essemus, quemadmodũ habet D. Thom. *in prius cit. art. 2.* Iam vero Christus sua morte satisfecit sufficientissime pro omnibus nostris, totiusq; mundi peccatis, ex primæ Ioan. Cap. 2. initio: itaut dicere post baptismũ pœnas peccatorũ superesse, pro quibus debeat baptizatus satisfacere, sit Christo morte passo facere iniuriã, limitationẽ quadã meritorũ ipsius quæ sunt infinita. 62.

Cæterum pœnæ huius vitæ, quæ non sunt tam personæ, quæ baptizatur, quasi propriæ, quam communes humanæ naturæ: vt morbi, mors, fomes concupiscentiæ, fames, sitis & aliæ, quæ à Theologis dicuntur pœnalitates, ac tollentur quidem in vita futura, sed manent in præsenti, prout à D. Thom. *in eadem quæst. 69. art. 3. notatum est.* Et probatur quoad priorem partem, per illud Apoc. 21. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quę prima abierunt.] Quoad partem vero posteriorem, satis notum est experientia, & rationi consentaneum esse ostenditur: primo ex eo quod homo per baptismũ fiat Christi membrum, ideoque conueniens fuerit, vt quantumuis per baptismum recipiat gratiam in anima, passibilis tamen esset, sicut Christus, quoad corpus, quo eidem compate- 63.

retur,

retur, vt conglorificaretur : iuxta Apostolum ad Romanos 8. versu 17.

Itaque ad meritum, & exercitium hominis Christiani, relictæ sunt in eo post baptismum eiusmodi pœnalitates: sicut Iudicum tertio post introductos Israelitas in terram promissionis, reliquit in ea Dominus gentes, vt in illis eruditet Israelem. Ne autem prævaleant, & peccatum regnet in nostro mortali corpore, vt obediamus concupiscentijs eius (*quod prohibet Apostolus in præced. c. 6.*) facit baptismi gratia, animam corroborans & ad resistendum adiuuans, iuxta illud, quod in Concilio Mileuit. cap. 3. definitur, talem gratiam non solum valere ad remissionem peccatorum quæ commissa sunt: sed etiam ad adiutorium, vt non committantur. Refertur De consecr. dist. 4. cap. antepenult.

64. Quartus effectus, ex antedictis consequens, est apertio ianuæ regni cælestis: nam vt argumentatur in sequenti art. 7. D. Thom. baptismum aperire ianuam regni cælestis, nihil est aliud, quam remouere impedimenta introeundi in illud. Ea autem sunt culpa, & eidem diuinitus constituta pœna (*quæ etsi de se non impediat omnino, remoratur tamen eundem ingressum*) & iuxta antedicta, per baptismum, vtraque pefecte tollitur.

Quintus est: subijcere baptizatum Ecclesiasticæ iurisdictioni. Nam ex eo quod per baptismum fit quis Ecclesiæ membrum, consequeter subordinatur ac subijcitur authoritati eius qui tanquam caput præest Ecclesiæ. Cuiusmodi effectum prouenire quoque ex baptismo infantium: itaut postquam adoleuerint, Ecclesia possit eos pœnis coercere cum fuerit opus, contra Erasmum tractans videri potest Greg. à Valen. *in fine cit. puncti primi.* Sufficit enim instituto nostro id constare ex definitione Concilij Trid. sess. 7. De baptismo, can. vltimo.

Sextus effectus est, tollere irregularitatē ante baptismum ipsum contractam ex peccato quocunque, vel ex eo quod est ex peccato consequens, vt infamia. De qua re agetur in sequenti lib. 30. tractatu secundo. Neque in ea necesse est immorari: eum vix iam alij in nostro orbe baptizentur, quam infantes talis irregularitatis incapaces.

Septimus effectus est character: de quo nihil occurrit addendum ad ea quæ dicta sunt in præced. libro cap. 6. Præter hos, sunt alij effectus falsi, quos hæretici tribuunt baptismo, refutati à Bellarmino in lib. De baptis. cap. 14. & aliquot sequentibus.

CAPVT VLTIMVM.

De dispositionibus quas prædictorum effectuum productio requirit, in suscipientibus Baptismum.

SVMMARIVM.

65 *Dispositio quoad corpus: & quid agendum quando ipsum est monstrosum.*

66 *Dispositio quoad intellectum: recta fides.*

67 *Quo modo interueniat ista dispositio in baptismo paruulorum.*

68 *Aliquot propositiones pro explicatione difficultatis, An ad baptismum paruulorum requiratur consensus parentum.*

69 *Dispositio ad baptismum ex parte voluntatis, quæ est pœnitentia.*

70 *Qualis debeat esse talis pœnitentia.*

71 *Intentio requisita ad baptismum; quam extortam esse metu nihil obstat.*

72 *Sufficit virtualem esse.*

73 *Breuis responsio ad difficultatem de effectu baptismi impeditos vtrum obtineatur recedente fictione.*

74 *Ad tollendam eiusmodi fictionem attritio non sufficit, sine sacramento pœnitentiæ.*

65. PRIMA dispositio est quoad corpus: vt quantum sufficit ad baptismum, *iuxta tradita in posteriore parte capitis tertij præcedentis.* ipsum ablui possit. Quod quia nequit commode fieri ante egressum ex vtero: expectandus est talis egressus, nisi mors immineat, vt D. Thom. 3. *par. quæst. 68. art.* 11. *ad* 4. expressit, & attigimus loco citato. Iam si corpus monstrosum sit, seruanda est hæc regula ex Angelo *in verbo Baptismus* 5. §. 5. *& Sylu. eodem verbo* 3. *quæst.* 10. *& Toleto in sua summa lib.* 2. *cap.* 21. vt si constet habere tantum vnam animam rationalem (quia scilicet habet tantum vnum caput, & vnum pectus, licet alia membra multiplicentur: prout expressit Sotus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica art.* 9. *col.* 11.) & ideo esse tantum vnum hominem: vnicus baptismus conferatur. Sin contra constet duas animas habere (quia scilicet habet duo capita, & pectorum diuisionem) ideoque esse duos homines, duplici actu baptizetur: vel si necessitas vrgeat, vno: sub illa forma, Ego vos baptizo. Quod si dubium sit, an habeat duas rationales animas (quia scilicet sub vno capite, sunt duo pectora, vel sub duobus capitibus vnum pectus) duplex baptismus est conferendus, *inquit Toletus*; vnus absolute, ei qui perfectius caput, aut pectus habere apparebit, & alter sub conditione.

Dispositio ex parte intellectus & consensus parentum.

SECTIO PRIOR.

SEcunda dispositio, quod animam ex parte intellectus, est recta fides: eo modo quo expressit Greg. à Valen. *disp.* 4. *quæst.* 3. *pun.* 3. *assert.* 3. inquiens. Etsi in adultis ad baptismi veritatem non requiratur recta fides, dummodo illi intentionem habeant recipiendi id quod Ecclesia administrat; ea tamen requiritur, vt principalem baptismi effectum, *nempe gratiam*, ipsi consequantur. In paruulis autem sufficit habitualis fides, quam suscipiunt cum sacramento: neque ad veritatem, neque ad effectum baptismi, requiritur ipsorum proprius fidei assensus: sed eis ad vtrumque sufficit recta Ecclesiæ fides: sicut & eisdem sufficit praua Adami voluntas ad contrahendum peccatum originale. Cuius doctrinæ, quam idem Author ibi. bene confirmat, hæc fundamenta D. Tho. habet 3. *parte quæst.* 68. *art.* 8. *& 9.* 66.

Primum est, quod sacramentum non perficiatur per iustitiam conferentis aut recipientis baptismum: sed per virtutem Dei. Vnde fit vt baptizati ab hæreticis cum materia & forma, intentioneque debita, non rebaptizentur redeuntes ad Ecclesiam Catholicam, ex cap. Si qui apud illos, & cap. Quamuis, De consecr. dist. 4. Tale enim baptisma fuit verum, prout Concil. Trid. definit sess. 7. De baptismo, can. 4.

Alterum est, quod iustificatio peccatoris non contingat sine fide, Apostolo docente ad Romanos 3. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi: & ad Hebr. 11. Impossibile est sine fide placere Deo. Id quod habetur etiam ex definitione Concilij Triden. sess. 6. cap. 6. & 7. hincque sequitur quod hæreticus, vtpote infidelis, non sumat baptismum ad salutem, sed ad perniciem; prout dicitur in citato cap. Quamuis.

Tertium est, quod regeneratio spiritalis: quæ fit per baptismum, sit quodammodo similis natiuitati carnali, in hoc: quod sicut pueri in maternis vteris constituti, non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur: ita etiam pueri nondum habentes vsum rationis: quasi in vtero matris Ecclesiæ constituti, non per seipsos, sed per actum eiusdem Ecclesiæ, salutem accipiunt. Ita docens D. Thom. in citato art. 9. ad 1. addit ex D. Augustino id quod inde sequitur, matrem, Ecclesiam os maternum (ad profitendam scilicet Christi fidem) paruulis præbere, vt sacris mysterijs imbuantur: quia nondum possunt credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Et, vt ipse subiungit; quod dicitur de fide, idem potest pari ratione dici de dispositionibus ex parte voluntatis: nempe de pœnitentia & intentione, qua mundo & Diabolo abrenuntiantes, eligant Christi seruitio mancipari. Id quod vt à nostro instituto remotius, relinquemus Theologis scholasticis. Qui volet videat Bellarm. in memorato libro de baptismo, cap. 8. & nonnullis sequentibus. Qua etiam de causa sufficiet paucis perstringere, quod Suarez latius tractat disp. 25. 67.

vtrum consensus parentum sit necessarius ad baptismum paruulorum, hique inuitis illis baptizari possint.

***

De quæstione, An infantes possint baptizari inuitis parentibus.

68. SIt igitur prima propositio: Ad validitatem baptismi paruulorum, non esse de se necessarium vt parentes in illum consentiant. Ratio est: quia talis consensus non est de essentia baptismi: ad quam spectant solummodo debita materia, & forma, & intentio faciendi quod facit Ecclesia.

Secunda est: Vt fidelium, sic & infidelium, qui aliquando fideles fuerunt, liberos licite baptizari posse inuitis parentibus. Ratio est: quia tales subiiciuntur iurisdictioni Ecclesiæ, possuntque ab ea compelli (iuxta cap. Quando, cap. Quæsitum, & cap. Sicut, 23. quæst. 4.) ad fidei professionem: ad quam spectat oblatio propriorum filiorum ad baptismum. Quæ si à parentibus prædictis negligatur, nihil obstat quin ipsis inuitis iidem filij baptizentur: quia nec illis fit in eo iniuria, nec consensus illorum est de iis quæ ad baptismum filiorum sunt omnino necessaria, prout docet abunde ipse Suarez *in citata disput. 25. sect. pr ma dicto 2.*

Tertia est: Filios eorum infidelium qui nunquam susceperunt baptismum, non posse licite baptizari ipsis inuitis. Hæc est D. Thomæ 2.2. *quæst.* 10. *art.* 12. & 3. *par. quæst.* 68. *art.* 10. qui in confirmationem adfert perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, fundatam in iure naturæ: iuxta illud, quod paruuli ante vsum rationis, cum non habeant propriam voluntatem, commissi sint curæ parentum, eorumque voluntati. Qua de re plura Saurez sect. 3. iuxta quem *in sequenti sect.* 4. extenditur hæc propositio ad infideles, qui subsunt ditioni Christianorum Principum. Nam neque eorũ filios ipsis inuitis baptizari posse ipse late docet. Non extenditur vero ad eos, qui sunt proprie serui, vt ij, qui emuntur, veris dominis ipsorum vendentibus; vel qui iusto bello victi, rebus suis iuste spoliantur, & rediguntur in seruitutem, vt solent Turcæ & Sarraceni. Id quod in posteriore parte eiusdem sectionis, & in sect. 3. late idem tractat. Fundamentum vero est, quod talibus seruis tanquam de re sua Dominus possit disponere: etiam distrahendo, separandoque vnum ab altero: adeout filij in tali causa non censeantur esse plene sub cura & potestate parentum. Adde his, quod ex Soto Greg. à Valen. *in citato puncto 3. assertione 2. dicto tertio* habet, neque locum propositionem allatam habere in paruulis constitutis in præsenti periculo mortis, quæ adimeret eis omnem commoditatem aliquando voluntate propria suscipiendi baptismum. Ratio est, quod eorumdem paruulorum parentes non possunt in tali casu vrgere suum ius paternum, in extremam filiorum perniciem summamque miseriam.

Quarta propositio est: Sufficere alterutrius parentis consensum, vt natus ex infidelibus baptizari possit. Ad quam probandam inducitur cap. Ex literis, De conuers. Infid. cum aliis, quorum meminit Greg. à Valen. in sequenti dicto 4. Rationem addens, quod interueniente consensu vnius parentis, alter non possit tantopere suum ius vrgere, vt oporteat paruulum inde spiritale damnum pati.

Vltima propositio est: Licitũ esse baptizare filios infidelium ipsis inuitis: si iidem filij sponte consentiant, iam habentes rationis vsum sufficientem ad iudicandum quid sit bonum, & ad accipiendam instructionem de fide Christiana, & de baptismo: vt contingere potest circa annum octauum, aut decimum. Hæc est D. Thomæ 2.2. *quæst.* 10. *art.* 12. & 3. *p. vr. quæst.* 68. *art.* 10. qui sequenti art. 12. docet idem, ac de infantibus, iudicium esse de amentibus, qui nunquam habuerunt vsum rationis: non item de iis qui habuerunt lucida interualla. De quibus iudicandum est secundum voluntatem quam habuerunt in sana mente: vt si tunc petierint baptismum, possit vrgente necessitate eis dari in amentia; alias non.

Dispositio ex parte voluntatis.

SECTIO POSTERIOR.

69. TErtia dispositio quoad animam ex parte voluntatis, est: tum pœnitentia, tũ intentio. Pœnitentia quidem: quia licet adultus impœnitens, sicut & Infidelis, valide baptizari, & baptismalẽ characterem recipere possit: tamen vt debite baptismum & primarium eius effectum, *gratiam inquam*, suscipiat; necesse est non solum vt credat, verum etiam vt voluntatem omnem mortaliter peccandi deponat: deque præteritis peccatis à se commissis doleat. Quod si recusaret facere non esset baptizandus ex D. Tho. 3. *part quæst.* 68. *art.* 4. Quod etiam colligitur ex Concilio Trid. sess. 6. cap. 6. vbi dicitur ad modum præparationis ad iustificationem, pertinere vt quis moueatur aduersus peccata, per odium aliquod & detestationem: hoc est, per eam pœnitentiam ante baptismũ agi oportet, de qua Actorum 2. Agite pœnitentiã vt baptizetur vnusquisque vestrum. Accedit ratio, quia gratia stare non potest cum voluntate peccandi, iuxta illud posterioris ad Corinth. cap. sexto. Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate?] 73.

Qualis autem esse debeat ille dolor, latius explicant Suarez, *to. 3. disput. 28. sect. 1. & 2. & Greg. à Valen. in ante cit punct. 3. assert.* 4. Summa vero est: non esse necessarium vt ea sit in particulari de omnibus peccatis commissis, quæ facta indagatione, reuocata sint in memoriam, sicut oportet in sacramento pœnitentiæ: sed sufficit esse de omnibus in confuso, cum proposito ea cauendi in posterum. Nec item vt sit perfecta pœnitentia, seu vera cõtritio: sufficere enim, si sit attritio; quæ *ex Concil. Trid. sess.* 14. *cap.* 4. est peccati detestatio, auxilio supernaturali Dei concepta ex consideratione turpitudinis peccati; vel ex metu gehennæ, & aliarum pœnarum, quibus à Deo ipsum punitur. Probatur vero talis sufficientia ex eo, quod per baptismum consequamur primam gratiã ex opere operato. Inde enim sequitur ad baptismum non requiri necessario veram contritionem, quæ semper est cõiuncta cum Dei gratia & charitate: sed satis esse attritionem, quæ excludat affectum peccati, tanquam obicem impedientẽ ne peccator iustificetur per ipsum baptismum, qui est instrumentalis causa iustificationis, iuxta definitionem Concilij Triden. sess. 6. de iustific. cap. 7. 70.

Intentionem autem suscipiendi baptismum necessariam esse, vt is sit validus & characterem imprimat, sententia est omnium Theologorum, vt Suarez notat *disput.* 14. *sect.* 2. & *disput.* 24. *sect.* 1. Pro qua faciunt. Tum canones ab ipso citati in illa sect. 2. maxime autem cap. Maiores, §. Item quæritur, De baptismo. Tum Ecclesiæ consuetudo. Nam vt argumentatur D. Tho. 3. *par. quæst.* 68. *art.* 7. secundum ritum Ecclesiæ, profitentur baptizandi, se ab ea petere baptismum, & consequenter se intentionem illum suscipiendi habere. Tum demum ratio: quia susceptio baptismi est quædam professio Christianæ religionis, & inchoatio nouæ vitæ: quæ, *vtpote moralis*, requirit, sicut in progressu, ita & in inchoatione liberum voluntatis consensum. 71.

Vnde nonnulli errores confutantur, de quibus post Sotum *in 4. distinct. 5. quæst. vnica art. 7. Greg. à Valen disput. 4. quæst. 2 puncto 2.* Satis nobis erit duo monere. Alterum est, quod habetur ex cit. cap. Maiores, § Propter quod, & ex cap. De Iudæis, dist. 45. ad baptismi validitatem sufficere intentionem adulti, non modo liberam omnino, sed etiam extortã metũ, siue iusto, siue leui, siue iniusto, siue graui. Ad quod facit quod coacta voluntas, sit voluntas ex cap. Merito 15. q. 1. & aliis quæ ibidem gloss. 2. habet. Vnde si quis baptismum suscipere cogatur, etiam si alias nolens baptizari, præbeat assensum, recipit sacramentum & characterem: licet non recipiat gratiam. Sin autem assensum nullo modo præbeat; nec sacramentum recipit, nec characterem; & multo minus gratiam, ex eod. cap Maiores, in fine citati paragraphi. 72.

Alterum est, non esse necessarium vt talis intentio sit actualis, sed posse sufficere ad baptismi validitatem, & gratiæ receptionem, vt sit virtualis & interpretatiua, ex eodẽ cap. Maiores §. finali. Et ratio est, quia talis intentio importat perseuerantiam voluntatis in pristino suo statu: nempe in eo, quem catechumenus habuit dũ actu intenderet susceptionem: illam namque non mutauit, quia id debuisset fieri per voluntatem contrariam: quam voluntas virtualis perseuerans excludit. Videri potest Suarez *disput.* 24. *sect.* 1. Indeque intelligi discrimen quod in fine citati articuli 7. Sotus notat, esse inter intentionem ministri, & suscipientis: quod in ministro, *tanquam agente*, intentio expressa sit necessaria eo ipso tempore, quo confert sacramentum. Ideo enim ebrius, aut dormiens non baptizat, quantũcumque prius proposuerit baptismum conferre. In suscipiente vero,

te vero, *tanquam patiente*, sufficiat si præcesserit voluntas suscipiendi non reuocata: etiamsi actu nulla talis sit cum sacramentum ipsum perficitur: vt si dormiat, vel ebrius sit, vel morbo aliquo graui oppressus sit, ex eodem cap. Maiores in fine.

71. Disputari solet, An quando gratiæ receptio, & peccatorum tam quoad pœnam, quam quoad culpam, remissio, impedita est per indispositionem susciptentis: An inquam (posito quod valida fuerit collatio) recedente eadem indispositione recuperetur ipsa gratia, ac peccatorum remissio. De qua re fusius disserit Suarez *disput.* 28 *sect.* 4. & *sequentibus.* Sed ad nostrum institutum sufficit monere, communem Theologorum sententiam esse, eum qui defectu fidei vel pœnitentiæ non est consequutus prædictos effectus: illa fictione recedente per veram contritionem: virtute baptismi valide susceptí, consequi gratiam baptismalem, & remissionem, tam quoad pœnam, quam quoad culpam omnium peccatorum, ante illum commissorum. Quod probatur. Tum authoritate cap. Tunc valere, De consecr. dist. 4. cuius verba sunt. Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quæ (corde in malitia, vel sacrilegio perseuerante) peccatorum ablutionem non sinebat fieri. Tum etiam ratione: quia peccatum originale remittere, & hominem regenerare ad vitam æternam, est proprius baptismi effectus: iuxta illud Ioan. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei. Cum ergo certum si peccatorem, per veram contritionem conuersum ad Deum consequi gratiam & remissionem peccatorum suorum: iuxta illud Ezechielis 18. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas] dicendum est ipsa interueniente, *tanquam fictione recedente* baptismum sortiri illum suum effectum: ne dicatur, aliter quam per baptismum patere aditum ad regnum cœlorum: quod repugnat citatis verbis Domini nostri.

Si quæras, an ad tollendam talem fictionem sufficere possit attritio? Respondetur negatiue; nisi accedat sacramentalis absolutio: quandoquidem illa ipsa fictio peccatum est mortale. Vbi aduerte, peccata quidem commissa ante baptismi susceptionem nõ subiici Ecclesiæ clauibus; subiici tamen ea quæ committuntur in ipsa susceptione, vt animus vindictæ vel alius mortaliter malus. Cum enim talia impediant eiusdem susceptionis efficaciam, nequeunt quando adsunt, per baptismum tolli: vt nec alia post hunc commissa. Vnde remedium aduersus ea institutum est Sacramentum Pœnitentiæ: cuius capaces sunt baptismo ipso initiati. 74.

LAVS DEO.

LIBER TERTIVS, ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVSOCTAVVS.

DE SACRAMENTIS CONFIMATIONIS, POENITENTIÆ, & Extremæ vnctionis.

PROOEMIVM.

QVÆ de tribus istis sacramentis pro ratione nobis proposita iudicandi de peccatis, hic occurrunt dicenda, pauciora sunt, quam vt distinctis libris tradi debeant. Illa igitur vnico comprehendemus, contenti distinctione in duos tractatus, quorum prior sit de Confirmatione, & posterior de Pœnitentia, & Extrema vnctione.

TRACTATVS PRIOR

De Confirmatione.

CVM Magistro in 4. sentent. dist. 7. & D. Thom. 3. par. q. 72. tum antiquiores, tum recẽtiores, Theologi scholastici agunt de sacramento Confirmationis: itemque plures alij, quorum meminit Henriquez in sua Summa in initio libri tertij: & apud Gratianum habentur de eo aliquot canones, De consecr. dist. 5. Seruabimus autem eamdem methodum, quam in precedenti libro, agendo de baptismo.

CAPVT I.

De nomine, definitione, institutione, & necessitate Confirmationis.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio baptismo succedit: & quo ordine.*
2 *Vnde vocabula illius nomina.*
3 *Definitio Confirmationis.*
4 *Instituta est à Christo Confirmatio, & quando.*
5 *Non est necessaria simpliciter, necessitate medij.*

SOLI. INTER sacramenta, Confirmatio proxime succedit baptismo: non quidem ordine dignitatis, aut necessitatis, sed generationis, vt Henriquez ait in cit. libro tertio, cap. 1. §. 2. quia statim confertur baptizato, vt Deus illud quod per baptismum est operatus, confirmet: per augmentum spiritalis gratiæ: firmum, robustumque reddens hominem ad superandas diaboli tentationes, & ad conferendam, defendendamq; fidem, quã in ipso baptismo professus est. De qua re Melchiades Papa (prout refertur in c. Spiritus sanctus, distinct. ante citata) ait: Spiritus sanctus q. super aquas baptismi salutifero descendit lapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam: in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter visibiles hostes, & pericula gradiendum est: in baptismo regeneramur ad vitam, post baptismũ confirmamur ad pugnã: in baptismo abluimur, & post baptismum roboramur, &c.

Vnde satis liquet sacramentum istud dici confirmationem à proprio suo effectu, sicut à sua forma dicitur à Patribus, tum consignationis sacramentum, tum signaculum Dominicum, tum signum Christi: & à materia dicitur, tum sacramentum chrisma is, tum inunctio, tum oleum sanctificatum, tum sacrum vnguentum: ac demum à ritu ipsius dicitur impositio manuum. De quibus videri pot. ſt Greg. à Valen. *tomo* 4. *disput.* 5. *quæst.* 1. *puncto* 1. *sub initium.* 2.

Ex communi autem Theologorum, & Canonistarum sententia (prout notat Nauar. in Enchir. cap. 22. num. 8.) definiri potest Confirmatio, quod sit sacramentum vnctionis 3.

chrisma-

chrismatis consecrati, quo Episcopus frontem baptizati inungit sub certa verborum forma. In qua definitione locum generis tenet Sacramentũ. Intellige autem ex Concil. Florent. in instruct. Armen. & ex Concil. Trid. sess. 7. can. 1. De confirmatione: *verum & proprium nouæ legis, diuinitus institutum.* Quod hæretici nostri temporis negantes bene refelluntur à Greg. à Valen. in citato puncto 1. & à Bellarm. tom. 2. controuer. lib. vnico De confirmatione cap. 2. aliquotque sequentibus. Itemque à Suarezio *disput.* 32. *sect.* 1. Quia in re immorari est alterius instituti. Cætera quæ in definitione sequuntur, tenent locum differentiæ sumptæ ex huius sacramenti causis, de quibus postea: nempe ex materia remota, quæ est chrisma consecratum: & ex propinqua, quæ est baptizati inunctio in fronte: & ex efficiente seu ministro, qui est Episcopus: & demum ex forma: quæ proponetur in sequenti cap. 3.

4. Porro quoad institutionem cõfirmationis: sicut certum est de fide eam esse nouæ legis sacramentum: sic etiam est, eam esse à Christo institutam: quandoquidem in Concilio Trident. sess. 7. can. 1. De sacram. in genere: is anathemati subiicitur, qui dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta. De qua re late Suarez *disp.* 12. *sect.* 1. Et ratio est quam idem quoque habet in sequenti disput. 32. sect. 2. tum quia institutio sacramenti pertinet ad potestatem excellentiæ, quam Christus solus habuit: tum quia idem solus potuit effectum gratiæ infallibiliter promittere per signum sensibile.

Addit Suarez ibidem, hanc institutionem factam fuisse à Domino nostro ante Ascensionem ipsius in cœlum: cum non sit dubium ante illam fundasse suam Ecclesiam, quoad fundamenta eius potissima, qualia sunt septem sacramenta. Quando vero tunc facta sit consequenter disserit, & maxime probabile iudicat, quoad promissionem & institutionem Apostolorum, datam de hoc sacramento, factam esse in nocte cœnæ vltimæ. Nec enim assignari potest tempus conuenientius quam illud, in quo Christus nouum Testamentum condidit, & toties Spiritum sanctum promisit. Quoad statum vero eum in quo confirmatio ipsa possit administrari & recipi: factam esse eandem institutionem post Domini resurrectionem, quando Apostoli constituti sunt Episcopi, Domino dicente ipsis, Ioann. 10. Accipite Spiritum sanctum, &c.] quandoquidem *prout postea dicetur*, ordinarius confirmationis minister est Episcopus. Quæ omnia pluribus discutere est instituti scholastici, & remotius à ratione iudicandi de peccatis nobis proposita.

5. Iam quoad necessitatẽ: consentiunt Theologi sacramentum confirmationis non esse necessarium simpliciter, & necessitate, *vt vocant*, medij. Quod patet tum ex cap. 1. & 2. De consecrat. distinct. 5. ex quibus habetur sacramentum istud non dare gratiam ad vitam spiritalem: sed gratiæ augmentum, ad perfectionem, & ad corroborandum in pugna contra vitia & Diabolũ, & ad mundi huius agones. Id quod bene declaratum, Parochi habent in Catechismo edito iussu Concil. Trid. cap. De confirmatione. Tum etiam ex eo, quod infantes iudicentur suscepto baptismo saluari posse sine hoc sacramento. An vero sit necessarium necessitate præcepti, patebit postea, cum inquiretur, An de suscipienda confirmatione datum sit præceptum.

10 *Quantitas chrismatis requisita ad talem vnctionem: & qua ratione hæc debeat fieri.*

11 *Impositio manuum necessaria ad hoc sacramentum: quodque sola sine chrismate non sufficiat.*

COMMVNI consensu docent Catholici, materiam huius sacramenti esse chrisma ex oleo & balsamo cõfectum, & ab Episcopo iam consecrato benedictum. Ita enim aperte statuitur in Concilio Florent. in instruct. Armenorum, & abunde confirmant quæ referuntur à Bellarm. in cit. lib. De sacramento confirmationis cap. 8. & 9. apud ipsum videnda. Verba Concilij Florent. sunt hæc. Secundum sacramentum est confirmatio: huius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & ex balsamo, quod odorem significat bonæ famæ, per Episcopum benedicto. 6.

Quod si quæras, an solum oleum sit materia necessaria necessitate sacramenti, sicut vinum in Eucharistia, itaut validum esse possit confirmationis sacramentũ, quantũcunq; oleo non admisceatur balsamum: sicut valida esse potest consecratio calicis, quamtumcumque vino non admisceatur aqua. Respondetur de ea re diuersas esse sententias, quas refert Greg à Valen. to. 4. disput. 5. quæst. 1. puncto 2. Duas autem esse potissimas, quarum neutram de fide esse monet Bellar. in memorato cap. 9. sub finem, in responsione ad tertiam obiectionem. Prior est quam Suarez *to. 3. disput. 33. sect. 1. dicto 4. propugnat*, balsamũ necessarium esse necessitate sacramenti. Posterior vero quam Greg. à Valen. loco citato defendit est, balsamum necessarium esse tantum necessitate præcepti siue Ecclesiastici, siue etiam Christi: itaut illius omissione, crimen quidem committatur: non ideo tamen sacramentum censendum sit nullum. Quicquid autem sit in speculatione, certum est in praxi eam admixtionem nullo modo esse omittendam, tum propter cætera quæ vrget bene Suarez: tum etiam propter ante relatum Concilij Florent. decretum, ac propter nunquam in Ecclesia intermissam consuetudinem admiscendi oleo balsamum in materia huius sacramenti. 9.

Si rursus quæras, An ex quouis oleo & balsamo fieri possit chrisma? Respondetur communem Ecclesiæ vsum satis ostendere quod oleum debeat esse oliuarum. De balsamo autem, cum præter Orientale ex Palestina, iam habeatur Occidentale ex India: constare ex Summorum Pontificum Pauli tertij & Pij quarti declaratione. (*cuius ibid. ad 3. meminit Suarez*) sufficere posse illud quod ex India defertur, etiãsi forte diuersæ speciei sit ab alio; quia non est fictitium, neq; adulterinum, sed naturale & verum: vtpote quod, *licet colore differat*, in flagrantia boni odoris, & in aliis proprietatibus atque effectibus tantam habet conuenientiam cum illo alio, vt simpliciter & absolute balsamum dici possit; atque adeo iudicari aptum ad sacramentum confirmationis. Sicut propter similem rationem, vinum album, etiamsi à rubro differat colore, ac forte etiam specie: quia tamen vinum est simpliciter, censetur apta materia sacramenti Eucharistiæ. 10.

Aduerte obiter, *quod Suarez subiicit*, balsamum in modica quantitate admisceri oleo; quia de natura materiæ huius sacramenti non est vt secundũ omnes partes sit mixta ex oleo & balsamo: sed vt tota sit odorifera, *quod maxime pertinet ad significationem*, sicut fieri potest per mutuam alterationem secundum qualitates. 11.

Si demum quæras, An sit necessarium necessitate sacramenti, an solũ necessitate præcepti, vt chrisma benedicatur ab Episcopo, itaut sacramentum administratum cum chrismate benedicto tantum à Sacerdote, reputari debeat inualidum? Respondetur id in speculatione magnam difficultatem habere, alijs affirmantibus necessarium esse necessitate sacramenti, aliis idem negantibus (*quos posteriores sequitur Greg. à Valen. sub finem citati puncti secundi, priores vero, Suarez in sequenti sect 2.*) remque esse quæ definitionem Ecclesiæ requirere videatur. Quoad praxim vero certum est ex citato decreto Concilij Florentini, & ex perpetuo Ecclesiæ vsu, non alio chrismate, quam benedicto ab Episcopo vtendum esse in confirmationis collatione. Aduerte vero obiter pro ipsa praxi, necessarium esse necessitate præce- 8.

CAPVT II.

De materia Confirmationis, ac primo de remota.

SVMMARIVM.

6 *Materia remota confirmationis est chrisma: quod an de necessitate sacramenti debeat habere oleo admixtum balsamum.*

7 *Ex cuius olei & balsami admixtione constare debeat, & cur modicum balsami sufficiat.*

8 *An necessarium sit necessitate sacramenti, vt chrisma sit benedictum ab Episcopo.*

9 *Materia confirmationis propinqua, est vnctio baptizati, ab Episcopo facta ex chrismate, &c.*

pti, non

pti non tamen necessitate sacramenti, chrisma sit nouum illius anni, & vetus exuratur, ex cap. Litteris De consecrat. dist. 3. & ex cap. Si quis de alio, dist. 4. sequenti.

RELIQVA PARS CAPITIS.

De materia Confirmationis propinqua.

MAteriam confirmationis propinquam summorum Pontificum, Conciliorum, & Patrum authoritate Bellarm. *in citato libro de confirmatione cap. 8. propos. 4. tradit* esse vnctionem chrismatis, ad crucis figuram in fronte baptizati factam. Qua de re plenius Suarez *disput. 33. sect. 3.* Vbi vnctionem esse chrismatis bene ex eo probat: quod materia propinqua sacramenti sit actualis vsus materiæ remotæ, circa eum qui sacramentum recipit. Vnde sicut in baptisma materia propinqua est ablutio; ita & in confirmatione, erit chrismatis vnctio. Atque quod ea fieri debeat ad figuram crucis idem probat, tum aliunde, tum ex communi Theologorum sententia: & ex forma essentiali huius sacramenti, qua talis materia verbis exprimitur. Illa enim est, Signo te signo crucis, & cõfirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quodq; demum fieri debeat in fronte cõstat ex fine, siue ex primario huius sacramẽti effectu; qui est Spiritus sanctus datus ad robur, vt Christianus audacter nomen Christi confiteatur. Ideo enim *vt habet Concil. Florent. instruct. Armen.* in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, nec Christi nomen confiteri erubescat: & præcipue crucem eius, quæ Iudæis est scandalum, Gentibus autem stultitia: propter quod crucis signo signatur.

9.

Vnde pro praxi colligi potest, sicut ad baptismum, tantum aquæ requiritur & sufficit, quantum sat esse potest ad ablutionem: sic etiam in hoc sacramento tantum chrismatis requiri & sufficere, quantum esse potest ad vnctionem in figura crucis faciendam in fronte eius qui confirmatur. De quo in ead. sect. 4. Suarez Consequenter ex pontificali Romano addens, talem vnctionem debere fieri, pollice dexteræ manus Episcopi intincto chrismate: idque necessarium esse necessitate præcepti: cum res sit grauis, seruata in Ecclesia, & præscripta in ritu administrandi hoc sacramentum. Non esse vero necessarium necessitate sacramenti: itaut sacramentum non debeat censeri nullum, si contingat eiusmodi vnctionem fieri alio digito. Secus esset autem, si ea fieret penicillo aut alio simili instrumento; quoniam cum aliqua impositione manuum administrandum est hoc sacramentum.

10.

Quæ minimum est illa qua vnctio ipsa perficitur: & de qua Bellarm. *in cit. cap. nono, non longe ab initio*, & Suarez *in sequenti sect. 4.* dicunt intelligi posse, illam impositionem manus, cum qua in Actis Apostolorum cap. 8. & 19. datus est Spiritus sanctus. Nec obstat quod in citato Concilo Florentino dicitur loco manus impositionis Apostolicæ, dari in Ecclesia confirmationem. Nam, vt Suarez ibidem circa medium ait, verba ea possunt sic accipi, vt significent, non quidem sacramentum, quod in Ecclesia nunc datur, diuersum esse substantialiter ab eo, quod datum est ab Apostolis: sed quod etiamsi Episcopi confirmantes, id nunc faciant vngendo, quod tunc Apostoli imponendo manus: non faciant tamen cum tanta spiritalium effectuum & gratiarum excellentia.

11.

Quamuis autem non desint, qui intelligant eam manum impositionem factam esse simpliciter ab Apostolis sine vnctione (*eorum meminit Suarez in eadem sectione non procul ab initio*) tamen quia loca ex Actis Apostolorum ante memorata, Catholici ad hoc sacramentum solent accommodare: possumus retinere allatam interpretationem impositionis manuum de facta cũ vnctione, quandoquidem simplex manuum impositio sine vnctione, non est Confirmationis sacramentum, sit patet ex antedictis: & confirmat receptus in Ecclesia vsus illud conferendi. Neque si concedamus factam ab Apostolis manuum impositionem fuisse simplicem, & nihilominus habuisse effectum, cuius antea meminimus roborandi: ideo compellemur recedere à nostra sententia: quia tenere poterimus, quod Suarez habet *in eadem sect. 4. sub finem*: illud non fuisse factum iuxta legem & institutionem sacramentorum, sed præter illam ex speciali commissione vel dispensatione Christi. Ideoque signum illud simplicis impositionis manuum, non fuisse verum Confirmationis sacramentum quoad substantiam, sed tantum quoad effectum: qui sicut per sacramentum Confirmationis ita & sine eo produci potuit Dei virtute: prout patet ex eo quod Apostoli induti sint virtute ex alto, Actorum 2. itemque illi qui in domo Cornelii centurionis (etiam ante susceptum baptismum) audierant D. Petrum prædicantem ex sequenti cap. 10. Videri potest in eadem sect. 4 Suarez.

CAPVT III.

De forma Confirmationis & eiusdem accidentibus seu ceremonijs.

SVMMARIVM.

12 *Forma sacramenti confirmationis: & quod in ea debet fieri inuocatio sacrosanctæ Trinitatis.*

13 *Non est necesse eam proferri verbis indicatiui modi.*

14 *Vt vncti fiat in fronte est necessaria confirmationis conditio, quantumcumque ea non exprimatur in forma.*

15 *Inter ceremonias confirmationis quatuor sunt quæ eadem antecedunt.*

16 *Octo quæ eam comitantur: vel sequuntur.*

CONFIRMATIONIS formam Concil. Floren. in instruct. Armenorum decernit esse eam, cuius ante num. 9. meminimus, Signo te signo crucis & confirmo te chrismate salutis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Circa quam notandum est primo eam esse constitutiuam essentiæ huius sacramenti. Ad quod proinde nulla alia potest sufficere, nisi ei in sensu æquiualeat. De qua re plenius Suarez disput. 33. sect. 5. 12.

Notandum est secundo, in ea cum expressione actionis sacramentalis, seu materiæ propinquæ (de qua in præced. cap. parte posteriore) coniungi inuocationem sanctissimæ Trinitatis: quia sacramentum istud perfectio quædam est baptismi (prout dictum est à Melchiade Papa in epist. ad omnes Hispaniæ Episcopos, quæ habetur in tomo 1. Conciliorum) conferens baptizato robur ad standum in fide quam professus est in baptismo. Etenim sicut ad Imperatorem spectat, non solum signare militem, sed etiam armis competentibus eum instruere: ita etiam consentaneum fuit Christum Dominum per baptismum nos adscribere militiæ suæ: & per Confirmationem dare adiumentum militiæ. Item sicut parens magnas facultates pupillo relinquens, ei statim prouidet de tutore: ita in hoc sacramento consentaneum fuit baptismo regeneratis dari Paraclitum, vt sit eis custos, consolator & tutor: prout memoratus Pontifex loco citato argumentatur.

Hinc igitur est, cur in administratione confirmationis perinde ac baptismi fiat expressa inuocatio sanctissimæ Trinitatis, nempe quod sicut in baptismo fit professio fidei: ita & in confirmatione robur detur, *non obstantibus hostium impugnationibus*, persistendi in eadem professione fidei: inter cuius mysteria, illud Trinitatis præcipuum est, & cæterorum fundamentum. Adde, quod sit etiam causa præcipua roboris spiritalis, quod datur in Confirmationis sacramento: finis item, ad quem idipsum ordinatur, sit vt homo ipsi sanctissimæ Trinitati adhæreat inseparabiliter.

Notandum tertio, non esse necessario proferenda prædicta verba in præsenti indicatiui modi, Signo te, &c. satis enim esse, si dicatur per modum precationis: nempe Signa illum Domine signo crucis: vel, signet te Deus sigillo fidei suæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quod etiã notat Suarez *in cit. sect. 5. non longe à fine.* Et ratio est, quia nihil interest, an actio sacramentalis exprimatur in actu sacramentali secundario, qui exercetur à ministro: an in primario, qui exercetur à Deo. Quod confirmatur per ea quæ in præced. lib. c. 4. sectione posteriore dicta sunt, de forma 13.

baptismi

baptismi, quæ ob paritatem rationis possunt ad formam Confirmationis accomodari.

14. Notandum est quarto, quod etsi in propositis verbis nõ exprimatur sacramentalis vnctionis conditio qua fieri debet in fronte (*sicut exprimitur ea, quæ fieri debet ad figuram crucis*) illam tamen, sicut hanc, esse in praxi necessario seruandam. Quæ necessitas indicatur in cap. Nouissime, De consecr. dist. 5. cum vnctio chrismatis, qua ab episcopo inungitur baptizatus, distinguitur tanquam per propriam differentiam, ab ea qua idem inungitur à Presbytero; quod illa fiat in fronte, & hæc in vertice capitis: vnde licet colligere, quod non magis perficeretur hoc sacramentum, si in alia parte vnctio chrismatis ab Episcopo fieret, quam si Extrema vnctio à Sacerdote conferretur, inungendo alia membra, quam quæ in Rituali ecclesiastico determinantur. De quibus in sequenti tractatu.

15. Quod attinet ad sacramenti confirmationis accidentia seu cæremonias (*de quibus Bellarm. in eodem lib. De confirmatione cap. vltimo, & Suarez in sequenti disput. 37.*) notandum est quatuor esse, quæ ante collationem confirmationis adhibentur in consecratione chrismatis. Prima est, vt benedicatur balsamum per orationes & signum crucis. Secunda, vt benedicatur oleum per orationes & signum crucis. Tertia, vt Episcopus aliquoties habet super ampullam chrismatis. Quarta, vt chrisma iam confectum salutetur ab Episcopo & Presbyteris his verbis, Aue sanctum chrisma. Quas cæremonias contra calumnias hæreticorum, defendunt memorati authores. Nobis sufficit esse in Ecclesia passim visitatas.

16. Octo vero cæremonias esse Bellarm. meminit, quæ præter essentialem, de qua prius dictum est, in collatione Confirmationis, aut post eam adhibentur. Prima est, vt susceptor seu patrinus adsit: de quo nonnulla præscribuntur, quæ videre potest qui volet apud Syluestrum in verbo Confirmatio diuina, in fine: & addere ex D. Tho. 3 *par. quæst. 72. artic. 10 ad 3.* nihil referre siue masculus sit, siue fœmina qui in confirmatione suscipit, iuxta illud ad Coloss. tertio, In Christo Iesu, non est masculus nec fœmina. De affinitate spirituali quæ inde contrahi censetur, dicetur suo loco, cum de matrimonio.

Secunda est, vt dicantur ab Episcopo variæ preces super confirmandum, tam ante, quam post sacramenti collationem. Tertia, vt ab Episcopo pax confirmato detur in signũ acceptæ gratiæ Spiritus sancti; cuius effectus pax est. Quarta, vt Episcopus confirmatum leuiter manu cædat, vt intelligat se ad ignominiam crucis, & verbera pro Christo sustinenda paratum esse debere. Quinta, vt ligetur frons fascia, ne chrisma diffluat: quæ quandiu gestanda sit, indicandum est ex consuetudine recepta, & ex necessitate expectandi donec chrisma exsiccatum sit, iuxta ea quæ Suarez tradit *loco cit. sect. 2. condit. 7.* Sexta vt ad septem dies non lauetur caput seu frons. Septima vt in sabbatho Paschæ & Pentecostes detur confirmatio sicut & baptisma, cui adiungitur ad perfectionem & gratiæ incrementum. Octaua, vt à ieiunio & expiato à peccatis accipiatur, ex cap. Vt ieiuni: itemque detur, ex cap. Vt Episcopi De consecr. dist. 5. In quibus tamen duabus postremis conditionibus postea facta est mutatio; in priore quidem quoad tempus: in posteriore vero quoad ieiunium, quemad. notat D. Tho. 3. *p. q. 72. art. 12. ad 1. & 2.* Addens ad tertium, congruum tempus conficiendi chrismatis esse diem Cœnæ Domini. De quare plura Suarez *in citata disput. 37. sect. 1. in quinta cæremonia*: sicut & de oleo ac vase, in quo confici debet: quem confecturo relinquemus videndum.

Obiter autem monendum occurrit, quo tempore conficitur chrisma, Parochos debere ad illud sibi comparandum mittere, ex cap. Omni tempore De consecr. distinct. 4. nec ipsos posse vti alio in sua Ecclesia, quam consecrato à proprio Episcopo loci, ex cap. Presbyteri eadem distinct.

CAPVT IV.

De ministro confirmationis; deque eam suscipientibus.

SVMMARIVM.

17 *Ordinarius cõfirmationis minister est Episcopus consecratus.*
18 *Extraordinarius ex commissione Papæ, potest esse Sacerdos.*
19 *Nulli non Sacerdoti potest tale ministerium committi.*
20 *Quicumque Episcopus est minister sufficiens ad validitatem huius sacramenti.*
21 *Quando contingat Episcopum peccare respectu istius ministerij sui.*
22 *Omnis baptizatus capax est suscipiendæ Confirmationis, ante baptismum vero susceptum, nullus.*
23 *Quo tempore Confirmationem pueris baptizatis conferri conueniens sit.*
24 *Nullus ordo, immo nec prima tonsura, suscipi debet ante confirmationẽ, etiam si contra facere, non sit mortale de se.*

DE ministro confirmationis satis fuse Suarez, *disput. 36.* Quid tenendum sit aliquot propositionibus indicabimus.

Prima est: Ordinariũ ministrum cõfirmationis esse Episcopum consecratum. Pro qua varios authores refert Greg. à Valent. *to. 4. disput. 5. quæst. 2. puncto 1.* eamque late aduersus hæreticos propugnat Bellarm. *lib. De confirm. cap. 12.* & variis authoritatibus atq; rationibus stabilit Suarez *loco cit. sect. 1.* Sed sufficit nobis quod sit tenenda tanquam de fide, vtpote quæ definita est in Concilio Florentino in instruct. Armenorum, & in Concil. Triden. sess. 7. De confirm. can. 3. & sess. 23. cap. 4. & can. 7. Quibus adde canones qui habentur, De consecrat. dist. 5. in principio. Adde & Ecclesiæ consuetudinem receptam, iam inde à temporibus Apostolorum, vt colligitur ex cap. 8. & 19. Actorum, vbi leguntur Apostolos cõfirmasse ab aliis baptizatos. Quod fecisse tanquam Episcopos communis Ecclesiæ consuetudo interpretata est. Qua de re Suarez pluribus *in citata disput. 36. sect. 1. dicto 2.*

Secunda proposito est: Posse simplicem Sacerdotem hoc sacramentum ministrare ex commissione Papæ. Hæc quoque vt certa tenenda est per decretum Concilij Florent. in citata instruct. Armenorum: quo Episcopus ita statuitur huius sacramenti minister, vt simul approbetur, quod aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili & vrgẽte admodũ causa, simplex Sacerdos chrismate per Episcopum confecto, administrarit hoc ipsum confirmationis sacramentum. Cuius dispensationis exemplum habetur ex D. Gregorio in cap. Peruenit *dist. 95. De quo late Suarez in sequenti sect. 2.* Satis erit notare quod habet Greg. à Valen. loco cit. vtrũq; esse ex institutione diuina; & vt Episcopus sit huius sacramenti minister ordinarius, ac in potestate propinqua per Episcopalem consecrationem suam: & vt Presbyter per characterem & ordinem suum sacerdotalem, sit extraordinarius minister, ac in potentia tantum remota: vtpote qui requirit dispensari secum à Summo Pontifice ex plenitudine suæ potestatis, ob necessitatem; cui Christus instituens hoc sacramentum, voluerit esse consultum. Quandoquidem conueniens fuit, vt in absentia Episcopi, fideles non carerent omni commoditate obtinendi istud sacramentum, & habendi sufficientem illius ministrũ. Ad quod facit quod certum sit, ratione necessitatis ex Christi institutione, ministros baptismi dari non tantum ordinarios, sed etiam extraordinarios aliquos pro casu necessitatis, etiam laicos. Vnde sicut aliquis horum; in tali casu baptizans, non agit contra, sed secundum diuinam institutionẽ: ita nec simplex Sacerdos in simili casu ex dispensatione Papæ conferens confirmationem, prætergredietur Christi institutionem, sed illam exequetur: vt bene ait Gregor. à Valent. subiungens aliquos contrarios errores, post Sotum *in 4. distinct. 7. quæst. vnica art. 11.* qui eos bene referat.

Tertia propositio est: Nulli clerico, neq; laico posse hoc ministerium committi, præterquam Sacerdoti: nec ab alio, quam à Summo Pontifice ex causa rationabili. Hanc

ex D.

ex D. Thoma approbatam ab alijs, tradit & abunde confirmat Suarez *in cit. sect.* 2. Sufficiet fundamentum illius attigisse. Nempe, quod in ijs quæ sunt iuris diuini, absolute & simpliciter dispensari non possit, nisi iuxta modum & mensuram ipsomet iure diuino statutam & concessam. Ius autem ministrandi hoc sacramentum, sit diuinum; lege ordinaria concessum solis Episcopis. Pro quo post Innocentium in cap. vnico De sacra vnctione §. penultimo, Concilium Florent. loco cit. in argumentum adfert, quod de solis Apostolis (*quorum vicem tenent Episcopi*) legatur Actorum 8. & 19. quod per manus impositionem Spiritum sanctum darent: atque loco illius impositionis manus, Confirmatio detur in Ecclesia. Ex alterius vero commissione, quam Summi Pontificis; vel alteri, quam Sacerdoti facta: tale ius concedi posse Christi institutione, nulla traditio vel vsus communis Ecclesiæ ostendit. Vnde non videtur esse asserendum: præsertim cum constet, quod si alius quam Episcopus absque Papæ commissione confirmaret, sacramentum sit nullum, ex cap. Manus, De consecr. distinct. 5. & cap. Quanto, De consuetudine.

10. Quarta propositio est: Quemcumque Episcopum vere consecratum, sufficientem ministrum esse huius sacramenti, etiamsi hæreticus sit, excommunicatus, aut degradatus: itaut Ecclesia nequeat facere, quin sacramentum Confirmationis, ab eo datum sub debita materia & forma, ac intentione, sit validum, etiamsi peccet illud administrando. Hanc quoque late persequitur Suarez *in ead. disput.* 36. *sect.* 2. Sed nobis quoque sufficiet fundamentum attigisse: nempe, quod Episcopus institutione Christi sit ordinarius huius sacramenti minister: neque ex eo quod hæreticus sit, aut aliter ab Ecclesia præcisus, desinat vere Episcopus esse, cum Episcopalis consecratio delebilis non sit; sicut nec est iterabilis. Consequenter ergo erit de se verus Confirmationis minister, tanquam non priuatus ordine neque charactere, sed solum vsu illius legitimo.

11. Cæterum cum ad pastoralem, quam Episcopus debet gerere curam ouium suarum, spectet huius sacramenti diligens administratio (propter necessitatem scilicet, qua ex cap. Spiritus sanctus, De consecr. dist. 5. in hoc mundo victuris tota ætate inter inuisibiles hostes, & pericula gradiendum est) mortaliter peccat Episcopus ille qui multo tempore negligenter talem administrationem omittit, *ex Angelo in verbo Confirmationis sacramentum* §. 1. *& Sylu. in verbo confirmatio diuina, quæst.* 2. Quod pariter dicendum est de administrante indigne: siue per omissionem aliquam substantialium culpabilem, siue per notabilem irreuerentiam, qua administrat sine interiori dispositione, & sanctitate debita; aut non seruata circunstantiarum solemnitate, requisita ad tantum sacramentum. Quod etsi non est ad salutem absolute necessarium sicut baptismus, est tamen dignitate maius illo, magisque venerandum, ex cap. De his, De consecr. dist 5. Adde etiam, quod ex Palud. & Sylu. habet Suarez *in fine disp.* 38. peccare quoque grauiter, confirmantem in sua diœcesi eos qui sunt alienæ, aut in aliena diœcesi illos qui sunt suæ, nisi ad id acceperit facultatem: quia illegitima esset talis administratio huius sacramenti, & dissidiorum fomes, ideoque graue peccatum. Propter quod tamen non incurreret ipso iure censuram, aut irregularitatem aliquam: quia id non inuenitur in iure expressum.

RELIQVA PARS CAPITIS.

De suscipientibus Confirmationem.

DE his etiam quid sit tenendum, aliquot propositionibus declarabimus.

22. Prima est: Omnem hominē baptizatum capacē esse Cōfirmationis. Hæc patet ex cap. Omnes fideles. De consecr. dist. 5. Et confirmatur, quia omnes baptizati adscripti sunt militiæ Christi, in qua ad pugnandum opus habēt roborāte ipsos Spiritus sancti gratia à Christo sine determinatione certarum personarum, fidelibus suis promissa. Quæ gratia cū sit effectus huius sacramenti: eiusdem capaces erunt omnes baptizati, seu adulti, seu infantes, seu viri, seu fœminæ, seu sani, seu ægri, & sic de cæteris. Nec obstat quod aliqui ex baptizatis nō sunt apti ad talem pugnā; vt infantes, & amentes, qui expertes sunt rationis. Nam etiam ipsi apti sunt vt armentur ad pugnam, & vt per characterem consignentur in milites Christi: atque vt perfectionem, seu augmentum gratiæ habitualis recipiant: quod quidem est ipsos capaces esse huius sacramenti, ac effectus illius. Quo effectu ipsos fraudari non est consentaneum: vt nec constitutos in articulo mortis. Videri potest Suarez disput. 35. sect. 2.

Secunda propositio est: Baptismo carentem non esse capacem Confirmationis. Hanc authoritatibus & rationibus probat Suarez, *in eadem disput. sect.* 1. Satis nobis est, quod baptismus sit ianua aliorum sacramentorum: itaut nemo sit eorum capax, nisi baptizatus. Sic enim Ordo collatus ante baptismum non est sacramentum, ex cap. 1. & vlt. De presbyt. non baptizato. Accedit quod iuxta ante dicta Confirmatio perficiat baptizatum: & per consequens, illum præsupponat vt perfectibilem. 23.

Tertia propositio est: Non expedire pueros confirmari ante vsum rationis. Ratio est: quia hoc sacramentum non fuit institutum tanquam necessarium ad salutem; sed ad conferendum robur in pugna aduersus hostes, quibus in baptismo abrenunciamus: mundum, *inquam* carnem, & dæmonem: cuius pugnæ, vt iam diximus, homines ante vsum rationis non sunt capaces. Et sic consuetudo obtinuit, vt ante eundem vsum confirmatio non conferatur. Id quod cæremonia illa exiget, qua Episcopus confirmatum leuiter cædit, vt intelligat se ignominiam & tormenta pro Christo pati debere: nihil enim tale intelligere potest, qui nondum habet rationis vsum.

Si quæras in qua ergo ætate debeat puero sacramentum hoc conferri? Aliqui respondent, exigendam esse ætatem duodecim annorum: alij vero septem annorum. Vtrosque commemorat Suarez *in sequenti sect.* 2. Posteriorum autem, qui plures sunt & nobiliores, responsio præferenda videtur: tum ob rationes quas idem Author adfert, tum quia in eadem ætate septem annorum, dari potest prima tonsura, vt per aliquot iura tradit glossa ad cap. vltimum verbo infanti, De temporibus ordinat. in 6. Tunc quia illucescente rationis vsu, expedit non multum differre hoc sacramentum, sed puerum innocentē præmuniri tanto auxilio, antequam grauiter peccare incipiat. Quamquam, vt addit Suarez, ob aliquam grauem causam conueniens esse posset, vt vel tempus illud anteuerteretur, vel aliud longius expectaretur; quod relinquitur prudentis arbitrio.

Quarta propositio est: Neminē debere vllum ordinem: immo nec primam tonsuram suscipere, qui non sit confirmatus. Hæc habetur ex Concilio Trid. sess. 23. cap. 4. De reform. Quamquam ex Soto *in 4. dist. 7. quæst. vnica art. 8. propos. 3. & dist. 24. quæst. 1. art. 4. sub finem*, & Nauar. in Enchir. *cap. 22. nu. 9.* qui secus faceret non peccaret mortaliter, quia nec Concilium ipsum Trident. in prohibet sub alia censura, aut alia forma quæ obligationem ad mortale indicet. solumque est indecentia quædam: neque omissio Confirmationis secluso contemptu, vt postea dicetur, peccatum est de se mortale. 24.

CAPVT V.

De præcepto suscipiendi Confirmationem.

SVMMARIVM.

25 *Magna quidem varietas est opinionum de difficultate, An susceptio Confirmationis sit in præcepto: sed non esse, probabiliter teneri potest.*

26 *Obiectiones in contrarium cum solutionibus.*

27 *Quatenus peccetur omissione Confirmationis.*

MAGNA controuersia est inter Doctores, num fidelibus baptizatis impositum sit siue à Christo, siue ab Ecclesia præceptum suscipiendi Confirmationis sacramentum. De qua Suarez *disput.* 38 *sect.* 1. refert quatuor sententias diuersas, ac bene illas ponderans amplectitur eam quæ negat esse tale aliquod præceptū, quia nullum habetur, non modo ex Scriptura sacra, sed nec ex traditione. Nam quod Sancti Patres aiunt sacramētū hoc requiri ad plenitudinem 25.

seu perfectionem hominis Christiani: vel vt quis simpliciter Christianus dici possit: intelligendum est de plenitudine abundantiæ, qua quis non modo Christi miles est, & verus Christianus: sed etiam Christianus ad pugnam abundanter roboratus: non vero de plenitudine sufficientiæ, seu necessariorum ad constituendum aliquem sufficienter in esse hominis Christiani: quia per baptismum talis plenitudo habetur.

26. Neque est quod quis obiiciat, sacramenti huius institutionem esse à Christo, non enim aliquid est in præcepto positum eo ipso quod institutum sit à Christo, vt patet de lauatione pedũ & de consiliis Euangelicis. Nec itẽ est quod quis obiiciat eiusdem sacramenti finem: perseuerantiam, inquam, in fide, & obsequio Christi: Nam etsi idipsum sacramentum sit ad talem finem valde vtile, non est tamen necessarium: cum sint alia media ad illum consequendum: vt oratio, & aliorum bonorum operum exercitium. Nec demum est quod obiiciat quis communem Ecclesiæ vsum: non enim solent communiter fideles ad hoc sacramentum suscipiendum induci, tanquam obligati necessitate impositæ: sed tanquam inuitati ad id quod est ipsius valde bonum & vtile. Vnde nullis censuris adstringi solent, neque vrgeri aliis mediis indicantibus necessitatem impositam. Nec etiam procuratur, vt in articulo mortis constituti illud suscipiant, si nondum susceperint: quod fieri omnino deberet si de suscipiendo datum esset præceptum diuinum. Ipsum enim saltem pro eo tempore obligaret, idque sub mortali, quandoquidem esset de re graui. Nec item esse datum præceptum mere Ecclesiasticum, ex eo patet, quod Ecclesia in materia sacramentorum, non soleat vsum præcipere quoad eius substantiam, sed solum determinare tempus in quo is exercendus sit. In vsu autem huius sacramenti, nullum tempus determinauit.

27. Ex his (quandoquidem peccatum non est sine præcepti transgressione) consequens est, quod D. Thomas satis aperte indicat *quæst. 72. art. 8. ad 4* & citatis pluribus aliis habet loco citato Suarez: non esse de se peccatum mortale, sacramentum istud ex negligentia aut verecundia, secluso contemptu, omittere, etiam toto vitę tempore. Ex accidenti autem, *addit idem*, tum veniale tum mortale peccatum esse potest. Veniale quidem eo nomine, quod talis omissio censeatur irrationabilis quædam prodigalitas spiritualis, & quædam temeritas in adeundo certamine fidei sine tali adiumento. Mortale vero ratione contemptus, si quis pro nihilo ducat hoc sacramentum, aut effectum illius, aut vile vel puerile existimet se illi subiicere. Item ratione scandali, si quis ita se gerat publice, vt aliis exhibeat speciem contemptus. Ac demum ratione conscientiæ, si quis persuaderet sibi, se non posse sine hoc medio, tentationem contra fidem vincere, aut se in mortali periculo esse, ne in tormentis superetur destitutus tali auxilio, illudque negligat: nihilominus.

CAPVT VI.

De effectibus Confirmationis, ac dispositionibus requisitis ad eorum consecutionem.

SVMMARIVM.

28 *Effectus confirmationis, specialis gratia sacramentalis & character.*

29 *De modo quo in hoc sacramento per se, & ex ipsius institutione datur gratia.*

30 *De modo quo detur ex accidenti.*

31 *In susceptione eiusdem sacramenti auxilium Spiritus sancti, quo modo detur.*

32 *De charactere: quod non possit iterari in eodem homine, siquis iterare tentet quis, nihil faciat grauiterque peccet, non tamen fiat irregularis.*

33 *Dispositiones ad eorundem effectuum productionem requisitæ.*

34 *Ignorantia peccati non sufficit sine pœnitentia: quam nec sufficit attritionem esse, nisi bona fide existimetur contritio.*

35 *Is qui existimat se non esse contritum, debet confiteri ante susceptionem huius sacramenti. Et quod distractio cõtingens in eadem susceptione, non impediat de se illius effectum.*

DVPLEX est effectus sacramenti Confirmationis: vnus, conferre aliquam gratiam sanctificantem, vltra eam quam confert baptismus: nam est vere & proprie sacramentum, ex Concil. Trid. sess. 7. can. 1. De Confirm. ipsumque à baptismo distinctum, iuxta can. 1. & 3. De sacram. in genere; eadem sess. Quare confert gratiam ex sequenti can. 6. eamque distinctam ab illa quam baptismus confert: prout satis indicatur verbis illis in cap. Spiritus sanctus, De consecr. dist. 5. In baptismo regeneramur ad vitam, post baptismum cõfirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur, post baptismum roboramur. Accedit ratio quia oportet vnum quodque speciale sacramentum ad proprium finem ordinari, & specialem gratiam tali fini accommodatam conferre, qualis est quoad hoc sacramentum, specialis Spiritus sancti protectio, & auxilium ad veram fidem constanter tenendam, & profitendam. Alter effectus est character, hoc est, spirituale quoddam & indelebile signum, quod susceptione confirmationis in anima imprimi definitur à Concilio Florent. in Instruct. Armenorum, & in Concil. Trid. sess. 7. De sacram. in genere can. 9. De his suo more late Suarez, *disput. 34.* 28.

29. Sed sufficiet de priore notare ex sententia D. Tho. *3 par. quæst. 72. art. 7. ad 2.* in hoc sacramento per se, & ex ipsius institutione, non dari gratiam, nisi secundum augmentum. Ratio est, quam habet Suarez *sect. 2. dict. 2.* quod sola ea sacramenta ex sua institutione conferant primam gratiam, quæ instituuntur ad peccata remittenda: quandoquidẽ peccatum mortale siue gratia non excluditur ab anima, neque ipsum potest cũ illa in hac manere, taliaque sacramenta tãtum sunt duo *quæ sacramenta mortuorum ea de causa dicuntur*, nempe baptismus, qui solus ex sacramentis instituitur ad remissionem peccati originalis, & actualium ante ipsum commissorum; atque pœnitentia, quæ est solum sacramentum de se institutum ad tollenda peccata mortalia post baptismũ commissa, vt patet ex doctrina quæ de ea datur à Concil. Trid. sess. 14. præsertim cap. 1. & can. 1. & 2. Quæ cum ita sint, relinquitur, confirmationem ex sua institutione, tanquam vnum ex sacramentis viuorum, conferre tantummodo gratiæ augmentum, non autẽ primam gratiam; qua scilicet ex iniusto iustus: tanquam ex mortuo viuus efficiatur. 29.

30. Per accidens tamen fieri potest, vt talem quoque gratiam conferat: nempe, *vt D. Thom. loco cit. addit*, quando alicui eam suscipienti, aliquod peccatum mortale quo maculatur, non venit in mentem, vt de eo doleat; vel si in mentem veniat, de eoque doleat, non tamen per contritionem perfectam, sed solum per attritionem. Tunc enim sacramentum supplet defectum illum, nisi in consideratio ea inexcusabilis esset, aut in suscipiente vigeret adhuc aliquis affectus peccati mortalis, excludens firmum propositum non peccandi de cætero. De eodem affectu dubium moueri solet, an eiusmodi gratia sit maior ea, quæ datur per baptismum. Cuius tractationem tanquam speculationis scholasticæ relinquemus videndam satis plenam apud Suarezium *in eadem sect. 2.* 30.

31. Non est vero tacendum quod idem ibid. in fine monet: effectum auxilii Spiritus sancti, ipsa Confirmationis collatione dari in sua radice: tanquam iure accepto ad illud: ipsa autem temporibus opportunis, iuxta diuinæ sapientiæ dispositionem, dari consentaneum fini istius sacramenti, hoc est corroborationi ad fidem veram tenendam ac profitendam. Tuncque vt infallibilliter detur, necessarium esse non apponere obicem peccati mortalis: sicut & idipsum necessariũ fuit; vt in sacramenti susceptione, gratia daretur. 31.

32. De posteriore effectu disputari solet, An talis character sit qualitas noua distincta reipsa à charactere baptismali, vel solum illius quidam modus & perfectio. Sed neque in eo, vt speculationis quoque scholasticæ, necesse est non immorari. Videri potest Suarez. *in cit. disput. 34. sect. 1.* Sufficiet notasse, cum eo ipso effectu coniunctum esse, vt hoc sacramentum nequeat in eodem homine iterari: id quod certum est de fide ex Concilio Floren. in instruct. Armenorum versu Hæc omnia: & ex Concil. Trid. sess. 7. De sacramentis in genere can. 9. Atque si quis tentet idem sacramentum eidem homini iterato ministrare, nihil faciet, graueque sacrilegii peccatum cõmittet. Per quod an irregularitatem 32.

ritatem incurrat difficultas est: cuius partem negantem sequitur Suarez *in disput.38.sect.2.* multique alij quos Georgius Sayrus refert in tom.1. Thesauri casuum conscientiæ *lib.7. cap.8.dub.8* Ratio vero est: quia irregularitas non est ponenda, nisi sit in iure expressa, ex cap. Is qui, De sentent. excom. in 6. Nec vllibi in iure habetur expressum, irregulares fieri iterantes hoc sacramentum.

RELIQVA PARS CAPITIS.

De dispositionibus quas prædictorum effectuum productio requirit in suscipiente Confirmationem.

AD productionem characteris non requiritur alia dispositio, quam quæ ad validitatem ipsius Confirmationis: nempe vt hanc suscipiens iam baptizatus sit; & vt eam suscipiendi intentionem habeat debitam; de qua iudicandum est perinde; ac de ea quam ad baptismi validitatem requiri diximus sub finem præcedentis libri. Ad productionem vero gratiæ, præter duo illa, pœnitentia requiritur in eo qui post baptismum fuerit in peccatum mortale lapsus: quam esse contritionem perfectam, seu talem qua dininæ gratiæ restituamur: ideo necessarium non est, quia nemo posset alioqui tuta conscientia ad hoc sacramentum accedere: cum nemo scire possit an perfecte contritus sit, sicut nec an amore vel odio dignus sit ex c.9. Ecclesiastis. Hanc que esse D. Thomæ sententiam patet per ea quæ ex ipso retulimus in præced. nu.30. & ita notat Suarez, *in citata sect.2.* 33.

Vbi quoque monet solam ignorantiam proprij peccati actualis etiam inuincibilem, non sufficere ad illius remissionem per susceptionem sacramenti, sine aliqua saltem attritione, tanquam pœnitentia. Quam ad remissionem peccatorum actualium necessariam esse patet per illum Domini nostri Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis omnes peribitis. Notat autem eum Soto *in 4. distinct.7. quæst. vnica art.7.* Gregorius à Valent. disput. quinta, quæst.1. puncto 4. (*& Suarez admittit*) attritionem, quæ ad propositum effectum sufficiat, talem esse debere, vt homini sacramentum hoc suscipienti contritio esse videatur: quia cum ex natura & institutione eiusdem sacramenti, prima gratia (ad cuius augmentum per se institutum est) ipsum præcedat: requiritur minimum vt accedens ad idipsum suscipiendum, arbitretur probabiliter se iam recuperasse gratiam per veram contritionem. 34.

Vnde (vt idem à Valentia ex eod. Soto in seq. art. 8. addit) quamuis ad legitime suscipiendum hoc sacramentum non sit necessarium præmitti ei confessionem (*sicut nec ieiunium, etiamsi id deceat iuxta cap. Vt ieiuni De consecr. dist.5.*) tamen cum quis se nouerit solummodo attritum, debebit confiteri: vt vi sacramenti pœnitentiæ existimare probabiliter possit se effectum contritum; quia talem indispositionem suam cognoscens, non potest ad hoc sacramentum licite accedere: quemad. congruenter antedictis Suarez docet *disput.34. sect.2. paulo post medium.* Addit ibidem consequenter Gregor. à Valen. contra Caiet. non esse necessarium ad gratiam per hoc sacramentum acquirendam, *sicut nec per alia sacramenta*, vt mens hominis in ipsa susceptione actu moueatur erga Deum: satis enim esse, vt eiusmodi motus vel tunc sit vel antea fuerit, etiamsi in vsu sacramenti ob humanam fragilitatem mens distrahatur: Dei scilicet bonitate commiserente eidem fragilitati: iuxta illud Psalmi 102. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. 35.

TRACTATVS POSTERIOR.

De sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ vnctionis.

LAte patet tractatio de Pœnitentiæ sacramento, estque instituti nostri peculiariter propria: quam Theologi scholastici instituunt cum Magistro in 4. dist.14. & aliquot sequentibus: ac cum D. Thoma 3.par. à quæst.84. Itemque Canonistæ ad septem distinctiones de Pœnitentia: & ad titulum De Pœnitentiis & remissionibus, atque alij multi quorum non paucos tam antiquiores quam recentiores Henriquez refert in tomo 1. Theologiæ moralis in initio lib.4. qui est primus de pœnitentia. Ad ea autem quæ in prima & secunda parte dicta sunt: restant pauca tantum addenda, de sacramenti pœnitentiæ nomine & definitione, institutione & necessitate. Nam de illius materia, quæ posita est in tribus actibus Pœnitentis illud suscipientis: contritione, inquam, confessione & satisfactione, iam dictum est sufficienter in præced. lib.5.6. & 7. & de illius forma, quæ est sacramentalis absolutio, in sequenti lib.8. & de ministro, qui est Confessarius legitimus, in tribus primis libris, ac de suscipiente, qui est Pœnitens, in sequenti libro 4. De dispositionibus ad talem susceptionem dignam ac validam requisitis, ac de obligatione suscipiendi dictum est in iisdem libris prout occasio se obtulit, permistim alijs. Quæ pertinent ad effectus eiusdem sacramenti (qui sunt remissionis peccatorum, & recuperationis virtutum & meritorum, per peccatum mortale, amissorum) tanquam propria scholastice speculationis, relinquemus sciendi cupidis videnda familiariter simul & copiose tractata apud Greg. à Valent. to.4. disp. 7. quæst. & tribus sequentibus.

Quod attinet ad Extremam vnctionem: de ea tractantes varios authores Henriquez refert in præcedenti lib.3. ante cap.7. Quibus accesserunt Greg. à Valen. in sequenti disput.8. & Suarez tomo 4. disput.39. & quinque sequentibus. Dicemus autem primo de illius nomine, definitione, institutione, & vnitate. Secundo, de illius materia & forma. Tertio, de illius effectu ac de ministro. Quarto, de recipientibus eam: & quinto, de obligationibus circa vsum eiusdem.

CAPVT VII.

De nomine, definitione, institutione, & necessitate sacramenti Pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

36 *Ratio nominis Sacramenti pœnitentiæ.*
37 *Definitio Sacramenti pœnitentiæ.*
38 *Quod pœnitentia sit sacramentum à baptismo distinctum.*
39 *Institutio Sacramenti pœnitentiæ à Christo.*
40 *Sacramentum Pœnitentiæ est simpliciter necessarium ad remissionem peccatorum.*
41 *Obiectio in contrarium cum S. Iurione.*
42 *Cum ob inopiam Confessarij suscipi non potest reipsa, illius votum, etiam tantum implicitum in vera contritione inclusum, sufficere potest ad eamdem remissionem.*

DE nomine Pœnitentiæ Nauarrus in Enchir. prælud. 10. & in prælud. ad distinct. de Pœnitentia num.3. & 4. pluribusque Bellarm. tomo 2. Controuer. in lib.1. De pœnitentia cap.7. & Suarez tomo 4. disput.1. sect.1. cum quo satis nobis est notare, Theologico more pœnitentiam dici dolorem de peccato commisso: congruenter sane etymologiæ nominis: Dicitur enim pœnitentia quasi pœnæ tenentia, iuxta illud D. Augustini, relatum in capite Pœnitentia 2. De pœnitentia distinct.3. Pœnitere est pœnam tenere. Porro pœnæ est, dolorem inferre: quod cum fit in inuito, vt quando pœna infligitur nolenti, ipsum non pertinet ad pœnitentiam, sed ad puram vindictam. Pertinet autem cum idipsum fit in voluntario: iuxta illud quod ex D. Aug. & Isidoro habet Suarez loco cit. pœnitentiam esse pœnam, qua aliquis in se punit quod peccando commisit; vt sicut voluntarie peccauit, ita voluntarie se affligat. Vnde intelligitur pœnitentiam importare quoque culpæ retractationem, doloremve de peccato: atque adeo eam esse actum moraliter bonum: (liquidem non esset alioqui culpæ retractatio) & per consequens esse actum virtutis: quæquidem ipsius quoque nomine appellatur Pœnitentia, seu virtus pœnitentiæ. Quoniam vero eadem retractatio, seu dolor de peccatis, pars est huius sacramenti, cæterarum funda- 36.

mentum, occurrens in illo primo omnium: factum est vt ipsum quoque Pœnitentia, seu sacramentum pœnitentiæ nominaretur.

37. Quod attinet ad definitionem sacramenti pœnitentiæ: ea bona est quam Nauarrus tradit *in Enchir. cap. 22. nu. 11.* quod sit sacramentum absolutionis, quo Sacerdos sibi subditum peccata sua cum iusto dolore & proposito satisfaciendi, legitime confitentem absoluit ab iisdem peccatis. Per quam definitionem ideo manifesta fit natura illius sacramenti: quod (prout patet ex Concil. Triden. sess. 14. cap. 3. & 6.) ea consistat in forma iudicij, in quo peccator gerat personam actoris & rei, cum dolore confitentis aduersum se iniustitiam suam Domino, vt remittat ei iniquitatem peccati sui. Sacerdos vero personam iudicis dantis sententiam absolutiuam, iniuncta salutari pœnitentia, seu satisfactione. Quæ duo, proposita definitio tangit, & aperit.

38. Esse vero sacramentum (quod in definitione ponitur loco generis) copiose aduersus sectarios docent Bellarm. *lib. 1. De pœnitent. cap. 8. & tribus sequentibus*, & Greg. à Valen. *to. 4. disp. 7. quæst. 1 puncto 1.* Qui in sequenti puncto 5. proponit comparationem huius sacramenti cum reliquis, & maxime cum baptismo, ad quem accedit proxime: eo nomine, quod institutum sit ad deleda peccata mortalia post baptismum commissa, ex Concil. Triden. *in citata sess. 14. cap. 2. & can. 2.* Ideoque, prout ibidem additur, recte dicitur secunda post naufragium tabula. Quodquidem memorabilis Gregorius ibidem explicat pluribus. Nihilominus tamen est sacramentum tam in materia & forma, quam in ministro & effectu longe diuersum, vt Concilium Triden. in citato cap. 2. perspicue declarat. Videri potest Bellarm. id aduersus Sectarios defendens, *in sec. 12. 13. & 14. Itemque Suarez to. 4. disput. 17 sect. 1. § Secunda veritas fidei.*

RELIQVA PARS CAPITIS.

De institutione & necessitate Sacramenti Pœnitentiæ.

39. INstitutũ esse à Christo Pœnitentiæ sacramentũ, sicut cętera nouæ legis, certum est de fide ex Concilio Triden. sess. 7. de sacramentis in genere, can. 1. & sess. 14. cap. 1. vbi tempus & locus Euãgelij in quo institutũ est declaratur his verbis: Dominus autẽ sacramentũ pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cũ à mortuis excitatus, insufflauit in Discipulos *Ioan. 20.* dicens, Accipite Spiritum sanctum: quorũ remiseritis peccata remittentur eis, & quorũ retinueritis retẽta sunt. Quo tã insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatẽ remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismũ lapsos, Apostolis, & eorũ legitimis successoribus fuisse cõmunicatã, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit. hæc ibi. Ex quibus intelligitur, Pœnitentiæ sacramentum, cum pendeat ex vsu talis potestatis, tunc institutum esse, cum eadem potestas est data.

40. Porro ex vi eiusmodi institutionis, Pœnitentiæ sacramentum medium esse simpliciter necessarium ad remissionem peccatorum mortalium, in quæ Christi fideles post baptismũ labuntur, habetur ex Concilio Trident. sess. sexta cap. 14. & sess. 14. *cap. 2.* ac clarius in sequenti cap. 2. cum in fine dicitur: sacramentum pœnitentiæ, lapsis post baptismum esse ad salutem necessarium, sicut est nondum regeneratis ipse baptismus: & in c. 5. his verbis: Dominus noster Iesus Christus é terris ascensurus ad cœlos, Sacerdotes suiipsius vicarios reliquit, tanquã Præsides & Iudices, ad quos mortalia omnia crimina deferantur, in quæ Christi fideles post baptismum ceciderunt; quo pro potestate clauium remissionis aut retentionis peccatorum, sententiam pronuncient. Quæquidem verba argumentationem hanc virtute continent. Ex Christi institutione iudicium Sacerdotum medium est necessarium ad remissionem peccatorum mortalium, post susceptionem baptismi commissorum. Ergo est & Pœnitentiæ sacramentum vtpote quod in tali iudicio naturam suam habet constitutam.

41. Quod si quis dicat tale iudicium esse à Christo institutũ, non vt necessarium, sed vt vtile, & sufficiens ad remissionem huiusmodi peccatorum. Occurrendum est: quod cum Christus voluerit tale iudicium non tantum esse remissionis, sed etiam retentionis peccatorum, de necessitate fideles teneantur vti eo medio ad remissionem suorum peccatorum: quandoquidem verba, *Quorum remiseritis remissa sunt*: quæ Christus ipse subiunxit illis, *Quorum retinueritis retenta sunt*: quæ Christus ipse subiunxit illis, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: sensum hunc habent. Quorum non remiseritis, remissa non sunt. De qua re latius Suarez *in memorata disput. 17. sect. 2.*

Atque hinc sequitur periclitantem aperte de vita: & ideo constitutum in necessitate, in qua iure diuino peccatum habens mortale, obligatur vti remedio huius sacramenti: seu sacramentaliter confiteri, cum copiam habet confessarij. Sequitur, inquam, si id non faciat, mortaliter peccare, transgressione præcepti dati de eo, quod in tali casu erat illi vnicum remedium ad iustificationem, æternæque salutis consecutionem.

Cum autem ob inopiam Confessarij, aut ob aliud simile impedimentum non potest quis sacramẽtum hoc suscipere reipsa, votum eiusdem, seu voluntas ipsum suscipiendi, si facultas adfuerit, sufficere potest ad iustificationem, ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 14. & cap. 4. Ratio vero est, quod apud Deum voluntas habeatur pro facto, quando ipsum nequit reipsa præstari. Ea enim de causa voluntates prauæ puniuntur. Accedit etiam quod veræ conuersioni ad Deum per contritionem, promissa sit remissio peccati. Ezech. 18 Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.]

Vbi aduerte ad peccati mortalis remissionem sine sacramento, requiri & sufficere posse contritionem charitate perfectam, non tamen sine huius sacramenti voto, quod contritio ipsa in se includit (*prout constat ex ante memorato c. 4.*) perinde scilicet ac emptio includit promissionem solutionis pretij ob quam dominium, & possessio rei traditur emptori. Sic enim institutum est istud sacramentum, vt ex eo peccati mortalis post baptismum commissi remissio pendeat, sicut dominium rei venditæ pendet ex pretii solutione, prout notat Suarez *in ead. disp. 17. sect. 3. num. 7.*

Qui consequenter inquirit vtrum prædictum votum debeat esse explicitum, seu quo quis actu desideret, ac proponat confiteri: an vero sufficiat implicitum esse: seu quo etsi quis non cogitet de confessione, habeat tamen veram peccatorum contritionem. Atque contra Melchiorem Canum pluribus pro se citatis, tenet sufficere implicitum contentum in contritione, quæ cum sit virtute quoddam propositum implendi omnia præcepta (*vt definitio illius data initio eiusdem cap. 4. indicat, qua dicitur dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*) est pariter recipiendi istud sacramentum: quando insiterit necessitas: cum & id sit in præcepto obligante sub mortali: vtpote dato de re ad salutem necessaria, cuius obseruatio vrgetur seuere in cap. Omnis vtriusque sexus, De pœniten. & remiss. Accedit quod contritio sit ex se sufficiens ad remissionem peccati mortalis, quandoquidem ei tanquam vltimæ dispositioni semper est coniuncta gratia, & charitas. vt satis intelligitur ex verbis Ezechielis, cap. 18. num. 21. & 22. Contritio autem de se non requirit actualem memoriam confessionis de peccatis faciendæ, cum illius natura tota in eo consistat, vt sit dolor & detestatio de peccato commisso cum proposito non committendi de cætero. In quo proposito, *vt iam insinuauimus*, implicitum tantummodo propositum confitendi includi patet: quia explicitum extra illam est vtpote actus ei superadditus, posita memoria confessionis de præcepto faciendæ. Non negauerim tamen istiusmodi memoria contingente, si votum explicitum confitendi negligeretur, id esse argumentum imperfectæ contritionis.

CAPVT OCTAVVM

De nomine, definitione, institutione & vnitate Extremæ vnctionis.

SVMMARIVM.

43 *Vnde dicta sit Extrema vnctio.*

44 *Eiusdem*

44 *Eiusdem definitio.*
45 *Hoc sacramentum non fuit institutum, sed tantum insinuatum Marci sexto.*
46 *Commendatum est & promulgatum Iacobi 5.*
47 *Institutum est à Christo, & quando.*
48 *Quando modo sit vnum.*
49 *Quatenus ipsum sit aut non sit iterabile.*

43. QVOD attinet ad nomen: Datum est hoc sacramentum Extrema vnctio, tum à tempore in quo datur: nempe in extremo vitæ termino, seu homine existente in extremis, tum etiam vt distinguatur ab vnctionibus vsitatis in administratione aliorum sacramentorum: qualis est primo ea, qua baptizatus vngitur in vertice: secundo ea qua vngitur in fronte ab Episcopo conferente sacramentum Confirmationis: tertio, ea qua Sacerdos dum ordinatur, vngitur in manibus: & Episcopus in capite, & manibus dum consecratur. De quibus & aliis in Ecclesia vsitatis, habetur in Decretalibus titulus, De sacra vnctione.

44. Quod attinet ad definitionem, ea est quam habet Nauar. *in Enchir. cap. 22. num. 12.* quo sit nouæ legis sacramentum, quo Presbyter vngit oleo benedicto certas corporis partes infirmi, probabiliter periclitantis de vita, proferendo certa verba cum debita intentione. In qua definitione, pro genere ponitur sacramentum nouæ legis: quod Extremæ vnctioni cum cæteris sex sacramentis commune esse certum est de fide ex cap. 5. epist. D. Iacobi: cuius verba paulo post adferemus: & ex Concil. Florent. in instruct. Armenorum, & ex Trid. sess. 7. De sacramen. in genere can. 1. & sess. 14. in doctrina de Extrema vnctione cap. primo. Quod aduersus Sectarios propugnant Bellarm. *to. 2. in lib. De Extrema vnctione, sex primis capitalibus*: Greg. à Valen. *disput. 8. quæst. 1. puncto. 1.* Reliqua vero locum tenent differentiæ sumtæ ex ijs quæ requiruntur ad eiusdem sacramenti constitutionem, & tractanda sunt in sequentibus capitibus.

45. Quod attinet ad constitutionem, duo de ea docet Concil. Triden. in citato cap. 1. Prius est sacramentum hoc fuisse insinuatum apud D. Marcum in cap. 6. Vbi Christus dicitur misisse Apostolos suos ad prædicandum: & de eiusdem subditur, Et vngebant oleo multos ægrotos, & sanabant.] Quam vnctionem fuisse tantum huius sacramenti præuium signum, seu adumbrationem confirmat Saurez *tomo 4. disput. 39. sect. 1.* aliquot coniecturis. Præcipua videtur esse, quod Apostoli vngendo sanarent multos, atque adeo non solos baptizatos, qui tunc erant pauci: neque alios excluso fuisse à tali beneficio, licet colligere ex eo, quod D. Matthæus in cap. 10. referat Christum, cum Apostolos ad prædicandum mitteret, dixisse absolute, & indefinite. Infirmos curate; itaut dictum ipsius non sit restrictum ad baptizatos constitutos in articulo mortis: ad quos restricta est susceptio Extremæ vnctionis: sed extendendum etiam ad nondum baptizatos, qui patratione miraculorum circa se, aut suos factorum, erant permouendi ad Christianam fidem suscipiendam.

46. Posterius est: istud ipsum sacramentum fuisse fidelibus commendatum, & promulgatum à D. Iacobo verbis illis quæ habentur in ipsius epistola cap. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orẽt super eum, vngentes oleo in nomine Domini, & oratio fide saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.] Quæ verba exprimunt omnia ad rationem huius sacramenti spectantia. Ac primo, sensibilem materiam & formam consistentem in vnctione olei, & in oratione, seu verbo Presbyteri: deinde ministrum, qui est Presbyter, tertio, suscipientem, qui est fidelis infirmus: quarto, effectum, qui est gratia ad remissionem peccatorum, & ad
47. infirmi alleuiationem ordinata.

Esse autem ab ipsomet Christo institutum, tenendum est de fide ex definitione Concilij Triden. sess. 7. De sacramen. in genere can. primo. Quando vero institutum sit, nihil certum haberi notat Suarez *in ead. disput. 39. sect. 2.* Addens probabile esse: quod Christus tunc potestatem illud administrandi Apostolis dederit, & ex consequenti illud instituerit: cum dans eisdem potestatem remittendi, & retinendi peccata, sacramentum pœnitentiæ instituit post resurrectionem dicens illis, Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.] Ratio est, quia sicut hoc sacramentum quodammodo annexum est sacramento pœnitentiæ, ad tollendas reliquias peccatorum: ita etiam potestas ipsum administrandi non immerito creditur quoad institutionem, annexa fuisse potestati administrandi Sacramentum pœnitentiæ.

Quod attinet ad vnitatem, quantumuis in hoc sacra- 48.
mento conficiendo interueniat multiplex vnctio, & multiplex verborum forma: nihilominus ex illis omnibus consurgit vnum numero sacramentum, quod vocatur vnum compositione: quia cum omnes tales vnctiones & formæ ordinentur ad vnum integram totius hominis vnctionem, ad vnumque completum effectum obtinendum: ex omnibus illis componitur vnum tantum sacramentum: quod producat gratiam sufficientem ad confortandum & alleuiandum infirmum quantum indiget, vel indigere potest.

Iam quod ipsum iterari possit, certum est de fide ex Con- 49.
cil. Trid. sess. 14. De Extrema vnctiõe, c. 3. illis verbis. Quod si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius sacramenti subsidio iuuari poterunt, cum in aliud simile vitæ discrimen inciderint. Durante autem eiusdem morbi necessitate, idem sacramentum non posse iterari, prout eadem verba subindicant: Suarez *in sequenti disput. 40. sect. 4. n. 6.* ex eo probat, quod tale sacramentum semel susceptum, medicina sit de se sufficiens pro vna necessitate in qua æger constituitur in extremis: illa enim susceptione, sufficiens ad hanc auxilium spiritale, confertur animæ: sique expedierit sanitas corpori redditur. Dictum est autem durante eadem morbi necessitate, quia, vt addit Saurez, Si morbus esset diuturnus, & prius hominem constitueret in graui periculo mortis, postea vero remitteret morbi vis, itaut homo censeretur esse extra mortis periculum, non tamen omnino liber à morbo: in eoque statu aliquandiu durans, postea in simile vitæ periculum recideret; posset iterum inungi, si considerata morbi diuturnitate, eiusdemque statu atque interruptione; communi existimatione pericula diuersa, & status diuersi, perinde censeatur, ac si morbi essent omnino distincti.

CAPVT IX.

De materia & forma Extremæ vnctionis.

SVMMARIVM.

50 *Remota materia sacramenti Extremæ vnctionis, est oleum oliuarum ab Episcopo benedictum.*
51 *Proxima materia est vnctio infirmi ex eodem oleo, quam fieri in forma crucis pium est, non tamen necessarium.*
52 *Septem vnctiones partiales ad illius integritatem requisitæ.*
53 *Tria notanda circa eandem vnctionem.*
54 *Verba in quibus consistit forma Extremæ vnctionis: & cur sint deprecatoria.*
55 *An de necessitate sacramenti sit, ea esse deprecatoria.*
56 *Quænam ex iis non sint essentialia sacramento.*

EX ante citatis verbis D. Iacobi, *vngentes oleo*, constat huius sacramenti materiam esse oleum: illudque debere esse oliuarum; quia tale simpliciter intelligitur nomine olei, sicut aqua elementaris nomine aquæ. Item debere esse benedictum ab Episcopo: quod etsi non est euidenter in sacra Scriptura expressum, habetur tamen ex Apostolica traditione, vt notatum est in Concilio Trid. sess. 14. in doctrina de Extrema vnctione cap. 1. Et ita Concilium Florent. in instruct. Armen. aperte definit materiam huius sacramenti esse oleum oliuæ ab Episcopo benedictum. Quæ definitio nobis sufficit; si pro praxi ex illis quæ latius tradit Suarez *in cit. disput. 40. sect. 1.* addiderimus, tale oleum debere quidem simplex esse, seu non admixtum alio liquore, atque benedictum esse, eo benedictionis modo quem Ecclesia præscribit, tamen si talis admixtio fiat, qua non tollatur olei natura, nec ipsum sic immutetur, vt non oleum, sed mixtum aliquod artificiale censeatur: atque vere ab Episcopo benedicatur, *licet alio benedictionis modo quam ab Ecclesia*
50. *præscripto,*

præscripto, poterit, si cætera necessaria concurrant, esse validum sacramentum. Nam eo vnctus, vere dicetur, iuxta Concil. Florent. vnctus oleo oliuæ benedicto ab Episcopo.

51. Materia autem proxima est vnctio infirmi ex prædicto oleo: eadem scilicet ratione, qua in præced. lib. 27. num. 14. diximus materiam proximam baptismi esse ablutionem ex aqua elementari. Id quod Concil. Triden. in citato cap. primo satis significauit: vbi cum dixisset Ecclesiam intellexisse materiam huius sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, subiunxit. Nam vnctio aptissime Spiritus sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat. Vnde facile intelligitur vnctionem ipsam signum esse externum interioris gratiæ, atque adeo sacramentum constituere: quod non facit aliter quam vt materia proxima.

Si quæras, An eadem vnctio debeat fieri in forma crucis, sicut in Confirmatione? Respondet Suarez *in sequenti sect. 2. num. 3.* id quidem, vt magis pium, fieri ac seruari debere, sed non esse de necessitate huius sacramenti: quia neque in Conciliis neque in Ecclesiæ traditione tale quid fundamentum habet. Immo vero, nec de necessitate præcepti ipsum adeo necessarium esse, quin omitti possit iusta de causa, qualis est exigens necessitas, vt breuius & securius vnctio peragatur.

52. Cæterum ad eiusdem vnctionis integritatem requiri septem particulares vnctiones habetur ex eo, quod Concilium Florent. loco cit. expressit: infirmum, cui hoc sacramentum conferitur, vnguendum esse in oculis, propter visum: in auribus, propter auditum: in naribus, propter odoratum: in ore, propter gustum, vel locutionem: in manibus, propter tactum: in pedibus propter gressum: in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Ità scilicet vt ibi applicetur medicina instituta ad sordes, seu reliquias peccatorum tollendas, vbi est eorumdem peccatorum quasi radix.

Non esse autem de necessitate sacramenti, vt omnes concurrant, ex eo Suarez *in sequenti num. 6.* probat: quod plerumque propter honestatem duæ earum omittantur; pedum scilicet & renum, præsertim in fœminis: vnde consequens est eas non esse de necessitate sacramenti. Quod autem aliæ quinque concurrere simul debeant, indicio est, quod secundum Ecclesiæ communem vsum, nulla earum omitti soleat: & Concilium Florent. similiter de omnibus loquatur. An vero ille concursus sit necessarius non modo necessitate præcepti, sed etiam necessitate sacramenti, intelligetur ex postea dicendis de effectu huiusce sacramenti.

53. Tria vero pro praxi notanda, Suarez habet in sect. 2. Primum est, *num.* 4. Vnamquamque talium vnctionum tantum olei requirere, quantum sufficiat, vt ipsum applicetur cum fluxu, seu extensione in parte corporis cui applicatur; perinde scilicet ac de aqua baptismi lib. 27. num. 14. dictum est. Nam verbum vnctionis, sicut & verbum ablutionis, fluxum seu extentionem liquoris importat.

Secundum est, *num.* 5. non esse absolute necessarium, vt vtrumque organum sensus in illis vngatur: verbi gratia, vterque oculus, *quamuis propter receptam Ecclesiæ consuetudinem id faciendum sit*: quia licet in vtroque vigeat sensus, vere tamen vnctio dicitur eidem applicata, cum facta fuerit in parte aliqua corporis, in qua is residet. Quocirca vrgente necessitate, potest tum valide tum etiam absque peccato infirmus periclitans vngi ea ratione.

Tertium est *num.* 9. ordinem talium vnctionum non esse de necessitate sacramenti: nempe, vt prius vngantur oculi, postea nares, &c. quia substantia materiæ huius sacramenti tota consistit in ipsa vnctione, cui talis ordo est accidentalis: sicut materiæ Eucharistiæ accidentalis est ordo, quo panis prius subiicitur consecrationi, quam vinum. Attamen quia talis ordo est naturæ consentaneus, & in communi vsu Ecclesiæ positus, non omittitur absque peccato, etiamsi valor sacramenti inde non tollatur.

RELIQVA PARS CAPITIS.

De forma Extremæ vnctionis.

54. COncilium Floren. in instruct. Armen. eiusmodi formam assignat hanc, *quam Concilium Trid. sess. 14. in doctrina de Extrema vnctione cap. 1. in fine attingit.* Per istam sanctam vnctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per visum peccasti. Quibus alia adiungit Romana Ecclesia, à qua in ritibus sacramentorum non est recedendum, iuxta cap. Ad abolendam, De hæreticis. Vnde ad talis formæ sensum reducendæ sunt & extendendæ quæcumque aliæ formæ verbis diuersæ, vsurpatæ in administratione huius sacramenti, vt censeatur validum. Adiunctio autem illa quam Romana Ecclesia facit, constat repetitione prædictorum verborum: nisi quod loco illorum (per visum) quando iunguntur aures, dicatur per auditum; quando nares, per odoratum: quando os, per oris vitium: quando manus per tactum: quando pedes, per incessum: quando renes per ardorem libidinis.

Est autem forma deprecatiua: tum quia datur infirmis qui egent oratione; tum quia ipsi transeunt ex foro Ecclesiæ, ad forum superius diuinæ maiestatis: ideoque diuinæ clementiæ commendatur: tum quia talis forma vocatur oratio fidei à D. Iacobo in citato cap. 5. oratio vero, deprecatiua est. Porro cum in eadem forma dicitur, *Per istam sanctam vnctionem*, significatur materia proxima huius sacramenti: cum vero subiungitur, *& suam pissimam misericordiam*, significatur principalis causa operans in hoc sacramento. Cum demum additur *Indulgeat tibi Dominus quicquid peccasti, &c.* significatur primus huius sacramenti effectus. Hic occurrit duplex dubium.

55. Prius est: An de necessitate huius sacramenti sit, vt forma illius proferatur per modum deprecatiuum; nec sufficiat proferre per modum indicatiuum, dicendo sicut Sylu. in verbo Vnctio nu. 2. ait dici in Ecclesia Ambrosiana, Vngo hos oculos oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. De hoc in vtramque partem Authores & rationes habet Suarez *in citata disput. 40. sect. 3. num. 4. & aliquot sequentibus* Notare autem sufficit pro praxi, satis patere ex antedictis, de fide certissimum esse, quod forma deprecatiua sit sufficiens ad validitatem huius sacramenti. An autem forma indicatiua sit sufficiens, merito dubitari, cum vnius sacramenti non sint duæ formæ totales æquiualentes. Vnde cum ad veram formam huius sacramenti requiratur vt habeat rationem orationis, iuxta illud D. Iacobi, *& orauerit super eum*: propositio vero indicatiui modi, formaliter & proprie non sit oratio, vt per se notum est ex ipsa verborum proprietate: ea certe non videtur censenda æquiualere deprecatiuæ: ac proinde nec verba huius sacramenti forma esse, nisi, *vt habet Suarez in sequenti num. 8.* adiunctam habeat deprecationem: vt si dicatur, vngo te oleo sancto vt Deus tibi remittat quicquid peccasti, &c.

56. Posterius dubium, *de quo ibidem Suarez à num. 12.* est, An omnia verba quæ ex Concil. Floren. retulimus, sint substantialia formæ huius sacramenti. Dicendum autem videtur, illa adiectiua *sanctam & pissimam*, non esse substantialia: vt ex eo patet, quod illis detractis sensus maneat integer. Idem etiam dici posse de illis, *suam misericordiam*, ex eo colligitur, quod quæ sequuntur, *indulgeat tibi Dominus*, causa principalem, quæ in hoc sacramento operatur, exprimat sufficienter, illis omissis. Idem etiam dicendum videtur de particulis illis, *per visum, per auditum, & cæteris quæ in fine singularum formarum partialium ponuntur*, ex eo quod non censeantur de necessitate sacramenti esse: quandoquidem talis necessitatis ratio dari non potest. Non quidem determinatio effectus huius sacramenti quasi in prima vnctione remittantur peccata commissa per visum: & in secunda, commissa per auditum, & sic de cæteris: quia Deus non dat veniam dimidiatam: itaut alicui remittens peccata mortalia commissa per visum, simul etiam remittat, cætera, quorum quædam, nullo sensu; sed per actus meræ interiores intellectus, aut voluntatis commissa esse possint. Nec etiam determinatio partium corporis quæ vngi debent: quoniam ne pars potest esse de essentia huius sacramenti, vt hæc vnctio in illis

partibus

partibus fiat: quandoquidem si quis careret aliquibus earũ, vt manu, vel pede, nequiret alioqui valide suscipere istud sacramentum. Atque dato quod id esset de sacramenti essentia: non ideo tamen ipsum esset de necessitate sacramenti, in forma exprimendum, vt confirmatur à simili: quia etiamsi vnctio in fronte dicatur esse de essentia Confirmationis: id tamen in istius forma non declaratur.

CAPVT X.

De effectu extremæ vnctionis, deque eiusdem Ministro.

SVMMARIVM.

57 *Effectus sacramenti Extremæ vnctionis, ex Conciliis Florent. & Trident. atque d. præcipuo in particulari, qui est gratia habitualis.*

58 *De cæteris effectibus.*

59 *Gratia habitualis non ante datur in Extrema vnctione, quã quinq; sensuum vnctiones sint absolutæ cum suis formis.*

60 *Omnis & solus Sacerdos esse potest huius sacramenti idoneus minister.*

61 *Quid requiratur vt Sacerdos non tantum licite hoc sacramentum administret: & excommunicatio Religiosi illud sine licentia administrantis.*

62 *Explicat o difficultatu, an Extrema vnctio possit vni administrari à multis.*

57. CONCILIVM Florent. in instruct. Armen. paucis ait Extremæ vnctionis effectum esse mentis sanationem: & quantum expedit, etiam corporis. Concilium vero Trid. sess. 14. De extrema vnctione cap. 2. ex verbis D. Iacobi cap. 5. de eodem effectu sic tradit: Res & effectus huius sacramenti illis verbis explicatur, *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, remittetur ei.* Res etenim hæc, gratia est Spiritus sancti, cuius vnctio, delicta, si quæ sint adhuc expianda, & peccati reliquias extergit, & ægroti animam alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatur, & morbi incommoda ac labores leuius fert: & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum vbi, saluti animæ expedierit, consequitur.

Ex quibus Concilij verbis intelligitur: gratiam habitualem, *quam conferre nisi obex ponatur, cõmune est omnibus sacramentis*, collatã in Extrema vnctione esse in infirmo fundamentum roboris & fortitudinis spiritualis tanquam virtute includens specialia Dei auxilio proportionata necessitati, quæ contingit eo tempore, quo homo grauissime ægrotans vix potest mouere, & excitare seipsum ad confligendum in extrema vitæ pugna. Talia auxilia vero censentur quæ sunt opportuna, aut ad roborandam spem, quæ in articulo mortis debilitatur, per vitæ male actæ memoriam: aut ad hilaritatem animi concipiendam, quam morbi incommoda impedire solent: aut ad prompte & fortiter resistendum tentationibus dæmonis, quæ tunc grauiores sunt.

58. Intelligitur præterea hoc sacramentum de se præparare animam, proximeque disponere ad introitum in cœlum: quandoquidem non solum tollit peccata, si quæ sint: sed etiam eorum reliquias abstergit: ac per prædicta auxilia iuuat ad perseuerantiam in bono vsque ad mortem. Cæterum reliquiæ peccatorum remissorum sunt, tum pœnæ temporales illis adhuc debitæ, tum quædam procliuitates ad peccatum, nempe fomes concupiscentiæ, praui habitus animæ, & malæ habitudines corporis: quarum priores per hoc sacramentum tolluntur ex opere operato, non tamen in totum: vt argumento est, quod pro defunctis, qui illo susceperunt decesserunt, tanquam obnoxiis pœnæ purgatorij fiant Ecclesiastica suffragia: posterioris vero *quas manet experientia docet*, hoc homine censentur, per istud sacramentum abstergi, quod contra illas superaddat vires, per auxilia ipsa memorata. De qua re plenius Suarez *disput. 41. sect. 1. asser. 2.* Qui etiam videri potest in sequenti sect. 4. & Greg. à Valen. disput. 8. quæst. 1. sub finẽ pro solutione quarumdam rationum, quæ obiici possunt aduersus secundarium huius sacramenti effectum tribuendi aliquando corporis sanitatem: Satis enim nobis est, quod is expresse tradatur à Concilio Trid. vt patet ex verbis supra citatis: sufficienterque indicetur à D. Iacobo in cap. 5. illis verbis: Et ratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus.]

Restat difficultas: Cum effectus gratiæ habitualis & remissionis peccatorum detur de se in instanti: & ad huius sacramenti constitutionẽ sint necessariæ quinque vnctiones, & totidem eis respondentes formæ iuxta numerum quinarium sensuum, An illud instans cõiungat finita vna vnctione, & forma ei respondente an vero finitis pluribus, aut etiam omnibus. De qua re quatuor diuersas sententias Suarez proponit *in eadem disput. 41. sect. 2.* & eam, quam D. Thomæ communemque esse ait, sequitur: nempe tale instans esse illud in quo sacramentum hoc consummatur. Consummari autem tunc cum quinque memoratæ vnctiones, & quinque eis respondentes verborum formæ perficiuntur. Omnes enim sunt de essentia huius sacramenti: quandoquidem nec vna, nec plures earum, nisi omnes concurrant, significant sufficienter effectum ipsum gratiæ habitualis, & remissionis peccatorum: quæ non est in hoc sacramento, *sicut nec in alia*, certi tantum generis peccatorum; sed cuiuscumque generis. 59.

Si obiicias neque per omnes simul integre significari talem effectum huius sacramenti: quia significantur tantum peccata per quinque sensus commissa; præter quæ, dantur alia: nimirum ea quæ sola mentis cogitatione, aut interiori tantum voluntate committuntur. Respondet sub finẽ eiusdem sectionis Suarez: quod licet non omnia peccata mandentur executioni per aliquem sensum: neque omnia pro obiecto habeant aliquid per se perceptibile aliquo sensu: nullum tamen ab homine committi peccatum, quin ducat originem ab aliqua specie per sensum accepta: siquidem radix omnium peccatorum est cogitatio, quæ debet originem ducere ab aliquo ex quinque sensibus iuxta illud: Nihil est in intellectu quin fuerit prius in sensu: De qua re plura idem Suarez in sequenti sect. 3. inquirens vtrum aliquando effectus prædictus detur sine omnibus quinque vnctionibus, concluditque negatiue. Idquod satis aperte sequitur ex antedictis.

RELIQVA PARS CAPITIS.

De Ministro Extremæ vnctionis.

SAcerdotem, siue constitutum in dignitate, siue gerentem animarum curam, siue etiam simplicem: non autẽ alium, ne Diaconum quidem, esse ministrum ad huius sacramenti validitatem necessarium habetur per illud Iacobi cap. 5. Inducat Presbyteros Ecclesiæ. Quo nomine (vt Cõcilium Trid. sess. 14. De Extrema vnct. cap 3. notat) nõ ætate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt eo loco; sed Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ordinati per impositionem manuum presbyterij. Vnde sequitur solum Sacerdotem esse proprium huius sacramenti Ministrum. Quod certum est de fide ex eodem Concilio ibidem can. vltimo, De extrema vnctione. Vnde à nullo alio potest valide confici, adeout nullam ob causam, non modo laicus, sed ne Diaconus quidem possit conferre tale sacramentum, prout esse communem Theologorum sententiam Suarez ait *disput. 43. sect. 1. nu. 5.* Vbi in eiusdem confirmationem adfert hanc rationem: quod in rebus supernaturalibus quæ ex institutione diuina pendent, non liceat nobis exceptionem addere sine authoritate, aut euidenti ratione. At nulla datur authoritas ad casum aliquem excipiendum à generali præscripto D. Iacobi: scilicet vt ad vngendum infirmum inducatur Presbyter. Nec item datur probabilis ratio: præsertim cum sacramentum hoc non sit magis necessitatis, quam sacramentum pœnitentiæ: quod tamen in nullo casu, alius quam Sacerdos administrare potest. Sic ergo relinquitur, non alium esse Ministrum Extremæ vnctionis quam sacerdotio initiatum. 60.

Porro etiamsi omnis Sacerdos, hoc ipso quod Sacerdos, est, possit valide istud sacramentum conferre: tamen vt simul possit licite, necessarium est præterea secundũ omnes *inquit Suarez disput. 45. sect. 2. nu. 3.* vt sit proprius Sacerdos 61.

ægroti, vel ab eodem proprio habeat potestatem. Nam illicitum graueque peccatum est in re graui vsurpare sibi alienum officium, aciurisdictionem sine legitima authoritate: nam id alterii iniuriosum est, & perturbationis ac discordiarum causa. Quo nomine in Clementina prima De priuilegiis, excommunicantur Religiosi administrantes sacramentum hoc Clericis aut Laicis, sine legitima facultate ad id habita, per priuilegium sedis Apostolicæ, aut per licentiam parochialis Presbyteri.

De qua excommunicatione iam diximus in præcedenti tomo 2. libro 18. nu. 408 & tribus sequentibus: addendum est tantum ex Caiet. *in verbo excommunicatio cap. 64. & Soto in 4. dist. 23. q. 2. art. 1.* ad excusanda ab ea censura & à peccato, sufficere ratihabitionē Presbyteri parochialis: seu quod ipse credatur habiturus ratum, æquo animo laturus sit tale factum. Ratio est, quam habet Suarez loco post citando: quia in tali ministerio iurisdictio nō est de substantia sacramenti, nec per se illius principium (sicut est in sacramento pœnitentiæ) sed conditio necessaria vt licite fiat. Immo vero neque præsumptionem illam in extrema necessitate, seu imminente iam morte, esse necessariam ad excusationē, addit Sotus: quia non est intentio Ecclesiæ infirmum priuare hoc sacramento (cuius vsu ex attrito fieri potest contritus) & per consequens, nec vrgente extrema necessitate prohibere quemquam, qui potest illud ministrare. Id quod locum habere potest etiamsi Parochus esset inuitus, expresse nolens nec per se, nec per alium ministrare: dummodo tamen vitetur violentia & scandalum; constetque illum inique id facere, & infirmum laborantem necessitate talis sacramenti, eodem dignum esse. Ita Suarez docet *disput. 44. sect. 2. nu. 3.* quia tunc non esset vsurpatio iurisdictionis, sed defensio innocentiæ. Et quamuis tunc Parochus ipse sit inuitus, tamen potest præsumi; vel Episcopi, vel Summi Pontificis licentiam, ratihabitionem ve non deesse; quia non est verisimile Ecclesiam velle in eo casu priuare infirmum tam vtili remedio, neque iniquitati eiusmodi pastoris fauere, aut ei tribuere tam rigorosum ius, contra spiritualem salutem fidelium.

62. Restat dubitatio, An hoc sacramentū dari possit à multis Sacerdotibus simul: non enim tantum posse, sed etiam debere, videtur sequi ex eo, quod D. Iacobus loquatur plurali numero, *Inducat presbyteros Ecclesiæ.* Sed in contrarium est decretum Alexandri tertij relatum in cap. Quæsiuit, De verborum signific. quod Sacerdos præsente vno clerico, ac etiam solus, possit infirmum vngere. D. autem Iacobus plurali vsus est pro singulari; vt sensus illius sit, inducat aliquem ex Presbyteris: sicut cum dicitur, Qui ægrotat, vocet medicos, hoc est aliquē ex medicis. Sic enim dicuntur Matth. 27. latrones crucifixi cum Christo ei improperasse: cum cōstet ex cap. 23. D. Lucæ vnum tantum id fecisse: itaut sensus D. Matthæi esse debeat, latrones, id est, vnus ex latronib. Aduerte autē ex D. Thomæ & aliorum sententia, quam sequitur Suarez *disput. 43. sect. 2. n. 5.* valide conferri hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus, partialiter sic concurrentibus, vt vnus faciat vnam vel plures vnctiones proferendo formas eis proportionatas, *non item omnes essentiales*: alius vero suppleat quæ defuerint. Quanquam id facere, *cum respect communis vsui Eccl siæ*, illicitum est, nisi necessitas aliqua excuset: vt si Sacerdos post peractas aliquas vnctiones moriatur, aut propter aliquod impedimentum omnes persequi nequeat. Tunc enim alter Sacerdos peragere debet eas vnctiones quæ restant, neque iam peractas repetere: vtpote ex se sufficientes in suo gradu ad verum sacramentum perficiendum. Suam enim significationem & perfectionem partialem habuerunt, vt patet ex eo quod sacramentum completum fuisset ac perfectum, si cæteræ ad illius constitutionem requisitæ, fuissent illis eb eodem Ministro additæ. Sicut ergo commune est huic sacramento, cum sacramento Eucharistiæ, vt plures habeat materias & formas partiales: ita etiam est, vt confectio vnius partis illis (*tanquam ex se valida*) non debeat repeti, si nequeat idem Sacerdos cæteras eis adiungere, oporteatque ad integram sacramenti confectionem, alium Sacerdotem supplere defectum ipsius. Videri potest *in seq. nu. 6. & 7. idem Suarez*: & in consequenti octauo de eo; possitne istud sacramentum censeri validum, si à pluribus simul Sacerdotibus conficiatur: sic nimirum vt dum vnus vngit oculos, alius vngat nares & sic de aliis. Quodquidem illicitum esse, & necessitate vrgente reddi licitum sicut antedictum, pariter idem author censet. Fundamentū vero est, quod ex antedictis, nec ordo inter vnctiones, nec vnitas ministri requiratur de necessitate ad validitatem huius sacramenti.

CAPVT XI.

De recipientibus sacramentum Extremæ vnctionis.

SVMMARIVM.

63 *Extrema vnctio non est conferenda mortuo. In dubio de morte, dari potest sub conditione.*

64 *Cui vino conferri debeat.*

65 *Documenta aliquot de eo qui cum ante habuerat, amisit vsum rationis in infirmitate: positne ei administrari istud sacramentum.*

66 *Solus infirmus capax est huius sacramenti.*

67 *Explicatio difficultatis, An de necessitate sacramenti sit, vt infirmitas illum constituat in periculo mortis.*

68 *Non datur hac sacramentum damnatis ad mortem, nec naufragaturis periculose.*

69 *Senibus moribundis dari potest: itemque iis qui nunquam peccarunt actualiter.*

70 *Quæ partes corporis sint vngendæ in administratione Extremæ vnctionis.*

NOTANDVM est primo, non esse conferendam hoc 63.
sacramentum iam vita functo. Ratio est, quia sacramenta sunt medicinæ pro solis viatoribus institutæ, vt iam docuimus libro 26. cap. 7. in initio. Cum vero de aliquo dubitatur an mortuus sit nec ne, ei conferri potest sub conditione, Si non es mortuus, &c. iuxta communem Theologorum & Summulariorum sententiam, vt habet Suarez *disput. 42. sect. 1. sub initium.* Rationem addens, quia per eam conditionem adiunctam, tollitur omne periculum irrogandi sacramento iniuriam, & interea subuenitur proximo de magno subsidio suæ salutis, cuius forte adhuc capax est.

Notandū est secundo, sacramentū hoc nō nisi baptizato 64 66.
conferendum esse: cum baptismus ianua sit sacramentorum: neque omni baptizato, sed tantum ei qui rationis vsum habeat, vel alias habuerit. Illius enim capaces non esse infantes, nec perpetuo amentes, sicut nec sunt, aut fuerunt rationis; communis est, *vt in ead. sect. nu. 3. Suarez monet*, Theologorum consensus in 4. dist. 23. vno Ioanne Maiore excepto, qui contrarium tenens, repugnat vt Ecclesiæ consuetudini, sic & rationi: quia sicut tales non sunt capaces Pœnitentiæ: ita nec Extremæ vnctionis, quæ est sacramentum consummatiuum Pœnitentiæ, quemadmodum habet Concilium Tridentinum sess. 14. in initio doctrinæ De Extrema vnct. Accedit quod non sint capaces primarij effectus huius sacramenti: qui est, vt ante ex ipso Concilio Triden. proposuimus initio capitis quarti, si quid ex peccatis superfit expiandum illud abstergere, & animum infirmi alleuiare, & confortare: excitando in eo magnam diuinæ misericordæ fiduciam, qua morbi incommoda leuius ferat, & tentationibus dæmonis facilius resistat. Quæ omnia supponunt rationis vsum: ante quem non contingit peccare actu, aut fiduciam diuinæ misericordiæ concipere, aut diaboli tentationibus resistere. Et dare sacramentum ei in 67.
quo non potest suum primarium effectum habere, sacrilegum est.

Notandum est tertio, difficultatē esse. Num ei qui habuit vsum rationis, dari possit hoc sacramentum, si in extremis constitutus, ipsum rationis vsum amiserit, nec sit compos sui. De qua tenenda sunt hæc documenta pro praxi.

Primum est. Secundum communem Theologorum sen- 65.
tentiam, *Suarez habet ibidem nu. 5.* ad huius sacramenti subsistātiā sufficere, vt recipiens capax fuerit peccati actualis, deuotionis, tentationis, & resistentiæ, itemq; fiduciæ in Deum: neq; obstare, quod hic & nunc tales actus exercere nequeat:

quia

quia etiamsi ea ex parte sacramentum illud non iuuet ipsum actu, iuuat tamen quoad aliud pertinens ad eiusdem sacramenti effectum, finemve præcipuum, nempe ad remissionem peccatorum actualium: qua forte extremè indiget; siue quia sacramentum pœnitentiæ ei applicari non potuit: siue quia non satis efficaciter applicatum est ob aliquam Pœnitentis indispositionem. Iam vero inter pertinentia ad memoratum finem præcipuum, ponitur supplere vices sacramenti pœnitentiæ. Accedit Ecclesiæ vsus frequens, quo iuuari solent hoc sacramento illi, qui nequeunt alia sacramenta suscipere, eoquod destituti sint omni rationis vsu.

Secundum documentum est: Quod licet ad hoc sacramentum recipiendum necessaria sit intentio, immo & petitio recipientis, iuxta illud D. Iacobi cap. 5. Inducat Presbyteros Ecclesiæ: eam tamen actualem seu formalem esse, non requiri necessario; sed posse sufficere virtualem seu interpretatiuam, id est, ex Nauar. *in Enchir. cap. 22. nu. 13.* si tacite petierit, aut petiturus fuisset si meminisset: aut, *vt habet Suarez nu. 6.* si aliqua signa contritionis dederit, vel sit talis qui probabili ratione præsumatur ad hoc sacramentum recipiendum dispositus; vt præsumi potest, quoties non constat contrarium: quia qui malus non probatur, bonus esse præsumitur.

Tertium documentum est *quidem D. Thoma, in sequenti nu. 7. Suarez habet*, Curandum esse vt hoc sacramentum fidelibus detur eo tempore, quo adhuc sunt sui compotes, & cognoscere possunt quid circa se agatur: & ad deuotionem & fiduciam in Dei misericordia excitari.

Quartum est: Hoc sacramentum non esse dandum ei, quem constat amisisse rationis vsum in malo statu & ideo indispositum esse ad illius effectum: tanquam eum qui ne implicite quidem seu interpretatiue, illud salutis remedium petierit, saltem per signa attritionis, & bonæ vitæ. De hoc idem Suarez *consequenter in nu. 8.*

Vltimum est, *quod idem habet adhuc consequenter nu. 9.* Timendam esse in huius sacramenti administratione indecentiam & immunditiam corporalem: cuius periculum potest maxime in phreneticorum vnctione contingere. Quæ quâta esse debeat, vt censeatur impedire sacramenti huius collationem ob eius irreuerentiam (cui postponenda est priuatæ personæ vtilitas) prudentiæ ministri relinquitur ponderandum.

66. Notandum est quarto, neque omnem baptizatum qui ratione vtatur aut rationis vsum habuerit, capacem esse huius sacramenti: sed solum infirmum de vita periclitantem: id quod communi consensu, *vt habet Suarez disput. 42. sect. 2. nu. 3.* à Theologis receptum est per illud D. Iacobi c. 5. Infirmatur quis in vobis.] Quod & expressum est à Concilio Florent. in instruct. Armen. his verbis: Hoc sacramentum nisi infirmo de cuius morte timetur dari non debet. Et à Concil. Trid. sess. 14. De Extrema vnct. cap. 3 his verbis declaratur etiam, hanc vnctionem infirmis, esse adhibendam. Illis vero præsertim qui tam periculose decumbunt, vt in exitu vitæ videantur, constituti vnde & sacramentum exeuntium nuncupatur. Ad hoc autem sacramentum infirmitatem in suscipiente requiri de necessitate sacramenti, ita vt inualidum sit collatum sano, communis est quoque Theologorum consensus: quia id perinde inferri potest ex verbis D. Iacobi, ac infertur eiusdem sacramenti ministrum esse solum Presbyterum. Idem etiam habetur ex communi Ecclesiæ vsu: ex quo, in Pontificali Romano, & in cap. Vnico De sacra vnctione, materia huius sacramenti vocatur oleum infirmorum.

67. An vero de necessitate quoque sacramenti requiratur vt infirmitas sit talis, quæ infirmum constituat in periculo mortis, dubium est: de quo Suarez in ead. sect. iudicat probabilius id etiam requiri: cum sacramentum hoc institutum sit tanquam vltimum remedium hominum infirmorum: quo in grauissimo mortis periculo iuuentur, & ad gloriæ introitum quoad fieri potest disponantur. Vnde minimum requirit hominem ita decumbentem, vt ex tali infirmitate mors possit mortaliter timeri quantum est ex natura talis ægritudinis in tali subiecto. Accedit, quod si sacramentum hoc posset valide dari cuilibet ægrotanti morbo communi & ordinario, posse & licite dari. Nec enim ratio esset cur eis negari deberet; quandoquidem in eo non fieret iniuria sacramento, seruatis aliis adipsum necessariis. At communis Ecclesiæ vsus ab omnibus Doctoribus approbatus habet, vt hoc idem sacramentum iis tantum infirmis conferatur quos infirmitas in graui mortis periculo constituit.

Veruntamen, *vt idem Author nu. quinto subiunxit*, quia de tali grauitate non potest haberi certitudo tanta, quin ex arbitrio prudentis pendeat: non est ex ea ita determinate spectanda sacramenti validitas, vt si forte infirmus aliquantulum præmature vngatur, sacramentum propterea nullum esse existimetur. Præsertim cum, etiamsi ad illius debitam collationem oporteat expectare morbi grauitatem & mortis periculum: non tamen illud tempus in quo iam constet ipsum vngendum, non posse naturaliter viuere: quia cum sacramentum hoc, quoad effectum suum secundarium, instituatur ad restituendam infirmo sanitatem: non est constantenum rationi, vt ad illud conferendum expectetur tempus in quo fere, manifeste necessarium est miraculum, vt talem effectum producat: quia in eo quodammodo tentaretur Deus, & de virtute sacramenti experientia quæreretur. Quod vtrumque est à ratione alienum.

Notandum est quinto, Cum solus infirmus sit huius sacramenti capax, non esse ob periculum mortis violentæ, damnatis ad mortem conferendum: neque bellaturis, aut nauigaturis cum probabili mortis periculo. Ita omnes Doctores sentire notat Suarez *in ead. sect. 2. nu. 6.* Addens ex omnium quoque sententia, aliud esse de iis qui per violentiam factam, incidunt in morbum. Nam homo vere infirmus, vndecumque infirmitas ortum habuerit, capax est huius sacramenti. Et ita, *inquit ille*, cum aliquis lethabile vulnus accepit, & est in periculo mortis vngendus est; quia iam vere ægrotat, etiamsi causa ægritudinis fuerit violenta, quod accidentarium est. Idem pari ratione dici debet de muliere prægnante, ob partus dolores constituta iudicio medicorum, in probabili mortis periculo: vix enim contingit tale periculum esse sine ægritudine natâ ex torsione & vexatione partium inferiorum. Idem etiam, & maiori ratione, de eo qui subito morbo correptus de vita periclitatur: quoniam ea subita infirmitas, est vere infirmitas. 68.

Si quæras, an hoc sacramentum dari possit iis, qui ex solo senio versantur in probabili mortis periculo? Respondetur posse, ex Tabiena *in verba vnctione § 6.* nam senium est quoddam morbi genus. Posse quoque dari ei qui nunquam actualiter peccauit, pluribus authoribus in eam sententiam citatis docet, Suarez *in reliqua parte eiusdem sectionis 2. à nu. 7.* Qua in re tanquam speculationis scholasticæ non immorabimur. Sufficit nobis à D. Iacobo cap. 5. id insinuatum esse cum dixit. Et si in peccatis sit, dimittuntur ei. Locutio enim illa conditionalis nihil ponit in esse: & ad summum supponit possibilitatem peccandi, aut reliquias peccati, quæ non dubitantur inesse, saltem peccati originalis. 69.

Notandum est postremo (de quo idem in sequenti sect. 3.) ad conficiendum hoc sacramentum, non esse quidem necessarium totum corpus hominis vngere, prout constat ex communi Ecclesiæ vsu: attamen liberam non esse ministro, quas voluerit partes vngere; sed iuxta numerum quinque vnctionum, quas antea diximus, ad substantiam huius sacramenti pertinere, quinque partes determinatas vngendas esse: nempe quinque organa sensuum. Id enim esse ex Christi institutione, manifestatur sufficienter per vsum & traditionem Ecclesiæ. Et fauet ratio, quia tales vnctiones applicantur per modum curationis adhibendæ radici morbi. Cum ergo radix & origo peccatorum, ad quorum curationem illæ instituuntur, sit in quinque sensibus: consentaneum est in horum organis illas fieri, prout habet Ecclesiæ vsus: & Concilium Florent. in instruct. Armen. satis significauit per ea quæ ex eodem retulimus in præcedenti nu. 54. 70.

Sed obiici potest: quod si hoc sacramentum tale quid requirat, fieri vt is qui est truncis manibus, non sit illius capax. Respondendum est ex omnium Doctorum *vt habet Suarez* sententia: tunc vnctionem faciendam esse in parte propinqua, prout vsus Ecclesiæ confirmat. Et ratio ostendit, quia cum talis homo non minus egeat huius sacramenti fructu, quâ si membra integra haberet; consentaneum

est de

est de illius institutione taliter sentire: vt tales minime excludat: præsertim cum nihil vrgeat in contrarium, sicut vrgeret in sacramento ordinis, quod in suscipiente requirit manus: non tantum ad vnctionem qua consecratur, sed etiam ad executionnm operis, ad quod consecratur, vt ad Missę celebrationem.

CAPVT VLTIMVM.

De obligationibus circa Extremæ vnctionis vsum.

SVMMARIVM.

71 *Obligatio ad huius sacramenti susceptionẽ nõ est sub mortali.*
72 *Duo casus excepti.*
73 *Dispositio ad eamdem susceptionem per pœnitentiam.*
74 *Quatenus obligatio sit. susceptioni Extremæ vnctionis præmittere administrationem sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ.*
75 *Receptio Eucharistiæ post Extremam vnctionem.*
76 *De ordine sumendi sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis cum infirmus est omnium illorum capax.*
77 *Ex officio Parochus & nonnunquam Episcopus tenetur hoc sacramentum ministrare: alij solum ex charitate, vbi vterque illorum deest.*
78 *Requisita in ministrante hoc sacramentum & ritus seruandi in eo.*

HVc pertinent quæ latius tractat. Suarez to. 4. disput. 44. Quæ pro praxi quotidiana sufficiunt complectemur sequentibus documentis.

71. Primum est: Ad huius sacramenti susceptionem fideles non obligari sub mortali. Nam talis obligatio neque sequitur ex natura rei, neque habetur ex aliquo præcepto. Prius patet, quia hoc sacramentum vtile est quidem, non tamen necessarium ad salutem: & ideo per illius omissionem sine causa vrgente factam, perdere eum fructum quem à tali sacramento proferri habitum est in priore parte præcedentis capitis quarti, censetur prodigalitas quædam spiritalis, quæ non est de se peccatum mortale, cum sine eodem fructu possit æterna salus obtineri. Posterius vero, hoc est, nec talem obligationem ex aliquo speciali præcepto haberi. Ex eo probat Suarez, quod nec à Christo, nec ab Ecclesia, quod piam tale impositum Theologi agnoscant.

72. Secundum est: Ex accidenti posse in duobus casibus peccatum mortale in prædicta omissione intervenire. Prior est ratione scandali, seu quando aliqui inde efficaciter inducerentur ad paruipendendum hoc sacramentum, vel ad generaliter negligendum remedia suæ salutis: vel ad iudicandum temere, & cum publica detractione de salute spirituali proximi, & sic de similibus. Posterior casus est, quando ex contemptu sacramentum istud omittitur. De quo Concilium Trid. sess. 14. De Extrema vnctione cap. 3. his verbis: Nec vero tanti sacramenti contemptus absque ingenti scelere, & ipsius Spiritus sancti iniuria esse posset. Ad quem contemptum aliqui putarunt sufficere, quod quis sciens & aduertens, directe nolit sacramentum hoc recipere. Sed Suarez vult talem quoque à mortali excusari posse: si ideo tantum nolit, quod se ad eam susceptionem sciat non adstringi sub mortali, & aliunde difficultatem ac repugnantiam sentiat. Qua sola de causa omittens, non dicetur omittere ex contemptu proprie dicto, ad quod vlterius requiritur, vt quis paruipendat sacramentum, & fructus eius: quodquidem vix potest cuiquam contingere, quin aliquo errore vel hæresi laboret circa idem sacramentum.

73. Tertium documentum est: Cum istud sacramentum sit de numero eorum quæ dicuntur sacramenta viuorum, seu existentium in gratia, ipsum non esse suscipiendum cum conscientia peccati mortalis. Vnde fit vt pœnitentia, quam cum intentione debita rectaque fide prærequirit in infirmo (si infirmitas non ademit ei rationis vsum, & ille se mortaliter peccasse meminit) debeat esse contritio saltem existimata, perinde ac in præcedenti num. 34. diximus de confirmatione: cum qua cõueniat, quod instituatur ad consummationem sacramenti pœnitentiæ, sicut confirmatio ipsa ad perfectionem baptismi, conferendo scilicet gratiæ augmentum.

74. Quartum est: Vsui receptum quidem esse, vt ante administrationem Extremæ vnctionis administrentur sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ: non videri tamen peccatum mortale talem ordinem immutare, si id minime fiat ex contemptu. Hoc Suarez in cit. disput. sect. 1. num. 8. probat: tum quia talis ordo non est res admodum grauis: tum quia non est necessarius ex natura rei. Nam sine susceptione sacramentorum Pœnitentiæ & Eucharistiæ, infirmus potest per contritionem sufficienter disponi ad susceptionem Extremæ vnctionis, *sicut & Confirmationis*, tanquam diuinæ gratiæ non ponens obicem: tum quia non inuenitur ea de re præceptum indubitatum: nec item constat memoratum vsum, seu consuetudinem seruari sub apprehensione obligationis: sed solum quia dispositio rerum ita postulat: cum sacramentum hoc sit exeuntium, & duo alia quasi præparantium se ad exitum, depositio onere peccatorum & sumpto viatico.

Quicquid autem sit, retinenda est in praxi recepta consuetudo, qua prius administrantur infirmo Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta, quam Extremæ vnctionis: nisi quem infirmitas sic opprimat, vt nulla dans signa, non possit fieri particeps sacramenti Pœnitentiæ: & multo minus sacramenti Eucharistiæ. Cuius susceptio aliis quoque de causis potest in infirmo impediri, vt ob periculum vomitus, vel defectum iudicii sufficientis ad deuotionem, quam requirit tam digni Sacramenti susceptio. Taliter enim infirmo, in sua spiritali necessitate subuenitur per Extremam vnctionem, sine præmissione duorum illorum sacramentorum. Quod intelligę iuxta dicenda in proxime sequenti libro, num. 78 & 79.

75. Iam si remissa vi morbi, fieret illorum capax, deberent ei administrari. Nam extremæ vnctionis sumptio non est impedimentum sumendi alia sacram, quando nihil aliud obstat. Et ita si infirmus post acceptam Extremam vnctionem labatur in peccatum mortale, non tantum potest, sed etiam tenetur sacramentaliter confiteri. Similiter si Eucharistiam petat, etiam si illam iam antea receperit, non est ei neganda si nihil aliud obstet, prout notat in fine citati numeri octaui Suarez.

76. Quintum documentum est: Cum peccatorum mortalium confessio & Eucharistiæ sumptio sint in præcepto obligante sub mortali, pro mortis articulo, in quo conferenda est extrema vnctio: si aliquando tantum periculum esset, vt timeretur non futurum tempus pro omnibus illis tribus sacramentis suscipiendis: primum omnium faciendam esse confessionem, non quidem truncatam, vt sit tempus susceptioni duorum aliorum sacramentorum; sed integram cum præcipiatur non tantum fieri de omnibus mortalibus, quorum quis sibi conscius sit. Eam vero de præcepto debere Eucharistiæ præmitti, constat ex Concilio Trid. sess. 13. cap. 7. Præmittendam autem esse tunc Eucharistiæ sumptionem, Extremæ vnctionis sumptioni tamquam multo magis requisitam, patet ex eo quod sumptio ipsa Eucharistiæ tunc posita sit in præcepto: & ideo non tantum vtilis, sed etiam necessaria sit ad vitandum peccatum mortale: si non aliud, saltem illud sub quo tale præceptum obligat. Sumptio vero Extremæ vnctionis, ne tunc quidem sit in præcepto, iuxta habita in principio huius capitis.

77. Sextum documentum est: Parochos solos teneri; *per se loquendo*, ad huius sacramenti ministrationem. Atq; quod ipsi de se teneantur, patet: quia ex officio, & ideo *ex iustitia*, tenentur suis ouibus ordinaria remedia salutis suæ ministrare, qualia sunt sacramenta quæ Christus pro omnibus fidelibus reliquit: & quorum administratio est in Ecclesiæ ordinario vsu, quando secundum rectam rationem & opportuno tempore petuntur: sicut Extrema vnctio petitur ab ægroto, qui graui infirmitate laborans periclitatur de vita. Quod autem de se soli Parochi administrare teneantur, patet: quia alii non habent officium, ex quo oritur eiusmodi obligatio. Quamquã specialis ratio est de Episcopis, vt Suarez monet *sect. 2. num. 2.* cum ipsi quoque sint pastores animarum:

marum: ideoque ex iustitia teneantur curam earum habere. Sic enim fit vt Parochis, *qui sunt ipsorum coadiutores*, deficientibus, ad ipsos redeat obligatio prouidendi ouibus, siue per alios siue etiam per seipsos: nisi forte iusta habeant impedimenta quæ excusent. Monet etiam bene idem Suarez, alios idoneos, ex accidenti obligari quoque ad hoc sacramentum ministrandum: nimirum cum non adest Parochus qui tale ministerium exerceat: tunc enim proximus censendus est in graui necessitate constitui: cui subueniendi obligatio, per præceptum charitatis imponitur.

78. Septimum documentum est: Ministrantem istud sacramentum, obligari ad se bene disponendum: ita vt peccati mortalis conscientiã habens, teneatur se ad statutum gratiæ saltem per contritionem, disponere. Itemque obligari, non nisi conuenienter disposito ministrare, ac denique seruare ritus ab Ecclesia præscriptos, vel consuetudine laudabili retentos. Ad huius confirmationem & plenã intelligentiam, videnda sunt dicta in præc. li. 2. c. vltimo docum. 9. & 10. 15.

Ritus autem illi sunt: vt fiant septem vnctiones certo ordine & modo cum prolatione verborum sacramentalium: Item vt illis præmittantur, vel post illas addantur Psalmi & orationes. Et demum vt fiant cum vestibus sacris in Ecclesia vsitatis: verbi gratia, cum superpelliceo & stolã, nonnullisque aliis qui notantur in Rituali. De quibus monet Suarez sub finem citatæ sectionis 2. cum vrget necessitas posse cum solis essentialibus (additis postea accidentalibus, *hoc est, Psalmis & precibus*) sacramentum conferri, non tamen sine sacerdotali ornatu, iudicio prudentis requisito ad reuerentiam sacramento debitam, contra quam vtilitati hominis seruiendum non est.

FINIS.

LIBER QVARTVS, ET TOTIVS OPERIS VIGESIMVSNONVS.

DE SACROSANCTO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO

PROOEMIVM.

DE hoc differentes authores magno numero Henriquez refert tomo 1. Theologiæ moralis initio libri octaui, quibus accessit Suarez ad 3. par. D. Thomæ tomo 3. à disput. 39. ad finem vsque. Cuius potissimum tanquam recentioris, docti & diligentis, sectabimur vestigia. Considerabimus autem 1. absolute sacramentum ipsum. 2. eiusdem materiam. 3. formam. 4. ministrum. 5. recipientes. 6. effectus. 7. Missæ celebrationem, tanquam solemnem ritum, cum quo consecranda est Eucharistia ipsa. Quam methodum D. Thomas seruat in 3. par. quæst. 73. & aliquot sequentibus.

CAPVT I.

De ipso Eucharistiæ sacramento absolute.

SVMMARIVM.

1 *Præcipua nomina quibus sacramentum hoc significatur.*
2 *Quod sacramentum Eucharistiæ non sit consecratio, nec sumptio corporis & sanguinis Christi, nec solæ species sensibiles, nec solum corpus & solus sanguis Christi.*
3 *Est quid aggregatum ex speciebus panis & vini, & ex corpore & sanguine Christi.*
4 *Variæ differentiæ inter Eucharistiam & alia sacramenta.*
5 *Eucharistia sacramentorum omnium dignissimum, in quo est Christus verus Deus.*
6 *Eucharistiæ sacramentum vnum est ad eum modum, quo refectio corporalis ex cibo & potu, vna est.*
7 *Differenter tamen hoc nomine, quod in Eucharistia tantundem sumatur alterutra specie, quantum sub vtraque.*
8 *Sumptio Eucharistiæ necessaria quidem est necessitate præcepti, non tamen necessitate medij.*
9 *De tempore quo instituta est à Christo Domino nostro sacrosancta Eucharistia.*
10 *Figuræ huius sacramenti tam legis naturæ, quam Mosaicæ.*

CIRCA ipsum Eucharistiæ sacramentum D. Thomas in citata quæst. 73. sex considerat, nomen, naturam, vnitatem, necessitatem, institutionem, & figuras.

SECTIO I.

De nominibus sacramenti Eucharistiæ.

Hæc 1.

QVod attinet autẽ ad primũ, varia habẽtur huius sacramenti nomina, indicantia dignitatem & fructus eius. Quatuor vero censentur præcipua, quorum D. Th. meminit art. 4. in cuius commentario alia ex Patribus Suarez adiungit. Quia igitur sacramentum hoc significat; tum præteritam Christi passionem; tum præsentem gratiam & mystici corporis Christi (Ecclesiæ inquam) vnitatem, tum demum futuram gloriam: *quæ omnia nequiuerunt vno nomine conuenienter explicari*: ipsum dicitur, tum sacrificium, vel hostia, quatenus significat passionem Christi, qui vt mortuus, pro hominibus Deo Patri offertur in Missa pro salute viuorum & mortuorum: tum synaxis, seu communio, quatenus significat vnionem fidelium inter se, & cum Christo: tum etiã Eucharistia, id est, bona gratia, quatenus realiter continet Christum Dominum, qui est plenissimus gratia, & fons gratiarum omnium: tum demum viaticum, quatenus nos præparat ad gloriam: ad eam enim præbet viam, per gratiam refectionis spiritalis quam confert. Quo nomine maxime solet dari exeuntibus ex hac vita.

SECTIO II.

De natura sacramenti Eucharistiæ.

2. QVod attinet ad 2. docendum est: tum quod sit sacramentum Eucharistiæ, tum in quo differat ab aliis sacramentis.

De priore, quod Eucharistia sit verum ac proprium nouæ legis sacramentum, ne quidem Sectarij negant, patetque per authoritates sacræ Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quas habet Suarez disput. 39. sect. 3. estque aperta definitio Concilij Florent. in instruct. Armenorũ. & Concil.

Triden.

Triden. sess. septima cap. 1. & late sess. 13. Difficultas est autem, An ipsum Eucharistiæ sacramentum sit consecratio corporis & sanguinis Christi, q̃ transubstantiatio dicitur, & fit per ea verba, quæ formam illius esse docebimus in sequenti cap. 3. prolata super panem & vinum, quæ constituuntur eiusdem sacramenti materia, prout in cap. 2. exponetur, an vero ipsum sit panis & vini consecrati species, continentes corpus & sanguinem Christi, absque vlla panis & vini substantia: an autem sit corpus & sanguis Christi, sub illis speciebus, seu panis & vini accidentibus continentur? An demum sumptio corporis & sanguinis Christi contenti sub iisdem speciebus.

Cui difficultati, *suppositio quod habitum est in libro 26. capite primo ad rationem sacramenti nouæ legis requiri, vt ipsum sit res sensibus subiecta: vim habens non modo significandæ, sed etiam producendæ diuinæ gratiæ animam iustificantis:* potest cum Bellarm. in lib. 4. de Euchar. cap. 6. satisfieri. Dicendo Sacramentum Eucharistiæ non esse consecrationem; quæ signum quidem est corporis Christi: non tamen signum & causa gratiæ iustificantis. Nec esse sumptionem corporis & sanguinis Domini: quoniam hæc est quidem conditio, sine qua virtus Sacramenti (corpus inquam & sanguis Christi) non applicaretur ad hominem, vt in eo causet diuinam gratiam ex opere operato: non est tamen proprie causa talis gratiæ, cum sit actus suscipientis: cui nulla eiusmodi vis causandi ineſt. Nec enim ad productionem sacramentalis gratiæ, Deus vtitur concursu alterius efficientis, quam ministri sacramenti. Videri potest Suarez *disp.* 42. *sect.* 4 Nec item esse solas species sensibiles patet, quia solæ non sunt spiritualis cibus, reficiens & sustentans animam; vt satis indicant verba Domini Ioan. 6. Caro mea vere cibus, & sanguis meus vere est potus. Quare nec solæ sunt causa gratiæ, & per consequens nec solæ sunt sacramentum Eucharistiæ. Nec denique esse solum corpus & sanguinem Christi, sine ordine ad species, patet: quia de ratione sacramenti est, vt sit res subiecta sensibus: cuiusmodi non sunt in Eucharistia corpus & sanguis Christi, sine ordine ad species sacramentales.

3. Superest igitur vt *quemadmodum plenius in ead. disput 42. sect. 1. & 3. tradit. Suarez*, tam species seu accidentia panis & vini, quam corpus & sanguis Christi, in quæ per consecrationem conuersa est panis & vini substantia, constituant essentiam sacramenti Eucharistiæ: ita tamen *addit Bellarm. prop. 5.* vt ratio sacramenti magis conueniat speciebus, vt continent corpus & sanguinem Christi, quam corpori & sanguini Christi, vt sunt sub iisdem speciebus. Quod probat: quia ex Concil. Triden. sess. 13. cap. 3. commune est Eucharistiæ cum aliis sacramentis, vt sit symbolum externum, & visibilis forma inuisibilis gratiæ. Iam vero in sacramento Eucharistiæ visibilem formam esse, constat magis conuenire speciebus sacramentalibus quam corpori & sanguini Christi. Et confirmatur, quia in Eucharistiæ sacramento corpus Christi adiunctum speciebus sacramentalibus, est loco virtuti efficiendi gratiam quæ in aliis sacramentis adiungitur rebus, vt sint idonea instrumenta producendæ gratiæ. Sicut ergo in aliis sacramentis, non dicimus quod sacramentum sit vis illa gratiæ productiua, prout adiuncta est rebus eiusmodi externis: sed potius quod sit illæ ipsæ res, prout eamdem vim adiunctam habent: ita in sacramento Eucharistiæ, non corpus & sanguis Christi, sub speciebus debet proprie loquendo dici sacramentum, sed illæ ipsæ species, vt corpus & sanguinem Christi continent.

Sectio III.

De differentia Eucharistiæ à cæteris sacramentis.

4. De posteriori constat inter sacramentum Eucharistiæ & alia sacramenta plures esse differentias. Prima est, quod reliqua sacramenta consistant in vsu & applicatione materiæ ipsorum ad suscipientem: itaut tali applicatione absoluta, desinant esse sacramenta, nec habeant esse permanens: sic enim baptismus solummodo est, dum fit ablutio corporis humani cum debita verborum forma: & ita de cæteris. Sacramentum vero Eucharistiæ in suo esse intrinseco non dependet ab vsu & applicatione; sed ante vsum habet per consecrationem, esse permanens: quandiu conseruantur species sacramentales, corpus & sanguinem Christi continentes: itaut merito diximus hoc sanctissimũ sacramentum (secundum vsum quem, *in Ecclesia consuetudine antiquã receptum*, Concil. Triden. statuit seruandum, in sess. 13. cap. & can. 7.) contineri in sacra pixide seruari in sacrario, deferri ad ægrotos.

Secunda differentia est *quam D. Tho. habet 3. par. quæst 73. art. 1. ad 3.* quod in cæteris sacramentis gratia & sacramentum non sint aliter quam in suscipiente: in Eucharistia vero, sacramentum sit extra suscipientem, & antequam producat in illo gratiam quam significat. Item cum Eucharistia sit commune cum sacramentis imprimentibus characterem, vt in ea distinguantur tria: nimirum res tantum sacramenti, hoc est, prædicta gratia; sacramentum tantum, species videlicet sacramentales; & res simul & sacramentum; nimirum corpus Christi: quod est res sacramenti, quatenus significatur per ipsas species sensibiles, sub quibus existit: & est sacramentum quatenus sic existens, symbolum est, *vt habet Concil. Trid. sess. 13. cap. 2.* vnius illius corporis: cuius ipse est caput, & cui nos tanquam membra arctissima fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit vt omnes diceremus idem, nec essent in nobis schismata. Cum inquam hæc ita sint differentia adhuc est inter Eucharistiam & prædicta sacramenta, quod character (cui tribuitur, vt simul sit res & sacramentũ) non sit in illis, producitur enim in suscipiente, non autem in sacramento. Corpus vero Domini sit in Eucharistia; nec nisi per eam, communicetur suscipienti.

Tertia differentia est, quam iam attigimus, quod cætera sacramenta constent rebus externis, & virtute à Deo illis indita, qua possint signa esse & causa gratiæ (cuiusmodi sit ea virtus disputant Scholastici: pro quo vide Greg. à Valen. *disp. 3. quæst. 3. puncto 1. versus finem*) Eucharistia vero constet externis speciebus panis & vini: & corpore ac sanguine Christi, quæ vt instrumenta Dei concurrunt ad gratiam sacramentalem in anima producendam, seu ad animam spiritali refectione confortandam.

Quinta differentia est: quod quia esse aliorum sacramentorum positum est in fluxu, ipsa tamdiu durent, quamdiu durat materiæ & formæ ipsorum applicatio ad suscipientem. Quia vero esse Eucharistiæ est permanens, ipsum duret post applicationem formæ ad materiam: seu post panis & vini consecrationem factam verbis à Christo institutis, de quibus in sequenti cap. 3. Vbi aduerte hoc sacramentum non constare ex rebus & verbis tanquam ex materia & forma ad modum compositi physici, quod existit tantum existente ipsius forma in materia: sed alio nomine nempe quod ad hoc vt ipsum fiat, requiratur materia panis & vini, quæ conuertatur in corpus & sanguinem Christi: & forma verborum consecrationis, per quam fit talis conuersio: iuxta Concilium Florent. in instruct. Armen. quod plenius intelligitur per dicenda in eodem cap. 3.

Cæterum sacramentum istud esse dignissimum omnium, constat tum ex aliis, quæ Suarez habet *disput. 39. sect. 2.* tum ex eo maxime, quod contineat vere ac realiter corpus & sanguinem Christi, cum anima & diuinitate ipsius vt habet Concil. Triden. sess. 13. cap. 3. itaut adorari debeat cultu latriæ, etiam externo, prout idem Concil. in ead. sess. can. 6. decernit. De qua re aduersus Sectarios Bellarm. lib. 4. De Euchar. cap. 29. & 30.

Sectio IV.

De vnitate sacramenti Eucharistiæ.

IN huius consideratione, *quam longam habet Suarez in citata disput. 39. sect. 3. & 4.* non immorabimur diutius, quia institutum nostrum non videtur id exigere. Ideoque contenti erimus notare ad vnitatem huius sacramenti, non requiri partium ipsius vnionem ac coniunctionem Physicam, sicut in re naturali: sed sufficere earum certam inter se proportionem & compositionem accommodatam fini ad quem ordinatur totum quod ex constituunt: perinde ac in artificiali: quæ non est diuersæ speciei quantumuis constet partibus hæterogeneis: quia ad vnum & eumdem finem

ordinan-

ordinantur; prout patet in domo, & in exercitu, & multis aliis. Quamuis ergo in Eucharistia species panis & vini diuersæ sint, constituunt tamen vnum sacramentum, quia ordinantur ad vnum finem, nempe ad refectionem vnius corporis, de quo D. Paulus in priori ad Corinth. 10. Vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus.

In quâ sententiam præclare catechismus ad Parochos, iussu Concilij Trident. editus, in tractatu de Eucharistia: his verbis. Cum huius sacramenti gratia, vnum corpus mysticum efficiatur; vt sacramentum ipsum conueniat rei quam efficit, vnum esse oportet: atq; vnum quidem, non quia sit indiuiduum, sed quia vnius rei significationē habet. Nam quemadmodum cibus & potio, quæ duæ res diuersæ sunt, ad vnam tantum rem adhibentur; vt scilicet vires corporis reficiantur: ita etiam duas illis diuersas sacramenti species respondere consentaneum fuit: quæ cibum spiritualem significarent, quo mentes sustinentur & recreantur. Quare à Domino Saluatore dictum est Ioan. 6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. hæc ibi. Ex quibus intelligitur hoc sacramentum vnum esse ratione significationis. Quamquam tamen ob pluralitatem specierum significantium, nonnunquam nominatur plurali numero. Vide Greg. à Valen. *tom. 4. disput. 6. quæst. 1. puncto* 4. dicentem id fieri, eo quod sacramentum hoc, sit quidem vnum formaliter (prout habetur ex dictis) sed sit plura materialiter.

7. Aduerte autem prædictam refectionem spiritalem à corporali maxime differre: quia in corporali non recipitur tantum nutrimenti & substantiæ, ex solo cibo, aut ex solo potu, quantum ex cibo & potu simul. In hoc vero sacramento, etiamsi ipsum refectionem spiritalem nō significet perfectè, sub vna tantum specie, ideoque non habeat totum id quod quatenus sacramentum, ad integritatem requirit significationis: tamen ratione rei sacræ in illo sub speciebus contentæ, hoc est, ratione corporis & sanguinis Christi, tam perfectum est sacramentum sub vna specie, quam sub vtraque. Licet enim præcisè ex vi consecrationis & formæ verborum, sub speciebus panis contineatur corpus Christi; & sub speciebus vini, sanguis Christi: tamen sub qualibet earumdem specierum, imo & sub qualibet earumdem parte, totus & integer Christus cum corpore, anima, & diuinitate vere continetur: ita vt certissimum sit tantumdem contineri sub alterutra earumdem specierum ac sub vtraque, prout docet Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. & canone 3. Ratio vero (*quæ in eo cap. habetur*) sumitur quoad humanitatem quidem ex vi illius naturalis connexionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini (qui ex mortuis surrexit, non amplius moriturus) inter se copulantur. Quoad diuinitatem vero ex indissolubili dictarum partium (animæ inquam & corporis Christi) hypostatica vnione cum ea ipsa diuinitate. Ex quibus satis colligitur, quod admissum communi Theologorum consensu, Bellarm. confirmat *in antecat. lib. 4. De Euchar. cap. 23. propos. vltima*, nihil spiritualis fructus capi ex duabus illis diuersis speciebus sacramentalibus; quin capiatur ex vna: & ita Sacerdotem communicantem sub vtraq; specie, non recipere maiorem fructum & gratiam cæteris paribus, quam laicū sub vna tantum communicantem: sicut nec maiorem recipit, qui simul plures hostias consecratas sumit, quam qui vnicam: aut qui eam integram, quam qui illius partem, ex D. Thom. *3. par. quæst. 79. art. 7. ad 3.* Dico simul seu per modum vnius refectionis; quia secus esset, si plures sumerentur per modum diuersarum refectionum: vt cum in die Natiuitatis Domini idem Sacerdos dicit tria Sacra, nam gratia multiplicatur pro multitudine talium refectionum: ideoque frequentatio earumdem suaderi solet.

Sectio V.

De necessitate, institutione & figuris sacramenti Eucharistiæ.

8. Quod attinet ad necessitatem huius sacramenti, ea duplex esse potest: vna præcepti, & altera medij. De priore dicetur postea cum de suscipiente illud; vbi docebitur de illius susceptione dari præceptum, tam diuinum, quam humanum; & quomodo, quando, & quos tale præceptum obliget, & qua ratione satisfiat eiusmodi obligationi. De posteriore autem est magna difficultas. An scilicet hoc sacramentum ita sit necessarium, vt absque illius sumptione salus æterna obtineri nequeat. Illam autem copiosè tractat Suarez disput. 40. supponens duplici tantum nomine, censeri posse taliter necessarium. Vel quod sine illius sumptione haberi nequeat prima gratia requisita ad iustificationem peccatoris, qui est alioqui æternæ mortis reus. Vel quod homo nequeat absque eadem susceptione, perseuerare in gratia, vsque ad gloriæ consequutionem. Præter quæ duo, nihil aliud, *nisi tanquam ad illa ordinatum*, esse ad salutem simpliciter necessarium, ex eo constat; quod secundum Christianam fidem quicumque iustus fuerit, & in iustitia vsque ad finem perseuerauerit, saluabitur ex Christi promisso in cap. 24. D. Matthæi vers. 13.

Et vero, ad neutrum illorum Eucharistiam esse simpliciter necessariam: ac per consequens, nec esse ad salutem necessariā necessitate medij, ipse Suarez late probat: nobis satis est, quod multi salutem consequantur sine reali Eucharistiæ susceptione: vt pueri baptizati, morientes antequam facti sint ad eam idonei: & nonnulli adulti, qui de peccatis rite confessi, nequeunt habere illius copiam: nam tunc vtrisque sufficit votum eiusd. De quare D Tho. *3. par. quæst. 73. art. 3.* vbi de pueris sic habet inter cætera. Quia per baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam: ideo ex hoc ipso quod pueri baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam. Et sic sicut ex Ecclesiæ fide credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam, & per consequens recipiunt rem ipsius.

Quod attinet ad institutionem. Maiores nostri omnes, *vt habet Concil. Trid. sess. 13. cap. 1.* quotquot in vera Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc sacramento disseruerunt: aperte professi sunt hoc tam admirabile sacramentum in vltima cœna Redemptorem nostrum instituisse: cum post panis, vinique benedictionem se suum corpus illis præbere, ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est; quæ commemorata ab Euangelistis Matthæo cap. 26. Marco cap. 14. Luca cap. 22. postea repetita sunt à D. Paulo in priori ad Corinth. cap. 11. Causas autem finesve talis institutionis idem Concilium in sequenti cap. 2. habet breuiter & perspicue traditas. Vbi videri possunt. Vt & apud D. Thomam tertia par. quæst. 73. art. 1. videri ratio ostendens quod conueniens fuerit, in noua lege institui tale sacramentum quod esset cibus animarum. De quare Suarez *tum ibidem in commentario, tum in disput. 39. sect. 1. dicto 1.* 9.

De tempore institutionis habetur ex citatis verbis Cōcil. Triden. & ex Clemen. vnica. De reliq. & venerat. Sanctorum, illud fuisse noctem Cœnæ priusquam Dominus ipse pateretur. Tunc enim, *vt habet idem Concil. Trid. sess. 22. cap. 1.* corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit & sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituerat, vt sumerent, tradidit: & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem. Hoc igitur tam salutare sacramentum ab ipso Domino nostro, Ioan. 6. promissum ac commendatum, institutum, exhibitumque est in prædicta nocte. Cur in ipso passionis ingressu, potius quam prius vel post passionem conueniens fuerit sacramentum istud instituī: nonnullaque alia eodem spectantia Suarez persequitur disput. 41. apud quem relinquemus videnda sciendi cupido: quia ad nostrum institutum necessaria non videntur.

Quod attinet ad figuras huius sacramenti, varias præcessisse tempore legis naturæ & Mosaicæ, expressit Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. in fine: quas D. Thomas *3. par. quæst. 73. art. 6.* reuocat ad quatuor capita: Nam cum possimus tria considerare in hoc sacramento: tum id quod tantum est sacramentū: nempe species panis & vini: tum id quod res est, & sacramentum: corpus scilicet Christi verum pro 10.

nobis passum: tum demum id quod tantum est res, nempe gratia, quam hoc sacramentum susceptum causat in anima: præfiguratum est nonnunquam ratione primi: vt per sacrificium Melchisedech, qui obtulit panem & vinum Genes. 14. nonnunquam ratione secundi, vt sacrificia omnia legis Mosaicæ: præsertim sacrificium expiationis, quod erat solemnissimum (*de quare in cap. 9. epist. ad Hebræos*) nonnunquam ratione tertij: vt manna, quod sicut habebat in se omnem saporis suauitatem, Sapien. 16. ita & gratia huius sacramenti plene reficit mentem. Nonnunquam deniq; ratione illorum omnium vt Agnus Paschalis, prout ipse D. Thomas satis clare explicat: indeque infert eum esse præcipuam huius sacramenti figuram. Porro quo modo ex iisdem figuris contra hæreticos probetur præsentia corporis Christi in Eucharistia, videre est apud Bellarm. lib. 1. De Euchatistia cap. 3.

CAPVT II.

De materia sacramenti Eucharistiæ, ac primo vniuerse.

SVMMARIVM.

11 *Materia Eucharistiæ, panis & vinum.*

12 *Panis consecrari potest prius tempore quam vinum: & ad validitatem consecrationis vnius eorum, non est necessarium sequi consecrationem alterius.*

13 *Illicita est nihilominus consecratio, quam non sequitur consecratio alterius.*

14 *Excusatio illius à peccato, qui per ignorantiam inculpabilem, aut obscandalum, vel mortis periculum: consecrat panem non consecrato vino, vel contra.*

15 *Nullo modo licere potest directe intenta consecratio vnius partis Eucharistiæ sine alia.*

16 *De necessitate huius sacramenti est, vt Sacerdos præsentem habeat materiam consecrandam: & qualiter præsens esse debeat.*

17 *Explicatio difficultatis: An certa determinataque quantitas sit de necessitate sacramenti Eucharistiæ.*

18 *Responsio affirmatiua ad aliam difficultatem de necessitate intentionis ministri, consecrandi particularem materiam ante se præsentem, cum aliquot corollariis inde deductis.*

19 *Quando censenda sint consecratæ hostiæ, quarum non meminit Sacerdos dum consecrat: & quod ex defectu intentionis, non censeantur consecratæ guttæ quæ in calice apparent separatæ.*

20 *Non alius panis, quam triticeus est materia Eucharistiæ: & quid si in illius confectione, sit farinæ triticeæ admixta alia alterius generis.*

21 *Requisita in pane facto ex farina triticea, vt censeatur idonea materia Eucharistiæ.*

22 *Non est quidem de necessitate sacramenti, vt talis panis sit azymus: est tamen de necessitate præcepti in Ecclesia Latina: & contra, in Ecclesia Græca.*

23 *Consecrationis sanguinis Christi materia est vinum de vite: cuiuscunque sit generis.*

24 *Non item expressum ex fructibus aut herbis: aut adhuc existens in vuis, aut ex iis non maturis expressum.*

25 *Aut conuersum in acetum, aut sapa vel lora, & quid de vino acescente, aut congelato.*

26 *Admiscenda est aqua vino in Eucharistia, de necessitate tantum præcepti.*

27 *Seruanda in tali admixtione.*

CONSIDERABIMVS primo absolute materiam sacramenti Eucharistiæ. 2. particulariter materiam consecrationis corporis Domini. 3. materiam consecrationis sanguinis.

PRIMA PARS CAPITIS.

De proposita materia absolute.

11. QVÆRI POTEST PRIMO, Quænam sit talis materia? Ad quod respondetur de fide tenendum esse, quod sit panis & vinum. In his enim Christum cõsecrasse corpus & sanguinem suum patet ex Euangelica historia: quæ dicit acceptum panem benedixisse; similiter & calicem, in quo contentum fuisse vinum constat, ex eo quod Dominus ipse illud ante consecrationem vocarit generationem vitis Lucæ 22. & post cõsecrationem genimen vitis Matth. 26. & Marci 14. Accedit definitio Ecclesiæ in Concil. Lateranensi relata in cap. Firmiter, De summa Trinit. & fide Cathol. §. Vna vero: & in Concil. Florent. in instruct. Armen. & in aliis quæ commemorat Suarez *disput. 43. sect. 1.* Vbi addit Patrum authoritates, & rationes Scholasticorũ, quibus ij ostendunt talem materiam huic sacramento congruentem esse.

12. QVÆRI SECVNDO POTEST, An necessarium sit, vtramq; eam materiam concurrere ad perficiendum hoc sacramentũ. Ad q̃ Suarez in sequenti sect. 2. respondet tribus ꝓpositionibus. Prima est, vnam ex illis materiis, prius tempore consecrari valide, quam alteram. Hanc, factum Christi satis confirmat. Nam antequã ipse consecraret calicem, dixit: Hoc est corpus meum; & verum dixit. Ergo ex vi veritatis formæ vna materia prius tempore cõsecratur, quam altera. Confirmat quoq; recepta Ecclesiæ consuetudo, quæ statim ac perfecta est consecratio corporis Domini, ipsum proponitur populo adorandum. Cæterum etiamsi valida esset consecratio vini facta ante consecrationem panis: grauiter tamen peccaret qui illam proponeret, tanquam recedens à Christi exemplo, & à recepto Ecclesiæ vniuersalis vsu. De qua re post Sotum idem Suarez circa finem eiusdem sectionis.

Secunda propositio est, Ad validitatem consecrationis vnius partis materiæ, non esse necessarium vt altera pars consecretur, sed posse vnam partẽ sine altera cõsecrari, ita vt factũ teneat, Hæc sequitur ex præcedenti: quia si panis prius tempore consecretur, quã vinum, manebit corpus Christi, quantumcunq; siue per ignorantiam, siue per obliuionẽ, aut ineuriam, siue per malitiam non adiungatur consecratio vini. Neq; enim corpus Christi sub speciebus panis, pendet ex præsentia sanguinis sub speciebus vini cum de fide sit seruari species panis consecratas, etiamsi consumptæ sint species vini simul consecrati.

13. Tertia propositio est, Illicitam esse vnius materiæ consecrationem sine consecratione alterius. Hæc (*quæ Theologorum communis est vt notat Suarez*) probatur per illud quod in cap. Comperimus, De consecr. distinct. 2. sic dicitur de hoc sacramento. Diuisio vnius eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire. Item per communem Ecclesiæ vsum cui talis consecratio aduersaretur. Ac demum per illam rationem: quod diuinum sacrificium non sit mutilandum. Iam licet vnius materiæ consecratio non sit de necessitate alterius; vtraque tamen est de integritate sacrificij, quod peragitur dum hoc sacramentum perficitur. Ad quod confirmandum faciunt verba Concilij Trid. sess. 22. cap. 1. ante relata num. 9. sicut & illa quæ in ead sess. can. 2. habentur. Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes: aut non ordinasse, vt ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit. Quibus verbis indicatur illud, q̃ omnes Theologos censere, & cõmunem Ecclesiæ vsum ostendere notat Suarez *disput. 43. sect. 2. conclus. 3.* nempe ex diuina institutione vtramq; partem materiæ huius sacramenti esse de substãtiali integritate sacrificij incruenti à Christo instituti. Indicatur pariter præceptum esse Christi, per quod diuino iure illicitum sit hoc sacramentum cõfici in vna materia sine alia. Quod etiam Suarez *ibid. conclus. 2. versus finem attingit.*

14. QVÆRI TERTIO POTEST, Vtrum sit ita necessaria vtraq; materia iure diuino, vt propter nullam causam, liceat in altera tantum sacramentum hoc conficere, etiam ex summi Pontificis dispensatione. Hoc, quia paucis expediri potest, relinquemus pleniorem illius explicationem videndam apud eumdem Suarezium *in sequenti sect. 4.* contenti indicare aliquot documenta pro praxi vtilia quæ ipse persequitur latius.

Primum est: à peccato transgressionis prædicti iuris diuini prohibentis vnam materiæ partem huius sacramenti con-

ti consecrari absque alia, excusare inaduertentiam inculpabilem, qualis censetur illa, qua interdum accidit, vt quis bona fide putans se ponere vinum in calice, ponit aquam; & sic consecrat in solo pane, & postquam deprehendit esse in calice aquam non posse reperiri vinum, aut certe *(in quo est moralis impotentia)* quæri nō potest sine magno scandalo, aut sine euidenti periculo vitæ: Tunc enim ob tantum incommodum declinandum, potest non quærere: præsertim cum id non sit velle facere sacrificium non integrum: sed permittere vt vna pars materiæ maneat consecrata sine alia, & excusabile est in talibus casibus. Sicut enim ex communi sententia, Sacerdos excusatur, si post cōsecrationem vini intelligens in eo esse venenum, ipsum non sumat: etiamsi fortasse nō possit habere aliud vinum quod consecret: cum tamen teneatur sicut in vtraque specie sacramentum hoc conficere, ita & in vtraque illud sumere. Hinc Suarez addit, à peccato excusari Sacerdotem, qui post cōsecratam hostiam ob euidens periculum mortis eam consumeret, & consecratione calicis omissa, fugeret. Bene tamen subiungens id intelligendum esse per se, ex vi præcepti quo Sacerdoti Missæ sacrificium celebranti obligatio imponitur communicandi sub vtraque specie. Nam potest ratione scandali, vel contemptus religionis Christianæ, teneri ad sacrificium perficiendum cum illo periculo.

15. Secundum documentum est: Illicitum esse de se, formaliter directeque intendere sacrificij mutilationem prædicto præcepto prohibitam. Ipsum enim, cum sit vniuersale negatiuum, reddit talem intentionem intrinsece malam: vtpote directe repugnantem Dei voluntati, quam tale præceptum declarat, esse pro semper. Ita vt ne quidem metus mortis, *prout idem Suarez vult*, excuset à peccato eum cui mors intentatur, nisi ad communicandum infirmum consecret panem absq; consecratione vini, quod non potest facile tunc haberi. Ratio est: quia nequit id facere, quin formaliter, directeque intendat mutilare sacrificium, contra Dei perpetuam voluntatem cognitam.

Tertium documentum est: Nulla de causa non modo priuata, sed nec publica, licitum esse Sacerdoti directe vnam materiæ partem propria authoritate consecrare sine alia. Ratio est: quia multum refert ad Dei cultum & reuerentiam huius sacramenti, vt talis licentia non permittatur priuatis hominibus, ipsorumque arbitrio & prudentiæ relinquatur: cum inde possit esse occasio aperta sæpius mutilandi sacrificium istud cum irreuerentia iniuriaque maxima tanti mysterij.

17. Quartum documentum est: Magnam esse controuersiam, An publica Ecclesiæ, Summique Pontificis authoritate Sacerdos licite possit, quod prædictum est: nimirum consecrare vnam Eucharistiæ partem sine alia. Cuius difficultatis partem negantem Suarez probabiliorem indicat, & latius confirmat. Sed nobis satis est in tota Ecclesia nullum esse talis dispensationis vsum: sed in omnibus regionibus etiā frigidissimis integre cōfici hoc ipsum sacramentum, quia per Dei prouidentiam, nec in illis deest vinum, saltem aliunde mari allatum.

16. Qværi potest qvarto, An de necessitate huius sacramenti sit, vt Sacerdos præsentem habeat materiam consecrandam?

Ad quod communis responsio est affirmatiua, fundata in Christi institutione: quam vltra Ecclesiæ traditionem indicant verba formæ, Hoc est corpus meum. Et, Hic est calix sanguinis mei. Nam pronomina, *hoc & hic*, ex vi suæ significationis designant rem præsentem. Difficultas autem est quæ & qualis esse debeat talis præsentia: cuius explicationem persequitur Suarez *in cit. disput. 43. sect. 5.* Sit autem prima propositio, quam D. Thomæ & aliis plurib⁹ idem tribuit. Ad talem præsentiam requiri, vt materia aliquo modo sit coram ministro; nec omnino sit illi à tergo. Probatur; quia res quæ nullo modo est coram homine, non potest apte ac proprie denotari per pronomen, *hoc*, substantiue sumptum, & simpliciter prolatum: vt patet ex communi concipiendi modo hominum, qui audientes sic proferentem, iudicant ipsum loqui improprie, nisi indicet aliquid quod ipse habeat ante faciem, aut certe digito, vel alio simili signo ostendat, si à tergo aliquid teneatur.

Secunda propositio, *in qua omnes fere Doctores conuenire idem Suarez notat*, est, talem distantiam non debere esse nimiam: quia quod valde distat, magis proprie significatur per pronomen, *illud*, quam per pronomen *hoc*. Quanta autem propinquitas sit necessaria, vt distantia non censeatur nimia, nulla certa regula præscribi potest, sed moraliter id diiudicandum est sic inspectis circumstantiis, quod pateat talem esse, vt dubitari nequeat, quin veritas & proprietas formæ sacramenti retineatur. Cæterum nihil consultius est, quam seruare in ea re communem vsum Ecclesiæ, declaratum in rubricis Missalis: à quo vsu is qui in dubio recedit, grauiter peccat: tanquam exponens se periculo nihil faciendi consecrando.

Tertia propositio est: Non esse necessarium ad hoc sacramentum, materiam actu tangi: neque ita propinquam esse, vt à Ministro tangi possit, vel vt sonus prolationis formæ ad eam perueniat. Ratio est: quia ex vi verborum formæ, nihil talium necessarium est ad hoc sacramentum. Quod etiam vsus Ecclesiæ declarat, quo Sacerdos plures hostias consecrare solet ad communicandum populum: quarum *cum aliæ aliis ob multitudinem superponantur*, nec omnes sic positas tangere potest, nec videre, nec ad eas aerem, sonum prolationis formæ deferentem transmittere: sicut nec quando velo, aut alio operculo hostiæ cōsecrandæ teguntur. Vbi aduerte obiectu corporis opaci impedientis ne materia sacramenti tangi aut videri possit: tunc impediri præsentiam ad sacramentum necessariam, quando arbitrio prudentis, inde fit vt formæ proprietas & veritas tollatur; alias, non. Et sic panis, vel vinum, velo aliquo opertum, aut in vase inclusum consecrari potest: quia id non tollit præsentiam secundum humanum modum: ita vt ea propriissime designari possit per pronomen *hoc*, seruata eiusdem propria significatione. Namque continens, & contentum, quoad præsentiam per modum vnius designantur. Sic enim quis de sacculo in quo pecunia habet, proprie dicit: Hæc est mea pecunia: & de amphora vini vere dicit: Hoc est meum vinum: siquidem sit iustus possessor. Panis vero & vinum existens post parietem, non potest consecrari ex omnium Doctorum sententia, vt notat Suarez: quia reuera humano modo est absens, nec de eo proprie diceretur: Hic est; sed, Illic est vinum.

Qværi potest qvinto, An de necessitate sacramenti Eucharistiæ sit certa determinataque materiæ quantitas? Ad hoc vt D. Thomas *3. par. quæst. 74. art. 1 (cuius sententiam elucidant Sotus in 4. dist. 9. quæst. vnica, art. 2. Suarez disput. 43. sect. 6. 7. 8. Greg. à Valen. tom. 4. disput. 6. quæst. 2. pun. 2.)* sic & alij Theologi communiter (teste eodem Greg.) respondent negatiue: hoc est, neque quoad magnitudinem, neque quoad paruitatem, ad istud sacramentum requiri determinatam quantitatem panis & vini. Ratio est: quia ad Eucharistiam talis quantitas materiæ sufficit, & requiritur: qualis sufficit, vt sub speciebus panis & vini, *desinente eorum substantia vi consecrationis*, corpus & sanguis Christi contineantur: adeoque vt per conuersionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Christi, id ipsum sacramentum perficiatur; qualis est quæcumque quantitas in qua fuerit antea vera panis & vini substantia, quæ potuerit in corpus, & sanguinem Christi conuerti: quandoquidem ex Christi institutione nihil habemus aliud, nisi quod panis & vinum sint sacramenti huius materia: non autem quod in aliqua determinata quantitate esse debeant. Nam maxime deberent esse in ea, in qua Christus ipse consecrauit. At id non est necessarium: quoniam dicendum esset alioqui nunquam licere, nec maioris, nec minoris quantitatis panem & vinum consecrare: quod esset damnare Ecclesiæ vsum communiter receptū. Quocirca tanta secundum magnitudinem materia panis & vini est consecrabilis, quanta moraliter & secundum humanum modum, censeri potest præsens consecranti, nec tollere proprietatem & veritatem pronominum *hoc*, & *hic*, iuxta antedicta.

Secundum paruitatem vero nullam requirere determinationem: sed quantumcumque exiguam panis & vini parti-

particulam, consecrabilem esse, dummodo in ea conseruetur substantia panis & vini, quæ possit conuerti in corpus & sanguinem Christi. Si tamen detur panis aut vinum in tam parua quantitate, vt licet possit conseruari, non possit tamen obiici sensibus humanis, etiam perspicacissimis putat Suarez verum esse quod à Ioan. Maiore dictum reprehendunt Sotus & à Valentia: nempe talem materiam non esse aptam ad consecrationem: quia humano modo insensibilis est, nec potest pronominibus *Hic* vel *Hoc* sensibiliter demonstrari. Accedit quod vt minima aquæ gutta negatur esse sufficiens baptismi materia: quia moraliter loquendo non valet ad vsum ablutionis, ad quē aqua in baptismo instituitur: sic insensibilis particula panis aut vini negāda sit materia esse sufficiens Eucharistiæ: quia moraliter loquendo non valet ad vsum ad quem panis & vinum in ea instituuntur. Is enim est proxime quidem vt ratio sacramenti in ipsa Eucharistia compleatur per eorumdem accidentia, quæ consecratione facta manent cum corpore & sanguine Christi. Etenim Eucharistiæ, perinde ac cæteris sacramentis, conuenit symbolum esse rei sacræ, & visibilem formam inuisibilis gratiæ, ex Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. Nec vero capi potest quomodo per accidentia inuisibilis particulæ panis aut vini, Eucharistia censeatur forma visibilis. Remote autem idem vsus est, vt sub talibus speciebus corpus & sanguis Christi per modū cibi & potus sumi possint ab hominibus. At quod insensibile est, comestibile non est aut potabile. Verumtamen hoc non obstante, magna cura prouidendum est, ne quidquam, quantumcunque minimum, de tanto sacramento relinquatur neglectum: quia si qua in re, maxime in hac, omnium sanctissima, nos timoratos esse oportet.

18. QVÆRI POTEST SEXTO: An de eadem necessitate sit, consecrationem ex intentione Ministri definiri ad certum in individuo panem & vinum: seu, quod idem est, Ministri intentionem consecrandi ferri in hunc particularem panem, & in hoc particulare vinum?

Ad quod communis responsio est affirmatiua, quam Suarez in citata disput. 43. sect. 6. confirmat. Sufficit nobis illa ratio, quod sit Minister non intendat certam, & in singulari determinatam materiam consecrare; forma quā profert, non verificetur: quia dicendo *Hoc* vel *Hic*, non demonstrabit particularem materiam, quam idipsum pronomen indicat. Ex qua responsione Authores multa inferunt, quæ idem Suarez refert. Primum est, si quis habeat præsentes octo hostias, & sex tantum consecrare intendat, non determinando quas, nihil efficere: quia non intendit consecrare omnes; neque has potius quam illas. Secundum est, si Sacerdos existimans se habere in manibus vnam tantum hostiam, duas habeat, & consecret: vtramque esse consecratam; quia deceptio illius priuata, non tollit intentionem debitam, quæ moraliter est circa materiam præsentem, prout ipsa proponitur reipsa. Idem est iudicandum, si cum Sacerdos putet se sumpsisse tantum decem hostias consecrandas, inueniantur vndecim, vel quia deceptus est numerando, vel alius ipso nesciente vnam addidit, aut vna iam ibi erat, nec aduertit. Ita notat Sylu. *Eucharistia* 2. *quæst.* 6. Secus esset vero, si Sacerdos determinate intenderet decem tantum consecrare, & haberet vndecim præsentes: nam consecratio tunc nulla est, vt ibidem quoque notat Sylues. Et ratio est, quia vna earum debet necessario censeri non consecrata. Cur autem hæc potius quam illa censeatur, nulla est ratio.

19. Tertium est, quod Nauarrus ex Scoto, Angelo, Panormit. & cōmuni Canonistarum, sententia habet in Enchir. cap. 25. num. 91. Eum, qui multas hostias consecrandas accepit, & postea in actuali consecratione, tantum recordatur eius quam habet in manibus, verba consecrationis proferendo, consecrare omnes. Quia licet non habeat intentionem actualem eas consecrandi, habet tamen virtualem (*quam sufficere sententia est D. Thomæ & Theologorum communis, quemadmodum loco citato habet Sylvester*) prouenientem ab actuali eas consecrandi, quam tunc habuit, cum accepit consecrandas. Sed bene notat Suarez istud esse moraliter intelligendum; vt procedat, dummodo omnes illæ hostiæ sint præsentes consecranti, prout debent esse, iuxta Ecclesiæ morem & Ministri debitam intentionem. Et esse censentur, quando sunt super altare, in quo Missæ sacrificium peragitur; non item si alibi relictæ, tradantur omnino obliuioni: tunc enim probabiliter iudicatur eas non esse consecratas propter defectum debitæ intentionis actualis, ex qua promanet debita intentio virtualis eas consecrandi præsentes, neque aliter quam ferat mos Ecclesiæ.

Quartum est: Si aliquæ sint guttæ vini, vel extra calicem, vel in calice separatæ à toto vino, quod in calice ipso continetur, eas probabiliter iudicari non consecratas, ob defectum intentionis. Namque intentio habenda circa materiam calicis, est vt Sacerdos intendat consecrare illud quod per modum vnius continui potabile existit intra calicem.

PARS ALTERA CAPITIS.

De materia consecrationis corporis Christi.

QVÆRI POTEST SEPTIMO: Quisnam panis sit propria materia consecrationis corporis Christi? 20.

Respondendum est, esse panem triticeum: ita vt in alio non perficiatur consecratio. Quæ est communis Theologorum sententia, *vt notat Suarez disput. 44. sect. 1.* Pro qua facit authoritas Concilij Florent. in instruct. Armen. cuius verba sunt: Tertium est Eucharistiæ sacramentum: cuius materia est panis triticeus. Hinc dicitur in Catechismo ad Parochos edito iussu Concilij Trident. cap. de Eucharistia, quod nullus panis nisi triticeus, apta ad sacramentum materia, putandus sit: quia id Apostolica traditio nos docuit: & Ecclesiæ Catholicæ authoritas firmauit. Vbi etiam duplex ratio, seu congruentia eius rei tangitur. Altera, quod quando panis absolute dicitur, triticeus intelligatur, institutus imprimis ad hominem cibandum: nam cæteri panes instituuntur ad supplendum illius defectum: neq; absolute dicuntur panes, facta cum illo comparatione, sed cum additione, panis hordeaceus, panis ex auena, ex pisis, ex glandibus; & sic de aliis. Altera est: quod cum iussum fuerit in veteri Testamento vt panes propositionis, *qui hoc sacramentum significabant*, ex simila conficerentur: consentaneum sane est sentire, panem consecrandum in Eucharistia, ex farina potissima, qualis est triticea, confectum esse debere: sicque communis Ecclesiæ vsus semper est Christi institutionem interpretatus.

Atque hinc Suarez quædam recte infert. Primum est de pane facto ex fructibus, aut ex leguminibus, aut ex granis, de quibus constat quod non sint triticum, *vt de hordeo & auena certum est*, negandum esse omnino quod sit huius sacramenti sufficiens materia.

Secundum est, omnem panem confectum ex grano, de quo reuera constat quod sit triticum, quantumuis aliter nominetur, esse accommodatam materiam huius sacramenti: vt de siligine exemplum D. Thomas proponit 3. *par. quæst.* 73. *artic.* 3. *ad* 2. quæ nascitur ex tritico sato in terra sterili.

Tertium est, quandocumque granum aliquod est tale, vt dubitetur an sit triticum, velut de zea (*quæ Gallice dicitur espiaute*) & de nonnullis aliis: panem ex illis confectum materiam esse Eucharistiæ dubiam. Quæ dubietas facit, vt practice & moraliter nunquam in tali materia faciendum sit hoc sacramentum. Nam sicut summa reuerentia ei debetur: ita summe cauendum est in eo periculum sacrilegij, quod imminet conficiendo illud in alia materia, quam certa.

Quartum est: Si panis factus sit ex mixtione farinæ tritici, & farinæ siliginis, ex eo confici sacramentum: quia non obstante illa granorum differentia, totus & secundum omnes suas partes est materia accommodata ad Eucharistiæ consecrationē. Si vero factus sit ex mixtione tritici, & aliorum granorum, quæ constat non esse de genere tritici, sacramentum ex eo non perfici, si pars tritici fuerit minor, aut si æqualis: perfici autem, si fuerit notabiliter

maior,

maior. Quæ est doctrina D. Thomæ *in cit. art. 3. ad 3.* Et probatur, quia in confectione panis interueniente farinarum mixtione facta pinsendo & coquendo, maior pars aliam trahit ad suam speciem: alioqui panis factus ex tritico male purgato, non esset censendus triticeus: quod est cõtra communem æstimationem hominum qua talis panis in vsu iudicatur triticeus.

21. QVÆRI POTEST OCTAVO: Quæ requirantur in pane triticeo, vt censeatur materia ad Eucharistiam accommodata.

Respondendum est, quatuor requiri, quæ ex communi Theologorum sententia Suarez adfert *in citata disput. 44. sect. 2.*

Primum est, vt coagmentatus sit ex farina triticea, eaque non corrupta, sed seruante suam naturam, & ex aqua naturali: adeo vt coagmentatus ex eadem farina & lacte, aut oleo, vel alio simili liquore, non sit materia accommodata ad Eucharistiam: quia reuera non est panis positus in hominum vsu, vt sit aliorum ciborum velut comes; sed potius est placenta. De mixtione autem alicuius talis liquoris cum aqua naturali iudicandum est, sicut de mixtione farinæ non triticeæ cum triticea; Eam scilicet non tollere rationem panis vsualis, ad sacramentum necessarij, si aqua naturalis ita superabundet alteri liquori, vt verosimile sit, quod subactione & coctione illum ad suam speciem trahat.

Secundum est, vt talis panis sit coctus: cruda enim massa sicut non est panis, quo homines in cibum vtantur: ita nec est materia sufficiens ad hoc sacramentũ, quod Christus in pane vsuali instituit, vt dubitandum non est.

Tertium est, vt sit panis solo igne coctus: nam massa oleo aut butyro frixa, aut aqua elixa, non est verus panis vsualis: quali vtimur tanquam aliorum ciborum comite, sed potius placenta, lagana, pultes aut quid simile. Nihil refert vero quo instrumento vtamur ad talem panem coquendum, *dummodo coctio pura fiat igne*; quia sola varietas in proximo continente, & in modo applicandi ignem, non impedit quominus fiat verus panis.

Quartum est, vt panis prædicto modo confectus perseueret in sua substantia: Si enim corruptus sit, iam non est panis, sicut neque acetum est vnum: ideoque non est sufficiens Eucharistiæ materia. De qua corruptione vt iudicetur consideranda est, *iuxta D. Thomam in cit. art. 3. ad 4.* accidentium, vt coloris & saporis mutatio, & num facile fiat resolutio illius, quasi in cineres. Cum autem non est tanta corruptio, quæ panis speciem soluat, sed solum aliqua dispositio ad corruptionem, *quod aliqualis mutatio saporis declarat*, tunc censeri quidem potest materia ad sacramentum sufficiens: sed ex eo Eucharistiam consecrans peccat ob irreuerentiam tanti sacramẽti. Quod multo magis verum est, cum talia corruptionis signa offeruntur, quæ reddãt materiam sacramenti dubiam: vt panis qui prius male coctus, postea per compressionem digitorum, quasi in massam redigitur. Nam quamuis talis contrectatio nõ videatur sufficiens ad faciendam substantiæ mutationẽ, tamen ex accidentali mutatione quam facit, relinquit rem dubiam. Similiter quando ex amylo, seu amydo panis efficitur: dubium enim est an is sit sufficiens materia. De qua re Authores in vtramq; partem refert Suarez in fine eiusdem sect. 2. sequens *(cum pluribus aliis quos refert)* D. Thomæ sententiam: qui loco citato partem negantem tenet: quia amylum est quidem ex tritico, sed ita corrupto, vt ex illo exprimatur humor instar lactis, calore Solis concrescens. Quem humorem accidentia satis ostendunt diuersum esse a farina triticea. Quocirca aquæ naturali permixtum, & coctum igne, non licet ad consecrationem corporis Domini assumere. Imo, *vt probabilius est*, nec valide assumi potest.

22. QVÆRI POTEST NONO: An sit de necessitate Eucharistiæ, vt panis ex quo conficitur, sit azymus, an vero vt sit fermentatus. Respondendum est, neutrum esse de necessitate sacramenti; vtrumque autem esse de necessitate præcepti, nõ tamen similiter: sed vnum in Ecclesia Latina, & alterum in Græca. Simpliciter autem congruentius esse panem azymũ adhibere iuxta ritum Ecclesiæ Latinæ, quam fermentatum, iuxta ritum Ecclesiæ Græcæ. Cuius responsionis prima pars est de fide ex definitione Cõcilij Florent. sess. vltima in literis vnionis Orientalium & Occidentalium: in quibus definitur siue in azymo, siue in fermentato pane triticeo ipsum Domini corpus confici: Sacerdotesque conficere debere vnumquemque iuxta suæ Ecclesiæ siue Occidentalis, siue Orientalis consuetudinem. Et certe vterq; panis est vere panis, nisi massæ tantum fermenti admixtum fuerit, vt hoc illam, non autem illa hoc ad suam speciem traxerit. Quo contingente, non censeretur panis ad vsum humanum accommodatus: & per consequens nec accommodatus ad sacramentum cõficiendum, prout D. Thomas attigit *3. par. quæst. 74. art. 4. in fin.*

Secunda vero eiusdem responsionis pars (communi consensu recepta, vt notat Suarez *disp. 44. sect. 3. dicto 4.*) probatur: quia omnes tenentur seruare Ecclesiæ suæ receptam consuetudinem rationabilem (qualem esse in hac re, vt Latinorum, sic Græcorum, Concilium Florent. loco citato satis iudicauit) quæ legis vim habet ex cap. Dilecti, De arbitris. Vnde in cap. finali, De celebratione Missarum, tanquam legis transgressor punitur Sacerdos Latinus, qui in pane fermentato consecrauit. Tertia demum pars, *quam, Suarez ibidem dicto 2. certam ait*, D. Thomas in corpore citati art. 4. probat primo, ex facto Christi, qui corpus suum consecrauit in azymo. De qua re late Bellarmin. *in lib. 4. De Eucharistia cap. 7. 8. & 9.* Probat 2. ex significatione: quia panis azymus magis significat, quã fermentatus, siue puritatem & sanctitatem corporis, siue etiam puritatem & sanctitatem quam habere debent qui ad hoc sacramentũ accedunt, iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 5. Itaque epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis.]

PARS TERTIA CAPITIS.

De materia consecrationis sanguinis Christi.

QVÆRI POTEST DECIMO, Vtrum solum vinum ex vuis expressum, sit materia consecrationis Christi. 23.

Ad hoc affirmatiue respondendum est. Nam aperta est Concilij Florentini definitio in instruct. Armen. huius sacramenti materiam, esse panem triticeum, & vinum de vite. Constans etiam est Ecclesiæ traditio, Christum Dominum in tali materia instituisse hoc sacramentum: quod satis aperte indicant ipsius verba Matth. 26. Dico autem vobis, Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Quæ cum non pertineant alio, quam quo proxime antecedentia, quibus declaratur institutio consecrationis; temere certe diceretur in alia quam vini ex vite materia, eamdem consecrationem factam esse. Hinc que multa inferri solent, quæ post alios adferunt Greg. à Valen. tomo 4. dispu. 6. quæst. 2. puncto 1. & Suarez tom. 3. disp. 45. sect. 1.

Primum est, cuiuscumq; generis sit vinum ex vite, hoc est, siue album, siue rubrum, siue clarum, siue obscurum, siue dulce, siue austerum, siue forte, siue debile, valere ad conficiendum hoc sacramentum. Ratio est, quia etiamsi diuersitas ea substantialis esset physice: ad institutum tamen Theologicum sufficit, si nihil obstet quominus simpliciter & absolute vinum sit ex vite. Vnde sequitur nec inualidum reddi sacramentũ, si perficiatur in vino quod est ex diuersis permixtum: nam omnes partes illius sunt sufficiens sacramenti materia.

Secundum est, vinum ex malogranatis aut ex aliis fructibus vel herbis, aut radicibus confectum non sufficere ad hoc sacramentum: quia non est simpliciter vinum; vt communis hominum existimatio & vsus satis ostendit. 24.

Tertium est, succum vuarum etiam maturarum, antequam ex eis exprimatur, non esse sufficientem materiam huius sacramenti; quia non est simpliciter vinum: nec (quod requiritur in materia cõsecrationis sanguinis, iuxta illud Matth. 26. Bibite ex hoc omnes) est potabile. Nam sumens vuas in quibus ille tanquam pars continetur, non dicitur potare, sed comedere. Accedit etiam, quod saltem de præcepto iuxta cap. Cum omne. De consecrat. dist. 2.

ad consecrationem sanguinis Christi, vino admiscenda sit aqua; quæ humori adhuc in vuis existenti admiscerí nõ potest. Accedit etiam prohibitio talis consecrationis, facta in cap. Didicimus, eadem distinct.

Quartum est, *quod D. Thom. habet quæst. 74. art. 5. in fine ex cit. cap. Cum omne:* mustum ex vuis maturis expressum sufficientem esse quidem materiam sacramenti, non tamen conuenientem, donec concoctione purgatum sit fordibus, & fex subsideat. Est enim verum vinum, vtpote vim habens calefaciendi, & inebriandi, suoque calore deducens seipsum ad perfectum suum statum: & est potabile, quamuis propter impuritatem non soleat inter homines regulariter adhiberi in potum. Propter quam causam nec decet illud assumere ad sanguinis Domini consecrationẽ: assumendoque vt notat Suarez committitur peccatum, suo genere graue: tum ob talem indecentiam coniunctam cum aliqua tanti sacramenti irreuerentia: tum ob contrariam Ecclesiæ consuetudinem & prohibitionem.

25. Quintum est, *quod etiam D. Thomas habet in cit. art. 5. ad 3.* Agrestam seu omphacium nõ esse sufficientem materiam huius sacramenti: quia non est liquor potabilis per modum vini: nec magis naturam vini habet, vt diuersitas effectuum ostendit, quam massa naturam panis. Idem constat ex Missali Romano de defectibus Missæ.

Sextum est, *quod adhuc ibidem habet D. Thomas ad 2. vt & Missale Romanum:* neque acetum esse sufficientem materiam huius sacramenti: quoniam est vinum, secundum suam substantiam corruptum: vt iudicio est, quod non contingat regressus in vinum ex aceto. Qua de causa Aristoteles 8. Metaph. textu 14. acetum comparat cadaueri. Idem est iudicandum de quocumq; alio vino corrupto, vt de sapa, *quæ Gallice vocari solet vin cuict.* Nam non esse vinum verum argumento est: tum quod non inebriet, tum quod per modum cibi sit comestibilis potius, quam potabilis. De vino vero acescente D. Thomas (quem in his Theologi communiter sequuntur) monet: cum ipsum sit in via ad corruptionem, quamdiu substantialem vini formam adhuc retinet, materiam esse sufficientem huius sacramenti: in eo tamen consecrare peccatum esse graue pro ratione dubij, vtrum ipsum sit corruptum. Nam quo tale dubium maius fuerit, eo maior irreuerentia committetur in consecrando.

Idem iudicium est de omni alio vino, de cuius corruptione possit dubitari, propter nimiam aquæ aut alterius rei permixtionem. Sic enim de lora quæ sit aliqua quantitate aquæ admixta vuis, postquam iam ex illis expressus est humor, sitne sufficiens huius sacramenti materia, iudicandum est iuxta minorem vel maiorem expressionem vuarum, & quantitatem aquæ illis admixtæ ad conficiendum talem liquorem. Quidquid autem sit, propter reuerentiam tanto sacramento debitam, peccatum est graue in tali materia consecrare, vt monet Suarez: & eo grauius quo dubium maius fuerit.

Addit idem in fine eiusdem sectionis difficultatem de vino congelato: vtrum sit materia sufficiens ad hoc sacramentum. Et pro vtraque parte citatis Authoribus affirmantem sequitur: quia congelatio non corrumpit substantiam vini: sicut nec olei, vel aquæ: vt signum est quod liquefactum habeat effectus & qualitates vini; ideoque & naturam: Quodquidem supponitur in Missali Romano, cum agendo de defectibus contingentibus in missa; dicitur si contingat in calice vinum consecratum congelari, debere liquefieri & consumi tanquam verum sacramentum. Nec refert, quod vinum congelatum non sit potabile: quia id solum est per accidens, & ab extrinseco: etenim per se, ac secundum interiorem suam naturam est potabile: illudq; extrinsecum impedimentum facile tolli potest: sola scilicet liquefactione: sicut panis qui ita induruit, vt dentibus frangi non possit, per se comestibile est, & durities impediens ne comedatur, facile tollitur madefactione.

QVÆRI POTEST VLTIMO: Quid tenendum sit de aqua miscenda vino consecrando?

26. De hac re lata Suarez *disputatione 45. sect. 2. 3. & 4.* nos paucis indicabimus, quæ sufficere videantur ad nostrum institutum. Primum est, certum esse, quod aqua naturalis miscenda sit vino consecrando ex perpetua Ecclesiæ traditione (de qua Greg. à Valent. tom. 4. disp. 6. quæst. 2. punct. 1. col. 919. & Bellarm. lib. 4. De Euchar. cap. 10. & 11.) itemque ex eiusdem Ecclesiæ præcepto, cuius meminit Concilium Trident. sess. 22. cap. 7. Et rationem illius assignat: tum ex Christi exemplo, qui creditur aquam vino miscuisse, tum ex significatione, quam habet talis mixtio, tam effusionis sanguinis & aquæ ex latere Christi in cruce pendentis: quã coniunctionis fidelium cum ipso Christo: nam aquarum nomine in sacra Scriptura populi intelliguntur Apoc. 17. Accedit quod in ead. sess. can. 9. Concilium anathematizet dicentem aquã non esse miscendam vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem.

Secundum est: Communem Theologorum consensum esse, *prout meminit Suarez in cit. sect. 2. dicto 1.* prædictam necessitatem solum esse præcepti, non autem sacramenti: ita vt is qui tentat consecrare in solo vino, vere conficiat sacramentum, cõuertendo idipsum vinum in sanguinem Christi. Pro qua sententia præter ea quæ D. Thomas habet 3. par. *quæst. 74. art. 7.* facit quod Concil. Triden. sess. 13. agens de hoc sacramento nihil de aquæ mixtione dixerit, & in ante citato cap. 7. postea de Missæ sacrificio agens, tantum dicit eam mixtionem præceptum esse ab Ecclesia. Facit etiam Concilium Florent. in instruct. Armenorum simpliciter dicens materiam huius sacramenti esse panem triticeum & vinum de vite: nec addens, *Cui admixta sit aqua;* sed mutato loquendi modo subdit. Cuiante consecrationem aqua modicissima misceri debet: talis reddens eas ipsas causas quas paulo ante ex Concilio Trident. retulimus Ecclesiastici præcepti. Vnde merito coniicitur illud quoque Concilium non aliam cognouisse prædictæ mixtionis necessitatem quam præcepti.

De quo præcepto Suarez *sub finem secundæ sectionis citatæ,* dubia quædam tractat, in quibus non immorabimur contenti de eo monere, quod catechismus ad Parochos habet in cap. De Eucharistia: transgressione illius committi peccatum mortale, propter graues rationes ante relatas ex Concilio Triden. obseruationem illius exigentes. Idem quoque ostendunt graues pœnæ transgressori impositæ. Nam in cap. Cum omne crimen De consecrat. distinct. 2. ipso facto suspenditur ab officio, & in cap. finali De celebrat. Missarum, priuatur officio simul & beneficio. 28.

Tertium est: In tali mixtione ad vitandum peccatum, seruandam esse reuerentiam sacramenti: & ordinariam consuetudinem Ecclesiæ: nec nouum ritum introducendum: ideoque illam aquam, quæ vino consecrando miscetur, debere esse veram, & elementarem aquam: qualis profluxit ex latere Christi, iuxta cap. In quadam. De celebr. Missarum. Item debere misceri in modica quantitate, prout in memorato Catechismo traditur. Vnde in cap. Perniciosus De celebrat. Missarum reprehenditur abusus eorum, qui aquam in maiore quantitate miscent quam vinum. Et licet in Concil. Triburiensi cap. 19. statuatur, talem mixtionem sic debere fieri, vt duæ partes sint vini, & tertia aquæ, tamen ex Concilio Florent. cuius verba ante retulimus, habetur miscendam esse modicissimam aquã. Vnde, *vt inquit Suarez sect. 3.* quælibet guttula aquæ, potest esse sufficiens; tam quia sufficit ad significationem, cum sit vera aqua sensibilis, quam quia eo erit certius, quod illa non possit vinũ corrumpere; sed potius illa possit in ipsum conuerti. Quamquam nihil est quod quis angatur scrupulo, si quatuor vel sex, aut etiam aliquanto plures guttæ in calicem labantur, dummodo adhuc ea notabiliter modica sit respectu vini. 27.

Quartum est, *quod alios authores citant, certum esse ait Suarez in eadem sect. 3. versus finem:* Hanc mixtionem faciendam esse tempore sacrificij, & in ipso sacro calice, vt sacra cæremonia esse, & sacram habere significationem censeatur. Vnde non debet domi fieri, vel in vasculo antequam mysteria aut præparatio ad illa inchoentur. Infundendam autem esse aquam in calicem iam habentem vinum ad consecrationem deputatum intentione ministri, idq; ante calicis oblationem, vniuersalis Ecclesiæ vsus ostendit, 29.

Vnde

Vnde grauiter peccaret qui aliter faceret. Quod si quis omissam ex negligentia vel obliuione, aduerteret post ipsam oblationem, sed ante consecrationem, deberet statim eum defectum supplere, non item post consecrationem. Neq; enim sanguini Christi miscenda est aqua, sed vino consecrando in Christi sanguinem. De eo autem quod aliqui in principio Missę talem mixtionem faciunt, & alii post Euangelium, nihil occurrit dicendum, nisi securum quemque fore, si in eo sequatur Ecclesiæ suæ consuetudinem approbatam. Restaret hic inquirendum, quid fiat de aqua illa permixta vino: postquam hoc conuersum est in Christi sanguinem: sed quia ad nostrum institutum non facit, & longiorem disputationem requirit, ipsum relinquemus auido sciendi, videndum apud Suarezium in sequenti sect. 4.

CAPVT III.

De forma sacramenti Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

28 *Ex duabus partibus integratur forma Eucharistiæ: & quatenus in hac, illa maneat.*
29 *In quibus verbis eadem forma consistat.*
30 *In his quatuor vocibus, Hoc est corpus meum, consistit forma consecrationis panis in corpus Christi.*
31 *In quibus forma consecrationis vini in sanguinem Christi consistat.*
32 *Responsio ad quasdam obiectiones de eadem forma.*
33 *Nihil eorum, quæ ex Missali habentur proferenda in consecratione, omitti debet: quidquid aliqua dicantur non esse de necessitate sacramenti.*
34 *Forma sacramenti Eucharistiæ efficit id quod significat.*
35 *Quæ sit mutatio quæ in pane & vino fit per consecrationem.*
36 *Quid panis & vini remaneat post consecrationem.*
37 *De eo quod ex vi verborum consecrationis continetur sub accidentibus panis & vini.*
38 *De modo quo Christus continetur in Eucharistia.*
39 *De modo quo præsentia Christi dependet a speciebus quibus continetur.*

28. SICVT in Eucharistiæ sacramento duæ sunt partiales materiæ, vnam completam componentes: ita & sunt duæ partiales formæ, conficientes vnam integralem: nimirum forma consecrationis panis in corpus Christi, & forma consecrationis vini in sanguinem Christi, quibus nonnulla sunt communia, & nonnulla cuiusque propria. Vtraq; late persequitur Suarez *disp.* 58. 59. & 60. Necessaria ad nostrum institutum complectemur aliquot documentis. Ac primo communia.

Primum est, quod habet Greg. à Valen. *tom.* 4. *disput.* 6. *quæst.* 6. *in fine*, differentiam esse quoad formam inter Eucharistiam & reliqua sacramenta: quod hæc, quia in vsu consistunt, non sint nisi tempore illo quo extat ipsorum forma: Eucharistia vero maneat, tunc etiam cum ipsius forma transiit: quoniam est quid permanens, quod potest essentiam suam retinere: forma quidem sua sublata reipsa, sed quæ virtute in materia remaneat. Etenim essentia huius sacramenti consistit in sacramentali significatione, qua Christus in eo præsens, tanquam spiritalis cibus significatur per materiam, & per formam in ea manentem virtute hoc nomine, quod species sacramentales, per verba sacramentalia quæ præcesserunt, maneant ad determinate significandum præsentem in illis Christum, vt spiritalem animarum cibum. Quo etiam nomine eadem forma, ad gratiam, quæ vsu Eucharistiæ percipitur, censenda est concurrere, tanquam Dei instrumentum: ita vt id quod commune est omnibus sacramentorum formis, vt ad gratiæ productionem cum suis materiis concurrant instrumentaliter, non negetur formæ sacramenti Eucharistiæ: cui cum cæteris sacramentis commune est, efficax signum esse gratiæ.

29. Secundum documentum est: Verba sufficientia & necessaria ad conficiendum Eucharistiæ sacramentum, esse illa quibus Christus ipsum confecit. Ita definit Concilium Florent. in instruct. Armen. cum ait formam huius sacramenti esse verba Saluatoris, quibus conficitur hoc sacramentum: vel (vt quædam exemplaria habere notat Suarez) quibus confecit hoc sacramentum. Cuius definitionis meminit Catechismus ad Parochos in cap. De Eucharistia: ad eamq; accedit cap. Cum Matthæ. De celebr. Missarum: & communis tam Canonistarũ, quam Theologorum consensus, quemadmodum notat Bellar. *in lib.* 4. *De Eucharistia. c.* 12. Immo vero omnes nostri maiores, prout habet Concil. Triden. *sess.* 13. *cap.* 1. quotquot de hoc sacramẽto disseruerunt, aperte professi sunt Redemptorem nostrum in vltima cœna hoc tam admirabile sacramentum instituisse, cum post panis viniq; benedictionem, se suum corpus præbere ac suum sanguinem disertis verbis testatus est. Quæquidem verba Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. commemorata, & à D. Paulo in priori ad Corinth. 11. repetita, in Canonem Missæ translata sunt cum dicitur, Qui pridie quam pateretur, &c. Authoritates antiquorum habent Bellarm. in seq. cap. 13. & Suarez *disp.* 58. *sect.* 1. & 3. Vbi ipse infert ad consecrandum, non esse simpliciter necessarium totũ Missæ canonem: *quamuis sit necessarium de præcepto Ecclesiæ.* Immo nec eius partes alias, quam constantes verbis, quibus Dominus noster consecrauit, de quibus postea. Id quod latius explicatum videri potest apud eundem authorem, ibidem.

Tertium documentum est: Graues difficultates moueri circa formam huius sacramenti, vt intelligatur quomodo sit vera. Sed quia paucis expediri non possunt, & speculatiuæ sunt, nec ad nostrum institutum necessariæ, illarum explicationem satis familiarem relinquemus ei qui volet videndam apud Greg. à Valent. in citata quæst. 6. puncto 2. pleniorem vero apud Suarez. in sect. 4. 5. 6. & 7. sequentib.

Quartum documentum est: Quod hæ quatuor voces: *Hoc est corpus meum*, sint de necessitate & essentia formæ huius sacramenti. Nam dubium non est, quin illis potissimum, Christus Dominus noster panem consecrarit in huius sacramenti institutione. Vnde hanc describentes Euangelistæ, & post eos D. Paulus, summa diligentia, & absque variatione referunt easdem voces, in eadem institutione esse à Christo prolatas: & Ecclesia Catholica perpetuo vsa est illa consecrationis forma, tanquam ab ipso Christo seruata: quemadmodum habet supra memoratus Catechismus. Accedit ratio D. Thom. 3. *par. quæst.* 78. *art.* 2. quod eæ potissimum voces significent id quod censetur effici in hoc sacramento, dum forma illius profertur super panem: nimirum conuersio eiusdem panis in corpus Christi. Quare in iisdem potissimum huius sacramenti forma consistet, quæ de se requirit, vt ipsa talem conuersionem significando, illam efficiat. 30.

Vnde intelligitur, quod Suarez *disp.* 59. *sect.* 1. plenius confirmat, non pertinere ad formam huius sacramenti verba Christi, quæ prædictas voces præcedunt apud D. Matthæum & D. Paulum locis cit. *Accipite & manducate*, quia non significant conuersionem prædictam, neque Christi præsentiam, prout proprium est formæ huius sacramenti; sed solum huius sacramenti vsum commendant: qui non attinet ad eius essentiam: & per consequens, nec verba quibus ille significatur, attinent ad eandem formam. Cuius rei indicium est, quod D. Lucas illorum non meminerit cap. 22. ait enim, Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Credibile est enim commemorantem tanti sacramenti institutionem, voluisse narrare eam integre quoad essentialia: præsertim cum scopus narrationis esset, vt quod erat institutum, reuocaretur in vsum.

Pari modo intelligitur neque ad formam huius sacramenti pertinere verba quæ his (Hoc est corpus meum) D. Lucas adiungit, *quod pro vobis datur*,] aut quæ D. Paulus, *quod pro vobis tradetur*, quandoquidem illorum D. Matthæus, & D. Marcus non meminerunt: atq; sine illis plene significatur conuersio panis in corpus Christi. Vnde Romana Ecclesia sine illis consecrat. In quo eam errare

hæreticum est dicere, iuxta cap. Ad abolendam, De hæreticis.

Intelligitur quoque pari modo, nec particulam, *Enim*, quæ prædictis quatuor vocibus interponitur in canone Missæ, esse de essentia huius formæ, cum neque Euangelistæ, neque D. Paulus meminerint illius: ac nullo modo ea conferat ad significandam conuersionem panis in corpus Christi: sicut deberet si esset de essentia huius formæ. Verumtamen ex communi omnium sententia, vt addit Suarez, peccatum esset eamdem particulam omittere, contra perpetuam & vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem: non tamen mortale, si omissio ex aliqua tantum negligentia aut inaduertentia proueniret: secus autem si ex contemptu; qui potest inesse in eo qui sciens & prudens contraueniret, paruipendendo Ecclesiæ institutum, in ipsius notabilem iniuriam.

31. Quintum documentum est, Formam consecrationis vini in sanguinem Christi contineri illis verbis quæ ab Ecclesia proponuntur in Canone Missæ: *Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* De qua re in cap. Cum Marthæ, de celebr. Miss. & in catechismo ad Parochos, cap. De Eucharistia.

Quamquam dubium est, An eadem verba omnia sint de essentia formæ sacramenti: ita vt ad eam sint necessaria, necessitate quam vocant sacramenti. Atque diuersis de eo relatis sententiis ac examinatis Suarez *disput. 60. sect. 1.* tandem concludit sola illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*: vel æquiualentia, esse de essentia & necessitate formæ, de qua agimus: in illisque solis esse totam eius efficaciam: ita vt vltimo instanti prolationis illorum, perficiatur vini in sanguinem Christi transubstantiatio: quam sine verbis sequentibus, eadem verba tam plene significant, quam ista, *Hoc est corpus meum*, sine additione verborum, *quod pro vobis tradetur*, significant conuersionem panis in Christi corpus. Neq; ex Christi institutione narrata ab Euangelistis & à D. Paulo, colligitur aliqua diuersitas. Omnes enim referunt Christum vsum esse verbis illis. Hîc est calix sanguinis mei: sicut & illis, Hoc est corpus meum.

32. Si quis opponat diuum Matthæum & diuum Marcum habere. *Hic est sanguis meus*, tacito nomine calicis: respondetur id nihil obstare: quia licet inde colligatur varietas aliqua in verbis secundum sonum vocum: ea tamen solum est materialis, non autem formalis secundum significationem: quia idem est significatione, *Sanguis meus, & calix sanguinis mei*: ita vt ad sacramenti validitatem non referat, siue dicatur, *hic est sanguis meus*: siue, *hic est calix sanguinis mei*: vnde nullum incommodum fuit vtroque modo ab Euangelistis referri Christi dictum, quo significauit, significandoq; perfecit vini conuersionem in suum sanguinem.

Si rursus opponas: omnia supra memorata verba, ex vsu Ecclesiæ Romanæ proferri supra vinum in illius consecratione. Respondetur: inde quidem inferri peccatum esse non omnia proferre iuxta receptũ vsum & ritum ab Ecclesia præscriptum: non tamen quod ea sint ad validitatem sacramenti necessaria. Cur enim Ecclesia Romana iudicet verba illa, *noui & æterni testamenti, &c.* esse de essentia formæ consecrationis sanguinis: potius quam illa, *quod pro vobis tradetur*, esse de essentia formæ consecrationis corporis Christi, nulla ratio reddi potest. Sicut enim verba: *Hoc est corpus meum*, sufficienter significant conuersionem panis in corpus Christi: sic etiam verba, *Hic est calix sanguinis mei*: conuersionem vini in sanguinem Christi. Ergo pariter sunt sufficiens forma. Si quæras, ad quid ergo facta est talis additio. Respondetur, ex supra citato Catechismo in eodem cap. De Eucharistia, factam esse ad exprimendos quosdam effusi sanguinis in passione Domini admirabiles fructus: qui ad hoc sacramentum pertinent, prout post D. Thomam *3. par. quæst. 78. art. 3.* explicat Suarez *in citata disput. 60. sect. 3.* Cur vero talem facere maluerit in consecratione sanguinis, quam corporis; ratio esse potest, quod passio Christi, cuius hoc sacramentum rememoratiuum est, repræsentetur expressius per sanguinem effusum, quam per corpus.

Sextum documentum est: Ob varietatem opinionum de forma huius sacramenti: ad vitandum periculum peccati in consecrando, Sacerdotem non debere determinate habere intentionem consecrandi, per sola ea verba in quibus indicauimus consistere totam essentiam eiusdem formæ: sed potius, *quemadmodum ex Scoto habet Franciscus à Victor. De sacrament. num. 74.* debere absolute consecrare secundum Ecclesiæ intentionem, dicendo omnia illa verba, quibus ipsa vtitur, & proponit proferenda ad corpus & sanguinem Christi consecrandum. 33.

Vltimum documentum est: In forma huius sacramenti, sicut & aliorum sacramentorum posse mutationem cõtingere iis modis, quos proposuimus in præced. lib. 26. num. 24. Eos Suarez in particulari persequitur *disput. 59. sect. 2. & disput. 60. sect. item 2.* In quibus nos immorari ideo non est necesse, quod pro quotidiana praxi sufficiat monuisse, à tali mutatione esse omnino cauendum: non tantum quando ea fuerit essentialis, tollens debitum sensum, & consequenter reddens sacramentum inualidum: sed etiam quando fuerit accidentalis, relinquens sensum integrum, nec impediens sacramenti validitatem. Namque iniuriosum est Ecclesiæ, *atque adeo Spiritui sancto à quo ea regitur*, præscriptum ipsius negligere. Quod quidem si fiat ex contemptu, iudicando Ecclesiam in eo tradere aliquid superfluum & impertinens, quod quiuis mutare possit, peccatum est mortale, iuxta Concilium Trid. sess. 7. De sacram. in genere can. vltimo.

APPENDIX.

De mutatione panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quam significat & facit forma huius sacramenti.

QVia oportet formam sacramenti id significare quod in sacramento efficitur, & in Eucharistiæ sacramento, panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi per consecrationem mutatur: forma illius talem mutationem significare debet, prout docet D. Thom. *3. par. quæst. 78. art. 2.* & late Suarez tractat *disput. 58. sect. 4. & sequentibus.* Item quia verba sacramentalia, seu quibus sacramentorum formæ constant ex institutione Christi, sunt efficacia ad efficiendum illud quod significant: eadem huius sacramenti forma efficax est ad prædictam mutationem efficiendam. De qua efficacia copiose idem Suarez in tota sequenti disput. 61. Sed nobis sufficit attingere, quod ille ibidem in initio supponit; nullum Catholicum dubitare, quin talia verba (quæ sunt Christi per Sacerdotem prolata; sicut illa Exodi tertio, Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, &c. fuerunt verba Dei, etiamsi prolata per Angelum, ex cap. 7. Actorum) eum effectum aliquo modo producant: quandoquidem is sequatur ad prolationem illorum, tanquam applicantium diuinam virtutem ad efficiendum ipsum. Persequi autem omnia, quæ in tam mirabili mutatione contingunt, nimis longum esset, neque necessarium est ad rationem iudicandi de peccatis nobis propositam. Volenti ea scire suppeditabunt abunde Bellarm. in trib. primis libris de Eucharistia. Greg. à Valen. disput. 6. quæst. 3. 4. & 5. & Suarez disput. 46. & sequentibus vsque ad 58. Contenti ergo erimus aliquot quæstionum breui explicatione proposita notitia tantæ rei, cuius non decet Confessarios esse omnino ignaros. 34.

PRIMA EST: Quænam mutatio sit, quæ in pane & vino fit per consecrationem. Respondetur: certum esse de fide: virtute verborum formæ huius sacramenti, prolatorum à Sacerdote loquente in persona Christi: ad instar scilicet legati, qui sustinens personam Principis, nomine ipsius sibi commissa, perinde dicit ac si idemmet Princeps præsens loqueretur: prout ex communi Doctorum sententia habet Greg. à Valen. *disp. 6. quæst. 6. punct. 2.* Certum esse, inquam, virtute talium verborum fieri conuersionem panis & vini in corpus & sanguinem Christi; 35.

ita vt

ita vt tota substantia panis, quoad materiam simul & formam, conuertatur in verum corpus Christi: & tota substantia vini conuertatur in verum Christi sanguinem. Quæ conuersio dicitur transsubstantiatio, id est, transitus substantiæ panis &, vini, in substantiam corporis & sanguinis Christi: vt definitum est à Concil. Florent. in instruct. Armenorum, & à Conc. Trid. sess. 13. cap. 4. & can. 2. Paterque ex forma ipsa: Hoc est corpus meum; &, Hic est calix sanguinis mei: ad cuius veritatem requiritur vt talis mutatio fit facta. Iam vero Sacerdotem consecrantem loqui in persona Christi, ibidem Concil. Floren. expressit. Ratioq; est ex D. Thom. *quæst.* 78. *art.* 5. quia si is in persona sua tantum loqueretur, tanquam recitans quod olim gestum est à Christo, verba prolata non applicarentur ad materiam præsentem: sicque non perficeretur sacramentum: cum tamen D. August. tract. 80. Ioannem dicat, Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.

36. Secvnda Qvæstio Est: An post consecrationem, nihil omnino panis & vini maneat? Respondetur: nihil quidem substantiæ illorum manere ex citat. can. 2. Concilii Trident. accidentia tamen ipsorum manere eadem: nempe quantitatem, figuram, colorem, saporem, & reliqua: idque absque subiecto, à quo sustententur: ita vt per nullam substantiæ inhærentiam, *præter naturalem ipsorum conditionem*, diuina virtute existant miraculose, ex cap. Species, & cap. Nos autem, De consecr. dist. 2. & cap. Firmiter, De summa Trinit. Idque habent Concilia Trident. & Florent. locis cit. & cum D. Thom. q. 77. art. 1. concorditer ab omnibus receptum esse tangit Franciscus à Victoria De sacramentis num. 72. De qua re copiose tam in comment. ad memoratum artic. quam in disput. 56. tractat Suarez. Nobis autem sufficere potest indicasse quod loco citato addit Franciscus à Victoria: & adhuc latè tractat Suarez *in sequenti disput.* 57. talia accidentia posse agere, ac producere quidquid producerent cum substantia panis & vini. Nam sicut quantitas (*per quam intermediam cætera accidentia inhærebant substantiæ panis & vini, & in qua manent eadem, substantia sublata*) habet à Deo vt existat ad modum substantiæ: ita etiam habet vt manentes in ea qualitates panis & vini, nihil minus agant vel patiantur (nempe extinguant famem vel sitim, corrumpantur, &c.) quam si ipsa panis & vini substantia adhuc perseueraret. Qua in re elucet summa Dei sapientia, qua sic se nobis accommodat, vt habeamus quod nobis conferat ad fidei meritum: & quo nostræ infirmitati sit consultum, qui naturaliter abhorremus ab esu carnium humanarum, & potatione sanguinis.

37. Tertia Qvæstio. Quid ex vi verborum formæ contineatur sub speciebus seu accidentibus panis & vini in Eucharistia remanentibus. Respondetur de fide certum esse, ex vi verborum formæ & consecrationis, sub specie panis contineri corpus Christi: & sub specie vini sanguinem eiusdem. Ipsum vero corpus sub specie vini: & sanguinem sub specie panis, *sicut & animam*, sub vtraque contineri vi naturalis illius coniunctionis & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui surrexit à mortuis, non amplius moriturus, inter se copulantur: contineri quoque diuinitatem propter ipsius admirabilem cum eodem corpore & anima vnionem hypostaticam. Vnde verum est tantumdem sub alterutra specie, ac sub vtraque contineri. Etenim totus & integer Christus cum corpore, sanguine, anima, & diuinitate sub panis specie, & sub quauis eiusdem speciei parte existit, & continetur: totus item Christus, cum corpore, sanguine, anima, & diuinitate sub specie vini, & sub qualibet eius parte continetur; ex Concilio Florent. in instruct. Armen. & ex Trident. sessione. 13. cap. 3. & can. 3. Qua de re D. Thom. *quæst.* 76. *art.* 1. 2. & 3. Inde autem consequens est, quod in eadem sess. 13. cap. 5. & can. 6. definitur, cultum latriæ, qui vero Deo debetur, exhibendum esse Christo in hoc sacramento. De qua re pluribus Suarez disputat. 65.

38. Qvæstio Qvarta: Quomodo contineatur Christus sub speciebus panis & vini. Respondetur contineri modo quodam admirabili, existendo sacramentaliratione per modum substantiæ spiritalis: & nihilominus secundum totam suam quantitatem & membra omnia inter se distincta, & debita proportione distantia, atque adeo secundum staturam, quam habet in cœlo: ita vt Christus simul existat in cœlo ad dexteram Patris; & inde non recedendo, in terra contineatur in Eucharistia vere, realiter, ac substantialiter sub speciebus panis, & vini: idq; in diuersis quibuscunq; mundi partibus, in quibus est vsus consecrandi. Quod difficile quidem est intellectu, non repugnat tamen diuinæ potentiæ: pro quo facit definitio Concilij Trid. sess. 13. cap. 1.

Si quæras vnde dicatur corpus Christi, ratione quadam sacramentali per modum substantiæ spiritalis contineri in Eucharistia? Respondetur inde dici, quod etiamsi in Eucharistia, ipsum sit quantum, sicut est in cœlo; non est tamen modo quantitatiuo commensuratiue ad locum: sed ad modum substantiæ spiritalis est totum in tota specie, & totum in qualibet eiusdem parte.

Quod vt intelligatur notandum est, duplex esse officium quantitatis: vnum distinguere & ponere ordinem inter partes corporis: ita vt nasus, verbi gratia, sit inter oculos; & oculi, inter aures, &c. Alterum est extendere easdem partes in ordine ad locum, ita vna pars sit extra eum locum in quo est altera. In Eucharistia igitur quantitas corporis Christi exercet tantum prius officium, non autem posterius. Vnde fit etiam, vt Christus in Eucharistia nec agat, nec patiatur physice, nec humano sensu percipi possit, adeoque nec tangi, nec frangi, nec calefieri, aut frigefieri, nec oculo corporis videri; quia ratione antedicti modi quo existit in Eucharistia, liber est ab omni eiusmodi passione: quæ cum sit ab agente corporeo, requirit extensionem externam in patiente, sine qua ab agente ipso corporeo attingi nequit. Quamquam tamen dici potest tangi, frangi, oculis videri, frigefieri, &c. hoc nomine, quod species quibus continetur velatus, tangantur frangantur, &c. De quare D. Thom. *quæst.* 76. *art.* 6. & 7. ac Suarez *disp.* 53. Qui etiam de apparentibus mutationibus, quæ in Eucharistia contingant, videri potest in sequenti disp. 55.

Qvæstio Vltima: Quomodo præsentia corporis & sanguinis Christi dependeat à sacramentalibus speciebus quibus continentur? Respondetur dependere, tum quoad conseruationem in Eucharistia; tum quoad locum, & loci mutationem. Et quidem quoad conseruationem: quia vt habetur ex D. Thom. *quæst.* 80. *art.* 3. & late tractatur à Suarezio *disput.* 54. tamdiu sub talibus speciebus conseruatur præsentia corporis & sanguinis Christi, quamdiu illæ conseruantur: illisque corruptis, desinit eadem præsentia. Quæ corruptio censetur tunc contingere, cum si panis substantia ibidem fuisset, ea nequiuisset amplius conseruari. Corpus enim Christi non habet cum specie panis aliam connexionem, quam substantia panis haberet si perseueraret sub illis suis accidentibus. Atque hinc D. Thom. in citato art. 3. reprehendit eos, qui negarunt corpus Christi sacramentaliter sumi à peccatoribus: sed quam cito attingit labia peccatoris desinere esse sub speciebus sacramentalibus. Nam cum eædem species per talem attactum non desinant esse: nec etiam corpus & sanguis Christi desinet illis contineri. Id quod confirmatur per illud Apostoli in priori ad Corint. cap. 11. Qui manducat & bibit indigne, &c. Itemque per doctrinam in Concilio Trid. approbatam sess. 13 cap. 8. de distinctione inter peccatores & iustos, quod illi sacramentaliter tantum, & hi sacramentaliter simul & spiritualiter corpus Christi sumant.

39. Quoad locum autem, corpus Christi pendet ex speciebus: quia ipsum ratione earum censetur determinate esse in eodem loco, in quo sunt eæ ipsæ species. Sic enim dici consueuit esse sursum, aut deorsum, dextrorsum aut sinistrorsum, prout species ipsæ sursum aut deorsum, dextrorsum aut sinistrorsum fuerint. Id enim est consequens ex eo quod Christus in iisdem speciebus contineatur præsensque sit.

Pendet denique quoad motum localem: quia corpus

Christi

Christi per accidens mouetur ad motum specierum: cum quibus eam connexionem habet, vt cum præsentibus præsens sit: quo fit vt idipsum corpus recte dicatur eleuari, portari aliquo, ore sumi & in stomachum traiici, recludi alicubi, porrigi alicui, ab eo qui circa species sacramentales talia facit, mouendo eas. Videri potest Suarez *disp.53.sect.1.* & addi ex præced. disp.47.sect.4. quæ possint & quæ non possint Christo attribui respectu sacramentalium specierum quibus continetur in Eucharistia. Sunt enim scholastici instituti, & à nostro remotiora.

CAPVT IV.

De Ministro sacramenti Eucharistiæ, & primo prout eam consecrat.

SVMMARIVM.

40 *Solus Sacerdos consecrandi potestatem habet à Christo.*
41 *Quilibet Sacerdos potest valide Eucharistiam consecrare.*
42 *Quomodo accipienda sint nonnulla dicta Patrum quibus contrarium significare videntur.*
43 *Difficultas, an plures Sacerdotes possint simul eandem hostiam consecrare.*
44 *De consuetudine qua noui Sacerdotes consecrant simul cum Episcopo ordinante.*
45 *Sumptio Eucharistiæ sub vtraq; specie solis Sacerdotibus consecrantibus est in præcepto.*
46 *Obligatio Sacerdotis celebrandi Missam.*
47 *An ea sit sub mortali: & pro quo tempore sit imposita.*
48 *Peccator publicus quis dicatur, quis suspectus, quis occultus.*
49 *Nunquam licet peccatorem manentem in peccato mortali, inuitare ad susceptionem Eucharistiæ. Nec vnquam dare non consecratam pro consecrata.*
50 *Peccatori non resipiscenti recusanda est Eucharistia, quando commode fieri potest. Nec item publico peccatori etiamsi resipuerit, nisi publice constet de illius emendatione.*
51 *Quando tali occulte petenti dari possit: & quod non sit neganda peccatori occulto petenti publice.*
52 *Obiectiones in contrarium cum solutionibus.*
53 *Quid agendum in hac re cum peccatore occulto.*
54 *Non licet hoc sacramentum suspecto de crimine, dare ad ipsius examinationem.*
55 *Quando ob suspicionem criminis possit aut non possit alicui negari Eucharistia.*
56 *Modi, quibus peccat quis indigne ministrando Eucharistiam.*

CONSIDERARI potest Euchatistiæ Minister, tum quatenus eam consecrat, tum quatenus eam administrat. Ac quæ priore modo ad eum spectant complectemur aliquot quæstionum explicatione.

40. PRIMA EST: An solus Sacerdos possit Eucharistiam consecrare. Respondetur, certum esse de fide, quod solus possit. Ita enim habetur ex Concil. Nicæno primo: prout refertur in cap. Peruenit. dist.93. & ex Concil. Lateran. prout refertur in cap. Firmiter De summa Trinit. & ex Concil. Florent. in instruct. Armen. & ex Concil. Trident. sess.22. cap.1. & ex Christi institutione, qui solis Sacerdotibus dixit: Hoc facite in meam commemorationem: vti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit: quemadmodum ibid. habet Concil. Trident. & aduersus hæreticos nostri temporis, defendunt Bellarm. *in l.b. 4. De Eucharistia cap.16.* atque alij quos Suarez commemorat *tom.3. disp.61. sect.3. dico primo.* Pro eo vero ratione hanc adfert D. Thom. *quæst.82. art.1.* Sacramentum Eucharistię est tantæ dignitatis, vt non nisi in persona Christi perficiatur, *iuxta antedicta num.35.* Quandocumq; autem quis quid agit in persona alterius, oportet ipsum potestatem agendi habere ab eo in cuius persona agit. Nullus est autem præter Sacerdotem, de quo rationabiliter dici possit, consecrandi potestatem habere in Christo. De illo vero rationabiliter dicitur: quia Christi institutione, sicut ei qui baptizatur, fit à Christo potestas suscipiendi Eucharistiam: ita & illi, qui sacerdotio initiatur, fit potestas consecrandi Eucharistiam, tanquam constituto in gradu eorum, quibus dictum est ab ipso Domino: Hoc facite in meam commemorationem. Ad quod facit receptus Ecclesiæ vsus, quo nulli alteri permittitur talis actus: ne quidem in casu necessitatis, aut ex quacunq; dispensatione, prout ibidem expressit Suarez.

SECVNDA EST: An quiuis Sacerdos consecrare 41.
possit Eucharistiam? Respondetur, quemlibet Sacerdotem eo ipso quod characterem habet Sacerdotalem, valide, *etiamsi non semper licite*, posse Eucharistiam consecrare, siue peccator sit, siue iustus; siue etiam hæreticus, vel schismaticus, siue excommunicatus, vel suspensus, aut interdictus, siue irregularis, aut degradatus: dummodo integre proferat verba sacramentalia super debitam materiam, idq; cum intentione faciendi quod Christus instituit, iuxta primum documentum traditum in præced. lib.26. num.36. Quæ est doctrina D. Thomæ *quæst.82. art.* 5.7.& 8. Et probatur; quia tunc ex parte materiæ & formæ nihil deest, nec item ex parte ministri. Non quidem intentio, quia quantumcumque aliquam particularem habeat indebitam: ea tamen, quantum sufficit ad validitatem sacramenti, corrigitur per illam generalem quá habet, faciendi quod Christus instituit. Nec item deest potestas: quæ sufficiens sequitur characterem impressum in susceptione Ordinis: neq; ea amittitur: sicut nec idem character, qui indelebilis est ex Conc. Trid. sess.7. De sacram. in genere, can 9. & sess.23. cap.4.

Vnde quod nonnulla decreta & testimonia Pontificum, ac sanctorum Patrum significare videntur hæreticos & schismaticos non posse perficere consecrationem, exponendum ait Suarez *in fine eiusdem sect. tertiæ.* quoad licitum debitumq; vsum: vt sensus sit, non posse licite consecrare ob Ecclesiæ prohibitionem: non autem id tentare sine effectu, ob defectum potestatis, quæ nequit tolli eis, cum, vt diximus, sequatur characterem indelebilē. Qua de causa Sacerdotes ab hæresi ad Ecclesiam redeuntes nō ordinantur de nuo: vt constat ex eiusdem Ecclesiæ vsu ac consuetudine, pro qua est textus in cap. Ordinationes 9. quæst.1. Idipsum quoq; exponi nonnunquam potest, vt *Suarez addit*, de consecrationibus, quæ quia non fiunt debito & essentiali ritu, nullæ sunt, quales hodie fiunt à Lutheranorum Ministris ordinatis inualide, ob defectum ordinis Episcopatus, in ordinante. 42.

Tantopere autem curæ est Ecclesiæ, ne quis perperam tanto ministerio se ingerat, vt nec debite ordinatum, & carentem impedimento, velit ad illud admitti in aliena diœcesi sine commendatitiis sui Ordinarii literis, ex Concil. Trid. sess.22. in decreto De euitandis & obseruandis in celebratione Missæ, & in sess.23.c.16. De reform. itemque ex cap. Primatus, & cap. Extraneo. distin.71. Quamquam tamen nec admittens, nec admissus incurrit aliquā irregularitatem: quia nulla talis in iure expressa est, prout ad id requiritur ex cap. Is qui, De sentent. excom. in 6. Ita docet Nauar. in lib.3. consil. titul. De celebr. Miss. consil.5. Vbi etiam habet quod Clericus peregrinus faciens fidem iustam de sua ordinatione possit admitti ad secreto celebrandum: argumento cap. primi, De Clericis peregrinis: eumdem tamen Clericum non excusat à peccato negligentiæ commissæ, nec eo quod non procurant sibi commendatitias literas.

TERTIA QVÆSTIO EST: An plures Sacerdotes 43.
simul possint eamdem hostiam consecrare. Hæc proponitur, vt intelligatur qua ratione sit accipienda consuetudo, quæ in Ecclesia Latina seruatur; vt qui ordinati sunt noui Sacerdotes, consecrent eamdem hostiam cum Episcopo ordinante. Explicatio vero illius est hæc. Eadem ratione qua de baptismo dictum est *in præced. lib.27. nu.43.* non posse conferri simul à pluribus, dicendū etiam esse plures Ministros ad eandem hostiam consecrandam non posse concurrere tanquam partiales causas: ita scilicet vt vnus proferat vnam formæ partem, & alius aliam, vel non intendat consecrare integre, sed dependenter ab alterius concursu. Quorum neutrum esse secundum Christi institutionē, communis Ecclesiæ vsus satis ostendit in

dit in eo quod ordinarie vnus ſolus conſecret : tanquam Chriſtus voluerit cuiuſq; Sacerdotis ſacramentalia verba cauſam eſſe ſufficientem, ac integram conſecrationis.

Poſſe autem plures concurrere, ſi integre proferant formam, & quiſque habeat intentionem perinde conſecrandi, ac ſi ſolus proferret formam. Ratio eſt: quia ille plurium concurſus, non impedit quominus adſint neceſſaria ad conficiendum ſacramentum: nempe materia & forma debita, cum ſufficiente poteſtate, & intentione Miniſtri. Quod tamen verum eſt tantummodo, cum omnes ita proferunt formam ipſam, vt illam in eodem inſtanti abſoluant. Nam ſi vnus ante alios abſoluat, is ſolus conſecrabit: quia forma integre prolata, non poteſt ſuſpendi conſecrationis effectus: cum verba ſacramentalia ad modum cauſæ phyſicæ neceſſario operentur: ita vt eorundem verborum prolatione & ſignificatione abſoluta, ſequatur effectus, quem illa ex Chriſti inſtitutione producunt ſignificando: ſicq; fit vt reliqui poſterius prolationem abſoluentes nihil efficiant ob defectum materiæ quæ per præcedentem prolationem, mutata in corpus Chriſti, deſiit eſſe.

44. Id quod Theologis Scholaſticis negotium exhibet in docendo qua ratione, ſupradicta conſuetudo licita cenſeri poſſit; cum in praxi difficillimum ſit, ſecundum eam conſecrantes ſimul, ita ſimul finire, vt nullus alium præueniat. Quid vero illi dicant refert Suarez *diſp. 61. ſect. 4.* nec habet quid certo ſtatuat. Vnde addit ad extremum in re tam lubrica ad vitandum peccatum, Caietani conſilium ſequendum eſſe, vt noui illi Sacerdotes intendant proferre conſecrationis verba meliori, quo poſſunt modo; nempe non præueniendo Epiſcopum in illorum prolatione, quia facerent contra Eccleſiæ intentionem ſatis indicatam in Pontificali Romano, cum admonetur Epiſcopus vt alte & paulatim dicat verba, quo cæteri poſſint ſimul cum eo dicere, & quoad fieri poteſt ſimul abſoluere. Deinde habendo intentionem diſiunctam, vel conſecrandi cum Epiſcopo ſi poſſint, vel alioqui proferendi verba ſolum materialiter: intendendo ſcilicet illa proferre in ſignum poteſtatis ſibi conceſſæ; & in memoriam illius cœnæ, in qua Dominus cœnans cum ſuis diſcipulis, eamdem poteſtatem ipſis conceſſit.

45. Qvarta Qvæstio: An teneatur Sacerdos quoties conſecrat, ſub vtraque ſpecie conſecrare, ſic & ſub vtraque ſumere Euchariſtiam? Ad hanc cum D. Thoma *quæſt. 82. art. 4.* reſpondendum eſt affirmatiue, per cap. Relatum. & cap. Comperimus, De conſecr. diſtinct. 2. ita vt grauiter peccet ſecus faciens: quia diuino iure ad integritatem ſacrificij quod peragitur à Sacerdote, dum hoc ſacramentum perficitur, pertinet conſecratio ſub vtraque ſpecie, prout expoſitum eſt in præced. cap. 2. qu. 3. Atque vt dicitur in cit. cap. Relatum, qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici ſacamenti. Quale enim, *vt ibid. additur*, erit ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur? Modis ergo omnibus, *prout ibidem concluditur*, tenendum eſt, vt quotieſcunque ſacrificans corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in altari immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti participem ſe præbeat. Cæterum alteri quam Sacerdoti conſecranti conceſſum non eſt Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie ſumere ex Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 13. vbi ſub pœna excommunicationis præcipitur, vt nullus Presbyter communicet populum ſub vtraque ſpecie panis & vini. Et ex recepta Eccleſiæ conſuetudine, quæ in eod. Concil. approbatur, & in Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1. & can. 2.

46. Qvinta Qvæstio Est: An Sacerdos ſub peccato teneatur aliquando vti poteſtate quam habet conſecrandi? Reſpondetur, hanc eſſe eandem cum illa qua quæritur, An liceat Sacerdoti abſtinere omnino à celebratione Miſſæ. De qua, certum eſt, Sacerdotem curam animarum habentem teneri ratione ſui officii. Miſſam aliquando celebrare; nempe tunc cum populus debet ei intereſſe: vt diebus Dominicis, & cæteris feſtis: vel quãdo non habet hoſtias conſecratas ad communicandum moribundos, aut alios Euchariſtiam petentes: tenetur enim ex officio talibus neceſſitatibus populi ſibi commiſſi prouidere. De cæteris Sacerdotibus vero D. Thom. *quæſt. 82. art. 10.* vnumquemque eorum teneri aliquando celebrare, inde probat; quod vnuſquiſque teneatur vti gratia ſibi data, cum fuerit opportunum: iuxta illud poſterioris ad Corinth. cap. 6. Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ea autem opportunitas, vt ille addit, attendenda eſt, non ſolum per comparationem ad fideles: ſed etiam per comparationem ad Deum: cui in conſecratione huius ſacramenti, ſacrificium offertur. Vnde concludit, Sacerdoti, etiamſi non habeat curam animarum, non licere omnino à celebratione ceſſare, ſed teneri celebrare ſaltem in feſtis præcipuis: præſertim iis in quibus fideles conſueuerunt communicare. Certe Dominus dicendo Matth. 26. & Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem, non tantum dedit Sacerdotibus omnibus poteſtatem conſecrandi, ſed etiam præcepit vt conſecrarent ex Concil. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1.

Quod præceptum, an ſub mortali obliget, grauis diſficultas eſt: pro qua rationes & authores in vtramque 47.
partem adfert Suarez *diſput. 80. ſect. 1.* merito indicans affirmantem eſſe vt tutiorem, ſic & probabiliorem. Confirmatur vero, quia; *vt pro ea bene vrget Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 10.* Si in quoquam caſu, maxime in hoc (in quo tantopere ad Dei gloriam refert vt poteſtas ab ipſo acceptа ad vſum reducatur) loãum habere cenſendum eſt, quod Matth. 25. & Luc. 19. ille qui talentum reſeruauit in ſudario otioſum miſſus ſit manibus & pedibus ligatis in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium. Itaque licet contraria ſententia non ſit omnino damnanda cum bonos habeat authores, & rationes probabiles, vt videre eſt apud eundem Suarezium: hæc tamen eſt in praxi conſulenda: tum quia eſt magis pia ac magis conſentanea dictamini rationis ſuppoſita rei dignitate, & immenſo fructu tam defunctis quam viuis ex ea prouenientе: tum quia ſententia contraria vix in praxi poteſt ſeruari ſine ſcandalo, quandoquidem communiter diuturna nimis omiſſio celebrationis diuini ſacrificii in Sacerdote, exiſtimatur ſignum eſſe prauæ conſcientiæ & perditæ vitæ, quaſi talis omiſſio eo rẽferatur, vt peccandi licentia non impediatur.

Si quæras pro quo tempore obliget tale præceptum: cum enim ſit affirmatiuum; non pro omni ſed pro aliquo tantum tempore obligat? Reſpondetur, determinationem talis temporis committi iudicio viri prudentis, D. Thomæ autem iudicium loco citato fuit, tale tempus eſſe præcipuorum feſtorum: maxime eorum in quibus fideles communicare conſueuerunt: nempe, *vt loco cit. Sotus interpretatur congruenter antiquiori Eccl. ſiæ conſuetudini*, in feſto Natiuitatis Domini, feſto Paſchatis, & feſto Pentecoſtes. Vt vero idem Sotus purat, ad vitandum peccatum mortale, ſufficit; ſiue illis, ſiue aliis diebus, *dummodo in Paſchate communicent*, ter vel quater in anno Sacerdotem celebrare. Cui fauet cap. Dolentes, de celebr. Miſſarum, in quo Summus Pontifex reprehendit eos, qui vix quater in anno celebrant, non faciens nominatim mentionem de prædictis feſtis. Nec obſtat his quod in Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 14. De reform. iubentur Epiſcopi curare vt Sacerdotes celebrent Dominicis ſaltẽ diebus, & feſtis præcipuis: & qui curã animatũ habent toties, vt muneri ſuo ſatisfaciant. Nam dat præceptum Epiſcopis, non autem Sacerdotibus: qui proinde antequam illis aliud iniungatur, non habent maiorem obligationem quam habuerunt ante idipſum Concilium.

RELIQVA PARS CAPITIS.

De eodem Miniſtro quatenus Euchariſtiam miniſtrat.

Sexta Qvæstio Est. An ſolus & omnis Sacerdos poſſit miniſtrare Euchariſtiam? Cuius explicationem trademus in ſequentibus agendo de præcepto ſumendi Euchariſtiam. Tunc enim inter cætera docendum eſt, de cuius Sacerdotis manu Euchariſtia ipſa ſumi debeat ad talis præcepti adimpletionem.

48. SEPTIMA QVÆSTIO EST: Vtrum Eucharistiæ Minister possit eam ministrare peccatori?

Pro cuius explicatione trademus aliquot documenta, præsupposito quod peccator alius sit publicus, alius suspectus, & alius occultus. Ac publicum dicimus eum, qui vel per Iudicis sententiam condemnatus est de crimine, vel in iudicio confessus est illud, vel factum ipsius criminosum ita manifestum est, vt nulla tergiuersatione celari possit ex cap. fin. De cohabit. Cleric. & mulierum. Suspectum vero dicimus eum, qui licet nullo ex tribus illis modis de crimine conuictus sit, pauciſſimique sint, qui peccatum eius certo sciant, apud alios tamen, est publica suspicio, aut rumor, & aliqua publica infamia, inde orta. Vnde ipsum peccatum eius dicitur occultum quidem, sed famosum: de quo in cap. Tua nos, De cohabit. Cleric. & mulierum. Occultum denique peccatorem esse eum, qui vel à solo Sacerdote cognoscitur: vel ab aliis quidem paucis, sed nulla publica suspicione, vel rumore publico laborat.

49. Primum igitur documentum est: Non esse licitum Sacerdoti peccatorem vllum, siue publicum, siue non publicum, quamdiu in eo statu perseuerat, inuitare ad Eucharistiam suscipiendam, etiamsi consulere possit vt pœnitentiam agat, & sic communicet. Ratio in promptu est, quia de se malum est communicare in statu peccati mortalis. Ergo nunquam licet illud consulere. Si opponas Christum Dominum nostrum cum generaliter dixit Discipulis, Comedite seu bibite ex eo omnes, inuitasse cum cæteris Iudam, non magis quam cæteros petentem Eucharistiam: Respondet Suarez *disp. 57. sect. 1.* Christum non induxisse Iudam, vt in prauo suo statu communicaret: immo omnem adhibuisse diligentiam, vt eum bene disponeret, eiusque cor immutaret. Neq; ei non petenti porrexisse Eucharistiam, quia hoc ipse, quod ibi assistens volebat cum cæteris communi illo conuiuio frui, nec ab eo excludi, virtualiter eam petebat sicut cæteri.

Secundum documentum est: In nullo casu licere, peccatori Eucharistiam petenti porrigere hostiam non consecratam pro consecrata. Hoc habet D. Thom. *quæst. 80. art. 6. ad 2.* & cum ipso Sylu. *Eucharistia 3. q. 5. in fin.* & *Sotus in 4. dist. 12. q. 1. art. 6. ad 2.* Ratio est autem, quæ attingitur in cap. De homine, extra De celebr. Missar. quod talem porrigens, quantum in se est idololatrare facit, non minus quam si fingens se celebrare, hostiam non consecratam ostendat populo adorandam. Procedit vero documentum hoc, non tantum quando nescienti, sed etiam quando scienti & volenti fictionem eam, talis hostia porrigitur, prout docet Suarez *in ead. disp. 67. sect. 4. circa 3. obiectionem*: cuius fundamentum est, quod per se malum sit, vt aliquis sciens & prudens proponat alteri creaturam adorandam cultu diuino, ac mentiatur id esse Deum, quod reuera non est.

50. Tertium documentum est, simpliciter loquendo, & maxime cum commode & sine inconuenienti fieri potest: Sacerdotem debere hoc sacramentum negare peccatori non resipiscenti, etiamsi illud petat. Ratio est, quia obligatio exhibendi reuerentiam huic sacramento, & digne illud tractandi, naturalis est, ex intrinseca ipsius dignitate orta. Ad quam reuerentiam pertinet obligatio non dandi idipsum sacramentum indignis: sicut & non proiiciendi illud in locum immundum. Cuiusmodi obligatio tunc maxime viget, seruandaque est, quando sine inconuenienti seruari potest. Nec est, quod quis opponat, peccatorem per susceptionem baptismi acquisiuisse ius petendi alia sacramenta: quia ius illud, sicut non est ad vsum sacrilegum: ita nec ad sacrilegam & Christo iniuriosam petitionem. Hinc; sequitur quod notat Suarez sub finem prius citatæ sectionis priuæ. Sacerdotem in peccato mortali communicantem seipsum, committere peccatum duplicis malitiæ in confessione aperiendæ; quarum vna est malæ ministrationis; & altera malæ susceptionis: non minus quam si alteri indigne ministraret, aut ab altero indigne susciperet.

Quartum documentum est: Publico peccatori etiam emendato, vt vsurario, vel meretrici; aut alteri similiter exercenti actionem, quam ex obiecto, aut modo quo fit, manifestum est peccatum mortale esse: Eucharistiam publice petenti non esse dandam, nisi publice satisfactionē exhibuerit, vel saltem emendatio ipsius publice manifesta sit. Pro quo facit cap. Pro dilectione, & cap. Scenicis, De consect. dist. 2. Et prior pars ex eo patet, quod aliis daretur alioqui occasio scandali. Posterior vero ex eo, quod talis satisfactio & emendatio publica sufficiat ad tollendum scandalum: atque vt tam coram Deo, quam coram hominibus sacramentum digne tradetur.

Cæterum in articulo mortis, *vt habet in fine sectionis 2. Suarez*, satis est si publicus peccator pro temporis opportunitate, vel confiteatur, vel signa contritionis exhibeat, quia periculum, & vrgens necessitas facit, vt non exigatur maior diligentia, quam ipse possit commode exhibere: præsumendusq; sit in eo articulo facere quod potest ad se sufficienter disponendum. Attamen ex Caietan. *in verbo, Communio, sub finem*, vt scandalo tunc prouideatur, publicanda est emendatio. Adde quod habet à Victoria in summa, De sacram. num. 80. non esse publico peccatori negandam Eucharistiam, in loco vbi non est notus, nec facile detegetur ipsius crimen.

Quintum documentum est: Vt publico peccatori occulte petenti, dari possit Eucharistia in occulto; sufficere quod occulte egerit pœnitentiam, seu quod debite confessus fuerit, idque constet Sacerdoti daturo, ac aliis qui forte adsunt peccatum scientes. Ratio est: quia quoad Deum, dispositus est per pœnitentiam: & quoad homines manifesta satio emendationis adest sufficiens ad tollendum scandalum. Cauendum est tamen ne susceptio Eucharistiæ paulo post manifesta fiat emendatione manente occulta, quia non vitaretur alioqui sufficienter scandalum.

Sextum documentum est: Sacerdotem non posse negare Eucharistiam peccatori occulto illam publice petenti. Quod fundare in ratione, est satis difficile, vt bene ostendit Suarez *disp. 67. sect. 4.* Nobis autem sufficit authoritas sacrorum Canonum: Nam in cap. Si tantum, & in cap. Placuit. 6. quæst. 2. cauetur ne Episcopus quemquam publice à communione repellat propter peccatū quod probare non potest: & in cap. Si Sacerdos, De officio Ordinarij, idem satis insinuatur, cum Sacerdos prohibetur nominatim remouere à communione eum, quē scit reum, si non sciat vt Iudex: siue, *quod eodem recidit*, non sciat publica, sed priuata tantum scientia. Vbi aduertendum est ad Ecclesiæ, *sicut & alterius Reipubl.* conuenientem gubernationem pertinere, vt communia bona, quæ publice dispensanda sunt ac distribuenda iuxta merita & dignitatem singularum personarum: pertinere, inquam, vt à ministro publico, ad id munus authoritate publica constituto, dispensentur; non iuxta priuatam ipsius scientiam, sed iuxta publicam & notoriam: alioqui modus dispensandi, *moraliter loquendo*, expositus esset multis scandalis & iniuriis: vnde contra bonum commune perturbationes, & rixæ, & odia orirentur. Eucharistia autem est bonum commune, ad quod vt conficiendum, sic & distribuendum Sacerdos authoritate Christi institutus est minister, ex Concil. Trid. sess. 22. cap. 2. Quo fit, vt in tali distributione sequi debeat publicam, non autem priuatam scientiam, ideoq; peccatori occulto illam publice petenti, non negare.

Sed tria obiici possunt contra propositum documentum. Primum est de se malum esse Eucharistiam ministrare indigno: sicut & proiicere in locum immundum. Alterum est, quod sumens Eucharistiam indigne, reus sit corporis & sanguinis Domini: ideoque petenti etiam publice, non sit danda, sicut nec reddendus est ensis ei, qui scitur illo accepto, se vel alium confossurum. Tertium est, magis vitandam esse iniuriam Christo inferendam, quam detrimentum temporale hominis. Quare ad cauendum ipsius infamiam, non est danda ei Eucharistia cum Christi irreuerentia.

Ad primum autē respondetur: Actionem proiiciendi Eucharistiam in locum immundum ex se determinatam esse ad malum (vtpote, quæ per se loquendo, deformita-

tem ha-

tem habet ex proprio obiecto) non item actionem dispensandi illam homini indigno, vt patet ex facto Christi, qui dicens Apostolis Matth. 26. Bibite ex hoc omnes, Iudam quem indigne sumpturum sciebat, non excluſit à sumptione. Non igitur adeo mala est talis actio, quin possit seruatis debitis circumstantiis bona censeri: nempe si agens bonam intentionem habeat, nulloque modo cooperetur, vel causam det indignæ sumptioni: sed huius malitia tota sit ex praua sumentis voluntate. Item si pro suo munere debeat vacare tali actioni, neque moraliter commoditatem habeat impediendi detrimentum quod ex illa alter, *sua tantum malitia*, accipit. Nam tanquam publicus dispensator boni communis, nullum in functione eiusdem sui muneris excludere legitime potest, nisi publica sententia cognitum indignum.

Ad secundum: Actionem reddendi gladium depositum, esse omnino priuatam: ideoque directionem illius secundum circumstantias occurrentes posse contentam esse scientia priuata. Actionem vero dispensandi Eucharistiam esse publicam & communem: ideoque requirere scientiam publicam, vt præhabitum est. Vnde quamuis contra conscientiam male agere censeatur, qui gladium dat ei, quem probe scit peruersa voluntate occidendi petere: non tamen is qui Eucharistiam porrigit indigno, nisi publica scientia cognoscat indignum esse.

Ad tertium: Ex ante memorato facto Christi satis intelligi, quod ipse malit ab huius sacramenti ministris permitti talem iniuriam, *non irreparabilem*, ei fieri, alterius praua voluntate, cui illi obuiare nequeunt: quam indebito modo sacramentum hoc ministrare: prout fieret, si non publicam, sed priuatam scientiam in ministrando sequerentur.

Cæterum ex Soto *in 4. distinct. 12. quæst. 1. art. 6. circa 2. conclus.* (quod etiam tangit Suarez *in fin. 4. sectionis citatæ*) differentia aliqua est in hac re, inter eos qui curam animarum habent, & cæteros Sacerdotes: quod hi cum nō teneantur ex proprio officio peccatori ministrare Eucharistiam, quam publice petit: facilius quam illi sine scandalo & infamia negare possint, quando nondum sunt ad ministrandum expositi: vt antequam eant ad altare. Postquam vero iam expositi sunt, actuq; dispensant sacramentum, si cum aliis ad suscipiendum peccator accedat, non possunt magis illum repellere, quam proprius Parochus, quia nec Christus Iudam repulit. Porro quod in hacre de peccatore occulto statuitur, statui posse pariter de excommunicato occulto; argumento est, quod per priuilegium Concilij Constantiensis permissum sit in sacramentorum vsu cum eis communicare. De eo diximus in prima parte lib. 1. c. 9. sect. posteriore.

53. Septimum documentum est: Sacerdotem teneri Eucharistiam negare peccatori occulto, petenti occulte, Hoc à multis Theologis receptum referens Suarez *in præced. sect. 3.* probat tum authoritate Canonis, Si tantum, 6. quæst. 2. tum ratione, quia peccator ille non habet reuera ius petendi; cuius, *tanquam indigni*, petitio est iniqua & sacrilega: & potest illi sine incommodo denegari. Neque enim ex denegatione sequetur infamia, vel scandalum, cum totum occulte transigatur. Id quod idem docet procedere, tam quoad Pastorem illius qui petit, quam quoad alium. Nam si peccator nullum habet ius ad Eucharistiam petendam in suo malo statu: nec pastor ipsius maiorem obligationem habet ei tunc dandi, quam quiuis alius Sacerdos. An procedat etiam quando peccatoris crimen notum est Sacerdoti tantummodo ex sacramentali confessione: opiniones in vtramq; partem idem author refert, affirmantem existimans probabiliorem: quia ad clauium potestatem, quam in pœnitentiali foro Sacerdos ipse exercet, pertinet vt indignum à communione arceat, quando potest sine violatione vel suspicione violationis sigilli sacramentalis, aut periculo scandali vel infamiæ.

Addit adhuc idē pro praxi: si Confessario non constet certo de malo statu pœnitentis, sed inter hunc ipsum sit opinionum diuersitas, sicut non debet ei denegare absolutionem sacramentalem, ita nec debere Eucharistiam.

Octauum documentum est: Non licere Eucharistiam suspectis de aliquo crimine dare in probationem seu examinationem criminis, *de quo Sotus in fine citati art. 6. & post ipsum Suarez alios citans in disput. 57. sect. 6.* Probatur autem, tum authoritate cap. Conuiuisti, 2. quæst. 4. & cap. Ex tuarum, De purgat. Canonica, & ex capite Dilecti, De purgatione vulgari: in quibus id genus probationis seu purgationis reprobatur: tum etiam ratione: quoniam eo fine sumere sacramentum, est tentare Deum, petendo vt faciat miraculum: quod exigi ab ipso, nec vllum promissum ipsius, nec ratio suadet: quæ alias dictat, vanum esse absq; diuinæ promissionis fundamento existimare, quod quis eo ipso innocens habendus sit diuino iudicio, si de crimine suspectus sumat Eucharistiam, nec Deus quidquam inusitatum in eo operetur. 54.

Non obstat vero lex zelotypiæ Numerorum cap. 5. quæ cum fuerit à Deo instituta, agere secundum illam ad tollendam suspicionem, non erat Deum ipsum tentare, sed conformare se ipsius voluntati & permissioni. Nec item obstant cap. Sæpe contingit, & cap. Si Episcopo, 2. quæst. 5. quibus approbatur sumptio Eucharistiæ ad tollendam suspicionem criminis. Nam, vt loco cit. Suarez ex D. Thoma & quibusdam aliis annotat, intelligenda sunt approbare talem sumptionem; non quidem factam per modum tentationis Dei, quod est intrinsece malum; sed per modum grauis iuramenti quod sancte fieri potest: etiamsi à non parato illud exigere sit periculosum & expositum sacrilegio, irreuerentiæque graui istius sacramenti. Vnde sublatus est illius vsus: prædictiq; canones sunt contraria consuetudine abrogati. Vnde etiam reprehendendi sunt mariti, qui vxores, vt se adulterii suspicione liberent, interdum cogunt accedere ad sanctam communionem.

Nonum documentum est: Nonnunquam posse, nonnunquam non posse negari alicui hoc sacramentum propter solam criminis suspicionem. Hoc ibidē habet Suarez. Et probatur, quia cum suspicio triplex sit, temeraria, probabilis, & violenta: certum est primam non sufficere; quia cum nullo rationabili fundamento nitatur; improbabilis est & iniusta. Nec item secundam, quia licet habeat sufficiens fundamentum ad excusandum iudicium temerarium, non tamen ad sic firmandum iudicium verum, vt de altero credi debeat quod is amiserit ius petendi sacramentum, tanquam indigne illud suscepturus. Sufficere autem tertiam suspicionem ex communi Theologorum sententia aliquot citatis idem Suarez addit: quia violenta suspicio nititur talibus signis & indiciis: quæ licet non faciant euidentiam rei in se, sufficiant tamen ad probabile iudicium ferendum, quando in contrarium nihil est quod excuset, suspicionemque eleuet. Vnde & sufficit ad negandum sacramentum, tum publice, si suspicio publica sit; tum etiam occulte, non autem publice, si occulta sit: perinde ac ante dictum est de peccato notorio vel occulto. In articulo autem mortis, si suspectus neget crimen, & alias ostendat signa bonæ dispositionis, quidam (*vt idem author meminit,*) pie sentiunt non esse illi negandum sacramentum: tum propter periculū faciendi illi iniuriam in tanta necessitate: tum propter circumstantiam negationis factæ in tali tempore, quæ maximi momenti est ad deponendam suspicionem. 55.

Qvæstio Vltima.

Quibus modis Minister peccet indigne ministrans Eucharistiæ sacramentum.

HAnc proponit Suarez *d. sput. 72. sect. 4.* & respondet. Primo, ex parte sacramenti peccare mortaliter si illud administret alteri sub vtraq; specie, vel sub sola specie vini; facit enim contra approbatam Ecclesiæ consuetudinem (*quam esse præcepto habendam satis indicat Concil. Trid. sess. 21. cap. 2.*) eamq; in re graui, iusta de causa, sanctēque institutam, prout idem author *in præced. disp. 71. sect. 3.* plenius tractat; neque id dubium est inter Catholicos: qui fatentur Ecclesiam errare non posse in iis quæ ad mores totius populi Christiani pertinent. 56.

Secundo, ex parte suscipientis: si in casibus, iuxta antedicta illicitis, ministret indigne accedentibus: aut etiam iis secundum Ecclesiæ consuetudinem à tali sumptione remouentur vt infantes, & amentes, & ii in quibus est periculum vomitus vel expuitionis. Cooperatur enim iniuriæ, quæ tunc fit sacramento, quam vitare tenetur, tanquam fidelis seruus & prudens à Domino super familiam suam constitutus vt det illis cibum in tempore, Matt. 24. Nam infideliter peruersèq; agit, non vitans illam.

Tertio, ex parte circumstantiarum; si ministret in tempore interdicto, aut in loco prohibito ab Ecclesia, aut sine vestibus sacris, iuxta Ecclesiæ morem necessariis, aut sine debito cultu, & cæremoniis vsitatis. Peccat enim grauiter in his tanquam inobediens Ecclesiæ in re graui.

Quarto, ex parte ipsius ministri, si existens in peccato mortali ministret hoc sacramentum, pro quo facit nonum documentum traditum in præcedenti libr. 26. cap. vltimo. Neque obstat diuersa ratio ministrationis Eucharistiæ, & aliorum sacramentorum, quod hæc perficiantur per ipsam ministrationem: illa non item: sed eam antecedat. Id enim non impedit quominus Eucharistiæ ministratio sit actio tam sacra, & religiosa, quam est, verbi gratia, collatio Extremæ vnctionis consistentis in vnctione facta per ministrum: & quin sit ministerium grauissimum, ad quod sancte perficiendum Sacerdos ipse consecratus sit, & specialem gratiam acceperit.

CAPVT V.

De suscipientibus Eucharistiam quoad obligationem, qua adstringuntur ad talem susceptionem.

SVMMARIVM.

57 *Non modo humanum, sed etiam diuinum datur præceptum sumenda sacrosancta Eucharistia.*
58 *Ratio qua id ostenditur.*
59 *Cur infantes non censeantur perinde obligari ad Eucharistiæ atque ad baptismi susceptionem: quodque præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, non sit vt sumatur sub vtraq; specie.*
60 *Quomodo ipsum obliget.*
61 *Quomodo præceptum humanum de eadem sumptione datum obliget: quodque Papa nequeat tuta conscientia ipsum tollere.*
62 *Sumenda est Eucharistia vt memoriale Passionis Christi: ideoque grauissimum peccatum est indigne sumere.*
63 *Semel sumpsisse Eucharistiam non tollit obligationem denuo sumendi.*
64 *Sumpsisse Eucharistiam in Paschate non tollit obligationem sumendi eam in articulo mortis.*
65 *Tria circa id notanda.*
66 *Non tantum in articulo mortis, sed etiam extra illum, obligatio est iure diuino sumendi Eucharistiam: & pro quo tempore ea sit.*
67 *Ido anno in quo satisfactum est præcepto Ecclesiæ de sumenda Eucharistia in Paschate, non contingit alia extra periculum mortis, nisi per accidens.*
68 *Melius est communicare frequenter quam raro.*
69 *De frequentia communionis non potest dari certa regula omnibus communis.*
70 *Quod aliquando in pœnam criminis negata est Eucharistia in fine vitæ: iam non est in vsu: ita vt nulli vere pœnitenti ea denegetur.*
71 *Explicatio difficultatis, An peccent Iudices qui ratione consuetudinis receptæ in sua prouincia, non concedunt Eucharistiam damnatis ad mortem.*
72 *Explicatio alterius difficultatis, An conueniens sit quotidie communicare.*
73 *Obligatio communicandi extra mortis articulum præcepto diuino, est tantum ea quæ determinatur præcepto Ecclesiastico quotannis communicandi in Pascha.*
74 *Tempus Paschæ quomodo sit accipiendum, & qua ratione sumptio Eucharistiæ sit ad illud determinata.*
75 *Qui omittit communionem in Paschate, manet obligatus ad eam sumendam quamprimum potest.*
76 *Ante tempus Paschale communicasse, non tollit obligationem in eo communicandi.*
77 *Impeditus per censuram non communicans in Paschate, quomodo excusetur.*
78 *Quos obliget præceptum diuinum de sumenda Eucharistia.*
79 *Cui amenti ea dari possit, & quando.*
80 *Energumenis quando dari possit Eucharistia.*
81 *Dari potest ægrotis semidelirantibus: itemque semifatuis.*
82 *Quos obliget præceptum Ecclesiasticum: & specialiter de pueris.*
83 *In qua parte ætatis incipiant pueri habere discretionem sufficientem ad Eucharistiæ sumptionem.*
84 *Ad primam eiusmodi sumptionem non sunt multum vrgendi, excepto articulo mortis.*
85 *Possunt iidem pueri in hac re stare iudicio Confessariorum, & eorum sub quorum sunt cura, grauiter peccantium, si nihil de ea re curent.*
86 *Tres modi communicandi, & per quem eorum satisfiat præcepto de communione.*
87 *An satisfiat communicando tantum sacramentaliter, rationes in vtramque partem.*
88 *Quid pro praxi tenendum sit, aliquot documentis declaratur.*
89 *Ex delegatione potest Diaconus Eucharistiam ministrare: iure ordinario vero solus Sacerdos.*
90 *Quem oportet Pastorem esse suscipientis.*
91 *Aduertenda circa idipsum.*
92 *Parochus licentiam ministrandi suis Eucharistiam dare potest simplici Sacerdoti, etiam non approbato ab Episcopo ad administranda sacramenta.*
93 *Qui sacerdos in extrema aut graui necessitate idem potest sine tali licentia: neque extra illam requirit hanc expressam, sed ei sufficere potest præsumpta voluntas Pastoris.*
94 *Quando nõ impleat quis præceptum Ecclesiæ, communicando in Pascha extra suam parochiam sine Parochi sui licentia.*
95 *Tenenda de obligatione Sacerdotum ministrandi Eucharistiam.*
96 *Tempus quo peculiariter incumbit proprio Sacerdoti.*

VALDE propria est nostri instituti consideratio suscipientium Eucharistiam, tanquam tota fere spectans ad rationem iudicandi de peccatis. Requiritur autem primo, vt declaremus obligationem qua iidem adstringuntur ad talem susceptionem. Secundo, vt respondeamus ad ea quæ inquiruntur de necessariis ad Eucharistiam digne, & cum diuinæ gratiæ salutari fructu suscipiendam. Tertio, vt indicemus rationem qua cum diuino fauore Eucharistia sic sumi possit, vt gustus & suauitas ex Christi præsentia sentiatur. Ea autem quæ de obligatione sumendi sacrosanctam Eucharistiam declaranda sunt, ad quinque quæstiones reducuntur. Prima est, An detur aliquod præceptum sumendi sacrosanctam Eucharistiam. Secunda, si detur, quomodo obliget. Tertia, pro quo tempore obliget. Quarta, quos obliget. Quinta, qualis sumptio Eucharistiæ requiratur ad satisfaciendum eidem obligationi.

QVÆSTIO I.

An detur præceptum sumendi sacrosanctam Eucharistiam.

HÆC quæstio non habet difficultatem, si de præcepto Ecclesiastico agatur, cum constet tale dari, in cap. Omnis vtriusque sexus, De pœnitentiis & remiss. in quo præcipitur vt omnes vtriusque sexus fideles cum ad annos discretionis peruenerint, percipiant in Paschate Eucharistiam: nisi proprii Sacerdotis consilio ob aliquã rationabilẽ causam ad tempus, ab huiusmodi perceptione duxerint abstinendum esse: alioqui viui ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & mortui Ecclesiastica careant sepultura. Tota ergo difficultas est, An detur præceptum

istiusmodi

istiusmodi diuinum. De quo in vtramque partem plures Authores citat Suarez *tom. 3. in tertiam partem D. Thomæ disput. 69. sect. 1.* & affirmantem sequitur, eamque confirmat duobus sacræ Scripturæ testimoniis. Sed breuitatis studio possumus contenti esse illo quod habetur Ioann. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.] Quæ verba non sunt intelligenda tantummodo de spiritali manducatione: tanquam scilicet manducare carnem Christi, & bibere sanguinem ipsius, non sit aliud quam nos eidem Christo pro nobis crucifixo, tanquam membra viua incorporari, siue per actus fidei in illum atque charitatis; siue per vsum cuiusque sacramenti, & imprimis baptismi: sed etiam intelligenda esse de sacramentali sumptione Eucharistiæ bene ostendit Greg. à Valent. *tom. 4. disp. 6. quæst. 8. punct. 5. §. 4.*

Satis autem ad id nobis est, illum fuisse sensum antiquorum Patrum, quorum plures idem author commemorat. Fuisse item Ecclesiasticam traditionem. Nam, vt bene Suarez ait, ab ipso initio nascentis Ecclesiæ huius sacramenti vsus fuit fidelibus in maxima obseruatione, tanquam à Christo traditus ac mandatus: curæque fuit Pastoribus, eum in Ecclesia fouere. Sic enim in primis illis temporibus Anacletus Papa, *vt in cap. Episcopus Deo sacrificans, De consecr. distinct. 1. refertur ex ipsius epistola prima*, mandat vt peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Quod idem de Calixto Papa iisdem verbis refertur in cap. Peracta, De consecrat. distinct. 2. vbi & additur sic Apostolos statuisse, & sanctam Romanam Ecclesiam tenere. Postea vero cum charitatis feruor minueretur, Fabianus Papa, vt habetur in cap. Etsi non frequentius, eadem distinct. præcepit, vt singuli sacram communionem sumerent ter saltem in anno: nempe in Natali Domini, in Pascha te, & in Pentecoste. Ac demum decrescente adhuc magis charitate, in magno Concilio Lateranen. datum est præceptum graue, quod ante retulimus ex cap. Omnis vtriusq; sexus, De pœnit. & remiss. De cuius obligatione perseuerante in Ecclesia, habetur mentio in Concil. Trid. sess. 13. can. 9. his verbis, Si quis negauerit omnes & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cum ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis saltem in Pascha te ad communicandum, iuxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.

58. Hoc autem fundamento posito præceptum diuinum sic ostenditur. Particula, *nisi*, prout à Christo vsurpatur, importat necessitatem; sic enim baptismi, & pœnitentiæ necessitas ex verbis ipsius intelligitur: quia dixit Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei] & Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis omnes peribitis.] Similiter ergo colligenda est necessitas sumptionis sacramentalis corporis & sanguinis Christi: quoniam de eadem sumptione ipse dixit Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.] Iam necessitas ea, vel est præcepti: & sic habetur intentum, nempe dari præceptum diuinum de prædicta sacramentali sumptione: vel est necessitas medii: & adhuc idem intentum habetur; quia cum talis sumptio non sit natura sua ad gratiam & gloriam consequendam necessaria, sicut nec baptismus, sed tantum ex Christi institutione, oportet sane vt ea ipsa institutio includat præceptum, quod talem necessitatem imponat.

Sed inde oriuntur duæ graues difficultates. Altera, quod vt baptismus, sic Eucharistiæ sacramentum non modo adultis sed etiam pueris esset necessarium: id quod sub anathemate Concil. Trid. sess. 21. can. 4. damnat: Altera, quod non tantum sub vna, sed etiam sub vtraque specie necessarium esset idem sacramentum sumi à Christi fidelibus, quod idem Concilium similiter damnat in præced. can. 1.

59. Ad priorem autem respondendum est, tam ex vsu Ecclesiæ, quam ex natura huius sacramenti intelligi nõ esse eodem modo extendendum præceptum datum de illius vsu, atque datum de vsu baptismi. Nam vsus Ecclesiæ est, vt baptizentur infantes: non autem, vt illis detur Eucharistia. Item natura baptismi est, vt sit spiritualis regeneratio, quæ simpliciter & absolute necessaria est omnibus. Sacramenti Eucharistiæ est, *sicut Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. loquitur*, vt sumatur tanquam spiritualis animarum cibus, quo alantur & confortentur viuentes vita illius qui dixit Ioan. 6. Qui manducat me & ipse viuet propter me; atque tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur: qua confortatione & præseruatione opus habent tantum ii, qui iam rationis vsu præditi, possunt peccando aliquid subinde virium spiritualium amittere. Deinde renasci ex aqua & Spiritu sancto, passio quædam est: cuius capaces esse possunt infantes: manducare vero sacramentaliter corpus Christi, est actio exercenda cum diiudicatione eiusdem corporis ex priori ad Corinth. c. 11. id est, cum deuotione & reuerentia corpori Christi debita: cuius non sunt capaces paruuli. Videti potest Greg. à Valen. *tom. 4. disp. 6. quæst. 1. puncto 5. & Suarez in memorata disp. 69. sect. 2. dub. 2.*

Ad posteriorem vero difficultatem respondendum est; præcipi quidem à Christo corporis & sanguinis sui sumptionem; non tamen sub vtraq; specie: quod Concil. Trid. sess. 21. cap. 1. probat ex eo, quod Christus in citato cap. 6. Ioannis eumdem effectum vitæ tribuat manducationi corporis sui, quem tribuit eidem manducationi simul & bibitioni sanguinis sui: qui enim dixit, Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.] dixit quoq;, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.] Et qui dixit, Qui manducat meam carnẽ, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.] dixit quoque, Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.] Et denique qui dixit, Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet & ego in illo,] dixit nihilominus, Qui manducat hunc panem viuet in æternum.] De qua re pluribus disputantem qui volet, videri poterit Gregor. à Valentia in toto puncto 5. sequentis quæstionis octauæ.

Qvæstio II.

Quemodo præceptum sumendi sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum obliget.

AD hanc respondendum est. Primo quidem, cum tale præceptum sit de re graui, obligare sub peccato mortali. Quod esse potest, tum inobedientiæ, quando obseruatio illius omittitur eo tempore, pro quo ipsum obligare dicetur in sequenti quæst. tum sacrilegij, quando contra virtutem religionis tam dignum, tamque sanctum sacramentum sumitur in peccato mortali. Secundo vero, quando Eucharistia non poterit realiter sumi, siue quia non datur copia ministrantis illam, siue quia infirmitas corporis impedit illius vsum: tunc sufficere votum seu propositum sumendi eam si daretur commoditas. Tertio demum eiusmodi obligationem, cum sit immediate à Christo, non posse mutari humana authoritate. 60.

De determinatione autem facta ab Ecclesia in cap. Omnis vtriusque sexus, *cuius meminimus initio præcedentis quæstionis*, quod ea præceptum, *nec tantum consilium*, contineat, patet tum ex Concilio Trid. sess. 13. can. 9. cuius verba in præcedenti quoque quæstione retulimus: tum ex graui pœna quæ in eod. cap. Omnis vtriusque sexus, imponitur illius transgressori: vt scilicet viuus ab Ecclesia arceatur, & mortuus careat Ecclesiastica sepultura: quæ pœna ostendit etiam ipsum obligare sub peccato mortali. Licet vero Summus Pontifex talem obseruationem tollendi potestatem habeat, quando quidem ea est tantum iuris Ecclesiastici: vix tamen posset tollere absque peccato. Nam Christus Eucharistiæ sacramentum instituens, non tantum præcepit nos illo vti, sed etiam vti recolendo in eo memoriam passionis suæ iuxta illud Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationem: & illud prioris 61.

ad Corinth. 11. Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Vnde sicut Christus ipse voluit eam memoriam in nobis frequentem esse, voluit etiam nos frequenter vti ipso Eucharistiæ sacramento: quod tanquam diuinum iuæ passionis memoriale nobis reliquit: prout Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. expressit his verbis: Saluator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, sacramentum hoc instituit, & in illius sumptione, colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum veniat.

Præterea sicut in corporali vita necessaria nobis sunt, tum corporalis refectio ad confortationem corporis; tum antidota ad repulsionem morborum: sic etiam in vita spiritali. Cui necessitati Christus Dominus noster vt subueniret, sacramentum Eucharistiæ instituit, & à nobis sumi voluit, prout idem Concil. Trident. expressit, cum proxime citatis verbis subiunxit. Sumi autem voluit sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius qui dixit: Qui manducat me, & ipse viuet propter me:] & tanquam antidotum quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. Quæ cum ita sint, vix intelligi potest qua ratione licite valeat Papa tollere de facto, *vel etiam minuere*, in Ecclesia vsum in ea præceptum sumendi Eucharistiæ sacramentum, semel saltem in anno. Præsertim cum eiusdem sacramenti institutio facta à Christo & præcedentium Pontificum exemplum, & necessitas quam oues ei commissæ habent maximam tam salutaris pabuli: augendum potius esse quam minuendum aperte suadeant, vel etiam pene coniungant.

62. Ad hæc potest de modo de quo quæstionem proposuimus, illud addi, quod ex authoritatibus D. Pauli & Concil. Trident. antecitatis, sufficienter intelligitur, obligationem per hoc præceptum impositam Christianis, esse sumendi Eucharistiam prout ea est memoriale passionis Christi: ideoque fideles ex tali obligatione teneri Eucharistiæ sacramentum sumere, tanquam reuera in se continens Christum qui pro nobis mortuus est, (quod Suarez in citata disputat. 69. sect. 1. col. 5. tangit,) indeque fieri, vt peccatum quod prædiximus committi indebito vsu illius, grauissimum sit; quod satis indicat Apostolus in priori ad Corinth. cap. 11. cum sumentem indigne, reum censet corporis & sanguinis Domini, ac iudicium sibi manducare & bibere, seu acquirere sibi æternam damnationem, pro futura vita nimirum: infirmitates vero, ac etiam mortis accelerationem pro vita præsenti: iuxta illud, Ideo inter vos imbecilles multi, & dormiunt multi.]

Ad quam peccati grauitatem indicandam, aliqui Patres, *vt meminit Gregor. à Valent. tomo 4. disput. 6. quæst. 8. punct. 3. in initio*, illud comparârunt cum peccato eorum qui Christum occiderunt: alij cum peccato Iudæ proditoris: & demum alij cum peccato Iudæorum qui Christum in cruce pendentem blasphemauerunt.

Qua tamen in re, distinctione vtendum est cum D. Thom. 3. *par. quæst.* 80. *art.* 5. ac concedendum maioris grauitatis ipsum esse omnibus illis peccatis quæ committuntur in puras creaturas, contra virtutes morales: vt adulterio, homicidio, & similibus: nisi in eis grauitas ex circumstantiis valde augeatur: sicut in homicidio augeri potest ex multis variisque damnis ex illo secutis. Ratio vero est, quia corpus Christi dignius est omni pura creatura: & religio, *vtpote immediatius attingens Deum & res diuinas*, præstantior est cæteris virtutibus moralibus: atque peccatum eo grauius est, quo digniori bono aduersatur. Negandum est autem idipsum peccatum indignæ sumptionis Eucharistiæ grauius esse peccatis quæ committuntur in diuinitatem, contra virtutes Theologicas: putà hæresi, desperatione, odio Dei: quia & Deus quibusuis aliis rebus: & fides, spes, charitas, virtutibus omnibus, *etiam religione*, tanquam immediatius Deum attingentes, dignitate antecellunt; & per consequens peccata quæ eis aduersantur, turpiora sunt & grauiora cæteris. De qua re plura Suarez *tomo 3. disp. 66. sect. sect. 2.* Sed dicta possunt ad Confessarij institutionem sufficere.

QVÆSTIO III.

Pro quo tempore obliget præceptum sumendi sacrosanctæ Eucharistiæ sacramentum.

DE præcepto diuino Suarez *tom. 3. disp. 69. sect. 3.* diuersas refert sententias citatis earum authoribus, beneque excutit. Contenti erimus aliquot propositionibus explicare quid tenendum videatur in praxi.

Prima est: Semel sumpsse Eucharistiæ sacramentum, nõ sufficit ad hoc, vt quis censeatur nullo deinceps tempore ad illud sumendum teneri diuino præcepto. Hæc probatur: quia quantumuis in rigore, veritati verborum Ioan. 6. quibus in præced. quæstione idipsum præceptũ imponi diximus, satisfieri posse videatur communicando semel in vita: sicut verbis Ioann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. satisfit suscipiendo baptismum semel in vita: ratio tamen suadet, illa sic esse interpretanda vt intelligantur continere præceptum diuinum obligans non pro vno tantum tempore, quasi ad vnum solum actum exercendum esset impositum: sed pro tot diuersis temporibus, quot prudens interpres, notatis rerum & personarum circumstantiis, rationabiliter iudicabit. Id quod, prout poterit, sequentibus propositionibus exponetur in particulari. 63. 65.

Eiusmodi autem ratio suadens, est hæc: quod diuinum præceptum sumendi Eucharistiam obligare pro vno tantummodo tempore, tanquam impositum ad vnum tantummodo actum: dici debeat: vel ob generalem cõditionem quam habet præcepti affirmatiui: vel ob aliquam specialem, sumptam ex ipsius proprio fine, vel ex propria materia. Non quidem ob generalem; vt patet exemplo præceptorum credendi, diligendi Deum, sacrificandi, & aliorum plurium. Nam nemo est qui dixerit ea obligare ad semel tantum in vita exercendum actum credendi, vel amandi Deum, aut ei sacrificandi. Quare nec de præcepto sumendi Eucharistiam, quatenus est affirmatiuum, idem rationabiliter dici censendum est. Nec etiam ob specialem conditionem: quia ex proprio fine & materia propria eiusmodi præcepti, contrarium potius colligitur. Etenim finis præcepti de Eucharistiæ sumptione, est corroboratio animæ, & conseruatio ac perseuerantia in gratia: siue, vt habet Concil. Trid. sess. 13. cap. 8. animæ vita & perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere ad cœlestem patriam peruenire valeamus. Materia vero propria est ipsa Eucharistia sumenda per modum cibi, quo gratia ipsa accrescit. Vnde sequitur, quod sicut absurdum esset dicere, quod ad sanitatem corporis conseruandam sufficiat semel in vita alimentum corporis sumere: sic etiam absurdum esse, dicere quod sufficiat semel in vita sacrosanctam Eucharistiam sumere ad conseruandam in anima gratiam: cum hæc motibus concupiscentiæ, *perinde ac sanitas corporis, actione caloris naturalis*, debilitetur; ac nisi instauretur, tandem deficiat.

Secunda propositio est: Præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, obligare per se, pro articulo, seu pro probabili periculo mortis. Hanc in eam citatis Richardo, Durando, Gabriele, & vtroque Soto, Suarez *loco citato dicto primo*, tenet contra Caietan. in verbo, Communio, §. Vtrum autem; & Franciscum à Victoria De Sacramentis, nu. 86. & Syluestrum, in verbo Eucharistia 3. non longe ab initio, qui existimant hominem Christianum non obligari, *saltem sub mortali*, Eucharistiam sumere in articulo mortis quocunq; tempore is contingat, si iam in Paschate communicauerit. Probatur autem eadem propositio: quia præceptum istud si quando obliget, tunc maxime obligabit, cũ obseruatio illius maxime necessaria est ad finem ob quem datum est, nempe ad animæ corroborationem & conseruationem in spiritali vita. At eiusmodi necessitas contingit maxime in articulo mortis ob pugnas & infestationes dæmonum. Præterea, perpetua Ec- 64. 66.

cleſiæ conſuetudo fuit, & eſt, vt curetur pręberi ſacroſanctum Euchariſtiæ viaticum, exiſtentibus in probabili articulo mortis. Pro quo Suarez aliquot Concilia citat ibidem. Quibus accedunt apud Gratianum, cap. Si quis de corpore, cum tribus proxime ſequentibus, 26. quæſtio. 6. Concilium item Trident. ſeſſ. 13. cap. 6. vbi ſtatuit retinendum eſſe morem conſeruandi Euchariſtiam & deferendi ad ægrotos: eumq; vocat vetuſtiſſimum, ſalutarem & neceſſarium morem.

Ex qua neceſſitate, licet obligationem præcepti inferre: vt & ex vetuſtate maxima, coniuncta cum perſeuerantia & immutabilitate, licet inferre porro talem conſuetudinem Apoſtolicam traditionē eſſe, in Chriſti præcepto fundatam, quæ indicet eiuſdem præcepti obligationem vrgere pro illo tempore: ſicut etiam indicat communis ille fidelium ſenſus, quo ſalutis ſuæ negligentiſſimus, nec de bono ſtatu animæ ſollicitus habetur; immo de hæreſi ſuſpectus eſt is, qui voluntarie in mortis articulo viaticum iſtud neglexerit. Vnde etiam conſtat graue peccatum in eo committi, neque contrariam ſententiam Caietani & aliorum habere probabilitatem, qua poſſit cenſeri tuta. Tria autem addit Suarez notanda pro praxi.

65. Primum eſt: Hanc propoſitionem non eſſe ita accipiendam quaſi ſtatim atq; aduertitur quis verſari in probabili mortis periculo debeat Euchariſtiam ſumere. Cum enim finis præcepti ſumendi Euchariſtiam in tali periculo, ſit vt per eam ſumptionem homo ſe præparet ad tranſitum ex hac vita, ſatis id aſſequetur ſumendo paulo ante mortem. Quanquam cauendum eſt ne ſumptio ita differatur, vt quis exponat ſe probabili periculo moriendi ſine viatico: in eoque peccandi mortaliter iuxta illud Eccleſiaſtici tertio, Qui amat periculum peribit in illo.

Secundum eſt: Eum qui paucis diebus, *qui relinquuntur prudentis arbitrio determinandi, verbi gratia, octo vel decem, vt inquit Suarez*, antequam in tale periculum incurreret, Euchariſtiam ſumpſiſſet: non obligari iterum ſumere occurrente ipſo periculo. Ratio eſt: quia cum tempus breue eſt, iam periculum moraliter imminet, quantumuis homo illud ignoret: ideoque obligatio adeſt reipſa, cui tunc temporis ſumendo Euchariſtiam, cenſeri poteſt ſatisfactum: eo maxime nomine, quod vnuſquiſque in ſuis actibus obligatoriis iudicetur habere intentionem virtualem & implicitam implendi omnem obligationē, quam tunc poteſt & debet implere: licet fortaſſe eam ignoret. Neq; in hoc eſſe faciendam exceptionem caſus in quo quis poſt Euchariſtiæ ſumptionem in peccatum mortale incidiſſet: ipſe Suarez *concl. 4. contra Sotum & Tabienam* probat; tum aliunde, tum ex eo, quod ſacramentum Euchariſtiæ non ſit inſtitutum ad tollendum peccatum mortale, ſicut ſacramentum Pœnitentiæ. Vnde fit vt præceptum illius non obliget, ſicut præceptum confeſſionis, omnem eum qui de nouo lapſus eſt in peccatum mortale, vt Eccleſiæ communis vſus ſatis oſtendit: qui eſt, vt non quotieſcunque in moribundis neceſſitas confitendi occurrit, ſimul detur Euchariſtia, tanquam ſimul occurrat neceſſitas cōmunicandi.

Tertium eſt: Quamuis præceptum non vrgeat; conſilium tamen dandum eſſe verſanti in periculo mortis: vt quamprimum ſalutari Euchariſtiæ viatico ſe muniat; etiamſi non multo ante illud ſumpſerit: quia conſentaneum eſt vt primo quoque tempore, & cum expreſſa intentione impleamus id, quod nobis incumbit in ſummam noſtram vtilitatem; & vrgente magna noſtra neceſſitate.

66. Tertia propoſitio eſt: Diuinum præceptum, De ſumenda Euchariſtia obligare, nō tantum in articulo mortis, ſed etiam extra illum; neque tantum ſemel ſed aliquoties in vita. Hæc probatur: quia Chriſtus præcepit Euchariſtiam ſumi in ſpiritalem animæ cibum, & in memoriam ſuæ paſſionis, prout habitum eſt in præced. quæſt. 2. At non tantum in mortis articulo, neque extra illum tantum ſemel in vita, ſed ſæpius, opus eſt nobis talis cibi ſumptione, memoriam paſſionis Domini recolere. Quare non ſolum tunc, ſed ſæpius Chriſtum voluiſſe ad Euchariſtiæ ſumptionem nos obligare, eſt admodum probabile: præſertim cum talis ſumptionis vſus frequentior in Eccleſia, tale quid oſtendere videatur. Si quæras, quodnam ſit tempus illud, pro quo extra mortis articulum præceptum propoſitum obligat. Reſpondetur eſſe illud, quo prætergreſſo, Euchariſtiæ ſumptio nimium dilata cenſenda eſt prudentis iudicio. De qua re Suarez *loco cit. dicto* 3. Sed aduerte, quod Eccleſia liberet nos moleſtia inquirendi, quid in ſingulari de ea teneri debeat. Illud enim determinauit, cum, *vt ſupra diximus*, præcepit reuerenter Euchariſtiam ſuſcipi ſemel ſaltem in anno, idque in Paſchate.

Quarta propoſitio eſt: Eum qui iuxta Eccleſiæ præceptum Euchariſtiam ſumpſit in Paſchate non obligari diuino præcepto illam eodem anno ſumere denuo, ſi in nullum incurrat probabile mortis periculum. Hæc probatur ex dictis: quia longum illud tempus, pro quo id præceptum obligat, Eccleſia determinatione ſua declarauit non occurrere intra anni ſpatium. Dices poſſe dari cauſas alias quam mortis articulum, propter quas communicandum ſit: vt votum aliquod de eo factum: dictamen conſcientiæ quo quis putet ſe ſub mortali ad id teneri: item neceſſitas aliqua priuata vel publica, cui vt ſubueniatur eſt opus tali remedio. Reſpondetur id eſſe per accidens, ex concurſu alterius præcepti, ſiue reddendi votum ſuum Deo, ſiue non agendi contra conſcientiam, ſiue ſubueniendi neceſſitati occurrenti. Quæ vix talis contingit, vt non niſi per Euchariſtiæ ſumptionem poſſit ei ſubueniri. Quod Suarez quoq; notat *loco cit. concl. 4.* Et ratio eſt, quod præter eam remedia alia multa eſſe poſſint, orationis, ieiunii, eleemoſynæ, & aliorū id genus. 67.

Quinta propoſitio: Extra tempora obligationis præcedentibus propoſitionibus expoſita, conſultius eſſe timoratam conſcientiam habentibus, communicare frequentius, quam rarius: magisq́ue in talem frequentiam inclinandum eſſe, quam in raritatem. Hanc eſſe communem ſententiam Theologorum, aliquot eorum ac etiam Patrum, in eam citatis monet Suarez *in memorata diſp. 69. ſect. 4.* Nobis pro praxi poteſt Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 8. ſufficere in eo, quod tam ſerio tantoq; affectu adhortatur omnes & ſingulos, qui Chriſtiani nominis cenſentur, vt in hoc vnitatis ſigno, in hoc charitatis vinculo, in hoc concordiæ ſymbolo, iam tandem aliquando conueniant & concordent: memoresq́; tantæ maieſtatis, & eximij amoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui dilectam animam ſuam in noſtræ ſalutis pretium, & carnem ſuam nobis dedit ad manducandum: hæc ſacra myſteria corporis & ſanguinis eius, fidei conſtantia, & firmitate, ea animi deuotione, ea pietate & cultu credant ac venerentur, vt panem illum ſuperſubſtantialem frequenter ſuſcipere poſſint. &c. Item quod in ſeſſ. 22 cap. 6. ſancta ſynodus optare dicitur, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolum ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent. 68.

Accedit quoque ratio: quia digne communicare per ſe bonum eſt: à communione vero abſtinere, ſolum per accidens: nempe ex defectu præparationis & periculo irreuerentiæ. Deinde propenſio ad frequenter communicandum prouenit ex charitate in Deum: propenſio vero ad abſtinendum à communione naſcitur ex timore & metu quodam. At melius eſt quod per ſe, quam quod per accidens bonum eſt: & quod à charitate, quam quod à timore procedit. Adde quod frequens vſus ſacroſanctæ Euchariſtię, ſi prudenter fiat, & cum mediocri diligentia, plus valeat ad foueēdam eiuſdem Euchariſtiæ reuerentiā, quam abſtinentia ab eadem: tum quia conſuetudo facit ad actus ſimiles propenſum: tum quia ei qui ſacramentum bene diſpoſitus ſuſcipit, gratia confertur ex opere, vt vocant, operato, applicatione q́; meritorum paſſionis Chriſti. Ex gratia autem, accreſcit in Deum pietas & obſeruantia.

Sexta propoſitio, *per ſe nota, nec egens probatione*, eſt: Non poſſe in particulari vnam regulam dari de frequētia communionis, quæ omnibus fidelibus expediat: ſed pro diuerſitate ſtatuum & morum id eſſe prudentis iudicio de- 69.

finiendum: qui considerabit, eam posse continentibus magis conuenire, quam coniungatis: & Religiosis, quam secularibus. Ad quam propositionem Suarez *in eadem disput. 69. sectio. 4. conclus. 3.* addit sequentia pro praxi notanda.

Primum est: Raro esse alicui consulendum vt consuetudine ordinaria frequentius quam octauo quoque die communicet; seu quam singulis diebus Dominicis. Ratio est: quia ordinarie tot sunt humanæ vitæ negotia & impedimenta, quæ & animum distrahunt, & tempus occupant, vt nequeant homines frequentius quam dictum est, ad sacrosanctam Eucharistiam cum debita dispositione accedere: nec quantum par esset temporis, tali actioni dare. Neque vero timendum est inde animæ fructum deperiturum esse: quia sufficienter subuenitur ei per hebdomadariam communionem susceptam cum debita præparatione. Secundum est: Non esse omittendam communionis frequentiam, propter peccata venialia: & eo quod homo modicum admodum deuotionis feruorem in se sentiari. Istud Suarez habet ex D. Bernardo in sermone De cœna Domini. Et probari potest, *sicut probat à Victoria De sacramentis, num. 85.* quia deuotio est effectus sumptionis Eucharistiæ, sicut calefactio est effectus accessionis ad ignem: & ante causam, aut sine ea velle effectum habere, alienum est à ratione. Tertium est: Non esse negandũ, quin interdum eiusmodi frequentia intermitti possit ad conciliandã maiorem reuerẽtiam, aut ob aliam rationabilem causam. Nam communionẽ differri posse de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam talem causam habetur ex cap. Omnis vtriusque sexus, De pœnitent. & remiss. Quamquam, vt Suarez addit, istud debet ratũ esse, & extraordinarium potius, quam frequens: neque tanta dilatio debet esse, quæ plus nocere quam prodesse possit.

Difficultates de eodem tempore pro quo obligat præceptum sumendi Eucharistiam.

70. PRIMA EST: An aliquando in mortis articulo sacramentum Eucharistiæ alicui negari possit. Ad hanc respondet Suarez *in eadem disput. 69. sect. 3. in fine.* posse negari in pœnam alicuius criminis ad aliorũ correptionem; neque enim obligatio illud sumendi ad spiritualis vitæ conseruationem id impedit; sicut nec obligatio sumendi communem cibum ad vitæ corporeæ conseruationem impedit quominus reus alicuius criminis possit illo priuari à Iudice. Et certe tale quid aliquando vsu fuisse receptum in Ecclesia constat ex Concil. Elibertino per plures Canones. Attamen contrarium vsum introducendum esse, tanquam animarum saluti valde commodum & opportunum, merito postea censuit Ecclesia. Et ita in cap. Super eo, De hæret. in 6. viaticum dari præcipitur hæreticis relapsis ante vltimum supplicium, si sufficientia signa fidei & pœnitentiæ dederint: & in cap. Quæsitum, 13. quæst. 2. idẽm statuitur de aliis, qui ob alia crimina morte plectuntur, si peccatorum suorum confessionem fecerint. Et vt addit Suarez, Pius Quintus idem fieri præcepit (quod enim notat Henriq. *in 1. par. suæ summæ l. b. 8. cap. 5. in fine.*) per motum prium editum anno Domini 1569. Item in cap. Tanta, distinct. 86. excommunicato pœnitenti Eucharistia conceditur in articulo mortis; immo nec vllis vere pœnitentibus denegatur, ex cap. Quod in te, De pœnitent. & remiss. traditque Syluester *Eucharistia 3. quæst. 5. dicto 8.*

71. SECVNDA DIFFICVLTAS est: An peccent Iudices, damnatis ad mortem non concedentes Eucharistiam ratione consuetudinis receptæ in sua prouincia. Ad quam Nauar. *in Enchir. cap. 25. num. 23.* pluresque alii quos refert Henriquez, *loco citato in margine litera Z*, respondent excusari à peccato per eiusmodi consuetudinem. Quam rationabilem esse ex eo doceri potest; quod videatur consentaneum vt sceleratis, à reipubl. communione per mortem abscindendis, sacramentum communionis negetur in signum talis abscissionis: præsertim cum eiusdẽ sacramenti suscipiendi non sit tanta necessitas, *quanta est pœnitentiæ*, vt executio iustitiæ debeat ob illius sumptionem differri diutius, quam expediat; vel aliquem cum irreuerentiæ periculo statim excarnificare, qui sacrosanctum Christi corpus nondum consumptis sacramentalibus speciebus, adhuc intra se habeat. Sed vt paulo distinctius res declaretur, aliquot propositiones statuemus.

Prima est: Iudicem non teneri liberare reum nolentem confiteri, nec Eucharistiæ sacramentum sumere, quantumuis certo sciat ipsum in peccato mortali moriturum. Hæc est Soti *lib. 5. De iust. & iur. quæst. 1. art. 2. ad 2.* Quam probat: tum quia facile alioqui esset cuique, vti ea vafritia, vt se impœnitentem fingat: tum quia punitio publica non refertur ad bonum eius qui punitur, vt emendetur, sed in bonum publicum vt cæteri terreantur. Bonum autem publicum anteferendum est priuato, ordine charitatis, tanquam melius & præstantius. Neque in ea re bonum spirituale postponitur bono temporali, nam ea quoque ratione consulitur bono spirituali totius multitudinis. Quod si aliqui inde scandalizentur, scandalum tantum est passiuum: in quo locum habet illud De regulis iuris cap. 3. Vulius scandalum nasci permittitur, quam veritas deseratur.

Secunda propositio est: Reo expetenti, aut non recusanti: Iudicem teneri dare tempus confessionis & sumptionis Eucharistiæ. Hæc patet ex Clement. Cum secundum, De pœniten. & remiss. vbi Episcopi iubentur compellere per excommunicationem Iudices ad tale tempus dandum: consuetudoque illud negandi statuitur abolenda tanquam abusus damnabilis. Quamuis autem illic sermo tantum sit de confessione, consequenter tamẽ, *vt ibidem glossa notat*, intelligendum est de Eucharistia; quia quando dicitur non deneganda pœnitentia, consequenter intelligitur neq; Eucharistia, ex cap. Quod in te, De pœnit. & remiss. Et quoniam obligatio illam tunc sumendi est de iure diuino per ante tradita, nulla consuetudo potest ei derogare.

Tertia propositio est: Reo prædictum tempus petenti non esse negandum, etiamsi timeatur inde fore vt eripiatur, & alii scandalizentur. Hanc post Palud. habet Sylu. *in verbo Iudex, 1. quæst. 11. dicto sexto.* & cum ipse Petrus à Nauar. *in cap. 3. num. 225. & 226. libri 2. De restitut.* In probationem adferens, quod memorata Clementina indistincte præcipiat, Iudices per excommunicationem compelli ad tale tempus dandum. Item quod minus inconueniens videatur dicta ereptio, quæ aliqua ratione reparari potest, quam æterna damnatio, quæ irreparabilis est: ita vt præ illa, hæc vitanda sit. Ad quam vitationem pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta videntur necessaria hoc nomine, quod eo tempore quo animus terrore mortis perturbatus esse solet, difficile sit concipere perfectam contritionem. Cum imperfecta contritione vero, *quæ dicitur attritio*, ad consecutionem salutis requiratur sacramentum, vt animæ infundatur gratia gratum faciens, sine qua salus non contingit. Excipit autem Syluester casum in quo reus crederetur non petere sacramenta ex deuotione, sed ex spe ereptionis: vt si petat cum iam est sub patibulo, qui antea non petierat in carcere. Petrus vero à Nauar. excipit casum quo ex talis hominis ereptione & conseruatione, damnum reipubl. immineret notabile: quia tunc cum reo procederetur ad defensionem Reip. tanquam cum aggressore. Addit idem si nullum sit scandalum in dilatione iustitiæ; neque damnum vllum timeatur ex eo, quod per aliquod tempus à promulgata damnationis sententia Iudex expectet, ipsum teneri expectare; quando reus tunc quidem non vult confiteri, nec pœnitere: spes est tamen quod intra breue tempus, vt duorum, vel trium dierum, pœnitebit. Nam & ipse lege charitatis tenetur succurrere ruinæ animæ proximi, præcipue irreparabili: & spirituale eleemosynam grauiter ea indigenti conferre: quando spes est salutis, nec aliunde vrget necessitas illam denegandi.

72. TERTIA DIFFICVLTAS EST: An conueniens sit quotidie Eucharistiam sumere. Ad hanc respondet D Thom. *3. par. quæst. 80. art. 10.* duo considerari posse circa vsum Eucharistiæ, vnum ex parte eiusdem Eucharistiæ: cuius virtus cum sit hominibus salutaris, vtile est

eam

eam quotidie sumere, vt quotidie fructus eius percipiatur, iuxta illud D. Ambrosij lib. 4. De sacramentis cap. 6. Si quotiescumque effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere qui semper pecco, debeo semper habere medicinam. Alterum vero considerari posse ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magna deuotione & reuerentia ad tantum sacramentum accedat. Ideoque is qui se deuotionem habere, nec distractum esse inuenerit, potest laudabiliter quotidie communicare: imitatione primorũ Christianorum, quibus communionem fuisse quotidianam, sicut & orationem, & verbi Dei auditionem, indicant verba illa, Act. 2. Erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communione fractionis panis & in orationibus.] Sicque accipiendum est illud D. Augustin. in serm. 28. De verbis Domini. Iste panis quotidianus est, accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit: sic viue vt quotidie merearis accipere.

Sed quoniam multoties in pluribus hominibus multa impedimenta eiusmodi deuotionis occurrunt, propter corporis vel animæ indispositionem, non est vtile omnibus hominibus ad tantum sacramentum quotidie accedere, sed iis tantum qui se ad id paratos inuenerint. Quod quia non est facile, dixit D. Augustin. (*prout refertur in cap. Quotidie, De consecr. distinct. 2.*) Quotidie Eucharistiæ communionem sumere, nec laudo, nec vitupero. Quanquã laudabile admodum est, Sacerdotes cum debita dispositione quotidie Missam dicere, vt Franc. à Victoria *De sacram. num. 85.* probat ex historia quam habet D. Greg. in lib. 4. Dialog. c. 56. de Cassio Narniensium Episcopo, quẽ quotidie celebrantem, & se lacrymis conficientem ait accepisse mandatum à Domino per reuelationem cuidam alteri factam. Operare quod operaris, non cesset manus tua, nec cesset pes tuus, &c.

QVARTA DIFFICVLTAS EST: Quomodo intelligenda sit obligatio communicandi in Paschate. Hanc inter cæteros fuse tractat Suarez *tomo 3. disp. 70. sect. 2.* Pro praxi autem sequentia documenta ad nostrum institutum sufficient.

Primum est: Stante determinatione facta ab Ecclesia de sumenda saltem in Paschate, sacrosancta Eucharistia extra mortis articulum (*pro quo ex antedictis, diuinum præceptum determinate obligat*) illum non peccare contra idem præceptum diuinum, qui semel tantum in anno, prout Ecclesia præscripsit, communicauerit. Nam nisi illud ea ratione impleretur, male Ecclesia prouidisset de ratione talem adimplendi obligationem exigendi ab omnibus fidelibus: & per pœnas impositas, impediendi illius transgressionem: quod non est existimandum. Nec refert quod in primitiua Ecclesia longe frequentior fuerit vsus communionis. Nam in tali determinatione consentaneum fuit Ecclesiam; *cuius arbitrio relicta est*, tanquam piam matrem spectare filiorum suorum imbecillitatem, ne fragilibus hominibus laqueum iniicere videretur. Crescente ergo fidelium numero, & charitate refrigescente visum est ei, talem facere diuini præcepti de Eucharistiæ sumptione determinationem, qua non imponeret frequentiorem, sed fidelium multitudini & fragilitati accommodatam pro presenti rerum statu: nimirum annuam præciperet, designato eo anni tempore, in quo fideles viderentur magis deuoti ac magis disposiri.

Quod vero contra hoc documentum Nauar. habet in Enchir. *sub finem cap. 21.* Monachos sancti Benedicti & Moniales cuiusuis ordinis peccare mortaliter, non communicantes singulis mensibus, Suarez merito reiicit, eo quod verba decretorum ab ipso citatorum id non indicent. Neque enim in Clementina Ne in agro §. Sane, De statu Monachorum, aliud à Monachis Benedictinis exigitur, quam vt secundum religionis suæ statuta pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramẽta vsurpent. Ad quo facit, quod transgressori non imponatur alia pœna, quam vt regulari disciplinæ, id est, pœnæ quam regula dictat, subiaceat (*vt ad verbum Regulari glossa interpretatur.*) Regulam autem Benedictinorum in eo nõ obligare sub mortali, notat Henriquez *in sua Summa lib. 8. cap. 5. §. 3.* Concilium autem Trid. sess. 25. cap. 10. De regularibus, non dare Monialibus obligatorium præceptum, verbum *Admoneantur* quo vtitur, satis indicat. De illa Benedictinorum obligatione, plura Suarez tomo 4. disput. 86. sect. 5. num. 7. & sequentibus, & Azor in prima par. mor. instit. lib. 7. cap. 29. quæst. 1. & 2. Vide dicta libro 6. num. 105. & 106.

74. Secundum documentum est: Nomen Paschæ in Ecclesiastica determinatione de qua agimus non sumi vt communiter solet pro sola die Dominica Resurrectionis Domini; sed iuxta declarationem Eugenij 4. (*prout refert Nauar. in cit. cap. 21. num. 45. & ante eum plures alij, quorum Azor meminit in sequenti cap. 30. quæst. 2.*) pro tempore quindecim dierum à Dominica Palmarũ ad Dominicam in albis inclusiue: ita vt communicans quocumque eorum dierum satisfaciat Ecclesiastico præcepto. Non item extra illos dies, etiam sæpius communicans: quia verba præcepti requirunt illud tempus, vt non multo post exponetur. Et certe, si ad vnam tantum diem restricta fuisset obligatio communicandi imposita omnibus fidelibus: periculum offerretur eam transgrediendi: siue ob nimium accedentium concursum, siue ob difficilem accessum ad sacram mensam, siue etiam ob commoditatem effugiendi oculum pastoris inuigilantis, ne quis ab illa se subducat.

Tertium documentum est: Ecclesiasticum præceptum de communione, habere duas partes principales: vnam vt communio non differatur vltra annum: alteram, vt fiat saltem in Paschate. Quæ vtraque principaliter quidem & tanquam propria præcepti materia intenta est à præcipiente: sed prior præcipue. Nam quod in proposito præcepto Ecclesia præcipue intendit, est ne fideles nimium differant vsum communionis, diuino iure indeterminate præscriptum. Adeo vt substantia eiusdem præcepti sit, vt vltra annum communio minime differatur: tempus vero Paschæ addatur ei, tanquam maxime congruum & conueniens tam sancto Christianæ pietatis exercitio: atque vt certius constare possit, communionem non differri vltra annum. Istum sensum propositi præcepti declarare videtur Concilium Trident. sess. 13. can. 9. his verbis: Si quis negauerit omnes & singulos Christi fideles vtriusque sexus, cum ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate, ad communicandum iuxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.

Ad huius autem documenti & sequentium pleniorem intelligentiam, notandum est tres distingui modos, quibus certum tempus lege determinatur. Primo enim determinari potest certum tempus, propter specialem ipsius circumstantiam; vt cum præcipitur ieiunium in aliqua vigilia diei festi: aut cum Missam in ipso die festo ob solemnitatem illius audire iubemur. Secundo determinari potest, imponendo actum qui præcipitur, tanquam onus talis temporis: quo modo Ecclesiasticis præcipi censetur quotidiana recitatio horarum Canonicarum, tanquam onus vniuscuiusque diei. Tertio potest determinati, præcipiendo absolute actum aliquem, illique assignando certum tempus tanquam magis congruum ac magis conueniens exercitio illius. Atque istiusmodi est determinatio temporis Paschalis, facta ab Ecclesia, pro sumptione Eucharistiæ ad satisfaciendum præcepto Christi de ea dato: sicut est & illa, qua quis vnam Missam fundat pro defunctis singulis hebdomadis: illiusque celebrationi assignat diem Lunæ. Itemque illa qua Confessarius in pœnitentiam imponit ieiunium seruandum die Veneris.

75. Quartum documentum est: Eum qui Eucharistiam sumere in Paschate omisit, non videri liberum ab obligatione, quasi possit vsque ad alterum Pascha sumptionem differre: sed teneri sumere quam primũ moraliter potest. Istud cum Nauar. *loco cit.* tenent Suarez *loco item cit.* & Azor *in eodem cap. 30. q. 5.* contra multos alios quos ipsi commemorant. Ratio est: quia obligatio præcepti determinantis certum tempus, cessat quidem cum determinatio fit primo aut secũdo modo ante dictis: vt qui omisit ieiunium in vigilia festi, aut non recitat horas canonicas, non

manet ea de causa obligatus ad aliquod sequenti die ieiunium, aut ad recitandum omissas canonicas horas: non cessat tamen cum fit tertio modo, vt declaratur exemplo obligationis soluendi censum annuum, dum sic imposita est alicui, vt teneatur tantam summam quotannis in censum soluere, & ad certitudinem maiorem, certus dies v.g. festum S. Ioannis Baptistæ designatur solutioni faciendæ. In quo si ea omittatur, non extinguitur eiusmodi obligatio, sed omissio ipsa magis vrget solutionem fieri. Quia ergo determinatio sumendi Eucharistiam facta ad tempus Paschale, est istius tertij modi (cum non sit ad finiendam obligationem præcepti diuini, sed ad impediendam dilationem nimiam illud implendi) is qui communionem omittit in Paschate, non manet vsque ad sequens Pascha liber ab obligatione communicandi: sed cumprimum moraliter communicare potest, debet id facere ex vi determinationis Ecclesiasticæ: quæ non esset sufficiens; nisi sic præscriberet tempus, vt dilationem maiorem prohibeat.

Et certe si liberum esset cõmunionem in vno Paschate omissam, vsque ad aliud Pascha differre, non esset vsus in Ecclesia, vt qui eam omittit compellatur per censuram satisfacere præcepto communicandi singulis annis, nec sinatur expectare sequens Pascha. Cum igitur excommunicatio non soleat ferri propter peccatum præteritum, qua ratione præteritum est: sed qua futurum: vt scilicet is qui illud commisit non permaneat in illo, seu non continuet illud: sane dicendum est propositi præcepti transgressionem magis ac magis continuari, quamdiu post elapsum tempus designatum adimpletioni, hæc magis, magisque differtur.

76. Quintum documentum est: Ex eo quod ante tempus Paschale communicarit quis, siue ex deuotione, siue vrgente mortis articulo, non liberari ab obligatione in eodem tempore cõmunicandi. Ratio est: quia præceptum debet eo tempore impleri pro quo est impositum, si nullum interueniat iustum impedimentum. Præceptum autem de quo agimus, impositum est pro tempore Paschali. Quare communio quæ hoc anteceſſit, non est impletiua illius: manetq; eadem obligatio quæ antea erat. Id quod procedit, etiamsi quis communicasset timens se non habiturum cõmoditatem communicandi in Paschate: quia sicut singulis annis confitendi, ita & in Paschate communicandi obligatio per hoc præceptum imponitur; vt satis patet legenti cap. Omnis vtriusque sexus De pœniten. & remiſſ. adeo vt non satisfaciat, qui communicat quidem, sed non in Paschate secundum expressam Ecclesiæ determinationem. Deducitur ex hoc documento, quod tradit Azor *in eod. cap. 30. quæst. vltima*, & satis fuse *in citata sect. 2. dub. 3.* disputat Suarez: eum qui præuidet se Paschali tempore non habiturum commoditatem communicandi, non teneri communionem anticipare ex vi præcepti Ecclesiastici, cum non possit ante illud ei satisfacere.

Si opponas posse satisfacere post illud: ex iusta enim causa de cõsilio Confessarij posse post idem tempus communionem differri, habetur ex ipso cap. Omnis vtriusque sexus. Respondetur hoc quidem verum esse, propterea quod ipsum in præcepto expresse conceditur: non tamen illud (*communionem inquam anticipari posse*) propterea quod ipsum non conceditur similiter. Nota obiter quod Henriquez habet *in 1. par. suæ summæ lib. 8. cap. 5. §. 3. in fine:* eum qui in articulo mortis omisit communionem, si conualescat non teneri illud supplere noua communione, sicut tenetur qui omisit in Paschate. Ratio est, quod obligatio iuris diuini suscipiendi Eucharistiam in articulo mortis, sit imposita tanquam onus temporis, nempe secundo modo ante proposito, num. 74. sub finem.

77. Sextum documentum est: Impeditos per censuram ne in Paschate communicare possint, si per eos non stet quominus absoluantur, excusari à peccato trãsgressionis præcepti de quo agimus. Hoc cum Nauar. *in eod. num. 45.* tenet Azor in memor. *cap. 30. quæst. 3.* Et ratio est: quia nemo ad impossibile obligatur. Addit idem Azor *in sequenti q. 4.* cum eodem Nauarr. ibidem, similiter excusari eum qui quolibet quadragenarij ieiunij die communicarit, si per consuetudinem legitime præscriptam, aut per Papæ priuilegium, ad omnes eos dies, adimpletio præcepti communicandi extendatur in loco vbi degit. Nam talis consuetudo, sicut & Papæ priuilegium, præualere potest præcepto Ecclesiastico.

Sectio IV.

Pars prior: de iis quos diuinum præceptum sumendi Eucharistiam obligat.

Quod tale præceptum obliget omnes homines etiam non baptizatos Suarez *in tom. 3. disput. 69. sect. 2. dub. 1.* contra Sotum docet ex eo, quod verba Christi: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. generalia sint, & habita simpliciter ad omnes qui audiebant, tam Christianos, quam nondum Christianos: licet his non ante dari debeat quam susceperint baptismum, qui est sacramentorum suscipiendorum ianua. Verum ea in re, vt remota ab instituto nostro non est necesse nos immorari: vt nec in eo quod ille consequenter tradit non obligare infantes. Id quod expresse definitum est in Concilio Trident. sess. 21. cap. 4. & can. 4. his verbis: Si quis dixerit paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit. De amentibus perpetuis, idem quod de infantibus sentiendum esse, quantumcunque sint ætate prouecti, patet ex eo, quod perinde ac infantes careant discretione, nec vlla vnquam præcesserit in eis, sicut nec in infantibus, deuotio huius sacramenti. Quæ ratio est D. Thomæ *3. par. quæst. 80. art. 9.* 78.

De iis autem qui adulti vsi sunt ratione: sed postea in amentiam inciderunt, si quidem infirmitas illa non sit continua & perpetua, certum est, quod ea durante, necessitateque nulla vrgente, non sit illis danda Eucharistia: sed expectandum esse donec ad fanam mentem redeant: quia id debetur reuerentiæ tanti sacramenti. 79.

Dubium est vero, An possit aut debeat iis dari in articulo mortis, si tunc temporis amentiam patiantur. *De quo Suarez in eadem sect. 2. dub. 3.* Proque parte negante facit, quod ex D. Paulo in priori ad Corinth. cap. 11. ad dignam Eucharistiæ sumptionem requiratur, vt homo probet seipsum: quod facere nequit is, qui non est compos sui. Pro affirmante vero, *quam D. Thomas loco citato sequitur*, facit cap. Is qui, 26. quæstione sexta, cuius verba sunt: Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dum ad eum inuitatus Sacerdos venit, oppressus infirmitate obmutuerit; vel in phreneſim cõuersus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam: & si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia. 80.

Accedit ratio, quia iuxta Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. in sacramentorum dispensatione: vt ipsa non sit illicita, sufficit rationem haberi, vt salua eorum substantia, suscipientium vtilitati, & eorumdem sacramentorum veneration cõsulatur. At id seruari potest, dando in articulo mortis Eucharistiam ei qui priuatur vsu rationis, cuius antea compos fuit. Nam tunc veneration sacramenti cõsuli potest, cauendo ne vomitu vel expuitione Eucharistia reiiciatur, aut aliter indigne tractetur, sicut olim factum est, quando ea nonnunquam data est paruulis. Ad hæc in eo præcipue articulo consentaneum est, Eucharistiæ administratione consulere vtilitati hominis fidelis, qui tunc maxime opus habet spiritali corroboratione. 81.

Documenta notanda pro praxi.

Hic documenta quædam pro communi vsu notanda sunt ex iis quæ Suarez tradit. Primum est, Ecclesiam non solere prædictis Eucharistiam dare extra probabile mortis periculum: quia non decet vt ij qui non possunt cum propria deuotione accedere, fiant sine grauissima causa tanti sacramenti participes.

Secundum est: non tantum ei qui habet lucida intervalla, sed etiam ei, qui cum antea haberet sufficientem vsum rationis, incidit in amentiam perpetuam, posse dari

Eucha-

Euchariſtiæ viaticum in articulo mortis. Ratio eſt: quia talis perinde ac ille alter, ſubiectus fuit obligationi præcepti diuini de ſumendo Euchariſtia, perindeque potuit habere huius deuotionem. Adde quod & ipſi inde diſtinguantur ab amentibus, qui nunquam vſi ſunt ratione.

Tertium eſt, quando non poteſt facile caueri, ſed moraliter timetur vomitus, aut alia ſacramenti Euchariſtiæ irreuerentia: ab illius adminiſtratione eſſe abſtinendum: quia talis irreuerentia in ſe mala eſt: nec facienda ſunt mala, vt eueniant bona, ex cap. 3. epiſt. ad Romanos.

Quartum eſt: cum de aliquo conſtiterit prius fuiſſe in ſtatu peccati mortalis: non eſſe ei deſtituto vſu rationis dandam Euchariſtiam, niſi ſimul cõſtiterit prius quoque: vel fuiſſe ſacramentaliter confeſſum, ſi potuit: vel ſi non potuit: ſaltem ſigna contritionis dediſſe conſtet teſtimonio fide dignorum: qui illi adfuerunt: ex ante cit. cap. Is qui in infirmitate, 26. quæſt. 6. Ratio vero eſt, quia talis nequit alioqui probabiliter credi diſpoſitus ſufficienter. Secus eſſet autem, ſi de eo non conſtaret fuiſſe prius in peccato mortali: quin potius antequam in talem rationis defectum incideret, piam & religioſam præ ſe tuliſſe voluntatem. Nam præſumendus eſt bonus qui malus non probatur. Neque refert, quod cum eſſet ſanæ mentis, non petierit expreſſe ſacramentum: quia vt bene ait Sylu. *Euchar. 3. par. quæſt. 5. dicto 9.* ex bona ipſius præterita conuerſatione veroſimile eſt, quod ſi eiuſmodi caſum præuidiſſet, ipſum expetiſſet: cum nullus ſit exiſtimandus, *dum contrarium non conſtat*, non optare omnibus votis, vt Eccleſia ſibi in neceſſitate ſubueniat mediis ad ſalutem opportunis. Nec item refert quod mente abalienatus nequeat tunc, *iuxta Apoſtoli præſcriptum*, probare ſeipſum ante Euchariſtiæ ſumptionem: quia id potuit prius feciſſe: atque diſpoſitio, deuotioque actualis quam tunc habuit, cenſeri poteſt manere interpretatiua, quæ ſufficit ad Euchariſtiam non indigne ſumendam, vt loco cit. habet Sylu. & ante eum Palud. *in 4. diſtinct. 9. quæſt. 4. art. 2. concl. 3.*

Quintum documentum: Cum energumenus priuatur omnino rationis vſu, eadem ſeruanda eſſe cum illo ac cum amentibus. Cum vero compos eſt ſui, tantumq; corporaliter vexatur, *ita vt vexatio ſit quaſi corporalis ægritudo*, poteſtque prudentis arbitrio abſque irreuerentiæ periculo communicare; non eſſe illi Euchariſtiam denegandam, cuius virtute & auxilio, vel dæmon expellatur, ſi poſſeſſo expediat ad Dei gloriam: vel ipſe poſſeſſus ſuſtineat patienter, & cum fructu ſuum laborem. Prior pars documenti eſt D. Thomæ *in antecæt. art. 9. ad 2.* vbi de Energumenis nondum baptizatis, interpretatur D. Dionyſij præſcriptum, vt abreptitij ab inſpectione ſacramenti Euchariſtiæ arceantur: de Energumenis vero baptizatis eamdem eſſe rationem, ac de aliis amentibus. Cui fauet quod in Concil. Elibertino cap. 37. habetur his verbis: Eos qui à ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet: ſi vero fideles fuerint dandam eis eſſe communionem.

Poſterior pars autem ex eo probatur: quod iuxta Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. in ſacramentorum diſpenſatione, vt ea non ſit illicita, ſufficiat vt ſalua ipſorum ſubſtantia, ſuſcipientium vtilitati, & eorumdem ſacramentorum veneration conſulatur. Nec impedit, quod in illis ex corporali vexatione iudicium rationis debilitetur: quia ſatis eſt quod poſſint aliquam deuotionem huius ſacramenti concipere, illudque diſcernere à cæteris cibis, vt ipſum eis denegari non debeat ex D. Thom. in corp. eiuſdem articuli nono.

Quæ ratio oſtendit quoque, ægrotantibus eam non eſſe denegandam ob id, quod videantur aliquo modo delirare: dummodo interrogati dicant, ſe optare ſuum Deum & Saluatorem Chriſtum recipere. Idem etiam dicendum eſſe de ſemifatuis habet Henriquez *in lib. 8. ſuæ Summæ cap. 42. §. 3. in fine*, aliis citatis in margine litera S, addens non eſſe communiter Euchariſtiam dandam talibus ſed ſolum cum vrget obligatio præcepti, ſiue diuini, vt in articulo mortis; ſiue humani, vt in Paſchate.

Eiuſdem quæſtionis quartæ pars poſterior, de iis quos præceptum Eccleſiaſticum obligat.

EX verbis capituli, Omnis vtriuſque ſexus, De pœnitent. & remiſſ. intelligitur minime obligari infideles non initiatos baptiſmo: neque eos fideles, qui ad annos diſcretionis nondum peruenerunt: cæteros vero omnes obligari. Dicitur enim omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, &c. Quando vero cenſendus ſit fidelis ad annos diſcretionis peruenille, magna difficultas eſt: pro cuius explicatione trademus aliquot documenta. 82.

Primum eſt: Quod etſi verba poſita conſtitutionis Eccleſiaſticæ, communia ſint præcepto confeſſionis, & communionis: ita vt illud idem tempus ætatis videri poſſit ab Eccleſia deſignatum communioni, quod eſt confeſſioni: communem tamen Eccleſiæ conſuetudinem, illa ſic interpretatur, vt non ideo ſit opus hominem ſtatim ac habet rationis vſum, quo peccati mortalis (atque adeo obligationis cõfitendi) capax ſit: obligari præcepto communicandi in Paſcha: ſed aliquandiu, *etiam per aliquot annos*, ad confitendum obligari, vt priuſquam obligetur ad communicandum. Cuius interpretationis ratio ſumitur ex materia vtriuſq; præcepti, quæ eſt confeſſio, & Euchariſtiæ ſuſceptio. Illius enim peculiaris neceſſitas poſtulat, vt vſus ipſius non differatur: huius vero peculiaris dignitas, requirit vt ad vſum eius maturior ætas expectetur, vt ſuſcipiens poſſit conuenienti deuotione ad eam accedere, & grauiori iudicio inter eam & alios cibos diſcernere. Quæ de cauſa in cit. cap. Omnis vtriuſque ſexus, abſolute quidem præcipitur confeſſio: ſed communio præcipitur in ordine ad prudens iudicium Confeſſarij: addita illa exceptione, niſi forte de proprij Sacerdotis conſilio, ob aliquã rationabilem cauſam ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. Tale autem prudens iudicium Confeſſorum, ſolet eſſe vt diutius communio, quam confeſſio differatur.

Secundum documentum eſt: In qua ætatis parte incipiant pueri habere diſcretionem ſufficientem ad obligationem præcepti communicandi, non poſſe certa regula definiri. In hoc fere omnes, *vt diſput. 70. ſect. 1. Suarez omnes*, conueniunt: & merito, quia conſtat, id pro varietate locorum, educationis, & ingenij variari, vnde iuxta Catechiſmum iuſſu Concilij Tridentini editum *in cap. De Euchariſtia, non longe a fine*, ac D. Thomam & alios, quos ibidem Suarez citat: tale quid determinandum in particulari relinqui debet arbitrio parentum & Cõfeſſarij, ad quos pertinet explorare & à pueris inquirere, an huius admirabilis ſacramenti cognitionem aliquam acceperint, & guſtum habeant, prout in eodem Carechiſmo dicitur. Siue vtrum diſcernant quod corpus Chriſti puro corde, ieiunij, præmiſſa confeſſione & ſeruatis aliis per Eccleſiam inſtitutis: debeant recipere. Qua in re notare iuuabit, quod idem Suarez tangit terminum temporis de puero dubitandi: An habeat diſcretionem ſufficientem ad Euchariſtiæ ſumptionem, contineri poſſe ab anno decimo ad decimum quartum, quia moraliter loquendo, neque ante illum incipit, neque vltra hunc, differtur vſus plenior rationis. 83.

Tertium documentum eſt, Pueros qui nunquam communicarunt, non eſſe vrgendos à Confeſſario ſtatim atque aduertuntur ætatem attigiſſe in qua poſſint licite cõmunicare: ſed ſufficere vt iubeantur communicare in ſequenti Paſcha: quia illud eſt tempus ad quod Eccleſia determinauit obligationẽ diuini præcepti de ſumenda Euchariſtia: quin, vt Suarez exiſtimat, poteſt vnus aut etiã alter annus expectari: quia conſentaneum eſt, ſi Eccleſiæ mentem interpretari in hac re, vt exiſtimetur non obligare pueros cum primum ipſa poteſt: ſed eis facere poteſtatem expectandi per aliquod tempus: tum ob maiorem ſacramenti reuerentiam, tum ob maiorem fructum ſuſcipientis cum maiore deuotione, tum ob periculum tranſgreſſionis cui facile exponuntur pueri: tum demum vt Azor habet *in 1. par. moral. inſtitut. lib. 7. cap. 30. q. 10. in fine*, ne 84.

alij

alij offendantur, si Eucharistia detur admodum paruulis, etiamsi polleant iudicio.

Cæterum documentum hoc procedit tantum quoad obligationẽ cõmunicandi extra mortis articulum. Nam in mortis articulo (pro quo Ecclesia non determinauit præceptum diuinum, cum ex se, quoad illud tempus, iam esset sufficienter determinatum, iuxta antedicta quæst. 3. propos. 2.) non expedit expectare diutius: sed cuicumque Christiano habenti rationis vsum sufficientem ad peccandum, & capaci sacramentalis cõfessionis, dandum est Eucharistiæ viaticum, sicut Nauar. consulit in Enchir. *cap.* 21. *num.* 57. Suarez obligatorium esse tenet in fine citatæ sectionis: quia talis capax est fidei qua possit percipere vim & obligationem verborum Christi, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c. Est item sufficientis erga hoc sacramentum reuerentiæ, ratione cuius velit ita manducare, vt prius probet se per confessionem ne indigne manducet. Estque in eo periculo constitutus, in quo non expectat tempus commodius ad idipsum sacramentum cum meliori dispositione recipiendum, vt obligationi sibi à Deo impositæ satisfaciat.

85. Quartum documentum est: Pueros cum dubitare cœperint, an teneantur Eucharistiam sumere, satisfacere obligationi tam præcepti diuini, quam Ecclesiastici, si in eo parentum & Confessariorum iudicium sequantur. Ratio est: quia dubitantes de sufficienti discretione, & consequenter de dicta obligatione, an eos iam adstringat, excusabuntur à peccato per ignorantiam: quæ probabilis ex eo censebitur, quod ad illam depellendã fecerint id, quod tenebantur facere: nempe exquisierint parentum & Cõfessariorum consilium, ad quos pertinet ea de re iudicare: ita vt ipsi magis arctentur ad pœnam peccati mortalis, *si quod in ea committatur*; quam pueri: vt notant Tabiena *in verbo Communicare num. 6. & Caiet. in verbo Communio*; addens id procedere etiamsi in 14. aut 15. anno illi non communicent. Ampliusque monens pueros, *si tantæ prudentiæ sint*: & parentes, *si dubitent*, debere Cõfessariorũ iudicium exquirere, an ijdem pueri habeant discretionem sufficientem ad communionem: illudque sequi tanquam magis per Ecclesiam probatum: vt intelligitur ex verbis illis in cap. Omnis vtriusque sexus, De pœniten. & remiss. Nisi forte de proprij Sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.

Quintum documentum est: Mortaliter peccare patrẽ, tutorem, curatorem, aut herum, qui notabiliter negligit procurare, vt sui liberi, pupilli, minores, aut famuli domi suæ viuentes, & ad communionem obligati, eam sumant tempore debito: præsertim si sciant aut scire debeant illos non communicaturos, nisi à se moneantur. Ita docet Nauar. in Enchir. cap. 21. num. 57. Et probatur: quoniam tales tenentur suos, vt ad bonum promouere, sic à peccato reuocare, iuxta cap. Duo. 23. quæst 4. & ideo spiritualia remedia, *maxime posita in præcepto*, eis inculcare. Monet autem idem Nauar. *vt & Caiet. loco cit.* excusari posse à peccato pœnitentes, qui ob reuerentiam sanctissimi sacramenti seruarent consuetudinem in sua prouincia receptam, qua pueri solent tardius ad communionem admitti v. g. 14. tantum aut 15. anno: tanquam non ante habentes reuerentiam & deuotionem sufficientem. Verumtamen videtur consilium parentibus dandum, ne occasione reuerentiæ patiantur suos nimium differre tam salutaris cibi sumptionem: sed totam rem committant iudicio periti ac prudentis Confessarij memores rationi consentaneum esse vt ante immunditiem, author puritatis possideat puerorum suorum animas.

QVÆSTIO V.

Qualis sumptio Eucharistiæ requiratur ad satisfaciendum præcepto de ea dato.

86. TRES modos sumendi sanctũ Eucharistiæ sacramentum distinctos à Patribus approbat Concil. Trident. sess. 13. cap. 8. illosque negantes anathemate ferit ibidem canone octauo. Primus est, quo sacramentaliter solummodo sumitur: vt fit cum reipsa quidem sacramentum ipsum sumitur, sed sine effectu gratiæ sacramentalis, quia sumitur indigne, & cum peccati mortalis cõscientia, sicut sumpsit Iudas. Secundus est, quo sumitur solummodo spiritualiter: vt fit ab iis, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem sentiunt: quæ verba sunt Concilij Trident. in citato cap. 8. Ex quibus intelligitur: vt baptismũ, sic Eucharistiam suscipi posse in voto, nempe firma fide credendo Christum in ea vere contineri, sinceroque charitatis affectu ipsum complectendo, seque illi vniendo. Tertius modus est, quo sacramentaliter simul & spiritualiter sumitur, vt fit ab iis qui prius se probantes tanquam vestem nuptialem induti, ad hãc diuinam mensam accedendo, percipiunt reipsa sacramentum & gratiam sacramenti. Cum autem hæc ita sint, dubium nõ est præcepto satisfieri, sumendo Eucharistiam hoc tertio modo, non item sumendo 2. modo. De solo igitur 1. difficultas est, An nimirum ad satisfaciendum præcepto siue diuino siue Ecclesiastico de Eucharistia, sufficiat hanc tantummodo sacramentaliter sumere.

Pro cuius parte negante facit, quod talis Eucharistiæ vsus sacrilegus sit, & diuino cultui contrarius: atque adeo peccatum grauissimum, vt habitum est quæst. 2. ita vt nullo modo videatur esse posse materia tam salutaris præcepti: præsertim cum tam Christus quam Ecclesia præceperint Eucharistiæ sumptionem sub ea ratione, qua confert ad Dei cultum & salutem animarum. Item quod D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 11. ad illam requirat præcedentem probationem, qualem ex Concil. Trid. sess 13. cap. 7. consuetudo Ecclesiastica interpretatur: vt nullus sibi conscius peccati mortalis, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram ipsam Eucharistiam accedere debeat. Quam consuetudinem ab omnibus Christianis perpetuo seruandam esse idem Concilium decernit. Accedit, quod Ecclesiæ præceptum non sit simpliciter de sumenda Eucharistia, sed de sumenda reuerenter. Memorati enim capitis Omnis vtriusque sexus, verba sunt ista, Suscipiens reuerenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum. At non sumit reuerenter qui sumit cum conscientia peccati mortalis. Ergo nec satisfacit tali præcepto Ecclesiæ; sicut nec is qui Horas canonicas recitat sine attentione interiori, satisfacit præcepto eius deuote recitandi, dato ab Ecclesia in cap. Dolentes De celebr. Missarum. 87.

Sententiam tamen oppositam tenet Suarez *in memorata disput. 70. sect. 3.* docens satisfieri præcepto tam diuino, quam Ecclesiastico, sacramentaliter tãtummodo Eucharistiæ sacramentum sumendo. Ratio præcipua illius est: quod ex D. Thoma 1. 2. *quæst. 100. art. 9.* lex siue diuina siue humana præcipiens actum, non præcipiat illius modum, nisi is essentialis sit eidem actui: sicut essentiale est amori qui debetur Deo, summum esse: orationi, fieri cum attentione: confessioni sacramentali, fieri integre, & sic de quibusdam aliis. At conscientiæ puritas non est de essentia sacramentalis communionis: quia negari nõ potest, eum reuera communicasse sacramentaliter, qui voluntarie ac scienter sumpsit Eucharistiam, quamuis indigne sumpserit: & per consequens impleuisse præceptum quoad substantiam actus, de quo agimus. Cæterum subtili discussione Theologis scholasticis relicta, ad quos ea spectat, contenti erimus aliquot documentis ad praxim accommodatis. 89.

Primum est: Communicando cum conscientia peccati mortalis eo tempore, quo præceptum diuinum obligat: non tantum perpetrari peccatum omissionis, transgressione talis præcepti affirmatiui: sed etiam peccatum commissionis, transgressione præcepti diuini negatiui, de non sumenda indigne Eucharistia, iuxta illud D. Pauli in priori ad Corinth. 11. Probet autem seipsum homo, &c. Atque ista ratione, vt notat Azor *in 1. par. moral. instit. lib. 7. cap. 30. quæst. 12.* prior sententia procedere potest. 88.

Secundum est: Eum qui peccati mortalis reus est reuera: sed id nescit, putatque bona fide se legitimam peccatorum contritionem habuisse, aut rite de eis confessum esse: suscipiendo sacramentum Eucharistiæ, satisfacere

ram

tam diuino quam Ecclesiastico præcepto. Ratio est: quia cum nemo debeat esse de propitiato peccato sine metu, Ecclesiastici, 5. nec etiam debet esse de adimpleto Eucharistiæ præcepto: alioqui enim perpetua inquietudine anima diuexaretur. Accedit, quod quamuis talis sumat sacramentum sine gratia antecedente, non tamen sine comitante, quæ per sacramentum acquiritur, dum prauæ voluntatis obex non ponitur.

Tertium est: Communicantem in Paschate cum peccati mortalis conscientia, sacramentaliter tantum sumendo Eucharistiam: peccare quidem mortaliter contra ius diuinum indigne sumendo: nō tamen, *vt communem Theolog. sententiam esse loco cit. ait Azor*, contra præceptum Ecclesiasticum, quod implet secundum eius substantiam: consistentem in reali sumptione sacramenti, quam ipse exequitur. Neque refert, quod non exequatur debito modo; quia modus non cadit in præceptum, vt ostendit ratio antè allata pro posteriore sententia. Aduerbium autem, *reuerenter*, quod est positum in ipso præcepto Ecclesiastico, Suarez intelligendum ait, de reuerentia exteriori, vel de interiori, quæ consistit in recognitione sanctitatis huius sacramenti, & voluntate recipiendi illud, vt rem sacram & diuinam.

Quartum est: Excommunicatum, aut alia censura Ecclesiastica à perceptione Eucharistiæ excluſum, sumendo eam peccare, tum contra ius diuinum prohibens ne quis indigne ad illam accedat; tum etiam contra ius Ecclesiasticum, quod à tali accessu illum arcet: hoc ibidem notat Azor. Addens nihilominus talem de sumenda præceptū implere Ecclesiasticum, si in Paschate sumat. Quod patet ex antedictis.

Difficultas propositæ quæstioni annexa, De cuius manu suscipi debeat Eucharistia, vt præceptum de ea datum impleatur.

QValitas sumptionis Eucharistiæ requisita ad implectionem præcepti siue diuini, siue Ecclesiastici iam declarata est ex parte sumentis: sequitur vt similiter declaretur ex parte eius de cuius manu Eucharistia sumi debet ex præcepto siue diuino, siue Ecclesiastico: qui sine dubitatione alius non est, quam ille qui ex iure siue diuino siue Ecclesiastico Eucharistiam ipsam licite ministrare potest. Quibus autem talis potestas insit, declaratur sequentibus propositionibus.

89. Prima est: Solos quidem Sacerdotes diuino iure potestatem habere dispensandi Eucharistiæ sacramentum: nō ita tamen vt necesse sit eamdem per seipsos exequi, neque aliorum opera & ministerio vti. Hanc late tractat Suarez *in sequen. disput. 72. sect. 1.* Sed satis est ad confirmationem prioris partis adferre diuini iuris interpretem Ecclesiæ communem consuetudinem. Ea enim est, vt sicut Sacerdos solus sacrificat; sic vt solus, quod Deo obtulit, populo communicet. De qua re Concil. Trident. sess. 13. cap. 8. In sacramentali, inquit, sumptione Eucharistiæ, semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes, seipsos communicarent: qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens, iure ac merito retineri debet.] Ad confirmationem vero partis posterioris facit quod olim à Diaconis hoc sacramentum dispensatum sit, vt Suarez pluribus authoritatibus ostendit *in eadem sectione paulo post initium*: quodq; nunc in casu necessitatis idem eisdem committi possit ex sententia D. Thomæ 3. *par. quæst. 82. artic. 3. ad 1.* communiter recepta, per cap. Præsente, distinct. 93. Id autem fieri non posset si iuri diuino repugnaret Sacerdotem id administratione Eucharistiæ vti opera alterius.

Vbi aduerte, differre Eucharistiæ sacramentum ab aliis sacramentis, quod in his vsus non distinguatur à sacramento ipso: & ideo cui ex iure diuino non est datum vt possit conficere sacramentum, eidem prohibitum esse illud dispensare; quoniam duo ea separari nequeunt. In sacramento vero Eucharistiæ distinguitur: ita vt effectio & collatio sacramenti sint re distinctæ & separabiles: vnde necesse non est, vt is cui non est data potestas illud conficiendi, sit iure diuino excluſus ab omni potestate illud dispensandi. Quapropter Ecclesia (cui Christus quæ ad dispensationem sacramentorum pertinent, salua eorū substantia, commisit ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 2.) eāndem dispensationem rationabili de causa committere potest non Sacerdoti. Verum in tanta, quæ nunc est, Sacerdotum multitudine, & Diaconorum, qui eo gradu contenti sint, paucitate, talis commissio vix est in vsu, sicut nec esse necessarium est: ideoque pluribus de ea agere nihil est opus.

Secunda propositio est: Non esse liberum suscipere à quolibet Sacerdote Eucharistiæ sacramentum: sed à proprio Pastore, vel ab alio Sacerdote de ciusdem Pastoris licentia accipiendum esse. Hæc habetur ex Concil. 1. Carthag. cap. 7. & ex Mileuitano c. 18. & ex c. Omnis vtriusque sexus, De pœnitent. & remiss. Et confirmatur ratione: quia conclusio est, ab omnibus recepta (*vt habet Suarez sub initium sequentis sect. 2.*) non esse liberum cuilibet Sacerdoti sacramentum Eucharistiæ ministrare; sed solum habenti ordinariam iurisdictionem in eum cui ministratur, aut ad id munus delegato per eum qui habet dictam iurisdictionem: quia pascere gregem Christi, non est munus cuiusque, sed proprij Pastoris: pabulumque præcipuum ouium Christi est sacrosancta Eucharistia. Quod si ita est, neque licet à quocunque, sed tantum à proprio Sacerdote Eucharistiam sumere: ita vt sumens ab alio, sine proprij licentia saltem tacita, aut priuilegio: siue in Paschate, siue extra illud etiam in articulo mortis, peccet mortaliter, vt expressit Nauar. in Enchir. *cap. 21. numero 52.* Et probari potest: quia præterquam quod non conformat se Ecclesiasticæ ordinationi, cooperatur peccato mortali, quod ex communi sententia committit Sacerdos ministrans Eucharistiam sine debita iurisdictione aut facultate, tanquam is qui ius alienum vsurpat contra pacem & debitam gubernationem ac ordinem Ecclesiæ. 90.

Circa quod aduerte duplicem distingui iurisdictionem in ordine ad sacramentorum administrationem; vnam ordinariam, quæ ex officio proprio pascendi oues, conuenit pastori iure ordinario; vt summo Pontifici in tota Ecclesia, Episcopo in suo Episcopatu, & Parocho in sua Parochia: alteram vero delegatam quæ conuenit iis quibus ipsi proprij pastores per facultatem vel priuilegium concesserint. Quod fieri potest, tum ex parte ministrantis, committendo ei tale ministerium: tum ex parte recipientis, dando ei facultatem seu priuilegium eligendi sibi Sacerdotem, qui ei ministret sacramentum Eucharistiæ. 91.

Aduerte secundo ex Nauar. loco cit. videri excusandum à prædicto peccato mortali, eum qui sacramentum Eucharistiæ acciperet aut ministraret, quando ex circumstantia personæ, vel temporis, vel alicuius iustæ causæ, credi potest iudicio boni viri, Parochum fore contentum, si rem intellexerit. Ratio est: quod iurisdictio non requiratur in administrante Eucharistiam tanquam pertinens ad substantiam talis ministrationis, sicut pertinet ad substantiam ministrationis sacramenti pœnitentiæ: sed solum ad debitum ordinem & modum seruandum in gubernatione populi Christiani. Vnde ad licitam Eucharistiæ administrationē sufficere potest probabilis spes ac præsumptio de voluntate pastoris dandi iurisdictionem; seu quod factum probabit vbi audiuerit: non item ad administrationem sacramenti pœnitentiæ, quemadmodum Doctores significant, cum dicunt ratihabitionem de futuro, seu futurum pastoris consensum, ad talem non sufficere. Aduerte 3. latam quidem esse excommunicationem in Clement. 1. De priuilegiis, reseruatam summo Pontifici (de qua egimus in præced. libro 18. nu. 408. & tribus sequentibus) in Religiosos, qui sine facultate parochialis Presbyteri administrant Eucharistiam clericis vel laicis: sed teste Nauar. *in Enchir. cap. 21. num. 52.* Leonem decimum concessisse cuilibet Sacerdoti ordinis Minorum, vt quouis anni die sacrosanctum Domini corpus ministrare possit,

exce-

excepto solo die Paschatis. Vnde intelligitur idipsum pariter concessum esse Religiosis illis, qui gaudent eiusdem ordinis priuilegiis ex indulto Summi Pontificis.

92. Tertia propositio est: Parochum in sua parochia facultatem administrandi Eucharistiam posse delegare simplici Sacerdoti, etiamsi is non sit ab Episcopo approbatus ad sacramenta administranda. Hanc tenet Suarez *in citata disput. 72. sect. 2. §. Duo vero.* Et probatur: quia præter potestatem ordinis quam quiuis Sacerdos habet, & potestatem iurisdictionis, quam Parochus dare potest, requiri approbationem Episcopi ad Eucharistiæ ministrationem, non videtur aliunde probari posse, quam ex Concilio Triden. sess. 23. cap. 15. vbi statuitur, nullum posse confessiones audire sæcularium, seu pœnitentiæ sacramentum sæcularibus administrare, nisi ab Episcopo idoneus iudicetur, & approbationem obtineat. Sicut enim facta potestate audiendi confessionem alicuius, censetur quoque facta potestas administrandi Eucharistiam eidem, ita etiam posito impedimento audiendi confessionem, censetur quoque positum administrandi Eucharistiam. At hoc argumentum non conuincit. Nam ratio illius statuti est difficultas audiendi cõfessionem, requirentem in Confessario scientiam, prudentiam, & alias qualitates, quas constat nõ esse similiter necessarias ad Eucharistiam administrãdam. Vnde non sequitur. Approbatio Episcopi requiritur ad confessiones audiendas: Ergo & ad administrandam Eucharistiam: præsertim cum in materia odiosa (qualis censeri potest iurisdictionis Parochi restrictio, qua non permittitur vti opera alterius quam approbati ab Episcopo) non sit facienda extensio verborum legis vltra illorum proprietatem, neque ad alium casum.

Deinde licet concedens facultatem audiendi confessiones, censeri possit simul concedere facultatem ministrandi Eucharistiam: quia concesso difficiliori, præsumi potest concessum facilius: non ideo tamen recte colligitur, quod prohibens auditionem cõfessionis, consequenter prohibeat administrationem Eucharistiæ: quia ratio potest esse prohibendi difficilius, quæ non sit prohibendi id quod est minus difficile. Obiter nota in hac re (sicut in alia docet Caietan. *in verbo Excommunicato cap. 63.*) bonam fidem à peccato excusare eum, qui si talem licentiam requiri sciret, omnino peteret: sed ex obliuione, aut ex ignorantia iuris non petit. Pro quo vide dicta de ignorantia inuincibili lib. 11. numero 21. & aliquot sequentibus.

93. Quarta propositio: Deficiente Parocho, & vrgente articuli mortis necessitate, posse fideles accipere Eucharistiam à simplici Sacerdote, siue religioso, siue sæculari. Hæc contra Nauat. & Syluestrum tenet cum Angelo Suarez *in fine citatæ sectionis 2.* Et probat: quia in eo articulo, vt Ecclesia simplici Sacerdoti cõcedit potestatem administrandi pœnitentiæ sacramentum: ita & administrandi Eucharistiam, iuxta cap. Quod in te. De pœnit. & remiss. Deinde pietas matris Ecclesiæ exigit vt suis filiis subueniat non tantum in extrema necessitate spirituali, sed etiam in graui, qualis est sacrosanctæ Eucharistiæ in articulo mortis. In aliis vero necessitatibus, ad hoc vt de manu simplicis Sacerdotis licite Eucharistia accipiatur, requiritur præsumpta rationabiliter Parochi voluntas, vel certe Episcopi, vel Summi Pontificis, si de Parochi priuata voluntate iniqua constaret, quemadmodum habet Suarez. Ex quo in fine sequentis sectionis tertiæ adde, in extrema necessitate mortis, quando nõ est qui administret, posse habentem apud se Eucharistiam seipsum communicare, vti fecisse ait nostra ætate Reginã Scotiæ cum esset martyrium subitura.

94. Quinta propositio est: Sumentem in Paschate Eucharistiam de alterius manu, quam proprij Sacerdotis sine licentia ipsius, non satisfacere præcepto Ecclesiastico. Hæc patet ex cap. Omnis vtriusque sexus, De pœnitent. & remiss. iuncta, illud interpretante, communi fidelium consuetudine: qua tunc temporis, vel Eucharistiam sumunt in sua Parochia, vel alibi sumendi licentiam à Parocho petunt, nisi aliunde eam habeant. Hinc colliges, quod etiam docet Suarez in fine præcedentis sectionis secundæ, cõmunicantem in Paschate de alterius manu quam proprij sacerdotis sine ipsius licentia, teneri quamprimum potest in sua Parochia communicare: nisi sit viator. Cuius exceptionis ratio est: quod Caietan. dicat *in verbo Absolutio à peccatis*, se legisse Eugenium quartum concessisse seu declarasse viuæ vocis oraculo, viatores vbi se inuenerint in Paschate, censendos tanquam adeptos incolatum, quoad sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ. Vnde ipse colligit non esse illis in Paschate opus licentia Parochi neque dem interpretatiua: sed posse tunc ab illis Confessoribus absolui à quibus incolæ absoluuntur. Adde, ob eamdem rationem, & Eucharistiam suscipere ab iis à quibus incolæ illam suscipiunt. Quod Azor *in 1. par. moral. instit. lib. 7. cap. 30. quæst. 8.* intelligit de viatoribus, qui extra suam parochiam ad certum tempus vel domicilium habent, vel commorantur: vel qui in ipso tempore Paschatis in aliena Parochia constituti ad suam commode accedere nequeunt.

Vltima propositio est: S. Parochus liberum relinquat suis subditis, vt in Paschate vbi voluerint sacrosanctam Eucharistiam sumant: posse tunc ad satisfaciendum præcepto Ecclesiastico, etiam de Religiosorum manibus eam sumere: non obstante Clemen. prima De priuil. cuius ante meminimus propos. 2. Nam quod in ea Religiosi prohibentur, sine speciali Parochialis Presbyteri licentia sacramenta Eucharistiæ, Matrimonij, & Extremæ vnctionis administrare laicis: eum sensum habet ex glossa ibid. (ex qua Azor id notat *in sequen. quæst. 9.*) quod exprimi debeat Sacramentum illud ex tribus memoratis, ad quod administrandum licentia datur: non autem quod necessario specialis & expressa mentio fieri debeat personarum pro quibus licentia datur: vnde intelligitur eiusmodi prohibitionem non obstare quin memorata licentia valeat.

Atque hæc hactenus de communi obligatione Christianorum sumendi sacrosanctam Eucharistiam: quam cum nequeant sumere nisi ministrantibus Sacerdotibus, non esset sufficienter illis prouisum, nisi hi pariter obligarentur ad eam administrandam. Quæ obligatio esse potest, vel ex iustitia, vel ex charitate: quarum priore obligantur Parochi & cæteri curam habentes animarum, respectu suorum subditorum: quia ex officio incumbit illis tanquam pastoribus, præbere debito tempore ouibus suis spiritale vitæ pabulum: quale imprimis est sancta Eucharistia. Posteriore vero obligantur quoque cæteri Sacerdotes: quia qui potest subuenire alterius spirituali necessitati, id facere tenetur etiam sub mortali, *iuxta communem doctrinam de eleemosyna*, in casu grauis necessitatis, qualem pati viatici, censetur is qui versatur in articulo mortis.

Quodnam autem sit illud tempus debitum, in quo Parochi ex iustitia teneantur Eucharistiã ministrare suis subditis, difficultas est. De qua Suarez *disput. 72. sect. 3.* duas refert opiniones: vnam Richardi & Syluest. existimantium esse tantum illud, in quo Parochiani ex præcepto tenentur communicare: nempe articulum mortis, & tempus Paschale. Alteram vero Adriani, Soti, & Nauarri omne illud tempus in quo i dem Parochiani, idipsum Sacramẽtum petunt rationabiliter: nempe, non nimis frequenter, nec vltra quam deceat statum ipsorum, aut Sacramenti reuerentiam. Quam sententiam ille sequitur vt magis consentaneam officio pastoris, ex quo tenetur procurare salutem animarum: cui saluti non esset satis prouisum, si paruuli peterent panem, nec esset qui eis frangere deberet. Quamquam si essent alij qui ex commissione ipsius, vel ex priuilegio Papæ Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta ministrare solerent, ad quos sine dispendio vel difficultate accedere possent, Parochianos volentes confiteri aut communicare, Parochus posset ipsos ad tales remittere; cum ea tamen significatione paternæ curæ, vt ipsos non auocet à frequenti Sacramentorum vsu: ad quem illos pro eadem paterna cura debet allicere.

CAPVT

CAP. VI.

In quo traditur explicatio quæstionum, quibus inquiritur de necessarijs ad dignè sumendam sacrosanctam Eucharistiam.

SVMMARIVM.

97 *Dispositio ad Eucharistiæ susceptionem requiritur nõ modo ex parte corporis, sed etiam ex parte animæ.*

98 *Sola fides non est sufficiens dispositio animæ ad eam sumptionem.*

99 *Peccatum indignè sumentium sacrosanctam Eucharistiam.*

100 *Sumere Eucharistiam peccando venialiter, non est de se peccatum plusquam veniale; quale tantum etiam committit, qui ex multitudine venialium se sentiens sine deuotione accedere, non excitat dolorem cum proposito emendationis.*

101 *Habentem peccatum veniale in habitu, ad Sacramentum Eucharistiæ accedere sine dolore de eo, non est de se peccatum.*

102 *Actualis deuotio quatenus requisita sit in sumptione Eucharistiæ.*

103 *Vsus Sacramẽti Pœnitentiæ est necessaria dispositio ad Eucharistiam dignè sumendam, & quomodo.*

104 *Necessitas implendi Ecclesiasticum præceptum non excusat ab obligatione ad talem dispositionem.*

105 *Quod talis necessitas excusans, sit tum articuli mortis, tum vitandi infamiam vel scandalum.*

106 *Quomodo eadem sit quoq; necessitas prosequendi Missam inchoatam.*

107 *Quo item modo sit in Parocho necessitas satisfaciendi suo officio.*

108 *De penuria Confessarij in tribus casibus excusante ab eadem obligatione.*

109 *Qui sumptioni Eucharistiæ, peccati mortalis sibi conscius, non potest præmittere Sacramentalem confessionem, tenetur præmittere contritionem perfectam: quem tamen inculpata ignorantia, bonaq; fides excusare possunt.*

110 *Obligatio Sacerdotis quamprimũ confitendi, cum sibi conscius peccati mortalis celebrauit non præmissa confessione, ad alios ea ratione communicantes non extenditur.*

111 *Illicitum quidem non est de se (etsi consultum non sit) statim post peccatum mortale cõmissum Eucharistiam sumere.*

112 *Dispositio ad eam ex parte corporis, & de præcepto quod Sacerdotidatur communicandi cum stola.*

113 *Quatenus fœditas corporis censeatur impedimentum sumendi Eucharistiam.*

114 *Carnalis pollutio quomodo sit peccatum.*

115 *De proueniente ex peccato mortali quid sit statuendum in ordine ad Eucharistiæ sumptionem.*

116 *Quid de proueniente ex peccato veniali, vel ex causa merè naturali.*

117 *Quid de actu coniugali.*

118 *Sumentem Eucharistiæ Sacramentum oportet ieiunum esse ieiunio naturæ.*

119 *Requisita ad tale ieiunium.*

120 *Necessitas ob quam potest quis Eucharistiam sumere non ieiunus.*

121 *Eucharistiam cõsecrare extra Missam, neq; hanc post cibum, aut potũ dicere licet, vt existenti in articulo mortis dari possit viaticum.*

122 *Tres casus in quibus ob reuerentiam Sacramenti Eucharistiæ, ipsum sumi potest à non ieiuno.*

123 *De sumptione particularum Eucharistiæ tenenda ad vitandam Sacramenti irreuerentiam.*

97. PRæmittendum est non videri dubitãdum, quin id quod habetur ex cap. 11. prioris ad Corinth. in sumptione sacrosanctæ Eucharistiæ, diiudicandum esse corpus Domini (vtpote longissimè diuersum à communibus cibis) spectet non solum ad interiorem animæ dispositionem; sed etiam ex parte corporis ad exteriorem sumendi modum: quandoquidem veneratio, adoratioque debita Christo, qui sub sensibilibus speciebus realiter existit, & sumitur in Eucharistia, tale quid exigit, à nobis in quibus defectus externæ reuerentiæ, *quæ sit interioris fidei & religionis signũ*, vulgaris q; sumendi modus, infidelem & irreligiosum indicat animũ. Vnde istiusmodi quæstionum, aliæ ad animæ, & aliæ ad corporis necessariam dispositionem pertinent.

QVÆSTIO I.

An sola fides sit necessaria ad dignè sumendam Eucharistiam.

AD hanc respondendum est negatiuè, ex definitione Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. Et ratio est, quia cum vera fide potest quis conscientiam habere peccati mortalis, iuxta illud Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cœlorum, &c.] cum qua tamen conscientia nemo potest ad sacrosanctam Eucharistiam dignè accedere, vt patet ex citato cap. 11. prioris ad Corinth. & latius docet id aduersus hæreticos Bellarm. *lib. 4. De Euchar. cap.* 17. 18. *&* 19. 98.

Vbi aduerte conscientiã habere peccati mortalis dici, non modo de eo qui affectum habet peccãdi, sed etiam de eo qui etsi affectum non habeat ad peccatum mortale, tamen sciẽs illud à se autea cõmissum esse, & adhuc in ipsius anima quoad maculam & reatum perseuerare, non dolet de illo, nec illud detestatur sufficienter ad illius expulsionem. Vnde cum Sacramentum Eucharistiæ dicitur ind gnè suscipi, cum peccati mortalis conscientia, idem est ac si dicatur, vltra rectam fidem, in eo qui scit peccato mortali contaminatum, requiri pœnitentiam, tanquam necessariam dispositionem ad consequẽdum eiusdem Sacramenti salutarem diuinæ gratiæ effectum, ac vitandum peccatum mortale quod indignè sumens committit, iuxta Apost. loco cit. cum ait, iudicium sibi manducat & bibit.]

Quod procedit etiam (non obstante quæ sentitur resipiscendi difficultate) in ijs qui in concubinatu viuunt, vel inueteratum odium exercent, vel vehementi alia perturbatione sic occupantur, vt eam neq; facile deponere possint, neq; ad contritionis gradum attingere, propositumq; absolutũ concipere non peccandi de cætero. Non enim excusat eos impossibilitas, quia licet talibus difficile sit ad Eucharistiam sese disponere, vt valeant dignè sumere; nulla tamen occurrit difficultas tanta deponendi prauam voluntatem, quin ea superari ab ipsis possit, iuuante Dei gratia, quæ non deest facientibus quod in se est, ad eidem gratiæ cooperandum. Vnde neq; ob talem difficultatem excusantur à transgressione præcepti Ecclesiastici, non communicantes in Paschate, nisi illa esset tanta, vt eam superare quasi moraliter impossibile videretur. Quo casu interdum poterit ratio sufficiens esse ad excusandum hominem, ne pro eo tempore cõmunicare teneatur: sed differre possit donec paulatim difficultatem eam vincere, ac se d gnè disponere valeat. 99.

Quod docens Suarez *tomo 3. disput. 66. sect. 1. dicto 1.* addit, quod si quis Eucharistiam sumpserit conscius sibi non modo peccati mortalis, sed etiam censuræ Ecclesiasticæ, quâ repellebatur à participatione Sacramentorum, teneri vtramque eam circumstantiam in confessione exprimere ad sufficienter manifestandum suum illud peccatum, quod ex duplici eo capite, duplicem accepit malitiam notabilem, & ideo aperiendam in confessione. De cuius peccati grauitate, idem Suarez post D. Thomam latius disserit in sequẽti sect. 2. Sufficit autem notare quod ipsum sit graue sacrilegium: quia hoc Sacramentum, in cuius iniuriam committitur, res est maximè sacra: cui ex virtute religionis, summus etiam latriæ cultus debetur. Deinde sicut religio dignitate superior est cæteris virtutibus moralibus, & est inferior virtutibus Theologicis: sic tale peccatum suo genere grauius esse ijs quæ sunt cæteris virtutibus moralibus contraria; non autem ijs quæ virtutibus Theologicis, vt hæresi, desperatione, & odio Dei.

Adde quod Henriquez ex alijs habet *in 1. part. summæ Theologiæ moralis l bro 8. capit.* 45. §. 1. eo grauius esse tale sacrilegiũ, quo quis manens in grauiore peccato Eucharistiam recipit: atq; peccata carnis, vltra culpam, habere magnam indecentiam. propter adiunctam scilicet eis spurcitiam cor-

poris, in quo locatur sanctissimum Christi corpus. De eo autem quod quæri potest, an is Eucharistiæ susceptioni confessionem præmittere teneatur, qui dubiam habet conscientiam, dubitatve de peccato quod commisit, num sit mortale: aut an de eo iam confessus sit, vel certe an illud commiserit. Idem *in sequenti* §. 3. *authoribus citatis in margine lit.* P, indicat respondendum esse distinctione: nempe teneri præmittere, cum magis declinat in partem contra se facientem: non autem cum est in æquali dubio: quia potest tunc conscientiam dubiam deponere, perinde ac in materia voti. Quanquam dubium non est, quin tunc quoq; tutius sit confessionem præmittere; nec facile eam relinquendã esse, cum nullum præiudicium, vtilitatem autem magnam afferat.

Qvæstio II.

An de mortalibus, sic etiam de venialibus peccatis habenda sit pœnitentia, ad dignè sumendam Eucharistiam.

PRo responsione quoad eum qui cum peccati venialis cõscientia, atque adeo sine pœnitentia de illis, sacrosanctam Eucharistiam sumit, faciunt tria illa quæ Suarez ipse docet *in prius citata sect. 1. dicto 2.*

100. Primum est talem non peccare mortaliter, ne quidem si ab eo veniale peccatum in ipsa sumptione committatur, per constantiam, aut aliam vanam intentionem, aut per neglectam distractionem repulsam: aut alia simili de causa, quod etiam in sequenti §. 2. pluribus in margine citatis, docet Henriquez. Ratio vero est, quia peccatum veniale non ponit impedimentum principali, & quasi essentiali huius Sacramenti effectui, qui est gratia sanctificans: huic enim peccatum veniale non ita opponitur, quin simul se compatiantur. Vnde fit vt non videatur adeo grauis iniuria & irreuerentia illa qua Eucharistia cum tali indispositione sumitur, vt censenda sit cõstituere peccatum mortale: præsertim cum paucis alioqui consultum esset ad hoc Sacramẽtum accedere, cum pauciſſimi sint tantæ sanctitatis, vt ab omni affectu inordinato liberi, adeoq; collecti in sumptione huius Sacramenti, vt nullum motum vanæ intentionis admittant, atque diligentiâ omni reprimant occurrentes distractiones. Si enim D. Ioannes dilectus Christi discipulus in prima sua epistola cap. 1. de numero eorum, qui sine peccato veniali nõ viuunt, se esse indicat, dicens: Si dixerimus, quia peccatum non habemus. nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est,] quis audeat se ab eodem numero existimare exemptum?

Secundum est: non excusari à veniali eum qui sumptioni Eucharistiæ addit circumstantiam venialiter malam; vt contingit ei, qui communicat propter ostentationem seu vanam gloriam: aut qui aliqua vana cogitatione occupatus communicat cum distractione, & sine debita attentione & deuotione; vitiatur enim actus per indebitam ipsius circumstantiam, & ideo peccatum est, saltem veniale.

Tertium est: eum qui animam suam sentit multitudine venialium oneratam, & ideo ad spiritualia capescenda tepidam, ac quoddammodo indispositam, non excusari à culpa veniali, si absque dolore & proposito emendandi vitam accedat ad Eucharistiam. Ratio est, quia cum sit aliquo modo indignus, non satis diiudicat corpus Domini, ponitque obicem aliquibus huius Sacramenti effectibus non contemnendis: quales sunt remissio peccatorum venialium, & actualis feruor charitatis. Adde quod non possit omnino excusari ab irreuerentia, & iniuria aliqua, irrogata sancto Sacramento.

101. Extra eos casus autem; si quis habeat peccatum veniale in habitu, licet sine dolore, & proposito emendationis de eo, ad Eucharistiam accedat; siue quia non recordatur, siue quia ob humanam aliquam fragilitatem non potest facile voluntatem auertere ab eo leui affectu; talis ea ratione communicando, excusari potest à peccato etiam veniali: si alioqui procuret accedere cum timore, reuerentiâ, & deuotione ac discussione conscientiæ, si à longo tempore non sit confessus, dummodo nullum aliud interueniat impedimentum, siue co[illegible]suræ, siue iustæ prohibitionis Prælati, siue occasionis scandali. Ratio esse potest quam Suarez ipse habet *in præced. disputatione 63. dicto 1.* quod neque ex natura rei, neque ex Christi institutione, peccatum veniale sit obex diuinæ gratiæ, non quidem ex natura rei, quia peccatum veniale esse potest cum diuina gratia, & cum illius augmento: non enim impedit quominus opera bona facta ex charitate, meritoria sint gratiæ, & gloriæ; nec item ex institutione Christi: quoniam nihil de ea ex sacris literis, vel Ecclesiæ traditione constat. Neque in re tam graui fingere licet, maxime cum talis institutio non fuisset conueniens, nec accommodata fragilitati hominum: cum & de se peccatum veniale leue sit, & facile ab hominibus committatur. Quare verisimile non est Christum voluisse vt illud impediret huius tanti Sacramenti fructum.

Qvæstio III.

An in eo, qui nullius peccati mortalis sibi conscius est, necessaria sit actualis deuotio ad dignè sumendam Eucharistiam.

DE hac re certum est primo: ex defectu actualis deuotionis, quem patiuntur distracti, & minus attenti, & collecti in sumptione Eucharistiæ, impediri spiritualem gustum, seu perceptionem cœlestis dulcedinis quam hic diuinus cibus natus est animæ deuote sumenti adferre. Certum est secundo admodum vtile esse ad effectum diuinæ gratiæ consequendum ex perceptione huius Sacramenti, hanc obire eum actuali deuotione, pioq; in Deum motu, siue gratitudinis, siue amoris, siue alterius similis: ad quem prouocamur tanti beneficij magnitudine, sicut & ad peccatorum nostrorum detestationem. 101.

Dubium est vero, an eadem actualis deuotio vel pius motus ita requiratur ad dignam Eucharistiæ, sumptionem; vt si deficiat, non percipiantur ex ea effectus diuinæ gratiæ. Cuius pars negans teneri potest, sicut cum Franc. à Victoria & Soto alijsque recentioribus tenet Suarez *in citata sect. 3. dicto 2.* quia & fauet timoratis conscientijs. Pro eoque facit quod habitum est in præcedenti numero 79. & abunde confirmatur ex cap. Is qui in infirmitate 26. quæst. 6. nempe adulto qui creditur continuo moriturus, ministrandum esse cum pœnitentiæ Sacramento ipsum Eucharistiæ Sacramentum, quantumcunque obmutuerit, aut in phrenesim conuersus sit, si dum esset mente sanus, testimonio astantium, ostenderit se eadem Sacramenta deuote expetere. Certum est vero siue eo, siue alio modo vsu rationis destitutum, non posse habere actualem deuotionem, nec aliam pij in Deum motus dispositionem. Quare carentia actualis deuotionis non reddit de se gratiæ Sacramentalis incapacem eum qui Eucharistiam sumit; maximè cum sit cõtrarationem, vt Sacramentum ei conferatur, qui non est capax principalis effectus illius. Nec est quod quis existimet aliud in ea re iudicandum esse de mente sanis, quam de ægris: quia dici non potest aliquid speciale cõstitutum fuisse, quo mente sanis imponatur talis dispositionis necessitas, ad consequendam Sacramentalem gratiam, vbi enim constitutum sit, ostendi non potest; quia tantum habemus apud D. Ioannem capit. 6. illud Christi. Qui manducat me, viuet propter me: quod D. Paulus in priori ad Corinth. 11. interpretatus est, de manducante dignè, qui prius probat seipsum, vt sic de pane illo edat.] Sancti vero Patres illam probationem intellexerunt (*quemadmodum habet Concil. Trid. sess. 13. cap. 7.*) in eo cõsistere, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione, ad Sacramentum Eucharistiæ accedere debeat. Et quamuis huius Sacramenti dignitas videri possit necessario exigere actualem deuotionem, fragilitas tamen hominis facit, vt censeri possit eandem deuotionem requirere solummodo vt vtiliorem, & magis fructuosam; non autem vt omnino necessariam ad primarium illius effectum. De qua re plenius Suarez ipse. Sed hæc nobis sufficiunt ad consulendum tranquillitati timoratorum.

* *
*

Qvæ-

QVÆSTIO IV.

Quæ pœnitentia in eo, qui sibi conscius est peccati mortalis requiratur, vt dignè sumat Eucharistiam.

103. CErtum est requiri Pœnitentiam, non modo vt actus est virtutis, sed etiam vt Sacramentum est: siue, *vt solet dici*, requiri modo contritionem, sed etiam confessionem Sacramentalem, quando Confessarij copia haberi potest. Ita enim Concil. Triden. apertè statuit in cit. capit 7. & in Can. 11. his verbis: Et ne tantum Sacramentum indignè, atque adeo in mortem & condemnationem sumatur: statuit atque declarat ipsa sancta Synodus: illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunq; etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris, necessario præmittendam esse confessionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat. Vbi aduerte Conc. Triden. non statuere præceptum nouum, sed declarare antiquum: tum Ecclesiasticum, ex perpetuo vsu & consuetudine Ecclesiæ: tum etiam diuinum, ex Christi institutione per Apostolos declarata Ecclesiæ: & nominatim per D. Paulum in priori ad Corinth. capite 11. cuius verba, Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, &c. Ecclesiastica consuetudo, *vt habet idem Concil. in cit. capite 7.* interpretatur de probatione qua sumptioni Eucharistiæ, confessio Sacramentalis præmittitur ab eo, qui sibi conscius est peccati mortalis. De qua tota re plenius Suarez in prius citata disputat. 66. sect. 3. Sufficit autem ad nostrum institutum aduertere, quia istiusmodi præceptū est affirmatiuum, ideoque non obligat ad semper, casus contingere posse in quibus liceat conscio sibi peccati mortalis, sola contritione præmissa absque Sacramentali confessione sumere Eucharistiam. De illis vero iudicandum est ex concursu duorum: nempe vrgentis necessitatis communicandi, & penuriæ Confessarij: nisi enim duo hæc simul concurrant, vt satis significatum est à Concilio Trid. in fine citati cap. 7. talis omissio talis confessionis non potest à peccato excusari. Vtrumq; igitur sigillatim consideremus.

De necessitate ob quam sola interior Pœnitentia, absq; Sacramentali confessione, potest sufficere ad dignè sumendam Eucharistiam.

SECTIO I.

104. DE hac necessitate notandum est, talem debere esse, quæ reducatur ad ius diuinum: si enim ius tantum humanum eam inducat, cedet iuri diuino: quo, *vt prædiximus*, ei qui sibi conscius est peccati mortalis imposita est obligatio præmittendi Eucharistiæ sumptioni, confessionem Sacramentalem, si habere potest Confessarij copiam: sicque necessitas sumendi Eucharistiam in Paschate, quam Ecclesiasticum præceptū imponit, non est causa sufficiens, vt ille qui conscius sibi est peccati mortalis, possit licite communicare nō præmissa confessione Sacramentali, nisi infamia, vel scandalum adiungeretur. Idem dicendum est de necessitate per præceptum Ecclesiasticū impositā audiendi, vel dicendi Missam in diebus festis: nempe non sufficere, vt Sacerdos, qui aliunde non obligatur, possit Missam dicere, consequenterque communicare non præmissa confessione, quando conscius sibi fuerit peccati mortalis commissi. Id quod cum D. Antonino, Corduba, & Archid. tenens Suarez, *in eadem disputat. 66. sect. 4. sub finem*, contrarium addit, *quod Palud. & Syluester docent*, posse tanquam probabile teneri in praxi; maxime si alioqui multo tempore quis ea de causa, cariturus sit sacra communione, aut Missæ sacrificio.

Iam si necessitas implendi præcepti Ecclesiastici non excusat in hac re, multominus excusabit commoditas, qualis est, si quis habeat consuetudinem frequenter communicandi, & necesse esset alioqui illam interrumpere, vel si ita sentiat se dispositum, & affectum ad communicandum, vt probabiliter speret se magnum fructum consequuturum ex communione, vel si occurrat dies solemnissimus vt Natalis Domini, vel si necesse sit sacrum facere pro anima purgatorij, quæ suffragijs indigere probabiliter creditur. Quos casus & alios similes, contra quosdam Summularios non continere causam sufficientem communicandi sine præuia confessione, cum quis sibi conscius est peccati mortalis, Suarez in fine eiusdem sectionis deducit ex eo, quod Concilium Trid. in fine cap. 7. aperte significet in hac re spectandam esse vrgentem necessitatem. Vnde sequitur, non sufficere solam commoditatem.

Casus autem necessitatis efficientis in hac re, hi numerantur. Primus, articuli mortis; siue in eo constitutus ille sit qui conscius sibi peccati mortalis, communicare vult: habens quidem copiam Eucharistiæ, non vero Confessarij (*vt si adsit tantum Sacerdos mutus qui possit Eucharistiam porrigere, non item Sacramentaliter absoluere*) siue etiam sit alius, ad quem communicandum oporteat facere Missæ sacrum. Nam & tunc Sacerdos conscius sibi peccati mortalis non habens copiam Confessarij, poterit contritus, sine Sacramentali confessione, Missam dicere: quia lex charitatis exigit, vt aliena grauis necessitas tanquam propria reputetur. 105.

Secundus casus est infamiæ, seu quando non potest quis omittere communionem sine graui infamia, quam nequit aliâ viâ vitare. Non enim est verosimile præceptum positiuum obligare cum tanto rigore, vt oporteat ad illius obseruationem subire detrimentum, quod moraliter grauissimum esse iudicatur. Hinc si quis coram Sacerdote ad communicandum positus recedere non potest, sine infamiæ nota, excusatur si contritus de mortali cuius est sibi conscius communicet non præmissa confessione. Id quod ex Rosella, & Armilla referens Suarez *in eadem sect. 4. §. Sexta causa subiungit*, ista notatu digna. Primo si absque incommodo fieri possit, *vt plerumque potest cum priuatim communicatur*, differenda esse in tali casu communionem: donec præmissa sit confessio. Secundo non esse consulendum vt in eo ipso casu, ille qui communicare vult confiteatur Sacerdoti iamiam porrecturo Eucharistiam: quia nec tunc, nec ibi tale quid decet, præsertim cum non minorem pareret admirationem, aut sinistri iudicij occasionem daret videntibus, quam si ex sacra mensa ante sumptam sacram communionem recederet. Tertio, cum qui ante communionem præmisit confessionem integram omnium mortalium peccatorum, quæ memoriæ occurrerunt: & postea, antequam ad communionem accedat, recordatur alicuius peccati adhuc à se commissi, de quo non est confessus, teneri per se loquendo, & exclusis circunstantijs quæ excusare possunt, illud confiteri antequam communicet; quia præceptum de quo agimus obligat non tantum ad confitendum ante communionem, sed simpliciter ad confitenda omnia mortalia peccata, quorum quis sibi conscius fuerit. Nec refert, quod tale peccatum oblitum, iam sit remissum in confessione legitime facta; quia non obstat remissio, quin debeat supponi clauibus, vt satis indicat Concil. Triden. cum in citato cap. 7. ne contritum quidem, *& per consequens nec consecutum remissionem suorum peccatorum mortalium*, vult liberum esse à facienda eorundem Sacramentali confessione antequam ad sacram communionem accedat. Attamen ad vitandam irreuerentiam illam, quæ erga Sacramentum ipsum committeretur recedendo indecenter coram alijs quando ipsum administratur, ille qui cum cæteris communicare paratus adstat ad sacræ communionis linteum, non tenetur statim resedere ad Confessarium, vt absoluatur directe à peccato, cuius est oblitus in sua confessione, & tunc recordatur. Pro quo aliquot authores adfert Henriq. in sua Summa *lib. 8. c. 46. §. 3. in margine litera I*, notatque id locum habere secluſa etiam infamiæ nota & scandalo.

Tertius casus est scandali, id est, quando sequeretur scandalum omittendo Missam, vel communionem. Nam ex charitate vitandum est scandalum, tanquam magnum proximi nocumentum spiritale. Tunc autem illud sequitur, quando alijs occasio præbetur iudicādi temere de proximo, de eoque murmurandi, & consequenter ipsum infamandi. Non item quando solummodo occasio datur admirationis,

quod consuetam communionem omittat ; nec enim talis admiratio res est magni momenti, notabile detrimentum adfert.

106. Quartus casus est, necessitatis persequendi Missam inchoatam, quæ *scandalo etiam & infamia seclusis*, potest esse causa sufficiens, vt is qui sibi conscius est peccati mortalis communicet, non præmissa confessione, si memoria talis peccati, aut etiam illius perpetratio (*vt fieri potest per internum odium, vel alium prauum consensum*) superueniat post consecrationem. Tunc enim cum sola interiore pœnitentia progrediendum est, propter sacrificij integritatẽ, & perfectionem, quæ cum sit res grauissima, non est alteri facile postponenda. Neque tunc celebrans tenetur, *etiamsi posset sine scandalo, & infamia*, ad se vocare Confessarium, quia non conuenit sacrificium iam inchoatum abrumpere. Excipit Suarez *in eâdem sect.* 4. §. *Quinta & grauis causa*, nisi talis iudicaret se non posse aliter, quam per Pœnitentiæ Sacramentum ad contritionem peruenire ; quod vix cõtingere potest facienti quod in se est: quandoquidem sufficiens auxilium diuinum nunquam deest, illud in necessitate humiliter petenti, nec prauæ voluntatis obicem ponenti, prout liberum est homini ratione vtenti, qui libertatem habet & dominium in ijs quę ex ipsius voluntate pendent.

Quod si ante consecrationem quidem, sed inchoata iam Missa, memoria prædicta, aut lapsus in peccatum superuenerit, addit Suarez ex D. Bonauentura & Sylueſtro, quando potest absque incommodo Confessor ad altare vocari, id faciendum esse: quia talis Missæ pars cum sit extrinseca sacrificio, potest sine indecentia interrumpi rationabili de causa, vt solet fieri propter concionem, aut propter pronum, aut propter oblationes quas facit populus. Cum vero nequit Confessor ad altare vocari, non tenetur celebrans ad illum quærendum, Missam inchoatam relinquere, quod præter D. Bonauenturam sentiunt Sotus, à Victoria, & Nauarr. imo & D. Thomas: Quos citans Suarez, rationem addit; quod quamuis prima illa Missæ pars non sit de substantia sacrificij : tamen ex institutione Ecclesiæ simul sit cum sacrificio per modum vnius actionis sacræ, ideoque postquam Missa semel est inchoata, debet absolui.

Denique, si antequam Missa sit inchoata, eadem memoria, vel lapsus in peccatum superueniat Sacerdoti, etiamsi iam posito in altari, idem Suarez sentit cum Soto, talem debere, si possit sine scandalo vel infamia, exutis etiam sacris vestibus quærere Confessarium potius, quam non præmissa confessione communicare, quia ex parte sacrificij excusari non potest, cum actio sacra in qua perficitur nondum sit inchoata.

107. Quintus casus est, necessitatis satisfaciẽdi suo officio: qualis ob longiorem distantiam ab alijs Sacerdotibus solet esse in parocho rusticano, qui tenetur celebrare diebus festis, vt populus Missam audiat. Nam quando nequit copiam Confessoris habere, potest propter eiusmodi necessitatem cum interiori pœnitentia celebrare non præmissa Sacramentali confessione. Id quod Concil. Trident. sess. 13. capit. 7. attigit, simul iniungens, vt talis postea quamprimum confiteatur. Monet autem Henriquez *in sequent.* §. 6. aliquos extendere talem necessitatẽ excusantem ad eos, qui egestate pressi celebrant Missam, vt ex stipe inde acceptâ se sustentare valeant.

Item Parochos qui celebrare solent pro defuncto præsente, aut pro benedictione nuptiali. Ac demum Sacerdotes qui ex obligatione capellaniæ tenentur dicere Missas. Verum semper expendendum est, *inspectis in talibus circumstantijs*, an necessitas vera vrgeat, desitq; copia Confessarij: quia ex Cõcil. Trid. in citata sess. cap. 7. in fine, vtrumq; id requiritur, vt qui conscius sibi est peccati mortalis celebret non præmissa confessione.

Circa hunc autem casum quædam occurrunt notanda pro praxi quotidiana. Primum est : quamdiu quidem istiusmodi necessitas durat, tamdiu durare excusationem celebrandi cum sola interiore pœnitentia ; sed talem Sacerdotem debere sibi cauere ne inde sumat occasionẽ facilius peccandi : imo, si frequentius talis necessitas ei accidat, debere Confessorem quærere cum maiore labore & dispendio suo; quod Doctores communiter aduertere habet Suarez *ibidem versu, Vltima causa.* Secundum est, quod habet Sotus *in 4. distinct. 12. q. 1. art. 4. colum. antepenult.* cauendum esse à consuetudine & fraude. Cum enim debeat quisq; potius cõsulere saluti animæ suæ, quam temporali vitæ aut honori, is qui in concubinatu, aut in alio peccato persistit, debet à sacris omnino abstinere, quamdiu peccandi occasionem non amouet. Tertium est: in hoc negotio licentiã Parochis datam, intelligendam esse pro illis solum diebus, in quibus ex officio tenentur sacrum facere : in alijs enim diebus, in quibus obligatio non vrget, non debet conscius sibi peccati mortalis, *sicut nec alius Sacerdos*, facere sacrum non præmissa confessione ; nisi aliqua necessitas scandali aut infamiæ vrgeret. Quartum est: quanta debeat esse distantia ab alijs Sacerdotibus in proposito casu, non posse generaliter definiri, sed relinqui iudicio viri prudentis ex consideratione locorum, remporum, & personarum : pro horum enim varietate quidam facile faciunt inter vnius leucæ, quidam difficulter: & quidam tale iter facere non possunt sine scandalo, aut nota ignominiæ : quidam vero possunt. Item quidam possunt aliquando facere illud, non autem frequenter, cum tamen illis frequenter contingat peccare.

His adde quasdam esse causas, quæ etsi videantur, non sunt tamen sufficientes, vt conscio sibi peccati mortalis liceat communicare cum interiore pœnitentia, absque exteriore confessione. Eas Henriq. *in sequenti cap.* 47. persequitur : attigisse satis erit. Prima igitur est deuotio, qua quis optat frui communionis fructu. Secunda est, spes habendi proximo quoque tempore Confessarium magis notum, magisque idoneum. Tertia, peccatum quod sine graui damno detegi nequit illi Confessario, cuius datur copia. Quarta, casus reseruatus. Namque prima causa non inducit vrgentem necessitatem communicandi : secunda vero & tertia, non inducunt penuriam Confessarij : quia ex hypothesi adest cui valide fieri possit confessio : nam non desinit esse idoneus ex eo, quod detur magis idoneus : nec desinit confessio valida esse ex eo, quod taceatur peccatum, quod sine graui damno aperiri non potest : quarta denique non minus impedit Eucharistiæ sumptionem, quam Sacramentalem absolutionem.

De penuria Confessarij quæ cum antedicta necessitate concurrere debet, vt conscius sibi peccati mortalis liceat communicet, non præmissa Sacramentali confessione.

Sectio II.

108. PEnuria Confessarij, quæ concurrere debet cum necessitate, vt is qui sibi conscius est peccati mortalis, possit licite communicare non præmissa confessione Sacramentali, tunc cõ.ingit, cum non adest Sacerdos habens iurisdictionem super peccata mortalia, aut super aliaqua eorum, quorum conscientiam is habet, qui communicaturus est : aut licet habeat, non potest tamen sine graui damno in vita, vel fama, vel rebus externis confessio illi fieri, prout vir prudens cõsideratis circumstantijs determinaret. Vnde sequitur talem penuriam contingere posse in sequentibus casibus.

Primus est, cum proprius Sacerdos haberi non potest, nec accepta est licentia confitendi alteri. Sine iurisdictione enim ordinaria, vel delegata non datur Sacramentalis absolutio. Quod si quis licentiam haberet eligendi sibi Confessarium, teneretur ea vti ad obseruationem præcepti de quo agimus, præmittendi confessionem Sacramentalem sacræ communioni ; nam tunc non censebitur laborare penuria Confessarij, si adsit quem eligat : sicut nec ille, cui diues fecit potestatem de suis bonis quantum velit sumendi, censetur pati rerum penuriam, per quam excusetur ab obseruatione præcepti de eleemosyna.

Secundus casus est, quando peccator non temere, sed rationabiliter timet Sacerdotem illum, qui solus adest habens potestatem audiendi confessiones, non seruaturum sigillum Sacramentale, aut aliam grauem iniuriam sibi illaturum au-

dita

dita confessione; nam talis timor causa est excusandum à confessione sufficiens, ex cõmuni Doctorum sententia, prout notat Suarez in eadem sect. 4. §. Tertius casus, addens ex Maiore, & Nauar. id procedere, cum quis tantum habet peccatum illud mortale de cuius confessione timet graue damnum. Nam adhuc habens alia, de quibus non timet detrimentum, vt cõmunicaturus satisfaciat præcepto de quo agimus, tenetur illorum omnium facere confessionem, tacendo illud de quo si sibi merito timet. Quantum autem & quale debeat esse huiusmodi detrimentũ, tractari solet cum de integritate confessionis agitur, vt actum est in præced. libro 6. cap. 5. sect. 3. & 4. Vix autem aliud vniuersè statui potest, quam moraliter & prudenter id esse iudicandum ex circunstantijs. Aduerte vero obiter ex Soto *in citato art. 4. sub finem*, solam verecundiam nõ esse sufficientem causam communicandi sine confessione, cum inter huius conditiones debitas ponatur, vt sit verecunda.

Tertius casus est non absimilis præcedenti, cum peccator habet casum reseruatum Superiori quem adire non potest, nec facultatem alteri confitendi ab eo petere: tunc enim vrgente communicandi necessitate, de qua dictum est antea, potest communicare confessione non præmissa: quod sentientes aliquot authores, referens Suarez, *ibid. consequenter §. Quartus casus*, monet procedere cum quis non fuerit sibi cõscius alterius peccati mortalis, quam eius quod reseruatum est. Alia enim mortalia habens deberet confiteri inferiori, qui ob vrgentem necessitatem ipsum absolueret cum onere & obligatione comparendi coram Superiore, oblata cõmoditate. De qua re plenius in præcedenti libro octauo capit. sexto.

Si quæras, an idem seruari debeat, si alia peccata quæ is habet sint tantum venialia. Respondetur negatiue, si habeatur tantum ratio præcepti de quo agimus, quod communicaturo imponit tantum confessionem mortalium. Si vero habeatur ratio peccatoris existimantis se nõ esse contritum, sed solummodo, attritum potest ex naturali lege præscribente sancte suscipiendum Sanctum sanctorum, obligatio esse confitendi; vt scilicet virtute Sacramenti, quod vim habet conferendi gratiam iustificantem, fiat ex attrito contritus, non ponens eidem gratiæ obicem.

Quartus casus est, quando quis præsentem habet Sacerdotem cui potest legitimè confiteri; sed de propinquo, aliũ expectat cui solet confessionem facere cum maiore deuotione, de quo an præcedentibus adiungi debeat, dubitatur. Aliqui enim affirmant, tunc sufficientem causam esse differendi cõfessionem, etiamsi communicare, aut sacrum facere necesse sit. Aliqui vero id negant; vtrosque *sub initium eiusdem sectionis* refert Suarez; & posteriorum sententiam merito sequitur: quia talis non potest vere dici penuriam pati Confessarij, vt manifestum est. Vnde nec ea de causa posset sine peccato confessionem vltra annum differre. Accedit, quod inde non priuetur commoditate postea confitendi illi, cui solet deuotius; sed potius disponatur ad talem maiorem deuotionem.

De ijs ad quæ tenetur ille, qui sibi conscius peccati mortalis communicat confessione Sacramentali non præmissa, ob necessitatem, & Confessarij penuriam.

Sectio III.

109. CErtum est teneri ad interiorem pœnitentiam, vt omnino necessariam adulto, ad exeundum ex statu peccati mortalis, dicente Domino Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis, omnes peribitis. Difficultas autem est, an necesse sit talem pœnitentiam esse perfectam contritionem. Quam latius tractans Suarez *tomo 3. disp. 63. sect. 2. & disp. 86. sect. 5.* resoluit, eum qui habet conscientiam peccati mortalis, nec confiteri potest, teneri ad habendam contritionem, priusquam Eucharistiam suscipiat; ita vt nusquam dignè suscipiat, nisi probabiliter & inculpatè existimet sibi per contritionem remissum esse peccatum suum. Id quod confirmat plurium tam patrum, quam Scholasticorum Theologorum authoritate, aliquot rationib. in quibus immorari necessarium non est ad nostrum institutum. Satis enim erit notare id esse consentaneum tum doctrinæ traditæ in Concil. Triden. sess. 13. cap. 7. quod idem author bene ostendit: tum etiam rationi, quia is qui contaminatus peccato mortali manducat corpus Christi, indignè manducat: ideo enim tali mãducationi ab Apostolo præmittenda præscribitur sui ipsius probatio: ad conscientiæ nimirum expurgationem ab huiusmodi sorde: quæ expurgatio sine Sacramentali confessione non obtinetur per aliam pœnitentiam quam per perfectam contritionem; vt satis intelligitur ex ijs quæ Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. de illa, & de imperfecta, *quæ attritio dicitur*, tradit.

Vnde sequitur illum, qui cum sola attritione recipit hoc Sacramentum, non sancte, sed indigne recipere illud, vtpote qui recipiat in peccato mortali. Nec dici potest ipsa manducatione sanctificari recipientem: quia prius est vt manducet Sacramentum, quam vt recipiat illius effectum. In termino enim manducationis datur sanctificationis effectus, cui obex ponitur dum ipsa manducatione mortaliter peccatur; vt censetur contingere, cum quis sciens & videns se esse in peccato mortali, ideoq; indignum, manducat nihilominus. Excusabitur autem à tali peccato indignæ manducationis, poteritq; tanquam non ponens obicem recipere primam gratiam, iustificarive ille, qui bona fide putat se contritum, quamuis reuera non sit: aut existimat quidem se tantummodo attritum, sed ex ignorantia excusabili putat ad hoc Sacramẽtum nihilominus licere sibi accedere, siue quia sic forte edoctus est à suis doctoribus, siue quia sentit se habere propositum absolutũ & efficax non peccandi de cætero; neq; aliquid amplius, quantum capere potest, sibi necessarium esse iudicat.

Quam etiam doctrinam tradens Suarez *in citata sect. 5. §. Ad fundamenta*, consequenter addit, difficultatem habendi perfectam contritionem, quam aliqui pati possunt propter peccandi consuetudinem, vel propter speciales occasiones, non excusare ab illa habenda; ne quidem cum necessitas adest statim communicandi: quia semper adest facultas cum diuina gratia habendi contritionem ipsam, vincendiq; talem difficultatem, quæ in attritione tanta est, quanta in cõtritione: quandoquidem tota posita est in proposito absoluto & efficaci non peccandi de cætero; quod si semel concipiatur, perinde facile erit cum diuino auxilio ad detestationem peccati commissi mentem eleuare ex motiuo amoris, ac ex motiuo timoris Dei. Non minus vero quam ad cõtritionem, tale propositum requiritur ad attritionem, quæ cum Sacramento sufficiat ad iustificationem peccatoris, patet ex Conc. Trid. in cit. cap. 4. dum statuit eam ipsam attritionem, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, Dei donum esse, & Spiritus sancti impulsum; non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum monentis, quo Pœnitens adiutus, viam sibi ad iustitiam parat.

Certum est secundo, Sacerdotem qui sibi conscius pec- 110.
cati mortalis, non habens copiam Confessarij, vrgente necessitate celebrauit non præmissa confessione Sacramentali; teneri iure Ecclesiastico confiteri cum primum potest. Id enim illi apertè præcipitur in Concil. Triden. sess. 13. cap. 7. in fine: Quod præceptum non pertinere ad laicos pari modo communicantes, aduersus Nauarr. vrget Suarez *in sequenti sect. 7.* hoc argumento; quod obligatio legis positiuæ non sit amplius extendenda, quam verba eius in sua proprietate intellecta requirant. Non enim alia nobis intimatur Superioris obligantis voluntas; quam declarata eiusmodi verbis: solaque voluntas intimata inferiori, hunc obligat. Neque ad obligationem sufficit, quod Superioris voluntas fuisset obligandi ad aliquid, si ipsum in mentem ei venisset; reuera autem non venit; sicut nec sufficit ad reatum peccati, quod quis succubuisset tentatus si tentatus non fuit, neque succubuit. At vero Concilium mentionem facit de solis Sacerdotibus, non præmissa confessione celebrantibus.

De quorum numero idem Suarez monet esse Sacerdotem, qui in die Paraseues facit officium, in quo nec consecrans, nec sacrificans communicat. Item eum qui post consecrationem mortaliter peccat, aut peccati mortalis prius commissi, tunc primum recordatur, & cum interiore contritione communicat; ac demum eum, qui conscius sibi pec-

cati mortalis assumitur ad complendum & cõsummandum sacrificium inchoatum ab alio, quem forte contingit mori post consecrationem: quia talium actio propriè est Sacerdotis, tanquam publici ministri sacrificium seu Sacramentum consummantis solemni ritu Ecclesiæ: ita vt merito eiusmodi actio possit comprehendi sub nomine celebrationis, iuxta communem vsum, & sensum illius vocis. Negat autem comprehendi eum qui per obliuionem solam, celebrauit confessione non præmissa, quia peccatum ipsius venit tantum illi in mentem post peractam celebrationem. Ratio est: quia Concilium de ijs tantum loquitur, qui habentes conscientiã peccati mortalis celebrant non præmissa confessione. Oblitus vero peccati, non habet propriè illius conscientiam, cum hæc dicat actum importantem notitiam de præsenti.

III. Restat de hac re vnum monendum, quod præclare tractat ipse Suarez *consequenter in sect.* 8. per se quidem loquendo, non esse illicitum paulo post cõmissum peccatum mortale, communicare præmissa debita confessione: ex accidenti tamen posse esse peccatum graue. Ratio est: quia ex vna parte, quantumcunque breue intercedat tempus, potest esse talis conuersio hominis, vt non solum sanctus sit, sed etiam sanctior quam esset ante lapsum suum in peccatum. Ex altera parte vero fieri potest, vt qui tam cito communicat, generet alijs scandalum, quod maximè timeri debet quando peccatum est publicũ, & in consuetudine, ac notũ alijs. Item, vt exponat se periculo communicandi sine vera detestatione peccati, & firmo proposito emendationis: quia peccatũ recens, non ita facile habetur odio: Cuiusmodi periculum contingit maxime in peccatis carnalibus, quæ vehementius adhærent, magisq; alliciunt, & excæcant hominem. Vnde consulendum semper est, nisi necessitas contrarium suadeat, vt post peccatum mortale commissum; homo, *etiamsi videatur sibi dispositus*, abstineat à communione aliquo tempore saltem per diem, vt sese magis colligat, animumque magis à peccato ipso auertat, & ad Deum conuertat.

QVÆSTIO V.

Quæ dispositio corporis necessaria sit ad dignè sumendam Eucharistiam.

112. AD hanc respondendum est, præter illud quod ratio vniuersè dictat, accedendum esse ad hoc Sacramentum illo corporis habitu & dispositione, quæ interiorem animæ reuerentiam & deuotionem ostendat: nihil præscriptum esse iure positiuo, siue diuino, siue Ecclesiastico (quod etiam *disput.* 68. *sect.* 1. notat Suarez) nisi quod ex Concil. Bracharensi in cap. Ecclesiastica, distinct. 23. præceptum habeatur quoad Sacerdotem, vt quando communicat, sit stolâ ita circunseptus, vt de vna eademque, ceruicem, pariter & vtrumque humerum premens, signum crucis in suo appareat pectore; sique aliter egerit, excommunicationi subijci debeat. Quæ comminatio videri quidem potest indicare obligationem sub peccato mortali: sed, *vt monet Suarez*, si contemptus absit, censeri potest non esse tanta; tum quia res ea quæ præcipitur, non est admodum grauis; tum quia vsus communis ostendit tale præceptum non esse in rigore illo receptum; vt argumento est, quod Episcopi Sacerdotem contrauenientem non puniant, neque scandalum inde soleat prouenire: imo viri etiam timorati soleant illud non obseruare, quando commode seruari non potest. In particulari autem de eâdem proposita dispositione dici potest, seruandum esse vsitatum Ecclesiastica cõsuetudine ritum satis simplicem, satisque notum; neque alias indiscretas cæremonias esse introducendas. Cuius ritus omissionem non carere aliqua culpa addit Suarez *in fine eiusdem sectionis*: etiamsi contemptu scandaloq; seclusa, nihil sit in eo, quod videatur mortalem culpam inducere.

* *
*

QVÆSTIO VI.

An aliqua corporalis fœditas sit impedimentum dignè sumendi Eucharistiam.

HVic satisfieri potest duabus propositionibus. Quibus 113
præmittendum est primo, impedimentum dignè sumendi Eucharistiam, quoddam tale esse ex necessitate, vt est solum peccatum mortale: quoddam vero ex congruentia tantum, vt censeri potest peccatum veniale, aut aliqua corporis fœditas: atque posterius aliquando rationabili aliqua de causa posthaberi posse; prius nunquam. Præmittendum est secundo, corporis fœditatem vel esse perpetuam, seu ad longum tempus, vel temporalem seu ad breue tempus.

Prior ergo propositio est: Corporalem fœditatem per se non impedire ex necessitate, Eucharistiæ sumptionem, pro qua Suarez *in sequenti sect.* 2. plures citans Authores, hanc rationem addit; quod talis defectus corporis, nisi coniunctus sit cum peccato tanquam cum causa, vel cum effectu ipsum comitante, nihil referat ad honestatem morum, nec pertineat ad bonitatem, vel malitiam moralem (ad quod facit illud dictum Domini Matth. 15. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem) ideoque non debeat de se censeri obex Sacramenti, tanquam repugnans illius sanctitati, aut diuinæ gratiæ, est effectus illius primarius. Et certè durum esset, eum qui perpetuam haberet maculã (cum præsertim Christus non exhorruerit tãgere leprosum, Matth. 8. nec tangi à patiente fluxum sanguinis Marci 5.) semper, aut longo tempore priuare hoc Sacramento salutis; existentem alioqui puræ mentis ac vitæ inculpabilis. 115

Quod si macula temporalis sit, quæ breui auferenda speretur, eaque videatur aliquam indecentiam afferre; pariter videbitur reuerentia tanti Sacramenti exigere, vt susceptio illius differatur ad breue illud tempus, in quo ea auferenda est. Hocque sensu vult Suarez accipiendum, quod aliqui Sancti docent, tam corporis, quam mentis puritatem requiri ad huius Sacramenti susceptionem: vt scilicet significent, quando commodè potest, expectandam esse corporis emundationem à macula qua fœdatur; sicut fœmina post partum aliquamdiu expectare solet, non quidem ob obligationem aliquam præcepti, siue scripti, siue consuetudine introducti, vt patet ex cap. vnico, De purificatione post partum: sed ob decentiam; quandoquidem vna ex parte tales fœminæ ratione debilitatis nõ possunt accedere ad Ecclesiam, vt ibi Eucharistiam sumant neq; ex altera parte, illæ in tanta sunt necessitate, vt ad eas Eucharistia deferri debeat. 116.

Posterior propositio est: Corporalem maculam propter aliquos effectus ex ea resultantes, posse aliquando, si non de præcepto, & de necessitate, saltem de consilio, & de congruitate impedire sumptionem Eucharistiæ. Ad cuius probationem facit cap. Tua nos, De Clerico ægrot. in quo præcipitur, vt Sacerdos leprosus abstineat ab altaris ministerio, propter scandalum & horrorem populi. Facit etiam ratio, quia interdum propter corporis defectum aut maculam homo impeditur ne possit ita se disponere, vt cum debita deuotione & reuerentia ad Eucharistiam accedat: nimirũ quia reddit illum ad res diuinas & spirituales tractandas ineptum, vel magnam mentis distractionem generat, variasq; cogitationes suggerit, iuxta illud Sapien. 9. Corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Quod quando contingit, dubium non est, consultum esse tantisper Eucharistiam differre. Imo id non facere, est peccatum veniale, cum homo operam dare debeat, vt cum actuali deuotione & reuerentia ad hoc Sacramentum accedat.

QVÆSTIO VII.

An carnalis pollutio, aut actus coniugalis etiam seclusa peccato mortali, sint impedimentum dignè sumendi Eucharistiam.

NOtandum est ex doctrina D. Thomæ 3. *parte quæstio.* 80. *art.* 7. pollutionem carnalem ex se non esse peccatũ, 114

cum

cum non sit immediate in potestate hominis: posse autem peccatum esse mortale, si proueniat ex causa mortali; vt cum ex affectu libidinis procuratur in seipsa formaliter; vel datur illius causa mortalis; cuiusmodi sunt ebrietas, turpia colloquia, impudicæ cogitationes voluntariæ, aspectus, & contactus lubrici. Pariter quoque posse peccatum veniale esse, si proueniat ex veniali causa, vt ex aliquo modico excessu in sumptione cibi. Relinqui autem suæ naturæ, quando causa ex qua prouenit nullum est de se peccatum: vt moderata sumptio necessariæ refectionis, aut cubatio super latus ad capiendum necessarium somnum, auditio confessionum, vel allocutio fœminarum ob iustas causas, studium gratia docendi vel concionandi, positum in iis quæ ad peccatum carnis pertinet. Id quod procedit ex Soto *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 7. col 5.* etiamsi præuisa sit inde secutura, dummodo absit affectatio libidinis & consensus in eam. Adde ex eodē D. Thoma in vniuersum, causam pollutionis posse esse triplicem: vnam extrinsecam, puta illusionem dæmonis: alteram intrinsecam ex parte mentis, videlicet præcedentes cogitationes turpes: tertiam intrinsecam ex parte corporis, nempe superfluitatem seu abundantiam cibi, vel potus, aut naturæ debilitatem. His prænotatis respondetur ad quæstionem aliquot conclusionibus.

115. Prima est: Cum in homine pollutio secuta ex peccato mortali, sit etiam peccatum mortale, de ea facienda est Sacramentalis confessio ante Eucharistiæ sumptionem. Hæc patet per antedicta initio quartæ quæstionis. Aduertendum est autem pro praxi; eodem die quo talis pollutio contigit communicare præmissa confessione, non esse de se peccatum mortale, prout ex Palud. habet Sylvest. *in verb. Eucharistia, 3. quæst. 10. in fine.* Et ratio est: quia sublato mortali peccato, si quod inde remaneat impedimentum sumendi Eucharistiam, ipsum non est ex necessitate, sed solū ex congruitate, seu decentia; cuius defectus tantum constituit irreuerentiam venialem; ad quam (iuxta communem Theologorum & Canonistarum sententiam, *vt Sotus notat in fine citat. art. 7.*) vitandam, siue vt in tali casu decenter communio sumatur, sufficit expectasse tempus vigintiquatuor horarum. Ab eadem quoque potest excusare interueniens rationabilis causa communicandi: vt quando dies festus exigit Missam celebrari ab eo cui talis turpitudo contigit: aut ipse celebrare debet loco alterius absentis, aut oriretur alioqui aliquod scandalum: vt cum adest tempus, in quo quis ex suæ congregationis consuetudine vel statuto, debet cum cæteris communicare, vel pro suo more debet Missam dicere; vel solemnis festiuitas adest in qua sentit magnam deuotionem & affectum communicandi, vel tempus adest lucrandi Iubilæum.

Dubitari autem potest: An proposita conclusio procedat quando quis de peccato suo mortali confessus est, antequam ex eo sequeretur pollutio. Ad quod respondendum videtur, non esse quidem necessarium id asserere: quia cum peccatum illud mortale deletum fuerit per confessionem, non manet malitia ipsius, ex qua pollutio mortalis secuta esse censeatur: attamen esse tutius, tunc quoque eandem conclusionem seruare in praxi: confitendo scilicet ante cōmunionem de tali pollutione, ad expressiorem explicationem grauitatis peccati præcedentis, quam effectus ex peccato ipso secutus manifestat plenius: sicut cum quis vulnerauit aliquem, & statim confessus est, ad expressiorem explicationem grauitatis illius culpæ, de effectu ex ea secuto confitetur.

116. Secunda conclusio est: Pollutionem prouenientem ex causa tantum veniali impedire communionem solummodo ex congruentia. Ratio est: quia solum peccatum mortale in anima perseuerans, communionem ipsam impedit ex necessitate, tanquam directe contrarium sanctitati Sacramenti, & ipsius principali effectui, qui est gratia sanctificans.

Tertia conclusio est: Si pollutio sit mere naturalis, contingens absque peccato etiam veniali, non esse quidem de se impedimentum sumendi Eucharistiam, posse tamen ratione suorum effectuum. Hæc quoad priorem partem satis patet ex antedictis in præceden. quæst. 6. quandoquidem de ea tanquam de quadam corporis fœditate iudicandum est. Quoad posteriorem partem ve o patet: quia pollutionis effectus censentur ipsam sumptionem impedire, si in homine maneant: vt fœditas corporis ob indecentiam immunditiei vasis in quo cœleste hoc ferculum excipitur: & distractio mentis, ob indeuotionem, quando pollutionem passus se adhuc sentit ineptum ad res diuinas tractandas; patiendo varias distractiones & mentis euagationes, prout solet vsuuenire hominibus vulgaribus, quibus propterea consulenda est dilatio sumptionis Eucharistiæ, donec quieti sint, & à talibus impedimentis liberi: licet ad illam non obligentur saltem sub mortali, *prout in Summa de Sacramentis, num. 81.* Franciscus à Victoria expressit: dummodo tamen quantum possunt, colligant se & vniant Deo. Nam etsi patiantur aliquam mētis euagationem, illa tamen, cum nec in se voluntaria sit, nec in sua causa, est absque peccato. Vnde cum occurreret aliqua necessitas, vel specialis vtilitas, taliter distractus non tenebitur sacram communionem, vel sacrificium differre propter eiusmodi passionem inculpabilem; quamquam cum minori actuali aptitudine & deuotione ad Sacramentum accedens, percepturus non sit forte tantam spiritualem dulcedinem, quantam alioqui perciperet.

Imo cum pollutio deprehenditur ex dæmonis tentatione prouenire (vt cum nulla data illius causa solet accedere, eo tempore quo statuit quis communicare) contemnenda est prout Suarez quoque notat *in citata disput. 68. sect. 2. vers. Ex hac*: enitendo tamen cum reuerentia & deuotione debita, ad tantum sacramentum accedere. Multo etiam magis cōtemnenda est, si credatur ex causa mere naturali prouenire, omninoque inuoluntaria esse; vt communiter contingit in iis qui ex naturæ infirmitate patiuntur diuturnum seminis fluxum; aut ex nimio timore in eam prolabendi, quo aliqui nimium soliciti de ea vitāda in eam prolabuntur; quibus ideo consulendum est, vt ab huiusmodi consideratione animum auertant, & se committant Deo in re quæ contingens sine ipsorum consensu in illicitam delectationem, non potest magis fœdare animam, quam sputum, vrina, aut aliud corporis excrementum.

Quod maxime inculcari potest personis spiritualibus, & timoratæ conscientiæ, quibus Deus sæpe tale quid cōtingere permittit ad humilitatem, & maius meritum ipsorum: vt de se D. Paulus testatur, in priori ad Corint. 12. dicens: Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, &c.] 117.

Vltima conclusio est: Eodem modo iudicandum esse in hac re de actu coniugali ac de pollutione, cum qua communem habet corporis fœditatem; atque adeo vt possit esse tum peccatum mortale, vt cum quis cognoscit suam tanquam alienam; tum veniale, vt cum quis suam cognoscit præcipue ob carnalem delectationem; tum etiam nullum, vt cum eamdem cognoscit tantum causa prolis suscipiendæ, vel ad reddendum debitum petitum; ex D. Thoma *in citato art. 7. ad 2.* & pluribus aliis quos referunt Henriquez *in summa lib. 8. cap. 51. § 3. lit K.* & Thomas Sanchez *in lib. 9. de matrimonio, disput. 13. num. 5.* In quo tertio casu, si ad communionem accedere velit, suæ voluntati relinquitur, in cap. Vir cum propria, 33. quæst. 4. Extra eum casum vero, tum in eodem cap. Tum in pluribus aliis, eadem quæst. 4. saltem vt salubre consilium, præscribitur abstinentia à communione; intellige vnius diei, iuxta communem Theologorum & Canonistarum, *vt ante ex Soto retulimus*, sententiam. Talis vero præscripti ratio esse potest, quod ex eiusmodi actu, quando ex nimia concupiscentia carnis, & affectu voluptatis procedit, oriatur magna distractio, hebetudoq; mentis ad res spirituales: cum qua, etiam deleto iustam pœnitentiam peccato, accedere ad Eucharistiam, regulariter habet irreuerentiam venialem: quod Suarez quoque ex D. Thom. & nonnullis aliis notat *in eadem disput. 68. sect. 2. in fine.* Aduerte obiter, quod etiam admonet à Victoria *in fine citati num. 81.* bonum quidem esse, vt post Eucharistiæ sumptionem vir abstineat à propria vxore; id tamen non esse de necessitate.

Qvæstio Vltima.

An ad digne suscipiendam Eucharistiam, necessarium sit suscipientem ieiunum esse.

Qvæ huc pertinent Suarez *ibid. sect. 3. 4. 5. & 6.* late persequitur, quæ quam breuissime fieri poterit, *ad praxim accommodate*, complectemur aliquot documentis.

118. Primum est: Iure quidem diuino prohibitum nõ esse Eucharistiam sumere post cibum & potum: conuenienter tamen ab Ecclesia præceptum esse, vt tantum à ieiunis sumeretur. Prior pars patet ius diuinum, nec scriptum nec traditum habeatur; nec ex Christi institutione colligatur, aut ex natura rei, quia Christus illam porrexit Discipulis postquam cœnatum est: nec tale quid est res de se mala. Posterior pars constat ex Ecclesiæ vsu ab Apostolis accepto, vt traditur in cap. Liquido. De consecrat. distinct. 2. & plurium Patrum & Conciliorum authoritate confirmat Suarez *in citata sect. 3. dict. 1.* taliſq; præcepti conuenientiam repetit. Tum ex Spiritus sancti assistentia, per quam Ecclesia in fide & moribus errare non permittitur.

Nec obiicias præmemoratum Christi factum: qua non fuit, vt ipsum in eo imitaremur, sicut nec cum circumcidi aliaque legalia seruare voluit. Tum etiam ex reuerentia huic Sacramento debita: quia inde instruuntur fideles corpus Domini diiudicare, seu discernere à communibus cibis, ac etiam ponderare, quod Christus sit primus & præcipuus ipsorum cibus. Vitatur etiam periculum vomitus, mensque liberior est & expeditior ad res diuinas cum deuotione tractandas.

Secundum documentum est, Ieiunium quod ante communionem necessarium est ex Ecclesiæ præcepto, debere esse naturæ, seu quo nihil à media nocte sumptum sit per modum cibi vel potus, ne quidem in modica quantitate, ex cap. Nihil, §. Nullus, 7. quæst. 1. aut per modum medicinæ, seu intentione tantum subueniendi alicui occurrenti corporali necessitati. Istud est D. Thomæ *3. par. quæst. 80. art. 8. ad quartum.* In quo omnes Theologos conuenire Suarez monet *in seq. sect. 4. sub initium.* Atque ad eius confirmationem facit Ecclesiæ consuetudo: quæ optima interpres est legum in ea latarum. Idem tradens Henriquez *in sua Summa lib. 8 cap. 49. §. 2.* addit id procedere quantumcumque illud modicum non sit nutritiuum, vt papirus; nam nec aqua nutritiua est. Item quantumcumq; illud postquam traiectum est in stomachum, statim euomatur: quia ex eo non cessat ratio cibi vel potus sumpti.

De ieiunio naturæ necessario ad Eucharistiam digne sumendam.

Sectio I.

119. Ad huius intelligentiam, notandum est primo, tunc dici aliquid per modum cibi vel potius sumi, quando ore accipitur, & propria actione vitali in stomachum traiicitur edendo vel bibendo: quod quia contingit non tantum cum refectio corporis, sed etiam cum medicina sumitur, *vere enim hoc comeditur aut bibitur:* sicut illius, ita & huius sumptione ieiunium naturæ frangi censetur; non item cum quis deglutit sanguinem, aut alium quemcumque humorem ex capite in os descendentem (quod pluribus in margine citato habet Henriquez *in seq. cap. §. 50. 4.*) quia tunc nõ vere comeditur, cum non traiiciatur in stomachum quod extrinsecus ore sumptum sit: nec etiam cum quis aliquid extrinsecus ore sumit quidem, sed illud casu & præter intentionem deglutit, vt cum quis muscam aut aliquas guttas pluuiæ inaduertenter deglutit, aut cum præguſtando iusculum, quod expuit, aut abluendo os, aliquid cum saliua casu & contra intentionem traiicit. Neq; opus est, vt illud sit in saliuam conuersum, vt Syluester *Eucharistia 3. quæst. 6.* habet ex Palud. *in 4. distinct. 8. quæst. 2. art. 2. concl. 2.* Addit cum Sylu. Suarez ex D. Thoma quantitatem sic sumptam debere esse valde paruam, quia debet ita permisceri saliuæ, vt possit cum ea per modum vnius traiici.

Notandum est secundo, de reliquiis quæ manent in ore ex præcedenti die; siquidem casu, & præter intentionem in stomachum traiiciantur, non ideo solui ieiunium naturæ, quia non sumuntur per modum cibi vel potus, sed per modum saliuæ: si vero præuisæ ab homine deglutiantur ex certa scientia, & intentione, idem ieiunium solui & communionem impediri sensit Palud. Quod Tabiena in verbo Communio scrupulosum iudicat, non tamen Suarez *in eadem sect. 4. dicto 2. in fine*, censens, quia tunc sumuntur potius per modum cibi, quam per modum saliuæ, consulendum esse potius vt expuantur, quam traiiciantur. Item cum quis noctu misit aliquid in os, vt saccarum, paulatim deglutiendum, si illud duret vsque ad initium sequentis diei, ita vt post mediam noctem aliquas partes illius in stomachum traiiciat, solui ieiunium naturę, tradit Palud. *in citata conclus. 2.* Et probatur, quia partes illæ sunt cibus, non autem cibi reliquiæ, manentes casu in ore, earumq; ex ore stomachum traiectio manducatio est.

Notandum est tertio, quod per cibum aut potum etiam in modica quantitate sumptum soluatur ieiunium naturæ, haberi ex Concil. II. Bracharensi, can. 10. Dum præcipit deponi eum qui non ieiunus, sed quocumq; cibo sumpto oblationem consecrauerit in altari. Et ex Concil. Trid. Can. 1. dum prohibet, ne quis post cibum atque potum quemlibet minimum sumptum, Missas facere præsumat.

Notandum est quarto, quod cum præceptum istud detur tantum de ieiunio naturæ à media nocte vsque ad sumptionem communionis, ab hac per illud non excludi eum qui propter præcedentis diei nimium cibum, perinde est indigestus, ac si eodẽ die comedisset, prout satis significat D. Thomas *in cit. quæst. 80. art. 8. ad 5.* Neque etiam imponere obligationem aliquam abstinendi à potu post communionem. Quanquam vt D. Thomas *ibidem ad 6.* annotat, deuotio & reuerentia tanto Sacramento debita exigit, vt sacer ille cibus prophano communique cibo non facile misceatur, ex cap. Tribus, de consecrat. distinct. 2. & ex cap. Si constiterit, De accusat. vbi punitur Sacerdos, qui cum præcedente nocte in taberna fuisset, nec post dormiuisset, Missam dixerit. non quod sit necessarium inter sumptionem communis cibi, & sacræ communionis interuenire somnum, iuxta communem sententiam teste Nauar. *in Enchir. cap. 21. num. 53.* sed obneratum adhuc cibis stomachum, in impedimentum deuotionis & reuerentiæ requisitæ ad tanti Sacramenti debitam susceptionem. Exigit quoque eadem deuotio ac reuerentia aliquam temporis moram poni in gratiarum actione post communionem, aliaque pia occupatione, qua Christo à nobis suscepto ante exhibeamus aliqua religiosa obsequia, quam ad alia diuertamus; cuius exhibitionis praxim trademus in fine sequentis capitis.

De necessitate ob quam licet non ieiuno Eucharistiam sumere.

Sectio II.

Tertium documentum est, interdum necessitatem hominis, & reuerentiam Sacramenti excusare ab obseruatione præcepti Ecclesiastici de quo agimus. Ratio est, quia cum sit positiuum, non obligat tam stricte, quin aliquando cesset obligare; & tunc maxime, cum vel necessitas hominis, vel reuerẽtia Sacramenti id exigit. Quia enim introductum est in spiritualem vtilitatem hominis, & reuerentiam Sacramenti, non debet contra illas militare. 120.

Necessitas autem hominis, eaque sola, ob quam potest quis communicare non ieiunus, contingit ex communi Doctorum sententia, prout tangit Suarez *in memora. disp. 68. sect. 5. in initio:* quando in mortis articulo constitutus debet accipere viaticum, nec potest sine graui detrimento, aut eius periculo probabili (quod Medici iudicio expendendum est) ieiunus expectare tempus commodum, nec intempestiuum; id est, quale expediret ad reuerentiam Sacramenti, ac quod non ferret magnam difficultatem in eodem Sacramento habendo. Atque ad talem necessitatem propositum præceptum non extendi ostendit tum recepta consuetudo Ecclesiæ; tum etiam ratio. Nempe quod alioqui tale præceptum impediret ad impletionem diuini præcepti, de sumenda Eucharistia, quod obligat in mortis articulo, si vnquam alias: ac constituto in maxima necessitate, tolleret auxilium oppor-

tunum,

tunum, sibique debitum: quorum neutrum de intentione præcipientis fuisse, certum est.

Procedit autem istud, non tantum in casu mortis naturalis, sed etiam violentę; quando neque hæc ipsa differri potest, nec communio anticipari, tunc enim eadem est necessitatis ratio, quæ in articulo mortis naturalis.

Si quæras: An liceat illo modo sæpius communicare in eadem ægritudine? Respondetur distinctione, (*vt in ead. sect. respondet Suarez, & consentit Henriq. pluribus aliis citatis in memorato lib. 8. cap. 50. §. 1.*) nempe si ægrotus post sumptum viaticum breui solum tempore in vita perseueret, non esse illi sæpius dandum hoc Sacramentum post cibum vel potum; quia tunc nulla est mortalis necessitas, quæ censeatur vrgere. Si vero perseueret diutius, vt ad octo vel decem dies, pium esse sentire, quod Ecclesia prohibere nolit ipsum post cibum vel potum communicare, si moraliter loquendo non possit ieiunus. Nam maxime indigentę ope & subsidio tanti Sacramenti ad vincendas occurrentes tentationes & peccandi pericula superanda, nec valentem præstare quod præcipitur: pia mater Ecclesia non videtur velle suo præcepto, cum tanto spiritali dispendio adstringere.

121. Hic occurrit monendum, sententiam Ioan. Maioris fuisse, quam referunt & reiiciunt Franc à Victoria *De Sacramen. num. 83. & Sotus in 4. distinct. 12. quæst. 2. art. 8. colum. penult.* licere Sacerdoti iam sumpto cibo consecrare (clanculum tamen) propter necessitatem infirmi, idq; sine sacris vestibus, & sine Missa, per sola verba consecrationis, ita vt Sacramentum non sumat, sed solum porrigat infirmo, imo si hostia ex azymo desit, posse buccellam panis fermentati consecrare. Reiiciendi autem ratio bona est, quam habet Suarez *in eadem sect. 5. dubio 2.* quod id repugnet communi Ecclesiæ consuetudini, & reuerentiæ huic Sacramento debitæ, prout de se patet. Sed si omnia rite seruentur, excepta circumstantia ieiunij, maior difficultas est; num liceat Missam celebrare, vt subueniatur proximo: qui alioqui excessurus est è vita sine viatico. Eam latius tractat Suarez ibidem: & quamuis partem affirmantem probabilitate non carere censeat, negantem tamen (cum recepta Ecclesiæ consuetudo adstipulatur) sequitur cum Franc. à Victoria & Soto ac Nauar. consentitque Henriquez dum in præced. cap. 46. §. 1. *in fine, pluribus in margine citatis lit. D.* ait, non licere Sacerdoti nõ ieiuno celebrare vt alios communicet, licere autem (*ad lit idem in seq. §. 2.*) Parocho ieiuno & contrito secundam Missam celebrare, vt morientem subditum communicare valeat: nisi aliunde sit impedimentum.

Cæterum pro praxi prouisum est istiusmodi difficultati per illud quod ab Ecclesia præscribitur in cap. Presbyter. De consecr. distinct. 2. & communis consuetudo habet, vt semper seruetur Eucharistia pro infirmis, ne contingat eos priuari tam necessario subsidio, tollaturque difficultas eam habendi in promptu.

De reuerentia Sacramenti Eucharistiæ, ob quam licet non ieiuno ipsam sumere

Sectio III.

122. Qvod attinet ad reuerentiam Sacramenti Eucharistiæ, tres sunt præcipui casus in quibus ea excusat communicantem post cibum & potum. Primus est, quando alioqui grauis irreuerentia irroganda esset Eucharistię; vt quia comburetur, aut alias iniuriosę tractaretur veniens in manus hæreticorum, aut aliorum infidelium: vel alia simili de causa. Secundus est, quando alioqui sacrificium Missæ relinqueretur imperfectum. Sic enim quando Sacerdos loco vini infundit aquam calici, nec id aduertit, donec illam sumpsit, consumpta iam sacra hostia, debet iterum calici vinum infundere, illudque consecrare & sumere, vt sacrificium perficiatur. De quare D. Thomas 3. *part. quæst. 83. art. 6. ad 4. & cum eo alij, quorum meminit Henriquez lib. 8. cap. 50. in margine lit. N,* Vbi & reiicit eorum sententiam qui dixerunt tunc particulam hostiæ mixtam illi aquæ esse ex ore reddendam: nam id valde indecens est. Præterea quando Sacerdos sumpto iam cibo vel potu, siue per malitiam, siue per inaduertentiam dicit Missam: facta enim iam consecratione panis, nõ potest desistere ab inchoato sacrificio, donec illud perficiat; & sic non ieiunus communicare cogitur: quod digne facere potest pœnitens, vt par est de suo peccato. Antè consecrationem autẽ, ex D. Thom. *ibid. ad 2.* tutius est ipsum recedere ab altari, quam Missam inchoatam persequi, cùm id fieri potest sine infamia & scandalo; quod raro contingit, ita vt plurimum ea de causa sit prosequenda Missa inchoata.

Denique cũ Sacerdos dicens Missam cõsecrato iam Christi corpore, ita morbo corripitur, vt sacrificium inchoatum perficere non possit, ipsum debet ab alio perfici ex cap. Nihil 7. quæst. 1. sique desit Sacerdos ieiunus, debet alius perficere etiamsi non ieiunus, ex D. Thom. *ibid. ad 1. & ex aliis quorum meminit Henriquez in cit. cap. 50. lit. O.* Circa quod in §. 3. addit, si tale quid contingat Episcopo celebranti in Pontificalibus, nec haberi possit alius Episcopus, Sacerdotem non Episcopũ posse quod superest Missæ perficere absq; Põtificalibus, quæ non pertinent ad substantiam Missæ. Item si celebrans deficias sumpta iam vtraque specie, nihil debere ab alio perfici, cum nihil desit de necessitate sacrificij.

Tertius casus est, quando necessarium est, vt Sacerdos huius Sacramenti reliquias sumat post iam sumptam ablutionem: plerumq; enim fit vt ante eam illi non aduertantur, neque possint facile seruari in crastinum: quo casu Ecclesiam voluisse prohibere ne illæ sumerentur, probabile nõ est; præsertim cum sumptio ea, tantum sit circumstantia, & quasi complementum actionis consecrandi ac conuiuij sacri in ea peractii: ad quam actionem qui ieiunus accessit satisfecit præcepto Ecclesiæ, etiamsi in ea priusquam totum sacramẽtum consumat aliquid aliud deglutiat. 123.

Id quod Suarez *in eadem disput. 68. sect. 6. cap. 2.* illustrat exemplis casuum in quibus soluitur naturę ieiunium traiectione vini, quam consummatione totius sumptionis sacramenti Eucharistiæ. Primum est, cum in die Parasceues pars hostiæ consecratæ in vinum coniicitur cum eo sumenda. Secũdum est, cũ in Missa hostiæ particula admixta sanguini, hoc hausto remanet in calice, infuso enim vino, quod cõuenientius est, quã immisso digito, ad labium calicis trahitur vt sumatur. Tertium, quando saliuæ defectu hostia sic hæret palato, siue Sacerdotis, siue alterius communicantis, vt traiici non possit, nisi accepto vino, vel aqua: quod item conuenientius est, *etiam pluries*, facere, quam digito propellere. In quibus casibus aliquid vini sic sumpti, ordinarie ante Sacramentum traiicitur in stomachum. Doctrinam hanc tenentes authores idem Suarez citat: & contrariam aliorum notat procedere, quando tales reliquiæ sumuntur per modum integræ communionis: vt fieri posse ex eo constat, quod in illis vere sit totus Christus. Alias vero tales reliquias sumi posse illo quo diximus modo, etiamsi grandiusculæ sint: quia in ea re solum attendendum est quod sint pars proxime oblati sacrificij, ad cuius consummationem pertineant, prout ante propositum est.

Quod si reliquiæ essent ex alio sacrificio; aut ex eodem quidem, sed ipso penitus peracto, vt cum Sacerdos iam recessit ab altari: quoniam earum sumptio non haberet rationem prædictæ consummationis, sed distinctæ communionis; consultius est, vt idem Suarez addit, illas reseruare: nisi casus contingeret similis, primo suprapositio, in quo nõ possent conseruari sine irreuerentia maiore, quam committatur sumendo post sumptum aliquid alterius cibi, vel potus: nam tunc ratio dictat potius sumendas esse, quam tali irreuerentiæ exponendas. Nec obstat Ecclesiæ præceptum, quod quia institutum est pro reuerentia Sacramenti, nõ debet contra eam militare.

Si quæras: An huiusmodi reliquiæ dari possint laicis communicantibus, postquam sumpserunt ablutionem? Idem respondet negatiue; quia eorum actio communicandi censetur omnino consummata per primam sumptionem Sacramenti, ideoque si eam sumptio reliquiarum sequatur, cum & ipsa sit vera communio separatim facta; contingeret post primam communionem iterum communicare, quod non permittitur, vt nec post primam Missam dicere secundam. Vnde patet ne quidem ante ablutionem dandas illis esse, nisi moraliter loquendo dentur ita continenter, cum iam sumpta hostia, vt vna tantummodo moralis communio esse, merito censeatur.

Si rursus quæras: An post Missæ sacrificium dispensans

populo

populo Eucharistiam possit tales reliquias sumere? Idem adhuc respondet, si sint particulæ tunc consecratæ pertinentes ad sacrificium quod celebrauit, posse sumere, quia tota illa est vna actio moralis. Si vero sint particulæ in alia Missa cõsecratæ, consultius esse vt seruẽtur, sicut prius seruabãtur; quam vt ita sumantur. Addit aliis citatis Henriquez *in prius memorato cap.* 50. §. 2. Sacerdotem, si post horam à tempore ablutionis reperiat reliquias aut formulas ab aliis præparatas, debere illas reseruare in sacrario, sique id non possit fieri, vt *cum celebrat in Eremitorio*, licere illi eas sumere, etiam post interuallum, dum manet in altari.

CAPVT VII.

De ratione qua digne sumatur sacrosancta Eucharistia, ad spiritalis gustus suauitatem ex Christi præsentia sentiendum.

SVMMARIVM.

124 *Dignitas maxima sacrosanctæ Eucharistiæ, quæ est motiuum summæ reuerentiæ ei exhibendæ.*
125 *Ratio procurandæ eiusdem reuerentiæ.*
126 *Ratio procurandæ humilitatis, cum ad Eucharistiæ sumptionem accedendum est.*
127 *Ratio timorem (cum quo item accedendum est) temperandi spe diuini auxilij.*
128 *Non obstat ea spes quin præparationi animæ incumbere debeamus.*
129 *Fines sacrosanctæ Eucharistiæ, memoria recolendi.*
130 *Occupatio intellectus in considerandæ summa Dei bonitate, sapientia, & potentia relucente in Eucharistia.*
131 *Occupatio eiusdem in remouendis rationem humanarum impedimentis occurrentibus aduersus fidei veritatem de eadem Eucharistia.*
132 *Varij effectus Eucharistiæ, ex quibus potest excitari voluntas ad illius desiderium, & quasi famem.*
133 *Quali amore redamandus Christus dans se nobis in Eucharistia.*
134 *Quantam ostendat in hac, sui erga nos amoris magnitudinem.*
135 *De agendis ipsa communione.*
136 *Agenda post communionem.*

HÆc ratio, prout à viro quodam pio obseruatum est, consistit primo in procurando, tum reuerentiam, tum humilitatem, tum etiam timorem spe temperatum; cum quibus conuenit accedere ad tam diuinum, ipsis etiam Angelis tremendum, Sacramentum. Deinde sancte occupando memoriam, mentem, & voluntatem: prout exigit res tanti momenti, prohibitis sensibus & appetitibus sensitiuis, ne illi vagentur, nec isti tumultuentur, sed timore & reuerentia aduenientis cœlestis hospitis compellantur in officio manere. Denique in agendo ea quæ decent, siue in ipsa sumptione, siue post eam.

De procuranda reuerentia.

SECTIO I.

124. PRimum omnium ante communionem recollecti, seruataque in gestibus & externo habitu modestia, debemus procurare interiorem reuerentiam, concipiendo mente, quam possumus sublimem, de tanto Sacramento, *tam ab Angelis quam ab hominibus adorando*, existimationem; nimirum veræ certissimæque fidei actum eliciendo, quo firmissime credamus Christum in Eucharistia contineri. Namque si de ea, vt olim Hebræi de manna, interroges; quid est hoc? sicut Moyses illis respondit Exod. 16. Iste est panis quem dedit vobis Dominus advescendum,] ita tibi Christus, *qui veritas est, nec falli aut fallere potest*, respondebit ex D. Ioanne cap. 6. Hic est panis de cœlo descendens. Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi,] & Matth. 26. Accipite & comedite, hoc est corpus meum.] Quam igitur suspicienda est Eucharistię dignitas, in qua Dei effusa in nos bonitas per immensam suam sapientiam, infinitamq; potentiam sub accidentibus exiguæ buccellæ panis, mirabili inauditoq; artificio accommodate ad nostrum vsum, coarctauit Christum: ita vt illum verissime contineat, qui hæres est vniuersorum:] ad Hebr. 1. Cui data est omnis potestas in cœlo & in terra] Matt. vlt. Quem Deus exaltauit, & dedit illi nomen quod est super omne nomẽ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris,] ad Philip. 2. In qua gloria sicut facie ad faciem videndum se exhibens Beatorum panis est (de quo Luc. 14. Beatus qui manducabit panem in regno Dei) ita in Eucharistia dans se fide cognoscendum cibus est viatorum. Id quod lætabundus exultans fidelis chorus, seu Catholica Ecclesia profitetur canendo, Ecce panis Angelorum factus cibus viatorum, &c. Profitetur pariter dum per publicos suos ministros nomine totius populi, certis horis (quia non potest continue) laudes coram eo diuinas decantant; itemque dum institutione festorum, erectione templorum, horumque exornatione, & ministrorum ac ministeriorum, ac cæremoniarum varietate & maiestate, atque aliis quibus potest modis honorem & gloriam ei exhibendam curat; ad imitationem eius quæ sursum est Hierusalem mater nostra, ad Galat. 4. in qua laus, honor & gloria sine vlla intermissione Christo datur ex cap. 4. Apocalyp.

Procuranda igitur est Eucharistiæ reuerentia, mentem erigendo, expendendoque seria consideratione, quam dignum, quamque præstans sit illud quod nobis in eo porrigitur. Est enim Christus corpus sanctissimum, ex Virgine integerrima integerrimum, opera & artificio admirabili Spiritus sancti formatum, perfectissimum, rationi obsequentissimum ex materno vtero sine matris dolore, & sine vlla virginalis clausuri fractione egressum; cuius attactu depulsi sunt diuersi generis morbi ab hominibus, iuxta illud Luc. 6. Omnis turba quærebat illum tangere, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes] cui obsecuta est aqua, ambulanti super illius vndas, sicut & cœlum & terra, quando ipso patiente Sol & Luna obscurata sunt, & petræ scissæ: quod post fusas nostri causa lacrymas, perpessas molestias & ignominias; toleratos labores itinerum, famis, sitis, vigiliarum, vinculorum, verberum, sputorum, coronæ spineæ, & supplicij crucis: translatum est in cœlum, & ad dextram Patris omnipotentis collocatum: idque cum quanto maiestatis & gloriæ splendore; ineffabile est, & arcanum; quod excedens omnem mentis nostræ captum, humili silentio venerandum est: Atque cum tam glorioso corpore simul porrigitur, nobis viuificans ipsum, anima gloriosissima, quæ ex primo momento suæ creationis, diuinæ naturæ intuitione beata fuit, gratia ac donis Spiritus sancti sine mensura abundans, tanquam inexhaustus thesaurus omnium bonorum cœlestium, de cuius plenitudine cæteri omnes acciperent,] ex cap. 1. Ioan. Virtutibus præterea omnium pulcherrimis ac præstantissimis ornamissima, & meritis innumerabilibus maxima. Quinetiam (quod infinitis partibus dignius est) diuinitas porrigitur, cui hypostatice idipsum corpus & anima illud informans vniuntur, ita vt in Eucharistia agnosci debeat rerum omnium creator & supremus Dominus, omnis boni auctor, perfectionum magnitudine & numero infinitus, maiestate supra quam cogitari potest augustissimus, & ideo cum omni animi submissione adorandus, & tanquam excedens omnem mentis nostræ captum humiliter suspiciendus potius, quam parum caute dispiciendus; ne, iuxta Sapientem *Prouerb.* 25. scrutatores maiestatis opprimamur à gloria.

De procuranda humilitate.

SECTIO II.

SEcundo loco, procurare debemus humilitatem, quã Christus in ordine ad hoc Sacramentum commendauit, cum illud instituturus Discipulorum pedes lauit, seque exemplum dedisse ait, vt facerent quemadmodum ille fecit, Ioan. 13.]

Expendendo igitur, quod in nobis ad vilem corporis conditionem, accedat animæ (etiam peccatis per confessionem expiatis) miser status, ob tot, tamque varias ad peccata propensiones, quibus est obnoxia; demittamus nos, atque erubescamus coram Deo, ponderantes quam indigni simus,

vt nostri

vt nostri causa tanta maiestas tam admirabile mysterium instituerit: sicque pudore & verecundia perfusi deploremus peruersitatem nostram, qua cum tanta negligentia & segnitie, Sacramentum omnium dignissimum vsurpamus. Quando quidem (vt notatum est à D. Bonauen. *in tract. qui inscribitur Incendium amoris*) primo Dominus noster propter nos ibi totus est; nos autem raro vel nunquam ibi toti sumus propter eum. Secundo, ibi est pretium redemptionis nostræ: & non liberamur, quod restat per nos. Tertio, ibi vere est Deus, & non videmus eum ad quem videndum creati sumus. Quarto, ibi paratior est ad liberandum nos, quam nos liberari à miseria. Quinto, ipse maximo studio ad salutem nostram, instituit hoc Sacramentũ: nos vero tepide, imo toti frigidi ipsum sumimus. Sexto, ibi est cum Angelorum frequẽtia; nos cum magna cordis irreuerentia. Septimo, ipse ibi ardens est, pro sua dilectione: nos ibi remissi sumus in gratiarum actione. Octauo ipse ibi est cibus Angelorum ad nostram refectionẽ; & nos non gustamus eam, propter nostram corruptionem. Nono, quod dispergimus per culpam, ipse cõgregat per gratiam, nec tamen grati sumus. Denique ipse est panis confirmans cor hominis, & nos languidi manemus: fons est vberrimus, ex quo ad omnes Sanctos permanat omnium spiritualium donorum affluentia: & nos aridi ac talium donorum inopes inuenimur.

De fide cum timore coniungenda.

Sectio III.

127. TErtio loco cum timor accedendi indigne ad sacrosanctam Eucharistiam, facile sequatur eam de qua agimus reuerentiam & animi demissionem, is quidem abiiciendus non est, quia misericors & miserator Dominus escam dedit timentibus se.] Psal. 110. sed est temperandus spe, qua sustentetur animus expectatione auxilij Dei, qui etiam proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo enim ille cum illo non omnia nobis donabit, ad Rom. 8. Gustate (*inquit Spiritus sanctus per os Dauid Psal.* 33.) & videte quoniam suauis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. Diuites eguerunt & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.] Si te deiiciat maiestas Christi in cœlo regnantis: erigat te humilitas se tibi in cibum dare dignantis, ac desiderio desiderantis hoc Pascha manducare tecum. Magna fuit humilitas nascentis in stabulo; maior moriẽtis morte ignominiosa in cruce; sed maxima iam regnantis in cœlo, & nihilominus sub exigui panis & vini speciebus vilib. tradentis se hominib. abiectis; imo & sceleratis pro arbitrio tractandum, atq; adeo comedendum, non vno tantum loco & tempore, sed vbiq; terrarum, & donec veniat: seu ad consummationem vsque sæculi. Pastor est bonus, qui proprio corpore pascit oues suas, nec venit vt perdat & mactet, sed vt illæ vitam habeant, & abundantius habeant, ex Ioan. cap. 10. Nouit ipse, qui sapientia est æterna, figmentum nostrũ: expertus est nostras infirmitates, qui tam salutare nobis præscripsit aduersus æternam mortẽ antidotum, & præstitit ad vitam æternam subsidium. Non enim habemus *inquit Apost. ad Hebr.* 4. Pontificem, qui nõ possit compati infirmitatibus nostris; tentatum per omnia pro similitudine, absq; peccato. Adeamus ergo cum fiducia ad thronũ gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.] Dic igitur animæ tuæ, si nimio timore concutiatur: Quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus, Psal. 25. Deinde fretus ope misericordiæ diuinæ, regi æternæ gloriæ, domum tuam aduentanti procede obuia in spiritu humilitatis, & animo contrito, atq; admirans dic: Vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me? non sum dignus vt intres sub tectum meum: attamen dic verbo, & sanabitur anima mea. Iesus es: Dic animæ meæ, salus tua ego sum, Psal. 34.]

128. Quia vero tunc maxime diuinum auxilium adest, cum ipsi nobis non desumus, quodque nostrarum partium est faciens: tu interea ne desis, sed cum omni diligentia vilem tuam domunculam emunda, & recurre ad B. Virginis aliorumq; Sanctorum patrocinium, pro necessario ad tanti regis excipiendi apparatu obtinendo ex ipsius regia. Illi enim domestici eius sunt & familiares, plurimum valentes apud ipsum authoritate: dignitatis item ipsius, studiosissimi sunt, ac nostrę vtilitatis amantissimi. Imitemur ergo rusticum, qui excepturus virum aliquem illustrem, casam quidem suam purgare potest; sed eam ornaturus, ad alienam locupletiorum opem recurrere cogitur.

De sancta occupatione memoriæ, & intellectus.

Sectio IV.

RAtio de qua agimus sentiendi suauitatẽ ex Christi præsentia in sacrosanctæ Eucharistiæ digna sumptione, exigit ex parte memoriæ, vt hæc occupetur in recordatione finis ob quem ipsum Eucharistiæ Sacramentum à Christo institutum est: qui multiplex cẽsetur. Ac primo, vt gloria Deo quam maxima redderetur per assiduam oblationẽ sacrificij, omnium quæ esse possunt, dignissimi; eique par beneficiis in nos collatis, gratia referretur. Secundo, vt sua præsentia in tã humili specie, nos vehementius excitaret ad memoriam acerbæ & ignominiosę mortis suæ pro nobis obitæ, simulque beneficiorum quę in nos per eam redundant: atq; vt reuocato in memoriam, renouatoq; sui erga nos amoris tanto argumento, nostras ad se rebelles voluntates traheret, iuxta illud Ioan. 12. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, significans qua morte esset moriturus.] Tertio, vt instar cibi quo vescimur nos intime peruadens amãtissimus Dominus, sibi penitus coniungeret, eaq; coniunctione merita laborum & cruciatuum suorum nobiscum communicaret; nosque confortaret in hac ærumnosa vita, ac diuinitatis suæ thesauro impleret, eleuaretq; in excellentiam diuinam, ac tandem viuificaret vita beata. 129.

Ex parte autem intellectus procurandum est, vt euocata cogitatione ab aliis rebus, is occupetur in eliciendo firmo viuoque fidei actu de Sacramenti Eucharistiæ veritate; ex quo in administratione tanti mysterij defixus homo, conetur quanto studio potest diuinam adorare bonitatem, sapientiam, & potentiam; quia Dei perfectiones imprimis relucens in eiusdem Sacramenti institutione: bonitas quidem, quia quamuis Angelis peccantibus non pepercerit, tamen vt nos (criminis læsæ maiestatis diuinæ perinde reos) redimeret ab omni iniquitate, & exhiberet sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, vnigenitum ex quo, in quo, & per quem sunt omnia, demissit ad statum, quem cernimus in Eucharistia, abiectum, & iniuriis, ac ludibriis expositum. Sapientia vero, quia adeo accommodate ad imbecillitatem nostram, summæ nostræ necessitati consuluit, vt illius singulare remedium instituerit eiusmodi, quod esset nobis perinde obuium & familiare, ac cibus quo quotidie vescimur. Potentia denique, quia supra omnes naturæ leges tam admirabili inauditoq; artificio Christum verũ Deum & hominem ad dexteram ipsius sedentem, in cœloq; regnantem, ita facit præsentem in terris, vt plurimis ac diuersis locis, ab omnibus & singulis fidelibus, sub exigua panis quantitate contentus, sumi possit in cibum vitæ æternæ. 130.

Occupetur item intellectus in remouendis rationum humanarum impedimentis, si quæ occurrant, aduersus eandem fidei veritatem: vt possunt esse, quod ea videatur habere quædam indigna Filij Dei maiestate; quæ cum sit tanta, contineatur tamen re adeo contemptibili & exposita infinitis indignitatibus, quæ ei inferri possunt, non modo à prauis hominibus, sed etiam à bestiis. Recolat igitur intellectus dictum Christi, Matth. 11. Beatus qui non fuerit scandalizatus in me] quodque ipse ea sua humilitate non reliquerit nos sine testimonio diuinæ suæ maiestatis. Sic enim *eodem D. Matthæi loco*, cum appareret homo vulgaris, signa eiusdem maiestatis data mandat renuntiari D. Ioanni Baptistæ inquiens discipulis ipsius. Ite, renunciate Ioanni quæ audistis & vidistis: cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.] Et in illo pauperrimo statu, quo natus iacebat in præsepio pannis inuolutus ostensa est diuina gloria illius cui *ex cap. 7. Danielis Millia*, Millium ministrant, & decies centies centena millia assistunt] quando *Lucæ* 2. multitudo militiæ cœlestis facta est laudantium Deum & dicentium, Gloria in excelsis Deo.] Item in statu illo ignominioso, quo quasi 131.

criminosus pendebat in cruce, ostensum est Solis & Lunæ obscuratione, petrarum scissione, & aliis mirabilibus factis, quod esset verus Deus, nulli penitus peccato obnoxius. Sic enim *Matth.* 27. Centurio, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere filius Dei erat iste.

Denique in abiectissimo statu, quo est in Eucharistia; suæ diuinæ maiestatis præsentiam miraculis non tantum olim, sed his quoque temporibus manifestauit, pro ea quam gerit Ecclesiæ suæ cura, ad conseruandum in ea cultum sanctissimo huic Sacramento delatum, summæ ac supremæ Dei maiestati conuenientem, vt patet ex personis, quas ad illius ministerium Ecclesia ipsa deligit. Primo, natas ex legitimo coniugio: secundo, ætate maturas: tertio, corpore nõ debiles nec difformes: quarto, fortuna, vt habeant vnde victum honestum comparent, vel voluntariam paupertatem sequantur: quinto, fama & opinione probatas: sexto, moribus castas, ita vt illas solemni voto ad castitatem adstringat: septimo, pietate erga Deum ardentes; quo fit vt illis statas preces satis longas iniungat quotidie recitandas. Fit etiam vt non promoueat illas statim ad tanti ministerij dignitatem; sed per plures gradus inferiorũ ordinum. Denique regali Sacerdotio condignum, illis assignat externum habitum, vestem scilicet talarem, cum corona.

Patet etiam ex templis, quæ ad eundem cultum extant magnifica: ritu solemni ac vario mysterioso que consecrata, & aucta altaribus ornatis auro, argento, marmoribus ac picturis. Itemque vasis, & vestibus, pulchritudine, elegantia & religione insignibus. Accedente vlterius musico concentu tam instrumentorum, quam humanarum vocum, atque suffitu thuris, aliarumque rerum odoriferarum, ac demum luminum multitudine; vt quoad potest, in terris regia cœlestis adumbretur, in qua gloriosius regnat is, qui suam præsentiam in Eucharistia nobis exhibere non dedignatur.

At dices, iniici quoq; in hominis stomachum sordibus ac fœtorib. repletissimum. Respondetur, id esse indicium non vilitatis, sed adorandæ bonitatis, qua mediator Dei & hominum Iesus Christus tanto diuinæ gloriæ nostræ salutis arsit desiderio, vt tanquam granum frumenti cadens in terram (quod in ea putrefactum ac mortuum multum fructum adfert) sua tanta humilitate quasi in nihilum redactus, fructus diuinæ gloriæ, ac nostræ salutis ad Dei honorem germinat profertque vberrimos.

De sancta occupatione voluntatis.

Sectio V.

EX parte demum voluntatis procuranda est puritas ab omni praua affectione, & dolor vehemens de perpetratis peccatis, cum firmo & perfecto proposito ẽmendationis, exclusis omnibus occasionibus peccandi inposterum, & adhibita ori, sensibus, & cordi custodia diuini timoris.

132. Secundo, excitanda est in illa, vehemẽs cupiditas & fames huius admirabilis cibi per considerationem tot ac tantorum bonorum quibus cõplemur illius sumptione. Ex quibus ad vitandam prolixitatem nimiam, tantum attingemus, illam proportione quadam id efficere in anima bene præparata, quod terrenus cibus efficit in corpore bene constituto. Primo enim spiritualem gustum ipsius, mirabili suauitate afficit. Secundo vitam gratiæ in ea conseruat. Tertio apud perfectionem charitatis adducit. Quarto vires addit ad præclara agenda, & ardua fortiter patienda. Quinto pietatis & deuotionis quasi succo, opimam ac colore viuidam faciens, iucundam reddit ac amabilem. Quod est nos per illam iis diuinis donis augeri quibus sumus grati omnibus, neminem offendentes nostro exemplo, sed omnes ad virtutem prouocantes. Denique, quod summum est, ita nos cõiungit Christo, vt ei incorporemur ipseq; in nobis sit, & nos in ipso, ex quo hauriamus vitæ spiritum, sicut membra corporis ex capite: iuxta illud Ioan. 6. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.] Item Qui manducat me, & ipse viuet propter me.] Itaque si vitam longam desideras, audi veritatem ibidem dicentem: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum:] simulque monentem. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.] Certe salute nihil est desiderabilius: quæ quidem à nullo, q̃ ab eo, qui dignatur se nobis in Eucharistia dare, expectanda est; iuxta illud Actor. 4. Non est in aliquo alio salus. Nec enim aliud nomẽ est sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri.]

Quid quæso melius potest homini contingere in hac vita tot miseriis obnoxia, ac necessitatibus exposita, quam munitum esse præsentia Christi, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. vlt. Et de cuius propensa voluntate subueniendi nobis, dubitari non potest; cum nos tanto amore complexus sit, vt se in cibum & pignus æternæ salutis daret. Idemque nos à solicitudine nimia prouidendi necessitatibus huius vitæ reuocet, & polliceatur quærentibus regnum Dei, & iustitiam eius, necessaria omnia adiicienda esse, Matth. cap. 6. neque dubitandum est, quin eadem & sciat, & velit, ac possit adiicere, pro sua sapientia, bonitate, & potentia infinita. Ad cumulum accedit, quod illud expetẽdum sit votis omnibus, per quod Deo, *pro sua maiestate, & infinita in nos beneficiis*, reddamus gloriam quã fieri potest maximam. Ad id autem, tunc maxime possumus idonei esse, cum per susceptionem Eucharistiæ Christum in nobis manentem habemus: quandoquidem tunc nos totos ac nostra omnia æterno Patri offerentes, simul dilectissimũ Filium offerimus, qui misericorditer se effecit nostrũ. Quid enim tam nostrũ est quam cibus quo vescimur?

Excitanda tertio loco est voluntas, ad tam insignem nostri amatorem redamandum, amore iis conditionibus cumulato, quibus referat dantis se nobis in cibum, amorem erga nos. Nempe vt primo quidem purus sit, quo ipsius gloriam solam quæramus; sicut ille vtilitatem solũ nostram spectat, non vllum suum commodum. Secundo, vt sit amor intimæ cuiusdam familiaritatis, quo nos totos illi cum piis & ardentibus colloquiis consecremus, qui sic se familiariter, intimeque exhibet nobis, vt in nostra etiam viscera se insinuet. Tertio, vt sit fortis amor, qui scilicet nulla possit calamitate, aut incommodorum eluuione extingui: sicut & ipse ita nos amauit, vt non refugiat periculum innumerarum iniuriarum, cui expositus est in ipsa Eucharistia. Quarto, vt suauis sit, tanquam conceptus ex aduentu illius qui omnibus diuinis suauitatibus affluit, iuxta illud Psalm 33. Gustate & videte quoniam suauis est Dominus, beatus vir qui sperat in eo.] Quinto, vt sit liberalis, quo nos, nostraque omnia velimus illi; qui se, suasque immortales que diuitias nobis communicat, vt dicere liceat cum sponsa Cant. 1. Dilectus meus mihi, & ego illi.] Sexto, vt adeo potens sit ac fla- grans, vt mortificatis spiritu, factis carnis: seu obtenta nostri victoria, sic dominetur in nobis ipse Christi amor, vt cum D. Paulo ad Gal. 2. liceat dicere: Viuo ego, iam non ego, viuit vero in me Christus.] Septimo, vt efficax sit; seu quo stabili firmoq; decreto pro Christi gloria in animum inducamus, freti spe auxilij ipsius, vitia nostra corrigere, & virtutum studio incumbere; maxime humilitatis & patientiæ: quarum necessitatem inculcauit cum Lucæ cap. 9. dicebat ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.] In hoc autem Sacramento magister optimus dat illustria exempla: humilitatis quidem in eo, quod sub vili & fragili particulæ panis figura, offert se in sacrificium; verusque Dei Filius cum sit, & vniuersorum Dominus, sic diuinam suam maiestatem & gloriam occultat, vt de illius excellentia nihil appareat; perinde se habens, ac si nihilum esset. Nempe accidentia, sub quibus latet, perinde immutata relinquens, ac si ibi non esset: Sacerdoti peccatori submittit se eousque, vt ad consecrantis vocem starim sistat se, ac in manibus ipsius tradat pro arbitratu siue digne, siue indigne tractandum & sumendum: Neque ipse qui est Angelorum gloria & decus, dedignatur in spurcissimum sordidissimumque hominis pectus venire & habitare: atque adeo qui Sanctus est Sanctorum, cuius in cœlo laudes socia exultatione omnes Sancti concelebrant, animæ peccatis variis contaminatæ consortium inire, ac benigne sufferre.

Exemplum vero patientiæ illustre in eo Christus dat, q̃ se in sacrosancta Eucharistia habeat velut passiue, quasi corpus mortuum, aut baculus in manu senis; non enim repugnat, nec contradicit, aut resistit Sacerdoti, etiamsi contemnatur,

mnatur, ac etiam interdum ludibrio impudentissime habeatur; sed pro illius arbitrio attolli se sinit, & demitti, ac porrigi siue bonis, siue malis: itemque transferri, & siue in hoc, siue in illo altari, aliove loco collocari: atque quouis tempore, sub quauis hostia, & vbicumque collocetur patienter expectat, etiam in tenebris, & solus derelictus; vt ipsum cum libuerit adeamus ad percipienda bona ingentia, quæ liberalissime nobis offert, & dare paratissimus est. Quid igitur Domino tanta faciente & ferente pro seruo non faciet & nō feret seruus? pro Domino, cui non vno, sed infinitis propemodum titulis, debet omnia? Consentaneum est sane, vt tota voluntate tam insigni exemplo inuitatus incumbat in studium humilitatis, & patientiæ, quibus pro Christi gloria se in sacrificium offerat, malorum perpessione iugiter mactandū, & annihilandum: sicut Christus ipse immutabili proposito, non obstantib. iniuriis, quas patitur, semetipsum in Eucharistia Deo tradit pro nobis oblationem; non semel, & vno tantum loco, sicut in passione; sed quotidie, innumerabilib. pene vicibus, ac plurimis locis.

134. Porro magnitudo amoris quem erga suos fideles Christus Dominus ostendit in Eucharistia patet. Primo ex vehementia affectus, quam indicauit Luc. 22. illam instituturus dicēs: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.] Secundo, ex tempore institutionis; nempe in qua nocte tradebatur, *ex priori ad Corinth. cap. 11.* Seu dum ab inimicis de illo occidendo agebatur, ipse donum hominibus contulit, quo nullum pretiosius est, aut dignius, vt ex antedictis satis patet; ac in cibū qui digne sumptus viuificat vita beata & æterna. Tertio patet, ex modo eiusdem institutionis, qui fuit; quod ipse Dominus pro nobis subiturus mortem, quasi condens testamentum: cum in morte commendaturus esset Deo Patri suum spiritū & Ioanni matrem suam, atque hinc sponsam suam Ecclesiam (per illud Ioan. 19. Mulier ecce filius tuus,) latroni daturus paradisum, & militibus sua vestimenta relicturus. Pridie quam pateretur, *ex citato cap. 11.* sacrosanctum suum corpus sumendum in cibum, qui vitam eis afferret æternam, fidelibus legauit quando suis Discipulis dixit, Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, Matth. 26.] Quod legatum tāta firmitate ratum esse voluit, vt nullis hominum peccatis reuocaretur: tamq; amplum, vt ad omnes fideles extenderetur: nec quemquam bene volentem excluderet à participatione tanti beneficij.

Te ergo considera insigni amore cum cæteris fidelibus præuentum à suauissimo Domino IESV, vt condenti testamentum misericorditer cum eis occurreris; teque tantopere amantem omnibus viribus redama: nec amor proprius te remoretur; cuius abnegandi tam singulare motiuum habes in Eucharistia, in qua Christus tanquam omnem sui curam deponens, relinquit se Sacerdotis arbitrio tractari, *vt ante habitum est*, ac tanquam agnus coram tondente se non aperiens os suum, iuxta Isaiam cap. 53. se totum permittit ei, cuius plerumque vltima aut etiam nulla cura est ipsius. Quæ tanta ac talia, homo Christiana fide imbutus, considerans amore sui geri à filio Dei, mirum est si accessurus ad hoc sacrum conuiuium, *quod est memoriale acerbissimæ passionis pro ipso obitæ*, non inardescat redamando se tantopere amantem; aut saltem inardescere expetat, illud ex animo vsurpans. Absorbeat Domine IESV Christe mentem meam ignita & melliflua vis amoris tui, ab omnibus quæ sub cœlo sunt, & amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in cruce mori.

De iis quæ in ipsa communione, & post eam agenda sunt.

SECTIO VLTIMA.

135. VBI ventum fuerit ad communionem, excitato dolore de peccatis; & facta illorum generali, *vt assolet*, cōfessione, petitaq; de illis à Deo venia, excitandus est animus ad lætitiam ex aduentu tanti Regis; & instaurata consideratione summæ & adorandæ maiestatis Christi, nostræque vilitatis: ad eum suscipiendum, cum magna veneratione accedendo, dicendum est deuote: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. Deinde sine strepitu verborum curandum est cœlestem hospitem in domum inducere animo bene collecto, meditando ipsius Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi præsentem maiestatem, stipatam cœlestium ciuium agminibus, ipsumque panem de cœlo verum & viuificum, cum humilitate ac reuerentia, quam fieri potest maxima, sumendo de manu sacerdotis, quasi de manu ipsius Christi, cuius ille administer est: ac studendo internam habere animi lætitiam cum gratitudine summa erga tanti beneficij largitorem Deum: non secus ac si positus in paradiso terrestri cum Adamo, de fructu arboris vitæ satiarer; pascens scilicet animam meam de Christi humilitate, aliisque virtutibus, illas cogitando vehementerque appetendo; & sic in ipsum Christum transformari optando vt tota mea mens & cogitatio, voluntas & desiderium semper in eo fixa sit & firma, immobiliterque radicata.

Susceptus autem Christus Dominus sub tectum nostrū, 136.
cum officiosi timoris significatione, & magno desiderio ei placendi, obsecrandus est, ac humiliter rogandus, vt dignetur per suam gratiam, stabilem in nobis sedem figere, nec permittere nos vnquam ab ipso separari; cor ipsum nostrum resignando omnino in manibus eius, vt illud fingat suo arbitratu, & conformet suæ sanctissimæ voluntati: solus illud possideat, qui solus illud fecit: sitque super illud æternum & immobile signaculum. Cui resignationi succedere potest actus amoris, quo ipsum, in quo omne bonum nostrum consistit, toto cordis affectu amplectamur. Deinde admiratio tam immensæ benignitatis ipsius, vt non iam Virginis omnibus virtutibus ornatissimæ, diuinaque gratia plenissimæ exhorrescat vterum (quod ipsa etiam sancta Ecclesia in eo miratur) sed quod in nostro corpore tanquam in immundo stabulo versari non putet sibi graue & indecorum. Præterea confessio propriæ imbecillitatis, qua nos impares profiteamur prædicandis laudibus tantæ benignitatis ac liberalitatis erga nos diuinæ. Ideo enim Ecclesia ad auxilium cæterarum creaturarum, non modo earum quæ sursum sunt in cœlo, sed etiam earum quæ deorsum in aere, aqua, & terra, Sacerdotes compellit recurrere; cum imponit illis recitandum post Missam canticum trium puerorum, Benedicite omnia opera Domini Domino.

Quarto, ex imo pectore agendæ sunt gratiæ maiestati diuinæ, quæ dignata est tam pretioso & admirando cibo nos satiare. Ad quod accommodata est illa D. Thomæ oratio, Gratias tibi ago Domine sancte Pater, &c. Cum qua gratiarum actione coniungenda est oblatio, qua nos cœlesti Patri offeramus totos, diuino quidem conspectu ipsius indignos, sed in nobis tanquam in pixide habentes Christum, per infinitam suam misericordiam effectum nostrum; adeo pixidem simul & contentum in ea offerentes cum debito cordis affectu, faciamus oblationem dignam Deo, eiq; gratissimam. Ad quem affectum procurandum, vt oblatio nostra in conspectum diuinæ maiestatis cum odore suauitatis ascendat, recurrendum est ad Christum per illam orationem D. Bonauen. Transfige dulcissime IESV medullas & viscera animæ meæ suauissimo ac saluberrimo amoris tui vulnere, &c. implorandaque Spiritus sancti assistentia, & Beatæ Virginis, aliorumque Sanctorum suffragia. Quinto, quasi oblata opportunitate negotiandi cum Domino nostro de rebus maximi ponderis, puta de cœlo, & vita beata, de nostra ac nostrorum salute, de iis quæ ad defensionem & amplificationem Ecclesiæ pertinent, & aliis similibus; ea quę necessaria putamus, postulabimus; nominatim autem nobis gratiam ad eas culpas euitandas, quas aduertimus in nobis grauiores, & magis noxias esse, recitando Pater, & Aue, &c. Postremo renouandum est propositum nostrum abstinendi & diligenter cauendi ab eo quod offendat Dominum nostrum sanctissimum; statuendo nos velle custodire mentem & cor, perinde ac si pixidem sanctissimi Sacramenti in manu tenentes circumferremus; memores quod vndequaque septi sumus Angelis tanquam Christi nobilibus aulicis comitantibus suum regem: prout inculcat D. Laurent. Iustinianus *in sermone quodam præclaro, quem fecit sacrosancta Eucharistia.*

Nec vero tantum cauendum est ab offensis hospitis no-

ſtri cœleſtis, ſed etiam exhibendum eſt illi obſequium: tum lectione, & auditione rerum piarum, tum etiam executione operum pietatis: parque eſt, vt tanquam de manibus inimicorum noſtrorũ liberati ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris: mercedem gloriæ ipſo miſerante tandem recepturi. Cui laus eſt, honor & gloria, in ſæcula ſæculorum, Amen. Finem tandem huic capiti impoſituri monebimus rei dignitatem exegiſſe, vt illud faceremus longius. Ex abundatiore menſa quiſque capiet quod ſibi neceſſarium inueniet: nec negliget documẽta, quæ aliis citatis dat Henriquez *in ſua ſumma lib.8.cap.49. §.1. his verbis:* Dum ſumit, caueat ne quid decidat, non maſticet, ſed reuerenter traiiciat, ne quid dentibus hæreat: ſi hæſit palato, vel calici particula hoſtiæ, decentius eſt vt cum ablutione etiam iterata traiiciat, quam tactu digiti Sacerdotalis: nec mox poſt cõmunionem expuat, propter reliquias. Decet, ne ſtatim alios cibos ingerat, qui miſceantur cum ſpecieb. Euchariſtiæ in ſtomacho. Seruentur etiam circumſtantiæ loci: communiter enim non decet per bullam aut priuilegium communicare ſinc honeſta cauſa in priuato ſacello domus ſecularis: nec horis indebitis quibus non celebratur, quamuis iure nulla hora determinetur, dummodo homo ieiunus ſit: hæc ille. De peccato mortali quod committi poteſt ſuſcipiendo Euchariſtiam de manu mali miniſtri, iudicandum eſt per ea quæ ante dicta ſunt lib.1. cap.14. ſect.3.

CAPVT VIII.

De effectibus Euchariſtiæ.

SVMMARIVM.

137 *Effectus Euchariſtiæ in eo quo digne ſuſcipitur.*
138 *Qui in anima producuntur, reducuntur ad promotionem ad bonum, & ad reuocationem à malo.*
139 *Effectus præſeruationis animæ à peccato: & collationis diuinæ gratiæ ex opere operato.*
140 *De hoc eodem effectu, cum plures ſpecies ſacramentales ſeorſum ſumuntur.*
141 *Effectus præſeruandi à mortalibus & liberandi à venialibus.*
142 *Euchariſtiæ ſumptione non remitti pœnam peccato debitam, quomodo intelligendum.*

HOrvm explicationem D.Thom. perſequitur in 3.par. queſt.79. vbi multa Suarez tam in cõment. quam in diſput. 63. & 64. ſed quia remotiora ſunt à noſtro inſtituto, contenti erimus aliquot documenta tradere, quibus ea quæ præcipua ſunt attingemus.

137. Primum eſt: Euchariſtiam non tantum in anima, ſed etiam in corpore ſuſcipientis multa efficere, & maxime tria, quæ in cit. diſp. 64. Suarez late explicat.

Primum eſt: fomitem peccati, ardoremq; concupiſcentię minuere, & bonos affectus in appetitu ſenſitiuo excitando, reddere hominem promptum & alacrem ad vitam ex virtute agendam: per abundantiam enim charitatis, quæ in hoc Sacramento confertur, affectus voluntatis redundantes in appetitum ſenſitiuum, cauſant in eo concupiſcentiæ & terrenorum affectuum moderationem.

Secundum eſt, reſurrectio & gloria corporis, quam ij qui fuerint huius cibi cœleſtis participes conſequentur: non tantum ratione gratiæ & gloriæ animæ, ſicut cæteri beati, ſed etiam hoc ſpeciali titulo (prout declarat *Suarez in eadem diſput.64.ſect.2.col.3.*) quod habuerit carnem ſuam, carni Chriſti coniunctam per ſuſceptionem huius Sacramenti: iuxta illud Domini, Ioan.6. Qui manducat hunc panem viuet in æternum,] &, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.] Tertium eſt, vnio cum Chriſto, de qua inter alia multa Suarez *in ſequen. ſect.3.colum. antepenult.* ſic habet. Quando Chriſtus digne ſumitur, realiter coniungitur ſuſcipienti: quia vere ac proprie intra ipſum conſtituitur, & quaſi quodam corporali amplexu apprehenditur. Ex quo fit, vt quamdiu Chriſtus ibi adeſt, quantum eſt ex Sacramenti virtute, illum à quo ſuſceptus eſt, excitet vt diligat, affectuq; complectatur ipſum, quem habet corporaliter præſentem.

Secundum documentum eſt: Omnes effectus, quos Euchariſtia producit in anima, poſſe ad duo capita reuocari; nempe ad promotionem ad bonum ſpiritale, & ad reuocationem ac liberationem à malo ſpiritali ſiue culpæ, ſiue pœnæ; prout declaratur ſequentibus documentis. 138.

Tertium eſt: Huius Sacramenti ſuſceptionem, promouere animam ad bonum: quoniam confert ei augmentum gratiæ habitualis, conciliatque ei quædam actualia auxilia diuina (de quibus copioſe Suarez *diſput. 63.ſect.9.*) vt per charitatis & aliarum virtutum exercitium reſiſtens ardori concupiſcentiæ, poſſit vitam ſuam ſpiritualem conſeruare.

In quo quidem augmento & actualibus auxiliis conſiſtit ea ſacramentalis gratia, quæ eſt proprius ac primarius huius Sacramenti effectus: quo ſcilicet diuinus iſte cibus id præſtat in anima, quod corporalis cibus in corpore, vt bene declarat D.Thom. *in citata quæſt.79.art.1.* Nam roborat augetq; charitatem & cæteras animæ virtutes tanquam animæ vires, æſtu quodam concupiſcentiæ imminutas: reſtaurat, ſicut corporalis cibus reſtaurat illud quod actione caloris naturalis deperditum eſt in corpore. Nec refert, quod cætera Sacramenta idem præſtare cenſeantur: nam id principaliter conuenit huic Sacramento, tanquam omnium præſtantiſſimo, atque ipſa continente fontem omnium gratiarum. Vnde Ioan.6. dictum eſt à Domino: Caro mea vere eſt cibus.] Deniq; delectat animam, quia per hoc Sacramentum maxime excitatur in anima deuotio, & charitatis feruor: replendo eam dulcedine diuini ſui ſaporis. Vnde in Eccleſiaſtico officio dicitur panis de cœlo, omne delectamẽtum in ſe habens. Item pinguis panis Chriſti Chriſti delitias præbens Regibus, & adeps frumenti quo ſatiat nos Dominus.

Quod autem aliquando à ſumentibus non ſentitur talis delectatio & ſuauitas, ex eo naſcitur (vt ex Guiliel. Pariſienſi habet Gregor. à Valent. *tom.4. diſput. 6. quæſt.7. puncto 1. col.* 1287.) quod peccatis venialib. male affectum habeant animæ palatum, nec rem tantam ſecum reputent, quantum requiritur ad feruorem charitatis: qui tunc maxime in voluntate fouetur, cum cibus iſte per meditationem pie illi ab intellectu quaſi maſticatur. 141.

Cæterum non tam gratiæ augmentum, ſed quandoque etiam primam gratiam, & peccatorum mortalium remiſſionem Sacramentum iſtud conferre, multorum Theologorum ſententia eſt, quam refert & ſequitur Suarez *diſput. 63. ſect.1.* vbi etiam cõtrariæ ſententiæ rationes ſoluit clare. Vide antedicta *lib.16.cap.6. ſectione priore,* & Greg. à Valen. in citato puncto 1.

Quartum documentum eſt, Sacramentum iſtud facere, vt anima præſeruetur à peccato, perſeueretq; in bono. Cibi enim proprium eſt ſuppeditare robur ad vitam producẽdam, & ad reſiſtendum illi contrariis. Talem autem effectum Euchariſtia producit; ex D.Thoma *3.part. quæſt.79. artic.6.* Namque prout hominem Chriſto coniungit per gratiam, roborat vitam ſpiritalem, tanquam ſpiritalis cibus, & ſpiritalis medicina. Et prout ſignum quoddam eſt paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, roborat animam aduerſus inſurgentes dæmonis tentationes: quandoquidem ex D. Chryſoſt. homil.45. in Ioannem: tanquam Leones flammam ſpirantes ab ipſa ſacra menſa diſcedimus terribiles affecti Diabolo. 139.

Quintum documentum eſt: Hoc Sacramentum (niſi ponatur obex) ſpiritualem effectum gratiæ ex opere operato conferre, in ipſius vera & reali mãducatione: ſeu cum ipſum miſſum in os ad ſtomachum tranſmittitur. Iſtud colligitur ex verbis Domini, Ioan.6. Qui manducat me, viuet propter me.] Et Qui manducat hunc panem viuet in æternum.] Confirmaturque ex eo, quod in omnibus Sacramentis gratia conferatur per ipſorum applicationẽ ad ſubiectum: nempe ad hominem eiuſdem gratiæ capacem: Sufficiẽter autem ſubiecto applicatum hoc Sacramentũ dicitur, quando manducatum eſt ſeu tranſmiſſum ad ſtomachum: etenim datur per modum cibi, qui per huiuſmodi tranſmiſſionem dicitur applicari. 142.

Plura de hac re Suarez, *in eadem diſp.63.ſect.4.* docens in ſequenti 5. & 6. plures ſpecies ſacramentales ſucceſſiue ſum- 140.

ptas,

ptas, conferre vnum tantum & eundem effectum gratiæ, idque in sumptione primæ speciei. Atque id procedere, siue species illæ sint eiusdem rationis, vt plures hostiæ, vel earum particulæ: siue sint diuersæ rationis, vt vna panis & altera vini. Fundamentum est: quia tales sumptiones licet physice sint distinctæ, non sunt tamen considerandæ, vt integræ cõmuniones: sed vt integrantes vnam moraliter communionem per quam vnus datur effectus.

Sextum documentum, *quo præcedens limitatur*, est: Ex parte quidem Sacramenti, existenteque eadem dispositione in suscipiente: per primam partem communionis qua vere & realiter Eucharistia applicatur, produci effectus eiusdem, in illo qui non ponit obicem: attamen si dispositio varietur reddaturque perfectior, fieri posse vt aliqua gratia detur in posteriore sumptione partiali, quæ non est data in priori. Et ita (vt inquit Suarez *sub finem quintæ sect.*) si Sacerdos sumens successiue partes hostiæ, obicem habeat gratię dum priorem partem sumit: illo per cõtritionem sublato, dum sumit partem posteriorem, recipere gratiæ effectum in eadem posteriore sumptione: quem non recepit in priore: nam digne manducans corpus Christi recipit eiusmodi effectum, dicente Domino Ioan. 6. Qui manducat me viuet propter me.] Item si suscipiens in priori sumptione, fuit quidem dispositus, sed remisse, recipiet quidem effectum, sed proportionatum tali dispositioni: siquein secunda sumptione habeat perfectiorem dispositionem, augebitur Sacramenti effectus: quoniam quæ est proportio in hac re hominis dispositi ad seipsum non dispositum, eadem est magis dispositi ad seipsum minus dispositum. De hac re plenius idem Suarez *in eadem seq. 5. & sect. 6.*

Qui in septima disputans vtrum Eucharistia conferat aliquem effectum gratiæ post sumptionem quamdiu Christi præsentia durat manentibus speciebus incorruptis: decernit probabile esse quod si eo tempore quo Christus est realiter præsens intra hominem, is in actuali deuotione crescat, seq; magis ac magis ad gratiæ effectum disponat, in ipso eundem effectum augeri.

141. Septimum documentum est: Hoc Sacramentum liberare à venialibus, & præseruare à mortalibus. Istud patet ex Concil. Tridentio. sess. 13. cap. 2. vbi dicitur: quod Christus voluerit Sacramentum hoc sumi, tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. De qua præseruatione iam constat ex documento 4.

De remissione venialium doctrina est non modo Magistri in 4. sub finem distinctionis 12. & D. Thom. in cit. quæst. 79. art. 4. sed etiam antiquorum Patrum quos commemorat Suarez *in disput. 63. sect. 10. in initio*, & Gregor. à Valent. *disput. 6. quæst. 7. puncto 1. in secundo effectu*: vbi rationem hanc subiungit, quod peccata venialia, post actum peractum, cõsistant in priuatione cuiusdam feruoris charitatis: sicut & mortale peccatum, post actum peractum, consistit in quadam priuatione charitatis. Talis autem feruor restituitur per hoc Sacramentum: ad quod secundum suam institutionem, pertinet restaurare omnem eiusmodi iacturam vitæ spiritualis, iuxta antedicta in documento 3. Quare & per ipsum peccata venialia delentur, condonaturve diuinitus ea Dei offensa quæ incursa est illorum commissione. Ad quod in eadem sect. Suarez ait requiri, vt Sacramentum digne sumatur, & vt sumens non habeat actualem affectum, quo tale peccatum ei placeat. Qui tamen affectus non impediet remissionem aliorum venialium, quæ tunc nullo modo placent: nec enim peccatum veniale, sicut mortale, obex est diuinæ gratiæ conferendæ ex opere operato: ideoque ex tali collatione potest haberi remissio aliquorum venialium manentibus aliis.

142. Octauum documentum est sumptum ex D. Thoma *in sequenti artic. 5.* Eucharistiam, vt sacramentum est, ac vt sumitur, non remittere ex opere operato pœnam peccato debitam, etiamsi vt sacrificium est, seu quatenus offertur, eam remittat offerentibus, atque iis pro quibus offertur: non tamen semper totam, sed iuxta eorum deuotionem. Ad cuius documenti confirmationem facit, quod (vt notat Suarez *d. sput. 63. sect. 10.*) neque Scriptura, neque Concilia, aut Patres meminerint talis effectus: neque is consequens sit ex augmento gratiæ, quod per hoc Sacramentum detur cum reatus pœnæ, non includat, *sicut reatus culpæ*; malitiam moralem impedietem charitatis feruorem ad quem fouendum, tanquam vitæ spiritalis vigorem, hoc Sacramentum institutum est per modum cibi.

Aduerte vero dictum esse non remittere ex opere operato: quia ex opere operantis, actus communicandi vsurpatus debite ab existente in charitate, potest ad remissionem pœnæ peccati prodesse: non tantum ipsi communicanti, sed etiam alteri pro quo eundem actum Deo obtulerit: alioqui enim sine fructu & inepte fieret, quod est in vsu piorum; ac Doctorum etiam virorum: vt nonnunquam pro aliis communicent, vt pro animabus purgatorij: quod eis aliter prodesse non potest, quam ad prædictam pœnæ remissionem. Ratio vero est, quia actus communicandi est actus religionis, qui cum de se bonus sit, potest in charitate factus, vt esse meritorius, sic & satisfactorius coram Deo. Cui oblatus pro alio, potest quoad satisfactionem per modum suffragij prodesse ei, pro quo offertur: atq; tanquam per orationem pro alio factam, potest aliquid per illum obtineri à Deo, per modum impetrationis: perinde ac potest per eleemosynam & ieiunium. Ad quam impetrationem hoc Sacramentum censetur efficaciam habere specialem duplici nomine, *vt in fine eiusdem sect. notat Suarez*; tum quod excitet feruorem charitatis: ex quo proficiscens actus, maiorem habet, *vt ille loquitur*, congruitatem ad impetrationem: tum quod exhibeat realem Christi præsentiam & coniunctionem secum, ratione cuius familiarius, & cum maiore pietatis sensu, & deuotionis affectu: oratio ad illum, & per illum funditur: eaque de causa est magis impetratoria.

CAPVT IX.

De Missæ celebratione.

IN Missæ celebratione pars præcipua est ea in qua ex Christi institutione prolatis sacramentalibus verbis: *Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei*, per conuersionem panis & vini in corpus & sanguinẽ Christi, Eucharistia conficitur, & sacrificatur: ita vt ea non modo sit Sacramentum de quo hactenus: sed etiam sacrificium, de quo multis, tum alij tum Bellarminus in lib. 6. de Eucharistia, Henriquez in 1. parte summæ Theologiæ moralis lib. 9. Gregor. à Valent. tom. 4. disput. 6. quæst. 11. & Suarez abunde tomo 3. in 3. partem D. Thomæ disput. 73. & reliquis sequentib. Cum autem ea excedant instituti nostri limites, contenti erimus nonnulla notare breuiter, quorum ignoratio reprehensibilis est in Sacerdote.

Primo igitur loco nonnulla de Missæ sacrificio notanda proponemus. Deinde ea considerabimus quæ ad ipsam Missæ celebrationem licitam requiruntur ponderando circumstantias tum personæ celebrantis, tum temporis & loci in quo celebrandum est: tum etiam altaris calicis & aliorum id genus tanquam instrumentorum necessariorum ad eandem celebrationem licite perficiẽdam. Postremo de iis quæ ea ipsa celebratio cõtinet vltra Eucharistię consecrationem, dicemus prout sufficere potest ad nostrum institutum.

SVMMARII PARS PRIMA.

143 *Eucharistia & sacramenti, & sacrificij rationem habet.*

144 *Ad quam sacrificij rationem pertinet, quod sit oblatio corporis & sanguinis Christi, expressiua sacrificij ab ipso Christo in cruce facti.*

145 *Nullum aliud sacrificium, quam Missæ, institutum est in lege noua: & quomodo per ipsum vnicum impleantur quæ variis sacrificiis veteris legis præfigurata sunt de eo.*

146 *De actione in qua consistit essentia sacrificij Missæ: & modo quo conditiones sacrificij inueniuntur in consecratione Eucharistiæ.*

147 *Quid videatur tenendum de oblatione quæ in canone adiicitur consecrationi: quidque de Eucharistiæ consumptione.*

148 *Fidelium cœtus qua ratione censeatur sacrificium offerre cum Sacerdote.*
149 *Multiplex vis sacrificij Missæ.*
150 *Ea prouenit ex sacrificio crucis, cuius meritum nobis applicat.*
151 *Bona ad quæ impetranda sacrificium Missæ prodest.*
152 *Finitus est sacrificij Missæ valor.*
153 *Illius diuisio in generalissimum, specialissimum, & specialem: & qui sint cuiusque eorum capaces.*
154 *Meritum sacrificij crucis, per sacrificium Missæ nobis applicari potest, tum ex opere operantis, tum ex opere operato: & quando hoc posteriori modo.*
155 *Missæ sacrificium de se, fructus suos profert ex opere operato.*
156 *Aliter tamen quam sacramenta proferant suos.*
157 *Difficultas an sacrificium Missæ pro pluribus: Minus prosit singulis, quam oblatum tantummodo pro vno.*
158 *Requisita in Sacerdote ad debite & inculpate celebrandum.*
159 *Sacris vestibus ipsum indutum esse oportet.*
160 *De forma talium vestium quænam ea sit: & quando amissa censeri debeat.*
161 *Omissio earum non modo omnium, sed & vnius tantum, peccatum est mortale, à quo defectus deliberationis excusat quidem: non tamen materiæ paruitas, quæ assignari non potest: & de metu mortis.*
162 *Quid sit tenendum de celebratione cum sacris vestibus sordidis, aut enormiter detritis, aut sine calceis, aut operto capite, aut sine honestis vestibus vsualibus.*
163 *Sacerdos celebrans Missam debet saltem vnum habere sibi ministrantem, qui masculus esse debet non fœmella.*
164 *Quæ necessitas possit facere licitam Missæ celebrationem sine ministro.*
165 *Ad quæ teneatur ministrans Sacerdoti celebranti: & quatenus liceat ad tale ministerium adhibere nescientem ab ipso dicenda.*

Nonnulla notanda de Missæ sacrificio secundum se.

Sectio I.

143. PRIMVM est: Eucharistiam non modo Sacramenti rationem habere, sed etiam sacrificij. Ratio est: quia Sacerdos illius consecratione id facit, quod Christus fecit in illius institutione, prout patet ex verbis Lucæ cap. 22. & prioris ad Corinth. cap. 11. relatis: Hoc facite in meam commemorationem. Iam Christus tunc, *ex definitione Concilij Tridentin. sess. 22. cap. 1.* se Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, dedit: & eisdem eorumque in sacerdotio successoribus vt offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, vti semper Catholica Ecclesia intellexit. De qua re Suarez *disput. 74. sect. 2.* late disserit.

144. Secundum est: Ad rationem talis sacrificij pertinere, vt sit oblatio corporis & sanguinis Christi, facta sub speciebus panis & vini. Per oblationem autem intellige externum quendam actum latriæ, quo offertur Deo aliqua sua creatura in recognitionem, quod ipse sit omnium quæ sunt, creator, seu auctor, ac supremus Dominus, adeout nulli alij, quam ipsi, vero Deo, tantum honorem liceat deferre. Ex eo autem quod sit oblatio, non quidem hircorum, aut taurorum vel ouium, aliarumve id genus rerum, *sicut in veteri Testamento*, sed corporis & sanguinis Christi: intellige summam eius dignitatem, & peculiarem Dei Patris in ea complacentiam tanquam factam de re, omnium quæ illi offerri possit pretiosissima & gratissima: corpore scilic. & sanguine dilecti Filij sui in quo sibi complacuit. Pertinet adhuc ad eâdem rationem, vt sit oblatio significatiua, atque expressiua sacrificij quod Christus in cruce fecit corporis & sanguinis sui pretiosissimi: adeout Sacerdos celebrans Missam, non solum offerat corpus & sanguinẽ Christi, sed etiam repræsentet sacrificium à Christo oblatum in cruce: sicq; offerendo, repræsentet: & repræsentando offerat.

Vbi aduerte in ea repræsentatione, sacrificium repræsentans à sacrificio repræsentato non differre quoad rem sacrificatam: ea enim in vtroque est corpus & sanguis Christi: differre autem quoad modum; qui modus in sacrificio crucis fuit vere moriendo: & in sacrificio Missæ, consistit in significatione & repræsentatione taliter facta vt ipsemet, Christus exhibeatur ad repræsentandum seipsum in cruce oblatum in sacrificium: eo modo quo fieret in tragœdia, in qua repræsentaretur alicuius Regis factum, si is ipse Rex, cuius factum repræsentatur: reuera in eadem tragœdia induceretur ad seipsum, qui fecit, repræsentandum. Quod exemplum Cardinalis Toletus habet in instruct. Sacerd. *lib. 2. cap. 4. vers. Tertium verbum.*

Tertium notandum est: Non aliud quam Missæ sacrificium, institutum esse in noua lege, per quod vnum implentur perfecte quę de eo prefigurata sunt diuersis sacrificiis veteris legis. Quod vt intelligatur aduertendum est: talia sacrificia fuisse triplicis generis. Primum fuit holocaustum, in quo totum animal quod Deo offerebatur ob ipsius reuerentiam, igne consumebatur: nulla particula reseruata, ad ostendendum profitendumque ipsum omnium prorsus rerum, creatorem esse ac dominatorem. Secundum genus fuit, hostia placabilis dictum, quod Deo offerebatur in reconciliationem cum ipso offenso, ob aliquod peccatum cõmissum. Illius autem pars aliqua Sacerdoti reseruabatur, & totum reliquum consumebatur igne: ad significandum, quod Deus in salute nostra operanda suis sacris Ministris vtatur. Tertium genus fuit hostia pacifica dictum: quod offerebatur Deo in gratiarum actionem pro beneficio aliquo accepto vel pro aliquo impetrando. Eius vna pars igne consumebatur, altera Sacerdoti dabatur, & tertia remanebat offerentibus. 145

Quæ cum ita sint, perfecta eorum adimpletio per Missæ sacrificium patet: quia idem in eo fit quod Christus fecit in cruce, in qua se obtulit in verum holocaustum: vtpote qui se totum in Dei Patris gloriam exinaniuit crucem ipsam sustinens confusione contempta, ad Hebr. 12.] Se item obtulit in veram hostiam placabilem qua Deo reconciliauit totum genus humanum, iuxta illud ad Coloss. 1. In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris siue quæ in cœlis sunt, &c.] Se denique obtulit in veram hostiam pacificam: quia per oblatum à Christo in cruce sacrificium (vtpote Deo gratissimum ac pretij infiniti) gratiæ actæ, habitæ, relatæque sunt ipsi Deo abundantissime, & beneficia innumera nobis obtenta à diuina sua maiestate: ita vt possimus iuxta Apostolum ad Hebr. 4. ad thronum ipsius cum fiducia adire, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. 147.

Quartum notandum est, multorum iudicio (*quos refert & sequitur Henriquez in prima parte sue summæ lib. 9. cap. 19. initio*) ad essentiam sacrificij Missæ debere tres actiones cõcurrere, consecrationem Eucharistiæ, eiusdem oblationem, eiusdemque consumptionem per Sacardotem celebrantem. Non deesse tamen qui existiment totam eandem essentiam consistere in consecratione, inter quos est Suarez, *disput. 77.* latissime eam difficultatem discutiens. Alios vero esse qui asserant cum consecratione requiri oblationem: inter quos est Azor *tomo primo lib. 10. cap. 19. quæst. 1.* Ac demum alios, qui velint cum consecratione requiri Eucharistiæ consumptionem factam per Sacerdotem sacrificantem. Cuius sententiæ est Bellarm. *in libro primo De Missa, cap. 17.* Merito autem omnes consentiunt quoad consecrationem: quia sacrificium Missæ offertur in persona Christi, Sacerdos autem Missam celebrans, nihil tam perspicue facit in persona Christi, quam consecrationem in qua ait; Hoc est corpus meum: Hic est calix sanguinis mei. 146 148.

Quomodo autem consecratio ipsa rationã habeat sacrificij Bellarm. *loco citat. colum. penult.* explicat, propositione trium, quæ in ea fiunt. Primo enim per consecrationem res prophana, *nimirum panis*, fit sacra: quia conuertitur in

corpus

corpus Christi, rem omnium sacratissimam: nec vero ideo dicas panem sacrificari: cum per consecrationem is non fiat res sacra, sed perieus conuertatur in rem sacram: quæ proprie dicitur sacrificari.

Secundo, res eadem (quod requiritur ad rationem sacrificij) per ipsam consecrationem offertur Deo: quia vi illius fit, vt corpus Christi incipiat mediante manu Sacerdotis esse reipsa super altare tanquam oblatum Deo: ita vt Sacerdos non immerito prolatione verborum consecrationis censeatur de facto offerre: etiamsi talia verba non exprimant.

Tertio, eadem res sacra (quod adhuc requiritur ad rationem sacrificij) per consecrationem ordinatur ad realem & externam mutationem. Per illam enim corpus Christi accipit formam cibi, qui ad comestionem ordinatur, & hæc ad mutationem & destructionem: cuius capax Christi corpus non est quidem secundum suum esse naturale, iuxta illud: Christus resurgens ex mortuis iam nõ moritur, ad Rom. 6.] est tamen secundum esse Sacramentale: qp admittit ex corruptione specierum sacramentalium, sequente ex Eucharistiæ manducatione.

147. Quod vero attinet ad oblationem vocalem quæ peracta consecratione fit in oratione [Vnde & memores nos serui tui, &c.] eam non esse de essentia sacrificij Missæ, bene probat Bellarm. *ibidem propositione* 5. tum ex eo quod Dominus noster non inueniatur eam adhibuisse; tum ex eo, quod memoratæ orationis verba, quibus fit talis oblatio, non dicantur in persona Christi; sed in persona ministri & Ecclesiæ, seu cœtus fidelium. Sacrificium autem istud offertur in persona Christi qui in illo est principalis offerẽs: vt satis patet ex Cõcil. Trident. sess. 22. cap. 1. *de quo Suarez disput. 77. sect. 1.* Quocirca prædicta oblatio vocalis vt addit Bellarm. tantum est testificatio, quod tota Ecclesia consentiat in proxime factam oblationem.

Quod demum attinet ad consumptionem Eucharistiæ faciendam à celebrante Missam, etsi Theologorum scholasticorum discussioni adhuc relinquatur: An ea sit sacrificij Missæ pars essentialis, necne: tamen quod nullo modo sit omittenda tanquam spectans ad eiusdem sacrificij integritatem, habetur aperte: tum ex eo quod in cap. Relatum, De consecr. dist. 2. talis consumptio omitti, seuere prohibeatur: & in seq. cap. Comperimus, id tanquam grande sacrilegium damnetur. Tum ex eo quod cum tanta obseruetur coniunctio eiusmodi consumptionis cum consecratione: vt si post hanc contingat Sacerdotem celebrantem nõ posse hostiam consecratam sumere, substitui debeat alius Sacerdos ieiunus, *vel etiam non ieiunus in casu præced. num.* 122. qui sumat cõsumatve. Vnde intelligitur cõmunem Ecclesiæ sensum esse, debere omnino eandem sumptionem consecrationi adiungi per Sacerdotem. Tum demum ex eo quod, cum Christi corpus per consecrationem accipiat modum cibi, ipsum ordinetur ad manducationem, prout ante dictum est. Vnde porro intelligitur in Missę sacrificio consecrationem exigere vt ei adiungatur rei consecratæ sumptio in refectionem saltem consecrantis. Vbi aduerte obiter ex vsu quotidiano constare, sumptionẽ Eucharistiæ per alium quam per celebrantem, aut per Sacerdotem, defectum illius in casu necessitatis supplentem: neque ad essentiam neque ad integritatem sacrificij Missæ pertinere. Quot enim Missæ quotidie celebrantur, in quibus solus celebrans sacram communionem sumit?

148. Quintum: Notandum est, Missæ sacrificium offerre ad Sacerdotes rite ordinatos attinere ex Christi institutione, haberi quidem ex definitione Concilij Trid. sess. 22. cap. 1. id tamen non obstare quin Ecclesia quoque, cœtusve fidelium simul offerre censeatur. *De quo Suarez disp. 77. sect. 3.* Patet vero ex verbis illis canonis Missæ. Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ sed & cunctæ familiæ tuæ, &c.] & ex aliis verbis sequentib. Vnde & memores nos Domine serui tui, sed & plebs tua sancta, &c.] Tam hæc enim quam illa satis indicant talem oblationem vt à sacerdote, sic à populo fieri diuinæ maiestati. Et ratio est, quia cum sit cultus publicus, communis est totius populi; qui constituens vnum corpus Sacerdotem offerentem continens tanquam vnum ex membris suis, dicitur Missæ sacrificium offerre, eo quod id faciat per vnum suum membrum tanquam instrumentum coniunctum, ad idipsum deputatum: perinde ac corpus dicitur facere id quod manus facit. Circa quod bene notat Bellarmin. *in lib. 2. De Missa, sub initium cap. 4.* totam quidem Ecclesiam offerre omnia Missæ sacrificia, quæ à quibuslibet sacerdotibus offeruntur: sed non eodem modo: quoniam in ea aliqui offerũt solummodo habitualiter: nimirum ij qui absunt, neque de sacrificio cogitant; habitualiter tamen cupiunt offerri. Aliqui vero actu offerunt, nempe ij qui Missæ intersunt & actuali desiderio cupiunt offerri. Aliqui præterea qui etiam causaliter offerunt; quia causa sunt, procurantve seu hortando seu iubendo sacrificium ipsum fieri. Sacerdos denique offert tanquam is cuius ministerio Christus principalis offerens, vtitur offerendo.

Notanda de vi & effectibus sacrificij Missæ.

Sectio II.

149. PRimum est, Missæ sacrificium commemoratiuum esse Dominicæ Passionis, iuxta illud prioris ad Corint. cap. 11. Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortẽ Domini annunciabitis donec veniat. Esse item sacrificium actionis gratiarum: quia est insigne obsequium quod rependitur Deo pro beneficiis ab ipso receptis. Itemq; esse sacrificium laudis: quia declarat summam esse Dei excellentiam, cui tale tantumq; obsequium debite cõuenienterq; defertur. Præterea sacrificium esse propitiatorium: quia sic placet Deo, vt ipsum moueat nobis reconciliari, propitiumque esse, ac beneuolum fieri ad peccata nostra remittenda. Pro quo facit illud ad Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominib. assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.] Inde enim intelligitur Missæ sacrificium, ad quod offerendum Sacerdotes Euangelici assumuntur, valere ad remissionem peccatorum: *quod & patet ex definitione Concil. Trident. sess. 22. can. 3.* Esse porro sacrificium satisfactorium: quia applicat nobis pœnas per quas Christus in vita & passione sua toleratas, satisfecit pro pœnis à nobis debitis. Illis enim pro nobis toleratis sic placatus est Deus, vt earum gratia nobis reconliari & in satisfactionem pro nobis indignis eas admittere dignetur; liberos nos relinquens à debito pœnæ. Esse deniq; imperatorium: quia nobis non tantum remissionem peccatorum, sed etiam multa alia beneficia impetrat; Christo membrorum ministrorumque suorum orationibus vim & efficaciam conferente, dum pro ipsis, *ex cap. 8. ad Roman.* apud Patrem interpellat: nimirum orans ipso facto, eidem Patri præsentando vulnerum suorum cicatrices, & totius passionis suę memoriam.

150. Secundum notandum, pro præcedẽtis maiore intelligentia est, sacrificium Missæ efficaciam suam habere à crucis sacrificio, quod causa est sufficientissima omnium gratiarum, quæ quacumque ratione hominibus conferuntur: iuxta iuxta illud quod ad Hebr. 10. Christus dicitur vna oblatione consummasse in sempiternum sanctificatos.] Nimirum eo quod per crucis sacrificium, sanctificationis nostræ quasi pretium (*vt D. Thomas 3. part. quæst. 48. art. 4. loquitur*) sic persoluerit, vt non tantum remissionem peccatorum, tam quoad pœnam, quam quoad culpam: sed etiam ornamenta gratiæ & iustitiæ, ac beatitudinem ipsam nobis acquisuerit. Idque in sempiternum seu pro omni ætate. Virtute enim tam digni sacrificij sic placata est indignatio diuina aduersus genus humanum (quod significat D. Paulus ad Colos. 2. inquiens, Christum deleuisse quod erat aduersum nos chyrographum decreti, ac tulisse, illudque cruci affixisse) adeo vt non sit amplius opus Christum mori in pretium nostræ redemptionis à seruitute diaboli (qui quos vincit per peccatum, seruos habet: à quo enim quis superatus est, huius & seruus est, 2. Petri 2.) meruerit; Christus, vt Deus quantum ex se est, velit omnibus hominibus & reconciliari, & præbere auxilia ipsis necessaria: tum ad redeundum in ipsius gratiam, tum ad euadendam pœnam peccatis debitam: tum ad consequendam subuentionem in necessitatibus tam viuorum quam defunctorum, iuxta definitionem Concilij Trident. sess. 22. cap. 2. Tanta autem efficia illius sacrificij deriuatur ad nos, per sacrificium Missæ ex eodem

cap.2. & præcedenti primo: vt & per debitam sacramentorum perceptionem & mandatorum obseruationem. Rationem vero qua id fit, sequentia notanda indicabunt.

151. Tertium igitur est; Missæ sacrificium à Christo sic institutum esse in finem cultus diuini, vt misericorditer voluerit nobis esse causam consecutionis omnium bonorum & depulsionis omnium malorum. Vnde conueniunt Doctores, peccatoribus prodesse ad impetrationem primæ gratiæ, ac peccati quantumuis ingentis remissionem. Hocque est, quod in Concilio Triden. sess.22.cap.2. dicitur, quod illius oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedenti, crimina & peccata etiam ingentia dimittat. Qua de re pluribus Suarez disp.79.sect.3. Iustus autem prodesse impetrando tum gratiæ conseruationem, atque adeo ne tentationes veniant, aut venientes vincantur, nec eis succumbatur: tum etiam ad bonos motus charitatis aliarumque virtutum: ex quarum debito vsu, gratia ipsa ex opere operantis in illis augeatur: tum demum ad remissionem peccatorum venialium. *De quibus Suarez consequenter sect.4. & 5.* Patent autem, quia si sacrificium Missæ habeat vim impetrandi primam gratiam peccatorib. minus dispositis, cur non habebit impetrandi iustis gratię augmentum magis dispositis. Deinde cum vim habeat impetrandi remissionem mortalium, habebit à fortiori & impetrandi remissionem venialium. Habere quoque vim impetrandi tam viuis quam defunctis iustis, nondum beatis relaxationem pœnarum peccatis debitarum, expressum est in fine cit.cap.2.à Concil. Trident.

Prodesse item non modo ad spiritalia sed etiam ad temporalia bona impetranda, docent Suarez *in eadem disput.79. sect.7.* Henriquez *lib.9.cap.13.§.3.* ac Gregor.à Valen. *tom.4. disput.6.quæst.1. puncto 1.§.23.* Id quod satis patet ex perpetuo Ecclesiæ vsu quo ipsum offertur pro terræ frugibus: pro infirmis: &, vt in canone Missæ exprimitur, *pro spe salutis & incolumitatis.* Nec obstat ratio sacrificij: quia in veteri Testamento fuerunt vera sacrificia, quę offerebantur pro temporalibus, quibus Iudæi inhiabant. Nec item obstat peculiaris dignitas istius sacrificij: quia illius oblatione, tales res à Deo petuntur sub implicita conditione si expediat nostræ saluti ad ipsius gloriam: qui finis non est indignus tali medio.

152. Quartum notandum, est valorem sacrificij Missæ finitum esse. In quo Theologos conuenire notat Bellarm. *lib.2. De Missa cap.4.propos.4.* illudq; confirmat ex vsu Ecclesię: quo plures Missæ ad eandem rem impetrandam celebrantur: id quod frustra fieret si vna sola infiniti valoris esset: quandoquidem ea sufficeret ad omnia quæ petuntur, impetranda. Et certe, non alia de causa sacrificium crucis vnum tantum est, nec vnquam repetitur, quam quia ipsum fuit vnum infinitum valoris.

Quo modo autem Missæ quoque sacrificium non sit infiniti valoris: cum idem sit cum eo ipso sacrificio crucis quoad rem oblatam valoris infiniti, & quoad offerentem, puta Christium, etiamsi modus offerendi sit diuersus: idem Bellarmin. adfert ibidem tres causas. Placet autem potissimum, quod talis fuerit Christi voluntas: vt quantumcumque ipse potuerit per vnam oblationem sacrificij incruenti, siue per se solum, siue per ministrum factam; quælibet, & pro quibuslibet à Deo impetrare; noluerit tamen petere nec impetrare, nisi vt pro singulis oblationibus applicetur certa mensura passionis suæ; siue ad peccatorum remissionem; siue ad alia beneficia, quibus in hac vita indigemus. Cuius voluntatis sufficiens argumentum nobis est memoratus vsus Ecclesiæ, quæ Spiritus sancti magisterio regitur. Cur autem Christus ita voluerit, non est nostrum curiosius inquirere: vt nec cur assidue interpellet pro nobis, cum potuerit vnica interpellatione à Patre omnia obtinere.

153. Quintum notandum, est memoratum valorem distingui posse (perinde ac valor bonorum operum solet) in generalissimum, specialissimum & specialem. Generalissimus autem dicitur, quatenus applicatur Christianis: pro quibus tam defunctis quam viuis offerri, patet ex oratione quæ in Missa proxime sequitur offertorium, his verbis: Sed & pro omnibus fidelibus Christianis viuis atque defunctis, &c. Nec quemquam ex eo numero excludere potest Sacerdos offerens. Intellige autem applicari, nisi obex interuenerit, qualis est in viuis maioris excommunicationis. Nam in cap. Sacris De senten. excommunic. istud sacrosanctum sacrificium pro excommunicatis offerri prohibetur. Est etiam impœnitentia peccatoris, cum qua non potest reconciliari: cum Dominus dicat Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis, peribitis. Quamquam per modum interpretationis & orationis: ex Missæ celebratione facta pro peccatoribus tanquam minime exclusis à communione Sanctorum, *de qua in Symbolo Apostolorum,* possunt accedere illis diuina auxilia per quæ conseruentur in fide & spe: & iuuentur ad suam conuersionem: ac etiam ad vitanda noua peccata superatione tentationum, & obseruatione præceptorum. Ex mensa enim parat aduersus eos qui tribulant nos, Psalm.22. fideles consequuntur, vt diabolus impediatur eos nimium tentare.

In vita functis vero obex est; tum æterna miseria, quia in inferno nulla est redemptio. Imo Deus armat orbem terrarum contra insensatos, Sapien.5. Tum etiam æterna beatitudo, in qua nulla est indigentia: cum sit status omnium bonorum aggregatione cumulatus. Non obesse autem detentis in purgatorio quod vita functi sint: patet ex eo quod Concilium Triden. sess.22. cap.2. in fine habet, istud sacrificium pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite, iuxta Apostolorum traditionem, offerri. Et ratio est, quia licet non sint in statu satisfaciendi per se, sed satispatiendi: tamen quia pertinet ad hucad Ecclesiam militantem (vtpote qui nondum triumphant) participes sunt communionis Sanctorum: ratione cuius, *cum sint in Dei gratia,* frui possunt satisfactionibus Christi & aliorum fidelium: atque adeo fructu Missæ prouenientę ex merito Christi, redemptoris tam ipsorum quam viuorum. Videri potest Suarez *disp.79.sect.10.* Specialissimus vero sacrificij Missæ valor dicitur, quatenus Sacerdoti celebranti conuenit & applicatur specialius, quam cæteris: tanquam ei qui ex officio est per se proximus minister, in cuius actione, *puta consecratione,* consistit substantia propositi sacrificij: ex quo proinde, sicut & ex aliis suis actionibus, ipse peculiariter debet fructum percipere. Specialis valor demum dicitur is qui debetur illis pro quibus Sacerdos specialiter offert: vt solet pro illis à quibus stipendium sustentationis accipit, & nonnunquam ex mera amicitia: itemque pro illis qui assistunt ipsi sacrificio, vt indicat specialis mentio quam celebrans facit ipsorum in canone illis verbis: Et omnium circumstantium, quorum tibi cognita est fides, & nota deuotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt, &c.] Vbi aduerte obiter, tales dici offerre ob eorum cooperationem, qua siue hortando, siue rogando, siue iubendo curant sacrificium ipsum offerri, aut ei assistentes, in illud consentiunt: voluntate & desiderio offerentes, Sacerdotes ipso offerente. Quod quidem in moralibus sufficit ad denominationem: sic enim is qui curat vt aliquis occidatur, vel iuuat occidentem, vel ei assistit tanquam particeps facinoris, denominatur occidere, etiamsi occisionem non exequatur.

154. Sextum notandum est, duos modos solere assignari quibus Dominicæ passionis nobis meritum applicari potest: vnus est ex opere operato; seu quod idem est, ex sola institutione diuina, independenter à bonitate operantis, ita vt ipsum applicatum, nec sit maius ex eadem bonitate, nec minus ex contraria iniquitate. Alter vero est ex opere operantis: seu quo applicatio pendet ex bonitate & deuotione eius qui operatur: ita vt parum aut multum aut nihil applicetur, prout magna aut parua, aut nulla operantis bonitas & deuotio fuerit. Atque quoad eorundem meritorum applicationem per sacrificium Missæ: ea ex opere operantis esse, censeri potest eo nomine, quod ipsum sit particularis actio offerentis; qua de condigno mereri, satisfacere, & impetrare valeat, si ipse sit in Dei gratia & seruatis circumstantiis debitis offerat. Sicut enim Sacerdos iustus per alia bona sua opera potest mereri, satisfacere, & impetrare: potest id etiam consequi per sacrificium Missæ, quod est actio, ex obiecto longe melior & dignior aliis. Quanquam tamen ipsum, vt nec alia sua bona opera, potest aliis cõmunicare quo ad effectũ meriti de condigno: potest vero quoad effectum

satisfa-

satisfactionis & impetrationis. Ratio differentiæ est, quod gloria quam meritū respicit, reddatur cuiq; secundum sua propria opera, & ob Sanctorum communionem vnius iusti pœnam Deus acceptet in satisfactionem alterius: & moueatur ad miserendum vni ob alterius pium factū, sicut Matth. 9. Paralyticum Christus sanauit videns fidem eorum à quibus portabatur.

155. De se autem Missæ sacrificium proferre fructus effectusque suos ex opere operato, patet ex eo quod Concil. Triden. sess. 22. cap. 2. habet: ipsum esse mundam oblationem, quæ nulla in dignitate, aut malitia offerentium inquinari potest. Quod certè aliter esset, si ita penderet ab operante vt ex eius malitia inefficax redderetur. Patet item ex eo quod adhuc idem Concilium habet ibidem, Christum instituisse hoc sacrificium, vt virtus crucis applicaretur in remissionem peccatorum, quæ à nobis quotidie committuntur. Vnde intelligitur ex vi diuinæ institutionis non autem ex meritis ministri, sacrificium Missæ nobis conferre fructum passionis Christi: atq; adeo conferre ex opere operato, infallibiliterq; perinde ac Sacramenta: dummodo non ponamus obicem, negligendo auxilium gratiæ quod Deus intuitu sacrificij nobis offert sufficiens ad nostram conuersionem & liberationem à peccato; nolentes vocationem eius sequi.

Nec obstat, quod bona temporalia ad quæ obtinenda à Deo, sacrificium Missæ offertur, non obtineantur semper: aut saltem, non statim. Etenim vt per alias orationes, sic & per Missæ sacrificium bona temporalia petuntur sub implicita conditione, si saluti conducant: quæ conditio non adest semper. Præterea fieri potest, vt Deus petioni statim annuat quidem, certis tamen solummodo temporibus à se constitutis, petita largiatur. De quibus plura Bellarm. lib. 2. De Missa cap. 4. Henriquez lib. 9. c. 13. Azor in 1. par. lib. 10. cap. 21. qu. 4. Greg. à Valen. tomo 4. disp. 6. quæst. 11. puncto 1. §. 19. & Suarez disp. 79. sect. 1. & 2.

156. Sed nobis sufficere potest notasse, sacrificium Missæ alio modo habere vim ex opere operato, quam Sacramenta: quia non est instrumentum efficiens & immediate producens gratiam, sicuti Sacramenta quæ illam immediatè efficiunt in anima independenter à bonitate ministri, ex sola institutione diuina: sed tantum est instrumentum (independenter item à bonitate ministri) mouens Deum ad producendum infallibiliter effectus qui eidem sacrificio competunt ex diuina sua institutione, & quasi pacto: ita vt non iustificet immediate sicut baptismus, *exempli gratia*, sed tantum impetrãdo vt Deus placatus, peccatori donum pœnitentiæ concedat, cuius interuentu iustificetur. Quod Concilium Triden. sess. 22. cap. 2. expressit his verbis: Huius oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.] Accedit quod, *vt ibidem additur*, vna eademq; sit hostia, idem tunc Sacerdotum ministerio offerens, qui seipsum per se in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa: In hoc scilicet, quod in cruce obtulerit se per se cum sanguinis effusione: & in Missa per ministerium Sacerdotis se offerat sine tali effusione. Vnde intelligitur, idem de sacrificio Missæ dicendum esse, quod de sacrificio crucis dicitur; nimirum non iustificasse mundum, efficiendo immediatè in hominib. gratiam, sed tantum meritoriè placasse Deum, impetrando ab eo vt homines ad salutem perducerentur per debita media.

157. Tertium notandum, est difficultatem esse ad praxim spectantem, An sacrificium Missæ pro pluribus oblatum, minus prosit singulis, quam oblatum pro vno. Cui satisfieri potest tribus propositionibus, *quas Suarez in citata disp. 79. sect. 12. læ per sequitur*. Prima est, Quando plures offerentes concurrunt cum Sacerdote ad idem numero Missæ sacrificium: quatenus tales integrum nec minorem suæ oblationis fructum vnumquemque percipere, quam si absq; alijs offerret. Ratio est: quia oblatio sacrificij ex concursu plurium offerentium, non fit minus grata & acceptabilis Deo: quandoquidem is ipse concursus, est partium ordinatarum vnius oblationis totalis pro ipsius diuina gloria. Quare ex illo non minuitur ipsius oblationis fructus. Deinde si minueretur fatendum esset minorem fructum percipi ex auditione Missæ, cum multi simul audiunt, quam cum pauci: quod à communi omnium existimatione alienum est.

Secunda propositio est: Valorem sacrificij Missæ, quem Sacerdos prout est publicus Christi minister, potest cui velit applicare, eo minorem esse in singulis, quo pluribus applicatus fuerit: siue applicatio fiat diuersis intentionibus particularibus: siue vna communi pro toto populo seu communitatis. Hanc sicut Suarez *dicto* 2. tenent Henriquez *lib.* 10. *cap.* 19. § 5. *in principio, plures citans in margine lit. D.* Gregorius à Valent. *in fine ante memorati puncti primi.* Azor *in* 1. *par. summæ libr.* 10. *cap.* 21. *quæstio.* 1. ac Toletus *libro* 2. *instruct. Sacerd. capit.* 6. Et *est* contra eos qui post Caietan. 3. part. quæst. 79. art. 5. concedunt quidem finitum esse fructum sacrificij Missæ, non tantum vt ei respondet, quatenus à Sacerdote & ab alijs offerentibus tanquam priuatis: verumetiam vt respondet eidem, quatenus est à Sacerdote tanquam ministro Christi, ac gerente pro populo personam publicam apud Deum ad instar legati & mediatoris. Nihilominus tamen volunt eum fructum quem Sacerdos applicat, quibus vult, non minui applicatione: sed multiplicari in omnibus quibus applicatur: sicut ignis habens tantum vim producendi calorem finitum, *vt octo graduum*, si æqualiter multis subiectis applicetur, producet in singulis calorem illius quantitatis. Vnde sequitur, quotquot sint pro quibus Missa offertur; vnius fructum non minui ex societate aliorum, qui sunt pariter offerentes.

Ad eorum refutationem vero & allatæ propositionis cõfirmationem facit vsus Ecclesiæ interpres optimæ institutionis Christi. Is enim est, vt nonnunquam ex intentione Sacerdotis, Missa applicanda vni, tota illi applicetur: vt fieri solet quando Sacerdos ea tota intentione celebrat pro anima Petri. Tunc enim facit applicationem talem vt ex eo totus fructus sacrificij Missæ quem applicare potest, derivetur ad animam Petri, excludanturque aliæ animæ, quibus nihil relinquitur participandum. Quod quidem perperam fieret, si is fructus secundum se totum multiplicabilis esset in plures: quoniam eo posito, nulla datur ratio sic applicandi vni, vt cæteri excludantur: cum sine illius præiudicio possit istis quoq; fieri applicatio. Deinde sicut eidem personæ non potest fieri duplex totalis applicatio fructus vnius eiusdemque sacrificij, sed requiritur duplex sacrificium, vt patet ex Ecclesiæ vsu procurandi plures Missas pro eodem defuncto: ita nec potest idem effectus vnius sacrificij Missæ, totaliter applicari diuersis personis. Confirmatur: quia si hoc ita esset, Sacerdos qui plura stipendia integra accepit à pluribus, posset celebratione vnius Missæ satisfacere: quod vsui Ecclesiæ aduersatur & rationi. Vide tradita in præcedenti libr. 23. num. 233. & 234.

Tertia propositio est: Sacrificium Missæ oblatum pro multis, eandem impetrandi vim habere in singulis, quam haberet, pro vno tantum oblatum: quia cum sit secundum se infiniti valoris, & infinite Deo gratum, quantocunq; in valore & multitudine sint beneficia quæ petuntur, superantur à valore eiusdem sacrificij, ob rei in eo oblatæ & offerentis infinitam dignitatem: adeo vt oblatum pro multis merito censeatur eandem vim impetrandi habere, quam haberet pro vno tantum oblatum. Eandem vim item habere impetrandi maximum ac exiguum beneficium.

De Missæ celebratione quoad circunstantias personæ celebrantis.

Sectio III.

158. NOmine circunstantiarum personæ celebrantis significantur requisita in illa, ad debite & inculpate celebrandum. Primum autem requiritur ex Christi institutione (de qua Concilium Triden. sess. 22. cap. 1.) vt sit Sacerdos: alias enim sacrilegium grauissimum committeret celebrando: neque impedimentum habeat censuræ Ecclesiasticæ, aut irregularitatis: quas violare in re tantæ dignitatis, dubium non est peccatum esse mortale. Deinde requiritur, vt habeat tam animæ quam corporis dispositiones requisitas ad salutarem Eucharistiæ sumptionem, quæ sine graui scelere omitti nequit in Missæ celebratione. De quibus dispositionibus ante dictum est in cap. 7. Præterea requiritur vt reci-

tarit horas matutinas: quod iam tractatum est à nobis in præcedenti tom. lib. 18. nu. 167.

159. Amplius requiritur vt indutus sit sacris vestibus: quæ sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, stola seu orariũ, & planeta seu casula: habentes bonas significationes sacras. Tum in ordine ad mores: quarum præcipuæ censentur indicatæ in illis orationibus, quas Ecclesia instituit à Sacerdote dicendas quando eas induit: vt habet Suarez *disp.* 82. *sect.* 2. *dicto* 2. qui videri potest. Tum in ordine ad passionem Domini, prout tradidimus, *licet paucis*, in præced. lib. 19. nu. 33. Notandum est autem talium vestium materiam, esse quidem determinatam quoad amictum & albam: nempe lineam esse debere: quia id colligitur ex patribus: non item quoad reliquas, quia nihil certi determinatum inuenitur apud veteres, prout notat Suarez *loco citato colum.* 5. adeo vt possint esse vel lineæ, vel laneæ, vel ex quacunq; alia materia, sic apta ad corpus humanum tegendum, vt vestimenti rationem habeat. Nec multum refert cuius ea sit coloris: quoniam etsi in Missali pro certis temporibus, certi colores talium vestium ordinentur: ea tamen ordinatio censeri potest non esse præceptum propriè: sed solum regulam directiuam. Pro quo facit difficultas habendi ab omnib. tantam vestium varietatem quanta ordinatur.

160. Quod vero pertinet ad formam earundem vestium: cum vna artificialis sit, consistens in earũ figura: & altera moralis seu sacra, consistens in benedictione Episcopi aut alterius Sacerdotis habentis priuilegium: ac artificialis, qualis determinate esse debeat, iudicandum est ex recepta circa eam Ecclesiæ consuetudine: ac quando variatione aut destructione cesset, ex cessatione aptitudinis ad vsum induendi & significandi, in quem instituitur. Consistens vero in benedictione qualiter perficiatur, est discendum ex Pontificali Romano. Quæquidem tunc desinit, *argumento cap. Quod in dubijs, De cõsecrat. Ecclesiæ*, cum vestimenta ipsa benedicta sic dissoluuntur, vt figuram prædictã amittant: vel vt sint inepta ad vsum sacrum, ad quem instituuntur.

Vnde inferre licet ea, quæ Suarez in sequenti columna sexta habet ex Paludano & Sylvestro. Est primo, si manica albæ ab ea separetur omnino, benedictionem illius amitti, ita vt denuo benedicenda sit, si iterum ea ipsa manica illi assuatur. Secundo, si priusquam figura vestis destruatur, ad eam reficiendam assuantur paulatim aliqua, etiamsi non sint benedicta, manere benedictionem: quia eadem nihilominus vestis benedicta manet. Nec enim accessorium tollit principale, sed illud sequitur: nisi tanta huic accessio fieret vt posset pene nouum censeri. Tertio, cingulum, si rumpatur omnino, neutraq; pars eius per se sufficiat ad cingẽdum, amittere benedictionem amissa aptitudine ad vsum proprium. Nõ amittere autem quoad partem quæ post fractionem adhuc fuerit apta ad cingendum: nec item totum ipsum cingulum, si antequam frangatur, remedium adhibeatur connexione fortiori partium, etiamsi per nodum. Quarto, stolam posse locum cinguli tenere: cum & ipsa sit benedicta, & apta ad vsum cingendi. Posse item tenere locum manipuli, vt aptam quoq; ad eius vsum: ac vicissim manipulum tenere locum stolæ, quando fuerit longitudinis sufficientis ad eius vsum. Postremo istiusmodi vestes si duplæ sint, & cõpositæ ex vna interiore, & altera exteriore, per earum separationem ab inuicem non amitti benedictionem: sed alteram ab altera separatam, manere benedictam: quoniam vtraque per se, est integra casula, stola, &c. quandoquidem cum materia sufficienti formam habet integram. Nec obstat vnitas benedictionis: quoniam non repugnat eam sufficere multis simul propositis.

161. Cæterum ex communi Doctorum consensu (*quemadmodum initio sequentis sectionis tertiæ Suarez habet nonnullis citatis*) peccatum est mortale in celebratione Missæ vel vnũ tantum ex sex antememoratis vestimentis sacris omittere. Cuius cõsensus præcipuum fundamentum est vniuersalis consuetudo Ecclesiæ, talem ritum obseruantis, tanquam necessarium ac pertinentem maximopere ad reuerentiam debitam sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. Quodq; Scotus & Richardus cingulum excipi voluerunt Nauar. *in Enchir. cap.* 25. *nu.* 84. ex eo reijcit, quod in Pontificali Romano perinde benedictio assignetur pro cingulo ac pro quinq; reliquis.

A quo peccato si omissio sit omnium illorum vestimentorum (ita vt celebretur cum solis vestibus communibus & vsualibus) metum, *etiam mortis*, non excusare Suarez *ibid. col.* 2. probat: quoniam ea non potest fieri absq; scandalo proximi & periculo magnæ irreuerentiæ Dei.

Sin omissio tantum sit vnius ex minoribus, vt cinguli aut manipuli: sicut potest abesse prædictum periculum, ita & excusationem à mortali adesse non repugnat. Eadem quoque excusatio potest esse ex defectu plenæ deliberationis seu inconsideratione; nisi proueniat ex negligentia lata quæ ignorantiam reddit crassam & inexcusabilem: vt in se, sic & in suo effectu. Ex paruitate materiæ autem non videtur posse esse: cum nec videatur minor in hac re materia assignari posse, quam vnum cingulum, aut vnus manipulus: quorum omissionem sicut cuiusque cæterorum vestimentorum Doctores sentiunt (vt attigimus) peccatum esse mortale: nec dici potest paruitatem eam contingere, cum vestimentum ipsum nondum est benedictum: quia cum tali celebrare, perinde mortale est, atque omisso eodem vestimenti genere, celebrare: quoniam ex Ecclesiæ institutione necessarium est eius generis vestimenta cõsecrata esse: prout in cap. Vestimenta, De consecr. dist. 1. dicitur his verbis: Vestimenta Ecclesiæ: quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta. 165.

Nec item dici potest eandem contingere, cum etsi omnia talia vestimenta sint sacrata, tamen sint valde immunda, aut valde detrita: quoniam talibus vti in celebratione, non est sine omnibus sacris vestibus celebrare: ac proinde nec transgredi propositum præceptum nec peccare vel venialiter. Culpa autem quæ in eo contingit committitur contra præceptum naturale, de sancte & reuerenter tractandis rebus sacris: à qua excusari potest Sacerdos ad quem non pertinet talium vestimentorum custodia, vtens vestibus quibus potest, quasue in Ecclesia inuenit, non habendo copiam aliarum. Nisi forte eæ sint enormiter immundæ, quia tunc censeri posset irreuerentia saltem venialis. 162.

De vestibus vsualibus, quibus indutus esse debet Sacerdos accedens ad sacras superinduendas, Suarez *in eadem sectione* 3. prædictis addit. Primo de consuetudine Ecclesiæ Sacerdotem non debere, nisi calceatum ad altare accedere: idq; tantum ob maiorem honestatem & decentiam; non autem ob aliquam cæremoniam, significationemve sacram. Secundo prohibitum esse Sacerdotem celebrare cooperto capite, cap. Nullus Episcopus, De consecrat, dist. 1. his verbis, Nullus Episcopus aut Presbyter seu Diaconus ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire, aut velato capite altari Dei assistere.] Excusationem autẽ à peccato esse posse ex dispensatione Superioris: aut etiam absq; ea, si non possit facile postulari, & grauis infirmitas, aut necessitas vrgeret sic celebrare: maxime quando talis necessitas, celebrandiq; modus, non continue, sed tantum semel aut iterũ contingit. Pro eo vero facit verbum præsumẽdi, vsurpatum in citato cap. importans temeritatem in cõtraueniendo prohibitioni. Admonet merito idem Suarez tunc ad scandalum vitandum debere curæ esse vt in secreto celebretur. Postremo addit de cæteris indumentis, obseruandum esse id quod habetur ex Missali: nempe vt Sacerdos ad celebrandum accedat honeste vestitus, ita vt superior vestis quantum fieri possit ad talos pertingat. 163.

Vltimo requiritur in Sacerdote celebrante, vt saltem vnũ habeat sibi ministrantem: quod satis patet ex vniuersali Ecclesiæ consuetudine, vsu recepta ad modum præcepti: quod tanquam positum in re graui, obliget ad mortale. Pluribus quidem istud tractat Suarez disput. 87. sed ad nostrum institutum sufficere potest attigisse responsionem ad aliquot dubia quæ idem habet.

Primvm dvbivm: An oporteat talem ministrantem esse masculum. Ad quod respondetur affirmatiuè, iuxta illud in cap. 1. §. finali, De cohabit. Cleric. & mulierum. Prohibendum quoq; est, vt nulla fœmina præsumat ad altare accedere, aut Presbytero ministrare.] Accedit quod de se indecens sit fœminam tale ministerium exhibere: atq; adeo periculosum, ob occasionem immundiciei, alienissimæ ab operatione mysterij sacrosanctæ Eucharistiæ.

Secvndvm dvbivm est: An aliqua necessitas possit fa- 164.

cere

cere liciram Missæ celebrationem sine ministro. Ad quod respondetur: si necessitas sit ordinaria & continua: vt cum Sacerdotes heremita solus omnino & sine socio statuens viuere, ad satisfaciendum præcepto de audienda Missa, vellet diebus festis celebrare solus ijsdem diebus: tunc opus esse Papæ dispensatione, præsertim cum necessitas eiusmodi sit ex voluntate propria: ideoq; non habeat de se vim excusandi ab obseruatione communis consuetudinis Ecclesiæ: cui repugnantem viuendi modum nõ debuit instituere propria tantum voluntate. Sin autem necessitas sit extraordinaria raro contingens, & notabilis: qualis est diei festi magnæ solemnitatis aut dandi moribundo viaticum aut quid simile, videri potest locum esse excusationi in hac re, sicut est & regulæ, Necessitas non habet legem: quæ procedit maxime in lege humana: cuiusmodi est consuetudo proposita. Et ita cum Soto *in 4. distinct. 13. quæst. 2. art. 5. ad 12.* tenet Suarez *disp. 87. sect. 1. in fine alijs citatis.* Additq; cum eodem, si vrgente necessitate oporteat Sacerdotem aut solũ celebrare aut fœminam administram adhibere, potius celebrandum esse absq; ministro, quam fœminâ ministrante: tum quia istud prohibitum est expresse, tum quia indecentius est, quam illud.

165. TERTIVM DVBIVM EST: Ad quod peculiariter teneatur ministrans Sacerdoti celebranti. Hoc Suarez tractat *in sequenti sect. 2.* Responsio autem est, duplicem esse posse talem ministrum: vnum ex officio ratione ordinis, quo consecratus est ad id ipsum ministerium, vt Diaconus, Subdiaconus alijque initiati minoribus ordinibus: alterum vero priuatim solummodo inseruientem & tanquam laicum. Quoad priorem ministrum autem, ipsum teneri ad obseruationem rituum, qui circa solemnem Missæ celebrationem sunt ab Ecclesia instituti, prout habentur in Missali aut Pontificali Romano. Quocirca vti debet vestibus sacris ab Ecclesia pro ministerio ipsius institutis, atq; seruare cæremonias omnes ad illud pertinentes; siue in verbis siue in actionibus cõsistentes. Quas leuiter omittendo peccat, non tamen mortaliter, *si absit scandalum & aliud quidquam mortaliter aggrauans:* quia cum ministeriũ ipsius in Missæ celebratione tantum sit accessorium, cæremonia ad illud spectans non est res adeo grauis, vt omissio eius in eâdem celebratione, debeat mortalis censeri: nisi ea redundet in aliquem notabilem irreuerentiam Sacramenti, vt si Diaconus sponte omitteret aquam mittere in calicem: Subdiaconus nollet Epistolam legere: & sic de alijs id genus.

Quoad posteriorem ministrum vero, ipsum teneri curare ne desit ijs quæ ipsi in ea re incumbunt: negligenter enim se in illis gerens potest interdum peccare etiam mortaliter: vt cum per suam latam negligentiam est in causa vt Sacerdos pro vino aquam offerat. Item scire debet celebranti respõdere secundum ritum ab Ecclesia præscriptum: alioqui enim peccaret vsurpando ministerium quod non nisi inepte potest præstare. Quamquam si casus adesset tantæ necessitatis, vt liceret Sacerdoti sine ministro celebrare, liceret quoque talem adhibere prius instructum sequi se dicentem verba responsionum, eique illa intimantem. Quod quidem minus est, quam celebrare absque vllo ministro, si quidem longe minus aduersatur vniuersali Ecclesiæ consuetudini: etsi quantũ fieri potest, id quoque debet vitari, tanquam valde indecens: & alienum à communi ritu celebrandi, ad quem spectat vt Sacerdos nonnullis dictis alius ipso tacente respondeat.

SVMMARII PARS SECVNDA.

166 *Quæ sit Sacerdotis obligatio celebrandi Missam.*
167 *Pro quo tempore sit Sacerdotum obligatio celebrandi Missam.*
168 *Obligatio quotidie celebrandi quando contingat.*
169 *Ea non adstringuntur quidem singuli Sacerdotes: laudabile tamen est ipsos quotidie celebrare.*
170 *Dies in quibus non est licitum celebrare.*
171 *Non est licitum eidem Sacerdoti eodem die pluries celebrare, exceptis aliquot casibus. & quibus.*
172 *Notanda de casu quo contingit vnum Parochum habere plures parochias.*
173 *Pars diei in qua licet Missam celebrare, est ab aurora ad meridiem, & quid auroræ nomine significetur.*
174 *Exceptio diei Natiuitatis Domini: atq; priuilegij quo conceditur præuenire illud tempus, aut vltra illud differre celebrationem.*
175 *Celebrato Missæ vt licita sit requirit locum sacrum, aliquot casibus exceptis.*
176 *Primus, cum intreuenit licentia Episcopi.*
177 *Secundus, cum necessitas vrget.*
178 *Tertius, cum habetur Papæ priuilegium: in quo quid sit considerandum.*
179 *De celebratione in Ecclesia polluta.*
180 *Variis modis polluitur Ecclesia, quorum primus est, per homicidium voluntarium.*
181 *De secundo modo (qui est per sanguinis humani effusionem) notanda pro praxi.*
182 *Ad tertium (qui est seminis humani effusio) cõditiones requisitæ: & quatenus coniugalis copula eodem contineatur.*
183 *Crimen in Ecclesia perpetratum, per quod ipsa polluitur, debet esse notorium.*
184 *De quarto modo, qui est per excommunicati, & quinto, qui est per pagani sepulturam in loco sacro.*
185 *Quatenus polluatur locus sacer ob sepultum in eo infantẽ mortuum sine baptismo.*
186 *De sexto modo per parietũ destructionem: locum habens tantum in locis sacris consecratis: cum cæteri habeant, etiam in solummodo benedictis.*
187 *De ratione quâ cœmiterium pollui potest quinq; præcedentibus modis: quodq; oratoria quæ non sunt sacra, nec sint obnoxia pollutioni.*

De celebratione Missæ quoad circumstantiam temporis.

SECTIO III.

QVÆ hunc spectant trademus aliquot quæstionum explicatione. 166.

PRIMA est, quam attigimus in præcedent. numero 46. & 47. An quiuis Sacerdos etiamsi nec animarum curam habeat, nec beneficium Ecclesiasticum, teneatur Missam aliquando celebrare. De qua authores in vtramq; partem referunt Azor *in 1. par. lib. 10. cap. 24. quæstio. 1. & Suarez tomo 3. in tertiam par. disp. 80. sect. 1.* Qui re bene expensa, partem negantem indicat probabilitate non carere quidem: sequendam tamen esse partem affirmantẽ & in praxi cõsulendam: quia est magis pia ac tutior, nec obnoxia scandalo, quod Sacerdos dat nunquam celebrans, cum facile sit id haberi pro signo malæ conscientiæ & prauæ vitæ. Probatur vero eadem pars (quidquid sit de contraria) ex eo, quod in cap. Dolentes De celebr. Missarum, pœna suspensionis quibusdam Sacerdotibus imponatur, ob quædam delicta: quorũ vnum est, q̃ vix in anno quater celebrarent. Item q; ex eo, quod Concil. Trid. sess. 23. cap. 14. de reform. Episcopo præcipiat curare, vt Sacerdotes saltem diebus Dominicis & festis solennibus: si autem habuerint curam animarum, tam frequenter, vt suo muneri satisfaciant Missas celebrent. Vnde patet Ecclesiæ sensum esse, quod Sacerdotes quantumcunq; simplices, non sint omnino liberi ab obligatione celebrandi Missæ sacrificium. Quod quidem apertius habetur ex eodem Concilio, in præcedenti sess. 22. cap. 1. cum Christum idipsum præcepisse, *dicendo Apostolis Lucæ 22. Hoc facite in meam cõmemorationem,*] declarat his verbis. Ac sub earundem rerum symbolis, Apostolos, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes cõstituebat, vt sumerent tradidit, & eisdem, eorumq; in Sacerdotio successoribus vt offerrent præcepit: per hæc verba, Hoc est corpus meum.] Vnde patet, quod vt singuli quiq; Apostoli, ad quos Christus ea verba dirigebat, eo præcepto obligati sunt: sic etiam obligari singulos Sacerdotes, etiam simplices, tanquam Apostolorum reuera in Sacerdotio successores: etiamsi non sint in iurisdictione, sicut sunt ij qui curam habent animarum.

SECVNDA QVÆSTIO EST: Pro quo tempore obliget præceptum diuinum celebrandi Missam, Sacerdotibus impositum. Ad quam responderi potest, tale tempus videri in Concilio Trid. sess. 23. cap. 14. (per verba paulo ante citata) 167.

deter-

determinatum ad dies Dominicos & festorum solemnium: respectuque eorum qui animarum curam habent; quoties id requiritur vt suo muneri satisfaciant. Quæ determinatio facta adeo suauiter, non videtur censenda obligationem ad mortale inducere: ita vt ei contraueniens non peccet plusquam venialiter: imo & possit excusari omnino à peccato, si bona intentione ex aliqua causa rationabili iudicio prudentis, id faciat. Quamquam si in contraueniendo ita perseueretur, vt sine legitimo impedimento vix ter aut quater in anno celebretur, peccatum committetur mortale, prout *citatis D. Thoma & Richardo* Nauarrus docet *in Enchir. cap. 25. numero* 88. argumento eius, quod ante retulimus ex cap. Dolentes, De celebr. Missarum. Nam suspensionis pœna generaliter imposita, valde grauis est, & ideo grauem indicans culpam. Accedit quod moraliter vix contingat tanta omissio celebrationis Missæ, quin ea habeat scandalum adiunctum, proprium spiritale detrimentum notabile, aut periculum peccandi liberius, aut (quod pessimum est) affectum & voluntatem liberius peccandi. Vnde mihi probatur quod Azor in supra citata *quæstio. 1. §. Si quæras* habet his verbis. Non absoluerem eum qui statueret nunquam per totum anni cursum Missæ sacrificium facere. Nec excusarem eum qui nunquam per annum sacrificat, ob impedimentum quod ex ipsius voluntate exiſtit, & pendet: nec item eum qui ideo nunquam per annũ sacrificat, quod frequenter peccare soleat. Peccatum enim est voluntarium, & ideo illud cauere debet, & curare vt Missæ sacrificium digne offerre queat. Hæc ille.

168. TERTIA QVÆSTIO: An liceat Sacerdotibus quotidie sacrificium Missæ facere. Atque pro parte affirmante facit quod in cap. Visum, De consecr. distinct. 1. habetur. Sicut nulla dies excipitur, quâ non pro viuentibus & pro quibuslibet necessitatibus Dominum deprecetur: ita nimirum nulla dies excipi debet, quin pro animabus fidelium, preces in Missarum solemnibus Domino fundantur. Item quod in capit. Iteratur De consecr. distinct. 2. dicitur: Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel passus in carne per vnam eandemq; mortis passionem semel saluauerit mundum. Pro negante vero facit, quod ex Innocentio Papa refertur in capit. Sabbatho De consecr. dist. 3. traditionem Ecclesiæ habere, isto biduo (intelligit biduum proxime præcedens Pascha, nempe diei Veneris & Sabbathi sancti) Sacramenta penitus non celebrari.

Solutionem autem, *quam Suarez latius persequitur disp. 80. sect. 2.* paucis perstringemus aliquod propositionibus. Prima est (in qua Doctores conuenire *Suarez ibidem dicto 2.* tangit) in singulis Ecclesijs Cathedralibus, Collegialibus, Parochialibus, aut Conuentualibus debere quotidie offerri sacrificium, si conueniens seu mediocris Sacerdotum sit numerus. Hæc probatur ex communi Ecclesiæ consuetudine: quam habere obligandi vim, satis insinuatum est in capit. Cum creatura, De celebratione Miss. vbi Honorius tertius mandat vniuersis Prælatis ne permittant se negligentiâ sic torpere, quin pro anniuersarijs defunctorum, & pro festo vel feria secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia conuentualiter celebrari procurent. Esse vero obligationem sub mortali, intelligitur ex eo quod versetur in re graui: vtpote multum pertinente ad commune bonum fidelium: cuius gratia prædictis Ecclesijs assignati sunt reditus ad sustentationem Ecclesiasticorum celebrantium diuina officia: qui non satisfacientes tali muneri, tanquam peruerse agentes scandalizant eos ipsos fideles, nisi habeant aliquod iustum impedimentum. Obnoxij vero tali peccato sunt maximè Ecclesiarum, qui tenentur curare ne eis sacrificia omnino desint.

196. Secunda propositio est: Singulos Sacerdotes, etiamsi non teneãtur, posse tamen secluſa prohibitione, aut alio impedimento speciali, quotidie Missam celebrare. Pro hac Suarez *dicto 4.* aliquot Patrũ authoritates adfert: addita hac ratione, quod quotidie celebrare nullo iure sit prohibitum: idque alias sit de se bonum. Quod posterius potest, quia quid illicitum esse dici tantum potest, vel quia prohibetur, vel quia est de se malum. Prius item patet: quia quotidie offerre Missæ sacrificium, cedit ad Dei cultum, quem illi perpetuo debemus: ita vt non immerito, eiusmodi oblationi accommodari possit appellatio magis sacrificij quæ habetur Danielis 12. Cedit item magnopere in bonum fidelium; qui solent plurimum niti fructu oblationis tantæ efficaciæ ad Deum reddendum sibi propitium in necessitatibus suis, quæ quotidianæ sunt. Quamquam, vt bene Suarez ipse monet, non est ideo negandum, quin interdum bonum sit ex reuerentia, tale munus aliquo die intermittere: cum diuersæ sint personarum conditiones, & variæ diuisiones gratiarum Spiritussancti.

Tertia propositio est: Duos esse dies anni in quibus non est licitum singulis Sacerdotibus celebrare Missam. Hæc probatur ex cap. Sabbatho De consecr. distin. 3. vbi dicitur Ecclesiæ traditionem habere biduo penitus Sacramẽta non celebrari: sermo autem est de biduo præcedente proximè sanctum Pascha, nempe de feria sexta & Sabbatho maioris hebdomadæ. Atq; quoad feriam sextam omnes in hac consentiunt, non autem quoad Sabbathum sanctum. Nam Suarez *in fine citatæ sectionis 2.* cum Soto *in 4. distinct. 13. quæstio. 2. art. 2.* existimat quoad idem Sabbathum, ius antiquũ esse abrogatum: quod Azor *in ante memorato cap. 24. quæst. 4.* cum Nauarr. *in Enchir. cap. 25. num.* 88. negat, & probabilius: quia memoratum ius ijsdem omnino verbis declarat, Ecclesiæ traditione, diuina eo die non celebrari, vt nec in præcedenti feria sexta. Neq; assignari potest ius commune contrarium, aut vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quibus illud abrogatum sit. 170.

Eandemque esse nunc rationem illud ipsum obseruandi, quæ fuit antiquitus (ne dicatur cessare cessante illius ratione) argumentum est non obscurum: quod cum vigilia Pentecostes, & Sabbathum sanctum, officium solemne Missæ habeant simile: in illa assignetur Introitus pro Missis priuatis: eo quod nimirum sunt eo die permissæ: nõ autem in hoc, in quod pariter fieri debuisset, si pariter esset tunc licita Missarum priuatarum celebratio. Nec enim apparet ratio disparitatis. Veruntamen quia prædictum ius est humanum, sicubi esset consuetudo in illo Sabbatho celebrandi, à viris etiam doctis & timoratis vsurpata, isthic poteris censeri eidem iuri derogatum ex parte. Item si casu occurrat necessitas exigens tunc Missam priuatim dici, id fieri poterit ex Prælati dispensatione, prout notat Azor, & quotidianus in cæteris præceptis humanis vsus ostendit. 172.

Quod attinet ad feriam quintam maioris hebdomadæ, sunt qui negent liberum esse eo die singulis Sacerdotibus Missam celebrare; ob consuetudinem, qua eo die cæteri Sacerdotes solent à suo Prælato sacrosanctam Eucharistiam sumere. Quam consuetudinem sicubi sit recepta, obstare quominus ijsdem Sacerdotibus liceat eo die celebrare. Azor docet, *in sequenti quæst. 5.* Suarez autẽ *in citata sect. 2. §. Superest* cum Soto *in 4. dist. 13. qu. 2. art. 2.* & Nau. *in Enchir. cap. 25. n. 88.* tenet contrarium: quia cum nullum ius detur quod obstet celebrationi eo die, talis consuetudo censeri potest seruari tantum ex deuotione, non ex aliqua vi, quam habeat obligandi (vt patet ex facto virorum piorum eo die sine scrupulo celebrantium) nisi forte illius transgressio generatura sit scandalum pusillorum ob eorum ignorantiam. 173.

QVARTA QVÆSTIO EST: An vni Sacerdoti liceat eodem die plures Missas dicere. Ad quod respondetur, non licere exceptis aliquot casibus. Textus enim quo id prohibetur est apertus, De cõsecr. dist. 1. cap. Sufficit Sacerdoti vnam Missam die vna celebrare, quia Christus semel passus est. &c.] Quibus verbis præceptum contineri indicant quæ inferius ibidem ponũtur. Qui pro pecunijs & adulatione secularium vna die præsumunt plures facere Missas non æstimo euadere damnationem.] Ad idem faciunt cap. Consuluisti & cap. Te referente, De celebratione Missarum. Facit & Ecclesiastica consuetudo, quæ tanquam obligans seruatur. Obligationem autem eam esse sub mortali, nisi aliqua causa rationabilis excusset, satis indicant citata verba capituli Sufficit. Non æstimo euadere damnationem.] 174.

Casus autem exceptos Suarez *in citata disp. 80. sect. 3.* notè refert, à diuersis traditos: ex quibus tres tantum approbat tanquam innixos sufficienti fundamento. Primus est diei Natalis Domini in qua die cõmuni Ecclesiæ consuetudine singulis Sacerdotibus permittitur vt celebrent tres Missas. *Vide glossam ad citatum cap. Consuluisti, verbo Natiuitatis.*

Secun-

Secundus eſt, quando in feſto valde ſolemni neceſſitas exigit vt Miſſa dicatur pro defunctis, tantumq; eſt vnus Sacerdos. Tunc enim cenſetur ratio ſufficiens adeſſe, dicendi rurſus Miſſam de die ipſo ſolemni præſertim cum nullus detur caſus neceſſitatis tale quid agẽdi, de quo potius quam de eo, merito intelligatur illud quod in cap. Sufficit, De conſecr. diſtinct. 1. approbatiuè dicitur. Quidam tamen pro defunctis vnam, *intellige Miſſam*, faciunt, & alteram de die ſi neceſſe fuerit.

172. Tertius caſus eſt: cum idem Parochus habet duas Parochias, nec commode poteſt habere coadiutorem, & in vtrâque populus ſolitus eſt (quisq; ſcilicet in ſua) Miſſam audire. Notat vero circa hunc caſum in fine eiuſdem ſectionis Suarez. Primo pari ratione dici poſſe tres Miſſas ab eo qui pariter habuerit tres Parochias: ac quæ neceſſitas eſt celebrandi in duabus, eadem ſit celebrandi in tribus.

Secundo: propoſitum caſum non arctari ad dies feſtos in quibus eſt obligatio audiendi Miſſam: ſed extendi ad dies quoq; operarios: in quibus hæc ſatis grauis cauſa datur: ſcilicet vt populus nõ priuetur opportunitate audiendi Miſſam, ſi conſueuerit tunc audire, ac ægrè careat tanti ſacrificij fructu.

Tertio: prædictum Parochum in die Cœnæ Domini, monumentum erigere debere tantum in parochia principaliori; ad quam facile eſt conuenire eos qui ad aliam pertinent. Quod ſi inconſiderate erexerit, non aduertens ſe non poſſe vtrobiq; Sacramentum in monumento aſſeruatum ſumere, eo, quod talis ſumptio fiat, hoſtiæ particulâ admixtâ vino: ita vt frangatur in ea ieiunium naturale, impediens ſecundam ſumptionem faciendam in altera parochia. Si, inquam, aliquid tale contingat: memoratus author hoc remedium præſcribit: vt ſi errorem ſuum deprehendat ante priorem officij celebrationem, non mittat vinum in calicem, ſed tantum hoſtiæ particulam quæ ei miſcenda fuit. Sin autem deprehendat poſt idem officium iam expletum (atq; adeo ſoluto naturali ieiunio ſumptione vini) vt omittat officium in ſecunda parochia, & ſanctiſſimum Sacramentum recondat in ſacrario. Inde enim impeditur ipſum ſumere, perinde ac ſumptio vini quo perfundendus eſt calix poſt ſumptum Chriſti ſacroſanctum ſanguinem, impedit celebrationem ſecundæ per eundem eodem die, ex textu expreſſo in cap. Ex parte, De celebr. Miſſarum.

173. QVINTA QVÆSTIO EST: Qua diei hora licitum ſit Miſſæ ſacrificium offerre. Ad huius explicationem multa habet Suarez *in ead. diſp.* 80. *ſect.* 4. Reſponſio autem eſt, quæ habetur ex Miſſali Romano in cap. De defectibus circa Miſſam occurrentibus in miniſtro, cum dicitur: Tempus debitum celebrandi eſt ab aurora vſq; ad meridiem communiter] atque ex cõmuni Eccleſiæ conſuetudine (cuius teſtis eſt conſenſus Doctorum, quorum plures commemorat Suarez) ſic recepta, vt populus ſcãdalizaretur tanquã de peccato graui, ſi abſq; cauſa iuſta, quis præſumeret celebrare extra illud tempus. Vnde Concilium Trid. ſeſſ. 22. *in decreto De obſeruandis & vitandis in celebratione Miſſæ*: Epiſcopis iniungit vt propoſitis pœnis caueant ne Sacerdotes, alijs quam debitis horis celebrent. Quæ horæ non ſunt aliæ, quam quæ in Miſſali indicantur: præſertim cum ad Summum Pontificem alioqui fruſtra recurreretur pro priuilegio extra eas celebrandi, quod paſſim eſt in vſu apud viros timoratos. Si quis vero opponat ex cap. Nocte ſancta, De conſecr. diſtin. 1. Miſſas non eſſe celebrandas ante horam tertiam diei: reſpondendum eſt ſaltem quoad Miſſas priuatas ei decreto derogatum eſſe per contrariam conſuetudinem.

Nota autem primo, auroræ nomine, Doctorum omnium conſenſu, *vt Suarez teſtatur*, debere intelligi, non quidem ortum ſolis, ſeu aſcenſum corporis ſolaris ſupra noſtrum horizontem: ſed initium crepuſculi diei, ſeu primam ſolis irradiationem. Quod intellige moraliter nõ autem mathematicè, ita vt illicitum non ſit tale initium præuenire aliquantulum, vt vno quadrante horæ: quia in moralib. parum pro nihilo reputatur. Hoc q; eſt, quod ſignificat Franc. à Victoria, *De Sacramentis nu.* 97. dum ait non eſſe neceſſarium punctualiter ipſum auroræ tempus expectare.

174. Nota ſecundo, propoſitam cõſuetudinem pati exceptionem in die Natalis Domini per illud, De conſecr. diſtinct. 1. Nocte ſancta Natiuitatis Domini Saluatoris, Miſſas celebrẽt Presbyteri. Quæ verba an ſint reſtringenda ad primam Miſſam, ita vt duas reliquas non liceat celebrare ante auroram, difficultas eſt: *quam Suarez ibidem §. Tertio inquiritur*, late perſequitur: ſatis probabiliter definiens priuilegium illud ad omnes eiuſdem diei Miſſas pertinere. Recte enim ponderat: quod paulo poſt ibidẽ ſtatuatur, alijs temporibus Miſſarum celebrationes non niſi de die eſſe peragendas. Vnde intelligitur priuilegium diei Natiuitatis Domini in hoc non eſſe reſtringendum conditione aliorum temporum: ſed potius (pro conditione ſcilicet priuilegij) interpretatione extendẽdum ad quamlibet eiuſdem diei Miſſam ſaltem priuatam. Quod addo: quia in ſolemnibus conſentaneum eſt conformari inſtitutioni, de qua diuus Thomas 3. *par. quæſt.* 82. *art.* 1. *ad* 2. vt prima Miſſa de nocte, poſt mediam noctem dicatur, ſecunda in aurora, & tertia in plena die.

Non obſtat vero antedictis, quod in prima Miſſa Natiuitatis Domini dicatur, *Communicantes*, &, *Noctem ſacratiſſimã celebrantes*: Non item in duabus reliquis: ſed *Communicantes*, &, *diem ſacratiſſimum celebrantes*: quia in diuini officij recitatione verba non referuntur ſemper ad tempus in quo dicuntur, ſed ad illud pro quo repræſentando & commemorando dicuntur. Vnde etiamſi in prima Miſſa dicatur, *Et noctem ſacratiſſimum venerantes*, tamen nemo negat, quin talis Miſſa priuata dici poſſit in plena diei luce.

Nota tertio: ex priuilegio celebrari poſſe: tum ante auroram, tum poſt meridiem: quale diuerſis religionibus à diuerſis Summis Pontificibus conceſſum refert Azor 1. *part. lib.* 10. *cap.* 25. *quæſt.* 5. quod vtplurimũ determinatur ad vnam vel ad duas horas: ſiq; detur ſine determinatione, *vt addit Azor*, exiſtimandum eſt Papam nolle cõcedere pro tempore quod eſt à media nocte ad aurorã: vel à meridie ad noctem: ſed concedere cum determinatione qua magis communiter ipſe vtitur: nempe vnius horæ.

Cæterum poteſt, *prout Suarez expreſſit*, tale priuilegium Epiſcopus dare in particulari caſu ex rationabili cauſa: quia ordinario iure tale quid ei competit, tanquam requiſitum ad paſtoralem ſuorum curam. Dare vero tale generale, eſt ſolius Papæ proſumma ſua poteſtate.

De celebratione Miſſæ quoad circumſtantiam loci.

SECTIO IV.

CElebrationem Miſſæ requirere locum ſacrum, eſt cõmunis Doctorum conſenſus, *prout Suarez expreſſit diſp.* 81. *initio ſectionis tertiæ*: nec immerito: id enim aperte habetur: tum ex alijs authoritatibus quas idem Suarez adfert, tum ex cap. Sicut, cap. Miſſarum, cap. Hic ergo, cap. Nullus preſbyter, & cap. Clericos, De conſecr. diſtin. prima, & ex Concil. Trident. ſeſſ. 22. in decreto De obſeruandis & euitandis in celebratione Miſſæ. Atque rationi conſentaneum id eſſe, dubium non eſt: quia facit ad reuerentiam ſanctiſſimo Sacramento debitam & ad fidelium deuotionem augendam. Vbi aduerte loci ſacri nomine, iuxta antiquos illos canones quidem, ſignificari Eccleſiam conſecratã: iam tamen vſum obtinuiſſe, vt eo ſignificetur quoque Eccleſia benedicta, ſi fundata ſit authoritate Papæ vel Epiſcopi ad Sacramenta adminiſtranda, & cætera neceſſaria adfuerint. Pro quo facit, quod ex cap. finali, De conſecrat. Eccleſiæ, gloſſa deducit, *ad verbum. Non conſecrata*: Eccleſiam non cõſecratam eodem priuilegio gaudere, quo conſecratam. Aduerte præterea peccatum quidem mortale eſſe de ſe, in loco non ſacro Miſſam celebrare, iuxta illud, quod in fine prius citati cap. Hic ergo, habetur in tali loco non ritè celebrari: itemque illud, quod in ſequen. cap. Nullus Presbyter, id ipſum prohibeatur ſub pœna ſuſpenſionis à Sacerdotio, attamen aliquot caſus dari, in quibus eſt excuſatio. 175.

Primus eſt, cum interuenit licentia Epiſcopi. Pro quo faciunt hæc ante citati cap. Miſſarũ, verba: In locis ab Epiſcopo cõſecratis, vel vbi ipſe permiſerit,] & iſta ſequentis cap. Hic ergo: In alijs locis ſacrificari & Miſſas celebrari non licet, niſi in his quibus Epiſcopus iuſſerit.] Sed nota quod poſt Nauarrum *in Enchir. cap.* 25. *numer.* 81. & 82. habet Suarez *in* 176.

eadem

eadem sect. 3. §. Secundo obseruandum: facultatem Episcoporum dandi talem licentiam restrictam esse in Concilio Trident. sess. 22. dum in decreto De obseruandis & euitandis in celebratione Missæ percipit Episcopis, ne patiantur in priuatis domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinarijs designanda & visitanda, sanctum hoc Sacramentum à secularibus aut regularibus quibuscunque peragi. Quocirca, *vt idem author addit*, non potest nunc Episcopus concedere alicui Sacerdoti liberam facultatem faciendi Missæ sacrum vbi voluerit cum altari portabili, etiam intra propriam diœcesim. Nec item potest sine necessitate aut alia iusta causa, dare facultatem celebrandi Missam in loco honesto quidem, beneque parato; non tamen ad diuinum tantum cultum dedicato, sed in communes vsus flatim conuertendo. Tam enim hoc quam illud aduersatur Concilij præcepto paulo ante proposito.

Quamquam tamen, quia non est consentaneũ existimare decretum illud tam rigidum esse, quin eo nõ obstante, Episcopus retineat necessariam sibi in pastorali regimine potestatẽ rationabiliter cum suis subditis in casu necessitatis dispensandi circa ius commune Ecclesiasticum, de quorum numero est idipsum decretum. Quia inquam id ita est, adhuc potest Episcopus rationabili de causa in casibus particularibus licentiam dare celebrandi in loco apto, & honesto: etiam si non deputato ad diuinũ tantum cultum. Atq; ita vsus habet, fitq; sine scrupulo. Debet vero talis locus aptus esse, quia si ineptus sit, nullo titulo licet in eo celebrare: vt in mari vel flumine propter periculum effusionis sanguinis Christi. Debet quoq; esse honestus, vt seruari possit reuerentia tanto Sacramento debita.

177. Secundus casus exceptus, est necessitatis, iuxta cap. Concedimus, De consecr. distinct. prima; per quod conceditur in itinere positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, siue in tentorio, si tabula altaris consecrata reliquumque sacrum instrumẽtum ad id officium pertinẽtia adfuerint, Missarum solemnia celebrare. Nec obstat quod is canon sit tantum Concilij prouincialis; puta Triburiensis in Germania. Nam D. Thomas in eandem sententiam proposita verba adfert 3. par. quæst. 83. art. 3. ad 1. eo quod, *vt probabile est*, iam tunc is esset communi vsu receptus: sicut & nunc est, cum altare erigitur ante fores oratorij angustioris, ad quod deuotionis gratiâ tanta multitudo confluxit, vt plurimi alias nequeant Missam audire, atque cum in bello, sub dio seu in tentorio Missa celebratur. Cæterum quamuis in hoc casu cum necessitas præuidetur non sit prætermittenda licentiæ petitio ab Episcopo, cum commode fieri potest: tamen cum non potest, sola necessitas sufficiet, iuxta illud tritum Necessitas non habet legem. *De his Suarez alijs citatis disput. 81. sect. 3. §. Tertia exceptio.*

18. Tertius casus est, cum habetur priuilegium Papæ celebrandi in quocunque loco cum altari portatili: quale est fratrum Prædicatorum & Minorum de quo in cap. In his De priuilegijs. Nota autem duo, quæ Suarez habet in fine eiusdem sectionis. Prius est, quod cum eius generis priuilegium sit reuocatum per Concil. Triden. in antememorato decreto (dum scilicet præcipit Episcopis ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, aut oratoria ad diuinum tantum cultum dedicata sanctum Missæ sacrificium à secularibus aut regularibus quibuscunq; peragi) nõn licere vti eo, nisi sit renouatum. Posterius est, in tali priuilegio considerandum esse maximè, dirigaturne tantum ad personas Religiosorum, an ad loca ipsorum. Nam illo modo concessum, non extenditur ad alias personas, hoc vero modo concessum, extenditur. Sic inquit ille, priuilegium post Concilium Trident. nostræ Societati concessum, vt Presbyteri eius in missionibus vti possint altari portatili vbique gentium, ibique Eucharistiæ Sacramentum ministrare, non extenditur ad alios, etiamsi socij sint itineris: ita vt ij nequeant virtute talis priuilegij i eodem altari portatili Missæ sacrum facere. Priuilegium vero eidem Societati concessum vt in domibus ipsius, Missa dici possit in priuato oratorio à Prouinciali approbato, sine alia approbatione Episcopi, & non obstante Concilio Trident. extenditur ad alios: ita vt in eo loco Missam dicere possint non tantum Religiosi Societatis: sed etiam quilibet alij Sacerdotes. Et ratio est: quia eiusmodi priuilegium tale est vt locus per Prouincialem approbatus, perinde censeri possit approbatus absolute, ac si per Episcopum approbaretur: prout indicant verba, Absq; alia Episcopi approbatione.

De celebratione Missæ in loco sacro polluto: & de modis quibus talis pollutio contingit.

SVpereſt monendum perinde peccatum esse mortale in 179.
loco sacro polluto antequam purificetur Missam celebrare, ac in loco non sacro, Doctorum omnium consensu: vt Suarez *in sequenti sect. 4. §. His positis* testatur: addita hac ratione; quod eo pollutio sit prohibitio quædam Ecclesiastici iuris, ne Missæ sacrum aliave officia diuina fiant in tali Ecclesia. Quæ prohibitio cum sit & iusta, & in re graui, *vtpote pertinente ad reuerentiam diuinorum*, censenda est facta sub mortali. A quo tamen, sicut & ab eo cui obnoxius est celebrans in loco non sacro, excusat tum licentia Episcopi data rationabili de causa: tum necessitas notabilis; non tantum accedente eâdem licentiâ, sed etiam absque ea, si sit necessitas adeo urgens vt non patiatur ad illum pro ipsa licentia recurrere. Hacq; ratione Suarez ibidem censet à peccato excusari Sacerdotes qui nequeuntes cõmode Missam alibi dicere, necessitate compulsi dicunt in locis in quibus sepulti sunt hæretici: etsi quamprimum possunt, debeant ad Episcopũ suum recurrere pro licentia obtinenda. Id enim postulat Episcopale regimen cui subijciuntur. Consequenter idem Suarez probat ex celebratione Missæ in loco violato, nullam censuram Ecclesiasticam incurri nec irregularitatem. Additque deinde si Ecclesia dum in ea fit Missæ sacrum violetur, sacrificantem si inchoauerit canonem debere Missam absoluere; alias debere cessare quousque reconcilietur per aquam cum vino & cinere benedictam, ex cap. Proposuisti, De consecratione Ecclesiæ & altaris. Quæ reconciliatio fieri potest per Episcopum proprium, aut per alium Episcopum de proprij licentia: per simplicem Sacerdotem autem non nisi de Papæ licentia iuxta cap. Aqua, De consecr. Ecclesiæ & altaris.

Porro modos quibus Ecclesia polluitur idemmet Suarez 180.
ad sex numerat: sicque explicat, vt nihil nobis reliquerit de necessitate addendum. Primus igitur est, per homicidium voluntarium & iniuriosum in Ecclesia commissum, iuxta cap. Si motum, De consecr. distin. 1. & cap. Proposuisti De consecr. Ecclesiæ. Per illud autem quod dicitur, *voluntarium*, excluditur homicidium casu, aut ex amentia perpetratum, cum non sit voluntarium: per illud vero quod dicitur, *iniuriosum*, excluditur commissum in defensione cum moderatione inculpatæ tutelæ. Per illud demum quod dicitur, *in Ecclesia commissum*, excluditur homicidium, cuius causa etiam iniuriosa, data est extra Ecclesiam quantumuis mors in hac contingat: itemque homicidiũ cuius causa iniuriosa data est quidem in Ecclesia; sine effusione tamen sanguinis (cum qua sequeretur modus violationis de quo proxime dicetur) sed mors secuta est extra Ecclesiam: vt fieri potest cum aliquis nefarius vino consecrando immiscet aliquid veneni, vt illius sumptione Sacerdos enecetur, qui domum rediens ibi moritur. Tam hoc, quam illud ex eo patet, quod in neutro casu possit simpliciter dici commissum homicidium in Ecclesia. 182.

Atque ex his intelligere licet, ex strangulatione hominis in Ecclesia, etiamsi fiat absque sanguinis effusione, Ecclesiam ipsam pollui, cum sit verum homicidium quod ita perpetratur. Vnde si Iudex aliquem faceret suspendi in Ecclesia (secus si supra eam in tecto aut extra eam in pariete) ea polluereturNec obijci potest tale homicidium non esse iniuriosum, vtpote quod, *prout supponimus*, patitur is, qui illo dignus est. Nam hoc non obstante ei fit iniuria, priuando ipsum iure quod habet ne ibi supplicio afficiatur. Si quæras, an hæc procedant si quis in odium fidei Catholicæ occidatur in Ecclesia. Respondet bene Suarez procedere ratione malitiæ occidentis. Et patet: quia tunc quoque verum est in Ecclesia committi homicidium voluntarium & iniuriosum. 181.

Secundus modus est: per sanguinis effusionem iuxta cap.

Eccle-

Eccleſiis, De conſecr. diſtin. 1. & cap. Si. Eccleſia, De conſecr. Eccleſiæ. De quo Suarez ſequentia monet notanda pro praxi. Primum eſt: ex communi Doctorum conſenſu talem effuſionem debere eſſe voluntariam & iniurioſam, perinde ac homicidium; de quo ante dictum eſt: adeout Eccleſia non ſit cenſenda polluta per ſanguinis effuſionem caſualem, aut naturalem, aut medicinalem licitam, aut cauſatam ex defenſione cum moderamine inculpatæ tutelæ. Secundum eſt, Paruam ſanguinis quantitatem non ſufficere ad Eccleſiæ violationem. Quod probatur, quia ſanguinis effuſio ſignificat copioſum illius fluxum: vt gloſſa *ad cap. Cum illorum verbo Effuſionem ſanguinis De ſenten. excommunic.* habet congruenter capitulo Reuertimini in fine, 16. quæſt. 1. Cum autem quantitas ſanguinis magna eſt, & illius effuſio prouenit ex actione iocoſa (de prouenientе ex aperte voluntaria & iniurioſa conſtat ex dictis) expendendum eſſe prouenіatne ex ea inuoluntarie omninò, an vero voluntarie ſufficienter ad hoc vt talis effectus poſſit cenſeri in ſua cauſa voluntarius: ſicut poteſt quando actio fuit periculoſa nec adhibita eſt cura debita cauendi effuſionem ipſam ſanguinis, quæ iniurioſa eſt, & patienti illam, & Eccleſiæ: ac per conſequens eſt ad huius pollutionem ſufficiens. Tertium eſt, Iſtiuſmodi violationem contingere ex eo quod quis vulnus graue in Eccleſia inflixerit quantumcumque intra illam ſanguis non effundatur. Nam ex cap. Propoſuiſti De conſecr. Eccleſiæ, ad eam ſufficiunt vulnera: vtpote de quibus ibidem mentio fit effuſione ſanguinis omnino taeita. Non item contingere cum actio voluntaria quidem & iniurioſa fuerit, ſed ſine vulnere aut ſanguinis effuſione. Quartum eſt. Eidem violationi obſtare, quod ſanguis effuſus non attingat pauimentum, aut parietem Eccleſiæ: exceptus linteo aut vaſe: quoniam illa non imponitur ob talem attactum, ſed ob inflictionem vulneris, cauſatiuam effuſionis ſanguinis in loco ſacro perfectam, vnde ſequitur locum ſactum pollui, ſi quis exiſtens extra eum iactu lapidis aliquem in illo exiſtentem vulneret: quoniam actio inflictiua vulneris in eo perficitur: non item ſi è contrario in loco ſacro exiſtens, tali iactu vulneret exiſtentem extra eum: in quo actio quidem inchoatur ſed non perficitur. Quintum eſt: idem in hac re ſentiendum eſſe de illicita proprij ſanguinis ac de aliena effuſione, quia etiâſi illa reſpectu ſuiipſius non ſit proprie iniurioſa, eſt tamen iniqua & iniurioſa Deo atque Eccleſiæ. Vltimum eſt: Probabile videri quod attingit à Victoria *De ſacramentis. nu. 99.* niſi percuſſio illa grauis ſit, vt ſufficiat ad peccatum mortale, *etiamſi contingat ſanguinis copiam effundi*, Eccleſiam non pollui. Nam peccatum veniale tanquam venia dignum, reuerentiæ loco ſacro debitæ, non aduerſatur adeo, vt illius ſanctitatem tollere cenſeri debeat.

182. Tertius modus eſt, *pro quo faciunt cap. Eccleſiis De conſecr. diſt. 1. & cap. Si Eccleſia, De conſecr. Eccleſiæ*, per effuſionē ſeminis humani, id eſt, cuiuſque hominis ſiue viri, ſiue fœminæ ſiue clerici, ſiue laici, & ſiue fidelis, ſiue infidelis: vt bene notat Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 251.* Ex communi autem Doctorum conſenſu, *vt Suarez teſtatur in citata diſput. 81. ſect. 4.* requirit primo, vt effuſio ſit voluntaria & illicita: itaut per inuoluntariam in loco ſacro contingentem, is non polluatur. Secundo vt ſit in aliqua quantitate prout indicatur ipſo nomine effuſionis: itaut ex vnius aut alterius guttæ fluxu non cenſeatur Eccleſia pollui. Tertio, vt talis effuſio fiat intra Eccleſiam: itaut ea non polluatur, per factum extra illius parietes aut ſupra tectum aut in campanili, aut infra pauimentum in cauea aliqua ſubterranea. Quod ſi contingat in ianua: Suarez *loco citato col. 9.* bene monet Eccleſiam violari pollutione contingente in interiori ianuæ parte, in qua portæ Eccleſiæ clauduntur: non item contingente in exteriori parte. Quarto vt eadem ſit illicita, ſiue fiat per pollutionem, ſiue per quamcumque copulam illicitam. Etſi enim iura abſolute loquantur de ſeminis effuſione: merito tamen intelliguntur de illicita, quia durum eſt, vt per actum de ſe honeſtum ac licitum Eccleſia polluatur. Vnde, vt ante habitum eſt, ne quidem per homicidium polluitur ſi licite ibi perpetratum ſit.

Quocirca idem Suarez ex tribus diuerſis ſententiis de difficultate; An per copulam coniugalem factam in Eccleſia, ipſa polluatur, illam amplectitur quæ diſtinctione vtens, aſſerit per talem copulam illicite ac iniuriose factam in Eccleſia, ipſam pollui: quia effuſionis ſeminis per talem copulam, eadem ratio eſt ac ſimilium illicitarum, quæ ex loci circunſtantia ſunt ſacrilegæ. Negat vero pollui, ſi copula eiuſmodi excuſetur à peccato mortali: quia non apparet ratio cur ob eam (cum ſit actus de ſe licitus, & qui poteſt cum reuerentia & timore Dei exerceri) cenſeatur Eccleſiæ impoſita pollutio.

Tunc autem excuſatur à mortali, cum ad eam humana neceſſitas vel fragilitas compellit: vt contingere poteſt cum propter obſidionem aut aliquod crimen, coniuges cogantur longo tempore manere in Eccleſia; cui nullus locus adiunctus eſt, vbi poſſint extra eam dormire. In quo caſu dari excuſationem à mortali (ac proinde Eccleſiam non pollui) ex eo docetur; quod homines ob humanam fragilitatem non ſint obligandi ad rem tam difficilem quam eſt continentia in longum tempus continuata, idque in occaſione tentationis cui obnoxij ſunt coniuges familiariſſime cohabitantes. Adeout exponatur periculo pollutionis mortalis: niſi vtantur coniugio tanquam remedio ad id inſtituto. Quod adhibere in Eccleſia, quandò nullo modo poteſt alibi, non eſt facere illi iniuriam, cum talis actus ſit de ſe licitus & vſurpetur ob Dei timorem, in finem cauendi periculum mortaliter peccandi.

Poſtremo idem tertius modus requirit, vt ipſa ſeminis 183.
effuſio ſit notoria: quod ex communi ſententia aliquot in eam citatis Suarez *ſect. 4. col. 6.* refert: & in confirmationem addit. Tum cap. Significaſti, De adulteriis, in quo per adulterium Eccleſia declaratur polluta: quoniam adultera crimen faſſa eſt publice. Tum hanc rationem, quod ſi per peccatum occultum Eccleſia polluereturr, ea reconciliari non poſſet, quoniam ipſa reconciliatione talis pollutio proderetur: quod non eſt intentionis Eccleſiæ: vt nec ſolemnem pœnitentiam imponi pro peccato occulto. Quæ ratio cum pariter locum habeat in præcedentibus modis, habebit & propoſita conditio; qua crimen notorium eſſe oportet ad inducendam pollutionem loci ſacri in quo ipſum committitur. Eaque eſt Nauarri doctrina in memorato *num. 25.* quam ſic temperandam indicat; vt ſi crimen quod prius fuit occultum poſtea fiat notorium: ex tunc, *non autem antea*, locus ſacer in quo perpetratum eſt, pollutus effici cenſeatur. Crimen autem illud notorium cenſeri poteſt, cuius notitia communiter in plebe ſeu parochia habetur: aut quod iuridice comprobatum eſt per criminoſi confeſſionem vel aliorum ſufficiens teſtimonium ad faciendam publicam fidem: vel per talia indicia, quæ prædictis teſtibus æquiualeant ad faciendam moralem certitudinem. Cuiuſmodi eſt, ſi vir & fœmina conuincantur in Eccleſia habuiſſe idem cubile, ſimul noctem ſic tranſegiſſe.

Quartus modus eſt: per ſepulturam excommunicati. Ec- 184.
cleſiam enim ſi in ea fidelis excommunicatus ſepeliatur violari, eſt omnium, *prout notat Suarez in cad. ſect. 4. col. 7.* conſenſus, per cap. Conſuluiſti, De conſecratione Eccleſiæ vel altaris. In quo ſit quidem tantum mentio cœmiterij: ſed maiori ratione ipſum cenſetur ad Eccleſiam pertinere in hoc negotio, in quo hæc eſt principale, & illud eſt tantum eiacceſſorium ex cap. Vnico, eodem titulo in 6. Procedit autem modus iſte ſolummodò quoad nominatim excommunicatum, & notorium Clerici percuſſorem ob priuilegium Concilij Conſtantienſis, quo fidelibus permittitur cum cæteris excommunicatis communicatio tam in diuinis quam in humanis. De quo vide antedicta lib. 1. capit. 9. & 10.

Quintus modus eſt per ſepulturam pagani ſeu infidelis: De conſecr. diſt. 1. ca. Eccleſiam in qua paganus ſepultus eſt non liceat conſecrare (intellige cum gloſſa, non ejecto inde cadauere) neque Miſſas in ea celebrare, ſed iactare foras & mundare oportet. Aduerte autem ex decreto comprehendi infantes qui moriuntur ſine baptiſmo, cum ſint de paganorum ſeu infidelium numero, vt manifeſtum eſt. Aduerte ſecundo, extendi ad hæreticos, & credentes, receptatores, defenſores vel fautores ipſorum per cap. 2. De hæreticis in 6. §. 1. In cuius fine habetur: Et locus ille (*ſermo eſt de ſacro*

in quo sepultus fuerit aliquis ex praedictis) perpetua careat sepultura.

Aduerte tertio, *quod Suarez in sequenti col. 8. ex aliis habet*, de infante mortuo sine baptismo. Si existens adhuc in matris mortuæ vtero sepeliatur cum ea, locum sacrum inde nõ pollui, quia fœtus in eo statu, non reputatur tanquam persona distincta sed tanquam matris pars. Excipe, nisi contingat infantem ipsum viuere in vtero matris mortuæ, & omissa huius apertione, siue ex negligentia, siue ex malitia, viuus cũ ea sepeliatur, sicque intereat in Ecclesia: quæ ideo polluetur, cum sic homicidium in ea vere committatur: quia quoad vitam infans non reputatur pars matris, vt nec quoad animam ex qua viuit.

186. Sextus modus, *improprie dictus, cum potius sit destructionis, quam pollutionis*, est per parietum combustionem vel destructionem talem, vt eos reædificari oporteat, iuxta ca. Ecclesiis, De consecr. dist. 1. & cap. Ligneis, De consecr. Ecclesiæ vel altaris. Et ratio est: quia sublatis parietibus consecratio tollitur, tanquam in illis fundata, ob linitionem & cruces, *ex quibus illa pendet*, expressas in eis. Qua de causa si tectũ Ecclesiæ & parietes integri mancant, manet & consecratio ex citato cap. Ligneis. Idem iudicandum est, cum subinde aliquid de parietibus ipsis destruatur & restauretur, quamdiu illi secundum maiorem sui partem manent: nec enim perire consecrationem, ob minorum supperadditam: quia in hac re (argumento ca. Vnici, De consecr. Ecclesiæ in 6.) minus & accessorium non trahit ad se maius & principale: sed contra. *De hoc plenius Sylvester in verbo, Consecratio 2. quæst. 4.*

Notat autem differentiam quam idem insinuat inter hunc modum & præcedentes: quod hic locum habeat tantum in loco consecrato, præcedentes vero habent etiam in benedicto tantummodo, prout colligitur ex cap. Consuluisti, & cap. Si Ecclesia, De consecr. Ecclesiæ vel altaris. Ratio vero est: quod ex parietibus pendeat quidem consecratio iuxta iam dicta; non tamen benedicto, quia id quod benedicitur est loci solum, vt patet ex cœmiteriis.

187. Quorum benedictionẽ non esse absimilem benedictioni Ecclesiæ, significatur in cap. Vnico, De consecr. Ecclesiæ in 6. cum statuitur 1. polluta Ecclesia, cœmiterium illi cõtiguum pollui: non contra, polluto cœmiterio pollui Ecclesiam: quia accessorium sequitur principale, non contra. Secundo, cœmiterium sciunctum ab Ecclesia, non pollui ea polluta. Tertio, si sint cœmiteria distincta, licet sint ita coniuncta vt solo pariete diuidantur, vno polluto non pollui alterum, etiamsi per portam intermediam ex vno ad alterum pateat accessus. De qua porta Suarez loco. cit. monet; si spatium quo continetur sit vtrique cœmiterio commune, illud ex eis pollui in cuius propinqua medietate, tanquam ad illud attinente, crimen committitur: sin committatur in vtraque medietate vtrumque pollui. Quod si porta ipsa sit vnius tantum eorum propria, id ipsum tantum pollui.

Cæterum hactenus dicta non extendi ad oratoria aliaue loca, nec consecrata nec benedicta, consequens est ex eo, quod ante memorata iura sint concepta tantum de locis consecratis aut benedictis: quod ibidem quoque notat Suarez.

SVMMARII PARS TERTIA.

188 *Necessarium est altare ad Missæ celebrationem: quod esse potest aut fixũ aut portatile: sine quoru altero celebrare peccatum est mortale.*

189 *Ex qua materia & quanta magnitudinis debeat esse altare.*

190 *De eiusdem consecratione & mystica significatione: & de dissecutate, an ad talis consecrationis substantiam pertineat vt in eo ponuntur reliquiæ.*

191 *De altaribus in ordine ad locum in quo erigitur, si fixum sit, aut assumitur ad celebrandum, si sit portatile.*

192 *Per eius rem fractionem, altare tam portatile quam fixum amittit consecrationem: & fixum adhuc per tabulæ consecratæ remotionẽ à structura cui superponitur: Ecclesia vero nullam inde facit iacturam consecrationis.*

193 *Cuius authoritate edificari possit altare.*

194 *De pallis seu mappis necessariis in altari ad celebrationem Missæ.*

195 *De corporalibus, quale esse debeat.*

196 *De lucernis ardentibus requisitis in altari tempore celebrationis Missæ.*

197 *De Missali & cruce item requisitis.*

198 *De calice & patena cum altari requisitis ad celebrationem Missæ, ex qua materia esse debeant.*

199 *In eis consecratio cessat per ipsorum fractionem. An etiam per ipsorum deaurationem.*

200 *Quando calix amittat consecrationem per separationem cuppæ à pede.*

201 *Consecratio vasis in quo sacræ hostiæ ad populi communionem consecrantur & conseruantur, esse potest sine chrismatis vnctione.*

202 *Quas res sacras omnes possint tangere, & quas non possint.*

203 *In horum posteriorum numero est corporale: & à quo ipsum lauari debeat.*

204 *Illicitum est ad vsus profanos vti rebus sacris: & de prohibitione ne mortui obluantur sacra palla.*

205 *Res sacras, ne quidem amissa consecratione, reducere licet ad vsus profanos: & quæ res ex profanis possint sacræ fieri.*

206 *Quæ in Missa concurrant ad illius constitutionem, sunt tum verba tum facta.*

207 *Obligatio recitandi omnia, quæ ritus celebrandi continet in Missali: quodque ea sit subtilis: à quo excusat, non modo inconsideratio sed etiam materiæ leuitas: & quomodo.*

208 *Sitne obligatio dicendi Missam, quæ pro die in Missali præscribitur: & quid agendum cum aliquid est omissum.*

209 *Non licet verba addere ad ea quæ præscripta sunt in Missali dicenda celebrando Missam: & quando talis additio peccatum sit mortale.*

210 *Vtritus in Missali præscriptus debet sub peccato seruari sine diminutione aut additione quoad verba, ita & quoad facta seu cæremonias: & quatenus tale peccatum sit mortale.*

211 *Quatenus Papæ dispensatione, aut necessitate vrgente, possit ab eo excusatio esse.*

212 *Modus pie obseruandi quæ ad ritum celebrandi spectant.*

213 *Documenta aliquot de defectibus contingentibus in Missæ celebratione.*

De altari necessario ad celebrationem Missæ.

SECTIO V.

ALtare necessarium esse ad celebrationem Missæ, multorum Patrum authoritate Suarez ostendit *disput. 81. sect. 5.* Ratio vero patet: quia celebratio ipsa Missæ instituitur ad conficiendum & offerendum nouæ legis sacrificium consecratione Eucharistiæ. Igitur pro communi ratione sacrificii, illa requirit altare. Quod potest esse duplex, vnum quod in cap. finali De priuilegiis in 6. viaticum dicitur, & vulgo portatile: eo quod possit de loco in locum transferri. Alterum quod dicitur stabile seu fixum, eo quod à loco in locum non moueatur. Constat autem vno integro lapide (qui mensa altaris dicitur) aliis lapidibus superædificato. Idque interdum est consecratum: & tunc in eo celebrare licet sine altari portatili. Interdum vero non est consecratum, & tunc ad celebrandum in eo, altare portatile (quod nequit esse non consecratum) est necessarium: quia peccatum est mortale celebrare Missam absq; altari consecrato: vt à Doctoribus receptum esse Suarez *loco citato col. 5* notat. Pro quo facit consuetudo, qua nec Episcopus nec Papa solet in ea re dispensare. Id enim ostendit magnam illius grauitatem, atq; adeo sufficientiam ad mortale. 188. 189.

Notandum autem est primo, quodcumque altare consecratum debere esse lapideum, iuxta cap. Altaria 1. De consecr. dist. 1. ideoque portatile sicut nequit esse non consecratum, ita nec esse nõ lapideum: etsi nihil obstet, quin habeatur inclusum in lignea aut alterius materiæ tabula. Non cõsecratum altare vero, potest esse ex ligno. Immo, *vt Suarez loco citato sub initium monet*, nec necesse est in altari fixo cõsecrato totum eius ædificiũ lapideũ esse: sed quo ad partes remotiores ligneũ aut terreũ esse posse, dũmodo superior mẽsa, *quæ sola consecratur*, sit lapidea. In altari autem portatili est sa,

necessa-

necessario curandum, ipsum tantæ longitudinis & latitudinis esse, vt capere possit pedem calicis & patenam cui hostia consecrata superponitur. Quamquã ex communi Doctorum sententia, *vt aliquot commemoratis Suarez ibidem*, satis est, vt quoad eorum partem maiorẽ super illud collocari valeant firmiter, & sine vllo periculo cadendi.

190. Notandum est secundo, ad consecrationem altaris duo requiri; vnctionem chrismatis, & benedictionem Sacerdotalem, vt habetur expresse in cap. Altaria secundo, De consecr. dist. 1. his verbis: Altaria placuit non solum vnctione chrisinatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.] Quæ benedictio fit partim aquæ benedictæ aspersione, partim signo crucis, & partim certis orationibus, quæ habentur in Pontificali. Solus autem Episcopus potest consecrare altare, ex cap. Quamuis, dist. 68. cap. Nullus Presbyter secundo, De consecr. distin. 1. etsi possit Papa id simplici Sacerdoti committere: quia illius prohibitio tantum est de iure canonico, cui Papa non subiicitur, sicut eo inferiores Episcopi subiiciuntur: qui proinde non possunt illam suam potestatem committere non Episcopo: cum ius commune talem solis Episcopis permittat.

Cæterum altare lapideum significat Christum, iuxta illud ad Ephes, cap. 2. Superædificati super fundamentum Apostolorũ & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu,] atque iuxta illud Apoc. 6. Vidi subtus altare animas interfectorum.] Vbi per altare Christũ significari, habet ex D. Anselmo Bellarm *in tomo 1. cõtrouer. controuersia 7. lib. 1. cap. 3. in fine:* quia Sanctorum Sacrificia, siue laudis, siue orationis, nõ placent Deo, nisi super eo altari ponantur, id est, per Christum offerantur. Ideo vero, *addit ille*, Sancti sub altari esse dicuntur, quia Christo inferiores sunt loco & dignitate, eiq; sua præmia referunt accepta, quoniam sub ipsius protectione vicerunt.

Porro difficultas est, An ad substantiam consecrationis altaris pertineat, vt ponatur in eo aliquæ Sanctorũ reliquiæ. De qua Authores in vtramque partem Azor refert *1. par. lib. 10. cap. 27. quæst. octaua*: affirmantemque sequitur per cap. Placuit, De consecrat. distinct. 1. concludens vbi sacræ reliquiæ haberi non possunt, altaria nõ esse consecrãda sine Papæ authoritate. Negantẽ vero Suarez *in supra citata col.* 5. approbat, inquiens citato canoni Placuit derogatum esse consuetudine, eo quod in tanta altariũ multitudine nõ potuerit cõmode illius præscripto satisfieri. Cui ita assẽserim, vt nolim negare eum dem canonem retinere vim suam obligandi in conscientia quando potest cõmode ei satisfieri. Moueor recepto vsu orationis, qua Sacerdos tangens altare dicit: Oramus te Domine Iesu Christe per merita Sanctorũ quorum reliquiæ hic sunt, &c.] Quia vero impossibilium non est obligatio: non obstat ille vsus quin altaris consecratio possit esse absque appositione reliquiarũ. Id quod Angelus *in verbo Altare* § 3. confirmat ex rubrica, in antiquis Missalibus præscribente, vt si reliquiæ nõ fuerint, omittatur particula prædictæ orationis *Sanctorum quorum reliquiæ hic sunt*] De eo quod idem ibidem habet non esse ponendũ corpus Christi pro reliquiis, cum eæ haberi nequeunt, vide Azorium *in sequenti quæst. nona.*

191. Notandum est tertio, ad licitam celebrationem Missæ, nihil referre sitne altare fixum, an portatile: dummodo sit consecratum, neque obstet circumstantia loci, iuxta doctrinam superius de ea traditam. Aduerte autem ad altaris fixi consecrationem, *prout constat ex communi vsu Ecclesiæ*, requiri vt ipsum sit erectũ in loco sacro, si non consecrato saltem benedicto: eaque de causa, vbicumque est tale altare ibi, si cætera necessaria adsint, potest licite celebrari Missæ sacrificium. Ac etiã polluto tali loco, polluitur ipsum altare: & vicissim hoc polluto, ille polluitur, prout ex Panormit. *ad cap. Proposuisti, De consecrat. Eccles. vel altaris*, habet Sylu. *in verbo Altare quæst.* 11. quia pollutio est totius loci sacri, etiamsi crimen illam inducens, in vna tantum illius parte cõmittatur. Qua tamen in re aduerte porro, diuersam rationem de esse pollutione per destructionẽ parietũ loci sacri (quæ proprie non est pollutio *vt iam antea monuimus*, sed amissio consecrationis ob sublatum illius fundamentum) quia sicut ex euersione parietũ loci consecrati, necesse nõ est sequi euersionẽ altaris in eo erecti: ita nec ex amissione consecrationis per eandem euersionem, sequi amissionem consecrationis altaris: adeout restauratis talibus parietibus, & interueniente saltem benedictione loci, possit Missa in illo altari celebrari absque alia Episcopi licentia. Quoquidem habet etiam locum in altari portatili consecrato: itaut si locus sit sacer, liceat celebrare cum illo absque licentia Episcopi, prout ostendit vsus communis consentaneus cap. Concedimus, De consecrat. distinct. 1. Non item si locus sacer non sit, vt satis constat ex antedictis de circunstantia loci ad licitam Missæ celebrationem requisita.

Notandum est quarto, commune esse vtrique altari, vt 192.
factum enormiter, consecrationẽ amittat, enormis autem fractio censetur (prout habet Henriquez *lib. 9. cap. 28. §. 1.*) quãdo nulla integra pars illius manet, quæ sufficiat ad capiendum pedem calicis & patenam sine periculo labendi, aut quando cornua quæ inunguntur fuerũt fracta: aut quando signum sepulchri, seu repositorij, in quo reliquiæ sunt repositæ, amouetur loco aut frangitur, ex communi Doctorum sententia: *prout Henriquez ipse habet in marg. lit. I, & M, aliquot citatis: quam Azor amplectitur in eodem cap. 27. quæst. 12.*

Peculiare est vero altari fixo, vt etiamsi nihil iam dictorum in eo contingat, nihilominus amittat consecrationem per tabulæ lapideæ chrismate vnctæ, remotionem à reliqua altaris structura, cui illa superponitur. Pro quo textus est in cap. 1. cap. Quod in dubiis & cap. Ligneis. De consecr. Ecclesiæ vel altaris. Quæ remotio (vt ex glossa ad illud cap. 1. & ex Palud. ac ex aliis Suarez habet *disput. 81. sect. 5. col. 4.*) non cõsistit in prædictæ tabulæ translatione de loco in locum: sed in separatione illius à structura cui superponitur: itaut si vtraq; simul absq; separatione vnius ab altera transferretur, maneret consecratio: non item si tabula manente immota, à structura cui superponitur detraheretur aliquid, per quod fieret separatio.

Cæterum ex sic contingente amissione consecrationis altaris, Ecclesiam in qua erectum est non amittere suam, habetur aperte ex eod. cap. 1. per quod illud, *De consecr. dist. 1. c. Si motum fuerit altare* denuo consecretur Ecclesia, limitandum est, vt intelligatur de Ecclesia, quantum ad altare. Quod autem visum est nonnullis isto quoque modo altare portatile amittere suam consecrationem per remotionem à theca lignea cui includitur, pluribus refutatum, videri potest apud Sylvestrum *in verbo Altare num. 9.* Cui assentiuntur Suarez *loco citato*, & Azor *in eodem cap. 27. quæst. 12.* excipiens casum in quo reliquiæ essent repositæ in ipsa lignea theca: qui casus non nisi rarus esse potest: cum iam, *etiam absque tali theca*, altaria portatilia passim habeantur, & conuenientius sit in ipsa tabula lapidea reliquias reponi, quam in tali theca.

De eo, quod in Ecclesia consecrata nullus possit fixum 193.
altare erigere sine consensu Episcopi, textus habetur ex cap. Nullus Presbyter, De consecrat. distinct. 1. & ex c. Quamuis, dist. 68. Quodque tale demoliri, sit Episcopi, intelligitur ex cap. Placuit, eadem distinct. Quod verò ante consecrationem Ecclesiæ quilibet Sacerdos possit in ea altare fixum non consecratum erigere, habetur ex glossa 2. ad citatum cap. Quamuis. Adde ex Azorio *in præcid. qu. 6.* quod eodem iure possit & illud demoliri. Aduerte etiam cum dubitatur de altari, an sit consecratum, debere consecrari, iuxta cap. Ecclesiæ, adhuc eadem distinct. Aduerte itẽ quod Suarez tractat *in fine citatæ sectionis quintæ*, de situ altaris in Ecclesia, vt respiciat Orientem, nihil esse præceptum: etsi ob consuetudinem plurium locorum, illum seruari conueniat cum commode potest.

De rebus in altari aut cum altari necessariis ad Missæ celebrationem.

Sectio VI.

Ex Ecclesiæ recepta consuetudine necessariæ sunt in al- 194.
tari ad licitam Missæ celebrationem duæ pallæ (de quo nomine videri potest Azor loco infra citando) seu mappæ aut tobaliæ, *vt vocant*, super illud extẽsæ referentes lintea mina quibus Christi corpus inuolutum fuit, *vt habet Sylvester in verbo Corporalia num. 1.* Illas autem benedictas esse, nõ ita requiritur, quin possint in necessitate suffi. ere, mappæ laicorũ,

quibus deinde valeant domi vti, eo quod non sint diuino cultui dicatæ, sed pro tempore necessitatis ad illum assumptæ. Quæ doctrina est Sylvestri *in verbo Benedictio quæst. 5.* Qui in verbo Missa 1. *quæst. 2. versu. Secundum*, etiam docet quod vna sufficiat, dummodo duplicata: quæ aliter non referret linteamina ante memorata, de quibus Scriptura loquitur plurali numero Ioannis 20. neque etiam superaddito corporali, mysteriũ sanctæ Trinitatis sufficiẽter repræsentaret.

Ex pura tela autem, nec colore tincta, neque ex serico eas debere esse, vsus communis satis ostendit. Graueque peccatũ esse absque illis Missam celebrare Suarez habet *disp. 81. sect. 6. col. 3.* quia magna reuerentia & indecentia committeretur contra indubitatam Ecclesiæ consuetudinem.

195. Vltra eas ipsas pallas, in altari necessarium est corporale, seu linteũ illis superpositum in quo Missam celebrans reponit sacrosanctũ Christi corpus. De illo præceptũ habetur in cap. Consulto, De consecr. dist. 1. his verbis: Consulto omnium statuimus, vt sacrificium altaris non in serico panno, aut intincto quisquam celebrare Missam præsumat, sed in puro lineo vel linteo ab Episcopo consecrato: terreno scilicet lino procreato atque contexto, sicut corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit.] Vbi aduerte quia talis consecratio fit sine vnctione chrismatis, eam fruquenter committi Sacerdotibus inferioribus Episcopo, vt commissa est plerisque Superioribus religionum. Eamdem vero consecrationem corporale retinet, quandiu manet integrum nec ruptum notabiliter *ex Sylu. in verbo, Corporalia, quæst. 2.* adeout post lotionem non sit rebenedicendum, *vt idem ibid. addit.*

Aduerte præterea difficultatem esse: An corporale possit fieri ex tela cannabea. Eam Azor proponens *in 1. par. lib. 10. cap. 28 quæst. 8.* partem affirmantem tenet *cum Tabiena nu. 10. & Armilla nu. 6. in verbo Missa*: quia licet cãnabis à lino specie differat, nihilominus vsus telæ ex illis confectæ, idem est in vestibus intimis, in mantilibus, & id genus aliis. Vnde consuetudine receptum est, *quod idem Azor notat*, vt non modo mappæ altaris sint ex tela cannabea, sed etiam corporale (sic ex eo dictum, quod referat sindonem mundam, cum qua corpus Domini fuit traditum sepulturæ) cui consuetudini memoratum cap. Consulto, censeri potest non aduersari obillam disiunctionem, *lineo vel linteo.*

Cæterum si in reliquis altaris ornamentis munditia exigitur tum iure naturali, ad decentiam & reuerentiam: tum etiam scripto in cap. 2. De custodia Eucharistiæ; maxime in corporali, quod attingit proxime corpus Christi: itaut in sacrificando vti illo enormiter immundo peccatũ sit mortale, vt ex Caiet. & Sylu. Suarez habet *in citata sect. 6. col. penult.* Addens tamen non committi pluspuam veniale si immunditia non sit nimis enormis: & ex mera necessitate, vitatoque scandalo & contemptu contingat eo vti.

Nota autem, quod idem Suarez obseruat *loco citato*; vsũ obtinuisse vt corporale diuisum sit in duas partes; quarum altera maior est, in qua mappus superextensa reponuntur hostia & calix: eaque retinet corporalis nomen: nec dubiũ est, in eam conuenire proxime dicta: altera verò minor (dicta parua palla in Missali Romano) qua calix cooperitur. Id quod pertinere ad munus corporalis, patet ex eo quod idem habet, olim fuisse vnicum corporale oblongum super quod corpus & sanguis Christi reponebantur, & reliqua eius parte coopericbantur. Vnde intelligitur eamdem minorem partem, sicut & maiorem debere esse lineam ac benedictam. Et ita vsus Ecclesiæ habet: eaque ideo fieri consueuit ex aliqua portione corporalis complicata & conuenienter composita. Etsi, *vt Suarez addit*, in parte exteriori qua non tangit calicem, potest serica esse & auro elaborata: vt & corporales in suis marginibus, licet in medio non possit ex Missali Romano *in rubrica De def. ctibus in ministerio occurrentibus, non proceul ab initio.*

Porro peccatum esse mortale absque corporali celebrare Missam, ibidẽ Suarez probat: quia id fieret contra præceptum & communem Ecclesiæ consuetudinem in re valde graui, multumque pertinente ad sacrosanctæ Eucharistiæ reuerentiam.

196. Viterius in altari ad licitam celebrationem Missæ requiritur lucerna aliqua ardens: siquc absque ea celebretur, peccatum mortale committitur: iuxta cap. finale, De celebr. Missarum: vbi inter excessus graues cuiusdam Presbyteri, ponitur, quod sine igne sacrificabat. Ita omnes docere notat Suarez in præcedenti col. 4. vbi & ostendit antiquam esse Ecclesiæ consuetudinem non sacrificandi absque lucerna ardẽte. Ex qua autem materia debeat esse talis lucerna, memoratum ius non determinat: ideo standũ est consuetudini, qua dum Missa celebratur, candela cerea accensa esse solet. A qua consuetudine etsi discedendum nõ sit: tamen à mortali, *vt col. 5. Suarez addit*, is excusari potest, qui sine scandalo & contemptu, nullatenus valens habere candelam ceream; illius loco in necessitate vteretur lucerna ex oleo, quæ solet passim adhiberi ad lucendum coram sacro sancta Eucharistia. Vti vero lucerna ex sebo aut alia pinguedine, tãquam alienum ab omni consuetudine Ecclesiæ, nullo modo licet. Porro vnam tantum candelam ceream habere accensam in Missa parum est: habere duas sufficit: nec obstat habere plures, dummodo seruetur quod Concilium Trident. præscribit sess. 22. in decreto, De obseruandis & vitandis in celebratione Missæ, ne certus aliquis earum numerus superstitioso cultu adhibeatur.

Amplius in altari requiruntur Missale & crux. De hac patet: quia ritus celebrandi qui in Missali Romano traditur, continet aliquas cæremonias quæ præsupponunt crucem esse in altari. Nihilominus vt annotat Suarez *in sequenti col. 6.* sine ea celebrare non esse de se peccatum mortale: quia non satis constat eam requiri de præcepto; neque apparet omissionem illius talem esse quæ coniunctam habeat magnam Eucharistiæ irreuerentiam: vt nec omissiones multarum cæremoniarum in eodẽ Missali præscriptarum. 197.

Missale autem requiri, etiamsi quis totã Missam memoria teneat, expressum est in Missali Romano §. *De defectibus in ipso ministerio contingentibus, sub initium*: eamque esse sententiam omnium habet Suarez col. 5. quam confirmat Ecclesiæ vsus. Et ratio suadet: quia memoria labilis esse solet, nec debet Sacerdos exponere se periculo aliquid omittendi, præsertim ex canone: nec refert quod idemmet canon memoriter dici possit præsente Missali: quia tunc si quid erroris aut perturbationis contingat, facile suppleri potest & emendari; non item absente Missali. Deinde esto, quod aliquis tam fœlicis memoriæ inueniatur, vt possit totam Missam dicere absque Missali; id tamen adeo rarum est vt non obstet, quin lex de ipso adhibendo vniuerse obliget, tanquam posita de eo quod communiter, & vt plurimũ requiritur. De grauitate vero peccati, q. illius transgressione committitur, ratio peculiaris iudicandi sumitur ex magnitudine periculi, aliquid omittendi iudicio prudentis notabile, in irreuerentiam sacrosanctæ Eucharistiæ quando quidem Missale requiritur tantum, ad vitandum illud, non autem ad aliquot altaris ornamentum, aut ad aliquam spiritalem significationem.

Cum altari, ad licitam celebrationem Missæ requiritur calix consecratus cum patena consecrata, ex cap. Vasa, De consecr. dist. 1. quorũ ille dicitur significare sepulchrũ Domini: & hæc lapidem eidem sepulchro superpositum. Fieri autẽ debent ex auro vel argento, aut saltem ex stanno, non ex alia materia, ex cap. Vt calix De consecr. distinct. 1. cuius hæc sunt verba. Vt calix Dominicũ patena, si nõ ex auro est, tamen ex argento fiat. Si quis autem, tam pauper est, saltem vel stanneum calicẽ habeat. De ære aut ex aurichalco nõ fiat calix, quia ob vini virtutem, æruginem facit, pariterque vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo aut vitreo calice præsumat Missam cantare. Ex quibus verbis licet intelligere vsum calicis plumbei non esse ferendum: cum plumbum sit metallum diuersæ rationis non modo ab auro & argento, sed etiam à stamno: & adferat eadem incommoda, quæ aurichalcum, prout Suarez argumentatur *in sepe citata disp. 81. sect. 7. col. 2.* In sequenti approbans quod apud nonnullos est in vsu, vt in calice cupa sola sit ex auro vel argẽto, & reliquum ex aurichalco. Nam id esse illicitũ conuinci non potest ex canone recitato: præsertim cum ipsa tantum cupa sit, quæ proxime deseruit vsui sacramẽti: reliquæ enim partes calicis, illius tantum gratia, ad talem vsum concurrunt. excepta patena, quæ proinde non potest esse alia quam aurea vel argentea vel stamnea, vt nec prædicta cupa. 198.

Quod

Quod ad eorumden (calicis inquam & patenæ) consecrationem attinet: ea non est contenta corporis & sanguinis Domini contactu, sed requirit Episcopi ministerium, à quo ipsa perficiatur per vnctionem chrismatis & benedictionem specialem, qualis habetur in Pontificali. Quodquidem ministerium Episcopus nequit (*vt nec consecrationem altaris*) alteri quã Episcopo in sua diœcesi committere: neque Papa id consueuit, etiam si possit. In eoque differentia est inter benedictiones simplices, & eas quæ fiunt cum vnctione chrismatis: quod illæ committi soleant hæ non item. Atque peccatũ mortale esse, sine calice & patena consecratis Missã dicere, patet ex eo quod cõmittens illud, censeatur dignus depositione ab officio & beneficio, ex cap. finali, De celebr. Missarum: Accedit, quod propius inseruiant sacrosanctæ Eucharistiæ, quam altare: sine quo celebrare mortale esse ante habitum est.

199. Cessare autem in eis ipsam consecrationem si frãgantur notabiliter; ita nimirum vt amittant formam & quantitatem necessariam ad conuenientem eorum vsum; perinde constat ac de altari. Sed dubitatur: An per interiorem deaurationem calicis, & superioris superficiei patenæ, amittatur consecratio. Ad quod dubium Suarez *in citata sect. 7. col. 4.* respondet amitti: itaut debeant consecrari denuo. Ratio est, quia talis consecratio fit præcipue ob contactum corporis & sanguinis Domini nostri: ac superinducta deauratione intra calicem aut supra patenam (quia aurum additum non est consecratum) in illis deest conditio consecrationis, requisita ad contactum corporis & sanguinis Domini. Noua igitur cõsecratione tũc est opus: nec dici potest manere cõsecrationẽ nõ obstãte deauratione, qua modicũ auri, magnę quãtitatis argẽteo calici aut patenæ additur, cũ in eo principale ad se trahat accessoriũ: prout fit quãdo modicum aquæ cõmunis admiscetur magnæ quãtitati aquę benedictæ. Dici inquã nõ potest: qa principale in hoc negotio nõ est spectãdũ ex materię quãtitate: sed ex rei cõsecratę vsu: itaut principale in ea esse cẽseri debeat, q; proxime instituitur ad corpus & sanguinẽ Christi continẽdum ac contingẽdum. Quę doctrina sequẽda est in praxi cũ sit tuta, & contraria periculosa. Sed quæres, quomodo ergo calix aut patena si iam deaurata fuerint quando consecrantur, nõ amittãt consecrationem amissione deaurationis. Respõdetur id fieri quia consecrantur secundũ se tota, & ideo retinent consecrationẽ, quamdiu non patiuntur materiæ suæ deperditionem, ex qua reddantur inepta ad vsum in quem sunt instituta: prout antea dictum est de aliis rebus sacratis.

200. Dubitatur præterea: An in calice consecratio amittatur per separationem cupæ à pede. Distinctione autem respondendum videtur, sicut respondet Suarez *in eadem sect. 7. §. Rursus inquiri.* Vel enim in calice, pedi sic cupa coniungitur, vt non valeat ab eo separari absque fractione; tunc per separationem cessat in eo consecratio: perinde ac cessat in altari fixo per separationem tabulæ à reliqua structura cui superponitur: vel eo artificio pedi cupa innectitur, vt possit absque fractura separari, vt in calice quem vocant tornatilem: atq; in tali nõ cessat cõsecratio, separatiõe cupæ à pede: itaut opus non sit noua, quando iterum coniunguntur; quod in vsu seruatur vt Fumus in Armilla verbo Calix num. 2. notat approbatque, ac cum eo Azor *in citato cap. 28. quæst. 7.* notans in ea separatione idem vsuuenire ac si sacræ vestis partes connecterentur funiculis: quarum solutione illæ separarentur quidem, sed quia separatio esset sine fractione, colligatæ iterum ad vestis compositionem, non esset opus noua illius benedictione. Et certe si necessarium esset talem calicem, quoties in eo cupa separatur à pede, consecrari de nouo frustra adhiberetur in eo tale artificium, cum quo tanta esset incommoditas. Sicut igitur altare portatile consecratur cum intentione, vt loco moueri possit absque detrimento consecrationis: ita etiam calix tornatilis, vt cupa possit à pede separari.

201. Dubitatur demum An vas in quo Christi corpus pro communicaturis consecratur aut conseruatur debeat perinde consecratũ esse ac debent calix & patena. Qua de re pluribus Suarez in fine eiusdem septimæ sectionis. Tenendum est autem primo, consecratum esse debere, iuxta illud quod in Missali Romano præscribitur *rubrica 2. De ritu celebrandi Missam*: vt si Sacerdos plures hostias cõsecraturus sit pro communione faciendas: quæ ob quantitatem super patenam manere non possint, collocet eas super corporale ante calicem aut in aliquo calice, vel vase mundo cõsecratõ, illas ponat retro post calicem & alia patena cooperiat. Secundo non esse necessarium talis vasis consecrationem factam esse chrismatis vnctione. Ratio est: quia in Pontificali Romano tantum ponitur simplex illius benedictio: vnde existimandum est quod ea sufficiat. Tertio consentaneum esse vt fiat ex eadem materia ex qua calicem fieri ius præscribit ordinariaque fit ex argento: cuius locum ob paupertatem stamnum tenere potest.

Appendix ad antedictas de veneratione & reuerentia deferenda rebus sacris ad celebrationem Missæ licitam; requisitis.

Sectio VII.

SVarez in memorata *disput. 81. sect. 8.* lõgũ sermone de hac re instituit: sed attigisse illa quæ is habet columna 6. & tribus sequentibus sufficere potest ad nostrum institutum. 202.

Primum est ornamenta omnia altari & Sacerdotibus necessaria ad licitam Missæ celebrationem, quantumcumque benedicta sint, tangi posse à laicis, etiam fœminis, nisi benedicta sint cum chrismatis vnctione, vt calix & patena: aut attingant immediate corpus Christi vt corporalia. Quæ exceptio additur congruenter cap. Sacratas, dist. 23. in quo talia tangi prohibentur, etiam à fœminis sacris seu monialibus. Quod autem laicis sit licitus aliorum vestimentorum contactus, vsus communis ostendit. Contra quem tamen facere videtur cap. Vestimenta, De consecr. dist. 1. in quo de vestimentis Ecclesiæ, quibus Domino ministratur & sacrata debent esse, generaliter statuitur non debere contingi, nisi à sacratis hominibus. Sed aduertendum est, illic sermonem esse tantum de contactu qui ordinatur ad communem & prophanum vsum, prout patet ex eo, quod ibidem inculcatur, non esse aliis vsibus fruendũ illis, quam Ecclesiasticis & Deo dignis officiis. Cuiusmodi contactus quatenus liceat sacratis hominibus iudicandum est ex dicendis in sequenti num. 205.

Secundum est: laicũ tangendo immediate seu nuda manu calicem, patenã, aut corporalia consecrata, peccare transgressione prohibitionis Ecclesiæ: non tamen mortaliter, si scandalum absit, & contemptus: quia materia non apparet adeo grauis, vt talis prohibitio inducat obligationem sub tam graui pœna: nisi forte temere, ac sine iusta causa laicus talia tunc tangeret cum corpus aut sanguinẽ Christi continent de facto: quia inde materia efficitur grauis. Eoque nomine censeri potest statui in cap. Non oportet, dist. 23. Non oportere Subdiaconũ contingere vasa Dominica. Nã aliàs tale quid ei licet ex cap. Non licet, 2. eadem dist. & ex eo, quod in ipsius ordinatione calix ei porrigatus tangendus. Quæ facultas in eodẽ cap. extẽditur ad Acolytũ in sacrario seu loco, *vt glossa interpretatur*, in quo sacra vasa reponũtur.

Tertiũ est: quod in hac re corporalia æquiparentur calicibus, constare ex supra citato cap. Sacratas: vbi illa significantur, per sacratas pallas, vt glossa interpretatur. De eorum lotione, cum immunda fuerint, statuitur, De consecr. dist. 1. cap. Nemo. 2. vt vasa in quibus lauantur, ad id tantum munus sint distinata: item vt à Diacono lauentur, atque vt lotio non mittatur foras sed in piscinam sacram: ne forte puluis Dominici corporis male decidat. Quod quidem statutum omnino seruandũ esse in prima lotione, merito monet Sylu. *in verbo, Corporalia, quæst. prima*: siquidem ob tactam rationem ipsum nulla consuetudine potest quoad eam ablutionem rationabiliter abrogari. Quoad secundam vero aut tertiã lotionem: iuxta Caietani doctrinã *in verbo. Mulieris peccata in fine*, probabile est eam ipsam licite fieri etiam à fœminis, præsertim virginibus Deo sacratis, vbi est consuetudo. Quod Suarez col. 7. ait absque scrupulo in praxi posse seruari: quia probabile est, propositam rationem tunc cessare: interuenitque rationabilis causa tangendi; quæ est, vt corporalia ipsa mundiora sint & politiora: ad quod efficiendum fœminæ solent esse industriæ. 203.

Idem quod de corporalibus Suarez post Syluestrum addit intelligendum esse de purificatoriis; quæ licet non sint benedicta, valde prope tamen attingunt sanguinem Domini: & nonnunquam forte aliquæ reliquiæ eiusdem sanguinis, aut etiam corporis Domini adhæresciunt ipsis.

204. Quartum est: nõ esse licitum vti rebus sacris ad prophanos vsus: vt v.g. vti calice in conuiuij mensa? vel corporali tanquam lintcolo cõmuni, aut sacra veste ad aliquam prophanam repræsentationem. Si enim, *ex cap. Quæsumèl, 13. quæst. tertia*, loca quæ semel monasterio dedicata fuerint, prohibitum est fieri secularia habitacula: multo magis censendum est prohibitum res sacras vsurpare ad vsus profanos: præsertim cum tale quid præ se ferat contemptum earumdem rerum talem, vt vis possit excusari à mortali, prout Suarez exprimit.

Quintum est: prohibitionem factam ne mortuus obuoluatur palla, seu mappa altaris: non obstare quin licitus sit vsus sepeliendi vita functos Pontifices & Sacerdotes indutos vestibus benedictis. Nam neque de his est illic sermo: neque vt valde indecens est vti sacra palla tanquam syndone quadam, ad nuditatem cadaueris contegendam immediate, quod obuoluendi verbum importat: ita est & corpus Sacerdotis defuncti syndone interius contectum honeste, sepulturæ mandare indutum sacerdotalibus vestibus. Sepelitio enim Sacerdotis, tanquam personæ sacræ, potest censeri actus religionis: itaut vsus sacrarum vestium ad eam adhibitus sacer haberi valeat, non profanus. Nec obstat, quod illæ per talem vsum destruantur, quia destrui iusta de causa, non est contra earum sanctitatem: vt patet ex eo, quod cõburi possint infectæ pestc, aut etiam vetustate consumptæ: prout habetur ex cap. Altaris palla, De consecr. dist. 1.

205. Vltimum est: easdem res sacras ad vsus profanos seu cõmunes amplius reduci non posse, ne quidem postquam per destructionem amiserunt consecrationẽ, benedictionemve. Ita docet D. Thomas 3 *par. quæst. 83. art 3. ad 3.* per cap. Ligna De consecr. distinct. 1. in quo prohibetur ne ligna Ecclesiæ dirutæ sumantur ad aliud opus nisi ad aliam Ecclesiã, vel ad profectum in monasterio fratrum: non vero in laicorum opera: sed potius comburenda esse. Quod autem de talibus lignis dicitur; ob rationis paritatem locum habet in aliarum rerum sacrarum materia post amissam consecrationem. Excipitur tamen casus in quo, pietatis intuitu necessitate compellente sacra vasa aurea vel argenta franguntur & venduntur ad subueniendum pauperibus, alioqui perituris fame, aut quid simile. Ea enim pietatis cum necessitate coniunctio, colloneſtat talis materiæ accommodationem factam ab emptore, ad aliquam rem qua vtatur tanquam communi, nec sacra. De quo Suarez colum. 9. vbi & approbat quod passim est in vsu, vt ex vestibus profanis pretiosis & honestis, fiant sacræ interuentu benedictionis, & per earum adaptationem ad vsum eum Ecclesiasticum in quem ordinantur. Et certe si ex materia domus profanæ dirutæ licet ædificare templum, immo & domum ipsam profanam consecrare in Ecclesiam, sicut Marcellus Papa consecrauit domum S. Lucinæ, & Vrbanus domum S. Cecilia: cur non idem liceat in vestibus, ratio dari non potest. Nec obstabit, quod tales vestes forte seruierunt vanitatibus per quas Deus fuerit offẽsus: sicut nec obstitit idololatria, quin templa idolorum abominanda conuerterentur in Ecclesias sacrosanctas: consecratione & accommdatione ad sacrum vsum, sic ea cohonestante, vt censeantur munda reddita, & ex abominandis, effecta sancta ac veneranda.

De iis quæ celebratio Missæ continet, vtra corporis & sanguinis Domini consecratio-nem.

Sectio VIII.

206. EX iis quæ in celebratione Missę concurrunt ad illius cõstitutionem, quædam sunt verba, & quædam facta; verba autẽ sunt variarum orationum prolatio, & lectio aliqua sacrę Scripturę. Facta vero, sunt genuflexiones, aliæq; id genus humiliationes, ac aliæ cęremoniæ à celebrãte obseruandæ quando & quomodo Missale edocet sub titulo ritus celebrandi Missam: ex quo addiscendæ sunt ante omnem celebrationem. De vtrisque, hoc est, tam dictis quam factis D. Thomas 3. *parte quæst. 83. a. t. 4. & 5.* illorum causas & significationes pias declarãs: & post eũ tum alij, tum nostri Patres satis plene: Bellarminus *in lib. 2. de Missa, à ca. 11. ad finẽ*, Henriquez 1. *par. lib. 9. cap. 31. & pluribus sequentibus*. Azor *in prima item parte lib. 10. cap. 34. & 35.* Gregorius à Valen. *tomo 4. disput. 6. quæst. 11 puncto 3.* & Suarez *tomo 3. disput. 83. & 84.* quos de iis consulendos ei qui volet relinquemus, contenti attigisse facientia ad rationem iudicandi de peccatis nobis propositam, quæ complectemur aliquot documentis.

Primum est: Sacerdotem teneri in Missæ celebratione 207.
recitare omnia quæ ad illius ritũ pertinere habetur ex Missali Romano. Hęc satis patet ex eo quod Pius quintus in bulla præfixa eidem Missali, mandet, ac stricte omnibus & singulis in virtute sanctæ obedientiæ præcipiat, vt Missam iuxta ritum, modum, & normam quam per idẽ Missale tradit, cantent ac legant. Circa quod præceptum Suarez *disput. 83. sect. 3.* annotat. Primo, eos qui iuxta memoratam bullam possunt retinere Missale ducentis annis ante eamdem apud suos vsu receptũ, teneri seruata proportione dicere ea quæ in Missali sibi permisso dicenda traduntur. Secundo, idipsum præceptum obligare sub mortali, quia datum est in virtute sanctæ obedientiæ, & de re graui: vtpote spectante ad nobilissimi cultus diuini ordinatam, ex diuersi generis partibus religioso artificio compositionem. Excusatio tamen in eo habet locum, sicut & in multis aliis præceptis, tam ex inconsideratione naturali, quam ex materiæ paritate: vt quando leue est quod de eodem ritu omittitur, etiamsi id fiat in canone: in quo sicut nõ repugnat dari excusationem per inaduertentiam; ita nec per materiæ leuitatem. Licet, cum ex communi Ecclesiæ sensu, sit obligatio illius integre recitandi, quam cæterorum, ob immediationem coniunctionem cum consecratione: merito eiusdem minor pars omissa, quam cæterorum, censeri potest sufficere ad mortale, ex notabiliter mutilata integritate celebrationis. De qua notabili mutilatione, aduerte eam contingere posse ex defectu partis non admodum magnæ quantitatis quidem, pertinentis tamen peculiariter ad Missæ integritatem, sicut lectio Euangelij. v.g. pertinet.

Annotat tertio, optimum esse quidem dicere Missam 208.
q̃ pro vnoquoq; die Missale assignat: nihilominus (*nisi aliud suadeat alterius diei solemnitas*) accipi posse aliam ab eo quibus libere, & tantum pro arbitrio dicis priuatam: quia cum sit liberum illam omnino non dicere: & aliam dicere. Parochialem autem, vt Parochialem vel Conuentualem dicturus, non potest vti ea libertate, prout deduci potest ex cap. Quidam laicorum, & ex cap. Cum creatura, De celebr. Missarum.

Annotat quarto, eum qui ob acceptum stipendium aut capellaniã tenetur certam Missam dicere, ita teneri obligationem eam implere: vt si cõmode possit cessante scandalo, non impediatur se conformare Missali: dicendo Missam quam pro eo die assignat: maxime si dies sit festus.

Annotat postremo, cum aliquid in Missa omissum & ex naturali obliuione, id aliquanto post veniens in mentẽ non esse necessarium dicere cum perturbatione ordinis, qua tollatur cohærentia, artificio mire atque religioso constituta, partium celebrationis Missæ. Excipe, nisi id quod omissum est sit de substantia sacrificij: quia talis omissio debet necessario suppleri.

Secundum documentum est: Peccatum esse, in Missa 209
ex propria deuotione addere verba, præter ea quæ præscripta sunt dicenda, secundum Ecclesiæ ritum. Ratio est: tum quia id expresse prohibetur à Cõcilio Trid. in sess 22. decreto De obseruãdis & euitandis in celebratione Missæ. Item quę à Pio quinto in ante memorata bulla, districte ac virtute sanctæ obedientiæ. Vnde satis intelligitur peccatum esse mortale, illudque deterius, quam memoratum in præcedenti documento, tanquam magis iniuriosum Ecclesiæ: & expositum periculo superstitionis & erroris. Quamquam in eo ex materiæ leuitate excusationem locum habere non repugnat: quæ in eo non satis facile inuenitur, ob iniuriam quæ infertur Ecclesiæ, vsurpãdo potestatem ipsi propriam, ordinandi de iis quę ad ritum celebrandi pertinent. Quę ratio cum cesset quando quis ex deuotione, orationibus in

Missali designatis, addit alias quibus oret, non vt publicus Ecclesiæ & altaris minister; sed vt persona priuata (prout fit in vtroque Memento) cessat quoque illa facilitas constituendi materiam grauem ad mortale sufficientem: quando abest probabile periculum superstitionis & erroris.

210. Tertium documentum est: Eadem ratione peccatum esse ritui celebrãdi in Missali tradito aliquid omittere aut addere quoad facta, qua dictum est duobus præcedentibus documentis, quoad verba. Nam à Concilio Triden. & Pio quinto vtrumque pariter prohibetur: parque est prohibendi causa: nempe quia expedit omnino in tam graui ministerio fieri ordinate, & vitari superstitiones. Circa quod peccatum Suarez *disput. 83. sect. 2.* admonet primo, commissum per additionem actionis, regulariter mortale esse: si additio fiat animo inducendi nouum ritum pertinentem ad cultus diuini modum, qui non est in Ecclesiæ vsu, nec habet significationem specialem mysticam ab Ecclesia constitutam: tunc enim est materia grauis, tanquam superstitiosa: quæ contingens in publico grauissimoque ministerio Ecclesiastico, ex se generat scandalum. Ex paruitate verò materiæ esse tantum veniale, si quis non quidem prædicto animo, sed solum ex peculiari deuotione ad ritum Missalis addat aliquam actionem ex se bonam & religiosam: etiamsi indiscrete agat, non peccat tamen mortaliter; quia, si scandalum absit, materia est leuis.

211. Admonet secundo, commissum per omissionẽ actionis pertinentis ad ritum in Missali præscriptum: si talis actio tãtum sit cæremonia pertinens ad conuenientem modum agendi, non esse regulariter pluſquam veniale. Posse verò mortale esse si sit grauis cæremonia: qualis censetur accedẽs proximè ad substantiales, quibus consecratio perficitur: vt mistio vini & aquæ: fractio hostiæ consecratæ cum particulæ missione in calicem: panis azymus. Censetur item, quæ adeo solemnis est, & publica, vt omitti non possit absque scandalo: sicut est eleuatio hostiæ & calicis post consecrationem: est quoque stando, non autem sedendo celebrare.

Admonet tertio, ex speciali Papæ dispensatione licitam reddi posse omissionem cæremoniarum, quantumcunque grauium: nisi tales sint, quę habeantur substantiales, aut quę ad eas prope accedant, vt censeantur diuino iure necessariæ: vt v.g. consecratio vtriusque speciei; & vtriusque per Sacerdotem celebrantem sumptio. Sine tali dispensatione autem, si futura omissio sit præuisa ante Missam incœptam, hæc omittenda est potiùs quam indebita celebranda. Qua tamen in re, conferre oportet cæremonię grauitatem cum grauitate necessitatis, si quæ tunc occurrat celebrandi Missam: quia hæc notabiliter præponderans cæremoniæ, potest excusare omissionem. Sin autem futura omissio non sit ante Missam incæptam præuisa, eaque veniat in mentem solummodo post consecrationem, absoluendum est sacrificium quod substantialiter inchoatum, non debet ob ritum accidentalem dimitti imperfectum: non item si ante consecrationem ea cognoscatur, & sit omissio cæremoniæ grauis, vt mixtionis aquæ cum vino in calice, eo quod illa ibi haberi nequeat nisi cum maxima difficultate, ac nimis diu expectando. Tunc enim Sacerdos debet potius à celebratione desistere, quam vltetius progredi, & consecrare vinum sine aquæ mixtione, quia ageret contra Ecclesiæ præscriptum in re valde graui. Addit Suarez si cæremonia omissa leuior fuerit, prudenter expendendum esse, quod maius incommodum sit ministerium inchoatum reliquere, an cum tali omissione illud perficere: atque sequendum quod iudicatum fuerit minus incommodum: interea habendo semper præ oculis, vt scandalum vitetur.

212. His operæ pretium est addere quæ de debita ratione seruandi ritum celebrandi admonet P. Iacobus Aluarez de Paz *in l. 3. de vita religiosè instituenda cap. 7. his verbis*: Reuerentiam exteriorem custodies, si cæremonias ab Ecclesia institutas pulchrè, attente, grauiter, & cum quadam dignitate perficias. Si cũ caput inclinas ita inclines, vt qui Dei beneuolentiam tibi concilias. Si cum genu flectis ita flectas, vt qui Deo te submittis. Si cum hostiam & calicem benedicis, ita illa signa sacra facias, vt qui sacrificium Deo acceptissimum benedicis. Si cum verba Missæ profers, ita distincte & clare proferas, vt qui Deum ipsum alloqueris. Si denique ita omnia ibi dicas & facias, vt dignum est voce promi, & actione perfici, quæ Dei Spiritu, sanctam Ecclesiam regente, approbata sunt & instituta. Ministri Regum & Principum suas habent vrbanitatis & commitatis leges, quas nefas est præterire: quidni Ecclesia Spiritu veritatis edocta illas cæremonias instituat, quibus erga Deum officiosi & vrbani simus, & ei comiter & decenter seruiamus? Si igitur magni momenti esse videtur erga magnates huius seculi, vrbane nos habere, & in nulla re quantumuis modica ad reuerentiam eorum spectante deficere: quanti momenti est summum Deum signis reuerentiæ, ab ipsomet per Ecclesiam institutis, absque vllis defectibus honorare? Quid grauius quàm ipsi Deo per genuflexiones se submittere, & ei per hoc signum, latriæ cultum exhibere? Quid sublimius quam hostiam & calicem, in quibus Deus ipse latet, benedicere. Quid excellentius quam Deo nomine totius Ecclesiæ vota & orationes offerre? Quid mirabilius quam hostiam, cui præsens adest Filius Dei, manibus tangere & frangere: ac huc, atque illuc mouere? Hæc qui festinanter & distracte ac inconsiderate facit, magnum indicium præbet, quod lumen fidei nubibus inconsiderationis & distractionis obtentum defert.] Hæc ille: consequenter docens, argumento à minori ad maius, quod si Esther ingrediens ad regem Assuerum corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput, *vt dicitur in eius historia cap. 15.* Sique D. Ioannes Baptista non tacturus corpus Christi, sed tantum infusurus aquam ipsius capiti, stupens ac tremens dixit *cap. 3. D. Matthæi*, Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me] Si inquam hæc ita sint: certe debemus cum timore ingenti ac stupore hostiam, ipsum Christum continentem, manibus contrectare.

De remediis aduersus defectus qui possunt in Missæ celebratione contingere supereſt dicendum. Sed cũ habeantur in Missali Romano satis clarè proposita: pleniorem de eis sermonem quem habet Henriquez *lib 9. cap 36. & sequentib.* apud ipsum relinquentes videndum; contenti erimus aliquot breuibus documentis conulere timoratis conscientiis aduersus anxietatum molestias, quas tales defectus solent secum adferre in celebratione Missæ.

Documenta de Missæ defectibus, vtilia celebrantibus timoratis, ad vitandam conscientiæ perplexæ molestiam.

SECTIO VLTIMA.

213. PRimum est: Si in materia vel forma commissus sit defectus essentialis eum esse omnino supplendum. Ratio est, quia sacrificium fieret alioqui mutilum, *vt pote deficiens in essentialibus*, q̃ intrinsece malum est ac proinde omni diligentia cauẽdũ. Quis cẽseatur defectus essentialis cõstat ex dictis.

Secundum est: Si ante hostiæ consecrationem præuideatur defectus vini necessarii ad consecrationem calicis, ab illa esse omnino abstinendum, si is suppleri non possit. Ratio est: quia & tunc fieret sacrificium mutilum. Quod si post consecrationem hostiæ defectus eiusmodi detegatur, etim debite supplendum esse. Ad quod supplementum si vinum commodum nullo modo haberi posset, abstinendũ est à prolatione formæ consecrationis calicis (quandoquidem deest materia necessaria) licet procedendum sit, & Missa incœpta absoluenda: omissa tamen mentione sanguinis in locis iis canonis Missæ in quibus ea fieri solet prout habet Missale Romanum, §. *De defectu vini, in fine.* In eo casu autem, imperfectio sacrificii non imputabitur celebranti cum neque eam præuiderit antea, neque vitare potuerit postea.

Tertium est: Etsi ex citato §. De defectu vini, *circa medium*: cum iã sumpto Christi corpore, celebrans aduertit defectum in materia calicis: nempe esse aquam, aut acetum, aliudve quam vinum de vite: debeat resumere, non solum cõmodum vinum, sed etiam aliam hostiam ad consecrationem corporis Christi: nihilominus cum subest aliquod periculum scandali: ipsum contenũ posse esse sola consecratione sanguinis. Pro quo & authores & rationes Suarez habet *tomo tertio disp. 85. sect. 1.* Et certe dubium non est, quin talis

modus accommodatior sit, quam prior ille, ad cauendum ne populus defectum aduertat, & inde scandalum generetur. Neque vero eidem modo imperfectionem sacrificij obstare, hinc patet: quia ex communi omnium consensu, quando nondum consumpta hostia consecrata talis defectus contingit, is sufficienter suppletur sola consecratione calicis: quoniam vtraque consecratio concurrit tunc sufficienter ad sacrificij integritatem. Atque idem dici potest consumptaiam hostia consecratat quoniam consumptio ea nihil obstat, quin cum hostiæ consecratione censeri debeat concurrere consecratio calicis.

Quartum documentum est: Etiamsi D. Thomas, 3. *par. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 4. insinuet, quãdo post iam sumptam hostiam consecratam repetenda est consecratio calicis ob defectum materiæ interuenientem: insinuet, inquam, cum verbis eiusdem consecrationis dicenda esse iterum omnia quæ in canone sequuntur: nihilominus id non esse necessarium, prout Suarez *loco citato ante solutionem argumentorum* ex eo docet, quod non sint tunc repetenda, quæ in canone Missę precedunt consecrationem. Par enim est vtrorumque ratio: quandoquidem tam ea, seu verba seu signa, dicuntur & fiunt intentione Sacerdotis, super debita Eucharistiæ materia, quam quæ sequuntur consecrationem: ideoque si hæc tanquam indebite perfecta; sint repetenda, erunt & illa: quod non iudicatur necessarium: quia sunt sacrificio accidentalia, riteque peracta sunt quoad omnes actiones exteriores, & quoad verba omnia, quæ ex intentione proferentis vera fuerunt, tanquam relata ad verum panem, verumque vinum consecrandum.

Quintum documentum est: Cum defectus contigerit in pane consecrando, idem proportione seruata censendum esse ac dictum est cum contigerit in vino consecrando: nisi quod ordo seruandus inter consecrationes eas (vt scilicet illa panis præcedat) exigat ne mutetur, nisi vrgente notabili necessitate vitandi scandali; sed consecrationi hostiæ qua suppletur talis defectus, addatur consecratio calicis. Pro quo facit dictum in Concilio 7. Tolet. ca. 1. Sancta mysteria non posse perfecta videri, nisi perfectionis ordine compleantur.] Videri potest Suarez *in eadem sect.* 1. §. *atque ex his.*

Sextum est: Si essentialis defectus contingat in sacramentali forma (vt quia verbum aliquod ad essentiam ipsius spectans omissum est, vel talis mutatio facta est in ea, vt corruptus sit verus sensus) eadem ratione iterandam esse consecrationem ad illum supplendum: qua ante dictum est iterandam esse ad supplendum essentialem defectum contingentem in materia.

Septimum est: Si in vtriusque materiæ consecratione defectus essentialis acciderit siue ex malitia Sacerdotis, qui non habuit intentionem consecrandi, siue aliunde; post sumptam quidem eiusmodi materiam non consecratam, suppleri non posse defectum nouæ materiæ consecratione: quia hanc comitari deberet Eucharistiæ sumptio per eum, à quo consecrata est. Id autem non potest licite fieri ob Ecclesiasticum præceptum, requirens in sumente, vt sit ieiunus ieiunio naturali, qualis non est is qui panẽ & vinum sumpsit non consecratum. Ante sumptionem vero istiusmodi is, qui in casu proposito perperam egit, tenetur pœnitens de peccato admisso in eare, denuo in debita materia consecrare cum debita intentione. Quod etsi necessarium non sit ad vitandum ne sacrificium maneat imperfectum (cum ipsum minime cœperit esse) est tamen tum ad seruandum præceptum non fingendi in hoc ministerio, atque adeo nec perseuerandi in incœpta fictione: tum ad vitandum irreligiosum modum sumendi profanum cibum & potum, tanquam sacramentum quale non est: tum denum ad cauendum ne populus merum panem & vinum adoret tanquam Christum.

Octauum documentum est: Defectum in accidentalibus, id est, in cæremoniis quæ in Missa fiunt: & in verbis seu precibus quæ in ea dicuntur: magna diligentia quidem præcauendum esse; quia plena & perfecta exequutio tam sancti ministerij id exigit; postquam tamen iam commissum est, eum non esse regulariter supplendum iteratione, atque adeo præpostero ordine, posterius dicendo aut faciendo, quod prius dici aut fieri debuit. Hoc Suarez *in sequẽti sect.* 2. probat: quia talis iteratio, cum sit accidentalium, non est necessaria ad sacrificij perfectionem: necitem ad illius decorem, cum parui fiat quod accidentalia ipsa non dicantur aut non fiant suo loco ac tempore, debitoque ordine: nec demum ad eiusdem reuerentiam cum pertutbationem & populi scandalum ea adferat potius, quam deuotionem. Ideo vero dictum est *regulariter*; quia si deiterando esset iusta de causa statutũ factũ, ipsum esset seruandũ: itẽque si tã modica poneretur mora in tali iteratione vt antedicta incommoda non timerentur, ea posset vsurpari. Alia documenta non pauca quæ his addi possent, aut habentur in Missali Romano vbi legi debent: aut iam, opportunitate data, sunt à nobis in præcedentibus tradita.

Illud tantum obiter monendum restat, quod Sacerdos humorem in calice manentem post sumptionem sanguinis debeat cum magna reuerentia tractare tanquam Christi sanguinem: ac proinde primam ablutionem, *faciendum ex vino iuxta cap. Ex parte, De celebr. Missarum*, debere quoque cum reuerentia sumere. Ad quod facit quod in illa sumenda, sicut in sumptione sanguinis, calici supponatur patena: quod non fit in 2. ablutione.

LAVS DEO INTEMERATAEQVE MATRI.

LIBER

LIBER QVINTVS, ET TOTIVS OPERIS TRIGESIMVS.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

PROOEMIVM.

CONGRVENTER instituto nostro quod est tradendi rationem iudicandi de peccatis tres tractatus instituemus: vnum de ipso Sacramento Ordinis quoad se: alterum quoad illius siue suscipiendi siue exercendi impedimenta peculiaria, quæ irregularitatis nomine comprehenduntur: & tertium de cæteris, in quorum notitia consistit, maxima ex parte, ratio iudicandi de peccatis proprijs Clericorum; ad quorum initiationem à Christo, ipsum Ordinis sacramentum est in Ecclesia institutum.

TRACTATVS I.

De Sacramento ipso Ordine.

AVTHORES de Ordine tractantes suo more Henriquez refert in tomo 1. Theolog. moralis initio libro 10. In iure autem Canonico de eo agitur dist. 23. & aliquot sequentibus: ac in nonnullis titulis Decretalium: vt in tit. De ætate & qualit. ordinandorum & in tit. De temporibus ordinationum. Considerabimus autem primo ipsum absolute, secundo materiam ipsius, tertio formam, quarto effectum, quinto ministrum, sexto suscipientes, septimo obligationes circa ipsum contingentes, octauo coagmentationem status Ecclesiastici, ex initiatis ipso sacramento Ordinis.

CAPVT I.

De Sacramento Ordinis quoad se absolute.

SVMMARIVM.

1 *Nomen & definitio Sacramenti Ordinis.*
2 *Differentia Sacramenti Ordinis à cæteris Sacramentis nouæ legis.*
3 *Institutio & vnitas Sacramenti Ordinis.*
4 *Septem ordines ex quibus Sacramentum Ordinis coagmentatur.*
5 *Clericatus non est Ordo; nec Episcopatus Ordo distinctus ab Ordine sacerdotali.*
6 *Diuersus modus quo ratio sacramenti inest in sacerdotali, & in alijs ordinibus: qui non impedit quin hi sint vere sacramenta.*

DE Sacramento Ordinis quoad se absolute, declaranda occurrunt nomen, natura, institutio, vnitas, & diuersitas Ordinum, ex quibus ipsum coagmentatur.

Nu. 1. Quod igitur ad nomen attinet: sicut sacramentum Confirmationis nominatum est à suo effectu confirmandi, seu corroborandi animum per gratiam quam producit: ita istud dictum est Sacramentum Ordinis, à suo item effectu constituendi in quodam gradu, ordineque certo Ecclesiasticæ dignitatis, per potestatem quæ acquiritur illius susceptione, prout in cap. 4. dicetur.

Quod vero attinet ad naturam: sufficienter declaratur definitione tradita à Soto *in 4. distinct. 24. quæst. 1. artic. 1.* non longe ab initio: vt sit sacramentum nouæ legis, quo potestas spiritalis significatur & traditur, in ordine ad sacrosanctum corpus Christi consecrandum. Pro genere dicitur, *Sacramentum nouæ legis*: quia id illi commune esse cum sex reliquis sacramentis, certum est de fide ex Concilio Florent. in instruct. Armen. & ex Trident. sess. 7. can. 1. & sess. 23. in cuius cap. 3. verba hæc habentur: Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum vnanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri: dubitare nemo debet, Ordinem esse vere & proprie vnum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis. De qua re aduersus nostri temporis sectarios videri potest Bellarm. tomo 2. controuers. lib. vnico, de hoc eodem sacramento per aliquot prima capita.

2. Quæ vero sequuntur, ostendunt differentiam illius à cæteris; consistentem in significatione, & collatione potestatis ministerij alicuius Ecclesiastici: eo spectantis vt rite ac reuerenter sacramentum corporis & sanguinis Christi celebretur. Seu potestatis qua ex diuina institutione constituuntur in Ecclesia ministri doctrinæ Euangelicæ, & sacramentorū imprimis autem Eucharistiæ, vt quæ est sacramentorum: omnium dignissimum. De quibus ministris ait D. Paulus *in priori ad Corinth. cap. 4.* Sic nos existimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei,]& in posteriori cap. 3. Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti: non litera, sed spiritu.]

Atque ex eadem differentia alia sequitur, qua sacramentum hoc distinguitur à quinque præcedentibus. Illa enim ad propriam suscipientis perfectionem imprimis spectant, vt perspici potest ex vniuscuiusque effectu superius proposito suis locis: hoc vero, *institutum præcipue ad diuini verbi & sacramentorum ministerium rite ac legitime obeundum*, ordinatur imprimis ad aliorum salutem: nempe (iuxta illud *in priori ad Corinth. cap. 4.* In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui) vt Deo spiritales filij quasi generentur, & alantur, conseruenturque: perinde ac sacramentum matrimonij non ad propriam coniugum perfectionem institutum est proprie ac primario: sed vt filij legitime procreentur, sancteque educentur; qui sint tanquam seminarium quoddam fidelium, ex quibus Ecclesia coalescere possit, ac durare perpetuo. Verum non ideo ordinis & matrimonij sacramenta nihil prosunt suscipientibus immo prosunt maxime ex consequenti: nempe quatenus ad finē pro-

creationis,

creationis, & educationis filiorum spiritualium, aut carnalium pro Ecclesiæ propagatione, per illa iisdem suscipientibus cõfertur vberrima gratia sanctificans animas ipsorum, non minus, quam per alia sacramenta.

3. Quod attinet ad institutionẽ: sacramentum hoc institutũ fuit à Christo Domino nostro in vltima Cœna, verbis illis *apud D. Lucam. cap.* 22. Hoc facite in meam commemorationem, Jvt patet ex eo, quod Ecclesia Catholica semper intellexerit & docuerit eundem Dominum per illa, Apostolos suos instituisse noui Testamenti Sacerdotes, eisdemque & ipsorum in sacerdotio successoribus præcipisse, vt corpus suum & sanguinem sub specie panis & vini offerrent: quemadmodum habetur in Concil. Trid. *sess.* 22. 1. anathematique *in eadem sess. can.* 2. subiicitur, qui contradixerit.

Quod attinet ad vnitatem: talis huic sacramento cõuenit, vt nequeat iterato suscipi ab eadem persona: quod ei commune est cum Baptismo & Confirmatione: sicut & imprimere characterem indelebilem ex Concil. Florent. *in instruct. Armenorum*, & ex Trident *sess.* 7. *De sacramen. in genere can.* 9. Vnde sequitur id, quod habet idem Concil. *sess.* 23. *cap.* 4. *& can.* 4. rite ordinatum, non posse potestate accepti ordinis priuari. Conuenit quoque eidem sacramento illa vnitas, per quam vere & proprie vnum est ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis: iuxta idem Concil. Trident. *sess.* 7. *cap.* 1. *De sacram. in genere, & sess.* 23. *cap.* 3. Etsi enim plures ponantur ordinationes, ipsum tamen vnum est, quia omnes referuntur ad vnum finem proximum: dignam scilicet sacrificij Eucharistiæ celebrationem: perinde ac vtraque eiusdem Eucharistiæ species, est vnum sacramentum, quia ordinatur ad eundem finem proximum qui est significandi perfectam animæ refectionem.

De diuersis Ordinibus ex quibus hoc sacramentum coagmentatur.

4. QVod attinet ad diuersitatem Ordinum ex quibus istud sacramentum coagmentatur: communiter à Doctoribus (quorum plures tam antiquiores, quam recentiores Henriquez refert *in citato lib.* 10. *ad inttium* 2. *capitis*) ij numerantur septem. Primus est Presbyteri, 2. Diaconi, 3. Subdiaconi, 4. Acolyti, 5. Exorcistæ, 6. Lectoris, & 7 Ostiarij: hiq; quatuor posteriores dicuntur minores Ordines: & tres illi priores dicuntur maiores, quos *in Enchir. cap.* 22. *num.* 18. Nauarrus sacros etiam dici monet; non quod cæteri non sint sacri, sed quod ipsi maiores habeant annexum votum castitatis, ex Ecclesiæ statuto, *per cap. Nullum & cap. Decernimus, distinct.* 28. Itaut ipse suscipiens consecret se Deo, emittendo tacite votum continentiæ: per quod fit ad matrimonium inhabilis, *ex cap. vnico, De voto n* 6. *& ex can.* 9. *Concilij Trident. sess.* 24. cum aliis ibid. in marg. citatis.

5. Non desunt tamen authores (quorum meminit Henriquez *ad idem cap.* 2 §. 3. *lit. V.*) qui ad instar nouem Ordinum Angelorum distinguant nouem istiusmodi ordines: addentes supradictis primam tonsuram & Episcopatum: quia initiatus prima tonsura habet ex Ecclesiæ instituto, & priuilegio, inter Clericos gradum quemdam: secundum quem capax est iurisdictionis Ecclesiasticæ, & beneficiorum quo laici carent. Episcopatus vero diuino iure obtinet gradum per quẽ Episcopus dignitate & potestate, cæteris etiã Presbyteris, in Christi Ecclesia præeminet secundũ communẽ Catholicorum sententiam, quam aduersus hæreticos propugnat Gregorius à Valen. *tom.* 4. ad D. Thomam, *disput. nona quæst.* 1. *puncto* 2. Sed quamuis hæc ita sint: nihilominus si proprie loquamur de Ordine *prout scilicet traditur in eo potestas ad officium peculiare quod referatur ad Eucharistiæ celebrationem* prima tonsura non est talis ordo, quia tõsuratus nullum officium habet circa altaris ministerium & seruitium: vnde potest quidem ad Ordines deputatus dici: non tamen ordinatus. Episcopatus vero non est Ordo alius à sacerdotali: quia etiamsi Episcopus à Presbytero distinguatur tanquam dignitate & potestate superior: non constituit tamen nouum Ordinem: nam quantum ad Missæ sacrificium vterque exhibet idem ministerium: neque maior illa dignitas & potestas pertinet ad ipsum sacrificium: cum non faciat vt Episcopus aliquid amplius exhibeat in ministerio altaris quam Presbyter. adeout vtriusque idem sit Ordo, sicut est idem ministerium: perinde ac Lectoris & Cantoris, seu Psalmistæ, idem quoque Ordo est, eo quod sit idem officium vtriusque: quandoquidem nihil refert vtrum canendo, vel simpliciter proferendo dicat quis ea quæ in Ecclesia dici debent. Ita ex communi sententia Authoribus in margine suo more citatis Henriquez habet *in memorato lib.* 2. *cap.* 2. §. 1. *& cap.* 7. §. 2.

Neque vero obstat, quod ordinatione Sacerdotis in Episcopum, cum particulari gratia conferatur noua potestas sacramentalis administrandi ex officio, tum hoc ipsum sacramentum Ordinis, tum etiam Confirmationem. Nam in Sacerdotis quoque ordinatione, ad gratiam & potestatem sacramentalem conficiendi Eucharistiæ sacramentum, *quæ dicitur potestas super corpus Christi verum*, additur alia: *quæ dicitur potestas super corpus Christi mysticum*, administrandi fidelibus sacramentum Pœnitentiæ (de qua re in sequentibus) nec tamen propterea duo diuersi sacerdotales Ordines dicuntur esse: nec dicũtur duo sacerdotales characteres tunc imprimi: sed impressum per priorem collationem, solum magis perfici, extendique per posteriorem collationem. Quod pari ratione dici posse, cum Sacerdos ordinatur Episcopus, notat locis citatis Henriq. nempe non addi illi nouum characterem, sed potius ei iam impressum perfici, ac extendi facta accessione tertiæ potestatis ad eas duas, quas ante ordinationem suam habuit tanquam Sacerdos.

Porro si aliqui alij Ordines, quam septem memorati poni inueniantur, vel ad eosdem facile reuocantur, vel non dicuntur Ordines proprie, sed generaliter: eo scilicet modo quo Ordines dicuntur illorum, qui quomodocunque dedicantur diuinis obsequiis, etiamsi ad altaris sacrificium nõ destinentur, vt Monachi, virgines & viduæ Deo dicatæ, & laborantes in sepeliendis defunctis quos Ordines à sanctis Patribus dici notat Bellarminus in tomo 1. controuers. libro primo De Clericis cap. 11.

Aduerte autem ex supplem. 3. partis D. Thomę quæst. 35. art. 5. in ordine Sacerdotis contineri omnes inferiores Ordines eminenter: sicut in anima rationali continentur gradus vegetatiuus & sensitiuus: totamq; huius Sacramenti plenitudinem (quemadmodum additur in sequenti quæst. 37. art. 1. ad 2.) esse in vno Sacerdotali Ordine, in cæteris autem esse secundum quandam participationem, seu in Ordine ad ipsum sacerdotalem, cui subseruiunt. Id quod declaratur exemplo eorum qui adiuncti sunt Moysi, de quibus *Numerorum* 11. Auferam de spiritu tuo & tradam eis, vt sustentent tecum onus populi.] Id tamen non impedit (per tradita à Bellarmino *in tomo* 2. *contreuers. libro de Ordine cap.* 6. 7. *&* 8. & à Greg. à Valen. *disput. nona quæst.* 1. *puncto* 4.) quin ipsi inferiores Ordines possint tanquam vere sacramenta, conferre gratiam & spiritalem potestatem, characterem indelebiliter in anima impressio, pro conditione huius Sacramenti (cuius proinde rationem participant) vt argumento est quod iterari non possint. Ideo enim si illis initiatus ad laicalem statum deficiat, & mutata postea voluntate velit ad maiores Ordines promoueri, non conferuntur ei denuo minores ipsi Ordines.

CAPVT II.

De materia sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

7 *Singulorum Ordinum materia propria.*
8 *Contactus moralis eiusdem materiæ, potest ad Ordinis sacramentum sufficere.*
9 *Quando & qualiter fieri debeat contactus ad hoc sacramentum necessarius.*
10 *De dubio, An impositio manuum Episcopi sit de essentia sacramenti Ordinis.*

DE hac materia sic habet Concil. Florentinum loco citato Sextum sacramentum est Ordinis: cuius materia est illud, per cuius traditionẽ confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane

porrectio

porrectionem. Diaconatus vero per libri Euangeliorum dationem. Subdiaconatus per calicis vacui, cum patena vacua suprapositi traditionem, similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Quę res vt constat ex pontificalis prima parte (in qua ritus traditur Ordines conferendi) sunt: quoad ordinem Acolyti, candelabrum cum candela extincta, & vrceolus vacuus. Quoad Ordinem vero Exorcistæ, liber exorcismorum: & quoad Ordinem Lectoris, liber lectionum quæ leguntur in Ecclesia: ac demum quoad Ordinem Ostiarij, claues templi.

8. Quædam occurrunt hoc loco notanda. Primum est, Dubium esse an ad validitatem istius sacramenti requiratur cõtactus Physicus instrumentorum quæ diximus esse illius materiam, an vero sufficiat moralis. De quo videtur tenẽdum, quod propter delinquendi periculum, in praxi ad conscientiæ securitatem retinendam, & scrupulorum molestiam vitandam, procurari debeat diligenter cõtactus realis, quemadmodum notat Sotus *in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 2. sub finem.* Verumtamen quamuis ille defuerit, si contactus adsit moralis (qualis censetur quando Ordinatore ei qui ordinatur porrigente instrumenta ante memorata, hic extensione manus ad illa significat se eadem recipere) valide collatum esse sacramentum existimari potest ex eodem Soto & pluribus alijs quos Henriquez refert *in sua Summa lib. 10. cap 10. §. 1. lit. D, in margine.* Probatur vero, quia ex natura rei ad acquirendam possessionem non requiritur realis contactus ex lege Quod meo, §. Si debitorem ff. de acquir. possessione. Quare nec in hoc sacramento, in quo per traditionem instrumentorum, datur aliqua potestas, videtur omnino necessarius eorum contactus realis. Vnde, *quemad. notat bene Caiet. in verbo Ordinantium peccata*, in Concil. Floren. cum traditur materia Ordinis nunquam fit mentio de tactu eius. Nec refert quod Episcopus ea tradens dicat, Accipe, quia, *inquit Sotus*, in familiari sermone cũ quis equum dat alteri, is solo nutu potest illum accipere, etiamsi non tangat. Nec item obstat, quod in Baptismo, confirmatione, & extrema vnctione necesse sit materiam sacramenti sic applicari suscipienti, vt illum tangat: quoniam eiusmodi necessitas ex eo prouenit, quod in illis sacramentis materia assumatur ad aliquid extrinsecus ac visibiliter agendum in ipso suscipiente: nempe ad illum abluendum; vel vngendum. In hoc vero assumatur tantum ad determinandam intentionem ministri in prolatione verborum: quæ determinatio potest sufficienter fieri per illud, quod idem minister instrumenta ipsa porrigat.

9. Notandum est 2. quod habet à Victoria de sacramentis 230. prædictum contactum debere tunc fieri cum verba formæ proferuntur: itaut simul sint, saltem moraliter, seu non interposita notabili mora. Vide tradita in præcedenti libro 26 cap. 3. notab. 4.

Notandum est 3. non esse necessarium vt idem contactus fiat vtraque manu: quia cum tantum sit cæremonia, sufficit quomodocunque tangi id quod porrigitur: dummodo pars quæ tangitur nihil intermedium habeat per quod discontinuationem à toto habere censeatur. Ita docent Angelus verbo Ordo primo. §. 9. & Sylu. eodem verbo 2. quæst. 4. argumento cap. vnici De consecr. Eccles. in 6. Vnde, *vt iidem insinuant*, ordinatio Sacerdotis valida erit, quantumuis ipse tangat solummodo calicem, etiamsi tanquam materiæ partes necessariæ, simul cum eo sint tum vinum, tum etiam patena cum patena, quæ ordinando porrigantur ab Ordinatore. Curandum nihilominus est diligenter, vt patena quoque & panis cum calice tunc tangantur ex modo quo præscribitur in Pontificali, prout loco citato admonet Sotus.

Notandum est quarto: quoad materiam Ordinis Sacerdotalis graue dubiũ esse inter Theologos scholasticos, num tota consistat in iam dictis, an ad eam quoque pertineat manuum impositio, atque partem affirmantem contra Sotum tenet Bellarm. *tom. 2. controuers. in lib. De sacramento Ordinis cap 9.* Negantem vero cum ipso Soto tenet Greg. à Valent. *tomo 4. disput 9. quæst 1. puncto quinto sub initium.*

Nobis satis erit pro praxi quotidiana admonere, & statuitur in cap. finali, De sacramentis nõ iterandis: si in ordinatione Sacerdotis omissa fuerit manuum impositio, nullatenus ordinationem ipsam ideo iterandam esse; sed tempore ad talem conferendam statuto: caute supplendum esse quod per errorem omissum fuit. Præferendam autem esse in speculatione Bellarmini opinionem, ea quæ in sequẽti cap. 4. sub finem de eiusdem Ordinis effectu dicentur, satis ostendent. Nec obstat quod Concilium Floren. *cuius verba ante retulimus*, assignans eiusdem Ordinis materiam, nullam faciat mentionem impositionis manuum. Nam vt Bellarm. annotat, non explicuit totum illius ritum: quia non tradebat librum ritualem; sed solum proposuit vnam partem essentialem, quæ magis ad suum propositum faciebat. Nam intendebat pro materia assignare huic Sacramento rem aliquam subsistentem, sicut fecerat Baptismo, Confirmationi, Eucharistiæ, & Extremæ vnctioni. Impositio vero manus non est res subsistens, sicut est calix cum vino & patena cum pane. Cui responsioni robur addit, quod tale quid sit dicendum; nisi velimus fateri, *quod absurdum est*, Concilium Florent. contradicere Concilio 4. Carthag. cap. tertio, vbi dicitur Presbyterum ordinari, Episcopo eum benedicente, & manum super caput eius tenente. Quod refertur in cap. Presbyter. distinct. 23.

CAPVT III.

De forma sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

11 *Commune est formæ sacramenti Ordinis cum aliis sacramentorum formis constare verbis.*
12 *Officia singulorum Ordinum minorum: & quo ritu conferantur.*
12 *Officia Diaconi, & Subdiaconi, ac ritus quo consecrantur.*
14 *Munera Sacerdotis, & ritus quo conferatur.*
15 *Ratio ex iis eliciendi, quæ sit quorumcunque Ordinum particularis forma: & cur ea exprimatur per imperatiuum modum.*

COMMVNE est huic Sacramento cum præcedentibus constare verborum forma. Ea autem talis esse debet vniuscuiusque Ordinis, quæ sufficienter exprimat traditionem potestatis, quæ in eo datur: qualis censenda est, quæ in Pontificali Romano assignatur, cum traditur ritus conficiendi vnumquemque eorum. Neque enim probabile est Concilium Florent. in instruct. Armen. ad aliam spectare voluisse, cum dixit formam sacerdotij esse Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: & sic de aliorum Ordinum formis. Quas nõ est consentaneũ existimare alias esse, quam quæ in eodem Pontificali assignatæ, Parochis pro populi institutione traduntur in Catechismo edito Concil. Triden. iussu, cap. De sacramento Ordinis. Vnde eas referre non erit abs re: idque iisdem pene verbis præsertim cum ex illis intelligitur, ad quæ munera exequenda potestas tradatur per collationem cuiusque Ordinis: quodquidem ad hunc quoque locum spectat. 11.

Itaque *vt illic habetur*: post primam tonsuram ad ostiarij Ordinem primus gradus fieri consueuit: cuius munus est templi claues, & ianuam custodire: & aditu templi arcere eos quibus ingredi interdictum est. Ac ritus quo is ordinatur, iste esse ibi traditur: quod Episcopus claues ex altari acceptas, tradens ei quem vult instituere Ostiarium, dicat: Sic age quasi redditurus Deo rationem pro iis rebus, quæ his clauibus recluduntur. 12.

Secundus Ordinis gradus est Lectoris, ad quem pertinet in Ecclesia veteris & noui Testamenti libros clara voce & distincte recitare: præsertim eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent. Consecratio vero ipsius ibidem etiam sic declaratur. Episcopus præsente populo, in eius ordinatione librum quo descripta sunt quæ ad hanc functionem attinẽt, illi tradens inquit: Accipe, & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter, & vtiliter impleueris officium tuum, partem cum illis, qui verbum Dei bene ministrarunt ab initio.

Tertius gradus Ordinis, est Exorcistarum: quibus datur potestas nomen Domini inuocandi super eos, qui ab immundis spiritibus obsidentur: ab eo scilicet præparandos, vt possint Missæ interesse. Hincque Episcopus dum eosdem instituit, librum in quo exorcismi continentur ipsis vtendum porrigit hac formula verborum, Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos siue catechumenos.

Quartus præterea gradus est, Acholytorum quorum munus est Subdiaconos, & Diaconos in altaris ministerio assectari, eisq; operam dare. Præterea lumina deferre, & asseruare cum Missæ sacrificium celebratur: præcipue vero cum Euangelium legitur: *ex quo ii alio nomine vocati sunt Ceroferarii.* In eorum ordinationibus hic ritus ab Episcopo seruari consueuit. Primum quidem, postquam eos officii sui diligenter admonuit, lumina cuiq; eorum tradit ad hunc modum, Accipe ceroferarium cum cereo, & scias te ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari in nomine Domini. Deinde vero tradit vrceolos vacuos, quibus aqua, & vinum in sacrificio ministratur dicendo, Accipe vrceolos ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam corporis, & sanguinis Christi in nomine Domini.

13. A minoribus Ordinibus, ad maiores sacrosve legitime aditus, & ascensus patet. In eorum primo gradu Subdiaconus collocatur: cuius munus est, vt nomen ipsum indicat, Diacono ad altare inseruire: sacra enim lintea, vasa, panem, & vinum, ad sacrificii vsum necessaria, parare debet, Epistolam item legere, & tanquam testis, ad Missæ sacrum assistere, ac prohibere ne Sacerdos illud faciens, à quoquam perturbari valeat. Atque in memorato Catechismo, *consequenter additus nonnullus de cæremonijs solemnibus, quæ in eiusdem Subdiaconi consecratione adhibentur:* ea in quibus talis ordinis substantia consistit, declaratur his verbis. Ad extremum cum Episcopus sacris vestibus Subdiaconum ornauit (ad quarum singulas, propria verba, & cæremoniæ adhibentur tradit,) ei Epistolarū librum ac dicit, Accipe librum Epistolarum, & habe potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro viuis, quam pro defunctis.

Secundum autem sacrorum Ordinum gradum *vt ibidem immediate subiungitur*, Diaconus obtinet; ad cuius ministerium pertinet, Episcopum perpetuo sequi, concionantem custodire, eique, & Sacerdoti sacrum facienti, vel alia sacramenta administranti, præsto esse; & in Missæ sacrificio Euangelium legere: nonnullaque alia quæ illic referuntur, vbi videnda relinquemus vt minus vsitata quidē, sed tamen indicantia illius particularis Ordinis magnam dignitatem. Quam adhuc ostendunt, *vt illic etiam annotatur*, solemnes cæremoniæ, quibus ab Episcopo Diaconus consecratur. Pluribus enim ille, & sanctioribus precibus ad Diaconi, quam ad Subdiaconi ordinationem vtitur: atque alia addit sacrarum vestium ornamenta: manus quoque ei imponit: quod ab Apostolis factum legimus, Actorum 6. cum Diaconos primo instituerunt. Denique Euangeliorum librum ei tradit his verbis, Accipe potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini. Vbi aduerte quod cum tempore illo, quo Apostoli primos Diaconos ordinarunt, Euangelia nondum essent conscripta, fatendum esse quod habet Greg. à Valent. *tomo 4. disput. nona quæst. 1. puncto 4. colum.* 1960. eosdem Apostolos ex speciali Christi voluntate aliquando in sacramentorum administratione secus fecisse, quam ab Ecclesia postmodum faciendum, ex Christi institutione ordinaria tradiderunt.

14. Tertium demum, omniumque sacrorum Ordinum gradum summum obtinet Sacerdos, cuius munus est Deo sacrificium facere, ecclesiasticaque sacramenta ministrare, vt indicant ritus quibus consecratur. Primum enim Episcopus, cum omnibus Sacerdotibus qui adsunt, imponit ei manus, deinde stolam humeris imponens, eam ante pectus in crucis formam componit, postea manus sacro oleo inungit: tum calicem cum vino, & patenam cum hostia tradit, dicens: Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo Missasque celebrandi tam pro viuis quam pro defunctis. Quibus cæremoniis, & verbis, *vt idem Catechismus addit*, interpres, ac mediator Dei, & hominū cōstituitur: quæ præcipua functio Sacerdotis esse existimanda est. Ad extremum vero manibus iterum capiti ipsius impositis, Accipe, inquit, Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta sunt: eique cœlestem illam, quam Dominus suis Discipulis dedit peccata remittendi, ac retinendi potestatem, tribuit.

Atque ex his quæ sit cuiusque Ordinis propria forma ideo satis intelligitur: quod cum ea debeat comitari, & exprimere traditionem instrumentorum propriorum cuiusque, tanquam materiam ipsorum propinquam, ea constitit in illis verbis, quæ diximus ab Episcopo in tali traditione proferri. Circa quæ, ex additionibus ad tertiam partem D. Thomæ q. 34. art. 4. Henriquez notat in lib. 10. cap. 5. ea exprimi per imperatiuum modum, quia Sacramentum istud constitit præcipue in potestate tradita: quæ cum per actum suum innotescat, sitque ad vsum instituta, Episcopus formam ordinationis proferens, imperatiuo modo vtitur, vt significet ordinatum debet se exercere in vsu potestatis, quæ ei datur, ne frustra recipiat otiosam eam tenens.

CAPVT IV.

De effectibus sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

16 *Per sacramentum Ordinis confertur gratia, perinde ac per alia sacramenta, & simul potestas spiritualis.*

17 *Non tantum maioribus, sed etiam minoribus Ordinibus id conuenit: vtpote qui perinde ac illi sint sacramenta.*

18 *Obiectionis cum contrariorum solutionibus.*

19 *Quod iidem minores Ordines characterem imprimant: & de ipso charactere Ordinis tria notata digna.*

20 *Duæ præcipuæ cæremoniæ, quæ seruantur in ordinatione Sacerdotis: quarum priore confertur potestas consecrandi.*

21 *Posteriore vero confertur potestas absoluendi à peccatis.*

22 *Sine qua non valet absolutio: in illiusque collatione datur quidem noua gratia, non tamen nouus character.*

SACRAMENTO Ordinis commune est cum aliis sacramentis gratiam iustificantem conferre ex opere operato, iuxta definitionem Concil. Trident. sess. 7. can. 6. & 8. De sacramentis in genere, & sess. 23. & Concilii Florent. in instruct. Armen. Vide antedicta *libro 26. cap. 6. sect. priore* Et nota ex supplemento tertiæ partis D. Thomæ, quæst. 35. art. 1. quod sicut in Baptismo datur gratia, vt sancte susципi possint reliqua sacramenta: ita etiam dari in hoc sacramento, vt sancte, ac religiose possint reliqua sacramenta administrari: vtrumque enim sancte fieri debet.

Eidem conuenit quoque conferre potestatem spiritualem perpetuam, in illiusque signum characterem indelebilem imprimere, ex Concilio Florent. loco citato & ex Trident. sess. 7. can. 9. & sess. 23. can. 4.

Notandum vero est primo, vtrumque hunc effectum conuenire non solum maioribus Ordinibus, sed etiam minoribus: cum hi quoque rationem sacramenti habeant ex communiore sententia, quam præclare tuetur Gregorius à Valent. *tomo 4. disput nona quæst. prima, puncto 4. in primo controuerso.* Nobis sufficere potest quod Concil. Trident. in citata sess. 23. cum in cap. 2. omnium septem Ordinum & nomina, & ministeria propria, ab initio Ecclesiæ in vsu fuisse dixisset, in sequenti cap. 3. docet absolute Ordinem esse sacramentum, nulla facta exceptione cuiusquam eorum, quæ Ordines nominari, prius dixerat: cur ergo nos excipiemus: præsertim cum minorum quoque Ordinum suæ sint propriæ materiæ & formæ sacramentales, vt patet ex Concil. Florent. in instruct. Armen. Postquam enim dixit sextum sacramentum esse Ordinis: cuius materia est illud per cuius traditionem confertur Ordo, idque declarauit nominatim in Ordine Sacerdotii, Diaconatus, & Subdiaconatus, subiunxit: Et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem: aperte significans cæterorum Ordinum, qui minores dicuntur, suam

perinde

perinde ac maiorum esse sacramentalem materiam, idque cum propria forma, prout etiam significauit cum consequenter, proposita Sacerdotij forma, subiunxit, Et sic de aliorum Ordinum formis.

Nec obstat, quod de talibus materiis, & formis, nihil habeatur ex sacra Scriptura: quia, vt loco citato bene ait Gregor. à Valen in responsione ad primum argumentum, sufficit de illis cõstare ex perpetua Ecclesiæ praxi: cuius cum non inueniatur initium, ad Apostolicam traditionem non scriptam reuocanda est: iuxta regulam D. Augustl. lib. 4. contra Donatistas cap. 24.

Neq; etiam obstat, quod actus minorum ordinum licite fiant à non ordinatis, ideoque nihil supernaturale habere videantur, quod nequeat absque sacramento præstari. Non obstat inquam: quia non est essentiale omni sacramẽto Ordinis, vt instituatur ad actum qui nequeat vllo modo, valide aut licite absque eo exerceri. Nam epistolã etiam solet quandoque is legere in Ecclesia, qui Subdiaconus non est. Itaque id censeri potest quidem altioribus Ordinibus conuenire, propter præstantiam illorum actuum ad quos instituuntur: sed de inferioribus dici potest, quod sint instituti ad quosdam actus ecclesiasticos, vt ij fiant sanctius, & religiosius; vtpote supernaturales, si non absolute, & secundũ se; saltem vt referantur ad celebrationem sacrificij Missæ: non autem vt nullo modo sine iisdem Ordinibus exerceri licite queant. Nam tale exercitium non esse alienum à ratione sacramenti, patet: quia etsi confirmatio instituitur ad actum tuendi, & confitendi fortiter fidem: non obstat tamen, quin nondum confirmatus possit diuina gratia adiutus talem actum exercere.

Quod autem iidem Ordines characterem simul imprimant, inde probatur; quod omne sacramẽtum in quo character non imprimitur sit iterabile. Minores autem Ordines non sunt iterabiles; vt ex eo patet, quod si illis initiatus ad laicalem statum se transferat, rediens ad clericalem non initietur denuo: *quæ ratio habetur in supplem. 3. par. D. Thomæ quæst. 35. art. 2.* Idem docens Henriquez *lib. 10. cap. 14. §. 2. pluribus in margine citatis litera* N, addit nihilominus, si quis illicite iteraret, non fieri irregularem, quia id non est in iure expressum. Addit etiam tria notatu digna, quæ in cit. q. 35. art. 3. 4. & 5. docentur ex professo.

Primum est: Ordinem, sicut reliqua sacramenta, supponere characterem baptismi ex ca. primo & vltimo, De Presbyt. non baptiz. itemque ex eo, quod baptismus sit ianua omnium sacramentorum, prout definit Concil. Florent. in instruct. Armen.

Secundum est: Non supponere characterem confirmationis, nisi ex congruitate, *pro quo plures alios authores idem Henriquez citat, in margine lit. P.* Vnde fit quod habet à Victor. in summa De sacram. num. 232. sub finem, vt si quis ordinetur antequam sit confirmatus, Ordo teneat. Immo, *vt idem putat*, is qui ex negligentia confirmationem præteriret, non peccaret mortaliter, licet male faceret.

Tertium est: De necessitate quidem præcepti, Ordinem superiorẽ præsupponere characterem Ordinis inferioris: nõ tamen de necessitate sacramenti, itaut accipiens Ordinem superiorem prætermisso inferiori, verbi gratia Diaconatum nõdum accepto Subdiaconatu, mortaliter peccet quidem, Ordinatio tamen sit valida. & cum impressione characteris illius Ordinis: ideoque non iteranda, etiamsi ordinatus suspẽsus sit ab vsu Ordinis, quem sic accepit, donec in eo suppleatur inferior Ordo ab ipso omissus. Ita habetur ex cap. vnico De clerico per sal. um promoto: vt glossa, *verbo ministrare*, monet ordinationem Episcopi non esse validam, nisi is qui ordinatur iam sit Sacerdos: iuxta illud quod in cap. Ex literis De excess. Prælat. dicitur, Pontificale officium sine altaris Ministerio non valere impleri.

20. Pro maiore autem intelligentia effectus Ordinis Sacerdotalis restat notandum, eiusdem Ordinis collationem cõtinere duas cæremonias præcipuas, vt constat ex Rituali Pontificali Roman. Vnam qua Episcopus futuro Sacerdoti porrigit calicem cum vino, & patenam superpositam cum pane: ac dicit, Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c. Alteram qua post Missam, idem eidem manus imponit, & dicit, Quorum remiseris peccata, remittuntur eis, &c. Atque per priorem cæremoniam conferri potestatem super Christi corpus verum, seu consecrandi panem, & vinum in corpus & sanguinem Christi, simulque in signum eiusdem potestatis imprimi characterem sacerdotalem: vt argumento est, quod ordinati, iam tunc sint vere Sacerdotes: vtpote idonei ad sacrificandum, prout satis indicat Ecclesiastica cæremonia qua cum Episcopo ordinatore proferunt verba consecrationis. Immo ipsa Christi institutio ostendit: nam potestatem eam conferendo discipulis in vltima cœna (per ea scilicet verba *Lucæ* 22. hoc facite in meam commemorationem,) fecit eos Sacerdotes, prout definit Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. & can. 2.

Per posteriorem cæremoniam vero, cum diuinæ gratiæ augmento conferri potestatem supra corpus Christi mysticum, sest potestatem absoluendi à peccatis Christi fideles. Quam non conferri, sed tantum declarari collatam cum illa priore qui dicunt, refelluntur ex eo, quod verba, Accipite Spiritum sanctum, &c. significent præsentem collationem potestatis, cum gratia Spiritus sancti, aut certe frustra dicantur: quod Concil. Trid. sess. 23. can. 4. sub anathemate prohibet dicere. Item ex eo, quod aperte sacræ literæ eidem manuum impositioni tribuant illius ordinis sacramentalem gratiam: vt cum *in priori ad Timoth. ca. 4.* ait Apostolus: Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi, per prophetiam cum impositione manuum Presbyterij.] Et in posteriori ca. 1. Admoneo te vt resuscites gratiam Dei quæ est in te, per impositionem manuum mearum. &c.] Ac certe cum Christus hanc potestatem in Ecclesia instituerit post resurrectionem (vt patet ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 1. & 5. ac can. 3.) dicendo Discipulis suis *Ioan. 20.* Accipite Spiritum sanctum: quorũ remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt:] sicut negari non potest, quin tunc de facto contulerit gratiam, & potestatem nondum concessam: ita nec debet negari, quin ex eiusdem Christi institutione, de facto etiam detur, *prout dictum est*, gratia, & potestas Sacerdotalis. Quod quidem non obscure Concil. Triden. in eadem sess. 14. cap. 3. De extrema vnctione significauit, dicens proprios illius sacramenti Ministros esse, aut Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis rite ordinatos per impositionem manuum Presbyterij. 21.

Vnde potest id deduci quod Henriquez expressit in citato lib. 10. cap. 6. §. 3. quod si Parochus, qui ab Episcopo ob morbum deficiente, priorem tãtum partem acciperet: subditos in quos habet iurisdictionem tentaret sacramentaliter absoluere, irrita esset absolutio: quia deesset necessaria potestas Ordinis, teneretur que curare vt per alium Episcopum, si idem non possit, suppleatur sibi collatio potestatis absoluendi, quæ datur per impositionem manuum dicendo: Accipe Spiritum sanctum: quorum remiseris peccata, &c. 22.

Aduerte autem, quod idem habet sub finem præced. §. 2. hanc posteriorem potestatem dari quidem cũ nouæ gratiæ augmento, ad eam quæ data est cum potestate consecrandi Eucharistiam, prout satis patet ex dictis in præcedenti numero, non dari tamen cum nouo charactere, sed cum perfectione, & extensione illius, qui prius impressus fuit, cum daretur ipsa consecrandi potestas. Sicut enim vtraque potestas est vnius Sacerdotis: ita sufficienter vno sacerdotali charactere significari potest.

CAPVT V.

De ministro Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

23 *Ordinarius Minister Sacramenti Ordinis est Episcopus consecratus: non licet tamen cuilibet Episopo quemlibet Ordinare ordinari.*

24 *De literis dimissoriis, quatenus vi potest quis ab alio Episcopo quam suo proprio ordinari.*

25 *Non potest Episcopus simplici Sacerdoti committere administrationem Ordinum minorum. Papa autem potest: minime vero, non Sacerdoti.*

26 *Quo tempore Ordines conferendi sint.*

27 *Quo item loco sint conferendi.*
28 *Temporum interstitia in collatione Ordinum seruanda.*

23. ORdinarium sacramenti huius ministrum esse Episcopum constat ex Concilio Trident. sess. 23. cap. 7. & 8. Quod intellige de Episcopo quocumque consecrato: etiamsi dignitati renunciauerit, aut depositus vel degradatus sit, excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, aut etiam hæreticus: non autem de non consecrato, etiamsi iurisdictionem habeat: quia potestatem conferendi Ordines, Episcopus habet ratione Episcopalis Ordinis, non ratione iurisdictionis. Non potest tamen quilibet Episcopus licite quoslibet ordinare: sed eos solum quorum est Superior, *ex cap. Eos qui, De temporibus ordinationum, in sexto.* Superior autem in hac re, *ex sequenti cap. Cum nullus*, intelligitur esse Episcopus, de cuius diœcesi oriundus est is qui ad Ordines promoueri desiderat, aut in cuius diœcesi habet beneficium Ecclesiasticum requirens residentiam: aut in eadem (licet alibi natus fuerit) habet domicilium. Immo Episcopi titulares (ne quidem in loco nullius diœcesis) possunt vllis Ordines conferre. *ex Concil. Triden sess 14. De reform. cap. 2.* nisi de expresso proprij Episcopi consensu, aut acceptis eiusdem dimissorijs literis: cum quibus posse quem licite ab alieno Episcopo ordinari, communis vsus satis ostendit.

24. Circa quem aduerte ex eodem Conci. Triden. sess. 23 c. 3. De refor. Episcopum debere quidem per se Ordines conferre suis subditis: ægritudine tamen impeditum, iam probatos & examinatos posse mittere ad alium Episcopum ordinandos. Quanquam vsus obtinuit, etiam post idipsum Concilium, vt Episcopus concedat dimissorias literas sine examine, & committat examinandos ab ordinatore, onerando eius conscientiam. Qui quidem non deberet ordinare, nisi in prædictis literis causa exprimatur, propter quam ab Episcopo proprio non ordinetur.

Porro quamuis de iure antiquo *ex citato cap. Cum vllus*, vel ex recepta consuetudine Vicarius generalis Episcopi; & sede vacante, Capitulum, seu ille ad quem tunc pertinet administratio spiritualium: itemque Abbates & alij exempti, tales literas sine subditis dare potuerint: iure tamen nouo Concil. Triden. sess. 23. cap 10. De reform. ea potestas reseruata est Episcopo proprio: illique eas concedentes, suspendantur ipso iure ab officio & beneficio per annum: nisi quod in præced. cap. 9 concedatur Episcopo alieno, vt ordinare possit familiarem suum nō ei subditum, si per triennium secum fuerit commoratus, & beneficium quacunque fraude cessante, statim reipsa illi conferat. Et in sess. 7. cap. 10. permittat Capitulo vt literas dimissorias concedat in duobus casibus. Prior est, cum sedes vacat vltra annum: posterior, cum quis Ecclesiastici beneficij vel recepti vel recipiendi occasione coarctatur; illud perditurus, nisi tunc temporis ordinetur.

25. Simplicem Sacerdotem posse Summi Pontificis commissione conferre minores Ordines, patet ex eo quod dicatur in cap. *Requisiuit. De ordinatis ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui* eos à non Episcopis quandoque conferri: nempe ab Abbatibus quibus ab Episcopo (secundum morem eos præficiendi) facta sit manus impositio, quosque constet Sacerdotes esse: *ex cap Quoniam vt legimus, dist. 69. & ex cap. Cum contingat, De ætate, & qualit.* atque ex alijs multis iuribus, quemadmodum notat à Victoria De sacram, n. 234. Quod quidem illis Concilium Triden. sess. 23. cap. 10. De reform. non denegat quoad regulares ipsis subditos. Addit ibidem à Victoria ex D. Thoma, Episcopum non posse non Episcopo committere potestatem conferendi Ordines etiam minores: sique committat, nihil fieri: neque Papam posse committere non Sacerdoti: quia licet habeat plenissimam potestatem circa corpus Christi mysticum; circa corpus tamen Christi verum, non habet maiorem potestatem quam alius Sacerdos. Quia ergo potestas conferendi Ordines supponit potestatem supra corpus Christi verum, iuxta illud quod in cap. Ex literis, De excessibus Prælat. dicitur: Pontificale officium sine altaris ministerio non valere adimpleri, non potest alteri committi quam Sacerdoti, qui solus habet potestatem supra corpus Christi verum.

De tempore quo Ordines conferendi sunt, certum est quemlibet eorum posse conferri in sex anni temporibus: nempe in sabbathis quatuor temporum, in sabbatho ante Dominicam Passionis, & in Sabbatho sancto *ex cap. tertio De temporibus ordinationum.* 26.

Certum est secundo posse quolibet anni tempore conferri Ordines minores, diebus Dominicis aut festis: maiores vero non posse ex eod. cap. tertio & præcedenti primo. Primam tonsuram autem conferri posse quocunque tempore notant Angelus in verbo, Ordo 4. §. 1. & Sylu. eodem 2. q. 6. dicto 2. in fine: rationem reddens, quod consuetudo generalis Ecclesiæ ita habeat. Consecrationem vero Episcopi, posse fieri quolibet die Dominico notat in cad. q. 6. Syl. & in verbo, Consecratio, primo quæst. 3.

De loco in quo conferendi sunt Ordines ab Episcopo notat Sylvester Ordo 2. quæst. octaua, minores Ordines conferri posse in quacunque Ecclesia proprij Episcopatus. De maioribus vero debere conferri in Ecclesia cathedrali; Concil. Triden. sess. 23 cap. 8. De reform. statuit; addens, quod si alibi intra diœcesim iusta de causa conferendi sint, dignior quantum fieri poterit Ecclesia semper adeatur, & præsente Clero loci conferantur. Quamquam post idipsum Concilium vsus remansit, de quo ibidem Sylvester: vt conferantur in qua voluerit Episcopus Ecclesia sui Episcopatus: publice tamen coram populo. 27.

Nota ex eodem Concilio in sequenti cap. 11. Ordines minores esse conferendos per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur. Quos omnes posse eodem die conferre habetur ex cap. 2. De eo qui ordinem furtiue suscepit: vbi glossa id *ad verbum, minores*, annotat: imo si sit consuetudo poterit prima tonsura simul dari cum minoribus Ordinibus, vt post Sylu. Ordo, 2. quæst. 7. notat Armilla eodem verbo num 6. Non poterit autem Subdiaconatus sine dispensatione Papæ, vt iidem *ex Innocen. & Hostiensi* addunt: sicut nec duo Ordines sacri possunt sine eadem dispensatione simul conferri ex cap. Literas, & ca. Dilectus, De temporibus ordin. Quod si aliter fiat, ordinator suspenditur à collatione, & ordinatus ab executione Ordinum sic collatorum: idque donec Summus ipse Pontifex aliter dispoſuerit, vt ex iisdem cap. habetur. Neque in hac re possunt regulares obtendere sua priuilegia & indulta: quoniam à Concil. Trid. in sequenti cap. 13. omnia reuocantur: nisi sint post idem Concilium renouata per Papam: qui dispensare potest in eo iure. 28.

Nota adhuc ex eodem Concil. in prius memorato cap. 11. non licere minoribus Ordinibus initiatum promouere ad sacros Ordines, nisi post annum à susceptione postremi gradus eorumdem minorum Ordinum: excepto casu necessitatis, aut Ecclesiæ vtilitatis aliud exposcentis. Item ex memorato sequenti cap. 13. promotum ad Subdiaconatus Ordinem non permittiad altiorem gradum ascendere; nisi per annum saltem sit in eo versatus, aut nisi aliud Episcopo videatur. Ac demum ex consequenti cap. 14. alium annum requiri, vt à Diaconatu possit quis promoueri ad Presbyteratum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem & necessitatem aliud Episcopo videretur; vt in casu de quo postea num. 51. nota. tertio. 29. 30. 31. 32.

CAPVT VI.

De suscipientibus Sacramentum Ordinis.

SVMMARIVM.

29 *Incapaces sunt omnino Sacramenti Ordinis tum nondum baptizatum etiam fœminæ.*
30 *Quilibet masculus capax est eiusdem Sacramenti, infanti tamen multi que alijs non potest licite conferri.*
31 *Notanda de eodem infante, de impedimento Ecclesiastico, & de intentione necessaria.*
32 *Requisita ad Sacramentum hoc non tantum valide sed etiam licite suscipiendum.*
33 *De scientia requisita.*
34 *De titulo requisito.*
35 *De scrutinio seu examine præmittendo ordinationi.*

Notan

29. NOTANDVM est primo, sic incapaces esse Ordinum, vt nihil fiat si ordinentur, tum eos qui baptismalem characterem non habent, *ex cap. 1. & vlt. de Presbyt. non baptiz.* tum fœminas, cum Christus, neque in vltima cœna dum potestatem consecrandi tradidit, neq; post resurrectionem, dum potestatem absoluendi à peccatis contulit, vllam fœminam, ne quidem matrem suam sanctissimam & omnium dignissimam ordinarit, sed solos viros, nempe Apostolos. Quo argumento vtitur Pontifex in cap. Noua, De pœniten. & remiss. Aliæ rationes videri possunt apud Sotum *in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 2.*

30. Notandum est secundo, masculos omnes baptizatos etiamsi rationis vsu careant, vt infantes & amentes, aut alium patiantur defectum, quo inepti sint ad ordines exercendos, vt cæci, manci, hæretici, & similes: si de facto ordinentur, factum tenere, imprimi verum characterem Ordinis. Quæ est *recte Greg. à Valen. tom. 4. disp. nona quæst. 4. puncto* 1. communis Theologorum sententia in 4. dist. 25. vno Durando excepto, aduersus quem Sotus loco citi illam tuetur.

Nobis sufficit, quod *ex cap. vnico, De Clerico per saltum promoto*, ille qui ante annos discretionis minores Ordines susceperat, sine eorum resumptione sinatur promoueri ad Diaconatum. Inde enim sequitur, quod glossa, *ibidem verbo Discretionis*, notat: infra annos discretionis posse bene, hoc est, de facto Ordines recipi, licet conferri non debeant. Cuius rei ratio in supplem. tertiæ partis D. Thomæ quæst. 39. art. 2. hæc redditur: quod ad sacramenti validitatem tunc solum requiratur vsus rationis in suscipiente, cum ipsum consistit in aliquo eiusdem suscipientis actu, vt sacramentum pœnitentiæ in contritione & confessione Pœnitentis: & matrimonium in consensu contrahentium: non autem in iis in quibus actus suscipientis non requiritur necessitate sacramenti: sed sufficit vt sit capax potestatis spiritualis, quæ ad aliquos actus confertur, vt baptismus, ad suscipienda sacramenta; & Ordo, ad sacramenta administranda. Nec refert, quod carens vsu rationis non possit actus Ordinis exercere: quia actus sunt posteriores potestatibus agendi: neque remoto posteriore, necesse est remoueri prius.

31. De Episcopali tamen Ordine, *vt ibidem additur*, peculiaris ratio est; quia dum quis per illum constituitur Episcopus, committitur ei populus, sitque sponsus Ecclesiæ, cuius cura nemini nisi consentienti concredi potest. Quod Sotus annotans in citato. art. 2. ad 3. addit nihilominus, si quis ante rationis vsum consecraretur, tunc characterem Sacerdotalem extendi: *ad eum scilicet modum qui traditus est in præced. cap. 1. nu. 5.* quantumuis ita ordinatus, non censeatur curam animarum habere, donec consenserit: sicut nec factus Subdiaconus ante vsum rationis censetur adstrictus voto castitatis annexo ei Ordini, donec in illud consenserit: prout idem quoque Sotus paulo superius annotat ex Palud. Et ratio est: quia votum natura sua requirit consensum liberum. Quamquam, vt idem addit, ob indecentiam, debet manere suspensus ab executione susceptí Ordinis, maxime si matrimonium ineat.

32. Notandum est tertio, iure canonico Ordinum incapaces esse eos, qui habent impedimentum aliquod Ecclesiasticum, quod dicitur irregularitas: de qua dicetur in sequenti tractatu. Cuiusmodi impedimenti inducendi potestatem à Christo relinqui in Ecclesia, expediuit ad huius bonum; non minus quam inducendi impedimenta matrimonii, de quibus in sequenti libro ex instituto.

Notandum est quarto, vt hoc sacramentum non modo valide, sed etiam licite recipiatur, multa requirere. Primo enim, *sicut & alia Sacramenta*; requirit rectam fidem, debitamque intentionem. Vbi aduerte, ad validitatem Sacramenti huius posse sufficere Ecclesiæ intentionem: quandoquidem interpretatiue, censetur eadem esse quoque suscipientis sacramentum, quando ipse per se non repugnat propria sua voluntate. Id quod post Sotum ibidem in responsione ad 2. argum. Durandi habet Greg. à Valen. in memorato puncto 1. consequens; est ex eo, quod ante tradidimus non habentem vsum rationis esse istius sacramenti capacem.

Secundo requirit pœnitentiam in eo qui sibi conscius est peccati mortalis. Quam oportet esse veram contritionem, aut certe bona fide talem existimari, id enim requirunt sacramenta ea quæ viuorum dicuntur, de quorum istud est numero: adeout peccatum mortale sit, scienter & voluntarie illud in statu peccati mortalis recipere. Non prærequirit autem per se confessionem sacramentalem, sed solum prout illi adiungitur Eucharistiæ sumptio.

Tertio cum susceptione baptismi, *necessaria de iure diuino*, requirit susceptionem Confirmationis necessariam de iure Ecclesiastico, ex Concilio Trid. sess. 23. De reform. cap. 4. sique fuerit Ordo superior, requirit susceptionem Ordinis inferioris, prout habitum est in præced. cap. 4. nu. 19 in fine.

Quarto requirit morum probitatem, qua conscientiæ testimonio non agnoscat se in peccato publico, aut in infamia publica, ac de reliquo proponat vitæ emendationem. Nec item agnoscat se impeditum irregularitate, aut censura Ecclesiastica de qua agemus in sequenti libro. Vltimo, videri potest Nauar. in Enchir. cap. 23. nu. 69. & sequentibus, vbi omnia pertinentia ad tale genus impedimenti explicat secundum ius nouum Concilii Trident sess. 23. De reform. cap. 4. & sequentibus. 33.

Quinto requirit scientiam: de qua notandum est, Concil. Triden. sess. 23. cap. 11. exigere, vt qui ad minores Ordines promouentur intelligant saltem linguam Latinam: & cap. 13. vt qui ad Subdiaconatum, & Diaconatum, sint literis & iis quæ ad tales Ordines pertinent instructi: & cap. 14. vt qui ad Presbyteratum, sint idonei tam ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, tum ad sacramenta administranda. Et demum in præcedenti sess. 22. cap. 2. vt promouendus ad Episcopatum scientiam habeat qua possit satisfacere necessitati muneris sibi iniungendi. Occurrit autem notandum hoc loco de impedimentis, quæ plurima sunt Sacramenti Ordinis, non videri ad eorum omnium notitiam habendam, teneri promouendos ad minores Ordines, sed sufficere si eosdem Ordines accipiant à proprio Episcopo, non ab alio, nisi de ipsius licentia: neque subterfugiant examen, aut quid aliud fraudulenter faciant, per quod impedimentum, quo forte laborent, tegatur: neq; simoniam committant pecuniam scilicet aut aliquid pecunia æstimabile dando pro sua ordinatione. Promouendos vero ad maiores Ordines teneri eam saltem notitiam habere, qua mortaliter certi sint se nullo talium impedimentorũ laborare. Cuius discriminis ratio reddi potest: tũ quod Ecclesia, *prout patet ex dictis*, minorem in illis, quam in his requirat scientiam: tum quod priores illi susceptione ordinum, non acquirant statum immutabilem, sicut hi posteriores: sed permittantur ab eo resilire, & ad laicalem redire: tum quod ministeria, ad quæ illi ordinantur, non sint ita sacra, quin à laicis, perinde ac ab ipsis, possint exerceri: non autem ea ad quæ ordinantur reliqui. Tum demum, quod illi sua promotione, non acquirant nouam obligationem vltra eam quæ est simplicium Clericorum: hi vero acquirant, tum gerendi nec deponendi pro arbitrio, habitum & tonsuram Clericalem: de qua agemus in sequenti tract. 3. cap. 2. tum recitandi horas canonicas; de qua ibid. cap. quarto dicetur, tum seruandi castitatem nec vnquam ducendi vxorem: de qua habentur Ecclesiæ decreta in cap. Diaconus, & in cap. Presbyteris dist. 27. & in cap. Nullũ, dist. 28. & in cap. 1. & in cap. Si quis eorum, & in cap. Erubescant, & in cap. Placuit dist. n. 32. & in cap. Cum in præterito, & in cap. Cũ in quorumdã, dist. in. 84. Item in cap. 1. & 2. Qui Clerici vel vouentes, & in cap. vnico, De voto in 6.

Sexto requirit titulum, hoc nomine, quod ex institutione Concil. Trid. sess. 21. De reform. cap. 2. ad maiores, seu sacros Ordines nullus Clericus sæcularis, quantumuis alias idoneus sit moribus, scientia, & ætate, promoueri debeat, nisi prius legitime constet eum pacifice possidere beneficium ecclesiasticum, quod sibi honeste ad victum sufficiat. Atque si non habeat beneficium, sed matrimonium, *etiamsi sufficiens*, aut pensionem, non ideo ordinari potest, nisi Episcopus iudicauerit ipsum assumendum, pro necessitate & commoditate Ecclesiarum suarum, ex eodem Concilio ibidem. Vbi & additur non posse beneficium resignari, aut patrimonium alienari, aut pensionem extingui, ad cuius titulũ facta est promotio, donec is aliũde habeat vnde 34.

viuere possit. Clericus autem regularis ordinatur ad titulum paupertatis, quam est professus.

Ob hæc autem requisita, scrutinium, seu examen feria quarta ante sabbathum ordinationis instituitur ab Episcopo, ascitis sibi Sacerdotibus, & prudentibus viris diuinæ legis peritis, & versatis in ecclesiasticis sanctionibus. Tale enim examen faciendum est de ordinandorum genere, persona, ætate, institutione, doctrina, & fide, iuxta decretum in cap. Quando, dist. 24, quod Concilium Triden. sess. 23. cap. 7. De reform. renouat, in præcedenti cap quinto speciaLiter præscribens de promouendis ad maiores Ordines, vt per mensem ante ordinationē adeant Episcopū, qui committat Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur; vt propositis publice in Ecclesia ordinandorum nominibus inquirat fideliter à fide dignis, de eorum natalibus, ætate, moribus, & vita; & literas testimoniales inquisitionem factam continentes, ad ipsummet Episcopum transmittat quamprimum.

CAPVT VII.

De obligationibus circa Ordinis sacramentum. contingentibus.

SVMMARIVM.

36 *Non est quidem imposita obligatio suscipiendi sacramentum Ordinis nonnunquam tamen ea contingit.*

37 *Peccatum quidē est mortale suscipere sacramentum Ordinis in peccato mortali: non tamen actum illius exercere, nisi is sit administratio sacramenti.*

38 *Obligatio seruandi castitatem in initiato maiori Ordine.*

39 *Non modo ad horas canonicas, sed nec ad alias certas preces tenetur initiatus tantum minoribus ordinibus: nisi de honestate.*

DE Ordine suscipiendo non est, *sicut nec de matrimonio contrahendo*, imposita obligatio, quæ singulos Christianos, regulariter moraliterq; loquendo, adstringat; quia Sacramentum Ordinis non est, *sicut nec matrimonium*; per se institutum ob vtilitatem singulorum, nec est singulis necessarium, sed toti communitati Ecclesiæ: in qua proinde Prælatis incumbit obligatio prouidendi, iuxta cap. Consuluit distinct. 72 ne in ea desint Sacerdotes, quorum ministerio tali necessitati subueniatur: præsertim vt fideles possint implere diuinum præceptum de suscipiendis necessariis sacramentis Eucharistiæ, & Pœnitentiæ.

Interdum tamen ex onere beneficij, tenetur quis intra certum tempus initiari sacris. Sic parochus iure compellitur dimittere beneficium curatum, nisi intra annū ab illius pacifica possessione, curet se sacerdotio initiari, ex cap. Cum in cunctis, De elect. & ex cap. Licet canon. eodem titulo in 6. Item electus Episcopus expeditis bullis & accepta possessione, tenetur intra tres menses consecrari sub pœna restituendi fructus quos perceperit, atque adeo perdendi ipso iure Episcopatum, nisi intra tres alios menses consecretur, ex Concil. Trident. sess. 23. De reform. cap. 2. De quibus Nauar. *in Enchir. cap. 25. num. 118. §. 8.* Neque dubium videtur, quin in graui Ecclesiæ necessitate ad præsulatum compelli ex obedientia possit vir eo dignus. Etiamsi damnandi non sint illi Religiosi, qui votum emittunt non acceptandi factam de se electionem ad prælaturam extra suam religionem, nisi sub præcepto Superioris compellantur: quod vtrumque annotat Henriq *lib. 10. cap. 4. §. 3.*

Circa Ordinis autem siue administrationem siue susceptionem, siue suscepti vsum, multæ obligationes contingunt, partim iure naturali, per rectæ rationis præscriptum: partim positiuo, per sanctiones Ecclesiasticas: quarū transgressione, quomodo, & quādo peccetur intelligi potest ex iis, quæ tradentur in sequenti tractatu 3. & ex iis quæ in particulari (notatis pœnis quæ propterea incurruntur) Nauarrus persequitur in citato cap. 25. præsertim num. 68.

37. Vbi aduerte obiter receptum esse quidem illud quod ipse habet in sequenti num. 72. § 10. peccare mortaliter eum, qui in statu peccati mortalis existens, Ordines suscipit, aut aliquod sacramentum ministrat: sed à plerisque (quos refert & sequitur Henriquez *in eodem lib. 10. cap. 13. §. 3. litera T*) negari quod ille subiungit: Ordine initiatum, peccare mortaliter, si res sacras tangat, vel aliquid aliud faciat tanquam minister Ecclesiæ suo officio fungens: vt verbi gratia Diaconus: cum stola canens in Missa Euangelium, & Subdiaconus Epistolam cum manipulo.

Cæterum, cum tres conditiones constet requiri, vt ille qui actum Ordinis exercet in peccato mortali, nempe vt ipse sit minister ad talem actum ordinatus & consecratus. Deinde vt illum solemniter & ex officio exerceat: ac demū vt talis actus sit sacramentalis: tota difficultas in hoc versatur, quisnam actus censendus sit sacramentalis: Nauarrus enim significat illum esse sacramentalem censendum, qui annexus est alicui Ordini, vt sacerdotio, sunt ministratio sacramētorum, & verbi Dei: benedictio fructuum & similes. Diaconatui, lectio Euangelij in Missa: Subdiaconatui: lectio Epistolæ & sic de cæteris. Alij vero contra significant actum sacramentalem censendum tantummodo illum, quo conficitur vel confertur Sacramentum: & ita peccare quidem mortaliter Sacerdotem in peccato mortali sacrificantem, baptizantem, absoluentem à peccatis, aut vngentem infirmum constitutum in periculo mortis. Itemque Episcopum conferentem Confirmationis vel Ordinis sacramentum. Non autem Diaconum solemniter legentem Euangelium, nec Presbyterum benedicentem aquam vel fructus: nec Episcopum consecrantem chrisma, vel oleum: & multo minus eos, qui exercent actus minorum Ordinū. Quam sententiam post Sotum in 4. dist. 24. quæst. 1. art. 4. versus finem Greg. à Valent. tomo 4. disput. nona quæst. 1. puncto 4. col. 1961. sequitur. Et ratione reddit, quia in exercitio talium actuum ratio malitiæ de se consistit tantū in indecentia quadam; qua illi non fiunt cum ea qua par est dignitate & decentia: ratione cuius defectus, ipsum non videtur adeo malū, vt mortale censeri debeat. Quam opinionem qui volet potest sequi, cum bonos Authores habeat. Nam eam tenet quoq; à Victoria, de sacram. n. 233. vbi dicit communiter teneri: atque esse recentiorum contra Nauarrum, meminit Henriquez loco citato.

De obligatione seruandi castitatem iis qui maioribus 38.
Ordinibus initiati sunt, imposita Ecclesiæ statuto, differunt aduersus hæreticos tum alij, tum Bellarm. in lib. 1. de Clericis cap. 18. & quatuor sequentibus ac Greg à Valent in ead. disput nona quæst. 5. puncto 5. Ad institutum nostrum autem sufficere potest notasse paucis, talem obligationē prouenire ex voto quod tacite facit is, qui Subdiaconatus Ordinem suscipit. Pro quo aduerte Ecclesiam neminem quidem obligare ad continentiæ votum; eos tamen qui sua voluntate maiores Ordines susceperunt, cogere continentiam seruare, ad quam consequenter sua quoque voluntate se obligarunt: quoniam lege & consuetudine ecclesiastica, sic annexa est maioribus Ordinibus continentia, vt si quis eos suscipiat volens etiam sine intentione continendi, teneatur ad continentiam, ad eamque seruandam compellatur, iuxta cap. Erubescant, dist. 32. Censetur vero tale votum sacris Ordinibus annexum, solemne esse perinde ac professio in religione approbata, atque perinde ac dedere matrimonium ex cap. vnico, De voto in 6. Qua in re ita conueniunt, vt differant in multis. Ac primo in eo, quod illud votum tacitum: & religiosa professio sit votum expressum. Secundo, quod illi non sit annexa paupertas, sicut est huic. Tertio, quod per illud homo non consecret se totum Deo, sicut per professionem in religione.

Porro idem votum sic est annexum sacro Ordini vt non sit de essentia illius, sed accidat ei ex constitutione Ecclesiæ Occidentalis. Inde enim fit vt Græci post Ordines susceptos vtantur vxoribus acceptis ante ordinationem, præterquam tempore ministerij. Fit etiam vt quamuis susceptioni eorūdem Ordinum, tale votum castitatis sit annexum: non ideo tamen, qui illos se susceperturum vouit, censendus sit vouisse castitatem, sicut nec recitationem horarum canonicarum: quæ eidem quoque susceptioni est annexa ex Ecclesiæ institutione: adeout prolabens in peccatum fornicationis, censeatur quidem contra sextum Decalogi præceptum.

non

non tamen contra suum votum peccare, ex Nauar. *in Enchir. cap. 12. num. 47.* Et ratio est, quia talis non vouit castitatem, sed tantummodo vitæ statum cuius susceptioni (non item soli proposito suscipiendi) annexa est castitas ex accidenti, non vt quid ei essentiale. Vnde si is qui illo modo vouit, contrahit matrimonium ante adimpletionem voti sui peccat quidem impletionem ipsum reddendo sibi impossibilem; sed validum est matrimonium. De obligationibus recitandi horas canonicas & gestandi habitum & tonsuram clericalem ac aliis quæ incumbunt initiatis maioribus Ordinibus, dicetur in sequenti tractatu tertio, titulo primo.

Quod vero initiati minoribus Ordinibus ad recitationem horarum canonicarum non teneantur, sed nec aliarum precum, nisi ex decentia: Leonardus Lessius *libro 2. De iust. & iure cap. 37. num. 46.* ex eo confirmat quod neque iure communi, neque consuetudine vniuersali Ecclesiæ ad aliquas obligentur: neque quod Ecclesia vniuersalis relinquit liberum, Episcopus possit in sua Ecclesia facere præceptum perpetuum, nisi in ea subsit peculiaris faciendi ratio, quæ vix esse potest in re proposita. Et certe si non solum Papa, sed etiam Episcopi possent onera perpetua imponere, subditi nimium grauarentur, valdeque deficeretur ab vniformitate: cuius obseruatio (præsertim in iis quæ pertinent ad sacramenta) facit ad vniuersalis Ecclesiæ decus & vnionem. Secus esset vero, *vt idem addit*, si Episcopus præciperet bis aut ter aliquas preces recitare, vt septem psalmos aut horas beatæ Virginis: quia id non censeretur onus graue, vel notabilis recessus ab vniuersali consuetudine: vt nec si ex causa præciperet in sua diœcesi ieiunare bis, terve. Eamdem doctrinam post Medinam *in Cod. De oratione, q. 7. in fine* & Sotum *lib. 10. De iust. & iure quæst. 5. art. 3. non longe ab initio*, sequitur Suarez, De religione *tract. 4. lib. 4. cap. 16. in fine.* Sed potest in contrarium obiici quod cum tales adiuncti sint cultui diuino, & gaudeant priuilegio clericali teneantur iure naturali aliquid amplius orare quam laici. Ad quod Sotus respondet teneri solum ex honestate, prout prudenter arbitrati fuerint ad naturalem rationem quidem dictare decens esse, vt quid amplius recitent, non præscribere tamen tanquam obligatorium, atque seruandum sub peccato.

CAPVT VIII.

De coagmentatione status Clericalis ex initiatis sacramento Ordinis.

SVMMARIVM.

40 *Status Clericalis, & gradus illius.*
41 *Quatuor gradus Episcopatus.*
42 *De Patriarchatu, & Primatu.*
43 *De Archiepiscopatu, & Episcopatu.*
44 *Quæ Episcopalem dignitatem habenti incumbant ex officio.*
45 *Ea quæ illi incumbunt iure nouo Concilii Tridentini.*
46 *Pecuata quibus potest quis ratione Episcopalis dignitatis obnoxius esse, ante suam consecrationem.*
47 *Dignitates infra Episcopalem, & primo abbatia, & prioratus.*
48 *Decanatus, & Præpositura.*
49 *Archidiaconatus, & Archipresbyteratus.*
50 *Reliquæ eiusdem generis dignitates.*
51 *Parochus quis & quæ iura parochiæ, obligatioque illius, suscipiendi sacerdotium.*
52 *Vicarius perpetuus ponitur in numero Parochorum.*
53 *De Vicario temporali quædam.*
54 *Peccatorum quibus Parochus obnoxius est, reuocatio ad quatuor capita.*
55 *De Canonicis.*
56 *De habentibus portiones, capellanias, & præstimonia.*
57 *De Commendatariis.*
58 *De Coadiutoribus.*
59 *De Hospitalariis.*

40. DVo esse genera Christianorum habetur ex D. Hieronymo in cap. Duo sunt, 12. quæst. 1. vnum Clericorum, & alterum laicorum, illudque diuino officio mancipari: per hoc scilicet Ordinis sacramentum tanquam institutum ad propagandum in Ecclesia Christiana statum clericalem. Sic dictum à Græco nomine κλῆρος (quod sortem vel hæreditatem significat) quia est eorum qui ad sortem vel hæreditatem Domini Iesu spectant: siue vt habetur ex cap. Clericus, eadem quæst. quia pars sunt Domini Iesu, vel partem habent Dominum Iesum: vtpote qui diuino cultui consecrati procurandarum ad eumdem cultum spectantium sacrarum rerum, solicitudinem susceperunt. De qua re aduersus sectarios nostri temporis differentem qui volet videre poterit Bellarminum in tomo 1. Controuersiarum, controuer. 5. lib. primo. Pro ratione autem iudicandi de peccatis nobis proposita, instituetur de ea tertius sequens tractatus. Quod vero de ipso clericali statu hic occurrit considerandum, varietas membrorum, quæ in eodem statu velut corpore quodam cernitur cum disparibus gradibus dignitatis, & iurisdictionis. In Ecclesia enim, *quæ terribilis est vt castrorum acies ordinata*: Summus Pontifex, quemad. habet Bellarm. in præfatione eiusdem libri primi, tanquam Christi, primi, Summique Imperatoris vicarius, supremus est: vtpote in D. Petro, *cuius successor est*, cum summa potestate, & imperio præpositus eidem Ecclesiæ, tanquam Christi castris in terris, vt eam duceret: eundem Christum nobis repræsentans, quamdiu nondum sumus digni ipsum reuelata facie videre.

Sub Summo Pontifice autem sunt Episcopi tanquam Tribuni militares, qui imperant quidem, non tamen totis castris: sed agmini quisque suo. Sunt etiam sub Episcopis dignitate inferiores ipsis, sed præeminentes aliis, qui tanquam centuriones quidam, singulis cohortibus præsunt. Sunt demum cæteri tanquam administri diuersa obeuntes munera: ad instar eorum qui in temporali militia diuersa obeunt munia in gratiam, siue Imperatoris, siue Militum. Sic igitur in Ecclesia militante sunt post Papam proxime Clerici constituti in Episcopali dignitate. Deinde Clerici dignitate inferiores Episcopo, & demum cæteri: quorum nonnulli curam habent animarum vt Parochi, & alii non habent: vt qui carent beneficio ecclesiastico, vel habent tantummodo simplex. De omnibus copiose disserit Azor in tomo 2. moral. institut. lib. 3. cap. 34. & 5. quem sciendi cupidus legere poterit: pauca tantum attingemus vt sufficientia ad nostrum institutum.

De Clericis constitutis in Episcopali dignitate.

SECTIO I.

QVoad hos nonnulla obseruare oportet. Primum est, Episcopatus quatuor distingui gradus in cap. Cleros, distinct. 21. Patriarchatum, Primatum, Archiepiscopatum, & Episcopatum simplicem: Supra quos omnes Papatus dignitatis gradum obtinet supremum: qui inde in cap. Nemo 9. qu. 3. dicitur Prima sedes: & vt ibidem habetur, ac in sequenti cap. Cuncta per mundum, vniuersos iudicat, & à nemine iudicatur. Et ratio est, quod Papa ei præsidens, D. Petri successor, non puri hominis, sed veri Dei vice fungatur: ex cap. Quanto, De translatione Episcopi. Videri potest Azor in seq. lib. 4. à cap. 4. & in libro 5. per aliquot capita, ac Bellarminus in tomo 1. controuersiarum: in quo late persequitur quæ ad Papæ in Ecclesia authoritatem pertinent. 41.

Secundum est, cum Papa coniungi Cardinales, quia censentur esse pars corporis eius, quemad. habet Panormit. ad cap. 2. num. 3. De Clericis non residentibus, propterea quod cum eo iudicant totum orbem, prout idem addit, ex cap. Per venerabilem, Qui filii sint legitimi: atque sint ei, *vt vulgo loquuntur*, à latere tanquam Senatores: siquidem Ecclesia quoque suum habet Senatum, ex cap. Ecclesia. 16. quæst. prima. Illi ergo, pars corporis Papæ eadem ratione dicuntur, qua ii qui sunt Principi à consiliis dicuntur pars corporis eius in lege Quisquis, Cod. Ad legem Iuliam maiestatis. Quæ de Cardinalibus ipsis Azor in eodem libro quarto cap. 1. 2. & 3. & quæ de legatis Apostolicis ac cæteris officialibus Sedis Apostolicæ in seq. lib. 5. à cap. 27. habet, relinquere possumus ei, qui volet, videnda apud ipsum.

Tertium est, primam post Papatum dignitatem esse Patriarcha- 42.

triarchatum, prout colligitur tum ex cap. Omnes, cum sequentibus, distin. 22. & ex cap. 1. 2. & 3. dist. 99. tum clarius ex cap. Antiqua, De priuilegiis. Vbi numerantur quatuor Patriarchales sedes post Romanam: quarum dignior cæteris esse Constantinopolitana, & post eam Alexandrina, dehinc tertia Antiochena, & postrema Ierosolimitana. Vbi aduerte obiter Patriarchas quidem censeri cæteris Episcopis maiores: nihil tamen iuris habere præ illis, nisi quantum sacri canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo, quemad. dicitur in cap. Duo, De officio Ordinarii. Patriarchatui autem Primatum proximum esse dignitate, ex eo intelligitur; quod Primates in prouinciis, & regnis habeant iurisdictionem super Archiepiscopos, & sint loco Patriarcharum ex cap. 1. & 2. distin. 99. De qua re verba hæc habet Gratianus initio eiusdem distinctionis. Primates & Patriarchæ diuersorum sunt nominum, sed eiusdem officij. Ab Archiepiscopis autem quoties necesse fuerit, Episcopi ad Primates appellant, sed à Primatibus Archiepiscopos appellare non licet. Debent ergo obedientiam Primatibus Archiepiscopi, in omnibus quæ sibi ab eis iuste fuerint imperata. Hæc ille

43. Post Primatē dignitate Archiepiscopū succedere proxime, nomen ipsum indicat. Ex eo enim Archiepiscopus dicitur, quod instar principis præsit Episcopis suffraganeis suis: quos ei subditos esse aperte constat ex causa 9. quæsti 3. cap. 1. 2. & 3. Qui etiam Metropolitanus ex eo dicitur, quod in prima totius prouinciæ ciuitate sedeat. Qualem eligendam esse Archiepiscopi sedem, habetur ex cap. 1. 2. & 3. distin. 80. Ex quibus relinquitur, postremam dignitatem inter maiores, esse Episcopatū: cui iure cōmuni, cæteros minores subiici, habetur ex cap. Abbates, & cap. Abbatibus, 18. quæst. 2.

Illius vero initium in cap. Olim, distinct. 95. fuisse traditur, quod cum olim Presbyteri baptizantes, eos quos baptizassent dicerent suos: & inter baptizatos oriretur schisma, vno dicente, Ego sum Pauli, alio vero, Ego sum Cephæ, & alio: Ego sum Apollo: placuit Apostolis ad tollendum eiusmodi schisma, vnum ex Presbyteris præficere cæteris, & caput Diœcesis constituere: cuius curæ, ac solicitudini, omnes basilicæ, omnia monasteria, omniaque alia Ecclesiastica cōmissa essent: sicut esse iure communi habetur ex cap. Regenda, 10. quæ. 1. & ex cap. Omnes basilicæ, 16. quæst. 7. & ex aliis ibidem à glossa notatis.

Quæ de iuribus, potestate, authoritate, tum simplicium Episcoporum, tum aliorum, ipso superiorum tradit Azor in citato libro tertio cap. 31. & quinque sequentibus relinquemus apud ipsum videnda. Contenti enim esse possumus ad vitandum prolixitatis fastidium attingere ea ex quibus maxime iudicium de peccatis pendet: qualia sunt, quæ ex officio incumbunt Clericis constitutis in Episcopali dignitate.

De iis quæ ex officio incumbunt Clericis constitutis in Episcopali dignitate.

Sectio II.

44. MVlta huius generis esse, constat ex iure canonico apud Gratianum in prima parte Decreti à distinct. 25. vsque ad finem, & in 2. par. causa 7. & tribus sequen. Item in Decretalibus & Clement. atque Extrauag. tit. De officio ord. Octo autem vel nouem præcipua indicet D. Paulus in priori ad Timoth. cap. 3. inquiens. Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, Doctorem, non violentum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, non cupidum.

Primum igitur quod ex officio incumbit Episcopo, *ratione cuius debet esse irreprehensibilis*, est studiosum esse Christianæ perfectionis, ac cōtemptus rerum mundanarū & pomparum, mortificationisque omnium humanorum affectuum. Ipse enim ex iis est, de quibus dictum est à Domino Matth. 5. Vos estis sal terræ: quod si sal euāuerit in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi, &c.]

Secundum est. suam Ecclesiam amare, non secus, ac sponsus solet suam vnicam sponsam, non transferendo in aliam suum affectum. Ideo enim datur ei in consecratione sua annulus in signum, quod cum in sponsam acceperit suam Ecclesiam, aliam quærere, & optare non debeat: quandoquidem id non casti sponsi, sed potius adulteri esset.

Tertium est, formam fieri gregi ex animo, iuxta diui Petri præscriptum *in epist. 1. cap. 5. vers. 3.* quo nomine sobrius debet esse, moderata scilicet mensa, & suppellectile, moderatoque vestitu contentus, cuncta contemnens, quæ ad mundanam pompam, fastumque pertinere videntur: studere enim debet non minus vitæ exemplo, quam salutari doctrina populum sibi commissum transferre ab amore sæculi, ad amorem Dei, tanquam à via perditionis ad viam salutis. Sic enim Dominus Ioan. 10. de bono Pastore ait: quod cum proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur quia sciunt vocem eius.

Quartum est, regere Ecclesiam De quam acquisiuit sanguine suo Act. 20. versu. 28, ratione cuius, prudens esse debet, vt discrete, prudenterue zelum diuini honoris temperet compassione humanæ infirmitatis, omnibus omnia factus, vt omnes saluos faciat: sicut de se testatur D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 9. Videri potest D. Bernard. in serm. 2. de tempore resurrectionis: vbi trium illorum *Zeli Dei in quam, compassionis proximi, & discretionis*, coniunctione necessaria Superiori in spirituali regimine suorum subditorum, præclare differit.

Quintum est, studere ædificationi populi, iuxta illud posterioris ad Corinth. cap. 2. Christi bonus odor sumus Deo & iis qui salui fiunt, & iis qui pereunt.] Ratione cuius bene compositus, beneque ordinatus esse debet interius, & exterius: in verbis, in actibus, in incessu, in quiete atque in omni conuersatione. Debet item pudicus esse, cum nihil sit, quod ipsius authoritati, & doctrinæ tam detrahat apud populum, quam vita impudica.

Sextum est, hospitalem esse seu in domo sua excipere hospitio: non tantum familiares, sed etiam peregrinos, & aduenas atque pauperes.

Septimum est, administrare verbum Dei, vnde Doctor esse debet, amplectens, vt habet idem Apostolus ad Titum 1. eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.]

Octauum est, imbecilles fouere, tanquam si nutrix foueat filios suos,] secundum eumdem. Apostolum in priori ad Thessal. cap. 2. & præoccupatos in aliquo delicto instruere in spiritu lenitatis, ad Galatas, cap. 6. vnde non violentus & percussor, sed modestus esse debet verbis vtens quibus potius ad amorem, quam ad confusionem, vel iram, aut indignationem moueat.

Nonum est, commissum sibi populum, tanquam Christi gregem pascere: illius tum spiritalibus, tum etiam temporalibus necessitatibus, paterna cura subueniendo. In quam curam, tum ardenti amore Christi debet incumbere, vt ne vitam quidem exponere dubitet (iuxta illud Domini Ioan. 10. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis) in exequendo diligenter boni pastoris munere, fructuosissimo, iuxta illud D. Petri in epist. 1. cap. 5. Cum apparuerit Princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam:] sicut ex aduerso pernicio sissima est negligentia pastori pascenti seipsum non gregem, iuxta ea quæ habentur c. 34. Ezechielis de tali genere hominum.

Requirit adhuc idem pascendi officium vt Episcopus non sit litigiosus, nec cupidus (intelligē turpis lucri, ex c. 1. epist. ad Titum) nec item superbus sit, nec iracundus, quod proprium est non pastoris, sed furis, qui venit vt perdat, & mactet, iuxta Domini sententiam Ioan. 10.] 45

His consentanea sunt quæ Concilium Trident. statuit: primo quidem in sess. 23. cap. 1. De reform. vt Episcopus in suo Episcopatu resideat sub pœna peccati mortalis, amissionis fructuum beneficii. Nam nequeunt præstare quæ debent illi qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more pro arbitrio illum deserunt. Secundo vero in ead. sess. cap. 3. vt Ordines subditis suis conferat per semetipsum, neque impeditus, ad alium mittat ordinandos, nisi bene examinatos & probatos: quod est teneri prouidere, vt tantum promoueantur ii qui inuenti fuerint

digni,

digni, secundum ea, quæ ibidem in sequentibus capitibus præscribuntur. Cæterum vt Ordines conferre, sic & alia, quæ Episcopalis Ordinis sunt, Episcopus præstare tenetur; vt confirmare, consecrare chrisma, templa, & altaria. Tertio, in sess. 7. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. iuxta cap. Cum in cunctis, De elect. vt beneficia conferat tantum dignis. Immo sit sint beneficia curata, vt dignoribus, dignis relictis minus conferat sub pœna peccati mortalis, ex eadem sess. 24: capite 1. Quarto, in sequenti cap. quarto, & in præcedentis sessionis quintæ cap. secundo, vt Concionetur per seipsum: aut legitime impeditus, per alium idoneum. Quinto, ex cad. sess. 24. cap. 3. De reform. vt visitet totâ suam diœcesim singulis annis, vel ad summum in biennio, Modus autem visitandi ibidem exponitur. Sexto in sess. 24. cap. 2. vt Episcopus annis singulis celebret diœcesanam synodum: Archiepiscopus vero Prouincialem synodum tertio quoque anno. Septimo, in sess. 6. cap. 3. vt prudenter & diligenter intendat ad corrigendum excessus subditorum. Vbi etiam sit ei potestas Religiosos, quantumcumque priuilegiatos, extra monasteria degentes corrigendi, ac puniendi sicut Clericos sæculares. Octauo, in sess. 25. cap. 3. De reform. vt sobrie, magnaque circumspectione, nec sine graui causa, seruataque iuris forma, vtatur sibi tradita potestate excommunicandi: cum experientia doceat, si temere, & leuibus de causis excommunicationis gladius exeratur, magis contemnatur, quam formidetur: & perniciem potius adferat quam salutem. Nono, in cad. sess. cap. 1. vt factis ipsis, ac vitæ actionibus (quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus) se muneri suo conformem ostendat, sicque mores suos omnes componat, vt reliqui ab eo frugalitatis, modestiæ, continentiæ, & humilitatis exempla petere possint. Decimo, in eadem etiam sess. cap. 2. vt publicet Concilium ipsum Trident. Id quod eidem etiam Pius quartus in bulla approbationis eiusdem Concilij, præcipit in virtute sanctæ obedientiæ. Quæ eadem obligatio est publicandi bullas Papæ, in quibus quoq; earum publicatio præcipitur in virtute sanctæ obedientiæ. Vndecimo, in sess. 25. cap. 1. vt pauperum, ac cæterarum miserabilium personarum paternam curam gerat. De obligatione quam is habet faciendi eleemosynam ex reditibus Ecclesiasticis quos perceperit vltra necessarios ad honestam suam sustentationem iudicandum est secundum ea, quæ traduntur in sequenti tract. 3. tit. 1. cap. 7. De beneficiariorum obligatione expendendi fructus suorũ beneficiorum in bonos vsus. Duodecimo, Debet curare vt testamenta mandentur executioni ex Clemẽt. Quia cõtingit, De religiosis domib. & Concil. Trident. sess. 22 cap. 8. De reformatione. Videndus est Sylvester in verbo Testamentum 2. quæst. octaua: & addendum quod ex eadem Clemen. aliis citatis habet Couar. ad cap. Cum tua, De testamen. num. 7 & post eum Lud. Molina De iust. & iure tomo 1. tract. 2. disput. 249. dubio 2. id quod voluntate testatoris relictum est in vnum vsum, non posse conuerti ad alium authoritate Episcopi etiam interueniente consensu executorum.

Cæterum in prædictorum officiorum omissione peccatum mortale ordinarie committi, inde intelligitur, quod ordinarie ea coniunctam habeat aut notabilem Dei irreuerentiam, aut notabile proximi detrimentum, vel scandalum. Ob quorum etiam periculum, is qui Episcopatum indignus admisit, tenetur sub mortali illum relinquere, nisi se dignum reddat, ex cap. Nisi, De renunciatione.

46. Atque istiusmodi quidem peccatorum generi obnoxius est Episcopus post suam consecrationem. Ante eam vero potest quinque modis peccare. Primo quidem, appetendo Episcopatum propter commoda huius vitæ, quod est peccatum mortale, etiamsi quis non sentiat se indignum: quando adeo ipsum Episcopatum desiderat propter bona temporalia, vt præferat ea saluti animarum: siue vt non curet probabile periculum negligenter in tali officio versandi in animarum detrimentum: mortaliter enim peccat per tradita à Caiet. 2. 2. quæst. 185. art. 1. & à Soto in 10. De iust. & iure quæst. 2. art. 1. in explicatione primæ dubitationis. Ratio vero est, quod agat contra charitatem, cuius ordinem peruertit in eo, quod proprium temporale bonum præponat bono spirituali proximi, peruersque id quod institutum est tanquam medium ad finem. *iuxta illud tritum. Propter officium datur beneficium*, eidem fini præferat: ac infideliter, & in notabile detrimentum eorum quorum curam gerit, munus susceptum exequatur. Quod si quis non dubitet se Episcopatu indignum, nec vllo modo velit suo officio propter temporalia deesse, neque hæc constituat illius finem: sed solum sit animo ita affectus, vt si temporalia commoda deessent, nihil de Episcopatu curaret: non peccat plusquam venialiter ex Caiet. & Soto ibidem, & Nauar. in Enchirid. cap. 23. num. 15. Ratio esse potest, quod talis peccet solum in ordinatione quadam appetitus temporalium, spectante ad auaritiam, quæ venialis est suo genere, quando non includit damnum proximi, quemadmodum habet Nauar. in eodem cap. 23. num. 70. Appetere autem Episcopatum principaliter, ob eius officium ad salutem animarum institutum, etiamsi mortale non sit: tamen ex Caiet. & Sot. ibidem, vt plurimum est peccatum veniale: quia præsumptio quædam esse videtur, si quis se existimet dignum Episcopi officio, quod est altissimum, atque adeo (vt habet Concilium Triden. sess. 6. cap. 1,) Angelicis humeris formidandum. Veruntamen iuxta cap. In scripturis, 8. quæst. prima, excusatur talis appetitio quando necessitas Ecclesiæ eã exigit: sicut censetur in terris vbi hæresis, vel ignorantia, vel morum deprauatio viget: vel quando magnus animarum zelus ad eam impellit: eo modo quo in verbo Episcopus, quæst. 3. concl. 2. tradit Sylvester. nempe non vt præsit quis, sed vt prosit.

Secundo modo ante consecrationẽ peccare, *& vt plurimum mortaliter, saltem propter scandalum*, potest quis procurando Episcopatum. Hinc enim id damnatur in cap. Miramur dist. 61. & in cap. fin. 1. quæst. 6. & in cap. Per nostras, De iure patronatus. Attamen si tanquam dignus non immerito habitus, eligatur: suæ electioni consentiendo non peccat, ex Panorm. ad citatum cap. Per nostras. Immo nec procurando, si id necessitas Ecclesiæ requirat: vt si eligeretur alioqui omnino indignus, ex Caiet. 2. 2. quæst. 100. art. 5.

Tertio modo ante consecrationem potest quis recipiendo Episcopatum peccare; & quidem mortaliter, si per vim, fraudem, subreptionem, vel simoniam recipiat, aut cum sciat se eo indignum, vtpote carens qualitatibus quæ in Cõcil. Trid. sess. 22. cap. 2. De reform. tanguntur, & ad tria præcipua capita reducuntur: nempe ad ætatis maturitatem, literarum scientiam, morum probitatem. De quibus dicemus in sequenti tract. 3. cap. 12.

Quarto potest quis peccare (nisi sit omnino indignus) recusando Episcopatum in duobus casibus. De quibus post D. Th. 2. 2. quæst. 185. art. 2. Sylvester in verbo Episcopus quæst. 3. sub finem. Prior est cum à Superiore præcipitur illi sub mortali, suscipere Episcopatum, & omnino recusat. Posterior est, quando manifesta datur Ecclesiæ necessitas, eique Episcopatus offertur, etiamsi non præcipiatur admittere. Neque talis excusabitur, quantumcumque votum fecerit de non suscipiendo vnquam Episcopatu, prout habetur ex D. Tho. ibidem in solutione tertii argumenti. Et ratio est, quod votum intelligi debeat saluo iure Superioris, & exceptis casibus in quibus foret irrationabile: iuxta habita ipsum in præced. lib. 18. cap. 21.

Quinto denique peccare potest, nimis differendo suam consecrationem: quandoquidem ex decreto Concilij Trid. sess, 23. cap. 2. De reform. eam differens vltra tres menses obligatur ad restitutionem omnium fructuum perceptorum, & differens vltra sex, iure ipso priuatur Episcopatu. An vero Episcopi, qui prius Religiosi fuerunt, teneantur perinde ac ante ad obseruantiam Religiosi instituti, D. Thomas tractans 2. 2. quæst. 185. art. vltimo, statuit talem debere seruare ea quæ spectant ad suam religionem, exceptis iis quæ non consistunt cum statu Episcopali, vt claustrum, silentium, & si quæ sint alia. Videri possunt id satis familiariter explicantes Gregorius à Valen. 2. 2. disput. 10. quæst. 3. puncto 8. & Azor. in prima parte Moral. instit. lib. 12. cap. 7. quæst. 4.

Sectio III.

De Clericis habentibus dignitatem infra Episcopalem.

47. PRima huius generis dignitas est Abbatia, quæ inter prælaturas ponitur in cap.2. De iudiciis: Abbatum autem quædam sunt differentiæ. Prima est, quod alij sint regulares: nempe qui monachorum collegiis præficiuntur: alij vero sint sæculares, qui toti collegio Canonicorum Ecclesiæ collegiatæ præficiuntur: nam alicubi tales præfecti vocantur Abbates: sicut & alicubi Priores, aut Rectores, vel Præpositi. Secunda differentia est: quod aliqui abbates vtantur insignibus Pontificalibus, nempe mitra, & benedictione solemni; alij nequaquam. Vtuntur vero qui habent ad id à Papa priuilegium; iuxta c. Abbates, & c. Vt Apostolicæ, De priuilegiis in Sexto. Tertia differentia est, quod alij sint exempti à iurisdictione Episcopi, non item alij, sed Episcopo subliciantur.

Secunda dignitas est Prioratus: qui distinguitur, sicut abbatia, in sæcularem, & regularem: Nam sæcularis dicitur, qui possideri solet per Clericum sæcularem, & regularis qui possideri solet per aliquam personam quæ professa est religionis regulam. Vbi aduerte, prioratum regularem dici cõuentualem, quando Præpositus per seipsum præest conuentui, nec vicariam alterius curam gerit. De quo in Clement. 1. §. Cæterum, De statu Monachorum. Dici vero claustralem, cum is præest, vices agit alterius in claustro. Illius mentio est in cap. Cum ad monasterium, De statu monachorum §. penult. Verum hoc posteriore modo dictus, non numeratur inter dignitates Ecclesiasticas.

48. Tertia & quarta dignitas, est decanatus, & præpositura. Dicitur autem Decanus, persona quę cęteris honoratior est in toto capitulo Canonicorum. De quo cum non habeatur titulus in iure Canonico, sicut de plerisque aliis dignitatibus, officium ipsius & authoritas ex consuetudine aut priuilegio pendere videtur. Quamquam illius mentio fit in cap. Dilectus 3. De præbendis, in cap. Constitutis in præsentia, De appellationibus, & in cap. Dilecto De sententia excommunicationis in Sexto. Notatum est vero in omnibus fere Ecclesiis Galliæ consuetudinem obtinere, vt Decanus habeat iurisdictionem in Capitulum, seu collegium Canonicorum, illique præsit. In Ecclesiis vero Germaniæ non Decanus, sed Præpositus, caput sit collegij Canonicorum: quod Rota attigit decisione 451. in nouis De publici acceptione præpositurę, textus habetur in cap. Quamuis De verborum signific. vbi dicitur, Præpositus quidem generaliter vocari omnes qui præsunt, sed vsum obtinuisse, eos vocari Prępositos, qui quandam prioratus super alios curam gerunt. Quæ verba significare videntur præposituram esse dignitatem in Ecclesiis secularizatis: itaut ex Priore conuentuali, factus fuerit Præpositus in capitulo, & choro.

49. Quinta dignitas est Archidiaconatus. Dictus est autem Archidiaconus, *id est, princeps minister*: ex eo, quod inter Diaconos seu ministros Episcopi (quorum obsequio in executione sui muneris vtebatur, ne presbyteri quibus incumbebat cura ministrandi plebibus sacramenta, ab ea distraherentur) maximam omnium iurisdictionẽ ab Episcopo ipso haberet: tanquam vicarius ipsius in omnibus: & ad quem omnis cura in Clerico pertineret: ex cap. 6. De officio Archidiaconi: itaut presbyter Archidiacono superior sit quidem Ordine & consecratione: non tamen iurisdictione: quam in omnes de Clero, atque adeo in presbyteros ille exercere potest. Vnde & Archipresbyteri subiecti illi esse dicuntur in cap. Adhæc §. Archipresbyteri, titulo memorato, & in cap. 1. De officio Archipresbyteri.

Archidiaconus igitur est veluti oculus Episcopi, vicariã illius curam gerens per totam Diœcesim: cuiusque officium est ordinandos examinare, & Episcopo repræsentare, ex cap. Vt nostrum De officio Archid. Cuius præsentationis modum vide in cap. vnico De scrutinio in Ordine faciẽdo. Item mittere in possessionem ecclesias quibus fuerit ab Episcopo collatum beneficium, ex citato cap. Adhæc. §. In quadam. Item singulis annis Ecclesias suę iurisdictionis visitare; & quæ digna sunt correctione Episcopo renunciare: atque alia quædam ex eod. cap. Adhæc, & ex c. Perlectis, dist. 25. §. Archidiaconus. Cæterum quod iurisdictio, seu potestas Archidiaconi debeat regulari iuxta consuetudinẽ obseruatam in Ecclesia, in qua est Archidiaconus: itaut non possit quid amplius sibi sumere, quam per eam conceditur, habetur ex cap. finali De officio Archidiaconi.

Sexta dignitas est Archipresbyteratus. Dicti sunt autem Archipresbyteri, quasi principes, & præcipui inter presbyteros; ad quos absente Episcopo delatum est à iure munus celebrandi Missarum solemnia, ac curandi vt cæteri presbyteri suum munus recte obirent. De qua re titulus habetur extra De officio Archipresbyteri, & textus in ante citato cap. Perlectis, §. Archipresbyter. Duplicis vero generis Archipresbyter constitutus fuit: quidam vrbanus, qui præesset omnibus presbyteris vrbis, in qua est sedes, seu Ecclesia Episcopalis: cuius officium proponitur in cap. Officium tit. memorato. Quidam vero plebanus, seu ruralis, qui non tantum vulgi imperiti curam gereret, sed etiam reliquorum presbyterorum; in pagis, castris, ac villis, prout traditur in cap. finali eodem titulo.

Septima dignitas est Primicerij, sic dicti, quod in cera, siue tabula cerata, in qua psallentium Ordo in choro descriptus erat, primus esset. Hodie cantor vocatur, eiusque officium fuit præesse scholæ cantorum: vt ipsius cura, & opera, Clerici ad cantum destinati, lectione sacrorum librorum, & optimis moribus instituerentur: & cuique quid legere, aut cantare deberet assignare, ex supra citato cap. Perlectis. §. Ad primicerium, & ex cap. vnico De officio primicerij. 50.

Octaua dignitas est Præcentoris. & Succentoris. Vt enim Primicerius scholæ cantorum, sic Præcentor choro eorumdem canentium in Ecclesia præficitur: vt choro in duas partes ad canendum alternatim diuina officia diuiso, ipse, cantum incipiat, antiphonasque inchoet. Qui vero ad ipsius absentis munus explendum constitutus erat, dictus est Succentor, & officium eius succentoria, in cap. Inter dilectos De excessib. Prælat.

Nona dignitas est Thesaurarij, qui idem in iure canonico appellatur tum Sacrista, tit. De officio sacristæ, tum custos, titulo De officio custodis. Ad eum pertinet sacrorum vasorum, reliquiarum, & vestium custodia, & quædam alia ex memoratis titulis.

Decima dignitas est Cancellarij, *vt appellatur in cap. Vt nostrum De officio Archidiaconi*: siue scholastici, aut scholarchi, vt ideo vocari solet, quod officium ipsius fuerit curare, vt inferiores Clerici choro addicti, artes liberales discerent, & bene legere scirent. Hodie, *sicut & Thesaurarius*, dignitatis habet titulum, cum officio canendi horas canonicas in choro: celebrandique cætera diuina officia.

Præter has sunt in Ecclesia Romana dignitates: de quibus videri potest Azor in tomo 2. Moral. Instit. libro 5. à cap. 27. ad finem.

Sectio IV.

De habentibus Parochialem animarum curam.

Qvi curam habet animarum sine Ecclesiastica dignitate, dicitur Parochus ἀπὸ τῆς παροίκειν, id est, à præbẽdo: eo quod sit Sacerdos ab Episcopo præfectus, vt plebi cibũ diuini verbi, & sacramentorum, ad animas pascendas præbeat in certa diœcesis parte: quæ ex ipso dicitur Parochia, & templum in quod plebs ipsa conuenit ad accipiendum verbi Dei, & sacramentorum pabulum, communiter, dicitur Ecclesia parochialis. Quamquã nomen ipsum parochiæ interdum pro tota diœcesi subiecta Episcopo sumitur, vt 92. c. 4. 5. & 6. atque c. finali De Parochiis. Adhuc idem ob eamdem dicitur tum Curatus in Clementina Dudum, §. Verum De sepult. ex cura scilicet, ac onere administrandi sacramenta & proponendi verbum Dei populo: tum etiam Plebanus, in in cap. Quod Dei timorem. De statu monachorum, & in cap. Super specula §. finali, Nec clerici, vel monachi: scilicet ex solicitudine quam gerere debet plebis, certis limitibus (iuxta cap. Super eo, De Parochis) inclusæ, quæ ipsius potestati Ecclesiasticæ subiecta est. 51. 52.

Vbi

Vbi nota primo, quod cum duplex sit Ecclesiastica potestas: vna in foro interiori ad absoluendum, & ligandum: altera in foro exteriori, spectans ad exteriorem disciplinam, & gubernationem Ecclesiasticam; hanc inueniri quidem in iis, qui dignitatem habent cum cura animarum: non tamen in Parochis, in quibus est sola prior, iure ordinario.

Nota secundo, iura Parochiæ hæc numerari: primo, vt in ea populus baptismũ suscipiat; secundo, vt Eucharistiam in Paschate, & pœnitentiam semel in anno, ac Extremam vnctionem suo tempore. Tertio, benedictionem nuptiarum. Quarto, sepulturam. Quinto, vt populus, in ea diebus festis Missam audiat: etsi possit quis (dummodo absit contemptus) audire in alia parochia, iuxta cap. 2. De Parochiis, iuncta glossa finali. Sexto, vt decimas in ea soluat. Septimo, vt item primitias & alias oblationes ibidem offerat. De quibus videndi sunt Syluester, Tabiena, & cæteri Summularij in verbo Parochia.

Nota tertio, quamuis ad Parochiale beneficium non requiratur vt is cui cõfertur iam sit initiatus aliquo sacro Ordine, ex Syluestro. Beneficium 3. q. 3. in fine: is tamen debet intra annum Sacerdos fieri, ex cap. Licet canon, De electione in 6. Qua de re dicetur in sequenti tractatu tertio, num. 311. Aduerte vero consequens esse ex hoc notabili, vt prædictus promoueri possit intra annum, non seruato interstitio constituto in Concilio Triden. sess. 23. cap. 11. De reform. Quod idem iudicandum est ist de iis, qui obtinent beneficia quibus annexa sunt onera dicendi Missam, aut cantandi Epistolam, vel Euangelium. Namque ius à talibus quoque exigit vt intra annum suscipiant Ordinem requisitum ad illa ipsa onera obeunda: qui quidem alioqui ipso iure priuentur voce in Capitulo, & priuandi sint dimidia parte distributionum. Textus est expressus in Clementina, Vt ij qui De ætate, & qualitate: cuius statutum Concil. Triden. innouat in sess. 22. cap. 4. De reform. Atque si moniti vt promoueantur, ipsi recusent, priuandi sunt beneficio, iuxta cap. cum in cunctis §: Inferiora. De electione. Id quod procedit, etiam quando beneficium habet aliquem Ordinem annexum ex fundatione, statuto Episcopi, vel voluntate fundatoris vel ex consuetudine. De qua re Tabiena in verbo, Beneficium 3 nu. 23.

Nota quarto in numero Parochorum poni Vicarium perpetuum: qui authoritate Episcopi canonice institutus, ius habet certam portionẽ ex beneficio accipiendi, nec potest ab officio amoueri, nisi eadem authoritate Episcopi, ac iustis de causis: ex cap. Adhæc, De officio Vicarij: & ex cap. vnico, De capellis monachorum in sexto. Cæterum constitui solent Vicarij perpetui, ad populi curam habendam authoritate Episcopi, quoties beneficium curatum vnitur alteri Ecclesiæ, vel Capitulo, vel Episcopatui, vel Academiæ, vel fabricæ Ecclesiarum, vel monasterio regularium, vel alicui dignitati Ecclesiasticæ, vel collegio, vel hospitali, vel seminario, vel alicui altari loco pio, vel mensæ Episcopi, aut alterius Prælati. Atque vicario perpetuo constituto in Parochiali beneficio, ille qui idipsum habet sibi vnitum, liberatur ab onere seruiendi per seipsum in eodem: quia tota ea cura, & onus transfertur in Vicarium ipsum perpetuum, qui ad id constituatur: & ideo assignatur illi ex beneficio vnito portio sufficiens ad vitam, iuxta cap. Extirpandæ §. penult. De præbendis, & cap. 1. eod. tit in 6.

Iam quod vicaria perpetua habeatur in numero beneficiorum, patet ex eo, quod authoritate Episcopi detur in titulum perpetuum: & id Clerico tantum; assignata ipsi certa portione ob ministerium Ecclesiasticum. Licetque alius sit principalior, titulum habens beneficij Parochialis: tamen eidem Vicario incumbit totum onus, cura, & administratio talis beneficij. Indeque est, quod perinde ac Parochus, nequeat simul habere aliam vicariam perpetuam, aut aliud curatum beneficium: quodque debeat esse 25. annorum, & ad sacerdotium intra annum promoueri, ex Clemen. vnica, De officio Vicarij.

De temporalibus Vicariis, qui ad vices Parochi gerendas constituuntur tantum ad tempus, *& ideo non sunt beneficiarij*, videri possunt Syluester, & reliqui Summularij in verbo, Vicarius. Et inter cætera, *pro communi praxi*, notari duo casus præcipui, in quibus Vicarius temporalis constitui solet. Prior est, quando quis duas Ecclesias æque principaliter Parochiales vnitas habet ex dispensatione legitima: tunc enim vnus & idem est rector vtriusque: & ideo non tenetur vicarium perpetuum in alterutra præficere: sed vicarium ad tempus, quando ipse non potest, aut non vult seruire per seipsum; argumento cap. Et temporis, 16. quæst. 1. quod glossa *ad cap. 1. Ne sede vacante, verbo vniendo, in fine* vsurpat in eamdem sententiam. Posterior casus est, in quo vicarius temporalis constituitur ratione peregrinationis, studij vel alterius occupationis vtilis, & honestæ Parochi. Constituitur inquam authoritate Episcopi: fine cuius licentia ne tunc quidem Parochum posse à sua Parochia recedere habetur De consecr. distin. 5. cap. Non oportet, & cap. Relatum, De Clericis non resident.

Vicarius quoque temporalis esse potest Episcoporum, & aliorum Prælatorum habentium iurisdictionem quasi Episcopalem: quales sunt Præfecti Ordinum regularium, exemptorum ab Episcopi iurisdictione. De eo legi potest Syluester loco citato quæst. quarta. Spectantia ad iurisdictionem Vicarij temporalis pro foro interno tradidimus in præcedenti lib. 1. cap. 6.

Porro Parochi officia, quæ incumbunt ei ex cura pastorali numerantur decem iam relata à nobis in præcedenti item libro vigesimo cap. 5. sect. tertia. Peccata, quibus obnoxius est ratione sui status, sunt non pauca: quæ reduci possunt ad quatuor capita. 54.

Ad quorum primum pertinent commissa in susceptione ordinum; nempe si susceperit cum inhabilis esset ad illos suscipiendos; aut simoniam commisit in susceptione, aut susceperit ab Episcopo non legitimo, aut ante ætatem legitimam, aut in mortali peccato, aut in irregularitate, aut in excommunicatione, vel suspensione, aut ad titulum falsi, vel ficti patrimonij, vel beneficij, aut cum licentia falso obtenta.

Ad secundum pertinent commissa contra decentiam sui status: non gestando habitum Clericalem cum aperta tonsura: aut exercitia Clericis prohibita exequendo: aut ludis, vel choreis vacando, aut cum mulieribus commercium habendo, & sic de eiusmodi aliis, iuxta ea quæ dicentur postea in tractatu 3. cap. 2. aut demum in recitando horas canonicas cum voluntaria distractione, aut alio defectu, ob quem debitum orationis pensum minime reddere censeatur, iuxta dicenda in eodem tractatu 3. cap. 4.

Ad tertium pertinent commissa per indebitum vsum sacerdotalis Ordinis, vt si Missam celebrauit absque debitis ornamentis, aut si omisit adhibere materiam, & formam debitam, cum necessariis cæremoniis in administratione sacramentorum, aut si conscius sibi peccati mortalis Missam celebraturus, non est confessus, habens copiam Confessarij: vel non ieiunus celebrauit, vel calices, & cætera ad tantum mysterium necessaria, non habet munda, & bene parata: nec satis cauet, ne quid de Christi corpore aut sanguine illi excidat, aut si Missam dicat post pollutionem etiam dormiendo habitam, si quidem causam mortalem ei dederit: aut si dicat pro strigibus, aut in quemcunque finem mortaliter malum, aut sæpius dicat eodem die sine legitima facultate: aut si confessiones audiuerit non satis attente, vel sine sufficienti authoritate, & scientia, aut alicui absolutionem sacramentalem impenderit, cui non poterat: aut aliquid in confessione auditum detexerit: aut interrogarit vel iniunxerit, quod non debebat: aut omiserit inquirere, vel iniungere, quod debebat: aut in dubiis peritiorem non consuluerit, aut male iniunxerit pœnitentiam.

Ad quartum spectant commissa circa proprium Parochi munus: non residendo in sua Parochia, nec suo gregi assistendo sicut tenetur; non dicendo Missam omnibus diebus festis, quibus illam Parochiani audire tenentur, & aliis diebus quibus necessitas exigit propter defunctos, aut nuptias, aut propter aliquam specialem consuetudinem, vel constitutionem, quæ illum adstringat ad dicendam; aut non docendo populum sibi commissum, vel sacramenta ei nõ ministrando, cum necessitas postulat, vel recusando

ei tem-

ei temporale, aut spiritale subsidium, quod ex officio debet ei præstare. Vbi aduerte Parochum, sicut & alios beneficiarios, teneri in pauperes erogare, quidquid ex fructibus sui beneficij superfuerit ei vltra suam honestam sustentationem, iuxta late tractanda in sequenti tract. 3. cap. 7. Præter antedicta peccata, quibus post acceptum beneficium Parochus obnoxius est; ante acceptum potest, *quemadmodum de Episcopo dictum est*: quinque modis peccare, nempe appetendo curatum beneficium, procurando, recipiendo, recusando & differendo nimium suam ordinationem; iuxta c. Licet canon, De elect. in 6. in quo statuitur vt is qui accipit curatum beneficium illud perdat ipso iure nisi intra annum fiat Sacerdos.

Aduerte tamen differentiã in duobus casibus, in quibus procurari potest beneficium curatum, *dummodo absit scandalum*, etiamsi Episcopatus non possit. Prior est, quem habet Caiet. 2. 2. quæst. 100. art. 5. quando curatum beneficium nulli datur nisi petenti; & petens alias dignus est, & mouetur ex charitate erga Ecclesiã cui prodesse cupit, nec cuiquam præiudicium adfert. Posterior est, *quem tradat Armilla in verbo, Beneficium, nu.* 59. quando Clericus indigens est, ac necessitate pressus: & cum dignus sit, beneficium curatum petit, vt potius ea ratione sibi subueniat, quam cum vituperio Ordinis Sacerdotalis mendicet.

De iis qui beneficia (& ex consequenti officia) habent sine dignitate, & animarum cura.

Sectio V.

55. INter beneficia Ecclesiastica, nonnulla sunt quibus nulla inest aliorum beneficiorum qualitas; puta nec iurisdictio, nec administratio rerum Ecclesiasticarum, nec dignitatis titulus, nec cura animarum, appellanturque simplicia, eo quod simpliciter sibi retineant nomen beneficij; quemadmodum vota, aut pacta, quibus non inest certa aliqua iuris solemnitas, id est, non testium adhibitio, non stipulatio, aut literæ, aut aliqui alij ritus ecclesiastici, aut ciuiles; dicuntur vota, aut pacta simplicia. Talia habentium onera & officia, sunt vel dicendi horas canonicas, vel psallendi in choro, vel certis diebus dicendi Missam, vel certis temporibus ministrandi, ac seruiendi in Ecclesia. Item talium variæ sunt species: inter quas præcipua est Canonicatus. Qui quamuis nec animarum curam annexam habeat, nec iurisdictionem, nec dignitatis titulum: habet tamen aliquid eminentiæ, ornati, & decoris in Ecclesia. At cum alius sit Ecclesiæ cathedralis, & alius collegiatæ, ille est honoris eminentioris: itaut inter beneficiarios simplices, dignissimi censeantur Canonici Ecclesiæ cathedralis: qui inde Sacerdotes Cardinales dicuntur, in cap. 2. De officio Archipresbyteri: tanquam primarij & præcipui; ad differentiam Sacerdotum, qui in inferioribus Ecclesiis resident. Quod nihilominus nomen nunc de solis iis qui pertinent ad Romanam Ecclesiam, quæ omnium Ecclesiarum caput est, intelligi solet. Eorum enim dignitas adeo aucta est, vt ipsorum lumine quasi obfuscati reliquarum Ecclesiarum Cardinales, suum nomen amiserint, prout subindicat glossa finalis ad cap. Pudor. 32. quæst. 2.

Definiri vero potest Canonicatus ius habendi locum, & sedem in choro, ac vocem in Capitulo ex electione & receptione, qua quis in fratrem inter Canonicos cooptatur. Cui iuri aliud est annexum percipiendi prouentus Ecclesiasticos ratione officij, cui Canonicus seruit: seu Canonico debitos ob præsentiam ad cantandum in choro, & vocem habendam in Capit. Cuius nodi ius nomine præbendæ stricte sumpto significari solent: quod late sumptum comprehendit quoque ius percipiendi prouentus Ecclesiasticos ratione officij, cui quis seruit tanquam Clericus ministrans in diuinis; non tamen specialiter tanquam Canonicus. Sumptum latissime extenditur adhuc ad ius percipiendi fructus Ecclesiasticos ratione laboris, & officij temporalis: cui quis, etiamsi laicus, seruit in Ecclesia. Qua ratione Aduocatus Ecclesiæ, Syndicus, Procurator, Oeconomus, dicitur habere certam, & ordinariam præbendam.

De obligationibus specialibus Canonicorum, *præsertim Ecclesiæ Cathedralis*, legendum est Concil. Triden. sess. 24. cap. 12. De reform. Illa autem maxime specialis est, quod interesse debeant diuinis officiis in choro. Cui non satisfacientes priuantur distributionibus quotidianis, per cap. vnicum, De Clericis non residentibus, in 6. innouatum à Concilio Triden. in citato cap. 12. itaut teneantur ad perceptarum restitutionem. De qua re videri potest Azor in 2. parte moralium Institutionum lib. 7. c. 7. cum Couar in lib. 3. variarum resol. cap. 13.

Secundam speciem beneficiorũ simplicium constituunt Portiones: sic dictæ, quod sint ius percipiendi partem aliquam prouentuum Ecclesiæ, assignatam Clericis habentibus curam & officium horas canonicas in choro cantandi cum Canonicis. Qui constituunt capitulum, seu collegium argumento cap. Dilecta, De excessibus Prælatorum, Nec vocantur ad communes tractatus cum Canonicis, *vt habet glossa ad cap. penult. verbo, Assistos. De clericis non residentibus.* Sunt autem, sicut & Canonici, quidam cathedralis Ecclesiæ, & quidam Ecclesiæ Collegiatæ.

Tertiam speciem constituunt Capellaniæ sic dictæ à Capella. Sumitur vero ipsum capellæ nomen prout ad rem nostram pertinere potest; nonnunquam pro altari aliquo constructo in templo: nonnunquam vero pro loco aliquo sacro posito quidem extra templum, sed ei contiguo: nonnunquam autem pro simili loco disiuncto, ac separato à templo: & demum nonnunquam pro aliquo loco ad sacros vsus deputato in domibus priuatis, quod solet dici oratorium. Titulus est particularis in Decretalibus, De capellis monachorum, quo nomine significantur loca sacra, *vt sacellum, prioratus, aut templum*, alicui conuentui religiosorum subiecta.

Non omnis autem Capellania est beneficium, sed solum ea quæ est collatiua: vt cum Medina docet Nauar. De oratione cap. 20. nu. 17. Vbi addit collatiuam dici quæ instituta est authoritate Papæ, vel Episcopi: non collatiuam vero, quæ instituta est authoritate priuata à solo testatore, vel donatore citra authoritatem Papalem, vel Episcopalem: quæ sicut non est beneficium, ita nec inducit obligationem recitandi horas canonicas, vt idem quoque author addit: & potest à fundatore cui placuerit, *dummodo idoneo*, sine Episcopi institutione conferri, vt notat Guido Papæus in decis. 187. Itaut capellaniam aliquam beneficium esse iudicari debeat ex eo, quod in illa conferenda, cum patroni nominatione exigatur Superioris Ecclesiastici institutio, qua in titulum, & in perpetuum conferatur ad modum aliorum beneficiorum.

Cæterum onus capellaniæ collatiuæ, præter illud recitandi horas canonicas, aliud est: nempe Missas certis anni temporibus iuxta formam in fundatione præscriptam, dicendi in altari, vel capella, vel Ecclesia, vbi ea instituta est. Nam capellaniæ institutio spectat eo, vt à Capellano certis anni temporibus Missæ sacrificium celebretur. Iam ad naturam capellaniæ accedunt fundationes, quæ ex eo dicuntur obitus, quod constituti sint certi reditus, ex quibus in perpetuum, pro anima fundatoris qui obiit, preces aliquæ fiant quotidie, vel aliquo anni tempore. Tales autem, *sicut capellaniæ*, approbatæ ab Episcopo rationem beneficij habent: alias non.

Porrò difficultas est: An præstimonium quartam beneficiorum simplicium speciem constituat. De qua in vtramque partem plures Authores refert Azor in tomo 2. moral. institut. lib. 3. cap. 7. & affirmantem merito sequitur: quia in cap. Quoniam, De concessione præbendæ in 6. præstimonium inter beneficia ecclesiastica numeratur: & Pius quintus in Bulla quam Nauarr. *in Enchir. cap. 25. num. 122. refert*, illud habendi imponit onus recitandi horas canonicas tanquam beneficiario: vtpote cui ex bonis Ecclesiæ portio datur: prout Clericus est: cuiusque accipiendæ ius, conditionẽ habet beneficij: siquidem non potest acquiri nisi canonica institutione, nec potest conferri sub aliquo pacto absque labe simoniæ: nec nisi authoritate Prælati Ecclesiastici, nec alteri quam Clerico, nec aliter quam in perpetuum conferatur: idque propter officium Ecclesiasticum: dicendi scilicet horas canonicas, quod habet annexũ. Neq; refert quod ab initio instituta fuerint præstimonia, vel pro subsidio

adolescen-

adolescentium vacantium literis, vel in subsidium pugnantium pro fide contra infideles: quoniam fieri potuit vt processu tempori fierent: beneficia, quæ haberent onus annexum saltem dicendi horas canonicas. Quo modo intelligendum est quod dicantur pensiones intitulatæ. Videri potest Suarez De religione tract. 3. lib. 4. cap 25 & tract. 4. lib. 4. cap. 2. 2. num. 7. & aliquot sequentibus, vt Azor. loco citato.

De commendatariis, Coadiutoribus, & Hospitalariis.

Sectio VI.

57. QVia non semper occurrit persona idonea ad beneficij custodiam, & administrationem, ipsum interea consueuit commendari alicui, qui curam illus gerat, quoad de idoneo prouideatur: vnde à commẽdando dictus est commendatarius. Etsi autem de iure communi dari debeat commenda ad tempus certum; quod ad summum sit sex mensium, ex cap. Nemo, De electione in 6. tamen Papa potest quodcumque beneficium dare in commendam perpetuam quando legitima adest causa: sine qua non potest licite propter damna quæ alioqui Ecclesiæ inde prouenirent, & particularibus inferrentur.

Quod autem Episcopus possit in commendam dare beneficium parochiale, obseruatis quinque cõditionibus, habetur ex supra citato cap. Nemo. Quarum conditionum, prima est, vt ille cui datur sit 25. annorum. Secunda, vt sit Sacerdos. Tertia, vt non habeat aliam commendam. Quarta, vt non detur ad plures, quam sex menses. Quinta, vt sit euidens Ecclesiæ necessitas, vel vtilitas. Quæ si cesset ante tempus definitum, potest beneficium conferre alteri perindeac finitis sex mensibus. Post quos si necessitas, vel vtilitas adhuc duret, potest continuare commendam, donec possit de idoneo prouidere, alias non: *ex glossa fina i. eidem cap Nemo*, ne scilicet tale statutũ ludibrio habeatur debitoque frustretur effectu: vt dicitur in c. Commissa, De electione in 6. Beneficium autem commendandi etiam tantummodo ad tempus authoritatem non habere inferiores Episcopo, qui possunt ex priuilegio præscriptione, vel consuetudine illud conferre; notat Azor in tomo 2. moral. instit. lib. 6. cap. 31. quæst. 11. Sed contrarium non videtur probabilitate carere. Cum enim maius sit conferre beneficium quam ipsum commendare: satis probabile est, qui potest illud, posse & istud: præsertim cum ius non appareat resistere.

Difficultas est autem de commenda perpetua: An sit proprie beneficium, & canonicus titulus. Cuius partem affirmantem Doctores Gallos, & negantem Doctores Italos sequi notat Azor in præcedenti quæst. 5. Sed praui refert ad nostrum institutum siue dicatur siue negetur esse proprie beneficium, dummodo concedatur æquiparari beneficio, quod quidem minimum concedendum esse, aliis citatis Suarez indicat, De religione, tract. 3. lib. 4. cap. 27. quandoquidem per illam detur cura iurisdictioque ordinaria, aut saltem quasi ordinaria: ac commendatarius ad modum beneficiarij, impeditur accipere aliud beneficium incompatibile, ex decreto Concilij Triden. sess. 7. cap. 4. De reform. Accedit quod ad modum beneficij commenda perpetua ad totam vitam fiat: & commendatarius possit ex reditibus beneficij commendati viuere: super iisdem transire, ac eos vẽdere: liberamque habeat potestatem in temporalibus, & spiritalibus, non secus ac is, qui antea titulum habuit. Id quod constare potest tum ex formula, qua in commendam perpetuam beneficia dari solent à Papa: committendo illis eorum gubernationem, & faciendo potestatem de reditibus, fructibus, & prouentibus illius disponendi, & ordinandi, sicut illi qui habuerunt in titulum, disponere & ordinare potuerunt, ac debuerunt. Nota ex Syl. *in verbo, Commenda sub finem*, dari quatuor casus in quibus peccatur mortaliter habendo monasterium in commendam. Primus est, quando habens illud non eget eo vero. Secundus quando notabiliter diminus cultus inde minuitur in monasterio. Tertius, quando monastica disciplina ideo dissoluitur. Quartus quando graue scandalum inde sequitur. De commenda, plura, tum Summularij in ipso verbo, Commenda: tum alij vt Gomesius in regulam De triennali possessione, quæst. quinta & Rebuffus in praxi benefic. 2. part. tit. De commenda.

Quod attinet ad Coadiutorem: is nomen habet ex auxilio spiritali quod præstat beneficiario. Triplex autem distinguitur: vnus qui assumitur à Beneficiario ad aliqua officia minora, tanquam commissarius: constituique potest à quocumque beneficiario, quoad officia illa, quę ipse alteri committere potest: ac etiam pro eiusdem voluntate destitui, seu amoueri à tali officio. 58.

Alter iste, qui est assumitur ad omnia beneficiarij officia, non tamen vt ei succedat post eius mortem. Atque talis non solet dari beneficiario simplici: sed Episcopo, aut eo, siue superioribus, siue inferioribus curam animarum habẽtibus: idque (iuxta cap. De Rectoribus, cap. Ex parte, & cap. finali, De Clerico ægrotante, iuncto cap. 6. Concilij Triden. sess. 21. De reform.) his de causis: prima ob senium, quo confectus est beneficiarius. 2. ob infirmitatem corporis, quando est morbo fractus. 3. ob infirmitatem animi, qua fit mente captus. 4. ob insufficientem literaturam. 5. ob negligentiam, qua existens pastor, negligenter suo munere fungitur. Atque talis Coadiutoris officium est, *argumento cap. 2. De supplenda negligentia Prælatorum in 6.* facere omnia ea ad quæ præstanda datus est Coadiutor. Ipse vero nec Pastor, nec Prælatus, nec beneficiarius censetur esse: quia non habet titulum beneficij, vel prælaturæ: sed tantum exercitium curæ pastoralis: propter quod recipit portionem reditum eiusdem beneficij ad congruam suam sustentationem: vltra quam nihil potest de iisdem sibi accipere, aut alienare.

Porro in beneficiis parochialibus, & cæteris Episcopatu inferioribus, causa iusta interueniente potest (congruenter cap. De Rectoribus, & cap. finali, De Clerico ægrotante) istiusmodi Coadiutori dari ab Episcopo: aut etiam ex Sylu. *in verbo, Coadiutor, q. 2. in fine*, ab alio Superiore, quod intelligendũ de Superiore, ad quem pertineat collatio, aut institutio, admissioque cessionis talis beneficij. Verumtamẽ in Episcopatu, & aliis superioribus Prælaturis, Coadiutor tantũ datur à Papa: exceptis duobus casibus, *ex cap. vnico, De Clerico ægrotante in 6.* Prior est, quando Episcopus habet perpetuum impedimentũ, vt senio vel alia infirmitate perpetua confectus: itaut officium suum obire nõ possit: tunc enim de Capituli sui consensu, potest vnum, vel duos Coadiutores assumere. Posterior est, quando Episcopus incidit in amentiam: tunc enim si amentia est perpetua, Capitulum potest ei constituere vnum, vel plures Coadiutores cũ consensu ipsius, si habens lucida interualla, illum præstare possit. Ipso autem recusante consensum præbere, res est ad Sedem Apostolicam fideliter deferenda: non autem à Capitulo propria authoritate cogendus, ex eod. cap. vnico. Cæterum quia talis Coadiutoria non instituitur in commodum personæ, sed Ecclesiæ, ea durat quandiu Ecclesiæ necessitas, vel vtilitas durat. De his vltra ea quæ continentur in Decretalibus, titulo De Clerico ægrotante: alia habentur 7. quæst. 1. octodecim primis canonibus.

Tertius Coadiutor est, cui tunc cum in tale officiũ assumitur, facultas, & ius datur vt mutuo beneficiario succedat ei in beneficio. Huius vsum Concil. Trident. sess. 25. cap. 7. De reform. abrogat, & merito quia reseruationes certi beneficij, à certa persona possessi, non minus luctuosæ sint, & odiosæ quam pacta de futura successione, vt ratio & experientia docent, notaturque in cap. 2. De concessione præbendæ, & in cap. Detestanda, cum sequenti eodem tit. in 6.

Sunt autem tres conditiones tactæ in Concilio Triden. loco citato, per quas iustificari potest talis vsus. Primus est, si vtilitas Ecclesiæ requirat talem Coadiutorẽ, qualis est, cum sic constitutus Coadiutor, maiorem authoritatem habebit in gubernanda Ecclesia, magisque excitabitur ad peragendum rite suum officium, oues sibi commissas tanquam proprias agnoscens, amans, & pascens, aut magis amabitur, ac coletur à subditis: qui & ideo magis illi obedient. Secunda propositio est, si Papæ dispensatio interueniat, qui solus coadiutorem cum futura successione dare potest pro plenitudine potestatis, quam habet supra omnia beneficia, ex cap. Proposuit, De concessione præbendæ. Tertia

est, si

est, si Coadiutor ille habeat omnes qualitates quas ius canonicum in eiusmodi beneficiario requirit.

Nota obiter de duobus priorib. Coadiutoribus certum esse quod ij non sint proprie beneficiarij: sed de hoc tertio dubitari posse: tum quia solet constitui de consensu beneficiarij cui Coadiutor datur: itaut eiusmodi Coadiutoria videatur quodammodo vim habere, & naturam resignationis. Eo ipso enim, quod quis consentit suū beneficium alteri conferri, videtur eidem cedere. Tum quia talis Coadiutor ius in perpetuum habet in beneficio, & agnoscitur ab ouibus, & agnoscit oues tanquam proprius pastor. Sed cum Nauarro, & aliis quos ipse citat in tractatu De oratione ca. 20. num. 18. tenendum est contrarium: hoc est, ne Coadiutorem quidem perpetuum, esse proprie beneficiarium: quia est alius qui habet talis beneficij titulum nec in eodem beneficio, aliud est ius Coadiutoris, quā succedendi in illo post mortem alterius. Habet vero administrationem & exercitium curæ annexæ ipsi beneficio: quoniam assumptus est tanquam adiutor ad ferenda onera administrationis, & curæ illius.

59. Quod demum attinet ad Hospitalarios: notandum est duplex esse hospitale, vnum, quod in iure dicitur Religiosū: & est illud, quod authoritate Episcopi ædificatum est ex cap. Adhæc, De religiosis domibus. ad Episcopumque ipsum pertinet procurare, vt reditus eius in vsus destinatos expendantur. Alterum est non Religiosum, quod absque authoritate Episcopi extructum est neque ad Episcopum ipsum, sed ad patronum eiusdem hospitalis, etiamsi laicus sit, pertinet procurare, vt reditus eius in vsus destinatos expendantur. Non ponuntur autē hospitalarij in numero beneficiariorum, argumēto Clementinæ. Per literas, De præbendis. Et ratio est, quia instituuntur hospitalia non quidem ad sustentationem Clericorum ob ministerium spiritale, sed ad pauperum alimoniam: ipsique hospitalarij possunt esse laici, qui tanquam tutores, curatores, aut gubernatores locum, & res hospitalis administrent ex Clementina, Quia contingit, §. Vt autem De religiosis domibus. Aliquando tamen solet hospitale Clericis in titulum beneficij conferri. Ac primo, cum in illius fundatione dictum fuerit, vt in titulum detur alicui Clerico, qui illius bona dispenset: secundo, cum habet collegium Clericorum siue secularium, siue regularium, à quibus eligitur hospitalarius secundum præscriptam formam electionis canonicæ (de qua late Sylvester verbo, Electio, 2.) quoniam tunc electus, & à Superiore confirmatus curam habet, & iurisdictionem in collegium; à quo electus est, vnde fit vt beneficiarius censeatur. Denique quando hospitale vnitum est beneficio Eccl. sistico. Tunc enim cum accessorium sequi soleat naturam principalis, dicetur beneficium.

TRACTATVS SECVNDVS.

De irregularitate, tanquam impedimento siue suscipiendi sacramentum Ordinis, siue susceptum exercendi.

Hic tractatus instituitur à Summularijs in verbo, Irregularitas, à Nauar. in Enchir. cap. 17. à num. 191. ad 251. à Couar. ad Clement. Si furiosus, De homicid. à Feliciano, & Borgafio, Alfonso à Viualdo, Maiolo, ac aliis, quos hi duo referunt initio suorum tractatuum, vt & Henriquez tomo 1. Theologiæ moralis initio libri 14. quibus nouissime accesserunt Suarez tomo 5. in 3 partem D. Thomæ à disput 40 ad finem vsque, & Stephanus de Auila in tractatu de censuris parte vltima. Atque de irregularitate, nullus quidem inuenitur peculiaris titulus in iure canonico: multa nihilominus sparsim de ea habentur, postea commemoranda.

TITVLVS PRIMVS.

De iis, quæ vniuerse spectant ad Irregularitatem.

IN tres autem titulos hic tractatus distingui commode potest: quorum primus sit de iis, quæ vniuerse spectant ad irregularitatem. 2. specialiter sit de irregularitatibus prouenientibus ex defectu: & ex facto, siue delicto. & 3. de prouenientibus ex delicto. Ad tria vero capita reducemus in primo titulo tradēda: vt vnū sit de nomine, definitione, & diuisione irregularitatis: & alterū cōplectatur generalia documēta de irregularitate, facientia ad rationem iudicandi de pecca is nobis propositam: & in tertio agatur de modis quibus irregularitas tollitur.

CAPVT I.

De nomine, definitione, & diuisione Irregularitatis.

SVMMARIVM.

1 *Vnde dicta irregularitas, & variæ formulæ verborum quibus in iure indicatur.*
2 *Generalis defectus irregularitatis.*
3 *Ius canonicum non est causa irregularitatis: & quid, si ipsum sit dubium.*
4 *Quod ea fundamentum habeat in iure naturali, & quatenus in iure diuino positiuo.*
5 *Materialis causa irregularitatis: factum, & defectus, siue pateant siue lateant.*
6 *Effectus formalis irregularitatis: ratione cuius, quatenus à censuris distinguatur.*
7 *Eiusdem finis, & diuisio.*

IRREGVLARITATIS nomen, si vim illius spectes, significat generaliter regulæ priuationem: sed vsu Ecclesiastico, quem in præsentia sequimur, specialiter significat impedimentum recipiendi Ordines Ecclesiasticos, aut exercendi susceptos. Cum enim regulæ iuris, vt in sequentibus patebit, non admittant indifferenter quoscumq; ad susceptionem, & vsum Ordinum: ij qui tales non sunt, quales volunt canones esse, circa Ordines suscipiendos aut susceptos administrandos; dicuntur irregulares, & ipsorum impedimentum irregularitas: vt de sentcn. & re iudicata, & De senten. excommu. vtrobique cap. 1. in 6. Quod idem impedimentum adhuc in iure canonico variis aliis nominibus indicatur, prout ex Maiolo, Couarruuia, & aliis citatis annotat Henriquez *in memorato lib. 14. cap. 1. §. 1.* Ea sunt: non audeat promouere Non aspiret ad Ordines. Non promoueatur, Prohibetur ordinari. Non adducitur ad ministerium altaris, ad ministerium Ecclesiæ admitti non potest: Sacerdotij officio alienus sit. Prohibetur à Sacerdotio, à clericali officio cogatur abstinere. Cessabit à Clero, non potest suscepto ministerio perfrui. Deiicitur officio vel

Nat.

officio

officio vel Clero. Alienus à regula, impedimentum præstat ne pertingat ad sacros Ordines. Addit idem, verbum Suspendatur, deponatur, degradetur ab officio, maledictione feritur, Communione priuatur, & similia. Addit inquam, interdum indicare irregularitatem: quod quando contingat, relinquitur prudenti iudicandum ex indiciis: qualia sunt, quæ Suarez tractat in citata disput. 40. sub finem. Primo, si pœna quæ imponitur, dicatur auferenda per dispensationem. Secundo, si imponatur sine culpa, etsi non sine causa. Tertio, si ita imponatur, vt post pœnitentiam maneat impedimentum adferens Ordinibus siue suscipiendis, siue exercendis ex officio. Quæ indicia ipse consequenter ibidem illustrat variis exemplis ex iure canonico.

2. Definitio autem irregularitatis à multis authoribus vsurpata, *quos loco citato in initio, Couar. refert*, est: impedimentum canonicum ex facto, vel defectu proueniens: quo quis prohibetur ad Ecclesiasticos Ordines promoueri: & in iisdem ministrare. Cui definitioni paulo diuersam habet Nauarrus in memorato num. 191. inquiens esse impedimentum à iure canonico inductum, acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum aut aliquem vsum eorum, quatenus sunt Ordines, directe impediens etiam post pœnitentiam. Sed plenissima, à qua ex omnibus suis causis irregularitas definitur, hæc esse potest. Impedimentum canonicum, quod ex facto, vel defectu proueniens, impedit acceptionem Ordinis Ecclesiastici: vel aliquem vsum eius, quatenus Ordo est, institutum ad diuinorum reuerentiam.

In qua definitione prima pars tenens locum generis, *hoc est, impedimentum*, indicat irregularitatem nõ esse de genere censurarum, quæ vincula sunt, quibus quoad animam ligantur delinquentes: vt ad resipiscendum à delicto, vel illud imposterum cauendum inducantur. Vnde tolluntur absolutione: cum irregularitas, *quæ est tantum impedimentum inhabilitatis institutæ ad reuerentiam diuinorum*, tollatur dispensatione, siue rehabilitatione: sicut is, qui infirmitate debilitatus priuatur vsu ambulandi, illa per curationem depulsa ab infirmo, is vsum ipsum ambulandi recuperat, tantum ad eum rehabilitatus.

3. Secunda pars, *Canonicum iuquam, siue inductum à iure Canonico*, indicat causam efficientem irregularitatis non esse aliam quam ius Canonicũ: quod constat ex cap. Is qui, De senten. excommunic. in 6. vbi statuitur, irregularitatem nõ incurri, nisi in casibus in iure expressis. Quam esse communem sententiam pluribus authoribus in eam citatis refert Couar. *ad Clem. Si furiosus, initio primæ partis, nu. 2.* Qui etiam in sequenti n. 3 tractat, quod contra obiici potest ex cap. Ad audientiam, & ex cap. Significasti, secundo versu. Quod si discerni, De homicidio: cum dubitatur an quis irregularis sit, necne: ipsum esse iudicandum irregularem: quia tale iudicium tutius est. Vnde sequi videtur falsum esse, quod irregularitas non incurratur, nisi in casibus iure expressis: quandoquidem in talibus nullus dubitationi locus esse videtur. Respondet (inquam) distinctione, quam proponemus in sequenti cap. 2. documento 4. Dici autem potest argumentum non concludere: quia ex propositis capitulis tãtum habetur, quod super irregularitate, Episcopis sit præscriptum à iure, vt in dubio sequantur partem tutiorem: eos de quibus dubitatur an sint irregulares iubendo, *ad reuerentiam scilicet diuinorum*, abstinere ab Ordinibus, quod non habet irreuerentiæ periculum: sicut contrarius vsus Ordinũ tunc habet. Ex quo præscripto non est consequens, vt in dubio debeat quis irregularis iudicari, sed tantum quod vsus Ordinum illi permitti non debeat eo nomine, quod incertum sit, an habeat impedimentum irregularitatis.

4. Cæterum irregularitatem efficienter ita esse à iure Canonico, vt illius quoddam fundamentum sit in iure tum naturali, tum diuino, patet: de iure quidem naturali, quia apud omnes gentes in vsu fuit, vt ad sacerdotium non admitterentur nisi corpore integri: pro quo vide quæ habet Couar *loco citato num.* 5. De iure vero diuino patet: quia quantumuis irregularitas non habeat vim ex diuina institutione: habet tamen ex humana authoritate diuinitus homini concessa. Deinde quia ex diuina institutione quædam illius figura præcessit in vteri Testamento. Tum in eo quod Deus præceperit Moysi cap. 21. Leuitici dicens, Loquere ad Aaron: homo de semine tuo per familias suas, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si paruo vel grandi, vel torto naso] (quod præceptum obiter aduertere abrogatum esse à Christo, sicut cætera veteris Testamenti cæremonialia.) Tum etiam in eo, quod Dauid, quia plurima bella gerendo multum sanguinis effudisset, prohibitus est templum ædificare Domino Deo, 1. Paralip. cap. 22. Ex hac parte definitionis habetur quoque differentia ipsa irregularitatis à censuris: quod hæ sint à iure Canonico, & ab homine, & illa tantum sit à iure Canonico, & nunquam ab homine: vnde fit vt qui dicit aliquem esse irregularem, debeat adducere ius expresse inducens irregularitatem in tali casu.

Tertia pars, *ex facto, vel defectu prouenies*, indicat, proximam causam materialem irregularitatis: siue id propter quod ipsa incurritur, esse vel factum aliquod, vel aliquem defectum. Vbi aduerte primo, factum illud posse esse non modo id quod cum peccato perpetratum est, vt cum quis alium iniuste occidit: sed etiam id quod sine peccato, immo cum merito perfectum est: vt cum Iudex latronem zelo iustitiæ interficit, iuxta cap. Aliquantos distin. 51. Defectũ vero eum, posse esse ex parte tum animi, tum corporis, tum etiam parentum, de quibus sigillatim dicatur infrius. 5.

Aduerte secundo, ex D. Anton. 3. parte tit. 28. cap. 2. in initio nullam irregularitatem incurri ex sola voluntate faciendi id propter quod ipsa imponitur: vt si quis, *inquit idem*, vibret gladium animo occidendi, nec sequatur effectus mortis, aut mutilationis, non incurritur irregularitas, etiamsi vulneret. Ratio est: quia lex Ecclesiastica requirit factum, iuxta illud 15. quæst. 1. cap. vltimo; Opera lex quærit.

Aduerte tertio, quod factum sit occultum non obstare, quin ex eo irregularitas sequatur: itaut ex Nauarro in Enchir. c. 27. num. 194. & Couar. ad Clement. Si furiosus parte 2. §. 3. num. 4. contra Alphonsum à Castro in lib. 2. De lege pœnali cap. vltimo, concl. 3. irregularitas quælibet occulta tantum noceat quoad forum conscientiæ, quantum manifestat: ac æque requirat dispensationem. Quod probatur ex communi Ecclesiæ vsu: quo super occulta, sicut & super manifesta irregularitate dispensatio procuratur. Et confirmatur ex cap. Nisi, De renunciat. § Personæ, vbi de Episcopo qui promotus est in irregularitate dicitur: Si & culpa latet, & causa: cum eo qui laudabiliter suum impleuit officium; potest non minus vtiliter, quam misericorditer dispensari. Item quod in Apostolocis literis indulgentiarum, Sacerdoti electo ad confessionem excipiendam, detur facultas dispensandi cum Pœnitente super irregularitate mentali: cuius nomine non potest alia intelligi, quam occulta seu incursa ob factum quidem externum: sed quod in foro externo probari nequeat, ac si esset sola mente commissum. De qua re Couar. ad eamdem Clemen. *in initio num.* 4. Denique in Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. De reform: id habetur apertissime, cum statuitur, quod in omni irregularitate proueniente ex delicto occulto nec deducto ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario, possit Episcopus dispensare. Veruntamen cum duplex genus peccatorum in hac re distinguatur: vnum eorum quæ solum ratione enormitatis, & notorietatis inducunt irregularitatem: alterum eorum quibus imposita est in iure irregularitas, non requisita conditione enormitatis & notorietatis: ea quæ sunt prioris generis & occulta certum est non inducere irregularitatem, itaut iam dicta debeant intelligi tantum de iis quę sunt posterioris generis: Quę autem sint eius generis, quæque prioris: patebit ex dicendis titulo 3.

Cæterum ex hac parte definitionis habetur adhuc differentia inter irregularitatem, & censuras: quod cum hæ prouenient tantum ex facto culpabili, quod saltem sit peccatum veniale: irregularitas possit ex defectu, atque ex facto non culpabili prouenire, quod tamen illius causa sit iusta, habito respectu ad bonum cõmune. Cuius boni ratio, merito habetur in sacramento Ordinis, quod non est institutum vt cætera (excepto matrimonio in quo similiter posita sint impedimenta) pro singulis, sed pro communitate.

Ad cuius bonum spectat, ne quilibet ad Ordines, sicut ad alia sacramenta admittatur indifferenter.

6. Quarta pars definitionis, *Impedit acceptionem Ordinis Ecclesiastici, & aliquem eius vsum, quatenus Ordo est*, indicat formam, seu formalem effectum irregularitatis: qui est impedire acceptionem Ordinis, vel aliquem eius vsum. Vbi aduerte ex Nauarr. in Enchir. cap. 27. nu. 191. illius disiunctionis, *vel aliquem eius vsum*, rationem hanc esse, quod quædam sit irregularitas impediens ascensum ad ordinem superiorem, quæ non impedit exercitium Ordinis iam susceptí, iuxta illud in cap. finali, 15. quæst. 1. Non omnia quæ ordinandum impediunt, ordinatum deiiciunt:] & quædam quæ sic impedit vnum exercitium Ordinis susceptí: vt tamen non impediat aliud exercitium eiusdem, vel alterius Ordinis: vt in cap. 2. De clerico ægrotante, Sacerdos cui abscissi erant duo digiti cum parte palmæ, prohibetur Missam celebrare, non item alia officia sacerdotalia exercere.

Adde, *quod ibidem Nauar. præmisit*, illa reduplicatione: *Quatenus Ordo est*: indicari discrimen quoddam quo irregularitas adhuc separatur à censuris: quę impediunt Ordinum susceptionem, & exercitia: aut quatenus sunt communicationis quædam fidelium, vt excommunicatio: aut quatenus sunt officia quædam Ecclesiastica: hoc est, à personis tantum Ecclesiasticis obeunda, vt suspensio; aut quatenus sunt vsus sacramentorm, vt interdictum. Irregularitas vero eadem exercitia impedit, quatenus sunt vsus Ordinum: quia per se primo respicit diuinorum reuerentiam, quæ seruanda est in ipsorum Ordinum vsu. Vbi aduerte quod cum Ordines per se sint inuicem subordinati: itaut inferiores præsupponantur à superioribus, illique ad hoc ordinentur: irregularitatem impediendo acceptionem vnius Ordinis, consequenter impedire acceptionem cæterorum Ordinum, etiamsi non impediat semper vsum iam acceptorum, prout in sequentibus dicetur.

7. Reliqua pars definitionis, *institutum ad reuerentiam diuinorum*, continet finem irregularitatis; quam adhuc separat à censuris: quarum proximus finis est non quidem reuerentia diuinorum, sicut irregularitatis: sed emendatio delinquentis, id conseruationem Ecclesiasticæ disciplinæ.

Diuidi autem potest generaliter irregularitas, vt ex proposita definitione patet, in eam quæ ex facto, & in eam quæ ex defectu prouenit. Cuius vtriusque variæ sunt species, nam ex defectu quinque proueniunt. Prima ex defectu animæ, secunda ex defectu corporis, tertia ex defectu natalium, quarta ex defectu ætatis, quinta ex defectu libertatis. Et cum factum duplex sit, quoddam cum delicto, & quoddam sine delicto: ab hoc duæ præcipuæ species oriuntur: vna est ex bigamia, quam aliqui vocant ex defectu Sacramenti: altera ex homicidio licito, quam aliqui vocant ex defectu leuitatis. Ab illo vero oriuntur octo. Prima ex homicidio illicito secunda ex iteratione baptismi, tertia ex indebita susceptione Ordinis, quarta ex vsu Ordinis indebito, quinta ex aliquo actu infidelitatis, sexta ex infamia, septima ex quocumque alio delicto enormi & notorio, propter quod meretur quis deponi.

CAPVT II.

In quo traduntur quædam generalia documenta de Irregularitate.

SVMMARIVM.

8 *Irregularitas non incurritur ob solum conatum sine effectu: ea vt ad Ordinem primario, sic ad beneficium secundario reddit inhabilem.*

9 *An idem secundarius effectus contingat cum Irregularitas est dubia.*

10 *Irregularitas aduenies non priuat beneficio, nec iurisdictione præhabita.*

11 *Violatio irregularitatis peccatum est suo genere mortale.*

12 *Quando in dubio iudicandus sit quis irregularis.*

13 *In irregularitate incurrenda non est differentia inter clericum, & laicum.*

14 *Irregularitas non impedit absolutionem sacramentalem: neque per hanc illa tollitur.*

15 *Ignorantia etiam inuincibilis irregularitatis non excusat, quin ea incurratur, nisi imposita sit ob culpam quæ similiter ignoretur.*

16 *Irregularitas aliquando indelebilis est, aliquando per seipsam cessat.*

PRIMVM documentum est: Etiam in casu expresso in iure actum interiorem coniunctum cum solo conatu exteriori, absque consummatione actus exterioris non inducere irregularitatem. Hoc tangit Couar. ad Clemen. Si furiosus, sub initium secundæ partis. Et probatur, quia irregularitas imponitur ob factum. Atque is qui solummodo conatur facere, non facit reuera. 8.

Secundum est (quod iam attigimus, & de quo late Suarez *tomo 5. disput. 40. sect. 2. num. 29. & aliquot sequent. bus*) præter primarium irregularitatis effectum inhabilitandi ad Ordines tum recipiendos tum receptos exercendos, essealium secundarium inhabilitandi ad beneficium Ecclesiasticum recipiendum: itaut irregularitas præcedens collationem beneficij, eam subsecutam reddat nullam. De quo agendi commodior locus erit in sequenti tractatu cap. 11. num. 15. Hic monendum est primo, quod Suarez habet num. 36. bonam illius rationem esse, quod conferentis voluntas, ex qua pendet validitas collationis, non sit censenda alia, quam conferendi secundum canones, atque adeo non habenti impedimentum canonicum: inde enim fit, quod sciens illud omnino recusat conferre, aut certe impedimentum ipsum tollit per dispensationem si eius dandæ sufficientem habeat potestatem. Monendum est secundo, quod Nauar. notat in Enchir. cap. 27. num. 194. versu, Ad quæsitum: illum qui tacita irregularitate impetrauit beneficium, egere necessario dispensatione ad illud licite retinendum: tenerique fructus ante perceptos restituere, prout Couar. expressit ad regulam, Peccatum, par. 2. §. 8. num. 6. in fine multis aliis citatis. Quod vtrumque est consequens ex nullitate memorata. Monendum est tertio, non sufficere, vt illa dispensatio in irregularitate & retentione beneficij impetrati simplex sit, si possessionem illius acceperit scienter, id est, sciens se irregularem esse: adeoque inhabilem ad illud. Etenim qui per id incidit in intrusionem; quæ ex natura sua, intrudentem se, reddit inhabilem ad idipsum beneficium, fit vt talis non sit proxime capax eiusdem beneficij quantumuis dispensetur cum eo in irregularitate, & beneficij retentione: nisi per Papam ad illud rehabilitetur: quia per eiusmodi dispensationem sublata est tantum inhabilitas secuta ex irregularitate: non etiam secuta ex intrusione: adeout in petitionis suæ literis, debeat exprimere & exponere Papæ, illam intrusionem, id est, quod sciens se irregularem esse, possessionem acceperit. Ita post Felinum ad cap. In nostra, De rescriptis, corol. 2. notat Nauar. in eodem versu, Ad quæsitum. 11.

Si quæras; An secundarius ille effectus locum habeat in eo de cuius irregularitate dubitatur. Respondetur distinctione: nam si quis existens in tali dubio acciperet beneficium, valde probabile est collationem esse nullam: quia ex ante dictis num. 3. iudicandus est inhabilis ad officium Ordinum, propter quod beneficium Ecclesiasticum datur ex cap. vlt. De rescriptis in sexto, & quo ipsum nititur sicut ædificium fundamento suo, ex Panor. ad cap. Cum dilectus: de consuetud. num. 20. adeoque ille mala fide accipiens, nihil habere videtur vnde excusetur. Si autem quis nihil dubitans, sed bona fide putans se minime irregularem esse acciperet beneficium, probabile est collationem esse validam. Nam cum ipse non sit aperte irregularis sed dubius: bonaque fide possideat beneficium, merito iudicabitur quod melior tunc sit conditio possidentis. 9.

Si iterum quæras, An irregularis aduenies post beneficium iam acceptum inducat huius priuationem. Respondet Panor. ad cap. Clericis. Ne Clerici vel Monachi, num. 2. (& communem sententiam esse notat. Nauar. in Enchir. cap. 27. nu. 249. versu 5.) propter irregularitatem non esse quem ipso iure priuatum beneficio quod ante habeat: sed esse priuandum per sententiam Iudicis, prout in illo cap. 10.

Clericis 13. 14.

Clericis, indicant verba futuri temporis: Si quis tale quid fecerit, honore priuetur, & loco. Ratio vero est, quod irregularitas de se excludat tantum ab Ordine; vt patet ex ante tradita illius definitione, & eiusdem declaratione. Quare ex vi sua non tollit beneficium. Nec item tollit ex iuris interpretatione, quæ in materia pœnali fieri debet cũ restrictione verborum, ad illud solum quod sonant. Videndus est Suarez in citata sect. 2. assertione quinta. Qui sub finem eiusdem sectionis, eidem doctrinæ congruenter docet, nec irregularitatem inducere priuationẽ iurisdictionis annexæ beneficio: siue in exteriori, siue in interiori foro. Atque adeo Parochum irregularem, pro iurisdictione sua ordinaria, posse alicui approbato ab Episcopo facere potestatem audiendi confessiones suorum subditorum: sique ipsemet audiat (*etiamsi peccet, quia is actus est Ordinis sacerdotalis*) absolutionem ab ipso datam sufficienter disposito, esse validam.

Aduerte autem irregularem non modo non esse beneficio priuatum, sed nec priuandum, quando irregularitas prouenit ex ægritudine: quoniam afflictio non est addenda afflicto: sed potius miseriæ ipsius miserendum est, cap. Ex parte, De clerico ægrotante: atque si curam animarum habeat, constituendus est illi coadiutor, si Episcopus sit ex cod. cap. vel Vicarius, si sit Curatus, ex cap. De Rectoribus, eodem titulo: aut si ad vitandum populi scandalum, titulus beneficij transferendus sit in alium, reseruanda est congrua fructuum portio, ipsi ægro ad vitam necessaria, ex cap. Tua nos, eod. item titulo.

11. Tertiũ documentũ est: Irregularem suscipiendo quemcumque Ordinem vel in suscepto ministrantem ex officio (*nisi item eo modo, quo laicus*) ante obtentam dispensationem, mortaliter peccare: nempe agendo contra Ecclesiæ præceptum in re sacra valde graui. Ad quod facit cap. vltimum, De temporibus ordinationum. Idque exprimens Suarez tomo 5. disput. 40. sect. 2. addit ob tale peccatum nec irregularitatem nouam nec aliam pœnam canonicam incurri, quia non inuenitur imposita. Pro quo Henriquez lib. 14. cap. 5. §. 2. plures citat in margine lit. N,

12. Quartum documentum est: Quæstionem qua quæritur, An in dubio quis iudicandus sit irregularis. explicandum esse quoad vtrumque forum, *prout explicant Nauar. ad cap. Si quis autem: De pœnit. dist. 7. nu. 35. Couar. ad Clemen. Si furiosus, in initio num. 3.* supponendo tale dubium posse esse iuris, aut facti. Iuris quidem, cum dubitatur de aliqua irregularitate an in iure habeatur. Exemplum est cum vertitur in dubium, An per iteratam Eucharistiæ consecrationem, fiat quis irregularis irregularitate ex iteratione sacramenti: facti vero, cum certum quidem est irregularitatem impositam esse in iure pro aliquo actu, vt pro homicidio: sed dubium est de persona: vt, An ei, quem secum plures alij vulnerarunt, ipse inflixerit lethale vulnus. Responsio igitur ad propositam quæstionem his suppositis est: Quando dubium fuerit iuris, nullum ex eo censendum irregularem: cum id requirat ius expressum, ex cap. Is qui, De senten. excomm. in 6. ad irregularitatem exigente, vt ea sit in iure expressa: qualis non censetur, quæ in eo sic occulta est, vt sapientes nequeant illam detegere. Quando vero dubiũ fuerit facti, eum qui tali facto peccauit censendum irregularem, iuxta cap. Ad audientiam, & cap. Significasti, 2. §. Quod si discerni. De homicid. sed ea ratione, qua propositum est in præcedenti num. 3. Atque de modo idipsum dubium deponendi, vide tradita generaliter de conscientia dubia, ac de scrupulosa in præced. tomo 1. lib. 13. cap. nono, & aliquot sequentibus: quæ in hac specie dubij locum habent perinde, ac in aliis.

13. Quintum documentum, *quod Syl. habet in verbo Homicidium 3. quæst. 1. in fine*, est, In irregularitate contrahenda non esse differentiam, siue in iure, siue in communi Doctorum doctrina, inter Clericum, & laicum: sed vbicumque irregularis est laicus, esse & Clericum, ac contra: excepta irregularitate ex homicidio fortuito quando committitur vacando rei prohibitæ propter periculum homicidij: vt est Clerico exercitium chirurgicæ. Quod plenius intelligetur per dicenda in sequenti numer. 117. 119. & 120.

14. Sextũ est: Absolutione sacramẽtali (à cuius susceptione, vtpote quæ *non est actus Ordinis*, irregularitas non excludit) tolli posse peccatum, propter quod incurritur irregularitas eadem remanente. Ita post Cardinalem Nauar. in præced. num. 191. tradit. Et ratio est: quod sacramentalis absolutio, cuius capax est irregularis sicut aliorum sacramentorum excepto Ordine (prout notat etiam Henriquez lib. 14. cap 1. num. 2.) simul omnia peccata mortalia, nec vnum sine alio tollat: non tollat autem irregularitatem, vt expressit glossa ad c. Ventum est, *verbo Cicatrice*, 1. q. 1. quandoquidem ea non est peccatum sed impedimentum tollendum dispensatione. Cæterum quamuis non sufficiat irregularem absolutũ esse à peccato, sed debeat liberari ab irregularitate vt licite possit vel Ordines suscipere, vel susceptos exercere: attamen cum irregularitas prouenit ex peccato omnino occulto, nemo tenetur se infamem reddere, aut exponere, mortis periculo ad obtinendam dispensationem. Namque metus grauis ac cadens in constantem virum excusat illum in tali casu: iuxta doctrinam de eodem metu traditã in præced. libro 11. cap. 8. Hinc occultus homicida si periculum sit ne extremo supplicio afficiendus cognoscatur si abstineat à celebratione Missæ, poterit absque vlla dispensatione celebrare præmissa confessione, vt expressit Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 239. rationem addens, quod lex naturalis de defendenda fama, vitaque sua, præstet legi humanæ de abstinendo ab vsu Ordinis in irregularitate.

Septimum documentum est: Ignorantiam solius irregularitatis, etiamsi inuincibilem, non impedire quin ea incurratur. Hoc habet Suarez in eadem disput. 40. sect. 5. num. 8. ex illo fundamento; quod ignorantia quæ non excusat à culpa, nec excusat à pœna: Talis autem est, quæ etsi sit pœnæ, non est tamen culpæ: vt cum aliquid scitur malum esse, ideoque pœna dignum tam diuina quã humana, sed ignoratur in particulari quamnam lex imponat: vide antedicta in libro decimotertio cap. 26. quæst. 2. Quod si ignorantia fuerit inuincibilis tam culpæ ob quam imponitur irregularitas, quam ipsius irregularitatis: ab hac sicut & ab illa erit excusatio. 15.

Postremum documentum est: Irregularitatem aliquando indelebilem esse, aliquando per seipsã cessare. Prior pars probatur: quia cum irregularitas nascitur ex impossibilitate perpetua exequendi munus Ordinis, vt in muto, aut trunco manibus: ex impossibilitate celebrandi Missam, nullum esse potest tunc Ecclesiasticum remedium ad illam amoliendam, ex D. Thoma 5. *parte quæst. 82. artic. vltimo ad 3.* 16.

Posterior vero probatur: quia cessante defectu, ex quo irregularitas prouenit, ipsa quoque cessat; iuxta illud in cap. Statuimus, distinct. 6. Ecclesiæ prohibitiones propriis habent causas, quibus cessantibus cessant & ipsæ. Quod etiam confirmatur argumento, tum eiusdem capituli, tum sequentis: & cap. Neophytus, eod. distinct. in quo illa verba ex D. Ambrosio habentur: Vbi causa non adhæret, vitium non imputatur. Illustratur quoque variis exemplis tum aliis quæ Henriquez habet *in libr. 14. cap. 17. §. 3.* tum his: scilicet quod ille qui in corporis defectum repulsus est à susceptione Ordinum, ad eos admitti debeat, si talis defectus cessauerit: sic ille qui repulsus est eo quod vxoratus esset, mortua vxore, aut secuta separatione per debitam Ecclesiæ authoritatem, *quasi cessante causa*, promoueri potest. Item irregularitas quæ ex infamia nascitur, restituta fama cessat: & ea per quam aliquis ob ignorantiam repellitur à susceptione vel vsu aliquorum Ordinum, tollitur eo ipso, quod is ad sufficientem scientiam peruenit. Sic etiam cum irregularitas nascitur ex defectu ætatis, aut defectu libertatis, ipsa tollitur eo ipsa quod illam patiens ad legitimam ætatem peruenit, aut libertate donatur, & sic de aliis: quæ quia sunt in homine, faciunt ipsum irregularem: cum cætera ideo faciant, quod præcesserint in ipso: vt fuisse natum ex fornicatione, perpetrasse homicidium & similia: quæ nunquam cessant: quia quod factum est, infectum esse nequit. Vnde irregularitas quam inducunt, perseuerat quamdiu non tollitur dispensatione.

CAPVT III.

De modis quibus irregularitas tollitur.

SVMMARIVM.

17 Quatenus irregularitas tollatur susceptione baptismi.
18 Quatenus per ingressum religionis.
19 Duæ conditiones requisitæ ad talem ingressum: & quod is non reddat habilem ad prælaturas, sicut ad Ordines.
20 Documenta notanda de modo irregularitatem tollendi per dispensationem.
21 Episcopo committitur examen literarum Papæ per quas dispensat, & quatenus Confessarius Episcopi possit cum ipso dispensare.
22 Papa potest in omni irregularitate dispensare, potest & is cui ille id commiserit.
23 De exceptione irregularitatis ex homicidio, quæ fieri solet in tali commissione.
24 Alia notanda de eadem commissione: & inter cætera, quod non sit censenda fieri in iubilæis: concedendo facultatem absoluendi ab omnibus censuris.
25 Alij habentes facultatem dispensandi, ex iuris dispositione.
26 Irregularitates in quibus dispensat Episcopus.
27 Varij casus in quibus potest Episcopus dispensare cum irregulari ex delicto publico.
28 Quatenus dispensare possit Episcopus in irregularitate ex homicidio casuali.
29 Notanda circa facultatem à Concil. Trid. Episcopo concessam, dispensandi in irregularitate ex delicto occulto.
30 Quod delictum occultum, quod publicum sit censendum in hac re.
31 Dispensatio in irregularitate, dari potest non modo expressa, sed etiam tacite.
32 Obseruandum in dispensatione, cum is, cum quo dispensatur plures habet irregularitates.
33 Notanda de vsu dispensationis in irregularitate.

17. TOLLITVR irregularitas tribus modis. Primo, per baptismum. Secundo, per ingressum religionis. Tertio, per dispensationem. Ac quod ad primum attinet, Angelus, *Baptismus 7. num. 3. & Irregularitas secundo, in principio, & Sylu Baptismus 6. num. 2. & verbo Irregularitas sub finem*, ex communi sententia referunt per baptismum deleri omnem irregularitatem ante ipsum contractam ex peccato, vel ex eo quod est peccato consequens, vt infamia. Nam delicta obesse non solent, si lauacri remissa fuerint sacramento, ex cap. Vna, distin. 26. Obessent autem, si post baptismum remaneret irregularitas illa quæ fuerat ex eis contracta. Quod argumentum est glossæ finalis, ad cap. Deinde, eadem distinct. vbi in confirmationem adfert quod D. Paulus ante baptismum homicida fuerit: consentiendo scilicet neci Protomartyris Stephani: posteaque factus sit Apostolus. Et quamuis baptismus non tendat ad purgandum id in quo non est peccatum cap. Vna. & cap. Deinde, citatis: ideoque non videatur liberare posse ab irregularitate quæ sine peccato contrahitur (sicut non liberat ab ea quæ prouenit ex digamia, iuxta textum in cap. Acatius, & cap. Deinde, distin. 29.)

Attamen post Panor. ad cap. Gaudemus, De diuortiis; Angelus, & Sylu. locis cit. D. Anton. 3. parte tit. 28. cap. 12. in fine, Armilla, verbo Irregularitas nu. 87. Nauar. cap. 27. nu. 209. sentiunt liberare ab irregularitate proueniente ex homicidio; non modo eo quod cum peccato, sed eo etiã quod sine peccato sit, in sententia vel executione iudiciali criminosorum. In probationem autem adferunt cap. Si quis viduam, distinct. 50, in quo dum absolute statuitur irregularem habendum eum qui post baptismum commiserit homicidium, censetur sufficienter significari, irregularitatẽ ex homicidio non pertinere ad eum qui ante baptismum cõmiserit homicidium. Quod si omnium consensu verum est quoad homicidium illicitum, censeri pariter debet verum quoad licitum: quia vt glossa prima ad initium distinct. 51. habet: in ea re non debet esse melioris conditionis peccans, quam non peccans. Adde quod Henriquez notat *lib. 14. cap.* 17. §. 2. tũc cessare horrorem occisionis, eo quod homo, qui prius erat quasi lupus, Saulo similis, per regenerationem baptismi deposita feritate, fiat ouis mansueta, & mutetur in alterum virum.

De modo tollendi irregularitatem per ingressum religionis.

SECTIO I.

IN Authentica De monachis, in principio, collatione prima, verba hæc habentur: Conuersationis Monachialis vita sic est honesta, sic cõmendare nouit Deo ad hoc venientem hominem, vt omnem humanã eius maculam detergat, purum autem declaret, ac rationabili naturæ decentem, &c. Vnde glossa ad cap. Cum deputati: De iudiciis sub finem, infert, eo ipso quod aliqui se deputarũt obsequio Iesu Christi, omnem ab eis irregularitatem tolli si quæ fuit. Quod tamẽ aduerte nõ posse intelligi de omni irregularitate simpliciter, sed ad summum de ea quæ non consurgit ex proprio delicto eius, qui irregularis est. Nam consurgentem ex proprio delicto illius, dispensatione egere, patet ex cap. 2. De apostatis: vbi habetur, cum eo qui contraxit irregularitatem ex iteratione baptismi, si ad religionem transeat, posse dispensari fauore ipsius religionis: vbi glossa vltima idipsum expressit. Eaque ratione Hostiensis (cuius meminerunt Angelus, Irregularitas 2. num. 1, & Sylu. eodem verbo sub finem) propositam authenticam accipiendam esse notant ad idem cap. 2. 18.

Panormit. vero annot. vlt. in idem, censet ingressu religionis tolli tantum eam irregularitatem de qua expressum est in iure, quod per illum tollatur: sicut est De irregularitate filiorum illegitimorum in cap. 1. distinct. 56. & in cap. 1. De filiis presbyterorum: quod alias autem irregularitates, inducere tantum faciliorem earum dispensationem. Quam Panormit. opinionem Angelus & Sylu. probant ac cum eis Suarez. disput. 51. sect. 1. num. 3. Sotus tamen. in 4. distinct. 25. quæst. 1. art. 3. versus principium ait, morem nunc in religionibus seruari (siue is iure communi, siue consuetudine, siue priuilegio fuerit obtentus) vt per professionem, omnis irregularitas, quantum ad Ordinis susceptionem aboleatur, præter illam quæ vel ex homicidio voluntario, vel ex bigamia contrahitur. Adde per Concil. Triden. sess. 23. cap. 12. De reform. & præter eam quæ contrahitur ex defectu ætatis. Cui dicto Soti, Suarez indicat non esse ita nitendum, quin vnaquæque religio expendere debeat, An talem consuetudinem habeat ab antiquo, vel habeat aliquod priuilegium. 21.

Porro in hac re ingressus religionis accipi debet cum duplici limitatione: vna est, vt religio sit approbata, quæ sola vere vocatur religio: altera, vt is ingressus sit per professionem, seu incorporationem illam, qua quis fit religionis mẽbrum. Nam talis proprie & secundum vsum canonum, vocatur ingressus religionis, nouitiatus enim potius est ad probandam religionem, quam ad incorporandum se illi: ideoque tempore nouitiatus non censetur cum ingresso dispensatum in irregularitate. Pro quo facit quod in citato cap. 1. distinct. 56. ad id requiratur, vt ij cum quibus dispensatur, religiose conuersati sint in religione: quod non potest esse, nisi post expletum tempus probationis. 19.

Aduerte autem dispensationem quæ obtinetur per ingressum religionis, valere quidem ad omnes Ordines: non tamẽ ad prælaturas: ne quidem in ipsa religione recipiendas: itaut monachus illegitimus non possit fieri Abbas vel Prior sine Papæ dispensatione ex cap. 1. De filiis Presbyterorum, neque generales Ordinum possent cum eo dispensare, sine speciali priuilegio Papæ. 22.

De modo tollendi irregularitatem per dispensationem.

SECTIO II.

QVoniam, *prout glossa prima ad cap. 1. distinct. 55 habet*, vbi non est copia aliorum, bene assumuntur minus legitimi: sit vt deficientib. idoneis Dei ministris, possit cũ irregularibus non idoneis dispensari: imo & debeat, si iusta adsit 20. 23.

causa

causa ex cap. Dominus noster, distinct. 56. (vbi glossa prima id habet expressum) & ex cap. Vnico distinct. 57. & ex cap. Literas De filiis Presbyterorum; & ex Concil. Triden. sess. 14. cap. 7. De reform. attamen ex eodem Concil. sess. 25. cap. 18. dispensationes debent rarius concedi, quia eneruant legem communem: etiamsi interdum tam vrgens subest causa, vt dispensatio quodammodo debeatur, prout ex iisdem Concilii Triden. locis, atque ex aliis annotat Henriquez. *lib. 14. c. 17. §. 5. lit. B.* Collige vero obiter ex eo effectu eneruandi legem, dispensationem quamcumque sine causa datam illicitam esse (pro quo facit doctrina D. Thomæ 1. 2. quæst. 97. art. 4.) etiamsi data à Papa, censeatur valida: quia potestas ipsius non restringitur iure canonico, sicut potestas cæterorum Prælatorum.

De proposito modo alia tangit idem Henriquez pro praxi notanda. Primum est, in eo. cap. 17. §. 4. dispensationē esse tutissimum remedium contra irregularitatem: quæ vt licite fiat, debet iusta causa subesse: immo & præcedere talis causæ cognitio: cum in iure communi, *per quod imponitur irregularitas*, Episcopus, aut alius inferior, tanquam in lege sui Superioris, non dispenset sine causa. Secundum est, *in sequenti* §. 6. facilius dispensari cum iam promoto (cuius irregularitas rationem quandam habet suspensionis ab vsu Ordinum) vt minister in Ordinibus susceptis, quam vt promoueatur ad nondum susceptos. Pro quo facit, quod Episcopus plerumque cum illo, non item cum hoc dispensare possit: vt patebit ex dicendis in sequenti sect. 4. Tertium est, *ibidem*: dispensatum in maiori impedimento censeri dispensatum in minori eiusdem rationis: ideoque dispensatum ad superiorem Ordinem, aut ad illius vsum, censeri dispensatum ad inferiorem Ordinem, aut ad illius vsum.

21. Quartum est, *in sequenti* §. 7. dispensationes quæ per breue Summi Pontificis aut Legati ipsius, conceduntur extra Romanam Curiam, committi Ordinario loci, vt summarie & extraiudicialiter cognoscatur veritas narrationis: atque preces expressas vitio surreptionis vel obreptionis non subiacere prout statutum est in Concil. Trident. sess. 22. cap. 5. De reformatione. Quintum est, *De quo Henriquez. ibidem*, Si causa quæ Papam impulit ad dispensandum fuerit, vera tempore dispensationis, quantumcumque postea desinat talis esse: non ideo dispensationem desinire esse validam. Exemplum est si dispensandus proposuerit se pauperem esse sicut tunc fuit reuera: & postea cum sit ab Episcopo informatio & executio literarum Apostolicarum, effectus est diues. Veruntamen sententia contraria tanquam tutior, immo & probabilior videtur consulenda propter ea quæ tradit Sanchez libro octauo De matrim. disput. 30. præsertim num. 12. Ratioque est, si intentio dispensantis fuerit subuenire necessitati cui dispensandus non tantum de præsenti, sed etiam in futurum sit obnoxius.

Vltimum est, *De quo idem author in fine sequentis cap.* 18. Episcopum si forte incidat in irregularitatem, aut censuram, posse dispensari & absolui per suum Confessarium in omnibus casibus in quibus ab ipso ordinarie subditi ipsius possunt ab eo dispensari aut absolui. Pro quo multos in margine citat: & addit id censeri à Papa vel à Metropolitano concessum eidem Episcopo: ne facile cogatur extra suam diœcesim vagari pro remedio suæ animæ.

De eo qui potest in irregularitate dispensare.

SECTIO III.

22. IN qualibet irregularitate Papam dispensare posse, communis sententia est ex Angelo & Sylu. verbo, Irregularitas in fine, ac Couar. ad Clemen. Si furiosus 2. parte §. 3. num. 3. Nam cum plenitudinem potestatis habeat in Ecclesia, quæcumque sunt per Ecclesiam seu Ecclesiæ Prælatos instituta, *de quorum numero est irregularitas ex dictis cap.* 1. sunt ab ipso dispensabilia, prout D. Thomas expressit, quodlibeto 4. art. 13. in corpore. Possunt etiam dispensare illi omnes, quibus Papa ipse dispensandi facultatem communicauerit.

23. In qua communicatione cum fere semper excipiat irregularitatem ex bigamia, & irregularitatem ex homicidio: obseruandum est primo, si exceptio ea sit absolute ab irregularitate ex homicidio, facultatem extendi ad irregularitatem quæ prouenit ex licita occisione hominis, qualis est in bello iusto, aut in iudicio iusto. Quod Caiet. *in verbo, Irregularitas, sub finem* sic probat. Vbi non interuenit homicidium, ibi non inuenitur irregularitas homicidii. Constat autem quando homo iuste occiditur non committi homicidium: vtpote quod species est criminis. Nec enim eo nomine significatur qualiscunque occisio hominis, sed iniusta: Quare ad exceptionem propositam non spectat irregularitas, quæ incurritur ex licita occisione hominis: itaut gaudens prædicto priuilegio possit sine scrupulo in ea dispensare ex eodem authore.

Obseruandum est secundo, si exceptio sit ab irregularitate ex homicidio voluntario: illum cui data est facultas generalis dispensandi, per eam non impediri quominus dispensare possit in irregularitate ex homicidio casuali, seu perpetrato sine proposito & intentione occidendi. De qua re videri potest Nauar. cap. 27. num. 240. Possit idem dispensare in irregularitate ex occisione hominis licita: quia hæc, vt dictum est, nō significatur nomine homicidii voluntarij.

Obseruandum est tertio, ex Nauar. in Enchir. (*prout habetur in tomo tertio suorum operum editionis Lugdunensis*) cap. 27. num. 253. versu, Nono dico: si Papa moriatur re adhuc integra mandatum ac etiam commissionem dispensandi ab ipso alicui facta expirare, nisi facta sint per modum edicti communis. Ratio est: quia mandatum & commissio, expirant mortuo concedente, iuxta legem, Mandatum, Cod. Mandati, vel contra: in eoque (prout notatum est ab Angelo in verbo, Gratia, §. 2. Sylu. eodem verbo, quæst. 2. & Tabiena nnm. 6.) differunt à gratia, & priuilegio. Adde ex eodem Nauar. in præced. cap. 26. num. 13. quando Papa committit alicui, vt cum alio in omnibus irregularitatibus ipsius dispenset, si dispensationem dederit generaliter ab omnibus: dispensatum non teneri amplius dispensationem petere in irregularitatibus quarum forte non fuit tunc memor. 24.

Obseruandum est quarto, opinione quidem Soti *in 4. distinct. 22. quæst. 3. art. 1 paulo ante primam conclusionem*: cum in Iubilæis datur potestas absoluendi ab omni cēsura Ecclesiastica, eam potestatem extendi ad irregularitates prouenientes ex delicto. Meliorem tamen videri Nauarri sententiam *in Enchir. cap. 27. num. 250.* (pro qua plures alios Henriquez citat libro 14. cap. 17. §. 4. in marg. lit. L.) negantis potestate absoluendi ab omnibus censuris, comprehendi vllam dispensationem ab irregularitate. Primo, quia in literis Apostolicis, nomine censuræ intelliguntur tantum excommunicatio, suspensio, & interdictum, iuxta cap. Quærenti, De verborum signif. Deinde vsus Romanæ curiæ habet, *inquit Nauar.* vt nunquam intelligatur concessa facultas dispensandi super irregularitate, nisi id exprimatur. Denique nihil esset cur in iisdem literis aliquando exprimeretur facultatem eam dari. Adde quod cum in eadem expressione soleat fieri exceptio ab irregularitatibus ex bigamia & ex homicidio voluntario fateri oporteat, *quod absurdum est*, clausulam potestatis absoluendi simpliciter ab omnibus censuris, quæ in Iubilæis, bullisve indulgentiarum, sine expressione irregularitatis passim ponitur, esse maioris virtutis, quam eam in qua simul exprimeretur potestas dispensandi in irregularitate: quandoquidem cum tali expressione semper ponitur exceptio ab irregularitate ex bigamia & ex homicidio voluntario. In qua posteriori, *ex homicidio voluntario inquam*, cum non nisi ægre admodum soleat Summus Pontifex dispensare etiam per se, iuxta cap. Miror, distinct. 50. nulla probabilitas est quod ipse dando passim facultatem absoluendi ab omnibus censuris, det & dispensandi ab omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto: de quarum numero est ea quæ prouenit ex homicidio voluntario.

Præter Summum Pontificem ex iuris dispositione, aut speciali eiusdem Pontificis priuilegio, possunt quidam ex officio suo in irregularitatibus dispensare nempe Episcopus in sua diœcesi, Nuntius item Apostolicus in sua prouincia donec redierit ad vrbem eam in qua est Papa, potest perinde ac Episcopus proprius dispensare: quia & ipse Ordina- 25.

rius est, licet extraordinarie, quemadmodum habet Henriquez *lib.* 14. *cap.* 18. §. 2. Vbi & addit quosdam alios qui ex Sedis Apostolicæ priuilegio idem possunt iure quasi Episcopali. Sufficit nobis de Episcopi potestate agere: cuius notitia habetur ex iure, & est omnibus necessaria. De ea autem illud principio occurrit notandum quando iura habent absolute, quod possit dispensari in aliquo casu, intelligi debere quod possit per Episcopum: prout in sequenti cap. 19. §. 2. litera P, aliis citatis habet Henriquez. Rationem addens, quod non loquantur de Papa, quem constat in omni iure positiuo dispensare posse. Cum autem ius nihil de dispensatione disponit, Episcopus illam ideo dare non potest, quod inferior sine commissione dispensare non debeat in lege Superioris, sed secundum eam iudicare.

De Irregularitatibus in quibus d ſp. nſat Epiſcopus.

SECTIO IV.

26. IAm quando censeatur Episcopo à iure commissa talis dispensatio sic explicatur. Primo, quoad irregularitates quæ ex defectu proueniunt: Episcopus dispensare potest cum sponte mutilatis membro occulto, seu non apparente excepto castrato, prout post Astensem lib. 6. cap. 21. Syluester notat *in verbo Corpore vitiatus, quæſt. vltima.* Potest itē dispensare cum illegitimo, sed ad minores tantum Ordines, per cap. 1. De filiis Presbyterorum in 6. Deinde in prouenientibus ex facto siue delicto, posse cum bigamis aliquatenus dispensare, exponetur in sequentibus cum in particulari dicetur de irregularitate ex bigamia. Postremo in prouenientibus ex facto cum delicto: si delictum sit occultum, potest ex priuilegio Concil. Trident. sess. 24. cap 6. De reform. dispēsare in omni irregularitate excepto homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentiosum: lite scilicet adhuc pendente, necdum finita: prout declarat Henriquez *in sequenti cap.* 20. §. 4. Sin autem delictum sit publicum, solus Papa, exceptis aliquot casibus, dispensare potest: sicut & in prouenientibus ex defectu sine delicto, puta ex bigamia, illiteratura, defectu animæ vel corporis, aut Natalium, aut ætatis, aut libertatis, aut lenitatis.

27. Primus autem casus exceptus est, quando excommunicatus accipit Ordinem. Cum ipso enim, si religionē ingrediatur, potest Episcopus dispensare vt ministret in susceptо per cap. vltimum, De eo qui furtiue Ordinem suscepit.

Secundus est, *De quo Syluester in verbo, Irregularitas num.* 5. quando quis duos Ordines sacros simul, vel Subdiaconatum simul cum minoribus Ordinibus temerario ausu recepit. Potest enim Episcopus cum eo dispensare vt ministret in Ordinibus non furtiue susceptis, ex cap. 2. eodem tit. Nisi forte taliter ordinari prohibitum illi fuerit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: quia tunc necessaria esset dispensatio Papæ, iuxta prius memoratum cap. vltimum.

Tertius est, quando quis exercet actum Ordinis quo nondum est initiatus: cum eo enim Episcopus dispensare potest, vt ministret in Ordine quem iam habet: non tamen vt ad altiorem Ordinem promoueatur, ex cap. secundo, De Clerico non ordinato ministrante, iuncta ipsius glossa vltima.

Quartus casus est, *ex cap.* 1. *De ordinatis ab Epiſcopo qui renunciauit Epiſcopatui*: in quo proprius Episcopus cum iis qui ordinati sunt ab Episcopo, qui loco & dignitati renunciauit, potest dispensare in minoribus Ordinibus: ac cum lapsis in ea re ex ignorantia probabili, dispensare in maioribus Ordinibus: vt & cum iis qui Ordines ignoranter susceperunt ab Episcopo excommunicato, ex sequenti cap. vltimo, aut à simoniaco, ex cap. Statuimus decretum 1. qu. 1. Potest, inquam, dispensare tam in susceptis, quam in suscipiendis Ordinibus, vt notat Fœlicianus *in tract. De irregul. sub finem cap.* 11. Idem statuens de eo qui ex ignorantia probabili ordinatus fuerit ab Episcopo hæretico, vel schismatico, vel deposito, vel degradato, quia par est in iis, ac in aliis ratio excusationis.

Quintus casus est, quando irregularitas nascitur ex adulterio publico, vel ex aliis minoribus peccatis publicis inducentibus infamiam: qualia sunt ludus aleæ, vinolentia, nonnullaque alia. In tali casu enim dispensare potest Episcopus quemadmodum notat Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 250. cum pluribus aliis, quos Henriquez refert *lib.* 14. *cap.* 19. §. 2. *litera M, in margine*: Pro quo citat cap. At si Clerici, De iudiicis §. 2. Vbi glossa verbo dispensare, id exprimit, fuseque explicat.

Sextus casus est, quando irregularitas nascitur ex homicidio casuali: in ea enim, etiamsi publica sit potest Episcopus in vtroque foro dispensare ad minores Ordines, argumento cap. Ad audientiā, De homicidio, & notant Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 240. in fine Couar. ad Clement. Si furiosus 2. par. §. 3. num. 5. & post eos Henriquez in citato § 2. aliis in margine relatis lit. S, & T. Adde ex Concil. Triden. sess. 14. cap. 7. De reform. cum homicidium casu perpetratum fuerit, aut vim vi repellendo, ad defendendum se à morte, committi Episcopo, aut ex causa, Metropolitano, seu viciniori Episcopo, vt veritate rei prius diligenter explorata & probata, *non autem aliter*, possit dispēsare ad sacrorum Ordinum ministerium. Denique ex prædicta facultate quæ in eodem Concilio sess. 24. cap. 6. datur Episcopis dispensandi in omnibus irregularitatibus ex occulto delicto prouenientibus excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario (quo nomine intelligitur illud quod perpetratum est de industria aut per insidias; aut ex proposito, aut in causa ex se ordinata ad mortem vt est propinatio veneni) & deductis ad forum contentiosum. Ex ea, inquam, facultate satis intelligitur posse Episcopum simpliciter, etiam ad maiores Ordines suscipiendos, dispensare in irregularitate proueniente ex homicidio ipso casuali occulto. Cum enim exceptio firmet regulam: Concilium à generali sua clausula excipiens homicidium voluntarium, satis indicauit illam complecti omne peccatum ab eodem homicidio distinctum: de quorum numero est homicidium casuale. Quo fit vt Episcopus perinde cum homicida casuali occulto possit dispensare, ac cum alio quocumque criminoso occulto: prout Henriquez in eodem §. 2. attigit. Cum quo in sequenti cap. 20. quædam addenda sunt de eadem facultate Episcopo concessa. 28.

Primum est, eam esse ample interpretandam tanquam fauorem Concilij, quod potuit olim restrictam facultatem Episcoporum relaxare in hac parte. 29.

Secundum est Episcopum, cum sit Ordinarius, posse eam facultatem dispensandi delegare alteri, vices suas illi cōmittēdo. Hoc Suarez in 3. partem tomo 5. disput. 41. sect. 2. num. 8. probet aliquot rationibus. Potissima autem est: quod Concilium non ita limitet talem facultatem, vt intelligatur Episcopis concessa, tanquam delegatis Sedis Apostolicæ, sicut alias facere solet: sed simpliciter eamdem illis concedit: itaut merito videatur muneri Episcopali iure ordinario annexa: ideoque delegabilis esse. Quod vsus confirmat, quo solent Episcopi suas vices in tali re aliis committere, quemadmodum idem Suarez notat.

Tertium est Dispensationem ita concessam, debere in foro exteriori admitti ab Episcopo, tanquam benigno iudice, si postea delictum occultum detegatur.

Quartum est, Capitulū posse idem in hac re sede vacante, ac Episcopum, cui in iurisdictione succedit, exceptis paucis de quibus videri potest Sylu. in verbo Capitulum.

Quintum est, Quamuis subditorum nomine cū quibus potest Episcopus dispensare in sua diœcesi, non cōprehendantur regulares exempti, qui habitant in monasteriis eiusdem diœcesis: cum talibus tamen ficu: cū aliis sibi subditis posse dispensare si à suo Prælato subiiciantur ei in illum finem: nempe vt dispenset cum illis. Etsi enim ob priuilegiū, in odiosis impediatur Episcopus iurisdictione vti in tales: ij tamen in causa fauorabili, possunt à Prælato subiici illi. 31.

Sextum est, Si delictum occultum deductum fuerit quidem ad forum contentiosum, sed iudicium iam sit finitum, Episcopum posse dispensare in irregularitate ex eo secuta, videri probabile: quia intentio concilij restringendo suam concessionem exceptione delicti ad forum contentiosum deducti ea fuit, vt Iudicum authoritas seruaretur: quæ quidem in proposito casu nullo modo læditur neq; obstat

quod

quod idem delictum deductum ad forum contentiosum sit publicum ex occulto quia sufficienter punitum in iudicio, *vt supponimus* non est generatiuum scandali, pro quo vitando Concilium suam concessionem restringit ad delictum occultum.

Septimum est. Cum idem Concilium in cod. cap. 6. vniuersaliter loquatur dicendo. Liceat Episcopis dispensare in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, &c. facultatem prædictam locum habere siue delictum eiusmodi sit proprium, siue alienum: idcoque potest Episcopus dispensare in bigamia occulta quam contraxit quis cognoscendo vxorem suam, quam ignorabat adulterium commisisse & postea re comperta vult facto diuortio ordinari. Item in irregularitate ex defectu natalium vt in Ordinibus bona fide susceptis ministrare possit is qui ob crimen occultum matris coniugatæ, habebatur legitimus.

30. Porro quodnam delictum censeatur occultum quodque publicum explicat Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 250. §. 10. inquiens occultum esse quod non est publicum. Censeri autem publicum, quod est notorium, vel manifestum, vel famosum. Nota vero primo, publicum quidem dici communiter, quod notum est omnibus: attamen adhoc vt delictum censeatur publicum, sufficere quod notum sit vicinię, collegio, vel monasterio, etiamsi non sit toti prouinciæ, ciuitati, vel parochiæ, atq; tunc censeri notum vicinię, collegio, vel monasterio, cum notum est maiori parti populi, eorumdem & ipso populo decem saltem inueniantur: tot scilicet quot requiruntur ad constituendum ipsum, iuxta cap. Vnio 10. quæst. 3. iuncta eiusdem glossa finali.

Nota secundo, distingui triplex publicum peccatum, vnum notorium, quod nititur scientia maioris partis antedictarum communitatum: alterum manifestum, quod nititur fama eiusdem maioris partis orta à scientibus: & tertium famosum, quod nititur quoque eiusdem maioris partis fama, non tamen orta ex scientia, sed ex indicijs, vel ex præsumptionibus. Similiter esse triplex occultum: vnum quod natura sua probari non potest vt illud quod in sua animi actione interiore consistit: alterum quod potest quidem probari suapte natura: vt illud quod actione externa committitur: sed nemo est per quem probetur, quia coram nemine factum est: & tertium quod probari quidem potest, sed per tam paucos, vt nulla inde fama orta sit, nec in iudicium deductum sit (pene occultum vocant) ita vt ex eo non oriatur scandalum, nec lædatur Iudicis authoritas, sicut nec ex aliis occultis.

Nota postremo, vt delictum dicatur publicum, non sufficere vt actio in qua consistit fiat publice, sed adhuc debere publice constare eam esse peccatum: nisi enim id constet delictum censebitur esse occultum in quo possit Episcopus dispensare. Exemplum est, si quis Missam publice dicat irretitus maiori excommunicatione, sed excommunicatus esse ignoretur à populo. Cum eo enim tanquam irregulari occulto potest Episcopus dispensare in irregularitate ab eo incursa taliter celebrando, quemadmodum definitum esse in Pœnitentiaria Romana Nauarrus ait in præced. nu. 241.

De ratione dispensandi in irregularitate.

Sectio V.

31. QVæ necessaria videntur ad Confessarij instructionem comprehendemus aliquot documentis. Primum est à D. Antonino insinuatum *in 3. part. tit. 28. sub finem*: dispensationem in irregularitate dupliciter dari posse: vno modo tacite, vt si Papa vel Episcopus (prout alijs in margine citatis habet Henriquez *lib. 14. c. 17. §. 4. lit. O.*) in casu sibi concesso ordinet, vel ordinari committat aliquem, quem scit esse irregularem. Eo enim facto dispensat cum illo, iuxta glossam ad cap. Qui in aliquo, distinct. 51. verbo, Qui concubinas. Idem iudicandum est quando alius Prælatus potestatem habens in irregularitate dispensandi cum suis, quempiam eorum, quem scit irregularem, mittit ad Ordines, *ex Syluest. verbo, Dispensatio. quæst. 15. & verbo, Irregularitas in fine, ac ex alijs auos* Henriquez refert *loco citato lit. P*, vtpote qui intendat etiamsi nullis verbis exprimat, dispensare cum eo in omni irregularitate in qua potest, aut dispensationem ordinatori committere. Alioqui enim malitiose peccaret, quod præsumendum non est. Hoc autem procedere tantum quoad forum conscientiæ, ex Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 74. non autem, quod nostra parui refert, quoad externum. Nota vero cum Maiolo in suo tractatu De irregular. cap. 51. num. 8. quod si Episcopus supine nihil de dispensatione cogitarit, *cum intentionem dispensandi non habuerit*, illum qui ab eo in irregularitate ordinatus est non videri dispensatum, ideoque susceptum Ordinem exercere non posse ante adeptam dispensationem. Etenim tacita dispensatio intelligenda est tantum, quando Prælatus cognitionem habuit irregularitatis ante Ordines susceptos. Nam tantummodo sciens postea, non ideo iudicandus est dispensasse tacite.

Altero modo in irregularitate dispensari potest expresse, id est, sub certa verborum formula, qualis in particulari non est determinata; etsi hæc sit in Ecclesiæ vsu, *prout in fine tractatus, De irregularitate, Notat Fœlicianus.* Ego Authoritate qua fungor, dispenso tecum super irregularitate: vel, *si p'ures incurrerit*, super irregularitatibus, quam vel quas contraxisti propter hanc vel illam causam: aut *si dubium erit*, si quam, vel quas contraxisti: & habilito te executioni, *sique nondum sit promotus*, susceptioni & executioni Ordinum & officiorum tuorum in quantum mihi conceditur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

32. Secundum documentum est, *iuxta illud in cap. Per venerabilem, Qui filij sunt legitimi.* Quod in maiori conceditur, licitum videatur in minori: Posse quidem censeri per dispensationem in irregularitate, sublatum esse impedimentum minus sublato maiore, cui annexum vel in quo inclusum sit (*quomodo dispensatus ad promotionem aut vsum Superiorus Ordinis, censetur dispensatus ad inferiorem Ordinem*) non tamen tolli irregularitatem minorem sublata maiore, à qua est omnino separata ac distincta: sicut enim ipsę inhabilitates sunt omnino diuersæ, sic requirunt diuersas rehabilitationes, aut certe vnam vtrisque æque communem. Itaque dispensatus in irregularitate ex homicidio, non censetur dispensatus in irregularitate ex violatione alicuius censurę, nisi de vtraque mentio facta sit in dispensatione. Vnde is qui plures habet irregularitates, debet omnes exprimere, dispensanti, qui vtens verbo Dispensandi, intentionem expressam habeat tollendi illas omnes.

Vbi aduerte obiter iteratione facti propter quod imposita est irregularitas, hanc multiplicari: ita vt ea toties incursa sit quoties factum ipsum fuerit commissum: vt patet, cum inter commissiones dispensatio intercessit: si enim obtenta sit post primam, nihil obstat quin adhuc obtineri debeat post secundam, & sic de reliquis.

Porro, si quis habeat aliquam irregularitatem cui annexum est aut coniunctum aliquod impedimentum: dum illa per dispensationem tollitur, hoc quoque sublatum censetur. Sic spurius cum quo dispensatur ad Ordines, censetur simul dispensatus ad beneficium simplex: quia solus Ordo Ecclesiasticus facit capacem beneficij simplicis, non autem beneficij curati, *vt Sylu. verbo, Beneficium, 3. quæst. 10 habet ex Geminiano*: sicut nec dignitatum, & prælaturarum: iuxta illud quod dictum est in præcedenti nu. 19. per ingressum religionis spurium reddi habilem ad Ordines, non autem ad prælaturas, etiam in eadem religione.

33. Tertium documentum esse potest: quod Henriquez authoribus suo more in margine citatis habet *lib. 14. cap. 17. §. 5.* his verbis. Dispensationes debent ratius concedi, quamuis adsit causa, quia eneruant legem communem: nec fieri deberent de plenitudine potestatis, quia oportet conformari legi communi, nisi adsit idonea dispensandi causa. Interdum tam vrgens subest causa, vt dispensatio quodammodo debeatur: quia dispensare ex causa pertinet ad bonum commune. Quod si vrgente causa Episcopus nolit dispensare, contra illum competet officium Iudicis, seu appellatio ad Superiorem. Raro autem dispensandum est in irregularitate quæ habet indecentiam quamdam naturalem, aut qua cæcus vel carens oculo sinistro dispensetur ad celebrationem Missæ: rarius cum bigamo & homicida voluntario: quos fere semper solet Papa excipere in suis priuilegijs.

TITVLVS SECVNDVS.

De Irregularitatibus ex defectu, aut ex facto sine delicto.

DE his in communi prænotandum est: quod etsi vt plurimum spectet ad solum Papam in eis dispensare, tamen quando res est dubia Episcopi esse iudicare num defectus qui occurrit talis sit, vt inducat irregularitatem, ex Innocen. *ad cap. 1. De corpore vitiatis.* Dubium vero est, num in religionibus exemptis idipsum iudicare possint religiosorum Prælati. Nauar. enim in Enchir. *cap. 27. num. 200.* Post Sylu. *verbo corpore, vitiatis quæst. 1.* negat posse. Angelus autem eodem verbo *num 5. & Tabiena num. 3.* affirmant posse: quod est quidem satis probabile, cum per exemptionem ab Episcopo, Prælatus exemptus censeri possit habere in eo ius æquale Episcopali: Prior tamen sententia est tanquam tutior in praxi sequenda.

CAPVT IV.

De prima specie Irregularitatis, quæ est ex defectu animæ.

SVMMARIVM.

34 *Triplex defectus animæ, ex quo nascitur irregularitas.*
35 *Proueniens ex illiteratura.*
36 *Cuius literaturæ defectus constituat irregularitatem.*
37 *Quomodo verum sit irregularitatem ex illiteratura indispensabilem esse.*
38 *Amens incapax est Ordine.*
39 *Qui in amentiam incidit, postquam ad sanam mentem redit, irregularis manet, & quid agendum sit, vt valeat ad Ordines promoueri.*
40 *Delirium autinsania proueniens ex vehementia febris, cessans hac cessante, non relinqui hominem irregularem.*
41 *Irregulares sunt furiosi lunatici epileptici: & sic Sacerdotes conualuisseque dicantur, quid agendum sit cum iis, vt ad Missæ celebrationem admittantur.*
42 *Quid seruandum cum obnoxiis vertigini capitis vel animi deliquio.*
43 *Irregularitas dæmoniacorum.*
44 *Irregularitas Neophytorum.*

34. DEFECTVS animi inducens irregularitatem triplex est, vnus literaturæ, alter vsus rationis proueniens ex infirmitate corporis, ita redundante in animam, vt eam priuet ipso vsu rationis, sicut accidit in furiosis, lunaticis, & comitiali morbo laborantibus, ac in dæmoniacis. Tertius antiquitatis & firmitatis in fide: qualis defectus communiter est in Neophytis. Quibus in Enchir. cap. 27. num. 205. Nauarrus addit defectum in fide, tam in eo qui hanc nondum recepit, vt in Iudæo, vel pagano: quam in eo qui receptam deseruit: vt in hæretico vel apostata. Sed cum impedimentum recipiendi vel administrandi Ordines in eo qui fidem nondum recepit, sit de iure diuino, quo baptismus præsupponitur in omnium aliorum sacramentorum receptione (itaut ad hanc Ecclesia dispensare nequeat cum non baptizato) ipsum nequit censeri irregularitas, quæ inducitur tantum iure canonico, prout habitum est in cap. primo. Impedimentum vero in eo qui fidem deseruit, irregularitas est quidem, sed quæ merito ponatur in numero earum quę nascuntur ex facto cum delicto.

De proueniente ex literaturæ defectu.

SECTIO I.

35. DE irregularitate autem ex defectu literaturę notandum est primo inductam esse à iure per c. Illiteratos, distinct. 36. & per cap. vltimum. De temporibus ordinat. in 6. vbi illiterati ad clericalem tonsuram, atque adeo ad quemuis Ordinem promoueri prohibentur: ac per cap. vltimum, De ætate, & qualitate. vbi propter illiteraturam Episcopus ab executione, & administratione officii amouetur.

Notandum est secundo, quęnam ad singulos Ordines literatura requiratur, definitum esse in Concil. Triden. sess. 23. De reformatione, vbi cap. 4. prohibentur initiari prima tonsura qui fidei rudimenta edocti non fuerint, quiq; legere & scribere nesciant: & cap. 11. statuitur conferendos esse minores Ordines iis quis saltem Latinam linguam intelligant: & in cap. 13. vt Subdiaconi & Diaconi ordinentur in minoribus Ordinibus iam probati, ac literis & iis quę ad Ordinem exercendum pertinent instructi: & cap. 14. vt ad presbyteratum assumantur qui ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, atque ad sacramenta administranda, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur; & sess. 22. cap. 2. vt qui ad Episcopatum assumendus est in vniuersitate studiorum, magister siue doctor, aut licentiatus re sacra Theologia, vel iure canonico, merito sit promotus: aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus alios docendos ostendatur.

Tertio notandum est: Concilium Triden. hæc definiendo nõ inducere irregularitates quæ nascantur ex defectibus illius doctrinæ, quam exigit ad vnumquemque Ordinem. Primo, quia nullo vtitur verbo prohibitiuo, *nisi loquendo de prima tonsura*, per quod insinuet se irregularitatem imponere ob talis doctrinæ defectum. Deinde si irregulares essent qui promouentur ad quemque Ordinem sine doctrina ad eum requisita per Concil. ipsum, pari ratione essent quicumque deficerent in aliquo ex iis quæ idem Concilium in iisdem locis ad Ordines similiter requirit, sique in infinitum multiplicarentur irregularitates, quod est incongruum. 36.

Itaque defectus doctrinæ constituens irregularitatem est solus ille, qui hominem denominat illiteratum (quia de hoc tantum memorata iura expressam mentionem faciunt) atque adeo illiteratum penitus: vt ad cap. Illiteratos, dist. 36. glossa interpretatur. Quo nomine significari eum qui nunquam grammaticam audiuit, deduci potest ex fin. De ætate & qualitate: vbi de quodam qui, *quoniam illitteratus erat*, depositus fuit: dicitur quod nunquam de grammatica didicisset, nec Donatum legisset. Adcout illi qui aliquo modo in literis versati sunt, etiam si non multum profecerint, nõ videantur illiterati censendi, sufficienter ad irregularitatem: præsertim quando in illis, quod imperfectum est scientiæ, supplet perfectio charitatis, ex cap. Nisi cum pridem, De renunc. §. Pro defectu. 39.

Quarto notandum est: cum talis est defectus doctrinæ in vnoquoque Ordine, & officio; vt ordinatus non possit propter ignorantiam fungi suo munere: tunc & qui ordinatur & qui ordinat peccare mortaliter: atque si periculum sit de aliqua irreuerentia in vsu Ordinum, vt in celebratione Missæ, teneatur ordinatus ab illo abstinere sub pœna peccati mortalis: quia ratio naturalis dictat, diuina esse reuerenter, digneque administranda. 40.

Vnde intelligimus quatenus admittendum sit quod Maiolus habet in lib. 1. de irregular. cap. 32. nu. 13. defectum literaturæ indispensabilem esse. Id enim verũ est habito respectu ad Ordines eos, qui vt debite exerceantur, doctrinam requirunt: quia enim impedimentum eorum exercendorum in illiterato, est de iure naturali, Papa non potest super eo dispensare. Habito respectu vero ad eos Ordines quorum rectus vsus non habet necessariam doctrinam: sed sufficere potest quod quis correcte legat: vt cum talis vsus non habet adiunctum onus docendi populum, aut conficiendi vel conferendi sacramenta (velut vsus minorum Ordinum) aut cum ante tempus vtendi Ordinibus susceptis comparabitur literatura sufficiens ad eorum debitum vsum: tunc, quia in illiterato impedimentum exercendorum Ordinum est tantum irregularitas de genere impedimentorum Ecclesiasticorum, Papa potest super eo dispensare: sicut super cæteris Ecclesiasticis impedimentis: quamquam ex 37.

Nauar. in cit. num. 205. id non solet, & merito.

De irregularitate proueniente ex carentia vsus rationis.

SECTIO II.

38. DE irregularitate ex defectu vsus rationis quæ imponitur in cap. Infames, 6. quæst. 1. notandum est primo, eos qui omnino carent vsu rationis, vt amentes, non tam esse irregulares, quam naturali, diuinoque iure ineptos ad Ordines iuxta antedicta tract. 1. num. 30. Qua de causa merito monet Nauar. loco cit. versu 4. neque Papam posse cum talibus dispensare. Nam cum susceptio Ordinis sit actus quidam moralis, requirit ex sua natura, liberum voluntatis consensum, qui sine deliberatione esse nequit; nec deliberatio sine vsu rationis, ita vt merito iudicetur cõtra naturam esse, vt is qui omnino destituitur rationis vsu, ad Ordines promoueatur: præsertim cum omne quod alienata mente agitur, fletu potius dignus sit quam Ecclesiastici Ordinis honore: argumento cap. Quamuis sit triste. 7. quæst. 1.

39. Porro nemo qui amens aliquando fuit, statim atque ad se redierit, liberatur impedimento recipiendi vel exercendi Ordines, quasi cessante causa cesset & effectus: sed manet irregularis, per cap. Maritum, distinct. 33. vbi is qui aliquando in furiam versus insaniuit, id est, furiosus, lunaticus aut epilepticus fuit, & à fortiori is qui plene amens fuit (etiamsi promotus non deponatur, ex memorato cap. Quamuis) prohibetur promoueri. Ratioque esse potest, quod ordinarie illi qui semel amentes fuerunt, vix soleant sic conualescere, quin interdum in eamdem amentiam recidant. Quocirca iuxta cap. Nuper, 7. quæst. 2. in fine, triginta diebus probandi sunt: atque per cap. Communiter, distinct. 33. non ante permittuntur sacris altaribus ministrare, quam vnius anni spatio per discretionem Episcopi inueniantur sanitatem mentis recuperasse. Ex quibus verbis aduerte colligi, eum annum esse numerandum ab illo tempore quo recuperata est integra mentis sanitas: non autem ab eo quo cœpta est recuperari. Quia vero tale negotium discretioni Episcopi committitur, dici potest cum D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *cap.* 5. *sub finem*, & *Rosella verbo, Vitiatus corpore, atque Tabiena verbo, Corpore vitiatus sub finem*: tempus talis probationis positum esse in arbitrio Episcopi: qui pensatis sufficienter conditionibus morbi, & personæ (& præsertim iudicio medicorum habito, quod ita sit recuperata sanitas vt dubitari deinceps non debeat de relapsu) statuat num citius, aut tardius, debeat admittere ad Ordines, aut ab eis excludere liberatum ab insania.

40. Intelligenda autem sunt hæc de eo, qui in veram amentiam incidit ex Navar. *in Enchir. cap.* 25. *num.* 72. nam si quis ob inualescentem febrim deliret, aut insaniat, sublata febre, ac cessante delirio, & insania; nihil obstabit, quin possit statim promoueri; vt communem receptumque apud omnes vsum obtinere habeat Maiolus in lib. 2. De irregularitate cap. 13. num. 6. Vbi addit ipsum de quo agimus impedimentum amentiæ congruere quoque posse iis quos stolidos, bardos, aut hebetes vocant; argumento cap. Petrus, distin. 39. Licet interdum populus adeo syluestris sit, vt crassioris ingenij, & hebetioris sensus hominem, propter digniorum penuriam & necessitatem, non sit indignum illi præfici in sacramentorum administratione: præsertim cum stoliditas & hebetudo non pertineant ad priuationem vsus rationis, sed solum ad tarditatem, & obtusam conditionem mentis, ita vt aliquam docilitatem secum patiatur.

41. Notandum est secundo, præter veram amentiam dari certum defectum vsus rationis, quo irregularitas inducitur; qualis est in furiosis, lunaticis, & epilepticis, seu caduco morbo laborantibus, qui irregulares constituuntur per cap. Maritum, & cap. Communiter, distinct. 33. De quibus plura Maiolus in citato lib. 2. c. 14. 15. 16. sed ad Confessarij institutionẽ obseruasse sufficiet in talibus, *si Sacerdotes sint*, admittendis ad ministerium altaris, cum penitus conualuisse dicuntur, seruandum esse idipsum quod secundum canones paulo ante de n ente captis indicatum est: nempe triginta diebus faciendum esse periculum de recuperata sanitate, & à tempore penitus recuperatæ sanitatis expectandum esse vnum annum (aut certe plus, vel minus, prout Episcopus arbitratus fuerit) antequam admittatur.

Adde seruandas esse quoque sequentes conditiones. Prima, vt valde raro, velut semel in mense, aut rarius corripiantur tali morbo, nam si sæpius corripiantur, admitti prohibentur expresse, cap. Iis literis, 7. quæst. 2. Secunda, vt ipsa correptio non sit valde vehemens; vt contingit cum est sine clamore, sine vlla spuma, sine magna, & horribili corporis agitatione: alioqui enim etiamsi semel tantum in anno talis vehemens correptio contingeret alicui, is non esset ad Missæ celebrationem admittendus, ex ante memorato cap. Communiter. Tertia, vt ex ea celebratione nullum scandalum (propter quod illam prohiberi patet, ex cap. Vsque adeo, distinct. 33.) oriatur: vt fere fiet si duæ præcedentes conditiones adsint. Quarta, vt talibus celebrantibus adsit alius Sacerdos ieiunus, qui ipsorum vice totum Missæ sacrificium perficere possit si forte contigerit eos inter celebrandum morbo corripi. Hæc colligitur ex cap. Illud, & ex cap. Nihil, 7. quæst. 1.]

Ex quibus inferre licet quod Maiolus sub finem 16. cap. citati habet: eos qui patiuntur leues affectiones inducentes defectum vsus rationis, vt vertiginem, syncopem, deliquiumve animi, aut similes, non impediri à celebratione Missæ, etsi temere se illi ingerere non debeant, sed alium Sacerdotem habere, qui mysteria, si oporteat, vice ipsorum perficere possit. Immo nec impediri à susceptione Ordinum, nisi Medicorum iudicio talis esset vertigo quæ morbi caduci prænuntia, ipsum imminere significaret; aut certe nisi simul magna esset, & satis frequenter contingeret: vt amplius, quam quater in anno: quo casu susceptioni obstaret periculum imminens scandali populi, & irreuerentiæ Sacramenti. 42.

De ea Irregularitate qua dæmoniaci, & ea qua Neophyti ab Ordine reijciuntur.

TErtio notandum est: Dæmoniacos expresse definiri irregulares in cap. Communiter, distinct. 33. Quamuis autem de promotis tantummodo loqui videatur, prohibendo ne audeant sacris altaribus ministrare, vel temere sacramenta diuinis se ingerere: tamen quia (vt habet propositio recepta) Quidquid deijcit promotum, multo magis impedit promouendum: intelligi debet etiam de promouendis: præsertim cum dæmoniaci ipsi ex cap. Clerici, ead. distinct. non modo ij qui adhuc sunt vexationibus dæmonis obnoxij, sed etiam effectu ab eis omnino liberi, ad sacros Ordines promoueri non possint, etiamsi possint ad minores: vt deduci potest ex eiusdem capituli verbis illis; Si ad superiorem sacri regiminis gradum ascendere non possint] quæ quidem tantum indicant prohibitionem susceptionis Ordinis maioris. Porro eos qui iam initiati sacris Ordinibus vexantur à dæmonibus, non esse admittendos ad altaris ministerium quousq; vnius anni spatio per discretionem Episcopi inueniantur ab ea vexatione liberati, expresse habetur ex citato cap. Communiter. Aduerte vero per synodum sextam generalem Constantinop. can. 60. eos qui se dæmoniacos esse simulant, etiamsi non sint, perinde subijci irregularitati, ac eos qui à dæmone vere correpti sunt. 43.

De Neophytis demum, seu Saracenis, Iudæis, aut Paganis recenter conuersis, aut baptizatis recenter (id est nondum expletis decem annis in vera fide post susceptũ baptismum, *ex Nauar. cap.* 27 *nu* 205. *argumento cap. Eam te, De rescriptis*) quod irregulares sint, constat ex illis verbis D. Pauli prioris ad Timoth. cap. 3. *non Neophytum*: & ex distin. 48. cap. 1. & 2. Cuius irregularitatis causam adfert ibidem Apostolus, nec in superbiam elatus incidat in laqueum diaboli. Altera causa in cit. cap. 1. insinuatur, quòd alios docere nesciat, qui ipse non didicit. Adde quod habetur in cap. Miserum, distin. 61. miserum sit eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus: eumque summum Sacerdotem fieri, qui in nullo gradu vnquam obsecutus est.

Quamquam tamen in Neophyto nonnunquàm tanta apparet charitas, humilitas, & eruditio in ijs quæ ad finem pertinent, vt sine dilatione longa possit, immo debeat cum ipso dispensari, si id necessitas Ecclesiæ exigere videatur

vt exemplis beatorum Nicolai, Seueri, & Ambrosii docetur eadem distin. 61. cap. Statuimus, Quod & in sequenti cap. confirmatur his D. Ambrosii verbis, Neophytus prohibetur ordinari ne extollatur in superbiam: sed si non deest humilitas competens sacerdotio, vbi causa non adhæret, vitium non imputatur. Vide Couarr. ad Clemen. Si furiosus, 1. par. §. 2. num. 7. & 8. In istiusmodi autem irregularitate vt & in præcedentibus prouenientibus ex animæ defectibus, solus Papa dispensare potest, prout Nauar. sub finem citati num. 205. expressit. Nec enim sunt de numero earum, quarum dispensatio est à iure Episcopis concessa, de quibus dictum est in præced. cap. 3. sect. 4.

CAPVT V.

De secunda specie Irregularitatis, quæ est ex defectu corporis.

SVMMARIVM.

44 *Ratio generalis iudicandi de irregularitate ex defectu corporis.*
45 *Talis defectus vel est membri, vel morbi corporis, de cuius sufficientia ad irregularitatem iudicare est Episcopi.*
46 *Obseruanda in genere de membri defectu inducente irregularitatem.*
47 *De eo qui sua culpa patitur eiusmodi defectum.*
48 *De eo qui in eum incidit post susceptum Ordinem.*
49 *Defectus inducentes irregularitatem ex parte capillorum, aut oculorum.*
50 *Ex parte aurium, auricularum, aut nasi.*
51 *Ex parte labiorum, aut dentium, aut linguæ, aut faciei.*
52 *Ex parte dorsi, aut pectoris, aut genitalium.*
53 *Ex parte manuum, quatenus defectus inducat irregularitatem.*
54 *Quando claudicatio inducat irregularitatem.*
55 *Morbus inducens irregularitatem & specialiter de lepra.*
56 *De fœda & lue Venerea.*
57 *De hydropisi podagra, chiragra, & quibusdam febribus & doloribus capitis.*
58 *De paralysi, horrore bibendi vinum, & languore stomachi.*
59 *Duo circa istiusmodi irregularitates obseruatione digna.*

44. DE hac per cap. penult. & vltimum, De corporibus vitiatis, & per cap. 2. De Clerico ægrotante, statui potest generalis propositio quam habent D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *initio quinti capitis*, atque alii quorum Couar. meminit. *ad Clement. Si furiosus 1. par. initio cap.* §. quamque ex Panormit. ad præcitatum cap. 2. num. 2. refert. Nauar. *in Enchir. cap* 27. *num.* 200. Eum corporis defectum inducere irregularitatem, cui coniuncta est inhabilitas ad officium Ordinis exercendum, vel deformitas notabilis, quæ populo scandalum, aut horrorem inducat.

Aduerte autem ex eodem Panormit. in sequen. num. 4. defectum corporis irregularem facere tantummodo quoad officium illud Ordinis, ad quod exercendum reddit ineptum: sic enim defectus duorum digitorum cum medietate palmæ impedit quidem Sacerdotem ne Missam celebrare possit, non item ne alia officia Sacerdotalia exercere, vt confessiones audire: per expressum textum in memorato cap. 2. Quod ex eodem, Nauarrus loco citato addens: ita restringendum putat, vt id verum sit, quando quis talem defectum non incurrit sponte, aut sua culpa. Item quoad iam ordinatos, & non quoad ordinandos. Cui fauet quod idem capitulum 2. quo Panormit. nititur, aperte loquatur de Sacerdote qui sine sua culpa, & postquam ad sacerdotium promotus fuerat, in defectum memoratum incurrerat. Fauet etiam ratio; quia in eo qui sponte aut culpa sua defectum patitur, cessat excusatio. neque Ordinis collatio sit ad vnum officium ipsius, & non ad alterum: adeo vt ille qui ob impedimentum exercendi aliquod officium Ordinis ab eius susceptione arcetur, simpliciter arceri censeatur.

45. Cæterum omnis eiusmodi corporis defectus, quo irregularitas inducitur, vel est defectus alicuius membri, id est, partis humani corporis officium per se distinctum habentis, *prout explicat Nauar. in sequenti num.* 206. vel est aliqui corporalis morbus: de quo cum dubitatur sit ne talis qui Ordinis executionem impediat aut scandalum gignat, Episcopi est determinare: vt omnes qui hac de re tractant consentire ait Couar. ad Clemen. Si furiosus, par. 1. initio, num. 5. & confirmatur ex cap. 2. de corpore vitiato, vbi Pontifex quod de macula in oculo obiiciebatur cuidam tanquam de impedimento obtinendi Episcopatum, iudicium relinquit Archiepiscopo ferendum cum concilio suorum suffraganeorum.

Nota vero ex D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *cap.* 5. in tali determinatione consilium Episcoporum ita necessarium esse, vt si ipsum non adhibeatur, illa nullius momenti sit: cum non fiat secundum summi Pontificis præscriptum. Quamquam si adhibito consilio Archiepiscopus secus quam idipsum consilium iudicet atq; determinet, non quidem ex sola animi libidine, sed quia id iustum sibi videtur (quandoquidem ad illius tantum institutionem consilium exigitur) existimat Panormitanus ad citatum cap. 2. De corpore vitiatis, talem determinationem esse validam: itaut determinatus irregularis debeat pro dispensatione recurrere ad Papam, qui solus eam dare potest super irregularitate ex defectu corporis; vt Nauarr. cap. 27. nu. 200. docet. Determinatus vero non irregularis possit sine dispensatione promoueri. Quod idem iudicandum videtur de determinatione Episcopi non admittentis vel non sequentis consilium eorum qui in tali difficultate vices suffraganeorum supplere possunt: nisi communis patriæ consuetudo præscripta aut speciale priuilegium aliud fera.

De Irregularitate ex defectu membri vniuerse.

SECTIO I.

ATque de membri defectu inducente irregularitatem hæc in genere obseruanda occurrũt. Primum est: Eum non tantum consistere in mutilatione qua quis priuatur membro, vt ille cui abscissa est manus, vel effossus oculus: sed etiam in debilitatione, qua quis habet quidem membrum integrum, sed inefficax & inutile: vt is qui manum habet aridam, vel oculum orbatum visu. Ratio in promptu est quoniam ex ea debilitatione perinde sequi potest inhabilitas ad exercendum officium Ordinis atque ex abscissione. 46.

Secundum est: Defectum membri necessarii ad executionem Ordinis, vel qui habet coniunctam deformitatem notabilem, inducere irregularitatem: tam in eo qui sine sua culpa, quam in eo qui cum sua culpa eum contraxit, iuxta cap. 2. De Clerico ægrotante: atque adeo totum titulum de corpore vitiatis. Et ratio est: quod talem defectum non prouenire ex propria culpa, non obstet quin vere sit impedimentum exercendi Ordinis. 49.

Tertium est: Defectum membri, quod nec est necessarium ad executionem Ordinis, nec annexam habet notabilẽ deformitatem, non reddere irregularem eum, cui sine propria culpa contingit: vt censetur contigisse ei qui vacans rei licitæ, casu sibi ipse, aut chirurgus propter valetudinem, aut alius absque propria sua culpa, tale membrum abscidisset. Istud constat ex cap. Qui partem, & aliquot sequentibus, distinct. 55. Ex cuius capituli glossa prima adde, eamdem esse rationem si quis præscinderet sibi digitum superfluum aut aliam partem superfluam, ac si præscinderet sibi vngues, aut dentes nimis longos: dummodo, *vt monet Angelus verbo Corpore vitiatus nu.* 1. talis præcisio fieri possit sine deformitate corporis.

47. Quartum est: defectum membri, irregularem efficere eum cui cum peccato contingit, ex cap. Maritum, distinct. 33. vbi statuitur non promouendus is, qui semetipsum abscindens, aliquod membrum ingnatione, vel timore siue iusto siue iniusto superatus truncauerit. Quod intellige, ex Couar. *ad Clement. Si furiosus 1. parte initio, num.* 5. *in fine*, etiamsi membrum sit occultum, nec suo defectu inducat notabilem deformitatem, nec etiam necessarium sit ad executionem Ordinis: vt pudenda de quibus est textus expressus distin. 55. cap. Si quis abscinderit, & cap. Si qui. Etiamsi item non à seipso sed ab alio mutilatus sit sua culpa: nempe quia

iussit,

iussit, aut rogauit sibi membrum abscindi; aut quia rei illicitæ dans operam, illud casu perdidit: argumento cap. Presbyterum, & cap. Continebatur, De homicidio. Ita habet Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 198. vbi etiam vult idem esse sentiendum de eo, cui ab inimicis in pœnam alicuius sui delicti, membrum fuerit abscissum. Cuius contrarium *in verbo Corpore vitiatus*, indicat Angelus *n.* 1. cum absolute dicit mutilatum nõ sponte ab inimicis, irregularem non esse. Quod confirmari potest ex cap. Si quis 2. & 3. citatæ distinct. 55. vbi de ijs quos inuitos, domini aut barbari castrauerint, absolute statuitur non esse irregulares, si alias digni sacris Ordinibus inueniantur.

Possumus autem distinctione vti, vt sententia Angeli lo cum habeat, quando delictum est occultum, Nauarri vero, quando est manifestum: quia tunc saltem ratione infamiæ irregularem efficit. Quo modo idem Nauar. ibidem interpretatur illud, quod per antecitatum cap. Qui partem, is irregularis est, qui notorie per indignationem sibi abscidit membri partem, cuius defectus non adimit facultatem naturalem bene celebrandi: interpretatur inquam, vt talis irregularitatis causam constituat non membri defectum, sed notorietatem peccati quod commissum est abscindendo.

48. Quintum est: Eum qui mutilatus est post acceptum Ordinem, arceri quidem ab executione illius actus; in quo est opus vsu membri quo mutilatus est: reliquos tamen exequi posse, vt si Sacerdoti abscissa sit manus, Missam celebrare non potest quidem, sed potest confessiones excipere, concionari, funeralia agere, ex Panorm. ad c. 2. De clerico ægrotante, omnesq; fere pro regula id tenere, habetur ex Couar. *in nu. quinto ante citato.*

Sextum est: Quod dicitur de membri defectu, dicendum quoq; esse de excessu. Nempe membrum superuacaneum, aut nimis grande, si reddat inhabilem ad celebrandum, saltem sine notabili horrore, deformitate, aut scandalo, irregularitatem inducere, prout expressit Nauar. *in Enchir. c. 27. num. 200 versu 6.* & confirmatur ex regula initio huius capitis proposita, in qua nomen defectus sumitur pro vitio corporis: quod consistere potest tam in superabundantia partium eius, quam in earum penuria.

De irregularitate ex defectu membri specialiter.

Sectio II.

49. IN specie de irregularitate ex defectu membri per ea quæ vniuerse dicta sunt proxime, ista statui possunt. Cum humanum corpus distinguatur in caput, thoracem, & artus: ex parte capitis posse irregularitatem contrahi 1. ratione capillorum decidentium, si infamiam adferant incontinenter expletę libidinis, aut nimiam deformitatem gignant, ex qua horror aliquis sequatur.

Secundo, ratione oculorum: primo. cũ quis caret vtroque oculo, vel vtriusque vsu, seu cum quis cæcus est. ex 77. Canone Apostolorum, & ex cap. Hinc etenim, distin. 49. Nam vsus oculorum necessarius est ad celebrationem Missæ. Quod impedimentum maximum quidem est; non tamen tantũ, quin Papa aliquando in eo dispensare possit, etiam ad Sacerdotium, & ad Episcopatum propter eximiam sanctitatem, & doctrinam eius qui eo laborat, Ecclesiæque vtilitatem, vt confirmant exempla Didymi Alexandrini, & aliorum *de quibus Maiolus lib. 1. cap. 20.* Deinde cum quis altero oculo caret: vt post Archidiaconum per cap. Si Euangelica. distinct. 55. definiunt D. Anton. 3. *par. tit. 28. cap. 5. & Rosella verbo Vitiatus corpore nu. 2.* ob deformitatem scilicet quæ sequitur carentiam talis membri eminentis.

47. Aduerte vero non esse in hac re idem iudicium de eo qui caret vsu oculi, ac de eo qui caret oculo: ita vt possimus concedere cum Nauar. *in Enchir. cap. 17. num. 199.* illum qui solummodo caret vsu oculi dextri, non item ipso oculo, & sufficienter videt oculo sinistro, non esse irregularem: nec item illum qui solummodo caret vsu oculi sinistri (quem vocant oculum Canonis, eo quod maxime seruiat ad legendum Canonem in Missa) si tantum valeat oculo dextro, vt sine nimia & indecora faciei conuersione ad populum, possit commode legere Canonem in Missa. Ratio est: quia in citato cap. Si Euangelica, sermo est de oculi carentia in eo cui erutus est. Id quod non est interpretatione extendendum ad carentiam visus. quæ est sine scandalosa deformitate. Nam vt habet regula 15. iuris in 6. Odia restringi & fauores conuenit ampliari.

Tertio, ratione aurium vel auricularium, irregularitas 50.
contrahitur cum quis vtraque aure surdus est, per supracit. 77. Canonem Apostolorum. Vbi aduerte, quia is defectus cueniens post ordinationem, priuat quidem exercitio Ordinum in quo necessarius est auditus, non autem in quo necessarius non est: Sacerdotem factum surdum, non posse quidem audire confessiones, posse tamen Missam submisse celebrare. Dico, submisse, quia non videtur admittendus ad celebrandam Missam solemnem in Ecclesia: quia potest facile risum excitare, faciendo aliquid extra tempus. Cum vero surdaster est, seu cum vel difficile audit, vel altera tantum aure surdus est, nullo iure, *inquit Maiolus lib. 1. cap. 25.* prohibetur promoueri. Præterea cum quis caret vtraque, vel altera auricula, irregularis censendus est ob nimiam deformitatem apparentem. Atque si auriculam perdidit sua culpa, vt dimicans in duello, vel per sententiam Iudicis, vel quia ex ira, & indignatione illam sibi abscidit, nullo modo esset dispensandum cum eo ad Ordinum susceptionem, vel susceptorum exercitium, vt in eodem loco Maiolus confirmat argumento cap. Maritum, distinct. 33. & cap. Qui partem, distinct. 55. Sin absque sua culpa perdidit, potest cum eo dispensari, maxime ad exercitium susceptorum Ordinum.

Quarto ratione nasi irregularitas incurritur; cum quis caret naso: ob maximam nimirum deformitatem, quæ sequitur ex defectu eius partis à qua maxime pendet faciei venustas. Efficitur enim quis ineptus ad susceptionem Ordinis & ad exercitium susceptí; non modo propter impedimentum actus, sed etiam propter impedimentum claritatis personæ: siue propter aliquam notabilem maculam, per quã obscuratur claritas personæ: qualis est abscissio nasi, vt D. Thomas expressit *in 4. distinct. 25 in fine secundæ quæstionis.*

Quinto, ratione labiorum, irregularitas incurritur, cum 51.
alicui abscissa labia, aut aliquo morbo penitus corrosa: tum quia in eo potest esse magna deformitas, quæ horrori sit: tum quia non posset absque periculo effusionis, sanguinem Christi sumere; itaut par sit ratio in eo atque in plerisque aliis de quibus antea dictum est, vt bene ait Maiolus *lib. 1 cap. 23.*

Sexto, ratione dẽtium, multi *quorum meminit Maiolus ibidem cap. 24.* argumento cap. Qui partem, distin. 55 volunt irregularitatem incurri, cũ quis per indignationẽ, aut dando operam rei illicitæ sibi dentẽ euulserit, an euelli fecerit: si eo modo, *per indignationem inquam*, factam esse notorium sit. Sed contrarium non caret probabilitate quia defectus dentium nec impedit actus Ordinum, nec notabilem deformitatem inducit. Vnde carere dentibus etiam omnibus ex se non inducere irregularitatem communis sententia est; quam idem author initio eiusdem cap. admittit. Deinde in memorato cap. Qui partem, sermo est de eo qui sibi abscinderat partem digiti: vnde interpretatio illius facta cum extensione ad eum, qui sibi dentem eruit, latior est in materia odiosa; quia defectus digiti inter manifestos; & dentium, inter occultos ponitur: quo fit vt ex hoc non sumatur perinde ac ex illo deformitatis ratio.

Septimo, ratione linguæ irregularitas incurritur, cum quis omnino mutus est, siue quia non habet linguam, siue quia non habet illius vsum, per 77. Canonem Apostolorum. Similiter cum quis tam grandem patitur linguæ nodum, vt vix verbum integrum efformare possit, iuxta D. Thomam 3. *par quæst. 82. sub finem*: Et ratio est, quod talis quoque defectus reddat impossibilem saltem moraliter, Ordinis executionem.

Postremo ratione totius faciei incurritur irregularitas. Nam etsi Dominus noster Ioan. 7. præcipiat nẽ secundum faciem iudicemus: tamen cum quis habet faciem maculis, aut cicatricibus sic deturpatam, est ve vultu adeo fœtido, aut vergente ad monstruositatem, vt aspicientibus, risum aut horrorem facile mouere possit, irregularis esse censendus est: quia vt habet D. Thomas *in 4. distinct. 25. sub finem se-*

cundæ

cundæ quæstionis: promotioni ad Ordines requiritur, non quidem de necessitate sacramenti, sed tamen de præcepto, personæ claritas, quæ per faciem deturbatam maxime obscuratur.

52. Ex parte autem thoracis irregularitas incurri potest. Tum ratione dorsi, cum quis est gibbosus, prout expresserunt D. Anton. *par. 3. tit. 28. ca. 5. & Rosella verbo, Vitiatus corpore, n. 2.* Tum ratione pectoris, cum quis illud habeat turgidum, vt is qui regibber vocatur: Tum ratione ventris, vt cum quis ex crapula, vel otiositate est ventre præturgido, & præpingui: quod vtrumque Maiolus expressit illud in cit. cap. 19. & hoc in præced. cap. 17. Temperanda autem sunt hac conditione, si adsit notabilis deformitas, aut impedimentum tractandi sine periculo sanctam Eucharistiam.

Tum demum ratione genitalium, tam in illo qui iis caret, quam in eo qui illius abundat. Cum vero possit carere dupliciter, vel sua culpa: vt si nulla ægritudine compellente seipsum absciderit, aut abscindi fecerit: vel sine sua culpa, vt si à natura mutilus sit, vel à domino abscissus, vel ob ægritudinem seipse abscindi fecerit, aut cum esset peritus in ea re, aliusque deesset, qui posset, semet vrgente ægritudine absciderit: ex priore carentia incurrit irregularitatem per cap. Qui in aliquo, distinct. 51. & cap. Si quis 1. & 3. distinct. 55. non item ex posteriore, per 21. Canon. Apostolorum, & citatum cap. Si quis 1. & 3. & cap. Qui partem, eadem distinct. Neque excusari ab istiusmodi irregularitate eum qui conseruandæ castitatis gratia seipsum absciderit, argumento est: quod per memoratum cap. Si quis 1. ea generaliter imponatur abscindenti sibi virilia, eo quod sit homicida. Hæc enim ratio perinde in eo, ac in aliis locum habet. Neque ipse excusatur timore amittendæ castitatis: quia per cap. Maritum, distinct. 33. irregularis est etiam is, qui timore iusto quodcumque membrum sibi absciderit.

Ex abundantia autem genitalium irregularitas nascitur in hermaphroditis, qui vtroque sexu præditi sunt. Si enim corpore vitiati, ne quidem ordinati ministrare debent, argumento cap. Illiteratos distinct. 36. & cap. Hinc etenim, distinct. 49. nec debebit hermaphroditus patiens vitium corporis propter quod nec ad testimonium ferendum simpliciter admittitur, ex cap. Si testes 4. quæst. 5. §. Hermophroditus iuncta glossa ibidem. Atque istud quod de hermaphroditis dicitur, dubium non est esse dicendum de aliis naturæ monstris. Et confirmatur: quia si omnia deformitas corporis, quantumuis sit absque monstrositate, sufficiat ad quem impediendum ne possit promoueri: multo magis sufficiet monstrositas: cum monstra ordinarie adeo deformia sint, vt horrori sint inspicientibus.

53. Ex parte denique artuum irregularitas incurri potest ratione brachiorum, manuum, & illorum digitorum, qui sunt necessarii ad exercendum actum aliquem Ordinis. Si quis enim illis careat, vel illa habeat quidem integra, sed ad vtendum inefficacia, promoueri nequit: ex cap. Qui in aliquo, distinct. 51. & ex cap. 2. De Clerico ægrotante. Quamquam talis proprie loquendo, non est dicendus irregularis, cum impedimentum habeat de iure naturali ob impossibilitatem executionis. Exemplo igitur esse poterit is cui brachia, vel manus aut digiti ex diminutione adferunt deformitatem, vel periculum in Eucharistiæ contrectatione, iuxta cap. 1. De corpore vitiatis. Ad quod genus Maiolus *lib. 1. cap 14. num. 8. & lib. 2. & 24. in fine*, reuocat eum, qui manibus est ita tremulis, vt defectus eius scandalo sit populo, vel antea dictum periculum adferat.

Hic obseruandum est primo, irregularem esse eum, cui vel solus vnguis deficit, defectus illius notabilem deformitatem habeat, vel faciat ne sacra hostia recte frangi possit, ex cap. vltimo, De corpore vitiatis. Id quod vsuuenit præsertim, cum defectus est in pollice. Secundo, quod attinet ad eos digitos, qui non sunt necessarii ad perficiendum actum Ordinis: si quis sua culpa, vt ex indignatione, sibi eorum aliquem siue in totum, siue etiam, quoad partem absciderit. aut abscindi fecerit, vel aliter sua culpa perdiderit: irregularitatem esse ob deformitatem: aut etiamsi deformitas desit, ob infamiam, quando notorium est ipsum sua culpa pati eum defectum. Quæ doctrina est Innocentii ad cap. Significauit, De corpore vitiatis: cui fauet cap. Qui in aliquo distinct. 51. & cap Qui partem, distinct. 55. Si quis autem non sua culpa, sed casu, vel ob ægritudinem, aut inimicorum malitiam perdiderit aliquem talem digitum, excusari ipsum ab irregularitate, per cit. cap. Qui partem, etiamsi perdiderit in totum, iuxta cap. Lator, eadem distinct. 55. In quo licet expressa mentio sit de digitio manus sinistræ: tamen glossa ibidem pari ratione intelligendum vult de digito manus dextræ, dummodo absit magna deformitas. Tertio, illum qui habet indicem, & medium digitum coniunctos sub vno communi vngue irregularem esse: vt Maiolus, in cit. cap. 14. nu. 14. notat ob deformitatem, & difficultatem tractandi Eucharistiam. Dictum est sub vno cõmuni vngue, quia in eo qui haberet coniunctos sub distinctis vnguibus, multo minus impedimentum esset, & periculum contrectandæ Eucharistiæ: adeout posset ad altaris ministerium admitti, prout D. Anton. 3. *par. tit 28. cap. 5.* attigit, & memoratus author statuit.

Ratione aliorum artuum incurritur irregularitas, primo, 54.
si quis ita claudicet vt sine scipione ad altare ire nequeat, vt habet glossa ad cap. Si quis in infirmitate, distinct. 55. quod consuetudine receptum esse, notat D. Anton. loco cit. & confirmat per cap. Disciplina, distinct. 45. & cap. Nullus Episcopus, De consecr. distinct. prima. Cuius verba sunt, Nullus Episcopus, aut Presbyter: seu Diaconus ad Missarum solemnia celebranda præsumat cum baculo introire. Vnde glossa ad verbum, *Cum baculo*, infert, quod non debeat promoueri in Presbyterum, is quis sine baculo non potest sustentare se in altari. Intelligendum est autem, etiamsi quis defectum eum patiatur sine sua culpa, quandoquidem respectu quoque illius incommoda locum habent. Quamuis autem alios claudos consuetudo ab irregularitate immunes esse ostendat, prout idem D. Anton. tangit: nihilominus tamen ratione scandali vix videntur in eorum numero censendi illi, quorum claudicatio est valde ridicula, vel cum ea neruorum contractione, quæ non patiatur ipsos genua tantillum flectere. 57.

Secundo, incurritur irregularitas: si quis culpa sua claudus efficiatur: generaliter enim ex Tabien. *verbo Corpore vitiatus, circa principium*, per cap. Pœnitentes, & cap. Qui partem, distinct. 55. irregularis est quicunque sua culpa in aliquo membro vitiatus est: saltem cum infamia.

Tertio incurritur irregularitas, si quis est crure penitus abscisso aut ita contracto, vt pede ligneo sit ei opus. Cui, vt Maiolus *libro 1. cap. 18.* ait, dispensatio vix concedenda est. Quam tamen regularibus concedere, permissum est Episcopo, vt ex Hostiensi habent in verbo, Corpore vitiatus, Sylu. *in fine*, Tabiena circa principium, & Rosella verbo, Vitiatus corpore, num. 2. circa medium. Addens id quoque posse Prælatos eorum, si iam professi ac promoti fuerint, quando superuenit eis necessitas vtendi pede ligneo.

De irregularitate ex morbo corporali, tam vniuerse, quam specialiter.

Sectio III.

DE morbo autem corporali, hoc vnum in genere obseruandum est, quod Nauar. attigit *in Enchir. cap. 27. num. 202.* Omnem, & solum eum irregularitatem inducere, qui siue sit in toto corpore, siue in aliqua eius parte, talis est vt inducat ineptitudinem, aut inhabilitatem ad vsum Ordinum, vel faciat vt Ordo non sine scandalo & horrore populi exerceatur. Huiusmodi sunt: primo, lepra, qua qui laborat, per cap. De rectoribus, cap. Tua nos, De Clerico ægrotante, remouetur ab exercitio ordinum, & consequenter ab eorũdem susceptione repellitur. Ingenerat enim is morbus quemdam horrorem: & cum per contagionem alii facile eo inficiantur, reddit ex eo sum infirmum, vt non possit sine populi horrore, & scandalo in exercitio Ordinum versari, etiamsi morbus non sit adhuc grauis quia facile crescit, difficilimeque curatur. Quanquam, vt Tabiena monet, *verbo Corpore vitiatus num. 4.* post D. Thomam *in 4. distinct. 9. art. 4. in fine*, potest leprosus iam promotus (quod idem pari ratione sentiendum est, de aliis infirmis, quos ob populi scandalum à receptione, & exercitio Ordinum arceri

dicetur

dicetur deinceps) susceptum Ordinem exercere in occulto, aut inter alios leprosos: nisi forte manus, aut labra haberet corrupta: aut tam grandis esset lepra vt sine periculo ministerium explere non posset. Promoueri autem non potest, ne quidem ad ministrandum in occulto, aut inter alios leprosos, vt notat Maiolus lib. 2. cap. 18.

56. Vbi addit ex eodem D. Thoma, idem ac de lepra in hac re iudicium esse de scabie quæ liberũ vsum manuum valde impedit, ita vt sacramenti contrectatio non sit tuta, qualis est ea scabies, quam medici psoram dicunt, ex atra bile sicut lepra originem trahens. Idipsum de lue Venerea: prout ad acres dolores habet adiuncta vlcera, per totum corpus diffusa, idem author in sequenti cap. 19. merito statuit propter magnam similitudinem, quã talis morbus habet cum ipsa lepra: in eo, quod incurabilis sit, & cõtagione inficiat, scandaloque & horrori sit, etiam magis, quam lepra, hoc nomine, quod turpitudinem fœdæ libidinis vnde causatur, præ se ferat in conspectu hominum. Ideoq; illam etiam irregularitatem inducit, quam incurrunt Sacerdotes fornicarij, cum actus criminis ipsorum manifestus, ostensusque est, vt habet textus expressus in cap. Sacerdotes, distinct. 50. Adeo vt, ex eodem authore, quantumuis ei morbo deessent externa illa vlcera, sed adesset claudicatio, vel vocis debilitatio ob internam faucium, vel narium corrosionem, vel capillorum defluxio, vel aliquid simile inde proueniens, vnde vulgus scandalum pateretur, etiamsi æger de suo crimine pœnitentiam egisset, ipse nec posset promoueri, nec iam promotus Ordines susceptos exercere.

57. Secundus morbus irregularitatem specialiter inducens ex eodem Maiolo in sequenti cap. 20. est: tum phthisis: præsertim cum ex medicorum attestatione, periculum est ne halitu aut fœtore phthisici inficiantur alij, aut tussis reddat non tutam Eucharistiæ sumptionem: Tum etiam pestis, imo & pestis suspicio, donec ea purgetur, propter ingens periculum contagionis quod est in illa.

Tertius morbus, ex eodem in cap. 21. est podagra, & chiragra: illa quidem, quatenus ob eam non potest quis stans altari commode deseruire: vt censendus est, iuxta glossam ad cap. Si quis in infirmitate, distinct. 55. & Panormit. ad cap. 2. De Clerico ægrotante num. 3. qui sine baculo nequit ad altare ascendere. Hæc vero quatenus vsum manus ita impedit, vel deformem efficit, vt inde timeri possit scandalum propter deformitatem membri, aut sacramenti tractationem nõ securam, ob illius debilitatem: quibus de causis arcetur quis à celebratione Missæ, iuxta cap. Presbyterum De Clerico ægrotante.

Quartus morbus ex eodem Maiolo in cap. 22. est febris, quæ adeo vexat hominem, vt in eo sensuum officia non sint libera: grande enim periculum esset sacris ministeriis se in tali agitatione ingerere. Quamquam si febris non esset continua, sed intercalaris: quo tempore ea vacat, & liberum corpori vsum permittit, promoueri quis posset, aut promotus celebrare, si coadiutorem secum habeat, qui si febris inualuerit, possit succurrere, aut si opus sit, sacra ministe. ia perficere, argumento cap. Illud, & cap. Nihil, 7. quæst. 1.

Quintus apud eundem in cap. 23. est dolor capitis continuus, aut quasi continuus, quo quis angitur tam grauiter, vt nõ habeat liberum naturæ vsum ad exercenda Cleticalia officia. Ob qualem dolorem Episcopo datur coadiutor in cap. Scripsit, & in cap. Qualiter, ead. quæst. 1. vnde intelligitur, quod posito eo impedimento, talis non fuerit in Episcopum promouendus.

58. Sextus ex cap. 24. est paralysis: qua membra corporis ita dissoluuntur vt suo vsu destituantur. Nam ea laboranti datur quoque coadiutor, iuxta cap. vltimum De Clerico ægrotante. Idem etiam, ob similem effectum dici potest de apoplexia, qua membra ita corripiuntur, vt ad agendum inutilia reddantur.

Pro septimo, idem Maiolus in cap. 25. ponit defectum abstemiorum illorum qui sic à vino abhorrent, vt illud nec bibant, nec bibere possint. Quales glossa ad cap. Ipsi Apostoli. 2. quæst. 7. ordinari nõ posse probat ex eo, quod Missam celebrare non possint, cum in ea omitti nequeat consecratio, sumptoque calitis, De consecrat. distinct. 2. cap. Comperimus. Maximum autem periculum est, ne si talis abstemius calicem consecret; illum abhorrente natura, non possit sumere, saltem sine periculo ægritudinis, vel sumptum euomendi. Quare ipse ponendus est in numero eorum qui inhabiles censentur ad Ordines.

Postremo loco in cap. vltimo ponit languorem stomachi adherente notabile periculum euomendi sactam Eucharistiam. Quod periculum, ab eius perceptione arcere, patet ex cap. Si quis per ebrietatem, De consecratione distinct. 2. Vbi Eucharistiam euomenti, etiam per infirmitatem, pœnitentia imponitur. Adde ex tali quoque periculo nasci horrorem, ac scandalum populi.

Aduerte obiter non referre, quod de omnibus propositis morbis non habeatur specialis mentio in iure canonico: quia sufficit illos eam affinitatem habere cum iis, de quibus est specialis mentio, vt sit vtriusque eadem plane cernatur ratio, & modus impediendi Ordinum vsum, adeo vt merito censeantur eodem iure comprehendi. Id enim est fundamentum generalis documenti, quod initio huius sectionis attulimus ex Nauarro. Qui in eodem num. 202. monet solum Papam in hac specie irregularitatis dispensare. 59.

Aduerte item circa irregularitatem ex defectu corporis: eo ipso quod ob illum quis censetur irregularis, tanquam ad sacerdotium ineptus, ipsum ad inferiores Ordines promoueri non posse, imo nec ad Clericatum, iuxta cap. Illiteratos, distinct. 36. Iam tamen promotum, ob superuenientem defectum non prohiberi exercere actus inferiorum Ordinum, imo & sacerdotij, ad quos iure naturæ aptus fuerit: neque enim Sacerdos qui amisit partem pollicis, nec potest hostiam frangere, prohibetur Epistolam ad Euangelium canere, vel confessiones audire, sicut prohibetur Missam celebrare. Vide Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 200. & Couar. ad Clement. Si furiosus, 1. par. in initio, num. 5. Cum hocque in sequenti num. 7. (vbi communem sententiam esse ait) adde in irregularitate quæ incurritur ex corporis vitio, solum Papam dispẽsare, etsi de tali vitio cum dubitatur, an sufficiat ad irregularitatem, sit Episcopi determinare: prout iidem authores notant ex Innocent. ad cap. 1. De corpore vitiatis, & iam in præcedentibus annotauimus.

CAPVT VI.

De tertia, & quarta specie irregularitatis ex defectu ætatis, & ex defectu libertatis.

SVMMARIVM.

60 *Defectus ætatis quatenus irregularitatem inducat.*
61 *Ordinati ante legitimam ætatem sunt suspensi: & quatenus talis suspensionis violatione, irregularitatem incurrant.*
62 *Solus Papa dispensare potest, vt quis ante legitimam ætatem ordinetur, aut Ordinem exerceat.*
63 *De irregularitate mancipiorum, quid sit tenendum.*
64 *De irregularitate curialium.*
65 *De irregularitate eorum, qui sunt aliis ad ratiocinia obligati.*

DEfectum ætatis dum durat, facere hominem irregularem communis sententia est: quæ, *vt Nauar. cap. 27. num. 202. notat*, deducitur ex cap. vltimo, De temporibus ordinationum in 6. Addi potest ex cap. In veteri, distinct. 77. & ex cap. Pueri, 1. q. 1. & ex cap. Vel non est, De temporibus ordinationum. Ac iure quidem antiquo fuerunt singulis Ordinibus propriæ ætates præscriptæ, sed in Clement. vltima, De ætate & qualitate, immutatũ est his verbis, Generalem Ecclesiæ obseruantiam volentes antiquis iuribus in hac parte præferri: decernimus vt, *non alio obstante impedimento Canonico*, possit quis libere in decimo octauo ad Subdiaconatus: in 20. ad Diaconatus, & in 25. ætatis suæ anno ad Presbyteratus Ordines promoueri.] Vbi videnda est glossa. Nuper vero Concilium Triden. in sess. 23. cap. 12. De reform. ad Subdiaconatus Ordinẽ ante 60.

22. annum, ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum (inceptum intellige iuxta vsitatam consuetudinem, quæ optima est legum interpres, cap. Cum Dilectus, De consuetudine) quemquam promoueri prohibet: tacens de minoribus Ordinibus, quasi in his magis sit habenda ratio literaturæ, & morum (de quibus præceperat cap. 5. & 11.) quã ætatis. Constat autem ex cap. Nullus, De temporibus ordinationum in sexto, eos nulli esse conferendos ante septimum annum expletum. Illic enim infans prohibetur initiari prima tonsura, & multo magis minoribus Ordinibus.] Infantem vero dicit eum qui nõ excessit septimum annum, ex glossa ibidem ad verbum (Infanti.)

61. Cæterum ordinati ante legitimam ætatẽ suspensi sunt ab Ordinum executione, donec ad illam peruenerint. Ea autem adueniente, dummodo susceptos Ordines nondum exercuerint, possunt sine dispensatione eos exercere, & ad altiores promoueri: argumento cap. Vel non est compos, De temporibus ordinationum: iuxta communem, *vt habet Couar. ad Clemen. Si furiosus, 1. par. §. 1. num. 4.* Doctorum interpretationem. Sin exerceat actus Ordinum maiorum (intelligecum Nauar. post citando) antequam ad legitimam ætatem peruenerit, ex violatione suspensionis, seu eo nomine quod suspensus Ordinem exercuerit, irregularitatem incurrit: vnde & aduenientẽ ætate opus habet dispensatione Papæ, vt per bullam Pij secundi, quæincipit, Cum ex sacrorum, annotant Sylu. in verbo, Irregularitas *quæst. 10. in fine*, & Nauar. in Enchir. *cap. 25. num. 70. ex cap. 27. num. 155.* & Couar. loco cit. alios referens. Quam tamen bullam Nauar. in dicto num. 155. putat non comprehendere eum, qui temerarie quidem ordinatus est, sed postea bona fide, & candida simplicitate per pœnitentiam purgato peccato, exercuit Ordinem, existimans id sibi licitum esse: sicut nec eum qui bona fide & simplicitate existimans se legitimum cum non esset, ordinatus est. Id quod ille infert ex verbo, *præsumpserit*, quo Pontifex in dicta bulla vtitur, importante dolum.

62. Neminem autem posse cum quoquam, siue ad susceptionem, siue ad executionem Ordinum ante legitimam ætatem dispensare præter Papam, cõfirmat glossa ad cap. Cum dilectus, De electione, verbo, In ætate: & ad cap. Nihil, eodem tit. verbo, Ætatis: habetque locum in religiosis, priuilegiis quibuscumque quoad id, exclusis, ex Concil. Trident. in cit. cap. 12. Id quod Nauarrus notat in sequenti num. 202. versu 12.

PARS RELIQVA CAPITIS.

De Irregularitate ex defectu libertatis.

63. EX defectu libertatis irregulares sunt. Primo, illi qui omnino priuantur libertate, vt mancipia. Ita habetur per totam fere distinct. 54. & totum tit. De seruis non ordinandis. Quod genus hominum Ecclesia tanto studio à sacris Ordinibus arcet, vt Episcopi in sua consecratione de ea re moneantur quemadmodum attingitur in cap. Consuluit, De seruis non ordinandis, cum dicitur: Si memores es, in consecratione tibi dictum fuit, vide ne quemlibet seruilis cõditionis ad Ordines promouere præsumas. Ratio vero est, vilitas siue abiectio seruilis conditionis, & dignitas sacerdotalis, vt *in tertia parte tit. 28. cap. 6. §. 6.* D. Anton. expressit.

Cæterum si seruus domino sciente, nec contradicente ordinatus est: hoc ipso euadit liber, & ingenuus ex cap. Si seruus sciente, distinct. 54. etiamsi minoribus tantum Ordinibus esset ordinatus, ex D. Anton. loco cit. Et ratio est, quia canon generaliter loquitur. Sin autem domino nesciente, vel inuito ordinatus est, distinguere oportet. Nam vel promotus est tantum ad minores Ordines, & tunc redigitur in pristinam seruitutem, ex cap. Nulli, distin. 54. & ex cap. 2. De seruis non ordinandis. Id quod glossa vtrobique exprimit: atque ad ipsum cap. Nulli, ea notat, talem nullo Clericorum priuilegio gaudere, nisi Canonis imponentis excommunicationem percussori Clerici, quod & amittit depositus.

Iam si promotus est ad Diaconatum: id aut contigit sciente Episcopo ordinatore: tuncque liber erit, & Episcopus tenebitur domino satisfacere, ex cap. Si seruus absente, eadem distin. 54. aut contingit nesciente Episcopo, sed scientibus præsentatoribus, & tunc per idem cap. Hi tenebuntur similiter domino satisfacere: aut demum id contigit nec Episcopo, nec præsentatoribus scientibus: tuncq; ordinatus tenebitur substituere alium seruum suo loco, vel dare pretium suæ redemptionis. Quod si neutrũ possit, deponi debet ac domino suo restitui iuxta cap. Ex antiquis, eadem distin. 54. Idem esse dicendum de promoto ad Sudiaconatum patet ex cap. Miramur, De seruis non ordinandis, vbi eodem priuilegio cum Diacono gaudere exprimitur.

Deniq; si promotus est ad sacerdotium, nequit amplius cogi ad seruitutem subeundam, sed si quod peculium habeat, debet illud reddere domino, per citatum cap. Ex antiquis, aut si non habeat, debet redemptionem procurare, prout Nauar. addit in Enchir. cap. 27. nu. 202. aut demum si neq; illud, neq; hoc potest, debet seruire Domino in iis obsequiis, quæ Ordinem, quem consecutus est, non deceant, iuxta cap. Frequens, eadem distinct. Aduerte vero domino tantum concedi spatium vnius anni ad reperendum seruum ordinatum, ex cap. Si seruus sciente, supra memorato. Quem annum glossa ad verbum, Vnius, iudicat esse numerandum à tempore quo sciuit ordinarum. Et ratio esse potest, quod in tali re ius innocenti censeri debeat fauere velle, non fraudulenter nocenti.

Secundo, ex eodem libertatis defectu irregulares sunt 64.
illi, qui libertatem quidem aliquam habent, non tamen integram, & perfectam: vt Curiales, & ij qui obligati sunt aliis ad ratiocinia: nam Curiales: siue, *vt D. Anton. loco citato § 4. interpretatur*, ij qui ex quacunquẽ causa; curiæ publicam potestatem habenti, obligati sunt ad aliquod munus gerendum: quousque fuerint soluti ea obligatione, non posse ordinari, habetur ex cap. 1. 2. & 3 distinct. 51. & ex cap. primo, distinct. 53. In quibus rationes hæ redduntur: in cap. quidem primo distinct. 51. quod in talium munerum executione plerumque contingant ex quibus irregularitas incurritur: in cap. vero 2. & 3. quod Ecclesia molestiam passura esset, dum domini quibus obligantur, ipsos repeterent. In eodem demum tertio, & in primo distinct. 53 ne suspicio sit simulatæ promotionis ad liberandum se ab obligatione per sacerdotium. Intelligendum autem illud est *ex eodem authore*, siue munus sit honestum, sicut est Iudicum, Aduocatorum, Militum, & similium: siue inhonestum vt histrionum, & aliorum, qui theatralibus spectaculis addicti, publicis stipendiis aluntur ad ludicra facienda. Atque hi posteriores, quoniam per tale ministerium infames redduntur, non fiunt statim ac liberantur ab illa obligatione, idonei ad Ordines, donec sublata sit infamia. Illi autem priores statim fiunt, nisi in executione sui muneris egerint aliquid per quod irregularitas contrahitur, vt si exercuerint iudicium sanguinis. 67.

Iam de iis qui ad ratiocinia obligati sunt aliis; quod sint 65
irregulares, habetur ex cap. vnico, De obligatis ad ratiocinia. Quod quomodo accipiendum sit, glossa ibidem *verbo, Ratiocinia*, & cum ea D. Antoninus in eodem § 4. sic explicat. Obligatus ad ratiocinia alicui seculari personæ nõ miserabili: velut tutor, curator, procurator: si in officio voluerit permanere, promoueri non debet 21. quæst. 3. cap. 1. & 2. & titulo, Ne clerici, vel Monachi &c. cap. 1. & 2. Si vero Ecclesiasticæ personæ aut seculari quidem, sed miserabili, seu paupertate, vel infirmitate oppressæ, quam quilibet iuuare tenetur, etiam perseuerans in officio, potest promoueri, si nihil aliud obsistat: distinct. 86. cap. Peruenit, & 16. quæst. 7. cap. In noua actione. Sin administrationem quidem deposuit negotiorum, vel officij quod gessit, sed manet obligatus ad ratiocinia; si hæc sint publica, id est, ad quæ obligetur reipub. promoueri non debet ante redditam rationem, ne reuocetur: ex cap. Præterea, distinct. 51. Si vero sint priuata, *vt ob emptionem, vel aliu[m] simile[m] contractu[m]*: aut in ipsa promotione mouetur, aut prius mota est ei quæstio de dolo, seu perfidia: vel neque mouetur neq; mota est. Siq; prius, non debet ante finem 68.

litis

tis promoueri, distinct. 81. cap. Tantis. Quantum vero tempus satis sit ad eam terminandam; taxari debet per Episcopum; sin postetius, non obstante obligatione promoueri debet, *inquit memorata glossa*; nisi manifestum sit ipsum de dolo teneri: quo casu Episcopus eum repellere deberet: sicut quemlibet criminosum, & infamem, 6.q.1. cap. Infames.

CAPVT VII.

De quinta specie Irregularitatis ex defectu natalium.

SVMMARIVM.

67 *Irregularis est quisquis ex legitimo matrimonio natus non est.*

68 *Regula iudicandi de nato ex legitimo matrimonio non legitime.*

69 *De legitimatione filii spurii per subsequens parentum matrimonium legitimum.*

70 *Factus legitimus per consequens parentum matrimonium habilis est, vt ad seculares, sic & ad Ecclesiasticas dignitates.*

71 *Nec eget dispensatione vt susceptos Ordines exerceat, vel ad superiores ascendat.*

72 *Legitimatio per potestatem secularem non facit illegitimum ad Ordines habilem.*

73 *In hac irregularitate quatenus Papa, & quatenus Episcopus dispenser.*

74 *Illegitimus à Papa dispensatus absolute ad Ordines, & beneficia Ecclesiastica non est eo ipso ad seculares dignitates.*

75 *De legitimatione facta per Papam cum aliqua determinatione.*

76 *Is qui existimatur ex legitimo matrimonio natus, sed non est: an censeri debeat irregularis.*

77 *Filii infidelium conuersorum, & filii fidelium expositi, quatenus sint irregulares.*

78 *De eo qui bona fide existimat se legitimum, & à matre illegitimus asseritur.*

79 *De hæreticis, & eorum credentibus, receptatoribus, defensoribus, fautoribus, ac ipsorum filius quatenus sint irregulares.*

67. EX defectu natalium irregularis est omnis illegitimus, seu non procreatus ex legitima vxore: qui ex cap. Nisi cum pridem. De renuntiatione, §. Personæ: vel est manzer, natus ex scorto, seu meretrice: sic dictus voce Hebraica significante alienum: eo quod ignoram habeat originem, ob matrem pluribus prostituram: vel est nothus ex adulterio natus, commisso ab vxorato cum soluta: vel est filius naturalis, natus ex concubina domi retenta à viro soluto, qui cum ea tempore concepti vel nati fœtus contrahere potuit ex glossa ad cap. Per venerabilem, verbo, Naturalibus, Qui filij sint legitimi: vel denique est spurius natus ex coitu damnato, seu quod punitur legibus: vt ex stupro, raptu, sacrilegio, incestu, aut ex fœmina coniugata. Quibus irregularitas imponitur per cap. 1. De filiis presbyterorum: quo præcipitur quidem tantum, ne talis aliquis, nisi religiosus factus sit, ad sacros Ordines promoueatur: sed ex cap. 1. eodem tit. in 6. patet etiam à minoribus arceri.

Ratio autem cur sicut per leges ciuiles ab honoribus secularibus; ita & per Ecclesiasticas ab Ordinibus, & dignitatibus Ecclesiasticis illegitimus arceatur est, quod si iisdem priuilegiis quibus legitimus frueretur, nullo discrimine matrimonium à fornicatione separaretur ex corrupto hominum iudicio: nec filij ab imitatione sceleris parentum reuocarentur. Procedit veto istud in occulte illegitimis, etiam iis qui publice pro legitimis habentur ex Sylu. *verbo, Irregularitas, quæst.* 20. & Nauar. in Enchir. *cap.* 23. *num.* 69. *& cap.* 27. *num.* 201. Nonnulla autem notare oportet. Primum est, sequentes regulas dari iudicandi de nato ex legitimo matrimonio non legitimo.

68. Prima est, si duo contraxerint per verba de præsenti, eorumque alter ante consummationem matrimonij ingrediatur religionem, & profiteatur: si postea commisceantur, proles quæ inde nascetur, illegitima erit, quia per emissionem professionis, dissolutum omnino fuit matrimonium, ex Concil. Trid. sess. 24. can. 6.

Secunda est, Si post consummationem matrimonij alter coniugum altero contradicente, vel ignorante, religionem ingressus, in ea profiteatur: (aliam rationem esse casus adulterij intelliges in seq. lib. num. 326.) quia non est solutum matrimonium, & professus cogitur redire ad coniugem, eique debitum coniugale reddere, ex cap. Quidam, & cap. Placet, De conuersione coniugatorum, proles inde suscepta, legitima est.

Tertia est, Si mulier viro ad religionem transeunti consentiat, postmodum non valens se continere, potest repetere virum, & vti matrimoniali copula, ex cap. 1. De conuers. coniug. Vnde proles quæ inde nascetur, erit legitima. Secus autem foret, si ipsa religionem esset ingressa, vel si suspecta non esset, saltem continentiam vouisset iuxta cap. Cum sis, & cap. Significauit, De conuers. coniug. (præsertim si Episcopi consensus, & decretum de separatione accessisset) quia illicita plane tunc esset copula, ex eaque nasceretur partus non legitimus. De qua re potest videri idem Sanchez lib. 7. De matrim. disput. 33.

Quarta est, Si matrimonium contractum sit per verba de præsenti, & ante consummationem vir fiat Subdiaconus, siue consentiente, siue dissentiente vxore, quia matrimonium inde non dirimitur, vxor potest cogere virum suum Subdiaconum ad consummationem matrimonij. Ita definitur in Extrauag. Ioannis 22. quæ incipit, Antiquæ concertationis (vbi quoque talis, matrimonio etiam soluto, fit inhabilis ad Ordinis susceptri executionem, & superioris susceptionem, ac beneficij, vel officij Ecclesiastici adeptionem) ideoque partus, qui ex ea copula, *quam lex Ecclesiastica admittit*, nascetur, censebitur legitimus: irregularis tamen, iuxta cap. Literas. De filiis Presbyt. vt Sanchez quoque habet *in seq. lib. 9. disput. 38. num. 7.* Illegitimus vero erit, si cum mulieris consensu interueniisset separatio, qualis antea descripta est.

Secundum quod notare oportet, est: eum qui natus est illegitimus, legitimum fieri per sequens matrimonium inter patrem, & matrem ipsius, ex cap. 1. & cap. Tanta, Qui filij sint legitimi. Quod quidem procedit etiamsi non cõtingat ipsum matrimonium consummari: quia matrimonium non consummatum, vere est matrimonium. 69.

Aduerte autem primo ex Sylu. est. in verbo, Legitimus, quæst. 8. & Couar. in Epitome 4 Decretal. p. 2. cap. 8. §. 2. num. 1. ad hoc tanquam conditionem necessariam requiri, vt quando talis filius concipitur vel nascitur, nec vterque, nec alteruter parentum habeat impedimentum aliquod, propter quod inter ipsos matrimonium nequeat valide contrahi: vt v. g. si nec consanguinei sint, vel affines in gradibus prohibitis: nec vterque, aut alteruter sit coniugatus, aut solemne castitatis votum emiserit, vel sacro Ordine initiatus sit. Si enim adsit aliquod eiusmodi impedimentum filius tunc procreatus, etiam post matrimonium legitimum inter ipsius parentes sublato impedimento contractum, manet illegitimus, iuxta cit. cap. Tanta. Itaque si quis liber ab impedimentis contrahendi matrimonij, per plures annos mulierem coniugatam cognouerit ante, & post mortem mariti ipsius, ex eaque filios susceperit, per matrimonium cum ipsa tandem cõtractum, filij suscepti post mortem prioris mariti, fiunt legitimi: sed suscepti ante eamdem mortem, manent illegitimi: nisi excuset ignorantia inuincibilis, qua alter ignorauit alterius impedimentum dirimens matrimonium: vt v. g. qua mulier ignorauit eum cui commiscebatur habere vxorem, vel contra. Faci enim talis ignorantia vt eiusmodi impedimentum nõ obstet quominus ob legitime contractum postea inter parentes matrimonium, filius habeatur legitimus. Pro quo habetur textus satis expressus in cap. Ex tenore, Qui filij sint legitimi: vbi glossa id notat, & Couarr. sequitur in Epitome 4. Decretalium cap. 8. §. 2. numer. 16.

Aduerte secundo, si quo tempore infans concipitur, nullus sit inter parentes ipsius impedimentum matrimonij contrahendi: interueniens postea impedimentum

(vt exempli gratia transitus ad alienas nuptias) siue ante, siue post natiuitatem interueniat, non impedire quin per matrimonium inter eosdem parentes, postea tandem legitime contractum, idem infans legitimus efficiatur. Ita post Ioan. Andream statuit Panormit. ad cit. cap. Tanta, num. 3.

70. Aduerte tertio, eum qui per sequens matrimonium inter parentes efficitur legitimus, reddi habilem non solum ad successionem hæreditariam, & ad sæculares dignitates: sed etiam ad omnem Ordinem, & dignitatem Ecclesiasticam. Quia, *vt argumentatur glossa ad cap. Innotuit, verbo, Contugata, De electione, & ad memoratum cap. Tanta, verbo, Legitimi*, matrimonium sequens, omnia præcedentia purgat: ita vt ante illud natus ex contrahentibus, habendus sit legitimus post illud, ex eodem cap. Tanta: adeoque possit sine dispensatione promoueri tanquam legitimus: præsertim cum nec parentes eam legitimationem impedire, nec filius eidem renuntiare possit, prout notat Couar. loco cit. num. 12. Neque in eo excipiendam esse dignitatem Episcopalem, idem habet in sequenti num. 24. Pro quo facit quod in re fauorabili nihil sit quod cogat vti ea restrictione: præsertim cum ius decernat talem tanquam legitimum habendum esse: neque sit præiudicium vllum si vt ad omnes alios actus, ita & ad Episcopatum is habilis esse teneatur.

71. Aduerte quarto, probabile esse illegitimum qui sine dispensatione ad aliquem Ordinem promotus est, antequam parentes ipsius matrimonio inter se coniungerentur: posse post initum tale matrimonium, *per quod factus est legitimus*, Ordinem susceptum exercere, & ad altiorem ascendere sine dispensatione. Namq; per illam susceptionem Ordinis, non incurrit in nouam irregularitatem: sed tantum suspensionem ab executione suscepti. Atque illa cui subiiciebatur ex defectu natalium purgata est omnino persequens matrimonium, per quod vere effectus est legitimus. Quia igitur nulla ei superest irregularitas, nulla opus habet dispensatione. Cessat pariter suspensio secuta ex illa ordinatione: nam cessat effectus cessante ipsius causa. Ideoq; sicut ordinatus ante ætatem, hoc ipso quod ætas debita aduenit, potest sine dispensatione exercere susceptos Ordines: ita & is qui adhuc illegitimus ordinatus est, potest prædicto modo factus legitimus, in susceptis Ordinibus sine dispensatione ministrare: nisi forte præsumpserit exercere Ordinem susceptum iuxta ante dicta num. 61.

72. Tertium quod notandum occurrit est: Ex eo, quod aliquis authoritate legis ciuilis, vel Principis sæcularis, qui ad id potestatem habeat (vt habere censentur Reges, & Principes, qui non agnoscunt superiorem temporalem, iuxta cap. Per venerabilem, Qui filij sunt legitimi) ex illegitimo factus sit legitimus, non habere vt possit ad Ordines sine dispensatione promoueri. Ratio est, quam D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *cap.* 4. § 1. *in fine* attigit, quod potestas secularis determinata sit ad res seculares, ideoque non extendat se ad Ordines, & dignitates Ecclesiasticas: ne quidem indirecte, cum id quod minus est, vt seculare, non trahat secum id quod maius est, vt spiritale. Sicut igitur talis legitimatio quoad secularia, id est, quoad dignitates, & successiones seculares tantum habet locũ in terris subiectis potestati Principis legitimantis, sic ea determinata est ad sola secularia: neque se extendit ad Ordines, & dignitates Ecclesiasticas, quæ seculari potestati non subsunt. In quam sententiam plura videri possunt apud Couarr. in cit. cap. 8. § 8.

73. Quartum est (De quo ad 3. par. Suarez tomo 5. disput. 50. sect. 5.) illegitimum posse Ecclesiastica authoritate Papæ, vel Episcopi, ita legitimum effici, vt ad Ordines perinde idoneus sit, ac si natus esset ex legitimo matrimonio: vt quoad Papam habetur expresse in cap. Per venerabilem, ante memorato, vbi id probatur: quia sedes Apostolica aliquos nonnunquam legitimauit ad omnes actus Ecclesiasticos, & dignitates etiam Episcopales. Quoad Episcopum vero, aduerte quod cum possit cum illegitimo (quocumque intellige, quia ius indefinite loquitur) dispensare tantum ad Ordines minores, & ad beneficia non curata ex cap. 1. De filiis presbyterorum, in 6. legitimationem per eum factam simpliciter quoad actus spirituales, valere tantum (vbique tamen *ex Syl. verbo, Legitimus, quæst. 7. sub initium*) ad minores Ordines, & beneficia non habentia annexam curam animarum; vt glossa ibidem, *verbo Beneficium*, interpretatur, addens non posse Episcopum cum talibus dispensare ad personatus, & dignitates: à quibus acceptis sine dispensatione Sedis Apostolicæ, remouentur, iuxta cap. vltimum, De filiis Presbyterorum; adde neque posse ad Canonicatum in Ecclesia Cathedrali. Etenim quia talis Canonicatus annexum habet Ordinem sacrũ, ex Concil. Trident. in sess. 24. cap. 12. De reformat. Episcopus sicut non potest cum illegitimo dispensare ad sacrum Ordinem: ita nec potest ad talem Canonicatum.

Legitimatio vero facta simpliciter à Papa, qui cum quocumque illegitimo ad quemcumque Ordinem, & dignitatem Ecclesiasticam (ex cit. capitulo Per venerabilem) dispensare potest: valet ad omnes Ordines, & dignitates Ecclesiasticas: quia sicut simpliciter restituturus, ad omnia restituitur; sic simpliciter legitimatus, intelligi debet legitimatus ad omnia ad quæ legitimantis potestas se extendit, quando legitimando nihil excepit, & potuit excepisse: præsertim cum in beneficiis plenissima interpretatio sit adhibenda, ex cap. Quia circa, De priuilegiis. Verumtamen quia priuilegia nõ intelliguntur concedi cum præiudicio alterius, nisi ipsa id expresse ferant, ex cap. Pastoralis, eodem tit. Syluester bene monet, restrictionem talis legitimationis faciendam esse ad ea quæ nulli præiudicant. 77.

Si quæras, An qui à Summo Pontifice ad Ordines, & ad beneficia legitimi declarantur, censeantur etiam idonei ad dignitates seculares. Respondetur, quod etsi videantur censendi idonei: quia qui potest maius, potest & minus: tamen ex cap. Per venerabilem, Qui filij sunt legitimi, constat id proprie pertinere ad principes seculares, extra patrimonium D. Petri. In eo enim cap. Pontifex iubet, vt quod attinet ad hæreditatem, Index secularis definiat, sitne quis legitimus, an non: deinde se in patrimonio D. Petri dicit authoritatem habere efficiendi quoscumque legitimos ad quaslibet cumque beneficia: tam secularia scilicet, quam Ecclesiastica: quia in illo est Princeps temporalis supremus. 74.

De legitimatione facta à Papa cum aliqua determinatione, sufficiet annotare ex Panormit. *ad cap. Literas, De filiis Presbyt. num. 6.* Eam quæ facta est cum dispensatione ad suscipiendum certum Ordinem, vt v. g. diaconatum, non includere Ordinem superiorem illo, vt presbyteratum: sed solos inferiores, vt Subdiaconatum, & minores ordines; Dispensatio enim est materia odiosa, vtpote vulnus legis, ideoq; stricte interpretanda. Quo eodem argumento confirmatur quod habet Couar. in Epitome quarti Decretalium par. 2. cap. 8. § 8 num. 5. illatione quinta: illegitimum dispensatum ad sacerdotium, manere inhabilem ad beneficium curatum. Confirmantur & alia: vt dispensatione ad omnes Ordines non dispensari ad beneficia, vel Ecclesiasticas dignitates: & dispensationem ad Ecclesiasticas dignitates, non includere Episcopatum. Videat qui volet Syluest. *Beneficium*, 3. *quæst.* 7. *& aliquot sequentibus, & Tabienam eodem verbo*, 2. *quæst.* 16. *cum aliquot item sequentibus.* De eo autem quod vt dispensatione, & legitimatione tolli potest hæc irregularitas: sic possit ingressu religionis per cap. 1. De filiis presbyterorum, videri potest præcedens numerus 18. itemque Suarez tomo 5. disput. 5b. sect. 5. §. Tertius modus. 75. 78.

Quintum quod oportet notare est: Eum qui nõ est natus ex vero matrimonio censendum esse legitimum, si ipsum matrimonium (etsi reuera non sit) existimetur validum ex errore facti. Patet ex cap. 2. & cap. Perlatum est, Qui filij sint legitimi. Exemplum est: mulier probabiliter existimans maritum mortuum cum adhuc viuat, alium accipiat permissione Iudicis: filij ex illo suscepti censebũtur legitimi. Sed auerte duas cum tali errore conditiones debere concurrere, iuxta cap. vltimum, De clandestina desponsatione: & communem Doctorum sententiam 76.

vt ha-

vt habet Couar. in memorato cap.8.§.1.num.2. Altera est, vt matrimonium publice, & non clandestine celebratum sit: altera, vt coniuges cõtrahant bona fide, id est, nesciant huiusmodi impedimentum. Quamquam satis est, vt alteruter nesciat, iuxta cap. Ex tenore, & cap. Peruenit, Qui filij sint legitimi.

Idem iudicandum est, si positis his conditionibus matrimonium inualidum, existimetur validum ex errore iuris: dummodo error sit iustus, & probabilis: ita vt bonam fidem producat: prout fit in dubia iuris decisione, de qua est controuersia inter Doctores: quorum alij hanc, alij aliam diuersam opinionem profiteantur: quod etiam in citato §.1. habet Couarr.num.9. Ex quo in præcedentibus num.5.6.& 7. adde in hoc casu filios censeri legitimos; non tantum eos qui generati sunt ante factam quæstionem de validitate matrimonij, sed eos etiam, qui postea generantur lite contestata: siue concipiantur ante latam sententiam lite pẽdente: post latam sententiam, pendente termino decem dierum: qui à iure, *per cap. Non solum, de appellationibus, in 6.* datur ad appellandum: siue etiam pendente appellatione à sententia lata contra matrimonium ipsum. Eadem habet, & confirmat Maiolus lib.1.cap.5.

77. Sextum est: Cum matrimonium inter infideles, siue paganos siue Iudæos contractum, valuit iuxta propriam ipsorum legem, etiamsi inualidum fuerit iure Canonico: si tales coniuges ad Christi fidem conuertantur, filios ex eiusmodi matrimonio natos, legitimos esse: ex cap. vltimo, Qui filij sint legitimi: neque matrimonium illud assumpta fide dirimitur ex cap. De infidelibus, De consanguinitate, & affinitate. Istud quoque obseruat Couarr. initio cit.§. primi.

Septimum est: Expositos, quando parentes ipsorum ignorantur, tutius esse haberi pro illegitimis; quia quamtumuis legitimi interdum exponantur ob parentum egestatem, vel ignauiam: id tamen non est ita frequens in eis, ac in illegitimis, qui sæpe à parentibus exponuntur ad vitandam turpitudinis infamiam. Quamquam tamen probabile est, ordinatos bona fide (cum in dubia melior sit possidentis conditio) posse citra dispensationem exercere Ordinem susceptum; vt notat Couar. *ad Clemen. Si furiosus, De homicidio 1. par. in initio num.9.* Et confirmatur ex eo, quod ipsos esse expositos nihil obsit eis, iuxta cap. vnicum, De infantibus, & languidis expositis. Sed negandum non est, quin & tutius sit dispensationem petere: quã dare potest Episcopus, & qui non præsumitur probabiliter illegitimus, vt docet Suarez in citata disput. 50. sect. 4. num. 4. hac maxime ratione nixus, quod in eo casu, sicut & in aliis nõnullis, authoritas Prælati cum opinione probabili, sufficiat ad pacandam conscientiam.

78. Octauum est: Si is qui natus est in matrimonio legitimo, & se legitimum bona fide putat, à matre audiat se illegitimum esse, nõ teneri simpliciter dicenti credere, vt notant D. Anton. 3. *parte tit. 28. cap. 4. paulo ante* §. 1. *Sylu. verbo, Illegitimus, num. 2. & Nauar. in Enchir. cap. 27. num.* 201. Neque enim in re tanti momenti tenetur, imo nõ debet permittere se ob leues suspiciones detrahi de sua bona fide, siue promouendus ad Ordines, siue iam promotus. Adferenti vero matri rationes tam multas, & tam probabiles vt sufficiant ad faciendam certam fidem, tenetur credere, & plane se pro illegitimo gerere, ex D. Anton. ibidem. Quod si tales adferat quæ tantummodo faciant filium dubium, an legitimus sit; is non debet quidem promoueri ad Ordines sine dispensatione: quia in dubiis pars tutior est sequenda: neque promotus exercere actum Ordinis (si conscientiæ motu intimo propendeat ad credendum matri asserenti se illegitimũ esse) donec ad cautelam obtinuerit dispensationem: quia non licet contra conscientiam agere. Attamen si nullo interiori conscientiæ motu ad credendum propendeat: imo legitimum se esse credat; nec abstinere, nec dispensationem petere tenetur: vt ex Panormit. ad cap.1. De filiis presbyterorum, & ex Summistarum communi sententia refert Maiolus lib.1.cap.7. vbi addit cum dubium est de iure an quis illegitimus sit, ipsum & à suscipiendis Ordinibus, & à susceptis exercendis debere abstinere, donec difficultas sit decisa.

Nonum est: Ad hanc speciem irregularitatis posse reduci eam, cuius meminit Nauar. in Enchir. cap.27. num. 205. & quæ hæreticis, ac credentibus, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus eorumdem: ac filiis ipsorum, filiorumque filiis imponitur, per cap. Quicumque, §. Hæretici, De hæreticis in 6. Quod aduerte intelligendum esse de filiis in paterna linea quoad 1. & 2. gradum: & in materna, quoad primum tantum: item; de parentibus, qui tales mortui sint, nam si ante mortem reconciliati fuerint Ecclesiæ, neque filij, neque nepotes ipsorum promoueri prohibentur: quod vtrumque habetur ex cap. Statutum fœlicis, eodem tit. & libro. Obiicientibus autem, quod in illis capitulis sermo sit tantum de beneficiis, & officiis Ecclesiasticis. Respondendum est, id quidem verum esse: sed quia in eo maior ratio est Ordinis, quam illorum prohibendorum talibus personis; eo ipso quod eæ excluduntur à beneficiis, & officiis, merito intelliguntur ab Ordinibus exclusæ. Quamquam tamen existimat Henriquez *in lib.14. cap.5.§.4.* quod si occulta fuerit hæresis aut in natione infecta pater decesserit in publica hæresi absq; nota infamiæ; non videatur filius Catholicus fieri irregularis. Id quod Satyrus, *in lib.6. Thesauri casuum conscit. cap.10. num. 4.* approbat. Quæ opinio, non caret probabilitate: vt licet colligere ex dicendis in sequenti nu. 193. versu Quamquam. 79.

CAPVT VIII.

De sexta specie irregularitatis, ex defectu sacramenti, seu digamia.

SVMMARIVM.

80 *Irregularitas contrahitur ex digamia.*

81 *Tribus modis potest quis digamus esse, re, interpretatione, & similitudine: & quis re, ac quis interpretatiue digamus dicatur.*

82 *Non est irregularis, qui ducit extra matrimonium corruptam, non ab alio, quam à se.*

83 *Est irregularis qui etsi virginem duxerit, eam tamen in adulterium lapsam carnaliter cognouit.*

84 *Irregularis est quisquis cum duabus contrahit, etiamsi alterum, aut vtrumque matrimonium sit inualidum: sicut & qui cum serua aut cum mima.*

85 *Duo requisita ad bigamiam vt inducat irregularitatem: vnde nonnulla inferuntur.*

86 *Ratio cur quis fiat irregularis, contrahens cum corrupta, non item si ipse corruptus.*

87 *Quis dicatur similitudine digamus.*

88 *Nec Lucus, nec minoribus tantum Ordinibus initiatus, obnoxius est tali irregularitati.*

89 *Cum digamo re, aut interpretatione, solus Papa dispensat.*

90 *Cum digamo similitudine potest nonnumquam Episcopus dispensare, etiam ad maiores Ordines.*

DIGAMIAM efficere hominem irregularem, habetur ex cap.3 prioris ad Timoth. per ea verba, Oportet Episcopum inreprehensibilem esse, vnius vxoris virum: & ex distin. 34. cap. Præcipimus, cap. Si quis viduam, & cap. Lector. Item ex titulo De bigamis non ordinandis cap.1.2.& 3. ita vt sine dispensatione, ne quidem ad Ordines minores promoueri possit, nisi necessitas exigat, iuxta cap. Si Subdiaconus, eadem distin.34.& Concil. Trident. sess.23.cap.17. De reform. Nec item possit aliculus Ordinis actum exercere. Imo priuetur omni priuilegio Clericali, eique sub anathemate tonsura, & habitus clericalis prohibeatur, in cap. vnico De bigamis in sexto. Cuius irregularitatis imponendæ, redduntur hæ causæ. Prima & præcipua ex cap. Acutius, distinct.26.& ex cap. Debitum, De bigamis: quod his coniugatus non possit apte significare vnionem Domini nostri Iesu Christi cum Ecclesia vnica, & sancta sponsa sua. Altera ex cap. Proposuisti, distin. 82. quod bigamia sit signum incontinentiæ. Postrema ex cap. Vna. distinct. 26. quod ad castitatem persuadendam adimat authoritatem: quodque excellentia Sacramenti Ordinis mereatur, vt bigamus ab eo arceatur. 80.

81. Tribus autem modis *iuxta glossam ad cap. 2. De bigamis, verbo, In bigamis; receptam prout habet in Enchir. Nauarrus cap. 27. num. 195.* dicitur bigamus: re, interpretatione, & similitudine. Ac re quidem dicitur ille, qui habuit, & cognouit carnaliter duas legitimas vxores; siue ante, siue post baptismum vtramque aut alteram habuerit, ex cap. Acutius, & cap. Deinde distinct. 26. *cuius ratio proponetur in seq. num. 90.* Interpretatione vero ille digamus dicitur, qui non quidem vere, sed secundum interpretationem iuris duas vxores duxit: vt ille qui duxit viduam, ex cap. Si quis viduam 1. & 2. distinct 34. & cap. 3. De digamis. Quod obiter aduerte non procedere, nisi matrimonium ipsum cum vidua initum, validum sit. De quo post Nauarrum Suarez tom. 5. disput. 49. sect. 3. §. Dubitatio vero. Dicitur præterea interpretatione digamus, is qui duxit corruptam ab alio, ex cap. Curandum, distinct. 34. etiamsi crediderit illam fuisse virginem, cum non esset: eumque esse communem consensum expressit Couar. ad Clemen. Si furiosus, 1. *par.* §. 2. *num.* 2. *versu* 3. Et ratio est, quam habet glossa ad cap. Nemo, distinct. 32. quod ex eo non desinat esse maritus corruptæ ab alio.

82. Corruptam vero esse extra matrimonium ab eo solo, qui illam ducit, non efficere hunc irregularem, idem Couarruuias ibidem consequenter docet; tum allatis pro ea sententia multis authoribus: tum hac ratione: quod talis fœmina non diuiserit carnem suam in plures: vtpote ab vno tantum cognita, qui eo nomine censetur duxisse vxorem virginē cum matrimonium absterserit præcedentis copulæ vitium: ex cap. Tanta, Qui filij sint legitimi. Quod autem glossa 1. ad cap. Maritum, distinct. 32. contrarium ex eod. cap. colligit, ideo non videtur necessarium: quod illic nomen concubinæ non de propria, sed de aliena accipi possit, tanquam ea, quæ per tale matrimonium diuidet carnem suam.

83. Adhuc interpretatione digamus dicitur, irregularisque est ille, qui cum virgine quidem contraxit matrimonium, sed eam carnaliter cognouit, postquam adulterium commisit, ex cap. Si cuius, & cap. Si laici, distinct. 34. Quod procedit ex Nauar. *in citato num. 195.* etiamsi per ignorantiam ei tale quid contingeret: & ex Couar. ad Clemen. Si furiosus 1. *par.* §. 2. *nu.* 3. etiamsi adulteram vxorem cognouerit per pœnitentiam sibi reconciliatam.

84. Addit Nauar. *in eod. num. 195.* (quod Suarez latius tractat *tomo 5. disput. 49. sect. 2.*) irregularem similiter censendum eum, qui cum vna cōtrahit validum matrimonium, & cum alia inualidum: aut ob aliquod impedimentum inualide cum duabus contrahit; siue vtraq; viuente contrahat, siue altera mortua. Quod etiam D. Anton habet 3. *par. tit. 28. cap. 3.* & confirmat ex cap. Nuper, De bigamis: vbi Papa, etiamsi expresse dicat talem non esse bigamum, ipsum tamen irregularem perinde facit, ac si vere bigamus esset. Sicut & per cap. Si quis viduam, 2. is qui cum serua, aut cum mima, seu publica fabularum actrice matrimonium contraxerit (etiamsi bigamus non sit, si illa fuerit virgo) perinde ac bigamus, tanquam vilis nimirum persona, irregularis efficitur: vt etiam notat Nauar. *in sequent. num. 97.*

85. Aduerte autem ex D. Thoma *in 4. distinct. 27. quæst. 3. art. 1.* quæstiuncula 1. ad 3. (quod etiam Nauar. habet *in eodem cap. 27. num. 196.*) bigamiam quæ irregularitatem inducit requirere coniunctionem, tum animorum per mutuum consensum contrahentium: tum corporum per carnalem copulam eorundem: quod est requirere matrimonium consummatum. Et probatur ex cap. Debitum, De bigamis, & ex cap. vltimo distinct. 34. Vnde inferimus primo, solam fornicationem, etiam cum vidua non inducere irregularitatem bigamiæ: quia bigamia non est, vt nomen ipsum indicat, absque matrimonio. Inferimus secundo, eidem irregularitati minime subiici eum, qui plures habuit concubinas: sed vnicam vxorem virginem duxit, ex cap. Quia circa, De bigamis. Tertio, nec eum qui duxit vxorem eam quæ matrimonio coniuncta fuit alteri, morte præuento, antequam ipsam carnaliter cognosceret, ex cap. vltimo distinctione trigesimaquarta, & ex cap. Debitum, De bigamis. Postremo nec eum qui contraxit quidem cum multis, sed cum vna tantum, & ea virgine copulam habuit, prout in fine citati num. 196. Nauar. expressit.

Ratio vero, cur aliquis fiat irregularis ex bigamia si cōtrahat cum corrupta, non item si contrahat ipse corruptus, post D. Thomam, *in cit. art. 1. in responsione ad tertiam quæstiunculam*, à Syluestro, *verbo Bigamus num. 2.* hæc redditur: quod consensus contrahentis matrimonium non cadat super ipsum consentientem, sed super alterum coniugem. Non enim est institutus ad coniungendum aliquem sibi ipsi, sed alteri. Quo fit vt carnis in multos diuisio, qua tollitur significatio vnionis Christi cum vnica Ecclesia, non operetur defectum hunc Sacramenti, *quem dicimus bigamiam*, in ipso coniuge qui carnem suam in multos diuisit, sed in altero, qui ei matrimonio coniungitur, vnde inquit, D. Thomas, si mulier capax esset Ordinum, & virgo nupsisset viro corrupto, ac matrimonium cōsummasset, ab illis excluderetur tanquam irregularis ex bigamia interpretatiua. De quare Suarez in prius citata sect. 3 §. Hæc igitur. 86.

Similitudine demum bigamus vocatur is qui aliquo Ordine sacro insignitus, vel solemni castitatis voto adstrictus contrahit, & consummat matrimonium; etiam cum vnica, & ea virgine, per cap. Quotquot, 27. quæst. 1. & per cap. vltimum, De bigamis: Eius vero appellationis rationem hanc insinuat Palud. *in 4. distinct. 27. quæst. 4. art. 2. sub finem*: quod talis post contractum matrimonium spirituale cum Christo, per professionem in religione approbata vel sacri Ordinis susceptionem, contrahat de facto alterum matrimonium carnale, & consummet. Inter quæ duo matrimonia similitudo est tantum, non identitas rationis matrimonij. 87.

Laicum vero non esse irregularem, nec item eum qui initiatus tantum minoribus Ordinibus, contraxit matrimonium cum vnica & ea virgine: confirmat Nauarr. in Enchir. *cap. 27. num. 195.* quia nullum datur ius ex quo talis irregularitas habeatur, neque vlla sit irregularitas nisi à iure, ex cap. Is qui, De senten. excommunicationis in 6. De eo qui simplici tantum castitatis voto se Deo adstrinxit, perinde in hac re iudicandum est, ac de eodem non habente tale votum, cum iura irregularitatem imponant tantum ei qui Deo adstrictus voto solemni castitatis, matrimonium contrahit. 88.

Quod attinet ad dispensationem in hac irregularitate, Nauar. *in sequenti nam. 197.* ait omnium consensum esse, quod in ea quæ est ex bigamia vera, vel interpretatiua, solus Summus Pontifex dispensare possit ad maiores Ordines. De quo videri potest Couar. ad Clemen. Si furiosus, 1. *par.* §. 3. *num. 4.* vbi id quod Nauarrus addit Episcopum in eadem irregularitate dispensare posse ad minores Ordines quoad vsum eorum iam susceptorum, non item quoad susceptionem: ita admittit, vt contrarium (*quod ex D. Thoma, in verbo Bigamia, Syluester quæst. 7. & Tabiena num. 7.* tradunt) putat teneri posse, quoties maxima subest dispēsandi causa. Id quod non videtur similiter dicendum de eo quod illi iidem addunt, posse Episcopum ad maiores quoque Ordines cum bigamo dispensare, si religionem intrare velit. Namque id alienum est à communi Ecclesiæ praxi, qua Summus Pontifex plerumque Generalibus Religionum concedens facultatem cum suis dispensandi in irregularitate, solet excipere eam quæ est ex bigamia. 89.

Iam quod Nauar. quoque addit communem item sententiam esse, quod cum bigamo similitudine, qui contraxerit cum vnica virgine, possit Episcopus dispensare, confirmatur per cap. primum, Qui Clerici, vel vouentes. Id quod ex glossa ad verbum, Dispensatiue, verum est, etiam de dispensatione ad maiores Ordines & suscipiendos, & susceptos administrandos: prout ex eodem cap. satis intelligitur. 90.

Cæterum etsi olim dubium fuerit, nunc tamen teneri communiter, ex bigamia tam si ante, quam si post baptismum contigerit, irregularitatem contrahi. Pro quo textus est in cap. Acutius, distinct. 26. vbi hæc ratio tangitur:

quod

quod in eo qui plures habet vxores, siue ante, siue post baptismum habuerit, deest id quod requiritur ad significandam coniunctionem Christi cum vnica Ecclesia, perinde ac mulieri corruptæ ante baptismum, deest id quod requiritur, vt inter sacras virgines numeretur.

TITVLVS TERTIVS.

De irregularitatibus quæ incurruntur ex delicto.

LICET inter irregularitates quæ oriuntur ex facto, sine delicto numeretur proueniens ex homicidio licito: atque homicidij nomine, in quotidiano sermone, intelligatur tantummodo illud, quod est cum culpa, quemadmodum notat Caiet. *in verbo Irregularitas*, hic tamen de ea sub præposito titulo agemus, quia cum nulla sit differentia physica inter vtrumq; homicidium (tam enim vnum, quam alterum consistit in occisione hominis) irregularitates prouenientes ex eis, ob coniunctionem quam habent in causa sua proxima, declarantur communi explicatione: non obstante, quod sint diuersę ob diuersitatem moralem eiusdem causæ, positam in ratione iusti, & iniusti.

CAPVT IX.

De irregularitate ex homicidio, quæ comprehenduntur, tam septima species ex licito, quam octaua ex illicito.

SVMMARIVM.

91 *Mutilatio membri in hac re æquipollet homicidio: & quæ corporis pars membri nomine significetur.*

92 *Falsa est regula, Irregularem esse eum, qui alterum reddidit irregularem.*

93 *Nomine mutilationis in hoc negotio, non comprehenditur membri debilitatio.*

94 *Requisita vt quis censeatur incurrisse irregularitatem ex homicidio: ac primo, vt sit baptizatus, & mentis compos.*

95 *De ebrio, & amente quid sit tenendum in hac re.*

96 *Ex cuiuscumque hominis occisione, aut mutilatione irregularitas nascitur.*

97 *Occisionem, aut mutilationem oportet esse de facto, ad incurrendam irregularitatem: nec sufficit voluntas, etiam cum conatu.*

98 *Sufficit vero causam propinquam dedisse homicidio, vel mutilationi.*

99 *Quæ censeatur causa propinqua quoad hoc negotium.*

100 *Quatenus ab irregularitate excusentur qui arma, aut venena vendunt, aut qui hortantur milites ad pugnam.*

101 *Si homicidium, aut mutilatio non sequatur ex causa data, non incurritur irregularitas.*

102 *Quando irregularitas incuratur ex eo, quod causa detur vt quis citius moriatur, aut mutiletur.*

103 *Ex aliquorũ sententia parum, & ex pietate coeperans, excusari potest ab irregularitate: & de infirmitate excusante.*

104 *De necessitate vitam defendẽdi excusante ab irregularitate.*

105 *Circa quam nonnulla sunt ponderanda: ac primo, virum alio modo potuerit vita defendi, quam occidendo, aut mutilando.*

106 *Deinde an seruatum sit moderamen inculpatæ tutelæ.*

107 *Irregularitatem incurrit qui ad defensionem rerum suarum, immo & parentum, occidit vel mutilat.*

108 *Rationes in contrarium cum solutionibus: & casus in quo ipsum contrarium potest procedere.*

109 *Non est irregularis qui amicum ad vitæ suæ necessariam defensionem aduocat, si is aggressorem occidat.*

110 *Debet licita esse defensio, per quam occidens aut mutilans excusatur ab irregularitate.*

111 *Debet esse præsens vitæ periculum, vt censeatur adesse necessitas excusans ab irregularitate.*

112 *Locus Concilij Tridentini in sess. 14. cap. 7. De reformatione, ad hanc irregularitatem spectans, quo modo accipiendus sit.*

LATE patet hæc consideratio: ideoq; in plura capita est distinguenda. In hoc persequemur communia, in aliis specialia.

Principio autem obseruandum occurrit, mutilationem membri hominis quoad irregularitatem incurrendam, æquiparari seu patem esse homicidio, prout Couar. ad Clemen. Si furiosus, *initio 1. tritę partis, num.* 8. expressit, post glossam eiusdem Clementinæ ad verbum *Mutilet*. vbi in confirmationem, Clementinæ, *ex qua aperte habetur*, adiungit nouem canones. Aduertendum autem (quod Suarez *tomo 3. disput. 44. sect. 2. numer. 4.* habet) quia illæ irregularitates æquiparantur quidem, sed non sunt eædem, id quod circa irregularitatem ex homicidio iura dispononunt spectans ad leuitatem, aut aliquam pœnæ diminutionem, accommodari ad irregularitatem ex mutilatione, quia fauores sunt ampliandi; spectans autem ad rigorem, non extendi; nisi ius ipsum id exprimat: quia in æquiparatis, aucta pœna in maiori, non sequitur auctam esse in minori. Sicque (*vt idem author addit.*) Congregatio Cardinalium circa priuilegium Episcopis concessum in Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. De reformat. dispensandi in omni irregularitate occulta excepta prouenięnte ex homicidio occulto: respondit eam exceptionem tanquam rigorosam, non extendi ad irregularitatem ex mutilatione: ita vt possit Episcopus in ea dispensare si fuerit occulta. 91.

Cæterum, quoniam ad iudicandum de irregularitate prouenięnte ex membri mutilatione, cognoscendum est, quæ corporis humani partes, comprehendantur membri nomine: idem author ex communi sententia subiungit comprehendi illas corporis partes, quæ officium distinctum habent, vt oculus habet officium videndi, pes gradiendi, auris audiendi, manus palpandi, naris odorandi, lingua loquendi. Quod quidem consentaneum est non modo philosophiæ, quæ cuique membro proprium actum attribuit: sed etiam sacris literis: ex illo D. Pauli ad Rom. 12. Omnia membra non eumdem actum habent.] Neque audiendum esse Caietan. 2. 2. *quæstio. 65. artic. 1.* (cui tamen assentitur Sotus *lib. 5. De iustitia & iure, quæstio. 2. artic. 1.*) cum vult comprehendi quoque partes eas, quæ non habent quidem per se officium distinctum, attamen habentibus ferunt opem in officio suo exequendo: vt digitus, manui: dens, linguæ: & aliæ aliis: Nauarrus in Enchirid. *cap. 27. num. 206.* ostendit tum aliunde, tum ex eo quod alioqui non modo digitus *exempli gratia*: sed etiam pars digiti, cum hæc manum quoque adiuuet in suo officio, membrum dici deberet, quod neque Caietanus dixerit: Item quod ex lege Idem Ossilius, ff. De ædilitio edicto, habeatur, illum cui abscissus est vnus digitus, æquiparari ei, cui aliquid membri est laceratum.

De aliis vero partibus quæ homini tantum ad ornatum aut tutelam membrorum sunt attributæ, vt capilli, vngues, & auriculæ, multominus rationi consentaneum est comprehendi eodem membri nomine, vt de auricula Couar. expressit; asserens ex eo aliquem non fieri irregularem, quod alteri illam abscinderit. Expressit quoque de mammilla fœminæ: sed cum illius, perinde ac oculi sit proprium officium, aliter videtur sentiendum.

Si quis opponat his: quod regula generalis sit: Eum irregularem fieri qui alium reddit irregularem: sicut reddere potest per abscissionem digiti, vel auriculæ, vt patet ex præced. cap. 5. sect. 2. occurrendum est, eam regulam falsam esse: quod Nauar. *in sequen. num.* 209. ex eo confirmat, quod generans filium extra matrimonium, faciat ipsum irregularem ex capit. 1. De filiis Presbyterorum: non tamen ideo ipse est irregularis. Adde quod abscindens alteri digitum, reddit ipsum irregularem ob deformitatem, vel impedimentum ministrandi in altari: non tamen ex eo, ipse fiat irregularis, quemadm. habet Couar. 92.

in fine citati numeri octaui. Et ratio est, quod abscissio ea nec sit occisio, nec mutilatio membri ex antedictis. Quod etiam ad memoratam Clementinam glossa prima sub finem expressit.

93. Reiiciunt quoq; iidem authores opinionem illorum (de quorum numero sunt, Angelus *Homicidium 5. num. 5. Silu. ster eodem verbo 3. num. 4.*) qui mutilationem in hac re extendunt ad debilitationem, qua membrum corpori cohærens inutile est ex vulnere, aut ex percussione.

Reiiciunt, inquam, & volunt per mutilationem intelligi truncationem: sicut in memorata glossa exprimitur, dicendo mutilationem fieri per membri separationem. In argumentum autem Couarr. sumit, quod in lingua Latina sic inter se distinguatur mancus, & mutilus, vt ille sit, qui membrum habet debile, vel aridum: & hic, cui membrum abscissum est. Deinde quod nullus casus specialis habeatur in quo irregularitas imponatur alicui propter percussionem, qua alteri membrum reddiderit inutile, sicut plerique sunt, in quibus imponitur propter abscissionem. Quare non est consentaneum, vt quando irregularitas generaliter imponitur mutilati, isto nomine contra communem Latini sermonis vsum, intelligamus eum qui sine rescissione, membrum percutiendo reddiderit inutile: præsertim cum pœnæ legum interpretatione sint restringendæ; vt Sotus, idem sentiens, argumentatur in lib. 5. De iust. & iur. quæst. 2. art. 1. Quibus ita propositis, oportet vniuerse tradere requisita ad irregularitatem ex homicidio incurrendam: quod fiet vnica propositione cum sua explicatione.

Sectio Prior.

Propositio qua generaliter declaratur, quæ requirantur ad incurrendam irregularitatem ex homicidio.

94. PRopositio ista est: Vt quis in irregularitatem ex homicidio incurrisse censeatur, requiritur vt sit baptizatus, mentis compos, qui hominem occiderit, aut mutilauerit, vel causam propinquam dederit, vt occideretur, vel mutilaretur, aut certe vt citius occideretur, vel mutilaretur, extra casum infirmitatis, & citra necessitatem ineuitabilem vitæ propriæ defendendæ. Hæc sumpta est ex Nauar. in eodem cap. 27. num. 209. & 218. Cuius prima pars, *vt sit baptizatus*, confirmatur per cap. Si quis viduam, distinct. 50. iuncta glossa ad *verbum, Post baptismum*: & per illud quod habitum est initio præcedentis cap. tertij, baptizatum non manere obnoxium irregularitati, quod ante baptismum perpetrarit homicidium.

Secunda pars vero, *mentis compos*, probatur per Clement. Si furiosus, De homicidio: in qua decernitur, furiosum, & infantem, & dormientem non incurrere irregularitatem ex homicidio. Quia nimirum (vt ad eamdem, *initio tertiæ partis num. primo*, Couarr. ait, communem interpretum opinionem esse) ad contrahendam irregularitatem ex homicidio, semper necessarium est vt ipsum tanquam actio humana, ex indicio rationis contigerit. Et patet: quia alias non est pœna dignum tanquã excusatum à culpa. Vnde Couar ipse *n. 3. & 4.* infert: neq; ebrium si tempore ebrietatis hominem occiderit, irregularem esse: quia tale homicidium processit ab eo qui vsu rationis carens, erat furioso similis, iuxta cap. Venter, dist. 35.

95. Quod vult esse intelligendum, non tantum de eo, qui non sua culpa, sed dolo alterius inebriatus est: verumetiam de eo qui sua culpa: qui perinde ab irregularitate excusatur ac furiosus, qui aliqua sua culpa in furorem versus est. In quam sententiam etiam (quæ est Nauarri in Enchir. *cap. 27. num. 230. & aliorum, quos refert, & sequitur Henriquez l. b. 14. cap. 15. §. 7. lit. F, & G,*) ille plura ibidem adfert. Ad extremum admonens contrariam sententiam veram censeri posse, vbi ebrius consueuisset arma sumere, & homines offendere: quia inebriando se, daret operam rei illicitæ ad occisionem periculosæ. Nec enim tunc excusaretur, quia censeretur indirecte voluisse homicidium: sicut nec excusatur furiosus, qui habens lucida interualla, & sciens se amentiæ tempore arma corripere, & alios inuadere, arma ipsa non semouet à se. Quod idem iudicium est de dormiente, qui tale quid sibi inter dormiendum sciret solere euenire. Quod si nihil tale sciret, excusaretur ab irregularitate, vt habet Henriquez in citat. §. 7. lit. O, etiamsi cum vehementi ira, & desiderio occidendi concessisset cubitum: si quidem inaduertenter, ac ex sola imaginatione naturali occiderit somno adhuc oppressus: vnde is euentus non potest censeri voluntarius; nec in se, nec in sua causa, ad eum sufficienter ordinata.

Infert præterea Couar. num. 5. quod licet infans, iuxta cap. vnicum, De desponsi. impub. in 6. is dicatur qui minor est septennio; absolute tamen hic, infantis nomine intelligendum esse eum qui nondum habet vsum rationis ad discernendum id quod agit: ita vt ille qui infra annum septimum iam doli capax hominem occiderit, sit irregularis: non item qui etsi excedens septimum annum, nondum capax est doli, occiderit hominem. Hic enim cum sit immunis à culpa, est & à pœna: cui vtrique ille alter obnoxius est.

Tertia pars, *hominem*, indicat irregularem esse eum qui occiderit, aut mutilauerit Saracenum, aliumve infidelem, aut excommunicatum, vel diffidatum, ex cap. Clericum, distin. 50. (vbi dicitur homicida) non item eum, qui solum corpus mortuum truncauerit; ne si quidem, vt communem sententiam esse ait D. Anton. *3. parte tit. 28. cap. 2. §. 5. sub finem*, profectus sit ad occidendum, & reperiens iam occisum ab aliis: vt animo suo satisfaceret, cadaueri amputauerit caput, aut aliud membrum. Nec etiam eum qui fœtum nondum anima rationali informatum mutilat, ex cap. Moyses, & sequenti, 32. quæst. 2. & ex cap. Sicut ex literarum, De homicidio. Cum autem anima rationalis masculo infundatur 40. die: & fœminæ die octogesimo (quod glossa vltima ad primum cap. quintæ distinctionis notat) si post 40. diem fœtus mutilatio, aborsusque contigerit: & nesciatur an abortiuus sit mas, vel fœmina, mutilator debet se censere irregularem: quia in dubiis tutior pars elegenda est, ex cap. Ad audientiam, & cap. Significasti 2. De homicidio. Cæterum quod in cap. Si aliquis, De homicidio, ille tanquã homicida tenetur, qui facit, vel dat sortilegia, aut venena sterilitatis, glossa ibidem interpretatur teneri quoad pœnam legalem, non item quoad irregularitatem, quæ iuxta antedicta non contrahitur nisi homo actu interficiatur. 96.

Quarta pars, *occiderit, aut mutilauerit*, de eo quidem qui de industria occiderit, aut mutilauerit, patet, ex cap. Si quis viduam, distinct. 50. & ex cap. 1. De homicidio. De eo vero, qui per insidias, & fraudem: ex cap. Pericusse, De pœnitent. distinct. 1. & ex cit. cap. 1. De eo porro, qui siue cum vulnere, siue alio modo, *vt veneno*, interfecerit, etiamsi factum occultum sit, ex Concilio Trident. sess. 14. De reform. cap. 7. Ac demum de eo qui etiam iuste, ex cap. Aliquantos, distinct. 51. Intelligi potest vero per hanc partem, eum esse ab hac irregularitate immunem, qui voluntate quidem interiore, etiam deliberata, & coniuncta cum exteriori conatu, occiderit, aut mutilauerit: sed de facto occisionem, vel mutilationem minime compleuerit: quia ex capit. Si aliquis, De homicidio, communiter recepta, *teste Couar. ad Clemen. Si furiosus, initio secundæ partis, num. 5.* irregularitas non contrahitur, nisi homo actu interficiatur, vel mutiletur: ita vt quantumcumque, *inquit idem ibidem* ex deliberata valde voluntate occidendi hominem aliquem, armatus quis ei insidias, & necem intenderit, non sit irregularis, si ipsum non occiderit, nec ei membrum amputauerit, ex cap. vltimo 15. quæst. 1. ex cap. Sicut, 32. quæst. 2. & ex cap. Cogitationis, De pœnitent. distinct. 1. Ac etiam, *vt habet Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 222.* quantumcumque vulneratuerit pluries, & plurimum, etiam cum magna sanguinis effusione, & abscindendo aliquas partes membrorum, dummodo non abscindat membrum, nec vulneratus moriatur, licet maneat inhabilis ad decenter celebran-

dum.

cum. Immo, *vt hab. t quoque Nauarrus in sequenti numero* 224. ita debiliter vt si S. cerdos sit nequeat celebrare.

98. Quinta pars, *vel causam propinquam dederit*, cur præcedenti adiungatur, vt intelligamus: notandum est primo, quod notant Couar. *ad citat. Clement. sub initium 3. partis*, & Alphonsus à Castr. *lib. 2. De lege pœnali, cap. 14. versu, Prima principalis conclusio*, quia homini quatenus rationalis est, irregularitas imponitur: homicidium illud propter quod ea imponitur, debere esse actionem illius, quatenus rationalis est: atque adeo exercert voluntate imperante, & ratione dirigente.

Notandum est secundo, voluntatem, vt in alias actiones suo imperio subiectas, sic & in actionem homicidij ferri, quandoque directe & per se: vt sit cum quis habet animum occidendi: quandoque vero indirecte, & per aliud, vt cum quis id vult, ex quo immediate, & per se homicidium sequitur. Ad significandum igitur tam eum, qui indirecte, quã eum qui directe volens homicidium, aut mutilationem membri, ea perpetrat, irregularem esse: ad eum qui occidit, vel mutilat, additus est (ex cap. De cætero, titul. De homicidio, iuncta eiusdem glossa communiter recepta, prout habet Couar. ad Clement. Si furiosus, *2. par. §. 4. num. 9. versu Hinc etiam,*) is qui ad occisionem, vel mutilationem dederit causam propinquam: cuiuscunque ea sit generis, ex Nauar. in præcedenti nu. 219. Nempe siue sit efficiens: vt is, qui facit, iubet, mandat, vel iurat: siue materialis, vt is qui dat arma, vel deducit aliquem ad locum, vbi hostes sunt parati ad ipsum occidendum, vel mutilandum: siue formalis, vt is qui consulit, vel instruit interfectorem, vel mutilatorem: siue demum finalis, vt is qui eidem præmium, aut receptationem pollicetur. De quibus quatenus irregularitati subiiciantur, patebit ex post dicendis.

99. Monet vero idem Nauarrus in eodem cap. 27. numer. 211. causam propinquam, quoad præsens negotium, esse dictum vel factum sufficienter directum in occisionem, aut mutilationem ex ipso secutam. Dictum quidem, vel factum: quia homicidio dari potest causa propinqua, tam verbo, *nempe mandando, consulendo, defendendo, seu dicendo in gratiam homicidij quam opere.* Directum vero ad occisionem, vel mutilationem: quia vt rationem habeat causæ propinquæ, debet tale esse, quod ex se ad occisionem, vel mutilationem dirigatur, ac tendat, siue suapte natura, sine intentione operantis. Exemplum prioris est inflictio vulneris mortiferi, facta sine intentione occidendi: posterioris vero, gladium, aut venenum dare alicui eo animo, vt quempiam interficiat.

100. Atque ex his intelligitur, cur irregulares non sint ensium, lanearum, sclopetorum, & aliorum id genus armorum artifices, qui ea faciunt, aut vendunt, vel donant bona intentione, & ad bonum vsum pro iusto bello, aut pro cuiusq; priuata defensione licita. Non sint, inquam, etiamsi emens, aut dono accipiens, illis interficiat aliquos, aut mutilet. Sint vero irregulares, si illa faciant, aut venalia habeant, vel donent mala intentione, vt pro bello iniusto, vel vt emens, aut dono accipiens necet aliquẽ. Similiter cur Pharmacopola non sit irregularis, si venenum absque dolo malo præparet pro quibusdam medicinis faciendis, aut pro coloribus diffundendis, illudque emens, vt atur eo, ad quempiam è vita tollendum. Idem vero sit irregularis, si idipsum venenum præparasset, & venale haberet ad homines necandos. Horum enim, & multorum aliorum similium ratio est: quod talis venditio, aut donatio non sit propinqua causa occisionis, vel mutilationis: nisi ex intentione operantis, qui ad has dirigat illas: sicut dirigere censetur, quando vult eas; aut quando eas tanquam illicitas, tenetur nolle.

Addit autem Nauar. in eodem numer. 211. se posuisse particulam *sufficienter*, ad significandum, directionem, qua minima, inefficax que actio ex se dirigitur in homicidium, vel mutilationem: non sufficere ad irregularitatem incurrendam: nec item directionem per quamlibet generalem intentionem: qualem habet is qui dat militi arma ad bellum iustum generaliter, aut qui hortatur generaliter exercitum ad prælium iustum, & victoriam sine intentione speciali occidendi vel mutilandi. De qua re idem plenius in sequenti *num.* 215. 216. & 217.

101. Addit adhuc in eodem num. 211. Nauarrus, se posuisse particulam, *inde secutam:* quia irregularitas non incurritur, si ex tali causa data, vel non sequeretur actu occisio, aut mutilatio, iuxta antedicta *in explicatione quartæ partis*: vel sequeretur quidem, sed aliunde; vt, *inquit ille*, si is contra quem testatus sum, non ob meum testimonium, quod *ex hypothesi*, Iudex nihil fecit: sed alia de causa occideretur, vel mutilaretur, non incurrerem ex eo irregularitatem, quia non dedi causam, ex qua sit secuta occisio, vel mutilatio.

102. Sextam partem, *vt citius occideretur, vel mutilaretur*, Nauar. adiunxit, ex D. Anton. tertia part. titul. 28. capit. 2. §. 5. nonnullisque aliis, quorum in numero 220. meminit. Ratio vero adiungendi est, quod neque is qui talem causam dat, possit satis referre lenitatem Christi, qui seipsum morti propter nos tradidit. In exemplum D. ipse Anton. proponit, si quis voluat infirmum, vt citius moriatur. Adde & si quis in eumdem finem detrahat illi puluinar, aut aliud faciat, vnde sequatur vt citius moriatur, quantumcumque id faciat ex commiseratione; nimirum ne mortis angustiis diutius crucietur. Quod Couar. aliis citatis expressit ad Clement. Si furiosus. *2. par. §. 4. num. 3. sub finem*: secus esset autem, si quis cum omni cautela, quæ communiter à prudentibus adhibetur, tale quid faceret, vt æger quietius iaceret. ex Caieta. *2. 2. quæst. 64. art. 8.* Vide etiam Nauar. in Enchir. *cap. 27. num. 228. & 229.*

Adde quoque pari ratione, si quis ei, qui plectendus est capite, dicat vt supponat caput ad excipiendum ictum, & ideo citius supponat. Item si quis dicat carnifici, vt aliquid aptet, quo citius is, qui morte plectitur, extinguatur. Item si quis dum reus ad supplicium ducitur, consilium det capiendi viam breuiorem, quo illud subeat citius: aut sollicitet accelerari executionem iustitiæ dicendo, verbi gratia, horam esse tardam, vel populum nimis detineri: aut si quis videns funem quo aliquis suspendendus est; non esse bene ligatum: aut gladium quo trucidandus est, non bene secare, ea de re admoneat, & inde sequatur mors, quæ non erat, aut non tam cito erat secutura. Et multo magis si quis *ipsemet* exacuat gladium, aut aptet funem: quod ab omnibus concedi, notat Nauarrus in Enchiridio *cap. 27. num. 217. sub finem.* Item si quis videns eum qui suspendendus est, manus, aut pedes scalarum gradibus inserere, id impediat, vt carnifex illi citius mortem afferat: aut si videns reum esse in bono statu animæ, manuum, aut pedum atta ctu annuat carnifici, vt ipsum cito expediat: aut demum si videns carnificem non rite fungi suo munere, & per imperitiam diutius, aut grauius quam deberet, reum cruciare; illum instruat, vt se hoc, vel illo modo gerat. Quæ & huiusmodi alia diligenter cauenda sunt Sacerdotibus qui vocantur ad iuuandos eos, qui per corporis infirmitatem, aut ministerium iustitiæ, vicini sunt morti.

103. Quamquam ex recentiorum sententia (vt notat Henriquez *lib. 14. cap. 12. §. 7. sub finem*,) dicens, vel faciens aliquid pium, vt si carnifici dicat, Permittitur tibi facere officium tuum, quia ego iam feci meum in confessione, vel exhortatione, ab irregularitate excusatur, tanquam ille qui parum cooperatur: parum enim pro nihilo reputatur: vt si quis pungat asinum in quo insidens, ad furcam ducitur, vel reo dicat, vt ascendat alterum gradum scalæ, vel ob dedecus vitandum impetret à Iudice ne reus ducatur per plateam, ante domum parentum, quãuis per accidens ex via breuiori, sequatur aliqua mortis acceleratio: & sic de similibus. Addi potest adhuc in exemplum istius partis, quod idem Henriquez paulo superius habet, eos irregulares fieri, qui consilio, aut auxilio, sunt causa, vt citius terminetur lis criminalis, acceleraturque notabiliter mortis, aut mutilationis executio.

Septima pars *extra casum infirmitatis*, ponitur, eo quod is qui licite sibi, aut alteri membrum abscindi iubet vel permittit, sanitatis recuperandæ causa, præsertim de consilio medici, non incurrit istiusmodi irregularitatem, ex c. Si quis à medico, & tribus sequentib. dist. 55.

104. Vltima pars, *extra necessitatem ineuitabilem propriæ vitæ defendendæ*, confirmatur per expressum textum in Clemen. Si furiosus, de homicidio: cui adde cap. Quia te, distin. 50. Ea autem locum habet etiamsi tali defensioni admisceatur odium, & intentio vlciscendi se, vt notat Henriquez *lib. 14. cap. 3. §. 4. lit. O, & cap. 10. §. 2. in fine.* Ratio vero est, quia defensio non definit inde iusta esse propriæ vitæ; quamuis peccatum sit graue ex circumstantia talis affectus mali.

Sectio Posterior.

Ratio iudicandi quando occidens, aut mutilans hominem excusetur ab irregularitate ob ineuitabilem necessitatem defendendæ propriæ vitæ.

105. AD iudicandum autem nûm quis per talem necessitatem occiderit, aut mutilauerit, quædam consideranda sunt; quæ Maiolus persequitur *lib. 5. cap. 48. à num. 6.* Primum est: An fuga, vel clamore, aliove modo, quam interficiendo, aut mutilando aggressorem, vitam tueri potuerit. Si enim potuit, in irregularitatem incurrit, iuxta cap. Suscepimus, De homicidio: & esse communem sententiam habet Couarr. ad Clemen. Si furiosus, 3. *par. §. vnico, num.* 4. Quod procedit, etiamsi talis esset, qui nonnisi inhoneste fugere potuit iuxta glossam primam citatæ Clemen. & communem quoque sententiam esse addit Couar. Rationemque reddit, quod memorata Clementina liberet tantũ ab irregularitate, cum mors aliter vitari non potest. Vnde quantumuis talis forte non tenebatur fugere ad vitandum peccatum: tenebatur tamen ad vitandam irregularitatem, vt post Panorm. ad cap. Olim primo, De restitutione spoliatorum sub finem num. 17. habet Nauar. *in citato num.* 211. & aliis in margine citatis Henriquez *lib. 14. cap. 10. § 3.* Si cui contrarium placeat, habebit à se Suarezium tom. 5. disput. 46. sect. 1. num. 6.

Dubitari vero potest, an si quis ita possit fuga sibi consulere, vt tamen rationabiliter timeat se casurum, aut cursu ab hoste superatum iri, teneatur nihilominus fugere ad vitandam irregularitatem. Videtur autem dicendum cum D. Anton. 3. *par. tit. 28. cap. 2. §. 3.* & Sylu. *verbo Homicidium, 3. quæst. 4.* non teneri; quia cum probabiliter in ea re dubitet, nec qualitas temporis, & loci patiatur plene deliberare; non tenetur se tanto periculo exponere: sed potest, *quod iura omnia concedunt*, vim vi repellere: præsertim cum hostis commodius à tergo ferire possit, & ipsa fuga reddi ad occidendum audacior.

106. Secundum quod considerare oportet, est illud, quod ad excusandum ab irregularitate eum, qui occiderit, considerandum esse habetur ex cap. Significasti secundo, De homicidio, An scilicet quis occiderit ad defensionem propriæ vitæ seruato moderamine inculpatæ tutelæ, non quidem ad præteritam iniuriam vindicandam: sed ad præsentem propulsandam. Prout ad idem capitulum *verbo Tutelæ*, notat glossa seruari, cum illud tantum fit, quo omisso violentia illata repelli non posset. Ideo vero istud considerandum est: quia vt loco citat. Sylvester expressit: si quis potuit mortem euadere mutilando inuasorem, & occiderit ipsum, fieret irregularis: quia non seruaret moderationem inculpatæ tutelæ: nisi forte occideret præter intentionem, adhibita diligentia in cauendo excessu eiusdem turelæ: quo casu excusaretur ab irregularitate iuxta memoratam glossam.

Addit Maiolus duo huc spectantia. Vnum est illam mutilationem, quæ fieret ad defensionem propriæ vitæ, non inducturam esse irregularitatem, ex sæpe citata Clemen. Si furiosus. Alterum est quando quis potuit vitare mortem, non tamen mutilationem, nisi inuasorem occideret, ipsum in irregularitatem incurrere occidendo. Cuius contrarium loco cit. tenet Sylvest. post Cardinalem in eamdem Clement. quia, *inquit*, si occisio & mutilatio pares sint quoad irregularitatem incurrendam, pares quoque esse debent quoad illam euitandam: præsertim cum mutilans in iure appelletur homicida, distin. 55. cap. Si quis abscinderit. Idem ex aliis habet Henriquez *in cit. §. 3.*

Adde quoque tertium, ex communi Doctorum sententia, *Couar. sub finem supra memorati §. vnici*, per cap. Suscepimus, & cap. Significasti secundo, De homicidio: eum qui ad defensionem rerum suarum, alterum occidit, vel mutilat, irregularitatem incurrere, quia eam solummodo tunc quis euitat, cum mortem propriam (de qua Clementinam, Si furiosus loqui, patet ex glossæ interpretatione *ad verbum, Mortem,*) aliter euitare non potest. Qua ratione adductus Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 213. generalius statuit, neque irregularitatem euitare eum, qui ad defensionem, etiam iustam, patris, & matris, *& multo minus aliorum*, aut sui honoris, vel bonorum siue suorum, siue proximi, aliquem occiderit, vel mutilauerit. Quæ est communis sententia, vt ad Clement. Si furiosus, par. 3. §. vnico, num. 5. annotat Couarr. vbi & multos refert qui illam sequuntur post glossam ad ipsam Clement. Si furiosus, *verbo Suum*, vbi notat eam constitutionem ab irregularitate tantum excipere eum qui occidit aggressorem suum, non valens propriam mortem aliter euadere: ideoque non obtinere vim in eo, qui alterius mortem impediens, inuasorem occiderit. 107.

Attamen Couar. ipse contrarium sentit duplici nixus fundamento. Alterum est in eodem num. 5. quod quamuis occidenti, vel mutilanti Clericum, excommunicatio generaliter imposita sit: illam tamen non incurrat qui licite eum occiderit, vel mutilauerit. Quare irregularitatem generaliter impositam occidenti, aut mutilanti, non incurri ab eo qui licite occiderit, vel mutilauerit. Alterum est in fine sequentis num. 6. quod, *vt in principio eiusdem paragraphi docuit*, homicidium commissum sine culpa irregularitatem inducat tantum, cum sit authoritate publica, nunquam autem cum sit authoritate priuata. Quod vtrumque Nauar. euertit. Prius quidem: quia maior excommunicatio imponitur tantum ob peccatum mortale: & ideo cum hoc absit, debet consequenter & illa abesse. Illegularitas vero incurri potest absque vllo peccato: ita vt mala sit consequentia ipsam abesse, quia peccatum abest. Posterius vero quia aduersatur sententiæ, & praxi communi, ac textui memoratæ Clement. nec vlla sufficienti ratione confirmatur. Cæterum admitti posset Couarruuiæ opinio, prout admittit Maiolus lib. quinto, cap. 48. num. 7. quando res quæ defenduntur sunt actu necessariæ ad vitę propriæ conseruationem: ita vt illis sublatis vitæ periculum plane immineat: quia tunc esset vitam propriam defendere: sicut & cum quis furem occidit, cui sine propriæ vitæ periculo parcere non potuit, vt bene notat Henriquez *libr. 14. capit. 11. §. 3.* 108.

Adde adhuc ex Nauar. in eodem capit. 27. numer. 112. vertic. 2. non fieri irregularem eum, qui vt resistere possit aggressori, & vitam propriam seruare, aduocat socium à quo aggressor ipse occiditur: quia eodem iure quo potuit per se occidere, potuit & ad id socium aduocare sine irregularitate. Addi etiam potest, *pro quo multos authores citat Henriquez in memorato §. 3. litera E, in margine*; eum qui dum vrgetur præcepto iuris naturalis defendens Principem, occidit inuasorem authoritate priuata, non valens aliter defendere, ab irregularitate excusari tanquam defendentem seipsum: cum quisq; sub præcepto teneatur dum necessitas vrget, pro Principis defensione vitam profundere. 109.

Tertium quod considerare oportet, est: An defensio, quæ fit in ea, de qua hic agitur, ineuitabili necessitate, sit illicita. Nam ex Sylvestro, *in verbo Homicidium 3. quæst. 4. dicto 3. & Tabiena verbo Irregularitas 2. num. 30.* si illicita sit, vt est illius, qui licite impugnatur, irregularitas incurritur. Et ita is qui à ministris iustitiæ capitur ob scelera 110.

sua

sua puniendus, incurrit in eam, si se defendendo occidat aut mutilet, etiamsi aliter vitam propriam defendere non valeat, quam occidendo, vel mutilando alium. Ratio est: quia iura excipientia ab irregularitate ex homicidio, illum qui se defendit: intelligenda sunt de licita defensione, cum non faueant vitiis. Addit Maiolus *in cap. n.* 8. idem esse iudicandum de eo, qui sua culpa se subiecerit tali necessitati: vt de eo qui rixam prouocauit, aut qui alienam domum ingressus est furandi, vel adulterandi causa: talem enim & quemuis similem, si ipse occidat, vel mutilet ad necessariam vitæ propriæ defensionem, contrahere irregularitatem: quod etiam sentit Nauar. *in Enchir. cap. 27. num.* 238. Syluester vero, & Tabiensis locis cit. contra sentiendum putant, nisi adsit illicita defensio: ita vt minime fiat quis irregularis, si se licite defendat: vt censetur facere, cum illicite inuaditur: velut in casu quem in exemplum proponit Nauarrus: cum in adulterũ vir, vel consanguinei mulieris irruunt ad ipsum interficiendum: quod eis non licet. Quæ sane sententia defendi potest eo argumento; quod ius absolute loquatur de eo qui iusta defensione vtitur ad vitam propriam tuendam, quando illum ab irregularitate eximit. Eam sequitur Henriquez lib. 14. *cap.* 10. §. 3. *in fine*, quam & exemplis illustrat in sequenti §. 4.

III. Quartum quod considerare oportet, est: An defensio sit periculum secuta, an ipsum præuenerit. Si enim is qui se defendit, prius occidit, quam per actus, & conatus aduersarii inuasoris, sit in euidenti periculo vitę constitutus, incurrit in irregularitatem. Nec enim ad hanc vitandam sufficere solam suspicionem, aut metum verosimilem, patet ex cap. Suscepimus. De homicidio, vbi irregulares decernuntur duo fratres, qui cum latrones ligassent domi, & alter profectus esset ad Iudicem, manente altero ad eos custodiendos; quos cum videret conari vincula dissoluere, timens occidi ab illis si soluerentur, præuenit ipsos occidendo. Et ratio esse potest, quod talis tunc non defendit se, constitutus in vitæ periculo, à quo aliter, quam occidendo se liberare non possit: sed tantum sibi cauet ab eiusmodi periculo. Quando autem propter actiones, vel conatus aduersarii inuasoris, debeat quis censeri in eo vitæ periculo iam constitutus, vt ad illam conseruandam occisione, aut mutilatione inuasoris, ne primus quidem ictus illius expectandus fuerit: certa regula definiri non potest, sed prout habet Panorm. ad cap. Olim, 1. De restitutione spoliatorum, nu. 16. relinquitur definiendum viri boni arbitrio.

III. Cæterum licet Maiolus in eod. cap. num. 11. significare videatur, quod congruenter Concil. Trident. sess. 14. De reform. cap. 7. is qui per ineuitabilem necessitatem se defendendo occidit, aut mutilat, dispensatione egeat, vt possit tam ad Ordines, quam ad beneficia quæcunque, & dignitates Ecclesiasticas promoueri: nihilominus tamen cum talis non incurrat irregularitatem vt ipsemet Maiolus in præced. num. 6. fatetur, & satis patet ex antedictis: Concilium ipsum Trident. non videtur extendendum ad casum in quo committitur homicidium ad necessariam vitæ propriæ defensionem, cum moderatione inculpatæ tutelæ. Aut certe intelligendum esse; ad vitandum scandalum, & ad occurrendum scrupulis qui suboriri possent: statuere, vt antequam is qui tali modo se homicidium commisisse dicit, admittatur ad Ordines, aut beneficia, vel dignitates Ecclesiasticas; debeat per sententiam Episcopi ordinarii, aut si causa subsit, Metropolitani, vel Episcopi vicinioris, declarari idipsum homicidium commissum fuisse ad vitæ propriæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde si factum sit occultum: & per eam necessitatem homicida inueniatur excusatus à mortali, is nec dispensatione, nec sententia declaratoria indigebit, vt etiam expressit Henriquez *lib.* 14. *cap.* 10. §. 2. *sub finem.*

CAPVT X.

De irregularitate ex homicidio fortuito.

SVMMARIVM.

113 *Triplex homicidium ex quo irregularitas contrahitur: quodq; fortuitum possit tribus modis committi.*

114 *Ex homicidio fortuito incurritur irregularitas vacando rei illicitæ.*

115 *Itemque vacando rei licitæ, si non sit adhibita in cauendo sufficiens diligentia: secus si sit adhibita.*

116 *Vacantem rei illicitæ non excusat ab irregularitate, adhibita in cauendo homicidio, vel mutilatione diligentia.*

117 *Qualem oporteat esse rem illam illicitam.*

118 *Non est irregularis, qui alterum induxit ad perpetrationem criminis, propter quod est à Iudice affectus supplicio.*

119 *Oportet esse illicitam ratione periculi quod habet causandi homicidium, vel mutilationem.*

120 *Ex homicidio fortuito quod committitur vacando rei licitæ, oritur irregularitas, si defuerit diligentia in cauendo; non item si adfuerit.*

121 *Differentia inter eum, qui ex pietate, & eum, qui ex iustitia dans rei licitæ operam, fortuito causam dat mortis, aut mutilationis.*

HACTENVS ea quæ in genere ad irregularitatem ex homicidio pertinent exposita sunt: deinceps particularia consideranda sunt, quæ reuocantur ad tria capita. Nam cum homicidium propter quod irregularitas incurritur committi possit; aut præter intentionem committentis: siue, quod idem est, fortuito: aut ex intentione eiusdem: hocque, vel dicto, vel facto; omnis irregularitas ex homicidio: vel est ex homicidio fortuito, vel ex homicidio per dictum, vel ex homicidio per factum: vnde fit vt dicenda in particulari de irregularitate ex homicidio, ad aliquam talium pertineant; quas ideo sigillatim considerabimus. 113.

Vt ergo ad primam aggrediamur: Homicidium fortuitum potest tribus modis committi: primo, dando operam rei illicitæ, id est, agendo aliquid quod ipsi agenti non conuenit, sed prohibitum est: vt constituto in maioribus Ordinibus chirurgia, ex cap. Sententia, Ne Clerici, vel Monachi. Secundo, dando quidem operam rei licitæ, sed cum aliqua culpa, propter non adhibitam eam quam debuit cautionem, & diligentiam, ad vitandum homicidium, vel mutilationem (quod bene Caieta. in particulari explicat 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8.) vt si laicus venando in loco vbi solent interdum esse homines, nõ circumspiciat diligenter antequam catapultam displodat, hominemque vel occidat, vel mutilet. Tertio, dando operam rei licitæ absque culpa; vt fit cum adhibetur conueniens diligentia, nec omittitur aliquid eorum, quæ seruari debent, ne contingat aliquid aduersum.

Atque primo modo occidens vel mutilans, incurrit irregularitatem, vt patet ex cap. Continebatur, De homicidio: vbi habetur exemplum de Diacono, qui ludens quodam ludo non conueniente sibi, dedit causam homicidio fortuito: & ex c. Suscepimus, *cuius argumentum superius attigimus*, & ex cap. Tua nos, eod. titul. vbi est exemplum de Monacho, qui cum peritus esset artis chirurgicæ, vsurpans officium quod suo statui minime conueniebat, incidit tumorem mulieri, quæ contra præceptum ipsius exposuit se vento, & inde mortua est. Idem iudicium esse notat Couar. *ad Clemen. Si furiosus, par.* 2. §. 4. *nu.* 3. de eo qui curam habens ægroti, dat ei aliquam potionem absque medicorum mandato, aut contra ipsorum prohibitionem, si inde ille moriatur. Idem quoque esse, si incaute vertat infirmum, aduertens periculum accelerandi mortem. Adde etiam idem de medico, aut chirurgo qui ex imperitia, aut negligentia mortali, infirmum occidit, vt aliis in margine citatis habet Henriquez *libr.* 14. *cap.* 19. §. 3. 114.

Incurrit etiam qui occidit, vel mutilat secundo mo- 115.

do, ex

do, ex cap. Presbyterum, & cap Ad audientiam, De homicidio: in quibus decernuntur irregulares duo Presbyteri, qui verberantes causa correctionis, *quod licitum est*, non adhibita conuenienti diligentia, ad cauendum homicidium, vel mutilationem, dederunt verberato causam mortis. Tertio autem modo, occidens vel mutilans, irregularitatem non incurrit, ex cap. Dilectus, cap. Ex literis 1. & 2. cap. Significasti 1. cap. Ioannes, & cap. Quidam, De homicidio.

116. Ad pleniorem autem intelligentiam horum. Notandum est primo, cum Couar. *in tr.* § 4. *nu. decimo*, ex communi sententia, illum qui primo modo homicidium fortuitum commiserit, nō excusari ab irregularitate, quamtumuis adhibuerit eam cautionem, & diligentiam qua adhibita non incurrisset alius qui dando operam rei licitæ, illud commisisset: vt Monachus, vel Ecclesiasticus aliquis iocando, aut saltando cum muliere grauida quæ ob id obortiit, fœtu iam informato anima intelligente, incurrit in irregularitatem, per cap. Sicut ex tuarum, De homicidio: quantumcumque in eo ioco, vel saltatione seruarit eam moderationem, quam seruans fuerit, proximus, aut amicus honestus, cui licuisset cum ea iocari, vel saltare, non incurrisset, quod exemplum est Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *nu.* 236.

117. Notandum est secundo, cum Soto *in lib.* 5. *de iust. & iur. quæst.* 1. *art.* 9. (quod approbant Nauar. in seq *num.* 237. & Couar. *in memorato num.* 10. *vers. Igitur his.*) Item illicitam, cui dando operam committitur homicidium fortuitum inducens irregularitatem, debere talem esse quæ ex genere suo, causa mutilationis, aut homicidij esse soleat: siue quæ sit actus habens in se periculum occidendi, aut mutilandi, vt hastiludium, & venatio aprorum, aliarumque ferarum, quæ fit armis, & canibus ferocibus: introductio meretricis in domum per tecta.

Vnde concludunt Sotus & Nauar. errasse Syluestrum, cum dixit Clericum irregularitatem incurrere qui præscindendo alienam arborem, casu aliquem interemit, etiamsi diligentiam adhibuerit quæ ipsum præscindentem propriam arborem, à culpa, & irregularitate excusaret. Licet enim occiderit vacando rei illicitæ: ea tamen res non erat talis, quæ ex suo genere esse soleat causa homicidii. Concludit quoque Nauar. illud quod Caiet. dixit, Clericum irregularitatem incurrere, si venando occideret hominem: etiamsi tantam diligentiam, quantam laicus, vt à culpa excusaretur, adhibuisset. Illud, *inquam*, contrahendum esse ad venationem qu e arm s exercetur: neque extendendum ad eam, quæ sua natura ad homicidium, vel mutilationem non dirigitur, vt venatio passerum, aut perdicum, & alia huiusmodi, quæ sine armis fit.

Concludi etiam potest quod idem author habet *in præced. num.* 235. Eum qui per tecta domum sibi introduxit meretricem fieri irregularem, si hæc decidens moriatur, vel abortiat fœtu iam informato anima rationali: non item si per viam planam introducat, & idem contingat: quia quantumuis vtraq; introductio sit illicita: prior tamen est sufficienter ex se ordinata ad occisionem, vel mutilationem, non item posterior.

118. Concludi possunt adhuc multa similia, quorum nonnulla commemorabuntur in sequenti cap. 12. sect. penul. hæc autem in præsentiarum attigisse sufficit, ex quibus de aliis iudicium formari potest. Tantum addemus, quod non non videatur in irregularitatem is incurrere, qui alterum induxit ad perpetrationē criminis propter quod captus, morte mulctatur à Iudice: quia non censetur illum occidisse, sicut nec p e criminosus censetur homicida sui, offerendo se Iudici puniendum: quia Iudex potestatem habet vitam auferendi criminoso ob peccatum commissum. Neque in eo peccatur contra iustitiam, contra quam est homicidium. Secus videretur vero si induceret ad aliquid, ex quo vel seipsum necandum induceret, vt Saul induxit armigerum suum primo Regum capite vltimo: quia inductus vere tunc esset homicida sui.

119. Notandum tertio cum Couar. in eodem loco, versu secundo deducitur. Rem ipsam illicitam cui vacando homicidium casu committitur, non esse causam sufficientem irregularitatis nisi illicita sit, quia periculosa, seu ratione periculi quod habet causandi homicidium, vel mutilationem: adeo vt illicita tantum ex alia causa, *quia vacare tali nullam nec minimam haberet homicidij culpam*, non posset constitui causa irregularitatis, quæ imposita est propter homicidium. Hoc Couar. illustrat aliquot exemplis: vnicum, vt breuitati consulamus, attingemus, quod tale est. Si laicus chirurgus peritissimus, in pœnam alicuius criminis, absq; vllo respectu ad periculum mortis, vel mutilationis à iudice prohiberetur vti suo officio; & ipse contra prohibitionem, eo vteretur ad aliquam incisionem peritissime factam: ex qua per culpam ægroti mors consecuta sit, is non erit irregularis: quia quantumuis ea incisio illicita esset illicita: non tamen per prohibitionem quæ facta esset ob periculum homicidij, vel mutilationis.

Notandum quarto, Quia irregularitas non nisi ob factum voluntarium imponitur: nec illud quod homo vacans rei licitæ facit præter intentionem, sit voluntarium: si ipse faciendo, non neglexerit seruare quod debuit: sit autem voluntarium, si neglexit seruare quod debuit. Notandum, inquam, est, fortuitum homicidium tertio modo commissum, non esse quidem causam sufficientem inducendæ irregularitatis: homicidium tamen commissum secundo modo, esse sufficientem, prout Sotus *lib* 5. *De iust. & iur. quæst.* 1. *art.* 9. expressit. Qui & addit, non videri probabile, vt dicta negligentiæ culpa si leuissima sit; sufficiat ad inducendam irregularitatem ex homicidio illicito: quæ cum imponatur tanquam pœna, debet culpæ propter quam imponitur proportione respondere, iuxta cap. Fœlicis, De pœnis, in 6. Quod non videtur fieri, si irregularitas incurratur ob homicidium per leuissimam culpam admissum. Idem docet Couar. *in tr.* § 4. *n.* 9. per cap. Quæritum, de pœniten. & remissionib. post Panorm. ibidem, alios que nonnullos. Quamuis autem Sylu. *in verbo Homicidium* 2. *nu.* 15. *si quæst.* 23. idem admittens, velit ipsum esse intelligendum, siue culpa sit in omissione, vt cum sine actu, ac sine aliqua procuratione, homicidium commissum est; siue sit in commissione, id est, cum actu, & aliqua procuratione est commissum: ipse tamen Couar. standum vult sententiæ Panormit. intelligentis de sola culpa in omissione. Pro seq; adfert tum cap. Consuluisti, 2. quæstion. 4. tum quod leuissima culpa contingens in committendo, ad leuem culpam pertineat ex communi Iuri peritorum sententia cuius ipse meminit in Epitome 4. Decretalium *par.* 2. *cap.* 6. § 8. *num.* 13. rationemq; reddit, quod ex D. Thoma. 2. 2. *quæst* 79. *art.* 2. maior culpa sit quæ in facto, quam quæ in omissione committitur.

121. Aduerte autem aliam esse rationem eius, qui in opere licito, *vt v.g. in custodia infirmi*, diligentiam adhibere tenetur ex iustitia, prout is tenetur, qui custodit mercede ad id conductus: aliam vero eius, qui tenetur tantum ex charitate: vt is tenetur, qui pietatis tantum, vel obedientiæ causa gerit curam infirmi. Nam illum leuissima etiam culpa, siue fuerit in committendo, siue in omittendo subiicit irregularitati: vt cum Sylu. docet Couar. *in prius citato num.* 9. Hunc vero neque leuis culpa, sed sola grauis subiicit, vt communem Summistarum sententiam esse ait ibid. Sylues. Quamquidem D. Anton. 3. *part. tit.* 28. *cap.* 2. § 4. *sub finem* expressit: inquiens custodem infirmi, qui huic porrigit vinum, vel aquam, aut non bene custodit, si bona fide id fecerit, quantumcumque mors inde subsequatur, non debere angi scrupulo incursæ irregularitatis: nisi culpa ipsius fuerit lata, & negligentia dissoluta: nempe si dimiserit vt iret lusum in platea; vel si vino ingurgitauerit, ita vt ex ebrietate non potuerit vigilare: vel alias vacauerit rei illicitæ: vel dando prædicta contra medici prohibitionem.

122.

123.

CAPVT

CAP. XI.

De irregularitate ex homicidio contracta verbo.

SVMMARIVM.

122 *Quando irregularitas ex homicidio contrahatur verbo.*
123 *Diuersæ species mandati.*
124 *Modi quibus irregularitas ex homicidio contrahitur mandando, & quando is qui iubet aliquem percuti, fit irregularis secuta morte, aut mutilatione.*
125 *Legislator ferens legem de puniendo morte, aut mutilatione, non est irregularis, nisi in aliquo delinquente eam exequatur.*
126 *Nonnulla alia obseruanda in iudicando, an irregularitas ex homicidio sit incursa mandando.*
127 *Irregularitas ex homicidio quando contrahatur defendendo verbo.*
128 *Quatenus sint irregulares qui impedierunt occisi, aut mutilati defensionem.*
129 *Deferentes ad Iudicem eos à quibus ipsi (non item alij) vexãtur, aut bono communi nocent, excusari ab irregularitate per protestationem expressam, quod non quærant pœnam sanguinis.*
130 *De teste, & alijs qui homicidio causam dant verbo, sufficienter ad irregularitatem.*
131 *Aliquot casus in quibus etsi data sit aliqua causa mortis, non incurritur tamen irregularitas, eo quod non fuerit causa propinqua.*
132 *Protestatio qua vitatur irregularitas, quando locum habeat, vel non habeat in conscientia.*
133 *De eadem protestatione respectu aduocatorum & testium in causa sanguinis, itemq; Inquisitorum fidei tradentium hereticos brachio seculari.*
134 *Quid sit sentiendum De Clericis, qui intersunt executioni sententiæ sanguinis.*
135 *Consilium propter quod incurritur irregularitas, dari potest responsione, approbatione, & persuasione: ac quod eam non inducat responsio facta tantum causa cognitionis.*
136 *Inducat autem ordinata ad executionem homicidij, vel mutilationis.*
137 *Duplex differentia inter consulentem, & mandantem in incurrenda irregularitate ex homicidio.*
138 *Quatenus ab irregularitate excusetur Confessarius, qui negat Iudici absolutionem volenti iudicare secundum leges, quæ pœnam mortis, aut mutilationis imponunt.*
139 *Approbatio homicidij, quâ incurritur irregularitas.*
140 *Ad quæstionem, An approbatio subsequens homicidium inducat irregularitatem: responsio negatiua.*
141 *Quatenus persuasione homicidij incurratur irregularitas.*
142 *Quatenus ob datam persuasionem, causa mortis.*
143 *Qui non incurrant, etiamsi persuasione dent causam mediatam, ex qua mors sit verosimiliter secuta.*
144 *Irregularitas non incurritur dando causam mediatã, ex qua homicidium non est verosimiliter secuturum.*
145 *Responsio ad dubium: quando silendo incurratur irregularitas ex homicidio.*

122. IRregularitas contrahitur verbo, quo quis alterius voluntatem mouet, & excitat ad homicidium perpetrandum, quodq; actu perpetrat ita excitatus. Tale autem verbũ præcipuè est vel mandatum, vel defensio, vel cõsilium; pro quibus irregularitas expresse imponitur in cap. Si quis viduam, distinct. 50.

De contractu mandando.

SECTIO I.

123. MAndatum aut est licitum, aut illicitum: & vtrumq; vel quo quis ipse mandat, vel quo alterius mãdato cooperatur: est item aut expressum, aut tacitum. Mandatum licitum quo quis ipse mandat, declaratur exemplo illius, quo Iudex secundum allegata, & probata condemnat aliquem ad mortem, mandatũ vero quo quis cooperatur, exemplo eius cui in eadem cõdemnatione assessor est Iudicis, aut est testis, aut notarius, aut alius qui attestationes scribat aut sententiam, vel hanc legat cum publicatur. Mandatum autem illicitum quo quis ipse mandat, est omne mandatũ homicidij, factum à priuata persona. Illicitum vero quis cooperatur mandato illicito, contingit scribendo literas talis mandati, aut eas dictando aut transcribendo, aut legendo ei cui mandatum datur aut aliud huiusmodi faciendo. Mandatum denique expressum, esse illud, quo quis expresse alteri præcipit vt aliquem occidat vel mutilet, nomen ipsum indicat: sicut & illud esse tacitum, quo idem facit tacite. Cuius exemplum est apud legisperitos tritum; vt habet Couarr. ad Clement. Si furiosus *par.* 2. §. 1. *nu.* 3. quando quis passus iniuriam dixit filio, aut famulo, non regrediaris domum meam, donec ipse aliquid noui audiam de te. Talia enim verba indicant vlciscendi animum.

124. Iam sicut mandando homicidium, opere subsecuto: ita etiam cooperando eidem mandato irregularitatem contrahi, D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *cap.* 2. *sub initium* confirmat per citatum cap. Si quis viduam, iuncto cap. Sententiam, Ne Clerici vel Monachi: in quo tales cooperationes prohibentur Clericis. Similiter contrahi non tantum ob expressum; sed etiam ob tacitum mandatum Couarr. loco citato confirmat per cap. vlt. De homicidio in 6. in quo is decernitur irregularis, qui mandat aliquem percuti, expresse prohibens ne occidatur vel mutiletur, si is cui datum est mandatum occidat vel mutilet percutiendo.

In quo genere tacite mandantium, cõgruenter cap. Sicut dignum §. Qui vero, De homicidio: Maiolus lib. 5. cap. 48. ponit detractores, susurrones, ac delatores qui deditâ operâ; eâq; intentione vt vulnera interueniant, disseminant discordias: & mutilationes aut homicidia inde sequuntur.

Eximit vero, eum qui ad effectum disciplinæ, *vt Iudicem*, patrem vel magistrum, mandati aliquem percuti, si mandatarius terminos mandati excedens, mutilet aut occidat: nisi verba mãdati talia fuerint, quæ executori animum auxerint ad mutilandum vel interficiendum vt hæc esse possunt: siue viuus siue mortuus per te det pœnas condignas. Habet adhuc alia idem Maiolus, quæ quoniam ad sanam antedictorum intelligentiam faciunt, breuiter percurremus tacitis authoribus quos tum ipse tum etiam Alphonsus à Viualdo in 2. parte candelabri aurei, tractatu de irregularitate num. 249. & aliquot seq. citant.

125. Primum est, mandatum homicidij vel mutilationis, quod fit per modum legis, au edicti, vel statuti, non inducere irregularitatem. Vnde ob legem Principis, qua pœnam mortis vel truncationis manus imponit aliquibus criminosis, vt falsarijs literarum suarũ, etiamsi eiusdem legis authoritate multi plectantur, illius conditor nõ fit irregularis, nisi illius executionem more Iudicis in aliquo particulari delinquente fieri mandet. Ad cuius rei confirmationem, *aliquot authoribus in marg ne li: era H. citatis*, Henriquez, *lib.* 14. *cap.* 12. §. 6. adfert quod legislator eam statuens, censeatur tantum generalis causa homicidij, vel mutilationis: sicut & adhortãs milites ad fortiter pugnandũ in bello iusto, aut prædicans morte dignos hæreticos, fures, &c.

Adde quod Ecclesiastici habẽtes iurisdictionem temporalem, etiamsi nequeant per se exercere iudicium sanguinis, ex cap. Clericis, & cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi: possint tamen eandem iurisdictionem committere Iudicibus secularibus: generaliter mandando, vt iustitiam administrent secundum leges. Neq; inde incurrere in irregularitatem, cõstat ex cap. finali, Ne Clerici, vel Monachi, in 6. quantumcunq; talis cõmissionis auctoritate plectatur quis: vt notat glossa ad ante citatũ cap. Clericis, *verbo Iudicem*. Addens iuxta prædicta capitula, & cap. Ex literis, De excessibus Prælatorum, incursuros: si per se exercerent talem iurisdictionem: itemque si commissario suo dicant vt certum aliquem criminosum morte afficiat, aut mutilet: quia esset particularis causa talis mortis, aut mutilationis, vt alijs citatis in margine habet Henriquez *in citato* §. 6.

126. Secundum est: si mãdatarius repudiet mandatũ, & postea mutata sententia ipsum exequatur, mandatorem effici nihilominus irregularem, quoniam ex ipsius mandato homicidium est nihilominus secutum.

Tertium est: mãdantem homicidium effici irregularem, non solum si mandatarius illud statim committat, sed etiam si diu post: nisi prius ad eiusdem mandatarij notitiã veniret facta

facta à mandante sufficiens mandati reuocatio expressa, vel etiam tacita: qualis est, si mãdans restituatur in pristina amicitia cum eo quem mandauit occidi. Ita in Enchir. *cap.* 27. *nu.* 233. habet Nauarrus.

Quartum est: vt ille qui mandauit homicidium immunis sit ab irregularitate, non sufficere mandati reuocationẽ, nisi ea fiat opportune: ita scilicet, vt ante homicidij operationem, ea ad mandatarium perueniat: atq; nisi mandator aduertens eum in animo occidendi persistere virtute accepti mandati: vtpote qui putet ipsimet reuocanti homicidium nihilominus gratum fore. Nisi, inquam, curet eidem mandatario persuadere, vt omnino desistat. Quod quidem curans bona fide quantum potest: si ille persistat in malo proposito (quia cẽsebitur agere tantum ex odio particulari vel ex causa alia quam mandati) ipse mandans excusabitur ab irregularitate: quando quidem tale homicidium nullo modo sequetur ex ipsius mãdato. Quæ excusatio locum habet etiamsi eum, qui periclitatur non moneat, vt sibi caueat: quia non cooperatur secuturo homicidio. Ita alijs in margine citatis lit. O, notat Henriquez *lib.* 14. *cap.* 16. §. 2. Et in præcedenti cap. 12. §. 7. idipsum ex eo confirmat, quod etiamsi talis peccet contra charitatem: non tamen contra iustitiam, prout requiritur ad peccatum homicidij. Vnde sicut inde non contrahit obligationem ad restitutionem, ita nec irregularitatem incurrit.

Quintum est: qui dedit mandatum homicidij incurrere irregularitatem, non solum si occidatur is, quem mandauit occidi, verumetiam si occidatur mandatatius, non autem ille quem mandauerat: nam & ipse suo mandato causa est talis homicidij.

Sextum est, vt eum qui homicidium, sic eum qui illud per quod ad homicidium facile peruenìri potest mandat, secuto homicidio irregularitatem fieri: vt eum qui mandat in via trita bombardam displodi: vel manu armata accipere fundi possessionem. Quod deduci potest ex cap. vltimo, De homicidio, in argumento à minori ad maius.

Postremum est: ad tacitum mandatum homicidij irregularitatem inducens, illud reduci, quo Superior reum aliquem ad se adduci præcipit dicẽdo, adducite eum viuum, vel mortuum: atq; reus ipse capientibus resistens, ab eis occiditur.

De eadem irregularitate ex homicidio contracta verbo: defendendo, seu dicendo in gratiam homicidij.

Sectio II.

127. Defensione committitur homicidium per verba, cum quis alium ita verbis defendit, vt homicidium per se inde sequatur: prout accidit in causa sanguinis, patrocinando pro actore contra reum, qui sententia Iudicis mutilatur, vel occiditur: aut pro reo contra actorem, qui ob imperitiam, aut negligentiam patrocinantis damnatus ad talionem, mutilatur vel occiditur quo vtroq; defẽsionis modo irregularitatem induci, ex eo probatur, quod rationem quandam habeat accusationis, propter quam imposita est irregularitas, per cap. Sententiam, & cap. Clericis, Ne Clerici, vel Monachi: ac per illam regulam communem, Quod irregularis sit, qui dedit causam propinquam homicidio, aut mutilationi.

128. Quæ regula locum habet etiam in illo, qui aliquem verbo retraxit à defensione eius qui mutilatur, vel occiditur: si quidem retrahat malo animo: nempe vt ille occidatur: non autem si affectu pietatis, vt solent pater & mater filium retrahere, ne ipse defendendo mutiletur, vel occidatur, prout notat Tabiena *in verbo Irregularitas* 2. *nu.* 17. Ratio vero est, quod hac intentione retrahens, non velit homicidium, sed fugam homicidij.

129. Habet item locum eadem regula in ijs, qui pro defensione propriæ personæ, vel aliter vtilitatis suæ gratia; aut etiam propinquorum, quorum res reputentur quasi propriæ, *inquit Henriquez libro* 14. *capite* 11. §. apud secularem Iudicem querelam deponentes, aut eum qui iniuriam intulit offerentes (ex Nauarr. *capite* 27. *numero* 226.) petunt emendam sibi fieri, & prouideri ne contra se talia de cætero præsumantur. Itemq; in delatoribus criminum vergentium in reipub. pernicie, siue facta iam sint, siue fieri paterentur; in quo tamen casu (prout attingunt Nauarr. *in præceden numero* 213. & Couar. ad Clement. Si furiosus, *par.* 2. §. 5. *num.* 4.) datur ab irregularitate excusatio, sicut in præcedenti, si ipsi siue querelam deponentes, siue delatores, expresse protestentur se non intendere pœnam sanguinis, ex cap. Prælatis, De homicidio in 6. In ijs autem qui querimoniam deponunt alienæ tantum vtilitatis causa: memorata regula habet locũ: ita vt illi secuto homicidio, vel mutilatione, etiamsi protestatione vtantur, in irregularitatem incurrant: prout communem sententiam esse Nauar. habet *in eod. cap.* 27. *num.* 217. per citatum cap. Prælatis, ponderando verbum, *Suis*. Admonet Henriquez in citato *libr.* 14. *capit.* 11. §. 5. *in principio*, non esse necessarium protestationem prædictam fieri simul cum delatione: sed satis esse eam Iudici proponere antequam proferat sententiam. Illa autem Clericis indulgetur, vt in eodem cap. Prælatis expressum est, ne ipsi à laicis impune vexarentur in suis personis, aut in suis rebus.

Habet adhuc locum eadem regula in teste, super cuius attestatione firmatur sententia sanguinis, etiamsi inuitus testimonium tulerit. Ratio est, quam habet Henriquez *in sequen. cap.* 12. §. 9. quod testimonium sit per se de ijs ob quæ mors infertur: vtpote influens in sententiam sanguinis, tribuendo illi veritatem iudicij. 130.

Amplius eadem regula locum habet in eo qui malefactorem quærentibus ad mortem, reuelat vbi sit: vel hoste aliquem insequente indicat quâ viâ fugerit: aut furis insignia, seu notas tradit; aut viso latrone clamat adesse latronem. Quando enim talis veros imiliter putare potuit ex illis suis indicijs secuturam mortem, aut mutilationem, & secuta est, fit irregularis, tanquam is qui causam propinquam dederit: nisi forte excusaretur eo quod ad defensionem propriæ vitæ tale quid fecisset, prout intelligitur ex cap. Tua nos, De homic. §. Ad vltimum. Addi potest quod alijs citatis habet Henriquez *in seq. enti* §. 10. irregularem fieri Notarium, Aduocatum, aut Iurisperitum secuta morte qui Iudicẽ de causa, aut processu contra reum informat, aut registrum summat ad faciliorem Iudicis instructionem: quia talis informator, vel summista secuto effectu, censetur cooperatus occidenti, aut mutilanti. Idem iudicandum esse vult de nuntio, cursore, & mãdatorio, cui ex mandato Iudicis perinde creditur ac Notario. Imo idem quoque, de eo qui præuidens mortis, mutilationis periculum, literas, *etiamsi tanquam priuatus*, scribit ad Iudicem vt capiat aliquem reum: ob quas fit vt ille hunc damnet morte. 133.

Non habet autem locum memorata regula in eo qui in causa tantum ciuili accusat aliquem, qui cadens causa, contumax est, nec vult parere sententiæ Iudicis, & ideo morte mulctatur. Talis enim accusatio non est homicidij causa nisi remota: ideoque non inducit irregularitatem, prout deducitur ex cap. Postulasti, De homicidio. Quod idem potest iudicari (expressumq; est à Couar. ad Clemen. Si furiosus *par.* 2. §. 5. *num.* 3.) de eo qui accusat aliquem in causa criminali, quæ talis est vt mortem, vel mutilationem non mereatur: ipseq; accusans scit non mereri: sed per imperitiam, aut malitiam Iudicis morte damnatur accusatus. Nam talis accusatio, neq; ex sua natura, neq; ex intentione accusantis est causa propinqua homicidij. 131.

Idem posset etiam iudicari de Episcopis, aut concionatoribus, eo quod delicta publicè, & nominatim obiurgarint, inducti sunt Iudices ad exercendum iudiciũ sanguinis. Pro quo facit quod habetur in historia tripartita libr. 10. capit. 4. de D. Chrysostomo, quod cum Eutropium consulem publice obiurgasset coram Arcadio Imperatore, hic ea re motus, illi caput ob crimina amputari iusserit. 134.

Cæterum circa ante memoratam protestationem aduertendum est: certum esse illum qui defert querelam de iudicio criminali, si non faciat eiusmodi protestationem etiamsi nunquam intenderit mortem accusati, imo valde ei displiceat: irregularem esse, morte, vel mutilatione secuta. Non esse vero, si eandem faciat animo sincero, id est, interius in animo suo non intendens mortem, sicut exterius se non intendere protestatur: vtrumque enim habetur per cit. capit. Prælatis. 132.

Versatur autem in dubio an irregularis habendus sit in

conscientia ille, qui exterius quidem protestatur se non intendere mortem; interius tamen in animo vere intendit. Nauar. enim in Enchir. *cap. 27. numer. 226.* putat irregularem esse: & se de facto sæpe ita consuluisse ait. Fundamentū ipsius præter authoritatem plurium Canonistarum, *quos refert*, est: quod ille qui hoc modo accusat, causa sit mortis, & illa protestatio non sit ea quam ius requirit, cum non requirat fallacem, & mendacem: Couarr. vero ad Clemen. Si furiosus, 2. *par.* §. 5. *numer.* 2. quem sequitur Henriquez *in libr. 14. cap. 11. sub finem*, tenet sententiam contrariam, quam vt mitiorem tueri possumus. Tum quia sola interioris voluntatis actio, non sufficit ad irregularitatem, vt Nauarr. non negat. Tum quia vt eximatur quis à numero illorū qui dando causam homicidij incurrunt in irregularitatem, satis est per memoratum cap. Prælatis, ipsum vti protestatione ea de qua agimus. Ad quam nihil referre, an consentiat cum interiori voluntate protestantis, an dissentiat, confirmatur ex eo, quod pœnæ legū interpretatione, restringendæ sunt potius quā ampliandæ: & contra, priuilegia amplianda potius, quam restringenda. Inde enim sequitur ius quod statuit hanc irregularitatem protestatione vitari, nō esse restrictione cōtrahendam ad eam protestationem quæ fit voce simul, & interiore intentione: sed essa ampliatione extendendum ad eam quæ fit absq; interiore intentione, præsertim penitus occulta. Neque est quod quis dicat periculum cui reus exponitur obstare tali restrictioni, vel ampliationi: neq; enim illud imputandum est accusanti, sed ipsi reo qui se illi exposuit: argumento cap. Postulasti, De homicidio. Quod autem Nauarrus ait ius nō exigere protestationem fallacem: ita verum est, vt pariter verum sit nec veracem exigere particulariter, quia absolute exigit protestationem, vt protestatio est: nihil determinando de veraci, aut fallaci.

133. Si quæras, An aduocatus exercens suum officium in causa criminali, per eandem protestationem fiat immunis ab irregularitate. Respondet *loco citato num. 5.* Couarr. ex communi sententia, non fieri immunem, quando patrocinatur aduersus reum, sicut nec eum, *vt idem ibid. vers. 13. addit*, qui in causa criminali dicit testimonium, propter quod mors, aut mutilatio infertur. Ratio vero est, quod tales præbeant causam homicidij proximam, ex qua ipsum de se, saltem vt plurimum, sequitur: ita vt protestatione intentio interior non possit sufficienter celari. Secus est vero de Aduocato, qui patrocinatur pro reo accusato. Ipse enim per dictam protestationem, imo & sine ea, etiamsi Clericus sit, *ex eo lem authore*, fit immunis ab irregularitate, quantumcunq; accusator pœnā talionis damnatus, mutilatione, aut morte mulctetur: nisi ipse patrocinando petat accusatoris calumniam puniri talione: isq; sententia Iudicis occidatur, vel mutiletur: quia in tali casu ille rationem subiret accusantis in causa sanguinis quem non iuuat protestatio.

Addit *in seq. nu. 6.* Couar. ab irregularitate immunes fieri Inquisitores fidei per eam protestationem, quā secundū cap. Nouimus, De verborum significatione, hæreticos post ipsorum damnationem tradentes Iudici seculari, rogant ne illos mutilet, aut morte afficiat. Quinimo sine tali protestatione immunes esse priuilegio speciali, quo possunt simpliciter damnare hæreticos, & per sententiam declarare quod incurrerint pœnas, authoritate Pontificum, & legum impositas. Nō autem pœnas ipsas quæ sunt sanguinis, mandare executioni immediate: adeo vt aliquem morte afficientes, aut mutilantes in irregularitatem incurrant.

134. His addenda est solutio dubij, An Clerici qui intersunt executioni pœnæ mortis sint irregulares: quam tradit Angelus *Homicidium 1. num. 23.* & Armilla *verbo Irregularitas, nu. 20.* Estque fieri irregulares per cap. Ex literis, De excessibus Prælatorum: si præsentes præstent aliquid authoritatis in ea executione: vt censentur Prælati iurisdictionem temporalem habentes, qui ad sunt tanquam ij quorum authoritate ea pœna infligitur: itemq; Clerici, qui interfunt custodiæ illius qui punitur morte, ne liberetur ab illa. Sin autem intersint executioni sententiæ mortis ex sola curiositate, non fieri irregulares: quamuis in maioribus Ordinibus constituti aut beneficiarij, secundum receptā sententiam peccent, ex Nau. in Enchir. cap. 27. num. 214. Videri potest de his Molina, De iust. & iure tract. 3. disp. 8. nu. 13.

De irregularitate contracta verbo, Consulendo.

SECTIO III.

135. SVpereſt vt dicamus de consilio: quo etiam ad incurrendam irregularitatem sufficienter, homicidium committitur. Tribus modis igitur, vt notatum est à D. Anton. 3. *par. tit. 28. c. 2.* §. 2. tale consilium dari potest: responsione, approbatione, & persuasione. Responsione datur, cum quis interrogatur an alicui in certo aliquo casu vltimum supplicium, aut mutilatio debeatur. Quæ quidem fieri potest; aut quando quis interrogat tantum causa cognitionis, id est, tantum vt sibi scientiam eius rei comparet: vt, An hæreticus comburendus sit aut quando quis interrogat causa executionis, id est, quia paratus est exequi quod fuerit responsum: v. g. An debeat extremo supplicio afficere criminosum, quem tenet in carcere. Atq; priori responsionis genere non contrahitur irregularitas. Hoc enim est, quod post Patior. Angelus *Irregularitas 1. n. 4. & Sylu. Homicidium 3. qu. 5. dicto 4.* tradunt, non incurri irregularitatem quando crimen nō imminet punien-dum, etiamsi respondeatur ipsum mereri mortē. Et ita, *quemadmodum Maiolus expressit lib. 2. c. 9. sub finem*, ij qui componūt tractatus, commentarios vel consilia criminalia, quibus instituūt Iudices de modo procedendi in infligēdis pœnis corporalibus, aut Principibus consulunt vt certis criminibus irrogent pœnam mortis, aut mutilationis, non incurrunt irregularitatem: quantumcunq; iuxta eam institutionem exercentur iudicium sanguinis: nisi iniquā docuerint, aut consuluerint, & Iudex eorum sententiam secutus inique occiderit, vel mutilauerit, ex Tabiena *Irregularitas 2. n. 10.*

136. Posteriori vero genere responsionis, irregularitas contrahitur: ita vt oporteat rem mature considerare antequam respondeatur: & ex qualitate personæ, ac ex modo interrogādi, & ex alijs circumstantijs conijcere quo fine interrogetur: ne videlicet, *vt habet Rosella Homicidium 4. n. 9.* propter respōsionem directam, vel indirectā, interrogans intelligat quod debeat cum sanguine punire. Istud Couar. ad Clemen. Si furiosus, *par. 2.* §. 2. *n. 1.* confirmat per cap. Si quis viduam, dist. 50. & per cap. 2. De Clericis pugnantib. in duello, & per cap. Sicut dignum, De homicidio §. Clericos. Et ad illius declarationem statuit, *pluribus authoribus allatis*, irregularitatem ex consilio contrahi, quando ille cui datum est, non erat alioqui facturus homicidium: aut etiam, *quod idem probabiliter addendum putat*, esset quidem alioqui facturus, sed per id consilium euaserit deterior, & obstinatior ad faciendum. Nam consulens homicidium, aut mutilationem ei qui erat alioqui facturus, neq; ex eo consilio euasit deterior, non contrahit inde irregularitatem: quod locis citatis Angelus & Syluester expresserunt. Et confirmatur, quia quod nihil in talem effectum instlait, non censetur ei causam dedisse.

137. Atq; Couar. ipse bene aduertit consulentem distingui in eo à mādante, qui fit irregularis ex mandato homicidij, quātumuis mandatarius sine mandato illud alioqui commissurus fuerit: quoniam ratione mandati accepti, censetur illud causa mandatis committere. Cui differentiæ addi potest alia: quod cum mandans reuocatione mandati possit euitare irregularitatem, prout ante tradidimus in nu. 126. cōmuniter tamen, nō possit consulens reuocando consiliū, nisi efficaciter ei cui dedit persuadeat contrarium, & tentet omnes alias vias quibus executio prohiberi potest; ita vt (quod loco cit. D. Anton. expressit) secuto homicidio: si aduertat illius perpetrationem pendere ex suo consilio, debeat se existimare irregularem: non item si probabiliter putet ipsum aliunde pendere. & maxime si occisor testetur se non occidisse propter ipsius consilium.

Talis vero differentiæ ratio est, quod mandatum detur, & exequendū sit gratiā eius qui mandauit: vnde hoc ipso quod reuocat suum mandatum, cessat causa data occisionis: consilium vero detur, & exequendum sit non gratiā consulentis, sed gratiā illius cui consilium datur, qui non ita facile dimouetur de sua opinione per simplicem reuocationem: imo sæpe nec permultas rationes: ita vt reuocato consilio adhuc maneat ratio occidendi: in alijs vero quę in memorato num. 126. retulimus, inter se conueniunt mandans, & consulens homicidium, vel mutilationem.

138. Hoc occurrit dubiū, An si Iudex confiteatur se nolle mor-

te punire Reum qui secundum leges meretur mortem: Cõfessarius dicens se non posse ipsum absoluere nisi morte puniat, irregularitatẽ incurrat. Cui respondendum videtur, q̃ ex recentiorum sententia attigit Henriquez *lib.14. cap.12. §. 4. lit.R, in margine*, non incurrere: declarando tantum eidem iudici, ad quid ex officio, & iure teneatur: quod si facere nolit, ipsum tanquam violatorem legum, ex quarũ præscripto sub mortali tenetur iudicare, non possit absoluere. Nam Cõfessarius debet ex officio absolutionem negare, non habenti propositum faciendi quod tenetur sub mortali. Credibile autem non est, quod Ecclesia irregularitatem imponat Sacerdoti qui ex suo officio Pœnitenti declarat id, ad quod secundum ius sub peccato tenetur, ob officium quod gerit. Neq; id, est, cooperari occisioni, sed super ea cognitionem veritatis proponere in casu in quo non potest absq; peccato celari. Quod si opus sit negationis prædictæ rationem reddere, id fiet dicendo ipsi Iudici: debes facere quod leges præcipiunt, & secundum eas aduersus reos agere. Non vero dicendo suspende, aut interfice, quoniam malum est si talis criminosus euadat impunit⁹, ex cuiusmodi dicto irregularitatem incurri, habetur ex cap. Ex literis, De excessibus Prælatorum.

139. Approbatione autem, datur consilium homicidij, *prout D. Anton. loco cit. expressit*, cum quis audiens aliquos velle facere homicidium, siue ipsius, siue alterius nomine, approbat: præmium, aut liberationem, aut receptionem, aut quamlibet aliam defensionẽ illis promittendo, aut gratum sibi fore homicidiũ significando, *quod ex Nauar. in cap. 27. n. 219. est dare causam finalem homicidij*: aut cum in consilio de morte alicuius tractatur, consentit quis cum alijs. Qua de causa irregularitatem contrahi, si mors sequatur, ex eo patet: quod talis approbatio non sit sine intentione homicidij perpetrandi.

140. Si quæras, An approbatio homicidij, quæ ipsum subsequitur, *& ratihabitio dicitur*, inducat etiam. Inducere respõdent Rosella *Homicidium 5. n. 2.* & Sylvest. *eodem verbo quæst. 7. dicto 5.* Couar. vero ad Clemen. Si furiosus, 2. *par. §. 1. n. 4.* prius proposita Felini ad cap. Sicut dignum, De homicidio, non nullorumq; aliorum opinione; ratihabitionem inquam, homicidij inducere irregularitatem, vbi ipsum perpetratum esset nomine illius qui ratũ habet: non item vbi ipsum perpetratum esset nomine alterius: asserit absolute, non inducere irregularitatem: quoniam ea non contrahitur nisi in casibus expressis in iure, ex cap. Is qui, De sentent. excommun. in 6. Nusquam autem ius Pontificium expressit ratihabitione committi homicidium, ex quo ratum habens sit irregularis. Idem sentiunt Tabiena *Irregularitas*, 2. §. 7. & Armilla eod. verbo, *n.* 22. Si opponas ratihabitionem mandato comparari, & æquipollere, iuxta regulam Ratihabitionem, De regulis iuris in 6. Respondet Couar. eam regulam vniuersè locum habere, quoties non requiritur specifica iuris determinatio: seu in iure specialiter determinatum esse casum, sicut esse debet casus in quo irregularitas incurritur, per citatum cap. Is qui. Non sequitur ergo si committens homicidium fiat irregularis, pariter illud ratum habentem fieri irregularem: quia istud posterius non est perinde ac illud prius, in iure expressum, prout ad irregularitatem incurrendam requiritur. Si vrgeas per cap. Cum quis, De sententia excommunicationis in 6. ratum habentem Clerici percussionem factã suo nomine, incurrere in excommunicationem Canonis, Si quis suadente Diabolo, 17. quæst. 4. Idem author respondet, nondum aliquid tale quoad irregularitatem cõstitutum esse ab Ecclesia de ratum habente: vnde cum irregularitas non incurratur nisi in casu à iure expresso: non esse quempiam censendum irregularem ob ratihabitionem. Quæ sententia tanquam mitis, simul & probabilis teneri potest, sicut tenet Henriquez *l. b. 14. cap. 12. §. 10. litera R.*

141. Persuasione denique; datur consilium homicidij, cum quis alicui persuadet, vel ipsam occisionem, vel illius causam, seu aliquid ad eam sufficienter ordinatum: vt fit cum quis alicui, qui ab alio prouocatus est iniurijs, persuadet, vt tueatur suum honorem. Quatenus autem irregularitas incurratur tali genere consilij intelligitur ex distinctionibus quas tradit Tabiena *in verbo, Irregularitas* 2. §. 10. Consiliũ, inquit, est de morte, vel de causa mortis. Ac de morte rursus, vel iminente; ita vt consilium ipsum causa sit executionis: vel non imminente, ita vt sit causa tantum cognitionis: priorque modo inducit irregularitatẽ secuto homicidio, vel mutilatione: nõ item posteriore, per eadem quæ ante dicta sunt de responsione num. 135. & 136.

De causa mortis vero, vel consilium est dolosum, seu quo 142.
mors intenditur: vt si Titio persuadeatur emere catapultam, qua creditur suum inimicum interfecturus: sicq; siue causa sit immediata, siue mediata, secuto homicidio inducit irregularitatem, per cap. Si quis viduam, distinct. 50. vel non est dolosum, vtpote absque intentione homicidij datum secundum iura: tuncq; vel non imminet periculum mortis ex causa super qua consilium datur: & ita non contrahi irregularitatem probatur: quia ex consilio de morte non imminente, minimè contrahitur, ex præced. numero 135. vel imminet periculum, tunc que vel causa mortis super qua datur consilium est mediata: vt oppugnatio castri: vel est immediata, displosio bombardæ. Sique est mediata, incurritur irregularitas, si verosimile fuit ex tali causa mortem secuturam: quia ipse consulens debuit tunc de eo cogitare, ideoque negligentia saltem facit ipsum obnoxium irregularitati.

Excipiendus est tamen is qui in iusto bello hortatur mi- 143.
lites vt fortiter, magnoq; animo prælientur ad reportandam victoriam, liberandamq; patriam: dummodo hortetur absque intentione speciali mortis, vel mutilationis cuiusquam: quod plene tractatum videri potest apud Nauar. cap. 27. nu. 215. & duobus sequentibus. Non autem is qui hortatur in bello iniusto etiam tantum pulsando tympanũ, aut tubam, prout expressit Henriquez *lib 14. cap. 12. §. 7. litera B, in margine*; & ratio est, quod concurrit ad homicidiũ iniustum. Excipiendi sunt item Prælati, qui contra inferentes vim rebus Ecclesiæ implorant brachium seculare hortando, nõ quidem vt occidant, vel mutilent: sed vt Ecclesiam ab hostium oppressione liberent. Etsi verisimile sit inde secuturas cædes. Ita colligitur ex cap. Postulasti, De homicidio: & docet D. Anton. 3. *par. tit. 28. cap. 2. §. 1.* ex quo ad verbum idem habet Tabiena in sequenti §. 24. Excipiendi sunt adhuc ex Felino *ad cap. Sicut dignum, De homicidio, num. 10.* Inquisitores fidei, tradentes Iudici seculari damnatum à se, quantumuis certi omnino sint de futura morte. Quod idem ex Hostiensi refert Tabiena in præcedenti §. 9.

Si vero causa fuit mediata, nec verosimile fuit mortem 144.
secuturam, non incurritur irregularitas. Quod Tabiena expressit *ibid. §. 11. propositione sexta*, & illustrari potest duplici exemplo: quorum prius est, si Titius Petrum fugientẽ manus hostium, qui ipsum occidere tentant, persuadeat ne fugiat, eo quod putet se cohibere posse eosdem hostes, quia sunt ipsi affinitate, vel familiaritate valde coniuncti: vel apud eos authoritate multum valere potest: contingatq; Petrum, eo quod substiterit, occidi: Titius ex tali homicidio non efficitur irregularis. Posterius est, si quis videns puerum ad aquantem in flumine equum dantem signa volutationis in aqua, eundem puerum hortetur, vt statim descendat, eo quod iudicet illum ea ratione facilius euasurum, si ille descẽdens submergatur, non erit iste, qui descensum consuluit, irregularis.

Sin autem causa mortis super qua datur consilium, sit immediata, & mortis imminentis: aut tale consilium datur pro defensione fidei, vel Ecclesiæ: vt hortando ad martyrium: aut pro defensione patriæ, vel oppressorum extra causam fidei. Atq; priore modo, non inducere irregularitatem ex Innocẽtio, Horiensi D. Antonino, & Rosella referens Tabiena, confirmat in verbo Irregularitas 2. §. 10. & 15. ex cap. Pro membris, 23. quæst. tertia, & ex cap. Omni timore, in sequ. quæst. 8. Infertq; quod habetur ex Felino per cap. Ad abolendam, De hæreticis, sub finem, ab irregularitate excusari Inquisitorem fidei si instet, vt Iudex secularis puniat hæreticum pœna mortis. Tale consilium enim pertinet ad defensionem fidei. Posteriore modo vero ex Hostiensi, & Innocentio habet Tabiena in eod. §. 15. consulentem incurrere in irregularitatem, si verosimiliter sciat inde secuturam mortẽ, eaq; sequatur. Verum locus excusationi esse posse videtur ob naturalem obligationem subueniendi patriæ periclitanti: vt & Principi, ex præced. nu. 109.

Hæque

145. Hæcq; de irregularitate ex homicidio, quæ dicto contrahitur dixisse sufficiat. Sed antequam ad eam veniamus quæ contrahitur facto, exponendum est dubium, An quis solo silentio (quo committi posse homicidium habetur ex cap. Ephesijs, dist. 43.) possit irregularitatem incurrere. Distinctione vero vtendum est: si enim tractetur de alicuius occisione inter pares, aut fere pares; alijsq; iudicantibus ipsum esse occidendum, vnus eorum taceat, is tacendo, quia silentium ipsius non est causa mortis, non incurrit in irregularitatem, etiamsi contra charitatem peccet mortaliter, non impediendo suo sermone, si potuit. Ita Nauar. in Enchir. *capit.* 27. *nu.* 234. contra Sylvest. Quamquam tamen ex Couarr. ad Clemen. Si furiosus, *par.* 2. §. 2. *num.* 8. *versu Quinto*: si ipse tacens, esset is propter quem tractatur de occisione: nimirum quia ei illatam iniuriam alij volunt vindicare, iucurreret irregularitatem tacendo: eo quod talis taciturnitas exprimeret interiorem consensum ipsius, quo alij ad peragendum homicidium confirmarentur. Quos id molientes gratia ipsius tenetur impedire omni ratione qua potest: alioqui censebitur dedisse causam homicidio.

Sin autem tractetur inter eos, quorum alij sunt superiores, alij inferiores, id est, quorum alij in alios authoritatem habent, siue publicam, siue priuatam: & superiorib. in mortem conspirantibus inferior taceat: ex suo silentio non incurrit irregularitatē, vt nec obligationem ad restitutionem, prout probatur argumento à maiori: nempe, quod nec æqualis tacens incurrat alijs æqualibus conspirantibus, cum non violet iustitiam. Inferioribus vero conspirantibus superior tacens si sit persona publica, quæ ex iustitia teneatur impedire tale homicidium, suo silentio incurrit irregularitatem: sicut & iustitiæ ministri, qui contra iustam obligationē sui officij omittunt defendere eum cui mors, aut mutilatio intentatur: per ea quæ alijs in margine citatis, tradit Henriquez *lib.* 14. *cap.* 12. §. 7. & notabuntur in sequenti cap. sect. vltima. Si vero sit talis persona quæ non nisi ex charitate idem homicidium impedire teneatur: etiamsi non impediendo peccet mortaliter, non incurrit tamen irregularitatem, prout in eadem sectione vltima exponetur. Quod tamen iuxta Couarr. loco cit. sic moderandum est: vt si in illius gratiam, vel illius authoritate, & fauore freti, de occidendo tractent, homicidiumque moliantur, incurrat irregularitatem suo silentio: quia dat causam homicidij æquipolentem verbo, sufficienter inclinanti voluntatem alterius ad occidendum.

CAP. VII.

De irregularitate ex homicidio, contracta facto.

SVMMARIVM.

146 *Varij modi quibus facto incurritur irregularitas ex homicidio.*
147 *Non incurrit irregularitatem qui dat arma sua alicui à quo defendatur, vel qui seipsum defendat ab inuasore.*
148 *Nec incurrit qui dat ad vsum licitum: secus vero qui ad vsum illicitum.*
149 *Vt committens homicidium, vel mutilationem, sic & ei auxilium dans irregularis est, nec excusatur ex eo, quod det bono fine.*
150 *Excusatio est, cum in bello iusto pugnatur, aut talis reipub. necessitas vrget, vt si quis non pugnaret, hostis illam vastaret.*
151 *Duæ rationes quibus hoc probatur.*
152 *De eo qui dat occasionem mortis, aut mutilationis, quādo in irregularitatem incurrat, aliquot casibus propositis declaratur.*
153 *De casu in quo vixando occasio datur: aut domi alendo feram.*
154 *De eo in quo datur, exercendo chirurgi, aut medici officium.*
155 *De eo in quo datur castigando subditum.*
156 *De eo in quo datur ludendo, aut agendo aliquid periculosum, aut iocando cum grauida.*
157 *De eo in quo datur vociferando, aut infantes habendo secum in lecto.*
158 *De eo in quo datur colludendo.*
159 *Ratio cur in talibus, & alijs similibus casibus irregularitas incurritur.*
160 *De cooperante occisioni, vel mutilationi, ac primum de eo qui deliberate.*
161 *Quid tenendum, cum multi non de communi consilio aliquem aggrediuntur, & quid de infligente vulnus lethale ei, qui ab alio occiditur.*
162 *Quid tenendum, quando plures plura vulnera inflixerunt vni, & nescitur ex quo sit mortuus.*
193 *Quid de eo qui animo occidendi percussit aliquem qui ab alio occisus est.*
164 *Quid de eo qui alicui vulnus inflixit, non quidem lethale, ex eo tamen ob aliquam causam interuenientem mortuus est.*
165 *Quatenus irregularitas incurratur pugnando in bello iusto.*
166 *Quando omissio defensionis, irregularitatem non inducat, & quando inducat.*
167 *Ratione, & exemplis declaratur quando inducat.*
168 *Quatuor conditiones quas concurrere oportet ad contrahendam irregularitatem ex defectu defensionis: & nonnulla inde deducta.*
169 *De obligati ad defensionem ex officio publico, aut mercenaria conuentione.*
170 *De aduocatis, aut Procuratoribus deferentibus patrocinium Rei ei: aut medicis, vel chirurgis negligentibus curā ægri: & id genus alijs contra debitum ipsorum ex iustitia.*
171 *Statutum Concilij Tridentini de dispensatione in irregularitate ex homicidio.*

VT homicidium cōmitti, sic irregularitas contrahi facto potest primo quidem materialiter: vel dando alteri arma vt aliquem occidat: vel deducendo aliquem in locum vbi occidendus est: prout vsuenit ei qui comitatur Iudicem tanquam Notarius, aut satelles, vel custos damnati ducti ad mortem, ex Nauar. in Enchir. cap. 27. nu. 217. patetq; ex cap. Aliquantos, dist. 51. Secundo vero, effectiuè, nempe occidendo, vel mutilando per seipsum. Tertio, dando sufficientem occasionem mortis, vel mutilationis. Quarto, cooperando in alicuius occisione, vel mutilatione. 146.

De irregularitate incursa facto, materialiter.

SECTIO I.

DE hac, quoad eum qui dat arma, notandæ sunt aliquot propositiones ex Nauar. in Enchir. cap. 27. 147.

Prima est *in num.* 212. Si quis inuasus ab altero cui se resistere posse diffidit, det arma sua tertio à quo defendatur, si hic inuasorem occidat, illum non esse irregularem, qui arma dedit: quia sicut potuit per se occidere in illa extrema necessitate, sic potuit per alium. Attamen quia in tali casu non liceret occidere nisi eum moderamine inculpatæ tutelæ: difficultas esse potest. An si in hoc casu ille, cui arma data sunt, occidat sine eo moderamine, is qui dedit fiat irregularis. Cui occurrendum est, probabile videri non fieri. Ratio est: quia danti arma in tali casu, liceret per seipsum occidere propter ineuitabilem necessitatem, quam ob defectum virium & industriæ diffidens se vitare posse, licite ad suam defensionem adhibet tertium dando ei arma: quibus si perperam vtatur, non est imputandum danti: in cuius potestate non est amplius eorundem armorum vsus, postquam illa alteri tradidit eo fine. Imputandum igitur est inuasori qui dantem redegit in eas angustias, vt ad vitæ conseruationem dare cogeretur.

Secunda propositio est *in eod. nu.* 212. Si quis citra naturalem obligationem det ea intentione arma proximo, vt occidendo defendat se contra aggredientem, secuta morte aggressoris, taliter dantem effici irregularem: quia sicut occidendo per me alterius aggressorem sum irregularis, ita etiam sum occidendo eundem per alium.

Tertia, *quam in sequenti num.* 215. 216. & 217. *Nauar. tractat*, est. Eum qui dat arma alicui absq; speciali intentione, vt occidat vel mutilet: sed tantū cum intentione generali, vt præ- 148.

liando vincat: aut se defendat, non esse irregularem ex secuta occisione, vel mutilatione in iusto bello, aut iusta defensione. Hanc ex eo confirmat, quod de iure canonico irregularitas non incurritur assistendo iuste prœliantibus, ex cap. Igitur, & duobus sequentibus. 23. quæst. 8. etiamsi quis assistat armatus, argumento cap. finalis, De Clerico percussore: atq; percutiat propria manu: dum modo tamen ipse propria item manu non occidat, aut mutilet, iuxta cap. penul. De homicidio.

Incurritur autem irregularitas, *per cap. Quod in dubijs, De pœnis, & cap. Sicut dignum. §. vltim. De homicidio*, ab ijs, qui in bello iniusto, in quo fiunt homicidia, aut mutilationes, adhortantur cæteros ad pugnam, vel ipsos pugnantes qualitercunque adiuuant, prout habet Panormit. *ad capit. Petitio, De homicidio.* Incurritur etiam ab illis qui in eodem bello suis manibus pugnant, etiamsi neminem occidant, vel mutilent, vt communem sententiam esse notat Couar. ad Clemen. Si furiosus, 2 *par.* §. 3. *sub finem num* 2. Quæ cum ita sint, intelligitur traditam propositionem congruere ijs, quæ iure canonico constituuntur de irregularitate. Ex ea enim differentia inter eum qui licite prœlianti auxilium præbet, & eum qui illicite prœliantem adiuuat, aperte constat sic esse distinguendum inter eum, qui ad vsum licitum, & eum qui ad vsum illicitum dat arma alteri: vt ille inde secuto homicidio, non incurrat irregularitatem; nisi ea intentione dederit, vt homicidium, vel mutilatio committeretur: hic vero incurrat. Videri potest Henriquez alios in margine citans *libr.* 14. *capit.* 12. §. 4.

De incursa facto, effectiuè.

SECTIO II.

149. DE eo qui effectiuè committit homicidium, vel mutilationem; notandum est, iuxta cap. Si quis viduam, dist. 50. ipsum irregularitati similiter subijci, siue percussione, siue veneno, siue alia quauis ratione occiderit, aut mutilauerit. Subijci item auxiliantem; v.g. eum, qui homicidam associat; vt ipsum, *si sit opus*, defendat, quantumuis nihil aliud faciat: imo ipsi homicidæ quantum potuit dissuaserit perpetrationem homicidij, ex D. Anto. 3. *par. tit.* 28. *c.* 2. §. 5. Itemq; vendentem, vel commodantem scalas, funes, enses, sclopetas ad suspendendum, strangulandum, iugulandum, configendum, aut aliquod membrum prœscindendũ, quemad. expressit Nauar. *in Enchir. cap.* 27. *n.* 217. & alij communiter tenent. Quamquam, vt loco cit. notat D. Anto. per cap. De occidendis, 23. quæst. 5. excusarentur, qui darent, vel commodarent indifferenter ad quoscunq; vsus: scilicet eo modo, quo ordinariè solent vicini vicinis.

Illud ipsum vero à Nauarr. traditum, communiterq; receptum, aduerte sic esse verum, vt non excusetur quis ab irregularitate, quocunq; bono fine is cooperetur in homicidio: adeo vt referente ipso Nauar. ibid. ex D. Anton. *in eodem* §. 5. & communi sententia, irregularis sit ille etiam qui ex zelo fidei, & animo consequendi indulgentias, fert ligna ad cõburendum hæreticum. Intellige viuum, quia, vt idem author subdit, quando hęreticus ante strangulatur quam comburatur, irregularis non sit qui ligna detulit, nec item quando viuus quidem comburitur, sed ipso iam mortuo, eadem ligna delata concepcrunt ignem, ita vt nihil sint cooperata ad mortem. Nec item ab irregularitate excusatur is, qui in bello iusto militibus cooperatur cum speciali intentione occisionis, vel mutilationis, vt v.g. dicendo occidite, percutite, displodite bombardas: vel si quis militi ad occidendum aliquem arma petenti, det, aut vltro offerat, sequaturq; inde homicidium, aut mutilatio, argumento cap. Petitio, De homicidio.

150. Aduerte autem ex communi sententia, teste Couarr ad Clemen. Si furiosus, *par.* 2. § 3. *num.* 2. quod Clericus occidẽs aliquem in conflictu belli, non sit irregularis, si Romanus Pontifex, *qui potest super omni irregularitate dispensare*, permiserit ei vt propria manu pugnaret. Porro quod idem ibidem addit contra Caiet. 2. 2. quæst. 40. art. 2. non esse irregularem Clericum, qui in bello iusto propria manu pugnando occideret, vel mutilaret in casu, in quo si non pugnaret, ciuitas, vel exercitus euerteretur ab hoste: etsi ipse non satis confirmat, non omnino tamen caret probabilitate, ob duas rationes præcipuè.

Altera est, quod quamuis per cap. Clerici, & sequens, 23. quæst. 8. & capit. Ex multa, §. finali De voto, & voti redemptione, non sit licitum Clerico, saltem constituto in maioribus Ordinibus, pugnare propria manu: nec item iuxta cap. Sententiam, Ne Clerici, vel Monachi, munere Capitanei fungi: siue vt ibidem habet textus, balistarijs, & alijs viris sanguinum præponi: nihilominus, vt Caiet. ipse ibidem ex instituto docet: in memorato casu potest, imo tenetur, *præsertim si cõtra infideles agatur*, proprijs manibus pugnare, bombardas dirigere, si eius rei peritus sit, & alius qui id facere valeat, desit: & sic de alijs id genus: quia lex positiua non extenditur ad casum in quo dispensaret legislator si præsens adesset. Qualis casus esse censeri potest is, quem pro necessitatis grauitate, vir bonus rationabiliter præsumit talem in sua cõscientia. Iam sicut lex est positiua, per quam Clericus peccato obnoxius fit pugnando proprijs manibus in bello: sic est & illa, per quam fit obnoxius irregularitati, si in bello occidat, vel mutilet. Quare sicut in proposito casu non peccaret occidens, vel mutilans hostem: ita probabile est nec incurrere irregularitatem. 151. 154.

Altera ratio est, *quam habet Dominicus Bannez 2. 2. quæst. 40. art. 2. dub. 4. vbi dictam sententiam probabilem esse fateatur*, quod cum homo teneatur salutem patriæ anteferre suæ vitæ propriæ, quam pro illa dum necessitas exigit, debet profundere: certe ius liberans ab irregularitate occidentem, vel mutilantem, ob necessariam defensionẽ vitæ propriæ, censeri quoq; potest liberare occidentem, vel mutilantem, ob necessariam defensionem salutis patriæ. Adde quod, vt idem Bannes attigit, ex tali homicidio dici non possit irregularitas incurri, nisi per defectum lenitatis. At cum adest necessitas defendendæ patriæ, maxime in causa religionis, non tam occiditur, aut mutilatur ex defectu lenitatis, quam ex excessu feruoris charitatis: qualis fuit in Phinees occidente Israelitam fornicantem cum alienigna. Qui quidem Phinees ex eo facto nõ est iudicio diuino habitus indignus ministerio altaris, sed dignus cum sua posteritate sempiterno sacerdotio. Eandem sententiam alijs in margine citatis sequitur Henriquez *lib.* 14. *cap.* 11. §. 3. *lit. E, & cap.* 13. §. 1. *lit. I*, quam & nos sequi possumus, vt mitiorem, & satis in praxi tutam, cum bonos autores habeat, & satis bonis rationibus nitatur. Nulla autem dubitatio est, quin ea locum habeat, cum quis ad necessariam defensionem salutis patriæ occiderit, aut mutilauerit non valens aliter, *id est, nisi occidendo aut mutilando*, vitam propriam seruare. 155. 156.

De incursa, dando occasionem homicidio, vel mutilationi.

SECTIO III.

DE eo qui dat sufficientem occasionem mortis, aut mutilationis, quando in irregularitatem incurrat, non potest melius explicari, quam propositis aliquot præcipuis casibus, ex quibus de cæteris ferri potest iudicium; quales sunt sequentes sumpti ex Summularijs, partim in verbo Homicidiũ, partim in verbo Irregularitas, & ex Nauar. in Enchir. cap. 27. *partim num.* 227. *& duobus sequentib. partim num.* 235. *& sequenti.* 157.

Primus est, in quo irregularitatem incurrit is, qui illicite rixatur, aut certat cum alio, si amici ipsius superuenientes, etiam ipso non consentiente, occidant, vel mutilent. Quod idem iudicandum est ex eodem Nauarr. *num.* 231. dum quis iniuriâ afficitur, si amici superuenientes eum qui iniuriam infert mutilent, vel occidant rogati, vel iussi ab ipso affecto iniuriâ, aut saltem ipso sciente, & non contradicente: *nisi forte casus esset in quo vitam aliter tueri non posset: aut ad ipsius defensionem occisio, vel mutilatio nullatenus fieret*: non vero si ipso nescient, aut ipso contradicente ex capit. Petrus, De homicidio. Cuius explicationem persequens Couarr. ad Clemen. Si furiosus, *part.* 2. §. 2. *num.* 8. eadem tradit. Videri etiam potest Henriquez *libr.* 14. *cap.* 13. §. 4. vbi (litera L) ex recentiorũ opinione admonet non esse irregularem eum, qui rixæ illicitæ causam dedit tantum remotam, & quan-

tum

tum potuit prohibuit ne corrixans occideretur, aut mutilaretur à superuenientibus.

Secundus casus est, in quo irregularis illo, qui domi bestiam ferocem alit, vel custodit: & est in culpa soluendo, vel tenendo solutam, si illa occidat, vel mutilet aliquem: non item, cum ipse non est in culpa: vt si fera casu tantum aliquo dilaberetur.

154. Tertius est, in quo irregularis efficitur chirurgus, vel medicus, cuius dolo, ignorantia, vel negligentia, aut audacia transgrediendi regulas suæ artis, vulneratus aliquis, vel æger moritur: non efficitur vero si nulla talis ipsius culpa interueniat. Efficitur similiter irregularis ille, qui cum non habeat peritiam, euillit telum corpori alicuius infixum; indeque sequitur vt moriatur citius, quam alioqui mortuus esset. Vbi aduerte quod quamuis irregularitatem incurrat is qui Iudicem adiuuat in exequenda iusta mortis pœna; non incurrere tamen eum qui adiuuat chirurgum ad iuste secandum ægroti membrum: quia Iudicis sententia est ad vindictam, & punitionem malefactorum: & secatio membri ægroti, est ad eiusdem salutem; pro illaque imponitur iure irregularitas, non autem pro hac, nisi ex secantium culpa ægrotus moriatur.

155. Quartus est, in quo excusatur ab irregularitate Prælatus subditum, magister discipulum, pater filium, dominus seruum castigans, si id circumspecte faciat, quantumuis mors inde sequatur: secus si non faciat circumspecte. Vbi aduerte Episcopum irregularem fieri, si aliquem iuste mittat in carcerem, qui breui, id est, intra decem dies moriatur ob nimiam carceris humiditatem, fœtorem, vel squalorem, vel alimentorum subtractionem. Non fieri autem, si moriatur post plures dies: neque is carcer plus est aptus ad mortem inferendam, quam carceres communes: quia sicut potest quis licite se carceri tradere ad pœnitentiam peragendam: sic etiam potest illum Prælatus ob ipsius crimen: nec tenetur ei meliorem domum dare, quam sit carcer communis.

Quintus est, in quo excusatur ab irregularitate is, qui honesto ludo licite ludit cum altero, si inde mors inopinato sequatur; non autem si ludat illicite.

156. Sextus est, in quo itē excusatur ab irregularitate is, qui domum, vel tectum reficiens: ne quid incommodi transeuntibus eueniat, signa fixit ante domum, & aliquid proiecturus tempore congruo clamans ante monuit: atque aliquis nihil curans transit nihilominus: qui lapide aut ligno tactus occiditur, vel mutilatur. Si autem signo, aut dicto non præmonuisset debite, irregularis esset.

Septimus est, in quo irregularis fit ille, qui ex agro sues vel alia animalia expulsurus, lapidem iecit, & puerum interfecit; si quidem non satis circumspecte iecerit; secus si adhibuerit diligentiam circumspiciendo, & admonendo, aut locus fuerit solitarius; quia, vt notat Panormitan. *ad cap.* Ex literis 2. De homicidio, qui proiicit aliquid ad locum priuatum, & per quem nemo transire consuecuit, non tenetur clamare.

Octauus est, in quo saltans, aut iocans cum grauida, vnde sequitur vt ea abortiat, fœtu iam animato, efficitur irregularis, tanquam vacans rei illicitæ, & cum periculo homicidij coniunctæ. Id quod plenius Suarez tractat in tomo quinto disput. 45. sect. 6. præsertim num. nono, & duobus sequentibus.

157. Nonus est, in quo irregularis est ille, qui conspicatus furem vociferatur talem adesse, si eo animo vociferatus est, vt occideretur, vel mutilaretur, aut credens quod superuenientes vicini eum occisuri, aut mutilaturi essent, aut traditurus Iudici occidendum, vel mutilandum secuta morte vel mutilatione. Neque excusabitur protestatione, quod non quærat illius mortem, aut mutilationem ex communi sententia, teste Couarru. ad Clement. Si furiosus, *par.* 2. §. 5. *num.* 3. Et ratio est, quod talis protestatio Clericum liberet ab irregularitate, quando in iudicio fit coram seculari Iudice: non item quando extra iudicium, vt patet expendenti textum in cap. Prælatis, De homicidio, in 6.

Decimus est, in quo irregulares sunt, qui habentes secum pueros in lecto, nec adhibentes necessariam diligentiam, ne quid aduersi patiantur, si aliquis casu suffocetur; nam illos homicidij reos esse, vt & eos qui grauidam abortire fecerint, fœtu iam animato, decernitur in cap. Consuluisti, secunda, quæst. 4. Monet autem Henriquez *lib.* 14. *lib.* 15. *sub finem.* in hac re sine lata, & mortali culpa non incurri irregularitatem: sicut nec alias ex delicto: additque causas, propter quas licet infantem tenere in eodem lecto, quæ omnes reducuntur ad necessitatem, vel ipsius infantis, vel eorum parentum.

Vndecimus est, in quo mittens puerum ad fluuium, vel puteum vbi submergitur, fit irregularis, etiamsi eum monuerit vt caueret, prout addit D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *cap.* 2. §. 4. nisi forte casus talis esset, in quo nihil poterat rationabiliter de periculo cogitari.

Postremus est, in quo, *vt plenius explicat Panormit. ad cap. Exhibita, De homicidio,* irregularis est ille, qui pueritiam excedens, ludendo impegit lapidem alicui, qui declinare volens alij lapidi illisus est, ac mortuus. Secus si fuit adhuc puer, nec lapis magnus fuit, neque illius inflictio grauis: quandoquidem talis ludus est licitus pueris; non item excedentibus pueritiam. Irregularis vero non est is, qui ab aliquo impulsus, vel declinans percussionem, impellit alium, & occidit: nisi id fecerit in fraudem, aut nisi potuerit præuidere periculum, & euadere aliter. Similiter irregularis est, ita insequens aliquem, vt is graue periculum timens, fugiat & in puteum, vel in flumen ex fuga decidens, moriatur, non item est, si insequebatur causa ludi non prohibiti, & sine signis magnæ offensionis. 158.

Quorum omnium & aliorum pene infinitorum similium ratio est, quando cumque datur occasio causaue remota homicidij vel mutilationis, si id fiat vacando rei illicitæ, aut non adhibita diligentia, curaque debita, vt nihil tale, vel quid aliud aduersum accidit, irregularitas incurratur, secuto inde homicidio, vel mutilatione: non autem si vacando rei licitæ, & debita diligentia, adhibita absque vlla intentione occidendi, vel mutilandi. Cuius rei confirmationem iam proposuimus in præcedenti cap. 10. deducique potest ex cap. Clerico, & cap. Hi qui arborem, & duobus sequentibus, distinct. 50. 159.

De incursa cooperando occisioni, aut mutilationi.

Sectio IV.

IN confesso est apud omnes, vt notat Couar. ad Clemen. Si furiosus, *par.* 2. §. 2. *num.* 2. Eum esse irregularem qui in occidendo, vel mutilando, aliis vere cooperatur, vel talem fert opem, qua cessante nec præstita, occisio, vel mutilatio nequaquam secuta esset. Pro quo textus est in cap. Sicut dignum, De homicidio, §. Illi autem, & in cap. Fœlicis, De pœnis in 6. Et ratio est, quod talis vere sit causa propinqua siue homicidij, siue mutilationis. Sunt autem nonnulli casus in quibus an locum habeat dubium esse potest, quos in eodem §. Couar. persequitur. 160.

Primus est: si plures consulto, deliberataq; voluntate eundem hominem aggressi fuerint, & is ex vnico tantum vulnere accepto, mortuus sit. In quo casu omnes illi in irregularitatem incurrere cōmunem sententiam esse idem author nu. 3. ait. Et ratio est, quia quamuis ex hypothesi vnus tantum inflixerit vulnus, cæteri tamen impediendo ne taliter se defendere posset, censentur vere cooperati.

Secundus est, si eundem multi simul aggrediantur, non quidem deliberato consilio, sed casu aliquo (vt fieri potest cum quis plures offendit, & singuli, vt causam suam agant, nullo inter se communicato consilio, ipsum eodem tempore forte aggrediuntur) ac cōstet quodnam ex omnibus vulneribus lethale sit, & quisnam illud inflixerit. In tali casu enim, solus is qui lethale vulnus inflixit, in irregularitatem incurrere ex communi sententia, ibidem Cauarru. addit: quia solus tenetur de homicidio, & reliqui non nisi de percussione. 161.

Tertius est: si quis vulnus inflixit alicui, qui occiditur à tertio, antequam secutus esset eiusdem vulneris euentus. In quo casu ex eodem authore in sequenti num. 4. certum

est per cap. Significasti, 2. De homicid. irregularem esse non modo eum qui occidit, sed etiam cum qui inflixit vulnus, si de hoc constet, quod lethale fuerit. Non esse vero si constet non fuisse læthale. Quod si dubitetur an læthale fuerit, necne: quorundam sententiam fuisse refert, non incurrere irregularitatem. Sed sententia contraria est tutior, & probabilior: nam dum in dicto cap. Significasti, Pontifex non excusat ab irregularitate Canonicum qui fossorio non percusserat sacrilegum, ab aliis paulo post occisum, nisi vulnus inflictum ab ipso, lethale non fuisse constat: indicat non fore excusandum si dubitaretur, vbi aduerte ex eodem authore, vt vulnus dicatur lethale non esse opus, vt tale sit ex quo mortem secuturam esse certum sit omnino: sed sufficit quod vt plurimum mors ex ciusmodi vulnere sequi soleat.

162. Quartus est: si quis à pluribus vulneretur, & tandem ex vulneribus illius moriatur, nec constet ipsum potius ex vno, quam ex alio vulnere mortuum esse: aut certe vnum tantum vulnus lethale acceperit, nec apparet à quo ex pluribus, qui cum ipso conflixerunt illud acceperit. In quo etiam casu in sequen. num. 5. idem Couar. existimat (etsi plerique, quos ipse refert, sint in contraria sententia) eos omnes esse irregulares, quia cum dubium est de facto, pars tutior semper est sequenda, iuxta cap. Ad audientiam, & cap. Significasti, primo & secundo, De homicidio. Quod tamen Henriquez *lib. 14. cap 3. §. 4. lit. E. in margine*, bene aduertit interpretãdum esse stante dubio ante factã diligentiam. Secus est enim si post illam, aut per bonam rationem, aut per sapientis consultationem, dubium practice deponatur. Secus est item in foro exteriori: quia ex lege Absentem ff. De pœnis, Satius est impunitum relinqui factum nocentis, quam innocentem damnare.

163. Quintus casus: si quis occidendi animo aliquem percusserit. In quo casu, An percusso, statim ab aliis occiso, percussor ille irregularitatem incurrat idem Couar. num. 6. dubium esse ait. Quia enim Summus Pontifex in memorato cap. Significasti, 2. sicut ad excusandum ab irregularitate Canonicum, cuius in casu 3. mentio habita est, requirit vt percutiendo non inflixerit lethale vulnus, sic etiam requirit vt nõ percusserit animo occidendi: ideoque glossa *ibidem ad verbum habuerit*, negat excusatum: si animo occidendi percussisset. Sed Couar. ipse post Panormitan. in idem capitulum, & nonnullos alios, *quos refert*, sentit talem non fieri irregularem, nisi habendo voluntatem occidendi, opem vel auxilium, aut fauorem occisoribus dederit, iuxta cap. Sicut dignum, §. vltimo, De homicidio. Quæ sententia mitior quidem est, non tamen caret difficultate: quoniam verba illa dicti cap. Significasti, *Et si percussor voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studio, consilio, vel mandato proceserint alij contra illum*: videntur aperte significare, quod Pontifex loquatur de voluntate absolute, & secundum se. Non autem prout coniunctum habet studium, fauorem, &c. Nisi interpretemur illa verba, *neque ipsius studio &c.* addita esse explicationis gratia: nimirum ad indicandum se loqui de voluntate occidendi coniuncta cum studio, consilio, vel mandato, ex quo secuta sit occisio.

164. Sextus est: si quis vulnus non lethale inflixit alteri, qui ex illo moritur ob imperitiam medici, vel malum regimen corporis, ab ipso seruatum. In quo casu, post nonnullos alios per ipsum relatos docet Couar. *num 9.* cum qui inflixit, in irregularitatem incurrisse: quia ex tali vulnere mors secuta est, tanquam ex causa propinqua, quam qui dat, est irregularis, ex cap. Decætero, tit. De homicidio: neque impedit interuentus imperitiæ medici, vel mali regiminis, vt patet ex cap. Tuanos, De homicidio, vbi ab irregularitate non excusatur Monachus, qui peritus artis chirurgicæ, omni diligentia quam debuit adhibita, per cupiditatem non per pietatem ferro tumorem in gutture aperuit mulieri: quæ contra ipsius præscriptum exponens se vento, inde occubuit.

Quamquam tamen vt idem author monet, si vulnus inflictum, adeo leue fuisset, vt nullo vel modico medicamine, percussus posset sanus euadere: sed vulneri appositum esset venenum, ex quo mors sequeretur: non videtur vulnerans iudicandus irregularis: cum ex veneno potius, quam ex vulnere moreretur vulneratus. Aduerte vero ad hoc vt percussor in irregularitatem incurrat, nihil referre, quod percussus aliquo post interuallo, aut intra breue tempus intereat ex vulnere: nihil item referre, siue ex vulnere proxime, siue ex febri, aut alia infirmitate ex eo proueniente interierit, iuxta cap. Presbyterum, De homicidio: siue etiam postquam conualuit, & iterum in infirmitatem incidit, vt glossa vltima ibidem habet, & patet ex cap. Ad audientiam, eodem titulo.

Cæterum cum dubitatur an vulnus causa fuerit mortis, requirendum est, & sequendum medicorum iudicium: vt communem Doctorum vtriusque iuris consensum esse Couarruuias ait.

His addendum est ex eodem authore in sequenti §. 3. *num.* 2. ne quidem Clericum etiam in sacris Ordinibus constitutum propria manu pugnantem, *quantumuis in eo peccaret vacans rei illicitæ*, in bello iusto in quo multi occidantur, aut mutilantur, effici irregularem, si neminem ipsemet in eo, vel occiderit, vel mutilauerit. Quod probatur ex cap. Petitio, De homicidio: vbi Pontifex cuidam Presbytero, qui cum aliis aduersus Saracenos conflixerat respondet: si de interfectione cuiusquam in illo conflictu conscientia ipsum remorderet, à ministerio altaris reuerenter abstineret: definiens simul irregularitatem incurri occidendo, vel mutilando in bello iusto (quod communem sententiam esse, ibidem refert Couarru.) & significans non incurri, percutiendo in eo sine occisione, vel mutilatione: quod expressit D. Anton. 3. *parte titul 28. cap. 2. versus finem*, & deduci potest ex cap. penultimo & vltimo, De Clerico percussore. 165. 168.

De Irregularitate & homicidio per omissionem.

Sectio Vltima.

QVia homicidij opem quo iammodo præstat, quisquis cum debeat, & possit defendere eum, qui occiditur, non defendit: ex cap. Non in inferenda, & cap. Ostendit, 23. quæst. 3. & cap. Periculose, De pœnit. dist. 1. & cap. Sicut dignum, De homicidio, §. Illi etiam: videndum adhuc est, quo modo is qui cernens aliquem occidi, non defendendo ipsum si potest, in irregularitatem incurrat. 166. 169.

Hoc autem Nauarrus cap. 27. num. 231. & 232. ac Maiolus lib. 5. De irregularitatibus, cap. 48. § 5. explicant: inquientes tamen omissionem non inducere irregularitatem (*etiamsi peccati mortalis reum constituat*) in eo qui non nisi ex charitate defendere tenetur: sicut nec inducit obligationem ad restitutionem, iuxta communem, vt idem Nauarr. habet cap. 24. num. 7. sententiam. Ratio vero est: quia ex tali omissione non dicitur quis verbo, vel facto ad homicidium concurrere, prout necesse est ad incurrendam irregularitatem. Inducere autem irregularitatem in eo qui defendere tenetur ex iustitia, vel ratione sui officij, siue publici, id est, quod habet in Republica: siue priuati, id est, quod habet in familia, vel ratione contractus initi ad talem defensionem.

Probatur, quia tunc omissio non est nuda, sed cum subtractione dolosa adiumenti quod quis habet ad suam defensionem: cuiusmodi subtractionem inducere irregularitatem loco citato, num. 3. probat Maiolus cum authoritate Clementis Alexandrin. lib. 1. Stromatum circa medium, tum variis exemplis. Nam, inquit, si cæcus pontem transiens, tu clam auferas tabulam, vt ille cadat incautus, si ceciderit, tu eris irregularis ex ipsius morte, vel mutilatione propter illam subtractionem. Similiter si loco suspecto de incursione hostium, arma alicui dolose, etiamsi facias per iocum (tanquam vacans rei illicitæ) liges, vel surripias, ne possit se defendere, & ab illis occidatur, vel mutiletur. Item si alicui noctu eunti cum lumine per locum periculosum de præcipitio, lumen ipsum extinguas, & ille præceps ruens occidatur, vel mutiletur. Denique, si non ad tibi cauendum; sed dolose vt mors, vel mutilatio facilius sequatur, volenti domum tuam ingredi ad declinandum aduersariorum impetum, fores occludas, & occidatur, aut præcipitato in flumen, volenti ad liberandum apprehendere remum, vel 167. 170.

funem,

funem, vel schapham, hæc retrahas, & submergitur. Adde si susceperis onus nunciandi alicui, vt sibi caueat ab aliquibus qui mortem ei machinantur, malitiose id non adimpleas, & ille incautus occidatur.

In istis enim omnibus non minus sufficiens causa homicidij, cum speciali intentione datur, quam cum aliquis volens defendere reum qui occiditur, auertitur malitiose, vt homicidium facilius sequatur. In eo casu autem irregularitas incurritur, vt communiter post D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *cap.* 2. § admittitur, *iam q; antea docuimus.* Ergo & in illis memoratis. Consequentia patet: qui a omissio ipsa defensionis debitæ eandem cum illa auersione habet malitiæ rationem: si quidem paria sunt: malitiose nolle defendere illum quem teneris ex iustitia: & impedire volentem eum defendere: in vtroque enim casu, subtrahitur proximo adiumentum, quod ei ad suam defensionem suppetit.

168. Aduerte autem cum Maiolo quatuor conditiones concurrere debere, vt is qui non defendit, irregularis fiat secuto homicidio, quod vitatum esset. Prima est, vt possit defendere. Secunda, vt ex iustitia obligatus sit defendere. Tertia, vt possit sine rerũ, aut honoris notabili dãno. Quarta, vt sit illi manifestum perpetrari homicidium: vnde multa in particulari idem Maiolus deducit.

Primum est: quando quis in priuata persona videns aliquem occidi, non defendit per negligentiam, aut ignauiam, aut aliquam perplexitatem, aut certe quia non vult se alienis iurgiis immiscere, nõ incurrit irregularitatem: etiamsi commode, ac tuto defendere potuisset. Imo (quod habet Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 232. post D. Anton. *circa princip. citati cap.* 2.) etiamsi desiderio, & delectatione mortis alterius, defensionem omitteret. Nam talis omissio nuda est: nisi forte adiunctos habeat aliquos externos actus, ex quibus homicida sentiret eundem omittentem fauorabilem sibi esse, indeq; audacius delinqueret. Etenim tunc vacando rei illicitæ daretur causa homicidij; ex qua secuto eo, irregularitas incurreretur.

169. Secundum est: Quando is qui defendere potuit, est publica persona habens authoritatem & iurisdictionem, malitiose non defendit aliquem dum occiditur, incurrit in irregularitatem: quia talis omissio est cum subtractione subsidij ex iustitia debita.

Tertium est: quando quis mercenaria conuentione obligauit se ad alterum defendendum, & malitiose non defendit, dum occiditur, incurrit similiter: sicut & ille qui obligatur ex subiectione, vt filius ad defendẽdum patrem, & mancipium ad defendendum dominum. Non incurrit autem si promissione tantum iactatoria, aut liberali quadam defendendi oblatione, se obligasset: dummodo tamen absit dolus quo faueret homicidio.

Quartum, quando quis ex officio, aut per specialem contractum, aut per iuramentum obligatur ad assumendam custodiam viarum publicarum, vt viatores possint tuto iter facere, si malitiose non defendit aliquem, dum in ipsa via occiditur, est quoque irregularis. In quibus tribus corollariis (quorum eadem est ratio) aduerte repeti illa verba, *dum occiditur*, quia omissio defensionis, quam hic dicimus inducere irregularitatem, non est ea qua quis negligit præuenire, & anteuertere pericula homicidij: sed qua homicidio manifeste instante, dum ipsum est in fieri, malitiose non defendit eum, qui occiditur. Vbi aduerte adhuc, quod idem Maiolus admonet: vt quis alterum defendisse censeatur, non esse opus vt ipsum à morte eripuerit omnino; sed egerit siue verbo, siue facto quidquid potuit, vt mors impediretur.

170. Quintum est: si Aduocatus, vel Procurator susceptum à se criminosi patrocinium dolose deserant, & ob eam desertionem ille damnetur, puniaturq; morte, irregulares sunt. Similiter & testis qui se examinari permittens, reticet dolose quæ dicenda sunt de veritate facti ad defensionem Rei. Item Notarius qui dicta testium, & alia ad defensionem Rei facientia occultat, vel amittit dolose: ideoq; Reus ipse morte punitur.

Sextum est: quicumq; ex officio tenentur reuelare Iudici facinora perpetranda: siue ex pacto, siue ex iuramento ad id obligentur: si scientes aliquem homicidij tractatum, hunc dolose noo reuelent, homicidiumq; perpetretur, irregulares fiunt tanquam subtrahentes auxilium Iudicis, quod occisus ad mortem vitandam habebat.

Septimum est: Medicus qui publico aut priuato stipendio conductus, malitiose non vult alicui ægro adhibere curam, ad quam ex officio susceptо tenetur, est irregularis, si ob desertam talem curam æger moriatur. Idem iudicandum est de eo, qui videns aliquem in necessitate constitutum, cui ex aliqua particulari obligatione teneturnecessaria subministrare; & malitiose hæc subtrahit: quorum defectu mors est secuta: verbi gratia, si medicus, vel minister ægroti alimentum, aut medicamentum, cuius defectu mors secuta est, malitiose detraxerit. Similiter si pater filio, aut dominus seruo, vir vxori in tali necessitate malitiose non vult succurrere, cum satis facile possit. Quod idem sentiendum est de aliis qui omittendo, subtrahunt morienti quæ illi ex iustitia debentur, & vitæ conseruandæ adiumenta fuissent.

Antequam finem faciamus addendum est, in Concil. 171.
Trident. sess. 14. cap. 7. De reform. quadruplex distingui homicidium illicitum inducens irregularitatem: vnum per industriam, alterum per insidias, tertium casu: dum quis vel vacat rei illicitæ sufficienter ordinatæ ad mortem: vel vacat quidem rei licitæ sed sine debita diligentia, prout in præcedentib. tractatum est: quartum defendendo se, non seruato moderamine inculpatę tutelæ. Statui autem ibidem: in irregularitate ex homicidio primę vel secundę speciei, siue publico, siue occulto, nunquam esse dispensandum. Vnde Papa quantumuis in ea dispensare possit (vt plenius tractat Couar. ad Clement. Si furiosus, *par.* 2. § 3. *num.* 3.) id tamen rarissime facit, & cum certis moderationib. de quibus idem author in fine sequentis, num. 4. Præterea idem Concil. Trident. *sess.* 24. *cap.* 6. dans Episcopo facultatem dispensandi in omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, expresse excipit eam quę prouenit ex homicidio voluntario. Sicque iam certum est illud, de quo prius dubitabatur: nempe quantumcumque homicidium sit occultum, non posse Episcopum in eiusmodi irregularitate dispensare. Neque (vt Couar. in citati num. 4. notat) qui contrarium senserunt, amplius audiendi sunt. In irregularitate vero ex homicidio tertiæ & quartæ speciei, statui in prius memorato cap. 7. *(prout illud accipit Nauarr. in Enchir. cap.* 27. *num.* 239.) dispensandum esse quidem: sed dispensationem committendam esse Ordinario: qui non nisi veritate prius diligenter explorata, & comprobata dispensare queat. Cuiusmodi statuto significatur Papam non debere facile per se dispensare in tali irregularitate: *quasi ob defectum intentionis occidendi, vel necessitatem defendendæ vitæ*, iure illi dispensatio quodammodo debeatur: sed negotium debere Ordinario committere, qui de tota causa plenius cognoscere poterit. Aduerte vero obiter solum Papam dispensare posse non modo in homicidio voluntario illicito, sed etiam in licito, etiamsi occulto, quemadmodum expressit Nauar. *in Enchir. cap.* 27. *num.* 217. *in fine.*

CAPVT XIII.

De nona specie irregularitatis ex iteratione baptismi.

SVMMARIVM.

172 *Quomodo talis irregularitas contrahatur.*

173 *Ille qui per vim absolutam rebaptizatur, ab irregularitate excusatur: non itẽ ille qui per vim conditionatam, nisi hæc excusset à mortali.*

174 *Rebaptizans sit irregularis, nisi illum excusset ignorantia inuincibilis.*

175 *In dubio, ex baptismo sub conditione, non incurritur irregularitas exiterat one baptismi.*

176 *Qui non baptizandi sub conditione.*

177 *Quando excusetur ab irregularitate baptizatus sub conditione extra casum dubij.*

178 *Non incurritur irregularitas exiteratione sacramẽti Confirmationis, vel Ordinis.*

179 *Irregularitas suscipientis baptismum in ægritudine.*
180 *Irregularitas baptizatorum ab æreticis.*

172. EVM qui bis, aut sæpius baptizatus fuerit irregularem esse constat ex cap. Confirmandum, distinct. 50. & cap. Afros, distinct. 98. & ex cap. Qui in qualibet, 1. quæst. 7. & cap. Qui bis, ac sequen. De consecrat. distinct. 4. Quod extendi etiam ad illum cui id per ignorantiam contigerit, patet per prædicti cap. Qui bis, textum expressum. Quem nihilominus locum habere tantũ cum ignorantia fuerit crassa, ita vt per probabilem, seu inuincibilem rebaptizatus excusetur ab irregularitate post Scotum *in 4. distin. 6. q. 8.* docent Nauar. in Enchir. *cap. 27. num. 246.* & Couar. ad Clement. Si furiosus, *initio primæ partis, num. 8. circa medium.* Vbi addit sententiam eorum, qui contrarium tenent, admitti posse in eo qui postquam resciuit, ratam habuit rebaptizationem in se factam. Id quod admittunt D. Anton. *3. par. tit. 28. cap. 6. §. 3.* & Sylu. in verbo Irregularitas, *quæst. 4.*

173. Extendi quoque ad eum qui per metum etiam cadentem in constantem virum, permiserit se rebaptizari, deduci videtur ex cap. Eos quos, de consecr. distinct. 4. iuncta ipsius glossa *ad verbum, Seu coacto:* excusante tantummodo eum qui id pateretur absolute coactus: ita vt is censendus sit irregularitati obnoxius, qui rebaptizatus fuit coactus coactione tantum conditionata, seu proposita aliqua conditione, verbi g. dicendo si non patiaris te rebaptizari statim occideris, *quod est exemplum antememoratæ glossæ.* Quamquam tamen sententia recentiorum est, vt Henriquez refert *lib. 14. cap 4. §. 3. lit. L, in margine*, quando metus mortis sinentem se rebaptizari excusat à culpa mortali: *vt quando id non cedit in opprobrium Christianæ religionis:* eundem quoq; excusare ab hac irregularitate, quæ est peccati pœna, seu de numero earum quæ incurruntur ex delicto.

174. Eum etiam qui rebaptizauerit, irregularem esse habetur ex cap. 2. De Apostatis. Excipi autem debet ille qui per ignorantiam inuincibilem id fecerit: quia communis consensus est, *vt notat Couarru. loco cit.* talem ab irregularitate excusari. nec ipsum debere angi scrupulo, habetur ex cap. Placuit, de infantibus, De consecratione distinct. 4. Eam vero ignorantiam Nauarr. *in citato num. 246.* ait, contingere ei qui adhibita diligentia debita, scire non potuit, an qui offertur baptizatus sit, necne: vt accidit iuxta idem cap. Placuit. quoties non inueniuntur certissimi testes, qui baptizatum esse eum, qui offertur, sine dubitatione testentur; nec ipse oblatus per ætatem idoneus est de traditis sibi sacramentis respondere.

175. Adde in eiusmodi dubio iuxta cap. 2. De Baptismo: baptizandum esse sub hac forma: Si baptizatus es, non te baptizo: sed si non baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tuncque ex D. Anton. loco cit. etiamsi ille qui sic baptizatur, iam alias baptizatus vere fuisset non incurreretur irregularitas ex iteratione baptismi: neque à baptizato, neque à baptizante vt notat Sylues. loco cit. Et ratio est: quia, vt habetur, De consecr. dist. 1. cap. 1. Solemnitates, 1. non monstratur esse iteratum, quod nescitur esse factum. Idque procedit etiamsi addita sit conditio tantum mentalis: imo & illa omissa, *quamuis peccetur*, quando post factam sufficientem diligentiam baptizaturus manet dubius, an is qui sibi offertur iam sit baptizatus: quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, prout dicitur in cap. Veniens, sub finem. De Presbytero non baptizato. Eandem doctrinam habet Henriquez *in cit. cap. 4. §. 4.* vbi & addit, eum non fieri irregularem qui metu graui compulsus, rebaptizat externa prolatione sine animo rebaptizandi, etiamsi non addat conditionem. Ratio est, quia ficte non serio baptizat, & per consequens nec vere rebaptizat, neque alter vere est rebaptizatus.

176. Hic monendum est: eum qui scitur natus ex parentibus Christianis, & educatus inter Christianos, qui infantes recenter natos baptizant, etiamsi antedicta attestato nequeat haberi de illius baptismo (quia credendus est baptizatus, nisi euidentibus argumentis contrarium forte probetur, ex citato cap. Veniens, item in fine) non esse baptizandum: neque in sub ea, quæ proposita est, conditionali forma. Idem etiam Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 246. iudicandum esse vult de infante, quem obstetrix baptizauerit: vt scilicet Parochus re tota, prout tenetur diligenter inuestigata: & cognito quod illa recte baptizauerit, ipsum non baptizet, ne quidem sub eadem conditionali forma: sed tantum alia omnia, quæ in solemni collatione baptismi vsurpari solent, suppleat.

177. Quamuis autem in Catechismo ad Parochos edito iussu Concil. Trident. cap. De Baptismo, non longe à fine, habeatur nunquam fas esse sub prædicta conditionali forma baptismum ministrare alteri, quam ei de quo, re diligenter perquisita, dubium relinquitur ad baptismum rite percepe-rit: administrantemque se contaminare sacrilegio, & in irregularitatem incurrere: Nauarrus tamen ibidem existimat illos, qui tale quid fecerint bona fide, quantumuis non excusentur à peccato ob indebitam diuini ministerij executionem: nihilominus excusari ab irregularitate prouenient ex iteratione baptismi: quia tunc baptismus non iteratur de facto, iuxta cap. Presbyteri, dist 68. Et patet: quia conditio de præterito, vel de præsenti (cuius generis est ea quæ per dictã verborum formam exprimitur) si falsa sit cessare facit actũ. Nec etiam iteratur tunc baptismus ex intentione baptizantis, cuius intentio per talem verborum formam expressa, non fuit baptizare iam baptizatum.

178. Porro idem Nauar. in sequen. num. 247. existimat quidem cum D. Anton. irregularitatem incurri ex iteratione aliorum Sacramentorum imprimentium characterem, hoc est, Confirmationis, & Ordinis: sed Couarr. *in supra citato num. 8. versu. Sed & aliud:* pro vtraque parte authoribus citatis contrariam sententiam approbat. post Alphon. à Castro *in lib. 1. De lege pœnali, cap. 7. documento 3.* & post vtrumque Suarez *tom. 5. disput. 41. sect 2.* Idque merito, cum mitior sit, optimoque nitatur fundamento: nempe quod irregularitas incurratur tantum in casibus iure expressis, ex cap. Is qui, De sententia excommunicationis in 6. nec possit assignari ius inducens talem irregularitatem. Id quod Nauar. ipse non obscure significauit dicens talem opinionem aptiorem videri iuri scripto.

Neque dici potest quod etiamsi ius expressam mentionem faciat tantum de iteratione baptismi, ob identitatem tamen rationis extendi debere ad iterationem sacramentorum, quæ similiter imprimunt characterem. Namque vt recte ait Alphonsus à Castro, cum pœnæ Ecclesiasticæ non sint ad pœnam tantummodo, sed frequenter ad medicinam: in illis imponendis magis habetur ratio pronitatis hominum ad peccata, quam grauitatis peccatorum; adeout graues interdum impositæ sunt leuibus peccatis, & leues, aut nullæ grauibus. Sic ergo cum pessimorum quorundam hominum hæreses olim fuerint de iterando baptismo, *sicut adhuc hodie est Anabaptistarum*, & de Confirmationis, aut Ordinis sacramento iterando, nulla hæresis in publicum prodierit, factum est vt ad reprimendam rebaptizatorum, & rebaptizantium audaciam pœna irregularitatis sit à iure aduersus eos constituta: non item aduersus illos, qui bis confirmati, aut ordinati fuissent: quia non erat opus ibi apponere medicinam vbi nullus apparuit morbus. 181.

179. Ad istud genus irregularitatis reuocari potest ea, cuius D. Anton. *in cit. cap 6. §. 2.* meminit, imposita ei qui in ægritudine quasi necessitate compulsus, baptisma suscipit: ex cap. Si quis, distinct. 57. Vbi ratio redditur, quod fides non sit illi voluntaria, sed ex necessitate; & deinde additur, posse talem in duobus casibus promoueri: prior est, si post baptismum fides, & vita ipsius fuerit probata. Posterior si hominum idoneorum raritas id exigat. De quibus videndus est Suarez in præced. sect. 1. num. 6. Pariter dici posset reuocari eas quæ incurruntur suscipiendo ficte baptismum, aut baptismum ipsum diu differendo; aut suscipiendo illum per vim conditionatum. Posset, inquam, nisi tales irregularitates, eadem ratione recitentur, qua prædictum est ab Alphonso à Castro reiici eam, quæ constituitur ex iteratione Confirmationis, vel Ordinis. 180.

Restat monendum, quod habetur ex cap. Quia in qualibet. 1. quæst. 7. baptizatos ab hæreticis, etiamsi verum baptisma acceperint irregulares esse: interpretatione benigna cũ glossa, *ibidem ad verbum, Ex eius cætu*, restringi debere ad eos qui in adulta ætate ab hæreticis susceperint baptismum: aut

ad sum-

ad summum, ad eos qui cum in infantia baptizati essent ab hæreticis, in adulta ætate illis consenserunt, vel fidem rectam impugnarunt. Illos enim infantes, qui cum baptizati fuerint ab hæreticis, adoleuerunt in Catholica fide, posse ad Ordines promoueri, patet ex cap. Placuit, & sequen. 1. quæst. 4.

CAPVT XIV.

De decima specie irregularitatis ex delictis circa Ordines.

SVMMARIVM.

181 *Sciens se censura irretitum, si Ordinem aliquem suscipiat, aut susceptum exerceat, fit irregularis, nisi eum ignorantia probabilis excuset.*

182 *Irregularitas non incurritur ex violatione minoris excommunicationis, aut prohibitionis Superioris sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.*

183 *Quis dicatur alicuius Ordinis opus proprium exercuisse.*

184 *Violatio suspensionis ab officio iurisdictionis, aut ab officio temporali, aut à perceptione sacramentorum, non inducit irregularitatem.*

185 *Inducit autem violatio suspensionis ab officio Ordinis, vel ab officio simpliciter, ac violatio interdicti tam localis, quam personalis.*

186 *Suspensio ab Ordine intelligenda est generaliter respectu omnium Ordinum, etiam minorum, atque Episcopatus.*

187 *Quid sit sentiendum de eo qui per censuram prohibitus: aut non prohibitus quidem, sed prohibitum facit coram se celebrare.*

188 *Quis dispenset in hac irregularitate.*

189 *Irregularitas accipientis plures Ordines simul.*

190 *Irregularitas ordinati ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit, aut qui censura irretitus est, aut hæreticus, aut schismaticus.*

191 *Irregularitas promoti per saltum, aut exercentis actum Ordinis, quem nondum accepit.*

192 *Laicus exercet aliquem actum Ordinis: aut alia diuina faciens, etiam censura irretitus, non fit irregularis, quidquid peccet.*

ALIQVOT propositionum explicatione continentur ea quæ huc pertinent, tradita à Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 241. & quatuor sequentib. atque à Summulariis in verbo, Irregularitas: quæ Suarez late persequitur tom 5. disput. 42. sect. 3. & sequentibus.

Prima igitur est: Eum irregularem esse, qui sciens aut sibi re debens se maiori excommunicatione irreticum esse, aut interdictum, aut suspensum saltem ab Ordinibus, aliquem eorum suscipit: aut alicuius opus proprium ex officio exercet. Ad cuius confirmationem Nauarrus ipse adfert cap. 1. De eo qui furtiue Ordines suscepit; & cap. Cum illorum, De sententia excommunication. ex quibus expresse quidem habetur tantummodò irregularitatem imponi ob violationem maioris excommunicationis; sed per cap. 1. De sententia, & re iudicata, & cap. item 1. De sententia excommunicationis, vtrobique in 6. propter violationem suspensionis ab Ordine ab officio: & per cap. Is qui, & cap. Is cui, De sententia excommunicationis, item in sexto, propter violationem interdicti, (intellige cum Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 243.* siue generalis, siue particularis, & siue personalis, siue localis) impositam quoque esse patet: ita vt ex Couar. ad Clemen. Si furiosus, 1. *parte, initio paragraphi primi:* tradita propositio nulla vlterius egeat probatione: sed potius oporteat quædam proponere, quæ faciunt ad plenam eius intelligentiam. 181.

Quorum primum est: per cap. Apostolicæ, De Clerico excommunicato ministrante, ab irregularitate excusari eum, qui ignorantia probabili, se aliqua censura irretitum esse ignorauit: non item eum, qui ignorauit, ignorantia tantum crassa. Ad quod faciunt quæ tradit Suarez tomo quinto, disput. 4. sect. 4. num. 9. & 10. Procedit autem non tantum quando ignorantia fuerit facti: vt quando celebranti nullo modo venit in mentem se censura irretitum esse: sed etiam cum fuerit iuris, id est, qua quis inuincibiliter ignorat se propterea quod censura irretitus celebrat, in irregularitatem incurrere. Pro quo facit tum quod in eod. cap. Apostolicæ dicitur generaliter; *Nos reddit ignorantia probabilis excusatos*; tum quod istud genus irregularitatis sit ex delicto: quo fit, vt sicut ignorantia inuincibilis non modo facti, sed etiam iuris, excusat à delicto, *quia tollit voluntarium*, excuset quoque ab ea irregularitate, quę causatur tantum ex delicto. De qua re Vgolinus, tabula prima De censuris, cap. 14. §. 1. num. 12. vbi, & admonet eum qui probabiliter credit se nulla censura irretitum, minime fieri irregularem si diuina celebret: quantumuis de illa, nonnunquam moueatur aliquo scrupulo: fieri autem, si dubitet se irretitum, & postea inueniatur irretitus.

Secundum est: violationem minoris excommunicationis sufficere quidem ad peccandum: non tamen ad incurrendam irregularitatem, ex cap. Si celebrat, De Clerico excommunicato ministrante. Quod idem est dicendum de violatione cessationis à Diuinis ex communi sententia, teste Couar. ad cap. Alma mater, *par. 2. §. 2. num. 3. vbi pro ea multos authores adfert: vt & Nauar. in eod. cap. 27. num. 188.* Itemque de violatione ipsius irregularitatis, vt idem Nauar. confirmat *in sequenti num. 194.* Fundamentum vero præcipuum est, quod ob nullam talem violationem ius irregularitatem specialiter imponat: vnde consequens est per cap. Is qui, De sententia excommunicationis in sexto, nullam inde contrahi. Adde, quod nec cessatio à diuinis, nec irregularitas comprehendatur censuræ nomine, vt illius violatio censeri possit irregularitatem inducere, tanquam comprehensa generali nomine violationis censuræ Ecclesiasticæ. 182.

Tertium est: Quamuis Maiolus in lib. 3. De irregularitatibus, cap. 18. putet irregularem esse cum qui suscipit Ordinem, vel exercet susceptum contra prohibitionem Superioris, si id prohibuerit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: vel si facta est prohibitio intuitu alicuius criminis, quod mereatur suspensionem: contrarium tamen videri probabilius. Quia cum ille cui facta est prohibitio sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, non incurrat in excommunicationem dum transgreditur, sed postquam transgressus est (debet enim causa præcedere effectum) fit vt quando quis in tali casu prohibitionem transgreditur, suscipiendo, vel exercendo Ordinem: sicut nondum est excommunicatus, ita necdum tanquam excommunicatus obnoxius sit irregularitati incurrendæ; sed tantum post completam illam transgressionem, per quam incurrit in excommunicationem: qua irretitus si Ordinem suscipiat, aut susceptum exerceat, fit irregularis. Præterea prohibitio facta à Superiore sine intentione suspendendi, *vt accidit in posteriori casu proposito*, etiamsi magnam habeat similitudinem cum suspensione: cum tamen non sit vera suspensio, non facit obnoxium irregularitati: vt nec cessatio à diuinis facit, etiamsi magnam conuenientiam habeat cum interdicto. 183.

Quartum est, ex Vgolino sumptum *De censuris tabula 1. cap 14. §. 1. num. 10.* dici quem aliquod Ordinis opus propriũ ex officio exercuisse; quando opus ipsum tale fuit, quod à solo eo, qui eodẽ Ordine initiatus fuerit, exerceri valeat. Sic igitur Episcopus confirmans, Ecclesias aut altaria cõsecrans, aut Ecclesias ipsas pollutas reconcilians, etiam sine solemnitate cæremoniarum, & ornamentorum: itemque Sacerdos Missam dicens, aut Extremam vnctionem conferens, dicitur ex officio actum Ordinis exercere: & ita de cæteris; quæ non nisi ab habente Ordinem cuius sunt actus, exerceri queunt. Quando vero exerceri quoque possunt à laicis, tunc intelliguntur exerceri ex officio, cum exercentur adhibitis cæremoniis, & vestibus iis, quibus consuetum exornari ille, qui tãquam Ordine initiatus illa exercet: velut cum quis canit Epistolam ornatus dalmatica, & manipulo, aut canit Euangelium ornatus stola. 184.

Atque hinc intelligitur transgressione suspensionis ab officio iurisdictionis, non incurri irregularitatem: quandoquidem ius hanc imponit tantum violanti suspensionem

ab officiis Ordinis, quæ diuinorum nomine significantur in cap.1. De senten. & re iudicata. Videndus est Vgolinus in supra citato §.1.*num.*15. Intelliguntur etiam multa alia, qualia sunt quæ idem in duobus præcedentibus, & quinque sequentibus numeris annotat: nempe irregularem non effici Clericum diuina officia exequentem, si nulla censura irretitus sit: aut irretitus sit quidem, sed officia, quæ exercet, sint tantum secularia: vt officium Magistri, Procuratoris, Scribæ publici; aut etsi sint diuina, non sunt tamen alicuius Ordinis, vt benedicere mensæ, canere responsoriũ. Aut quamuis sint alicuius Ordinis, ea tamen non exercet solemniter, & ex officio, sed vt laicus: de quo idem author plenius *ibidem num.* 20. Addens *in* 21. (quod eodem fundamento nititur) censura irretitum non efficiirregularem, *quantumuis peccet*, audiendo diuina officia: id enim non est illa exercere: pro quo tantum irregularitas hæc imponitur, per cap.1. & cap. Is cui, De senten. excommunic. in 6. Imo, *vt idem in sequenti num.* 22. *subiungit.* nec suspensus à perceptione sacramentorum, fit irregularis violatione eiusdem suspensionis, quia susceptio sacramentorum non est actus Ordinis, cum sit laicis communis cum Clericis. Quod tamen patitur exceptionem in ipso sacramento Ordinis hoc nomine, quod cum alicui prohibentur actus Ordinum, prohibetur eorundem susceptio: quia consequente prohibito, censetur prohibitum antecedens: vt prohibito matrimonio censentur prohibita sponsalia, ex lege Oratio, ff. De sponsalib.

Quintum est, *ex eodem authore in sequen. num.* 23. *&* 24. suspensum tantum à quibusdam diuinis, non effici irregularem exercendo alia diuina, à quibus non est suspensus: nec item eum qui diuina exercet, à quibus se putat suspensum esse, nec reuera est.

185. Sextum est, suspensum simpliciter ab officio, *perinde ac particulariter suspensum ab officio Ordinis*, irregularem fieri eiusdem suspensionis violatione: quoniam ea continetur, tam quæ est ab officio Ordinis, quam quæ ab officio iurisdictionis. Aduerte vero obiter, quod Henriquez habet *lib.*14. *cap.*7. *lit. V*, celebrando in Ecclesia polluta non incurri irregularitatem istiusmodi, quia pollutio non est censura.

186. Septimum est, illud quod antea num.181. attigimus, irregularem fieri excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum, qui exercuerit solemniter officium proprium Ordinis; procedere etiam quoad officia minorum Ordinum, prout communem sententiam esse habet Nauar. in Enchir. *cap.*27. *num.*163. in quam multos refert Vgolinus *in cit.* §.1. *sub finem numeri primi*: vbi & eam confirmat ex cap.2. De Clerico excommunicato: ponderando verba, Si quis Presbyter, aut alius Clericus: nam particula, *Si quis*, est generalis: & nomen Clericus dicitur tam de minoribus, quam de maioribus, iuxta illud quod in cap. Cum contingat, De ætat. & qualit. statuitur, quem constitui in numero Clericorum per primam tonsuram.

Addit idem Vgolinus *in sequenti num.*2. illud ipsum procedere etiam, quoad officia propria Episcopatus: qualia sunt chrisma conficere, baptizatos confirmare, Ordines conferre, & consecrare Ecclesias, aut altaria. Ratio ipsius est, quod talia sint diuina, quæ ex officio proprio exerceat Episcopus. Is autem officia sua diuina in suspensione exequens in irregularitatem incurrit, per cap.1. De sententia & re iudicata, & per cap.1. De sententia excommunicationis, §. Caueant, vtrobique in 6.

187. Octauum est, *ex glossa ad Clemen.*2. *De priuilegiis, verbo, Celebrari*: similiter irregularem fieri illum, qui ligatus aliqua censura, qua prohibetur interesse celebrationi Missæ, hanc facit coram se celebrari, vel qui non est quidem tali censura ligatus, sed ea ligatum facit coram se celebrare. Quorum prius eadem glossa confirmat per cap.Illud, in fine, De Clerico excommunicato ministrante: in eoque multi Doctores illam sequuntur, quorum meminit Vgolinus *in eod.* §.1. *num.* 11. Posterius vero non videtur certum: cum per extrauagantem, Ad euitanda scandala (de qua egimus in 1.libro, cap.9. sectione posteriore) nullum prætextu cuiuscumque sententiæ Ecclesiasticæ, vitare teneamur in diuinis, nisi notorium percussorem Clerici, aut alia censura irretitum nominatim denunciatum.

Cæterum quod in hac irregularitate præter Papam possit quoque Episcopus dispensare, si ea fuerit occulta, aut si ea affectus ingrediatur religionem, satis patet ex dictis in preced. cap.3. Addendum est vero ex cap. Cum illorum, De sententia excommunicationis, cum Regulari posse Abbatem ipsius (quo nomine comprehendi Priorem, aut alium Prælatum quocumque nomina designatum, notat glossa *ibidem ad verbum Abbatem*) posse dispensare eum eo qui ex ignorantia siue iuris, siue facti deliquerit, nec factum sit graue. 188.

Reliquæ propositiones.

SEcunda propositio est: Irregularem esse eum, qui contra patriæ cõsuetudinem (secundum quam alioqui agens excusari posset, *vt in Enchir. cap.*25. *num.*71. *& cap.*27. *nu.*241. *ex D. Anton.*3. *par. tit.*14. *cap.*16. §.16. notat Nauarrus) quatuor Ordines minores, & Subdiaconatum vno, eodemq; die suscepit furtiue: id est, inscio, seu non aduertente Episcopo. Pro quo facit cap.2. De eo qui furtiue Ordinem suscepit. De irregularitate enim intelligendum esse, argumento est, quod habeat Episcopum posse cum tali dispensare in executione minorum Ordinum non susceptorum furtiue: sique religionem intrauerit, vitaque, & mores ipsius exegerint, posse Abbatem in aliis Ordinibus cum eodem dispensare. Hæc enim irregularitatem indicant: cuius est dispensatio, non autem censurarum. 189.

Idem esse iudicium de eo, qui eodem die duos maiores Ordines susceperit: ratio à maiori docet, prout in eodem num.241. notat Nauarrus: habeturque ex sequent. cap.3. eodem tit. Ex quo item habetur, si ab Episcopo prohibitum sit sub pœna excommunicationis, ne quis ad duos Ordines suscipiendos se ingerat, cum eo qui se ingesserit dispensari non posse, nisi per Papam: aut si religionem ingressus sit, per Episcopum: idq; postquam pro eo crimine iniunctam pœnitentiam ipse peregerit, & laudabiliter conuersatus fuerit. Adeo vt quod ex prius cit. cap.2. dictum fuit absolute, in hac irregularitate dispensari posse per Episcopum in executione Ordinis non suscepti furtiue, & per Abbatem in omnibus Ordinibus cum eo, qui religionem intrauerit, intelligi debeat extra casum in quo ab Episcopo ordinante prohibitio sub pœna excommunicationis facta est, ne duo Ordines eodem tempore suscipiantur. 192.

Tertia propositio est: Initiatum sacris Ordinibus ab Episcopo, qui abdicauit se Episcopatu suo, tam quoad locum quam quoad dignitatem, irregularem esse: cum quo tamen si probabiliter ignorauerit abdicationem, possit proprius Episcopus dispensare, ex cap.1. De ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit. 190.

Si opponas ignorantiam probabilem, quemlibet ignorantem excusare ex toto, sicut à peccato; ita & à pœna peccati: ideoque talem, tanquam immunem ab irregularitate non egere dispensatione. Respondetur cum glossa vltima ibidem; propterea egere dispensatione, quod ordinatus sit ab eo, qui cum non habet executionem sui officij, non potest illam ordinato conferre. Hanc propositionem locum habere etiam in eo: qui de licentia sui Episcopi sic ordinaretur, omnium sententiam esse notat Nauarrus in cit. num.241.

Quarta propositio est: Eum, qui ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, schismatico, hæretico, deposito, aut degradato ordinatur, irregularem esse. Hanc idem ibidem subiungit. Confirmat autem ex eo, quod talis Episcopus, dummodo sit denunciatus talis esse, *id est, excommunicatus, &c.* (de non denunciato enim propter extrauagantem. Ad euitanda scandala, cuius ante meminimus, alia est ratio) non habeat executionem: quam proinde alteri dare non potest. Episcopum autem posse dispensare cum eo, qui probabiliter ignorauerit denunciationem, intelligitur ex cap.2. De ordinatis ab eo, qui Episcopatui renunciauit, & ex cap. Statuimus decretum, cum sequenti, prima quæst. 1. Eadem habet Henriquez ex aliis *quos in margine citat lib.* 14. *cap.*6. §.6.

Quinta propositio est: Ordinatum per saltum, hoc est, accipiendo Ordinem superiorem ante inferiorem: vt Diaconatum ante Subdiaconatum, irregularem esse, vt satis si- 191.

gnifica-

gnificatur in cap. Solicitudo, distinct. 52. & in cap. vnico, De Clerico per saltum ordinato, dum dicitur esse cum eo vtendum misericordia, seu dispensandum ab Episcopo. Qua de re aduerte ex Nauarro *in sequenti num.* 242 cum tali, postquam ante dispensationem solemniter; & serio exercuit, siue superiorem Ordinem ad quem per saltum ascendit, siue inferiorem quem prætermisit, solum Papam dispensare posse. Antequam autem exercuerit, posse Episcopum dispensare cum ipso ad susceptionem Ordinis omissi; & ad exercitium & illius sic & alterius male suscepti, siue quem scienter, siue ignoranter susceperit: ac etiam ad susceptionem Ordinis superioris, si inferiorem susceperit ignoranter, id est, putans se iam esse ordinatum alio, quem omisit, cum nondum esset. Eadem ex aliis (quos in margine citat) habet Henriquez *in præced.* §. 3. Videri quoque potest Suarez tomo 5. disput. 42. à num. 5.

Sexta propositio est: Irregularem fieri Clericum exercendo Ordinem quem nondum habet, ex cap. 1. De clerico non ordinato ministr. Intelligenda est autem ex Nauar. in citato num. 242. cum duplici moderatione. Altera est, vt exercuerit non ioco, sed serio, tanquam initiatus ipso Ordine: prout vsuenit ei, qui canit Epistolam cum manipulo; aut qui fingens se Sacerdotem, baptizat cum solemnitate consueta, aut confessiones audit. Videndus est Henriquez *in eod. cap. 6. nu.* 2. Altera est, vt exercuerit solemniter, id est, cum apparatu, eodemq; modo quo solet, Ordinis susceptione ad tale exercitium consecratus.

Aduerte vero, quia executio minorum Ordinum permissa est non ordinato, perinde ac ordinato, ex D. Thoma *in* 4. *distinct.* 24. *quæst.* 2. *art.* 2. *in fine:* non ordinatum irregularitatem minime ob illam incurrere ex D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *in principio.* Et ratio est, quod talis non peccet, excusante ipsum Ecclesiæ consuetudine: cui non obsistit consecratio personæ ad eos actus exercendos, sicut nec consecratio loci ad Missæ celebrationem, non impedit, quominus Superioris permissione eadem celebratio in loco non consecrato peragi possit.

192. Iam quod D. Anton. loco citato statuit non modo clericum, sed etiam laicum, si cum solemni apparatu exerceat actum alicuius Ordinis quo caret, in irregularitatem incurrere tali exercitio (quod etiam Nauar. loco cit. sentit) etiamsi vt tutius, probari potest: contrarium tamen, quod est mitius teneri potest; sicut tenent Angelus, *in verbo Irregularitas*, 1. *n.* 38. & Roscella, *Irregularitas* 2. *in principio*, & Couar. ad Clem. Si furiosus, 1. *par.* §. 1. *num.* 1. Henriquez *in cit. cap.* 6. §. 1. Namque memoratum cap. 1. De clerico non ordinato ministrante, prout inscriptio indicat, expresse loquitur de clerico. Neque est, quod quis dicat ob identitatem, vt vocant, rationis, extendi ad laicos: quoniam licet ea identitas sit ex parte grauitatis criminis: non tamé ex parte pronitatis hominum ad illud. Qui enim de facto aspirant ad superiores Ordines iam initiati minoribus, magis solent propensi esse ad illos exercendos, quam cæteri, qui ne prima quidem tonsura sunt initiati.

Adde obiter ex Vgolino *De censuris, tab.* 1. *cap.* 14. §. 1. *n.* 13. Eum, qui clericus non est, si censura irretitus faciat diuina, non incurrere irregularitatem, quæ imponitur per cap. Si quis Episcopus in Concilio, 11. quæst. 3. & per cap. 1. & cap. Is cui, De sentent. excommunic. in 6. Nam ea imponitur diuina facienti ex officio, quod laicis conuenire non potest, vt pote talis officij omnino expertibus.

In hac autem specie irregularitatis, solum Papam dispensare, excepto quod Episcopus possit ad exercendum Ordinem susceptum, habet ex Panorm. *ad cap.* 1. *De clerico non ordinato minist.* Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 243.

Plures irregularitates ad antedictas à Maiolo adiunguntur, quæ incurruntur per indignam Ordinis administrationem: sed quia non nituntur sufficienti testamento, vt videre est apud Suarezium tomo quinto, disput. 42. sect. 5. in iis memorandis non immorabimur.

***

CAPVT XV.

De vndecima specie irregularitatis ex hæresi: & duodecima, ex infamiâ.

SVMMARIVM.

193 *Quod hæretici, & eorundem credentes, receptatores, defensores & fautores sint irregulares.*
194 *Duplex genus infamiæ, & ex quo incurratur irregularitas.*
195 *Tres species infamiæ, ex qua incurritur irregularitas.*
196 *Quando præter Papam Episcopus in tali irregularitate dispenset.*
197 *Irregularitas quæ contrahitur ex ignominiosa alicuius artis professione.*
198 *Tres conditiones, quibus moderanda est talis pœna.*
199 *Quid sit sentiendum de aleatoribus.*

HÆRETICOS irregulares esse confirmant D. Anton. 3. *par. tit.* 28. *initio sexti capitis*, per cap. Ventum est, 1. quæst. 1. Angelus *Irregularitas*, 1. *num.* 28. & cum eo Syluest. *eodem verbo, quæst.* 5. per cap. Saluberrimum, eadem causa, quæst. 7. Nauarrus demum, *vt cæteros omittam, in Enchir. cap.* 27. *num.* 205. per cap. Si quis omnem, ead. quæst. 7. & per cap. 2. De hæreticis in 6. §. Hæretic. In quo nihil quidem expresse dicitur de Ordinibus, sed tacite ij satis indicantur per beneficium Ecclesiasticum, & officium publicum (intellige seculare, velut iudicaturæ, notariatus, & similium: prout glossa ibidem interpretatur) quandoquidem ad reddendum aliquem in republ. Christiana non indignum beneficio Ecclesiastico, vel officio seculari, non est opus tam multis, quam ad reddendum non indignum officio Ordinis: quod est longe dignius, quodq; beneficium Ecclesiasticum respicit tanquam illud cuius exercendi causa instituitur atque confertur. Videndus est Suarez disput. 43. sect. 1. 193.

Ex eodemque *ibidem* addendum, talem irregularitatem habere locum in hæretico per accidens occulto, seu qui signum externum dederit suæ hæresis, sed ita latens, vt non sit, qui aduersus eum in iudicio testari possit. Id quod non obstare quin irregularitas incurratur, patet ex eo quod de eiusdem ratione sit, vt sicut imponitur, ita & incurratur ipso iure, nec opus sit sententia hominis. Quamquam tamen in contrarium habet Henriquez lib. 14. cap. 4. §. 6. occultum hæreticum, aut apostatam non probari esse irregularem. Cui fauet illud cap. Ad abolendam, §. 2. De hæret. Quicumque manifeste fuerit in hæresi deprehensus; & citatum cap. Saluberrimum; quod agit de abiuratione solemni quæ in scriptis fit: atque in memorato §. Hæretici, aperte supponitur notitia criminis, sine qua nequit impleri quod præscribit. Quæ possunt esse fundamentum sufficiens ad moralem probabilitatem.

Porro idem quod de hæreticis per memoratum paragraphum hæretici statuendum est (prout bene declarat Suarez in sequenti sect. 2. num. 5.) De eorundem credentibus, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus, & de filiis ipsorum vsque ad secundum gradum, id est, ad filios & nepotes, *vt glossa interpretatur*, in paterna linea: & vsque ad primum in materna. Intellige si ipsorum parentes ex hac vita tales, *hæreticos inquam, aut hæreticorum credentes*, receptatores, defensores, aut fautores, decessisse comprobentur, iuxta cap. Statutum, eod. tit. & libro.

In hac irregularitate, sicut & in aliis, quæ ex defectu animi proueniunt, solus Papa dispensat, ex Nauar. *in cit. num.* 205. Quod verum esse quantumcumque hæresis sit occulta existimat Suarez in citata sect. 1. sub finem, cõgruenter suæ sententiæ paulo ante propositæ. Ex quo in sequenti sect. 3. aduerte: de apostata à fide, idem quod de hæretico esse maiori ratione sentiendum. Atque ad dubium; An si quis exterius tantum, metu aut alia passione adductus, retinensque interius fidem, incurrat in talem irregularitatem, esse affirmatiue respondendum per cap. Presbyteros, distinct. 50. vbi dicitur eos, qui ex timore immolarunt idolis, aut alio si-

nisi signo negauerunt fidem, non posse ad sacrum ministerium accedere.

Cæterum qui putant schismaticos perinde irregulares esse, ac hæreticos, per cap. 1. De schismaticis, & cap. Qui contra, 24. quæst. 1. non videntur audiendi: quia cum in illo priori capitulo, solum sit sermo de ordinato à schismatico: & in hoc posteriore, tantum imponatur pœna ciuilis perturbanti pacem Ecclesiæ, nullo sufficienti fundamento niti videntur. Qua de re plenius Suarez in cit. sect. 2. §. Quarto extenditur. Plenius quoque in sequenti 3. explicans quod prædictum est, hanc irregularitatem incurrere; non tantum patres, sed etiam filios.

194. Quod attinet ad irregularitatem ex infamia notandum est duplex esse genus infamiæ: vnum quod ex vitæ merito, amoreque in Christum exoritur apud impios: cuius meminit D. Paulus cum in posteriori ad Corinth. cap. 6. ait: Oportere vt exhibeamus nos Dei ministros per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam. Ex hocque non indignus, sed maxime dignus efficitur quis sacris Ordinibus, vt indicat illud Actorum quinto: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu consilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.] Alterum genus est, quod ex turpitudine exsurgit apud graues & honestos viros, & hoc inducit irregularitatem, per cap. Infames, 6. quæst. 1. & regulam 87. iuris in sexto, Infamibus portæ non pateant dignitatum.

195. Eiusque, *ex Panorm. ad cap. Testimonium, De testib. nu. 6.* tres sunt species. Prima est infamia facti quæ incurritur quoties apud bonos, & graues viros infamatur quis ex aliquo facto: iuxta glossam ad cap. Infames, 3. q. 7. *verbo Infamia:* & notauit Angelus *verbo Infamia, num. 2.* & Syluest. *eodem verbo, quæst. 1.* quorum ille bene monet dicta paucorum, vel leuium hominum non facere talem infamiam, quamdiu apud bonos, & graues non fuerit opinio læsa.

Secunda infamia est iuris ciuilis: quæ, vt iidem authores docent (& patet ex proxime citato cap. Infames, §. Porro) incurritur aut per Iudicis ordinarij sententiam, qua quis de crimine damnatur: aut ipso facto in casibus, in quibus iure cauetur, quod ea incurratur ipso facto. Hos autem esse. Angelus & Syluest. vterque in eodem verbo, q. 5. referunt. Primus, cum Imperator militi aufert insignia, vel mittit aliquem in exilium. Secundus, cum quis exercet improbum fœnus, exigens vsuras vsurarum.

Tertius, cum quis deprehenditur in adulterio. Quartus, cum quis contrahit simul cum duabus, vel simul habet duas sponsas. Quintus, cum quis lenocinium exercuit, vel filias, aut neptes prostituit. Sextus, cum quis locauit operas suas, vt pugnaret cum fera.

Tertia infamia est canonica: quæ, vt iidem quoque authores habent, causatur ex quocumque peccato mortali, iuxta prius citatum, cap. Infames, 6. quæst. 1. (ex quo glossa *ad verbum, Fures,* idipsum infert) amplectiturque eam, quæ est iuris ciuilis: quia omnes qui sunt infames secundum leges ciuiles, sunt etiam secundum canones, ex cap. Omnes vero, 6. quæst. 1. Et ita ex secunda, perinde atque ex tertia infamiæ specie irregularitas contrahatur. Contrahi quoq; ex prima specie, Angelus & Syluest. in verbo, Infamia, num. 3. & hic num. 6. probant, per cap. Tantis Daniel distinct. 81. & cap. Omnipotens Deus, De accusationibus. Sed aduerte requiri in ea re vel sententiam Iudicis declaratoriam, seu qua quis condemnetur de illo crimine propter quod in iure ciuili, vel canonico notatur infamia; vel euidentiam facti, qua ipsum nulla tergiuersatione cœlari possit, aut saltem notorium sit maiori parti viciniæ, vel collegij, aut loci in quo ille degit. Etenim nemo perdit ius famæ nisi per sententiam Iudicis, aut per propriam confessionem in iudicio, aut per euidentiam facti.

196. Cæterum ex Nauarr. in Enchir. *cap. 27. num. 204.* in tali irregularitate solus Papa dispensat: nisi quod Episcopus dispensando super delicto ad quod ipsius facultas dispensandi se extendit, cõsequenter tollat infamiam ex tali delicto prouenientem per glossam, *ad cap. Domino distinct. 50. verbo, Atque ignominiam, & ad cap. Euphemium, verbo Infamiam, 2. quæst. 3.* Idque est quod Syluester sibi vult *in verbo Infamia, quæst. 1.* inquiens Episcopum indirecte tantum dispensare super infamia in casibus sibi à iure permissis: vt cum quis condemnatus est de adulterio (super quo & aliis criminibus minoribus Episcopum posse dispensare, habetur ex cap. At si, De iudiciis, §. De adulteriis: vbi glossa *ad verbum. Dispensare,* id late explicat) efficitur infamis: atque Episcopus cum eo dispensans super tali crimine, consequenter indirecteque (non autem principaliter, & directe) dispensat in infamia proueniente ex illo. Addit Nauarrus quandoque per pœnitentiam iustam, & emendationem vitæ, irregularitatem ex infamia tolli: tunc scilicet, cum tollitur ipsa infamia: quia omnis res per quascumque causas componitur, per easdem dissoluitur.

Porro vt infamiam, sic quæ illi proxime accedit ignominiosam alicuius artis professionem, omnemque personæ vilitatem inducere irregularitatem, monet Maiolus lib. 3. De irregularitatibus, cap. 1. iuxta glossam ad cap. Nihil, De electione, *verbo, Suspendatur,* & argumento cap. De seruorum, & cap. Admittantur, distinct. 54. In quorum priore sub finem habetur, quod iuxta sacros Canones vilis persona manens, sacerdotij dignitate fungi non potest. Cui simile est quod dicitur in cap. Inter dilectos, De excessibus Prælatorum, §. Nos igitur, in fine: personis vilibus, & indignis portas dignitatis patere non debere, iuxta legitimas sanctiones. 197.

In quarum personarum numero conguenter cap. Pro dilectione, De consecr. distinct. 2. idem Maiolus numerat. Primo, histrionem; mimum, ioculatorem, cytharedum, saltatorem, gladiatorem, stadij curforem, & consimiles, qui mercedis gratia ludibrium sui faciunt. Quod quidem iuxta Sylu. in verbo, Infamia, quæst 5. extendendum est ad eum, qui semel tantum eiusmodi artem aliquam exercuerit. Secundo, numerat illum, qui vilem ignominiosamve ducit vxorem: nempe repudiatam & electam, meretricem, aut ancillam suam, aut publicis spectaculis mancipatam. De qua re habetur expressus textus in cap. Si quis viduam 2. distinct. 34. Et ratio attingitur in cap. Si quis viduam 1. eadem distinct. quod maritus vxoris vitium, id est, *vt ibidem glossa finalis interpretatur,* defectum contrahat, ex illiusve vilitate, & ignominia vilis, ignominiosusque efficiatur. Tertio, numerat carnificem, seu macellarium, & tabernarium, quem vtrumque pro virili personam haberi secundum sanctiones Ecclesiasticas, patet ex Clem. 1. De vita & honest. Clericorum. Itemque emundatorem cloacarum, expurgatorem pellium & similes exercentes officia, quæ vilia sunt, & horrorem afferunt, prout tangit glossa *ad eandem Clementinam, verbo, Macellariorum.*

Verumtamen ex eodem Maiolo, illud suum monitum temperandum est, tribus conditionib. Prima est vt tantummodo habeat locum in iis qui talia officia exercuerunt: non autem in ipsorum prole, quæ illa non exercuerit: quoniam ignobilitas parentum proli, si ipsa est laudabilis, nihil obest quoad Ordines: in quibus piscatori Petro, fabri filio, non Augusto succeditur, vt habet glossa ad cap. Quoniam vetus, 24. quæst. 1. *verbo Inuidia.* Secunda est: vt non habeat locum in eo, qui ad edomandam superbiam talia officia exercuerit, cum inde aptior, magisque idoneus efficiatur ad gerendam animarum curam. Sic Alexander Carbonarius, cum carbonariam exerceret vir doctissimus, oppletus illis sordibus, quas ea ars inducere solet, electus est in Episcopum, vt D. Gregor. Nyssenus scripti in vita Gregorij Thaumaturgi. Tertia, vt non habeat locum in mechanicis, qui nihil faciunt turpe, seu quod horrorem incutiat, vt sutores, sartores, fabri lignarij, vel ferrarij, & huiusmodi alij, vt argumento est, quod D. Paulus fuerit sutor tabernaculorum, ex cap. 18. Actorum. 198.

Postremo numerat aleatores, quos Ecclesia ita auersatur, vt eos tanquam viles, & indignos ab omni Ecclesiastico beneficio obtinendo excludat, per cap. Inter dilectos, De excessibus Prælatorum: ex quo glossa ad cap. Clerici officia, De vita, & honestate Clericorum, *verbo, Ad aleas,* probat eum, qui publice aleator est, à promotione repelli, seu irregularem esse. 199.

CAP.

CAP. XXVI.

De vltima irregularitate ex delicto quocumq; enormi & notorio.

SVMMARIVM.

200 *Species irregularitatis quæ à nonnullis constituuntur sine sufficiente fundamento.*

201 *Qui peccat solum venialiter committendo crimen propter quod irregularitas imposita est, ab ea excusatur.*

202 *Ratio in contrarium cum solutione.*

203 *Cur in irregularitate ex delicto locus excusationi esse possit: non item in irregularitate ex defectu sine delicto.*

204 *Culpa quidem leuis Theologica ab irregularitate excusat, non tamen leuis iuridica.*

PRÆTER memoratas hactenus, aliæ à quibusdam irregularitates referuntur, prouenientes ex certis specialibus delictis: vt ex simonia, ex sacrilegio, ex blasphemia, aliisque nonnullis. Sed id sine fundamento fieri Suarez tomo 5. disput. 43. sect. 4. bene ostendit in sequenti 5. à num. 4. adhuc reiiciens illud quod per cap. vltimum, De temporibus ordinationum, Nauar. in Enchir. *præsertim cap. 27. num.* 248. inducit speciem irregularitatis ex quouis notorio relicto enormi; Nam vt ille argumentatur in eo Capitulo, non omnium in genere; sed tantum modo quatuor in particulari fit mentio: nempe homicidij, periurij, adulterij, & falsi testimonij. Deinde idipsum cap. facile potest admittere eam benignam interpretationem, qua dicatur non imponere speciale aliquod impedimẽtum canonicum, qualis est irregularitas, sed tantum exigere prouidentiam Prælati Ecclesiastici in coercendis criminosis notoriis depositione dignis: de quibus determinare in particulari committitur arbitrio Superioris, *ex Panorm. ad cap. At si. De iudiciis, num.* 33. Ille autem in arbitrando iuuabitur inspectione qualitatum, quas idem Panormitan. in seq. num. 34. annotat reddere crimen mortale depositione dignum. Prima est, si cõunctam habeat incorrigibilitatem. Secunda, si irregularitatem propter illud specialiter impositam. Tertia, si publicum sit, & scandalosum. Quarta, si diu continuatum. Quinta, si enorme, seu valde abhorrens à norma rectæ rationis. Sexta, si in se habeat infamiam iuris.

200.

Superest ad antedicta addendum, irregularitatem à iure impositam ob peculiare aliquod delictum: non incurri ab eo qui in tali genere delicti deliquerit solum venialiter. Id quod Nauar. habet in Enchir. *cap. 27. num.* 249. §. 7. post Sotum in lib. 5. De iustitia & iure. *quæst. 1. art. 9. sub finem*: quibus assentitur Henriquez, *lib. 14. cap. 3. in princip.* aduersus Caiet. *in verbo, Irregularitas*, quia irregularitas est pœna valde grauis; vtpote quæ omnis Ordinis vsu priuat inhabilemq; facit ad beneficij Ecclesiastici acquisitionem, vt Nauar. *in præcedenti* §. 6. ostendit: per illud præsertim, quod beneficium detur propter officium; ex cap. finali; De restitutis in 6. inhabilisq; ad vnum, sit & ad alterum ei annexum. Quod cum ita sit; culpa tantum modo venialis plectenda non est irregularitate: quandoquidem pœna proportionari debet delicto; & vindicta ex æquo excessui respondere, ex cap. Felicis, De pœnis in 6.

201.

Ad fundamentum autem Caiet. quod propter peccatum veniale incurratur minor excommunicatio, quæ pœna maior est, Nauarrus respondet negando esse pœnam maiorem: quia sicut minor excommunicatio, passiua sacramentorum participatione priuat, sic etiam irregularitas priuat eorundem participatione actiua: neq; magna ex parte; aliter quam per Papam tolli potest: cum minor excommunicatio possit auferri per quemcumque Sacerdotem Confessarium legitimum, quod ipse etiam Caiet. expresse docet in verbo *Absolutio, cap. 2. §. Libertas in fine.* Sic ergo reliquitur cum quis in eo propter quod imposita est irregularitas ex delicto, deliquerit solum venialiter: *(& multo magis cum ob ignorantiam inuincibilem, aut aliam causam, nullatenus deliquerit)* ipsum à tali irregularitate excusari. Ab ea vero, quæ ex defectu sine delicto prouenit, nemo excusatur.

202.

Quod vtrumque recte confirmat Alphonsus à Castro in lib. 2. De lege pœnali, cap. 14. concluf. 1. & 2. principali. Ratioque præcipua est, quia irregularitas ex delicto ita prohibitum est, procedit necessario ex aliquo peccato mortali. Ergo vbi non præfuit tale peccatum, nec fuit irregularitas. At vero, quia irregularitas ex defectu sine delicto, procedit ex operatione, vel certa qualitate personæ, quæ manet etiam cum ignorantia inuincibili; illa per hanc minime tollitur. Sic quia ignorantia inuincibilis, qua quis in vxorem ducit ab alio corruptam, non impedit in eo rationem bigamiæ, id est, quin vere sit maritus viduæ; ita nec impedit irregularitatem à iure impositam ob bigamiam: cum non obstet quin perseueret causa, quam irregularitas institutione iuris, necessario sequitur. Sic etiam quantumuis spurius inuincibiliter ignoret conditionem suæ personæ, ob quam est à iure imposita irregularitas: subiicitur tamen irregularitati, quia sicut per talem ignorantiam non definit tali conditioni subiici, ita nec subiici irregularitati: & sic de cæteris.

203.

Aduerte vero obiter antedictum (quod scilicet irregularitas ex delicto non incurratur, vbi fuerit tantum veniale) non aduersari ei, quod in præced. cap. 10. notab. 4. habitum est, irregularitatem ex homicidi fortuito, incurri ex leui etiam culpa. Nam ibi sermo non est, *vt hic*, de culpa Theologica, sed de culpa iuridica, quæ est defectus diligentiæ debitæ: quam qui omittit in eo cauendo, quod de se alteri mortem adferre potest, mortem ipsam indirecte velle intelligitur: quod est mortale, atque adeo sufficiens causa irregularitatis ex homicidio fortuito.

204.

TRACTATVS TERTIVS.

De cæteris, in quorum notitia consistit maxima ex parte ratio iudicandi de peccatis propriis Clericorum, vt Ordine initiatorum.

QVi sacramenti Ordinis susceptione initiantur communi nomine dicuntur Clerici, de quorum peccatis propriis diiudicandi ratio specialis exigit, vt ad duos tractatus præcedentes hunc addamus, quo complectamur cætera in quorum notitia, ratio eiusmodi maxima ex parte consistit. Reuocantur autem, tum ad obligationes Clericis ipsis impositas ratione status ipsorum, tum ad acquisitionem, tum ad amissionem, seu demissionem beneficiorum Ecclesiasticorum.

TITVLVS PRIMVS.

De obligationibus Clericorum.

PRÆTER obligationes quibus Clerici partim iure naturali per præscriptum rectæ rationis: partim iure positiuo per sanctiones Ecclesiasticas adstringuntur, iuxta antedicta, dantur aliæ, quarum nonnullæ communes sunt omnibus, non item aliæ.

CAPVT I.

De communibus Clericorum obligationibus.

SVMMARIVM.

1 *Quæ dicantur obligationes communes Clericorum.*
2 *De illis quæ imponuntur ipsis pro tempore suæ ordinationis.*
3 *De aliis quæ imponuntur iam promoti ad Clericatum.*
4 *Præcepta quibus imponuntur, ad quinq; genera reuocantur.*
5 *Duo casus in quibus ea transgrediendo peccatur mortaliter.*
6 *De eo quod quæritur: An is qui habet tonsuram clericalem teneatur ad recitationem Psalmorum pœnitentialium.*
7 *Obedientia quam Clerici ratione sui status debent Episcopo.*
8 *Duplex Episcopalis lex, vna iurisdictionis, altera diœcesana.*
9 *Clericus nequit longam peregrinationem suscipere absque licentia proprij Episcopi, & quis censeatur Episcopus proprius.*

Nu. 1. OBLIGATIONES communes Clericorum vocamus eas, quæ ipsis in communi imponuntur ratione sui status, siue pro tempore ordinationis seu promotionis ipsorũ ad Clericatum: *quæ ab Episcopo sit capillos ipsis abscindente in signum depositionis, seu abdicationis omnium temporalium, iuxta cap. Duo sunt, 12. quæst. 1.* siue etiam pro tempore quo iam fuerint promoti vt habeant se decenter, habita ratione dignitatis status, ad quem sunt euecti.

2. Ad prioris vero modi obligationes spectat primo quod in Concil. Trident. sess. 23. cap. 4. De reformatione, prohibetur ne tonsura clericali initientur, qui sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis coniectura non sit eos non secularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. Spectat secundo, quod in præcedenti sess. 14. cap. 2. De reformatione, præceptum esse censetur (dum scilicet prohibetur, ne Episcopus alienus sine proprij expresso consensu, aut literis dimissoriis, quemquam ad primam tonsuram promoueat) vt prima tonsura accipiatur à proprio Episcopo, non autem ab alio, sine expressa illius facultate. Spectat denique illud quod per communem prohibitionem simoniæ censetur prohibitum: scilicet ne detur quidquam æstimabile pecunia pro obtinendo clericatu. Quod & confirmatur per illud quod idem Concilium sess. 21. De reform. cap. primo præcipit Episcopis, ac ministris eorum, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, accipere. Secusque facientes tanquam simoniæ labe infectos, subiicit pœnis à iure inflictis: de quibus egimus in præcedenti lib. 23. cap. 12. Videri etiam possunt Sylvest. *verbo Simonia, quæst. 19.* & Nauar. *in Enchir. cap. 23. num. 111. ad 15.*

Aduerte vero de se satis cõstare talis prohibitionis transgressione peccatum mortale committi, prout eædem pœnæ (*vtpote graues*) abunde fidem faciunt. Quamquam ipsum, *sicut & alia mortalia*, communiter ex paruitate pretij quod datur; aut ex intercedente inconsideratione, esse potest solummodo veniale. Committi etiam peccatum mortale trãsgressione duorum prius memoratorum, sententia est eiusdem Nauarri, *in sequenti cap. 25 num. 68.* Sed si absit contemptus tam tacitus, quam expressus Superioris, & aliorum scandalum, contrarium teneri posse videtur: quoniam materia de qua dantur non est adeo grauis, vt absolute debeant censeri sub mortali obligare. Dantur enim de modo quo facienda est promotio ad Clericatum, qui non est Ordo (vt omnes fateri Sotus habet, *in 4 dist. 24. quæst. 2. art 1 sub fin.*) sed solum dispositio ad Ordines, sicut Catechismus ad baptismum, vt idem ibidem addit, neque sic necessaria est collationi eorundem Ordinum, quin hæc sine illa sit valida. Accedit q; clericatus non conferatur ad vllos actus quorum non sunt laici capaces: ita vt ratione quidem illius, Clericus sit in altiore gradu, quam laicus: non habeat tamen ampliorem potestatis gradum. Quod etiam Sotus ibidem notat. 5.

Quod attinet ad obligationes posterioris modi, num. 3. propositi, eæ nõ sunt alicuius potestatis exequendæ (cum iuxta proxime dicta susceptio primæ tonsuræ non sit promotio ad ampliorem potestatis gradum) sed sunt vitę instituendæ decenter clericali statui: seu viuendi moribus conuenientibus statui altiori, quam sit communis laicorum. In quam sententiam legendum est Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. De reform. Tot vero sunt eius generis obligationes, quot ea quæ de vita, & moribus clericorum statuta, præceptaque sunt iure Canonico relata in decreto Gratiani à distinct. 24. ad 93. & in aliis libris eiusdem iuris, titulo De vita & honestate clericorum: & maxima ex parte à Sylvestro, reliquisque Summulariis collecta in verbo, Clericus: atq; à Concil. Trident. innouata loco citato: vbi & mandantur obseruari ab omnibus clericis; præcipiendo Episcopis, vt si quæ ex eis in desuetudinem abiisse compererint, studeant quamprimum in vsum reuocari, & accurate custodiri. Quodquidem dum non faciunt, ij soli ex clericis, talia obseruare tenentur, qui Ecclesiasticum beneficium habent, aut initiati sunt Subdiaconatus ordine, iuxta vsu receptam, & in speculatione communiter approbatam Panorm. sententiam; *tum alibi, tum ad cap. 1. & 2. De postulando*, quemad. expressit Nauar. in Enchir. cap. 25. num. 119. §. 33.

Porro licet tot sint, quæ in iure Canonico præscribuntur clericis, vt vix queant numerari, teste Caiet. in Summ. *verbo Clericorum peccata:* nihilominus videntur ad quinque ge- 4.

nera re-

nera reuocari. Nam alia pertinent ad externum corporis cultum; vt quæ præcipiuntur de tonsura, & habitu clericali; nempe non nutrire comam & barbam, habere vestem clausam desuper, non nimia breuitate, aut lõgitudine notabilem, vel viridem, aut varij coloris & cætera quæ ibid. in princip. commemorantur à Caiet. Alia vero pertinent ad compositionem corporis, exteriorem que grauitatem, vt ea quibus ipsis prohibentur artes, *quarum Caietanus consequenter meminit*, ioculatorum, seu histrionum, goliardorum, & bufonum. Alia porro pertinent ad animæ puritatem: vt prohibitiones cohabitandi cum mulieribus, eundi ad tabernam, nisi necessitas itineris exigat; canes, aueſque sequendi ad venandum: aut talia animalia alendi pro venatione, ac ludendi aleis. Alia præterea pertinent ad occupationum honestatem: vt prohibitiones exercendi artes, quæ iudicantur sordidæ & nominatim macellariorum, seu lanionum, & tabernariorum, seu cauponum: item exercendi mercaturam, seu negotiationes, & commercia sæcularia. Alia denique ad officiorum decentiam: vt prohibitiones officiorum sæcularium, quæ exercentur cum effusione sanguinis, vel cum periculo illius effundendi; cuiusmodi sunt officia, quibus militia, hastiludia, & similia exercẽtur. Item officia Iudicum, Aduocatorum, & cæterorum, qui iustitiam administrant in causa sanguinis: ac demum officia eorum, qui sub Principibus tanquam locum ipsorum tenentes, debent ius laicis reddere.

De his in particulari dicturi in sequenti capite, hic duo addemus: vnum est, quando contingit peccatum mortale committi talium præceptorum transgressione. Alterum est, quam obedientiam Episcopo specialiter debeant Clerici, ratione sui status Clericalis; quia inde quoque oriuntur obligationes huc spectantes.

5. Quod igitur attinet ad prius: sententia est Caietani loco citato, quam refert, nec reprobat Armilla *in verbo Clericus, num.*11. transgressione talium præceptorum, peccatum mortale non committi: exceptis duobus casibus, in quibus piæ matris Ecclesiæ indulgentia præsumeretur irrationabiliter. Prior casus est, quando talis transgressio incluserit in se transgressionem diuinę legis obligantis sub mortali: vt potest cõtingere transgressioni (*quam tanto studio ab Ecclesia eliminare contendit Concil. Trid. sess.*25. *cap.*14. *De reformatione*) prohibitionis cohabitandi cum mulieribus: aut quãdo habuerit adiunctam præcepti Ecclesiæ contemptum: seu talem temeritatem, qua sine iusta causa, tale præceptum nihili penditur; aut demum quando scandalum adest, vt potest contingere cum Clericus incedit cum habitu indecenti, aut cum mulieribus suspectis versatur, aut cum canes, vel accipitres insequitur in venatione. Posterior casus est: quando Clericus ab Episcopo suo monetur sub pœna excõmunicationis, vt deserat, vel non faciat aliquid quod fuerit ab Ecclesia prohibitum: & nihilominus facit post admonitionem. In quo peccare mortaliter patet, quia reddit se dignum excommunicatione maiore, quæ infligenda est tantum ob mortale, ex cap. Nemo Episcoporum, 11. quæst. 3.

Cæterum quia exceptio ita firmat regulam, vt censenda sit in cæteris eiusdem generis casibus omnibus habere locum: nolim admittere talem doctrinam tanquam nimis laxam: vt nec Nauar. admittit *in Enchir. cap.*25. *num.* 109. §. 33. quibus rationibus vide apud eum si lubet: Itaque in talibus diiudicandis, quæ sint, aut non sint sub mortali, recurrendum censeo ad generalia documenta discernendi quæ lex humana obliget tantum ad veniale, & quæ ad peccatum etiam mortale: adhibita prudenti, diligentique inspectione circumstantiarum; Quæ documenta tradidimus in præced. lib. 15. cap. 6.

Aduerte autem obiter Clericum ex conditione sui status, ita Episcopi sui subiici correctioni, vt inobediens, contumax, aut cõtumelios us in eum, possit (ex cap. Si quis Sacerdotum, 11. quæst. 1.) depositus tradi brachio seculari puniendus. Id quod procedere etiam quoad exemptos iurisdictione illius Episcopi, cui alias subiicerentur, habetur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. De reformatione. Excipe tamen, nisi exempti essent ratione vniuersitatis studiorum generalium. Talium enim priuilegiis nõ esse derogatum, habetur ex seq. sess. 25. cap. 6. De reformatione.

Quod attinet ad obedientiam ratione sui status Clerici debent suo Episcopo, nonnulla sunt in iure Canonico determinata, quæ antequam referamus, satis faciendũ est communi quæstioni, An ij qui prima tonsura initiantur, ex eo quòd Episcopus illis præscribat recitationem septem Psalmorum pœnitentialium, ad eam teneantur sub peccato. Atque Soto *lib.* 10. *De iust. & iure, quæst.* 5. *art.* 3. *concl.* 1. *in fine*, respondet negatiue, volens Episcopum non posse talem obligationem imponere: quia ius commune ad nihil determinatum recitandum, tales adstringit: sed liberum ipsis reliquit, quid voluerint recitare, non de præcepto (ita vt scilicet eius omissio sit aliqua culpa) sed de honestate. Vide antedicta tract. 1. cap. 7. in fine. Idem per eandem rationem docet Nauar. *in Enchir. cap.*25. *num.*108. addita hac exceptione; nisi cum initiantur, promittant, aut præcipienti consentiant se eosdem Psalmos, aut aliud recitaturos. In quo etiam casu obligationem non esse sub mortali, nisi quis expresse sua promissione aut consensu constituerit sibi talem imponere, idem Nauar. habet in tract. De oratione cap. 7. num. 14. vbi in confirmationem adfert consuetudinem, qua passim ij qui iuniores primam tonsuram acceperunt, grandiores effecti matrimonium contrahunt, non solent de omissione talis recitationis accusare se in confessione, nec à Confessario interrogari: quorum neutrum liceret data obligatione sub mortali. 6

Iam vt veniamus ad obedientiam, quam Clerici ratione sui status debent Episcopo cui subsunt, determinatum habetur in cap. Quia frater, 7. quæst. 1. & in cap. Conquerente De officio Iudicis ordinarij; quod Clerici debent proprio Episcopo obedire, tum in iis quæ spectant ad cultum Ecclesiasticum, circa diuinum officium, & administrationem Sacramentorum: tum in iis quæ spectant ad honestatem vitæ, & reformationem morum: tum in iis quæ spectant ad correctionem, & pœnas pro peccatis impositas: tum in iis quæ spectant ad iura Episcopalia, seu legem Episcopalem, de qua Sylvest. in verbo, Episcopus, quæst. 6. & 7. Eaque duplex est ex cap. Dilectus, De officio Iudicis ordinarij; vna instituta ad dandum, & altera ad recipiendum, vt ibidem glossa finalis notat. 7.

Ac prior dicitur lex iurisdictionis, consistitq; in spectantibus ad iurisdictionem exequendis per ordinem Episcopalem: vt sunt promotio ad Ordines, aut ad beneficia Ecclesiastica: consecratio Ecclesiarum, altarium, chrismatis, virginum; correctio delictorum; & id genus alia. Altera vero dicitur lex diœcesana: & consistit in recipiendis censibus, quæ Episcopo debentur (de quibus multa habentur 10. quęst. 3.) cuiusmodi sunt commemorata in c. Conquerere: De offic. Iudicis ordin. nem Cathedraticum, id est, quod pro honore cathedræ datur (quod etiam Synodaticum dicitur, quia in Synodo datur) item quarta pars decimarum, & mortuariorum, id est (vt glossa ad citatum cap. Conquerente, verbo Mortuariorum, interpretatur) quæ in morte reliquerit quis pro anima sua; itemque quod procurationis nomine, Episcopus exigit in annua visitatione. Vbi aduerte, legi quidem iurisdictionis Religiosos non exemptos, perinde subesse ac Clericos seculares; sed tamen legi Diœcesanæ monasteria ipsorum minime subesse, ex cap. Quam sit necessarium, 18. q. 2. Qua de re glossa ad cap. Dilectus, De offic. Iudicis ordin. & post eam Sylvest. in verbo Episcopus quæst. 7. 8.

Aduerte præterea ex c. Magnæ, De voto, & voti redemp. Clericum sine Episcopi facultate longam peregrinationem suscipere non posse, ne quidem ex voto: ipsumque extra Diœcesim propriam egressum animo redeundi, non liberari ab obedientia sui Episcopi; cum pro præsenti haberi debeat, argumento cap. Ad audientiam, De Clericis non residentibus. Aduerte adhuc ex cap. Cum nullus, De temporibus ordinationum, in 6. tres esse Episcopos quibus Clericus tenetur obedire: vnus est originis, hoc est, illius loci in quo natus est; alter est domicilij, in quo habitat: tertius beneficij, id est, illius Diœcesis, in qua habet beneficium. Cæterum Clericus qui mutat omnino domicilium, hoc est, qui alio proficiscitur non reuersurus deinceps, non subest amplius Episcopo originis, sed tantum Episcopo domicilij, ex cap. finali, De Parochiis. 9.

CAPVT II.

De peculiaribus Clericorum obligationibus ad honestatem vitæ suo statui conuenientem.

SVMMARIVM.

10 *Obligatio ad habitum, & tonsuram Clericalem, initiatis maiore Ordine, & beneficiarijs imposita sub mortali.*
11 *Obiectio in contrarium cum solutione, & solutionis confirmatione.*
12 *In ea obligatione non excusat consuetudo, sicut necessitas.*
13 *Nec item excusat beneficiarium, tenuitas beneficij.*
14 *Quis dicatur vestitus clericalis.*
15 *Quid sit tonsura clericalis.*
16 *Obligatio clericorum ad ostendendum, honestatem in compositione corporis.*
17 *Obligatio eorundem ad moderationem in cibo & potu.*
18 *Obligatio abstinendi se à vanis huius seculi voluptatibus, ac primo à luxuria.*
19 *Deinde à venatione, ludo alearum, spectaculis mimorum, & frequentatione tabernarum.*
20 *Obligatio abstinendi à negotijs secularibus, nempe ab omni arte sordida, & à mercatura.*
21 *Item ab actionibus ex quibus sequi potest sanguinis effusio: & quæ officia sunt Clericis prohibita ea de causa.*
22 *Non potest Clericus Clericum vocare in ius coram Iudice laico: & quatenus non possit Clericus in manibus laici iurare.*
23 *Quod idem non debeat artem medicam, & chirurgicam exercere, nec minister laici fieri, aut procurator.*

Prima obligatio ad habitum & tonsuram Clericalem.

10. HÆc obligatio quoad habitum, habetur ex cap. penultimo, dist. 23. & ex cap. penult. De vita, & honestate Clericorum, & ex Clemen. Quoniam, eodem tit. Quoad tonsuram vero, tum ex iisdem canonib. tum ex cap. Ioannes, De clerico coniugato. Esse autem sub mortali tradit Nauar. *in Enchir. cap. 25. num. 109. §. 33.* & ante eum Sylu. *in verbo, Clericus 2. num. 21.* ac ante vtrumque quoad tonsuram Clericalem Panormit. ad cap. Si quis, De vita & honestate Clericorum: sic inquiens. Nota quod non deferens tonsuram peccat mortaliter: nam dignus est anathemate. Idem enim capitulum sic habet: Si quis Clericis comam relaxauerit, anathema sit. Quæ tamen verba non sunt, prout sonant accipienda vniuerse: sed cum restrictione ad beneficiarios, aut initiatos aliquo Ordine maiori: quemadmodũ locis citatis Sylu. & Nauar. notant, pro quibus facit cap. Ioannes, De Clerico coniugato.

Quoad habitum, idem esse dicẽdum satis constat ex pœnis, quibus (per citatam Clementinam, Quoniam, & per Concil. Trident. eandem innouans & amplians, in sess. 14. cap. 6. De reform.) dignus est, tum initiatus maiori Ordine, tum beneficiarius, qui illum non defert suo statui conuenientem. Eæ enim sunt pœnæ suspensionis ab Ordinibus & officio; à fructibus, reditibus, & prouenientibus beneficiorum. Itemque pœna priuationis eorundem officiorum, & beneficiorum: si quidem semel corrupti; in eo delinquant denuo, vt habet ibidem Concil. Trident. citans memoratam Clementinam. Cum igitur constet tales pœnas valde graues esse, censendæ sunt pro valde graui, atque adeo mortali culpa imponi, cum alioqui deberent iniuste censeri. Quod est argumentum Francisci à Victoria, prout refert Bañes 2. 2. q. 12. art. 1. §. Sed quoniam.

11. Quod si quis dicat ad eas pœnas incurrendas requiri præmonitionem Episcopi, saltem per edictum publicum. Respondendum est, sicubi Episcopus in eo negligens sit, talem negligentiam abunde suppleri per Bullam Sixti V. quæ incipit; Cum sacrosanctam: & refertur, explicaturq; ab Alphonso à Vinaldo in suo candelabro aureo in fine secundæ partis. Illam enim editam esse in eum finem, Pontifex ipse satis significat, dum edendæ causam refert in nimiam siue pastorum, siue temporum indulgentiam, impunitatem ve, & oscitantiam, cum religionis dedecore, nominis Dei contemptu, & propriæ salutis dispendio. Adde quod beneficiarium incedere sine vestitu, & tonsura Clericali non habeat malitiam ex sola inobedientia, qua ab Episcopo monitus ei parere nõ vult: sed ex transgressione præcepti Ecclesiæ, quod iudicandum est obligare ad mortale in materia graui; seu cum datur de re quæ grauem Dei, vel proximi iniuriam, vel propriam læsionem habet coniunctam, vt istam habere patet: vtpote quæ de se generat scandala, & occasiones, ac pericula perpetrandi flagitia, à quibus clericalis habitus reuocaret non omnino perditum.

Adde etiam irrisionem status clerici: de qua in hæc verba Concil. Trident. loco citato: Hodie aliquorum inoleuit temeritas, religionisque contemptus: vt propriam dignitatem, & honorem clericalem paruipendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes in diuersis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus. Itemque illa Sixti V. ante memorata, *Cum religionis dedecore, &c.* Accedit quod, *vt idem Pontifex bene ait*, ij qui in sortem Domini ad Ecclesiæ decus, & ornamentum vocati sunt, quique eensu Ecclesiastico viuunt, debeant singulari aliquo signo à reliquo populo distingui: cum naturalis ratio dictet, reipublicæ commodum postulare, vt quisq; signo exteriori ostendat se esse in illo statu, in quo collocatus est. Signum autem quo quis in Ecclsia se beneficiarium esse ostendit, est habitus, & tonsura clericalis, argum. cap. vnic. in fine, De bigamis in 6. Ita vt beneficiarius eo carens (prout ait quoque Pontifex) argui possit dicto illo Domini: Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?] Adde & timere sibi debere, ne aliquando ob lethiferæ transgressionis zizania, *vt idemmet Pontifex vocat*, audiat quod sequitur: Ligatis manibus, & pedib. mittite eum in tenebras exteriores, &c.]

12. Neque est quod quis putet se excusari contraria consuetudine: quoniam iam dicta satis ostendunt, eam non posse censeri rationabilem, sed iudicandam esse corruptelam, à carne spiritui dominante profectam. Etsi negandum nõ est, iusta causa interueniente, locum esse excusationi, prout per cap. penult. De vita & honestate cleric. notat glossa *ad cap. Si quis, eodem titulo, verbo Relaxauerit*: citans responsum cuiusdam factum Papæ ipsum reprehendenti. *Tutius vt putarem laici sub imagine Romam. Eat fuit, vt suerem luxuriare comam.* Pro qua re textus est expressus in Clem. Quoniam, De vita & honest. clericorum, sub initium. Ea autem causa est, *vt notat loco citato Bannes*, necessitas tuendi vitam, honorem, aut diuitias proprias, vel proximi: quæ solet excusari ab obligatione legis humanæ. Cui necessitati addit & commoditatem: pro qua ad tempus exiguum habitus dimittitur, quia parum pro nihilo reputatur.

13. Beneficij autem tenuitatem nõ excusare in hac re à mortali beneficiarium, etiam sæcularem, nullo sacro Ordine initiatum, ex eo probatur quod beneficium quantumuis exiguum, sit vere beneficium, iuxta cap Si proponente, De rescriptis, (vbi glossa *ad verbum Minus competens* videnda est) & cap. Non potest, & cap. Si motu, De præben. in 6. adeo vt habens illud, sit in beneficiarij statu, quem, *iuxta antedicta*, iure naturali tenetur signis exterius ostendere: & præsertim tonsura, quam esse tale signum quasi essentiale, idem Bañes ait post Caiet. *in verbo Clericorum, peccata, versu Verum, in fine*: addendum cætera esse concomitantia.

14. Superest dicendum, quis habitus, & quæ tonsura dicatur clericalis. Ex Panorm. igitur De vita & honest. cleric. cap. penult. num. 18. habitus clericalis sunt vestes honestæ. Cuiusmodi honestas, *vt notat Albertus Trotius De perfecto Clerico, cap. 38.* respectu quidem formæ, est vt desuper sint clausæ, neque nimis longæ, vel breues, ex eod. capit. penult. Talares, seu longas vsque ad collum pedis debere esse, Sixtus V. expressit in sua Bulla. Quod de veste superiore per textum in fine cap. penult. distinct. 23. intelligi potest, cum glossa ad Clementinam Quoniam, De vita & honestat. clericor. verbo, Videatur. Respectu vero materiæ, vt non sint viridis, aut rubei coloris, ex citato cap. penult. aut virgatæ, vel partitæ, id est, diuersorum colorum, ex memorata Clementina: aut nimis fulgidæ, seu pretiosæ, ex cap. Omnis iactantia, 21. quæst. 4.

15. Qua tamen in re, vt notat Panorm. loco citato, multum

attenden-

attendenda est consuetudo: dummodo ea talis sit, quæ ab honestate non deuiet. Vnde si alibi consuetudo esset, vt Beneficiarij portare possint rubras vestes, aut fericas, excusarentur portâtes. Nam, vt habet glossa in summa citatæ quæstionis quartæ, Vsus vestium nõ despicitur, sed abusus: nempe iactantia, & voluptas. Possunt ergo Clerici secundum consuetudinem regionis pretiosis vestibus vti, vt conforment se moribus eorum inter quos viuunt, ne vilescat dignitas Clericalis: quod etiam habet eadem glossa, quam confert legere.

15. Tonsura autem Clericalis quid sit: glossa ad memoratam Clemen. *verbo, Et tonsuram*, indicauit cum dixit: Clericis cõpetere rasuram & tonsuram in modum coronæ, in signum perfectionis & regni quod in Deo habent: se & alios in virtutibus regentes, iuxta canonem Duo sunt, 12. quæstio. 1. Pro cuius significationis pleniore declaratione habenda, lege eandem glossam, & Sylvest. *Clericus, 2. num. 2.* & Trotium *in sequent. capit. 39.* Ex quo etiam aduerte: rasuram hîc dici paruam illam rotunditatem, quæ rasione capillorum fit in summitate capitis, & vocatur Clerica. Tonsuram vero dici illam quæ à parte inferiori capitis fit tonsione capillorum in rotundum vsq; ad aures. Cum autem consuetudo inualuerit, quam Papa scit, & vltro tolerat, etiam in sua Curia: vt nõ modo simplices Clerici, sed etiam Sacerdotes, ac etiam Prælati Ecclesiæ, portent crines sine hac posteriori refectione: sequitur nunc satisfieri posse Ecclesiastico præcepto, si quis cum habitu, *de quo antea*, portet rasuram quam diximus vocari Clericam. Sine qua habitum eundem non sufficere, vt nec sufficeret Clerica ipsa sine tali habitu, patet: quia Ecclesiasticum præceptum, est incedendi cum habitu, & tonsura Clericali.

Secunda obligatio, ostendendi honestatem in omni compositione, & gestu corporis.

16. CVm D. Paulus in priori ad Thessalon. cap. 5. præcipit abstinere non tantum à malo, sed etiam ab omni specie mali; Clericos adstringit maxime; argumento cap. Cum ab omni specie, De vita, & honestate Clericorum. Et ratio est, quæ ex D. Leone refertur in cap. Omnium, distin. 32. his verbis, Omnium Sacerdotum tam excellens est conditio electionis; vt quæ in alijs membris Ecclesiæ vacant à culpa: in illis tamen habeantur illicita. In incessu igitur debet esse grauis, vt in eo ostendat mentis maturitatem: incompositio enim coporis inæqualitatem indicat mentis, vt ex D. Augu. habet Gratianus distinct. 41. in fine: & confirmat per illud Salustij de Catilina: Cuius conscientia excita curis, mentem vastabat: citus modo, & modo tardus incessus, &c. In aspectu autem modestus, nec oculis vagus debet esse. Oculus enim vagus vagæ mentis, sicut & impudicus oculus, impudici cordis nuncius est, prout habetur in capit. Nec solo, 32. quæstio. 5. vbi etiam, & in sequenti capit. idipsum bene declaratur. In sermone denique debet esse cautus, & prudens: vt nec tacenda proferat, nec proferenda reticeat: seu loqui, & tacere, quando expedit. De quare habentur præcepta in capit. Sit rector, distinct. 43. ibidem legenda. Iam vt in oculis, & ore; sic & in omnibus alijs partibus sui corporis debent Clerici honestatem ostendere: vt honeste viuendo, atque alijs bonum de se exemplum præbendo, possint merito appellari Reges, tanquam se aliosque regentes in vita ex virtute agenda. Quod quidem est obtinere regnum significatum (prout ex capit. Duo sunt, 12. quæstio. 1. ante diximus) per coronam, quam gerunt in capite. Hoc idem Trotius quoque notat in cap. vltimo opusc. De perfecto Clerico.

Tertia obligatio, seruandi moderationem in victu: & quarta, abstinendi à vanitatibus.

17. TErtia obligatio est seruandi moderationem in cibo, & potu: per abstinentiam scilicet ab omni luxu, comessationibus, & ebrietatibus, & per obseruationem debitarum circunstantiarum in refectione corporis: de quibus præclara Ecclesiæ documenta videri possunt apud Gratianum dist. 41. cap. 1. 2. 3. 4. & distin. 44. per totam, quæ Trotius refert in præced. cap. 58. & 59.

Quarta obligatio est abstinendi se, à vanis huius seculi voluptatibus: de qua est textus diligenter legendus in cap. His igitur, distinct. 23. ad eamq; pertinet primo, obligatio abstinendi se à cohabitatione mulierum; de qua fere toto titulo 2. libr. tertij Decretalium: ac multò magis à tripudijs, saltationibus; & choreis quæ cum illis fiunt: quæque Clericis ipsis expresse prohibentur in Concilio Trident: sess. 24. De reform. capit. 12. sub finem. Vbi aduerte Ecclesiam in suis Clericis velle commendatam esse in primis continentiam à Venereis voluptatibus; prout constat per ea quę sacris canonibus constituta inueniuntur apud Gratianum, distin. 31. 32. 33. 24. 81. 82. & in titulo, De Clericis coniugatis; & in Concil. Triden. sess. 25. capit. 14. De reform. Vnde cum constet libidinem, ad luxuriam non tam dimicando, quam fugiendo superari, *ideo admonet Apostolus: Fugite fornicationem 1. Corinth. 6.* Sancti Patres, cum eam à Clericis omnibus superatam vellent, primo oculab eis mulierum aspectũ, colloquia, conuictum, & alias illecebras amouere curarunt; ne cum extremo discrimine, ipsi cogerentur cum hoste domestico luctari: qui salutem sibi fuga parare possent. Et quamuis ex cap. Interdixit, distinct. 32. & ex cap. Cum omnibus, distinct. 81. excipiendæ sint sanguine iunctæ in 1. vel 2. gradu consanguinitatis: in quibus naturale fœdus nihil permittit suspicari (vt dicitur in cap. penult. De cohabitatione Clericorum, & mulierum) tamen quia cum huiusmodi, aut earum pedissequis abusus nonnunquã commissi sunt, tales quoque in capit. 1. eod. titulo prohibentur cum Clericis habitare: non tamen omnino, sed tum demum, si aliqua in eis suspicio esset incontinentiæ, vt notat ibidem glossa *verbo, Canonis.*

Pertinet secundo obligatio abstinendi se à venatione, 19.
quæ Clericis prohibetur distinct. 86. cap. Qui venatoribus, primo & secundo, cap. Vident homines, & cap. Esau, item capit. primo & secundo, De Clerico venatore, & cap. 1. Ne Clerici, vel Monachi. Ratio autem prohibitionis est distractio à diuinis officijs, quam illa adfert: & quod nimium accedat ad exercitationem bellicam: maxime ea quæ armis, & canibus fit, quam glossa ad cap. 1. De Clerico venatore, verbo, Voluptate, saltuosam & clamosam vocat: ac laicis concessam, Clericis vero illicitam. Non vero quietam venationem, si nec frequens sit, nec voluptatis causa fiat: sed raro, & causa necessitatis: vt cum sanitatis ratio, vel animi à studio, vel curis relaxatio id postulat. De qua re plura Trotius *in cit. Opusculo cap. 55. & 56.*

Postremo pertinet obligatio, qua per caput penultimum De vita, & honestate Clericorum, prohibentur Clerici intendere mimis, ioculatoribus, & histrionibus: & iubentur tabernas prorsus euitare, nisi necessitas peregrinationis eas adire compellat, (quod idem habetur ex cap. Clerici, distinctione 44.) & à ludis alearũ, & taxillorum abstinere. Quam prohibitionem Clericos beneficiarios, aut initiatos maiore Ordine, itemque Monachos, transgredientes ludendo in magna quantitate, peccare mortaliter annotat Nauar. *in Enchir. capite 19. num. 9.* Et confirmat potissimum, ex eo quod peccatum dignum sit priuationis officij, vel beneficij ex capit. Inter dilectos, De excessibus Prælatorum. Quæ pœna, *vt pote ignominiosa*, cum valde grauis sit, censeri debet imposita ob peccatum valde graue. Cuius grauitatis ratio esse potest; quod tale peccatum in memoratis personis, non sit solius prodigalitatis sicut in cæteris (quas proinde in sequenti numero 19. Nauarr. excusat à mortali ea ratione ludentes) sed etiam indecentiæ scandalosæ; cum contra prohibitionem expressam sibi factam, turpiter expendant, quæ deberent pauperibus erogare pro Christo, cuius obsequio se manciparunt.

Quinta obligatio, abstinendi à negotijs secularibus.

VLtima obligatio est, abstinendi se à negotijs sæcularibus per illud secundæ ad Timoth. cap. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus vt ei placeat cui se probauit; atq; per totum titulum: Ne Clerici, vel Monachi secularib. negotijs se immiscent, qui est vltimus lib. tertij Decretalium: & per cap. His igitur, distinctione 23. & alia quæ habentur distinctione 88. per totam. 20.

Dicuntur autem secularia negotia, quæ hominē à diuinis ministerijs auocant, & ea maxime, quæ irregularem, seu ad exequenda sacri Ordinis officia ineptum faciunt. De quibus egimus in præcedenti tractatu de irregularitate. Vnde ad hanc obligationem reducitur primo illa, qua Clerici tenentur abstinere ab omni arte sordida, vt macellarij, aut tabernarij ex Clemen. 1. De vita, & honest. Clericorum. Reducitur item illa qua tenentur abstinere à mercatura, seu negotiatione causa lucri, iuxta cap. Negotiatorem & sequentibus, distinct. 88. & cap. finale De vita, & honest. Clericorum: & cap. Secundum instituta, Ne Clerici, vel Monachi, &c. vbi prohibitio fit seuera, sub interminatione anathematis; *de qua Trotius De perfecto Clerico cap. 52. & 53.* docens post Panormitanum ad idipsum cap. Secundum instituta, necessitatem posse reddere licitam Clerico negotiationem, dummodo nihil sordidum habeat, per quod arceatur à diuino ministerio, ac sine peccato exerceatur, iuxta cap. Quoniam, in citata dist. 88. neq; distrahat à diuinis, atq; alijs quæ ipsi Clerico incumbunt ex officio, iuxta ea quæ habentur tota fere dist. 91.

21. Reducitur præterea obligatio, qua Clerici tenentur abstinere ab actionibus, ex quibus sequitur, vel sequi potest vitæ amissio, vel sanguinis effusio, vt à portandis armis ex cap. 2. De vita & honest. Cleric. vbi contrauenientes præcipiuntur excommunicari. Excipe casum necessitatis, cum transeundum est per loca periculosa, oblationes, vel hostium incursiones. Item à gerendo bello ex 23. q. 8. per totam. Itemq; à ferenda sententia sanguinis per seipsos ex cap. Clericis, Ne Clerici, vel Monachi, & ex cap. Sententiam, eod. tit. vbi etiam prohibentur, talem sententiam dictare, aut vindictam sanguinis exercere; aut vbi exercetur interesse, aut literas dictare, vel scribere pro vindicta sanguinis destinandis; aut ruptarijs & balistarijs, aliisq; viris sanguinū præfici, aut chirurgiam exercere quę aduſtionem aut incisionē inducit. Adde cum iuxta tradita in præced. tract. de irregularitate, obnoxij sint irregularitati, qui in causa sanguinis funguntur muneribus assessoris, consultoris, aduocati, testis, aut notarij attestantis, & scribentis attestationes, aut cas legentis dum sententia sanguinis publicatur: Clericos consequenter prohiberi ea ipsa munera obire; de qua re Trotius, De perfecto Clerico, cap. 23.

Reducitur præterea obligatio qua Clerici tenentur abstinere ab alijs officijs sæcularibus, in quorum vsu interdū proceditur vsq; ad effusionem sanguinis; adeo vt nequeant esse Vicereges, aut Vicecomites, aut locum tenentes Principis secularis; nec aliud seculare officium exercere, per quod debeant generaliter ius reddere secularibus, ex capit. Sed nec, Ne Clerici, vel Monachi, &c. vbi num. fin. Panormit. id notat: & confirmatur per cap. Clericis eodem titulo, vbi idem Panormit. num. 10. ait, quod Clericus possit esse consiliarius Principis secularis, non tamen officialis iustitiæ exercendæ.

Reducuntur denique alia multa: quale est primo, quod Clericus maioribus Ordinibus initiatus, aut beneficiarius nō possit esse Aduocatus in foro seculari, etiamsi causa sit solum ciuilis, prout habetur ex cap. 1. & vltimo De postulando. Vbi tamen additur exceptio; nisi defendat se, aut suam Ecclesiam vel personas coniunctas, vel personas miserabiles. Nec item, *pari ratione*, possit in eodem foro Procurator esse, iuxta citatum cap. vltimum, & cap. secundum & quartum, Ne Clerici, vel Monachi, & c. Nec etiam possit esse Tabellio, iuxta cap. Sicut, eodem titulo. Quæ eadem iam docuimus cum in præced. lib. 25. tract. vltimo egimus de prædictarum personarum officijs.

22. Quale est secundo, quod ex cap. Si diligēti, De foro competenti, Clericus Clericum in ius coram Iudice laico, vocare non potest. Item quod Clericus non debeat iurare in manibus laici ex cap. penult. 32 quæst. 5. De quo plenius in præced. lib. 19. cap. vltimo sect. 11.

23. Quale est præterea illud (de quo Sylvest. *in verbo, Medicus, quæst. 2.* consulendus est) quod constitutus in maioribus Ordinibus, aut beneficiarius, non possit artem medicam, aut chirurgicam exercere; nec ei pro præcipuo studio operam dare, ex cap. 3. & vltimo, Ne Clerici, vel Monachi, &c. Item quod non debeant fieri ministri laicorum, nec in rebus eorum procuratores esse, ex cap. Sacerdotibus, eodem titulo. Atque omnes hæ obligationes ad honestatem vitæ Clerici spectant quoad exteriorem hominem, quibus si in interiori homine accedant quinque illa ornamenta de quibus Toletus in cap. vltimo libr. 1. Instructionis Sacerdotum: nempe charitas, religio, sanctitas, scientia, prudentia: nullus poterit esse locus dubitationi, quin meritissimè status Clericalis tot sit priuilegijs, & immunitatibus auctus supra laicalem, quot in citata sectione prima diximus, itemque in libro nono, explicando canones Bullæ Cœnæ Domini, quibus Ecclesiastica libertas protegitur.

CAP. III.

De obligationibus satisfaciendi oneribus, quæ annexa fuerint beneficiorum acquisitioni.

SVMMARIVM.

24 *Obligatio beneficiarij ad curandam expeditionem bullarum Papalium.*
25 *Obligatio faciendi professionem orthodoxæ fidei.*
26 *Ea est cum obligatione ad restitutionem, nisi ignorantia inuincibilis excuset.*
27 *Quædam circa eandem notanda.*
28 *Obligatio soluendi annatam.*
29 *Ea non admittitur in Gallia.*
30 *Obligatio soluendi quindemnia.*
31 *Ea locum non habet, cum beneficium vnitur dignitati Ecclesiasticæ.*

PRIMA huius generis obligatio censeri potest, vt beneficiarius post beneficium obtentum, teneatur ad expeditionem Bullarum Apostolicarum, quoties illud fuerit per Sedem Apostolicā collatum, vel confirmatum, vel vnitū. De hac textus habetur in Extrauag. communi, Iniunctæ, De electione: & apertior in Bulla Iulij tertij, quæ incipit, Sanctissimus: per quā vniuersē statuitur ad omnia beneficia, quæcunque illa sint, apud sedem Apostolicam obtenta, vel per collationem; vel per confirmationem, vel per vnionem, vel per quamcunque aliam dispositionem super retinendis beneficijs: post promotionem ad illa, requiri Bullarum expeditionem, ad eorundem possessionem apprehendamus: siq; ante expeditas Bullas ipsas possessio apprehēdatur, apprehēdentes pro intrusis, & violentis detentoribus haberi, nec facere fructus suos, sed teneri eos restituere: neque suffragari eis decretum de annali, aut triennali possessione (*de quo post ea suo loco, cum de modis acquirendi beneficia*) ipsoque iure priuari beneficijs obtentis, quorum possessionem acceperint non expeditis bullis, & ad eadem inhabiles reddi. Hæc eadem bulla: quæ Azor referens *in 2. par. Moral. Instit. libr. 7. cap. 1. sub finem*: subiungit quæ in hac re praxis sit Romanæ Curiæ. Eum videat, qui volet: quia ad institutum nostrum sufficit monere, propositam obligationem non habere locum quando beneficium confertur ab Ordinario, cum pœnæ nō sint extra suum casum extendendæ: adeo vt ille qui post collationem eam factā apprehenderit possessionem literis nondum expeditis, in illas pœnas minimè incurrat. 24

SECVNDA OBLIGATIO est, vt prouisi de quibuscunque beneficijs annexam habentibus curam animarum, teneatur à die adeptæ possessionis, *minimum intra duos menses*, in manibus Episcopi, vel eo impedito coram generali Vicario seu Officiali ipsius, publicam facere orthodoxæ fidei professionem. Similiter prouisi de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesijs cathedralibus; non solum coram Episcopo, vel ipsius Officiali: sed etiam in capitulo eandem facere tenentur. Quæ obligatio tam horum, quam illorum habetur ex Concil. Trident. sess. 24. De reform. cap. 12. & ex Bulla Pij quarti quæ incipit, Iniunctum, & cum eodem Concilio circumfertur. 25

Pœnam vero idipsum Concilium addit: vt tales alioquin non faciant fructus suos: nec illis possessio suffragetur. Quibus verbis duo significantur; vnum quidem prioribus; quod est obligationis huius transgressores esse inhabiles ad acquirendum dominium fructuum. Alterum vero posteriori- 26

bus;

bus; quod est eosdem transgressores non facere fructus suos, virtute regulæ; De triennali possessione, *De qua in sequentibus.* Id quod & ratio ostendit, quia talis regula intelligitur de iure, & titulo beneficij acquirendo, non autem de fructibus post beneficium iam adeptum acquirendis.

Inde autem consequens est, eosdem transgressores teneri ad eorundem fructuum restitutionem. A qua, an ignorantia, obliuioue inuincibilis excuset, difficultas est. Pro parte enim affirmante facit, quod acceptū sine acquisitione domini sit restituendum. Pro negante vero, quod talis inhabilitas sit imposita tanquam pœna punitiua culpæ, quæ committitur transgressione propositæ obligationis; ignorantia autem inuincibilis facit culpam cessare: quare & pœnam, atq; adeo pœnæ effectum: qualis effectus memoratæ inhabilitatis, est restitutio facienda fructuum perceptorum. Quam partem in conscientia teneri posse puto: prout post Nauarr. tenet Azor *in 2. par. Moral. Institut. lib. 7. cap. 2. quæstio. 2.*

27. Si quæras, quid agendum sit ei, qui culpabiliter post duos menses ab accepto curato beneficio, vel canonicatu, vel dignitate in Ecclesia Cathedrali, non fecerit professionem fidei. Respondetur debere primo quoq; tempore eam facere, sicut is qui non soluit in termino cōstituto, obligatur quamprimum soluere, ex cap. Cum dilecti, De dolo, & contumacia, §. Præterea. Id autem ei non proderit quidem ad acquirendum dominium fructuum antea perceptorum, proderit tamen *cum retineat titulum beneficij, quo non priuatur per memoratum decretum*, ad lucrandos fructus temporis subsequētis. Addit Azor in sequenti quæst. 6. talem professionē posse fieri per procuratorem: & in quæst. vltima, eum qui illam semel fecerit, quando ad primum canonicatum, vel dignitatem, vel beneficium curatum promotus fuit, non teneri eandem iterare si ei aliquod tale beneficium nouum concedatur. Pro quorum priore, præter ea, quæ ipse adfert, facit doctrina recepta de lege pœnali benigne interpretanda: præsertim cum illud quod facit per alium, vere dici possit quod ipse fecerit. Contra posterius vero, *quod neque ipse affirmat absolute*, censeri possunt facere verba illa Concilij, *Teneantur à die adeptæ possessionis.*

28. Tertia obligatio est soluendi annatas: de quibus multa Azorius *in eodem lib. 7. cap. 12.* in quibus immorari institum nostrum non compellit nos. Cui sufficere poterit, quod habet Gigas de pensionibus, quæstione 26. Bonifacium nonum fuisse primum, *teste Platina in eius vita*, qui statuit annatam soluendam ab ijs, qui beneficia à Sede Apostolica impetrant: nimirum vt is cui de beneficio excedente valorem annuum 24. ducatorum auri de camera prouidetur: dimidium annui valoris beneficij impetrati partem soluat fisco Apostolico. Quæ exactio non videtur magis reprehendenda in noua lege, quam exactio decimarum ex decimis in lege veteri: in qua ex capit. 18. Numerorum, iussu Dei decima pars fructuum Leuitis & Sacerdotibus soluebatur, & deinde Leuitæ, & Sacerdotes ex decimis sibi à populo redditis Summo Pontifici decimam soluebant, quæ decimæ decimarum dicebatur. Addit idem Gigas per Bullas Pij secundi, & Innocentij octaui, Clericum obligatum ad solutionem annatæ, non soluentem eam, priuari beneficio illo, pro cuius adeptione tenebatur soluere. Quinetiam cum qui se pro alio annatam soluere obligauit, si non soluat statuto tempore, incurrere in excommunicationem, & priuationem omnium beneficiorum suorum.

29. Cæterum tales, quas vocant Bursales Papæ constitutiones, non admitti in Gallia ex Rebuffo notant Corasius in paraphrasi in materiam beneficiorum *parte 4. capit. 4. numero* 55. & Petrus Gregorius in tertia parte Syntagmatum Iuris vniuersi *libro 33. capit. 13. sub finem.* Quocirca, vt ijdem addunt, nec Galli vtuntur regula Cancellariæ de exprimendo vero valore beneficiorum in impetrationibus: etsi abilis, pro pinguissimis dignitatibus Episcopatuum, Archiepiscopatuum, Abbatiarum, & Prioratuum exigantur compositiones, quæ dicuntur taxæ. In quibus omnibus pro conscientia tutum censeri potest illud, quod videnti, nec resistente Papa, in vsu est passim; neque continet peccatum manifestum: de quo cum dubium fuerit an aliquod interueniat in eodem vsu; præsumendum est pro Papa: vt si ipse illum toleret sciens, cum possit prohibere, is existimetur licitus, quantumcunque illius iusta ratio non satis appareat.

Quarta obligatio est soluendi quindennia: quæ 30.
in locum annatarum successerunt Summorum Pontificum constitutionibus: quibus statuitur, vt decimoquinto quoque anno ex beneficijs vnitis pio loco seculari, vel regulari virorum, aut mulierum, soluatur media pars fructuum illius anni. De qua re videndus est Azor *in citato libr. 7. cap. 13. sub cuius initium*, tradit Paulum secundum de ea primum edidisse constitutionem: quæ incipit, Decet Romanum Pontificem. Illam refert Petrus Matthæus in Summa constitutionum Romanorum Pontificum pag. 130.

Dubitatio est autem, An quindennium solui debeat ex 31.
beneficio Ecclesiasticæ dignitati vnito: vt Decanatui, vel Archidiaconatui. Ad quam respondendū est, quod non debeat solui, quia in constitutione Pontificis mentio tantum est de beneficijs vnitis in perpetuum, ideoque amplius non vacaturis, qualia sunt quæ vniuntur domibus, vel congregationibus, vel locis pijs. Beneficium vero vnitum dignitati Ecclesiasticæ licet sit vnitum in perpetuum, vacare tamen solet cum dignitate cui est vnitum: vnde ex tali vnione fiscus Apostolicus non fraudatur annata.

Quinta obligatio est soluendi annuam pensionem à Sede Apostolica beneficio impositam. Pro cuius intelligentia sufficient dicenda in sequenti cap. octauo. Sexta addi potest suscipiendi ordinem requisitum ad beneficium quod acquiritur: quæ in particulari declarata videri potest apud Tabienam, Beneficium, tertio, quæst. 20.

CAP. IV.

De Beneficiatorum obligatione recitandi horas canonicas.

SVMMARIVM.

32 *Ex iure ad beneficium non oritur talis obligatio, & differentia habentium ius in beneficio.*
33 *Difficultas an talis obligatio cadat in non initiatum sacro Ordine, cuius beneficium non sufficit ei ad honestam sustentationem.*
34 *Cur pars affirmans sit tenenda in praxi.*
35 *Cur reijcienda pars negans.*
36 *Solutio rationum quibus eadem pars confirmatur, & causa vera ob quam beneficiatus tenetur ad recitationem horarum canonicarum.*
37 *Difficultas de ijs, qui habent titulum beneficij, quod non possident, aut cuius fructus non percipiunt, obligenturne ad recitationem horarum canonicarum.*
38 *De ea tenenda in praxi.*
39 *Is qui primo anno, aut vlterius nihil percipit ex consuetudine, aut statuto suæ Ecclesiæ obligatur ad recitationem horarum canonicarum.*
40 *Non item eum qui habet quidem verum titulum beneficij, sed per litem impeditur à possessione.*
41 *Nec item pensionarius, aut coadiutor datus beneficiato, aut expectatiuam tantum habens.*
42 *Obligatio recitandi horas canonicas est sub mortali.*
43 *Item, cum obligatione ad restitutionem fructuum perceptorum: idq; etiam non expectata Iudicis condemnatione.*
44 *Quatenus, & cui faciendа sit talis restitutio.*
45 *Quomodo sit accipiendum quod talis restitutio fieri debeat fabricæ beneficij, aut pauperibus.*
46 *Non cessat propositа obligatio ex eo, quod alia onera beneficij sint impleta: & duo casus in quibus talis restitutio non potest fieri fabricæ, aut pauperibus.*
47 *Dubitatio, An ad propositam restitutionem teneatur, qui recitauit quidem horas canonicas, sed sine debita attentione.*
48 *Pars illius affirmans est tenenda.*

Cætera

32. CÆtera quæ ad recitationem horarum canonicarũ spectant persequuti sumus pro nostro modulo in præcedenti libro 18. capite 11. 12. & 13. relectis in hunc locum ijs quæ peculiariter spectarent ad obligationem beneficiatorũ, easdem horas recitandi. Circa quam notandum est primo, ante habitum beneficij titulum, quo illius dominium acquiritur, non oriri obligationem recitandi horas canonicas, quantumcunque quæsitum iam sit ius ad tale dominium habendũ, prout fit per præsentationem non acceptatã, aut per electionem, vel nominationem. Ratio est: quia beneficiatus dicitur & est, is tantum qui beneficij dominium iam habet. Notandum est secundo, circa beneficiatos habentes ius in beneficio seu adeptos beneficij dominium, oportere in hac re vti distinctione. Quidam enim sunt qui beneficium habent, & fructus percipiunt. Quidam vero etiamsi beneficium habeant, non percipiunt tamen illius fructus. Quibus ex opposito respondent alij, qui beneficiũ non habent quidem, fructus tamen illius percipiunt. De quorum singulis docendum est, quatenus propositę obligationi subijciantur, vel ab ea eximantur.

De proposita obligatione respectu eorum, qui beneficium habent, & fructus illius percipiunt.

SECTIO I.

33. DEtalibus etiamsi non sint sacris Ordinibus initati, communis consensus Doctorum est quidem, quod ad horarum canonicarum recitationem teneantur, si beneficium habeant sufficiens ad suam sustentationem. Sed in controuersia versatur, num item teneantur, etiamsi beneficium sit adeo tenue, vt non sufficiat ad sustentationem honestam. Quod autem teneantur. Medina in Cod. De oratione quæstione septima, notat haberi ex cap. Clericus victum, distinctione 91. in quo statuitur, vt Clericus, quẽ sui beneficij fructus alere non possunt, quærat suo artificio victum sine detrimento officij sui; vbi glossa, *verbo, Vigilijs*, eandem sententiam exprimit, & probat; tum quod talis præiudiciũ sibi ipse fecerit, cum se propria sponte promoueri permisit, tum quia sicut vir contrahens cum muliere modicè dotata, tenetur semper, & vbique eam alere; sic beneficiatus tenetur, *vt eiusdem glossa verbis vtar*, officiare Ecclesiam, licet pauper sit, & dicere cum Apost. ad Philip. 4. Scio satiari, & esurire: abundare, & penuriam pati. Item ij, Actor. 20. Ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt ministrauerunt manus istæ: vultq; istud procedere, siue Ecclesia ab initio, cum est ad eam promotus, pauper sit: siue postea vergat ad paupertatem. Quam quidem glossam singularem, & ab omnib. receptam esse ait Nauar. *De oratione cap. 7. n. 27.* Vnde intelligitur eam, præsertim cum tutior sit & animam concernat, amplectendam, & consulendam esse, iuxta cap. Iuuenis, De sponsalibus.

34. Tutiorem vero esse ostendunt: tum quod in eâ nihil insit periculi peccandi, vt in contraria inesse potest: tum quod non deba mus facile inducere in animum tot, tamq; doctos viros, & in sacris canonibus expendendis bene exercitatos, temere sententiã hanc tueri, & scrupulosè animas in re quotidiana illaqueare velle; nam ita senserunt tam Hostiensis, quam alij Canonistæ ad cap. 1. De celebratione Missarum, vt Nauar. loco citato notat, addens D. Antoninum *3. part. tit. 13. cap. 4. §. 1.* & Cardinalem, ad Clemen. primã, De celebratione Missarum, & Sylu. in verbo, Hora, qu. 2. quibus ipse subscribit, tum ibidem, tum in Enchir. cap. 25. num. 102. & post ipsum ex recentioribus Iacobus à Graffijs *lib. 2. Decis. aurearũ, cap. 49. nu. 8. Toletus in lib. 2. Instructionis Sacerdotum, cap. 14. casu quinta, Gregorius à Valent. 2. 2. d. disputation. 6. quæstione 2. puncto 10. § Circa 7. in fine, Azor in prima parte Moralium Instit. lib. 10. cap. 3. quæst. 3.* & nouissimè (alios adhuc citans) Suarez De religione *tom. 2. tract. 4. lib. 4. cap. 21.*

Imo cum esse communem Ecclesiæ sensum, satis apertè iudicauit Concilium Lateran. sub Leone X. sess. 9. in Bulla reformationis curiæ, canone nono: cum quemlibet habentem beneficium siue cum cura, siue absque cura animarum, si post sex menses ab eo obtento omiserit dicere officium diuinum, legitimo impedimento cessante, priuat fructibus ipsius beneficij pro rata omissionis, ita vt eos tanquam non suos, iniustèq; perceptos retinere nequeat, sed teneatur in fabricam eiusdem beneficij, vel in pauperum eleemosynas erogare, cum beneficium detur propter officium. In quo statuto patet supponi sensum Ecclesiæ imponentis recitationem diuini officij beneficiarijs, esse vt omnes, quidquid alia incumbant ipsis ratione sui beneficij (vt incumbunt multa cum ipsum fuerit curatum) ad eam teneantur: ita vt voluerit eandem esse quasi primum, & fundamentale officium, propter quod datur beneficium: quemadmodum habet Suarez *in citato lib. 4. cap. 18. num. 5.* nec est quod dicatur statutum illud non esse extendendum ad habentem beneficium tenue: nam verba generalia sunt, quibus sic incipit; Statuimus, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium siue cum cura, siue sine cura, &c. Quo fit, vt sicut pœnæ amissionis beneficij impositæ omnibus beneficiarijs, qui aliquod crimen admiserint, non minus subijcitur reus talis criminis habens tenue beneficium, quam habens pingue, ita nec minus subijcietur pœnæ impositæ beneficiarijs omnibus non recitantibus diuinum officium. Et confirmatur quia tenue esse, est tantum accidentarium beneficio: nec impedit quin ipsum sit verum ius spirituale, sufficiens ad veram beneficij rationem, vt argumento est quod sufficiat ad fruendum omnibus priuilegijs, quæ conceduntur Clerico minorum Ordinum habenti beneficium Ecclesiasticum; videri potest Suarez in prius cit. cap. 21.

In contraria sententia autem est Sotus *in lib. 10. De iust. & iure quæst. 5. artic. 3. circa medium quæstionis*, quam à nonnullis pijs, & doctis viris probabilem existimari Azor notat in memorata quæstio. tertia. Sed illorum authoritati sufficienter obsistit multitudo aliorum tum piorum, tum doctorum virorum, obsistit item, quod à lege exceptionem faciant, nulli alteri legi innixi: talemque exceptionem, per quam aperiatur via ad grauiter derogandum illi ipsi legi obligationem ipsius paulatim extenuando, dum eadem relinquitur arbitrio prudentis determinanda quoad quantitatem ex qua beneficium debeat, aut non debeat censeri tenue. Quod arbitrium pro praui tate cordis humani, raro fit sine periculo seruiendi potius priuatis affectibus, quam Dei obsequio: vnde præparetur materia dissolutionis vitæ atq; minuatur cultus diuinus. 35.

Quæ incommoda, Ecclesiam dando beneficium propter officium, velle vitare satis intelligitur ex cap. finali, De rescriptis, in 6. Et videri potest ob eam causam, vna ex parte statuere in cap. 1. dist. 91. vt is cui beneficium suum non sufficit, proprio artificio, vel agricultura queniat sibi necessaria: & ex altera parte (*vt communis vsus docet*) non obliget ad plures recitationes, ob beneficiũ habens reditus sufficientes ad plurium sustẽtationem. Imo nec ob multa beneficia etiam pinguia simul habita vt bene tractat Suarez in citato *lib. 4. capit. 18. num. 6. & sequentibus.*

Rationes autem quæ pro eâdem Soti sententia adferri possunt bene soluuntur à Nauarro *in tract. de oratione cap. 7. n. 27.* Prima est, quod ex cap. Is cui, De præbendis, in 6. habentibus beneficia ad sustentationem necessaria, non possint alia beneficia conferri: possint autem non habentibus sufficientia: per quod significatur, illum qui non habet beneficium sufficiens, non habere beneficium: Respondet Nauarrus significari tantum, quod nõ habeat beneficium impediens alterius beneficij consecutionem: non autem quod sit sine beneficio, quia modicum beneficium est vere beneficium, vt satis intelligitur ex paulo ante dictis. 36.

Secunda est, quod ratio ob quam censetur quis obligari ad recitationem officij sit quod ille qui viuit de altari, debeat altari deseruire: sicut viceuersa, qui altari deseruit, debet de altari viuere, iuxta cap. Cum secundum Apostolum, De præbendis. Ad quod etiam facit: tum illud ex citato cap. finali: *propter officium, datur beneficium Ecclesiasticum*; tum etiam, quod sicut olim omnes Clerici tenebantur ad recitationem diuini officij ex cap. finali, distinct. 92. sic erant ab Episcopo sustentandi, ex cap. 2. De præbendis. Atque nunc, cum soli initiati maioribus Ordinibus ad illam teneantur, & illos solos sine titulo ad sustentationem sufficiente ordinatos, tenetur Episcopus sustentare, ex citato cap. Cum secundum Apostolum. 37.

Respon-

Respondet Nauarrus veram causam ob quam beneficiatus tenetur officium diuinum recitare, non esse quod de patrimonio Christi viuat; nam Clericorum famuli, multique alij de eodem patrimonio viuunt, qui non habent eam obligationem: sed quod ob beneficium quantumcunque exiguum, Ecclesiæ institutione deputetur quis ad laudandum, & orandum Deum, eiq; inseruiendum pro populo à quo accipit annuum prouentum. Quem nihil refert insufficientem esse quoniam in præstando officio spirituali, vt spirituale est, non est habenda ratio iustitiæ commutatiuæ; quasi attendere oporteat æqualitatem inter officium ipsum, & stipendium, quod loco paulo superius cit. Greg. à Valen. bene monet: quia spiritale æstimaretur alioqui pecuniâ, & simoniæ crimen incurreretur: quod committitur tum alijs modis, tum accipiendo pretium pro labore de se & intrinsece necessario ad exequendum officium aliquod spiritale, vt idem author ostendit *in seq. q. 16. puncto 2. quæstiuncula 6.* Vide tradita in præced. lib. 23. cap. 17.

Ac cum hæc ita sint, satis intelligitur nullam ab Ecclesia iniuriam fieri beneficiato dum ei non habenti stipendium sufficiens ad sustentationem suam, imponit onus recitandi officium diuinum: sicut nec fit ei, qui ad titulum tantummodo patrimonij sui promouetur ad sacros Ordines: præsertim cum tale officium de se sit exercendum gratis tanquam spirituale: quod temporali nec subijcere, nec coæquare licet, prout habetur ex communi doctrina de simonia. Et quamuis illud exercenti, in vitæ subsidiũ aliquid accipere non prohibeatur, vt ex eadem quoq; doctrina habetur, tamen recitatio ipsa horarum canonicarum, non requirit tantam diei partem, vt nisi subsidium sufficiens Clericus beneficiatus ex beneficio accipiat, possit pro arbitrio eam omittere. Id enim Ecclesia non permittit, vt er cap. 1. & ex cap. Clericus victũ, dist. 91. intelligitur. Nec de eo ipse conqueri potest quandoquidem se sponte sua subiecit obligationi, quæ iuxta antedicta, ex Ecclesiæ institutione annexa est cuilibet beneficio Ecclesiastico. Iniuria autem non fit scienti, & volenti, prout peculiariter declaratur exemplo viri, qui tenetur ad onera matrimonij, quamuis non accipiat ab vxore dotem ad ea sufficientem: quoniam illam volens ducere, tali oneri sua sponte se subiecit. Videri potest Suarez *in cit. c. 21.* vbi plenius eâ de re disserit.

Tertia ratio est, quod parum & nihil in iure æquipolleãt. Respondet Nauar. id non semper ita esse: quin potius ea regulariter differre, præsertim in hac re: quandoquidem modicum beneficium iure canonico & est & dicitur beneficium in cap. Si proponente, De rescriptis: & in cap. Non potest, & in cap. Si motu proprio, De præbendis in 6.

De eâdem proposita obligatione respectu eorum, qui beneficium habent quidem, non percipiunt tamen fructus illius.

Sectio II.

37. Suarez *in memorato lib. 4. cap. 19.* refert hac de re tres sententias: vnam Nau. *in tractatu De oratione cap. 7. num. 29.* Eum cui beneficium collatum est, statim ac collationem acceptauit, teneri ad recitationem horarum canonicarum, etiam ante illius possessionem. Ratio est: quia per ipsam collationem acceptatam acquirit titulum, & fit dominus beneficij huiusq; fructus illi debentur ex eo tempore, quantumuis non sit percepturus ante possessionem adeptam.

Secundam vero Paludani *in 4. dist. 15. quæst. 5. art. 1. concluſ. 5. sub finem*, ad obligationem recitandi horas canonicas ratione beneficij, vltra huius titulum requiri eiusdem possessionem, tanquam complementum, per quod habens ipsum, simpliciter dicitur beneficiatus, gaudetq; honoribus, & priuilegijs beneficiatorum. Quocirca incumbit onus recitandi, quod generaliter impositum est beneficiatis. In quam sententiam propendet Medina *in Codice de oratione, quæstio. 7. non longe ab initio.*

Tertiam demum (quæ est aliorum in præced. sectione num. 34. memoratorum, & Caiet. in verbo, horæ Canonicæ, sub initium, communiorque sententia) cum ad recitationem horarum canonicarum non obligari tanquã beneficiatum, qui habet quidem beneficium, sed nullos illius fructus recipit nec per se, nec per alium; neque per ipsum stat quo minus recipiat: nec etiam in posterum percepturus est ratione illius temporis. Hanc probabilem facit, quod tunc cesset causa talis obligationis, quæ est, vt gratia rependatur populo largienti temporalia, cui consentaneum est reddi spiritalia: sicut & ex aduerso Clericis impendentibus spiritalia consentaneum est populum rependere temporalia, vt in priori ad Corinth. cap. 9. ostendit Apostolus. Et ita hoc tempore quo Ecclesia deposuit curam alendi Clericos minorum Ordinum, censetur quoque eos liberasse ab obligatione recitandi horas canonicas. Itemq; si Papa alicui beneficium sic conferat, vt alteri omnes reditus relinquat simul cum tota beneficij administratione, censetur consequenter taliter beneficiatum liberare ab onere recitandi horas canonicas, quemadmodum Toletus attigit *lib. 2. cir. in fine cap. 14.* Quidquid autem sit, in praxi documenta sequentia tenenda videntur.

Primum est: Solum titulum beneficij sine spe possessionis, vel cum ea quidem, sed sine spe perceptionis fructuum vnquam futura, non inducere obligationem recitandi horas canonicas; neminem esse qui contra sentiat annotat Suarez *in citato cap. 19.* Et ratio est: quod id nullo iure, aut consuetudine sit constitutũ: nec ratio suadeat, cum tale, nomine tantum, beneficium censeri possit, tanquam ius inefficax per quod nequit obtineri illud ad quod datum est. Vnde non est ad ipsum extendenda lex obligãs ad recitationem horarum canonicarum, vtpote quæ tanquam onerosa, restringenda est interpretatione, non extendenda. 38.

Secundum est: Tutam esse quidem, nec probabilitate carere Nauarri sententiam: nihilominus non esse reijciendam contrariam cæterorum: nempe titulum beneficij sine possessione, non sufficere ad obligationem recitandi horas canonicas: nam tot nobilium authorum iudicium illam reddit satis probabilem. Cui & ratio suffragatur; quia beneficium vt sit ius efficax, cum titulo requirit possessionem. Ideo enim beneficiatus ante acceptam possessionem nequit sibi vendicare beneficij fructus.

Tertium est: Eum qui cum titulo beneficij habet illius possessionẽ, non eximi à proposita obligatione; ex eo, quod non ipse, sed nomine ipsius, alter accipiat fructus. Ratio patet: quia beneficum non desinit inde esse ius efficax, & ita adolescentes beneficiati, quorum parentes pro eis percipiunt fructus sui beneficij, non minus subijciuntur ei obligationi quam si perciperent per se. Obligari similiter eum, qui ex beneficio nihil aliud, quam distributiones quotidianas perciperet; cum de tali vere dici nequeat, quod nullum fructum beneficij percipiat.

Quartum est. Obligari etiam eum, qui ideo nihil percipit, quod possessionem non capiat cum possit. Ei enim sua fraus aut negligentia non debet prodesse: nec Ecclesia inde obsequio debito fraudari. Idem iudicium est de eo qui accepta possessione, ideo non percipit fructus, quod sine legitima excusatione non resideat; nam & de tali vere dicitur, stare per ipsam quominus recipiat fructus beneficij sui. Dicendum est pari ratione obligari illum, cui facta est beneficij collatio, & est ab ipso acceptata (vnde ius in re, seu beneficij dominium quæsitum est ei) si fructus illius temporis, siue sequestrati, siue ab alio male vsurpati, tãdem authoritate Iudicis, aut alia via legitima, probabiliter videãtur ei restituendi; ipso, vt par est, id procurante. Pro hoc aliquot authoribus citatis Suarez *initio sequentis cap. 20.* rationem adfert, quod talis vere, ac propriè beneficiatus sit, cum ad id non requiratur vt fructuum perceptio sit anticipata.

Quintum est: Obligari quoque eum, qui omnes beneficij fructus loco pensionis reseruauit ei, qui in suum fauorem illud resignauit. De quo Suarez pluribus *in citato capit. 20. dicto 2.* Ratio vero est: quia ad quem pertinet beneficij administratio, pertinet & recitatio horarũ canonicarum, sicut aliorum munerum executio: talisq; sit vere beneficiatus: & quod alius accipiat fructus, id de consensu ipsius fiat, cum consenserit reseruari alteri; neque propter suam voluntatem (vt nec ob suam culpam, si ob aliquam priuaretur ijsdem) debet Ecclesia priuari seruitio sibi debito. Adde quod possit, si velit fructus aliquos percipere: quandoquidem

potest eidem beneficio deseruire; & alter cui omnes fructus reseruati sunt, cogi satisfacere pro impendendo seruitio: quia talium fructuũ nomine, intelliguntur ij soli, qui deductis oneribus reseruati sunt. Ita Nauarr. *De oratione capit. 7. num. 30.*

39. Addens sextum documentum: Non excusari quem ob id dumtaxat, quod fructus beneficij in primo anno, aut pluribus, fabricæ, aut prædecessori mortuo, aut alteri cuipiam rei, vel personæ debeantur ex consuetudine, vel priuilegio. Ratio illius est, quod tali debeatur dimidia pars fructuum, prout declaratur in Extrauag. Ioannis 22. incipit, Suscepti regiminis; ideoque in illis eadem acin præcedentibus sit ratio; sicut etiam probabile est eandem esse in ijs canonicis qui ex Ecclesiæ suæ statuto, vel consuetudine nihil penitus percipiunt primo anno, aut etiam vlterius, etiamsi velint deseruire, ita vt omnia cedant antiquis Canonicis. Nam eodem iure, quo antedicti, exigere possunt dimidiatos fructus. Neq; eis obstat consuetudo aut statutum contrarium: quia per constitutionem Pij quinti, quæ incipit, Durum, editam anno Domini 1570. ea & improbatur & abrogatur. Qua de re plenius Suarez *in sequent. dicto tertio.* Quod si quis ob molestiam litigandi contra suam Ecclesiam consentiat simpliciter in prædictam consuetudinem, non excusabitur ab hac obligatione recitandi, vt nec excusatur ille qui beneficium accipit, consentiens vt fructus pro pensione reseruentur ei qui in ipsius fauorem illud resignauit. Ratio est ex Medina in cit. quæst. 7. titul. cum possessione, ratione cuius percipiuntur fructus bonorum Ecclesiæ, cum habeat veram rationem beneficij inducit obligationem recitandi officium diuinum, *prout satis constat ex supradictis*, cui obligationi debet per aliquem satisfieri. At non debet per eum percipit fructus sine titulo, iuxta post dicenda. Ergo per eum qui habet titulum: qui sua voluntate se submisit conditioni habendi eundem per aliquod tempus sine fructuum perceptione. Accedit ad hæc quod plerumque Canonicus de quo agimus, si velit adesse choro, particeps fiat distributionum: aut si obire velit partes vicarij, qui illi interea sufficiendus est, ne Ecclesia in præiudicium diuini cultus, careat debito numero suorum ministrorum: possit accipere stipendium eidem Vicario tribuendum.

Septimum est. Ad liberationem à proposita obligatione, non sufficere quod pro aliquo tempore fructus non percipiantur, si spes sit alias percipiendi: alioqui enim pro anno in quo ob sterilitatem, aut aliud incommodum nulli perciperentur, beneficiarius non teneretur recitare: nec, si beneficium esset curatum, Sacramenta pari de causa administare. De qua re Suarez *in eod. cap. 20. dicto 5.*

40. Vltimum documentum est: Eum qui habet titulum beneficij sed possessionem accipere impeditur per litem, non teneri ad recitationem horarum canonicarum. Hoc aduersus Nauarrum *in cit. cap. 7. num. 29.* Suarez probat in fine præcedentis cap. 19. tum per illud, quod antea habitum est, solum titulum absque possessione minimè sufficere ad obligationem recitandi horas canonicas: tum ex eo, quod si collitigans possessionem habeat, colorato forte titulo intrusus: is vt ad omne aliud talis beneficij onus tenetur, ita & ad propositam recitationem; non autem alter qui ab administratione, & à possessione excluditur: præsertim cum nihil sit cur idem onus, cui per vnum satisfit, imponatur duobus. Sin neuter litigantium habeat possessionem: ac vterque litiget, existimans in conscientia se ius habere: non vni potius, quam alteri incumbit talis obligatio; cum appareant iure pares; quandoquidem non daretur alioqui litigationi locus. Nec obstat, quod interea temporis Ecclesia frustrabitur obsequio talis recitationis, aut quod is qui vincet, fructus sequestratos recipiet: quia id per accidens est, perinde ac cum beneficium per aliquod tempus vacat, in quo non est qui satisfaciat istiusmodi obligationi: & successor capit fructus eiusdem temporis. Qua tamen in re cauenda est fraus, & negligentia per quam lis diutius protrahatur. Id enim tanquam Ecclesiæ valde iniurioſum non haberet excusationem à graui peccato. Vnde si lis nequit breui tempore terminari, dirimenda est facta compositione inter litigantes.

* * *

De eadem obligatione respectu eorum, qui non habentes titulum beneficij, percipiunt fructus illius.

Sectio III.

ISti usmodi sunt pensionarij, ad quos pertinent dicenda in sequenti cap. octauo. Eos autem ad recitationem horarum canonicarum non teneri, consentiunt authores. Ratio vero est, quia non sunt propriè beneficiarij, & Ecclesia nullum præter initiatum sacro Ordine aut Religioſum professum addictum choro, ad talem recitationem adstringit, nisi beneficiarium; ita Nauarr. *in capit. 7. De oratione numer. 25.* Addens nihilominus eos qui pensionem Clericalem, seu tãquam Clerici, habent sufficientem ad vitæ sustentationem, teneri ad recitationem horarum minorum Beatæ Virginis sub eadem pœna, qua beneficiarij tenentur ad recitationem horarum canonicarum. Qua de re idem *in sequent. numer. 32. & in Enchir. cap 25. numer 122.* Bullam Pij quinti refert, & explicat. De qua Suarez *in memorato lib. 4. cap. 22. num. 6.* monet præceptum per eam impoſitum, non ita limitari ad preces beatæ Virginis, quin pensionarius si velit possit recitare horas canonicas, per quas plenius satisfaciet suo muneri. Namque probabile est Papam noluisse lege sua illas excludere, sed solummodo noluisse imponere pensionarijs tantum onus. Vnde idem Suarez infert, habentem beneficium, & Clericalem pensionem satisfacere, si recitet horas canonicas, etiamsi non addat minores horas B. Virginis; quia potest vtriq; oneri satisfacere per vnam recitationem horarum canonicarum, perinde ac habens duo beneficia. 41. 44.

Ex ante proposita ratione pariter colligitur, quod Medina *in Cod. De oratione, quæst. 7. annotat:* quod cum coadiutoria non sit Ecclesiasticum beneficium, sed aliquid ei adiunctum: coadiutorem datum alicui beneficiato non esse obligatum ad recitationem horarum canonicarũ; nisi ipse in defectum eiusdem beneficiati suscipiat in se totum onus beneficij, vt solet is cui cõmendatur aliquod beneficiũ donec alter eo intituletur. Quo casu per suam acceptionem beneficiato subrogatur in tota obligatione beneficij, vt bene docet Suarez *in sequent. num. 14.* Alias vero talem obligationẽ non habere specialiter impoſitam, manente apud retinentẽ beneficium obligatione recitandi, prout Nauar. *in capit 20. De oratione nu. 18.* probat: quia ratione beneficij non solent obligari duo ad priuatim recitandum. Vnde ille addit generaliter resoluendum esse: quod coadiutor teneatur facere omnia, & sola illa ad quæ datus est coadiutor, etiamsi constituatur futurus in totum successor: & ita si datus sit coadiutor ad dicendum omnes horas nomine beneficiati, tenebitur ad omnes illas: si vero ad aliquas solas, ad eas duntaxat: siq; omnibus diebus, tenebitur illis omnibus: sin tantum aliquibus, ijs solis: quia causa limitata limitatũ producit effectum. Quæ aduerte dici de publica recitatione; nam obligatio priuata recitãdi, quia personalis est, alteri commendari non potest. Quod etiam notat Suarez *in seq. n. 15.*

Consequens est quoque ex eadem doctrina, eos qui solum habent expectatiuas beneficiorum, vt qui dicuntur Canonici in spe, non teneri ad horarum recitationem: quia beneficium expectare, non est illud habere: sed cum ab alio habeatur, ius aliquod sibi vendicare ad illud aliquando habendum. Consequens demũ est vniuerse, nec teneri quemquam alium percipiẽtem fructus beneficij alio titulo, quam beneficij.

De restitutionis pœna, quæ incurritur non satisfaciendo obligationi propositæ.

Sectio IV.

DVplex solet assignari pœna cui obnoxius sit beneficiarius transgrediens hanc de qua agimus obligationem: vna peccati mortalis: & altera restitutionis. Ac de priori satis constat ex cap. Clericus victum, distinct. 91. iuxta quod beneficiatus nõ recitans horas canonicas dignus est excommunicatione: quæ tantum pro peccato mortali imponi potest, ex cap. Nemo Episcoporum 11. qu. 3. Accedit modus quo 42.

eadem

eadem recitatio præcipitur in c. Dolentes, De celebratione Missarum, §. finali, illis verbis, Districte præcipientes in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter, & diurnũ, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent, pariter & deuote, nec de eò est inter Doctores controuersia etiamsi non conueniat inter eos, quanta omissio eiusdem recitationis requiratur ad constituendum tam graue peccatum. De qua re iam egimus in præced. lib. 18. nu. 143. & duobus sequentibus.

De posteriori, hoc est, restitutionis pœna, An eà incurratur ipso facto ob omissam horarum canonicarum recitationem à beneficiario. An autem post Iudicis tantum condemnationem, dubitatum quidem est inter antiquiores, vt videre licet apud Sylu. *verbo Clericus*, 4. *quæst.* 23. vbi tum authores, tum etiam rationes adfert in vtramque partem. Sed vix videtur esse nunc locus relictus dubitationi: cum in Concil. Laternensi sub Leone 10. sess. 9. canon. 9. constituatur, vt nemo beneficium habens, qui elapsis sex mensibus ab eius consecutione, sine legitimo impedimento officium diuinum recitare omiserit, pro tempore quo non recitauit fructus suos faciat: imo teneatur eos, tanquam rem iniuste captam impendere in fabricam beneficii: aut in eleemosynas pauperum. Quæ verba, *tanquam rem iniuste captam, &c.* satis ostendunt illud quod citatis Nauarro, & Couarr. habet Suarez *in eodem lib. 4. cap. 30. sub initium* quoad forum conscientiæ nullam requiri Iudicis sententiam declaratoriam: cum nihil iniuste captum possit de se bona conscientia retineri.

44. Ad quod quidem statutum (de quo plurib. idem Suarez *in præced. cap. 29.*) accessit bulla Pii quinti relata à Nauarro *in Enchir. cap. 25. num. 122. & de oratione cap. 7. num. 32.* in qua idipsum statutum non modo commendat, vt pium & salutare, sed etiam illud innouando, declarat quænam debeat esse talis restitutio: nempe vt qui omnes horas canonicas vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, vel beneficiorum suorum fructus; qui illi diei, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui autem solum matutinum, dimidium, qui cæteras horas omnes, dimidium item: & qui singulas ex eis, sextam partem fructuum talis diei amittat. Declarat etiam, quod etsi per sex primos menses à die acceptatæ collationis beneficij non recitans horas canonicas liber sit à restitutione, non esse tamen liberum à peccato mortali, quod tali omissione committiante diximus. Item obnoxios esse tali pœnæ quosuis beneficiatos, qualiacumque sint eorum beneficia, itemque pensionarios, non quidem omnes, sed solos eos, qui tanquam Clerici, fructus, aut alias res Ecclesiasticas percipiunt, nisi dicant paruum Officium beatæ Virginis.

De qua constitutione pro quotidiana praxi Suarez in citato cap. 30. habet notatu digna. Primum est nu. 2. ab hominibus doctis, & piis non dubitari, quin ita sit vsu recepta, vt obliget. Secundum est, *pro quo plures alios citat num. 6.* ex vi illius legis restituendos esse fructus secundum proportionem in ea declaratam, neq; vnius tantum, sed omnium beneficiorum, quæ habuerit ille qui non recitat. Hoc habetur aperte ex verbis illis eiusdem legis, *Omnes beneficij, seu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, &c.*

Tertium est, *nu. 11. in fine*, per eamdem legem, propositæ pœnæ extensionem, cum eadem proportione fieri ad eos, qui etiamsi in choro sint præsentes: nihilominus nec ibi, nec alibi recitant horas illas quibus assistunt: fieri similiter ad pensionarios, non quidem omnes, sed solos eos, qui tanquam Clerici fructus, aut alias res Ecclesiasticas percipiunt, nisi dicant paruum Officium B. Virginis.

Quartum est, *de quo in num. 13. & 16.* ab hac obligatione restituendi, excusare posse: tum materiæ paruitatem, tum ignorantiam, obliuionemque inculpabilem, quia imponitur ob peccatum mortale quod salutis suæ immemor paruipendẽs, temporali pœna vrgetur exequi quod tenetur. Paruitas autem ea materiæ contingit ex parte horarum canonicarum, cum omissio non est tanta: vt constituat mortale (de qua re videnda sunt dicta in præcedent. lib. 18. nu. 143. & duobus sequentibus) aut quantumcumq; sufficiens fuerit ad mortale, pars tamen fructuum eidem respondens obtenuitatem beneficii, non est sufficiens. Qua tamẽ in re cauendum est, ne vni paruæ materiæ, aliæ similes paulatim ità coniungantur: vt mortali modo, sic excrescat, vt grauis fiat: perinde ac in furto, per modica repetita, excrescente in magnum.

Quintum est: ex eo, quod in eadem lege dicitur, talem restitutionem faciendam esse fabricæ beneficii, intelligi non esse liberum, eam facere in opus alterius loci etiam pii. Et quia non dicitur fabricæ, Ecclesiæ beneficii, permissum esse eam facere fabricæ alterius ædificij ad beneficium ipsum spectantis: vt domus in qua beneficiatus habitat, aut in qua reconduntur fructus beneficii, vnde expensæ necessariæ, vel vtiles pro illius reparatione factæ, deduci possunt à summa restituenda. 45.

Sextum est: quia in eadem lege additur (*absque determinatione certorum pauperum*) vel pauperibus faciendam esse talem restitutionem, posse eam fieri per eleemosynã in quoscumque pauperes: præsertim cum id maxime sit consentaneũ Christianæ charitati, quæ omnes amplectitur in Christo: & reddit faciliorem, ac suauiorem ipsam restitutionem: vt bene nu. 20. idem author notat. Vnde consequens est, eamdem restitutionem fieri posse procuratione celebrationis Missæ & aliorum Ecclesiasticorum suffragiorũ pro defunctis, qui & ipsi pauperes sunt valde indigentes tali refrigerio. Itemq; suppleri posse per eleemosynas, quas antea beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit pauperibus: cum eæ cuiusdam anticipatæ solutionis rationem quamdam habere possint. Adde etiam ex Nauarro *in fine citati nu. 122. & de orat. in cap. 7. nu. 34.* quod Suarez approbat *in num. 21.* eum qui ad eiusmodi restitutionem tenetur, si vere pauper sit, de prudentis Confessarii consilio prius requisito, *quia facile est decipi in propria causa*, tanquam in eleemosynam acceptum à Papa, posse licite retinere sibi illud quod restituendum est, aut eius partem.

Aduerte autem beneficiarium obnoxium esse huic pœnæ quantumcumque cætera onera sui beneficii obierit, vt administrarit sacramenta, cum esset Parochus. Nã hoc non obstante reus est peccati mortalis, quod committitur omissione recitationis horarum canonicarum; quod vnum tali priuatione punitur, tanquam ea sufficienter dignũ: non obstante, quod quis cætera sua munia exequatur: sicut & sufficienter dignus est æterno supplicio, quantumcumq; in nullo alio deliquerit, iuxta illud Iacobi 2. Quicumq; totam legem seruauerit, offendat autẽ in vno, factus est omniũ reus. 46.

Aduerte secundo: quia proposita lex nulla habet verba derogatoria; siex aliqua loci consuetudine restitutio fructuum beneficii male perceptorum certo operi pio applicanda sit, illam nõ liberare ab eiusdem consuetudinis obseruatione; cum, vt bene notat Suarez *nu. 27.* non fuerit ad hoc ea ipsa lex instituta, vt seruiretur vtilitati fabricæ beneficii, aut pauperum: sed vt expeditior redderetur via ad executionem talis restitutionis, dum constaret, quid, à quo, quantum, & cui esset restituendum.

Aduerte tertio, quia Pius quintus sua constitutione, pensionarium non recitantem Officium paruum B. Virginis, ad restitutionem obligat eadem ratione qua beneficiatum non recitantem horas canonicas: quæ de hoc quoad modum restituendi sunt dicta, ad illum extendi.

Aduerte postremo, aliam esse rationem de fructibus, quos beneficiarius lucrifecerit per distributiones quotidianas: Nam illi non sunt restituendi fabricæ, aut pauperibus, sed iis qui choro interfuerint, quibus accrescunt, ex capit. vnico De clericis non residentibus, in 6. & Concil. Trident. sess. 24. capite. 12. De reform. Qua de re poterunt Canonici, *quorum est propria*, videre Couar. in lib. 3. var. resolut. cap. 13. & Nauarrum in miscellaneo 59. De oratione: ac post eosdem perspicue, suasque plene differentem Azorium in 2. par. Moral. institut. libro septimo cap. septimo.

Cæterum versatur in dubio, An sicut pœnam peccati mortalis incurrit beneficiarius, qui sine debita attentione horas canonicas recitat: sic etiam incurrat pœnam restitutionis fructuum beneficii perinde ac si omnino non recitasset. De hoc Petrus à Nauar. lib. 2. De restitut. *cap. 2. num. 228. & aliquot sequentibus*, vbi duo præmonet. Alterum, talem non teneri ad restitutionem spiritalem secundum æqualitatem, id est, non teneri horas sine attentione re- 47.

citatas repetere iam transacto die: quia nimirum talis obligatio onus est diei: sicut & obligatio ieiunij Ecclesiastici. Alterum est: ex eo solo, q̃ quis inquinatus peccato mortali horas canonicas recitet, ipsum non teneri ad restitutionem fructuum: quia in illo statu implet præceptum Ecclesiasticum secundum substantiam operis, si integre, & cum debita attentione recitet: sicut & is qui vna refectione in die contentus est, nec cibis vetitis vtitur, implet præceptum ieiunij (quantumuis peccato mortali inquinatus) neque illius transgressione nouo peccato se contaminat. Acceptatur autem à Deo talis recitatio ob deuotionem Ecclesiæ, cuius illi qui recitant, sunt ministri: sicut & acceptatur instrumentorum musicorum symphonia, qua in diuinis officiis Ecclesia ipsa vtitur.

48. His autem præmonitis statuit memoratus author contra Sotum, & Cordubensem, quod voluntarie recitans sine attentione (vt accidit ei, qui cõfabulatur, pecunias numerat, scribit, aliaque aliena miscet cum recitatione) sicut non implet Ecclesiasticum præceptum de recitatione officij, studiose pariter, & deuote exequenda, ex cap. Dolentes, De celebratione Missarum: ita nec lucrari fructus qui ab Ecclesia assignati sunt in stipendium, iis qui tale præceptum implerent. Quod enim punitur per illorum priuationem, est eiusdem præcepti transgressio, à qua beneficiarij vitæ futuræ immemores, notabantur non reuocari per pœnam peccati mortalis, sub qua tale præceptum impositum est, vt paulo superius notauimus. Eamdem sententiam sequitur. Suarez De relig. *tomo 2. lib. 4 cap. 30 num. 14.*

Nota vero quod Petrus à Nauarr. *num. 234.* addit, & multis consolationem adferre potest: si quis memoria teneat omnia recitanda, ipsum satisfacere præcepto recitandi, quãtumcunque ad verba non attendat, dummodo exterius attentionem adhibeat, recollectusue sit, ac compositionem, & modestiam orantis seruet: quia non exponit se periculo non pronunciandi: adeo vt is qui more solito dicit Primam, aut aliam horam memoriter; si in fine vnius, aut alterius Psalmi aduertat se debite recitare, credendus sit à mortali excusari, nec ad restitutionem teneri; cum quoad cætera, saltem sit verosimile, ipsum recte omnia pronunciasse. Quod superest videtur docendum, quæ sint causæ ob quas possit quis censeri à tali restitutione excusatus, vno verbo expeditur dicendo eas esse ob quas à mortali excusatur. Eas persequuti summus in præcedenti lib. 18. cap. 13. post Nauarrum in Enchir. cap. 25. numero 100. & 101. & in tract. de oratione, cap. 11.

CAPVT V.

De beneficiati obligatione residendi.

SVMMARIVM.

49. *Quæ beneficia residentiam requirant ex obligatione.*
50 *Quæ non requirant.*
51 *Quid sit tenendum in hac re quoad beneficia tenuia.*
52 *De iure quo imposita est proposita obligatio.*
53 *Cum beneficiato habente curam animarum ne quidem Papa potest in tali obligatione dispensare sine iusta causa.*
54 *Aliquot talis causæ.*
55 *Licentia beneficiatis curam animarum habentibus concessa à Concil. Triden.*
56 *Legitime excusatus à residendo facere potest fructus suos.*
57 *Obligatio dispensati in hac re: & quis possit in ea dispensare.*
58 *Pœna restitutionis, qua punitur transgressio propositæ obligationis.*
59 *Ea non imponitur incurrenda ipso facto: & quatenus ante condemnationem possit quis vti fructibus quorum priuatione punitur.*
60 *Explicatio difficultatis, An ad talem pœnam vitandam, sufficiat residere, Ecclesiasticum ministerium per substitutum exercendo.*

OBligatio residendi in propriis Ecclesiis, id est seruiẽdi per seipsum in Ecclesia in qua habetur beneficium, in aq; personaliter faciendi officium, propter quod datur beneficium: colligitur ex toto titulo de Clericis non residentibus. Agentes de ea re authores (quibus adde Nauarr. in Enchir. cap. 25. nu. 121.) refert Azor 2. *parte Moral. instit lib. 7. sub initium cap. tertij*, in quo & tribus sequentibus, satis late eam persequitur.

Cæterum, certum est omne beneficium cum animarum cura siue in foro interiori tantum, vt parochiale; siue tantũ in exteriori, vt Archidiaconatum, cui potestas gubernandi annexa est absque pastorali cura; siue in vtroque simul, vt Episcopatum: & quodcumque aliud cui iurisdictio, & pastoralis cura est annexa. Certũ inquã est residentiam requirere secundum commune ius canonicum, per cap. Adhæc, & cap. Extirpandæ §. Qui vero De præbendis, & cap. Quia nonnulli, De Clericis non residentibus, & ca. Licet De elect. in 6. Qui Canones innouantur in Concil. Trid. sess. 6. & sess. 23. vtrobique cap. 1. De reform. 49.

Idem quoque dicendum est de beneficiis eorum qui habent Ecclesiasticam dignitatem, præpositurámue institutam ad conseruandam, & augendam disciplinam Ecclesiasticam: qualia sunt Præpositorum, Decanorum, Thesaurariorum, Præcentorum, nonnullorumque aliorum. Pro quo textus est in citato cap. Adhæc, cap. Ex parte vestra, cap. Inter quatuor, cap. Ex parte tua, De Clericis non residentibus, & in Concil. Trid. sess. 24. cap. 12. De reformatione.

Idem adhuc dicendum est de canonicatu. Pro quo item faciunt cap. De cætero, ca. Tuæ. cap. Cum dilectis. cap. Cum ad hoc De Clericis non residentibus, & cit. cap. 12. Concil. Trident. vbi idem habetur de præbenda, & portione: vt & in cit. cap. Cum ad hoc: vbi illam habentes vocantur assisij Ad quod verbum glossa notat assisios, quasi assiduos vocari beneficiatos, qui non sunt canonici, & seruire debẽt Ecclesiæ: nec vocantur ad communes tractatus cum canonicis. Idem præterea dicendum est de vicariatu perpetuo Ecclesiarum parochialium per cap. finale, De officio vicarij. Item deniq; de beneficiis habentium Episcopatus, Abbatias, vel Prioratus in commendam, vel administrationem perpetuam, *etiam quoad spiritualia*, quoniam habent idem onus, & obligationem, quam ij haberent, qui in titulum talia beneficia obtinerent.

De cæteris autem beneficiis non est ita certum. Nam etsi Doctores (*quos satis magno numero Azor in eodem cap. tertio, versu Sed dubitatur, refert & sequitur*) cõmuniter asserant omne beneficium iure cõmuni residentiam requirere: quia ex cap. Quia nonnulli, c. Relatum, ca. Conquerente, De Clericis non residentibus: & cap. finali. De rescriptis in 6. beneficium datur propter officium, quod quidem requirit præsentiam personę in loco in quo ipsum debet exerceri. Nihilominus inde nihil amplius videtur colligi de necessitate, quam quod beneficiarij in Ecclesiis constituantur vt seruiant, officium in eis exercendo, non autẽ statui aperte, quod debeant personaliter seruire per seipsos: sicut de Parochiis, ac aliis prius memoratis particulariter statuitur. Quidquid autem sit de iure communi, constat apud omnes dari quædam beneficia, simplicia vltra antememorata, vt capellanias: quæ per cõsuetudinem receptum, *nec tanquam illicitam reprobari solitam*, libera sint à residentia personali: excepto quod interdum aliqua eorum ex statuto speciali, vel fundatione illam requirant, non vero ab obligatione, officium quod eis annexum est, præstandi per alium. 50

Aduerte vero q̃ prædictum est de obligatione residẽdi, locum habere quantumcumque beneficia sint tenuia, prout Nauar. *initio citati n. 121.* expressit, post plures alios quos Azor commemorat, & sequitur *in illo eodem ca. 3. quæst. 7.* Ratio vero est: tum quod generaliter ius præcipiat beneficiatis commorari in sua Ecclesia: nihil distinguens, sitne pingue, an tenue beneficium: neque ob redituum tenuitatem, amittatur ratio beneficij. Tum etiam quod Clericus, cui beneficium tenue confertur, possit illud propria sponte respuere: ideoque si illud accipiens, incommodum aliquod sentiat; debet sibi imputare; perinde ac ille, qui modice dotatam vxorem voluit ducere, debet sibi imputare, quod in ea sustentanda grauetur. Inde per dicenda in sequenti numero 284. si habens beneficium tenue, obtineat aliud residentiam requirens, tenetur relinquere prius, aut dispensationem obtinere ad vtrumque simul retinendum, seruiendi 51

vni per seipsum, & alteri per substitutum: aut vtrique per seipsum, si iudicio Episcopi debite facere potest.

Quo iure sit imposita residendi obligatio.

NOta autem primo pro praxi, propositam residendi obligationem iure tantum Canonico imponi habentibus beneficia sine animarum cura: cæteris autem, iisve quibus ratione beneficii incumbit animarum cura, impositam esse tam diuino, quam Canonico iure, vt bene ostendit Sotus De iust. & iure *libr.* 10. *quæst.* 3. *artic.* 1. secutus Caietanũ, 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 5. ac nouissime (post vtrumque illum, atque Couarruuiam *in lib.* 3. *variar. resolut. cap.* 13.) Azor in 2. parte moral. institut. *lib.* 7. *cap.* 4. Idemque bene notat Nauarrus. *in Enchir. cap.* 25. *num.* 121. satis colligi ex his verbis Concilij Trident. sess. 23. cap. 1. De reformat. Cum præcepto diuino mãdatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt, nec mercenariorum more deserunt, sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis in iudicio, & veritate pascant & regant. Quibus verbis aperte indicatur, quod pastor animarum residere debeat. Cum enim talia officia commode præstari nequeant, nisi abeo qui personaliter resideat, necessario sequitur, quod pastor animarum debeat in suo beneficio residere. Perinde enim est in ea re, ac cum quis alicuius gregis instituitur pastor, aut nauis, vel domus gubernator, & custos: ex cuiusmodi officij vi & natura sequitur, vt quisquis illud habet tanquam is cuius cura, & industria ac diligentia electa est ad personale munus, personaliter residere debeat. Atque ita necessarium non fuit vt Christus institutus pastorum officium, expresse residentiam iniungeret: quia satis fuit, quod instituendo illud, residentiam, quæ illius naturam & conditionem sequitur, institueret implicite.

Nota secundo, *quod inde quoque est consequens*, ne Papam quidem posse valide cum animarum curam habente dispensare ad non residendũ nisi iusta adsit dispensandi causa. Neque enim vt sæpe inculcauimus, inferior potest legem Superioris aliter relaxare, quam iusta de causa. Itaque curatum beneficium habens, si absque iusta causa non resideat, tutus non est in conscientia. Nam nec dispensationem prætendere potest ex iam dictis: nec item consuetudinem, quæ nulla potest valere cõtra ius diuinum: maxime autem in re proposita, in qua Ecclesiis, & animabus damnosa esset, & contraria naturali æquitati iustitiæ: qua quisque ex suscepto tali officio, tenetur ipsemet per se gerere curam ouium Christi. Quod satis significatum est a D. Petro in priori sua epistola cap. 5. illis verbis: Pascite qui in vobis (id est, inter vos) gregem Dei. Et patet à simili: quia miles instituitur vt per se militet. Instituitur item nauis gubernator, domus ianitor, quærendo personæ industriam, fidem, & diligentiam. Similiter gregis custos, qui (iuxta Salomonis præceptum, Prouerb. cap. 27. v. 23.) diligenter agnoscat vultum pecoris sui, suosque greges consideret. Ad quod implendum in cura pecorum, si necessaria sit assistentia: multo magis erit ad implendum in regimine animarum.

Causæ dispensandi valide in proposita obligatione.

POrro causæ dispensandi in obligatione de qua agimus iustæ censebuntur, cum tanti momenti fuerint, vt cogant ad tempus beneficiatum abesse: cuiusmodi hæ referuntur esse. Prima cum quis est absens pro negotiis religionis: vel illius Ecclesiæ, cuius pastoralem curam gerit, ca. Ex parte 2. De Clericis non residentibus.

Secunda, cum quis Theologiam audit durante quinquennio, c. fin. De magistris. Idemque iuris esse, cum quis per quinquenium audit ius Canonicum, vt ex Archidiacono, & Panorm. habet Nauar. *in Enchir. cap.* 25. *num.* 121.

Tertia, cum quis Theologiam publice prælegit ex eodem cap. finali. Idem etiam iuris esse cum quis prælegit ius Canonicum Nauarr. habet ibidem: vbi & addit tali excusationi locum esse quamdiu talis prælectio durauerit. Quod etiam habet Syluest. *in verbo Residentia, q.* 7. *versu.* 3. Neque in hoc requiri licentiam Ordinarii iidem ibidem notant, quoniam ius illam concedit.

Quarta est, studium literarum humaniorum, & Philosophiæ impetrata ad illud (nisi consuetudo vigeat in contrarium prout loco citato addit Nauarrus) à proprio Episcopo licentia, cap. Relatum, cap. Tuæ, De Clericis non residentibus, & cap. 2. De priuilegiis, in 6. Vbi aduerte ex Cõcil. Triden. sess. 23. c. 1. De refor. ad non residendum in beneficio curato, iustam causam abeundi debere esse cognitã Ordinario, ab ipsoq; probatam, & licentiam abeundi obtẽtam esse in scriptis: relicto cum debita mercedis assignatione idoneo vicario, approbato ab eodem Ordinario. Vbi aduerte quoque obiter, quod Lessius habet, *de iust. & iure, lib.* 2. *c.* 34. *n.* 158. ob scripturæ solemnitatem omissam, non reddi quoad forum conscientiæ licentiam irritam, sed tantum quoad externum requirens probationem, cum illud sit contentum simplici confessione Pœnitentis.

Quarta causa est, cum quis seruit suo Episcopo, De clericis non residentibus, cap. Ad audientiam, & ca. De cætero. Et ratio est, quia esse cum suo Episcopo, est esse in sua Ecclesia: cum Episcopus sit in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo, cap. Scire debes, 7. quæst. 1. Intellige autem cum Angelo, *Clericus, 7. num.* 2. & Nauarr. loco cit. si seruiat in bonum Ecclesiæ vniuersalis, vel Ecclesiæ Cathedralis, aut collegiatæ, cuius est canonicus: non autem si seruiat principaliter ob propriam vtilitatem, & lucrum, vt ad aucupandum aliquod benencficium, aut ad exercendum officium notarii, aliudve lucrosum. Adde tamen (quod Nauar. ibidem & Selua De Beneficio, *part.* 4. *quæst.* 6. *Casu* 17. & 24. habent ex Panorm. ad cap. Ad audientiam, De clericis non residentibus) Episcopum in suo personali obsequio, posse habere duos Canonicos ex quacumque iusta causa: plures autem non posse habere, nisi ex graui, & vrgente causa: atque Ecclesia non indigente eorum seruitio: cæteris nimirum Canonicis ad illud sufficientibus. Quo modo hæc ipsa causa extenditur ad beneficiatos qui seruiunt legato Papæ, aut alicui Cardinali. Videri potest Azor in memorato *lib.* 7. *cap. quarto, quæst.* 3.

Sexta causa est ex præcedenti deducta, *per rationem à maiori*, & ex cap. Cum delictus, De Clericis non residentibus: cum quis seruit Papæ in ipsius, aut vniuersalis Ecclesiæ bonum: non autem cum seruit ob solam suam vtilitatem, & lucrum. De qua re agens Selua *ibidem in casu* 19. infert excusari Capellanos Papæ, & similes ei seruientes: non autem cæteros, nisi essent officiales moram trahentes in eiusdem Papæ curia præcepto ipsius, per quod censeretur cum eis dispensare, tanquam absentibus causa reipub. Christianæ.

Præter propositas vero causas Selua in eadem quæst. 6. alias refert, ob quas potest quis per vicarium beneficio suo deseruire. & à sua Ecclesia abesse, quas Concil. Trident. in cit. cap. 1. reducit ad quatuor capita. Primum est, Christiana charitas, quæ absentiam exigit ad iuuandam Ecclesiam particularem, vel ad dirimenda, tollendaque dissidia, & odia, ac pacem inter aliquos componendam. Secundum est, vrgens necessitas, nempe morbus, graue bellum, pestis, aeris intemperies, inimicitiæ, odium, & offensa populi vitanda, ac periculum mortis aut seruitutis euadendum. Tertium est, debita obedientia, id est, ob præceptum Papæ, vel legati, vel Episcopi. Quartum, euidens Ecclesiæ, vel reipub. necessitas, vt profectio ad Concilium siue generale, siue prouinciale, siue synodale, susceptio alicuius muneris magni momenti in repub. vel regia curia, ad quod bene gerendum nullus alius suppetit.

Alia notanda circa propositam obligationem.

NOta tertio Concil. Trident. sess. 23 cap. primo Episcopis facultatem non residendi concedere ad duos menses, vel summum ad tres, per spatium siue interruptum, siue continuum: cum hac tamen conditione, vt id ex causa æqua

fiat, *quod relinquitur ipsius conscientiæ*, & absque vllo gregis detrimento. Vltra quod tempus ex eodem Concilio ibidem, si oporteat Episcopos abesse ob aliquam causam ex præmemoratis, ea debebit approbari à Papa, vel à Metropolitano, vel, eo absente, ab antiquiore suffraganeo: qui ipsius quoque Metropolitani absentiam approbare debebit, nisi cum absentia inciderit propter aliquod munus, & reipub. officium Episcopatibus adiunctum: cuius, quoniam causæ sunt notoriæ, & interdum repentinæ, nec eas quidem significare Metropolitano necesse erit. Quæ verba sunt Concilij.

Reliquis autem inferioribus, curam animarum habentibus, idem Concil. absentiam permittit ad duos menses. Ad quam absentiam quamuis Nauar. *in Enchir. cap. 25. num. 121.* putet non requiri licentiam Ordinarij, sed sufficere iustam causam: contrarium tamen satis aperte indicari videtur per illa verba eiusdem Concilij. Quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita & probata abesse contigerit, vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam, in scriptis, gratisque concedendam, vltra bimestre tempus nisi ex graui causa, non obtineant. hæc ibi.

Verumtamen negandum non videtur, quin si ad breue solum tempus debeat Parochus abesse, non teneatur pro licentia ad Episcopum recurrere, iuxta illud quod ex Hostiensi, Ioanne Andrea, & Panorm. habet Selua, *in supra citata quæst. 6. casu 13.* beneficiatum se absentantem à suo beneficio per modicum tempus, *vt infra tres septimanas, iuxta cap. Si quis in Clero. 7. quæst. prima*, excusari, licet non habeat licentiam à suo Prælato. Pro quo facit quod Concil. Triden. in eodem cap. primo habet: eos qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videantur abesse, qui statim reuersuri sunt. Idem etiam existimandum est, quando subita necessitas occurrit, quæ non patitur ad Prælatum pro licentia recurrere. Quæ de eidem Selua *in sequenti casu 14.* ex Ioanne Andrea Panorm. & quibusdam aliis. Ratio vero est, quod, vt dicitur, necessitas non habeat legem.

56. Nota quarto, legitime excusatum à residendo percipere perinde fructus suos ac si resideret, quod de absente, causa studiorum habetur ex cap. finali, De magistris, & ex cap. 2. De priuilegiis, in 6 Intellige autem si moretur in aliqua Academia: ibique reuera studeat, non autem si in villa, & castro vbi nullum, vel minus competens est studium, vel si vagetur, nec studeat: etiamsi versetur in Academia florente, ex capit. Tuæ fraternitati, De clericis non residentibus. Atque si Theologiæ studeat, valere non potest statutum particulare Capituli, quo canonicus ratione studiorum absens, non percipit fructus sui beneficii: quia tale expresse contrarium iuri communi in memorato cap. finali. Potest vero valere, si vacet alteri studio, etiam iuris canonici ex glossa ad citatum capit. 2. in fine declarationis casus literalis.

Idem quoque de absente propter infirmitatem qua detinetur, habetur ex cap. Præsentium, 7. quæst. prima, & ex cap. Ad audientiam, De clericis non residentibus, vbi videnda est glossa ad verbum, Infirmitas. Idem adhuc de eo cum quo dispensatum est ad habenda duo, vel plura beneficia residentiam requirentia: consequenter enim dispensatum est, vt non residens in vno, vel pluribus, seruiat illis per substitutos. Pro quo facit glossa ad cap. Quia in tantum *verbo Plures*. De præbendis. Et ratio satis aperta est. Nam cum idem non possit in pluribus locis simul residere per se: nec nisi residens possit beneficiorum fructus percipere, inutilis esset gratia dispensationis, si non posset aliquem substituere, qui suas vices suppleret. Vnde hoc ipso quod dispensatum est in pluralitate beneficiorum residentiam requirentium, concessum est substitutum in aliquo, aut aliquibus eorum constituere: iuxta illud in lege 2. ff. De iurisdictione, Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potuit. De cæteris, qui iustas absentiæ suæ causas habuerunt, quod pari ratione possint fructus suorum beneficiorum percipere, nihil est cur negetur.

57. Nota quinto cum Nauar. *in cit. num. 121.* dispensationem ad non residendum, semper intelligi cum clausula, quod dispensatus teneatur per substitutum seruire suæ Ecclesiæ. Nec enim æquum est eam priuari seruitio pro quo tribuit stipendia. Cæterum dispensationem non residendi etiam ad tempus, solus Papa potest dare Episcopo: solus item, potest dare aliis non residendi in perpetuum. Ordinarius vero parochis ad tempus dare potest, cum iusta causa exposcit, cap. Licet canon, §. finali, De electione in 6. vbi glossa per Ordinarium intelligit, tum Episcopum, tum Episcopo superiorem, tum etiam eodem inferiorem Prælatum. Quod idem legato Papæ tribuit Selua, *De beneficio, 4. part quæst. 9.* Itemque Capitulo, Sede vacante, *in sequent. quæst. 10.* & sequitur Azor *in 2. part. moral. instit. lib. 7. in priore parte capitis quint.*

Nota postremo per Concil. Trident. sess. 6. cap. 1. De reformatione, Episcopos & alios superiores, si sex mensibus continuis sine iusta causa extra suam diœcesim morando abfuerint, ipso iure priuari quarta parte fructuum vnius anni, applicandorum fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, & sess. 23. capit. item 1. De reform. pœnam augendo statuit eosdem præter peccati mortalis reatum quem incurrunt, pro rata temporis absentiæ ipsorum, non facere fructus suos, tenerique perceptos restituere fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus, itaut illos tuta conscientia retinere non possint: ne quidem expectata iudicis declaratione, vel quacumque conuentione, seu compositione; quæ appellatur pro fructibus male perceptis, ex qua in totum, aut pro parte tales fructus remitterentur. 58.

Qua eandem pœnam idem Concil. ibidem extendit ad quoscumque alios habentes beneficium aliquod cum animarum cura, quando similiter abfuerint. Pertinere autem, non modo ad eos qui iure tituli, sed etiam ad eos, qui iure commendationis, aut administrationis perpetuæ, beneficium eius generis habent, constat ex bulla Pii quarti, quæ incipit. In suprema, & circumfertur cum Conc. Trid. Ex qua etiam habetur, *prout notat Azor in cit. libr. cap. 4. quæst. 2.* pertinere ad eos qui exteriorem habent tantum animarum curam: qua nimirum, iuxta cap. Dudum 2. De electione §. finali possint visitare, corrigere, excommunicare, suspendere, & interdicere circa curam administrandi sacramenta. Pro quo facit quod talis quoque cura requirat ipsorum præsentiam in Ecclesia, in qua eam quis gerere debet: sicut cura gubernandi nauem, aut prouinciam, vel ciuitatem, aut familiam requirit præsentiam eius cui illa est commissa. Adhæc in eodem Concil sess. 24. capit. 12. De iis qui obtinent dignitates, canonicatus, præbendas, vel portiones in cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis, statuit: vt si absint vltra sex menses in anno, aut etiam tempus aliud minus eo, quod suarum Ecclesiarū constitutiones requirunt: primo anno priuentur dimidia parte fructuū: sique perstiterint in eadē negligentia, priuentur omnibus fructibus, & crescente contumacia procedatur contra eos iuxta sacrorū canonū decreta. 61. 59.

Ex quibus verbis non colligitur, tales ipso facto priuari fructibus beneficiorum suorum, sed per Iudicis sententiam. Neque antiquos canones repugnare, videre licet apud Azorium *in eod. libr. 7. cap. 6. quæst 6.* Vnde licet inferre: tales peccare quidem mortaliter non residendo sine iusta causa: non tamen percipiendo fructus beneficiorum, si eos non consumant malo modo: sed tanquam pauperes ad subueniendum necessitati suæ. Nam etsi sint indigni, non sunt tamen ipso iure, aut per sententiam Iudicis priuati: sed in eis percipiendis ab Ecclesia tolerari pro materna pietate: quæ nec exigit restitutionem ab alijs, quos priuat ipso iure, quando nihil habent, nisi ab ipsamet illis suppeditatum: illuisque ad vitam necessarium: aut certe quando fructus percepti, consumpti sunt ab illis bono modo: siue prout solet à bonis Clericis. Quæ est doctrina Angeli, *Clericus. 7. num. 4.* & Syluestri, *in verb. resid. ntia quæst. sexta.* 60.

Hic quæri potest an satis sit beneficiarium residere; nec requiratur vt ipse per se ministerium suum exequatur. De qua re Couarr. *lib. 3. variar. resolut. cap. 13 n. tertio*, refert duas opiniones: ita probans illam, quæ statuit ad obtinendos beneficii reditus non sufficere beneficiarii residentiam: sed adhuc requiri vt ipsemet seruiat Ecclesiæ exercēdo officia Ecclesiastica. Ita inquam probans vt minime damnandam putet contrariā: nempe beneficiarium sui beneficii fructus posse percipere, si alioqui præsens, omni conatu, & studio curet 62.

vt Ec-

vt Ecclesiastica officia per substitutum idoneum diligenter & absque vllo periculo offensionis Dei, vel proximi fiant: dummodo ipse per seipsum faciat quæ propriam ipsius industriam requirunt: nam sic in nullo fraudat oues propria, præsentia & industria, nec debito obsequio, ob quod ab illis stipendium accipit.

CAPVT VI.

De obligatione non alienandi res Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

61 *Quid nomine Ecclesiæ, quidque alienandi verbo hic intelligatur.*
62 *Cuius sit dominium bonorum Ecclesiæ.*
63 *Qua authoritate alienari possint bona Ecclesiæ.*
64 *Quæ forma ex iuris præscripto sit in eadem alienatione seruanda.*
65 *Ad validitatem alienationis rerum Ecclesiasticarum præter obseruationem formæ à iure præscriptæ, requiritur iusta causa.*
66 *Quatuor casus in quibus permissa est rerum Ecclesiasticarum alienatio.*
67 *Quando res Ecclesiasticæ possint valide alienari non seruata solemnitate præscripta à iure.*
68 *Quomodo accipiendum sit iuramentum præstitum à Prælatis factum Papæ de non alienandis rebus suæ Ecclesiæ.*
49 *Pœnæ alienantium bona suarum Ecclesiarum.*
70 *Casus in quibus excusatur a mortali, non seruans prædictam iuris formam.*
71 *Responsio breuis ad quædam dubia.*
72 *Dubium de locatione fructuum rei Ecclesiasticæ, an fieri possit ad longum tempus.*
73 *Aliud, An succedens in beneficio teneatur soluere debita prædecessoris.*

IN iure Canonico de hac materia agitur apud Gratianum, potissimum 12. quæst. 2. & in reliquis libris eiusdem iuris in titulo, De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. De eadem Summularii in verbo, Alienatio, & Nauarr. tractatus instituitur, De alienatione rerum Ecclesiæ, tomo 1. operum: De eadem multas quæstiones proponit & soluit Azor in 2. par. Moral. inst. lib. 9. cap. 1. & 2. & Lud. Molina De iust. & iure tract. 2. habet disputationem 465. cum quatuor sequentibus. Pro iudicio de peccatis nobis proposito, in mediam proferamus aliquot documẽta prænotatis duobus.

61. Primus est: in hac re, nomine Ecclesiæ intelligi omnem locum pium authoritate Episcopi fundatum, nomine vero alienationis intelligi omnem contractum, quo transfertur dominium rei ab vno in alterum: vel retento dominio quidem, sed vsus fructus transfertur in perpetuum: atque adeo intelligi donationem, venditionem, permutationem, emphyteusim, seu locationem in perpetuum: iuxta textum, expressum in cap. Nulli, De rebus Ecclesiæ non alienandis. Quibus adde & locationem in longum tempus ex Clemen. 1. eodem tit. Dicitur autem longum tempus, decennium ex glossa finali ibidem, & ex aliis apud Couar. *in lib. 2. var resolut. cap. 16. nu. 1.* Adde & locationem vltra triennium, iuxta extrauagantem communem, Ambitiosæ, eodem adhuc titulo: de qua Couar. multa *in sequenti num. 4. 5. & 6.* Veruntamen ex Sylu. *in verbo, Alienatio 9. 15. in fine*, & Nauar. in Enchir *c. 27. n. 150.* in nullo fere loco ea est recepta. Vbi aũt recepta sit, cognoscitur ex consuetudine patriæ, quam discessa à curia Episcopali, vt monet Caiet. *in verbo, Excommunicatio, c. 75. in fine*. Atque si cognoscatur non esse recepta, standum erit iuri antiquiori prohibenti, *in citato cap Nulli*, locationem fieri ad longum tempus. Sicque standum, vt seruetur quod Concil. Trident. sess. 25. cap. 11. De reform. statuit, vt locationes beneficiorum anticipatis solutionibus factę non valeant in præiudicium successorum, quocumque indulto, vel priuilegio non obstante.

62. Posterius prænotandum est quod bene tractat Ludouicus Molina *De iustitia & iure tomo 1. tract. 2. disput. 142.* Bona Ecclesiæ dici quidem bona Dei, quia sunt in illius cultum & honorem dicata, seu deputata in sustentationem ministrorum Dei, & instaurationem templorum: non tamen quod nullum alium proximum & proprium habeant dominium præter Deum: alioquí enim tanquam derelicta, & omnibus communia fierent primo occupantis. Non esse autem Ecclesiæ materialiter sumptæ in qua est beneficium, patet: quia dominium rerum potest tantum esse penes creaturam rationalem, cum sit ius, & potestas vtendi re in proprios vsus. Itaque est communitatis constituentis Ecclesiam eam, cui bona eiusmodi sunt applicata, quæquidem est illorũ capax, eadem ratione qua ciuitas habendi syluas, nemora, prata, stagna, & alia prædia, ac domos, quas locare solet priuatis ciuibus, & ex locatione accipere reditus. Atq; vt gubernatores ciuitatis solẽt esse talium bonorum administratores: sic bonorum Ecclesiæ administratores sunt ij, qui eidem Ecclesiæ præficiuntur: quorum Summus Pontifex, sicut vniuersali Ecclesiæ cũ summa potestate præficitur: sic bonorum totius Ecclesiæ, cum summa potestate habet administrationem. Et sub illo dependenter Episcopus in sua diœcesi, reliquiq; beneficiarii in suis particularib. Ecclesiis.

Obseruatio formæ præscriptæ à iure, quæ cum causa iusta requiritur ad licitam, & validam alienationem rerum Ecclesiasticarum.

SECTIO I.

63. PRimum documentum, his ita prænotatis sit: Prælatos Ecclesiarum posse quidem bona Ecclesiæ alienare in certis casibus seruata forma, seu solemnitate in iure præscripta, non tamen authoritate propria, tanquam dominos, sed tãquam administratores constitutos authoritate communitatis, quæ iure gentiũ ab hac in illos transfertur. Quia enim difficile fuit in singulis casibus totam communitatem ad talem alienationem conuenire, & consensum præbere (sicut alioqui deberet, cum quod ad omnes pertinet, omniũ consensu fieri debeat) communi iure gentium fit, vt tota ea cõmunitatis authoritas transferatur in Prælatos tanquam illius gubernatores, & maxime in Papam, qui iure diuino in persona D. Petri Ioan. 21. constitutus est pastor vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ, & consequenter habet omnium Ecclesiarum curam & administrationẽ. Ratione cuius curæ; tanquã vniuersalis administrator, præscribere potest formam qua bona Ecclesiarum sunt alienanda à Prælatis inferioribus, similiter potest propter bonum cõmune, res vnius Ecclesiæ commutare cum rebus alterius. Immo & vnam alteri vnire.

64. Secundum documentum sit: Formam ex iuris præscripto in proposita alienatione seruandam, esse hanc, vt in alienatione rei Ecclesiæ Cathedralis, interuenire debeat consensus Episcopi, & Capituli sui, ex cap. Sine exceptione, 12. quæst. 2. Id que præhabito tractatu *vt ibidem dicitur*, id est, præmissa discussione vtrum magis expediat alienare vnam rem quam aliam, aut vtrum subueniri possit præsenti necessitati sine tali alienatione. Idem habetur etiã ex aliis iuribus, vt ex cap. 1. cap. Cum Apostolica, & cap. Tua, De iis quæ fiunt à Prælato, & ex ca. 1. De rebus Ecclesiæ non alienandis in 6. Videndus Molina *in citato tract. 2. disput. 468. concl 4.*

In alienatione autem rerum Ecclesię Abbatialis, seu collegiatæ requiri Abbatis, seu Prælati consensum cum Episcopi consensu, & subscriptione, iuxta cap. Abbatibus, 12. quæst. 2. Quod quidem Nauar *in tract. De alienatione rerum Ecclesiæ nu. 7.* annotans, addit consensum illum Episcopi non requiri, cum Abbas, vel alius Prælatus fuerit exemptus ab ipsius iurisdictione, ex glossa ad Clemen. 1. De reb. Eccles. non alienandis, *verbo Propriũ*. Requiritur autem consensus Papæ, iuxta eandem glossam: de quo iudicandum est secundum priuilegia ab ipso data in exemptione.

In alienatione denique rerum Ecclesię inferioris Cathedralis, iuxta cap. Placuit. 12. quæst. 2. si ea fiat per Episcopum, requiritur consensus capituli Ecclesiæ Cathedralis: sin, per illius Ecclesiæ Rectorem, Præpositum vel illaq; habeat proprium collegium, necessarius est tractatus eiusdem Rectoris cum eodem collegio, ac mutuus, vtriusque consensus cũ consensu, & authoritate Episcopi: non autẽ consensus capituli Ecclesię Cathedralis. Sin talis Ecclesia careat Ecclesia stico collegio, solus Rector alienare poterit cũ authoritate,

& consensu solius Episcopi. Quod si Rectore etiam careat, debet illi defensor constitui, perinde audiendus, ac Rector ipse audiretur, iuxta cap. 1. De rebus Ecclesiæ non alienandis in 6. videndus est Molina *in eadem disput. 468. concl. quinta.*

65. Tertium documentum est, Ad validitatem prædictæ alienationis non sufficere vt exacte seruetur forma, solemnitasque à iure tradita. nisi fiat etiam in casibus ab ipso iure permissis. Hoc aliis citatis habent Couar. *in lib. 2. var. resolut. cap. 17. num. 2. Nauar. in memorato comment. num. nono*, & post illos Molina *in sequenti conclus. sexta*, fundamentum est vero, quod iura cum solemnitate causam iustam requirant ad talem validitatem. Sic enim in cap. 1. De rebus Eccles. non alienandis in 6. talis alienatio pronunciatur nulla, eoquod facta esset tum sine solemnitate, tum sine causa debita. Et in Clemen. 1 De rebus Ecclesiæ non alienandis, locatio rerum Ecclesiæ cui vel debita causa, vel solemnitas Ecclesiæ requisita defuerit, decernitur nulla. Item in Extrauag. communi Ambitiosę, eodem tit. omnis talis alienatio facta extra casus à iure permissos pronunciatur nulla. Adde quod tractatus, quem ante diximus ad ipsam solemnitatem requiri, eo maxime spectet, vt intelligatur iusta causa adesse: atque adeo aliquem ex casibus, in quibus iure permissa est talis alienatio.

66. Quatuor autem sunt tales casus, quos glossa refert. 21. qu. 2. in principio. Primus est, cum id postulat necessitas: siue generalis, vt cum gerendum est bellum aduersus infideles: siue specialis, vt cum debita vrgent Ecclesiã, & de fructibus satisfieri non potest. Secundus, cum postulat vtilitas maior Ecclesiæ; nempe vt res melior habeatur, iuxta cap. Vt super, §. finali, De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. Tertius, cum id exigit pietas: ad captiuorum scilicet redemptionem, vel indigentiã sustentationem, cap. Sicut omnino, & cap. Aurũ, 12 quæst. 2. dummodo tamen superstint ad honeste & decore peragendum cultum diuinum; nam tunc nisi fames esset extrema, ratio dictat esse à tali alienatione abstinendum; vt bene monet Couar, *in citato lib. 2 cap. 16. nu. 8. in fine.* Quartus est cum incommoditas, seu damnum Ecclesiæ ad id vrget: quia scilicet res deterior redderetur nisi alienetur, seque alienetur, vitabitur id damnum.

67. Quartum documentum sit, Res Ecclesiæ absque forma, seu solemnitate à iure præscripta alienari posse primo, *iuxta memoratam Extrauag. Ambitiosæ*, quando res ab antiquo solitæ sunt aliis concedi titulo Emphyteusis: tunc enim Prælatus, vel Rector Ecclesiæ (nisi expirante contractu fuerint Ecclesiæ rursus incorporatę quoad fructus) potest dare more solito: dummodo id fiat cum euidenti eiusdem Ecclesiæ vtilitate. De quibus Molina pluribus *in eadem disput. 468. concl 8.* apud quẽ *in sequenti quæstione 469.* vide quatenus res Ecclesiæ cõcedi possint in emphyteusim perpetuã. Aduertendũ est autem concessam esse quidem Prælatis administrationem bonorum Ecclesiæ, ex ca. Cum nobis, in fine, De electione: sed, *vt glossa finalis ibidem notat*, ipsos eam habere tantum rerum bene gerendarum non autem perdendarum, aut dissipandarum.

Posse præterea per eamdem quoque Extrauagantẽ dicto modo alienari res Ecclesiæ, quæ seruando seruari non possunt. In quarum numero censentur, *ex Sylu. verbo Alienatio, quæst. 7.* bona mobilia quæ non sunt pretiosa, vel quæ non durant triennio, vel quæ vsu consumuntur, nec fructificant, vt vinum, frumentum, & similia. Nã si res sint pretiosę consecratæ in Dei cultum, vt Calices, & alia ornamenta sacra magni pretij, non possunt sine solemnitate iuris alienari, ex eadem Extrauaganti. Similiter neque si res sint ad instar immobilium fructiferæ vt armenta, & greges. Nam seruando seruari possunt, dum morientibus subinde succedunt nascentes. De pecunia numerata idem Sylvester *in sequen. quæst. 8.* putat, quod computanda sit inter bona quæ seruando seruari nõ possunt, nisi ex pacto, vel iuramẽto deputata esset ad emenda aliqua bona immobilia, aut ad emẽda pretiosa, aut esset acquisita ex venditione rei immobilis, vel pretiosæ, aut esset magnæ quãtitatis apta ad emptionem bonorum stabilium. Atque idem addens *in quæst. 9.* iura, actiones, nomina debitorum, annuos reditus, siue census, numerari inter bona immobilia, satis indicat alienari non posse absque solemnitate requisita à iurẽ.

Posse postremo res Ecclesiasticas illo eodem modo alienari, quando necessitas vrget: nec potest expectari tractatus Prælati cum capitulo, aut quando illæ fuerint nullius, aut modicæ vtilitatis: tunc enim ex cap. Terrulas, 12. quæst. 2. Episcopus solus absque solemnitate potest eas alienare, nõ obstante iuramento præstito Papæ de non alienandis rebus Ecclesiasticis ipso inconsulto: vt ex Panormit. ad cap. Vt super, De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non, Syl. annotat *in eodem verbo, Alienatio, quæst. 16.* & post eum Molina *in superius citata disput. 468. concl. 3. versu. Licet.* Et addit ex eodem, quod quantumuis in citato cap. Terrulas, De solis Episcopis fiat expressa mentio, inferiores tamen Prælatos posse etiã absque tractatu, & consensu Capituli sui alienare prædictas res modicas. Quod glossa *ad cap. Abbatibus*, 12. quæst. 2. expressit de Abbate. Qua tamen in re Prælati non debent esse nimis faciles, sed memores esse illius quod ante retulimus, ipsos bene administrandarum, non dissipandarum Ecclesiasticarum rerum habere facultatem.

Quintum documentum sit, Quando aliquis iurat quod non alienabit bona Ecclesiastica, id tantum intelligi de modo illicito, seu in casibus non concessis. Quando vero iurat, quod non alienabit sine consensu Superioris (sicut hodie de stylo Romanę curiæ, Prælati à Papa prouisi præsumuntur ei iurare, quod non alienabunt bona suarum Ecclesiarum ipso inconsulto, vt notat Nauar. *in citato comment. De alienatione rerum Ecclesiasticarum num. 12.*) intelligi non modo de illicita, sed etiã de licita alienatione: exceptis casibus vrgentis necessitatis, & modicitatis rei; ante memoratis: ad quos extendere iuramentum eiusmodi, durum nimis est & intolerabile. Quam doctrinã ex Panormitano ad cap. Vt super, De rebus Eccles. alienandis, vel non, Sylvester refert *in cit. quæst. 16.* Ex ea autem intelligitur, Prælatos prouisos, seu institutos, aut confirmatos à Papa, non posse tuta conscientia sine authoritate ipsius alienare bona suarum Ecclesiarum: quandoquidem omne iuramentum quod potest seruari sine interitu, & dispendio salutis æternæ, seruandum est ex cap. Si vero, De iureiurando, & ex cap. Quamuis pactum, De pactis in 6. Maxime autem in hac re, in qua plerumque spectatur potius alienantium commodum, quam aperta Ecclsiæ vtilitas. 68.

An autem, si talis contra suum iuramentum alienet, non tantum sit periurus, sed etiam inualida sit alienatio, quantumcumque facta iusta de causa, & seruata forma à iure Canonico præscripta, tractat Nauar. *in cit. comment. num. 14.* statuitque, saltem quoad forum externum, non valere. Quia etsi actus contra iuramentum factus, communiter valeat: non tamen in hac re. Tum propter Extrauag. communem Ambitiosę, De rebus Ecclesiæ non alienandis §. Si quis autem, vbi nullius omnino momenti, & roboris esse decernitur. Tũ etiam quia nullius omnino momenti esset clausula posita in literis prouisionis, quam tenentur prouisi iurare, se non alienaturos bona Ecclesiarum inconsulto Summo Pontifice. Dicit autem Nauarrus quoad forum saltem externum: quia quoad internum est aliqua diuersa ratio, prout paulo post ex eodem in sequent. n. 17. & ex aliis dicetur. 70.

Pœnæ Clericorum perperam alienantium bona suarum Ecclesiarum.

SECTIO II.

69. SExtum documentum esse potest sumptum ex eadem Extrauaganti, Quod si Prælati, & beneficiarij alienantes, bona suarum Ecclesiarum sint Episcopi, vel Abbates, ipsi suspendantur ipso iure ab ingressu Ecclesiæ: sique per sex menses in tali suspensione perseuerauerint, à regimine, & gubernatione suarum Ecclesiarum suspendantur, & qui alienata recipiunt sunt ipso iure excommunicati. Alij vero inferiores beneficiarij alienantes, siue regulares, siue sæculares, siue curati, siue simplices clerici fuerint, ipso iure priuentur beneficiis, quæ habuerint in Ecclesiis, quarum bona alienarunt; itaut absque alia declaratione possint conferri à Papa, vel ab iis ad quos collatio illorum spectat.

Istud loco cit. notans Nauar. consequenter *nu. 18.* docet quod beneficiarij siue regulares, siue sæculares, qui domos aliquas, vel prædia solent ad vitam, vel ad aliquas generatio- 71.

nes, vel

nes, vel in perpetuum bona fide locare ob veram vtilitatē, vel necessitatem Ecclesiæ, absque solemnitate canonica, vel inconsulto Romano Pontif. non peccare mortaliter, nec incurrere in pœnas prædictas, neque in illam aliam Clementinæ primæ, De rebus Ecclesiæ non alienandis: scilicet vt eò ipso suspensi sint ab officio: & quod nullum ius acquiratur talium rerum concessione. Ratio est, quod in illis pontificiis constitutionibus dicatur, Qui præsumpserit. Ille vero qui bona fide, vel cum simplicitate aliquid facit, non censetur facere ex præsumptione. Quod si idipsum faciant sine iusta causa, seu non ob veram necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ: neque à peccato mortali excusantur: quia non sunt in bona fide: nec etiam à prædictis pœnis, si quidē sciēter id faciant, neque refert, quod actus alienandi tunc sit inualidus: quia illum nihilominus punit Ecclesia, sicut & matrimoniū contractū in gradibus prohibitis: quod etsi inualidū sit, tamen illud sine legitima dispensatione scienter contrahens, peccat, & excōmunicationis pœnā incurrit per Clemen. vnicā, De consanguinitate, & affinitate, vide Nauarr. plenius de hac re differentem *in sequent. num.* 29.

70. Satis enim est eam attigisse; & tria paucis notare quæ ille *in præcedenti num.* 17. & 18. habet. Primum est, Alienationem rei Ecclesiæ, factam à beneficiario ex vera causa necessitatis, vel vtilitatis, vel pietatis, non seruata forma iure canonico inducta, valere in foro conscientiæ, dummodo adsit eiusdem beneficiarij alienantis, alienareque potentis consensus, ubsitque iusta causa alienandi atque fraus absit. Ratio est: quia is qui aliquid facit contra legem humanam putans se causam iustam habere illud faciendi, non peccat mortaliter, iuxta receptam sententiam D. Thomæ, & aliorum quorum Nauar. ipse meminit *in præced. num.* 10. *& in Enchir cap.* 23 *nu.* 43. Eamdem sententiam sequentes in verbo, Alienatio, Angelus quæst. 14. & Sylu. quæst. 13. pro ea adferunt, quod solemnitates iuris in contractibus requisitæ, constituantur ad tollendas fraudes, & exceptiones: vnde vbi sine eis bonaque fide celebratur contractus secundum formam iure naturali requisitam, etiamsi desit solemnitas iuris humani, validus est in conscientia: quia vim habet ex iure ipsō naturali vel gentium: quandoquidem in eo seruatur totum id quod idem ius expetit.

Secundum est, Beneficiarium iusta de causa alienantem rem Ecclesiæ inconsulto Papa (*etiam quando ipsius consilium, quoad forum externum requiritur*) bona fide faciens conditionem Ecclesiæ meliorem, non peccare mortaliter, nec incurrere in antememoratas pœnas quoad internum forum. Ratio est: quia seruat formā alienandi iure naturali, & diuino necessariam: & à præsumptione, propter quam tales pœnæ imponuntur, excusatur per istam causam, quam bona fide putat se habere agendi quod agit: non obstante lege humana. Quod tamen non procedit in eo qui formam iuris seruare tenetur, ratione iuramenti præstiti. Huius enim obligatio est de iure diuino, cui satisfaciendum est quamdiu potest sine animæ detrimēto, vt iam ante attigimus. Quamquam tamen in casibus licitis, alienatio facta contra tale iuramentum valida est, iuxta communem doctrinam: prout testatur Nauar. in memorato commentario num. 14. pro ea adferens cap. Sicut ex literis, & cap. De illis, tit. De sponsalibus.

Tertium est, Alienantem domum bona fide tanta pensione perpetua, quanta colligitur vnoquoque anno, non videri peccare mortaliter ob non seruatā formam iuris. Ratio est: quod id faciat in casu à iure permisso, nec faciat præsumendo, sed bona fide, qua putat meliorem inde fieri conditionem Ecclesiæ: eamque esse iustam causam propter quam legislator ipsum excusaret si adesset. Vnde sequitur, *iuxta tradita à Nauar. in Enchir. c.* 23. *n.* 43. ipsum non peccare mortaliter: nec pœnam incurrere in hac re peccanti impositam.

Solutio aliquot dubiorum de alienatione rerum Ecclesiasticarum.

Sectio III.

71. SVpersunt aliquot dubia. Primvm est, Cuius Episcopi authoritate fieri debeat alienatio. Respondetur ex Panor. ad cap. Pastoralis, De priuilegiis nu. 10. quod quando Ecclesia alienans est sub vno Episcopo, & res quæ alienatur est sub alio, alienationem debere fieri authoritate illius Episcopi in cuius diœcesi sita est Ecclesia alienans, non illius in cuius diœcesi sita est res, quę alienatur. Et ratio est quod talis Ecclesia sit, quæ alienat, transfertque dominium exeundo se illo.

Secvndvm est, An ordinatus ad titulum patrimonij, libere possit idipsum alienare. Respondetur id quidem ante Concil. Triden. fuisse controuersum: sed in eodem, sess. 21. cap. 2. De reform statutum esse ne tale patrimonium alienari possit, absque licentia Episcopi donec promotus, beneficium ad vitam sufficiens adeptus sit, vel aliunde habeat vnde viuere possit. Quod etiam statuit de pensione ad cuius titulum fuerit quis ordinatus.

Tertivm dvbivm est, An quando Ecclesiæ possessio non solet quotannis iustum fructum reddere, possit vltra triennium locari, etiam vbi vsu recepta est Extrauagans Ambitiosæ, De rebus Ecclesiæ non alienandis, præscribens tempus triennij ad locationem rerum Ecclesiæ. Ad quod respondet Nauar. *in cit. comment. num.* 21. posse locari, quia alioqui non inueniretur qui talia bona conducere vellet. Et ita, *inquit ille* in Lusitania vbi oliueta non ferunt quotannis iustum fructum, sed tantum biennio vnum, locantur ad quadriennium, eo quod triennio non possunt capi tres fructus; immo nec duo, itaut oporteat locari ad duos annos tātum, vt conductor recipiat vnum iustum fructum, aut ad quatuor & recipiat duos fructus, aut ad sex, vt recipiat tres. Quodquidem in effectu est locare tantū ad vnum annum aut ad duos aut ad tres. Hocque est, quod Couarr. ait *in lib.* 2 *variarum. resolutionum, cap.* 16. *num.* 6. *in principio*: si res Ecclesiæ sint eius conditionis vt quolibet triennio vnicus tantum fructus ex eis percipiatur, posse eas in nouem annos locari.

Qvartvm dvbivm est, An cum res quotannis iustum fructum proferre solet, si fiat locatio ad sex, vel nouē annos, cum clausula vt tot sint locationes, quot sunt triennia, & finito primo triennio, tunc facta sit noua locatio. Ad quod respondendum est ex Couar. *in cit nu.* 6. *& in præcedenti* 4. valere huiusmodi locationem pro primo triennio: si quidem hæc sit contrahentium voluntas, vt contractus si non ex toto, saltem ex parte qua potuerit, valeat. Quod si locatio absolute facta esset in sex vel nouem annos, itaut voluntas ipsorum determinata esset ad tantum temporis: quia censeretur facta in fraudem canonis prohibentis vltra triennium fieri; ne pro primo quidem triennio valeret ex Couar. *ibidem num.* 5. Pluribus tractatam eamdem rem videre est apud Molinam *disput.* 467.

Porro quod hic dicitur, pariter dicendū esse de mandato dato ad res Ecclesiæ locandas docet Couar. *in cit. num. sexto.* nempe datum ad bis, ter, vel pluries locandas, tantum valere pro primo triennio: quo finito cessat mandatum: itaut mandatarius non possit absque nouo mandato in aliud triennium ipsas Ecclesiæ res locare. Cum enim ex ea commissione sequatur locatio, si ea alicui fieret perpetua, locatio etiam fieret quodammodo perpetua: quæ rationem habet alienationis.

Qvintvm dvbivm est, An quod dicitur de rebus Ecclesiasticis, prohibitam esse earum locationē ad longum tēpus, extendatur ad fructus quos res eædē proferunt. Ac pro parte negante facit, quod tales fructus non sint res Ecclesiasticæ: cum eorum dominium non sit Ecclesiæ, sed illius Ecclesiastici cui assignātur: qui ideo potest illos propria authoritate alienare. Qua de re multis Suarez in opere De religione *tract.* 4. *lib.* 4. *cap.* 24. Pro parte affirmante vero facit, quod vix possit in eiusmodi locatione vitari scandalum: quia facile erit modo illo insolito locandi, abusum committi contra Ecclesiæ prohibitionem præsertim cum ille in huius fraudem fiat, vt in praxi reddat eam inutilem, deinde valde difficile est in praxi, locare fructus potestate tantum existentes in re, quin hæc ipsa quoque inde obligata intelligatur. 72.

Cæterum iudicarim respondendum, in praxi tales locationes esse vitandas vt animæ periculosas, prout iudicandū significat Azor *in* 2 *part. Moral. institu. lib. nono cap.* 2. *quæst.* 7. Quamquam tamen quia in speculatione contrarium non

caret fundamento: si absque scandalo seruari posse probabiliter appareat, eas non esse habendas illicitas, si fiant eo modo, quo Molina *in cit. tract. 2. disput. 466. §. In tertio autem*, tradit: nempe vt locatio fiat fructuum ex re Ecclesiastica percipiendorum, nomine Ecclesiastici cui sunt attributi, dependenter à iure quod habet percipiendi: idque quamdiu idem ius in eodem perseueraueri. Qua ratione non agitur contra constitutionem Ecclesiasticam ante memoratam: quia res quæ locatur non est Ecclesiastica: nec fit iniuria successori: quia res in quibus succedit nullo modo oneratæ manent: cum locatarius nullum ius acquisierit in eis, sed solum obligationem personalem *comparatione locatoris*, ad fructus ei alias debitos percipiendos. Quæ obligatio tanquam affixa personæ, ius percipiendi habent, cessat vbi tale ius in eo desierit siue per aliam beneficij amissionem: itaut res, ad ipsius successorem perinde libera transeat, ac si non fuisset locata.

73. SEXTVM DVBIVM EST, Vtrum successores in beneficiis teneantur stare locationibus rerum Ecclesiæ, factis per antecessores suos: an vero talis locatio morte beneficiarij locantis finiantur. Respondetur non teneri stare, si locatio sit facta cum detrimẽto Ecclesiæ, quia potest allegare hanc læsum esse, vel deceptam in pretio, qualitate, aut quantitate rei locatæ, ad petere restitutionem in integrum, ex cap. Non liceat Papæ, 12. quæst. 2. Cui iuri non potest cedere aut transigere euidenter in damnum ipsius Ecclesiæ sine Papæ licentia, quemadmodum ex Panormit. Sylu. *in verbo, Alienatio, quæst.* 18. annotat. Si vero facta sit locatio secundum formam iuris, & in vtilitatem Ecclesiæ, tenetur successor ei stare; quandoquidem facta est à legitimo administratore, cuius potestas administrandi non est frustra. Quamquam si locatio non esset à prædecessore facta nomine Ecclesiæ; sed proprio nomine ipsius, & ad propriam ipsius vtilitatem, censeri potest finiri morte locatoris. Nam eo ipso, quod tali nomine fit, intelligitur cum tali locatore finienda.

Simili distinctione explicatur dubium, An successor in beneficio teneatur debita prædecessoris soluere. Tenetur enim, si contracta sint pro necessitate Ecclesiæ, per textum expressum in cap. 1. De solutionibus; aliter non: nisi aliquid conuersum sit in Ecclesiæ vtilitatem, & bonũ. Quod ipsum Ecclesia quatenus cõuersum est in eius vtilitatem tenetur, soluere per c. Quod quibusdam, De fideiussoribus, & alia quæ habet glossa finalis ad præciratum cap. 1. Nonnulla alia dubia quę his adiungi possent partim iam soluta sunt in tractatu De simonia, partim videri facile possunt sufficienter explicata apud Sylvest. verbo Alienatio, à quæst. 16, & apud Azorium in citato cap. 2.

CAPVT VII.

De obligatione expendendi fructus beneficiorum in bonos vsus.

SVMMARIVM.

74 *Bona Ecclesiasticorum quædam sunt, quorum ij dominium habent.*
75 *Alia quorum certum est non habere dominium.*
76 *Alia de quibus in quæstione versatur an idem habeant dominium.*
77 *Præmittenda eiusdem quæstionis explicationi.*
78 *Qua ratione beneficiarij dominium habeant fructuum beneficiorum suorum.*
79 *Obligatio largiendi pauperibus quod supereſt ipsis de iisdem fructibus.*
80 *Obiectio cum solutione.*
81 *Vnde oriatur huiusmodi talis obligatio.*
82 *Bona à fidelibus data sunt Ecclesiæ, non quidem sub conditione, sed in finem: vt quæ Clericis superessent darentur pauperibus.*
83 *Comparatio pro conscientia, duarum præcipuarum sententiarum de proposita obligatione.*
84 *Iuxta eandem statuendum est de obligatione restituendi, in beneficiario incumbat, si superabundantes fructus sui beneficij male expendat.*
85 *Communis contrarius est talem peccare mortaliter.*
86 *Differentia inter beneficiarios superabundantes, & alios diuites in obligatione faciendi eleemosynam pauperibus.*
87 *Ea locum habet in pauperum necessitatibus communibus.*
88 *Responsio ad aliquot interrogata de modo satisfaciendi propositæ obligationi.*

CIRCA hanc obligationem multa dubia possunt & solent moueri, quibus vt satisfiat, præmittenda est duarum quæstionum explicatio, quam late persequitur Nauarr. *in tract. De reditibus Ecclesiasticis, & in eiusdem tractatus apologia tomo primo suorum operum*: postque eum Molina De iust. & iure alios commemorans *in tomo primo de iust. & iure tract. 2. disput. 142 & aliquot sequentibus*: ab eadem explicatione proinde initium faciemus. 76.

Quæstio, sintne Beneficiarij vere domini, seu proprietarij: an verouſ fructuũ tantum, vel fructuũ prouentuum, quos ex beneficiis percipiunt.

NOtandum est primo, bona Ecclesiasticorum multiplicia, variaque esse. Alia enim sunt quæ dicuntur patrimonialia: nempe ea quæ quis ex successione per testamentum vel iure hæreditario ab intestato habet à suis progenitoribus. De cuiusmodi bonis quæstio hæc non intelligitur: quia certum est apud omnes, beneficiarios non religiosos talium bonorum dominum, & proprietatem habere perinde, ac laicos. Et ratio est, quia illi per Clericatum, aut sacrum Ordinem non fiunt incapaces dominij, neque abdicant seco, aut obligant ad patrimonialia expendenda in pias causas. 74.

Alia vero bona sunt, quæ dicuntur quasi patrimonialia; nimirum ea quę beneficiarij sua industria, arte, & labore acquirunt, non tanquam Clerici, sed tanquam homines habentes artem, & industriam. Adde pariter bona ea, quæ beneficiarij ex donatione, vel testamento alicuius laici nullo intuitu Clericali habent. Et nec de istis intelligitur quæstio: quia omnes etiam, ob eamdem rationem consentiunt beneficiarios dominium, & proprietatem talium bonorum acquirere, 77.

Tertio sunt alia bona quæ beneficiarius habent ex exercitio suo quotidiano: siue ex officio quod tanquam Clerici exercent: cuiusmodi sunt eleemosynæ, quas recipiũt pro Missis celebrandis, vel pro sepeliendis mortuis, vel confessionibus audiendis, *etiamsi illi à quibus accipiunt sint ipsorum Parochiani*, vel pro alio Clericali, Ecclesiasticove actu exercendo: quales sunt canendi in choro, concionandi, judicem Ecclesiasticum, vel Capellanum, vel Vicarium temporalem agendi. Et nec de istis adhuc intelligitur quæstio, quoniam certum quoque est apud omnes, de huiusmodi bonis beneficiarios posse libere disponere tanquam eorumdem dominos, & proprietarios. Nec quemquam esse qui ea de re dubitet; Molina monet in citata disput. 142. Et ratio est: quia dum fideles talia eis tribuunt vt quoddam stipendium sustentationis: permittunt ea liberrimæ ipsorum dispositioni, nec intendunt ipsis nouum aliquod onus imponere, perinde ac permittunt operarij arbitrio, vsum mercedis, quam ei persoluunt, aut pauperis arbitrio eleemosynam quam largiuntur.

Quarto, sunt alia bona quæ Clerici, vel beneficiarij habent tãquam administratores, & procuratores alicuius Ecclesiæ, vel hospitalis, alteriusve loci pij, in cuius vsum illa sunt deputata; nempe ad fabricam, vel ad curandos pauperes vel ad aliquid aliud. Atque, vt habet quoque ibidem Molina, certum est apud omnes, quod Clerici de huiusmodi bonis nõ possint libere disponere: quia talium dominium, seu proprietas est apud Ecclesiam illam, vel domum hospitalem, vel alium locum pium; non autem apud illos, qui tantum habent administrationem. 78. 75.

Quinto, sunt alia bona quæ beneficiarij habent pertinentia ad splendorem, ornatum, & potentiam earum Ecclesiarum, quibus ipsi præsunt. Huiusmodi sunt oppida, castra, pagi, feuda & cætera quæ Episcopi, & Abbates alicubi habent cum temporali iurisdictione. Quæ bona solent dici

tempo-

temporalia, ad differentiam eorum bonorum, quæ beneficiarij habent ad suam commodam sustentationem eo nomine, quod seminent spiritalia, ac quæ dicuntur bona sacra, & diuina ob causam quam infra dicemus. De quibus etiam bonis non mouetur præsens quæstio: quia in confesso est apud omnes, quod beneficiarij non habeant eorum dominium, vel proprietatem: sed administrationem tantummodo & vsum fructum.

76. Vltimo, sunt bona, quæ beneficiarij habent deputata ad commodam sustentationem ipsorum, prout sunt ministri Ecclesiæ Dei: eos enim altari seruientes, consentaneum est de altari viuere: Istiusmodi sunt decimæ, primitiæ omnesque beneficiorum reditus, ac fructus quæ bona sacra, vel diuina, vel bona Dei dicuntur, quia sunt instituta ad sustentationem ministrorum Dei, & per consequens deputata ad cultum & honorem Dei: cum quidquid boni confertur ministro Dei, vt minister Dei est, censeatur Deo conferri. Atque hæc demũ sunt de quibus intelligitur præsens quæstio: seclusis tamen prædiis, domibus, possessionibus, & aliis immobilibus bonis, ex quibus fructus, & prouentus capiuntur. Nam inter omnes conuenit beneficiarios administrationem tantum huiusmodi bonorum habere; vtpote qui legibus Ecclesiasticis prohibentur (*quemadmodum in praced. cap. expositum est*) de talibus libere disponere. Seclusis item beneficiis: quatenus beneficium est ius percipiendi fructus propter Clericale ministerium. Nam conueniunt etiam omnes neque hac ratione Clericos habere suorum beneficiorum vel proprietatem, vel liberam dispositionem: ideoque in obitu beneficiarii, beneficium ipso iure vacat, nec ille potest illud in hæredem transmittere, vel alteri donare, aut locare, aut permutare cum alio, propria authoritate.

77. Notandum est secundo, in hac controuersia, per dominium, vel proprietatem intelligi liberam dispositionẽ, qua quis potest propria authoritate de re aliqua tamquam sua, disponere in quoscumque vsus lege permissos. Per vsum fructum vero intelligi ius quod quis habet vtendi, & fruendi re aliqua salua eius substantia, id est quod quis habet accipiendi fructus rei: itaut possit non tantum sibi illos seruare, sed etiam alteri donare, locare, aut vendere. Per vsum demum intelligi ius quod habet quis vtendi re aliqua ad sua propria commoda, seu ad propriam suam sustentationem, & subuentionem, *non autem ad vsus aliorum*, & salua semper substantia rei.

Notandum est tertio, initio quidem Clericos vixisse, & habuisse bona in communi, sed postea factum esse, vt omnia bona Ecclesiarum ex decimis, primitiis, & aliis oblationibus in quatuor partes diuiderentur quarũ vna deputaretur ad fabricam Ecclesiarum, secunda ad sustentationem Episcopi, tertia ad sustentationem Clericorum ministrantium in Ecclesia, & quarta ad vsus pauperum. De qua re habentur 12. quæst. 2. Canon, Vulteranæ, & sex sequentes.

Notandum est quarto, varias quidem esse sententias de quæstione proposita, sed duas esse præcipuas, ad quas aliæ reuocantur. Prior est asseuerantiũ beneficiarios tantum esse vsuarios, itaut nihil possint licite assumere ex fructib⁹ beneficiorum, nisi quod necessarium est ad cõmodam ipsorum sustentationem: itaut quidquid superest, teneantur lege iustitiæ expendere in vsus pauperum; sique non expendant, furtum & sacrilegium committant. Hanc in memorato tract. De reditib. Ecclesiast. propugnat Nauar. in eamq; plurimos Molina citat *in memorato tract. 2. disput. 144.* Posterior est asserentium beneficiarios nõ solum habere vsum, sed etiam dominium, & proprietatẽ prædictorum fructuum ita vt ex lege iustitiæ, si illos expenderint in profanos vsus non teneantur ad vllam restitutionem, licet mortaliter peccent male expendendo. Hanc Molina in eadem disput. sequitur, ac pro ea multos quoque authores citat.

78. Quibus ita prænotatis pro eiusdem quæstionis explicatione ad praxim accommodate videtur dicendum; beneficiarium portionis sibi ad commodam sustentationem debitæ dominium, & proprietatem habere pure; non autem illius quod vltra sufficientem suam sustentationem supereſt, sed habere cum admixtione obligationis erogandi ipsum in vsus pauperum. Horum prius patet, quia operarius vere dominium acquirit, mercedis sibi in sustentationem debitæ ob laborem, officiumque suum. Beneficiarius autem operarius est in Ecclesia Christi. Ergo portionis sibi ad congruam sustentationem debitæ ob Ecclesiasticum suum ministerium; ipse acquirit verum dominium, prout sentit aperte D. Thom. 2. 2. *quæst. 185. art. 7. & quodlibeto sexto art. 12.*

Posterius vero probatur primo, quia vsus videtur in Ecclesia semper fuisse, vt beneficiorum reditus dentur Clericis cum obligatione, vt quod superfuerit, dent pauperibus, iuxta illud traditum 12. quæ. 1. cap. Quia tua fraternitas, de eo quod Clericorũ sustẽtationi supereſt ex Ecclesiæ fructibus. Omne quod supereſt necessitatibus, in causis piis, ac religiosis erogandum est. Idem illud à D. Clemen. lib. 2. Constit. Apostolicarum, cap 35 dicitur, Sacerdoti deberi primitias areæ, & torcularis, & oblata pro peccatis tanquam œconomo, & administratori vt eas dispensẽt. Item illud Vrbani primi in cap. Res Ecclesiæ, 12. qu. 1. Res Ecclesiæ num quasi propriæ, sed cõmunes, & domino oblatæ, cum summo timore, non in alios quam in præfatos vsus (sustentationem Clericorum intellige, & subuentionem pauperum, ex epistola eiusdem Vrbani, quæ habetur in tom. 1. Conciliorum) sunt fideliter dispensandę. Item illud quod in cap. fin 16. quę. 1. & in cap. Quod autem 23. quæst. 7. bona Ecclesiæ dicuntur bona pauperum, quorum procurationem Ecclesiastici quodammodo gerant. 79.

Ex quibus licet satis probabiliter colligere, instituta quidem esse Ecclesiastica beneficia, vt Clerici ex iis sufficienter sustentarentur, ita tamen vt ex eo quod supereſſet, pauperes quoque sustentarentur, Atq; adeo fructuum qui ex illis percipiuntur, Clericos ipsos sic esse dominos, vt tamen obligentur quæ ex eis superfuerint pauperibus elargiri. Id enim minimum indicat modus ille loquendi sacrorum Canonũ, quo beneficiarij appellantur dispensatores, & procuratores pauperum; & bona Ecclesiæ, dicuntur bona pauperum. Ea enim verba ostendunt saltem obligationem qua beneficiarij tenentur, pauperibus, ex fructibus suorum beneficiorum subuenire, *si qui superſint ipsis*, tanquam ex bonis ad illorum quoque sustentationem institutis Ecclesiæ intentione: prout patet per illud quod ante attigimus, olim Ecclesiam constituisse vt ex reditibus, & bonis suis fierent quatuor partes: quarum prima cederet in vsus Episcopi, secunda in vsus Clericorum, tertia in fabricam Ecclesiæ, & quarta in vsus pauperum. Inde enim intelligitur, bona Ecclesiastica fructifera, Ecclesiæ intentione destinata esse ad sustentationem non modo Clericorum beneficiatorum, quibus illorum administratio committitur, sed etiam pauperum, saltem quoad ea quæ illis superfuerint. Hinc enim antequam bona ipsa Ecclesiastica diuiderentur, Clerici nihil habebant ex eis nisi portionem necessariam ad commodam suam sustentationem, expendebaturque reliquum in fabricam Ecclesiarum, vel vsus pauperum.

Sed dices, id quidem verum esse non ideo tamen dicendum, quod nunc quoq; idem verum sit: quoniam successu temporis mutata est conditio beneficiorum: siquidem olim beneficiarij viuebant in communi, habebantq; bona communia, quæ sic diuisa sunt postea, vt cuique sua portio congrua assignaretur: sique ea processu temporis creuerit, incrementum eius cesſit in bonum illius Clerici cui assignata fuit, non autem in bonum pauperum. Cui obiectioni, quasi clauum clauo trudendo, opponi potest, ex aduerso probabile admodum esse beneficiarios secundum sacros canones esse institutos dispensatores bonorum Ecclesiæ, & pauperum procuratores: non solum pro temporibus illis in quibus ex communi mensa viuebatur: sed etiam absolute seu ex lege Ecclesię volentis absolute, vt bona sua seruiant commodę sustentationi Clericorum, & quod eis reliquum fuerit, expendatur in cibos pauperum. 80.

Quod vero attinet ad incrementũ contingens in portione Clericis assignata, distinguere oportet. Ipsum enim, vel factum est industria, & labore Clerici; & tunc in eius particulare bonũ cedere negandum nõ est: vel adiunctum est eidem beneficio prouenies ex natura, & conditione illius, non ex labore, & industria Clerici; tuncque sortiri debet naturam, & conditionem beneficij Ecclesiastici. Vnde quia conditio fructuum beneficij est, vt quidquid beneficiario

supereſt

supereſt vltra ſuam ſufficientem ſuſtentationem, expendatur in vſus pauperum, relinquitur incrementum ex quo beneficium factum eſt pinguius, debere expendi in eoſdem vſus pauperum. Ad cuius confirmationem facit illud poſt factam antememoratam diuiſionem, dictum à D. Bernardo in epiſt.2.verſus finem. Quidquid præter neceſſarium victum, & ſimplicem veſtitum de altari retinens, tuum non eſt; ſacrilegium eſt.

81. Hic duo aduertenda ſunt: vnum eſt iudicio Nauarri beneficiarios ad dandum pauperibus quod eis ſupereſt, obligari lege iuſtitiæ, ortum ducente ex conditione, & onere quo fideles obtulerũt Eccleſiæ bona ſua: nimirum decimas, primitias, & cæteras oblationes, ex quibus poſtea conſtituta ſunt beneficia. Sed quia multa difficilia, & forte non vera inde conſequuntur: quale eſt quidquid beneficiario ex fructibus ſuorum beneficiorum ſupereſt, ad quemcumque etiam laicum deueniat, tranſire cum hoc onere, & obligatione, vt ſit ex lege iuſtitiæ erogandum pauperibus: videtur alia ratione defendendam eſſe doctrinam ante traditam: vt nimirum dicamus beneficiarios, illud quod ſupereſt ipſis, debere pauperibus dare ex obligatione ortum habente ex præcepto Eccleſiæ conſtituentis beneficia, illaque conferentis cum obligatione Clericis impoſita, vt quæ ſuperfuerint ipſis, debeant pauperibus dare: adeout tota obligatio quam habent dandi, naſcatur ex intentione, cum qua illis Eccleſia confert beneficia, ſitque obligatio perſonalis, id eſt, Clericorum perſonis impoſita: non autem (vt Nauarrus exiſtimat) beneficiorum bonis & fructibus.

Ad cuius rei confirmationem facit, tum quod multa ſint beneficia inſtituta ex decimis, vel primitiis quæ de iure à populo debentur Eccleſiæ miniſtris, ratione adminiſtrationis ſpiritalium. Iure enim naturæ, ſeu iure noto naturæ lumine (*adeout fuerit apud Ethnicos obſeruatum*) populus tenetur ſuſtentare pro dignitate illos qui ei ſpiritalia adminiſtrant, vnde quia decimæ ipſæ, ſeu primitiæ non dantur libera fidelium voluntate, ſed ex obligatione iuſtitiæ ſoluantur Clericis, *perinde ac tributa Principibus*, illi non potuerunt obligationem his imponere, quas tenẽtur id quod ſuperesſet, in vſus erogare pauperum, aut alia opera pia: creditori enim ſoluens quis quod debet ex iuſtitia, nequit illum adſtringere: ſicuti poſſet ſi liberaliter donaret.

Quod autem attinet ad beneficia inſtituta ex bonis, quæ multi fideles libere, propriaque ſponte contulerunt Eccleſiæ, onus de quo agimus annexam habere ex tali inſtitutione: quaſi fideles ipſi voluerint res ſuas cum eo ad Eccleſiam tranſire, probari nequit efficaciter, ſiue ex Actis Apoſtolorum, ſiue ex vſu naſcentis Eccleſiæ, quo fideles bona ſua in commune conferebant. Immo valde credibile ſit, eoſdem fideles noluiſſe tale quid ab Eccleſiæ Prælatis exigere, eo quod experiebantur ipſos, abunde, ſoliciteque facere ſua ſponte: itaut reuerentia in ſuos Superiores non permitteret quid huiuſmodi ab illis exigere: præſertim cum ſua darent in redemptionem animarum ſuarum, & vt ſeruorum Dei preces, & ſuffragia conſequerentur.

82. Nec obſtat credibile quoque eſſe, fidelium bona ſua dantium Eccleſiæ, intentionem fuiſſe, vt ſi Eccleſiaſtici abundarẽt ſupra id quod eſſet eis neceſſarium ad honeſtam ſuam ſuſtentationẽ, tale ſuperfluum daret pauperibus, aut in alia pia opera conferrent: Non obſtat, *inquam*, quia aliud eſt donari certa intentione, ſeu ad aliquem finẽ, & aliud donari ſub aliqua conditione. Quando enim aliquid donatur ſub conditione, ſi ea non impleatur donatio eſt nulla, & is qui accipit, reſtituere tenetur; quando vero tantum datur ad aliquem finem, etiamſi is non impletur, donatio eſt valida: nec obligatio eſt reſtituendi: vt patet in eo qui aliquid donat, vt conſequatur alterius amicitiam: donatio enim valida eſt, etiamſi donans non conſequatur illam.

83. Alterum quod aduertere oportet eſt; opinionem Nauarri, & aliorum admodum probabilem eſſe: quia tamen valde rigida eſt, & quę vix perſuaderi poteſt in tanta morum licentia, & habendi cupiditate, ac tenacitate: non eſſe multum contendendum cum Pœnitente recuſante illam ſequi: neque eſſe negandam illi abſolutionem qui relicta ea, ſequi velit contrariam, quæ eſt multorum, ac doctiſſimorum virorum, quorum meminit Couar. De teſtament. cap. Cum in officiis, num.3. & ſatis probabiliter defendi poteſt, vt patet ex iam dictis, & plenius ex iis quæ habet Molina in memoraro tract.2.diſp.144.

Qvæstio Altera.

An beneficiarij, ſi quod eis de reditibus ſuorum beneficiorum ſupereſt, inſinuant in vſus non pios, non modo peccent mortaliter, ſed etiam teneantur ad reſtitutionem.

HVius explicatio ex præcedentis explicatione pendet. Nam obligatio ad reſtitutionem ſequitur debitum ex iuſtitia, exigente cuique ſuum reddi. Itaque ſi beneficiarius eius quod ſupereſt ex fructibus ſui beneficij dominium nõ habeat, ideoque illud non ſit ſuum: ex lege iuſtitiæ tenetur idipſum expendere in vſus, in quos illud accepit: alioqui erit obligatus ad reſtitutionem, tanquam is qui illud iniuſte vſurpauerit: & in eius defectum (hoc eſt, ſi nolit, aut non poſſit reſtituere) illi quibus tale quid donauerit, niſi acceperint tanquam pauperes. Et ratio eſt: quia non potuerunt facere ſuum, accipientes quod aliis, *puta pauperibus*, fuit ex iuſtitia debitum. Quod vtrumque Nauarrus, & cæteri quos ipſe ſequitur, tenent relati à Molina in ante citata diſput. 144. Quod ſi beneficiarius dominium habeat non ſolum portionis ſibi debitæ ad commodam ſuſtentationem, ſed etiam eius quod ſupereſt: tunc etiamſi peccet mortaliter non dando pauperibus quod ſupereſt, non tenebitur tamen ad reſtitutionem; quia ſuum alienando, non facit contra iuſtitiam: ex cuius violatione conſurgit obligatio reſtituendi. 84.

Quam ſententiã quominus ſequamur in praxi ſine ſcruptulo, non obſtat quod ſit dubia perinde ac oppoſita. Nam ex regula iuris 128. digeſtis, & 65. in ſexto, In pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis. De cauſa autem pauperum nihil in hac re ob dubitationem dici poteſt amplius, quam eam eſſe parem cauſæ beneficiariorum; ideoque non obſtare quin hi tanquam poſſeſſores cenſeantur melioris conditionis. Nec item obſtare quod Eccleſia cum obligatione ad peccatum mortale, impoſuerit in hac re obligationem ad reſtitutionem. Non enim ita eſſe, poteſt ſatis coniici ex eo, quod ipſa non reſcindat pacta, vel donationes quibus beneficiarij alienant beneficiorum ſuorum fructus ſuperabũdantes, aut in vſus profanos vaneque expendunt: quod omnino facere deberet, ſi iudicaret tales pauperibus ex iuſtitia deberi. Eam enim prouidentiam, curamque pauperum cauſis, ipſa debet, vt ſi quid ſit eis ex iuſtitia debitum, procuret præſtari, etiam debitores compellendo ſi opus ſit: prout conſueuit facere in teſtamentis, & piis legatis. Et certe qui, *iuxta Apoſtolum ad Rom* 8. præſunt in ſolicitudine, nunquam permitterent tantam iniuſtitiam in cauſa adeo fauorabili: ſed beneficiarios ipſos ad reſtitutionem compellerent ea ratione qua compelli ſolent adminiſtratores alienorum; ſi ea in ſuos vſus conuerterent, aut male expenderent. 87. 88.

Cæterum aduertendum eſt, negantes in hac re obligationem ad reſtitutionem, cum affirmantibus conſentire in hoc, quod & ipſi concedant beneficiarios mortaliter peccare, ſi quod ipſius ſupereſt ex fructibus beneficiorum, non erogent in pauperes, aut alia pia opera; quoniam agunt contra legem charitatis, & miſericordiæ, etiamſi forte non agant contra iuſtitiam. Conſentire item in eo, quod concedant beneficiarios maiori ſtrictorique iure, & vinculo teneri intra limites charitatis, & miſericordiæ, quam laici diuites eadem lege teneantur, quod ipſis ſupereſt dare pauperibus. 85.

Circa quod notanda eſt differentia inter beneficiarios, & diuites laicos. Nam beneficiarius in multis caſibus illud quod ei ex fructibus beneficij ſupereſt expendendo in alios vſus, quam pauperum, mortaliter peccat: in quibus tamen caſibus diues laicus expenſas faciens, aut non peccaret, aut venialiter tantum: quoniam per leges Eccleſiaſticas multi tales caſus grauiter prohibiti ſunt beneficiariis, qui non ſunt diuitibus laicis. Quapropter ſi beneficiarius illud q̃ ſupereſt expendat in canibus ad venationem alendis, in ludis ſectandis, in paraſitis ſuſtentandis, in pompa ſæculari, in faſtu, in 86.

lautis

lautis epulis, alijsque id genus voluptatibus & delicijs, mortaliter peccabit: quia non est illi concessum in eos vsus: iuxta illud D. Hieronymi, quod refertur distinct. 44. initio: Tibi, ô Sacerdos, de altari viuere, non luxuriari permittitur.

Similiter si expendat dando consanguineis, aut familiaribus diuitibus. Ita enim habetur ex Concil. Triden. sess. 25. c. 1. De reform. vbi sic legitur: Omnino vero eis interdicit, *intellige Episcopis, sancta Synodus,* ne ex reditibus Ecclesiæ, cõsanguineos, familiares ve suos augeant: cum & Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, cõsanguineis donent: sed si pauperes sint, iis vt pauperibus distribuant: eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Idem de cæteris beneficiariis esse intelligendum ibidẽ consequenter exprimitur. De hac re pluribus Nauarrus in tractatu De reditibus Ecclesiæ. Vbi sub finem admonet eamdem fuisse omnium antiquorum Doctorum sententiã, vt satis patentem naturali lumine. Cui Concilium eam vim addiderit, vt nunc videri possit esse de fide. Quod qua ratione ostendat qui volet apud ipsum videat, nobis sufficit illa verba, *Omnino interdicit*, satis indicare districtam prohibitionem, quæ in quantitate notabili obliget sub mortali.

87. Aduerte vero, quod cum in casibus extremæ, vel grauis necessitatis, omnes indifferenter ex suis superfluis teneantur sub mortali indigentibus subuenire, iuxta receptam doctrinam de eleemosyna; ante propositam differentiam locum habere tantum in communibus pauperum necessitatibus, in quibus etiamsi reliqui diuites non obligentur sub mortali subuenire beneficiarijs tamen obligatio sub mortali imposita est in easdem communes, ordinariasve necessitates pauperum expendendi, quod superfuerit ipsis ex fructibus suorum beneficiorum: tenim non ob aliam causam, quam eam videtur tam sollicite Ecclesiasticis legibus interdictum esse, ne beneficiarij ditent cognatos, aut fructus beneficiorum reseruent ad altiorem statum acquirendum sibi, vel suis, aut ne vane, vel inutiliter eosdem expendant. Nec item ob aliam causam per easdem leges videtur præceptum esse illis, vt supellectili moderata, mensa, victu, potuque moderato sint contenti, quam vt arcerentur ab illis: tum alia vitia; tum maxime immisericordia erga pauperes: quorum tanquam tutores ipsorum constituti, tenentur particularem curam gerere.

88. Porro hic nonnulla interrogari possunt. Primum est. An mortaliter peccet beneficiarius, si ex eo quod supereſt sibi, non det cuilibet pauperi communi, & ordinario. Ad quod respondendum est, non peccare, saltem mortaliter; quia nihil prohibet quin possit denegare vni, quod reseruat dandum alteri, simili modo indigenti.

Secundum est, An Beneficiarius teneatur quærere pauperes, quibus det quod sibi supereſt. Respondendum est nõ teneri (nisi excipias pastores respectu subditorum suæ pastorali curæ) quoniam pauperes communes, & ordinarij passim occurrunt, illisque mos est petendi eleemosynas. Item nunquam desunt hospitales domus, quibus beneficiarius dare possit idipsum quod supereſt, si quidem pauperes alij communes, & ordinarij desint.

Tertium est, An teneatur beneficiarius diligentiam aliquam adhibere in inquirendis extremis, vel grauibus pauperum necessitatibus. Respondendum est, non teneri: sed sufficere si eis succurrat, quas habet cognitas. & quoad alias, sit animo paratus ad subueniendum eis, quando cognouerit, animaduerteritve eas esse.

Quartum est, An eo ipso quod in genere nouit necessitates esse in repub. quales solent esse redimendorum captiuorum tempore belli, aut alendorum, vel vestiendorum pauperum, in carceribus vel hospitalibus necessitatem patientium. An, *inquam,* teneatur diligentiam adhibere in inquirendo de illis in particulari. Respondendum est, quod si tantum in genere necessitates cognoscantur, quamdiu nulla particularis cognoscitur vel occurrit; beneficiarium non teneri extraordinariam diligentiam adhibere: dummodo quod sibi supereſt, in communes, & ordinarios pauperum vsus expendat.

RELIQVA PARS CAPITIS.

In qua tractantur dubia ad propositam obligationem spectantia.

SVMMARIVM

89 *Beneficiarius de eo quod sibi subtraxerit ex portione necessaria ad commodam suam sustentationem, potest libere disponere.*

90 *Licet Clericus patrimonium habeat sufficiens ad suam sustentationem: potest tamen accipere beneficium ex quo viuat.*

91 *Quomodo intelligendi canones, qui in contrarium citantur.*

92 *Beneficiarius potest libere disponere de quotidianis distributionibus.*

93 *Potest beneficiarius aliquid sibi ex fructibus beneficij superabundantibus retinere, ob seruitium, quod supra deb. tum, exhibet Ecclesiæ.*

94 *De dubio, An pensionarius possit libere disponere de fructibus beneficij sibi assignatis, & quod pars affirmans teneri possit.*

95 *Obiectio in contrarium cum solutione.*

96 *Dubium de commendatariis, An possint libere disponere de fructibus beneficij commendati.*

97 *Responsio est negatiua, & quoad commendatarium ad tempus, & quoad perpetuum. & quoad Religiosum militarẽ.*

98 *Alia est causa hic, quam illi nequeunt libere disponere.*

99 *Quantum de patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus beneficiarius expenderit in vtilitatem Ecclesiæ, aut pauperum, aut opera alia pia, tantum potest sibi seruare de fructibus superabundantibus suorum beneficiorum.*

100 *Beneficiarius non potest parentes ditare ex fructibus sui beneficij.*

101 *Quatenus possit eosdem iuuare tanquam pauperes.*

102 *Quatenus possit ex iisdem fructibus prouidere suis spuriis.*

103 *Quomodo sit habenda ratio status consanguinei, vt ei tanquam pauperi, beneficiarius licite conferat quod supereſt ex fructibus sui beneficij.*

104 *Satisfacit beneficiarius obligationi suæ, id quod sibi supereſt expendendo vt in pauperes ita & in quæcumq; opera pia.*

105 *Pauperes quibus beneficiarius obligatur largiri quod sibi supereſt, non sunt determinate illi, in quorum loco habet beneficium.*

106 *In determinanda commoda sustentatione beneficiarij ratio habenda est tum dignitati personæ & meritorum, exceptis duobus casibus.*

107 *Tum loci atque qualitatis, quam beneficium habet.*

108 *Tum demum eorum, quæ ipso sustentationis nomine comprehenduntur; & quæ sint ea.*

109 *De eorum numero non esse quæ ex mera liberalitate donantur.*

110 *Quæ beneficiarius emit ex superabundantibus fructibus beneficij sua sunt eadem ratione, qua fructus ipsi.*

111 *De quibus possit, & de quibus non possit beneficiarius testari.*

112 *Licet beneficiarius peccet testando de superfluis sui beneficij, talis tamen dispositio est valida.*

PRIMVM DVBIVM EST, An si beneficiarius parce viuendo subtrahat sibi aliquid ex portione necessaria ad suam sustentationem, possit libere disponere de eo quod sic subtrahit, perinde ac posset de patrimonialibus bonis. Ad quod respondetur posse: sic enim sentit D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. ad 2. & est sententia communiter recepta quæ ex antedictis probatur. Namq; ostensum est beneficiarium habere pure dominium portionis ad commodam sustentationem sibi necessariæ. Vnde sequitur ipsum posse, pro arbitrio de eo disponere, sicut filius, aut seruus de alimẽtis à patre vel à domino sibi datis pure ad suam sustentationẽ; ex quo sibi subtrahens aliquid retinet illis dominium, acquisitum per puram donationẽ: ac proinde liberam de eo habet dispositionẽ. Si obiicias, quod sibi subtrahit beneficiarius esse eo ipso superabundans, & cõsequenter dandũ pauperibus. Respondetur illud nõ supereſſe ex fructibus beneficij, sed prouenire ex industria, & labore beneficiarij, subtrahẽtis ipsum sibi. Vnde de fit vt cedat in illius bonũ. Quocirca, *vt Molina de iust.* 89.

& iure, tract. 2. disput. 146. bene notat, prohibitio per Concil. Triden. sess 25. cap. 1. De reform. facta Clericis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant, extendenda non est ad istiusmodi bona. Neque enim consentaneum est, quod cum licite possint talia dare extraneis diuitibus, tanquam habentes liberam de illis disponendi potestatem, nullam habeant conferendi consanguineis, aut familiaribus suis, *etiamsi diuitibus*, quos tanquam eos quibus sunt adstricti, præferre debere ratio dictat.

90. Secvndvm dvbivm est, An si Clericus habeat sufficiens patrimonium possit licite beneficium acquirere, & ex eo viuere reseruando patrimonium ipsum suis propinquis, aut quibuscumque voluerit. Ratio dubitandi est, quia ex c. Clericos, & cap. Pastor, 1. quæst. 2. & ex cap. fin. 16. quæst. 1. atque ex alijs quæ tum hic, tum illa glossa citat: videtur colligi, id non posse licite fieri: quia bona Ecclesiæ sunt bona pauperum. Respondetur tamen contrarium esse tenendum: quia ex D. Paulo in priori ad Cor. c. nono, Nemo militat suis stipendijs, *nimirum nisi velit suo iuri cedere*, ideoque Clericus seruiens Ecclesiæ non tenetur id facere gratis; sed potest ex Ecclesiæ bonis sustentationem ob ministerium exhibitum sibi debitam acquirere: atque patrimonium suum quibus voluerit seruare. Quam esse sententiam ab omnibus fere approbatam Nauar. *in tract. De reditibus Ecclesiasticis, qui prima admonitione* 32. notat, eam sequens, cum alijs pluribus, quorum meminit Lud. Molina *in præcedenti disput.* 145. *in principio*. Quibus adde Syluestrum, *in verbo Clericus* 4. q. 16. citantem pro eadem Innocen. Hostien. Panormit. aliosque Canonistas vt communiter ita docentes, *ad cap. Episcopus, De præbendis.*

91. Ad canones vero citatos respondent idem Syluester ibidem, & Couar. *in cap. 1. De testamentis numero* 2. post D. Thomam 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 7. *ad* 3. vel eos pertinere ad casum in quo dantur pauperes extrema, vel graui necessitate laborantes: nec suppetunt alia bona ex quibus commode subleuari possint: vel ita loqui ad indicandum quod etiamsi non sit extrema necessitas, debent tamen Clerici largas eleemosynas facere de ijs, quæ recipiunt vltra necessaria ad suam sustentationem. Quandoquidem non esset alioqui differentia inter beneficiarios, & laicos, eorumque bona.

92. Tertivm dvbivm est, An beneficiarius perinde possit licite de quotidianis distributionibus disponere, ac de patrimonialibus, vel quasi patrimonialibus bonis. Ad quod respondendum esse affirmatiue, hoc est, beneficiarium de distributionibus posse libere disponere, sicut de bonis patrimonialibus habetur ex Couar. De testamen. cap. Cum in officijs num. 4. Quam sententiam sequuntur Rosella, Clericus 4. num. 2. Angelus, Clericus 13. num. 3. Sylu. Clericus 4. quæst. 4. Fundamentum quo ea nititur est; quod distributiones quotidianæ dentur, acquirantur que propter personale ministerium, quo Canonici, vel alij personaliter in Ecclesia seruiunt assistendo officiis diuinis: adeout illæ sint eius modi bona: cuius sunt ea quæ Clerici acquirunt ob suum personale officium, vel operam, & industriam, ac laborem in concionando, audiendo confessiones, & id genus aliis.

93. Quod vero Nauar. *in cit. quæst. 1. admonit. 30. num. 2.* in contrarium tangit, quod distributiones fiant ex decimis, primitiis, & aliis oblationibus fidelium: ideoq; retineant cõditionem, & onus decimarum, reiicitur: quia quamuis distributiones fiant ex decimis, dantur tamen propter personalem laborem, & operam. Quod sufficere vt de illis tanquã de quasi patrimonialibus possit beneficiarius libere disponere, probatur; quia etiã professori Grammaticæ ex fructibus beneficiorum potest assignari aliqua portio, itemque sacristæ, & præfecto cantorum: quibus tamen incumbere onus dandi pauperibus, quod eis supereſt, Nauarrus minime diceret.

Præsertim cum in præcedenti admonitione 29. ipse doceat, & bonis rationibus confirmet: beneficiarium de parte suorum prouentuum, quam merentur labores ipsius, & vtilitas quam Ecclesiæ Dei adfert vltra mediocre illud seruitium quod beneficium ipsius requirit, *nisi statuat talia grauis facere*, posse perinde libere disponere, atque de parte, quæ necessaria ei est ad congruam suã sustentationem. Id quod ipse sic declarat exemplo. Si duo habeant singula beneficia 300. ducatorum, ambo possunt pro libito expendere illud quod iudicio boni viri est illis opus ad se honeste sustentandum: quod ex hypothesi sint 150. ducati: atque vnus eorum non plus seruiat, quam omnino tenetur, id est, quam qualitas, & conditio beneficij exigit: alter vero, multo plus quam omnino teneatur; vt audiendo confessiones, docendo, concionando, infirmos visitando, consolando, pacis, & aliorum eiusmodi curam habendo, iste poterit tantumdem plus expendere, quam seruitia ipsius supererogatoria, id est, quæ vltra obligationem suam præstitit, merentur iudicio boni viri. Vnde intelligi potest, quod etiãsi distributiones sumptæ sint ex beneficij fructibus: imo beneficium nullos, alios habeat fructus, beneficiarius possit de illis libere disponere prout Sylu. loco cit. expressit. Et confirmatur: quia licet distributiones non distinguantur tunc à fructibus beneficij, vere tamen sunt distributiones, ac vere acquiruntur ob personale ministerium, operam, & laborem. Idem iudicandum est de portionibus funeralibus, & anniuersariis, quia quotidianæ sunt, sicut distributiones quotidianæ.

Qvartvm dvbivm est: An Clericus possit libere 94. disponere de pensionibus sibi ex fructibus beneficij reseruatis, sicut potest de bonis quasi patrimonialibus. De qua re prior opinio est, eamdem esse rationem de pensionibus, ac de fructibus beneficij; & per consequens non posse Clericum de illis aliter disponere, quam de fructibus beneficij. Hanc tenet Nauar. *in cit. quæst. 1. admonit. 32. num.* 2. Posterior opinio est contraria: nempe non esse eamdem rationẽ, & posse pensionarium libere disponere de pensionibus, sicut de patrimonialibus bonis. Hanc sequitur Couar. *ad citatum cap. Cum in officijs, num sexto, post Gigantem in tractatu De pensionibus quæst.* 52. vbi probat pensionarium posse proprio testamento disponere de reditibus ex pensione Ecclesiastica perceptis. Quam opinionem tenere possumus quoad pensionem quæ non datur in titulum beneficij, id est, quæ non datur Clerico per totam vitam ob officium Clericale; & de pensionario, qui non est Clericus religiosus. Ratio autem est: quia pensio de se non censetur beneficium, vt argumento est, quod laicus possit esse illius capax, vt in sequentibus exponetur. Et confirmatur; quia de se nõ solet dari propter Ecclesiasticum officium, sed in subsidium vitæ, ac quasi alimentũ. Iam vero onus dandi pauperibus quod supereſt, præcepto Ecclesiæ impositum est tantum habentibus titulũ beneficij: qui nomine beneficiariorum significantur proprie.

Quod si obijcias pensionem esse portionem ex fructibus 95. beneficij detractam. Respondetur id quidem verum esse, sed cum detracta sit ad subsidium vitæ, & quasi alimentum, non sortiri naturam, & conditionem beneficij: quia beneficium datur propter officium, & ministerium Clericale, non item pensio.

Istud autem procedit siue à Papa constituta sit pensio, siue alicui reseruetur, eo quod beneficium resignet: siue alicui detur, ob bonum pacis, eo quod liti cœptæ super beneficio renunciauit: siue demum alicui concedatur eo quod factus sit coadiutor beneficiarij; dummodo enim ea non detur in titulum beneficij, ex quauis causa detur; iudicandũ est de ea, perinde ac de bonis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus: quoad hoc, quod pensionarius possit de emolumentis ex ea acceptis libere disponere. Et certe in hoc non debet videri maior difficultas, quam in eo, quod Cardinales de iis quæ tanquã stipendia quædã à Sede Apostolica accipiunt in vitæ subsidium, & vt decenter tanquam Cardinales viuant, possint libere disponere, ac si essent patrimonialia, vel quasi patrimonialia bona (quẽadmodũ Nauarr. aperte docet loco cit. admonit. 39.) nõ obstante quod dentur personis Ecclesiasticis, & de fructibus beneficij Ecclesiastici, puta Papatus: nec dentur solummodo in iustam mercedem laborum, sed etiam pro Papæ voluntate tãquam subsidia vitæ, ne Cardinales egestate premantur, sicque apud homines officium eorum, & dignitas vilescat. Pro quo facit quod talia non dentur omnibus Cardinalibus, sed quibus Papa iudicauerit: adeout modum quemdam, & rationem habeant pensionum.

Qvintvm dvbivm est: An commendatarius si- 96. militer possit de fructibus beneficij, quod habet à Sede

Aposto-

Apostolica sibi commendatum, disponere libere tanquam de bonis quasi patrimonialibus. Ad huius responsionē supponendum est primo, beneficia aliquando commendari ad tempus: vt olim fieri solebat ad sex menses: aliquando vero in perpetuum, hoc est, ad vitam Commendatarij, vt nunc fieri solet. Præsupponendum est secundo, quosdam esse cōmendatarios, qui non sunt Religiosi, sed tantummodo Clerici sæculares, quibus aliqua beneficia in commendam conceduntur: & quosdam alios esse, qui milites sunt professi in aliquo ordine militari quibus concedi solent reditus, & fructus beneficiorum eius ordinis, in quo sunt professi.

97. Quibus præsuppositis: pro responsione dicitur primo, quod commendatarius ad tempus, qualis olim institui solebat, non potuerit iure disponere libere de fructibus beneficii commendati, quia is reuera solum erat administrator & procurator, & quasi tutor Ecclesiæ commendatæ, donec illi præficeretur idoneus pastor, & tenebatur reddere rationem suæ procurationis: acceptisque iis, quæ ad commodam suam sustentationem necessaria essent, cæteros beneficii fructus debebat reseruare futuro pastori. Vnde potuit quidem disponere libere de ijs, quæ accipibat ad commodam suam sustentationem, quoniam illa accipiebat vt stipendium sui laboris, curæ, & operæ: de cæteris non item.

Secundo, dicitur quod commendatarius perpetuus habeat idem onus, & obligationem quam haberet beneficiarius, cui beneficium collatum esset in titulum. Ratio est, quod in Bullis Pontificiis, quarum authoritate commendæ perpetuæ, vel administrationes conferuntur, exprimatur vt commendatarius eam liberam dispositionem habeat in beneficio, siue in Ecclesia sibi commendata, quam haberet, si illa esset ei in titulum data. Quare habet etiam onera, & obligationes, beneficio vel Ecclesiæ annexas. At si in titulum haberet beneficium, teneretur ex præcepto Ecclesiæ, *inxta antedicta*, illud quod supereſt ex beneficij fructibus, erogare in vsus communes, & ordinarios pauperum. Ergo eandem obligationem habet commendatarius. Et in hoc plene verificatur quod dici solet: subrogatum sortiri naturam eius, in cuius locum subrogatur.

98. Tertio, dicitur de commendatariis, qui sunt milites professi in aliquo ordine militari: ipsos non posse libere disponere de fructibus quos percipiunt ex aliquo beneficio sui ordinis: quia votum habent paupertatis, quo abdicant se proprietate bonorum: adeout nihil possint habere proprium, cum id, ipsi voto paupertatis repugnet directe. Quo fit vt iidem Commendatarij à Generali magistro sui Ordinis debeant accipere facultatem assignatos sibi fructus, & reditus expendendi in quoscumque vsus proprios. Cum qua facultate expendendo eos, non peccant, *vt nec alij Religiosi vtentes sibi à Superiore concessis*, nisi id faciant in vsus vanos, & inutiles, aut quomodocumque malos, cum ad tales vsus non detur eis, nec dari possit facultas ab ipso Generali præfecto ordinis: sed tantum detur ad necessarios, vtiles, & quomodocumque licitos.

Quod vero attinet ad id quod ijsdem commendatarijs supereſt, etiamsi distribuendum esset pauperibus ex Ecclesię præcepto non habeatur ex titulo beneficij, *qui respicit ministerium clericale, quale non est eorumdem commendatariorum*: nihilominus tamen, quis ob votum cum illi se adstrinxerunt, nihil proprium habere possunt: vtpote qui abdicarint se bonis omnibus (atque adeo non modo patrimonialibus, sed etiam quasi patrimonialibus) quidquid post idipsum votum acquirunt, totum id secundum proprietatem, est suæ religionis ordinisue sui militaris: quo fit vt non possint de eo libere disponere. Fit etiam consequenter, vt quod supereſt ex fructibus sibi assignatis non cedat in vsum pauperum, per præceptum Ecclesię: sed reseruentur ordini ipsorum, cui authoritas Papæ omnes tales fructus, & reditus assignauit, applicando illos ea ratione ad pios vsus: quandoquidem religiones militares institutæ sunt reuera ad bonum commune reipub. Christianæ, itaut bona ipsis applicata merito censeantur in pios vsus cessisse.

99. SEXTVM DVBIVM EST, An si beneficiarius aliquid ex bonis suis patrimonialibus insumpsit in bonum Ecclesię vel beneficij, possit tantumdem sibi sumere de fructibus eiusdem beneficij, de eoque libere disponere, sicut de patrimonialibus bonis: Ad q̄ affirmatiue respondendum est cum Angelo, *Clericus*, 13. *num.* 9. *Sylu. Clericus* 4. *quæst.* 12. *& Nauarr. in tract. de reditibus Ecclesiasticis, quæst.* 3. *admonit.* 4. *num.* 3. vbi adfert in confirmationem, quod in cap. Si Episcopus 12. quæst. 5. permittatur Episcopo, vt quantum de bonis suis patrimonialibus Ecclesiæ contulerit, tantundem possit decedens propinquis, aut quibus maluerit relinquere. Addi potest ratio, quoniam id non est aliud quam compensationem æquiualentem sumere, quæ iure naturali licita est.

Sed aduerte id non procedere quando quis expensas facit libere donando Ecclesiæ gratis quod expensum fuerit, quia nequit donationem reuocare iam tradita re quam donauit. Quod si contingat vt beneficiarius aliquid de patrimonio expendens in bonum Ecclesiæ, nihil cogitet de gratis expendendo, vel non gratis: tunc donec expresse fecerit donationem eius quod sic expendit, libere potest intentionem habere non expendi gratis; & poterit consequenter memorata compensatione vti. Addit ibidem Nauar. istā locum habere etiam in eleemosyna: itaut beneficiarius reputare possit in reditum Ecclesiasticorum numero omnia, quæ ex bonis suis patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus expendit in pauperes, aliaue opera pia: atque adeo salua conscientia possit tantumdem; cui velit ex eiusdem reditibus relinquere.

SEPTIMVM DVBIVM EST: An beneficiarius ex fructi- 100.
bus beneficii possit consanguineos, & propinquos iuuare. Quod dubium quatuor complectitur. Primum est, an beneficiarius possit ditare propinquos, itaut illos promoueat ad altiorem statum. Id quod aperte prohibetur in Conc. Trid. sess. 25. cap. 1: idemque in cap. Decenter, distinct. 89. & in cap. Sunt manifesta, & in cap. Episcopus Ecclesiasticarum. 12. quæst. 1. & in cap. Quisquis episcopus, 12. quæst. 2. iam olim prohibitum erat. Etiamsi enim illi canones loquantur expresse de Episcopis: sunt tamen intelligendi de quibuscumque beneficiariis, prout Concil. Trident. satis iudicauit loco citato. Et ratio est quia Ecclesia censenda non est, vnquam voluisse permittere vt ex fructibus beneficiorum ditarentur consanguinei, aut familiares: quandoquidem id fieret in detrimentum pauperum, quorum ea gerit peculiarem curam tanquam maxime commendatam in sacris Scripturis.

Secundum est, An beneficiarius licite possit sororem, 101.
vel aliam cognatam dotare, vt commode nubat: possitne item licite fratrem, vel cognatum alere in literarum studiis, atque eum ad gradus scholarum promouere. Ad quod respondendum est posse, tanquam alienis ex charitate præferendos, dummodo indigentes sint ea ex parte, id est, non possint talia habere aliunde. Nam si possint, non censebuntur ea esse pauperes; ac proinde largitio eiusmodi fieret cōtra Ecclesiæ antememoratam prohibitionem, de non ditandis cognatis ex beneficiorum fructibus. In qua responsione consentiunt Angelus *in verbo Dos, nu.* 5. *& in verbo, Clericus* 13. *nu* 11. *Sylu. verbo, Dos, quæst.* 5. *& verbo, Clericus*, 4. *quæst.* 15. Rosella, Clericus, 4. num. 11. Tabiena. verbo, Dos quæst. 4. Armilla eodem verbo, num. 7.

Circa eamdem cum Molina *de iust. & iure, tomo primo tract.* 2. *disput.* 146. nota 1. pauperes censeri non solum eos qui egent victu, & vestitu requisitis ad vitę conseruationem, quæ dicuntur necessaria naturæ: sed etiam qui egent rebus opportunis ad conuenientiam sui status. Nota secundo quod licet beneficiarius de reditibus beneficii, quos in operibus piis insumere tenetur, debeat cæteris paribus potius consanguineis, quam extraneis subuenire: occurrentibus tamen extraneorum necessitatibus extremis, aut quasi extremis, debere potius eis subuenire quam consanguineis, in illis quibus indigent solummodo ad conuenientiam sui status. Nota tertio, beneficiarium habentem bona patrimonialia, aut quasi patrimonialia posse ex reditibus sui beneficij subuenire consanguineis egentibus non minus, quam extraneis similiter indigentibus, quantumuis laudabilius esset subuenire ex aliis suis bonis, vt haberet quod ad alios pios vsus conferret. Nota 4 beneficiarium posse in suo obsequio habere consanguineum diuitem; illique sustentationem, & mercedem iustam dare de reditibus ecclesiasticis, sicut daret alteri.

102. Tertium est, An beneficiarius possit filiam spuriam ex fructibus sui beneficij dotare. De qua re Tabiena, *in verbo Restitutio, q. 19. & Nauarr. in tract. De spoliis Clericorum §. 19 numero 11.* sentiunt Clericum posse suum filium, aut filiam spuriam ex reditibus sui beneficij alere, ac dotare, si nequeat aliter ipsis indigentibus prouidere, prout iure naturæ tenetur. Quod autem per bullam à Nauarr. in eodem §. relatam, Pius quintus reuocat omnia testamenta legata, donationes, dispositiones quascumque ex bonis, vel fructibus Ecclesiasticis facta in vsus filiorum illegitimorũ vtriusque sexus, idem Nauarr. sic interpretatur vt velit Põtificem reuocare tantum priuilegia, aut indulta; aut dispensationes in ea re factas, non aũt tollere id quod est de iure. In c. vero, Cum haberet, in fine, extra, de eo qui duxit in matrimonium, statuitur debere alimenta filiis illegitimis constitui. Adde quod credibile non sit Pontificem id sustulisse quod est iure naturali debitum. At ex naturali æquitate debitum est filiis, licet ex peccato natis, vt si egeant, alantur à parentibus. Possunt quoque prædictæ bullæ verba sic accipi, vt illis prohibeatur ne ex bonis, vel fructibus Ecclesiasticis aliquid detur filiis illegitimis, prætextu, & colore paupertatis, quando reuera pauperes non sunt.

Atque ita, *quod bene notat Molina loco citato*, si beneficiarius haberet alia bona sua, vnde subuenire posset filio suo, aut filiæ spuriis, non posset illis tradere dotem, aut sufficientem sustentationem de superfluo sui beneficij: quia non essent reuera pauperes, sicut nec possunt aliis habentibus parentes qui debent, & possunt sufficienter illis subuenire. Addit idem Molina sub finem eiusdem disput. non esse quidem fas beneficiario de reditibus beneficij, quos alias in pijs operibus expendere tenetur, spuriæ conferre dotem quantam coniugatus conferret filiæ legitimæ, quandoquidem æquum non est spuriam facere parem legitimæ, quod nec solent facere laici de suis patrimonialibus. Attamen si idem beneficiarius sit nobilis, ipsum in moderatã dotem tali filiæ posse plus conferre, quam si ea esset spuria Sacerdotis infimæ conditionis; quoniam ex statu, & qualitate parentis accrescit status qualitas & conditio filiæ spuriæ. Itaque totum illud in dotem conferre potest, quod attenta qualitate, & conditione parentis, mortuo ipso adiudicaretur in foro exteriori dandum eidem spuriæ ab hæredibus, arbitrio boni viri.

103. Quartum est, quo modo sit habenda ratio status consanguinei vt ei tanquam pauperi beneficiarius licite conferat quod supereſt ipsi ex fructibus sui beneficij. An cõsiderandus sit status in quo idem consanguineus erat antequã Clericus beneficium obtineret: an habẽda sit quoq; ratio status in quo ille est eo ipso quod Clericus beneficium habet. Exempli gratia promotus est quis ad Episcopatũ, vel Cardinalatum, eo ve ipso consanguinei eius ita ascendant ad nouum statum vt ille ad eorum sustentationem possit plus expendere, quam posset, si ad eum dignitatis gradum non esset promotus, sed maneret, simplex beneficiarius. De hac re tenendum est iuxta Rosellam *in verbo, Clericus, 4. num. 11. in verbo Restitutio, 14. num. 7.* alimenta, & dotem esse danda consanguineis solum secundum statum, & conditionem in qua erant priusquam Clericus ad beneficium promoueretur.

Iuxta Tabienam vero *in verbo Restitutio quæst. 19.* beneficiarium in dandis prædictis posse excedere statum, quem consanguinei habent in sæculo, quia in tali re non debet attendi gradus sæcularium, sed gradus personæ beneficiarij. Quæ opinio non est satis tuta: tum quia secundum eam cõtra Canones consanguinei ditarentur ex fructibus beneficiorum: tum quia differentia est inter sæculares, & Ecclesiasticas dignitates: quod cõsanguineo promoto ad dignitates sæculares, propinqui simul cum eo ad statum ascendant altioré; non item promoto ad dignitates Ecclesiasticas, quoniam ea ex parte, ipse est ac si consanguineos non haberet sine parte, sine matre, sine genealogia tanquam alter Melchisedech: nisi quando dignitati Ecclesiasticæ annexa est dignitas sæcularis, vt quando Prælati sunt Principes: puta Duces, Comites, Marchiones, &c. maxime autem Papa habens multas terras, & prouincias temporali iurisdictione sibi subiectas. Ea enim ex parte qua Prælati cum spirituali iurisdictione habent dominium temporale, consanguinei ipsorum simul ascendunt ad nouũ statum: quia non debent in eo peioris conditionis esse, quam sæculares. Itaque sicut his promotis ad sæculares dignitates consanguinei ipsorum mutant statum, mutabunt & consanguinei Clericorum promotorum ad dignitatem Ecclesiasticam, quæ annexam habet iurisdictionem sæcularem.

Cæterum mihi probatur quod docet Nauarr. *in tract. De reditib. Ecclesiasticis quæst. 1. admonit. 27.* & sequitur Molina *in citata disput. 146. versus finem*, beneficiarium actum in statu Ecclesiastico, posse licite consanguineis conferre, non quidem tantum, quantum illi exigere solent, nec quantum ipsius affectio erga illos inordinata suaserit licere; sed moderate prudentis, & timorati viri arbitrio, circumstantiis omnibus spectatis ac quantum requiri iudicatur, vt dedecus merito non sit ipsi beneficiario propinquos sibi tam arcte coniunctos, se adeo abiecte habere,

OCTAVVM DVBIVM PRIMARIVM EST: An beneficiarius satisfaciat obligationi expẽdendi in pauperes, quod supereſt ex fructibus beneficij si expendat in alios vsus pios, quam pauperum, v. g. in fabricam alicuius Ecclesiæ, vel religiosæ domus, vel quodcumq; aliud opus pium. Ad quod ex Nauarr. *quæst. 1. citata admonit. 26* respondendum est satisfacere: quia bona Ecclesiæ cõparata sunt non solum ad subueniendum necessitati temporali, sed etiam spirituali fidelium, & ad promouendum diuinum cultum. Ideoque illud iure statutum; vt id quod ex beneficiorum fructibus supereſt expendi debeat in vsus pauperum, interpretatione extendendum est ad quamcumque causam piam. 104.

Si quæras, An beneficiarius debeat quod sibi supereſt expendere in vsus pauperum illius loci in quo situm est beneficium ipsius. Respondetur ex Nauarro *in cita admonit. 27.* satis esse si expendat in vsus pauperum cuiusuis loci: quod probat tum aliunde, tum ex eo quod nullum sit in iure canonico textus, quo beneficiarius obligetur illud expendere in vsus pauperum loci in quo situm est beneficium: tum ex recepta consuetudine expendendi etiam in vsus aliorum pauperum, quæ ex eo censenda est rationabilis, quod mater Ecclesia omnes mundi fideles reputet suos filios. Atque possit plerumque contingere vt pauperes alterius loci sint indigentiores, & meliores; ideoque præferendi, iuxta illud cap. Non satis, distin. 86. sub finem, & omnibus debetur misericordia, iusto amplius. 105.

Quod si vrgeas seruandam esse voluntatem testatoris, qui contulit bona ex quibus constituta sunt beneficia: Respondetur id verum esse, sed testatores solere in testamento aliquando aperte exprimere suam voluntatem, aliquando vero liberæ dispositioni hæredis, vel executoris testamenti relinquere: aliquando vero declarare quibus pauperibus sua bona velit distribui, aliquando nihil exprimere in testamento de qualitate, & conditione pauperum. Quandocumque igitur voluntas testatoris est aperta ex præscripto eiusdem distribuenda sunt bona. Si vero de animo, & voluntate testatoris non constet quidem aperte in testamento: ex signis tamen, vel coniecturis colligi possit animus, intentioque illius tunc quoque eroganda est eleemosyna iuxta voluntatem quæ in eo fuisse præsumitur probabiliter. Sin autem nihil de eius voluntate colligi potest, tunc satis est, vt eleemosyna in vsus pauperum erogetur secundum Ecclesiæ antedictam mentem.

Atque idipsum dicendum esse de fidelibus, qui Ecclesiæ dederunt bona sua, ex quibus beneficia sunt constituta, nihil est quod obstet: præsertim cum beneficiarius ad dandum pauperibus quod supereſt, non obligetur ex præcepto fidelium, ex quorum bonis cõstituta sunt beneficia, sed ex præcepto Ecclesiæ, statuentis vt in pauperes, vsusue pios erogetur quod supereſt ex fructibus beneficij: prout habitum est in præced. num. 79.

Aduerte autem ex Nauarro *loco citato nu. 3.* pauperis nomine, hic intelligi quemcumque non valentem decenter, & commode viuere secundum status sui conditionem; licet possessiones aliquas, vel reditus annuos habeat: quia quantumcumque suppetant ei necessaria ad conseruandam vitam, non tamen ad se pro sua qualitate, & conditione sustentandum. Aduertit item Molina *de iust. & iure tomo 1.*

tract. 2. disput. 145. versu, Illud vero, quando bonum diœcesis, vel regni, aut totius Ecclesiæ, non postulat nec specialis aliqua ratio aliter præscribit: debere eiusmodi opera pia potius fieri in vtilitatem populi qui reditus contribuit, quam alterius loci, quia recta ratio, & proximorum ædificatio ita exigit.

106. NONVM DVBIVM EST: Quid intelligi debeat per commodam, & sufficientem sustentationem beneficiarii: cum dicitur quod vltra illam huic supereſt ex fructibus beneficii, debere pauperibus erogari. De hoc copiose Molina in cit. disput. 145. Pro solutione autem dicendum est primo, nomine commodæ sustentationis intelligi quidquid ad sustentationem beneficiarii pertinet etiam habita ratione nobilitatis, & doctrinæ, vel insignium meritorum ipsius. v. g. si sit filius Regis, vel principis, vel alicuius alterius illustris viri. Item si sit doctor in Theologia, vel iure Canonico. Item si sit optime meritus de Ecclesia, vel rep. Christiana. Quod enim horum omnium sit habenda ratio, patet: quia ex cap. De multa, §. finali, De præbendis, personæ nobilitas, ac literatura causa est iusta dispensandi cum aliquo in pluralitate beneficiorum. Item ex Extrauag. Ioannis 22. quæ incipit, Execrabilis, De præbendis. §. Nos quoque cum omnino interdicta sit pluralitas beneficiorum, ab ea prohibitione excipit Cardinales, & filios Regum: quo significat habendam esse rationem notabilitatis, & meritorum, atque obsequiorum talium, qualia sunt (vt ibidem dicitur) quæ vniuersali Ecclesiæ solent Cardinales exhibere.

Sunt tamen duo casus, *quos in eadem disput. versu, Est tamen, notat Molina*, in quibus non habetur talis ratio. Prior est, cum beneficiarius maius illud iucrementum aliunde habere potest: neque dignitas illius aut literatura, causa sunt in Ecclesia alicuius vtilitatis maioris ea, quam cæteri sua authoritate aut suis literis afferant. Posterior est, quando proximorum necessitas, & fabrica Ecclesiæ aliud exigit. In vniuersum enim absurdum est, & scandalosum pauperes fame perire, aut Ecclesias incultas, aut ruinosas esse, & beneficarios de reditus Ecclesiasticis, *qui sunt Christi patrimonium*, amplas, splendidasque familias habere, ac splendide viuere.

107. Dicendum est secundo: habendam esse rationem loci in quo situm est beneficium, etenim aliud iudicari debet si beneficium sit in Ecclesia digniore, vt in cathedrali: & aliud si in inferiore, vt in collegiata. Item aliud si sit in oppido insigni, aliud si in villa, vel castro, itemque aliud si sit in regione, prouincia, vel loco vbi est penuria, & caritas rerum quæ venduntur, & emuntur ad vitæ vsum: aliud si contra, vbi est talium abundantia.

Dicendum est tertio: habendam esse rationem qualitatis quam beneficium habet. Etenim beneficia sunt alia aliis digniora: & inter dignitates, aliæ maiores sunt aliis. In quibus ad tollendam omnem difficultatem Molina *in eadem disput. 145. versu Quartum est*: bene monet consuetudinem beneficiariorum piæ timoratæque conscientiæ habendam esse pro regula, ad quam tuto cæteri similes admetiri possint familiam, & sumptus ad sustentationem suam competentes: nisi aliqua circunstantia interueniat quæ aliud exigat. Nō refert vero, quod is qui promotus est ad beneficium qui antea esset pauper, & infimæ sortis. Nam ratione status adepti, potest ad suam sustentationem competentem, sumptus facere, quos faciunt eiusdem Ecclesiæ timorati beneficiarii; in quibus nulla datur ratio peculiaris, cur maiores facere debeant aliis eiusdem status.

108. Dicendum est quarto: nomine commodæ sustentationis comprehendi quidquid est necessarium ad sustentandum se, & familiam suam. Quæ familiæ nomine intelliguntur famuli & ministri necessarii: item propinqui indigentes, nempe fratres, sorores, nepotes, si quidem egeant, multoque magis pater, & mater: itemque filii siue ex legitimo matrimonio suscepti ante habitum beneficium, siue illegitimi: Quibus si egeant, alimenta concedi debent ex æquitate naturali.

Dicendum est quinto: nomine commodæ sustentationis comprehendi adhuc quidquid est necessarium ad victū, & vestitum, atque ad habitationem, & medicinas necessarias. Si quæras, An eō nomine comprehendatur etiam quidquid pertinet ad remuneranda ministeria, & beneficia recepta ab aliis. Respondetur comprehendi: quoniam gratitudo erga benefactores, & remuneratio benefactorum, iure naturali sunt debitæ. Pro quo facit, quod ex cap. Relatum 2. De testamen. §. Licet, aperte colligatur beneficiarium in morte relinquere posse aliqua seruitoribus, & familiaribus ad remuneranda obsequia. Vbi aduerte (quod ex Nauarro habet Molina *in eadem disput. 145. versu, Eodem modo*) curandum esse vt tales remunerationes moderate fiant, neque occasio inde sumatur pia opera defraudandi portione ea redituum, quę vltra competentem beneficiarii sustentationem illis debetur.

Si rursus quæras, an etiam illo nomine comprehendantur, quæ pertinent ad hospites ex humanitate recipiendos, & ad conuiuia amicis, & familiaribus exhibenda. Ad quod cum Molina, *versu, Tertium est*: respondetur comprehendi si sunt moderata: quoniam fiunt ob honestam quamdam vrbanitatem, & laudabilem inter bonos existentem consuetudinem.

Si tertio quæras, An comprehendantur quoque ea quæ pertinent ad ludos, & alias animi recreationes. Respondetur comprehendi quoque: dummodo sint honestæ, & moderatæ recreationes: quoniam eæ aliquando propter corporis valetudinem, & animi relaxationem sunt necessariæ.

109. Si quarto quæras, An comprehendantur etiam illa quæ donari solent ex mera liberalitate, aut magnificentia. Respondetur non videri comprehendenda: quia huiusmodi virtutes pertinent potius ad Principes, aut alios viros sæculares locupletes, quam ad Clericos quoad fructus suorum beneficiorum. Nam licet eæ ipsæ virtutes ex obiecto non sint Clericis prohibitæ: illis tamen secundum Canones, interdictum est fructus beneficiorum expendere in magnificos sumptus, aut in liberales donationes: nisi id fiat ob pias causas piaue opera, in quibus illi possunt esse liberales, & munifici. Vnde Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. De reform. renouat Concilii quarti Carthaginensis statutum, can. 15. De Episcopis: vt sint contenti modesta supellectile, mensa, & victu frugali, atque in reliquo vitæ genere, ac tota domo caueant, ne quid appareat quod simplicitatem, Dei zelum, vanitatem contemptum non præse ferat. Quod idem esse dicendum suo modo de quibuscumque beneficiarijs constat ex eodem Concilio Trident. ibidem.

120. DVBIVM 10. PRINCIPALE EST: An si beneficarius emat prædia, & possessiones, aliaue bona ex fructibus, vel pecuniis sui beneficii, taliter empta acquirātur illi Ecclesiæ, cuius est beneficiarius an vero ipsimet beneficiario: itaut is de illis possit libere disponere. Ad quod Nauarr. *in tract. De reditibus Ecclesiæ, quæst. 1. admonit. 47.* respondet affirmando in vniuersum, omnia ex fructibus beneficii empta, si non emantur pro sua Ecclesia, eiusve nomine (quomodo eiusdem essent reuocabiliter: perinde ac donata) remanere inter bona eiusdem beneficiarij ementis sub eadem conditione, qua fructus ipsi: nempe vt vtatur illis ad cōgruam sustentationem, & cætera expendat in pia opera. Quod autem non sint eo ipso Ecclesiæ, probat: quia si id ita esset, ea quæ beneficiarius emit ad suum vsum, vt vestes, libros, lances, cochlearia, aliaque (etiamsi immobilia) destinata ad vsum personæ propriæ, aut ad iustam remunerationem obsequiorum acceptorum, aut ad aliquod pium opus, vt dotationem alicuius sacelli, vel pauperum puellarum: aut alimentum pauperum scholasticorum, &c. non posset magis de talibus disponere vendendo, commutando, donando: quam possit de vtensilibus suæ Ecclesiæ comparatis ad proprios illius vsus: vt de calicibus, sacris vestibus, campanis, & aliis eiusmodi: quod nemo dixerit.

Idem confirmat ex nonnullis bullis Pontificijs (quas ipse refert, & late expendit in tractatu De spolijs Clericorum, §. 5. & sequent.) in quibus plures Pontifices statuunt huiusmodi bona empta, spolia esse Clericorum. Vnde consequens est ea non transiisse in dominium Ecclesiæ, in qua est beneficium de cuius reditibus facta est emptio. Nam si transiissent, non pertinerent ad Papam tanquam Clericorum spolia. Ea autem quæ in contrarium adferri possunt soluuntur: dicendo procedere quoad ea quę empta fuerint nomine

Ecclesiæ, aut illius propria pecunia. Etsi enim generalis lex sit, Cod. de rei vendicatione, lege Si ea pecunia: quod emptum est ex aliena pecunia: nō fiat eius cuius est pecunia: sed acquiratur ipsi emptori. Ea tamen ex communi sententia locum non habet in iis, quæ tutor, vel curator, vel ministrator emit ex pecuniis pupilli, vel minoris, vel ciuitatis: quibus Ecclesia in ea re æquiparatur.

121. POSTREMVM DVBIVM EST, An beneficiarij possint testari de prouentibus suorum beneficiorum. Hoc late tractat Molina in antememorato tractatu 2. disput. 147. Sed contenti erimus sequentibus documentis.

Primum est, Clericos non Religiosos (de Religiosis alia ratio est ob votum paupertatis perpetuæ) posse testari etiam ad causas non pias de patrimonio suo: atque de aliis, quæ suo labore, & industria acquisierint, atque etiam de iis, quæ ex prouentibus beneficiorum sustentationi suæ subtraxerint. Hoc patet per illud quod antea partim qu. prima, partim dubio primo ostensum est, ipsos habere talium bonorū dispositionem liberam. Pro quo textus est apertus in cap. Quia nos, & in cap. Relatum 1. §. Cæterum, De testamentis.

Secundum est, De iis, quæ ex prouentibus beneficiorum supersunt sustentationi beneficiariorum, ipsos non posse testari. Hoc patet ex citatis cap. Quia nos, & cap. Relatum, 2. itemque ex cap. Cum in officiis, eodem tit. Ad quod cap. num. 5. in tractatu De testament's Couar. notat eam esse opinionem communi omnium consensu receptam. Addēs *in sequ. nu. 6* moribus receptum nihilominus esse, vt solis Episcopis testandi licentia sit necessaria. Cæteros enim Clericos libere testari de iis, quæ ex reditibus Ecclesiasticis acquisierunt ipsi, vel ipsis; in testatis consanguineos succedere ex cōsuetudine præscripta. Etsi enim merito facta sit memorata prohibitione ne scilicet Ecclesiastici studerent opibus accumulandis: sed sua *saltem superflua*, expenderent in pios vsus; tamen, quoniam ea est tantum iuris humani, potu t abrogari contraria consuetudine. Quæ non est de se mala, nec corruptela censenda, si sit testandi ad pias causas; non item si ad prophanas, vt ad ditandos parentes. Alienum est enim à ratione, vt bona iure pauperibus debita relinquātur consanguineis iam satis diuitibus, aut ij de industria sinantur in illis succedere ab intestato. A qua re viri timorati, & memores suæ salutis, ac iudicij quod subituri sunt, cōstituti ante tribunal Christi, semper abhorruerunt, tanquam aduersante iuri naturali: adeout Papa nequeat in ea dispensare, vt nec in cæteris rebus eiusdem iuris nisi interueniat causa aperte iusta, quemadmodum notatum est à Nauar. in tract. *De redit. Eccles. quæst. 3. admonit. 6.*

122. Tertium documentum est, Non obstante peccato quod beneficiarius committit, de prouentibus suorū beneficiorum contra iuris canonici constitutionē disponendo, dispositionē esse validam. Ratio est, quia ex eo quod dispositio sit illicita, non sequitur necessario vt sit inualida. Sic enim cum quis de bonis suis patrimonialibus superfluis in vsus prophanos disponit quādo vrgente graui necessitate tenetur elargiri ea in eleemosynā, valet dispositio, etiāsi is mortifere peccet: quia in eo casu obligatur solum personaliter, & sine hypothecatione suarum rerum. Quod idē vsuenit in beneficiario iuxta ante tradita sub finē quæstionis prioris, & initio posterioris. Vnde consequens est, hæredes per tale testamentum institutos posse valide succedere in bonis eiusmodi, tanquam acceptis ab eo qui vere habuit dominium eorum, nulli de se obligationi suppositorum. Ea enim obligatio qua debuerint applicari piis vsibus, personalis tantum fuit, pertinens ad solum testatorem: quæ proinde non transiit ad hæredes; vnde fit (si nihil aliud sit quod obsteт) vt illi possint ea accipere; totumque peccatum commissum, testatoris est: qui ita siue expresse, siue tacite canones dispoſuerit; itemque eorum qui ipsum ad id induxerunt.

CAPVT VIII.

De obligatione soluendi pensiones beneficiis legitime impositas.

SVMMARIVM.

123 *Quid in hac re significetur nomine pensionis, & quomodo ea conueniat cum beneficio Ecclesiastico, ac quo modo ab eo differat.*

124 *Variæ illius diuisiones.*

125 *Authoritas requisita ad validam impositionem pensionis, & quatenus sit in Episcopo.*

126 *Causa iusta ad eamdem requisita.*

127 *Itemque iusta quantitas: ex parte cuius cauenda est surreptio, per quam irrita redditur pensionis constitutio.*

128 *Qualitates requisitæ in persona cui datur pensio, vt hæc sit valida.*

128 *Episcopus potest pensionem imponere, tantum ad tempus.*

130 *Varij casus in quibus potest Episcopus pensionem imponere.*

131 *Pensio imposita sine beneficiarij consensu habetur surreptitia.*

132 *Duo modi quibus pensio amittitur.*

133 *Non vt laicalis sic clericalis vendi potest; immo nec redimi sine authoritate Papæ. Remitti autem potest sola pensionarij voluntate, nisi is sit ad illius titulum promotus ad sacros Ordines.*

134 *Quatenus diminui debeat pensionis solutio, aut propter hāc non factam incurratur excommunicatio.*

OBLIGATIO soluendi pensionem beneficio legitime impositam perinde est ex iustitia, *ideoque de se sub mortali*, ac obligatio soluendi censum super alia aliqua re fructifera constitutum. Ad illius autem notitiam pro iudicio de peccatis nobis proposito: tradenda sunt de tali pensionum genere aliquot documenta, cuius pleniorem explicationem si quis optet videre poterit apud Hieronymum Gigantem in tractatu De pensionibus, & Ioannem Azorium in 2. parte Moral. Instit. lib. 8. cap. quinto, & septem sequentibus.

Primum autem documentum est: Nomine pensionis, 123.
prout notat Gigas in citato tractatu quæstione prima, hic significari certam portionē reditum beneficij ab eo separatam; non tamen in perpetuum, sed solummodo ad tempus. Sic autem sumptam pensionem conuenire cū beneficio: quod tam ea quam hoc, sit ius percipiendi reditus Ecclesiasticos. Differre vero primo, quod sit ius ad vnam partem eorum reditumum, ad quos in totum percipiendos, beneficium est ius. Secundo, quod pensio duret tantum ad tempus, nempe ad aliquot annos, aut ad vitam pensionarij, & beneficiū sit de se perpetuum. Tertio, quod pensio non inducat obligationem præstandi officium Ecclesiasticum, pro quo datum est beneficium, sed ipsum totum beneficiario incumbat.

Secundum documentum est: Tradi varias diuisiones 124.
pensionis taliter spectatæ. Prima est in Clericalem, seu spiritalem: quæ videlicet datur pro officio spirituali, aut pro statu quem solus Clericus habet; & in laicalem, seu temporalem, quæ laicis datur pro causa temporali, hoc est, pro seruitio, seu obsequio, vel officio præstito, aut præstando Ecclesiæ. Secunda est, in eam quæ datur cum clausula transferendi, & in eam quæ datur sine tali clausula. Dicitur autem clausula transferendi, potestas pensionem attribuendi alteri, interposita authoritate alicuius personæ constitutæ in Ecclesiastica dignitate. Vide Azorium *in cit. lib. 8. cap. 11.* Tertia est in eam, quæ datur cum regressu ad beneficium; & in eam, quæ datur sine tali regressu. Est autem regressus, quando ei qui pensionem accipit fit potestas, vt nisi alter soluerit ipsi tempore præscripto, possit accipere beneficium. De qua re Azor. *in præced. cap. 9. quæst. 4.* Aduerte vero obiter non solere talem regressum concedi, nisi cum quis beneficium resignauit, & ei reseruata est pensio ānua; vel cum cessit quis liti, vel iuri in beneficio in gratiā collitigantis, reseruata sibi annua pensione. In aliis enim casibus ob non factam solutionem pensionis, solet potius imponi pœna priuationis beneficij,

vt se-

vt secundum stylum Romanæ curiæ Gigas habet De pensionibus *quæst. 99. num. 23.* Quarta diuisio est ex causa efficiente, in eam quæ constituitur à Papa super beneficiis: & in eam quæ ab Episcopo pro Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate: acin eam quæ imponitur per beneficij fundatorem. Quinta diuisio *sumpta ex causa motiua, seu fine ponendi pensionem*, est in eam quæ ad componendam litem inter litigantes de beneficio assignatur absque vlla fraude, ex consensu Summi Pōtificis (*de quo in cap. Nisi essent, De præbendis* & in eam quæ imponitur causam literarum: vt quæ datur studiosis causa studiorum, aut doctis ob doctrinam, iuxta c. De multa, §. finali, De præbendis; ac demum in eam, quæ assignatur à Summo Pontifice causa gratuitæ resignationis beneficij, nullo interueniente pacto.

125. Tertium documentum est: Ad validæ pensionis, de qua loquimur, constitutionem, quatuor esse necessaria. Primū est, authoritas constituentis: nihil enim valide constituitur sine legitima authoritate. Dubium autem non est eam plenissime esse in Papa, prout expressum est initio cap. secundi, De præbendis, in 6. & in fine Clementinæ primæ, tit. Vt lite pendente. Vtrobique enim habetur quo ad Romanum Pontificem Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plena, & libera dispositio ex suæ potestatis plenitudine noscatur pertinere. Necitem dubiū est, quin sit in Episcopo comparatione suæ diœcesis: in inferiore tamen gradu, atque limitata, prout per dicenda in sequenti documento 4. & 5. patebit.

126. Secundum necessarium ad validam pensionis constitutionem, est causa iusta; & sufficiens quæ respondeat pensionis quantitati: itaut cum maior fuerit pensio, grauior sit causa: vt enim lex humana vim non habet nisi sit rationabilis, ita nec alia constitutio: & præsertim proposita, quæ fit à Prælato, tanquam beneficiorum administratore, ac fideli, & prudenti dispensatore, quem Christus constituit super familiā suam: adeout censeri possit limites egredi suę authoritatis, cum sine iusta causa beneficium, aut beneficiariū pensione oneret: in eo enim aberrat à prudentis, & fidelis dispensatoris officio. Ad quod facit doctrina D. Thomæ 1.2. quæst. 97. art. 4. fundata in verbis Domini, Lucæ 12. Quis putas est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?

Porro in iure communi, tres tantum inueniuntur tales causæ expressæ. Prima est in cap. Nisi essent, De præbendis: quando duo litigant pro beneficio, vt pax ineatur: cauenda tamen est collusio in eo, seu ne aliqui litem fingant, hoc est, prout habetur in cap. Audiuimus, tit. De collusione detegenda, ne intentent litem absque iure, eo solum fine, vt vnus habeat pensionem. Secunda causa est, quando fit beneficiorum permutatio, tunc enim pinguiori potest imponi pensio, vt æqualitas fiat, ex cap. Ad quæstiones, De rerum permutatione. Tertia causa est, quanda resignatur beneficium: tunc enim resignans (argumento cap. Super eo, De renunciatione) potest sibi seruare pensionem, si adsit causa honesta, & rationabilis; ipseque sponte renunciet: quando enim resignare cogitur iure, aut ratione exigente: non patitur dispendium, cui obuiare liceat per pensionis assignationem.

Extra ius autem, plures dari possunt iustæ & rationabiles causæ assignandæ pensionis, siue laicalis, siue Clericalis. Prima est, obsequium, seruitium, vel officium spiritale, aut temporale: siue iam exhibitum, siue exhibendum Ecclesiæ. Secunda, beneficia & merita exhibita, aut exhibenda Ecclesiæ. Tertia, quæcumque causa pia; vt ad dotandas pauperes virgines, redimendos captiuos, alendos in studiis pauperes adolescentes bonæ indolis, comparandam supellectilem ad Dei cultum necessariam. Quarta, doctrina, & nobilitas multum redundans in Ecclesiæ vtilitatem. Quinta, paupertas non solum in Clericis, sed etiam in laicis: non autem studium ditandi parentes, vel amicos: ac multo minus magnifice viuendi supra suum statum.

127. Tertium quod requiritur ad validam constitutionem pensionis, est huius quantitas iusta: iniusta enim reddit illā iniustam, atqueadeo alienam ab officio prudentis, & fidelis administratoris. Iam in æstimāda tali quātitate ratio habetur maxime consuetudinis loci, nisi talis sit, qua tantæ quantitatis pensio constituitur, vt beneficiarius non retineat sibi quantum sufficiat ad conuenientem, honestumque victū suum, & ad onera Ecclesiastica sustinenda. Hinc in Concil. Trident. sess. 24 cap. 13. De reform. statutum est, vt Cathedralis Ecclesia cuius reditus annui non excedunt mille ducatos: & parochialis cuius reditus non excedunt centum: nulla pensione grauetur. Et merito, quia cum Episcopus, & Parochus præ cæteris debeant subuenire pauperibus, ratio dictat non debere pensionibus grauari. Nec etiam debere beneficia quorum non sunt alij reditus, quam distributiones quotidianæ, deduci potest ex eo, quod distributiones ex se non censeantur de corpore beneficij, iuxta cap. Licet, De præbendis.

Cauenda est vero in hac parte surreptio, per quam constitutio pensionis adhuc redditur irrita: eaque contingit, quando ad obtinendam maiorem pensionem, beneficium dicitur plus valere, quam valeat, aut quando in eodē beneficio alia pensio iam imposita est, idque tacetur Summo Pontifici: aut quando pensio statuitur non solum in beneficio illius beneficiarij cum quo transigitur: sed etiam secundum partem, in beneficio alicuius tertij (vt maior nimirum obtineatur) quam nihilominus prior ille beneficiarius solus soluat: aut quando fructus omnes beneficij pensionario ad vitam non petita Papali dispensatione assignantur: itaut beneficiarius interea nihil habeat præter nudum titulum, & officium: aut demum quando beneficiarius pro pensione plus soluit, quam valeant fructus beneficij.

Quartum necessarium ad eiusdem pensionis constitutionem validam, est qualitas personæ cui conceditur; nempe vt ad eam sit habilis. Quæ qualitas an in illegitimo inesse censenda sit dubitatur. De qua re Azor *in sequēti cap. 7. quæst. 6.* Nobis sufficit Episcopū etiam posse in tali inhabilitate cum ipso dispensare; quandoquidem id minus est, quā cum eodē illegitimo dispensari ad minores Ordines; aut ad simplex beneficium; quod Episcopus ipse potest, ex cap. 1. De filiis presbyterorum in 6. nisi forte sit filius eius qui idipsum beneficium habet, vel habuit. Nam tunc est Concil. Trident. sess. vltima cap. 15. dispensari non potest cum eo. 128.

Porro si pensio sit Clericalis, & detur cum accessit ad aliquod beneficium, ad eam requiruntur omnes qualitates requisitæ ad idipsum beneficium; quandoquidem ipsum sine eis licite accipi non potest. Quando autem datur sine tali accessu, requirit tres tantum qualitates: quarum prima est, *cuius ante meminimus*, vt is cui datur sit legitimus. Secunda est, vt sit Clericus. Vnde si Papa pensionem det alicui sub titulo Clericatus, id exprimens in suis literis, ille qui accipit debet Clericus fuisse ante illam datam: alioqui erit nulla, ex cap. Significante, De rescriptis, iuncta glossa. Ratioque in promptu est: quia tunc Papa non intendit alteri, quam Clerico dare pensionem. Neque satis est, vt post datam pensionem Clericus fiat, quia causa, aut conditio superueniens quæ debuit præextitisse non firmat actum. Tertia qualitas, vt Clericus sit cælebs, nec vxoratus: matrimonium enim tollit omne ius ad reditus Ecclesiasticos, etsi in ea re Papa possit iusta de causa dispensare, prout contra Sotum docet Nauar. *in Enchir. cap. 25. nu. 119.* Addens nihilominus ipsum Papam non debere nisi magna de causa id facere ob scandalum quod inde oriretur.

Cæterum pro pœnitentiali foro facienda est distinctio inter constitutiones pensionum factas à Papa motu proprio, & factas solicitatione eorum pro quibus fiunt. Cum enim Summus ipse Pontifex ex speciali Christi priuilegio plenitudinem habeat potestatis in Ecclesiæ regimine, cum spirituali Spiritus sancti assistētia; in prioribus faciendis existimandus est iustam causam habuisse, etiamsi ea non pateat: & priuatum grauasse ob communem Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem, quæ nos lateat: aut aliqua eiusmodi de causa, cum alias incapaci dispēsasse. In posterioribus autem faciendis, existimari potest importunitate solicitantium male persuasus: de quo inquirere licet, vt patet ex litibus quæ in foro externo solent moueri super pensionibus taliter adeptis: vt & super beneficiis.

Quartum documentum est: Episcopum non posse pen- 129.
siones imponere nisi ad tempus. Non enim posse imponere perpetuas satis intelligitur ex c. Prohibemus, De censibus,

& ex c. Pastoribus. De iis quæ fiunt à Prælato. Ad idem cõfirmandum facit quod de iure cõmuni canonico, beneficia conferri debeant sine diminutione, ex cap. Si quis præbendas, 1. quæ. 3. & ex cap. Maioribus, cap. Vacante, cap. Cũ causam, De præbẽdis, & cap. vnico, versus finẽ, tit. Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione cõferantur. Tali enim iuri subiiciuntur etiam Episcopi; eidemque aperte aduersatur pẽsionis perpetuæ cõstitutio in beneficio, Et ita in cap. Nisi essent, De præbendis, statuitur vt ad præstationẽ 40. librarũ, non dignitas prioratus, sed persona Prioris maneat onerata: ne forte circa prouẽtus, aliqua videatur facta sectio prioratus. Ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem 40. liberatum minime teneatur. Hæc ibi.

130. Quintum documentum est: Varios assignari casus, in quibus potest Episcopus pensionem imponere ex iusta causa necessitatis, aut vtilitatis Ecclesiæ. Primus est, quando pensio ex pigui beneficio datur in erectionem noui beneficij: tunc enim certum est, Episcopum (cuius est in sua Diœsi, beneficia vt conferre, sic & erigere) posse eamdem constituere causa iusta interueniente; vt quando Ecclesia indiget ministris; & ideo ad nouorum institutionem opus est ex piguiori beneficio certam portionem separare, vt ex ea beneficium constituatur. Sic enim quando parochialis Ecclesia annexa fuerit alicui dignitati vel præbendæ; Vicarius perpetuus Episcopi authoritate, in ea constituitur, assignata illi certa portione ex fructibus eiusdem Ecclesiæ, iuxta cap. Extirpandæ. §. Qui vero, De præbendis. Sic etiam quando Parochus principalis Ecclesiam habet suæ vnitam, cui non potest per seipsum inseruire commode, cogitur in ea constituere Vicarium, qui loco sui inseruiat, geratque in ea curam animarum. Ad cuius competentem sustentationem Episcopus imponet pensionem ab ipso principali Parocho soluendam: argumento cap. 1. De præbendis, in sexto.

Secundus casus est, cum permutatio fit beneficiorum, quorum vnum est opulentius altero. Tunc enim Episcopus constituere potest, vt qui accipit opulentius, soluat alteri certam pensionem, secundum illud quod statuitur in cap. Ad quæstiones, De rerum permutatione. Tertius est, cum Episcopus aliquam Ecclesiam concedit alicui loco pio. Tunc enim potest aliquid in ea sibi reseruare, ex cap. Constitutus, §. finali, De religiosis domibus. Quartus est, quãdo quis liti, & iuri quod se in beneficio habere contendebat, cedit concordiæ gratia, & ob pacis bonum. Tunc enim Episcopus in eumdem finem potest alteri pensionem soluendam imponere, ex cap. Nisi essent, De præbendis. Quintus, quando ob morbum, vel aliam causam iustam, vt absentiam ratione studij literarũ, datur Paro ho coadiutor; tunc enim potest Episcopus assignare ei sufficientem portionẽ ex fructibus beneficij, cap. De rectoribus, & cap. Tua nos, De clerico ægrotante. Sextus casus est, quando laicus, vel alius authoritate Episcopi fundat Ecclesiam, ac dotat: beneficia constituens in ea ex propriis suis bonis. Si enim, *prout potest ex Panorm. ad cap. Quantum, num. primo De censibus* sibi aut alteri reseruat certam pensionem ex eorumdem bonorum reditibus, Episcopus eam cõstituet, acceptando fundationẽ. Septimus casus, quando pensio datur tanquam stipendium temporalis ministerij, quo Ecclesia indiget: exempli gratia pro pulsandis campanis, vel organis, vel aperiendis ianuis templi, pro officio æditui, œconomi, Syndici, Aduocati, Medici, pro officio docendi Clericos Ecclesiasticum cantum, aut grammaticam, & similia. Pro quo facit receptus vsus non irrationabilis; cum talia spectent ad apertam Ecclesiæ suæ aut necessitatem, aut vtilitatem, cui ex officio prouidere debet.

131. Sextum documentum est: Pensionem in beneficio absque beneficiarij consensu obtentam haberi subreptitiam, si absque iusta causa data sit, etiam à Papa: quia is non est existimandus velle sine causa alicui rem suam auferre absque eius non consensu. Et ideo inter regulas Cancellariæ Romanæ vna est relata ab Azorio *in citato lib. 8. cap. 8. quæst. 6.* in qua dicitur: Etiam motu proprio datas literas reseruationis annuæ pensionis super alicuius beneficij fructibus, expediri non posse nisi ex consensu illius qui pensionem soluere debebit. De qua re videri poterit idem author ibidem: vt & de cæteris, quæ tum præmittit, tum subiungit vtilia ad iudicandum ex parte beneficij, de validitate pensionis quæ in eo constituitur; ea enim magis pendent ex vsu Romanæ curiæ, quam ex canonibus in quibus pauca habentur de pensionibus: vnde illum diu Romæ versatum, videre expedit.

Septimum documẽtum est: Pensionẽ extingui, per pro- 132.
fessionem religionis. Ratio est: quia ius pensionis repugnat paupertati religiosæ, cum sit habendi proprietatem rerum pecunia æstimabilium. Idem ex Gigante habet Azor *in sequenti cap. 10 quæst. 3.* Similiter si Clericalis, *non item si laicalis*, fit pensio, per matrimonium eam extingui idem Gigas latius tradit *De pensionib. quæst. 54.* vbi num. 4. & post eũ Azor *in præcedenti quæst. 1.* adfert vsum Curiæ Romanæ, quo per matrimonium initum pensio Clericalis finitur, vt ipse Gigas se in seipso expertum esse dicit: inquiens postquam matrimonium contraxit, se amisisse pensiones, sibi vt Clerico concessas à Clemente septimo.

Octauum documentum est: Differentiam pensionis 133.
Clericalis à laicali esse; quod hæc sine simonia vendi possit; illa non item. De qua re iam diximus in præcedenti lib. 23. cap. 18. quæstione quinta: vbi addidimus, quod nec redimi possit nisi Papæ authoritate. Adeout redemptio facta aliter, non valeat, prout Nauarrus expressit *in Enchir. cap. 23. num. 111.* vbi etiam habet (quod latius tractat Gigas in præced. quæst. 45. & est notatu dignum) non modo laicalem, sed etiam Clericalem pensionem extingui posse à pensionario, propria sua authoritate: eam gratis remittendo. Neq; enim sicut ius prohibet Clericum abdicare se beneficio sine Prælati sui authoritate; cap. Admonet, De renunciatione: ita & prohibet pensionarium propria authoritate pensionem remittere: eoquod talis remissio non damnum, sed in commodum fiat beneficij: dum liberatur ab onere, & seruitute ei imposita: perinde ac si patronus renunciaret iuri quod habet patronatus. Aduerte tamen, constitutum esse in Concil. Triden. sess. 21. cap. 2. De reform. vt si quis ordinetur ad titulum pensionis, non possit postea sine facultate Episcopi eam alienare, extinguere, aut remittere, donec habeat sufficiens Ecclesiasticum beneficium.

Quatenus autem pensio diminui debeat si fructus bene- 134.
ficij cui imposita est diminuantur, late tractat Gigas *qu. 62.* Cæterum idem videtur ea de re dicendum, ac de censu reali, vt diminui debeat, fructibus ita diminutis, vt vnius anni vbertas non compenset alterius sterilitatem.

Quod vero excõmunicatio quæ beneficiario nõ soluenti pensionẽ imponitur, non incurratur ipso facto, donec pensionarius ei denunciet se velle vt eam incurrat, notat Nauarrus *in cit. cap. 23. n. 104.* quem vide. Atque hæc hactenus de obligationibus Clericorum dicta sint pro ratione iudicandi de peccatis eorumdem: sequitur vt dicamus de acquisitione per ipsos facto beneficiorum Ecclesiasticorum, ad intelligendum (*quod eadem ratio requirit*) fueritne legitima, an non. Porro quoniam ad talem intelligentiam conducet nouisse multiplicem ipsorum beneficiorum varietatem, eam præmittemus in sequenti capite.

CAPVT IX.

De beneficiorum Ecclesiasticorum multiplici varietate.

SVMMARIVM.

135 *Benefi. ia alia regularia, alia secularia: & in dubio quo modo internoscantur.*

136 *Alia nominata, alia innominata: & alia collativa, alia electiva, alia que mixta.*

137 *Alia porro patronata & alia non patronata: & alia collegiata, alia non collegiata; atque alia patrimonialia, alia non patrimonialia.*

138 *Demum alia villæ murate, alia pagorum, alia exempta, alia non exempta: alia reuocabilia alia irreuocabilia.*

139 *Quando contingat beneficia esse manualia, seu reuocabilia.*

PRIMO ex diuersitate status personarum, quæ sunt 135.
beneficiorum capaces, alia dicuntur religiosa, quorum

Religiosi

Religiosi tantum, & alia secularia, quorum Clerici tantum seculares sunt capaces. Pro hac, textus habetur in cap. Cum de beneficio, De præbendis in 6. & in Clemen. vnica, De supplenda neglig. Prælat. Aduerte autem cum de beneficio dubitatur sitne seculare, an regulare, consulendam esse tum fundationem, si dictum sit in ea, vt per religiosum administretur: itemque consuetudinem, si tale beneficium soleat per Religiosum administrari: tunc enim iudicandum est regulare. Pro quo facit citatum cap. Cum de beneficio: vbi glossa *ad verbum Legitimæ*, monet eam cõsuetudinem debere esse quadragenta annorum: prout scilicet requiritur, vt Ecclesia contra Ecclesiam recte præscribat, iuxta cap. De quarta, tit. De præscript & Authenticam Quas actiones. Cod. De sacrosanctis Ecclesiis. Quod si nihil constare possit ex fundatione: atque modo per sæculares, modo per Regulares, beneficium gubernatum esse inueniatur, consentaneum est vt attendatur vltimus status; & conditio possidentis, melior censeatur.

136. Secundo ex Nomenclatura, alia dicuntur nominata, quę habent propria nomina, quibus ab inuicem distinguuntur; vt Papatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, &c. alia innominata: quæ generali tantum nomine, beneficia Ecclesiastica simpliciter dicuntur: eiusmodi sunt, quæ in Canonicorum Collegiis dantur Sacerdotibus non Canonicis, vt seruiant eorumdem Collegiorum Ecclesiis: de quibus in cap. penult. De Clericis non residentibus, vbi vocantur assisij quasi assidui, vt interpretatur glossa: addens tales esse frequentes in Ecclesiis: & dici quoque Mansionarios. Eiusmodi sunt etiam illa quæ iuxta cap. 2. De præbendis, debent ab Episcopo pro alimonia sufficienti, dari iis quos ordinauerit, si aliunde non habeant vnde viuant.

137. Tertio ex modo ea acquirendi, alia dicuntur collatiua, quæ acquiruntur per simplicem collationem: alia electiua, quæ acquiruntur per electionem. Quam aduerte non dare electo plenum ius, donec accesserit superioris confirmatio: argumento cap. Postquã, De electione. Alia demum mixta, quæ acquiruntur per electionem confirmatione non indigentem ad hoc, vt electo plenum ius tribuat.

Quarto ex iis, ex quibus pendet eorum acquisitio: quod alia sint non patronata; quæ conferuntur sine cuiusquam præsentatione: alia patronata, quæ vt acquirãtur, requirunt præsentationem patroni cum institutione Episcopi, ex cap. Cum laicis, & cap. Nullus, De iure patronatus. Eorumque alia sunt iurispatronatus laici: alia iurispatronatus Clerici: atque præsentatio ad hæc, intra sex menses: præsentatio vero ad illa, intra quatuor menses fieri debet ex cap. vnico, De iurepatronatus in sexto: alioqui Episcopus ea confert, iuxta cap. Eam te, Extra, eodem titulo.

Quinto ex illis quibus beneficia ipsa acquiruntur alia dicuntur Collegiata, quæ acquiruntur personis constituentibus Collegium: alia non Collegiata, quæ acquiruntur non constituentibus Collegiũ. Collegij autem nomine intellige congregationem Clericorum habentium sigillum commune, & arcam communem, iuxta cap. Dilecta, De excessibus Prælatorum, iuncta glossa videnda. Quæquidẽ congregatio, cum est personarum regularium, vt plurimũ dicitur conuentus, aut cœnobium; cum vero est sæcularium, dicitur Capitulum; vt in titulo De iis quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.

Sexto ex bonis de quibus constituuntur, alia dicuntur patrimonialia, quæ instituuntur ex patrimonio, & manent in eadem familia: alia non patrimonialia, quæ non sunt illius modi.

138. Septimo ex locis in quibus constituta sunt, alia dicuntur villæ muratæ, id est, ciuitatum, & oppidorum muris cinctorum: alia vero pagorum seu oppidorum, in quibus non est magna abundantia populi. Denique ex dependentia à Superiore, alia dicuntur, & sunt ab Episcopi iurisdictione, exempta, Papæ authoritate; alia non sunt. Itemque alia dicuntur, & sunt reuocabilia, *manualia vocant*, alia irreuocabilia. Vbi aduerte esse quidem contra rationem beneficij, vt ipsum detur ad tempus certum, & determinatum; non tamen vt detur ad incertum, seu donec Superior reuocauerit. Id quod non tollit beneficij rationem, secundum quam est perpetuum: quia potest per beneficiarij vitam non reuocari, si Superior voluerit: quod ad appellationem perpetui sufficere in beneficiis Ecclesiasticis, habetur ex Angelo, & Sylu. *in verbo, Dignitas, num.* 1. Et confirmari potest: quia perpetuum dicitur, id etiam quod non limitatur certo tempore, quantumcumque detur ad beneplacitum Superioris. Pro quo facit lex, Iurisperitos, in principio, De excusationibus. Adde quod ipsa beneficia quæ Manualia dicuntur, tanquã posita in manu, & potestate concedentis, itaut possit ea & concedere, & reuocare quando voluerit, aliis beneficiis æquentur in omnibus, dempta sola facultate reuocationis ad nutum, vt ex Clemen. 1. De supplenda negligentia Prælatorum, notat Nauar. *in Comment. 2. De Regularibus, num. 6. versu Octauo infertur.* In qua Clementina præcipitur, vt Prælati talia beneficia conferant intra sex menses: nec possint illa suis mensis vnire, nec nouis pensionibus onerare, nec antiquas augere, nec fructus eorum tempore vacationis obuenientes, sibi capere: quæ sunt conditiones perpetui beneficij.

Cæterum beneficia secularia ordinarie sunt perpetua, 139.
nec possunt sine iusta, & legitima causa reuocari. Dixi Ordinarie, quia nonnunquam sunt capellæ ad nutum collatoris reuocabiles. Regularia vero beneficia, quæ ab Abbate conferuntur sunt manualia: quia cũ Regulares viuant sub obedientia Abbatis, secundũ regulæ suæ professionem: possunt ad nutum eiusdem, reduci ad monasterium, ex cap. Cum ad monasterium, §. Tales, De statu monachorum. Dixi, quæ ab Abbate conferuntur: quia electiua, id est, de quibus per electionem prouidetur, non censentur manualia: quia non sunt reuocabilia ad nutũ Abbatis, nisi Monachi ad ea electi, bona eorumdem male dispensent, vel in eis incontinenter viuant, vel ad altiorem gradum eligantur cap. Monachi, §. fin. De statu Monachorum. Item nec regularia beneficia si sint curata reuocari possunt ab Abbate sine Episcopi, *cuius est animarum curam committere*, consensu, argumento cap. De monachis, 16. quæst. 1. Neque etiam reuocari possunt ab Abbate beneficia, quæ à Papa ex certa scientia conferuntur Regularibus ad vitam ipsorum, ex cap. Porrecta, De confirmatione vtili, vel inutili, vbi glossa, *verbo, Confirmatur*, id expressit. Et ratio satis docet: quia Papa superior est Abbate. Dixi, ex certa scientia: quia secus esset si Regularis tacita sua conditione, peteret sibi ad vitam suam beneficium conferri, aut collatum confirmari. Irritum enim esset id quod obtineret, ex eodem cap. Porrecta, & præcedenti, Ad nostram.

TITVLVS SECVNDVS.

De acquisitione beneficiorum Ecclesiasticorum.

DICEMVS primo de erectione beneficiorum Ecclesiasticorum, quam acquisitio eorumdem præsupponit. Secundo de impedimentis Canonicis, quibus quis inhabilis est ad beneficia Ecclesiastica acquirenda. Tertio, de iis quæ requiruntur, vt quis censeatur ad illa dignus. Quarto, de intentione, & appetitu eadem acquirendi. Quinto, de modis quibus ea legitime acquiruntur. Sexto, de pluralitate beneficiorum, quæ ex tali acquisitione sequi potest: & postremo de incompatibilitate eidem pluralitati obstante.

CAPVT X.

De erectione beneficiorum Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

140 *Locus eligendus beneficio erigendo.*
141 *Causæ legitimæ erigendi beneficia.*
142 *Personæ considerandæ in beneficiorum erectione: & quando requiratur ad eam, Papæ authoritas; & quando sufficiat authoritas Episcopi.*
143 *Quando cum consensu Episcopi, ad erectionem noui beneficij requiratur consensus habentium in eodem loco beneficia antiqua.*

144 *De dote requisita ad eamdem erectionem: & quanta debeat esse ipsa beneficij, vt sufficiens censeatur: ac in quibus bonis constitui possit.*

145 *Effectus fundationis beneficij.*

140. IN erectione seu fundatione legitima beneficij sex sunt consideranda: locus, causa, personæ, ædificium, dos, & effectus ipsius fundationis.

Quod attinet ad locum, is debet congruus, & conueniēs esse beneficio erigendo, & ipsius dignitati. Sic enim ex institutione Apostolorū per cap. Vrbes, & cap. In illis distinct. 80. & cap. Nulli, distin. 99. Archiepiscopatui, & aliis maioribus, attributæ sunt præcipuæ tantum ciuitates prouinciarum: & Episcopatus instituendus est tantum in præcipua ciuitate diœceseos, non autem in villa aut oppido, ex cap. Episcopi, distinct. 80. & ex cap. 1. De priuilegiis. Vbi ratio redditur, ne vilescat dignitas Episcopalis. Ex necessitate tamen populi, qui non posset conuenire ad vrbem celebrem; oppidum, congruus locus censeri potest, iuxta cap. Ad audiēdam. De Ecclesiis ædificandis. Quia in re standum est iudicio Summi Pontificis: vt & in cæteris, quæ spectant nouam institutionem, aut mutationem Episcopatus: ex cap. Mutationes 7. quæst. 1. In aliis autem beneficiis inferioribus oportet consulere Episcopum qui designet locum ædificationis Ecclesiæ, ex Nouella 131. §. Si quis autem titulo 14. collatione 9. in Authenticis. Is autem eligat locum à prædonibus tutum, facile accessibilem & salubrem; cum quæ sunt his contraria, efficere possint vt Ecclesiæ iam fundatæ ad alium locum transferantur ex cap. Ecclesia, 16. quæst. 7. & cap. Tribus De consecr. distinct. 1.

141. Quod attinet ad causam: inter legitimas erigēdi beneficij causas, constituitur primo, si populus non habet locum vbi conuenire possit ad sacra mysteria percipienda ex cap. fin. De Ecclesiis ædificandis. Secundo, si habeat quidem, sed longius ab eo distet, quam possit vel tempore hyemis, vel inundationis aquarum, ad eum accedere, ex cap. Ad audiēdam 1. eodem titulo. Tertio, si adeo excreuerit populus, vt vnus pastor nequeat ei sufficere: tunc alius adiungendus est cum nouo beneficio ex cap. Præcipimus, 16. quæst. 1. Postremo, si populus sit recens ad fidem conuersus, vel ab hæresi reuocatus, iuxta cap. 1. De verborum signific. in 6. Cui causæ addi potest iuxta Extrauag. communem, Saluator, De præbendis; si vnum beneficium sit ita pingue, vt possit duobus præpositis sufficere: Sine causa autem iusta, nec diuidi beneficium debet ex cap. Maioribus, cap. Cum causam, & cap. Vacante. De præbendis. Extrui vero nusquam debet beneficium ob aliquam turpem causam: vt ob quæstum faciendum ex oblationibus, cap. Si quis Basilicam, De consecratione, distinct. 1.

142. Quod attinet ad personas considerandas: eæ sunt vel quę largiuntur necessaria ad fundationem beneficij, vel de quorum consensu debet fieri fundatio. De illis nihil occurrit notandum, nisi quod Abbatibus, & Monialibus non sit permissum noua monasteria fundare, neque cellulas ædificare pro arbitrio; sed solum cum Episcopi cōsensu, ex cap. Quidam Monachorum, cap. De Monachis, cap. Cellulas & cap. Nullus, 18. q. 2. idque, *vt in eodem cap. Quidam Monachorum tangitur*, ad tollendas eugationes Monachorum, sedem sibi pro arbitrio constituentium. De his vero *personis inquam, de quarum consensu debet fundatio fieri*, notandum est nouum Episcopatum ereare, solius Summi Pontificis esse; sicut solius est vnum Episcopatum in duos diuidere; vel duos in vnum coniungere, prout notat ad cap. Quod translationem. De officio legati, *verbo Reseruata*: & ad cap. Sicut vnire, De excessibus Prælatorum, *verbo Pertinere*. Item in locis exemptis immediateque subiectis Summo Pontifici, nemo potest Ecclesiam ædificare sine eiusdem licentia & priuilegio speciali, ex cap. Authoritate De priuilegiis, in 6. Ad alia autem beneficia sufficit consensus Episcopi, qui ex causa legitima concedit facultatem erigendi seu fundandi beneficium intra fines suæ diœceseos, ex eodem cap. Authoritate: quique beneficium diuidere potest, si tale sit, quod sufficiat duobus, ex cap. Ad audientiam, De Ecclesiis ædificandis: & vnam Ecclesiam alteri vnire, & subiicere in sua diœcesi, ex paulo prius citato cap. Sicut vnire & ex Concil. Triden. præsertim sess. 21. cap. quinto De reform. idem satis insinuans sess. 7. cap. 6. & 7. De reform. sess. 14. cap. 9. De reform. item & sess. 24. cap. 13. & 15. adhuc De reform.

Quæstio est autem, an ad erectionem beneficij cum Episcopi consensu requiratur necessario consensus eorum, qui beneficia ibidem possident. Cui quæstioni Panormitanus *ad memoratum cap. Ad audientiam*, bene respōdet distinctione: nempe si nouum beneficium erigatur ex fructibus antiqui: & cum illius præiudicio, tunc requiri cōsensum expressum eius qui præficitur, eidem antiquo, iuxta cap. primum De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non. Et ratio est: quia talis erectio, demembratio quædam est, requirens solemnitatem; quæ iuxta cap. Sine exceptione, 12. quæst. 2. adhibenda est in alienatione rerum Ecclesiasticarum. Eorum vero, qui in nullo læduntur, consensus non requiritur: vt argumento est, quod in eodem cap. Ad audientiam, Episcopus dare possit beneficium, & diuidere, non obstante appellatione: immo & inuitis rectoribus, vt habetur ex Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. De reform. 143.

Quod attinet ad dotē eam requiri ad erectionē beneficij, intelligitur ex cap. Placuit, 1. quæst. 2. Et confirmatur ex eo, quod inter Ecclesiam in qua beneficium erigitur, & præfectum eius, matrimonium quoddam contrahi censeatur, ex cap. Sicut vir. 7 q. 1. & ex cap. Inter corporalia, De translatione Episcopi. Ideoque ad illius onera ferenda dotem constituere debet patronus, sicut solet pater filiæ, quam temporali matrimonio iungit alteri: siquę is non constituerit sufficientem, compelli potest ad explendam competentem; argumento cap. Cum sicut De consecr. Ecclesię & satis aperte constitutum est in Nouella 131. supra citata §. Si quis autem. Vnde quoque habetur, quod si distulerit, possit eo mortuo hæres ipsius compelli adimplendam 144.

Circa quod aduerte primo, Episcopum qui consecrauit Ecclesiam non dotatam sufficienter, sin non prouideat aliunde, teneri dotationem implere; ex memorato cap. Cum sicut: ad quod *glossa verbo Consecranda* idipsum notat. Aduerte secundo, quod si tempore ædificationis Ecclesiæ, Clericus potuerit viuere de dote tunc constituta, liberentur patronus, & Episcopus à supplemento dotis, iuxta cap. Conquerente, De clericis non residentibus, iuncta glossa *verbo, Percipere*.

Aduerte tertio, quanta debeat esse quantitas dotis eiusmodi, vt sufficiens dicatur; generaliter iudicari ex dignitate Ecclesiæ, seu beneficij, & præpositi cui traditur: licut de quantitate dotis in matrimonio temporali, iudicatur ex dignitate coniugum, iuxta legem Quęro, De iure dotium. Atque ita facile intelligitur Episcopatus, & superiorum dignitatum dotem, amplam esse debere. Iudicari etiam ex numero personarum requisitarum, vel positarum in Ecclesia seu beneficio erecto: ad quorum honestam sustentationem, quæ dos sufficere possit, relinquitur prudentum, & expertorum iudicio statuendum inspectis circunstantiis.

Dos autem beneficij curati saltem debet tanta esse, quæ sufficiat sustentationi vnius presbyteri, & vnius Clerici, iuxta cap. Vt quisque, De vita, & honest. Clericorum; & ex qua solui possint iura Episcopalia, & hospitalitates exerceri, ex cap. 2. De supplenda Prælatorum negligentia, & ex cap. De monachis, Extra. De præbendis, & cap. 1. eod. titulo. in sexto. Dos vero in Ecclesia collegiali, siue sæculari, siue regulari, definienda est secundum numerum personarum quem quis vult in illa esse; itaut redditus sint ad earum sustentationem sufficientes, ex cap. 1. De institutionibus: etsi quædam monasteria sunt Ordinis mendicantium, qui ne in communi quidem possunt habere reditus, ex cap. Exiit. De verborum significatione in 6.

Cæterum dos beneficij erigendi, constitui potest primo, in bonis fundatoris, tam mobilibus, quam immobilibus, iuxta Authēticam, Hocius porrectū, Cod. De sacrosanctis Ecclesiis. Secundo constitui potest in iurisdictione temporali, ex cap. fin. Ne Clerici, vel Monachi, in 6. etiamsi Clerici, criminali exercere prohibeantur, Extra, eodem titulo, cap. Clericis, & cap. Sententiam: quia satis est quod possint sæcularibus suam iurisdictionē ea ex parte delegare: vt posse habetur ex prius citato cap. Finali. Tertio constitui

potest ex decimis, iuxta ea quæ habentur 13. quæst. 1. cap. 1. Potest quarto, ex oblationibus, & ex iis quæ secundum laudabilem consuetudinem soluuntur ex sepulturis, ex benedictionibus nuptiarum, & ex funeribus mortuorum, coniunctis cũ aliis reditibus, iuxta cap. Cum inter vos, De verborum significa. Ex solis autem oblationibus constituere, nõ est consentaneum: cum eæ sint incertæ, vtpote pendentes offerentium voluntate. Pari ratione nec ex solis distributionibus, quæ iis solummodo dantur, qui diuino officio interfunt, tanquam merces pro personali labore: non enim tales sunt, ex quibus possit constitui corpus beneficij, quod in reditibus ordinariis, certisque consistit.

Quod attinet ad effectus fundationis beneficij; vnus est præcipuus, vt quicumque nouum beneficium notauerit, vel fundauerit, fiat patronus illius: itaut præsentatio ad illud possidendum ipsi debeatur: neque possit Episcopus sine tali præsentatione idipsum beneficium conferre, ex cap. Decernimus 16. qu. 7. & ex cap. Nobis, De iure patronatus. Quod idem obseruandum est, cum diuisio fit beneficij. Nã Ecclesia ex cuius reditibus noua fundatur, efficitur patrona eius quæ fundatur, vt notat Panormitanus *ad cap. Ad audientiam, De Ecclesijs ædificandis, num.* 3. duoque sunt talis nouæ Ecclesiæ patronialter quidem, is qui dotem primitiuæ Ecclesiæ dedit & alter præpositus eiusdem primitiuę Ecclesię, de cuius fructibus illa erecta est: penes quorum vnumquemque ius patronatus est æqualiter, non secus ac cum vni patrono plures hæredes succedunt.

Obseruandum est vero, eos demum fieri Ecclesiarum patronos, qui ante illarum consecrationem bona largiti sunt: quia patronus dicitur quasi pater, qui produxerit ad esse Ecclesiam, antea non existentem. Non omnes tamen qui largiuntur ante consecrationem effici patronos: sed eos solos qui tantum dederint, quantum sufficiat ad necessaria ministrorum, & ad luminaria, vt docet glossa prior, ad cap. Quicumque secundo, 16. quæst. 7. Ex quo habetur alter effectus fundationis beneficij: nimirum vt si fundator vel filij ipsius redacti sint ad inopiam, ab Ecclesia fundata, suffragium vitæ pro temporis vsu percipiant. Quod intellige iuxta glossam posteriorem ibidem, si egestas summa sit, & ipsi Ecclesiæ supersit, quod ad id sufficiat.

CAPVT XI.

De impedimentis Canonicis, quibus quis inhabilis est ad Ecclesiastica beneficia acquirenda.

SVMMARIVM.

46 *Mulier incapax est beneficij, & quid de Abbatissa dicendum.*
147 *Defectus tonsuræ Clericalis impedimentum est acquirendi beneficij.*
148 *Difficultas, An pariter impedimentum sit clericatum suscepisse ab Episcopo alieno, sine proprij licentia.*
149 *Impedimenta matrimonij, & digamiæ.*
150 *Impedimenta excommunicationis, suspensionis, & irregularitatis.*
151 *Impedimentum defectus natalium.*
152 *Impedimentum defectus fidei.*
153 *Impedimentum iniuriæ illatæ Cardinali, & acceptionis secundi beneficij curati.*
154 *Impedimenta homicidij, concubinatus: raptus mulieris, & vsurpationis bonorum Ecclesiæ.*
155 *Tres modi quibus contingit filios Presbyterorum legitimos esse.*
156 *Tres casus in quibus iidem peculiariter incapaces sunt acquirendi beneficij.*
157 *Impedimenta iniuriæ illatæ Episcopo impetrati beneficij, Clerici adhuc viuentis, tanquam iam mortui, & simoniæ.*
158 *Impedimentum status personæ: cum secularia sæcularibus, & regularia regularibus dari debeant.*
159 *De eo, quod beneficia iuris patronatus conferri debeant conuenienter fundationi.*
160 *De eo quod in Gallia, & in Hispania beneficia non dantur externis.*
161 *Inhabilitates, quæ cum non sint veræ, acquisitionem beneficij non faciunt inualidam.*

AD beneficium legitime acquirendum requiritur canonicus titulus, seu prouisio secundum Ecclesiæ canones, regulasue ab Ecclesia præscriptas: secundum quas aliqua requiruntur ex parte recipientis, vt carere impedimentis canonicis, de quibus in hoc capite, & habere conditiones debitas, de quibus in sequenti 12. additis in 13. nonnullis de intentione, & appetitu acquirendi beneficia. Aliqua vero ex parte conferentis requiruntur: vt legitimi modi conferendi, de quibus in 14. capite: & aliqua demum ex parte beneficij, vt vnitas, & pluralitas non incompatibilis, & rectus effectus: de quibus in consequentibus capitibus.

Impedimentorum autem quædam sunt facientia inhabilem ad omnia beneficia: quædam vero ad aliqua tantum, de illis prius: de his posterius dicemus.

SECTIO PRIOR.

De impedimentis Canonicis, quæ reddunt inhabilem ad omnia beneficia Ecclesiastica.

HÆc sunt in duplici differentia: quædam enim absq; culpa illius in quo inueniuntur, contrahuntur: & quædam in illo proueniunt ex ipsius culpa.

Primum autẽ, est incapacitas ordinis Ecclesiastici: qualis est in fœmina, ex cap. Vxoratus, §. finali, De conuersione coniugatorum, Et ratio est: quod ipsa arceatur ab omni altaris ministerio, quod à Christo cõmissum est tantum sexui virili. Aduerte tamen Abbatissas quasdam esse, siue monialium adstrictarum professione religionis approbatæ; siue fœminarum viuentium in congregatione, ad instar Canonicorum secularium sine vlla professione religionis approbatæ, & absque abdicatione propriorum bonorum (quales visuntur in Germania quemadmodum notat glossa ad cap. Dilecta, De maioritate, & obedientia, verbo Canonicas) easdemque potestatem habere: tum in fœminas, quibus præficiuntur: tum etiam in Clericos seculares habentes capellas, & beneficia monasteriis ipsarum subiecta, iuxta idẽ cap. Dilecta: annotantque Syluester, Angelus, & Tabiena *in verbo, Abbatissa.* Nihilominus tamen eas neque capaces esse ordinis, ex cap. Noua, de pœnitentiis, & remissis neque iurisdictionis spiritalis, ex eodem cap. Dilecta, & ex cap. De Monialibus, tit. De sent. excommunic. De qua re ex professo egimus in præced. lib. nono, cap. 7. sect. 2. Itaque Abbatissa, seu Priorissa habet quidem officium, seu administrationem monasterij sibi subiecti: non tamen beneficium; cum non habeat ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, ob ministerium diuinum annexum Clericatui; seu propter titulum Clericalem: cuius incapax est fœmina: sed tantum ob officium, quod habet administrandi monasterium. 146.

Secundũ impedimentum, est defectus tonsuræ Clericalis. Nam beneficia nõ possunt conferri aliis, quam Clericis initiatis tonsura, ex cap. Cum adeo, De rescriptis, & cap. Ex literis, De transactionibus, & c. 2. De institutionibus. Neque debet deinde postmodum tonsuram accipere, si tempore impetrationis, non fuerit iam data, prout notat glossa finalis citati capituli, Ex literis. Et confirmatur, tum argumento cap. Si eo tẽpore, De rescriptis, in 6. tum ratione, quia cum actus in suspenso esse non possit, principium illius considerandum est, (*per cap. Dudum 1. De electione*, iuncta glossa *in verbo, electionis tempore*) iudicandumque si à principio non valuit, neque tractu temporis conualescere; ex lege, Quod initio, ff. De regulis iuris, & ex cap. Non firmatur, eodem tit. in 6. 147.

Disputant autẽ Canonistæ, An is qui factus est Clericus ab alieno Episcopo sine licentia Summi Pontificis, aut Prælati sui, possit beneficia consequi tanquam Clericus. Videtur vero pars negans tenenda vt tutior: non quibus ex eo, quod talis non sit vere Clericus; sed quod sit suspensus ab executione, & priuilegio Clericatus, ex Concil. Trident. 148.

sess. 14. cap. 2. in fine, De reform. Nec refert, quod illic habeatur tantum expressa mentio suspensionis ab executione ordinum, de quorum numero non est Clericatus, ex Theologorum saltem sententia. Nam sufficit quod in iure canonico, is etiam dicatur ordo. in cap. Cum contingat, De ætate, & qualitate: atque perinde ac ordines, prohibeatur dari ab alieno Episcopo sine proprij licentia, in cap. finali, De temporibus ordinationum in 6. eademq; in illo ac in ordinibus sit prohibitionis ratio illeq; sit eorũ quoddam principium: ac difficile sit vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio cap. Principatus, 1. qu. 1. Dispensare tamen poterit cum tali proprius Episcopus, iuxta citatum cap. 2. & cap. Consultationi, de temporibus ordinationum: nisi quod recurrendum sit ad Papam si Transmontanus ordineturab Episcopo Italiæ, sine ipsius Papæ, aut proprij Ep.scopi licentia, ex cap. 1. De temporibus ordin. in 6.

149. Tertium impedimentum est matrimonium. Nam coniugatus etiam Clericus, inhabilis est ad omnia beneficia ex cap. 1. 2. 5 & 8. De Clericis coniugatis. Locum habet autem hoc impedimentum, quantumuis matrimonium per verba de præsenti contractum, non sit copula consummatum. Attamen nõ modo Clericus coniugatus, sed etiam Laicus potest in Ecclesia habere præbendã, seu stipendium sine titulo: eiusmodi solet dari cantoribus, & organistis. Immo Episcopus potest cum Clerico coniugato non bigamo dispensare ad beneficium simplex retinendum, in vno casu: nẽpe quando illud requirit tantum officium minorum ordinum, nec præsto est celebs, qui eo fungatur, ex Concil. Trident. sess. 23. cap. 17. De reform. Quoad alios, & quoad alia beneficia, solus Papa dispensare potest.

Quartum impedimentum est digamia: digamus enim, beneficij capax non est: quandoquidem ordinari non potest, tanquam irregularis, *prout suo loco traditum est in præcedenti tractatu*; per consequens nec exercere potest officium, propter quod Ecclesiasticum beneficium dari habetur ex cap. finali, De rescriptis in 6. Qui vero incapax est officij & beneficij propter quod illud datur: quandoquidem inhabilis ad vnum, est etiam ad alterum ei annexum, iuxta cap. Translato De constitutionibus. Quot autem modis contingat aliquem effici bigamum, vt quis cum eo dispensare possit, iam docuimus in præcedenti tractatu de irregularitate, cap. octauo.

150. Quintum impedimentum est pœna Ecclesiastica, puta excommunicatio, per textum in cap. Postulastis, De Clerico excommunicato: itemque suspensio, prout habetur ex cap. Cum dilectus, De consuetudine, §. finali, & ex aliis, quæ ibidem notat glossa *verbo, A suspẽsis*. Ac demum irregularitas ex communi sententia, *teste Nauarr. in lib. 5. consil. tit. De simonia, consilio 3. in responsione ad 2. quæstionem*: Pro qua facit, quod in bullis Pontificis, quibus beneficia conferuntur, soleat mentio fieri dispensationis ab irregularitate. Nam id non esset necessarium, nisi ea esset impedimentum illorum cõsequendorum. Vnde, *vt idem Nauarr. docet in Enchir. cap. 27. num. 249. versa. 6.* omnis irregularitas collationem quæ illam subsequitur reddit ipso iure nullam. Et ratio est: quod irregularis sit inhabilis ad ordinem, & eius vsum, iuxta doctrinam communem de irregularitate: beneficium vero Ecclesiasticum prærequirat Ordinem. Cuius vsus significatur nomine officii spiritalis, propter quod beneficium dari dicitur, De rescriptis cap. finali in 6. Iam si irregularis sit inhabilis ad beneficium, non valebit facta ei huius collatio. Cæterum ist.usmodi impedimentum tollitur ablatione pœnæ quæ illud inducit, hoc est, absolutione ab excommunicatione, vel à suspensione, aut dispensatione in irregularitate: dummodo tamen talis siue dispensatio præcedat beneficii coactionem. Etenim sequens relinquit illam, vt prius inualidam: itaut noua collatione sit opus.

151. Sextum impedimentum est, defectus natalium: quem qui patitur inhabilem esse ad omne beneficium Ecclesiasticum, habetur ex cap. 1. & 2. De filijs Presbyt. in sexto. Ille vero dicitur pati defectum natalium, qui non est natus ex legitimo matrimonio, siue sit natus ex incestu, siue ex adulterio, siue ex fornicatione: de quibus plura in præcedenti tractatu de irregularitate cap. 7. Hic duo tantum monenda occurrunt. Prius est, præter Papam (qui potest etiam in beneficio curato) Episcopum, ex cap. 1. & 2. citatis, cum quouis illegitimo posse dispensare ad beneficium non curatum. Id quod notat Tabiena verbo *Beneficium 2. num. 16. ex glossa ad citatum cap. 1. verbo Defectum*. Veruntamen tres casus excipiendi sunt. Primo enim, non potest Episcopus dispensare vt filius habeat quodcumque beneficium in Ecclesia in qua habet, vel habuit pater, iuxta Concil. Trident. sess. 25. cap. 15. De reformatione. Secundo, nec potest dispensare, vt filius habeat beneficium per reciprocam resignationem à patre factam in illius fauorẽ, vt alterius beneficium in fraudem decreti casus præcedentis habeat: *ex eodem Concil. Trident. ibidem*. Tertio, nec potest dispensare, quando habetur statutum iuratum, vel à Papa confirmatum, vt nullus illegitimus habeat beneficium in tali Ecclesia: cuius casus meminit Tabiena in sequenti num. 17.

Posterius monendum est, dari aliquot casus in quibus ille qui natus non est legitimo matrimonio, tanquam legitimus nulla indiget dispensatione ad quodcumque beneficium. Quos breuiter tantum referemus, cum de illis iam dictum sit à nobis in memorato cap. 7. Primus est, quando pater mulierem ex qua illum suscepit, postea duxit in vxorem, ex cap. 1. & cap. Tanta, Qui filij sunt legitimi. 153. Secundus est, quando matrimonium existimatur validum, reuera tamen non est: Nam in eo suscepti liberos esse legitimos, habetur ex cap. 2. & cap. Prælatum, eodem titulo. Intellige autem dummodo matrimonium publice celebratum sit, nec coniuges sciant tale impedimentum: aut saltem alter eorum nesciat, ex cap. penultimo. Qui filii sunt legitimi. Tertius est quando generatio contigit post celebrata sponsalia, ex cap. Per tuas eodem titulo, Quartus est, quando genitus est quis ex infidelibus coniunctis matrimonio, quod iuxta ipsorum legem valuit. Nam etiamsi non valeret secundum ius canonicum: talis tamen, si parentes ipsius ad fidem postea conuertantur, legitimus censetur, ex cap. finali, eodem adhuc titulo. Nota obiter, pensionum, quæ dantur tantum in subsidium vitæ tanquam pauperibus, sine titulo clericali, itemque pensionum iuris patronatus & aliorum similium, quæ dantur laicis, illegitimum posse capacem esse, cum nihil expresse de eo prohibeatur in iure Canonico: atque odia restringenda sint potius, quam amplianda ex regula 13. iuris in 6.

Septimum impedimentum, est: defectus fidei. Sunt enim sex genera personarum, ad omnia beneficia inhabilium propter hæresim, iuxta cap. Quicumque §. Hæretici, & cap. Statutum 2. De hæreticis in 6. nempe hæretici ipsi, deinde ipsorum credentes, 3. eorumdem receptores, 4. fautores, 5. defensores, & postremo eorumdem filii. De quo vide antedicta in præced. tract. 2. num 193. 152.

Aduerte autem primo ad sex illa personarum genera, aliquos addere septimum earum personarum, quæ scienter per preces hæreticorum obtinent beneficium. Quorum sententiæ fauere videtur citatum cap. Quicumque, in §. Ad hæc: sed quia in eo non irritatur sic facta collatio, sicut in memorato §. Hæretici, probabilius est talem collationem non esse irritam ipso facto, sed tantum esse à Iudice irritandam. 154.

Aduerte secundo, hic nomine hæreticorum comprehendi etiam illos qui conuersi sunt ab hæresi, pœnitentesque; etiamsi absolutionem ab excommunicatione cõsecuti sint: quia per eam non aufertur inhabilitas, indigens dispensatione. Comprehendi quoque Apostatas à fide iuxta cap. Contra Christianos, De hæreticis, in 6. Non comprehendi autem illos qui non sunt animo hæretici, quantumuis cum hæreticis dissimulent in factis externis, neque illos qui animo sunt hæretici, sed nullo externo signo id produnt, aut non sunt pertinaces. Quod idem est de credentibus hæreticorum dicendum.

Per fautores vero, defensores, & receptatores hæreticorum intelligendi sunt tantum ij, qui intuitu hæreseos fauent hæreticis, aut illos defendunt, vel, receptant. De quibus egimus pluribus in præced. lib. 9. cap. 14. exponendo primum canonem Bullæ Cœnæ Domini.

Aduerte tertio ex ante memorato cap. Statutum, prædi-

ctorum filios esse ad beneficia inhabiles, vsque ad secundam generationem in paterna linea; & vsque ad primam in materna, id est, ex glossa c.ibid. si quis vir sit hæreticus, aut hæreticorum credens, receptator, defensor, vel fautor: filius ipsius, & nepos ex filio inhabilis est ad omnia beneficia; non item nepos, ex filia. Similiter, si quæ mulier sit hæretica, aut credens, receptatrix, fautrix, vel defendrix hæreticorum: filius quidem ipsius est similiter inhabilis; non autem nepos ex filio. Requiritur autem ex eodem cap. Statutum, ad eam filiorum inhabilitatem, vt parentes de prædictis peccatis nõ egerint pœnitentiam: sed in eis mortui sint. Requiri quoque vt iidem parentes per sententiam Iudicis, aut notitiam facti probentur tales esse, ex eodem cap. doceri posse videtur, per illa verba, *filij eorum qui probantur obijsse in hæresi* Nam (*probantur*) verbum est iuris, quod benigne interpretando in materia odiosa, & pœnali: dicere possumus indicare propositam inhabilitatem extendi tantum ad filios eorum hæreticorum, & aliorum memoratorum, qui tanquam tales per sententiam Iudicis condemnati sunt: aut per euidentiam facti tales fuisse ita notum est, vt nulla tergiuersatione cælari possit. Sed quoniam memorata verba non indicant tale quid satis aperte; utius est in praxi dispensationem tunc petere.

153. Octauum impedimentum est, iniuria illata Cardinali, nam ex cap. Fœlicis, De pœnis, in 6. tria personarum genera propter eiusmodi iniuriam inhabiles redduntur ad omnia beneficia, cum quibus solus Papa dispensat. Primum est, percutientium, capientium, *captiuum intellige*, aut hostiliter in sequentium Cardinalem. Secundum est, participantium cum aliquo illorum, vno ex septem his modis; nempe iubendo, consulendo, scienter defendendo, scienter recipiendo, ratum habendo, socium se præbendo, fauendo. In tertio genere sunt filij, & nepotes omnium prædictorum, tam facientium quam participantium. Quibus omnibus memoriæ commendandis seruiunt hi versus,

Iussio, consilium, defensor, palpo, recursus.
Authores socij, fautores filius, hi sunt.
Si Card. percutiunt à præbendis alieni.

Aduerte autem participantes dando nudum consilium, aut fauorem simplicem, seu ex quo non sequitur effectus, neque vt is deterior sit, non effici ad beneficia inhabiles. Adde nec nepotes, qui non descendunt ex sexu virili: itaut nepos ex filia non sit inhabilis. Item qui non descendũt per rectam lineam: itaut nepos ex fratre non sit inhabilis: quod vtrumque habetur ex eodem cap. Fœlicis.

No ium impedimentum est, acceptio secundi beneficij curati. Nam habens iam vnum beneficium curatum, obtento pacifica possessione secundi item curati sine Papæ dispensatione: & perdit prius, & efficitur eo (de quo vide in sequenti num. 292 & 309.) inhabilis ad omne beneficium per Extrauagantem Ioan. 22. Execrabilis, titulo de præbendis, vbi sub finem habetur quis nomine Ordinarij, & quid nomine beneficij Curati intelligendum sit.

154. Decimum est homicidium. Nam homicida est inhabilis ad omne beneficium, quando homicidium fuerit cum peccato, ex cap. Inquisitionis, De accusationibus, & ex Concil. Triden. sess. 14 cap 7. De reform. Atque si homicidium sit voluntarium, solus Papa in tali inhabilitate potest dispensare: sin casu, nec ex proposito, vel vim vi repellendo accidat; potest Episcopus dispensare ad beneficia non curata obtinenda: atque ad beneficia etiam curata iam ante habita retinenda, prout docet Nauarrus *in Ench. cap. 27. num. 240. in fine*. Quinimo quando negotium fuerit ei à Papa commissum potest ad omnia beneficia dispensare, iuxta Concilium Trident. loco cit. si homicidium non ex proposito, sed casu sit commissum.

Vndecimum impedimentum est concubinatus. Nam in concordatis tit. De concubinariis: concubinarius qui post primam admonitionem non relinquit concubinam, vel ea relicta accipit aliam; inhabilis est ad omne beneficium. Quod idem habetur ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 14. De reform. Nisi quod specialiter statuat, vt post primam admonitionem priuetur tertia parte fructuum: & post secundam, non tantum amittat eos ipsos fructus omnes, & prouentus suorum beneficiorum: sed etiam suspendatur ab administratione eorumdem, aliisque pœnis subiiciatur, prout ibidem præscribitur. Dispensat autem Episcopus cum omni concubinario post manifestam vitæ emendationem, quando iusta adest dispensandi causa, ex eodem cap. 14. Quamquam secundum concordata, si concubinarius ipse post primam dispensationem denuo recidat, Papa solus cum eo dispensare potest.

Duodecimum est raptus mulieris. Nam ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. De reform. matrimonij, raptor mulieris & omnes illi consilium, auxilium, & fauorem præbentes, sunt incapaces omnium dignitatum: sique fuerint Clerici de proprio gradu decidunt.

Decimumtertium est, iniusta vsurpatio bonorum Ecclesiæ. Nam ex Concil. Trident. sess. 22. De reform. cap. vltimo, & ex Bulla Pij quinti, quam refert Nauar. *in Enchir c. 13. num. 110.* Clericus qui iniuste vsurpat bona Ecclesiastica, aut qui sic vsurpantibus consilium, auxilium, & fauorem præbet, inhabilis est ad omnia beneficia Ecclesiastica. Tam in hoc autem impedimento, quam in præcedenti solus Papa dispensat.

Sectio Posterior.

De impedimentis, quæ inhabilem reddant ad aliquod certum beneficij genus.

QVinque huius generis impedimenta dantur. 155.

Primum est, filium esse legitimum Sacerdotis: quod tribus modis contingere potest: primo, si Sacerdos antequam susciperet sacros Ordines fuerit coniugatus, vt D. Petro, D. Hilario, & nonnullis alijs contigit. Secundo, si sit Sacerdos Græcus; nam Græcis permissum est vti vxoribus quas duxerunt ante Ordines susceptos. Neque filij inde suscepti, à beneficio arcentur etiam apud Latinos, ex cap. Cum olim, De Clericis coniugatis. Tertio, si aliquis inuita, vel inscia vxore susciperit sacros Ordines, & postea ex eadem filios procreet: tales enim censebuntur legitimi, vt ex Host. habet Sylvest. *in verbo, Illegitimus, quæst. 4.* & alij tenuerunt, quos Thomas Sanchez commemorat *lib. nono, De matrimonio disput. 38. num. 2. in fine*. Et ratio esse potest, quod vir sine vxoris consensu nequeat sic se adstringere castitatis voto: vt ipsum (præsertim illegitime, seu contra iuris dispositionem emissum) matrimonio prolique officiat. Sin autem sciente, nec contradicente vxore, eosdem Ordines susceperit, ad eam postea rediens, si filios suscipiat, erunt illegitimi, vt idem Sylvester ex eodem addit. Pro quo authores in cit. n. 2. Sanchez magno numero adfert quidem, sed sententiam contrariam in sequenti num. 7. existimat probabilem. Nobis autem sufficit quod ille ibidem fatetur, iuxta cap. Literas. De filiis presbyt. tales habere impedimentum, quo egeant dispensatione: vt ad ordines, sic & ad beneficia. Vide dicta in præced tract. num. 68.

Ac cum hæc ita sint, aduertendum est circa propositum 156.
im, edimentum: quod etsi filij legitimi presbyterorum, *per cap. Adhæc, De filijs Presbyt.* sint capaces habendi quodcumq; beneficium, etiam in Ecclesia in qua pater ipsorum est Episcopus: dari nihilominus quosdam casus in quibus sunt inhabiles. Præcipuus & ad quem cæteri reducuntur est, quo ex cap. Præsentium & ex cap. Ad extirpandas eodem tit. filius non potest habere beneficium, quod ante illum pater habuit immediate: secus vero, si persona aliqua fuerit intermedia, cui concessum sit idem beneficium, cap. Ex transmissa, eodem etiam titulo. Quod procedit ex Syl. *in præcedenti q. 2. in fine*, quantumuis talis intermedia persona sit prædicti filij frater, id est, alius filius patris Sacerdotis, cum quo dispensatum fuerit. Porro in hoc impedimento cum filio Sacerdotis legitimo, idem dispensat qui cum illegitimo, de quo in præcedenti sectione, Impedimento 6. Neq; enim difficilior esse debet dispensatio cum legitimo, quam cum illegitimo.

Secundum impedimentũ est, iniuria illata Episcopo, ob 157.
quam per Clement. nam 1. De pœnis, inhabilitas ad beneficia perinde incurritur, ac ob iniuriam (de qua in præcedenti sect. impedimento 8.) illatam Cardinali: tribus tamen exceptis. Primum est; quod cum illa alia inhabilitas sit ad omnia beneficia, hæc tantum sit ad ea beneficia quæ sunt in diœcesi Episcopi, qui iniuria afficitur. Secundum

est, quod

est, quod illa imponatur iis, qui hostiliter persequuntur Cardinales: & hæc determinatio ijs, qui Episcopum percutiunt, aut mittunt in exilium. Tertium est, quod ex septem generibus participantium, de quibus illam imponi dictum est; vnum sit, *nempe receptatorum*: quibus hæc non est imposita. In isto impedimento dispensat solus Papa.

Tertium eiusdem generis impedimentum est, à Summo Pontifice impetrare beneficium adhuc viuentis, tanquam iam mortui. Id enim faciens redditur inhabilis ad tale beneficium, etiam post mortem illud possidentis ex regula Cancellariæ Apostolicæ De impetrantibus beneficia viuentium. Ad quam regulam Ludouicus Gomez quæst. 3. docet id procedere etiamsi per ignorantiam contigerit. Quod intelligecum exceptione, nisi ea sit aperte inculpabilis: quæ vt culpa, sic pœna caret. In hoc autem impedimento solus Papa dispensat.

Quartum est simonia: qui enim acquirit beneficium per simoniam fit inhabilis ad illud sic acquisitum: etiamsi ipso quidem ignorante, sed tamen ipsius nomine commissa sit simonia, ex cap. Quicumque 1. quæst. quinta: de qua re iam egimus in præced. lib. 23. cap. 12. sect. 3. Ad alia autem beneficia, quæ non accepit per simoniam, inhabilis non est quidem iure antiquo, est tamē iure nouo hoc nomine: quod per quasdam constitutiones Pij quarti & Pij quinti confidentialis simonia efficiat ad omne beneficium inhabilem, prout videri potest apud Nauar. *in Enchir. cap. 23. num.* 110. vbi Pij quinti talem constitutionem refert, & declarat. Vide à nobis tradita in eodem libro 23. cap. 11. quæst. 4. diuisione 3. De dispensatione vero in hoc impedimento iam ex professo egimus *in citata sect. 3. n.* 186.

158. Postremum impedimentum est status personæ, quo seculares ad regularia beneficia sunt inhabiles, ex cap. Possessiones, De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non, ex cap. Inter quatuor, De religiosis domibus: ex cap. Cum de beneficio, De præbendis in 6. ex Clemen. Ne in agro, §. Cæterum, versu Sane Prioratus, De statu monachorum: & ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 10. De reformatione: & sess. 25. cap. 21. De regularibus. Solus autem Papa potest in hoc dispensare, nisi quod ex cit. cap. Inter quatuor: deficientibus regularibus Episcopus possit beneficia ipsorum cōmittere Clericis secularibus, vt ibidem notat glossa: quia necessitas legem non habet.

Quo præterea impedimento, Regulares vice versa, inhabiles sunt ad beneficia secularia: argumento cap. Placuit, 16. quæst. 1. & cap. Cum de beneficio, atque cap. Beneficium, De regularibus, in 6. Itaque in eare egent dispensatione, quam solus Papa dare potest in duobus casibus: alter est, cum beneficium fuerit simplex, id est, sine animarum cura: nam ob hanc tantum regularis admittitur ad beneficium sæculare, ex cap. Quod Dei timorem, De statu monachorum. Alter est, quando beneficium est quidem curatum, sed Religiosus ad illud promouendus debet transferri de vna religione in aliam. Quod quia prohibetur iure communi in Concil. Trident. sess. 14. cap. 11. in fine, fieri nequit licite absque Papæ dispensatione. In aliis casibus vero, Superiores Religiosorum dispensant, saltem accedente consensu Episcopi. Sique ratione suscepti oneris debeat Religiosus suum monasterium deserere in totū, debet licentiam ad id obtinere à Papa, vel ab ipsius Legato à latere, iuxta cap. Si Abbatem, De electione in sexto. Vieri potest de his Syluester *in verbo Religio 7. quæst. tertia, & tribus sequentibus.*

Adhuc per istud ipsum impedimentum, Regularis professus vnius religionis, incapax est beneficiorum regulariū alterius religionis distinctæ, ex citata Clement. 1. & ex cap. Cum singula, §. Prohibemus, De prabendis, in 6. & ex Cōcil. Triden. cap. 10. & 21. supra citatis. In eoque opus est Papę dispensatione per textū expressum in eod. §. Prohibemus.

159. Ad idem quoque impedimentum referri potest quod beneficia iuris patronatus conferri tantum possint secundum institutionem, & fundationem illius à quo constituta sunt: itaut solis habentibus conditiones quas is determinauerit, conferri debeant: cæterique sint talium incapaces: vt si quis fundauit, & dotauit beneficium conferendum suis consanguineis, ille non est eius capax, qui non est de tali familia, vel genere; quia liberum fuit fundanti, bona sua dare Ecclesiæ cum tali conditione, & onere: sique Ecclesia ipsa conditionem approbauit, *sicut merito potest, vt fideles inducantur ad similes fundationes*, ea tenet. Quod si omnes de ea familia sint indigni tali beneficio, nulli eorum est conferendum: quia contra ius naturale & diuinum est, beneficium Ecclesiasticum indigno conferri. Igitur vel obtinenda est à Papa dispensatio, vt Clerico alterius familię detur, vel ab Episcopo, ad tempus commendandum est Clerico alterius familię. Sin autem sint quidem digni de eadem familia: sed alij alterius familiæ sint digniores, non debent hi illis præferri: quoniam satis est, Clericum eiusdem familiæ esse dignū vt ius habeat, ad illud, quod fundator sibi iuste reseruauit. Alij vero quantumcumque digniores, nullum ius habent ad tale beneficium, existente aliquo digno in familia, cui est affectum.

Referri quoque potest ad propositum impedimentum: quod, vt meminit Nauar. *in lib. 1. C. nsiliorum tit. De constitutionibus C. nsil. 5 num. 1.* in Hispania non fiant beneficiarij nisi Hispani, & in Gallia nisi Galli. Cuius statuti Rebuffus in praxi beneficiorum 3. *parte tit. De rescriptis mixtis, num.* 7. rationes has habet, tum ne exteri secreta regni reuelent, tum quod illi propter idioma diuersum non valeant populum sibi commissum docere: tum demum quia nihil ipsi neque ipsorum parentes in Ecclesiis fundandis dederunt. Adde quod naturalis magis amatur, & colatur à suis quam alienus, vt insinuatur in cap. Bonæ 2. sub finem, De postulatione Prælatorum: atque beneficij emolumenta potius illi, quam externo videantur deferenda, iuxta cap. Nullus iuuitis, distinctione 61. ob quas causas Summus Pontifex tali statuto facile acquiescit. 160.

Cæteræ quæ referuntur inhabilitates non sunt vere tales, & quæ acquisitionem faciant inualidam: sed totum quæ eam reddant vitiosam: vt v. g. accipere beneficium mala intentione: puta ob reditus præcipue, vel animo non perseuerandi in statu Clericali, vel perseuerandi in peccato publico: quæ intentiones peccata sunt quidem grauia, non faciunt tamen inualidam, & irritam beneficij adeptionem. Quod idem iudicandum est, cum quis beneficium acquisiuit per hypocrisim, seu simulatam sanctitatem, aut etiam paupertatem. Nam etsi peccet, non tenetur tamen relinquere beneficium sic acceptum, dummodo alioquin sit apax sit, & aptus ad præstandum officium, propter quod illud datur. Neque refert quod sit indignus officio propter quod beneficium datur, nam indignus est tantum quoad se, seu quia non potest tale officium absque peccato exercere, donec se correxerit: non autem quoad populum: quoniam idipsum officium, quod ille in peccato exercet, est verum officium, dignum cui annexum sit beneficium: non quidem ex dignitate ministrantis, sed ministerij, quod exhibetur populo. 161.

Similiter violator interdicti etiamsi non possit eligi, & postulari ad beneficium, ex cap. Is qui, De senten. excommun. in 6. non est tamen inhabilis eo nomine; cum sint alij modi obtinendi beneficium: vt per collationem. Alio tamen nomine censetur inhabilis: nempe quia est irregularis, ex eod. cap. & ex sequenti cap. Is cui. Similiter cum quis eligitur per abusum secularis potestatis, aut est periurus, vel sacrilegus, vel falsarius, peccatur quidem conferendo ei beneficium; non ideo tamen est ad illud inhabilis, nisi inde effectus sit infamis. Quod addo propter regulam penultimam De regulis iuris in 6. Infamibus portæ non pateant dignitatum.

CAPVT XII.

De iis quæ requiruntur vt ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, dignus quis censeatur.

SVMMARIVM.

162 *Ad dignitatem, & habilitatem referuntur quæ necessaria sunt aliquo, vt censeatur beneficij capax.*

163 *Maturitas ætatis necessaria: quodque ad Episcopatum, & Cardinalatum requiratur annus trigesimus.*

164 *Quod ad cætera beneficia, quæ annexam habent curam requiratur annus 25. incaptus.*

165 *Ætas 22. annorum requisita ad dignitates Ecclesia Cathedralis, non habentes annexam curam animarum: & ad regularia beneficia.*

166 *In Abbatissa, & Prioriſſa requiritur annus 40. & quotum requirant secularia beneficia simplicia.*

167 *Defectus qualitatum debitarum reddens acquisitionem beneficij inualidam.*

168 *Dispensatio in defectu ætatis.*

169 *Sufficiens scientia requisita ad beneficiorum acquisitionem.*

170 *Maior, vel minor requiritur, pro varia qualitate beneficiorum.*

171 *Scientia requisita respectu Ordinis annexa beneficio,*

172 *Defectus scientiæ quatenus beneficij collationem reddat inualidam.*

173 *Eminens scientia non est necessaria ad validitatem collationis beneficij, est autem omnino necessaria sanitas mentis.*

174 *Quando mortali peccato contaminatus peccet mortaliter accipiendo beneficium, & collatio ei facta, sit inualida.*

175 *Quando peccet quidem mortaliter, sed collatio non sit inualida.*

176 *Quando ne peccet quidem.*

177 *Dispensatio ad beneficium cum indigno, improbanda: & quatenus per accidens possit nihilominus fieri interdum etiam ab Episcopo.*

178 *Requisita vt fieri possit, quoad officium beneficio adiunctũ.*

179 *A Confessario notanda de eo qui beneficium accepit, cuius incapax fuit.*

162. MVLTA quidem sunt necessaria, vt quis censeatur capax beneficij Ecclesiastici: sed ad duo reuocantur (quod Concil. Triden. sess. 7. cap. 3. attigit) nempe ad dignitatem, & ad habilitatem. Inter quas differt, quod dignitas respiciat spirituale officium propter quod beneficium datur: indignus enim est beneficio, qui idipsum officium exercere non potest. Inhabilitas vero respicit pœnam Ecclesiasticam. Nam ille inhabilis est, qui Ecclesiastica lege à beneficio (*alioqui eo dignus*) arcetur propter aliquod impedimentum. Ex qua differentia sequitur alia; quod inhabilitas tantum sit de iure canonico: ideoque Papa cum omni inhabili dispensare possit: valeatque talis dispensatio etiam data sine causa, propter authoritatem, quam idemmet Papa habet super omne ius Ecclesiasticum. Dignitas vero (*cum ratio naturalis dictet non esse indigno committendũ officium*) sit de iure naturali, in quo Papa dispensare non potest, nisi (prout paulo post exponetur) ex accidenti. Cæterum quia habilitas de qua hic sermo est, consistit in carentia impedimẽti Canonici, nihil ad ea quæ in præcedenti cap. dicta sunt occurrit de illa addendum. Si enim ille habilis est ad beneficia Ecclesiastica, qui caret Canonico impedimento: sufficit nosse quæ quotquot sint Canonica impedimẽta, vt plene cognoscatur quis sit ad beneficia Ecclesiastica habilis vel inhabilis.

Quod autem ad dignitatẽ attinet, ea ex Concil. Lateranensi sub Alexandro tertio (*& refertur, De electione, cap. Cum in cunctis*) & ex alio Concil. Lateranensi sub Leone decimo sess. 9. & ex Concil. Triden. sess. 7. cap. 1. De reform. & sess. 24. cap. 12. trid continet: nimirum maturitatem ætatis, scientiam literarum, & probitatem morum: quorum primum requiritur, vt quis possit facere officium: secundum vero, vt sciat facere: & tertium, vt velit facere: de quibus sigillatim dicendum est.

De maturitate ætatis.

SECTIO I.

163. NOtandum est, iure naturali ad beneficium requiri eã ætatem, quæ est necessaria ad exercendum officium propter quod illud datur. Dictamen enim est rectæ rationis, quod in cap. 3. De ætate, & qualitate habetur. Indecorum esse, vt hi debeant Ecclesias regere, qui non nouerunt gubernare seipsos: cum ad Ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, quæ discretione præmineant, & morum præfulgeant honestate. Iure autem Ecclesiastico, facta esse eiusdem ætatis determinationem in singulis beneficiis, hoc modo.

Primo ad Episcopatum requiritur annus trigesimus completus, ex cap. Cum in cunctis, De electione: aliterque facta electio, inualida est, iuxta cap. Cum nobis, eod. tit. Requiritur similiter ad Cardinalatum, iuxta Concil. Triden. sess. 24. cap. primo De reform. vbi & præscribit in Cardinalium creatione exigenda esse eadem, quæ de Episcopis præficiendis iure statuta sunt quoad vitam, ætatẽ, & mores. Verum totum id pendet ex voluntate Papæ, qui omnes iuris Ecclesiastici defectus potest supplere.

Secundo ad Abbatiam, Decanatum, Archidiaconatum, & aliud beneficium quocumque annexam habens animarum curam, requiritur 25 annus incœptus, ex eod. cap. Cũ in cunctis, §. Inferiora: & ex Concil. Trident. sess. 24. cap. 12. De reform. Vbi aduerte, in numero beneficiorum habentium annexam animarum curam, poni vltra Parochiale. Tum, *iuxta cap. Dudum 2. De electione.* Canonicatum qui est cum iurisdictione in foro externo, ad excommunicandum, visitandum, & cætera facienda, de quibus in eodem cap. §. Licet, & in Extrauag. communi, Execrabilis, De præbendis, §. finali: quantumcumque non sit cum parochiali animarũ cura. Tum etiam Canonicatum, qui est cum tali cura; & canonicus debet Ecclesiam parochialem gubernare per se, aut per Vicarium temporalem, ex eodem §. finali: non vero, si tali Ecclesiæ Vicarius perpetuus, *iuxta cap. Extirpanda, De præbendis*, sit attributus: quia tunc Canonicatus, cui illa annexa est, non censetur esse cum animarum cura, ex eodem adhuc §. finali. 164.

Aduerte præterea, sicut in Parocho, ita & in Vicario perpetuo parochialis Ecclesiæ, requiri annum 25. incœptum, ex Clementina vnica, De officio Vicarij. Itẽque in coadiutore, seu administratore Ecclesiæ parochialis, ex superius citato §. Inferiora. Et ratio est, quod vterque exerceat Parochi officium. Aduerte demum ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 8. De reform. in Pœnitentiario, qui instituendus est in Cathedrali Ecclesia, requiri annum quadragesimum.

Tertio, ad personatus, aut dignitates Cathedralis Ecclesiæ, non habentes annexam animarum curã, sufficit annus 22. completus; iuxta illud quod in prius citato cap. 21. Concilium Tridentinum prohibet, ne ad talia beneficia adscisCantur minores viginti duobus annis. 165.

Quarto, ad prioratum conuentualem monachorum requiritur annus 25. inchoatus ex Clẽ. prima, De statu monachorum, §. Cæterum. Vbi additur ad Prioratum non conuentualem habentem annexam animarum curam, quæ per secularem exerceatur, requiri annum 20. absolutũ. Quod si Prior illam per se exercere debeat, in eo requiritur 25. annus incœptus, iuxta cap. Licet Canõ. De elect. in 6. Atque quod de Priore conuentuali dicitur, pari ratione dicendum est de Guardiano, & eiusmodi aliis Præpositis familiarum Religiosarum.

Quinto, ad Regularia beneficia, quæ non habent annexam animarum curã, requiritur 16. annus completus. Nam tale beneficium non nisi professo conferri potest, ex cap. Nullus, De electione in 6. & ex citato §. Cæterũ, versu, Sane Prioratus. Nunc autem ante 16. annum completum professio fieri non potest, ex Concilio Tridentino sess. 25. cap. 15. De regularibus.

Sexto, ex eodem Concilio in præcedenti cap. septimo, Abbatissa, & Prioriſſa, ac quæuis præfecta fœminarum, nõ debet minor esse 40. annis: & quæ post professionem expressam, octo annis laudabiliter vixerit, aut minimum, *si alia idonea commode haberi non possit*, quæ trigesimum annum excesserit, ac quinque saltem annis post professionem in religione laudabiliter vixerit. 166.

Septimo, ad beneficium seculare simplex, id est, nec curam animarum, nec iurisdictionẽ in foro externo, nec eminentiam in choro habens, si ordo sit ei annexus, ætas eiusdem Ordinis requiritur; vel saltem illa, in qua beneficiarius possit ad talem ordinem intra annũ promoueri, iuxta post dicenda. Vnde si beneficium sit præbenda Sacerdotalis, ad ipsum requiritur 25. annus incœptus; si Diaconalis, 23. incœptus, si Subdiaconalis, 22. incœptus, iuxta Concil. Triden. sess. 23. cap. 12. De reform. Et ita cum ex eodem Concilio in sequenti sess. 24. cap. 12. De reform. ad Canonicatus, & portiones Ecclesiæ Cathedralis requiratur, vt annexam habeant aliquem ordinem sacrum: requiritur, quoque ætas saltem anni 22. incœpti.

Postremo, ad quocumque beneficium Ecclesiasticum requiritur 14. annus inceptus, alioqui collatio est invalida, prout aperte indicant verba illa Conc. Trident. in sess. 23. cap. 6. Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante 14. annum beneficium possit obtinere.

167. Hic aduerte primo non tantum defectum illius ætatis: sed etiam alterius cuiuscumque requisiti ad beneficiū, reddere collationem eius nullam, ex Syluestro *in verbo, Electio* 1. *num.* 16. *& ex Armilla in eodem verbo, num.* 24. Confirmatur vero ex eo, quod secundum Concil. Trident. sess. 25. cap. 5. De reform, prouisio beneficiorum facta sine eorum qualitatibus vel ordinibus, surreptitia censeatur. Ætas autem est talis qualitas, sicut sunt & aliæ quæ ad beneficium requiruntur: siue ex iuris constitutione, siue ex fundatione, vt v. g. lectio sacræ Scripturæ, quæ interdum est annexa beneficio: item sacer ordo, qui potest annexus esse etiam beneficio simplici; vt quando fundatur capella, quæ non possit conferri nisi Sacerdoti: itemque gradus: nonnunquam enim beneficium exigit, vt qui illud accipit sit doctor, vel licentiatus in Theologia, aut in iure Canonico, ex Conc. Trid. sess. 24. De reform. cap. 12.

De quibus qualitatibus aduerte secundo, iure quidem naturali sufficere, vt is qui accipit beneficium iam habeat qualitates, quas idipsum requirit, vel speretur suo tempore habiturus: iure tamen Ecclesiastico constitutum esse, vt collatio beneficij non sit valida, nisi ille qui ipsum accipit iā habeat easd. qualitates necessarias: vel si ordo aliquis requiratur, peruenerit ad ætatem in qua possit intra annum ad illud promoueri. Vnde qui aliter, id est, sine qualitatibus, requisitis accipit, tenetur aut nouam collationē obtinere, aut beneficium dimittere, & fructus perceptos, si extent, restituere: consumptos vero bona fide tenetur restituere quoad id, quo factus est ditior: & consumptos mala fide restituere in integrum deductis necessariis expensis in iis ipsis fructibus colligendis, & conseruandis, iuxta communem doctrinam de restitutione. Legendum est Concil. Trid. sess. 5. cap. 3. sess. 22. cap. 4. sess 25. cap. 5.

168. Cæterum indignum beneficio ob ætatis defectum, solus Papa capacem illius facere potest: tum dispensando in iure Ecclesiastico, tum interpretando ius naturale: cui talis defectus non ita repugnat, quin possit ob aliquem finem iustificari, & ob illum auctoritate Papæ relaxari, sicut relaxantur votum, & iuramentum. Et ita quamuis rectæ rationi aduersetur puerum seu adolescentulum Cardinalem creari, cum Cardinales eligantur, vt sint Papæ Consiliarij in grauissimis totius Ecclesiæ negotiis, *adeoque vt Papam ipsum Sede vacante eligant*, & communi Ecclesiæ bono prospiciant, illudque promoueant: Nihilominus tamen contingit nonnunquam adolescentulos ad Cardinalatum promoueri iusta aliqua de causa: vt ob generis splendorem, nobilitatem, prærogatiuam, eminentiam; vt quando sunt filij, aut nepotes Principum, aut ipsius Papæ consanguinei.

De scientia literarum.

Sectio II.

169. DEhinc tenenda sunt aliquot documenta. Primum est: collationem beneficij non valere, quando sit ei qui est omnino illiteratus, ex cap. 1. & 2. distinct. 36. & cap. 1. & 3. distinct. 55. & cap. finali. De ætate, & qualitate. Quis autem sit censendus omnino illiteratus, cum de beneficij acquisitione agitur: constat ex eo, quod traditum ab Innocentio ad cap. Cum in cunctis, De electione, & ab aliis Canonistis communiter receptum, meminit Nauar. *ad cap. Si quando, De rescriptis exceptione* 14. nempe de scientia sufficienti ad beneficium, qua qui careat tanquam illiteratus, censeatur illo indignus, iudicandum esse attenta dignitate, loco, & ordine, id est, habito respectu ad eminentiam ipsius beneficij, & ad locum in quo ipsum est, & ad ordinem, quem officium pro quo idipsum beneficium datur, requirit.

In quo iudicio attendendum est, quid sit iure Canonico statutum de tali re. Nam quod Nauarr. ait relictam esse Iudicis arbitrio ita verum est; vt quod Ecclesia definierit, retineri oporteat. Quid autem illud sit, duobus sequentibus documentis declaratur: vno quidem generaliter, & altero particulariter.

Secundum igitur documentum est: quod maior scientia 170.
requiratur ad beneficium curatum, quam ad simplex; cum illud de iure adiunctum habeat officium non solum tractādi sacramenta; sed etiam proponendi populo verbum Dei, & audiendi confessiones, ex Clement. 2. §. Verum. De sepulturis. Vnde cum ad beneficium simplex sufficiat scientia eorum, quæ spectant ad officium ei adiunctum rite exequendum, fit vt nonnunquam sufficere possit scientia legendi Latine, qua legens valeat lecta construere, iuxta Nauarr. *in Miscellaneo* 43. *De oratione. num.* 3. per glossam ad Clement. 1. De concess. præbendæ: *verbo Reputamus*: vt cum ipsum beneficium non requirit aliud seruitium, quam recitationis breuiarij, quale est præsimonium positum in vsu apud Hispanos. Fit etiam, vt ad beneficium curatum requiratur scientia sufficiens. Tum ad docendum populum: qualis traditur in Catechismo ad Parochos edito Concilj Trident. iussu. Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, Malachiæ 2.] Cumque sit 172.
pastor, *prout dicitur in cap. Si in plebibus. distinct.* 63. debet ouibus præbere vitæ pabulum. Tum etiam ad distinguendum inter peccatum, & non peccatum, pro officio idonei Confessarij, ex cap. Omnis vtriusque sexus, De pœnitentiis, & remissionibus. Ad quod instructum ipsum reddere ad Dei gloriam, & proximorum salutem, scopus noster est in hoc opere.

Fit rursus vt ad Episcopatum maior scientia requiratur, quam ad alia beneficia curata: quia Episcopo non tantum committitur animarum cura, sed etiam personarum, & rerum Ecclesiasticarum, ex cap. De persona, vndecima, quæst. 1. ex cap. Nisi cum pridem De renunciatione: itaut necessaria sit illi tam sacrarum literarum, quam sacrorum Canonum scientia: qua iuxta cap. Omnes psallentes, distinct. 38. non perfunctorie, sed perietabiliter possit ex eis docere, & regere populum sibi commissum: paratus semper in satisfactionem omni poscenti ipsum rationem, de ea quæ in nobis est spe, ex prima Petri cap 3. Atque totius huius diuersitatis rationem bonam ex D. Thoma habet Tabiena *in verbo, Clericus* 2. *num.* 3. quod habenti beneficium simplex, 173.
solummodo incumbat scire necessaria ad officium eidem beneficio adiunctum debite exequendum: habenti vero beneficium curatum, scire legem incumbat: tanquam ei ex cuius ore est requirenda. Non tamen scire cum ea perfectione, vt omnes quæstiones legis sciat: quia debet in illis recursus haberi ad Episcopum: cuius est scire ea quæ in lege difficultatem habere possunt, ac de eis interroganti respondere, & satisfacere, iuxta ante citata ex D. Petro.

Tertium documentum est: De scientia ad beneficium 174.
requisita respectu ordinis quem habet adiunctum: sic Concilium Trident. statuere in particulari: vt ad primam tonsuram, sess. 23. cap. 4. requirat, quod quis rudimenta fidei edoctus, sciat legere & scribere: & ad minores ordines in sequent. cap. 11. quod intelligat saltem linguam Latinam: ad subdiaconatum vero, & diaconatum in cap. 13. vt literis, & iis quæ ad tales ordines exercendos pertinent, instructus sit: ad presbyteratum autem in cap. 14. vt idoneus sit ad populum docendum ea, quæ scire est omnibus necessarium ad salutem: & ad sacramenta administranda. De quo vltimo sic Nauarr. *in Enchir. cap.* 25. *num.* 133. Sacerdos quatenus sacramenti minister scire debet cuiusque sacramenti formam, & materiam & modum debitum administrandi. Ad Episcopatum denique in præcedenti sess. 22. cap. 2. requirit, vt quis scientia eiusmodi polleat, vt muneri sibi iniungendo possit satisfacere: ideoque vt antea in vniuersitate studiorum magister, seu doctor aut licentiatus in sacra Theologia, vel in iure canonico, merito sit promotus, aut publico alicuius Academiæ testimonio idoneus esse ad alios docendos ostendatur.

Occurrit autem duplex dubium: vnum, An vt collatio Episcopatus sit valida, sufficiat vt is cui cōfertur, sit doctor, vel licentiatus, vel testimonium habeat de quo Concilium loquitur: quamuis secundum rei veritatem non habeat sufficientem doctrinam. Alterum, An si contra statuta Aca-

demiæ

demiæ quidem, non seruatis iis quæ illa requirunt promotus sit ad gradum: sed alioqui sufficienter literatus sit, rata censeatur collatio. Ad quorum prius respondendum est: quidquid sit de foro externo; in foro conscientiæ, talem teneri sibi comparare scientiam sufficientem ad officium suum præstandum; & interea suum defectum per aliquem, vel aliquos viros doctos supplere, iuuando se ipsorum opera, ministerio, & literis: nam alioqui erit in statu peccati mortalis tanquam is, qui nescit ea, quæ ad statũ, & officium suum, tale ac tantum pertinent; non teneri autem absolute simpliciterque Episcopatum dimittere, dummodo suppleat defectum: per dicenda in sequenti documento intelligi potest. Ad posterius vero dubium respondendum est, in eo casu censendam ratam collationem: quia talis debuit condemnari per Iudicem Academiæ, vt promotio ipsius esset nulla; quod cum non sit factum, promotio habenda est rata, & valida: nisi contingat illud, de quo Azor tomo 2. lib. 6. cap. 6. quæst. prima, videri potest.

172. Quartum documentum est. Quando quis est modicæ literaturæ, sed non sufficientis, collationem quidem beneficij esse validam, prout ostendit Nauarrus *ad cap. Si quando, De rescriptis exceptione* 15. sed ipsum obligari eidem beneficio renunciare, iuxta cap. Nisi cum pridem, De renunciatione §. Pro defectu. Quamquam dantur tres casus, in quibus cessat talis obligatio. Primus est, cum ardens charitas, & vitæ morumque probitas, potest supplere scientiæ defectum, tunc enim accedente dispensatione Ordinarij beneficium retineri potest, ex Angelo *in verbo Cler cus 2. num. 4. in fine, & Syluestro, eodem verbo sub initium.* Alter casus est, cum spes datur, quod accipiens beneficium, breui erit illo dignus; intereaque studet; ex iisdem auctoribus, & Nauarro *in Enchir. cap. 25. num. 133.* Postremus est, quando etiamsi non sit spes profectus, *vt ob ætatem nimium prouectam*, nihilominus vitæ honestæ esse inuenitur ille qui beneficium curatum accepit. Is enim ex Episcopi dispensatione potest ipsum retinere: dummodo Episcopus ipse constituat illi coadiutorem, aut Vicarium, qui officium faciat. Habetur iste casus ex Concil. Trid. sess. 21. De reform. cap. 6.

173. Quintum documentum est: Si conueniens, seu sufficiens sit literatura, quamuis non sit eminens, illum qui accipit beneficium neque peccare, neque teneri illud resignare: quantumuis sit Episcopus ex supra citato §. Pro defectu: & ex aliis, quæ habet Nauarrus *ad cap. Si quando, De rescriptis, exceptione* 16. Cæterum si quis longo vsu sibi comparasset notitiam omnium quæ necessaria sunt ad aliquod beneficium, absque eo quod literas didicerit, videtur ad illud saltem cum Ordinarij dispensatione promoueri posse: cum vt morum probitas, sic vsus, & experientia possit literaturæ defectum supplere.

Postremum documentum est: Id quod de literaturæ necessitate ad beneficium, hic dicitur, extendendum esse ad sanitatem mentis: nam insanus longe ineptior est, quam illiteratus ad obeundum officium beneficio adiunctum: itaut dubium non sit, quin collatio cuiuscumque beneficij ei facta, sit inualida.

De probitate morum.

Sectio III.

174. De hac re bene disserit Nauarr. *in sequenti exceptione* 17. *& in Miscellaneo* 34. *De oratione.* Quid vero sit de ea tenendum explicat sequentibus propositionibus. Prima est: Cum quis fuerit contaminatus tali peccato mortali, quod ipso iure inducit irregularitatem, vel aliam inhabilitatem ad beneficium, vt excommunicationem aut suspensionem: ipsum quantumuis peccatum eius sit occultum, non solum peccare mortaliter acceptando beneficium, ad quod est inhabilis, *cum nequiter in eo agat*: sed etiam promotionem ipsius esse iure ipso nullam, iuxta cap. Si celebrat. De Clerico excommunicato, & ea quæ de talibus impedimentis dicta sunt in præcedenti cap. num. 150. Habet autem hæc propositio locum in eo etiam qui de peccato pœnitentiam egit: quia vt in foro sæculari, sic in Ecclesiastico externo, pœna statuta à iure, etiam pœnitenti de peccato, infligitur in satisfactionem debitam reipublicæ.

Secũda propositio est: Infectum peccato mortali, quod ob illius continuationem, ve scandalum aliam ve qualitatem, quæ coniunctam habet infamiæ notam, peccare mortaliter acceptando beneficium, nec valere ipsius promotionem ad illud. Hæc ex eo confirmatur quod talis infamia inducat irregularitatem (de qua egimus in cap. 15. precedentis tractatus) efficientem ineptum ad executionem officij, propter quod beneficium datur. Aduerte obiter posse huc reuocari illud peccatum, propter quod homo efficitur ineptus ad officium beneficio annexum, quale censetur illud propter quod est quis puniendus exilio, aut perpetuo carcere, aut ad triremes mittendus.

Tertia propositio est. Infectum peccato mortali quod 175.
nec inducit inhabilitatem ad beneficia, nec notorium est, & depositione dignum, nec infamia notatum, si de illo perpetrato non pœniteat, peccare mortaliter acceptando beneficium: promotionem tamen illius esse validam. Cuius prior pars probatur: quia in re graui agit cõtra sacræ Scripturæ præscriptum, oportet enim Episcopum irreprehensibilem esse, ex priori ad Timoth. cap. 3. & oportet Episcopum sine crimine esse, ex cap. 1. ad Titum. Agit item contra rectam rationem: quia beneficia dantur tanquam militaria stipendia, constituta intercessoribus, & legatis populi ad Deum, pro impetranda gratia ipsius ac peccatorum venia, vt Nauarr. bene declarat *in tractatu De oratione initio cap.* 18. Ad eam autem intercessionem, & legationem infectus peccato mortali non est idoneus, iuxta illud quod ex D. Gregorio habet Gratianus initio distinctionis 49. Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Quare male facit accipiendo beneficium: sicut is qui ad militandum idoneus non est, accipiendo militare stipendium. Si opponas, inde sequi oportere promouendum ad beneficium, perinde se ad illud acceptandum præparare per pœnitentiam, atque ad sacramentum suscipiendum, quod non est in vsu positum. Respondetur talem non vsum censeri posse abusum: cum dubium non sit optandum esse ac consulendum talem præparationem fieri. Posterior pars vero probatur: quia inualiditatis ratio, nulla alia reddi potest, quam quod per cap. Cum in cunctis, De electione, ad beneficij adeptionem omnino requiratur grauitas morum. At per huiusmodi peccatum occultum non censetur tolli grauitas morum.

Quarta propositio. Eum qui probabiliter ignorat se in statu peccati mortalis esse, quia putat se sufficienti modo contritionem habuisse, & confessionem fecisse de commissis, non peccare admittendo beneficium; illiusque promotionem valere. Probatur: quia nullus alioqui posset vnquam bona conscientia beneficium admittere; sicut nec potest sibi certo persuadere, remissa sibi esse peccata sua, seque iustificatum, & in Dei gratia esse, ex Concil. Triden. sess. 6. c. 9. iuxta illud Eccle. si altę 9. Nescit homo vtrum amore an odio dignus sit] & alia quæ habentur Iob c. 9.

Vltima propositio: Infectum peccato mortali, nec inducente inhabilitatem ipso iure nec notorio, & depositione digno: nec infamia notato, *quale esse potest crimen aliquod superbiæ, aut inuidiæ, aut infractionis ieiunij, aut alterius similis*, si illius ideo non pœniteat quod nullo modo recordetur, neque aduertat se in tali statu esse: aut non nouit ad acceptandum beneficium tanta puritate opus esse: pœnitentiam saltem mentalem acturus, si talia nosset, aut aduerteret: non videri peccare mortaliter, nec illius promotionem esse inualidam. Probatur: quia talis ignorantia à peccato saltem mortali excusat, tanquam minuens voluntarium, *si non tollat omnino*: ex recepta sententia D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 8. & quæst. 76. art. 4. Ob peccatum vero tantum veniale, etiam notorium, non redditur quis indignus beneficio: vt nec ob mortale, si per iustam pœnitentiam deletum sit, nisi fuerit de iis quæ inducunt inhabilitatem aut impediunt ordinis executionem. Vtrumque docet *Nauarr. in Miscellaneo 34. De oratione num. sexto.* Proque priore facit cap. Vnum orarium, distinct. 25. & pro posteriore cap. finale, De temporib. ordin.

De dispensatione in beneficio cum indigno.

Sectio Vltima.

177. VSum talis dispensationis improbandum esse, non obscure Concilium Trident. indicauit in sess. 6. cap. 1. sess. 23. cap. item 1. & sess. 24. cap. adhuc 1. sub finem. Et ratio est: quia impedit debitam executionem officij quod diuina institutione incumbit beneficio: vt v.g. Episcopo, vel Curato; impedit, inquam, in iniuriam tum Dei, cuius cultus negligetur: tum animarum quæ ideo misere pereunt: tum aliarum personarum, quæ vellent, & possent tali executioni pro dignitate vacare, & satisfacere. Quamquam id non obstat, quin per accidens possit aliquando eidem dispensationi esse locus, idque duobus modis. Prior est, quo Papa potest in iis omnibus dispensare, quæ iure Ecclesiastico, aut statuto fundatoris addita fuerint ad illa quæ sunt requisita iure diuino. Sic quoad ætatem dispensare potest in numero annorum ab Ecclesia determinato: & quoad alias qualitates potest cum habente illas in spe, dispensare vt non teneatur eas reipsa habere, antequam accipiat beneficium: vt cum eo qui non habet quidem sufficientem scientiam: spes est tamen, quod breui habiturus sit.

Neque tantum Papa, sed etiam Episcopus potest in tribus casibus dispensare circa numerum annorum. Primus est, quo per cap. vnicũ, De ætate, & qualitate, in 6. permittitur Episcopo dispensare cum eo qui annum 20. absoluit, vt possit recipere dignitatem, aut personatum cui non subest animarum cura. Quam tamen dispensationem aduerte non debere fieri in cathedrali Ecclesia iuxto Concilium Trid. sess. 24. cap. 12. De reform. nisi cum illis qui 21. annum ætatis absoluerunt. Aduerte item, *quod habetur ex cap. Dudum 2. De electione §. Licet autem*: de numero dignitatum, quibus subest cura animarum censendas esse illas, quæ talem curam habent tantum in foro exteriori, vt quæ sunt cum potestate, excommunicandi, suspendendi, interdicendi, & ab iisdem pœnis absoluendi, visitandi, inquirendi, recipiendi procurationes ratione visitationis: quæ in actus sunt iurisdictionis in foro exteriori.

Secundus autem casus est, *apud Syluestrum, Beneficium 3. q. 2.* quo Episcopus cum eo qui studet, dispensare potest vt Parochialem Ecclesiam recipiat ante 25. annum, dummodo sit illius ætatis, vt intra annum fiat subdiaconus: ad quem ordinem ex Concil. Trid sess. 23. cap. 12. De reform. requiratur 22. incœptus, debebit excessisse annum vigesimum. Et quamuis Armilla in verbo Beneficium, nu. 81. contrarium significet: id tamen satis probabiliter colligitur ex cap. Cum ex eo, De electione in 6. vbi Episcopo conceditur vt cum tali possit ratione studij ad septennium dispensare, ne per id tempus teneatur officium facere per seipsum. Vnde cum ætas ad beneficium non requiratur nisi ob officium: eo ipso quod Episcopo fit potestas dispensandi in officio, *quod maius est*, consequenter fit potestas dispensandi in ætate, quod est minus. Nam ex regula 35. iuris in 6 plus, semper in se continet quod est minus, & ex regula 53. eod. lib. Cui licet quod est plus, licet vtique quod est minus. Adde Ecclesiæ vtilius esse, vt studeat is qui nondum 25. annum attigit, quam senior: quia ille qui iunior est, studiis aptior est cæteris paribus.

Tertius casus est, *in multis aliis habens locum* quo in omni re in qua potest Papa dispensare cum quibusuis fidelibus, potest quoque Episcopus cum subditis suis, quando vtilitas Ecclesiæ, aut alicuis particularis necessitas exigit: nec Summus ipse Pontifex adiri potest, vel propter breuitatem temporis, aut aliam difficultatem: vel propter scândalum, aliud ue iustum impedimentum. Quem casum Syluester notat *in verbo, Dispensatio, quæst. 9. seu num. 15. casu 2.* Pro quo & facit, quod in tali casu si Papa adesset præsens, teneretur dispensare: quandoquidem tenetur procurare bonum Ecclesiæ, & fidelium saluti consulere: ideoque merito præsumitur, quod si rem sciret, ratum haberet talem dispensationem ab Episcopo dari.

178. Posterior modus quo per accidens cum indigno dispensari potest, in eo cõsistit, quod Papa in materia proposita interpretari possit, quæ sunt de iure diuino. Nam cũ ius omne diuinum sit propter Ecclesiæ vtilitatem, ipsum potest, & debet eo modo explicari, quo maior inde proueniat Ecclesiæ vtilitas. Fieri autem potest vt magna aliqua Ecclesiæ vtilitas postulet conferri beneficium non digno: de quo Summi Pontificis est iudicare, & statuere. Quoquidem vt recte fiat, tria sunt necessario obseruanda. Primum est, vt ille cui beneficium datur, si non re, saltem spe censeatur eo dignus. Nam qui non speratur futurus vnquam dignus, nullo modo potest recipere beneficium, cum sit contra omnem rationem, vt committatur ei officium ad quod nunquam potest aptus esse. Secundum est: quia ille, qui spe tantum dignus est, reuera dignus non est, *quod enim speratur nondum est*; & plerumque huiusmodi spes fallax est; maxime in pueris, vt Sotus recte monet *lib. 3. De iustit. & iure, quæst. 6. art. 2. in fine*: propterea oportere, vt tale detrimentum incumbens Ecclesiæ, compensetur alia maiori, aut æquali vtilitate. Tertium est, vt interea dum talis fit idoneus ac dignus, ita prouideatur beneficio, vt officium ei coniunctum exerceatur ab alio iam idoneo, ne grex Christi graue aliquod damnum patiatur.

Hic pro institutione Cõfessarij de eo, qui sine dispensatione accepit beneficiũ cuius incapax fuit, siue vt inhabilis, siue vt indignus, monendum est primo, quod teneatur pœnitere de tali acceptione iniusta. Secundo, quod non possit amplius tale beneficium retinere, nec alteri resignare (quandoquidem resignatio supponit titulum, seu ius retinendi, quod ipse non habet) sed debeat simpliciter illi renunciare in manu collatoris ordinarij, tanquam is, qui non est ingressus per ostium, sed ascendit aliunde. 179.

Tertio, quod teneatur restituere omnes fructus iniuste perceptos, prout tradidimus sub finem præcedentis sectionis primæ: aut obtinere à Summo Pontifice illorum remissionem. Quarto, quod si beneficium sit curatum, præterquam quod peccat grauius, quam si beneficium esset simplex, omnes iurisdictionis actus, quos exercet nullius sunt roboris: aut non valeat ab eo lata excommunicatio, vel data absolutio siue ab excommunicatione, siue à peccatis: nisi taliter possidens beneficium, confirmatus fuerit à Papa, vel ab Episcopo habente ad id authoritatem. Tunc enim actus omnes iurisdictionis quos exercuerit, valebunt: ideoque vere absoluet, alioquin faciet, quæ indictionis sunt. Faciet autem non vt pastor ordinarius: sed vt extraordinarius, & delegatus. Quæ doctrina est Rosellæ *in verbo Confessio 3. in fine*, & Syluestri, *Confessor 1. quæst. 10.* 180.

Postremo, quod ne coloratum quidem titulum habeat is qui beneficij capax non est: & ideo nec possit vnquam præscribere, prout docet Rebuffus *in tract. De pacifica possessorib. num. 172.* quia falso, & ideo nullo, titulo possidet. Neque suffragatur ei ignorantia ex eod. authore *in sequenti nu. 204.* quoniam ea non potest dare titulum verum, ac quo quis iuste teneat beneficium illud cuius nõ est capax. Immo neque a peccato excusat, si sit ignorantia iuris: qui enim beneficium accipit, tenetur ea didicisse quæ ad suum statum spectant. Vnde fit, vt non nisi culpabiliter ea ignorare valeat. Verumtamen Thomas Sanchez authoribus citatis *lib. 7. De matrim. disput. 42. num 15.* notat hoc tantum habere locum in omnino incapacibus: quales sunt laicus, & Clericus coniugatus: non autem excommunicatus, & irregularis, & alij id genus. Quid videatur sequendum in praxi, tradetur in seq. lib. 32. num. 49. 50. 51. & 53. 181.

Caput XIII.

Cuius prior pars est de beneficij Ecclesiastici acquirendi intentione debita.

Svmmarivm.

180 *Intentio recipiendi sacerdotium, requisita ad acquirendum beneficium curatum, & percipiendum fructus illius.*

181 *An eosdem fructus perceptos, non habendo talem intentionem, teneatur restituere, & an is etiam qui dubius fuit.* 182.

182 *An is item qui beneficium parochiale accepit cum intentione illud dimittendi si offeratur aliud, aut patrimonium pinguius.*

183 *Non teneri perinde ad restitutionem eos, qui beneficia non Parochialia, ac qui Parochialia habentes, statuunt suscipere statum coniugalem.*

184 *Quando tale quid statuentes peccent mortaliter.*

185 *Quando non sint sacramentaliter absoluendi.*

186 *Tria appetibilia possunt in beneficio considerari, eminentia, prouentus, & ministerium.*

187 *Regula iudicandi de peccato quod committitur appetitione, & procuratione beneficij Ecclesiastici.*

188 *Explicatio difficultatis de ea, qua quis beneficium appetit, aut procurat vt fiat ditior, vel commodius viuat, vel honoretur.*

189 *In quibus casibus licet beneficium appetere, licet etiam procurare.*

190 *Quando sit, aut non sit licitum beneficium recusare.*

INTENTIO recta in procurandis, & acquirendis beneficiis necessaria est, partim vt collatio licite fiat; partim vt fiat valide, & sine onere dimittendi acquisitum, & restituendi fructus perceptos. Id quod in particulari explicandum est primo, in Parochiali beneficio, deinde in non Parochiali.

180. Igitur ex Ecclesiæ decreto in cap. Commissa. §. Cæterum De elect. in 6. si quis Parochiale beneficium accipiat sine animo suscipiendi presbyteratum & fructus illius intra annum percipiat, ac postea idipsum beneficium dimittat: tenetur omnes fructus perceptos restituere. Id quod in foro conscientiæ procedit non expectata Iudicis condemnatione ex Soto, *lib.* 10. *De iust. & iure quæst.* 5. *art.* 6. *concl.* 1. quia inquit ille, quantumuis collatio beneficij Parochialis fiat absolute: intelligitur tamen esse cum obligatione, vt ille cui fit, ad sacerdotium promoueatur: alioqui dominium fructuum non acquirit iuxta memoratum paragraphum.

Cæterum. Istud Soti dictum Nauar. *in tractatu de oratione, cap.* 21. *num.* 47. approbans: in sequen. 49. aliam rationem reddit: quod etsi regulariter non teneatur quis pœnam soluere ante Iudicis sententiam: id tamen locum non habeat, quando ea ipso iure imponitur, mensque imponentis est, vt debeantur in foro conscientiæ sicut fuit imponentis hanc: vt satis intelligitur ex ratione quæ in eodem §. Cæterum, redditur illis verbis: Cum perceperis eos fraudulenter. Nam talis ratio indicat restitutionem faciendam esse de iure naturali, ac proinde non expectata Iudicis sententia.

181. Dubitatur autem primo, circa idem decretum, An procedat in eo qui mutato animo suscepit presbyteratum tempore debito: nimirum intra annum iuxta cap. Licet Canon. De electione, in 6. Ad quod Sotus in eodem loco ait, talem teneri restituere fructus perceptos toto tempore, quo non habuit animum suscipiendi presbyteratum. Sed Nauarro contrarium probabilius videtur: tum in sequen. numero quinquagesimo, tum *in Enchir. cap.* 25. *num.* 118. quia fraus adhibita in principio purgatur per promotionem subsecutam: præsertim cum decretum in memorato §. Cæterum, sit conditionale: nempe si ille de quo sermo est, voluntate mutata non fuerit promotus.

Dubitatur secundo, An procedat in eo qui dubius est, debeatne presbyter fieri. Ad quod sicut ad præcedens, respondent Sotus, & Nauarrus; ille affirmatiue; & hic *in memorato num.* 118. negatiue sine exceptione casus in quo cœperit quis esse dubio animo, quando promotus est ad tale beneficium. Cuius ratio est, quod cum prædictum decretum agat de eo, qui non habet animum, idipsumque sit pœnale, non debeat interpretatione extendi ad eum, qui animum habet dubium. Nec de eo vere dici potest, quod non intendat promoueri ad presbiteratum: sed solum quod habeat intentionem infirmam. Quæ ratio bona quidem est, sed in ea re cauendum est à fraude: quæ si interueniat, præferenda est Soti sententia, tanquam fundata in ratione memorati, §. Cæterum: quod scilicet Ecclesiæ parochialis fructus fraudulenter accipiantur.

182. Dubitatur tertio, An idem decretum procedat in eo, qui accepit parochiale beneficium animo illud dimittendi, si aliud beneficium, aut patrimonium pinguius ipsi obtingat. De qua Gabriel in 4. dist. 15. qu. 8. art. 3. dubio 1. existimat talem teneri ad resignationem, nisi mutet eam voluntatem. Panorm. vero ad cap. Relatum, De Clericis non residentibus & cum eo Rosella, Clericus, 4. num. 13. Angelus, Clericus, 7. num. 6. Sylu. Beneficium, 3. in fine, putant talem peccare quidem, non teneri tamen resignare, sed sufficere vt pœniteat.

De restitutione autem fructuum perceptorum nihil dicunt. De qua Nauar. *in eodem ante memorato num.* 118. sentit prædictum non teneri ad eam: immo neque peccare, dummodo habeat animum interea satisfaciendi obligationi beneficij dum aliud ei non confertur. Addens, idem quoque sentiendum esse de eo qui beneficium recipit animo satisfaciendi obligationi illius; sed cum proposito, quod si frater suus primogenitus obierit sine liberis: aut si ad componendam pacem, vel ad extinguendas lites, aut ad decus familiæ augendum expedierit, vxorem ducere; id faciet. Quæ opinio licet sit probabilis in speculatione: periculosa tamen est in praxi. Nam libertas ea accipiendi fructus beneficij sine obligatione restituendi, occasio esse poterit fraudulenter agendi: ad quod incommodum vitandum constitutum est decretum de quo loquimur, vt satis patet ex verbis ante relatis ex paragrapho Cæterum, in fine responsionis ad 2. dubium.

183. QVOD ATTINET ad recipientes beneficia non Parochialia; dubitatur primo, Ad idē quod de præcedentibus dicendum sit: nempe si non habentes animum accipiendi ordinem Clericalem iisdem beneficiis, siue de iure cōmuni, siue statuto aliquo annexum; percipiant illorum fructus: teneantur sic perceptos restituere, dato postea dimittant ea ipsa beneficia. De qua re sententia est Gabrielis *in eodem dubio primo*; tales ad restitutionem similiter teneri: quia intentionem habent fraudulentam. Sed Nauar. & Sotus locis citatis sentiunt contrarium: quia pœnæ sunt interpretatione restringendæ; neque eiusmodi obligatio est de alio iure, quam illo humano, quo ea imponitur per supra memoratum cap. Commissa §. Cæterum, De electione in 6. In eo autem, est tantum mentio de Parochialibus beneficiis: adeout obligatio eius, ne ad illum quidem extendi debeat, qui beneficium curatum recipit, sed non parochiale vt Abbatiam, Prioratum, Præposituram, & similia, quæ sunt cum animarum cura, non tamen proprie parochialia.

Dubitatur secundo de iisdem, An ad prædictam restitutionem teneantur, si non habentes animum agendi vitam Clericalē, sed transeundi ad coniugalem, percipiant fructus beneficiorum acceptorum cum eo animo. De quo Nauarr. *in tractatu De oratione cap.* 21. *num.* 52. sentit non teneri, dummodo eadē beneficia acceperint, & illa retineant eo animo, vt iisdem sufficienter inseruire velint, viuentes Clericaliter, donec ducant vxores, eadem tunc temporis relicturi. Ratio Nauarri est, quod nullo iure neq; diuino, neq; humano cōtrarium conuinci possit: & quando nihil aliud obstat, canones talibus liberū ad coniugia concedunt transitum, dummodo beneficia relinquant. Cap. Diuersis fallacijs, & ca. Ioannes, De Clerico coniugato. Adde quod collatio beneficij facta nō habenti propositū suscipiendi ordinem illi annexū: immo proponenti aliquando vxorem ducere: sit de rigore iuris valida: itaut talis, mutata ea voluntate, nō habeat opus noua collatione, vt Sotus expressit in quæstione addita supramemoratæ (num. 180.) primæ cōclusioni. Id vero deduci potest ex eo, quod per cit. §. Cæterum, accipiēs parochiale beneficium siue animo suscipiendi presbyteratum, mutata ea voluntate valeat fructus illius percipere tanquam suos. Quodquidem ostendit titulum fuisse de ea validum, etsi cum aliquo impedimento percipiendi fructus.

184. Quamuis autē id ita sit, cum mortali tamen peccato plerumque tale beneficium retinetur. De quo pro Confessarij institutione hæc notanda sunt. Primum, quod ex Soto loco citato habet Nauar. *in memorato cap.* 21 *num.* 51. eum qui accipit beneficium Parochiale sine animo suscipiendi Sacerdotium, non tantum teneri ad restitutionem fructuum perceptorum, sed etiam ad illud relinquendum, aut ad mutandam eam voluntatem sub pœna peccati mortalis: quoniam qua ratione iniustum est accipere eo animo beneficium, eadem etiam iniustum est illud retinere.

Secundum est, *de quo idem ibidem*, peccare quoque mortaliter illos, qui alia beneficia accipiunt, non intendentes suscipere ordines illis annexos. Probatur, quia iure tam naturali quam diuino, qui accipit aliquod munus, curare debet vt habilis sit ad illud exercendum. Ad quod facit c. Non est putanda, in fine, 1. quæst. prima: vbi aspirans ad Sacerdotium præcipitur vires suas cum eo quod subiturus est onere metiri: vt si sit impar, abstineat.

Tertium est, *de quo idem adhuc ibidem*, etiamsi beneficia nullum ordinem præter primam tonsuram requirant, accipientes illa animo viuendi laice, & non clericaliter, esse in statu peccati mortalis: cum ex Clementina 2. De vita, & honest. Clericorum, indignos se exhibeant sua professione, & tanquam sui status desertores se gerant.

Quartum est, *de quo idem Nauar. in Miscellaneo 44. De oratione, num. 2.* peccare mortaliter eum, qui capit beneficium animo postea relinquendi illud, & mutandi statum Clericalem in coniugalem. Quod simpliciter à Soto assertum idem Nauarrus ibidem, *tanquam nimis durum*, putat molliendum distributione: vt scilicet procedat cum quis animo absoluto mutandi statum Clericalem, acceperit beneficium; non autem cum id fecerit animo conditionato, si aliquid proposito suo conuenientius superueniat: & interea velit dum, illud tenuerit, facere omnia quę idipsum beneficium requirit.

185. Ex quibus notabit Confessarius non esse absoluendum: primo eum qui habens beneficium, non vult gestare tonsuram, & habitum Clericalem: quia id est nolle viuere Clericaliter: peccareque mortaliter etiamsi beneficium sit simplex, quemadmodum cum Soto *lib. 10. De iust. & iure quæst. 5. art. 6.* Nauar. *in Enchir. cap. 25. num. 118 in fine*, & ex antedictis à nobis, in præced. cap. 2. satis constat.

Secundo, eum qui non vult recitare horas canonicas ad quas tenetur: nam & is est in statu peccati mortalis, vt satis patet ex antedictis c. 4. Præterea eum, qui beneficium quātumuis simplex retinet sine animo saltem virtuali suscipiendi sacros ordines. Nam vt Nauarrus habet *in fine citati Miscellanei 44.* Omnis ille qui accipit beneficium quantumlibet simplex, debet habere animum saltem virtualem, vel accipiendi ordines ipsos sacros, si id necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ exegerit, *iuxta cap. Quæres, De ætate, & qualit.* vel certe renunciandi suo beneficio, prout idem *in præcedenti Miscell. meo 43.* docet ex eo, quod ius ibidem statuat nolentem suscipere, priuandum esse beneficio; vnde intelligitur relinqui eidem liberum, beneficio suo renunciare: quo est alioqui priuandus. Eum autem qui neutrum velit. *ex eodem Nauar. ibidem num. 3.* absoluendum non esse. Quod ipsum potiore ratione dicendum est de habentibus beneficia quibus annexi sunt ij Ordines quos nolunt suscipere. Ac tales quidem Episcopus, *etiamsi necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ non vrgeat*, ad susceptionem potest cogere per pœnas à iure constitutas, iuxta cap. Cum in cunctis, De electione §. Inferiora, & cap. Licet canon, ad cap. Commissa, eodem tit, in 6. ac per Clementinam, Vt hi qui, De ætate & qualit. Non potest autem alios, *etiamsi necessitas adsit*, si aliqua iusta de causa excusentur à tali susceptione: prout idem Nauar. *sub initium citati Miscellanei, 43.* docet per cap. Quæris, ante memoratum.

His est adiungendus ille, qui cum habeat beneficium requirens residentiam, intendit non residere. Nam nec talis absoluendus est, cum sit in statu peccati mortalis, nolens satisfacere obligationi sibi impositæ in re graui. Si quæras an dem de eodem dicendum sit, si intentionē habeat tale beneficium post aliquod tempus, resignandi in fauorem tertij, reseruata sibi pensione ex auctoritate Papæ. Respondeo non videri dicendum: si animum saltem habeat per aliquot annos inseruiendi in eodem beneficio. Excipe nisi tunc cum Episcopus illud ei conferret, iuramentum exegerit (vt licite potuit: cum æquum sit, vt petentes beneficium habeant intentionem seruiendi in illo, etiamsi procedente tempore, possint ex causa illud resignare, vel permutare) quo iuramento affirmarit se non habere intentionem tale beneficium obtinendi ad ipsum resignandum, aut permutandum, sed se seruiturum in illo: sique contrariam intentionem habeat, periurij quidem reus est: non ideo tamen irrita est collatio; cum, *vt supponimus*, facta sit capaci: habente sufficientem authoritatem, neque detur lex eam irritans. Adeout tali ad beneficium ipsum retinendum, videri possit sufficere vt mutet prauam illam suam voluntatem. Quod si nolit facere, absoluendus non est tanquam impœnitens.

PARS POSTERIOR CAPITIS.

De appetendis, & procurandis beneficiis.

CVm tria in beneficio cōsiderare possumus: primo quidem eminentiam, & honorē, quo beneficiarius præit aliis, & ab eis colitur: secundo vero, prouentus qui iure beneficij quotannis percipiuntur: & tertio, ministeriū, quod beneficiarius præstat in Ecclesia ad Dei cultum, in bonum Ecclesiæ: primi cupiditas immoderata, rationē habet superbiæ, & inanis gloriæ secundi vero, rationem auaritiæ: & tertij, tanquam desiderij vltra propriam facultatem, rationem presumptionis, vt ex D. Thomæ doctrina Sylu. notat *verbo, Superbia, quæst. 7.* Quando autem contingat immoderatam esse beneficiorū cupiditatē, & cum peccato: vel contra moderatam esse, & absque peccato, intelligendū est ex circunstantiis: quia cum beneficium sit res de se indifferens, illius appetitio rationem boni, vel mali habet tantū ratione circunstantiarum. Qua de re iudicandi proponemus aliquot regulas desumptas ex doctrina, quam de ea tradunt, tum in genere Angelus in verbo, Ambitio. Sylu. in verbo, Beneficium, 3. q. 17. Caiet. eodem verbo, & Armilla, nu. 38. & 39. Tabiena eodē idem verbo 2. quæst. 22. ac Nauarrus in Miscell. 36. De oratione: tum etiam in specie de Episcopatu D. Thomas 2. 2. quæst. 185 art. 1. & 2. cum eo tam Caiet. ibidem, quam Sotus lib. 10. De iust. & iure q. 2. art. 1. & 2. 186.

Prima igitur est, Eum mortaliter peccare, qui appetit beneficium pro tempore, quo est illo indignus, & incapax, ob defectum aliquem iuris siue naturalis, siue diuini, siue Ecclesiastici. Ratio est: quia appetit quod licite habere non potest: & simul, officium cui nec potest debite satisfacere. Aduerte tamen, eū qui nihil cogitans de sua indignitate, beneficium solo actu complacentiæ propterea desideret, quod se pauperē, & indigentem videat, non peccare: quia talis delectatio non est de obiecto malo: quando quidem delectatur de beneficio, non vt est eo indignus: sed vt eo ipse indiget ad sui sustentationem: quod est delectari de bono, nec illicitum est: sicut nec quod quis tristetur de malo, quod patitur ex obedientia, vel ex obligatione, non quatenus illud patitur ex debita obligatione: sed solum vt sibi malum est, durum, ac difficile. 187.

Secunda regula est, Eum etiam peccare mortaliter, qui quamuis sit beneficio dignus, illud tamen ita appetit, vt paratus sit illud obtinere via iniusta, ac per peccati mortalis commissionem: vt per simoniam, fraudem, aut violentiam. Hæa de se satis patet.

Tertia est, Similiter peccare mortaliter eum, qui beneficium appetit, aut ob finem aliquē mortalem: vt ad luxuriose, turpiterque viuendum, aut in notabile detrimentum Ecclesiæ, vel scandalum populi. Quæ etiam de se patet. 190.

Difficultas est autem de eo, qui vult beneficia, vt fiat ditior, vel vt viuat commode, vel vt honorem, & gloriā apud homines habeat. De qua dicendum est vanum esse eum qui ob tales fines beneficia ad Dei cultum instituta, appetit: atq; peccare peccato auaritiæ, vel gulæ, vel ambitionis: nō tamen mortaliter, vt sentit Nau. *in cit. Miscel. 36. dicto 4.* quia pecuniæ, & honores non sunt res de se malæ; sed tantū ineptæ, vt ipsæ per se, aut aliæ propter ipsas expetātur: quod nō sufficit ad rationem peccati mortalis, si nulla addatur circunstantia, ad talem rationem sufficiens. Nō esse autem peccatum, si quis beneficium velit principaliter quidem ad seruiēdum Ecclesiæ, sed minus principaliter, vt ipse qui indigens est, habeat vnde alatur: vel vnde parentes, fratres, sorores, & fratrum, vel sororum filios indigentes sustentet, vt locis superius citatis Sylu. Angelus, Armilla, & Caietanus annotant. Et ratio est, quod quantumuis beneficia instituta sint principaliter ad Dei cultum, & bonum Ecclesiæ, secūdario tamen sunt instituta ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & in cibum pauperū. Adde quod sit opus charitatis, 188.

& mise-

& misericordiæ, tam sibi quam parentibus indigentibus prouidere.

Immo quantumuis quis patrimonium sufficiens haberet ad suam, & suorum sustentationem; laudabile tamen esset beneficium eo fine appetere, vt plus habeat, quod in eleemosynam, aut pios vsus impendat. Quodquidem procedit etiam in Episcopatu (de cuius appetitione maior est, quam de cæteris difficultas) vt non censeatur peccare nobilis, & doctus vir, bonæque vitæ, qui pro ratione suæ conditionis, & status indigens, appetit Episcopatum, vt in eo seruiens Deo, debitumque officium præstans, habeat vnde sustentetur secundum status, generisque sui conditionem: aut etiam suis, iuxta conditionem status ipsorum indigentibus, prodesse queat de necessarijs: credatque, non præsumens, sed de auxilio diuino humiliter confidens, se futurum exemplo bonæ vitæ, & vacaturum officio suo pro viribus; cum interea bene vixerit antea, & literis sufficienter vacauerit: animumque habeat bene viuendi semper, ac peccandi pericula deinceps quoad poterit vitandi, & pijs operibus iuxta suam conditionem vacandi. Ratio est: quia Episcopatus non est res ex se mala, sed indifferens, quæ ex fine, vel alia circumstantia ab appetente adiuncta, bona est, vel mala. In tali autem casu non est adiuncta mala circumstantia; ergo nec peccatum. Videri potest Nauar. in sequenti Miscellaneo 37. nu. 6. Quia tamen raro omnes istæ circumstantiæ concurrunt, Caiet. *in verbo, Beneficium, versu Beneficium autem*, ait vix possibile esse, tale munus appetere sine peccato; vel ex parte appetentis, qui sit indignus; vel ex parte mediorum, quæ sint illicita; vel ex parte finis, qui sit indebitus.

189. Quarta regula est, In ijs casibus in quibus licitum est appetere beneficia, esse quoque licitum ea procurare. Ratio est, quam habet Caiet. *in verbo, Beneficium, versu, Beneficium autem*: quod beneficium pro se petere, aut procurare, eiusdem moris sit, cuius est illud appetere: hoc excepto, quod procurare cum sit actus externus, qui scandalizare potest, maiore egeat rectitudine, seu cura seruandi circumstantias debitas; quam appetere, qui actus est interior. Cæterũ procedit hæc regula in eo qui dignus est tali beneficio, quantumuis sit alius dignior, qui procuret: dummodo se pariter subijciat examini & obijciat in cõcursu: suaq; merita, partes, ingenium, industriam, aliaque similia ostendat: Quod non esse illicitũ argumento est: tum quod ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 18. probetur, vt per edictum etiam publicum, vocentur volentes examinari ad beneficium vacans obtinẽdum: tum quod inde excitentur multi ad virtutis, & literarum studium: atque sic viri docti, & boni promoueantur, & præcludatur Episcopis aditus, ad ea ob fauorem conferenda suis familiaribus, & consanguineis; tum quod obuietur occasionibus simoniæ committendæ, & mali, ac indigni excludantur à Clero, qui propterea honorabilior, amabiliorque sit populo. Adde quod nunc in vsu, & more positum sit vt beneficia non dentur nisi petantur aliquo modo; nempe nutu, vel prece, vel verbo, aliove signo.

190. Postrema regula est, Aliquando non tantum esse licitum appetere, & petere beneficium: sed etiam illicitum esse illud respuere oblatum: nempe cum interuenit præceptum Superioris obligans acceptare: aut cum Ecclesiæ necessitas ad id compellit: eo quod non sint alij idonei: vt si Episcopatus sit in terris hæreticorum, aut paganorum, vbi Catholici versantur in periculo amittendi fidem. Extra quos casus, vel alios similes beneficium recusare, non est peccatum: quia Sancti viri id fecerunt: nec item est acceptare oblatum, cum quis fuerit eo dignus, iuxta ante tradita.

CAPVT XIV.

De modis legitimis acquirendi beneficia Ecclesiastica, ac primo de electione.

SVMMARIVM.

191 *Quid sit, & quorum beneficiorum sit, ac quotuplex sit electio.*

192 *De potestate electi: & de prælaturis, & beneficijs ad quæ electus non eget confirmatione.*

193 *Quis eligere, & quis eligi possit.*

194 *Quædam tenenda de confirmatione electi.*

195 *Peccatum est mortale ad beneficium eligere, vt indignum: sic & minus dignum relicto digniori.*

196 *Eligens indignum relicto digno tenetur ad restitutionem damnorum secutorum: non autem eligens minus dignum relicto digniori.*

197 *Beneficium digno resignare digniore relicto, aut cum illo permutare, aut illi conferre, quatenus sit peccatum.*

198 *Quando peccet minus dignus concurrens cum digniore in petitione beneficij: & quando item peccet admittens sibi in tali petitione delatum beneficium.*

199 *Quis in electione sit habendus dignior.*

200 *Aliquot casus, in quibus non est peccatum, saltem mortale, in beneficio dignum præferri digniori.*

VT quis legitime acquirat beneficium Ecclesiasticum, plurima quidem requiruntur: sed omnia reducuntur ad duo capita? quorum prius est, vt is cui beneficium confertur, sit illius capax, prout esse censetur is, qui caret impedimentis in capit. 11. expositis: habetque conditiones in cap. 12. declaratas. Posterius est, vt idipsum beneficium debito, licitoque modo ei conferatur ab habente ad id legitimam authoritatem. Plures vero sunt tales modi iure canonico instituti, quibus Ecclesiæ ministri suis beneficijs præficerentur: vocarique solent tituli: in quorum consideratione deinceps versabimur, dicturi primo de electione, secundo de postulatione, & de nominatione, tertio de præsentatione facta à patrono, quarto de simplici collatione, quinto de aliquot alijs modis, maxime de triennali possessione, sexto de rescriptis Apostolicis, & postremo de acquisitione beneficij per indignum.

Electio autem est alicuius personæ idoneæ vocatio ad beneficium, plurium suffragijs canonice facta, & Superioris authoritate confirmanda. Ad cuius definitionis notitiam, ac cæterorum quæ ad electionem ipsam spectant, faciunt quæ Azor docet *in 2. parte Moral. Institut. lib. 6. cap. 14. & 15.* Sed quia talis modus parum admodum vsitatus nunc est, propter ius nominandi passim concessum Principibus: contenti erimus subiecisse aliquot documenta. 191.

Primum est, Electionem esse tantum ad prælaturas, vel dignitates Ecclesiasticas coniunctam habentes iurisd. in Ecclesiasticas personas: vt ad Episcopatus, & ad Abbatias, omnesque alias dignitates Prælatorum, qui sunt capita Ecclesiarum siue regularium, siue secularium & authoritatem habent corrigendi, ac faciendi cætera quæ sunt iurisdictionis in foro externo. Fit autem electio à collegio, seu congregatione Clericorum, in quos habetur talis iurisdictio. Neque ea tribuit plenum ius in beneficium, sed tantum ius ad illud: vtpote quæ indiget adhuc confirmatione Superioris: Episcopi, inquam, vel Papæ à quo & reuocari potest, iuxta c. Nosti, cap. Qualiter, &c. Cum dilectus, & cap. Nihil, De electione.

Secundum est: Electionem esse duplicem: vnam proprie, strictèque sumptam: & alteram late sumptam. Illa est quæ fit à collegio canonicorum, vel conuentu, seu congregatione Clericorum, siue secularium, siue regularium: de qua agitur toto titulo De electione. Et est ea, quam diximus non tribuere plenum ius in beneficio, sed tantum ius ad illud reuocabile per Superiorem, cuius confirmatione indiget: de qua re Azor tractat in citato lib. 6. cap. 16.

Cæterum ante eamdem confirmationem obtentam, non potest electus quidquam rerum ad suam dignitatem pertinentium administrare, ex citato cap. Nosti: atque adeo si prius moriatur, quam illam obtineat, beneficium ad quod electus fuit, non censebitur vacare per obitum ipsius, sed alterius, qui prius illud habebat. Post confirmationem vero, plenam habet bonorum temporalium administrationem, potestque exercere spiritalia, quæ sunt iurisdictionis fori externi, vt excõmunicare, beneficia conferre, iudicare, corrigere, & alia id genus facere: ex c. Transmissam, De electione: etiamsi Episcopus adhuc egeat consecratione, vt possit 192.

exercere ea quæ sunt ordinis, vt templa consecrare, conferre ordines, conficere chrisma, & similia, ex cap. Quod sicut, §. Super eo, eodem titulo.

Posterior electio *(late inquam sumpta)* est, qua Canonici, vel alia congregatio Clericorum eligendo, conferunt præturam eam vel dignitatem ad quam eligunt, itaut confirmatione talis electio non indigeat. Cuiusmodi est, nõ tantum ea, qua Papa eligitur a Cardinalibus: sed etiam ordinarie ea qua generalis præpositus regularium eligitur congregatione generali illius ordinis, cui præficitur electus. Itemque electio ad aliquos canonicatus, quæ alicubi fit in Ecclesia Cathedrali, per suffragia Canonicorum, vna cum suffragio Episcopi: aut in Ecclesia collegiata per sola suffragia Canonicorum: id quod ex priuilegio aliquo Papæ, aut ex consuetudine legitime præscripta pendet. Porro propriæ dictæ electionis ad beneficia vsus, vt iam attigimus, fere desiit in Ecclesia: vnde nihil est cur immoremur in explicatione solemnitatis ad eam requisitæ per cap. Quia propter, De electione, quam habet Sylu. in verbo, Electio secundo.

193. Tertium documentum est: Eligere de iure communi, *ex cap. primo De electione, & cap. Congregatio, 16. quæst. 7. ac cap. Abbatem, 18. quæst. secunda*, esse Clericorum pertinentium ad illud collegium, cui Prælatus eligitur: prout ad læculare quidem collegium cẽsentur Canonici pertinere: ad regulare autem Religiosi. Vbi notandum est primo, absentem iusto impedimento detentum non debere per literas dare suffragium, sed instituere procuratorem vnum, vel plures, ex cap. Si quis, De electione, in 6. De qua re videndus est Sylu. *in verbo, Electio, 1. quæst. 3.*

Notandum est secundo: vt Canonicus possit eligere, requiri vt sit maioribus ordinibus, saltem Subdiaconatu, initiatus iuxta Clementinam. Vt ij qui, De ætate, & qualitate: ideoque iuuenem 22. annum nondum attingentem, ius eligendi non habere: quoniam is annus incœptus requiritur ad Subdiaconatum, ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 12.

Notandum tertio, eos de collegio regularium, qui nec expresse, nec tacite in illo professi sunt, non habere suffragium in electione Prælati, prout habetur in cap. Ex eo, De electione, in 6. vbi idem quoque statuitur de conuersis. Adde ex Syluestro *in sequenti quæst. 4.* de iure communi, nec excommunicatum eligere posse, nec suspensum ab officio, nec interdictum, nec eum qui scienter celebrauit in loco interdicto, nisi priuilegiatus esset: nec eos qui scienter elegerunt indignum, nec irregulares, nec demum, qui per laicalem abusum elegerunt: nempe si electores de consilio, & voluntate laicorum aliquem elegerunt, vel si conuocarunt personas laicas ad ferendum simul cum ipsis suffragium contra præscriptum capituli Cum terra, & cap. Massana, De electione. Non est vero prohibitum post electionem requirere earumdem personarum assensus: sed ita vt eo non obtento, et nihilominus valeat, ex eod. c. Cum terra, in fine.

Quartum est: non posse quo suis eligi: sed tantum eos qui iuxta dicta in præcedentibus capitibus digni sunt, nec habent impedimenta, De quibus: ob rationem quam ante attigimus, nihil necesse est nos plura dicere. Videat qui volet Syluestrum in verbo, Electio, 1. quæst. 13.

194. Quintum est: De confirmatione electi ad beneficium hæc esse tenenda. Primo, quod ea sit electi ad beneficium approbatio facta à Superiore: in quo distinguitur à collatione, quæ est libera beneficij cõcessio: & ab institutione, quę est collatio beneficij, facta ad patroni præsentationem. Secundo, quod tribuat electo plenum ius in beneficio, ad quod est electus: itaut possit ea quæ in iurisdictione consistunt exercere: non vero ante consecrationem exercere quę sunt ordinis Episcopalis, vt iam ante notauimus in documento quarto. Tertio, quod eam siue electus, siue electores debeant petere intra tres menses post consensum in electionem exhibitum ab ipso electo: alioqui nulla est electio, ex cap. Quam sit, De electione in 6. ex quo etiam habetur, electum teneri consentire intra mensem: alioqui ipsum priuari iure quæsito, nisi personæ conditio aliud exposcat. De tempore statuto, à iure electioni cælebrandæ, videri potest Syluester, *in verbo, Electio 1. quæst. 6.* In qua sub finem habes ex cap. Cupientes, De electione, item in sexto, quid agendum sit, cum pro confirmatione recurrendum est ad Sedem Apostolicam.

Sextum documentum est: peccatum mortale committi non tantum quando iure diuino, aut Ecclesiastico indignus eligitur, sed etiam quando dignus eligitur prætermisso digniore. Quæ est sententia non modo Summulariorum cõmunis *in verbo Electio 1. vt Angeli, §. 21. Sylu. quæst. 16. Tabiena, quæst. 14.* sed etiam multorum quos referunt, & sequuntur Couarr. ad regulam, Peccatum, *par. 2. §. 7. num. 4.* & post Gregor à Valentia 2. 2. *disput. 5. quæst. 7. puncto 2. §. Secundo quæritur.* Petrus Nauar, *in lib. 2. De restit. cap. 2. num. 120.* & Azor. *in ante citato cap. 15. quæst. prima*: eamque late persequitur Dominicus Sotus *in lib. 3. De iust. & iure, quæst. 6. art. 2.* Quoad priorem autem *(quæ est mortale committi eligendo indignum)* probatur: tum per textum expressum in cap. Graue, De prębendis: tum per rationem apertam: quod scilicet in eo agatur cõtra iustitiam commutatiuam per Ecclesiæ læsionem, ac etiam contra iustitiam distributiuam, per acceptionem personarum, qua indigni dignis anteponuntur in distributione bonorum Ecclesiasticorum, contra illud quod in cap. vnico, tit. Vt Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, §. Omnibus, decernitur quod Ecclesiastica officia, & beneficia non ex carnis affectu, sed discreto iudicio in persona magis idonea dispensari debeant. De tali peccato mortali expressa mentio est in Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. De reform. eique obnoxius est sicut cæteri Summus Pontifex: si sciens, aut debens scire, promoueat, vel procuret promoueri indignum, prout cum Caiet. 2. 2. *quæst. 63. art. 2. & Soto loco cit. pag. penultima* docet Nauar. *in Miscell. 35. De oratione*, quia ipse non est mere dominus, *vt nec cæteri prælati*, sed dispensator beneficiorum Ecclesiasticorum, iuxta illud prioriis ad Corint. c. 4. Sic nos existimet homo vt ministros Christi, dispensatores mysteriorum Dei. Quod tamen, *vt idem Nauarr addit*, sic limitandum est, vt non procedat, quando indignitas talis fuerit, quam Papa ipse tollere possit; prout potest defectum natalium, & alias irregularitates, vel impedimenta iure tantum humano inducta.

195

Quoad posteriorem vero partem documenti *(nempe quod sit etiam mortale, minus dignum relicto digniore eligere ad beneficium Ecclesiasticum)* Sotus *in eodem articulo 2. conclusione nona*, multas pro ea authoritates Sanctorum adfert, quas breuitatis studio relinquemus apud ipsum videndas: contenti monere vnam Leonis Papæ haberi in cap. Metropolitano, distinctione 63. & aliam D. Hieronymi, in cap. Licet, octaua, quæstione prima: atque addere quod expressis verbis habet Concilium Trident. sess. 24. cap. 1. De reform. eos qui ius habent ad promotionem præficiendorum Ecclesiæ vacanti alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis vtiles ipsi iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus: sed eorum exigentibus meritis præfici dilgenter curauerint, &c. Certe qui digno electo digniorem prætermittit, perinde facit, ac procurator, qui valens domini sui rem facere meliorem, non facit: in alterius gratiam, non autem domini, gerens huius negotium. Adhęc rationi aperte repugnat iniuriosum quę est notabiliter tum Deo, tũ proximo, vt in electione ad maiorem illius gloriam, & huius vtilitatem ex officio facienda, id quod minus ad eum finem conducit, præferatur ei quod ad eundem magis conducit.

Quod si iura videntur tueri minus digni electionem, in cap. Monasterium, 16. quæst. 7. & cap. Cum nobis, & cap. Cum dilectus, De electione: intelligenda sunt tueri eam tanquam validam, non vero tanquam bene, & sine peccato factam, quando alter dignior postpositus fuerit: prout ex doctrina D. Tho. 2. 2. *q. 63. art. 2.* notat Nauar. *in Miscell. 38. de oratione nu. 3.* quæ multorum quoque aliorum est, quos Couar. refert ad regulam Peccatum 2. *par. §. 7. nu. 3.*

197.

198.

Notanda electioni communia cum aliis modis acquirendi beneficia.

196. HIc quædam occurrunt notanda, quæ non minus in aliis modis quibus acquirunt beneficia, quam in electione locum habere possunt. Primum est, Eligentem indignum

omisso di-

omisso digno, teneri restituere omne damnũ, quod Ecclesia patitur, ex electione ministri indigni. Pro quo iura, & Doctores, Coarr. adfert *in præced. nu.* 2. Ratio vero in promptu est: quia dans iniuste causam damni, illud resarcire tenetur lege Iustitiæ, ex cap. fin. De iniuriis. Digno autem qui prætermissus non tenetur restituere beneficium: quia cum is non habuerit ius ad illud, non est per electionem facta ei iniuria: sed Ecclesiæ cui non est datus idoneus minister. Restituet vero satis, qui eligit indignum: si ob incapacitatem electi, collatio ipsi facta, irrita fuerit, curet diligenter vt is beneficium acceptum relinquat; sin valida fuerit collatio, ipse resignet illud in fauorem digni, vel assumat idoneum coadiutorem, vel Ecclesiæ restituat damna quæ ob ipsius indignitatem illi contingunt.

Secundum est, quidquid Caict. ad memoratum art. 2. contradicat: videri sentiendum cum Adriano *in 4. De restit.* §. *Quia determinatum est* (sicut sentiunt Couarruuias *in cit.* §. 7. *num.* 6. & Sotus *in 4. De iustitia & iure quæstione 6. art.* 3. *ad 6 argumentum.*) eum qui eligit dignum prætermisso digniori non teneri aliquid restituere: quia in eo non agit cõtra iustitiam commutatiuam: siue debitam Ecclesiæ, cum ei det idoneum ministrum, siue debitam digniori, qui nullum adhuc habet ius ad beneficium. Obligatio autem restituendi inducitur tantum per violationem iustitiæ commutatiuæ, consistentis in æqualitate, quæ seruatur reddendo alteri tantum, quantum ei iniuste ablatum est.

197. Tertium est: Videri probabile, *quamuis contrarium innuant Nauar. in cit. Miscell.* 38. *num.* 7. *& Sotus lib.* 3. *D. iustitia & iure quæst.* 6. *art.* 2. *in fine*, quod obligatio eligendi digniorem, non extendatur ad resignantem beneficium suum in fauorem alterius: quia non est elector, neque facit iniuriam Ecclesiæ cum sibi *vt supponimus*, substituat idoneum ministrum: neque alteri, quia nullus alius, quam ipse ius habet acquisitum ad tale beneficium. Quod idem eadem ratione iudicandum videtur de permutantibus, si permutatio fiat cum sufficienter digno; immo & de collatoribus, seu illis qui ius habent conferendi beneficia per prouisionem liberam, vt Papa, plerumque ordinarij, ac nonnunquam Principes ex priuilegio, vel ex aliqua facultate, aut consensu tacito Ecclesiæ. Alioqui enim semper tenerentur digniorem quærere: quod à Papa, vel à Regibus exigere durum est.

Verumtamen cum ex communi Doctorum sententia (prout habet Leonard. Lessius lib. 2. De iust. & iure cap. 34. dubit. 14. allatis authoritatibus & rationibus) electores, præsentatores, & collatores, quantum in ipsis est, curare debeant vt beneficia dignissimis conferantur: dubium non est, quin si dignior in promptu sit, illum minus digno præferre teneantur, quia ratio pro illis in contrarium ante posita tunc cessat: ipsique agunt alioqui contra fidelitatem, quam Ecclesiæ ex officio debent: & ita peccant. Mortaliter quidem in re grauis momenti: prout contingit quando beneficia sunt cum animarum cura, ex quorum bona prouisione de ministris, pendet totum fere bonum Ecclesiæ, in fide, moribus, & ritibus sacris: & ex mala, totum fere malum. Venialiter vero in aliis beneficiis, vt in Canonicatu, Capellania, &c. nisi id sæpe fieret: tunc enim electio, præsentatio aut collatio, fierent contra fidelitatem Ecclesiæ debitam: ad cuius bonum magni interest vt diuina officia quam decentissime & deuotissime celebrentur. Vide memoratum authorem.

198. Porro supra positorum verborum *per prouisionem liberam*, ratio est, quia cum beneficium per concursum competentium, & oppositorum confertur: ipsum debet conferri digniori, eoquod talis concursus, & oppositio ad hoc per leges Ecclesiasticas instituitur, vt dignior assumatur: promoueaturue ad beneficium it aut peccatum sit mortale duobus concurrentibus, quorum vnus sit dignus, & alter dignior, hoc prætermisso, beneficium illi conferre.

Circa quod aduerte duo dubia moueri. Alterum est, An peccet dignus si competat, seu concurrat cum digniore in petitione beneficij. Alterum, An idem, si Prælatus omisso digniori ipsum promoueat, peccet acceptando beneficium sibi delatum. Ad quorum prius respondet Nauarr. *in sequentu Miscellan.* 40. *numer.* 10. talem, si alter manifeste, ac notorie sit dignior, peccare mortaliter, saltem prosequendo concursum vsque ad examinationis, vel suffragationis finẽ. Tum quia præbet examinatoribus, vel suffragatoribus occasionem peccandi mortaliter. Tum quia competentem digniorem notabiliter lædit in eo quod compellit ipsum facere aliquot expensas & subire aliquas molestias, à quibus alioqui liberaretur.

Secus esset vero, si non constaret aperte alterum digniorem esse: quia nemo tenetur suum ius dubium relinquere indiscussum: aut si non prosequeretur vsque ad finem: quia cessaret ratio prædicta peccati mortalis: aut si id faceret ad obuiandum dolo, & fraudi, qualem ipse Nauarr. in sequent. num. 11. adfert in exemplum: si vocentur digniſſimi, ad concursum, vt qui mediocriter digni sunt, ab eo desistãt: ac deinde rogentur ijdem digniſſimi, à progressu concursus desistere: vt sic amico vtcumque digno, cum leui examina, tanquam nullo alio concurrente, conferatur beneficium. Adde quoque ex eodem Nauarr. ibidem *num.* 13. similiter non peccare si minus dignus cum digniori concurrat protestando se ei cedere, ac velle ipsum indemnem reddere, si quas expensas faciat ob suum concursum: quem suscipit ne alijs non magis se dignis, existimetur inferior.

Ad posterius dubium autem, iuxta tradita ab eod. Nauarr. *in præcedent. Miscell.* 39. respondendum est: non peccare dignum si beneficium oblatum acceptet, tum bona fide, id est, nescíens, nec scire debens inde iniuriam fieri alteri, qui tanquam dignior præferendus erat: tum etiam bono fine, id est, animo exequendi ad Dei gloriam, & Ecclesiæ vtilitatem, officium tali beneficio annexum. Alias vero peccare vt consentientem tali peccato: aut vt male appetentem beneficium, prout idem author bene declarat. Ex quo in sequent. *Miscell.* 40. *num.* 7. adde peccatum quidem esse mortale sic appetere, aut accipere beneficium: non autem acceptum retinere, si rectificetur intentio, & fiant omnia, quæ debent.

199. Quartum quod notandum occurrit, est: In electionibus, eum digniorem habendum esse, qui spectatis omnibus circunstantiis magis idoneus est ad promouendum bonum communitatis, & Ecclesiæ, in quod distributio beneficiorum, ex natura rei ordinatur: ideoque fieri posse aliquando vt doctus sit præferendus sanctiori idiotæ: expertus, meliori inexperto: prudens, doctiori imprudenti: nobilis, meliori ignobili: prouectus, sanctiori iuueni, tanquam magis idoneus ad promouendum bonum commune. Hocque est, quod D. Thom. ait. 2. 2. *q.* 63. *art.* 2. *ad* 3. significat, inquiens eligendum esse meliorem; aut simpliciter, aut in comparatione ad bonum commune. Vnde infertur, quod etsi ex natura rei per tradita à Soto in cit. art. 2. concluſ. 10. ad Episcopatum, & ad talia beneficia curam animarum habentia præferendus sit Theologus Canonistæ: ex accidenti tamen Theologo Canonistam præferri posse: ratione scilicet nobilitatis, vel experientiæ, vel ætatis, vel prudentiæ, vel sanctitatis vel doctrinæ, vel quod Ecclesiæ præsentibus negotijs commodior sit. Inferuntur & alia de quibus Gregorius à Valentia 2. 2. *disput* 5. *quæst.* 7. *punct.* 2. §. *Tertio quæritur*: apud quem videnda sunt.

200. Quintum est, *ex Nauarr. in Miscell.* 38. *De oratione sumptum*: Aliquot casus dari in quibus sine peccato, saltẽ mortali, dignus potest in beneficio præferri digniori. Primus est, quando eligitur dignus de gremio Ecclesiæ, posthabito digniore extraneo, ex cap. Nullus, distinct. 61. aut eligitur indigena dignus, posthabito alienigena digniore, iuxta legem in Ecclesiis, Cod. De Episcopis, & Clericis. Secundus est, quando per statuta, vel fundationem, beneficium debetur Clericis alicuius loci: quia tantum est promouendus eorum digniſſimus: indignus autem iuxta antedicta; nunquam: quidquid statuta fundationis exigant, aut ferant. Tertius est, ex Soto, & Caiet. quando beneficium fuerit simplex: quem Nauar. bene reiicit num. 4. quia in eo perinde ac in curato beneficio: potest contra iustitiam, cõmitti personarum acceptio quam illi fatentur esse de se peccatũ mortale. Quartus est, quando dignitas dignioris, parum excederet dignitatem minus digni: quia exiguitas damni à mortali excusat iniustitiam, quæ in eo committitur. Quintus est: cum interuenit consensus liber digniorẽ, in electionem minus digni, quia ex regula iuris in 6. Scienti, & con-

senti-

sentienti non fit iniuria, neque dolus. Potest tamen esse peccatum, si in notabile detrimentum Ecclesiæ talis consensus procuraretur: vt quando multum indiget opera dignioris. Sextus est, cum dignior nō potest, aut non sine magna difficultate potest haberi; quia tunc censentur moraliter deesse digniores. Postremus est, quando in minus digno, concurrūt pietatis, misericordiæ, vel vtilitatis publicæ argumenta: quæ causam iustam arbitrio viri prudentis ostēdant adesse, vt dignus præferatur digniori, etiamsi non efficiant illum digniorem. Ad huius confirmationem Nauarrus *nu.* 8. quædam adfert in vsu posita, quæ nemo damnet, sed potius commendatione digna iudicet: vt quod mortuo in curia, de Ecclesia valde bene merito, nepoti ipsius satis digno conferatur beneficium vacans per illius mortem, quia reliquit parentes egentes subsidio.

CAPVT XV.

De postulatione, ac de nominatione personæ ad beneficia.

SVMMARIVM.

201 *Postulatio alia late sumpta, & alia stricta, quidque hæc sit.*
202 *Quis postulare, & quis postulari possit.*
203 *Apud quem fit postulandum, & quod postulatione per ipsum comprobata, non sit opus confirmatione: quodque ante præsentationem postulationis liceat eam reuocare.*
204 *Nominatio tum late, tum stricte sumitur, quidque sit stricte sumpta, ac quotuplex.*
205 *Notanda pro praxi de nominatione quæ fit à Principibus ad beneficia Ecclesiastica.*
206 *Conditiones in ea requisitæ, quando est ad Archiepiscopatum, aut Episcopatum.*
207 *Requisitæ quando ea est ad Abbatias, & Prioratus conuentuales, & electiuos.*

201. POSTVLATIO late sumpta confunditur cum electione: sumpta vero stricte, *vt in titulo 5. lib. 1. Decretalium, & à nobis in præsentiarum sumitur*, ab ea distinguitur: definirique potest congruenter iis quæ habentur in cap. Bonæ, 2. in cap. finali De postulatione Prælati. & in cap. Innotuit, De electione: simplex quædam personæ eligi prohibitæ, non ob vitium, sed ob defectum Canonicum, ad Prælaturam petitio apud Superiorem vnanimiter facta ab iis, qui ius eligendi habent. Ex qua definitione intelligitur triplex personæ genus considerandum esse in postulatione: videlicet postulantis, postulati & Superioris apud quem postulatur.

202. Ac quoad primum: postulare possunt qui eligere, ex cit. cap. Bonæ. nempe Canonici, & aliæ personæ collegiales, quibus de iure competit electio Prælati futuri. Introducta enim fuit postulatio, quia sæpe accidebat; vt quis idoneus esset ad Prælaturam, nisi talem eligi Canones prohiberent.

Quoad secundum vero, is in Prælatum postulari potest, qui summo iure eligi non potest: non tamen indifferenter quilibet: sed is solū, qui non est omnino inidoneus, & cuius impedimentum ita tolerabile est, vt eo non obstante vtiliter, & honeste præfici possit Ecclesiæ. Siquidem non potest hæreticus, ac aliter crimmosus postulari, iuxta cap. 1. De postulatione Prælatorum: potest vero qui ob defectum ætatis aut quia ex illegitimo thoro natus est, aut quia nondū Clericus est, eligi non potest. Similiter Episcopus vnius Ecclesiæ, qui in alia eligi non potest, postulari potest, ex cap. fin. eod. titul. Et qui nondum est Religiosus professus, potest in abbatem postulari, quem non possit eligi, ex cap. Cum monasterium, De electione.

203. Quod denique attinet ad tertium, is Superior potest postulationem admittere, qui super electionis impedimento, & defectu Canonico dispensandi ius habet & non alius. Factaque ab eo postulationis comprobatione, ea habet effectum plenum electionis confirmatæ: itaut alia confirmatio non requiratur: sed statim atque postulatus admissus est ab ipso Superiore, sit ei potestas, & ius transeundi ad Ecclesiam postulantium, ex Sylu. in verbo, Postulatio, quæst. 6. Ex quo *in præcedenti quæst.* 2. adde, satis esse vt postulatio fiat à maiori parte Capituli *& ex sequen. quæst.* 8. Postulationē differre in hoc ab electione, quod publicato semel scrutinio, eligentes variare non possint, aut retrocedere: quia per illam ius acquiritur electo: postulantes autem possint ante præsentationem factam Superiori, variare ac retrocedere: etiam publicato scrutinio (nisi obstet fides præstita compromisso) quia postulantes solummodo declarant votum suum, dirigendo illud ad Superiorem. Neque vllum ius postulato, *cum sit inhabilis ad beneficium*, acquiritur ex postulatione. Et ideo postulatus non potest iure conqueri, si postulantes varient antequam præsentatus sit Superiori. Quod quamuis ita sit, nihilominus postulatio potest esse sufficiens obiectum peccati simoniæ: eo quod sit via quædam ad consequendum beneficium, quantumuis non tribuat ius aliquod ad illud. Alia quædam habet Sylvest. in eod. verbo, sed in quibus nihil est cur immoremur, cum iam fere postulatio, sicut & electio desierit esse in vsu. Ad dicendum igitur de nominatione accedendum est.

Nominatio, sicut & postulatio, sumitur tum late, tum stricte: ac late sumpta sicut postulatio confunditur cum electione: sumpta vero stricte, ab ipsa postulatione distinguitur, quod postulatio de vno tantum fiat, & nominatio fieri possit de pluribus. Ea vero triplex est prout ex Panormit. refert Sylvest. in verbo, Nominatio: & Rebuffus declarat in tractatu nominationum quæst. prima num. 23. 24. & 25. Vna est qua inter electores ante scrutinium aliquis nominatur tanquam idoneus ad beneficium: hæcque nullum ius ad beneficium tribuit nominato, quia per eam tantum proponitur collegio, vt eligatur si placeat: modum enim habet tractatus, quo electores de idoneo eligendo inter se tractant. Altera est quæ fit in scrutinio electionis: seu qua quisque electorum solet dicere secreto, Eligo, aut nomino talem. Neq; etiam per eam acquiritur nominato ius ad beneficium, quamuis scrutinio publicato, nominās si dignum nominarit, non possit variare, ex cap. Publicato, De electione. Priusquam autem publicaretur variare potuisse, addit ibi. Sylvester. Tertia est, qua duo, vel tres qui sunt digniores in Capitulo, vel collegio, nominantur Superiori, & petitur vt alicui eorum prælaturam, seu beneficium conferat: qua nominatione Superiori oblata, nominantes non possunt variare ex Reb. *in cit. n.* 25. Addente ex tali nominatione acquiri ius, vt ea pendente non procedatur ad electionem. Cæterum perinde ac electio, & postulatio, hodie nominatio ipsa stricte sumpta, raro in vsu est, exceptā ea quæ Ecclesiæ concessione, seu indulto fit à Principibus in suis terris ad Ecclesias Cathedrales, & ad Metropolitanas, atque ad Abbatias, & ad Prioratus conuentuales electiuos. Talis enim non solum vsitata sed etiam vsitatissima est.

205. De qua proinde Confessarius monendus est imprimis, in ea, perinde ac in postulatione nefandum simoniæ crimen committi ab illis, qui pro ea dederint, vel acceperint pecuniam, aut quid pecunia æstimabile: quoniam ius nominandi spiritale est, non aliter, *vt nec ius patronatus* laico competens, quam per priuilegium ab Ecclesia concessum, nominatioque ipsa est via ad beneficium obtinendum, perinde ac electio, vel postulatio, in cuius locum ea successit Papæ concessione. Deinde non esse factam concessionem nominandi alium, quam idoneum, hoc est, habentem conditiones, tam eas, quas ius commune requirit, vt quis censeatur dignus beneficio; ad quod assumitur (de quibus in præcedentibus diximus) quam eas quas particulariter requiruntur concordata facta inter Papam, & Principem, cui concessum fuit priuilegium nominandi: quales sunt eæ quæ ex concordatis inter Papam, & Regem Galliæ, tit. De regia ad Prælaturas nominatione facienda, §. primo, colliguntur à Rebuffo.

206. Prima est, vt Archiepiscopatus, aut Episcopatus, ad quē Rex Gallię nominare potest, iam vacet: itaut nominare non possit ad vacaturum. Secunda, vt idem siue Archiepiscopatus, siue Episcopatus, spectet ad electionem, vel postulationem Capituli seu Canonicorum: adeout electione, aut collatione spectante ad alios iure aliquo speciali, talis nomina-

204.

207.

minatio locum non habeat. Tertia, vt nominatio fiat à Rege, non autem ab alio, nec alteri quam Papæ, seu Sedi Apostolicæ: itaut nominatio Regis non sufficiat, nisi sequatur Papæ prouisio. Quarta vt nominatus, magister sit in Theologia, vel in ea licentiatus aut doctor in vtroq;, vel altero iure (nisi esset ex consanguineis Regis, ac sublimibus personis, vel ex Religiosis, qui iuxta regulæ suæ institutum, non possunt doctoralibus insignibus decorari) graduatus in vniuersitate famosa cum rigore examinis. Quinta, vt sit persona grauis, honestæque vitæ, nec leuis capitis, ac iudicii. Sexta, vt Rex vnum tantum nominet, non plures, eumque constitutum saltem in 27. anno suæ ætatis. Postrema vt nominet intra sex menses à die vacationis: aut si nominet aliquem à Papa inuentum indignum, post tres menses à die recusationis intimatos solicitatori eiusdem Regis, nominet alium dignum: quod non faciens, Papa Ecclesiæ vacanti prouidere potest sine regia nominatione.

207. Quibus conditionibus partim similes, partim dissimiles idem author *ex sequent.* §. 2. colligit, requisitas ad nominationem quæ Regi Galliæ conceditur facienda ad Abbatias aut Prioratus conuentuales, & electiuos. Prima est, vt nominandus sit Religiosus. Secunda, vt is sit eiusdem ordinis cum aliis Religiosis, quibus præficiendus est. Tertia, vt sit in ætate saltem 23. annorum. Quarta, vt nominetur à Rege ipsi Papæ, aut Sedi Apostolicæ. Quinta, vt talis siue Abbatia, siue Prioratus vacet. Sexta, vt Rex intra tempus sex mensium nominet, sique nominatum Papa recuset vt indignum: intra tres menses à die recusationis intimatę eiusdem Regis sollicitatori, nominet alium dignum. Septima, vt electio pertineat ad conuentum. Postrema, vt electus sit expresse professus. Iisdem conditionibus limitatam esse facultatem nominandi concessam aliis Principibus, par est existimare. Ex illis autem facile est intelligere instatu damnationis esse illos, qui ob nominationem factam à Principe in ipsorum fauorem, existimant quæsitum sibi esse ius disponendi de bonis Ecclesiæ, tanquam sibi donatis ab eodem Principe: qui id non potest, nec existimandus est facere tanquam ab omni ratione alienum.

CAPVT XVI.

De præsentatione, quæ à patrono fit ad beneficia Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

208 *Definitio iuris patronatus: & quomodo ipsum conueniat laico.*
209 *Quibus competat ius patronatus.*
210 *Explicatio dubii, An ius patronatus acquiri possit præscriptione & consuetudine.*
211 *Quæ Patrono accedant ex iure patronatus.*
212 *Tam Clerici, quam laici capaces sunt iuris patronatus, neque tantum apud vnum, sed etiam apud plures simul esse potest tale ius.*
213 *Notanda de donatione iuris patronatus.*
214 *Notanda de eiusdem permutatione, ac de venditione.*
215 *Quatenus licita sit venditio iuris patronatus, & quatenus simoniaca.*
216 *De acquisitione iuris patronatus per successionem hereditariam.*
217 *Locator rei cui annexum est ius patronatus, potest præsentare. Idem ius nequit dari in pignus.*
218 *Notanda de pluralitate patronorum.*
219 *Quatenus censura in patrono sit impedimentum validitatis præsentationis.*
220 *Non potest præsentare seipsum, & de peccato præsentantis indignum.*
221 *Quando peccet præsentans dignum relicto digniore, & quod peccatum in eo commissum non impediat præsentationis validitatem.*
222 *Quatenus absens possit præsentari: & quod pater possit præsentare filium suum.*
223 *Differentia duplex inter laicum & Clericum præsentantes.*
224 *Episcopus instituere potest præsentatum, & quis præter ipsum idem possit.*
225 *Quando institutio facta sine præsentatione patroni sit aut non sit valida, ac quando fieri possit ab Episcopo, extra suum territorium.*
226 *Summus Pontifex potest derogare cuicunque iuri patronatus, & quando censendus sit de facto derogare.*
227 *Quid, quando ius patronatus fuerit Regum, aut aliorum magnorum dominorum: & quid cum fuerit simul Clericorum, & laicorum.*
228 *Diuersi modi quibus accipitur nomen institutionis præsentati à patrono.*
229 *Papa, & solus, derogare potest conditionibus beneficio appositis à fundatore.*
230 *Cum adiecta est conditio vt beneficiarius dicat aliquas Missas, is debet esse Sacerdos.*
231 *An actu Sacerdos esse debeat is, qui præsentatur ad tale beneficium.*
232 *Quando conditio dicendi numerum Missarum, sic appositâ est beneficio, vt materiam præbeat peccati, vel onus immoderatum inducat, non valet.*
233 *Modi quibus ius patronatus extingui potest.*

DE hac materia in Decretalibus tam nouis quam antiquis, & in Clementinis habetur titulus De iure patronatus: de eaque ampliſſimum tractatum instituit Cæsar Lambertinus, & de eadem præter Canonum interpretes ad memoratum titulum, & Summularios in verbo, Ius Patronatus, agunt multi alij, inter quos sunt, Rebuffus in praxi beneficiorum, 3. parte signaturæ, verbo, Nec non iuris patronatus, Corasius in quarta parte parapharasis in materiam Sacerdotiorum cap. 6. & Couarr. in practicis quæstionibus, cap. 36. & lib. 2. Variarum resolut. cap. 18. nouissimeque Azor in 2. par. Moral. Institut. lib. 6. cap. 19. & quatuor sequentibus, ac Suarez De religione tract. 4. lib. 4. cap. 28.

Primo autem considerabimus ius patronatus, secundo personam patroni præsentantis, tertio personam præsentandi, quarto personam instituentis præsentatum, quinto conditiones solitas apponi beneficiis patronatis.

SECTIO I.

De iure patronatus.

208. DEfinitur ius patronatus, ius spirituali annexum, quod ex gratia conceditur ei, qui consentiente Episcopo Ecclesiam aliquam vel fundauit, vel extruxit, vel dotauit. Cuius definitionis prima parte significatur, quod licet ius Patronatus sit spiritali potestate Ecclesiæ institutum habeatque respectum aliquem ad Sacramentorum administrationem, *ideoque sit aliquatenus spirituale, sicut ius eligendi Ecclesiæ ministros*, non esse tamen mere spirituale: sed (*prout dicitur, De iudiciis cap. Quanto, & De iure patronatus, cap. De iure*) spirituali annexum, antecedenter nimirum, seu tanquam dispositionem ad aliquid spirituale.

Secunda parte vero, *quod ex gratia conceditur &c.* significatur id quod loco citato numero 6. Corasius habet: quod cum spiritualibus annexa, naturam sapiant spiritualium, quorum laicus est prorsus incapax, *iuxta cap. Decernimus, De iudiciis*: ius patronatus non posse summo iure à laicis possideri; sed ipsum gratiose illis, de quibus fit mentio in reliqua parte definitionis, concessum esse: tum vt cæteri inuitarentur ad similem liberalitatem erga Ecclesiam: tum ne illis qui in sacrum vsum aliquid contulissent, beneficium collatum periisse videretur.

Reliqua parte definitionis indicatur, quibus competat 209. ius Patronatus: nimirum illis qui Ecclesiam ipsam fundarunt, id est, *vt etiam interpretatur Corasius in sequenti numero* 12. fundum in quo de Episcopi voluntate ædificaretur, donarunt: vel illis qui extruxerunt, hoc est, sumptus ad ædificationem suppeditarunt, vel illis, qui dotarunt, hoc est, perpetuum stipendium ministris in ea rem diuinam facturis constituerunt. Quod colligitur ex cap. Nobis,

De iure

De iure patronatus, & ex cap. Piæ mentis, ex cap. Frigentius, ac ex cap. Quicumque, secundo, 16. quæstione 7. Idemque pari ratione dici potest de æquipollentibus: puta ijs qui modicam Ecclesiæ dotem multum auxerunt, aut Ecclesiæ dirutam reædificarunt. De iis vero, qui non totam aliquam Ecclesiam, sed vnum tantummodo beneficium in ea instituerunt, dicendum est non habere quidem ius patronatus in totam ipsam Ecclesiam, habere tamen in illud beneficium.

Vbi aduerte, ad ius patronatus acquirendum alicui, sufficere quidem solam Ecclesiæ fundationem, vel solam ædificationem, sed dummodo hæc illam, & vtramque dotatio sequatur. Nam vt ex Panormit. habet Corasius *loco citato, numero* 12. & 13. existimandum non est sola fundi assignatione ius patronatus quæri: ne sequatur absurdum, quem dici patronum Ecclesiæ quæ nondum est, nec vnquam forte futura est. Atque ius patronatus acquiri iis, qui de consensu Episcopi, sumptibus suis in assignato fundo Ecclesiam ædificant, intelligendum est, *iuxta glossam primam ad antecitatum cap. Quicumque*, si ipsi, aut certe alij, *prout ex Panormit. habet in citato numero* 13. *Corasius*, Ecclesiæ assignent dotem congruam, qualis censetur esse quæ sufficit ad necessaria ministrorum, & ad luminaria: sine qua dote Ecclesia ædificari prohibetur in cap. Nemo, De consecr. distinct. 1.

Cæterum non requiri ad acquisitionem iuris patronatus, vt is, qui fundat, vel ædificat secuta dotatione, vel dotat Ecclesiam ædificatam illud sibi expresse reseruet: sed ipso iure acquiri, quantumuis non reseruetur: dummodo ei non renuncietur: docet per cap. Significauit, De test.bus. Panormitanus, ibid. num. 1.

210. Dubium vero est. An ius patronatus acquiri possit præscriptione, & consuetudine: quod intelligi potest vel in Ecclesia libera, seu quæ non habet patronum, vel in non libera seu quæ habet patronum: Atque secundum priorem intellectum, multi dixerunt ius patronatus non posse acquiri præscriptione, quos Couarr. citat ad Regulam, Possessor, secunda parte, §. 10. numero 2. Cui contrariam opinionem sequenti, non est assentiendum, propterea quæ Concilium Trident. decernit sess. 14. cap. 12. & sess. 25. cap. 9. vtrobique De reform. Secundum posteriorem intellectum vero conceditur quidem tale ius præscribi posse: sed qua ratione possit, non eodem modo explicatur. Sequendum est autem quod in eo cap. 9. à Concilio statuitur his verbis, Decernit sancta Synodus vt titulus iuris patronatus sit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & alijs iure requisitis, ostendatur: siue etiam ex multiplicatis præsentationibus per aequisitissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum iuris dispositionem. In ijs vero personis, seu communitatibus, vel vniuersitatibus: in quibus ad ius plerumque ex vsurpatione potius quæsitum præsumi solet: plenior, & exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur: nec immemorialis temporis probatio illis aliter suffragetur, quam si præter reliqua ad eam necessaria, præsentationes etiam continuatæ, non minori saltem, quam quinquaginta annorum spatio: quę omnes effectum sortiri sint, authenticis scripturis probentur. In quo eodem cap. consequenter. Concilium abrogat patronatus priuilegio concessos, iis exceptis qui Cathedralibus Ecclesiis competunt, aut Supremis Principibus in suis terris, aut Academiis in fauorem studiorum. Vnde intelligitur, inferiorem Papa non posse tale priuilegium concedere alicui, qui nec fundauerit, nec ædificauerit, nec dotauerit Ecclesiam, ad quam facienda est præsentatio. Papam vero posse concedere, derogando tali decreto eiusdem Concilij.

211. Porro quædam Patrono accedunt ex iure patronatus versibus his expressa.

Patrono debetur honor, onus, emolumentum,
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Quorum sensus est Patronum ex iure Patronatus habere primo, honorem: tum quia primus locus, & honestissimus ei debetur in Ecclesia, siue in sedendo, siue in eundo ad processionem, ex cap. Nobis, De iure patronatus: tum quia cõpetit illi ius præsentandi Clericos idoneos, quibus Episcopus teneatur beneficia illius Ecclesiæ vacantia conferre, itaut Episcopus alium, quam à patrono oblatum, *si modo idoneus sit*, instituere non possit, iuxta cap. Significasti, eodem titulo: Quæ tamen institutio sic est ad beneficij acquisitionem necessaria, vt si patronus præsumat aliquem etiam dignum instituere, & in possessionem inducere, excommunicari, & Clericus ab eo institutus deponi debeat, iuxta c. Præterea 1. eodem titulo. Idque quia per præsentationem, Clerico tribuitur tantummodo ius ad beneficium: seu ius ab Episcopo, vel ab alio cuius interest petendi institutionem: quæ cum sit collatio quædam beneficij, per eam ius in beneficio acquiritur. Secundo, habere onus: quia tenetur Ecclesiam, eiusque bona defendere: sique deprehenderit ministros male versari, eos non solum honeste monere, sed etiam apud Episcopum accusare ex cap. Filiis, 16. q. 7. Qua de causa aliquando vocatur aduocatus Ecclesiæ, aliquando vicedominus, aut etiam custos, vel defensor, in cap. Præterea, 2. & in cap. Cum autem, De iure patronatus. Habere denique emolumentum: quia si necessitate pressus, egeat, debet ali ab Ecclesiâ, cuius est patronus, ex cap. Nobis eodem titulo: ac etiam ipsius filij, similiter egentes, ex cap. Quicumque 2. 16. quæst. 7. vbi glossa *verbo Ad inopiam*, admonet id esse intelligendum, quando patronus in summam egestatem deductus est: & quando Ecclesię seu ministris qui ei deseruiunt, supercst.

Sectio II.

De persona patroni.

NOn solum laici, sed etiam Ecclesiastici capaces sunt iuris patronatus, ex cap. Cum autem, De iure patronatus: qui tamen si illud nacti fuerint ratione patrimonij, ponuntur in numero patronorum laicorum, iuxta cap. Cum dilectus, eodem titulo, § finali. Etenim patroni Ecclesiastici ij tantum dici debent, qui ratione Ecclesiæ quam tenent, fruuntur eo iure: siue quia ex eiusdem Ecclesiæ bonis, fundatio aliarum quæ patronatæ sunt, facta est: siue quia patroni laici ius suum eidem concesserunt. Capaces sunt autem eiusdem iuris præter laicos eos qui Ecclesiam fundarunt, ædificarunt, dotarunt, alij etiam. In quos ipsum transferri potest quatuor modis: nimirum donatione, permutatione, venditione, & successione: De quibus Syluest. *in verbo, Ius patronatus, qu.* 4. & 5. Neque apud vnum tantummodo, sed apud plures simul laicos ipsum ius patronatus esse potest, vt quando vnus fundauit, alter ædificauit, & tertius dotauit Ecclesiam. Aut quando plures simul, vel fundarunt, vel ædificarunt, vel dotarunt, prout Panorm: habet ad cap. Ad audientiam. 1. De Eccles. ædific. *num*: 4. postque eum Corasius *in supra cit. cap. sexto num.* 4. Addens id procedere etiam si alii aliis minus contulerint, ex glossa ad summam distinctionis sexagesimæ tertiæ in fine: Item quando vni patrono plures in hæreditate succedunt, prout paulo post exponetur.

Circa dictam donationem, notandum est primo, si eam laicus faciat Ecclesiæ, vel alicui loco Religioso, vel etiam Clerico, intuitu Ecclesiæ quam tenet: vt valida sit, non requiri Episcopi consensum, iuxta cap, vnicum De iure patronatus in 6. Secus in vero si eam facit alteri laico, aut Clerico quidem, sed nomine, & intuitu tantum ipsius, non autem Ecclesiæ: prout habet ex communi sententia Sylu. *in cit. q. 5. dicto* 3. ad quod facit cap. Præterea 2. De iure patronatus: & quod consentaneum non sit eam translationem fieri in Ecclesiæ præiudicium: ideoque requiratur Episcopi iudicium, & consensus tanquam eius, qui eidem periculo debeat ex officio obuiare. Atque consensum tacitum: immo & ratihabitionem, qua se inscio antea factam donationem, postea approbat Episcopus sufficere posse eadem ratio ostendit: quia tunc præiudicium abesse iudicabitur.

Notandum secundo, non requiri Episcopi consensum ad hoc vt vnus patronus renuntiet, seu remittat alteri compatrono ius patronatus, quod cum eo habet commune. Ad quod facit cap. Ex insinuatione, De iure patronatus. Vbi glossa *ad verbum Contulisset*: rationem tangit, quod tunc non instituatur nouus patronus, sed ius quod erat penes duos, vni relinquatur: neque id fiat in aliquod præiudicium

Ecclesiæ;

Ecclesiæ; cum is qui relinquitur, perinde approbatus sit, ac alter qui relinquit.

Notandum est tertio, ius patronatus, cum donari possit, posse quoque legari, seu relinqui testamento. Nam legatum nihil aliud est, quam donatio libere facta à testatore. Vt autem validum sit tale legatum requiritur, *sicut & in alia donatione*, consensus Episcopi. De qua re ex Panormit. Sylu. in præced. quæst. 4. dicto 4.

214. Circa permutationem notandum est, ius patronatus cum sit quid annexum spirituali, non posse permutari cum temporali; posse autem cum alio iure spirituali, iuxta cap. Ad quæstiones, De rerum permutatione: vt cum alio simili iure, aut cum iure sepulturæ, &c. Requiritur autem ad eam, sicut ad donationem, consensus Episcopi; si ius patronatus transferatur in laicum, aut in Clericum nomine & intuitu ipsius, non autem Ecclesiæ.

Circa venditionem iuris patronatus, notandum est: tale ius non posse absque labe simoniæ vendi per se: prout censeretur, si venderetur separatum à re temporali, id est, à fundo, vel possessione cui est annexum; aut pro eadem possessione pretium maius, quam alioqui daretur, ob tale ius ei annexum acciperetur. Id enim perinde esset, ac si calix maiori pretio venderetur, eo quod sit benedictus.

215. Licite autem vēdi posse ius ipsum patronatus cum possessione cui annexum est, dummodo pro ea non exigatur maius pretium, quam si non haberet illud annexum: constat ex cap. Cum sæculum, & cap. Ex literis, De iure patronatus, vtrobique iuncta glossa: tuncque idipsum ius dicitur vendi cum vniuersitate bonorum, id est cum re tota, omnibusque iuribus pertinentibus ad rem temporalem cui annexum est tale ius. Qua etiam ratione, nempe cum tota vniuersitate rei, in qua situm est, idem ius dari potest in feudum.

Vbi aduerte quod in cit. quæst. 5. dicto 4. Sylu. habet, simoniam committi, si possessio principaliter ematur ad consequendum ius patronatus ei annexum; aut si ipsum cum illa exprimatur in venditione: verbi gratia dicendo, Vendo tibi villam, & ius patronatus, quod habeo in ea. An autem idem sit sentiendum si quis vendens rem cui annexum est ius patronatus, dicat: Vendo tibi talem possessionē cum omnibus iuribus, & actionibus ad eam pertinentibus: intelligendum est quoad forum conscientiæ, ex intentione vendentis. Nam si ea non fuerit vendendi ius patronatus per se, ac separatū à re temporali, licita est, & valida venditio: nisi ratione eiusdem iuris plus aliquid accipiatur in pretium. Sin intendatur, venditio censenda erit simoniaca, & illicita. Quoad forum externum vero, nisi aliunde sit præsumptio, non potest ex prædictis verbis condemnari venditio tanquam simoniaca: quia reuera non indicant vendi ius patronatus, vt separatum à re, cui annexū est: sed potius vēdi cum eiusdem rei vniuersitate.

216. Circa successionem hæreditariam notandum est, ius patronatus transire ad quemlibet hæredum insolidum, etiamsi nō sint ex æqua portione hæredes (dummodo tamen non sit aliquis hæres institutus in re certa, cui soli sit annexum ius patronatus, quoniam tunc transibit ad solum hæredem in illa re) ac cuilibet eorum ipsum competit, quoad omnes illius effectus memoratos in præcedenti num. 211. excepto iure præsentandi Clericum ad beneficium: quod quidem ius manet apud omnes hæredes cōmuniter, neque est penes vnumquemque singulariter ex cap. 1. De iure patronatus vbi glossa, *ad verbum, Diuidi non debeat*, idem annotat. Si igitur hæredes ad egestatem veniant, quilibet illorum debet ali ab Ecclesia. In præsentando autem Clericum, omnes simul concurrere debent tanquam vna communitas, ex Clementina finali, eodem tit. Neque sufficit quilibet per se singulariter. Perinde est autem siue hæredes sint filij, siue alij, & siue mares, siue fœminæ. De quibus omnibus Sylu. in citata quæst. 4.

217. Illis adde: locatorem quamuis non acquirat directum, sed tantum vtile dominium rei: acquirere tamen ius præsentandi, iuxta cap. Ex literis, De iure patronatus. Adde etiam non posse tale ius dari in pignus simul cum vniuersitate rei in qua ipsum est: quoniam Ecclesia in eo pateretur detrimentum: quandoquidem nec patronus ipse præsentare posset ad beneficium vacans, vtpote qui ius suum creditori tradidit: nec etiam posset creditor: quia non licet ei vti re sibi tradita in pignus; ne videatur, *quod vsurarium est*, ex mutuo capere lucrum: sicq; incommodaretur Ecclesia.

Circa pluralitatem demum patronorum notandum 218.
est primo, cum Sylu. *in verbo, Ius patronatus, q.* 13. cum præsentatio fit à pluribus patronis tanquam à collegio, requiri vt maior pars collegij conueniat in præsentatione eius, qui instituendus est: nempe si fuerint decem, conuenerint sex. Cum vero fit à pluribus tanquā singularibus personis, non requiri tale quid, sed sufficere vt quis plura suffragia habeat, velut quatuor, cum alij habeat tantū duo, aut tria.

Notandum est secūdo, Cum plures patroni dissentiunt in præsentando: Ordinarium debere curare, vt consentiant. Modus vero aptus inter se conueniendi esse potest, si ipsi alternatiuam habeant, *de qua in Clemen. finali De iure patronatus*, id est, si vnus hoc anno præsentet, alter sequenti, & ita deinceps. Quod si nolint conuenire, Ordinarius optionem habet instituendi, quem maluerit ex præsentatis, si absque scandalo id facere possit. Sin scandalum gigni videatur, auctoritatem habet promouendi ad beneficium aliquem alium, quem iudicauerit dignum; vt ex Panormi. habet Sylu. *verbo, Ius patronatus, quæst.* 8. *dicto* 4. Et ratio est: quoniam propter discordiam patronorum, Ecclesia non debet priuari ministro sibi debito.

Aut saltem dum patroni dissentiunt, Ordinarius habet ius commendandi Ecclesiam alicui idoneo, ex eod. Sylu. est. *in sequen. quæst.* 12. Qui etiam habet *in citata quæst.* 8. *dicto* 5. si pupillus patronus septennium egressus, & habens vsum rationis, in præsentando dissentiat à suo tutore præsentante alium æque idoneum, præferri debere præsentatum ab ipso pupillo: quia dominus est rei cui coniunctum est ius patronatus. Idem dic eadem ratione, cum Corasio *in quarta parte paraphrasis in materiam Sacerdotiorum cap. 6. nu.* 16. de præsentato ab vxore, quæ in dotem accipit rem in qua est ius patronatus: nempe præferri præsentato à marito, si ab illa dissentiat, quia vxor est naturalis, & vera dotis domina. Lege, In rebus, Cod. De iure dotium.

Aduerte quod de excommunicatione agendo statuitur, præsentationem factam à patrono Clerico excommunicato, esse inualidam: locum habere, non solum quando præsentat quis solus: sed etiam quando cum aliis vnum collegium, vel monasterium efficientibus, quorum omnium cōsensus ad valorem præsentationis est necessarius. Tunc enim requiritur, vt omnes ad illud spectantes, suffragium ferant: adeoq; vt nemo eorum sit impeditus per censuram. Ad quod faciunt quæ de electione ab excommunicato facta Franciscus tradit Suarez in 3. partem tomo 5. disput. 14. sect. 2. à num. 7. Secus esset vero, si plures illi concurrerent tanquam singulares personæ; quarum vna quæque per se habeat ius præsentandi, *vt ex Panorm. & aliis Canonistis ad cap. 3. De iure patronatus, habet lib. 2. par. 1. q. 2. art. 2. Lambertinus*; qui in sequenti *par. 3. quæst. 3. art. 4.* bene etiam docet præsentationem inualidam non reddi validam per institutionem factam ab Episcopo: quia collatio facienda ad præsentationem patroni, non est absoluta, & libera, sed ita supponit eiusmodi præsentationem: vt ipsa nulla, inualidaque sit, si nulla, inualidaque fuerit præsentatio. Aduerte quoq; inualidam esse præsentationem cum patronus Clericus suspensus fuerit ab officio: quia præsentatio illi tantum conuenit ratione officij Ecclesiastici; non autē si fuerit solum suspensus à beneficio, quia talis suspensio Clericū priuat tantum perceptione prouentuum: 219.

Sectio III.

De persona præsentanda.

220. PRimo notandum est, patronum non posse præsentare seipsum, ex cap. Per nostras, De iure patronatus: etsi quando sunt plures patroni, possint præsentare vnum ex suo numero, quia tunc cessat ratio in illo capitulo allata: quod nullus debeat se ingerere Ecclesiasticis officiis.

Secundo notandum est, eum qui scienter præsentat indignum, seu habentem impedimentum aliquod canoni-

cum, peccare mortaliter; quia infideliter facit officium sibi impositum: & quantum est ex sua parte, infert Ecclesiæ detrimentum; præsentatioque inualida est si præsentetur talis, qui sit secundum canones inhabilis, de quo egimus in præced. cap. 11.

Notandum est tertio, patronũ debere de Clerico præsentando inquirere, num sit idoneus: alioqui enim periculum esset ne præsentaret indignum: cui periculo scienter se exponens peccat, sicut prius mortaliter, iuxta illud Ecclesiastici 3. Qui amat periculum peribit in illo. Nec obstat quod nemo existimandus sit malus, nisi id constet: quia id quidem verum est cum agatur de malitia morum: non autem cum de conditionibus secundum leges ad aliquod munus requisitas. Et certe imprudentiæ magnæ esset, ignotum nobis, sine inquisitione, iudicare conditiones habere ad beneficium acquirendum requisitas: puta ætatem, scientiam, ordinẽ, & si quæ sint alia, in eo qui præsentandus est requisita: quæ nõ inueniuntur in omnibus.

221. Notandum est quarto, difficultatem esse, An patronus possit præsentare dignum relicto digniore. De qua videtur dicendum: si præsentatio facienda sit de Clerico alicuius determinati collegij, aut monasterij, vel ciuitatis, aut loci, vel familiæ: sufficere si præsentetur idoneus de tali collegio, monasterio, &c. etiamsi extra sint alij magis idonei. Nam iustæ sunt leges statuentes vt ad aliqua beneficia promoueantur solum Clerici de tali loco, aut collegio, aut familia, cum ad bonum commune tale quid spectet: quandoquidem ciuitates, collegia, & homines singulares, paffectu quo duci solent erga sua loca, vel familias, alliciuntur ad bene merendum de Ecclesia. Quod si in tali collegio, ciuitate, &c. duo sint, vnus idoneus, alter magis idoneus, patronus debet præsentare magis idoneũ: alioqui non videretur fidelis erga Ecclesiam, nec in officio sibi cõmisso viliter agere negotium Ecclesiæ, quæ ipsi illud commisit. Quod idem pari ratione iudicandum est, si præsentatio sit libera, nec stricte facienda de Clerico certi collegii, ciuitatis, &c. De qua re legendum est Concil. Triden. sess. 24. cap. 18. De reform. & ei accommodanda quæ dicta sunt in præced. cap. 14. documento 6. seu num. 195.

Cæterum quamuis graue peccatum sit ita male præsentare, non ideo tamen præsentatio est inualida, cum nullum ius detur, quo id statuatur: nec ratio dictet parem esse debere rationem præsentationis minus digni relicto digniore, & præsentationis indigni.

Notandum est quinto, patronum videri functum suo officio si præsentet idoneum, cum vnus tantũ se illi offert; aut plures quidem, sed æque idonei. Nam illum compellere sub pœna peccati mortalis ad præmittendam inquisitionẽ, inueniantur ne alij digniores, iis qui se offerũt, esset gratiam ei concessam facere ingratã, & quasi odiosam cõtra finem ob quẽ ea conceditur: homines scilicet per illam alliciendi ad benefaciendum Ecclesiæ, nam tali conditioni non facile submittent se Reges, & alij Magnates.

222. Notandum sexto, quod Sylu. *in verbo Iuspatronatus, q. 7.* tractat: laicis personis præsentantibus indignum; *quia spiritualia, & Ecclesiastica ignorant*, Ecclesiam parcere, ac indulgere vt iterum præsentent: sed debet Episcopus interea Ecclesiæ vacanti aliquem præficere, & patronum ipsum monere, vt alium præsentet: cum ipse non possit instituere indignum. Clericis autem præsentantibus indignum, eamdem Ecclesiam non parcere: quia tales non debent spiritualia, *tanquam Ecclesiastica*, ignorare.

Notandum est septimo, quod Corasius *in ante citato cap. 6. num. 18.* habet: de absente quidem non fieri iure præsentationem, *ex glossa ad Clement. Dudum, §. Statuimus, De sepulturis, verbo Præsentari*: attamen si absentis Clerici qualitas, conditio, & persona cognita est ipsi patrono, hic licite potest illum præsentare: quia rei demonstratæ frustra adiicitur demonstratio. Sic etiam potest Episcopus absentem instituere: dummodo ei, qualitas illius, conditio, & persona sit nota. Nam ea ratione posse absenti conferre beneficium habetur, ex cap. Si tibi absenti. De præbendis, in 6. Sic quoque à Rege nominati, quamuis ab vrbe Roma absint, in Episcopos instituuntur à Papa: quia hic per literas factus est de personis, & conditionibus eorum certior.

Notandum est octauo, quod Corasius addit *in seq. nu. 19. ex glossa, & Panorm. ad cap. Consuluit, De iure patronatus*: patrem posse præsentare filium: quia non datur ius quo id prohibeatur: neque impediat, quod filius dicatur eadem persona cum patre: & quod filius acquirit, acquirat patri: quia non est eadem persona secundum rei veritatem, sed tantum secundum legis humanæ interpretationem, & fictionem: neque filius acquirit patri beneficium, sed sibi. 225.

Notandum est postremo, cum Sylu. *in verbo, Iuspatronatus, quæst. 6.* habentem ius patronatus laici, siue laicus sit siue Clericus; teneri præsentare intra quatuor menses: habentem vero ius patronatus Clerici, teneri præsentare intra sex menses, ex cap. vnico, De iure patronatus in 6. Quod tempus, *quia ignorantia reddit hominem excusabilem*, incipit currere à die quo patronus scit beneficium vacare; nõ autem à die vacationis. Quod si præsentatus ab habente ius patronatus Clerici, renciatur ob impedimentum Canonicum, non potest idem patronus pro ea vice alium præsentare: potest vero habens ius patronatus laici, *facta simili præsentatione*, alium intra quatuor menses præsentare. Cuius discriminis rationem habes in præcedenti notabili sexto. 226.

Adde aliud, *de quo idem Sylu. in sequen. quæst. 8. per cap. Cum autem, De iure patronatus*: quod habens ius patronatus laici vno idoneo præsentato, possit ante illius institutionẽ adhuc præsentare alium: non quidem vt à primo recedat: sed vt altero ei accumulato, Episcopus quem maluerit, instituat: habens vero ius patronatus Clerici, vno Clerico præsentato, nõ habeat ius præsentandi alium: ne quidem prædicto modo, nempe accumulatiue: quia talis præsentatio vim habet electionis, qua peracta electores variare non possunt, ex cap. Publicato, De electione.

Cæterum cum in iure patronatus cõmunicant patronus laicus, & patronus Clericus, illud habens ratione suæ Ecclesiæ: ob talem communionem laicus gaudet priuilegio præsentandi intra sex menses. Sicut enim ille qui rem habet communem cum pupillo, gaudet priuilegio pupilli: sic in hac re priuilegiũ Clerici, ratione societatis transit ad laicum. Ad quod facit textus citati cap. vnici cum glossa ad verbum Semestre.

Sectio IV.

De persona instituente præsentatum à patrono.

224 DE iure communi est, vt Episcopus habeat ius instituendi omnes præsentatos à patronis ad quæcumque beneficia intra suam diœcesim existentia, cap. Ex frequentibus, De institutionibus, cap. 1. eod. tit. in 6. & cap. Cum satis, De officio Archidiaconi, iuncto cap. Omnes basilicæ, 16. q. 7. ex quo haberi pro regula, quod institutio omnium Ecclesiarum spectet ad Episcopum. Lambertinus notat, De iure patronatus *lib. 2. par. 3. quæst. 1. art. 3.* Addens Episcopum id ius habere, etiamsi nondum consecratus sit: quia instituere est actus iurisdictionis (quam ille acquirit dum confirmatur à Papa subiiciente illi populum) non vero Ordinis. Vicarius item generalis Episcopi potestatem habet instituendi, iuxta citatum cap. Ex frequentibus: etiamsi non habeat ius conferendi sine speciali mandato eiusdem Episcopi, ex cap. finali, De officio Vicarij in 6. qua de re Lambert. *in seq. art. 5.* 227.

Idem iuxta cap. 1. De institutionibus in 6. dicendum est de Capitulo, sede vacante: nempe ius habere instituendi: de qua etiam re Lambertinus *in sequen. art. 7.* Qui etiam in præcedenti art. 4. aliis citatis notat: quod licet olim Episcopus iure communi non posset instituere absque Capituli consensu, nunctamen vsum obtinuisse vt solus sine capitulo instituat.

Aliis Clericis Episcopo inferioribus ius instituendi potest conuenire, vel ex priuilegio, vel ex præscriptione, vel ex consuetudine, vel ex statuto, vel ex fundatione beneficij: vt v. g. si capellania fundetur à laico ea conditione apposita de consensu Episcopi, vt Decanus, vel Archidiaconus, vel Præpositus certæ Ecclesiæ, vel alius presbyter ius habeat instituendi præsentatum à patrono, nõ autem Ordinarius. De qua re etiam Lambertinus *in seq. art. 10.* De

iure

iure communi laicus non potest habere ius instituendi, nec item ex concessione Episcopi; potest autem ex speciali priuilegio Papæ, vel per consuetudinem approbatam per Papã De qua re adhuc Lambertinus *in seq. art.* 11. & 12.

225. Potro de ipsa institutione notandum est primo, ex eodem Lambert. *lib.* 2. *par.* 3. *quæst.* 2. *art.* 2. eam nõ esse tantummodo irritandam, sed etiam irritam ipso iure, si fiat neglecto patrono. Validam autẽ reddi iam factam si patronus postea in eam cõsentiat. Item si patronus vocatus ad præsentandum non præsentet, & Episcopus ipso præsente, & tacente aliquem instituat: validam quoque esse institutionem. Item si toto tempore intrã quod patronus præsentare potest, scienter taceat, & Episcopus instituat, validam adhuc esse institutionem. Similiter si Episcopus iubeat vt patroni præsentent, nec faciant, atque ipsis scientibus, ac tacentibus ille instituat, validam adhuc esse institutionẽ. Idem quoque probabiliter dici potest, si Episcopus instituat, & patronus taceat, quando posset alioqui commode præsentare. Vera enim est regula, quod sciens, & tacens consentire videatur.

226. Notandum est secundo, cum ex communi opinione Episcopus possit exercere extra territorium actus iurisdictionis Episcopalis, qui nõ requirunt causæ cognitionem iudicialem: ipsum quoque posse dum est extra territorium, sibi præsentatum instituere; si institutio nullam requirat iudicialem inquisitionẽ, sed sufficiat examen præsentati, *iuxta Concilii Trident. præscriptum sess.* 24. *cap.* 18. *De reform.* præcedere, antequam instituatur in beneficio.

Notandum est tertio, ex ipso Lambert. *in cit.* 3. *part. quæst.* 9. & ex Couar. alios citante *in libro practicarum quæst. cap.* 36. Summum Pontificem, secundum communem opinionem, posse derogare cuicumque iuri patronatus: quia iure tantum Canonico, *cui Papa derogare potest*, patronis conuenit, & interdum in suis literis de facto derogat. Quod an faciat, cum in illis dicitur beneficium huic, vel illi prouideatur, ad cuiuscumque dispositionem pertineat, difficultas est. Ex communi autem sententia, *Couar. loco cit. nu.* 2. *plures in eam commemorans*, monet per ea verba derogari iuri patronatus Clericorum; non autem iuri patronatus laicorum: quia non censetur Papa præiudicare laicis, nisi facta expressã mentione illorum: ne auertantur à fundandis, ædificandis, ac dotandis Ecclesiis. Quod etiam procedit, vt idem author ex communi quoque sententia addit: cum in literis Apostolicis fuerint hæc verba, *Ad cuiuscumque præsentationem pertineat*; quia locutio illa generalis respicit, & comprehendit omnes species Clericorũ ad quos ius præsentandi pertinet: siquidem aliquando pertinet ad Presbyteros simplices, aliquãdo ad dignitates, aliquãdo ad Episcopos, aliquãdo ad collegia, aliquando ad Religiosos, aliquando ad hospitalia, aliquando ad alios conuentus Ecclesiasticos.

227. Addit præterea Couar. post Lambert. in cit. quæst. 9. art. 11. & Rebuffum prima parte praxis beneficiorum, *in tertia parte signaturæ, verbo, Iuris patronatus, num.* 62. quod si Papa in literis Apostolicis dicat: *Ad cuiuscumque præsentationem pertineat*, etiam laicorum non præsumi derogare velle iuri patronatus pertinenti ad Reges, Duces, Marchiones, & alios Principes, nisi expresse de illis faciat mentionem. Ita enim habetur ex regula 40. Cancellariæ, quæ, *vt habet Lambert. loco cit.* fuit Innocentij octaui, hisque verbis concepta est: Item voluit quod super quouis Ecclesiastico beneficio de iure patronatus laicorum non expediantur literæ, nisi ponatur expresse, quod tanto tempore vacauit, quod eius collatio est ad Sedem Apostolicã legitime deuoluta: vel ad id patronorum accedat assensus. Et, si per ipsas iuri patronatus huiusmodi, derogare contigerit: si ius huiusmodi ad aliquẽ Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat, & de hoc in literis prouisionis, vel mãdati de prouidendo de dicto beneficio mentio facta non fuerit, non censeatur iuri huiusmodi fore quomodolibet derogatum.

Notandum est quarto, quando ius patronatus pertinet simul ad Clericum, & laicum, ei non derogari per clausulam generalem, *Ad cuiuscumq; præsentationem beneficii umpertineat*: quia tale ius licet quoad commoda, & fauorabilia, iudicetur Clericorum; quoad damna tamen & odia, censetur laicorũ, ne his societas cum Clericis censeatur damnosa. Ita docet Couar. *in eodem cap.* 36. *num.* 5. *versu* 3. Addens quod si essent duo patroni Clerici ratione suarum Ecclesiarum, & tantum vnus laicus, admitti derogationem factam à Papa per clausulam generalem: quia tunc ius patronatus non est pariter Clericorum, & laicorum; sed pro maiori parte Clericorum. Addens item si plures sint patroni laici, quorum maior pars consentiat derogationi factæ à Papa, eam non impediri propter minoris partis resistentiam: si derogatio fiat sub hac speciali clausula, *Si maior patronorum pars consentiat*. Non verò si fiat per clausulam generalem, quia tunc derogatio non admitteretur, siue ex toto, siue ex parte derogetur.

Notandum est postremo, præter eam acceptionẽ, qua 228.
nomen institutionis dicitur de collatione beneficij non libera, quæ fit ad patroni præsentationem: esse duas alias vsitatas in materia de beneficiis. Vna est, qua accipitur pro imaginaria quadam beneficij traditione; quæ alio nomine inuestitura dici solet, congruenter cap. Cum olim, De sententia, & re iudicata, & cap. Proposuit, De concessione prębendæ: sicque institutio sequitur collationem: sicut rei corporalis traditio sequitur donationem: ita vt primo quidem fiat collatio; deinde vero institutio seu inuestitura, tanquam traditio quædam. Et quia beneficium ipsum proprie tradi non potest: solet in locum, & signum illius tradi pileus, liber, annulus, aut quid simile. Tam autem eiusmodi collationis, quam institutionis ius, pertinet ad vnum eumdemque, nempe ad Episcopum: argumento cap. penultimi, De institutionibus. Altera acceptio est, qua institutio sumitur promissione in corporalem beneficij possessionem, quæ sequi debet institutionem præcedenti acceptione sumptam. Etsi enim per inuestituram à collatore factam, beneficium quodammodo sit traditũ, illiusq; imaginaria quędam possessio in accipientẽ transierit: veram tamen, & naturalem possessionem is nondum est adeptus: sed tunc demum, cum in locum beneficij immissus fuerit: cuiusmodi immissio iure scripto pertinet ad Archidiaconum, ex cap. Adhæc, De officio Archidiaconi, §. In nostra.

Sectio V.

De conditionibus, quæ à patronis apponuntur beneficiis patronatis, & de modis quibus ius patronatus extinguitur.

229. NOtandum est primo, non alium quam Papam posse derogare fundationum qualitatibus, & conditionibus: quia voluntas fundatoris mutari non potest nisi Papæ authoritate; vt communiter notari ad Clement. Quia contingit, De religiosis domibus, habet Lambert. De iure patronatus lib. 3. quæst. 5. art. 3. num. 6. Solere autem Papam iisdem conditionibus derogare (*cum scilicet id in suis literis exprimit*) notat Rebuffus in praxi beneficiorum 3. *par. signatum, verbo, Nec non iuris patronatus, num.* 72. Addens in seq. 73. non solere derogare, quando petitur fundationi derogari in totum, & quoad omnes eius partes etiam nõ expressas, vel exprimendas: quia tales esse possunt, quibus ipse noller derogari. Ex multis autem particularibus cõditionibus apponi solitis, quas Lambertinus persequitur *in præcedenti lib.* 1. *part.* 1. *q.* 9. illam tantum vsitatissimam considerabimus de Missarum dicendarum obligatione.

230. Circa quam dubitatur, primo, An cum in institutione beneficij cõditio ponitur, vt beneficiatus semel, aut pluries in hebdomada celebrare debeat, requiratur vt tempore præsentationis ipse sit actu Sacerdos. Ad quod Lambertinus *lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 7. *art.* 27. affirmatiue respondet: quia idoneus præsentandus est in beneficio: neque ad beneficium idoneus dicitur nisi ille qui potest & vult eidem deseruire, ex cap. Super inordinata, De prębendis. Iamille qui non est actu Sacerdos, deseruire non potest ei beneficio, cui ex lege fundatoris coniunctum est onus Missas aliquot celebrandi per ipsum met beneficiarium. De qua re plura idem author: docens in sequent. art. 28. idem iudicium esse si in fundatione dicatur vt ipse per se, vel per

alium Sacerdotem celebret: quia sensus eorum verborum est vt si ipse impeditus sit celebrare per seipsum, curet vt loco suo alius celebret: non autem quod sufficiat alterutrum eorum celebrare, nec necesse sit beneficiarium Sacerdotem esse.

231. Dubitatur secundo, An quando in institutione beneficij ponitur conditio vt beneficiarius sit Sacerdos, requiratur vt sit actu Sacerdos tempore præsentationis. Ad quod per tradita à Lambertino *in ead. quæst. 7. art. 29.* respondendum est requiri, si fundatio sit facta à laico; non item si ab aliqua Ecclesia, vel à Clerico ratione suæ Ecclesiæ: sed sufficit præsentatum ad tale beneficium, ea ætate esse tempore præsentationis, vt intra tempus à iure statutum possit fieri Sacerdos sine dispensatione. Cuius differentiæ ratio reddi potest, quod laici facientes fundationem, non præsumantur loqui secundum canones quos ignorant: Clerici autem præsumantur loqui secundum canones. Secundum quos beneficium tribus modis dicitur Sacerdotale (quos ex Ioanne Andrea, & aliis refert Lambert. *in supra memorato art. 27. num. 8.*) vel quia exigit, vt illud habens, sit Sacerdos: vel vt teneatur fieri Sacerdos intra tempus præscriptum à iure, alioqui ipse sit eo beneficio priuatus: vel vt actu fiat Sacerdos intra tempus iuris, alioqui fructus non faciat suos, licet non priuetur beneficio. Quorum modorum vno aliquo sufficit intelligi conditionem beneficio adiectam, vt beneficiarius sit Sacerdos.

232. Notandum est secundo, circa eandem conditionem, congruenter iis quæ de illa ex Panormit. habet Sylvest. *in verbo, Missa 1. quæst. 7. in fine*; si patronus beneficiario imponat obligationem per seipsum celebrandi ter vel quater in hebdomada: eam non esse intelligendam ita stricte, quin, *iuxta cap. Significatum, De præbendis*, si ob legitimum impedimentum non possit tunc cum debita præparatione, deuoteque celebrare, satis sit vt celebret per alium, vel celebrationem differat in aliud tempus, sublato impedimento. Alioqui enim institutio illicita esset, tanquã dans materiam peccandi. Quod pari ratione dici potest de obligatione à patrono imposita celebrandi in certo altari, vel Ecclesia, aut capella: nempe vt occurrente legitimo impedimento, celebretur in alio loco. Pro quibus facit, quod obseruandæ quidem sint conditiones quas patronus ab initio fundationis apposuerit beneficio de cõsensu & authoritate Diœcesani: *quia vnusquisque potest alteri rem suam donare, cum quo voluerit onere: ita vt illam acceptans tale onus subire teneatur.* Sed tamen, vt videre est apud Lambertinum *lib. 1. part. 1. quæst. 9. art. 1. à num. 65.* id habet varias, non modo ampliationes, sed etiam restrictiones: & inter eas, vt non procedat quando huiusmodi conditio fuerit grauamen immoderatum, & intolerabile: quia talis, neque de Episcopi cõsensu apponi potest ab initio fundationis: neque tenet si ab initio quidem fuit moderata, & tolerabilis, sed post facta est immoderata, & intolerabilis: quod idem author notat *in sequen. num. 145.* Item vt non procedat cum conditio fuerit rectæ rationi contraria, vt est illa, de qua Sylvester loco citato: celebrandi quotidie de sacrosancta Trinitate, aut de sancto Michaele, relictis Missis iis quæ iuxta rubricas, sunt celebrandæ, siue de tempore, siue de Sanctis.

Cæterum in dubio, seu cum non constiterit aperte impedimentum esse legitimum; recurrendum est ad Episcopum pro licentia habenda, sicut recurritur, vt infringi possit ieiunium sine peccato, cum occurrit quidem impedimentum ieiunandi: sed nõ constat aperte an sit sufficiens. Adde cum patronus apposuit obligationẽ celebrandi certum numerum Missarum & decrescentibus redditibus, vel alia de causa, onerosus est tantus numerus: Episcopum habere per Concil. Trident. sess. 25. cap. 4. De reform. authoritatem reducendi eundem numerum ad minorem.

233. Superest vt paucis attingamus modos, quibus ius patronatus extingui potest. Primus igitur est, per cessionem: nempe cum quis ius patronatus quod habet renuntiat ei Ecclesiæ, in qua illud habet. Nam tunc talis Ecclesia manet libera, ex cap. vnico De iure patron. in 6. Alter est, cum quis Ecclesiam, cuius est patronus, scienter patitur fieri collegiatam sine iuris sui reseruatione. Nam tunc de rectore eiusdem Ecclesiæ vacantis non prouidebitur ex illius præsentatione: sed ex collegij electione, iuxta cap. Nobis, De iure patronatus iuncta glossa, verbo, In capella. De qua re Panormit. ibid. vbi & tractat an ipso patrono inuito, liceat talem mutationem facere. Tertius est, si Ecclesia incendio consumpta fuerit, vel vitio aliquo corruerit, vel capta, detentaque sit ab hostibus: quia sublata substantia rei, consequenter accidens illius perit. Quartus est, si patronus Rectorem, aut Clericum ipsius Ecclesiæ per se, vel per alium occiderit, aut mutilauerit, iuxta cap. In quibusdam, De pœnis: vbi id Panormitanus notat. Quintus est, si patronus efficiatur hæreticus, aut incurrat in aliud crimen, propter quod omnia bona ipsius confiscata sint: tanquã pereunte scilicet accidente, dum substantia perit.

CAPVT XVII.

De simplici collatione beneficii Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

234 *Quid sit simplex collatio beneficii Ecclesiastici.*
235 *Quæcumque beneficia potest Papa conferre, & solus beneficia reseruata.*
236 *Concursus Papæ cum aliis Ordinariis: & quis significetur nomine Ordinarii.*
237 *Potestas Cardinalis, & Apostolici Legati à latere, beneficia conferendi: & quod eam non habeant cæteri Legati Apostolici, nisi specialiter eis committatur.*
238 *Notanda de potestate Legati à Latere, restricta circa collationem beneficiorum.*
239 *Spectat ad Episcopum conferre beneficia in sua diœcesi: quod non potest semper facere libere.*
240 *Quid in eo requiratur vt talem potestatem habeat, aut exerceat.*
241 *Capitulum Sede vacante non habet quidem ius conferendi beneficia spectantia ad collationem Episcopi: habet tamen confirmandi electum, & instituendi nominatum, & vnde oriatur talis differentia.*
242 *Generalis Vicarius Episcopi non potest beneficia conferre, nisi ex Episcopi sui commissione, & quæ alia ius possit.*
243 *Quando Episcopo datus coadiutor possit, aut non possit vice ipsius conferre beneficia.*
244 *Quando possit qui possessor quidem est iuris conferendi, sed non est dominus.*
245 *Quid sequester possit.*
246 *Beneficia conferri debent pure, libere, & palam.*
247 *Itemque sine diminutione, & iam vacantia: nec ad certum tempus, sed ad totam vitam.*
248 *Collatio beneficii non debet fieri alternatiue, aut copulatiue: & quando vacans possit, aut non possit in duo diuidi.*
249 *De tempore intra quod fieri debet beneficiorum collatio.*
250 *Conditiones requisitæ ad validitatem collationis beneficiorum.*
251 *Plenitudo potestatis requisita ad validitatem collationis beneficii: & aliquot casus in quibus ea deficit.*
252 *Modi quibus talem potestatem habens, potest eam amittere.*
253 *Inualida est beneficii collatio facta post tempus à iure constitutum: & quatenus potestas conferendi deuoluatur ab vno in alium.*
254 *A Regularibus etiam exemptis, ad Episcopum sit deuolutio, & quædam alia paucis tacta pro praxi.*
255 *Modus quo beneficii collatio inualida est ob collatoris peccatum commissionis.*

234. COllatio simplex dicitur ad distinctionem præcedentium modorum, quibus acquiritur beneficium. In illis enim semper quidem est collatio actu, aut virtute: sed præter eam simul est actio alia à qua quisque eorum propriam accipit denominationem. Definiri autem potest talis collatio: concessio beneficij Ecclesiastici vacantis, nulla alterius Superioris confirmatione indigens. Ex qua definitione satis intelligitur, collationem distingui ab institutione, quæ non est libera, sed ad præsentationem patroni facta: & ab electione proprie dicta, quæ requirit confirma-

firmationem Superioris. Intelligitur etiam quæ in iure dicantur beneficia electiua, quæ patronata, & quæ collatiua.

Occurrit autem hic considerandum primo, quorum beneficiorum sit simplex collatio: secundo, quibus conferri: tertio, à quibus conferri possint: quarto, quis sit debitus modus conferendi: postremo, quæ conditiones requirantur ad validitatem collationis. Atque de primo: illud paucis monendum est, simplici collatione conferri omnes dignitates, Canonicatus, portiones, & præbendas Ecclesiæ: sine Cathedralis, siue collegiatæ. Item omnes Ecclesias parochiales, ac demum omnes præstimoniales portiones, capellanias & beneficia simplicia seruitoria, nisi obster consuetudo, priuilegium, vel fundatio, vel ædificatio, vel dotatio: ex quibus prædicta beneficia possunt habere patronos, nec esse in collatiuorum, sed in patronatorum numero: de quibus in particulari nihil certi statui potest: quia talis conditio eorum, pendet ex incerta, ac varia hominũ voluntate. De secundo vero, iudicandum est per tradita in præced. cap. 11. & 12. Certum est enim beneficia debere conferri dignis: & quibus nulla obstant iuris impedimenta. Vnde nobis immorandum est tantum in tribus reliquis ex ante memoratis.

Sectio I.

De iis, à quibus beneficia de iure conferri possunt, ac primo de Papa.

235. PApa solus confert beneficia reseruata, de quibus in sequenti titulo cum de vacatione beneficiorum: atque prout expressum est in fine Clementinæ primæ, tit. Vt lite pendente: ipse per totum mundum habet ius conferendi per præuentionem quæcunque beneficia; etiam electiua, aut patronata; quia electoribus, & patronis potestas eligendi, aut præsentandi (*ex Panorm. ad cap. Quoniam, De iure patronatus num. 2.*) conuenit tantum de iure Canonico: cui Papa derogare potest: licet non semper faciat, nec semper facere æquum sit. Imo vero si beneficium sit iuris patronatus laici, collatio illius per Papam facta, erit surrepticia, nisi de eodem iure faciat mentionem: vt idem Panormit. habet ad cap. Cum dilectus, eodem tit. num. 12. Idem ac de Papa iudicium est de Concilio generali legitimo: cui ille cum sua authoritate adest per se, aut per suos Legatos: non autẽ de collegio Cardinalium Sede vacante, ex Clement. Ne Romani, §. 1. De electione. Et ratio est, quia nequeunt tunc de aliis negotiis tractare, quam de electione futuri Pontificis, ex cap. Vbi periculum, §. Iidem, De elect. in 6.

236. Papa igitur sic concurrit cum quocumque Ordinario, vt si beneficium vacet, & prius (etiam vna tantum hora dummodo scripto, vel testibus id probari possit *ex Glossa ad cap. Si à sede, De præbendis in 6. verbo, Nec appareat*) impetretur ab eodem Papa, quam ab Ordinario, præferatur prouisus ab ipso Papa: contra vero si prius prouideatur ab ordinario collatore, sic prouisus præferatur posterius prouiso à Papa. Quod si non constet quis præuenerit conferendo, Papane, an ordinarius; ille ex prouisis præferetur, qui prius nactus fuerit possessionem: sique neuter eam nactus fuerit, præfertur prouisus à Papa propter dignitatem prouidentis. Ita habetur ex citato cap. Si à sede.

Nota obiter cum Corasio in sua paraphrasi in materiam sacerdotiorum *par. 2. cap. 4. in initio* Ordinarium hic vocari inferiorem Papa, qui iure suo potest beneficium conferre: iuxta glossam ad initium cap. Ordinarij, De officio Ordinarij in 6. Tales sunt tum Episcopi, tum Episcopo inferiores, quibus ius, vel consuetudo talem potestatem tribuit, etiamsi ij iurisdictionem ordinariam non habeant: qualis censetur simplex Parochus, qui nonnumquam habet ius conferendi aliquas capellanias, aut alia beneficia simplicia ratione altaris in sua Parochia fundati.

Sectio II.

De Cardinali, & de Papæ legato.

237. CArdinalis etiamsi non sit Episcopus, vel presbyter, ius habet conferendi omnia beneficia, quæ sunt in ea Ecclesia, cuius ipse titulum habet quasi Episcopalem. De qua re habetur bulla Clementis 7. quæ est ordine septima in collectione Petri Matthæi Legatus vero à latere, id est, ex Cardinalium collegio assumptus, potest per concursum cum Ordinario, ac præuentionem cõferre omnia beneficia prouinciæ sibi commissæ, ex cap. 1. De officio Legati in 6. Sicque in collatione beneficij tres possunt concurrere, inter quos sit locus præuentioni: nempe Papa, Legatus à latere, & Ordinarius. Id quod habetur ex memorata glossa ad cap. Si à sede, *verbo legato*. Potest etiam idem legatus beneficia vacatura reseruare suæ collationi: ita vt Ordinarius vacantia conferre non possit, ex cap. Præsenti. De officio Legati in 6. Alius vero Legatus Papæ neutrum potest, nisi nominatim ad id ius detur illi à Papa, ex cap. primo, iam citato: proceditque ex eodem cap. siue sit Legatus in aliquã prouinciam missus ad aliqua negotia tractanda, qui solet dici Nuntius Apostolicus: siue sit legatus natus; quo nomine appellatur is qui ratione Ecclesiæ cui præficitur, fit Legatus, seu legatione fungitur in ea prouincia: vt in Anglia Archiepiscopus Cantuariensis, ex cap. 1. De officio Legati.

Aduerte autem primo, Legatum à latere non posse dare ius ad vacatura beneficia. Ratio est, quia non conuenit tale ius à Papa cuiquam cõmunicari: quandoquidem potest inde prouenire aliqua occasio captandæ mortis alienæ, prout habetur ex cap. 2. De concessione præbendæ. Obiicienti autem quod idem Legatus possit, *vt ante dictum est*, beneficium vacaturum reseruare suæ collationi. Nam facile respondetur, per talem reseruationem nulli certæ personæ tribui ius: ita vt nihil impediat quin postea beneficium conferatur pro arbitrio reseruantis: sicq; nulla occasio datur captandæ mortis. 238.

Aduerte secundo, nec posse reseruare beneficia vacantia in curia Romana, quoniam talia sunt reseruata collationi Papæ, ex cap. 2. De præbendis in 6. Nec item si ea sint Episcopatus, vel abbatiæ, vel alia beneficia regularia, vel sint electiuæ quidem dignitates maiores, sed inferiores Episcopatu, ex cap. Deliberatione, De officio Legati in 6. Nec denique si sint beneficia patronata, quorum præsentatio pertineat aut ad laicum, *prout notat glossa ad Clementinam. Per literas, verbo Apostolicis, De præbendis*; aut etiam ad Clericum simul, & laicum, prout notat Panormit. *ad cap. finale De iure patronatus num. 9.* Id quod Corasius sequens *in 2. part. cap. 3. num. 11.* ipsum probat quia non est æquum ex socio Clerico laicum damnificari: argumento cap. Sacris, De sepulturis; sed potius ex priuilegio laici, socium Clericum sentire commodum. Potest tamen idem Legatus reseruare, quando ius patronatus competeret laico ex præscriptione, consuetudine, aut priuilegio generali, prout idem Panormit. notat ad cap. Dilectus, in fine, De officio Legati. Qui & in eiusdem principio notat esse idem iudicandum, quando ius patronatus competeret Clerico ratione suæ Ecclesiæ. Dictũ vero est, *priuilegio generali*, quia vt ex eodem authore habet Corasius *in cit. cap. 3. n. 15.* si iure speciali, & expresso priuilegio certorum beneficiorum, aliquis conferendi ius habeat, Legati potestas ad ea non extenditur: quia cum specialis prouisio præpolleat generali, ex cap. 1. De rescriptis, & cap. Dudum, §. Nos igitur, De præbendis, in 6. de illis, quæ specialiter commissa sunt alteri. Legatus se non interponit, ex cap. Studuisti, De officio Legati.

Sectio III.

De Episcopo.

239. ORdinario iure quilibet Episcopus confert beneficia suæ diœceseos. Nam ad Episcopum pertinet institutio, & destitutio beneficiatorum suæ diœceseos, cap. Ex frequentibus, & cap. Cum venissent, De institutionibus, & cap. Conquerente, De officio Ordinarij & cap. 1. De capellis monachorum, & cap. Cum ex iniuncto, in fine, De hæreticis. Item omnes Ecclesiæ in ipsius territorio constitutæ relinquuntur ipsius curæ, & solicitudini, cap. Omnes Basilicæ, & cap. Nullus, distinct. 16. quæst. 7. de eisque disponendi habet auctoritatem tanquam vocatus à Summo Ponti-

Pontifice in partem ſolicitudinis, cap. Ad honorem, De auctoritate, & vſu pallij.

Verumtamen talis collatio non eſt ſemper libera, nonnunquam enim beneficia ſunt patronata, & ideo collatio illorum aliter facta, quam ad patronorum præſentationem nulla eſt, ex cap. Decernimus 16. quæſt. 7. nonnunquam vero poſſunt ab Epiſcopo tantum coniunctim cum Capitulo, aut de conſilio Capituli: vel contra, de conſilio Epiſcopi à Capitulo conferri, iuxta cap. vnicum §. 1. & vltimo, Ne ſede vacante in 6. De qua re Coraſius *par. 2. cap. 4.* vbi inter cætera numero 6. annotat: ad ſolum Epiſcopum, cum conſilio tamen Capituli, præbendarum Eccleſiæ Cathedralis collationem pertinere, ex cap. Nouit, & cap. Quanto, De iis quæ fiunt à Prælato. Minora autem inferiorum Eccleſiarum beneficia, Epiſcopum conferre ſine Capituli conſilio. In maioribus autem debere illud conſulere, ex citato cap. Quanto: aut ſi ſint Eccleſiæ collegiatæ, conſeruata eis præſentatione, inſtituere: argumento cap. Cum Eccleſia Vulterana, De electione. Ad quod cap. Panormit. id notans, addit exceptionem, *congruenter cap. Ea noſcitur, De iis quæ fiunt à Prælato:* niſi prædictis obſtet cõſuetudo, aut priuilegium: quæ nonnunquam efficiunt, vt electio Canonici pertineat ad ſolum Epiſcopum, aut cõtra ad ſolum Capitulum, vt in caſu citati cap. Cum Eccleſia Vulterana.

240. Cæterum vt Epiſcopus ſupradictum ius habeat, non requiritur quidem, vt ſit conſecratus; requiritur tamen vt ſit electus ſimul, & confirmatus: vel præſentatus ſimul, & inſtitutus, vel ſimpliciter prouiſus à Papa. Nec enim Epiſcopum ante poſſe beneficia conferre, vel cætera quæ ſunt iuriſdictionis Epiſcopalis exercere, habetur ex cap. Noſti cap. Tranſmiſſam, cap. Qualiter, De electione. Non etiam res, & negotia Epiſcopatus, ne quidem tanquam œconomum, aut procuratorem poſſe adminiſtrare, ex cap. Auaritiæ, eod. tit. in ſexto.

Porro quia collatio beneficij eſt iuriſdictionis voluntariæ (neque enim quis cogitur beneficium conferre, aut acceptare collatum, iuxta cap. Si tibi abſenti, De præbendis in 6.) ea tanquam non indigens iudiciali ſtrepitu poteſt fieri ab Epiſcopo exiſtente extra territorium ac diœceſim ſuam, prout notat glo ſſa *ad cap. 3. De præbendis in 6. verbo. In remotis.* Reſtat monendum quod docet Coraſius 2. *parte in fine* cap. 4. Epiſcopum valide conferre beneficia quamtumuis ſit reus criminis etiam grauiſſimi, atque accuſatus: quia ex quo toleratur in officio, rata eſſe debent; quæ ab eo interea geruntur, iuxta legem Barbarius, De officio Prætoris. Imo nec depoſitus ſi prouocauit: quia cum non cenſeatur damnatus qui prouocauit, ſtatus eius integer manet, vt ſuæ dignitatis oneribus interim fungatur.

Sectio V.

De Capitulo, & de Vicario, & Coadiutore Epiſcopi.

241. Capitulum ſede vacante nõ habet ius conferendi beneficia pertinentia ad collationem Epiſcopi. cap. Illa deuotionis, tit. Ne ſede vacante: nec etiam recipiendi illorum reſignationem permutandi cauſa: niſi ſit beneficium, cuius collatio ad idpſum Capitulum, & ad Epiſcopum communiter pertineat; nam ea communio facit, vt Capitulum ipſum poſſit tunc conferre, ex cap. 1. eod. titulo in 6. Poteſt & Eccleſiis, tunc in diœceſi vacantibus (vt ex Panormit. ad cap. Cum nobis. De elect. *notab. vltimo adfert Coraſius, part. 2. cap. 7. num. 4.*] œconomos præficere, iuxta cap. Cum vos, De officio Ordinarij: & eos commendare aliquibus, donec fuerit prouiſum de paſtoribus, propter periculum ſcilicet diuturnæ vacationis. Poteſt item electos confirmare, & à patronis præſentatos inſtituere, ex cap. Cum olim, De maioritate, & obedientia, & ex cap. 1. De inſtitutionibus in 6. Poteſt adhuc alia multa quæ Rebuffus perſequitur in praxi beneficiorum, *titul. De deuolutione, à num 58.*

Propoſita vero diuerſitas collationis à confirmatione, & inſtitutione cenſetur naſci ex eo, quod confirmatio & inſtitutio ſint actus neceſſitatis; quorum vſus pendet ab aliena voluntate, cui ſatisfacere non eſt præiudicare futuro Epiſcopo, tollendo ei aliquid pertinens ad ipſius liberam diſpoſitionem. Simplex autem collatio beneficij ſit libertatis, rationem habens cuiuſdam donationis, hoc nomine: quod ex pluribus dignis poſſit eligere quem velit, 244.
prout declarat gloſſa *in ſumma cap. finali, De officio Vicarii in 6.* & patet ex cap. Poſt electionem, De conceſſione præbendæ. Quæ quidem libertas annumeranda eſt inter fructus Epiſcopatus, qui futuro Epiſcopo reſeruari debent, per gloſſam *ad ſupra citatum cap. Cum olim, verbo, Capitulo.*

Porro eadem ratione, qua de Capitulo, negandum eſt de œconomo, cui commiſſa eſt adminiſtratio generalis, & libera bonorum Epiſcopatus vacantis; poſſe conferre beneficia: quia talis generalis commiſſio ſemper intelligitur excepta alienatione bonorum gratuita: qualis eſt facta per donationem, ex gloſſa *in ſupra memorata ſumma.*

Generalis etiam Vicarius Epiſcopi non habet ius conferendi beneficia ad Epiſcopi collationem pertinentia, ex 245.
cap. finali, De officio Vicarij, in 6. niſi, vt ibidem additur, ea facultas illi ſpecialiter ab Epiſcopo concedatur: tunc enim habet ius conferendi ex commiſſione. Vbi notanda ſunt quædam cum Coraſio *par. 2. cap. 8.*

Primum eſt, Vicarium Epiſcopi non poſſe quidem expedire ea quæ ſunt meræ gratiæ: vt eſſe cenſentur beneficiorum collationes, cum ſint donationes quædam, *vt ante habitum eſt:* poſſe tamẽ ea quæ ſunt iuſtitiæ, & neceſſitatis: vnde confirmare poteſt electos, & inſtituere præſentatos, prout per cap. Ex frequentibus, De inſtitutionibus, docet gloſſa ad citatum cap. finale, verbo, Non poſſunt.

Secundum eſt, eundem Vicarium ſi ab Epiſcopo poteſtatem habeat recipiendi renuntiationis beneficiorum factas cauſa permutationis, habere quoq; poteſtatem conferendi eiuſmodi beneficia: quia communis vſus obtinuit, vt eodem contextu, quo in permutatione beneficiorum admittitur vtriuſque renuntiatio, pariter fiat vtriuſque collatio; quæ non eſt libertatis, ſed neceſſitatis: quandoquidem talia beneficia non niſi permutantibus conferri poſſunt, ex Clement. vnica, De rerum permutatione.

Tertium eſt, Vicarium generalem, cui ab Epiſcopo cõceſſa eſt ſpecialiter facultas conferendi beneficia, eam extra territoriũ exercere poſſe, perinde ac Epiſcopũ ipſum, cum quo habet idem auditorium, ſeu tribunal, ex cap. 2. De conſuetudine in 6. & ex cap. Romana, De appellationibus, eodem libro: ita vt quod à Vicario geritur, pro eodem habeatur, ac ſi ab Epiſcopo gereretur.

Quartum eſt, facta reuocatione prædictæ facultatis, ſi Vicarius ipſe generalis eam ignorans, beneficium contulerit, tenere collationem: quoniam vt is talem facultatem non ante acquiſiit, quam illam ſciat: ita nec ignorans ſibi ademptam fuiſſe, illam amittit: argumento cap. Audita, De reſtitutione ſpoliatorum. Quod & confirmatur à ſimili: quia reuocatio procuratoris, quæ ei intimata nõ eſt, non impedit (*niſi ipſe fraudulenter agat*) renuntiationem, aut alterius actus ipſi commiſſi validitatem, iuxta textum expreſſum in Clement. vnica De renuntiatione.

De Coadiutore, qui iuxta cap. Vnicum, De Clerico ægrotante, in 6. datus eſt Epiſcopo propter amentiã ipſius, occurrit monendum, quod habeat ius conferendi beneficia pertinentia ad eiuſdem Epiſcopi collationem: tum quia Eccleſia alioqui pateretur detrimentum ex vacatione diuturna beneficiorum: tum quia eſt tanquam curator furioſi, aut minoris, plenam habens adminiſtrationem bonorum illius. Eum vero qui datus eſt propter ſenium, vel alium morbum corporis, non habere tale ius: quia tunc rationes propoſitæ non habent de ſe locum. Nam in ſenibus cum debilitate corporis, ineſſe poteſt maturitas morum, quæ ſuadeat ipſum in ſuo officio permanere, iuxta illud 2. ad Corinth. 12. Cum infirmor, tunc potens ſum: nõnunquam item corporis infirmitas fortitudinem cordis augmentat, prout habetur in cap. Niſi pridem, §. Alia vero, De renuntiatione. Iſtud vtrumque habet Coraſius *par. 2. cap. 4. num. 9. 10. & 11.* 246.

Sectio V.

De possessore & sequestro.

244. DVarenus lib. 3. De sacris Ecclesiæ ministris cap. 9. & Corasius par. 2. cap. 5. congruenter, cap. Cum olim, De causa possessionis; notant ad validitatem collationis beneficii sufficere, vt is qui confert, sit bona fide quasi in possessione conferendi: etiamsi non sit proprietarius, id est, apud ipsum reuera non sitius conferendi. Quod confirmatur à simili: quia tale quid sufficit ad validitatem: tum electionis, iuxta cap. Querelam, De electione: tum præsentationis, iuxta cap. Ex literis, De iure patronatus. Idque adeo verum est vt prouisus à possessore bonæ fidei præferatur prouiso à proprietario, eoue cui ius conferendi competit: argumento cap. Consultationibus, De iure patronatus: vbi glossa est legenda. Porro facta collatio à possessore malæ fidei est nulla: vt per cap. Grauis, De restitutione spoliatorum habet in eodem cap. 9. Duarenus, addens ex Panormit. ad citatum cap. Consultationibus: nullam etiam esse factam à proprietario non possidente suum ius conferendi: ob defectum scilicet sufficientis authoritatis.

245. De sequestro dubium est, an ius habeat conferendi beneficia. Dicitur autem is sequester, apud quem pecunia, vel res controuersa deponitur, vt finita lite & controuersia, victori ea restituatur, lege Sequester, Deverborum significatione: & lege Licet, ff. Depositi. Estque duplex, vnus voluntarius: is nimirum qui libera partium litigantium voluntate eligitur: & alter necessarius, qui Iudicis authoritate datur. Ac de dubio proposito Ioannes Selua *in tractatu De beneficio, par. 2. quæst. 9.* tres sententias refert: vnam Hostiensis ad cap. Examinata, De iudiciis, negantis generaliter sequestrum posse conferre beneficia. Alteram contrariam Innocentij ad idem cap. ac multorum aliorum quos refert Azor *in 2. par. Moral. Instit. lib. 6. cap. 25. q. 17.* existimantium sequestrum, siue sit prioris, siue posterioris modi, habere ius conferendi beneficia. Tertiam mediam, quam ipse Selua sequitur: voluntarium quidem sequestrum posse conferre, non autem necessarium.

Sed merito idem Azor, *vt & Corasius par. 2. cap. 6.* sententiam secundam sequitur: quia sequester exercere potest iura omnia, quæ sunt beneficij sequestrati, ex gloss. *ad Clemen. 1. De sequestratione possessionis, verbo Beneficium*, & licet is non possideat fructus eiusdem beneficij: eos tamen colligit. Deinde quia ob dubium litis euentum, neuter litigantium potest vti iure conferendi: & interest Ecclesiæ vacanti vt ei de Clerico citissime prouideatur. Denique quia sequester administrationem habet, non tantum in temporalibus, sed etiam in spiritalibus, iuxta memoratam Clement. primam: atque adeo in iure conferendi beneficia, quod est rei sequestratæ annexum: quodque exercere nihil aliud est, quam eadem beneficia conferre. Nec refert quod fructus eiusdem rei sequestratæ debeant restitui victori. Nam id intelligitur de fructibus qui conseruari & solent, & possunt: beneficia autem vacantia non sunt seruanda, sed statim conferenda, ne Ecclesia damnum patiatur.

Sic autem accipienda sunt hæc, *prout in cit. cap. 6. num. 4. monet Corasius*, vt habeant locum quando sequester fuerit Clericus: quia ius conferendi beneficia, est Ecclesiasticum & spirituale, cuius laicus non est capax, ex cap. Decernimus, De iudiciis. Licet ex Papæ priuilegio speciali Rex, vel Princeps possit tale ius habere: quia quamuis laicus non sit ex officio, potestate ordinaria, capax iuris spiritalis: ex speciali tamen priuilegio potest illud de quo agimus habere, vt & eligendi, ac præsentandi ad beneficia.

Sectio VI.

De requisitis ad debitam collationem beneficiorum Ecclesiasticorum.

246. BEneficium Ecclesiasticum conferri debet primo, pure, & sine pacto, vel conditione: ex cap. Quam pio, §. Cauete, 1. quæst. 2. & ex cap. finali, De pactis, & ex cap. 2. De elect. in 6. Aduerte tamen Episcopum posse exigere conditiones quæ ex natura rei insunt collationi: cum enim exigantur tacite, possunt quoque exigi expresse: verbi gratia, dicendo, Confero tibi hoc beneficium, si ipsum vacat: vel si es illius capax. Posse item exigere eas, quæ ex iure communi, aut ex statuto, vel fundatione requiruntur, verbi gratia, vt is cui confert curatum beneficium, aliud curatum habens idipsum resignet. Item vt is cui confert præbendam Theologalem, resideat, legat, & prædicet, ac iuret se beneficium collatum non recipere animo, & intentione relinquendi illud: & sic de cæteris: quas exigere non est prohibitum. Sub conditione autem iure Canonico prohibita, nullus beneficium conferre potest, nisi Papa, *qui supra ius illud potestatem habet*: etiamsi iuxta glossam *ad cap. Significatum, verbo, Ita quod, De præbendis*, talis collatio valeat, si sine simonia fiat. Et ratio est, quod conditio turpis habeatur pro non adiecta ex cap. finali, De conditionibus appositis.

Secundo, debet conferri libere, non per metum, nec per vim, ex cap. 2. & cap. Ad aures, De iis quæ vi, &c. Ac confirmatur: quia collatio beneficii est quædam liberalis donatio, ex cap. Post electionem, De concessione præbendæ.

Tertio, conferri debet palam, id est, præsentibus testibus fide dignis. Id enim factum ad remouendas fraudes, & lites, quæ suboriri possunt, si collatio fiat occulte. Quæ quamuis sit suspecta in iure, ex cap. vnico, titul. Vt Ecclesiast. benef. sine diminut. conferantur: valida tamen est, prout ad idem cap. *verbo Occulta*, glossa annotat.

Quarto, debet conferri sine diminutione, ex eodem cap. vnico, & ex cap. Maioribus, & ex cap. Auaritiæ, & ex 247.
cap. Vacante, De præbendis. Vnde Episcopus non potest vni conferre beneficium, & sibi, vel nepoti, vel famulo, vel alteri reseruare pensionem, ex cap. Extirpandæ, in fine, de Præbendis, & ex cap. Prohibemus, De censibus. Nec potest dum dignitatem confert, illius iura sibi reseruare, ex cap. Cum venisset, sub finem, De institutionibus. Nec item potest alteri conferre beneficium, & sibi retinere fructus; quod quidem faciens ex pacto, vel conuentione, incurrit in crimen simoniæ, ex eod. cap. vnico, & ex cap. Si quis præbendas, 1. quæst. 3. Quamquam tolerari potest quid simile, si tria concurrant. Primo, si subsit iusta, & necessaria causa: vt si Ecclesia ære alieno supra modum grauata esset, iuxta cap. penult. De verborum significatione. Secundo, si talis reseruatio fructuum fiat ad tempus, iuxta idem cap. & cap. Si propter, De rescriptis, in sexto. Tertio, si reseruatio fiat ante collationem: per post factam enim, tolleretur ius quæsitum alteri, & per simul factam committeretur simul simonia, de qua in fine memorati cap. vnici.

Quinto, debet beneficium vacare, namq; beneficium viuentis nequit alteri conferri, ex cap. Nulla, De concessione præbendæ. Vacare autem potest beneficium non tantum per obitum beneficiarii, sed etiam multis aliis modis, de quibus dicetur in sequenti titulo. Postremo conferri debet beneficium, non ad certum tempus, sed ad totam vitam eius, cui confertur: argumento cap. Præcepta, dist. 55. & cap. Satis peruersum, dist. 56. Papa tamen potest beneficia conferre ad tempus, ex cap. Veniens, De filiis presbyterorum, iuncta glossa finali, ibidem. Possunt similiter alii collatores ordinarii conferre beneficia manualia: vtpote quæ reuocari possunt, prout tradidimus *in præced. num.* 139.

His addendum est primo, prohibitum esse iure com- 248.
muni, *cap. 2. De electione, in 6.* collationem fieri alternatiue: vt fit, si Episcopus dicat, *Confero hoc beneficium Caio, vel Titio*: aut fieri copulatiue, vt si dicat, *Confero Caio, & Titio.* Atq; ratio prohibitionis est, quod per conditionem alternatiuam voluntas collatoris incerta, & dubia reddatur: cum tamen oporteat beneficii prouisionem ex puro conferentis consensu procedere: cum sit quædam liberalis donatio, vt in præcedentibus habitum est. Et vero, per conditionem copulatiuam, duo in eadem Ecclesia inscribantur titulumq; habeant, quod illicitum est, iuxta cap. Sicut alternis vxor, 7. q. 1.

Addendum est secundo, beneficium cum vacat, posse iure communi ex iusta causa in duo diuidi, si facultates illius sufficiant: ex cap. Vacante, De præbendis: sicque erunt duo beneficia, duoque iura, *vt glossa finalis ibidem expressit, & ad cap. Tuæ, eodem titul. verbo Sectionem.* Duo autem ad vnam præbendam eligi non possunt: ita scilicet, vt vnus vnam partem habeat, alter alteram, siue simul, siue successione, ex cit. cap. Tuæ, & ex cap. Dilecto, eodem adhuc titulo.

249. Addendum est tertio, beneficium collatiuum ex cap. Nulla, §. Cum vero, De concessione præbendæ, conferri debere intra sex menses: qui incipiunt non à die vacationis: sed à die scientiæ, vel notitiæ vacationis, vel à die quo collator scire debuit: ex cap. Quia diuersitatem in fine, eodem titul. In collatore vero impedito non currit tempus, quamdiu est impeditus: siue impedimentum fuerit iuris, siue facti: vt si fuerit excommunicatus, suspensus aut aliter impeditus, etiam sua culpa ex Rebuffo in praxi beneficiorum 1. parte, titul. De deuolutionibus, num. 13. per citat. cap. Quia diuersitatem. Modum debitum conferendi Parochiale beneficium vide in Concil. Trid. sess. 24. cap. 18. De reformatione.

Sectio VII.

De requisitis ad validam collationem beneficiorum Ecclesiasticorum.

VT collatio beneficiorum sit valida sequentes conditiones requiruntur.

250. Prima est, vt beneficium gratis conferatur, id est, sine pretio, pecuniave, aut alia re æstimabili pecunia: alioqui enim collatio simoniaca esset, & consequenter inualida, per tradita in præced. lib. 23. num. 176.

Secunda est, vt capaci beneficium conferatur: collationem enim factam incapaci esse inualidam intelligitur ex antedictis in præced. cap. 11. & 12. Alterutra autem harum conditionum deficiente, ne quidem coloratus beneficij titulus acquiritur: cum ille cui confertur, incapax sit illius.

Tertia conditio est, vt beneficium conferatur vni certæ personæ. Nam si duobus simul conferatur, collatio est inualida, ex cap. Dilecto filio, De præbendis. Sin prius conferatur vni absenti, & posterius alteri præsenti, posterior collatio est inualida, ex cap. Si tibi absenti, De præbendis in 6.

Quarta est, vt beneficium non obtineatur per surreptionem, aut obreptionem, hoc est, tacita veritate, vel suggesta falsitate. Nam inualida est tunc beneficij collatio, quando facta non esset, si talis surreptio, aut obreptio non interuenisset, ex cap. Super literis, De rescriptis: vbi glossa *verbo Literas*, recenset quæ exprimi debeant. Potest tamen hac conditione deficiente haberi titulus coloratus: dummodo persona alias sit capax, & Superioris mens fuerit simpliciter, absolute q; conferendi: nisi quod statutum sit in Concilio Trident. sess. 25. in fine capitis 21. De regularib. vt in prouisionibus monasteriorum, qualitas singulorum nominatim exprimatur: alioq; facta prouisio surreptitia esse censeatur: nullaq; subsequenti possessione, etiam triennali, adiuuetur.

251. Quinta conditio est, vt beneficium conferatur per legitimam auctoritatem: quam collator beneficij plenam habere debet, siue de iure communi, siue ex priuilegio, siue ex consuetudine: itemque habere nec amissam, nec impeditam. Quorum prius deficit, cum quis sede vacante accipit à Capitulo beneficium, quod solus Episcopus conferre solet ex cap. 1. De institutionibus, in 6. Deficit etiam, cum quis accipit beneficium à laico: qui etsi nominare possit, aut præsentare ad beneficium: non potest tamen illud conferre (*ex cap. Quod autem, & cap. Cum laici, De iure patronat.*) nisi ad id facultatem à Papa, vt interdum contingere habetur ex glossa ad cap. Impertum, distinct. 10. Deficit demum in simplici collatione: quando beneficium à solo Episcopo, vel à solo Capitulo confertur, quod debet ab vtroque conferri: quia vnus nihil facere potest sine altero ex capit. vnico, Ne sede vacante, in 6. vbi glossa in explicatione casus, notabili primo id expressit.

Circa posterius autem quod dictum est requiri ad 252.
hanc quintam conditionem, obseruandum est, cum qui plenam habet authoritatem conferendi aliquod beneficium, posse illam amittere quinque maxime modis. Primus est, quando collatori Ordinario coadiutor datur ob ipsius amentiam, iuxta tradita in præcedenti num. 243. Secundus est, quando Papa reseruat sibi collationem beneficij: tunc enim ordinarius non potest illud conferre. De qua reseruatione dicemus in sequent. titulo, cum de vacatione beneficiorum. Tertius est, quando ordinarius collator incidit in censuram Ecclesiasticam, vt in suspensionem ab omni iurisdictione: vel specialiter à collatione beneficiorum, vel in excommunicationem maiorem. Quibus collatorem ipsum impediri, conferre valide habetur ex cap. vnico, Ne sede vacante, in sexto. Quomodo autem id accipi debeat declarabitur in seq. libr. vltimo, tract. 1. cap. 6. Quartus est, quando collator ordinarius propter suam negligentiam, seu omissionem, qua neglegit omittitve beneficium conferre tempore statuto à iure; perdit enim auctoritatem illud conferendi. De quo tempore diximus in præced. num. 249.

Pro praxi autem notanda sunt hic nonnulla circa hanc 253.
eamdem conditionem. Primum est, Quod si post idipsum tempus (quantumuis sit prima dies *ex Rebuffo in praxi beneficiorum tit. De deuolutionibus, num. 27.*) beneficium Ordinarius conferat, collatio est nulla, ex cap. final. De supplenda neglig. Prælat. nec postea conualescit nisi denuo conferatur, vt ex communi opinione habet Rebuffus *ibidem num. 32.* auctoritasq; tale beneficium conferendi pro ea vice deuoluitur ad alium: ne Ecclesiæ beneficia diu vacare cogantur, & diutina vacatione patiantur damna, incommodaq; multa. Quæ ratio habetur in cap. Ne pro defectu, De electione: & per eam statuitur; vt hij, quorum est ius eligendi Prælatum Ecclesiæ Cathedrali, vel regulari, intra tres menses de eo non prouideant, careant ea vice potestate eligendi. Quæ ab illis, *ex Rebuffo in præced. nu. 23.* deuoluitur ad proximum superiorem, & ab hoc ad alium ei immediatum, & gradatim ad alios: nempe ab eo qui inferior est Episcopo, ad Episcopum: ab hoc, ad Archiepiscopum, &c. nisi beneficium sit exemptum: quia tunc deuolutio fit statim ad Papam, iuxta cap. Sicut, & ca. Licet, De supplenda negligentia Prælatorum.

Idipsum autem quod in electione; existimandum est contingere, tum in beneficiis patronatis, iuxta citat. cap. Sicut. si non fiat præsentatio tempore statuto à iure quod est sex mensium, ex cap. Nulla, De concess. præbendæ: tum etiam in beneficiis collatiuis, iuxta idem capitulum Nulla: nisi quod (prout in eodem expresse statuitur) quando collatio beneficii spectat ad Episcopum, & ipsius Capitulum simul; vno negligente conferre, ius cõferendi deuoluatur ad alterum: hoc est, negligente Episcopo, ad Capitulum vel contra. Quod si tam capitulum, quam Episcopus sit negligens, deuolutio fit ad Archiepiscopũ: nisi Episcopus cum Capitulo conferat tantummodo vt Canonicus: quia tunc deuolutio fiet ad ipsummet, vt Episcopum. Item nisi Episcopus sit exemptus: quo casu, 255.
statim fit deuolutio ab eo ad Papam, ex cit. cap. Licet.

Quibus adde casum vnum in quo collatio non deuoluitur ab Episcopo ad Capitulum: quãdo scilicet collatio non pertinet ad Episcopum iure ordinario; sed iure deuoluto. Si enim Episcopus ad quem ab inferiore negligente facta est deuolutio; fuerit & ipse negligens, collatio nõ deuoluitur Capitulum, sed ad Archiepiscopum, vt ex Innocen. & Panorm. habet Rebuffus *in eod. tit. De deuolution. b. n. 22.* Adde & alterum casum, in quo iuxta cap. Ex parte, De concess. præbendæ, non fit deuolutio à Capitulo ad Episcopum; nempe quando præbendæ non sunt inter se distinctæ, sed canonici viuunt in communi. Nam Capitulo negligente in locum Canonici defuncti sufficere alium, non deuoluitur ad Episcopum auctoritas id præstandi; cum tunc non censeatur proprie beneficium vacare, *vt ad verbum Distincte, glossa ibidem notat.*

Secun-

254. Secundum quod pro praxi hic notandum occurrit est. Quando collatio beneficii spectat ad inferiores Episcopos, etiamsi regulares sint exempti (de quo Rebuffus in sequenti num. 37.) illis negligentibus, ad hunc fieri deuolutionem, nisi consuetudo, vel priuilegium sit in contrarium, ex Clementina vnica, De supplenda negligentia Prælatorum, vbi glossa *ad verbum Locorum* (& post eam Doctores teste Rebuffo in præcedenti nu. 25.) notat eam deuolutionem fieri ad Episcopum loci in quo situm est beneficium, etiamsi collator negligens, substituerit Episcopo. Aduerte tamen ex eadem glossa *ad verbum Dispositionem*, (& ex aliis Rebuffus consequenter notat nu. 26.) collegio negligente eligere, aut patrono negligente facere præsentationem intra tempus à iure constitutum, deuolutionem fieri ad habentem ius Ordinarium confirmandi, aut instituendi: siue sit Episcopus, siue alius.

Tertium notandum est. Quod quando collatio non est sortita suum effectum, aut quia is cui facta est noluit acceptare, aut quia post consensum renunciauit iuri suo aut mortuus est: aut laborat aliquo vitio talem effectum impediente: eundem collatorem habere terminum temporis à iure constituti: siue trium, siue quatuor, siue sex mensium: perinde ac si beneficium de nouo vacaret, ex cap. Si electio, De electione, in 6.

Quartum est. Deuolutionem fieri cum qualitatibus, & personis, quæ erant in prima collatione ex Clement. vnica, De supplenda negligentia Prælatorum. Quod Rebuffus *in sequenti num.* 40. notans; infert quod si Episcopus beneficium conferre debuit nominato, debebit & Archiepiscopus, ad quem deuolutum est ius. Item si beneficium conferri alicui de genere fundatoris, debebit quoque is ad quem ius conferendi fuerit deuolutum, tali conferre.

Quintum est. Sede vacante ius conferendi beneficia non deuolui ad Capitulum ex cap. 2. Ne sede vacante, De quarte num. 101. & 102. Rebuffus.

Sextum est. Quando fit deuolutio ad plures Superiores gradatim, quemlibet eorum habere sex menses à die notitiæ deuolutionis, sicut habet Ordinarius collator à die notitiæ vacationis. Quod Lambertinus *De iure patronatus lib. 2. par. 3. quæst. 2. art. 8.* ex aliis referens, addit: quando fit deuolutio à patrono laico ad Ordinarium, qui ius habet instituendi, hunc habere sex menses ad instar cæterorum ordinariorum collatorum: quamuis patronus ipse tantum habeat quatuor menses ad præsentandum: quia ius in quod per deuolutionem succeditur, mutatur mutata qualitate personæ, & accipit rationem iuris conferendi beneficium; cum antea tantum esset instituendi. Sicque *ex eod. authore*, quia quilibet Superiorum ad quos gradatim fit deuolutio, habet suos sex menses fieri potetit aliquando, vt Ecclesia per annum vacet, & amplius. In quo tempore Episcopus tenetur talem Ecclesiam commendare alicui Clerico idoneo, qui tanquam custos, & tutor eam gubernet.

Postremum notandum est. Iure deuoluto impetrantem beneficium, teneri declarare modũ vacationis: quia collatio ei alioqui non suffragabitur, vt ex regulis Cancellariæ habet Rebuffus in sæpe cit. tit. nu. 105.

255. Superest quintus, & vltimus modus, quo inualida est collatio beneficii: scilicet cum collator ob aliquod suum peccatum commissionis perdit auctoritatem conferendi beneficium: quale peccatum committit is qui beneficium curatum, vel dignitatem confert ei, qui non est dignus, nec seruat ea, quæ ius requirit: cap. Cum in cunctis, De electione, §. finali: vel confert ei qui residere non potest. ex cap. Quia nonnulli, De Clericis non residentibus: aut qui confirmat electionem indigni: quem amittere potestatem confirmandi secundum electum, habetur ex cap. Nihil est, De electione. Cæterum in beneficiis Episcopatu inferioribus, deuolutio ob delictum fit eodem modo, quo ob negligentiam. In Episcopatibus vero, fit statim ad Papam, per textum in cap. Quamquam, De electione, *in 6.* Vbi nota quod ex aliis habet Rebuffus in eodem titulo, De deuolutionib. nu. 19. & 20. quando delictum est omnium electorum, deuolutionem, vt dictum est fieri ad Summum Pontificem: quod si tantum aliqui deliquerint (vtpote quia pars Canonicorum elegit indignum, vel omisit formam à iure præscriptam) non fieri deuolutionem, sed electionem manere penes illos, qui non peccauerunt, ex cap. Gratum, De postulat. Prælat. Et ratio esse potest, quod delinquentes, tunc pro mortuis habeantur moraliter.

CAPVT XVIII.

De multis aliis legitimis modis acquirendi beneficia, & potissimum de triennali pacifica possessione, & rescriptis Apostolicis.

SVMMARIVM.

256 *Qui sint tales modi.*
257 *De translatione beneficiariis ab vna Ecclesia ad aliam.*
258 *Acquisitio beneficii per triennalem possessionem pacificam.*
259 *Regula Cancellariæ in qua fundatur eadem acquisitio locum habet non modo in externo, sed etiam in consientiæ foro.*
260 *Conditiones necessariæ, vt illius decretum procedat, ac aduertenda circa primam, quæ est habere titulum saltem coloratum.*
261 *Non iuuantur eo decreto, qui ne coloratum quidem titulum habent.*
262 *Circa secundam conditionem notanda de intruso: & alia, de violento.*
263 *Circa tertiam conditionem notanda, de triennio ad eam spectante.*
264 *Notanda circa quartam, quæ est pacificæ possessionis bonæ fidei.*
265 *Differentia rescripti à cæteris constitutionibus Apostolicis, & triplex illius genus.*
266 *Eius vsus à Concil. Trid. prohibitus ob abusum, qui si absit, ille potest esse licitus.*
267 *Rescriptum non extenditur ad beneficia nominatim iure exceptа, & quænam ea sint.*
268 *Quid incumbat ei pro quo promouendo concessum est rescriptum Apostolicum.*
269 *Quid contra agere possint illi quorum interest.*
270 *Quid acquiratur per rescriptum Apostolicum.*
271 *Concurrentibus pluribus mandatariis, quis eorũ præferatur.*
272 *Notandum de rescripto, seu literis in forma pauperum.*
273 *Peccatum est mortale, tam conferre incapaci, quam incapacem accipere beneficium Ecclesiasticum.*
274 *Pœnæ quæ tale peccatum sequuntur.*

256. PRÆTER hactenus expositos, sunt adhuc alij debiti modi acquirendi beneficia: vnus per renunciationem à beneficiario factam. Alter per permutationẽ cum alio factam: de quibus agemus in sequenti titulo, quia sunt etiam modi amittendi beneficia. Tertius, per optionem. Nam multis in locis antiquiores Canonici solent optare meliorem præbendam vacantem, iuxta cap. fin. De consuetudine, in 6. vbi glossa, *in declaratione casus*, notat ex communi sententia, optionem non habere locum in beneficiis, quæ vacant ex causa permutationis. Quartus est, per commendam perpetuam. Quintus, per coadiutoriam; qua quis constituitur coadiutor cum futura successione: de quibus duobus, *vt & de pensione, cum cuius constitutione aliquando beneficium acquiritur*, dictum est in præcedentibus. Sextus est, per examen, seu oppositionem: quando multis se mutuo opponentibus, & examinatis, beneficium datur digniori, iuxta Conc. Trid. sess. 24. cap. 18. De refor. vbi modus is præscribitur seruandus in beneficiis curatis conferendis. Septimus est, per translationẽ.

257. Vocatur autem hic translatio, cum vnus Prælatus, seu beneficiarius transfertur ex vna ecclesia ad aliam. Vacantem intellige, quia ad nõ vacantẽ facta translatio, dicitur potius permutatio. Aduerte autẽ primo, prohibitam esse quidem antiquo iure, Episcopi translationẽ, per cap. Episcopum, & ca. Propter, 7. q. 1. eo ꝙ inter ipsum, ac ipsius Ecclesiam intercedat spirituale quoddam coniugium, ꝙ solus Papa vt Christi in terris Vicarius dissoluere possit, ex cap. 2. & vltim. De translatione Episcopi: permissum

tamen

tamen esse cum iusta causa adest, vt fiat: dummodo interueniat Papæ facultas, ad id omnino necessaria, ex c. 2. & vlt. supra citatis. Ita vt nullus alius, ne quidem Patriarcha, possit talem translationem admittere, vel confirmare, ex cap. 1. eod. tit. siq; Episcopus propria authoritate se transferat à sua Ecclesia in aliam, priuetur vtroq; Episcopatu; tam illo quem deseruit; quam illo ad quem transiit, ex cap. Si quis Episcopus, 7. q. 1. & cap. penult. De translatione Episcopi.

Ordinariæ autem causæ iustæ translationis Episcopi, sunt: primo, hostium persequentium infestatio, iuxta cap. Tubus, De consecr. dist. 1. Deinde aeris intemperies, ex glossa prima ibidem, per cap. Quorumdam, dist. 74. Præterea populi malitia, ex seq. glossa 2. per cap. Ita nos, 25. q. 2. Postremo necessitas, vel vtilitas Ecclesiarum, ex cap. Mutationes & cap. Scias, 7. q. 1.

Aduerte secundo, translationem beneficiarii inferiorum beneficiorum, puta parochialium, & aliorum quorum prouisio pertinet ad Episcopum, ab hoc eodem fieri posse: quia id non est contra ius; & rationi consentaneum est vt sicut potest de talibus beneficiis prouidere, possit etiam iusta causa interueniente, perinde conferre habenti aliud, ac non habenti. Attamen quia tunc vacabit Ecclesia à qua fit ad aliam translatio, debet simul tali prouideri de alio idoneo pastore.

Sectio Prior.

De triennali pacifica possessione.

258. Octauus modus est, per pacificam possessionem triennalem, ex regula Cancellariæ, de triennali possessore: ad quam Gomesius 63 quæstiones disputat, & Azor decem, *in 2. p. lib. 7. cap. 35.* in cuius initio hæc verba eiusdem regulæ refert post Gomesium: Item voluit & ordinauit Dominus noster, quod si qui quæcumque Ecclesiastica beneficia, qualiacumque sint, absque simoniaco ingressu ex Apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, aut electionis huiusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos beneficiorum huiusmodi collatio, prouisio, electio, & præsentatio, seu quæuis alia dispositio pertinet, per triennium pacifice possederit: dummodo in beneficiis (si dispositioni Apostolicæ ex aliqua reseruatione generali, in corpore iuris clausa, reseruata fuerit) se non intruserit: super huiusmodi beneficiis taliter possessis molestari nequeat: necnon impetrationes de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decreuit: antiquas lites super illis motas penitus extinguendo. Addit Azor talis regulæ authorem fuisse Calixtum tertium, quem posteriores deinde Summi Pontifices sunt imitati. Circa eam autem pro praxi.

Notandum est primo, quod sicut in rebus cæteris possessio pacifica, per tempus præscriptum legibus causa est ne earum dominium amittatur (de qua diximus ex professo in præced. lib. 10. cap. 20.) sic etiam triennalem beneficii possessionem pacificam causam esse iuxta memoratam regulam, ne beneficiarius eo priuetur, aut ipsum tanquam vacans alteri conferatur. Censetur autem pacificus triennalis possessor beneficii, qui toto triennio in illo nec de iure, nec de facto per litem turbatur; neque in se, neque in Vicario à se substituto, ex Gomesio *ad eandem regulam quæst. 58.*

259. Notandum est secundo, eandem regulam nō tantum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ locum habere, prout docent Gomesius *q. 42. versu, Nec obstat,* & Rebuffus in tract. De pacificis possessoribus, *nu. 8. & aliquot sequentib.* Ac probatur à pari: quia sicut ex communi sententia præscriptio quæ in rebus ciuilibus fit auctoritate ciuilis magistratus, locum habet in conscientia: ita etiam in causis Ecclesiasticis habere debet præscriptio, quæ fit auctoritate Papæ: vt fit ea quæ per propositam regulam de triennali pacifico possessore, est in bonum commune introducta: tum ad lites minuendas quæ solent esse innumeræ, & nonnunquam interminabiles: tum ad solatium plebis, vt suum pastorem verum agnoscant, nec falsum ipsis obtrusum esse dubitent: saltem post ipsum habitum per triennium beneficii sui pacificum possessorē.

Adde quod Papa statuens in eadem regula, vt talis possessor molestari nō possit, aperte indicet, quod is iuste ac legitime retineat beneficium possessum: quandoquidem per id alioqui iustus possessor prohiberetur petere quod suum est, & possessor iniustus in sua iniustitia foueretur. Neq; obiici potest, quod in cæteris rebus præscriptio requirat tempus triennio longius, *de quo late Ludouicus Molina De iustitia & iure, tract. 2. disput. 58. & aliquot sequentibus*: quia beneficia sunt bona Ecclesiæ, de quorum acquisitione Pontifex Romanus plenam habet disponendi auctoritatem. Neque deest in tali præscriptione sufficiens institutio: quia cum modus conferendi beneficia Ecclesiastica non sit de iure diuino, sed tantum de iure Ecclesiastico: eo ipso, quod Papa statuit vt aliquis sinatur possidere beneficium, aut statuit ne in eo molestetur, supplet id quod deest ex vero titulo: censeturq; illud interea conferre, iuxta cap. Literas, De supplenda neglig. Prælat. iuncta glossa finali.

Notandum est tertio, has conditiones esse necessarias, vt eiusdem regulæ decretum procedat. Prima est, vt 260.
beneficii possessor habeat saltem titulum coloratum. Secunda, vt non sit intrusus, nec violentus. Tertia, vt possederit per triennium integrum. Quarta, vt possederit pacifice, & bona fide. Circa primam autem aduerte, habentem verum titulum, quamuis eiusmodi decreto non indigeat in foro conscientiæ: per illud tamen iuuari in foro externo, ne post triennium ab alio molestetur, siue in iudicio petitorio, seu quo actor petit sibi aliquid adiudicari, quod antea nō possedit; siue in possessorio, hoc est, quo actor petit illud sibi restitui quod antea possedit. Habentem vero titulum coloratum, iuuari, non tantum in foro externo modo iam dicto, sed etiam in foro conscientiæ. 262.

Ad quem titulum aduerte duo esse necessaria: alterum vt habens illum sit ex iure habilis & capax; beneficij: de quo indicandum est per tradita in præced. cap. 11. & 12. Alterum, vt beneficium acceperit ab habente legitimam potestatem illud conferendi: de quo iudicandum est per tradita in cap. 14 & sequentibus. Per quæ duo, intelligitur id quod Rebuffus *De pacificis possessoribus, num. 32.* notat coloratum titulum dici, quando habitus est ab eo, qui de iure, siue generali, siue speciali, *seu priuilegio*, potestatem habet conferendi, & nisi aliquod impedimentum obstitisset, iustus fuisset.

Porro per propositæ regulæ decretum, non iuuari eos 261.
qui nullum, ne quidem coloratum, habent titulum, tenendum est cum Azorio *in citato cap. 35. quæstion. 1.* Nam sequeretur alioqui, quod per eam regulam defenderetur laicus beneficium accipiens absque Clericali tonsura, si postea per triennium illud pacifice possideret. Similiter defenderetur bigamus, aut hæreticus, aut infamis, aut excommunicatus, vel irregularis recipiens beneficia, si postea per triennium illa pacifice possideret. Similiter defenderetur Clericus sæcularis absque dispensatione recipiens beneficium regulare, aut regularis accipiens beneficium sæculare, si illud pacifice possideret per triennium. Itemque defenderetur is, qui impetrasset beneficium alterius adhuc viuentis, & postea per triennium ab obitu, ipsum possideret pacifice. Quæ omnia sunt absurda: quia tales beneficium accipiunt sine titulo, cuius sunt incapaces, nec possessio quantūlibet longi temporis habilitat incapacem, iuxta cap. Causam, & cap. Accedentes, De præscriptionibus. Quod igitur Rebuffus *in citato tractat. numero 225.* concludit de illegitimo, cui sine dispensatione facta est collatio beneficij: posse molestari, quantumcumq; illud per triennium pacifice possederit: cum ob suam incapacitatem non iuuetur decreto propositæ regulæ: potest pariter concludi de omnibus antedictis aliisq; incapacibus. 263.

Vbi aduerte difficultatem occurrere, An id verum sit, non tantum cum incapacitas fuerit ab initio possessionis, vt defectus natalium vel ætatis: sed etiam cum orta fuerit de

rit de nouo: vt cum is qui legitimme accepit beneficium curatum, non promouetur ad sacerdotium intra annum, vel acquirit aliud beneficium incompatibile. De qua Azor agit *in citato cap. 35. quæst. 2.* affirmantem cum Gomesio, & Nauarro tenens. Quam partem in praxi consuli posse, facile concesserim, quando ille qui iure priuatur beneficio sic emendatus inuenitur, vt in eodem beneficio fructuose versaturus existimetur: nam tunc præsumi potest rationabiliter, quod Papa talem quoque velit suo illo decreto iuuare; quod de aliis vix præsumi potest: vtpote quorum respectu, nulla datur causa cur cum eis, in beneficiis quibus iure priuantur, dispensetur iuuenturve contra iuris communis dispositionem.

Cæterum in re proposita nihil refert quod incapacitas ad beneficium, ignoretur aut à collatore, aut etiam ab eo cui fit collatio: quia si quis titulus ea interueniente, ex collatione proueniat; tantum est præsumptus, req; ipsa falsus: atque adeo nullus. Neque existimandum est, mentem Pontificis esse per eandem regulam iuuare eum possessione beneficii qui nullo titulo, ne quidem colorato, illud tenet: præsertim cum id aduersetur iuri, vt intelligitur ex regula 1. iuris in sexto: cuius verba sunt. Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine Ecclesiastica institutione obtineri. Et apertius in Concordatis tit. De pacificis possessoribus, his verbis; Monemus Ordinarios, vt diligenter inquirant ne quis sine titulo beneficium possideat: & si quem beneficium sine titulo possidere reperierint, declarent illi ius non competere, cuiusuis temporis detentione non obstante.

262. Circa secundam conditionem, *vt scilicet non sit quis intrusus, aut violentus*, nota ex Gomesio q. 47. posse quem de iure quinq; modis intrusum dici. Primo quidem eum qui propria, vel parentum authoritate, non autem de licentia Superioris beneficium occupat. Secundo, eum qui manet in possessione, postquam lata est in ipsum depositionis sententia: à qua non appellauit. Tertio, eum qui ante confirmationem suæ electionis, administrat beneficium. Quarto, eum qui habet titulum, & possessionem à non habente potestatem conferendi. Quinto, eum à quo alter spoliatus fuit.

Nota præterea illum tantummodo non iuuari eiusdē regulæ decreto, tanquam intrusum qui beneficium possidet sine titulo, non modo vero, sed nec præsumpto: vt accidit ei, qui illud accepit, & retinet propria authoritate: aut cum præsumpto quidem, non tamen colorato: quia scilicet non habuit illum ab eo qui potuit legitime conferre. Pro quo facit cap. fin. De excessib. Prælat. Aut etiam cum colorato, sed per simoniam adepto: aut & sine simonia, sed beneficium de quo prouisus est, reseruatur reseruatione clausa in corpore iuris: nisi prouisio facta sit à Papa derogando illi regulæ, excludenti expresse duos casus postremo memoratos.

Quod autem nomine violenti, *qui nec iuuatur eadem regula*, intelligatur non modo is, qui per violentiam expulerit alterum: sed etiam is, qui metu coegerit renunciare beneficio suo, Rebuffus ostendit, *De pacificis possessoribus, n. 230. & aliquot sequentib.* Nobis sufficit quod quis possit repetere beneficia sic resignata, ex cap. 2. & 3. De his quæ vi, metusve causa fiunt.

263. Circa tertiam conditionē, *vt scilicet beneficium quis possederit per triennium*, multa notantur ab eodem Rebuffo tractatu eodem, quorum præcipua attigisse sufficiet.

Primum est, *num. 34.* si quis non ab initio possessionis: sed aliquanto post habuerit titulum coloratum: præscriptionem triennalem currere non ab illo initio, sed ab illo tempore, quo cœpit habere titulum coloratum; quod *in sequenti numero 35.* procedere addit, siue beneficium habuerit in titulum siue in commendam. Item *numero 50.* quantumuis per triennium possedisset cum simplici signatura Papæ. Atque, *vt deinceps ipse in particulari per multos consequentes numeros tractat*, quocumq; modo ex supetius traditis iure approbatis, possedisset: cuiuscumq; generis fuerint beneficia, paucis exceptis: de qua re ipse legi poterit.

Secundum est, triennium debere esse completum. Vnde si parum, *etiam vnus tantum dies*, restaret regula proposita non obstaret quominus possessor molestari posset: vt idem bene docet *num. 266.* tum aliunde: tum ex eo, quod vt tempus censeatur completum, ex omnibus suis momentis, tanquam partium suarum aggregatione, constare debeat. si

Tertium est, quod in proxime sequenti numero idem addit: si quis biennio beneficium pacifice possederit titulo colorato: alterum, qui ipso mortuo similiter possederit, non posse coniungere illum vnum annum cum duobus prædecessoris: quia titulus huius, extinctus fuit morte ipsius, iuxta cap. 1. De concess. præb. nec per successionem transit in alium: non enim hæreditario iure acquiruntur beneficia Ecclesiastica; sed collatione Superioris, vt ex recepto Ecclesiæ vsu satis constat.

Quartum est, quia possessio interrupta non continuatur habens tum initium, tum finem varium: eam non sufficere ad propositum triennium: nisi vnus idemq; possessor sit, qui tempore etiam interruptionis, retinuerit iuum titulum: prout (iuxta cap. Abbas, De iis quæ vi, &c.) retinet is qui metu compulsus renunciauit beneficio, quod possedit cum titulo saltem colorato; ita vt postea eidem possessioni restituatur absque noua collatione. Quo fit vt nihil sit quod obstet posterius istud tempus cum illo priori censeri coniunctum ad complementum triennij: vt ipse Rebuffus ostendit *nu. 271.* Idem dic si interruptio possessionis contigerit ob superuenientem hostilitatem, aut pestem, aliamve infirmitatem, *ex eod. ibidem num. 301. & aliquot sequentibus.*

Postremum est: probato, quod quis possederit primo & tertio anno, censeri probatam esse continuam successionem: pro quo idem in præcedenti *num. 269.* multos citat authores.

Circa vltimam conditionem, *quæ est possidere pacifice, & bona fide*, notandum est possidere pacifice, vt interpretatur Rebuffus *num. 165.* idem hic esse, ac possidere sine lite; ita vt quantumuis controuersia verbalis interuenerit, non cesset tamen pacifica possessio: nisi peruentum sit ad citationem validam, quæ emanarit à Iudice competente; quæque sit executioni mandata: ac titulus actoris sit in iudicio exhibitus parti contra quam agit, prout idem declarat *in sequenti num. 169.* præmittens *in num. 166. & duobus sequentib.* id procedere, etiam, lis moueatur tantum super possessione. 264.

Aduerte vero si lis mota sit ab vno, non autem ab aliis: post expletum triennium, eosdem alios non posse illum molestare: quia quoad eos fuit pacificus triennalis possessor. Aduerte præterea eam de qua hic agimus pacificam possessionem non impediri, eo quod lis moueatur beneficiario super re aliqua sui beneficii, vt super vno prædio, vel quibusdam decimis: quia decretum de pacificis possessoribus, tantum intelligitur de titulo beneficii: qui coloratus esse debet, nec super eo lis mota esse.

Aduerte porro, quæ idem *à numero 302.* inter cætera persequitur: si ob legitimum impedimentum aliquis in iudicio agere non potuerit contra possidentem beneficium, sibi, *vt credit*, debitum: durante eodem impedimento, triennium non currere: sed de tempore sequente impedimentum, tantum adiungendum esse tempori quod illud ipsum præcessit, quantum ad complementum triennii requiritur. Debet vero impeditus protestari de illo suo impedimento: alioqui non concederetur ei agere post triennium, iuxta capitulum finale, De appellationibus. Item ex Clementina Causam, De electione, debet suam protestationem parti aduersæ intimare. Quod si fuerit impeditus, ne protestaretur, aut suam protestationem intimaret (vt quia toto triennio detentus est in carcere, vel ab hostibus, aut morbo decubuit) potest post triennium agere, *vt in eod num. 310.* idem Rebuffus habet: quia impossibilium non est lex, distinct. 4. cap. Erit autem lex.

Cum pacifica autem possessione, coniunctam esse debere bonam fidem, qua possidens putauerit se habere iustum titulum, quemadm. contra Gomesium, quæst. 42. tenet *Rebuffus num. 28.* patet; quia is qui scit rem, quam

detinet,

detinet, esse alterius, nunquam potest præscribere: nec iure ciuili, nec canonico ex cap. fin. De præscript. Quanquam, vt docet Rebuffus *in sequenti numero*, non tenetur triennalis possessor bonam suam fidem probare, quæ præsumitur ex ipsius titulo colorato: præsumptioque iuris ratione tituli, transfert in aduersarium onus probandi.

De hac materia causidicorum magis, quam Confessariorum propria, qui pleniorem notitiam habere volet; ex antememoratis authoribus eam petere poterit; interea aduertens quod ad nostrum institutum facit: & Rebuffus *numero* 22. *& aliquot sequentibus* ostendit; possidentem beneficium cum ante memoratis conditionibus, ita securum esse in conscientia, per eam cuius meminimus regulam Cancellariæ, vt ab Ordinario molestari nequeat, ne quidem per denunciationem Euangelicam: quia post triennium, quantumcumque deprehendatur, quod alius verum titulum habuerit, ipse iustus possessor est: quia per eiusdem regulæ decretum acquisiuit ius, quo idipsum beneficium factum est suum.

De annali possessione pacifica, propter quam non potest in foro externo possessor inquietari, ex regula Cancellariæ, De annali possessore, nihil dicemus tanquam de re propria alterius instituti. Qui volet videre poterit Azorium in 2. par. Moral. Instit. lib. 7. cap. 34. & Gomesium, qui eandem regulam tractat 84. quæstiones.

Sectio Posterior.

De rescriptis Apostolicis.

265. REstat vnus modus acquirendi legitime beneficium Ecclesiasticum, per rescriptum scilicet Apostolicum. Ad cuius intelligentiam, notandum est, rescriptum Apostolicum esse speciem quandam constitutionis Apostolicæ: in hoc differens à cæteris, quod sit personale, tantumque pertineat ad eos, ad quos mittitur: cum cæteræ Apostolicæ constitutiones generales sint, iusque commune contineant. Illius vero tria distingui genera, de quorum inter se differentiis legi potest Rebuffus *in Praxi beneficiorum prima par. propriis titulis*. Quædam enim sunt rescripta, quæ dantur contra ius commune, & proprie vocantur priuilegia, vel dispensationes: vt cum Papa permittit alicui retinere plura beneficia incompatibilia de iure. Quædam vero sunt, quæ dantur in ordine ad lites, & vocantur rescripta iustitiæ: vt cum ad clicuius petitionem Papa certum iudicem designat, qui de causa cognoscat: aut cum de aliqua controuersia consultus, respondet quid iuris sit. Quædam denique sunt, quæ ideo appellantur rescripta gratiæ, quod Papa aliquid per illa præter ius concedat, vt cum alicui idoneo præbendam conferri iubet. Quod fit dupliciter, vno modo per literas Apostolicas, quibus tribuitur alicui ius ad beneficium vacaturum, & dicuntur gratiæ expectatiuæ. Altero modo per literas quibus mandatur vel Ordinario, vel alicui executori ad id deputato, vt de beneficio vacante prouideatur Clerico, pro quo illæ scribuntur: & dicuntur rescripta seu mandata. Qui duo modi sunt, quibus hîc agimus de rescriptis. Eorum vero introducendorum causas, & varias formas qui scire volet, legere poterit Corasium in sua Paraphrasi in materiam beneficiorum *part. 4. cap. 5.* Pro Confessarii autem iuxta institutum nostrum instructione.

266. Notandum est primo, horum quidem rescriptorum, seu mandatorũ Apostolicorum vsum prohiberi in Concilio Trident. sess. 24. cap. 19. De reformat. propter abusum, qui in re etiam de se iustas, per malitiam hominum irrepit; non esse tamen de se illicitum, & reprehendendum, si absit abusus: vt patere potest ex eo, quod Papa liberam habeat dispositionem in beneficiis, ex cap. 2. De præbendis, in 6. & ex Clement. 1. §. final. tit. Vt lite pendente: consentaneumq; sit, vt ipse conferat beneficia iis qui sunt bene meriti de Ecclesia, & qui seruiunt in curia Romana: atque vt possit pauperibus graduatis aut literatis prouidere, cum plerumque ab Ordinariis negligantur: præsertim cum talia rescripta sic ab ipso dantur, vt nemini debeant præiudicium adferre. Nam quod ipse id intendat, patet argumento cap. Ad aures, & cap. Mandatum, De rescriptis: vnde vtrobique glossa 1. idipsum colligit. Adde quod cum in iisdem rescriptis Papa constituit, vt Ordinarius conferat alicui beneficium, debeat intelligi si talis alias sit capax secundum ius canonicum, iuxta cap. Cum adeo, De rescriptis, & cap. Causam, De electione, neque beneficium sit de illis, quæ dicuntur excepta iuxta sequens notabile.

Notandum est igitur secundo, in iisdem rescriptis, seu 267.
mandatis Apostolicis, etiamsi dentur cum clausula generali: *Quodcumque beneficium, ad cuiuscumque collationem pertineat*, non includi beneficia, quæ reperiuntur nominatim in iure excepta, nisi fiat expressa de illis mentio. Sunt autem primo dignitates electiuæ, ex cap. Cum in illis, De præbendis, in 6. §. Illis, & ex Clement. 1. eodem titulo. Secundo, beneficia curata ibidem, vtrobiq; in principio. Tertio, beneficia quæ sunt iuris patronatus laicorum, argumento capit. Cum dilectus, De iure patronatus. Quarto, beneficia creata post datam eorumdem rescriptorum, ex Clemen. finali, De rescriptis: vt cum rescriptũ, datum est mense Ianuario, & beneficium quod virtute illius petitur, creatum est mense Nouembri sequenti: prout declarat glossa 1. ibidem. Quinto, beneficium legitime sublatum de Ecclesia, seu suppressum, ex cap. Cum accessissent, De constitutionibus. Sexto, beneficia quæ ad mensam Prælati pertinent, illiq; vnita sunt; quia non solent vacare, ex Clementina vnica, §. Quidam etiam, De excessibus Prælatorum. Septimo, beneficia, quæ fuerint reseruata Papæ. Octauo, beneficia quæ ante datam ipsorum rescriptorum, fuerunt vnita aliis: quia non possunt separari sine præiudicio: quod inducere præsumendum non est, intentionis esse Papæ. Nono beneficium monoculum, id est, quod vnicum pertinet ad alicuius Ordinarii collationem: vt ex glossa ad Clementinam primam, De præbendis, Corasius habet *in paraphrasi in materiam Sacerdotiorum, par. 4. cap. 5. nu. 49.* Et rationem reddit, quia mandatum Papæ est de aliquo beneficio prouideri: & relatiuum *aliquo* supponit pluralitatem.

Addit idem, Tum beneficia regularia: cum rescriptum est pro sæculari: & contra: quia regularia regularibus, & sæcularia sæcularibus dari oporter, ex cap. Super eo, De regularibus, & ex cap. Cum de beneficio, De præbendis, in sexto. Tum beneficia vacantia in Romana curia, ex cap. 2. in fine, de præbendis, in sexto. Tum vacantia ex causa permutationis, quia solis permutantibus debentur, ex cap. Vnico, De rerum permutatione, in 6. Tum beneficia ex consuetudine Ecclesiæ per antiquiorem Canonicum optata, ex cap. finali, De consuetudine, in sexto. Tum etiam beneficia deuoluta ad Capitulum per Episcopi negligentiam, ex Clementin. Si de beneficio, De præbendis, Tum demum beneficia paterna, ne in illis successio induci videatur ex cap. 2. & cap. Ex transmissa, De filiis presbyterorum.

Notandum est tertio, eum pro quo promouendo conceditur rescriptum Apostolicum, teneri intra decem dies post habitam notitiam de beneficii vacatione, illud acceptare, ex cap. Si pluribus, De præbendis, in 6. sique primum beneficium vacans negligat petere, aut non acceptet, gratia Apostolica expirat, ex cap. Si Clericus, eod. tit. & lib. Nisi in fraudem illius contingeret vacatio: vt quando tenui beneficio renunciatum esset, ne ille pingue beneficium Clerici moribundi consequatur, ex cap. 2. De renunciatione, in 6. Item nisi beneficium esset litigiosum, aut ab alio occupatum: vt ex Rota decisione 608. in antiquis, habet in fine citati cap. 5. Corasius: quia culpandus non est, qui se litibus noluit implicare. Cum quo Corasio *in num. 20. & 21.* adde: si in rescripto adiecta sit clausula optionis (vt in cap. 1. De concessione præbendæ, in 6.) nempe conferas, quod duxerit acceptandum: tunc illum pro quo datum est posse ex pluribus beneficiis simul vacantibus, eligere pinguius, ex cap. Si pluribus, citato: etiamsi tenue prius vacauerit, quod alioqui acceptare tenebatur, iuxta ante quoque citatum cap.

Si Cle-

Si Clericus. Alias clausulas mandatorum Apostolicorum, & earum vsum tradit Rebuffus in praxi beneficiorum proprio cuiusq; titulo.

268. Notandum est quarto, postquam impetratum est Apostolicum rescriptum, antequam executioni mandetur, eos quorum interest, si iustam illius impediendi causam se habere putent, posse obijcere surreptionem, aut obreptionem: hoc est, rescriptum suppressa veritate, aut expressa falsitate impetratum esse, vnde irritum, & inane reddatur: quia tam in libello supplici impetrantis, quam in ipso rescripto, exprimi debent omnia ea ob quæ impetrans potuisset verosimiliter pati repulsam. Deinde in omnibus rescriptis hæc clausula, *Si preces veritate nitantur*, semper intelligitur: ita vt eam adiici opus non sit, ex cap. 2. De rescriptis.

269. Quæ autem sint illa, ob quæ impetrans potuisset verisimiliter pati repulsam, habet glossa ad cap. Super literis, *verbo, Literas dedissemus*, De rescriptis; quibus adde quod pro generali documento in hac re habendum proponit Corasius *in citato cap. 5. num. 36. 37. & 38.* exprimenda esse non tantum ea, quæ Romanum Pontificem ad concedendum retardare possunt, aut difficiliorem reddere: sed etiam quæcumq; iure nominatim cauentur (quæ glossa commemorat ad cap. Si proponente, De rescriptis, *ad verbum* De hoc, etiamsi eorum expressione non valde moueretur Papa ad recusandum: vt si beneficium antea obtentum, sit modicum: de quo nihilominus mentio facienda fuit, iuxta citat. cap. Si proponente, & cap. Si motu proprio, De præbendis in 6. Quanquam ignorantia probabilis, vt per cap. Gratia, De rescriptis, in 6. addit Corasius, in ea re excusat à surreptione.

Quæ vero sint qualitates, quæ morosiorem, aut difficiliorem reddere possunt Papam, cum ius eas non præscribat, vt intelligatur: recurrendum est (prout ex Lapo allegatione 89. addit Corasius) ad coniecturas: quæ colliguntur ex consuetudine Papæ; qui alias noluit idem concedere: aut concessit quidem, sed difficulter: aut ex stylo Romanæ curiæ, cui si rescriptum probatum fuerit repugnare, aut etiam alias rectæ rationi: Iudex executionem eiusdem rescripti tanquam suspecti debet differre, donec à Papa de re monito, secundum mandatum accipiat.

270. Notandum est quinto, rescriptum Apostolicum, quo mandatur de beneficio prouidere alicui, nullum ius speciale tribuere mandatario, ex glossa capituli Ad audientiam 2. de rescriptis, *verbo Renuntiantes*: dare tamen potestatem implorandi officium executoris: vt occurrente beneficii vacatione ei prouideat, aut curet per Ordinarium prouideri, ex cap. Si postquam, De præbendis, in 6. Quod etiam notat Corasius *in sequenti numer. 39.* Addens tale mandatum non impedire, quominus alteri, quam impetranti ab Ordinario facta collatio, valeat: nisi præcedat prohibitio executoris, vel in mandato Papæ, expressum sit ne alteri beneficium conferatur, ex cap. Si soli, De concessione præbendæ, in 6. aut aliter siue Papæ, siue executoris dati ad prouidendum insinuata sit voluntas ligandi Ordinarium collatorem, ex cap. 1. §. Ex parte, eodem titulo, & libro, & cap. Tibi qui, De rescriptis, eodem libro.

271. Notandum est sexto, *quod etiam consequenter Corasius adfert*: pluribus mandatariis concurrentibus præferri debere eum, qui prius impetrauit Apostolicum mandatū, cap. Eum cui, & cap. Quia sæpe, De præbendis, in 6. cap. Tibi qui, & cap. Duobus, De rescriptis, in 6. Quod si omnes impetrauerint eodem die, præferri debet is qui per testes probatur, aut ex literis impetrationis cognoscitur impetrasse priore hora, ex glossa ad prædictum cap. Duobus, per regulam iuris, in 6. Qui prior est tempore, potior est iure. Quod si de hora non constet, sed solum de die, melior est conditio possidentis. cap. Si à sede, De præbendis, in 6. siq̃ue neuter possideat, ille præfertur cui gratia facta est à collatore maiorem prærogatiuam habente: vt is cui gratia facta est à Papa, ei cui facta est à legato: & is cui ab hoc: ei cui facta est ab Ordinario, ex eodem cap. Si à sede.

Sunt tamen aliquot casus in quibus secundus mandatarius præfertur. Primus est, cum in literis secundi mandatarij Papa dicit vt anteferatur quibuscumq; aliis. Secundus est, cum duo Pontifices dant mandatum, prædecessor & successor: præfertur enim is qui habet illud à viuente, iuxta cap. Authoritate, De conces. præbendæ eodem libro. Tertius, quando prior non est capax beneficii primo vacantis: vt verbi gratia quia annexum habet Ordinem sacerdotalem, quem quia per ætatem non potest capere, præfertur posterior, qui id potest ex cap. Ei cui, De præbendis, in 6. Quod Corasius *nu. 44.* notans, addit idem esse quando mandatur dari priori simplex præbenda, & posteriori præbenda cum dignitate. Pro quo est textus in cap. Quia sæpe, De præbendis, in 6. Vltimus est, quando prius impetranti, notabili negligentia imputari potest: tunc enim præfertur posterior ex supra citat. cap. Tibi qui, in fine, & ex cap. Si Clericus, De præbendis, in 6. quod totum Corasius *num. 45.* monet Iudicis arbitrio dirimendum.

Notandum est septimo, mandata istiusmodi finiri, seu expirare, tum reuocatione concedentis, aut successoris; tum etiam renunciatione mandatarij: de qua re videri potest idem Corasius *in seq. nu. 52. & deinceps.*

272. Notandum est octauo, varia esse genera rescriptorum Apostolicorum, quæ Azor persequitur in 2. part. Moral. Instit. *lib. 7. cap. 31. & duobus sequentibus.* apud quem videnda relinquam breuitatis studio: contentus monere de iis quæ pro Clerico paupere promouendo dantur, *& dicuntur literæ in forma pauperum*, quod nequeant licite peti pro illo, qui habet patrimonium sufficiens, vel pensionem; vel quid aliud perpetuum, quo possit per vitam commode sustentari: quia, cum tales literæ sint pro pauperibus Clericis, *congruentur cap. Si pro Clericis, & cap. Si pauper, De præbend. in 6.* si quis eas impetret mentiendo se pauperem Clericum esse, vel tacendo alimenta sufficientia, quæ habet; literæ ipsæ iudicantur surreptitiæ, nec in conscientia valet collatio, vi earum facta: vt confirmatur à simili de eleemosyna facta ei qui se pauperē esse mentitur. Quod idem iudicandum est pari ratione de eo, qui beneficium peteret ab Ordinario mentiendo se pauperem: non autem tacendo se patrimonium aut aliud habere sufficiens ad se tota vita commode sustentandum. Ratio est: quia Ordinarius, qui Clericos suos cognoscere præsumitur, censetur beneficium dare non in aliqua forma pauperum, sed absolute: siue petens pauper sit, siue diues. Id quod de Papa non potest similiter præsumi, maxime in literis, quas non nisi pro pauperibus Clericis dare solet.

Appendix De acquisitione beneficii per incapacem.

IN acquisitione beneficii per incapacem, spectanda est Confessario; tum peccati ratio, tum pœna, quæ illud sequitur, tam ex parte conferentis beneficium indigno, quam ex parte indigni illud accipientis.

273. Peccatum igitur graue in illa committi ex parte vtriusque illorum, patet per notata ex sacris canonibus à Rebuffo in praxi beneficiorum, par. 1. De pœnis contra collatores indignis conferentes: & maxime ex eo, quod ipsa vergat in detrimentum diuini honoris in Ecclesia. Inde enim est, quod melius sit paucos habere in ea ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, & cap. Tales, distinct. 23. & cap. penult. De ætate, & qualitate. Deinde quod si transgressio sacrorum Canonum, qui sunt statuta illorum, de quibus Christus ait Lucæ 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.] Tertio, quod impudentem diuinæ maiestatis irreuerentiam habeat coniunctam: tum in eo quod infidelem Deo efficiat illum, quem tanquam dispensatorem fidelem, & prudentem ipse constituit super familiam suam, Luc. 12. Tum in eo, quod indigno beneficium conferre idem sit, ac cœcum animal Deo offerre, ex D. Hieronymo, cuius verba hæc referuntur, distinct. 49. cap. finali, Cœcum animal offert, qui ordinat indoctum loco docti, magistrumq̃ue facit, qui vix discipulus esse poterat.

Quarto, quod ea generet scandalum in Dei populo; dum pro vero pastore datur illi falsus, præsertim cum alienum oues non sequantur, sed fugiant ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum: vt veritas ait Ioan. 10. sicq; animabus subtracta pastorali cura, occasio præbetur ruinæ: quod quam sit formidabile patet per illud Domini Matt. 18. Quid scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt: expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Adde quod etiamsi populus talem aliquem sibi præfici veller, non cessaret peccati ratio: quia vt habetur in cap. Miramur, distinct. 61. id non est consulere populo, sed nocere: nec præstare regimen, sed augere discrimen.

Postremo, quod per eum iniuria graui afficiatur: tum Ecclesia, cui nihil magis officit, quam quod indigni assumantur in ea ad regimen animarum, cap. Nihil est, De electione: tum is cui, tanquam digno beneficium debebatur: vtpote qui contra ius, fasq; eo defraudatus est: sicut & sacrilegè defraudatur Ecclesia vero pastore ei debito. Quandoquidè si sacrilegium est immane, omnium prædonum crudeliratem superans, defraudare Ecclesiam suis temporalibus, aut pauperibus eroganda subtrahere, vt ex D. Hieronymo refertur in cap. Gloria Episcopi, §. Amico, 12. quæst. 2. nonne & erit eamdem Ecclesiam, & populum spiritali pabulo indigentem defraudare vero pastore. Alia ad eiusdem criminis grauitatem persuadendum accumulari possent: sed si quos ista non moueant, quid mouere possit in hoc genere non video.

Quod attinet ad pœnam quæ tale peccatum sequitur, certum est quoad vitam futuram, esse æternæ damnationis, & grauissimam: tum propter variam malitiam grauẽ, quam continere patet ex dictis: tum propter ruinam, & perditionem animarum multarum ex illa proueniente: quæ imputatur tam iis, qui illarum curã commiserunt indignis, quàm iis qui indigni illã susceperunt: sicut & submersio nauis, ideo contingens quod huius gubernatio commissa esset imperito, imputaretur tam committenti, quam commissario. Ad quod confirmandum induci potest illud Ezech. 3. Si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaueris ei, neq; locutus fueris, vt auertatur à via sua impia, & viuat; ipse impius in iniquitate sua morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram.

274. Quoad præsentem vitam vero, pœna est obligationis restarciendi damnum inde secutum; & restituendi fructus perceptos, nisi obtineatur à Papa illorum remissio. Quam restitutionem si incapax promotus ad beneficium nõ faciat; Superior à quo promotus est, eam facere tenetur tãquam participans in iniusta acceptione, iuxta communem doctrinam De obligatione restituendi nascente ex tali participatione. Item Superior qui incapaci beneficium contulit, priuatur potestate conferendi alia, prima vice, ex cap. Cum in cunctis, §. finali, & ex cap. Cum Vintonensis, De electione. Incapax vero qui beneficium accipit, non tantum tenetur pœnitere de iniusta acceptione, sed etiam tenetur acceptum resignare simpliciter in manu collatoris ordinarij. Resignare vero alteri non potest: quia resignatio supponit titulum, quem nisi cum eo dispensatum sit) non habet in beneficio à se accepto.

Vnde etiam fit (quemadmodum attigit Rebuffus *in tract. De pacificis possess. num.* 172. vt nequeat idipsum præscribere per illius pacificã triennalem possessionẽ. Et ratio est, quia possessio quantumcumque longi temporis non habilitat incapacem, iuxta cap. Causam, & cap. Accedentes, De præscript. & antedicta in præcedenti numer. 179. Quod procedit quantumcumque laboret quis probabili ignorantia suæ incapacitatis: quia ignorantia non dat titulum: adeo vt incapax nullum habeat nisi falsum: & ideo insufficientem ad præscriptionem triennalẽ. Quinimo si cognoscat suam incapacitatem, etiamsi ignoret propter eam ius arcere ipsum à beneficio: præterquam quod nullum acquirit titulum, grauiter peccat: quia ignorantia eius, quod ad statum proprium alicus pertiner, non excusat ipsum à peccato.

CAPVT XIX.

De pluralitate beneficiorum.

SVMMARIVM.

275 *Casus in quibus licita est pluralitas beneficiorum.*
276 *Damna quæ nata sunt ex ea sequi, ob quæ censetur esse de iis quæ vergunt magis in malum, quam in bonum.*
277 *Tam naturali, quam positiuo, eoq; tam diuino, quam Canonico iure prohibetur pluralitas beneficiorum curatorum.*
278 *Pluralitas dignitatum prohibetur iure tum naturali, tum canonico, non item diuino positiuo.*
279 *Idem iudicium est de beneficiis exigentibus residentiam.*
280 *Quid tenendum sit de pluralitate aliorum beneficiorum.*
281 *De dispensatione in pluralitate beneficiorum.*
282 *De causis iustis, ob quas ea fieri potest: & quod per tolerantiam Papæ talis pluralitas non excusetur.*
283 *Non est contra ius naturale habere simul duo beneficia simplicia residentiam non requirentia.*
284 *Plura beneficia retineri nõ possunt ob solam eorum tenuitatẽ.*
285 *Quis censendus sit habere beneficium sufficiens ad suam sustentationem.*
286 *Circũstantiæ in ea re arbitranda cõsiderandæ de necessitate.*
287 *Quatenus possit consuetudine introduci, vt vnus habeat duo beneficia Ecclesiastica.*
288 *Quatenus legitime dispensatus ad plura beneficia possit ea retinere post abusum in eis commissum.*
289 *De eo qui plura beneficia tenet à Papa dispensatus siue iusta causa.*
290 *Monita pro Confessario super hac pluralitate.*

VNA est de hac re difficultas, An liceat vni habere simul plura beneficia. Ad cuius explicationem reuocanda est in memoriam distinctio beneficiorum, quam proposuimus in præcedenti libr. 19. cap. vlt. sect. 2. sub finem: quod quædam habeant annexam curam animarum in vtroque foro: quædam in foro tantum externo: quædam in interno: quædam in neutro: quorum tamen nonnulla annexam habent dignitatem, seu authoritatem, & honorem præcedendi aliis: & nonnulla sint omnino simplicia, id est, nec iurisdictionem, nec dignitatem habentia annexam. Quæ autem sint siue huius generis, siue alterius ex præcedentibus, loco memorato notatum videri potest.

Prænotandum est præterea cum D. Thom. *in Quodlibeto 9. art.* 15. tria distingui genera actionum humanarum: vnum earum quæ suapte natura sunt adeo malæ, vt nulla ratione bene fieri possint, quacumq; circumstantia addita, vt mentiri. Alterum earum, quæ suapte natura sunt indifferentes: ita vt bene vel male fieri possint additis circumstantiis, vt ambulare, loqui. Tertium earum, quæ nec sunt omnino malæ, nec omnino indifferentes: magis autem vergunt ad malarum, quam ad bonarum naturam, vt occidere hominem: quod etsi magis ad malum quam ad bonum vergat: tamen positis aliquibus circumstantiis iuste sanctèque fit: prout doceri solet ad 5. Decalogi præceptum.

SECTIO I.

De modo, quo mala est pluralitas beneficiorum.

277. QVibus ita notatis proponenda sunt, quæ certa videtur. Deinde quæ dubia. Certũ ergo videtur primo, plura beneficia simul habere, non esse ita malum, vt nulla omnino ratione id licitum esse possit: vt argumento est, quod sint aliquot casus in quibus siue naturali, siue Ecclesiastico iure communi, tale quid conceditur: quos referunt Sylu. *Beneficium 4. num.* 3. & Tabiena, *Beneficium 2. quæst.* 26. aliique post glossam 21. *quæst.* 1. *in summa.* Primus est, cum beneficia sunt adeo tenuia vt neutrum sufficiat ad honestam sustentationem beneficiarii. Intellige autem iuxta distinctionem Concil. Trid. sess. 24. cap. 17. De reform. si vtrumque sit simplex, nec residentiam requirat. Secundus est, quãdo Parochialis Ecclesia est annexa Canonica-

276.

nonicatui, ex cap. Super eo, De præbendis, in 6. Tertius est, quando beneficia sunt legitime vnita: ex cap. Eam te, De ætate, & qualitate, & ex cap. Quia monasterium, De religiosis domibus. Quartus est, quando alius idoneus, & dignus non inuenitur, ex cap. Clericus in fin. 21. qu.1. Quintus, quando beneficium vnum habetur in titulum, & alterum in commendam non perpetuam, hoc est, ad sex menses: quousq; prouideatur de idoneo, ex cap. Qui plures, 21.q.1. & cap. Nemo, De electione, in 6. Postremus est, quando Papa dispensat. Nam extra præcedentes casus, si rationabilis causa subsit, potest vnus, idemq; plura beneficia ex Papæ dispensatione licite simul habere, iuxta cap. De multa, §. finali, De præbendis.

276. Certum est secundo, plura beneficia habere, non esse actum ex se indifferentem, sed vergentem potius in malum, quam in bonum, *prout D. Thomas expresse docet loco citato.* Et confirmatur: quia pluralitas beneficiorum, si non omnino, at certe bona ex parte repugnat iuri naturæ; vt satis ostendunt incommoda, quæ ex ea sequi notantur; tum ab ipso D. Thoma, tum ab aliis; præsertim à Gabriele *in 4. dist. 15. q. 8. art. 2. dubio 2. notabili 3. Soto in lib. 3. De iust. & iure, q. 6. art. 3. Rebuffo in praxi beneficiorum, par. 1. tit. De dispensatione ad plura beneficia.* Ad vndecim autem expressa sunt in Extrauaganti, Ioan. 22. cuius initium est, Execrabilis: quæ licet reducere ad tria capita.

Quorum primum est: damnum quod talis pluralitas infert per diminutionem ministrorum Ecclesiæ. Secundum est, damnum, quod ministri idonei capiunt dum relinquuntur absq; vllo beneficio. Tertum est, scandalum quod datur proximis, mala dispensatione bonorum Dei: per quam patet Deo ipsi, & sanctis eius fieri iniuriam: quorum cultus inde minuitur: fieri item Ecclesiæ, cuius splendor obscuratur, dum ex eo, quod beneficia nõ dentur pro meritis; sed pro cuiusq; affectu, & cupiditate, inæqualitas in Clero nascitur: quæ est pacis inimica, & inuidiæ fomes: inducitq; neglectum tam literarũ, quam bonorum morum, tanquam inutilium ad promouendum se ad Ecclesiæ beneficia. Adde & ruinam templorum, & dissipationem cæterorum ornamentorum externorum Ecclesiæ, pauperumq; curam nullam.

Fieri præterea iniuriam defunctis, præsertim fundatoribus, quibus frangitur fides, dum non satisfit obligationi annexæ beneficio: ita vt animæ ipsorum frustratæ subsidio sibi debito, tardius liberentur à pœnis purgatorij, diutiusq; suspendantur, ac retardentur à gaudiis cœlestibus, ad quæ illos expectat tota cœlestis curia: cuius desiderio per sceleratam illam dispensationem plerumq; obsistitur: sicut & pio affectui fidelium viuorum, qui dum vident defunctos sua expectatione, debitisque suffragiis frustrari, retrahuntur à voluntate beneficia fundandi in Ecclesia. Fieri deniq; iniuriam ipsismet beneficiariis, qui beneficiorum multitudine farcinati, in negotiationibus, & supputationibus redituum, ac litibus toti occupantur, nihil curantes spiritualia. Diuites enim effecti, suum statum, & officium Ecclesiasticum eadem ratione negligunt, qua artifices ditati arte sua, negligunt ea quæ eiusdem artis sunt.

Vnde apparet, quam miserum sit in Ecclesia aliquos beneficiis accumulandis perinde inhiare, ac canes famelicos ossibus. Recordentur pluralitatem beneficiorum ex cap. Quia in tantum, De præbendis, certum animarum periculum continere. Id quod experientia docuit in illo Cancellario Parisiensi, qui cum morti proximus admoneretur à Guilielmo Parisiensi Episcopo, vt communem aliorum Doctorum sententiam secutus, omnia sua beneficia resignaret, excepto vno: ne cum tanto damnationis periculo ab hoc sæculo migraret; noluit acquiescere dicens se mox experturum an ea doctrina vera esset: sicque miserrimus, post paucos à morte dies, apparuit prædicto Episcopo, & dixit se perpetuo damnatum propter tria, quorum vnum erat pluralitas beneficiorum, quæ vltra sufficientiam retinuit. Ita refert Nauar. in Miscel. 62. De oratione, num. 3. post Ludolphum 1. part. De vita Christi, cap. 68. & Dionysium Carthusianum in tractatu De pluralitate beneficiorum: idq; ex libro apum: cuius author fuit doctor Dominicanus, genere, virtute, eruditione clarissimus, vt ait idem Dionysius Carthusianus.

Sectio II.

De iure quo pluralitas beneficiorum prohibetur.

277. CErtum est tertio, quoad pluralitatem beneficiorum curatorum in particulari, eam prohiberi iure tum naturali, tum diuino positiuo, tum etiam canonico. Iure quidem naturali: quia contra rationem est, vt curam specialem habeas gregis, quem nec oculis tuis videre, nec pertę pascere possis: quod vsuenit habenti plura beneficia curata, quibus tam non potest simul satisfacere, quam idem pastor duos diuersos greges in diuersis agris pascere, & ad diuersas causas simul reducere; aut idem agricola duos diuersos agros pariter colere. Si dicas huic malo occurri sufficienter per substitutionẽ Vicarij. Respondetur id aduersari cap. finali, 21. qu. 2. atque irrationabile esse, vt Christi Ecclesiæ, quam acquisiuit sanguine suo, sic curam suscipias: vt velis per alienos oculos illam regere: quod in cura pecoris tuæ personæ commissa non ferretur æquo animo.

Itaque aduerte, quod si onus reddendi Deo rationem pro te, & pro populo tuæ curæ commisso, est tibi graue ac formidabile: etiam quando, in te & illo custodiendo, curandoque sedulus fuisti: multo magis formidandum esse, cum adhuc & de Vicarij negligentiis rationem reddendi, onus incumbet tibi: qui grauius quam ille puniendus es, tanquam principalis causa: pro benefactis vero illius nihil interea mercedis accepturus; vtpote qui ad ea nihil conaueris, quod te faciat Deo commendatum. Ne quidem illud, quod non aliũm, quam dignum, tibi substitueris: quia nec idipsum reprehensione caret; tum ideo quod contra ius retineas beneficium eidem digno debitum: tum etiam, quod Ecclesiam acceptam à te quasi in sponsam bene dotatam; alteri pro dotis parte, quam potes modica, tradis gubernandam, tractandam, ac quasi imprægnandam: quod de se tam est à ratione alienum, quam si tale quid fieret in matrimonio carnali. In quam sententiam alia videri possunt apud Gabrielem *in citato dubio 2. lit. R.*

Iure autem diuino positiuo prohibetur pluralitas beneficiorũ curatorum: non quod Christus aliquid expresse determinauerit de illa: sed quod per obligationẽ, quam induxit faciendi officia eis annexa, induxerit obligationẽ *(de qua in præced. cap. 5.)* ad residentiam, quæ non potest simul fieri in diuersis locis. Iure demum Canonico prohibetur per cap. Singula, distin. 89. cap. Sanctorum, dist. 70. cap. Clericus & aliquot aliis 21. qu. 1. cap. Quia nonnulli, De Clericis non residentibus, cap. Quia in tantum, cap. De multa, De præbendis, & in supra citata Extrauag. Execrabilis.

278. Certum est quarto, pluralitatem beneficiorum habentium annexam iurisdictionem in foro tantum externo, seu iustitiæ administrationem: aut dignitatem tantum, seu præcedendi gradum, & honorem, prohiberi iure naturali: quia contra rationem est Ecclesiastica ministeria, & honores pro pluribus ordinatos in Ecclesia, vnico tribuere. Etenim alii irrationabiliter priuantur debitis honoribus, ac stipendiis publicis: vnde nascitur perturbatio, & confusio quædam in ipsa Ecclesia: qualis esset in corpore si vni membro aliorum obsequia, & officia tribuerentur, prout traditur in cit. cap. Singula. Ex quo intellige: idem prohiberi quoque iure Canonico: vt & ex cap. Quia in tantum, & ca. De multa, & ex Extrauag. Execrabilis, antecitatis. Iure autem diuino positiuo prohiberi non videtur; quoniam talia beneficia iure tantum Canonico introducta sunt in Ecclesiam, ad maiorem illius splendorem, & ornatum, constituraq; ad gubernationem in ea necessariam.

279. Certum est quinto, pluralitatem quoq; beneficiorum simplicium residentiam personalem requirentium prohiberi iure naturæ: quia sicut nemo potest simul militare in diuersis castris, ita nec potest simul cantare in diuersis

choris, ſimulq; ſeruire in diuerſis Eccleſiis: & per conſequẽs nec iuſte capere alimenta, & ſtipendia canẽtibus, aut aliter ſeruientibus attributa: præſertim cum id faciat in aliorum damnum qui ſeruire vellent, & poſſent. Tum etiam iure Canonico, vt aperte conſtat ex c. Sanctorum, cap. Singula, ca. Clericus, & cap. Quia in tantum, antecitatis. Atq; ex eo, quod talia beneficia perſonalem reſidentiam requirant, prout habetur ex toto fere titulo, De Clericis non reſidentibus. Iure autem diuino poſitiuo non prohiberi patet eadem ratione qua de præcedentibus. Tantum enim inſtituta ſunt iure Canonico ad maiorem Eccleſiarum ſplendorem, ornatum, & authoritatem: & ob commodiorem officiorum diuinorum celebrationem ad cultum, & honorem Dei.

280. Certum eſt ſexto, pluralitatem beneficiorum ſimplicium, quæ reſidentiam nõ requirunt, quando vnum eorum ſufficiens eſt ad beneficiarii ſuſtentationem honeſtam, prohiberi iure Canonico in Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 17. De reform. expreſſe: & in cap. Sanctorum, diſtin. 70. & in cap. Singula, diſt. 89. tacite. Dubium tamen eſt, an prohibeatur quoq; iure naturali; nam aliqui negant vt Roſella, *Clericus 4. num. 20.* Sed communis ſententia eſt in contrarium: Pro qua rationes habet Azor *in 2. part. Moral. Inſtit. lib. 6. cap. 11. quæſt. 5. §. Certe negari.* Præcipua vero eſt, quia quantumuis eiuſmodi pluralitas non repugnet tantoperè naturali rationi, ac præcedentes; repugnat tamen abſolute. Nam contra dictamen rectæ rationis eſt, vt vnus habeat officia, ſtipendia, & alimenta multorum: ita vt ipſo abundante, cæteri egeant.

Vnde in hoc, perinde ac in præcedentibus, *in quibus res eſt ſatis clara, per cap. Quia in tantum, De præbendis,* peccatum mortale committi gloſſa penult. ad cap. Dudum. 2. De electione, ſatis ſignificat his generalibus verbis: Nota quod qui habet plura beneficia, quorum alterum per ſe ſufficeret, non poteſt ſine mortali retinere aliud. Idemq; ſentiunt cum Panorm. *ad cap. Conquerente, De Clericis non reſiden. Sylueſter, Beneficium, quarto nu. 2. Angelus eodem verbo, nu. 34. Tabiena eod. item verbo 2. quæſt. 24. & Gabriel in 4. diſt. 15. quæſt. 8. art. 3. dub. 2. à lit. R.* Vbi in confirmationem adfert, quod tale quid ſit contra caritatem. Tum in Deum, cuius cultus inde minuitur in miniſtrorũ numero: Tum in ſeipſum, quia cum teneatur ſuperflua erogare in pauperes, nulla neceſſitate cõpulſus ſupponit ſe oneri quod difficile eſt ſubire ſine periculo animæ: & qui amat periculum peribit in illo, Eccleſiaſtici 3. Tum demũ in proximum: quia cæteri Eccleſiaſtici digni, ac forte digniores priuantur prouiſionibus ſibi neceſſariis: agiturq́ue contra fundatorum intentionem: quæ nequit rationabiliter præſumi, quod fuerit bona ſua dare talibus non ſeruientibus beneficio: vtpote fundato ad Deo ſeruiendum in eo per beneficiatum, pro conſequẽda remiſſione peccatorum: vt paſſim ſeruatur in omni tali fundatione rationabiliter facta. Hoc tamen, vt iidem authores annotant, reſtringendum eſt, vt non procedat, cum alicui collatio facta fuerit, non ratione ſui, ſed ratione beneficiorum, vt horum vtilitati conſuleretur: quia ipſe induſtrius, & bonæ famæ, bonæque conſcientiæ ſe cognoſcitur.

Sectio III.

De modo quo licita eſſe poteſt beneficiorum pluralitas.

281. Certum eſt poſtremo, extra quinque caſus ex Sylu. & Tabiena relatos antea numer. 275. in quibus non eſſe opus diſpenſatione iidem authores monent, *(& à iure vel Iudice, in illis eam concedi,* notat Gabriel in loco cit. lit. Q.) duo eſſe neceſſaria, vt quis ſine peccato plura beneficia habeat: nempe diſpenſationem Eccleſiaſticam, & cauſam rationabilem, ex doctrina D. Thomæ, *Quodl. 1. beto 9. art. 15.* Nam quia talis pluralitas eſt contra Canones Eccleſiæ, requirit diſpenſationem: & quia eſt contra rectam rationem, requirit cauſam excuſantem, ſeu tollentem illas deformitates quæ reperiũtur in ipſa pluralitate beneficiorum repugnantes iuri naturali, aut Diuino poſitiuo.

Ac circa diſpenſationem notandum eſt, Papam poſſe eam dare in omnibus beneficiis quæcumque illa ſint, & cuiuſcumque Diœceſis ſint, ex cap. De multa, tit. De præbendis, *vbi videnda eſt gloſſa finalis.* Epiſcopum vero in ſua Diœceſi, *quem admodum aliis citatis habent Angelus, verbo, Beneficium, num. 38. Sylu. Beneficium, 4. quæſtio. 8. Tabien. Beneficium, 2. quæſt. 26.* poſſe dare diſpenſationem in vno beneficio curato cum ſimplici: aut in vna dignitate, cum ſimplici item beneficio: aut in duobus ſimplicibus quæ perſonalem reſidentiam non requirant: excepto quod diſpenſare non poſſit, vt idem in eadem Eccleſia habeat duo vniformia beneficia, vt duos canonicatus: prout ex communi Doctorum ſententia cum Panormitano ad cap. Literas, De conceſſ. præbend. iidem authores notant: addentes & duo altaria; ſeu duas capellas, cum dantur in titulum perpetuum: tunc enim ſunt duo beneficia vniformia quæ non poſſunt in eadem Eccleſia diſpenſatione Epiſcopi ſimul haberi: ſicut nec poſſunt de conſuetudine, quæ corruptela potius eſt, ex ca. 1. De conſuetudine, in 6. 283.

Idem vero quod Epiſcopus poteſt Capitulum ſede vacante, vt & Legatus Papæ in prouincia ſibi decreta. Cum autem duo ſimplicia fuerint in diuerſis diœceſibus, debet ad diſpenſationem accedere conſenſus alterius Epiſcopi. Alii Prælati inferiores Epiſcopo non poſſunt diſpenſare, niſi ad id poteſtatem habeant ex priuilegio, vel conſuetudine. Similiter Vicarius Epiſcopi non poteſt niſi ex permiſſione Epiſcopi. In duabus autem dignitatibus aut in duobus perſonatibus, vel officiis, aut in duobus beneficiis curatis diſpenſare, reſeruatum eſt Papæ, ex antecitato cap. De multa. 282.

Iam circa iuſtas cauſas diſpenſandi in pluralitate beneficiorum, notandum eſt diſpenſationem ſine eis facta, illicitam perinde eſſe, ac factam in voto, aut in iuramento: quia ſimiliter eſt contra obligationem iuris naturæ. Tales cauſę vero per quas ea redditur licita, non ſunt tantum illæ quas naturale rationis lumen ſtatim dictat: vt euidens neceſſitas, vel euidens vtilitas Eccleſiarum, vel penuria miniſtrorum: ſed etiam aliæ quas ratiocinatio, diſcurſusve humanus iuſtas eſſe patefacit: cuiuſmodi ſunt prærogatiuæ, & merita perſonæ, inſignis nobilitas, dignitas, authoritas, virtus, ac prudentia, induſtriave, vel aliqua meritorum in Eccleſiam prærogatiua, vel literatura perſonæ. Quod patet ex citato cap. De multa: & confirmatur per ſimilitudinẽ diſpenſationis in voto, aut iuramento: quæ licita eſt, non tantum in caſibus quos ius naturale aperte excipit: vt quando materia voti, vel iuramenti facta eſt mala, vel impeditiua maioris boni, vel quando euidenter fit propter maius bonum: ſed etiam in caſibus quos excipiendos eſſe per rationis diſcurſum intelligitur: vt quando facta ſunt ex vehementi paſſione, vel ex aliqua leuitate animi, aut quando dubium eſt an obligent. 284.

Cæterum cauendum eſt maxime, ne talis beneficiorum coaceruatio, ad priuatum tantum, & non ad commune bonum referatur: nam illicitam eſſe diſpenſationem in pluralitate beneficiorum, quando ſolum fit ob cõmodum, & vtilitatem, vel fauorem perſonæ, abſque alia iuſta cauſa, non videtur dubitandum; cum ſit contra ius naturale, & peccatum acceptionis perſonarum, vt quis ſine iuſta cauſa, ſolaque voluntate humana, plura habeat beneficia: præſertim ſi habeat ad faſtũ, aut pompam, aut ad lautius, cultiusque viuendum, vel ad augendum patrimonium, aut ad muniendam ſibi viam ad aliquam dignitatem; ex Sylueſtro *Beneficium 4. num. 4.* Vnde iuxta finem eiuſdem cap. De multa, ne quidem à Sede Apoſtolica, cum ſublimibus, ac literatis perſonis in pluralitate beneficiorum eſt diſpenſandum; niſi ratio id poſtulet: vt cenſetur cum ita exigit beneficij vtilitas, populi neceſſitas, & perſonæ prærogatiua.

PARS ALTERA CAPITIS.

In qua explicantur dubia de re proposita.

183. PRIMVM DVBIVM EST. An sit contra ius naturale habere plura beneficia simplicia non requirentia personalem residentiam, si vnum solum insufficiens sit, & simul cum altero sit sufficiens. Ad quod respondendum videtur negatiue: tum propter Concil. Tridentin. quod in sess. 24. cap. 17. De reform. volens tollere peruersionem Ordinis Ecclesiastici, nascentem ex peruersitate, quam ratio dictat inesse pluralitati beneficiorum, istud ipsum de quo agimus permittit tanquam expers talis peruersitatis. Tum etiã, quod ratio naturalis dictet: vt is qui altari deseruit, de altari viuat: vt bene ostendit D. Paulus in 1. ad Corinth. 9. ex quo idipsum vsurpatur in ca. Cum secundũ Apostolum, De præbendis. Vnde consequens est, rationi quoque consentaneum esse, vt seruiens Ecclesiæ, possit accipere duo beneficia compatibilia, si vnum ad honestam sustentationem ipsius non sufficiat. Tum demum propter communem vsum: quo sine dispensatione multa eius generis beneficia simul retinentur, à nemine reprehensum, si reditus non sint maiores, quam necessarij sunt ad beneficiarii sustentationem: hicq; officia illis annexa, solus explere possit.

Aduerte autem per rationem memoratam, *quod scilicet is qui altari seruit, de altari viuere debeat*: sicut conclusum est habentem beneficium simplex insufficiens, posse habere adhuc aliud cum quo satis ei sit ad sustentationem: ita etiam, *vt notatum est à Soto lib. 3. De iustitia & iure quæstione 6. art. 3. conclusione 3. casu 1.* concludi posse, eum qui habet vnum beneficium curatum insufficiens ad honestam suam sustentationem, posse per dispensationem habere aliud curatum, *etiamsi Episcopatus sit, iuxta cap. Illud 21. quæstione prima.* Dummodo tamen vtrumq; tale beneficium possit ab eodem simul administrari, satisfaciendo sufficienter officiis vtrique annexis, vt cum vnum est alteri propinquum. Quomodo teste Nauarro *in Miscell. 63. De oratione.* Pius quintus dispensauit cum quodam docto, & bono viro, vt retineret duas Ecclesias Parochiales fere contiguas, quarum neutra poterat ei dimidium victus ministrare.

284. SECVNDVM DVBIVM EST. An plura beneficia ob solam eorum tenuitatem possint sine dispensatione licite retineri. Ad quod respondendum videtur negatiue: quia pluralitas beneficiorum est iure Canonico absolute prohibita, *vt ex supra dictis patet*, exceptis aliquot casibus initio capitis propositis, in quibus ius ipsum dispensare censetur. Beneficium autem quantumuis tenue, vere est beneficium iure Canonico: vt patet, tum ex cap. Si proponente, De rescriptis, cum dicitur mentionem fieri debere beneficii modici quod quis habet dum impetrat à Papa literas, vt ei ab Ordinario beneficium conferatur: & ex cap. Non potest, De præbendis, in 6. cum dicitur dispensationem ad plura beneficia obtentam non prodesse illi, qui in eadem tacuit beneficium, quantumuis modicum. Quare ad pluralitatem beneficiorum, quantumcunque hæc modica sint, requiritur dispensatio: quod satis indicatur per illud ipsum dictum capituli Non potest. Et certe si plura beneficia quantumcumq; modica simul vniri non possint absq; Superioris authoritate, nec simul haberi poterunt, absq; Superioris dispensatione.

Si quis autem quærat cur sit opus dispensatione ad habenda plura modica beneficia, cum nõ sit ad habendum vnum pingue, illa multis partibus superans: aut ad habenda multa vnita æquiualentia, aut etiam excedentia. Respondendum est id contingere ob impedimentum, quius Canonicum ponit in illis, non in his. Cuius diuersitatis ratio est, quia plura beneficia eo ipso, quod sunt plura, habent plura onera, plura officia, plures obligationes, plura ministeria: & sunt plura stipendia, & alimenta multorum: sicque pertinent ad plures ministros: beneficium vero vnum etiamsi pingue sit, eo ipso quod vnum est, constituitur cum vno onere, vno officio, vno ministerio, & ad vnius personæ merita pertinet, & vnam obligationem habet. Item quando vnum beneficium vnitum est alteri, iam non sunt duo beneficia per modum duorum, sed sunt per modum vnius. Neque debet videri onus durum, quo beneficiarius habens beneficium insufficiens compellitur dispensationem quærere ad aliud habendũ: quia debet sibi imputare quod insufficiens acceptauerit, præsertim cum idipsum quod ei non sufficit possit alteri sufficere; atq; insufficientia ipsa faciat dispensationem facilem, vt colligi potest ex cap. Studeat, distinct. 50. & cap. Postulasti, De rescriptis, & cap. Cum teneamur, De præbendis.

285. TERTIVM DVBIVM EST. Quod beneficium censeri possit sufficiens ad honestam Clerici sustentationem. Respondetur, rem hanc adeo difficilẽ visam esse Nauarro, vt sæpissime rogatus recusarit de ea respondere, *vt ipse testatur in Miscell. 62. De oratione*: rationem difficultatis in eo ponens, quod Doctores adeo paruam quantitatem sufficere definierint (qualis est 15. librarum Gallicarum, quam esse sufficientem Doctores Parisienses statuerunt anno Domini 1208. vt meminit ibidem Nauarrus nu. 3.) & quisq; beneficiarius ad suam sustentationem adeo magnam sibi necessariam esse persuadeat: vt sit difficile medium iustũ inuenire, cui ipse facile acquiescere velit. Pro explicatione autem nihil melius occurrit, quã quod Nauarrus ipse docet *in seq. n. 5.* Beneficium sufficiens censendum esse, quod vir prudens & bonus tale esse arbitratus fuerit: quia iuxta cap. De causis, in fine, De officio delegati: determinatio eorum, quæ indeterminate à iure statuuntur, relinquitur bono prudentiq; viro, seu Iudici.

Cui quid huiusmodi determinare volenti, quædam vtile est, & quædam necessarium considerare. Inter vtilia poni potest, quod Concil. Trid. sess. 21. cap. 2. De reform. statuit, ne quis ad sacrum Ordinem promoueatur ratione beneficij, aut patrimonii, nisi illud sit ei sufficiens ad victum honestum. Vnde consequens est illam reditum quantitatem, quæ sufficiens iudicaretur ad hoc, vt quis ad sacrum ordinem admittatur, iudicandam quoq; esse beneficii sufficientis ad illius victum honestum: seu ex quo sine penuria viuere possit, quamuis forte non possit commode: ad quod multo amplius requiri de se constat. Pro quo *ex glossa ad cap. 1. De statu regularium, verbo Absq; penuria*, exemplum habetur, cum dicitur Canonico Bononiensi ad commode viuendum vix sufficere 100. florenos cui sufficerent 25. ad viuendum sine penuria.

Poni adhuc potest quod idem Concil. in seq. sess. 24. cap. 13. De reform. statuit, ne cathedrales Ecclesiæ, quarũ reditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundum verũ annuum valorem non excedunt, pensionibus, aut reseruationibus fructuum grauentur. Eo enim indicatur beneficium mille ducatorum sufficere ad victum honestum Episcopi, & beneficium centum, sufficere ad victum honestum Parochi.

286. Inter necessaria vero ponuntur, *vt videre est apud Nauar. loco citato*, conditiones personarum quibus de victu prouidetur. Non enim quod sufficit ignobili, sufficiens est nobili. Neque quod sufficit nobili gradus inferioris, sufficit nobili altioris Ordinis, vt fratri, vel filio Baronis, aut Vicecomitis: neque quod huic, sufficit nobili superioris Ordinis, vt fratri vel filio Marchionis, aut Ducis, nec demum quod huic, sufficit fratri, aut filio Regis, aut alterius summi Principis, prout Nauarrus loco cit. notat iuxta regulam vltimam Cancellariæ. Ponuntur secundo, virtus animi egregia, literatura magna, etiam sine magistrali, seu doctorali gradu, & merita erga sanctam Sedem Apostolicam, aut aliquam Ecclesiam particularem; aut erga rempubl. Christianam aliaq; id genus. Ponuntur postremo, si beneficium positum sit extra viam, aut in via si beneficiarius sit complexionis delicatæ: item mos hominum honestorum regionis in qua situm est beneficium; & caritas vel vilitas eorum quæ necessaria sunt ad vitam, & sanitatem conseruandam. Certum enim est rationem postulare, vt pro horum varietate, quantitas varia redituum determinetur necessaria ad honestam sus-

tentationem. Vide antedicta cap. septimo, in explicatione dubij noni.

Ex iis autem quæ Confessariorum importunitate victus in particulari Nauarr. determinauit, vnum attingemus, quod solum pro documento generali vbique teneri potest, *cætera enim multis locis in vsu esse vix possunt*. Nempe ad recte iudicandum quot vnumquodq; genus prædictorum Clericorum quotannis egeat aureis nummis ad se alendum simul cum aliis ad suum ministerium necessariis: multum iuuare, vt Clericus ipse, de quo agitur, secum reputet quot vellet aureos alicui eiusdem secum Ordinis, & conditionis dare, ad ipsius victum honestum, & necessarium vnius anni: si ad ipsum decenter alendum obligaretur ex aliqua vltima voluntate, aut ex aliquo cõtractu: aut etiam ex pietate, qua ipsi tanquam filio, aut fratri vellet necessaria suppeditare sufficienter. Cæterum ea in re tanquam apertum animæ periculum continente, versandum est cum timore, & tremore: quam enim periculosum sit pauperes fraudare superfluis, quæ ipsis debentur, patet ex eo quod non subuenientes de propriis iuste possessis, æternæ maledictioni sint obnoxij, ex cap. 25. D. Matthæi.

287. Qvartvm Dvbivm Est, An consuetudine introduci possit, vt vnus habeat duo beneficia sine dispensatione. Præsupposito autem quod habetur ex cap. finali, De consuetudine; consuetudinem si rationabilis sit, vim habere derogandi iuri humano, non autem diuino. Respondendum est distinctione, dicendo cum in pluralitate beneficiorum, iusta causa datur dispensationis humanæ, tunc consuetudinem posse eamdem pluralitatem facere licitam; quæ enim vis est dispensationis derogandi humano iuri, *vt Nauarr. argumentatur in Miscellaneo 60. De oratione, num. 11.* eadem est, & consuetudinis rationabilis: qualem esse contingit in hacre, quando non obstat iuris naturalis prohibitio; vt censetur non obstare, cum talis pluralitatis deformitas corrigitur per interuenientẽ causam iustam: cuiusmodi est Ecclesiæ, populive necessitas, vel vtilitas notabilis. Quando vero in ipsa pluralitate non datur iusta causa dispensationis humanæ, vt in casibus in quibus plura beneficia solum habentur ob bonum, & commodum priuatum ipsius beneficiarii, non potest licite ipsa pluralitas introduci consuetudine: quæ tanquam irrationabilis, corruptela esset, potius quam consuetudo.

Vbi aduerte vtilitatem, vel necessitatem, bonumve priuatum personæ, quæcumque ea sit, non esse rationabilem causam dispensationis: sed vtilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ, bonumve commune: adeo vt personæ nobilitas, aut eximia prudentia, aut excellens literatura, aut egregia industria, aut recta administratio, vel merita, non sint sufficiens causa dispensationis in pluralitate beneficiorum iure prohibita, nisi redundent in maiorem Ecclesiæ vtilitatem, & bonum. Inde est enim, quod in cap. De multa, §. finali, De præbendis, non dicatur simpliciter, posse per Sedem Apostolicam circa sublimes, & literatas personas in pluralitate beneficiorum curatorum, personatuum, & dignitatum dispensari: sed addendo cum ratio postulauerit, seu cum interuenerit iusta dispensandi causa.

Aduerte secundo, Nauarri iudicio causam iustam dispensandi in pluralitate beneficiorum esse posse, vt beneficiarius subueniat indigentibus parentibus, sororibus, & neptibus siue ex fratre, siue ex sorore, maxime innupris, & nupturis. Id quod censerem non procedere, cum inde bonum commune, *cui priuatum cedere debet*, detrimentum aliquod in Dei cultu aut in populi ædificatione pateretur: vtsi contingat Ecclesias quarum sunt beneficia, inde perpeti damna, aut probabiliter perpessuras quoad reparationem fabricæ, vel ornamentorum necessariorum; aut quoad numerum ministrorum diuini cultus, aut quoad cultum ipsum, & administrationem sacrorum. In eos enim fines bona, sunt Ecclesiis collata à fidelibus, qui non sunt fraudandi sua intentione.

288. Qvintvm Dvbivm Est. An si quis dispensatus ad plura beneficia, possideat ea ad patrimonii sui augmẽtum, vel ad famulatum, & alium exterum ornatum non necessarium, aut ad suorum fastum & pompam; cogendus sit in conscientia illam pluralitatem relinquere. Ad quod respondendum videtur; si dispensatio iuste sit facta tempore collationis (quia scilicet talis persona ob nobilitatem, vel aliam prærogatiuam visa est digna, cui ad vtilitatem Ecclesiæ, & bonum commune pluralitas ea concederetur) ac tali modo beneficia plura possidens firmiter statuat fructus eorum bene, & vt par est, in vsus pios expendere in posterum; ipsum in conscientia absolui posse, quantumcumq; non relinquat illam pluralitatẽ: cum ex hypothesi, circa eam habuerit dispensationem validã. Sin postquam bis, vel ter in confessione firmiter statuit fructus ipsos bene expendere in futurum, pergat vt antea male expendere non videtur tunc absoluendus, nisi renunciet eidem pluralitati, quæ illi occasio est peccandi, male expendendo res Deo dicatas: illumq; exponit probabili periculo eadem peccata in posterum repetendi. Ad quem casum vt dispensatio extenderetur voluntas dispensantis nec fuit, nec esse debuit.

Sextvm Dvbivm Est, An in conscientia possit absolui is qui habet plura beneficia, dispensatus à Papa sine iusta causa. Ad quod respondendum videtur, saluo meliori iudicio, Si probabiliter credatur, quod ipso renunciante, ea beneficia conferentur indigno, vel minus idoneo, & qui peius expendet tales fructus, quam ipse, non esse in conscientia cogendum relinquere. Nam tunc melior est conditio possidentis: itemq; tunc perinde est, ac si non essent alij idonei. Ex communi autem opinione per cap. Clericus, in fin. 21. q. 1. cum non inueniuntur alii idonei, & digni: beneficiorum pluralitas efficitur licita. Vnde talis si firmiter statuat fructus bene expendere, absolui potest sicut in casu præcedentis dubii. Alias vero, is cum quo dispensatum est sine causa, absolui non potest habens plura beneficia, nisi contentus vno sufficienti, cæteris renuntiet. Nam talis dispensatio non excusat ab eo peccato, quod contra ius naturæ committitur habendo plura beneficia: quandoquidem in eo iure, *tanquam diuino*, dispensatio facta sine causa, est inualida: ita vt dispensatus qui illa vtitur, etiamsi data fuerit à Papa, non sit tutus in conscientia.

Aduerte autẽ, quod Confessarius possit iudicio Summi Pontificis stare in huiusmodi dispensationibus concedendis, quando ei non constat aperte, nullam subesse iustam causam dispensationis: nisi probabiliter de ipso Summo Pontifice alicunde sciret, quod suam salutem negligat, nec curet quid agat in talibus: quod temere iudicare nefas esset. Adde ex Caiet. *in Summula, verbo Beneficium, versu Siste tamen*: cui Armilla assentitur *in eod. verbo num. 43.* Eum etiam cum quo in pluralitate beneficiorum curatorum dispensationem sine iusta causa dedit Papa, absolui posse, si bene prospiciat bono illarũ Ecclesiarum: ita vt per Vicarios idoneos in eis constitutos, de omnibus necessariis prouideat: nihilq; illæ damni patiantur. Inde enim tollitur ea deformitas, qua iuri naturæ contraria est talis pluralitas: nam illa consistit in damnis quæ hæc secum trahit, vt patet ex dictis sub initium huius capitis. Deformitas vero, qua est contraria iuri Ecclesiastico, tollitur sufficienter per dispensationem Papæ, potestatem habentis plenam supra tale ius. Non debet tamen in hac re nimis facilis esse Confessarius, sed considerare, quæ docet Nauarrus *in Miscell. 61. De oratione*. Vnum est, habentem beneficium, quod ei non sufficit ad honestam sustentationem non debere petere aliud sibi sufficiens, nisi cum intentione prius illud relinquendi quamprimũ habuerit posterioris pacificam possessionem; quia cum sufficienti, non potest aliud retineri sine peccato mortali, nisi per legitimam dispensationem, *vt expressit glossa penultima ad cap. Dudum, 2. De electione*: canonizata (inquit Nauarrus à Concilio Tridentino loco post citando. Alterum est: cum iis qui etiam à Papa plura beneficia impetrant, non censeri dispensatum eo ipso, quod alia quæ iam habent, sua petitione exprimant: nisi enim suggerant ea sufficientia non esse ad decentiam sui status, nõ solet Papa concedere alia, non modo expresse, sed nec

tacite:

tacite: iuxta illud in cap. Non potest, De præbendis in 6. Quod cum à Sede Apostolica de beneficio prouideatur alicui, qui cognoscitur iam aliud habere, non censeatur cum ipso dispensatum, vt cum secundo, retineat primum. Vnde infert Nauarrus aperte decipi eum, qui post acceptam aliquam dignitatem, quæ iudicio prudentis, & timentis Deum, est ei ad decenter viuendum sufficiens, procurat omni studio, aliquot alia simplicia beneficia sibi conferri, quibus magis affluat: nam id repugnat decreto Concilij Tridentini sess. 24. cap. 17. De reform. Cui adeo recenti, Papam derogare velle non est facile credendum, præsertim cum, in tali procuratione difficile sit abesse detestandum affectum auaritiæ, vel ambitionis.

CAPVT XX.

De incompatibilitate beneficiorum.

SVMMARIVM.

291 *Quæ dicantur beneficia incompatibilia, ac in particulari de Episcopatu.*
292 *De dignitatibus Episcopatu inferioribus.*
293 *De beneficio curato, & beneficio simplici residentiam requirente.*
294 *De beneficio simplici non requirente residentiam.*
295 *De vicariatu, & coadiutoria, & alio officio ad tempus.*
296 *De incompatibili ex conditione adiuncta.*

291. ILLA beneficia in iure Canonico dicuntur proprie incompatibilia, quorum vni ex obligatione eiusdem iuris renuntiandum est ad consecutionem alterius. Contingit autem incompatibilia esse, vel simpliciter, vel ex conditione adiuncta. Simpliciter vero incompatibilis est, primo dignitas cum alia dignitate, aut cum beneficio curato, aliove residentiam requirente; iuxta cap. Quia nonnulli, De Clericis non resident. Itaque Episcopatus incompatibilis est cum alio Episcopatu, alia dignitate, alio beneficio curato, & quocumque residentiam requirente. Imo cum quis in Episcopum electus, confirmatus, & consecratus, pacificam obtinet possessionē; omnia beneficia quæ habet vacant: potestque collator ea statim conferre, iuxta cap. Cum in cunctis, §. Cum vero, De electione: vbi doctores id communiter dicere notat Gigas *in tract. De pensionibus, quæst.* 56. Addens idem de promoto ad abbatiam dicendum esse: nempe beneficia ipsius vacare post adeptam pacificam possessionem abbatiæ. Imo tam ipsum, quam Episcopum priuari, vt beneficio, sic & pensionibus, quæ in resignatione aliquorum suorum beneficiorum fuerint ipsis assignatæ, tanquam tenentibus locum eorumdem beneficiorum.

Idemq; etiam de promoto ad Cardinalatum sentiendum esse, merito videri potest: sed totum id pendet ex dispositione Papæ, qui cum tali plerumque dispensat, vt possit dignitates Ecclesiasticas regulares, vel sæculares habere in commendam, vel administrationem perpetuam. Cuius dispensationis iustæ causæ esse possunt: tum aliæ, tum dignitas tituli quo qui insigniuntur in omnibus Papæ assistunt ex officio, tanquam consiliarij, & coadiutores ipsius, conuenientes cum eo in vnum cōsistorium: & vnum collegium efficientes cum eo; vt consilio, peritia, ingenio, industria, ministerio, & opera illorum is vtatur. Accedit quod mores huius seculi ferant, vt Cardinalis non habens reditus suo statui, & dignitati competentes, nec habeat multum authoritatis: cui incommodo ex bonis Ecclesiarum prouidere non est à ratione alienum: cum Cardinales sint in seruitio totius Ecclesiæ: & possint absentes curare ne particulares Ecclesiæ, quarum bona capiunt, inde patiantur detrimentum.

292. Secundo, iuxta cap. De multa, titul. De præbendis, abbatiæ, prioratus siue regulares, siue sæculares, personatus, præposituræ, decanatus, Archidiaconatus, cæteraque officia, & administrationes perpetuæ, quæ dignitatem habent annexam, incompatibiles sunt cum alia abbatia, vel prioratu, vel quocumque alio beneficio curato aut dignitate: ita vt vacet ipso facto beneficium, cum aliud ei incompatibile simul accipitur pacificeve possidetur: & nisi illud, sic vacans statim dimittatur in præsentia alicuius personæ publicæ, is qui illud retinet, ipso facto priuatur & eo, & secundo adepto: sitque inhabilis ad sacros Ordines, & ad quæcumque alia beneficia, per Extrauag. communem, Execrabilis, De præbendis, §. Qui vero.

Tertio iuxta Clementinam vltimam De præbendis dignitas est incompatibilis cum Canonicatu, aut quocunque alio beneficio residentiam requirente, siue in eadem Ecclesia, siue in diuersis. Ad quam incompatibilitatem Concil. Triden. sess. 7. cap. 4. De reform. extendit pœnam citati capituli, De multa: decernens ipsum habere vim non solum in beneficiis curatis, sed etiam in quibuscumque aliis secundum ius incompatibilibus: qualia sunt ea quorum iam meminimus. Aduerte autem consuetudinem, *quæ seruatur alicubi, & est frequens in Ecclesiis Galliæ, vt in eadem Ecclesia, dignitas sit canonicatus*, non reprobari à iure: vt ex cap. 1. De consuetudine in 6. & ex cap. Quia sæpe, De præbendis eodem libro, potest intelligi: sicut illa reprobatur in eodem cap. 1. tanquam corrupitela, qua vnus simul habet duas diuersas dignitates, aut cum dignitate personatum, aut aliud officium perpetuum, quod sit beneficium.

Quarto, omne beneficium curatum est incompatibile 293.
cum alio beneficio curato, iuxta cap. Quia in tantum, De præbendis: itemque cum dignitate, vel personatu, vel officio perpetuo, vel administratione perpetua: ita vt in hoc incompatibilitatis modo, perinde ac in præcedentibus, prius beneficium incompatibile vacet per adeptionem posterioris, iuxta cap. De multa, tit. De præbendis, & cit. Extrauag. Execrabilis, eodem titulo. Aduerte vero, quod hic de beneficio curato dicitur, intelligendum esse pariter de Parochiali Vicaria perpetua, ex cap. 2. De officio Vicarij, & ex Clement. vnica eod. titulo.

Quinto, omne beneficium simplex residentiam requirens, qualis est omnis Canonicatus, & portio Ecclesiæ cathedralis, aut collegiatæ, incompatibile est cum alio simili, & cum beneficio curato, ac cum dignitate, nam ipsum quoq; personalem præsentiam beneficiarij exigit: quam idem nequit simul exhibere in diuersis locis. Idipsum autem beneficium simplex, per alterius incompatibilis adeptionem vacare, consequens est ex eo, quod in Concilio Triden. sess. 7. cap. 4. & sess. 24. cap. 17. de reform. pœna antecitati capituli De multa, extendatur ad omnia beneficia de iure communi incompatibilia: de quorum numero sunt simplicia requirentia residentiam.

Sexto, nullum beneficium simplex, quod residentiam 294.
non requirit, est incompatibile cum alio similiter simplici, iuxta cōmunem opinionem. Et probatur quia incompatibilia beneficia dicuntur, quādo primum illorum post adeptionem secundi, & pacificam possessionem illius, vacat ipso iure: vel saltem per Iudicis officium, aut sententiam vacare potest, aut debet: seu, *quod idem est*, quia potest illo beneficio per iudicem priuari is, qui obtinet pacifice que possidet secundum. Iam cum quis obtinet secundum beneficium simplex non requirens residentiam, prius eiusdem rationis non vacat, nec per Iudicis officium, aut sententiam vacare debet de iure Canonico, quod nihil tale statuit.

Si obiicias: quando vnum tale beneficium simplex sufficiens est ad honestam beneficiarij sustentationem: illud non posse simul haberi cum alio, quia pluralitas in beneficiis est contra ius naturale, quando vnum sufficit: vt iuxta communiorem sententiam proposuimus in præcedenti numero 280. Respondetur, inde quidem sequi, quoad ius naturale, & forum conscientiæ talem pluralitatem, nisi interueniat legitima dispensatio, damnabilem esse: non autem quod ea sit cum incompatibilitate, quæ ex iure Canonico puniri possit, & debeat in foro externo. Etsi enim ius Canonicum in cæteris beneficiis, quæ incompatibilia diximus, non permittat pluralitatem absq; Superioris dispensatione, vel iuris concessione, sed modo supradicto puniat in foro exteriori: pluralitatem tamē in beneficiis simplicibus non requirentibus residentiam, non punit similiter; sed Deo puniendum reliquit. Vnde

pluralitas ipsa quando vnum sufficit, illicita quidem est in illis, vt pote contraria iuri naturali secundum probabiliorem opinionem: non est tamen iure Canonico irrita, aut irritanda in foro exteriori: quia non punitur ab Ecclesia, sed conscientiæ cuiusque relinquitur punienda à Deo: quo fit vt ea non censeatur habere coniunctam incompatibilitatem, de qua agimus.

Si obiicias secundo, omne beneficium quantumcumque simplex, & exiguum sit, requirere residentiam, iuxta cap. Sanctorum. distinct. 70. & cap. Conquerente. De Clericis non residen. beneficia autem requirentia residentiam, esse incompatibilia. Respondetur, ei iuri derogatum esse consuetudine quoad beneficia simplicia, quæ seruitoria dicuntur. Talia enim ideo residentiam non requirunt, quod vniuersali consuetudine receptum sit, vt in eis continue seruiatur per substitutos Vicarios; secus quam in canonicatibus, & portionibus, in quibus vsus nunquam obtinuit, vt contra Canones seruiatur in eis continue per substitutos Vicarios.

Septimo, Nullum beneficium præstimoniale, aut Capellania simplex (simplicem dico ad differentiam Capellaniarum maiorum, quæ in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, aut collegiatis, vsu obtinent nomen, & prærogatiuam dignitatis) aut aliud simplex seruitorium, est incompatibile cum alio beneficio simplici residentiam requirente, aut etiam curato, aut dignitate. Nam talis pluralitas non est ipso iure Canonico irrita, nec irritanda in foro exteriori: sed solum *iuxta antedicta*, cum vnum talium beneficiorum fuerit beneficiario sufficiens, relinquitur in foro conscientiæ authoritate Dei punienda, aut reuocanda. Aduerte tamen si ex statuto, vel fundatione, Capellania aliqua simplex, aut aliud beneficium seruitorium exigeret residentiam, de eo in hac re esset eadem ratio, ac de alio quod ex iure residentiam ipsam requirit: quia vt iuri, sic tali statuto, aut fundationi satisfaciendum est ex obligatione.

295. Octauo. Nullus vicariatus ad tempus, aut coadiutoria ad tempus, aut officium Ecclesiasticũ ad tempus, incompatibilitatem habet cum aliquo beneficio Ecclesiastico, etiamsi curatum sit, vel dignitas. Neque enim iure communi talis plũralitas est irrita, vel irritãda in foro exteriori. Adde quod in eo non sit pluralitas beneficiorum: quãdoquidem officium datum ad tempus, etiamsi exigat residentiam, non est beneficium: cum ad beneficij rationem pertineat vt detur ad totam vitam. Vnde intelligitur quod Panorm. habet ad cap. De multa tit. De præbendis, num. 23. Vicariatum Vicarij generalis Episcopi, non esse beneficium, cum de se non sit ad vitam, sed ad beneplacitum Episcopi: ideoque non esse incompatibilem cum aliis beneficiis. Nec obstat quod dignitatem habeat, quoniam ea non est propria, sed aliena, puta Episcopi. Intelligitur etiam nõ esse contra canones, si aliqui habentes beneficium curatum, sint ad tempus visitatores, prouisores, aut œconomi ab Episcopo constituti, quamquam in foro conscientiæ prouidendũ est, ne Ecclesia, aut Parochiani damnum, aut scandalum patiantur: sed vt illis sufficienter per substitutos ad idem tempus consulatur.

296. Quod attinet ad incompatibilitatem ex cõditione adiuncta: notandum est, quod talis conditio possit esse vel loci, vel personæ: loci quidem, quia iure Canonico sub eodem tecto, id est, in eadem Ecclesia non possunt ab vno haberi duo beneficia siue requirentia, siue non requirentia residentiam, prout intelligitur ex cap. De multa, tit. De præbendis, §. Is quoque, in fine, & ex cap. Literas, De concess. præbendæ.

Dubitatio autem est, *de qua in vtramque partem authores Azor refert in 2. par. Moral. Instit. lib. 6. cap. 11. quæst. 2.* An istud sit verum non tantum de duobus similibus, vt de duobus canonicatibus, duobus dignitatibus, duobus beneficiis seruitoriis: sed etiam de dissimilibus, vt de vno Canonicatu, & vna portione, vna dignitate, & vna Capellania; vno beneficio curato, & vno beneficio simplici. Affirmantem vero idem Azor merito iudicat probabiliorem: quia ratio prohibitionis eiusmodi, perinde cernitur in beneficiis dissimilibus, ac in similibus: parque æquitatis ratio, patria iura suadere videatur; iuxta citata in glossa ad cap. Dudum, 2. De electione, verbo, Idem de personatibus. Tenentium autem partem negantem ipse Azor sic mentem interpretatur, vt existimet solum docuisse, consuetudine introduci posse, vt quis sub eodem tecto habeat quidem duo beneficia dissimilia, non tamen duo similia: tanquam magis absonum scilicet, & de quo populus offendatur facilius, tanquam de accumulatione auara ambitiosa.

Potest quoque eadem conditio esse personæ; quia in Religioso incompatibilia sunt plura beneficia: siue sint prioratus, siue Abbatiæ; siue curam animarum habeant, siue non: siue sint beneficia manualia, siue perpetua; ipsoque iure primum vacat per adeptionem secundi, ex cap. Cum singula De præbendis in 6. & Clement. Quia regularis, De supplenda Prælatorum negligentia, §. finali.

TITVLVS TERTIVS.

De amissione beneficiorum.

QVæ huc pertinent, ad 4. capita reuocantur, quorum primum est de extinctione. Secundum de vacatione. Tertium de renuntiatione. Quartum de permutatione beneficiorum.

CAPVT XXI.

De extinctione beneficiorum.

SVMMARIVM.

297 *De extinctione beneficii per illius siue sublationem, siue suppressionem.*
298 *De eadem per vnionem, quæ varia est.*
299 *Qui sint, qui beneficia vnire possunt.*
300 *Debet vnio beneficiorum fieri iusta de causa: & qua talis sit in vniuersum, & aliquot particulares.*
301 *De vnione in fauorem personæ.*
302 *Diuersi modi vnionis Episcopo illiciti.*
303 *De dismembratione beneficii contingente tribus modis.*

BEneficium extinguitur primo, cum omnino tollitur; quod fieri potest tum ratione ædificij, quando Ecclesia, aut alius pius locus ædificatur in præiudicium alterius Ecclesiæ, vel p j loci: tunc enim quidquid ædificatum fuerit, demoliendum est expensis ædificantis, ex cap. 1. & 2. De noui operis nuntiatione: irritumq; redditur quidquid de Clericis ibi instituendis, aut rebus aliis eo pertinentibus ordinatum fuerit; reditibus eorum ad pristinum statũ reuocatis, prout ex citato cap. 2. expresse habetur. Tum etiam ratione cultus diuini sublati, & dignitatis beneficij extinctæ. Qua extinctione interueniente, beneficium censetur pariter extingui. Exemplum habetur ex cap. fin. 25. q. 2. in illis qui priuati fuerunt Episcopatu, eo quod Episcopum suum occidissent. 297.

Extinguitur secundo beneficium per suppressionem: nempe, *iuxta cap. Ex parte, De constitutionibus, iuncta glossa ad verbum Diminuti*: quando inter Canonicos ex iusta causa numerus præbendarum minuitur, & vna, vel duæ extinguuntur, vt fructus cæteris accrescant, accedente Summi Pontificis authoritate, qui cõfirmet diminutionem illam: dummodo tamen Capitulum postea suppressam præbendam, vel dignitatem nulli conferat: quia ex tali collatione sequetur illius restitutio, iuxta cap. Cum accessissent, De constitutionibus. Causa autem potissima supprimendi beneficij, est diminutio fructuum tanta, vt non possint inde nutriri Clerici, iuxta cap. finale, De verborum signific. Ad quod facit etiam, quod in Ecclesia admitti non debeant plures, quam commode ex reditibus nutriri possint, ex cap. 1. & cap. Authoritate, De institut.

Extinguitur tertio beneficium per vnionem: videlicet quando vna Ecclesia sic additur alteri, vt exuta propria qualitate, induat qualitatem beneficij, cui adiungitur, vt 298.

in casu

in cau cap. Cum dilectus, De iis quæ vi: in quo Ecclesia secularis Canonicorum fit regularis monachorũ Cisterciensium: cuiusmodi vnio dicitur incorporatio, eo quod per eam vnum beneficium sic adiungitur alteri, vt ambo efficiant vnum quasi corpus; atque priuilegium datum vni, communicetur alteri.

Huic vnioni duas alias minus proprias addit glossa ad cap. 1. Ne sede vacante, *verbo, Vniendo.* Vna est per quam vnũ beneficiũ subiicitur alteri, ita vt Ecclesia, seu præbenda vnita, sit quasi filia eius cui vnitur, & ei tanquam inferior superiori, aut accessoria principali maneat coniuncta, & cõsequenter habeat illius priuilegia, & sua propria perdat: argumento, cap. Recolentes, De statu monachorum: vt si non exempta vniatur exemptæ, fit exempta, vel contra: & si secularis vniatur regulari, fit regularis, vel contra: talisque vnio dicitur subiectio. Altera est, quando duo beneficia vniuntur sub vna persona: ita vt duæ Ecclesiæ taliter vnitæ retineant separatim propriam naturam, & qualitatem; & vtraque maneat æque principalis sicut antea; nec aliter eæ dicuntur vnitæ, quam quod vtriusq; vnus, idemque sit præfectus: vt cum quis simul est Episcopus, & Parochus. Ac talis vnio dicitur annexio, seu applicatio: quia per eam vna Ecclesia annectitur, applicatur ve alteri: sine subiectione tamen, ita vt vnaquæque retineat sua priuilegia, & præeminentias. Exemplum peti potest, ex cap. Et temporis, 16. quæst. 1.

Porro nonnunquam vnio est temporalis, vt quæ fit ad certum tempus, vel ad beneplacitum Prælati viuentis, vel ad vitam alicuius tertiæ personæ: nonnunquam vero perpetua, vt quæ nominatim fit in perpetuum; vel quæ fit ad placitum Sedis Apostolicæ iuxta cap. Si gratiose De rescriptis in 6. De quibus videri potest Rebuffus *in praxi beneficiorum par. 1. tit. De vnionibus beneficiorum*: vt & de iis qui possunt beneficia vnire.

299. In quibus ponitur primo Papa, qui solus vnire potest Episcopatus, ex cap. Sicut vnire, De excessibus Prælat. & ex Extrauag. communi, Saluator, De præbendis. Solus item potest beneficia reseruata, vel affecta Sedi Apostolicæ, ex cap. Quod translationem, De officio Legati. Nec refert quod horum quoque vnio tribuatur Episcopo in Concil. Triden. sess. 21. cap. 5. De reform. quia tribuitur ei solummodo tanquam Sedis Apostolicæ legato. Papa denique solus vnire potest beneficia diuersarum diœceseon: nam si quis alius posset, maxime Archiepiscopus in diœcesibus suorum Suffraganeorum. At is non potest, ex eodem cap. Sicut vnire.

Ponitur secundo Episcopus, qui potest intra fines suæ Diœceseos beneficia vnire exceptis antedictis, cap. Sicut vnire, prius citato, & Clement. 2. De rebus Ecclesiæ non alienandis. Quibus accedit Concil. Trid. in cit. cap. 5. Ac etiam ratio: quia omnes Ecclesiæ Diœceseos, commissæ sunt curæ, dispositioni, & solicitudini sui Episcopi, ex cap. Decretum, & cap. Regenda 10. quæst. 1. non potest tamen Episcopus eiusmodi aliquod beneficium vnire suæ mensæ, etiam de Capituli sui consensu; nec etiam ipsi Capitulo, ex cit. Clemen. 2. §. finali: sicut nec potest sibimet beneficium ipsum conferre, ex cap. finali, De institutionibus.

Ponitur tertio Papæ Legatus à latere, qui potest vnire beneficia in Prouincia sibi delegata: in qua potest omnia quæ Ordinarius Episcopus; non item cæteri Papæ Legati, ex cap. 1. De officio Legati, in 6. Qua de re loco cit. *an. 24. ad 29.* Rebuffus. Qui *in sequenti nu.* 32. addit Episcopo inferiores, siue Abbates, siue alios non posse beneficia vnire, etiamsi possint tale ius præscribere: sicut possunt alia iura Episcopalia, ex cap. Auditis, De præscriptionibus. Et vna Ecclesia potest præscribere alteram, tanquã sibi vnitam; si eam ita tenuerit per 40. annos, ex cap. Cum de beneficio, *iunct. glossa, ad verbum, Legitima*, De præbendis in 6. De qua etiam re idem Rebuffus ibidem *num.* 34. *&* 35. in 36. Addens Capitulum sepe vacante posse vnire beneficia, quæ poterat Episcopus: quia quæ sunt iurisdictionis, trãseunt ad Capitulum sede vacante, ex cap. vnico, De maiorit. & obed. in 6. Cæterum debet Episcopus in vnione faciẽda, adhibere sui Capituli consensum, non tamen vocare ipsorum beneficiorum possessores, ex cit. Clem. 2. De qua re etiam Rebuffus legendus est in explicatione regulæ cancellariæ De vnionibus, quam adiungit memorato titulo, glossa 11.

Fieri debet vero beneficiorum vnio ex iusta causa; quæ 300.
in vniuersum est necessitas, vel vtilitas Ecclesiarum, & populi. In particulari autem est primo, cultus diuinus: qua ex causa beneficia vniuntur Ecclesiis Cathedralibus, vel collegiatis, relicta pensione congrua presbytero, qui cultui diuino inseruit in beneficio vnito, ex cap. Extirpandæ, §. Quia vero, & cap. Exposuisti, De præbendis. Secundo, si valde vicinæ Ecclesiæ commode possint ab vno presbytero regi, cap. Et temporis, 16. quæst. 1. Tertio, si vna Ecclesia destituta sit populo, ex cap. Vnio, 10. quæst. 3. Quarto, si destituta sit Ecclesia Clericis propter cladem aliquam, vel morbos, aliamve causam, ex cap. Postquam 16. q. 1. cap. fin. §. Hostilitatis, 25. quæst. 2. cap. 2. De religiosis domibus. Quinto, si tam exiguarum facultatum sit Ecclesia, vt non possit nutrire proprium Clericum, ex Concil. Triden. sess. 24. cap. 13. De reform.

Quibus addi potest iuxta cap. penult. & vltimum, 21. 301.
quæst. 1. fauor personæ, quæ tantæ dignitatis, & prudentiæ habetur, vt duabus Ecclesiis sufficere possit. Quamquam talis causa raro est iusta: ideoq; vniones, quæ solebant ad vitam beneficiarij propter illam fieri, prohibentur in Cõcil. Trident. sess. 7. cap. 4. & sess. 24. cap. 17. De reform. Nec immerito: tum quia tales vniones pernitiosæ sunt, & introductæ contra ius commune, prohibens ne habeantur plura beneficia incompatibilia: tum quia videtur species esse negotiationis illicitæ, & turpe lucrum, Clericum vnum duabus Ecclesiis præponi, 21. quæst. 1. cap. 1. Quamquam Papa tales vniones potest iusta aliqua de causa facere: sicut & in beneficiorum incompatibilitate dispensare pro summa potestate, quam habet disponendi de beneficiis. Ita tamen vt per Concil. Triden. sess. 7. cap. 6. sess. 24. cap. 13. & sess. 25. cap. 9. possint Episcopi eas examinare, an per surreptionem, vel obreptionem, & ex iustis, vel iniustis causis factæ sint: easque impetratas dissoluere, cum nondum fuerint fortitæ effectum: si coram ipsis non probentur iustæ causæ.

Colligitur ex dictis vnus modus vnionis, quo ea illicite fit ab Episcopo: nempe si fiat ob fauorem tantum personæ. Alter adhuc est, si velit secularem Ecclesiam regulari coniungere: quod prohibetur in Concil. Triden. sess. 24. cap. 13. De reform. Tertius est præterea, si velit Ecclesiam secularem vnire monasterio in compensationem damnorum, quæ ei intulit: non enim est legitima vnio, cum delictum personæ non debeat redundare in damnum Ecclesiæ, cap. Cum olim, 2. De priuilegiis. Ita habet decisio Rotæ 611. in antiquis. Quartus porro est, si velit beneficium iurispatronatus laici, cum altero beneficio vnire sine consensu patroni; per glossam ad cap. Nobis fuit, De iure patron. *ad verbum, In capella*: quam vide. Et prædictis adde in Concil. Trident. sess. 14. cap. 9. De reform. prohiberi posthac fieri vniones Ecclesiarum diuersarum diœceseon; ne limites, & termini Episcopatuum confundantur: & sess. 24. cap. 13. De reform. prohiberi vniones Ecclesiarum Parochialium, vel curam animarum habentium denuo fieri monasteriis quibuscumque, vel abbatiis, vel dignitatibus, vel præbendis Ecclesiæ Cathedralibus, vel collegiatæ, vel Hospitalibus, vel militiis. Non prohibentur tamen fieri vniones Parochialium cum aliis parochialibus. 302.

Cum vnione coniungitur dismembratio: quæ dicitur 303.
tribus modis. Primo, cum vnum beneficium alteri incorporatur; quod vt fiat disiungi debet à corpore Ecclesiæ, cuius est beneficium. Secundo, quando aliquod beneficium est pingue, & pars fructuum illius applicatur aliis beneficiis exiguis vt fiant maiora. Tertio, quando vnum beneficium pingue diuiditur in duo, ita vt sint duo beneficiarij intitulati. Cæterum eodem modo authoritate Papæ, vel Episcopi opus esse ad dismembrationem quo ad vnionem, ad quam ea est præambulum quoddam, patet existimare, congruenter cap. Cum accessissent, & cap. Ex parte, De constitutionibus: ac cap. Vacante, De præbendis.

CAPVT

CAPVT XXII.

De vacatione beneficiorum.

SVMMARIVM.

304 *Quid sit beneficium vacare: & variæ talis vacationis species.*
305 *Quæ beneficia dicantur vacare apud Sedem Apostolicam: & differentia inter reseruata dispositioni Papæ, & dispositioni Sedis Apostolicæ.*
306 *Reseruatio clausa in corpore iuris.*
307 *Reseruatio extra corpus iuris.*
308 *Quid sit beneficium vacare de iure tantum.*
309 *Vacatio primi beneficii propter secundum adeptum.*
310 *Causæ ob quas assecutus secundum beneficium, etiam curatum, non priuatur primo.*
311 *Vacatio beneficii per non promotionem ad presbyteratum.*
312 *Vacatio per matrimonium.*
313 *Quantumcumque consecutum non fuerit effectum suum.*
314 *Vacatio ob contractum ab initiato maiore ordine.*
315 *De ratione qua ob concubinatum beneficiarii, vacat ipsius beneficium.*
316 *De matrimonio, per quod beneficium non vacat.*
317 *De vacatione per professionem in religione, aut per translationem beneficiarii in aliam Ecclesiam.*
318 *Vacatio beneficii imposita ipso iure ob hæresim.*
319 *Imposita ob simoniam.*
320 *Imposita persequenti hostiliter Cardinalem, aut Episcopum.*
321 *Imposita ob quædam alia crimina.*
322 *Quædam crimina ob quæ beneficiarius non est quidem beneficio priuatus ipso iure, debet tamen priuari.*
323 *Casus in quibus beneficium vacat ipso facto tantum.*
324 *Alii in quibus iure simul, & facto vacat, & talis vacationis aliquot effectus.*
325 *Distinctio notanda ad cognoscendum quando non expectata Iudicis sententia beneficiarius tenetur relinquere beneficium, quo priuatur ipso iure.*
326 *Effectus non faciendi fructus suos, ob vacationem beneficii ipso iure.*

304. BEneficium ex eo vacare dicitur, quod à nemine occupetur, vel possideatur, vt notat glossa ad primam Extrauagan. communem, tit. Ne sede vacante, verbo, Vacantium. Suntque variæ talis vacationis species: quædam enim est ficta, vt quando beneficia vacant tantum ad aliquem effectum, nō autem absolute: velut si ad finem permutationis faciendæ renuntiauerit quis beneficio. Nam ex eo vacat quidem; non tamen simpliciter, cum non possit conferri alteri, quam compermutanti, ex cap. vnico, De rerum permutatione, in 6. Similiter cum quis propria authoritate relinquit beneficium sine approbatione Superioris, ipsum vacat tantummodo ficte, non item vere: quia talis per Superiorem cogi potest redire ad propriam Ecclesiam, ex cap. Si qui vero, & cap. Si quis Presbyter, si prima, quæst. 1. & cap. Admonet, De renuntiatione. Quædam vero est, qua beneficium dicitur vacare apud Sedem Apostolicam, quæ ex Gomesio *ad regulam Cancell. De triennali possessore, q. 31.* potest dupliciter intelligi: vno modo proprie, de reseruatione, quæ clausa est in corpore iuris, præsertim in cap. 2. De præbendis in sexto. Altero modo improprie, de quacumque vacatione in Romana curia: ita vt idem sit vacare apud Sedem Apostolicam, quod vacare in Romana curia. Quædam præterea est, qua beneficium dicitur vacare extra Sedem Apostolicam, & ideo libere posse ab Ordinario collatore conferri. Quædam adhuc est, qua beneficium dicitur vacare ipso iure tantum; prout contingit cum eo ipso, quod ab aliquo certum crimen perpetratum est, is priuatur beneficio, nulla expectata admonitione, vel sententia Iudicis. Quædam item, qua ipso tantum facto vacat beneficium: vt censetur cum quis iustum habēs beneficij titulum, seu proprietatē, nō habet illius possessionē. Quædam demum qua tam de iure, quā de facto beneficium vacat, vt accidit quando tam titulus, seu proprietas beneficij, quam possessio illius vacat. Atq; de prima specie nihil hic occurrit ad antea dicta addendum. De cæterarum variis modis deinceps est dicendum.

De vacatione apud Sedem Apostolicam.

SECTIO I.

305. BEneficia vacare apud Sedem Apostolicam, vel in curia Romana, est reseruata esse Summo Pōtifici: vt censentur illa, quæ cum alioqui ex iure communi possint ab Ordinariis conferri, sibi soli Papa reseruauit conferenda, ita vt nequeant ab Ordinariis ipsis conferri. Quæ reseruatio nonnumquam est generalis, qua plura beneficia, sub vna ratione comprehenduntur: vt cum omnes Cathedrales Ecclesiæ, vel omnia beneficia alicuius prouinciæ, aut ciuitatis reseruantur: nonnunquam vero est specialis, qua vel singulariter vnum, aut alterum beneficium, vel pluraliter beneficia certæ Ecclesiæ reseruantur. Nota vero ex Nicolao de Milis *in suo repertorio, verbo, Reseruatio*, per cap. Si gratiose, De rescriptis, in 6. reseruationem beneficij quā Papa facit suæ dispositioni, finiri morte ipsius: eam autem quam facit dispositioni Sedis Apostolicæ, non finiri. Quæ quidem dicitur clausa in corpore iuris, cum de ea textus habetur in Decreto, vel Decretalibus: cum vero in Extrauagantibus, vel regulis Cancellariæ, dicitur reseruatio extra corpus Iuris.

306. Itaque clausa in corpore iuris censetur reseruatio translationis Episcopi, cum de ea textus habeatur in Decreto Gratiani 7. q. 1. cap. Mutationes, & in Decretalibus Gregorij, cap. Inter corporalia, & cap. Licet, De translatione Episcopi. Censetur quoque illa quæ habetur ex cap. 2. & ex cap. Præsenti, De præbendis in 6. pleniusque declaratur in Extrauag. communi. Ad regimen, eod. tit. Nempe reseruatio beneficiorum, quæ in Romana curia vacare dicuntur hoc nomine, quod vacent per obitum Curialium: nempe auditorum Rotæ, Capellanorū Summi Pontificis, Officialium Cancellariæ, Cardinalium, familiarū Summi Pontificis, & eorum qui Romanam curiam sequuntur, & moriuntur in loco vbi est eadem curia, vel extra curiam intra duas dietas: itemq; Legatorum, & Nuntiorū Summi Pontificis, Cursorū euntium, & redeuntium Romam. Cuiusmodi omnia in memorata Extrauag. prohibentur ab Ordinariis conferri; alioqui sit irrita collatio: siue beneficia sint cum cura, siue absque cura animarum.

309. Tres tamen sunt casus, in quibus beneficij sic vacantis, quando fuerit cum animarum cura, collatio relinquitur Ordinario. Primus est, ex cap. Statutum, De præbendis in 6. quando Papa omiserit illud intra mensem conferre. Secundus est, ex cap. Si Apostolica ibidem, quando illud vacauerit Sede Apostolica vacante. Tertius, ex eodem cap. in fine, quando illud vacauerit etiam viuente Papa, sed ipse moritur, antequam illud conferat.

307. Censentur autem extra corpus iuris esse reseruationes illæ, quæ fiunt in primis Cancellariæ regulis, quarum, & similium notitiā habere cum maxime pertineat ad eos qui in Forensi praxi beneficiorum versantur, relinquemus illam petendam ex Gomesio & Rebuffo in easdem regulas: contenti duo generalia monere. Vnum est, vt alia negotia, sic & beneficia, quibus Summus Pontifex manum imponit, censeri collationi, & dispositioni eiusdem reseruata: vt si beneficium contulerit, & collatio sit nulla; siue quia per surreptionem obtenta fuit, siue quia fuit facta omnino incapaci, tale beneficium tunc dicitur affectum Papæ: ita vt nullus alius possit illud conferre ea vice, argumento cap. Inter dilectos, De excessibus Prælatorum. Item si Papa commendet beneficium alicui, manet per mortem commendatarij ipsi Papæ affectum: ita vt alius non possit illud conferre ea vice. Ad quod facit glossa, ad cap. Is cui procuratio, De electione, in 6. *verbo, Confirmatus.* Alterum est, quod habetur ex Bulla Gregor. Papæ 13. quæ incipit Sanctissimus in Christo Pater, edita anno Domini 1572. die 26. Iunij: Papam reseruantem sibi beneficiorum collationem relinquere Ordinariis quatuor menses liberos, Martium, Iunium, Septembrem, & Decembrem: siue Episcopi, & alij Superiores Prælati apud suas Ecclesias, aut diœceses resideant personaliter, relinquere sex menses in quibus possint talia beneficia conferre, Februarium, Aprilem, Iunium, Augustum, Octobrem, & Decembrem: reseruatio-

seruare vero sibi sex alios: ita vt cum eo illi alternatiuam habere dicantur: quia nimirum Papa confert vacantia in suo mense, & Prælatus residens, vacantia in mense sequenti. Differentia tamen est inter menses Papæ, & menses Ordinariorum, quod in illis Ordinarius non possit beneficia vacantia conferre: hi autem ita relicti sint Ordinariis, vt Papa semper habeat potestatem præueniendi; sed si non præueniat, valida erit collatio Ordinarij, *quantumcumque Papa postea conferat*: si facta fuerit capaci. De qua re Azorius tomo 2. lib. 6. cap. 34. quæst. 11.

De beneficiorum vacatione ipso iure tantum.

SECTIO II.

308. BEneficium ipso iure tantum vacare censetur, quando titulus, seu proprietas eius vacat quidem, non tamen possessio. Quo fit vt beneficium ita vacans possit per Ordinarium collatorem conferri non vocato possessore, eoque inuito. Sed cum is qui illud tali modo impetrauit; nequeat possessionem adipisci sine causæ cognitione, ac nisi vocato possessore, fit vt beneficium non vacet de facto; cum de facto teneatur adhuc à priore possessore, quem oporter appellare pro possessione dimittenda vacua: argumento cap. Licet Episcopus, De præbendis in 6. Et ratio est, quia ex vna parte Episcopus, ius quod habet collationis, exercere potest inuito eo, qui tantum de facto possessor est: sicut & quilibet potest rem suam de facto detentam ab vno, concedere alteri, detentore ipso non vocato, cum ex reg. 26. iuris, digestis: Qui potest inuitis alienare, multo magis & ignorantibus, & absentibus potest. Ex altera parte vero nemo possessorem rei suæ potest possessione priuare authoritate propria, ex lege. Extat enim decretum, ff. Quod metus causa gestum erit.

309. Imponitur autem à iure istiusmodi vacatio, nonnunquam ob factum, non habita ratione maleficij; nonnunquam ob maleficium seu crimen. Atque pluribus modis contingit illius prioris generis vacatio. Primus est, cum quis habens dignitatem, personatum, vel quodcumque beneficium curatum, adipiscitur aliud ei simile, nam per adeptam pacificam possessionem secundi (quæ possessio non censetur haberi ante elapsum duorum mensium vel potius anni integri tempus; vt probat Iosephus Mascardus, De probationibus concl. 183. num. 48.) vel si per beneficiarium ipsum steterit quominus eandem adipiscatur: primum vacat ipso iure ex Extrauag. communi Execrabilis De præbendis §. Qui vero, & ex cap. De multa eodem tit. & ex cap. 1. De officio Vicarij: quod idem est de aliis beneficiis sub eodem recto dicendum: nempe per adeptionem pacificæ possessionis secũdi beneficij, prius possessum, si in eadem sit Ecclesia, vacare, per cap. Literas, De concess. præben. & Clemen. finalem, De præbendis.

Nota autem cum Panorm. *ad idem cap. De multa num.* 2. non vacare ipso iure beneficium secundum adeptum, si vel ipsum, vel alterum prius habitum non sit Curatum quantumcumque sit incompatibile. Fundamentum Panorm. est, quod in eodem cap. §. Præsenti: ad talem pœnam requiratur, vt tam primum quam secundum beneficium annexam habeat curam animarum.

Nota secundo, quod per cap. Eam te, De ætate, & qualitate, & cap. Referente, De præbendis, habenti duo beneficia curata detur optio retinendi quod maluerit: intelligendum esse (ne pugnet cum cap. De multa, eodem titulo) quando vtrumq; beneficium eidem cõfertur eodem tempore: neque constat quod primum sit, & quod secundum, ex glossa penult. ad citatum cap. Eam te: *in additione.*

Nota tertio. Eum qui beneficium proposito modo vacans obtinuit à collatore: priuari iure quod in eo acquisiuit, si illud tenentem à possessione depellat propria authoritate, ex cap. Eum qui, De præbendis, in 6. Item si possessio beneficij ablata sit alicui, eam restitui debere priusquam de titulo disputans audiatur, iuxta cap. 1. & cap. In literis, De restitutione spoliatorum.

310. Nota quarto, causas non deesse ob quas ille qui secundum beneficium assecutus est, non priuatur primo possessio, vel illius possessione, quantumcumque sit curatum. Eæ sunt: primo, si dispensatus sit quis ad retinendum vtrumque beneficium, vt in cap. Si gratiose, De rescriptis, & in cap. Non potest. De præbendis, vtrobique in 6. Deinde si simul, & semel duo beneficia collata fuerint vni à diuersis, etiamsi curata sint. Nam is optionem habet quod maluerit retinendi, vt in cap. Eam te, De ætate, & qualitate. Præterea si quis calore iracundiæ secundum acceptauerit, incontinenti seu statim pœniteat talis acceptationis, potest illud repudiare; vt notat Panormit. *ad cap. De multa tit. De præbendis, num.* 13. quia quod calore iracundiæ fit admittit pœnitentiam, argumento cap. Si quis iratus, 2. quæst. 3. Item fieri potest, vt acceptatio secundi beneficij non probetur à Superiore acceptantis, ideoque primum non vacet, cui renuntiare non potuit sine consensu eiusdem Superioris: qui & potest eum ad suam Ecclesiam reuocare, vt Panormit. *in sequenti num.* 15. docet, per cap. Admonet, De renuntiatione. Adde ex eodem Panorm. ibidem num. 14. eum qui fecit expensas de patrimonio, in primo beneficio: non cogi illud dimittere, donec ei de fructibus satisfactum sit, argumento cap. Quicumque, 12. quæst. 4. Alia quæ huc referri possunt habet Sylu. *in verbo, Beneficium 4. quæst.* 4. apud quem videri possunt.

Secundus modus, quo ex facto siue maleficio, vacatio 311.
beneficij contingit ipso iure, est per non promotionem ad presbyteratum: nempe quando non presbytero collatum est Parochiale beneficium, nec ipse intra annum efficitur presbyter. Is enim ipso iure priuatus est beneficio eodem: ita vt illud possit tanquam vacans cõferri alteri, iuxta cap. Licet Canon. & cap. Commissa, De elect. in 6. Adde consequenter: quod idemmet ad presbyteratum nõ promotus, nequeat resignare alteri, aut permutare eiusmodi beneficium: vtpote qui eo priuatus est. Porro is annus ex citato cap. Commissa, §. Annus autem: incipit computari ab eo tempore, quo beneficiarius habet pacificam possessionem, nec per ipsum stetit quominus illam prius habuerit. Intra quod etiam tempus, locus est excusationi, cum prouisus de beneficio curato, legitime impeditus est, ne ad presbyteratũ promoueretur, ex eodem cap. Commissa. Exempli gratia, si non habuit Episcopum à quo ordinaretur: aut Episcopus noluit eum ordinare; aut quo tempore debuit ad Ordines accedere, impeditus est morbo domi detentus. Quæ omnia locum habent quoq; in eo qui obtinuit vicariam perpetuam ex Clemen. vnica, De officio Vicarij: itemq; in eo qui obtinuit Prioratum conuentualem, aut Curatum, ex Clem. Ne in agro §. Cæterũ, De statu monachorum, siue illum habeat in titulum, siue in cõmendam. Non habent autẽ locum in Decanis, & aliis præfectis præsidentibus Capitulo, collegiove Canonicorum. Nec item in Episcopis, aut Abbatibus: quia prædicta iura loquuntur de parochiali Ecclesia, aut Prioratu: neq; pœnæ sunt interpretatione extendendæ: Quo argumento in cap. Statutũ, De electione in 6. decernitur, neq; habere locũ in Ecclesiis Collegiatis, quantumuis parochialibus.

Tertius modus, quo contingit ipso iure beneficium va- 312.
care, est per matrimonium à beneficiario contractũ. Nam ex cap. 1. cap. Quod à te, cap. Diuersis fallaciis, & cap. Cum decorem, De Clericis coniugatis: qui beneficia habent, & vxorem ducunt priuantur illis. Si opponas non priuari ipso iure, sed tantum per sententiam Iudicis priuandos esse, vt memorata Capitula innuere videntur, cum vtuntur verbis futuri temporis; vt deponantur, priuentur, relinquant beneficia, & retineant vxores. Respondetur ex cõmuni Doctorum consensu, & Ecclesiæ vsu haberi contrarium, per eadem Capitula. Illa vero verba, referri ad vacationem de facto in qua sit opus sententia Iudicis, & cognitione causæ ad habendam possessionem collati beneficij vacantis per contractum matrimonium: eodem scilicet modo quo traditum in cap. Diuersis fallaciis, ante citato intelligendum est; nempe Episcopum qui sciens contulit beneficium coniugato, non posse eundem beneficio priuare: sed opus esse authoritate Superioris: intelligendum inquam est de priuatione possessionis, non autem iuris, cum beneficium non possit coniugato conferri de iure.

Si rursus opponas, quod in cap. Ioannes, De Clericis coniugatis, prohibeatur coniugatus molestari super tõsu-

ratio-

ratione, dummodo nullum percipiat beneficium Ecclesiasticum, quo iudicatur in coniugio posse teneri beneficium. Respondet ibidem glossa finalis: quod tenere possit per dispensationem Papæ: aut beneficij nomine illic intelligi pensionem, seu stipendium quod laico nonnunquam datur ab Ecclesia: ratione cuius etiamsi datum non sit in titulum beneficij, debeat tamen portare tonsuram, si consuetudo ita ferat.

313. Procedunt autem ista quantumcumq; matrimonium à beneficiario contractum, non sit per carnalem copulam consummatum, imo, *vt ad memoratum cap. 1. nu. 7. notat Panormit.* quantumcumq; de facto tantum sit contractum, nec ipsum subsistat: siue ob consanguinitatem detectam inter contrahentes, aut aliud impedimentum canonicum siue quod post nuptias ante matrimonij consummationem vxor transierit ad Religionē: & ideo matrimonium ipsum dissolutum sit, ex cap. Verum. De conuersione coniugatorum. Quam doctrinam aliis citatis Azor sequitur in 2. tomo Moral. Instit. lib. 7. cap. 16. quæst. 5. sub finem. Beneficium autem contrahentis propterea censetur in talibus casibus vacare ipso iure, quod matrimonium sit ita contrarium ordini Ecclesiastico vt ab hoc resilire, consequenterque beneficium suum pro derelicto habere, eive ipso facto renuntiare velle beneficiarius videatur matrimonium contrahens (*ad quod facit cap. Ex ore, iuncta glossa, ad verbum, Renuntiasse: De his quæ fiunt a maiori parte Capituli*) adeo vt talis nequeat ad idem beneficium redire, quantumcumque non sit vere coniugatus: quia sicut priuatio contractus semel de facto inducta, non reuiuiscit: ita nec gratia concessi beneficij semel extincta, etiam cessante causa extinctionis, reuiuiscit postea: vt deduci potest ex Clement. Gratiæ De rescriptis. Atque hæc pertinent ad beneficiarios in minoribus Ordinibus constitutos, quibus matrimonium contrahere permittitur.

314. De beneficiariis maiore Ordine, etiam solo subdiaconatu initiatis, quibus nuptiæ sunt interdictæ (iussumque est vt si de facto ducant vxores, dimittant eas tanquam cōcubinas cap. 1. cap. Quod à te, & cap. Cum decorem, De Clericis coniugatis) difficultas est, num si vxores de facto duxerint, beneficia ipsorum vacent ipso iure: an vero sit opus priuatione, per Iudicis sententiam facienda. De qua re Panormit. *in cit. num. 7.* differens, concludit ipso iure vacare beneficia, nec opus esse Iudicis sententia condemnatoria. Ratio est, quod iuxta cap. Eum re De præbendis in 6. non debeant melioris conditionis esse, quam beneficiarij minoribus tantum Ordinibus initiati, qui contrahendo non delinquunt: argumento cap. Nuper, De bigamis. Neque refert quod matrimonium non valeat, quia cum per ipsos non steterit, quin matrimonium contraheretur (prout in in eod. cap. Nuper, notatur) merito perinde puniuntur, ac si vere contraxissent.

Accedit quod ipso facto, qui matrimonium contrahit, videatur renuntiare beneficio, vitam eligendo Ecclesiasticæ contrariam. Adde quod per cap. Sane secundo De Clericis coniugatis, cum Sacerdote qui matrimonium contraxit, post pœnitentiam longam, & vitam laudabilem peractam, dispensari possit, eique beneficia restitui. Vnde sequitur illa esse ei adempta per contractum matrimonium. Quam doctrinam citatis auctoribus Azor sequitur in ante memor. quæst. quinta.

315. Cæterum ipsi sacris Ordinibus initiati non sunt ob cōcubinatum sine contractu matrimonij iure ipso priuati suis beneficiis: sed sunt per Iudicis sententiam priuandi, per cap. Sicut, De cohabit. Cleric. & mulierum, contra quos, ac cæteros beneficiarios fornicarios procedendi, formula traditur in Concil. Trid. sess. 25. cap. 14. De reformat. nempe vt primum à Superioribus moneantur relinquere concubinas, quas domi, vel alibi detinent. Deinde si moniti non abstinuerint se ab illis, sint ipso facto priuati tertia parte suorum prouentuum Ecclesiasticorum, qui fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio Episcopi applicentur. Tertio, adhuc nihilominus in tali crimine perseuerantes, si secundo moniti non pareant: non tantum omnes prouentus suos Ecclesiasticos eo ipso amittant, sed etiam sint quamdiu arbitrabitur Ordinarius, suspensi ab administratione ipsorum beneficiorum. Quarto, si ita suspensi necdum desistant: omnibus beneficiis portionibus, ac officiis, & pensionibus quibuscumque Ecclesiasticis priuentur, atque inhabiles, & indigni quibuscumque honoribus, dignitatibus, beneficiis, & officiis reddantur: donec per manifestam vitæ emendationem, à Superioribus ipsorum visum fuerit, ex causa cum eis dispensandum. Ac tandem adhuc ad vomitum reuersi præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur. Quorum omnium cognitionem, Concilium vult non ad Archidiaconos, aut Decanos, vel alios inferiores pertinere, sed ad Episcopos qui sine strepitu, & figura, iudicij, solaque veritate facti inspecta, procedere possint tanquam Sedis Apostolicæ delegati, nulla appellatione, aut exemptione obstante.

Restat hic monendum, quod in superius citato num. 7. Panormit. & Gigas De pensionibus, quæst. 54. num. 9. & 10. habent ex Ioanne Andrea, non vacare beneficium ob matrimonium, quod est nullum, vel ex defectu consensus: vt cum alteruter contrahentium est mente captus: aut metu cadente in constantem virum adigitur ad contrahendum. (nulla enim ratio matrimonij esse potest sine libero consensu) vel ex defectu competentis ætatis: ob quam matrimonium cōtractum habet tantum rationem sponsaliorum, de futuro ex cap. vnico, De desponsatione impuberum, in sexto. Addit Gigas in eadem quæst. 54. sub finem: eodem modo quo beneficium vacat per matrimonij contractum, pensionem Clerico attributam extingui. 316. 320.

Quartus modus, quo adhuc vacatio beneficij contingit ipso iure, est per beneficiarij professionem expressam, vel tacitam in religione approbata, ex cap. Beneficium, De regularibus in sexto, nō autem per ingressum religionis infra annum probationis, vt ibidem exprimitur. 317.

Quintus modus est per translationem: vacat enim Ecclesia, Prælato ipsius in alteram Ecclesiam translato, cap. Si quis iam translatus 21. q. 2. vbi videglossam. Deinde Episcopus propria authoritate ad aliam sedem transiens, ipso iure amittit vtramque, id est, & possessam & ambitam, cap. Quanto, De translatione Episcopi. 321.

De criminibus ob quæ vacatio impositæ est ipso iure.

Sectio III.

VAcatio posterioris generis, qua scilicet beneficium ipso iure vacat ob crimen, contingit quoque pluribus modis.

Ac primo ob hæresim; nam hæretici manifesti priuantur ipso iure beneficiis, per cap. Ad abolendum, De hæreticis (prout bene declarat Rebuffus in Praxi beneficiorū tertia parte sub initium) ad quod cap. glossa, *verbo reprehensus*, notat manifestum hæreticum dici eum, qui talem se esse confitetur, vel qui legitima probatione, puta per testes, est de hæresi conuictus, vel qui dogma hæreticum publice prædicat, & defendit. Idem etiam, *priuari inquam ipso iure suis beneficiis*, dicendum est de iis qui suffragiis, & ope hæreticorum ea consecuti sunt, ex cap. 2. §. Adhæc, De hæreticis, in 6. Idem etiam de apostatis à fide, vt habet Rebuffus *loco cit. num. 47.* quia plus est apostata, quam hæreticus: nec debet ad Clericatus officium admitti, distinct. 50. cap. penult. & vltimo. Idem demum de schismaticis, *vt ibidem num. 29. habet quoque Rebuffus*, per cap. Nos consuetudinem, distinct. 12. & cap. Quia diligentia, De electione. Rationem addens, quia ex cap. Inter 24. quæst. 3. nullum schisma est, nisi sibi aliquam hæresim confingat, vt recte ab Ecclesia recessisse videatur. 318.

Contingit secundo eadem vacatio, per simoniam. Nam ex Extrauag. communi Cum detestabile, De simonia, beneficium simoniace adeptū adimitur ipso iure, ita vt possessor fructus suos facere non possit, incurratq; in excommunicationē Papæ reseruatā. Nec etiā posse remedio triēnalis possessionis iuuari habetur ex regula Cācellariæ. De triennali possessione (vt patet ex eiusdem verbis relatis in præced. nu. 258.) idque siue simonia sit realis, siue tantum conuentionalis, vt tractat Gomesius ad eamdem regu- 319. 322.

lam

lam quæstio. 12. id est, siue commissa sit dato, & accepto; siue tantum promisso aliquo temporali, pro beneficio. Idem auctor tamen in fine eiusdem quæstionis alijs citatis notat, ob conuentionalem simoniam beneficium non vacare ipso iure, sed requiri Iudicis sententiam, nisi postea impleatur promissum: quo casu ex conuentionali fit realis simonia. Adde & nisi simonia sit confidentialis propter constitutionem Pij quinti, quam Nauarr. habet in Enchir. *cap.* 23. *num.* 110.

Si quæras, An qui simoniacè adeptus est beneficiũ, priuetur quoque ipso iure alijs beneficijs non adeptis simoniacè. Respondetur, ea de re esse controuersiam, quam in tomo primo De religione libr. 4. capit. 58. Suarez tractat: cum quo partem negantem in praxi tenere possumus tanquam fauorabilem, ac in communi vsu positam: ac per eundem authorem bene stabilitam: vt ipsum legenti satis patere potest. Fundamentum vero est, quod nullum decretum inueniatur in quo talis pœna (priuationis, inquam, beneficiorum ante simoniam commissam possessorum) feratur, addità particulà *ipso iure, vel ipso facto, aut alia æquiualenti*, sine qua nullam pœnam censeri ratam, nisi in Ordine ad Iudicis sententiam condemnatoriam; regula est receptissima tam Theologorum quam Canonistarum.

320. Contingit tertio; per crimen vacatio beneficij, *ex capit. Fœlicis, De pœnis in 6.* quando quis persequitur, vel percutit Cardinalem, vel mandat persequi, aut percuti, vel quando socius est percutientium. Item ex Clemen. 1. De pœnis, quãdo quis in Episcopum fuerit similiter iniurius. Quamquam si se legitime defendendo, *vt vim vi cum moderamine inculpatæ repellendo*, percuteret, excusatio esset ab hac pœna, vt & ab homicidio, ex cap. Significasti, secundo, De homicidio: & ab excommunicatione, ex cap. Si vero 1. De sentent. excommunicationis.

321. Contingit quarto, per Clementinam 2. De pœnis; si quis beneficiarium includẽs coegerit ipsum renunciare beneficio. Nam vltra alias pœnas, & nullitatem renunciationis, qui id egerit, si sit Prælatus, per triennium suspenditur à perceptione fructuum Ecclesiarum suarum: si vero sit alius beneficiatus, priuatur ipso iure beneficijs suis.

Contingit denique: Tum in electoribus, qui fuerint negligentes post octo dies, ad electionem electo præsentandam, cessante impedimento legitimo. Nam per triennium suspenduntur ab omnibus beneficijs, quæ habuerint in Ecclesia ipsa electiua: sique intra id tempus se iniecerint administrationi eorundem beneficiorum, ipso iure illis priuantur, ex cap. Cupientes. §. Cæterum, De elect. in 6. Tum in eo, qui possidens beneficium fructus illius sequestrato sibi vsurpat, impeditque sequestrum. Nam talis ipso iure priuatur eodem beneficio, ex Clemen. vnica, De sequestratione possessionis, & fructuum: Tum in eo qui alio possidente nactus est possessionem beneficij propria authoritate, ex capit. Eum qui, De præbendis, in 6. hocq; modo beneficium dicitur vacare per intrusionem: Tum etiam in beneficiato qui rem immobilem Ecclesiæ suæ alienat sine authoritate, & cõsensu Papæ. Nam talis si inferior sit Episcopo, vel Abbate, per Extrauag. primam communem, De rebus Ecclesiæ non alienandis, ipso iure priuatur beneficio suo: Tum demum in eo qui se opposuerit electioni, tanquam factæ contra formam iuris, vel de persona indigna, nec possit probare quod obiecerit: nam talis per triennium suspenditur à beneficijs quæ habet in Ecclesia electiua; siq; se interea illis ingesserit, priuatur ipso iure titulo eorundem, per cap. 1. §. fin. De electione in 6.

322. Præter hæc autem hactenus proposita crimina, dantur alia, ob quæ beneficiarius non est quidem priuatus beneficio ipse iure: potest tamen, & debet iure priuari: de quibus pro Confessarij institutione sufficiet in genere monere cum Rebuffo in eodem titulo De modis amittendi beneficia numer. 61. & 62. quod Clericus priuari beneficio debeat tantum pro graui delicto: neq; talem pœnam à Iudice infligendam esse, nisi id à iure statuatur: prout statuitur de peccato non residendi, cum beneficiũ residentiam requirit, in capit. Ex parte 1. & cap. Conquerente, & cap. Inter, De Clericis non residentibus. In cuius statuti executione oportet, iuxtà cap. Ex tuæ, & cap. Clericos eod. titulo, præmissam esse monitionem nõ residenti vt resideat: nempe si compareat, moneatur per citationem: sin minus, *quia scil cet vagabundus discurrit*, trinæ citationis edictum, in Parochia ipsius publicetur: atque si citatus non compareat intra sex menses, priuabitur beneficio, ex citato cap. Ex tuæ, iuncta glossa. Itemque si appareat quidem, sed non obediat, nisi rationabilem causam habeat non residendi, vt morbum suum, vel suorum, inimicitias capitales, aeris intemperiem, vel alia similia, ex cap. finali, eod. tit. Statuitur item de Clerico exercente iudicium sanguinis, per cap. Clericis Ne Clerici, vel Monachi, & cap. Ex literis, De excessibus Prælat. Quod intelligendum est pari ratione de omni crimine, quod ex iuris dispositione inducit irregularitatem, iuxta illud quod habet Panormit. *ad cap. Latores De Clerico excommunicato ministrante, num.* 2. Omnem irregularem dignum esse depositione. Statuitur demum de excommunicato, qui per annum in excommunicatione perstitit, per cap. Rursus cum sequenti 11. quæst. 3. prout bene tractat Selua De beneficio 3. *parte quæst.* 4. *versus finem.* Neq; opponi potest, excommunicationem non imponi semper pro crimine adeo graui de se, vt dignum sit priuatione beneficij; nam etsi id ita sit, tamen perstientia illa in excommunicatione per annum, reddit graue quodcunque tale, vt satis indicauit Concilium Trident. sess. 25. cap. 3. De reform. in fine, cum statuit contra annexum censuris, si per annum insorduerit in illis, posse, vt contra de hæresi suspectum, procedi.

De vacatione ipso facto tantum, vel iure simul, & facto.

Sectio IV.

323. Ipso facto tantum, & non iure vacare dicuntur beneficia. Primo, si possessor titularis beneficij, à corporali possessione deijciatur vi, vel alio modo illegitimo: nam non definit esse titularis, *ideoque beneficium non vacat iure*: sed quia ille non habet possessionem, beneficium dicitur de facto vacare, donec spoliatus restituatur in integrum. Ad hoc induci potest caput. Accepta, De restitut. spoliat. Secundo, si quis metu, aut vi cogatur eiurare beneficium, non ideo minus dicitur titularis, ideoque beneficium de facto tantum vacat, ex capit. Ad aures & capit. Ad audientiam, De ijs quæ vi, metusve causa fiunt. Tertio, si Clericus per longum tempus absens sit à sua Ecclesia, censetur habere beneficium suum pro derelicto: quod ideo vacat ipso facto: sed quia conferri alteri non potest, nisi post legitimam admonitionem absentis, iuxta cap. Ex tuæ, & capit. Clericos, De Clericis non residentibus, nõ censetur vacare de iure. Quarto, si beneficium collatum sit absenti, & ignoranti collationem: ipsum, *vtpote nondum acceptatum à prouiso*, vacat de facto: non autem de iure, quia Ordinarius non potest illud alteri conferre, ex capit. Si tibi absenti, De præbendis, in sexto.

324. Ipso iure autem, & facto simul, beneficia dicuntur vacare per mortem beneficiarij: cum enim hic sit tantum fructuarius: & in beneficijs interdicta sit omnis quasi hæreditaria successio: eo ipso quod is moritur, tam de iure, quã de facto beneficium vacare censetur. Dicuntur beneficia eodẽ modo vacare per renunciationem, de qua pluribus dicendũ est sequenti capite: sed prius proponendi sunt aliquot effectus ipsius vacationis.

Primus est: vt beneficium cum vacat ipso iure, possit impetrari antequam accusetur, vel condemnetur reus criminis, propter quod inducta est vacatio. Vide antedicta in sect 3.

Secundus est: vt in conscientia beneficum quod vacat ipso iure, nonnunquam sit statim dimittendum nonnunquam vero expectari possit Iudicis sentẽtia declaratoria criminis, prout patet ex ijs, quæ tradidimus *in præced. lib. 13. cap. 26. quæst. 3.*

325. Ad cuius plenam intelligentiam distinguendum est inter leges Ecclesiasticas imponentes ipso facto, vel iure priuatio-

nem beneficij. Nam aliæ sunt quæ eam imponunt, non in pœnam criminis, sed tantum ob factum Clerici, vel euentum, vel conditionem tacitam non impletam, sub qua fuit eidem Clerico collatũ beneficium: adeo vt leges huiusmodi censeantur potius conuentionales, quam pœnales. Quo fit, vt eæ in foro conscientiæ inducant obligationem statim dimittendi beneficium. Sic ille qui matrimonium contrahit, aut qui professionem facit in religione approbata, aut qui accepto Parochiali beneficio nõ promouetur intra annum ad presbyteratum, nullatenus potest beneficium retinere.

Aliæ autem leges sunt quæ vere, & propriè pœnales, beneficiorum priuationem imponunt in pœnam criminis cõmissi: hæque iuxta Soti, & aliorum sententiam quos secuti sumus loco antememorato, non obligant Clericũ in foro conscientiæ, ad beneficium statim dimittendum: quia cum ipse vere, ac propriè habuerit ius acquisitum in beneficio: non debet in foro conscientiæ, contra seipsum tam grauem pœnam exequi, sed potest expectare sententiam Iudicis. Neque obstant verba legis: Sit ipso iure priuatus, vel vacet beneficium: quia tantum significant esse alijs ius beneficium impetrãdi eo ipso, quod beneficiarius fuerit in iudicio declaratus reus illius criminis: ita vt opus non sit aliqua alia sententia, qua is condemnetur priuatione beneficij; sicut est opus, cum lex non priuat, sed præcipit priuandum.

Quod tamen non procedit, cum in lege adiicitur: Sit ipso iure priuatus beneficio, absque vlla declaratione, vel ministerio Iudicis. Aut, priuatum esse ipso iure beneficio, præsentis decreti vigore declaramus. Aut ipso iure priuamus, ita vt in foro conscientiæ benefic ũ dimittere teneatur. Nam tales particulæ additæ inducunt in foro conscientiæ priuationem beneficij, ante omnem declarationem criminis: quasi Ecclesia sub ea conditione Clerico beneficium contulerit, vt si tale crimen patrarit, debeat statim illud relinquere. Vnde possumus argumentum sumere; quod cum tales particulæ non addantur frustra, sed habeant eum effectum quem diximus: dum non adduntur in lege; indicari quod ea non imponat obligationem in conscientia dimittendi statim beneficia: sed ita, vt possit expectari Iudicis sententia declaratoria criminis. Id quod locum habere, etiam quando crimen notorium est ex euidentia facti, Sotus *libro 1. De iust. & iure, quæstio. 6. art. 6. in fine tertiæ conclusionis, satis probabiliter tenet contra Panormit. ad caput. Cum non ab homine, De iudicijs*, Ratio est, quia euidentia facti non succedit loco sententiæ Iudicis sed loco accusationis, iuxta cap. Euidentia De accusat. iuncta glossa finali.

326. Tertius effectus vacationis est, vt ipso iure, vel ipso facto priuatus beneficio non faciat fructus suos. Qui quidem cum aliqua restrictione intelligendus est quoad vacationem ob crimen. Nam ante latam sententiam declaratoriam eiusdem criminis, talis vacatio non obstat quin beneficiarius possit fructus beneficij percipere iuxta tradita à nobis in expositione primæ difficultatis additę à nobis ad supra memoratam quæstio. tertiam. Post eiusmodi vero sententiam nequit illos percipere: ita vt perceptos restituere teneatur, tanquam alienos, cum & titulo & administratione beneficij priuatus sit. Qua etiam de causa idipsum beneficium nequit ab ipso tunc resignari alteri, aut permutari cum alio beneficio.

CAP. XXIII.

De renunciatione beneficiorum.

SVMMARIVM.

327 *Renunciationis beneficij varia genera.*
328 *Renunciare potest quis beneficio, non tantum per seipsum, sed etiam per procuratorem: & tres casus in quibus, tenetur renunciare.*
329 *Obligatio iuris naturæ relinquendi beneficium, & restituendi fructus ex eo perceptos.*
330 *Duæ regulæ Cancellariæ in renunciatione obseruandæ.*
331 *Conditio renunciationis vt fiat authoritate Superioris.*
332 *Conditiones, vt scienter, & vt sponte fiat.*
333 *Difficultas, An irrita sit renunciatio facta à metu.*
334 *Alia, An facta à minore 25. annis: aut facta in feruore morbi acuti.*
335 *Reliquæ conditiones requisitæ ad validitatem renunciationis.*
336 *Per renunciationem valide factam beneficium vacat.*
337 *Modi quibus datur regressus ad illud.*
338 *Quando renunciatio possit aut non possit fieri propria authoritate.*
339 *Renunciatio est aut tacita quæ dupliciter contingit: aut expressa, quæ distinguitur in puram & conditionatam.*
340 *Conditionatæ quatuor species: & quod tres primæ possint tantum coram Papa fieri.*
341 *Quod quarta possit fieri coram Ordinario.*

IN Decretalibus tam Gregorij, quam Bonifacij, & in Clementinis, est titulus De renunciatione: quæ varia habet nomina. Aliquando enim vocatur cessio, aliquando resignatio, aliquando simplex renunciatio; & aliquando regressus: cum aliqua tamen differentia. Nam cessio propriè est, quando renuncians nondum habet possessionem beneficij, sed tantum ius ad illud. Resignatio vero, quando aliquis ius suum renunciat in fauorem alterius, quem nominat in ipsa renunciatione. Simplex autem renunciatio, quando neminem nominat. Regressus denique, quando aliquis ita renunciat, vt post mortem illius cui fit resignatio, beneficium reuertatur ad resignantem. Considerabimus autem primo renunciantem, secundo, modum renunciationis, tertio, effectum eiusdem, quarto, varias illius species. 327. 330.

De renunciante.

SECTIO I.

CIrca renunciantem obseruandum est, quod beneficiarius possit beneficio suo, tanquam rei ad se spectanti renunciare vel scripto vel verbo: idq; per seipsum vel per procuratorem renuncians, possit reuocare eam renũciationem, quamdiu res est integra, hoc est, quamdiu non accesserit approbatio Superioris: quantumcunque ipse renuncians multa interea faciat, quæ facere solet is qui plene renunciauit, argumento cap. Lectæ, De renunciatione. Verumtamẽ is qui renunciationem reuocat, curare debet vt suus Procurator, vel Superior talem reuocationem intelligat antequam beneficium alteri conferatur: alioqui enim reuocatio non habebit locum, ex Clementina vnica, De renunciatione. 328.

Aduerte vero ex cap. Quidem, De renunciatione: beneficiarium qui petijt & impetrauit à Superiore facultatem renunciandi suo beneficio, si postea mutet sententiam, cogi nihilominus renunciare. Præter quem casum dantur duo alij, in quibus beneficiarius tenetur beneficio suo renunciare, illudve relinquere. Prior est, quando committit peccatum, quod sic ius punit priuatione beneficij, vt exprimat obligari in conscientia illud relinquere. Exemplum habetur in eo, quod Concilium Trident. *sess. 24. cap. 18. versu, Cauendũ, De reform.* statuit de ijs qui examinant Parochos iuxta eiusdem Concilij decretum: si aliquid recipiant ratione eiusdem examinis: tam eos ipsos qui accipiunt, quam illos qui dant, perdere omnia sua beneficia, nec posse absolui, nisi ea dimittant. Posterior casus est, quando pœna Ecclesiastica debetur etiam iure naturali. Ad illud enim quod est de iure naturali, quisq; in conscientia statim tenetur.

Vbi aduerte, quod omnis obligatio iuris naturæ ad relinquendum beneficium, vel restituendum fructus perceptos, nascatur ex eo quod beneficiarius omittat officium, propter quod datur beneficium. Inde enim sequitur rectæ rationi aduersari, vt beneficium retineat, vel fructus eius capiat is, qui non potest, aut non vult officium propter quod ipsum datur, exercere. 329.

Id quod potest tribus modis contingere. Primus est, quãdo beneficiarius habet essentiale impedimentum: vt si duxerit vxorem, vel professionem fecerit in religione approbata. Item si nolit suscipere Ordines, vel acquirere scientiam, quam tale beneficium requirit. Itemque, *iuxta cap. Nisi, De renunciatione*, ob scandalum, aut malitiam populi, ineptus

effectus

effectus sit ad eiusmodi officium exequendũ. In quibus tribus casibus ille tenetur vel relinquere beneficium vel remouere impedimentum si potest, vt potest in casu secundo. In tertio casu vero, beneficium resignando alteri, reseruare sibi pensionem authoritate Superioris interposita, iuxta cap. Ad supplicationem, De renunciatione, & receptam consuetudinem.

Secundus modus est, quando beneficiarius habet impedimentum officij tantum accidentale, hoc est, quo durante potest quidem facere officiũ, sed peccabit faciendo: vt cum est cẽsura Ecclesiastica irretitus. In eo casu enim, si resipiscere velit, ac relinquere peccatum: potest quidem interea dum quantum potest liberationem à tali impedimento procurat, fructus beneficij sui percipere: sed si non sit spes quod eam obtinere possit, tenetur alteri digno, cui voluerit, beneficiũ ipsum resignare: quandoquidem nequit bonâ conscientiâ illud retinere, cum peccet siue faciens officium, impeditus censurâ, siue non faciens, iniuste percipiendo fructus qui ob officium dantur.

Tertius modus est, quando beneficiarius nullum quidem impedimentum habet; sed non vult officium ipsum facere: nam tunc vel debet se emendare, vel beneficium resignare alteri: ac pro rata temporis quo eam primam voluntatem retinendo, officium omisit: perceptos fructus restituere: atq; damna, si quæ Ecclesiæ intulerit, resarcire.

330. Svperest monendum quoad renunciantem, duas regulas Cancellariæ obseruandas esse in renunciatione. Prior est, quæ dicitur de infirmis resignantibus. Posterior vero, quæ dicitur de publicandis resignationibus. Illa habet, vt si infirmus ex graui infirmitate resignauerit beneficium suum in fauorem alicuius, vel alias: & post resignationem, etiam admissam, mortuus fuerit ex ea infirmitate intra 20. dies, à die consensus præstiti resignationi computandos, resignatio nulla sit: censeaturque vacare beneficium, non per resignationem, sed per obitum beneficiarij. Hæc vero habet, vt resignatio admissa in curia Romana, publicetur seu manifesta fiat in loco beneficij intra sex menses, computandos à die consensus præstiti resignationi. Sin resignatio fiat coram Ordinario, vt publicetur intra mensem à tempore collationis: alioqui si resignans moriatur in possessione beneficij nulla publicatione facta intra sex menses, vel intra mensem, vt prædictum est, censeatur beneficium vacare per mortem resignantis quidem, sed mortui in possessione: non autem per resignationem; itat vt resignatarius qui prouisus est, nullo ex resignatione titulo vti possit. Quæ regulæ sunt institutæ ad fraudes euitandas. Earum plenam explicationem ex Gomesio petere poterit qui volet, eam persequente plurium quæstionum tractatione.

De modo renunciationis.

Sectio II.

331. Ad modum obseruandum in renunciatione sex conditiones sunt necessariæ. Prima est, vt renunciatio fiat cum facultate Superioris. Sic enim Episcopus, etiam non consecratus, dummodo sit confirmatus, renunciare non potest Episcopatui sine facultate Papæ, ex capit. 2. De translatione Episcopi. Nec item Prælatus exemptus potest renunciare suæ prælaturæ, sine eadem Papæ facultate, ex cap. fin. De renunciatione. Qui vero subsunt Episcopo, non possunt sine facultate ipsius beneficio suo renunciare ex capit. Admonet, De renunciatione. Et merito: quia Episcopi interest scire beneficij vacationem, vt possit illud conferre intra sex menses, ei ad conferendum constitutos, in capit. 2. De confessione præbendæ. Imo ex glossa ad Clementinam vnicam, De renunciatione, *verbo, Manibus*: quãdo beneficium datur per electionem, nominationem, vel præsentationem, debet etiam adesse facultas eligentium, nominantis, vel præsentantis.

Renunciatio autem facta absque facultate, inualida est respectu Superioris: hoc est, Superior non obstante ea renunciatione, potest beneficiatum reuocare ad beneficium renunciatum, ex capit. Non oportet, 7. quæstio. 1. An vero sit etiam inualida respectu renunciantis, hoc est, An renuncians perdat ipso facto titulum; si renunciet sine facultate; dubium est: quod Couarr. tractat *in libr. 1. Variarum resolut. capit. 5. numer. sexto*: ac partem negantem pluribus in eam citatis sequitur. Et merito, quia in capit. finali, De renunciatione, expresse habetur de exemptis, quod si renuncient absque authoritate Papæ, renunciatio non valeat: & in capit. Quod in dubijs, eodem titulo, habetur generaliter de cæteris, quod si resignent in manibus laici, *atque adeo superioris incompetentis*, priuandi sint beneficio. Vnde sequitur nõ esse priuatos ipso facto: & hinc rursus, eam renunciationem esse inualidam, & ex qua beneficium non vacet, nec amittatur.

Secunda conditio est, vt renunciatio fiat scienter. Nam 332.
nemo renunciat ei, quod ignorat, ff. De inofficioso testamento, lege Mater. Vnde si vel termini iuris sint ignoti, vel alij procedendi modi sint obscuri, ij debent renuncianti significari, ac declarari: alioquin per tales obscuritates decipiẽs ipsum, tenetur ad restitutionem. Vide Sylu. *in verbo, Renunciatio. qu. 6.*

Tertia conditio est, vt renunciatio fiat sponte, & propria 333.
voluntate. Hinc enim irrita est renunciatio quæ à beneficiato furioso fit extra tempus, quo est mentis compos: argumento cap. Quamuis, 7. quæst. 1. cum tunc non habeat liberam voluntaem resignandi, vtpote qui non est talis voluntatis particeps, ex cap. Si quis insaniens, 15. quæstio. 1. & Clemen. Si furiosus, De homicidio. Irrita etiam est quæ fit dolo: ex cap. Lectæ, De renunciatione: vel vi, ex Clementina 2. De pœnis. Vide Rebuffum in praxi beneficiorum par. 3. tit. De causis resignationem irritantibus.

An autem irrita quoque sit metu facta, dubitatur: nam irritam esse cum Rota decisi. 203. in antiquis, & quibusdam alijs Rebuffus ibidem de resignatione metu extorta, putat ipso iure irritam esse, sicut & electionem metu factam; aut matrimonium metu contractum. Corasius vero in sua paraphrasi, in materiam Sacerdotiorum, *par. 1. cap. 8. numer. 11.* putat nõ esse irritam ipso iure, sed rescindendam esse officio Iudicis: ad quod facit textus in capit. Abbas, De ijs, quæ vi, *iuncta glossa ad verbum Coactus.* Et ita tenuit Rota decisione 374. in nouis. Ac confirmatur: quia ex communi tam Theologorum, quam Iurisperitorum sententia, metus non ita tollit absolute voluntarium, vt facta metu, censeantur inuoluntarie facta. Quod si pacta, conuentiones, contractusq; aliqui metu facti, iure ipso sint nulli; id propterea fit, quod de illis esse nullos, sit constitutum, vt & de nonnullis alijs enumeratis in memorata glossa.

Quia igitur nunquam in iure exprimitur, vt resignatio metu facta, sit nulla ipso iure: videtur verius dicendum, Iudicis tantum officio esse rescindendam iuxta citatum capit. Abbas, & duo sequentia. Nihil refert vero siue beneficiato, siue personæ ei sanguine proximè coniunctæ, talis metus incutiatur, argumento cap. Sciant, De elect. in 6. siue etiã quocunque alio modo; excepto casu, quem iam ante ex Clem. 2. De pœnis attigimus: si Clericus per sui captionem, & incarcerationem cogatur beneficio suo renunciare: quia tunc renunciatio est inualida.

Dubitatur quoque, An si minor 25. annis renunciauerit 334.
beneficio, valeat renunciatio. De quo disputat glossa, *ad cap. Ex parte, verbo, Quamuis minor, De restitut. spoliatorum.* Atque partem affirmantem tenet Sylueſter *verbo Minor, in fine*: quia minores in beneficialibus, & alijs causis spiritalibus habentur pro maioribus, ex capit. finali, De iudicijs, in 6. Couarruuias vero partem negantem sequitur, *in lib. 1. Variarum resolutionum, cap. 5. num. 3.* & melius: quia quod beneficiarius minor censeatur maior 25. annis, priuilegiũ est, quod retorqueri non debet in dispendium illius in cuius fauorem datur, ex regula 61. iuris in sexto. Quanquam si talis intra triennium non petat suam restitutionem, nec saltem protestetur de impedimẽto ætatis, illam postea non impetrabit propter triennalem præscriptionem, de qua egimus in præced. cap. 18. Adde his ex defectu propositæ tertiæ conditionis, censeri inualilidam renunciationem factam in feruore, & incendio morbi acuti; vt in phrenesi, iuxta capit. Gonsaldus, 17. quæst. 2.

Quarta conditio est, vt renunciatio fiat gratis, id est, nul- 335.
lo intereueniente pretio, vel præmio, quo pecunia, vel res

quæ si pecuniæstimabilis, detur: alioqui enim esset renunciatio simoniaca. Quinta conditio, vt non interueniat fraus. Nam si fraude renunciatio extorqueatur ab eo qui renunciat, illa est inualida, ex 15. quæstio. 6. cap. 1. v.g. si quis dicat beneficiario; quod ipsius pater petat literas renunciationis, vt ei conferatur aliud beneficium. Similiter si renuncians decipiat illum cui recunciat: vt v. g. si ille expectet beneficium pinguius, quod huic dandum erat, nisi facta esset talis resignatio: eo enim casu renuncians amittit vtrumque beneficium, id est, tam illud cui renunciauit, quam illud quod ob illam fraudulentam resignationem acquisiuit, ex capit. 2. De renunciant. in sexto. Postrema conditio est, vt beneficiarius renunciet apertis verbis. Quare si tantum dicat alteri, quod submittat se ipsius misericordiæ, vel gratiæ, aut beneuolentiæ, non censetur facta renunciatio, ex cap. Sane, & cap. Veniens, De renunciatione.

De effectu renunciationis.

Sectio III.

336. Effectus renunciationis in eo consistit, vt cum valide facta fuerit, beneficium vacare censeatur, nec renunciãs possit vi prioris tituli, & absq; noua collatione illud repetere, ex cap. Ex transmissa, ex cap. Super hoc, De renunciatione, & ex cap. 3. & 4. De restitut. spoliatorum. Nec item capere possit fructus eiusdem beneficij resignati: ne quidem ex donatione illius, cui facta est resignatio: si enim id fecerit, tam ipse, quam ille cui resignauit, sunt excommunicati excommunicatione reseruata Papæ in Conc. Trid. sess. 22. cap. vlt. De reform. Vbi & additur, vtrumq; priuari omnibus beneficijs, quæ ipsi tunc habent.

337. Porro iuxta cap. secundum De renunciat. ille qui beneficio renunciauit, potest ad illud denuo eligi: danturque tres casus in quibus ipse potest sine noua electione, aut collatione redire ad beneficiũ resignatum. Primus est, quando resignauit, vt haberet aliud beneficium, quod postea intellexit collatum esse à Summo Pontifice. Tunc enim statim rediens ad suum beneficium, recuperat illud: alioqui vtrumque perdit, ex cap. Si beneficia, De præbendis, in 6. Secundus est, quando aliquis resignat beneficium, vt permutet illud cum beneficio alterius. Nam si permutatio non habeat postea locum, potest redire ad beneficium suum, ex cap. Cum vniuersorum, De rerum permutatione, & ex Clemen. vnica eodem titulo. Imo in permutatione talis conditio expresse poni, aut saltem subintelligi solet. Tertius casus est quando aliquis resignat beneficium alicui quem nominat, & non alias, nec alio modo: tunc enim si illi nominato beneficium non conferatur, resignans redit ad illud. Pro quo facit ratio: quia quando conditio apponitur, contractus non valet nisi conditio impleatur, ex cap. 2. 3. & 4. De conditionibus appositis. Talis vero conditio prout exponetur in sequenti sect. nisi interueniat consensus Papæ, efficit renunciationem simoniacam. Qua de re videndus est Nauarrus *in Enchir. cap. 23. num. 107. versu, Ad decimum.*

338. Nota autem in tribus prædictis casibus, si beneficium resignatum nondum sit alteri collatum, cum qui renunciauit posse propria authoritate ad illud redire, ex Sylu. *Permutatio 2. quæst. vlt. conclus. 5.* Quamquam vt vitentur lites in foro exteriori, melius est id facere authoritate Episcopi: præsertim cum inter Doctores non satis constet, an tunc sit opus noua collatione, sicut opus esse constat quando post renunciationem, collatum est alteri beneficium. Nota præterea renunciantem beneficio non posse ad illud absq; noua collatione redire, intelligendum esse cum renunciatio fuerit vere facta: non autem cum tantummodo facta fuerit procuratio ad resignandum. Nam quamuis beneficium vacet per resignationem, non vacat tamen per procurationem ad resignandum; quæ sic reuocari potest, vt resignatio non teneat, facta post reuocationem, quæ venerit in notitiam procuratoris, ex Clem. vnica, De renunciatione. Quamquam in renunciatione ex causa permutationis, cum tractatus ea renunciatione ex causa permutationis, cum tractatus ea ratione fit à compromittentibus, vt in eo vtrimq; Procuratores constituantur ad renunciandum, & acceptandum: non potest alter ex contrahentibus Procuratorem suum reuocare, altero non consentiente; quia ibi constitutio Procuratoris pars est contractus, quem reuocatio infringere nequit, non interueniente consensu alterius contrahentis.

De diuersis speciebus renunciationis.

Sectio IV.

339. Renunciatio quædam est tacita, & quædam expressa. Tacita dupliciter contingit: vno modo ex actu per quem priuatio beneficij inducitur iure ipso: vt per contractũ matrimonij, per adeptionem secundi beneficij, quod teneri nõ potest cum primo; & sic de alijs, quos proposuimus in præcedenti cap. sectione 2. Altero modo ex præsumpta voluntate, quã quis renunciasse censetur, cum literas alias ve instrumenta suæ collationis resignauit in manibus Superioris, *prout in cap. Cum pridem, De pactis*, adsuntque inditia voluntatis, ex quibus conijciatur mens renunciandi. Neq; enim sola datio instrumentorum facit vrgentissimam iuris præsumptionem de tacita voluntate renunciandi: cum non sit verosimile, eum qui multis forte expensis, & laboribus obtinuit beneficium, voluisse tam facile illud relinquere: ex cap. Super hoc, De renunciatione.

Expressa autem renunciatio contingit, quando quis per se aut per procuratorem dato mandato, eiurauit ius beneficij per verba significantia, manifesta, apertave sponte prolata. Duplex q; esse potest, vel pura, & simplex, vel conditionata, seu modificata. Pura est, quę fit sine vlla cõditione, aut pacto. Cui de iure authoritatem præbere potest ille Superior ad quẽ pertinet beneficij collatio: *ex glossa ad Clement. vnicam De renunciatione, verbo Manibus.* Qui quidem nonnunquã est solus Papa, nonnunquã Epis. opus, nonnunquam etiam Episcopo inferior, prout habitum est in præcedenti cap. 17. sectione 1.

340. Conditionata vero, seu modificata renũciatio est, quæ fit cum conditione, & pacto. Et quadruplicis speciei esse potest: nam quædam fit in fauorem certæ personæ, & non alias, nec alio modo. Quædã vero fit cum reseruatione pensionis constitutæ in beneficio resignato, vel in persona accipiante resignationẽ, iuxta cap. Nisi essent, De præbendis in fine. Quædam tertio fit cum regressu; & quædam deniq; ex causa permutationis, non alias.

De prima specie notandum est, eiusmodi resignationem fieri posse tantum coram Papa; propter pactionem quæ iure prohibita (per cap. Quem pio, sub finem, 1. quæst. 2. & cap. Cum pridem, atq; cap. finale, De pactis) facit simoniam in beneficijs, quam vocant positiuam: in qua ordinarius collator dispensare non potest, & per consequens nec admittere renunciationem cum ea factam. Potest vero beneficium in manibus suis renunciatũ, conferre personæ pro qua renuncians illud resignauerit sine pactione: dummodo, *iuxta cap. Tuam in Domino, De ætate, & qualitate*, non cõferat ex carnali affectu eorum, qui rogant: sed propter merita eius pro quo supplicatum est: nam tunc nulla, ne quidem positiua, simonia est: argumento cap. Tua nos, De simonia.

Summus Pontifex vero, quamuis dispensare non possit in simonia iure diuino prohibita: potest tamen in simonia positiua, seu iure tantum Ecclesiastico prohibita; atq; adeo admittere pacta beneficiorum, præsertim sub titulo, & nomine amicabilis compositionis: *vt in cap. Super eo, De transact. & in cap. Nisi essent, De præbendis.* Iam quod sit renuncians, titulum suum, ac dominium retineat donec ille in cuius fauorem facta est renunciatio, beneficium renunciatum acceptauerit, habes apud Rebuffum in praxi beneficiorum 3. *part. titulo De resignatione conditionali n.* 15. & 17.

De secunda specie, idem quod de præcedenti dicendum est; nempe talem resignationem fieri posse tantum coram Summo Pontifice, propter simoniam positiuam, quæ committitur eiurando beneficium cum pacto percipiẽdi aliquid de fructibus illius. Id enim aperte aduersatur iuri Canonico in citato cap. Nisi essent, & in cap. Non satis, De simonia.

De Tertia dicendum quoq; est; concessione tantum Papæ fieri posse, vt resignatio sit cũ regressu, id est, fiat eâ lege, vt si contingat resignatarium præmori resignanti, hic possit redire ad beneficium resignatũ, sine alia conditione. Namq; talem etiam aduersari iuri Canonico patet eo eo, quod contra canonicas institutiones inducat votum captandæ mortis, & faciat beneficia quodammodo hæreditaria.

De

De quarta & vltima specie. dicendum est resignationem ex causa permutationis posse fieri coram Ordinario: cui non licet alijs, quam compermutantibus conferre beneficia resignata ex cap. vnico, De rerum permutatione, in sexto, & ex Clement. vnica, eodem titulo. Eidemq; resignationi commune esse cum antedictis renunciationibus conditionatis: vt si conditio apposita, *hoc est, permutatio*, non impleatur (quia scilicet alter permutantium moritur ante rem perfectam, vel non vult eam perficere, vel non potest ob aliquod impedimentum) neque beneficio renunciatum esse videatur: cum sit commune omnibus actibus conditionalibus, vt nequeant aliter admitti, vel effectum sortiri, quam si impleantur in forma constituta: *iuxta cap. Cum dilecta, De rescriptis, & legem, Qui hæredi, & legem Mœuius ff. De conditionibus, & demonstr.* De simonia quæ committitur in resignatione beneficiorum tractauimus ex professo in præcedenti libr. 23. c. 18. quæst. 2. & in sequenti tertia, de ea quæ in beneficiorum permutatione: de qua restat dicendum.

CAP. XXIV.

De beneficiorum permutatione.

SVMMARIVM.

342 *Iure licita est beneficiorum permutatio, si fiat authoritate Superioris, & iusta adsit causa: & quis sit talis Superior.*

343 *Partes possunt de permutatione tractare tantum sub beneplacito Superioris, ac requirere consensum aliorum, si quorum interest.*

344 *Quid requiratur cum beneficia permutanda pertinent ad diuersas diœceses: & quod beneficia non possint permutari cum alijs spiritalibus.*

345 *Potest beneficium pingue cum tenui permutari: & vnum cum duobus.*

346 *De permutatione beneficiorum inæqualium, quid sit tenendum.*

DE hac legi possunt D. Anton. 2. parte tit. 15. cap. 3. Angelus in verbo Permutatio, quæst. 3. & aliquot sequentibus. Syluester eodem verbo 2. per totum, & Tabien. verbo, Beneficium, 3. q. 14. & sequentibus, Rebuffus in praxi, beneficiorum 3. part. tit. De permutatione, Nicolaus de Milis in verbo, Permutatio, ex recentioribus qui *antiquiores citant*, Azor in 2. par. Moral. Instit. lib. 7. cap. 29. & 30. ac Suarez De religione, tract. 3. lib. 4. cap. 31. 32. 33 & 34.

342. Atque licitam esse iure Canonico beneficiorum permutationē, & in manibus Episcopi fieri posse, iam patet ex proxime dictis. De cæteris ad eam pertinentibus, documenta aliquot notanda sunt pro praxi.

Primum est, Permutationem beneficiorum factam sine authoritate Superioris, simoniacam censeri. Vide Syluestrum loco cit. quæst. 1. Qui in sequenti 2. docet istum Superiorem non esse semper Episcopum respectu suorum inferiorum: quia nonnunquam beneficij collatio, & institutio non pertinet ad illum, sed ad alium: ad quem pariter poterit pertinere, permutationi authoritatem præbere. Cui doctrinæ aduersatur, quod talis authoritas habeatur tantum ex priuilegio iuris, quod Episcopo conceditur nominatim in cap. Quæsitum, De rerum permutatione, & in cap. vnico, eodem tit. in sexto: ita vt in praxi, *tenendo certum, & relinquendo incertum*, oporteat recurrere ad Episcopum pro tali permutatione, cuius dignitati prædictam potestatem annexam esse dubium non est: & alijs vero conuenire aperte negetur non modo à Federico de Senis in tractat. permutationum quæst. 22. (de quo Ludouicus de Milis loc. cit. additione 3.) sed etiam ab authore glossæ ad Clemen. vnicam, De rerum permut. *verbo Conferantur*. Aduerte tamen ex Azorio *alios citante in memorato cap. 29. quæst. 4.* doctrinam Syluestri posse habere locum, quoad Prælatos Episcopo inferiores dignitate, qui de consuetudine præscriptâ, aut Sedis Apostolicæ priuilegio, iurisdictionem habent Episcopalem nulli Episcopo proxime subiecti, & præditi potestate conferendi suis subditis beneficia: & eos instituendi, ac etiam amouendi à beneficio, si quando opus fuerit.

Non debere vero Superiorem permutationi authoritatem præbere, nisi ex necessaria causa; bene idem Sylu. addit quæst. 3. per cap. Quæsitum, §. finali, De rerum permutatione. Simul ex D. Thoma in 4. dist. 25. quæst. 3. art. 3. ad octauum, admonens eam necessitatem non esse metiendam cōmodo temporali permutantium; sed spiritali: putâ quod in tali loco poterit quis melius Deo seruire, quam in alio.

Secundum documentum est: non posse quidem partes 343.
facere in se conuentionem, promissionem, vel pactionem; aut conclusionem: posse tamen de permutando tractare; submittendo se dispositioni Superioris; imo & posse concludere non quidem absolute, sed sub expressa conditione, seu facta hac reseruatione, si Superior ad quem attinet; voluerit. Hoc in quæst. 5. ex Panormit. & quibusdam alijs habet Syluester, consentiuntque cæteri initio nominati. Probatur vero quoad priorem partem quia ius permittens beneficiorum permutationem, consequenter permittit ea quæ ad illam faciendam requiruntur: tractatus autem inter partes, ad eam requiritur: sicut & ad alios contractus vtrimque onerosos. Quoad posteriorem vero, probatur: quia talis cōclusio non est vera conclusio, cum suspendatur vsq; ad Superioris consensum.

Tertium documentum est: ad permutationem requiri consensus eorum ad quos pertinet præsentatio, vel electio ad beneficia permutanda. Ratio est, quia permutatio alioqui non valeret, vt aliquot citatis in memorato tractatu De permutatione num. 21. Rebuffus notat. Addens in num. 22. ex Federico de Senis, quod si tales requisiti nolint consentire, cogi possint, quando permutatio est vtilis Ecclesiæ. De qua re tanquam solita tractari in foro externo: causidicorum est respondere.

Quartum documentum est, Permutationes beneficiorum, siue fiant authoritate Ordinarij, siue Papæ, aut Legati ipsius, non requirere vt permutantes faciant mentionem de alijs beneficijs quæ obtinent. Hoc ex Federico quæstione 18. habet Nicolaus de Milis loco cit. in fine secundæ additionis.

Quintum documentum est, Quando beneficia in diuer- 344.
sis diœcesibus existunt, permutationem debere fieri authoritate vtriusque Episcopi earundem diœceseon. In quo casu melius esse permutationem fieri vtroq; Episcopo simul præsente, vel vno committente alteri suam potestatem: quam ex interuallo temporis, id est, quam altero Episcopo authoritatem suam præstante, post elapsum tempus quo alter suam præstitit, Syluest. ex Ioanne Andrea habet in quæst. 13. concl. 7.

Sextum documentum est, Posse quæcunque beneficia permutari: siue conformia sint, vt duæ præbendæ; siue difformia, vt præbenda, & beneficium curatum. Aduerte autem beneficium manuale posse quidem permutari: sed posse quoque per Superiorem perinde reuocari ac ante permutationem, prout habet Rebuffus in cit. titulo De permutatione numero 50. Non posse autem beneficia vnita permutari (ideoque in illis propositum documentum exceptionem patitur) docet Rota decis. 160. in Antiquis. Nec item posse beneficia quæ tenentur tantum ex dispensatione Papæ, vt docet item Rota decisio. 339. in nouis: ponens exemplum de ea quæ fit illegitimo. Ratio vero est, quia talis dispensatio non extenditur ad aliud beneficium, neque ad aliam personam.

Itemque nec posse beneficia commendata ad tempus. Nec enim talia cum habitis in titulum permutari posse, nisi ille qui commendauit fecerit ad id potestatem, docet Panormit. *ad cap. Cum olim, De rerum permutatione num. 3.* Ratio illius est: quod in cap. vnico, in 6. & Clem. vnica, vtrobiq; De rerum permutatione, tantum concedatur Clericis beneficia sua permutare. At is cui commēdatum est ad tempus beneficium, non potest dicere illud suum. Addit in sequenti nu. 4. nec habentes expectatiuas à Papa, posse inter se iura sua permutare: quia talia non sunt beneficia: & Canones permittunt tantum beneficia permutari. Idem eodem argumento iudicandum est cum Nauarro *in Enchir. cap. 23. nu. 100. versu 3.* de cæteris habentibus tantum ius ad beneficium: vt de no-

minatis, vel electis ad illud, nondum institutis, aut confirmatis. Neq; enim tale ius cum alio iure ad beneficium, aut cum beneficio permutari inuenitur permissum.

Pari quoque ratione idem dicendum est de quocunque alio spiritali iure: non posse, *inquam*, permutari cum beneficio: nempe de iure sepulturæ, patronatus, decimarum, oblationum, & similiũ, quæ non sunt beneficia; de calice consecrato, aut alia re Ecclesiastica, de pensione Clericali, de officio, vel administratione rerum Ecclesiasticarum, de hospitali cum non dantur in titulum beneficij. Adde & de patrimonio ad quod quis ordinatus fuit, & de alijs quibus ratio beneficij Ecclesiastici minime conuenit. Nam beneficiorum tantum permutatio iure conceditur.

345. Si quæras, an permissa sit permutatio beneficij pinguis cum tenui, Respondetur, quod cum ius sine restrictione loquatur, censeri posse permissam; dummodo totum permutationis negotium Superiori exprimatur, iustaq; adsit causa, & absit fraus, quæ solet præsumi quoad forum externum in tali permutatione, prout attigit Nicolaus de Milis initio tertiæ additionis loco cit.

Si secundo quæras, An vnum beneficium possit permutari cum duobus. Respondet idem author in additione prima, posse permutari, si plura illa sine dispensatione haberi possint: quod si non possint, procurandum esse vt dispensetur siue ab Ordinario si in tali pluralitate dispensandi potestatem habeat, siue à Papa cum ad eum recurrendum est. Addit idem in sequenti additione secunda, quod is qui vnum ex duobus beneficijs curatis, quæ per dispensationem tenet, permutat cum tertio beneficio curato, non solum perdat illud quod permutat, sed etiam aliud quod cum eodem habuit: quia per adeptionem tertij curati duo prius habita vacant, non obstante dispensatione, nisi ea fuerit tam ampla vt diceretur, quod posset illa duo, vel eorum alterum dimittere, & alia similia recipere, ac retinere.

346. Si tertio quæras, An inæqualitas beneficiorum impediat ipsorum permutationem. Respondetur non impedire, quemad. ex Federico quæst. vltima habet adhuc Nicolaus de Milis in additione tertia. Circa quod notandum est primo: beneficia dupliciter dici inæqualia: vno modo, quia vnum est cum onere, vt cum cura animarum, vel administratione rerum Ecclesiasticarum, vel obligatione cantandi in choro, vel iurisdictione externa: reliquum vero est sine onere. Altero modo inæqualia sunt, quando vnum est pingue, & alterum tenue. Atq; vt huius posterioris modi inæqualitas non impedit beneficiorum permutationem: nec inæqualitatem prioris modi impedire.

Notandum est secundo, quãdo beneficia inæqualia sunt in fructibus, seu prouentibus, & permutatio sit authoritate Papæ, quod tunc reduci soleat inæqualitas ad quandam æqualitatem: v. g. datur beneficium cuius annui prouentus sunt ducenti nummi aurei, permutatuque cum alio, quod reddit centum nummos aureos; talis inæqualitas authoritate Papæ reducitur ad æqualitatem: aut illi qui recipit tenue beneficium, dando congruam pensionem super fructibus pinguioris beneficij: aut eidem conferendo alterum beneficium compatibile: vnde fiat vt reditus vtriusque beneficij tenuioris, æquent eos, qui recipiuntur ex permutato pinguiori.

Notandum est tertio, quod in permutatione beneficiorum inæqualium solum æstimari debeat quantitas fructuũ, & aliorum bonorum temporalium, quæ beneficijs annexa esse solent: non autem quantitas, vel dignitatis, vel potestatis, vel iurisdictionis Ecclesiasticæ annexæ beneficio. Et ita cum decanat' *exempli gratia*, aut Archidiaconatus permutatur cum Canonicatu, vel alio beneficio simplici, vel cum pluribus simplicibus quæ in fructibus sunt paria eidem Decanatui, aut Archidiaconatui: simonia committitur pensionem exigẽdo ratione excessus in honore, aut in id genus alijs: quia in tali permutatione commodum temporale capitur pro re spirituali. Quocirca in permutandis beneficijs æstimatio debet solum esse temporalium annexorum, non vero spiritalium: perinde ac cum permutantur calices, vel vestes sacræ, æstimari tantum debet valor materiæ, non autem dignitas consecrationis.

Duodecim conclusiones, quas de casibus in quibus tenet, vel non tenet permutatio beneficiorum, Syluester ex Federico habet in verbo, Permutatio, & numero 13. apud ipsum videri poterunt.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI.

LIBER SEXTVS, ET TOTIVS OPERIS TRIGESIMVS PRIMVS.

DE MATRIMONII SACRAMENTO.

DIVERSOS authores de matrimonij sacramẽto tractantes refert Henriquez in 1. par. suæ summæ initio lib. 11. Quibus nouissime ex nostris accessit Thomas Sanchez latissime quæ ad illud spectant bipartito opere persequens. In iure autem canonico apud Gratianum de eodem habentur decem causæ integræ, nempe 27. & sequentes vsque ad 36. inclusiue: nisi quod in 33. causa interserantur distinctiones de pœnitentia. In reliquis vero partibus eiusdem iuris habetur totus quartus liber Decretalium Gregorii. Item totus quartus Sexti, & Clementinarum, ad quorum intelligentiam multum conducit Epitome eiusdẽ libri quarti, quam scripsit Couarruuias. Considerabimus autem primo, ipsum matrimonii sacramentum secundum se absolute; secundo, ipsius causas, tertio, impedimenta; quarto adiuncta ei antecedenter; quinto, adiuncta comitanter; sexto, adiuncta consequenter.

TRACTATVS I.

De Matrimonij sacramento secundum se absolute.

HIc consideranda occurrũt primo, matrimonij nomen, & definitio; secundo, necessitas & institutio; tertio, consensus quo perficitur; quarto, vinculum quo adstringit contrahentes illud; quinto, eius diuisiones.

CAPVT I.

De nomine, & definitione Matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Nomina quibus istud sacramentum appellatur, & eorum ratio.*
2 *Definitio matrimonij, & cuiusmodi contractus sit matrimonium in noua lege.*
3 *Aliquot partium eiusdem definitionis breuis declaratio.*
4 *De eo quod in Christiana lege vnus vir non potest simul habere plures vxores.*
5 *De consensu quo perficitur contractus matrimonij.*
6 *Consensus in contractum matrimonij est impetitus in copulam coniugalem: quod non impedit quin de communi consensu coniuges possint ab hac abstinere: quodque ea nondum completa, vnus possit sine alterius consensu ingredi religionem.*
7 *Matrimonium tanquam verum sacramentum nouæ legis vim habet conferendi gratiam sanctificantem.*

Num. 1. MATRIMONIVM nomen habet à matre, *inquit Couar. in cit. ad epitome par. 2. cap. 1. in initio:* siue quia ob id potissimum debet fœmina nubere vt mater fiat: siue quia in procreatione liberorum, ad quam matrimoniũ instituitur, maior ratio habetur matris quam patris, propter illius munia in ferendo vtero, & in edenda ac educanda prole, quæ illam facilius ac certius cognoscit: vnde censeri potest dictum matrimonium quasi matris munium, sicut bona fortunæ dicuntur patrimonium ob patris in illis acquirendis & conseruandis præcipuum munus.

Ipsum quoque, connubij & nuptiarum nomine significatur, *vt notat Sanchez in proœmio, num.* 4. Ab obnubendo, seu velando, quia quasi nube obtegitur mulier velamine dum benedicitur, quo inferiorem viro illique subditam se esse cognoscat, exemplo Rebeccæ, quæ Genes. 24. viso viro suo Isaac ambulante, ac veniente ei obuiam, caput suum velauit.

Dicitur etiam coniugium ab effectu, eo quod virum & fœminam coniungat, vt vna caro efficiantur, & idem quasi iugum trahant societate contracta ad prolem procreandam & educandam, & cætera matrimonij onera pariter ferenda.

2. IAM MATRIMONIVM prout celebratur inter Christianos, & est nouæ legis sacramentum, potest definiri: contractus legitimus, mutuus & indissolubilis, inter virum & fœminam, quo traditur mutua corporũ potestas, & gratia sanctificans coniuges. Cuius definitionis prima pars, *contractus*, sic accipienda est, vt indicet societatis contractũ, quem ad gignendam sobolem vir & fœmina, approbante Deo ineunt: eumq; à Christo in lege noua assumptum institutumq; in signum rei sacræ: indissolubilis nimirum coniunctionis ipsius inter Christi & Ecclesiæ, itemque gratiæ sanctificantis; quam conferendi, est quoque vis eidem attributa: ita vt censeri debeat verum sacramentum nouæ legis: quod esse de fide habetur ex *Concilio Florentino in instructione Armenorum, & ex Concilio Trident. sess. 7. can. 1. & sess. 24. in initio*, & abunde aduersus hæreticos probant *Bellarminus in lib. vnico De matrimonio, controuersia prima, & Grego. à Valentia ad D. Thomam tomo 4. disput. 10. quæst. 1. punct. 5.* Ex quibus sumuntur sequentia documenta.

Primum est: contractum matrimonij legitime inter baptismo initiatos celebratum, sacramentum esse: quandoquidem tali contractui, *vt præfictum est*, ratio sacramenti annexa est Christo. Videri potest *Bellarm. loco citato cap. 7.*

Secundum est: matrimonium esse nullum in ratione sacramenti, quoties in ratione contractus, ex aliquo defectu fuerit nullum, siue diuina siue humana lege. Nec enim ratio matrimonij reperiri potest, vbi vera ratio contractus deest.

Tertium est: illud quod in omni contractu inuenitur, debere necessario inueniri in matrimonio: quale est requirere consensum interiorem, explicatum per exteriorem: & contrahi posse cum absente per nuntium, aut procuratorem aut per literas. Pro quo faciunt iura quæ *in verbo, Idoneus*, citat glossa ad cap. finale, De procuratoribus in 6. Vbi tria ad id spectantia statuuntur. Primum est, nõ esse procuratorem idoneum ad matrimonium contrahendum quiad id non

habuerit speciale mandatum. Secundum, talem procuratorem non posse, *sicut potest procurator ad alia negotia*, alium suo loco deputare, nisi sit ei specialiter commissum, propter magnum periculum, quod ex facto iam arduo posset imminere. Tertium, si reuocatus fuerit à domino antequam contrahat (licet tam ipse quam ea cum qua contraxit reuocationem eiusmodi penitus ignorarent) matrimonium postmodum ab eo contractum nullius momenti existere; cum in eo defuerit consensus eius sine quo firmitatem habere nequit.

3. Secunda pars definitionis *legitimus*, indicat ad verum matrimonium requiri vt contrahatur inter personas legitimas, seu nullum habentes impedimentum quod reddat illud inualidum, iuxta post dicenda in seq. tract. 3.

Tertia pars, *mutuus*, indicat ad verum matrimonium requiri vtriusque personæ contrahentis consensum interiorem, quem altera alteri signo aliquo sensibili explicet; prout in sequenti cap. 3. declarabitur: & constat ex fine memorati cap. finalis, & ex aliis iuribus quæ ibidem notat glossa *verbo Nequiuit*.

Quarta pars, *indissolubilis*, indicat quod etsi communiter conueniat contractibus humanis, vt sicut fiunt per mutuum consensum, sic etiam possint per mutuum cõsensum dissolui, matrimonium tamen indissolubile esse. Ad quod plene intelligendum facient quæ dicentur in seq. cap. 4. De vinculo matrimonij.

4. Quinta pars, *inter virum & fœminam*, indicat matrimonium esse tantum inter vnum & vnam: ideoque non posse inter virum & plures fœminas simul contrahi licite, nisi dispensatione diuina, vt expressum est in cap. Gaudemus, De diuort. & aperte sequitur ex eo quod lege diuina id esse prohibitum Christianis definiatur *in Concil. Trident. sess. 24 can. 2. De sacramento matrimonij*. Videri possunt *Bellarminus in lib. vnico De matrimonio, cap. 10. & Gregor. à Valent. disput. 10. quæst. 1. puncto 3*. Nobis enim sufficiet obseruare matrimonium vnius viri cum pluribus vxoribus non esse contra naturæ legem: tanquam sola naturalis ratio ostendat tale illicitum esse & inualidum. Non enim ita est: præsertim cum possit seruire prolis procreationi & conseruationi: sed quia ab initio mundi matrimonium institutũ est à Deo: attributis ei duabus proprietatibus: altera, vt esset vnius cum vna tantum: altera vt dissolui non posset. Id quod patet ex tali institutione in paradiso terrestri facta, Genes. 2. Quando enim dictum est. Erunt duo in carne vna] prior proprietas: quando vero Relinquet homo patrem & matrem, & adherebit vxori suę] posterior designata est: interprete etiam Christo Domino, Matth. 19. vt à *Concil. Trident.* notatum est *sess. 24. in initio*, vbi habetur, quod Christus dum verba illa: *Et erunt duo in carne vna:* tanquam à Deo prolata referens dixit; Itaque iam non sunt duo, sed vna caro: apertius docuerit matrimonij vinculo duos tantummodo copulari & coniungi: statimque eiusdem vinculi firmitatem tanto ante ab Adamo pronunciatam, confirmarit his verbis: Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.] Quapropter cum Deus postea Patriarchis concessit vt plures haberent vxores, non dispensauit proprie in lege naturæ, quasi concesserit eis, vt aliquid contra eandem legem facerent: sed potius dispensauit in lege positiua, quam in paradiso terrestri, prout dictum est, ipse constituerat.

5. Sexta pars, *quo traditur mutua potestas corporum*, indicat id quod habetur ex cap. Matrimonium & quatuor sequentibus 27. quæst. 2. contractum matrimonij perfici in mutuo coniugum consensu de præsenti; per quem in se mutuo transferunt potestatem corporum in ordine ad vsum coniugij: cuius potestatis virtute, postea iuste à se mutuo petant coniugale debitum, ad matrimonij finem consequendum. Vnde sequitur primo, carnalem copulam non esse de ratione matrimonij, sed tantummodo esse actum, illud consequentem: ita vt ante eam sit perfectum matrimonium, quoad vinculum cõtractus & sanctitatem sacramenti: licet quoad significationem imperfectum sit, *vt Couarr. in Epit. 4. Decret. part. 2. cap. 1. §. vnic. in princ.* annotat ex Magistro sentent. & quibusdam aliis. Quæ imperfectio consistit in eo, quod coniunctio Christi cum Ecclesia (quam hoc sacramentum significare, ex D. Paulo ad Ephes. 5. traditur in cap. Debitum, de bigamis, & in *Concil. Trident. loco supra citato*) melius explicatur per matrimonium carnali copula consummatum, *per quod coniuges fiunt: vna caro. argum. cap. 2. De conuersione coniugatorum:* quam per non consummatum.

Sequitur secundo, consensum in matrimonium non esse expresse in carnalem copulam; sed solum tacite seu implicite, 6.
vt *in additionib. ad D. Thom. 3. part. quæst. 48. art. 1.* hac ratione docetur: quia consensus in copulam, non debet aliter intelligi, quam prout effectus, implicite continetur in sua causa: nempe quia potestas corporum, quam contrahentes matrimonium transferunt in se mutuo, causa est carnalis copulæ; sicut potestas vtendi re sua, est causa vsus.

Idem vero tacitus consensus includit duas conditiones. Prior est: si alter coniux petierit debitum: adeoni possit quis matrimonium contrahere cum proposito nunquam consummandi illud, nisi alter coniux exegerit debitum: siq; certo sciret, eum nunquam petiturum, non censeretur habere impedimentum repugnans voto castitatis, sicut non habuit in Beata Virgine: quæ fuit cum Sancto Ioseph vero matrimonio coniuncta, ex cap. Sufficiat, cap. Beata, & cap. Coniuges, 27. q. 2. Posterior conditio est: nisi alter coniugum, post contractum matrimonium ingrediatur religionem antequã illud consummet: tunc enim quantumuis alter petat debitũ: is tamen non tenetur illud soluere, qui vult ingredi religionem ex cap. 2. De conuers. coniug. & ex *Concil. Trident. sess. 24. De sacramento matrimonij, c. 6.* Et ex eo quod naturalis ratio dictet contractum ad Dei gloriam institutum, eiusdem gloriæ intuitu mutari possit in melius, si id fiat siue iniuria eius cum quo initum est, sicut accidit in proposito casu, in quo coniunx quæ relinquitur in sæculo, potest matrimoniũ inire, vt in eod. cap. 2. expressum est: & loco citato sufficienter significatum à Con. il. Triden. statuendo matrimonium tunc dirimi. 9.

Vltima pars, *& gratia sanctificans coniuges*, indicat gratiam 7.
sacramenti nouæ legis, inesse matrimonio Christianorum: quod certum est de fide ex definitione Concilij Tridentini *sess. 7. De sacramentis in genere & sess. 24. De sacramento matrimonij vtrobique canone primo.* Et probatur: quia gratiam sanctificantem conferre significando, non nisi sacramẽto nouæ legis conuenit: per quod proinde à sacramentis veteris legis maxime distinguitur, congruenter definitione Concil. Triden. *sess. 7. De sacramentis in genere can. 2. & 7. & Concilij Florent. in instruct. Armenorum.* Quam Catholicam doctrinam aduersus sectarios defendunt *Bellarm. in lib. D matrim. cap. 2. & aliquot sequentibus, & Gregor. à Valent. in memorata disput. 10. quæst. 1. puncto 5.*

Aduerte vero quod authoribus citatis notat *Sanchez lib. 2. De matrimonio, disput. 10. conclus. 3.* gratiam sacramentalem matrimonij habere duplicem effectum: vnus est concupiscentiam reprimere: alter vero efficere vt coniuges fideliter sibi assistant, operas suas communicent, ac prolem religiose educent. Ad quos effectus cum facultas detur per matrimonium, consentaneum est dari pariter gratiam, per quam 10.
suis temporibus executioni mandentur. Pro cuius rei pleniore intelligentia, quæ antea notauimus in præced. lib. 26. cap. 6. sub finem prioris sectionis videri poterunt.

CAPVT III.

De necessitate & institutione sacramenti matrimonij.

SVMMARIVM.

8 *Matrimonium non est necessarium necessitate medij, & quo modo sit necessitate præcepti.*
9 *Quando institutum fuerit matrimonium in lege naturæ.*
10 *Quando in lege Euangelica.*

CERTVM est matrimonium non esse ad salutem necessarium necessitate medij: nec item necessitate præcepti quoad singulos homines. Vsus enim voti perpetuæ castitatis sacris literis consentaneus, & omni tempore in Christi Ecclesia vsurpatus & commendatus, satis ostendit naturam necessitatem imponi. Quoad communitatem vero per illud 8

præce-

præceptum diuinum Genes. 1. Crescite & multiplicamini, &c. necessitatem humano generi impositam esse, ac etiam non perseuerare, sententia est probabilior Theologorum: quos refert Sanchez *lib. 2. disput. 3 nu. 3.* Quibus accedit Gregor. à Valen. *disput. 10. quæst. 1. puncto 4.* rationem adferens: quod eiusmodi præceptum nusquam sit reuocatum; atque consentaneum sit naturale, vt potè datum de re, quæ si non singulis hominibus, toti tamen hominum speciei necessaria est, toto eo tempore quo mundo hoc durante, ea debet per propagationem conseruari. Quamquam vt ille bene addit: cum ipsi homines per se satis vulgo dediti sint coniugio, non est necesse eos qui curam gerunt communitatis solicitos esse de huiusmodi præcepti executione procuranda: quæ procuratio ipsis aliàs incumbit, prout est etiam à Soto notatum *in 4. dist. 26. quæst. 1. art. 2. sub finem*; vbi & addit, quod si aliquando immineret periculum, ne species humana interiret, eos etiam qui voto castitatis tenerentur, debere operam dare coniugio ad subueniendum publicæ necessitati: quia votum cederet obligationi tunc vigenti præcepti naturalis, sicut & cedit, *inquit Sanchez sub finem citatæ disputationis*, obligationi præcepti naturalis de vitando scandalo, cum bella & seditiones sequerentur, nisi Principis filius etiamsi voto castitatis adstrictus, vxorem duceret.

9. Quod ad institutionem attinet: constat inter omnes, *vt Sanchez notat initio sequentis disput. quartæ*, matrimonium ante Adami lapsum institutum esse in naturæ officium, seu in conseruationem humanæ creaturæ officium, seu in conseruationem humanæ creaturæ: post illum vero in concupiscentiæ remedium: & demum in lege noua eleuatum esse, vt sacramentum esset. Videri potest Couar. *in Epit. 4. Decret. par. 2. cap. 1. §. vnico num. 6.* Controuersia est autem de tempore institutionis. Aliqui enim volunt institutum esse matrimonium in lege naturæ, Genes. 2. cum Deo inspirante Adamus dixit: Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. Inde enim tanquam ex matrimonij institutione Christus Dominus, Matth. 19. collegit ipsum esse indissolubile, dicēs: Quos ergo Deus coniunxit homo non separet. Inde quoq; Apostolus ad Ephes. 5. argumentum sumens, dixit de matrimonio, Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia: Id est, eo quod sit signum coniunctionis Christi & Ecclesiæ: vt ea verba accipienda esse indicat Concil. Florent. in instruct. Armenorum agens de hoc sacramento. Alij vero malunt institutum esse cum Deus dixit Gen. 1. Crescite & multiplicamini, quia tunc copiam viro & fœminæ fecit vt coniungerentur, ac sibi mutuo traderent corporum potestatem ad hominum multiplicationem: atque pro vtraque sententia pluribus authorib. commemoratis Sanchez censet posteriorem tenendam esse: quia argumentis prioris satisfit dicendo quod ab Adamo natum sit declaratum matrimonium à Deo institutum: sic vt D. Iacobus in sua epistola cap. 5. tantum manifestauit institutam à Christo Extremam vnctionem.

10. In lege autem Euangelica aliqui volunt matrimonium à Christo, vt sacramentum esset eleuatum esse Ioan. 2. cum interfuit nuptiis. Alij vero volunt tunc quidem approbatum fuisse, sed institutum, seu prout prædiximus eleuatum, dum eius inseparabilitatem præcepit dicēs, Matth. 19. Quos ergo Deus coniunxit, homo non separet: vtrosque idem etiam author commemorat, & posteriores merito sequitur, cum Christianorum matrimonium inseparabilitatem sortiatur maximè ex ratione quam habet sacramēti, iuxta cap. Quanto. De diuortiis, §. Nam etsi.

CAPVT III.

De consensu quo matrimonium contrahitur.

SVMMARIVM.

11 *Ad matrimonium ita necessarius est coniugum consensus mutuus: vt nulla potestate, sine eo valere queat.*

12 *Matrimonium nequit esse, nisi vterque coniux vsum habeat rationis.*

13 *Contrahens matrimonium sine interiore cōsensu peccat mortaliter, nec matrimonium valet.*

14 *Obligatio, verbis tantum non animo, contrahentis cum fœmina ad obtinendam illius carnalem copulam.*

15 *Protestatio facta non cōsentiendi in matrimonium, quoad vim habeat in foro externo.*

16 *Ad matrimonium, cum interno consensu, requiritur externus, quo ille significetur.*

17 *Idem esse debet de præsenti, & verbis constare potissimum: non tamen de necessitate.*

18 *Quæ debeant esse verba ea: & documenta notanda in iudicando ex verbis, an contractum sit matrimonium.*

19 *In dubio de valore matrimonij iudicandum est in eiusdem fauorem.*

20 *Documenta ex variis signis iudicandi verum interuenisse internum consensum in matrimonium.*

21 *Consensus verus & elicitus requiritur ad matrimonium, nec debitus sufficit.*

22 *Ille est in carnalem copulam tantum implicite.*

23 *Matrimonium initum à filiis absque parentum consensu valdum est.*

24 *De peccato filiorum contrahentium sine parentum consensu.*

25 *Ætas quæ iure tam ciuili quam canonico requiritur ad contrahendum matrimonium.*

26 *Peccatum quod committitur contrahendo infra eam.*

27 *Ad matrimonij validitatem nihil interest, siue vir siue mulier prius exprimat suum consensum: aut si inter vtriusque expressionem aliquod interuallum temporis intercedat.*

Quæritur primo; An ad matrimonium contrahendum requiratur coniugum mutuus consensus. 11.
Respondendum est autem affirmatiue, per cap. Sufficiat, 27. quæst. 2. & cap. Cum apud, & cap. Tuæ fraternitati, & c. Tua nos De sponsalibus. Quibus accedit ratio: tum quia matrimonium est contractus, quo in coniuges potestas mutua corporum transfertur: communeque est omni contractui & pacto, vt mutuo partium consensu perficiatur, *ex lege prima, ff. de pactis.* Tum etiam quia matrimonium est sacramentum pendens ex ipso cōtrahentium consensu tanquam ex efficiente, iuxta definitionem Concil. Floren. in Instruct. Armenor. De matrimonio: idcoque in iisdem requirens intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ex eadem instructione §. Hæc omnia. Quæ quidem intentio non contingit sine contrahentium mutuo consensu in vinculum matrimonij, cui vt prædiximus à Christo, Matth. 19. attributa est ratio sacramenti.

Infertur autem hinc primo, nulli humanæ potestati concessum esse coniungendi aliquos matrimonio sine ipsorum consensu: pro quo plures authores citat Sanchez *lib. 2. disput. 27.* Et facit quod Concilium Trid. sess. 24. cap. 9. De reform. matrim. excōmunicat omnes, cuiuscumq; dignitatis & gradus sint: q quouis modo directe vel indirecte, subditos suos vel quoscumque alios cogunt matrimonia contrahere non libere. Cuius coactionis indignitas patet: Tum ex eo, quod aduersetur fini matrimonij, qui est tam mutua fides, quam prolis susceptio & educatio, quæ per illam impediuntur: Tum ex eo, quod absurdum sit authoritatem sibi sumere illos ligandi contra suam voluntatem vinculo à quo nulla humana potestas, ne quidem ipsis volentibus illos liberare potest: dicente Domino Matth. 19. Quod Deus coniunxit, homo non separet.]

Infertur secundo. Nec infantem, nec mente captum, nec ebrium, nec furiosum posse matrimonium contrahere: nam tales sunt expertes consensus, sicut & rationis. Ad quod faciunt, tum cap. Dilectus, De sponsalib. tum alia quæ Couar. habet in Epitome par. 2. cap. 2. num. 5. & sequentibus: in quorum 7. sub finem monet nihil referre in hac re, an ille qui sana mente contrahit, sciat alterum furiosum esse, an nesciat. Et ratio est: quia vnius tantum coniugis consensus non sufficit ad contractum matrimonij. Quod si furor non esset continuus, furiosus posset tunc cum est mentis compos, valide matrimonium contrahere, iuxta cap. Neque furiosus, 32. quæst. 7. non tamen sæpenumero sine peccato, etiam mortali: siue propter periculum coniugi aut infanti inde imminens; siue propter malam prolis educationem, aliaue similia incommoda: Quæ tamen si studio & in- 12.

dustria personarum coniunctarum caueantur, non erit peccatum saltem mortale, ex Soto in 4. distinct. 34. quæst. vnica, art. vltimo. Vbi addit non esse licitũ coniungere duos amentes vel furiosos, vt modo bestiarũ, ex illis fatui nascantur: quia fieret magna iniuria proli. Neque etiam videtur id illis concedendum ad remedium concupiscentiæ, quia tales vt potè rationis expertes, peccare nequeunt. De quo plenius in seq. num. 66. 67. 68.

13. Infertur tertio illud, quod Nauar. habet in Enchir. *cap. 22. num. 76.* mortaliter peccare eum qui ficte seu absq; interiore consensu matrimonium contrahit, eo quod tale matrimonium quoad conscientiæ forum sit nullum. Nec obstabit, *vt ille ex Syluestro addit*, quod cum illa tanquam propria cohabitet, deceptus forte ab aliquo dicente, verum esse tale matrimonium: quia per eam copulam non intendit contrahere matrimonium, sed vti priore, vere vt sibi videtur contracto. Addit præterea tali cõtrahente cum secunda, matrimonium esse validũ, etiamsi peccet mortaliter: cum sub peccato mortali, idipsum prius cõtractum matrimonium stabilire teneatur, ex cap. 1. & 2. De adulterio.

Si opponas, quod iuxta cap. Tua nos, & cap. Is qui, De sponsal. Ecclesia iudicabit prius matrimonium esse verum ac validum, & sub excommunicatione coget talem cohabitare cum prima. Respondetur, Ecclesiam de interioribus præsumere ex signis exterioribus, quæ nonnunquam fallacia sunt: vt in casu proposito, in quo proinde non debet condemnatus obedire, sed humiliter pati excommunicationis sententiam: quæ non ligat ipsum coram Deo, cum illud ad quod per illam compellitur, ipse nequeat absque peccato præstare.

14. Addi possunt adhuc duo, quæ aliis citatis Couar. habet in ante memorato, cap. 2. num. 3. & 4. Vnum est: eum qui vt à fœmina carnale commercium consequeretur, verbis non animo matrimonium cum ea contraxit: semperque animo & effectu fornicario eam cognouit (ita vt coniugium non sit effectum) teneri sub pœna peccati mortalis cum illa matrimonium contrahere, nisi sit conditionis adeo inæqualis, vt satis intelligi potuerit non loqui ex animo extra Syluestrum *Matrimonium, 4. quæst.* 8. aut iam aliam duxerit: in quibus casibus tenetur damnum quod seductæ intulit resarcire, eo modo quo ibid. Syluest. ipse declarat: atque subire pœnas à iure impositas cap. 1. & 2. De adulteriis, prout Couar. habet. Addens de seducta, quod possit alteri nubere si possit probabilibus coniecturis sibi persuadere, coniugalem cõsensum in eo viro defuisse: quales coniecturæ sunt; d spar genus, vel impar conditio diuitiarum aut status.

15. Alterum est: ne quidem in foro iudiciali matrimonium iudicari, si vnus coniunx, ex alterius consensu expresso, protestetur se nolle coniugalem consensum præstare per quæcumque verba illum significantia ab eo die proferẽda: dummodo constet Iudici de tali protestatione. Attamen si secuta esset copula, qui protestatus est iudicaretur à sua protestatione recessisse. Iam si protestatio eiusmodi fieret absq; consensu alterius, vel certe cum solo consensu tacito, seu altero coniuge tacente, ea non iuuaret, vt inquit Couar.

16. Quæritvr secvndo, An cum interno consensu, ad matrimonium requiratur externus; & qualis. De qua re tenendum est primo, ad matrimonium requiri externum consensum, quo tanquam sensibili signo internus significetur. Id enim patet ex cap. Licet, De sponsa duorum: & ex eo quod matrimonium sit contractus humanus, cui addita est ratio sacramenti. Per contractum enim homo homini obligatur more humano; qui est, vt actu exteriori, seu sensibili signo, explicet alteri internum suum consensum: qui alioqui latet, nec cognoscitur ab homine, sicut cognoscitur à Deo; cui propterea per solum actum mere internum, obligari possumus; vt per votum vel iuramentum interiori tantum cogitatione factum.

Item ratio sacramenti exigit, vt res quibus perficitur, signa sint sensibilia. Neque obstat quod in cap. Tuæ, & in cap. Cum locum, De sponsalib. habeatur, solos consensus efficere matrimonium, verbaque necessaria esse quoad Ecclesiam. Sensus enim esse potest, non desiderari verba determinata, sicut in aliis sacramentis: sed satis esse quibuscumque verbis vel signis patefieri consensus interiores. Exigi autem verba ad faciliorem probationem in foro externo. Ita Sanchez *lib. 2. disput. 30.*

Tenendum est secundo, eundem cõsensum externum debere esse de præsenti, ex cap. Tuæ fraternitati, & cap. Si inter, De sponsalibus, & ex Concilio Florent. in instruct. Armenorum: cum ait causam efficiẽtem matrimonij esse consensum expressum per verba de præsenti. Et ratio est, quia verba de futuro, fit tantum promissio rei, non autem traditio. Et vt superius in cap. 1. tradita definitio matrimonij indicat, ipsum non in promissione, sed in traditione quadam, consistit. 17.

Tenendum est tertio, præcipuum quidem modum consensus exterioris, quo interior exprimitur esse per verba: quoniam hæc principatum tenent inter signa, magisq; determinate significant: ea tamen non requiri præcise ad matrimonium; sed loco eorum sufficere posse nutus vel alia signa, vt scripturam præsenti porrectã vel epistolam, vel nuncium, vel procuratorem, ex cap. Cum apud, in fine, & ex cap. Tuæ fraternitati De sponsalibus: vbi declaratur mutuũ posse contrahere matrimonium: quod fieri non posset, si ad id necessaria essent verba: sicut sacramenta cætera, quæ requirunt formam verbis exprimi, nullo modo possunt à muto cõferri. Idem confirmatur ex natura matrimonij, quod cum sit quidam contractus societatis: cõsequenter est de genere eorum contractuum, qui perficiuntur solo consensu, quẽ contrahens explicuerit, siue per se, siue per alium ab ipso constitutum, & siue verbis, siue alio signo sufficiente.

Cum autem dicitur in citato cap. Tuæ fraternitati; quantum ad Ecclesiam necessaria esse verba, consensum non præsenti exprimentia; intelligi debet de verbis non proprie sed late: ita vt complectantur ea omnia signa, quibus perinde ac verbis exterius exprimitur consensus interior ad matrimonium requisitus. Ad quod facit illud quod ibi statuitur mutum posse contrahere matrimonium, quem constat non posse verba proferre: quod tamen necessarium esset, si illa requirerentur ex natura talis contractus. Quod si queras, An sit licitum contrahere matrimonium aliis signis, cum potest verbis, eaque ratione contractum, sit sacramentum. Respõdetur affirmatiue. Nam est vere matrimonium fidelium nullo præcepto prohibitum. Qua de re pluribus Sanchez, lib. 2. disput. 31. 20.

Tenendum est quarto, matrimonium contrahi posse omnibus illis verbis quibus significatur præsens consensus in matrimonij contractum, ex cap. Si inter, De sponsal. vbi loco exempli, verba ita ponuntur: Ego te in meam accipio, & ego te in meum: ex quibus iudicabitur de cæteris: videndo vtrum illis in significatione æquiualeant. Similiter de signis, quæ loco verborum vsurpantur, vt nutus & similia signa; quæ coniuges dant sui consensus interioris: vt quando viro interrogante fœminam; An velit ipsum de præsente coniugem habere: inclinatione capitis aut alio signo sufficienti, annuit se velle: aut Parocho alterum aut vtrumque interrogante an velit, vterque similiter signum dat consensus interioris. 18.

Tenenda sunt autem hæc documenta ad iudicandum ex verbis, an vere contractum sit matrimonium. Primum est in foro conscientiæ talia verba accipienda esse secundum mentem & intentionem contrahentium in ea proferentium. Nam siue certa sint siue dubia, & quæ in plures sensus trahi possint, seruiunt eidem intentioni proferentium: non autem intentio ipsa illis, iuxta cap. Intelligentia, De verborum significat.

Secundum est, In foro exteriori talia verba sumenda esse iuxta communem sensum: ita vt magis inspiciendus sit vsus communis secundum loquentium conditionem & consuetudinem patriæ; quam propria significatio verborum, cap. Ex literis De sponsal. 21.

Tertium; Si verba secundum communem sensum certo iudicent cõsensum in matrimoniũ de præsenti, & alter coniugum vel vterq; asserat se non illo sensu ea accepisse, sed solum voluisse sponsalia contrahere, fidem ipsis non adhiberi in foro exteriori, etiamsi id iuramento cõfirment, iuxta cap. Per tuas, De probationib. Quartum est, cum verba fuerint ambigua, recurrendum esse ad circumstantias, & ad alia verba perspicua, atque iuxta illa iudicandum.

Quintum,

Quintum; In dubio quo dubitatur an matrimonium sit, necne: iudicandum seu ferendam esse sententiam in fauorem matrimonij: vtpote cuius causa maxime fauorabilis est, cap. finali, De sent. & re iudicata. Quod documentum Sanchez *lib. 1. disp. 18. nu. 6.* docet locum habere tam in foro conscientiæ, quam in externo: quia inter vtrumque forum non est discrimen quoad matrimonij vinculum. Id enim quod in foro conscientię non censetur matrimonium, neque censendum est in foro externo. Nam Ecclesia non potest facere vt matrimonium sit, quod non est. Discrimen est tantum in cognoscendi modo: quia in foro conscientiæ standum est confessioni de se loquentis: in externo vero, standum allegatis & probatis, vt bene docet Couar. in Epit. par. 2 c. 2. nu. 2. Dato igitur quod Iudex, quando ei *non quidem falsa præsumptione, sed exploratæ veritate*, cōstat de dubio valoris matrimonij, debeat in foro externo iudicare in fauorem eiusdē valoris: idipsum pariter dandum est in foro conscientiæ. Sicque, *vt Sanchez ex Couar. & aliis addit*, dubitans de suo cōsensu, & quo affectu ad sponsam accesserit, cōpellendus est in vtroq; foro ad matrimonium, nisi post tale dubium contraxisset cum alia: quia tunc posterius matrimonium certum, priori incerto prę ferri deberet. Nec obstat, quod in dubio votum simplex non obliget; quia cum in dubio melior sit conditio possidentis, votum quod consistit in promissione, non in traditione qua res possideatur, nō cogit in dubio iudicare in ipsius fauorem, sicut matrimonium quod cōsistit in traditione & possessione potestatis mutuæ in corpora coniugum. 19.

Tenendum est postremo, varia esse signa interioris consensus, ex quibus vices verborum supplentibus, Ecclesia iudicat contractum esse verum matrimonium. Primum est, si postquam vnus consensit per verba de præsenti; Ego te accipio: alteri non repugnanti annulum inserat digito. De hoc Couar. *in citata par. 2. cap. 4. num. 3.* Addens idem esse, quando introductum est consuetudine, vt in matrimonio detur annulus certa forma signatus; sub illaque datur. Alios modos traditionis annuli persequitur, citatis aliis, Sanchez *lib. 1. disput. 22.* de quibus & aliis, si qui sint, qui non ad matrimoniū, sed ad sponsalia sufficiant: ex communi sensu eorum apud quos vsurpantur, iudicandum est. 20.

Secundum signum est, *de quo pluribus Sanchez in sequenti disput. 23.* si parentibus aut tutoribus coniugalem cōsensum exprimentibus, liberi ipsorum, inter quos contrahendum est matrimonium sint præsentes ac taceant: tunc enim matrimonium, ab Ecclesia validum iudicatur ex cap. vnico. De desponsi. impuber. in 6. §. vlt. Et ratio est, quia cum liberi tacent præsentibus parentib. aut tutoribus, corū nomine contrahentibus, nec cōtradicunt, censentur approbare; quia illi ius habent pro ipsis agendi. Cæteri vero non habentes idem ius: tam consanguinei, quam extranei, si talem cōsensum exprimant, non ideo censetur matrimoniū validum, nisi contrahentes ante declararint, per illos tanquam procuratores à se constitutos, suum consensum tacentes exprimere velle. Nec etiam quoad forum conscientię sufficeret ipsos interius consentire: quia ad rationem sacramenti matrimonij requiritur contrahentium consensus, tam externus, quam internus, vt ante ostensum est.

Tertium signum est, si post sponsalia de futuro, matrimonium per copulam consummetur. Id enim Ecclesia accipit pro signo consensus de præsenti sufficiente ad matrimonium, iuxta cap. Veniens 2. & cap. Is qui fidem, De sponsalib. Videndus est Couar. in Epit. part. 1. cap. 4. §. 1. & aduertendum id non procedere vbi promulgatum est decretum Concil. Trid. irritantis matrimonia clandestina: de quo in sequenti cap. 23.

Q. VÆRITVR TERTIO: An ad matrimonium requiratur consensus verus & elicitus, an satis sit consensus debitus. Respondetur, requiri consensum verum & elicitum: talem enim natura contractus exigit, ex lege Consensu. ff. De actionib. & oblig. aliisq; iuribus quæ Sotus refert *in 4. dist. 27. quæst. 1. ar 2. concl. 3.* addita hac ratione: quod nihil sit tam cōueniens æquitati naturali, quam voluntatem domini rem suam in alterum transferri volentis, ratam haberi, seu admitti: ad quod non sufficit consensus debitus, secluso vero & elicito consensu. Iam per matrimonium mulier transfert sui corporis dominium in virum, & vicissim vir in mulierem, iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Et similiter vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.] Vnde efficitur, vt licet is qui promisit matrimonium, teneatur in illud consentire: si tamen non consentiat ex animo, etiamsi fingat verbis & signis exterioribus, matrimonium esse nullum. 21.

Si quis obiiciat in aliis contractibus sufficere consensum debitum. Nam si quis bona fide domum emerit ab alio, qui vere non consensit in venditionem, sed solum ficte, non tenetur contractum rescindere. Respondendum est, in aliis contractibus, in quibus solum agitur de rebus externis, tale quid potuisse institui authoritate publica, cui illæ ipsæ res ita sunt subiectæ, vt ex causa, dominium illarum possit ex vno in alium transferri. Non potuisse autem in matrimonio, vtpote adferente secum vinculum, quod sicut humana authoritate tolli nequit, ita nec induci: itemque carnalem copulam, *alioqui illicitam*, reddente licitam: id quod est authoritatis tantum diuinæ, qua factum est, vt institueretur in sacramentum.

Cæterum talem consensum constituentem matrimoniū, non esse explicite in carnalem copulam, sed in ius & potestatem ad illam, *quod est implicite & virtute esse ad eandem*, communis sententia est: in quam multos citat Sanchez *lib. 2. disput. 28. num 3.* Et probatur: quia matrimonij contractus de se ordinatur ad talem potestatem acquirendam, talisque potestas ad copulam carnalem tanquam ad effectum suum intrinsecum. Quo fit vt consensus quo idem cōtractus perficitur, sit explicite in traditionem dictæ potestatis; implicite autem in ipsam copulam: quia consensus in aliquam rem, implicite saltem fertur in effectum ad quem eadem res intrinsece ordinatur. Quocirca nullus esset contractus matrimonij, celebratus sub conditione, quod contrahentes non tenebuntur sibi mutuo debitum coniugale reddere: quia cōsensus in potestatem ad copulam, esse nequit; cōsensu in copulam penitus secluso. Quamquam si contrahentes intentionem habeant nunquam exercendi talem potestatem, nō ideo impedietur valor matrimonij, prout idem author nu. 4. addit significatū à D. Thom. *in 4. dist. 30. quæst. 2. ar. 1. quæstiun. 2. ad 3.* cum dixit, quod B. Virgo implicite consenserit in copulam: sed copula nunquam fuerit illi in proposito: quia erat à Deo certificata, illam nunquam subsequi debere. De qua re iam aliquid attigimus in præced. num. 6. 22.

Q. VÆRITVR QVARTO: An aliorum quam contrahentium, *v. g. parentum, aut tutorum, vel curatorum*, consensus necessarius sit, vel sufficere possit ad matrimonium. Respondendum est, certum esse de fide (quam aduersus sectatores Bellarm. tuetur in lib. De matrimonio cap. 19. & 20.) quod validum sit matrimonium à filiis initum absque parentum consensu: nec ab ipsis parentibus irritari posse. Ita enim habetur ex cap. Cum virum, De Regularibus: & ex cap. Tuas, De sponsa duorum: & ex Concil. Triden. sess. 24. De reform. matrimonij cap. 1. Et ratio est, quæ redditur in fine cit. cap. Cum virum: quod cum habeant liberum arbitrium in electione præpositi, nō cogantur sequi parentum voluntatem. Ex qua etiam ratione constat ad matrimonium filiorum: nisi hi simul consentiant, non sufficere parentum consensum: quod expresse definitur in cap. Sufficiat 27 q. 2. & in cap. Vbi non est 30. quæst. 2. & in cap. vnico §. fin. De desponsi. impub. in 6. Quod autem obiici potest in contrarium ex cap. 1. De despōsi. impuberum, puerum debere omnino implere sponsalia quæ pater nomine ipsius inierit, intelligendum est cum glossa finali, & aliis quos Sanchez refert *lib. 4. disput. 23. num. 3.* debere de honestate. Quod vero attinet ad leges ciuiles, ipsum parentum consensum requirentes tanquam necessarium, censendæ sunt abrogatæ iure Canonico. 23.

Difficultas est autem, An mortaliter peccent filij contrahentes nescientibus aut inuitis parentibus. De qua tenendū videtur, in eo non committi quidem peccatum suo genere mortale, cum filij non teneantur absolute in tali re sequi parentum voluntatem, vt ante habitū est: esse tamen ordinarie aliquod peccatū: cum de honestate sit, vt in ea re filij in consilium adhibeant parentes: imo sæpe esse mortale ob scandala, & alia mala quæ ex taliter contracto matrimonio oriri cōsueuerunt. Locus nihilominus est excusationi, quādo occurrit 24.

currit iusta causa contrahendi sine parentum consensu: qualis est, quod ipsi parentes probabiliter credantur probaturi tale matrimonium: aut certe illud iniuste prohibituri. De quibus Sanchez plenius in citata disput. 23.

25. QÆRITVR QVINTO: An contrahentium consensus in quacunque eorum ætate sit ad matrimonium sufficiens. Respondetur, iure quidem naturali nullam certam ætatem præfixã esse matrimonio cõtrahendo, dummodo cõtrahentes vsum rationis habeant: iure tamen canonico, *De despons. impub. cap. 3. 6. 10. & 11.* certum tempus ætatis statutum esse: nempe in masculis decimumquartum annum completum, & annum duodecimum in fœminis. Videndus est Couar. in Epit. *2. par. cap. 5. nu. 2.* qui in sequenti num. 3. docet eam ætatem posse peruenire, malitia supplente ætatem, iuxta textum satis apertum in cap. Puberes, in cap. De illis 2. & in cap. finali, De despons. impub. Quam malitiam ille addit consistere in duobus: nempe in discretione ad consensum coniugalem intelligendum, & in potentia ad carnalem copulam: quæ potentia quibus signis probetur, apud eundem relinquemus videndum: vt & quædam alia, quæ duobus sequentibus numeris subiicit.

26. Illud quod est nostri instituti addemus: multorũ authorum iudicio (quos Sanchez refert lib. 1. disput. 17. num. primo) peccatum esse mortale ante ætatem à Canonibus præscriptam contrahere: quia id grauibus verbis prohibetur in cap. 2. De despons. impuberum; quæ sunt. Districtius inhibemus, ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem legibus vel Canonibus determinatam non peruenerit coniungatur: nisi forte aliqua vrgentissima necessitate interueniente; vtpote pro bono pacis, talis cõiunctio toleretur. De qua re in casibus particularibus statuere, est Episcopi, tanquam Iudicis ordinarij in causis spiritalibus, aut alterius gerentis vices ipsius. Quod autem Sanchez in sequenti num. 6. contrarium (non esse inquam mortale) probabilius iudicat: existimarim posse locum habere in illis, qui illo quidem modo prohibito contrahunt; sed ea mente vt intendant non aliter contrahere, quam ius patiatur: atque adeo vt tale matrimonium habeat tantum rationem sponsaliorum, congruenter cap. finali, De despons. impub. & cap. vnico, §. Idem quoque, eodem tit. in 6.

27. QVÆRITVR VLTIMO: An vtriusque coniugis consensus debeat fieri cum aliquo ordine, & an in eodem instanti temporis. Ad hoc respondetur negatiue, quia nihil interest ad matrimonij validitatem, an prius vir, quam fœmina, vel contra, exprimat suum consensum: neque necessarium est vt statim post vnius consensum subsequatur consensus alterius: sed satis est, vt si vnus consentiat prius, illo consensu non reuocato, sed tacite durante, consentiat alter: etiamsi id faciat interposito interuallo aliquot horarum vel dierum. Id enim commune est omnibus contractibus; qui alias nequirent iniri per literas, nuntium, vel procuratorem. Videndi sunt pro pleniore explicatione Couar. *in citata 2. par. cap. 4. num. 6. & 7. & Sanchez alios citans, lib. 2. disput. 31. in fine, & in tota sequenti disput. 32.*

CAPVT IV.

De vinculo matrimonij indissolubili.

SVMMARIVM.

28 *Vinculi matrimonij tanta est firmitas vt sit indissolubile.*
29 *Vnde proueniat talis firmitas.*
30 *Matrimonium inualidum nullum inducit vinculum. Validum ratum, & validum consummatum differunt, vt imperfectum & perfectum.*
31 *Differunt etiam significatione, & quo modo.*
32 *Cur vinculum matrimonij consummati sit omnino indissolubile, non item matrimonij rati.*
33 *Quid requiratur vt matrimoniũ infidelium indissolubile sit: quod & ipsum non nisi improprie dici possit sacramentum.*
34 *Matrimonium infidelium verum, non dissoluitur conuersione vnius coniugum ad fidem.*
35 *Quando altero volente perseuerare in infidelitate, conuerso ad fidem, ius sit dissoluendi matrimonium.*
36 *Matrimonium etiam consummatum dissoluitur morte vnius coniugum: ratum vero, & per professionem factam in religione approbata.*
37 *Non item per susceptionem sacri Ordinis.*
38 *Multa quæ relinquuntur videnda apud Thomam Sanchez pro pleniore explicatione.*
39 *De difficultatibus. Quando matrimonium censendum sit consummatum, & an oppressio sponsæ per vim aut metum cadentem in virum constantem impediat ne ea possit ingredi religionem.*
40 *Quatenus matrimonium consummatum dissolui possit.*
41 *Quinque diuisiones matrimonij, positæ in seq. cap. 5.*

VINCVLI matrimonij tantam esse firmitatem vt dissolui non possit ab homine, iam in præcedentibus annotauimus per illud Domini nostri Matth. 19. Quos Deus coniunxit, homo non separet;] atque illud D. Pauli in priori ad Corinth. cap. 7. His qui matrimonio cõiuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere,] Quod etiam definitur in cap. Quæsiuit, & in cap. Quanto, De diuortiis: ideoq; nulla de causa licet deserta coniuge viuente, alteri coniungi matrimonio, neq; ob sterilitatem, neque ob fornicationem, prauos mores, fœdos morbos, aut capitales inimicitias. Et in hoc matrimoniũ distinguitur à cæteris contractibus, qui cum res notabiliter mutatæ sunt, aliisque de causis: imo & solo mutuo contrahentium consensu dissolui possunt, sicut & nasci: iuxta illud, Res per quas causas nascuntur per easdem dissoluuntur Institutis §. fin. Quibus oblig. tollitur. 28.

Cuius differentiæ ratio ex eo sumitur, quod matrimonium ex se ordinetur ad educandam prolem. Id autem vt commode fiat requirit firmitatem illius vinculi, quo parentes, *quibus talis educatio incumbit*, se mutuo adstringunt, dum ineunt matrimonium. Quam tamen firmitatem ex nuda matrimonij natura non prouenire, ex eo intelligitur, quod matrimonium ratum non cõsummatum: imo nec vnquam consummandum carnali copula, habeat veram naturam matrimonij, vt patet ex illo, quod Beata Virgo cum Sancto Ioseph contraxit. 29.

Ex diuina vero institutione adiuncta eidem naturę, illam prouenire intelligitur ex eo, quod habetur in cap. vnico, De voto in 6. Matrimonij vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, illud in paradiso & in statu innocentiæ instituente, vnionem & indissolubilitatem accepisse. Et in Concil. Trid. sess. 24. initio: quod matrimonij perpetuum indissolubilemq; nexum primus humani generis parens, diuino instinctu pronunciarit, cum dixit Genes. 3. Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.] Accedit quod à Christo Matth. 19. sublata sit dispensatio data Iudæis, Deuter. 24. repudiandi suas vxores: adeo vt in noua lege matrimonium reuocatum sit ad statum, quem in initio mundi habuit: de quo ibidem Christus ipse ait: Ab initio non fuit sic. Videri potest Bellarm. in lib. De matrim. cap. 17. præsertim in responsione ad obiectionem 14. Occurrit autem explicandum; An ex ea reuocatione tantam firmitatem vinculum matrimonij accipiat, vt sit penitus indissolubile.

Quæstio, An matrimonij vinculum sit penitus indissolubile.

NOTANDVM est primo, Matrimonium inualidum 30.
(quale est quod contrahitur ab habente aliquod impedimentum ex maioribus de quibus postea suo loco) non inducere vinculum illud de quo agimus. Validum vero distingui in ratum & consummatum: atque ratum dici, quod carnalis copula nondum est secuta: consummatũ dici, quod carnalis copula iam est secuta. Illudque ab hoc differt tanquam imperfectum à perfecto: nõ quod illi desit aliquid spectans ad essentiam matrimonij: sed eo modo quo homo truncatus manibus, ab altero truncato non distinguitur: non quidem ratione essentiæ; sed ratione integritatis. Id quod post Bellarmin. annotans Sanchez lib. 2. disput. 14. in solutione secundi argumenti. Addit ad explicationem; quod sicut venditio *per quam potestas ad vsum rei venalis traditur*, non perficitur essen-

tialiter

tialiter per accedentem traditionem ipsius rei: sed solum integraliter completur, quæ prius erat iam essentialiter perfecta: sic per cõsummationem matrimonij, per quam traditur possessio corporis, impletur integraliter matrimoniũ, quod prius iam erat essentialiter perfectum traditione potestatis in ipsa corpora per mutuum consensum.

31. NOTANDVM est secundo, ex cap. Debitum, De bigamis: Matrimonium ratum & consummatum differre adhuc quoad significationem: nimirum, quod ratum significet Christi per charitatem vnionem cum anima existente in gratia: indicatã ab Apostolo in priori ad Corinth. cap. 6 cum ait: Qui adhæret Deo vnus spiritus est cum eo.] Consummatum vero, significet vnionem Christi cum Ecclesia, non modo per charitatem, sed etiam per carnem ab ipso assumptam; de qua Ioan. 1. Verbum caro factum est, & habitauit in nobis;] Et quam Pontifex in eodem cap. Debitum, vocat coniugium inter Christum & Ecclesiam contractum per Incarnationis mysterium: iuxta illud quod ad Ephes. 5. Apostolus exponẽs dictum primi parentis Genes. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna:] statim subiungit: Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.] Cur vero non etiam illi huiusmodi vnio significetur per matrimonium nõdum cõsummatum, ratio redditur; quod per solum matrimoniũ carnali copula consummatũ coniuges fiant vna caro, ex cap. Lex 27. q. 2. & cap. 2. De conuersione coniug. Ideoq; ipsum solum sit, quod secundum Apostolum sacramentum est magnum in Christo & Ecclesia. Videndus est Thom. Sanchez lib. 2. disput. 13. in princip.

32. NOTANDVM est tertio, ex prædicta differentia aliam sequi: quod vinculum matrimonij consummati, sit omnino indissolubile: quia Christi per incarnationem cum Ecclesia vnio est omnino indissolubilis. Nec n. fieri potest vt Christus naturam assumptam relinquat. Vinculum vero matrimonij rati, non repugnet dissolui, quia Christi per gratiam vnio cũ anima iusti, dissoluitur cum is incidit in peccatum mortale, vt sæpe contingere potest. De qua re Sanchez in eadem disp. num. 7. Atque his ita prænotatis proposita difficultas explicatur sequentibus propositionibus.

33. PRIMA est: Matrimonij consummati vinculum iure diuino omnino firmum, & indissolubile esse. Hęc patet ex verbis Domini nostri & D. Pauli citatis initio huius cap. Et vt habet ex Abulensi Sanchez, *in præced. num.* 3. procedit etiam quoad matrimonium infidelium consummatum: quia lex Christi obligat omnes, & quia apud infideles matrimonium legitime contrahitur (dummodo seruentur leges regionis, eæque non repugnent legi naturæ, vt repugnarent, si patri concederent propriam filiam ducere) ipsum est verum ac validum, prout exprimitur in cap. Quanto §. Nam etsi De diuortiis: & habetur ex priori ad Corinth. cap. 7. illis verbis: Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc cõsentit habitare cum illo, non illam dimittat.] Ex quibus verbis idipsum definitur in cap. Gaudemus. De diuortiis. Aduerte autẽ tale matrimonium appellari sacramentum non quidem proprie; cum Baptismus, *cuius expertes sunt infideles*, ianua sit vitæ spiritalis ex Concil. Florent. in instruct. Armenorum de Baptismo: adeoq; ianua sacramentorum nouæ legis: sed appellari solummodo large & improprie: eo quod aliquo modo quidem designet vnionem Christi cum Ecclesia: non tamen proprie; ob defectum scilicet fidei, prout post Abulensem & Sotum nonnulloſq; alios notat Sanchez in præced. disput. 8. Addens de matrimonio quod fidelis ex priuilegio Papæ cõtraxerit cum catechumena, idem esse dicendum: nempe non esse sacramentum: quia matrimonium in vtroque coniuge est vnum numero: & ideo si non sit sacramentum in fœmina, nec erit in viro.

34. SECVNDA propositio est: Matrimonium infidelium nõ dissolui, quando vnus coniugum ad fidem conuertitur perseuerante altero in infidelitate. Hæc habetur expresse in cap. Si quis, 28. quæst. 2. Et procedit quantumcumque tale matrimonium in gradibus iure tantum Canonico prohibitis (secus si iure etiam naturali secundum omnes *ex Syluestro, Matrimonium octauo, quæst.* 10. *dicto secundo*) cõtractum fuerit, ex citato cap. Gaudemus, & ex cap. De infidelibus, titulo De consang. & affinitate. De qua re postea cum de impedimentis matrimonij. Accedit ratio, quia, vt iam diximus, matrimonium inter infideles valide contrahitur, idque iure naturæ, quod lex gratiæ, rectaq; fides non destruit, cum ei non repugnat: sicut in hac re vsuenire certum est, quandoquidem vtroque coniuge infideli suscipiente baptismum, matrimonium ipsorum, quod iure naturali validũ est, accipit eo ipso rationem sacramenti secundum probabiliorem sententiam quam Sanchez *lib. 2. disput. 9.* tuetur, post aliquot alios quos ipse refert. Eo ipso enim, quod tales communi consensu baptizantur dant signum externum, quod consentiant in matrimonium præcedens, vt iuxta Christi institutionem sit indissolubile, signetque illius vnionem cum Ecclesia. De quo tamen quoad vinculi firmitatem, antequam consummetur post baptismum susceptum, perinde ac de matrimonio rato fidelium iudicandum est; prout ex Nauarro Sanchez habet *in sequenti disput.* 17. vtens hac ratione: quod maiorem firmitatem matrimonium sortiatur ex ratione sacramenti, reperti in raro fidelium; quam ex ratione contractus naturalis, quam solam habet matrimonium consummatum infidelium.

35. TERTIA propositio est: Coniugem infidelem ad fidem conuersum, altero remanente in infidelitate, ius aliquod dissoluendi matrimonium habere ex Christi dispensatione. Hæc probatur ex D. Paulo in priori ad Corinth. cap. 7. illis verbis: Quod si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.] Sic enim ea verba intellexit Ecclesia in cap. Si infidelis, 28. quæst. 2. & in cap. Quanto, & in cap. Gaudemus, De diuortiis: constituens tres casus in quibus tale quid licitum est: quos ab Archid. Richard. & Panor. notatos refert Syluest. *Matrimonium* 8. *quæst.* 10. *dicto* 6. Quorum primus est, quando coniunx infidelis nõ vult fideli cohabitare. Secundus, quando vult quidem cohabitare, sed non sine Creatoris contumelia: Christum scilicet blasphemans, & religionem Christianam contemnens. Tertius est quando nititur retrahere coniugem ad infidelitatem aut ad aliud peccatum mortale. Alia quædam tradit Syluest. in eadem quæst. 10. de istiusmodi matrimonio, quæ relinquimus apud ipsum videnda, & apud Sotum *in* 4. *dist.* 39. *quæst. vnic. art.* 4. De illo habentur in iure canonico, tota causa 28. & totus titulus De conuers. infidelium, & cap. Quanto ac cap. Gaudemus De deuortiis.

QVARTA propositio est: Matrimonium fidelium etiam consummatum dissolui morte alterutrius coniugis. Hęc patet per illud de muliere ad Rom. 7. Si mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt nõ sit adultera, si fuerit cũ alio viro] & in priori ad Corinth. cap. 7. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit: quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat.] Proinde in futura vita non erit tale vinculum; dicente Domino Matth. 22. In resurrectione neq; nubent neque nubentur.]

36. QVINTA propositio est: Vinculum matrimonij rati nec dum consummati omnino dissolui per solemnem in religione approbata professionem vnius coniugis, ita vt alter manens in seculo, sit omnino solutus ab eo vinculo, possitq; ad alias nuptias transire. Hæc est certa, & de fide prout intelligitur ex cap. Desponsatam, & cap. Decreta legalia, 27. q. 2. & ex cap. 2. cap. Ex publico, cap. Ex parte 2. De conuers. coniug. & ex Extrauaganti Ioannis cap. 22. quę incipit, Antiquæ De voto, ac demum ex Concil. Trident. sess. 24. can. 6. De matrimonio his verbis: Si quis dixerit ratum matrimonium non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugis non dirimi, anathema sit. Ratio vero eiusdem propositionis hæc reddi potest; quod per talem professionem homo sic mutet vitæ statum, vt sibi mundoque mortuus, pendeat totus ex alieno arbitrio, exutus omni proprietate rerum, ex quibus petuntur huius vitę commoda. Quod est maxime perfectionis, & obsequium Deo gratissimum; ac proinde per matrimonium non impediendum, quando proximi iniuria non interuenit. Ad id facit, q̃ omne votum sit mutabile in votum religionis ex cap. Scripturæ De voto & voti redemp.

37. Aduerte autem obiter quia mutatio status in eo qui suscipit maiores Ordines non est prædictæ perfectionis: eam non inducere dissolutionem matrimonij rati, prout habe-

tur ex memorata Extrauaganti. Proindeque *vt Sotus notat in 4. distinct. 38. quæst. 1. ar. 2.* potest vxor debitum petere à sic ordinato, illeque tenetur reddere: & per eandem Extraua. irregularis est etiam matrimonio per vxoris mortem soluto, De qua re Sanchez *lib. 7. De matrim. disput. 49. num. 2.* Licet si religionem approbatam fuerit tunc professus: Diocæsanus possit cum ipso dispensare. Viuente autem vxore non poterit religionem ingredi: nisi ipsa sit sexagenaria & consentiat; aut pariter religionem ingrediatur: de quo videnda est glossa *ad illam Extraua. verbo Nouerit.* Adde vel nisi diuortium perpetuum ob fornicationem, aut aliud crimen interuenerit, etiam si ille eidem diuortio causam dederit culpabilem: prout aliis in margine citatis litera K, & L, notat Henriquez *in lib. 12. cap. 5. sub finem.*

38. MVLTA alia de eiusdem matrimonij rati nec consummati dissolutione occurrunt hoc loco proponenda: sed quoniam rarissimus est eorum vsus, & longi sermonis explicationem requirunt, ea relinquemus cui libuerit videnda apud Thomam Sanchez in lib. 2. contenti indicare ex illius disput. 14. vinculum de quo agimus posse secundum probabiliorem sententiam per Summi Pontificis dispensationem dissolui: & ex seq. 15. secundum probabiliorem quoque sententiam, talem dispensationem vt valida sit factam esse debere iusta de causa: ex 16. aût disp. tales iustas causas esse primo, notabilem disparitatem, seu quod contrahentes sint notabiliter conditione impares, & affectione cæca, a que leuitate quadam ducti inierunt matrimonium. Secundo grauem timorem scandali futuri: quia scilicet id cedet in graue damnum commune, eo quod rixæ graues, & neces inde orituræ timentur. Tertio, lepra aut impotentia consummandi matrimonium alteri coniugum interea superueniens. Ac demum cum alter assereret se non habuisse contrahendi animum, atque adeo recusaret præstare verum cõsensum, & ex eo matrimonio coacto, graues inimicitiæ secuturæ credantur.

Præterea ex tradita propositione multa deduci possunt quę idem author persequitur disput. 18. & inter cætera dissolutionem, de qua talis propositio traditur, non fieri per professionem vitæ eremiticæ: fieri autem per professionẽ Equitum militiarium Ordinum, qui nõ possunt vxorem ducere. Item in disp. 19. secundum probabiliorem sententiam, quod professio religionis dissoluat matrimonium ratum, competere ei ex solo iure diuino positiuo, id est, per priuilegium à Christo concessum, cuius testis est Ecclesiæ vsus: de quo antea nu. 36. aliquot canones retulimus.

39. DIFFICVLTATEM autem: Quando matrimonium censeatur ita consummatum vt dissolui nequeat, latius tractatam relinquemus etiam apud eundem videndam in disp. 21. Itemque aliam, An copula per vim extorta ita consummet matrimonium, vt vterque coniunx amiserit ius quod alioqui haberet transeundi ad religionem, in disput. 22. Quæ autem de priore docet, sunt tria. Primum, ad eam consummationem requiri vt in coniugali copula semen virile subintret vas sponsæ ad generationem ordinatum, quoniam inde coniuges vna caro efficiuntur: quod in matrimonio exigitur ad significandum incarnationis mysterium, quo Christus per vnitatem carnis coniunctus est Ecclesiæ. Secundum est, dubium esse in vtramque partem probabile, vtrum ad eandem consummationem debeat concurrere seminatio sponsæ cum prædicta seminatione viri. Sequitur autem ipse Sanchez affirmantem, concedens nihilominus contrariam esse communem. Tertium est, per copulam antecedentem matrimonium ipsum nõ consummari: quia talis copula non est matrimonialis, sed fornicaria, iuxta cap. Veniens secundo, De sponsalibus.

Quæ vero docet de posteriore difficultate sunt. Primum, si copula vi extorqueatur post bimestre, in c. Ex publico, De conuers. coniug. concessum vxori ad deliberandum de religionis ingressu, per eam matrimonium consummari, neutrique coniugi licere ad religionem transire: quia vir in eo vsus est iure suo, vtendo corpore sibi debito. Secundum, per copulam vi extortam intra memoratum bimestre, matrimonium consummari quidem: quia coniuges per eam fiunt vna caro, sufficienter vt consanguinei vnius coniugis, censeantur affinitate coniuncti alteri, ex cap. Discretionem, De eo qui cognouit consanguineam, &c. Nihilominus tamen sic oppressam iniuste (præueniendo scilicet tempus præscriptum solutioni debiti) retinere ius ingrediendi religionem, quo non debet priuari absque sua culpa iuxta citatum cap. Discretionem, versus finem: præsertim cum possit fœmina, sicut ob adulterium vel hæresim deserere virum, & religionem ingredi: ita & ob talem violentiam, non minus contrariam iuri matrimonij. Sponso autem qui vim intulit, tanquam ei cuius voluntate consummatum est matrimonium, non esse pariter liberum religionem ingredi. Tertium est, sponsam vt vi, sic & metu cadente in constantem virum oppressam, posse religionem ingredi: quia hoc illi permittitur ratione iniustitiæ illatæ ei à spõso: quam memoratus author num. 15. mortale peccatum esse notat: quia sponsus ipse aufert corporis integritatem; quod nequit iure, antequam bimestre transeat.

SEXTA propositio est: Matrimonium fidelium, etiam consummatum, posse manente vinculo, dissolui per ingressum vtriusq; coniugis in religionem approbatam. Hæc habetur ex cap. Agathosa, & ex cap. Quia Agatho, & ex c. Scribit nobis, 27. q. 2. & ex cap. Cum sis, De conuers. coniug. Permittitur autem vt vnus tantum coniugum, siue vir siue fœmina ingrediatur, dummodo alter in sæculo manens castitatem voueat; neq; sit de incontinentia suspectus ex citat. cap. Cum sis, & ex cap. Vxoratus, & ex cap. Ad Apostolicam, eod. tit. Posse pari modo hoc est, manente vinculo, matrimoniũ consummatum quoad thorum & cohabitationem dissolui per fornicationẽ, siue carnalem, siue etiam spiritualem (quæ præsertim est hæresis & apostasia; quibus tollitur fides qua desponsati sumus Deo, iuxta illud Oseæ 2. Sponsabo te mihi in fide) constat ex communi doctrina de diuortio quam tradituri sumus in cap. 42.

CAPVT V.

De diuisionibus matrimonij.

QVinque inueniuntur diuisiones matrimonij. Prima, in verum, quod scilicet validum est coram Deo: & in præsumptum, quod vere & coram Deo non est matrimonium, ab hominibus tamen iudicatur esse verum: vt quando inter coniuges interuenerit impedimentum dirimens matrimonium ipsum, & ab illis ignoratur. Habetur hæc diuisio ex cap. Is qui De sponsalibus. Secunda est, in matrimonium verum quidem, sed non ratum, id est, non habens rationem sacramenti: quale est inter non baptizatos. Hæc habetur ex cap. Quanto, De diuortiis, §. Nam etsi. Tertia est, in perfectũ ac consummatum, *copula scilicet carnali*, & in initiatum seu non consummatum, quod cõtractum est quidem per verba de præsenti, sed carnalis copula non est secuta. Sumitur hæc diuisio ex cap. Statutum, & aliquot sequentibus, 27. q. 2. & ex cap. Ex publico. De conuers. coniug. Quarta, in non clandestinum, seu factum in facie Ecclesiæ, & in clandestinum, seu occultum: quod scilicet non est contractum testibus præsentibus saltem duobus aut tribus, per quos illud probari possit: atque etiam præsente Parocho: præsertim vbi promulgatum est decretum Concilij Triden. sess. 24. De reform. matrimonij cap. 1. in fine: de quo agemus in sequentibus. Tangitur hæc diuisio in cap. 2. & 3. De clandestina desponsatione. Vltima diuisio est in legitimum & non legitimum, quando adfuerint omnia quæ iure siue canonico siue ciuili ad matrimonium requiruntur: non legitimum vero, cum defuerit aliquid talium.

TRACTATVS II.

De causis matrimonij, ac primo de materia & forma.

CAPVT VI.

41 *Diuersæ sententiæ de materia & forma matrimonij.*

42 *Probabilior cæteris, quo modo sit intelligenda.*

43 *Quatenus*

43 *Quatenus sacramentum matrimonij, censeatur constare ex rebus & verbis.*

44 *Quatenus coniuges dici possunt matrimonij materia.*

42. DE MATERIA & forma sacramenti matrimonij diuersæ sunt sentẽtiæ quas referunt Greg. à Valent. tom. 4. disp. 10. quæst. 1. punct. 6. & Thom. Sanchez De matrim. lib. 2. disput. 5. citatis pro vnaquaque authoribus.

Prima est dicentium verba Sacerdotis esse formã, & verba contrahentium esse materiam huius sacramenti. Quæ ex eo reiicitur, quod Sacerdos nõ sit huius sacramenti minister, vt postea docebitur, neque alterius quam ministri verba, dici possint sacramenti forma, vt de se constat.

Secunda est; Consensus interiores contrahentium esse materiam, & verba quibus exprimuntur esse formam huius sacramenti. Quæ ex eo reiicitur, quod materiam totalem oporteat sensibilem esse: vnde in sacramento pœnitentiæ interior contritio non est materia nisi expressa per exteriorem cõfessionem (per quam est sensibilis) tanquam causa per suũ effectum. Qua eadem ratione reiicitur tertia sententia, dicentium consensum internum esse formam & verba externa esse materiam.

Quarta est; Contrahentes esse materiam & verba quibus contrahunt esse formam. Quæ reiicitur, quia materia sacramenti concurrit ad productionem gratiæ, quod non contingit contrahentibus, nisi ratione aliquorum suorum actuum; qui proinde actus, debent potius dici materia, quam ipsimet contrahentes. Accedit, quod sicut in aliis contractibus, res vendita vel locata vel commutata, *& sic de cæteris*: est materia circa quam conficitur contractus; nõ autem materia ex qua conficitur; ita in contractu matrimonij, contrahentes sunt tantummodo materia circa quam, non autem ex qua ipsum conficitur.

Quinta est: verba quæ à priori contrahente proferuntur materiam esse, quę vero à posteriore esse formam. Reiicitur autem, quia hoc sacramentum non haberet alioqui materiam certam, certamque formam: quandoquidem esset in contrahentium voluntate, ex materia facere formam; & cõtra ex forma, materiam; quod non est consentaneum dicere de re, quæ secundum omnia sua essentialia pendet ex Christi institutione.

Reliqua igitur est sexta (quam vt cæteris probabiliorem
42. citatis pro ea Bellarmino & Suarezio aliquotque aliis sequitur Sanchez) consensus vtriusque coniugis expressos verbis, aut aliis signis, esse sibi inuicem materiam & formam. Quod qua ratione fiat. Suarez tomo tertio in 3. partem D. Thomæ disput. 2. sect. prima explicat; inquiens externam cæremoniam huius sacramenti esse contractum qui inter coniuges perficitur, & in quo, *sicut in omni alio contractu*, interueniunt traditio & acceptatio illius rei, de qua conficitur contractus: nempe mutua traditio & acceptatio corporum: quę sic concurrunt in ipso contractu matrimonij, vt traditio supponatur acceptationi, isque in illa inchoctur, consummetur vero per ipsam acceptationem. Vnde fit vt consensus vtriusque coniugis siue verbis siue nutibus exprimantur rationem habeant materiæ, quatenus continent mutuam traditionem corporum: rationem vero formæ, quatenus efficiunt mutuam acceptationem eorundem corporum; quia matrimonij contractus ex illis pendet ea ratione, vt traditio ineffi-
43. cax sit ad illius constitutionem, tanquam imperfecta donec accedente acceptatione perficiatur: quod quidem in illa rationem materiæ: & in hac, rationem formæ ostendit.

ADVERTE autem, hinc consequens esse, matrimonij sacramentum non constare rebus tanquam materia nisi proportione quadam: nempe quia mutua traditio corporũ, prout est quid informe, nec sortitur effectum suum trãslationis dominij corporum, donec accedat mutua acceptatio illam complens, ac perficiens, dicatur res: quantumcumq; constet verbis. Ipsa vero acceptatio, dicatur verba; proprie quidem, quando interior consensus verbis exprimitur: secundũ proportionem vero, quando aliis signis.

Aduerte secundo, quod loco cit. habet Suarez, peculiare esse huic sacramento: vt neque in materia, neque in forma requirat verba in omni rigore, & proprietate sumpta: quia Christus Dominus nihil aliud, tanquam signum sensibile voluit ad hoc sacramentum exigere, quam quod necessarium esset ad perficiendum humanum contractum. Ad id autem sufficiunt quęlibet signa quibus contrahentium consensus exprimatur.

Aduerte tertio, quod ex Bellarmino habet Sanchez in fine citatæ disputationis: sacramentum hoc spectari posse, & in fieri, sicque de illo antedicta verificari: & in facto esse, sicque coniuges dici posse materiam illius ex qua: quoniam coniunctio in illis orta ex celebratione matrimonij, in illisque manens; manente vtriusque vita, signum est externum coniunctionis Christi & Ecclesiæ: sicque aliquo modo hoc idem sacramentum conuenit cum sacramento Eucharistiæ; vt sicut in eo panis & vinum sunt materia circa quam ipsum perficitur per consecrationem: hacque peracta, sunt eius materia ex qua: non quidem secundum substantiam, quæ desinit: sed secundum accidentia, quæ salua manent. Ita etiam in matrimonio post peractum legitime contractum; coniuges sunt materia ex qua, qui dum ille perageretur, erant materia circa quam. 44.

CAPVT VII.

Ratio iudicandi de materia & forma ad matrimonium sufficientibus.

SVMMARIVM.

45 *Quid sit iudicandum, cum verba sunt dubia: quodque verba sine interiore consensu, neque hic sine illis, ad matrimonium sufficiant.*

46 *In dubio de consensu iudicandum est in fauorem matrimonij.*

47 *Cum verba, tam quoad sonam, quam quoad significationem fuerint de præsenti, iudicandum est contractum esse matrimonium: cum vero de futuro, solummodo sponsalia.*

48 *Secus accidit quando verbis de præsenti adiicitur particula trahens ea ad futurum: & verbis de futuro, particula trahens ad præsens.*

49 *Quid iudicandum sit cum verba fuerint dubia.*

50 *Quid sit iudicandum cum verba sunt pure negatiua.*

51 *Et quid, cum verba continent particulas Nisi, Quam, Præterquam.*



VM traditio & acceptatio quas antea diximus constituere materiam & formam huius sacramenti perficiantur consensu, externis signis, *maxime verbis*, expresso: an ad matrimonium sufficiens interueniat, plerumque verba quibus exprimitur, occasionem dubitandi præbent: ideo subiicienda sunt aliquot documenta, per quæ tolli poterit talis aliqua occurrens dubitatio.

PRIMVM est. In foro conscientiæ, quando verba sunt dubia, esse intentioni contrahentium, si de illa constet standum iuxta cap. Intelligentia De verborum signific. Et confirmatur: quia verba in contractibus vim obligandi habent, quatenus explicant consensum internum: talis enim obligatio, est cuiusdam particularis legis, quam homo sua sponte sibi imponit: obligatio autem cuiusuis pendet ex mente & consensu legislatoris. 45.

SECVNDVM est. Si desit consensus internus obligandi se vinculo matrimonij, qualiacumque sint verba nullam oriri obligationem matrimonij: sicut nec è contra, si adsit quidem prædictus consensus, sed is nullo signo verborũ aut alio externo apto manifestetur, per quod vterq; contrahentium alter alterius animum intelligat explicari. Patet hoc documentum ex traditis in præced. cap. 3. Ex eo autem inferuntur duo, quæ ab aliis notata refert Sanchez *lib. 1. disput. 18. num. 2.* Prius est; licet consensus contrahentium sint de præsenti, si tamen suum alter alteri ignotum, aperiat per verba de futuro, non esse matrimonium. Posterius est: si contrahentes satis intelligant se velle matrimonium de presenti inire, quibuscumque verbis illam suam voluntatem consensumve internum explicent, matrimonium contrahi. In priore enim

casu deest exterior consensus interiorem sufficienter exprimens, non item in posteriore.

46. TERTIVM documentum est: In dubio de consensu, & consequenter de matrimonio, iudicandum esse in fauorem valoris matrimonij in vtroque foro. Hoc iam attigimus in citato cap.3.quæst.2. Ex eoq; infertur quod Sanchez habet in seq.num.6. ex Couar.& quibusdam aliis, dubitantem de consensu,& quo affectu ad sponsam accesserit compellendũ esse matrimonium in vtroq; foro, tanquam eum, qui præsumendus sit consensum adhibuisse.

Infertur secundo, quod idem num. 7. addit pluribus aliis citatis: vnius doctoris singularem opinionem de alicuius matrimonij validitate, præferri sententiæ plurium illud impugnantium, si talis opinio innitatur probabili ratione, nec contra illam detur textus apertus. Ad quod facit illud in cap. Licet De testib. & attestat. Tolerabilius est aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam coniunctos legitime, contra statuta Domini separare.

Infertur tertio, quod idem adhuc in seq.num. 8.habet ex aliis. Quando constare nequit de consensu contrahentium, & verba dubia sunt, in foro interno perinde ac in externo iudicandum esse, acceptis & retentis verbis in eo sensu quem communiter solent recte intelligentib. generare, iuxta cap. Ex literis primo, De sponsalibus: interea obseruatis documentis quæ deinceps sequuntur.

47. QVARTVM documentum est, *quod idem Sanchez ibid.à num.10. persequitur variis authoribus citatis*: Quãdo verba tam quoad sonum, quam quoad significationem sunt de præsenti, certum esse, quod constituatur verum matrimonium, ex cap.penult. De sponsalib. Qualia verba sunt hæc: Accipio te in meam, & æquiualentia: vt Habeo te in vxorem: Ex nunc reputo te in vxorem. Item si viro dicenti. Accipio te in meam, fœmina respondeat; Placet, vel Consentio: aut si à viro quærat alius visne hanc in vxorem? ille respõdeat Volo: & fœmina similiter interrogata, similiter respondeat. Item si vir dicat volo te in vxorem; & fœmina dicat, volo te in virum.

Cum vero verba tam quoad sonum, quam quoad significationem fuerint de futuro: nõ quidem matrimonium; spõsalia tamen constituuntur, siue addatur verbum promitto: dicendo Promitto quod te in vxorẽ ducam; siue simpliciter proferantur: vt Ducam te vel Accipiam te in vxorem. Talia enim verba ex communi Ecclesiæ vsu tanquam promissoria accipiuntur: non autem, vt prænuncia tantum futuri euẽtus, aut declaratiua propositi voluntatis. Ad quod confirmandum Sanchez num. 12.adfert, quod Doctores (*quorum multos commemorat*) tradentes modos quibus sponsalia contrahuntur, ponant hos, Ducam te, Accipiam te in vxorem. Aduerte vero pro praxi quod post Couar. & quosdam alios docet idem in seq.num.13. hæc verba: Promitto quod ego te desponsabo; non plus operari, quam hæc; Ego te desponsabo: quæ ne sponsalia quidem constituunt sed tantum indicant animum ea faciendi: nisi forte consuetudo haberet, vt per talia verba eadem contraherentur.

48. Aduerte præterea, verba de præsenti propter adiectam particulam ad futurum tantum significandum trahentem, non constituere matrimonium sed tantummodo sponsalia. Qua ratione à Victoria De sacram.nu.251. ait sponsalia tantum constitui per hæc verba: Accipio te in meam in crastinũ & deinceps. Ratio vero est: quia talia exprimunt consensum de futuro; nec per ea, de præsenti accipitur fœmina in vxorem. Ex aduerso vero adiecta particula significante de præsenti, potest constitui matrimonium, iuxta illud quod definitur in cap. Ex parte, De sponsalibus, matrimonium esse, si quis fœminæ iurauerit se ab eo tempore illam habiturum in vxorem. Quod idem contingit, quoties verbo futuri temporis importanti executionem, adiungitur similis particula spectans ad tempus præsens: vt si quis dicat; Ex nunc vel Ex hoc tempore, vel Semper, vel Deinceps seu diebus omnibus vitæ meæ tenebo te, habebove in vxorem: vel, Prouidebo tibi vt vxori, vel, tractabo te vt vxorem; vel eris mihi vxor. Nam tales verborum formulæ significant consensum in matrimonium de præsenti. Ea enim quæ ex nunc, seu semper habenda est in vxorem, præsenti certe tempore est vxor.

Quinimo nonnulli sunt qui prædictas verborum formulas, etiamsi nulla addatur eis particula faciens significare de præsenti, velint constituere matrimonium: vt si dicatur: habebo te in vxorem: prouidebo tibi sicut vxori, & sic de similibus. Verum probabilius est constituere tantum sponsalia: quia talia sensum omnino verum possunt habere, etiamsi ille à quo proferuntur intentionem habeat tantum de futuro. Qua de re Sanchez plenius num.16.& aliquot sequentibus.

QVINTVM documentum est de quo idem Sanchez in 49.
sequenti num.22. Dubium esse, an per verba dubia, *qualia sunt volo tecum contrahere, volo te ducere, volo te habere in vxorem*, matrimonium constituatur. Probabile autem videri, tunc constitui solummodo sponsalia. Ratio est, quod talia verba verificentur, quantumuis illa proferens nolit fœminam cui loquitur esse tunc suam vxorem, sed tempore futuro. Quod quidem procedit etiamsi talia verba prolata essent interrogante altero visne mecum contrahere, cum velle contrahere non sit contrahere. Secus vero est si præcessisset tractatus de matrimonio contrahendo de præsenti, quia adesset sufficiens coniectura animi matrimonium tunc contrahendi per ea verba mutuo dicta. Similiter si adderetur particula ex nũc vel alia similis, vt ex hoc tempore, semper, deinceps, omnibus diebus vitæ meæ volo te habere vxorem. Aut si verbum *volo*, vsurpareturad explicandum velle eligentis, seu velle efficax, & non tantum velle appetentis, seu velle inefficax, quia appetere matrimonium non est illud inire, sicut illud eligere, est illud inire.

SEXTVM documentum est, *de quo idem author in sequenti disput.*19. per verba puram negationem continentia, nec matrimonium nec sponsalia contrahi: qualia sunt Nullam alia vel nunquam aliam à te, ducam. Per ea vero quæ negationi affirmationem admixtam cõtinent, vel matrimonium vel sponsalia cõtrahi. Qualia sunt, nullam aliam, sed te duco: vel Nullam aliam sed te ducam. Ratio prioris partis est, quod consensus non præstetur per meram negationem; nec possit sine contrahentium consensu, constare contractus. Sed aduerte, quod etsi dicens: *Nullam aliam à te ducam*, non teneatur illam ducere, si velit omnino abstinere à matrimonio tamen si velit matrimonium inire, teneri illam ducere. Plus enim obligatur, quam si absolute spopondisset nullam se ducturũ: alioqui verba illa *à te*, essent prorsus inutilia. Eo ergo ipso q addidit, *aliam à te quod idem est ac te excepta*, sicut reseruauit sibi hanc præsentem ducendi, dato casu quod eligat matrimonium: ita etiam adstrixit se ad eam, & non ad aliam in eo casu ducendam. Ratio autem posterioris partis est, quod illa verba, *sed te*, sint exceptio affirmatiua, exprimens sufficienter consensum, vel in matrimoniũ, cum dicitur Duco te, non aliam: vel in sponsalia, cum dicitur; Ducam te, non aliam, quia talia verba non tantum sunt negatio ducendi aliam, sed etiam affirmatio ducendi hanc.

SEPTIMVM documentum est, *de quo idem author in eadem disp.*19. cum dicitur Nullam ducam nisi te, aut quam te, aut præter te, particulas Nisi, Quam, & Præter includere solam negationem: ideoque ne sponsalia quidem constituere, iuxta priorem partem præced. documenti. Ratioq; est: quia secundum cõmunem loquendi modum, *cui stãdum est quando non constat de intentione, cap. Ex literis, 1. de sponsalib.* in promissionibus & contractibus particulæ prædictæ faciunt sensum conditionalem: ita vt, Nullam ducam nisi te, aut quam te; aut præter te, idem sit atque Si aliquam ducturus sim, te ducam; perinde ac cum dicitur; Promitto me hunc equum non venditurum, nisi, aut quam, vel præterquam Principi, sensus est, Si cui venditurus sim, vendam tantum Principi. Item cum dicitur; Nullam religionem ingrediar nisi, aut quam, vel præterquam Carthusianorum, sensus est; Si religionem ingressurus sim, religionem tantum Carthusianorum ingrediar; & sic de similibus. Quod est non esse obligatum ad vendendum equum vel ingrediendam religionem si nolit, sed ad vendendum equum Principi si velit equũ vendere, aut ad ingrediẽdam Carthusiam si velit religionem ingredi. Pro qua doctrina idem author sub finem num. 5. plures Doctores citat. Et in seq.nu.7.admonet eam non procedere quando ex coniecturis apparet cõtrahentes voluisse per eiusmodi verba matrimonium vel sponsalia inire: vt quia

tunc

tunc temporis ea de re tractabatur, vnde coniicitur probabiliter, talia verba ex consensu in illam, prolata fuisse; ita, vt accipi debeant non quidem in sensu cõditionali, sed in sensu exceptiuo: sicut cum dicitur: Nullus adfuit nisi, aut quam, aut præterquam Petrus; sensus enim est, Petrum adfuisse, cæteros vero omnes abfuisse.

CAP. VIII.

De efficiente causa Sacramenti matrimonij.

SVMMARIVM.

52 *Causa efficiens principalis sacramenti matrimonij est Deus: & secundaria coniuges.*
53 *Modus quo conficitur matrimonij sacramentum.*
54 *Solutio obiectionum quibus impugnatur, quod cõiuges dicuntur causa efficiens sacramenti matrimonij.*
55 *Ritus, quibus Ecclesia in nuptiis vtitur.*
56 *Quædam notanda de nuptiarum benedictione.*

52. QVOD principalis causa efficiens sacramenti matrimonij sit Deus, constat tum per illud Matth. 19. Quod ergo Deus coniunxit homo non separet:] tum per rationem sacramentis omnib. cõmunem, quam proposuimus lib. 26. initio 5. cap. De causa vero secundaria, & ministeriali, seu de ministro: id quod Canus lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. sensit esse Sacerdotem sacris & solemnib. verbis coniuges benedicentem, refutatur bene à Bellarm. *in lib. De matrim. cap. 6. 7. & 8. & à Thoma Sanchez. in lib. 2. disp. 6.* Recepta vero sententia est, cõtrahentes esse huius sacramenti ministros, illud sibi mutuo conferentes; vir quidem mulieri dicendo: Accipio te in meam: mulier autem viro vicissim dicẽdo; Accipio te in meum: hæc probatur efficacissime per definitionem Concilij Florentini in instructione Armenorum; quę habet efficientem causam matrimonij regulariter, esse mutuum consensum, per verba de præsenti expressum.

53. Vnde sequitur matrimonij sacramentum confici prolatione verborum, quibus coniuges consensum suum mutuũ exprimunt: proindeque eos esse eiusdem sacramenti ministros: cum sacramentum non aliter perficiatur à ministro, quam applicatione verborum ad elementum, tanquam formæ ad materiam iuxta antedicta in lib. 26. cap. 3. Accedit quod in noua lege Christus non mutauerit matrimonij naturam: sed tantum eleuauerit ad esse sacramenti, prout Concilium Triden. sess. 24. in initio satis indicauit, dicens à Christo approbatum esse coniugium in statu innocentiæ institutum: & ab eodem Christo, sacramentorum institutore, ipsi matrimonio adiunctam esse gratiam quæ naturalem coniugum amorem perficeret, & indissolubilem vnitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret. Et cum matrimonium in lege Euangelica veteribus connubiis per Christum gratiam præstet, merito inter nouæ legis sacramenta censeri annumerandum. Iam vero de natura matrimonij est, vt sit contractus, adeoque aliorum contractuum naturam sequatur: quæ est vt contrahentes se suis consensibus exterius expressis ligent: neque alij quam ipsi, efficiant contractum. Accedit etiam, quod ex Concil. Trident. in ead. sess. cap. 1. matrimonium clandestinum: seu quod soli contrahentes inter se celebrant, verum ac ratum matrimonium sit, quamdiu Ecclesia illud non facit irritum: vnde satis intelligitur concursum Sacerdotis non esse de essentia matrimonij: atque adeo quod ibidem Concilium ad matrimonium præsentiam Parochi requirit; nõ esse, quod ex ea Christi institutione sit necessaria tanquam essentialis: sed quod Ecclesia pro potestate accepta à Christo, talem præsentiam constituat conditionẽ, ita de cætero necessariam ad matrimonium, vt nolit ipsum absque ea amplius valere.

54. Sed obiici potest primo, Collationem sacramenti matrimonij: cum sit actio sacra, requirere personam sacram, à qua perficiatur: quales non sunt coniuges. Respondendum est, quod sicut laicis concessum est, vt necessitate vrgente, possent baptismum conferre: sic etiam eisdem concedi sacramenti matrimonij collationem: nam quia ipsum est à Christo institutum in quodam contractu, nec contractus potest fieri nisi per contrahentium consensus: de necessitate fuit vt per coniuges contrahentes perficeretur.

Obiici potest secundo, Concil. Triden. in cit. cap. 1. præcipere, vt Parochus mutuo contrahentium cõsensu intellecto dicat; Ego vos in matrimonio coniungo In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: quæ verba ne falsa sint coniunctionis coniugum, seu matrimonij, Sacerdos debet esse causa efficiens. Ad quod Sanchez *in fine citatæ disput. 6.* respondet: illorum verborum, Ego vos coniungo: sensum esse, coniunctos vos esse declaro; vel approbo coniunctionem vestram. Ex qua doctrina sequitur, quod idem auctor ibidem num. 5. ex aliis habet: Sacerdotem culpæ mortalis reum, non peccare mortaliter assistendo matrimonio: quia non cõficit illud, neque benedictio quam facit, sacramentum est, sed tantum sacramentale seu cæremonia pertinens ad Ecclesiasticum ritum celebrandi matrimonium. 55.

Cuius ritus summa hæc est, quæ tangitur in cap. Nostrates, 30. quæst. quinta; & à Gregor. à Valen. disput. 10. quæst. 1. puncto 6. sub finem, traditur his verbis, Sicut Adam & Eua à Deo benedicti fuerunt Genes. 1. ita in Ecclesia à Sacerdote, sponsi benedicuntur. Cuius benedictionis meminit Innocentius primus in Epist. ad Victricium cap. 6. Item commendatur coniugium illorum Deo precibus & oblatione Eucharistiæ. Cuius oblationis meminit quoq; Tertul. lib. 2. ad vxorem. Præterea velo obnubuntur in signum pudoris. Cuius ritus meminit D. Ambros. epist. 79. & lib. 1. De Abraham cap. 7. Item ad significandam munditiam vitæ, & posteritatem sanguinis, copulantur vitta, candido & purpureo colore permixta. Item annulum sponsus sponsæ dat in signum & pignus mutuæ fidei & dilectionis ex Isid. lib. 2. De officiis Ecclesiasticis cap. 19. De coniugatis. Deinde monentur officij. De quo toto rituum genere Concil. Trid. sess. 24. can. 11. sic statuit, vt anathemati subiiciat eum, qui damnauerit benedictiones & cæremonias, quibus Ecclesia in nuptiis vtitur: vt & eum qui dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus, superstitionem esse tyrannicam. De quibus temporib. in eadem sess. cap. 10. De reform. matrimonij sic habetur, Ab aduentu Domini nostri IESV Christi, vsque ad diem Epiphanię, & à feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschatis inclusiue, antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obseruari sancta Synodus præcipit.

Nota obiter, quod licet secundæ nuptiæ licitæ sint ex cap. Aperiant, & duob. seq. 31. quæst. 1. veteri tamẽ earum benedictionem in cap. Vir autem, De secund. nupt. Ita vt Sacerdos eas benedicens puniendus sit suspensione ab officio & beneficio, ex cap. 1. cod. titulo. De quare legendus est Nauar. in Enchir. cap. 22. num. 83. §. 35. Nota etiam obiter licere mulieri sine infamiæ metu, intra tempus luctus, seu intra annum à morte mariti secundas nuptias inire: ex cap. penult. & vltimo De secundis nuptiis. Nota denique Sacerdotem benedicentem nuptias, debere esse Parochum contrahentiũ: non autem alium, nisi de illius aut proprij Episcopi licentia ex Concilio Triden. sess. 24. cap. 1. De reform. matrimonij. De pœna quæ incurritur à peccante in eo, vide in sequen. lib. tract. 2. num. 67. circa medium. 56.

CAPVT IX.

De fine matrimonij.

SVMMARIVM.

57 *Varij fines matrimonij.*
58 *Triplex bonum matrimonij, quo triplex eiusdem detrimentum compensatur.*
59 *Matrimonium quocumq; fine contractum, est validum. si substantialia seruentur in eo: alias non: vt si intendatur finis excludens consensum.*
50 *Aut finis repugnans matrimonij indissolubilitati aut excludens obligationem reddendi debitum, aut seruandi fidem, aut educandi susceptam prolem.*
61 *Intentio non implendi talem obligationem, de se non reddit matrimonium inualidum.*

57. CONTRAHENTIVM matrimonium possunt esse varij fines accidentales: vt carnalis delectatio, diuitiæ, honor, aut aliud eiusmodi. Sed essentiales matrimonio, siue ob quas ipsum institutum est à Deo, sunt hi specialiter: quatenus quidem institutum est in officium naturę: tum procreatio liberorum, iuxta illud Genesis cap. 1. Masculum & fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus, & ait; Crescite & multiplicamini.] tum etiam mutuum coniugum auxilium & solatium in liberis educandis, aliisq; ad idipsum spectantibus officiis obeundis, iuxta illud Genesis 2. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.] Quatenus vero constitutum est in remedium concupiscentiæ inordinatæ, pro fine habet vitationem fornicationis, iuxta illud prioris ad Corinth. 7. Propter fornicationem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæque suum virum habeat.] Quatenus denique institutum est in sacramentum; finem habet gratiam illam specialem, quam coniugibus confert, vt facilius perpetuum illud vinculum ferant: difficultatesque illius omnes superent, & se mutuo diligant, sicut Christus dilexit Ecclesiam: vtpote qui illius cum hac coniunctione, suam coniunctionem repræsentant, ex cap. 5. epist. ad Ephes.

58. Ratione quorum finium, matrimonium habet in se triplex illud bonũ, *prolis scilicet, fidei & sacramenti*, quo Theologi cum Magistro in 4. dist. 31. ex D. Aug. compẽsari volunt triplex detrimentum, quod matrimoniũ ipsum adferre solet: nempe seruitutis perpetuæ, de qua in priori ad Corin. 7. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem: deinde hebetationis mentis; quandoquidem voluptas in vsu matrimonij hanc omnino absorbet; & denique nimiæ solicitudinis placendi alteri coniugi, suscipiendi liberos, susceptosq; educandi, ac illis thesaurizandi. Quorum detrimentorum primum, cõpensatur bono sacramenti, confœderatis coniugib. gratiam ad conseruandam inter ipsos animorum vnionem, atq; ad se mutuo diligendum sicut Christus dilexit Ecclesiam. Secundum vero compensatur bono prolis, quæ generatur & educatur ad diuinum obsequium. Tertium demum compensatur bono fidei seu fidelitatis: non tantum efficientis, vt nulli alteri copiam sui facere possint; sed etiam vt debeãt sibi mutuo exhibere obsequia, quibus in suis difficultatib. leuamen & solatium ab inuicem accipiant.

59. HIC OCCVRRIT difficultas; An matrimonium sit inualidum si contrahatur alio fine, quam quo institutum est à Deo. Ad cuius explicationem faciunt quæ lib. 2. disp 29. q. 2. Sanchez tradit. Primum est, matrimonium minime irritari ob quemcumq; *etiam peruersum*, finem: qui substantiæ illius minime aduersetur. In quo auctor notat omnes consentire: tum per cap. Solet 32. quæst. 2. tum quia alij omnes cõtractus & sacramenta, ex malo fine adiuncto, non annullantur, si substantialia seruentur.

Secundum est, matrimonium inualidum esse si illud contrahens intendat finem excludentem consensum in aliquid eorum, quæ sunt de eiusdem sacramenti essentia. Ratio est: quia ad matrimonium necessarius est consensus, saltem implicitus ad ea quæ sunt de illius essentia; consensu enim contrahentium, ipsum perficitur: nec potest constare sine omnibus suis essentialibus.

60. Tertium est: esse quoque matrimonium inualidum si cõtrahens proponat sibi finem repugnantem illius indissolubilitati. Hanc enim esse de eius essentia, patet ex definitione tradita in cap. 1. Itaque nullum esse matrimonium, si quis aliquam ducat intentione ipsam dimittendi, cũ alia ditior aut nobilior adoleuerit. Accedit, quod intentio faciendi quod facit Ecclesia, sit ad validitatem sacramẽti necessaria ex Concil. Florent. in instructione Armenorum: tunc autem desit talis intentio, vt manifestum est.

Quartum est: nec validum esse matrimonium contractum cum intentione excludente obligationem; siue reddendi coniugi coniugale debitum, siue illi fidem seruandi, siue educandi susceptam prolem: nam eiusmodi obligatio est essentialis matrimonio. Obligantur enim coniuges ex vi matrimonij vt ad vitam indiuiduam, sic ad reddendum sibi mutuo coniugale debitum, nec faciendam alteri copiam sui corporis, & ad prolem non impediendam, habitamque educandam. Quæ doctrina est D. Thomæ in 4. distin. 31. quæst. 1. artic. 3. in corpore: cuius verba Sanchez refert, num. 3.

Quintum est: validum esse matrimonium contractum 61.
cum intentione includente quidem prædictam obligationẽ, sed excludente illius executionem: vt cum quis contrahit intentione faciendi quod facit Ecclesia, sicque ligandi vinculo sacramenti, prout faciunt cæteri Christiani: in animo tamen habet (*sed non deducit in pactum, quod esset contrarium obligationi prædictæ*) vitare prolis generationem aut habitam non educare, aut debitum negare coniugi, & alteri commisceri. Ratio est quia talis intentio ipsius: nihil aufert, quod ad substantiam matrimonij attineat. Namque cum ea stare potest obligatio, de qua prius diximus: quia stat velle obligari ad aliquid faciendum, & adesse animũ non implendi illud: vt patet ex eo qui iurat vere animo iurandi, & simul intendit non seruare iuramentum: quæ intentio non impedit quominus iuramento obligetur. Sic ergo valide contrahet matrimonium qui illius obligationem intendit, etiamsi habeat in animo transgredi eandem: nisi ipsa quoq; transgressio cõstitat in aliquo, quod essentiæ matrimonij repugnet, vt v. g. in dissolutione matrimonialis vinculi: quam intendens, *vt iam ante attigimus*, non contrahit valide: vt nec intendens, se tali vinculo non adstringere.

CAPVT X.

De modis quibus peccatur contrahendo matrimonium.

SVMMARIVM.

62 *Septem sunt tales modi, quorum primus est ex parte intentionis, secundus ex parte finis.*
63 *Ratio de hoc iudicandi iuxtą, conclusionibus comprehensa.*
64 *Tertius modus ex parte impedimentorum, quartus ex parte modi, & quintus ex parte ordinis.*
65 *Sextus ex parte temporis, & septimus ex parte contrahentium.*

EX iis quæ Sylvest. Matrimonium 4 & Caiet. eod. verbo, Nauar. in Enchir. cap. 22. à num. 76. nonnulliq; alij habent, constat septem tales modos esse posse. 62.

PRIMVS est, ex parte intentionis: quando quis simulat se contrahere, nec habet intentionem, & animũ contrahendi: quod peccatum est mortale ob notabilem iniuriam quam facit sacramento. Quod idem pari ratione dicendum est, quando quis adiecerit matrimonio conditionem contra illius substantiam. Nam in eo casu perinde ac in prædicto sacramentum sit irritum.

SECVNDVS modus est ex parte finis; ad quem diiudicandum facit doctrina quam lib. 2. disput. 29. q. 3. tradit Sanchez contenta his conclusionib. Prima est; Quando matrimonium à contrahente non ordinatur ad copulam carnalẽ vt contigit in matrimonio B. Virginis, & in eo quod iuxta cap. Commissum; De sponsalibus, contrahitur cum intentione non consummandi illud, sed ingrediendi religionem: tunc peccatum nullum esse; non proponere sibi sobolis procreationem & educationem aut fornicationis euitationem. Ratio est: hæc sunt tãtum finis matrimonij, quatenus ipsum celebratur animo vtẽdi illo; quod quidem est finem esse matrimonij tantummodo ratione copulæ: quam cum liceat nõ intendere, vt patet ex propositis exemplis, licebit pariter nõ proponere sibi illum ipsum finem: sed contentum esse eo, ad quem matrimonium proxime ordinatur, qui est sanctificatio coniugum, coniunctioq; animorum, cum mutua potestate ad actum coniugalem. 63.

Secunda cõclusio est; Quando matrimonium celebratur animo vtendi eo, peccatum esse non intendere principaliter sobolem vel fornicationis vitationem: sed fines alios, non malos quidem; matrimonio tamen extraneos: vt cum quis vxorem ducit principaliter ob ipsius pulchritudinem, vel ob diuitias, aut etiam ad pacem inter illos componendam. Cuius peccati ratio in eo consistit, quod inordinatio sit, re vt iad finem extraneum, relicto eo ad quem de se est instituta. Authores ita tenentes, plures citat Sanchez num. 21. Qui & admonet id peccatum, esse tantum veniale. quia cum tali inor-

dinatione

dinatione seruatur substantia matrimonij, retento recto ordine ad finem principalem: qui est mutua potestas ad actum coniugalem, ob sobolem propagandam.

Tertia conclusio est, Non esse peccatum, minus principaliter seu secundario intendere finem de se indifferentem, matrimonio extraneum. Pro qua facit exemplum Iacob, qui Genes. 29. accepit Rachel propter pulchritudinem. Facit & ratio: quia inde nulla oritur inordinatio finis matrimonij, cum non obstante motiuo siue diuitiarum, siue pulchritudinis, siue amicitiæ, quo quis forte ad contrahendum inducitur, seruetur matrimonij finis debitus, quando celebratur principaliter ob prolem vel forniçationis vitationem. Quod censetur fieri, quantumcunq; contrahentes nihil de tali fine cogitent. Eo enim ipso, quod matrimonium contrahere intendunt, nisi talem finem expresse excludant, illum virtute & implicite intendunt, vt ex Caiet. & Couar. Sanchez in seq. num. 25 addit.

Quarta conclusio est, Quando matrimonium contrahitur in ordine ad copulam, peccatum esse veniale principaliter contrahere gratia vitandæ fornicationis, non autem procreandæ prolis, si contrahentes tales sint vt secundum communem spem possint habere prolem: nō item si secundū communē spem nequeāt prolem generare. Ratio prioris partis est: quod inordinatum sit, fini primario, *qualis est matrimonij, procreatio prolis*, præponere secundarium, *qualis est matrimonij, vitatio fornicationis*. Ratio vero posterioris est, quod quando finis primarius impossibilis est, licitum sit, *cum impossibile intendi non possit*, eo omisso secundarium intēdere. Adde quod alioqui senes generationi inepti, semper peccarent contrahendo; quod dicendum non est. Pro hac doctrina plures auctores idem Sanchez nu. 26. refert.

Quinta conclusio est, Contrahere matrimonium ob finē venialem vt ob vanam gloriam, peccatū esse veniale: & contrahere ob finem mortalem, vt ob cōmoditatem interficiendi aliquem, peccatum esse mortale. Hanc ab omnibus receptam esse notans Nauar. *in Enchir. cap. 22. n. 79.* probat: quia quam malus est finis alicuius actus, tam & ipse actus malus est argumento cap. Cum minister 23. qu. 5.

Postrema conclusio est, Contrahentes matrimoniū peccare mortaliter, si expressa cōditione excludant fines ad quos institutum est à Deo. In eo enim grauem iniuriam inferunt & Sacramento & Christo, à quo in tales fines illud est institutum. Vide antedicta nu. 59.

64. Tertius modus, quo peccatur in contrahendo matrimonium, est ex parte impedimentorum, *de quibus dicetur in proxime sequenti tractatu*: isq; procedit quantumcunq; habēs impedimentum, speret se habiturum dispensationem: quia talis spes non tollit impedimentum ipsum. Est autem peccatum mortale, cum impedimentum fuerit ex maioribus, non autem cum ex minoribus, exceptis tribus, quemadmodum notat Caiet. in verbo Matrimonium: quorum primum est Ecclesiæ interdictum: secundum, sponsalia: & tertium, simplex votum castitatis.

Quartus modus, est ex parte rationis cōtrahendi: nempe cum matrimonium celebratur clandestine, aut contra iustam voluntatē parentum: de qua in sequentibus. Cuiusmodi peccatū esse mortale Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. De reform. matrimonij satis indicauit, cum dixit: Ecclesiam semper detestatam esse & prohibuisse id genus matrimonij. Vide Nauarrum *in Enchir. cap. 22. nu. 69.*

Quintus modus, est ex parte ordinis: nempe si non adhibeatur benedictio ante cōsummationē matrimonij: quod tamen peccatum ex cōmuniore sententia non est plusquam veniale, de quo late Sanchez *lib. 3. disp. 12.*

65. Sextus modus est, ex parte temporis: sunt enim certa tēpora in quibus non licet celebrare nuptias vt antea retulimus ex Concil. Trid. sess. 24. De reform. matrimon. cap. 10. Quod peccatum quando sit mortale, Nauarrus in seq. nu. 71. explicat docens, mortaliter peccare eum, qui temporibus ab Ecclesia prohibitis benedictionem nuptiarū accipit, aut in domum suā solemniter sponsam inducit: tanquā transgrediens Ecclesiæ prohibitionem: de qua in cap. Capellanus, De ferijs, & in cap. Non oportet, & tribus sequentibus 33. qu. 4. non item qui solum sponsalia aut matrimoniū de præsenti contrāhit: quoniā illa prohibitio tantum est quoad matrimonij solemnitatem, & non ad impediendū ne talibus diebus qui contraxerunt carnaliter coniungantur; prout ad citatū cap. Capellanus, *verbo Quocunq; tempore*, glossa annotat. Pro quo D. Thomam, Paludanum, Caieta. & Syluestrū Nauar. citat. Videri potest Thomas Sanchez lib. 7. disp. 7. latius de eo differens. Sufficiunt autem nostro instituto quæ dicturi sumus sub finem sequentis nu. 183.

Vltimus modus est ex parte contrahentiū. Nam quando ille qui contrahit, nouit se esse excōmunicatum maiore aut minore excommunicatione, aut se esse in peccato mortali, peccat mortaliter contrahendo matrimoniū in eo statu: quod Nauar. in seq. nu. 81. & cæteri cōmuniter notant. Ratio autem est, indigna susceptio Sacramenti: ad quam vitandam Concil. Trid. in præced. cap. 1. hortatur futuros coniuges vt antequā contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. Quod obseruandū est non solum quando contrahitur matrimoniū inter præsentes: sed etiam cum inter absentes per procuratorem aut per literas: cum tunc etiam sit verum Sacramentū, argumento cap. Ex parte 2. De conuers. coniug. De qua re late Sanchez lib. 2. matrim. disput. 11. & 12. Itaque ille qui procuratorem mittit deberet constituere alteri certum diem in quo contrahatur matrimonium, & interea curare vt tunc temporis ab excōmunicatione & peccato mortali se liberum inueniat.

TRACTATVS III.

De impedimentis matrimonij.

EXpositis ijs quæ ad matrimonij substantiam & causas ipsius spectant: consideranda sunt impedimenta, quæ contractum, in quo debet consistere, inualidum vel illicitum faciunt: quorum alia dicuntur maiora reddunt; matrimonij contractum & illicitum & inualidum: alia minora, quæ reddunt quidem illicitum, non tamen inualidum matrimonij contractum. Vnde ista ab authoribus definiuntur esse, quæ matrimonium impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractū, id est, ratione quorum, peccatur quidem contrahendo matrimonium: sed ita vt contractū, nihilominus sit validū. Istiusmodi sunt votum simplex castitatis, sponsalia cum alio iam contracta, interdictū Ecclesiæ traditio Catechismi: & sex crimina, nempe incestus, raptus sponsæ alienæ, coniugiū sacrilegium cum Sanctimoniali; occisio vxoris, interfectio Presbyteri, & Baptismus proprij filij. Maiora vero definiuntur quæ non solū impediunt contrahendum, sed etiā dirimunt contractum. Quod aduerte non esse ita intelligendum quasi talia impedimenta dissoluant ac dirimant matrimoniū ante valide cōtractum: illius enim vinculum indissolubile est, *prout plenius expositum est in præced. cap. 4.* sed quod eam vim habeant, vt qui cum illis contraxerint, iure separari debeant, tanquam ij qui non vere & legitime, neq; valide contraxerint, prout ex D. Thoma cōmuniq; sententia notat Nauar. in Enchir. cap. 22. nu. 29. Duodecim autem istiusmodi communiter numerantur expressi his versibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.

Quæ sic inter se distinguuntur, vt alia referantur ad coniugum consensum: vt primum, secundum, & septimum: nempe error, conditio, & vis, quorum duo priora eidem consensui libero aduersantur per ignorantiam: & posterius per coactionem. Alia autem referantur ad personas contrahentes quas reddunt ad matrimoniū inhabiles: alia quidē absolute, atq; adeo ad matrimonium quodcunque quorum vnum est naturale, nempe duodecimum, hoc est, impotentia coeundi perpetua; siue innata sit, siue maleficio procurata: tria vero sunt voluntaria, scilicet tertium, & octauum & nonum: hoc est, votū, ordo, & ligamen. Alia vero inhabiles reddunt tantū ad aliquod matrimonium, sed ad matrimonium cum certis

tantum personis contrahendum : vt quartum, quintum, sextum, decimum & vndecimum, hoc est, cognatio, crimen, *nempe adulterium iunctum homicidio in via ad futurum matrimonium*, cultus disparitas, honestas publica, & affinitas. Videri possunt Bellarminus in libro De matrim. cap. 18. & Sanchez in lib. 7. disp. 6.

Distinguuntur adhuc aliter eadem maiora impedimenta; quod quædam sint iuris naturæ; nimirum quia recta ratio dictat impedire matrimonij contractum, eleuatum à Christo in Sacramentum: quædam vero tantum sint iuris Ecclesiastici. Vnde fit vt in his authoritate publica dispensari possit: non item in illis. De singulis in particulari dicturi: primo, cõsiderabimꝰ maiora, quæ sunt iuris naturæ: secundo, maiora quæ sunt iuris tantum Ecclesiastici: & postremo loco minora. Quæ autem dicentur de viro erunt pariter intelligenda de fœmina, & è contra, nisi aliud annotetur.

TITVLVS PRIMVS.

De maioribus matrimonij impedimentis quæ iuris sunt naturæ.

ISta sunt sex, indicata hoc versu:

Mens ægra, ac coniunx, vis, error, ineptia, sanguis:

Quorum sensus est: carere vsu rationis, coniugatum iam esse, cogi ad contrahendum, errare circa personam cum qua contrahitur, ineptum esse ad carnalem copulam, & consanguineum esse illi cum quo contrahitur, de iure naturæ impedire matrimonium. Cui, quatenus requirit consensum liberum, repugnant mens ægra, vis, & error: & quatenus significat vnici Christi cum vnica Ecclesia coniunctionẽ, aduersatur ipsum contrahi cum pluribus, quam cum vno vel vna. Ac demum quatenus institutum est ad liberorũ procreationem, repugnat non modo ineptia; sed etiam sanguis, qui naturaliter facit illud auersari.

CAP. XI.

De impedimento ægrè mentis.

SVMMARIVM.

66 *Defectus ægræmentis, seu vsus rationis, impedit matrimonij validitatem.*
67 *Amentes non sunt permittendi coniugi etiamsi id expetant.*
68 *Quando sit aut non sit peccatum inire matrimonium cum furioso habente lucida interualla.*

66. QVoniam ad matrimonium liber consensus requiritur, per tradita in precedenti cap. 3. n. 12. nec talis esse potest, nisi adsit rationis vsus: illos in quibus is defuerit, necesse est ad matrimonium inhabiles esse. Et ita pueris contrahentibus ante vsum rationis, matrimoniũ nullum esse ex defectu consensus, habetur ex cap. Tuæ fraternitati De sponsalib. in fine. Similiter perpetuo furiosis vel amentibus, contrahentibus, ex defectu quoq; consensus, nullum est matrimonium ipsorum ex cap. Dilectus De sponsalibus.

67. Neq; licitum esse duos amentes cõiungere: imo prohibẽdos esse, si coniungi vellent, bene probat Sotus in 4. dist. 34. sub finem: tum quia fieret proli iniuria: quia quantumcunque per aliam personam prouideretur illius educationi, non obuiaretur tamen illi graui incõmodo, quod amens nasceretur; deinde quia alienum est à ratione permittere vt homines belluarum more carnaliter coniungantur: nec refert, quod in eo non peccarent destituti ratione. Nam si blasphemaret, vel aliud legi naturæ repugnans attentarent, sine dubio cohibendi essent.

68. Quod si furiosus lucida habens interualla matrimonium contrahat: atque tunc, cum contrahit compos sit mentis validum est matrimonium, ex capit. Neque furiosus 32. quæstio. 7. vbi glossa id annotat. Verumtamen si inde probabile mortis periculum, vel vxori vel infantibus immineret, peccatum esset mortale cum tali contrahere. Sin tale periculum abesset, non videretur peccatum esse plusquam veniale, aut forte nullum esse. Quia si tali vxorem ducere licet, iuxta Apostolum in priore ad Corinth. 7. ad euitandum fornicationis peccatum cui obnoxius est (nec enim ab eo liber est omninõ, sicut is qui perpetuo caret vsu rationis) licebit quoq; fœminæ nubere illi, cum spes fuerit probabilis & se & prolem conseruandi ab illius furia.

CAP. XII.

De impedimento coniugij.

SVMMARIVM.

69 *Stante matrimonio, etiam nondum consummato secundum iniri non potest: non obstante quod alter coniunx probabiliter putetur mortuus.*
70 *Duæ conditiones requisitæ vt mulier possit tutâ conscientiâ inire secundas nuptias.*
71 *Quatenus inditia, aut fama de morte mariti possint sufficere fœminæ, ad contrahendum licite cum secundo.*
72 *Non est separanda mulier eo solo nomine, quod propriâ authoritate nupserit: & ad quid ea tenetur, cũ dubitat an prior maritus adhuc viuat, aut scit adhuc viuere.*
73 *Quando sit validum matrimonium contractum mortua vxore, quam maritus qui contrahit existimat viuere.*
74 *Pœnæ ducentis vxorem priore adhuc viuente.*

CVm sit contra rationem matrimonij à Christo in Sacramentum institutí, *vt patet ex dictis tractatu primo capit. 1. num. 4.* quod vnius viri plures simul sint vxores: vel vnius vxoris plures simul sint viri: dubium non est, quin per legitimum matrimonium habere iam coniugem, sit tale impedimentum contrahendi secundum, vt reddat ipsum omnino inualidum. Quod verum est non modo cum prius matrimonium fuerit carnali copula iam consummatum, sed etiam cum nondum fuerit, ex capit. 1. 3. & vlt. De sponsa duorum. Atque hinc est quod si mulier existimans probabiliter virum suum mortuũ esse, secundo viro authoritate iudicioq; Ecclesiæ nubat, etiamsi cum eo manserit diutissime, nõ ideo tamen prius matrimonium dissoluatur, siq; prior vir ipsius reuertatur, debeat ad illum redire: vt habetur 34. quæst. 1. cap. 1. Quanquam, vt ex eod. cap. habetur, non censebitur talis mulier peccasse, adulteraq; fuisse: nisi secundo viro adhæserit, postquam primum adhuc viuere cognouit, ex cap. Si virgo, eadem quæst. 1. 69.

CÆTERVM vt intelligatur quando mulier possit tuta cõscientia accipere secundum virum, dum prior non comparet, & probabiliter putatur mortuus (de qua re late Sanchez libr. 2. disput. 46.) obseruandæ sunt duæ conditiones ad id necessariæ, iuxta cap. 2. De secundis nuptijs. Prior est, vt mulier ipsa vere sibi persuadeat priorem virum suum mortuum esse: aliqui enim ageret contra conscientiam; quod non licet. Posterior est, *cum faciles sint mulieres ad tale quid sibi persuadendum*, vt id credat non leui de causa, sed iusta: & argumento moraliter certo. Quod argumentum, cum triplex assignari possit iuxta glossam ad cap. finale, De lite non contest. *verbo Præsumatur*; nempe certus nuncius, fama communis, & inditia quæ gignant vehementem præsumptionem; vt v.g. quod ille prior vir fuerit valde senex, abfueritq; multis annis: aut quod ingressus sit prælium nec amplius visus. Atq; constat quidem mulierem, cum acceperit certum prudentis iudicio nuncium de morte prioris viri, posse alteri nubere, ex cap. In præsentia, De sponsal. in fine. 70. 72.

SED an ad idem sufficiant fama & inditia prædicta, versatur in controuersia. Communior autem sententia (quam cum Syluestro *Matrimonium 8. quæstio. 13.* tenet Nauarr. in Enchir. cap. 22. num. 53. ac tribus sequentibus: tenent item Sotus in 4. *dist. 37. sub finem*: atque Couarr. in Epitome quarti Decretalium *parte 2. cap. 7. §. 3. num. 3. & 4.* pluresque alij quos Sanchez *loco citato quæst. 3. refert*) declaratur his propositionibus.

Prima est: Iudicem Ecclesiasticum non debere mulieri facultatẽ concedere, vt secundo viro nubat, donec certum 71.

nuncium

nuncium acceperit de morte prioris, quantocunque annorum spatio is abfuerit. Hanc esse constitutam à Clemente tertio, habetur ex cap. In præsentia De sponsa. & à Lucio tertio, ex cap. Dominus De secundis nuptijs. Moderata est autē postea per Innocentium tertiū in cap. finali De lite non contest. §. Si autem 1. vbi habetur, quod Iudex Ecclesiasticus in tali causa procedere non debeat, nisi verosimiliter præsumatur de morte viri: quod quidem indicat ad procedendum, aliquando sufficere posse indicia quæ pariant verosimilem præsumptionem. Quando sint vero talia, quæ sufficiant, *vt & quando nuncium acceptum de viri morte sit certum sufficienter*, relictum est prudentis arbitrio attentis circunstantijs occurrentibus.

Secunda propositio est: Mulierem posse bonâ conscientiâ secundo viro nubere, quando talis est publica fama, aut talia adsunt indicia de morte prioris mariti, vt iudicio Ecclesiastici Iudicis alteriusq; prudentis, boniq; viri, faciant verosimilem præsumptionem. Hæc præterquam ex præcedenti sequitur, habetur etiam ex eo, quod falli possit is qui mittit certum nuncium: ita vt hoc non excludat omne periculum deceptionis: & nihilominus potest sufficere ad excusationē secundarum nuptiarum, ex cap. In præsentia, & ex cap. Dominus ante citatis. Igitur sufficere quoq; poterunt alia indicia, quæ faciant non minorem probabilitatem quam idipsum certum nuncium.

De qua probabilitate aduerte, talem esse debere, vt excludat omnem contrariam, quæ rem faciat dubiam: alioqui enim esset abstinendum à secundis nuptijs, quod nullum habet periculum, non autem illas inire; in quo periculum esset tum nullitatis matrimonij, tum etiam adulterij. Pro quo faciunt quæ Sanchez tradit in memorata disput. 46. quæstio. 1. qui & in sequenti quæst. 2. bene docet vnius testimonium de morte prioris mariti non sufficere vxori ad licite nubendum alteri: quia si in causis pecuniarijs dictum vnius, insufficiens est; multo minus sufficiet in causa secundi matrimonij, in qua imminent damna peccati, inualiditatis Sacramenti, infamiæ, & dedecoris, si vir ipsius superstes sit. Excipit autē in fine eiusdem quæstionis casum in quo ob loci distantiam nō posset haberi alia probatio: & qualitas personæ, & verisimilitudo eorum quæ dicit, prudens iudicet fidem esse ei adhibendam. Ex eodem fundamento tenendum videtur etiam quod idem multis pro se citatis tenet, solam famam non sufficere ad probationem mortis mariti, nisi alijs adminiculis fulciatur: vt quod ea sit longi temporis & cōstans in loco vbi maritus morabatur, & ex alijs id genus, quæ ipse Sanchez citatis authoribus refert: additis conditionibus quas fama requirit, vt plene vereq; probata cēseatur: quæ cum spectēt ad vsum fori externi, ei cui libuerit ipsum videndas relinquemus.

72. Tertia propositio est: Mulierem quæ priuata etiam authoritate, nupsit secundo viro, non esse ab eo separandā per Iudicem Ecclesiasticum, nisi certo constiterit, quod prior maritus viuat. Hæc deducitur ex eo, quod talis mulier eidem secundo viro postulanti, non debeat negare debitum; quando ipsa de morte prioris viri adhuc sibi dubitandum existimat, ex cap. Dominus, De secund. nupt.

Quarta propositio est: Mulierem quæ siue temere, siue iustis argumentis subnixa contraxit cum secundo viro, si postea sciuerit priorem maritum viuere, debere ab hoc posteriori abstinere. Quod si nesciat certo, credat tamen leuiter, & sine iustis argumentis, debet ad consilium sui pastoris dubitationem huiusmodi deponere, libereq; non modo reddere, sed etiam petere debitum. Sin credulitas eius probabilis sit & discreta, vtpote innixa verosimilibus coniecturis & argumentis, tenetur quidem reddere debitum eidem secundo viro petenti: sed illud ab eo petere non potest. Hæc habetur ex cap. Inquisitioni De sentent. excommunic. Pari autem ratione, quando matrimonium ratum solummodo, nec cōsummatum fuerit, iudicandum est de muliere, quæ cum secundo viro contraxerit, eo quod crederet priorem illum ingressum esse religionem: nam si res aliter se habere deprehendatur, ipsi priori adhærere compelletur, etiamsi secundum matrimonium fuerit consummatum ex cap. Licet De sponsa duorum. Id quod Couarr. tractat in Epitome *part. 2. cap. 7. §. 3. num. 5.*

Alia difficultas hic occurrit, An ille qui existimans vxorem suam adhuc viuere, cum esset mortua, contraxit cum secunda, valide contraxerit. Ad quam cum Sylu. *Matrimonium 8. qu. 3. §. 5.* Nauar. in Enchir. *cap. 22. nu. 56.* distinguendo respondet: quod si talis putarit se posse vxorem secundam ducere viuente priore, *quantumcunq; sciret id esse peccatum*, tunc matrimonium fuisse validum: quia vere habuit intentionem cōtrahendi; neq; interuenit impedimentū coniugij, cū prior vxor iam esset mortua. Sed si existimarit se non posse tale quid: vtpote sciens contractum cum secunda, viuente priore, non esse matrimonium: tunc inualidum esse matrimonium, quia non habuit intentionem contrahendi, sed solum decipiendi. De eo qui in tali casu vniuersē intenderet matrimoniū contrahere, non distinguendo an possit, vel non possit valide contrahere viuente adhuc vxore, dicendū videtur quod valide contrahat; cum intendat contrahere eo modo quo potest, nec subsit impedimentum coniugij, nec aliud, *vt supponimus*, dirimens matrimonium. 73.

Cæterum ille qui sciens vxorem adhuc viuere, ducit secundam: præter peccatum mortale, quinque pœnas incurrit. Nam in capit. 2. De sponsa duorum, illi imponitur vt quadraginta diebus in pane & aqua ieiunet, & septem sequentibus annis pœniteat. Deinde fit irregularis, ex capit. Nuper De bigamis. Tertio, contrahit matrimonij impedimentum vnum de minoribus, significatum nomine criminis, de quo in sequenti sectione tertia. Quarto, efficitur ipso iure infamis, ex citato cap. Nuper. Ac tandem incurrit pœnas alias adulterij, & stupri, de qua re Couarr. in cit. §. 3. numer. 6. & 7. 74.

CAP. XIII.

De impedimento Vis, seu Metus grauis.

SVMMARIVM.

75 *Duo modi quibus vis seu metus grauis potest impedire matrimonium: & diuersitas fori exterioris & interioris in iudicando de consensu in matrimonium.*

76 *Quatuor conditiones requisitæ, vt per metum reddatur matrimonium inualidum: quarum prima est, vt malum quod timetur, sit graue.*

77 *Idemq; probabiliter immineat; nec necesse est grauius esse matrimonio ingrato, dummodo vere sit graue.*

78 *Secunda conditio requisita, vt metus sit extrinsecus ab homine incussus. Et tertia, vt sit incussus ad obtinendam celebrationem matrimonij.*

79 *Quarta, vt sit iniuste incussus, & nonnulla quæ ex ea inferuntur.*

80 *Qui per metum cadentem in constantem virum matrimonium contrahit, non peccat vt contrahens inualide.*

81 *Metus peccati mortalis, censetur cadens in constantem virum, & de veniali quid tenendum.*

82 *Metus amissionis bonorum, metus infamiæ, metus excommunicationis, & metus lucri cessantis, quatenus censeantur cadere in constantem virum.*

83 *De metu reuerentiali: quatenus ex eo contractū matrimonium sit validum.*

84 *Moderatio cum qua idem accipiendum est: & de minus coniunctis metui reuerentiali.*

85 *In quos cadat metus reuerentialis: & an importunæ preces adiunctæ eidem metui, ipsum faciant cadentem in virum constantem.*

86 *Quatenus non possint aut possint inferiores à superioribus compelli ad matrimonium.*

87 *Matrimonium cōtractum metu cadente in constantem virum non reddi validum per adiectum iuramentum, nec vim habere sponsaliorum.*

88 *Nulla est obligatio contractus matrimonij per metum cadentem in constantem virum, initi de futuro, etiamsi adiectum sit iuramentum de non contraueniendo ei.*

89 *Obiectio in contrarium solutione.*

90 *De dubio an validū sit matrimonium contractū & consummatum metu cadente in constantē virum; aliud tenendū quoad forum externum, aliud quoad internum, & quid.*

tantum personis contrahendum : vt quartum, quintum, sextum, decimum & vndecimum, hoc est, cognatio, crimen, *nempe adulterium iunctum homicidio in via ad futurum matrimonium*, cultus disparitas, honestas publica, & affinitas. Videri possunt Bellarminus in libro De matrim. cap. 18. & Sanchez in lib. 7. disp. 6.

Distinguuntur adhuc aliter eadem maiora impedimenta; quod quædam sint iuris naturæ; nimirum quia recta ratio dictat impedire matrimonij contractum, eleuatum à Christo in Sacramentum: quædam vero tantum sint iuris Ecclesiastici. Vnde fit vt in his authoritate publica dispensari possit: non item in illis. De singulis in particulari dicturi: primo, cõsiderabimꝰ maiora, quæ sunt iuris naturæ: secundo, maiora quæ sunt iuris tantum Ecclesiastici: & postremo loco minora. Quæ autem dicentur de viro erunt pariter intelligenda de fœmina, & è contra, nisi aliud annotetur.

TITVLVS PRIMVS.

De maioribus matrimonij impedimentis quæ iuris sunt naturæ.

ISta sunt sex, indicata hoc versu:

Mens ægra, ac coniunx, vis, error, ineptia, sanguis:

Quorum sensus est: carere vsu rationis, coniugatum iam esse, cogi ad contrahendum, errare circa personam cum qua contrahitur, ineptum esse ad carnalem copulam, & consanguineum esse illi cum quo contrahitur, de iure naturæ impedire matrimonium. Cui, quatenus requirit consensum liberum, repugnant mens ægra, vis, & error: & quatenus significat vnici Christi cum vnica Ecclesia coniunctionẽ, aduersatur ipsum contrahi cum pluribus, quam cum vno vel vna. Ac demum quatenus institutum est ad liberorũ procreationem, repugnat non modo ineptia; sed etiam sanguis, qui naturaliter facit illud auersari.

CAP. XI.

De impedimento ægrè mentis.

SVMMARIVM.

66 *Defectus ægræmentis, seu vsus rationis, impedit matrimonij validitatem.*
67 *Amentes non sunt permittendi coniugi etiamsi id expetant.*
68 *Quando sit aut non sit peccatum inire matrimonium cum furioso habente lucida interualla.*

66. QVoniam ad matrimonium liber consensus requiritur, per tradita in precedenti cap. 3. n. 12. nec talis esse potest, nisi adsit rationis vsus: illos in quibus is defuerit, necesse est ad matrimonium inhabiles esse. Et ita pueris contrahentibus ante vsum rationis, matrimoniũ nullum esse ex defectu consensus, habetur ex cap. Tuæ fraternitati De sponsalib. in fine. Similiter perpetuo furiosis vel amentibus, contrahentibus, ex defectu quoq; consensus, nullum est matrimonium ipsorum ex cap. Dilectus De sponsalibus.

67. Neq; licitum esse duos amentes cõiungere: imo prohibẽdos esse, si coniungi vellent, bene probat Sotus in 4. dist. 34. sub finem: tum quia fieret proli iniuria: quia quantumcunque per aliam personam prouideretur illius educationi, non obuiaretur tamen illi graui incõmodo, quod amens nasceretur; deinde quia alienum est à ratione permittere vt homines belluarum more carnaliter coniungantur: nec refert, quod in eo non peccarent destituti ratione. Nam si blasphemaret, vel aliud legi naturæ repugnans attentarent, sine dubio cohibendi essent.

68. Quod si furiosus lucida habens interualla matrimonium contrahat: atque tunc, cum contrahit compos sit mentis validum est matrimonium, ex capit. Neque furiosus 32. quæstio. 7. vbi glossa id annotat. Verumtamen si inde probabile mortis periculum, vel vxori vel infantibus immineret, peccatum esset mortale cum tali contrahere. Sin tale periculum abesset, non videretur peccatum esse plusquam veniale, aut forte nullum esse. Quia si tali vxorem ducere licet, iuxta Apostolum in priore ad Corinth. 7. ad euitandum fornicationis peccatum cui obnoxius est (nec enim ab eo liber est omninõ, sicut is qui perpetuo caret vsu rationis) licebit quoq; fœminæ nubere illi, cum spes fuerit probabilis & se & prolem conseruandi ab illius furia.

CAP. XII.

De impedimento coniugij.

SVMMARIVM.

69 *Stante matrimonio, etiam nondum consummato secundum iniri non potest: non obstante quod alter coniunx probabiliter putetur mortuus.*
70 *Duæ conditiones requisitæ vt mulier possit tutâ conscientiâ inire secundas nuptias.*
71 *Quatenus inditia, aut fama de morte mariti possint sufficere fœminæ, ad contrahendum licite cum secundo.*
72 *Non est separanda mulier eo solo nomine, quod propriâ authoritate nupserit: & ad quid ea tenetur, cũ dubitat an prior maritus adhuc viuat, aut scit adhuc viuere.*
73 *Quando sit validum matrimonium contractum mortua vxore, quam maritus qui contrahit existimat viuere.*
74 *Pœnæ ducentis vxorem priore adhuc viuente.*

CVm sit contra rationem matrimonij à Christo in Sacramentum institutí, *vt patet ex dictis tractatu primo capit. 1. num. 4.* quod vnius viri plures simul sint vxores: vel vnius vxoris plures simul sint viri: dubium non est, quin per legitimum matrimonium habere iam coniugem, sit tale impedimentum contrahendi secundum, vt reddat ipsum omnino inualidum. Quod verum est non modo cum prius matrimonium fuerit carnali copula iam consummatum, sed etiam cum nondum fuerit, ex capit. 1. 3. & vlt. De sponsa duorum. Atque hinc est quod si mulier existimans probabiliter virum suum mortuũ esse, secundo viro authoritate iudicioq; Ecclesiæ nubat, etiamsi cum eo manserit diutissime, nõ ideo tamen prius matrimonium dissoluatur, siq; prior vir ipsius reuertatur, debeat ad illum redire: vt habetur 34. quæst. 1. cap. 1. Quanquam, vt ex eod. cap. habetur, non censebitur talis mulier peccasse, adulteraq; fuisse: nisi secundo viro adhæserit, postquam primum adhuc viuere cognouit, ex cap. Si virgo, eadem quæst. 1. 69.

CÆTERVM vt intelligatur quando mulier possit tuta cõscientia accipere secundum virum, dum prior non comparet, & probabiliter putatur mortuus (de qua re late Sanchez libr. 2. disput. 46.) obseruandæ sunt duæ conditiones ad id necessariæ, iuxta cap. 2. De secundis nuptijs. Prior est, vt mulier ipsa vere sibi persuadeat priorem virum suum mortuum esse: aliqui enim ageret contra conscientiam; quod non licet. Posterior est, *cum faciles sint mulieres ad tale quid sibi persuadendum*, vt id credat non leui de causa, sed iusta: & argumento moraliter certo. Quod argumentum, cum triplex assignari possit iuxta glossam ad cap. finale, De lite non contest. *verbo Præsumatur*; nempe certus nuncius, fama communis, & inditia quæ gignant vehementem præsumptionem; vt v.g. quod ille prior vir fuerit valde senex, abfueritq; multis annis: aut quod ingressus sit prælium nec amplius visus. Atq; constat quidem mulierem, cum acceperit certum prudentis iudicio nuncium de morte prioris viri, posse alteri nubere, ex cap. In præsentia, De sponsal. in fine. 70. 72.

SED an ad idem sufficiant fama & inditia prædicta, versatur in controuersia. Communior autem sententia (quam cum Syluestro *Matrimonium 8. quæstio. 13.* tenet Nauarr. in Enchir. cap. 22. num. 53. ac tribus sequentibus: tenent item Sotus in 4. *dist. 37. sub finem*: atque Couarr. in Epitome quarti Decretalium *parte 2. cap. 7. §. 3. num. 3. & 4.* pluresque alij quos Sanchez *loco citato quæst. 3. refert*) declaratur his propositionibus.

Prima est: Iudicem Ecclesiasticum non debere mulieri facultatẽ concedere, vt secundo viro nubat, donec certum 71.

nuncium

nuncium acceperit de morte prioris, quantocunque annorum spatio is abfuerit. Hanc esse constitutam à Clemente tertio, habetur ex cap. In præsentia De sponsa. & à Lucio tertio, ex cap. Dominus De secundis nuptijs. Moderata est autē postea per Innocentium tertiū in cap. finali De lite non contest. §. Si autem 1. vbi habetur, quod Iudex Ecclesiasticus in tali causa procedere non debeat, nisi verosimiliter præsumatur de morte viri: quod quidem indicat ad procedendum, aliquando sufficere posse indicia quæ pariant verosimilem præsumptionem. Quando sint vero talia, quæ sufficiant, *vt & quando nuncium acceptum de viri morte sit certum sufficienter*, relictum est prudentis arbitrio attentis circunstantijs occurrentibus.

Secunda propositio est: Mulierem posse bonâ conscientiâ secundo viro nubere, quando talis est publica fama, aut talia adsunt indicia de morte prioris mariti, vt iudicio Ecclesiastici Iudicis alteriusq; prudentis, boniq; viri, faciant verosimilem præsumptionem. Hæc præterquam ex præcedenti sequitur, habetur etiam ex eo, quod falli possit is qui mittit certum nuncium: ita vt hoc non excludat omne periculum deceptionis: & nihilominus potest sufficere ad excusationē secundarum nuptiarum, ex cap. In præsentia, & ex cap. Dominus ante citatis. Igitur sufficere quoq; poterunt alia indicia, quæ faciant non minorem probabilitatem quam idipsum certum nuncium.

De qua probabilitate aduerte, talem esse debere, vt excludat omnem contrariam, quæ rem faciat dubiam: alioqui enim esset abstinendum à secundis nuptijs, quod nullum habet periculum, non autem illas inire; in quo periculum esset tum nullitatis matrimonij, tum etiam adulterij. Pro quo faciunt quæ Sanchez tradit in memorata disput. 46. quæstio. 1. qui & in sequenti quæst. 2. bene docet vnius testimonium de morte prioris mariti non sufficere vxori ad licite nubendum alteri: quia si in causis pecuniarijs dictum vnius, insufficiens est; multo minus sufficiet in causa secundi matrimonij, in qua imminent damna peccati, inualiditatis Sacramenti, infamiæ, & dedecoris, si vir ipsius superstes sit. Excipit autē in fine eiusdem quæstionis casum in quo ob loci distantiam nō posset haberi alia probatio: & qualitas personæ, & verisimilitudo eorum quæ dicit, prudens iudicet fidem esse ei adhibendam. Ex eodem fundamento tenendum videtur etiam quod idem multis pro se citatis tenet, solam famam non sufficere ad probationem mortis mariti, nisi alijs adminiculis fulciatur: vt quod ea sit longi temporis & cōstans in loco vbi maritus morabatur, & ex alijs id genus, quæ ipse Sanchez citatis authoribus refert: additis conditionibus quas fama requirit, vt plene vereq; probata cēseatur: quæ cum spectēt ad vsum fori externi, ei cui libuerit ipsum videndas relinquemus.

72. Tertia propositio est: Mulierem quæ priuata etiam authoritate, nupsit secundo viro, non esse ab eo separandā per Iudicem Ecclesiasticum, nisi certo constiterit, quod prior maritus viuat. Hæc deducitur ex eo, quod talis mulier eidem secundo viro postulanti, non debeat negare debitum; quando ipsa de morte prioris viri adhuc sibi dubitandum existimat, ex cap. Dominus, De secund. nupt.

Quarta propositio est: Mulierem quæ siue temere, siue iustis argumentis subnixa contraxit cum secundo viro, si postea sciuerit priorem maritum viuere, debere ab hoc posteriori abstinere. Quod si nesciat certo, credat tamen leuiter, & sine iustis argumentis, debet ad consilium sui pastoris dubitationem huiusmodi deponere, libereq; non modo reddere, sed etiam petere debitum. Sin credulitas eius probabilis sit & discreta, vtpote innixa verosimilibus coniecturis & argumentis, tenetur quidem reddere debitum eidem secundo viro petenti: sed illud ab eo petere non potest. Hæc habetur ex cap. Inquisitioni De sentent. excommunic. Pari autem ratione, quando matrimonium ratum solummodo, nec cōsummatum fuerit, iudicandum est de muliere, quæ cum secundo viro contraxerit, eo quod crederet priorem illum ingressum esse religionem: nam si res aliter se habere deprehendatur, ipsi priori adhærere compelletur, etiamsi secundum matrimonium fuerit consummatum ex cap. Licet De sponsa duorum. Id quod Couarr. tractat in Epitome *part. 2. cap. 7. §. 3. num. 5.*

Alia difficultas hic occurrit, An ille qui existimans vxorem suam adhuc viuere, cum esset mortua, contraxit cum secunda, valide contraxerit. Ad quam cum Sylu. *Matrimonium 8. qu. 3. §. 5.* Nauar. in Enchir. *cap. 22. nu. 56.* distinguendo respondet: quod si talis putarit se posse vxorem secundam ducere viuente priore, *quantumcunq; sciret id esse peccatum*, tunc matrimonium fuisse validum: quia vere habuit intentionem cōtrahendi; neq; interuenit impedimentū coniugij, cū prior vxor iam esset mortua. Sed si existimarit se non posse tale quid: vtpote sciens contractum cum secunda, viuente priore, non esse matrimonium: tunc inualidum esse matrimonium, quia non habuit intentionem contrahendi, sed solum decipiendi. De eo qui in tali casu vniuersē intenderet matrimoniū contrahere, non distinguendo an possit, vel non possit valide contrahere viuente adhuc vxore, dicendū videtur quod valide contrahat; cum intendat contrahere eo modo quo potest, nec subsit impedimentum coniugij, nec aliud, *vt supponimus*, dirimens matrimonium. 73.

Cæterum ille qui sciens vxorem adhuc viuere, ducit secundam: præter peccatum mortale, quinque pœnas incurrit. Nam in capit. 2. De sponsa duorum, illi imponitur vt quadraginta diebus in pane & aqua ieiunet, & septem sequentibus annis pœniteat. Deinde fit irregularis, ex capit. Nuper De bigamis. Tertio, contrahit matrimonij impedimentum vnum de minoribus, significatum nomine criminis, de quo in sequenti sectione tertia. Quarto, efficitur ipso iure infamis, ex citato cap. Nuper. Ac tandem incurrit pœnas alias adulterij, & stupri, de qua re Couarr. in cit. §. 3. numer. 6. & 7. 74.

CAP. XIII.

De impedimento Vis, seu Metus grauis.

SVMMARIVM.

75 *Duo modi quibus vis seu metus grauis potest impedire matrimonium: & diuersitas fori exterioris & interioris in iudicando de consensu in matrimonium.*

76 *Quatuor conditiones requisitæ, vt per metum reddatur matrimonium inualidum: quarum prima est, vt malum quod timetur, sit graue.*

77 *Idemq; probabiliter immineat; nec necesse est grauius esse matrimonio ingrato, dummodo vere sit graue.*

78 *Secunda conditio requisita, vt metus sit extrinsecus ab homine incussus. Et tertia, vt sit incussus ad obtinendam celebrationem matrimonij.*

79 *Quarta, vt sit iniuste incussus, & nonnulla quæ ex ea inferuntur.*

80 *Qui per metum cadentem in constantem virum matrimonium contrahit, non peccat vt contrahens inualide.*

81 *Metus peccati mortalis, censetur cadens in constantem virum, & de veniali quid tenendum.*

82 *Metus amissionis bonorum, metus infamiæ, metus excommunicationis, & metus lucri cessantis, quatenus censeantur cadere in constantem virum.*

83 *De metu reuerentiali: quatenus ex eo contractū matrimonium sit validum.*

84 *Moderatio cum qua idem accipiendum est: & de minus coniunctis metui reuerentiali.*

85 *In quos cadat metus reuerentialis: & an importunæ preces adiunctæ eidem metui, ipsum faciant cadentem in virum constantem.*

86 *Quatenus non possint aut possint inferiores à superioribus compelli ad matrimonium.*

87 *Matrimonium cōtractum metu cadente in constantem virum non reddi validum per adiectum iuramentum, nec vim habere sponsaliorum.*

88 *Nulla est obligatio contractus matrimonij per metum cadentem in constantem virum, initi de futuro, etiamsi adiectum sit iuramentum de non contraueniendo ei.*

89 *Obiectio in contrarium solutione.*

90 *De dubio an validū sit matrimonium contractū & consummatum metu cadente in constantē virum; aliud tenendū quoad forum externum, aliud quoad internum, & quid.*

75. VIs seu metus grauis dupliciter potest impedire matrimonium: vno modo, auferendo non tantum libertatē consensus, sed etiam consensum ipsum: vt quando homo propter metum, non consentit reuera, sed tantum fingit se consentire: tuncq; matrimonium inualidum est omni iure, tam naturali & diuino, quam Ecclesiastico: quia omni iure consensus requiritur ad matrimonium. Ad hoc faciunt cap. Si verum ei tua sanitas 31. quæst. 2. & cap. Consultationi De sponsal. neque id in dubium vocatur. Altero modo potest impedire auferendo tantum consensus libertatem, non autem consensum ipsum; vt fit cum quis vere quidem consentit in matrimonium, sed inuitus omnino propter metum grauem, qui dicitur cadens in constantem virum: sicq; certum est, inualidum esse matrimonium de iure Ecclesiastico, iuxta cap. Veniens 2. De sponsal. & cap. 2. De eo qui duxit in matrimonium.

SED DVBIVM EST, An sit etiam de naturali & diuino. Ad cuius explicationem & aliorum huc spectantium, prænotandum est 1. quod etsi in foro exteriori consensum liberum in matrimonio interuenisse iudicetur per signa externa, & inprimis per consecutam copulam carnalem: ac etiam iuxta cap. Ad id, De sponsalibus, per cohabitationem diuturnam, seu quæ duraverit post cessationē metus, nihilominus tamen in foro interiori nullum locū esse signis sed relatio ei confitentis rei veritatem: De quo per cap. Tua nos De spō sal. docet Couarr. in Epitome *par. 2. cap. 2. nu. 2.* quod in foro exteriori credatur testibus & alijs documentis, non autem confitenti in causam propriam: contra vero in foro interiori confitentis testimonium sufficiat, quantumcunq; mille aduersentur testes.

76. Prænotandum est secundo, requiri quatuor conditiones vt Matrimonium per metum reddatur inualidum. PRIMA, vt metus non sit leuis, *quod ex instituto tractat Sanchez libr. 4. disputat. 17.* sed grauis sit; qui in antecitato cap. Veniens dicitur cadens in constantem virum: de quo in præcedenti libro 1. cap. vltimo pluribus egimus. Sufficiet hic notare tria esse necessaria vt talis sit, saltem sufficiēter ad reddendū matrimonium inualidum. Primum est, vt malum quod timetur sit graue, seu valde magnum: de quo si non constat iure, relinquitur definiendum arbitrio Iudicis in foro externo: & arbitrio prudentis in foro interno, prout alijs citatis notat Sanchez *in eod. lib. 4. disp. 5. sub initium:* in qua consequenter tradit, quæ sint illa mala, de quibus iure constet, quod sufficiant ad metum cadentem in constantem virum, inter quæ certa sunt maximè, indicata hoc versu:

Stupri, siue status, verberis atque necis.

relata à D. Thoma *in 4. distinct. 29. quæstio vnica, artic 2. ad 2.* Nam mortē & cruciatus corporis per verberā, aut æquiualentem illis carcerem diuturnum, vel cum vinculis atrocibus, satis constat adferre metum, qui cadat in constantem virum: idq; habetur ex cap. Cum dilectus De his quæ vi, & ex lege Nec timorem ff. Quod metus causa. De mutatione status, qua ex libertate in seruitutem aut captiuitatem redigitur aliquis, itemq; de violatione pudoris in fœmina casta, idem constare potest ex eo quod talia mala censeantur non inferiora verberibus & carcere. Quæ ratio est, ad quam circunstantijs dispectis, prudens formare debet suum arbitriū in reliquis casibus: de quibus Sanchez *in eadem disp. 5.* Ex quo in præcedenti disp. 4. aduerte quod diximus, procedere non tantum cum ciusmodi mala inferenda sunt illi, qui timet, sed etiam quando alijs valde coniunctis; vt patri, vel matri, vxori vel filijs, aut alijs consanguinitate vel affinitate, vel amicitia valde coniunctis.

77. Alterum necessarium ad metum cadentem in constantē virum, est vt prædictum graue malum probabiliter immineat: nec enim vir est constans, qui malum etiam si magnum timet, quantumuis cognoscat illud minime sibi imminere. Hoc, *de quo plenius Sanchez in eod. lib. disp. 1. conditione 1.* colligitur ex cap. fin. 31. quæstio. 2. vbi glossa *verbo Reprehensibilem* duas causas tangit propter quas malum censendum est non imminere probabiliter. Prior est imbecillitas personæ quæ tale malum minatur: aut si ea nō solet minas exequi. Videndus est Sanchez *ibid. conditione 4.* Posterior vero est locus publicus, in quo multi adsunt qui valeant illud impedire. Idem iudicium est quoties timens potest aliter occurrere malo sibi imminenti, quā contrahendo tale matrimonium. De quare idem Sanchez *ibid. conditione vltima.*

Postremum necessarium ad prædictum metum, est ex plurimorum sententia, *quos commemorat Sanchez in sequenti disput. 2. sub initium*, talem proportionem esse inter malum quod quis minatur & matrimonium initum, vt melius sit accipere vxorem ingratam, quam pati tantum malum. Ratio est, quod cum viri constantis (vtpote sequentis rectæ rationis iudicium) non sit eligere maius malum ad vitandum minus, nec sanè erit eligere matrimonium: quando ipsius celebrationem pati, maius malum est, quam pati id quod alter minatur. Verumtamen idem Sanchez *ibid. numer. 3. cum Nauarro & aliquot alijs quos refert*, sententiam contrariam sequitur; quæ vt mitior teneri potest: respondendo ad rationem allatam, iura grauitatem metus, per quem matrimoniū redditur inualidum, metiri ex grauitate mali quod metuitur: adeō vt cum illa de se tanta fuerit, vt malum reddat à viro etiam constanti metuendum: sit nata impedire in eo libertatē consensus, requisitam ad matrimonij validitatem. Si vrgeas ex lege quinta, ff. Quod metus causa, metum accipiendum esse, quemlibet; sed maioris mali: idem Sanchez respondet ex glossa ibidem, comparatiuum illic sumi pro positiuo; sensumq; esse timorem maioris mali; id est, magni mali.

SECVNDA conditio ad metum requisita, vt is reddat matrimonium inualidum (de qua Couarr. in Epitome 2. part. cap. 3. §. 4. num. 16. & plenius Sotus in 4. dist. 29. quæst. 1. art. 3. versu. Regula ergo generalis) est, vt extrinsecus ab homine sit incussus: ita vt intrinsecus ab ipso metuente susceptus ex aliqua suspicione propria, aut passione aut incussus ab aliqua re experte rationis, non reddat matrimonium inualidum. Quocirca verum matrimoniū censetur, cum quis metu mortis, aut naufragij concubinam ducit in vxorem: similiter cum ex quibusdam suspicionibus vel indicijs metū infamiæ aut alterius mali concipiens, contrahit matrimonium. Item ex morbo quo laborat timens mortem, promittit medico se accepturum filiam eius in vxorem: si ipsum curauerit: non enim medicus, sed morbus metum illi incutit: & sic de similibus. 78.

TERTIA conditio, *quam Sotus ibidem subiungit*, est, vt metus non tantum incutiatur ab homine, sed etiam incutiatur eo fine vt matrimonium celebretur. Nam alio fine incussus, etiam ab homine, non reddit matrimonium inualidum. Et ita, *inquit ibidem Sotus*, si obsideatur aliqua ciuitas, & dominus illius metu mali imminentis matrimonium contrahat cum filia obsidentis, illud erit validum, quia obsidio non est eo fine cœpta, vt talis ad matrimonium cogeretur: quo sine si cæpta fuisset, matrimonium esset inualidum. Similiter is, qui iam ab hoste captus matrimonium offert vt liberetur, contrahit valide: vt & is cui ad mortem propter sua facinora damnato, Iudex vitam offert, si aliquam ducat in vxorem. In talibus enim casibus non incutitur metus vt matrimonium celebretur: sed potius celebratur matrimonium vt metus auferatur.

QVARTA conditio, *de qua pluribus Sanchez alijs citatis, lib. 4. disput. 13.* est, vt metus iniuste incutiatur eo fine, vt matrimonium celebretur. Si enim iuste incutiatur, non ideo impedietur validitas matrimonij. Nam ratio cur contractus metu factus censeatur inualidus, est quod contra iustitiam celebretur quod non contingit cum quis ad illum iuste cogitur. Matrimonium igitur non erit ex eo inualidum, quod contrahatur metu, si is sit iuste incussus. Accedit: quod quādo metus iuste incutitur, ille cui ob peccatum suum incutitur, censeatur causa esse illius: adeoq; libertatem per illum sibi auferre. Nam eo ipso quod peccauit, meruit vt sibi talis metus incuteretur, atq; plena contrahendi libertate priuaretur. Sic ex cap. 1. & 2. De adulterijs ille qui intulit stuprū virgini, cogitur etiam pœna temporali, eam ducere in vxorem: ac secundum omnes, *teste Nauar. in Enchir. cap. 22. nu 51. in fine*, is qui fœminam coegit secum matrimonium contrahere, si ipsa postea libere consentiente, ille renuat consensum præbere, cogi poterit ad præbendum. 79.

Ex hac conditione infertur verum esse, quod Sotus ibidem adhuc ait, nō esse validum matrimonium, ad quod quis furti aut homicidij reus cogitur ab alio incutiente metum,

quod

quod nisi filiam suam duxerit, illū ad Iudicem deferet. Nam quamuis possit iuste deferre, non potest tamen iuste per delationem illi metum incutere in eum finem, vt filiam suam ducat in vxorem. Infertur pariter (ad idq; facit cap. Veniens 2. De sponsa.) non esse validum matrimonium, si is qui inuenit aliquem cum filia, illum metu mortis, propria authoritate cogat matrimonium cum ea contrahere. Nec enim pater potest authoritate propria, iuste talem cogere ad matrimonium: quia id iudicis officium est. Valeret autem, si pater non venisset animo cogendi illum ad matrimonium, sed animo interficiendi illum ob eam culpam: ille autem precibus impetrasset ab eodē patre, vt vitam sibi condonaret, sub conditione quod filiam suam acciperet in vxorem. Tunc enim metus non esset incussus vt matrimonium fieret, neq; conuentio illa contingeret vt matrimoniū obtineretur per metum: sed vt metus per matrimonium tolleretur, sicut in casibus propositis in 3. conditione. Valeret quoq; matrimoniū si tunc pater tantū minaretur se accusaturum illum apud Iudicem, nisi filiam accipiat in matrimonium: eo quod pater non tantum potuit talem iuste accusare: sed etiam iuste illum accusare in eum finem vt matrimoniū contraheret, ad quod Iudex illum iuste cogere poterat.

Iam sequitur, vt ad dubia de re proposita veniamus quæ latius quidē persequitur Sanchez in supra cit. lib. 4. sed contenti erimus necessaria nostro instituto, quam paucis fieri poterit, perstringere.

Dubia de re proposita.

80. PRIMVM DVBIVM EST, An peccet is qui matrimonium contrahit per metum cadentem in constantē virum. Illud tractat Sanchez disp. 16. cum quo ac cum alijs quos ipse citat num. 6. respondendum est negatiuè: quia contrahere inualide non est intrinsecè suo genere malum: vt patet ex eo quod in cap vnico §. Idem quoq; De desponsa. impub. approbetur cōtractus matrimonij per verba de præsenti initus inter impuberes: & declaretur non valere tanquam matrimonium, sed tanquam sponsalia: quæ approbatio satis ostendit nō esse peccatū de se, matrimonium contrahere inualidum. Deinde sic contrahens matrimoniū, nec facit iniuriam proximo, qui illum iniuste cogit; nec Sacramento, cuius inualiditas in hoc casu non est ex parte contrahentis: sed à iure irritante, tota prouenit. Cuius prohibitioni cōtraueniens, à peccato excusatur per metum cadentem in constantem virū, nisi is incuteretur in odium religionis vel contemptum Ecclesiæ: atq; adeo in iniuriā Christi rebus omnib. anteponendi. Nec etiā ratio peccati potest in eo constitui, quod abutatur materia vel forma Sacramenti: quoniam consensus & verba quibus matrimonium contrahitur per metū cadentem in constantem virum: nec materia sunt nec forma vera Sacramēti matrimonij: quandoquidem non valent ad contractum eum, quem in Sacramentum Christus eleuauit. Namq; talis contractus debet esset validus: qualis certe non est factus metu cadente in cōstantem virum, vtpote qui irritus est ipso iure.

81. SECVNDVM DVBIVM EST, An cuiusuis peccati metus cēsendus sit cadens in constantem virum. Respondetur, de metu peccati mortalis certum esse, quod sit talis censendus: cum constet peccatum mortale, plusquam mortem timendum esse, ex cap. finali 31 qu. 2. & ex cap. Sacris De his quæ vi, &c. De metu vero peccati venialis Sotus *in 4. dist 29. q 1. art. 2.* circa medium, id negandum censet: nec sine ratione: quia licet malum sit committere peccatum veniale: & è contra virtutis sit egregiæ, mortem potius quam illius cōmissionem eligere; non censebitur tamen quis inconstans ex eo solum, q; tali peccato succubuerit, quia cum septies in die iustus taliter cadat, ex cap 24. Prouerb. nemo in præsenti vita inueniretur, qui constans dici posset.

82. TERTIVM DVBIVM EST, An omnis bonorum amissio vel infamia, vel maior excōmunicatio constituat metum cadentem in constantem virum. Istud Sanchez tractat in cit. lib. 4. disp. 5. docens à num. 20. de metu amissionis bonorum, quod cadat in virum constantem, quando iactura est grauis, & alicuius momenti: nec facile ei occurri potest. Cuius doctrinæ fundamentum est, quod talis amissio æquiparetur morti: vt iudicetur per illud, quod ad eam auertendam homines non dubitent cruciatibus, adeoque morti, se exponere.

Iam quod in virum constantem cadat etiam metus infamiæ, si hæc grauis fuerit, & alicuius momenti, ex eo patet: quod melius sit nomen bonum quā diuitiæ multæ Prouerb. 22. Inde enim sequitur metum infamiæ non minus cadere in constantem virum, quam metum amissionis bonorum. De qua re plenius Sanchez in præced. nu. 13. 14. & 15.

De metu autem excommunicationis maioris, dicendum est: eum leuem esse si excōmunicatio fuerit iusta: quia tanquam medicina applicatur in remedium inobedientiæ. Esse vero grauem si excommunicatio fuerit iniusta, nec ei facile occurri possit recurrendo ad Superiorem per appellationem, aut per humilem petitionem absolutionis. Excommicatio enim maior pœna est, qua maior nulla inferri potest iure Canonico ex capit. Corripiantur 24. quæst. 3. nihilque tam formidandum est, quam ab Ecclesia separari, ex cap. Nihil 11. quæst. 3. Id autem fit per excommunicationem maiorem.

Addit ipse Sanchez *alijs c. tatis nu. 25. & 26.* idem ac de metu amissionis omnium, aut maioris partis bonorum, dicendum esse in hac re de metu amissionis rei magnæ ac notabilis, aut instrumentorum totius vel maioris partis patrimonij. Idem quoq; de metu amissionis lucri notabilis, si metuens habuit ius quæsitum ad illud faciendum, & ipse ab eo per iniuriam arcetur. Secus vero, si nullum tale ius habuerit, quia tunc cupiditas lucri frænari censetur potius, quam metus mali incuti.

83. QVARTVM DVBIVM EST, An metus reuerentialis tanquam cadens in cōstantem virum, efficiat inualidum matrimonium, quod per illum contrahitur. Istud latissime tractat Sanchez *in eod. lib. 4. disp. 6.* Contenti erimus necessaria pro praxi, aliquot propositionibus tradere. Quibus præmittendum est metum reuerētialem hîc dici illum, quo inferior ex reuerentia erga suum superiorem (vt filius erga patrem, & sic de cæteris) adducitur ad præstandum in matrimonium consensum: siue expressum, vt cum verbis aut alijs signis illum exterius declarat; siue præsumptum, vt cum pater filio præsente matrimonium contrahit pro eo, nec ipse contradicit. Ex tali enim taciturnitate præsumitur consentire, ex cap. vnico De desponsa. impub. § Porro in 6.

Prima igitur propositio, *hoc ita posito*, sit; Solum metum reuerētialem, nisi minæ, aut verbera, aut alterius grauis mali metus adiungatur, non cadere in constantem virum, ac proinde non annullare matrimonium. Hanc Sanchez nu. 7. ex vtroq; iure deducit, pro eaq; plurimos authores citat. Ratio vero est, quod metus reuerentialis nudus, non videatur tantam vim habere (sicut haberet si minæ ei adiungerentur, ex cap. Ex literis, De desponsa. impuberum) vt vir constans eo terreri debeat, atq; cogi censeatur.

84. Moderanda est vero propositio, *iuxta eundem nu. 11. & aliquot sequentes.* vt non procedat, si cum metu reuerentiali cōcurrat, filium aliumve subditum, esse valde paternis aut herilibus præceptis obtemperantem, & valde imbecillem: patremq; erga filiū, aut alium Superiorem erga suum subditū, sibi non consentientem esse crudelem & austerum. Ratio est, quia sine minis potest esse metus viri constantis, si is cui reuerentia debetur, nimis crudelis sit, & sæuitiam præ se ferat, solitusque sit sæuire, vbi non obtemperatur suæ voluntati: tunc enim quantumcunque minæ desint actu: adsunt tamen virtute, cum probabili timore coactionis. Idem iudicium est, si ad metum reuerentialem adiungatur indignatio patris aut alterius Superioris, quæ probabiliter creditur futura diuturna: ita vt patrem filius, aut alius inferior suū Superiorem semper sit habiturus infestum, ac passim obijcientem inobedientiam, & peiora de eo sentientem atque loquentem, pro more eorum qui alicui infesti sunt. Talis enim mali timorem cadere in constantem virum, argumento est; quod vir prudens tale quid existimet adeo graue; vt quam illud, eligat potius à patria domoq; paterna exul esse. Id quod inter grauia mala numerant Doctores, quos idem Sanchez commemorat *in præced. disp. 5. nu. 8.*

Secunda propositio est: Cum metu reuerentiali, & minus ad metum cadentem in constantem virum, requiri, vt is qui minatur solitus sit minas exequi. Hanc Sanchez disput. 6.

nu.21.probat: quia dum solet quis minas iactare,& parũ exequi, perinde est ac si non minaretur: quo fit, vt virũ prudentem nihil,aut parum tales minæ moueant tanquam vanæ ac nullius momenti. Addit idem in nu.22. hanc non procedere,cum ille qui minatur potens fuerit,etiamsi de illius conditione dubitetur,an sit atrox & solitus minas executioni mãdare. Ratio est: quia metum passus, merito timendi causam ex eo arripit, quod vir potens cui reuerentia debetur, minatus sit. Etenim dum mores ipsius ignorantur, nõ est æquum exponere se periculo executionis talium minarum.

85. Tertia propositio est: Metum reuerentialem dari in omni illo, qui iure aliquo subiectionis subest alteri: vt in Clerico respectu Episcopi: in laico,respectu magistratus: in filio vel filia, respectu patris aut matris (quando hæc perinde ac ille, austera fuerit & solitas minas exequi) aut aliorum ascendentium: itẽ in fratre vel sorore respectu fratris maioris, si cum hoc habitet ab eoq; gubernetur; itemq; in minore annis respectu sui curatoris: ac demum in nepote aut nepte respectu patrui aut auunculi cum quo habitat & à quo gubernatur. Ratio propositionis est: quod suapte natura inferiores ijs quibus subijciuntur debeant reuerentiam: quæ pudorem ac timorem incutit, retrahentem ipsos ne audeant voluntari illorum contradicere.

Quarta propositio est: Metum reuerentialem precibus importunis,id est,instantissimis, ac sæpius repetitis coniunctum,censeri posse cadere in constantem virum. De hac late disserit Sanchez disput.7. & illam tandem nu. 7. hac ratione concludit; quod cum ex vna parte importunitas cuiuscunque, non modo valde vrgeat, sed etiam vexet: & interdum opprimat: prout patet ex historia Sampsonis Iud. 16. vbi de Dalila dicitur,quod cum molesta esset ei, & per multos dies iugiter adhæreret, spatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius,&c. Ex altera parte vero reuerẽtia debita personæ potenti, reddat rogatum pusillanimem ac timidum: nec audentem contradicere. Cum inquam hæc ita sint: iure sane optimo, vtraque talis timendi causa coniuncta prudentem ac constantem virum coget, consensumque extorquebit. Vnde tali coniunctione concurrente cum metu reuerentiali, is censeri poterit, vt cadens in constantem virum, matrimonij validitatem impedire. Hîc duo occurrunt notanda.

86. Prius est; excõmunicationem quidem ipso facto incurrere Superiores qui cogunt suos inferiores ad matrimonium: imposita in Concil. Trid. sess.24. cap.9. De reform. matrimonij: parẽtes tamen posse sine vllo peccato tractare,& statuere de futuro matrimonio suorum liberorum, qui nondum attigerunt annos pubertatis, posseq; huiusmodi tractatum iuramento confirmare iuxta cap. Ex literis 2. De spõsalib. Et ratio est, *quam ibid. gloss. verbo Tam patres, attigit:* quia tale iuramentum intelligendum est, si filij voluerint postea cõsentire: quodq; ipsi parentes quantum licite potuerint, conabuntur illos inducere ad huiusmodi matrimonium. Vbi aduerte quod si pœna imposita esset illi, qui id à filio non cõsequeretur,ab illius solutione excusari eum, qui ad obtinẽdum talem consensum, quam potuit diligentiã & industriam adhibuisset,ex cap. Gemma De sponsalib. Et ratio est, quia puniendus non est, qui culpa caret.

Posterius est: quodetsi lædi non debeat matrimonij libertas,possint tamen subditi à Principibus, & filij à parentibus non tantumprohibitione; sed etiam pœnæ metu retrahi ab aliquo matrimonio per quod iniuriam, seu notabile detrimentum *(adeoq; grauiter peccarent)* Reipub infertẽt aut propriæ familiæ, aut alicui priuatæ personæ. Sic enim cõtrahens; quia, *verbi gratia*, hostibus præbet occasionem inuadendi Rempub. aut infamiæ notam inurit suæ familię, aut aliquem iniuste neci exponit, potest iuste puniri. De qua tota re late disserens Sanchez videri potest *in libr.4. disp. 22. & aliquot sequentib.* Illud solum monebimus ad eam facere, quod Isaac Gen.28.filio suo Iacob prohibuit ne acciperet coniugem de genere Canaan: quodq; interdum iuste prohibeatur lege vel statuto regionis,aut ciuitatis,ne matrimonium contrahatur cum ijs qui sunt alterius regionis aut ciuitatis. Quæ prohibitio sicut iusta est, ita obseruatio illius potest iuste vrgeri metu incusso: qui quando iustus est, non obstat validitati matrimonij.

QVINTVM DVBIVM EST; An matrimonium contractum metu in constantem virum cadente, validum sit, si confirmetur iuramento. De hoc copiose quoque Sanchez disserit *in præcedenti disput.*20. Nobis autem sufficere posse videntur sequentes propositiones. Prima est, Si matrimonio per prædictum metum contracto, apponatur iuramentum de præsenti dicendo, Duco & iuro me ducere: sicut matrimonium nullum est omnino, ita & iuramentum: adeo vt non indigeat relaxatione. Hæc deducitur ex cap.2. De eo qui duxit in matrimonium: vbi eum qui per metum grauem contracto & iurato matrimonio secundam duxit, definitur libere permittendum esse cum eadem secunda permanere. Quo significatur non modo prius matrimonium inualidum fuisse, sed etiam iuramentum ei additum minime obligasse. Alioqui enim ob illius violationem imponeretur aliqua pœna, à qua ne metus quidem grauis quo extortum fuerit omnino excusat, iuxta cap. Verum, De iureiur. Confirmatur quoque ratione: tum quia iuramentum accedens ad contractum propter cõmunem vtilitatem prohibitum (cuiusmodi est contractus matrimonij factus metu cadente in constantem virum) non obligat: vt patet ex cap. Si diligenti, De foro competenti. Videndus est idem Sanchez *lib.1. disput. 32. num.8. & aliquot sequentib.* Tum quia iuramentum sequitur naturam contractus cui adiicitur. Ergo sicut matrimonium natura sua requirit cõsensum liberum, ita & iuramentum illi accedens, censendum est requirere: iuxta regulam 42. iuris in 6. Accessorium, naturam sequi congruit principalis. Tum demum, quia prædictum iuramentum est assertorium, cuius si nulla sit obligatio de præsenti, neque erit de futuro. Ipsum enim statim verum est aut falsum. Quod vero iuramentum quo matrimonium metu supradicto contractum confirmatur, falsum sit de præsenti, patet: quia tale matrimonium nullum est, propter impedimentum metus interuenientis.

Secunda propositio est, Ex matrimonio per metum cadentem in constantem virum contracto de præsenti ac iurato, nullam, ne quidem sponsaliorum, consurgere obligationem. Probatur, quia tam sponsalia etiam iurata, quam matrimonium, vt valeant, requirunt liberũ consensum, iuxta cap. Ex literis, De desponsat. impub. Cum ergo in proposito casu liber consensus deficiat omnino, talis contractus non valebit, neq; vt matrimonium, neq; vt sponsalia.

Tertia propositio est, Si contractui matrimonij per metum cadentem in constantem virũ, inito per verba de futuro, adijciatur iuramentum, de non contraueniendo ei, nullã esse neq; contractus neq; matrimonij obligationem. Nam ea vel esset seruandi matrimonium absque nouo consensu, nouaque ratificatione illius: vel esset illud ratum habendi nouo consensu libero. At prior obligatio nulla est: quia daretur alioqui obligatio ad peccatum mortale: quandoquidem vti matrimonio inualido, peccatum est mortale: nisi ipsum conualescat nouo consensu libero. Posteriorem quoque obligationem nullam esse, probatur: quia iurare se non contraeuenturum matrimonio, sed nouo consensu libero illud habiturum ratum: perinde est ac iurare se de nouo contracturum matrimonium; seu, *quod idem est*, se facere sponsalia iurata: quæ quidem facta metu cadente in constantem virũ non obligare, ante habitũ est; ac late docet Sanchez lib.4. disp.21. Qui pro eius rei pleniore notitia, videri quoq; potest in præced. disp.19. vt & in disp.15. pro declaratione eius quod hinc sequitur: nempe matrimonium metu extortum, vt nullum est omnino, sic nullam obligationẽ parere ex parte contrahentium; ita vt vnus altero inuito possit resilire.

Sed obijci potest, iuramentum istiusmodi non esse contra bonos mores, ex cap. Inter cætera, 22. quæst. 4. ideoq; seruari posse sine salutis æternæ dispendio, & obligare ad sui obseruationem, iuxta cap. Cum contingat, De iureiur. & capit. Quamuis pactũ, De pactis in 6. Sic enim iurans soluere vsuras ad redimendam vexationẽ, cum non peccet obseruando tale iuramentum, tenetur illud obseruare, ex cap. Debitores. De iurciur. Respondendum est, quod etsi iuramentum de quo agimus non sit contra bonos mores, quia potest absque culpa seruari: vergere tamen in præiudicium alterius (quod etiam sufficit ad tollendam illius obligationem, ex cit. cap. Cum contingat) quãdoquidem obseruatio illius aduersetur

publicæ

publicæ vtilitati, vt quid de se odiosum, & perturbationis, aliorumque malorum seminarium in Repub. Adhæc iurans per iniuste incussum metum, cadentem in constantem virũ, potest à peccato excusari hoc nomine, quod ratione talis metus possit iurando vti verbis ambiguis; quibus iniuste cogentem decipiat; vel si apertis verbis vti cogatur, nõ habendo intentionem iurandi: vel si habeat, subintelligendo mente aliquam conditionem, qua iuramentum reddatur inualidum; qualis est, Si iuste cogor: aut, Si alias obligor.

90. SEXTVM DVBIVM EST, An validum sit matrimonium quod & contrahitur & consummatur per metum cadentem in constantem virum. Istud satis persequitur Sanchez in eodem lib. 4. disput. 18. Contenti autem erimus notare in foro conscientiæ distinguendum esse. Nam si is qui matrimonium coactus consummat, accedat ad sponsam nõ affectu maritali tanquam ad vxorem, sed animo fornicãdi: tunc in conscientia non est matrimonium. Nec enim est per priorem consensum, quia is non potuit efficere matrimonium, cum procederet ex metu cadente in constantem virum: nec per ipsam consummationem, in qua cum nullus sit consensus in matrimonium, *vt supponitur*, nullum quoq; ex ea erit matrimonium. Si vero ille qui matrimonium consummare, metu etiam mortis cogitur, accedat ad sponsam affectu maritali tanquam ad vxorem, matrimonium erit validum, qua nouum consensum in matrimonium adhibuit, sufficientem ad illius validitatem, non obstante metu: quia metus mortis quidem, cum agitur tantum de consensu in matrimonium, potest censeri metus cadens in constantem virum; quia talis consensus non est peccatum mortale, quod vir constans nunquam eligat. Non potest autem similiter censeri, cum agitur de consummatione matrimonij: quæ si fornicario, non autem affectu maritali fiat, peccatum est mortale: & ideo illam vir constans nusquam eliget præ morte. Vnde fit, vt matrimonium nequeat inualidum censeri, ex eo, quod consummatum sit per metum cadentem in constantem virum.

CAPVT XIV.

De impedimento erroris.

SVMMARIVM.

91 *Quæ ignorantia significetur nomine erroris constituentis impedimentum matrimonij.*
92 *Error circa personam iure naturæ impedimentum est validitatis matrimonij.*
93 *Non item error circa personæ qualitatem, nisi sub huius conditione matrimonium contrahatur.*
94 *Aut cum illius errore inuoluatur error personæ: quod an contingat, qua ratione d prehendatur.*
95 *Tria requisita vt error qualitatis, errorem personæ inuoluere censeatur.*
96 *Impedimentum erroris circa qualitatem conditionis seruilis.*
97 *Cur alij contractus, non autem matrimonium, per errorem circa quantitatem rei reddantur inualidi.*
98 *Duo adhuc errores quibus matrimonium reddatur inualidum.*

91. CONSENSVS libero qui ad matrimonium, iuxta antedicta necessarius est, obstat non modo vis, sed etiam ignorantia: quæ esse potest vel puræ negationis, vel prauæ affectionis: quarum illa nullum ponit intellectus iudicium, *vtpote nescientia pura*, ideoque de ea non est sermo in præsentia: cum contrahens matrimonium nunquã id faciat ex pura ignorantia, sed ex aliqua scientia: quandoquidem necesse est vt aliquo modo cognoscat personam cum qua contrahit, cum voluntas non feratur in incognitum. Ignorantia vero prauæ affectionis, est quidem cum aliquo intellectus iudicio, sed falso: vt quando iudico eum esse Petrum qui est Paulus: constituitq; errorem, de quo hic agitur, quatenus in contractu matrimonij contingens, eum reddit inualidum. Duplex autem potest esse talis error; vnus contingens circa personam cum qua contrahitur: quando scilicet hæc de facto est alia ab ea cùm qua contrahens putat se contrahere: vt quando Iacob accepit Liam existimans esse Rachelem Genes. 29. Alter vero potest esse circa qualitatem seu conditionem eiusdem personæ, vt cùm putatur nobilis, vel formosa, vel Catholica, vel conditionis liberæ, vel diues, *& sic de cæteris*: non est.

92. Atque prior error facit matrimonium iure naturæ omnino inualidum, itaut nusquã conualescat: nisi post cognitum errorem, accedat nouus in illud consensus, prout accessit in matrimonio Iacob cum Lia. In quam sententiam magnum authorum numerum refert Sanchez *lib. 7. disput. 18. num. 12.* Pro quo facit cap. vnicum 29. quæst. 1. Facit & aperta ratio: quia talis error tollit omnino consensum de iure naturæ requisitum ad matrimonij validitatem. Qui enim cum tali errore consentit, non consentit in personam quæ illi adest, sed in eam quam animo concepit; quia non nisi animo conceptum cognitumque, velle censemur.

Si obiicias in aliis contractibus satis esse si pro eo de quo facti sunt, detur æquiualens aut aliud præstantius. Respondetur, non esse eamdẽ rationem: quia cæteri cõtractus fiunt circa res, ratione æstimationis & pretij earum. Et ideo quãtumuis circa res ipsas error interueniat, nihilominus si nullus sit circa æstimationem & pretium earumdem, non erit impedimentũ validitatis. In matrimonio vero quia est contractus circa vnam personã in singulari (illud n. contrahens, sic debet cum vna persona contrahere, vt excludat omnes alias) error circa talem personam, reddit ipsum inualidum.

93. Posterior autem error, qualis est, cum quis ducit hæreticam, pro Catholica; pauperem, pro diuite, & sic de cæteris (excepta qualitate conditionis seruilis de qua paulo post) non reddit matrimonium inualidum. Pro quo Sanchez in memorata disput. 18. num. 18. refert multos authores. Et facit supra citatum cap. vnicũ: atque ratio, quia cum tali errore concurrit sufficiens consensus in personam, ad matrimonium necessarius: quandoquidem nullæ tales qualitates attinent ad matrimonij essentiam, sed extra eam sunt, tanquam accidentia: nisi ipsum forte contraheretur sub conditione alicuius earumdẽ qualitatum. Quod quidem vt censeatur contingere Sanchez *in sequenti num.* 21. notat requiri vt intentio ponendi talem conditionẽ sit actualis: seu quam contrahens tunc actu habuit cum contrahebat: aut saltem virtualis, seu quam contrahens habitam priusquam contraheret, non reuocauit per actum contrarium.

94. ADVERTE vero nonnunquã in matrimonio cũ errore qualitatis, inuolui errorem personæ, ipsumque ea de causa esse nullum. Quod vt deprehendi possit, oportet diligenter aduertere vtrum consensus feratur primo ac directe in hanc personã in particulari, seu in individuo, & consequenter in personam quæ habet tales qualitates annexas: v. g. nobilitatem, diuitias, &c. vt fit quando fœmina matrimonium contrahit cum aliquo qui se profitetur nobilem & diuitem, cum sit ignobilis & pauper. Tunc enim error est tantum qualitatis, non item personæ: vnde validum est matrimonium, neque dolus vitiat sic contractum, quantumcunque causam ei dederit; vt aliquot aliis citatis notat Coua. *in Epit. par. 2. cap. 3. §. 7. nu. 3.* Pro quo facit, quod ex cap. Cum in Apostolica, De sponsalibus: mendacium seu surreptio non vitiet matrimonium. Quod si è contrario consensus primo ac directe feratur in personam, quæ tales habeat qualitates, & consequenter in particulari in hanc, v. g. in primogenitum Petri, putatum diuitem & nobilem, cum non sit talis: error est qualitatis inuoluens errorem personæ, quia deficientibus tunc qualitatibus, sub quibus persona intendebatur, consequenter deficit persona: sicque matrimonium est inualidum, prout post D. Thomam *in 4. distinct. 30. quæst. 1. art. 2. ad 5.* docent Sotus eadem *distinct. quæst. 1. art. 1. paulo ante solutionem argumentorum, & Sylu. in verbo Matrimonium 8. quæst. 1. dicto 4.* nonnullique alij quorum meminit Sanchez *in memorata disp. 18. num. 25.*

95. Ne autem in hac re falli contingat, meminisse oportet tria requiri, vt error qualitatis errorem personæ inuoluere censeatur, quæ in Ench *ca. 22. nu 32.* Nauarr. insinuat. Primũ est, vt notitia personæ habeatur sub illa qualitate, sub qua intenditur, vt, v. g. sub qualitate primogeniti. Neque enim error est sine cognitione erronea; quam prius præcessiss.

Sanchez *in sequenti numero* 28. docet non esse necessarium: sed sufficere vt concipiatur eo tempore, quod de matrimonio contrahendo conuenitur: atque fœmina errore ducta nubat, existimando personam esse primogeniti eam, quam in individuo apprehendit, & matrimonium eligit. Secundum est, vt illa qualitas non sit vniuersalis, sed singularis: seu quæ ad vnam personam singularem sit contractaivt primogenitum esse Petri. Nam alioqui non excluderet potius vnam personam, quam aliam. Tertium, vt consensus non feratur in personam præsentem, vt præsens est sed vt subsistat qualitati. Nam si quæ directe consentiat in personam præsentem, etiamsi ab ea sit dolo decepta, eo quod diceret se primogenitum Petri, matrimonium erit validum, tanquam contractum cum sufficienti consensu contrahendi illud cum tali persona.

96. RESTAT dicamus de errore circa qualitatem conditionis seruilis, cui speciale est, vt quando antecedit matrimonium, reddat illud inualidum, si is qui contrahit cum eiusmodi errore sit liberæ conditionis. Ita enim habetur ex multis canonibus 29. qu. 2. & ex cap. Proposuit, & cap. fin. De coniugio seruorum. Ratioque est: quia in matrimonio cõtrahitur obligatio perpetua reddendi debitum coniugale, cũ iniuste petitur: & is qui conditionis est seruilis, seu mancipium, multis modis potest per dominũ suum impediri ne illud reddat. De hoc impedimento longam tractationem Sanchez instituit in quinque sequentibus dispensationibus. Sed non est animus in eo immorari, quia res est valde prolixa nec posita in vsu in hisce regionibus. Memoratum authorem igitur legat qui volet de eis scire.

97. Adhuc restant duo de impedimento erroris vniuerse notanda. Vnum est, quod iam antea insinuauimus: in aliis quidem contractibus, errorem circa rei quantitatem vel qualitatem reddere iure naturæ inualidum cõtractum de ea factum: vt si alicui vendatur vitiosus equus pro bono, venditio inualida est ob errorem circa rei venditæ qualitatem. In matrimonio tamen errorem circa personæ qualitatem, non reddere ipsum inualidum, eo quod personæ qualitas nihil attineat ad matrimonij essentiam, vt ex antedictis satis intelligitur. Et vero quantitas & qualitas rei, ad essentiam contractus qui circa eam celebratur, spectet hoc nomine, quod in illo habeatur ratio pretij rei, quodquidem ex quantitate & qualitate eiusdem rei, non autem ex sola substantia ipsius, sumitur.

98. Alterum est, quod quamuis duos tantum errores soleant Doctores assignare, quibus matrimonium redditur inualidum, nempe errorem circa personam, & errorem circa conditionem seruitutis: possint tamen alij contingere, qui per defectum consensus reddat matrimonium inualidum: vt quando vna persona existimat alteram consentire nec consentit: tunc enim matrimonium esse inualidum habetur ex cap. Tua nos De sponsal. Item in casu, quo aliquis ex ignorantione iuris, vel consilio Confessarij deceptus, existimat matrimonium esse vbi non est, ex eoque errore ratum habet illud ipsum antea factum, quod reuera inualidum erat tanquam contractum: v. g. per metum grauem, vel per errorem circa personam: neque vlla ratione ratum habiturus esset, si inualiditatem sciuisset. Nullum enim est in conscientia tale matrimonium, vt sentiunt Franciscus à Victoria *in relect. De matrimonio parte* 1. *in fine*; *Angelus Matrim* 2. §. 17. *Syluest. Matrimonium* 4. *quæst.* 10. Rationem duplicem à Victoria reddit. Altera est, quod errore deceptus, nolit in tali casu quidquam noui agere, sed tantummodo ratum habere quod putat iam actum esse. Cum igitur matrimonium antea nullum reuera fuerit, postea quoque nullum erit. Altera est, quod is error sit circa aliquid, quod est de essentia matrimonij, nempe circa consensum (ad illius constitutionem penitus necessarium ob rationem quam includit contractus) cui nihil tam est contrarium quam error, ex *lege*, Si per errorem, ff. De iurisdictione omnium Iudicum. Iam in casu proposito, error ex eo contigit, quod existimatum sit, matrimonium ibi reuera esse, vbi non erat. Enimuero talis hortandus est, vt ad vitandum scandalum retineat coniugem, adhibeatque nouum consensum; quod si nollet, non videretur in conscientia cogendus.

CAPVT XV.

De impedimento ineptiæ, seu impotentiæ ad carnalem copulam.

SVMMARIVM.

99 *Iure naturæ impotentia ad carnalem copulam impedit matrimonij validitatem quodque ea sit duplex, naturalis & aduentitia.*

100 *De eo, quod talis impotentia debeat esse perpetua.*

101 *Carnalis copula coniugalis, ad matrimonij consummationem, requirit vt vir semen virile effundat in vas fœmineum: quod cum non potest, incapax est matrimonij.*

102 *Variorum casuum decisiones inde deductæ.*

103 *Sterilitas non facit incapacem matrimonij, eum qui capax est prædictæ copulæ.*

104 *Impotentia perpetua ad copulam coniugalem ex quacumque causa proueniat, facit incapacem matrimonij: & signa prouenientis ex maleficio ac remedia aduersus eam.*

105 *In dubio quod vinci non potest, præsumitur pro matrimonio: & quatenus peccet qui contrahit matrimonium dubitans an impotens sit.*

106 *De triennio experientiæ, quod ipsum non requiratur ad determinandum quando impotentia ad copulam perpetua esse satis cognoscitur.*

107 *Quod idem triennium requiratur, cum incertum est, impotentiam esse perpetuam: & à quo tempore ipsum sit computandum.*

108 *Coniux recedens à coniuge ob impotentiam, si id fiat ante expletum triennium experientiæ, reuocari potest: non item si post.*

109 *Post diffolutum ob impotentiam matrimonium, si in eo erratum esse deprehendatur, idem restaurandum est.*

99. IVRE naturali, qui impotens est ad carnalem copulam, impeditur matrimonium contrahere: quamuis enim copula ipsa non sit de matrimonij essentia, potestas tamen & obligatio ad illam est de eadem essentia. Vnde sicut in aliis contractibus, ille iure naturæ inualidus est, quo quis obligat se ad id, quod præstare, non est in ipsius potestate: sic matrimonium inualidum est, quando is qui illud contrahit impotens est ad soluendum coniugi debitum copulæ coniugalis, ad quod reddendum se obligat. Pro quo facit quod impossibilium non sit obligatio, ff. De regulis iuris: immo vt habet regula sexta eodem titulo in 6. nemo possit ad impossibile obligari. Iam duplex esse potest talis impotentia: vna naturalis, quæ ex causis naturalibus oritur, siue per excessum, siue per defectum Altera ab aduentitia, quæ opera dæmonis vel hominum, vi adhibita contingit. Illa significatur nomine frigiditatis quam soli viro accidere omnium sententia esse habet Sanchez *lib.* 7. *d sput.* 92. *sub initium.* Aduentitia autem significatur nomine maleficij. Atqueij, qui priore impotentia laborant, frigidi: & qui posteriore, maleficiati dicuntur in Decretalibus, titulo De frigidis & maleficiatis: vbi hæc materia tractatur, vt & in decreto Gratiani 33. quæst. 1.

Vtraque autem duas conditiones requirit vt matrimonij validitatem impediat. Prior est, vt præcedat matrimonium ipsum. Nam subsequens non dissoluit illud, ex cap. Hi qui matrimonium 32. quæst. 7. Et ratio est, quia matrimonij vinculum indissolubile est, vt habitum est in præced cap. 4. Habere autem locum hanc conditionem, etiamsi matrimonium ratum sit tantum nec consummatũ, Sanchez *lib.* 7. *disput.* 102. ex eo confirmat, quod in eodem capitulo dicatur generaliter ob impotentiam superuenientem non posse cõiugia solui: magnamque authorum multitudinem in eandem sententiam refert. Ex quo *in seq. disput.* 103. aduerte, in dubio. An impotentia præcesserit: præsumi præcessisse cum fuerit naturalis: secuta vero esse, cum fuerit accidentalis, vt ex maleficio prouenies. Ratio est, quod qualitas quæ est à natura, merito semper inesse credatur. Aduentitia vero non item, nisi contrarium probetur: quia præsumptio in dubio, militat pro qualitate naturali, qualis est potẽtia coeundi excludens dictam impotentiam. Quod

vide plenius declaratum apud eumdem authorem ibidem concluſ. 5.

100. Poſterior conditio eſt, vt talis impotentia ſit perpetua, nam temporalis non reddit matrimonium inualidũ, ex cap. Fraternitatis De frigidis & maleficiatis. In quo omnes conuenire Sanchez loco citat. num. 2. notat. Dicitur autem perpetuum impedimentum ex eod. cap. Fraternitatis (cuius declarationem ipſe Sanchez late perſequitur *lib. 7. diſputat. 93. quæſtio. 2.*) quod ſint diuino miraculo, vel certe ſine mortis periculo remoueri non poteſt humana opera. Adde aut ſine periculo peccati mortalis, *quod eſt malum maius morte corporis*: quale periculum contingeret cum maleficium auferri non poſſet ſine alio maleficio. Quod ſi poſſet impotentia ipſa auferri ſine vitæ periculo, quamuis non ſine graui cruciatu (de qua re Sanchez *in ead. diſp. 93. quæſt. vltima*) talem dolorem coniunx impotens pati teneretur: & ex charitate ne exponeret alterum coniugem periculo fornicationis: & ex iuſtitia, quia eo ipſo quod ſe obligauit ad ſoluendum coniugale debitum: conſequenter obligauit ſe ad illa quæ neceſſaria eſſent ad eum finem. Adde pari ratione, teneri aliquod ægritudinis periculum ſubire, argumento cap. 2. De coniugio leproſorum, vbi deciditur matrimonium cum leproſo eſſe validum.

Porro ex cap. vltimo De frigidis & malefic. quando dubium eſt num impotentia ſit perpetua an temporalis: Eccleſia ſolet dare triennium per quod tales coniuges cohabitent, & dent fideliter operam conſummando matrimonio: quo tempore elapſo, ſi impedimentum perſeueret, ipſum perpetuum eſſe præſumit; & conſequenter nullum eſſe matrimonium. De qua re poſtea documento ſexto. Quod ſi Eccleſia poſtea deprehenderit ſe deceptam fuiſſe, impedimentumve eiuſmodi ceſſaſſe: cogit perſonam redire ad priorem coniugem iuxta cap. Requiſita 33. quæſt. prima. Id quod procedit ſiue impotentia naturalis fuerit, ſiue aduentitia, ſeu ex maleficio; prout notatum eſt à Gratiano in fine eiuſdem quæſtionis. Et patet: quia eo ipſo, quod impedimentum ceſſat vndecumque prouenerit, conſtat ipſum temporale, non perpetuum fuiſſe: atque adeo minime reddidiſſe matrimonium inualidum.

Cæterum quidquid neceſſarium ſit in hac materia tractanda vſurpare verba, à quibus pudor in communi ſermone abſtinere ſuadet: de ea tamen tacere non permittit neceſſitas habendi illius notitiam audiendo confeſſiones. Ideo ſubiiciemus aliquot documenta, quæ eamdem notitiam, ſaltem quoad fundamenta illius, contineant.

Documenta de propoſita ineptia, ſeu impotentia ad copulam coniugalem.

101. PRIMVM igitur eſt, Ad copulam coniugalem cuius impotẽtia impedit matrimonij validitatẽ, requiri vt ſponſus intra vas ſponſæ ſeminet, ſeu in illud ſemen virile effundat. Pro quo in prius memorata diſput. 92. num. 7. Sanchez magnum authorum numerum adfert. Probatur vero ex cap. Laudabilem De frigidis & maleficiatis, *illis verbis*, Vterque iureiurando dicit quod nunquam per carnis copulam, vna caro effecti fuiſſent: & tunc videtur quod mulier valeat ad ſecundas nuptias conuolare. Quibus verbis aperte ſignificatur ad valorem matrimonij requiri copulam, per quam coniuges vna caro efficiuntur: ad quod requiritur ſeminis virilis effuſio, per quam perficitur talis copula. Vbi aduerte quod Sanchez addit num. 10. matrimonium non eſſe cenſendum nullum, ſi vir non poſſit totum ſemen intra vas fundere, ſed tantum partem, quæ recepta intra ipſum vas, ſit ſufficiens ad efficiendum coniuges carnem vnam. Aduerte item quod item conſequenter addit, & pro quo citat magnum numerum authorum, ex parte etiam fœminæ naſci matrimonij impedimentum, quando ea ſic arcta fuerit, vt non poſſit intra vas ſemen virili recipere: quia perinde eſt in hac re, ſiue ex parte viri, ſiue ex parte fœminæ conſurgat impotentia ſeminandi intra vas: atque adeo ita conſummandi matrimonium, vt coniuges efficiantur vna car

102. Inferri autem poteſt, quod Sanchez in eadem diſput. 92. nu. 13. habet multis authoribus citatis: ſi cõtingat fœminam ita abominabilẽ apparere viro, vt nullatenus poſſit moueri ad coitum cum illa; nec excitare poſſit concupiſcentiam, cenſendum eſſe tunc interuenire impotentiam perinde matrimonij impeditiuam, ac prouenientem ex maleficio: atque adeo tale matrimonium diſſolui, perſeuerante eadem impotentia poſt præmiſſam triennalem experientiam, adhibitis conuenientibus mediis ad abominationem eiuſmodi vincendam. Ad quæ excogitanda hortandus eſt vir: fœmina vero vt munditie, ornatu, & affabilitate ſe viro amabilem exhibeat.

Inferri præterea poteſt pari ratione inualidum eſſe matrimonium Eunuchi carentis vtroque teſticulo; non item, ſi tantum altero: vt à nemine negari notat Sanchez num. 14. quia vnus teſticulus poteſt miniſterium generationi neceſſarium exercere perfecte, ſicut aliter ſolus oculus videndi actum perfecte exercet. Quod autem aliqui Doctores, *quos idem author refert num. 15. & 16.* exiſtimarunt etiam vtroque teſticulo carentis validum eſſe matrimonium, iam teneri non poteſt. Nam præterquam quod ſententia contraria, & bona ratione nititur: quod ſcilicet talis non emittat verum ſemen ſed ſolum quamdam aquoſam materiam: & plurimos habet authores, quos idem Sanchez refert *in ſequenti nu. 17.* habetur conſtitutio (cuius idem quoque ibidem verba refert) edita à Sixto quinto anno Domini 1587. qua generaliter declaratur, quod Eunuchus priuatus vtroque teſticulo, ſit & ſemper fuerit omnino matrimonio inhabilis, etiam ſciente & conſentiente fœmina: itaut contractum ab eo matrimonium ſit nullum, irritum & inualidum.

Permittit tamen idẽ Pontifex, vt iuxta antiqua iura (textus eſt expreſſus in cap. Conſultationi De frigidis & maleficiatis) poſſint commanere tanquam frater & ſoror ad officia domeſtica (de qua re Sanchez lib. 7. diſput. 97.) alias eos qui iam contraxerunt, iubet vt Nuncius Apoſtolicus, & Prælati curent ſeparari: ſi appareat non vt caſte ſimul viuant contraxiſſe, ſed intentione quandoq; conandi ad copulam, dum in eodem lecto dormiunt aut indulgere oſculis & amplexibus. Idem vero quod de talibus Eunuchis, dicendum eſt de cæteris, qui cognoſcuntur habere impedimentum: quandoquidem ratio eſt eadem.

Inferri adhuc poteſt, *quod ipſe Sanchez in fine citatæ diſputationis 92. tractat*: matrimonium non eſſe ex eo cenſendum inualidum, quod fœmina parere nequeat ſine aperto periculo mortis: aut quod fœtum mortuum edere ſoleat. Nam hoc vtrumque accidentarium eſt matrimonio, neutrumque obſtat quin carnalis copula interueniat ſufficiens ad matrimonij conſummationem, & ad coniuges efficiendos duos in carne vna.

Inferri denique poteſt, quod idem latius tractat in ſequenti diſput. 93. quæſt. 1. Impotentiam perpetuam reſpectu vnius fœminæ & non aliarum, ſufficere ad impediendam validitatem matrimonij reſpectu eiuſdem fœminæ, & non aliarum: cum *vt ſupponimus*, ſint ad copulam coniugalem habiles, non item illa. Hincque in cap. finali 33. quæſt. 1. impotentibus ob maleficium, conceditur vt diſſoluto priori matrimonio, ad aliud tranſeant, ſi non potuerint ſanari. 103.

SECVNDVM documentũ eſt: Impotentem ad generãdum, ſeu ſteriliter ſeminantem, dummodo intra vas fœminæ ſeminare poſſit, cenſeri aptum matrimonio. Hanc communem Doctorem & certam ſententiam eſſe ait Henriquez *lib. 12. cap. 7. §. 4. in margine, litera D*, Patetque ex vſu Eccleſiæ: quam diſſoluiſſe matrimonium aliquod propter ſterilitatem, nunquam auditum eſt. Et ratio confirmat: quia obligatio matrimonij non eſt tantum ad generandum, ſed etiam, ſecundario ſaltem, ad remedium concupiſcentiæ per habitam cõiugalem copulam. Accedit quod generalis prolis non ſit de neceſſitate matrimonij: ideo enim vir ſenex etiam decrepitus, *cuius ſemen ſterile eſt*, contrahere poteſt, vt patet ex Dauide qui 3. Reg. cap. 1. contraxit cum Abiſag Sunamitide. Adde etiam (quod Henriquez habet *in eodem cap. 7. §. 3.* faciens ad ad rem propoſitam, quodque late tractat Sanchez *lib. 7. diſput. 105.*) Eccleſiæ vſu approbari matrimonium quod quis in articulo mortis cum concubina, quam nullo modo ſperat ſe carnaliter vnquam cognituram contrahit, vt liberos ex ea ſuſceptos faciat legitimos. Adde

adhuc cum eodem *in sequenti* §. 4. quod fœmina sterilis naturali qualitate, non sit incapax matrimonij, vt patet ex illis, quæ in sacra Scriptura scribuntur, steriles contraxisse, & in senectute diuino beneficio concepisse ex viris senibus vt Saram, ex Abraham: & Elizabeth, ex Zacharia: quorum coniugia fuisse vera matrimonia, non obstante sterilitate, nemo negabit.

104. TERTIVM documentum est: Impotentiam naturalem ad coniugalem copulam, ex quacumque causa proueniat impedire matrimonii validitatem. Nam cum ex cap. finali 33 quæst. 1. id constet de maleficio, constabit maiore ratione de impotentia naturali: & pari ratione de quacumque simili impotentia aduentitia. Confirmatur: quia quæuis talis impotentia repugnat substantiæ matrimonij, ad quam spectat traditio potestatis ad carnalem copulam facta alteri, quam constat inanem nullamque esse interueniente impotentia perpetua ad eamdem copulam. Pro quo multos authores citat Sanchez lib. 7. disput. 98. nu. 2. & ob propositam rationem, annotat talem nullitatem esse de iure naturæ.

QVARTVM documentum est: An impotentia ad copulam coniugalem sit naturale impedimentum, an factum dæmonis, seu magicæ artis virtute, cognosci experimento: nempe vt habet Henriquez lib. 12. cap. 8. §. 2. aliis in margine citatis, quando ligatus ad vnam, est potens ad alias: nisi ex aliqua naturali qualitate prouenire deprehenderetur: aut quando complexum vxoris exoptat quidem, sed dum tentat accedere, exhorrescit: iudicandum est impedimentum non à natura, sed à dæmone prouenire. Aduersus quod vtendum est remedio tradito in cap. finali 33. qu. 1. sacramentalis scilicet confessionis, lacrymarum, ac ieiuniorum orationum & eleemosynarum largiorum: ac etiam exorcismorum, cæterorumque ad Ecclesiasticæ medicinæ munia pertinentium per Ecclesiæ ministros exhibendorum. Abstinendum autem est omnino à maleficijs, etiamsi vltro offerantur: quia vt exhiberi, sic admitti nequeunt licite, tanquam contraria iuri, tum diuino ex Leuitici 19. vers. 31 Deuter. cap. 18. vers. 10. & 1. Reg. cap. 28. versu 3. Tum Ecclesiastico, ex cap. Qui sine Saluatore 26. q. 2. Tum demum ciuili ex lege Nemo, Cod. De maleficis & mathematicis. De hac re alios citans, tractat Sanchez *libro 7. disput. 94. & duabus sequentibus*: & nos egimus in præcedenti lib. 17. cap. 17. ad nostrum institutum sufficienter.

105. QVINTVM documentum est: Quando vertitur in dubio, An impotentia sit vera, sitque consummatum matrimonium necne, præsumendum esse pro matrimonio ipso, quod sit validum, si adhibita sufficienti diligentia idem dubium vinci non potuerit. Ratio vero est quod potentia ad copulam, de se sit naturalis homini, ideoque is præsumatur ad eam naturaliter potens: quem si contingat se impotentem asserere, incumbet ipsi onus probandi veram impotentiam: quam si non possit (prout contingit in proposito casu) certo probare, præsumetur vt diximus pro naturali potentia, ac subinde pro matrimonij validitate. Ita docet Sanchez *lib. 7. disput. 103. num. 8.* addens alia in confirmationem: sed proposita ratio nobis sufficere potest. Ex eodem vero *in sequenti num. 10.* aduerte, dubitantem sitne impotens, peccare si ad matrimonium transeat, antequam rei veritate diligenter inuestigata, dubium deposuerit. Ratio est, quia exponit se periculo celebrandi inualide matrimonii sacramentum: in eiusdem grauem iniuriam. Vnde in c. Dominus: De secundis nuptiis interdicitur transitus ad aliud matrimonium, quando non constat, sed adhuc dubium est, an prior coniux obierit.

106. SEXTVM documentum est: Circa illud quod triennium experientiæ in cap. Laudabilem De frigidis & malefic. conceditur, cum post initum, nec consummatum matrimonium de impotentia deprehensa dubitatur sitne perpetua: multa esse notanda quæ Sanchez persequitur *lib. 7. disput. 103. & quatuor sequentibus.*

Primum est, *de quo in eadem disp. 103.* cum dantur signa necessario & euidenter ostendētia impotētiam, vt exempla esse virilia, aut effecta arida, aut mulierem arctam esse, aut virum per sententiam separatum esse ob frigiditatem: nullam temporis moram expectandam esse ad dissoluendum matrimonium. Ratio est, quia constante impotentia, *& ideo matrimonii nullitate*, copulam permittere, esset, contra ius naturæ prohibens fornicationem. Quod si impotentiæ signa non sint omnino certa, sint tamen verosimiliter euidentia, nec etiam requiritur triennium experientiæ: sed tantum exigitur iuramentum coniugum asserentium se non posse coire: & septimæ manus propinquorum iurantium se credere eos verum dicere. Ratio est quia si impedimentum fere euidenter constet, non est opus expectare triennium, quod conceditur solum in casu dubii & obscuritatis rei. De quo tanquam decidendo in foro externo, nihil est quod plura dicamus: nisi quod tacendum nō est illud quod idem author monet sub finem eiusdem disputationis: aliter iudicandum esse de impotentia consurgente ex maleficio, quam de cæteris, quia cum maleficium sit dæmonis operatio occulta & libera, non potest perinde cōstare de illius perpetuitate ac de cæteris impotentię causis quæ sunt naturales. Quocirca consentaneum est, vtad dirimendum matrimonium ob impotentiam ex maleficio prouenientem, nō modo triennium experientiæ, verum etiam longius tempus à Iudice assignetur: indicto simul consilio coniugibus, orationi vacent & operibus pœnitentiæ (*congruenter cap. finali De frigidis & maleficiatis*) vt vel sic Deus placatus coerceat dæmonem, quo desistat maleficio nocere.

Secundum est, Quando vterque coniux fatetur impotentiam, si ea sit incerta: ante matrimonij dissolutionem, desiderari triennium experientiæ concessum in cap. Laudabilem De frigidis & malefic. Desiderari præterea iuramentum vtriusque coniugis fatentis impedimentum, ac etiam septimæ manus propinquorum, vel si hi desint, vicinorum bonæ famæ: quia idem capitulum Laudabilem, tale quid requirit. Qua de re late Sanchez *disputat. 108 sequenti: vt &* 109. de inspectione facienda per medicos aut matronas, quando vnus coniugum impotentiam affirmat, & alter negat: *&* 113. de illis matronis, quales esse debeant. Sed cum spectent maxime ad vsum fori externi: ea relinquemus apud ipsum videnda: contenti, *pro intelligentia Doctorum*, notare quod is habet *disput* 108. *num.* 11. *aliis citatis*, iuramentum septimæ manus sic accipendum esse, vt si vterque coniux fateatur impedimentum, cuiuslibet coniugis septem consanguinei iurent, vel iis deficientibus, septem vicini cuiusque: itaut debeant esse quatuordecim: qui tot petuntur in fauorem matrimonij, ne facile in eius dissolutione erretur. Quod si tantum alter coniux, altero negante, impedimentum fateatur soli septem propinqui fatentis iurare debent se credere ipsum dicere verum, quemad. idem habet *disput.* 109. *num.* 13. quia propinqui negantis, non sunt vocandi vt in fauorem fatentis iurent.

Tertium est: Tam in impedimento maleficij, quam frigiditatis aut alterius defectus naturalis, triennium computandum esse à die copulæ attēptatæ. Id quod habetur ex cit. cap. Laudabilem, vbi Pontifex decidit idipsum triennium esse numerandum à tempore celebrati coniugij. Quod cum glossa *verbo Celebrari*, intelligendum esse de celebratione cū attentatione copulæ, patet: quia cum idem triennium destinetur ad experiendam coniugis potentiam ad copulam, merito à tempore talis experientiæ computandū esse iudicatur. De hoc Sanchez late disp. 110. In sequēti 111. docens nō esse necessarium, vt id tempus sit continuum etsi ad triennium complendum, oporteat interpolatum suppleri: nō quidem metaphysice, quasi quodcumque breue tale tempus supplēdum sit: sed moraliter vt sufficiat illud suppleri, quod prudētis arbitrio est ita notabile, vt ob illius defectū triennij experientia, mortaliter loquendo, non censeatur integra. 108.

Quartum est: Quando nondum lapsum est ante memoratum triennium experientiæ, coniugem qui prætextu impotentiæ recessit, eogendum esse per censuram ad cohabitandum alteri, & permittendum vt talis experientia capiatur: Ratio est: quia nulla datur excusatio copulæ, tunc negatæ, quandoquidem impotentia illa tanquam dubia, probanda est per triennii experientiam: qua proinde non præmissa nulla subest causa recedendi: cogique debet recedens, redire ad coniugem, vt triennio cohabitationis, vacando copulæ expleto, constet an illa impotentia sit perpetua, ac matrimonium dirimat: alioqui enim ius frustra præscripsisset triennij experimentū. Post elapsum autē idē experientię

trienni-

triennium, si contingat coniugē fugere ob alterius impotētiam, is nō potest cogi redire, donec *admissa impotentia obiectionis* lis decidatur argumento cap. Causam De probationibus: vbi viro negatur restitutio vxoris se monachā virginem profitentis, donec iudiciali sententia quid agi debeat decernatur, Pluribus tractat de hac re Sanchez disput. 112.

109. SEPTIMVM documentum est: Cum tres sint præcipuæ causæ impotentiæ, qua matrimonium dirimitur, ad quas cæteræ possunt reduci: frigiditas viri, arctitudo fœminæ, & maleficium contingens siue in vtroque coniuge, siue in altero tantum: restaurandum esse matrimonium quando experimento deprehenditur erratum esse in illius dissolutione. Siue facta sit ob viri frigiditatem: prout habetur ex 33. q. 1. cap. 1. & 2. atque ex cap. 1. & 5. De frigidis & maleficiatis: dum decernunt matrimonium dissolutum ratione frigiditatis viri, instaurandum esse si postea contingat eumdem virum ad alias nuptias transire. Intellige cum matrimonij cōsummatione, prout intelligendum esse bene ostendit Sanchez *lib. 7. disput. 99. num. 3. & 4.* vbi plures alios citat: & totam eam rem plenius consequenter tractat. Siue facta sit dissolutio ob fœminæ arctitudinem, prout habetur ex cap. Fraternitatis §. 2. De frigidis & maleficiatis, per hæc verba de quadam cui aliquid tale contigit. Sententiam diuortij per errorem licet probabilem, nouimus esse prolatam, cum pateat ex postfacto, quod cognoscibilis erat illi, cuius simili commisectur, & ideo inter ipsam & primum virum dicimus matrimonium extitisse. Quare inter eam & præfatum Gu. matrimonium non esse censemus, eosque præcipimus ab inuicem separari. Ad cuius decreti plenam intelligentiam videndus est Sanchez in sequenti q. 2. Siue item facta sit dissolutio ob impotentiam ex maleficio, non restaurari matrimonium, si maleficiatus secundum contractum consumet aut fornicetur, habetur ex cap. finali 33. quæst. 1. Id quod Sanchez ibidem quæst. 3. tractat, licitatque tribus exceptionibus. Prima est, quando sententia dissolutionis matrimonij non est legitime lata: tunc enim debet matrimonium instaurari (vt error sententiæ dissolutionis reparetur) donec adhibeantur omnia requisita ad dissolutionem, qualia sunt triennium experientiæ, & probationes legitimæ, seu quas ius ad id requirit: vt iuramenta coniugum & septimæ manus propinquorum, & inspectiones cum opus fuerit. Secunda est: si impotentia sit ad omnes (*quod non contingit communiter*) quia talis impotentiæ, eadem est ratio ac prouenientis ex frigiditate. Tertia est: si vir fœminam, à qua ratione maleficij separatus est, fornicarie cognoscit: quia inde intelligetur impedimentum non fuisse perpetuum. Multa sunt quæ de eadem matrimonij restauratione tractat Sanchez in reliqua parte eiusd. disputationis, & duabus sequentibus: apud quem vt & alia, quæ tantum delibauimus accuratioris doctrinæ studiosus videre poterit.

CAPVT XVI.

De impedimento sanguinis attento iure naturæ.

SVMMARIVM.

110 *Iure naturali consanguinitas impedit matrimonium: & quid sit consanguinitas.*
111 *Duplex linea consanguinitatis vtraque habens suos gradus, & quo modo.*
112 *Affinitas est consanguinitatis comes: & quomodo.*
113 *Tres modi quibus matrimonium illicitum esse potest de iure naturali.*
114 *Matrimonium contractum in 3. aut 4. gradu quomodo sit iure naturæ illicitum: & quomodo contractum in 1. vel 2. gradu.*
115 *Gradus in 18. cap. Leuitici prohibiti tanquam aduersantes rationi: & obiectio in contrarium cum solutione.*
116 *Iusta causa dari non potest matrimonij patris, cum propria filia.*
117 *In alijs gradibus dari potest: & qua.*
118 *Patris cum filia matrimonium est iure naturæ non modo illicitum, sed etiam inualidum: & quo modo.*
119 *Diffi. ultas, An idem sit dicendum de aliquibus alijs gradibus: vt de coniugio fratris cum sorore.*

EX sanguine impedimentum matrimonij iure naturæ nascitur, quando illo iuncti, non reputantur duo, quātum ratio exegit vt per matrimoniū fiant duo in carne vna, iuxta illud Genes. 2. Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Quibus verbis indicatur etiam naturali lege, matrimonij que institutione, homines per matrimonium debere alicui alteri adhærere quam patri vel matri. Et confirmatur: quia ex natura matrimonij, mulier debet subdita esse viro, ac si. 1. ul socia, tāquam ei par in matrimonij vsu ad liberorum procreationem. Talis autem subiectio vel societas inter parentes & filios aduersatur iuri naturali, declarato per quartum præceptum Decalogi: ex quo filij semper debent parentibus subiectionem, & reuerentiam quandam peculiarem, quę cum vsu coniugij stare non potest. Id quod de seita patet in hoc primo consanguinitatis gradu & omnes Doctores vnanimi consensu admittant (*vt notat Sanchez lib. 7. disput. 51. num. 7.*) irritum esse iure naturæ matrimonium, quod in eo contrahitur. 110.

An autem idem contingat in aliquibus alijs consanguinitatis aut affinitatis gradibus, difficultatem habet: quam ex professo tractare est scholastici instituti. Quæ autem ad institutum nostrum sufficere posse videntur, paucis complectar aliquot propositionibus: quibus declaratur quando ex tali impedimento matrimonium sit naturali iure inualidum, aut saltem illicitum.

PRÆNOTANDVM est autem primo, consanguinitatē communiter definiri tam à Theologis, quam à Iurisperitis, *vt Sanchez meminit lib. 7. disput. 50.* vinculum quod oritur inter illas personas, quæ ab eodem stipite seu parente propinquo descendunt carnali propagatione. Vbi aduerte non dici simpliciter ab eodem parente; sed ab eodem parente propinquo, eoquod consanguinitas deficiat tandem cum longius progreditur: nam alioqui omnes Adami filij, essent consanguinei. Qua de re late Sanchez *in sequenti disput. 51. quæst. 2.* Quarta autem esse debeat talis propinquitas, vt matrimonium per consanguinitatem reddatur inualidum (quod tradere nostri instituti est) spectato quidem naturæ iure, declarabitur in hoc capite: spectato vero iure Ecclesiastico, intelligi poterit ex dicendis in sequenti titulo de eadem consanguinitate, prout iure illo impedimentum est matrimonij.

PRÆNOTANDVM est secundo, duas institui lineas consanguinitatis, singulas cōtinentes suos gradus, per quos de prædicta propinquitate cōstet, quanta sit. Prior linea dicitur recta; secundum quam multi ab vno sic descendunt, vt inter se vnus sit ab altero procreatus: vt pater, filius, nepos, pronepos, abnepos. Quæ eadem numero, dicitur descēdentium: quando à genitoribus ad genitos fit progressus: vt in exemplo proposito: ascendentium vero quando contra, fit progressus à genitis ad genitores dicendo filius, pater, auus, proauus, abauus. Posterior linea est obliqua, seu collateralis, aut transuersa, secundum quā multi ab vno stipite, *id est patre* descendunt, originemque ducunt: vt duo fratres, filij ipsorum, duo nepotes eorumdem fratrum: id est filij filiorum suorum & sic consequenter. 111.

In iisdem autem lineis, *ad instar scalarum*, distinguuntur gradus: qui sunt habitudines distantiæ personarum in eis constitutarum: ex quibus cognoscitur quota consanguinitatis distantia eædem personæ inter se differant. Nam vt in scala locus ille, in quo primum ponimus pedem, dicitur primus gradus scalæ, & locus in quo post illum proxime, dicitur secundus, & in quo tertio loco, diciter tertius, & sic de cæteris: ita in linea consanguinitatis, & quæ est veluti scala ex pluribus personis subordinatis constituta: persona illa quæ primo loco occurrit, facit primum gradum: quæ secundo loco, secundum gradum: & sic deinceps.

Atque ita in recta linea descendentium, quoniam stipes est pater vel mater: & persona quæ proxime occurrit descendendo, est filius vel filia, quæ vero secundo, nepos vel

neptis: quæ tertio, pronepos vel proneptis: quæ quarto abnepos vel abneptis: in primo gradu est filius vel filia, & sic de aliis. In linea vero ascendentium, quia stipes est filius vel filia, & proxime occurrunt pater vel mater; secundo vero loco auus vel auia; tertio abauus vel abauia; quarto proauus vel proauia: in primo gradu erunt pater & mater, & sic consequenter. Eadem ratione in linea laterali post stipitem, hoc est, patrem & matrem, primo occurrentes duo fratres, sunt in primo gradu: & secundo occurrentes duo nepotes, sunt in secundo gradu: & sic deinceps, quod plenius in sequenti titulo exponetur suo loco.

112. PRÆNOTANDVM est tertio, consanguinitatis comitem esse affinitatem: matrimonium quoque dirimentem, non modo iure Ecclesiastico, de quo in sequenti titulo, sed nonnunquam iure quoque naturali, in quo nunc versamur. Contingit autem affinitas inter eos qui inter se cõiunguntur, non quidem per propagationem sanguinis, sed per vnionem duorum in vnam carnem. Quia enim per carnalem copulam vir & fœmina fiunt vna caro: inde est quod consanguinei vnius illorum, efficiantur affines consanguineis alterius: nempe parentes, & fratres, cæterique consanguinei vxoris, efficiuntur affines mariti: & contra parentes & fratres cæterique consanguinei mariti, eodem modo efficiuntur affines vxoris; non autem consanguinei vnius coniugis sunt affines consanguineis alterius: sed solum illi ipsi coniugi: idque taliter, vt in quo gradu sunt vni coniugi cõsanguinei, sint in eodem, affines coniugi. Sic ergo qui consanguinitate pater est, aut frater, aut auus, aut nepos sponsi, pariter est sponsæ pater, aut frater, auus, aut nepos affinitate, *& ita de cæteris*, adeout cognito gradu consanguinitatis in quo quis cõiungitur vxori, cognoscatur simul in quo gradu affinitatis coniunctus sit marito ipsius. Et vice versa cognito gradu in quo quis viro coniungitur consanguinitate, simul cognoscatur, in quo gradu affinitatis coniungatur vxori illius.

PRÆNOTANDVM est quarto, Matrimonium posse habere duplex impedimentum iure naturæ. Prius est, quod facit matrimonium illicitum sed non inualidum, id est, cum quo contrahentes peccant quidem, sed matrimonium contractum non est inualidum. Huiusmodi est impedimentum mali finis, aut iniuriæ proximi. Sunt & omnia quæ dicuntur impedimenta minora, de quibus in sequenti titulo 3. Posterius est, quod reddit matrimonium tam illicitum quam inualidum: quale est omne impedimentum maius, quo cum faciat matrimonium inualidum simul reddit ipsum illicitum: quandoquidem si inualidum est, copula consequens erit fornicatio: & ita qui illud contrahunt, obligant se ad fornicationem: vnde manifestum est ipsum esse illicitum.

113. PRÆNOTANDVM est quinto, Matrimonium iure naturæ illicitum esse tribus modis: sicut ea quæ sunt contra ius naturæ, sunt in triplici differentia. Nam quædam ita sunt contra ius naturæ, vt ob nullam causam, nullamque circunstantiarum mutationem fieri possint licita; vt mentiri, fornicari, odisse Deum, & cætera, quæ dicuntur intrinsece mala. Quædam vero sunt quidem contra ius naturæ, ex se considerata: tamen propter aliquam grauem causam, aut aliam circunstantiam, aliquando possunt licite fieri: vt occidere hominem, non reddere debitum, non stare promissis, non seruare votum Deo nuncupatum. Nam propter magnam necessitatem ista fiunt aliquando licita. Quædam denique sunt, quæ ratio naturalis docet minus honesta esse, minusque Reipub. vtilia: contraria vero, vtiliora esse: talia sunt illa, in quibus proprie locum habet lex humana: quia cum lex naturæ ea non condemnet pœnitus, tanquam illicita: lex humana constituens obseruanda esse: eorum contraria; efficit plane illicita. Huiusmodi sunt pluralitas beneficiorum incompatibilium in vno eodemque Clerico: venditio officiorum publicorum, & alia non pauca.

Quid tenendum sit de proposito consanguinitatis impedimento, aliquot propositionibus explicatur.

114. PRIMA propositio his prænotatis sit, Gradus siue consanguinitatis, siue affinitatis iure tantum humano prohibitos, vt tertium & quartum efficere matrimonium iure naturali illicitum tertio modo, adeoque improprie: nempe illud efficiendo tantummodo minus licitum: eo nomine scilicet, quod ratio dictet honestius & Reipub. vtilius esse cum talibus gradibus non contrahere matrimonium, quam contrahere, prout in sequentibus exponetur. Vnde fit, vt Superior, qui sine causa (*quod Concil. Trident. sess. 24. cap. 5. De reform. matrim. prohibet*) in iisdem gradibus dispensat, peccet tanquam concurrens ad id quod est minus licitum: etsi dispensati, valide nihilominus contrahant, *nisi in impetranda dispensatione vsi sint subreptione*; quia, vt supponimus, per sufficientem potestatem Superioris sublatum est tale impedimentum.

SECVNDA propositio est: Primum & secundum gradum consanguinitatis & affinitatis efficere matrimonium iure naturæ illicitum secundo modo: hoc est, illicitum nisi interuenerit grauis causa illud contrahendi. Ad huius probationem facit, quod in citato cap. 5. Concil. Triden. præcipit, vt nunquam in secundo gradu dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Per quod satis indicat matrimonium in iisdem gradibus contractum, sic rationi aduersari, vt causa grauis possit illud iustificare. Censeri quoq; potest facere, quod Leuitici 18. talia connubia prohibeantur tanquã aduersantia rectæ rationi. Inde enim intelligitur, quod etsi obligatio in lege Euangelica abstinendi à matrimonio in talibus gradibus, non sit ex eo, quod prohibiti fuerint in lege veteri: tamen esse illicitum iure naturæ in illis contrahere: quia talis contractus pro libito sine peculiaribus circunstantiis cohonestantibus initus, indecentiam quamdam naturalem continet. Pro cuius pleniore intelligentia videri potest Sanchez De matrimonio libro 7. disput. 52 num 6. 7. & 8.

Atque quod dicimus Leuitici 18. prohiberi connubia in 1. & 2. gradu tum consanguinitatis, tum affinitatis, patet: quia in recta linea consanguinitatis prohibetur matrimonium in secundo gradu; nempe aui cum nepte, & nepotis cum auia: & in linea collaterali, prohibetur matrimonium in primo gradu, nempe fratris cum sorore, siue ex vno siue ex vtroque parente: & in secundo matrimonium nepotis cum amita aut matertera. In recta vero linea affinitatis, prohibetur coniugium filij cum nouerca, & patris cum nuru: itemque vitrici cum priuigna, vel cum eius filia: ac in obliqua, coniugium cum vxore fratris, & cum sorore vxoris hac viuente, & cum vxore patrui. Inter quæ coniugia contractum à patre cum filia priuignæ: & contractum à nepote cum vxore, patrui, est in secundo gradu, reliqua in primo. De coniugio patris cum propria filia, aut nepotis cum auia sua, non fit quidem ibi expressa mentio: sed cum par sit ratio illius, ac aliorum, quę commemorantur, ccnsendum est pariter prohibitum. 115.

Quod autem addimus, eadem tanquam rationi aduersantia prohiberi: patet ex eo, quod ibidem habetur contrauenientem tali prohibitioni, reuelare turpitudinem parentis vel propinqui. Quod est, tale matrimonium habere coniunctam turpitudinẽ; adeoque iure naturę esse inhonestum, & per consequens illicitum: tanquam alienum à ratione. Accedit quod sub finem eiusdem capitis 18. habeatur, Deum propter eiusmodi peccata exterminasse gentes quæ antea fuerant in terra promissionis: nam cæ obligabantur tantum ad legem naturæ.

Consequens est ex hac propositione, *quod stante coniugum in primo vel secundo gradu siue consanguinitatis siue affinitatis illicitum esse iure naturæ*, non posse in illo, ne quidem à Papa dispensari: nisi interueniat causa legitima, quæ illud iustificet: cum alias maneat illicitum iure naturę: neque humana dispensatio cadat in id quod illicitum est tali iure: cuius institutor est Deus, cuius decretum tollere nemo potest.

Sumitur ex eadem hac propositione ratio, cur ille qui incestum commisit in primo vel secundo gradu, debeat in confessione gradum illum exprimere. Contra eam vero potest obiici, quod in cap. Gaudemus De diuortiis: infidelibus, qui contraxerunt in secundo gradu, quoad eos licito, permittatur vt ad fidem conuersi in eo matrimonio permaneant. Cui obiectioni respondendum est in ea re interuenire iustam causam dispensandi cum illis, *quæ in eodem cap.*

attingitur, fauorem nimirum Christianæ religionis & fidei: ne timore separationis, vir fœminam, vel contra fœmina virum reuocet ab illius susceptione. Vbi aduerte obiter tale matrimonium dici licitum non quidem simpliciter: sed quoad eos, seu eorum opinione, quæ *sicut & in multis aliis*, erronea esse potest.

116. TERTIA propositio est: Nullam dari causam iustam contrahendi matrimonium inter patrem & filiam, aut inter matrem & filium. In hac facile consentiunt Theologi, propter naturæ legem singulorum cordibus impressam, qua abhorrent à tali matrimonio. Legendus est Sotus *in 4. distinct. 40. art. 3.* Vbi quamuis reprehendat Caiet. tenentem propositionem hanc procedere, etiam in casu necessitatis propagandi genus humanum, vt quando in mundo tantum superessent pater & filia: attamen pro Caiet. ipso aperte facit, quod Genes. 19. filiæ Loth. etiamsi existimarent se in mundo solas superesse, certo tamen sciebant patrem suum nunquam esse illis consensurum in eo incestu, nisi ipsum inebriassent: quemadmodum notatum est à D. August. in lib. 22. contra Faustum cap. 43 & 44. Vnde factum illud Loth omnino damnatur in cap. Sexto die, §. Legimus, distin. 35. & in cap. Inebriauerunt 15. quæst., prima: vbi tamen excusatur à culpa tanti criminis, ob defectum vsus rationis, quê ebrius patiebatur. Quocirca tale matrimonium illicitum est primo modo, *ex traditis num* 113. ac proinde ita illicitum, vt nulla ex causa sit dispensabile.

117. QVARTA propositio est: In aliis gradibus etiam primis, posse dari causam propter quam contractũ in eis matrimonium cessetur licitum. Probatur, quia cum in mundo tantum essent fratres & sorores initio generis humani, huius propagatio, sufficiens causa fuit cur licuerit fratribus sorores accipere in coniuges, quemadmodum D. Augustinus attigit relatus in cap. Cum igitur 35. quæst. prima. Quod idem est de cæteris consanguineis iudicium: cum post patrem & filium, proximus omnium gradus sit inter fratrem & sororem. Iam causæ propter quas in talibus gradibus matrimonium licitum, atque adeo dispensabile iudicari possit, sunt tres. Prima est necessitas, nempe cum non potest haberi alia vxor vt accidit in mundi initio. Et quamuis talis necessitas iam non habeat locum in priuatis personis, potest tamen aliquando habere in magno Principe, qui nequit aliam inuenire vxorem præter consanguineam quæ ipsius dignitati respondeat. Secunda est, vt seruetur vera religio: mulieres enim facile peruertunt corda virorum vt docuit exemplum Salomonis: ob quam causam parentes Iacobi ei præceperunt Genes. 28. ne acciperet vxorem de filiabus Canaam, sed de filiabus Laban auunculi sui. Tertia est conseruatio pacis & amicitiæ, præsertim inter propinquos. Ob quam causam idem Iacob Genes. 29. accepit duas sorores in vxores, quod prohibetur Leuit. 18. Id enim fecit suasu Laban, ne lis inter eos oriretur.

118. QVINTA propositio est: Matrimonium patris cum filia, non modo illicitum, sed etiam inualidum esse iure naturæ. Huius ratio sumitur ex prima institutione matrimonij, facta à Deo in Paradiso. Ita enim institutum esse tunc matrimonium, vt posset esse sacramentum nouæ legis, nê pe sensibile signum repræsentans coniunctionem Christi cum Ecclesia, ex cap. 5. epist. ad Ephes. Ad quem finem duo erant necessaria, quæ explicantur Genes. 2. Alterum est, vt homo in matrimonio relinquat patrem & matrem. Cui rei omnino repugnat vt persona coniungatur per matrimonium cum patre vel matre. Alterum est, vt per matrimonium coniuges efficiantur vna caro (ac proinde antea nõ fuerint: sicut nec Christus ante incarnationem, fuit nobiscum vna caro) cui etiam rei omnino repugnat matrimonium cum proprio parente: quandoquidem proles ante tale matrimonium est reipsa vna caro cum parente, quia est ex semine sanguineque eius. Itaque gradus eiusmodi dicitur iure naturali efficere matrimonium inualidum: non quod rationeli natura id cognoscatur, sed quia eo ipso quod institutum est matrimonium: illi ab exordio mundi adiuncta est talis proprietas, sicut sunt & aliæ, quæ tanquam profectæ à diuina lege naturali, ei naturaliter conuenire dicuntur, quales sunt requirere contrahentium consensum: non posse esse nisi vnius cum vna: nec admittere secundam vxorem vel secundum maritum priore adhuc viuente. Vnde infertur tale matrimonium nullo modo posse Ecclesiæ authoritate fieri validum, sicut nec licitum.

119. An idem dici debeat de matrimonio in secundo gradu consanguinitatis secundum rectam lineam, quale est aui cũ nepte: & in primo gradu: siue consanguinitatis secundum lineam literalem, quale est fratris cum sorore: siue affinitatis secundum rectam lineam, quale est nouercæ cum priuigno: controuersia est inter Theologos, quam late tractat Sanchez *lib. 7. disput. 52. à num. nono.* Nobis sufficere potest, quod etsi pars affirmans videatur securior, negantem tamen *in quam plures idem citat n.* 10. non carere probabilitate, quia si tale matrimonium sit inualidum iure naturæ, id erit vel quia est eodem iure illicitum, vel quia matrimonii proprietas illi repugnat: sicut dictum est de matrimonio inter parentem & prolem propriam. At prius dici non potest: quia quamuis fieri non possit vt matrimonium inualidum sit, quin simul sit illicitum, cum copula ipsum subsequens, sit fornicatio (ideoque illud contrahentes obligent se ad perpetuam fornicationem) sæpe tamen contingit matrimonium esse illicitum, non item esse inualidum: vt quando quis illud contrahit malo fine, vel cum hæretica, aut Iudæa, aut Pagana, vel post facta sponsalia cum vna, contrahitur matrimonium cum alia, vel post factum simplex votum castitatis, vel denique contra iustam patris voluntatem, vt fecit Esau Genes. 28.

Nec etiam necesse est posterius dici: quia derelinquere patrem & matrem magis est proprium matrimonio, quam derelinquere alios parentes: cum per illud magis expresse significetur id quod spectat ad Christi cum Ecclesia coniunctionem, indicatum verbis illis Ioann. 6. Exiui à Patre, & veni in mundum. Deinde frater & soror non sunt reipsa vna caro: quia frater non descendit à sorore, nec soror à fratre: nec item neptis cum auo est vna caro proxime & per se, sed solum remota, & per accidens: vt patet ex eo, quod filius esse possit etiam nunquam habuerit auum, quemadmodum contigit filiis Adæ. Videri potest Caiet. 2. 2. quæst. 154. art. 9. circa responsionem ad 3. vbi eamdem partem negantem tuetur: ex eaque concludit posse Papam, *iusta scilicet de causa*, cum omnibus personis coniunctis dispensare vt matrimonium contrahant, nisi cum patre & filia, & cum matre & filio. Quamquam non est vsitatum in Ecclesia vt dispensatio detur in gradibus illis de quibus controuersiam esse dicimus. Vnde magnam probabilitatem accipit sententia contraria, hoc est, in eis matrimonium iure naturæ esse irritum, quam idem Sanchez sequitur, aliquot aliosin sequenti num. 11. pro ea citans, inter quos est Gregor. à Valentia tomo 4. disp. 10. quæst. 5. puncto 3. cum agit de cognatione, versu Sed tamen contraria sententia. Nihil autem referre videtur vtramuis quis sequatur.

De cæteris autem gradibus nulla est controuersia, quia in linea recta vix contigere potest vt abauus sit aptus matrimonio contrahendo cum pronepte: & in linea laterali infra primum gradum Ecclesia dispensare solet: etiam in secundo gradu: licet id fieri debeat tantum inter magnos Principes, & ob publicam vtilitatem ex Concil. Trid. sess. 24. De reformat. matrimonii cap. 5. in fine.

TITVLVS SECVNDVS.

De maioribus matrimonij impedimentis quæ iuris sunt Ecclesiastici.

QVod Ecclesia possit impedimenta matrimonio apponere, quibus reddatur inualidum, certum est de fide ex Concil. Triden. sess. 24. can. 4. Pro quo facit ratio: quia dubiũ non est, quin pro varietate temporum & circunstantiarum, oporteat matrimoniũ alio atq; alio modo contrahi, vt ad cõmune Christianæ Reipub. bonũ conducat: ad quod tãquam ad finẽ instituitur. Quocirca penes eum qui Reipub. Christianæ præest, Summum Pontificẽ inquiam (*cuius est tali bono consulere ex Christi commissione data Matth. 16.*) esse potestatẽ, quando cõmune bonũ exigit determinandi conditiones, cũ quibus aut fine quibus matrimonium contrahi

nequeat valide. Id quod est matrimonio impedimenta apponere.

Obijcienti autem Deum instituisse matrimonium: & ideo impedimenta quæ ipse non apposuit authoritatem humanam non posse apponere: respondendum est, quod cum Deus matrimonium instituerit in bonum Reip. Christianę, noluisse illud firmum aut licitum esse, nisi ijs conditionibus, & eo modo contractum, quo ad idem bonum expediret secundum iudicium Ecclesiæ. De qua re videri potest Gregor. à Valent. *disput.* 10. *quæst.* 5. *puncto primo*, ac etiam Thomas Sanchez *lib.* 7. *De matrim. disput prima.* Quot autem & quæ sint istiusmodi impedimenta declaratur his versibus:

Ordo sacer, votum, nec non sponsalia firma,
Atque duplex crimen, quadruplex cognatio, raptus,
Si baptisma deest, ætas, testes, Parochusve.

Quorum trium versuum singulis, tria impedimenta continentur, de quibus eodem ordine quo in illis proponuntur dicemus.

CAPVT XVII.

De impedimentis Ordinis sacri, & voti.

SVMMARIVM.

120 *Iure canonico, sacros Ordines suscipere impeditur matrimonio iunctus: iure naturali non item.*

121 *Duæ conditiones requisitæ vt tale impedimentum habeat locum.*

122 *Explicatio difficultatis. An ille qui post contractum matrimonium sed nondum consummatum suscepit sacrum Ordinem tenetur ingredi religionem, & possit ad id cogi.*

123 *Solum votum solemne, est impedimentum matrimonij: idque de iure tantum Ecclesiastico.*

124 *Causa inducendi talis impedimenti.*

125 *Responsio ad fundamentum dicentium per votum solemne matrimonium irritari iure diuino.*

120. EVM qui iam Presbyter est aut Diaconus aut Subdiaconus, si matrimonium celebrare attentet, illud esse inualidum (*quod Sanchez tractat lib* 7. *disput.* 28. *quæst. priore*) habetur ex cap. Presbyteris dist. 27. & ex cap. 1. De Clericis coniugatis. & ex cap. item 1. Qui Clerici vel vouentes, & ex cap. vnico De voto in 6. & ex Concil. Triden. sess. 24. can. 9. atque attentantes, ipso facto in excommunicationem incurrere, habetur ex Clementina vnica De consanguinitate (*cuius explicationem Sanchez persequitur lib.* 7. *disput.* 48.) & fieri irregulares, iuxta cap. 1. & 2. Qui Clerici vel vouentes. De qua re idem author *in sequenti disp.* 49. *&* 85.

Impedimentum autem istud non esse iuris naturæ, sed tantum iuris Ecclesiastici (*pro quo authores magno numero Sanchez refert in eodem lib. disput.* 28. *num.* 11.) probatur: quia nec est iuris naturæ ratione Ordinis: vt argumento est quod Græci coniugati sus ipiant sacros Ordines: & aliquando Subdiaconos contraxisse habeatur ex cap. Ante triennium dist. 31. & Episcopum olim dispensare potuisse vt Diaconi post ordinationem acciperent vxores, ex cap. Diaconi dist. 28. Nec item ratione voti annexi sacro Ordini: quia annexum est, sicut & obligatio recitandi horas canonicas, ex Ecclesiæ institutione, quoad solemnitatem illius: per quam tale matrimonium inualidum redditur ex ante citato cap. vnico. Inde est enim, cur simplex votum castitatis, *vt ibidem dicitur*, non reddat matrimonium inualidum: nempe quod careat solemnitate: alioqui habens cætera, quibus ad continentiam adstringat. Adde quod sacro Ordini ex probabiliore sententia, annexa sit continentia iure tantum Ecclesiastico: de quo videndus est Sanchez *lib.* 7. *disput.* 27. vbi late quæ ad eam rem pertinent, persequitur, pro scholastico instituto, ad quod ea pertinet.

121. Duæ vero conditiones requiruntur vt impedimentum istud locum habeat. Prior est, vt ille qui accipit Ordinem sacrum, habeat vsum rationis: ante quem, si quis ordinetur, quamuis characterem accipiat, valideque ordinetur, non obligatur ad continentiam. Qua in re vt vix contingente in praxi, non immorabimur. Videri potest Sanchez alios citans *in eodem libro septimo disput.* 30. Illa vero fundatur potissimum in eo, quod votum siue sit expressum, siue tacitum, requirat plenum rationis vsum. Quod si quis iam compos quidem rationis: sed nondum pubes ordinetur, possit matrimonium inire si nolit in Ordine perseuerare: apud eundem ibidem videri potest. Fundamentum vero est, quod cum votum solemne emissum in religione ante pubertatem inualidum sit, erit etiam emissum in susceptione sacri Ordinis.

Posterior conditio est, vt ille sacrum ipsum Ordinem sponte suscipiat: nam qui inuitus suscipit per metum cadentem in constantem virum quantumuis vere ordinetur, non obligatur ad castitatem, prout idem Sanchez ex instituto docet *in præced. disput.* 29. Fundamentum est autem, quod votum etiam expressum (*& multo magis tacitum quale est sacrum ordinem suscipientis*) ritum sit, si per metum cadentem in constantem virum emittatur, ex cap. 1. & cap. Cum dilectus, De his quæ vi. Hinc que idem author alijs citatis infert, sic ordinatum si nolit vti Ordine, licite contrahere matrimonium, nec teneri ad recitationem horarum canonicarum. Secus si initiationem suam ratificet verbo, aut facto: vt vtens, *etiam sit tantum semel*, Ordine accepto. Itemque si iusta fuerit compulsa, vt si vrgente necessitate Prælatus aliquem suum Clericum iusto præcepto compellat ad sacros Ordines promoueri: quia nullam in eo patitur iniuriam.

Occurrit autem dubium, An si quis post contractum 122.
matrimonium nec consummatum, sacros Ordines suscipiat, teneatur religionem ingredi: quod ei licet, prout habitum est in præcedenti num 37. Atque pro parte affirmante facit, quod talis, qui castitatem vouit, non possit eam seruare nisi religionem approbatam ingrediatur. Cum enim vinculum matrimonij perseueret, tenebitur reddere coniugale debitum, quantumcumque illud exigere non possit. Pro quo videri possunt quæ habet Sanchez *disput.* 99. *num.* 39. & 40. vt doceat, cũ ob impotentiam coeundi matrimonium dissolutum fuerit, si post deprehendatur impotentiam fuisse tantum temporariam in viro qui interea suscepit sacros ordines, ipsum esse restituendum repetenti. Verumtamen partem negantem valde probabilem facit: quod inuitum nec à Deo vocatum compelli ad ingressum religionis, sit valde durum non modo ipsi ingredienti, sed etiam religioni, quæ illum patietur difficilem & ineptum ad militandum in ea Christo, qui voluntarium sibi eligit militem, vt dicitur 15. quæst. 1. c. Non est. Vnde sub finem Extrauagantis Ioan. 22 quæ incipit Antiquæ, talis præcipitur instanter ab Episcopo moneri & induci ad huiusmodi ingressum, siquerenuerit adimplere, & sponsa institerit petendo matrimonij consummationem, ad eam compellatur per censuram Ecclesiasticam: vbi glossa *verbo renuerit*, idem annotat contra Hostiensem, qui sensit talem cogendum esse ad ingressum religionis.

QVOD ATTINET ad votum: vt matrimonium red- 123.
dat inualidum, debet esse solemne castitatis in religione approbata ab Ecclesia, quod professio dicitur. Atque tale iure diuino irritare matrimonium, sententia est plurimorum, quos Sanchez refert *lib.* 7. *disput.* 26. *num.* 2. quam sequens Henriquez *lib.* 12 *cap.* 5. §. 3. illius fundamentum in hoc ponit, quod professio ipsa cum sit perfecta traditio acceptata, ac spiritale matrimonium animæ cum Christo: impediat ne quis violata priori atque nobiliori traditione, possit semul tradere vxori. Præterea quod professus tradendo se Deo, & Prælato acceptanti nomine Dei, à se abdicet non tantum corporis vsum, sed etiam potestatem vtendi: ita vt ipse numeretur inter eos qui Matth. 19. dicuntur se castrasse propter regnum cœlorum.

Verum hoc quoque impedimentum, sicut præcedens, tantum esse de iure Ecclesiastico, sentit idem Sanchez pluribus alijs citatis in eadem disput. 26. sub finem: nec immerito, quoniam id aperte sequitur ex eo quod statuitur in c. Rursus, Qui Clerici vel vouentes: nempe votum simplex castitatis nõ minus obligare apud Deum quam solemne votum; non dirimere tamen matrimonium contractum, quamuis

impediat

impediat contrahendum. Inde enim patet, ex solemnitate pendere quod professio seu votum solemne castitatis, dirimat matrimonium: quæ solemnitas (sicut & approbatio religionis) cum sit tantum de iure Ecclesiastico, ex cap. vnico De voto in 6. pariter de iure tantum Ecclesiastico erit impedimentum, quo matrimonium reddit inualidum.

124. Cuius impedimenti constituendi causa fuit, quod Ecclesia aduerteret, nihil cum sic contrahentibus esse profectum remedio pœnarum, quibus illi subiiciebantur per aliquot canones, qui habentur 27. q. 1. vt nec cum sacro ordine initiatis, remedio pœnarum quibus subiiciebantur per aliquot item canones relatos distinct. 27. 28. & 31. Quapropter eadem Ecclesia ad tollendam vtrisque omnem matrimonij spem, duo hæc impedimenta instituit, quibus ipsum dirimeretur, prout ante ostensum est de impedimento sacri ordinis: & de impedimento professionis factæ in religione approbata, constat ex cap. Meminimus, Qui Clerici vel vouentes, & ex cap. vnico De voto in 6. Tale autem matrimonium contrahere attentantes incurruntur ipso facto in excommunicationem per Clementinam vnicam De consanguinitate: de qua Sanchez videri potest *lib. 7. disput.* 48.

125. Ad ea vero quæ Henriquez habet pro sententia contraria, respondendum est, tantum ostendere quod iure naturæ illicitum sit matrimonium, quo castitatis votum violatur. Nam alioqui nimis multum probaret, nempe votum etiam simplex castitatis dirimere matrimonium: cum quoad Deum, *vt ante habitum est*, non minus obliget, quam solemne: itaut solemnitas *quæ consistit in acceptatione voti facta ab Ecclesia nomine Dei* de se, & quoad Deum non adferat matrimonio maius impedimentum, quam votum simplex.

Porro de eo quod peculiare est in nostra Societate IESV, vt qui tria simplicia paupertatis, castitatis & obedientiæ vota, expleto nouitiatus biennio in illa emiserit, sit incapax matrimonij, ab ipsoque contractum sit inualidum. Videri possunt Henriquez *lib. 12. cap. 5. §. 5. & 6. ac Gregor. à Valent. tomo 4. disput. 10. q. 5 puncto 3.* vbi de impedimento voti. Nobis sufficit authoritate Apostolica id esse definitum à Gregorio 13. bulla quæ incipit Ascendente Domino: edita anno à Christo nato 1584. octaua calend. Iunij.

De licentia vxoris requisita vt vir licite promoueatur ad sacros ordines, vel consummato iam matrimonio possit licite religiosus fieri, & vicissim de licentia viri, vt ipsius vxor licite fieret religiosa, tam multa occurrunt dicenda vt compellar ea relinquere videnda apud Thomam Sanchez lib. 7. vbi ea persequitur abunde *à disput. 32. ad 41. vsque.* Id enim videtur consultius quam prolixitate nimia, fastidium parere in re cuius vsus est admodum rarus.

CAPVT XVIII.

De impedimento sponsaliorum seu publicæ honestatis.

SVMMARIVM.

126 *Diuersitas huius impedimenti secundum ius antiquum, & secundum nouum Concilij Triden.*

127 *Quod defectus omnino occultus, si cætera de iure requisita adsint, non obstet quin sit locus huic impedimento.*

128 *Quatenus sponsalia de præsenti inducant istud impedimentum.*

129 *Quatenus idem inducant sponsalia conditionata, aut contracta à parentibus nomine filiorum, aut de præsenti ab imberibus.*

126. ANte Concilium Trid. sponsalia, seu promissiones futuri matrimonij etiam inualida, *dummodo non ob defectum consensus*, impediebant dirimebantque matrimonium vsque ad quartum gradum ex cap. Sponsam, & cap. Ad audientiam De sponsalibus, & ex cap. vnico eod. tit. in 6. Eo nimirum modo quo dicetur postea de gradibus affinitatis: cuius species quædam est propinquitas ea, quæ ex sponsalibus nascitur inter sponsum & consanguineos sponsæ, & vice versa inter sponsam & consanguineos sponsi. Ipsum autem Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. De reform. matrimonij duo statuit: quorum prius est, nulla sponsalia matrimonium impedire nisi valida essent. Posterius vero, neq; sponsalia valida dirimere matrimonium vltra primum affinitas gradum. Itaq; nunc temporis; qui sponsalia valide contraxit, si nolit vel non possit complere matrimonium promissum, nequit in vxorem accipere sponsæ matrem vel filiam: poterit autem accipere quamcumq; aliam ipsius consanguineam, nisi aliud impedimentū obstet quam sponsaliorum. Similiter nec spōsa potest accipere sponsi sui patrem, vel fratrem, vel filium, potest autem accipere quemcumque alium ipsius consanguineum. Qua de re late Sanchez *lib. 7. De matrimonio disput. 68.*

127. ADVERTE autem primo, Quando sponsalia censentur de iure valida, eo quod nullum iuris impedimentum intercedere obseruetur: sed inualida sunt reuera, ex defectu interioris consensus, locum esse huic impedimento, quamdiu talis defectus non manifestatur sufficienter ad fidem faciendam in foro externo. Ratio est, quia cum nihil ad sponsaliorum validitatem in exterioribus deest omnino: soluſque consensus internus ad eam desideratur: tantum scandalum, tantaque inhonestas exurgit ac si vero animo eadem sponsalia contracta fuissent. Qua de re pluribus Sanchez ibidem *num. 13. & 14.* Addens in 15. idem pari ratione dicendum esse quoties sponsalia essent nulla, ex quocumque alio defectu occulto: vt ex interno voto castitatis, aut non nubendi. Quod vero perpetuum sit hoc impedimentum, itaut minime extinguatur siue sponsi siue sponsę morte, idem notat *in sequenti num. 20.* Quodquidem videtur satis indicari in supta citato ca. Sponsam, illa formula loquendi: *Nullus aliquo modo potest sibi matrimonium copulare.*

128. Aduerte secundo, cōsequentes esse ex hoc impedimēto: eum qui cum aliqua contraxit sponsalia, & postea cum sorore ipsius contraxit de præsenti, teneri relicta posteriore, si nondum eam cognouerit, priorem ducere: quia cum eadem contractum matrimonium est nullum. Dixi Si nondum cognouerit: quia ex secuta copula impedimentum matrimonij erit affinitatis *de quo in sequenti cap. 20: sect. 2.* videri potest Sanchez *in eadem disput. 68. num. 24.*

Aduerte tertio, *quod late tractat Sanchez lib. 7. disput. 70.* Quoad sponsalia quæ dicuntur de præsenti, *sunt que matrimonium ratum non consummatum*, nihil esse immutatum à Concil. Triden. prout declarauit Pius V. in bulla quæ incipit Ad Romanum, edita anno Domini 1568. calendis Iunij; itaut adhuc per cap. vnicum De sponsalibus in 6. ex matrimonio rato non consummato, quamtumcumque inualido, istud impedimentum publicæ honestatis dirimens matrimonium vsque ad quartum gradum vigeat: nisi inualiditas esset ex defectu consensus, eoque manifesto: qualis est in pueris nondum capacibus doli, & in amentibus: aut qui probatur sufficienter ad fidem faciendam in foro externo: vt cum ostenditur contractum esse per metum cadentem in constantem virum, aut esse erratum in persona, cum præberetur: aut non fuisse in personam determinatam prout exigit consensus ad matrimonium requisitus: cum talem exigi etiam ad sponsalia habeatur ex eodem cap. vnico. In cuius proinde fine statuitur istiusmodi impedimentum non oriri ex sponsalibus incertis: qualia sunt: si quis Titio dicat, Promitto me in vxorem accepturum vnam ex duabus filiabus tuis. Talem vero defectum: quando latet, non sufficere ad impedimentum istiusmodi excludendum, ostendi potest eadem ratione qua paulo superius idem ostensum est quoad sponsalia de futuro.

129. Aduerte quarto, ex eodem cap. vnico §. finali, hoc impedimentum non oriri ex sponsalibus conditionatis, ante aduentum conditionis: ob defectum scilicet cōsensus qui suspenditur vsque ad eumdem aduentum. Id quod annotans Sanchez *in sequenti disput. 69.* addit primo, aduenientе conditione, sicut sponsalia redduntur absoluta, & habent consensum perfectum, ita & inducere istud impedimentum publicæ honestatis. Secundo, sponsalia pendente adhuc conditione inita cum sorore illius; quæ sub conditione desponsata fuit, non inducere istud impedimentum, quia sunt nulla: vtpote quæ seruari non possunt absque peccato, quo contra iustitiam promissio prius legitime facta violatur. Tertio, vt hæc procedant, conditionem debere esse de futuro, quia de præsenti aut præterito non suspendit consensum expectatione. Item esse contingentem: quia necessaria, habet de præsenti effectum certum: vt cum dicitur Ducā si sol

cras

cras oriatur. Itemque esse possibilem & honestam, quia impossibilis & turpis habetur pro non adiecta. Ac demum talem esse quam ipsa sponsalia non includant, ne quidem tacite: cum alioqui frustra apponatur: vt si dicatur Ducam te si vixero, aut si consenseris, nec enim aliter potest ducere.

Aduerte quinto, nec oriri ex sponsalibus contractis à parentibus nomine filiorum sine consensu ipsorum, iuxta cap. vnicum §. finali De desponsatione impu. in 6. Secus vero si iidem filij consenserint siue expresse siue tacite: vt si presentes fuerint: nec, *cum iam essent doli capaces*, contra dixerint, ex eod. cap. §. Porro. De qua re Sanchez *in præced. disput.* 68. *num.* 18. & 19.

Aduerte postremo istud ipsum impedimentum oriri ex matrimonio per verba de presenti contracto inter impuberes, aut inter puberem & impuberem, in quo malitia non supplet ætatem: quia si nullum aliud interueniat impedimentum validitatis, tale matrimonium vim habet sponsaliorum ex eod. cap. vnico §. 2.

CAPVT XIX.

De impedimento duplicis criminis puta homicidij & adulterij.

SVMMARIVM.

130 *Duæ conditiones communes homicidio & adulterio, quo ad effectum huius impedimenti, & tres propriæ homicidio.*

131 *De conditione, vt homicidium fiat ad finem contrahendi matrimonium, an sit necessaria.*

132 *Ex quo adulterio impedimentum istud oriatur.*

133 *Differentia in hac re inter homicidium nudum, & homicidium coniunctum cum adulterio.*

134 *Conditiones requisitæ vt hoc impedimentum oriatur ex adulterio coniuncto cum matrimonio inito cum adultera, aut cum promissione de ineundo facta ei adhuc viuente propria adulteri vxore.*

135 *De ea, quod adulterium debeat esse verum.*

136 *De alia, quod promissio matrimonij debeat expressa esse signo: & quid si non ex animo sed ficte id fiat. Quid item, si promissio sit conditionata.*

137 *Responsio ad dubia, An ad hoc impedimentum requiratur, vt promissio matrimonij sit iuratata: & An requiratur vt sit reciproca.*

130. CRIMINA homicidij & adulterij quoad effectum impedimenti matrimonium conueniunt in duobus. Vnum est, quod non impediant si animo tantum aut cogitatione: non autem opere compleantur. Alterum est, *de quo aliis citatis Sanchez lib. 7. disput. 78. num. 21.* quod non impediant cum quacumque personam, sed solum cum ea, quæ conscia fuit & particeps talis criminis: homicidij inquam aut adulterij.

SECTIO PRIOR.

De impedimento homicidij.

IMpedimentum homicidij habetur ex cap. 1. ex cap. Super hoc, ex cap. Significasti De eo qui duxit in matrimonium, & ex cap. 1. De conuers. infidelium. Aliquot autem conditiones requirit vt sortiatur effectum suum dirimendi matrimonium.

PRIMA est, vt occisio sit non cuiuslibet hominis; sed coniugis, hoc est, vt maritus occiderit vxorem, vel etiam vxor maritum, prout multis citatis docet Sanchez *in eadem disput. 78. num. 8.* Nec refert siue per se occiderit, siue per alium; consulendo, vel iubendo vt *in præced. num. 5.* idem multis quoque citatis, docet argumento cap. primi, De conuers. infidelium. Non sufficere autem ad inducendum istud idem impedimentum, vt quis ratum habuerit quod factum est, si nihil ad illud contulerit: idem *num. 6. plures item citans*, bene probat: quia iura memorata, ad hoc impedimentum requirunt machinationem ad necem coniugi inferendam: quæ machinatio interuenire non potest nece iam illata. Aduerte vero, quod ille subiungit *num. 7.* ad hoc ipsum impedimentum inducendum requiri, vt machinatio effectum sortiatur: quia in cap. Si quis viuente 31. quæst. 1. vbi illud statuitur, aperte exigitur actus consummatus illis verbis. *Occidisse notetur.*

SECVNDA conditio est, vt ambæ illæ personæ, quæ matrimonium post peractam cædem contrahunt, in eam conspirauerint. Nam si sola coniux machinata est cædem viri, altera persona non conspirante: vel eadem persona sola machinata est absque conspiratione coniugis præfatæ, matrimonium potest esse validum, nisi adulterium interuenerit. Quam esse communem Canonistarum sententiam ad cap. Super hoc, De eo qui duxit in matrimonium, notat Nauar. in Enchir. cap. 22. nu. 46.

TERTIA conditio est, vt non tantum facta sit cædes coniugis, & ambæ personæ illam machinatæ sint: sed etiam id fecerint eo fine, vt postea matrimonium inter se contraherent. Hanc negant quidem plerique, quos refert Sanchez *in eadem disput. num. 13.* Sed multo plures eam affirmant, *ibid. ab eodem authore memorati.* Probatur vero: quia ratio & finis inducendi tale impedimentum fuit, ne coniux coniugem vita priuaret ad fruendum coniugio alterius personæ, quam deamaret. Quæ ratio non habet locum quoties coniugis interfectio non tendit eo, vt aliud matrimonium ineatur inter personas machinantes: adeo vt supra istud ipsum impedimentum inducentia non extendatur ad hunc casum. Si obijcias, non dari textum expressum per quem id ostendatur. Respondetur sufficere vt id possit colligi: sicut colligitur ex cap. Si quis viuente 31. quæst. 1. illis verbis: occidisse notetur. Nam vt bene ait Sanchez illa dictio *Notetur*, innuit malitiosam mortis coniugis procurationem infamia dignam: qualis maxime est ea, quæ dirigitur eo, vt matrimonium cum adulterante contrahatur. Addit idem *num. 14.* sufficere in hac re vt alter ex machinantibus, matrimonium intendat. Et subsequenter ex proposita conditione colligit: tum alia, tum quod non sit locus huic impedimento, si coniux & adulterans cum ipso, interficiant communi consensu alterum coniugem, non vt matrimonium inter se ineant, sed vt liberius vacent libidini, aut ob alium finem. 131.

Cæterum sententia eorum qui propositam conditionem negant, procedere potest quoad forum externum, vt idem Sanchez *ibid. num. 19.* annotat. Quando enim ambæ personæ machinatæ sunt mortem, illæque postea matrimonium inter se contrahunt, Iudex merito potest præsumere, quod machinatæ sint intentione postea contrahendi, nisi ex magnis coniecturis opposita intentio probetur. Quoad forum conscientiæ autem non potest procedere, dato quod talis intentio vere non adfuerit: quia in eo foro non statur præsumptioni, sed veritati. Addendum adhuc est obiter: huic impedimento non subijci quidem infideles, cum sit solo iure Ecclesiastico inductum. Nihilominus ex cap. 1. De conu. infidel. habere locum, quantumcumque altera persona tunc fuerit infidelis, cum cædes est facta: ita vt si eadem postea ad fidem conuersa cupiat matrimonium contrahere cum altera persona, participe illius sceleris, iam tunc Christiana, non possit sine dispensatione. 134

SECTIO POSTERIOR.

De impedimento adulterij.

DE adulterio prout est alterum crimen dirimens matrimonium agitur 31. quæst. 1. & extra, titulo De eo qui duxit in matrimonium eam quam polluit per adult. Aduertendum est autem ex cap. Significasti eodem titulo, simplex adulterium non efficere matrimonium inualidum, ne quidem contractum inter personas, à quibus illud commissum est. Vt igitur matrimonium inualidum sit ex adulterio: oportet huic coniunctum esse vnum ex tribus his peccatis: nimirum quod persona adultera interficiat coniugem, vt postea ducat eam cum qua adulterium commisit, ex cap. Si quis viuente, in citata quæst. 1. & ex memorato cap. Significasti, & ex cap. 1. & 3. eodem tit. Vel quod persona 132. 135

adultera

adultera, viuente legitima coniuge celebret matrimonium per verba de præsenti, cum persona quam adulterio polluit, ex cap. Cum haberet, & ex cap. finali eodem adhuc tit. Nec fert vtrum adulterium præcesserit eam matrimonii celebrationem, an secutum sit ex eodem cap. finali. Vel demùm quod adulteræ promittat viuente adhuc coniuge (etsi non intendat hanc interficere) se eodem coniuge mortuo illam ducturum, ex cap. Relatum in cit. quæst. 1. In quibus tribus casibus adulter sic impeditur cum sua adultera contrahere: vt tamen non impediatur contrahere cum alia persona, iuxta cap. Ex literarum, titulo prius memorato: sic quidem aliud impedimentum non obstet. Adulteram autem esse intelligendam non tantum maritatam sed etiam solutam, satis intelligi potest ex cap. fin. De eo qui duxit in matrim. &c.

133. CIRCA PRIMVM casum autem in quo sit cædes cõiugis, aduertendum est differre in hac re inter homicidium coniunctum cum adulterio & homicidium solum, quod quando homicidium coniugis est solum sine adulterio, ad efficiendum matrimonium consequens inualidum, opus sit vt ambæ personæ illud contrahentes, machinatæ sint in eum finem tale homicidium: vt in casu cap. 1. §. primo De conuers. infidelium. Quando autem homicidium est coniunctum cum adulterio, sufficiat alteram tantum personam, altera nescia, machinatam esse huiusmodi mortem, vt ex cap. Si viuente & cap. Significasti ante memoratis, satis liquet. Qua de re latius Sanchez *disput. 78. num. 9.* Addens num. 12. requiri (*quod habetur ex cap. 1. & cap. Veniens De eo qui duxit in matrimonium*,) vt illud adulterium homicidio coniunctum, notum sit vtrique contracturo matrimonium, alioqui non interueniet istud impedimentum: vt si vir coniugatus adulteretur cum soluta: quæ credit ipsum etiam esse solutum: hicque vt illam ducat, occidit propriam vxorem, non impedietur ducere: quia adulterium fuit ignoratum à tali fœmina: respectu proinde cuius, non fuit formaliter adulterium, sed tantum respectu vxoris, cui adulter fidem fregit.

Videri potest idem author in *sequenti disput. 79. numero 31. & aliquot sequentibus.* Vbi inter cætera addit primo. Ad istud impedimentum sufficere, si fides detur, aut matrimonium ineatur ante illam notitiam, & ea habita accedat copula: non vero si ante notitiam copula habeatur: & post eam detur fides, aut matrimonium de facto cõtrahatur. Secundo, in hac re notitiam censeri adesse, non modo cum certitudo, sed etiam cum probabilis opinio adest: ignorantiam vero quamcumq; nisi sit dolosa, ad eamdem sufficere. Tertio, quando à persona coniugata contractum est matrimonium cum soluta, matrimonium illius ignorante, in optione esse eiusdem ignorantis, illum mortua vxore ipsius, cogere vt denuo secum ineat matrimonium, ex cap. 1. De eo qui duxit in matrimonium.

134. CIRCA DVOS vero alios casus aduertendum est, diuersas conditiones requiri vt in illis hoc impedimentum contingat. Prima est, vt peccato quod in illis committitur, contrahendo vel promittendo matrimonium, debeat semper adulterium esse reipsa cõiunctum cum effusione seminis in vas. Hæc habetur ex ante cit. cap. finali, vbi glossa ad verbum *Cognouit*, eam notat. Addens esse cum eadem conditione intelligẽda omnia iura, quæ statuunt vt nullus ducat in matrimonium illam cui dedit fidem deipsa ducenda post mortem vxoris, vel cum qua contraxit de facto. Videri potest Sanchez *in ead. disp. 79. nu. 2. & duobus sequentibus.*

Secunda conditio, *de qua idem author ibid. consequenter*, est: vt adulterium & matrimonii data fides, aut contractus de præsenti, simul concurrant viuente adhuc coniuge, ex eodem cap. finali: vnde non contrahitur hoc impedimentum, si data quidem est à viro fides viuente adhuc legitima vxore, sed copula post eius mortem est habita: aut è contra copula ante mortem vxoris est habita, & fides post eam data est.

135. Tertia conditio est, vt adulterium sit verum. Nam non inducitur hoc impedimentum, quando non est verum adulterium, etiamsi verum esse existimetur: vt quando præcedens matrimonium putabatur verum sed non erat propter aliquod latens impedimentum. Pro hac Sanchez *disp. 78. nu* 20. aliquot authores citat: & rationem adfert: quia iura inducentia hoc impedimentum requirunt coniugis occisionem & adulterium, quæ ambo vere deficiunt vbi veritas matrimonii desideratur.

Quarta conditio est, vt matrimonium, quod in hac re debet præcedere, sit validum, argumento cap. 2. De eo qui duxit &c. Videndus est Sanchez *in disput. 79. num.* 30. Et addendum ex eodem in præced. nu. 6. vnum idemque matrimonium esse debere, quo durante, adulterium & fides data concurrunt. Ideoque si quis duas vxores habuerit, & tempore prioris fidem dederit: adulterium vero commiserit tempore posterioris, non exurgit hoc impedimentum: propterea quod contrahendo cum posteriore vxore, recessit à fide data adulteræ tempore prioris vxoris, & per consequens tẽpore posterioris cõmisit adulterium, non habens coniunctam fidem datam de contrahendo cum adultera matrimonio: ideoque insufficiens ad reddendum matrimonium inualidum. Quod idem est dicendum, si ante adulterium admissum, fides data eodem matrimonio durante iã sit soluta per vtriusq; contrahentis remissionem, nondum secuta copula, quæ postea casu aliquo subsecuta est quidem, non tamen iterata fide prius data. Sicque fides data, tanquam extincta & adulteriũ non concurrunt simul durante eodẽ matrimonio, quod necessarium est ad istud impedimentum.

Quinta conditio est, vt promissio cuius concursu cum adulterio inducitur hoc impedimentum, sit expressa signo externo: alioqui enim manens alteri ignota, nullum creat ei periculum machinandæ mortis coniugis, ad quod cauendum institutum est istud impedimentum. 136.

Dubium autem est, An si cũ tali signo promissio ficte fiat & concurrat adulterium, contingat hoc impedimentum. Atq; in vtramque partem Sanchez authores adferens in eadem disput. 79. nu. 10. affirmantem sequitur bona ratione nempe quod ideo impedimẽtum istud sit inductum, ne spe futuri matrimonii sumatur ansa captandæ mortis coniugis. Quæ causa perinde militat promissione existẽte ficta, ac existente vera, respectu eius qui fictionem plane ignorat. Secus esset autẽ, si ex modo externo promittendi satis colligeret ficte ac ioco promissionem eam fieri, quia ei non credẽs, nec speraret inde matrimonium, nec coniugis mortem ideo machinaretur.

Eadem ratione nititur quod idem aliquot sequentibus numeris tractat: ad inducendum hoc impedimentum promissionem matrimonii conditionalem sufficere. Nam per eam fides vere datur, & promittens obligatur ad nõ resiliendum donec conditio defecerit: Vnde ex ea concipitur spes futuri matrimonii: & ideo præbetur ansa machinationis mortis coniugis. Quod tamen aduerte non habere locum quando conditio apposita defecit antequam adulterium committeretur: aut quando ex modo promittendi sufficienter apparet ioco & ficte sub ea conditione fidem dari: aut demum quando conditio est inanis, qualis est si mortua sit vxor mea, & ipsa viuit. De quibus idem author pluribus.

Alterum dubium est An ad idem impedimentum sufficiat promissio simplex nec requiratur vt sit firmata iuramento. Allatis autem in vtramque partem authoribus & rationibus per fundamentum antea tactum, resoluit Sanchez simplicem promissionem posse sufficere, sicut potest ad creandum periculum coniugis interficiendi, spe futuri matrimonii. Videndus est *numero* 28. & 29. *eiusdem disput.* 79. 137.

Tertium dubium est, An hoc impedimentum requiratur vt promissio matrimonii sit mutua, id est, vt vno promittente, persona cui promittit, repromittat. Hoc allatis prius in vtramque patem authoritatibus & rationibus Sanchez *ibid. num.* 19. & 20. pro explicatione subsequenter statuit has conclusiones. Prima est, ad hoc impedimentum non sufficere promissionẽ alterutrius, nisi ab altero acceptata sit. Nam sine acceptatione non est promissio, quam iura requirunt, habentem rationem pacti, *quod exigit consensum duorum*, sed tantum est pollicitatio. Secunda conclusio est, sufficere promissionem acceptatam nec opus esse repromissione. Ratio est quod illa sine hac, sufficiat ad præbendam ansam interfectionis coniugis spe futuri matrimonii: nec iura statuentia hoc impedimentum inueniantur repromissionem desiderare. Tertia est, in hac re taciturnitatem in eius cui promittitur, nullatenus habendam esse

accepta-

acceptationem. Ratio est: quia potius habet rationem repulsionis eiusmodi promissionis, quæ nociua est acceptanti: vtpote inducens matrimonij impedimentum, & grauis peccati maculam, prout deciditur in cap. finali, De eo qui duxit in matrimonium.

Superest notandum, impedimentum istud habere locum, etiamsi occisio coniuncta sponsioni matrimonij, sit vxoris à marito deprehensæ in adulterio: quoniam talis quoque occisio peccatum est homicidij, ex cap. Interfectores, cap. Quicunque, & cap. Admonere 33. quæst. 2. Ratioque est: quia nemini licet vindicare se propria authoritate.

CAPVT XX.

De impedimento quadruplicis cognationis.

SVMMARIVM.

138 *Quæ sit ea quadruplex cognatio.*
139 *Ad quem vsque gradum consanguinitas impediat matrimonij validitatem.*
140 *Quædam aduertenda circa cognationem consanguinitatis.*
141 *Diuersa ratio computandi gradus eiusdem, secundum ius canonicum, & secundum ciuile.*
142 *Modus iudicandi quoto gradu aliqui inter se distent secundum ius canonicum.*
143 *Corollaria quæ ex eodem modo deducuntur.*
144 *Gradus affinitatis eodem modo ac consanguinitatis sunt computandi.*
145 *Ex quibus contrahatur affinitas dirimens matrimonium.*
146 *Ad eam contrahendam requiritur carnalis copula siue licita siue illicita.*
147 *Restrictio per Concilium Trident. facta quoad gradus affinitatis prouenientis ex fornicatione: & quo modo ibi debeat sumi nomen fornicationis.*
148 *Cognatio spiritalis dirimens matrimonium oritur tantum ex baptismo & confirmatione, varieque distinguitur secundum ius antiquum.*
149 *Secundum ius nouum Concilij Trident. quibus personis contingat talis cognatio, quodque ea non transfundatur à viro in vxorem, nec contra.*
150 *Nec item contrahatur inter eos qui simul suscipiunt vnum & eumdem infantem: & qui in hac re nomine parentum intelligantur: quodque hoc ipsum impedimentum sit perpetuum.*
151 *Concilij Tridentini statutum de patrinis, & quid in eis requiratur ad contrahendam hanc cognitionem.*
152 *Quod statutum habet locum in confirmatione sicut in baptismo: & quid iuris de iis qui fungitur officio patrini, ad quod non sunt deputati, aut sunt contra ius destinati.*
153 *Quid item iuris de iis, quos Parochus baptizaturus aut iuste repellit, aut contra ius admittit, aut ipsemet designat.*
154 *Episcopus licentiam dare non potest vt plures quam duo diuersi sexus sint patrini eiusdem: & quando incurratur hæc cognatio cum baptismus & illius solemnitas non fiunt simul.*
155 *Intentio requisita in patrinis ad contrahendam hanc cognationem.*
156 *Cum per procuratorem de sacro fonte infans suscipitur, nec procurator ipse, nec is qui illum commisit, incurrit istam cognationem.*
157 *Qui possint & qui non possint patrini numere fungi.*
158 *Vnde dicatur cognatio legalis: ac quid & quotuplex sit adoptio.*
159 *Variæ differentiæ inter perfectam & imperfectam adoptionem.*
160 *In quibus vtraque conueniat.*
161 *Cognatio legalis imperfecta non dirimit matrimonium.*
162 *Perfectæ dirimentis tres sunt species, 1. paternitas, 2. affinitas quibus commune est dirimere perpetuo matrimoniũ.*
163 *Tertia fraternitas quæ non durat perpetuo, idque quomodo, & cur.*

QVADRVPLEX cognatio distinguitur. Prima est consanguinitas, 2. affinitas. 3. cognatio spiritalis, 4. cognatio legalis: ex quibus singulis constitutum est matrimonij impedimentum; ob Reipub. bonum scilicet, iuxta ea quæ ex D. august. habentur 35. quæst. 1. cap. 1. Docet enim experientia maiorem amicitiam intercedere inter eos qui coniunguntur aliqua huiusmodi cognatione, quam inter alios. Vt igitur inter hos quoque amicitia augeretur, constitutum est ab Ecclesia, vt qui semel coniuncti essent certis cognationis gradibus, ij non inter se, sed potius cum aliis matrimonio copularentur. Plures autem fuerunt olim, quam nunc tales gradus constituti in Ecclesia: duas potissimum ob causas. Altera est, quod nunc non sit tanta charitas, quanta olim erat. Altera vero, quod maior iam sit quam olim negligentia in notandis talibus gradibus, & per consequens maior facilitas contrahendi in illis. 138.

De impedimento consanguinitatis.

SECTIO PRIMA.

QVid sit consanguinitas iam dictum est in titulo præcedenti sub initium cap. 16. Eam olim vsq; ad septimum gradum impediuisse matrimonij validitatem habetur ex cap. 1. cap. Nullum, cap. Nulli, cap. De consanguinitate 35. quæst. tertia. Quod autem in eadem quæst. cap. Contradicimus, coniugium interdicitur non vltra sextum gradum, Gratianus ibidem monet id esse referendum ad varium modum computandi gradus: quo alij patrem in primo ponunt, & filios in secundo: alij vero filios primum gradum appellant, negantes gradum cognationis esse inter patrem & filium, vtpote qui habentur vna caro. Itaque authoritates quæ consanguinitatis copulam vsque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu: illæ vero, quæ vsque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant. Sicque fit vt eædem personæ secundum hanc diuersitatem inueniantur in 6. & 7. gradu. hæc Gratianus. 139.

Nunc temporis autem, eamdem consanguinitatem solummodo vsque ad quartum gradum inclusiue matrimonium impedire, habetur ex cap. penult. De consanguinitate & affinitate, & tacite ex Clement. vnica eodem titulo; vbi excommunicantur ipso facto qui scienter intra tales gradus matrimonium contrahunt: & ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 5. De reform. matr. vbi tale quid præsumentes, aut ignoranter quidem facientes, sed neglectis solemnitatibus in contrahendo matrimonio requisitis, iubentur separari sine spe dispensationis; & maxime si matrimonium consummauerint. Nec illis proderit diu cohabitasse & plures liberos suscepisse: immo oberit potius, quia vt dicitur in cap. Cum haberet, De eo qui duxit in matrimonium, multiplicitas prolis ita susceptæ crimen eorum magis exaggerat: diuturnitasque temporis non minuit sed auget peccatum.

ADVERTE autem primo, contrahi cognationem consanguinitatis non tantum inter eos qui sunt ex legitimo matrimonio, sed etiam inter eos qui extra illud nati sunt, cum inter eos quoque sit sanguinis coniunctio. 140.

Aduerte secundo, nuptias ex hoc impedimento incestas: vt Ecclesiam excommunicatione, sic leges ciuiles amissione dominij rerum punire; vt notatur in cap Cum secundum leges De hæreticis in 6. vbi glossa *ad verbum Perdant*, easdem leges refert.

Aduerte tertio, difficultatem esse, An quod expressum est in cap. finali De consanguinitate & affinitate, nuptias in quinto gradu esse licitas, habeat locum non modo in literali sed etiam in recta linea. De ea autem duo videntur dicenda. Vnum est, partem affirmantem esse magis conformem citato cap. finali, in quo matrimonium vltra quartum gradum sic conceditur, vt nulla fiat distincto lineæ rectæ vel lateralis, sed indifferenter nuptiæ permittantur in quinto gradu. Alterum est, quoad praxim talem quæstionem videri inutilem, quia rarissime aut nunquam potius contingit atauos, licet viuant, ita corpore constitutos esse, vt apti sint cum neptibus in quinto gradu matrimonium contrahere.

ADVERTE

ADVERTE quarto, gradus consanguinitatis alio modo computari iure Ecclesiastico, & alio modo iure ciuili, ex cap. Ad sedem Apostolicam 35. quæst. 5. ita tamen, vt sicut in tribus computandò differunt, sic etiam in tribus conueniant. Nam conueniunt primo, quod in vtroque iure constituatur aliquis quasi truncus, seu stipes aut radix, hoc est, communis parens in quo personæ omnes in linea constitutæ conueniunt. Secundo quod in vtroque constituatur duplex linea, vna recta, in qua semper vna persona descendit ab alia: vt pater, filius, nepos, pronepos, abnepos: altera collateralis seu transuersa, in qua vna persona non descendit ab alia: sed ambæ ipsæ quarum quæritur gradus, descendunt ab eodem stipite: vt duo fratres, duo fratrum filij, & rursus horum filij, sicque consequenter. Tertio, quod in vtroque iure gradus in recta linea eodem modo numerentur. Quæ enim personæ sunt in primo vel secundo vel tertio gradu secundum ius ciuile, sunt in eodem gradu rectæ lineæ, secundum ius canonicum.

Differunt autem primo, quod ius ciuile tot constituat gradus in linea transuersa, quot in ea sunt personæ. Ius vero canonicum ex duabus personis, constituat tantum vnum gradum in ipsa linea transuersa: ita vt illi qui secundum ius canonicum sunt in primo gradu, secundum ius ciuile (quod nullum primum gradum constituit in linea laterali) sunt in secundo: & qui sunt in secundo gradu secundum ius canonicum, sunt in quarto secundum ius ciuile, & ita consequenter. Cuius discriminis ratio datur in memorato cap. Ad sedem Apostolicam, quod in legibus ciuilibus ob nihil aliud mentio graduum facta sit, quam vt hæreditas & successio ab vna persona ad alteram inter consanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computetur, vt aperte monstretur vsque ad quotam generationem, à consanguineorum nuptijs sit abstinendum. Quia ergo hæreditates nequeunt deferri nisi de vna persona ad alteram: ideo secularis Imperator curauit in singulis personis singulos perficere gradus. Quia vero nuptiæ sine duabus non valent fieri personis: ideo sacri canones, duas in vno gradu constituere personas. Hæc ibi.

Differunt 2. quod secundum ius ciuile, non sint gradus æquales & inæquales in linea transuersa, eo quod in vno gradu, vna tantum sit persona. Secundum ius canonicum vero in linea transuersa gradus sint æquales & inæquales. Nam æquales dicuntur cum ambæ personæ sunt in eodem gradu: inæquales autem quando vna persona est in vno gradu, vt in secundo vel tertio, & altera est in alio, vt in quarto vel quinto.

Differunt tertio, quod ob rationem pro prima differentia ante propositam, iure ciuili in rectæ lineæ gradibus numerentur personæ tam ascendentes quam descendentes. Iure vero canonico, personæ non numerentur nisi in gradibus descendentibus, quia eo ipso quod illi numerantur, pariter numerantur & ascendentes: prout subiecta tabula ostendit: quæ arbor consanguinitatis dicitur, instituta ad declarationem modi iudicandi de gradu consanguinitatis, quotus secundum ius canonicum sit in aliquibus personis. *

ARBOR CONSANGVINITATIS.



142. * Qvi modvs in eo consistit, vt primo assumatur communis stipes, id est, parens cõmunis, à quo tales personæ descendunt: deinde seruentur hæ duæ regulæ. Prior est in recta linea tot esse gradus inter personas propositas, quot interierunt generationes (siquidem in canonibus id sunt gradus 1.2.3.& 4. quod in sacra scriptura 1.2.3.& 4. generatio) verbi gratia. In recta linea pater & nepos sunt in secundo gradu, quia intercedunt duæ generationes, vna qua generatur filius, & altera qua generatur nepos. Similiter pater & pronepos in tertio gradu, quia intercedit tertia generatio: & pater & abnepos sunt in quarto, quia accedit quarta generatio. Posterior regula est. In linea transuersa, si personæ sint in æquali gradu, vt duo fratres, vel duo nepotes, & sic de cæteris: quo gradu vna distat à stipite per rectam lineam, eodem gradu illæ distant inter se in linea transuersa. Sin autem per rectam lineam sint in gradu inæquali, illas in linea transuersa distare inter se illo gradu quo persona remotior distat à stipite per lineam rectam, ex cap. finali De consang. & affinit. verbi gratia, duo filij sunt in primo gradu, quia filius à stipite distat in primo gradu: filius vero & nepos sunt in secundo gradu; quia remotior, id est nepos distat à stipite in secundo gradu: sic nepos & pronepos sunt in tertio gradu: non autem in secundo, & sic de cæteris ob eamdem causam.

Vnde sequuntur tria, quæ habet Syluester Matrimonium 8. quæst. 6. dicto 6. Primum est: matrimonium esse posse, quando vna persona est in secundo gradu, & altera in quinto: quia distant inter se quinto gradu. An autem possit esse quando vna persona est in primo gradu & altera in quinto: idem Syluester inquirit: atque allatis in vtramque partem authoribus, affirmantem sequitur: (quod Doctores communiter solere, notat ea de re agens Sanchez lib 7. disput. 53.

144

145

146

disput.53.num.5.) quia Pontifex in memorato cap. finali indistincte loquitur: atque cum ius non distinguit, nec nos distinguere debemus. Secundum est, valere dispensationem obtentam pro personis quæ sunt in gradu inæquali, quantumcumque non sit facta mentio gradus vicinioris, sed tantum remotioris. De qua re Couarr. in Epitome quarti Decretal. *parte 2.cap.6.§.10.num.12.* Sub cuius finem monet, declaratum esse à Pio quinto vigesima Augusti anno Domini 1566. non requiri vt dum talis dispensatio petitur, mentio fiat gradus vicinioris: quæ declaratio decima est inter ipsius constitutiones in collectione Petri Mathæi. Vide sequentem numerum 200. circa medium. Tertium est illum cui generaliter concessa est potestas dispensandi in 3. vel 4. gradu, posse dispensare, quantumuis vna tantum persona fuerit in eo gradu, & altera fuerit in gradu viciniori stipiti, vt in secundo.

De impedimento affinitatis.

SECTIO II.

144. DE hoc impedimento ex præced. iudicatur per hanc regulam: Quo quisq; gradu consanguinitatis coniugitur cum vno coniugum, eodem gradu affinitatis coniugitur cum altero. Obseruandum autem primo, rationem illius hanc reddi, quod vxor & maritus per matrimonium efficiantur vna caro: & ideo omnes consanguinei vxoris efficiantur affines marito in eodem prorsus gradu: & contra consanguinei mariti efficiantur affines vxori, in eodem item gradu. Vnde sequitur ante propositam consanguinitatis arborem sufficere: nec opus esse aliam assignare ad declarandum modum cognoscendi in quoto gradu, aliqui sint affines. Pro quo facit cap. Porro, distinct.35.quæst.5. Adde ex cap. Fraternitatis, in sequenti quæst.10. affinitatem durare post mortem eius qui illius contrahendæ causa fuit. Et ratio est, quam D. Thomas habet in 4.distinct. 41.quæst. vnica art.1. quæstiuncula 2. quod quoties relatio consurgit ex præterita actione: nec illius continuationem desiderat, ea non pereat destructa causa; sed tantum destructo altero extremorum inter quæ versatur.

145. Obseruandum est secundo, solum maritum contrahere affinitatem cum consanguineis vxoris: & solam vxorem cum consanguineis mariti: non autem consanguineos vxoris, cum consanguineis mariti, vel contra, affinitatem contrahere. Hinc enim est quod pater & filius possunt in vxores accipere matrem & filiam: & duo fratres duas sorores. ex cap. Quod super his, De consang. & affinit.

Obseruandum est tertio, olim quidem affinitatem sicut consanguinitatem, vsque ad septimum gradum impediuisse matrimonium: itaut viro æqualiter abstinendum esset à propriis consanguineis, & à consanguineis vxoris, ex cap. Æqualiter, & ex cap. finali 35. quæst.3. sed nunc tale impedimentum reuocatum esse ad quartum gradum, per cap. Non debet De consanguinit. & affinit. Vbi etiam ex tribus affinitatibus, quæ olim constituebantur impedientes matrimonium, secunda & tertia tolluntur, retenta sola prima: quæ est illa cuius meminimus mariti cum consanguineis vxoris, vel contra. Quænam vero sit secunda & tertia affinitas, intelligitur, fingendo vxorem consanguinei mei, *vt fratris*, illo mortuo nubere alteri: hic enim erit mihi affinis secunda affinitate: rursus hunc eumdem mortua vxore quæ erat fratris mei relicta, ducere secundam: hæc mihi erit affinis tertia affinitate.

Obseruandum est quarto, perinde ipso facto communicationem incurrere, *per Clemen. vnicam de consanguinit. & affinit.* eos qui audent matrimonium contrahere intra gradus affinitatis, ac intra gradus consanguinitatis prohibitos.

146. Obseruandum est quinto, affinitatem nasci tantum ex copula carnali, ex qua sequi potest generatio prolis: non autem ex alia criminosa & damnabili pollutione extraordinaria, ex cap. Extraordinaria 35.quæst.3. vbi glossa prima extraordinariam interpretatur, qua citra vel circa, & non intra naturalia seu naturale vas seminatur. Cuiusmodi pollutionem non impedire matrimonium, ibidem glossa finalis probat: quia nec facit sanguinis commixtionem, nec carnis vnitatem, prout requiritur ad contrahendam affinitatem, ex cap. Lex diuina, 27. quæst. 2. Quæ eadem ratio pariter ostendit, non impediri matrimonium, si quis reseraret claustra pudoris, sed non procederet vsque ad operis, hoc est prædictæ seminationis consumationem. Videri potest Sanchez *lib.7. De matrim.disput.64. prolatiori eius rei tractatione, num 7. & deinceps.*

Obseruandum est sexto, impedimentum istud inducisiue prædicta copula fiat in matrimonio, siue extra matrimonium, etiam inuita muliere, ex cap. Discretionem, De eo qui cognouit consanguineam vxoris. Quamquam tamen Concil. Trident. sess.24. De reform. matrim. cap. 4. constituit, vt affinitas orta ex fornicatione, matrimonium dirimat in primo tantum & secundo gradu: itaut iam sublati sint tertius & quartus talis affinitatis, nec vllatenus impediant matrimonij validitatem: prout declaratum est à Pio quinto in constitutione edita anno 1566. quæ incipit, Ad Romanum Pontificem. De qua re Sanchez *in sequenti disput.67.à num.4.* agens, inter cætera notat num.6. Concilium Triden. fornicationem accipere à generice (sicut accipitur Tobiæ 4. versu 13. Actorum 15. ver. 20. & 29. ad Ephes. 5. ver. 5. ad Coloss. 3. ver. 5.) prout omnem illicitum concubitum complectitur: quia nullus talis est aptus ad propagandam amicitiam: & ex quolibet eorum perinde ac ex fornicatione simplici oriri possunt damna, ad quorum vitationem Concilium induxit propositam restrictionem. Deinde in num. 8. nō committi incestum, si quis carnaliter cognoscat in tertio gradu consanguineam illius cum qua fornicatus erat; sicut nec communi Doctorum consensu incestum committit ille, qui carnaliter cognoscit vxoris suæ consanguineam in quinto gradu. Et ratio est: quia incestus sic pendet ex matrimonij prohibitione, vt esse non possit hac ablata. Pro quo facit quod ex Caiet. in verbo Incestus in principio, & Armilla eodem verbo: incestus dicatur peccatum, quo inter consanguineos vel affines, fit carnalis commixtio absque dispensatione matrimoniali. Quæ dispensatio habetur, tum ex iure, quando lex communis omnino tollit consanguinitatem aut affinitatem in aliquo gradu; tum ex speciali priuilegio Papæ: quod solet sic dari vt dispensatio committatur Episcopo qui eam de si inuenerit preces niti veritate. 147.

An aliquod sit istius generis matrimonij impedimentum de iure naturali, relinquemus breuitatis studio videndum apud memoratum authorem *disput.65.&66.* tum quia proprie est scholastici instituti: tum quia seruit potissimum ad iudicandum de matrimonio infidelium, cuius vsus in his regionibus vix contingit.

De impedimento cognationis spiritalis.

SECTIO III.

148. COgnatio spiritalis est attinentia quædam duarum personarum, sic dicta, quia ortum habet ex quibusdam sacramentis nouæ legis: nempe ex baptismo & confirmatione, per quæ procreantur spirituales quidam filij, eos tum fouendo in Ecclesiæ quasi vtero, tum roborando ad labores pro Christo ferendos: non autem ex aliis sacramentis, ex cap. fin. De cognatione spirituali, in sexto. Et ratio est, quod etsi gratiam conferant, non tamen per modum generationis; sed vel alimentationis vt Eucharistia, vel sanationis vt pœnitentia. Vbi aduerte obiter quod quamuis hoc ita sit: tamen ex circunstantia sacramenti pœnitentiæ, fornicationem Confessarij cum ea cuius confessionem excepit ita aggrauari, vt ipse expressam illius mentionem facere debeat, quando confitetur. Id quod bene tractatum videri potest apud Thomam Sanchez *lib.7. de matrimonio disput.55.*

Porro de propositæ cognationis impedimento, agitur in iure canonico 30.quæst.1.3.& 4.& in Decretalibus titulo proxime memorato. Agitur item à Theologis in 4.distinct. 42.à Nauar. in Enchir. cap.22. num.36. & aliquot sequentibus, à Couar. in Epitome quarti Decret. *par.2.c.6.§.4.* & plerisque aliis, quorum locum supplere potest de eadem agens latissime Sanchez lib.7. De matrim. disput. 54. & aliquot sequentibus.

Ad imitationem igitur cognationis carnalis, quæ est inter consanguineos, instituta est iure canonico antiquo (non autem naturali vt ostēdit Sanchez *in principio citatæ disp.54.*)

quadruplex cognatio spiritalis dirimens matrimonium. Prima est paternitas, cõsistens in respectu quodam plurium inter se, quorum vnus est quasi pater, & alter quasi filius: talis est cognatio, tum inter baptizãtem & baptizantum, tum inter hunc & patrinos qui de sacro fonte ipsum leuarunt, ex antecitato cap. finali. Ratioque est, quia in spiritali generatione per baptismum: minister, qui sacramentum confert, cum teneat locum Christi, est velut pater spiritalis: & susceptores seu patrini cum teneant locum Ecclesiæ, sunt velut mater spiritalis.

Secunda affinitas spiritalis est compaternitas, sic dicta quod sit cognatio eorum qui eiusdem filij sunt quasi parentes: quomodo naturales parentes baptizati, sunt cognati baptizantis & patrinorum, tanquam spiritualium parentum illius eiusdem baptizati, ex cap. Veniens De cognatione spirituali.

Tertia spiritalis cognatio est fraternitas spiritalis, qualis intercedit inter baptizatum & filios naturales baptizantis, atque filios patrinorum, ex cap. finali eodem titulo.

Quarta est affinitas spiritalis, quæ intercedit inter baptizatum atque parentes eius, ex vna parte, & vxores patrinorum vel maritos matrinarum ex altera parte, quando matrimonium ante sacramenti collationem fuerit cõsummatum, ex cap. Martinus, eod. tit. & cap. 1. eod. etiam tit. in 6. Non progreditur autem hæc affinitas ad mulierem, quam patrinus fornicarie cognouerit, vt aliquot aliis citatis annotat Couarr. *in citato* §. 4. *num.* 3.

Statutum Concilij Triden. De hoc impedimento.

At vero per nouum ius Concilij Tridentini sess. 24. c. 2. De reformat. matrimonij, vt à numero cognationum impedimentum hoc constituentium, auferuntur omnino, tum fraternitas spiritalis, tum etiam affinitas spiritalis: itaut iam supersint solummodo paternitas & compaternitas spiritalis: quarum illa impedit matrimonium inter baptizatum & baptizantem: atque inter eumdem baptizatum & patrinos: hæc vero inter parentes baptizati & baptizantes; ac inter eosdẽ parentes & patrinos, prout subiecta figura ostẽdit. 148. 152

Figura cognationis spiritualis.



VBI obseruandum est primo, quod etsi vir & vxor censeantur vna caro, non ideo tamen impedimentum viri ex hac cognatione contractum, transfundi in vxorem: nec item impedimentum vxoris transfundi in virum (prout declaratum est à Pio Quinto in bulla edita anno Domini 1566. quæ incipit, Cum illius vicem) quia Concilium exprimens tantum quatuor genera personarum, censendum est ea tantum, & non alia comprehendere sua prohibitione.

150. Obseruandum est secundo, compaternitatem propositam, nonnunquam esse inter patres spiritales, vt inter patrinos: & matrinas & inter eosdem & ministrum sacramenti: sed semper requirere ex vna parte spiritalem, & ex altera carnalẽ parentem. Vnde fit vt patrinus & matrina qui simul aliquem susceperũt de fonte baptismi, possint inter se matrimonio coniungi, prout habet Sanchez *disp.* 54. *nu.* 12 alios citans in eamdem sententiam & ex eisdem num. 13. addens ob parem rationem, si vir & vxor (quod excusari à peccato idem docet disput. 57. num. 5.) simul alienum puerum de sacro fonte leuent, nullatenus priuari iure exigendi debitum coniugale. Et ex aliis num. 17. quod possint duo ad inuicem esse patrini; vnus filij alterius: & rursus hic, filij illius.

Cæterum in hac re nomine parentum baptizati aut confirmati, intelliguntur carnales: siue legitimi, siue illegitimi, vt in præcedenti nu. 16. idem ex eo probat: quod ante Concil. Trident. tam illegitimi quam legitimi impedimentum istud contraherent, iuxta glossam ad cap. 1. De cogna. spirit. verbo. *Et matrem.* nec in hac parte, ab eodem Concilio notetur, facta restrictio. Qua etiam de causa, vt ante illud fuit sic post perpetuum est hoc impedimentum; nec extinguitur morte eius qui illi causam dedit. Nam iura antiqua illud absolute statuerunt, nec inueniuntur restrixisse ad vitam personæ quæ dederit illius causam. Ita Sanchez notat *in ead. disput. num.* 8. 151.

Constituit quoque idem Cocilium ibidem, vt in baptismo vnus tantum sit qui susciat siue vir siue fœmina, aut ad summum vnus vir & vna fœmina: quorum nomina Parochus in libro scribere iubetur, eosque monere de cõtracta affinitate: sicut & antequam ad baptismum conferendum accedat, ab iis ad quos spectat, diligenter scisciti quem vel quos elegerint, vt baptizatum de sacro fonte suscipiant: neque ad suscipiendum admittere alios, qui non sint designati. Qui quidem si nihilominus tetigerint baptizatum, non ideo contrahent istam cognationem, vt ibidem statuitur. 153

Circa idem statutum notanda.

CIRCA quod notandum est primo, quod aliis citatis Sanchez tractat *lib.* 7. *disput.* 56. in patrinis ad contrahendam hanc cognationem matrimonium dirimentem, requiri vt baptizatum aut confirmatum teneant dum ea sacramenta conferuntur, nempe dum aqua infunditur puero in baptismo, aut dum in confirmatione ab Episcopo vngitur: certe illum leuent, statim ac perfecta sunt illa in quibus eorumdem sacramentorum substantia consistit. Ratio est quod iura statuentia hoc idem impedimentum (quæ ille magna numer. refert numer. primo) vtantur his verbis. Suscipit, recipit, tenet, leuat, tangit. Itaut ad hanc cognationem non sufficiat responsio, quam pro baptizando, baptizante interrogante, patrini faciunt: An autem illa

contra-

contrahatur, tali interrogatione & responsione non interueniente, difficultas est: qua de idē ibidē diuersas sententias refert, & merito sequitur eam quæ asserit contrahi: quia iura quando mentionem faciunt de cognatione spiritali, tantum meminerunt susceptionis. Adde quod illa interrogatio & responsio non pertineat ad baptismi substantiam, sed eam præcedit tanquam præuia dispositio.

Porro ad eam susceptionem non sufficit tactus leuis, *qualis obiter fit extremitate digiti*: sed talis requiritur, quo patrini vere dicantur tenere eum qui baptizatur (nec refert siue tangat nudum, siue contectum veste) aut eum suscipere de manu baptizantis. Vbi aduerte de manu alterius quam baptizantis, baptizatum suscipere, ad hanc cognationem minime sufficere. Si enim baptizatum ipsum suscipientes de manu patrini, eam incurrere minime censentur. Pro quibus omnibus memoratus author alios citat bono numero.

152. Notandum est secundo, multas difficultates moueri occasione memorati decreti. Eas Sanchez explicat *in seq. disp.* 57. Quam explicationem paucis complectemur aliquot documentis.

Primvm est, Concilii statuentis posse adhiberi duos patrinos diuersi sexus, nullumque alium tangentem, præter designatos patrinos, affinitatem hanc contrahere: mentem fuisse vt id perinde procederet in confirmatione ac in baptismo. Id quod satis probabiliter deducitur ex eo, quod in principio illius cap. 2. sess. 24. De reform. matrimonii, proponat se velle restringere istiusmodi cognationem matrimonium dirimentem: & in fine, ortam ex confirmatione restringat ad easdem prorsus personas, ad quas prius restrinxerat ortam ex baptismo. In quam sententiam à memorato authore nu. 9. citantur Nauar. Suarez. & Tolerus.

Secvndvm est: Si nullus in patrinum designetur (vt aliquando solet accidere cum infans vrgente necessitate baptizatur sine ceremonijs) nullum quoque eorum, à quibus tangitur baptizatus, contrahere hanc cognationem, prout contendit, *nec sine ratione*, memoratus author in nu. 12. Sed contrarium ex declaratione Romanæ congregationis Cardinalium est sequendum cum Nauar. in Enchir. *c.* 22. *nu.* 39. & aliis quos ipsemet Sanchez *in præced. nu.* 11. refert: nempe omnes & solos, qui tunc baptizatum tenent aut immediate suscipiunt de manu baptizantis, contrahere hanc cognationem: sicut & cum plures duobus diuersi sexus (quod idem Sanchez bene ostendit ibidem numero 13.) designantur à parentibus, & à Parocho admittuntur. Declarationem autem eam refert Ferdinandus Rebellus De obligationibus iustitiæ parte 2. in appendice ad librum quartum num. 95. his verbis. Congregatio censuit cum plures suscipiunt, omnes contrahere cognationem, si plures sunt electi, vel nullus: sin vnus est electus, ille tantum contrahit. Fundamentum vero est, quod à iure antiquo recedendum non sit, nisi quoad excepta in nouo: ex lege Præcipimus Cod. De appell. Atque in memorato decreto tantum est exceptio casus in quo vnus patrinus aut summum duo diuersi sexus designantur. Vnde relinquit in suo vigore ius antiquum, in cap. finali De cognatione spirituali in 6. vbi deciditur, quod etsi non plures quam vnus vir aut vna mulier accedere debeant ad suscipiendum de baptismo infantem, cæteros nihilominus accedentes contrahere cognationem matrimonium dirimentem.

153. Tertivm documentum est, quando Parochus neutrum ex iis quos parentes designarunt aut vnum solum admittit, amboque nihilominus infantem suscipiunt, talem repulsam non obstare quin hæc cognatio contrahatur: si quidem ille nullam causam legitimam repellendi habuerit. Nam tales vere designati sunt ab iis quibus incumbit designare: neque per Concil. Trid. vt admittantur à Parocho, statutum est vt conditio necessaria ad hanc cognationem: sed vt præceptum eidem impositum intelligendi, qui sint designati patrini, vt nomina eorum in libro scribat, ac prouideat ne quid in ea re accidat contra ius. Sin autem Parochus iustam causam habet repellendi, vt si vterque designatus sit eiusdem sexus, vnumque repellat, aut si vnus quidem sit tātum, sed cui interdictum sit patrinum esse, vt Religioso vel hæretico: aut plures quam duo diuersi sexus designentur, & superabundantes repellat: censet quidem Sanchez repulsos non contrahere hanc cognationem: sed contrarium consequens est ex præcedenti documento 2.

Qvartvm documentum est: Quando nulli patrini designati sunt à parentibus, aut ab aliis quibus incumbit: atque ad supplendum eum defectum Parochus designat vnum, aut ad summum duos diuersi sexus congruenter sacris canonibus, locum esse ei, quod Concilium Trident. in eodem cap. 2. decernit, designatos quidem contrahere hanc cognationem, non autē cæteros, se sine designatione simul ingerentes susceptioni baptizati. Ratio est: quia cum incumbat Parocho curare vt baptismus legitime administretur, secundum cæremonias ab Ecclesia institutas, quarum vna est adhibere patrinum, eo ipso quod nullus est designatus, incumbit illi designare aliquem, indeque in designato per ipsum, conditio designationis à Concilio Tridentino requisita, verificatur.

Responsio ad aliquot dubia de ipso impedimento cognationis spiritalis.

Primvm est, An Episcopus possit dispensare vt duo viri, loco viri & fœminæ aliquem suscipiāt de sacro fonte. Ad quod responsio est congregationis Cardinaliū quam Rebellus loco citato num. 89. refert, Episcopum non posse concedere talem licentiam. Adde pari ratione, neque vt adhibeantur patrini plures duobus diuersi sexus: nempe, quia tam hoc quam illud est contra Cōcilii generalis prohibitionem. in qua Episcopus non potest dispensare sine facultate ei concessa expresse, aut nisi semel aut iterum, quando non patet ad Summum Pontificem aditus. At nulla in eo casu vrget necessitas: nec inuenitur facultas Episcopo concessa dandi talem licentiam, prout Sanchez notat *disput.* 57. *num.* 7. & satis indicat proposita Cardinalium responsio. 154.

Secvndvm dvbivm, An cum infans vrgente necessitate domi baptizatur sine cæremoniis, & postea in templo cædem cæremoniæ adhibentur, illic (*iuxta dictam præcedenti num.* 152. *docum.* 2.) contrahatur cognatio à suscipiente, non autem hic. Istud attingens Nauarrus in Enchir. cap. 22. num. 40. respondet illic contrahi, vbi scilicet confertur sacramentum, non autem hic, vbi solummodo confertur sacramentale: per quod nec character, nec gratia ex opere operato confertur. Qua de re late Sanchez disput. 62.

Tertivm Dvbivm, Cum qua intentione patrinorum debeat fieri externa baptizati aut confirmati susceptio ad contrahendam eam de qua agimus cognationem. Hoc tractat Sanchez. *disput.* 58. Cum quo & multis aliis quos cōmemorat nu 4. respondendum est non desiderari vt susceptores intendant contrahere cognationem aliquam paternitatis aut compaternitatis: sed exigi ac satis esse, vt intendant facere quod solent patrini, nempe exercere actum suscipiendi, institutum in Ecclesia. Probatur: quia vt baptizans contrahat hanc affinitatem, exigitur & satis est, vt baptizet cum intentione faciendi quod per illum actum intendit Ecclesia. Ergo vt susceptor eamdem contrahat, exigitur & sufficit quod dictum est. Vnde licet inferre, cognationem hanc non contrahi ab eo, qui non quidem intentione fungendi munere patrini teneret infantem qui baptizatur, sed solum vt is commodius habeat, vel vt verum patrinum qui senex est, aut alium debilem iuuet in sustentando: vel vt morem gerat parentibus, fingens se velle tanquam patrinum tenere, cum id non habeat in animo. 155.

Cæterum si quis intendat suscipere filium Petri, & is quē suscipit est filius Pauli, tutum quidē est existimare contractam esse hanc cognationem, sed non est necessarium: quia ad argumentum quo probatur: nempe à baptizante eam contrahi, etiamsi tale quid existimet, facile est respondere: non esse parem rationem in patrino: ex cuius intentione suscipiendi eum quem habent presentem, non pendet validitas baptismi, sicut pendet ex simili intentione baptizantis iuxta illud: quod Conc. Florent. in instruct. Armenorum De sacramentis in genere, definit omnia sacramenta tribus perfici; rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod faciat Ecclesia. Videndus est Sanchez *num.* 6. & 7.

156. QVARTVM DVBIVM EST, An qui alterius nomine, tanquam ipsius Procurator, infantem de baptismo suscipit, contrahat istam affinitatem. De hoc tractat Sanchez *in seq. disp. 59. à nu. 10.* Ac partem negantem cum multis aliis quos in num. 12. refert, merito sequitur: quia Procurator nō agit nomine suo, sed alterius: quem, non autem se, vult constituere patrinum neq; designatur susceptor, ab iis ad quos id spectat, qui nollent tantum deferre inferioris conditionis homini, quantum viro principi ab ipsius designato, qui eum constituat procuratorem suum. Iam vero, ex Concilio Trident. sess. 22. cap. 2. De reform. matrimonij, cum vnus est designatus patrinus, aut duo diuersi sexus quicumque alij accedunt ad tenendum, non contrahunt hanc cognationem. Ergo nec tenens tantum procuratoris nomine, etiam si tenendo habeat intentionem contrahendi eam.

Quod autem nec ille qui procuratorem mittit vt infantem suo nomine teneat in baptismo, cognationem hāc contrahat (etsi aliqui contradicant, vt videre est apud Thomam Sanchez *in eadem disput. 59. numer. 2.*) merito tenent ij quos idem in sequenti num. 4. refert magno numero. Ratio est, quod vt ante num. 151 attigimus, canones statuentes hanc cognationem, actum per quem patrini illam contrahunt, explicent vtendo verbis, tenet, suscipit, leuat: cuius actus ille qui procuratorem mittit vt infantem suo nomine suscipiat in baptismo, capax non est: vtpote qui absens infantem ipsum nec tangit, nec suscipit, nec leuat. Videndus est idem Sanchez ibidem.

157. QVINTVM DVBIVM EST, Quis possit esse patrinus. Ad quod respondetur sequentibus propositionibus. Prima est: quemcumq; fidelem baptizatum & confirmatum dummodo habeat vsum rationis, necessarium ad culpam mortalem contrahendam, posse esse legitimum susceptorem in baptismo & confirmatione. Ratio est: quia potest in eo reperiri legitima intentio faciendi quę faciunt alij patrini, vna cum act.one tenendi suscipientes illa sacramenta. Videri possunt quæ Sanchez habet disputa. 161.

Secunda est: neque non baptizatum in baptismo neque non confirmatum in confirmatione patrinum esse posse. Hæc habetur ex cap. In baptismate, De consecr. distinct. 4. Cuius verba sunt: In baptismate vel in chrismate non potest alium suscipere in filiolum, qui non est baptizatus vel confirmatus. Videndus est idem Sanchez in præcedenti disput. 60.

Tertia est hæreticum posse esse verum patrinum. In hac Doctores consentire Sanchez ibidem habet num. 2. Ratio est: quia insignitus charactere baptismali, capax est istiusmodi cognationis tanquam subiectus Ecclesiæ, quę nullibi facit ipsum expertem muneris patrini obeundi: quamuis ipse peccet illud assumendo, tanquam ad illud ob infidelitatem ineptus.

Quarta est, Illicitum quidem esse Religiosis munus patrini: sed tamen si quem in baptismo aut confirmatione suscipiant, esse veros patrinos. Ratio prioris partis est, quod tale munus sit illis prohibitum in cap. Placuit communi, 16. quæst. 1. & in cap. Non licet Abbati De consecr. distinct. 4. Ratio vero posterioris partis est: quod ea iura non statuant irritum esse contra factum. Ita Sanchez in fine eiusdem disput. 60. alios citans in eamdem sententiam.

De impedimento cognationis legalis.

SECTIO IV.

158. COgnatio legalis ex eo dicitur, quod ex lege ciuili sit desumpta, de qua in iure canonico mentio habetur. 30. quæst. 3. cap 1. & penult. ac in Decretalib Gregorij, libro 4. titulo 12. De eademque agunt Theologi in 4. distinct. 42. & Summul. in verbo Adoptio. Antequam autem doceamus quomodo impediat matrimonium, explicandum est quid & quotuplex sit adoptio, ex qua ipsum oritur. Communiter ergo (quod Sanchez notat *in lib. 7. De matrim. sub initium disput. 63.*) à Theologis adoptio definitur personæ extraneæ in filium vel nepotem vel deinceps, legitima assumptio seu electio. Per extraneam autem personam intelligitur omnis ille qui non est filius naturalis vel hæres, siue sit adoptalis cōsanguineus, vt Hester Mardochęi, à quo adoptata est (fuit enim neptis) siue non sit, vt Moyses filiæ Pharaonis, à qua adoptatus est Exodi 2.

Distinguitur autem adoptio in perfectam & imperfectam; inter quas duas species constituuntur plures differentiæ in iure ciuili ff. De adoptionibus, & Institutis eodem titulo, vnde Summularij loco citato eas colligunt: & cum illis Sotus in 4. distinct. 42. quæst. 2. art. 1. ac Sanchez in citata disput. num. 2.

Igitur prima differentia est in nomine, quod perfecta vocetur arrogatio: imperfecta vero generale nomē adoptionis retineat. Secunda differentia est, quod perfecta non nisi authoritate Principis fieri possit, & imperfecta possit fieri authoritate alterius magistratus: neutra vero fieri potest priuata authoritate. Tertia differentia, quod perfecta necessario requirat consensum illius qui arrogatur: & imperfecta fieri possit sine consensu illius qui adoptatur. Nam & infans adoptari potest, qui non est capax consensus: debet tamen adesse cōsensus patris vel alterius in cuius est potestate. Quarta differentia est, quod perfecta fiat conceptis verbis, quibus Principis authoritate interrogatur is qui adoptat, an velit eum quē adoptaturus est sibi filium esse: & is, qui adoptatur rogatur, an id fieri patiatur, ex lege 2. ff. De adoptionibus: vbi dicitur ex tali rogatione seu interrogatione sumptum arrogationis nomen. Imperfecta vero non requirat eiusmodi verba, præsertim ex parte adoptiui. Quinta differentia est, quod perfecta requirat, vt is qui adoptat sit sexagenarius, nisi ratione morbi vel consanguinitatis aliud concedatur, ex lege Si pater familias §. penultimo ff. De adoptionibus. In adoptione vero imperfecta non requiratur eiusmodi ætas. Sexta differentia est, quod perfecta requirat, vt is qui adoptatur sit sui iuris, ac emancipatus; non item imperfecta, qua adoptari potest, etiam is qui adhuc est sub patris aut alterius potestate. Vltima differentia est ex parte effectus. Nam perfecta facit, vt ille qui arrogatur transeat cum omnibus suis, in potestatem arrogantis: non minus quam si natus fuisset ex illo. Item vt ex aduerso, ille non possit sine iusta causa, priuari legitima portione; id est, quarta parte bonorum arrogantis. Imperfecta autem non transfert adoptiuum in potestate arrogantis: nisi auus sit aut proauus qui adoptat. 159.

Conueniunt nihilominus, quod in vtraque requiratur præsentia adoptati: itaut neutra possit per procuratorem fieri, ex lege Neque, & ex lege Post mortem §. finali, De adopt. Secundo, quod tam imperfectæ quam perfectæ adoptionis beneficio, is qui adoptatus est, adoptanti intestato succedat in hæreditate, Institutis De adopt. §. Sed hodie. Tertio, quod tā arrogans quā adoptans debeat esse vir, non fœmina: nisi ex priuilegio Principis. Institutis §. Fœminæ De adopt. *& si tam fœmina quam vir possit arrogari, ex lege, Nā & fœminæ ff. De adoption.* Debeat item esse sui iuris, adeoque maior viginti quinq; annis. Imo debeat superare adoptatū decem & octo annis ex §. Minorem, Institutis De adoption. Debeat præterea posse generare: aut saltem mulierem cognoscere carnaliter; quia adoptio ordinatur ad supplendum defectum filiorum. Et ita in lege adoptio ff. eodem titulo dicitur. *Adoptio in his personis locum habet in quibus etiam natura potest habere.* Vnde cum à Domino nostro Matth. 19. duo distinguantur genera Eunuchorum: vnum eorum qui tales sunt, ex matris vtero, qui in iure canonico vocantur frigidi: alterum eorum qui ab hominibus facti sunt, puta ab illis exsecti, aut etiam morbo, aut casu aliquo tales facti: priores adoptare non possunt, posteriores autem possunt: sicut & steriles. Videri potest Syluester *in verbo Adoptio num. 5.* & addi quod Sanchez aliis citatis num. 3. habet, Sacerdotes qui non sunt naturaliter impotentes ad generationem adoptare posse: non autem tutorem aut curatorem adoptare posse pupillum, nisi certis conditionibus quæ tanguntur ff. De adoption. lege Nec ei, & sequenti: in quibus referendis nihil est quod immoremur. 160.

HIS ITA præmissis de proposito impedimēto quod vocamus cognationis legalis, notandum est primo, ex probabiliori sententia, ipsū nō nasci ex adoptione imperfecta, sed solum ex perfecta. Quam sententiam Sanchez *in citata disp. 63. quæst. 1.* propugnat, propositis in vtramque partem tam rationibus quam authoribus variis. Sed nobis sufficit, 161.

quod

quod cum matrimonium sit res valde fauorabilis, impedimentum dirimens ipsum (quale est hoc ex communi sententia, per cap. Ita diligenter, 30. quæst. 3. & cap. vnicum De cognat. legali) iura quibus constituitur, non extendi sed restringi debeant. Nec refert, quod ea ipsa iura loquantur absolute de adoptione: quia sufficit dari rationem illa intelligendi cum distinctione: qualis est, quod quando adoptio est imperfecta, illi qui cognationem per eam contrahunt, non habitent in eadem domo, nec tanta amicitia conglutinentur, quanta illi qui per adoptionem perfectam. Ratio autem instituendi impedimenta cognationis, sit vt amicitia excresceret, prout notatum est initio huius capitis.

Notandum est secundo, tres istiusmodi cognationis matrimonium dirimentis, distingui species. Prima est, paternitas legalis, contingens inter arrogantem & arrogatum huiusque filios & nepotes vsque ad quartum gradum: de qua in ante citato cap. Ita diligere, & Institutis §. Ergo, De nuptijs.

162. Secunda est, affinitas legalis contingens inter arrogantem & vxorem arrogati: itemque inter vxorem arrogantis & arrogatum, de qua in lege Adoptionis ff. De ritu nuptiarum. Et quamuis in iure canonico ea non sit expressa tanquam matrimonij impedimentum, illam tamen vt talem Ecclesia more & vsu recepit, prout notat Sotus in 4. distinct. 42. quæst. 2. art. 2. post quartam conclusionem. Videndus est Sanchez *in citata disput. 63. num. 17.* Et cum eodem *in seq. nu. 24.* notandum, eas, duas cognationes impedire ac dirimere matrimoniũ perpetuo, iuxta iura de eis memorata: atque adeo tale impedimentum non cessare soluta quandoque adoptione: sicque nunquam posse adoptantẽ cum adoptata, vel cum filia adoptati matrimoniũ inire: nec adoptatum cum vxore adoptantis: nec hunc, cum vxore adoptati.

163. Tertia est fraternitas legalis inter filios naturales legitimos arrogantis & arrogati, quæ non durat perpetuo, sed solum quamdiu ij qui contrahunt, fuerint sub potestate patris. Vnde si moriatur pater vel emancipetur carnalis vel adoptiuus filius, cessat hoc impedimentum, ex cap. Per adoptionem 30. quæst. 3. & ex cap. vnico De cognatione legali. Cur autem in duabus præcedentibus non idem cõtingat, ratio esse potest reuerẽtia perpetua quam adoptatus & vxor ipsius, debent adhibere adoptanti & vxori ipsius. Dixi autem filios naturales legitimos: quoniam fraternitas ista non est inter adoptatum, & filios illegitimos adoptantis, vt communem omnium sententiam esse tangit Nauarr. *in Enchir. cap. 22. nu. 45.* pro eaque multos commemorat Sanchez *in eadem disput. 63. num. 30.* Et probat, quia hæc cognatio cessat soluta patria potestate, vt habitum est: & filii illegitimi non transeunt in patriam potestatem, Institutis De nuptiis §. penult.

Notandum est tertio, cæteras cognationes legales non impedire matrimonium, & ideo arrogantem posse matrimonium celebrare cum matre arrogati. Similiter posse duos ab eodem arrogatos, virum scilicet & fœminam, atque filium vnius arrogati cum filia alterius celebrare inter se matrimonium. Qua de re Sanchez *in præcedenti num. 26. 28. & 29.*

CAPVT XXI.

De impedimentis raptus, & defectus baptismi, seu disparitatis cultus.

SVMMARIVM.

164 *Quid sit raptus, & quod ad dirimendum matrimonium factus esse debeat causa ipsum contrahendi.*

165 *Corollaria inde deducta, de contracto vel non contracto istiusmodi impedimento.*

166 *Ex impedimento defectus baptismi, matrimonium contrahi non potest inter fidelem & infidelem.*

167 *Tale impedimentum solum est de iure Ecclesiastico: itaut possit in eo Papa dispensare: & an interuentu talis dispensationis contractum matrimonium sit verum, etsi non sit sacramentum.*

168 *Inter Catholicum & hæreticam matrimonium contractum & verum, & sacramentum esse potest.*

169 *De peccato quod committitur tale contrahendo, addita responsione ad quamdam obiectionem de illius inualiditate.*

RAPTVS dicitur violentia, qua mulier inuita, aut etiam volens, sed inuitis parentibus, aut tutoribus abducitur vt corrumpatur. De quo iam egimus in præced. libro 22. cap. 3. sect. 5. quantum videtur sufficere ad nostrum institutum: nisi quod in hunc locum reijceremus cõsiderationem de impedimento matrimonij propter eum imposito à iure, præsertim nouo Concilii Trid. in sess. 24. cap. 6. De reformatione matrimonii. Occurrit vero peculiariter notandum, eiusmodi pœnam impositam esse tantum raptoribus fœminarum causa matrimonii: quod Thomas Sanchez *in lib. 7. De matrimonio disput. 13. num. 4.* colligit: tum ex principio citati capitis sexti, in quo statim fit mentio de matrimonio inter raptorem & raptam: quod indicio est agere de solo eo raptu, qui causa matrimonii admittitur. Tum quod decretũ eiusmodi ponatur sub titulo de reformatione matrimonii, & ideo intelligendum sit de raptu quatenus deformat matrimonium: quod in raptu fit tollendo illius libertatem: ad quod reformandum, Concilium statuit non valere matrimoni im, nisi rapta constituatur in plena libertate. 164.

EX QVA interpretatione multa idem author consequẽter infert ac confirmat: quæ paucis attigisse nobis sufficiet ad hoc impedimentum. Primum est, raptum non sufficere si fiat tantum causa libidinis, non autem causa matrimonij ineundi. Secundum est, nec sufficere si fiat ab alio quam eo qui matrimonium initurus est: quia Concilium loquitur de matrimonio inter raptorem & raptam. Tertium est, nec sufficere si non sit cum traductione de loco ad locum. Id quod Concilium significat, cum ad validitatem matrimonij inter raptorem & raptam vult hanc ab illo separatam, & in loco tuto ac libero constitutam esse. Quartum est, non requiri vt sequatur copula, cum hęc ad matrimonium ineundum nihil conferat. Quintum, requiri vt fœmina abducatur nolens: nam non esset alioqui raptus proprie: decretumque Concilij, cum sit pœnale, restringendum est interpretatione, vt intelligatur de raptu proprie vereque dicto: adeout talis pœna non habeat locum si fœmina sponte ab initio consenserit in traductionem, quantumuis posita in itinere voluntatem mutet: aut quantumuis, precibus importunis aut pretio, aut etiam dolo inducta sit ad consentiendum. Nec obstabit quod parẽtum consensus non concurrat: quia memoratum decretum eo tantum spectat vt matrimonij libertas seruetur, ne fœmina renitens cogatur illud inire: ad quam libertatem non requiritur parentum voluntas: sed sola fœminæ. Sextum est, sufficere ad propositam pœnam, raptum cuiuscumque fœminę perpetratum causa matrimonii de facto ineundi: siue illa sit virgo siue corrupta: & hæc siue meretrix siue honesta & siue maritata (cum qua contrahi potest de facto, etsi non de iure nec valide) siue vidua. Nam Concilium eam pœnam imponit ad tuendam libertatem matrimonij, quę impeditur raptu mulieris cuiuscumque status: facto causa matrimonii ineundi cum violenter rapta. Septimum est, non sufficere, si fœmina rapiat virum nolentem vt secum ineat matrimonium. Nam Concilium de solo viro raptore mentionem facit: nec ipsius decretum *cum sit pœnale* ad fœminam raptricem extendendum est. Pluribus de hac re Sanchez *in citata disputatione decimatertia, & in precedent. duodecima* sed pro quotidiana praxi ista possunt sufficere Confessario, cuius institutionem habemus propositam. 165.

De impedimento disparitatis cultus: pars reliqua capitis.

DE impedimento defectus baptismi agitur in iure canonico 28. quæst. prima. & Extra, De conuersione infidelium. Etsi autem communiter vocetur cultus disparitas: proprie tamen consistit in eo, quod alter coniugum non sit baptizatus. Matrimonium igitur esse nõ potest, *vt Theologos vniuersos ac vtriusque iuris professores fateri habet Sanchez lib. 7. disp. 71. num. 1.* inter baptizatum & non baptizatũ etsi credat in Christum & cupiat baptizari. Quod impedimentum non 166.

esse de iure diuino siue positiuo siue naturali Sanchez ait *in sequenti nu.* 7. & ante eum Couarr. aliis citatis in Epitome *par. 2. cap sexto.* §. 11. Ad quod confirmandum ipse Sanchez adfert tum alia quæ apud ipsum videnda relinquimus: tum quod in omni lege à fidelibus inueniatur initum tale matrimonium. Nam in lege naturæ tale fuit quod Iacob iniit cũ filiabus Laban Ethnici: & quod Ioseph cum filia Putipharis Ægyptia, & in lege scripta veteri, quod Esther iniit cum Assuero, & in lege Euangelica permissum olim fuisse habetur ex D. August. in libro vnico De fide & operibus cap. 19. Qui & matrem suam sanctam Monicam nupsisse viro pagano, testatur in lib. 9. Confess. cap. 9.

167. De iure ergo solum Ecclesiastico est tale impedimentũ: non quod habeatur canon expressus quo matrimonium inter baptizatum & non baptizatum, præsertim iam credẽtem, sit inualidum (vt patet consideranti cap. Iudæi, cap. Caue & cap. Non oportet 28. quæst. 1. quæ pro eodem impedimento communiter citantur) sed quod ex consuetudine & praxi Ecclesiæ ipsum habeatur: id quod sufficit, præsertim cum consuetudo sit rationi & sacræ Scripturæ consentanea. Ratio enim dictat non decere, nec expedire vt fidelis matrimonio coniungatur cum infideli: quandoquidem coniunctio animorum & bona prolis educatio, cum ea disparitate vix esse potest. D. Paul. in priori ad Corinth. cap. 7. eiusmodi connubium prohibet dicens: Cui vult nubat, tantum in Domino, id est dummodo Christiano vt D. Hieron. interpretatur libro 1. aduersus Iouinianum. Quam interpretationem ex eo referens Couarr. *loco citato sub initium*, eamdem tribuit Tertulliano lib. 2. ad vxorem. Deinde in posteriori ad Corinth. cap. 6. præcipit idem Apostolus inquiens: Nolite iugum ducere cum infidelibus. Videri potest Sotus *in 4. distinct. 39. quæst. vnica art. 2.* & notari quomodo possit in hoc impedimento Summus Pontifex dispensare, quod ipse explicat ante solutionem argumentorum. De quo etiam Sanchez *in ead. disput. 71. num. 10.* Qui in disput. 73. & quatuor sequentibus late disserit de matrimonio infidelium quæ apud ipsum videnda relinquam, ad leuandum prolixitatis fastidium in re minus ordinaria.

CONTENTI ergo erimus notare matrimonium fidelis contractum cum infideli, etiamsi verum sit, quatenus contractus (*ali qui D. Paulus in priori ad Corinth cap. 7. non consuleret conuerso ad fidem non discedere à coniuge infideli*) non esse tamen sacramentum nouæ legis. Nam non baptizatus nullum sacramentum conficere potest excepto baptismo: & in sacramento matrimonij vterque contrahentium est illius minister, sibique mutuo illud conferunt: baptizatus vero etsi capax sit talis ministerij, non potest tamen sacramentum ipsum matrimonij conferre non baptizato, qui non est capax alterius sacramenti quam baptismi. Quocirca tale matrimonium nullo plane modo sacramentum est nouę legis: ac proinde nec gratiam confert ex opere operato.

168. Si quæras, An idem sit dicendum de matrimonio quod Catholicus cum hæretica contrahit. Respõdetur negatiue, nam validum esse, cõmunis sententia est Canonistarũ, *vt loco citato num. 4. notat Couarr.* illis addens D. Thomam & Sotũ: & addi possunt alij quos magno numero Sanchez refert *disput. 72. num. 2.* Pro qua facit: tum cap. Decreuit De hæreticis in 6. vbi decernitur, vxores quæ scienter hæreticis nupsere, priuandas esse dote in pœnam delicti, nec tamen iubentur separari: in quo videtur supponi tale matrimonium valere. Tum quod iura inueniantur quidem prohibere tale matrimoniũ, cap. Non oportet, & cap. Caue 28. quæst. 1. nõ tamen irritare. Tum etiam quod nõ sit consuetudo Ecclesię vt tale dissoluatur tanquã irritum, nec permittatur Catholicus viuente hæretica cõiuge inire aliud matrimonium. Tũ demum, quod vt Sotus habet in fine citati art. 2. disparitas cultus, de qua hic agitur, non consistat in defectu interioris fidei, sed sacramenti fidei, nempe baptismi, quo fit Christianæ fidei professio. Hæreticus autem, & à fide apostata per fidei defectum non desinit esse baptizatus, sed retinet characterem hominis Christiani, qui indelebilis est vt desinit Concilium Florent. in instructione Armenorum, & Trident. sess. 7. canone 9. De sacramentis in genere.

169. VERVMTAMEN vt Sotus addit, mortale est eiusmodi matrimonium contrahere: quod Sanchez approbat aliis adhuc citatis *disput. 72. num. 4.* quia contrauenitur iustissimo Ecclesię præcepto, interdicentis tale matrimonium propter fidei periculum, Catholico coniugi, & proli imminens. Quod vitare quanti referat satis indicat D. Paulus ad Titum 3. cum hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuitare mandat: & cum D. Ioannes in sua secunda epistola prohibet ne tali Aue dicatur.

Quamquam Azor. in 2. par. moral. Instit. *lib. 8. cap. 11. quæst. 5.* & post eum Sanchez *in sequenti num. 5.* id moderandũ censent: vt non procedat in locis in quibus hæretici non denũciati, nec publici Clericorum percussores Catholicis missi manent, vt in Germania, Gallia, Polonia. Nam in talibus locis ex consuetudine recepta ob leges amicitiæ retinendas, & communem pacem reipublicæque tranquillitatem tuendam; licita possint esse matrimonia eiusmodi, dummodo Catholica persona cum hæretica contrahens permittatur libere & absque peruersionis periculo in fide permanere. Damnant vero iidem, *Azor quæst. 6. & Sanchez num. 6.* tanquam impium pactum, quod nonnunquam apponitur tali coniugio, vt ex filiis nascituris, quidam fidei Catholicæ, & quidam hæresi adhæreant: quod aperte est contra ius canonicum in quo statuitur in fidei fauorem: si pater sit fidelis, filius sequatur conditionem patris: cap. finali De conuers. infidel. in fine: atque siue pater siue mater fidelis sit, ex cap. Iudæi 28. quæst. 1. parentis fidelis religionem filij sequantur. Intellige nondum doli capaces: quia doli capaces adhuc pure infideles, relinquendi sunt suæ libertati, nec cogendi ad fidem, ex c. De Iudæis & Cap. Ad finem 23. q. 5. Idem quoque pactum, est contra ius diuinum quo parentibus incumbit cura liberos suos baptismo initiatos educandi in fide, ac in iis moribus, quibus consequantur remedia saluti spiritali necessaria: quod non fit in hæresi.

Superest respondendum ad id quod obiici potest ex canone 72, sextæ, synodi, non esse validum matrimonium inter Catholicum & hæreticum. Respondetur ergo vel eũ canonem esse de numero eorum quos Torrensis cõtendit nõ esse editos ab ea synodo, sed suppositos: vel vt Couarr. loco citato sub finem magis probat: hæretici nomine illic significari infidelem, de quo loquitur D. Paul. in priori ad Corinth. 7. ad cuius verba eumdem canonem alludere satis indicat hæc eius particula: Iuxta Pauli sententiam.

CAPVT XXII.

De impedimento ætatis.

SVMMARIVM.

170 *Ætas de iure canonico necessaria ad matrimonij validitatem.*

171 *Puberes etiamsi nondum capaces copulæ carnalis, possunt valide contrahere: & quatenus peccatum si mortale, ante annos pubertatis contrahere sine iusta excusatione.*

172 *Quinam sint anni pubertatis, & quid sit proximum esse pubertati, & malitiam supplere ætatem.*

173 *Modi quibus cognosci potest eius modi proximitas.*

174 *Expectanda est plena pubertas ad iudicandum, An matrimonium contractum inter impuberes fuerit nullum: & quod ob bonum pacis tale matrimonium permittatur.*

170. DE ætate quæ ad matrimonium requiritur agitur in iure canon. 30. quæst. 2. & Extra. De desponsatione impuberum: ac in 6. eodem titulo. Duabus autem de causis ea requiritur, iuxta cap. De illis 2. Extra titulo citato. Primo quidem, prout ætas ipsa seaum adfert discretionem vsumve rationis: sicque defectus ætatis pertinet ad impedimentum ægræ mentis, quod in præcedenti cap. 11. habitum est dirimere matrimonium iure diuino & naturali. Secundo vero, prout secum adfert potentiam generandi seu consummandi matrimonium: hacque ratione defectus ætatis impedimentum est huius generis: nempe dirimens matrimonium iure Ecclesiastico, (*non item naturali vt ostendit Sanchez libro 7. disput. 104. num. 9.*) quo constitutum est: vt etiamsi quis

habeat

habeat vsum rationis nihilominus matrimonium non sit validum, nisi ipse quoque pubertatis annos attigerit: vel saltem huiusmodi sit, qui possit habere copulam carnalem, cap. De illis 1. cap. Attestationes, & cap. final. De desponſ. & impub. & c. vnico §. 2. eodem titulo in 6. Ratio vero talis constitutionis est, quod homines vt plurimum, ante annos pubertatis non habeant discretionem sufficientem ad bene expendendum, & eligendum coniugalem consensum, nec sint capaces copulæ.

171. NOTANDVM autem est primo: ex probabiliore sententia (pro qua Couarr. aliquot citat in Epit. quarti Decret. *par. 2. cap. 7. nu. 2.* & Sanchez. plures, *in sequenti nu. 15.*) eum qui annos pubertatis excessit, quantumuis nondum potens sit ad carnalem copulam, posse valide contrahere matrimonium: quia neque prohibetur iure Ecclesiastico, cum iam sit pubes: neque iure naturali, cum talis impotētia temporalis sit, non autem perpetua: quæ sola matrimonium impedit iure naturæ, vt habitum est in præcedenti cap. 15. Accedit quod alioqui dicendum esset pari ratione, illum qui post annos pubertatis temporali aliquo morbo laborans, non potest carnali copula vti, nec posse matrimonium contrahere, quod est absurdum.

NOTANDVM est secundo: iuxta probabiliorem quoque sententiam, *in quam plures Sanchez refert lib. 1. De matrim. disput. 17. num. 1. & 5.* peccatum esse mortale ante tempus constitutum ab Ecclesia matrimonium contrahere. Quod colligitur ex cap. Vbi non est, De desponſ. impub. ponderādo illius verba *districtius inhibemus, &c.* quæ indicant obligationem grauem, atque adeo sub mortali imponi. Adde quod matrimonium tunc inualidum sit per hoc impedimentum: vt congruenter cap. A nobis, & sequenti, De desponſ. impuberum, notare solent Doctores, quorum plures in sua summa Henriquez commemorat lib. 12. cap. 7. §. 1. in margine lit. E. & ideo grauis iniuria fiat sacramento. A quo tamen peccato excusare potest, tum inuincibilis ignorantia, vt quando id fieret consilio parentum vel tutorum, quod puer contrahens bona fide sequeretur: tum etiam Episcopi licentia, seu dispensatio: quam si iusta causa adsit, dare potest: va Sanchez *in eadem disput. 104. num. 12.* ostendit. Tum demum intentio contrahendi matrimonium, non quidem vt impedimentum habet Ecclesiasticum: sed vt hoc non obstante illud valeat, quantum potest alias valere, quod nō est contra ius tribuens ei vim sponsaliorum in cap. finali De desponſ. impub. & in cap. vnico §. 2. eodem tit. in sexto.

172. NOTANDVM est tertio, annum pubertatis in viris quidem esse decimum quartum cōpletum, & in fœminis duodecimum completum, ex cap. Puberes, & cap. Continebatur. & cap. Attestationes, & cap. Ex literis, De desponſ. impub. & cap. 1. De delectis puerorum, nihilominus validum esse matrimonium contractum in vltimo die eorumdem annorum, prout habet Sanchez *in præcedenti num. 2.* quia in matrimonii fauorem ius sic interpretari consentaneum est, præsertim cum parum pro nihilo reputetur. Atque ante id tempus contractum matrimonium vim & locum habere sponsaliorum, iam diximus: quod est intelligendum si celebrantes excesserint annum septimum, quia ex cap. Literas, cap. Accessit, cap. Ad dissoluendum, ante illum contracta sponsalia non sunt valida. Porro etsi quis non attigerit annum pubertatis, tamen si proximus sit pubertati, atque talis in quo malitia suppleat ætatem, potest valide matrimonium contrahere, ex cap. De illis 2. De desponſ. impub. & ex cap. vnico §. 2. eodem titulo in sexto.

NOTANDVM est quarto, de prædicta malitia quid sit, difficultatem esse: de qua inter cæteros (quorum Sanchez meminit *in citata disput. 104. q. quarta*) Couarr. satis late tractat *in Epitome par. 2. cap. 5.* Probabile autem videri, quod inter se non distinguantur proximum esse pubertati, & talem esse in quo malitia suppleat ætatem: hoc est, *vt ibidem Couarr. interpretatur ibidem num. 3.* qui discretionem habeat ad coniugalem consensum intelligendum, & potentiam ad carnalem copulam: adeout proximum esse pubertati, sit cū illa discretione, hanc potentiam habere, quantumcumque nondum peruentum sit ad annum pubertatis. Pro quo facit quod ius canonicum talem proximitatem explicet per ipsam potentiam ad carnalem copulam, vt in citato cap. De illis, & in cap. Puberes, eodem titulo.

NOTANDVM est quinto, talem potentiam, atque adeo proximitatem ad pubertatem, cognosci posse tribus potissimum modis. Primus est, quando inter personas per matrimonium coniunctas intercedit copula carnalis: quæ interdum solet pubertatis tempus anticipare ex cap. A nobis De desponſ. impub. Atque si vterque coniunx fateatur talem copulam intercessisse, tunc validum est matrimonium, in quacumque demum ætate id contigerit: dummodo habuerit discretionem requisitam ad præstandum liberum consensum. Quod si vir vnum dixerit & mulier contrarium, in foro exteriori creditur viro iuranti, ex cap. Continebatur, eod. tit. Secundus modus est, quando quis ante pubertatem habet copulam cum quacumq; persona. Nam id indicium est sufficiens, quod malitia in ea suppleat ætatem. Hunc modum habet glossa *ad cap. vnicum De desponſ. impub. in sexto, verbo Suppleat.* Vltimus modus est ex signis corporis, de quibus consulendi sunt medici. Aliqua refert Syluester in verbo Matrimonium 5 quæst. 3. vbi etiam horum modorum posteriorum meminit. 173.

Legi de hac re potest Sanchez in citata *disp. 10. quæst. 4. penultima & vltima*: vt & *in præcedenti quæst. 3.* pro responsione ad difficultatem: quanto tempore expectandum sit, quādo vir 14. anno expleto, aut fœmina duodecimo, inueniuntur adhuc impotentes ad copulam: vt experientia fiat sufficiens ad iudicandum impotentiam esse petpetuam: & ideo matrimonium esse irritum. De qua cum eodem authore, & cum cæteris quos citat, tenere possumus expectandum esse vsque ad plenam pubertatem, quæ in fœminis 14. anno ætatis contingit, & in viris anno 18. prout Sanchez ipse ex vtroque iure deducit. Notandum est postremo, ex c. 2. De desponſ. impub. nonnumquam pro bono pacis seu ad Principes magnos in amicitia retinendos, permitti vt matrimonium inter impuberes contrahatur: ita scilicet, vt vxor impubes ad domum mariti deducatur, ibique tanquam pignus pacis & amicitæ retineatur. 174.

CAPVT XXIII.

De impedimento defectus testium & præsentiæ Parochi.

SVMMARIVM.

175 *Ex Concilio Triden. habetur tale impedimentum: cuius decretum promulgari in parochia specialiter debet, vt vim sortiatur. Nō autem Parochum præsentem, aliquid dicere.*

176 *Idem impedimentum habet locum in articulo mortis, & cum quis contrahit in loco vbi memoratum decretum est promulgatum, etiamsi non sit promulgatum in propria parochia.*

177 *Sufficit alterutrius proprij præsentia Parochi ad matrimonij validitatem, cum contrahentes sunt diuersarum parochiarum: quodque proprii Parochi nomine non comprehendatur is qui est quidem originis, non tamen loci in quo contrahitur.*

178 *Qui comprehendantur nomine proprij Parochi, cuius præsentia requiritur ad validitatem matrimonij.*

179 *Quatenus prohibitio Episcopalis, nē Parochus aut alius de ipsius licentia, matrimonio assistat, impediat aut non impediat eius validitatem.*

180 *Proprij Sacerdotis delegatus, potest sicut ille, extra Parochiam assistere matrimonio, sufficienter ad eiusdem validitatem, & qualis debeat esse talis delegatio seu licentia, vt censeatur sufficiens.*

181 *De licentia tacita ex ratihabitione quid sit tenendum, & quid cum quis simplici Sacerdoti dicit se licentiam habere contrahendi ipso assistente.*

182 *Validitati matrimonij non obstat, quod Parochus aut testes metu aut dolo adducti sint ei assistere: & quando sponsalia transeant in matrimonium, per secutam copulam carnalem.*

183 *Quinis habens vsum rationis, potest esse testis & procurator in matrimonio: & casus in quo ad matrimonij validitatē, nec Parochi nec testium præsentia requiritur.*

Con-

175. CONcilium Trident. sess.24.cap.1. De reformat. matrimonij constituit vt matrimonia aliter contracta quam p æsente Parocho vel alio Sacerdote de eiusdem Parochi aut Ordinarij licentia, simulque præsentibus duobus vel tribus testibus, nulla irritaque essent. Quod quidem efficere, quomodo sit positum in Ecclesiæ potestate tractare, est scholastici instituti, ideoque relinquemus ei qui volet id ipsum videndum apud Thomam Sanchez *in lib.3. De matrimonio disput.4.* Duo autem, vt propria nostri instituti, annotare oportet. Alterum est, de fide esse quod ante Concilium Triden. matrimonia clandestina fuerint valida, ex definitione c.secundi De clandestina desponſ. & ex ipso Concilio Triden in initio citati cap. primi. Alterum est, culpam quæ committitur contrahendo matrimonium clandestinum, mortalem esse, quod satis indicant illa eiusdem Concilij verba ibidem. Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa, *de matrimonijs clandestinis loquitur*, detestata est, atq; prohibuit. Indicant quoque graues pœnæ quas idem Sanchez late persequitur *in eod lib.3. disput.42. & sequentibus.* In quibus tanquam spectantibus maxime ad praxim fori externi non immorabimur, ad vitandum prolixitatis fastidium.

Qua etiam de causa quam paucis fieri poterit perstringemus quæ ille persequitur latius, *à disput.17. vsque ad 42.* de præsentia Parochi & testium; cuius defectu impedimentum istud constituitur.

Primum autem est: inter decreta Concilij Trident. peculiare esse illi, quo impedimentum istud inducitur, vt non obliget *etiam promulgato eodem Concilio*: nisi in parochia sit specialiter promulgatum, & à promulgatione dies triginta effluxerint. Ita enim habetur ex fine memorati capitis primi De reform. matrimonij, sess.24.

Secundum est: Ad matrimonij validitatem non esse necessarium, vt Parochus vel alius Sacerdos, cuius præsentiam Concilium Trident. requirit, verba aliqua proferat: nam nec talia sunt de matrimonij substantia, vt patet ex antedictis præsertim cap. octauo, neque Concilium ipsum facit eorum mentionem in clausula irritante; sed solum præsentiæ Parochi & testium. Præcipit tamen in eodem cap. vt Parochus coniuges interroget, & ideo quædam verba dicat iuxta vniuscuiusque Parochiæ ritum. *De quare Sanchez lib.3. disput.38 plenius.*

176. Tertium est: Impedimentum hoc locum habere etiam in articulo mortis, quando necessitas vrget, neque Parochus haberi potest. Ita docet Sanchez *in præcedenti disput.17. casu 2.* Neque aduersus illud valere Episcopi dispensationem, aut quod publice, & sciente maiore parte viciniæ contrahatur matrimonium: aut quod contrahatur ab ignorantibus inuincibiliter memoratum Concilij Triden. decretum. Quod idem author *ibidem casu 3. & 6.* confirmat, eo maxime nixus fundamento: quod Concilium Trident. intrinsecam contrahendi matrimonij formam præscribat, ita vt eam non seruantes reddat ad contrahendum omnino inhabiles, & huiusmodi contractus irritos ac nullos esse decernat. Rationes vero quæ in contrarium obiici possunt, reiicit ex eo, quod particula, *omnino inhabiles*, omnino exceptionem excludat.

Quartum est: incolas locorũ in quibus decretum Concilij Trid. promulgatum aut receptum non est, si per modum transitus & hospitij diuertant ad alia oppida in quibus idem decretum obligat, non posse valide contrahere, nisi præsentè Parocho, id est, seruata forma ab eodẽ Cõcilio præscripta: quia peregrini tenentur in contractu seruare solemnitates requisitas legibus & consuetudinibus oppidi in quo contrahunt. Quandoquidem quisque ratione contractus, sortitur forum in loco contractus, ex c. finali, De foro competenti. Ita etiam docet idem author *in sequente disput.18.q.3.* Qui ex aduerso *in q 4.* statuit incolas locorum in quibus decretum Concilij Trid. obligat, si per modum transitus aliquo diuertant, vbi illud non obligat, valide contrahere absque præsentia Parochi & testium: quia, vt ratio proposita ostendit, quoad solemnitatem adhibendam in contractibus *(de quorum numero est matrimonium)* spectantur solæ leges loci in quo contractus celebrantur: & ita, *vt idem docet quæst. quinta*, validum est matrimonium captiuorum initum apud infideles, à quibus abducti sunt.

177. QVINTVM est: Vt secundum idem decretum valeat matrimonium, requiri quidem de necessitate sacramenti vt Parochus proprius contrahentium eis assistat: attamẽ si ipsi contrahentes sint diuersarum parochiarum, posse alterius Parochi præsentiam sufficere, ad talem valorem, prout late tractat Sanchez *in eodem lib.3. disput.19.* Quia cum matrimonium non nisi duorum esse possit: hoc ipso, quod proprio Parocho committitur parochianum suum matrimonio coniungere, censetur eatenus commissum, quatenus necessarium est, vt ipsum alteri coniungat. Cum igitur alter ille perinde permittatur esse diuersæ parochiæ, ac esse eiusdem: proposita commissio Parochi censenda est tunc etiam locum habere, cum alter solummodo contrahentium, est suus Parochianus.

Adde & locum habere, etiamsi ille qui assistit, non sit Parochus illius loci in quo matrimonium celebratur. De quo vtroque latius Sanchez *loco citato q.1. & 2.* Ratio vero est, quod contractus matrimonij, sicut & confessio sacramentalis, fiat inter volentes: ita vt non sit opus causæ cognitione, nec Iudice pro tribunali sedente: ideoque, is qui est talis loci Iudex proprius, nihil habet vnde merito conqueratur. Adde præterea ex eodem *in sequenti q 3.* excusari posse à peccato Parochum proprium, *secluso tamen scandalo*, si matrimonio sui Parochiani quod in aliena parochia celebratur, assistat sine licentia Ordinarij vel Parochi loci illius in quo celebratur. Id enim minus est, quam illic audire ipsius confessionem quod ei licitum est.

Adde adhuc ex disput.20. quæ in hac re de Parocho dicuntur, extendenda esse etiam ad eum Parochum qui nondum est Sacerdos: quia Concilium indifferenter loquitur de Parocho, quamquam requirat interea, illum esse Sacerdotem, cui Parochus licentiam dat, vt matrimonio dum contrahitur assistat. Immo vero extendenda esse ad Parochum proprium, qui est excommunicatus aut suspensus, aut irregularis, aut interdictus à sacramentorum administratione, quamdiu non priuatur parochia: prout idem *in sequenti disput.21.* contendit. Et ratio est, quod quouis eorum assistente matrimonio, verum est ipsum contrahi præsente proprio Parocho: de quo Concilium absolute loquitur.

Sextum est: Parochum loci in quo contrahens natus est, non facere sua præsentia, vt matrimonium sit validum, nisi simul sit loci in quo idem habet habitationem, cum animo perpetuo manẽdi. Quod Sanchez *disp.23.* late tractat docẽdo proprium alicuius Parochum, esse loci in quo habitat percipitque sacramenta: non autem loci in quo natus est, sed non habitat. Pro quo facit, quod canonica portio *(quæ est quoddam ius parochiale)* non detur Parocho originis sed habitationis: cum interea dum quis habet duplicem parochiam, diuidenda sit eadem portio inter Parochos vtriusque, ex cap.2. De sepulturis in 6.

178. SEPTIMVM est, Eum dici proprium Parochum sufficienter ad coniungendum aliquos matrimonio, aut ad dandam alteri licentiam coniugendi, qui habet potestatem ordinariam administrandi eisdem sacramentum pœnitentiæ, vel dandi licentiam alteri Sacerdoti idem agendi. Hoc intelligitur ex eo quod Concilium Trident. in decreto edito sess.24.cap.1. De reform. matrimonij: eo modo ad validitatem matrimonij requirat præsentiam Parochi proprij, vel alterius de eius licentia: quo in ca. Omnis vtriusque sexus, De pœnit. & remiss. ad validitatem sacramenti pœnitentiæ requiritur, vt proprius Sacerdos vel alius de licentia ipsius illud administret. Quo fit vt idem qui est proprius Sacerdos pœnitentis sufficienter ad Sacramentum pœnitentiæ, censeri debeat ille esse, cuius assistẽtia. *siue per se. siue per Sacerdotem à se ad eã delegatum*, ad matrimonij validitatẽ requiritur.

Qui autem tales sint præter Parochum, *lib.3. disput.26. & aliquot sequentibus*, idem author late persequitur. Primus est, *de quo in eadem disput.26.* Religiosus qui in nouo Indiarum orbe ministeria Parochi obit. Secundus, *de quo disput.27.* Archipresbyter cathedralis Ecclesiæ, quando præbendæ ipsius annexum est, vt ex officio audiat confessiones omnium de ea diœcesi. Tertius, *de quo, & de quinque sequentibus disput.28.* est Archiepiscopus & Episcopus in sua diœcesi. Quartus, Archiepiscopus adhuc in diœcesi sui Suffraganei, cum ad ipsum fuerit prouocatum aduersus eumdem Suffraga-

neum,

neum, nolentem aut negligentem aliquos coniungi. Quintus, ille qui authoritate Episcopali præest sede vacante. Sextus, Abbas in Ecclesia, nulli Episcopo subiecta, in quaiurisdictionem habet quasi Episcopalem. Septimus, Cardinalis in Ecclesia sui tituli. Octauus, Legatus Summi Pontificis in Prouincia suæ legationis. Nonus, Vicarius generalis, *de quo multa in disput.* 29. & 30. Decimus, *de quo disput.* 31. est ille cui absente Parocho, aut nondum Sacerdote, vniuersa Parochiæ cura committitur siue ab Episcopo, siue ab ipso Parocho, vel cui ab iisdem licentia assistendi matrimonio datur cum potestate alium delegandi: non quidem vt suum, sed vt Parochi à quo delegatus est, locum teneat. Nam vt idem nu. 8. habet ex Felino, Ordinarius nequit potestatem concedere subdelegandi, nomine ipsius delegati, dicendo Subdelega nomine tuo: quia potestas subdelegandi non potest fundari in persona delegati, qui nec ipse proprio nomine agere potest: sed solum nomine delegantis. Aduerte vero cum eodem insequenti 19. Vicarium quem Parochus præsens assumit vt iuuet ipsum, delegare non posse: quia Parochus ipse non censetur tali suas plenas vices committere, sicut censetur Vicario in absentia ipsius instituto.

179. ADVERTE præterea ex disput. 32. matrimonium contractum coram Parocho vel delegato ad vniuersam Parochiæ curam, vel coram alio Sacerdote de eius licentia validum esse: quamuis Episcopus prohibuerit ne is tali matrimonio assistat, vel per suam aut synodalem constitutionem interdixerit licétiam assistendi dare Sacerdoti qui non sit ab Episcopo approbatus: nisi in tali constitutione expresse addatur clausula irritans aliter gesta. Nam matrimonium ex simplici prohibitione non reddi irritum, patet ex cap. 2. De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ: in cuius fine sic habetur: *Licet enim contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerint: non tamen est conueniens vt ob id solum sacramentum coniugij dissoluatur.*

Similiter ex disput. 33. validum esse matrimonium, cui delegatus assistit, non exequens aliquid quod habet in mãdatis: verbi gratia, vt sponsis sub excommunicatione præcipiat, ne consumment matrimonium donec præmittantur denunciationes: vel vt non nisi præmissis denunciationibus, & indagatione impedimentorum, assistat matrimonio. Ratio est, quod talis forma expressa in licentia, non sit de eius essentia, sed tantum admonitio, qua licentiatus instruitur de ratione qua debet se gerere. Qua de re pro pleniore intelligentia legendus est loco citato memoratus author. Cæterum in hoc quam in præcedenti casu peccatur, *nisi iusta causa excuset*, siue agendo contra præceptum Superioris, siue infideliter agendo, siue ius commune violando: quidquid alias patrimonium sit validum.

180. OCTAVVM est, Matrimonium valere cum simplex Sacerdos assistit de licentia Parochi, non obstante quod celebretur extra parochiã. Ratio est, quia iurisdictio ad quã hæc assistentia reducitur, cũ sit voluntaria, potest à proprio Sacerdote, & ab ipsius delegato exerceri extra territoriũ. Hoc late tractat Sanchez lib. tertio *disput.* 34. Vide dicta num. 177.

NONVM est, qualis debeat esse licentia à Parocho alicui Sacerdoti concessa ad assistendum matrimonio vt ipsum sit validum, explicatur sequentibus propositionibus, quas Sanchez habet in sequenti disput 35. Prima est: Satis esse licentiam generalem qua Parochus alicui Sacerdoti concedit licentiam exercendi in sua Parochia, omnina quæ ad animarum curam pertinent: quia licentia ciusmodi generalis, est intelligenda generaliter: ideoque vt includat matrimonium cuius celebrationi interesse ad animarum curam pertinet.

Secunda est, Ad matrimonij validitatem non sufficere licentiam concessam ad aliquos particulares actus ad animarum curam pertinentes, etiam matrimonii celebratione digniores, vt est pœnitentiæ & Eucharistiæ sacrosanctę administratio: quia potestas delegata non est extendenda de casu expresso ad non expressum: præsertim cum est diuersa ratio, vt censetur esse in administratione sacramentorum tam pœnitentiæ quam Eucharistiæ, & matrimonii, cuius non est talis necessitas, qualis est illorum.

Tertia est, Sufficere vt verbo detur eiusmodi licentia, requiri eam esse in scriptis. Cum enim Concilium Trident. ad matrimonij validitatem exigens Parochi vel Ordinarij licentiam, non exprimat, vt ea sit in scriptis, nihil est cur id necessarium esse dicatur.

Quarta est, Licentiam tacitam ex ratihabitione de futuro (id est, quod simplex Sacerdos probabiliter credat Parochum habiturũ ratum si ipsius nomine assistat matrimonio,)non esse sufficientem ab ipsius matrimonij validitatem. Ratio est: quia licentia ad matrimonij validitatem necessaria, debet adesse dum matrimonium celebratur. At cum ratihabitio tantum est de futuro, licentia non est de præsenti, cuve tempore in quo celebratur matrimonium. 181.

Quinta est, Licentiam tacitam quæ habetur ex ratihabitione de præsenti vel præterito sufficere posse ad validitatem matrimonij: quia tunc ratio præcedentis propositionis cessat: &, *vt supponimus*, Parocho non infertur præiudicium alicuius momenti, vnde præsumi possit non consentire. Censetur autem licentia esse de præsenti, quando tempore celebrationis vel ante celebrationem matrimonij, adest consensus tacitus & interpretatiuus Parochi aliquo signo externo manifestatus, vt si coram ipso dum matrimonium contrahitur, alius sacerdos tanquam ipsius vices gerens assistat, nec impediat cum facile possit, sed tacet totum vidẽs. Aut si Parochus ipse tanta familiaritate cum tali Sacerdote cõiunctus esset, vt sciens gaudeat coram illo iniri matrimonium, & datas ab eo matrimonij schedulas admittat.

In disputatione autem 37. sequenti, idem author inquirit An simplex Sacerdos debeat credere dicentibus se licentiam habere à Parocho, vt eos matrimonio coniungat. Respondetque nisi dicentes personæ sint valde dignæ fide, non esse eis credendum, quia licet in foro pœnitentiali credatur dicenti se licentiam aliquam habere, non tamen in foro externo, ad quod patet matrimonium pertinere: cum eius cõtractus sit de illis quæ ad externam Ecclesiæ gubernationem attinent. Sic enim in eo foro non creditur dicenti se absolutum ab excommunicatione, nisi ostendat literas eius à quo absolutus est, ex cap. Sicut, De sentent. excommunic. Sic etiam confessio quando pertinet ad Ecclesiæ gubernationem, vt annua confessio, Parochus non est adhibiturus fidem dicenti se illam perfecisse, nisi per schedulam per quam id illi constet, prout habet Ecclesiæ vsus.

DECIMVM est, validitati matrimonij nõ obstare, quod Parochus vel testes assistant casu: vt cum forte transeuntes, nec data opera interfunt: aut vi detenti, aut dolo ad aliud vocati: dummodo consensus contrahentium intelligant ex verbis, aut aliis signis quibus eos exprimant. Ratio est, quia cum Tridentinum Concilium, tantum exigat matrimonium celebrari coram Parocho & testibus, satis sit decreto illius, si celebretur assistentibus prædictis cum mentis aduertentia, qua testimonium matrimonij contracti, possit rite perhiberi, adeoque obtineri finis Concilio Trident. propositus: nimirum vt constet de consensu contrahentium matrimonium, neque eo spreto, illi possint aliud inire. De qua re pluribus Sanchez *disp.* 39. Pari ratione addens nec eidem validitati obstare, si licentia alicui Sacerdoti excessa ad assistendũ matrimonio, metu vel dolo obtẽta sit à Parocho. 182.

VNDECIMVM est: ante Concilium Trid. quotiescumque post sponsalia sequebatur copula carnalis cum affectu maritali, fuisse verum matrimonium, in interno foro quam in externo. Sin affectu tantum fornicario, non fuisse quidam matrimonium validum in foro conscientiæ: in foro tamen externo semper præsumptum esse verum matrimonium, quocumque tandem animo consummatum fuisset, ex cap. Is qui De sponsal. Post Concilium vero Tridentinum vbi ipsius decretum de quo agimus locum habet, certum esse quod sponsalia facta sine Parochi & testium præsentia, nunquam transeant in matrimonium per subsequentem copulam, siue in foro interno, siue in externo.

DVODECIMVM est, Ad matrimonij valorem posse quoscumque testes habentes vsum rationis, etiamsi non habeant qualitates iure requisitas vt habiles & legitimi censeantur: ideoque sufficere etiam infames, excommunicatos, parentes, consanguineos, seruos, familiares, fœminas, immo & infideles. Quia quãuis testes sint alias illegitimi, & inhabiles faciunt tamen sufficientẽ fidem quando sunt instrumentarii, hoc est, de communi contrahentium consensu, appositi instrumento prout in contractu matrimonii ap- 183.

ponun-

ponuntur. Cui rationi aliquot alias Sanchez adiungit *disput. 41. late totam hanc difficultatem discutiens*: simulque de procuratore ad matrimonium contrahendum constituto, docens pari ratione non requiri in eo de necessitate qualitates quas ius humanum exigit vt constituatur ad alia negotia peragenda: sed sufficere, si qualitatem habeat iure naturæ requisitam, nempe vsum rationis.

Decimtertium est, Quando matrimonium publice celebratum fuit in præsentia Parochi & testium, ac cum solitis denunciationibus, sed propter aliquid occultum impedimentum fuit inualidum: quando ipsum impedimentum aufertur, ac matrimonium denuo celebratur, non esse opus vt in illa secunda celebratione Parochus & testes vocentur: sed occulte fieri potest celebratio prout declarauit Pius quintus teste Nauarro in Enchir. c. 22. n. 70.

TITVLVS .TERTIVS.

De minoribus matrimonij impedimentis, & dispensatione siue in eiusdem siue in maioribus.

IMpedimenta minora matrimonij dicuntur, quæ reddunt matrimonium illicitum, non item inualidum: seu quæ faciunt vt peccet is, qui sciens contrahit cum aliquo talium impedimentorum: non autem vt matrimonium contractum sit irritum ac nullum.

CAPVT XXIV.

De impedimentis voti simplicis, sponsaliorum, & interdicti Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

184 *Votum simplex castitatis quatenus impediat matrimoniũ.*
185 *Mortaliter peccat quis contrahendo matrimonium cum habente votum castitatis expressum, aut implicitum: & quid iuris si tale votum sit conditionale.*
186 *Quid sit agendum cum eo qui interrogat, num adstrictus voto simplici castitatis, possit valide contrahere matrimonium.*
187 *Impedimentum sponsaliorum.*
188 *Impedimentum interdicti Ecclesiæ, quod violatur solemnitate matrimonij celebrata certis diebus, & in quo consistat talis solemnitas.*
189 *Alij duo modi quibus violatur.*

184. PRIMVM IMPEDIMENTVM MINVS est, votum simplex castitatis perpetuæ, aut religionis ingrediendæ, aut suscipiendi Ordinis sacri, aut nunquam nubendi. Cuius obseruationi obsistit matrimonij cõtractus, qui proinde factus animo illud consummandi, *vt solet*, peccatum est contra illud ius diuinum, quod obligat ad voti obseruationem: atque peccatum mortale, ex communi Theologorum sententia, teste Nauarr. in Enchir. cap. 12. num. 26. Pro qua sunt verba prioris ad Timoth. cap. 5. Adolescentulas autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Faciunt etiam cap. Licet & cap. Magnæ De voto.

Verumtamen matrimonium est validum, ex cap. Quidã nubentes & cap. Si vir distinct. 27. & ex cap. Meminimus, ca. Consuluit, cap. Rursus, qui Clerici vel vouentes; & ex cap. vnico De voto in 6. Quod quidem verum est etiamsi vterque contrahentium votum habeat castitatis, vt cõmunem sententiam esse testatur Nauarr. *in Enchir. cap. 22. num. 73.* pro qua aliquot authores Sanchez citat *disput. 11. nu. 10.* Quamquam sic contrahens tenetur seruare votum quantum potest. Vnde antequam consummatum sit matrimonium, nec potest petere debitum nec reddere intra primum bimestre: quo temporis spatio potest religionem ingredi iuxta cap. Ex publico De conuers. coniug. Post consummatum vero potest quidem reddere, non tamen petere sine dispensatione, quam ex Nauarro in Enchir. cap. 16. nu. 30. Episcopus potest dare ei cui periculum alicuius imminet peccandi in ea re. Nec item potest priore coniuge mortua aliud matrimonium inire, quia votum perpetuæ castitatis perinde reddit inhabilem ad 2. 3. vel 4. matrimonium ineundum, atque ad primum: nec excusabit quod vehementissimis carnis stimulis vrgeatur, expertusque sit se passim ruere, neque vires ad resistendum in se sentiat. Id enim constat ex vsu Ecclesiæ, quæ non existimat talem eximi à voto ratione eiusmodi difficultatis, siue antecedentis siue sequentis voti propositi emissionem: sed tantum esse causam sufficientem dispensationis. De quo Sanchez in præcedenti num. 9.

Aduerte autem in hac re quoad matrimonij validitatem, 185.
excipiendum esse votum simplex castitatis in nostra societate emissũ iuxta ipsius constitutiones post bienniũ nouiciatus, reddit matrimoniũ nõ modo illicitũ & inualidũ per cõstitutionẽ Greg. 13 editam anno Domini 1584. De qua re videri possunt Gregor. à Valen. to. 4. disput. 10. quæst. 5. punct. 3. §. Votum & Henriquez lib. 12. cap. 5. §. & 6.

Aduerte secundo, contrahentem cum habente votum perpetuę castitatis aut religionis, aut sacri Ordinis assumendi, aut non ineundi matrimonij, peccare mortaliter, tanquam sic cooperantem peccato alterius, vt ad illud exhibeat se socium; quandoquidem contractus matrimonij cum non nisi inter duos esse possit, vtrumque contrahentem sufficit. Ita Sanchez *in eadem disput. 11. num. 11.* alios citans.

Aduerte tertio, *quod idem in præcedenti num. 7. habet ex Abulensi*: non referre quod eiusmodi votum sit conditionale, 186.
nam etsi is qui illud emisit non teneatur ad illud, nisi impleta conditione: tenetur tamen dum hæc pendet, vitare assumptionem status qui tali voto repugnat, nec potest cum eo consistere. Sic qui vouit se ingressurum religionem, si contingat fratrem ex bello incolumem reuerti non modo post illius reuersionem nequit contrahere: sed nec ante eam donec constiterit non reuersurum.

Aduerte quarto, *quod idem ibidem num. 12. tractat*: si quis adstrictus istiusmodi voto interroget, An possit eo non obstante valide contrahere: primo prudenter eludendum esse 189.
interrogantem cauta responsione celando veritatem absq; mandacio, aut sermonem traducendo alio, præsertim cum ipse interrogans apparet fragilis, qui vera doctrina abusurus sit ad ineundum id matrimonium, cum sacrilegio mortali. Namque lex charitatis non solum præscribit ne proximo præbeamus occasionem peccandi, sed etiam vt ab illo eam remoueamus quantum possumus. Quod si non detur commoditas reticendi veritatem: ea aperire (dicendo scilicet validum quidem esse tale matrimonium, sed ipsum contrahendo committi peccatum mortale) nulla est culpa scandali, seu occasionis datæ peccandi: quia peccati in eo grauitatem proponendo, dum dicitur esse mortale, non datur occasio ruinæ sed potius cauendi ruinam. Neque doctrina de validitate matrimonij non impedita per votum simplex, est de se prouocatiua ad peccatum: alioqui non liceret eam in libris tradere: quodque ea quis ad peccatum abutatur, ex ipsius sola malitia prouenit.

SECVNDVM IMPEDIMENTVM MINVS, sunt 187.
sponsalia. Ille enim qui hæc cum aliqua persona contraxit, non potest cum alia matrimonium contrahere sine peccato mortali: nisi iustam causam illa rescindendi habeat, iuxta dicenda in sequenti tractatu de iisdem spõsalibus. Ratio peccati mortalis est; quia sponsalia sunt promissio obligatoria ex ca. Desponsatas, cap. Atho, cap. De coniugali, 27. quæst. 2. & ex cap. Præterea, & ex ca. Ex literis 2. De sponsalib. Atq; obligatoria ex iustitia, vtpote reciproca tanquam contractus, & facta de re graui: quam non præstare grauis iniuria est. Ita sentientes authores plures refert Sanchez *lib. 1. De matrimonio disput. 27. num. 2.* Quia vero promissione eiusmodi, non transfertur dominium, fit vt nec dimittatur matrimonium: quo illud quod promissum est, alteri dominio irreuocabiliter subiicitur.

188. TERTIVM IMPEDIMENTVM MINVS, est Ecclesiæ interdictum: cõtra quod potest quis peccare tribus modis. Primus est, quando celebrat matrimonium diebus interdictis ab Ecclesia in cap. Non oportet 1. & 2. in cap. Non licet in cap. Nec vxorem 33. quæst. 4. & in cap. Capellanus De feriis. Illi autem tunc, sunt ab initio Aduentus vsque ad diem Ephaniæ Domini, & (à feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschæ inclusiue,) ex Concil. Triden. sess. 24. cap. 10. De reform. matrim. Quod quidem initium Aduentus incipere à media nocte primæ Dominicæ dici potest, cum tũc reuera tempus Aduentus incipiat. De quo Sanchez *lib. 7. disput. 7. num. 2.* Pari ratione iudica de initio feriæ 4. Cinerum.

Aduerte autem ex Nauarro alios citante *in Enchir. cap. 22. num. 71. 72.* illud peccatum non esse mortale (immo nec illicitum esse de se, docet Sanchez *ibid. nu. 12. multis citatis*) nisi ratione solẽnitatis matrimonii, quæ sola diebus illis prohibetur tanquam res grauis: adeout Concilium Triden. loco cit. talem prohibitionem diligenter seruari præcipiat, per id iudicans, eam esse sub mortali: pro quo in sequẽti n. 3. Sanchez plures authores citat. Consistit autem eadem solemnitas in benedictione nuptiarum per Parochum, & solemni traductione sponsæ in domũ sponsi. Quo nomine solemnis traductionis, *vt habet Sanchez, nu. 17.* intelligitur ea quæ comitata sit conuiuio, & aliis vanæ lætitiæ signis, secũ adferentibus nimiam mentis euagationem, id tẽpus dedecentẽ.

De quorum prohibitione (quæ habetur satis expresse in cap. Nec vxorem 33. quæst. 4.) difficultas est an sit suo mortali: quam idem author tractat nu. 18. Videtur autem pars affirmans tenenda (etsi cum aliqua limitatione) sicut tenet Caietan. in summula verbo Nuptiarum peccata, & cum eo Armilla in verbo Nuptiæ: quia si tali tempore benedictio nuptiarum sit peccatũ mortale, iuxta sensum quo consuetudo Ecclesiæ interpretatur canones initio huius numeri memoratos, tanquam statuentes in re graui: (de quo Sanchez in eadem disputat. numero tertio) erit sane & memorata solemnitas cõuiuij & aliorum signorum vanæ lætitiæ: dedecentium in tẽpore dicato deuotioni: & præsertim cũ benedictio ipsa nuptiarum, de se non sit indecens in illo tempore: quia est quid spiritale, & sanctum. Limitatio vero est, vt si conuiuia illa & lætitiæ signa sint moderata prudentis iudicio, excusatio sit à mortali: quis tunc illorum vsu
189. non detrahetur notabiliter sanctitati temporis, nec aliis datur notabilis occasio offensionis & scandali.

Secundus modus quo peccatur in hac re, est cum quis contrahit matrimonium clandestine, ex cap. Cum inhibitio De clandestina desponſ. Quod matrimonium semper detestata est Ecclesia, vt habet Concil. Triden. sess. 24. cap. primo De reform. matrim. Quod peccatum in præcedenti nu. 175. mortale esse docuimus.

Tertius modus est, cum interuenit prohibitio à Superiore Ecclesiastico facta alicui iusta de causa, ne cum aliqua contrahat. Nam contra eam contractum matrimonium validũ quidẽ est, si nullum aliud adsit impedimentum ex cap. 2. De matrim. contracto contra interdictum Ecclesiæ: peccatum est tamen mortale sic contrahere, antequam is qui cõtrahit certo sciat nullum subesse impedimentum. Namque exponit se periculo trãsgrediendi præceptum Ecclesiæ in re graui: sique impedimentum sit ex maioribus, periculo contrahẽdi inualide, ac exigendi vel reddendi fornicarie debitum coniugale. Accedit quod in sic contrahentem excommunicatio possit ferri, ex citato cap. 2. Itemque sint separandi, & sub pœna excommunicationis prohibendi ne cohabitent, quousq; cognoscatur legitime, an eorum matrimonium possit & debeat iure stare, ex cap. fin. eod. tit. Denique puniuntur in foro externo pœna arbitraria, ex cap. 1. & 2. eod. tit.

Restat monendum, difficultatem esse, *quam tractat Sanchez in eadem disput. 7. à num 21.* An sit illicitum eo tempore cuius ante meminimus cõsummare matrimonium. Tenere autem possumus cum eodem authore, non esse: nisi vestiatur alia, quam illius temporis circunstantia, ex qua malitiam contrahat. Nam iura initio numeri 188. memorata, nullam faciunt eius mentionem expressam nec dici potest facere tacitam prohibendo traductionem sponsæ fieri eo tempore: quoniam ea prohibitio non est grata vitandi copulam carnalem, sed vitandi signa vanæ lætitiæ, illam comitari solita: quæ, vt ante dictum est, eiusdem temporis solemnitatem dedecent.

CAPVT XXV.

De aliis impedimentis minoribus.

SVMMARIVM.

190 *De impedimento catechismi, quod sublatum sit per Concilium Trident.*
191 *Impedimentum septuplicis peccati.*
192 *Consuetudo obtinuit, vt dispensatio in eo non petatur.*

190. TRibus ante traditis impedimentis duo communiter à Summulariis addi solent, Prius est catechismus, seu cognatio quædam spiritalis nata ex catechizatione baptizati: de quo Sanchez *disput. 10.* pluribus: in quibus non immorabimur: quia vt nu. 12. *post alios non paucos quos citat*, idem docet tale impedimentum per Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. De reformat. matrim. censetur sublatum. Ratio est, quod intentio Concilij in eo decreto fuerit impedimenta cognationis spiritalis omnino tollere, exceptis iis quæ ibidem cõmemorat: tum paternitatis inter baptizatum vt baptizantẽ ac baptizati patrinos: tum compaternitatis inter patrinos & parentes baptizati. Pro quo facit, quod initio illius capitis aperiat, suæ intentionis esse multitudinem impedimentorum matrimonii restringere, vt incommoda multa vitentur, & à cognationis spiritalis impedimento incipere: de quo postquam declarauit inter paulo ante memoratas personas contrahi in baptismo, itemque pari modo in confirmatione: nempe inter confirmantem & confirmatum illiusque parentes, ac tenentẽ: Concludit in fine his verbis. Omnibus inter alias personas huius spiritalis cognationis impedimẽtis, omnino sublatis. Quæ verba cum generalia sint cum exceptione tantum personarum quæ cognationem spiritalem contrahunt ex baptismo vel confirmatione: censendum est ablatum impedimentum cognationis spiritalis prouenientis ex catechismo: præsertim cum Pius quintus (de quo Sanchez num. 12.) in quodam motu proprio quem edidit anno Domini 1566. quarto Calendas Decembris, declarans memoratum Concilj decretum, dicat non esse recedendum à præcisis illius verbis.

191. POSTERIVS impedimentum est, *crimen*, quod septuplex ponitur prout, declarant hi versus, quos habet glossa finalis ad c. 2. De pœnit. & remiss.

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter: aut monialem,
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

Id est adulterium cum ea quæ sciebatur in gradu prohibito consanguinea esse vel affinis propriæ vxoris, commissum hac adhuc viuente: nam talis post mortem vxoris non debebit aliam ducere. Deinde raptus alienæ spõsæ, 3. Interfectio vxoris propriæ, 4. susceptio proprij filij de sacro fonte, ne alter coniux possit debitum coniugale exigere ab altero, ob cognationem spiritalem inde contractam, 5. Interfectio Presbyteri, 6 peccatum aliquod propter quod pœnitentia publica & solemnis iniuncta actaque fuit. Postremo matrimonium cum moniali. De quibus à Nauarro *in Enchir. cap. 22. num. 74.* tradita, relinquemus apud ipsum videnda: cum pro iudicio nobis proposito sufficere possit, quod habet Armilla *in verbo Matrimonium num. 59.* post Caietanum
192. *in eodem verbo, versu Et scito*: cum istius generis impedimento sine dispensatione contrahere, *dummodo contemptus absit*, nõ esse peccatum mortale, vbi consuetudo fuerit illam non petendi: vt esse in plurimis locis fidem facit quod Nauarrus in Gallia Hispania, Lusitania & Italia versatus, iam, octogenarius scribat *in sequenti num. 75. sub finem, & in num. 85.* se in tanta ætate nunquam vidisse aut audiuisse quemquam petijsse dispensationem in tali impedimento, si nullum aliud haberet annexum. Quod si in tali quoque genere impedimenti, seu si postcommissum aliquod peccatum ex memoratis, vigeret vsus dispensationem petendi, id

non esset omittendum: vt nec quando incerta esset consuetudo. *ex Caiet. loco cit.*

De impedimento quod censetur apponi matrimonio cum aliquid alicui legatur ea lege, vt vitam ducat cælibem, vel vt cum aliqua tantum certa persona contrahat, relinquemus consulendum Thomam Sanchez *lib. 1. De matrim. disput. 33. & 34.* præsertim cum spectet maxime ad forum causarum, sicut cætera qua coniunctam habent lucri acquisitionem aut amissionem.

CAPVT XXVI.

De dispensatione in impedimentis matrimonij.

SVMMARIVM.

193 *In impedimentis matrimonij, quæ sunt iuris naturæ, Papa dispensare non potest proprie, sicut potest in iis quæ sunt iuris tantum Ecclesiastici.*

194 *Iusta causa requiritur vt valere possit dispensatio ab inferiore data in lege Superioris: & quæ sit talis causa.*

195 *Non tantum iusta sed etiam sufficiens esse debet: pro quo diiudicando quædam notantur.*

196 *De causis in Romana curia vsu receptis, quæ sunt defectus dotis, extinctio litis, & non habere alias parem, cum quo contrahatur matrimonium.*

167 *Aliæ causæ quæ existimantur iustæ.*

198 *Subreptio & obreptio reddunt dispensationem inualidam: & quod ad vitandam subreptionem exprimenda sunt quæ de iure aut styl. curiæ Romanæ debent exprimi.*

199 *De excusatione meare.*

200 *Quæ in diuersorum impedimentorum dispensatione obtinenda oporteat exprimere ne sit subreptitia.*

THOMAS Sanchez in tractatione eorum quæ spectant ad dispensationem in impedimentis matrimonij, ponit totum librum 8. triginta sex disputationibus distinctum. Ad vitandam autem prolixitatem nostro instituto non adeo necessariam, contenti erimus propositione aliquot documentorum in hoc capite, & in duobus sequentibus, explicatione nonnullorum dubiorum de potestate dispensandi quam habent inferiores Papa: atque clausularum solitarum apponi dispensationibus quę in Romana pœnitentiaria expediuntur.

193. PRIMVM IGITVR DOCVMENTVM EST, Neminem, ne quidem Summum Pontificem, posse dispensare in impedimẽtis matrimonij, quæ sunt iuris naturę. Hoc tangitur in cap. Literas §. Sane, in fine, De restitut. spoliatorum. In cuius confirmationem Ciceronis verba in lib. 3. De repub. Couar. *in Epit. 4. Decret. par. 2. cap. 6. § nono nu. 3.* adfert, cum commendatione relata à Lactantio in lib. 6. De vero Dei cultu ca. 8. Ratio vero in promptu est, quod nulla causa pati possit, vt homo in iure diuino dispenset: sed tantum vt interpretetur illud. De qua re sufficienter ad nostrum institutum: mihi videtur dictum in præced. lib. 13. num. 46. & lib. 16. num. 18. & 19. Pleniorem autem tractationem de Papali potestate in dispensando qui optauerit, recurrere poterit ad Thomam Sanchez *in citato libro 8. disp. 6. & aliquot sequentibus.*

SECVNDVM DOCVMENTVM EST, solum Summũ Pontificem ordinaria potestate posse dispensare valide in omni maiori impedimento matrimonij, quod fuerit iuris tantum Ecclesiastici. Ratio est: quia Summus Pontifex est supra totũ ius Ecclesiasticũ, tanquã Princeps supra suam legem: neque in hoc Concilium vniuersale potestei derogare, cum talem potestatem habeat, non ab eodem Concilio: sed à Deo: argumento cap. tertij De constit. prout loco cit. num. 6. notat Couar. Quo fit vt Papa ipse possit valide dispensare in iis, quæ per idem ius constituuntur. Verumtamen si id faciat sine iusta causa: valebit quidem dispensatio (*vt sine dubio tenendum habet Sanchez in sequenti disp. 17. num. 24. autheres magno numero citans*) tanquam facta in re pẽdente ex ipsius tantum voluntate. Veruntamen tum ipse dando illam, tum alter petendo & accipiendo male concessam peccabit: ille tamquam agens, & hic tanquam cooperans agenti contra rectam rationem; quandoquidem Princeps obligatur circa subditos æqualitatem seruare. Quanquam talis obligatio secluso scandalo, & alterius damno graui, non est sub mortali; vtpote posita in re dependente ex contrauenientis voluntate. Ille vero qui sic concessa dispensatione vtitur, peccat; quia sine ratione communem ordinem deserit. Quod peccatum non est mortale censendum, secluso scandalo aut damno graui. Videri potest idem Sanchez in sequenti disput. 18. latius de hoc disserens.

194. TERTIVM DOCVMENTVM EST: Dispensatinem quamcumque inferiorum in lege Superioris irritam esse, si iusta causa desit. Ratio est, quod præsumi non possit, à Superiore concedi potestatem rationi dissonam, qualis est dispẽsandi in suis bonis, in suaq; voluntate sine iusta causa: quod esset idem ac inferiorem constituere dominum suæ voluntatis: vt de ea, perinde ac de propria possit ad libitum disponere. Quod cum absurdum sit, fatendum est dispensationem ab inferiore in lege superioris datam sine causa, esse irritam ex defectu potestatis, perinde ac irrita est dispensatio ab œconomo facta contra domini voluntatem. Et ita non valet dispensatio in voto: aut in alia re seruanda de iure diuino facta à Papa. Nec item valet facta ab Episcopo in iciunio & aliis quæ sunt de iure communi Ecclesiastico: nec facta ab inferiori cui data est potestas dispensandi in lege superioris, si iusta causa desit. *Sanchez. disp. 17. quæst. 1. videri potest.*

QVARTVM DOCVMENTVM EST: Iustã causam in impedimentis matrimonij dispensandi, cum persona quidem publica, esse commune bonum: vt firmitatem pacis, & huiusmodi aliud. Cum persona priuata vero, ex Nauar. *in Enchir. cap. 22. nnm. 87.* est primo defectus dotis competentis, seu sufficientis ad nubendũ æquali. Secundo, extinctio magnæ litis. Tertio, quod maior pars sibi parium suæ ciuitatis, vel loci insignis, quem inhabitat, sint ei consanguinei vel affines intra quartum gradum: vel si est alius locus minor, ipsa non habeat sufficientem dotem ab nubendum pari extra illum. Quas solas tres causas pro iustis ad dispensandum etiam in quarto gradu, Romanam curiam habere ait ibidem Nauarrus. Eas tractans Sanchez in disput. 19. eis subiicit alias solitas assignari.

195. Notandum est autem primo, causam de qua hic agitur sufficientem esse debere: quia reputabitur alioqui pro non iusta. Quæ vero censenda sit sufficiens, relinquitur prudentis iudicio, ex inspectione circunstantiarum quales, *congruenter cap. Requiritur, & aliquid sequentibus 1. qu. 7.* constituuntur tempus, persona, intuitus pietatis, vtilitas, necessitas, & rei euentus.

Notandum est secundo, censeri posse dispensationem validam, cum ea dans existimat bona fide se causam sufficientem habere, etiamsi reuera non habeat. Nam rationabiliter præsumitur de Principe, quod velit ratum habere bona fide gestum à suo commissario cum in nullius cedit notabilem iniuriam aut scandalum.

198. Notandũ est tertio, quo gradus prior est, eo vrgentiorẽ causam exigi ad dispensandum: quia ratio dictat impedimẽtum esse maius. Item eadem de causa, vrgentiorem in gradu consanguinitatis, quam affinitatis in eodem gradu. Itemq; in recta linea quam in transuersa, & demum in impedimento cognationis spiritalis quam carnalis: quoniam illa, sicut à venerabiliore principio oritur, sic est maiore veneratione digna. Ita habet aliis citatis Sanchez num. 7.

Notandum est quarto, quando causæ aliquæ non sufficiunt singulæ, per multas aggregatas inuicem adiuuari: quia quæ non prosunt singula, iuuant collecta. Id quod idem in sequenti num. 34. habet.

Notandum est quinto, quidquid sit de foro externo, in foro interno quando non constat vtrum Superior aut commissarius ipsius dispensauerit in matrimonio cum sufficienti causa præsumi posse pro eo, dum defectus ignoratur à subdito: cuius non est discutere facta Superioris sui. Hoc habet Sanchez *disput. 17. num. 15.* Addens in 17. pari ratione credendum esse dicenti se habere potestatem dispensandi:

immo

immo & cuicumque viro timorato ac Confessario dicenti esse sibi delegatam potestatem ad absoluendum vel dispensandum, vel ad aliud id genus, fides adhiberi potest, *vt idem tradit num.* 22. cum de contrario non habetur moralis certitudo.

196. Notandum est sexto, ex tribus causis dispensandi ante propositis: primam, *quæ est defectus dotis*, tunc censendam iustam causam dispensandi, cum in defectu ipso inuenitur ratio pietatis. Namque causa iusta dispensandi cum persona priuata, debet redundare in eiusdem maius bonum spirituale, prout contingit quando mulier est, aut futura est pauper: & nisi cum ea dispensetur innupta manebit cum animæ suæ periculo. Vnde pendet solutio difficultatum, quas Sanchez tractat *disput.* 19 *num.* 7. *& aliquot sequentibus.* Ad secundam autem causam *quæ est extinctio litis*, reduci cuitationem scandalorum, inimicitiarumq; inter consanguineos, & remedium ad obuiandum alicui magno crimini, alioqui perpetrando. Ad tertiam denique causam verificandam ac sufficientem censendam, requiri tantum vt intra oppidum proprium fœminæ, non inueniatur æqualis cui nubat, prout responsum esse Archiepiscopo Mediolanensi à Congregatione Cardinalium 18. Nouembris anno 1570. habet Sanchez num. 13. eiusdem verba referens. Et ratio esse potest: quia durum est eam cogere, vt extra illud nubat, destituenda parentum & aliorum consanguineorum consortio, & exponenda vitæ solitariæ, ac forte acerbæ. Similique de causa non videtur adstringenda ad nubendum alicui vetulo aut durioris intolerabilioris ve ingenij, prout idem consequenter docet num. 15.

197. Notandum est postremo, alias causas dispensationis tribus illis addi solitas esse, vt *idem num.* 30. *& sequentibus refert*: tum diuitiarum conseruationem in eadem cognatione: tum illustris familiæ item conseruationem in eodem sanguine: quæ vtraque causa non parum confert ad bonum publicum: tum eius à quo, aut cui dispensatio petitur excellentia meritorum in Ecclesiam: argumento cap. Tali coniugio, 1. quæst. 7. cum dicitur: Nisi forte eos maxima Ecclesiæ vtilitas vel necessitas postulet, vel euidens meritorum prærogatiua commendet. Tum demum pecuniaria eleemosyna largior, in vsus publicos à Pontifice dispensante imposita ei, qui dispensationem petit sine alicuius causæ allegatione. Vsu enim Curiæ Romanæ talis causa admittitur vt sufficiens, ad dispensandum in gradibus non adeo propinquis: sicut & dandi indulgentias contribuentibus in belli subsidium aduersus infideles, aut ad alios sumptus publicos. Ita Sanchez *in fine eiusdem disput.* 19.

198. QVINTVM DOCVMENTVM EST: vt valida sit dispensatio, etiam illa quę iusta de causa petitur & datur, curandum esse ne obreptitia sit vel subreptitia. Nam iuxta cap. Super literis, De rescriptis: quando tacetur aliquid in libello supplici, quod si apponeretur faceret vt Princeps non dispensaret, vel vt non facile, sed cum magna difficultate dispensaret, nulla est dispensatio: & vocatur obreptitia. Similiter quando aliquid falsi dicitur vt impetretur dispensatio, ea nulla est: & vocatur subreptitia. Sic ergo ille qui conscius impedimenti contraxit matrimonium, si ad facilius impetrandam dispensationem id taceat in libello supplici, nulla est dispensatio ex Couar. *in Epitome par.* 2. *cap.* 2 §. 10. *num.* 14. per cap. Postulasti De rescriptis, & cap finale De filiis presbyt. Id quod fusissime tractat Sanchez disput. 21.

Ex iis autem quæ tractat à num. 13 notandum est primo, dispensationem reddi subreptitiam, adeoque inualidam, taciturnitate eorum quæ iura specialiter exprimi iubent: aut quæ ex stylo Curiæ Romanæ exprimenda sunt; neque ea esse omissa ignoranter, inualiditatem excusare: etiamsi excuset à culpa. Ratio est, quod taciturnitas huiusmodi obstet quominus adsit sufficiens dispensantis intentio, qua velit actu derogare iuri matrimonio impedimentum adferenti: quem defectum ignorantia patentis non supplet. Sic ergo quia in Concilio Triden. sess. 24. cap. 5. De reform. matrim. statuitur, vt qui in gradibus prohibitis scienter matrimonium contraxerit (& multo magis qui contractū consummarit) aut qui ignoranter quidem contraxerit, sed in contrahēdo solemnitates requisitas neglexerit, separari debere, & carere spe dispensationis: si petens dispensationem non exprimat matrimonium à scientibus contractum esse, ac etiam (si res ita habeat) consummatum: aut ab ignorante quidem, sed neglectas esse solemnitates, illa non valebit: & sic de similibus de quibus in sequenti documento

Notandum est secundo, Quando in dubio, neque ex iure neque ex stylo Romanæ curiæ dignosci potest, an qualitas aliqua talis sit, quæ expressa in petitione dispensationis, Superior hanc non concederet, id prudentis arbitrio relinqui diiudicandum attento Romanæ curiæ stylo, & Superioris consuetudine in casibus similibus. Ita docentes plures authores Sanchez num. 19. refert. Quod si adhibita sufficienti diligentia nihil certi cognosci possit, idem docet aliis citatis in sequenti num. 20. & 25. præsumi posse dispensationem esse validam. Quia in re dubia iudicandum est in fauorem valoris actus; vt magis valeat, quam pereat, ex cap. Abbate, De verborum significa.

Notandum est tertio, Taciturnitatem veritatis notoriæ, 199.
seu quam dispensans scitur probe nosse, non facere dispensationem inualidam, prout idem habet num. 27. quia tunc ea non inducit subreptionem cum non inducat ignorantiam quæ tollat intentionem dispensandi, ex qua valor dispensationis plane pendet. Hæcque fere fundamenta sunt reliquorum quæ idem author in eadem disp. 21. persequitur apud ipsum videnda.

SEXTVM DOCVMENTVM EST: Multa esse quæ in 200.
petitione dispensationis in impedimentis matrimonij dirimentibus (*De eis Sanchez de matr. lib.* 8. *disput.* 24) exprimenda sunt ad vitandam subreptionem. Primo enim si plura sint impedimenta, narranda sunt omnia. Nam cum omnia obstent matrimonio, omnium impetranda est dispensatio. Vnde intelligitur illud quod Sanchez *num.* 4. *& aliquod sequentibus* tractat: si duo sint duplici titulo coniuncti in eodem vel diuerso gradu, vtriusque coniunctionis mentionem esse necessariam ad euadendam subreptionem, cum vnaquæque ea coniunctio, suum impedimentum adferat. Præterea explicandum est quoto gradu consanguinitatis, affinitatis, aut publicæ honestatis coniuncti sint impedimentum habentes qui volunt contrahere: quia quo gradu prior seu vicinior stipiti fuerit, eo difficilior est dispensatio, vrgentioremque causam dispensatio requirit. Ob quam rationem oportet quoque exprimere lineam rectam, si talis gradus in ea sit: quia tunc difficilius dispensatur quam si esset intransuersa.

Oportet ob eamdem item rationem in cognatione spirituali exprimere, quod ea sit spiritalis filiatio: quia difficilius dispensatur in ea quam in spiritali compaternitate, vt etiam Sanchez notat *in numero* 14. *&* 15. Talis autem difficultatis ratio est, maior indecentia coniugij inter taliter coniunctos quam inter alios. Cuiusmodi indecentia, quia non videtur prouenire notabilis ex inæqualitate (v. g. quod vnus coniungendorū distet à stipite 4 gradu, & alter solummodo secundo) ideo non iudicatur illius taciturnitas inducere surreptionem. Pro quo Sanchez num. 25. adfert quemdam motum proprium Pij Quinti editum anno Domini 1566. die 26. Augusti incipientem Sanctissimus: vbi decidit non esse necessarium gradus propinquioris mentionem facere, sed sufficere remotioris. Excipe iuxta eumdem proprium motum, nisi is gradus propinquior, sit primus: quod idem Sanchez notat num. 32. vel fœmina sit stipiti proximior, vt idem author obseruat in præcedenti num. 12. Vide illum in eodem num. 12. & sequenti 13.

Adhæc si impedimentum publicæ honestatis, seu sponsaliorum, simul inueniatur cum impedimento affinitatis carnalis, si affinitas ea proueniat ex matrimoniali copula (cū matrimonium præsupponat sponsalia) impedimento eiusdem affinitatis expresso, censebitur sufficienter expressum sponsaliorum impedimentum. Non item si affinitas proueniat ex fornicaria copula: quam constat non supponere sponsalia; ac proinde nec impedimentum affinitatis ex illa nascentis, includere tacite sponsaliorum impedimentum: ideoque vtrumque exprimendum esse in petitione dispensationis. Tam autem ex hoc documento quam ex præcedentibus multa Sanchez deducit in memorata disp. 24. apud eum videnda.

Simulque in sequenti disput. 25. quod consanguinitate

aut affinitate in gradu prohibito coniuncti, volentes contrahere, coierint, debeant exprimere suum illum incestum: itemque si copula incestuosa habita sit spe facilius impetrandi dispensationem, eum quoque animum esse aperiendum. Ac demum si matrimonium sit ab eis contractum, id etiam narrandum sit: & addendum (si res ita habeat) cum spe facilius impetrandæ dispensationis contractũ esse. Adde narrandum quoque esse, num à scientibus impedimentum (etiamsi prædicta spes nõ intercesserit) contractum sit matrimonium: sique ab ignorantibus quidem, sed omissis solemnitatibus debitis. Nam Concilium Trident. sess. 24. cap. 5. De refor. matri. statuit tales separandos sine spe dispensationis. Vnde licet per id non ligetur potestas Papæ: eum tamen difficiliorem reddit in dispensando: quod sufficit vt ex taciturnitate censeatur surreptio sequi.

Videndum est adhuc apud eumdem, disput. 26. quod dispensatio impetrari possit absque mandato eius cui impetratur: etiamsi illi non prosit donec ea ab ipso acceptetur, vel ab alio habente ipsius speciale mandatum: & completæ sunt conditiones quas Apostolicæ literæ exegerunt: Sic enim cum per eas, negotij examen committitur Episcopo qui iudicet an preces veritate nitantur, non licet vti dispensatione ante ipsius sententiam.

CAPVT XXVII.

De potestate dispensandi in impedimentis matrimony quam habent inferiores Papa.

SVMMARIVM.

201 *Quam potestatem Episcopus habeat dispensandi in impedimentis matrimony.*

202 *Episcopus vrgente necessitate dispensare potest in maioribus matrimonij impedimentis iuris Ecclesiastici concurrentibus aliquot circunstantiis, & quibus.*

203 *Quod cum iisdem circunstantiis requiratur bona fides.*

204 *In casu necessitatis potest Episcopus etiam cum eo, qui cum dies sit, potest Romam mittere: itemque cum eo qui plura habet impedimenta.*

205 *Potest perinde dispensare ante contractum matrimonium, ac post contractum.*

206 *Dispensatio Episcopi in memoratis impedimentis non valet pro foro externo: nec etiã pro interno, quando adiri potest Nuntius Apostolicus, aut alius, cui potestatem ad dispensandum sufficientem Papa commisit.*

207 *Potest Episcopus delegare suam potestatem dispensandi in iisdem impedimentis.*

208 *Potestas delegata dispensandi in impedimentis matrimonij, quatenus subdelegari possit, & quatenus reuocari.*

209 *Potestas eadem triplex est personalis realis, & mixta: quarum prima & tertia cessat delegati morte, aut amotione ab officio, & secunda transit ad successorem.*

210 *Quando cesset delegatio morte delegantis aut ratione habita modi delegandi*

211 *Ad valorem potestatis delegatæ scriptum necessarium non est.*

212 *Pro quo tempore verificari debeat causa dispensationis, vt hæc per delegatum data valeat.*

213 *Non est incapax dispensationis, qui renunciauit gratiæ sibi concessæ ad illam obtinendam: & quatenus possit reuocari concessa dispensatio.*

201. EPISCOPVS quemadmodum ex Palu. & De Antonino Nauar. habet *in Enchir. cap. 22. num. 85.* potest dispensare in matrimonio prohibito à se, aut à suo inferiore. Itemque in omnibus illis impedimentis quæ impediunt quidem, sed non dirimunt matrimonium, exceptis votis castitatis & religionis: in quibus ipsa etiam Apostolica Sedes cum difficultate, nec nisi iusta de causa, dispensat; vt idem monet ibidem. Ratio vero quam adfert est: quod licet stricto iure cõmuni inferior nequeat legem Superioris sui tollere aut moderare, ex ca. Inferior distinct. 21. & ex Clemen. Ne Romani, De elect. ideoque Episcopus in impedimentis propositis, *quæ lex vniuersalis Ecclesiæ induxit*, dispensare nõ possit de rigore iuris: consuetudo tamen contrarium obtinuerit: immo *quid amplius est*, obtinuerit vt non modo à Papa, sed nec ab Episcopo, in nonnullis talibus impedimentis dispẽsatio petatur: quod ex codẽ Nauar. antea nu. 192. iã annotauimus.

Aduerte autem in casu vrgentis necessitatis, quando magnum incontinentiæ periculũ vrget, nec cõsuli potest Papa ratione paupertatis, aut quia graue periculum est in mora, posse Episcopum etiam in voto castitatis dispensare ad contrahẽdum licite matrimonium prout cum Angelo Syluest. Nauar. & aliquot aliis asserit Sanchez 2. *disput. 40. num. 7.* Et ratio reddi potest, quod non sit mens Papæ per reseruationes à se factas, obstare, quominus Ordinarij suorum necessitatibus spiritalibus, iusta ac rationabili causa vrgente, subueniant. Difficultas autem quæ moueri potest, An dispensatio in voto castitatis aut religionis aut non nubendi extinguatur primo matrimonio inito: apud eumdem *lib. 8. disput. 31.* videri potest bene tractata. Partem autem negantem censet tenendam, nisi obstet limitatio facta ad ipsum primum matrimonium, intentione dispensantis.

De eiusdem vero Episcopi potestate dispensandi in impedimentis dirimentibus, quid videatur tenendum explicatione aliquot dubiorum consequenter tradendum est: vbi illud præmonuerimus, quod late tractat Sanchez *lib. 8. disput. 5.* Quoties canon aliquis permittit in ipso dispensari, vel impersonaliter de dispensatione loquitur dicendo: Nisi in eo dispensetur; neque explicat à quo sit dispensandum: tunc censendam facultatem dispensandi circa illum, concessam esse Episcopo. Nam talia verba quæ non intelliguntur de Papa, qui non eget tali facultate, habens alias sufficientem potestatem, intelligenda sunt de Episcopo: cum nullus sit, de quo potius intelligi debeant. Quibus conditionibus ipsum limitari debeat, & quæ inde deducantur idem tractat ibidem apud quem vide si lubet: nisi sufficiant tibi tradita in præced. lib. 13. c. 19. sect. 2.

PRIMVM AVTEM DVBIVM EST: An Episcopus possit 202
vrgente necessitate dispensare in maioribus matrimonij impedimentis iuris Ecclesiastici. De quo duas sententias cum suis authoribus refert Sanch. lib. 2. dispu. 40. q. 1. vnam simpliciter negantiũ quia eiusmodi impedimenta omnia sunt statuta decreto Papæ vel Cõcilij generalis: in quorũ legẽ tãquã Superiorũ non potest Episcopus dispensare: vt pote inferior. Alterã vero affirmantiũ Episcopũ posse in huiusmodi impedimẽtis dispensare in casu vrgẽtis necessitatis: adeoque concurrentibus his circunstantiis: quod matrimonium sit publicũ & impedimentũ occultũ; seu quod nec cõstare esse, nec facile constare potest publice, *itaut periculum non sit, quod in foro externo detegatur*, scandalumq; sit in separatione nec ad Papã aditus pateat inopia aut alia iusta causa impediente. Ratio autem est, quia quidquid potest Papa in vniuerso orbe (si excipias ea quæ ad vniuersæ Ecclesiæ statũ pertinent vt res fidei definire) potest Episcopus in sua diœcesi; nisi Papa aliquid specialiter sibi reseruet: Episcopus enim pastor est ordinarius in sua diœcesi, sicut Papa in toto orbe, licet ille huic subiectus sit, sicut est Episcopo Parochus: qui nihilominus non impeditur, quominus ab omnibus peccatis suos Parochianos absoluere possit; exceptis iis quæ Episcopus ipse aut Papa sibi reseruauerit. Adhæc, verosimile non est, Papã concurrentibus prædictis conditionibus velle sibi reseruare eam de qua agimus dispensationem: tum quia talis reseruatio esset contra charitatẽ & suauem Ecclesiæ gubernationem in casu tantæ necessitatis, quanta est eorum qui habentes impedimentũ nequeunt Papam ipsum consulere: nec possunt absq; graui scandalo separari, habentes prolem quæ parentibus destituta cõmode educari non potest, aut vnus tantum coniugum nouit impedimentum; quod probare vel sine graui famæ iactura detegere non potest; vel quamuis vterque eorum sciat: illud tamen probare nequeat; ideoque non permittuntur alia matrimonia contrahere, & sic magno incontinentiæ periculo exponuntur.

SECVNDVM DVBIVM EST: An præter iam dictas circunstantias requiratur bona fides in contrahentibus, vt Episcopus possit cum illis dispensare. 203

De

De hoc in vtramque partem Sanchez ibidem nu. 4. authores citat: statuitque bonam fidem adhuc requiri, quia illos qui mala fide contraxerunt, Ecclesia vult separari absq; spe dispensationis, vt patet ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 5. De reform. matrim. ita statuente. Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit.] Accedit, quod nulla ratio suadeat, cum matrimonium est mala fide contractum. Pontificis mentem esse iniquitati pernicioſæque audaciæ contrahentium fauere velle: sicut videretur tunc facere, permittendo Episcopo ipsorum dispensationem. Inde enim redderet faciliorem: atque facilioris dispensationis spes passim præberet peruersis occasionem, matrimonia celebrandi contẽptis Ecclesiæ impedimentis ea dirimentibus. Neque est quod in hoc, seueritas nimia esse existimetur: quia, vt loco citato Concili. Trid. habet, non est dignus qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salutaria præcepta temere contempsit.

Aduerte vero, bonam fidem in hac re, non excludi ex eo, qꝺ contrahentes ex lata culpa seu culpabili ignorãtia, impedimentum ignorarint: quia faciens aliquid ex ignorantia etiã crassa, nõ dicitur proprie illud scienter præsumere: quod Concil. Trid. requirit ad malam fidem, vt patet ex verbis ante citatis. Intellige autem, nisi ignorantia adeo crassa esset, vt temeritas magna interuenisse censeretur: quam verbum præsumendi importat, & quæ æquiparatur dolo, vt bene idem Sanchez annotat sub finem eiusdem num. 4. Paulo superius docens Episcopum non posse dispensare quantumcumque matrimonium contractum sit cum ignorantia impedimenti: si solemnitates requisitæ in matrimonio sunt neglectæ: quia Concil. Trid. per eamdem rationem, idem in hoc casu quod in illo decernit istis verbis: Quod si ignoranter fecerit (nempe intra gradus prohibitos contraxerit) si quidẽ solemnitates requisitas in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem pœnis subiiciatur. Quod pœnarum nomen, *vt idem Sanchez bene quoque annotat*, argumento esse potest, quod bona fides vnius coniugis sufficere possit, non obstante mala fide alterius: itaut positis antedictis circumstantiis, Episcopus possit cum eis dispensare: quia æquum non est vnum puniri propter delictum alterius.

204. TERTIVM DVBIVM EST: An possit Episcopus dispensare quando contrahentes possunt facere expensas necessarias, ad dispensationem Papæ obtinendam.

Ad quod idem author *aliquot aliis citatis in sequenti num.* 5. respondet affirmatiue: quia etiam in diuitibus potest vrgens necessitas occurrere, vt quando Roma distat longissime, magnumque est incontinentiæ periculum, si tãdiu inde expectetur dispensatio: aut quando fœmina diues ante matrimonium cõtractum, cognita est à consanguineo viri, cui non potest impedimentum detegere, aut ab eo separari, aut debitũ negare sine famæ aut etiam vitæ iactura. Sicut igitur Episcopus potest cum paupere dispensare, eo quod ratione inopiæ non habeat recursum ad Summum Pontificem; poterit & cum diuite, quando is ratione vrgentis necessitatis & magni periculi in mora, caret eodem recursu.

QVARTVM DVBIVM EST: An concurrentibus circumstantiis dubio primo notatis, possit Episcopus dispensare, quando impedimenta dirimentia fuerint plura vno.

Ad quod Sanchez num. 6. bene respondet: Eum quidem cui committitur dispensatio in vno impedimento matrimonij, non posse dispensare repertis duobus: quoniam ex communi sententia Canonistarum ad cap. fin. De simonia in dispensationibus, quæ odiosæ sunt, mixtum sub simplici non comprehenditur. Episcopum autem cum potestatem habeat ordinariam, posse tunc quoque dispensare: quia illius potestas non est ad dispensandum in aliquo singulari impedimento (vt dicatur mixtam non comprehendi sub simplici) sed absolute ad dispensandum in impedimentis, dum necessitas grauis vrget. In quo casu cum Summi Pontificis reseruatio non censeatur procedere: nihil refert siue vnum tantum, siue plura sint impedimenta, cum in illis Episcopi ordinaria potestas dispensandi sit libera.

205. QVINTVM DVBIVM EST: An Episcopus possit in impedimento matrimonij dirimente aliquando dispensare, antequam idipsum matrimonium contrahatur.

Respondet idem Sanchez n. 7. dispensare posse quando vrgentissima necessitas id postularet. Quam responsionem fundat in eo quod habitum est in explicatione dubij primi, Episcopum posse vrgente magna necessitate, post matrimonium contractum dispensare in impedimento constituto lege Papæ, vel Concilij. Eadem enim est lex Ecclesiastica, qua ante & qua post matrimonium contractum impedimenta istiusmodi instituuntur. Ergo sicut post contractum matrimonium, sic & ante contractum potest Episcopus vrgente magna necessitate dispensare. Quamquam enim eo semel contracto, necessitatis casus frequentius occurrat: tamen cum sola prohibitio iuris humani in vtroque casu resistat: similiter vrgente magna necessitate poterit ab Episcopo dispensatio dari. Exemplum talis necessitatis Sanchez adfert. Accedat mane confessura, quæ reperiatur habere impedimentum dirimens, cuius detectio infamiam notabilem ei pareret: sintque omnia iam parata ad nuptias vespere celebrandas, & tentatis omnibus medijs nulla euadendi via aperiatur, sed suspicio vehemens oritura sit alicuius criminis detecti in confessione, si fœmina velit abstinere à nuptijs, aut differre dum dispensatio Pontificia obtineatur. Dictum est *tentatis omnibus medijs*, quia si aliqua euadendi commode reperiatur via, non poterit Episcopus tunc dispensare: sed solum quando prudentis arbitrio, *attentis circumstantijs occurrentibus*, nulla media tali fœminæ sufficiant ad magnam necessitatem qua vrgetur euadendam.

SEXTVM DVBIVM EST: An dispensatio prædicta Episcopi valeat tantum pro foro interno. 206.

Ad hoc Sanchez nu. 10. respondet affirmatiue, vt & Henriquez lib. 12. cap. 3. nu. 2. Fundamentum eorum est: quod Concil. Trid. sess. 24. cap. 6 De reform. casus occultos Papę reseruatos, Episcopo cõcedat tantum pro foro cõscientiæ: cum excipiat deductos ad forum contentiosum: tanquam ille ea ex parte nihil possit, quoad tale forum, in quo iudicandum est secundum, non contra legẽ Superioris.

SEPTIMVM DVBIVM EST: An Episcopus in iisdem impedimentis dispensare possit cum facile recurri potest ad nuntium Apostolicum, aut ad alium habentem à Papa sufficientem authoritatem ad dispensandum in illis.

Ad quod Sanchez num. 8. censet respondendum negatiue: quia Episcopus in talibus dispensare solum potest ratione vrgentis necessitatis: quæ cessat non modo cum adiri potest Papa: sed etiam cum alius cui sufficientem ad id potestatem commisserit. Nam talis commissionis finis est, vt eiusmodi necessitati occurrenti consulatur. Et confirmatur à simili: quia simplex Sacerdos quamuis in articulo mortis constitutum absoluere possit ratione vrgentis necessitatis, si tamen ea cesset, quia vel Ordinarius, vel ab ipso commissus haberi potest, nequibit absoluere.

VLTIMVM DVBIVM, An Episcopus possit alteri delegare facultatem quam ratione vrgentis necessitatis ipsum habere diximus, dispensandi in impedimentis matrimonii dirimentibus iure Ecclesiastico. Ad quod affirmatiue Sanchez num. 14. respondet: quia potestas ex Principis priuilegio competens, non quidem personæ, sed dignitati, vel officio, idque in perpetuum, non est delegata, sed ordinaria habetque potestatis ordinariæ iuramẽtum quę illud est vt possit delegari. At supradicta Episcopi potestas dispensandi in impedimentis matrimonii iure Ecclesiastico dirimentibus non competit personæ, sed dignitati: quandoquidem conceditur Episcopis præsentibus & futuris, & id in perpetuum: cum potestatem, magni præsertim momenti, committere personæ incognitæ, sit à ratione alienum. Eumdem authorem de his in illa quæst. 40. latius differentem, vide si lubet. 207.

Pars 1. liqua capitis de potestate delegata.

DE hac notanda occurrunt aliquot documenta. PRIMVM EST, quod Sanchez habet libro 8. disput. 27. in fine. Eum cui per Papæ rescriptum delegatur dispensatio in matrimonii impedimentis, posse facultatem cã subdelegare quoad testium receptionem & informationem: non autem 208.

quoad dispensationem. Ratio est: quia vbi nudum ministerium simul cum iurisdictione aliqua committitur à Principe, non potest quidem nudum ministerium subdelegari, potest tamen iurisdictio illa, ex Innocentio & Abbate ad cap. finale De officio delegati. Tale quid autem contingit in eiusmodi delegatione: quia committitur iurisdictio examinandæ veritatis precum oblatarum Papæ: & nudum ministerium exequendæ dispensationis. Poterit ergo illa delegari, non item hæc.

SECVNDVM EST, Superiorem qui delegauit potestatem dispensandi, posse suo arbitrio eam reuocare, non solum valide, sed etiam licite per se loquendo: quia in eo vtitur iure suo, & quasi re propria. Neque absque causa Superior delegantis potest talem delegationem reuocare, quia iniuriam faceret eidem deleganti, priuando eum iure delegandi, quod habet ex sua ordinaria iurisdictione. Hoc ex Francisco Suarez habet Sanchez in eod. libro, *disp.* 33. *nu.* 7.

209. TERTIVM EST, Potestatem dispensandi posse tripliciter delegari. Primo modo, expresso proprio nomine delegati: vt dicendo Committimus Ferdinando. Secundo modo expresso tantum nomine dignitatis, vt dicendo Committimus Archiepiscopo Bisuntinensi, nulloque addito per quod nomen illud commune fiat proprium. Tertio modo, expresso vtroque: vt Committimus Ferdinando Archiepiscopo Bisuntinensi. Atque 1. modo delegatio est personalis & ideo finitur morte personæ delegati. Secundo vero modo, est realis, manetque in successore, in quo dignitas manet vna eademque, tanquam non moriens, iuxta cap. Si gratiose, De rescriptis in 6. Videndus est de his Sanchez libro 8. disput 27. quæst. 1. Cum quo in sequenti quæst. 2. tenendum etiam est delegationem factam expressio tam proprio quam dignitatis nomine, censendam personalem: & ideo extingui morte delegati. Nam vt ille bene argumentatur nu. 20. Cum nomen dignitatis generale sit conueniens omnibus ea fulgentibus: nomen autem proprium sit peculiare personæ eo nominatæ: illud per hoc ita restringitur, vt non excedat personam nominatam.

QVARTVM DOCVMENTVM, *de quo idem author in sequenti quæst.* 3. Quando delegatus adhuc superstes est quidem, sed dignitatem amittit, delegationem ei factam si personalis sit, non ideo expirare, sed in ipso perseuerare: sin realis sit, transire ad eius successorem, perinde ac fieri morte delegati ante dictum est. Quod vtrumque patet: quia cũ in prioreasu habita sit ratio solius personæ, delegatio sic facta, sequitur personam instar priuilegij personalis. In posteriore casu autẽ, cum sola dignitas spectata sit, delegatio illam sequitur in quacumq; persona inueniatur. Quod adeo verum est *addit Sanchez nu.* 24. vt quantumuis delegatus iam cœperit vti commissione facta dignitati, eo hanc amittente, delegatio transeat ad successorem, tanquam præcise concessa tali dignitati. Cætera quæ idem habet: tum in eadem quæst. tum in sequenti, tum etiam in disput. 28. tribus primis, quæstionibus tanquam subtilitates iuris, quę paucis expediri nequeant videtur consultum, apud ipsum ci qui volet videnda relinquere, ad vitandum prolixitatis fastidium.

210. QVINTVM DOCVMENTVM, (*quod idem author habet in eadem disput.* 28. *num.* 87.) Quando in literis commissionis dispensandi in impedimẽtis matrimonij cõcessis in alicuius fauorem, minister executionis est voluntarius, *vt esse censetur quando ei non præcipitur vt exequatur, sed sola exequendi facultas concedtur*: delegationem expirare morte delegantis re integra, id est, si nihil adhuc sit executioni mandatum. Secus autem accidere, quando minister executionis est necessarius, vt censetur, quando iubetur exequi, si preces veritate nitantur. Ratio est: quia in priore casu nullum ius est acquisitum per eiusmodi literas: cum relinquãt arbitrio delegati, velitne dispensare an non: contineantque gratiam, non quidem factam sed faciendam; quæ expirat morte cõcedentis iuxta cap. Si cui nulla, De præbendis in 6. § finali. In posteriore autẽ casu ius ad rem iam acquisitum est illi, in cuius fauorem facta est delegatio: eo quod hæc sic facta est, vt non sit relictum voluntati delegati dispensationem concedere aut denegare: sed sit ei præceptum vt dispenset inuẽta precum veritate. De qua si constet, iniustus erit dispensationem negando. Quo fit vt gratia concessa in eodem casu merito censeatur facta potius, quam facienda, quęque morte concedentis non definat, sicut in præcedente casu.

SEXTVM DOCVMENTVM *de quo idem Sanchez in precedenti num.* 81. Quando facultas conceditur alicui ad dispẽsandum determinatæ personæ: si ipsius dispensaturi, aut tam in eius quam dispensandi, fauorem concessa sit: eam re etiam integra non expirare morte concedentis, aut eius amotione ab officio. Ratio est, quia in tali casu, gratia iam est facta in fauorem dispensaturi, respectu cuius obtinet totam suam perfectionem. Aduerte autem quod in sequenti num. 91. idem habet: etiamsi commissio dispensandi sit voluntaria, & tantum in fauorem petentis: si commissarius iam dispensarit cum eo ad contrahendum matrimonium, & antequam ipse dispensatione vtatur contrahendo, dispẽsans obcat, dispensationem non desinere: quia iam facta legitime, nihil est cur retractetur. Aduerte etiam quod addit num. 92. dispensationes quæ à Legato Papæ, vel à Summo huius Pœnitentiario expediuntur, nullatenus expirare morte ipsius Papæ: quia officia ab ipso data non expirant, vt de officio legati patet ex cap. Legatos, De officio legati in 6. & de officio Summi Pœnitentiarij ex Clement. 2. De electione §. Eo tamen prouiso.

SEPTIMVM DOCVMENTVM EST, *de quo Sanchez disput. 29. num.* 2. Non esse necessarium scriptum ad valorem facultatis concessæ ad dispensandum, sed statim ac concessa est per verbum fiat, validam in se esse ac perfectam, quoad suam substantiam. Ratio est, quod talis concessio sit donatio, quæ statim ac fit, perfecta est in se; etiam instrumento nondum confecto. Vnde sequitur, illam gratiam non desinere, si ante literarum expeditionem moriatur Pontifex qui concessit: quoniam ea prius accepit quidquid ad ipsius valorem desiderabatur. 211.

OCTAVVM DOCVMENTVM EST, *de quo idem sequenti disput.* 30. vt dispensatio concessa ad matrimonium contrahendum valida sit, opus esse vt causa ex qua valor illius pẽdet verificetur, tũ quo tẽpore Papa aut Pœnitẽtiarius ipsius eamdẽ cõcedit cõmittẽdo executionẽ Ordinario aut Confessario cognita precum veritate: tum etiam quo tempore hi talem commissionem exequuntur. Quorum prius probatur ex eo quod Papa vel Pœnitentiarius sit qui reuera dispensationem concedit, solam executionem Ordinario vel Confessario committens si preces veritate nitantur: seu si preces sibi propositæ veræ tunc sint cum dispensat. Nec enim ijs existentibus falsis, putandus est velle dispensare: ne sit iniquus potius quam fidelis & prudens dispensator constitutus à Christo super suam familiam. Posterius vero probat Sanchez num. 12. quia ex concordi Doctorum consensu, dispensatio dum est in fieri, necdum consummata, cessat, cessante omnino causa ipsius finali. At quãdo Papa aut Pœnitentiarius, ille Ordinario, & hic Confessario mandat vt dispẽsationẽ exequatur si preces veritate nitantur: non ante illa vim habebit veræ & consummatæ dispensationis, quam Ordinarius aut Confessarius adimpleuerit mandatum acceptum. Vnde sequitur ad valorem dispensationis requiri vt causa in literis Apostolicis narrata, verificetur: tum quo tempore ea obtinetur à Papa aut Pœnitentiario: tũ quo tempore illam Ordinarius aut Confessarius exequitur: eliq; secus accidat, euanescet dispensatio: vtpote cuius causa finalis cessauit, dum illa erat in fieri, necdum consummata. 212.

Difficultatem num. 13. idem monet, An extinguatur dispensatio si causa illius finalis, omnino cesset post quam Ordinarius aut Confessarius iam dispensarunt, ipsaque dispẽsatio est in se omnino perfecta ac consummata: sed nondum sortita suum effectum: quia matrimonium nondum est contractum. Cuius difficultatis partem quidem affirmãtem ille tuetur: sed nobis sufficit quod in fine eiusdem nu. 13. ipse fateatur, eum non posse damnari qui negantem in praxi amplectitur, tanquam habentem pro se authores graues, nec rationibus destitutos, ac contra obiecta, solui possint: itaut liberum sit vtramuis tenere. 213.

NONVM DOCVMENTVM EST, Eũ qui dispensationẽ impetrauit etiamsi illi renunciet: posse eadem vti quamdiu Superior qui dispensauit non acceptauerit renunciationem, persistens in sua priore voluntate. Pro hoc iura adfert Sanchez *disput.* 32 *num.* 2. addita hac ratione, quod omnis re,

per

per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluatur: ideoque vt ad priuilegij acquisitionem exigitur concedentis, & eius cui cõceditur voluntas, sic ad eius destructionem vtraque desiderabitur. Si quæras, quis sit ille Superior, cuius voluntas exigitur ad validitatem renunciationis: idem nu. 4. respondet, non esse delegatum: vt Ordinarium, vel Parochum: sed delegantem, vt Papam aut Summum Pœnitentiarium: quia valor gratiæ impetratæ non ab illis sed ab his pendet.

DECIMVM DOCVMENTVM EST, Dispensationem semel concessam posse reuocari, atque adeo extingui ab eo qui illam dedit in sua lege, & ab ipsius successore: quia sicut potest dispensatum, *tanquam subditum suum*, illa lege denuo obligare: ita etiam potest reuocare dispensationem per quam ab eadem eximitur. Quod non potest quidem sine causa licite (vt nec potuit sine causa dispensare licite) potest tamen valide: nisi dispensatio rationem haberet priuilegij transeuntis in contractum. In quo casu requireretur iusta causa reuocationis: quia Princeps adstringitur suo cõtractu: itaut per eũ ius acquiratur illi, cum quo contrahit. Iuri autem quod acquisitum est alteri, præiudicari non potest absque iusta causa. Dispensationem autem ab inferiore in lege Superioris, huius delegatione alicui concessam, non posse ab eodem inferiore reuocari, sine iusta causa patet: quia non habet *sicut Superior*, authoritatem dispensatum tanquam subditum suum denuo subijciendi eidem legi. Posse vero ab eodem reuocationis causa interueniente: quoniam ad id censenda est extendi potestas eius, concessa ad vtendum ea prout recta ratio dictauerit, circunstantiis prudenter expensis. De qua Sanchez *disput.* 33. pluribus.

CAPVT XXVIII.

De clausulis dispensationum quæ in foro conscientiæ circa impedimenta matrimonij expediuntur in sacra pœnitentiaria Romana.

SVMMARIVM.

214 *Declaratio primæ clausulæ continentis qualitates delegati: nempe vt doctor sit in iure canonico, aut magister in Theologia, & vt sit ab Ordinario approbatus.*

215 *Clausula continens causam dispensationis & alia continens qualiter de legatus debeat talis causæ verificationem indagare.*

216 *Clausula iniungens, vt is qui dispensationem petit absoluatur; & salutare pœnitentia ei iniungatur.*

217 *Clausula de operibus in quæ Confessarius debet commutare votum castitatis aut religionis impediens matrimoniũ.*

218 *Clausula de literis sacræ pœnitentiariæ dirigendis & alia continens quod talis dispensatio valeat tantum pro foro conscientiæ.*

219 *Clausula continens, quod impedimentum debeat esse occultum.*

220 *Clausula continens seruanda cum dispensatur, vt matrimonium irritum iterum celebretur.*

221 *Pro foro conscientiæ dispensatio datur gratis.*

QVÆ huc spectant Sanchez *lib.* 8. *disput.* 34. late persequitur; ex quo, *sicut in præcedentibus*, præcipua breuiter quam commode fieri poterit perstringemus.

214. PRIMA ERGO CLAVSVLA istius generis (prout habetur ex formis, quas memoratus author refert initio citatæ disp.) est quę cõtinet qualitates personę cui dispẽsationis executio delegatur. Quarũ vna est, vt sit doctor in iure canonico, aut magister in Theologia. Vbi aduerte magistrũ dici pro Doctore iuxta vsum aliquarum Academiarũ, *vt Parisiẽsi*. Altera vt sit Confessarius approbatus ab Ordinario. Circa priorem autem notat Sanchez num. 7. ad eam nõ sufficere vt quis ius canonicum aut Theologiam publice in aliqua Academia doceat: sed exigi vt ad Doctoris seu Magistri gradum promotus sit, habeatve publicũ Academiæ testimoniũ suæ eruditionis. Id enim verba Doctoris & Magistri indicãt; quibus in cõmuni loquendi vsu, soli ad gradum promoti vocantur. Cæteri enim dici solent doctores iuris canonici aut Theologiam: non autẽ Doctores in iure canonico aut Magistri in Theologia, nisi improprie. Addit nu. 8. nec sufficere vt quis sit in iure canonico aut Theologia licentiatus: quia in hac re promotio ad Doctoratus gradum exigitur tanquam supremum locum in duabus illis facultatibus tenens, cum publico Academiæ testimonio. Adeout, *in quit idem num.* 10. huius generis dispensationes non fortiantur effectum suum, si illas expediens non sit eo gradu insignitus: nisi forte priuilegium habeat à Sede Apostolica, quale in nostra Societate habetur eo modo quo idem tractat num. 11.

Circa posteriorem conditionẽ quæ notanda viderentur de approbatione Confessarij per Ordinarium, iam tradita sunt *in præced. lib. 1. cap.* 15 & 16. An autem requiratur ad validam expeditionem dispensationis, vt Doctor ad cã electus, sit approbatus absolute, neque cum limitatione ad certum locum aut certas personas non paruam difficultatem habet: de qua Sanchez statuit non requiri. Sed quia commissio dispẽsandi ad Doctorem approbatum ab Ordinario dirigitur, vt ad Confessarium: videtur sentiendum quod talis eligi debeat qui sufficienter approbatus sit ad excipiendam confessionem petentis dispensationem. Ratio vero, quia ille nititur, quod in literis quibus delegatur istiusmodi facultas dispensandi, exigendo gradum doctoratus & approbationem Ordinarij: spectetur scientia requisita ad earum expeditionem. Hæc ratio inquam, propterea non conuincit, quod gradus doctoratus sufficere potuerit ad testimonium talis scientiæ. Vnde conditio approbationis Ordinarij, ne sit superflua, spectare debet alio: nempe ad capacitatem audiendi confessiones, quæ multa requirit: & inter cætera, nouo iure Concilij Tridentini sess. 23. cap. 15. De reform. approbationem Confessarij ab Ordinario.

Monet Sanchez nu. 18. aliam difficultatem, Vtrum vno Confessario negante dispensationem, quod iudicet eam surreptitiam esse, dispensandus possit adire alium Confessarium; aut prior ille sententiam suam retractare debeat. De qua, quoad forum conscientiæ, potest cum eodem *in præceden disput.* 27. *num.* 40. pars affirmans teneri. Quia cum talis commissio facta sit in foro cõscientiæ, ea sequitur eiusdem fori naturam: quæ est vt pœnitens nõ adstringatur acquiescere vnius Confessarij sententiæ, sed possit alium adire: illeque prior Confessarius possit re melius perpensa, mutare suam sentẽtiam. Sicut igitur priuilegium habens vt à reseruatis absolui possit à Sacerdote approbato, recusatus ab vno potest alium adire: & qui prius recusauit, potest sententiam mutare ipsumque absoluere: ita etiam priuilegium habens, vt cum eo possit à Confessario dispensari in impedimento matrimonij, repulsus ab vno, potest alium adire: ac qui recusauit mutare sententiam & dispensationem exequi:

SECVNDA CLAVSVLA EST, in qua continetur causa dispensationis: quæ triplex tantum est vsu recepta in Romana curia teste Nauarro *in Enchir. ca.* 22. *num.* 87. nempe defectus dotis, defectus viri æqualis, & timor incontinentiæ. Ac circa duas priores notanda iamantea attigimus nu. 196. Circa tertiam vero hic addendum est, *ex memorata disput.* 34. *num* 19. ad illius verificationem non sufficere quascumque tentationes carnis, nec timorem vnius aut alterius lapsus carnalis, sed exigi maximum frequentis lapsus periculũ: adeout possit talis persona dici incontinenter victura. Hoc enim satis indicant hæc verba, quæ in eadem clausula habentur. *Continen er viuere posse non sperat.* Itemque illa. Ac orationem stimulis carnis adeo agitatum, vt maxime dubiter contenere posse, & propterea de illius incontinentia probabiliter timendum sit. Non refert vero vtrum tale periculum consurgat ex naturali infirmitate, an ex prauo habitu propria malitia ac negligentia comparato. Nam in literis dispensationis nõ sint distinctio causæ ex qua periculum perueniat.

TERTIA CLAVSVLA continet qualiter Confessarius debeat verificationem causæ indagare, & monita ac concilia opportuna dare. Circa quã notandum est, Confessariũ dispensaturum, teneri diligenter examinare precum veritatẽ, non quidam receptis testibus, sed eo solo cum quo dispen-

saturus est examinato, prout ferunt fori pœnitentialis leges: vt scilicet pœnitenti de se loquenti fides habeatur. Quamquam tamen Confessarius sciens extra confessionem preces allegatas ab illo, falsas esse: aut in eis tacitam esse veritatem necessario allegandam, non debet dispensare, quidquid dicat pœnitens: quia ei non proderit dispensatio, tanquam inualida ex defectu causæ.

De eo quod item inualida sit dispensatio si preces veritate quidem nitantur: sed Confessarius illã exequutus est, nec examinatione præmissa: nec conscius veritatis causæ allegatæ. Ratio est: quia non seruabit formam sibi præscriptam, egressus limites suæ potestatis. Videndus est Sanchez in eadem disput. 34. nu. 26. Et addendum ex seq. nu. 27. monita & consilia opportuna esse coniungenda indagationi causæ, quibus Confessarius cum quo dispensaturus est hortetur veritatem sincere explicare; significando quantum id illius interfit, ne valore dispensationis fruſtretur. Quodquidem si omittatur, dispensat onem non reddi inualidam. Immo nec peccatum committi idem addit: quoniam per eam clausulæ particulam, non inducitur dispensandi forma, sicut per præcedentem (si quidem in literis dispensationis, illa non ponitur sicut hæc, cum particula denotante conditionem: quales sunt, *si, dummodo*) nec datur præceptum, sed sola quædam instructio Confessarij, qualiter debeat se gerere vt certior fiat de veritate.

216. QVARTA CLAVSVLA EST, quia iniungitur vt petens dispensationẽ absoluatur à mutatione propositi, ea vice forma Ecclesiæ insueta, cõiuncta ei pœnitentia salutari. Circa quam Sanchez *in sequentis nu.* 29. & 30. multis cõtendit, eam non esse ita accipiendam, vt necessarium sit ad expeditionem dispensationis quæ sub ea committitur, expeditus audiat sacramentaliter confitentem cum cum quo dispensare debet. Verumtamen quidquid sit in speculatione, consulerem contrarium in praxi sequendum, cum tutum sit omnino, nec ad difficile factu, & fundetur in bona ratione. Nãque omnia quæ proposuimus tali clausula iniungi: secundũ communem de eis loquendi & intelligẽdi modum, spectant ad sacramentum pœnitentiæ: nec quidquam est quod cogat ab illo in hac re recedere. Accedit, quod ad Confessarium dirigatur commissio dispensandi, eumque approbatum: quam conditionem Concilium Trident. sess. 23. cap. 15. De reform. introduxisse in ordine ad auditionem confessionum, verba illius dubitare non sinunt.

217. QVINTA CLAVSVLA EST, quæ continet opera in quæ Cõfessarius (prout secundũ Deum saluti animæ Pœnitẽtis expedire iudicauerit) cõmutare debet votum castitatis & religionis impediens matrimonium. Ea autem, *vt patet ex formis quas Sanchez refert nu.* 1. *&* 2. sunt sacramentalis cõfessio facienda singulis mensibus, vel quoties Confessarius viderit expedire saluti Pœnitentis, atque alia pœnitentiæ opera: inter quæ sint aliqua pietatis opera, quæ quotidie facere teneatur ad eum finẽ: vt ea ad implens meminisse semper possit obligationis qua eiusmodi voto obligabatur.

Difficultas autem est, An Confessarius dispensans adstringatur ad hæc præcise præstanda. Ad cuius explicationem idem sequentia tradit. Primum est: non esse ita relictam arbitrio Confessarij talium operum impositionem, vt eam omnino omittere possit. Nam sacra pœnitentiaria exprimens eiusmodi opera, indicat ea esse & commensurata vouentis viribus, & saluti ipsius expedire: à cuius iudicio recedere non est consentaneum.

Secundum est: relicta esse Confessarij arbitrio, quæ Sacra pœnitentiaria nõ determinat: qualia sunt quantitas eorum bonorum aut electio, *cum sint plura ac diuersa*, aut frequentia: excepto quod exigat imponenda pro tota vita, & aliqua quotidie exercenda. Addit tamen Sanchez *numero* 35. quia onus confitendi singulis mensibus adeo graue est multis, vt attenta naturæ corruptæ fragilitate & occupationibus illud ferre sit fere impossibile: relictum quoque esse arbitrio Confessarij non menstruam sed bimestrem aut etiam trimestrem imponere cum viderit id expedire saluti pœnitentis: Pro quo facit quod in eadem parte clausulæ addatur: vel quoties tibi videtur: quod non est referendum ad frequentiorem menstrua. Si enim impositio menstruæ non expedit saluti animæ, vt prædictum est, multo minus expediet frequentior. Referri ergo debet ad minus frequentem menstrua. Accedit, quod cum negari non possit propositam clausulam piam esse, fatendum sit pati posse hunc sensum, vt censeatur Confessarij instructio de confessionis frequentia iniungenda rationi congruenter: quod fieri quidem potest communiter, iniungendo menstruam: non tamen semper: cum alienum sit à ratione talem iniungere, quando non proficiet, sed officiet saluti eius cui iniungitur attenta ipsius fragilitate.

Tertium est: iniunctioni menstruæ confessionis satisfieri quocumq; die mensis fiat cõfessio: quia siue hoc siue alio die eiusdem mensis fiat, semper verum est dicere, quod in eo mense facta sit. Ea autem omissa toto mense, non est obligatio eam duplicandi sequenti mense, quia est onus illius temporis. Sique ex voto aut in pœnitentiam à confessario impositam, teneatur eo mense confiteri, non satisfaciet vtrique obligationi vna confessione: quia iniunctiones pœnitentiarum intelliguntur de operibus supererogationis, non autem præcepti.

Quartum est: modum taxandi opera à sacra pœnitentiaria iniuncta, aut mutandi menstruam confessionẽ non esse positam in libera voluntate Confessarij: sed ipsum regi debere secundum prudentiæ regulas, perpendendo tum causas iustas id faciendi, attentis potissimum tum spiritali salute pœnitentis, tum eiusdem tam corporis quam spiritalibus viribus ad ferendum onus imponendum.

Quintum est: pœnitentiæ opera, quæ iuxta propositam clausulam iniunguntur imponi, sunt *ex eodem auctore in nu.* 41. aliquo die quo carnibus vesci licet ab eis abstinere, autieiunare, aut gestare cilicium, aut verberibus carnẽ affligere. Opera vero pietatis quorum aliqua quotidie peragenda imponi debent sunt *ex fine eiusd. numero* 41. quæcumq; opera misericordiæ: vt recitare quotidie quinquies Pater & Aue pro defunctis, aut conuersione peccatorum: erogare quotidie pauperibus aliquam eleemosynam aut aliud ex quatuordecim operibus misericordiæ quotidie exercere. Et vt facilius, ac cum minori periculo versetur in adimplenda commutatione, illi dari poterit optio, ex talibus operibus eligendi quæ maluerit: atque permissio vt vna hebdomada vnum exerceat, & aliud alia: siquein vna opus iniunctum omittat, suppleat in alia.

218. SEXTA CLAVSVLA EST, de literis sacræ pœnitentiæ dilaniandis per Confessarium postquam dispensatione expedierit, sub pœna vt si pœnitenti reddantur illæ, ei nõ suffragentur, id est, vt Sanchez num. 42. interpretatur: etiamsi valeat dispensatio quoad forum internum, non tamẽ quoad externum. Pro qua interpretatione facit suffragandi verbum, quod proprie significat aliquid pertinens ad controuersiam, cuius diremptio est fori externi.

221 SEPTIMA CLAVSVLA EST, *de qua in sequenti nu.* 43. vt in solo conscientiæ foro valeat talis dispensatio. Cui quando dispensatur ad matrimonium ineundum præcedente occulta affinitate, aut incestu occulto, adiungitur clausula legitimationis prolis suscipiendæ, his verbis. Dispenses, prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando in foro cõscientiæ tantum. Quando autem dispensatio est, vt matrimonium quod ob impedimentum dirimens occultum, inualide contractum est, validetur denuo contrahendo: solet addi clausula legitimationis prolis tam susceptæ quam suscipiendæ his verbis. Dispensa vt matrimonium inter se secreto contrahere valeant: prolem susceptam si quæ sit, & suscipiendam exinde, legitimã denunciando in foro conscientiæ tantum. Circa quæ notandum est taliter dispensatorem filium in foro conscientiæ, non esse censendum irregularem, sed capacem esse sacrorum ordinum, & cuiuscumque beneficij Ecclesiallici tanquam legitimum.

219. OCTAVA CLAVSVLA *pertinẽs ad dispensationes siue ineundi matrimonium, siue instaurandi inualide initium*, exigit vt impedimentũ in quo dispensandũ est, sit occultum. Circa quã Sanchez n. 55. & quatuor sequentibus notat primo, impedimentum occultum hic dici, quod non est publicum seu quod nõ laborat publica infamia: quos cũ soleat scandalum generare, nõ sufficit illi remediũ occultum. Secundo quod de re publice constet, *vt de copula ex qua orta est affinitas*, non obstare quin impedimentum censeatur occultum, si non

sit

sit publicum quatenus impedimentum, id est, si non sciatur ex ea copula ortum esse impedimentum matrimonij. Ratio est, quod qualitas adiuncta alicui verbo (prout hic qualitas occulti adiungitur verbo impedimentum) intelligi debeat secundum eiusdem verbi qualitatem. Hinc enim delictum non dicitur vere publicum, quod etiamsi materialiter, seu quatenus actus, sit publicus: non est tamen formaliter, seu quatenus delictum. Tertio, si impedimentum occultum deductum sit ad forum externum, Confessarium non posse dispensare quamdiu ipsum in eodem foro pendet. Ratio est: quod sacra pœnitentiaria in suis literis declaret se nolle eas in foro externo suffragari. Quod si contingat easdem literas habentem absolui in foro externo, impedimentum ipsius redigetur in statum pristinum: in eoque vt occulto, Confessarius poterit dispensationem expedire.

220. NONA CLAVSVLA, *cuius verba Sanchez num. 4. refert*, continet seruanda cum dispensatur, vt matrimonium irritum iterum celebretur. Primum est, vt pro libidinis excessu imponatur grauis pœnitentia salutaris, & confessio menstrua. Intellige vtrique, si vterque deliquerit: alteri vero tantum deliquerit, ignorantia excusante alterum. Ratio est: quia id imponitur in pœnam peccati admissi prædicto excessu.

Secundum est, vt petens eiusmodi dispensationem experiantur vtrum possint absque scandalo separari aut simul viuere tanquam frater & soror absque incontinentiæ periculo. Quam experientiam in num. 60. docet tunc tantum præmittendam esse, cum attentis circunstantiis prudenter iudicatur spem esse quod illa futura sit alicuius vtilitatis, ac intentum consequendum sit: nempe vt absq; scandalo & periculo incontinentiæ illi possint vitam transigere, non instaurato priori matrimonio irrito: quia frustra expectatur euentus, cuius nullus est effectus, cap. Cum contingat, De offic. deleg. Neque existimanda est sacra pœnitentiaria iniungere experientiam frustaneam, præsertim habentem periculum incontinentiæ coniunctũ: in detrimentũ salutis animę.

Tertium est, vt coniux impedimenti ignarus certior fiat de prioris matrimonii inualiditate. Quod Sanchez *nu. 61. in fine* notat locum habere tantum, quando commode & absque periculo, potest eidem coniugi talis nullitas declarari. Nam si id semper necessarium esset ad valorem talis dispensationis, ea vt plurimum nullum haberet vsum: quia sæpe contingit vt talis detectio fieri nequeat absque periculo peccatum detegendi cum graui damno detegentis: præsertim si sit fœmina quæ inde apud virum inducta in suspicionem admissi criminis ab illo vrgebitur, aperire causam nullitatis: quod si recuset facere, crescet suscipio, oriunturque iurgia, exprobrationes, & inimicitiæ inter coniuges: quod est malum valde graue.

221. Denique in iisdem literis sacrę Pœnitentiarię à tergo poni solent hæc verba, *Gratis vbique*: quibus, *vt Sanchez. notat num. vltimo* indicatur gratis omnino expediri, nihilque pro eis exigi, ne quidem per viam compositionis, sicut fit cum dantur pro foro externo: maxime cum petuntur absque causa, ad cuius locum supplendum eleemosyna imponitur.

TRACTATVS IV.

De iis quæ annexa sunt matrimonio antecedenter.

IN STIVSMODI sunt primo promulgationes matrimonij. Secundo, sponsalia. Tertio, donatio inter coniuges, de qua difficultas est potissimum quando valeat, aut non valeat. Sed in ea nõ immorabimur, tum quia ratio id diiudicandi in communi, satis intelligi potest ex traditis in præcedenti tomo. lib. 25. cap. 51. & 52. Quæ vero peculiaria sunt agitari solet in foro externo, sicut cætera ad lucrum aut damnum pecuniarum spectantia: itaut de eis respondere proprium sit Aduocatorum, ad quos proinde recurrendum erit: aut certe si libuerit ad lectionem Thomæ Sanchez qui toto libro sexto, quadraginta disputationibus distincto, quæ ad plenam talium notitiam faciunt persequitur. Igitur breuitatem sectando, monebimus tantum donationem inter coniuges, vel sponsos quandam esse simplicem, quamdam vero ob causam. Illa est quæ ex mera donantis liberalitate proficiscitur: hæc vero, quæ non mere liberaliter, sed ob aliquam causam fit: & est triplex sponsalitia largitas, donatio propter nuptias vel ante nuptias, & arrha. Dicitur autem sponsalitia largitas, quæ fit inter sponsos de futuro, ob matrimonii ineundi spem, eiusdemque causam. Donatio vero propter nuptias, seu ante nuptias, generaliter dicitur, qua cõfertur aliquid pro oneribus matrimonij: itaut cõplectatur tã collationem dotis, quæ per vxorẽ fit viro: quam donationem, qua aliquid à viro vel ab alio ipsius loco, pro matrimonii oneribus ad similitudinem dotis confertur. Olim in vsu fuit, nunc autẽ abijt in desuetudinẽ. Arrha demum duobus modis dicitur: vno quidem, de donatione facta sponsæ per sponsum in remunerationẽ pudicitiæ, vel nobilitatis, vel etiã eius dotis, quæ successit in locũ donationis propter nuptias, quam diximus abiisse in desuetudinem: de qua proinde Sanchez initio primæ disp. citati libri sexti putat nihil dicendũ. Altero vero modo arrha dicitur de pignore quod inter sponsos traditur in signum complendi matrimonium: perinde ac in alijs contractibus dum inter partes de ipsis perficiendis conuenit, aliquid dari solet in pignus ac signum perficiendi contractũ De ea idem Sanchez lib. 1. disput. 35. & aliquot sequẽtibus consulendus est. Atque de duobus reliquis hoc est de promulgationibus matrimonij & sponsalibus dicemus quãtum sufficere poterit ad destructionem Parochi pro quotidiano vsu. Qui autem pleniorem tractationem optarit, poterit recurrere ad memoratum authorẽ, qui totum suũ primum librum ponit in iis quæ pertinẽt ad sponsalia & aliquã partem libri tertij, nempe à disput. ad 14. *excepta duodecima*, in iis quæ pertinent ad matrimonii promulgationes.

TITVLVS PRIOR.

De promulgationibus matrimonij.

DE promulgationibus tanquam proprioribus matrimonio, prius dicimus quam de sponsalibus. Eæ autem sunt denunciationes seu monitiones præmittendæ, vt si quis impedimentum cognoscat illud detegat, quas in Concil. Lateran. præceptas esse habetur ex cap. fin. De clandestina desponſ. Sed quia in multis diœcesibus abierant in desuetudinem, Concil. Triden. id decretum innouauit, sess. 24. cap. primo De reform. matrim. iussitque vt matrimonio denunciationes præmittantur ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice facienda. Quæ autem ad illas pertinent reuocabimus ad quinque capita, quorum primum erit de illarum necessitate, & pœnis omissionis earumdem. Secundum, de modo quo sunt faciendæ. Tertium, de modo quo debent fieri impedimentorum matrimonij accusationes, quarũ gratia promulgationes ipsæ sunt institutę. Quartum, de dispensatione illas omittendi. Quintum, de impedimẽtorum occultatione, promulgationum fini contraria.

CAPVT XXIX.

De necessitate promulgationum, & de pœnis quæ incurruntur illarum omissione.

SVMMARIVM.

222 *Per omissionem promulgationum matrimonij, hoc non redditur inualidum.*

223 *Non præmissis promulgationibus cõtrahentes peccant mortaliter itemque Parochus eis assistens.*

224 *Casus aliquot excepti.*

QVod matrimonij promulgationes sint ita necessariæ, vt ipsum illis omissis sit inualidũ, sententia est nonnullorũ quos cũ suis rationibus Sãchez refert *in memorata disp. 5.* 222.

num.

num. 2. Sed contraria multo plurium est quos in sequenti nu. 3. idem refert sequiturque, nec immerito: quia ante Concil. Trident. fuisse validum matrimonium omissis denunciationibus satis intelligitur ex iis quæ de tali matrimonio idem Concilium statuit initio ante citati capitis primi: ea nimirum, quæ vocat clandestina, esse vera, quantumcumque Ecclesia Dei iustis de causis illa semper sit detestata, atque prohibuerit.

Neque dici potest desiisse vera esse per decretum irritationis matrimonij clandestini factum in fine eiusdem capitis: quia quamuis prius egisset de denunciationibus matrimonio præmittendis, & de præsentia Parochi & testium eis adiungenda: faciens ipsum decretum irritationis, meminit solius præsentiæ Parochi & testium, nec circa denunciationes quidquam immutat: sed illud quod per Conc. Lateran. de illis statutum erat, *quia in desuetudinem passim abibat*, in pristinam obligationem & statum restituit: vt satis indicant illa eius verba *Sacri Concilij Lateranensis vestigiis inhærendo*, &c. Quæ autē in contrarium afferuntur: soluuntur dicendo præcipi vt denunciationes matrimonio præmittantur, quoad recte & rite, non autem quoad valide agendum, vt patet ex solutionibus quas Sanchez ibidem habet num. 4.

De eo quod talium denunciationum omissione, matrimonium censendum sit clandestinum sufficienter ad incurrendum iuris pœnas, in cap. fin. De clandest. despos. impositas contrahentibus clandestinum matrimonium: copiose docet ipse Sanchez lib. 3. disput. 1. Qua in re tanquam spectante maxime ad forum externum, non est necesse nos immorari atque apud eum videndum relinquere possumus. Interea monendo quod Sotus aduertit *in* 4. *distinct.* 28. *quæst.* 1. *art.* 2. *col.* 5. nec excommunicationem, nec aliam censuram esse iure communi impositam contrahentibus sine matrimonij promulgationibus.

223. Aduertendvm est autem mortaliter nihilominus peccare tam ipsos quam Parochum assistētem ipsorum matrimonio non præmissis denunciationibus. Quod idem Sanchez *in sequenti disp* 5. *nu.* 6. probat. Tum quia talis omissio est transgressio Ecclesiastici præcepti, quod in eod. cap. fin. & in Concil. Trident. sess. 24. cap. 1. De reformat. matrim. datur in materia grauissima, prout patet ex malis, quæ ex eadem omissione oriri possunt grauia, prout ibidem à Concil. Trident. notatur. Tum quia idem Concilium in sequenti cap. 5. negans spem dispensationis obtinendæ iis qui denunciationibus omissis contraxerunt ignoranter in gradibus prohibitis: causam negationis subiungit his verbis: Non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cuius salubria præcepta temere contempsit. Quæ verba indicant culpā plusquam venialem: cum temerarium contemptorem vocare, spemque dispensationis adeo rigide negare nō solam culpam venialem, alienum sit à more & benignitate Ecclesiæ. Eandem sententiam sequentes plurimos idem auctor ibidem refert.

224. Verumtamen sunt aliquot casus in quibus excusatio esse potest à peccato mortali. Primus est, quem ex D. Anton. & Palud. Syluester habet *in verbo Matrimonium sexto quæ. 7. dicto* 6. quando consuetudo est, vt tales denunciationes nō fiant, sed solum vt contrahantur sponsalia solemniter & publice, multo ante matrimonium, vt interim manifestari possit, an impedimentum subsit. Secundus est, cuius idem Syluester ex aliis meminit in præc. dicto 2. quando cōtrahentes sunt iuris ignari. Tertius est, quando impetrata est Episcopi dispensatio, de qua in sequentibus. Quartus est, quando vrget grauis causa, nec adiri potest Superior qui dispenset: qualem causam Syluester *in eodem dicto* 2. & Sotus *in* 4. *dist.* 28. *quæst.* 1. *art.* 2. *col.* 4. constituunt verecundiam: vt cum quis egregie nobilis ducit ignobilem & timentur parentes; aut cum ditissimus pauperem, vel senex iuuenculam, aut cum duo vixerunt diu tanquam maritus & vxor, erubescunt tunc adhibere talem solemnitatem. Addit adhuc Sotus, *& merito*, periculum quod timetur ne per denunciationes institutas ad matrimoniorum impedimenta cauenda, obstacula sint per aliquorum maleuolentiam, aut inuidiam, aliamve malitiam, ne ipsa matrimonia contrahantur. Quintus est, quem habet Syluester dicto 7. cum Principes contrahunt nec consuetum est eorum matrimoniis denunciationes præmittere: quia nimirum magna cum deliberatione, solent sua connubia tractare.

CAPVT XXX.

De modo quo faciendæ sunt matrimonij promulgationes.

SVMMARIVM.

225 *Modus faciendi promulgationes iure communi præscriptus, & de parochia in qua, & Parocho à quo sunt faciendæ.*
226 *De diebus quibus faciendæ sunt matrimonij promulgationes.*
228 *Non est contra præscriptum Ecclesiasticum promulgationes matrimonij in tempore & loco non sacro fieri: & casus in quo postponi possunt celebrationi matrimonij.*

IN cap. fin. De clandest. despons. statuitur vt promulgationes matrimonij fiant in Ecclesia per Presbyteros competenti termino præfixo. Concilium vero Triden. sess. 24. cap. primo De reform. matrim. præscribit, vt fiant ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia, intra Missarum solemnia. Cui præscripto congruenter Sanchez lib. 3. disput. 6. hæc documenta tradit. 225.

Primvm est *nu.* 4. Quando cōtrahentes sunt diuersarū Parochiarum, denunciationes faciendas esse in vtraque Parochia: hoc enim requiritur vt à proprio contrahentiū Parocho, factæ esse dicantur & vt obtineatur finis propter quē præscribuntur. Nam is est, vt facientes contrahentium impedimenta, illa detegant. Qui autem sunt in parochia mulieris, v. g. licet huius impedimenta cōmuniter scire possint, nō tamen impedimēta viri, cum sit alterius parochiæ in qua proinde faciendæ quoque sunt denunciationes ad illa detegenda. Vnde idem author sub finē præcedentis disputationis argumentū sumit ad astruendū quod Henriquez docet *libro* 11. *ca.* §. 1. *in margine lit.* D. peccatū esse mortale si denunciationes non fiant in vtriusque contrahentis parochia. Cęterum si vnus & idem diuersas habeat parochias, debent fieri denunciationes in ea, in qua verosimilius est sciri impedimenta; vt in ea, in qua fuit antiqua parentū habitatio. 228

Secvndvm documentvm *num.* 5. Tales denunciationes debere fieri à proprio contrahentium Parocho: ita enim Concil. Trident. iubet: quamquam possunt fieri ab eo, siue per se, siue per alium cui dederit licentiam faciendi: sicut concessione eiusdem Concilij in eodem cap. 1. potest matrimonio assistere, siue per se siue per alium Sacerdotem.

Tertivm documentvm *numero* 7. Quamuis in alia parochia quam in propria contrahentium plures inueniri possint qui matrimonij impedimenta detegant: in ipsa tamen propria, non autem in alia, faciendas esse denunciationes, neque requiri vt in vtraque fiant: quia id nullum ius præcipit.

Qvartvm documentvm *num.* 8. Quod Concilium Triden. decernit tribus continuis diebus festiuis denunciationes fieri debere, non esse ita accipiendum, quin aliquot dierum interuallum possit intercedere. Non enim excludere omnium dierum ferialium, sed tantum festorum mediationem, probatur ex fine talis decreti: qui est, vt detegantur matrimonij impedimenta. At si denunciationes deberent sibi esse ita immediatæ, vt excludatur omne dierum interuallum, non suppeteret tempus ad recogitanda, opponendaque impedimenta esse. 226. 229.

Si obiicias fieri posse, vt plures dies festiui se immediate sequantur: idem respondet consentaneum esse eidem fini; vt tunc, *sicut cum ex aliqua causa, vna tantummodo denunciatio facienda est pro tribus*, expectetur per aliquod temporis spatium, ne denunciationes nullius momenti efficiantur. Quantum autem esse debeat illud spatium, relinquitur prudentis arbitrio definiendum inspectis circumstantiis: cauendo non modo ne nimis breue sit, sed etiam ne nimis longum: itaut parochiani obliuisci possint vel desides reddi ad detegenda impedimenta. 227. 230.

Qvintvm documentvm *num.* 9. Cum decreti

Concilij

Concilij Triden. constituentis vt denunciationes fiant in Ecclesia diebus festiuis inter Missarum solemnia; finis sit vt ad multorum notitiam matrimonium perueniat, sicque vt impedimẽta facilius detegantur, *tunc enim solet magna hominum copia confluere*: ei autem fini satisfieri possit quando extra Ecclesiam loco conuenienti, aut diẽ non festiuo; aut extra Missarum solemnia conuenit magna populi copia ad aliquam deuotionem, vt ad audiendum verbũ Dei; si denunciationes tunc fiant, non censeri idipsum decretum violatũ. Neque obstabit, quod forte dies aut locus non sit sacer, quia si matrimonium ipsum extra tempus & locum sacrum potest celebrari, cur non poterunt illius denunciationes fieri?

Addit Concil. Trident. ad memoratum decretum: cum probabiliter suspicio fuerit, matrimonium posse malitiose impediri, si præcesserint tres denunciationes: tunc sufficere vel vt vna tantum fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus matrimonium celebretur: & deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, vt si aliqua impedimenta subsint, facilius detegantur.

CAPVT XXXI.

De accusationibus impedimentorum matrimonij, quarum intuitu promulgationes sunt institutæ.

SVMMARIVM.

228 *Obligatio reuelandi, quam promulgationes matrimonij inducunt, est sub mortali.*
229 *Duo casus excepti.*
230 *Aliquot casus in quibus repellitur quis ab accusatione matrimonij.*
231 *Accusationum propositarum specialia quædam, in quibus à cæteris accusationibus differunt.*

228. FACTA matrimonij promulgatione, is qui nouit esse impedimentum, debet illud significare. Primo quidem, si fuerit ex peccato occulto, ipsi contrahenti iuxta modum corripiendi proximum à Christo traditum Matth. 18. Deinde vero si id non sufficiat, significare illi cui matrimonium promulgauit: eum autem qui denunciare recusat mortaliter peccare, prout aliis citatis *Sanchez habet lib. 3. disput. 13. nu. 2.* Probatur: quia causa est cur contrahentes graue detrimentum incurrant nullitatis matrimonij: quam nulla temporis diuturnitas tollit, perseuerante semper impedimento: & per quam sunt in perpetuo concubinatu ac filios suscipiunt illegitimos. Et quamuis impedimentum esset ex minoribus, tamen grauissima sacramento matrimonij fieret in eo iniuria: vtpote quod iniretur contra Dei & Ecclesiæ statuta. Istudque procedit ex eodem authore & aliis quos citat quantumcumque impedimentum sit occultum nec probari possit.

229. Nihilominus duo sunt casus in quibus nemo ad talem accusationem tenetur. Prior est, quando cognoscens impedimentum, simul nouit contrahentes celebraturos matrimonium cum ignorantia probabili, & impedimentum sic occultum est vt probabile sit nunquam ipsum in aliorum notitiam venturũ nisi ipsemet significet: simulque probabile sit secuturum scandalum & magnam perturbationem si significet. Nam in tali casu neque Parochum neque Confessarium contrahentium debere illis tale impedimentum significare; sed potius illos in sua bona cõscientia relinquere, ex Nauar. *in Enchir. Cap. 22. num. 83.* & aliquot aliis notat Sanch. 2. *in eadem disput. 13. num. 4.* Addens id verum esse, quantumcumque denunciatio sub pœna excommunicationis præciperetur, & impedimẽtum probari posset. Posterior casus est, quando is qui impedimentum nouit existimat suam accusationem non profuturam: vt quia non crederetur ei, cum id non possit probare, prout habet Syluest. *in verbo Matrimonium sexto quæst. 9.* vel quia ipsius accusatio non admitteretur, vt fieri potest in sequent. casibus.

230. Primo si nolit iurare verum esse quod obiicit vel certa iurare se non ex odio, vel timore, sed sincere accusare ex cap. Not ficamus & ex cap. De parentela tam 1. quam 2 causa 35. quæst. 6. Deinde si extraneus sit, & præsentes sint consanguinei; qui testificari possint ex cap. 1. eiusdem quæstionis. Nihil obstat tamen, quin accusare possit per consanguineos, aut etiam per se illi desint, ipseque sit ex vicinis antiquioribus, & veracioribus, iuxta ea quæ in verbo Matrimonium 9 quæst. 1. Syluester habet. Tertio, si absens sit, tantumque accuset per literas ex cap. 2. Qui matrimonium accusare possint. Quarto, si accuset lucri gratia, & vt pecuniam extorqueat, ex cap. Significante eod. tit. Postremo, si post factam promulgationem, non accuset antequam matrimonium contrahatur: nisi probauerit se ante fuisse legitime impeditum: vel certe iurauerit se impedimentum illud intellexisse tantum post contractum matrimonium ex cap. finali eod. tit. Adde vel coactus sit moram trahere in correptione fraterna, quam denunciationi præmittendam esse diximus. Nam obligatio denunciandi non vrget, quandiu vacandum est eidẽ correptioni, seu donec iudicio viri prudentis ea nihil prodesse videatur, prout in ead. disp. 13. Sanchez *num. 3. sub. finem* tangit. Bene addens *in sequenti num. 8.* eum qui scit impedimentum occultum, & simul scit contrahentes dispensationem occulte impetrasse pro foro interno, non teneri denunciare: quia nullum est periculum peccati in contrahendo, impedimento illa ratione ablato.

RESTAT obseruandum quod ex D. Thoma habet Sotus *in 4. distinct. 41. quæst. vnica art. 5. sub finem*: Eam de qua hic loquimur non esse proprie matrimonij accusationem, sed potius denunciationem: ideoque multa concedi in ea, quæ non habent locum in vera accusatione: quorum Syluester quoque meminit *in verbo Matrimonium nono, quæst. 5.* Primũ est, vt idem possit accusator esse & testis. Secundum, vt non exigatur iuramentum calumniæ. Tertio, vt facta hac accusatione, contumax possit condemnari lite non contestata ob periculum in mora, ex cap. finali, Vt lite nõ contest. §. Porro. Quarto, vt consanguinei & parentes admittantur ad denunciationem impedimenti matrimonij, ex cap. Videtur Qui matrim. accusare possint. Quinto, vt in hac accusatione valeat testimonium ex solo auditu: soloque verbo sine scriptura, ipsum fieri possit. Nõnulla alia de iisdẽ accusationibus videri possunt apud eumdẽ Sylestrũ in eodẽ verbo. 231.

CAPVT XXXII.

De dispensatione omittendi promulgationes matrimonij.

SVMMARIVM.

232 *Potestas dandi talem dispensationem, Ordinarius habet: sique diuersum coniuges habeant, sufficit alterutrius dispensatio.*
233 *Generalis Vicarius Episcopi potest eamdem dispensationem dare, non item Parochus.*
234 *Quatenus possint Episcopus & Vicarius ipsius delegare suam in hac re potestatem.*
235 *Neuter potest, nisi iusta de causa dispensare: & duodecim tales causæ.*
236 *Quando Superior obligetur talem dispensationem dare: & quid liceat, cum ipse adiri non potest, aut iniuste eam negat.*
237 *Peccatum est mortale consummare matrimonium ante factas illius promulgationes.*
238 *Non vero ante Ecclesiæ benedictionem: & quod cõtrahentes si ab aliis non detegantur ipsorum impedimenta, ipsi sub mortali teneantur detegere scientes illa.*

DE dispensatione omittendi promulgationes Matrimonij, quæritur potissimum quis eam dare possit, & qua de causa possit dari. Cui quæstioni satisfaciemus aliquot propositionibus.

Prima est, Non modo Papam, sed etiam Episcopum dare posse talem dispensationem. Hæc patet ex Concil. Triden. sess. 24. De refor. matrim. cap. 1. illis verbis: Nisi Ordinarius expedire iudicauerit vt prædictæ renũciationes remittatur, 232.

quod

quod illius prudentiæ & iudicio facta Synodus relinquit. Ex quibus verbis tria infert Sanchez *lib.3.disput.7. num.* 4. 5. *&* 6. Primum est, idem quod Episcopum in hac re, posse Abbates iurisdictionem habentes quasi Episcopalem, nullique Episcopo subditos, quia & ipsi nomine ordinarij veniunt. Secundum & tertium est, eos qui in denunciationibus dispensare possunt, posse quoque breuiare vel prolongare illarum tempus: posse item ex iusta causa dispensare, vt denunciationes ipsæ fiant diebus ferialibus : quia hoc vtrumque minus est quam denunciationes ipsas omnino remittere: nec rationi consentaneum est existimare id quod minus est negari, cum maius conceditur.

Secunda propositio est, Quando contrahentes subsunt diuersis Episcopis dispensationem vnius eorum posse sufficere. Hanc Sanchez *in citata disput.7 num* 7. probat: quoniam eadem ratione qua potest matrimonio tales copulare, potest etiam in denunciationibus dispensare. Nam ex eo quod matrimonium sit indiuiduum inter duas personas sicut sequitur, quod qui potest vnã ex talibus personis matrimonio copulare, possit etiam alteram: sic etiã sequitur, vt qui potest vnã sine denunciatiõibus copulare, possit & alteram.

233. Tertia propositio, Vicarium Episcopi posse absque speciali delegatione, dispensare in denunciationibus matrimonij. Hanc Sanchez tractat *in eadem disp.7.quæst.* 7. Ratio autem præcipua qua confirmatur, est: quod Concil. Triden. *vt patet ex verbis ante citatis* hanc dispensandi potestatem concedat Ordinario: quo nomine comprehenditur Generalis Vicarius Episcopi. Ordinarius enim is dicitur, cui iurisdictio concessa est à Concilio, vel lege iuxta illud, in cap. Iudicibus 2. quæst. 6. Ordinarij sunt, qui ab Apostolico vt Ecclesiastici: vel Imperatore, vt Seculares legitimam potestatem accipiunt. Quamuis autem Episcopus constituat suum Generalem Vicarium ei tamen non confert iurisdictionem quam habet; sed à canone eadem tribuitur. Nam si illam conferret, posset ab ipso Vicario Generali appellari ad Episcopum tanquam à delegato ad delegantem iuxta cap. Super quæstionum De officio deleg. At non potest, ex cap. 2. De consuetud. in 6. & ex cap. Romana. De appellationibus eodem libro vbi ratio redditur, quod idẽ tribunal sit Episcopi & Generalis Vicarij ipsius: itaut ab hoc ad illũ appellare, sit ab eodẽ tribunali ad idẽ, atque adeo ad seipsũ appellare.

Quarta propositio est, Parochum non posse dispensare in denunciationibus matrimonij. Hæc ex eo probatur, quod Concilium Trident, talem dispensationem committat tantum ordinario: quo nomine Parochum non comprehendi constat: quia in memorato cap. 1. *in quo de hac dispensatione agitur*, idem Concilium vt distinctos ponit Parochum & Ordinarium, cum ait. Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de licentia Parochi aut Ordinarij, &c. Videri potest Sãchez *in prius memorata disp.7.quæst.2.*

234. Quinta propositio, *quam idem in sequenti quæst. tractat* est, Episcopum posse generaliter delegare alicui in sua diœcesi facultatem quam habet remittendi eas, de quibus agimus denunciationes. Ratio est, quia talis facultas ei competit iure ordinario: cum à Concili. Trident. cõcedatur indistincte omnibus Ordinariis in perpetuum tam præsentibus quam futuris. Vnde intelligitur non esse concessam specialiter eligendo industriam ipsius, *vt negandum sit posse per alium eam exercere*: siquidem nõ eligitur industria personæ incognitæ, & indeterminatæ, qualis est prælati nondum existentis, ac tantum futuri. Quæ ratio ostendit generalem quoq; Vicarium Episcopi posse hanc dispensandi facultatem delegare: non tamen generaliter, quia non potest constituere sibi alium Vicarium; ex cap. Clericos, De offic. Vicarij: sed ad aliquos occurrentes particulares casus: pro quo in fine eiusdem quæst. Sanchez aliquot authores citat.

Sexta propositio est, Iustã causam requiri, vt Ordinarius istiusmodi dispensationem dare possit. Ratio est: quia Concil. Trident. in citato cap. 1. non relinquit id ipsius liberæ voluntati; sed ipsius prudentiæ & iudicio: quod iudicium cum prudentia coniunctum, requirit rationem seu causam iustam, in qua ipsum fundetur. Pro quo aliquot authores Sanchez adfert *lib 3 disput.8. in principio*. Consequenter pluribus docens non requiri cognitionem causæ iudicialem, sed satis esse, si Ordinarius extraiudicialiter informetur, certiorq; fiat de causa ob quam possit licite dispensare. Et in sequenti disput. nona, persequitur quæ in particulari faciunt ad notitiam talium causarum, quas numerat ad duodecim.

Prima est, quando contrahentes nimio pudore suffunderentur denunciationibus factis: vt si vterque esset valde senex, aut senex cum iuuencula, aut nobilis cum ignobili, diues cum paupere contraheret, timens irrisiones ob disparitatem conditionis. Secunda est, cum aliqui cõcubinarij diu existimati sunt coniugati. Tertia, quando magnates volunt contrahere matrimonium, quia matrimonia ipsorum sunt valde publica: vnde si inter eos esset aliquod impedimentum, statim sciretur. Quod idẽ iudicandum est de aliis, quãdo nullus impedimenti timor subest. Quarta, quando denunciationibus præmissis nuptiæ benedici non possent ob vicinitatem temporis, in quo eas benedici prohibitum est: nempe Aduentus & Quadragesimæ. Quinta, quando prius contractum est matrimonium publice, & ipsum reperitur nullum, ob impedimentum occultum. Sexta, quando timetur quod consanguinei matrimonium impedient iniuste. Septima, quando parentes vel tutor volunt vt virgo nubat indigno. Octaua, quando coniugium illud valde aliquibus expediret, illique timerent impediendum. Nona, quando repentinus casus offerret rationem contrahendi matrimonium, vt si cui moriendum alioqui esset, nisi statim contraheret. Decima, periculum animæ: vt si duo cõcubinarij velint matrimonium inire, vt in bono statu constituantur: periculumque sit fore vt commisceantur dum denunciationes præmittuntur. Vndecima, vitatio scãdali, quod tolletur, si matrimonium statim ineatur. Duodecima, quando in mortis articulo constitutus, vult concubinam ducere vt prolem susceptam legitimet. 235.

Qvibvs causis occurrentibus, an Episcopus teneatur dispensare idem Sanchez *disput.10. sequenti* tractat. Sed cõtenti erimus pro quotidiana praxi id notare quod ille resoluit quæst. 1. num. 6. Prælatum sub peccato teneri dispensare in casibus in quibus scandalum sequeretur, aut suspicio esset malitiosi impedimenti. Item quando subditis id valde expedit ad bonum animæ vel corporis; vt cum vir defloravit fœminam, & periculum est ne ille voluntatem mutet: vel contrahentes sunt in peccato concubinatus, statimque cõtrahendo consulent saluti animæ suæ, vel vir morti vicinus vult concubinam ducere ad legitimandam prolem ex ea susceptam vel ad decedendum in bono statu. Talibus ergo casibus occurrentibus peccabit Superior, si dispensationem neget sine occurrente maioris boni causa iusta. Non vero quando ex negatione nullum publicũ aut priuatum sequeretur notabile damnum; vt quando senex cum iuuencula, aut quando duo senes contrahere volunt erubescentes, nec est vllus timor impedimenti illis faciẽdi: & sic de similibus, in quibus non apparet vrgens ratio, quæ dispensare cogat: præsertim cum erubescendi causa ex matrimonio cõtracto, perseueret non minus omissis quam factis promulgationibus: Quocirca Concilium Trident. in eodem cap. 1. non præcipit Ordinario talem dispensationem, sed prudentiæ *&* iudicio ipsius committit. 236.

Cum qua distinctione idem *in sequenti quæst.* 4. resoluit difficultatem, An quando non est copia Ordinarij vel si iniuste recusat dispensare in denunciationibus, licitum sit, *occurrente causa ob quam possis dispensari*, omissis denunciationibus ipsis, matrimonium contrahere. Docet enim in illius casibus in quibus tenetur Episcopus dispensare, nec illius copia potest haberi; aut absque legitima causa ille dispensationem denegat: posse sine denunciationibus matrimonium contrahi, si graue periculum sit in mora illam expectandi: minime autem, in aliis casibus in quibus dispensare Episcopus non tenetur: quia tunc recusando, nullam eis iniuriam irrogat: quandoquidem dispensatio in talibus casibus gratuita est, non autem debita ex obligatione: neque causa quælibet sufficiens ad dispensandum in præcepto cum aliquo, ab eiusdẽ præcepti transgressione excusat sine dispensatione. Nam esset alioqui impertinens eam exigere si sola causa esset sufficiens. At cõmunis consensus est cũ causa requiri Superioris autoritatem: quam is per dispensationẽ supleat illud quod potest causę deesse ad sufficienter excusandũ à peccato transgressionẽ præcepti. Vide præcedẽtem n. 224. 237. 238. 239.

237. His addenda sunt nonnulla pro praxi. Primum est, de modo quo mortaliter peccat qui matrimoniũ consummat denuntiationibus non præmissis. De quo Sanchez disput. 11. duas conclusiones statuit sequendas. Prior est talem peccare mortaliter etiamsi cum iusta Ordinarij dispensatione matrimonium sit absq; denuntiationibus contractum. Ratio est quia ex præcepto Concilij Triden. in sæpe citato cap. 1. qui contrahunt matrimonium non solum tenentur ei contractui denuntiationes præmittere, sed etiam illius cõsummationi si tunc omissæ fuerint: quia nimirũ denuntiationes institutæ sunt ne admittatur fornicatio, si forte impedimentum subsit matrimonio, quod ad carnalem copulam de se ordinatur. Vnde sicut peccatum est mortale non præmittere denuntiationes ipsi matrimonio, prout ostensum est in præcedenti num. 223. erit & consummare matrimonium iisdem non præmissis. Posterior conclusio est, non solum prima vice, sed etiam toties quoties habetur copula antequam denuntiationes præmittantur, peccatũ mortale committi. Ratio est: quia secunda vice & sequentibus, perinde ac prima, eadem præcepti ratio militat: siquidem fornicationis periculum perinde imminet: diligentia, præscripta ab Ecclesia, nondum adhibita ad detegendum cum facilitate impedimenta.

238. Secundum est, *de quo idem Sanchez disput.* 12. nõ esse peccatum mortale consummare matrimonium ante Ecclesiæ benedictionem, *sicut ante denuntiationes*, si absit contemptus & scandalum. Istud satis Concilium Trident. significare videtur, cum in citato cap. 1. hortatur coniuges ne in eadem domo habitent ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam. Præcepisset enim, nec tantum hortaretur, si peccatum mortale esse iudicasset, sicut præcepit denuntiationes. Nam & id ad matrimonij reformationem pari ratione pertinuisset.

Tertium est, *de quo idem disput.* 14. habentem impedimentum occultum etiam infamatorium, teneri illud reuelare Superiori interroganti, an aliquod habeat; aut desistere à matrimonio, donec obtineat dispensationẽ. Quod adeo verum est, vt is non sit censendus in conscientia tutus, cuius impedimentum præmissis denuntiationibus à nullo detectum est: sed illud sciens reuelare tenetur, vel à matrimonio desistere, vel dispensationem prius obtinere, non obstante quod impedimentum sit omnino occultum nec infamatorium. Ratio est: quia sine legitima dispensatione matrimoniũ cum impedimento scienter contrahere, peccatum est grauissimum ob iniuriam quæ fit sacramento.

CAPVT XXXIII.

De impedimentorum occultatione, promulgationum fini contraria.

SVMMARIVM.

239 *Ad quid teneatur Parochus vagos coniuncturus matrimonio.*

240 *Suos Parochianos potest Parochus propria authoritate coniungere: si præmissis denuntiationibus, nullum obiiciatur impedimentum: sin obiiciatur, aut ipse sciat aliquod, potest matrimonium interdicere.*

241 *Qualiter se debeat gerere Parochus, quando cum habente impedimentum dispensatum est tantum in foro exteriori.*

242 *Quid sit matrimonium contrahi in facie Ecclesiæ: & quid agere debeat Parochus, quando impedimentum nouit tantum ex sacramentali confessione.*

239. Cvm promulgationes matrimonij eo spectent, vt illius impedimenta si quæ sint, detegantur, nec occultentur: antequam finem faciamus, pro quotidiana praxi notanda sunt aliquot documenta, quæ Sanchez persequitur libro tertio disput. 15.

Primvm est, Si vnus aut vterque contrahentium sit vagus, Parochum, vt matrimonio interesse possit, non modo diligentem disquisitionem impedimentorum debere præmittere (& potissimum ne contingat illum coniungi qui iam alibi vxorem habet) sed etiam re ad Ordinarium delata, debere ab eo licentiam coniungendi obtinere. Hoc habetur præscriptum in Concilio Triden. sess. 24. De reform. matrim. cap. 7. Circa quod Sanchez *disput.* 25. *sequenti*; notat primo, perinde esse in hac re siue aliter tantum, siue vterque coniux sit vagus: quia perinde imminet periculum, cui Concilium Trident. vult occurrere. Secundo, quemcumque parochum in sua Parochia posse matrimonio vagorum assistere, sicut potest eorum confessiones excipere. Illi enim cum de iure nulli subdantur, liberum est ipsis quem velint eligere, nisi alicubi deputatus illis esset aliquis peculiaris Confessarius: quia illius esset, vt ipsorum confessiones excipere, ita & matrimonio interesse. Tertio, Parochum transgressione propositi præscripti peccare mortaliter: quia est præceptum datum de re graui & necessaria ad animarum bonum. Quarto, valere nihilominus vagorum matrimonium contractum coram Parocho, non præmissa disquisitione diligenti impedimentorum, neque petita Ordinarij licentia: quoniam ad matrimonij validitatem ex parte Parochi, requiritur tantum eius & testium assistentia.

Secvndvm est, Cum neuter coniux fuerit alienigena, Parochum præmissis denuntiationibus nulloq; impedimento opposito, posse nulla Ordinarij licentia requisita matrimonio assistere. Probatur: quia si in hoc quoque casu requireretur licentia Ordinarij, Concilium non expressisset id specialiter de casu præced. documenti: neque subindicasset contrarium in eadem sess. cap. 1. cum instruens Parochum de suo in hac re officio inter cætera sic ait, Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur. 240.

Tertivm est, Si impedimentum opponatur, Parochum posse interdicere matrimonium, nõ autem de impedimento cognoscere; quod ad Ordinarium, vt de illo cognoscat, deferendum est. Prior pars indicatur in cap. fin. De clandest. desponsat. sub finem cum dicitur: Sane si parochialis Sacerdos tales coniunctiones prohibere cõtempserit, &c. Posterior vero in cap. 1. De consang. & affinit. cum in fine dicitur Tuam prudentiam volumus non latere, quod non sunt causæ matrimonij tractandæ per quoslibet sed per Iudices qui potestatem habeant iudicandi, & statuta canonum non ignorent. De qua re Sanchez *in citata disput.* 15. *num.* 3. Ex cuius doctrina habetur idipsum procedere, etiamsi impedimentum negetur à contrahente: quia licet Parochus in foro conscientiæ fidem habere debeat dicenti: non tamen in foro externo, in quo cum impedimentum opponitur, non est ipsius discutere veritatem, sed tenetur rem deferre ad Ordinarium.

Procedere item, quantumcunque nullus impedimentum opponat, si ipsi Parocho constet de eo, etiam occulto: quia si alij tenentur tale detegere, multo magis tenetur ipse cui ex officio incumbit matrimonij impedimẽta manifestare & saluti spiritali ouium suarum consulere: præsertim cum per testimonium ipsius, matrimonij impedimentum sufficienter probetur. Nam cum non agatur tunc de puniendo peccato præterito, sed de vitando futuro, hoc est, ne impediti peccent contra Ecclesiæ prohibitionem, vnus testis sufficere potest: argumento cap. Super eo 2. De testibus & attest. & cap. Præterea 2. De sponsal.

Qvartvm est, Parochum quando ei constat de dispensatione obtenta pro foro conscientiæ, posse impedimentum quod nouit dissimulare, atque impeditos coniungere, si nullus sit qui coram eo idipsum impedimentum denuntiet. Quod si aliquis sit qui illud denuntiet, ipsum teneri illos non ante coniungere quam dispensationem adferant pro foro externo. Ratio prioris partis est: quod Parochus teneatur ex officio inuestigare impedimenta ne contrahentes delinquant impediti. Cum autem obtenta est dispensario pro foro conscientiæ, sublata est occasio delinquendi. Ratio vero posterioris partis est: quia ex quo impedimentum denuntiatum est Parocho, tenetur rem deferre ad Ordinarium, cum, tanquam minister ipsius in foro externo, matrimonij impedimenta inuestiget; de quibus iudicandi, vt dictum est, non habet in eo foro potestatem. 241.

QVINTVM, Parochum vbi nullum impedimentum reperitur, debere volentes contrahere, matrimonio coniungere in facie Ecclesiæ. Istud habetur ex Concil. Trident. in sæpe citato cap. 1. illis verbis: Si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesiæ procedatur.

242. Aduerte autem quod aliis citatis *lib. 3. disput. 15. num. 20.* monet Sanchez, vt matrimonium dicatur celebrari in facie Ecclesiæ, non esse opus vt in ipsa materiali Ecclesia, vel in eiusdem limine celebretur: sed sufficere vt coram aliqua fidelium multitudine, quæ tanquã quædam Catholicorum congregatio, censeri potest Ecclesia, iuxta cap. Ecclesia, De consecrat. distinct. 1. & cap. Relatum 2. De testam. §. 2. Imo vero ex Concil. Trident. in eodem cap. 1. matrimonium satis dicitur contractum in facie Ecclesiæ, si coram Parocho & duobus saltem testibus, ac præmissis denuntiationibus ineatur. Meminisse vero debet Parochus ibidem præcipi, vt ipse librum habeat, & in eo scribat coniugum & testium nomina, atque tempus contracti matrimonij. Quodquidem præceptum, *vt Sanchez habet in seq. num. 22.* quia tendit ad finem vitandæ litis, & vt Ecclesiæ cõstet de matrimonio, obligat sub peccato mortali, tanquam datum de re notabilis momenti. Addit ad idem pariter teneri eum, qui ex priuilegio aut licentia seu commissione, fungitur Parochi munere.

VLTIMVM EST, *quod Sanchez tractat in sequenti disput. 16.* Parochum cognoscentem impedimentum ex sacramentali tantum confessione, teneri quidem in confessione monere de futuro peccato, volentem cum eo contrahere, non tamen petenti vt in facie Ecclesiæ coniungatur, suam operam negare. Quod confirmatur ex doctrina de sacramentali secreto inuiolabiliter seruando: quam persecuti sumus ex instituto in toto præced. lib. 3.

TITVLVS POSTERIOR.

De sponsalibus.

DE sponsalibus agitur in iure canonico 27. quæst. 7. & in Decretalibus titulo De sponsalibus & titulo De desponsatione impuberum. Dicta sunt autem sponsalia à spondendo, quia *vt Couarr. initio Epitomes quarti Decretal. & Sanchez lib. 1. De matrimonio disput. 1. initio*, referunt ab Alciato notatum: mos erat antiquis, vt puella nuptura, viro sponderetur seu promitteretur à patre, vel tutore, vel amicis. Sumuntur vero tripliciter sponsalia vt iidem authores consequenter notant: primo pro muneribus quæ à sponso dabantur sponsæ. Sic libro 1. Regum cap. 18. dicitur: Non habet rex sponsalia nec esse, id est, non eget muneribus quæ filiæ à genero suo dentur. Secundo, pro matrimonio rato non consummato: & dicuntur sponsalia de præsenti. Sic vt iidem notant, 27. quæst. 2. cap. Coniuges, & cap. Qui desponsatam, & cap. Tertio loco, De præsumpt. & cap. 2. & vltimo De sponsa duorum; sponsa appellatur, quæ nupta alteri per verba de præsenti non est ab eo carnaliter cognita. Sic etiam Matth. 1. dicitur B. Maria mater IESV desponsata Ioseph. Tertio, sumuntur sponsalia pro promissione matrimonij futuri: in qua acceptione, quæ communior est, hic agimus de sponsalibus: quorum considerabimus 1. validitatem, 2. obligationem, 3. dissolutionem.

CAPVT XXXIV.

De validitate sponsalium.

SVMMARIVM.

243 *Quid sint sponsalia, & quot modis contrahi possint.*
244 *Ad sponsaliorum validitatem requiritur tam repromissio, quam promissio externo signo declarata.*
245 *Solutio obiectionis in contrarium.*
246 *Sponsalia ad validitatem, requirunt acceptationem promissionis, & talem deliberationem qualis requiritur ad peccatum mortale.*
247 *Ad eamdem validitatem requiritur vt qui sponsalia contrahunt sint habiles ad matrimonium ineundum.*
248 *Exceptio de inhabilitate ob impedimentum ætatis.*
249 *Alia exceptio de inhabilitate ob impedimentum absentiæ Parochi aut testium: & quod matrimonium, quod iuxta decretum Concilii Triden. inualidum est, ne quidem tanquam sponsalia valeat.*

SPonsalia ex cap. Nostrates, 30. quæst. 5. & ex lege 1. ff. De sponsalibus, sunt promissio futuri matrimonij: cõtrahique possunt quatuor modis. Primo, per promissionem, tum nudam seu nõ habentem adiunctum aliud vinculum, *quale est iuramenti*: tum absolutam seu factam sine vlla conditione. Secundo, per promissionem nudam quidem sed conditionalem, vt accipiam te si pater meus voluerit. Tertio, per promissionem absolutam quidem sed vestitam, id est, habentem adiunctum iuramentum, vel fideiussionem, vel traditionem annuli, vel traditionem quorumdam munusculorum quæ vocantur arrhæ sponsalitiæ & amittuntur ab eo qui sine causa recedit à matrimonio. De quibus latissime Sanchez *lib. 1. disp. 35. & tribus sequentibus, itemque lib. 6. disput. 18. & pluribus sequentibus.* Postremo fiunt sponsalia quando cõtrahitur matrimonium per verba de præsenti inter impuberes, vel inter vnum puberem & alterũ impuberem: nam tale matrimonium quamuis non sit verum ob ætatis defectum: efficit tamen sponsalia valida ex cap. fin. De desponsi. impub. tam Extra, quam in 6. 243. 246

PORRO obligent validaque sint, & firma sponsalia: atque adeo sufficiant ad constituendum impedimentum publicæ honestatis, de quo egimus in præcedenti cap. 18. requirunt primo, præter internam promissionem, volunt aliud signum eiusdem externum: siue illud sit verbum, siue aliud æquiualens: in quo differunt à voto, cui cum illis commune est promissionem esse. Et ratio differentiæ est, quod votum fiat Deo qui intuetur cor. 1. Regum 16. sponsalia autem contrahuntur inter homines, qui vident ea quæ patent, vt ibidem dicitur. Vnde fit vt requirant verba aut alia signa externa, quibus vnus alteri, per modum connaturalem se obliget. Pro cuius rei pleniore intelligentia videri possunt quæ docet Sanchez *in citato lib. 1. disp. 3.* vt & in sequenti 4. pro intelligentia obligationis voti, quo quis Deo promittit se certam aliquã fœminam ducturum in vxorem. Quæ vero de prædictis verbis hic dicenda viderentur, iam tradita sunt in præcedenti cap. 6. 244

Secundo, sponsalia requirunt vt prædicta promissio sit mutua: quia cum sponsalia sint præuia matrimonio, quod vtriusque contrahentis vinculum desiderat: ea quoque necessario requirunt promissionem mutuam, quæ sit vtriusque vinculum. Vnde cum promissioni vnius de contrahendo matrimonio non adiungitur repromissio alterius, quam saltem tacita signa aliqua exterius indicent, *qualia sunt ea quæ in præcedenti num. 17. attigimus*, sed tantum acceptatur promissio, dicendo v.g. Placet, vel accepto, vel gratias ago de tanto beneficio, non contrahuntur sponsalia. Quod Sanchez in sequenti disp. 5. ex eo confirmat: quod cum acceptans promissionem, possit illam acceptare ea tantũ ratione, qua est in sui fauorem: nimirum prout promittens se illi per eam obligat: neque libertatem adimit non repromittendi: dicendum non est, si aliud mutuæ obligationis signum non interueniat, talem acceptationem esse repromissionem & obligare: imo potius acceptantem manere in libertatis suæ possessione. 247

Si obiicias sicut matrimonium claudicare nequit, sed vel ex vtraque, vel ex neutra parte esse validum: ita & sponsalia. Respondet Sanchez *in eadem disput. num. 6.* sponsalia vt sponsalia non posse claudicare, sicut nec matrimonium: posse autem quatenus sunt promissio quæ potest esse sine repromissione, ac tantum acceptari inquantum obligat solum promittentem. Quod potest tũc solum contingere cum promissio gratis fit & liberaliter. Nam si non fiat gratis, sed respectiue solummodo, & per modum contractus, necessaria est alterius repromissio: dumq; ea non 245. 247

acces-

acceſſerit, prior promiſſio non eſt efficax ad obligandum promittentem: ſed is libere tutaque conſcientia poteſt à fide præſtita recedere. Ratio eſt: quia dum contractus nõdum eſt perfectus, liberum eſt ab eo recedere, tanquam nondum obligatorio. At non eſt perfectus ante mutuum contrahentium conſenſum ſe obligandi: ſine quo non eſt vltro citroque obligatorius, prout ſpectat ad illius naturam. De qua re Sanchez *in eadem diſput. nu.* 14. Conſequenter *in num.* 16. annotans, quando quis cenſeatur gratis, & quando per modum contractus promittere, pendere ex illius intentione: de qua ſi alias non conſtet, eam eſſe deprehendendam ex coniecturis: vt ſi de matrimonio inter ipſos cõtrahendo antea tractabatur, ſatis appareat promiſſionem non eſſe gratuitam: ſin autẽ de contrahendo ſermo nullatenus fuerit, ſed promiſſio appareat facta ob aliquod beneficium acceptum, apparebit cõſequenter promiſſionẽ eſſe gratis factam, non autem per modum cõtractus. In dubio vero iuxta ſponſaliorum naturam, *quæ eſt vt ſint contractus* mutuus, prædictus cenſebitur reſpectiue ꝓmittere: & ideo reſilire poſſe, altero non repromittente.

246. Tertio, ſponſalia, vt firma ſint ac valida, requirunt vt promiſſio acceptata ſit ab eo cui fit. Cum enim, *vt ante dictum eſt*, requirant repromiſſionem, multo magis requirent acceptationem, nec ſufficiet eſſe promiſſionem ſimplicem. Difficultas eſt autem an cum promiſſio futuri matrimonij fuerit tantum ſimplex, reuocari poſſit quamdiu ab eo cui facta fuit acceptata non eſt ſiue per ſe, ſiue per alium. Eam latiſſime Sanchez tractat *in eodem lib.* 1. *diſput.* 6. & 7. Quem videre poterit qui volet: nobis enim ſufficere poſſe videtur generalis doctrina de promiſſione, quã tradidimus in præcedenti lib. 25. cap. 6. cuius applicationem ad illam ipſam difficultatem facere, eſt facile.

Quarto, ſponſalia requirũt deliberationem, quali exigitur & ſufficit in materia culpæ lethalis: vt conſenſus in eam ſit peccatum mortale, nam ſponſalia ſuapte natura obligant ſub peccato mortali, *vt docebitur in ſequenti cap.* 35. ideoque ex natura ſua requirunt deliberationem ad peccatum mortale requiſitam. Id quod Sanchez late tractat *in ſequen. diſput.* 8.

247. Quinto, ſponſalia requirunt, vt perſonæ inter quas cõtrahuntur ſint habiles ad matrimonium. Namque ſponſalia ſunt promiſſio futuri matrimonij: & ideo ad matrimonium inhabiles, ſunt & ad ſponſalia. Pro quo facit regula 39. iuris in 6. Cum quid prohibetur, ꝓhibentur omnia quæ ſequuntur ex illo. Facit item lex Oratio ff. De ſpõſalibus. Obſeruandum eſt autem primo, quod ex Soto & Nauar. Sanchez habet *in eodem lib.* 1. *diſput.* 15. *num.* 2. impedimentum matrimonij quamuis non dirimat ipſum, ſed ſolum impediat licite contrahi, ſi ſponſalia præcedat, reddere ea inualida: quia promiſſio rei illicitæ nequit obligare: neque in malis promiſſis expedit fidem ſeruare, vt habet 69. regula iuris in 6. Poteſt tamen fieri promiſſio futuri matrimonij ſub conditione ſi impedimentum auferatur, aut fieri pro eo tempore quo ſublatum fuerit impedimentum exiſtens temporaneum. Prioris horum exemplum eſt, cum quis hæreticæ promittit nuptias ſi ad fidem Catholicam reuertatur. Poſterioris vero, cum quis caſtitatem ad tempus vouit, & promittit matrimonium poſt illud tempus inire. Non eſſent eiuſdem ſponſalia valida, ſi promitteret matrimonium inire, animo illud conſummandi eo ipſo tempore quo ad caſtitatem tenetur: quia promiſſio eſſet rei illicitæ. Sanchez ibidem pro hac doctrina aliquot authores citat.

De ſponſalibus impuberum obſeruanda.

247. OBſeruandum eſt ſecundo, duo eſſe impedimenta, quæ quamuis dirimant matrimonium, non efficiant tamen ſponſalia inualida. Prius eſt impedimentũ ætatis: licet enim matrimonium nequeat valide cõtrahi ante annos pubertatis, vt habitum eſt in præced. cap. 22. poſſunt tamen eſſe ſponſalia poſt ſeptennium, ex cap. Literas, & cap. Acceſſit, & cap. Ad diſſoluendum De deſponſ. impub. & cap. vnico, eod. tit. in 6. De qua re Sanchez agens *in eod. lib.* 1. *diſp.* 16. ſequentia notat aliis authoribus citatis.

Primum eſt: illius differentiæ inter matrimonium & ſponſalia hanc eſſe rationem, quod ad ſponſalia ſufficiat vſus rationis, & ad matrimonium, requiratur præterea poteſtas generandi quæ longe tardius aduenit.

Secundum eſt: ſi vterque aut alter ſeptemnis, nondum adeptus ſit vſum rationis, ſponſalia eſſe nulla: quia debent eſſe libera: & libertas requirit vſum rationis.

Tertium eſt: ſi vel vnus dies ad ſeptennium deficiat in contrahente ſponſalia, ea eſſe nulla: quia ſeptennium non diceretur (ſicut pari ratione profeſſio cenſeretur nulla, ſi vel vnus dies deficiat ex 16. annis ad eam requiſitis) ideoque ea expreſſe vel ſaltem tacite debent ratificari vt valida ſint. Quæ tacita ratificatio præſumitur ex cohabitatione in eadem domo, aut ex verbis vel factis v. g. oſculis, quibus poſt ſeptennium oſtendunt voluntatem ſeu conſenſum in futurum matrimonium in ipſis eſſe. Quo conſenſu deficiente, quantumcumque ex talibus ſignis ſponſalia in foro externo præſumantur: in foro tamen conſcientiæ, nulla eſſe iudicari debent: vt cum exhibente, talia ſigna nullam habent notitiam ſponſaliorum quæ ante ſeptennium contraxerunt: ſic enim in illa conſentire nequeunt, quandoquidem nihil poſſumus velle niſi cognitum. Item cum neſciunt celebrata tunc temporis ſpõſalia, fuiſſe nulla. Nam licet per errorem putent eſſe valida, ideoque in illa conſentiant, nihil agent: quia error tollit conſenſum ex lege. Si per errorem ff. de iuriſdict. omnium Iudicum. Qua de re plenius Sanchez num. 7.

Quartum eſt: ex probabiliori ſententia valere nihilominus ſponſalia ante ſeptennium ſi malitia ſuppleat ætatem, id eſt, ſi ante ſeptennium rationis vſus contrahentibus adſit, vt ſolet nonnullis præcocis ingenij pueris. Probatur: quia cum ſponſalia ſint via & diſpoſitio ad matrimonium: eo ipſe quod ius diſponit in matrimonio malitiam ſupplere ætatem, cenſetur idem in ſponſalibus diſpoſuiſſe iuxta legem Oratio ff. de ſponſal. Pro quo magnam authorum multitudinem citat Sanchez num. 9. Addens in 10. & 11. ante ſeptennium in puero non præſumi rationis vſum, nec ſponſaliorum validitatem: poſt illud vero, vtrumque præſumi, niſi contrarium probetur. Ratio eſt: quia in dubio, ac vbi contrarium non apparet, ſequenda eſt iuris determinatio: alioqui ea eſſet fruſtra. Item in nu. 13. & 14. valida eſſe ſponſalia in quacumque ætate contracta: ſiue ordinaria ſiue miraculoſa via vſus rationis acceleretur. Ratio eſt: quiã ſeptennium requiritur ad ſponſalia non quaſi neceſſarium: ſed quia ius præſumit vſum rationis ea ætate aduenire. Demum in num. 15. ad valide contrahenda ſponſalia notat eum rationis vſum ſufficere, qui ſatis eſt ad peccandum mortaliter: cum ad votũ perpetuæ caſtitatis, *cuius obligatio maior eſt quam ſponſaliorum*, is ſufficiat: & maior libertas non ſit neceſſaria ad ſe obligandum Deo, quam diabolo.

249. POSTERIVS impedimentum dirimens matrimoniũ, non autẽ ſponſalia, eſt abſentia Parochi vel teſtium: nam quamuis Parochus cum duobus vel tribus teſtibus debeat adeſſe quando matrimonium celebratur, vt ipſum ſit validum, iuxta definitionem Concilij Tridentini prout expoſitum eſt à nobis in præcedenti cap. 23. id tamen de ſpõſalibus idem Concilium non ſtatuit: ita vt clandeſtinæ cõtracta poſſint eſſe valida. De qua re Sanchez lib. 1. *De matrim. diſput.* 12. In ſequente 15. docens cenſenda item licita: quod tamen plures ab ipſo *ibidem nu.* 1. relati negant: quorum ſententia tenenda eſt omnino, quando talia ſponſalia dirigerentur ad contractum matrimonij illicitum ob aliquod impedimentum, aut ad iniuriam vel ſcandalum proximi. Difficultatem autem quæ moueri ſolet, an matrimonium ob Concilij Trident. definitionem inualide contractum, vim habeat ſponſaliorum, idem author bene tractat *in eodem lib. diſput.* 20. ſtatuens tale matrimonium non obligare, ne quidem vt ſponſalia, etiamſi iuratum ſit & ſecuta ſit copula: niſi illud contrahentes habuerint animum obligandi ſe eo modo quo valent. Licet autem non valeant obligare ſe per matrimonium clandeſtinum, poſſunt tamen per ſponſalia clandeſtina. Pro pleniore intelligentia legendus eſt idem author.

CAPVT XXXV.

De obligatione quam sponsalia inducunt.

SVMMARIVM.

250 *Sponsalia obligationem inducunt, eamque sub mortali: & quid si ore solum tenus facta sint.*

251 *Obligatoria sunt contracta cum intentione obligandi se: etiamsi adfuerit intentio non implendi.*

252 *Sufficere potest ad obligationem, vt intentio illa sit tacita: quæ cum non supplet defectum expressum, cessat talis obligatio.*

253 *Probabile est non valere sponsalia contracta animo promittendi quidem, non tamen se obligandi.*

254 *Quatenus obligetur qui dubitata sponsalia contraxerit.*

255 *Obligatio illius qui ficte contractis sponsalibus virginem defloravit.*

256 *Quod ex ficta promissione non obligetur defloratam ducere: si ea inferioris aut etiam paris sit conditionis, sed antea corrupta.*

250. SPonsalia obligationem inducere patet, quia sunt contractus. Non enim sunt nuda promissio; sed acceptata, eaque mutua seu reciproca, ex præcedenti num. 244. versu Secundo. Omnis autem contractus obligat ex iustitia. Quam obligationem esse sub mortali, patet: quia est in re graui: in qua si ea non impleatur, magna iniuria fit proximo. Ita Sanchez *lib. 1. disp. 27. in eam sententiam multos auctores referens.* Ex qua sequitur, si sponsa fornicetur cum alio, quã cum sponso suo, circumstantiam esse exprimendam in confessione tanquam mortaliter aggrauantem peccatum illud fornicationis. De qua re idem Sanchez *in eod. lib. 1. disput. 2.* Quamquam non licet, ad obuiandum tali violationi in contractu sponsaliorum pœnam apponere, nec appositam violator soluere tenetur, ex cap. Gemma De sponsal. Id quod late idem auctor persequitur *in eodem lib. disput. 30. & tribus sequentibus.*

PORRO obligationem prædictam sequi ex veris sponsalibus, dubium quidem non est: sed an sequatur etiam ex sponsalibus fictis, seu quæ sine animo promittendi aut se obligandi, aut promissum implendi fiunt; difficultas est quam Sanchez late tractat in eodem lib. 1. disp. 9. 10. & 11. contenti erimus aliquot propositiones adferre pro quotidiana praxi.

Prima est: Si promissio sit omnino ficta, & ore solummodo tenus facta, neque sponsalia esse, neque obligare ex vi promissionis. Ratio est quia tunc non est vere promissio sed tantum promissionis fictio: per quam tamen promittens peccat mortaliter contra iustitiæ legem præscribentem vt in contractu vtrinque obligatorio, *qualis est contractus sponsaliorum*, vterque contrahentium vere contrahat. Cæterum si is qui ficte promisit postea interne consentiat, dum alter nondum reuocauit consensum, sponsalia conualescunt per tradita ab eodem authore in sequenti *libro 2. disput. 32. quæst. 3.* Ratio vero est: quod ad contractuum validitatem sufficiat contrahentium consensus simul esse moraliter: seu non nimis magnum interuallum interesse inter vnum & alterum: prout in proposito casu contingit, in quo vnius consensus de se validus est, & ad matrimonium sufficiens, *vtpote cui nihil ad id deest*, nec reuocatus: accedente ei vero consensu, pro ficto. Quare in eodem casu conualescent sponsalia, cum ad ea sufficienter concurrant, ad validitatem ipsorum requisita.

251. Secunda propositio est: Si quo tempore facta sunt sponsalia adfuit vera intentio obligandi se: etiamsi promittens statim post, animum habeat se non obligandi, eadem sponsalia valere, & obligare. Ratio est, quia ex promissione, obligatio iam orta fuit: cui stare tenetur.

Tertia propositio: Si contrahentes sponsalia animum habeant se obligandi, non tamen implendi quod promittunt, sponsalia item esse valida: quia peruersa intentio nõ implendi rem promissam non eximit ab obligatione, quæ materialiter consurgit ex promissione facta animo se obligandi.

252. Quarta propositio. Eum qui explicite quidem, actuue non habuit animum se obligandi, habuit tamen implicite seu virtute (vt is qui conscius erat naturæ promissionis, & obligationis ex ea consurgentis: sed tunc non meminit illius) manere obligatum. Ratio est: quia cum obligatio naturaliter promanet ex promissione, intendens promittere, censetur & se obligare promittendo.

Quinta propositio est, Eum qui ne implicite quidem habuit voluntatẽ se obligandi (quia scilicet naturam promissionis & obligationẽ ex ea cõsurgentem prorsus ignorauit) non manere obligatum. Ratio est: quia obligatio promissionis consurgit ex libera promittentis voluntate: quæ nõ adest in tali casu propter ignorantiam: nihil enim est magis liberæ voluntati contrarium, quam ignorantia & error; ex lege Si per errorem ff. De iurisdict. omnium Iudicum.

Sexta propositio est, Quamuis plerique sentiant (*quos Sanchez refert lib. 1. disp. 9. num. 4.*) sponsalia valere & obligare, quando promissio fit animo quidem promittendi, non tamen se obligandi: contrarium tamen non carere probabilitate. Pro hac idem *in sequenti num. 5.* aliquot authores citat: & probabilitatis rationes adfert, tum alias, tum quod sponsalia sunt promissio, cuius obligatio consurgit ex lege priuata, quam promittens sibi imponit: non enim oritur ex alia lege, quam ex priuata hominis voluntate. Vnde cum nulla lex obliget nisi legislator obligare intendat: neque obligabunt sponsalia contracta cum intentione non obligandi se. 253.

Si quis opponat sponsalia consistere quidem ex hominis voluntate, sed iis contractis, obligationem esse ex iure diuino & naturali. Respondeti potest legem diuinam ac naturalem non obligare circa rem arbitrio hominis relictam, nisi suppositã voluntate hominis obligationem imponentis: quæ voluntas deest in proposito casu.

Si vltertius vrgeat, ex promissione naturaliter sequi obligationem, Ergo qui illam velit, velle & hanc: quia qui vult antecedens, vult & consequens. Illud necessario. Respondeti potest ex sola vera promissione, naturaliter sequi obligationem; non autem ex tantummodo apparente ac ficta: qualis est ea quæ fit animo non obligandi se in qua adiicitur conditio contraria naturæ ipsius promissionis, atque adeo eiusdem destructiua. Sic enim in cap. finali, De condit. appositis, statuitur matrimonium carere effectu, nullumve esse, si conditiones contra substantiam eius inserantur. 256.

Procedat autem propositionem hanc, quantumcumque talis promissio (facta inquam sine intentione se obligandi) iuramento confirmaretur, idem author sentit, post multos alios quos refert *in sequenti num. 9.* Ratio est: quia in hoc casu vt promissionis ita & iuramenti implendi obligatio pendet ex spontanea voluntate hominis sibi imponentis legem. Ad quod facit illud ex D. Gregorio relatum, in cap. Humanæ, 22. quæst. quinta. Humanæ aures talia verba nostra iudicant qualia foris sonant: diuina vero iudicia, talia foris audiunt qualia ex intimis proferuntur. Nec obstat quod ex D. Isidoro habetur in cap. Quacumque, eadem quæst. Quacumque arte verborum quis iurat: Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui iuratur intelligit. Nam interpretandum est de iuramento assertorio, quo quis iuridice rogatus iurat contra mentem rogantis: aut de promissorio, quod sit animo se obligandi, non item implendi quod promittitur. 254.

Septima propositio est, Dubitantem vtrum sponsalia contraxerit, si ratio dubitandi sit, quod adhibita sufficienti diligentia scire non possit an promiserit matrimonium, non obligari: secus vero si ratio dubitandi sit; quod etsi certus sit de promissione matrimonij dubitat tamen de animo se obligandi. Prior pars probatur: quia cum in dubio melior sit conditio possidentis: quamdiu dubitatur an voluntas sit vinculo adstricta, an permaneat libera, censenda est permanere in sua libertate. Posterior vero pars probatur: quia verba exterius prolata signa sunt naturaliter intentionis interioris, nec vllus præsumitur id dicere, quod non habet in corde. Qua de re Sanchez lib. 1. disput. 9. num. 11. & duobus sequentibus.

Vltima propositio est, Ficte promittentem, qui sub ea 255.

pro-

promissione virginem defloravit: teneri sub mortali eam ducere. Hæc multorum est, quos refert Sanchez *in sequenti disput.* 10. Et probatur: quia iustitia commutativa, contra quam talis peccat, non tantum petit vt reddatur æquale, sed etiam vt reddatur illud ipsum quod ex iustitia debetur. Nec enim potest solui vnum pro alio: vt si equum furatus es alicui, non potes eo inuito pecuniam, non item equum, restituere. At in proposito casu, ex iustitia debetur consensus verus in matrimonium, cum de eo initus sit cõtractus sub conditione quæ impleta est à puella faciendo sui corporis copiam. Neque refert, quod ficta fuerit promissio: nam eo non obstante promittens tenetur promissum implere: sicut promittens Petro centum si Romam eat, ipso eunte tenetur centum promissa soluere.

Limitanda est autem propositio hæc, prout idem Sanchez in eadem disput. num. 5. & aliquot sequentibus habet: vt non procedat cum in diuitiis, nobilitate, aut alia eiusmodi conditione talis disparitas fuerit viri & fœminæ, vt hæc merito credere debuerit se ab illo decipi. Aut ex verbis vel aliis claris coniecturis facile nosse potuerit fallacem promittentis animum: quia tũc videtur fraudi voluntarie consentire. Nec item procedat si ex matrimonio scandalum magnum aut malus exitus probabiliter timeretur, quia tunc satis esset pecuniis damnum illatum resarcire, etiamsi sponsalia essent vera. Nec item procedat, si ex parte quoque fœminæ interceſſerit deceptio notabilis: qualis censetur esse corruptæ, se fingentis virginem: aut pauperis, se fingentis diuitem, aut alia eiusmodi, sufficiens ad vera sponsalia dissoluenda iuxta dicenda in sequenti cap. Sicut nec si fœmina defloratа, postea fornicetur cum alio: nam hæc est iusta causa recedendi à sponsalibus.

256. Sed quæri potest, An quando fœmina ignorauit excessum quo viri conditio superat suam conditionem; aut si nouit quidem, sed taliter facta est ea promissio, vt potuerit rationabiliter credere non ficte sed vere fieri: An inquam defloratus ille fictus teneatur defloratam ducere. De qua re, *in eadem disput. 10. num. 20. & 21.* Sanchez in vtramque partem authores refert: & negantem vt probabiliorem sequitur: quia non tenetur ad eam ducendam, ratione promissionis, cum fuerit ficta & inualida: nec ratione illatæ iniuriæ, quæ ex iustitia quidem debet resarciri: non tamen restituendo plus, quam damnum æstimetur. At minus æstimatur damnum virginitatis, quæ ablata est puellæ vilis conditionis, quam damnum matrimonij viri diuitis ac nobilis. Itaque alia via, *vt dotatione, arbitrio boni prudentisque viri sufficienti*, poterit damnum huiusmodi compensari.

Similiter ex eodem auctore *in sequenti nu. 23. & 24.* non tenetur antea corruptam paris etiam conditionis ducere, cui ficte promisit matrimonium, si copiam & sui corporis faceret: quia matrimonium longe maius est quam copula cum corrupta: nisi forte hæc esset vidua bonæ famæ, quæ ex ea copula infamiam contraheret, matrimonioque inepta redderetur. Addit idem *in sequenti num. 26.* quando contrahentes fuerint æquales, vno vere & altero ficte promittente, si nullum aliud damnum sequatur, quam violatæ fidei: fictum promissorem ad nihil aliud teneri, quam ad pœnitentiam, qua Deo satisfaciat pro peccato quod commisit deceptione vtendo in re ad matrimonij sacramentum ordinata. Namq; homini non obligatur ex promissione quæ, *vt pote ficta*, nulla est: neque ratione iniuriæ illatæ, quia nullum ex hypothesi, inde secutum est damnum alteri.

CAPVT XXXVI.

De dissolutione sponsaliorum.

SVMMARIVM.

257 *Peccatum est mortale sponsalia dissoluere sine iusta causa: quarum prima est remissio partium consentientium in dissolutionem.*

258 *De ingressu religionis quatenus sit causa iusta dissoluendi sponsalia.*

259 *De voto simplici castitatis, quo modo item sit causa iusta.*

260 *Dissolutio sponsaliorum per susceptionem sacri ordinis, aut per matrimonium postea inuitum.*

261 *Dissolutio ratione ætatis, aut lapsus termini præfixi, aut absentiæ sponsi.*

262 *De fornicatione quatenus sit iusta causa dissolutionis sponsaliorum.*

263 *De superueniente impedimento matrimonii, aut corporis fœditate.*

264 *De cognita post sponsalia, notabili sponsi seuitia, ac de scandalo, & de Papæ dispensatione.*

COmmunis consensus est, illum mortaliter peccare 257.
qui absq; iusta causa matrimonium contrahere non vult post facta sponsalia, etiam non iurata: vnde pœna illi imponenda statuitur, vt cap. 1. De sponsa duorum. Et patet ex iis quæ initio præced. cap. dicta sunt. Iusta autem istiusmodi causa multiplex est, vt videre est apud Sylu. *in verbo Sponsalia quæst. 10.* & Nauarr. in Enchir. *cap. 22. num. 25. & aliquot sequentibus.* De quibus copiose Sanchez *in lib. 1. De matr. disput. 42. & reliquis sequentibus.* Eas paucis perstrinxisse contenti erimus.

Prima igitvr, *de qua Sanchez in disput. 52.* est remissio partium, cõsentientium in dissolutionem, ex cap. 2. De sponsal. vbi adducitur similitudo societatis quæ mutuo sociorum consensu dissoluitur, sicut & contrahitur. Omnis enim res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, cap. 1. De regul. iuris. Procedit autem hæc causa quantumcumque sponsalia fuerint iuramento confirmata. De quo legendus est idem in eadem *disput. 52. à num. 6.*

Secvnda causa, *de qua idem in prius citata disp. 42.* 258.
est ingressus religionis etiam professione nõ secuta. Cum enim ingrediens religionem satis declaret se sponsalibus renuntiare, liberam facit potestatem manenti in sæculo similiter renuntiandi. Quod procedit siue ingrediatur vero persueratiõdi animo; siue fraudulenter, animo egrediendi: nisi quod in hoc casu, etiamsi alium faciat liberum ab obligatione, non tamen se: quia nemini sua fraus patrocinari debet, cap. Ex tenore De rescriptis.

Hic moueri possunt aliquot quæstiones. Prima, An sponsalia iurata dissoluantur per ingressum religionis. Secunda, An emisso post sponsalia, religionis aut perpetuæ castitatis voto, possit quis matrimonium contrahere cum firmissimo animo ingrediendi religionem ante illius consummationem. Tertia. An illo eodem modo, possit matrimonium contrahere is, qui nullum tale votum emisit. Quarta, An post sponsalia contracta cum virgine, & sub spe matrimonij ea defloratа, liceat defloratori ingredi religionem non contracto matrimonio: aut contracto quidem, sed non consummato. Quinta, An qui prius emisso religionis aut perpetuæ castitatis voto virginem defloraуit, data fide de matrimonio contrahendo, teneatur potius ad matrimonium, quam ad voti obseruationem.

Earum explicationẽ Sanchez persequitur consequenter in disp. 43. 44. & 45. Paucis autem respondemus.

Ad primam, quod ante vniuersè dictum de sponsalibus, locum habere etiam in iuratis: quia iuramentum sortitur naturam & conditiones actus super quo interponitur ex cap. Quemadmodum, De iureiurando. Et ideo si ea sit natura & conditio sponsaliorum vt per ingressum religionis dissoluantur, eamdem retinebunt, nec mutabunt ob oppositionem iuramenti ei factam.

Ad secundam, alienum esse à recta ratione, vt quis obliget se ad id quod nullatenus implere intendit; præsertim in casu illius quæstionis, in quo (cum se exponit periculo votum violandi, propositi mutatione) aliquatenus derogat dignitati voti & religiosi status, imo & dignitati sacramenti, & iniuria afficit sponsam: quæ compelletur expectare donec professus sit: interim habita pro vxore Monachi: nec facile inueniet, cui nubat digno. Ex quibus incommodis intelligitur committi in eo peccatum mortale, prout Sanchez expressit, alios referens disput. 43. num. 7. exceptis tribus casibus, quos idem proponit in sequenti num. 8. Primus est, quando notabilis adesset metus propriæ famæ aut vitæ amittendæ, compellens ad contrahen-

dum. Secundus, quando quis adstrictus voto ingrediendi religionem tenetur inclusus, nec exitum obtinere potest, nisi contrahendo matrimonium. Tertius, quando ad vitandum magnum scandalum tale quid fit. Ad tertiam quæstionem eadem responsio est, quæ ad præcedentem. Nam pro illius parte negante eædem rationes militant, addita exceptione trium memoratorum casuum.

Ad quartam, Sanchez quæst. 44. respondet, defloratorem teneri in eo casu defloratam ducere. Ratio est: quia nequit aliter satisfacere debito, cui adstrictus est iustitiæ vinculo: præsertim cum non sit permissum inuito creditore, vnum pro alio reddi: ex lege 2. §. Mutui ff. Si certum petatur. Quod, *addit idem ibidem*, pariter dicendum est, cum nõ intercessit quidem copula: sed fœmina magnam famæ iacturam passura est culpa promittentis matrimonium, nisi ipsum contrahatur: *prout supponimus*, cum aliud remedium non suppetat ad talem infamiam vitandam. Neque in talibus casibus, *addit idem consequenter*, promissor satisfacit illi debito, si matrimonium contrahat, & ante illius cõsummationem ingrediatur religionem: quoniam ea ratione non tolletur damnum virginitatis & famæ. Aduerte autem in istiusmodi casibus, sicut & quando coniugatus facit votum castitatis, nõ valere quidem votum in præiudicium fœminæ, valere tamen in præiudicium vouentis: adeo vt iusta aliqua de causa solutis sponsalibus, teneatur simpliciter seruare castitatem, quam vouit. Ad quintam. In eo quoq; casu contrahendum esse matrimonium non obstante voto castitatis: quod ex communi doctrina non obligat rebus notabiliter mutatis, prout accidit in eodem casu per vinculum iustitiæ fortissimum superueniens: & grauissimum proximi damnum sequuturum, si matrimonium non contrahatur. Pro quo alias rationes habet Sanchez *disput.* 45. & soluit contrarias. Interea admonens *in num.* 5. istud non procedere, si fœmina sciuerit promittentem sibi matrimonium, esse adstrictum voto, cum quo nõ potest licite illud contrahere. Cum enim scienti & consentienti non fiat iniuria, neque dolus, ex regula 27. iuris in 6. prædictum iustitiæ vinculum cessabit, votumq; perseuerabit in toto suo vigore, respectu etiam talis fœminæ.

259. Tertia causa iusta dissolutionis sponsaliorũ (de qua idem in sequenti disput. 46.) est votum simplex castitatis, eadem sponsalia præcedens: nam facit ille irrita, tanquam continentia rei illicitæ promissionem. Quod si idipsum votum sponsalia sequatur, difficultas est an ea dirimat. Pro qua Sanchez rationes & authores adfert in vtramque partem: & negantem probabiliorem iudicat, iuxta cap. Veniens tit. Qui clerici vel vouentes: vbi fœminæ quæ matrimonium promisit, pœnitentia imponitur de fide mentita sponso; etiamsi post promissionem, votum castitatis emiserit: vnde patet ipsum non dirimere sponsalia. Et ratio est, quia Deus non acceptat promissionem rei prius promissæ alteri, tanquam factam in alterius præiudicium. Addit idem nihilominus *nu.* 10. licitum esse votum castitatis, post sponsalia, factum animo ingrediendi religionem: cum illa non impediant talem ingressum: aut factũ quidem animo promissum implendi matrimonio inito: sed pariter animo obligandi se ad castitatem, quantum potest ex sua parte. Nam ea ratione, ipsi etiam coniugati possunt castitatem vouere.

Sed aliquis obiiciet, quod si votum simplex castitatis subsequens sponsalia, ea non dirimat, neq; impediet matrimonium in eis promissum: quod aduersatur antedictis num. 184. Respondendum est in proposito casu votum sponsi obligare tantum in præiudicium sui ipsius: vt scilicet teneatur illud seruare si sponsalia dirimantur iusta aliqua de causa: itemque seruare quantum potest si matrimonium contrahere compellatur, vt non petendo debitum: non vero obligare se in præiudicium sponsæ (vt facit obligando se ad ducendam eam cui fidem dedit) sicut & votum castitatis emissum à coniugato valet in præiudicium ipsius: ita vt non possit debitum petere: non item in præiudicium vxoris, cui proinde petenti tenetur debitum reddere.

260. Quarta causa est, susceptio sacri Ordinis: quæ suscipientẽ reddit incapacem sacramenti matrimonij. De voto quo quis post sponsalia se ad eamdem susceptionem adstringeret, idem esse dicendum ac ante de voto simplici castitatis, docet Sanchez *disput.* 47. nempe non dissoluere sponsalia, & sic vouentem teneri matrimonium cõtrahere, nisi ingressum religionis eligat: aut nisi fides sponsaliorum, cui renuntiasse censetur, ei remittatur ab altera persona: aut aliqua alia iusta de causa sponsalia ipsa soluantur. Iis solutis tenebitur illud suum votum implere sacrorum ordinum susceptione.

Quinta causa est matrimonium subsequens cum alia persona contractum, ex cap. finali 27. quæst. 2. & cap. Si inter De sponsal. & cap. 1. De sponsa duorum. Quod intelligo si matrimonium illud sit validum. Nam inualidum non tollit obligationem sponsaliorum iuxta regulam 52. iuris in 6. Non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum. Per posteriora sponsalia vero etiam iurata, non dissolui priora (quod Sanchez tractat disput. 49. & 50.) probatur: quia non modo promissio, sed etiam iuramentum factum de re iniqua & in irrationabile præiudicium proximi, non est obligatorium, ex regula 58. iuris in 6. & ex cap. Cum contingat, De iureiurando.

Aduerte tamen, si posteriora sponsalia sint coniuncta cum carnali copula habita affectu maritali, vbi Concilij Triden. decretum, de quo egimus in præced. cap. 23. non est promulgatum (quia tunc transeunt in matrimonium) dare causam sufficientem dissoluendi præcedentia sponsalia. Imo & vbi promulgatum est idem decretum ratione grauitatis damni illati per posteriora sponsalia, potest ex quadam æquitate priorum obligatio, quasi moraliter impossibilis, cessare: vt quãdo virgo defforata magnam honoris iacturam faceret, & altera non nisi modicum damnum pateretur ex non seruata ei fide. Hæc enim posterior ex charitate tenetur, tale modicum damnum pati ad vitandum alterius damnum grauissimum. Ex iustitia vero non tenetur: quia per iniuriam illatam alteri, non perdidit ius quod habuit quæsitum. Si quæras, an si priora sponsalia iusta de causa dissoluantur, is qui posteriora illis adiecit, eadem posteriora implere teneatur. Respondetur negatiue, quia non valuerunt: ne quidem in ratione promissionis: vtpote quæ fuerit rei illicitæ. At ex regula 18. iuris in sexto, Non firmatur tractu temporis quod ab initio non subsistit. Videri po[illegible]t *Sanchez. disput.* 50. *num.* 5.

Sexta causa est, ætas: quando enim sponsalia cõtrahuntur ante pubertatem, impubes cum peruenerit ad pubertatem, *non ante*, potest illis renuntiare si voluerit, nisi antea interuenerit carnalis copula, ex cap. A nobis, De desponsat. impub. Item nisi fuerint sponsalia iurata, à quibus ne quidem impuberi licet recedere cap. Ex literis 2. De sponsalibus. Cum autem alter contrahentium fuerit pubes, non licet ei resilire à sponsalibus etiamsi impuberi liceat, ex cap. De illis 1. §. fin. De desponsat. impub. Legi potest Sanchez disp. 51.

Septima causa est, lapsus termini præfixi in sponsalibus. Si enim cum sponsalia contrahuntur terminus apponatur ad finiendam obligationem: vt quando contrahentes non absolute dant sibi fidem de matrimonio contrahendo, sed de contrahendo in tali termino, tunc lapsus termini ab obligatione liberat illum per quem non stetit quominus contraheretur, ex cap. Sicut, De sponsal. Quod idem dicẽdum est cum à Iudice tempus adimplendis sponsalibus designatur ob imminens periculum fornicationis. Eum vero per quem nullo iusto impedimento detentum, stetit ne contraheretur: idem lapsus non eximit ab obligatione contrahendi: ne alioqui ex culpa sua reporter cõmodum. Quod si terminus appositus sit tantum ad solicitandam obligationem per sponsalia contractam, lapsus illius nullam habet vim eximendi ab obligatione. Videndus est Sanchez disput. 53.

Octava causa, *de qua idem disput.* 54. est absentia sponsi, cum se transtulit in regionẽ longinquam sine licentia sponsæ: tunc enim huic liberũ est nubere alteri, quamtumcumque sponsalia fuerint iuramento stabilita, ex cap. De illis, Extra. De sponsal. Nota quod si sponsus esset in loco propinquo, expectari deberet, vel requiri vt intra certum tempus contrahat matrimonium: siquc iusto impe-

dimen-

dimento detineatur, non esse temere dirimenda sponsalia: sed attenta sponsæ qualitate, quæ forsan ex mora exponitur fornicationis periculo. Ita aliis citatis Sanchez num. 11. Addens in 12. *aliis item citatis*, cum de proximo sponsi reditu spes fuerit, nō dissolui sponsalia, quia transferendi verbum, quod in memorato cap. ponitur dum dicitur, *Dimittit terram, se ad alias partes transferens*, importat diuturnitatem quamdam. Subiungens præterea in 13. cum sponsus de licentia sponsæ transtulit se in regionem longinquam, inter eosq; conuenit de absentiæ tempore expectare; nisi constaret ei sponsum inculpabiliter non venire tempore præfixo. Denique in 14. sponsam de futuro non teneri sponsum vagantem sequi: quod ad citatum cap. De illis, verbo Transferentes, glossa notat. Atq; adeo, si post sponsalia contracta, sponsa norit sponsum velle mutare domicilium, se in alium locum transferendo: posse resilire, cum notabilis facta sit mutatio non prænognita: nec sponsa teneatur sequi sponsum sicut vxor tenetur sequi virum.

262. NONA CAVSA, est fornicatio sequens ipsa sponsalia, etiamsi iuramento sint firmata, ex cap. Quemadmodum, De iureiur. Agens de hac Sanchez *disp.* 55. sequentia notat. Primum, idem esse dicendum de spirituali fornicatione, hoc est, si alteruter ex sponsis labatur in hæresim: quoniam ea est quoq; notabilis mutatio inter tales personas. Secundum, in hac re nihil referre siue vir siue mulier fornicetur. Referre autem si non fornicetur quidem, sed tamen tactus alterius impudicos, *vt amplexus & oscula*, patiatur. Namq; si fœmina tales patiatur cedit in magnum viri dedecus: non item in magnum dedecus fœminæ, si vir patiatur: quo fit, vt viro, non autem fœminæ, detur in tali casu sufficiens causa recedendi à sponsalibus. Tertium ob eamdem rationem, viro sufficientem recedendi causam esse, *fœminæ non item*, quando fornicatio fuerit vi extorta, aut quando vterque similiter lapsus fuerit in fornicationem. Nam in talibus etiam casibus, multum notabilis mutatio contingit ex parte viri, quem sponsæ fornicatio, tanquam longe turpior, maiore infamia afficit, quam sua fornicatio afficiat sponsam, prout patet experientia. De quibus Sanchez *in citata disput.* 55. *à num.* 7. Postremum est, *de quo in præced. num.* 6. Causam hanc dissoluendi sponsalia esse in fauorem solius innocentis: ideoque fornicantem adstrictum manere: quia delictum ipsius non debet ei præstare immunitatem & absolutionem à contractu. Quæ ratio ostendit idem esse statuendum in casibus duarum præcedentium causarum, hoc est, non liberari ab obligatione sponsaliorum culpabiliter transgredientem præfixum eis terminum, aut longe absentem diutius, quam par esset.

DECIMA CAVSA est, conditio sub qua contracta fuerint sponsalia. Nam si talis conditio non euenerit nihil actum esse censebitur, ex cap. De illis, tit. De condit. appositis. Dum adhuc autem expectatur conditionis euentus, non licet resilire: *vt lib.* 5. *disput.* 6. *num.* 8. pluribus aliis citat. docet memoratus Sanchez. Et ratio est, quia ex tali contractu nulla alioqui obligatio daretur, & sic vsus illius esset vanus.

263. VNDECIMA CAVSA est, superueniens matrimonii impedimentum maius, quo promissum redditur impossibile. Exemplum est, Si quis cognoscat sponsæ consanguineam in 1. vel 2. gradu. Impedimentum vero minus superueniens sponsalibus (excepto voto simplicis castitatis, quod fecimus tertiam causam) nihil obstat: vt argumento est quod consuetudo obtinuerit prout in præcedenti nu. 192. annotauimus ex Nauar. *in Enchir. cap.* 22. *n.* 85. vt ad contrahendum matrimonium dispensatio in eius generis impedimentis non petatur. Quodquidem Sanchez *lib.* 1. *disp.* 56. *nu.* 3. attingens, non improbat.

DVODECIMA CAVSA est, fœditas seu deformitas notabilis vni ex sponsis superueniens: qualis esset amissio nasi vel oculorum, aut paralysis, vel lepra, aliusve morbus contagiosus. Pro quo est textus in cap. Quemadmodum, §. Quod si, De iureiur. Id quod procedit etiam in aliis, quæ notabilem deformitatē adferunt, etiamsi sponsalia sint iuramento firmata. Et ratio est: quia tam promissio quam iuramentum intelliguntur rebus in eodem statu manentibus: talia autem faciunt magnam rerum mutationem. Monet autem Sanchez in seq. disput. 57. num. 5. quod cum hæc causa sit in fauorem illius qui perseuerat illæsus, ea occurrente sponsalia dissolui tantum ipso volente, non item nolente: nisi matrimonium cum aliqua istiusmodi infirmitate contractum, adferret infirmo notabile siue animi siue corporis detrimentum: quia tunc ex parte quoque illius, status rerum esset notabiliter mutatus: quod ei sufficit, vt non teneatur stare fidei sponsaliorum.

264. DECIMATERTIA CAVSA est, notabilis asperitas seu fœditia alterius sponsi de nouo cognita: itemque capitales inimicitiæ inter sponsos ipsos exortæ. Illa enim est sufficiens causa diuortij, ex cap. Literas, in fine, De restit. spoliat. Erit ergo à fortiori, & dissolutionis sponsaliorum. Has vero ne matrimonium infœlices exitus habeat, dare causam sufficientem dissolutionis sponsaliorum quantumcumque ea sint iurata, constat ex cap. 2. & ex ca. Requisiuit, De sponsal. Et confirmatur ex eo, quod sponsalia de se ordinentur ad mutuum amorem, & ad contrahendum matrimonii consummati vinculum omnino indissolubile. Istud vtrumq; pluribus aliis citatis tenet consequenter Sanchez disput. 58.

DECIMAQVARTA CAVSA, *de qua idem disput.* 59. est paupertas superueniens: ea enim adsert valde notabilem mutationem: promissioque, etiam iurata, intelligitur rebus in eodem statu permanentibus, argumento cap. Quemadmodum, De iureiur. Addit idem *ibidem in fine*, quod nihilominus si vno sponso in eodem statu permanente, accrescat alteri ingens rerum copia, non ideo dissoluantur sponsalia: quia prior ille non est propterea effectus detentionis conditionis quam fuerit quando sponsalia contraxit.

DECIMAQVINTA CAVSA est timor scandali, aut mali exitus matrimonij: vt quia notabiliter lædetur proximi charitas, dissoluetur parentum pietas, & cognatorum amicitia. Nam cum graue peccatum sit contra charitatem taliter contrahere matrimonium, sponsalia quibus id promissum est, quia sine peccato impleri non possint, censeri debent direpta. Videri potest Sanchez lib. 1. disp. 14. nu. 3.

VLTIMA CAVSA, est dispensatio, quam solus Papa dare potest, vt ex Palud. Sanchez habet *in seq. disp.* 61. quia per sponsalia ius acquiritur tertio, quod nullus potest auferre ab eo, præter Summum principem.

PARS RELIQVA CAPITIS.

In qua traduntur documenta quædam generalia de causis iustis dirimendi sponsalia.

SVMMARIVM.

265 *Ob inconueniens aliquod notabile superueniens, dissolui possunt sponsalia: & quod causæ sufficientes ad dissoluendum matrimonium, sint quoque ad dissoluenda sponsalia.*

266 *Quatenus dolus reddat sponsalia inualida.*

267 *Quid sit de eo qui quando contraxit sponsalia, ignorauit iustam causam ea dissoluendi: & post cognitam, carnalem copulam habuit: quodq; non amittatur ius exigendi promissum, quando causa fuerit occulta.*

268 *Quando ad sponsaliorum dissolutionem requiratur, & quando non requiratur Iudicis authoritas: & qua ratione fieri debeat talis dissolutio.*

269 *Eadem quæ ad dissolutionem sponsaliorum sufficiunt in foro externo, sufficiunt & in interno.*

265. HACTENVS in particulari de causis iustis dissoluendi sponsalia, de illis in vniuersum restant quædam documenta notanda.

PRIMVM EST, Quando post cōtracta sponsalia, etiam iurata aliquod notabile inconueniens aut noua causa su-

peruenit, censendam esse iustam causam ea dissoluendi si ipsa existens à principio impediuisset illa contrahi. Probatur: quia tunc censenda est interuenisse tacita contrahentis voluntas, vt ea dissoluerentur, neque promissio obligat vltra promittentis intentionem, quæ non modo actualis, sed nec virtualis interuenit, quoad illud quod si cognosceretur, nullo modo fieret promissio. Pro quo documento Sanchez *lib.1.disp.62.num.3.* multos authores citat. Addicq; asserenti se minime promissurum fuisse matrimonium, si talem causam adesse nouisset, credendum esse in vtroque foro; quando id ita esse verosimile est iudicio viri prudentis, consideratis negotii circumstantiis in vniuersum. Ea enim quæ in animo consistunt, cum nequeant hominibus sic innotescere, vt probari possint testibus: probantur tantum iuramento partis, vt ex Couarr. & aliis in fine eiusdem disputationis idem Sanchez habet.

SECVNDVM DOCVM. EST, causas sufficientes ad dissoluenda sponsalia præcedentia, sufficientes quoque esse ad dissoluenda sequentia etiam iurata: si tamen dum hæc celebrabantur illæ fuerint probabiliter ignoratæ. Hoc fusius tractat Sanchez disput. 63. sed sufficit fundamentum illud ex cap. Quemadmodum, De iureiur. quod rebus notabiliter mutatis promissio non obliget. Quod autem in eodem cap. notantur aliquæ causæ, vt fornicatio, paralysis, lepra, ob quas non soluuntur sponsalia sequentia sicut præcedentia: intelligendum est de talibus, quando eæ non fuerunt probabiliter ignoratæ, dum sponsalia ipsa contraherentur.

266. TERTIVM DOCVM. EST, sponsalia ipso iure irrita, cum dolus admissus per vnum ex sponsis, dedit causam contractui eorumdem: seu quando causa cur ea contraherentur, fuit quod vnus sponsus alterum dolo deceperit. Esse vero valida, sed deceptum habere ius illa dissoluendi, quando talis dolo vnus sponsus particeps non est: sed alter qui cum ipso contraxit, ab aliquo tertio est deceptus, aut certe à nullo, sed tantum ab existimatione sua falsa. De qua Sanchez disp. 64. vbi huius discriminis rationem adfert ex Ludouico Molina; quod contractus cui dolus dat causam quando procedit ex iniustitia alterius ex contrahentibus, sit malæ fidei contractus, in quo simul concurrant imperfectio consensus & iniuria facta ei cum quo contrahitur contractu oneroso: vnde merito censetur irritus, tanquam inuoluntarius: quandoquidem nullus est, qui non recusarit contrahere cum eo qui mala fide, & nocendi animo agere cognosceretur. Adde non expedire bono communi, vt valeant contractus, *& maxime sponsalia*, quibus dolus vnius ex contrahentibus, causam dederit cũ alterius iniuria. Cum autem ex dolo oritur tantum imperfectio consensus, nõ item iniuria, quam contrahens contrahenti inferat, contractus censeri potest valere: quia est in illius substantiam verus consensus. Nec obstat error, quia is non est circa contractum, sed circa causam contractus: vnde habet vt possit irritari, non autem, vt de se irritus sit.

267. QVARTVM DOCVM. EST, Quando sponsus contraxit sponsalia ignorans causas quę suberant sufficientes ad illorum dissolutionem, si eo affectu illa contraxit vt etiamsi tales causas nouisset, non destitisset à contrahendo, non esse ipsi licitum sponsalia ipsa dissoluere, ob easdem causas de nouo cognitas. De hoc Sanchez *disp.* 65. Cuius fundamentum est, quod dolus tunc non det causam contractui, neq; accidat mutatio, quæ si præuisa fuisset, contractum imperdiuisset.

QVINTVM DOCVM. EST, Quod sponsus carnaliter accedens ad sponsam, censeatur remittere ius rescindendi sponsalia ratione causæ ignoratæ: siue præcedentis illa, siue subsequętis, si tempore copulæ conscius erat illius eiusdem causæ. Hoc probatur à maiori: quia ius petendi diuortium amittit coniux, qui cognoscens causam adesse sufficientem illud petendi, *vt fornicationẽ commissam ab vxore*, ipsam nihilominus carnaliter cognoscit: quoniam tali facto censetur renunciare tali iuri: sicut facto diuortio eam cognoscens carnaliter, censetur ei reconciliari. Videri potest Sanchez disputat. 66. vbi inter cætera docet ista procedere, quantumuis sponsus cognoscendo sponsam carnaliter, voluntatem habeat non remittendi: quia posita carnali copula remissio non ex illius voluntate, sed ex iure matrimoniali proficiscitur.

SEXTVM DOCVM. EST, Eum ex cuius parte causa est sufficiens dissoluendi contracta vere sponsalia, non perdere ius exigendi promissum, quamdiu talis causa latet. Probatur: quia non tenetur prodere defectum suum, vt à Iudice vel ab vxore priuetur iure quæsito: neque talis priuationis, *tanquam pœnæ qua dignus est*, tenetur ipsemet executor esse. Istud Sanchez disput. 68. tractans multos citat in contrarium: quod non caret probabilitate: & tanquam tutius videtur in praxi sequẽdum, cum aliquod notabile damnum haud obstat quin præferatur.

SEPTIMVM DOCVM. EST: Si causa dissoluendi 268.
sponsalia, sit moraliter, *seu sufficienter ad probabilem opinionem*, certa, tam de iure: quia scilicet est in iure expressa, quam de facto: quia certum est eam adesse: sponsalia ipsa posse dissolui propria authoritate, nec desiderari authoritatem Iudicis, nisi scandalum alioqui oriatur. Ratio est, quia nullo iure cauetur authoritatem Iudicis ad id esse necessariam, & dissoluens suo iure vtitur. Quod si causa esset incerta, peccatum quoque mortale esset propria authoritate sponsalia dissoluere: quia probabile adest iniustitiæ periculum, ne in dubio alter priuetur iure per illa acquisito. De qua re latius Sanchez *disput.69.*

Sub cuius finem monet talem Iudicem esse solum Ecclesiasticum, ordinarium vel delegatum: quia hæc materia est spiritalis, ideoque non pertinet ad Laicum, actractatur in foro externo in quo Ordinarius vel ipsius delegatus est Iudex, non item Parochus. Monet etiam recte in disput. 70. causam non esse statim deferendam ad Iudicem: sed prius monendam esse partem, vt dissolutioni consentiat, ne infamiam incurrat. Siąue nolit, adeundos esse parentes, vel Prælatum, vel alios viros pios, qui ad modum patris eam moneant, qua adhuc resistente, tas erit ad tribunal Iudicis eam deferre; in quo probatio sufficiens vt Ecclesia sponsalia dissoluat (quod idem latius *disp.* 71. explicat) esse poterit vnicus testis, ex cap. Super eo, 2. De testibus, & cap. Præterea, 2. De sponsal. Ratioque est: quia agitur tantum de vitando peccato quod committeretur contrahendo contra Ecclesiæ prohibitionem. Debet autem, *vt ille addit in eadem disputat. 71. concl.2.* talis testis deponere, non autem denunciare solummodo. Debet item iurare asserendo se certo scire impedimentum, ac demum debet esse non vilis persona. De quibus ille latius: in quibus tanquam spectantibus ad forum externum non est quod immoremur.

OCTAVVM DOCVM. EST, Ad dissoluenda sponsalia etiam iurata, satis esse quod vterque sponsus impedimentum fateatur. Ratio est: quia illa confessione satis ostendunt mutuam resiliendi voluntatem. Quod si alter tantum fateatur: isque sit qui matrimonium celebrari optat, cum si ostendat se non contradicere alteri volenti resilire, sponsalia de mutuo consensu dissolui censentur. Secus vero, si sit ille qui recusat matrimonium celebrari, quia non habetur fides illius confessioni, tanquam facta in suum fauorem, & in præiudicium iuris ab altero quæsiti.

VLTIMVM DOCVM. EST, In foro conscientiæ 269.
eam cognitionem impedimenti matrimonij sufficere posse ad resiliendum à sponsalibus, quæ satis esset in foro externo. Et ita vnum testem ex certa scientia quam habeat iurantem; aut famam (*iuxta cap. Super eo, De consanguinit.*) sufficientem, cognitionem dare pro foro interno, sicut & pro externo. Ita quoque docet Sanchez in eodem libr. 1. quæst. vltima.

TRACTATVS V.

De iis quæ annexa sunt Matrimonio concomitanter.

FRIus generis sunt modi contrahendi matrimonium, obligatio ad reddendum coniugale debitum, & obligatio cohabitandi. Primus autem modus in eo consistit, quod matrimonium nonunquam omnino libere, nonnunquam coacte contrahatur: ad cuius intelligentiam sufficiunt dicta de consensu in præced. cap. 3. & de vi seu graui metu in cap. 13. Secundus vero modus consistit in eo, quod nonnunquam palam, nõnunquam clam contrahatur: ad cuius quoq; intelligentiam sufficiunt dicta in cap. 23. Tertius porro in eo, quod nonnunquam contrahatur absolute: nonnunquam sub aliqua conditione: ad cuius explicationem nobis primo loco est hic de tali conditione dicendum. Quartus denique in eo quod nonnunquam valide, nonnunquam inualide contrahatur: qui satis notus est ex antedictis de maioribus impedimentis in tract. 3. tit. 2. per totum: nisi quod de matrimonio per ignorantiam contracto inualide, supersunt quædam pro praxi necessaria scitu, de quibus secundo loco dicemus: tertio dicturi de obligatione ad reddendum coniugale debitum, & quarto de obligatione ad cohabitationem, & postremo de diuortio vtriq; ei obligationi aduersante.

CAPVT XXXVII.

De conditionibus appositis matrimonio.

SVMMARIVM.

270 *Differunt hæc, matrimonia esse cum causa, esse cum demonstratione, aut cum modo, aut cum conditione: & quod nec demonstratio nec causa nec modus vitient sponsalia.*

271 *Probabile est, conditiones quæ in matrimonio admittuntur, vel reiiciuntur, admitti quoque & reiici in sponsalibus, & varietas talium conditionum.*

272 *Conditiones non reddentes matrimonium conditionale.*

273 *De conditionibus honestis & possibilibus, quæ reddunt matrimonium conditionale.*

274 *Conditio apposita contra substantiam, aut bona matrimonij, reddit ipsum inualidum.*

275 *Quid iudicandum, si non sit quidem contraria: turpis tamen sit aut impossibilis, & quid de conditione impertinente.*

DE his conditionibus agitur in iure canonico cap. Solet, & cap. Aliquando, 32. q. 2. & in Decretalibus tit. De conditionibus appositis. & à Nauar. in Enchir. cap. 22. num. 61. & aliquot sequentibus. Couarr. in Epitome 4. Decretalium parte 2. cap. 3. Sylueſtro in verbo Matrimonium tertio, ac pluribus aliis. Loco omnium Sanchez esse potest, qui toto lib. 5. aliis citatis, latissime eamdem materiam tractat. Porro etiamsi tales conditiones vix locum habeant vbi decretum, de quo diximus in supra memorato cap. 23. Concilij Trid. promulgatum est: quia in matrimoniis quæ in facie Ecclesiæ contrahuntur vix adhibentur: tamen vt de matrimoniis sub conditione contractis possit iudicari. Itemq; de sponsalibus circa quæ nihil ab eodem Concilio innouatum est: operæpretium erit saltem explicare quomodo tales conditiones sint intelligendæ, quod fiet per aliquot documenta.

270. PRIMVM EST, multum differre matrimonia quæ fiunt cum causa, cum demonstratione, cum modo, & cum conditione. Nam matrimonium fit cum causa, quando denotatur causa ob quam contrahitur, communiterque ea declaratur per particulam, *Quia*: vt contraho tecum, quia pulchra, aut diues es. Fit vero cum demonstratione quando denotatur aliqua qualitas in contrahentibus, & explicatur per relatiuum & dictionem importantem aliquam qualitatem: vt Duco te quæ libera es, aut virgo. Fit autem cum modo, quando significatur aliqua quasi adiectio oneris; ad quod contrahens matrimonium vult alterum cum quo contrahit obligare, & communiter explicatur per coniunctionem *vt*, dicendo, verbi gratia, Duco te vt diuitias vel honorem consequar. Fit denique cum conditione quando aliquid adiicitur suspendens contractum: vt dicendo, Contraho tecum si pater meus voluerit: sic enim explicans suum consensum satis ostendit eum talem esse, vt nolit contractum matrimonii celebrari, nisi existente conditione quam interponit.

SECVNDVM DOCVM. EST, nec demonstrationem, nec causam, nec modum per se suspendere contractum matrimonii, aut vitiare. Ratio est: quia nihil eorum spectat ad substantiam consensus, quo talis contractus perficitur. Nam demonstratio tantum est contrahentis opinio de persona cum qua contrahit. Causa vero est motiuum quo is adducitur ad contrahendum: & modus est quid consequens ipsum contractum. Dictum est autem, *per se*, quia ex accidenti possunt annullare matrimoniũ: vt quando simul cum illis contingit impedimentum aliquod ex maioribus, vel adest error conditionis: vt quando contrahitur dicendo, Contraho tecum quæ es libera, vel quia es libera: eaque est seruilis conditionis: vel quando contingit aduersari substantiæ, aut bonis matrimonii: vt cum modus est: contraho vt te relinquam cum inuenero pulchriorem, vel vt sterilitatem procures: illud enim repugnat perpetuitati matrimonij, quæ est de illius substantia: & hoc proli, quæ est eiusdem bonum. Videndus est Sanchez in cit. lib. 5. disput. vltima. 271.

TERTIVM DOCVM. EST, Probabile esse conditiones quæ admittuntur vel reiiciuntur in matrimonio, easdem admitti similiter vel reiici in sponsalibus. Hoc Sanchez *in eodem lib. disput. 17. num. 2.* probat: quia sponsalia sunt initium quoddam matrimonii: & ideo dispositum in matrimonio, censetur dispositum in sponsalibus, lege Oratio. ff. De sponsalibus. Quæ ratio quamuis eludi possit dicendo sponsalia valida posse dissolui mutuo consensu contrahentium, non autem matrimonium validum: ita vt non sit consequens, vt si qua conditio matrimonii, reddat ipsum inualidum reddat & sponsalia si illis adiiciatur: nihilominus propositum documentum censendum est sufficiens fundamentum habere ex communi Doctorum consensu, quos magno numer. idem refert tum ibidem numero 2. tum in præced. disputat. 16. num. 5. & 7.

Conditiones autem, quæ in matrimonio vel admittuntur vel reiiciuntur, sunt vel generales, vel speciales: quarum illæ, tacite cuilibet contractui insunt, quamuis non exprimantur: vt Si vixerimus, & similes de quarum numero est illa, *Si Deus voluerit*: intellecta de voluntate beneplaciti, qua Deus omnia quæ fiunt vult aut permittit: non item intellecta de voluntate approbante, vt sensus sit, Si non displiceat Deo. Ita Sanchez *in eod. lib. quinto, disput. 1. num. 11.* Speciales conditiones quædam sunt intrinsecæ, quæ debent matrimonio inesse vt valeat: verbi gratia, Si non sis consanguinea, vel non sis monialis, contraho tecum. Quædam vero extrinsecæ: harumque tursus aliæ sunt necessariæ: vt Si sol cras oriatur, contraho tecum: aliæ impossibiles, vt si Lunam dentibus apprehenderis, contraho tecum: aliæ demum contingentes seu possibiles. Quæ adhuc vel sunt honestæ, vt si parentes consentiant, contraho tecum: aliæ indifferentes & ad matrimonium impertinentes omnino: vt Contraho tecum, si seruus cras è villa redierit: & demum aliæ turpes seu obligantes, aut inuitantes alterum ex contrahentibus ad aliquod peccatum in futurum admittendũ. Quarum quædam possunt esse contra substantiam vel bonum matrimonii, vt Contraho tecum si mihi liberum fuerit te relicta quando voluero aliam ducere: aliæ verò non esse, vt Contraho tecum si fratrem occideris, vel si furtum commiseris.

QVAR-

272. QVARTVM DOCVM. EST, Nec conditionem generalem, aut specialem intrinsecam, nec extrinsecam, necessariam, aut impossibilem reddere matrimonium conditionale, illudve suspendere. Ratio est: quia tam generalis, quam specialis intrinseca, etiam minime expressæ, insunt tacite contractui matrimonii: tanquam in eo imbibitæ. Necessaria vero & impossibilis pro non adiectis habentur quoad suspensionem matrimonij: quia necessario futurum, iam certo est in sua causa: ita vt suspensionem eiusmodi non relinquat. Impossibile vero nunquam euenit: vnde nec potest esse causa suspensionis: quæ euentum expectat. Videndus est Sanchez *in citata disp. 1. & quatuor sequentibus.* Qui inter multa alia, quæ subtiliter, disserit in disput. 5. de conditione, *Si Papa dispensauerit*, habet numer. 24. quod silentio hic præterendum non est. Sponsalia ab habente impedimentum reseruatum Papæ, contracta, sub conditione, *Si Papa in eo dispensauerit*, vera esse conditione adimpleta. Ratio est: quia licet contrahentes illa, sint inhabiles ad contrahendum pro tempore quo celebrant eiusmodi contractum; non tamen pro tempore conditionis adimpletæ: quoniam ea est natura conditionis, vt actum cui apponitur, eiusque absolutam obligationem suspendat in tempus adimpletæ conditionis: ita vt contrahentium consensus imperfecti sint & inefficaces ante illam adimpletam.

273. QVINTVM DOCVM. EST, Conditionem honestam & possibilem de præterito vel præsenti (*vt Si pater tuus voluit*, aut *Si es diues*, adiectam matrimonio, illud nec vitiare nec suspendere: sed si conditio tunc est vera, statim validum est matrimonium: sin autem falsa est, matrimonium statim est irritum. Eamdem conditionem vero de futuro, suspendere contractum matrimonii: ita vt non valeat antequam conditio impleatur. Huius prior pars probatur: quia in aliis contractibus conditio de præsenti aut præterito, non suspendit eos: sed si conditio vera est, contractus valet cum adsit consensus mutuus de præsenti: sin vera non est, nec contractus valet. Posterior pars vero probatur tum ex cap. De illis, & cap. Super eo, De conditionibus appositis. Tum ratione: quia ius reiciens à matrimonio conditiones turpes & impossibiles *in cap. finali, eodem titulo*, censetur admittere honestas, & possibiles: quæ quando sunt de futuro, contractui adiectæ, valorem illius suspendunt in ipsarum euentum: sic tamen vt ante hunc neutri contrahentium liceat resilire inuito altero, cum ex contractu conditionali non minus oriatur obligatio in spe, hoc est, in euentu conditionis, quam ex contractu absoluto, obligatio absoluta, & in re. Nam alioqui ex eiusmodi contractu nulla obligatio orta esset. Videndus est Sanchez disp. 6. & duabus sequentibus pro pleniore totius huius rei intelligentia.

274. SEXTVM DOCVM. EST, Quotiescumque apponitur conditio contra matrimonii substantiam vel bona (quæ sunt proles, fides, & sacramentum) matrimonium ipsum esse inualidum, iuxta cap. Solet, & cap. Aliquando 32. quæst. 2. & cap. final. De condit. appos. Contra bona autem prolis erit conditio si dicatur, Accipio te in vxorem, si non tenear tibi reddere debitum. Contra bona fidei vero, si dicatur, Accipio te in vxorem si quæstum feceris per adulterium. Contra bona demum sacramenti, si dicatur, Accipio te in vxorem si nullam posthac inuenio ditiorem: quæ conditio ideo dicitur esse contra sacramentum, quia vinculum spectans ad naturam huius sacramenti, indissolubile est vt patet ex definitione tradita in præcedenti cap. 1. Latius totam hanc rem persequitur Sanchez disputat. 9. & sex sequentibus, quem lege si lubet.

275. SEPTIMVM DOCVM. EST: Quando conditio adiecta contractui matrimonij fuerit quidem turpis, nō tamen contraria substantiæ aut bonis eiusdem: in conscientiæ foro standum esse intentioni contrahentis: de qua cum dubitatur, locus est præsumptioni, quod nec sponsalia nec matrimonium sub ea cōtractum, obligent: si talis conditio non impleatur: quoniam turpis conditio communiter adiicitur vt impleatur: solet enim esse de re valde expetita; quam omnino velit is consequi, qui sub illa contrahit. In foro autem externo habetur pro non adiecta, sicut & impossibilis, ex cap. fin. De conditionibus appositis: ita vt ea non obstante, censeatur purus interuenisse consensus in matrimonium. Id quod Sanchez plenius tractans in disput. 15. monet numero 7. id esse intelligendum dummodo contrahentes norint conditionem turpem esse: quia si honestam esse crederent, sortiretur naturam conditionis honestæ: nempe vt ea impleta, *nec aliter*, obligatio matrimonii aut sponsaliorum consurgat. Et ratio est quia conditio turpis quæ putatur honesta, eam vim habet in contrahentium apprehensione & voluntate, quam haberet si vere esset honesta. Per quam rationem & aliquot alias idem Sanchez in præcedenti disput 3. num. 8. bene docet conditionem impossibilem existimatam possibilem non reiici à contractu matrimonii & sponsaliorum: sed eum illa adiecta sortiri suum effectum.

Addit præterea in eodem nu. 7. quod vt conditio cognita turpis habeatur pro non adiecta, requiri vt vterque contrahens norit, ius reiicere eas, & habere pro non adiectis: quia lex non adstringit ignorantes, argumento cap. 2. De constitut. Cumque matrimonium constet ex vtriusque consensu, eoque pleno & libero, quem ignorantia etiam crassa potest impedire (licet nequeat à peccato excusare) potest impedire. Vterque etiam debet nosse ius; id quod Sanchez ipse tractat agens de conditione impossibili in citata disp. 3. num. 11. 12. & 13. Inde inferens in nu. 14. moraliter loquendo, vix euenire casum in quo conditio siue impossibilis siue turpis, pro non adiecta habeatur; cum rarissime tale ius notum sit, præsertim fœminis contrahentibus.

VLTIMVM DOCVM. EST, Conditionem impertientem suspendere contractum matrimonii; ita vt is validus non sit, nisi illa impleta. Hoc Sanchez disput. 18. probat. Nam talis conditio nullo iure reprobatur, ergo potest valide apponi. Probatur antecedens; quia in iure per cap. finale, De conditionibus appositis, reprobatæ inueniuntur tantum conditio turpis & conditio impossibilis.

CAPVT XXXVIII.

De ignorantia impedimenti, qua non obstante matrimonium inualide contrahitur.

SVMMARIVM.

276 *Quando matrimonium contractum est inualidum ob impedimentum incognitum, ad illud validandum opus est vtriusque partis consensu: & de ratione qua is possit haberi, vitando incommoda sub. unda à parte, quæ impedimento causam dedit.*

277 *Duæ tales rationes notandæ pro casu in quo pars nescia impedimenti non potest facile conuenire de renouatione consensus.*

278 *Quando matrimonium contractum est secundum formam Concilii Trid. sed inualide, ob impedimentum occultum: vt renaliderur per nouum consensum, non est necessarium eandem formam de nuo seruari: vt nec iterum benedictionem Ecclesiæ accipere.*

279 *Qui nouit matrimonium suum esse nullum ob impedimentum dirimens, in nullo euentu posse idipsum ignoranti reddere coniugale debitum.*

280 *Remedia aduersus incommoda quæ sequi possunt ex tali debitiiusta negatione.*

276. HVC pertinent quæ Sanchez tractat lib. 2. De matrimon. disput. 35, & aliquot sequentibus; ex quo pro praxi quotidiana desumemus aliquot documenta.

PRIMVM EST: *ex eadem disputat. 35.* Quando matrimonium est contractum inualide ob impedimentum dirimens, vt ipsum conualescat, non est satis idem impedimentum cessare, *prout morte vxoris cessat impedimentum*

coniugij,

coniugij, vel tolli per dispensationem; sed necessarium est, vt nouus vtriusque partis accedat consensus, tam externus quam internus. Ratio est, quod prior consensus fuerit ex parte vtriusq; omnino inualidus, ob interueniens impedimentum, nihil operans, perinde ac si non fuisset. Vnde ad matrimonium validandum sublato impedimento, requiritur consensus nouus vtriusque partis tam externus quam internus: non minus quam requireretur si nullus antecessisset.

SECVNDVM DOCVMENTVM EST: In magna illa difficultate quæ occurrere potest, quando matrimonium est inualidum ob occultum impedimentum, quod alter tantum coniux nouit (vt quando vxorante matrimonium fornicata est cum fratre viri) posse *iuxta ea quæ docet Sanchez disput.* 36. sic procedi, vt tale matrimonium conualescat. Primo auferendum est impedimentum procurata dispensatione, sine qua nouus consensus (quem iuxta præcedens documentum accedere oportet) non esset efficacior, quam prius exhibitus: eadem nimirum nullitatis causa perseuerante. Deinde coniugem impedimenti ignarum de prioris matrimonij nullitate, certiorem faciendum esse: licet causa ei non retegatur: non enim desunt rationes quibus satis probabiliter ostendatur id necessarium esse ad hoc vt conualescat matrimonium: quas rationes Sanchez habet *in citata disputatione numero* 3. Illam attigisse sufficiat: quod talis error ad errorem personæ reducatur: si quidem sponsus existimat se consentire in suam, quæ tamen reuera non est sua. Immo vero error is maior est quam personæ, vtpote quo laborans, integrum contractus substantiam ignoret, nesciatq; vere quid agat.

Sed aduerte ex eodem in sequenti numer. 7. istud habere locum, vbi attenta viri & fœminæ conditione non timetur probabiliter periculum scandali: quale esset, si quantumcumque proles suscepta sit, & immineat infamia, vir tamen nullitatis conscius, nollet denuo contrahere: ita vt fœmina quæ non potest probare impedimentum, maneat remedio destituta. Vbi autem esset prædicti scandali aut infamiæ timor probabilis, curandum esset ab impedimenti nescio obtinere nouum consensum: prouenientem si non ex scientia nullitatis matrimonij, saltem ex aliqua cognitione illi æquiualente: qualem esse idem numer. 5. ait, si coniux impedimenti conscius, sic peteret ab altero, Me ita diligis, vt si matrimonium non esset inter nos, denuo contraheres; ac ex nunc (quod addendum est, quia non esset alioqui contractus de præsenti) Vis me in coniugem, ac si non fuisset validum inter nos contractum prius matrimonium, alterque respondeat, Ita volo: & interrogans se quoque idem velle dicat. Nam sic vterque denuo contrahere intendit, licet sub conditione, si prius matrimonium fuerit inualidum, quæ conditio cum adsit, matrimonium erit validum. Nec obstat quod ab altero impedimentum ignoretur: quia consensus quem exhibet, non procedit ex ea ignorantia, sed tantummodo illam habet comitem.

277. Quod si non posset consensus iste conditionalis extorqueri absque probabili periculo scandali aut infamiæ, secta omnino prioris matrimonii nullitate, cautè curandum est, vt impedimenti nescius (prout idem docet in sequ. num. 8.) renouet consensum ad matrimonium, habendo consensum in coniugem: quod obtinebitur si eodem conscio dissimulanter petente à nescio impedimenti, vt pro sua consolatione habeat ipsum in coniugem: eoq; dicente *habeo* petens addat, Et ego te quoq; in coniugem habeo. Cuiusmodi consensum in eo casu posse ad matrimonium sufficere, multorum nobilium authorum, *qui ab eodem in præced. nu. 2. referuntur*, sententia est, confirmata ibidem aliquot rationibus: quæ etsi non faciant eam ita sufficienter probabilem, vt liceat, seclusо periculo scandali, eam absolute amplecti: aliqualem tamen probabilitatem habet, ratione cuius, ea teneri potest, dum vrget necessitas ob periculum quod sequeretur ex illius oppositо. Necessitas enim facit vt probabile iudicetur quod alioqui non iudicaretur, vt idem numer. 8. ex Soto & Nauarro habet, & confirmat ex communi vsu in administratione aliorum sacramentorum, præsertim baptismi: qui dum infanti periclitanti dum adhuc in vtero existit, conferuntur si aliqua eius pars attingi possit aqua.

Qua quidem ratione nixus idem, in sequenti num. 9. post Sotum & quosdam alios, resoluit quod si prædictus consensus nequeat extorqueri, quia vir est morosus, neque vult respondere: ex aliaque parte petit debitum ab vxore, nec ea potest sine scandalo subterfugere: reddendoque peccaret, quia nondum esset matrimonium. Resoluit, inquam, posse absque verbis, matrimonium illud sublato impedimento conualescere per copulam ex parte vxoris habitam affectu maritali: quo eodem affectu ex parte quoque mariti haberi (cum matrimonium suum validum esse existimet) non esse dubitandum. Ratio autem resolutionis est, quod iuxta cap. finale, De coniugio seruorum, vt verbis sic & factis externis sufficienter ad validitatem possit esse consensus in matrimonium: atque inter eiusmodi facta ex cap. 2. eodem titulo, possit poni copula carnalis habita affectu maritali: per quam etiam sponsalia transire in matrimonium habetur ex capit. Is qui, De sponsalibus. Cuius rationis qualiscumque probabilitas, *iuncto supradicto periculo, & ne egestate*, perinde ac præcedentis, sufficere potest, vt doctrinam eam sine scrupulo amplectamur. Nec potest obiici, eandem nullum vsum habere vbi promulgatum est Concilium Trident. cum tale matrimonium sit clandestinum, ideoque nullum. Nam & tunc habet vsum, qui sequente documento aperitur.

TERTIVM igitur DOCVMENT. esse potest. Quando matrimonium fuit celebratum publice, seu coram Parocho & testibus si ipsum nullum fuisse deprehendatur, haud necessarium esse denuo similiter contrahere: sed sufficere si contrahentes inter seipsos solos renouent consensus. Id quod Sanchez *disputat* 37. *num.* 2. probat. Tum quia id non repugnat intentioni Concilii Trident. in sess. 24. cap. 1. De reformat. matrim. dum requirit Parochi & testium præsentiam. Requirit enim vt matrimonium possit probari, & vt contrahentes impediantur alia matrimonia inire: ad quæ sufficit, quod licet prius matrimonium fuerit in se inualidum, in facie tamen Ecclesiæ validum censeatur eo nomine, & nullitas illius & impedimentum sint occulta, puellicaq; esse oporteat, vt ratione eorum, ab Ecclesia impediendi sint, qui nihilominus velint secundum matrimonium inire. Tum etiam quia Conc. Trid. loquitur de matrimoniis clandestinis, quæ Ecclesia semper est detestata: in quorum numero non sunt habenda illa, quorum publicitas præcessit: etiamsi valor, ob impedimentum occultum, non præcesserit. Tum demum: quia sublato ipso impedimento, nihil obstat quin matrimonium impeditum conualescat per nouum consensum, quem publice *vt prius* exhiberi, obstant scandala & incommoda inde secutura: ad quæ subeunda Concilium obligare voluisse, non est probabile. 278.

Procedit autem istud, *vt Sanchez consequenter docet*, qualecumq; sit impedimentum occultum, & quantumcumque matrimonium sit mala fide contractum cum tali impedimento, ac etiam non obstante clausula solita apponi in dispensationibus concessis ad reualidandum matrimonium inualidum ob impedimentum occultum: quæ talis est. Si ita est; cum eis vt inter se publice & seruata forma Concil. Trident. contrahant, dispensetur.] Non procedit autem si Parochus & testes nollent impedimentum, etiamsi aliis sit occultum; quia non possent alioqui in foro externo esse testes valoris matrimonii, sed potius nullitatis. Nec item procedit cum periculum est, ne impedimentum detegatur & probetur in foro externo. Ratio est: quia de talis matrimonii publici reualidatione occulta non constaret Ecclesiæ hæc probato impedimento, illud iudicabit nullum, permitteretq; contrahere aliud, in quo perpetuum adulterium committeretur, quod absurdum est. Addit de benedictione Ecclesiæ idem esse sentiendum, quod de præsentia Parochi & testium, scilicet nō esse necessariū eam denuo reperi quando nō potest id fieri sine scandalo. Item traductionē sponsæ ad domū spon-

si, &

si, & diuturnam cohabitationem, sicut & copulam affectu maritali habitam, esse posse sufficiens signum externum interni consensus ad reualidationem matrimonii. Eum & Couarruuiam ab eo citatum consule si placeat.

276. QVARTVM DOCVM. EST. Coniugem conscium nullitatis matrimonii ob impedimentum siue diuino siue humano iure dirimens, in nullo euentu (quantumcũque ab Ecclesia excommunicetur, vitæq; periculum subeat, & grauissima sequantur scandala) posse reddere debitum coniugi ignoranti. Pro hoc faciunt cap. Inquisitioni, De senten. excommunic. & cap. Literas, De restit. spoliat. Et ita sentientes multos authores refert Sanchez *lib. 2. disp.* 39. Probaturq; ex eo, quod alioquin concedendum esset fornicationem aliquando licitam esse, cum in tali casu conscius impedimenti, accedat ad eam, quã scit non suam, & ideo fornicetur: quia fornicatio non est aliud, quam accessus ad non suam. Ideoq; si in aliquo casu liceat accedere ad non suam, licebit & fornicari, quod absurdum est: cum sit intrinsece malum, atq; adeo illicitum, semper & vbique. Nec responderi potest delinere esse malum respectu maioris mali, quod vitandũ est: quia id dici non potest de iis quæ cum sint intrinsecè mala, nõ nisi male fieri possunt: sed de iis tantum quæ non sunt alia ratione mala, quam quia prohibita; vt esus carnium in Quadragesima, & alia huiusmodi de se indifferentia.

277. Quod autem istud procedat, non tantum quando impedimentum est iuris naturalis; sed etiam quando est iuris humani, ex eo patet; quod cum hoc, perinde ac cum impedimentis iuris tantum Ecclesiastici dirimente contractum, conualesceret, dum vnus coniux illud scit & alter ignorat: si idipsum impedimentum ita detegeretur, vt vtrique coniugi notum fieret, illi non essent separandi, nec procuranda esset dispensatio: quod est contra communem vsum.

280. Porro aduersus prædicta incommoda, ei qui quod inualide contraxerit, nequit absq; scelere reddere coniugale debitum; authores proponunt aliquot remedia, quorum Sanchez meminit *in eadem disput. 39. quæst. 2.* Primum est fugere in locum vbi scandalum cessat. Secundum ingredi religionem, si matrimonium nondum consummatum sit: quo remedio tamen vti, ne quidem ille cogitur, qui mala fide contraxerit. Tertium, vt coniux impedimenti conscius petat diuortium ob sæuitiam vel adulterium alterius, si forte hæ causæ concurrant. Quartum, impetrare à coniuge vt simul viuant tantum vt frater & soror, iuxta cap. Laudabilem, De frigid. & malefic. Quod tamen remedium moraliter loquendo, vix est licitum ob humanam infirmitatem, ob quam periculum est consensus probabilissimum, cui se exponere temeritas est.

CAPVT XXXIX.

De coniugum obligatione reddendi coniugale debitum.

SVMMARIVM.

281 *Obligatio reddendi debitum æqualis est in viro & fœmina.*
282 *Ea est sub peccato mortali.*
283 *A quo excusat periculum animæ aut notabile corporis.*
284 *De lepra & lue venerea excusante.*
285 *De ingressu religionis, & de impotentia coeundi.*
286 *De periculo aborsus.*
287 *De fornicatione, & periculo fœminæ moriendi in partu.*
288 *De experientia quam habet fœmina se non posse prolem viuam parere.*

281. ÆQuali iure teneri coniuges sibi inuicem reddere coniugale debitum, constat ex Apostolo in priori ad Corinth. cap. 7. cum ait. Vxori vir debitum reddat, similiter autem & vxor viro, quoniam mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Quia igitur ex vi contractus matrimonii, vir & fœmina contrahentes transferunt in se mutuo potestatem corporum, licet in aliis non sit ius æquale, cum vir sit caput mulieris, ex sequenti cap. 11. in hoc tamen, est omnino æquale. Ideoque peccat æqualiter vir ac fœmina negans debitum alteri coniugi petenti; siue expresse per verba, siue, vt vsuenire maxime potest fœminis verecundioribus, interpretatiue; exhibitione aliquorum signorum, ex quibus facile est colligere voluntatem petendi. Pro quo Sanchez *libr. 9. disputat. 2. num. 4.* multos authores commemorat.

Adde quod idem late tractat *in sequenti numero 6. & 7.* eidem obligationi locum esse, quantumuis nec verbis nec aliis signis debitũ coniux petat, si alter aduertat ipsum pati incontinentiæ periculum, cui subuenietur per coniugalem copulam. Ratio est: quia si lege charitatis quiuis proximus tenetur cum potest commode opem ferre proximo, in necessitate spiritali constituto, tenebitur maxime coniux coniugi ob arctum amicitiæ vinculum, quo adstricti sunt: præsertim autem in proposita necessitate; cum matrimonium post naturæ lapsum, institutum sit in remedium carnalis concupiscentiæ: quod coniux coniugi etiam non petenti offerre, *exhibitione debiti* tenetur, perinde ac medicus ægrota cui medetur offerre medicinam salutarem, etiamsi eam non petat.

Notat autem Nauarr. in Enchir. cap. 16. numero 24. 282.
tale peccatum mortale esse ex communi adeoque (vt Sanchez habet numero 9.) omnium sententia. Cuius fundamentum est quod lege iustitiæ reddendum sit vnicuique quod suum est, corpusque viri sit vxoris, & econtra, ex priori ad Corinth. cap. 7. Sicut igitur in aliis rebus magni momenti debitum negare contra iustitiam, censetur fieri proximo grauis iniuria, censeri quoque debet in ista, quam constat esse de illarum numero. Verumtamen interdum non petitur cum tanto rigore iustitiæ, vt reddi debeat sub mortali: vt cum petitur solum insinuando & alliciendo, mouendove. Nam nec debitum pecuniarum non reddere ea tantum ratione petitum, videtur peccatum mortale. Immo vero quando vnus crebertrime, importune, & molestè peteret, non teneretur alter semper ad nutum ei obsequi: nec negans debitum censeretur facere ei iniuriam grauem: ita vt ex materiæ leuitate, excusatio à mortali daretur. Secus vero, si cum debita moderatione obnixe petenti debitum, non nisi cum magna difficultate, aut quã ratissime reddere vellet; maxime autem si in petente aduerteret periculum adulterij, aut alterius nefariæ pollutionis. In talibus enim casibus (vt cum fœmina ideo renueret, quod nollet ex tali viro prolem suscipere) peccatum mortale committitur per negationem debiti ex iustitia, in notabilem iniuriam proximi.

Causæ excusantes à proposita obligatione.

283. SVnt præterea aliæ causæ excusantes à peccato non reddentem debitum coniugale. PRIMA EST, periculum animæ: vt quando aliqua circumstantia redderet vsum matrimonii illicitum, iuxta dicenda in sequenti tractatu de eodem vsu.

SECVNDA EST, periculum corporis de quo Sotus *in 4. distinct. 32. quæst. vnica, art. 1.* hanc conclusionem statuit. Neutrum coniugem teneri debitum coniugale alteri reddere cum detrimento salutis seu conseruationis proprij individui. Et probat: quia ordo tam naturæ, quam charitatis, quæ naturam perficit, id postulat, vt vnaquæque res sibi magis consulat, quam alteri. Adde quod homo non habeat vitæ suæ dominium, & ideo nequeat illam graui discrimini exponere, vbi vrgentior causa non compellit.

Cuiusmodi causa esse, an periculum incontinentiæ in exigente, debeat censeri, dubitatio est. Quam Sanchez *lib. 9. disput. 24. num. 12.* tractans, resoluit posse esse tantum de consilio: quia etsi licitum sit cum notabili corporis detrimento, graui necessitati spirituali proximi subuenire; non est tamen de præcepto: tum quia non est extre-

ma necessitas cum possit aliis mediis ei subueniri: tum quia contrahens matrimonium non obligat se ad debitum reddendum præcise: sed salua incolumitate personæ iuxta naturæ ordinem: qui est vt tali incolumitati prius consulatur, *de quo paulo inferius*, quam propagationi speciei, ad quam matrimonium instituitur. Bene autem addit loco citato Sotus, neminem debere ansam malæ fidei inde arripere, vt coniugem defraudet eo prætextu: quia licet nonnunquam leue aliquod detrimentum timeatur: obligationi iustitiæ nihilominus satisfaciendum est: vt in debito pecuniario, ita & in hoc. Propositam causam assignatam à D. Thoma in 4. distinct. 32. quæst. vnica, art. 1. ab omnibus esse receptam habet Sanchez *in eadem disp. 24. num. 2.* Atque Caietanus in Summula *verbo Matrimonium §. Matrimonij peccata*, adfert ex ipso D. Thoma, quod eodem spectat, debitum coniugale intelligi salua subiecti consistentia & sanitate. Id quod natura satis innuit, dum per generationem conseruationi speciei intendit sine malo individui. Ideo enim naturalis vis nutriendi prius prouidet individui conseruationi & deinde generationi ministrat superfluum, ad speciei propagationem.

284. Sed aduersus eamdem, opponi potest ex cap. 2. De coniugio leprosi. quod coniux leprosi cogatur debitum reddere petenti. Cuius obiectionis diuersa est diuersorum responsio; vt patet ex iis quæ Sanchez tradit in eadem disput. 24. quæst. 2. Is autem eam approbat (*pro qua & magno numero authores citat num. 17.*) quæ habet sermonem illic esse de redditione debiti, quando ea non cedit in notabile damnum reddentis. Responderi potest etiam cum Soto *in 4. distinct. 32. quæst. vnica, art. 1. col. penultim.* quod Pontifex illic intendat tantum decernere, lepram quamuis de se horrorem afferat, & aliquem contagionis metum, non absoluere tamen coniugem ab obligatione reddendi debitum, nisi periculum contagionis esset moraliter certum: aut horror adeo ingens esset vt natura ipsa cõgressum abominaretur. Quem horrorem, *etiamsi periculum infectionis abfuerit*, excusare ob prævalentem nauseam in redditione debiti tanquam moraliter impossibili, Sanchez aliis citatis docet num. 21.

Addit Sotus loco citato ex arte medica & ex experientia communi constare, maius periculum contagionis imminere viro ex accessu ad leprosam, quam contra (de quo Sanchez *in eadem disputat. num. 19.*) ideoque virum sanum minus teneri leprosę debitum reddere, quam vxorem sanam viro leproso. Addit etiam (pro quo Sanchez in præced. num. 18. plures alios citat) quod dicitur de lepra intelligendum esse pari ratione de lue venerea. Neque ad negandum debitum sufficere, quod timeatur prolẽ contracturam esse lepram: quia vt D. Thomas ait melius est prolem sic fore, quam nullatenus fore. Adde quoque ex Caiet. 2. 2. *qu. 154. art. 1. col. vlt. versu ad 2.* quod si vxor sana cum viro leproso aut infecto lue venerea coiret ob amorem quo illum persequitur non curans periculum propriæ infectionis ex contagione, non solum à peccato excusaretur, sed etiam mereretur si ex charitate id faciat. De quo Sanchez numer. 23. annotans in præcedenti nu. 22. quod dictum est periculum contagionis excusare à redditione debiti coniugalis, non procedere quando morbus contagiosus præcessit id sciente sano coniuge: qui nihilominus ad eandem redditionem voluit per matrimonium contractum se adstringere: vt & ad cohabitationem, ad quam pariter idem contractus adstringit.

285. Tertia Causa Est: Voluntas ingrediendi religionem ante matrimonii consummationem. Ea enim facit vt spatio duorum primorum mensium liceat negare debitum, iuxta cap. Ex publico, De conuers. coniugatorum.

Quarta Causa Est: impotentia coeundi quæ cum adest excusat non satisfacientem debito: quia impossibilium non est obligatio, ff. de reg. iuris, lege Impossibilium. Quamquam peccatum est mortale talem impotentiam de industria sibi procurare: quia notabilem proximi iniuriam habet coniunctam. Quod procedit ex Syluest. *in verbo Debitum, num. 2.* & ex aliis quos Sanchez refert *lib. 9. disp. 3. nu. 4.* non tantum cum scienter quis reddit se impotentem modo illicito, vt per crebras pollutiones aut accessus ad alienas: sed etiam cum scienter modo licito, vt per notabilem excessum in vigiliis vel ieiunio: quia facit contra iustitiam & tanquam cooperanti imputatur ei corruptela; si quam alter coniux patitur quam alioqui vitasset.

Habet in sequentibus numeris Sanchez alia notanda praxi. Primum est, culpa vacare coniugem, se bona fide extenuantem mediis honestis; vt seruando Ecclesiæ ieiunia aliaue moderata ex deuotione aut impendendo moderate tempus honestis studiis. Ratio est: quia efficietur quidem minus potens, non tamen impotens: neq; tenetur cum spiritali iactura à spiritualibus operibus abstinere vt se potentiorem ac robustiorem reddat; sicut nec ob eam causam tenetur desistere à necessariis corporalib. exercitiis. Itaq; satis est viro, vt attenta sua & vxoris conditione, conseruet vires quæ sufficiant ad moderate reddendum eidem vxori debitum, ne incontinentiæ periculo eam exponat. Secundum est, non licere vxori vigiliis & abstinentiis ita se dedere, vt deformis & odiosa viro reddatur, ne ei ansam præbeat quærendi alios amores turpes. Tertium est, maritum non teneri calidis vti, vt ad copulam potens efficiatur, sed sufficit, vt non reddat se impotentem. Quartum est, votum abstinentiæ aut vigiliarum aut longæ peregrinationis aut alterius exercitii obstantis coniugali debito moderate reddendo, etiamsi validum sit, nõ posse impleri donec alteri coniugi manifestatum, ab eodem approbetur. Ratio est: quod eiusmodi votum sit de re licita quidem, sed dependente ab alterius coniugis voluntate: contra quam si vouens expresse intenderet se obligare, peccaret, nec votum valeret tanquam Deo displicens.

Quinta Causa Est: Periculum aborsus, quod 286.
in coagulatione contingit potissimum, & quando propinquus est partus. Propter illud enim licere coniugale debitum negare, ex eo probatur: quod matrimonii finis sit generatio prolis, cui aborsus directe repugnat. Taliq; periculo, *quod est mortem inferendi innocenti*, exponere se peccatum est mortale: vt ex pluribus authoribus Sanchez habet *l. b. 9. disput. 22. in initio.* Addens periculum incontinentiæ ab eo non excusare; quia illud periculum præponderat huic: cui aliis modis consuli potest. Hinc monet præclare D. Hieron. verbis relatis 32. qu. 4 cap. Origo. Qui dicunt se causa reipubl. & generis humani vxoribus coniugi & filios procreare, imitentur saltem pecudes: & postquam venter vxoris intumuerit, non perdant filios.

Sexta Causa Est: Fornicatio, propter quam 287.
ab vno coniuge commissam liberum esse alteri coniugale debitum denegare ex Christi authoritate, Matth. 5. (per illa verba, Excepta fornicationis causa) sine alia Iudicis sententia, communis consensus est teste Nauarro in Enchir. cap. 22. numer. 21 Et confirmatur: tum ex cap. Dixit Dominus, 32. q. 1. tum ex eo, quod frangenti fidem non teneatur quis eam seruare, cap. Peruenit, 2. De iureiur.

Aduerte primo in hac causa, coniuges esse pares: quia si fidei fractio tam reperitur in adulterio viri, quam vxoris. Aduerte secundo, eam habere locum etiamsi fornicatio sit occulta: cum per eam quoq; frangatur fides implicite data in contractu matrimonii; negatioq; debiti coniugalis, sicut sit tantum inter priuatos parietes, contenta sit notitia moraliter certa talis causæ datæ. Pro quo multos authores Sanchez refert *lib. 10. disp. 12. num. 5.* Aduerte 3. ex Nauar. in seq. nu. 23. quod etiam adulter perdat ius exigendi debitum, eique innocens possit illud negare sine iniustitia: non impediatur tamen illud petere: non quidem vt debitum, sed vt rem licitam: quia innocenti licet si velit illud reddere: quandoquidem Christus concedendo ei facultatem negandi tale debitum, non adimit facultatem illud reddendi si lubeat. Aduerte quartò, quod Sanchez *in sequenti num. 6.* tractat, Si coniugi innocenti certo scienti adulterium alterius, sed non valenti illud probare, Iudex sub excommunicatione latæ sententiæ præcipiat debitum reddere, non teneri ex natura rei obedire quoad forum conscientiæ: quia tale præceptum innititur falsa præsumptione: posse tamen teneri ratione

scandali: cum vel nullo modo vel non nisi longa temporis mora probare valet. Et maxime, quia in excommunicatione, sordescens per annum, suspectus est de hæresi, iuxta Conc. Trid. sess. 23. De reform. cap. 3. in fine. Aduerte ex eodem authore *ibid. nu.* 8. Adulterium tanquam priuatum iure exigendi, non posse in conscientia, innocentem coniugem, cui idipsum peccatum certo notum est, cogere ad coniugale debitum sibi reddendum; ne quidem ad id damnatum à Iudice: cum sciat talem damnationem esse ex falsa præsumptione; & ideo non habere locum in conscientia: in qua sequenda est rei veritas.

Septima Causa esse potest, *quam Tabiena in verbo Vxor, q. 3. indicat*, conditio fœminæ, quæ iudicio medicorum moreretur in partu si reddendo debitum cõciperet. Non enim tenetur coniux debitum reddere cum manifesto periculo vitæ. Pro quo videnda sunt antedicta nu. 283. neq; potest medicamentis sterilitatem procurare, vt se à tali periculo liberet: quia id est contra bonum prolis in quo constituitur præcipuus matrimonii finis: adeo vt (*quod à Nauar. in Enchir. cap. 16. n. 33. tactum, Sanchez* commendat *lib. 9. disp. 20. n. 10.*) nullo bono fine honestari possit sumptio potionis, qua prolis conceptioni obstetur. Sicq; prout infert Tabiena, in tali casu alter coniux tenetur continere, perinde ac in aliis in quibus iuxta antedicta debitum licite negatur.

288. Octava Causa est experientia, quam habet fœmina se nequire prolem viuam edere. Ratio est: quia illi non modicum vitæ periculum imminet ex morte fœtus in vtero, & ex partus difficultate, vnde eam excusati ab obligatione reddendi debitum (*pro quo faciunt antedicta nu.* 283.) citatis aliis tenet Sanchez *lib. 7. disput. 102. num. 9.* Addens num. 11. nihilominus id non obstare quominus eadem fœmina debitum licite petat, & petenti reddere vir teneatur ad vitandum discrimen nõ modicum incontinentiæ: alioqui imminens, postposito grauis mortis periculo, quod non est omnino certum. Nec obstat mors fœtus, quia præter intentionem accidet coniugibus iure suo vtentibus, melius q̃ illi est cum peccato originali & carentia visionis Dei esse in rerum natura, quam omnino non esse, ex D. Thom. 1. 2. quæst. 83. art. 1. in fine: de quo memoratus author in præced. num. 8. Supersunt aliquot difficultates quibus satisfaciendum est in reliqua parte capitis.

RELIQVA PARS CAPITIS.

In qua difficultates aliquot explicantur.

SVMMARIVM.

289 *Nulla culpa est coniugum, communi consensu abstinere à copula coniugali ne multiplicent prolem, quam alere non sufficiunt; & quod petenti debitum, non possit ea de causa negari.*

290 *Ob damnum rei familiaris omissio redditionis debiti excusatur.*

291 *Coniux in necessitate baptizans filium alterius coniugis, non priuatur potestate exigendi debitum coniugale: extra necessitatem vero idem faciens priuatur, nisi ignorantia excuset.*

292 *De eo quod coniux, carnaliter cognoscens in primo vel secundo gradu consanguineam coniugis, priuetur petitione debiti coniugalis.*

293 *Quid si vterq; coniux, se simili incestu contaminauerit.*

294 *Non requiritur Iudicis sententia ad incurrendam pœnam prædictam.*

295 *Ab eadem pœna, vis quidem præcisa excusat, non tamen metus, etiam is cum quo fœmina opprimitur.*

296 *De ignorantia excusante, quæ potest esse vel facti, vel iuris, vel pœnæ.*

297 *Quod facti ignorantia etiam vincibilis in hac re à pœna excuset.*

298 *Quod item excuset ignorantia tum iuris, tum pœnæ cum fuerit inuincibilis.*

299 *In dubio de validitate matrimonij, ante factam diligentem inquisitionem veritatis, non licet petere debitum coniugale: post factam autẽ si possibile non fuit eam assequi, petere l. cet.*

300 *Quid sit tenendum cum vterque coniux de validitate matrimonij dubitat.*

301 *Cum vnus tantum coniux dubitat de validitate matrimonij, ipso petente debitum, alteri liberum est concedere vel negare: & quid de opinante probabiliter matrimonium a se contractum esse nullum.*

Prima Difficvltas Est. Vtrum coniux excusetur à reddendo debito coniugali propter damnum rei familiaris. 289.

Tenendæ sunt de hac sequentes conclusiones quas authoribus citatis Sanchez habet *lib. 9. disputat. 25.* Prima est, Nullam culpam esse, coniuges ex communi cõsensu abstinere à coniugali copula ne multiplicent prolem quam alere non sufficiant. Ratio est: quia in eo neutri illorum fit iniuria: cum vterque communi placito abstineat: neuterq; ad ipsam copulam teneatur, nisi altero petente. Neque voluntas non multiplicandi liberos, est ex se vitiosa: adeo vt possit vestiri bono fine: qualis est defectus diuitiarum ad multiplicatos alendos.

Secunda conclusio est, Multiplicationem prolis cui alendæ parentes nõ sufficiant, minime obstare, quin coniux coniugi debitum petenti obligetur reddere. Ratio est, quod cum procreatio prolis sit primarius finis matrimonii, cohonestans illud; repugnat fieri vt exuberantior consecutio talis finis, eximat à debiti redditione: quæ medium est ad eumdem finem comparandum. Quamquam si non adsit periculum incontinentiæ, negatio debiti in tali casu non videtur peccatum esse plusquam veniale. Quod probatur à simili: quia in soluendis debitis ex iustitia, incommoditas magna excusat: nec eum cum ea debitor restituere tenetur, ex communi doctrina de restitutione: nisi æqualis incommoditas creditoris concurrat. Aduerte autem quod memoratus author admonet, tali excusationi locum esse, quando parentum facultates adhuc superstitum, non sunt sufficientes ad liberorum alimenta. Dicitur adhuc superstitum: quia secus est, si tunc sufficientes sint, etiamsi parentibus ipsis defunctis inter tot liberos diuisæ, non sufficiant: quia spectabit ad eosdem liberos sibi ad victum necessaria quærere.

Tertia conclusio est, Licere debitum coniugale negare ad vitandum magnum in bonis pecuniariis aut infama detrimentum: vel ad magnam in illis vtilitatem acquirendam. Ratio est: quia in ipso matrimonii contractu, coniuges pollicentur sibi mutuum obsequium, & operarum communionem quantum ad œconomiam, & propriæ domus gubernationem: ad quod quidem tendit societas coniugalis. Quoties igitur viri prudentis arbitrio ad familiæ gubernationem & rei familiaris necessitatem exigitur absentia coniugis, copulæ impeditiua; etiam per longum tempus: impedimentum non debet censeri irrationabile & illicitum. Hanc habet idem author in præced. disp. 4. n. 13. aliis citatis. 290.

Secvnda Difficvltas. Quatenus obligationi ad coniugalem copulam obstet cognatio spiritualis, post initum matrimonium contracta.

De hac Sanchez *in seq. disp. 26.* late tractat. Pro praxi, ad illius explicationem possumus contenti esse duabus conclusionibus. Prior est: non modo redditionem, sed nec petitionem debiti interdici coniugi, qui prolem alterius coniugis etiam communem, *id est tam suam quam illius*, baptizauerit in necessitate. In hac omnes idem author num. 2. ait conuenire, iuxta textum expressum in cap. Ad limina 30. quæst. 1. vbi ratio hæc redditur, quod non sit æquum coniugem qui culpæ immunis fuit, suæq; satisfecit obligationi baptizans prolem, ne in æternum periret, id damnum sentire, vt sibi interdicatur debiti petitio; quæ pœna est delicti. Necessitas autem quæ debet adesse, addit idem aliquot aliis citatis, tunc censetur contingere, cum nullus alius occurrit qui munus id obeat: ita vt periculũ alioqui sit, ne infans obeat sine baptismo. Quamquam si adessent quidem alij, sed pater videns filium expirantẽ magna commotione & rimore perculsus, ne decedat sine baptismo, tanquam non habens tempus 291.

adhi-

adhibendi alium, indeliberate pene baptizat. Tunc enim sicut non est in culpa, ita nec priuatur iure petendi debitum, vt idem ibidem addit, subiungens *in num.* 3. pariter dicendum, debiti petitionem non esse coniugi interdictam in casu necessitatis: seu quando nullus adest, qui patrinus sit, & parens obit id munus. Quod laudabiliter tunc facit, eo quod in baptismo patrinus requiritur de præcepto, etiamsi non sit necessarius ad valorem baptismi.

Posterior conclusio est: Coniugem qui extra necessitatem scienter (& maxime ex malitia) baptizat, aut tanquam patrinus in baptismo vel cõfirmatione tenet communem filium aut proprium alterius coniugis, teneri debitum reddere, priuari tamen potestate illud exigendi. Hanc Sanchez *in eadem disputat. 26. num. 7.* vt probabiliorem sua contraria, sequitur propter cap. Si vir, De cognat. spirit. vbi decisum est, quod si alteruter coniux filium suum de sacro fonte susceperit siue ignoranter siue ex malitia, non debere alterum alteri debitum subtrahere: Ratio subiungitur: quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur: sin ex malitia sua fraus & dolus eis patrocinari non debet. Vbi aduerte, quod etiamsi decisio videatur eadem esse de suscipiente ignoranter & de suscipiente ex malitia; ratio tamen addita satis ostendat diuersitatem, in qua cum mentio fit de ignorante, ignorantia dicitur excusare; cum vero de scienter, dicitur quod sua fraus non debeat ei patrocinari. Vnde recte infertur proposita conclusio: hoc est coniugem qui scienter extra necessitatem, atque adeo ex malitia, baptizat filium commune aut proprium coniugis (quod plus est quam suscipere in baptismo) priuari iure petendi debitum, & teneri reddere illud alteri coniugi petenti. De hac Sanchez pluribus, in eadem disputatione à numero 6. ad finem vsque. In fine præcedentis numeri quinti annotans ex Nauarro, malitiam in tali peccato esse mortalem, quod satis ostendere videtur grauitas pœnæ, qua delinquens priuatur potestate exigendi coniugale debitum.

TERTIA DIFFICVLTAS. Quatenus affinitas carnalis post initum matrimonium contracta, obstet obligationi ad copulam.

292. Hanc Sanchez tractat disput. 27. Illius autem explicatio continetur duabus conclusionibus. Prior est, coniugem adulterantem cum alterius coniugis consanguineo vel consanguinea, non posse ab eodem altero debitum petere, teneri tamen petenti reddere. Huius prior pars habetur ex cap. 1. De eo qui cognouit consanguineam vxoris. Cuius verba sunt: Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam vnquam habere potest vxorem. Posterior pars vero habetur ex cap. Discretionem, eod. titulo, vbi paulo ante finem sic dicitur. Sed nec affinitas quæ post contractum legitime matrimonium, inter virum & vxorem inique contrahitur, ei debere officere quæ huiusmodi iniquitatis particeps non existit: cum suo iure non debeat sine sua culpa priuari.

Multa autem circa hanc conclusionem Sanchez habet notatu digna pro praxi. Primum est, eam priuationem petitionis debiti locum habere, quantumuis incestus sit occultus: quia affinitas carnalis æque contrahitur ex carnali copula occulta, ac ex publica: & verba relata ex cap. Discretionem, absolute & sine restrictione concepta sunt de affinitate contracta inique cum altero coniuge. Secundum est, eamdem priuationem locum habere in ipso altero coniuge, si cõsenserit in adulterium, quo contracta est affinitas ipsa iniqua. Ratio est: quia ius potestatem exigendi debitum, non obstante iniqua affinitate, reliquit tantum illi qui eiusmodi iniquitatis particeps non sit. Tertium est, memoratam priuationem minime incurri ob adulterium cum affine cõiugis, aut cum propria consanguinea (*etiamsi peccatum sit grauius quam commissum cum vxoris consanguinea*) quia ius imponens priuationem petitionis debiti de qua agimus; fecit tantum mentionem priuationis iniquæ, quæ contrahitur per copulam cum consanguinea alterius coniugis. Pœna autem iuris non est extendenda vltra casum in ipso iure expressum.

Quartum est, eum cui petitio debiti interdicta est ob incestum cum vxoris consanguinea, peccare mortaliter petendo, non obtenta dispensatione: quia contrauenit præcepto Ecclesiæ in re graui, vtpote spectante ad vsum Sacramenti: incestuosaque est talis petitio. Nec dici potest id præceptum abolitum esse vsu: quia is adhuc obtinet, vt dispensationem incestuosi procurent, quò possint licite debitum petere. Quintum est, probabile esse iniquam affinitatem ob quam inducta est priuatio difficultatis exigendi debitum, restringi ad secundum gradum, vltra quem non contrahi, determinatum est in Concilio Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. matrimonij. Istud Sanchez docens in num. 14. inter cætera adfert verba, quæ continent declarationem Congregationis Cardinalium de eo datam: sunt autem hæc, Congregatio Concilij censuit decretum Tridentini sess. 24. cap. 4. ad primum & secundum gradum restringens impedimentum inductum, propter affinitatem ex fornicatione contractam; censeri ad eosdem etiam gradus restrixisse impedimentum exigendi debitum ab vxore, quod inducitur ex affinitate prouenient ex illicita copula à viro cum consanguinea suæ vxoris post matrimonium habita. Cæterum in his non est distinguendum inter matrimonium non consummatum, & consummatum cum ius non distinguat.

Posterior conclusio est. Si contigerit tam vxori cum viri consanguineo, quam viro cum vxoris consanguinea fornicari, vtrumque priuari facultate petendi debitum sicut vterque est in culpa pro qua punienda, talis pœna imponitur. Videndus est Sanchez in priore parte disputationis 28. & in posteriore, pro responsione ad quæstionem, An in illo ipso casu liceat debitum reddere illud petenti. Ea autem est: si vterque culpa quidem sua, non tamen ex malitia, animoue defraudandi debito coniugem, tale flagitium commiserit, neutrum posse licite debitum reddere, vt nec petere. Si enim vbi vnus tantum coniux reus est, alter innocens non tenetur illi debitum reddere, cum priuatus sit iure petendi: nec cum quis aliquid petit ad quod nullum ius habet, ille à quo petit, dare tenetur. Immo nec potest licite, quoniam copula ea esset incestuosa: vtpote quæ haberetur cum coniuge quidem, sed tamen sibi affine, ex fornicatione cum ipsius consanguinea. Sin vterque coniux malitiose egerit: animo scilicet alterum coniugem fraudandi coniugali debito: vtrumq; quidem cadere iure petendi, nec posse licite petere (vtpote reum culpæ quæ punitur talis iuris priuatione) nihilominus à iure, tanquam restringente suam prohibitionem, petenti reddere debitum concessum esse, in cap. Si vir, De cognat. spirit. vbi quoad redditionem debiti casus iste æquiparatur casui quo quis per ignorantiam deliquit: licet diuersa ratio æquiparationis ibidem reddatur: nempe quod ex ignorantia delinquentem, ignorantia excuset: delinquentem vero ex malitia fraus sua vel dolus patrocinari non debeat; prout scilicet fieret in casu præsenti si coniuges ex sua malitia acquirerent immunitatem reddendi sibi inuicem debitum coniugale. Nec obstat quod in illo cap. sermo sit de impedimento cognationis spiritalis: quia ratio eadem est in impedimento affinitatis, vt Sanchez addit alios citans in illam sententiam. 293.

QVARTA DIFFICVLTAS, An pœna de qua dictum est hactenus, priuationis potestatis petendi coniugale debitum, requirat Iudicis sententiam condemnatoriam aut saltem declaratoriam criminis.

De hac Sanchez disput. 30. disserens resoluit certissimum esse nullam desiderari sententiam Iudicis, sed coniugem statim ac spiritalem cognationem aut affinitatem contraxerit, priuari potestate petendi debitum. Addens nihilominus se nullam rationem id concludentem inuenire, quam quod sit pœna priuata, quæ (*sicut pœnæ excommunicationis, suspensionis & interdicti*) sic recepta sit, vt nulla indigeat sententia Iudicis condemnante, aut crimen declarante: communicat enim cum illis censuris, non tantum in eo quod sit pœna priuatiua: sed etiam in eo quod 294.

sit priuatiua vsus dependentis ex sacramento matrimonii: sicut vsus quorum priuatiuæ sunt censuræ Ecclesiasticæ memoratæ, dependent ex Sacramento Ordinis magna ex parte.

QVINTA DIFFICVLTAS. Vtrum affinitas vi aut metu contracta inducat eandem priuationem.

295. Huius, *quam Sanchez tractat disput.* 30. solutio continetur tribus conclusionibus. Prima est: Vxorem vi præcisa compulsam ad copulam cum viri consanguineo, nō priuari exactione debiti, ex cap. Discretionem, De eo qui cognouit consang. vbi ratio redditur, quod affinitas inique contracta, qualem constat esse propositam, non officiat coniugi, qui non est particeps iniquitatis, cum iniustum sit aliquem sine causa iure suo priuare. Secunda est: Vxorem prædictum incestum committentem metu tantum leui, priuari exactione debiti. Ratio est: quia non habet in eo excusationem à culpa: ac proinde nec à pœna. Tertia est: Si metus fuerit tunc grauis & cadens in fœminam constantem, licet videatur pium tunc excusare infirmum sexum à tam graui pœna; rationi tamen magis consentaneum esse, in eo etiam casu incestuosam priuari petitione debiti. Nam nec tunc cessat culpa incestus. Tenebatur enim vitam exponere ne consentiret: quandoquidem in iis quæ aduersantur iuri diuino & naturali, *de quorum numero est illa copula*, metus non excusat à pœna. De qua in cap. Sacris, De iis quæ vi, aperta sunt verba hæc: Licet metus attenuet culpam: quia tamen nō eam prorsus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari. Quod enim ibi expresse dicitur de pœna excommunicationis, dubium non est dici pariter posse de pœna priuationis debiti, per textum satis expressum in cap. Discretionem, De eo qui cognouit, &c. Ex quo etiam habetur eamdem locum habere, etiamsi maritus consenserit: cum vxor, sicut inde non est immunis à culpa, ita nec sit à pœna: à qua ius illam imponens, tantum excusat non participem eiusmodi iniquitatis, vt videre est in eodem textu.

SEXTA DIFFICVLTAS. Quatenus ignorantia obstet coniugum obligationi ad copulam.

296. Ad huius explicationem Sanchez libr. 9. disp. 32. bene longam tractationem instituit de ignorantia excusante à pœna legis. Omissis autem generalibus de quibus egimus in præced. lib. 13. cap. 26. quæst. 2. huius difficultatis propria, ad eius explicationem complectemur tribus cōclusionibus cum eodem authore in fine illius disputationis. Quibus præmittendum est primo, ignorantiam in hac re esse posse vel iuris, vel facti, vel pœnæ tantum. Exemplum primæ est, si coniux nesciebat specialiter vetitum esse commiscere cum alterius coniugis consanguineo; aut baptizare infantem ipsius aut de sacro fonte suscipere. Exemplum vero secundæ est, si coniux sciebat quidem ius illud, sed ignorabat fœminam aut virum cui commiscebatur esse consanguineum alterius coniugis: aut eiusdem filium esse quem baptizabat, aut de sacro fonte suscipiebat. Exemplum demum tertiæ est, cum quis & prohibitionem & consanguinitatem nouit; sed ignorauit pœnam priuationis arcentis à petitione coniugalis debiti. Præmittendum est secundo, non esse dubium ignorantiam facti inuincibilem in hac re, sicut excusat à peccato, ita etiam excusare à pœna, iuxta illud in cap. Si vir, De cognatione spirit. Si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur. Vnde proposita difficultas tantum est de ignorantia vincibili facti, & de ignorantia inuincibili iuris, aut pœnæ.

297. Prima igitur conclusio est. Ignorantiam facti etiam vincibilem nihil obstare coniugum obligationi ad copulam; nisi adeo crassa sit, vt merito magnæ temeritatis esse censeatur ex ea agere: & multo magis sit affectata, tanquam actu voluntaria. Dicentes autem non obstare, simul dicimus non impedire quin coniux, qui ex eadem ignorantia baptizauit, aut de sacro fonte suscepit prolem alterius coniugis, vel carnaliter cognouit ipsius consanguineam, possit coniugale debitum petere: tanquam is in quem non cadat pœna priuationis illud petendi à iure imposita. Quod ita esse probatur: quia vbi ius imponit pœnam aliquid facienti scienter, quacumque ignorantia, *nisi sit affectata aut adeo crassa, vt dolo æquiparari possit*, ab ea excusat. Tunc enim Ecclesia intendit punire delictum expresse volitum, præcedente illius notitia: quæ præcedentia notitiæ, tollitur per ignorantiam etiam vincibilem: vnde fit vt pœna taliter imposita excludatur quoq; per eamdem: nisi eiusmodi ignorantia sit, cui talem effectum tribuere, absurdum esse pateat: vt cum est affectata, vel adeo, crassa vt merito æquiparetur dolo, qui authori suo non debet patrocinari, ex cap. Si vir, De cognatione spirituali.

Iam quod pœna priuationis facultatis petendi coniugale debitum imposita sit contrahenti scienter spiritalem cognationem, aut affinitatem, de quibus nobis est sermo, patet: De priore quidem ex eodem cap. Si vir: vbi tali pœnæ subiicitur tantummodo is qui ex malitia, *adeoque scienter*, coniugis filium suscepit De sacro fonte. De posteriore autem, ex cap. primo de eo qui cognouit consang. vxoris, cum dicitur: Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit.] Quæ verba satis indicant pœnam priuationis quæ ibi imponitur, pertinere ad committentem scienter incestum, qui eā punitur. Subiungit Sanchez num. 48. in hac re non obstare, quod factum aliquo modo cognoscatur: dummodo ipsum ignoretur quatenus ex eo pœna istiusmodi oritur. Exempli gratia coniux cognouit carnaliter consanguineam suæ coniugis, nesciens consanguineam esse in secundo gradu, sed existimans esse in tertio, in quo non contrahitur affinitas ex copula illicita matrimonium impediens: vel baptizauit coniugis suæ filium existimans non illius sed consobrinæ filium esse. In neutro enim euentu arcebitur à petitione debiti; vt nec si ignorasset prorsus consanguinitatē: quia ignorare gradum consanguinitatis cui pœna istiusmodi statuitur, est vere ignorare factū eadem pœna punitum, non minus quam si consanguinitas ignoraretur.

Secunda conclusio. Qui factum quidem sciunt (*puta se baptizare coniugis filium, vel cognoscere carnaliter consanguineam in primo vel 2. gradu*) ignorant autem inuincibiliter ius statuens priuationem debiti exigendi: esse immunem à tali pœna. Hanc Sanchez *num.* 49. quoad talem priuationem impositam ob cognitionem spiritualem probat: quia vbi lex aut canon punit delictū nullo alio iure prohibitum, ignarus eiusdem legis aut canonis, sicut excusatur à culpa transgressionis ita & à pœna. Rem enim quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. Et vt habet regula 23. iuris in 6. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. Et baptizare aut de baptismi fonte suscipere coniugis filium, vnde oritur cognatio spiritalis, quæ punitur priuatione petitionis debiti coniugalis, prohibitum est tantummodo iure Ecclesiastico. Eo ergo ita ignorato vt excusatio sit à peccato transgressionis illius, erit & à pœna ob illud per idem ius imposita. 298.

Quoad priuationem vero impositam ob affinitatem contractam per fornicationē vnius coniugis cum alterius consanguinea, probat; quia vbi delictum vetitum est iure naturali, *vt est fornicatio*, ignorantia iuris humani, quod pœna addita idipsum vetat (sicut ius canonicum vetat fornicationem vnius coniugis cum alterius cōsanguinea addita pœna priuationis debiti coniugalis petendi) eximit ab eadē pœna. Ratio est: quia quantitas pœnæ commetienda est cum delicti quantitate, iuxta illud in cap. Fœlicis. §. Illud autem, De pœnis, in 6. Iudex metiatur pœnā ex culpa. Itemq; illud in fine cap. 2. De his quæ fiunt à maiore parte capituli. Nec pœna sit vlterius protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum. Vnde licet colligere eum qui agit id quod vetitum est diuino & humano iure, sciens quidem ius diuinū, non item humanum; non excusari à pœna iuris diuini, cuius habet sufficientem notitiam; excusari autem à pœna iuris humani quod ignorat inuincibiliter. Deinde ius nouam pœnam indicens facto antea phibito, est prorsus nouum, quoad eam pœnam: ita vt de illo vt de nouo iure censendum sit. At à culpa transgressionis noui iuris excusantur, illud inuincibiliter ignorantes. Ergo & à pœna.

Tertia

Tertia conclusio est, Si in eo de quo agimus, scientia tam iuris quam facti adsit, laboreturq; tantum ignorantia pœnæ illo iure statutæ: in praxi consulendam esse tanquam tutiorem, sententiam eorum qui existimant talem ignorantiam non excusare: etsi quando necessitas vitandi notabilis incommodi vrget; sententia contraria teneri possit, cum non careat probabilitate. Sicq; accipiendum est quod Nauarr. habet *in Enchir. cap. 23. nu. 47.* posse inde consolari multos pios. Videnda est eiusdem sententiæ probatio in præced. lib. 13. cap. 26. q. 2.

VLTIMA DIFFICVLTAS. Quid sit tenendum de obligatione ad copulam cum de matrimonii validitate dubitatur.

Huius tractationem Sanchez *lib. 2. disp. 41. & aliquot sequentibus late persequitur.* Pro illius explicatione aliquot conclusiones adferemus, quæ sint in praxi loco documentorum.

299. Prima est. Ante diligentiam adhibitam in assequenda cognitione veritatis, coniugem de validitate matrimonii dubitantem teneri reddere, sed non posse petere coniugale debitum. Hæc habetur, ex cap. Dominus, §. 2. De secundis nuptiis: & apertius ex cap. Inquisitioni, §. finali, De sentent. excommunic. Et confirmatur ratione, quia ex duobus malis minus est eligendum, quando quis alias perplexus esset vinculo peccati ad vtramque partem, id est, peccare deberet siue agendo, siue omittendo agere. Quo posito sequitur bona fide petenti reddendum esse debitum coniugale ab altero dubitante de matrimonii validitate: quia in tali dubio periculum maioris mali est in non reddendo huiusmodi debitum, quam in reddendo. Etenim peccatum maius est contra matrimonii finem illud negare, *cum sit violatio iustitiæ, si petens est verus coniux*: quam cum fornicatione, *quæ castitati aduersatur*, illud reddere; si forte petens non est verus coniux. Sequitur pari ratione, quod dubitans, num idipsum possit petere, debeat partem negantem eligere; cum ex petitione immineat fornicationis periculum, si forte alter non sit verus coniux. Ex omissione petitionis autem nullum immineat peccati periculum, cum ipse omittens habeat libertatem non petendi.

Secunda conclusio. Quando moraliter impossibile est diligentia adhibita dubium vinci: tunc coniugem dubitantem posse & reddere & petere debitum coniugale. Ratio est: quia quando præmissa diligentia requisita ad vincendum dubium, vinci non potuit ignorantia veritatis de qua dubitatur; ea censetur esse inuincibilis, excusans à peccato, & possessori relinquens ius vtendi re possessa, secundum communiter receptam doctrinam. Videri potest Sanchez in memorata disp. 41.

300. Tertia conclusio. Quando vterque coniux bona fide matrimonium contraxit, & postea vterque dubitat de illius valore, neutrum posse petere debitum, nisi facta sit adeo diligens inquisitio, vt dubium adhuc post eam remanens, censeri possit inuincibile. Hæc probatur ex duabus præcedentibus, quod enim dictum est in illis de altero ex coniugibus, pari ratione in hac, idem de vtroque dicitur.

Quarta conclusio. Cum vterque coniux dubitat de valore matrimonii bona fide contracti, si diligentia nondum adhibita ad vincendum dubium, vnus petat debitum, alter nec tenetur nec potest reddere. Ratio est, quia diligentia non præmissa, possessio in dubio non confert ius vtendi re, cum non faciat eam propriam. Ergo coniux dubitans de valore sui coniugii non habet ius petendi coniugale debitum: nisi diligentiam sufficientem adhibuerit ad vincendum dubium. Quare neque alter obligatur illud ei reddere. Et confirmatur, quia tota ratio obligationis reddendi, est periculum iniustitiæ cui exponitur non reddendo: nullum autem huiusmodi est, cum nullum ius fuerit exigendi. Adde nec posse licite reddere, cum alter non possit licite & iuste petere.

301. Quinta conclusio. Cum vnus tantum coniux dubius est: si ante adhibitam sufficientem inquisitionem, petat debitum: alter potest ei negare tanquam non habenti ius sufficiens ad petendum: non tenetur tamen negare: quia cum ipse sit in pacifica possessionn nihil dubitando (nec enim tenetur credere dicenti se dubitare de suo matrimonio, nisi rationes sufficientes afferat) retinet ius & petendi & reddendi. Videndus est Sanchez *in eadem disp. quæst. 4. ante solutionem argumentorum, & in sequenti quæst. 5.* Cæterum conclusiones has pari ratione locum quoque habere, manifestum est quando dubium præcesserit contractum matrimonii: sic vt is mala fide initus fuerit: siue ex parte vnius, siue parte vtriusque coniugis. Ita enim ex cap. Dominus, De secundis nuptiis; is qui de prioris coniugis obitu dubitat: contrahens nullo quidem pacto potest ab altero existente in bona fide debitum petere, tenetur tamen reddere. De qua re Sanchez in sequenti disput. 42.

Sexta conclusio. Opinantem probabiliter à se contractum matrimonium esse nullum: non posse quidem petere debitum *cum nec dubitans possit, iuxta ant. dicta*, sed posse reddere: immo & debere ne alterum qui possessor est bonæ fidei priuet iure quod habet quæsitum. Excipitur tamen casus, in quo tanta esset probabilitas nullitatis, vt parum admodum maneret dubii: & credulitas censeretur moraliter firma & manifesta. Nam tunc nec posse reddere deducitur ex cap. Inquisitioni, De sententia excommunicat. vbi dicitur, Cum conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamuis non euidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet. Quæ verba satis indicant debitum, tunc tantum reddi posse cum credulitas de inualiditate non fuerit firma & manifesta. Qua de re Sanchez plenius *disput. 44. conclus. 2.* In sequenti 3. addens eum posse debitum & petere & reddere, qui probabilem opinionem habet de valore matrimonii. Id quod locum habet, quamuis forte probabilius sit non valere: quia iuxta veriorem sententiam (quam confirmauimus in præced. lib. 13. cap. 10. sect. 1.) si iudicio prudentis tales rationes ad aliquid persuadendum habeantur, quæ efficiant opinionem probabilem; quantumcumq; contraria appareat probabilior, posse eam teneri in praxi, nisi obstet irreuerentia Dei, aut læsio proximi inde secutura.

In duabus vltimis dispensationibus eiusdem lib. 2. videri potest late tractatum, quando coniux censeri merito possit certus esse de nullitate matrimonii, & quando probabiliter de ea dubitare. Item qualiter constare debeat de prioris coniugis obitu, vt liceat cum alio contrahere. Quæquidem definire prudentis est, ponderatis circumstantiis, quibus, *tanquam suppeditantibus argumentum sufficiens ad moralem certitudinem*, debeat moueri ad tale quid determinandum. Difficultatem, An excommunicatio obstet obligationi ad copulam, omisimus, quoniam ad illam spectantia tradentur commodius in sequenti libr. tract. 1. cap. 15. sect. 2.

CAPVT XL.

De coniugum obligatione ad cohabitandum.

SVMMARIVM.

302 *Quod coniuges cohabitare teneantur: & quid agendum, si id recusent.*

303 *De obligatione cohabitandi coniugis sani cum altero qui est infectus morbo contagioso.*

304 *Vir non potest fugere cohabitationem vxoris propter dotem promissam non solutam.*

305 *Vir obligatur al. re vxorem à qua dotem accepit, illum tamen excusare potest inopia.*

306 *Vxor mortuo marito non tenetur soluere debita, quæ is contraxit ad ipsam alendam: pariq; ratione nec filii debita patris.*

307 *Dote promissa non soluta, maritus non tenetur vxorē alere.*

308 *Quid si non sit promissa: aut soluta sit perdita.*

309 *Quatenus vxor teneatur sequi virum mutantem habitationem, si cum eo contraxerit sub conditione quod non mutaret.*

310 *Quatenus ad idem teneatur cum nulla talis conditio interceßit.*

311 *Virum vagabundum vxor tenetur sequi, si talem ipsius conditionem nouit tempore contracti matrimonij, alias non.*

312 *Differentia inter virum & vxorem, quoad obligationem cohabitandi.*

302. TENERI coniuges simul habitare ac conuiuere ad iuuandum se mutuo, atque familiam promouendam, habetur ex cap. Literas, De restit. spoliat. & ex cap. 1. De sponsal. Confirmaturq; per illud Genes. 2. Non est bonũ hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Et patet: tum ex matrimonij natura, qua inter virum & fœminam vinculum est indissolubile: tum ex eiusdem finibus, qui sunt susceptio & educatio prolis, ac euitatio fornicationis. Sed occurrunt aliquot dubia.

PRIMVM EST. Quid faciendum sit, si coniuges nolint cohabitare. Respondetur, si iusta causa adsit, esse separandos, prout patebit per post dicenda de diuortio: Alias vero esse ad cohabitationem etiam per excommunicationem cogendos à Iudice Ecclesiastico, iuxta citatum cap. Literas: aut si opus fuerit inuocato auxilio brachij sæcularis, prout notat Couarruuias *in Epit. 4. Decretal. par. 2. cap. 7. in principio.* & post eum Sanchez alios addens *lib. 9. disp. 4. nu. 6.*

303. SECVNDVM DVBIVM. An coniux sanus, teneatur cum altero infecto leprâ aliove morbo contagioso habitare. De quo late Sanchez *lib. 9. disput. 24. quæst. 4.* & bene resoluit, attendendum esse nũm ex cohabitatione immineat probabile contagionis periculum necne: si enim immineat, non teneri: alias, vero teneri, iuxta textum satis expressum in cap. 1. De coniugio leprosorum. Et confirmatur à pari ex iis quæ dicta sunt in præced. num. 284. de obligatione reddendi debitum coniugi infecto lepra aut alio simili morbo. Bene quoque *nu. 30. & 31.* admonet duo. Alterum, quod vbi coniux sanus non tenetur cum leproso habitare in eadem domo ob periculum sibi imminens contagionis, teneatur prope habitare: quia licet ratione talis periculi à cohabitatione abstinere possit, non tamen ab aliis obsequiis. Alterum, quando coniuges seorsim habitant ob morbum vnius contagiosum, prolem debere esse apud sanum, vt à contagione incolumis seruetur: quod parentibus incumbit curare.

304. TERTIVM DVBIVM. An maritus possit fugere vxoris cohabitationem propter dotem promissam non solutam? Ad quod aliqui, quos Couarr. *loco citato num. 2.* refert, (& maiore numero Sanchez *lib. 9. disput. 5. num. 11.*) respondent affirmatiue. Sed ille melius cum cæteris, *quos Sanchez ipse in sequenti num. 17. commemorat*, negat posse: quoniam obligatio hæc coniugum ad cohabitandum, oritur ex ipso matrimonii contractu, sicut obligatio ad reddendum coniugale debitum: non autem ex solutione dotis: vt patet ex eo, quod finis præcipuus in quem matrimonium contrahitur, non sit vt vxor à viro alatur, *ad quod dos constituitur*: sed vt contrahentes mutua sibi obsequia præstent ad prolis generationem & commodam eius educationem; qui finis cum non cesset dote non soluta, nec cessabit obligatio cohabitationis. A cuius obseruatione, quod dos non soluta non excuset sufficienter potest intelligi ex eo quod Dominus noster Matth. 7. & Lucæ 16. non aliam insinuauerit sufficientem causam dimittendi vxorem, quam illius fornicationem. Sed dices talem obligationem non esse tantum habitandi in eadem domo: sed etiam accumbendi in eadem mensa, sicut & cubandi in eodem thoro: & ita maritum sine dote promissa cogi vxorem alere, quod iniquum videtur. Respondetur inde solum sequi, quod per Iudicem possit promittentes compellere ad dotem soluendam *quod iustum est*: non autem quod ideo possit vxorem repellere, nec ei cohabitare.

Vt autem plenius difficultas ea elucidetur, subiiciendum est dubium de obligatione coniugum ad alimenta sibi mutuo præstanda.

QVARTVM igitur DVBIVM EST, An coniuges teneantur ad alimenta sibi mutuo præstanda. De quo Sanchez *lib. 9. disp. 4. quæst. 2. & in priore parte sequentis disputationis*: ex quo ad explicationem adferemus aliquot conclusiones, quæ sint loco documentorum pro praxi.

Prima est. Virum teneri alere vxorem à qua accepit dotem: hæc enim ideo datur, vt is matrimonii onera sustineat vxori & familiæ alimenta præstans, ex lege Pro oneribus. Cod. De iure dotium, & ex lege Dotis fructus, ff. eodem tit. De casu excepto, cum vxor absque culpa viri, ab huius consortio propria temeritate recedit: iam diximus in præced. lib. 20. num. 48. 305.

Secunda conclusio est. Maritum inopem non teneri vxorem alere, quamdiu durat inopia. Probatur, quia non tenetur plus vxori, vt nec filiis, quam facere possit: iuxta illud in lege Maritum, ff. Soluto matrimonio: Maritum in id quod facere potest condemnare, exploratum est. Et confirmatur à simili: quia debitor æris alieni excusatur à solutione quamdiu ratione inopiæ eam nequit facere. Quin potius si vxor diues sit, tenetur viro inopi alimenta præstare: pro quo plures authores Sanchez adfert *in memorata quæst. 2. nu. 27.* Et probat, quia (vt dicitur) in leg. Si cum dotem, §. Si maritus, ff. eod. titul. quid tam humanum est, quam vt fortuitis casibus mulieris, maritum, vel vxorem, viri participem esse.

Subiungit Sanchez *in eadem quæst. 2.* tractationem difficultatis, An quando soluto matrimonio nulla viri bona supersunt, vxor teneatur bonis dotalibus soluere debita à viro contracta ad prouidendum ipsi & familiæ de necessariis ad vitam. Et similiter, An filij teneantur soluere mutuum à patre inope acceptum ad eos alendos. Atq; in vtramq; partem allatis variis legibus ciuilibus, negantem iudicat probabiliorem: fundatam in hac ratione; quod maritus paterq; obligetur vxori & filiis ad alimenta eis præstanda, sicut obligatur creditori ad soluendũ mutuo acceptum: quam obligationem sicut inopia non tollit in hoc casu, ita nec in illo: sed tantum suspendit, quamdiu ipsa durat: vt argumento est, quod si opes augeri contingat, ea ipsa obligatio recurrat: q non fieret si esset prorsus extincta. Quo supposito licet intelligere, viro contrahenti debita, ad satisfaciendum obligationi quam habet familiam alendi, perinde vsuuenire ac contrahenti noua debita ad satisfaciendum antiquis. Vnde sicut creditores, quibus hæc soluta sunt ex pecunia de nouo accepta mutuo, non tenentur illam refundere ei à quo data est mutuo: ita nec vxor & filij tenentur satisfacere debitis à marito vel patre contractis ad satisfaciendum obligationi quam habuit suppeditandi eis aliméta, quia tantum acceperunt sibi debitum, solutum de eo, cuius habebatur dominium acquisitum per contractum mutui. 306.

Tertia conclusio est. Dote promissa non soluta, maritum non teneri ad alimenta vxori præstanda. In hac omnes conuenire habet Sanchez *lib. 9. disp. 5. num. 2.* rationem addens: quod dos detur quasi in pretium, vt ex fructibus eius maritus onera matrimonii sustineat, & vxorem alat, ex lege Pro oneribus. Cod. De iure dotium, & lege Dotis fructus, ff. eodem titulo. Admonet vero idem author primo: Conclusioni huic locum esse tantum, quando promittens fuerit in mora; si enim terminus fuerit ipsi concessus à marito, is ante illum expletum non excusatur ab alenda vxore: quia concedendo dilationem, adstrinxit se ad subeunda interim matrimonii onera. Secundo, cum soluitur tantum pars dotis promissæ, maritum teneri tantum ad alimentorum partem: quoniam eadem est ratio partis quoad partem; quæ totius quoad totum. Tertio, quando vxor aut ipsius pater dotem non soluunt ratione impotentiæ, maritum non eximi ab onere alimentandi vxorem, nisi dolose promiserint dotem quam sciebant se non posse soluere. Neq; enim cogi possunt ad plus quam valeant: ita vt impotentia excuset à solutione, sicut ante dictum est, excusare maritum ipsum ab alenda vxore etiam dote soluta. 307.

Quarta conclusio est. Virum teneri alere vxorem quã absque dotis promissione duxit. Ratio est, quòd videatur personam accepisse pro dote: quam quod non exegerit, debet sibi imputare si damnum inde sentiat. Quan- 308.

...men mulier quæ ducitur dues est, videtur tacite eam de dote constituenda: si non totius patrimonij eiusdem mulieris, saltem partis illius iuxta viri dignitatem. Authores hãc doctrinam tenentes plures refert idem ibidem numero 9. & in præcedenti lib. 1. disputat. 60. numero 2.

Postrema conclusio. Si dos soluta perierit casu fortuito, non cessare in marito obligationem alendi vxorem, cuius casibus fortuitis, humanum est ipsum participem esse. Sin dos perierit culpa vxoris: vt cum publicata est ob aliquod ipsius delictum, non tenetur maritus eam alere: quia perinde est ac si dos ipsa soluta non esset. Quamquam si ea, ne quidem à parentibus possit necessaria alimenta habere, amor coniugalis & nexus matrimonij tam arctus, exiget vt à viro alatur, ne fame pereat.

QVINTVM DVBIVM, An vxor teneatur sequi virum mutantem habitationem; vel contra vir sequi vxorem? Hoc late tractat Sanchez *lib. 1. De matrim. disput. 40. & 41.* Explicatur autem his propositionibus.

309. Prima est. Virum teneri seruare fidem vxori, quæ contraxit cum eo addita conditione, quod teneretur in certo oppido morari, nec alio habitationem suam trãsferre. Ratio est, quia ex cap. Verum De condition. appositis quisque potest in traditione rei suæ, pactum interponere. Ergo & in traditione sui per matrimonium. Cui rationi, alias Sanchez addit *in eadem disput. 40. num. 2.* Subiungens num. 3 exceptionem: nisi superueniat noua iustaque causa, ob quam necessarium sit virum alio proficisci; vt capitales inimicitiæ, vel loci insalubritas, Principis imperium compellens virum migrare alio, aut necessitas tuendi rem familiarem; cui viri & vxoris communione operatũ subueniri, exigit coniugalis societas. Namq; pactum, *etiamsi iuramento confirmatũ*, intelligitur excluso casu in quo ipsum rationi aduersaretur: cuiusmodi censentur casus in exemplum allati.

HIC QVÆRI potest, An si vir vxori faciat liberam potestatem non sequendi, ipsa nihilominus velit sequi, teneatur illam secum transferre? Ad quam quæstionem idem Sanchez lib. 9. disputat. 4. respondet distinctione: nempe non teneri si nullibi sit notabilem moram facturus, ad diuersa negotia, diuersis in locis peragenda, proficiscens: quia mulier tale quid irrationabiliter vellet, cum nequeat fieri sine notabili impedimento itineris faciendi, & magnis expensis, ac dedecore; cum deceat fœminam taliter peregrinari nulla iusta de causa. Teneri autem, si alicubi sit diu habitaturus, suppetantq; illi expensæ ad transferendam requisitæ: quia tunc vxor rationabiliter vult suum virum comitari. Sicque in cap. Quod super, De voto in fine, habetur virum euntem in subsidium terræ sanctæ, teneri ducere vxorem nolentem remanere.

310. Secunda propositio. Quando nullum pactum est in contrarium, vxor tenetur sequi virum alio transferentem suum domicilium. Hæc habetur ex cap. Vnaquæque 13. quæst. 2. Et confirmatur; quia cum debeant coniuges cohabitare ad exhibendum tibi mutuum obsequium, mulier sane virum (qui est caput ipsius, & cui subdita est sicut Domino, ad Ephes. cap. 5.) sequi debet ad cohabitandum: idque sub mortali, vt ex Nauarro & quibusdam aliis habet Sanchez in prius citata quæst. 41. num. 1. Addens consequenter aliis citatis, id adeo verum esse, vt nulla alia consuetudo, *etiamsi iuri diuino aduersa*, excusare possit. Patitur tamen excusationem in casu in quo vxor nequiret absque graui detrimento animæ vel corporis virum suum sequi: vt si vellet eam tali ratione ad peccatum pertrahere, vel eam exponere magno vitæ periculo. Nam præceptum naturale euitandi peccatum, aut tuendi vitam vrgentius est, quam præceptum diuinum positiuum, cohærendi viro.

Cæterum de difficultate satis graui, An vxor teneatur sequi virum cum in exilium missus; compellitur domicilium mutare: Sanchez in vtramque partem *ibidem num. 11.* authores citans, affirmantem iudicat probabiliorẽ: quia vxor debet viri infortunium ferre, ob initam per matrimonium inseparabilem vitæ societatem, sequi ipsum quãdo ex necessaria & ineuitabili causa migrat alio. Nec obstat quod ipsa sit innocens: quia non subit tale infortunium tanquam pœnam, qua puniatur exilio, sed tanquam onus ad quod ferendum tenetur lege matrimonij.

Tertia propositio est, *pro qua in præceden. num. 6. plures authores idem citat*, Si vir tempore contracti matrimonij vagari non solebat: aut si solebat, mulier ignorabat: hanc non teneri illum sequi. Sin autem solebat vagari, nec id latebat mulierem, hanc teneri sequi. Prior pars probatur, quia grauissimum onus est nihil tale expectantem, cogere ad vagandum, quod fœminã dedecet maxime. Quamquam si absque magna difficultate & periculo animæ vel corporis possit se viro exhibere sociam, non erit locus excusationi ab obligatione, quam habet marito cohabitandi, ex lege matrimonij. Posterior vero pars probatur: quia mulier sciens viri mores dum contraxit, censetur eos approbasse, & se obligasse ad onus accomodandi se illi: atque adeo ad vagandum cum eo: nisi turpi aliqua de causa vagaretur: tunc enim peccaret vagando, ideoq; vxor non teneretur, imo nec deberet peccanti consentire, ipsum sequendo. 311.

Porro differentia est inter virum & vxorem, quoad obligationem cohabitandi. Nam cum vir sit caput, eiusdemque sit gubernare: potest ad libitum eligere domicilium, & vxor tenetur eum comitari, dummodo non eligat ex causa turpi & inhonesta: in quo ei tanquam peccanti assentiendum non esset. Vxor vero cum subdita sit, nequit habitationem eligere, & virum ad sequendum se cogere. Quamquam si contingat necessitate coactam, vt damnatam exilio, domicilium mutare, ius matrimonij compellens virum cohabitare vxori, consequenter compellet, vt eam tunc comitetur; quia id requiretur ad mutua obsequia coniugalia, ad quæ vterque coniux pariter obligatur. 312.

CAPVT XLI.

De diuortio.

SVMMARIVM.

313 *Quid sit diuortium, & quot modis fieri possit.*
314 *Ob fornicationem spiritalem, seu hæresim vel apostasiam, potest fieri diuortium perpetuum.*
315 *Diuortium fieri potest ad tempus iusta de causa: quales sunt inductio ad peccandum, & sæuitia vnius coniugis quamdiu durant.*
316 *Notãda de sæuitia prout est causa iusta diuortii.*
317 *Malum quod timetur debet esse graue, vt sæuitiam constituat: & quatenus possit maritus vxorem verberare.*
318 *Aliæ causæ iustæ diuortii, quæ in vniuersum reducuntur ad notabilem pernitiem animæ vel corporis.*

DE diuortio late toto libro 10. Sanchez. Sed in re ad forum externum præcipue spectante breuiores erimus. 313.

Est autem diuortium separatio mariti & vxoris legitima, id est, non sine lege & ratione facta. In eoque, sicut & in obligatione & fide matrimonij, pares sunt vir & fœmina: *pro quo canones & authores magno numero Sanchez refert disput. 3. num. 6.* Vt enim de viro non dubitatur, quin possit ab vxore adultera diuertere iuxta verba Domini Matth. 5. Qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, &c. ita nec de vxore dubitandum esse, quin diuertere possit à viro adultero: pater ex eo quod in priori ad Corinth. cap. 7. vers. 11. tali de causa discedentem à viro, Apostolus non cogat ad eum redire: sed illi det optionem, aut redeundi aut continendi.

Porro tripliciter fieri potest diuortium. Primo, quoad vinculum matrimonij, per alterutrius coniugis professionem in aliqua religione approbata, cum matrimonium nondum fuerit consummatum. Vide dicta præcedenti num. 36. Secundo, quoad thorum, seu carnalem copulam tantum: ad quã spectant dicta in superiore capite 39. quoad causas ob quas non tenetur aut non debet coniux alteri debitum reddere. Tertio, quoad thorũ & habitationem

simul: qua ratione spectat ad hunc locum: & fieri potest tum in perpetuum, tum ad certum tempus, prout definit Concil. Triden. sess. 24. can. 8. his verbis: Si quis dixerit Ecclesiam errare cum ob multas causas, separationem inter coniuges quoad habitationē ad certum incertumve tempus, fieri posse decernit, anathema sit.

Atque in perpetuum fieri potest ob fornicationem siue carnalem, siue spiritalem. De carnali enim constat ex verbis Domini supra citatis, & illis aliis Matth. 19. Quicumq; dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, &c. Atque ex multis canonibus, 32. quæst. 7. & ex cap. Significasti, & cap. Ex literis De diuortiis. Item ex eo quod fornicatio pugnet cum fine matrimonij, qui est bonum fidei, cuius meminimus in præcedenti cap. 9. Et quod matrimonium foret onus intolerabile, si coniugi fornicanti cohabitare necessarium esse; vt satis ostendunt inquietudines & angores eorum qui laborant zelotypia.

314. De fornicatione vero spirituali, hoc est de hæresi & multo magis de Apostasia à fide, patet ex cap. Idololatria, & ex cap. Non solum 28. quæst. 1. itemque ex cap. 2. & ex cap. Quanto de Diuortiis, ac etiam ex finali De hæreticis, vbi in vniuersum liberantur à debito fidelitatis domini & totius obsequij quicumque lapsis manifeste in hæresim, aliquo pacto tenentur adstricti. Denique ex eo quod Apostolus ad Tit. 3. præcipiat generatim (neque parentem neque coniugem excipiendo: & merito, cum ex talium consuetudine & familiaritate maximum immineat periculum peruersionis) hominem hæreticum post vnam & secundam correptionem esse deuitandum: propter periculum scilicet peruersionis: si quidem sermo illius iuxta eumdem Apostolum in posteriori ad Timoth. 2. vt cancer serpit. Id quod locum etiam alias habet, quoties vnus coniux, siue vir, siue fœmina, alterū siue cogendo, siue alliciendo, ad peccatum pertrahit, neque alter potest cum illo habitare sine periculo probabili offendendi Deum: tunc enim innocenti licet quamdiu securus non est, ab eodem diuertere, non expectata Iudicis sententia: quia sicut per hæresim, sic & per alia peccata mortalia incurritur animæ mors, iure naturali & diuino formidanda magis, quam mors corporis. Adeo vt Dominus Matth. 18. admonuerit, Si oculus tuus scandalizat te, erue eam & proiice abs te: significans ex D. Hieron. in eum locum: quod si ij qui nobis coniuncti sunt & chariad instar oculorum, vt parentes, filij & vxor, nobis sint causæ ruinarum, ab eis sit recedendum. De his latius tractat Sanchez *disput.* 17.

Ex quo ibidem in num. 5. adde differentiam esse inter hæresim & alia crimina, quod in illa nō sit expectandum vt hæreticus coniux Catholicum peruertere nitatur, sed illo existente in sua pertinacia, huic liceat ab ipso recedere. In his vero expectandum sit, vt coniux deditus talibus, ad ea inducere moliatur. Cuius differentiæ ratio reddi potest: quod pertinax in hæresi propensus sit ad pertrahendos suos in eam, vt conducentem ad eorum salutem: non item infectus aliis criminibus, à quibus potius, vt animæ disciplinæq; domesticæ pernicios, suos auertere conabitur.

315. Iam quod ad certum tempus fieri possit diuortium, colligitur ex cap. Ex transmissa, & ex cap Literas in fine De restit. sponliat. Ratioque in promptu est: quia constat ex dictis, diuortium fieri posse: Ergo vel ad tempus, & sic habetur intentum: vel in perpetuum. Quo concesso, maiore ratione concedendum est, posse fieri ad aliquod tempus iusta interueniente causa; qualis est antememorata inductio ad peccandum pro tempore quo ea durat. Itemque sæuitia vnius coniugis donec cautionem Iudicis arbitrio sufficientem dederit, de non offendendo altero. Id quod concedi ab omnibus Sanchez testatur *disput.* 18. *num.* 2. tanquam decisum in antememoratis capitulis.

316. De eo autem notanda sunt, quæ idem citatis authoribus subiungit. Primum est, propria authoritate posse vnum coniugem discedere ab altero ob sæuitiam, si nō det ei securitatis cautionem, prudentis iudicio sufficientem: siue pignoratitiam & fideiussoriam, siue iuratoriam De qua re pluribus idem *in eadem disput.* 18. *quæst.* 2. In cuius fine admonet talem cautionem datam non obstare, quin liceat viro vxorē moderate punire sicut antea licebat: quia in tali punitione nulla est atrocitas: nec consentaneum est maritum sinere vxorem delinquere omnino impune.

Secundum est, tali cautione deficiente, coniugem sibi merito ab alterius sæuitia timentem sic posse diuertere, vt non teneatur illi coniugale debitum reddere: quia ob culpam suæ sæuitiæ priuatur consortio maritali. Idque locum habere etiamsi timens sibi ab alterius sæuitia, eidem dederit causam sæuiendi: intelligitur ex eo, quod in cap. De Benedicto 32. quæst. prima, iubeatur adultera restitui marito, præstita cautione non offendendi eam.

Tertium est, vt sæuitia quæ sit iusta diuortij causa interuenire censeatur, requiri vt malum quod timetur sit graue: quale scilicet exigitur ad metum viri constantis. Diuotium enim, res est grauissima, ideoque fieri non debet ob qualemcumque metum; ne ipsum passim sit in vsu: cum rari sint coniuges inter quos non oriantur aliquæ discordiæ, ex quibus aliqua leuia mala sibi merito timeant. In grauiu n autem malorum numero, in præced. quæst. 1. idem auctor ponit: primo, molestam cohabitationem ob discordias, iurgiaque grauia & frequentia inter coniuges. Secundo, minas viri soliti eas exequi. Tertio, crudeliorem verberationem, seu excedentem limites correctionis vxoris, marito concessæ, nisi ea contigerit casu, seu viri insolito perturbationis motu: neque probabilis, sed vanus carensque iusto fundamento timor subsit talis punitionis vsurpandæ in posterum: aut si subesset, daretur sufficiens cautio, iuxta cap. Transmissa, & cap. Literas, De diuortiis. 317.

Aduerte vero, quod idem ibid. habet num. 16. Verberare vxorem, marito permissum esse tantum raro, vrgentique de causa, ac id moderate, non autem acriter; ne quidem si delicti qualitas acrem punitionem mereatur: quia talis punitio tanquam iuridica, relinquenda est Iudici; ad quem spectat non autem ad maritum, cui respectu vxoris & filiorum reliquæque familiæ, incumbit tantum punire ad priuatam correptionem & emendationē delinquentis; non autem ad vindictam delicti: quæ potestatis est publicæ.

Postremum est: quando Iudex Ecclesiasticus absolutam diuortij sententiam dedit, eo quod desperaretur de sæuientis correctione, nec dari potuerit cautio sufficiens, per quam alter tuto cum eo commoraretur, integrum esse huic illo inuito religionem ingredi, quia diuortium est perpetuum. Vide eumdem in sequenti numero quadragesimonono:

318. Alias causas particulares refert Gregor. à Valent. tomo 4. in D. Thomam, disput. 10. quæst. 4. punct. 2. col. 2 post Couarr. in Epitome 4. Decretal. parte 2. cap. 7. §. 5. & Nauarr. in Enchirid. cap. 22. num. 22. In vniuersum autem vt post. Palud. *in 4. distinct. 39. quæst. vnica art. 3.* notat Sylvest. *in verbo diuortium, quæst. 6.* dici potest, quod omnia illa crimina quæ vergunt in perniciem corporalem vel spiritalem coniugis notabilem, censeantur causæ sufficientes diuortij quamdiu non corriguntur. Atque prioris generis sunt ex Soto, *in 4. distinct. 39. sub finem*, quæ exprimuntur in lege Consensu Cod. De repudiis Si vxor sit venefica, à cuius veneficio sibi non immerito vir timeat: aut si liberorum interfectrix: aut substantiam mariti deprædetur, nec remedium aliud quam diuortij adferri possit: & antememorata sæuitia mariti, ac mors intentata coniugi. De quibus Sanchez in eadem disput. 18. num. 22. Ex quo in præced. nu. 21. Adde crimen viri incorrigibilis, per quod vxor exponitur periculo mortis, vt si viro latrociniis dedito & incorrigibili existente, vxor aduertat se periclitari, ne tandem cum eo mulctetur morte, tanquam furtis consentiens, & eorum receptatrix: non enim cum tanto corporis periculo tenetur cum eo habitare.

Posterioris vero generis sunt, Si coniux coniugem ad latrocinia, adulteria, aut alios corruptos mores trahere moliretur, ob quæ coniux innocens ruinam timens, siue ratione coactionis alienæ, siue ratione fragilitatis propriæ, *vt habet ibidem Sylvest.* non tantum potest, sed etiam debet

se à nocente separare, ex cap. Quæsiuit, De diuortiis, iuxta illud Matth. 5. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proice abs te, &c. Si quis vero, *addit Sylvester*, propter alterius coniugis crimina, perniciem corporis vel animæ non timeat sibi probabiliter; non debet illum deserere, nisi crimen sit fornicatio carnalis, ob quod etiam semel commissum, licita est dimissio, iuxta verbum Domini Matth. 5. sub initium huius capitis relatum. Qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa] vel nisi sit fornicatio spiritalis, in qua nocens perseueret incorrigibilis, iuxta dicta in præced. num. 314. de illius in hac re differentia à cæteris criminibus.

CAPVT XLII.

De notandis in particulari circa diuortium ob fornicationem carnalem.

SVMMARIVM.

319 *Nomen fornicationis accipi potest tum proprie, tum communiter: & quomodo in hac re accipi debeat.*

320 *Et quæ ab eo excludi debeant.*

321 *Casus in quibus fornicatio non est causa sufficiens diuortii: & peculiariter notanda de eo casu in quo vterque coniux reus est illius criminis.*

322 *De casibus condonationis, & occasionis adulterii datæ ab altero coniuge.*

323 *De casu admissi adulterii per vim, aut aliter absque peccato, aut in quo adulterium ipsum est incertum.*

324 *Modus obseruandus in diuortio.*

325 *Persona adultera, etiam lata in eam iudicis sententia, non potest à se dimittere personam innocentem si velit ei cohabitare.*

326 *Aliquot conclusiones quibus respondetur ad quæstionem, An adulter post sententiam diuortii datam à iudice, possit statum mutare ingrediendo religionem, aut suscipiendo sacros Ordines.*

327 *De eo quod innocenti licitum sit ad religionem aut sacros Ordines transire inuito adultero.*

328 *Non tenetur vir vxorem adulteram ad pristinam amicitiam admittere, etiamsi id ei liceat.*

329 *Duo casus excepti, qui non habent locum in vxore respectu viri: & interdum, nec in viro respectu vxoris.*

330 *Si coniux innocens post factum diuortium adulteretur, non tenetur ante compulsionem iudicis, adultero reconciliari.*

331 *De reconciliatione adulteri quæ fit facto, & primo de ea quæ fit per innocentis carnalem cum eo copulam.*

332 *De ea quæ fit retinendo propria sponte adulterum, & de ea quæ fit exhibendo se illi familiarem.*

319. PRIMVM NOTANDVM EST: Nomen fornicationis carnalis vsurpari tum proprie, pro carnali copula soluti: cum soluta: tum communiter, in illa scilicet generali significatione, quæ in cap. Meretrices 32. quæst. 4. proponitur his verbis Si furti nomine bene intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ: non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit: sed vtique à parte totum intelligere voluit, quidquid illicite rerũ proximi auferetur: profecto nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus atque illorum membrorum non legitimus vsus, prohibitus debet intelligi. Hæc ibi.

Difficultatem esse vero, qua acceptione in hac re sumi debeat. Ad cuius explicationem Sanchez multa adfert *lib. 10. disput. 4.* Sufficiet autem quod ille num. tertio circa medium approbat, debere quidem sumi in generali significatione, sed cum limitatione ad fornicationem, in qua ratio perfecta diuortij, tanquam in radice clauditur: qualis est, *vt Sotus in 4. distinct. 36. quæst. vnica artic. 4. immediate ante 2. conclusionem bene notat*, omnis concubitus quo coniux illicite coeundo diuidit carnem suam in alium, vel in aliam. Cum enim matrimonium eo tendat, vt coniuges efficiantur vna caro, iuxta illud Genes. 2. Et erunt duo in carne vna: matrimonij fidem coniux perfecte consummateque violat, qui carnem suam in alium, vel aliam diuidit: indeque oritur ius alterius coniugis diuertendi ab eo, quia fidem taliter frangenti, non tenetur fidem seruare, cohabitando ei, & coniugale debitum reddendo. Sicut enim coniugalis concubitus cum seminatione in vase debito requiritur ad vnionem qua coniuges sunt vna caro, vt habitum est antea num. 39. ita & ad diuisionem qua coniux censendus est carnem suam diuisisse, requiritur similis coitus cum alio vel alia: hoc vno addito, quod nihil referat ad rationem fornicationis diuortio dantis causam iustam: fiatne seminatio in vase ordinario committendo proprie dictam fornicationẽ: an in extraordinario, committendo nefandum scelus Sodomiæ: per quod cum caro coniugis vere diuidatur cum carne tertij, ipsum est iuxta antedicta sufficiens causa diuortij. Sicque sentientes plurimos authores Sanchez refert in citata disput. 4. num. 13. idem in sequenti num. 14. asserens de bestialitate ob parem rationem, quod scilicet caro coniugis diuidatur cum carne bestiæ.

Negans autem in præced. num. 8. causam sufficientem esse diuortij perpetui, si vir vxorem inuitam Sodomitice cognoscat carnaliter: sed tantum diuortij ad tempus, dum à tanto scelere renuit abstinere. Et in num. 9. & 10. nec etiam peccatum mollitiei talem causam esse, quia neque per hoc, neq; per illud flagitium coniux diuidit carnem suam cum carne tertiæ personæ, ea ratione qua prædictum est. Et num. 12. ob eamdem rationem solos tactus quantumuis libidinosos, & cum animo perueniendi ad copulam carnalem habitos, ea non secuta, non præbere diuortio causam iustam. Non obstat vero, quod Sodomia cum coniuge pollutio sint contra naturam, & peccata grauiora adulterio: quia licet id ita sit, non repugnant tamen matrimonio ea ratione quæ requiritur ad iustam causam diuortij: quia non diuidunt carnem coniugis, cum carne tertij. 320.

SECVNDVM NOTANDVM, Septem casus esse à D. Thoma notatos ad cap. 7. prioris ad Corinth. lect. 2. in quibus non potest coniux dimitti propter fornicationem, nec debitum coniugale ei negari. Eos Summulatij, referunt in verbo Diuortium. Persequitur vero eiusdem Sanchez *in lib. 10 disp. 5.* Primus est, quando coniugibus in infidelitate existentibus, maritus vxori libellum repudij dedit, eaque alteri nupsit, tunc enim, si ambo sacro fonte abluantur, tenetur vir eam in matrimonium resumere, ex cap. Gaudemus, in fine, De diuortiis. 321.

Secundus casus est, quando vterque coniux est eiusdem criminis reus, vt quando vterque adulterium perpetrauit, ex cap. Significasti De diuortiis, & cap. finali De adulteriis. De quo casu latius tractans Sanchez in sequenti disput. 6. docet primo, ad eum requiri vt de crimine vtriusq; liquido pateat. Nec enim sufficere si de vno constet, & de altero dubitetur. Itemque, vt vtrumque crimen sit secundum antea dicta, sufficiens ad diuortium: cuius respectu alioqui non erunt paria: non esse autem necessarium vt vtrumque crimen sit eiusdem speciei quia id non obstat vtriusque æqualitati in ordine ad diuortium ipsum, quod ob vtrumque illud conceditur.

Docet 2. concl. 2. & 3. Nihil referre ad eumdem casum, quod vnus coniugum prius, & alter posterius commiserit adulterium: aut quod vnus plura adulteria, & alter vnum tantum commiserit. Ratio est: quia in iuribus, quibus fulcitur propositus casus, ratio habetur tantum fractionis fidei; non vero prioritatis aut pluralitatis criminis, quo fracta est: quodquidem crimen in vno coniuge talem esse, *puta quo diuisa est caro*, non desinit ex eo, quod alter simile antea aut pluries commiserit.

Docet tertio concl. 4. Eumdem casum habere locum in foro pœnitentiali, etiamsi adulterium vnius occultum sit ac soli Deo cognitum, & adulterium alterius sit publicum: quia in illo foro non desideratur probatio: sed sufficit sola rei veritas cognita: ita vt coniux cuius adulterium est occultum, nequeat in conscientia diuertere ab altero, cuius adulterium est publicum, perinde ac creditor non potest ad solutionem compellere eum cui nouit tantumdem se debere quidem, sed ita occulte, vt id contra ipsum in iudicio probari non possit.

Docet

Docet postremo consequenti disputa.7. Si ambo coniuges in adulterium lapsi, reconciliati fuerint, & denuo alteruter in adulterium labatur: alterum posse ratione talis noui adulterij diuertere ab illo. Non enim obstabit alias commissum adulterium, quia illa reconciliatio, matrimonium restituit antiquo suo vigori. Quod etiam numero 4. multis citatis probabile iudicat locum habere, quando vnus coniux est emendatus & alter admonitus interpellatusque vt resipiscat, ac simul habitent, persistit in flagitio; vim enim reconciliationis habet talis interpellatio: quādoquidem nihil ad illam deest, quam vt ab interpellato admittatur.

322. Tertius casus est, Quando persona innocens in consortium maritale nocentem admisit, postquam adulterium ipsius nouit: cum enim diuortium sit in fauorem innocentis, is cedens iuri suo potest delictum condonare: & ita ius diuortij cessabit, quamdiu reconciliatus non relabetur in adulterium: quo relapsu interueniente, recurret idem ius; quoniam venia data respicit sola præterita. Videndus est Sanchez disput.5. à num.19.

Quartus casus est, Quando vna persona fuit iu causa cur altera adulterium committeret, ex cap. Discretionem, De eo qui cognouit consang. Exemplum est, Si vir prostituit vxorem suam, etiam volentem, vel eam impedire valens, neglexit impedire. De quibus Sanchez ibid. num.4. & 5. aliis citatis. Addens numero 6. non esse idem censendum, si vir aliud agens indirectam occasionem adulterij præbeat, verbi gratia domo vxorem expellendo, eamve deserendo, alimenta denegando, argumento cap. Significasti De diuortiis, & cap. Ex literis eodem titulo. Numero autem 7. vult eamdem esse rationem occasionis datæ negando debitum coniugale. Item numero 10. eamdem quoque rationem esse fœuitiæ viri, ob quam vxor ab eo aufugit. Ratio est: quia in istiusmodi casibus, indirecta tantum occasio data est adulterij, tantumq; remota, sicut in negatione alimentorum vel in expulsione à domo. Excipe nisi vir talia faceret ea intentione vt vxor adigeretur ad perpetrandum adulterium: quia tanquam in illud cōsentiens, non posset ob eam perpetrationem ab ea diuertere; cum illi tanquam volenti, non sit facta iniuria.

323. Quintus casus sit: Quando vxor fuit violenter cognita: quia tale adulterium caret culpa, ex cap. Irane & cap. Proposito 32. quæst. 5. Qui casus locum habet etiamsi vxor causam dederit violentiæ; vt quia nō obediuit viro ipsam monenti fugere, ne aduenientes hostes eam opprimant. Namque inobedientia ea non obstat, quin oppressio quā nullo modo prohibere potuit vere violenta fuerit: neque dici potest oppressionem voluntariam fuisse in ipsa inobedientia: quoniam hæc ad illum effectum non fuit de se ordinata: prout requireretur vt ille, in eadem volitus censeri valeat. Non esse vero idem si vxor consenserit compulsa metu cadente in constantem virum, quia non excusatur: vt idem communissimam sententiam esse ait *numero* 16. multos in eam referens: Ratio vero est, quia talis metus non obstat quin adulterium sit voluntarium, & inficiatur malitia & culpa, per quam ipsum intrinsece malum est: ita vt mori oporteat potius, quam illud committere, vt iam antea attigimus.

Sextus casus est. Quoties persona commisit adulterium tantummodo materialiter, seu absq; suo peccato: vt quia alter sub mariti specie latenter se ei commiscuit, admittens illum bona fide vt maritum: sicut Iacob Genes.29. bona fide commixtus est Liæ, quam putauit Rachelem: aut quia probabiliter credidit priorem maritum decessisse, nupsit alteri: neque enim idem maritus superueniens potest ab ea diuertere tanquam adultera, ex cap. Cum per bellicam 34. quæst.2. nisi postquam facta est certior de mariti vita, reddiderit debitum in secundo illo matrimonio. Videndus est Sanchez *numero* 11. Qui in 12. extendit eumdem casum ad illam quæ fornicatur, probabiliter existimans maritum suum vita functum: quoniam iusta ignorantia matrimonij talem excusat à culpa adulterij formaliter: ac proinde & à pœna ob illam imposita.

Septimus casus est, Quando adulterium est incertum: alienum est enim à ratione vxorem dimittere ob leuem suspicionem: non vero ob violentam: qualis est si solus fuit cum sola, nudus cum nuda iacens in eodem lecto: & hora, ac latebris secretis ad tale flagitium commodis, prout habet Palud. *in* 4. *distinct.* 35. *quæst. vnica artic.* 1. *conclus.*4. Per illud in cap. Dixit Dominus 32. quæst. 1. Vbicumque fornicatio est, vel fornicationis suspicio, libere vxor dimittitur. Et per textum magis expressum in cap. Literas tuæ fraternitatis, De præsumpt. Videndus est Sanchez libro 10. disp.12. quæst.3.

TERTIVM NOTANDVM. Modus obseruandus in diuortio (ad quem pertinent ea, quæ late Sanchez persequitur in præceden. quæst. 2.) est: vt si matrimonium sit occultum, *vt esse possit clandestine contractum, vbi non est promulgatum decretum Concilii Trident. sess.*24. *De reformat. matrimon. cap.*1. *in fine*: coniux innocens possit propria authoritate adulterum deserere quoad habitationem: quoniam Ecclesia in casu occulto iudicare non potest. Sin matrimonium celebratum sit in facie Ecclesiæ, & coram testibus sufficientibus, coniux sine authoritate Ecclesiæ nequit adulterum quoad habitationem deserere ob adulterium occultum: quia tunc scandalum nasceretur in illis qui diuortij causam ignorarent, atque Ecclesia talem ad coniugem dimissum redire cogeret, iuxta cap. Ex parte 1. De sponsal. illis verbis Quia nemini licet vxorem suam sine manifesta causa fornicationis dimittere, &c. 324.

Quod si non esset scandalum neque coactio Ecclesiæ, vir innocens quando adulterium est notorium, posset vxorem adulteram domo sua expellere priuata authoritate iuxta cap. Significasti De diuortiis, vbi vxori dimissæ restitutio denegatur ob adulterium notorium: qua denegatione significatur potuisse licite dimitti: alioqui enim debuisset restitui tanquam ea quæ affecta fuisset iniuria. Pro qua re Sanchez multos authores citat in eadem quæstione numero 12. & 13. Ratio autem illius hæc reddi potest: quod Christus Matth.5. & 19. concesserit facultatem dimittendi vxorem ob fornicationem eius, neq; Ecclesia tale quid fieri prohibeat, nisi ob scandalum: aut quia fornicatio sæpe non est certa: quod vtiumq; cessat quando ea est adeo notoria vt nulla tergiuersatione celari possit. Id quod requiri in tali re, sententia est multorum relatorum in memorato numero decimotertio. Nec immerito: quia vt idem Sanchez in sequenti numero 25. argumentatur; adulterum cohabitatione, in cuius est pacifica possessione, priuare sine restitutionis remedio, pœna est quasi publica: quam æquum non est inferri priuata authoritate quando adulterium non est adeo notorium, quin tergiuersatione celari possit: sed solum quando sic manifestum est, vt apertissime causam præbeat priuandi: vt quando adulter illud est confessus, & filij adulterini notorie extant.

Non obstat autem his, quod in cap. Porro De diuortiis statuitur virum ob parentelam, etiamsi publica esset & notoria, non potuisse absque Ecclesiæ iudicio separari ab vxore. In eo enim non est sermo de fornicatione sed de consanguinitate, cuius alia est quam fornicationis ratio in hac re. Consanguinitas enim impedimentum est Ecclesiasticum, & ideo cognosci debet ab Ecclesia: fornicatio vero iure diuino est sufficiens causa dimittendi coniugem. Vnde cum notoria est omnino, Ecclesiæ cognitione non eget. Qua de re Sanchez pluribus in eadem quæst.2.num.38.

QVARTVM NOTANDVM: Quamuis persona innocens possit dimittere adulteram: non possit tamen adultera dimittere innocentem, si hæc velit illi cohabitare: à qua & cogi potest ad cohabitationem, debitique redditionem, etiamsi præcesserit diuortij sententia iuridice lata. Pro quo authores plurimos adfert Sanchez *lib.*10. *disputat.*10. *numero* 3. probatque hac maxime ratione, quod cum diuortij sententia sit prorsus in fauorem innocentis, & odium adulteri, non est in damnum innocentis & in fauorem adulteri trahenda, concedendo huic immunitatem à coniugali obligatione, & priuando illum pristino iure suo in corpus adulteri. Quodquidem absurdum est: quia cum solus adulter condemnatus sit, ius innocentis in- 325.

tegrum

tegrum ac illæsum manere debet: nec adulter ex suo delicto commodum reportare.

326. Cæterum quæstio est, An adulter post sententiam diuortij à Iudice datam, possit statum mutare per professionem in religione approbata, aut susceptionem sacrorum Ordinum, ita vt nequeat amplius ab innocente repeti. Quam prius relatis aliorũ dictis Sanchez ibidem à num. 12. soluit aliquot conclusionibus. Prima est, non posse mutare, quamdiu innocens contradicit volens cum sibi reconciliare. Ratio est: quia non obstante diuortij sententia, adulter obligatur reconciliari innocenti id poscenti, iuxta paulo antedicta. Secunda est, nec id posse ignorante & inconsulto innocente, sed licentiam eiusdem requiri. Ratio est: quia cum innocens ipse ius habeat cogendi adulterum ad reconciliationem, sane vt hic licite muret statum, beneplacitum illius exigitur, ne contra suam voluntatem lædatur in iure sibi per matrimonium acquisito. Tertia est, adulterum valide mutare statum post diuortij sententiam, si innocens id sciat nec contradicat cum possit. Ratio est: quia sic licentia satis data esse videtur. Quarta est, vt adulter de licentia innocentis ad religionem aut ad sacros Ordines transeat, non esse necessarium vtidem innocens seruet quod præcipitur in cap. Cum sis, in cap. Sane & in cap. Significauit De conuers. coniugi nempe religionem ingrediatur, vel emittat votum castitatis: ratio est, quod ea iura intelligenda sint vbi matrimonium integrum & illæsum perseuerat: non vbi intercessit diuortium, per quod innocens liber est à iugo debiti coniugalis. Quinta est, Si lata diuortij sententia innocens sæpius monitus nolit adulterum sibi reconciliare, hunc posse statum mutare profitendo religionem, aut sacros ordines suscipiendo. Ratio est quia innocens reconciliationi non annuens, quando emendato adultero tam sæpe rogatus est reconciliari, vt prudentis iudicio alienum sit à ratione ipsum non acquiescere reconciliationi; censeri potest adultero licentiam concedere transeundi ad alium statũ: præsertim cum lata diuortij sententia, retineat quidem ius adulterum per reconciliationẽ reuocandi ad pristinum matrimonij vsum: nõ habeat tamen ipsum sic obligatum vt is nequeat statum mutare, si ad reconciliationem minime admittatur, quantumcumque nihil ex sua parte appareat, quod obstet.

327. QVINTVM NOTANDVM. Innocenti coniugi licitum esse, ad religionem transire inuito adultero, ex cap. Agathosa 27. quæst. 2. & ex cap. Constitutus, & ex cap. Veniens De conuers. coniug. Et ratio est quod adulter amittat omne ius coniugale. De hoc late Sanchez in sequenti disputatione 11. Quæ ad forum externum spectant relinquimus apud eum videnda: cætera attingemus. Primũ est in tali casu, adulterum teneri quidem continere (*manente scilicet vinculo matrimonii consummati*) non tamen simul ingredi religionem, aut vouere castitatem: quia, vt paulo ante dictum est, iura tale quid iniungentia, intelliguntur, matrimonio per diuortium minime læso. Secundum est: eo modo quo vir innocens potest inuita vxore adultera religionem ingredi, posse & sacros Ordines suscipere: quod Sanchez probat numero 16 Quia ius coniugale æque obstat Ordinum sacrorum susceptioni, ac ingressui religionis. Cum igitur adultera omni iure coniugali destituta sit, viro innocenti æque licebit ad sacros Ordines, ac ad religionem transire. Tertium est, In foro conscientiæ nõ censeri quidem illicitam de se propria authoritate factam status mutationem ob occultum coniugis derelicti adulterium: quia per illud etiam cessat ius coniugale: ita vt derelicto iniuriæ minime fiat in eo. Attamen idipsum posse aliunde rationem culpæ inducre: nempe ex scandalo inde nasciturο: & ex iniuria religioni aut sacro Ordini inde secutura: quia si talis à coniuge derelicto repetatur in foro externo, ei restituetur, in grauem iniuriam Religionis & Ordinis. Ob quam causam non licet propositam mutationem ante facere, quam obtenta sit diuortij sententia. Quamquam si fiat, non tantum ordinatio, sed etiam professio erit valida; vt idem pluribus docet num. 14.

328. NOTANDVM SEXTO, quod idem Sanchez tractat *in eodem libro* 10. *disput.* 13. Virum non teneri quidem vxorem adulteram ad pristinam amicitiam ad se reuocare; id tamen fas illi esse. Quorum prius patet ex cap. Admonere 33. quæst. 2. illis verbis. Post septem annos pœnitentia peracta dimittere eam per approbatam causam poteras, si voluisses. Posterius vero habetur ex cap. Si vir, De adulteriis, illis verbis. Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti, debet (*intellige cum glossa, debito honestatis*) sed non sæpe recipere peccatricem. Vbi aduerte dici, *non sæpe*, ad iudicandum, *vt habet glossa*, quod Ecclesia pro tali minime intercedat; nõ item, quod non sit semper locus condonationi; iuxta illud Domini Matth. 18. Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.

329. An autem sit viro licitum cohabitare vxori adulteræ, non resipiscentis difficultas est. Cuius explicationem pluribus persequitur memoratus author ibidem à num. 4. Nobis autem sufficit notare duos esse casus (*eos Caietanus in verbo Matrimonium versus finem tangit*) in quibus vir non tantum potest, sed etiam debet sub mortali vxorem adulteram dimittere. Prior est, quando dimittendo potest illam corrigere, nec alio modo potest. Pro quo facit textus in cap. Si vir De adulteriis. Verum talis casus in praxi admodum rarus est, vt Sanchez num. 8. pluribus ostendit. Certe si tali peditæ mulieri non sufficiat correctio fraterna, qua maritus illam admoneat pœnis inferni propositis ipsam deterrendo, modoque sibi permisso puniendo, nulla videtur superesse spes emendæ moraliter loquendo: imo credendum est fore, vt à viro dimissa, liberius vacet libidini, efficiaturque deterior. Posterior casus est: quando retinendo adulteram sequeretur scandalum, puta quia ipse aliis videretur adulterij patronus esse ac fautor iuxta cap. 1. 32. quæst. 1.

Porro tales casus non habent locum in vxore respectu viri. Non quidem prior: quia vxor non est caput viri vt illi incumbat huius instructio: nec cum subdita sit, potestatem habet eum cohibendi. Vnde ratio pro eodem casu respectu viri allata non potest vxori ipsi adaptari. Nec item posterior habet locum: quia experientia satis docet, omnibusque notum est, vxores ægerrime ferre quod viri aliis commisceantur, zelotypiaque exuri: ita vt temerarium iudicium sit (nisi de contrario aliunde aperte constaret) eas talis criminis participes existimare. Quinimo nec in iisdem casibus tenebitur vir vxorem dimittere, si inde secuturum sit maius malum: vt cum id erit illi occasio peius delinquendi potius quã emendationis: vel cum grauibus stimulis carnis impetitus, timet sibi ab incontinentia: vel cum inter ipsum & vxoris parentes, pugnæ, & cædes orientur, ratione quorum datur excusatio ab obligatione eam corrigendi. Adde nec videri obligationem esse dimittendi, si omne periculum scandali remoueatur sufficienter, alio modo quam coniugis dimissione: qualis modus est manifestare vxoris crimen sibi minime placere: siue idipsum protestando publice, siue verberando eam, aut aliter persequendo, aduertentibus vicinis. Alias enim durum nimis videretur, maritum propter delictum non suum priuari consortio vxoris, ac obsequiis illi per eam de iure exhibendis. Quod si scandalum vitandi nullus alius suppetat modus, omnino dimittenda est in suo scelere obstinata.

330. NOTANDVM SEPTIMO. Grauem difficultatem esse, An si lata diuortij sententia contingat innocentem labi in adulterium, is cogi possit redire ad coniugem adulterij causa dimissum. Quam Sanchez fuse tractat *lib.* 10. *disput.* 9. *quæst.* 3. Omissis autem aliis, quæ adfert spectantia ad forum externũ, contenti erimus responsione, quam dat pro interno in num. 32. Est enim, talem posse à Iudice compelli ad reconciliationem: sed ipsum in conscientia ad eam non teneri ante eiusmodi compulsionem. Cuius responsionis prior pars probatur per illud quod idem habet in præcedenti numero 31. Iudicem seu Prælatum Ecclesiasticum, cum sit pastor animarum, debere ex officio occurrere coniugum periculo incontinentiæ: saltem quando ipsum est manifestum, aut ex eo imminet

nota

notabile scandalum aliorum. Imo vero Prælato ex officio iusta de causa procedenti parendum est in conscientia, iuxta illud ad Roman. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt.] Pro posteriori parte autem faciunt rationes quas idem Sanchez ibidem affert num. 30. Nobis sufficere potest quarta, quæ talis est. Diuortij sententia absoluit innocentem à debito coniugalis societatis, dissoluitque contractum matrimonij quoad ius thori & cohabitationis, manente vinculo. Quare innocens postea fornicans, reus erit quidem adulterij in ordine ad Deum, ob perseuerans matrimonij vinculum: non peccabit tamen aduersus coniugem dimissum nec inferet illi iniuriam (quandoquidem iure per matrimonium quæsito, spoliatus est per Iudicis sententiam) perinde ac coniux fornicans altero conniuente reus est adulterij in ordine ad Deum ob vinculum matrimonij: non tamen in ordine ad coniugem conniuentem: cuius iniuria cessat. Ita ille bene totidem pene verbis.

331. NOTANDVM POSTREMO, conciliationem coniugis adulteri cum innocente esse posse, nō modo expressam: qua expresse condonatur adulterium: sed etiam tacitam, per quam facto aliquo animus condonantis aperitur. De qua re Sanchez *in sequenti disput.* 4. inter cætera habet conclusiones has ad praxim conducentes.

Prima est. Coniugem innocentem habendo carnalem copulam cum coniuge adultero, censeri condonare ei iniuriam adulterij, nec deinceps liberum esse ei, ob idipsum ab illo diuertere. Hanc ipse Sanchez habet num. 6. pro eaque plurimos citat præmissa hac ratione: quod per talem copulam caro adulteri diuisa, restituatur ad pristinam vnionem: iterumque ipse efficiatur vna caro cum carne innocentis: ita vt matrimonium quoad thorum & habitationem dissolutum, ob carnis diuisionem, instauretur carne de nouo effecta vna per copulam cōiugalem: si quidem adsint duæ conditiones. Prior est, de qua idem *nu.* 9. *& tribus sequent.* vt coniux innocens conscius sit adulterij alterius coniugis. Ratio est, quia nulla remissio datur vbi est ignorantia iniuriæ: nec enim actus agentium operantur vltra eorumdem intentionem: nec intentio haberi potest vbi ignorantia adest.

Addit ille primo, innocentem sufficienter censeri conscium, qui etsi non sit omnino certus, habet tamen probabiles adulterij rationes, ob quas iuste inducitur ad illud credendum: quod quidem est, ipsum habere moralem certitudinem, sufficientem ad mouendum in agendo virum prudentem. Addit secundo, nihil referre, quod adulter adulterio adiunxerit Sodomiam aut bestialitatē: quarum innocens non sit conscius: quia cum, *sicut adulterium*, ob carnis diuisionem sint causa diuortij: id quod sufficit ad tollendum ipsammet diuisionem, sufficit etiam ad tollendum diuortium. Eadem diuisio autem ex quibuscumque causis nascatur, sufficienter tollitur per copulam coniugalem habitam animo efficiendi vnam carnē cum coniuge, qui suam diuisit. Addit tertio, ad validitatem propositæ condonationis non esse necessarium, vt adulter cognoscat suum adulterium notum esse innocenti, quia ad eam non requiritur eiusdem adulteri acceptatio: sed sufficit tolli impedimentū voluntatis, qua innocens iure suo vtens nolit adultero cohabitare: sicut ad videndum, manente potentia visiua integra (prout matrimonium manet integrum adulterio non obstante) sufficit appositum obstaculum tollere. Posterior conditio requisita vt copula censeatur condonatio, est vt sponte habita sit: nam donatio proficisci debet de se à liberali voluntate, cum nemo agens compulsus necessitate, liberalis præsumatur. Vnde idem bene colligit, non esse talem censendam, si vxor viro adultero debitum reddat, graui metu ipsius perculsa: nec item si reddat falso persuasa se ad id teneri.

332. Secunda conclusio est. Innocentem sponte propria retinentem secum adulterum, censeri condonare illi adulterium. Ratio est, quod id sit manifestum amicitiæ signū. Intellige autem, *sicut in præcedenti conclusione*, dummodo innocens ipse certo sciat adulterium commissum esse, aut violentam de eo suspicionem habeat ex coniecturis ad moralem certitudinem sufficientibus. Deinde, vt idem adulterium ita sit publicum, vt nulla tergiuersatione celari possit, quia non posset alioqui propria authoritate adulterum repellere: siquе repelleret, lis ei intentaretur: & deficiens in probatione, cogeretur à Iudice repulsam pati: cuius incommodi timore, cum secum retinet, non est spōtanea retentio, quæ habeat rationem liberalis donationis. Denique si retineatur ad breue solum tempus, expectando opportunitatem perficiendi diuortij.

Tertia conclusio est. Adulterium censeri condonatum, si innocens, scienter ac sponte, sed nulla necessitate, *ne quidem honestatis intuitu*, compulsus, familiarem se exhibeat adultero, ludendo, ridendo, comedendo cum eo, osculando, amplexando. Ratio est: quia talia sunt signa amicitiæ manifesta. Quæ tamen, quia tantum faciunt condonationem præsumptam, si innocens cum eis animum habeat non condonandi adulterium: condonatio in foro interno erit nulla: etiamsi in externo, ideo iudicabitur valida, quod exterius gesta animum contrarium indicent: nec actus operentur vltra intentionem agentium, ex lege Non omnis ff. Si certum petatur. Vbi ergo in hac re erit contraria intentio, non erit condonatio. De qua re Sanchez plenius in ead. disp. 14. à num. 20.

TRACTATVS VI.

De iis quæ matrimonio annexa sunt consequenter.

ANNEXA matrimonio consequenter censentur, tum illius rectus vsus: de quo Apostolus in priore ad Thessalon. cap. 4. monet voluntatem Dei esse vt possideat vnusquisque vas suum in sanctificatione & honore, & non in passione desiderij, sicut gentes quæ ignorant Deum. Tum etiam proles ex illo suscepta. Atque de recto vsu docendum occurrit quænam ad eum requirantur.

CAPVT XLIII.

De iis quæ obseruanda sunt in matrimonij vsu, vt rectus sit: ac primum de modo.

SVMMARIVM.

333 *Triplex modus, ex quo illicita esse potest coniugalis copula, & in particulari de eo quo intra vas non naturale exercetur.*

334 *De secundo modo, quo coniugalis copula fit cum seminis effusione extra vas, conclusiones notandæ.*

335 *De tertio modo, quo illicita est coniugalis copula, ob variatum naturalem situm coniugum.*

VT rectus sit ac legitimus matrimonij vsus obseruandæ sunt decem conditiones indicatæ his versibus:

Sit modus, & finis sine damno, solus, cohære,
Sit locus & tempus, tactus, ne spernito votum.

De his D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 20. Syluester & reliqui Summularij in verbo Debitum, Caiet. in verbo Matrimonij peccata, Nauar. in Enchir. cap. 16. num. 23. & nonnullis sequentibus, Toletus in instruct. Sacerd. lib. 7. cap. 20. & 21. Gregor. à Valentia tomo 4. disput. 10. quæst. 6. puncto 2. & Sanchez alios abunde citans libro 9. disput. 8. & aliquot sequentibus.

333. QVOD AVTEM ad modum attinet, is constituitur triplex reddens illicitum matrimonij vsum. Primus est, quando contra naturam, id est, in vase non debito fit copula. Secundus, quando semen extra idipsum vas voluntarie effunditur. Tertius, quando semen effunditur quidē in proprio vase, sed variatur situs moduſq; concumbendi naturalis, qui est vt fœmina sit succuba & vir incubus.

De primo Sanchez *disput.* 17. cum quo, ac cum aliis quos ipse citat, tenendæ sunt sequentes conclusiones. Prima est, Semper esse peccatū mortale coniuges vase naturali dimisso, abuti, aut abuti velle, non naturali. Ratio est:

quia

quia id omnino aduersatur naturali fini copulæ coniugalis, *qui est prolis generatio*, estq; nefanda Sodomia, quam aut aliam extra vas naturale seminis effusionē vxor secū exercerī nullo modo permittere debet, ne quidem ad mortem euadendam: non enim excusatur ex eo, ꝙ vxor sit: quia ad solam copulā aptam generationi prolis vxor est. Adde, quod talis copula, *vtpote habita cōtra naturā*, deterior sit fornicatione; quæ quoniam mala est intrinsece, nullo timore potest cohonestari.

Secunda conclusio est, Culpam esse mortalē si coniux in actu coniugali delectetur cogitatione tertiæ personæ carnaliter dilectæ quasi illi copularetur. Ratio aperta est; quia talis delectatio est morosa, de obiecto mortaliter malo.

Tertia est, Abusum vxoris per copulam extra vas naturale esse peccatum grauius simili cōmisso cum soluta. Ratio est: quia talis abusus vxoris, vltra peccatū contra naturam, adulterium est duplici ex parte: hoc est, tum vxoris, tum etiā viri quandoquidem neuter eorū corpus suum alteri caste seruat, contra bonū fidei coniugalis: nec enim coniugium ordinatum est ad aliam copulam, quā naturalem, generationi prolis aptam. Similis vero abusus vxorati cum soluta, adulteriū est tantum modo ex parte viri. Ita docet Sanchez disp. 18. duo addens. Alterum, non referre ꝙ tale flagitium committatur de mutuo coniugum consensu. Id enim non excusat illud à mortali: vt nec vxoris consensus excusat adulterium mariti cum soluta: quia coniuges cedere nequeunt bono fidei, ad quod adstringuntur. Alterum, est in confessione eiusdē flagitij declarandā esse circumstantiam personæ coniug s propriæ. Nam si maritus dicat in genere se fœminam contra naturam cognouisse, cum id intelligi posset de fœmina soluta, grauitas peccati non satis aperiretur iuxta antedicta. Sin autem in genere dicat cum fœmina coniugata eiusmodi flagitium commisisse; id intelligi posset, ta n de aliena quam de propria vxore: & per consequens intelligi, tale peccatum aggrauari malitia inustitiæ commissæ contra virum talis vxoris quod mendacium esset. Neq; sufficiet addidisse commissum de consensu mariti talis fœminæ: quia id esset regere talem consensum esse suum: quandoquidem intelligeretur de consensu alterius viri, sicq; non conferetur sufficienter ad integritatem confessionis.

334. De secundo autem modo, sit quarta conclusio, Modum coeundi coniugum, ex quo sequitur voluntaria seminis effusio extra vas à natura destinatum ad generationē, peccatum esse mortale. Hæc patet per illud, quod Genes. 38. dicitur De Onam filio Iudæ, quem tale flagitium cōmittentem occidit Dominus: eo quod, *vt ibidem additur*, rem detestandam faceret. Adde, quemcunq; non modo in coniugio, sed etiam extra illud tali effusione se voluntariè contaminantem excludi à regno cœlorum. Sunt enim illi molles; quos Apostolus inter eos qui idipsum regnum non possidebunt, numerat in priori ad Corinth. cap. 6. vers. 9.

Quinta conclusio est. Procurationem voluntariam effusionis seminis extra legitimum vsum copulæ coniugalis, sic esse illicitā, vt nulla circunstantia cohonestari valeat: ne quidem ad conseruandam vitam, medijs licitis, vt pharmacis eidem procurandæ adhibitis. Hanc ab omnibus admitti testis est Sanchez disput. 17. nu. 16. qui ad confirmationem supponit, quod Abulensis ad cap. 5. D. Matth. qu. 184. ad 1. notat in seminis emissione sentiri delectationem adeo vehementem, vt homines illam tanquam summum bonum persequantur, illiq; velut suæ felicitati adhæreant. Inde enim intelligitur, quod cum talis effectus sit alienissimus à recta ratione, tanquam radix & fomes omnis turpitudinis ac peruersionis bonorum morum, iure ita esse obuiatum caulæ eiusdem effectus, vt seminis humani administratio extra concessum diuina ordinatione matrimonij vsum legitimum, non sit relicta in arbitrio hominis, sed ei prohibita, ob periculum quod subesset euidentissimum, ne alioqui homo passione libidinis excæcatus; sibi passim persuadens iustam causam adesse eiusdem seminis effundendi, illud prodigeret: sicq; innumera luxuriæ vitia pullularent in perniciem boni communis: vitandam, etiam cum iactura vitæ hominis priuati: ideoq; ad eam seruandā, non est censenda licita præmemorata effusio.

Sexta conclusio est, Non obstante matrimonij validitate, si ex superueniente ob morbum aliquem aut absentium imbecillitate viri, aut arctitudine fœminæ, nullatenus possit semen intra huius vas debitum effundi: copulam coniugalem non esse licitam. Pro qua Sanchez *in sequenti nu.* 20. aliquod authores citat: præmissa hac ratione: quod coniugibus permissa sit solum copula ea, quā semē intra naturale vas effunditur: cuiusmodi si impossibilis esse inueniatur, nō licet eam attentare. Addit nihilominus idem author talibus coniugibus si periculum pollutionis absit, licitos esse mutuos amplexus, oscula, alios q; id genus tactus; quandoquidē sunt veri coniuges: nec obstat, quod nequeant eos referre ad copulam tanquam ipsis impossibilem: quia possunt eosdem referre ad sedationem concupiscentiæ carnis: vel ex ad exhibitionem, signorum mutui amoris.

Septima conclusio est, Quando consideratis omnibus circumstantijs probabilis spes adfuerit seminandi intra vas, licitum esse cōiugibus idipsum per copulam attentare, etiamsi per accidens & præter eorum intentionem semen extra vas effundatur. Pro hac Sanchez *num.* 22. Caietanum, Nauarrū, aliquotq; alios citat & probat: quia in tali casu coniuges vacant rei licitæ: vtpote sibi possibili ac permissæ: quodq; ex ea sequatur seminis extra vas effusio, accidit præter ipsorum intentionem. Quo fit, vt ea excusetur à peccato, tanquam actus hominis: non quidem agentis, sed patientis illam. Quod si non obstaret, quin memorata copula sit illicita: oporteret plurimas actiones necessarias omittere tanquam illicitas ob periculum secuturæ ex eis pollutionis contra agentis intentionem: quale contingere potest in audiendis confessionibus, in medendis morbis mulierum, alijsque multis. Videnda sunt dicta in præced. libr. 22. cap. 3. sect. 9. Accedit, quod in cap. Laudabilem, De frigidis & malefic. triennalis experientia concedatur coniugibus dubitantibus an impotentia ipsorum sit perpetua, vt iudicari possit valueritne matrimonium ipsorum. In qua fine dubio experictia, fæpe fieri potest vt semen extra vas effundatur, cum quo nihilominus periculo ius eam approbat.

Octaua cōclusio est, Culpam mortalem admittere fœminam, quæ statim post coitum mingit, aut quidquam aliud facit vt semen receptum expellat. Hanc Sanchez *in eod. libr.* 9. *disp.* 20. *nu* 3. citatis alijs habet. Et probat: quia in eo sicut & in effusione extra vas, semen per se & ex intentione frustratur fine in quem à natura ordinatur.

De tertio deniq; modo, *de quo iam egimus in cit. cap. 3. sect.* 8. 335. notandum est, grauiter quidem increpandos esse coniuges qui cōmiscentur seruato quidem vase legitimo, sed variato situ naturali: quia graue peccatū veniale admittunt: etiamsi possint excusari à mortali, tanquā non frustantes semen fine suo: quod recipitur in matricem fœmineam non quidem per descensum, sed per attractionem: siquidem in illa incst virtus naturalis semen ipsum attrahens, sicut in stomacho est naturalis vis cibum attrahens.

CAP. XLIV.

De fine requisito ad licitum matrimonij vsum.

SVMMARIVM.

336 *De primo, secundo, & tertio fine matrimonij; qui sunt bonum prolis, bonum fidei, & bonum Sacramenti.*
337 *De quarto, qui est corporis sanitas.*
338 *De quinto, qui est vitatio fornicationis.*
339 *De sexto, qui est carnalis delectatio.*
340 *Explicatio difficultatis, An peccet vtens matrimonio, solius delectationis gratiā.*

MVltiplex finis esse potest vsus matrimonij: quorū primus est proles. 2. reddere debitum. 3. significatio vnionis Christi cum Ecclesia. 4. sanitas corporis. 5. vitatio fornicationis. 6. carnalis delectatio, de quibus in genere nihil occurrit addendum ad antedicta lib. 12.

De primo autem illorum in particulari notandum est; 336. Licitum esse actum coniugalem, relatum bonum prolis, aut in bonum fidei: seu dum is exercetur gratia prolis habendæ, aut seruandæ fidei alteri cōiugi, reddendo ei debitum. Quam esse omnium Theologorum & vtriusque iuris interpretum sententiam Sanchez testatur *lib.* 9. *disp.* 8. *sub initium*: rationē addens ex parte quidem boni prolis: quod cum Deus nihil illicitum instituere possit: instituerit autem matrimonium

ad multiplicationem generis humani, & per consequens ad prolis generationem certe coniuges in cum finem vtentes coniugio, non peccant nisi forte venialiter, *vt idem addit nu.* 2. cum in prole sistit eorum intentio, quæ licet mala tunc nō sit, imperfecta est tamen: nisi ipsa vlterius ad Deum referatur, sicut exposcit tertius finis ante propositus: nimirum bonum Sacramenti, seu significatio vnionis Christi cum Ecclesia. Quoad bonum vero fidei, probat: quia cum ex iustitia coniux teneatur coniugi debitum coniugale reddere, vtens matrimonio in eum finem, non modo peccat, sed facit opus virtutis.

Circa eundem tertium finem, idem author *ibid. nu.* 14. & 15. notat vsum matrimonij ad eam significationem relatum, vacare quidem culpâ si intentione vtentium, is includat bona prolis & fidei: sed si eadem excludat esse veniale, tanquā deficiens in perfectione finis. Sacramentum enim matrimonij est, tum signum rei sacræ, & ita pro fine respicit memoratam significationem, *quam coniugum vinculum indissolubile habet*: tum etiam signum practicū, seu relatum ad vsum: qui quidē vsus prolem & redditionem debiti coniugalis respicit, tanquam finem, quem si aliquis in eodem vsu excludat à sua intentione, contentus intendere significationem vnionis Christi cum Ecclesia, deficit in perfectione finis. Cuiusmodi defectus non videtur esse malum adeo grande, vt censeri debeat mortale. Aduerte vero idem Sanchez in præcedenti nu. 3. alijs citatis habet, non esse opus in actu ipso cōiugali reminisci horum finium, vt in eos ille relatus esse censeatur: sed sufficere si à principio coniuges matrimonium inierint ob tales fines, nec in eodem actu habuerint contrariam intentionem.

337. De QVARTO fine, hoc est sanitate corporis, Sanchez agens *disp.* 10. rationi congruenter docet, nullam culpam esse coniugale debitum petere causa sanitatis corporis, vbi nullum aliud aptum medium inuenitur ad eam instaurandam tuendamve. Esse autem venialem vbi aliud conueniens medium occurrit. Pro cuius doctrinæ priore parte ratio facit: quia talis petitio cum sit licita ob bonum prolis, multo magis erit ob necessitatem restaurandæ aut tuendæ propriæ salutis: cui plus quam bono prolis, *tanquam alieno*, quilibet tenetur consulere. Adde intentionem sanitatis non excludere sed includere saltem remote, bona prolis & fidei: hoc scilicet nomine, quod vtens bona valetudine sit aptior proli generandæ ac debito reddendo. Pro posteriore quoq; parte facit ratio: quia peruersio debiti ordinis, nisi necessitas excusset, mala est, saltem venialiter. Qualē peruersionem cōtingere, quādo absq; necessitate coniugale debitū petitur causa sanitatis, patet; quia tunc actus suapte natura ordinatus ad bonum speciei, refertur ad bonum indiuidui: ac proinde peccatur ea ratione, qua si baptismus institutus ad remissionem peccatorum, susciparur intentione recuperandi sanitatem. Cæterum si nulla sit spes prolis, sicut tunc cessit ratio peruersionis antedictæ, ita etiam cessat peccatum. Nec item peccatum erit, si debitum petatur intentione sanitatis minus principaliter; intendendo principaliter susceptionem prolis cuius extat spes: tunc etiam debitus ordo intentionum seruatur.

Quod vero in casibus illis, in quibus coniugalis debiti petitio ob sanitatem, mala est, redditio similiter mala non sit; ex eo patet, quod circunstantia talem malitiam influens, teneat se tantum ex parte petentis, cuius intentio est indebita: non autem ex parte ipsius petitionis, quæ ob eandem intentionem non desinit esse bona suapte naturâ; ita vt coniux cui fit, teneatur reddere quod petitur, tanquam debitum ex iustitia: atque adeo peccatū quod in ea re cernitur, tantum sit ex parte petētis, nullo vero modo ex parte redditionis, quę est actus iustitiæ: aut ex parte reddentis, debita intentione agentis illud, ad quod tenetur. Videri possunt pro pleniore intelligentia, quæ ab eodem Sanchez late tractantur in eodem lib. 9. disput. 6.

338. De QVINTO fine, qui est vitatio fornicationis, idem est statuendum ac de sanitate corporis: nimirum petitionē debiti factam causa talis finis peccato vacare in petente: qui nequit alijs medijs adhibitis carnis stimulos sedare: peccatum autem esse veniale, si petens possit alio modo incontinentiæ obuiare. Prior pars probatur tum alijs rationibus quas adfert Sanchez in sequenti disput. nona, num. tertio: tum quia lex diuina indulget accessum ad vxorem ob eum finem, dicente Apostolo in priori ad Corinth. cap. 7. Reuertimini in idipsum ne tentet vos Satanas: Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundū imperium. Illum igitur exigere non est peccatum, vt nec est prohibitum; prout patet: quia hoc ipso, quod Deus indulget aliquid, id non aduersatur voluntati ipsius, nec censeri debet ab ipso prohibitum continereve: offensam diuinam: nisi vitietur aliquâ circunstantiâ, quam necessitas non excusat. Tunc enim peccatum committi certum est. Atque inde posterior pars probatur. Namque in eo casu absque necessitate, vsui matrimonij finis vltimus indebite constituitur fornicationis vitatio: quæ tantum est finis mediatus, vtpote ordinatus in bonum fidei vt in vlteriorem finem. Enimuero talis finium peruersio non est adeo aliena à ratione, vt censeri debeat constituere mortale. Porro sic peruerse petenti, debitum coniugale reddere nō esse peccatum statuti potest eadem ratione, qua statutum est in numero præcedēti, de eadem redditione, facta debitum coniugale petenti principaliter ob corporis sanitatem.

De SEXTO fine, hoc est, carnali delectatione: inter omnes constat *prout Sanchez disput. 11. num. 3. testatur*, mortaliter peccare coniugem qui ad alterum coniugem suum accedit cum eo excessu intentionis delectandi se, vt paratus sit ad accedendum, etiamsi non esset suus. Ratio aperta est: quia talis vere habet animum fornicandi: nec quod is animus conditionalis sit obstat, quin vere sit contra sextum decalogi præceptum. Debet tamen actualis esse idem animus, vt Sanchez aliquot alijs citatis addit, quoniam habitualis (qualis est, nihil de accessu fornicario cogitantis, sic tamen dispositi, vt si alter non esset suus coniux, nihilominus accederet) non sufficit: quia actibus, non autem habitibus meremur aut demeremur. 339.

Difficultas est autem. An si absque transgressione limitum matrimonij, actus coniugalis exerceatur tantum delectationis carnalis gratiâ, peccetur. De qua videtur tenendū, in eo peccari quidem ob defectum debiti finis principalis, quem oportet esse bonum propter se expetendum, qualis non est proposita delectatio, quæ naturæ institutione refertur ad bonum prolis, tanquam incitamentum ad vacandum propagationi speciei: sicut delectatio in capiendo cibo, incitamentum est ad vacandum conseruationi indiuidui: ideoque expetenda est tantum modo propter aliud, tanquam medium: non autem propter se, tanquā finis. Non peccari autē mortaliter ex eo intelligitur, quod peruersio illa finis nō appareat tantopere aliena à ratione: vt censeri debeat diuinam amicitiam dissoluere, quando est absq; transgressione limitū matrimonij: prout censeri potest, quæsita tantū virtute vinculi matrimonij, nec amplior procurata, quam natura adiunxerit copulæ coniugali, vt esset incitamentum ad vacandum propagationi humanæ speciei. 340.

Quæ cum ita sint, relinquitur vsum actus coniugalis, solius delectationis gratiâ vsurpatum, si non transgrediatur matrimonij limites, esse quidem peccatum, non tamen plusquam veniale. Pro quo authores plurimos Sanchez citat *in sequenti num. 4.* præmissis his verbis D. Augustini de bono coniugali cap. 6. tom. 6. Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam: concupiscentiæ vero satiandæ, tamen cum coniuge venialem. Vide cap. Vir cum propria 33. quæstio. 4. Addit vero num. 7. aliquot alijs citatis: qua ratione dictum est in præcedentibus, hîc etiam dicendum esse: quod etiamsi peccet is qui debitum exigit, ob solam delectationem: coniugem tamen à quo exigitur, posse & debere illud reddere.

CAP. XLV.

De vitatione damni, ac nonnullis alijs requisitis ad rectum matrimonij vsum.

SVMMARIVM.

341 *Triplex periculum damni, obstans rectitudini vsus matrimonij.*

342 *Expli-*

342 *Explicatio difficultatis, vtrum liceat viro accedere ad vxorem menstruatam.*

343 *Responsio ad argumenta quibus videtur doceri peccatum esse mortale, accedere ad vxorem suam menstruatam.*

344 *Rectus vsus matrimonij requirit, vt petenti cōiugi non denegetur, ne quidem tacite; nolendo ei cohabitare.*

345 *Tempus requisitum: & responsio ad difficultatem, An culpa sit vti copula coniugali, quo die recipienda est, aut recepta est sacrosancta Eucharistia.*

346 *Responsio ad aliam difficultatem, vtrum diebus feriatis sit licita coniugalis copula.*

347 *Solutio dubij, An vsus matrimonij sit licitus tempore furoris aut ebrietatis.*

348 *Quatenus tactus carnales aduersentur recto vsui matrimonij.*

349 *De crimine obstante rectitudini vsus matrimonij.*

350 *De voto obstante rectitudini vsui, ac primo prout obstat præcedendo matrimonium.*

351 *De eodem prout obstat sequendo matrimonium, aut ante illius consummationem, aut post eandem.*

352 *Quædam notanda de voto non petendi coniugale debitum.*

341. INter verba quibus sub initium capitis 43. diximus indicari requisita ad rectum matrimonij vsum, tertio loco ponitur *damnum*, indicans esse requisitam vitationem damni. Cuius conditionis defectu peccatum mortale potest in ipso vsu matrimonij contingere. Primo cum inde periculum abortionis probabiliter timetur: quia contra charitatē est, quod velit quis delectari cum pernicie prolis. Ita D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 20. §. 4. Qui addit tale periculum videri adesse maxime circa principium conceptus, in quo matrix aliquando ob delectationem aperitur, & materia nondum perfecte coagulata effunditur. Itemq; instante partu, in quo proles potest suffocari accessione seminis. Contingit præterea cum inde periculum est mortis, aut notabilis infirmitatis alterutrius coniugis. Vide antedicta in ca. 39. causa 12. Deniq; contingit cum etsi non sit periculum abortionis: est tamen alicuius alterius grauis detrimēti prolis, quale est lepræ alteriusve eiusmodi infectionis.

342. ID QVOD occasionem dat tractandi difficultatem; sitne peccatum accedere ad vxorem menstruatam. Quam copiose tractat *Sanchez lib. 9. disput. 21.* Contenti erimus notare pro parte affirmante (in quam ille numer. 2. multos citat) adferri quod Leuitici 18. & 20. talis accessus numeretur inter peccata ob quæ deletæ sunt gentes in terra promissionis: atque ob illud nominatim, sicut & ob quædam alia flagitia, in eod. cap. 20. tam vir quam fœmina iubeantur occidi: quæ pœna grauissima, argumentum est sufficiens culpæ grauissimæ. Item quod Ezechiel 18. inter ea, quæ iustus seruare debet vt in sua iustitia conseruetur, ponatur: Et ad mulierem menstruatam non accesserit: vnde sequitur ad eam accedere peccatū esse mortale, vtpote quo iustitia iusti perditur. Ac demum quod detrimentum graue ex tali accessu prouenire possit proli: vt quod leprosa aut cum alia infirmitate nascetur. Quæ quidē non ita vrgent quin pars negans, quæ mitior est, *& pro qua Sanchez in seq. nu. 5. & 15. plures citat*, teneri valeat: præsertim cum tunc quoque temporis in coniugibus vrgere possit necessitas euitandi fornicationem. Cuius rei gratia institutum esse matrimoniū, Apostolus indicat in priori ad Corinth. cap. 7. cum ait: Propter fornicationem autem vnusquisq; suam vxorem habeat, & vnaquæq; suum virum habeat.

343. Ad authoritates autem scripturæ responsio est, quam datam ab Alfonso à Castro *in lib. 1. de lege pœnali cap. vltimo* Sanchez adfert *in eadem disput. num. 10.* præceptum datum in illis, fuisse tum ceremoniale, quatenus ob immunditiam & horrorem interuenientem, prohibebat ipsum accessum ad menstruatam: tum etiam iudiciale, quatenus imponebat pœnam mortis: ideoq; ipsum cessasse in lege Euangelica, sicut cætera veteris legis, illius generis. Quamquam tamen negandū non est, quin nunc quoq; is ipse accessus, tanquam de se inhonestus ac indecens, merito iudicetur peccatū veniale. si ex nulla iusta causa excusetur: imo & mortale, si fit cum affectu mortali: quem multiplicem excitare potest vehemens æstus libidinis. Cuiusmodi fuisse in gentibus quas Deus deleuit in cōspectu filiorum Israel, probabiliter conijcitur ex grauioribus peccatis luxuriæ, memoratis in Leuitico, quibus se cōtaminare non erubuerint iuxta illud de eis dictum in citato cap. 20. vers. 23. Omnia hæc fecerunt & abominatus sum eas. Responsio autem ad rationem de damno prolis, hæc est: illud non esse tanti faciendum, vt culpam læthalem constituat, cum raro admodum contingere possit: siquidem ex Aristotele in lib. 1. de generat. animalium cap. 19. rara est eo tempore conceptio fœtus. Item tale damnum contingens proli, nō faciat conditionem ipsius deteriorem: quandoquidem melius illi esse cum eodem damno, quam nullo modo esse: vt contingeret si coitus tunc nō haberetur; quia ex post habito posset non sequi generatio: vel si sequeretur, quia non esset eadem numero, cum ea quæ præcedere potuit, nec erit eadem numero proles: quia in non entibus nulla est vnitas, vt nec entitas. Ita Sanchez nu. 5.

344. QVARTO loco, in versibus initio capitis memoratis ponitur verbum *solue*, indicans ad rectū vsum matrimonij requiri vt coniugale debitum coniugi petenti reddatur, iuxta illud Apostoli in priori ad Cor. cap. 7. Nolite fraudare inuicem] Sunt tamen aliquot causæ excusantes à peccato in ea re: de quibus dictum est in præced. cap. 39.

QVINTO loco, ponitur verbum *Cohærere*, quo significatur vnum coniugem si alterum deserat, peccare subtrahendo ei commoditatem vsus matrimonij, quam ex iustitia debet acceptare, nec obicem ei ponere. Sunt tamen aliquot casus in quibus coniux potest coniugem deserere, quoad habitationem. Illi satis intelliguntur ex dictis in præcedenti. cap. 40. & duobus sequentib.

Subiungitur sexto verbum *loco*, indicās ad licitum vsum matrimonij requiri vt copula coniugalis extra locum sacrū habeatur: quoniam habita in loco sacro peccatum est mortale, nisi necessitas excuset. Qua de re iam egimus in præced. lib. 22. cap. 3. sectione 7.

345. Septimo loco, ponitur verbum *Tempus*, indicans in recto vsu matrimonij, habendam esse rationem temporis. Circa quod dubitatur, An culpa sit vt copula coniugali eo die quo recipienda, aut iam recepta est Sacrosancta Eucharistia. Quā dubitationem iam dissoluimus in præced. lib. 29. nu. 117. Solutionis autē summa est, si debito fine, *vt causa prolis*, debitū coniugale petatur & reddatur, non esse culpam eodem die vti matrimonio, & ad Eucharistiam accedere: sed solummodo consilium esse ab hac tunc abstinere: ita vt relinqui possit iudicio coniugis: vt tunc communicet vel à communione abstineat iuxta spiritalem affectum quem in se senserit. Sin autem idem vsus vsurpetur tantum gratia delectationis carnalis, peccatum veniale committi accedendo ad Eucharistiā eodem die, nisi iusta causa excuset: vt in reddente excusat, quod debuerit satisfacere obligationi quam habuit debitū reddendi: & possunt excusare certæ circumstantiæ, quarum occursu talis indecentiæ macula abstergi censeatur: Cuiusmodi circunstantiæ sunt ex communi doctorum consensu, prout *num. 8. Sanchez testatur*, tum magna solemnitas in qua decentissimum est Eucharistiam sumere: tum dies Iubilæi communionem exigentis vt acquiratur: tum specialis deuotio præparatioq; ad cōmunionem: tum demum nota aliqua infamiæ contrahendæ si communio omittatur.

346. Mouetur præterea dubitatio de tempore feriato: vtrum si dies sint festi, processionum aut ieiunij, licitus sit matrimonij vsus. Qua de re varias sententias Sanchez refert *in eod. lib. 9. disput. 12.* eamq; sequitur vt probabiliorem, *multis in eam citatis num. 5.* qua asseritur esse tantum consilium talibus diebus à copula abstinere. Quia redditio debiti coniugalis non est de numero operum seruilium diebus feriatis prohibitorum: neq; circunstantia temporis tanti momenti est, vt censeri debeat impedire solutionem debiti ex iustitia. Neque etiam possit in contrarium obijci, quod tales dies sint instituti vt liberius Deo seruiatur orationiq; vacetur eique fini vsum matrimonij aduersari prout satis indicauit D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 7. inquiens nolite fraudare inuicem nisi forte ad tempus, vt vacetis orationi.] Id, inquam nihil obstat: quia finis præcepti non cadit sub præceptum *ex D. Thoma 1. 2. quæst. 86. art. 3. ad 2.* Et ratio est quia sicut in medicina non dantur præcepta de sanitate, sed de medijs illius cōsequenda; ita nec in morali disciplina dantur præcepta de fine, sed de medijs in eum institutis. Quam communem opi-

nionem esse habet Couarr. ad cap. Alma mater, de senten. excommunic. in 6. par. 1. §. 5. nu. 11.

347. Mouetur adhuc dubitatio, An vsus matrimonij sit licitus tempore furoris aut ebrietatis. De qua latius Sanchez *in eodem lib. 9. disput. 23.* Paucis autem dico, vsum matrimonij respectu agitati furore & ebrij tanquam mentis impotem, sicut nullam habet rationem voluntarij, ita nec habere liciti vel illiciti. Respectu vero alterius coniugis compotis mente, licitum esse ex natura rei: quia matrimonium talium est verum: quo proles educari potest, si non ab vtroq; coniuge, saltem ab altero sanæ mentis. Ita aliquot alijs citatis Sanchez nu. 7. Addens num. 10. mente sanum impoti non teneri ex natura rei debitum coniugale reddere, etiamsi inde sibi nullum immineat periculum: quia talis petitio non est magis actus humanus, quam si fieret à dormiente. Dictum est ex natura rei: quia ex accidenti potest esse obligatio acquiescendi petenti: vt cum alioqui is expleturus est libidinem illicita seminis effusione.

348. Octauo loco proponitur verbũ, *Tactus*, indicans in iudicio de rectitudine vsus matrimonij habendam esse rationem tactuum lubricorum inter coniuges. De illis igitur notandum est, si fiant ante copulam cum intentione perueniendi ad eam, nullum esse de se peccatum: sin fiant solius delectationis causa, & absq; prædicta intẽtione, esse quidem peccatum, sed tantum veniale. Quod si fiant cum aliquo probabili periculo pollutionis, seu effusionis seminis extra vas, aut si quid eiusmodi intenderetur, peccatum esse mortale. Quã doctrinam ex Caietano & Sylueſtro Franciscus à Victor. De sacram nu. 274. tradens, addit omnium quoq; bene sentientium eam esse opinionem. Videnda sunt antedicta libr. 22. cap. 3. sect. 2.

349. Nono loco ponitur verbum, *Sine crimine*, quo indicatur in vsu matrimonij cauendum esse illud ex quo rationem criminis inducit: vt ei contingere potest duobus modis. Prior est cum alter coniugum post contractum matrimonium intelligit impedimentum dirimens interuenisse in illo: tunc enim si certus sit de impedimento, debet omnino abstinere ab vsu matrimonij, non vero si leuiter tantum dubitet: quia tunc deponere debet dubium tanquam fundamento carẽs. Quod si dubitet probabiliter, sed nõ sit omnino certus, debet quidem reddere debitum coniugale, sed non potest exigere. Posterior modus est, cum post matrimonium oritur cognatio spiritualis vel affinitas inter coniuges. Tunc autem illa oritur cum alter coniugũ baptizat propriũ filium, siue vt minister, siue vt patrin⁹: hæc vero cum vnus coniugũ cõmittit adulterium cum consanguinea vel consanguinco alterius.

Qua posteriore ratione cum affinitas contingit, persona innocens iure suo exigendi debitum non priuatur, ex cap. penult. & vlt. De eo qui cognouit consang. vxoris suæ. Persona vero nocens suo iure petenti priuatur. Etsi innocenti petenti idipsum debitum, reddere teneatur. Priore ratione vero contingente destinguendum est. Nam si ob necessitatem tale factum contingat, nullum adfert impedimentum vsus matrimonij: vt nec si contingat ex errore vel ignorantia, ex cap. De cognat. spirit. Quod si proueniat ex malitia, persona innocens nullum impedimentum contrahit: argumento eiusdem cap. 2. Persona vero malitiose in eo versans, non potest quidem debitum exigere, tenetur tamen reddere. De his dictum est plenius in præcedenti cap. 39. parte posteriore.

350. Vltimo loco ponitur verbum, *ne spernito votũ*, indicans in vsu matrimonij cauendam esse voti violationem. Vbi obseruandum est votum perpetuæ castitatis aut religionis, reddens illicitum matrimonij vsum, spectari posse tripliciter. Primo, vt præcedit matrimonium: secundo, vt illud sequitur quidem, sed præcedit consummationem, & tertio vt tam matrimonium quam consummationem sequitur. Atq; dum præcedit, potest circa illud mortale peccatum cõmitti quatuor modis. Primus est, quando matrimonium contrahitur cum intentione illud consummandi. Secundus, cum matrimonium consummatur, fiuntque actus qui in solis coniugibus mortali culpa vacãt: etenim illud est voluntate: & istud, facto resilire à voto, quod nemini licet sine propriæ salutis dispendio, cap. Licet: in principio, De voto. Tertius est, quãdo mortua vxore non obseruatur tale votum: vt contingit ducenti secundam vxorem ex cap. Placet, De conuers. coniug. Quartus est, quando vxore adhuc viuente, ille qui vouit, debitum exigit; hoc enim non potest, licet teneatur reddere si petatur ex cap. Quidam, eodem titul. De quare late Sanchez *lib. 9. disp. 7.* Cum quo, alios citante, nota nefas esse coniugi, qui voto castitatis adstrictus est, alterum non adstrictum incitare ad idipsum debitum petendum: nam id esset idem, ac illud petere. Neq; ipsum excusabit, quod patiatur graues tentationes carnis, & quod post primorum parẽtum lapsum, censeatur matrimonium institutum vt talibus molestijs subueniatur. Nam inde tantũ sequitur illas censeri posse causam in voto dispensandi: non autem infringendi illud sine dispensatione. Nec enim matrimonium liberat ab obseruatione voti castitatis, quãdo ea esse potest sine alterius iniuria: vt potest quoad petitionem debiti: respectu cuius coniuges per matrimonium non desinunt sui iuris esse: neq; in illa, vnus dependet ab altero: nisi quod petitione ipsa, illi subueniendum sit, si obseruetur exponi periculo incontinentiæ, neq; per naturalem verecundiam, *qualis solet insita esse fœminæ*, adduci posse ad petendum: tunc enim charitas vrget offerre se ad obuiandum ruinæ illius.

Iam cum votum sequitur matrimonium & præcedit consummationem, peccatum mortale committitur ijsdem modis (excepto primo) quibus committitur, quando præcedit matrimonium: nimirum matrimonium ipsum consummãdo: non seruando votum eiusmodi post vxoris mortem, & exigendo debitum: siq; votum sit solemne in religione approbata, dirimitur matrimonium, prout habitum est in præcedenti num. 123. & duobus sequentibus: non item si votum sit solemne per susceptionem sacri ordinis: non enim per illud dirimi matrimonium non modo cõsummatum, sed nec ratum: habetur ex Extrauag. Ioannis 22. De voto: vide dicta in præced. numer. 37. Deniq; cum votum sequitur consummationem matrimonij, si factum sit de mutuo consensu cõiugum, transgressio illius per vsum matrimonij, peccatum est mortale: si vero factum sit sine consensu alterius coniugis, ipsum potest ab eodem irritari; quatenus præiudicat iuri quod acquisiuit per contractum matrimonij: sicut præiudicat quantum ad debiti redditionem. Quo fit, vt coniux ipse votum de ea tanquam de re sita in eius potestate factum, valeat irritare. 351.

An autem idem sit dicendum quoad debiti petitionẽ aliqua controuersia est. Sed videtur tenendum posse coniugem libere adstringere sed voto non petendi coniugale debitum. Ratio est, quod tale debitum petere, sit voluntatis: seu quid in arbitrio voluntatis positum: & non petere est perfectionis, de quo proinde vt de meliori bono, votum esse potest. Quanquam tale non videtur consulendum, quando matrimonium per illud redderetur alteri coniugi onerosum, vt maxime solet esse fœminis ob naturalem verecundiam, per quam ipsis insitam experiuntur maximam repugnantiam in petendo. Vnde cum tale votum factum est, expedit ad eiusmodi incommodum vitandum, super illo dispensationem petere: quam Episcopus dare potest prout alijs citatis habet Nauarr. *in Enchir. cap. 16. nu. 34.* 352.

Aduerte autem ex codẽ in præced. nu. 31. coniugem consentientem in votum alterius coniugis, quo se priuauit iure petendi debitũ, manere in sua libertate petendi & reddendi debitũ, qa per eum cõsensum nõ abdicauit se suo iure. Secus vero, si consenserit vt alter absolute voueret castitatẽ priuando se omni iure petendi & reddendi debitũ: quia petere non posset, quod alter de ipsius consensu reddere non valet. Addit Nauarrus in eodem nu. 31. peccare reddentem debitum petenti, in cuius votum castitatis consensit: non item si non consensit. Ratio est, quod per illum consensum renunciarit suo iuri matrimoniali, apud ipsum alioqui perseueraturo, si non cõsensisset: quæ omnia plenius declarata videri possunt apud Thomam Sanch. li. 9. disp. 37.

CAP. VLTIMVM.

De prole, quæ est matrimonij effectus.

SVMMARIVM.

353 *Cauendum est damnum prolis existentis in vtero; & editæ in lucem, sustentanda est & educanda.*

354 *Respectu matrimonij veri proles censetur legitima: & explicatio difficultatis, Quatenus id sit limitandum aut extendendum.*

155 *Quatuor genera filiorum illegitimorum.*

356 *Illegitimorum inhabilitas ad officia & beneficia Ecclesiastica.*

357 *Duo modi, quibus potissimum ex illegitimis, legitimi fiunt iure canonico.*

353. DE obligatione non inferendi damnum proli existenti adhuc in matris vtero videnda sunt dicta in lib. 21. nu. 36. De obligatione vero editam in lucem sustentandi & educandi, videnda sunt dicta in præced. lib. 20. cap. 3. per totũ. Huius vero loci maxime proprium est eam considerare prout legitima est vel illegitima. Qua ratione consideratur in iure canonico titulo, Qui filij sint legitimi: De eaque agunt; tum Summularij in verbo legitimus, in verbo illegitimus, & verbo irregularitas: tum etiam quotquot de ipsa irregularitate tractant eam considerantes prout oritur ex defectu natalium; aliquot Georgius Sayrus commemorat in libro. 6. Thesauri casuum conscientiæ cap. 10. & 11. Mihi sufficit monere quod copiose materiam eam tractet, Ludouicus Molina in tractat. 2. De iustitia & iure disput. 165. & pluribus sequentibus. A quo tradita, vt spectantia maxime ad vsum fori externi apud eundem relinquemus videnda ei qui volet, sequentibus contenti.

354. Primum est prolem legitimam aut illegitimam censeri respectu matrimonij. Nam illi filij censentur legitimi, qui nascuntur ex matrimonio vel vero, vel præsumpto, seu quod verum esse probabiliter putatur, etiamsi non sit. An autem natos ex vero matrimonio legitimos esse, vniuersè verum sit, difficultas est, de qua Sanchez *lib. 9. disp. 38. & Sayrus in memorato cap. 10. nu. 41.*

Pro explicatione autem statuemus aliquot conclusiones. Prima est, Si quis post matrimonium ratum, nec consummatum professionem emittat in religione approbata: atque post emissam, copuletur carnaliter ei, cum qua contraxit; inde susceptos liberæ censeri, illegitimos. Ratio est, quod per talem professionem ipsum matrimonium fuerit dissolutum, vt de fide esse habetur ex Concil. Trident. sess. 24. can. 9.

Secunda conclusio est, *quam Sayrus habet responsione* 3. Si coniuges post matrimonium consummatum, professionem in religione approbata de communi consensu emiserint, ac deinde sacrilege coierint, prolem inde susceptam esse illegitimam. Ratio esse potest, quod etsi professio non soluat vinculum matrimonij consummati, in tali casu tamen, sic illud afficit, vt cõiugalem copulam impediat cohonestari, tanquã vestitam circunstantia sic ei aduersante, vt cum illa sublatis omnino reliquis impedimentis, contrahi nequeat, ex capit. vnico De voto in 6.

Tertia conclusio est, Prolem susceptam ex parentibus mutuo consensu adstrictis voto simplici castitatis nullo modo illegitimam esse. Pro hac rationes & autores Sanchez adfert *in memorata disput. 38. num. 3.* Illa nobis sufficere potest, quod in tali casu matrimonium relinquatur in suo vigore excitato cap. vnico; nec obstet peccatum, quod tunc committitur in illius vsu: sicut nec peccatum suscipientium ex Fornicatione simplici liberos, obstat quin ijdem ex subsequente parentum matrimonio, sint legitimi, iuxta capitulum. Tanta Qui filij sint legitimi.

Quarta conclusio. Si post consummatum matrimonium alter coniux altero nesciente, aut sciente quidem, sed contradicente profiteatur: & postea ipsi commisceantur, prolẽ inde secutam legitimam esse. Hanc nu. 5. Sanchez bene probat ex eo, quod talis professio non fuerit valida, iuxta cap. Quidam & cap. Placet De conuersi coniug. ideoq; matrimonium perseuerauerit in suo vigore. Et aduit esse idem dicendum, si maritus ad sacros ordines nesciente aut sciente quidem, sed contradicente vxore promoueatur. Nam par ratio est in vtroq; casu.

Vltima conclusio est, Prolem natã ex matrimonio bona fide alterutrius parentis inito, etiamsi cum impedimento dirimente, legitimam censeri, iuxta cap. Ex tenore Qui filij sint legitimi. Qua de re idem Sanchez in præced. libr 8. disp. 34. nu. 46.

Sc endum autem est, in cap. Nisi, De renunciat. §. Pro gratui, in fine: poni quatuor genera filiorum illegitimorum Quidam enim vocantur Nothi: quidam Manzeres: quidam naturales: & quidam Spurij. De quorum distinctione Couar. *in Epitome quarti decret. par. 2. cap. 8. §. 5.* nobis autem sufficiunt dicta in præced. lib. 30. tract. 2. nu. 67. 355.

Sciendum secundo, illegitimos ob defectum quem patiuntur natalium esse iure Ecclesiastico inhabiles: tum ad Ecclesiastica beneficia: de quo egimus in eod. lib. 30. tract. 3. nu. 151. tum ad ordines Ecclesiasticos, hoc est, esse irregulares, de quo item egimus in prius memorato num. 67. Iure vero ciuili inhabiles esse ad officia & dignitates ciuiles. Quo tamen non obstante Tabelliones & decuriones esse posse notat Couar. *in pract. quæst. cap. 19. nu. 6.* Nec parentibus succedunt in hæreditate. De qno Molina *tract. 2. disp. 166. & 167.* Teneri autem parentes alere filios, quantumuis illegitimos, habetur ex cap. Cum haberet in fine, De eo qui duxit in matrimonium, &c. De qua re Couar. in memorato cap. octauo §. 6. & Molina in sequenti disp. 168. 356.

Sciendum demum est, iure canonico duobus potissimum modis qui illegitimi sunt, legitimos fieri. Prior est per subsequens matrimonium: cuius ea est vis, vt filios ante susceptos, quoad successionem & reliqua omnia legitimos faciat ex capit. 1. & cap. Tanta, Qui filij sint legitimi. De qua re plurib. in præced. lib. 30. tract. 2. nu. 69. & 70. 357.

Alter modus est per dispensationem, de qua iam alias egimus cum de beneficijs & cum de irregularitate. Videri possunt Couarr. *in cit. capit. 8. §. 2.* & Molina *in eod. tractat. 2. disput. 171. & aliquot sequentibus.*

* *
*

LAVS DEO.

LIBER SEPTIMVS ET TOTIVS OPERIS TRIGESIMVS SECVNDVS.

DE CENSVRIS ECCLESIASTICIS, PROVT EARVM notitia facit ad rationem iudicandi de peccatis.

IN tradenda ratione iudicandi de pecccatis tractationi Sacramentorum, adiungenda est tractatio censurarum Ecclesiasticarum: tanquam pœnarum, ab illorum vsu excludentium iis ligatum: ita vt peccet cum tali vinculo siue susçipiens, siue administrans quodcunque Sacramentum paucis casibus exceptis, quæ in sequentibus propriis locis commemorabuntur. Atque illud de nomine censuræ præmittendum est: quia apud Romanos Censor ita præerat populo, vt ipsum corrigeret: ipsum esse nomen nõ tantum officii, sed etiam correctionis & pœnæ, vt cum Satyricus dixit, *Vexat censura columbas*: qua acceptione censura hic capitur: nimirum pro Ecclesiastica correctione culparum, id est, pro pœna qua quis ab Ecclesia ob aliquam culpam priuatur vsu bonorum, quorum dispensatio est illi diuinitus commissa. Sicque acceptæ, tres ex cap. Quærenti, De verborum signific. distinguuntur species: excommunicatio, suspensio, & interdictum. Quam distinctionem vt Doctorum communem Syluester refert *in verbo interdictũ* 1. *n.* 3. Nec videtur audiendus Sotus *in quartum distinct.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. dum addit cessationem à diuinis: quia cum hæc nihil sit aliud quam intermissio diuinorum officiorũ, facta ob aliquam iustam causam, *quemadmodum Nauar. in Enchir. cap.* 27. *num.* 164. *&* 188. *bene notat*, ponenda, non est in numero censurarum. Accedit quod reuocari possit ad interdictũ, cuius rationem quandam inducit. Nec item audiendus videtur Viguerius in cap. 16. Institutionum suarum § 6. vers. 13. addens degradationé, depositionem & irregularitatẽ, quoniam hæ non censuræ, sed inhabilitates sunt dicendæ: vtpote quæ non priuant solo vsu bonorum spiritualium, sed quoad fieri potest, facultate eis vtendi. Iam pro triplici memorato censurarum Ecclesiasticarum genere, tres tractatus hic liber continebit. Primus erit de excommmunicatione, secundus de suspensione, & tertius de interdicto.

TRACTATVS I.

De excommunicatione.

QVID & quotuplex sit excommunicatio & quæ ad illius validitatem requirantur ex parte causarum ex quibus pendet, sufficienter expositum est à nobis in præced. libro 9. simul cum ijs quæ spectant ad absolutionẽ ab eadem. Hoc vero loco addenda restant peculiariter faciẽtia ad rationem de peccatis iudicandi nobis propositam. Suntque illa quibus excommunicatio ita priuat, vt si hac irretitus, illa vsurpet, peccet: simulque cæteri communicantes ipsi, nisi interueniat causa aliqua excusans. Atque ita procedemus, vt primo loco persequamur sigillatim ea quibus excommunicatio maior priuat excõmunicatũ. Secundo vero, ea in quibus cæteri cum illo cõmunicare prohibentur. Tertio, ea quæ talem communicationem excusare possunt à peccato. Ad extremum aliquid addemus de excommunicatione minore.

CAP. I.

Maiorem excommunicationem priuare passiua Sacramentorum participatione.

SVMMARIVM.

1 *Maiore excommunicatione innodatus suscipiendo aliquod Sacramentum, peccat mortaliter: quantumuis sit occultus, aut pœniteat.*
2 *Quatenus ignorantia in eo excuset.*
3 *Peccatum ministrantis excommunicato Sacramentum.*
4 *Collatio Sacramenti excommunicato facta etiam scienter est valida, excepta collatione Sacramenti pœnitentiæ.*

EXcommunicationem maiorem priuare Sacramentorum participatione passiua, manifestũ est ex cap. Si celebrat De Clerico excomm. & ex cap. Cum illorũ De sentẽt. excomm. & ex cap. Engeltrudã 3. qu. 4. Idque Doctores *quorũ plures cõmemorat Vgolinus tabula* 2. *De censuris cap.* 7. *initio*, cõmuni consensu admittunt; ita vt excõmunicatus percipiendo Sacramenta (addit alijs citatis idem Vgolinus in eod. 7. §. 3. num. 2.) sacrilegium committat, & peccet mortaliter. Intelligeautem quantumuis sit occultus: iuxta illud quod tradetur in sequenti capit. vltimo sectione 2. De priuilegio Concilij Constantiẽsis, quod nullo modo sit datum in fauorem excommunicatorum: sed cæterorum tantum fidelium. Intellige etiam quantumuis non stet per excõmunicatum quominus absoluatur iuxta Adrianum *in* 4. *De confess. quæst.* 4. §. *Si petas: & Syluest. Excommunicatio* 3. *nu.* 12. Sicut enim homicida quantumcunq; contritus de peccato manet obnoxius pœnæ iuris, donec à Principe ea sit illi remissa, ita excommunicatus obnoxius est incommodis censuræ, donec absolutus sit. Intellige adhuc, quantumuis excommunicatio sit iniusta, dummodo sit valida, iuxta eundem Syluest. ibid. Et ratio est, *quæ præcedentia quoq; confirmat*, quod de natura excommunicationis sit, priuare passiua participatione Sacramentorum: adeo vt nulla excommunicatio detur quin priuet tali participatione. N. 1.

Quamquam tamen, *vt post Palud. Adrianum & Caiet. docet Sotus in* 4. *dist.* 22. *qu.* 1. *art.* 1. *dubio vlt. & post Nau. atq; alios, Vgol. De censuris Tabu.* 2. *cap.* 7. §. 2. *n* 6. si quis inuincibiliter ignoret vel factũ, hoc est, se esse excõmunicatum: vel ius, hoc est, nõ licere excõmunicato accedere ad Sacramentum, non modo non peccabit passiua participatione Sacramẽtorum; sed etiã fructum gratiæ diuinæ recipiet. Nam nõ ponet obicem per peccatum: sufficienter, vt supponimus, dolens de eo: excõ- 2.

municatione eq; non obstante, retinebit habilitatē susciendi sacramēta, quam baptismalis character indelebilis illi tribuit. Attamen executionem ordinis ignoranter susceptī in excommunicatione, non habet ordinatus: sed statim ac nouerit excommunicationem tenetur ab eiusdem ordinis vsu abstinere vt per cap. Illorum, De sentent. excommunicationis notat Vgolin. *sub finem sequentis* §. 3. citans alios.

ADVERTE vero iuxta Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *nu.* 239. excusari posse eum, qui (re existente occultissima) ad vitandam grauem infamiam aut mortis periculum, post debitam contritionem, qua probabiliter credat se restitutum diuinæ gratiæ, celebraret aut communicaret. Nam nulla alia ratione valenti eiusmodi periculo obuiare, subuenit lex naturalis de fama & vita seruanda. Qua tamen in re valde circumspectum esse oportet: nec in re tanti momenti sibi blandiri; cum non sit dandum sanctum canibus Matth. 7. iisve qui habendi sint, tanquam Ethnici & Publicani exseq. cap. 18.

3. Aduerte præterea, quod vt non est licitum excommunicato sacramenta percipere: ita nec licitum esse illa ei ministrare: vt pluribus aliis citatis docet Vgolinus *in eodem cap.* 7. §. 1. Patetque ex cap. Excommunicamus, 1. §. Credentes, versu Sane Clerici, De hæreticis, & ex cap. Episcoporum, De priuileg. in 6. Excipitur tamen casus, in quo minister non sacramentum ignorat eum cui administrat esse excommunicatum: aut scit quidem excommunicatum esse, sed is est occultus, & publice petit ministrari sibi aliquod Sacramentum, vt Eucharistiam. Nam ne diffametur, ministrandum est ei: pro quo facit quod Dominus Eucharistiam ministrauerit Iudæ proditori, quem cognoscebat sumere indigne.

4. Quærenti aūt; An si defuerit ignoratio excusans, excommunicatio reddat sacramenta quę excommunicatus recipit, inualida nullaq;: ita vt debeant iterari. Respōdendum est de cæteris quidem Sacramentis certum esse q; excō municatio nō reddat ea inualida (qua de re videri possunt Sot. in 4. dist. 22. q. 1. ar. 1. Nauar. in Ench. c. 27. n. 36. Couar. ad cap. Alma mater 1. par. § 6. n. 5. & 6. & Vgolin, in prius cit. §. 2.) ita vt iteranda non sint si nullus alius obex positus sit in illorū susceptione. De pœnitentię tamen Sacramento, seu de absolutione Sacramentali aliq; dubitationem esse: de qua quid tenendum sit exposuimus in fine præced. lib. 6. Cui quidem expositioni congruēter, atq; adeo regulę iuris receptissimę. Quod pœnæ & odia restringi debeant: tenendum est, eo quod hic dicitur excōmunicatum passiua sacramentorū participatione priuari; indicari non quidem, q; sacramenta quę excō municatus receperit sint nulla, sed tantum quod is sub mortali prohibitus sit illa recipere: adeo vt mortaliter peccet illa recipiendo, neq; consequatur diuinam gratiam: quę est effectus fructusq; potissimus eiusmodi participationis. De qua re V. golin. in cod. c. 7. §. 3. Vt autem sacramentorum, sic & sacramentaliū participatione fructuosa priuatur excōmunicatus: quia taliū spiritalis fructus pendet ex merito & applicatione Ecclesiæ, quæ non intendit, communib. suis suffragiis ipsum iuuare, prout idem author plenius declarat.

CAPVT II.

Maiorem excommunicationem priuare etiam actiua participatione Sacramentorum.

SVMMARIVM.

5 *Non esse licitum excommunicato administrare sacramenta; cum qua moderatione sit accipiendum.*

6 *Quatenus possit excommunicatus etiam non toleratus, sacramenta conferre.*

7 *Collata ab eodem sunt valida, excepto pœnitentiæ sacramento, extra mortis articulum collato.*

8 *Obseruandum de sacramento Ordinis collato ab excōmunicato.*

5. DE hac priuatione constat ex cap. Illud, §. Licet, De Clerico excommun. ministr. & ex cap. Engeltrudam 3. q. 4. & per rationes quas habet Vgol. De censuris *tab. 2. cap.* 7. §. 4. Quo fit vt excommunicatus peccet mortaliter administrando sacramenta, prout expressit Couar. *ad cap. Alma mater* 1. *par.* §. 6. *num.* 5. & post ipsum atque alios Vgol. *in cit.* §. 4. *nu.* 4. Quod tamen est cum aliqua moderatione intelligendum. Si enim excommunicatus talis sit, quem ex priuilegio Concilij Constant. cæteri non tenentur vitare, & aliquis ab ipso tanquam pastore suo debite postulet sacramentum aliquod sibi conferri, potest conferre absque peccato, & irregularitate, vt docet Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 6. *propos.* 6. *& dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. *col.* 2. *Nauar. in Miscell.* 47. *De oratione, n.* 3. & alij quorum meminit Henriquez in 1. par. sūmæ *lib.* 13. *cap.* 6. *l. t. V. in margine.* Rationes ipsorum sunt: tum quod creditor possit ab excommunicato suum debitum petere, hicque petenti possit soluere sine peccato: tum quod si Parochus Parochiano petenti sacramenta non posset ea conferre absq; peccato, merito ipse à collatione se subtraheret; & ad conferendum, cum scrupulo solicitaretur ab aliis: quod vtrumque alienum est ab Ecclesiæ mente consulendi timoratis conscientiis per ante memoratum priuilegium Concilij Constantiensis. Nec obstat excommunicatum in nullo relaxari per tale priuilegium, vt in eodem exprimitur: quoniam illi in hac re non fauetur in relaxationem, sed in restrictionem: vt cogatur sustinere onus à quo, prætextu excommunicationis poterat se excusare. Aduerte vero talem excusationem à peccato intelligendam esse, de excommunicato per memoratum priuilegium tolerato, quem peccati propter quod excommunicatus est, aliorumque omnium suorum mortalium pœnitet: adeo vt nihil aliud obsit ei quam excommunicatio.

6. PORRO quantumcumque Sacerdos sit excommunicatus de numero vitandorum, hoc est, vel sit nominatim denunciatus, vel notorius Clerici percussor, potest, *etiam non Parochus*, in extrema necessitate, mortis ve articulo, cum non est alius minister, sacramentum baptismi cōferre absq; peccato, ex D. Thoma 3. *part. quæst.* 82. *art.* 7. *ad* 2. etsi id non possit (iuxta Syluestrum verbo Excommunicatio tertio in effectu 22.) nisi vt laicus, hoc est, sine solemnitate; cum id sufficiat ad satisfaciendum necessitati. Potest etiam pari ratione, dare absolutionem sacramentalem, prout exposuimus *in lib.* 1. *cap.* 7. *sub initium.*

7. Si quis quærat, an excommunicatio maior non tantum faciat vt mortaliter peccet excommunicatus Sacramenta conferendo: sed etiam vt collata sint inualida. Respondetur cum Couarruuia *in citato num* 5. *& sequentibus*, atque ex aliis quorum meminit Vgolinus *tabula prima cap.* 13. *num.* 16. si non sit aliunde impedimentum, Sacramenta collata ab excommunicato, esse valida. Pœna enim Ecclesiastica non est, vt Sacramenta ab excommunicato vel suscepta, vel collata irrita sint; sed vt licite & absque peccato suscipi aut conferri non possint; excepto tamen pœnitentiæ sacramento, quod in conferente requirit iurisdictionem, iuxta illud Concilij Tridentini, sess. 14. cap. 7. Verissimum esse synodus hæc confirmat: nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem. Iam excommunicatus, qui est de numero vitandorum, caret omnino, si non iurisdictione, saltem vsu iurisdictionis, iuxta cap. Ad probandum, De sententia & re iudic. Et ratio est ex Diuo Thoma *in* 4. *distinct.* 18. *quæst.* 2. *artic.* 2. *quæstiunc.* quia non potest iurisdictione vti nisi communicando cum iis, quos vitare aut à quibus vitari debet ex præcepto Ecclesiæ. Proindeque impensa ab ipso absolutio nulla est: quod expresse tenent Nauar. in Enchir. *cap.* 9. *num.* 6. Med. in Cod. De Confess. *quæst.* 22. Couar. in citato §. 6. *num.* 7. *conclus.* 6. Vbi eam esse sententiam omnium annotat. Addens in sequenti conclus. septima id procedere etiamsi Pœnitens ignoret se taliter excommunicato confiteri; adeo vt postquam habuerit eius rei notitiam teneatur iterare confessionem. Pro cuius limitatione vide dicta in libro primo *cap.* 10. *num.* 116. & 117. ac excipe articulum mortis: in quo impensa absolutio etiam ab excommunicato vitando, valida est, prout Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 271. *vers.* 7. bene deducit ex eo quod in Concilio Trident. loco citato generaliter & absque exceptione dicatur in Ecclesia Dei semper custoditum fuisse vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, ideoque omnes Sacerdotes, quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absoluere posse. Inde enim patet vt præceptum de non furando, sic præceptum de non vtendo iurisdictione,

non obligare in extrema necessitate. Pro qua re fuerunt tradita per Couar. ad cap. Alma mater, 1. par. §. 6. num. 8.

8. De sacramento. Ordinis illud peculiariter occurrit hoc loco obseruandum cum Couar. *in præceden. num.* 6. & aliis, quorum meminit Vgolinus *lib. 2. cap. 7. §. 4. sub finem*: quod etsi collatum ab Episcopo excommunicato sit validum, imprimatque characterem: eum tamen qui illud suscipit; siue sciat, siue ignoret collatorem excõmunicatum esse, suspendi ab illius executione donec dispensationem sit consecutus: quam solus Papa dare potest si scienti, aut per ignorantiã crassam susceperit. Si autem per ignorantiam probabilem, à proprio Episcopo; qui in eo actu minime deliquerit. Ita Couar. ibidem: pro eoque est textus in cap. Cum illorum, §. final. De sent. excommun. & in cap. tam primo, quam vltim. De eo qui Ordinem furtiue suscepit. Procedit autem iuxta Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 241.* cum collator ipse est ex illis excommunicatis qui vitari debẽt: quia communicatio cum aliis permittitur, etiam in diuinis, per Extrauag. Ad euitanda, de qua dicemus in cap. vltimo.

CAPVT III.

Priuare item passiua participatione communium precum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

9 *Quæ dicuntur communes Ecclesiæ preces quibus maior excommunicatio priuat.*

10 *Difficultas, an excõmunicatus per resipiscentiam, antequam absoluatur fiat particeps precum Ecclesiæ.*

11 *Pars negans probabilior.*

12 *Quomodo Ecclesia in die veneris sancto oret pro hæreticis & similibus: & quod Ecclesiæ preces factæ per ministros peccatores non careant fructu.*

13 *Excommunicatus per pœnitentiam restitutus diuinæ gratiæ, non priuatur fructu sacrificij Missæ.*

14 *Oblationem excommunicati non licet admittere.*

15 *Exceptiones quas id patitur.*

16 *De eo quod excommunicatus prohibetur sepeliri in loco sacro.*

17 *De pollutione Ecclesiæ per excommunicati in ea sepulturam, & de eiusdem reconciliatione.*

18 *De celebrante in Ecclesia taliter polluta: aut donante excommunicatum Ecclesiastica sepultura.*

19 *Excommunicatio lata in sepelientes in loco sacro excommunicatum.*

9. Ecclesia Catholica sua membra fouet, & ab iniuriis hostium protegit, non modo Sacramentorum vsu, sed etiam precibus. Sicut ergo communis consensus est, excommunicationem maiorem priuare Sacramentorum participatione tam actiua quam passiua: sic etiam est, *quemadmodum habet Couar. ad c. Alma mater prima par. §. 6. n. 2. propos. 2.* priuare participatione earum precum quas factas per Clericos, vt ministros suos publicos, Ecclesia Christi fidelibus tanquam membris ex quibus coalescit, intendit communiter applicari, siue in celebratione Missæ, siue in publica persolutione aliorum diuinorum officiorum, siue in publicis supplicationibus, quas vocant processiones. De qua re late in citato §. & duobus præced. Couar. ac post ipsum Vgolinus *tab. 2. cap. 9.* Intellige vero cum ipso Couar. & aliis quos commemorat *in sequenti § 7. num. 5 concluſ. 2.* si excommunicatio iusta sit: vel vt clarius loquitur Richardus *in 4. distin. 18. artic. 7. quæst. 2.* iusta de causa inflicta sit. Iniusta enim de causa inflicta, non excludit ab ea generali Ecclesiæ intentione, quæ est secundum arbitrium Dei, non secundum arbitrium, & errorem hominum, ex capite. Illud plane, 11. quæst. tertia.

10. Quod si quis opponat fieri posse vt excommunicatus resipiscat à peccatis, & per contritionem restituatur gratiæ Dei antequam ab excommunicatione, *etiam iusta*, absoluatur; vnde fiet vt tanquam Dei amicus, ac secundum Deum, membrum viuum Ecclesiæ particeps sit bonorum operum eiusdem Ecclesiæ. Respondendum est duobus modis (quam distinctionem ex D. Thoma, Adriano & Palud. vsurpat Couar. *in cit. §. 6 num. 1.*) aliquem esse posse participem bonorum operum quæ fiunt in Ecclesia. Altero ex quadam natura rei: nempe quod tanquam viuum Ecclesiæ membrũ idoneus sit ad participandum bonis, quæ mutuo quodam influxu membra Ecclesiæ censentur sibi inuicem communicare hoc nomine, quod iusti, eo quod iusti sint, facilius impetrẽt, & citius exaudiantur à Deo propter alios, cum quibus charitate & amicitia coniunguntur. Altero modo ex intentione Ecclesiæ: quæ preces suas per ministros suos communi nomine fidelium ita fundit, vt non intendat ipsis omnibus applicare earum fructus. Quiquidem sunt: tum satisfactionis pro peccatis eorum qui iam restituti sunt diuinæ gratiæ: tum impetrationis auxilij ad sanctam conseruationem, & ad defensionem aduersus Dæmonum incursus, etiam eorum qui adhuc sunt in peccato, atque ad ipsorum conuersionem. Atque isto modo contingit vt precibus Ecclesiæ priuetur excommunicatus maiore excommunicatione: quia non intendit Ecclesia, vt is ex talibus precibus fructum vllum percipiat. Quodquidem iacturam damnumque illi adferre, dubium non est consideranti, quod superfluum esset peculiari intentione pro aliquo orare, nisi fructum maiorem perciperet ex precibus factis, quam non factis ipsius intentione.

Quidquid igitur dicat Couar. *in eodem §. 6. num. 4.* (vt ad rem veniamus) tenendum est cum Soto *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.* prout tenet Suarez *tomo 5. in 3. par. D. Thomæ, disput. 9. sect. 3.* per resipiscentiam sine absolutione, excommunicatum non restitui communium precum Ecclesiæ participationi, qua per excommunicationem priuatur. Id enim satis aperte deducitur ex cap. Cum desideres, & ex cap. Sacro De sentent. excommun. & apertius ex cap. A nobis 2. eod. tit. vbi hæc ratio tangitur: quod per pœnitentiam tollatur contumaciæ culpa, non autem vinculum excommunicationis, propter eam ab Ecclesia iniectum: quod debet tolli ab ipsa Ecclesia, quę illud iniecit. Istudque procedit quantumcumque excommunicatus iurauerit se Ecclesiæ obtemperaturũ: & parti satisfacturum: imo reipsa satisfecerit vt recte Vgolinus notat De censuris *tabul 2. cap. 6. num. 5* per citat. cap. Cum consideres, & rationem propositam. Neque vero vlla est in ea re iniustitia Ecclesiæ, quamtumcumque excommunicatus resipuerit, & Dei amicus sit: sicut nec in supplicio quo afficitur homicida, postquam per cordis contritionem consecutus est à Deo veniam. Qua de re plenius Suarez in citata sect 3. 11.

Adverte autem ex D. Thoma *in 4. dist. 18. quæst. 2. ar. 1. ad 1.* Ecclesiam orare quidem in die veneris sancto, pro hæreticis, schismaticis, Iudæis, & Paganis, non tamen orationibus institutis ad fouenda sua membra: sed aliis, quas pro exteris fundit, vt diuina maiestas dignetur eos ad pœnitentiam & veritatis notitiam adducere. De qua re in sequen. cap. 12. sectione 2. 12.

Adverte etiam preces communi nomine Ecclesiæ factas, etiam per malum ministrum, esse semper cum fructu: quoniam eadem Ecclesia semper est in gratia. Neque obest malitia ministri: sicut nec malitia serui, per quem bonus dominus dat propter Deum eleemosynam, impedit huius meritum.

Adverte tertio excommunicationem non priuare fructu sacrificij Missæ, excommunicatum per pœnitentiam diuinæ gratiæ restitutum, sicut priuat fructu communium precum: quia enim sacrificium Missæ effectum habet tantũ in iis qui per fidem & charitatẽ Christo vniuntur ex D. Tho. *3 par. q. 79. art. 7. ad 2.* fit vt sicut excõmunicatus, non ob excommunicationem, sed ob peccatum propter quod in eam incurrit, priuatur charitate: ita etiam priuetur fructu sacrificij Missæ: ille vero omnis qui in charitate est, participet eo fructu quantumcumq; sit excommunicatus: quod Couar. expressit ad cap. Alma mater *par. 1. §. 6. num. 2.* 13.

Adverte quarto, huc reduci posse, quod habetur ex cap. Sacris, De senten. excommunic. & bene tractatur ab Vgolino De censuris, *tab. 2. cap. 9. §. 4.* Ecclesiæ ministros non debere accipere oblatum ab excommunicato, vt diuina officia pro ipso faciant. Quod idem author post alios per ipsum citatos, docet procedere, etiamsi non ille, sed alius pro illo offerat: quia qui per alium facit, per seipsum facere videtur. 14.

Item

Item etiamsi offerat simpliciter, non autem, vt pro ipso diuina officia fiãt: quia speciem auaritiæ haberet, si ab ipso quem Ecclesia fugit, donum acciperetur. Imo etiamsi det in eleemosynam; iuxta cap. Cum voluntate, De senten. excommunicationis, § Prædicatores. Vbi tanquam priuilegium conceditur Prædicatoribus, vt possint ab excommunicato eleemosynam accipere, quæ concessio fruſtra fieret, nisi illud esset de se prohibitũ: quia nihil plus concederetur Prædicatoribus, quam cæteris concessum esset.

15. Secus autem est si leget testamenta ad pia opera, vt idem author ibid. num. 4. tractat latius; qui etiam tradit exceptiones quibus ista restringuntur; nempe vt nõ procedant quoad excommunicatum toleratum, per Extrauag. Ad euitãda, de qua in seq. cap. 17. Nec item quoad non toleratũ, id est, nominatim denunciatum, aut notorium percussorem Clerici, si plane ignoretur talis esse: quia ignorantia probabilis excusabit accipientẽ: iuxta cap. Apostolicæ, De Clericor. excommunicat. Nec item cum excommunicatus alias, *vt ex fundatione, vel decimarum iure*, debet id quod offert; non enim tantum potest Ecclesia sibi ab eo debitum recipere, sed etiam ipsum compellere, si soluere nollet; iuxta cap. Qui oblationes 1. & 2. cum seq. 13. quæst. 3. Nec etiam cum vrget necessitas, iuxta post dicenda in cap. 15. sect. 5.

16. ADVERTE quinto, huc etiam reduci posse quod ex cap. Sacris, De sepulturis, excommunicatus priuatur Ecclesiastica sepultura. Quod bene tractat Vgol. *in cit. cap.* 9. §. 5. & 6. Sufficiat autem paucis attingere quæ ille ex aliis refert & late persequitur. Primum est, nomine excommunicati intelligi, tãm eum qui à iure, quam eũ qui ab homine fuerit excommunicatus: quia par est vtriusque excommunicationis vis, separandi à communione fidelium. Secundum est, nomine loci sacri, qui requiritur ad Ecclesiasticam sepulturam, intelligi non modo Ecclesiam, aut cœmeterium consecratum: sed etiam locum ad eam, vel ad alia officia diuina destinatum authoritate Episcopi, ex cap fin. De consecrat. Eccleſiæ, vel altaris, iuncta glossa *ad verb. Non consecrata*. Tertium est, si excommunicatus iam sit sepultus in loco sacro, is debeat exhumari, quando ab aliorum corporibus distingui potest, & procul ab Ecclesiastica sepultura iactari, prout habetur ex citato cap. Sacris. Quartum est, Ecclesiasticam sepulturam non esse denegandam excommunicato, etiam notorio, ac denunciato, qui in pœnitentiali foro, à suo Sacerdote absolutus fuit in articulo mortis, ex cap. fin. De sepulturis. Et ratio est: quia per eam absolutionem sublata est excõmunicatio; ideoq; propter eam nõ potest iure negari Ecclesiastica sepultura. Imo, *vt addit idem author*, si absolutus in loco prophano sepultus sit, exhumabitur, & in loco sacro sepelietur. Quintum est, cum excommunicatus fuerit toleratus per citatam Extrauag. Ad euitanda, ipsum admitti posse ad Ecclesiasticam sepulturam; de quo vide in seq. cap. 12. sect. 2. dub. 3. Sextum est, si discerni non possint ossa excõmunicati, in loco sacro sepulti, illa esse in eadem relinquenda, ex cap. Sacris, De sepulturis. Septimum, in loco non consecrato, nec deputato ab Episcopo ad sepulturam, aut diuina officia celebranda, quantumcumque Ecclesiæ, aut cœmeterio is proximus sit, excommunicatum sepeliri posse, *ex gloss. ad Clem. primam, De sepult. verbo Cœmeterio*. Ratio est: quia sepultura non censetur Ecclesiastica in loco ad eam non deputato authoritate Ecclesiastica.

17. OCTAVVM EST. Si excommunicatus Ecclesiastica sepultura donetur, locum in quo sepelitur, pollui. Nam ex cap. Consuluisti, De consecr. Ecclesiæ vel altaris, reconciliari debet: idq; ab Episcopo proprio, nõ autem ab alio, etiam de ipsius commissione; nisi is quoque sit Episcopus, vt habetur ex cap. Aqua, eod. tit. Nec ante reconciliationem possunt fideles in eo sepeliri, ex cap. Vnico, eod. tit. in 6. Vbi quoque monetur, polluta Ecclesia pollui cœmeterium ei cõtiguum, non autem remotum; polluto vero cœmeterio non pollui Ecclesiam: quia accessorium sequitur principale, non cõtra. Quoniam autem omnis res per quascunq; causas nascitur, per easdem dissoluitur, vt habet regula 1. De regul. iuris; reconciliata Ecclesia cœmeterium quod ob Ecclesiam pollutum erat, intelligitur reconciliatum, vt sub fin. cit. §. 5. idem Vgolin. ex aliis addit.

18. Simul admonens, quod definitur in cap. Is qui, De senten. excommun. eum qui in tali loco polluto diuina scienter fecerit, non incurrere quidem irregularitatem; peccare tamen grauiter, & proximum esse irregularitati, vt ibid. gloss. notat, *ad verbum Nodatis*: quoniam ei interdicitur ingressus Ecclesiæ, per cap. Episcoporum, De priuileg. in 6.

NONVM EST, *quod idem author i. toto seq. §. persequitur*, vt excõmunicatus Ecclesiastica sepultura priuatur, sic nulli esse licitum donare ipsum eadem sepultura, ex cit. cap. Episcoporũ, & ex Clem. 1. De sepulturis; in qua publice excommunicatum, aut nominatim interdictũ, aut vsurarium manifestum temeritatis audacia scienter sepelientes, subiiciuntur ipso facto excommunicationi, à qua nõ absoluuntur, nisi ad arbitrium Diœcesani prius satisfecerint; non obstante quocunque priuilegio ipsorum, aut exemptione; siue sint Religiosi, siue sæculares; & siue Clerici, siue laici; siue viri, & siue mulieres, ex glossa 1. ibid. Per ignorantiam tamen probabilem eos excusari satis indicant verba illa, *temeritatis audacia, & scienter*, neque eos illo vinculo innodari, quantumque foueam fecerint, corpusq; sepelierint, nisi per se, aut per alium tumulo imposuerint, & terra obtexerint, patet: quia illud requiritur ad actum sepeliendi, pro quo ea excommunicatio imponitur. 19.

Qui vero alij comprehendantur nomine sepelientium, incurrentium talem excõmunicationem; idem author *ibid. num.* 3. late disputat, ac tandem statuit comprehendi omnes illos qui eas operas præstiterint, quibus nõ præstitis excommunicatus non esset ibi sepultus; vt ij qui effoderunt tumulum, aut corpus imposuerunt in eum, aut terra cooperuerũt. Itemq; ij qui cum debuerint, & potuerint impedire ne sepeliretur, non impediuerint, vt clerici illius Ecclesię in qua sepelitur. Item, qui mandant sepeliendum, aut qui præsentes adsunt, ne talis sepultura impediatur. Cæteros præsentes cẽsset excusari ab excommunicatione, etiam eos qui cantant, vel Crucem, aut cereos portant. De eadem re videri potest Suarez tomo 5. disput. 12. sect. 4.

CAP. IV.

Priuare quoque actiua participatione communium precum Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

20 *Excommunicatus prohibetur sub mortali diuinis officiis interesse.*

21 *Limitationes cum quibus id accipiendum est.*

22 *In Ecclesia quo tempore nõ celebrantur diuina officia, excommunicatus priuatim orare potest.*

23 *Atque adeo recitare priuatim horas canonicas, cum ad eas obligatur.*

24 *Quatenus liceat excommunicato intrare Ecclesiam dum officia diuina in ea celebrantur.*

EA seueritate Ecclesia priuat excommunicatum communib. suis precibus, vt ipsum his interesse prohibeat; adeo vt ille peccet mortaliter, si vel Missæ, vel diuinis officiis intersit, vel in Ecclesia cum aliis oret, siue dicendo, siue audiendo, quod vtrumque est participare in diuinis: aut etiam manendo extra Ecclesiam quidem, sed ad eam accedendo tam prope, vt diuina officia quæ in ea celebrantur, audiat: prout notant D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 75. Angelus Excommunicatio vlt. num. 4. Syluest. Excommunicatio 3. num. 1. vers. 3. & Caiet. in verbo Excommunicatio, cap. vlt. §. Vbi scito: qui rationem talis peccati mortis ponit in præcepto Ecclesiæ; quod communiter sic intelligitur, vt directe, & principaliter excludat excommunicatum à participatione diuinorum. 20.

Aduerte autem ista esse cũ quadam moderatione intelligenda. Nam si audiret diuina officia, sed sine animo participandi, siue *vt loquitur Caiet.* interessendi diuinis, vt fieri potest si prope Ecclesiam domum habeat, vnde audire possit; non est censendus peccare audiendo. Præterea excõmunicatus potest absq; peccato Ecclesiam ingredi ad audiendam concionem, ex cap. Responso, De sent. excommun. sed non potest concionari, neque in publico docere, vt Sotus habet 21.

in 4. dist.

in 4. distinct. 22. quæst. 1. artic. 4. vbi & admonet ipsum id agendo non peccare mortaliter, si non sit de numero vitandorum. Videri potest Suarez *tomo 5. disput. 12. section. 2. num. 4. & 5.*

22. Item potest ingredi Ecclesiam ad orandũ priuatim: dummodo in ea non celebrentur tunc diuina officia, licet aliqui priuatim in eadem precentur, ex eodem Soto *ibidem col. 7.* & Nauar. *in Enchir. cap. 27. nu. 19.* & refert ex D. Thoma, aliisq; Theologis Suarez *in seq. sect. 3. n. 5.* Ratio vero bona est, quam attigit Caiet. in verbo Excommunicatio, cap. vlt. vers. Illicita, quod in hac re non attendatur propinquitas, aut etiam identitas loci, sed communio in oratione publica: cuiusmodi esse, *ex Nauar. in seq. num. 36. ad 5.* censentur Missa, horæ canonicæ, consecratio templi, aut altaris, aut virginum, benedictio solennis Episcopi, & aquæ benedictæ, atque officia mortuorum, & sepultura.

Orationis vero priuatæ, qua licet excommunicato orare seorsum, in eodem etiam templo, in quo aliquis alius orat. Caiet. & Nauar. locis citatis ponunt exemplum salutationis Angelicæ; ad quam publice quidem signum campanæ datur, non tamen vt ad publicam, sed vt ad priuatam orationem, vt addit Caiet. cui assentitur Henriquez in 1. par. summæ lib. 13. cap. 12. in fine. Addit idem Caiet. quantumcumque in publica supplicatione à Sacerdotibus precantibus per vnum miliare excommunicatus distaret, si in tantum spatium populus subsequens extenderetur, ipsum peccare se illi ingerendo.

23. Porro non tantum potest in Ecclesia, dum in ea non celebrantur diuina officia, excommunicatus orare priuatim aliis precibus, sed etiam persoluere horas canonicas (ad quas priuatim recitandas si sacris initiatus sit, ipsum etiam degradatum, teneri habent aliis citatis *Couar. ad cap. Alma mater, 1. par. §. 3. num. 8. Henriquez in præced. cap. 7. in margine lit. R. & Vgol. De censuris tab. 1. cap. 13. §. 13.*) dummodo eas solus recitet, ex communi sententia, prout authoribus in eam citatis notat ibidem Couar. Addens quod non debeat dicere versiculum, Dominus vobiscum; eo nimirum nomine quod is pertineat ad communionem fidelium, à qua præcisus est excommunicatus. Quanquam propter materiæ exiguitatem non videretur plusquam venialiter peccare, dicendo: quemadmodum nec nisi venialiter peccare videtur persoluendo cum alio priuatim horas ipsas canonicas; cum talis communicatio in diuinis, non sit illi ab Ecclesia interdicta: quia non est publica, sed tantum priuata. Quo argumento Couar. loco citato probat, non nisi venialiter peccare illum, qui cum ipso excommunicato easdem horas persolueret. De hac re pluribus Suarez *tom. 5. disp. 12. sect. 2. à num. 13.*

24. Postremo, potest excommunicatus intrare Ecclesiam absque peccato, etiam dum diuina officia celebrantur, si id faciat non vt interfit illis, sed propter aliquod negotium, vel vt transeat, vel vt ibi latitet, insequentesque effugiat: prout inquiunt Palud. *in 4. dist. 18. quæst. 6. ar. 1. sub finem*, & Caiet. in verbo Excommunicatio, *cap. vltimo, vers. Illicita autem, sub finem.* Vbi addit, neque tunc peccare, etiamsi transeundo flectat genua, & oret priuata oratione.

CAPVT V.

Priuare præterea vsu officij publici.

SVMMARIVM.

25 *Excommunicatum esse priuatum vsu officij publici authores significant cum dicunt ipsum esse suspensum ab officio.*

26 *Quod est intelligendum tam de laicali, quam de Ecclesiastico officio.*

27 *Excommunicatus priuatur vsu potestatis ordinis, siue is requirat iurisdictionem, siue non.*

28 *Priuatur item vsu iurisdictionis, nec vllam dignitatem officiumve publicum obtinere potest.*

25. Istius modi priuationem significant D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 7. §. in 10. effectu, Syluester in verbo Excommunicatio tertio, num. 1. in 10. item effectu, Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 21. Caiet. verbo Excommunicatio, cap. vltimo, §. Vbi scito: atque alij, cum dicunt excommunicatum esse suspensum ab officio, sumentes suspensionis nomen, non proprie, vt censura quædam est à cæteris distincta (alioqui oporteret excommunicatum semper irretiri duplici censura, quod nemo dixerit) sed generaliter: eo scilicet modo quo à Nauar. describitur in eodem cap. 27. num. 151. cum ait suspensionem generaliter acceptam, esse prohibitionem vsus officij, vel facultatis alicuius. Ita vt sensus illorũ sit; excommunicatum esse suspensum ab officio, id est, prohibitum illi esse vsum potestatis ipsi competentis ratione officij sui publici.

Quod vero Caiet. in eod. loco illud dictum extendit ad officium etiam laicale, congruenter rationi id facit; quandoquidem ratio priuationis vsus officij in excommunicato est segregatio ipsius à communione fidelium, ex cap. Engeltrudam 3. quæst. 4. & ex cap. penult. De sentent. excommunicat. Quam communicationem non minus sæcularis, quã Ecclesiastici officij vsus requirit. Cum igitur potestas publici officij quædam sit Ecclesiastica, & quædam sæcularis; illaque sit aut ordinis, aut iurisdictionis; siue in foro interiori, siue in exteriori: hæc vero sit, vel Principum, vel Iudicum sæcularium, vel aliorum ministrorum iustitiæ, vel tutorum aut curatorum: excommunicatum priuari vsu potestatis ordinis satis patet per illud quod habitum est in præced. cap. 2. excommunicationem priuare actiua participatione Sacramentorum. 26.

Inde enim consequens est, ea quæ sunt Sacramenti Ordinis, excommunicato minime licere, siue iurisdictionem nõ requirant in ordinato; vt in Episcopo, consecrationes calicis, patenæ, & vestium ad diuina mysteria peragenda necessariarum: & in Sacerdote, atque in aliis initiatis inferiori ordine, celebratio diuinorum officiorum. Siue requirant iurisdictionem: vt in Episcopo, consecrationes Ecclesiarum, cœmeteriorum, ac virginum Deo dicatarum: & collatio ordinum. Itemque in Sacerdote, administratio Sacramentorum ex officio, & commissio alicui alteri facta ad ea administranda. Ad talia enim requiri authoritatem Superioris in subditos, patet ex iis quæ statuuntur in tit. De temporibus ordinationum in 6. ac ex aliis quæ notat Vgolinus De censuris *tab. 2. cap. 10. §. 2.* 27.

Excommunicatum priuari quoque vsu iurisdictionis quam habet in subditos, multorum Doctorum & Canonũ authoritate ostendit idem Vgolinus initio sequentis cap. 11. Pro quo facit ratio D. Thomæ *in 4. dist. 18. q. 2. art. 2. quæstiuncula 3.* quod vsus iurisdictionis in ordine sit ad alium; & excommunicatus ab aliorum communione separetur. Multa autem incommoda ex priuatione sequuntur; vnum generale, cætera particularia. Illud est, de quo ipse Vgolinus in seq. cap. 13. in principio, & in §. 2. vt excommunicatus nullam dignitatem seu officium publicum: siue Ecclesiasticum, siue laicale obtinere possit, ex cap. fin. De Clerico excommunic. ministrante, §. Si tamen scienter. Vnde habetur, *vt ibid. nu. 3. notat Panorm.* quod prohibitio exercitio alicuius actus, prohibeatur omne id quo peruenitur ad illum actum. Quod etiam ex principio cap. Postulastis, eod. tit. idem Panorm. nu. 1. deducit: inquiens, nota primo, ex principio literæ, quod cui denegetur aliquid, denegetur & omne id per quod peruenitur ad illud. 28.

CAP. VI.

De variis particularibus incommodis quis ex ante proposita priuatione sequuntur.

SVMMARIVM.

29 *Excommunicatus non toleratus, conferre nequit beneficia.*

30 *Nec potest eligere, aut electum confirmare: nec potest præsentare, aut præsentatum instituere.*

31 *Nec potest censuram ferre, aut latam tollere: nec item iudicare.*

32 *Explicatio difficultatis; An delegatus iudicare possit, si is à quo delegatus est, in excommunicationem incurrerit.*

33 *Potest excommunicatus vocari in ius, adhiberi testis aduersus hæreticum: & quando possit instituere Procuratorem.*

34 *Quando valeant ab excommunicato gesta ratione publici officij, cuius vsu est priuatus.*

35 *Quale peccatum committat vsurpatione talis vsus, contra Ecclesiæ prohibitionem.*

29. PRIMVM incommodum particulare est, excommunicatum non posse conferre Ecclesiastica beneficia: quod tradunt D. Anton. Sylvest. & Caiet. locis cit. Palud. in 4. dist. 18. q. 4. in 2. effectu; & Gabr. ead. distinct. quæst. 2. versus finem. Couar. ad cap. Alma mater, par. 1. §. 7. num. 9. & Vgolinus tab. 2. cap. 11. §. 2. nu. 2. Vbi alios adhuc refert: & in confirmationem adfert cap. Vnicum, Ne sede vacante in 6. Admonetque illud habere locum in omni excommunicato maiore excommunicatione; quia in omnibus est eadem ratio, & per consequens eadē iuris dispositio: ita vt quilibet talis, neque per se, neq; per suum Vicarium, aut alium non habētem aliunde iurisdictionem, possit beneficium conferre: habeaturq; pro intruso ille qui per eiusmodi collationem beneficium acquisierit. Aduerte tamen *quod idem pluribus docet*, id ipsum non procedere quoad excommunicatum, per Extrauag. Ad euitanda, toleratum ab Ecclesia. Nam talis vt Sacramenta, sic & beneficia potest ex ipsa toleratione Ecclesię, cōferre valide: ac sicut ab eo etiamsi excōmunicato, possumus petere nobis conferri Sacramenta; ita & nobis conferri beneficia: quandoquidem Ecclesia relinquit liberam cum eo communionem in licitis, perinde ac cum non excōmunicato. Quod si collatio beneficij ad Collegium spectet, & aliqui de eo sint excommunicati, id nō impediet quominus cæteri à tali vinculo liberi possint cōferre, etiamsi duo sint tantum; imo & tantum vnus, iuxta tradita per gloss. ad cap. Gratum, De postulatione Prælatorum, *verbo Pauciores*, communiter receptam, vt loco cit. notat Vgolinus.

30. Secundum particulare excommunicati incōmodum est, non posse eligere; quod etiam tradunt citati authores, & alij apud Vgolinum *ibidem num.* 12. Debet autem intelligi, vt non modo cum aliis, à quorum communione arcetur: sed neque solus possit eligere, prout loco supra citato notat Couarruuias.

Tertium est, non posse electum confirmare, vt D. Anton. & Sylvest. locis cit. significant; vterque in 10. effectu excommunicationis, habeturque ex cap. Ad probandum, De sent. & re iudicata.

Quartum est, non posse præsentare: siue ipse sit patronus Clericus, siue etiam patronus laicus, prout loc. cit. notat Couar. Quamquam vt aduersus ipsum Vgolin. sub finem n. 13. docet; præsentatio facta à laico, censeri potest valida; cū non præsentet ex officio sicut Clericus: sed tanquam administrās aliquid pertinens ad suum patrimonium, perinde ac quando celebrat contractum aliquem ciuilem.

Quintum est, non posse instituere præsentatum, q. Vgolinus in præced. n. 3. ex Rebuffo referens, probat: quia id iurisdictionis est, iuxta cap. Nouit, De iis quæ fiunt à Prælatis; & cap. Conquerente, De Offic. ordin. Excommunicatus autem priuatur vsu iurisdictionis, ex ante dictis.

31. Sextum est, non posse censuras ferre, nec ab eis absoluere, quod D. Anto. 3. par. tit. 24. c. 7 6. in effectu 10. rectē probat ex cap. Audiuimus, 24. q. 1. Cuius argumentum est; excōmunicatum non posse excommunicare. Eadem enim ratio est de suspēsione, & interdicto, argum. cap. Quærēti, De verbor. signif. Adde & parem esse rationem ligandi & soluendi, ex cap. Verbum, De pœniten. distin. 1. ita vt is qui non potest censuram ferre, nec possit latam tollere.

Septimum est non posse iudicare, ex Palud. in 4. dist. 18. quæst. 4. in 3. effectu, & D. Anton. in eod. cap. 76. in 11. effectu; & Sylu. in eod. effectu, verbo Excommunicatio 3. Soto in 4. distin. 22. quæst. 1. art. 4. col. 5. & patet ex cap. Exceptionem, De exceptionibus: vbi sub finem dicitur, excommunicatum publice ab officio Iudicis repellendum esse. Hoc autem procedit ex D. Anton. siue solus, siue cum aliis iudicet, ita vt sententiam q̄ fert cum aliis, reddat irritam, ex cap. Ad probandum, De senten. & re iudicata. Addo etiam ex Soto, procedere, siue Iudex sit Ecclesiasticus, siue laicus. Nam in foro quoq; externo excōmunicationem vim suam obtinere, habetur ex cap. Decernimus, De sent. excommun. in 6. De qua re Vgolinus *in cit. cap.* 11. §. 3. Ex quo *in seq.* §. 5. Adde amplius, siue sit Iudex ordinarius, siue delegatus, aut subdelegatus; & *in* §. 6. siue Iudex publicus, siue priuatus; qui arbiter dicitur, quando per consensum partium litigantium eligitur, vt Iudicis partes suscipiat, & per suam sententiam liti finem imponat, procedens seruato ordine iudiciario. Arbitrator vero dicitur, quando eligitur, non vt Iudex super re litigiosa; sed vt amicus qui inter partes amice componat, ac quid cuique competat, definiat.

Vbi aduerte obiter ex eōd. authore, De arbitro & arbitratore, cum fuerint excommunicati non tolerati: illius, *arbitri inquam*, sententiam non valere, vt nec Iudicis ordinarij; quoniam arbitria ad iudiciorum normam rediguntur, ex leg. 1. ff. De receptis arbitris. Arbitratoris vero sententiam esse validam: quod idem author *in eod.* §. 6. *num.* 3. copiose docet. Nobis sufficere potest illa ratio; quod quæ sunt quid facti, acta ab excommunicato valeant, ex Panorm. ad cap. Veritatis, De dolo & contum. num. 42. Arbitratoris autem arbitrium tale est. Tum quia rationem habet cōtractus transactionis: tum quia arbitratoris potestatē esse facti cuiusdam, ex eo constat quod is non cogatur ius seruare, sed permittatur quod sibi videtur, suo arbitratu declarare.

32. De sententia autem delegati, cum ille à quo delegatus est, in excommunicationem incurrerit, quid sit tenēdum idem Vgolinus in præced. §. 5. explicat quatuor conclusionibus. Prima est: Delegati iurisdictionem non tolli, delegante incurrente in excommunicationem. Ratio est, quia excommunicatio non adimit ius quod quis habet: sed impedit ne eo vtatur, De quo videri potest idem author in eadem tab. 2. cap. 6. Secunda est. Vbi delegatio facta est ab ordinario, si delegatus quid egerit vnde res integra desierit esse, is delegante in excommunicationem incidente, non impeditur quominus causam prosequatur. Ratio est, quia nec eiusdem delegantis morte ipse impediretur, ex cap. Licet, De officio delegati. Qua ratione pariter ostenditur, quod delegato incidente in excommunicationem, cum iam res desiit esse integra, subdelegatus possit causam persequi. Postrema, cum res est adhuc integra, *quia scilicet delegatus nondum cœpit suæ iurisdictionis vti quando delegans incidit in excommunicationem*, tunc delegatus ipse non potest causam cognoscere. Hæc habetur etiam ex citato cap. Licet, & confirmatur: quia antequam subdelegatus iurisdictione vtatur, illa in ipsum non transiuit efficaciter, ex cap. Quamuis, De officio delegati in 6.

Octauum excommunicati incommodum particulare est: nec accusare, nec testificari posse. Hoc in antecitatis locis tradunt D. Anton. Sylu. & Sotus. Et probatur ex cap. Decernimus, de sent. excommun. in 6. Vbi Iudicibus præcipitur, vt excommunicatos in suis curiis & iudiciis repellant ab agendo, patrocinando, & testificando.

Vnde etiam intelligitur nonum incommodum; nempe excōmunicatum in iudiciis nec agere, nec patrocinari posse: quod glossa eiusdem cap. *ad verbum Patrocinando*, habet, intelligendum esse non tantum in Aduocato, sed etiam in Procuratore. Imo, vt habet Armilla *in verbo Excommunicatio n. 9. sub finem*, nullus potest exercere actus publicos: quales sunt non modo Aduocatorum, & Procuratorum, sed & Tabellionum: ac etiam tutorum (quorum authoritas licet ad priuatam vtilitatem sit instituta, est tamen publica) iuxta Sylvest. *Excommunicatio 3. num. 2. vers. 2.* Quodque de tutoribus dicitur, esse pariter de curatoribus dicendum, notat Vgolinus *tab. 2. cap. 14. in princip.*

Quamuis autem hæc ita sint, tamen ex cap. Intelleximus; 33.
De iudiciis; potest excommunicatus in ius vocari (de qua re latius in sequen. cap. 16. Vgolinus) quia alioqui sua malitia ei prodesset, vt ibidem dicitur. Item ex cap. In fidei fauorem, De hæreticis in sexto, conceditur vt in negotio inquisitionis aduersus hæreticos excommunicati ferant testimonium.

Decimum particulare incommodum est: non posse instituti Procuratorem, nec posse Procuratorem instituere, prout habet Sylu. *Excommun. 3. num. 1. vers. 12.* Attamen, vt monet Caiet. in verb. Excommunicatio, c. vlt. §. Vbi scito, quando

tanquam

tanquam reus in iudicium vocatur, potest Procuratorem instituere: quod manifestum est cit. cap. Intelleximus. Neque consentaneum est vt prohibeatur facere, quæ ad legitimam defensionem suam pertinent.

Vndecimum est, non posse administrare non modo spiritalia; sed neque temporalia, iuxta D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 76. vers. 15. & Panorm. ad cap. Pastoralis, De appellationibus num. 18.

Addi potest duodecimum, quod excommunicatus non toleratus nequeat beneficia dare in commendam.

Et decimum tertium, quod nequeat dare coadiutorem.

Et decimum quartum; quod nequeat quem beneficio priuare.

Et decimum quintum; quod nequeat postulare, aut nominare ad beneficium.

Et decimum sextum, quod possit indulgentias conferre.

Ac postremo, quod executor constitutus non possit prouidere de beneficio: hæc enim omnia requirunt vsum iurisdictionis, quo excommunicatus priuatur. Vide Vgol. in cit. tab. 2. cap. 11. §. 2. Et adde si lubet quæ Suarez tom. 5. disp. 14. late persequitur de priuatione vsus iurisdictionis Ecclesiasticæ ob excommunicationem maiorem.

34. IAM vtrum validi sint antecitati actus, si excommunicatus contra Ecclesiæ prohibitionem se illis ingerat, late disputatur à Panorm. ad cap. Veritatis, De dolo & contumacia, à Felino ad cap. Ad probandum, De senten. & re iudic. ab Angel. Excommunicatio vlt. n. 19. à Sylu. Excommunicatio, 3. n. 2. & sequentibus, ab Alphonso à Castro lib. 2. De lege pœnali, cap. vlt. concl. 2 vers. Alterum: & passim ab Vgolino in tab. 2. De censuris. Sed quia id magis pertinet ad forum externum quam ad internum, cui hæc doctrina seruit, breuiter tantum monebimus; habentem officium publicum si in excommunicationem incurrat, ea quæ ante ipsius denunciationē, & dum adhuc ab Ecclesia toleratur geruntur ab ipso, ratione eiusdē publici officij, seu quatenus habet publicam authoritatem, valida esse. Quod communiter probant à simili: quia quantumuis seruus nō possit esse Iudex, valent tamen quæ dum pro libero habetur, ab ipso geruntur ratione publici officij, ex cap. Infamis, 3. q. 7. & ex lege Barbarius, ff. De officio Prætoris. Quæ vero geruntur post denunciationem excommunicationis, inualida esse: quia nimirum tunc excōmunicatio plene obtinet suam vim priuandi excōmunicatum vsu publici officij. Quod idem iudicandum est de excommunicato ob notoriam Clerici percussionē, qui sicut denunciatus ponitur in numero eorum qui non tolerantur ab Ecclesia, vt habebitur in seq. cap. vlt.

35. AN autem mortaliter peccet excommunicatus ingerendo se illis actibus? Caiet. in verb. Excommunicatio cap. vlt. vers. Vbi scito, ait non esse adeo clarum: videri autem rationabile non peccare mortaliter, nisi tali vsurpationi officij, aliquid ex suo genere mortale se immiscat: sicut se immiscet, *inquit ille*, cum excommunicatus iudicat: quia tunc incidit in vsurpatum iudicium, quod est peccatum mortale ex suo genere: quoniam per illud iniuriam facit, tum iis quos iudicat exercens in eos potestatem, quam & ligatam habet, & prohibetur exercere: tum etiam communitati, cuius actum grauem sibi inique vsurpat. Quæ ratio etiam Soti *in 4. distin. 22. quæst prima, artic. 4. colum. 5.* Similiter se immiscet, cum ipse eligit beneficia, aut ea confert: quia facit iniuriam aliis electoribus, & collatoribus, quorum numerum iniuste auget. Ita Caiet.

CAPVT VII.

Priuare adhuc fructibus beneficiorum Ecclesiasticorum.

SVMMARIVM.

36 *Vnde constet de tali priuatione, & quod excommunicatus ipso facto illam incurrat non expectata Iudicis sententia.*

37 *Aliquot corollaria inde deducta.*

38 *Obligatio restituendi fructus perceptos in excommunicatione, non tollitur per obtentam ab excommunicatione absolutionem ab excommunicatione.*

39 *Non potest excommunicatus ex fructibus sui beneficij suis subuenire: & moderationes cum quibus id accipiendum est.*

40 *Vt fructus percepti in excommunicatione retineri possint opus est dispensatione.*

41 *Quod in hac re fructibus beneficij dicitur, pari ratione dicendum est de aliis fructibus Ecclesiasticis.*

42 *Cui cedere debeant fructus ipsi restituendi.*

EXcommunicatum maiore excommunicatione non facere fructus suos si beneficium habeat, tradunt tum alij quorum Vgolinus meminit *tab. 2. cap. 12. num. 1.* tum etiam Palud. in 4. distinct. 18. quæst. 4. in 2. effectu, & Caiet. verbo Excommunicatio, cap. vlt. §. Vbi scito (qui & docet illum peccare mortaliter faciendo suos eosdem fructus, propter iniustitiam quam in eo committit) probaturque ex cap. Pastoralis, De appellationibus: cuius finis sic habet. Illi prouentus Ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur. Sicque ea verba accipit ibidem Panorm. num. 17. Reiiciens quod glossa eiusdem cap. docet, excommunicato non subtrahi redditus beneficij, nisi hoc sit expressum in sententia: seu, quod idem est, excommunicatum non esse ipso facto priuatum fructibus sui beneficij: sed per Iudicis sententiam debere priuari. Cuius contrarium præclare ostendit Suarez *tomo 5. disput. 13. sect. 2. vt & Vgolinus loco citato.* Ratio vero præcipua est: quod memoratis verbis Summus Pontifex significet, eam de qua loquimur priuationem in excommunicatum cadere eo ipso quod Ecclesiæ communio ei denegatur: in quam denegationem ipso facto, nulla expectata Iudicis sententia, incurritur per excommunicationem: vtpote trahentem secum, *ex eodem cap. Pastoralis*, suam executionem. Adeo vt eadem memorata verba non sint interpretatione referenda ad ius, ex quo Iudex sententiam proferre debeat: sed ad executionem, qua excommunicato per separationem ipsius ab Ecclesiæ communione, fructus beneficiorum subtrahuntur de facto; ita vt illos non faciat amplius suos. Quæ interpretatio cum sit communis, vt iidem authores annotant: certum est magnam authoritatem habere debere in praxi pro conscientiæ securitate. 36.

EX HAC autem doctrina multa licet inferre. Ac primo, quod Vgolinus *in eodem num. 1.* habet ex Panorm. ad memoratum cap. Pastoralis, num. 6. illud incommodum haberelocum (quod satis aperte deducitur in ex cod. cap. Pastoralis) quantumcumq; assentiatur qui se iniuste excommunicatum, & ideo appellet. Secundo, *quod idem refert ex Innocentio ad cap. 1. verb. Episcopatum De iudiciis*, locum item habere tam in Clericis maioribus & Episcopis, quam in minoribus seu simplicibus beneficiariis. Tertio, *quod tractat Suarez in citata sect. 2. num. 10.* locum quoque habere non modo in excommunicatis denunciatis, & notoriis percussoribus Clericorum: sed etiam in omnibus aliis maiori excommunicatione irretitis: quia per Extrauagantem. Ad euitanda, in nullo consultum est priuatæ vtilitati excommunicati; vt patet ex illius expressis verbis apud Nauar. in Enchir. *cap. 27. num. 35.* Vnde & tales cum eiusmodi fructus non faciant suos, tenentur eosdem tanquam alienos iniuste detentos, restituere non expectata Iudicis executione. 37.

Quibus adde cum eodem Vgolino *ibidem vers. Sexto ex Rebuffo*: quod nec absolutio à censuris quam Summus Pontifex dare solet ei cui confert beneficium, liberet excommunicatum à proposito incommodo: quia talis absolutio prodest solum quoad collationem: ideoque excommunicatus sic absolutus, non faciet ob illam fructus suos: quia priuatio fructuum beneficij distincta est ab impedimento acquisitionis beneficij; de quo dicetur in sequenti capite. 38.

Adde idem cum eodem; neque obtenta absolutione, excommunicatum facere suos fructus quos percepit tempore excommunicationis. Id quod post glossam final. ad cit. cap. Pastoralis; habent D. Anton. 3. par. tit. 24. cap. 76. in effectu 9. & Sylu. in verbo Excommunicatio tertio, num. 1. vers. 9. Ratio vero est: quia absolutio tollit tantum excommunicationis vinculum, non item detrimenta ex eo secuta, quæ ad terrorem contumacium relinquuntur: eo quod facilitas ve-

niæ, in-

niæ, incentiuum præbeat delinquendi, vt dicitur in fine cap. Est iniusta, 23. quæst. 4.

39. Adde adhuc cum eodem Vgolino paulo superius, nec excommunicatum posse ex fructibus beneficij ea capere quæ sibi sint ad sustentationem necessaria, ex glossa citata: quam sequuntur Nauar. in Enchir. *cap. 25. num. 124.* & Couar. lib. 3. variar. resol. *cap. 13. num. 8. vers. 12.* & alij quorum idem Vgolinus meminit, & quibus accessit Suarez *in cit. sect. 2. n. 12. & aliquot seqq.* Ratio autem est, quia censetur se talibus propria voluntate priuare, cum ei liberum sit à contumacia desistendo, absolutionis beneficium obtinere.

VERVM TAMEN id intelligendum est cum aliquot moderationib. Prima est, si fame alias perituris sit: quia illi subueniri debet, tanq̃ ei qui adhuc poterit ad Ecclesiam redire, prout habeat ante memorata glossa. Adde quod in tali necessitate constituto sit sub peccato mortali subueniendum: argum. cap. Pasce, & cap. Non satis, dist. 86.

Altera moderatio est, vt si excommunicatio sine iusta causa in eum lata sit, possit excommunicatus suos fructus facere in conscientia prout notant D. Anton. & Syluest. locis antea citatis, & Palud. in 4. dist. 18. quæst. 4. in 2. effectu, & alij apud Vgol. in cit. cap. 12. num. 4. Et ratio est: quia qui non deliquit, pœna affici non debet. De qua re Suarez in cit. sect. 2. num. 19. & 20.

Tertia moderatio est, vt illud habeat locum pro eo solummodo tempore, quo excommunicatus est in mora petendę, & procurandæ absolutionis, iuxta Caiet. verbo Excommunicatio, cap. vlt. vers. Vbi scito, & Nauar. cap. 25. nu. 124. Et ratio est quam prædicta glossa indicat: quia ideo in nullo est prouidendum excommunicato de victu (sicut prouidetur deposito, eo quod non possit fructus beneficij sui amplius recuperare) quia cum positum sit in ipsius potestate resipiscendo talibus fructibus frui, vult contumax perseuerare in contemptum clauium Ecclesiæ.

Quarta moderatio est: vt illud non habeat locum in fructibus perceptis ante excommunicationem, neque in fructibus patrimonij, quod ipsi excommunicato fuerit pro titulo assignatum: nec in fructibus beneficij, qui creditoribus Clerici, ante ipsius excõmunicationem assignati essent. Nec item quando consuetudo est in contrarium; vt scil. Clerici excommunicati nõ priuentur fructib. suorum beneficiorũ. Ita secutus alios per ipsum citatos, docet Vgolinus in citato num. 4. versus finem. Subiungens percipientem dictos fructus contra ius & consuetudinem, nec irregularem propterea fieri; nec priuari suo beneficio. Huc spectant dicenda in seq. tractat. num. 19.

40. Vltima moderatio est: vt excommunicatus post obtentam absolutionem, obtineat ab eiusdem beneficij ordinario collatore dispensationem super fructibus perceptis tempore excommunicationis, prout post Palud. *in 4. distinct. 18. q. 4. in 2. effectu* tangit D. Anton. *3. part. tit. 24. cap. 76. in effectu 9.* simul admonens id esse intelligendum cum exceptione: nisi tempore quo electio, aut collatio, aut confirmatio beneficij facta illi est, fuerit excommunicatus: quia tunc nullum ius acquisiuit; ideoque non sufficit talis dispensatio; sed requiritur noua collatio; pro quo vide dicenda in seq. num. 49. 50. 51. & 53.

41. CÆTERVM quæ de fructibus beneficij in hac re dicuntur, dicenda sunt pariter de quibuscumque fructibus Ecclesiasticis, vt in eod. cap. 12. num. 2. admonent Vgolinus, & in sequenti num. 21. Suarez: quia in omnibus eadem ratio valet; vnde, *inquit Vgolinus*, non potest excommunicatus pensiones exigere, nec oblationes recipere: nec id quod ob emphyteusim præstatur Ecclesiæ, & multo minus quotidianas distributiones habere, quæ nec iis qui studiorum causa à Diuinis officiis absunt, dantur, ex cap. Licet vobis, De præbendis.

42. Si quæras, cui cedant dicti fructus quos excommunicatus capere non potest? Idem Vgolinus post plures alios quos commemorat *in sequenti num. 3.* respondet, ex illis esse procurandum vt aliquis ipsius excommunicati munera obeat, præstando officium quod debet suæ Ecclesiæ, ne ea detrimentum patiatur, diuinaque intermittantur; sique aliquid fuerit reliqui, in alium eiusdem Ecclesiæ vsum conuertatur, exceptis distributionibus: quando consuetudo habet vt denegatæ iis qui à diuino officio absunt, accrescant iis, qui præsentes absunt. Videri potest Suarez in eodem loco nu. 22. & sequentibus.

CAPVT VIII.

Excommunicationem maiorem impedire beneficij acquisitionem.

SVMMARIVM.

43 *Huius effectus probatio.*
44 *Inualida est collatio beneficij facta excommunicato.*
45 *Excommunicatus ad beneficium nec elegi potest, nec præsentari, nec potest facere beneficij permutationem, nec potest ei conferri pensio, nec pro eo impetratæ literæ ad beneficium valent.*
46 *Quomodo hæc ipsa sint accipienda.*
47 *Locum habent etiamsi excommunicatio sit iniusta, dummodo valida.*
48 *De quibusvis beneficiis sunt intelligenda: & quod mortaliter peccet excommunicatus accipiendo beneficium.*

HIC effectus habetur aperte ex cap. Postulastis, De Clerico excommunicato ministrante, cum dicitur; Clericis excommunicationis vinculo innodatis, Ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licite retinere, nisi forte fuerit cum iis misericorditer dispensatum. Aperte etiam sequitur ex eo quod ante in cap. 5. habitum est, excommunicatum priuari vsu officij publici, & per consequens ipso officio: quia hoc propter illum est. Sequitur, inquam, ex eo, quod beneficium item est etiam propter officium: argumento cap. Cum secundum Apostolum, De præbendis. Ideoque sicut excommunicatio maior reddit incapacem officij Ecclesiastici, reddet & beneficij. De qua tota re Couar. ad cap. Alma mater, *1. par. §. 7. quinque primis numeris:* & post ipsum alios quoque citans Vgolinus De censuris, *tab. 2. cap. 13. §. 1.* ac Suarez *tomo 5. disput. 13. sect. 1.* bene differunt. Paucis autem perstringemus quę illi tractant latius. 43.

PRIMVM EST: collationem beneficij factam excommunicato, esse nullam, per cit. cap. Postulastis: & ita communiter tenent Doctores, quorum plures Vgolinus commemorat *sub initium citati §. 1.* Addens idipsum esse ampliandũ vt procedat. Primo, siue lata sit excommunicatio à iure, siue ab homine, cum in citato cap. Postulastis, Summus Pontifex absolute & sine distinctione loquatur. Deinde, quia eadem vis est maioris excommunicationis à quocumque feratur valide. 44.

Secundo, vt procedat quantumuis talis collatio facta sit motu proprio: motus enim proprius, *inquit Couar. in memorato §. 7. num. 2. vers. Quarto:* licet alioqui multa operetur ad tollendam surreptionem, non inducit tamen dispensationẽ aliquam, nec tollit vitium, quod quis patitur, & ex quo impeditur iure obtinere id q̃ illi confertur. Excipe, nisi Sum. Pontif. non ignarus impedimenti, quod quis habet, scienter ei motu proprio beneficium conferat: quia tunc censetur tacita quadam dispensatione tollere eiusmodi impedimentum.

Tertio, vt procedat quantumuis excommunicatus tempore collationis fuerit de iis qui tolerantur ab Ecclesia, per Extrauag. Ad Euitanda. Cum enim ea constitutio nihil faueat excommunicatis, vt iam antea monuimus, vetera iura quoad eos sunt adhuc omnino obseruanda. Adde etiam siue fuerit excommunicatus in ead. diœcesi, in qua est beneficium, siue ab alio. Quarto, vt procedat quantumuis postmodum secuta sit legitima absolutio ab excommunicatione: quia ex eo collatio habet, vt sit nulla, quod tempore excommunicationis sit facta, neque ex absolutione vires assumat; sicut ex aduerso, nec si talis collatio facta esset alicui, quo tempore nondum erat excommunicatus, ea censeretur nulla esse, ob excommunicationem superuenientem, vt in memorato nu. 2. vers. 8. Couar. notat. Quinto, vt procedat quantumuis excommunicatus ignorauerit tunc se excommunicatum esse. Rationem reddit Couar. num. 3. vers. 10.

quia licet ignorantia valeat ad effugiendas pœnas, quæ à iure statutę sunt aduersus excommunicatos, aliquid prohibitum agentes; non facit tamẽ ad valorem ipsius actus: seu vt quod ab aliquo geritur validum sit, quod alias absente ignorantia, minime valeret.

45. Secvndvm est. Excommunicatum non posse eligi ad beneficium Ecclesiasticum, ciusq; electionem esse inualidam. Quod iisdẽ modis, ac præcedẽs de collatione, ampliandum est, vt bene declarat Vgol. in seq. §. 2. Tertium est, excõmunicatum non posse præsentari à patrono laico, vel Clerico ad beneficium iurispatronatus, nec ad aliud postulari, aut nominari. De quo ibid. Vgolin. Rationem illius hanc reddens, quod per hæc præueniatur ad collationem: & prohibito aliquo, omne illud per quod ad illud peruenitur, prohibitũ esse censetur, argum. cap. vlt. de Clerico excõmunicato ministrante. Quartum est, permutationem beneficiorum per excommunicatum factam, minime valere: nam in illa continget mutua collatio; vt bene declarat ibid. Vgolin. num. 6. Quintum est, non posse conferre excommunicato pensionẽ super beneficio Ecclesiastico. Quod Couar. probat: quia licet hæc non sit beneficium Ecclesiasticum, est tamẽ ius percipiendi reditus Ecclesiasticos, quibus excommunicatũ frui non est consentaneũ. De qua re plura idem Couar. in pract. quæst. *cap* 36. *n.* 10. Sextum est, non tantum collationem beneficij Ecclesiastici factam excõmunicatio esse nullam, sed etiam impetrationem literarum ad beneficia illi obtentam, nullam item esse: ita vt collatio ipsi facta vigore earundem literarum, nulla sit. Qua de causa (*inquit Couar. in prius cit.* §. 7. *n.* 3.) quoties in Romana curia confertur aliquod beneficiũ, datur itidem ei cui confertur absolutio à quacumq; excommunicatione.

46. Admonet autem consequenter num 4. idem Couar. antedicta esse vera, quando agitur de acquisitione iuris, & tituli ad beneficium Ecclesiasticum: quia si tantum tractetur de beneficij acceptatione; vt fieri potest cum quis ante excommunicationem literas ad beneficium vacaturum, & contingit hoc vacare eo tempore quo excommunicatus est, tunc potest virtute literarum suarum illud acceptare, eritq; collatio suspendenda donec fuerit ab excommunicatione absolutus. Quod pluribus idem author tractat *lib.* 3. *var. resolut. cap.* 16. *num.* 4.

47. Qvi adhuc in illo memorato §. 7. num. 5. de antedictis addit, intelligenda esse cum excommunicatio valida fuerit: si enim inualida sit, non adfert excommunicato impedimentum, neque collationem beneficij Ecclesiastici ipsi factam reddit nullam. Item esse intelligenda, quantumuis excommunicatio sit iniusta, dummodo sit valida, prout adhuc idem ibid. addit nu. 7. versus finem. Id deducens ex eo quod ante docuerat: quoad Deum quidem excommunicationem iniuste seu absque causa legitima latam non obligare; quoad pœnas tamen à iure statutas aduersus excommunicatos vim omnino obtinere, ita vt non debeat ante obtentam absolutionem se diuinis immiscere, & per cõsequens nec possit beneficium, *quod ad illa ordinatur*, ei conferri. Quod autem excommunicatio proposito modo iniusta liget, probat ex eo quod alleganti se excommunicatum esse iniuste, absolutio perinde ac confitenti se iuste excommunicatum esse, detur absolute; non autem solum ad cautelam, seu sub conditione prout datur alleganti excommunicationem in se latam nullam esse. Quam differentiam ille deducit ex cap. Solet, & ex cap. Venerabilibus, §. Porro, & §. Sed si, De sent. excommunic. in 6. Mitius autem de hac re sentientem Suarez in tom. 5. in 3. par. disput. 4. sect. 7. præsertim à num. 26. ad 31. qui volet, sequi poterit.

48. Dvo his supersunt addenda. Alterum, ea esse intelligenda de quibuscumq; beneficiis Ecclesiasticis, siue secularibus, siue regularibus, siue curatis, siue simplicibus, siue dignitatibus. Cum enim supra citatum cap. Postulastis, simpliciter, & absque distinctione loquatur, parque sit omnium ratio, nihil est cur distinguere debeamus. Alterum, iuxta Caiet. verbo Excommunicatio, cap. vltimo, vers. Vbi scito, excommunicatum peccare mortaliter, vt faciendo fructus suos, sic & accipiendo beneficium, quia iniuste sibi vsurpat bona Ecclesiastica, quorum participatione priuatus est.

CAPVT IX.

De eo quod agendum est, vt beneficium acquisitum in excommunicatione tuta conscientia retineri possit.

SVMMARIVM.

49 *Quando is qui excommunicatus est, possit, aut non possit beneficium in eo statu acceptum retinere.*

50 *Sublata per legitimam absolutionem excommunicatione, titulus beneficij inualidus in ea acceptus, reualidari potest per Episcopum.*

51 *Exceptiones aliquot.*

52 *Quatenus dum reualidatio procuratur, fructus beneficij retineri possint, & quod eo tempore per alium ab Episcopo cõstitutum non per se inualidum habens titulum præstare debet officium eidem beneficio annexum.*

53 *Quatenus retineri possint fructus percepti, & quod titulus non obtentus canonice, nunquam præscribatur.*

De hoc agit Henriquez *in 1. parte suæ Summæ lib. 13. c. 14.* cum quo ex variis Doctoribus aliquot documenta proponemus.

Primvm est: si is qui beneficium habet in excommunicatione acquisitum, ostendat hanc fuisse inualidam, poterit beneficium retinere, & gaudere fructibus illius. Istud patet, quia excommunicatio inualida, sine effectu est; vt omnium iudicio receptum esse habet Couar. ad cap. Alma mater, 1. *par.* §. 7. *num.* 5. ac proinde acquisitionem beneficij non impediet. 49.

Secvndvm est: si is aduertit irritam esse beneficij collationem: quia illam recepit ligatus valida excommunicatione, tenetur etiam post obtentam absolutionem curare, vt noua collatione ei validetur beneficij titulus. Hoc post Palud. *in 4 dist.* 18. *quæst.* 4. *in 2. effectu* habet Sylvester *verbo Excommunic.* 3 *num.* 1. *ver.* 9. & post Archidiac. & Ancharan. Couar. *in præced. num.* 2. *ver.* 7. Et ratio est: quia ex antedictis, collatio nulla fuit; atque, *vt habet* 18. *reg. iuris in* 6. non firmatur temporis tractu, quod de iure initio nõ subsistit. Vnde talis tenetur, & beneficium acceptum relinquere, & omnes fructus perceptos restituere: & recte Nauar. notat in Enchir. cap. 27. num. 21. ver. 7.

Tertivm est. Si per absolutionem datam ab eo qui de iure potest, sublata sit excommunicatio, proprius Episcopus potest titulum beneficij, quod ob eam fuit inualidum, reualidare. Hoc de communi Doctorum sententia aliquot citatis tradunt Couar. ad cap. Alma mater, 1. *par.* §. 7. *n.* 8. & post Rebuffum Vgolinus tab. 2. De censuris, *cap.* 13. §. 1. *num.* 3. Et probant: quia vbi dispensatio à iure permittitur, nec quis dispenset declaratur; Episcopis dispensandi potestas permissa esse existimatur; argumen. cap. Nuper, De senten. excommunic. in fine. Ex quo loco, tum cæteri, *quorum meminit Couar.* tum etiam glossa ad cap. Excommunicamus 1. De hæreticis, §. Credentes, *verbo Apostolicæ*, idipsum colligunt. At in cap. Postulastis, De Clerico excommunic. ministrante, permittitur dispẽsatio cum illo, cui in excommunicatione collatum est Ecclesiasticum beneficium, nec declaratur quis dispenset. Eam igitur dare potest proprius Episcopus. Quod aduerte procedere in quacunq; excommunicatione, etiam reseruata Papæ, post quam sublata est per absolutionẽ datam ab habente potestatem sufficientem, ex Panorm. ad cit. cap. Postulastis, num. 8. 50.

Sed patitur aliquot exceptiones. Prima est, *quam in seq. n.* 9. *habet Panorm.* cum ipsemet Episcopus scienter beneficium ipsum contulit excommunicato: quia tunc non censetur dignus habere talem potestatem, sicut nec quando simoniace contulit, argum. cap. Præsentium 1. quæst. 5. 51.

Altera exceptio est, cum collatio facta fuit per Papam: quia ex quo Papa manum apposuit, alius quod deest supplere non potest, argumen. cap. Cum in distribuendis, De temporibus ordinat. Ex quo habetur, à Papa ordinatum in inferiori ordine, non posse ad superiorem ordinem promoueri sine eiusdem Papæ licentia. Quæ exceptio ex Couar. *in eod. num.* 8. *sub finem* procedit, etiam si talis collatio ad Episcopum

ipsum

ipsum alioqui pertinuisset. Nam neq; tunc Episcopus potest quòd Papa cœperit consummare: adeo vt beneficium alicui collatum à Papa, si aliquâ de causa collatio inutilis, aut nulla fuerit, nequeat Episcopus eidem, aut alteri conferre; quantumuis ad ipsius collationem pertineat. Pro quâ re plures authores refert ibid. Couar. & post ipsum Henriquez in cit. lib. 13. cap. 14. lit. O, in margine.

Cum verò collatio facta fuerit per Prælatum inferiorem Episcopo, potest tunc Episcopus ipse dispensare, perinde ac si fuisset per ipsum facta. Nec obstat quod non possit tale beneficium conferre, sicut nec obstat quominus interponat suam authoritatem permutationi beneficiorum ad aliorum collationem spectantium; argumento cap. Quæsitum, De rerum permutatione. Ita notat Panorm. in cit. num. 9. Et addit interueniente dicta Episcopi dispensatione, non esse opus alia collatione. Id quod Couar. in eod. loco monet non videri admittendum, nisi is etiam ad quem pertinet beneficij collatio, *qua non est priuatus*, consentiret tali dispensationi; quandoquidem talis consensus ad permutationem authoritate Episcopi faciẽdam est necessarius, prout cum glossa ad cap. vnicum, De rerum permut. in 6. & ad Clemen. vnicam, eodem tit. Doctores notare Couarruuias ibidem testatur.

Tertiam exceptionem *in fine cit. num. 3.* addit Vgolinus, si Romanus Pontifex dispensationem eiusmodi reseruaret alteri, quam proprio Episcopo: argumento cap. Graue, in fine, De præbendis, & cap. Cum illorum, De senten. excommunic.

52. QVARTVM DOCVMENTVM EST. Interim dum reus curat intra breue, & necessarium tempus obtinere dispensationem, & reualidationem tituli, potest retinere fructus, tanquam depositarius cõseruando illos. Hoc habet Henriquez in cit. cap. 14. §. 2. circa med. Et probatur à simili: quia par ratio est in eo, ac quando quis rem alienam detinet, donec cognoscat verum dominum, vt possit illam ei restituere, vel remissionem obtinere.

Vbi aduerte, eum qui beneficium Ecclesiasticum iniuste, nec canonice habet, teneri quidem statim resignare illud in manu eius à quo conferri potest, atque fructus perceptos restituere, prout explicant D. Antonius 2. par. titulo 1. cap. 5. §. 11. in fine, & Tabiensis, ac Syluester in verbo Beneficium 3. ille numero 5. & hic numero 20. itemque Armilla eodem verbo, numero 56. & adhuc Syluester in verbo Resignatio, numero 3. Nihilominus tamen, vt habet Henriquez loco citato, litera Q. in margine; si subsit causa, vt quia ad titulum talis beneficij initiatus est sacro ordine, aut non potest dimittere illud, nisi cum scandalo detegat culpam occultam, aut ob aliam similem causam; potest interim illud retinere, quamdiu diligentiâ debitam adhibet ad impetrandam dispensationem, & reualidationem, fructusq; diligenter custodire, aut in Ecclesiæ vtilitatem expendere, aut etiam tantum sibi sumere de consilio Confessarij, quantum sibi necessarium est ad vitam, vt non opprimatur egestate.

53. QVINTVM DOCVMENT. *quod tangit Henriquez in eod. in* §. 2. vt habens beneficium non canonice, ob excommunicationem, ne in vitio intrusionis maneat, officium eidem beneficio annexum non debeat per se præstare, sed per Vicarium ab Episcopo designatum: nisi forte ad tempus sit periculum scandali, cui, *tanquam prohibito iure diuino*, cedit ius Ecclesiasticum priuans excõmunicatum vsu Sacramentorum, & publici officij. Quamquam interea dum Papæ dispensationem expectat ad celebrandum, curare potest se ab excommunicatione absolui, & ab irregularitate dispensare Episcopum; qui vtrumque potest in delicto occulto, ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6.

Imo, *vt idem author in sequenti num. 3. addit ex quorundam sententia*, qui pro conscientiæ foro ex tacita commissione Papæ, potest iusta de causa reualidare prædictum beneficij titulum; quandoquidem Episcopus tanquam Pastor iure diuino institutus in animarum remedium, multum potest; præsertim in iis qui non sunt expresso iure reseruata Papæ. Sic enim tacita commissione in occulto impedimento matrimonij iam contracti dispensare potest, quando non patet ad Papam aditus, vt bene Henriquez bene explicat *in præced. lib. 12. cap. 3.* Iusta causa autem censeri potest, si is cui quo dispensandum est, bene meritus sit, pro ratione sui status indigeat, aut cui sine scandalo vix liceat beneficium habitum deserere, aut qui ob paupertatem non habeat commode recursum ad Papam.

SEXTVM DOCVMENT. Prædictum beneficiarium obtẽta reualidatione tituli, posse retinere fructus perceptos, quia fructus beneficij vacantis reseruãtur successori, quemadmodum notat Sylu. verbo Beneficium 5 in initio. Et post eum Henriquez sub finem memorati capitis 14. Vbi & addit quod si dispensionem obtinere non potuerit: dimisso beneficio possit eam portionem fructuum perceptorum sibi retinere, quæ ad honestam sustentationem, ei debebatur iuxta seruitium, eidem beneficio annexũ, si illud præstiterit. Quæ doctrina est Nauarri in lib. 1. consil. tit. 18. consil. 5. num. 5. Et ita, *quod idem ibidem tangit*, pauper Clericus, qui titulo inualido beneficium habuit, si officium debitum præstitit, retinere potest quæ fuerunt ei stricte necessaria ad vitam. Pro quo aliquot authores nobiles Henriquez refert in eodem libro 13. cap. 3. §. 3. in margine lit. C. Qua tamen in re ad conscientiæ tranquillitatem consultum est, ei præsertim qui mala fide beneficium habuit, condonationem fructuum à Superiore petere cum tituli validatione: quod timoratis est in vsu positum.

Cæterum, is qui in excõmunicatione, aut alias non canonice beneficiũ obtinuit, nunquam præscribit; vt ex Archidiacono habent Syluest. & Tabiensis in verbo Beneficium 3. ille num. 20. & hic num. 5. atque Armilla eodem verbo num. 56. Confirmarique potest ex cap. Postulastis, De Clerico excommunicato. Neque ad id iuuat tolerantia Superioris: nisi esset Papæ expressa; siue per seipsum, siue per alium de ipsius mandato, vt Syluest. ibidem, & Tabiensis in sequenti num. 7. annotant. Vide tamen in præced. lib. 30. tractat. tertio, num. 179. in fine, qualiter nonnulli id moderandum censeant.

CAPVT X.

Excommunicationem maiorem priuare, tam actiua, quam passiua conuersatione humana.

SVMMARIVM.

54 *Quod excommunicatus teneatur cæterorum fidelium conuersationem humanam vitare.*

55 *De peccato excommunicati conuersantis contra eam prohibitionem.*

56 *Aliquot casus in quibus ab eo peccato excusatur.*

57 *Obligatio quam cæteri fideles habent abstinendi à conuersatione cum excommunicato.*

58 *Tractatio difficultatis, an specialiter excommunicatus vitari debeat in conuersatione, antequam sit publicatus.*

54. SENSVS huius effectus est, excommunicatum maiore excommunicatione, debere in humana conuersatione, & alios vitare & ab aliis vitari. Ac vitare quidem debere alios cum Panor. ad cap. Nulli, De sent. excommun. expresse tradunt *Angelus, Excommunicatio vlt. §. 1. & Sylu. Excommunicatio 3. num. 1. vers. 5. aliq. passim.* In confirmationem autem Vgolinus de censuris, *tab. 1. cap. 22. num. 1.* adfert cap. penultimum, De sententia excommunicationis, vbi excommunicatus dicitur à communione separatus; nec distinguitur à qua: atque vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Itemque cap. Illud, De Clerico excommunicato, & cap. Engeltrudam 3 quæst. 4. Admonet quoque in sequenti num. 2. istud procedere etiam in eo qui tantum per famam, se excommunicatum esse nouit, & in num. 3. procedere etiam respectu aliorum excommunicatorum: ita vt nequeat cum eis, vt nec cum cæteris fidelibus cõuersari. Adde procedere quoque etiam si excommunicatus sit occultus, prout expressit Alphonsus à Castro *in lib. 2. De potestate legis pœnalis, cap. vlt conclus. 2.* Et ratio est, quod Extrauagans Ad euitanda ne quidem, tali faueat.

Admonet etiam idem ibidem: itemque Nauar. *De pœnit.* 55.

distinct. 6. §. Laboret, sub finem, eundem excommunicatum magis peccare non vitando alios, quam hos non vitando ipsum contra Ecclesiæ prohibitionem. Ratio est quæ habetur in cit. cap. Illud: quia propter proprium delictum, & in pœnam illius obligatur vitare alios: hi vero non in pœnam sui delicti; sed ipsius excommunicati tenentur eum vitare. Adde ex iisdem, fieri posse vt cæteri cum eo conuersentur sine peccato: ipse tamen non excusetur à peccato; quia non est ei sicut illis facta potestas conuersandi, quantumcumq; occultus sit. Verumtamen conuersando peccat solum venialiter, ex Caiet in verbo Excommunicatio, cap. vltim. vers. Vbi scito: quia cum præceptum Ecclesiasticum excludat excommunicatum directe cõmunione fidelium, prout fideles sunt: & per quandam tantum extensionem, & quasi consecutionẽ à excommunione ipsorum, prout homines sunt, communi fidelibus cum infidelibus: ille se ingerens huic posteriori communioni, quam nomine conuersationis humanæ significamus, censetur tantummodo agere præter inhibitionem Ecclesiæ, & ideo peccare solum venialiter: quæ ratio sumpta est ex D. Thom. *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 4. quæstiuncula 3. ad secundum.*

56. Sunt etiam aliquot casus in quibus excommunicatus conuersando cum aliis fidelibus, non peccat, quos *in eodem cap. 22. §. 1.* Vgolinus persequitur. Primus est, cum conuersatur procurando suam absolutionem apud Superiorem. Ecclesia enim non negat illi conuersationem per quam à contumacia exeat. Secundus est, cum probabiliter ignorat se excõmunicatum esse: talis enim ignorantia, vt à peccato, sic & à pœna peccati excusat. Tertius est, cum premitur necessitate excusante, qualis est famis, cum scilicet non habet vnde viuat; ita vt ab aliis petere, & accipere debeat victum: aut qñ morbo premitur, ideoq; indiget medicinis, & medici opera: aut quando vocatus est in ius, & respondere cogitur. Ratio autem est, quod necessitas faciat licitum id quod non est de lege licitum, ex cap. 4. De regulis iuris. Quartus casus est, cum ij cum quibus conuersatur, non sunt Christiani. Nam à fidelium tantum communione, *vt bene memoratus author ostendit,* excommunicatio separat; vnde conuersatio cum infidelibus relinquitur ei perinde libera ac cæteris.

Iam cur fidelibus permittatur potius cum infidelibus communicatio quam cum excommunicatis, idem author *in sequenti cap. 23. in initio numer. 9.* rationem hanc adfert, quod si illi, qui sunt extra Ecclesiam, ad conuersationem non admittantur, neque ad illam attrahentur. Excommunicati vero, illam iam ingressi, sed in illa membra putrida per suam contumaciam effecti, tanquam resecti à reliquis membris per excommunicationis gladium, repelluntur à conuersatione.

57. Quod vero attinet ad obligationem quam cæteri habent ipsum vitandi. Antiquo iure quidem per plures canones (eos refert Vgolinus *in principio memorati cap. 23.*) statutum est, vt quiuis excommunicatus maiore excommunicatione à quouis qui eum talem sciret, vitari deberet, etiamsi non esset denunciatus, aut notorius. Atque vitari publice ab eo qui excommunicatum esse sciret publice: secrete vero ab eo qui sciret secrete, *iuxta textum expressum in cap. Cum non ab homine, De sentent. excommunic.* Idque ex Panorm. ad idem cap. num. 3. siue à iure, siue ab homine excõmunicatus esset: item siue mentis compos, siue mente captus esset, & effectus furiosus; cum illius eadem sit ratio, ac sopiti somno, prout docet loco citato Vgolinus *num. 6.* Qui & addit *in seq. num. 8.* siue viuus esset, siue mortuus: quia in cap. Sacris, De sepulturis, præscribitur vt quibus non communicamus viuis, non communicemus defunctis. Sic enim per Concilij Constantiensis constitutionem, quæ incipit; Ad euitanda, illud generale statutum restrictum est ad excommunicatum denunciatum nominatim, & ad notorium Clerici percussorem.

58. Quamquam eo quod illa ipsa constitutio (prout præ se ferunt hæc eius verba; Prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, à iure, vel ab homine generaliter promulgatæ) loquitur de excommunicato generaliter, id est, de eo qui incurrit sententiam excommunicationis latam generaliter; controuersia est, *quam proponit, sed non satis dirimit Couar. ad cap. Alma mater, 1. par. §. 2. num. 7. illatione 4.* num vitari etiam debeat is qui scitur esse specialiter, siue nominatim excommunicatus, antequam ipse denunciatus sit publice, vt vsuuenit cum citatus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ob contumaciam non comparendi, aut non parendi, incurrit in talem excommunicationem, necdum est per Iudicem denunciatus excommunicatus? Atque Adrianus in 4. De confess. dub. 9. putat eum vitari debere: quia cum indulgeatur tantum communicatio cum excommunicato generaliter, aut denunciato nominatim, aut non notorio Clerici percussore; ius antiquum est retinendum circa specialiter, seu nominatim excommunicatum, etiamsi non denunciatum.

Sed Caiet. *in verbo Absolutio, vers. Absolutionis impedimenta, & in verb. Excommunicatio, cap. vltimo, vers. Excommunicatio minor,* præter notorium Clerici percussorem nullum alium ponit vitandum, quam nominatim excõmunicatum publice: & Nauar. *in Ench. cap. 27. n. 93. in fin.* aperte docet ob specialẽ excommunicationem, excõmunicatum vitandum non esse, nisi sit denũciatus. Idem dixit ante eum Cosmas in pragmatica sanctione, tit. De excommunicatis non vitandis, & post eum Henriquez alios adhuc citans *in 1. par. suæ summæ lib. 13. cap. 5. §. 1.* Atque idipsum Nauar. ex professo confirmat, De pœnitentia, dist. 6. cap. 1. §. Laboret, num. 23. Ratio præcipua est, quod fere omnium vsus habeat, neminem ob excommunicationem etiam speciatim in eum latam vitare, donec denuncietur. Consuetudo autem est optima legum interpres, cap. Cum dilectus, De consuetudine. Et quamuis verba memoratæ constitutionis videantur ad solam generalem excommunicationem pertinere; interpretatio tamen eius, vt idem author recte ait, ad specialem extendi potest, cum instituta sit ad vitanda timoratarum conscientiarum scandala: quibus perinde specialis, ac generalis excommunicatio potest esse occasio.

Quod vero in eadem constitutione dicitur, *censuræ Ecclesiasticæ, aut sententiæ à iure, aut ab homine generaliter promulgatæ;* sic optime explicari potest, vt generaliter dicatur pro vniuerse, seu quæcumque illæ sint, nulla dempta: nisi fuerit à iudice publicata, aut lata in notorium Clerici percussorem, *vt in eadem constitutione excipitur.* Iam congruenter prædictis, posteriorem Caietani, & Nauarri sententiam sequuturi ad plenam intelligentiam eius quod statuit de nominatim denunciato & notorio Clerici percussore euitando; deinceps exponemus. Primo, quædam dubia de eadem euitatione: deinde trademus quænam sint illa in quibus prohibemur cum talibus excommunicatis communicare; & postremo quænam sint illa, quæ possunt nobis reddere licitam communicationem cum iisdem.

CAP. XI.

In quo exponuntur dubia quædam de euitatione excommunicati nominatim denunciati, aut notorij percussoris Clerici.

SVMMARIVM.

59 *Explicatio difficultatis, sitne semper vitandus is, qui scitur esse excommunicatus non toleratus ab Ecclesia.*

60 *Vitandus est excommunicatus, qui viri grauis testimonio, aut ex publica fama cognoscitur denunciatus.*

61 *Vitandus est excommunicatus, qui se denunciatum fassus est extra sacramentalem confessionem; non autem qui solum modo in tali confessione.*

62 *Quatenus excommunicatus in vna diœcesi denunciatus, debeat in alia vitari.*

63 *Obiectio cum solutione.*

64 *Prælati inferiores Papa tenentur vitare excommunicatum quem ipsi denunciarint, & quid de ipso Papa.*

65 *Quatenus vitari debeat is de quo dubitatur an sit denunciatus.*

Primvm dvbivm est; an eum quem scimus esse nominatim denunciatum, aut notorium percussorem Clerici, teneamur semper vitare: vt verbi gratia: si post annũ videam illum, quem sciui denunciatũ esse? Ad quod respon- 59

detur

detur cum Palud. *in 4. dist.* 18. *quæst.* 6. *artic.* 2. & Adrian. *in 4. item, De clauib. quæstione* 3. *vers. Septima exceptio*, Nauar. *in Enchirid. cap.* 27. *num.* 36. *in principio*, nos teneri vitare in omnibus, quibus ipsum priuari habitum est hactenus; donec constet nobis de absolutione. Id quod aperte probatur ex cap. Sicut nobis, De sentent. excommun. Et procedit quantumcumque ipsum omnino pœniteat contumaciæ, & satisfecerit parti, atque adeo sublata sit causa, propter quam excommunicatus est: quia sola absolutione excommunicatio tollitur, non autem satisfactione, vt plurium Doctorum authoritate Vgolinus habet De censuris *tab.* 2. *cap.* 23. *initio, nu.* 2. Pro quo est textus in cap. Cum desideres, De sentent. excommunic. §. fin.

Iam, vt censeatur nobis constare de absolutione, sufficere potest quod vnus aut alter vir grauis & fide dignus affirmet illam datam esse: quia id sufficit ad moralem certitudinem: neque sufficere, quod excommunicatus se absolutum dicat, nisi id probet, *prout latius tractat Vgolinus in seq. num* 7. habetur ex cap. Sicut nobis, De sentent. excommunic. illis verbis, nisi excõmunicati à te super absolutione sua literas nostras, vel illius cui vices nostras in hac parte commiserimus, reportauerint, aut alio modo legitime de illorum absolutione tibi constiterit; tu ipsos pro excõmunicatis, habeas vt prius, & facias euitari.] Hæc tibi. Veruntamen in foro pœnitentiali pro se ac de se loquenti pœnitenti credendum est; ex recepta sententia, pro qua ibidem authoritates, & rationes Vgolinus adfert.

60. SECVNDVM DVBIVM EST; an eum quem publica fama, aut viri aliqui graues testantur esse nominatim denunciatum, teneamur vitare? Ad quod respondendum est cum Palud. loco citato, col. 3. & D. Anton. 3. *part. tit.* 25. *cap.* 1. §. 1. *quod etiam ex Hostiensi habet Vgolinus in cit. cap.* 25. §. 10. *num.* 1. nos teneri euitare; atque adeo veritatem inquirere, nec ante desistere ab euitando, quam redditi simus certi. Ad hoc facit, quod per famam se tantum se excommunicatum esse sciens debeat gerere se pro excommunicato, ex cap. Illud, §. Licet autem, De Clerico excommunicat. ministrante, & ex cap. Cum desideres, §. Secundæ quæstioni, De sentent. excommunic.

Iam si coniecturas habeamus probabiles, falsam esse talem famam, vt v.g. quod sparsa sit ab æmulis eius qui fertur denunciatus, aut ab hominibus non adeo fide dignis, vel vivos illos graues deceptos fuisse; tunc absq; scrupulo poterimus cum eo de quo agitur communicare, vt ibid. ait Palud. cui subscribit Sylu. *in verbo Excõmunicatio* 5. *n.* 4. *&* 28. Idemque dicendum est, *vt post Panor. habet Couar. ad cap. Alma mater, 1. par.* §. 2. *n.* 6. *& post vtrumq; Vgolin. in supra cit.* §. 10. *n.* 1. cum is qui sciebatur denunciatus, communiter habetur pro absoluto, aut verosimile est absolutum esse; vt cum est vir integer vitæ, & animæ suæ curam gerens, lõgumq; tempus effluxit ex quo excommunicatus fuit.

61. TERTIVM DVBIVM EST. An debeat quis vitari, si extra confessionem, in secreto tamen, dixerit alicui se nominatim denunciatum, aut notorium percussorē Clerici, necdum absolutum; vt fieri potest si roget pro se geri aliquod negotium quod per se non potest, quod sit nominatim denunciatus? Ad quod respondetur cum Palud. *loco citato, & Sylvest. in memorato numer.* 28. vitari debere; ne, *inquit Sylvester*, detur ei occasio ingerendi se communioni aliorum contra iura; debere, inquam, occulte, ac quam commode fieri potest, sine scandalo. Quod si in confessione id dixerit, & Confessarius nesciat aliunde, is non tenetur; imo non potest licite illum vitare, ne quidem occulte, iuxta D. Anton. *loco citato*, & Sylvest. *in eod. num.* 28. quod quidem Couar. recte tractat ad cap. Alma mater, 1. *par.* §. 2. *num.* 3 Ratio vero est, tum quia sigillum confessionis, omnium maximum, idipsum exigit; tum quia excommunicatio cum feratur in foro exteriori, patefieri debet per actum exteriorem. Actus vero confessionis qui in foro exteriori fit Deo, etiamsi fiat coram Sacerdote, non patefacit exterius excommunicationem sufficienter ad hoc, vt obligatio euitandi sequi censeatur.

62. QVARTVM DVBIVM EST. An illum quem scimus in vna diœcesi fuisse nominatim denunciatum, teneamur euitare in alia? Ad quod respondetur cum Sylvestro *in eodem verbo, num.* 26. & Couar. ad cap. Alma mater, 1. part. §. 3. *num.* 2. teneri; excepto quod vbi communiter ignoratur fuisse denunciatus, occulte solummodo vitari debeat, nisi forte apud te habeas instrumenta; aut testes; quibus facile possis probare excommunicationem, & eius denunciationem; tunc enim teneris, *si nihil eorum, de quibus in sequen. cap.* 12. *te excuset*, illum publice etiam vitare; vt iidem authores ex eo docent, quod Ecclesia nullam cum excommunicato denũciato communionem intendat excusare, per Extrauag. Ad euitanda.

Nec est; quod quis obiiciat Prælatum alterius diœceseos in qua facta est denunciatio, non potuisse obligare illos, qui sunt extra illam diuersam diœcesim. Nam, vt bene argumẽtatur Gabriel in 4. *dist.* 18. *quæst.* 3. *litera T.* lex de vitando nominatim denunciato, vim & authoritatem habet à Papa, qui obligare potest vbique, & omnes; quacumque dignitate, siue Ecclesiastica siue laica polleant, iuxta cap. Solitæ, De maioritate & obedientia. 63.

Adeo vt quilibet Prælati inferiores Papa eos etiam quos ipsimet nominatim excommunicatos denunciauerint, teneantur vitare; perinde ac cæteri, ex cap. Cum desideres, De senten. excommunic. §. Secundæ quæstioni: pœnamque minoris excommunicationis incurrat cum illis communicando, iuxta Sylvest. in verbo Excommunicatio 5. num. 10. in fine, Palud. in 4. distinct. 18. quæst. 6. art. 2. sub finem, & Couar. in cit. §. 2. num. 2. De Papa vero notat Sylvest. *in eod. n.* 10. ipsum non incurrere quidem minorem excommunicationem participãdo cum excommunicato nominatim denunciato: quia talis pœna est iuris Ecclesiastici, cui ipse non subiicitur: peccare tamen, quia is quem ob cõtumaciam Ecclesia vitandum esse publica sententia statuerit, sicut ethnicus & publicanus habendus est, Christi præcepto, cui Papa subiicitur. Quamquam si ipsa participatione intendat excommunicatum absoluere, quia eo ipso vere absoluit, cum non sit adstrictus formæ absoluendi præscriptæ à iure, *sicut sunt Episcopi, vt bene ibidem ait Palud.* nullus tunc est peccati locus, vt patet. Aduerte obiter cum Vgolino *tabula* 2. *cap.* 23. *in principio, num.* 5. *ver.* 8. Romanu n Pontif. non censeri absoluere excommunicatum conuersando cum eo, nisi id exprimat speciatim, ex Clementina finali, De senten. excommunic. Aduerte etiam ex eodem præced. num. 3. priuilegium, quod Summus Pontifex dederit communicandi cum excommunicato, non valere, nisi interueniente iusta causa: sicut nec dispensatio in voto valet data sine causa: quia vitare eum quem vt contumacem Ecclesia statuit vitandum, iuris diuini est, per illud Christi; Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. 64.

QVINTVM DVBIVM EST. An teneamur vitare eum, de quo dubitamus an sit denunciatus? Ad quod respõdet Adrian. *in 4. De clauibus, quæst.* 3. *& quodlibeto* 2. *pag. sexta*, teneri, si id præstare possumus sine ignominia & præiudicio ipsius; alias non. Quod etiam Vgolinus Nauarrus & Iacobum à Graphiis citans, tenet *in memorato cap.* 23. §. 10. *num.* 2. Suarez autem tomo 5. in tertiam partem, *disput.* 15. *sect.* 3. *num.* 4. *& aliquot sequentibus* contrarium probabiliter sequitur. Quod accommodatius est ad retinendam conscientiæ tranquillitatem. 65.

CAPVT XII.

De iis in quibus conuersatio humana ob excommunicationem prohibetur.

SVMMARIVM.

66 *Qua ex parte iudicij ob excommunicationem prohibeantur.*

67 *Pertinentia ad contractum, vel testamentum, ob eandem prohibita.*

68 *Prohibetur locutio cum excommunicato.*

69 *Itemq; ei exhiberi signa pacis, & munera mittere.*

70 *Prohibita excommunicato communicatio in diuinis cum alijs.*

71 *Quid agendum sit si excommunicatus nõ toleratus Ecclesiam ingrediatur cum diuina celebrantur.*

72 *Nolens exire incurrit nouam excommunicationem: & præ-*

sumens coram eo celebrare, peccat quidem grauiter, sed non fit irregularis.

73 *Quatenus liceat orare pro excommunicato.*

74 *Oratione publica pro excommunicato orare non licet, ne quidem in genere.*

75 *Limitationes cum quibus id intelligendum est si excommunicatio sit inualida, aut si excommunicatus vere pœnitens faciat quod in se est ad absolutionem obtinendam.*

76 *Si cum sufficientibus contritionis signis è vita excesserit: aut pro eo fiant orationes instituatæ pro externis.*

77 *Quis Missæ valor possit ei applicari.*

78 *De oratione quæ pro illo fieri potest in priore Memento.*

79 *Prohibitio orandi pro excommunicato publicis precibus, non procedit quoad excommunicatos toleratos ab Ecclesia.*

80 *Quatenus licitum sit recipere Sacramenta ab ijsdem tolleratis, aut possint illis administrari.*

81 *Illicitum est salutare, aut resalutare excommunicatum.*

82 *Item q; illi assurgere, aliaue reuerentiæ signa exhibere.*

83 *Non est licita communicatio cum excommunicato in actibus legitimis, nec in contractibus ineundis.*

84 *Nec licet cum eo operari.*

85 *Quatenus cum excommunicato mortuo liceat communicare in humanis.*

86 *Prohibita cibi & potus sumptio cum excommunicato.*

87 *Similiter & dormitio cum illo.*

66. HVIVS generis prohibitorum nonnulla pertinent ad iudicia: idque, vel ex parte actoris; vt agere, implorare Iudicis officium, petere vt sententiam ferat, vel latam exequatur, restitutionem petere, accusare vel denunciare aliquem, vel in eum inquirere: à quibus repellitur excommunicatus, vt fuse declarat Vgolinus De censuris *tab. 2. cap.* 15. Vel ex parte Rei, vt se defendere, aut constituere Procuratorem ad se defendendum, respondere ad sibi obiecta, excipere, seu actionem excludere obiiciendo, siue contra Iudices, siue contra actorem, aut ipsius Procuratorem, siue contra testes, itemque appellare: ad quæ excommunicatum admitti, fuse tractat idem Vgolinus in sequen. cap. 16. Vel ex parte testis: vt ferre testimonium; ad quod in iudicio, nisi contra hæreticum, non admittitur excommunicatus; neque ad confectionem, siue instrumentorum siue contractuum, siue testamentorum, vt idem explicat in cap. 17. Vel ex parte Aduocati, aut Procuratoris, de quibus idem in seq. cap. 18. & 19.

67. Nonnulla vero eorundem prohibitorum pertinent ad contractum; vt emere, vel alium contractum inire; quod excommunicatus (excepto voto simplici) non potest sine peccato: quamquam initus valet. Item agere ex cõtractu inito; quod non potest quamdiu manet excommunicatus: imo nec promissionem iuratam tenetur quis ei tunc implere. Quæ omnia latius persequitur idem author in cap. 20. Nonnulla item eorundem pertinent ad testamenta: vt testari, testem esse in testamento, codicillos, aut legata, aut fideicommissa facere: hæredem instituì, succedere ab intestato, adire hæreditatem, possessionem adipisci, agnoscere bonorum possessionem, legatum capere. In quibus omnibus tunc peccat excommunicatus, cum vtitur hominum communione, alias non; neque quominus valida sint, impedit excommunicatio. De qua re potest idem Vgolinus videri in cap. 21. neque in talibus necesse est nos immorari, cum ad forum tantummodo externum spectare videantur: ac pro foro interno satis sit notare tunc in illis contingere peccatum (mortalene an veniale iudicandum est per post dicenda in cap. 13.) cum contingit communicatio cum aliis contra Ecclesiæ prohibitionem.

Nonnulla denique pertinent ad vsum quotidianum: quę diligentius considerare proprium est huius instituti. Ea autem omnium consensu quinque sunt significata primis dictionibus huius versus:

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur:

Quarum proinde explicationem persequemur sigillatim.

Os.

Sectio I.

OS igitur significat prohiberi locutionem cum excommunicato: quod habetur ex cap. Sicut Apostoli, & duobus sequentib. 11. quæst. 3. & ex cap. A nobis, De exceptionibus, & ex cap. Nuper, De sententia excommun. etiam illam quæ fit per literas, aut per nutus, aut per nuntium, iuxta D. Anton. 3. par. tit. 25. cap. 2. & consentiunt Angelus verbo Excommunicatio 8. num. 4. Syluester eodem verbo 5. num. 2. Caiet. eodem item verb. cap. vltimo, §. Illicita, & Couar. ad cap. Alma mater, 1. par. §. 2. num. 1. alios citans, vt & Vgolin. tab. 2. cap. 2. §. 1. num. 7. (inquiens esse communem tam Theologorum, quam Iurisperitorum sententiam) ac Henriquez in 1. part. suæ summæ lib. 13. cap. 7. §. 3. Procedit vero siue locutio palam fiat, siue clam; ex cap. Cum excommunicato, 11. quæst. 3. Item siue fiat excommunicato respondente ac colloquente, siue tacente, vt in præced. num. 3. habet ex Zabarella Vgolinus. Immo, *vt in sequen. num. 6. id. m ait*, procedere etiam si quis tantum dicat excõmunicato: Volo tecum colloqui, nec colloquatur: quia id præambulum est prohibitæ locutionis, & per consequens illius quædam pars. 68.

Significat præterea proposita vox prohiberi osculum pacis, secundum D. Thomam *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 1.* & Adrianum *in 4. De clauibus, quæst. 39.* Eadem ratio esse potest amplexus, & aliorum signorum pacis, iuxta Sotum *in 4. distinct. 22. quæst. 1. art. 4.* Et colligitur ex eo quod in cap. Excommunicatos 11. quæst. 3. prohibitum sit communicare excommunicato in cibo aut potu, aut osculo, aut aue ei dicere. 69.

Postremo, eadem vox significat prohiberi missionem munerum ad excommunicatum, vel acceptionem eorundem ab illo, iuxta D. Antón. Sylu. & Angelum locis citatis. Idq; siue excommunicatus illa mittat suo nomine, siue nomine alterius: siue etiam ab alio mittantur nomine excommunicati, secundum Palud. *in 4. distinct. 18. quæst. 6. art. 2. col. 3.* Vbi addit, si quid ab alio detur amore ipsius excommunicati, quod non sit eius, posse quidem recipi: sed alio nomine, quam eiusdem excommunicati.

Orare.

Sectio II.

ORARE vero, *vt locis cit. tradunt Angelus, Syluest. & Caiet.* significat indictam esse omnem cum excommunicato communicationem in diuinis: sita vt non possis Missam ab ipso celebratam audire, nec eam coram ipso celebrare: nec etiam simul cum eo diuinis officiis interesse, iuxta Caiet. in eodem loco, & Nauar. *in Miscellaneo 47. De oratione, num. 4.* & Sotum *in dist. 22 quæst. 1. art. 4.* 70.

Quid faciendum sit excommunicato ingerente se diuinis.

HIC tres dubitationes occurrunt. Prima est, si excommunicatus vitandus ingrediatur in Ecclesiam ad communicandũ cæteris in diuinis, illi qui ibi sunt, quidnã facere teneantur? De qua re (quam plenius Suarez tractat *tomo 5. disput. 12. sect. 1. à num. 11.*) dicendum est teneri inde exire, iuxta glossam ad cap. Sicut Apostoli, 11. quæst 3. *verbo, velorauerit*: aut exitum illius procurare, aut monendo illum vt exeat, aut vi expellendo: ita tamen vt id fiat sine sanguinis effusione, prout monet Palud. *in citata quæst. 6. art. 3. colum. 6.* Quod si nec monitus exire velit, nec commode expelli possit, non modo alia diuina officia, sed etiam Missa incepta, dimittenda est, nisi antequam ipse intraret, aut Sacerdos celebrans eum videret, iam peruentum esset ad canonem inceptis verbis, *Te igitur clementissime pater:* quia tunc Sacerdos ipse progredi debet simul manente tantum eo qui sibi sacrum facienti assistit, aliis exeuntibus finitoque canone, ac sumpto sanctissimo Sacramẽto mẽnere debet ipsum excommunicatum vt exeat, vel illum eiicere, si potest. Quod si non possit, rediens in sacristiam, ibi dicat cætera quæ restant, hoc est, post cõmunionem, & quæ sequuntur. Ita D. Anton. 71.

tradit

tradit 3.part. tit.25.cap.2. Quamquam Nauarr. *De oratione cap.16. numer.* 60. admodum probabiliter docet, quod si Sacerdos nondum peruenerit ad consecrationem, etiamsi canonem, Te igitur, &c. inceperit, debeat Missam omittere. Nam illorum verborum quæ in canone antecedunt consecrationem, ratio eadem est in hac re, quæ aliorum antecedentium: si quidem vt recte ait Palud. *in 4. distin.* 18.*q.*1.*art.*1. *concl.*4. omnia quæ antecedunt consecrationem, præparationes quædam sunt, & non internæ inchoationes illius. Vnde idem author ibid. cum D. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 6. ad 2. definit: si Sacerdoti celebranti in mentem veniat aliquod impedimẽtum, quo prohibeatur celebratio: vt exempli gratiâ, se aliquid comedisse eo die, aut se irretitum esse excommunicatione, idq; accidat ante consecrationẽ, debere Missam inchoatam relinquere; nisi graue scandalum inde prouenturum esset.

72. Porro excõmunicatus ille qui admonitus non vult exire, incurrit in nouam excommunicationem per Clemen. Grauis, De senten. excommunicationis. Sacerdos vero præsumens celebrare coram excõmunicato, etiamsi grauiter peccet, non incurrit tamen irregularitatem, vt notat Couarr. ad Cap. Alma mater, 1.*par.* §.6. *nu.*9. Pro quo textus est in Cap. Is qui, De senten excommunic. in sexto.

Dubium de oratione pro excommunicato non tolerato.

73. SECVNDA DVBITATIO EST. Num liceat orare pro excõmunicato? Ad cuius explicationem obseruandũ est, orationem aliam esse particularem seu priuatam, quæ fit in propria priuataq; persona: aliam vero communem seu publicã, quæ fit à ministris Ecclesiæ in persona populi, vt ex D. Thoma habet Armilla in vero Oratio, n.4. seu quæ fit pro membris Ecclesiæ: cuiusmodi Nauar. De oratione *cap.*19. *nu.*67. vult esse omnes orationes Missarum, & horarum canonicarum. Cum igitur hoc ita sit, pro explicatione propositi dubij dicitur, quod ex D. Thoma *in* 4. *dist.*18. *qu.*2. *art.*1. *quæstiuncula* 1. *ad* 1. Nauar. habet loco cit. & in Enchir. *cap.*27 *nu.*36. *ver. ad* 1. oratione quidem priuatâ licitum esse orare pro excommunicato, nõ tamen oratione publicâ. Quam esse communem sententiam annotat Couar. *ad cap. Alma mater, 1. par.* §.6. *num.*4. & Vgol. *in tabula* 2. *De censuris, cap.*9. §.2. *num.*1. qui in sequenti §.3. plures in eam citat. Ratio vero est: quia illud posterius directe pugnat cum intentione Ecclesiæ, quæ oratione pro suis membris ad hoc factas vt in pace agant, & salutem habeant, proficiantq; in Dei gratia & virtutibus, non vult excommunicato prodesse: vt satis ostendit, dum prohibet eas fieri pro excommunicatis, etiam illis qui cum signis contritionis ex vita discesserint; ex Cap. A nobis 2. & Cap. Sacris, De sent. excommunic. Illud vero prius non pugnat cum dicta intentione. Vnde sequitur, quod sicut licitum est pro peccatore viuo non excommunicato orare, etiam oratione publicâ, quoniam Ecclesia non intendit illum hac priuare: ita etiam liceat pro excõmunicato orare priuatâ oratione, quia Ecclesia non intendit illum ea priuare. Dixi pro peccatore viuo: quia pro eo quem constat ex vita excessisse mortali crimine, orare non licet; vt multi, alijs citatis in eã sententiam notat Couar. ad Cap. Alma mater, 1.*par.* §.6. *n.*4. *concl* 1.

74. Quod autem post Hostiensem Ioan. Friburgensis in summa Confessorum *lib.*3. *tit.*33. *qu.* 159. & Syluester *verbo Excõmunicatio* 1. *nu.*2. volunt licitũ esse ministro Ecclesiæ publicâ oratione pro excommunicato orare in genere (etiamsi non liceat in particulari pro hoc, vel illo) adducti eo, quod in die Veneris sancto Ecclesia oret in genere pro hæreticis: merito Nauar. *in prius citato cap.*19. *n.*70. reijcit. Cum enim Ecclesia precibus quæ pro ipsius membris fiunt, nullo modo intendat excommunicatis prodesse: sicut fieret contra ipsius intentionem orando publicâ oratione pro hoc, vel illo excommunicato in particulari: ita & similiter orando in genere pro excommunicatis.

De illa vero oratione quæ fit in die Veneris sancto pro hæreticis in genere, iam in præced. cap. 4. admonuimus ex D. Thoma, non esse de numero earum quæ fiunt pro membris Ecclesiæ. Quod etiam post eundem annotant Nauar. in seq. n.71. & Couar. in cit. §.6. n.3. Cur autem peculiariter id genus orationis Ecclesia tunc vsurpet, ratione reddit Sotus *in* 4. *dist.*22. *quæst.*1. *art.*1. quod se conformare velit Christo pro omnibus hominibus morienti, adeoq; pro inimicis suis oranti. Quam rationẽ quibusdam alijs repudiatis Vgolinus *in cit.* §. 2. *nu.*2. *approbat.*

Ex DICTIS ad Sacerdotum institutionem Nauar. De oratione cap.19. nu.67. deducit, male agere, atq; adeo mortaliter peccare (vt idem ex D. Thoma habet *in Enchir. cap.*27. *n.* 36. *ver. ad* 1.) eos qui Missam & orationes publicas, tanquam ministri Ecclesiæ dicunt pro excõmunicatis. Quod tamen, vt ipse admonet, accipiẽdum est cum aliquot limitationibus. Prima est: vt non referatur ad inualidè excommunicatos esse quos iure ministri ipsi non reputant excommunicatos, seu excommunicatione validâ: tunc enim possunt pro illis celebrare diuina, nisi obstet scandalum; quia intentio Ecclesiæ non est ob inualidam excommunicationem priuare quempiam communibus precibus. 75.

Secunda est: vt nec referatur ad eos excommunicatos, quos merito credimus resipuisse à peccato propter quod excommunicati fuerunt, si quam diligenter possunt, curent impetrare absolutionem. Nam vt Couar. ait *in prius citato nu.* 4. *concl.*9. potest quis vt Ecclesiæ minister pro illis orare, secreto tamen, iuxta Hostiensem communiter receptum, ad Cap. Cum voluntate, De senten. excõmunic. & Missam eiusque valorem eis applicare, saltem sub conditione, si eos vere pœniteat.

Ad illud vero quod in contrarium Vgol. in cit. §.2. num.3. opponit, talem esse vere excommunicatum quoad Ecclesiã, ex Cap. A nobis 2. De senten. excommunic. & ideo manere priuatum ijs quibus ex intentione Ecclesia ipsum priuat: atque illum qui facit pro eo publicas orationes, facere contra intentionem Ecclesiæ. Respondendum est, intentionẽ Ecclesiæ (cuius ante meminimus num. 10. & 11.) in hac re esse cum quadam ὑπεκλήψει intelligendam: nempe vt cum fermo est de oratione quæ pro excommunicato fieri prohibetur, si is contritus sit, neq; stet per ipsum quominus sit absolutus, ea non fiat quidem in publico pro ipso: fieri tamen possit in secreto. Quo modo prædictum Cap. A nobis Panor. ibid. n. 6. intellexit; & potest intelligi Cap. Sacris, cod. tit. vbi de eadem oratione agitur.

Dices, ergo poterunt similiter dari illis Sacramenta in secreto. Respondetur negando; quia non potest id fieri nisi illi his se ingerant passiue, quod non possunt sine peccato mortali. Orari autem potest, aut fieri sacrum Missæ pro ipsis, absque eo quod concurrant se ingerendo talibus orationibus.

Tertia limitatio est: vt non referatur ad eos qui ex hac vitã excesserunt cum contritionis signis, ob quæ merito creduntur mortui extra peccatum mortale. Pro his enim, inquit Nauar. *in eod. cap.*19 *n.*68. licet Missam dicere eiusq; valorem illis applicare, etiam antequam absoluantur; non publicando tamen, eam pro illis dici; quia sicut coram Deo occulte tantum vniuntur Ecclesiæ per charitatem: sic occulte tantum pro eis dici possunt preces quas Ecclesia pro suis membris instituit. In hoc enim casu perinde ac in præcedenti, per ὑπεκλήψιν in fauorem filij serio resipiscentis, possumus interpretari matris Ecclesiæ intentionem. 76.

Quarta est: vt non referatur ad orationes institutas in Ecclesia ad orandum pro externis. Quamuis enim (inquit Nauar. sub finem sequentis nu.71.) nemo Ecclesiæ nomine, seu quatenus Ecclesiæ minister debeat pro excõmunicatis orare precibus institutis ad orandũ pro membris Ecclesiæ; potest tamen precibus accommodatis ad orandum pro externis: qualis est illa diei Veneris sancti pro hæreticis & schismaticis. Deus qui saluas omnes, & neminem vis perire, &c. Item illa quæ habetur in Missa ad tollendum schisma. Deus qui errata corrigis, & dispersa congregas, &c. vel alia quæcunq; eiusmodi de nouo composita, vt inquit Nauarrus.

Quinta est, quam habet idem Nauar. consequenter num. 72. vt quamuis nemo debeat applicare excommunicatis orationes Missæ, neque earum valorem ad satisfaciendum pro illis, possit tamen proprium meritum actus orandi seu celebrandi Missam, aut recitandi preces canonicas eo refer- 77.

re, vt Deus dignetur illos, aut aliquem illorum conuertere. Vnde cum triplex sit valor boni operis meritorij, vt post multos alios notat Couar. ad Cap. Alma mater, *1. par. §. 5. numer. 5.* vnius specialissimus, qui operanti competit & applicatur; alter specialis, qui competit ei pro quo quis operatur, nempe orat vel ieiunat: tertius generalissimus, qui est totius Ecclesiæ, conuenitque omnibus ipsius membris propter illam Sanctorum communionem, de qua mentio est in Symbolo. Cum inquam hoc ita sit, primus valor operis orandi orationibus Missæ, potest applicari excommunicato, non item reliqui. Et istud est quod sibi vult Nauarr. ibid. numer. 73. inquiens quod Sacerdos potest nomine suo priuato celebrare Missam, & horas canonicas in eum finem recitare, vt resipiscat excõmunicatus, non quidem orando pro eo orationibus Missæ, aut precibus canonicis, neque applicando earum valorem illi: sed offerendo diuinæ maiestati exhibitionem illius seruitij, quod pro ijs pro quibus debet, secundum Ecclesiæ intentionem persoluit aut persoluturus est: vt dignetur illos ad sanam mentem reuocare. Sicque accipiendum est ex eod. Nauar. quod aliqui aiunt se toties dixisse Missam pro conuersione alicuius hæretici, aut alterius infidelis.

78. Addit adhuc his ibid. Nauarr. & cum eo Couarr. ad Cap. Alma mater, 1. par. §. 6. numer. 4. concl. 7. & ante vtrumque tradiderunt Sylvest. Excommunicatio 1. núm. 2. & Missa 1. quæst. 8. dicto 4. Angelus eod. verbo numer. 51. & Tabiena Excommunicatio 1. num. 4. estque communis recentiorum sententia (quorum nonnullos Vgolinus De censuris tab. 2. cap. 9. §. 3. sub finem cõmemorat) posse Sacerdotem in priore, vt vocant, Memento, ante consecrationem hostiæ orare nominatim specialiq; oratione pro excommunicato. Ratio eorum est, quod Sacerdos tunc oret vt priuata persona. Sotus vero in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 1. est propensus in contrariam partem. Cui fauet, quod excommunicatis non possit offerri sacrificium Missæ, illaq; oratio fiat pro ijs pro quibus sacrificium offertur, prout significant verba illa: Et omnium circunstãtijs quorum tibi fides cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.]

Cæterum videtur bona esse distinctio, quâ Iosephus Angles vtitur in Floribus quæstionum De excommunicatione, art. 3. diffic. 4 **vt in** eo spatio quod Sacerdoti datur ad orandum proprijs orationibus, is non possit pro excommunicato orare nomine Ecclesiæ; nec proponere pro illo sacrificiũ offerre: possit autem orare nomine suo proprio tanquam priuatus: quia tunc oratio eiusdem conditionis erit ac si fieret in cubiculo, nempe erit priuata, & non publica.

Dubium de oratione pro excommunicato tolerato.

79. TERTIA DVBITATIO EST. An quod dictum est, non esse pro excõmunicato orandũ publicis orationib. pertineat etiam ad eos quos per constitutionem Concilij Constantiensis non tenemur vitare. Nam & hos Ecclesia intendit illis priuare. Cui dubit. Nauar. *in Enchir. cap. 27. numer. 36. ad secundum dubium*, respondet, pro excommunicato non denunciato, nec notorio Clerici percussore, posse nunc orari publice, per memoratam cõstitutionem, sicut per eandem nunc non negatur sepultura ijs qui excommunicati nõ denunciati moriuntur, nisi interueniat aliud impedimentum, vt hæresis, propter quam neganda est sacra sepultura, ex Cap. Quicunque, De hæreticis in 6. sicut & propter mortem obitam in duello; ex Concilio Tridentino, sess. 25. capit. 19. De reformatione, & propter manifestam vsuram, ex Cap. Quia in omnibus, De vsuris. Quæ doctrina quantumcunque possit alicui videri difficultatem habere: quia tamen per ipsum Concilium Constantiense cum excommunicatis non denunciatis, nec notorijs percussoribus Clericorum concessa est communicatio, tam in diuinis, quam humanis, ea admitti posse videtur. Nam quamuis citra priuilegium in diuinis communicare cum excommunicato, peccatum sit mortale: quia id directe est cõtrauenire intentioni Ecclesiæ; non est tamen si id fiat (prout potest publica oratio fieri pro excommunicatis non denunciatis) cum ipsius met Ecclesiæ priuilegio, & absq; scandalo, seu inductione alterius ad peccatum, aut ad contemptum clauium eiusdem Ecclesiæ.

Ab iisdem quoq; excommunicatis non vitandis esse hodie licitum Sacramenta recipere, expressit Caiet. 3. *part. quæstione 64. art. 6. ad 2. & in verbo Absolutio, vers. Absolutionis impedimenta.* Quod intellige etiam extra casum necessitatis recipiendi Sacramenta ipsa, iuxta Sotum *in 4. distinct. 1. quæstio. 5. art. 6. propos. 5.* & Adrianum in 4. De confessione dub. 9. Imo si sit casus extremæ necessitatis, ab excommunicato nominatim denunciato, aut notorio percussore Clerici licet Sacramenta recipere; qui potest illa tunc conferre, iuxta tradita libr. 1 cap. 7. sub initium. Aduerte autem non esse vsurpandam illam licentiam suscipiendi Sacramenta ab excommunicato non vitando, si is credatur inde accepturus occasionem contemnendi excommunicationem, aut non procurandi absolutionem, vel si credatur administraturus Sacramenta in peccato mortali, nullaq; sit legitima causa petẽdi, quæ eum excusare possit, ne peccet conferendo; iuxta ea quæ tradidimus in præcedenti numero 5. Nec item licere Sacramenta conferre excommunicato non vitando, post Adrianum *in 4. De clauibus quæstione 3.* bene monet Couarruuias ad Cap. Alma mater, *1. par. §. 2. in fine*, per eam rationem, quod is non possit illud recipere sine peccato; atq; Sacramentum conferens illi quem scit excommunicatum, eidem tribuat occasionem peccandi, quod illicitum est omnino. Intellige autem etiamsi non sit excommunicatus notorius, sed tantum occultus, iuxta Sotũ *in 4. distinctione 22. quæstione 1. articulo 4. columna 5.* nisi quod iuxta Panormitanum ad Cap. Si Sacerdos, De officio Ordinarij, numer. 6. non debeat Sacerdos corpus Christi denegare excommunicato occulto, illud public petenti, ne peccatum ipsius occultũ prodat, sicut nec Christus Iudæ proditori idem Sacramentum negauit; sed cum cæteris discipulis illud ei contulit, ex Cap. Christus, 1. quæst. 1. 80.

Vale.

SECTIO III.

HÆc dictio significat primo prohibitum esse salutare excommunicatum, iuxta D. Thom. *in 4. dist. 18. quæst. 2. artic. 1. quæstiuncula 1.* quem alij communiter sequuntur. Intellige autem, siue salutatio fiat præsenti, siue etiam absenti per Epistolam, aut nuncium; eo modo quo de locutione dictum est sect. 1. Significat secundo, prohibitum esse resalutare excommunicatum, iuxta Sotum *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4.* etsi liceat dicere illi, Deus te illuminet, vel aliquid simile, iuxta Caiet. in verbo Excommunic. cap. vltimo, vers. Illicita. Atq; si ad illum in casu licito scribatur, non est salutandus, sed loco salutationis hæc verba vsurpari possunt; Spiritus consilij sanioris, *iuxta Paludanum in 4. distinct. 18. quæst. 6. art. 2. in principio, & Syluestrum Excommunicatio 5. nu. 3.* Vbi aduerte, quod habet Henriquez *in prima parte suæ Summæ libro 13. capite 7. §. 3.* resalutare & rescribere non prohiberi quatenus talia; cum sint quid debitum etiam respectu inimici. Quod igitur allatum est ex Soto, debet intelligi de resalutatione, cum fit, sicut & salutatio, ad deferendum honorem alteri. 81.

Significat tertio proposita dictio, prohibitum esse assurgere excõmunicato, aut ei nutu reuerentiã exhibere, seu inclinare se ad illum quasi resalutando ipsum, etiamsi nullum verbum dicatur, ex Palud. *in cit. art. 2.* & Nauar. *in Enchir. cap. 27. nu. 20.* atq; alijs quorum meminit Vgolinus De censuris *tab. 2. cap. 23. §. 1. num. 10.* Vbi contra sentientes, eo quod nihil tale sit in iure expressum, sic reijcit: quia etsi non est specialiter expressum, et tamen generatim, ex quo communio excommunicati prohibetur nobis per plures Canones, 11. qu. 3. & per Cap. Cum non ab homine. De sentent. excommunicationis. Potest tamen, ex Nauar. ibid. sententia ipsorum in foro conscientiæ procedere, si talia signa fiant sine animo salutandi, aut resalutandi, dicendo intra semetipsum;

Deus te conuertat, aut aliquid simile.

* *
*

82.

Communio.

SECTIO IV.

83. HÆc dictio primo significat, *ex Caiet. loco citato*, prohibitum esse communicare cum excommunicato in actibus legitimis: quales sunt iudicare, patrocinari, testificari; & alij eiusmodi, de quibus copiose Vgolinus tab. 2. De censuris cap. 15. & quatuor sequentibus. Significat deinde prohibitum esse (quod expressit D. Anton. 3 *par. tit. 25. cap. 2. in principio, versu* 5. & tractat Vgol. *in eadem tabula cap.* 20.) contrahere cum excommunicato, siue vendendo, siue emendo; imo neq; cum ipsius famulo, si eius nomine contrahat, iuxta Palud. loco cit. quod tamen intellige nisi excuset necessitas; de qua dicetur in sequenti cap. 15. sect. 5. Aduerte autē quod etsi non liceat cum excommunicato contrahere, factum tamen contractum, etiam cedentem in ipsius vtilitatem, valere; vt ostendunt Couar. ad cap. Alma mater, *1. par. §. 1. num.* 9. & Vgolin. *in citato cap.* 20. §. 1. quia nullum ius est quo reddatur irritus, nec vlla est illius prohibitio, quam ea quæ includitur in generali prohibitione communicationis cum excommunicato. Vnde nec est alia pœna contrahentium, quam cōmunis communicātium cum excommunicato in humanis: nempe venialis peccati, & minoris excommunicationis, vt postea tradetur. Quam sententiam Diuus Antoninus loco citato aperte sequitur, inquiens post Innocen. omnes cōtractus initos etiam scienter, & durante excommunicatione, tenere; ex ipsisq; agi contra excommunicatum, etiamsi non possit excommunicatus agere ex illis, nisi post absolutionem. De qua re ex instituto Vgolin. in sequenti § 2.

84. Significat præterea prohibitum esse cooperari excommunicato, seu facere aliquod opus simul cum eo, iuxta Nauarr. *in cit. num.* 20. ita vt alteri non liceat simul cum ipso vel ædificare parietem, vel dolare ligna, vel quadrare lapides, nec etiam cum eo tanquam cum socio facere iter: imo, vt probabile est (quamuis aliter sentiat Sotus *in 4. distinct. 22. quæstio. 1. artic. 4.*) nec legere coram eo, nec audire lectionem cum eo. Eadem enim videtur talis cōmunionis ratio, quæ antedictarum. Audire autem concionem cum eo, licet: quia in his quæ ad salutem animæ ipsius, & emendationem faciunt, licita est conuersatio humana, vt dicetur in sequ. capit. 15. sect. 1. Iam vero, si in memoratis quæ ex se mala non sunt, cum excōmunicato communicare non licet, multo minus licet in ijs quæ mala sunt: vt in furando, vel in occidendo; adeo vt qui in talibus communicat cum excōmunicato, non tantum peccet peccato furti, vel homicidij: sed etiam peccato communicationis cum excōmunicato, propter quam incurrit etiam in minorem excommunicationem. Id quod notant Angelus Excommunicatio 8. §. 2. & Sylu. Excommunicatio 5. nu. 6. vers. 2.

85. Postremo, significat prohibitum esse cum excōmunicato mortuo communicare, etiam in humanis: vt v. g. ipsum lauando, aut vestiendo, prout tractat Vgolinus tabul. 2. De censuris *cap. 23. in principio, num.* 8. Et probatur per illud in Cap. Sacris, De sepulturis, & in Cap. A nobis 2. De sententia excommunic. Non communicetur mortuo, cui non est communicatum & viuo. Excipitur tamen, vt ex Felino addit Vgol. is qui talem sepelit in loco prophano ne aerem eorrumpat: nam ea de causa, & à peccato, & à minori excommunicatione excusatur.

Mensa.

SECTIO V.

86. HÆc demum dictio significat prohibitam esse cibi & potus sumptionem cum excommunicato in eadem mensa, ex D. Thoma *in 4. distinct. 18. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula* 1. & Palud. *in cit. art.* 2. iuxta Cap. Excommunicatos, & sequ. 11. quæst. 3. & Cap. Nuper, De senten. excommunic. Quod intellige, siue in propria, siue in aliena domo fiat sumptio, dummodo in eadem mensa, ex Sylu. *Excommunicatio 5. num. 3. sub finem*, & D. Anton. 3. *par. tit. 25. cap. 2. in principio, ver.* 4. In diuersa autem mensa, vt cum ijsdem authoribus habent Caietan. *verbo Excommunicatio, cap. vltimo, vers. Illicita*, & Nauarr. *in Enchir. cap. 27. num.* 20. non est prohibitum comedere etiā in eadem domo: nisi (vt post plures alios habet Vgol. *in cit. capite 23. §. 2. numero 3.*) ab eodem vterque esset inuitatus i quia hoc esset communicare in eodem conuiuio cum illo. Notat etiam Henriquez *in 1. par. suæ summæ lib. 13. cap. 7. §. versus finem*, in diuersorio vbi est longa tabula pro mensa, licere comedere sepatim in diuersa parte tabulæ: quia moraliter a lia mensa reputatur.

Atque quod de sumptionē cibi dicitur, simili modo de 87. dormitione intelligendum esse, volunt D. Anton. Sylvest. & Nauarr. locis citatis: nempe esse prohibitum dormire simul cum excommunicato in eodem lecto, siue domus sit propria, siue aliena: non autem dormire in eadem domo, aut in eodem cubiculo, in diuersis lectulis, dummodo aliter non communicetur.

CAP. XIII.

De peccato quod committitur communicando cum excommunicato in prohibitis.

SVMMARIVM.

88 *Peccatum mortale committitur cōmunicando cum excommunicato in diuinis prohibitis.*
89 *Communicare in diuinis non prohibitis solum est veniale.*
90 *Item q; communicare in humanis.*
91 *Casus excepti.*
92 *Quatenus crebro cum excommunicato in humanis communicare, sit, vel non sit mortale.*

HÆc communicatio si in diuinis specialiter prohibi- 88.
tis sit, peccatum est mortale, ex Diui Thoma *quodlibeto 11. quæstio. 8. in 4. distinctio. 18. quæstion. 2. artic. 4. & quæstiuncula 3. ad secundum*, & Caietan. *in verbo Excmomunicatio, cap. vltimo, vers. Circa tertium*, & ex alijs quos referunt Couar. ad Cap. Alma mater, *1. part. §. 3. num.* 7. & Vgol. De censuris *tab. 2. cap. 23. §. 14.* Et ratio est: quod præceptum de euitandis excommunicatis directe respiciat diuina, quæ sunt propria fidelium, quatenus fideles sunt: & ideo qui excommunicatum euitandum ad diuina admittit, aut cum eo in diuinis communicat, tanquam faciens directe contra præceptum de re graui datum, ac contra potissimam illius rationem, mortaliter peccat. Excipe nisi id fiat ex inaduertentia: quia hæc communicantem excusaret à peccato mortali, vt constat ex communi doctrina de ignorantia inuincibili.

Dixi autem in diuinis specialiter prohibitis, quoniam communicare cum excommunicato in diuinis, quibus est ei sub generali tantum communicationis nomine interdictum: vt exempli gratiā, recitare cum eo priuatim horas canonicas, non est peccatum nisi veniale, vt idem Couar. *in seq. n.* 8. multis authoritatibus confirmat. Quando igitur Doctores absolute dicunt peccatum mortale committi si quis cum excommunicato communicet in diuinis: id intelligendum est in diuinis specialiter prohibitis, hoc est, in Sacramentis, sepultura Ecclesiastica, & diuinis officijs quæ publice in Ecclesia recitantur communi nomine fidelium; sic vt censeantur bona esse communia fidelibus, prout fideles sunt, à quorum participatione excommunicatus excluditur.

Si vero talis communio sit in humanis, committitur so- 90.
lummodo peccatum veniale iuxta communem Theologorum ac Canonistarum sententiam (vt plures eorum commemorans notat Gabr. *in 4. distinct. 18. quæstion. 3. liter. K. 2.*) quam sequuntur Adr. in 4. De Clauib. quæstion. 3. vers. Secunda propositio, Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4. concl. 2. sub finem (vbi etiam ait esse omnium sententiam) Couarr. item in priis cit. nu. 7. ac Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 28. & recentiores communiter, quemad. notat Henriquez in 1. part. libr. 13. capit. 8. in margine lit. A. Fundamentum autem quod ex D. Thoma afferunt est, quod is qui in humanis cōmunicat cum excommunicato, non faciat contra propriam rationem præcepti, quod principaliter ac directe respicit diuina, vt iam diximus. Neq; est necesse quamlibet præcepti diuini, aut Ecclesiastici transgressionem peccatum esse

morta-

mortale, vt recte in citata concl. 2. ostendit Sotus ex mendacio iocoso.

91. Verumtamen etiamsi cum excommunicato in humanis communicare non sit peccatum mortale ex vi præcepti de excommunicatis vitandis, potest nihilominus aliunde esse; nempe si ea fiat in contemptum, vel Ecclesiæ, vel excommunicationis, vel Iudicis, iuxta D. Thom. in 4. dist. 18, quæstio. 2. art. 4. quæstiuncula 3 & 3. & Palud. ead. distin. quæst. 6. art. 3. Gabr. loco cit. Adri. in citata qu. 3. vers. His præmissis, Sotum in sequenti concl. 3. Huiusmodi enim contemptus, ex suo genere peccatum est mortale, ex Caiet. in verbo Contemptus. Vide traditam regulam lib. 15. cap. vltimo, sectione secunda. Deinde si Pontifex ferret sententiam in aliquem hoc modo: Excommunico te cum omnibus participantibus tibi (qualem sententiam nullus cæterorum Prælatorum ferre potest, ex Cap. Statuimus, De sentent. excommunic. in 6.) communicans peccaret mortaliter: vt Panor. ad Cap. Quod in dubijs, De senten. excommunic. num. 3. notat. Et ratio est, quia omne id propter quod maior excõmunicatio incurritur, peccatum est mortale, vt patet ex cap. Nemo Episcoporum, & ex Cap. Nullus 11. qu. 3. Postremo, qui cum excommunicato communicat in aliquo mortali crimine, siue sit illud propter quod is excommunicatur, siue sit aliud, cõmittit peccatum mortale, ex D. Thom. loco cit. & Sylu. Excommunicatio 5. nu. 6. Ratio est, quia mortaliter peccat qui cõsentit, aut participat in peccato mortali, ex cap. 1. Epistol. ad Romanos in fine.

92. Cæterum Sotus loco cit. reijciens id quod Durandus dixit, peccatum etiam mortale esse cum excommunicato ita crebro communicare, ac si non esset excõmunicatus: rationi congruenter facit, si quidem spectetur tantum frequentatio actus. Nam vt Adrianus ea de re agens argumentatur *in cit. quæst. 3. versu Respondeo ad hæc argumenta, in fine*: si nuda frequentia actus de se aggrauaret mortaliter, seu traheret ad cõditionem peccati mortalis; toti fere mundo peccatum mortale esset otiose loqui; paulo plus sumere de cibo & potu, quam necesse est, officiose vel iocose mentiri, & sic de eiusmodi alijs: quod absurdum est. Sin autem spectetur eidem frequentiæ adiunctum scandalum, hoc est, quod illo modo se gerens contra prohibitionem Ecclesiæ, inducatur ipse, aut inducat alios ad spernendam Ecclesiæ censuram, non videtur excusandus à mortali, vtpote qui vacando rei illicitæ, occasionem præbet peccandi mortaliter: quam absq; iusta causa suppeditare repugnat charitati, ideoq; peccatum est mortale, prout in re simili Nauarrus argumentatur in Enchiridio cap. 25. num. 78.

CAP. XIV.

De pœnis quæ incurruntur communicando cum excommunicato in prohibitis.

SVMMARIVM.

93 *Incurritur minor excommunicatio.*
94 *Aliquot casus in quibus incurritur excommunicatio maior.*
95 *De participante in crimine criminoso cum excommunicato.*
96 *Pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, eorum qui excommunicatum admittunt ad diuina.*

93. COmmunicando cum excommunicato in prohibitis, incurritur maxime minor excommunicatio, ex Diuo Thoma in 4. distinctione 18. quæstione 2. articulo 4. quæstiuncula 2. Diuo Antoni. 3. part. tit. 25. capite 1. in principio, Caietano in verbo Excommunicatio, Nauarro in Enchiridio cap. 27. nu. 26. Couarruuia ad Caput Alma mater, 1. parte, §. 3. num. 3. Et probatur ex Cap. A nobis, De exceptionibus, & ex cap. Statuimus, & Cap. Constitutionem, De senten. excommunic. in 6. Incurritur etiam irregularitas iuxta tradita in lib. 30. tractatu 2. cap. 14. Videri potest Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 14. §. 1.

94. Interdum etiam incurritur excõmunicatio maior (quod notant Nauar. & Couar. locis citatis.) Primo, quando aliquis Clericus scienter, & sponte admittit ad diuina officia eum qui à Papa excommunicatus est viâ iuridicâ (secus est, si ab eodem Papa per suas constitutiones iusve commune sit excommunicatus) ex Angelo Excommunicatio 8. § 3. & Syluestro Excommunicatio 5. nu. 6. Nauarr. in Enchiridio cap. 27. num. 93. Caiet. in verbo Excommunicatio, cap. 58. Soto in 4. distin. 22. quæst. 1. art. 4. concluſ. 4. & probatur ex Cap. Significauit, De sententia excommunic.

Secundo, cum quis sepelit in loco sacro nominatim interdictum, aut excommunicatum publicũ, qui denunciati sunt pro talibus, aut manifestum vsurarium, iuxta Clement. 1. De sepulturis, & eiusdem interpretationem apud Nauar. in Enchir. cap. 27 nu. 137. Adde, & cum quis sepelit hæreticos, credentes, receptatores, defensores, vel fautores eorundẽ, iuxta Cap. Quicunq; *in principio*, De hæreticis in 6. A qua censura non debet absolui, nisi proprijs manibus publice extumulet, & proijciat huiusmodi corpora damnatorum, vt in eodem cap. habetur; additurq;, vt locus ille perpetua careat sepultura, id est, *vt habet glossa*, reputetur prophanus ita vt in eo non sint amplius sepelienda fidelium corpora.

Tertio, cum excommunicatio est lata contra aliquem, & contra participantes cũ eo in diuinis, aut in humanis. Nam tunc non solum is in quem lata est, sed etiam cum eo comunicantes in prædictis, incurrunt in maiorem excommunicationem, iuxta Cap. Quod in dubijs, De sentent. excommunic. & tenet D. Thomas loco cit. Quod tamen aduerte per tradita à Nauarr. in Enchir. *cap. 27. num. 4.* & ab alijs quos Henriquez citat in 1 par. summæ suæ *l. b. 13. cap. 8. lit. F. in margine*, non habere iam locũ, per Cap. Statuimus, & Cap. Constitutionem, De sentent. excommunic. in 6. quando inferior Papâ excommunicat participantes cum excommunicatis à se, nisi eos nominatim exprimat, præmissâ trinâ monitione, cum interuallo aliquot dierum. Secus est, si excommunicet participantes cum excõmunicato per alium habentem excommunicandi potestatem, vt ibidem Nauarrus monet. 95.

Quarto, cum quis cum nominatim excommunicato in crimine criminoso, seu pro quo excõmunicatus est, participat, siue exhibendo se ei socium operis, siue dando auxilium, fauorem, aut consiliũ, vt in eodem crimine permaneat; sententiam maioris excommunicationis incurrit per Cap. Nuper, & Cap. Si concubinæ, De sentent. excommunic. tradit. Nauarrus in Enchiridio, *cap. 27. num. 33. & nu. 112.* cum pluribus alijs quos refert Henriquez *in citato lib. 13. cap. 9. litera D. in margine*. Vbi aduerte ex eodem num. 112. ad talem excommunic. incurrendam requiri. Primo, vt quis in crimine participet post ipsum commissum, ac post incursam propter ipsum excõmunicationem. Secundo, vt participet post denunciationem nominatim factam eius qui illam incurrit. Tertio, vt scienter participet, seu vt sciat factam esse denunciationem. Et ita, *vt Henriq. ibid. habet in textu*, §. 2. excusatur ab hac excommunicatione, participans cum non denunciato nominatim, nec notorio Clerici percussore; itemq; participans per ignorantiam; nisi ea sit affectata: ac demum participans, antequã alter incurrerit in excommunicationem, & sit nominatim denunciatus. 96.

Aduerte autem aliquando eâdem lege quâ aliquid facientes excommunicantur, excommunicari quoque participantes, prout exemplum habetur ex cap. Fœlicis, De sentent. excommunic. in 6. de quo Nauarr. in Enchir. *cap. 27. numer. 97.* Videri potest de hac materia Vgolin. tab. 2. De censuris cap. 23 §. 13.

Iam præter pœnam excommunicationis, illi qui ad Sacramenta, vel diuina officia, aut Ecclesiasticam sepulturam admittunt excommunicatum denunciatum, incurrunt suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, vt habetur ex cap. Episcoporum, De priuilegijs in 6. Quod tamen aduerte intelligi de exemptis admittentibus, vt patet consideranti verba textus: notatq; Nauarr. post plures alios quos ipse citat in Enchir. *cap. 25. num. 94.* De eadem re quoque Vgolinus in fine citati capitis 23.

CAP.

CAP. XV.

De ijs quæ reddunt licitam conuersationem cum excommunicato.

SVMMARIVM.

97 *Licitam reddi posse communicationem cum excommunicato, & casus in quibus redditur.*
98 *Casus vtilitatis, siue nostræ, siue illius.*
99 *Cauenda in ea communicatione.*
100 *Casus matrimonij, in quo vxori communicare viro excommunicato licet in obsequijs ei debitis.*
101 *Aliquot exceptiones.*
102 *Quatenus licitum sit viro communicare cum vxore excommunicata.*
103 *Difficultas, an possit communicare in alijs humanis (vt in colloquio) quam in obsequijs debitis.*
104 *Rationes pro parte affirmatiua cum solutione earum quæ adferuntur in partem contrariam.*
105 *Difficultas, an licitum sit coniugi excommunicato petere ab altero coniuge debitum coniugale.*
106 *Pars affirmans teneri potest.*
107 *Quatenus vxor a marito excommunicato possit dotem repetere*
108 *De licita conuersatione subditorum cum Superioribus excommunicatis, ac primo de licita liberorum cum parentibus.*
109 *Quæ locum habet in liberis emancipatis, & in natis post excommunicationem, & quantumcunque excommunicatio sit parentum cum communicantibus cum eis.*
110 *Casus aliquot, in quibus id patitur exceptionem.*
112 *Licita est seruis etiam tantum mercenarijs cum dominis excommunicatis conuersatio nisi sit in crimine.*
113 *Licita conuersatio Clericorum cum Episcopo excommunicato, de cuius sunt familia. Item Religiosorum cum suo Superiore excommunicato. Item, eorum qui sunt de familia Regis, cum ipso excommunicato.*
114 *Restrictio cum qua sunt hæc accipienda.*
115 *Non obstat excommunicatio, quin debeat excommunicato solui debitum, nisi in sententia id sit specialiter prohibitum.*
116 *Solutio eius quod obijcitur in contrarium.*
117 *Quatenus sit, vel non sit licitum addicere se excommunicati seruitio.*
118 *Communicatio licita parentum cum liberis, & dominorum cum seruis.*
119 *Casus in quibus eadem est illicita.*
120 *Quatenus licita sit fratris cum fratre, & serui cum conseruo excommunicato conuersatio.*
121 *Ignorantia excusans conuersationem cum excommunicato.*
122 *Non est licitum excommunicato ingerere se conuersationi eorum, qui cum ignorent ipsum esse excommunicatum, non peccant conuersando cum eo.*
123 *Casus in quibus id patitur exceptionem.*
124 *Licitum est de se, suppeditare excommunicato necessaria ad vitæ sustentationem: illiq; adesse in graui necessitate famæ, aut rei familiaris perituræ, nisi in futurus sit deterior.*
125 *Licitam esse cum excommunicato conuersationem, ob necessitatem accipiendi ab eo sustentationem, vel corporis curationem.*
126 *Item, ob necessitatem vitandi magnum damnum proprij patrimonij, aut status.*
127 *Item, ob necessitatem consilij.*
128 *Excusatur communicans cum excommunicato, per vim compulsus.*
129 *An etiam excusetur metu ad actus, explicatur aliquot propositionibus.*
130 *Quando Superioris iussio excusat communicantem cum excommunicato.*

VIDERETVR forte alicui non posse fieri licitam conuersationem cum excommunicatis, præsertim hæreticis, cum ea iure diuino sit prohibita. Namque Diuus Paulus ad Tit. 3. hereticum hominem post vnam, aut secundam correptionem cuitandum præcipit: & D. Ioannes in 2. sua Epistola hæreticum non esse recipiendum in domum, nec aue ei dicendum. Sed quia vsus Ecclesiæ ostendit rem aliter se habere; proposita loca sic accipienda sunt, vt prohibeant eam conuersationem cum hæreticis, ex qua damnum animæ sequitur. Etsi enim quæuis conuersatio pernicioſa animæ, illicita sit, & prohibita iure diuino, iuxta illud prioris ad Corinth. capit. 5. Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiẽs, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum huiusmodi nec cibum sumere.] Ea tamen quæ cum hæreticis est, merito prohibetur specialiter, tanquam omnium pernicioſissima, maximeq; periculoſa: tum alijs; sermo enim eorum vt cancer serpit, ex cap. 2. posterioris ad Timoth. tum etiã ipsismet hæreticis, vt indicat illud posterioris ad Thessal. capit. 5. Si quis non obedit verbo nostro per Epistolam, hunc notate, nec commiscemini cum illo, vt confundatur. Non enim dubium est, pernicioſum esse quod reddit confusione dignum. 97.

Iam vero sicut iuri antiquo non est derogatum per constitutionem Concil. Constan. quoad excõmunicatos nominatim denunciatos, & notorios Clericorũ percussores, in casibus in quibus illicita est communicatio cum excommunicato: ita nec in ijs casibus in quibus eadem licita redditur; quales sunt ij quorum fit mentio 11. quæst. 3. Cap. Quoniam multos, & nonnullis alijs eiusdem quæstionis; itemque tituli de sentent. excommunic. Solent vero dictionibus huius versiculi;

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse;

significari apud Diuum Thomam in 4. distinctione 18. quæstio. 2. art. 1. quæstiuncula 1. Palud. eadem distinct. quæst. 6. art. 2. Sylvest. Excommunicatio 5. nu. 4. Adrianum in 4 De clauib. quæst. 3. Sotum in 4. distinct. 22. quæstione 1. artic. 4. concl. 5 & Caiet. verbo Excommunicatio, cap. vltimo vers. Circa tertium: &, *vt notat Vgol. tab. 2. De censuris cap. 23. §. 4. in fine*, Doctores communiter post glossam ad cap. Cum desideres, De sentent. excommunic. Earundem explicationem sigillatim persequemur deinceps.

Vtile.

SECTIO I.

HOc vocabulo significatur licitum esse cum excommunicato non tolerato communicare ob nostram, vel ipsius vtilitatem. In duobus tamen tantum casibus, vt ex memorata glossa, & D. Thoma, nullisq; alijs notat Vgolinus *in cit. cap. 23. §. 5. in fine*. Prior est, cum nobis debet aliquid: posterior cum id salus animæ ipsius exigit; adeo vt Couarr. recte eam significationem expressisse videatur ad Cap. Alma mater, 1. *part.* §. 1. *tum sub finem numeri* 8. inquiens licitam esse communicationem cum excommunicato, ad exigendam ab ipso debitam pecuniam, aliamve rem quampiam, iuxta Cap. Si vere, De sentent. excommunic. etiam trahendo ipsum in ius, iuxta Cap. Intelleximus, De iudicijs: quia excõmunicatus reportaret alioqui de sua malitia commodum. Tum etiam in sequenti numer. 10. addens licitum, adeoque pium esse cum excommunicatis communicare in ijs quæ ad eorum correctionẽ, & animarum salutem pertinent: nimirum ad illos auocandos à contumacia, & reuocandos ad Ecclesiæ obedientiam. 98.

De qua re textus est apertus in Cap. Cum voluntate, De sentent. excommunic. In quo etiam conceditur alia verba incidenter interponi, ad facilius ex familiaritate proficiendum cum eo. Fit quoque specialis mentio de Prædicatoribus, & Confessarijs qui ad eorum institutionem destinati sunt, *de quibus Palud. loco citato*. Vnde sumitur fundamentum eorum quæ ex alijs habet Henriquez in summa *lib. 13. cap. 22.*

§. 1. licitum esse audire excõmunicati confessionem, etiamsi non esset ob indispositionem absoluendus: item concionari apud excommunicatos, spiritualia consilia eis dare, etiam admiscendo alia verba vrbanitatis, quibus beneuolentia, & attentio captari solet: sic; hæc per Epistolam fiant, præmittere consuetam salutationem; item legere coram excõmunicato sacram Scripturã, aut alium librum pium, vt ipse vtiliter audiat, aut recitare cum eo aliquam orationem priuatam, quæ ad eius conuersionem iuuet.

99. Videndum est autem, vt ista sincere, hoc est, animo fraternæ dilectionis, & correctionis fiant, & absq; fraudulenta simulatione. Nam vt post Maiorem Couarr. *sub finem cit. num.* 10. ait, si quis alloquatur excommunicatum sciens tale colloquium ad salutem illius nihil conducturum, seipsum decipit, nec pœnam iure statutam euadit. Videndum etiam est, ne talis communicatio extendatur ad ministerium Sacramentorum, vel ad admissionem ad diuina, vt recte monet Adrianus *in 4. De clauibus, quæst. 3. in exceptione* 3. Nam id nõ licere patet ex Cap. Antecessor 11. quæstione 3. Ratioq; est: quia cum excõmunicatus non possit ingerere se diuinis absque damnatione animæ suæ, id non esset saluti ipsius consulere, sed perniciem ei creare. Dictis adde ex Nauarr. in Enchir. *cap. 27. numer. 27.* sicut licet cum excommunicato communicare pro sua salute, licere quoque pro nostra, aut aliena, nempe pro nobis petendo spirituale consilium, immo & pro commodo temporali valde necessario, quando non occurrit alius similis à quo petatur; quod etiam loco cit. habet Henriquez.

Lex.

Sectio II.

100. Dictio lex hîc pro matrimonio ponitur ex Palud. in 4. dist. 18. quæstio. 6. art. 2. Angelo Excommunicatio 8. num. 7. & Sylu. Excommunic. 5. num. 4. quos sequitur Vgol. in cit. capit. 23. in fine §. sexti: rationem reddens, quod in matrimonio mulier sit sub lege viri. Significat igitur licitum esse vxori communicare cum marito excommunicato, nõ modo in petitione, & redditione matrimonialis debiti, sed etiam alterius cuiuscunque debiti: vt communem sententiam esse ibidem notat Sylu. colligiturq; ex cap. Quoniam multos 11. quæst. 3. & ex Cap. Inter alia, de sentent. excommunicationis: vbi vxori communio mariti excõmunicati simpliciter permittitur; atq; adeo quoad omnia obsequia debita. Vbi enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, argumento legis De pretio, ff. De publiciana in rem actione. Quod Vgol. in memorato §. 6. num. 1. notat; & monet procedere, etiamsi matrimonium sit inualidum, dummodo contractum sit bonâ fide, impedimentumque validitatis adhuc ignoretur. Item etiamsi mulier ei quem scit excõmunicatum esse, nupserit. Ratio est, quia ius in hac re loquitur absolute de vxore, prout obligatur ad obsequia viro præstanda. Atque in illis etiam casibus obligatur; in posteriore quidem, tanquam vera vxor; in priore vero tanquã bonâ fide habita pro vera. Non solum autem redditionem, sed etiam petitionem debiti licite marito fieri ab vxore, multorum authoritate idem habet num. 2. Et confirmatur, quia excommunicatus reportaret alioqui de sua malitia commodum, quod absurdum est, ex Cap. Intelleximus, De iudicijs.

101. Attamen tale priuilegium non habet locum si excommunicatio lata sit propter matrimonium ipsum male celebratũ, ex Palud. Angelo. & Sylu. locis citatis, ac D. Anton. 3. par. tit. 25. ca. 1. §. 1. Nam tunc, vt hic & Sylu. expresserunt, si ob talem causam, etiam in alterum tantum coniugum lata sit excommunicationis sententia, neuter potest cum altero communicare: sicut nec potest in quocunque alio crimine pro quo excommunicatus sit, vt habetur ex cit. Cap. Inter alia, in fine. Idem sentientes plures alios refert Sanchez lib. 9. de matrim. disp. 14. nu. 9.

Nec item sic extendi debet hoc priuilegium, vt existimetur licere vxori communicare cum eo excommunicato cum quo maritus communicat: quin potius existimandum est contrarium, cum exclusio vnius expresse facta à lege (vt facta est viri in citato Cap. Quoniam multos) sit inclusio aliorum; argumento Cap. Nonne, De præsumptionibus: quæ ratio est Vgolini ibid. n. 4. Sicq; vt D. Anton. Sylu. & Angelus locis citatis aiunt; si vir simul cum altero excommunicato cibum sumat, non potest vxor cum eis in eadem mensa comedere: potest tamen in eadem domo; sed in alia mensa ita remota, vt minime censeatur simul comedere.

Nec etiam debet hoc priuilegium extendi ad diuina; cum casus licitæ conuersationis cum excommunicatis, expressi quinque memoratis dictionibus sumi debeant extra diuina; sicut tangit Caietan. *in verbo Excommunicatio cap. vltimo, vers. Circa tertium.* Ita vt nec vxori cum viro excommunicato, nec viro cum vxore excommunicata cõmunicare in diuinis liceat. Quod etsi tutius est: contrarium tamen non caret probabilitate, iuxta ea quæ habet Sanchez in præced. num. 5. Adde ex Vgolino in eodem num. 4. nec debere extendi ad sponsam, cum nondum sit vxor; nec dum obligetur ad obsequia viri. Neq; ad vxorem quæ diuortio separata est à marito: quia per separationem liberatur ab onere obsequendi marito.

Significat quoq; proposita dictio licitum esse viro communicare cum vxore excommunicata (intellige nisi excommunicatio in eam lata sit propter male celebratum matrimonium, iuxta paulo antedicta) in ijs quæ vxor debet marito; vt sunt copula, & obsequia domus, ex Palud. Syluest. & Caiet. locis cit. Item in ijs quæ maritus debet vxori, vt sunt gubernatio, & prouisio rerum ei necessariarum. Quod confirmatur ex eo quod D. Thomas pro certo habet in 4. distin. 18. quæst. 2. art. 4 in responsione ad primam quæstiunculam, licitam esse cuiuis siue cum suo superiore, siue cum suo inferiore communicationem in illis ad quæ ei præstanda obligatur. Porro sicut inferior obligatur ad obsequium superioris; ita & superior ad regimẽ inferioris, & obligatur ad ei prouidendum de necessarijs. Atq; adeo, *prout D. Thomas recte ait*, sicut in ijs quæ vxor debet viro, ita & in ijs quæ vir debet vxori, potest vir cum vxore excommunicata communicare. 102.

An possit etiã in cæteris *vt in comestione, locutione, & huiusmodi alijs*, sicut potest vxor cum viro excõmunicato, prout ante diximus, difficultas est. Nam non posse existimat Syluest. in verbo *Excommunicatio 5. numer. 4.* citans alios, vt etiam citat Vgolinus *in memorato §. 6. numero 6.* Addens pro eis rationes has: tum quod ius soli vxori det priuilegium respectu mariti excommunicati: tum quod maritus facile possit vxorem inducere & compellere, vt suam liberationem ab excommunicatione procuret, non contra. Couar. autem ad Cap. Alma mater, 1. *par. §. 1. num.* 8. *cum Angelo in verbo Excommunicatio 8 numer. 8. & Adrano in 4. De clauibus, quæstio. 3. exceptione* 6. & alijs (quos referunt & sequuntur in eodem loco Vgolinus, & in eadem disput. Sanchez num. 16.) existimat virum posse in prædictis communicare cum vxore excommunicata. 103.

Et probat ex conditione societatis: nam iuxta glossam penultimam ad Cap. Si vere, De sententia excommunic. excommunicatus ratione societatis toleratur: siue, *vt habet Adrian.* licitum est non dissoluere societatem propter excõmunicationem in socio superuenientem, si dissolutio sine præiudicio propoprio fieri nequeat. Vnde consequens est ob maximum quod inter coniuges est societatis vinculum, virum cum vxore excommunicata posse communicare in omnibus in quibus vxor potest cum viro excommunicato. Deinde, vt argumentatur Vgolinus: Ex communi Doctorum sententia in correlatiuis, dispositum in vno, locum habet etiam in altero. At maritus & vxor sunt correlatiua. Ergo quod ante propositum esse dispositũ in Cap. Quoniam 11. quæst. 3. & in Cap. Inter alia, De senten. excommunic. vt vxori liceat communicare cum viro excommunicato in obsequijs ei ab ipsa debitis; ita accipiendum est, vt viro quoque liceat vxori excommunicatæ cõmunicare in obsequijs ei ab ipso debitis: præsertim cum ratio dispositionis eadem sit in vtroque casu. Nam ratio permittendi talem communicationem fuit, tum obligatio vxoris præstandi marito varia obsequia, tum difficilis eorum separatio, tum fornicationis periculum: quæ perinde vrgent ex parte vxoris ac ex parte viri. 104.

Vnde satis constat quid respondendum sit ad priorem

ratio-

rationem contrariam. Ad posteriorem autem respondendum est, quod quamuis maritus (prout per Cap. Negligere 2. quæstio. 7. docet Angelus, in cit. numer. 8.) peccet mortaliter si neglexerit vxorem iure maritali corrigere, & auertere à contumacia, pro qua in excommunicationem incurrit, *nisi forte talis esset, quæ ipsa correctione peior efficeretur*: ex eo tamen non sequitur priuari societate illius, ac pœna iuris incurrere communicando cum illa, in colloquio, mensa, & alijs.

105. PORRO cum priuilegium istud significatum per dictionem *lex*, non sit institutum in fauorem coniugis excommunicati, sed alterius: vt patet consideranti textum memorati Cap. Quoniam multos: ideoque non videatur magis licitum coniugi excommunicato ingerere se communicationi alterius coniugis, extra ea quæ specialiter ei præstare obligatur, quam liceat cuicunq; alteri excommunicato ingerere se excõmunicationi eorum, quibus cum eo conuersari concessum est per Concilij Constant. constitutionẽ. Cum, inquam, id ita sit, difficile est statuere vtrum coniugi excommunicato sit licitum ab altero coniuge petere debitum etiam coniugale.

Et quidem glossa eiusdem Capituli Quoniam multos, *ad verbum Vxores*, aperte docet non licere: quam sententiam ex instituto refutat Vgol. *in cit.* § 6. *num.* 3. & post eum Sanchez, *in eadem disput.* 14. *numer.* 20. Præcipua ratio est, quod coniux non excommunicatus coniugi excõmunicato perinde teneatur obsequia debita præstare post excommunicationem ac ante eam, iuxta antedicta. Quare excommunicatus indigens illis, si non exhibeantur vltro, potest ea exigere, præsertim debitum coniugale, à quo sine periculo incõtinentiæ abstinere cõuersando perinde cum vxore ac prius, difficillimum est. Ne igitur excommunicatio quæ medicina est, ex capit. 1. De sentent. excommunic. in 6. sit offendiculum, tenendum est non obstare quin excõmunicatus possit debitum coniugale petere. Palud. vero in 4. *distin.* 18. *quæst.* 6. *art.* 2. *versus finem*, ait excommunicato licere debitum coniugale petere etiam in iudicio; non item debitum temporale. Caietan. autem in verbo Excommunicatio, *cap. vlt. vers. Vbi scito*, & post ipsum Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 4. *concl.* 2. *sub finem*, volunt licere excõmunicato vtrum que illud debitum exigere: etiam possit debitor aduersus eum excipere, hoc est, actionem eius excludere, allegando excommunicationem: quia excommunicatus non potest stare in iudicio tanquam actor, sed conueniri tanquam reus, ex cap. Intelleximus, De iudicijs: prout communem illius interpretationem esse glossa ibidem notat. De qua re Sanchez in sequen. num. 24.

106. Cæterum licet si difficile statuere, quod potissimum istorum teneri debeat propendeo tamen in Caietan. & Soti sententiam: tum quia in hac disciplina recentioribus deferendum est, præcipue si qui fuerint & diligentes, & fœlici ingenio præditi, prout ex glossa & Iasone ad principũ legis Gallus, ff. De liberis & posthumis, notat Nauarr. *in Miscell.* 47. *De oratione num.* 3. quales citra controuersiam fuerunt Caiet. & Sotus. Tum quia licitum est Superiori excommunicato ingerere se conuersationi subditi, in ijs quæ hic tenetur ipsi præstare. Inter illa autem numerari potest directio ipsius subditi, quando ea indiget in exhibitione obsequij ad quod tenetur ratione subiectionis. Nemo enim dicat excommunicatum non posse monere suum subditum de ijs quę seruare debet, vt satisfaciat suæ obligationi. Quia ergo creditor rationem quandam superioris habet comparatione debitoris, ille potest debitum ab hoc petere per modum directionis ei necessariæ ad satisfaciendum suæ obligationi, maxime cum ad petendum aliqua legitima causa vrget, vt periculum fornicationis, vrgat petitionem debiti coniugalis: sicut aliqua penuria, aliaue necessitas vrget petitionem reliquorum debitorum.

107. Aduerte quod vxor (cum iuxta antedicta debeat cum marito excommunicato perinde esse atq; antea) non possit dotem ab eo repetere propter excommunicationem; nisi ipse tamdiu in illa perseueret, vt pro hæretico condemnatus, ipso iure bonis suis priuetur, iuxta Cap. Cum secundum leges, §. fin. De hæreticis in 6. Quod idem iudicium est si ipse in hæresim incidisset propter quam incurrerit in excommunicationem, argumento Cap. Decreuit, eod. tit. & lib. Quod vtrumq; notat Vgolinus in citato §. 6. nu. 5.

Humile.

SECTIO III.

108. HAc dictione iuxta cõmunem interpretationem significatur licitam esse subditis conuersationem humanam cum excommunicatis quibus subsunt, etiam denunciatis, aut notorijs Clericorum percussoribus. Habetur enim talis licentia ex Cap. Quoniam multos 11. quæstio. 3. ob bonam rationem quæ redditur in Cap. Inter alia, De sententia excommunic. scilicet quod per excommunicationem non debeat tolli obligatio quâ subditi ante illam tenentur ad obsequium familiare sui superioris, quod quidem exhibere ei non possunt sine humana conuersatione.

PRIMVM ergo licitum est filijs & filiabus conuersari cum patre & matre excommunicatis. Quod extendendum est ad omnes filios cuiuscunq; conditionis sint, vt ostendit Vgol. *tab* 2. *De censuris cap.* 23. § 7. nempe siue naturales, siue adoptiui sint, & siue in primo, siue in vlteriore gradu: puta nepotes, pronepotes, abnepotes. Adde & eos, q̃ ratione affinitatis sunt loco filiorũ, vt gener, nurus, priuignus, vel priuigna. Nam cum omnes tales comprehendantur nomine filiorum, ad eos omnes propositũ priuilegiũ extenditur: cum sit beneficium Principis, quod est latissime interpretandum, argumento Cap. Cum dilecti, De donationibus, & Cap. Olim De verborum significatione.

109. Neque esse excipiendos filios emancipatos & à patria potestate liberatos, idem *ibidem numer.* 7. tenet, non modo cõtra D. Thomam Hostien. & Gabr. & Sot. per ipsum citatos, sed etiam contra Palud. *in* 4. *distinct.* 18 *quæst.* 6. *art.* 2. & D. Anton. 3. *part. titul.* 25. *cap.* 1. §. 1. qui sicut illi, absolute excipiunt emancipatum. Illud etiam quod *Angelus Excommunic.* 8. *numer.* 10. *& Sylu. Excommunicatio* 5. *num.* 4. *vers.* 3. *& Armilla eodem verbo nume.* 46. volunt emancipatum quidem si sit commensalis patris, esse excipiendum; non item si commensalis patris non sit: ipse Vgolinus censet habere tantum locum in filio adoptiuo emancipato: cuius emancipatione omne ius paternum tollitur, ex §. Adoptiui, Instit. De exhæredatione liberorum.

Fundamentum autem illius contra tot ac tantos authores, est, quod simpliciter permittatur filijs cõmunicatio cum parentibus excommunicatis in cit. Cap. Quoniam multos; neque iure non distinguente, nos debeamus distinguere, argumento legis Pretio, ff. De publiciana in rem actione. Deinde quod illius permissionis ratio sit ex cit. Cap. Inter alia, obligatio filiorum præstandi obsequia parentibus; quæ non tollitur emancipatione filiorum, aut illorum separatione à communi parentum mensa. Adde ex eodem Cap. Inter alia, filium non tantum posse, sed etiam debere cõmunicare cum patre excommunicato. Idq; procedere, *vt ibid. num.* 9. & 10. *docet Vgol.* siue ante, siue post patris excõmunicationem natus sit; cum in vtroq; casu ad obsequia paterna teneatur. Imo etiam procedere etiamsi pater sit excommunicatus cum ijs qui cum ipso communicauerint.

110. Veruntamen idipsum exceptiones patitur. Prima est, vt non possit filius communicare in crimine pro quo pater excõmunicatus est, ex eod. cap. Inter alia. Secunda, vt nec possit communicare quando id daret illi causam perseuerandi in contumacia sua, ex cit. Cap. Quoniam multos, *vers. Vt eorum consilio.* Tertia, vbi periculum esset propriæ subuersionis, vt cum denunciatus esset ob hæresim, argumento Cap. fin. De hæreticis. Quarta, cum communicatio fuerit in diuinis: talis enim non debetur patri quatenus pater est; vnde Parochus patri suo denunciato, aut notorio Clerici percussori non debet Sacramenta administrare, nec coram eo Missam dicere.

112. SECVNDO licitum est seruis & ancillis conuersari cum dominis excommunicatis. Quod intelligendum est non modo de mancipijs, sed etiam, *iuxta Palud. & cæteros supra memoratos*, de alijs qui ad seruiendum illis obligantur; siue sint famuli domestici gratis aut pro mercede seruientes: siue rustici pretio conducti ad colendas terras dominorum suorum; siue coloni partiarij, id est, qui pro cultura agrorum capiunt

capiunt certam fructuum portionem. Nam & his licitum est, vt notant D. Anton. & Syluest. cum dominis excommunicatis communicare, quantum exigit cultura quam susceperunt.

Idem iudicandum est de cæteris, qui sunt de talium dominorum familia; vt, iuxta eosdem authores, de nutricibus, & alijs similibus personis quæ societatem contraxerunt cum aliquo tali, à quo si recederent, non haberent, vnde viuerent. Quæ doctrina probatur ex eo, quod in citato Cap. Quoniam multos, post excepto[s] seruos & ancillas, seu mancipia: tanquam diuersi ab illis, excipiantur rustici & seruientes, ac omnes alij, illius scilicet generis, qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur, id est, *vt glossa ibidem ad verbum Scelera, interpretatur*: tales sunt qui non seruiunt Domino in crimine: ijs enim qui taliter seruiunt, ius non patrocinatur, sed aduersatur omnino, vt patet ex textu citati Cap. Inter alia, & ex glossa finali eiusdem. Id quod intelligendum esse de seruientibus in crimine criminoso, seu propter quod irretitus est excommunicatione, satis significatur in cad. glossa, cum dicitur illos ex tali excommunicatione eadem quâ illū sententiâ irretiri, per Cap. Nuper, & Cap. Si concubinæ, De sententia excommunic. in quibus sermo tantum est de crimine criminoso.

113. Tertia (quod expresse docent D. Anton. 2. part. tit. 25. cap. 1 §. 1. Adrian. in 4. De clauib. quæst. 3. exceptione 6. Sylu. Excommunicatio 5. num. 4. versu 3. & Armilla eodem verbo num. 46.) licitum est Clericis qui cohabitant Episcopo; suntq; de eius familia, cum eodem excommunicato conuersari titulo ei seruientium; non est autem licitum reliquis ipsius Clericis, iuxta Cap. Miratus, dist. 93. Similiter licitum est (quod iidem docent, & Sot. in 4. distin. 22. quæst. 1. art. 4. concl. 5.) Monachis conuersari cum suo Abbate excõmunicato, quia indissolubiliter sunt ipsius familiæ incorporati. Verum est tamen quod ei in illis quæ superioritatem dignitatis respiciunt obedire non tenentur, sicut nec Clerici Episcopo suo excõmunicato: quod vtrumq; probat Richardus *in 4. dist. 18. art. 11. quæst. 2. & 3.* approbatq; Vgolinus De censuris *tab. 2. cap. 23. §. 9. in fine*, hac ratione: quod vterq; ille per excõmunicationem, officij vsu careat. Qui etiam paulo ante monet licitum esse ijs qui sunt de familia Regum aut aliorũ Principum (tanquam seruientibus scilicet) cum ipsis innodatis excommunicatione, ac denunciatis versari, non autem cæteris subditis eorundem, argumen Cap. Nos sanctorum 15. quæst. 6.

114. Aduerte autem hoc seruorum priuilegium non extendi ad communionem cum dominis in crimine criminoso, & contumacia illius, aut in diuinis, aut cum periculo propriæ subuersionis: quia ratio eadem valet in eis atque in vxoribus & filijs. Sicut & valere potest ad asserendum illud quod idem Vgolin. habet *in præced. §. 8. nu 1. circa medium*: idipsum priuilegium procedere quantumuis dominus sit excommunicatus cum omnibus ei communicantibus: nisi sit additum (prout addi posse paulo post dicetur) etiam in obsequijs debitis.

115. Hic se offert dubitatio. An si quis vel iuramento, vel aliâ aliquâ legitimâ obligatione teneatur aliquid intra certum tempus præstare, aut soluere alicui qui interea nominatim denunciatur, possit se ingerere illius conuersationi ad satisfaciendum tali obligationi? De qua re nonnulli apud Syluest. *Excommunicatio 5. num. 18.* existimarunt id non esse licitum, quia iuxta Cap. Quod in dubijs, & Cap. Inter alia, De sententia excommunicationis; nemini licet co mmunicare cum nominatim denunciato, nisi personis expressis in Cap. Quoniam multos supra memorato. At in eo nulla mentio fit de debitoribus: Non est ergo licitum debitori se communioni excommunicati ingerere soluẽdo ei debitum. Palud. vero *in 4. distinct. 18. quæst. 6. art. 2.* D. Anton. *3. parte tit. 25. cap. 1. §. 1.* & Sylu. *loco citato cum alijs nonnullis quos ipse commemorat*, existimant id licere. In eadem sententia est glossa ad Cap. Nos sanctorum 15. quæst. 6. quam Syluester hac ratione confirmat, quia lege naturæ quisque tenetur soluere quod legitime debet. At faciendo id ad quod lex naturæ obligat, nullum creatur animæ periculum: imo creatur potius non faciendo. Quare qui tenetur aliquid soluere excommunicato, potest id soluere absque detrimento animæ suæ.

Quod autem oppositum est, priuilegium canonis Quoniam multos, pertinere tantum ad personas in eo expressas; ita cum Sylu. accipiendum est, vt sensus sit, non pertinere ad alias personas, nisi habitâ ratione communicationis quæ minor sit, aut quæ maiore de causa vsurpari possit, quam eæ quæ illic conceduntur: sicut est communicatio in solutione debiti, quæ multo minor est cõmunicatione domesticâ, aut eâ quæ est colonis licita propter obligationem colendi terras excommunicati: quandoquidẽ maior est obligatio reddendi quod iam acceperis quam dandi, vt accipias: sicut dat colonus suam operam, vt fructuum partem accipiat. 116.

Adhvc se offert dubitatio. Num liceat se dedere alicuius seruitio, postquam est denunciatus excommunicatus? Ad quam Vgolinus propositis pro vtraq; parte authoribus *in cit. cap. 23. §. 9. nu. 8.* distinctione respondet: nempe esse licitum in necessarijs ad vitæ ipsius sustentationem: alioqui nec molitor posset ei frumentum molere, nec pistor panem coquere: aut ei præsto esse ad rerum ipsius vitandam iacturam, redundantem in detrimentum Reipublicæ cuius interest res ciuium bono loco esse. In alijs autem sine quibus vitam sustentare potest & res proprias in suo statu conseruare, non esse licitum. Hocque est quod ait Adrian. *in 4. De clauib. art. 3 §. Sed quoniam, exceptione 4.* licere cum excommunicato communicare in ijs quæ concernunt damni cuitationem: quamuis non in ijs quæ concernunt lucri acceptionem; nisi id lucrum ipsius sustentationi necessarium videretur. 117.

Restat dicendvm de conuersione Superioris, hoc est, patrum aut dominorum cum subditis suis, hoc est, cum filijs aut seruis excommunicatis: & eorundem subditorum cum aliquo ex ipsis excommunicato. Ergo licitum esse patri cum filio excommunicato conuersari; negarunt quidem aliqui, sed plures contra affirmarunt, vt videre est apud Vgol. De censuris *tab. 2. cap. 23. §. 7. num. 12.* Qui in sequen. §. 8. n. 2. cum Nauar. *in En hir. cap. 27. num. 27.* docet similiter licitam esse domini conuersationem cum seruo excommunicato. Tam autem hoc, quam illud confirmatur: quia dispositum in vno ex correlatiuis *cuiusmodi sunt pater, filius: dominus & seruus*, locum habet in altero, vt in Iurisperiti communiter dicunt, teste ipso Vgolino. Sicut ergo dispositione iuris, tum filio cum patre: tum seruo cum domino excommunicato permittitur conuersatio; censenda est similiter permitti, tum patri cum filio, tum domino cum seruo excommunicato; idq; tam in ijs quæ superior, id est, siue pater, siue dominus, præstare tenetur suo subd to, id est, siue filio, siue seruo (quod tradunt D. Thomas *in 4. distinct. 18. quæstio. 2. art. 4. quæstiun. 1.* D. Anton. loco cit. Caiet. *verbo Excommunicatio, cap. vlt. vers. Circa tertium*, & satis patet ex præcedentis dubij explicatione) quam in ijs quæ vice versâ inferior superiori præstare tenetur quod Sotus expressit *in 4. distinct. 22 quæst. 1. art. 4. colum. 10.* & insinuant Palud. & Adrian. locis cit. cum aiunt non teneri quemquam cum præiudicio detrimentoque suo carere sibi debito famulatu, vel subiectione excommunicati. Ratioque est ex cap. 2. De constitutionibus deducta, ne innocens sine sua culpa damnum patiatur: & nocens ex sua malitia lucrum faciat, sicque occasionem capiat in ea perseuerandi. Quod cum absurdum sit, licere debet ab excommunicato exigere, & recipere debitum. Quo fundamento nixus D. Anton. facultatem conuersandi cum excommunicatis, extendit ad eos qui conduxerunt mercenarios, quos sine magno suo incommodo vitare non possunt; itemque ad socios qui habentes aliquid commune, non possunt societatem dirimere sine magno suo incommodo. 118.

Extra illa autem, in ijs quæ ad humanam conuersationem pertinent, non licere superioribus ipsis communicare cum suis subditis excommunicatis, insinuat D. Antoninus, ei quod proxime ex ipso retulimus, subiungens. Alias autem non possumus communicare. Adrianus vero absolute dicens licitum esse patri cum vxore, filijs, & alijs de familia cõmunicare, contrarium significat; quod est minus probabile: quia constat prohibitam esse in genere humanam conuersationem cum excommunicatis; non constat vero tales perso- 119.

nas

nas excusari extra obsequia familiaria ad quæ tenentur, extraq; ea, sine quibus illa nequeunt exhiberi. Id quod potest intelligi ex Cap. Inter alia, De sentent. excommunic. ac ratione confirmari: quia ad excõmunicatum abducendum à contumacia (in quem finem vitari iubetur) plurimum valet, vt non modo foris, sed etiam domi quantum iustitia patitur, vitetur; cum inde magis confundatur.

Aduerte autem exceptiones, quas ante fecimus de communicatione in crimine criminoso, & in diuinis, & cum periculo propriæ subuersionis, hîc etiam habere locum. Et adde, quod si pater filium, aut dominus seruum non corrigat, nec inducat quantum potest ad deponendam cõtumaciam, & obtinendam absolutionem, ipse delinquit, vt monet Palud. Imo, quia id esset quodammodo fouere ipsorum contumaciam, contra ante memoratos Canones. Quoniam multos, & inter alia; quibus conceditur priuilegium, de quo agimus: priuari eodem priuilegio, nec eosdem, siue patres, siue dominos posse cum ipsis suis filijs, aut seruis conuersari, vt nec cum alijs excõmunicatis, iuxta D. Antoninum *in 3. par. tit. 25. cap. 1. in 3. excusatione, vers. 6.* citatem alios, quorum sententiam approbat Vgolinus *in cit. cap. 23. §. 7. in fine.*

Quod attinet ad conseruos, & ad fratres, tenendum est cum Vgolino *in sequenti § 8. in fine*, fratrem, vt cum patre, sic cum fratre excommunicato esse posse: quia filius est pars quædam patris, & ex quo simul habitant, necessitas simul versandi eos excusat, etiam mortuo patre. Secus autem esset si habitatione separarentur. Similiter seruum cum conseruo excommunicato esse posse, tum ratione necessitatis: quia subiectus dominio alterius, abire non potest; tum ratione vtilitatis quia nõ habet aliam conditionem commodam locandi suas operas. Iidem tamen, *vt ille addit*, quantum possunt, debent talem excommunicatum vitare, vt inde rubore perfusus resipiscat.

Res ignorata.

Sectio IV.

121. Hæc dictio significat eum qui cum excommunicato cõmunicat per ignorantiam probabilem, seu minime coniunctam cum negligentia crassa, vel affectata (quod latius tractatum videri potest apud Thomam Sanchez libr. 9. De matrim. disput. 32. quæstio. 6.) quærendæ cognitionis, quam tenetur, & potest habere, excusari, iuxta Cap. Quoniam multos, 11. quæst. 3. & Cap. Apostolicæ, De Clerico excommunic. etiamsi, *vt monet Caiet. in verbo Excommunicatio, cap. vltimo, vers. Circa tertium*, communicatio sit in diuinis. Quod etiam iuxta Cap. Si vero 2. De sentent. excommunic. sentiendum est de eo qui communicauerit per inaduertentiam, prout habet Caiet. 1. 2. *quæst. 6. art. 8.* siue (vt habent Palud. in 4. *distinct. 18. quæst. 6. art. 2.* & Adrianus in 4. De clauib. *quæst. 3. exceptione 7.*) de eo qui habitu sciens aliquem esse excommunicatum, per surreptionem communicat cum ipso, statimq; ac id aduertit, retrahit se. Et ratio est: quia talis actus non est deliberatus, & ideo nullam rationem habet peccati. Qua de re nihil opus est plura dicere: quoniam, vt bene monet Nauarr. in Enchir. *cap. 27. numer. 27.* post priuilegium Concilij Constant. ea quæ pertinent ad hoc excusationis genus, non æstimantur ex nuda ignorantia excommunicationis, sed ex defectu notitiæ denunciationis requisiæ, vt teneamur excommunicatum vitare; quæ notitia qualis esse debeat, habetur ex traditis in præced. capit. 1.

122. Occvrrit autẽ dubitatio; an vt ex eo, quod quis ignoratur esse excommunicatus, licite alij cum eo communicant; sic & ipse cum alijs possit licite communicare? De qua, prout meminit Sylvester Excommunicatio 3. numer. 1. vers. 5. fuit quorundam sententia, cui subscribit Alphons. à Castro *lib. 2. De potestate legis pœnalis, cap. vltimo, concl. 2. vers. Circa ipsos*, non pecare excommunicatum occultum intrando Ecclesiam, & cum alijs communicando in diuinis: quia non debet se prodere (*sicut nec alij debent ipsum*) quia peccaret dando scandalum.

Contrariam autem sententiam, illâ reiectâ, idem Sylvest. amplectitur: quia cum occultus perinde ac manifestus excõmunicatus incurrat pœnam excommunicationis, per sententiam Superioris impositam, *vt ostensum est in præced. libr. 9. cap. 9. quæstione 3.* ipse tenetur eam acceptare, & seruare. Deinde seruare Superioris mandatum legitimum, actus est virtutis. Ergo per eum non datur scandalum, sed potius bonum exemplum. Si quid vero scandali consequatur ex eo, quod mandatum Superioris obseruando se manifestauerit, id non potest imputari tali obseruationi, sed peccato ex quo consecuta fuit obligatio ad pœnam, quam sustinendo manifestat se. Nec debet videri alienum, quod quis obligetur ad aliquid; vnde peccatum ipsius occultum manifestetur. Nam in veteri lege, *vt recte ait Sylvest.* ex mandato Dei erant determinata sacrificia, quæ cum offerebantur, cognoscebatur quo peccato se obstrinxissent illi pro quibus offerebantur. Cui sententiæ Sylvestri, quoad diuina, assentitur Couar. *ad Cap. Alma mater, 1. part. §. 2. nu. 11. sub finem*, eamq; approbat Sotus *in 4. distin. 12. quæst. 1. art. 4. non longè à fine*, cum dixit excommunicato, nec propter officiũ, nec propter scandalum, aut generale præceptum Ecclesiæ de communione, licere ad Sacramentum Eucharistiæ accedere.

Etsi autem hæc sententia tutior est, videtur tamen id saltem esse admittendum, quod D. Thomas 3 *par. quæst 83. artic. 6. ad 2.* attingit; nempe, excõmunicatum occultum si abstinendo ab aliorum communione, contraheret infamiam, ex qua nasceretur grauissimum scandalum, nec tentatis omnibus alijs vijs, vllam inueniret, quâ illud impedire posset, non teneri tunc abstinere; si cum omni humilitate, & firmo proposito procurandi, & obtinendi quamprimum poterit absolutionem, reiecto omni alio obice, disponere se ad digne communicandum. Ratio est: quia cum Ecclesia vtatur excommunicatione ad continendos in officio, reuocandosque à vitijs subditos suos, non est probabile velle, vt cum grauissimo scandalo aliorum (quod ei fini plane aduersatur) excommunicatus teneatur abstinere ab aliorum communicatione. Deinde quando non possunt duo præcepta simul seruari, tunc quod minus est, cedit maiori: at vitare infamiam ad occurrendũ grauissimo scandalo, est iuris naturæ, & excommunicatum abstinere à communione aliorum, ad summum est de iure tantum positiuo diuino, quod iuri naturali cedit. Quare non est negandum, quin excommunicatus occultus ad vitandum grauissimum scandalum, si aliter non potest; prius concepto firmo proposito procurandæ quamprimum, & obtinendæ absolutionis, communicare possit cum alijs, etiam in diuinis, sublato à se omni alio obice. 123.

Necesse.

Sectio V.

Hæc dictio significat primo licitam esse communicationem cum excommunicato propter necessitatem sustentationis ipsius, hoc est, excusari eos qui illi indigenti ad vitæ sustentationem largiuntur eleemosynas: quod expresse docent Palud. *in 4. dist. 18. qu. 6. art. 2.* & Adrianus *in 4. De clauibus, quæstio. 3. exceptione 8.* & alij apud Vgolinum *in cit. capit. 23. §. 11. numer. 8.* Et manifestum est ex Capit. Quoniam multos, 11. quæstio. 3. & Cap. Inter alia, §. Illud autem, De sentent. excommunic. ac confirmatur: quia necessitas non subijcitur iuri, ex Cap. Quanto, De cõsuetudine, & ex cap. 2. De obseruatione ieiuniorum, sub finem, & ex Cap. Quod non est, De regulis iuris. Intelligendum est autem de necessitate sustentationis, non modo quoad ea quæ ad victũ pertinent, verumetiam quoad ea quæ ad ad vestitum, & hospitium, ex quibus pendet vitæ sustentatio. Neq; in his elargiendis (nisi forte per id nutriretur in errore, vel largiaris ei magis intuitu mundanæ amicitiæ, quam eleemosynæ, vt loco cit. excipit Palud.) expectandam esse necessitatem extremã, sed satis esse, *vt monent D. Anton. 3. par. tit. 25. cap. 1. §. 1. sub finem, & Sylu. Excommunicatio 5. nu. 5.* quod indigeat, nec facile possit aliunde habere. Nec enim, *inquiunt iidem*, hospites cum excommunicatus petit ab ipsis hospitium, tenẽtur expectare donec ab omnibus alijs illud sit denegatum. Eâdem ratione, ex Caiet. *in verbo Excommunicatio, cap. vltimo, ver. Circa tertium*, licet medicamentis subuenire excommunicato ægrotanti, si illis ad vitæ conseruationem egeat. Alia autem quæ non sunt vitæ necessaria, sed tantum commoda; vt fossoriũ, 124.

securis, aliave vtensilia, *vt inquiunt D. Antoninus, & Syluester*, illi petenti danda non sunt.

Adhæc, in graui necessitate famæ, aut rei familiaris perituræ, licet ei subuenire. Namq; ad eam non extenditur prohibitio Ecclesiæ, iuxta illud quod ante proposuimus; necessitatem non subijci iuri: qua de re Vgolinus *in cit.* §. 11. *num.* 9. & 10. Duo addens in num. 11. Alterum, esse potius non excommunicato subueniẽdum in pari necessitate, quam excommunicato, nisi sit consanguineus. Alterum, quando ex prædicta communicatione excõmunicati fierent deteriores, aut Respublica graue caperet detrimentum, posse talem subuentionem prohiberi, vt quando Papa sub excõmunicatione prohibet, ne quis exulibus grassantibus necessaria vitæ subministret, vt sic extinguantur.

125. Significat secundo proposita dictio, licitum esse alicui cum excommunicato conuersari propter necessitatem sustentationis suæ, hoc est, si quis non possit vitæ necessaria aliunde habere, quam ab excommunicato, posse ab ipso ea accipere; quod patet ex Cap. Quoniam multos, 11. quæst. 3. in quo peregrinis, viatoribus, & alijs transeuntibus per terram excommunicatorum, fit potestas accipiendi necessaria ab excommunicatis, si non possint aliunde emere, aut si non habeant vnde emant. De quo in cap. Si vero, De sentен. excommunic. dicitur; cautum esse iure, quod si quisquam per terram hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorũ transierit, necessaria emere, & recipere possit ab ijsdem. Necessaria intellige, vt prius, non tantum quoad victum, sed etiam quoad vestitum, & hospitium. Si enim hæc excommunicato indigenti largiri licet, multo maiore ratione alter qui non est in culpa, poterit indigens eadem ab excommunicato accipere.

Intellige etiam quantumuis necessitas non sit extrema; sed potuerim quæ mihi illic forẽt necessaria me. um portare, aut possim ab alijs eleemosynam petendo mihi prouidere, sed mea conditio id non patiatur; de quo Vgolinus *in eod.* §. 11. *num.* 3. Addens ista locum habere, non solum pro nobis, sed etiam pro alijs qui tali necessitate premuntur. Atque quod dicitur de necessarijs ad sustentationem, simili modo dicendum est de ijs quibus quis eget ad corporis curationem, nempe si quis periculosa infirmitate laboret, nec habeat aliũ medicum quam excommunicatum, poterit ad hunc recurrere, vt idem author consequenter notat. Addens *in sequenti num.* 4. vbi periculum imminet, ne famam perdamus, si alius desit qui opem ferat, nos posse ad excommunicati auxilium confugere.

126. Significat tertio eadem dictio, tum quod Vgolinus in sequenti numero 5. habet post Angelum *Excommunicatio* 8. *numer.* 19. & Sylu. *Excommunicatio* 5. *num.* 5. ob necessitatem vitandi damnum sui patrimonij, vel tuendi statum propriũ, communicantem cum excommunicato excusari; nisi sit cõmunicatio in aliquo crimine, aut in diuinis. Tum etiam quod Caiet. loco cit. deducit ex Cap. Si vero, De sententia excommunicationis, ratione damni vitandi ex contractu inito, licitum esse communicare cum excommunicato ad executionem talis contractus, quem ille non vult rescindere ad vitationem damni, quod innocens inde alioqui incurreret. Porro, nullâ necessitate vrgente, atque ob solam commoditatem, non debent antedicta ab excommunicato, vel peti, vel accipi. Nam vt ait glossa ad Cap. Inter alia *verbo Necess. tatis*, De sentent. excommunic. alia sustinenda est incommoditas, vt iustitia Ecclesiastica seruetur. Quamquam tamen opus non est eam necessitatem esse extremam, sed sufficit, *vt monet Adr. anus in* 4. *De Clauib. quæstione* 3. *in* 8. *exceptione*, esse magnam, seu esse incommoditatem notabilem quoad victum, & cætera quæ memorata sunt.

127. Significat quarto proposita dictio, quod expresse tradunt Palud *in* 4. *distinctione* 18. *quæstione* 6. *art.* 2. & Caietan. verbo Excommunicatio, *capite vltimo, verſ. Circa tertium*, licitum esse conuersari cum excommunicato propter necessitatem consilij spiritalis, hoc est, eos qui non habent alium idoneum quam excommunicatum, à quo possint commode consilium petere, posse ad illum necessitate exigente recurrere. Si enim, *inquit Caiet.* licet mihi, quod habetur ex Cap. Cum voluntate, & ex Cap. Responso, De sentent. excommunic. cum excommunicato communicare pro salute animæ ipsius; consequens est, id etiam mihi licere pro salute animæ meæ. Adde, & pro salute animæ alicuius tertij: quod idem quoque author ibidem expressit; vt exempli gratiâ, si Confessarius ad satisfaciendum conscientiæ pœnitentis sui indigeat consilio excommunicati, quia doctus est, eo vti potest. De conuersatione propter necessitatem consilij tempo-
ralis, id est, ad vitandum damnum temporale, eodem modo videtur sentiendum, quo de conuersatione propter necessi-
tatem periculosæ infirmitatis.

Significat postremo eadẽ dictio; excusari illos qui per 128.
vim absolutam, seu coactionem communicant cum excom-
municato; etiamsi communicatio sit in diuinis; quod An-
gelus *Excommunicatio* 8. *num.* 17. expressit. Et probatur ex Cap. Sacris, De ijs quæ vi metusve causâ fiunt: vbi ratio hæc redditur, quod talis magis pati, quam agere videatur. Dicitur autem vis absoluta, quando ille cui infertur, habet se omnino passiue, ita vt ad actionem nihil propriâ voluntate conferat: sed illa actiue sit tantum ab externo principio, vt illa de qua mentio est distin. 50. Cap. Presbyteros: cum refertur quod ij qui constanter se Christianos profitebantur, eo vsq; constringebantur, vt tortores manus ipsorum apprehendentes, violenter attraherent, & funestis sacrificijs admouerent, vt aliquid polluti cibi per necessitatem sumere cogerentur. Præter illam vero alia datur vis, quæ dicitur cõditionata: estq; cum quis ad aliquid agendum, quod alioqui ex insita propensione non egisset, metu, aut blanditijs inducitur, ita vt inductio potius, aut persuasio, quam vis, simpliciter dicenda sit.

Atque de hac dubitatio mouetur; Vtrum si quis metu 129.
mortis inducatur ad communicandum cum excõmunicato excusetur? Ei autem satisfit sequentibus propositionibus. Prima est. Si quis cum excommunicato communicauerit in humanis, hoc est, in locutione, sumptione cibi, & huiusmodi alijs metu mortis, aut alterius mali magni; velut verberum, aut aliorum cruciatuum corporis, excusari à peccato, & ab excommunicatione minore. Quam esse communem sententiam notat Sylu. *Excommunicatio* 5. *num.* 23. eamq; probat Caiet. verbo Excommunicatio *cap. vlt. verſ. Circa tertium*, argumento à minori ad maius: quia si secundum ius, *prout ante habitum est*, licet extra diuina communicare causa necessitatis damni vitandi ex cõtractu inito, multo magis licet causa damni vitandi ex metu mortis, aut verberum: quia damnum hoc maius est illo.

Intelligẽda autem est propositio ex eodem Sylvest. & Na-
uarr. in Enchir. *capite* 27. *numer.* 36. nisi talis metus incutia-
tur in contemptum Ecclesiæ, & præiudicium fidei: quia tunc, inquit Nauarrus, oportet potius mori, quam ita communicare: cum magis teneamur defendere articulum fidei de Ecclesiastica potestate ferendi excommunicationem, quam vitam nostram corpoream, iuxta Cap. Nolite, 11. quæstione 3. Vbi obligatio libere defendendi veritatem fidei, etiam cum periculo mortis, deducitur ex illis verbis Domini Matth. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, &c. Sic etiamsi non tenear cum periculo vitæ seruare præceptum Ecclesiæ de non vescendo carnibus in Quadragesima: tamen si hæretici mihi minitantes mortem nisi comedam, credant me comedendo ipsorum hæresi consentire; potius debeo mori, quam comedere: quia tunc præcepto Ecclesiæ accedit ratio iuris diuini obligantis me ad confitendam fi-
dem.

Secunda propositio est. Si quis in officijs diuinis (vt ex-
empli gratiâ, celebrando Missam coram eo) communicaue-
rit cum excommunicato ob metum mortis, vel cruciatuum corporis; incussum, non quidem in contemptum clauium Ecclesiæ, nec in præiudicium fidei: sed ex stultitia, aut vani-
tate illius qui incutit, aut ex alia aliqua causa: ipsum nec pec-
care, nec aliquam censuram Ecclesiasticam incurrere. Hanc Angelus *excommunicatio* 8. *nu.* 18. & Sylu. eodem verbo quin-
to, num. 23. probant: quia non tenetur quis obedire Prælato præcipiẽti, vt exponat se morti, vel cruciatibus, nisi pro fide, aut communi salute, quando id necessarium est ad illius de-
fensionem. Vnde consequens est, præceptum Ecclesiæ de non communicando in diuinis cum excommunicato, non ita obligare, vt oporteat illud seruare cum damno mor-
tis, aut cruciatuum corporis.

Et

Et certe tale quid non esse de illius intentione, satis colligitur ex eo, quod ad consulendum timoratis conscientijs, & ad tollendas occasiones peccandi, duobus tantum casibus exceptis, talem communicationem indulserit. Si enim hanc in infinitis casibus, nullo etiam vrgente metu mortis, cõcesserit, quomodo censebitur in duobus eandẽ tantâ seueritate prohibuisse, vt quantumcunq; nulla fidei, aut disciplinæ Ecclesiasticæ conseruandæ necessitas exigat, declinanda sit cum periculo vitæ, & cruciatuum corporis? Accedit quod nõ sit existimanda pia mater Ecclesia intendere afflictionem dare afflictis. Hanc doctrinam alijs in eam citatis Couar. habet ad Cap. Alma mater, 1. *par.* §. 3. *sub finem.*

Tertia propositio est. Si quis metu mortis, aut cruciatuũ corporis cum excommunicato communicauerit in peccato mortali, vt in furto, vel in fornicatione, ipsum peccare mortaliter, excommunicationemq; minorem incurrere (atque iuxta antedicta num. 94. interdum maiorem) sicut peccat, & incurrit minorem excommunicationem communicando cum detrimento fidei, aut contemptu clauium Ecclesiæ. Secundum quam propositionem Angelus, Sylu. Nauarr. & Couar. locis cit. limitandum volunt Cap. Sacris, De ijs quæ vi metusve causa fiunt: dum definit excõmunicationis labe contaminari communicantem cum excõmunicato per metum; qui extenuat quidem culpam, sed eam non tollit; quãdoquidem pro nullo metu debet quis peccatũ mortale perpetrare. Limitandum, inquam, vt sensus eorum verborum sit, non quidem quemcunq;, qui per metum, etiam in diuinis communicauerit cum excommunicatis, pœnam iuris incurrere: sed eum qui ita communicauerit, vt communicatio sit in crimine, seu sit perpetratio actus de se illiciti; vel sit in præiudicium fidei Catholicæ, vel in contemptum disciplinæ Ecclesiasticæ.

Cæterum hæc hactenus dicta de metu excusante, intelligenda sunt de iusto, quem dicunt cadentem etiam in constantem virum: alius enim metus, communicantem cum excommunicato siue in diuinis, siue etiam in humanis, non excusat à censura, vt nec à peccato, quantumuis absit contemptus: etsi negandum non est aliquantulum attenuare peccatum ipsum. Quis autem sit metus cadens in constantem virum, habes expositum in præced. libro quinto cap. 8.

130. Quærere tandem potest aliquis, An præceptum quoque Superioris iubentis cõmunicationem cum excõmunicato, excuset cõmunicantem? Cui respondendum est, præceptũ quidem Episcopi non excusare. Nam ex quo ipse vti nõ potest excommunicati communione, iuxta Cap. Cum desideres, De senten. excõmunicat. nec alijs. Id concedere, aut præcipere potest, iuxta regulam 54. iuris, ff. Nemo plus iuris ad alium trãsferre potest, quam ipse habeat: præceptum tamen Papæ excusare; quia ex quo Papa potest quacunq; ratione ab excommunicatione absoluere, *argumento Clementinæ finalis De senten. excommunicat.* existimabitur potius absoluisse, quam præcipere illicitum.

CAP. XVI.

Ex antedictis corollaria quædam.

SVMMARIVM.

131 *Cur excommunicatio dicatur pœna, quâ nulla maior in Ecclesia.*
132 *Excommunicationem, pœnam esse non tantum externam, sed etiam internam, contra Lutherum.*
133 *Obiectio pro eodem Luth.ro cum responsione.*
134 *Quo sensu excommunicatus dicatur separatus ab Ecclesia, & Sathanæ traditus.*
135 *Potestatem diabolo datam per excommunicationem, non esse irrationabilem.*
136 *Per excommunicationem anima damno afficitur.*
137 *Dictum à Nauarro, non esse licitum audire Missam publici concubinarij, reijcitur.*
138 *Ea quibus ille se tueri posse videtur, reijciuntur.*
139 *Moderatio cum qua accipi debet contrarium eius quod docet.*

EX hactenus dictis de effectibus excommunicationis maioris, deque eorundem impedimentis, nonnulla sequuntur paucis perstringenda, antequam de minore excommunicatione dicere aggrediamur.

131. PRIMVM EST. Cum tot per maiorem excommunicationem incurrantur incommoda, merito in Cap. Corripiantur, 24. quæst. 3. eam dici pœnam, quâ nulla maior est in Ecclesia. De quo dicto videri potest Vgolinus *tab. 2. cap. vltimo*, §. 1. *num.* 8. *&* 9. vt & in præced. num. 6. & 7. de eo quod eadem excommunicatio dicitur, tum mucro Episcopi, 16. quæst. 2. Cap. Visis, in fine, & Cap. Quoniam in plerisque, De officio Ordinarij: tum etiam mors, in Cap. Per venerabilem, prope finem, Qui filij sint legitimi. Merito quoque Concil. Trid. sess. 25. cap 3. De reform. præcipere, excommunicationem quamtumuis sit neruus Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos populos valde salutaris, sobrie exercendã esse: neq; si aliter, quam excõmunicatione, delinquens coerceri possit, eam esse vsurpandam. Cui sententiæ cõgruenter Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 2. col. 7.* damnat eos Prælatos, qui aut pro exiguo furto olerum, au fructuum, excõmunicationem decernunt: aut nihil nisi sub pœna excommunicationis præcipere norunt: aut etiã citationis schedulas subscriptas notarijs concedunt, in quibus ipsi quorum voluerint nomina inscribant: aut demum qui per excommunicationem cogunt aliquem soluere debita, qui posset ad id cõpelli in foro ciuili, aut aliâ viâ seculari. Quod postremum specialiter Cõcil. Trid. loco citato vetat. Vide in eandem sententiam alia apud Couarruuiam ad Cap. Alma mater. 1. parte, §. 9. num. 1.

132. SECVNDVM EST. Excommunicationem maiorem, non solum esse pœnam externam, vt perperam sensit Lutherus art. 23. eorum, qui à Leone decimo damnati sunt (quem cõfutant Dominicus Sotus in 4. dist. 22. quæst. 1. artic. 1. col. 3. & alter Sotus in Institut. Sacerdot. de excõmunicatione, lect. 2. & Couarruuias ad Cap. Alma mater, in principio, num. 9.) sed etiam internam animæ, quam priuat adiumentis communium precum Ecclesiæ, perceptionis Sacramentorum, & piorum colloquiorum. Quæ priuatio licet non tollat ab anima gratiam gratum facientem: quia id tantum fit per peccatum mortale, ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 15. tollit tamen dispositiones ad eandem. Non enim dubium est per participationem Sacramentorum, & auditionem diuinorum officiorum, ac pia colloquia, sanctamq; aliorum conuersationem, tales dispositiones nobis facile contingere. Et ita intelligẽdum est quod Sylu. *Excommunic. 3. nu. 1. vers. 4.* inter excommunicationis effectus ponit, excludere à regno cœlorum; quod nimirum priuet adiumentis quibus homo disponitur facilius ad gratiam gratum facientem, sic qua regnum cœlorum nequit haberi. Nec enim sensus esse potest is quem verba præ se ferunt; quia cum excommunicatio maior non feratur nisi ob peccatum mortale, ex Cap. Nemo Episcoporum, 11. quæst. 3. in eo in quem fulminatur, inuenit effectum ipsum excludendi à regno cœlorum, tanquam necessario comitantem peccatum mortale.

133. Si quis obijciat pro Luthero, excommunicationem esse medicinam animæ, iuxta Cap. Cum medicinalis, De sententia excommunic. in 6. ideoq; non debere obesse animæ, sed tantum prodesse. Respondendum est primo, sicut quæ purgant corpus, mederi dicuntur, *etiamsi multis damnis interea illud afficiant*, si ipsum tandem sanitati restituant: sic etiam excõmunicatio mederi dicitur, quia damno afficit in eum finem, vt tandem pulsâ cõtumaciâ, vitæ spiritali quis restituatur. Respondendum est secundo, etiamsi excommunicatio non sit medicinalis excõmunicato indurato, esse tamen reliquis membris Ecclesiæ; quia per eam cõsulitur incolumitati totius reliquæ communitatis, sicut cum membrum, ne vlcus eius serpat latius, præscinditur à toto corpore, vt incolumitati huius consulatur. Quæ vtraq; responsio attingitur in ante memorato Cap. Corripiantur.

134. TERTIVM EST. Licet excommunicatus non ita separetur ab Ecclesia, vt desinat esse verum eius membrum, si

retineat fidem (quam ad hoc sufficere, vt quis sit Christianus, habetur ex Concil. Triden. sess. 6. Can. 28. De iustificatione) sicut nec quando pater filio propter aliquod scelus eius denegat necessaria ad sustentationem, is desinit esse illius verus filius. Attamen quia separatur à participatione adiumentorum quibus fideles muniuntur aduersus dæmonis incursiones, ideo censetur traditus Sathanæ. Quem accipere maiorem potestatem in hominem per excommunicationem, quam per peccatum mortale, confirmat Couarr. *ad Cap. Alma mater, in initio, nu. 6.* & aperte colligitur ex cap. 5. prioris ad Corinth. vbi D. Paulus ait se iudicasse fornicarium tradere Sathanæ in interitum carnis. Dum enim illum, qui peccando se dæmoni mancipauerat (iuxta illud 2. Petri 2. A quo quis superatus est, huius & seruus est) ait se tradere Sathanæ: sin dubio indicat aliquam dæmonis potestatem maiorem quam per peccatum obtinuerat. Certe Panor. in Rubricam De sentenc. excommunicationis, n. 4. post glossam ad Cap. Audi, 11. quæst. 3. non dubitat dicere diabolum vti excommunicato, velut quodã pecore, perinde ac rusticus vtitur iumento suo; atq; Angelum deputatum ad custodiam, in ipso minus operari, quam antea.

135. De qua potestate per excõmunicationem data diabolo, D. Thom. in 4. dinst. 18. qu. 2. art. 1. in explicatione 2. quæst. ad 3. duo notat consideranda. Alterum est, in primitiua Ecclesia, quando oportebat homines per signa ad fidem inuitare, sicut donũ Spiritussancti visibili signo manifestabatur; ita excommunicationem innotuisse per vexationem corporalem à diabolo. Alterũ est, non esse inconueniens, vt q desperatus non est, tradatur hosti: quia non traditur quasi damnandus, & afficiendus extremo supplicio, sed quasi corrigendus; non quod dæmon eam correctionem propositã habeat, sed quod homo ipsius incursionibus vexatus, ad seipsum corrigendũ adducatur. Sic D. Paul. loco cit. ait se tradidisse Sathanæ fornicarium, vt spiritus ipsius saluus fieret in die Domini. Et in priori ad Timoth. cap. 1. se Alexandrum, & Hymenæum tradidisse Sathanæ, vt discerent non blasphemare. Sic vero Ecclesia excommunicando tradit Sathanæ, vt integrum ei sit quoties voluerit illum à tali potestate liberare.

Non sunt autem in hac re crudeles habendi Ecclesiastici Iudices; sicut nec pastor qui pecudẽ morbidam, pecus suum inficientem, extra caulas constituit, aut Medicus qui vulnus latius serpens abscindit. De quo in Cap. Corripiantur, 24. quæstione 3. Et certe illud quod congruenter Christi institutioni, & Apostolorũ exemplo fit, dicere crudele, blasphemia quædam est. Adde quod imitatione diuinæ iustitiæ ad reuocandum peccatorem ad sanam mentem, Ecclesia vtatur excõmunicatione, priuando illum, tum humana conuersatione, vt confundatur; iuxta illud 2. ad Thessal 3. Non cõmisceamini cum illo, vt confundatur; tum etiam adiumentis spiritualibus, vt sibi ipse relictus infirmitatem suam sentiat. Nam Deus peccatorem ad se reuocat interdum flagellis, & confusione, iuxta illud Psalm. 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine: interdum vero auxilij subtractione, quam expertus Dauid Psal. 29. dixit; Auertisti faciem tuam, & factus sum cõturbatus. Adde, quod Ecclesia vtatur tantum hac pœna in contumaces, quibus nihil profuit benignitas monitionum, vt bene declarat Vgolinus *tab. 2. cap. 23. in initio num. 9.*

136. QVARTVM EST. Merito à Couar. ad Cap. Alma mater, *in initio sub finem num. 8.* glossam ad Cap. Quod quicunque, 24. quæstione 1. reprehendi in eo quod habet, excommunicationem nullum effectum habere quoad Deum, sed solum quoad Ecclesiam militantem, id est, non priuare bonis interioribus animæ, sed solum exterioribus. Nam ante habitum est priuare communibus Ecclesiæ precibus, & Sacramentorum vsu. Merito etiam à Soto in 4 *distinct. 22. quæstione 1. artic. 1. non procul ab initio*, reprehendi Gabrielem in 4. *distin. 18. quæstio. 2. art. 1. not ab. 3. corol. 3.* dicentem quod Ecclesia per sententiam excommunicat. neminem damnificet, sed solũ ostẽdat hominem à seipso per suum peccatum damnificari. Traditum est enim excommunicatum esse multis incommodis obnoxiũ, quibus peccator nõ subijcitur per delictum suum, prout bene ostendit Vgolinus De censuris *tab. 2. cap. 9. §. 9.*

137. QVINTVM EST. Non videri acquiescendum Nauarro, in eo quod ait in Enchir. cap. 25. nũm. 80. illos qui audiunt Missam publici cõcubinarij, mortaliter peccare, nisi probabilis ignorantia iuris illos excuset. Nam etsi negari nõ potest talem prohibitionem aliquando factam esse in Ecclesia, vt constat ex Cap. Nullus, & Cap. Præter, distinctione 32. atque Cap. Vestra, & Cap. Quæsitum est, De cohabitatione Clericorum, & mulierum, & quibusdam alijs: nec dubium est sententiæ ipsius D. Thomam, & alios antiquiores Theologos fauere; nihilominus idem Nauarr. De pœnitentia, distinctione 6. cap. 1. §. Laboret, num. 10. tangit post D. Anto. 2. par. titul. 9 cap. 10. §. 1. verf. Sextum, & Sylu. in verbo Missa 2. quæstio. 3. ac Adrian, in 4. *tractatu de Eucharistia, in quæstione de ijs quæ impediunt Ministrum, ne sacrum ministerium possit perficere, verf. Quantum ad 3.* per constitutionem Concilij Constantiensis (de qua dicetur in sequenti cap.) talia iura non retinens suam vim, aut certe sic temperata sunt, vt non ante obligent, quam denunciata, seu publicata sit excõmunicatio eiusmodi fornicarij. Vnde consequens est, non peccare mortaliter eum qui Missam illius antequam denunciatus sit, audierit, quandoquidem memorata constitutio indulget timoratis conscientijs, vt nemo deinceps teneatur abstinere à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut alijs quibuscunque diuinis, vel extra illa; prætextu cuiuscunque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, nisi ille fuerit nominatim denunciatus, aut notorius Clerici percussor. Hanc sententiam sequuntur Sotus in 4. distinctione 13. quæstione 1. art. 9. in fine, & Couarruuias ad Cap. Alma mater, 1. par. §. 2. num. 10. atq; alij quos refert, & sequitur Henriquez in 1. par. suæ summæ, lib. 9. cap. 25. §. 13. litera S.

Neque est quod quis dicat prohibitionem audiendi Missam fornicarij, non esse ratione excommunicationis, sed ratione peccati fornicationis; per constitutionem autem Cõcilij Constantiensis temperata esse iura antiqua, tantũ quoad prohibitionem factam ratione excommunicationis; idcoque manere antiquam obligationem vitandi fornicariũ. 138.
Non est, inquam, quod quis hoc dicat: quia in Cap. Nullus, & in Cap. Præter, ante memoratis, ratio prohibitionis in eis factæ ista redditur; quod sub excommunicatione statuatur, ne talis fornicarius Missam cantet. Instabis, nihil fuisse necesse ratione excõmunicationis talem prohibitionem fieri; cum in genere communicatio in diuinis cum excõmunicato prohibita esset. Respondetur ex Soto loco cit. id propterea fieri potuisse, quod fornicator peculiari quadam fœditate cõmaculet ministerium sacrosanctæ Eucharistiæ, &, vt maiore diligentiã occurreretur peccato, ad quod homines proniores sunt, & quod tantopere repugnat puritati eiusdem Sacramenti.

CÆTERVM aduertendum est, hæc esse accipienda cum moderatione quam habent Diuus Antoninus, & Syluester. 139.
Primo quidem consultius sit ab alio, quam à tali Sacerdote celebratam Missam audire: quia secundum omnes, prout Nauarrus habet in ante citato capite 25. numero 79. licet quoad essentialia Missæ; scilicet continentiam realem corporis, & sanguinis Domini, & quoad effectum operis operati, pares sint Missa boni Sacerdotis, & Missa mali; quoad preces tamen, & effectum operis operantis, multo efficacior est Missa boni (cuius anima accepta est Deo) quam mali Sacerdotis. Secundo vero, vt nullum talem debeamus inducere celebrandum, etiamsi nobis solis eius malitia, & indignitas nota sit. Postremo tandem, vt ab illius cõmunione debeamus abstinere, quantum nouerimus necessarium esse, vel ipse reuocetur ad sanam mentem, vel alijs auferatur licentia peccandi, vel ne nos exponamus peccandi periculo, quod nec sibi, nec alijs creare licet.

De pœnis quibus subijcitur excommunicatus contumaciter perseuerans in excommunicatione per annum; quoniam eæ spectant potissimum ad forum contentiosum, nihil est cur dicamus. Videri possunt Couar. ad Cap. Alma mater, 1. parte, §. 7. n. 10. & Vgolinus De censuris tab. 1. cap. 14. §. 3.

CAP.

CAPVT XVII.

De minore excommunicatione.

SVMMARIVM.

140 *Definitio minoris excommunicationis.*
141 *Ligatus minore excommunicatione peccat mortaliter suscipiendo quodcunq; Sacramentum.*
142 *Sacramenta ab ipso collata sortiantur effectum, sed ipse peccat conferendo, non tamen mortaliter, nisi id faciat ex contemptu.*
143 *Peccat mortaliter dicens Missam, siq; eligatur ad beneficium, electio non censetur canonica; sitne valida; difficultas est distinctione explicata.*
144 *Potest eligere, & exercere ea quæ sunt iurisdictionis.*
145 *Potest Ecclesiã intrare, & in choro cum cæteris canere. Nec illicitum est cum eo communicare.*
146 *Non incurrit excommunicationem minorem per quodcunq; peccatum mortale.*
147 *Minor excommunicatio imponi potest ob peccatum veniale, & quis possit eam imponere.*
148 *Minor excommunicatio incurritur tantum communicatione cum excommunicato nominatim denunciato, aut notorio Clerici percussore.*
149 *Quomodo potuerit Ecclesia ad illos duos casus talem pœnam restringere.*
150 *Talem restrictionem non esse factam in fauorem excommunicati. Quid prosit aliis fidelibus.*
151 *A minore excommunicatione absoluere potest, qui à maiore.*
152 *Sententia Nauarri, quod quilibet Sacerdos absoluere possit à minore excommunicatione: contraria est communis.*
153 *De potestate absoluendi ab excommunicatione facta in cap. Nuper, De sentent. excommunic.*
154 *Nauarri opinio teneri potest in praxi, & quid ex parte excommunicati absoluto à minori excommunicatione requirat.*
155 *De modo absoluendi ab excommunicatione minore, notanda.*

MINOR excommunicatio dupliciter dicitur; vno modo generaliter de omni ea, qua restringitur maior ad aliquam tantum partem eorum quæ pertinent ad externam fidelium communionem; quo modo excommunicatio minor dicitur ea, qua in cap. Episcopi, 11. quæst. 3. communione aliorum Episcoporum priuatur is Episcopus, qui innocentes, aut minimis ex cauſis culpabiles excommunicauerit. Altero modo specialiter minor excommunicatio dicitur de ea quæ excludit tantum à participatione passiua Sacramentorum. De qua sola hic agitur, quoniam habet quædam quę non intelliguntur intellectis illis quæ de maiore excommunicatione dicta sunt; sicut intelliguntur ea quæ ad cæteras excommunicationes minores pertinent: quando quidem non alia differentia separantur ab excommunicatione maiore, quam quod eę respectu tantum certarum personarum; priuent iis quibus ipsa maior excommunicatio priuat respectu omnium fidelium. De qua re Vgolinus De censuris *tab.* 3. *cap.* 7. De ea autem quæ specialiter dicitur minor excommunicatio, tria pro iudicio de peccatis docenda occurrunt: primo, quid sit: secundo, quomodo incurratur: tertio, quomodo tollatur.

Quid sit minor excommunicatio.

SECTIO I.

140. CVM omnis priuatio ex forma, qua proxime priuat, cognoscatur: ad explicandam propriam rationem minoris excommunicationis, de qua agimus; videndum est cuius rei ipsa sit priuatio. Communis ergo consensus est sacrorum Canonum sanctione, excommunicatum minore excommunicatione priuari proxime sola Sacramentorum (omnium intellige, excepto Baptismo, ante quem susceptum nulla censura Ecclesiastica incurritur) participatione passiua, iuxta cap. Si celebret, De Clerico excommunic. & cap. Si quem, De senten. excommunic. Quocirca propria ratio illius plene explicatur trita definitione, qua dicitur censura Ecclesiastica separans fidelem à passiua Sacramentorum participatione.

Cui definitioni congruenter hæc statui possunt. Primo, 141. excommunicatum minore excõmunicatione peccare mortaliter ingerẽdo se passiuæ participationi alicuius Sacramenti; quod expresse tradunt Caiet. in verbo Excommunicatio, *cap. vlt. sub finem*, & Couar. ad cap. Alma mater, *par.* 1. §. 8. *nu.* 2. vbi eius rei hanc rationem adfert, quod is faciat contra speciale præceptum datum in re graui, vtpote quo taliter excommunicati prohibentur Sacramenta percipere. Reiicit; sententiam Hostiensis, & Innoc. existimantium excommunicatum minore excommunicatione celebrantem, ideo peccare mortaliter, quod celebret in peccato mortali constitutus. Non enim potest esse illa ratio, cum minor excommunicatio incurratur etiam ob peccatum veniale, vt propter communicationem cum communicato in humanis: puta in colloquiis, mensa, &c. quæ de se non sunt materia grauis, qualis requiritur ad mortale.

Secundo statui potest, Sacramenta collata ab excommu- 142. nicato minore excommunicatione, sortiri effectum suum, vt v.g. valere absolutionem ab ipso collatam, etiamsi (quidquid in contrarium dicat Nauar. *in Enchir. cap.* 27. *num.* 24.) conferendo peccet, vt aperte constat ex cap. Si celebrat, De Clerico excommunic. in quo sic habetur. Peccat autem (de excommunicato minore excommunicatione loquitur) conferendo Ecclesiastica Sacramenta, sed ab eo collata non carent effectu, cum non videatur à collatione, sed à participatione Sacramentorum, quæ in sola perceptione consistit, remotus. Quod peccatum, quamuis Sylvest. *Excommunicatio* 4. *num.* 1. putet esse mortale; melior tamen est Soti sententia *in* 4. *distinct.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *non longe à princip.* atque aliorum quorum meminit Couarruuias loco cit. tantum esse veniale. Non enim aliunde ratio ea peccati prouenit, quam ex veniali quadam (inquit Sotus) irreuerentia, siue ex quadam indecentia, quæ in eo cernitur, quod is qui non potest Sacramenta suscipere, illa communicet aliis. Quod si loqueretur Sylvester de tali collatione, quatenus potest ex contemptu Ecclesiasticæ disciplinæ fieri, recte sentiret. Tunc enim est peccatum mortale, cum ob illud possit excommunicatio ferri, ex memorato Cap. Si celebrat, in fine.

Tertio, statui potest excommunicatum minori excommunicatione celebrando Missam peccare mortaliter; cum id facere non possit absque participatione passiua Eucharistiæ, à qua suspensus est: etiamsi inde non incurrat in irregularitatem, prout habetur ex initio eiusdem cap. Si celebrat.

Quarto, statui potest, cum ille qui eligitur ad beneficium, 143. consequenter eligatur ad aliquam receptionem Sacramentorum, prout notatur in eo ipso cap. Si celebrat, excommunicatum minore excommunicatione, quia arcetur ab omnium Sacramentorum receptione, vt dictum est, non eligi canonice ad beneficium Ecclesiasticum. Id quod attingunt Sylu. *Excommunic.* 4. *num.* 4. Sotus loco supra citato, & Couar. *in memorato* §. 8. *num.* 3. Vbi & disputat, num si talis electio fiat, ea valeat: atque illatis pro vtraque parte authoribus, statuit non valere, irritamq; esse. Sed sententia contraria Felini ad cap. Dilecti, num. 3. De exceptionib. & Richar. in 4. distinct. 18 art. 7. quæst. 4. quos Suarez sequitur tomo 5. in 3. partem disput. 24. quæst. 2. num. 21. non caret probabilitate, ob conformitatem quam habet cum verbis dicti cap. Si celebrat: vbi tantum scienter facta electio dicitur irritanda.

Ad id vero quod glossa ad idem cap. habet, ignorantiam non reddere illum ad hoc habilem, vt eligi possit; respondeo, illum non esse inhabilem, nisi vt per canonem redditur inhabilis. Prędictus canon autem loquitur tantum de iis qui scienter eliguntur: neque pœnæ sunt interpretatione extendendæ, sed potius restringendæ, iuxta cap. Pœnæ, De pœnit. distinct. prima. Atque quod dicitur de electione, *vt videre est apud Vgolinum tab.* 3. *cap.* 6. §. 3. similiter de collatione beneficij dicendum est. Vnde & de vtraque authores indifferenter loquuntur.

Quinto, statui potest excommunicatum minore excom- 144. municatiõe posse eligere, & exercere ea quę sunt iurisdictio-

nis: quod expresserunt Sylu. Excommunicatio 4. nu. 3. Sot. in 4. dist. 22. quæst. 2. art 3. Nauar. cap. 27. num. 24. & habetur ex cit. cap. Si celebrat. Ratioq; est, quo talia in ipso excõmunicato nullo modo ordinentur ad susceptionem Sacramentorum, ideoq; prohibitione perceptionis Sacramentorum, non sunt censenda consequenter prohiberi. Quare non male sentit Nauar. loco cit. eum non peccare absoluendo ab excommunicatione, siue maiore, siue minore: cum talis absolutio sit actus solus iurisdictionis Ecclesiasticæ, à qua non suspenditur.

145. Sexto, statui potest excommunicatum minore excommunicatione posse absque vlla culpa intrare Ecclesiam, audire Missam, suscipere pacem, & panem benedictum, interesse diuinis officiis, imo illa in choro cũ cæteris dicere: dummodo non recipiat Sacramenta. Ita tenent Palud. in 4. dist. 18. quæst. 6. art. 3. Sylu. Excommunicatio 4. num. 4. sub finem. D. Anton. 3. part. tit. 25. cap. 2. §. 1. sub finem. Nauar. loco cit. Couar. ad cap. Alma mater, 1. par. §. 8. num. 2. Et ratio est, quia Ecclesia illum priuando participatione Sacramentorum, non priuat participatione generalium precum, quæ fiunt in templo. Deinde quantumuis osculum pacis, & panis benedictus successerint in locum sacræ communionis, à qua excommunicatus minore excommunicatione, arcetur, non sunt tamen sacra communio: &, *vt recte ait Paludan.* ideo successerunt, vt qui indigni essent ipsa sacra communione, saltem ad illa admitterentur.

Postremo statui potest, cum excommunicatus minore excommunicatione non priuetur cœtu fidelium, nõ modo non incurri excommunicationem communicando cum illo, sed neque committi peccatum. Quod vtrumque Sylue-ster expressit in verbo Excommunicatio 5. in. tio.

Quomodo incurratur minor excommunicatio.

Sectio II.

146. Gabriel in 4. distinct. 18. quæst. 2. lit. B. in fine, & Angelus in verbo Excommunicatio 4. existimant propter quodcumque peccatum mortale excommunicationem minorem incurri: quia homo per illud se indignum reddit sacra Eucharistiæ, reliquorumque Sacramentorum receptione. Sed eam sententiam recte Sotus refutat *in 5. distinct. 22. quæst. 1. art. 1. col. 4.* quia excommunicatio non inducit quamcumq; indignitatem suscipiendi Sacramenta, sed illam quæ ab Ecclesiastica sententia prouenit. Quantumuis autem ille qui se per peccatum mortale diuina gratia priuauit, ob deformitatem peccati reddiderit se diuina lege indignum perceptione Sacramentorum: nihilominus tamen non censetur proprie excommunicatus, donec per Ecclesiasticam sententiam ab eadem perceptione arceatur. Hacq; de causa, quantumuis minore excommunicatione irretitus, per contritionem resipiscens constituatur in gratia Dei; non ante tamen, quam ab eadem excõmunicatione fuerit absolutus, dignus est Sacramentorum perceptione.

147. Vt autem docemus quomodo incurratur. Primo obseruandum est, eam imponi posse non solum ob peccatum mortale, sed etiam ob venialem: nempe ob communicationem cum excommunicato in alloquio, mensa, aliisque humanis, in quibus non cernitur Dei irreuerentia, aut proximi, vel sui lęsio notabilis. Quod si quis opponat videri graue, vt pro veniali culpa fidelis priuetur participatione Sacramentorum, quæ bonum est maximum. Respondet Sotus *in 4. dist. 22. q 1. art. 2. col. 3.* Sacramentorum perceptionem non esse quouis tempore necessariam, minoremque excommunicationem posse tolli facillime: ita vt fidelis minus puniatur hac priuatione, quam cum per maiorem excommunicationem priuatur publicis Ecclesiæ precibus, quæ sunt continua, & perennia vitæ spiritalis subsidia. Obseruandum est secundo, non aliam excommunicationem minorem, quam à iure, esse in vsu: etiamsi possit quoque ab homine ferri, prout multis authoribus citatis habet Vgolinus De censuris *tabul. 3. cap. 1. in principio.* Vbi etiam docet, eum tantum hominem posse illam ferre qui potest maiorem: quia illa, vt hæc, requirit iurisdictionem fori contentiosi: qua quoniam simplex Parochus caret, negandus est, *quicquid aliqui contradixerint*, eandem ferre posse. Qua de re ipse Vgolinus plenius consequenter *in* §. 1. *num.* 2.

Obseruandum est tertio, plura quidem à D. Anton. 3. *parte, tit. 25. cap. 2. §. 1.* & à Sylu. *in verbo Excommunicatio 4. n.* 2. referri peccata ob quæ à iure incurritur excommunicatio minor: sed sequendum esse quod indicant Caiet. *in verbo Excommunicatio, cap. vltimo, ver. Excommunicatio minor.* & Nauar. in Enchir. *cap. 27. num. 25. & 35.* cum dicunt in Ecclesia vsum obtinuisse, vt ea nõ incurratur nisi ob participationem cum excommunicato maiore excommunicatione denunciato, aut cum notorio Clerici percussore: ad eos enim duos casus pœna minoris excommunicationis (cui per cap. Cum excõmunicato, 11. quæst. 3. generaliter subiicitur participans cum excommunicato maiore excommunicatione) restricta est in Concil. Constantiensi sub Martino V. Cuius decretum non reperitur quidem in acta eiusdem Concilij: refertur tamen à D. Anton. in 3. parte, tit. 25. cap. 3. vbi & ostendit editum fuisse in eodem Concilio, & à Martino quinto confirmatum in perpetuum. Referunt quoque plurimi alij, quorum meminit Couar. ad cap. Alma mater, 1. *part.* §. 2. *num.* 7. 148.

De qua restrictione, antequam ad sequentia veniamus, quædam annotanda sunt. Primum est, ei non repugnare quod dicitur, Ecclesiam non posse dispensare in iure diuino. Nam vt obseruat Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1.* & post ipsum Vgolinus De censuris, *tab. 1. cap. 2. initio:* licet potestas excommunicandi sit de iure diuino, quia instituta est à Christo; effectus tamen potestatis, nimirum priuare hominem hoc, vel illo bono, vt participatione Sacramentorum, aut cõmunibus precibus, aut humana conseruatione, tantum est de iure Ecclesiastico: quia cũ Christus non definierit, vel formam, vel effectum excommunicationis, reliquit arbitrio Ecclesiæ ea de re statuere. Quamquam tamen postquam Ecclesia sic interpretata est eam suam potentiam, vt hac vtendo statueret priuare excommunicatum participatione certorum bonorum, ille iis iure diuino priuatus censeri debet hoc nomine, quod priuatio eiusmodi habeat fundamẽtum in institutione Christi, à quo accepit Ecclesia excõmunicandi potestatem. Sicq; verum est quod Couar. ad c. Alma mater, *par. 1. §. 1. n. 1. & 2.* contendit communionem cum excommunicato prohibitam esse iure diuino. Si enim aliter accipiatur, vix explicari potest quomodo valida sit restrictio de qua agimus, Concilij Constantiensis. 149.

Secundum est; non esse institutam eam restrictionem in fauorem excommunicatorum, sed aliorum fidelium: quod Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 35.* notat, vt & Couar. *in citata 1. par. §. 2. num. 11.* ex Concilio Basilienſi, in quo innouationi constitutionis memoratæ Concilij Constan. verba hæc subiunguntur: Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos, seu prohibitos non intẽdit, *supple Synodus*, in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari. Idem quoque patet ex principio eiusdem constitutionis, in quo satis indicatur, cum facta esse dicitur in gratiam nõ contumacium, *quales sunt qui excommunicantur*, sed timoratarũ conscientiarum; sic enim incipit: Ad euitandum scandala, & multa pericula, quæ conscientiis timoratis cõtingere possint, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, &c. Vnde Couar. colligit quod excommunicatus etiam ante denunciationem teneatur eodem modo abstinere ab iis quæ interdicta sunt excõmunicatis, quo tenebatur ante illam constitutionem. Intellige ex Nauar. *in citat. nu. 35.* siue is manifestus sit, siue occultus, quia in iis quæ tendunt in fauorem excommunicati, non est inter occultum & manifestum differentia, prout habet Panorm. ad cap. Postulasti, num. 4. De Clerico excõmunicato. Colligi etiam potest excommunicatum non magis cum altero excommunicato communicare posse, quam poterat ante factam eam de qua agimus, restrictionem. 150.

Tertium est, hanc restrictionem, vt notat Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 4.* in eo prodesse fidelibus, quod extra duos casus exceptos, ex participatione cum excommunicatis, siue in diuinis, siue in humanis, non modo non incurratur minor excommunicatio, sed nec peccatum committatur. Id quod facile est deducere ex his verbis memoratæ cõstitutionis Concil. Constantiens. Tenore præsentium misericordi- 151.

ter indul-

ter indulgemus, quod nemo deinceps à communione alicuius, in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumq; diuinis, vel extra illa, prætextu cuiuscumq; sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, à iure vel ab homine generaliter promulgatę, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, vel Ecclesiasticum interdictum seruare, nisi, &c.

Quartum est, duplicem haberi tenorem eiusdem cõstitutionis, qua facta est proposita restrictio. Qua de re quantum videbatur ad institutum nostrũ sufficere, iam tractatum est in lib. 1. cap. 9. sect. posteriore, & in seq. cap. 10.

Quomodo tollatur minor excommunicatio.

SECTIO III.

152. AD huius rei cognitionem duo docenda sunt; alterum, quis absoluere possit à minori excommunicatione: alterum, quis modus sit ab ea absoluendi.

Quod attinet ad prius, constat ex cap. Nuper, De sentent. excommunicationis; ab excommunicatione minore lata à iure, posse absoluere non modo Episcopum, sed etiam Parochum. Quod Couar. tanquam communem sententiam Canonistarum ad idem cap. & Scholasticorum in 4. distinctione 18. proponit ad cap. Alma mater, 1 *par.* § *n.* 12. 6. Dixi lata à iure, quia si ab homine ferretur (quod non est in vsu, vt iam ante monuimus) ab ea absoluere posset tãtum is qui eam tulisset, aut ipsius successor, vel superior (nisi forte esset casus necessitatis) prout habent Richar. *in* 4. *dist.* 18. *art.* 9. *quæst.* 3. &
153. Gabr. eadem dist. *quæst.* 3. *dubio penultimo.*

SED DIFFICVLTAS EST, an ab ea quæ est à iure, possit absoluere quilibet Sacerdos, etiam ille qui talis excommunicati Parochus non est? Nauar. enim *in Enchir. cap.* 27 *num.* 25. & 9. *item ad cap. Placet, De pœnit dist.* 6. *num.* 25. existimat quemlibet Sacerdotem simplicem posse absoluere ab excommunicatione minore, sicut potest absoluere à peccatis venialibus non habentem mortalia: siquidem, *vt Cajet. not. at in verbo Excommunicatio, cap. vlt sub fin* ex eo, quod pœnitens habet solum peccata venialia confitenda, consequenter habet potestatem subiiciendi se cuilibet Sacerdoti, cum nulli de illis confiteri teneatur. Sententia autem communis est in contrarium, de qua late Vgolinus *tab.* 3. *cap.* 4. In eo vero fundatur, quod minor excõmunicatio sit censura Ecclesiastica, cuius vt impositio, sic & ablatio, actus est iurisdictionis; atque adeo requirens Ecclesiasticam iurisdictionem fori contentiosi; quæ Prælatorum, non aliorum Sacerdotũ, nisi ex commissione: quæ non inuenitur facta ad absoluendum à minore excõmunicatione illis omnibus qui tantum-
154. modo venialia possunt sacramentaliter absoluere.

Nam in cap. Nuper, §. In secundo, De sentent. excommunic. in quo maxime censeri potest illa sententia fundari, sermo est aperte de Episcopo, & de proprio Sacerdote, seu Parocho, cui simul cum Episcopo fit ibid. potestas absoluendi ab excommunicatione ea iure, quam huius author sibi non reseruauerit. Quod aduerte locum habere non tantum in habente dignitatem adiunctam animarum curæ, sed etiam in Parocho simplici, etiam eo qui nondum sit Sacerdos. Quade re Vgolinus *in eod. cap.* 4. §. 2. Et ratio est, quia hic quoque vere habet populum proprium. Nec obiici potest, quod non quadret in eum appellatio proprij Sacerdotis: quia etsi nondum sit, debet tamen ex obligatione non multo post Sacerdos esse. Cæteris autem Sacerdotibus talis potestas non inest nisi eis committatur à Papa, vel ab Episcopo, vel à Parocho, qui etiam habet eam ordinariam, vtpote à iure annexam officio ipsius. Pro quo faciunt quæ idem Vgolinus persequitur in sequenti §. 3. & 4. Adde ex eodem consequenter *in* § 5. cum in memorato cap. Nuper, de propriis tantum Sacerdotibus mentio habeatur, Parochum non posse à minori excommunicatione absoluere Parochianum alterius Parochiæ, sed tantum suæ, nisi ex cõmissione; sicut nec posset simplex Sacerdos.

Ad illud autem quod pro Nauarri opinione attulimus; respondendum est, non sequi, vt si quis potestatem habeat absoluendi à peccatis venialibus, habeat pariter absoluendi ab excommunicatione minore incursa ob peccatum veniale. Nam diuersa sunt vincula peccati venialis, & minoris excommunicationis, propter ipsum impositæ: diuersamq; absoluendi potestatem requirunt: vinculum enim peccati requirit necessario potestatem ordinis, non item potestatem iurisdictionis in foro contentioso: contra vero excommunicationis vinculum necessario requirit hanc potestatem posteriorem, non item illam priorem.

Verumtamen quia minor quoque excommunicatio impedimentum est absolutionis sacramentalis, consentaneum est, existimare Ecclesiam, quę cõfessionem venialium relinquit adeo liberam, concedere Confessariis indifferenter potestatem requisitam ad eorundem peccatorũ absolutionem debitam. Dici autem potest, cap. Nuper, De senten. excommunic. esse intelligendum de excommunicatione maiore, quæ incurritur tantum ob peccatum mortale: cuius absolutio solis propriis Sacerdotibus concessa est. Quocirca ad vitandas anxietates, quibus vexari possunt conscientiæ timoratæ, non reuerim sequi in praxi ipsius Nauarri tanti Doctoris sententiam: cui fauet communis vsus, quo absolutioni à peccatis præmittitur absolutio ab excommunicatione quod inepte facerent simplices Sacerdotes audientes habentem solum venialia, si ne quidem ab excommunicatione minore possent absoluere. Cæterum ex parte excommunicati, absolutio minoris excommunicationis, vt annotat Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 2. *art.* 3. *col.* 4. nihil aliud exigit quam vt ipse 155.
proponat obedire Ecclesię, abstinendo à peccato, quod annexam habet talem excommunicationem.

QVOD attinet ad posterius: hoc est, ad modum absoluendi ab excommunicatione: nota primo ex Sylu. *Absolutio* 3. *num.* 1. & 5. non debere eam dari sub conditione actus futuri: puta dicẽdo: Absoluo te, si hoc vel illud præstiteris: quia talis conditio suspẽdit actum, & illum facit sine effectu. Nota secundo, *ex eodem in eod. num.* 5. in ea absolutione solemnes cæremonias non adhiberi, id est, nec verberari excommunicatum, nec dici preces, nec cautionem iuratoriam peti: sed solum confessionem: adeo vt ad illius modum necessarium, id est, sine quo non sit, & quo seruato valida est absolutio, sufficiant hæc nuda verba: Absoluo te ab excommunicatione, aut relaxo tibi excommunicationem, aut alia æquipollentia, prolata cum intentione absoluendi. Imo, vt ait Sotus *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 1 *sub finem*, potest simul dari absolutio ab excommunicatione, & à peccatis dicendo: Ego te absoluo ab excõmunicatione, & à peccatis. Ad bene esse vero, & solemnitatem quandam illius hæc verba ex eodem Sylvest. *Absol.* 6. *num.* 6. dicimus esse accommodata: Ego te absoluo à vinculo minoris excommunicationis quam incurristi propter participationem cum excommunicato maiore excommunicatione nominatim denunciato, aut cum notorio percussore Clerici, & restituo te Sacramentis Ecclesiæ. Quod si quis pluries eandem incurrerit, dicendum erit, quam toties incurristi. Si vero casus incertus occurrat in quo dubium sit, an talem excommunicationem pœnitens incurrerit, cõditionaliter debet dari absolutio, vt sit cum dicitur; Absoluo te à vinculo excommunicationis in quantum possum, & indiges.

TRACTATVS II.

De suspensione.

AVthores de suspensione tractantes referunt Henriquez lib. 13. suæ summæ cap. 31. in initio, & Alphonsus à Viualdo initio tractatus quem de ea instituit in 2. parte candelabri aurei. Quibus accessere merito nominandi Vgolinus De censuris tabula 4. Suarez tomo 5. ad 3 partem D. Thomæ disput. 25. & sex sequentibus. Dicemus autem primo De nomine & definitione suspensionis, 2. De multiplici illius diuisione. 3. De causis. 4. De effectu. 5. De illius interruptione, & cessatione. 6. De depositione & degradatione, cum quibus eam habet affinitatem, vt nonnunquam inter se confundantur, prout notat Sylvest in verbo Degradatio, sub initium. 7.

De casibus in quibus suspensio incurritur.

CAPVT XVIII.

De nomine & definitione suspensionis.

SVMMARIVM.

1 *Modi varij quibus suspensio accipitur in iure.*
2 *Quomodo conueniant & differant excommunicatio suspensio, & interdictum.*
3 *Definitio suspensionis, prout est huius loci propria; & quæ colligantur ex eo quod sit censura Ecclesiastica.*
4 *Explicatio eius quod dicitur, eam esse Eccl. siasticæ personæ.*
5 *Imponitur tantum ob culpam propriam.*

1. NOmen suspensionis (quod relatum ad mores significat cohibitionem potestatis ab vsu sui officij) variis modis in iure sumi obseruatur. Primo quidem, *vt ex communi Doctorum sententia Nauar. habet in Enchir. cap. 27. nu. 151.* latissime, vt extendatur etiam ad officia non Ecclesiastica; qualia sunt agendi causas in foro, promouendi ad Magisterium, vel Doctoratum, Notariatum, & similia; quæ latitudo quanta sit, videri potest in glossa ad Clementinam Cupientes, *verbo Suspensi.* De pœnis. Deinde sumi paulo angustius, vt ad sola quidem officia Ecclesiastica se extendat; sed complectatur eas etiam suspensiones ab vsu Ecclesiastici officij, quæ sine vllo peccato contrahuntur; quales sunt contractæ ob senectutem lepram, debilitatem, aut aliam infirmitatem, prout loco citato Nauar. attigit, cap. Tua nos, cap. De Rectoribus, cap. finali, De Clerico ægrotante. & cap. 1. eod. tit. in 6. Tertio adhuc magis angustè, vt extendat se ad solas suspensiones ab vsu officij Ecclesiastici, quæ contractæ sunt ob culpam; ita tamen vt amplectatur tam eas quibus Ecclesiasticus suspenditur, quoad alios tantum, quam eas, quibus vel quoad se tantum, vel quoad se simul, & quoad alios. Quam varietatem suspensionum refert & confirmat glossa *ad cap. fin. De cohabit. Cleric. & mulierum, verbo Quoad seipsum*; vbi ait suspensum quoad alios tantum dici, verbi gratia, Clericum existentem in ciuitate interdicta propter aliquod peccatum ciuium. Ibi enim existens celebrare non potest; non quidem ratione sui, quia alibi posset; sed solum ratione talium ciuium, quibus interdictum est diuinis. Suspensum vero quoad se tantum, & non quoad alios, dici omnem Ecclesiasticum existentem in peccato mortali, quia quamdiu ipsum non pœnitet peccati, nullo modo celebrare potest quin peccet mortaliter; sed alij non prohibentur ipsum celebrantem audire, iuxta textum expressum in citato cap. finali. Quarto, angustius adhuc, vt excludat eas suspensiones quæ tantum sunt quoad alios; complectatur vero omnes eas, quibus Ecclesiasticus ob culpam suam priuatur vsu officiorum Ecclesiasticorum. Qua ratione nomen suspensionis extendetur ad excommunicationem & interdictum.

2. Vbi aduerte excommunicationem, suspensionem & interdictum posse versari in eadem re, sub diuersa tamen ratione; cum enim conueniant in hoc, quod sint censuræ, id est, pœnæ quibus fideles ob aliquam culpam priuantur bonis Ecclesiæ; hæcque bona spectari possint tum secundum se, & prout sunt absolute bona Ecclesiæ; tum vt fideles in eis inter se communicant, tum demum, vt eorum exercitium, siue in conferendo, siue in recipiendo est Ecclesiasticum: in illis spectatis primo modo, versari potest interdictum; secundo vero modo excommunicatio; & tertio suspensio proprie dicta. Quæ adhuc sumitur tum generaliter, vt complectatur depositionem & degradationem (quam acceptionē attigit D. Anton. 3 *par. tit. 27. cap. 4. vers. Videtur autem*) tum specialiter, vt easdem excludat. Hæcque demum acceptio est huius loci propria.

3. Secundum quam suspensio definitur Ecclesiastica censura, qua personæ Ecclesiasticæ, ob suam culpam prohibetur vsus sui officij, vel beneficij Ecclesiastici in totū, vel ex parte; in certum tempus, vel in perpetuum. In qua definitione prima particula, *hoc est, Ecclesiastica censura,* (quemadmodum in memorato num. 151. Nauar. interpretatur) significat suspensionem esse pœnam quæ inferri non potest nisi ab habente Ecclesiasticam iurisdictionem in foro exteriori. Vnde colliges primo, quod si Episcopus suspensionis sententiam ferat in Clericum non sibi subditum, eam nullo modo ligare. Secundo, si Confessarius in foro pœnitentiali, Clerico confitenti prohibeat vsum sui ordinis, talem suspensionem non esse istius rationis, nec censuram Ecclesiasticam; cum ex hypothesi, non inferatur ab habente iurisdictionem in foro exteriori. Atque adeo (vt expressit glossa ad cap. Is qui, De senten. excommunic. in 6. *verbo In iure*) si ille contra Confessarij prohibitionem celebraret, etiamsi grauiter delinqueret, non incurreret in irregularitatem cui subiiciuntur illi, qui exercent ordinis actum, à quo per censuram Ecclesiasticam suspensi sunt.

Secunda vero particula, *qua prohibetur persona Ecclesiastica,* ex eodem Nauar. excludit quascumque prohibitiones factas, siue personis non Ecclesiasticis, siue etiam Ecclesiasticis, sed non de iis quæ ad eas spectant, prout Ecclesiasticæ sunt: nam suspensio de qua agimus, tantum ab Ecclesiastico officio, vel beneficio, vel ab vtroque simul: vt autem Ecclesiasticum officium, sic & Ecclesiasticum beneficium proprium est Ecclesiasticæ personæ, quatenus Ecclesiastica est. Videri potest Suarez tom. 5. in 3. partem D. Thomæ, *disput. 26. sect. 3. num. 9. 10. & 11.* 4

Separat quoque censuram hanc ab excommunicatione & interdicto, quibus non modo Ecclesiastici, sed etiam laici affici possunt. Ideo autem in hac definitione ponitur potius nomen Ecclesiasticæ personæ, quam Clerici (prout notat Henriquez *lib. 13. cap. 31. §. 2.*) quod regularis quoque non Clericus, siue vir, siue fœmina, huic censuræ subiiciatur, cum ab officio suo spiritali suspenditur. Imo, & ad laicum potest extendi per accidens; nempe quatenus contingit ipsum ex Ecclesiæ priuilegio habere officium Ecclesiasticum; quale est nominandi ad beneficium, in eo, cui ab Ecclesia concessum est ius patronatus.

Tertia porro particula, *ob suam culpam,* excludit, ex eodem Nauar. prohibitiones quæ fiunt ob senectutem, vel infirmitatem, aliamve causam culpa vacantem; separatq; hanc censuram ab irregularitate, quæ impedit quidem in Clerico exercitium ordinis; non tamen sicut suspensio, prout ipsum est quoddam officium Ecclesiasticū; sed prout est quidam cultus diuinus; in quo prohibendo ratio habetur, non modo peccati; sed etiam indecentiæ. Vnde fit, vt non semper ob culpam, sed interdum ob actionem etiam bonam subiiciatur quis irregularitati; veluti Iudex qui vt iustitiam tueatur, nocentes afficit extremo supplicio. Reliqua demum pars indicat propriam rationem suspensionis per ea quibus priuat; simulq; varias eiusdem species insinuat; de quibus in cap. sequenti dicendo, tradentur sufficienter ea quæ ad illius explicationem pertinent. 5

CAP. XIX.

De multiplici diuisione suspensionis.

SVMMARIVM.

6 *Magna ex parte suspensio eadem ratione diuiditur qua excommunicatio.*
7 *Diuisio in maiorem & minorem non habet in ea locum, sicut habet in excommunicatione.*
8 *Duas alias habet, quæ non cadunt in excommunicationem.*
9 *Documentum de suspensione ab officio.*
10 *Difficultas de eadem; an si fiat simpliciter ab officio, censenda sit esse & à beneficio.*
11 *Quid videatur de ea tenendum.*
12 *Simpliciter suspensus ab officio, à quocumq; officio Clericali intelligitur suspensus.*
13 *Suspensus tantum ab actibus ordinis; vel tantum ab actibus iurisdictionis.*
14 *Suspensus à diuinis & suspensus ab ingressu Ecclesiæ.*
15 *Suspensum ab ordine inferiori, suspendi à superiori, non contra; quomodo debeat intelligi.*
16 *Suspensus (etiam simpliciter) ab vsu ordinum, non impeditur Sacramenta sumere, nec psallere in choro, nec concionari.*
17 *Suspensus à Pontificalibus.*
18 *Suspensus à beneficio.*
19 *Quatenus is possit aliquid sibi ex fructibus beneficij accipere.*

20 *Suspensus à beneficio in vno loco, non censetur suspensus ab aliis beneficiis quæ habuerit extra territorium suspendentis; quod tamen patitur aliquam exceptionem.*

21 *De suspensione facta per distinctionem: & de facta simpliciter, neq; officio, neq; beneficio expresso.*

6. VT excommunicatio, sic & suspensio diuidi potest in generalem, vel specialem: à iure, vel ab homine: comminatoriam, vel latæ sententiæ: validam, vel inualidam: absolutam, vel conditionalem; nam vtrique ei censuræ affectiones istæ communes sunt: de quibus nihil speciale hic occurrit addendum ad ea quæ dicta sunt *in præced. lib. 9. cap. 6. sect. 2. & sequentibus.*

7. Nonnulli autem sunt; vt Angelus Suspensio 1. num. 39. & in eodem verbo num. 2. Tabiena, atque Armilla, qui indicant vt excommunicationem, sic suspensionem diuidi in maiorem & minorem: illam appellantes maiorem, cui conuenit definitio in superiori cap. tradita: minorē vero qua ob peccatum aliquod mortale Clericus ab exercitio sacri ordinis arcetur, quoad se tantum & non quoad alios, iuxta cap. Quæsitum, De cohabit. Clericorum & mulier. quod idem est ac prohiberi Sacramenta percipere, non autem aliis ea conferre, iuxta cap. Si celebrat, De Clerico excommunicato. Sed Nauar. in Enchir. *cap. 27. num.* 152. §. 4. merito improbare videtur. Etenim hic agitur de suspensione, quæ pœna est Ecclesiastica seu per Ecclesiasticos canones inducta: qualis non est prohibitio vsus ordinis sacri ob peccatum mortale, proueniens ex iure naturali, sicut Tabiena, Syluest. & Armilla in iisdem locis admittunt, citando D. Thom. *in 4 dist. 24. q. 1. art.* 3. *quæstiuncula* 5. dicentem, quod lex (scilicet naturalis, ex Tabiena ibidem) præcipiat, vt homo iuste & sanctè ea quę iusta, sancta que sunt, exequatur. Deinde quod à celebratione Missæ prohibeatur minore excommunicatione irretitus, non est necessario tribuendum censuræ ab illa distinctæ: sed eidem tribuitur tanquam effectus eius secundarius: nimirū quod illa arcendo à perceptione cuiusuis Sacramenti, arceat quoque à Missæ celebratione, quæ sine aliqua tali perceptione non peragitur.

8. Dæ vero dantur suspensionis diuisiones, quæ nō habent locum in excommunicatione. Altera est, quod quædam sit lata in pœnam delicti perpetrati; & quædam lata ob contumaciam. Altera, quod quædam suspendat ab officio tantum: quædam à beneficio tantum; & quædam ab vtroque simul. Atque rursum vnaquæque horum suspendat siue ab officio, siue à beneficio; vel in totum, vel aliqua ex parte: & vel ad certum tempus; vel in perpetuum, nisi quod iuxta Panorm. *Ad cap. Si, De iudiciis, nu.* 7. suspensio in perpetuum accipiat rationem depositionis: sed cum alij ad depositionem requirant, vt priuet sine spe restitutionis, nihil opus est nos vti ea restrictione: qui à suspensus, etiam in perpetuū, relinquitur in spe impetrandæ absolutionis. Quod autem diuisiones hæ nō habeant locum in excommunicatione; patet ex priore quidem, quia excommunicatio fertur tantum in contumacem. De posteriore vero, quia vnaquæq; maior excommunicatio priuat tot, iisdemque bonis, quibus altera. Vnde non potest in illis eo modo quo in suspensionibus, varietas specierum subiectarum distingui.

Documenta notanda circa diuisionem suspensionis in eam quæ est ab officio, in eam quæ à beneficio, & in eam quæ ab vtroque.

9. CÆTERVM circa eandem posteriorem diuisionem obseruanda sunt sequentia documenta. Primum est. Certum esse quidem, cum fertur suspensio ab officio, addita particula exclusiua *tantum*, illum in quem fertur, non suspendi simul à beneficio: quia sensus propositionis exclusiuæ: Suspendo te ab officio, tantum, sic exponitur; Suspendo te ab officio, & ab aliis non te suspendo. Attamen vt fructus beneficij percipere possit; onera illius quę ob suspensionem per se exercere non permittitur, implere debet per alium, prout tangit Henriquez *lib. 13. cap. 32. §. 3. sub fin.* Addens quod etiamsi defectus ita suspensi occultus esset, suspensus ipse, *quia Concilium Constant. non intendit censura ligatis fauere per suum priuilegium*: nec eligi, nec promoueri possit ad beneficium. Intellige autem saltem licite: nam posse valide, docet Suarez tom. 5. in 3. part. disput. 26. sect. 3. n. 8. & disp. 27 sect. 1. n. 25. quem Lessius sequitur lib. 2. De iustitia cap. 34. n. 116. in posteriori editione.

In controuersia autem versatur, an cum suspensio simpliciter fertur: vt cum simpliciter dicitur: Suspendo te ab officio, is in quem fertur, suspendatur simul à beneficio? Parti autem affirmanti fauet, quod propter officium detur beneficium, ex cap. fin. De rescriptis in 6. ita vt hoc nitatur illo; sicut ædificium fundamento. Iam vero (vt Panormit. habet *ad cap. Cum dilectus, De consuetud. numer.* 20.) si quis suspendatur à fundamento, suspensus videtur ab omni eo, quod est supra fundamentum, iuxta cap. Cum Paulus, 1. quæst. 1. Quare qui suspenditur simpliciter ab officio, videtur & à beneficio suspendi. Parti vero neganti ex aduerso fauet, quod pœnæ non sunt interpretatione ampliandæ; præsertim si nihil ad id cogat: vt accidit in hac re: quādoquidem datur suspensio ab officio, quæ non est à beneficio (alioqui enim communi consensu recepta trimembris diuisio, de qua agimus, reiicienda esset tanquam abundans) de qua possunt intelligi iura, cum loquuntur absolute de suspensione ab officio: præsertim cum nullū sit, quod definiat suspensum ab officio esse & à beneficio: siquc aliquod sit, quod statuat suspensioni ab officio adiunctam esse suspensionem à beneficio, clare id exprimat: vt patet ex capit. Si quis Sacerdotum, & ex cap. Eos etiam, distinct. 81. Quare quando non exprimit, merito censetur tantum statuere suspensionem ab officio sine suspensione à beneficio. De qua difficultate pluribus Suarez tomo 5. in 3. part. disput. 26. sect. 3. 10.

Pro resolutione autem videtur tenendum cum Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 160. suspensum simpliciter ab officio non esse pariter à beneficio, quoad ea quę dantur non interessenti, *vt ipse loquitur*, diuinis officiis; nisi suspensio sit tam diuturna (exemplum est, quod ex aliis habet Henriquez *lib. 13. cap. 32. §. 3.* cum ob aliquod graue crimen suspenditur quis à Iudice in perpetuum, ne possit licite exercere officium beneficio annexum) quæ tacite, vel expresse vim habeat priuationis. Nam ratio ante illata pro parte affirmatiua contra negatiuam, ostendit quidem suspensum simpliciter ab officio, merito censeri suspensum à beneficio, quoad ea quę dantur ipsi interessenti diuinis officiis, quoniam illa fundantur in ipso officio, vsu eius præsuppositō: non autem quoad alia, quæ fundantur in officio simpliciter; quia suspensio ab officio, non est priuatio officij, sed tantum cohibitio vsus illius. In hoc enim ratio illius consistit, vt potestatem officij, vel beneficij faciat stare & manere quasi pendentem: sicut & ratio dubitationis in eo consistit, quod iudicium intellectus stare faciat, & quasi pendere. Ac proinde sicut dubius quamdiu dubius est, suspensus quidem dicitur, non tamen priuatus iudicio: ita nec irretitus hac cēsura, censetur officio, vel beneficio priuatus, sed tantum ab vsu impeditus vi eiusdem censuræ. 11.

SECVNDVM documentum est. Clericum suspensum simpliciter ab officio, intelligi suspensum non modo ab officio ordinis, sed etiam ab officio iurisdictionis: atque adeo ab alio quocumque Clericali ex Panorm. cum ante finem memorati num. 20. ait, nomen officij cum de hac re agitur, esse valde latum, ita vt quidquid præter beneficiū habet electus, id sit officium. Ad confirmationem autem facit quod omnis suspensio sit officij, vel beneficij, vel vtriusq; simul. Quare omnis ea, quæ non est beneficij, est officij. Vnde non videtur assentiendum glossæ primæ *ad cap. Audiuimus, 24. quæst. 1.* in eo quod habet suspensum ab officio, posse ea quæ iurisdictionis sunt, exercere. Nam cum suspensio quatenus censura, vel sit ab officio, vel à beneficio, nec suspensio à iurisdictione, fit suspensio à beneficio, certe erit suspensio ab officio, atque adeo ille, qui suspensus est simpliciter ab officio, est & à iurisdictione; nec potest exercere ea quæ sunt iurisdictionis. Adde ex eodem Panorm. ibid. (quod & patet ex eo ipso cap. Cum dilectus, De consuetudine) ipsum nec eligi posse, nec eligere; non quidem eligi, quia nequit exercere officium ad quod tenetur electus: neque eligere: quia is actus est officij. Ex hypothesi autem is de quo agitur suspensus est simpliciter ab officio. Latius de hac re Suarez tom. 5. in 3. partem D. Thomæ disput. 26. sect. 1. 12.

13. TERTIVM est, quod habet Nauar. in Enchir. *cap. 27. nu.* 160. Suspensum ab actibus ordinis, non esse ab actibus iurisdictionis: nec è contra, suspensum ab actibus iurisdictionis, suspensum esse ab actibus ordinis. Ratio vero est, quia sicut intra latitudinem muneris personæ Ecclesiasticæ suspensio ab officio præscindit à suspensione à beneficio, & contra: sic & intra latitudinem officij eiusdem personæ, suspensio ab ordine præscindit à suspensione à iurisdictione, & contra. Id vero, *vt attigit idem Nauar.* intelligendũ est cum hac moderatione: nisi vnus actus sit alteri annexus; quia tunc suspensio vnius secũ trahit suspensionem alterius: vt suspensio ab vsu sacerdotij, suspensionem ab vsu spiritalis iurisdictionis; qualis est ad Sacramenta administranda ex officio proprio. Eandem doctrinam latius adhuc persequitur Suarez *in citata disput. 26. sect.* 4. Sed ad iudicium de peccatis nobis propositum, ista quasi fundamenta iecisse, sufficere potest.

14. QVARTVM documentum est. Suspensionem à diuinis, per quam suspensus prohibetur non modo officia diuina celebrare: sed etiam illa audire dum celebrantur; intelligendam esse de celebratione diuinorum officiorum publica & solemni: vt argumento est, quod illa suspensus, teneatur priuatim recitare suum officium, ex communi sententia, quam Felinus confirmat ad cap. Apostolicæ, De exceptionibus, num. 16. Ratio vero in promptu est: quia nocens non debet esse melioris conditionis, quam innocens; neque ex sua iniquitate commodum reportare. In qua recitatione, vt idem Felinus ibid. ait, quia debebit abstinere ab iis quæ sunt propria personæ sacris ordinibus initiatæ, non poterit dicere; Dominus vobiscum.

QVINTVM est. Suspensionem ab ingressu Ecclesiæ (vt habet Sylu. in verbo Suspensio, quæst. 5. & patet ex cap. Is cui, De sentent. excommunic. in 6.) in hoc cõsistere, quod Clericum suspendat à publico in Ecclesia exercitio officij cuiuscunque diuini: siue ordinis, vt sacerdotij; siue alterius Clericalis officij, vt psallendi in choro: ita vt ciusmodi suspensione irretitus peccet, & quidem mortaliter: tum peragendo ipsa officia diuina in Ecclesia: tum eam intrando, vt oret dum illa peraguntur, tanquam inobediens scilicet prohibitioni directe factæ in re graui. Quamquam tamen potest licere intrare ipsam Ecclesiam, ibique orare quo tempore diuina officia non dicuntur: ac etiam extra illam diuina officia priuatim peragere: vt exempli gratia celebrare Missam cum altari portatili in sacello, oratorioue priuato; seu quod non est per Episcopum pro celebratione designatum in perpetuum; non tamen in publicis conuentibus populi, vt in castris coram militibus.

Atque si non simpliciter ab ingressu Ecclesiæ, sed tantum alicuius certæ ingressu suspensus est, potest in alia Ecclesia celebrare diuina officia, perinde ac si liber esset ab omni suspensione. Adde, neque hoc suspensionis genus adimere iurisdictionis vsum, ex eodem Syluestro. Pro quo rationem habet Armilla in verbo Suspensio, num. 8. quod pœna extendi non debeat vltra suos limites. Vnde fit, vt non impediat quin Prælatus eo modo suspensus possit excommunicare; aut ab excommunicatione absoluere, eligere; aut conferre beneficia, aliosq; eiusmodi actus ad iurisdictionem pertinentes exercere.

15. SEXTVM est, *cuius memimerunt Angelus in verbo Suspensio, nu.* 3. *Sylu. in citata quæst.* 5. Suspensum ab officio inferioris ordinis, suspendi simul ab officio superioris ordinis: non contra, suspensum ab officio superioris ordinis suspendi ab officio inferiorum: v.g. suspensum ab officio Diaconatus, suspendi ab officio sacerdotij; non item suspensum ab hoc, suspendi ab illo; & sic de cæteris. Ratio esse potest: quia, *ex Cap. Cum illorum, De sententia excommunicat. §. Primos*, maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt minora: non tamen contra. Quæ ratio similiter ostendit id, quod iidem authores addunt, Episcopum suspensum à collatione alicuius inferioris ordinis, non posse conferre vllum ex ordinibus superioribus: suspensum vero à collatione ordinis superioris posse conferre omnes ordines inferiores. Ratio vero est, quod inferiores comparatione superiorum, *non contra*, sint instar fundamenti, quo sublato corruunt cætera quę eo nituntur.

Quodquidem intelligendum est cum duplici limitatione. Vna est, vt si feratur suspensio cum particula exclusiua, *tantum*, dicendo v.g. Suspendo te tantum ab exercitio, vel à collatione Diaconatus, is in quem fertur, non suspendatur à superioribus ordinibus, sicut nec ab inferioribus. Altera est, vt suspensus ab aliquo ordine, non prohibeatur exercere eiusdem ordinis officium, quod permittitur iis, qui non sunt illo initiati: vt baptizare sine solemnitate, quod permittitur laico: item in Missa Epistolã sine solennitate cantare, cereos, vel vrceolos ferre, prout laicis conceditur. Quam esse communem sententiam tangit Nauar. *in Enchir. cap. 27. num. 163. circa medium.*

Multo vero minus prohibetur exercere ea quæ sunt ordinum. Quocirca suspensus, *etiam simpliciter*, ab vsu ordinũ, 16.
potest tum recipere Sacramenta, tum psallere in choro, cum neutrum sit actus ordinis, vt argumento est, quod laicus, aut saltem prima solummodo tonsura initiatus, possit vt Sacramenta recipere, sic & in choro psallere. Potest item concionari; quia hoc non esse officium proprium ordinis, *quicquid contradicat Nauar. in cit. num. 163. versus finem*: ex eo intelligitur, quod possit concedi simplici Clerico, imo & laico: prout habitum est in præced. lib. 18. nu. 121. & notat Henriquez lib. 13. cap. 32 §. 5. At ea quæ sunt propria ordinum, non nisi habentibus ipsos ordines concedi possunt. Nec refert quod in ordinatione Diaconi tradatur ei potestas prædicandi Euangelium. Id enim fit ex decentia per quandam consequentiam; vt sicut publice legit Euangelium populo, sic possit illud eidem declarare.

Deniq; potest suspensus vocem dare in aliqua electione: quod non esse officium proprium ordinis, argumento est, quod Moniales possint vocem dare in electione, ex cap. Indemnitatibus, De electione in 6. Nec est quod opponatur ex Clement. Vt ij qui, De ætate & qualit. Canonicum carentem ordine prohiberi dare vocem. Nam, vt respondet Felinus *ad Cap. Apostolicæ, De exceptionibus, nu.* 16. inde tantum colligitur requiri ordinem in Canonico, vt dare possit vocem, non autem absolute, quod dare vocem in electione sit actus ordinis.

17. SEPTIMVM est. Suspensionem à Pontificalib. esse, qua qui suspenditur ab officio eo, quod est proprium Episcopi; ita vt non possit conferre primam tonsuram, vel ordines, aut confirmationem, nec conficere Chrisma, nec cõsecrare Ecclesias, aliave similia facere; etiamsi non sit adeo à iurisdictione suspensus, ex Panorm. *ad cap. Cum dilectus, De consuetud. nu.* 20. quem sequuntur Angelus *Suspensio* 3. *num.* 3. Sylvest. eodem verbo, quæst. 5.

OCTAVVM est, *quod Nauar. expressit in Enchir. cap. 27. nu.* 160. & late tractat Suarez in citato tom. 5. disput. 27. suspensum à beneficio non suspendi ab ordine, nec à iurisdictione, quæ ei conuenit alia ratione, quam beneficij à quo est suspẽsus. Quod de aliis officiis similiter dici posse, ex eo patet; q non tam veniant nomine beneficij quæcumque alia officia, quæ non cõueniunt beneficiario ratione sui beneficij; quam ordo, vel iurisdictio; ac proinde si suspensio quæ fit à beneficio, non est interpretatione ad has extendenda, iuxta cap. In pœnis, De regul. iur. 6. certe nec erit ad illa.

Post glossam autem ad cap. Cum Vintoniensis, De elect. *verbo admiserant*, notat Sylvester in verbo Suspensio, 18.
quæst. 5. cum eoque alij, quorum meminit Henriquez, lib. 13. cap. 32. §. 4. in margine litera C. Atque initio citatæ disputat. Suarez probat; quod suspensio à beneficio extendatur tantum ad fructus beneficiorum, non autem ad facultatem ministrandi in spiritualibus vel temporalibus; hoc est, impediat tantum perceptionem fructuum, non autem executionem officiorum ob quæ beneficia dantur. Ratio est, quia per se suspensionem beneficiarij non tollitur ei beneficium; vt ex eo patet, quod si nimium pertinax sit, aut addat noua crimina, eidem suspensioni addi debeat priuatio à beneficio, iuxta textum expressum in cap. Sicut, De cohabit. Clericorum, & mulierum; & in cap. Cupientes, De elect. in 6. Inde enim intelligitur suspensum à beneficio non esse illo priuatum eo ipso; adeoque manere obnoxium obligationi, quam beneficium tanquam intrinsece sibi coniunctam secum adfert: nimirum exequendi ministeria ob quæ illud fuit institutum, & ei datum; siquidem

dem ex Cap. finali De rescriptis in 6. propter officium datur beneficium; qua in re non licet fraudare fundatores. Quod fructus non accipiantur, fit in pœnam iustam; quæ si haberet coniunctam liberationem ab executione officij, non incommodaret, nec pœnæ rationem haberet.

19. His addi potest primo illud, de quo Felinus ad Cap. Apostolicæ, De exceptionib. nu. 9. & 10. & communem resolutionem esse Suarez ait to. 5. *disput.* 27. *sect.* 2. *nu.* 5. illum qui à beneficio suspenditur propter admissum delictũ, non ita priuari omnibus fructibus suorum beneficiorum, quin iuste possit aliquid sibi retinere ad necessariã vitæ sustentationẽ propter decentiam ordinis Clericalis. Intellige autem nisi de patrimonio, aut aliqua honesta industria viuere possit; quia tunc, *inquit Felinus in eodem nu.* 10. nihil habere potest de beneficio Ecclesiastico. Eum vero qui à beneficio suspenditur propter contumaciam, nihil omnino sibi ex fructibus beneficij retinere posse. Ratio est, quã habet idem Felinus nu. 9. quod ille obediendo possit talis suspensionis absolutionem obtinere quotiescumque voluerit.

Duplex tamen in hac re moderatio adhibenda est, vt idẽ Felinus num. 10. addit. Altera, nisi ipse suspensus alioqui fame periturus esset: altera, nisi iusta causa excusaret ipsum non valentem se expedire à tali vinculo. Cum enim hoc requirat tempus ad conferendum de negotio, ac procedendum iuxta formam iuris, tunc cum incipit obedire, potest aliquid licite accipere.

Addi potest secundo, quod in sequen. nu. 12. confirmat Felinus; cum suspensio à beneficio fuit iniusta, vel nulla, posteaquam de eius iniustitia, vel nullitate constiterit, restituendos esse omnes fructus ablatos tali suspenso: immo & distributiones quotidianas, si priusquã suspenderetur, frequentabat chorum: non item si ante suspensionem nõ frequentabat; etiamsi enim ea iudicetur iniusta, vel nulla, non sunt illi distributiones quotidianæ restituẽdæ, quæ fuissent negatæ non suspenso, tanquam non frequentanti chorum. Quando vero suspensio à beneficio iusta est & valida, ea durante fructus omnes eiusdem beneficij conuerti debent in vtilitatem illius Ecclesiæ in qua ipsum est erectum; distributiones autem quotidianæ debentur aliis qui chorum frequentant. Dubia porro existente validitate, vel nullitate talis suspensionis, sequestrandi sunt tunc fructus, tam beneficiorum, quam distributionum quotidianarũ; atque si postea de validitate constiterit, fructus beneficij sunt applicandi Ecclesiæ, & distributiones aliis qui chorum frequentant; sin contra de nullitate constiterit, fructus sunt restituendi suspenso, & interdum distributiones quotidianæ, secundum antedicta.

Aduerte obiter, *quod Suarez notat in citata disput.* 27. *sect.* 1. *nu* 29. & 30. distributiones quidem eas quæ de consuetudine, aut Superioris authoritate sunt beneficio annexæ, tanquam stipendia exercentium illius ministeria, comprehendi nomine fructuũ beneficij, quibus istiusmodi suspensio priuat: non item alias, quæ non dantur propter prædicta ministeria, sed propter alia opera, ipsi beneficio annexa tantum ex pia fidelium voluntate & dispositione, vt sunt stipendia, seu eleemosynæ quæ beneficiario dantur pro Missis, & aliis diuinis officiis extraordinarie celebrandis; vt fit in exequiis defunctorum.

20. Addi postremo potest *ex eodem Felino in sequenti num.* 16. Licet is qui in vno loco est suspensus ab officio, sit quoque in aliis locis (eoquod talis suspensio attineat ad ordinem impediens illum vsum qui non est ad certum locum definitus) suspensum tamen à beneficio in vno loco, non intelligi suspensum ab aliis beneficiis, quæ ipse habet, vel habere potest extra territorium suspendentis: eoquod talis suspensio à iurisdictione quæ non extenditur vltra territorium illius qui ea vtitur, procedat ac pendeat totaliter.

Admonet autem idem author istud non habere locum quando suspensio est à iure; quod, *sicut & iurisdictio Papæ, à quo latum est*, extenditur ad omnem Christianum orbem: nisi forte esset suspensio lata ob causam, quæ certam tantum Ecclesiam concerneret: quoniam in hac tantum illa effectum suum sortiretur. Nec item locum habere cum Episcopus Clericum sibi subditum ita exigente enormitate, & infamia criminis quod patrauit, suspendit expresse ab omni beneficio: tunc enim esset suspensus etiam ab illis beneficiis quæ sunt extra suspendentis territorium: quia licet iurisdictio Episcopi limitata sit respectu beneficiorum; non est tamen respectu talis personæ, quam potest inhabilitare ad omnia beneficia; vt argumento est quod degradatus ab illo, priuetur omnibus beneficiis quæ vbique habet. Videri potest Suarez *in eadem disput.* 27. *sect.* 1. *nu.* 17. *& aliquot sequentibus.* Vbi etiam consequenter à num. 25. docet suspensionem factam ab omni beneficio, impedire acquisitionem noui beneficij, non quod collatio sit ipso iure irrita, sed quod sit à Iudice, vel Superiore irritanda.

21. Postremvm documentum est, *quod Henriquez habet l.* 13. *cap.* 22. §. 4. *aliis citatis lit.* E. *in margine*: suspensionem factam per disiunctionem; nempe ab officio, vel à beneficio, non tenere: cum propter ineptæ sententiæ incertitudinem, non sit maior ratio, cur is in quem fertur, non eximatur ab vnius potius: quam ab alterius istorum duorum suspensione. Quod tamen non videtur admodum tutum. Nam fundamento quo nititur facile occurri potest dicendo; in pœnis iniungendis disiunctionem nõ adferre incertitudinem; quæ reddat sententiam irritam: vt ex eo patet, quod in foro conscientiæ Confessarius possit pœnitenti iniungere, vt vel aliquo certo die ieiunet, vel det certam eleemosynam: & in foro externo possit aliquis damnari, vt vel ferat aliquot verbera, vel soluat certam pecuniæ summam. Quare & poterit aliquis in pœnam delicti à Iudice suspendi ab officio, vel à beneficio. Adeout glossa ad Cap. Latorem, De Cleric. excommunic. ministrante, *verbo Ab officio*, habeat, sic suspensum debere abstinere tam ab officio, quam à beneficio. Quamquam videri potest sufficere, vt ab altero eorum quod maluerit, abstineat: sicut in aliis pœnis quæ sub disiunctione imponuntur: nisi aliam suspendentis intentionem fuisse constet; quia censura plus dependet à voluntate proferentis illam, quam ex verbis.

At vero si suspensio facta esset simpliciter, id est, non expresso officio vel beneficio (vt si per imperitiam Iudex ferat sententiam sub hac forma; Ego te suspendo, nihil aliud addens) ab omnibus, hoc est, ab officio, & à beneficio existimanda est facta: quia sicut is qui excommunicatur sub hac verborum forma absoluta; Excommunico te: censetur, *ex Cap. Si quem, De senten. excommunic.* ligari maiore excommunicatione, quæ sine restrictione sortiatur excommunicationis effectus: ita qui suspenditur sub ista forma; Suspendo te: censendus est irretiri suspensione, quæ absque restrictione priuet tam officio, quam beneficio, nisi aliud constet ex circunstantijs, & potissimum ex intentione Iudicis.

CAPVT XX.

De causis suspensionis.

SVMMARIVM.

22 *Suspensionis causa efficiens eadem est quæ excommunicationis.*
23 *Prohibitio facta pœnitenti à Confessario, non habet rationem suspensionis: nec item facta ab Abbatissa Clericis sibi subiectis.*
24 *Sine Capituli iudicio Episcopus Sacerdotem suspendere prohibetur: & quando valeat suspensio lata à suspensis.*
25 *Sola persona Ecclesiastica suspendi potest.*
26 *Ferri potest suspensio in communitatem.*
27 *Ob aliquam culpam ferri debet, eamque propriam.*
28 *Quæcumque mortalis sufficere potest, & nonnunquam venialis.*
29 *De forma qua ferenda est suspensio.*
30 *De fine ob quem ferri debet.*

22. De causa efficiente D. Anton. 3. par. tit. 27. cap. 4. vers. Vltimo nota, Angelus Suspensio num. 3. Tabien. verbo Suspensio num. 8. Sylu. eodem verbo quæst. 2. & Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 159. (communem Summistarum sententiam esse notat Suarez tomo 5. disput 28. numer. 2.)

volunt idem ſtatuendum eſſe quod de cauſa efficiente excommunicationis ſtatutum eſt in præcedent. lib. 9. cap. 7. Itaut communiter omnes, & ſoli qui poſſunt excommunicare, poſſint quoque ſuſpendere. Dixi communiter: quia fieri poteſt, vt quis legitime præſcribat poteſtatem excommunicandi, nec tamen præſcribat poteſtatem ſuſpendendi.

23. Cum igitur in ſuſpendente, ſicut in excommunicante, requiratur iuriſdictio in foro exteriori, recte Nauar. in præcedenti num. 151. infert, non eſſe proprie ſuſpenſionem, quando Confeſſarius Sacerdoti ſibi confitenti prohibet ne ſacrum faciat. Inferri etiam poteſt quod in verbo Abbatiſſa Angelus *num.* 5. Sylu. *num.* 6. & Armilla *num.* 4. habent ex Panor. ad Cap. Dilecta, De maiorit & obedien. non eſſe huius generis, proprieque ſuſpenſionem illam, qua Clericos Eccleſiarum ſibi ſubiectarum Abbatiſſa ſuſpendit à ſuis beneficiis. Nam fœmina caret iuriſdictione neceſſaria ad ligandum, vt cenſura excommunicationis; ſic & cenſura ſuſpenſionis. Nec eſt quod quis obiiciat, in cit. Cap. Dilecta, Summum Pontificem præcipere, vt ſeruetur ſuſpenſio ab officio, & beneficio, quam Abbatiſſa quædam tulerat. Non enim præcipit ſeruandam cenſuram Eccleſiaſticam, ſed tanquam præceptum Superioris. Vnde ſub finem eiuſdem cap. illam non iam ſuſpenſionem vocat; ſed ſalutaria monita & mandata: ad quæ ob ſeruanda vult Monachas & Clericos eidē Abbatiſſæ ſubditos cōpelli cenſura Eccleſiaſtica.

24. Cæterum ne Epiſcopus ſine Capituli iudicio ſententiam ſuſpenſionis ferat in Sacerdotem, prohibetur in cap. 1. De exceſſibus Prælatorum. Cui derogatum eſſe conſuetudine docet in ſequenti num. 4. Suarez. Latam vero ab eo qui ſuſpenſus eſt à iuriſdictione nominatim denunciatus, nullius momenti eſſe, vt hic excommunicationem, bene notat Henriquez *lib.* 13. *c.* 35. §. 1. Addens ſecus eſſe de ſuſpenſo qui toleratur per Extrauagantem Martini quinti; de qua in præced. num. 148 & duobus ſequentibus.

25. Materia ſuſpenſionis duplex ſtatuitur, ſicut & excommunicationis; vna remota, nempe ille qui ſuſpendi poteſt; altera propinqua, puta peccatum propter quod ſuſpendi poteſt. Atque ſolam perſonam Eccleſiaſticam ſuſpendi poſſe, iam in cap. 1. nu. 4. oſtenſum eſt. In quo ab excommunicatione ſuſpenſio differt; ſicut & in eo, quod Epiſcopi, ac ſuperiores ipſorum illam nunquam incurrant, ſiue à iure, ſiue ab homine, niſi de eis fiat ſpecialis mentio, ex Cap. Quia periculoſum De ſententia excommunicationis in 6.

26. Differt adhuc in eo, quod ferri poſſit in communitatem Clericorum, ex Nauar *in Enchir. cap.* 27. *num.* 164. *verſ* 4. & poſt ipſum aliis margine citatis lit. T, Henriquez *in præced. cap.* 34. §. 2. late q; explicat Suarez *in ead. diſput.* 28. *ſect* 3. Patet autem ex Cap. Quia ſæpe, De electione in 6. §. Nos ipſorum, & ex Cap. 1. Ne ſede vacante, ſub initium in eodem libro, & ex Extrauaganti communi, Sane ne in vinea, De ſimonia, non longe à fine. Cuius diſcriminis ratio eſſe poteſt, quod excommunicatio multo plus damno afficiat etiam reſpectu aliorum, quam ſuſpenſio; ideoq; ius in Cap. Romana, §. In vniuerſitatem, De ſenten. excommunic. in 6. prohibuit in communitatem proferri ſententiam excommunicationis; ne ſcilicet innocentes, qui licet non eſſent obnoxij cæteris incommodis eiuſdem ſententiæ, nihilominus illud ſaltem graue moleſtumque paterentur, quod perinde ac alij de eadem communitate, tanquam excommunicati à reliquis fidelibus cuitarentur.

27. Iam illud propter quod ſuſpendi poteſt Clericus, eſſe culpam aliquam confirmari ſolet ex Cap. Cognoſcentes, De conſtitut. iuncta glo. *ad verbum Culpa caret.* Manifeſte autem ſequitur ex eo quod ſuſpenſio ſit pœna proprie; de cuius ratione eſt, *ex D. Thoma* 2. 2. *queſtion.* 108. *articul.* 4. *in corpore*, vt culpam præſupponat; quia per pœnam, *inquit*, reparatur æqualitas iuſtitiæ, inquantum ille, qui peccando nimis receſſit ſuam voluntatem, patitur aliquid contra ſuam voluntatem. Vnde licet inferre, cum profertur in communi ſuſpenſionis ſententia, hac non comprehendi illos de tali communitate, qui minime fuerunt in culpa. Aduerte autem communitatem poſſe ſuſpendi; tum præciſe, prout eſt collectio perſonarum Eccleſiaſticarum conſtituentium vnum corpus politicum; tum diſtributiue, ita ſcilicet vt omnes & ſingulæ perſonæ ad eam ſpectantes ſuſpendantur; hocque modo non incurri ſuſpenſionem ab innocentibus; quia illa reſpectu horum non habet cauſam validitatis; priore modo vero incurri etiam ab innocentibus tanquam partibus totius ſuſpenſi; de cuius pœna iuſta ipſos participes eſſe, non eſt à ratione alienum. Et ſic interdum contingere poteſt, vt ob peccatum alienum ſuſpenſio incurratur, ſine propria culpa quidem, non tamen ſine cauſa; ſicut cum impreſſione militum facta in vrbem rebellem, innocentes occiduntur cum nocentibus quibus ſunt admixti.

Poteſt autem ad ſuſpenſionem ſufficere quæcumque culpa mortalis, ex Nauar. in Enchirid. cap 27. numer. 151. 28. Immo ſufficere poteſt interdum venialis, vt idem quoque addit, & repetit in ſequentib. numer. 159. & 165 ſub finem; Caietanuſque probat in verbo Suſpenſio; quia ſi excommunicatio minor, quæ à maximis excludit (nimirum à ſuſceptione Sacramentorum, quæ ſunt maxima bona ſpiritalia, vtpote homini ad æternam ſalutem maxime neceſſaria) incurri poteſt ex ſolo veniali, poterit & ſuſpenſio. Quāquam, quia pœna debet proportionata eſſe delicto, & vindicta ex æquo exciſuri reſpondere, iuxta Cap. Fœlicis, De pœnis in 7. §. Illud autem: iſtud videtur ita intelligendum, vt culpa venialis ſufficiat ad ſuſpenſionem, quando hæc parum incommodat. Nam ſi talis eſſet, per quam ſuſpenſus incurreret notabile damnum, præſupponeret culpam mortalem. Vnde nota pro praxi. quod Suarez habet in citata diſput. 28. ſect 4. ſub. finem: ſi grauis ſuſpenſio ab officio, vel beneficio iure imponatur ob aliquod crimen; eam non incurri ab eo qui illud committendo peccat ſolum venialiter, ſiue ex defectu deliberationis, ſiue ex leuitate materiæ.

De forma ſuſpenſionis, ſiue, *quod idem eſt*, de modo 29. quo ferri debet ſuſpenſio, duo occurrunt proponenda, Alterum eſt, nulla eſſe verba præſcripta in formam ſubſtantialē ſuſpenſionis, ſed hanc ferri poſſe quibuslibet verbis (quod Nauar. notat in Enchir. *cap.* 27. *numer.* 161. §. 6. ſicut & Summularij communiter in verbo Suſpenſio) exprimentibus in particulari actum illum quo quis ſuſpenditur; qualia eſſe poſſunt hæc: Suſpendo te à beneficio, vel, Suſpendo te ab ordine ſimul & beneficio. Vbi aduerte in illa, *perinde ac in forma excommunicationis*, vtrum ſit oratio præſentis, vel futuri temporis notari, ad iudicandum vtrum ſuſpenſio ipſa latæ ſententiæ ſit; an ſolum comminatoria. Latæ enim ſententiæ iudicabitur eſſe, ſi dicat Iudex; Suſpendo, vel, Suſpēdimus te, vel, Sis ſuſpenſus. Comminatoria vero ſi dicat; Qui hoc fecerit, ſuſpendatur. Item ſitne abſoluta, an conditionalis, ad iudicandum vtrum liget quamprimum lata eſt, an tantum poſt expletam aliquam conditionem.

Alterum quod de eadem forma proponendum occurrit, eſt; ex Cap. 1. De ſenten. excommunicat in 6. ſuſpenſionem debere ferri in ſcriptis; in quibus cauſa propter quam fertur, exprimatur; atq; exemplum eiuſmodi ſcripturæ intra menſem tradi ſuſpenſo, ſi requiſierit. Iſta enim quæ illic quoad excommunicationem definiuntur, debere ad ſuſpenſionem extendi, conſentiunt Angelus *Suſpenſio* 2. *in principio*, & in eod. verbo Sylu *queſt.* 4. Tabiena *num.* 7. & Nauar. *cap.* 27. *num.* 159. Qui etiam addunt eam debere ferri, ſicut excommunicationem, antegreſſa canonica monitione, iuxta textū in Cap. Reprehenſibilis, De appellat. Quod merito Sylu. & Nauar. locis cit. ſentiunt reſtringendum ad ſuſpenſionem quæ fertur ob contumaciam. Eam enim quæ fertur in pœnam delicti commiſſi, non requirere præmonitionem, ex eo concluditur, quod præmonitio non ſit neceſſaria, niſi in ſententiis, quæ feruntur ad vitandum aliquid in futurum. Suſpenſio autem quæ fertur in pœnam delicti commiſſi, non reſpicit aliquid futurum; ſed ſolum caſtigatio eſt pro delicto præterito. Non igitur prærequirit admonitionem.

De fine demum ſuſpenſionis, nihil aliud ſe offert di- 30. cendum, quam eſſe, ſicut excommunicationis; tum correctionem illius in quem fertur; tum bonum commune Eccleſiæ, vt ſcilicet diſciplina Eccleſiaſtica vigeat, ſuumque robur retineatur. Tum demum vtilitas partis petentis il-

lam ferri ad propulſandam à ſe iniuriam.

CAPVT

CAPVT XXI.

De effectis suspensionis.

SVMMARIVM.

31 *Violatio suspensionis peccatum est suo genere mortale.*
32 *Eadem facit dignum, tum depositione non modo à beneficio, sed etiam ab officio, tum excommunicatione.*
33 *De irregularitate quam inducit regula cum sua limitatione.*
34 *Aliquot dubia ad eamdem irregularitatem pertinentia.*
35 *De dubio, an suspensus nisi pœniteat, aut nisi satisfaciat, incurrat irregularitatem violatione talis suspensionis.*
36 *Suspensus ab inferiori ordine sustipiens superiorem, non incurrit irregularitatem.*
37 *Episcopus suspensus à Pontificalibus quatenus incurrit irregularitatem vtendo illis.*
38 *Violantis suspensionem excusatio ab irregularitate.*

PRÆTER primarios suspensionis effectus priuandi vsu officij, vel beneficij Ecclesiastici, de quibus in cap. 2. dictum est; tanquam secundarij ponuntur sequentes.

31. PRIMVS est, quod exercens aliquod munus, à quo suspensus est, committat peccatum suo genere mortale. Quod Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *num.* 163 probat argumento cap. 2. De maiorit. & obedient. quod habet, venientem contra decretum, vel constitutionem Episcopi debere excommunicari: vnde sequitur peccare mortaliter; quandoquidem nemo est excommunicationi obnoxius, nisi ob peccatū mortale. Id vero locum habet maxime, cum decretum ipsum, constitutiove annexam habet censurā Ecclesiasticam quia tunc violatio illius non caret scandalo, aut saltem periculo scandali, ob speciem contemptus authoritatis Ecclesiasticæ; ex qua profectum seuerum præceptum, *quale est quodcumque factum sub censura*, parui fieri ostenditur.

Hic notandum occurrit, suspenso non denunciato licere multas actiones officij à quo suspenditur, si eas faciat ad petitionem aliorum fidelium, quibus tale obsequium debeat; siue ex charitate ob eorum necessitatem; siue ex iustitia, obligatus illis ex contractu, aut ex quasi contractu. Nam priuilegium per Extrauagantem Ad euitanda, fidelibus ipsis concessum, non vitandi suspensum non denunciatum: quid aliud concedat, dici nequit. Nam cum suspensio non sit censura priuans communicatione hominum (in quo differt ab excommunicatione) nihil est, quod iisdem fidelibus quoad ipsos concedat: ergo concedit quoad suspensum nō denunciatum. De qua re Suarez tomo 5. in 3. part. *disputatione* 28. *sectione* 5. *à n.* 4.

32. SECVNDVS effectus est, quod quis scienter violans suspensionem celebrando diuina, deponendus sit non modo à beneficio, verum etiam ab officio, iuxta Cap. Vt Clericorum, De vita & honest. Cleric. §. Siquis. Vbi in confirmationem glossa, *ad verbum, Deponatur*, inducit Cap. Clerici, & Cap. Latores, De Clerico excommunicato: quæ mentionem quidem expressam faciunt de excommunicato, & interdicto celebrante diuina officia; sed ob identitatem rationis merito ad suspensionem accommodantur. Addit eadē glossa exceptionem: Nisi probabili ignorantia excusetur, quam significauimus per aduerbium *Scienter*, & habetur ex Cap. Apostolicæ, De Clerico excommunicato.

TERTIVS est, quod suspensus, qui per contemptum, & superbiam scienter violat suspensionem qua irretitur, sit excommunicandus, iuxta cap. 2. eodem titulo.

33. QVARTVS est, quod quis violans suspensionē fiat irregularis, ex cap. 1. in fine, & Cap. Is cui, De sent. excommunic. in 6. ex cap. 1. §. finali De sent. & re iudicata, eodē libro.

Vbi aduerte regulam generalem esse, *vt habet Felinus ad Cap. Apostolicæ, De exemptionibus. num.* 13. nullam suspensionis violationem causare irregularitatem, nisi ea sit suspensionis à diuinis. Quam Sylu. in verbo Suspensio quæst. 5. in principio, Tabiena eod. verbo num. 10. in principio, Couar. ad Cap. Alma mater, par. 2. §. 2. num. 3. & ad Clemen. Si furiosus, 1. par. §. 1. num. 1. & Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 163. censent restringendam ad solam violationem suspensionis ab actibus peculiaribus alicuius ordinis, quo initiatus sit is qui suspenditur: itaut, *inquit Naua.* exercendo alium actum, etiam Ecclesiasticum, & ad officia diuina pertinentem (qualis est psallere in choro cum aliis, canere Litanias, & Responsoria defunctorum, aliusque eiusmodi) non incurratur irregularitas. Pro quo faciunt quæ tradit Suarez tomo 5. in 3. par. D. Thomæ *disp.* 26. *sectione* 2. *num.* 3. *& tribus sequentibus.*

Perinde autem esse in hac re, siue tales actus peculiares sint maiorum, siue minorum ordinum, idem Nauarrus addit ex communi sententia. Simul admonens id esse de vtrisque intelligendum, prout solemniter exercentur: vt sensus sit; omnem & solum cum irregularitatem incurrere ob violationem suspensionis, qui suspensus ab actibus peculiaribus alicuius ordinis, id est, quorum exercendorum peculiaris potestas traditur in collatione eiusdem ordinis (prout Nauar. ipse ibidē interpretatur) illos exercet solemniter, id est, tanquam initiatus illo ipso ordine, cui peculiares sunt. Et ita ex communi quoque sententia eodem teste; si quis aliquos tales actus exerceat tantum sicut laicus: vt si in extrema necessitate absq; apparatu Sacerdotali baptizet, canter Epistolam sine manipulo, non incurret irregularitatem. Aduerte obiter, quod Suarez notat *insequenti numero* 7. *&* 8. ob communicationem cum suspenso ab officio, nullam incurri pœnam Ecclesiasticam: quia non inuenitur à iure imposita; nec suspensio priuat per se communicatione cum aliis, sicut excommunicatio.

Explicatio aliquot dubiorum de effectu irregularitatis.

EX his nonnulla dubia solui possunt. Primum est. An si 34.
suspensus ab ordine inferiori exerceat actum superioris ordinis, non modo peccet, sed etiam irregularitatem incurrat: Respondetur, cum suspensus ab inferiori ordine, sit etiam à superiori, iuxta antedicta numero 15. ipsum incurrere irregularitatem, prout visum est Angelo in verbo Suspensio 3. numero 3. circa medium.

SECVNDVM est. An suspensus ab ordine sub tali forma, 35.
donec pœniteat; exercendo actum ordinis ante pœnitentiam, fiat irregularis? Respondetur, talem sententiam non inducere suspensionem, quę sit censura Ecclesiastica, de qua agimus: sed continere solummodo declarationem suspensionis, qua de iure diuino ab exercitio ordinum infectus peccato mortali arcetur. Vnde quia violatio illius non est violatio censuræ; non inducit irregularitatem. Ita Syluester docet in verbo Irregularitas quæst. 27. Si opponas frustra ferri talem sententiam, si ad debitum iure diuino nullam nouam pœnam inducat. Respondetur hunc vsum habere, vt ille in quem fertur magis timeat ingerere se indigne tali exercitio: dum non modo interius per conscientiam admonetur; sed etiam exterius per Iudicem.

TERTIVM est. An sit idem sentiendum de eo qui suspēderetur ab ordine sub hac forma: Donec satisfeceris? Cui Sylu. in ead. quæst. respondet negatiue, etiamsi aliqui, vt ipse tangit, affirmatiue responderint. Videtur vero adhibenda distinctio: nam si sententia suspensionis talis sit, quæ intelligatur de satisfactione facienda Deo, ordinata ad delendam culpam (vt intelligi posset ea quæ iuxta Cap. Si quis amodo distin. 81. & Cap. Sicut ad extirpandam, De cohabit. Cleric. & mulierum, ferenda est in concubinarium, donec veniat ad satisfactionem) idem quod de præcedenti, statui potest de præsenti dubio; cum talis satisfactio vix differat à pœnitentia.

Sin autem intelligatur satisfactione, quæ est actus iustitiæ, per se respiciens proximum, & dicitur restitutio (prout intelligenda est suspensio in Clemen. 1. De decimis, quæ ab officiis, & beneficiis suspenduntur quidam Monachi, donec satisfaciant illis Ecclesiis quas fraudauerant) aliter sentiendum esse patet: quia talis sententia non potest censeri tantummodo declaratio iuris diuini, ab vsu ordinū arcentis contaminatum peccato mortali; quandoquidem ad resarciendum incommodum temporale proximo illatum; perinde statuit nouam pœnam quæ censura sit Ecclesiasti-

ca, ac si absque addita restrictione, Donec satisfeceris, prolata esse illa ipsa sententia. Vnde fit vt ob violationem illius non minus quam alterius suspensionis ab ordine, irregularitas incurratur.

36. QVARTVM dubium est. An ille qui suspensus ab inferiore ordine quo initiatus est, *vt à Subdiaconatu*: si superiorem *vt diaconatum*, durante ea suspensione suscipiat irregularis fiat? Respondetur, si in ordinatione nullum actum exerceat ordinis à quo est suspensus, vt v. g. suspensus à Subdiaconatu in susceptione Diaconatus non cantet Epistolam solemniter: sed solum gerat se pro Subdiacono, in habitu Subdiaconi non incurrere irregularitatem: sicut nec si in solemni supplicatione, in eodem apparatu incederet inter eos qui sunt initiati eodem ordine. Ratio est quia id non est exercere actum proprium Subdiaconi, sed solum ferre illius insignia: siue vti solemnitate actus, seorsim ab eodem actu. Cum igitur iuxta antedicta ad irregularitatem incurrendam ob violationem suspensionis, requiratur exercitium actus eiusdem ordinis cum solemnitate: fit vt sicut exercitium actus eiusmodi sine solemnitate, non sufficit ad irregularitatem incurrendam; ita nec solemnitas sufficiat sine exercitio, actus: debentque ad id simul concurrere actus proprius ordinis, & solemnitas spectans ad substantiam eiusdem actus: sicut concurrunt in Subdiacono canente cum manipulo Epistolam.

37. QVINTVM dubium est. An si Episcopus suspensus à Pontificalibus, in illis celebret incurrat irregularitatem? De eo Angelus *Suspensio* 3. *num.* 3. refert. Hostiensem sensisse non incurrere. Ipse vero, vt & Nauar. in Enchir. *cap.* 27. *numer.* 163. sentit incurrere. Explicandum autem videtur declaratione nominis *Pontificalibus*, quo intelligi possunt vel apparatus Pontificales, vel actus proprij Episcopi. Licet enim controuersia sit vtrum Episcopatus sit ordo diuersus à Sacerdotio, an tantum eius extensio: conuenit tamen inter omnes, Episcopum habere aliquam potestatem ordinis supra Sacerdotem: & per consequens habere aliquos actus ordinis proprios, vt sunt conferre ordines, benedicere Chrisma, nonnullique alij. Si ergo sensus propositi dubij sit, an celebrans in apparatu Pontificali incurrat irregularitatem, negandum est incurrere (etiamsi peccet vsurpando solemnitatem à qua est suspensus) quia talis apparatus non spectat ad substantiam celebrationis, sed solum ad solemnitatem, ad hoc institutam, vt augeatur populi deuotio, & reuerentia erga suum Prælatum.

Vbi aduerte, quod tunc solemnitas, seu apparatus censeatur spectare ad substantiam ordinis, à quo quis suspenditur, cum declarat actum cui adhibetur, exerceri tanquam officium proprium talis ordinis, prout apparatus tunicellæ cum manipulo declarat cantum Epistolæ tanquam officium proprium Subdiaconatus. Si ergo durante suspensione ab aliquo ordine, apparatus eiusmodi vsurpetur exercendo solemniter actum eiusdem ordinis, incurritur irregularitas iuxta antedicta: non item alias, nempe quando apparatus ipse ad substantiam actus non spectat: sicut apparatum Pontificalem non spectare ad celebrationem Missæ, constat: quia is non declarat illam exerceri tanquam officium proprium Episcopatus, quandoquidem est Sacerdotij propria: adeout Episcopus non nisi vt Sacerdos Missam celebret: quodque dicitur Pontificaliter celebrare non est quod exerceat officium proprium Episcopatus, sed quod in celebrando vtatur pompa concessa Episcopo, ad excitandam erga ipsum reuerentiam populi.

Quod si sensus propositi dubij sit; vtrum si suspensus à Pontificalibus celebret Pontificaliter, id est, exercendo actum aliquem proprium Episcopatus vt conferendo ordines, irregularitatem incurrat, concedendum est incurrere congruenter antetraditæ regulæ.

38. Quam aduerte ex Maiolo lib. 3. de irregularitatibus cap. 19. n. 16. non habere locum in eo qui accessit ad celebrandū sine vlla conscientia suæ suspensionis, recordatur vero illius in ipsa consecratione, vel post consecrationem, vel ante quidem, sed sine scandalo nequit desistere à celebratione. Talis enim sine scrupulo irregularitatis potest persequi Missam, quia præceptum de integritate sacrificij & vitando scandalo est de iure diuino, cui cedit ius humanū à quo est suspensio.

CAPVT XXII.

De interruptione & cessatione suspensionis.

SVMMARIVM.

39 *Suspensio inualida redditur per præcedentem appellationem.*
40 *Quando interrumpatur per appellationem sequentem.*
41 *Quorum authoritate interrumpi possit suspensio.*
42 *Suspensio sub conditione, cessat hac cessante.*
43 *Simpliciter lata requirit absolutionem: qua, à quo dari possit.*
44 *Potest ab Episcopo, quando à iure lata fuerit ob contumaciam, nec reseruata: non item quando lata fuerit in pœnam delicti commissi, nisi illud sit adulterium, aut aliud minus eo.*
45 *Ratio talis differentiæ.*
46 *Parochus non potest in tali suspensione dispensare nisi ex delegatione.*
47 *Forma absoluendi à suspensione.*
48 *Cautio iuratoria adiungenda absolutioni à suspensione.*
49 *Non vt absolutio ab excommunicatione, sic absolutio à suspensione danda est inuito.*

Prior pars capitis de interrupt. suspensionis.

SVSPENSIO dupliciter interrumpi potest: vno modo per appellationem; altero per authoritatem Superioris. 39.
Appellatio vero quædam præcedit suspensionem, & quædam sequitur: atque illa quæ præcedit, non tam dicitur interrumpere suspensionem, quam facere irritam, & nullam quia cum quis appellauit ad Iudicem superiorem, Iudex inferior nō potest amplius procedere in inferēda suspensione: itaut illata post appellationem nulla sit, prout Nauar. *in Enchir. cap.* 27. *numer.* 165. deducit ex Cap. Is cui, §. finali De senten. excommunic. in 6. & ex Cap. Adhæc quoniam, De appell. In quibus mentio quidem tantum est excommunicationis, & interdicti: sed in suspensione est eadem ratio. Quod tamen aduerte accipiendum cum exceptione casuum, de quibus in iure habetur vt appellatione postposita, possit Iudex procedere: aut etiam in quibus appellatio euidenter iniusta est, seu friuola, nec probabilis, prout habet Sylu. *in verbo Suspensio, num.* 3. & ratio est: quia remedium appellationis introductum est, vt oppressorum leuamen esset, non autem vt malorum patrocinium, ex Cap. Ad nostram, De appellationibus.

Per appellationem autem quæ sequitur latam suspensionis sententiam, suspensio ipsa non interrumpitur, quando est à mere spiritalibus, vt ab officio, ab ingressu Ecclesiæ, &c. iuxta Cap. Is cui De senten. excommunic. in 6. iuncta ipsius glossa *ad verbum Sequentem*: cui assentiuntur Panorm. ad cit. Cap. Adhæc quoniam, nu. 1. Angelus *Suspensio* 2. *nu.* 1. *Sylu. eodem verb. num.* 3. Interrumpitur autem, *vt idē addunt*, cū suspensio est à temporalibus, vt ab ingressu possessionis, pomerij, horti, &c. nisi aliter suadeat ratio, vt cū necessitas postulat sententiam ipsam executioni statim mādari. 40.

Quod si suspensio sit à rebus mixtis, id est, partim spiritalibus, partim temporalibus, ipsa post latam sententiam interrumpitur per appellationem ea ex parte qua est à temporalibus, non item ea ex parte qua est à spiritalibus. Sic enim Angelus & Sylu. loco cit. post Host. inquiunt latam suspensionem à beneficio non interrumpi per appellationem ex ea parte qua suspendit quoad titulum, qui est quiddam spiritale, sed ex ea parte qua suspendit quoad fructus, qui sunt quiddam temporale. Quod exemplum non videtur accommodatum: quia vt cap. 2. documento 8. annotatum est, suspensio à beneficio, non est à titulo, sed solum à fructibus beneficii. Accommodatum autem potest esse suspensioni à Pontificalibus, quorum nomine significatur tum apparatus Pontificalis, qui est temporale quiddam: Idcoque suspensio ab illo potest interrumpi appellatione facta post illam latam, vt loco cit. post Hostiensem tradit

Panor-

Panormit. Tum etiam actus proprius ordinis Pontificialis: qui cum sit quiddam spirituale; suspensio ab illo non interrumpitur per sequentem appellationem.

41. Iam quod & lata suspensio interrumpi possit per authoritatẽ Superioris à quo lata est; & ex cõsequenti à successore, vel Superiore ipsius, patet ex eo, quod possit illam in totum tollere, ac multo magis illam ad tempus interrumpere: præsertim cum censuræ Ecclesiasticæ non haberent vim, nisi ex voluntate proferentis illas, adeout possit, si voluerit, earum effectum suspendere, saltem absoluendo ad reincidendũ, iuxta ea quæ in præced. lib. 9. cap, 3. in fine dicta sunt.

Posterior pars capitis de cessatione suspensionis.

42. QVod attinet ad cessationem suspensionis; quando hæc siue à iure, siue ab homine lata est in aliquem sub conditione, donec satisfecerit, aut donec pœnituerit, vel ad aliquod tempus determinatum, eo ipso quod fuerit satisfactum; vel lapsum tempus præfinitũ, ipsa cessat: nec est opus absolutione; iuxta glossam ad Clemen. 1. De decimis, *verbo Donec*: quam approbant Panormit. ad cap. Cum tu, De vsuris, nu. 6. Angelus Suspensio 4. in principio, & in eodem verbo tum Sylvester quæst. 8. tum Tabiena numer. 11. & Nauarr. cap. 27. numer. 161. sub finem, & Couar. cum aliis quos citat in Epitome 4. Decretalium, capit. 6. numer. 16. vbi & communem sententiam esse ait.

43. Cum vero suspensio lata est simpliciter; ad eam tollendã, *vt idem tradunt*, necessaria est absolutio; quam dare potest, si quidem suspensio sit ab homine, solus ille qui tulit, vel successor, aut Superior ipsius, vel alius ex eius commissione, argumento Cap. Si Petrus, 24. quæst. 1. & cap. Pastoralis, De officio Ordin. §. Præterea. Quamquam Sylu. verb. Suspensio, in fine refert tres casus in quibus non potest quis restitui à suo suspensore. Primum ex Cap. Excommunicamus, De hæreticis: secundum ex Cap. Graue, De præbendis: tertium ex Cap. Ex tua, De clericis non residentibus; sed bene nos Nauar. in sequenti num. 162. in fine reiiciet.

Sin autem suspensio sit à iure, & reseruata, is potest illam tollere cui est reseruata, iuxta ea quæ in præced. lib. nono ca. 1 sect. 1. dicta sunt de absolutione ab excommunicatione reseruata. Quod tamen intellige cum moderatione ea qua per Concil. Triden. sess. 24. cap. 6. licet Episcopis ab omnibus suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, etiam Sedi Apostolicæ reseruati, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua, per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere imposita salutari pœnitentia.

44. Si vero suspensio à iure non sit reseruata; vel ea infligatur propter contumaciam, & non in pœnam delicti: tuncque siue sit à iure communi, siue à particulari, & siue confirmata per Papam, siue non confirmata; ab ea absoluere potest Episcopus per se, & per suum Vicarium, ex communi sententia, teste Nauar. in Enchirid. *cap. 27. num. 162.* in quam citat Cap. Nuper, De senten. excommunic. & cap. Ex literis, De constitut. ex quorum neutro satis confirmari, bene ostendit Suarez tomo 5. in 3. partem D. Thomæ *disput. 29. sect. 2. num.* 3. adeout videri possit id pendere ex legitime prescripta consuetudine, cuius testis sit communis Doctorum consensus. Vel infligitur suspensio in pœnam delicti; quod vel est occultum, & tunc similiter posse Episcopum absoluere, manifestum est ex antea memorata facultate Concilij Tridentini: vel est publicum; tuncque (iuxta glossam ad cap. Cupientes, De electione in 6. §. Cæterum, *verbo Suspensos*, & ad Clemen. primam, De hæreticis, §. Verum, *verbo Excommunicationis*) si suspensio imponatur ad tempus præfinitum, non potest Episcopus ab ea absoluere: sin imponatur indefinite, seu ad tempus perpetuum, potest.

Quod etsi Panor. ad cap. Tam literis. De testibus, numer. 3. cõmunem sententiam esse fateatur: existimat tamen, tum ibidem, tum ad cap. 2. De solutionibus *numer. 5. & post eum Nauar. in citato num.* 162. non modo cum suspensio est temporaria, sed etiam cum est perpetua, Episcopum ab ea absoluere non posse, nisi fuerit imposita ob adulterium, aut ob alia minora delicta: in quibus ille dispensare potest, iuxta Cap. At si, De iudiciis, §. De adulteriis, vbi Doctores id annotare solent: eo quod ius illic faciendo potestatem Episcopo dispensandi in talibus criminibus, censeatur facere & dispensãdi in pœna imposita à lege ob illa præsertim cum crimine perpetrato, dispensare in illo non possit esse aliud, quam dispensare in pœna ob illud incursa.

Cur autem ab imposita propter contumaciam potius, quam ab imposita in pœnam delicti, possit Episcopus absoluere, rationem hanc in dicto num. 3. Panormit. adfert, quod Iudex inferior nõ debeat remittere pœnam inflictam authoritate iuris, iuxta illud in cap. Si quem, 2. quæst. 3. §. Accusatorum. Facti quidem quæstio in arbitrio est iudicantis; pœnæ vero persecutio, non eius voluntari mandatur. Inde enim sequitur, quod etsi Episcopus possit tollere suspensionem à iure communi impositam propter contumaciam; quia talis, *inquit Panormit.* imponitur quodammodo sub conditione tacita, donec satisfecerit; non possit tamen tollere suspensionem ob delictum inflictam: quoniam ipsa est pœna, absolute, & absque conditione imposita per Superiorem in vindictam delicti commissi, quæ perseuerat quamdiu vult idem Superior eam durare. Vnde patet illius esse efficere, vt ipsa cesset: non item alterius nisi teneat eius locum: vt successor, aut Vicarius ipsi suffectus, vel in ipsum habeat imperium, vt Superior cuius iurisdictioni subest in foro externo. 45.

De quorũ numero cum Parochus non sit, concedendum est, nec esse de numero eorum qui possunt tollere suspensionem, nisi ei facultas ad id delegetur. Nec dici potest quod vt Parochus potest absoluere ab excommunicatione non reseruata, sic ob paritatem rationis possit & á suspensione non reseruata. Nam ratio concessæ facultatis absoluendi ab excommunicatione, est quod hæc sit impedimentum absolutionis à peccatis, quam suspensio minime impedit: nec enim hæc, sicut illa, excludit ab omni Sacramentorum perceptione. Ista videri possunt accuratius tractata apud Suarezium in citata disput. 29. 46.

PORRO licet absolutio à suspensione non habeat in iure determinatam aliquam verborum formam: sed quibuscunque verbis illam exprimentibus facta, teneat, validaque sit sicut & absolutio ab excõmunicatione: cõmuniter tamẽ *ex Sylu. verbo Absolutio, 6. dub. 2. & verbo Suspensio, quæst. 8. & ex Nauar. in citato cap. 72. num. 161.* à Doctoribus seruari solet istiusmodi forma; Absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi propter talem, vel talem causam, & restituo te pristinę executioni, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti. Iam cum vna suspensio tolli possit sine altera, *quod est cõmune censuris omnibus*, quando plurium absolutio datur, singularũ causæ sunt exprimendæ; alioqui non tollerentur omnes. sed solum designatę per suas causas: quemad. de excommunicatione diximus libro 9. num. 80. 47.

De iis quæ debent eidem absolutioni adiuncta esse, illud solum traditur, quod Nauar. *in sequenti num* 165. confirmat ex cap. Venerabili, & cap. Ex tenore, De senten. excommunicationis: in ea, sicut & in absolutione ab excommunicatione, iurari debere; quod clarius tradit Henriquez *in sua summa libr. 13. cap.* 35. §. 3. inquiens, in quibusdam casibus grauioribus ante absolutionem suspensionis, præmittendam esse cautionem iuratoriam de parendo mandatis, & pœnis Ecclesiæ. 48.

Cæterum quamuis absolutio ab excommunicatione interdũ detur: immo dari debeat nõ petenti, atq; adeo inuito, prout habitum est in præced. parte 2. libro nono cap. tertio, dubio primo: id tamen non consueuit fieri in suspensione. Cuius rei ratio esse potest, quod hæc nõ tã præiudicet saluti animæ, quam excommunicatio: itaut possit quis ea irretitus (quod expressit Caiet. *in verbo Suspensio*) & ab excommunicatione tam maiore, quam minore, & à peccatis absolui, sicut & sacram Eucharistiam suscipere. Non enim vt absoluere, sic absolui est, officij vsus, quo suspensio priuat. Adde, nec suspensum communibus suffragiis Ecclesiæ priuari, sicut priuatur innodatus maiore excommunicatione. Verumtamen ex eo quod suspensus, à peccatis absolutus sit, non habet vt possit exercere actum à quo suspenditur. Ad 49.

tale exercitium enim non sufficit sola reconciliatio cum Deo, sed requiritur specialis absolutio à suspensione ipsa, nisi fuerit ea conditionalis, conditioque fuerit expleta.

CAPVT XXIII.

De depositione & degradatione.

SVMMARIVM.

50 *Differentia inter suspensionem & depositionem ac degradationem, & harum duarum differentia inter se.*
51 *Quando depositio sit censenda verbalis, & quando actualis.*
52 *Verbalis degradatio qualiter sit facienda secundum Concilium Triden.*
53 *Quomodo sint inter se affecta, & differant degradatio verbalis & actualis.*
54 *Actualis priuat priuilegio Clericali; non autem verbalis.*
55 *Verbaliter tantum degradatus potest restitui ab Episcopo: & degradatus actualiter potest à solo Papa.*
56 *Alia apud alios authores pro foro externo videnda.*

50. DEPOSITIO & degradatio non ponuntur in numero censurarum, quoniam hæ sunt pœnæ medicinales, & illæ sunt tantum vindicatiuæ. Eædem autem, vt attigit Syluester *verbo Degradatio, in principio*, priuant quidem iisdem rebus quibus suspensio, sed aliter: nimirum absque spe restitutionis in pristinum statum vsumque eorumdem bonorũ, iuxta Cap. Si quis Episcopus damnatus, & cap. Tengualdũ, 11. quæst. tertia; & cap. Veritatis, De dolo & contumacia, in fine: quæ spes non tollitur per suspensionẽ. Huic differentia alia accedit, quam late tractat Suarez *tomo 5. disput. 30 sect. 1.* quod suspensio à beneficio, priuet tantum fructibus beneficij, & depositio à beneficio, priuet eodem; & cum suspensio à iurisdictione, priuet tantum illius vsu, depositio à iurisdictione, priuet illius possessione, & quasi dominio. Depositio autem ab ordine non potest ordine priuare, quia is amitti non potest, vt nec character illius deleri.

An autem priuet beneficio habito, idem ibidem disputat num. 13. & aliquot sequentibus: explicatque distinctione; inquiens impositam à iure nõ priuare, quia æquiparatur irregularitati, quæ talem priuationẽ nõ inducit. Item, quia nulla lege habetur declaratũ, depositionem ab officio includere depositionẽ à beneficio: neq; pœna amplianda est vltra vim verborũ legis. Impositã vero ab homine posse probabiliter censeri priuare: quia qui dignus est perpetuo priuari officio, propter quod datur beneficium, dignus est etiam priuari beneficio ipso. Qualis priuatio merito fit à Iudice, quando homo ratione delicti, sic in eo statu constituit, vt talis pœna sit rationi consentanea, tanquã delicto proportionata. Porro beneficium habendum etiam depositio à iure imposita impedit: sicut irregularitas, propter impedimentum quod adfert exequendi officium eidem beneficio annexi.

Cum autem duplex distinguatur degradatio in cap. 2. De pœnis in 6. vna verbalis, & altera actualis: illam peculiariter significari nomine depositionis, confirmari, potest ex verbis cap. Ad audientiam, De crimine falsi, cum dicitur: verbalis degradatio seu depositio; illa enim particula distinctiua, *seu* indicat inter degradationem verbalem & depositionem esse differentiam tantum nominis, non autem rei.

51. Aduerte tamen depositionem duplicem esse: vnã in qua tanquam absoluta sistitur; qualis censetur omnis ea quę imponitur à iure: vt in cap. 2. distin. 50. & in cap. 1. §. finali, De homicidio in 6. Alteram, quæ via est ad degradationem, & exercenda ab Episcopo, tanquam degradationi præmittenda (vnde nunquam imponitur à iure: nec incurritur ipso facto) istamque esse, quæ degradatio verbalis appellatur. Tunc autem ea contingit cum depositionis sententia ab Episcopo proprio, vel ab alieno de ipsius commissione fertur in aliquem sine ea solemnitate, qua degradato auferuntur insignia sui ordinis. Actualis vero, siue solemnis (quemad. vocatur, tum in eod. cap. 2. tum in Concil. Triden. sess. 13. cap. 4. De reform.) cum abeo qui degradatur, imitatione exauthorationis armatæ militiæ, vestimenta, & singula insignia ordinum auferuntur, incipiendo ab eo quod vltimo traditum fuerat in ordinatione, descendendo gradatim vsque ad primum quod datur in collatione primę tonsuræ abradendoque ac tondendo ipsius caput, ne tonsuræ seu Clericatus vestigium in eo remaneat, iuxta textum expressum in eod. cap. 2. vbi plenius de hac re agitur, proposita etiam formula verborum, quæ potest vsurpari in tali exauthoratione. In quibus, cum vix quidquam faciat ad Confessarij institutionem, nihil est quod immoremur: vt nec in eo quod ibidem habetur de verbali degradatione; si ea sit Clerici constituti in maioribus ordinibus, debere à proprio Episcopo fieri, assistente certo à canonibus definitio numero Episcoporum: sex nimirum, sit degradandus sit Sacerdos: vel trium, si Diaconus, ex ca. Fœlix, & sequenti 15. quæst. 7. (Idem quod de Diacono esse dicendum de Subdiacono, docet glossa ad memoratum cap. 2. *verbo Canonibus*) vel demum duodecim, si degradandus sit Episcopus, ex eodem cap. Fœlix Sin autem degradatio sit Clerici constituti tantum in minoribus ordinibus, satis esse proprij Episcopi sententiam absque aliorum Episcoporum præsentia, vt in memorato cap. 2. §. 1. expressum est; etsi vt glossa admonet *ibidem ad verbum Præsentia*, Capituli proprij præsentia requiratur.

Verum non est silentio prætereundum, his à Concil. Triden. sess. 13. cap. 4. De reform. derogatum esse per illud quod statuit, licere Episcopo per se, seu Vicarium suum in spiritalibus generalem, contra Clericum in sacris etiam Presbyteratus ordinibus constitutum, ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem & per seipsum etiam ad actualem & solemnem degradationem ab ipsis ordinibus, & gradibus Ecclesiasticis, in casibus in quibus aliorum Episcoporum præsentia in numero à canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere: adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, vsum mitræ & baculi priuilegio Apostolico habentibus, si in ciuitate aut Diœcesi reperiri, & commode interesse possint: alioquin aliis personis, in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graues, ac iuris scientia commendabiles existant. Hęc Concilium. De eo quod tales debeant assistere tanquam assessores ad ferendam sententiam; itaut suffragia petenda sint à singulis, nec Clericus condemnari possit nisi maior pars consentiat; videri potest Suarez *disput. 30. sect. 1. numero 20.* 52.

SIC AVTEM inter se affectæ sunt duæ illæ species degradationis; vt actualis degradatio sit quædam executio verbalis degradationis, quemadm. habet Angelus & Sylu. verbo Degradatio, *ille in principio, & hic numer. 1. sub finem.* Differunt vero primo, quod actualis (vt habet quoq; Sylu. ibidem, & patet ex Pontificali Romano, fol. 204. col. 4.) non requirat numerum Episcoporum, sicut verbalis: quando quidem, *vt prædictum est*, ea requirit assistentiam Episcoporum, vel aliorum qui vices ipsorum subeant, tanquam Iudicum à quibus cognita causa, decerni debet talis pœna quæ in degradatione actuali supponitur, iam decreta per degradationem verbalem: cuius, tanquam sententiæ iam latæ, executio est. 53.

Secundo differunt (quemadmodum idem Syluester *in sequenti numer. 8.* etiam annotat & ante eum Angelus *verbo Degradatio numer. 1. & 2.* quod actualis degradatio priuet priuilegio tam fori, quam canonis: *Itaut* ex quo aliquis est actualiter degradatus, Iudex sæcularis possit illum iudicare. Etsi, *vt addunt iidem auctores*, tutius sit per Iudicem Ecclesiasticum, curiæ sæculari degradatum (cum puniendus est) tradi sub ea forma quę habetur in Pontificali Romano, fol. 209. col. 3. Vide Sylu. *num 4. & 5.* Nec item in excõmunicationem incurrat qui illum percusserit: Neutro autem priuilegio degradatio verbalis priuat, vt Angel. & Sylu. ex Panor. ad ca. ad Abolẽdã, De hæreticis, admonẽt, nisi post hanc sequatur incorrigibilitas; quo etiã casu perdit omne priuilegiũ Clericale, secundum vnum intellectum Capit. Cum non ab homine, De iudiciis; quam communem sententiam esse notat Couar. *cap. 32. practicarum quæstionum, nu. 2.* etsi illã non admittat quoad constitutos in maioribus ordinibus. Immo illã absolute reiiciat Suarez tom. 54.

5. *disput.* 30. *sect.* 2. *num.* 7. & 8. vbi videndus est, vt & Couar. in toto illo 32. capite. Quorum singularis eruditio, & diligentia in expendendis difficultatibus multum valet reprimendam licentiam, quam sibi sumunt aliqui Clericos non degradatos actualiter supplicio afficiendi, prætextu incorrigibilitatis ipsorum. Neque est, quod se tueantur citato Cap. Cum non ab homine. Nam ipsum facere pro memorata communi sententia, Suarez in cit. num. 7. bene probat ex eo, quod ibidem statuatur depositum incorrigibilem excommunicari debere, atque anathemate feriri antequam brachio seculari puniendus tradatur.

55. Tertio, differunt, sicut adhuc notat Sylu. *in verbo Casus, num.* 2. *casu* 6. quod restitutio illius qui verbaliter solummodo degradatus est, fieri possit per Episcopum, quod etiam patet ex Pontificali Romano, fol. 205. col. 1. Vbi habetur, quod si Episcopus deponens, euidenter agnouerit in posterum emendationem vitæ, & morum depositi, vel forte sententiam suam iniustam fuisse, possit ei de iure misericorditer restituere graduum, & ordinum executionem. Restitutio vero illius qui est degradatus actualiter fieri tantum possit à Summo Pontifice, quod iam non est in vsu, cum mors soleat eam statim sequi.

56. Porro, quæ crimina digna sint degradatione, & ob quæ debeat degradatus tradi brachio sæculari, videri potest apud eundem Sylu. in verbo *Degradatio, quæst.* 2. Superest addendum pro praxi nobis proposita, illud quod Suarez habet in eadem sect. 2. nu. 2. degradationem per se ac primario quidē esse priuationem ordinum Ecclesiasticorum. & tantummodo consequenter esse aliorum officiorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum, sed ita nihilominus, vt non priuet charactere Clericali, & consequenter, nec obstet quin actus ordinis à degradato facti, validi sint, quantumcumq; ipse peccet illos exercendo. Quæ communis Theologorum sententia est, vt idem author notat. Addens, quod non est silentio prætereundum, eidem degradationi conuenire vt non priuet oneribus illis, quæ ex ordinatione Ecclesiæ sequuntur characterem ordinis, præsertim sacri, vt sunt obligatio seruandi castitatē cum inhabilitate ad matrimoniū contrahendum, & obligatio ad horas canonicas recitandas. Nec enim huius generis pœnæ instituuntur ad tollenda onera, sed ad imponenda grauamina, honoresque tollendos.

CAPVT XXIV.

De casibus, in quibus suspensio specialiter incurritur.

SVMMARIVM.

57 *Authores à quibus tales casus referuntur, & tractantur.*
58 *Suspensiones à iure impositæ Episcopis, & superioribus Prælatis, ac primo, ratione promotionis ad Prælaturam.*
59 *Deinde ratione collationis ordinum.*
60 *Exercens Pontificalia in aliena Diœcesi.*
61 *Ordinans indignum, aut inuitum.*
62 *Suspensiones quæ ab ipsilem Prælatis incurruntur ratione collationis, aut simoniacæ receptionis beneficij, vel confirmationis electi ad beneficium.*
63 *Quæ ob malam vsurpationem, aut alienationem bonorum temporalium Ecclesiæ.*
64 *Quæ ob defectum commissum ratione Concilii Prouincialis, aut visitationis.*
65 *Quæ ob alia delicta.*
66 *Suspensio Capituli, Conuentus, aut Collegii ob vsurpationem bonorum à defuncto Prælato relictorum.*
67 *Suspensiones impositæ Iudicibus Ecclesiasticis ob abusum sui officij.*
68 *Impositæ Religiosis.*
69 *Impositæ ratione ordinis ex parte ordinantis.*
70 *Impositæ ratione ordinis ex parte temporis, vt quia ante legitimam ætatem. &c.*
71 *Impositæ ratione ordinis ex parte ordinationis.*
72 *Suspensio ob ordinationem absque beneficio, aut patrimonio sufficienti ad sustentationem.*
73 *Suspensiones quæ à Clericis incurruntur ob abusum suorum officiorum.*
74 *Suspensiones impositæ ob quædam alia Clericorum peccata, & specialim quid videatur in hac re tenendum de Clericis duellantibus.*
75 *Suspensio Clericis imposita à iure ob concubinatum, aut fornicationem notoriam.*
76 *Responsi ad dubium, an Sodomita, & simoniacus sic suspendantur, vt exercentes actum ordinis fiant irregulares.*

Specialis consideratio suspensionis versatur in explicatione casuum, in quibus à iure incurritur. Cum autem hi varij sint, quos referunt D. Anton. 3 par tit. 27. cap. 2. 3. & 4. Angelus in verbo Suspensio 1. per totum. Sylu. eodem verb. num. 6. Nauar. in Enchir. cap. 27. à num. 154. ad 159. Felicianus in tractatu De suspensione, cap. 14. & alij recentiores, vt Alphonsus à Viualdo in 2. par. Candelabri aurei, tractatu De suspensione, num. 19. & pluribus sequentibus. Georgius Sayrus in thesauro casuum conscientiæ. lib. 4. cap. 12. & tribus sequentibus. Henriquez in 1. par. suæ summæ, lib. 13 à cap. 36. ad 40. & qui loco fere omnium esse potest, Suarez tomo 5. in 3 partem D. Thomæ, disput 31. Referunt autem eos nonnulli in magno numero, *vt à Viualdo octoginta duos:* sed contenti erimus certa distinguere capita, ad quæ illi possunt reuocari, propositis in exemplum vsitatioribus. Quia igitur suspensioni à iure subiici possunt, tum Episcopi & Prælati superiores, tum etiā cęteri Clerici eis inferiores, de vtrisque dicendum est, ac prius de illis, vt dignioribus. 57.

Suspensiones quas Episcopi, & Prælati superiores incurrunt.

Sectio I.

Illi igitur suspensionem incurrere possunt. Primo, ratione promotionis ad Prelaturam, vt ex decerto Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. De reformat. electus in Episcopum differens suam consecrationem vltra tres menses. suspenditur à perceptione fructuum sui beneficij, itaut ad horum perceptorum restitutionem teneatur: & vltra tres alios menses adhuc differens, ipso iure priuatur dignitate Episcopali, etiamsi esset S. R. E. Cardinalis. 58.

Secundo, ratio collationis ordinum, vt ordinans Clericos alienę Diœcesis sine licentia Episcopi proprii ipsorum siue scienter, siue affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, suspenditur per annum à collatione ordinum, per cap. Eos qui, De temporibus ordinationum in 6. & Concil. Trid. sess. 23. De reform. cap. 8. Vbi additur, ordinatum tandiu suspensum esse à susceptorum ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. Quamquam, iuxta sequens cap. 9. excipi debet familiares Episcopi ordinātis, qui ante ordinationem per triennium cum eo commoratus est. 59.

Duo notanda concurrunt circa hanc suspensionem. Vnum est bona fide agentem ab ea excusari (etiamsi peccet negligenter gerens se in inquirendo quid possit in eo vel non possit) dummodo ignorantiam non affectauerit: quia tunc quidquid fingat, in mala fide esse censebitur, neque excusari poterit. Alterum est, quod glossa ad memoratum C. Eos qui, *verbo Ordinum*, docet istiusmodi suspensionem esse à collatione omnium ordinum, etiamsi mala collatio circa vnum tantum contigerit, sicut in Cap. Vel non est compos, De temporibus ordin. *iuncta glossa ad verbum Suspendentes.* ob malam collationem Diaconatus, decernitur suspensio à collatione omnium ordinum. Nec dici potest talem pœnam excedere culpam: quia licet excedat extensione quadam, seruatur tamen proportio, qua delinquens punitur secundum suum demeritum.

Deinde Episcopus titularis in quocumque loco, *etiamsi nullius Diœcesis, aut exempto, aut quouis Monasterio,* si subditum alterius etiam prætextu continuæ familiaritatis, aut commensalitatis suæ, absque proprii Prælati expresso consensu, aut literis dimissorijs, ad aliquos sacros, aut minores ordines, vel primam tonsuram promouerit: seu ordinauerit, suspensus est ipso iure per annum ab exercitio Pontificaliū; & taliter ordinatus, suspensus est ab exercitio susceptorum

ordinum, quamdiu Prælato suo videtur expedire, per Concil. Trident. sess. 14. De reform. cap. 2.

60. Præterea Episcopus exercens Pontificalia in alterius Diœcesi absque expressa licentia Ordinarij eiusdem loci, aut habita licentia, ordinans alias personas eidem Ordinario non subiectas, suspenditur ipso iure ab eodem exercitio Pontificalium, & sic ordinati suspenduntur ab executione ordinum, per idem Concil. Trident. sess. 6. De reformat. cap. 5. Cæterum in illis casibus, in quibus ius statuit, vt nullus Clericum alienum præter Prælati proprij licentiam debeat ordinare, per Prælatum proprium intelligitur Episcopus ille, de cuius Diœcesi oriundus est is, qui ad ordines promoueri desiderat, aut ille, in cuius Diœcesi obtinet beneficium Ecclesiasticum, requirens residentiam, vel habet domicilium, quantumuis alibi natus, vt expresse declaratur in cap. Cum nullus, De temporibus ordinationum in 6. Vbi & additur, Prælatos inferiores Episcopo, siue sæculares, siue Religiosos, non posse dare talem licentiam, nisi à Sede Apostolica sit illis specialiter indultum, vt possint suos subditos à quo voluerint Episcopo facere ordinari. Nec item Officialem Episcopi dare posse; licet Episcopo ipso in remotis partibus agente, possit Generalis Vicarius ipsius in spiritalibus, atque Sede vacante, Capitulum, siue is ad quem tunc administratio spiritalium pertinet. Additur adhuc in eodem cap. Religiosos à suis Prælatis deputatos Prioratibus, etiam non exemptis, posse à Diœcesanis locorum quamdiu ibi morantur, licite ordinari, etiamsi non sint oriundi ex eorum Diœcesi.

61. Adhuc Episcopus ordinans indignum suspenditur à collatione ordinum, per cap. Si qui, 1. quæst. 1. Id quod glossa ibidem, *ad verbum Illi*, sic accipit, vt suspendatur à collatione non quidem omnium ordinum, sed tantum illius, vel illorum quos indigno contulerit.

Item ex cap. Nullus, De temporibus ordinationum in 6. conferens Clericalem tonsuram infanti id est, *vt glossa ibidem interpretatur*, ei qui nondum septimum annum attigit, nisi forte religionem intraret, *id est traderetur religioni educandus eo fine, vt suo tempore in ea professionem faciat*, aut illiterato aut homini Diœcesis alienæ, absque licentia sui Superioris, aut demum coniugato, *nisi is velit religionem intrare aut ad sacros Ordines promoueri eo modo, quo sacri Canones ei permittunt*, suspenditur per annum à collatione eiusdem tonsuræ.

Postremo ordinans inuitum, aut reclamantem, suspensus est per annum à celebratione Missarum, distin. 74. cap. 1. Quod non est extendendum ad eum casum, in quo is qui ad ordinum susceptionem ratione beneficii obligatur, ad illos suscipiendos compellitur priuatione eiusdem beneficij. Eadem pœna per Cap. Nullus pœnitentem, distin. 55. afficitur Episcopus, qui solenniter pœnitentem, vel bigamum, vel viduæ maritum ordinauerit.

62. Tertio, possunt in suspensionem incurrere Episcopi & superioris Prælati, ratione collationis beneficiorum, prout incurrunt illi qui dant beneficia Ecclesiastica, *præsertim curata*, personis indignis, quæ in loco residere, & per seipsas curam exercere non possunt. Suspensi sunt enim à collatione beneficiorum, & personæ ipsæ accipientes eisdem priuantur per Cap. Quia nonnulli, De Clericis non residentibus. Cuius constitutionis meminit Concil. Trident. sess. 7. De reformat. cap. 3. & illius rigorem aliqua ratione temperat: nam cum constet duabus partibus, altera, qua prohibet beneficia dari personis non residentibus, & curam per se exercere non valentibus: Altera, qua tales personas promotas ad beneficia priuat ipsis beneficiis, & collatorem suspendit à potestate beneficia conferendi ea vice: etiamsi illam quoad priorem partē renouet, quoad posteriorem tamen in eo mitigat, quod eiusmodi collationē beneficiorū statuat irritandam, quod minus est, quam ipso facto priuare beneficio. Collatori vero imponat tantum pœnam, quæ habetur in Cap. Grauc nimis, De præbendis: vt quotannis in Conciliis prouincialibus fiat diligens inquisitio super tali collatione beneficiorum: atque si post primam & secundam correctionem fuerit quis in hac re inuentus culpabilis: per ipsum Cōcilium prouinciale suspendatur à collatione beneficiorum, quod quidem minus est quam esse ipso iure suspensum.

Quarto, possunt ratione receptionis beneficij, vt cū in Bulla Pij IV. *quæ incipit, Sane licet dudum*. & Pij quinti, *quæ incipit, Intolerabilis*, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ, non modo Episcopi, sed etiam S. R. E. Cardinales, recipientes beneficia Ecclesiastica per simoniacā confidentiam, de qua re ex professo agit Nauar. in Enchir. *cap. 23. num. 109. & 110.*

Quinto, ratione confirmationis electi ad beneficium; vt in Cap. Nihil est, de electione, qui hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, vel illegitimæ ætatis confirmauerit electum ad beneficium, suspenditur à potestate confirmandi primum eiusdem electi successorem, & à proprio beneficio est suspendendus.

Sexto, ratione dispositionis de bonis temporalibus Ecclesiæ: vt per Cap. Præsenti, De officio ordinarij in 6. Episcopi, & Prælati superiores ab ingressu Ecclesiæ: inferiores vero ab officio, & beneficio suspenduntur, donec restituerint: qui aliquid ex reditibus dignitatum, Prioratuum, aut Ecclesiarum sibi subiectarum, vel ad ipsorum collationem, custodiam, vel præsentationem pertinentium. Reditibus inquam, qui morientibus talium beneficiorum rectoribus, vel ministris, inuenti fuerint, aut tempore vacationis collecti, occupare, aut in vsus suos conuertere quoquo modo præsumunt. Aduerte autem respectu Episcoporum, & Prælatorum superiorū, talem pœnam non esse propriam suspensionis, sed interdicti. De qua re bene Suarez *tomo 5. disput 31. sect. 5. num. 11.* 63.

Item ex Cap. Hoc consultissimo. De rebus Ecclesiæ non alienandis in 6. Episcopi, & alii Prælati, ipso facto ab officio & administratione (*scilicet temporalium, vt glossa interpretatur*) suspenduntur, qui commissas sibi Ecclesias, aut bona immobilia, seu iura earum, subiiciunt laicis absque Capituli sui consensu, & Sedis Apostolicæ licentia speciali. Vbi quoque inferiores Clerici à percipiendis fructibus beneficiorum quæ in tali Ecclesia obtinent, per triennium suspenduntur, si scientes aliquid contra illam constitutionem attentari, id Superiori non denunciauerint. Intellige, si sufficienter sciant: atque si opus sit probare, id possint sine suo graui incommodo. Aduerte autem istiusmodi suspensionē Prælatis impositam, cum absolute in eos feratur, durare quoad per superiorem tollatur. Quod vero ipso Prælatorum nomine in hac re comprehendantur Episcopo inferiores habentes Ecclesias Capitulares, hoc est, Collegiatas, aut regulares sibi commissas, Suarez confirmat num. 10. ex eo, quod omnia verba illius textus quadrent in eos, ipsum etiam Prælati nomen, quod in eo habetur, non vero Episcopi. Si opponas, sententiam suspensionis non ligare Episcopum, nisi de eo fiat expressa mentio, ex Cap. Quia periculosum, De sentent. excommunic. in 6. Respondet idem Suarez, ipsum nomen Prælati ad eam expressionem sufficere: quia per se primo, ac per quandam antonomasiam proprium est Episcoporum, & cæteris communicatur, quasi per participationem, & analogiam quandam. 64.

Septimo, ratione Conciliorum prouincialium, vt per Cap. Si quis autem, distin. 18. Episcopus vocatus à Metropolitano ad Concilium prouinciale, nec ad illud accedit cessante iusto, & graui impedimento, *quale esse potest ægritudinis, aut nimiæ senectutis*, vel deserit antequam soluatur, suspenditur à communione reliquorum Episcoporum, donec in sequenti Concilio absolutus sit. Item per cap. vltim. eadem distin. suspenditur ab officio per duos menses Episcopus, qui post Concilium prouinciale intra sex menses non conuocat Abbates, Presbyteros, & alios Clericos referens eis omnia acta, & Decreta Concilij, vt hæc per illos euulgentur in totam plebem. Quod Capitulum glossam finalem de suspensione recte intellexisse, etiamsi excommunicationis nomen in eo vsurpetur; argumento est, quod nomen excommunicationis nunquam alias inueniatur cum aliqua temporis determinatione.

Octavo, ratione visitationis, vt per cap. Exigit, De censibus in 6. *renouatum in Concil. Trid. sess. 24. De reform. cap. 3.* Episcopus qui in sua visitatione aliquid accipit amplius, quam per Canones concessum est aut qui non visitans eadem accipit, quæ sibi visitanti debentur, nisi infra mensem duplum eius quod accipit, restituat, suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, donec ipsum duplum restituerit.

POSTRE-

65. POSTREMO, ratione aliorum delictorum in vsu Episcopalis officij, vt per Clementinam Multorum, De hæreticis, §. Verum; per triennium ab officio suspenduntur Episcopus, ac eo superior, qui odij, aut amoris, aut commodi temporalis causa, contra iustitiam, & conscientiam suam omiserint in crimine hæresis procedere aduersus aliquem, aduersus quem fuerat procedendum, aut idem crimen imponendo alicui, præsumpserint vexare ipsum.

Item ex Concil. Triden. sess. 25. cap. 14. De reform. si Episcopus, *quod absit*, concubinarius sit, & à Synodo prouinciali admonitus, se non emendauerit, ipso facto suspenditur. Vbi nota cum Suarezio in fine citatæ sect. 5. ad eam suspensionem incurrendam sufficere, & necessariam esse vnam monitionem factam à Concil. prouinciali; postquam nisi statim, ac sine dilatione morali emendatio sequatur, tollaturque occasio delicti, & scandali, si adsit, sequitur statim suspensio ipsa.

Præterea ex Clem. 2. de pœnis, Prælati Ecclesiæ qui procurant, vt Clerici capiantur à Dominis temporalibus, vt resignent sua beneficia, vel vt ad Sedem Apostolicam citati, *siue à iure, siue ab homine*, non valeant ire ad eam; suspenduntur per triennium à perceptione fructuum suarum Ecclesiarum. De qua suspensione Suarez pluribus in ea. sect. n. 17. & aliquot sequent. quæ breuitatis studio relinquemus apud ipsum videnda; vt & illa quæ idem in præced. nu. 13. & duobus sequentibus adfert ad explicationem suspensionis, qua per c. 1. De vsuris in 6. suspensus est Episcopus, & alius Superior, qui locat, vel alio quouis titulo concedit domum manifestis vsurarijs non oriundis ex sua Diœcesi, vel eis permittit conducere domos in suis terris, vel ibi habitare, vel omnes huiusmodi de terris suis non expellit, nunquam admissurus.

Addiderim tamen obiter, quod cum pœnæ non sint interpretatione ampliandæ, non incurri posteriorem hanc suspensionem, si vsurarij vellent locum habere, non quidem ad exercendas vsuras, sed aliam negotiationem, vel exercitia, siue licita, siue illicita. Deinde cum tituli quibus domus possunt concedi vsurariis; alij sint quibus non transfertur dominium, vt tituli commodati, depositi, pignoris, & similes: alij quibus transfertur dominium, vt venditio, donatio, permutatio; dubium esse, num vt Episcopus concedens illis titulis, sic & concedens his, eidem pœnæ subiiciatur? De quo iuxta glossam ad idem cap. 1. *in verbo Titulo*, statuendum est subiici: quia Decretum alioqui isto fine, *qui est amor ri à Republica Christiana vsuras*, frustraretur; quandoquidem non minus datur locus vsurariis in ciuitate per titulos posterioris, quam prioris generis.

De suspensionibus quæ à iure imponuntur Clericis qui sunt Episcopis inferiores.

SECTIO II.

67. QVI vero sunt inferiores Episcopis suspensionem incurrunt. Primo quidē Capitula, Conuentus, Collegia, & singulares personæ quæ Prælatis vita functis, bona ab ipsis relicta, vel vacationis tēpore obuenientia, quæ in vtilitatem Ecclesiarū quibus præferūt, expendi, vel futuris successoribus fideliter reseruari deberent, occupant, inter se diuidunt surripunt, &c. tamdiu ipso facto suspenduntur ab officio, & beneficiis, quandiu non restituerint plene quidquid de iisdem bonis perceperunt, ex cap. Quia sæpe, De electione in 6. non obstantibus quibuscunque priuilegiis, indulgentiis, consuetudinibus, &c. quæ ibidem reuocantur, & irritantur. Legendus est Suarez disputatione 31. sectione 3. numero 3.

SECVNDO, Iudices Ecclesiastici qui ferunt sententiā excōmunicationis non præmissa canonica monitione coram idoneis testibus, suspendūtur ab ingressu Ecclesiæ per mensem, in c. Sacro De sentent. excōmunic. Itē, qui sine scriptis sententiam excōmunicationis, suspensionis, & interdicti ferunt, aut cū scriptis quidem, sed nō expressa in eis causa propter quam fertur, aut parti petenti talis sententiæ exemplū, non dant intra mensē; suspenduntur per mensem, & ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis officiis; in cap. 1. De sentent. excommunic. in 6. Vide sequentem tractatum num. 68.

Præterea per cap. 1. De sentent. & re iudicata in 6. Iudex Ecclesiasticus, siue ordinarius, siue delegatus, qui contra cōscientiam, & cōtra iustitiam in grauamen partis alterutrius quidquā in iudicio fecerit per gratiā, vel per sordes, ab officio suspenditur per annū. Ad quā suspēsionē quinq; debere concurrere notat Nauar. cap. 27. n. 157. Primo quidē, vt talis Iudex non sit Episcopus, *prout glossa ibid. expressit ad verbum Ordinarius*. Et ratio est, quod suspensio generaliter lata non comprehendat Episcopum, ex cap. Quia periculosum, De sentent excommunic. in 6. Secundo vero; vt grauamen sit contra iustitiā. Tertio, vt simul sit contra conscientiā, itaut hoc sine illo, nec illud sine hoc sufficiat, prout disput. 31. sect. 3. num. 16. Suarez bene declarat. Quarto, vt delinquens sit Iudex; itaut nō sufficiat esse tantummodo executorem, aut arbitrum: quia pœnæ restringendæ sunt interpretatione, non autem ampliandæ. Quinto, vt idem Iudex tale quid faciat per fauorem, vel odium, aut turpis lucri gratia.

Aliam idem Nauarrus ibidem suspensionem præmittit ex cap. finali De officio delegati; vbi non vno ab officio suspenditur conseruator Sedis Apostolicæ, qui scienter cognoscit de causis quæ iudicialem indaginē exigunt. De hac videri potest Suarez in sequenti nu. 17. vt & in nu. 18. de illa quam ex Concil. Triden. sess. 24. ca. 1. De reform. matrimonij, incurrit Parochus, vel alius Sacerdos, siue sæcularis, siue regularis qui alterius Parochiæ sponsos sine licentia Parochi ipsorum, matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit; etiamsi prætextu priuilegij, vel immemorialis consuetudinis id faciat; suspenditur inquam, donec absoluatur ab Ordinario illius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, & à quo benedictio erat suscipienda. Quam suspensionem latam indeterminate Suarez ipse sub finem eiusdem sectionis 3. determinandam censet ad officium Sacerdotale: quia dicere quod suspendatur ab omni Clericali officio, & beneficio, videtur durum, cum talis culpa non sit tanta, quæ tam graui pœnæ respondeat proportione. Sitque consentaneum, vt in eo quis puniatur, in quo deliquit, atque adeo, vt qui munere Sacerdotalis officij abusus est, ab illius vsu suspendatur. De quo videri potest Sanchez lib. 3. De matrim. disput 48. num. 4.

68. TERTIO, Prælati religionum, quorum Religiosi commiserint excessus qui memorantur in Clementina 1 De priuilegiis, eorumque occasione alicui Ecclesiæ, aut personæ Ecclesiasticæ præiudicium fecerint, si postquam fuerint requisiti, Ecclesiæ, aut personis Ecclesiasticis, ita lęsis infra mēsem satisfactionem plenariam non exhibuerint, suspenduntur absolute per eandem Clem. §. 2. donec satisfecerint; non obstantibus quibuscunque statutis ac priuilegiis. De qua re videri potest Suarez in memorata disp. 31. sect. 6. num. 11.

QVARTO, Religiosi qui Ecclesias fraudare præsumunt circa decimas eis debitas, si requisiti per illos quorum interest, infra mensem non desistant, vel vsurpata, aut retenta infra duos menses non restituant, suspensi sunt ab officijs, administrationibus, & beneficijs, si hæc habeant: sin autem non habeant, sunt excommunicati per Clemen. 1 De decimis. Videri adhuc potest de hac suspensione Suarez in præced. num. 9.

Item fratres ordinum Mendicantium recipientes aliquem ad professionem ante elapsum annum probationis, sunt ipso facto suspensi à receptione quorumcumque; neq; sic professus obligatus est illi ordini ex Cap. Non solum, & Cap. Constitutionem, De regularibus in 6. De qua item suspensione videri potest idē Suarez ibid. n. 6. & 7. vt & de ea quam late tractat initio citatæ sectionis 6. & habetur in capite vltimo De Apostatis, lata in Religiosos Apostatas, qui in Apostasia perseuerantes aliquem sacrum ordinem suscipiunt. Quantumcumque enim reconciliati sint Abbati, & pœnitentiam susceperint, absq; Romani Pontificis dispensatione in illo ordine ministrare nequeunt. Itemque de ea quæ per Clement. 1. §. Si quis autem, De statu Monachi, imponitur Religioso Benedictino non vtenti vestitu secundum formam præscriptam in ea ipsa Clement.

In gratiam Parochorum, *quorum maxime institutio n bis est proposita*, referendum est quod in seq. n. 12. idem author annotat de suspensione, quę in Clem. Cupientes, de pœnis fertur in Religiosos excipientes Confessiones, qui requisiti à

Rectori-

Rectoribus Ecclesiarum, vel eorum Vicarijs vt pœnitentes moneant decimas soluere, ac super eo conscientias ipsorum onerent. Ij enim scienter omittentes id facere, ab officio prædicationis ipso facto suspenduntur, donec confitentibus, conscientiam circa eandem rem fecerint, si commode potuerint, sique non obstante tali suspensione negligentia illa non prius purgata, concionari audeant, excommunicationem ipso facto incurrant. Notat igitur ad incurrendam talem suspensionem has circunstantias debere concurrere. Prima, vt Religiosi ipsi requisiti sint à Rectoribus Ecclesiarum. Secunda, vt scienter omittant facere quod dictum est, & non tantum ex inaduertentia. Tertia, vt circa confitentes sibi, talem omissionem committant. Quod si de aliquo constaret ei, nulla tali obligatione teneri constaret consequenter, nec se obligari ad eum monendum.

De suspensionibus quæ imponuntur ratione ordinis.

Sectio III.

69. Quinto, Clerici ratione ordinis in suspensionem incurrunt, tum ex parte ordinantis, tum ex parte temporis, tum ex parte ordinationis. Ex parte quidem ordinantis, vt qui ordinatus est ab Episcopo excommunicato, nesciens illum esse excommunicatum, incurrit in suspensionem ab illo ordine quem suscepit, iuxta Cap. Cum Clericis, De ordinatis ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui; vbi conceditur vt talis possit ab Episcopo proprio absolui. Item per Cap. Requisiuit, eodem titulo, recipiens sacros ordines ab eo qui Episcopatui renunciauit, non modo quoad locum, sed etiam quoad dignitatem, suspensus est ab officio. A qua suspensione poterit absolui per Episcopum proprium, si id per ignorantiam probabilem fecerit, non item si scienter, aut per ignorantiam crassam, sed a solo Papa. De hac re pluribus Suarez *tomo 3. disput. 31. sect. 1. in principio.* Quæ videtur satis clara, si cum eodem ibidem addamus, Episcopum dici renunciare loco, qui Episcopatum dimittit, se spoliando officio seu potestate iurisdictionis Episcopalis. Dici autē renunciare dignitati, qui quantum in se est, priuat se vsu ordinis Episcopalis: vt cum eidem renunciat, & renunciatio confirmatur à Papa. Vnde fit, vt quantumcumq; retineat ordinem ipsum Episcopalem, quem non potest amittere ob characterem indelebilem, non possit tamen licite illo vti.

Præterea per decretum Concil. Triden. sess. 23. cap. 8. De reform. quiuis quocumque priuilegio munitus, nisi eius probitas, ac mores Ordinarij sui testimonio commendentur, prohibetur ordinari ab alieno Episcopo: siquc secus fiat, ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspenditur.

Sunt autem aliquot casus in quibus excusatio datur ab ea censura. Eos Suarez persequitur in citata sect. num. 15. & aliquot sequentibus. Primus est, quando ignorantia inuincibilis excusat à mortali culpa suscipientem sic ordinem sacrum. Secundus, quando proprius Episcopus est & ipse suspensus ob ordinatum alienum: tunc licet sine ipsius licentia adire alium à quo ordines suscipiantur iuxta Cap. Eos qui, §. finali De temporibus. ordin. in sexto. Tertius est, quando quis per triennium fuit de familia Episcopi alieni, hic enim illum dummodo statim det ei beneficium, potest promouere ex concessione Concilij Triden. sess. 23. De reform. cap. 9. Intellige autem de Episcopo ordinario; quia ei qui tantum est titularis, talis promotio est interdicta in præced. sess. 14. cap. 2. De reform. Quartus est quando vnus Episcopus ordinat subditum alterius Episcopi sub spe rationabili ratihabitionis eiusdem, ex Cap. vltimo, 9. q. 2. Vbi allegatur factum D. Epiphanij, qui isto modo ordinauit in Diœcesi D. Chrysostomi.

Adhanc suspensionum classem referri potest primo, quod ex Cap. Constat, 1. quæst. 1. ordinatus ab Episcopo hæretico, etiam inuitus, & aliquo modo coactus, nisi intra mensem derelictis hæreticis cōfugiat ad Catholicos (diutius n. cū eis manēs præsumitur voluntarie ordinatus) dicatur

70. teus vsurpatæ dignitatis: quo significatur non permitti ei ordinis susceptī executionem, sed ab ea suspendi.

Referri potest secundo, quod is qui scienter simoniaco, etiamsi non simoniace, ordinatus est, incurrat in suspensionem per Cap. Si qui à simoniacis, eadem quæst. Quæ suspensio est ab executione susceptī ordinis: quoniā ibi dicitur; *Eius ordinatio irrita sit*: quod cum non possit intelligi quantum ad ipsum ordinem intelligendum est quantum ad ordinis executionem. De ea pluribus Suarez *disput. 31. sect. 4. num. 34. & aliquot sequentibus.* Referri postremo potest, quod ordinatus ab Episcopo excommunicato suspendatur ab executione ordinis susceptī, vt habetur ex Cap. finali De ordinatis ab eo qui renunciauit Episcopatui. Tangitque ibidem glossa prima: & in confirmationem addit, quod talis non habens talem executionem nequeat alteri illam tradere, ex cap. Gratia, cap. Qui perfectionem, & cap. Ventum est, 1. quæst. 1. & ex c. Daibertum, in sequenti quæst. 7. Qua ratione probatur etiam quod Syluester habet *in verbo Suspensio num. 6.* ordinatum ab Episcopo suspenso, ab eadem executione suspendi. Videndus est Suarez in præced. sect. 1. n. 61. & aliquot sequentibus. Debet autem is Episcopus suspensus esse, aut excommunicatus nominatim denunciatus, aut notorius percussor Clerici: quia excusatio alioqui erit per priuilegium Extrauagantis Ad euitanda; cuius meminimus in cap. 17. præced. tract.

Ex parte temporis autem, per Bullam Pij secundi, quæ incipit, Cum ex sacrorum; suspensus est qui sine legitima licentia sacro seu maiore ordine ordinatur extra tēpora à iure statuta: quæ, *vt habetur ex cap. vlt. distin. 75. & ex cap. De eo, De temporib. ordinationum*, sunt ieiunia quatuor temporū, Sabbathum sanctum, & Sabbathū ante Dominicam in Passione: extra quæ Dominicis & aliis festis diebus ordines minores conferri posse, non item Subdiaconatum, definitur in illo cap. De eo. Qua in re nihil mutatum est per Concil. Triden. sed potius totum approbatum, dum in sess. 23. De reform. initio capitis octaui præcipit ordinationes sacrorum ordinum celebrari statutis à iure temporibus. Quatenus autem iure quoque antiquo eadem suspensio imposita esse censeatur videre qui volet, potest apud Suarezium tomo 5. *disp 31. sect. 1. nu 30. & duobus sequentibus.*

Eidem autem suspensioni in eadem Bulla duæ aliæ adiiciuntur; vna in eos qui ante legimam ætatem ad sacros ordines promouentur. De qua ætate Concilium Trid. in sequenti cap. 12. his verbis; Nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad Presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promoueatur. Altera in eos qui sine literis dimissoriis, seu absque legitima facultate ordinantur ab alieno. Illis autem qui talibus suspensionibus perseuerantibus præsumpserint vti ordine susceptō, irregularitatis pœna imponitur, in qua solus Papa dispenset: quod notant Syluester in verbo Irregularitas *q. 10. in fine.* Nauar. in Enchir. *cap. 25. numer. 70.* & Couar. ad Clemen. Si furiosus, 1. *par.* §. 1. *nu. 4.* Aduerte tamen nisi manifesta sit talis suspensio, aut ad externum forum deducta, eam posse ex priuilegio Concilij Triden. sess. 24. De reform. cap. 6. tolli per Episcopum.

Quod autem aliqui antiquiores senserunt promotum ante ætatem legitimam non esse suspensum; sed suspendendum, iuxta cap. Vel non est compos, De temporibus ordinationum; Nauarrus loco citato causam esse ait ignorantiā propositi iuris noui: cuius tenor videri potest apud Rebuffum in praxi beneficiorum, *par. 2. tit. De Clericis ad sacros ordines male promotis, glossa 4.* & apud Georgium Sayrum lib. 4. sui thesauri casuum conscientiæ c. 14. n. 13. Eiusdemque confirmatio habetur ex Bulla Xisti V. quæ incipit, Sanctum & salutare, edita anno Domini 1588. & ex alia Clementis VIII. quæ incipit; Romanum Pontificem docet, edita anno Domini 1595. pridie Calendas Martij. De quibus idem Sayrus in fine memorati c. 14.

Mount super eadem suspensione dubium Suarez in ead. sect. 1. n. 25. An qui bona fide ordinatur ante legitimā ætatē inculpabiliter, hoc est, bona fide: existimans se ætatē attigisse, ab ea excusetur; Partem autem affirmantem cum Nauar. *in Enchir. cap 27. num. 151.* amplectitur, & probat ex eo, quod intentio Pij secundi fuerit punire excessus qui hac ex

parte

parte fiunt, & scandala quæ inde generantur: id quod satis indicant illa ipsius verba; Nos eorumdem temeritatem tali castigatione reprimentes, &c. Iam vero punitioni locus non est, vbi ignorantia excusat à culpa: prout in hac re frequenter contingere potest per ignorantiam facti: raro autem quoad ignorantiam iuris, *vt in sequenti num.* 27. idem Suarez declarat. Consequenter *in numero* 28. tangens quod est notatu dignum; istiusmodi suspensionem, quia fertur absolute, & sine determinatione, non cessare adueniente legitima ætate: sed tunc etiam absolutionem requiri ad eam tollendam, adeo vt & tunc irregularitas incurratur illius violatione, nisi bona fides excuset, prout declarat Nauarrus ad Cap. Accepta, De restitut. spoliatorum, oppositione 8. num. 35. Quæ fides quando adsit relinquitur prudenti definiendum ex circunstantijs.

AD HANC classem suspensionum reducitur ea quæ in Cap. 2. De eo qui furtiue ordinem suscepit, imponitur suscipienti eodem die minores ordines cum Subdiaconatu. De qua notandum est, quod Suarez in ead. sect. 1. num. 41. refert definitum in Congregatione Cardinalium circa Cap. 11. De reform. sess. 23. vbi consuetudo obtinuit vt minores ordines conferantur cum Subdiaconatu, non esse locum tali suspensioni.

Reducitur & alia, quæ per Cap. Literas, De temporibus ordin. imponitur ei qui eodem die) quod Concilium Trid. fieri prohibet in seq. Cap. 13.) vel duobus diebus continuis, susceperit duos ordines sacros. Suspenditur enim ab ordine superiore inter eos quos sic susceperit. Cur autem potius ab eo, quam ab altero, ratio esse potest, quod superiorem tantummodo ordinem male susceperit. Quod autem absolutio talis suspensionis reseruetur Papæ, intelligitur ex fine eiusd. Cap. Literas; cuius verba sunt; *Donec de illis aliter disponamus.* Aduerte obiter Concilium Triden. in citato Cap. 13. & sequenti 14. præcipere quidem, vt post susceptum vnũ ordinem sacrum, alius non suscipiatur antequam elapsus sit annus integer; nullam tamen pœnam imponere contrauenienti; nec ita seuere præcipere, quin totum committat arbitrio Episcopi, vt indicant verba illa; *Nisi aliud videatur Episcopo.* Quæ non sunt ita accipienda, quasi hic possit in ea re dispensare sine rationabili causa: quia ratio dispensandi in lege Superioris id non patitur.

71. Ex parte demum ordinationis, indebite scilicet factæ, is qui per saltum, id est, aliquo ordine intermedio prætermisso, promouetur ex ignorantia, vel ex negligentia, suspenditur ab ordine, ad quem promotus est, donec recipiat ordinem inferiorem omissum, distin. 52. cap. 1. & 2. & cap. vnico de Clerico per saltum promoto. De qua pluribus Suarez *in citata sect. 1. num. 44. & aliquot sequentibus*, in qua, vt raro contingente, non immorabimur. Item si in ipsa ordinatione aliquid de necessarijs, seu spectantibus ad substantiam ordinis, sit omissum, ordinatus suspenditur ab executione illius ordinis, quousque id suppleatur quod fuit omissum, *ex glossa ad Cap. 1. De Sacramentis non iterandis verbo Permutti*, cum non dicatur quid actum, quando aliquid superest agendum. Quod idem ex Gofredo, & Hostiensi habet Sylu. *in verbo Ordo 2. quæst. 10.*

Præterea ex toto titulo De eo qui furtiue ordinem suscepit, is qui absque examine, & Episcopi consensu furtim ingerit se multitudini examinatorum, & simul cum eis ordinatur, suspensus est. A qua suspensione, si talis clandestina ordinatio non fuerit interdicta sub pœna excommunicationis, Episcopus poterit cũ taliter ordinato post peractam pœnitentiam dispensare; sin autem fuerit prohibita sub pœna excommunicationis, is qui contempta prohibitione se ordinari curauerit; sic irregularis fiet, vt cum ipso dispenset solus Papa. Nisi quod religionem aliquam ingrediens, possit Abbas eiusdem religionis cum ipso dispensare ex eodem titulo item per totum. Adhæc per Extrauag. Ioannis XXII. Antiquæ, De voto, suspensio fertur in eum qui post matrimonium contractum, sacrum ordinem suscipit aliter quam sacri canones permittunt. De qua legendus est textus, & quæ circa eam notat Suarez in eadem sect. 1. nu. 54. & duobus sequentibus.

72. Denique ex Cap. Neminem, & Cap. Sanctorum, distin. 70. suspensus est qui promouetur ad sacrum ordinem sine titulo, vel beneficij, vel patrimonij, si quidem nesciente Episcopo ipso id fiat; adeo vt talis suscipiat ordinem furtiue, seu absque consensu Episcopi; qui de re monitus recusaret ordinare. Si vero Episcopo conscio, & permittente vt quis sine dicto titulo sacrum ordinem suscipiat, sic ordinatus non erit suspensus; sed ordinans tenebitur ei prouidere de congruo victu, quousque prouideatur ipsi de competenti beneficio, ex Cap. Cum secundum Apostolum, De præbendis; & ex Cap. Si Episcopus, eo. tit. in 6. In Concilio autem Trid. sess. 21. De reform. cap. 2. vbi innouantur tales pœnæ, statuitur, tale siue beneficium, siue patrimonium, debere sufficiens esse ad honestum victum, ac pacifice possessum. Vnde licet inferre, quod si quis ordinetur cum titulo beneficij, vel patrimonij non sufficientis ad honestum victum, suspensus sit vt prius, si quidẽ interrogatus, sufficiens esse beneficium, aut patrimonium mentiatur. Quia enim Episcopus cognita insufficientia non ordinaret, ipse censetur ordines furtiue suscipere. Sin autem verum dicat interrogatus, beneficiij;, aut patrimonij sui quantitatem & qualitatem sincere aperiat Episcopo; quia & tunc hic illum non obstante insufficientia scienter ordinabit, pœnam vt prius subibit; nempe onus suppeditandi, seu supplendi quod necessarium est illi ad honestum victum.

PORRO de eo qui ordinatus ad titulum beneficij, vel patrimonij sufficientis, cui post ordines susceptos se statim renunciaturum esse promisit, vel iurauit, dubitatio est, an sit suspensus; quam Alphon. à Viualdo proponit in 2. par. Candelabri aurei, *tractatu De suspensione, numer.* 28. & pro vtraque parte authores adfert, negantemque sequitur, nixus hoc fundamento; quod Concil. Triden. loco cit. iuxta declarationem Congregationis Cardinalium, non innouet Canones ante citatos ex Decreto Gratiani, quibus suspensio imponitur promoto ad sacrum ordinem sine titulo beneficij, aut patrimonij; sed citatos ex Decretalibus Gregorij, & Bonifacij, quibus Episcopo imponitur onus suppeditandi victum sic promoto. Sed pars altera, vt tutior, videtur tenenda cum Nauar. *in Enchir. cap. 27. num.* 158. vt tenet Suarez tom. 5. *disput. 31. sect. 1. numer.* 35. Nam id perinde est ac ordinari absque titulo, cum is titulus sit nullus, qui est mentitus; vt merito censetur esse memoratus, cui ex vi promissionis, aut iuramenti, renunciandum est in conscientia. Deinde, etsi à Concil. Triden. non sit innouatum ius, ex distin. 70 citatum; non est tamen reuocatum, vt satis ex eo coniicitur, quod non sit rationabile, tales fraudulentos tanquam liberos à iuris pœna, ali debere ab Episcopo, vt eo à quo ordinati sint absque titulo beneficij, aut patrimonij; præsertim cum is absque sua culpa potuerit decipi ab illis, quibus sua fraus non debet patrocinari.

TRIA consequenter Suarez ibidem docet notanda pro praxi. Primum est; eum qui cum titulo ficto fraudulenter impetrauit à proprio Episcopo literas dimissorias, harum beneficio ordinatum ab alieno, ligari duplici suspensione: altera, vt sine sufficienti titulo; altera, vt sine proprii Episcopi facultate ordinatum. Ratio est, quod tales literæ sint subreptitiæ, & contra iustam Episcopi voluntatem; quando quidem nullo modo talem facultatem concederet, si eiusmodi tituli conditio plene declarata ei fuisset. Quare tales literæ sunt nullæ; ac proinde memoratis suspensionibus non adferunt impedimentum.

Secundum est; mortale quidem peccatum esse, post susceptum sacrum ordinem, renunciare titulo, ad quem quis ordinatus est nihil habens aliud sufficiens sibi ad victum quia Concil. Triden. sess. 21. ca. 2. seuere id prohibet; suspensionem tamen non incurri; quia neque iure antiquo, neque nouo eiusdem Concilij imponitur.

Tertium est, promotum ad Subdiaconatum absque vero titulo, etiamsi à suspensione, quam inde incurrit, absolutus sit, non posse absque nouo titulo vero patrimonij, aut beneficij, ad superiores ordines ascendere. Ratio est, quia iura non prohibent Subdiaconatum solum absque titulo vero suscipi; sed vniuerse sacros ordines; atque adeo quemlibet illorum, siue superiorem, siue inferiorem. Nam cum non distinguant; nec nos distinguere debemus, ex cap. Solitæ, De maiorit. & obedient. Nec obiici potest quod ordo inferior det ius ad susceptionem superioris: quia tale ius non

est nisi

est nisi ad suscipiendum debito modo, & seruatis sacris canonibus.

Huic suspensioni affinis est ea quæ incurritur cum Episcopus ordinat aliquem sine titulo, cum conditione quod victum non petet ab ipso, aut ordinat præsentatum ab alio, cum quo ille pepigit, seque plene obligauit ad nunquam petendum ab ipso sustentationem, aut beneficium, aliudve vnde sustentari possit. In quibus duobus casibus ordinatus, ab ordine sic suscepto suspenditur suspensione reseruata Papæ per Cap. penult. De simonia. Vbi & ordinator à collatione, & præsentator ab executione ordinum per triennium suspenditur.

De suspensionibus quæ imponuntur Clericis ratione abusus suorum officiorum, & aliorum delictorum.

Sectio IV.

73. ADHVC Clerici incurrunt in suspensionem ratione suorum officiorum, vt Sacerdos celebrans, & non communicans in Missa quam celebrat, etiam si eodem die plures Missas dicat: qui suspensus est à communione vno anno, per Cap. Relatum, De consecr. distinct. 2. Item qui recipiunt ad communionem altaris, vel ad Ecclesiasticam sepulturam manifestos vsurarios, de quorum pœnitentia non constat, suspenduntur ab executione sui officij, donec ad arbitrium sui Episcopi satisfaciant ex cap. Quia in omnibus, De vsuris. De hac videri potest Suarez in eadem disputatione 31. sect. 2. à num. 6.

Similiter Clerici, siue sæculares, siue regulares, quantumcumq; exempti, admittentes ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam publice excommunicatos, vel interdictos, aut qui coram illis eadem officia celebrant, aut celebrari faciunt, suspenduntur ab ingressu Ecclesiæ ad arbitrium illius, cuius sententiam contempserunt, ex Cap. Episcoporum, De priuilegiis in 6. Ita Nauarrus in Enchiridio cap. 25. numero 94. Cui aduersatur Syluester in verbo Suspensio, numero 6. casu 23. dicens, non quidem suspendi, sed interdici.

Idque melius. tum quia hoc verbum in textu habetur: tum quia ingressus Ecclesiæ non est vsus proprius officii Clericalis, quo suspensio priuat. Cæterum quidquid sit, id iuxta Extrauagant. Ad euitanda, de qua in præcedenti capit. 17. restringendum est ad nominatim denunciatos, excommunicatos, vel interdictos, aut notorios Clericorum percussores.

Suspenditur quoque à corpore & sanguine Christi, De consecratione, distinctione 1. Cap. Nullus, is qui sine graui necessitate omittit Missam incompletam. Item qui benedicit secundas nuptias, suspensus est ab officio, & beneficio cap. 1. De secundis nuptijs, vbi & præcipitur mitti ad Sedem Apostolicam. His addendæ essent suspensiones à iure impositæ Clericis propter abusum commissum in electione ab beneficia, quas Suarez tractat in sæpe memorata disputatione 31. sectione 3. Sed quia talis electionis vsus iam pene exoleuit per priuilegium passim concessum Principibus nominandi ad beneficia electiua, non immorabimur in illis.

74. RESTANT suspensiones quas Clerici incurrunt ratione variorum delictorum. Ac primo numeratur ea (quæ potius irregularitas est) quam Clericus ille incurrit qui serio, & vt ordinatus, exercet actum ordinis ad quem nondum est promotus. Etenim in pœnam suæ temeritatis suspenditur in perpetuum à receptione ordinum, cum in cap. 1. De Clerico non ordinato ministrante, talis præcipitur ab Ecclesia abijci, & nunquam ordinari; quod idem est ac suspendi in perpetuum à susceptione ordinum. Quæ item pœna in sequenti cap. 2. specialiter statuitur Diacono, ad Sacerdotium nondum promoto celebranti Missam.

Est item ea quæ per cap. 1. De schismaticis ab ordinibus sacris, & dignitate, imponitur ijs qui sponte iuramentum præbent de tenendo schismate. Itemque ea quæ, *vt visum est Syluestro, & Tabienæ in verbo Suspensio*, Clerico qui sponte ducium obtulerit, vel oblatum susceperit, imponitur per cap. 1. De Clericis pugnantibus in duello. Quibus Nauarrus resistit in Enchir. cap. 27. num. 156. eo quod in illo textu tantum habeatur, quod de rigore iuris sit deponendus, quæ verba non significant pœnam impositam, sed à Iudice imponendam. In qua vt ibidem additur, proprius Episcopus misericorditer dispensare potest, nisi inde homicidium, aut membri mutilatio fuerit subsequuta, quod si cõtingat contingat, & irregularitas requirens Papalem dispensationem. Verumtamen quia talis est ipso iure excommunicatus per Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. consequenter est suspensus non quidem suspensione quæ separata est ab excommunicatione: sed quæ includitur in ea tanquam excludente inter cætera, ab vsu ordinum, & beneficiorum.

Quibus accedit ea qua quisquis alicuius sæcularis, vel regularis beneficij, montium pietatis, aliorumque piorum locorum iurisdictiones, bona, census, iura, &c. quacumque arte, aut quocumque quæsito colore in proprios vsus conuertere, aut vsurpare præsumpserit, aut impedire ne ab ijs ad quos de iure pertinet, percipiantur. Quisquis inquam Clericus nefandæ fraudis, & vsurpationis eiusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, id est, causa fuerit, tanquam principalis author, aut tanquam persona interposita, præter excommunicationem Papalem, ei cum vsurpatore communem, & priuationem omnium beneficiorum, & inhabilitatem ad omnia alia beneficia, incurrit suspensionẽ ab executione suorum ordinum, durantem ad arbitrium sui Ordinarij, etiam post integram satisfactionem, & absolutionem à commisso crimine. Ita statuitur in Concil. Trident. sess. 22. De reform. cap. 11.

Item per Cap. Præter, distin. 32. & Cap. Si quis, distin. 81. Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, immo vt Nauar. in Enchir. *cap. 25. num. 76.* addit, & minoribus ordinibus initiatus, concubinarius, aut fornicarius notorius, suspenditur ab ordine donec pœniteat. Quod intelligendum est de eo qui ita notorius est, vt nulla tergiuersatione celari possit. Nec enim sufficit, *vt ibidem ait Nauarrus*, quod sit infamatus vel probari possit esse talis. Cæterum, an si talis durante ea suspensione exerceat actus ordinum à quibus suspenditur, sit irregularis, dubium est: de quo in vtramque partẽ plures authores citat Couarruias in Relect. De homicidio 1. *par.* §. 1. *num.* 5. & pro parte negante quam magis approbat adfert, quod irregularitas non incurratur, nisi in casu expresso à iure, per Cap. Is cui, De sentent. excommu. in 6. Et ad id quod in præcedenti cap. 4. habitum est suspensum irregularem esse, si suspensionis tempore exercuerit actum ordinis à quo suspenditur: respondet, id verum esse de suspensione quæ directe à iure indicta est in pœnam delicti, non item de ea quæ respectu cuiusdam honestatis indicta est potius ob decorum, quam in pœnam directã; quales sunt illi (inquit idem Couar.) qui corpore vitiati, & illegitimi, suspenduntur. Talisque censeri potest ea suspensio de qua agimus. Cum enim maxime indecorum sit, *si quid aliud*, ei qui tam turpi scelere contaminari palam cognoscitur, sacrorum ordinum vsum permittere, sit vt eiusmodi suspensionem ius indixerit ob talem indecentiam, non autem in pœnam: quia ad talem delinquentem corrigendum alia accommodatior esse potest. Quanquam non repugnãt, vt Superior dum suspendit aliquem, donec pœniteat, ipse intendat suspensionem inferre in directam pœnã delicti, perinde ac dum simpliciter, aut sub alia conditione suspendit. 75.

Adhæc cum non constet plene, an in memoratis canonibus, suspendendo manifestum fornicarium ab vsu ordinum donec pœniteat, mens Pontificum fuerit tantum ob decorum, an etiam in directam pœnam delicti suspensionem imponere: idem author merito monet consultum esse, vt exercens ordines in ea ipsa suspensione dispensationem ab irregularitate impetret à Summo Pontifice

De eadem re Suarez copiosissime differens tomo 5. *disput. 31. sect. 4. num. 4. & aliquot sequentibus*, tandem numero 15. concludit prohibitionem, qua Clericus fornicarius tenetur abstinere ab executione ordinum, non prouenire ex censura Ecclesiastica, sed ex malitia intrinseca talis status ipsius, perinde scilicet ac vsu venit cæteris, peccato mortali aliquo contaminatis: ratione cuius suspenduntur quoad se, & ratione scandali quoad alios. Cuius suspensionis violatione,

quia

quia non est censura, non incurritur irregularitas. Ad quod faciunt quæ idem tradit præcedentibus numeris eiusdem sectionis, vbi est videndus.

76. Dvo alia dubia Couar. *in sequenti num. 6. & 7.* subiungit. Alterum de Sodomita, & alterum de simoniaco, num irretiantur suspensione, in qua exercendo actum ordinis fiant irregulares? Atque quod de priori statuit multis alijs citatis, nefandi illius criminis reum (tanquam hac censura scilicet innodatum proprie) irregularem fieri exercendo actus ordinum. Nauarrus quoad Sodomitã occultum reiicit *in Enchiridio cap. 27. num. 249.* eo quod talis casus, prout Couarruuias fatetur, non sit de expressis in iure, prout requireretur, iuxta Cap. Is cui, de sentent. excommunic. *in 6.*

Subiungit autem ibidem Nauarrus explicationem constitutionis Pij V. qua exercentes tam dirum nefas priuat omni priuilegio Clericali, omnique officio, dignitate, & beneficio Ecclesiastico, his verbis; Omnes & quoscunq; Presbyteros, & alios Clericos sæculares, & regulares cuiuscunque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes omni priuilegio Clericali, omnique officio, & dignitate, & beneficio Ecclesiastico præsentis canonis authoritate priuamus. Quæ vltima verba (inquit ille) cum sint præsentis temporis, inducunt ipso iure pœnam: siue, vt Suarez habet in eadem sectione 4. num. 20. ostendunt tale vitium secundum se, & absolute, id est, siue publica notitia, aut infamia notatum sit, siue non; causam esse sufficientem talis priuationis: quia lex quæ per seipsam infert pœnam, factum solum requirit, vt operetur; non autem aliquam famam, vel notitiam; nisi ipsamet lex limitet se ad talem conditionem; quod quidem non sit in illa Pij V. constitutione.

Addit Suarez post Nauarrum, tale peccatum debere esse in sua specie consummatum (de tali enim intelligendum est iuxta regulam 49. in 6. pœnam imponi) ita vt non sufficiat quælibet pollutio, vel immunditia cum alio, nisi intercedat copulatio intra vas tali turpitudini ordinatum; quandoquidem in eo consummatur tale flagitium. Adde adhuc cum iisdem, ad contrahendam talem pœnam non sufficere, vt quis tale flagitium semel, aut iterum committat: sed requiri vt habeat illius consuetudinem. Ad quod significandum de industria vsurpatum esse participium, *exercentes*, refert Nauarrus testimonio Matthei Contarelli Datarij. Addit idem, Gregorium XIII. à se interrogatum, an talis pœna vt in externo foro, sic in interno locum haberet, respondisse affirmatiue; tum quia lex eam imponens non fundatur in præsumptione: tum quia non ponit discrimen inter vtrumque forum.

Illvd avtem quod Couarruuias de posteriori dubio item statuit, ob simoniam commissam in ordine, aut beneficio incurri suspensionem, qua durante si actum ordinis simoniacus exerceat, irregularis fiat; late explicatum videri potest apud Syluestrum *in verbo Suspensio, quæst. 7.* & latius apud Suarezium *in sæpe citata disputatione 31. sectione 4.* Idipsum autem, si simonia sit in ordine, satis clarum est ex cap. penultimo De simonia: in quo expresse suspensio imponitur, tum conferenti ordines per simoniam, tum alium præsentanti ad eos per simoniam, tum demum eosdem suscipienti per simoniam. Atque de primo notandum est, quod idem Suarez docet numero 24. & aliquot sequentibus, ipsum suspendi à collatione, non tantum illius ordinis in quo simoniam commisit: sed etiam aliorum, cum in memorato cap. De eo, quod maneat suspensus à collatione ordinum, habeatur; sine limitatione, quæ addita esset; sicut ibidem additur de ordinato, quod maneat suspensus ab ordine sic suscepto. Eandem vero collatoris suspensionem tantum esse per triennium, iuxta citatum cap. penult. quantumcunque simonia sit completa ex vtraque parte, dato scilicet & accepto pretio pro collatione ordinis, idem author sequentibus numeris tuetur: indeque infert, sic suspensum posse absque absolutione, si nullum aliud impedimentum subsit, triennio elapso ordines conferre. De secundo, hoc est, per simoniam præsentante ad ordines, tenendum est pari ratione suspendi ab executione omnium ordinum quos habuerit; idque tantum per triennium, quantumcunque simonia sit completa. De tertio demum, nempe eo qui ordines suscipit per simoniam, aperte habetur ex cit. cap. penult. suspendi tantum ab ordine simoniace suscepto: neque aliud constitutum esse per Extrauag. 2. De simonia, Suarez in num. 33. bene ostendit.

Quod autem attinet ad simoniam commissam in beneficio, late docet Suarez *num. 24. & aliquot sequentibus*, eam neque in conferente, neque in accipiente beneficium simoniace, inducere suspensionem tanquam censuram ab excommunicatione diuersam: sed vt inclusam in ea, quæ excommunicatum inter cætera excludit ab vsu ordinum. A beneficio autem collato ideo non suspendere, eoquod talis collatio sit nulla, per memoratam Extrauag. 2. De simonia. Qua de re alias suo loco egimus. Quod vero ab aliis beneficiis acquirendis suspendatur secluſa excommunicatione, non haberi sufficienter ex iure, Suarez ostendit *num. 46.* Inde concludens, quia nulla censura admittenda est ipso iure, nisi in eo satis expressa sit; ex vi peccati simoniæ non manere quem inhabilem ad alia beneficia acquirenda: sed ablata ipsa excommunicatione per absolutionem, posse absque alia dispensatione obtinere nouum beneficium. Atque hæc hactenus de suspensione ad Dei gloriam dicta sufficiant pro Confessarij nobis proposita institutione.

TRACTATVS III.

De interdicto Ecclesiastico.

Agvnt de isto censuræ genere Palud. in 4. distin. 18. quæst. 8. Sotus in eandem dist. 22. quæst. 3. De Anton. 3. par. tit. 26. Angelus, Sylu. & cæteri Summularij in verbo Interdictum, & in verbo Cessatio à diuinis. Item Nauar. in Enchiridio cap. 27. à num. 164. ad 191. Couar. ad cap. Alma mater, part. 2. atque alij quos commemorant Georgius Sayrus initio libri 5. Thesauri casuum conscientiæ; Alphonsus à Viualdo in 2. par. Candelabri aurei initio tractatus De interdicto, & Henriquez lib. 13. suæ summæ initio cap. 41. qui etiam late eam materiam persequitur, vt & Suarez tomo 5. in 3. part. D. Thomæ, disput. 32. & aliquot sequentibus. Illud considerabimus, primo in communi, deinde in specie quoad casus, in quibus ipso iure incurritur. Ab homine raro imponitur, quia iam ea est morum peruersitas, iuxta cap. Alma mater, De sentent. excommunic. in 6. §. Quia vero, vt inde excresceret indeuotio populi, pullularent hæreses, infinitaq; animarum pericula insurgerent. In communi autem sequentia occurrunt tradenda. Primum est generalis definitio interdicti Ecclesiastici cum eiusdem diuisione: secundum, illius causa: tertium, effectus: quartum, relaxatio: quintum cessatio à diuinis, quæ eidem est sic annexa, vt sæpe cum illo confundatur, quemadmodum Angelus & Syluester *in verbo Cessatio à diuinis. Statim initio*, annotant.

CAPVT XXV.

De generali definitione, & diuisione interdicti Ecclesiastici.

SVMMARIVM.

1 *Interdictum dicitur tum generaliter, tum specialiter, & quid sit hoc posteriore modo.*
2 *Diuiditur interdictum ipsum in mortis quibus suspensio, & peculiariter in locale personale, & mixtum.*
3 *Locale aliud generale, aliud particulare, & quid vtrumque sit.*
4 *Personale item aliud generale, aliud particulare, quidque vtrumque sit.*
5 *Nec interdictum locale, personas loci interdicti: nec personale, locum personarum interdictarum includit.*
6 *Quid sit tenendum de eo qui habet duo domicilia, vnum inter populum interdictum, & alterum extra eum.*
7 *Interdicto Clero non interdicitur populus, nec contra.*

8 *Interdictis Clericus non censetur interdicta eorum Ecclesia, nec contra.*

9 *Quid interdictum personale comprehendat, tum quoad personas, tum quoad actus.*

10 *Interdictum Ecclesiæ comprehendit Sacellum, & Cœmeterium ei contiguum, & interdictum ciuitatis, tum suburbia, tum ædificia continentia.*

11 *Ratio iudicandi quæ ædificia censeri debeant ciuitati continentia.*

12 *Quid sit iudicandum cum terra alicuius Domini supponitur interdicto, si ille plures terras habeat.*

13 *Interdictum mixtum quo modo accipiendum.*

1. QVia interdicere est proprie idem ac prohibere, ne quid fiat, interdictum generaliter quidem dicitur quælibet prohibitio, siue legalis, aut ciuilis siue canonica, aut Ecclesiastica, sed in præsentiarum sumitur angustius, vt sit, *prout definiri solet*, Ecclesiastica censura, qua prohibetur participatio actiua, & passiua diuinorum officiorum, & Sacramẽtorum secundum seipsa: sepulturæque Ecclesiasticæ secundum seipsam item. In qua definitione censura Ecclesiastica tenens locum generis, distinguit interdictum à cessatione à diuinis, quæ est sola diuinorum officiorum omissio, quemadmodum habet Nauarr. in Enchiridio cap. 27. num. 164. Cætera vero quæ sunt effectus interdicti, seperent ipsum ab excommunicatione, & suspensione, quæ non priuant vsu bonorum Ecclesiasticorum secundum se spectatorum: sed excommunicatio, prout illorum participatione fideles inter se communicant, & suspensio, prout eadem participatio est quoddam Ecclesiastici officij exercitium, quemadmodum iam in præcedenti tractatu, *cap. 1. num. 2.* attigimus. De prædictis effectibus ex quibus pendet distinctior notitia huius censuræ, dicetur quantum sufficit, in sequenti cap. 27. & duobus sequentibus. Aliqui propositæ definitioni addunt exceptionem, nisi ius, aut priuilegium expresse, vel tacite permittat, quam omisimus perspicuitatis gratia, existimando sufficere, vt moneamus, quod illa insinuat, interdictum non priuare omnibus rebus sacris, sed illis tantum quæ in sententia qua fertur, expressæ sunt: atque modo tantum in ea declarato.

2. DIVIDI vero interdictum potest iisdem modis quibus suspensio, cum qua communicat; quod aliud sit à iure, aliud ab homine item quod aliud ob contumaciam, aliud in puram pœnam latum sit. Itemque aliud sit quod priuet omnibus iis bonis quæ proposita definitio comprehendit: aliud vero (ad placitum scil. eius à quo decernitur) pluribus eorum priuet, aliud paucioribus, & aliud vno tantum, vt Ecclesiastica sepultura, vel celebratione Missæ. Modo autem sibi peculiari idem diuiditur in locale, personale & mixtum, vt locale sit, quod directe atque immeditate solum est contra locum aliquem (licet indirecte, ac mediate sit contra personas illic degentes, impediendo ne possint ibidem officia diuina celebrare, vel audire) nempe Prouinciam Regnum, Ciuitatem, Castrum, Oppidum, Villam, Monasterium, Collegium, vel Templum. Personale vero sit, contra alicuius loci personas tantum, & denum mixtum, quod sit contra personas, & locum simul.

3. Atque eorum quodlibet diuiditur rursus in generale, & particulare. Locale interdictum generale dicitur, quando locus vniuersus, vt tota prouincia, regnum vniuersum, ciuitas vel oppidum totum adeoque iuxta Cap. Cum in partib. De verborum significat. castrum, aut villa tota generatim interdicitur. Locale vero particulare dicitur, cum pars, vel plures partes loci, non autem omnes, interdicuntur; vt si ex pluribus templis alicuius ciuitatis, vnum, vel plura interdicantur, vel omnia templa quidem; non tamen cæteræ partes ipsius ciuitatis. Nam nec tunc interdictum est generale, tanquam latum in vnum quoddam totum: sed est multiplex singulare, tanquam impositum multis partialibus locis determinatis; perinde ac vsuuenit in excommunicatione quæ per vnam sententiam in plures homines fertur, quæ multiplex est pro illorum multitudine. Quam doctrinam habet Suarez 10. 5. disputatione 32. sectione 2. numero 10. Addens ei, non obstare quod tantummodo in Ecclesiis soleant officia diuina celebrari: quia in necessitate extra eas quoque celebrari possunt, assignatis, ad id accommodatis ciuitatis vel oppidi partibus aliis non suppositis interdicto: prout fieret si omnes ipsæ Ecclesiæ fuissent pollutæ sanguinis humani effusione.

Interdictum porro personale generale dicitur, cum loci alicuius vel populus, vel Clerus, aut vterque vniuersim interdicitur: & particulare, cum pars populi, aut pars Cleri, siue plures sint personæ, siue vna tantum persona certa, vel etiam incerta. Interdictum demum locale simul & personale generale dicitur, cum & locus totus, & Clerici, vel laici aut vtrique simul omnes interdicuntur: & particulare, cum pars, vel plures partes vnius loci, & vna persona, vel plures: immo & omnes pertinentes ad talis loci partem vnam, vel plures interdicuntur: in cuius exemplum Nauarrus *in Enchiridio capite 27. numero 166.* adfert interdictum illud quod dicitur deambulatorium, quo interdicitur persona, & locus vbi ea fuerit: quale memoratur in Cap. Non est vobis, De sponsalibus. 4.

Notanda pro praxi circa diuisionem interdicti in locale & personale.

SEQVITVR vt aliquot documentis complectamur, quę pro praxi notanda sunt circa easdem memoratas interdicti species. Primum est (quod ab omnibus solet tradi congruenter Cap. Si sententia. excommunic. in 6.) interdictum tantummodo locale non includere personas, seu populum loci interdicti: itaut quantumuis non liceat eis immo nec alijs aliorum locorum personis, in tali loco celebrare, vel audire diuina officia, administrare, vel recipere Sacramenta nec sepulturam Ecclesiasticam vsurpare nisi cum ius, aut priuilegium expresse, vel tacite permittit, *prout in sequent. cap. 3. exponetur*, liceat tamen in alio loco, cum non fuerunt causa eiusdem interdicti: id est, cum non ob ipsorum culpam neque ad puniendum in eis Dominum, aut Rectorem ipsorum (vt fit cum simul interdicuntur ciuitas & ciues, *ex g ossa ad memoratum Cap. Si sententia, verbo Interdicti*) latum est tale interdictum, vt exempli gratia, interdicta hac ciuitate, possunt ciues qui non fuerint causa interdicti, audire Missam in alia ciuitate vel oppido non interdicto. Similiter, interdictum personale non includere locum in quo sunt tales personæ, itaut exteri in eo perinde ac si non esset tale interdictum, possint diuina officia audire, & celebrare exclusis personis ipsis subiacentibus interdicto, quæ nec ibi, nec alibi diuina officia audire, vel aliquid eorum quæ sunt eis interdicta, vsurpare licite possunt, *prout habetur ex citato Cap. Si sententia, in fine.* 5.

Quæri autem potest, an habens duo domicilia; vnum vbi totus populus interdictus est generaliter: alterum vbi nihil est tale, censendus sit subiacere interdicto? Ad quod respondum est, considerari debere, in quo talium populorum habitet actu: quia consentaneum est vt ille conformetur, & illius onere, aut libertate fruatur. Quod si in neutro actu habitet, cum oporteat in partem fauorabilem inclinare in odiosis, iudicari poterit frui libertate populi non interdicti. Ita post Sylvestrum Suarez num. 16. sectionis paulo post citandæ. 6.

SECVNDVM documentum est, *quod habetur ex principio eiusdem Cap. Si sententia*, interdictum personale Cleri alicuius loci, nec locum ipsum includere, nec ipsius habitatores laicos. Addit Nauarrus *in memorato num. 166. aliis citatis*; nisi sint Religiosi, quia nomine Clerici, prout constituitur à nomine populi, comprehenduntur. Religiosi, & Religiosæ, etiam Conuersi, & Conuersæ, Nouitij, & Nouitiæ. Eamque esse communem sententiam notat Couarruias ad cap. *Alma mater*, 2. *par.* §. 1. *numero* 8. De quorum duorum nominum, *Cleri, inquam, & populi*, acceptione plura Suarez in citata disputatione 32. sectione 2. numero 13. & aliquot sequentibus. Nec item vice versa interdictum personale populi, seu laicorum habitatorum loci comprehendere Clerum; itaut tempore talis interdicti Clerici celebrare possint diuina officia: non item laici audire ea; sicut interdicto solo Clero potest eiusdē loci populus diuina officia ibi audire, aduocatis aliunde de ea celebrādo Clericis non interdictis. Atque hæc intelligenda sunt non modo, 7.

cum

cum interdictum fuerit generale; sed etiam cum particulare: adeout interdictis Clericis alicuius certæ Ecclesiæ, hæc non censeatur interdicta: sed in ea Clerici alij licite celebrare possint, quemadmodum ad supra citatum Cap. Si sententia, *verbo in Clerum*, expressit glossa communiter recepta; vt notat Couarruuias in præcedenti numero 7. Neque contra, Ecclesia interdicta Clerici eius censentur interdicti, quemadmodum expressit Syluester *verbo Interdictum* 2. *numero* 8. & sequitur Nauarrus in fine sequentis numer. 167. argumento Cap. Per exceptionem, De priuilegiis in 6. Ratio autem reddi potest: quia censura non transcendit res significatas per verba legis, aut sententiæ qua imponitur, itaut prohibitio personarum non censeantur pariter esse locorum, aut contra, prohibitio locorum esse & personarum.

9. TERTIVM documentum, *quod Nauarrus tangit in Enchiridio capite* 27. *nume* 0170. est. Personale interdictum particulare quoad personas, comprehendere tantum eas quæ in illo nominantur: quoad actus vero prohibitos, comprehendere & expressos in illo, & eos qui expressis includuntur; vt si Petro, exempli gratia interdictum sit ingressu alicuius Ecclesiæ, censentur simul ei interdictam esse celebrationem diuinorum officiorum intra eandem Ecclesiam: cum hic posterior actus in illo priori includi censeatur hoc nomine, quod dari nequeat sine eo. Quando autem nulli actus in interdicto exprimuntur; sed Petrus *exempli gratia*, absolute interdicitur, ipsum censetur tunc comprehendere omnes actus qui vetantur interdictis: nempe, *iuxta definitionem antea traditam*, actiuam & passiuam participationem, tam diuinorum officiorum, quam Sacramentorum, atque sepulturæ Ecclesiasticæ.

10. QVARTVM documentum est. Interdictum Ecclesiæ comprehendere Sacella, & Cœmeteria ei contigua, non autem alia, id est, non contigua. Hoc habetur ex cap. Si ciuitas. De senten. excommunic. in 6. Vbi etiam definitur interdictum ciuitatis, vel castri, aut villæ comprehendere illius suburbia, & ædificia continentia. Circa quod aduerte, cum ædificia continentia dicantur etiam de non contiguis, seu de seiunctis à ciuitate, vel castro quanta debeat esse talis seiunctio ædificiorum, vt censeantur non continentia, arbitrio Iudicis relinqui, *prout habet glossa ad idem cap verbo Continentibus.*

11. Pro cuius arbitrij directione notandum est, ædificia continentia appellari, quemadmodum habet Suarez *in citata sect.* 2. *num.* 23. quæ licet non sint tam vicina, vt suburbium faciant, nihilominus tanquam non multum distantia à ciuitate vel oppido, censentur ad illa pertinere: vt quædam eremitoria, & nonnulla monasteria, ac prædia suburbana, quæ Summi Pontificis voluntate, interdicto ciuitatis comprehensa fuisse (licet vis verborum id non ferat) merito censentur, ne illud alioqui contemptui habeatur inefficaxque reddatur: quandoquidem si ciues in suburbijs, vel alijs locis proximis possent diuina audire, non admodum grauarentur ipso interdicto, vnde facile fieret, vt ipsum contemnerent. Ex qua ratione, *addit bene Suarez*, sumenda est regula ad iudicandum, quando ædificia sint continentia: seu quando sint intra distantiam illam, quam interdictum fulminatum sic complectitur, vt si intra eam celebrentur diuina, oriatur in populo occasio ipsum contemnendi. Regula erit igitur, locum eum comprehendi interdicto, respectu cuius talis occasio oriretur, alias non. Neque obstabit quod is locus sit in aliena Diœcesi, aut exemptus à iurisdictione imponentis interdictum: quia ille tunc censendus est interdictus, non quidem ab homine, sed iure communi, per memoratum Cap. Si ciuitas: sicut cum quis excommunicatus est ab homine maiori excommunicatione, alij iure communi, etiamsi non subsint iurisdictioni excommunicantis, prohibentur cum eo communicare.

Hæc autem locum habent cum interdictum locale fuerit generale: nam quando est particulare, auctor illius non censentur velle, vt maiorem vim habeat quam sequentem ex prohibitione vnius loci. Quo fit vt non nisi ad contigua extendatur: neque ad ea omnia, sed quæ sint partialia ipsius loci interdicti, sicut Ecclesia interdicta censetur & Sacellum, aut Cœmeterium ei contiguum interdictum: non autem alia Ecclesia eidem contigua, siue per intermedium Cœmeterium, siue per communem parietem, quia contiguitas non obstat quin sit reipsa duæ Ecclesiæ, neque facit, vt vna sit alterius pars: auctorque interdicti non aliam, quam à se determinatam, intendit illi subiicere. 12.

QVINTVM documentum est. Cum contingit ob delictum Domini terras ipsius interdici, si is plures habeat, siue æqualibus, siue inæqualibus titulis dominij, *vt quando aliarum est proprietarius, & aliarum tantum vsufructuarius*, si ex verbis quibus interdictum imponitur, vel ex circunstantiis, hoc est proprietate vocum, vel ex cõsideratione tam rerum, quam personarum, & occasionis ferendi talis interdicti, &c. sufficienter constet de qua terra sermo sit ea iudicanda est interdicta. Sin nihil neque ex vocibus, neque ex circunstantijs quę terra interdicatur, cognosci possit, interdictum censendum est nullum, tanquam dubium & ambiguum. De qua re videri potest Suarez in citata sect. 2. num. 28. 29. & 30.

Vltimum documentum est quod *Nauar. habet in Enchir. cap.* 27. *num.* 166. De interdicto mixto, qua ex parte locale est, esse idem iudicandum ac de locali simplici, & qua ex parte est personale, idem ac de personali simplici. 13.

CAPVT XXVI.

De causis interdicti.

SVMMARIVM.

14 *Causa efficiens interdicti, seu quis possit interdicere.*
15 *Interdicti materia remota, seu qui interdici possint.*
16 *Materia propinqua est peccatum mortale, & interdum venialer illudque non tantum proprium, sed etiam alienum.*
17 *Propter delictum Domini nolentis debita soluere, terra ipsius non est subijcienda interdicto.*
18 *Speciale interdictum imponitur tantum ob culpam propriam quam interdum sufficit venialem esse.*
19 *Personale generale iuste ferri potest tantum ob mortalem culpam grauem.*
20 *Locale generale tantum ob mortalem grauissimam, & partiale ob mortalem minus grauem.*
21 *Tenenda de forma, & de fine interdicti.*

COMMVNIS consensus est eamdem esse causam efficientem interdicti, quam excommunicationis, & suspensionis, de quo post alios ab ipso citatos, Suarez *tomo* 5. *disput.* 36. *sect.* 1. Sufficit autem notare, quod ipse habet in num. 4. congruenter capit. Cum & plantare, §. Excommunicatos, De priuilegiis, & cap. Episcoporum, eodem titulo in 6. potestatem ordinariam ferendi interdictum à iure, esse tantũ Episcoporum, tanquam habentium principalem iurisdictionem fori contentiosi: atque eorum qui sunt participes iurisdictionis Episcopalis, vt nonnulli Abbates, & capitulum sede vacante. Potestatem vero ferendi interdictum ab homine, inesse quoque aliis iurisdictionem fori externi habentibus, vt Prælatis religionum, iuxta cap. Cum ab Ecclesiarum. De officio Ordinarii: etsi non sit vsu receptum, nec rationi consentaneum, vt interdictum locale imponant; prout idem Suarez notat post Sotum in 4. *distin.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. *conclus.* 2. 14.

Communis quoque consensus est, interdicti materiam remotam, esse non modo personas certas, sed etiam vniuersitatẽ, seu totam aliquam communitatem, vt populum alicuius Regni, vel ciuitatis, Clerum, vel laicos alicuius Parochiæ, &c. iuxta cap. Si sententia. De sententia excommunic. in 6. Immo & locum aliquem, hoc est, prouinciam Regnũ, ciuitatem Ecclesiam, ex sequen. cap. *Alma mater*, eod. titulo & libro. Aduerte autem ex ca. Quia periculosum, *eodẽ adhuc titulo & libro*, nec Episcopos, nec Prælatos superiores subiici personali interdicto generali, nisi in hoc de illis fiat specialis mentio. Cæteræ autem personæ omnes subiiciuntur quæ possunt subiici excommunicationi, vt omnes fateri Suarez notat *in sequenti sect.* 2. *num.* 5. quia ex parte fidelium 15.

eadem est capacitas ad quamcumque censuram, si ex parte sententiæ Iudicis, aut legis concurrant omnia necessaria.

Vnde patet, ad dubium quod solet moueri de infantibus; an comprehendantur interdicto antequam habeant vsum rationis, patet, inquam, respondendum esse negatiue, cum neque capaces sint peccati mortalis, sine quo excommunicatio non incurritur: neque vsus diuinorum, quo interdictum priuat, admitur. Itemque iudicium est de amente; adeout vterque non obstante generali interdicto personali, sepeliri possit in loco sacro, quem illud interdictum non afficit; sed solas personas, ex quarum numero infantes ante vsum rationis, & amentes eximuntur. Statim vero ac iidem infantes doli capaces effecti fuerint, *prout censentur effecti, qui possunt peccare mortaliter*, incipiunt subiici interdicto, cuius non sunt amplius incapaces: nec culpa in eo requiritur, sicut in excommunicatione; nec necesse est vt ligati fuerint ab initio latæ sententiæ; quia hæc donec reuocetur, vim suam retinet, continueque influit in communitatem contra quam prolata est. De quibus Suarez *loco citato numero 7. & tribus sequentibus.*

In cæteris ex parte istiusmodi materiæ, interdictum conuenit cum excommunicatione (de quibus in præced. lib. 9. cap. 8.) excepto quod Vniuersitas, seu Collegium non possit subiici excommunicationi, ex Cap. Romana, §. In Vniuersitatem, De sententia excommnic. in 6. possit autem, vt vsus ostendit, subbiici interdicto; quod dicitur ligare communitatem, non quidem per se, quæ non est capax actuum quibus interdictum priuat; sed per eius partes, seu personas particulares eam integrantes, illorum actuum capaces: ne (*vt habetur in Cap. Si sententia De senten excommunic. in 6.*) interdictum ipsum sit inutile.

16. Quoad materiam vero propinquam (quæ vt Caiet. *in verbo Interdictum* expressit; potest, sicut minoris excommunicationis, suspensionis, & irregularitatis, esse non modo peccatum mortale; sed etiam veniale) in hoc differre interdictum ab excommunicatione, & suspensione, quod cum hæ non ferantur, nisi ob culpam propriam; illud etiam ob alienam feratur. Nam ciuitatem, & ciues propter contumaciam Domini, aut Gubernatoris sui (non item cuiuscumque alterius personæ priuatæ, per Concil. Basilienſe sess. 20. *approbatum ea ex parte à Nicolao V. vt notat Couar. ad Cap. Alma mater, 2. par. §. 1. num. 5.*) interdici posse constat; tum ex eodem Concil. cuius verba memoratus author refert: tum ex Cap. Si sententia, §. Cæterum, De sententia excommunic. in 6. Nec. refert inde sequi, huic censuræ subiici insontes simul cum sontibus: nam cũ interdictum sit luctus quidam, & mœstitia Ecclesiæ, non est incommodum in luctu matris, bonis etiam filiis mœstitiam imponere; qua prouocentur ad extorquendam à malis resipiscentiam, vrgẽdo incommodum, quod ipsorum causa sentiunt, participes effecti medicinalis pœnæ institutæ ad ipsorum curationem.

17. Ne autem propter Dominum nolentem soluere debita, terra ipsius, vel ciuitas interdicto subiiciatur sine licentia speciali Papæ, cauetur in Extrauaganti communi, Prouide attendentes, De sententia excommunic. Quæ constitutio an intelligenda sit non tãtum de generali, sed etiam de particulari interdicto locali, difficultas est; quam tractat Suarez *tom. 5. in 3. par. D. Tho. disp. 46. sect. 3. n. 8.* qui quamuis partem negantem tenentes sequatur, existimans cõtrariam ex eiusdem constitutionis verbis minime colligi; merito tamen cum Couar. in citato num. 5. coniicere possumus; Papæ mentem fuisse, prohibere vsum cuiusuis interdicti localis ad recuperationem debiti. Nam is non expedit Reipub. Christianæ, in qua potest remissionem animarum circa Dei cultum generare; necessitate non excusante: cum mulctæ aliæ rationes suppetant cogendi debitores ad solutionem æris alieni.

Cæterum, curandum est in hac re, sicut in reliquis, vt proportio seruetur inter pœnam & culpam; quod relinquitur prudentis arbitrio: quem iuuabit obseruatione sequentia, quæ Suarez tradit in priore parte citatæ sectionis

18. tertiæ.

Primum est; speciale interdictum personale nõ posse in aliquem ferri nisi ob ipsius propriam culpam. Ratio est, quia illud imponitur ad talem in suo authore puniendam, vel emendandam; culpam autem eiusmodi debere esse mortalem, si interdictum feratur simpliciter, & absolute: quia tunc est grauis pœna priuans vsu bonorum magnorũ, *tanquam spiritalium*, ad quæ ius habetur: venialem vero sufficere posse, si interdictum imponatur adeo limitatum, vt censeatur leue, sicut quando est tantum ab ingressu Ecclesiæ, vel à sacra communione ad aliquod breue tempus.

Secundum est; personale interdictum generale posse tantum te... ob culpam mortalem, eamque valde grauem. 19.
Ratio est, quia talis pœna est valde grauis, vtpote qua non vna tantum, aut altera persona; sed omnes totius communitatis grauantur. Ea autem culpa non exigitur in omnibus personis quæ subiiciuntur tali interdicto, vt patet ex cap. Si sententia, §. Cæterum, De senten. excommunic. in 6. Et confirmatur, quia ideo potest tota communitas interdici, *cum non possit tota excommunicari*, quod excommunicatio ligare possit tantum ob proprium delictum, & interdictum possit etiam ob alienum; nec quodcumque, sed solum commune; quia contra rationem est, vt pœna communis pro culpa priuatæ personæ imponatur: cum illa non sit huic proportionata, sed eam excedat.

Cõmunis autem culpa censetur, *prout in citato §. Caterum indicatur*, quando ea est domini, vel rectoris loci suppositi interdicto. Et ratio est; quia culpa capitis modo quodam redundat in communitatem, ob cõiunctionem qua fit vt potestas Superioris quodam modo sit etiam totius cõmunitatis. Censetur item (vt de se patet) quando delictum ipsum à communitate, vt communitas est, procedit: vt à Capitulo, Collegio, Senatu. &c. Ad quod non requiritur, vt vniuersi qui de ea sunt, conuenerint ad congregationem, ex cuius consensu tale delictum perpetratur: sed sufficit vt talis congregatio totam communitatem repræsentet, tanquam eam, quæ commisit illi suas vices, & ex cuius determinatione pendere velit, & tota pendeat.

Tertium est ad generale interdictũ locale iuste ferẽdum, 20.
perinde atque ad generale personale, requiri culpam mortalem, eamque grauissimam. Ratio est, quia ipsum quoque redundat in totam communitatem, quodammodo priuans eam cultu publico; quo solent homines maxime ad deuotionem excitari. Talis enim culpa, cum non possit esse loci, debet esse hominis, ad quem idem locus aliquo modo pertineat. Non sufficit vero esse personam priuatam eiusdem loci; quia non est consentaneum totam vniuersitatem grauari ob delictum personæ priuatæ. Debet igitur tale delictum esse Principis, seu Gubernatoris, loci aut totius communitatis, prout ante dictum est de generali interdicto personali; cum quõ adhuc ipsum generale interdictum locale conuenit, quod extendat se etiam ad innocentes. Vnde fit, vt neque hi possint in loco interdicto, officiis diuinis interesse.

Aduerte obiter, *quod Suarez aliis in eandem sententiam citatis, habet num. 7. per Capit. Sane 2. De officio Deleg.* ob delictum Prælati, locum ipsius spiritali iurisdictioni subiectum, posse interdici, quia nulla apparet ratio ob quam coniunctio ac subiectio temporalis ad tale quid sufficiat; non autem spiritalis.

Quartum est, particulare interdictum locale, vt iuste feratur, requirere culpam mortalẽ, licet non tantam, quantã locale generaliter requirit. Ratio est, quia ipsum quoque redundat in grauamen communitatis, atque adeo plurium personarum, non tantum nocentium; sed etiam innocentium: pauciorum tamen quam interdictum locale generale. Vnde ipsum, vt iuste feratur, grauem sane culpam requirit: non tamen tam grauem quam istud requirat. 21.

De forma interdicti idem statuitur quod de forma excommunicationis, & suspensionis, non esse certorũ, & definitorum verborum: sed constare posse quibusuis, sufficiẽter exprimentibus intentionem interdicentis. Quamquam congruenter citato cap. Sane 2. & cap. Cum in partibus, De verborum signif. (*vt in 4. distin. 22. quæst. tertia, art. 1. concluſ. 3.* Sotus notat) hæc est vsitata; Talem populum, aut locum Ecclesiastico interdicto subiicimus. Necesse est vero, vt quæcumq; ea fuerint, significationem habeant sufficienter determinatam ad censuram quæ fertur, & ad personam, seu personas, aut ad locum in quem fertur: quia manens

incerta.

incerta, in his nihil operaretur, prout notat Suarez *in sequenti sect. 4. sub initium.*

Statuitur deinde, cum ob contumaciam interdictum fertur, *non item cum in nudam pœnam*, esse illi præmittendam trinam monitionem, iuxa Cap. Reprehensibilis, De appellationibus, & scriptis Reo tradendam sententiam exposita causa propter quam afficiatur tali pœna, iuxta Cap. Cum Medicinalis, De senten. excommunic. in 6. Aduerte vero obiter, vt ciuitas obligetur ad obseruationem interdicti, sufficere vt ipsum sit promulgatum in primaria Ecclesia, immo vt sciatur vicinos, & maxime Ecclesiam metropolitanã illud seruare, ex Cap. 1. §. Verum, De postulatione Prælatorum. De fine interdicti nihil aliud dicendum est, quam sicut aliarum censuram, esse correctionem fidelium, vt scilicet si resipiscant tali pœna moti, vel certe puniantur in aliorum exemplum.

CAPVT XXVII.

De effectibus interdicti, ac specialiter de primo, qui est priuatio vsus Sacramentorum.

SVMMARIVM.

22 *Tria capita ad quæ reuocantur effectus interdicti.*
23 *Baptismi vsus quatenus permissus tempore interdicti.*
24 *Permissus est vsus Sacramentorum Confirmationis ac Pœnitentiæ, & qualiter.*
25 *Obseruanda pro praxi circa permissionem vsus Sacramenti tempore interdicti.*
26 *Quatenus eodem tempore permissus sit Eucharistiæ vsus.*
27 *Vsus conferendi Extremam vnctionem, aut Sacramentum Ordinis, non est permissus tempore interdicti.*
28 *Matrimonium valide quidem contrahitur tempore interdicti, non tamen licite.*
29 *Interdictum non obstat quin sponsalia contrahi possint: & quando obstet benedictioni nuptiali.*

22. DE effectu interdicti late Suarez *tomo 5. in 3. partem disput. 33. & duabus sequentibus*, cuius tanquam Doctoris recentioris eruditi & diligentis vestigia sectabimur, duobus præmissis in genere. Prius est, effectus omnes interdicti ferri ad tres antea cap. 25. expressos in illius definitione, qui sunt priuatio vsus quorumdam Sacramentorum: priuatio vsus officiorum diuinorum, ac priuatio vsus sepulturæ Ecclesiasticæ. Posterius est, quod idem Suarez ibidem notat: tales effectus communes esse proportionaliter omni interdicto, tam personali, quam locali, & vtrique tam generali, quam particulari. Aduerte vero eos non esse connexos in interdicto ipso, sicut in excommunicatione: ideoque, licet Episcopus excommunicationem ferens, nequeat eam limitare ad aliquem eius effectum, nec ad alium extendere, tamen imponens interdictum, potest illud ad aliquos effectus eius limitare, nec ad alios extendere. Ita docet Henriquez *lib. 13. cap. 2. §. 3.* bene addens aliam rationem esse de Papa, qui de plenitudine potestatis, idipsum perinde potest circa effectus excommunicationis, ac circa effectus interdicti, quia differentia solum est ex communi Ecclesiæ statuto, quod non ligat Papam, sicut Episcopum. Iam de iis quæ propria sunt, dicere aggrediamur, annotando ea quæ pro praxi digna sunt obseruatione.

23. PRIMVM EST. In loco interdicto, siue interdictum generale sit, siue speciale (prout ex Calderino habet Nauarr. in Enchir. cap. 27. n. 178. permitti Baptismum pro paruulis, ex Cap. Non est vobis, De sponsalibus, & ex Cap. Responsio, De senten. excommunic. atque permitti absolute cum sacramentalibus, qualia sunt *inquit Nauarr ibidem*, Catechismus. Exorcismus, Vnctio olei, &c. ad eum ordinatis. Idque non tantum in Baptismo paruulorum, sed etiam adultorum, quando periculum mortis non patitur dilationẽ Baptismi in alium locum, vel aliud tempus, iuxta Cap. Quoniam, De senten. excommunic. in 6. De quo Suarez in citata disput. 33. sect. 1. num. 2. citans Syluestrum, Nauarrum, & Couar. Addensque in sequen. num 3. id locum habere, etiamsi interdictum sit particulare loci. Pro quo facit quod in illo Cap. Quoniam, absolute dicatur, tempore interdicti licitum esse ministrare illud Sacramentum, neque distinguatur de interdicto particulari, aut generali. Et ita Parochus cuius Parochia particulariter supposita est interdicto, non tenetur aliam propinquam adire, vbi paruulum in ilia sua natum baptizet cum solemnitate.

Addit idem consequenter, quod dicitur interdictum loci non obstare quin paruulus possit solemniter baptizari; similiter dici posse respectu interdicti personalis, quando persona ei subijcitur, non ob suum, sed ob alienum delictum, perinde nimirum ac locus solet. Et certe conueniens est, vt sicut Baptismus ob necessitatem ipsius permittitur administrari in loco interdicto; pari ratione permittatur administrari à persona interdicta, absque vlla sua culpa. Atque vt ad eiusdem Sacramenti reuerentiam spectat dum solemniter administratur, id fieri in loco sacro (quod præcipitur in Clemen. vnica de Baptismo) sic etiam spectet, idem fieri à persona sacra, adeout necesse non sit Parochum cum cæteris de Parochia interdictum ob delictum Domini loci, aduocare vicinum Parochum pro baptizando in eadem Parochia paruulo. Quod si interdictus esset ob delictum proprium (vt fit per personale interdictum particulare, aut per generale locale, vel personale cui causam dederit) non posset baptizare nisi in necessitate, & absque solennitate, propter culpam suam propriam sustinens pœnam interdicti tanquam reus ea affectus.

24. SECVNDVM EST. Idem in hac re dicendum esse de vsu Confirmationis, siue actiuo eam administrantis, siue passiuo eam recipientis, ac dictum est de vsu Baptismi. Ius enim de vtroque pariter statuit, vt patet ex cap. Responso, De senten. excommunic. & ex cap. Quoniam, eodem tit. in 6. Ratio vero esse potest, quod Confirmatio sit veluti complementum quoddam status hominis Christiani, cuius professio est Baptismus. Istud plenius tractatum habet Suarez *in citata sectione 1. §. De Confirmatione*: simul docens quod in hac re dicitur de ministratione Confirmationis, dicendum esse pariter de confectione Chrismatis. Pro quo facit citatum Cap. Quoniam, vbi hæc illi æquiparatur respectu interdicti.

TERTIVM EST. Tempore interdicti ita permissum esse vsum Sacramenti Pœnitentiæ, vt hoc administrari possit peccatoribus, tam sanis, quam infirmis, siue interdictum sit à iure, siue ab homine. Pro quo textus est expressus in Ca. Alma mater, De senten. excommunic. in 6. §. Quia vero: addita duplici limitatione illius in sequenti paragrapho; quarum prior est; dummodo is qui ad tale Sacramentum admitti vult, impedimentum non habeat excommunicationis. Nam eiusmodi, nisi versentur in mortis periculo, admitti prohibentur. Posterior limitatio est, dummodo ij qui admitti petunt, non sint illi ob quorum culpam, dolum, aut fraudem latum est interdictum: aut qui ijsdem in talis delicti perpetratione consilium, vel auxilium dederint. De quibus vtrisque ibidem Pontifex decernit, non esse aliquatenus concedendum tantum beneficium, nisi prius satisfecerint, vel de faciendo idoneam cautionem dederint: aut si nequeant hæc præstare, iurauerint se quantum poterunt, daturos operam fideliter, vt siue per se, siue per alios à quibus fieri debet, talis satisfactio fiat.

25. Obseruanda sunt autem quæ Suarez in memorata sect. 1. §. De sacramento Pœnitentiæ attingit. Primum est, limitationem illam priorem esse intelligendam de excommunicatione, prout in foro externo absolutio eius, *siue sit, siue non sit reseruata*, datur cum solemnitate præscripta in Cap. A nobis 2. §. penult. De senten. excommunic. Nam cum iuxta Cap. Nuper, eodem titulo, in vsu fori interni comites sint potestas absoluendi à mortali, & potestas absoluendi ab excommunicatione non reseruata, absolutio ab ipsa excommunicatione non reseruata, censenda est tempore interdicti permitti in foro interno, perinde ac permittitur absolutio à peccatis.

Secundum est, ex posteriore limitatione colligi aperte, eum qui ligatus est particulari interdicto personali non pos-

se recipere Sacramentum Pœnitentiæ ; quandoquidem eiusmodi interdictum nunquam fertur nisi ob propriam culpam illius in quem fertur. Tertium est, eadem ratione qua dictum est antea, Baptismũ permitti in loco interdicto, nec per generale interdictum personale impediri illius administrationem in eo, qui non dederit causam eidem interdicto; dicendum pariter esse, Pœnitentiæ Sacramentum in tali loco posse administrari à persona generali interdicto ligata, non ob suum, sed ob alienum delictum: non vero à persona ligata speciali interdicto personali, adeoque ob propriam culpam. Nam talis cum denunciatus fuerit, non potest ingerere se propositæ administrationi; potest autem ab Ecclesia toleratus: perinde ac de excommunicato, *iuxta priuilegium Concilij Constantiensis*, tradidimus in 1. libro cap. 9. sect. posteriore; quæ consule.

26. Quartvm est; tempore interdicti ob periculum mortis notabile, permissum esse Sacrosanctæ Eucharistiæ vsum per modum viatici, iuxta illud in Cap. Quod in te, De pœnit. & remiss. in illo verbo, Per quod morientibus pœnitentiam non negamus, viaticum etiam quod vere pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt nec ipsum decedentibus denegetur. Vbi nota primo esse perinde siue periculum sit mortis naturalis, siue violentæ, vt afficiendi extremo supplicio, vel suscipientis longum & periculosum iter. Nota 2. vt qui causam dedit interdicto, capax sit susceptionis viatici, perinde ac vt sit capax absolutionis sacramentalis, debere antea satisfacere, si possit: aut si non possit, dare cautionem, qualem per Cap. Alma mater, De senten. excõmunic. in 6. exigi ante notatum est; præsertim cum ipsi Eucharistiæ sumptioni, conscius sibi peccati mortalis (vt censendus est qui particulariter ob propriam culpam suppositus est interdicto) præmittere debeat confessionem sacramentalem, ex definitione Concilij Triden. sess. 23. cap. 7. Nota 3. de eo qui in particulari interdictus est personaliter, idem esse dicendum quoad administrationem, ac dictum est paulo ante quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Nota 4. in delatione viatici ad domum ægroti non esse prohibitam solemnitatem per quam excitatur populus ad illud comitandum & concurrendum ad illius venerationem. De his Suarez in eadem citata sect. 1. §. De Eucharistia.

In sequenti §. subiungens, ex vi interdicti, extra mortis periculum non esse permissam Eucharistiæ administrationem. Quod probat, quia omne interdictum prohibet Sacramentorum vsum, nisi is sit eorum Sacramentorum, quæ iure excipiuntur. At Eucharistia non est excepta, nisi vt vsurpatur per modum viatici, aut in Missæ celebratione quæ sine vsu Eucharistię perfici nequit. Et certe supra citata verba ex Cap. Quod in te, De pœniten. & remiss. satis ostendunt non, vt quiuis, *etiam sanus*, ad Pœnitentiæ Sacramentum admittitur tempore interdicti, *iuxta Cap. Alma mater*, §. *Quia vero De senten. excommunic. in 6.* sic etiam quemuis ad Eucharistiæ sumptionem esse admittendum, sed solum versantem in mortis periculo; aut habentem ad id speciale priuilegium: aut si interdictum sit tantum locale: cui si quis nõ dederit causam, is non prohibetur communicare in loco non interdicto: secus si fuerit interdictum personale (etiam generale cui causa non dederit) quia interdicti personalis ea vis est, vt personam (sicut interdicti localis, vt locũ) extorrẽ vsus Sacramentorũ reddat extra casus iure, aut priuilegio permissos. De qua re Suarez loco cit. n. 32. & textus satis apertus habetur in Cap. Si sententia, De sentẽ. excommu. in 6.

27. Qvintvm est; non esse permissum tempore interdicti vsum Extremæ vnctionis, haberi ex Cap. Quod in te, De pœnit. & remiss. cum dicitur; Licet per generale interdictũ omnibus denegetur tam Vnctio quam Ecclesiastica sepultura, &c. De hoc Suarez agens *in* §. *De eadem Vnctione*, aduertit primo, ne quidem instante morte permitti talem vsum tempore interdicti; quia is prohibetur maxime pro articulo pro quo Sacramentum ipsum Extremæ vnctionis instituitur. Ille autem est in quo mors ex graui morbo instat. Aduertit secundo, tali prohibitione conprehendi tam Clericos quam laicos: & tam Religiosos quam sæculares: quia vniuersalissima sunt verba ante relata, *omnibus denegatur tam Vnctio, &c.* quæ limitare non est liberum nisi ex alio Decreto habeatur talis limitatio; aut ex adiuncta exceptione, qualis in eod. Cap. Quod in te, adiuncta est: quoad sepulturam Clericorum, qui seruarunt interdictum. De quo memoratus author contra Paludanum.

Sextvm est. Vsum recipiendi, aut administrandi Sacramentum ordinis non esse censendum permissum tempore interdicti. Hoc citatis Panormitano, Paludano & Couar. Suarez habet *in eadem memorata sect. 1. nu.* 45. Rationem addens: quod nulla possit illius Sacramenti in iure fundari exceptio à generali, *de quo agimus*, interdicti effectu priuandi participatione Sacramentorum: cuius tam aperta est mentio sine tali exceptione in Cap. Responso. §. penultimo de senten. excommuni. & in Cap. Alma mater, §. 2. eodem titulo in 6. quæ tamen fieri debuisset sicut factæ sunt aliæ. 28.

Septimvm est. Constare quidem, matrimonium initum tempore interdicti validum esse, cũ interdictum nihil auferat quod sit de illius Sacramenti veritate: sed difficultatem esse, an tunc ineatur licite. Pro cuius parte affirmante multos authores citat Thomas Sanchez *lib. 7. De matrimon. disput. 8. num. 2.* adfertque pro fundamento, tum Cap. Capellanus, De feriis, vbi habetur eam esse Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, vt matrimonium quocumque tempore contrahatur. Tum quod matrimonium sit contractus quidam naturalis, cui per accidens Christus Dominus adiecit Sacramenti rationem. Sed pro parte negante Suarez in sæpe memorata sect. 1. *num.* 51. bene vrget, ex paulo ante citatis iuribus haberi, nulla Sacramenta esse administranda tempore interdicti, certis casibus & Sacramentis exceptis. De quorum exceptorum numero si matrimonium esset censendum, maxime esset ob allata fundamenta. Sed ea non sufficere Suarez ipse ostendit: quia quod in Cap. Capellanus dicitur, matrimonium omni tempore contrahi, intelligi potest valide, etiamsi illicite; aut omni tempore quidem & licite, dummodo tamen non obstent circunstantiæ, sicut obstant circunstantiæ loci & personarum, ratione interdicti localis & personalis. Deinde quod matrimonium sit contractus naturalis, non impedit in illo veram rationem Sacramenti; cum qua ratio contractus comparata minus principalis est tanquam per illam eleuata: atque adeo ab illa post se tracta. Quod sit vt eiusdem (tanquam principalioris) conditionem sequatur; ideoque in hac re iudicandum sit de matrimonio tanquam de Sacramento, potius quam vt de contractu naturali. 29.

De sponsalibus autem, dubium non est quin & in loco interdicto, & à personis interdictis celebrari possint licite: quoniam constat talem celebrationem non esse Sacramentum neque diuinum officium; quandoquidem sponsalia ipsa sunt tantummodo contractus humanus; vnde nihil est cur dicatur includi interdicto.

De benedictione vero nuptiali; quod includatur, nec licita sit tempore illius, habet multis authoribus allatis Sanchez *in memorata disput. 8. num. 10.* Et probat ex eo, quod talis benedictio sit officium diuinũ. Nam est actus Sacerdotalis ordinis, cũ solus Sacerdos possit sponsum & sponsam benedicere: consistitque in precibus peculiaribus ab Ecclesia institutis, atque in Missarum solemniis. Quocirca ad illam accommodanda sunt dicenda in sequenti cap. de prohibita tempore interdicti officiorum diuinorum celebratione. Nota vero cum eodem alios citante in sequenti nu. 19. altero tantum ex coniugibus interdicto; si interdictum sit locale, eos benedici posse extra locum ipsum interdictum, iuxta ante habita ex Cap. Si sententia, de senten. excommunic. in 6. Sin sit personale particulare, siue viri, siue fœminę, nullibi benedici posse: quia tali donec accedat absolutio personarum, eas ad instar aliarum censurarum comitatur, quocumcumque se transferant. Sin autem sit personale generale; nec etiam benedici possunt, quando vir est qui tali interdicto subiacet: non autem quando fœmina; quæ cum sortiatur forum, munera, & honores viri sui, ex lege Fœmina, ff. De senat. & ex lege finali, Cod. De incolis, cum eo immuniab interdicto poterit benedici, tanquam libera quoque ab interdicto: ad modum scilicet illius, qui mutatione domicilij desinit esse pars multitudinis per illud interdictæ.

CAPVT

CAP. XXVIII.

De secundo effectu interdicti, qui est priuatio vsus officiorum diuinorum.

SVMMARIVM.

30 *Rigor iuris antiqui de priuatione vsus officiorum diuinorum tempore interdicti, restrictus per Cap. Alma mater, De senten. excommunic. in sexto.*

32 *Quomodo accipi debeant in eodem Cap. nomina Eccl. siæ & Monasterij.*

32 *Concessio celebrationis diuinorum officiorum tempore interdicti: & quæ comprehendantur ipso nomine officiorum diuinorum.*

33 *Quomodo ampliãda sit, & quomodo restringenda eadem concessio.*

34 *Conditiones seruandæ in celebratione diuinorum officiorum tempore interdicti.*

35 *Personæ ab iisdem officiis tunc excludendæ.*

36 *Festiuitates in quibus diuina officia tempore interdicti permittuntur celebrari solemniter; cum responsione ad nonnulla dubia de iisdem festiuitatibus.*

30. DE hoc secundo effectu Suarez late disserit tomo 5. disput. 34. in cuius initio pro eodem varia iura adfert. De quibus pro praxi notandum est, rigorem illorum temperatum esse à Bonifacio VIII. in cap. Alma mater, §. Adiicimus, De senten. excommu. in 6. permittente vt singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia diuina officia, sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, excõmunicatis & interdictis exclusis, & capanis etiam non pulsatis. Atque vlterius permittente vt in quatuor festiuitatibus Natalis Domini, Paschę, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, Missæ & diuina officia celebrentur cum tota solemnitate consueta. Quod Martinus V. & Eugenius IV. extenderunt ad festum Corporis Christi, & octauas eiusdem, quemad. ex D. Anton. Nauarro, Angelo, Syluestro, & ex Romano Bullario Suarez refert *sect.* 1. *n.* 41.

31. NOTANDA sunt autem aliqua ad intelligentiam eiusdẽ Capituli. Primum est, difficultatẽ esse, quæ nomine Ecclesiarum comprehendantur in eo. Probabile autem videtur comprehendi quidem Hospitalia in quibus est sacer locus, authoritate Episcopi approbatus ad diuinorum officiorum celebrationem: non tamen priuata Oratoria Ita ex Couarr. & quibusdam aliis Sanchez habet *lib.* 7. *De matrimonio, disput.* 8 *num.* 13. Et ratio est, quia in illa loca, non item in Oratoria priuata cadunt causæ cõcessionis, initio illius Capituli assignatæ. Illæ enim sunt, quod ex omissione diuinorum officiorum excrescat indeuotio populi, hæreses pullulent, & Ecclesia debito seruitio defraudetur. Quæ incommoda euenire possunt tantum respectu locorum in quibus à populo diuina frequẽtantur: quod fieri solet in prædictis quoque Hospitalibus, non vero in priuatis Oratoriis. Ob eamdem rationem etiam nomine Monasteriorum comprehendi, non tantum Religiosorum, sed etiam Religiosarum, Monasteria bene addit Couar. ad idipsum cap. Alma mater, *par.* 2. §. 4. *num.* 2. approbantque Sanchez *in fine citati num.* 13. ac Suarez *in memorata sect.* 1. *num.* 2.

32. SECVNDVM est, quod ex Couar. *in sequenti nu.* 3. Suarez *ad nu.* 11. adfert; ex propositi Decreti verbis illis, *Missæ celebrentur, & alia diuina officia sicut prius*, haberi nõ esse audiendos illos qui dicunt tempore interdicti licitã esse tantũ Missam propriam illius diei: seu iuxta ritum Ecclesiæ assignatã pro illo die in quo celebratur: itaut non liceat tunc dicere Missam de Beata Maria, aut aliã ex deuotione. Id quod reiicitur: tum quia verba illa nihil tale, sed potius contrarium indicant, vtpote quibus fit absolute concessio celebrandi; idque sicut prius. Cuius particulæ adiectione, satis indicatur perinde liberam tunc esse Missæ electionem, ac fuit prius.

TERTIVM est, difficultatẽ esse, quæ in proposito Decreto significentur nomine officiorũ diuinorum. Eam Suarez tractans *in sequenti sect.* 3. communem omnium sententiam, *aliis tot citatis*, esse ait nu. 7. quod significentur officia illa, quę in Ecclesia ab ipsius ministris tali modo fiunt, vt eodem fieri possint tantum à Clero ad alia specialiter ordinato ac deputato. Ratio vero est, quod Ecclesiæ intentio sit per interdictum prohibere vsum communem eorum officiorum quæ nomine & authoritate ipsius à ministris per eam ad illa obeunda ordinatis ac deputatis celebrantur. Quæ vero talia sint iudicandum est in particulari: tum ex actione, & voce publica; tum ex apparatu & vestibus permissis tantum ordine initiatis, cum quibus solent exerceri: vt cum superpellicio, aut stola, aliove exteriore indumento sacro. Excipiendæ sunt autem horæ canonicæ, quæ vere sunt quidem officia diuina; tamen ad earum recitationem, etiam publicam pro vniuerso populo; necessarius non est ordo, vt patet ex ea quæ fit à Monialibus. Vel certe dicendum est, talem recitationem esse primario deputatam ordini Clericali, sufficere vt ea censeatur esse de numero memoratorum officiorum per interdictum prohibitorum, quoties publico nomine Ecclesiæ exercetur, prout fit etiam à Monialibus tanquam personis Ecclesiasticis.

Atque ex dictis Suarez duo infert. Alterum nu. 8. nõ esse prohibita tempore interdicti officia quæ non fiunt tanquã Ecclesiastica, & communia: sed tanquam priuata, vt benedictio mensæ; recitatio itinerarij seu orationũ institutarum pro iter agentibus: recitatio salutationis Angelicæ dato signo publico certis horis diei. Videndus est Nauarrus in Enchir. cap. 27. num. 176. alia adferens exempla. Alterum quod Suarez nu. nono infert, est, omnem sacram benedictionem ab Ecclesia institutam cum particularibus ceremoniis & precibus, ac deputatam; *vt communiter solet*, ordini Sacerdotali, comprehendi sub generali appellatione diuinorum officiorum, quæ per interdictum prohibita sunt.

QVARTVM est; concessionem in illo cap. Alma mater, §. 33. Adiicimus, factam, sic accipiendam esse vt extendatur ad omnia diuina officia per interdictum prohibita. Id quod satis intelligitur ex verbis illis (Missæ celebrentur, & alia dicantur diuina officia sicut prius.) Non extendatur vero ad Sacramentorum administrationem, quoniã de ea sermo nõ est in illo paragrapho, cum in præcedentibus iam esset de ea dispositum: itaut quod eam, standum sit dictis in præcedenti cap. 27. Adde, restringendam esse eamdem concessionem ad generale interdictũ locale, quia in locali particulari causæ antea relatæ, quæ ad eamdem concessionem faciendam mouerunt Papam; non inueniuntur interuenire in illo. Vnde glossa *ibidem ad verbum Ecclesiis*; non de Ecclesiis interdictis, sed de Ecclesiis sitis in loco interdicto interpretatur, indicans quod dicimus: & communiter ex eadem glossa receptum esse notat Nauar. *in Enchir. cap.* 27. *num.* 173. Ad personale vero interdictum pertinent verba posita in eodem cap. §. Adiicimus (excommunicatis, ac interdictis exclusis) quibus satis indicatur à memorata concessione excludi personas interdictas, siue generali, siue particulari interdicto personali: itaut non modo celebrare diuina officia, sed nec celebrationi interesse, *pro quo adhuc est textus expressus in Cap. Si sententia, § fina i eodem titulo & libro*, liceat ipsis: exceptis quatuor festiuitatibus, in quibus diximus permissam esse tempore interdicti diuinorum officiorum celebrationem cum solemnitate. Nam in eodem cap. Alma mater, §. penult. interdictis personaliter conceditur participatio diuinorum officiorum, cum hac tamen limitatione, vt iis qui causa interdicti fuerunt, non permittatur accedere ad altare.

QVINTVM est, quatuor cõditiones seruandas in celebra- 34. tione diuinorũ officiorũ tẽpore interdicti permissa, indicari illis verbis, Submissa voce, ianuis clausis excommunicatis, & interdictis exclusis, & cãpanis etiã nõ pulsatis. Quarũ prima exigit, vt talis celebratio fiat sine cantu, ne foris audiatur à prohibitis audire. Secũda vero, vt omnes ianuæ loci in quo fit eadẽ celebratio, clausæ sint, ob eãdẽ scilicet causam. Monet autẽ Suarez *disp.* 34. *sect.* 1. *n.* 12. non esse ad eam necessariũ vt ianuæ ipsæ iuxta obseratæ interius, vt ingressus omnino impediatur, cum sæpe dentur habentes facultatẽ tunc audiendi officia diuina, quibus patere debet ingressus (si que alij ingrediantur, expelli possunt) sed sufficere quod sic iunctæ sint eædem ianuæ, vt videre, & audire officia ipsa diuina, & intrare prorsus impediant, nisi aperiantur.

35. Tertia porro, *excommunicatis & interdictis exclusis*, quoad priorem partem de excommunicatis, illud tantum hic occurrit monendum, eos non solum tempore interdicti, sed etiam quocumque alio à diuinis officiis excludi. Quoad posteriorem vero de interdictis, notandum est intelligi, tum de omnibus personaliter interdictis, idque congruenter ca. Si sententia, De sententia excommunic. in 6. tum etiã (congruenter cap. Licet, §. finali De priuilegiis eodem libro) de iis qui interdicto locali causam dederunt: aut ad perpetrandum delictum, cuius occasione illud latum est, præbuerunt consilium, auxilium, vel fauorem. De aliis autem, qui nec sunt interdicti, nec interdicto vllam occasionem dederunt, nec ij sunt per quos debeant celebrari diuina officia, puta laici; difficultas est an sine priuilegio possint admitti ad eadem officia audienda. Illius tractationem Suarez late persequitur *in memorata sect. 1. nu. 20. & pluribus sequentibus*; quem si lubet, consulas. Studio enim breuitatis contenti esse possumus notare, quod pro praxi sufficit; nec tales admitti debere, deduci. tum ex citato cap. Licet, cum dicitur, Licet vobis concessum existat, vt interdicti tempore ianuis clausis excommunicatis, & interdictis exclusis, voce submissa diuina celebrare possitis: ad ea tamen aliquos (etiam si aliunde venerint) nisi super hoc priuilegiati existant, recipere nullatenus debetis. Adde quod, vt idem Suarez num. 27. vrget, is sit communis Ecclesiæ sensus, & recepta consuetudo in eadem.

Quarta denique conditio, campanis non pulsatis, intelligenda est de pulsatione quæ Missam & alia diuina officia antecedit ad conuocandum publice populum, prout communis vsus habet; qui tunc interrumpitur, quia cum populus tunc non sit ad talia officia admittendus, nec est vocandus illo publico signo, vt nec alio æquiualenti, quo solitus erat vocari. In alium finem vero, vt ad salutationem Angelicam, vel concionem campanas tunc pulsari non est prohibitum. Videri potest Suarez *in citata sect. 1. n. 15. & quatuor sequentibus.*

36. Postremvm est. Circa festiuitates in quibus sine talium conditionum obseruatione diuina officia celebrari, & ad ea etiam interdicti permittuntur admitti, sequentia dubia posse moueri.

Primum est, quo modo intelligendum sit quod interdicti qui interdicto causam dederunt, tunc permitti non debeant ad altare accedere? Ad quod Suarez *in eadem sect. n. 37.* respondet; id non esse referendum tantum ad remotionem à loco, sed etiam ad remotionem à sacra communione, qua tales indigni sunt perseuerantes in sua cõtumacia. Immo & ab oblatione facienda ad altare, vt ad humilitatis gratiam & reconciliationis affectum se facilius inclinent, quod in eis quæri ipsa admissione ad diuina officia cum tali conditione, expressum est in eodem cap. Alma mater, §. In festiuitatibus.

Secundum dubium est. An eędem festiuitates sint singulæ vnius diei, vel plurium? Ad quod idem respondet *in sequenti n. 38.* esse tantum vnius diei: quia omnium par est ratio, nec dubitari potest quin festiuitas Natiuitatis Domini sit tantum vnius diei, nisi quod ad festum Corporis Christi adiunctæ sint etiam octauæ eiusdem; vt patet ex præced. n. 30.

Tertium dubium est Quando cẽseantur tales festiuitates incipere & desinere? De hoc pluribus Suarez *in sequenti sect. 3. n. 18. & aliquot sequentibus.* Solutio autem est incipere à tempore primarum vesperarum vniuscuiusque talis festiuitatis, & secundum completorium eiusdem includere cum aliis, vt ex eo probatur, quod illa concessio præcipue sit, vt illis diebus officium diuinum celebretur solemniter. Vnde cum eadem concessio absoluta sit, itaut extendatur ad totum officium, ad quod completorium pertinet perinde ac præcedentes vesperæ, illud non est excludendum, sed sicut vesperæ, potest solemniter cantari. Videndus idem author quædam alia addens, in quibus ob eorum rarum vsum non immorabor, studio vitandi prolixitatis fastidium.

CAPVT XXIX.

De tertio interdicti effectu, qui est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ, deque ei affini prohibito Ecclesiæ ingressu.

SVMMARIVM.

37 *Prohibitio sepeliendi in loco interdicto, communis est infantibus cum adultis: excipiuntur ab ea Clerici qui seruarunt interdictum: neque ea obstat quin defectus in loco interdicto, possit in alio non interdicto Ecclesiastico sepultura donari.*

38 *An innodatus generali interdicto personali, priuetur Ecclesiastica sepultura.*

39 *Prohibitio ingressus Ecclesiæ, rationem quamdam habet interdicti personalis, & quo modo à cæteris personalis distinguatur.*

40 *Prohibitus Ecclesiam ingredi, priuatur omni participatione diuinorum officiorum quæ in ea fiunt.*

41 *Ne quidem existens extra Ecclesiam illa audire potest in Cœmeterio vero potest, si in eo celebrentur.*

De hoc effectu late Suarez *tomo 5. disput. 35.* Nobis pro praxi quotidiana sufficere potest notasse; per interdictum locale generale prohiberi, ne quis in eo loco sepulturam aacipiat, cap. Cum & plantare, §. Quod si, & cap. Vt priuilegia, De priuilegiis, & cap. Episcoporum eodem titulo in 6. & Clementina 1. De sepulturis. Intellige autem nisi priuilegium habeatur in contrarium, aut aliquæ personæ sint exemptæ, sicut sunt Clerici qui seruauerunt interdictum. Illis enim in cap. Quod in te, De pœniten. & remiss. conceditur vt decedentes, in Cœmiterio Ecclesię sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum silentio tumulentur. Aduerte autem primo, effectum hunc priuationis sepulturæ habere locum non tantum in adultis, sed etiam in infantibus baptizatis, itaut in loco interdicto, his perinde ac illis sit deneganda Ecclesiastica sepultura; quia iura absolute loquuntur, & cadauera paruulorum perinde ac adultorum capacia sunt illius priuationis. Videri potest Suarez *sect. 1. n. 2.* 37.

Aduerte secundo, vita functum in loco interdicto, sepeliri posse in alio non interdicto: quia interdictum locale nõ fertur in personas absolute, sed solum per relationem ad locum qui interdicitur. Excipe eos, qui eidẽ interdicto causam dederint, respectu quorum interdictum ipsum locale ex communi sententia, *prout Suarez habet in sequenti n. 3.* vim & efficaciam sortitur interdicti personalis, quasi culpa pœnam attrahente ad suum authorem personaliter, adeoque reddente eum priuatum Ecclesiastica sepultura, ad modum particularis interdicti personalis, cui talis effectus tribuitur in cap. Episcopum De priuilegiis in 6. & in Clementina 1. De sepulturis.

Porro difficultas est, an generale interdictum personale, eo innodatos excludat ab Ecclesiastica sepultura? Illam plenius Suarez tractat *in eadem disput. 35. sect. 3.* & tandem bene statuit sublatam esse per Extrauagantẽ Ad euitanda; de qua egimus in lib. 1. ca. 9 sect. posteriore. Priuilegio enim eiusdẽ Extrauagantis, non tenemur cuiusquam personæ communem vitare, siue in diuinis, siue in humanis, nisi sit nominatim interdicta; ac proinde, nec in Ecclesiastica sepultura. 38.

De prohibito Ecclesiæ ingressu, pars reliqua capitis.

De hoc late Suarez *in eadem disput. 35. sect. 4.* Contenti erimus aliquot documentis pro praxi. Primum est; talem prohibitionẽ habere rationẽ interdicti personalis, nõ vero localis: quia loco non competit ingredi, sed tantum personæ. Distingui autem à cæteris interdictis personalibus, quod cætera priuent simpliciter participatione diuinorum in omni loco, iuxta cap. Si sententia, §. finali De sentent. excommunic. in sexto: illud vero ab ingressu Ecclesiæ, eadem participatione priuet solum intra Ecclesiam, iuxta illud 39.

in

incap. Is cui, De sententia excommunic in 6. Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, cum sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta, &c. Illa enim particula (in ipsa) sufficienter indicat prohibitionis limitationem ad Ecclesiam, cuius ingressus interdicitur. Consequentiæ autem illic expressæ ratio aperta est: quia celebratio diuinorũ in Ecclesia necessario supponit ingressũ in illã.

40. Aduerte vero prohibitionem eiusmodi procedere quoad quacumque diuinorum celebrationem, vt omnes Doctores ibidem notare habet Suarez n. 5 atqueadeo tale interdictum conuenire in hoc cum alijs personalibus, quod priuet omni participatione diuinorum in Ecclesia, cuius ingressus prohibetur, itaut is cui prohibetur, nec celebrare possit in ea, nec sepeliri, nec dare, aut recipere Sacramenta nec ministerium aliquod sacrum exercere, nec Missam, aut aliud officium diuinum audire. Possit vero extra illam, prout idem in sequenti numero 6. aliis citatis bene docet Ratioque in promptu est: quia per nullã censuram plus prohibetur, quã verba canonis, vel sententiæ contineant: quandoquidem pœnæ interpretatione restringendę sunt potius, quam extendendæ. At per verba, quibus fertur pœna de qua agimus, ipsa imponitur cum determinatione ad Ecclesiam. Ergo non obstat quin liceat illa affecto extra eam ipsam Ecclesiam diuinis se immiscere, perinde ac non affecto: vt Missam dicere in priuato Oratorio approbato ab Episcopo, cõfiteri, recipere viaticum, & Sacramentum Extremæ vnctio-

41. nis in sua domo.

Dvbitari autem potest primo, An proposito modo interdictus possit extra Ecclesiam existẽs audire diuina, quæ in ea celebrantur? Ad quod Suarez num. 7. respondet negatiue: quia tale interdictum prohibitio est non tantum ingressus Ecclesiæ, sed etiam participationis diuinorum in ea: idque principaliter, vt argumento est, quod cessante tali participatione, censeatur licitus ingressus. Sic enim, vt ex Calderino & Ancharano Couar. habet ad Cap. Alma mater, *par.* 2. §. 1. *n.* 3. is cui est interdictus Ecclesiæ ingressus, potest eam ingredi, & in ea orare, quo tempore officia diuina non celebrantur. Quã esse communem sententiã Nauar. ait *in Enchir. cap.* 25. *nu.* 75. Pro eaque Suarez *nu.* 19. alios refert. & n. 23. tanquam fauorabiliorem contraria (de qua ille pluribus n. 20. 21. & 22.) nec probabilitate carentem, ait in praxi secure teneri posse, quod nobis sufficit.

Dvbitari potest secundo, An proposito modo interdictus possit in Cœmeterio Missam dicere, vel eam aut alia officia diuina audire, si ibi celebretur? Id quod late tractat Suarez *n.* 9. *& aliquot sequentibus:* tandemque resoluit posse, quia in talis interdicti sententia tanquam pœnali, (& ideo restringenda interpretatione) nomen Ecclesiæ accipiendũ est in rigore, quo non comprehendit Cœmeterium, vt patet ex communi vsu. Et ideo ius in cap. Is cui, De senten. excommunic. in 6. tanquam non satis indicatum prius nomine Ecclesiæ, addidit nomen Cœmeterij, vt ad ipsum extenderet priuationem sepulturæ Ecclesiasticæ. Verba sunt hæc: Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia, vel Cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri. Capellæ autem cum sint reuera partes Ecclesiæ, illius nomine comprehenduntur, illarumque ingressus censendus est prohibitus, huius ingressu prohibito.

CAPVT XXX.

De peccato violantis interdictum.

SVMMARIVM.

42 *Laicus violatio interdicti localis, de se tantum est peccatum veniale.*

43 *Modi quibus idem peccatum aggrauatur mortaliter.*

44 *Laicus violans interdictum, personale peccat mortaliter.*

45 *Clericus violando interdictum, siue locale, siue personale, cõmittit peccatum suo genere mortale.*

46 *Cuius peccati quatenus materia censeri possit, minorum ordinum officia celebrata esse, quodque ad eam sufficiat cuiusuis diuini officij pars notabilis.*

47 *A tali peccato non excusat priuilegium concessum in Cap. Alma mater, nisi omnes conditiones ibidem requisitæ seruentur. Et quatenus excuset priuilegium Extrauagantis Ad euitanda.*

Inter effectus interdicti poni potest quod illius violator, si laicus sit, peccet venialiter quidem, cũ interdictum est locale, nec interuenit contemptus, quo nihil fiat Ecclesiæ authoritas, aut aliud aggrauans in infinitum ipsam violationem: mortaliter vero, cum interdictum est personale. Quorum prius Sotus in 4. distin. 22. quæst 3. art. 1. conclus. 6. probat: quia tunc cum solus locus interdicitur, mandatum ad Clericos dirigitur) vt argumento est *ex Caiet. in verbo Interdictum initio*, quod illis solis hac ex parte pœna indicatur) quibus præcipitur, vt interdictum seruent celebrando officia diuina ianuis clausis, & voce submissa, exclusis laicis tam interdictis, quam non interdictis, iuxta Cap. Alma mater, De sentent. excommunic. *in 6. iuncta glossa ad verbum Interdictis.* Quare laicus ingerendo se diuinis in loco interdicto, hoc tantum nomine peccat, quod interpretatiue faciat contra intentionem Clericorum, quibus ex officio ita incumbit laicos à diuinis officijs in loco interdicto arcere, vt hi illis parere teneantur. Quod non facere, haud videri debet de se mortale, sed tantum interueniente contemptu, aut illatione violentiæ, aut ex allato scandalo, aliove ex quo talis violationis malitia aggrauetur in infinitum iudicio prudentis: cuiusmodi censentur ea quę adfert Nauarrus in Enchir. cap. 27. n. 187. 42.

Quorum primum est, si talis laicus interdictus est personaliter, etiam interdicto tantum generali, de quo inferius. Adde, & cum dedit causam interdicto locali: quia hoc respectu ipsius, vim & efficaciam habet interdicti personalis, vt in præcedentibus annotauimus. Secundum est; si vt ipsi diuina officia contra interdictum dicantur in causa est expresse, vel tacite; puta rogando, iubendo, aut præsentia, auditioneque sua præbendo occasionẽ: quia tunc mortaliter peccabit tanquam consentiens mortaliter peccantibus, iuxta cap. 1. epist. ad Roman. in fine. Tertium est; si talia officia dicat, qualia dicendo Clerici violarent interdictũ. Quartum est, si mentiendo, asserens se Clericum esse minorum ordinum, aut priuilegium habere, intret templum ad officio diuina audienda contra interdicti prohibitionem. 43.

Iamposterivs, hoc est, quod laicus mortaliter peccet violatione interdicti personalis, *Sotus, & post eum Suarez in citata sect. num.* 2. *&* 3. probat hac ratione: quia interdictum personale, siue particulare, siue etiam generale; censura est directe imposita personæ, quæ quod sit laica, non impedit quin idem interdictum inducat totam obligationem, quam Ecclesia per absolutam suam prohibitionem intendit imponere. Talem autem obligationem constat esse sub mortali, si facta sit in re graui, qualis sine dubio, est ea de qua per interdictum personale prohibitio datur: vtpote spectans ad Christianæ legis Sacramenta officiaue diuina. Quare violans interdictum personale, siue Clericus, siue laicus sit, peccatum committit suo genere mortale. In quo potest excusatio dari per ignorantiam inculpabilem, paruitatem materiæ dispensationem, necessitatem vrgentem, sicut passim in plerisque alijs. 44.

Aduerte autem ob tale peccatum præcise laicos non aliam pœnam Ecclesiasticam incurrere, cum in iure nulla inueniatur imposita: licet ex adiuncta circunstantia excommunicationem incurrant, prout habetur ex Clementina 2. De sententia excommun. vbi ipso facto excommunicantur laici qui quempiam cogunt celebrare officia diuina in loco interdicto: vel prohibitos, publice vocant vt diuinis officiis in loco interdicto celebratis interfint, vel prohibent ne interdicti qui Missæ interfunt, exeant, postquam à celebrãtibus moniti sunt: ac tandem excommunicantur, & ipsi interdicti qui post similem monitionem non exeunt.

Reliqua pars capitis de peccato Clerici violantis interdictum.

Quod si violator interdicti sit Clericus, ipse peccatũ cõmittit suo genere mortale; siue locale, siue personale; 45.

& siue

& siue generale, siue speciale interdictum fuerit; prout cõmunem sententiam esse Suarez *in citata disput.34 sect.4.n.4.* Cum enim fuerit personale, patet eadem ratione, qua ante ostensum est, laicum violatione illius peccare mortaliter. Cum vero fuerit locale: quia iura per interdictum locale prohibentia vsum Sacramentorum, & diuinorum officiorum vel sepulturæ Ecclesiasticæ, directe respiciũt Clericos, tãquã eos ad quos spectat circa talem vsum inuigilare, ne in eo contingat aliquid contra intentionem Ecclesiæ, quæ illum ipsis tanquam ministris suis committit. Et quia prohibitio est in materia graui, vt constat ex antedictis, inducit obligationem sub mortali. Circa quod, sicut passim circa alia mortalia, certum est posse excusationem contingere, tum ex indeliberatione, tum ex materiæ leuitate. De hac re moueri possint in particulari tria dubia, quæ ipse Suarez in ead.sect.à nu.9.ad 14.tractat.

46. PRIMVM EST. An contra interdictum exercere actum alicuius minoris ordinis sufficiat ad mortale? Responsio autem est, talem actum quidem esse sufficientem de se, cum sit sacer, ad quem ex officio exercendum minister est consecratus tanquam cooperaturus sacrificio Missę, aliorumque diuinorum officiorum celebrationi. Nihilominus tamen in praxi quia consuetudo obtinuit vt vsus minorum ordinum indifferenter exerceantur à laicis, sicut à Clericis, illi possunt censeri materia de se leuis & insufficiens ad mortale, nisi contingeret fieri cum aliqua solemnitate laicis minime permissa; quod vix iam est in vsu.

SECVNDVM dubium est. An publice in Ecclesia diuinum officium, vel aliquam illius partem notabilem canere contra interdictum, sit materia sufficiens ad mortale? Responsio est affirmatiua, quoad casum in quo Clericus munus eiusmodi exercet tanquã persona Ecclesiastica ad illud deputata: vt contingit cum quis tanquam pars Cleri seu Ecclesiasticæ communitatis, ad ipsam celebrationem deputatæ, eamdem exercet: prout faciunt Religiosi concurrentes in choro ad eamdem celebrationem: ac etiam ij sæculares Clerici, quibus ratione beneficij, aut alio titulo incumbit onus concurrendi in choro ad eam ipsam celebrationem. Quæ vtique permissa est quidem sine solemnitate, ex cap. Alma mater, De senten. excommunic. in 6. §. Adiicimus: sed cum solemnitate manet prohibita: sic nimirum, vt materia prohibitionis sit, non quidem solemnitas in se, sed celebratio coniuncta solemnitati. De qua, quin sit materia grauis, dubitari non debet. Notat autem partem notabilem non esse æstimandam ex sola longitudine illius, sed etiam ex magnitudine authoritatis & solemnitatis cum qua profertur: sic enim oratio ab hebdomadario tanquam initiato sacerdotali dignitate cantata in choro solemniter, licet breuis sit verbis, pars tamen notabilis officij diuini esse censetur: & sic de Episcopali benedictione, aliisque nonnullis, quemad. ipse Suarez n 11.annotat.

47. TERTIVM dubium mouetur circa conditiones cum quibus tẽpore generalis interdicti localis in memorato §. Adiicimus, permittitur celebratio diuinorũ officiorũ (quæ sunt, fieri submissa voce, ianuis clausis, excõmunicatis, & interdictis eiectis, & campanis non pulsatis) An omissio vnius tantum earũ sit materia sufficiens ad mortale? Ad quod Suarez respondet affirmatiue. Cuius responsionis veritas sic elucidatur. Cum sit peccatum suo genere mortale, prædicto tempore diuina officia celebrare aliter, quam iure permissum est: neque id aliter iure permittatur, quam seruatis memoratis circunstantiis; neque eæ censeantur seruari, aliqua earum omissa: sane talis omissio (vtpote quæ includit transgressionem præcepti ad mortale obligantis) censenda est sufficiens materia peccati mortalis. Nec refert quod vna talis cõditio in se spectata videatur leuis, quia grauis est prout concurrit ad permissionem, quam cessare facit deficiendo; per defectum scilicet partis ei necessariæ ad constitutionem obiecti circa quod versatur. Adeout, si diuina officia celebrentur apertis ianuis, etiamsi tres reliquæ conditiones seruentur, talis celebratio non excusetur à mortali per permissionem datam in cap. Alma mater: quia vere seruatum non est, quod est; quod ad eam ibi exigitur. Nec est quod dicas, non ita exigere quin defectus vnius conditionis, tanquam partis modicæ, possit excusari à mortali. Nam contrarium colligitur ex Clement.1. De senten.excommunic, vbi subiiciuntur excommunicationi (quæ infertur tantum ob mortale) omittentes vnam earum: nimirum clausionem ianuarum; eamque non expresse, sed solum æquiualenter factam, nempe perforando ianuas ipsas aut faciendo in eis fenestras vt diuina officia contra interdicti prohibitionem à laicis possint audiri. Aduerte autem ob priuilegium Extrauagantis Ad euitanda, Clericos in celebratione diuinorum officiorum non teneri ad obseruationẽ prædictarum conditionum, quando idipsum generale interdictum locale non fuerit nominatim denunciatum, seu publicatum authoritate Iudicis: nisi quod eiicere teneantur nominatim excommunicatos, & interdictos personali interdicto denunciato: aut cum alias non admitterentur sine scandalo, aut sine cooperatione ad peccatum violationis interdicti, cui obnoxij sunt qui illo innodantur, etiamsi non sit denunciatum; quia per eam Extrauagantem nihil quoad eos, vt nec quoad alios censura irretitos, est ab Ecclesia relaxatum.

CAPVT XXXI.

De irregularitate, & quibusdam aliis pœnis, quæ incurruntur à Clericis, & violatione interdicti.

SVMMARIVM.

48 *Impositio irregularitatis incurrendæ à Clerico violante interdictum, quædam aliæ pœnæ quibus idem adhuc subiicitur.*

49 *Ignorantia excusans ab irregularitate, & quod ei obnoxius sit non tantum celebrans Missam, sed etiam celebrans alia diuina officia.*

50 *Irregularitas incurritur non modo interdicti localis; sed etiam personalis violatione.*

51 *Irregularitas ob violationem interdicti personalis, & omnibus, & solis Clericis imposita: quam non incurrunt nisi exercendo officium diuinum, ad quod sint consecrati.*

CElebrantem scienter absq; priuilegio in loco qui suppositus est interdicto, in irregularitatem incurrere habetur expresse ex ca. Is qui, De senten.excommunic.in 6.his verbis Is vero qui scienter in loco celebrat suppositio interdicto (nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure sit concessum) irregularitatem incurrit, à qua nequit per alium, quamper Romanum Pontificem liberari. Quę verba cũ sint generalia, locum habent tam in locali interdicto generali, quam in particulari: & tam in interdicto ab homine, quam à iure, cõprehenduntque omnem Clericum tam regularem, quam secularem: quod Suarez annotat disput.34. sect.4.nu. 14. vbi notatu dignum prẽmittit aliquot authoribus citatis, quasi axioma esse in hac materia. Violantem interdictum exercendo actum proprium sui ordinis eo modo quo nequit à laicis exerceri, irregularem fieri, aliasque pœnas in iure expressas incurrere. 48.

Quæ sunt intelligibilem esse: sic nimirum, vt non modo non possit eligi, sed neque alium eligere, ex eodem cap. Is qui, in fine. Item inhabilem esse non modo ad acquirendũ beneficium, sed etiam ad acquisitum retinendum, iuxta cap. Tanta, §. finali De excessibus Prælatorum. Præterea ca. Postulastis, §. finali De Clerico excommunic. ministrante: præsumentes celebrare diuina officia in loco interdicto spoliandos esse beneficiis, si sint Clerici. Sin Monachi sint, aut Moniales, in arctiora Monasteria ad agendam pœnitentiã detrudendos. De qua pœna sic Suarez iudicat, vt velit ad eam cum interdicti violatione requiri contumaciam: cum qua prædicti, in violatione ipsa perseuerantes, fuerint excommunicati. Quod quidem est consentaneũ his verbis, *positis ibidem in præced. paragraphõ*; Non verentur officia diuina celebrare, quamuis propter hoc sint excommunicationis vinculo innodati. Postremo, per Clementinam primam

De

De senten. excommunic. in excommunicationem incurrere ipso facto Religiosus quoscumque scientes Cathedralem, & Matricem, seu Parochialem Ecclesiam seruare interdictum, si ipsi non seruent.

49. NOTANDVM est autem circa verba, Is vero, &c. ante relata; ex particula, *Scienter*, deduci quod ab irregularitate excusetur ille qui interdictum violat ex ignorantia, etiamsi nõ excuset ipsum à culpa, eo nomine quod negligens fuerit in ipsa depellenda: ita tamen vt non fuerit affectata, quæ dolo æquiparanda, authori suo prodesse non debet. Et certe si ad talem excusationem requireretur ignorantia inuincibilis, proposita particula *Scienter*, nihil operaretur: quandoquidem ea etiam omissa locus esset excusationi ab irregularitate per ignorantiam ipsam inuincibilem.

Notandum est præterea, etiamsi verbum, *Celebret*, absolute prolatum soleat de Missæ sacrificio intelligi; nihilominus in §. illo sic accipiendum esse, vt extendatur ad omnem actum, quem proprium sui ordinis Clericus exercet eo modo, quo nequit à laico exerceri: vt tanquam axioma à Doctoribus receptum ante diximus; & expositionem esse omnium Suarez ait *in citata sect. 4. n. 15.* Ex quo in sequenti in 16. sub finem adde: si talis actus ex leuitate materiæ, aut aliunde, iudicio prudẽtis excusetur à mortali;

50. executioni mandatum in loco interdicto, nõ inducere, *saltem quoad conscientiæ forum*, irregularitatem quam Ecclesia imponit tanquam pœnam grauis peccati.

Notandum est porro, Clericos irregularitatem incurrere vt violatione interdicti localis: sic etiã violatione interdicti personalis, iuxta Cap. Is cui. De senten. excommunic. in 6. cum dicitur, Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, irregularis efficitur si contra interdictum huiusmodi, diuinis in ea se ingerat, in suo agens officio sicut prius: cum sibi per consequens censeatur in ipsa diuinorum celebratio interdicta.

VBI aduerte primo, his verbis impositum interdictum esse pure personale. Quod enim per illud Ecclesia non sit censenda interdicta, ex eo patet, quod in illa possint ab aliis diuina officia tum celebrari, tum audiri: alioqui enim cum innodatus eo, sit interdictus respectu omnium Ecclesiarum, in nulla ab aliis possent siue celebrari, siue audiri officia diuina; quod & à ratione, & à communi Ecclesiæ vsu alienum est.

Aduerte secundo, quod iisdem verbis dicitur de interdicto personali determinato ad certum locum, puta ad Ecclesiam, intelligi posse (argumento à minori ad maius) de interdicto simpliciter; si enim ob illud irregularitas, incurritur, multo magis censenda est ob hoc (tanquam longe seuerius) incurri. Ita Suarez late consequenter docens intelligi quoque de interdicto personali tã generali, quã particulari. Quã doctrinã tẽere tutum est; licite verba textus ad eam accommodare sit difficile. Videndus est Suarez ipse.

51. Aduerte tertio, eadem quæ dicta sunt de irregularitate quæ incurritur violatione interdicti localis, pariter dicenda esse de ea quæ incurritur violatione interdicti personalis: nempe eam esse generalem quoad personas, prout verba illa; Is cui, &c. à nobis relata satis indicant, vtpote æquiualentia his; Omnis cui, &c. Deinde esse nihilominus propriam Clericorum, quorum proprium est peccatum illud propter quod ea incurritur: violationis, inquam interdicti, in gerendo se diuinis ex officio sicut prius. Non enim est aliorum, quam Clericorum ex officio diuina celebrare.

Quarto aduerte, verbum, *ex officio sicut prius*, indicare ad incurrendam irregularitatem violatione interdicti personalis, requiri vt interdictus aliquod ministerium diuinum ad quod fuit consecratus, exerceat ex officio; nec sufficere vt exerceat solum prout laicus exerceret, vt sit cum initiatus minoribus seruit Sacerdoti priuatim sacrum Missæ facienti. Videndus est Suarez loco cit. n. 25. & sequentibus.

CAPVT XXXII.

De relaxatione interdicti.

SVMMARIVM.

52 *Eiusdem modi sunt relaxatio interdicti, & suspensionis.*

53 *Interdictum conditionale cessat cessante conditione, nec absolutio ad id requiritur.*

54 *Ad relaxationem interdicti absoluti requiritur absolutio; quæ dari potest ab eo qui interdictum tulit si sit ab homine: siquè ipsum latum sit cum reseruatione, ab eo cui facta sit.*

55 *Sin sit latum à iure sine reseruatione, & sit locale, aut personale generale, ad illius absolutionem requiritur Episcopalis iurisdictio.*

56 *Cur non possit Parochus in talibus absoluere, & cur possit in particulari interdicto personali.*

57 *Forma absolutionis ab interdicto.*

58 *Quatenus absolutio ad cautelam habeat locum in interdicto.*

59 *Quatenus per mutationem loci, interdictum locale tollatur, declaratur aliquot conclusionibus.*

60 *Quatenus contingere possit generalis interdicti personalis relaxatio, sine Superioris absolutione.*

61 *An speciale interdictum personale cesset in eo, qui defunctus est pœnitens.*

52. DE relaxatione interdicti Suarez late *in disput. 38. supra memorati tomi* 5. & ante illum plurimi, ex quibus mihi propono sequendum Angelum *in verbo Interdictum* 8. vbi notat eadem quæ de relaxatione suspensionis statuta sunt *in præced. cap. 22.* esse statuenda de relaxatione interdicti. Ac primo, interdictum reddi nullum per antecedentem appellationem & interrumpi, seu ab effectu suspendi per appellationem sequentem, quando ipsum fuerit à temporalibus, eadem scilicet ratione qua de suspensione in citato cap. 22. num. 40. traditum est. Secus est vero, quando ipsum fuerit à spiritualibus, de quibus in præcedentibus. Nam post latam sententiam interdicti, à talibus interdictum ipsum non suspendi per appellationem interpositam, habetur ex ca. Adhæc 3. De appellationibus.

Secundo, interdictum posse ad tempus suspendi authoritate Superioris à quo latum est. Id quod Suarez *in ead. disp. sect. 3. nu. 5.* & ante eum Couar. *ad Cap. Alma mater, par. 2. §. 2. num. 4.* plenius tractat; in confirmationem adferens. Tunc quod censuræ Ecclesiasticæ regulariter ligent ad nutum, & voluntatem eas decernentis, cap. Venicns 2. De testibus, & Ca. Significasti. De eo qui duxit in matrimonium, &c. Tum quod in cap Dilectus, De appellationibus, §. Quia vero, habeatur mentio suspensionis eiusmodi. Quam quidem idem author admonet debere ab Episcopo fieri tantum ad tempus, *ne videatur priuilegium dare aduersus ius commune, interdicti obseruationem præcipiens*, vt videre est in Conc. Trid. sess. 25. De regularib. c. 12.

53. Tertio, cũ interdictũ aliud sit absolutũ, & aliud cõditionale (quale est quando interdicitur quis donec satisfecerit; aut ad annum vsq; aliud ve certum tempus; aut quãdo locus interdicitur, quandiu ibi certus aliquis fuerit) conditionale quidem siue sit ab homine, siue à iure, cessare cessante cõditione sub qua latum fuerit; puta satisfactione facta, vel adimpleto anno, aliove tempore determinato, vel si ille propter quem locus suppositus est interdicto, quamdiu inibi fuerit, inde recesserit. Neq; ad illud tollendũ absolutionem requiri, ex Panor. habent Angelus loco cit. in principio, & alij quorum Suarez meminit *in memorata disp. 38. sect. 1. n. 4.* à quibus ille dissentit in eo quod putet opus esse absolutione quando conditionale interdictum fuerit impositum ob contumaciam, seu pertinacem perseuerantiam in peccato, cuiusmodi censetur impositũ alicui donec satisfecerit, itemque impositum loco quãdiu quis ibi fuerit. Consentit autẽ existimando absolutione opus non esse quando interdictũ est impositum in pœnam peccati præteriti, vt cum alicui ingressus Ecclesiæ per annum interdicitur ob perpetratum à se aliquod flagitium. Illum qui volet, consulet.

Nobis pro praxi sufficit, quod ille fatetur, probabile esse per solam cessationẽ conditionis interdictum conditionale cessare, neque absolutionem requirere. Probabilitatis autem fundamentum est, tum authoritas Doctorũ ita sentientiũ, quorũ ille meminit, tũ ratio. Lex enim aut sententia nõ operatur amplius quã verba ipsius exigant. Ergo quando

verba

verba in sententia interdicti, ipsum limitant certa conditione, non nisi hac posita, illa ligat, itaut ea sublata cesset vinculum, absolutione tollendum. Neque obstat quod obiicitur contrarium (non tolli inquam sine absolutione) ex iure haberi de excommunicatione, aut de suspensione conditionali, quia tale quid non habetur similiter de interdicto conditionali: immo habetur aliquatenus contrarium quatenus scilicet ipsum in Cap. Alma mater, De sentent. excommunic. in 6 (de quo in præced. cap. 28. in principio) non modo extendendum, sed potius restringendum esse aperte ostenditur bonis rationibus allatis.

54. De INTERDICTO autem absoluto certum est, cum vinculum sit absolute iniectum, nihil habere vnde cesset præter absolutionem quam, *si ipsum sit ab homine*, dare potest tantum is qui illud tulit, aut Superior eius aut alius de eorumdem commissione, argument. Cap. Si Petrus 24 quæst. 1. Id quod receptum communiter, tam à Sumularijs in verbo Interdictum, quam à Canonistis ad cap. Si sententia, & cap. Si ciuitas, De senten. excommunic. in 6. Suarez annotat. *in citata disput. 38. sect. 2. num. 2.* Sin autem absolutum interdictum sit à iure, & cum reseruatione, absolutio illius dari potest tantum ab eo cui facta est reseruatio, aut ab alio de commissione ipsius, aut per priuilegium iuris quale in Conc. Triden. sess. 24. c. 6. De reform. datur Episcopis absoluendi in sua Diœcesi in quibuscumque casibus occultis, quoscumque sibi subditos. Vide quæ in præcedenti lib. 8. c. 4. & seqq. sunt generaliter dicta de absolutione à reseruatis, & huic loco in particulari accommoda.

55. Sin vero interdictum absolutum sit sine reseruatione, distinguēdum est: vel enim est locale, vel personale, & vtrumque vel generale, vel particulare. Atque si locale sit, siue generale, siue particulare: potest quidem tolli absolutione Episcopi talis loci, aut alterius habentis in eodem loco iurisdictionem quasi Episcopalem, non item ab alio. Quorum prius probatur per illud in cap. Nuper, §. penult. De sentent. excommunic. quod quando conditor iuris à quo lata est sententia excommunicationis (eadem ratio est de aliis censuris) non retinuit sibi specialiter illius absolutionem, eo ipso alijs concessisse videatur facultatem relaxandi. Posterius vero probatur, quia talis relaxatio, *vtpote spectans ad forum, quia non est materia fori pœnitentiæ*, requirit iurisdictionem fori causarum: quam respectu spiritualium habent tantum prædicti iurisdictione Episcopali.

Qua ratione docetur pariter, non nisi Episcopum, aut alium qui iurisdictionem Episcopalem habeat in suos, posse absoluere à generali interdicto personali. Talis enim absolutio requirit iurisdictionem in foro causarum: non enim sufficere iurisdictionem in foro pœnitentiæ patet: quia cōmunitas, quatenus communitas (quo modo spectata supponitur tali interdicto) non est quid pertinens ad forum pœnitentiæ, in quo tantum iudicatur in particulari de vnoquoque, Ecclesiæ clauibus se subiiciente sua sponte.

56. Nec dici potest habentem iurisdictionem solummodo in foro pœnitentiæ, vt Parochum, non posse quidem absoluere totam ipsam communitatem: posse tamen absoluere in particulari personas persistentes in ea, tanquam membra in corpore. Hoc inquam dici non potest: quia, vt bene ait Suarez *in memorata sect. 2. n. 6.* contra ordinarium Ecclesiæ vsum est, vt communitas quatenus communitas maneat interdicta: & personæ perseuerantes membra esse illius, absoluatur ab interdicto. Et ratio est, quia posset alioqui fieri vt tale interdictum sigillatim auferretur ab omnibus qui sunt de illa communitate, eadem manente interdicta: quod absurdum est, præsertim cum communitas non sit quid aliud à toto populo. Non est tamē negandum quin possit alicui concedi priuilegium, vt non obstante quod sit communitatis interdictæ membrum, ab eo vinculo eximatur. Quæ cōcessio fieri debet per eum qui potestatem habet omnes liberandi, atque adeo tollendi idipsum interdictum.

De SPECIALI interdicto personali difficultas est an ab illo soluere possit iurisdictionem habens tantum in foro pœnitentiæ, vt Parochus? Eam Suarez in sequentibus numeris tractans, partem affirmantem sequitur. Et merito, dummodo præcedat iusta pœnitentia cum emendatione & & satisfactione, aut aliqua cautione sufficienti. Ratio est, quia persona sic interdicta tanquam particularis potest in pœnitentiali foro se clauibus submittere, nihilq; obstat quin vt à peccatis, & alijs censuris, sic ab interdicto personali in eo absoluatur: præsertim cum inde minime sequatur absurditas, ob quam paulo ante negatum est Parochum posse absoluere à generali interdicto personali.

PORRO absolutionis ab interdicto, sicut & absolutionis à suspensione, nulla est certa, determinataque verborū forma, vt Caiet *in verbo Absolutio*, passimque alij de eadem forma agentes notant. Itaut nihil referat, siue dicas, absoluo, siue remoueo, aut reuoco, aliudve eiusmodi, prout Angelus expressit in verbo Interdictum 8. numero 1. Forma vero in Ecclesia communiter vsitata, *prout Felicianus habet in tract. De interdicto, cap. vltim.* est; si quidem interdictum sit locale, interdictum tali loco propter talem causam impositum authoritate qua fungor, remoueo, atque reuoco: vel vsque ad tale tempus suspendo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amen. Sin sit personale, authoritate qua fungor, absoluo te, vel vos, *si pluris fuerint*, à vinculo interdicti, quod incurristi, vel incurristis propter hoc vel illud In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amen. 57.

Explicatio aliquot dubiorum.

PRIMVM EST; an interdicto locum habeat absolutio ad cautelam, sicut in excommunicatione? Ad quod responsio est expressa in cap. Præsenti; De sentent. excommunic. in 6. quoad generale interdictum locale, vbi dicitur beneficium relaxationis, ad cautelam non habere locum in illo. Quoad reliqua igitur est tota difficultas. Cuius partem affirmantem Suarez *disput. 38. sect. 3. num. 3. & 4.* tenendam censet hac ratione, quod tale beneficium sit in censuris cōmuniter concessum, ideoque in illis in quibus non negatur, censeri manere. Negatur autem solummodo in generali interdicto locali. Nam de aliis non habetur textus expressus, & idipsum cap. Præsenti, quia determinate conceptum est de solo locali generali, non habet locum in aliis interdictis, ne quidem in locali particulari: sed potius vt illa, sic & istud excludit, prout ad idipsum cap. *ponderando verbum Generaliter*, statuunt Canonistæ, quos sequitur, & refert Couarruias *ad Cap. Alma mater. 2. parte, §. 2. num. 5.* Videnda sunt de istius generis absolutione tradita in præcedenti libro 9. capite 5. 58.

SECVNDVM DVBIVM EST; an per mutationem loci interdictum locale relaxetur? Istud Suarez tractat in memorata disput. 38. sect. 1. statuens aliquot conclusiones, quibus præmittendum est, eam mutationem posse esse vel quoad dominium, vt cum per venditionem ipsum ab vno in alium transfertur, vel quoad ædificia, vt cum ea destruuntur hostili vastatione, aut incendio, vel aquarum inundatione, vel demum quoad personas loci incolas. 59.

Prima igitur conclusio est. Ad hoc vt interdictum locale cesset ipso facto, non sufficere loci alienationem. Exempli gratia, si domini alicuius terra sit interdicta ob peccatum ipsius, ipseque eam omnino alienet, non ideo interdictum tolli ipso facto. Hanc habet Sylu. in verbo Interdictum 2. num. 3. eamque probat. Tum quia tale interdictum est velut onus quoddam loci, & res quæ alienatur, transit cum suo onere, iuxta cap. Pastoralis, §. Expensas, De decimis. Tum quia tale interdictum relaxari debet per Iudicem, prout fert communis Ecclesiæ vsus; & merito, quia potestas Ecclesiastica facile alioqui vilipendetur illudendo ei, siue per veram siue per fictam loci alienationem.

Secunda conclusio est. Si dominus, cuius terra supposita est interdicto, aliam acquirat, eam non censeri interdictam. Ratio est, quia non fuit comprehensa in sententia interdicti: nisi, *prout Sylu. monet*, ea ferat, vt omnis terra talis personæ tam possessa, quam possidenda, sit interdicta, aut certe, *prout habet Suarez num. 11.* nisi locus ille de nouo acquisitus, loco interdicto tanquam pars accumuletur.

Tertia conclusio. Pars loci interdicti si alienetur, non ideo desinit esse interdicta. Hæc eadē ratione probatur qua prima, proceditq; non solum cum talis pars est toti loco interdicto realiter coniuncta: sed etiam cum est loco sciuncta, vt cū terræ alicuius suppositæ interdicto, sunt locis separatæ.

Nam

Nam sicut ea separatio non obstat, quin sint vnius domini: ita nec quin interdictum per modum vnius latum, omnes comprehendat, easque alienatas sequatur tanquam earum onus.

Quarta conclusio. Interdictum locale, siue generale sit, siue speciale, non cessare ipso facto destructione ædificiorum in loco interdicto. Ratio est, quia non interdicuntur ædificia sola: etiam solum in quo sita sunt. Immo hoc potius, quam illa tanquam eorum basis immobilis. Pro quo facit, tum quod destructa Ecclesia interdicta, tanquam perseuerante interdicto, non liceat ibi sepelire defunctum, etiamsi locus nõ desierit sacer esse, tum quod ante sublatum per absolutionem interdictum, si Ecclesia de nouo tota in eodem solo reædificetur, nequeant in ea, *tanquam existente in loco interdicto*, officia diuina celebrari. Qua de re plenius Suarez num. 13.

Vltima conclusio est. Interdictum locale non cessare recessu incolarum à loco interdicto: nisi interdictum fuerit, *vt vocant*, ambulatorium. Prior pars patet: quia locus statuitur obiectum proximum, & adæquatum talis interdicti. Posterior quoque patet: quia interdictum ambulatorium dicitur per quod interdicitur locus, in quo certa persona extiterit. Inde enim sequitur hoc ipso quod eadem persona ab illo loco migrauerit ab eodem, sine alia relaxatione tolli interdictum prædicto modo impositum. Et ex aduerso locus in quem migrauerit, hoc ipso quod ille ibi existit, idemmet locus absque noua sententia interdictus esse incipit. Et confirmatur: quia tale interdictum reipsa conditionale est, vtpote latum, non quidem in locum absolute, sed sub conditione, si in eo talis persona maneat. Quo fit, vt nõ nisi ea conditione interueniente idipsum interdictum vim habeat, tanquam deficiente ipsius obiecto proprio.

60. TERTIVM DVBIVM EST, an generale interdictum personale cesset destructione communitatis in quam latum fuit? Istud quoque Suarez consequenter tractat sequentes conclusiones attingens. Prima est: Interdictum eiusmodi cessare destructione communitatis interdictæ. Ratio est, quod illud afficiat hanc, tanquam corpus quoddam politicum moraliter vnum: quod vt dissolui potest, sic & desinere tale esse, & per consequens amittere rationem subiecti, quod afficiatur memorato interdicto. Definẽte autem subiecto, necesse est accidens desinere. Vnde, *inquit in eadem sect. 1. Suarez. nu. 15.* cum interdictum dicitur perseuerare donec ipsum auferatur, intelligendum est perseuerante re subiecta, prout illius capace. Neq; conclusioni obstat quod maneant homines ex quibus communitas componebatur; quoniam desierunt eam componere. Interdictum vero eos non afficit nisi vt partes communitatis, tanquam vnius corporis politici. Quo proinde omnino destructo, sicut rationem partis amittunt omnino, ita & desinunt pertinere ad obiectum interdicti in communitatem ipsam fulminati.

Secunda est. Generali interdicto personali subiici desinere eum, qui à communitate interdicta sic se subtraxerit, vt non sit amplius eius membrum. Ratio est, quia cum interdicitur communitas, interdictum non cadit in singulas personas per se absoluteque spectatas, sed vt ad communitatem ipsam tanquam totum quoddam corpus politicum constituendum, concurrunt instar membrorum. Namque interdici communitatem, est censura interdicti ligari ipsius membra, adeout liberi sint à tali vinculo, qui desierint esse ne talium membrorum numero, & incipiant ligari, qui ad eumdem numerum pertinere incipiunt. Hanc esse communem Canonistarum & Summulariorum doctrinam in sequenti nu. 16. Suarez notat.

Tertia conclusio, *qua præcedens restringitur*, est. Eum qui generali interdicto causam dedit, non liberari ab eo, se à communitate interdicta separando per mutationem domicilij. In hac quoque authores conuenire Suarez habet in sequenti num. 18. addita ratione, quod respectu talis personæ, interdictum generale vim habeat specialis, quia illam afficit per se, & ob propriam contumaciam, in qua perseuerantem liberum fieri solo recessu à communitate, non est rationi consentaneum, ac proinde nec de mente Ecclesiæ. Secus est vero de illis, qui cum innocentes sint, tali interdicto afficiuntur tantũ eoquod sint partes communitatis.

Aduerte, *quod idem in sequenti num. 19. habet*, communitatem quæ propter domini sui tanquam capitis peccatum interdicta est, non liberari ab eo vinculo per mutationem, qua talis persona desierit esse dominus & caput illius. Ratio est quia huiusmodi interdictum afficit per se primo communitatem, quæ suam rationem communitatis sub qua interdicitur, non amittit ex mutatione domini. Illa autem perseuerante, interdictum eiusmodi dici nequit deficere, deficiente subiecto, sed ad illud tollendum opus est perinde ac prius, absolutione Superioris.

61. QVARTVM DVBIVM spectans ad speciale interdictũ personale, est, an personaliter interdictus liberetur eo vinculo, hoc ipso quod é vita excedit pœnitens? Dico pœnitẽs, quia de non pœnitente in Cap. Is cui, De sentẽt. Excommunic. in 6. hæc verba sunt aperta. Talis quoque si hoc interdicto durante decedat, non debet Ecclesia vel Cœmẽterio Ecclesiastico, *nisi pœnituerit*, sepeliri, quod Suarez *num. 20. & sequentibus* tractat allatis authoribus & rationibus in vtramque partem. Pro praxi autem nobis sufficit tanquam tutiorem, & rationi valde consentaneam, videri tenendam partem negantem: cum de negatione censuræ sit vinculum esse, quo innodatus non liberetur, nisi solutione facta Superioris authoritate. Licet igitur vita functus cum pœnitentia, si non fuerit denunciatus, possit à viuentibus sepeliri in sacro, iuxta priuilegium Extrauag. Ad euitanda, cuius antea sæpe meminimus: non possit tamen denunciatus, donec à Superiore obtenta sit absolutio. Pro quo faciunt, *per argumentum à pari*, dicta de absolutione ab excommunicatione in præced. lib. 9. cap. 2. num. 43.

CAP. XXXIII.

De interdictis à iure latis.

SVMMARIVM.

62 *Generale interdictum latum ob insecutum hostiliter S. R. E. Cardinalem.*
63 *Duo alia ob iniuria affectos Episcopos.*
64 *Aliquot alia eiusdem generis.*
65 *Vnum locale impositum Ecclesiæ Religiosorum vel Clericorum inducentium alienos ad promissionem eligendi in illa sepulturam.*
66 *Quatuor generalia interdicta personalia à iure imposita.*
67 *In generali locali interdum personale includitur.*
68 *Octo particularia interdicta personalia à iure imposita.*
69 *Documenta aliquot pro praxi notanda de obligatione interdicti.*

INterdicta iure ipso imposita referunt Angelus & Syluester in verbo Interdictum 4. & inter recentiores Georgius Sayrus alios referens in Thesauro casuum conscientiæ lib. 5. cap. 12. ac Suarez tomo 5. disput. 37. Primo referemus generalia localia. 2. specialia localia. 3. generalia personalia. & 4. specialia personalia.

Generalia localia.

SECTIO I.

62. PRIMVM istius generis habetur ex cap. Fœlicis, De pœnis in 6. in quo variæ pœnæ imponuntur ei qui Cardinalem S. R. E. fuerit hostiliter insecutus, vel percusserit aut ceperit, vel socius fuerit faciẽtis, &c. & inter cæteras interdictũ his verbis §. finali. Ciuitas vero quæuis alia præter vrbem, quæ talia facienti, vel facientibus, seu præsumentibus, in his consilium, vel auxilium dederit aut fauorem, vel infra mensem saltem taliter delinquentes (prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei adfuerit) non duxerit puniendos, Pontificali, & supra eo ipso dignitate priuata, & nihilominus remaneat interdicta.

Aduerte verò quod Suarez loco citato num. 16. notat, quia tale interdictum fertur tantum contra ciuitatem in qua Magistratus memorato scelere se contaminauerit, villam alium ve locum inferiorem cui ciuitatis nomine minime conuenit, non incurrere in propositũ interdictũ, etiãsi

per eos qui illic præsunt commissum sit crimen, De quo sermo est in ipso Cap. Fœlicis. Nam in materia odiosa restringenda sunt verba, nec extendenda vltra sensum quem habent in communi vsu. Si dicas, extensionem eam fieri posse ob paritatem rationis. Respondetur, id propterea non habere in hac materia locum in ordine ad praxim, quod populi inferiores, seu villarum & pagorum, facile possint alia ratione coerceri, nec interdictum videatur medium esse ad illorum emendationem satis accommodatum, ob inde uotionem, hæreses, infinitaque pericula animarum quæ ex eo insurgere possunt, prout notatur in Cap. Alma mater, De senten. excommunic. in 6. §. Quia vero.

63. Secvndvm est non absimile, latum in Clement. 1. De pœnis, edita contra eum qui ausus fuerit corporali iniuria afficere quemuis Episcopum. Verba eius sunt §. 3. Terra quoque illius (dum tamen vltra vnam Diœcesim non contineat) vsque ad condignam satisfactionem eiusdem, nec non locus aut loca in quibus Episcopus captus detinebitur, quamdiu detentio ipsa in eisdem duraverit, Ecclesiastico subiaceat interdicto. Ex quibus Suarez nu. 19. bene colligit, ad istiusmodi interdictum incurrendum non sufficere iniuriam Episcopo illatam à priuato. Cum enim dicatur (Terra illius) ostenditur agi de Domino terræ. Deinde ipsum in tota Diœcesi locum habere, si tota ad talem Dominum spectet. Quod si pars tantum spectet, ea sola interdicto subiacebit. Sin plures Diœceses idem in suo dominio habeat, cõsequenter in eadem Clement. sic statuitur: Quod si terra eiusdem duas Diœceses, vel vltra contineat, Diœcesis domicilij principalis, & illa etiam in qua fuerit delictum commissum, si sua sit, & duæ aliæ quæ sub ipso sint eidem loco magis vicinæ, interdicto subiaceat supradicto.

Tertivm est in eadem Clementina, §. Ciuitas, latum contra ciuitatem quæ antedicta perpetrauit in suum Episcopum. Vbi ex verbo, Ciuitas, idem collige: quod in primo casu, aduerte differentiam huius interdicti à præcedenti, quod populi Dominus illi causã det; & huic ipse populus.

64. Qvartvm est impositum ciuitati in qua moritur Papa, & facienda est successoris electio, si illius Dominus, Rectores vel Officiales nõ faciant inuiolabiliter absq; vlla fraude & dolo obseruari ea quæ in Cap. Vbi periculum. De electione in 6. præscribuntur. Verba quibus ibidem propositum interdictum imponitur sunt. Ciuitas vero prædicta nõ solum sit interdicta, sed Pontificali dignitate priuata.

Qvintvm habetur ex Extrauaganti communi Super gentes, De consuetudine. In illa enim, cum Dominus regni, aut cuiuslibet loci impedit ne Legatus, vel nuncius Apostolicus possit officium suum exequi in eo, idem supponitur interdicto quamdiu in tali contumacia is ipse Dominus permanserit.

Sextvm habetur ex Cap. 1. De vsuris in 6. in quo prohibetur ne quis vsurarios alienigenas ad habitandum, & exercendum vsuras admittat in suis terris, contrariumque facientes, si fuerint Ecclesiasticæ personæ, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, suspensionis, minores vero personæ singulares excommunicationis, & communitates interdicti sententiam incurrant. Quam sententiam si per mensem animo indurato sustinuerint, terræ ipsorum, quamdiu in eis ijdem vsurarij commorantur, ex tunc Ecclesiastico subiaceant interdicto. Circa quod interdictum Suarez nu. 24. duo admonet. Alterum est ipsum habere tantummodo locũ, quando personæ contumaces fuerint Ecclesiasticæ. Alterum est, durare non quidem durante tali contumacia, sed durãte cõmoratione prædicti vsurarij in tali loco.

Specialia localia.

Sectio II.

65. Qvod attinet ad specialia interdicta localia, omissis cæteris de quibus non est certum imponi à iure, vt ostendit Suarez *num.* 27. & 28. vnum tantum referemus, de quo constat ex Cap. 1. De sepulturis in 6. vbi religiosis, alijsque Clericis seuere prohibetur ne quem inducant ad iurandum, vel alias promittendum, quod in ipsorum Ecclesia eliget sepulturã, vel semel electã vlterius nõ mutabit. Addito quod si postea in Ecclesia sua, vel Cœmeterio talẽ sepelire præsumpserint, nisi intra decẽ dies omnia quę occasione sepulturæ habuerunt, restituant illi Ecclesiæ vbi de iure sepeliẽdus erat (etiã ipsum cadauer si petatur) ipso facto Ecclesia eorum & Cœmeteria sint interdicta, quousque antedictorum omniũ sit facta restitutio plenaria. Circa quod interdictum Suarez in duobus præcedentibus numeris tria notat. Primum est, propositam obligationem restituendi non requirere sentẽtiam Iudicis; sed tantum lapsum decem dierum computandorum *ex communi Doctorum consensu*, à die celebratæ sepulturæ. Secundum est: si vnus tantum, aut alter Clericus non restituat partem suam, quæ sit ita notabilis, vt sufficiat ad peccatum mortale; insurgere interdictum: quia tale peccatũ sufficit ad talẽ pœnã. Nec obstat, quod sit personæ particularis; quia interdictum particulare incurritur ob peccatum particularis personæ. Adde quod cæteri propter cõmunem conspirationem in peccatum, tanquam ad restitutionem obligati in solidum, teneantur in conscientia supplere defectum sociorum non restituentium; nisique faciant, peccare mortaliter eadem omissione. Tertium est; si vnus Religiosus, aut Clericus priuato nomine ad memoratã promissionẽ inducat; & cæteri id ignorantes bona fide sepeliant inductum, nec propterea restituant accepta, non incurri interdictum. Ratio est, quia imponitur ob delictum eorum qui præsumpserint, quod non vsuenit agentibus bona fide.

Generalia personalia.

Sectio III.

66. Inter generalia interdicta personalia hæc referuntur. Primum est. Quando vniuersitas concedit represalias seu pignorationes contra personas Ecclesiasticas, vel earum bona, necnon quando eisdem quascumque generaliter concessas, cuiuscumque consuetudinis prætextu, *quæ potius est abusus*, ad personas Ecclesiasticas, earumve bona extendit. Tunc enim vniuersitas prædicta nisi concessionem, vel extensionem eiusmodi reuocarit intra mensem à die concessionis, aut extensionis computandum, ipso iure in interdictum incidit, ex Cap. vnico de iniuriis in 6.

Secundum habetur ex Bulla cœnę Domini canone 2. vbi interdicuntur Vniuersitates, Collegia, & Capitula quocumque nomine vocentur, quæ à sententiis, ordinationibus & mandatis Summi Pontificis appellant ad futurum Concilium generale. Itemque ij quorum consilio & fauore fuerit appellatum. Qua de re videnda sunt dicta ad eumdem canonem in præced. lib. 9. cap. 15.

Tertium habetur ex Concilio Triden. sess. 7. cap. 10. De reforma. vbi Capitulis Ecclesiarum præcipitur, ne sede vacante, infra annum à die vacationis, literas dimissorias ad ordines recipiendos concedant alicui, qui beneficij Ecclesiastici recepti vel recipiendi occasione arctatus non fuerit. Et subditur: Si secus fiat, Capitulum contraueniens Ecclesiastico subiaceat interdicto.

Quartum habetur ex Extrauag. vnica inter communes, Ne sede vacante; in qua Pontifex quædam statuens super eo quod in nonnullis Ecclesiis obseruatur, & à longis retroactis tẽporibus obseruatum est, vt fructus primi, vel secundi aut alterius cuiusq; sequentis anni, beneficiorum in eisdem vacantium, defuncto, vel fabricæ, aut Ecclesiis, vel personis habentibus annalia de consuetudine, vel priuilegio, vel statuto, applicentur, &c. Idipsum statutum suum sic munit, vt Capitulum, Vniuersitatem, & Collegiũ transgrediens illud, accipiendo de huiusmodi fructibus, subiiciat interdicto, donec ipsum integre restituerit.

Quintum esset addendum ex cap. Clerici, De immunitate Eccles. in sexto, nisi ipsum reuocatum esset per Clement. vnicam, eodem titulo, prout Sylu. *Interdictum 4. quæst. 2. in fine* expressit.

67. Notat autem Nauarrus *in Enchir. ca. 27. nu.* 169. in omnibus casibus in quibus iure fertur interdictũ locale generale ob delictũ populi, in eisdẽ etiam cõtra eumdẽ populũ ferri personale generale, tanquam in illo inclusum virtute; non item si feratur ob delictum solius Domini, nisi exprimatur in sententia ferri pariter in populum ipsum, ex cap. Si sententia, De sententia excõmunic. in 6. Cui Capitulo cõsentanee Suarez *in citata disput. 37. num. 16.* dicit quando populus causam dedit generaliter interdicto locali, per illud nõ inter

dici

lici virtute personaliter eos qui in illo inueniuntur ita innocentes. vt nulla ratione interdicto causam dederint. Tales enim respectu eorum qui dederunt, perinde se habent, ac subditi respectu Domini qui solus est in culpa.

Particularia personalia.

Sectio IV.

68. RESTANT particularia interdicta personalia à iure imposita. Primum habetur ex Cap. 1. De sententia excommunic. in 6. vbi Iudex Ecclesiasticus prohibetur sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdicti pronunciare sine scriptis; vel sine monitione, aut non exprimendo causam; iubeturque parti petenti concedere intra mensem, exemplar scripturæ. Cuius constitutionis si temerarius violator fuerit, per mensem vnum suspenditur ab ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis. Circa quod sub initium memoratę disput. 37. Suarez notat primo, ad illud incurrendum requiri, vt Iudex ex certa scientia & directa voluntate, vel certe ex negligentia tanta quæ eidem æquiualeat, omiserit seruare quod ibi præcipitur. Id enim significant verba, *violator temerarius*. Secundo, verbum *suspensionis*, additione, *ab ingressu Ecclesiæ*, trahi ad significationem interdicti; retinere vero suam significationem additione eius quod subiungitur, *& diuinis officiis*, quæ ne facta sit frustra; sic accipienda est, vt excludat à diuinis officiis celebrandis siue in Ecclesia, siue extra eam. Tertio, cum tale interdictum in vindictam delicti imponatur sustinendum per tempus determinatum (vnius mensis scilicet) non esse quem intra idipsum tempus absoluendum quantumuis sati. faciat, ac pœnitentiã agat. Quarto, tali pœnæ, iuxta Cap. Quia periculosum, De sentent. excommunic. in 6. non subiici Episcopos, quia non fit illorum expressa mentio in sententia qua fertur.

Secvndvm interdictum præcedenti aliquatenus simile habetur ex Cap. Sacro, De sentent. excommunic. initio; vbi prohibetur ne quis præsumat sententiam excommunicationis promulgare in aliquem, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, *si necesse fuerit*, probari possit mõnitio; additurque: Qui si contra præsumpserit, etiamsi iusta fuerit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesię per mensem vnum sibi nouerit interdictum. Vbi aduerte verbum, *præsumpserit*, indicare, quod ad hoc, sicut ad præcedens incurrendum requiratur vt Iudex ex certa scientia, directaque voluntate agat.

Tertivm habetur ex Cap. Præsenti, De officio Ordinarij in 6. vbi ab Ecclesiæ ingressu donec de acceptis restitutionem fecerint, suspenduntur Episcopi, & eorum Superiores, qui quoquo modo præsumunt vsurpare bona quarumcumque Ecclesiarum, aut beneficiorũ vacantium, vel eorum fructus applicandos ad vtilitatem earumdem, aut reseruandos successuris in illis.

Qvartvm habetur ex Cap. Episcoporum, De priuil. in 6. vbi Ecclesiæ ingressus interdicitur cuilibet, siue sæculari, siue regulari quantumcumq; communito exemptione per priuilegium Sedis Apostolicæ, cuiuscumque ordinis religionis, status, vel conditionis existat, si scienter celebret, vel faciat celebrari diuina in ciuitatibus, castris, villis (nisi quatenus à iure conceditur) seu locis aliis interdictis ab ordinariis, siue delegatis Iudicibus, vel à iure; aut excommunicatos publice, vel interdictos ad diuina officia, seu Ecclesiastica Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam admittat. Duraturum vero imponitur tale interdictum, donec de prædicta transgressione ad arbitrium eius cuius sententia contempta est, fuerit competenter satisfactum.

Qvintvm habetur ex Cap. 2. De censibus in 6. (innouato à Concil. Triden. sess. 24. Cap. 3. De reform.) in quo Ecclesiæ ingressus interdicitur Episcopo, & superioribus Prælatis; qui intuitu procurationis sibi debitæ ratione visitationis, recipiunt aliquid contra constitutionem positam in præcedenti Cap. Interdicitur autem non quidem absolute, sed sub conditione; si intra mensem duplum eius quod acceperint, non restituerint. Quam conditionem aduerte in Extrauag. vnica inter communes, De censibus, extendi ad duos menses. Vbi etiã idipsũ interdictũ extẽditur ad omnes de familia visitatoris, qui per se, vel alios ab eis qui visitandi sunt, aliquid recipiunt præter id quod est ipsis iure cõcessum.

Sextvm habetur ex tertia Extrauag communi De priuilegiis; vbi sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti ipso facto incurrenda promulgatur contra Iudices Ecclesiasticos, qui Officiales Romanæ Curiæ, vel alios, qui ad eamdem Curiam pro suis negotiis profecti sunt, priuant suis beneficiis Ecclesiasticis, & ea conferunt aliis; ad quos, si ea recipiant, eædem pœnæ extenduntur; inter quas excommunicatio ibidem expresse reseruatur Papæ. Vnde licet colligere, duas reliquas non esse reseruatas. Et de interdicto dici potest, quod non extendatur ad Episcopum & Superiores, quos excludit latum generaliter, ex Cap. Quia periculosum; De sentent. excommunic. in 6.

Septimvm fertur in Cap. Si quis deinceps 16. quæst. 7. in eum qui Episcopatum, vel Abbatiam, vel quamcumque inferiorem dignitatẽ Ecclesiasticam susceperit de manu personæ laicæ. Quod, vt notat Suarez nu. 9. in materia pœnali accipi potest cum restrictione ad susceptionem consummatam adeptione possessionis, & executionis officij eiusdem dignitatis.

Octavvm in Extrauag. vnica inter communes, Ne sede vacante, &c. fertur contra Episcopos, & Superiores qui cõtra præscriptum illius constitutionis, aliqua bona beneficiorum vacantium vsurpant, si intra mensem ea cum effectu non restituant iis ad quos pertinent.

Notanda de obligatione interdicti à iure lati.

Sectio V.

69. PRIMVM est. Particulare interdictum personale statim ligare personam in quam fertur; non tenentur verb alij vitare ipsum donec denũcietur: declaratione scilicet specialiter & expresse facta per iudicem Ecclesiasticum. Hoc quoad vtramque partem habetur ex Extrauaganti Ad euitanda; de qua egimus in præced. lib. 1. cap. 9. sect. posteriore. Ea enim non fauet censura irretitis, sed tantum aliis, quibus permittit cum ipsis communicare, si non sint denũciati, nec Clerici percussores ità notorij, vt nulla tergiuersatione celari possint. Vnde is fauor non obstat quin iura prout intendũt, eorũque verba præ se ferunt, ita irretiãt cõtumaces, vt irretiti debeãt ab iis abstinere, à quibus censura quam incurrerũt, excludit; alij vero nõ tenentur eo ipso vitare illos.

Secvndvm est. Neque eos ipsos, alios teneri vitare interdictos generali interdicto personali, donec ipsum fuerit denũciatum, certum est. Dubitatur vero, vtrum sufficiat denunciatum esse intra communitatem, quæ in illud incurrit; an vero necessarium sit nominatim personas singulas quæ sunt illius membra, denunciari in particulari? Ad quod Suarez *in antecitata disput. 37. sect. 2. nu. 3.* respondet; illud sufficere, nec istud esse necessarium; quia interdictum ipsum alioqui magna ex parte esset inutile; quandoquidem posteriore hoc modo denunciationem fieri impossibile est mortaliter. Suffieit igitur, vr communitas illa quæ interdictum cõtraxit, nominatim & in particulari denuncietur, posteaque constet euidenter personam vitandam membrum esse eiusdem communitatis.

Tertivm est post memoratam Extrauag. Ad euitanda. Interdictum locale, siue, generale, siue, speciale non habere vim donec denuncietur. Namque priuilegio eiusdem Extrauag. nemo quoad diuina celebranda tenetur ab eo loco propter interdictum abstinere ante sufficientem denunciationem. Vbi aduerte totam rationem istiusmodi interdicti consistere in fidelium quoad diuina, separatione à tali loco. Neq; enim potest locus interdictus separare seipsum à fidelibus, sicut potest persona interdicta personali interdicto. Aduerte etiam ad generalis interdicti localis denunciationem in particulari ac nominatim sufficere vti nomine collectiuo, aut quasi collectiuo, quo totus locus cõprehẽdatur, vt sic Ecclesię singulę alięque partes intelligãtur.

Qvartvm est. Quando suspensum est interdictum neminem teneri illud seruare, argũmento Cap. Alma mater, §. In festiuitatibus, De sentent. excommunic. in sexto. Tũc autem diligenter considerãda est suspensionis forma, ne quid fiat contra interdictũ. Atque si suspẽdatur simpliciter, diuina omnia vt prius celebrari poterũt; sin quoad aliqua tantũ, diuina illa tantum poterunt celebrari; sique ad certum tem-

pus, eo vsque tantum diuina celebrari poterunt. Ita notat Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 183. Et patet, quia in eo agendum est iuxta intentionem Superioris, quam sententia suspensionis ostendit.

QVINTVM est. Neminem teneri seruare interdictum, quando non seruatur ab eo cuius causa latum est, ex Cap. Petisti, De priuilegijs. Quod si plures sint quorum causa interdictum fuerit promulgatum, ad talem excusationem requiritur, vt maior pars illorum violet interdictum, habendo animum in tali violatione perseuerandi, prout coniici ex ipsorum actibus. Ita Panorm. annotat ad citatum Cap. Petisti, num. 2.

CAPVT VLTIMVM.

In quo per modum appendicis agitur de cessatione à diuinis.

SVMMARIVM.

70 *Quid & quotuplex sit cessatio à diuinis, & quatenus ab interdicto differat.*
71 *Conditiones requisitæ ad illius validitatem.*
72 *De eiusdem causa efficiente, seu à quo ferri possit.*
73 *De cæteris illius causis.*
74 *Primus effectus cessationis à diuinis, priuare vsu diuinorum officiorum.*
75 *Tempore cessationis à diuinis non est permissum, sicut tempore interdicti, submissa voce, clausis tantùm ianuis, non pulsatis campanis, ac excommunicatis, & interdictis exclusis diuina officia celebrare.*
76 *Nec permissum est in principalibus anni festiuitatibus eadem officia celebrare soleniter.*
77 *Horas canonicas Clerici priuatim eodem tempore possunt bini recitare, & quod Episcopus imponens cessationem a diuinis possit eam limitare.*
78 *De secundo effectu, qui est priuatio vsus Sacramentorum; & quæ Sacramenta ab eo excipiantur.*
79 *Quatenus permissa sit celebratio Missæ tempore cessationis à diuinis.*
80 *Sacramentorum vsum prohibitum esse tempore cessationis à diuinis, certum est; & quatenus de Baptismo dubitetur.*
81 *Dubium de Confirmatione, & aliud de Pœnitentia.*
82 *De tertio effectu, qui est priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ.*
83 *Excommunicatio imposita Religiosis quibus suis violantibus cessationem à diuinis.*
84 *De modo quo relaxatur ipsa cessatio.*

70. HVius appendicis addendæ ratio est, quod cessatio à diuinis similitudinem habeat cum interdicto locali. De ea inter cæteros satis copiosè agunt Georgius Sayrus alios citans in lib. 5. Thesauri casuum conscientiæ cap. 17. & Suarez tomo 5. in D. Thomam disput. 39. Congruenter autem communi Canonistarum doctrinæ ea definitur à Nauar. in Enchir. cap. 27. num. 188. desistentia quædam à diuinis officijs & ab administratione Sacramentorum. Quæ quidem si fiat in toto aliquo loco, vt in tota ciuitate vel oppido dicitur generalis; sin tantum in aliqua parte, vt in vna Ecclesia vel pluribus, non in omnibus, dicitur particularis. De ea autem dicemus 1. quatenus differat ab interdicto & quas conditiones requirat vt sit valida. 2. quæ sint illius causæ. 3. qui effectus. 4. quæ pœna incurratur illius violatione, & quo modo ea tollatur.

Quatenus cessatio à diuinis differat ab interdicto, & quas conditiones ea requirat ad validitatem.

SECTIO I.

CEssationem à diuinis ab interdicto differre constat ex his. Primo, quod non sit Ecclesiastica censura, id est, pœna alicui ob delictum imposita ab Ecclesiastico iudice; sed sit factum quoddam, quo certa de causa suspenduntur in aliquo loco, diuinæ laudis organa, prout habet Couar. ad Cap. Alma mater, *par. 2. §. 2. in initio.* Deinde, quod per illius transgressionem non incurratur irregularitas, vt ibidem Nauarrus docet: quia non inuenitur imposita; & ideo non est asserenda ex Cap. Is cui, De senten. excommunic. in sexto. In eandem sententiam plures Sayrus refert in citato cap. 17. num. 9. Præterea quod nunquam imponatur à iure, etiamsi ab illo permittatur, vt patet ex Cap. Si Canonici, & ex Cap. Quamuis, De officio Ordinarij in sexto. Quarto, quod qui habent priuilegium audiendi officia diuina tempore interdicti, non ideo possint audire tempore cessationis à diuinis. De quo Nauarrus in sequenti num. 189. pluribus de huiusmodi differentia disserens. Videri potest Suarez in memorata disput. 39. sect. 1.

IAM vt valida sit cessatio à diuinis (prout post Ioannem Andream ad memoratum Cap. Quamuis, docent in verbo Cessatio à diuinis, Angelus num. 3. Syluest. nu. 2. Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 3. art. 2. concluf. 3.) ad eam concurrere debent decem conditiones, quæ fere omnes sumuntur ex eodem Cap. Quamuis, & ex Cap. Si Canonici, ante etiam memorato, & ex Cap. Irrefragabili, §. Cæterum, De officio Ordinarij. Prima est, vt is cuius authoritate cessatur à diuinis, eamdem authoritatem habeat vel à iure: vt Episcopi habent ratione suæ dignitatis, & Capitulum sede vacante; vel à consuetudine, aut priuilegio; vt in quibusdam Ecclesijs non nunquam habent Canonici, ex memorato Cap. Si Canonici. Quod vero alias Canonici cessare non possint à diuinis sine consensu Episcopi suo, satis colligitur ex memorato Cap. Irrefragabili. Secunda est, vt Canonici omnes nullo dempto, etiam absentes qui conuenire possunt, conuocentur ad tractandum de ipsa cessatione, ac si ageretur de electione canonica, per textum expressum in Cap. Quamuis, §. 2. De officio Ordinarij in sexto. Tertia, vt de causa cessandi mature & diligenter tractetur. Quarta, vt de cessando habeatur deliberatio; in qua necessarium esse, vt maior pars Capituli concludat cessandum esse, intelligitur ex eo quod in citat. cap. Quamuis, conuocatio ad cessationem faciendam æquiparetur ei quæ fit ad electionem canonice agendam. Quinta, vt offensa propter quam cessatur, manifesta sit ac notoria. Sexta est expressa in Cap. Irrefragabili, §. Cæterum, De officio Ordinarij, vt eadem causa sit rationabilis, seu apertis rationibus demonstrata, vt Soto interpretatur; & ideo infert conditionem hanc sequi ex præcedenti. Septima, vt ante cessationem instrumento publico, patentibus vel literis, authentico sigillo munitis causa cessationis exprimatur. Octaua, vt idem instrumentum tradatur ei contra quem cessatur. Nona, vt cessaturi ab eodem postulent, vt emendet competenter iniuriam seu offensam, propter quam volunt cessare: quod si facere nolit, locum habet tunc cessatio. Postrema quæ in memorato cap. Quamuis, expresse traditur est, vt post cessationem vtraque pars tam cessans, quam contra quam cessatur, per se, aut per procuratores sufficienter instructos, iter ad sedem Apostolicam intra mensem arripiat: & continuatis diebus quam cito poterit, se eidem sedi præsentet; vt cognita causa Pontifex de remedio prouideat, ne Ecclesia in tali afflictione diu permaneat. Vbi aduerte, *quod Sayrus in citato lib. 5. c. 18. in fine habet citatis Soto, Toleto, & Henriquez:* si partes inter se conueniant, cessationem à diuinis tolli posse ab eo à quo lata est, nec esse opus sedem Apostolicam adire. Ratio est, quia in tali profectione præscribenda, intentio Papæ fuit tantum, vt quam cito prouideretur Ecclesiæ, obuiaretur que damnis, quæ possent euenire, si ea absq; diuinorum celebratione diu maneret. Cæterum si non seruentur prædictæ conditiones, nec seruanda est ipsa cessatio, iuxta Cap. Quamuis, §. finali de officio Ordinarij in 6. Et ita expresserunt in verbo Cessatio à diuinis, Angelus & Syluester, *ille n. 3. & hic q. 1. vterque sub finem.* Quod qua ratione ex illo Cap. deducatur, Suarez declarat in illa disp. 39. sect. 3. n. 13. in præcedentibus, de memoratis conditionibus agens.

De causis cessationis à diuinis.

SECTIO II.

71. QVOD attinet ad causam efficientem consentiunt Doctores (quorum non nullos Suarez in præcedenti n. 2. & plures

Sayrus in citato lib.5 cap.18.nu.3) Episcopo iure ordinario, atq; ex officio cõpetere potestatem imponendi cessationem à diuinis. Ratio vero est, quod eadem cessatio sit fori Ecclesiastici contentiosi, ideoq; requirat iurisdictionem Episcopalem per quã iudicia exercentur in illo foro Ecclesiastico. Quæ iurisdictio, quia sede vacante cõpetit Capitulo, ipsum quoque potest tunc imponere cessationem ipsam à diuinis. Posse quoque Concilium prouinciale, patet ex Clement. 1. De sentent. excommunic. §. 2. illis verbis. Quod etiam in interdictis & cessationibus à diuinis inductis per prouincialium Conciliorum statuta, vel ipsorum authoritate, &c. Posse demum aliquando ex consuetudine præscripta, aut Papæ priuilegio, Collegium aliquod, vel Capitulum, vel conuentus Ecclesiarum, siue regularium, siue sæcularium, constat adhuc ex eadem Clementina in sequenti §. 3.

73. Quod attinet ad causam finalem, bene ait Suarez *in citata sect. 3. nu. 4.* Si de proximo fine cessationis à diuinis agatur, eis coincidit cũ illius effectu, de cuius varietate dicetur in sequenti sectione. Sin de remoto; in eo conuenit cũ censuris proprie dictis, quod tanquam medicina instituatur ad emendationem delinquentis, à quo Ecclesia graui iniuria effecta, siue in se, siue in aliquo ex suis, non valens illum iuris ordine aliter compescere; conatur exterrere, *inquit Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 3. art. 2. concls. 2.* tam ingenti saltem doloris significatione ac sensu, quo à suis canticis lætitiæ, & diuinæ laudis cessat; ad instar populi Israëlitici (ex Psal. 136.) Babylonem abducti in captiuitatem, suspendentis in salicibus organa sua, & sedendo flentis.

Quod attinet ad materiam, seu delictum propter quod iuste imponitur cessatio à diuinis, illud debet grauissimum esse, vt loco citato Suarez notat, & cæteri communiter docent, quia medium tam acerbum tamque periculosum non est assumẽdum sine grauissima causa. Debet idem delictum, *vt idem addit*, esse publicum, seu communi bono Ecclesiæ potestative Ecclesiasticæ contrarium; quandoquidem eos etiam qui innocentes fuerint talis pœna attingit. Debet demum esse manifestum, nec sufficit probabiles conjecturas de eo haberi, iuxta cap. Irrefragabili, §. Cæterum, De officio Ordinarij.

Quod denique attinet ad formam seruandam in ferenda cessatione à diuinis; ob similitudinem quam habet cum interdicto locali, forma simili potest imponi dicendo v. g. *prout habet Sayrus in memorato cap. 18. nu. 11.* Nos ob talem causam, villam, aut ciuitatem talem à diuinis officiis cessare præcipimus, &c. Conditiones quas eadem forma comites habere debet, vt legitima sit impositio cessationis à diuinis; traditæ sunt in præcedenti sectione num. 71.

De effectibus cessationis à diuinis, & specialiter de priuatione diuinorum officiorum.

Sectio III.

74. Effectus cessationis à diuinis sunt, *sicut interdicti*; tum priuatio diuinorum officiorum, tum priuatio Sacramentorum, tum etiam priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ.

Quod ad primum attinet, cessatio à diuinis (quod ipsius nomen indicat, constatq; ex vsu cõmuni) priuat vsu omnium diuinorum officiorum; celebrationis inquam Missæ, recitationis horarum canonicarum, & aliorum. Quamquam, *inquit Suarez disput. 39. sect. 2. sub initium*, nunquam horæ ipsæ canonicæ censentur prohibitæ dici priuatim, etiam à personis Ecclesiasticis, dicentibus eas ex officio, nomine Ecclesiæ, ministerio ipsorũ vtentis ad diuinas laudes pro toto populo decantandas. Nunquam enim Ecclesiæ ministri tali onere sibi imposito liberantur ob istiusmodi priuationes: sed tantum illis publica recitatio prohibetur. Addit Suarez notatu dignum pro praxi; etsi præceptum cessationis à diuinis directe pertineat ad Ecclesiasticos, quorum est diuinorum celebratio; ad cæteros tamen indirecte quoque pertineret quia reuera ponitur pro toto populo. Ideoq; si Ecclesiastici contra tale præceptum cessare nolint, reliqui tenebuntur vitare eos in diuinis, hoc est, non adesse illis celebrantibus; non solum quia in eo cooperarentur prauitati ipsorum: sed etiam quia illo præcepto adstringuntur. Quinimo ob eandem causam, *inquit idem*, si aliquis Sacerdos ex priuilegio celebret tempore cessationis à diuinis, alij carentes in hac re priuilegio, nequeunt eidem celebrationi interesse.

Consequenter late tractat, an tempore istius cessationis, sicut tempore generalis interdicti localis, liceat pẽr priuilegium Ca. Alma mater, §. Adiicimus, De sentent. excommu. in 6. Missam celebrare, & horas canonicas dicere submissa voce, ianuis clausis, non pulsatis campanis, ac electis excõmunicatis, & interdictis? Partem autem negãtem sequitur; approbatum *vt ipse ait*, per Congregationem circa hãc materiam, Salmaticæ factam Doctorũ iuris, & Theologorum, anno Domini 1556. & receptam Ecclesię consuetudine. Videtur autem aperte deduci posse ex cap. Si Canonici. §. Si autem, De officio Ordinarij in 6. vbi habetur, eum cuius culpa cessatio canonice indicta fuerit, teneri Canonicis, & Clericis ad id quod interfit ipsorum ex eo, quod omnino cessantes à celebratione diuinorum officiorum amiserint, aut fane non acquisierint distributiones quotidianas, quæ non nisi interessentibus diuinis officiis dari solent, & debent, ex cap. vnico De Clericis non residentibus in 6. & ex Concil. Trident. De reform. *sess. 21. c. 3. & sess. 22. cap. item*, 3. Eas vero acquiri à celebrantibus officia diuina, secundum permissionem factam in memorato §. Adiicimus, satis aperte ibidem indicatur. Cum ergo non acquirantur tempore cessationis à diuinis (quod consequens est ex eo quod is qui cessationi causam dedit, teneatur cessantibus eas restituere) argumento est; ne quidem seruatis conditionibus positis in eodem §. Adiicimus, celebrationem officiorum diuinorum permitti. Qua ratione subtiliter Couarruuias ad cap. Alma mater, 2. *parte*, §. 4. *numero 7. vers.* 3 pro hac ipsa sententia vtitur. In sequenti 4. addens, quod iure antiquo, *a gumento Capitul. Non est vobis Desponsalibus* celebratio diuinorum officiorum tempore cessationis penitus interdicta fuerit. Cui iuri non derogatum per post editum Decretum in citato cap. Alma mater, quod tantum loquitur de interdicto, nec interpretatione extendendum est ad cessationem à diuinis: vt specie abillo diuersam, & post illud applicari solitam, tanquam medicinam fortiorem, ad delinquentis contumaciam frangendam. 75.

Addit Suarez nu 13. neq; factam in sequenti paragrapho eiusdem cap. Alma mater, permissionem celebrandi solemniter officia diuina in festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Virginis gloriosæ, locũ habere in cessatione à diuinis. Nam non est ratio cur de tali permissione hoc dicatur potius, quam de præcedenti: præsertim cum eædem rationes in vtraque earum pariter militent. Nec obstat quod in illo sequenti paragrapho, verba sint absque speciali mentione temporis interdicti: quia sufficit in illo cap. sermonem esse tantum de eo ipso tempore, vt patet considerari verba quæ habentur non procul ab initio; Concedimus quod tempore interdicti ab homine, vel à iure prolati, &c. Item q; alia quę habentur in §. finali. Cęteris quę circa obseruationem interdictorum, à nostris sunt prędecessoribus instituta in suo robore duraturis. Itaque cum dicitur; In festiuitatibus Natalis Domini, &c. sub intelligendum est tempore interdicti. 76.

Adde præterea ex num. 14. Clericos, *quamuis à nonnullis dubitatum sit*, posse priuatim officium diuinũ binos recitare tempore cessationis á diuinis: quia non est ea de re in iure prohibitio; atq; cessatio ipsa dirigitur tota ad Ecclesiastica officia, prout sic publice fiunt, vt ordinentur ad populi participationem auditionemque. Adde porro ex nu. 16. non excedere ordinariam potestatem Episcopi, vt imponens cessationem à diuinis, eam limitet ad certum genus officij diuini, vt v. g. ad solã Missę celebrationẽ: nihilominus ordinarie, ac secundum communem Ecclesiæ consuetudinem, id non fieri: quia non est necessarium; eo quod ipsa cessatio nõ soleat imponi, nisi post adhibita alia remedia, & quando ea nihil prosunt iudicatur expedire diuina organa omnino suspendere. Vnde cum partialis prohibitio sufficit, ea fieri solet per interdictum. Pulsatio campanarum, *vt idem notat nu. 17.* tempore cessationis à diuinis prohibetur, sicut tempore interdicti: nimirum facta ad conuocandum populum ad officia diuina; non autem ad conuocandum ad alia, vt ad concionem, salutationem Angelicam, & similia. 77.

De reliquis effectibus.

Sectio IV.

78. QVOD attinet ad secundum effectum cessationis à diuinis, qui est priuatio vsus Sacramentorum, is cessationi à diuinis tribuitur, quia & Sacramenta, & vsus eorum sunt vere diuina. Nam est tamen priuatio ita generalis quin plures exceptiones admittat, de quarum nonnullis certum est; & de aliis dubitatur.

CERTVM EST igitur primo, excipi Baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium, ex cap. Non est vobis, De sponsal. verbis illis; Nulla diuina officia præter Baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium celebretis, vel permittatis celebrare. Ratioque exceptionis est, quod cum illa duo Sacramenta sint iure diuino ad salutem fidelium necessaria, fit vt perpetua Ecclesiæ obseruatione nullo vnquam tempore ea illis negentur. Ob quam etiam rationem censetur excipi Eucharistia ministranda per modum viatici. Nam & ea suo modo necessaria est iure diuino; quod sumptionem illius imponens, obligat si vnquam alias, tempore eo quo mortis adest periculum. Accedit quod ex cap. Quod in te, De pœniten. & remiss. quoties in iure præscribitur, vt morientibus pœnitentia non negetur, viaticum pariter comprehendatur: quod pœnitentibus denegare, nimis durum esset.

79. Cum autē hoc ita sit, inferri potest, tempore cessationis à diuinis licitam esse Missæ celebrationem; quatenus necessaria est, vt Eucharistia renouari ac custodiri possit pro infirmis. Pro quo tempore licet non habeatur textus, sicut pro tempore interdicti in cap. Permittimus, De senten. excommunic. nihilominus tamen ob æqualem, immo & ob eamdem necessitatem, idipsum quod ius permittit tempore interdicti (semel scilicet in hebdomada Missarum solemnia celebrare causa conficiendi corporis Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur) consentaneū est vsurpare quoque in cessatione à diuinis, tanquam spectans ad sacrosancti Sacramenti reuerentiam, cui obstaculum obiicere, Ecclesia non intendit, nec potest.

Vbi aduerte tria quæ Suarez habet *disput. 39. sect. 2. nu. 19. & duobus sequentibus.* Primum est. Cum iuxta citatum cap. Permittimus, ad prædictā reuerentiam sufficiat tempore interdicti, Missæ sacrum semel in hebdomada fieri, merito credendum esse, quod idem sufficiat tempore cessationis á diuinis; nihil enim ad decentiam Sacramenti conuenientius censeri potest, quam aliquando fuerit iure probatum.

Secundum est. Si quando contingat Eucharistiā non esse reseruatam pro infirmis; & in eo necessitatis articulo aliquē ita versari, vt credatur moriturus sine viatico, nisi de nouo consecretur; tunc sufficientem dari causam vt Missa celebretur tempore cessationis à diuinis. Ratio est, quod cum duo præcepta ibi concurrant, vnum diuinum, de sumenda in mortis periculo Eucharistia: alterum humanum, prohibitionis celebrandi tunc Missam, oporteat humanum cedere diuino. Nec obstat quod tunc non sit iuris diuini obligatio Sacerdotis celebraturi, sicut est iuris diuini prohibitio non celebrandi. Nam etsi id ita sit, tamen Sacerdos ipse tunc naturali charitatis iure tenetur existenti in illa necessitate subuenire, ministrando ei viaticum, si commode potest. A quo charitatis officio probabile non est Ecclesiam velle eum impedire: immo vero sicut concedit viaticum morientibus ministrari tempore cessationis: censenda est concedere consequenter vt Missæ sacrificium fiat, quando pro illis non potest Eucharistia aliter haberi.

Tertium est. In tali celebratione ita esse habendam rationem cessationis à diuinis, vt in ea nihil vltra fiat, quam necessarium sit ad finem in quem tunc conceditur: nempe ad Sacramenti consecrationē, ad quam necessaria est sacrificij oblatio cū debitis ceremoniis spectantibus ad eius intrinsecam solemnitatem; cæteris exclusis; sicque non debet tunc, *vt nec tempore interdicti, ex Cap. Permittimus, De sent. excommunic.* fieri cum conuocatione populi, & pulsatis campanis: sed secreto, ac ianuis clausis. Attamen Sacramentum ipsum deferri debet infirmis cum pompa necessaria ad illius reuerentiam; populo etiam ad illud comitandum conuocato per campanę signum; etsi interdeferendum non sit dicendum officium aliquod diuinum, tum id per se prohibitum sit, nec necessarium ad conuenienter peragendam concessam Eucharistiæ administrationem. Ita Suarez in fine numero 21.

CERTVM est secundo de proposito effectu, quod locum habeat in Sacramento Eucharistiæ extra viaticum, & in Sacramentis Extremæ vnctionis & Ordinis. Nam cum interdictum priuet talium vsu, *prout habitum est in præcedenti Cap. 3. num. 26. & 27.* negari non potest quin eodem priuet quoque cessatio à diuinis, vtpote quæ ipsi interdicto (si non sufficiat ad deducendos à contumacia delinquentes) solet per modum aggrauationis pœnæ superaddi. De matrimonio idem sentiendum est ac antea diximus in sequenti num. 28. 80.

DVBITATVR AVTEM primo, An vt paruulorum, sic & adultorum Baptismus sit permissus tempore cessationis à diuinis? Ad quod Suarez *in citata disput. 39. sect. 2. numer. 22.* merito respondet affirmatiue, quia Baptismi vsus prohiberi non potest, vtpote necessarius ad salutem, nō modo paruulis; sed etiam adultis, & vtrisque siue in periculo mortis, siue extra illud constitutis. Quod autem in Cap. Non est vobis, De sponsalibus (vnde habetur exceptio Baptismi ab hoc effectu) nominatim facta est mentio Baptismi paruulorum; idem author interpretatur; inquiens ideo nominatim exceptum esse Baptismum paruulorum, non quod solis paruulis tunc dari permittatur; sed quod iuxta morem Ecclesię, in infantia Baptismus conferri soleat; quod si aliqua de causa non sit factum, suppleturin ætate proueciore; in qua etiam est Baptismus paruuli; si non de facto; at certe de iure, hoc nomine; quod in infantia dari potuerit, & debuerit, tanquam conuenienti tempore, iuxta Ecclesiæ morem. Adde ex eodem in sequenti nu. 23. licitum esse vtrosque tunc baptizare etiam cum solemnitate; quia ius concedens absolute Baptismum, intelligendum est de Baptismo ritu solemni ministrato, cum de se non debeat aliter ministrari; nec existimandum est concedi solummodo id quod est homini necessarium; sed etiam id quod Sacramentum ipsum decet. Nam in necessitati hominis, sic & reuerentiæ Sacramenti consulendum est.

DVBITATVR secundo, An eodem effectu Sacramentum Confirmationis comprehendatur? Ad hoc Suarez nu. 24. respondet negatiue, eoquod concessio Baptismi extendi possit ad concessionem Confirmationis; vt intelligitur ex cap. Quoniam, De senten. excommunic. in 6. in quo Cōfirmationi cum Baptismo sit commune periculum moræ, ob quod vsus eorum Sacramentorum tempore interdicti conceditur. Et ratio esse potest, quod Confirmatio censeatur perfectio quædam & complementum Baptismi. 81.

DVBITATVR tertio. An Sacramentū Pœnitentiæ tempore cessationis à diuinis possit ministrari extra periculum mortis? Illud Suarez ibidem consequenter tractans, propēdet aliqua ratione in partem affirmantem. Sed valde obstat quod lex prohibitionis vsus Sacramentorum tempore cessationis à diuinis, de se generalis sit, à qua non inuenitur in iure specialis exceptio vsus Sacramēti Pœnitentię extra memoratum articulum; præsertim cum ex eiusdem authoris doctrina antetradita, ad inferendam talem exceptionem non sufficiat, quod in ca. Alma mater, §. Quia vero. De sentent. excommunic. in 6 cōcedatur, vt tam sani, quā infirmi ad pœnitentiam admittantur. Et certe cur relaxatio interdicti facta in aliquo debeat interpretatione extendi ad relaxationem cessationis à diuinis, ratio non apparet; cum hæc ad illud nihil pertineat, illique addi soleat; non quidem tanquam complementum, sed vt pœna vrgentior aduersus delinquentis contumaciam. 82.

Si dicas ratione quæ in eodē paragrapho tangitur, quod pœnitentia propter pronitatem, & facilitatem hominum ad peccandum summe necessaria sit, locum proinde habere respectu cessationis à diuinis, ac interdicti? Respondetur, id non sufficere ad excipiendum, vbi ius non excipit; quia talis ratio non est tanti momenti, vt negandum sit Ecclesiam posse prohibere ne sanis administretur Sacramentum Pœnitentię, alioqui damnandus esset vsus reseruationis casuum extra mortis periculum, quod aduersatur definitioni Concilij Triden sess. 14. cap. 7.

QVOD

82. QVOD ATTINET ad tertium effectum cessationis à diuinis, qui est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ; aduertendum est duo distingui in Ecclesiastica sepultura; vnum est depositio cadaueris in terra sancta. Alterum est, Ecclesiasticum officium quod pro Ecclesiæ consuetudine solet fieri dum corpus hominis fidelis traditur sepulturæ. Quod posterius non esse licitum tempore cessationis à diuinis Doctores consentiunt: quia impositione cessationis à diuinis prohibentur omnia officia Ecclesiastica, ex Cap. Non esse vobis, De sponsalibus. Accedit, quod nec tempore interdicti tale quid vllo modo permittatur, vt patet ex Cap. Quod in te, De pœnit. & remiss. §. 2. vbi Clericis qui interdictum seruauerint, conceditur quidem sepeliri in Cœmeterio suæ Ecclesiæ, sed cum silentio cessantibus omnibus solemnitatibus.

De priore vero, licitum ne sit, magna difficultas est: quam Suarez tractat in sæpe citata sect. 2. nu. 29. & aliquot sequentibus: vbi partem affirmantem amplectitur; tum alijs rationibus: tum quia traditio sepulturæ facta in loco sacro, non est per se diuinum officium, proprie & in rigore sumptum: sed tantum opus pietatis, & misericordiæ, laicis perinde ac Clericis licitum. Illa ergo non comprehenditur generali diuinorum officiorum prohibitione; quæ cum odium rigoremque contineat, est stricte interpretanda. Si opponas, inde sequi nec cessationem ipsam priuare Sacramentis quæ in iure distinguuntur ab officiis diuinis, vt paret ex cap. Si sententia, De sentent. excommunic. in 6. Respondetur, quidquid id sit, particulariter ex cap. Non est vobis, De sponsal. haberi, in cessatione à diuinis nomen officij diuini ita sumi, vt comprehendat Sacramentorum ministerium tanquam aliquod officium sacrum, ac proprie diuinum. Illic enim his verbis (nulla diuina officia præter Baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium, &c.) aperte significatur Baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium fuisse ibi comprehendenda sub diuinis officiis, nisi exciperentur, atque adeo ipsum diuinorum officiorum nomen illic ita accipi, vt sua significatione comprehendat ministerium Sacramentorum, quod proinde in cessatione à diuinis prohibitum censetur quoad Sacramenta non excepta.

De pœna violantis cessationem à diuinis; & de modo quo hæc tollitur.

SECTIO VLTIMA.

83. IN Clementina 1. De sentent. excommunic. pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, imponitur quibuslibet Religiosis cuiuscumque ordinis & conditionis, siue exemptis, siue non exemptis, non seruantibus generalem cessationem à diuinis: quando viderint, aut sciuerint Ecclesiam Cathedralem, vel Matricem seu Parochialem, obseruare illam; non solum si lata sit à Papa, vel ab Episcopo; sed etiam si à Concilio prouinciali, aut etiam ab aliquo Capitulo, vel Collegio, aut Conuentu siue sæcularium, siue regularium, vendicante sibi ius ex consuetudine, vel priuilegio eamdem imponendi. Quæ omnia habentur expressa in textu eiusd. Clementinæ. Ex quibus liquet materiam remotam illius excommunicationis, seu personas in quas profertur, esse solos & omnes Religiosos. Proximam vero, seu actionem ob quam profertur, esse violationem de qua agimus.

Aduerte vero, quod cum generali verbo, *non seruantibus*, talis actio indicata sit dubitari posse quid eadem requirat in particulari, vt sit sufficiens ad propositam excommunicationem incurrendam. Videtur autem nihil aliud requirere, quam eam esse quæ censeatur tale peccatum quale requiritur in materia proxima excommunicationis minoris, iuxta Cap. Nemo Episcoporum 11. quæst. 3. Non haberi autem aliam pœnam à iure impositam violanti cessationem à diuinis Suarez notat in fine supracitatæ sect. 2.

84. DE MODO vero quo cessatio à diuinis tollitur, notandum est primo, quod ea cum non imponatur à iure, sed tantum ab homine, possit tolli tantum ab eo à quo imposita est, vel à Superiore ipsius, vel etiam ab eius successore, si ipse excesserit è vita, vel ab eo quem hi ad id delegauerint. Formam vero tollendi, nullam certam esse præscriptam: etsi requiratur vt eam tollens verbis suam voluntatem explicet; solo enim facto in censuris, & similibus tollendis procedere, censetur proprium esse Papæ, qui solus non est alligatus præscriptis iuris canonici.

Notandum est secundo, cum cessatio à diuinis nunquam imponatur ad certum tempus; vtpote quæ ferri tantum potest vt recedatur à contumacia; in quo nullum est certum tempus præfixum: nec etiam imponatur sub conditione, sed absolute; ad illam tollendam semper requiri Iudicis relaxationem.

Notandum est tertio, cessationem à diuinis per appellationem præcedentem, illius sententiam impediri ne valeat ob defectum iurisdictionis, non item per subsequentem, per quam legitime prolatam vim accepit, requirit relaxationem, vt illam amittat.

Notandum est quarto, quod Suarez docet in fine disput. 39. Iudicem à quo imposita est cessatio à diuinis, sicut potest sua authoritate totam tollere: sic etiam posse iusta de causa eam suspendere ad aliquot tempus, aut ex aliqua parte quoad certos effectus, aut certas personas. Cur enim ei qui potest totum tollere, negetur potestas tollendi partem, nulla videtur esse ratio, & per consequens, nec cur in istiusmodi cessatione (præsertim cum sit tantum quid facti) negandum sit posse actus aliquos, aut personas aliquas ab ea eximi, quando nullum aliunde datur impedimentum.

De Ecclesiæ pollutione quæ interdicto quoque affinis est, iam diximus in præcedenti lib. 29. numer. 179. & aliquot sequentibus. Sicque operi meis humeris satis impari impositus sit finis ad Dei gloriam, Beatissimæ Virginis, Sanctorum omnium honorem, atque Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem, cuius censuræ omnia in illo à me tradita humiliter subijcio.

Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

POSTERIORIS

VOLVMINIS ALPHABETICVS INDEX RERVM ET VERBORVM.

Prior numerus paginam: posterior vero marginalem numerum denotat.

A.

Absens lib. 18.

Recitatione publica horarum canonicarum abesse sine iusta causa, non licet addictis choro, p.103.176.
Quatenus ii peccent & priuentur distributionibus, ibi. 177.

Acceptio Personarum. Lib. 23.

Quid sit acceptio personarum, 259.31.
Duo ad eam requisita. ibid.33.
Peccatum est genere suo mortale, ibid.34.
Locum habet in distributione publicorum beneficiorum & officiorum: tum ecclesiasticorum tum secularium, ibid.35.
Itemque in exercitio iudiciorum, & in impositione onerum publicorum, ac etiam in delationibus honoris, ibid.36.
De acceptione personarum in iudiciis, quod ea sit damnabilis: & locum habeat in iis etiam iudiciis quæ relinquuntur Iudicis arbitrio, 261.40.
Potest nihilominus Iudex pro amico iudicare secundum quamcumcumque opinionem probabilem, qua non datur probabilior, & abest occasio scandali, ibid.41.
Tenetur iudicare secundum opinionem probabiliorem, siue existimet oppositam fallam, siue non existimet, ibid.42.
De acceptione personarum in honoribus exhibendis duo notanda, ibid.43.

Acedia lib. 17.

Acedia in quo consistat, & vnde oriatur, 33.107.
Peccatum est suo genere suo mortale, & quomodo fiat veniale ex accidenti, ibid.108.
Sex filiæ acediæ ac quo modo vnaquæque earum sit peccatum, qualeque sit, ibid.109.

Accusator & accusatio. Lib. 24.

De emendacio accusatoris, & quod is teneatur restituere per illud acquisitum. 320.32.
Explicatio dubii, an accusator antequam accuset teneatur reum præmonere, vt satisfaciat, 321.34.
Vnde dicatur accusator & illius definitio, 240.122.
Solemnitas cum qua debet accusatio fieri iuris ciuilis præscripto, 341. 123.
Licite quidem priuatus potest alium de iniuria sibi illata accusare, sed ad id non tenetur, ibid.124.
Obligatio accusandi quando crimen vergit in detrimentum boni communis, ibid.125.
Si ad remedium sufficiat denunciatio, non est vsurpanda accusatio, ibid. 126.
Quæ sit obligatio priuatæ personæ, cum tamen vergit tantum in ipsius damnum priuatum: & quæ Officialis publici. ibid.127.
Qui reiiciantur ab accusando, ibid 342.
Quilibet admittitur ad accusandum de hæresi, ibi.129.
Ad licitam accusationem requiritur debitus modus probandi, & recta intentio. ibi.130.
Requiritur quoque iustitia, quæ violatur calumnia, præuaricatione & tergiuersatione: & quid sit calumniari, quid præuaricari quidq; tergiuersari, ibid.131. & 132.
Quatuor modi quibus accusator potest otdinate, iustaque de causa ab accusatione desistere, ibid.133.
Actio iudicialis prouenies ex contractu, lib. 25. 374. 109 & quatuor sequent. bus.

Actus prohibiti 6. Decalogi præcepto. Lib. 22.

Actus prohibiti 6 præcepto. 243.
Cogitationum turpium excusatio à peccato ob defectum voluntarii, 235.2.
Excusatio pollutionum nocturnarum, ob eandem causam, ibi.3.
Ad quid teneatur puella cum opprimitur, ibid.4.
Contactus carnales, sic de se indifferentes sunt, vt plurimum contingat peccata esse mortalia, & quando contingat, ac cuius speciei sint, ibid. 5.
De iis qui fiunt non carnalis, sed honestæ delectationis causa, ac de iis qui fiunt inter coniuges, 236.6.
Iudicium de aspectibus turpibus quando sint peccata mortalia, ib.7.
Simile iudicium de verbis turpibus siue prolatis, siue auditis. 8.

Actus prohibiti 9. præcepto Decalogi. Lib. 22.

Concupiscentia rei venereæ prohibita nono præcepto, est in appetitu sensitiuo; ac moraliter mala per consensum voluntatis in eam, 238 9.
Cogitationis & delectationis morosæ tres modi, ibid.10.
Peccata quæ contra nonum Decalogi præceptum committuntur, matrimonio non obstante, ibid.11.
Explicatio difficultatis de delectatione orta ex cogitatione de copula coniugali, sitne peccatum mortale, siue coniugibus, siue in sponsis de futuro, siue in viduis, 239 12.
Consensus in concupiscentiam rei venereæ cum est efficax, constituit peccata diuersæ speciei: non item cum est solummodo simplex complacentia, ibi 13.
Id illustratur exemplis, & aliquid specialiter notatur de habente votum castitatis, ibi.14.

Actio forensis.

De actione forensi nascēte ex contractu, vide verbum Contractus 5.

Adiuratio Lib. 18.

Adiuratio potest fieri duobus modis. 85.105.
Quædam est licita, quædam illicita, ibi.106.
Quæ personæ adiurari possint, de quibus, ac cum quibus circumstantiis possint, ibi.107.
Quando adiuratio sit vel non sit illicita, ibi.108.
Quatenus dæmonem adiurare non liceat, ibid.109.110.& 111. Et quatenus creaturas irrationales adiurare sit licitum. 87.112.
Vt adiuratio sit licita propter quid, & quo modo fieri debeat, ibi.113.
Illicita, quando peccatum sit mortale, ibid.114.
Casus in quibus ex parte modi, illicita est mortaliter, ibid.115.

Adoptio.

Quid & quotuplex sit adoptio, lib. 31. 762. 158. & aliquot sequentibus. Vide verbum Matrimonium 12. in fine.*

Adulterium.

Quatenus sit aut non sit licitum marito vxorem in adulterio deprehensam occidere, lib. 21. 206 17.
Quid sit adulterium, quidque malitię superaddat fornicationi, li. 22. 241. 24.
Quomodo Confessarius debeat se gerere cum proles suscepta est ex adulterio, 242. 25. seq. De adulterio prout causa est diuortii, vide verbum Diuortium 2.

Adulatio.

Quid sit & quotuplex sit adulatio, lib. 24. 350.170.

Aduocatus lib. 25.

Laudabile est officium Aduocati: & conditiones requisitæ ad illud licite exercendum, 489 661.
Ille non permittitur fungi Aduocati officio, qui fungitur munere Iudicis: nec is qui est ad illud impotens: siue interiori, siue exteriori impotentia, ibi.662.
Qui non permittantur ob indecentiam, ac primo de Religiosis, ibid 663.
De Clericis qui initiati sunt maioribus Ordinibus, aut habentibus beneficium Ecclesiasticum, ibid.664.
De aliis Clericis, ibi.665
Ratio iudicandi peccentne mortaliter qui præsumunt vsurpare officium

ficium Aduocati à quo excluduntur, ibi.666.
Scientia requisita in Aduocato, ibi.667.
Obligatio restituendi, quæ Aduocato incumbit, si per suam imperitiam perdat causam, 490.668.
A quibus cauere debeat Aduocatus sufficienti scientia instructus; & ad quam diligentiam teneatur, ibid.669.
Ea in quibus Aduocati fidelitas consistit, ibid.670.
Aduocati suscipientis causam iniustam peccatum, & obligatio ad restitutionem, ibid.671.
Ignorantia inculpabilis excusat à tali peccato & obligatione restituendi, ibid.672.
De eo ad quod tenetur Aduocatus qui causam quam initio putauit iustam, deprehendit esse iniustam, aut probabiliter dubitat an sit iusta, ibid.673.
De eo quod incumbit Aduocato, cum se causam iniustam defendere cognoscit, 491.674.
De peccato quod Aduocatus committit exigendo mercedem ampliorem, quam iustam, ibid.675.
Quæ censeri debeat iusta, ib.676.
Prohibetur Aduocatus pacisci de aliquota parte causæ pro victoria, ibid.677.
Quando Aduocatus cui certa merces promissa est pro tota causa, possit totam accipere, quando totam ipsam causam non persequitur ex iusto impedimento, 492.678.

Ætas.

AEtas requisita ad susceptionẽ Ordinũ, lib.30.tract.2.625.60. Requisita ad adeptionem beneficiorum ecclesiasticorum eodẽ li.tract.3.685.163.& aliquot sequẽtibus.vide verbũ Beneficiũ 3. Ætas iure ad matrimonium contrahendum requisita, lib. 31. 732. 23.26.& 764.170.

Affectus voluntatis. Lib.16.

QVis auctor voluntatis dicatur affectus eius efficax: & eiusdem affectus differentia ab affectu simplicis complacentiæ: ac quando ille huius naturam induat, 48.23.24.& 25.
Ratio iudicandi, an voluntatis affectus sit peccatum mortale, ibid. 26.& quatuor sequentibus.
Ratio idem iudicandi de contraria displicentia, 9.30.

Altare.

DE altari necessario ad celebrationem Missæ, lib. 29. 590. 188. & quinque sequentibus, vide verbum Missa.4. in principio *

Ambitio.

QVid sit ambitio, & quando ea censeri debeat peccatum mortale, lib.17.54.211.

Amor mundanus. Lib.17.

VArii modi amoris, 31. 91. & tribus sequent. Quis dicatur amor mundanus, 57.218.
Quando is sit aut non sit peccatum mortale, ibid.219. & duobus sequentibus.

Apostasia & Apostata. Lib.17.

APostasiæ definitio: & in quo ea differat ab hæresi, 27.72.
Apostata à fide subiicitur iisdem pœnis quibus hæreticus, ibid.
Apostasia à fide in nomine communicat quidem cum apostasia ab ordine, & apostasia à religione: non tamen in aliqua generica ratione, ibid.73.

Assecuratio.

DE assecuratione in ordine ad contractum societatis. vide verbum, Societas 2.in fine, & Societas 3.item in fine. & verbum Mutuum 2.adhuc in fine.

Attentio. Lib.18.

ATtentio interior in recitatione horarum canonic. præcipitur ab Ecclesia, 94.147.& 348.
Obligatio recitationem iterandi ob attentionis defectum, 95. 149.
Defectus attentionis ad impletionem præcepti de recitatione horarum canonic. non inducit necessario obligationem ad hanc iterandam, ibid.150.
Quænam attentio necessaria sit in recitatione horarum canonicarum, ibid.151.& 152.
Attentio ad sensum verborum non est necessaria, etsi vtilis sit si haberi possit, ibid 153.
Duo requisita ad attentionem necessariam vt satisfiat præcepto recitandi horas canonicas, 96.154.
Euagatio animi in eadem recitatione, quando sit peccatum mortale, ibid.155.

Auaritia & prodigalitas. Lib.23.

QVid sit auaritia: & quod ea non modo liberalitati sed etiam iustitiæ opponatur, 257.25.
Quando sit vel non sit peccatum suo genere mortale: & qua ratione detegenda sit consistens in detentione alieni, ibid.26.
Quando pariter prodigalitas peccatum sit vel non sit genere suo mortale, 258.27.

Auaritiæ filiæ. Lib.23.

SEptem filiæ auaritiæ, ibid.28.
Documenta de inquietudine quoad eius grauitatem malitiæ, ibi. 29.
Admonitio de violentia, fallacia, fraude, & periurio, ibid.30.
Quatuor modi quibus proditio contingere potest, & esse peccatum mortale, ibid.31.

Augurium. Lib.17.

AVgurii octo species, 44.169.
Peccata sunt in quibus ignorantia, & leuitas materiæ raro excusant, ibid.170.
Quæ auguria censeri possint diabolica, 45.171.172.

B.

Banna.

DE Bannis seu promulgationibus matrimonii, lib.31.752.122. vide verbum Matrimonium 17.*

Baptismus primo, quoad illius naturam & institutionem. Lib.27.

DE nomine baptismi, & quod dicatur tripliciter, 510.1.
Vnde dicatur baptismus flaminis, & vnde baptismus sanguinis, ibid.2.
Definitio baptismi fluminis, ibi.3.
In baptismo tria notantur, res Sacramenti tantum Sacramentum tantum, & Sacramentum simul & res Sacramenti, ibi 4.
Baptismus institutus est à Christo, 511.5.
Quando institutus, ibid.6.
Qualis sit illius necessitas: & quoad infantes, quod ea talis sit, vt baptismus ipse ab illis reipsa susceipi debeat, nisi pro Christo mortem patiantur, ibid.7.
Quod in adulto votum baptismi sufficere possit tunc, cum reipsa suscipi non potest, ibid.8.
An oporteat tale votum esse explicitum, ibid.9.

Baptismus secundo quoad illius materiam. Lib.27.

AQua sola vera & naturalis est baptismi materia remota, 512.10.
Quæ in particulari talis esse, & quæ non esse censenda sit, ib.11.
Quid censendum sit de ea quæ alterata est, aut admixtum habet aliquid aliud, ib.12.
Quando liceat aut non liceat vti aqua de qua dubitatur an sit vera & naturalis, ibi.13.
Ablutio est materia proxima baptismi, requirens vt aqua tangat realiter corpus, & quomodo. ibid.14.
Corollaria varia inde deducta, 513.15.
Infans adhuc existens in matris vtero eatenus baptizari non potest, quatenus non potest ablui, ibid.16.
Saluti infantis in materno vtero clausi quatenus consulendum, ibid. 17.
Quod in eo statu sit capax baptismorum flaminis & sanguinis: & quod expectari debeat ordinarie illius integer ex vtero egressus antequam baptizetur, ibid.18.
Nihil refert siue per immersionem, siue per infusionem, siue per aspersionem fiat ablutio ad baptismum necessaria, ibid.19.
Vna ablutio sufficere potest ad baptismi substantiam: tamen trina adhiberi debet, quando ita fieri consuetudo, 514.20.
De ablutione facta immersione sine emersione, quid tenendum sit, ibid.21.
In qua potissimum corporis parte fieri debeat ablutio, si non possit in toto corpore, ibid.22.

Baptismus 3. quoad illius formam tum essentialem tum accidentalem. Lib.27.

CAtholicorum sententia de forma baptismi, ibi.23.
Non est de necessitate baptismi in ipsius forma personam ministri exprimi, 515.24.
Est autem, vt exprimatur persona suscipienris, ibid.25.
Itemque vt exprimatur actus baptizandi, ib.26.
Inuocatio Sacrosanctæ Trinitatis est de eadem necessitate, ibi.27.
Eam explicitam esse oportet, ibid.28.
Responsio ad illud quod in contrarium obiici potest ex Actis Apostolorum, & ex decreto Nicolai Papæ, 516.29.
De essentia formæ baptismi est, vt in ea cum Trinitate personarum, significetur naturæ vnitas. ib.30.
Forma baptismi in vulgari lingua esse potest: & quomodo coniugenda sit cum ablutione; quodque ea possit esse conditionalis, nec. sit ate vigente, ibi.31.

Causæ instituendi cæremonias baptismi, & peccatum eas omittentium, 517.32.
Reuocatio cæremoniarum baptismi ad tria capita, ibid.33.
Cæremoniæ non adhibitæ vt par est, postea adhibendæ sunt, ibi.34.
Tempus, locus, cultus externus, ministri & aquæ qualitas, quæ requiruntur ad licitam administrationem baptismi, ibid.35.
Documenta de patrinis, seu susceipientibus baptizatum, ibid.36.
De impedimento matrimonii quod ex tali susceptione oritur. li. 31. 759.148. & aliquot sequentibus.

Baptismus 4. quoad illum siue ministrantes, siue susçipientes, ac præceptum susçipiendi. Lib.27.

TRiplex baptismi minister; ordinarius est Sacerdos, 518.37.
Ex officio autem, est tantum Parochus, & Episcopus superior eius, ibid.38.
Notanda de alio Sacerdote baptizante solemniter, ibid.39.
Diaconus ex commissione Episcopi potest solemniter baptizare, ibid.40.
Necessitas & ignorantia excusans baptizantem sine solemnitate, ibid.41.
Quomodo quilibet homo in necessitate sit idoneus minister baptismi, ibid.42.
Excluſi ab eo numero: & de casu in quo contingeret vnum plures simul baptizare, 519.43.
Ordo seruandus inter idoneos, ad baptismum in necessitate conferendum, ibid.44.
Peccatum est mortale nolle baptizare in extrema necessitate, ibi.45.
Extra casum necessitatis baptizare sine solemnitate, peccatum est mortale, quod non inducit irregularitatem, ibi.46.
Quatenus mortaliter peccetur administratione baptismi in peccato mortali, & cooperando peccanti in ea, ibid.47.
Modi varii quibus contingit mortaliter peccare in administratione baptismi, 520.48
Quatenus sit vel non sit licitum, plures simul baptizare, ibi.49.
Participes baptismi possunt esse omnes homines præditi vita, etiam infantes, ibid.50.
Sicut baptismus in se vnus est specie infima, ita vnius hominis vnus numero tantum esse potest, nec iterari, ibid.51.
Peccatum grauissimum committitur iteratione baptismi, ibi.52.
De eo quod agendum est, cum dubitatur de aliquo num sit baptizatus, ibid.53.
Non licet pro arbitrio baptismum conferre sub conditione, Si non es baptizatus, 521.54.
Datum est a Christo præceptum de baptismi susceptione, obligans quidem omnes, sed alia ratione paruulos quam adultos, ibi.55.
Obligat ad susçipiendum baptismum statim ac potest digne ac commode fieri. ibi.56.
Excusatio dilationis baptismi non datur in periculo mortis: extra illud dari potest iusta de causa, ibi.57. & 58.
Excusatio dilationis baptismi ob impedimentum allatum. quodque non detur ecclesiasticum præceptum de susceptione baptismi, 522.59.

Baptismus 5. quoad effectus illius. Lib.27.

PRimus effectus baptismi est conferre animæ gratiam iustificantem & quatenus ea non conferatur, aut conferatur æqualiter omnibus, ibid.60.
Secundus effectus remissio omnium peccatorum, ibi.61.
Eiemque remissio omnis pœnæ pro peccatis diuinitus constitutæ, ibid.62.
Pœnę tamen communes naturæ humanæ, in hac vita manent, auferendæ in futura, ibid.63
Effectus baptismi innuam regni cœlestis aperiendi, & baptizatum subiicien i ecclesiasticæ iurisdictioni, quidamque alii, 523.64
Dispositio in susçipiente requisita quoad corpus, & quid agendum quando ipsum est monstruosum, ibi.65.
Dispositio quoad intellectum, recta fides, ibid.66.
Quomodo interueniat ista dispositio in baptismo paruulorum, ibid.67.
Aliquot propositiones pro explicatione difficultatis, An ad baptismum paruulorum requiratur consensus parentum, 524.68.
Dispositio ad baptismum ex parte voluntatis, quæ est pœnitentia, ibid.69.
Qualis debeat esse talis pœnitentia, ibid.70
Intentio requisita ad baptismum: quam non obstat extortam esse metu, ibid.71.
Sufficit virtualem esse, ibid.72.
Breuis responsio ad difficultatem de effectu baptismi impedito, vtrum obtineatur recedente fictione, 525.73.
Ad tollendam eiusmodi fictionem attritio non sufficit, sine Sacramento pœnitentiæ, ibid.74.
Ex delictis circa baptismum quando incurratur irregularitas, vide verbum Irregularitas 11. in principio.

Bellum 1. quoad se. Lib.21.

BEllum est licitum, 224.84.
Bellum aliud offensiuum & aliud defensiuum: ac vtriusq; definitio, ibid.85.
Necessaria, vt bellum defensiuum sit iustum, 225.86.
Necessaria, vt offensiuum sit iustum, ac 1. de authoritate, ib.87.
De causa iusta quod certa esse debeat, nec dubium esse sufficiat, ibid.88.
Cæteræ conditiones necessariæ, ibid.89.
Quatuor casus in quibus clericis pugnare licet, ibi.90.
Discrimen inter conditiones ad iustum bellum offensiuum necessariæ. 226.91.

Bellum 2. quoad indicentem illud Lib.21.

QVid faciat is qui acceptam iniuriam valet vindicare bello: & cum superiorem recognoscat, non habet authoritatem indicendi illud, ibi.92.
Causæ indicendi iuste bellum, ibid.93.
De causa infidelitatis, ibi.94.
De causa hæresis, ibid.95.
De cæteris causis, 227.96.
Gloria aut dilatatio imperii non est sufficiens causa iusti belli, ibid.97.
Quomodo bellum possit esse vtrimque iustum: & vtrum liceat in eo vti insidiis, ibid.98.
Quo tempore liceat bellum gerere, ibi.99.
Quatenus liceat in bello vti infidelium auxilio. ib.100.
Quatenus teneatur Princeps a bello desistere, si iusta satisfactio ei offeratur, ib.101.
De compositione quam Princeps facit cum hostibus, quoad quæuis damna, suis subditis illata, 528.102.

Bellum 3. quoad milites illud gerentes. Lib.21.

QVid teneantur milites facere, cum dubia est belli causa, ib.103.
Quando teneantur ad restitutionem damnorum aduersarius illatorum in bello, ibid.104.
An teneantur & peccent, quando inferunt sine legitima authoritate, ibi.105
Responsio ad quæstionem, an licitum sit militibus exponere se euidentissimo mortis periculo. 129.106.
Licitumne sit Clericis ad bellum proficisci, ibid.107.
Quatenus liceat in iusto bello damna hostibus inferre, 108. Et de iis quæ capiuntur in bello iusto, ibid.109.
Quæ circa innocentes sint seruanda in bello iusto, quoad personas ipsorum, ibid.110.
Quæ quoad bona eorumdem, 230.111.
De eo quod milites a rusticis suæ reipub. victum gratis accipiunt, ibid.112.
De grauamine eorundem rusticorum per ipsos milites, ibid.113.
De iis ex hostibus, qui in iusto bello occidi non possunt, 231.114.
Quatenus liceat ciuitatem iuste oppugnatam tradi militibus in prædam: & quod tunc non liceat nocere iis qui ad sacra loca confugiunt, ibid.115.
Quatenus liceat in iusto bello rebus ecclesiasticis nocere, ibid.116.
Explicatio quæstionis an extracta de manibus hostium, quæ ipsi diripuerant, sint reddenda propriis dominis, ibid.117.
Explicatio alterius quæstionis, an captis in bello, fugere liceat? ibid.118.
Quando possint capi iui in bello iniusto exercere actum alicuius ad idem bellum spectantem, 232.119.

Beneficium ecclesiasticum 1 quod se. Lib.19.

TRactantes de beneficiis ecclesiasticis, 180.71.
De nomine beneficii, quod ad res ecclesiasticas translatum sit a sæculari militia, ibid.72.
Beneficium ecclesiasticum non est, nisi Episcopi authoritate constitutum, ibid.73.
Vnde cœperint ecclesiastica beneficia, ibi.74.
Quatenus sint instituta iure humano, 181.75.
Quatenus diuino, ibid.76.
Licitum est Ecclesiam opulentam esse, nec licet laicis bona eius vsurpare etiamsi ecclesiastici male eis vtantur, ibid.77.
Explicatio eorum quæ in definitione beneficii ponuntur, ibid. 78 & duobus sequentibus.
Pensio clericalis non est beneficium: & modi quibus cognosci potest ius ad bona ecclesiastica esse proprie beneficium, 181.
Beneficii ecclesiastici diuisio, ibid.82.

Alia ex lib.30. Tract.3.

LOcus eligendus beneficio erigendo, 680.140.
Causæ legitimæ erigendi beneficium. ibid 141.
Personæ considerandæ in beneficii erectione: & quando ad eam requiratur Papæ authoritas, ac quando sufficiat authoritas Episcopi, ibid.142.
Quando cum consensu Episcopi, ad erectionem noui beneficii, requiratur consensus habentium antiqua, ibid.143.
De dote requisita ad eandem erectionem, ibid.144.
Quanta debeat esse dos beneficii, vt sufficiens censeatur, & in quibus bona ea constitui possit: & effectus fundationis beneficii, 681.145.
Papa solus derogare potest conditionibus beneficio appositis a fundatore, 699.229.

Cum adiecta est conditio vt beneficiarius dicat aliquas Missas, is debet esse Sacerdos, 699.230.
An actu Sacerdos esse debeat is, qui præsentatur ad tale beneficium, 700.231.
Quando conditio dicendi numerum Missarum sic apposita est beneficio, vt materiam præbeat peccati, vel onus immoderatum inducat, non valet, ibid.232.
De beneficiorum varietate, 678.135. & aliquot sequentibus.
De beneficiorum ecclesiasticorum pluralitate & incompatibilitate, vide verbum, Pluralitas, & verbum Incompatibilitas beneficiorum.

Beneficium ecclesiasticum 2. quoad illius acquisitionem, lib.30. tract.3.

MVlier incapax est beneficii ecclesiastici, & quid de Abbatissa dicendum, 681.146.
Defectus tonsuræ clericalis, impedimentum est acquirendi beneficii ecclesiastici, ibid.147.
Difficultatis an pariter impedimentum sit clericatum suscepisse ab Episcopo alieno, sine proprii licentia, ibid.148.
Impedimenta matrimonii, & bigamiæ, 682.149.
Impedimenta excommunicationis, suspensionis, & irregularitatis, ibid.150.
Impedimentum defectus natalium, ibid.151.
Impedimentum defectus fidei, ib.152.
Impedimentum iniuriæ illatæ Cardinali. & acceptionis secundi beneficii curati, 683.153.
Impedimenta homicidii, concubinatus, raptus mulieris, & vsurpationis bonorum Ecclesiæ, ibid.154.
Tres modi quibus contingit filios presbyterorum legitimos esse, ibid 155.
Tres casus in quibus iidem peculiariter incapaces sunt acquirendi beneficii ecclesiastici, ibid.156.
Impedimenta iniuriæ illatæ Episcopo, & impetrati beneficii Clerici adhuc viuentis tanquam iam mortui, ac simoniæ, ibid.157.
Impedimentum status personæ cum sæcularia sæcularibus; & regularia regularib⁹ (idq; propriæ religionis) dari iura iubeãt, 684.158.
De eo quod beneficia Iurispatronatus conferri debeant conuenienter fundationi, ib.159.
De eo quod in Gallia & Hispania non dentur externis, ib.160.
Inhabilitates quæ cum non sint veræ, non faciunt acquisitionem beneficii inualidam, ib.161.

Beneficium 3 quoad requisita vt quis illo dignus censeatur, lib.30. tract.3.

DIgnus est beneficio is, in quo insunt necessaria vt censeatur capax illius, 685.162.
Maturitas ætatis necessaria: quodq; ad Episcopatum & Cardinalatum requiratur annus trigesimus, ibid.163.
Quod ad cætera beneficia quæ annexam habent curam animarum requiratur annus vigesimus quintus incœptus, ibid.164.
Ætas viginti duorum annorum requisita ad Ecclesiæ cathedralis dignitates non habentes annexam curam animarum: & ad prioratum conuentualem ætas vigintiquinque annorum: & ad non conuentualem ætas sexdecim annorum, ibid.165.
In Abbatissa & Priorissa requiritur annus quadragesimus, & quorum requirant secularia beneficia simplicia, ibid.166.
Defectus qualitatum debitarum, reddens acquisitionem beneficii inualidam, 686.167.
Dispensatio in defectu ætatis, ibid.168.
Sufficiens scientia requisita ad beneficiorum acquisitionem, ib.169.
Maior vel minor requiritur, pro varia qualitate beneficiorũ, ib.170.
Scientia requisita respectu Ordinis beneficio annexi, ibi.171.
Defectus scientiæ quatenus beneficii collationem reddat inualidam, 687.172.
Eminens scientia non est necessaria ad validitatem acquisitionis beneficii, ib 173.
Mentis sanitas est omnino necessaria. ibidem.
Quando mortali peccato contaminatus peccet mortaliter, accipiendo beneficium, & collatio ei facta sit inualida, ib.174.
Quando peccet quidem mortaliter, sed collatio non sit inualida, ibid.175.
Quando ne peccet quidem, ib.176.
Dispensatio ad beneficium cum indigno improbanda: & quatenus per accidens, ea nihilominus possit interdum fieri, etiam ab Episcopo, 688.177.
Requisita vt possit fieri, quoad officium beneficio adiunctũ, ib.178.
A Confessario notanda de eo, qui accepit beneficium cuius incapax fuit, ibid 179.
Intentio recipiendi sacerdotium requisita ad acquirendum beneficium curatum & ad percipiendum fructus illius, 689.180.
An qui eosdem fructus percipit non habendo talem intentionem, teneatur il os restituere: & an is etiam qui dubius fuerit, ibid.181.
An is item qui beneficium parochiale accipit cum intentione illud dimittendi si offeratur aliud, aut patrimonium pinguius, ib.182.
Non teneri perinde ad restitutionem eos qui beneficia non parochialia, ac qui parochialia accipiunt, habentes animum suscipiendi statum coniugalem, ibid 183
Quando siue hi, siue illi alii, in eo peccent mortaliter, ib.184.
Quando non sint sacramentaliter absoluendi, 690.185.
Tria appetibilia possunt in beneficio considerari: eminentia, prouentus, & ministerium, ibid.186.
Regulæ iudicandi de peccato quod committitur appetitione & procuratione beneficii ecclesiastici, ib.187.
Explicatio difficultatis de appetitione, qua quis beneficium appetit aut procurat, vt fiat ditior, & commodius viuat, vel honoretur, ibid.188.
In quibus casibus licet beneficium appetere, licet etiam procurare, 691.189.
Quando sit aut non sit licitum recusare beneficium, ibid.190.
De acquisitione beneficii ecclesiastici per electionem, vide verbum Electio ad ecclesiasticum beneficium.
De acquisitione per postulationem aut nominationem, vide verbum, Postulatio: & verbũ, Nominatio ad beneficiũ ecclesiasticũ.
De acquisitione per præsentationem factam à patrono. vide verbum, Præsentatio ad beneficium.
De acquisitione per collationem simplicem. vide verbum collatio simplex beneficii.
De acquisitione per triennalem possessionem aut rescriptum Papæ. vide verbum, Triennalis possessio beneficii, & verbum Rescriptum Papæ.

Beneficium ecclesiasticum 4. quoad illius amissionem, ac 1. per extinctionem, lib.30. tract.3.

DE extinctione beneficii per illius suppressionem, 716.297.
*De eadem per vnionem, quæ varia est, ibi.298.
Qui sint qui beneficia vnire possunt, 717.299.
Debet vnio beneficiorum fieri iusta de causa, & quæ talis sit in vniuersum, atque aliquot particulares, ibid.300.
De vnione in fauorem personæ, ib.301.
Diuersi modi vnionis Episcopo illiciti, ib.302.
De dismembratione contingente tribus modis, ib.303.

Secunda per vacationem, lib.30. tract.3.

QVid sit beneficium vacare: & variæ talis vacationis species, 718.304.
Quæ beneficia dicantur vacare apud Sedem Apostolicam: & differentia inter reseruata dispositioni Papæ, & dispositioni Sedis Apostolicæ, ib 305.
Reseruatio clausa in corpore iuris, ib.306.
Reseruatio extra corpus iuris, ibid.307.
Quid sit beneficium vacare de iure, 719.308.
Vacatio primi beneficii propter secundum adeptum, ib.309.
Causæ ob quas assequutus secundum beneficium, etiam curatum, non priuatur primo, ibid.310.
Vacatio beneficii per non promotionem ad Presbyteratum, ibi.311.
Vacatio per matrimonium, ib.312. & 720.313.
Vacatio ob contractum ab initiato maiore Ordine, ibid.314.
De ratione qua ob concubinatum beneficiarii, vacat beneficium ipsius,* ib.315.
De matrimonio per quod beneficium non vacat, ibid.316.
De vacatione per professionem in religione approbata, aut per translationem beneficiarii in aliam Ecclesiam, ibid.317.
Vacatio beneficii imposita ipso iure ob hæresim, ibid.318.
Imposita ob simoniam, ibid.319.
Imposita persequenti hostiliter Cardinalem aut Episcopũ, 721.320.
Imposita ob alia quædam crimina, ibid.321.
Quædam crimina ob quæ beneficiarius non est quidem beneficio priuatus ipso iure, debet tamen priuari, ibid.322.
Casus in quibus beneficium vacat ipso facto tantum, ib.323.
Alii in quibus iure simul & facto vacat: & talis vacationis aliquot effectus, ibid.324.
Distinctio notanda ad cognoscendum quando non expectata Iudicis sententia, beneficiarius tenetur relinquere beneficium, quo priuatur ipso iure, ibid.325.
Effectus non faciendi fructus suos, ob vacationem beneficii ipso iure, 722.326.

Tertio per renunciationem, lib.30. tract.3.

*REnunciationis beneficii varia nomina, ibid.327.
Renunciare beneficio potest quis, non modo per se; sed etiam per procuratorem; & tres casus in quibus tenetur quis renunciare, ib.328.
Obligatio iuris naturæ relinquendi beneficium, & restituendi fructus ex eo perceptos, ibid.329.
Duæ regulæ cancellariæ in renunciatione obseruandæ, 723.330.
Conditio renunciationis, vt fiat authoritate Superioris, ibid.331.
Conditio, vt sponte, & sponte seu propria voluntate fiat, ib.332.
Difficultas, an irrita sit renunciatio facta metu, ibid.333.
Alia an facta à minore vigintiquinque annis, aut facta in seruore morbi acuti valeat, ibid.334.
Reliquæ conditiones requisitæ ad validitatẽ renunciationis, ib.335.
Per renunciationem valide factam, beneficium vacat, 724.336.
Modi quibus datur regressus ad illud, ib.337.
Quando possit aut non possit fieri propria authoritate, ibid.338.
Renunciatio est aut tacita (quæ dupliciter contingit) aut expressa,

quæ

quæ distinguitur in puram, & conditionatam, ibid.330.
Cõditionatæ quatuor species: & quod tres primæ possint tantum fieri coram Papa, ibid. 340.
De quarta, quæ potest coram Episcopo fieri, 725. 341.

Quarto per permutationem.

IVre licita est beneficiorum permutatio, si fiat authoritate Superioris, & iusta adsit causa: & quis sit talis Superior, ibid.342.
Partes de permutatione tractare possunt tantum beneplacito Superioris: debentque requirere consensum aliorum, si quorum interest, ibid. 344.
Quid requiratur cum beneficia permutanda pertinent ad diuersas diœceses: & quod beneficia non possint permutari, cum aliis spiritalibus: neque hæc inter se, ibid.343.
Potest beneficium pingue cum beneficio tenui permutari; & vnum cum duobus, 726.345.
De permutatione beneficiorum inæqualium, quid tenendum sit, ibid. 346.

Beneficiarius 1. quoad obligationem satisfaciendi oneribus beneficio suo annexis, & recitandi horas canonicas, lib.30. tract 3.

OBligatio beneficiarii ad curandam expeditionem bullarum Papalium, 656.24.
Obligatio faciendi professionem orthodoxæ fidei, ibid.25.
Ea est cum obligatione ad restitutionem, nisi ignorantia inuincibilis excuset, ibid.26.
Quænam circa eandem notanda, 657.27.
Obligatio soluendi annatam, ibid.28.
Ea non admittitur in Gallia, ibid.29.
Obligatio soluendi quindeania, ibid. 30.
Ea locum non habet, cum beneficium vnitur dignitati Ecclesiasticę. ibid. 31.
Ex iure ad beneficium non oritur obligatio recitandi horas canonicas, sicut ex iure in beneficio, 658.32.
Difficultas, an talis obligatio cadat in non initiatum sacro Ordine, cuius beneficium non sufficit ei ad honestam sustentationem, ibid. 33. & tribus sequentibus.
Causa vera ob quam beneficiatus tenetur ad recitationem horarum canonicarum, ibid.36.
Difficultas de iis qui habent titulum beneficii, quod non possident: aut cuius fructus non percipiunt, an obligentur ad recitationem horarum canonicarum. 659.37. & tribus sequentibus.
Non tenentur ad eandem recitationem, pensionarius aut coadiutor datus beneficiato, aut expectatiuam tantum habens, 660.41.
Obligatio recitandi horas canonicas est sub mortali, cum obligatione ad restitutionem, ibid. 42. & duobus sequentibus.
Quo modo accipiendum sit quod talis restitutio debeat fieri fabricæ aut pauperibus, 661.45.
Non cessat proposita obligatio ex eo, quod alia onera beneficii sint impleta: & duo casus in quibus talis restitutio non potest fieri fabricæ aut pauperibus, 661.46.
Dubitatio, an ad propositam restitutionem teneatur, qui recitauit quidã horas canonicas, sed sine debita attẽtione, ib.47.& 662.48.

Beneficiarius 2. quoad obligationem residendi in sua Ecclesia. nec res illius alienandi, lib.30. tract.3.

QVæ beneficia residentiam requirant ex obligatione, & quæ non requirant ibid.49.50.& 51.
De iure quo imposita est proposita obligatio, 663.52.
Cum beneficiato habente curam animarum nequit Papa in tali obligatione dispensare, sine iusta causa: & aliquot tales causæ, ibid. 53.& 54.
Licentia beneficiatus curam animarum habentibus concessa à Concilio Tridentino. ibid.55.
Legitime excusatus à residendo, potest fructus suos facere, 664.56.
Obligatio dispensati in hac re: & quis possit in ea dispensare, ibi.57.
Pœna restitutionis, qua transgressor propositæ obligationis, ibid. 58 & 59.
Explicatio difficultatis, ad talem pœnam vitandam sufficiat residere, ecclesiasticum ministerium exercendo per substitutum, ib. 60.
Quid nomine Ecclesiæ, quidque alienandi verbo intelligatur, cum res Ecclesiæ alienari prohibentur. 665.61.
Dominium bonorum Ecclesiæ cuius sit, ibid.62.
Qua authoritate alienari possint bona Ecclesiæ. ibid. 63.
Quæ forma ex iuris præscripto sit in eadẽ alienatione seruãda, ib.64.
Ad validitatem alienationis rerum ecclesiasticarum, præter obseruationem formæ a iure præscriptæ, requiritur iusta causa. 666.65.
Quatuor casus, in quibus permissa est rerum ecclesiasticarum alienatio. ibid.66.
Quando res ecclesiasticæ possint valide alienari non seruata solennitate præscripta a iure, ibid. 67.
Quomodo accipiendum sit iuramentum a Prælatis præstitum Papæ de non alienandis rebus suæ Ecclesiæ, ibid. 68.
Pœnæ alienantium bona suarum Ecclesiarum, ibid.69.
Casus in quibus a mortali excusatur non seruans prædictam iuris formam, 667.70.
Responsio breuis ad quædam dubia, ibid.71.
Dubium de locatione fructuum rei ecclesiasticæ, an fieri possit ad longum tempus. ibid.72.
Aliud, an succedens in beneficio, teneatur soluere debita prædecessoris, 668.73.

Beneficiarius 3. quoad obligationem expendendi fructus sui beneficii in bonos vsus, lib.30. tract.3.

ECclesiastici quorum bonorũ habeant dominium, ib.74. & tribus sequentibus.
Qua ratione beneficiarii dominium habeant fructuum beneficiorum suorum. 669.78.
Obligatio largiendi pauperibus, quod beneficiario de iisdem fructibus supersit. ibid.79. & duobus sequentibus.
Bona à fidelibus sunt Ecclesiæ data, non quidem sub conditione, sed in finem, vt quæ superessent Clericis, darentur pauperibus, 670.82.
Comparatio inter duas præcipuas sententias de proposita obligatione, ibid.83.
Iuxta easdem statuendum est, incumbatne beneficiario obligatio restituendi, si superabundantes fructus sui beneficii, male expendat, ibid.84.
Communis consensus est talem peccare mortaliter. ibid. 85.
Differentia inter beneficiarios superabundantes & alios diuites, quoad obligationem faciendi eleemosynam pauperibus, ibid. 86. & 671.87.
Responsio ad aliquot interrogata de modo satisfaciendi eiusmodi obligationi, ibid.88.
Beneficiarius de eo quod sibi substraxerit ex portione necessaria ad commodam suam sustentationem, potest libere disponere ib.89.
Licet Clericus patrimonium habeat sufficiens ad suam sustentationem, potest tamẽ accipere beneficium ex quo viuat, 672.90 & 91.
Beneficiarius potest libere disponere de quotidianis distributionibus, ibid. 92.
Potest beneficiarius aliquid sibi retinere ex fructibus beneficii superabundantibus, ob seruitium quod supra debitum exhibuit suæ Ecclesiæ. ibid. 94.
Quantum de patrimonialib. aut quasi patrimonialibus expenderit in vtilitatem Ecclesiæ aut pauperum aut alia pia opera, tantum potest sibi seruare de fructibus superabundantibus tui rum beneficiorum, 673.99.
Beneficiarius potest parentes ditare ex fructibus sui beneficii, ibid. 100.
Quatenus possit eos iuuare, tamquam pauperes, ibid.101
Quatenus possit ex isdem fructibus prouidere suis spuriis, 674.102.
Quomodo sit habenda ratio status consanguinei sui, vt ei tamquam pauperi beneficiarius licite conferat quod superest ex fructibus sui beneficii, ibid.103.
Satisfacit beneficiarius obligationi suæ, id quod sibi superest expendendo vt in pauperes, ita & in quæcumque opera pia, ibid.104.
Tales pauperes non sunt determinate illi, in quorum loco beneficium habetur, ibid.105.
In determinanda commoda sustentatione beneficiarii ratio habenda est: tum dignitatis personæ & meritorum, exceptis duobus casibus, 675.106. tum loci & qualitatis beneficii, ibid.107. tum demum eorum, quæ ipso nomine sustentationis comprehenduntur. Et quænam ea sint, ibid.108.
De eorum numero non esse ea quæ ex meta liberalitate donantur, ibid 109.
Quæ beneficiarius emit ex superabundantibus fructibus beneficii, sua sunt eadem ratione qua fructus ipsi, 110.
De quibus possit, & de quibus nõ possit beneficiarius testari 676 111.
Licet benemeritus peccet testando de superfluis sui beneficii: talis tamen dispositio est valida, ibid.112.

Bestialitas.

De bestialitate, lib.22.248.51.

Blasphemia. Lib 18.

BLasphemia quid sit: & de prauo affectu, ex quo prouenit, 1.0.195.
Variæ diuisiones blasphemiæ, ibid.196.
Blasphemia peccatum est mortale, à quo indeliberatio quidem excusat, non item materiæ paruitas, ibid. 197.
Ea peccatum est mortale suo genere grauissimum, ibid. 199.
Circa quod inculcanda pœnitenti, de eo se accusanti, ibid. 200.
Ratioque de eo confitendi, ibid. 201.

Breuiarium. Lib 18.

EX quo breuiatio recitandę sint horæ canonicæ ad satisfaciendum præcepto, recitandi, 100 168 & duobus sequentibus.
An satisfaciat eidem præcepto recitando ex alieno breuiario approbato. Et quid in ea re possit Episcopus. 101.171.
Quatenus peccet qui recitat ex proprio breuiario qui lem tenetur ex officio vnius diei, pro officio alterius diei. 102.172.
De potestate vtendi nouo breuiario, facta per bullam Pij quinti eidem breuiario præfixam, ibid.173.
De excusatione eius qui nõ habet breuiariũ, ex quo recitet, 108.189.

De peccato eius qui beneficium ecclesiasticum, aut Ordinem sacrum suscipit, nescienscitare breuiarium, ibi.190.

C

Calix.

DE calice & patena ad celebrationem Missæ necessariis lib.29. 592.198.& duob. seq. Vide verbum Missa 4. circa medium.*

Cambium 1. vniuerse: ac siccum & minutum in particulari. Lib. 25.

TRiplex permutatio,& quæ cambii nomine significetur, 447.438.
Quid sit cambium fictum seu siccum; quidque verum seu reale, & eiusdem varia diuisio, ibid.439.
Cambium non esse ex natura sua illicitum, ibid.440.
De lucro quod in eo potest licite accipi, 448.441.
Cambium siccum illicitum est ex natura rei, ibid.442.
Modi quibus tale cambium contingit, ibi.443.
Vnde iustificetur acceptio lucri, ex cambio minuto. ibi.444.
Quatenus liceat hominibus priuatis, ex eo ipso cambio lucrum facere, ibid.445.
Licitum est lucrum quod campsor facit dando pretium iustum pro moneta quæ non currit, ibid.446.
Quando liceat campsori computare pecuniam in maiori valore quam taxata sit, & quando non liceat, 449.447.
Negat Medina id licere eo nomine, quod moneta sit melioris materiæ, sed contrarium videtur cum aliis tenendum, ibi.448.
Solutio rationis Medinæ, ibi.449.
Quando liceat œconomo per cambium pecuniæ à domino sibi commissæ, facere lucrum, ibid.450.

Cambium 2. locale.

VArii modi cambii localis, 450.451.
Licitum est lucrum ex cambio, quo suscipitur onus pecuniam acceptam transportandi in alium locum, ibid.452.
Quod verum est, etiamsi transportatio sit tantum virtualis, ibi.453.
Quod sit iustum pretium in eiusmodi cambio, ibid.454.
Quin campsor illud capere possit, non obstat quod tali pecunia egeat, ib.455.
Licitum est cambium in quo campsor dat pecuniam vt alibi recipiat, ibid.456.
Quod procedit quantumcunque pecuniam acceptam non transferat alio, 451.457.
Refutatio eorum quæ obiici possunt in contrarium, ib.458.
Mala fides siue campsorii siue campsoris in tali casu, inducit obligationem ad restitutionem, ib.459.
Explicatio dubii, an sit licitum lucrum in cambio locali, cum campsor egeat pecunia in loco, in quo nomine campsorii debet eam recipere, ibi.460.
Quid tenendum sit de cambio locali: quando pecuniæ in vno loco plus quam in alio valoris habent; siue lege, siue consuetudine, ibi. 461.
Causæ ob quas pecunia etiamsi taxatione legis aut communis æstimationis, sit æqualis in diuersis locis: accidentaliter tamen plus valet in vno quam in alio, ibid.462.
Quid sit tenendum de cambio locali, cum ex aliqua tali causa, pecunia plus valet in vno loco, quam in alio, 452.463.
Vnde diiudicari debeat an pretium quod in eo accipitur, sit iustum, ibid.464.

Cambium 3. à nundinis ad nundinas.

DE cambio à nundinis ad nundinas, ibid.465.
Modi varii quibus fit, cum regula seruanda vt licite fiat, ibid. 466.
Conditiones ad illud requisitæ per bullam Pii quinti de cambiis, ibid.467.

Canonici & cæteri habentes beneficium simplex aut beneficium improprie dictum.

DE Canonicis, lib.30.tract.1. 610.55.
De habentibus portiones, capellanias, & præstimonia, ib. 56.
De commendatariis, coadiutoribus, & hospitalariis, 611.57.& 58.

Casus fortuitus.

DE casu fortuito præsertim habito respectu ad contractum, vide in verbo Contractus 6. circa medium.*

Census 1. quoad ipsius naturam & conditiones Lib. 25.

IN quo consistat natura census, 441.410.
Quatuor conditiones iure naturæ in eo seruandæ. ib.411.
Collectæ ex extrauagantibus Martini quinti & Calixti tertii, 442. 412.
A Pio quinto in bulla relata à Nauarro plures assignatæ, ibid.413.
Quatenus obstricta sit necessaria, vbi eadem bulla nec est recepta vsu, nec publicata, ibid.414.
Census vsu frequens licitus, in quo aliquot eiusmodi bullæ conditiones non seruantur, ibid.415.
Census vtrimque redimibilis licitus est quidem in speculatione, sed tamen in praxi vitandus tamquam periculosus, 443.416.
Quatenus liceat venditorem census cogere, vt præter rem ipsi censui subiectam, alia sua bona obliget in pignus, vel det fideiussorem, ibid.417.
Quatenus licitum sit pactum, post quadriennium mutetur res subiecta censui, ibid.418.
De contractu quo dominus famulo non valens soluere notabilem summam ei debitam, constituit eidem certâ pensionem annuam, ibi.419. Vbi & de simili contractu quo debitor non valens soluere creditori, constituit ei censum annuum.
De contractu, vt pereunte re censui supposita, maneat persona venditoris obligata ad solutionem pensionis annuæ, 444.420.
De censu constituto super domum, aut molendinum quod coruit, ibid.421.
De censu constituto super rem iam satis onerata, ibi.422.
De censu constituto authoritate iudicis condemnantis, ibi.423.
Explicatio dubii an census redimi possit ex parte, ibi.424.

Census 2. quoad illius diuisiones & pretium iustum. Lib.25.

QVinque varii modi quibus census diuiditur, ibid.425.
Sententia negantium censum realem esse licitum, 445.426.
Contrariam tenendam esse probatur, ibi.427.
Solui potest census ex aliis fructibus, quam rei in qua constituitur, ibid.428.
Solutio census assecurari potest in ordine ad casus fortuitos, ib.429.
Duplex census personalis ibid.430.
Difficultas an census personalis sit licitus, explicatur distinctione, ibid.431.
Ad iustum pretium census non requiritur vt quantitas summæ pensionum, sit illi æqualis, 446.432.
Quodnam sit iustum census pretium, ib.433.
De pretio redemptionis census, ib.434.
De pretio census constituti ad certum annorum numerum, ibi.435.
De iusto pretio census personalis perpetui, ibi.436.
De iusto pretio census vitalitii, 447.437.

Cessatio à Diuinis. Lib 32. tract 3.

QVid & quotuplex sit cessatio à Diuinis, & quatenus ab interdicto differat, 868.70.
Conditione requisitæ ad illius validitatem, ib.71.
De eiusdem causa efficiente, seu à quo ferri possit, ibid.72.
De cæteris illius causis, 869.73.
Primus effectus cessationis à Diuinis, priuare vsu Diuinorum officiorum, ibi.74.
Tempore cessationis à Diuinis permissum non est, sicut tempore interdicti submissa voce clausis ianuis, non pulsatis campanis, ac excommunicatis & interdictis exclusis Diuina officia celebrare, ibid.75.
Nec pari de causa permissum est in principalibus anni festiuitatibus, eadem officia celebrare solenniter, ibid.76.
Horas canonicas priuatim eodem tempore clerici possunt bini recitare: & quod Episcopus imponens cessationem à Diuinis possit eã limitare, ibid 77.
De secundo effectu, qui est priuatio vsus Sacramentorum: & quæ Sacramenta ab eo excipiantur. 870.78.
Quatenus permissa sit celebratio Missæ tempore cessationis à Diuinis, ibid.79.
Sacramenta quorum vsum prohibitum esse tempore cessationis à Diuinis certum est: & quatenus de baptismo dubitetur, ibi.80.
Dubium de confirmatione, & aliud de Pœnitentia, 81.
De tertio effectu, qui est priuatio sepulturæ ecclesiasticæ, ibid.82.
Excommunicatio imposita Religiosis quibuuis violantibus cessationem à Diuinis, 871.83.
De modo quo eadem relaxatur, ibid.84.

Character Sacramentalis.

DE charactere Sacramentali, lib. 26. 505. 48.&49. Vide verbum Sacramenta nouæ legis 3. in fine.*
Quod illum minores Ordines imprimant, lib.30.601.tractat.1.19.

Charitas. Lib.17.

CHaritatis definitio, 31.90.
Modus charitatis, & obiectum secundarium, ib.94.
Charitas virtus est omnium dignissima, & ad salutem necessaria, ib. 95 & 96.
De ea datum præceptum pro quo tempore obliget, & ad quã dilectionem Dei & proximi nostrique, ib.97.98.&99.
Charitati in Deum peccata contraria, sunt odium Dei, 32.100.&101.
Itemque, Diligere Deum propter quid aliud, ibid.102. Non diligere cætera propter ipsum: plus aut æqualiter diligere creaturam ac Deum, nisi fiat indirecte tantum, ibid.203.&204.
Contra charitatem in nosipsos peccamus, tum per excessum, tum per defectum, 33.105.&106.

Contra charitatem in proximum varia peccata committuntur, de quibus sub propriis nominibus, 34.110. ad.135.

Ciborium.

CIborium seu vas in quo sactæ hostiæ ad populi communionem consecrantur & conseruantur: non requirit necessario consecrationem factam cum vnctione Chrismatis, lib.29.593.201.

Clericorum obligationes. lib. 30. tract. 3.

QVæ dicantur obligationes communes Clericorum, 652.1. De iis quæ imponuntur ipsis pro tempore suæ ordinationis, ibi. 2. Et de aliis quæ imponuntur iam promotis ad Clericatum, ib.3.
Præcepta quibus eadem imponuntur ad quinque genera reuocantur: & duo casus quibus transgrediendo ipsa peccatur mortaliter. ibid.653.4.& 5.
De eo quod quæritur, an is qui habet tonsuram clericalem teneatur ad recitationem Psalmorum pœnitentialium, ibid.6.
Obedientia quam Clerici ratione sui status, debent Episcopo, 653.7.
Duplex Episcopalis lex, vna iurisdictionis, alter diœcesana, ib.8.
Clericus nequit longam peregrinationem suscipere absque licentia proprii Episcopi: & quis censeatur proprius Episcopus, ibid.9.
Obligationes habitum & tonsuram Clericalem quæ initiatis maiore ordine, & beneficiatis, imposita est sub mortali. 654.10.& tribus sequentibus.
Quis dicatur vestitus clericalis, & quæ tonsura clericalis, 655.14.& 15.
Obligatio Clericorum, tum ad ostendendam honestatem in compositione corporis, tum ad moderationem in cibo & potu, tum abstinendi se à vanis sæculi voluptatibus, præsertim à luxuria, ib. 16. & duobus sequentibus.
Obligatio abstinendi à venatione, ludo alearum, spectaculis mimorum, & frequentatione tabernarum, ib.18.& 19.
Obligatio abstinendi, tum à negotiis sæcularibus nempe ab omni arte sordida, & mercatura: tum etiam ab actionibus ex quibus sequi potest sanguinis effusio, 656.20. & 21.
Non potest Clericus Clericum vocare in ius coram Iudice laico: & quatenus nec possit clericus in manibus laici iurare, ibid. 22. (de quo etiam lib.18. 64. 17)
Quod idem non debeat artem medicam & chirurgicam exercere, nec laici minister fieri aut procurator, ib 23.
De aliis obligationibus Clericorum, vide verbum Beneficiarius per totum.
Clericis prohibitum est iudicium sanguinis exercere, & quatenus lib.21. 205.13.
Quid sit sentiendum de iis qui intersunt iudicio sanguinis, lib.30. tractatu 2. 639.134

Clericorum priuilegia. Lib.19.

PRiuilegia Clericorum quædam sunt canonis, & quædam fori, 179.61.
Quæ sint prioris generis, ibid. 62. Quæ sint posterioris, ib.63.
Talibus priuilegiis Clericus renuntiare non potest, ibid.64.
In tribus casibus Clericus non potest in manibus laici iurare, ibi. 65.
Clericus vocans in ius alium Clericum coram Iudice laico peccat mortaliter: & quando sit idem dicendum de Iudice, vocatum iudicante, ibid.66.
Talia priuilegia nulla lege aut consuetudine tolli possunt, sine Papæ authoritate, ibid 67.
Nec item præscriptione etiam longissimi temporis, 709.68.
Papa non potest cum laicis dispensare circa priuilegia, exemptiones & immunitates Clericorum sine horum consensu, ibid.69.
Casus aliqui excepti, 180.70.

Cognatio.

COgnatio quadruplex matrimonium impediens, lib. 31. 756. 138. & aliquot sequentibus. Vide verbum Matrimonium 12. per totum.

Cohibitatio coniugum. Lib.31.

QVod coniuges cohabitare teneantur: & quid sit agendum, si id recusent, 798. 302.
De obligatione cohabitandi coniugis sani cum altero, qui est infectus morbo contagioso, ibid. 303.
Vir non potest fugere cohabitationem vxoris propter dotem promissam non solutam. ibid. 304.
Vir obligatur alere vxorem à qua dotem accepit: illum tamen excusare potest inopia, ibid.305.
Vxor mortuo marito non tenetur soluere debita, quæ is contraxit ad ipsam alendam: patique ratione nec filii debita patris quæ contraxerat ad ipsos alendos, ibid. 306.
Dote promissa non soluta maritus non tenetur vxorem alere, ib. 307.
Quid si non sit promissa, aut soluta, perdita sit, ibi. 308.
Quatenus vxor teneatur sequi virum mutantem habitationem, si cum eo contraxerit sub conditione, quod non mutaret, 799.209.
Quatenus ad id teneatur, cũ nulla talis conditio intercesserit, ib.310.
Virum vagabundum vxor tenetur sequi, si talem ipsius conditionem nouit tempore contractus matrimonii, alias non, ibi. 311.
Differentia inter virum & vxorem quoad obligationem cohabitandi, ibi. 312.

Collatio simplex beneficii. Lib. 30. tract. 3.

QVid simplex collatio beneficii ecclesiastici, 700.234.
Papa potest quæcumque beneficia conferre, & solus beneficia reseruata, 701.235.
Concursus Papæ cum aliis Ordinariis: & quis significetur nomine Ordinarii, ibid. 236.
Apostolici Legati à latere potestas beneficia conferendi: quodque cæteri legati Apostolici eam non habeant, nisi specialiter eis committatur, ibid 237.
Notanda de potestate legati à Latere restricta circa collationem beneficiorum, ibid. 238.
Spectat ad Episcopum conferre beneficia in sua diœcesi: quod non potest semper facere libere, ibid.239.
Quid in eodem requiratur vt talem potestatem legitime exerceat; 702. 240.
Capitulum Sede vacante non habet quidem ius conferendi beneficia spectantia ad Episcopum: habet tamen confirmandi electum, & instituendi nominatũ: & vnde oriatur talis differentia, ib. 241.
Generalis Vicarius Episcopi non potest beneficia conferre, nisi ex Episcopi sui commissione: & quæ alia is possit, ib. 242.
Quando Episcopo datus coadiutor, possit aut non possit vice illius conferre beneficia, ibid. 243.
Quando possit, qui possessor quidem est iuris conferendi, sed non est Dominus, 703.244.
Quid sequester possit, ibid.245.
Beneficia conferri debent pure, libere, & palam, ibid 246.
Itemque sine diminutione, & iam vacantia, neque ad certum tempus, sed ad totam vitam, ibid.247.
Collatio beneficii non debet fieri alternatiue, aut copulatiue: & quando vacans possit aut non possit in dubio diuidi, ibi.248.
De tempore intra quod fieri debet beneficiorum collatio, 704. 249.
Conditiones requisitæ ad validitatem collationis beneficiorum, ibid. 250.
Plenitudo potestatis requisita ad validitatem collationis beneficii: & aliquo: casus in quibus ea deficit, ibid.251.
Modi quibus talem potestatem habens potest eam amittere. ib.252.
Inualida est beneficii collatio facta post tempus à iure constitutum: & quatenus potestas conferendi deuoluatur ab vno ad alium, ibid. 253.
A regularibus etiam exemptis, ad Episcopum fit deuolutio: & quædam alia paucis tacta pro praxi, 705.254.
Modus quo beneficii collatio inualida est ob collatoris peccatum commissionis, ibid.255.
Peccatum est mortale tam conferre incapaci, quam incapacem accipere beneficium ecclesiasticum, eod. tractatu, 709.273.
Pœne quæ tale peccatum sequuntur, 710.274.& seq.

Collatio Ordinum.

IN collatione ordinum requisita quoad tempus & locum, lib. 30. tract.1.602.26.27.& 28.

Commendatarius.

AN commendatarius possit libere disponere de fructib. beneficii commendati, lib. 30. tract 3.673.96.& duobus sequentibus.

Commodatum & precarium Lib.25.

VNde dictum commodatum, & quid ipsum sit, 453.468.
Commodati diuisio triplex, ibid.469.
Commodatum proprie, & differentia illius à precario, & à donatione, ibid.470.
Quinque obligationes quas commodatarius habet ex commodato, ibid. 471.
Actiones quæ nascuntur ex commodato, 454.472.
De quæstione Cuius damno pereat res commodata, ibid.473.
Quatenus commodatarius teneatur de casu fortuito, ibi. 475.
Ad quid teneatur qui res proprias præfert commodatæ, hæcq; ideo apud ipsum perit, ibid.476.
Cui pereat commodatum, dum perit in manu tertii per quem remittitur, ibid.477.
* Qui rem precario accepit, si ea pereat, tenetur de dolo tantum & lata culpa, 455.478.
Non tenetur qui rem commodato accepit, eam reddere ante terminum ei præfixum, ibid.479.
Qui precarium concessit absolute, potest illud reuocare quoties ei placuerit. ibid.480.
Quatenus aliter quam voluntate concedentis, censendum sit precarium finiri; 456.481.
Ad quas impensas rei commodatæ teneatur commodatarius, ib.482.
Quatenus commodatarius possit rem sibi commodatam re inere in compensationem alicuius debiti, ibid.483.
Quæ accedunt rei commodatæ, simul cum ea commodata esse censentur, ibid.484.

Vbi res commodata restituenda sit, distinctione explicatur. ibi. 485.

Communio sacra. Lib. 29.

DE sacræ communionis vsu, 537. 68. & aliquot sequentibus. vide verbum Eucharistia 5. post medium.*
Tres modi communicandi & qui sufficiant ad satisfaciendum præcepto de communicando, 562. 86. 87. & 88.
Communioni præmittendum pœnitentiæ Sacramentum. 576. 103. & aliquot sequentibus. vide verbum Eucharistia 7. sub initium.*

Compensatio. Lib. 21.

COmpensare quod sibi debetur tantundem à debitore accipiendo authoritate propria, quatenus possit censeri licitum. 252. 7.
Compensatio quatenus super beneficio quod ligiosum est fieri licite possit. 307. 256. 257. & 258. Et quatenus cum sit permutatio inter beneficia inæqualia. 308. 266.

Confirmationis Sacramentum 1. quoad illius essentialia. Lib. 28.

COnfirmatio baptismo proxime succedit, & id quo ordine, 525. 1.
Varia illius nomina, ibid. 2. Definitio, ibid. 3. Instituta est Confirmatio à Christo, & quando. 526. 4. Ea non est necessaria simpliciter necessitate medii, ibid. 5. Materia remota Confirmationis est chrisma: quod an de necessitate Sacramenti debeat admixtum habere oleo balsamum, ibid. 6.
Ex cuius olei & balsami admixtione constare debeat, & cur modicum balsami sufficiat, ibid. 7.
An necessarium sit necessitate Sacramenti, vt chrisma sit benedictum ab Episcopo. ibi. 8.
Materia Confirmationis propinqua, est vnctio baptizati ab Episcopo facta ex chrismate, &c. 527. 9.
Quantitas chrismatis requisita ad talem vnctionem, & qua ratione hæc debeat fieri, ibi. 10.
Impositio manuum necessaria ad hoc Sacramentum: quodque sola sine chrismate non sufficiat, ibid. 11.
Forma Sacramenti confirmationis: & quod in ea debeat fieri invocatio Sacrosanctæ Trinitatis, ibid. 12.
Non est necesse eam proferi verbis indicativi modi. ibi. 13.
Conditio Confirmationis necessaria, est vt vnctio fiat in fronte, quantumque ea non exprimatur in forma. 528. 14.
Ex Cæremonijs Confirmationis quatuor sunt quæ hanc antecedant, ibid. 15. Octo, quæ eam comitantur vel sequuntur, ibi. 16.

Confirmationis Sacramentum 2. quoad illud siue ministrantes, sine suscipientes. Lib. 28.

ORdinarius Confirmationis minister est Episcopus consecratus, ibi. 7. Extraordinarius ex commissione Papæ, potest esse Sacerdos. ibid. n. 18.
Nullus his inferiori potest tale ministerium committi. ibid. 19.
Quilibet Episcopus est minister sufficiens ad validitatem huius Sacramenti. Et quando contingat Episcopum peccare respectu istius ministerij. ibi. 529. 20. Omnis baptizatus capax est suscipiendæ Confirmationis: ante baptismum vero susceptum, nullus, ib. 22.
Quo tempore Confirmationem pueris baptizatis conferri, conueniens sit, ibid 23.
Nullus Ordo, imo nec prima tonsura suscipi debet ante Confirmationem, etiamsi id non sit de se mortale. ibid. 24.
Magna quidem est varietas opinionum de difficultate, An susceptio Confirmationis sit in præcepto: sed non esse, probabiliter teneri potest, ibid. 25.
Obiectiones in contrarium cum solutionibus. 530. 26.
Quatenus peccetur omissione Confirmationis. ibi. 27.

Confirmationis Sacramentum 3. quoad illius effectus. Lib. 28.

EFfectus Confirmationis sunt specialis gratia Sacramentalis, & character, ibi. 28.
De modo quo in hoc Sacramento per se, & ex ipsius institutione datur gratia, ibi. 29.
De modo quo datur ex accidenti, ibid. 30.
In susceptione eiusdem Sacramenti, quo modo auxilium Spiritus sancti detur, ibi. 31.
De charactere quod non possit iterari in eodem homine, quem si quis iterare tentet, nihil faciet, grauiterque peccabit, non tamen fiet irregularis, ibid 32.
Dispositiones ad eorumdem effectuum productionem requisitæ. 531. 33.
Ignorantia ad eamdem productionem in contaminato peccatis non sufficit sine pœnitentia: quam satis non est attritionem esse, nisi bona fide existimetur contritio, ibid. 34.
Is qui existimat se non esse contritum, debet confiteri ante susceptionem huius Sacramenti. Et quod distractio contingens in eadem susceptione, non impediat de sequelis effectum, ibi. 35.

Coniugium obligatio ad naturem. Lib. 20.

OBligatio inter virum & vxorem, præsertim ad subiectionem & reuerentiam mutuam, 196. 44.
Aliquot modi quibus vxor contra talem obligationem mortaliter peccat, ibid. 45.
Explicatio difficultatis an vxor teneatur sequi virum mutantem domicilium, ibid. 46. & lib. 31. 799. 309. ac duobus sequentibus.
Modi quibus vir peccat mortaliter contra eam obligationem, ibid. 47.
Colligatio alendi vxorem, ib. 84. & li. 31. 798. 305. & tribus sequentib.

Consanguinitas. Lib. 31.

QVæ consanguinitas matrimonium impediat iure naturæ, 749. 110. & aliquot sequentibus vide verbum Matrimonium 9. per totum.

Consecratio Eucharistiæ. Lib. 29.

QVædam notanda pro praxi quotidiana, de consecratione Eucharistiæ, 528. 18. & 19.

Consensus. Lib. 16.

COnsentiendo alteri peccanti, peccatur variis modis, & quibus, 9. 31.

Consuetudo. Lib. 18.

COnsuetudo iurandi ex se non est, nec facit esse peccatum mortale, 80. 84.
Ea non obstat, quin peieranS inaduertenter, excusetur à peccato. ibid 85.
Duo casus excepti, ibi. 86.
An per consuetudinem iurandi constituatur quis in statu peccati mortalis, ibid. 87.

Contentio. Lib. 17.

QVæ sit malitia contentionis posita in varietate iudiciorum. 37. 133. Quæ sit posita in contrarietate verborum, ibi. 134.

Continuatio Lib. 18.

COntinuatio requisita ad recitationem horarum canonic. & quod iusta de causa illius interruptio possit fieri absque obligatione ad iterationem, 98. 162.
De eo qui recitationem ipsam interrumpit cum proposito iterandi, ibid. 163.
De eo quod horæ distinctæ non debeant continuari immediate. Et an Laudes possint ab officio nocturno: & huius partes à se inuicem diuisim recitari, 99. 164.
An rotarij Decades similiter possint diuisim recitari, ibid. 165.

Contractus 1. quoad illius naturam & veritatem. Lib. 25.

QVid sit contractus generaliter, quidque proprie sumptus, 354. 14.
Quid sit sumptus minus proprie, ibid. 15. Improprie sumptus de quibus dicatur, ibid. 16. Depositum & pignus sunt proprie contractus 355. 17. Sunt item assecuratio, census, cambium, custodia, & matrimonium, prout vim habet exiure naturæ: itemque conuentiones omnes vtrimque obligantes, ibid. 18. Non item legata, nec fideicommissa, nec precarium, nec promissum, nec arbitrium, nec delatio iuramenti, nec transactio, ibid. 19.
De contractuum varietate: ac 1. de ea quæ sumitur ex personis, cum quibus illi fiunt. ibi. 20. De ea, quæ ex rebus de quibus fiunt, ibid. 21. De aliis, quæ ex modis quibus fiunt. ibi. 22. Qui contractus dicantur bonæ fidei & qui stricti iuris, 356. 23.
Qui dicantur gratuiti, & qui onerosi, ibid 24. De vltima varietate latè patente quod quidam rem vnius transferant in alium quoad dominium, & qui, ibi. 25. Quidam quoad vsum fructum tantum, & qui, ibid. 26. Quidam quoad vsum tantum, ibid. 27. Quidam quoad traditionem retinentum, ibi 28.

Contractus 2. prout metu factus, aut ex errore. Lib. 25.

COnsensus liber ad contractum validum requisitus: & quo modo intelligendum sit, contractus aliquos consensu solo consensu. 357. 29.
* Quando metus sit censendus leuis, & conditiones requisitæ vt grauis censeatur, ibid. 30.
Metus etiam grauis non efficit regulariter contractum inualidum, licet faciat inualidabilem, ibid. 31.
Contractus, qui requirunt consensum liberum cum conditione libertatis, metu facti sunt inualidi, 358. 32.
Propter solum metum grauem contractus irritatur in foro externo: in interno vero, etiam propter leuem: & ratio differentiæ causa, ibid. 33.
Metus ob quem irritus est contractus, debet esse à principio externo. ibid. 34
Debet quoque esse iniuste incussus, ibid. 35
Restitutioni obnoxium est metu, etiam leui, exortum per contractum, 359. 36.

Qui

Qui metu aliquid extorsit, & illud, & omne damnum inde sequutũ restituere tenetur, in quo si deficiat, illi qui ei cooperati fuerint, tenebuntur supplere, ibi.37.
Metus reuerentialis quando tamquam grauis, sufficiat ad rescindendum contractum, ib.38.
Tacere ex metu reuerentiali, sufficit ad rescindendum contractũ, qui contrahenti valde præiudicat, ibid.39.
Metus reuerentialis, quoad cõscientiæ forum, sufficit ad obligationem restituendi quod acceptum fuerit, ibid.40.
Et corollaria inde deducta, ibid.41.
Metus reuerentialis in quos cadat, 560.42.
Quando contingat preces importunas inducere metum sufficientem ad rescindendum contractum, ibid.43.
Quando eadem sufficiant quoad forum conscientiæ ad inducendam obligationem ad restitutionem, ibid.44.
Error cõtingens incõtractu quidã est antecedens, & quidam comitans hicque non impedit validitatem contractus, ibid.45. Ille vero, saltem quoad forum conscientiæ, eam impedit, 361.64.
Error, contractum iure inualidum, non validat, ibid.47.
Modi quibus contingit errorem antecedentem reddere inualidum contractum, cui causam dedit, ibid.48.

Contractus 3. prout iuramento confirmatus. Lib.25.

IVramentum non definit, obligatorium esse, & indigere dispensatione ex eo, quod appositum sit contractui inualido; si seruari possit absque salutis dispendio, ib.49
Obligatio quam iuramentum inducit appositum contractui inualido, ibid.50.
Iuramentum appositum contractui inualido ob turpitudinem quam habet contractus, non confirmat eum, 362.51.
Nec item eum qui primo & principaliter à iure annullatur ob fauorem publicum, ibid.52.
Confirmat autem eum, qui primo & principaliter annullatur ob fauorem priuatum, exceptis tribus casibus, ibid.53.
Contractus metu graui, aut dolo extortus, confirmatur iuramento, ibid.54.
Contractus factus contra prius iuramentum quatenus valere possit, ibid.55.

Contractus 4. quoad solita ei apponi. Lib.25.

QVid significetur nomine conditionis, & quibus particulis exprimatur, 363.56.
Quid nomine modi, & quibus item particulis exprimatur, ib.57.
Quidque nomine demonstrationis, & quid nomine causæ; & quibus particulis exprimantur, ibid.58.
Quæ conditio faciat contractum conditionalem, ib.59.
Conditio quæ est contra substantiam contractus, vitiat illum, reddit ve inualidum, ib.60.
Contractus cui conditio impossibilis, aut conditioturpis futuro apponitur, non valet, ibid.61.
Contractus valide factus, reuocari non potest, 364.62.
Modus appositus contractui, quid circa illum operetur, declaratur duobus documentis, ib.63.
Documentum de demonstratione addita contractui, 64.
Non valet contractus factus ob causam existimatam veram, quæ est falsa, ibid.65.
Quin validus sit cõtractus factus ob causam, non obstat, quod aliud interuenerit quo cognito non fuisset factus, ib.66.
Cum principalis causa contrahendi est falsa, contractus est nullus, ibid.67.

Contractus 5. quoad obligationem, & euictionem ex eo prouenientem. Lib.25.

GEneralis definitio obligationis: ac prima illius diuisio in eã quæ est ex honestate, & in eam quæ ex necessitate: & huius in eam quæ ex iustitia, & in eam quæ ex charitate, vel ex alia virtute, 372.100.
Diuisio obligationis ex iustitia in naturalem ciuilem & mixtam, ibid.101.
Explicatio dubitationis an in contractu cesset obligatio naturalis cum is irritatur iure ciuili, ib.102.
Princeps sua lege facere potest illicitam incõscientia, translationem domini, 373.103.
Lex humana quæ efficit personas ad contrahendum inhabiles obligat in conscientia, ibid.104.
Quæ vero præscribit tantum solennitatem seruandam in contractu, non adeo obligat, vt quod per eum fuerit acceptum, restitui debeat ante Iudicis sententiam, ibid.105.
Quod debeat post Iudicis condemnationem, ib.106.
Nisi procedatur mala fide, quod quando contingat, 374.107.
* Quid sit actio, 108. Diuisio illius in realem & personalem, ibi.109.
Alia in eam quæ est bonæ fidei, & eam quæ stricti iuris, ibi.110.
Cui à iure detur actio realis, & cui personalis, ib.111.
Discrimen inter vtramque actionem, in ordine ad praxim, ibid.112.
* Quid sit euictio, & quando contingat: ac duæ regulæ de eadem prout debetur ex contractu lucratiuo, seu donatione, ibid.113.
De euictione prout debetur ex contractu venditionis, 375.114.
De euictione quæ debetur ex aliis contractibus onerosis, ibid.115.

Contractus 6. quoad illius accidentia. Lib.25.

QVæ sit culpa quæ censetur accidens contractus ipsum infirmans, 376.116.
Quid sit dolus generaliter: & diuisio illius in bonum & malum, ibid.117.
Dolus malus (qui solus constituitur accidens contractus) quid sit, 118. Et varia diuisio eiusdem, ibid.119.
Dolus tollens consensum in contractum, reddit ipsum inualidum, ibid.120.
Dolus dans causam contractui, non obstat quin is sit validus, si vero animo contrahendi celebretur, ibid.121.
Corollarium inde consequens: deceptum posse quoad forũ cõscientiæ compellere deceptorem ad implendum contractum, 377.122.
Validus est contractus cui causam dedit alicuius tertii dolus: neutro contrahentium ei communicante: nisi talis sit dolus, qui tollat liberum consensum eorumdem contrahentium, ib.123.
Dolus solum incidens in contractum, quid in eo operetur, ib.214.
Corollaria de vtroque dolo, hoc est, tum dante causam contractui, tum solum incidente in eum, ibid.125.
* Quid sit casus fortuitus, ibi.126.
Regula de eodem, & casus in quibus ea patitur exceptionem, ib.127.
De primo casu, qui est quando culpa præcessit contractum, ib.128.
De secundo casu, qui est quando mora præcessit: & quæ ad eum requirantur, 378.129.
Quid in cõtractu operetur casus fortuitus, cum contingit ante moram, ibi.130.
Quid, quando contingit post moram, ib.131.
Aliquot dubiorum breuis solutio, ib.132.
De tertio casu, qui est cum fit conuentio contrahentium: & quæ ea operetur in contractu, ib.133.
Tres casus in quibus de casu fortuito non tenetur ille, qui ad eum se obligauit, 379.134.
De quarto casu, qui est cum res fuerit æstimata: quod is tantum habeat locum, quando per contractum transfertur dominium, ib.135.
Diuersis modis res dicitur aliena, & quod aliena acta, nec consumptibilis vsu, idonea non sit ad contractum valide celebrandum, ibid.136.
Quid operetur talis contractus, si celebretur, ibid.137.
Quando censeri possit validus contractus, quo distrahitur res actu aliena, & vsu consumptibilis, ib.138.
Quando item is quo distrahitur res, quæ aliena est potestate, ib.139.

Contractus 7. quoad personas inhabiles ad eum celebrandum. Lib.25.

QVi dicantur minores: eorumque tres status. Primus infantiæ, in quo per se nullo modo contrahere possunt. Secũdus pupillaris ætatis, 380.141. In hoc possunt contrahere in suum commodum, non itẽ in incommodum. ibi.142. Tertius pubertatis, in quo quatenus contrahere possint, ib.143.
Minoribus, cum in suum incommodum celebrarint contractum succurri potest, tum per rescisionem cõtractus, tum per restitutionem in integrum, ib.144.
Respectu cuiusumque contractus concessum est minoribus priuilegium restitutionis in integrum, & quamdiu ipsum duret, ib.145.
Et coniunctum est priuilegium exceptionis, & quibus aliis quã minoribus idem sit concessum, & quid operetur aduersus eum qui cum minore contraxit, 381.146.
Modi quibus eidem succurritur, ib.147.
Etsi minor rationis compos, possit obligare sit homine per cõtractũ, si tamen lex ei resistat, non potest valide: & in quibus casibus detur talis resistentia, ib.148.
Extra eosdem casus validos esse in conscientia contractus initos à minoribus, donec destruantur per restitutionem in integrum, ib.149.
Minor non potest vti compensatione occulta ex eo, quod valeat vti beneficio restitutionis in integrum, 382.150.
Ludens credita pecunia, non tenetur eam soluere victori, si velit vti beneficio restitutionis in integrum, ib.151.
Quatenus minori non liceat vti restitutione in integrum: & restitutus, ad quid teneatur alteri, ib.152.
De quibus possit & de quibus non possit filius familias libere contrahere ac disponere. ib.153.
* Contractus filiifamilias celebrati sine authoritate patris, si non sint in huius aut alterius præiudicum validi sunt, etiam ciuiliter: nisi ille adhuc esset impubes, ib.154.
Quatenus neq; eat filiusfamilias contractum mutui celebrare, aut vouere valide, ib.155.
Quas suas operas possit filius familias locare, & alias à paterna domo discedere inuito patre, 383.156.
Quando sint vel non sint validæ donationes factæ patri à filio, vel contra, ib.157.
Quatenus valeant contractus ab vxore celebrati sine mariti consensu, ib.158.
Quatenus religiosus inhabilis sit ad valide contrahendum, 384.159.
Quatenus prodigus, ibid.160 Et quatenus mancipium, ib.161 Quatenus institor, ib.162. Et quatenus procurator, 385.163.

Contumelia. Lib.24.

Contumeliæ & detractionis inter se conuenientia & differentia, 336.98.
Quid sit contumelia, & quomodo differat ab improperio & conuitio, ibid.99.
Contumelia peccatum est genere suo mortale, ibid.100.
Tria quæ eam excusant à mortali, si desit intentio nocendi, ibid.101.
Contumeliæ omnes sunt eiusdem speciei, & quomodo exprimendæ sint in confessione, 337.102.
Obligatio ferendi contumeliam qualis sit, & quando contingat, ibi. 103.
Quis sit licitus modus resistendi calumnianti, ibid.104.
Contumelia affectus non potest quidem vindictam sumere, potest tamen in iudicio iniuriam suam prosequi zelo iustitiæ, ibid. 105.

Copula coniugalis seu matrimonii vsus. Lib. 31.

Triplex modus ex quo illicita esse potest coniugalis copula: & in particulari de eo quo intra vas non naturale exercetur. 804. 333.
De secundo modo, quo coniugalis copula fit cum seminis effusione extra vas conclusiones notandæ, 805.334.
De tertio modo quo illicita est coniugalis copula, ob variatum naturalem situm coniugum, ibid. 335.
De primo, secundo, & tertio sine requisito vt licitus sit vsus matrimonii, qui sunt bonum prolis, bonum fidei, & bonum Sacramenti, ibid. 336.
De quarto, qui est corporis sanitas, 806.337.
De quinto, qui est vitatio fornicationis, ibid. 338.
De sexto, qui est carnalis delectatio, ibid.339.
Explicatio difficultatis, an peccet vtens matrimonio solius delectationis gratia, ibid.340.
Triplex periculũ dãni obstãs rectitudini vsus matrimonii, 807.341.
Explicatio difficultatis, vtrum liceat viro accedere ad vxorem menstruatam, ibid.342.
Responsio ad argumenta quibus videtur doceri peccatum esse mortale accedere ad vxorem suam menstruatam, ibid.343.
Rectus vsus matrimonii requirit, vt petenti coniugi non denegetur, ne quidem tacite nolendo ei cohabitare, ibid. 344.
Tempus requisitum, & responsio ad difficultatem, an culpa sit vti copula coniugali, quo die recipienda est aut recepta est sacrosancta Eucharistia, ibid.345.
Responsio ad aliam difficultatem, vtrum diebus festis sit licita coniugalis copula, ibid.346.
Solutio dubii an vsus matrimonii sit licitus tempore furoris aut ebrietatis, 808.347.
Quatenus tactus carnales aduersẽtur recto vsui matrimonii, ib.348.
De crimine obstante rectitudini vsus matrimonii, ibid. 349.
De voto obstante eidem vsui: ac primo, prout obstat præcedendo matrimonium, ibid.350.
De eodem prout obstat sequendo matrimonium: siue ante illius cõsummationem siue post eandem, ibid.351.
Quædam notanda de voto non petendi coniugale debitum, ib.352.

Corporale.

Corporale ad celebrationem Missæ requisitum, quale debeat esse, lib.29.592.195. & è quo lauari debeat, ibid.593.203.

Culpa.

De culpa in ordine ad contractum, vide verbum Contractus 6. in initio.

Cultus diuinus. Lib.17.

In quo consistat cultus Dei internus, & in quo externus, 13.5. & 6.
Cultus diuinus qui in Ecclesia defertur Sanctis & sacris imaginibus, non aduersatur primo præcepto Decalogi, 14.7. & 8.

Curatus.

Curatorum obligationes particulares, lib.20.201.68.6081.
Eorundem iura lib.30.tract.1.51. Et peccata quibus sunt obnoxii, 609.54.
Ad quid teneatur Curatus, vagos coniuncturus matrimonio, lib. 31. 781.219.
Potest propria authoritate suos parochianos coniungere, si præmissis denunciationibus nullum impedimentum obiiciatur: & qualiter si aliquid nouit aut obiiciatur, debeat se gerere, ibid.240.
Qualiter vero, quando dispensatum est cum aliquo, in foro tantum interiori, ibid.241. seq.
Qualiter demum quando impedimentum nouit ex confessione sacramentali, 782.cod.ibid.242.

Curiositas. Lib.17.

Quid sit curiositas, quando ea sit peccatum mortale. 55.216.

D

Debitum coniugale. Lib.31.

Obligatio reddendi debitum, æqualis est in viro & fœmina, 792. 281.
Ea est sub peccato mortali, ibid.282.
A quo excusat periculum animæ, aut notabile corporis, ibid.283.
De lepra & lue venerea excusante, ibid.283.
De ingressu religionis, & de impotentia coeundi, 793.284.
De periculo abortus, ibid.285.
De fornicatione: & de periculo fœminæ moriendi in partu, ib.287.
De experientia quam fœmina habet, se non posse prolem viuam parere, 794.288.
Nulla culpa est communi coniugum consensu abstinere à copula coniugali ne illi multiplicetur prolem, quam alere non sufficiant. Et quod petenti debitum, nõ possit de tali de causa negari, ib.289.
Ob damnum rei familiaris, omissio redditionis debiti excusatur, ib. 290.
Coniux in necessitate baptizans filium alterius coniugis, non priuatur potestate exigendi debitum coniugale: extra necessitatem vero idem faciens, priuatur nisi ignorantia excuset. ibid.291.
De eo, quod coniux carnali cognoscens coniugis consanguineam in primo vel secundo gradu, priuetur petitione debiti coniugalis. 795.292.
Quid si vterque coniux se simili incestu contaminauerit, ibid.293.
Non requiritur Iudicis sententia ad incurrendam pœnam prædictam, ibi.294.
Ab eadẽ pœna vis quidẽ præcisa excusat: non tamẽ metus, 796.294.
De ignorantia excusante: quæ potest esse vel facti, vel iuris, vel ipsius pœnæ, ibid.296.
Quod facti ignorantia etiam vincibilis à tali pœna excuset, ib.297.
Quod item excuset ignorantia, tum iuris, tum pœnæ, cum fuerit inuincibilis, ibid.298.
In dubio de validitate matrimonii ante factam diligentem inquisitionem veritatis, non licet petere debitum coniugale post tactã autem, si possibile non fuit eam assequi petere licet, 797.299.
Quid sit tenendum, cum vterque coniux de validitate matrimoni. dubitat, ibid.300.
Cum vnus tantum coniux dubitat de validitate matrimonii, ipso petente debitum, alteri liberum est concedere vel negare. Et quid de opinante probabiliter, matrimonium a se contractum esse nullum, ibid.301.

Decalogus. Lib.16.

VNde dictus sit Decalogus, & quod sit agendorum vel omittendorum compendiosa ratio, & quasi animæ speculum, 11.40.
Illius non modo, cognitio sed etiam obseruatio commendatur in sacra Scriptura, ibid.41.
Requisita vt eadem obseruatio sit fructuosa, ibid.42.
De quibus data sint præcepta Decalogi, & necessitas cognitionis eorumdem, ibid.43.
Ratio denarii numeri ipsorum, ibid.44.
De modo & ordine quo traduntur, 12.45. & 46.
Exordium, substantia & appendix primi præcepti Decalogi, quodque ipsum sit negatiuum includens affirmatiuum de cultu Dei, lib.17.13.1. & tribus sequentib.

Decimæ, oblationes & primitiæ. Lib.19.

QVid & quotupleices sint decimæ. 182.83.
Personales abierunt fere vbique in desuetudinem: nõ item prædiales, & mixtæ: quæ quatenus iure diuino, & quatenus humano debeantur, 183.84.
Oblationes dicuntur, tum generaliter tum specialiter, ibid.85.
Quid sint primitiæ, & quomodo à decimis distinguantur, ibid. 86.
Omnes Laici fideles obligãtur ad decimarum solutionem: itemque Clerici quoad bona sua secularia, ibid.87.
Quid quoad bona Ecclesiastica. ibid.88.
Debent solui decimæ Clericis administrantibus populo spiritualia, non obstante quòd diuites sint aut mali, 184.89. & 90.
Iuris decimarum capaces nõ sunt Laici: quatuor tamen modis possunt ab eis percipi fructus illarum, ibid.91.
De modo percipiendi titulo feudi, ibid.92.
Tale feudum Laicus in alium Laicum, transferre non potest, ibi.93.
Quatenus possit Laicus titulo consuetudinis licite percipere fructus decimarum, ibid.94.
Quatenus consuetudine obtineri possit, vt vna Ecclesia, aut vnus Laicus percipiat debitas alteri, 185.95.
Tribus modis potest quis liberari à solutione decimarum, quorum primus est priuilegium, ibid.96. Reliqui consuetudo & præscriptio. ibid.97.
Quo tempore solui debeant decimæ, ibid.98. De loco in quo debet fieri decimarum solutio, 168.99. Fructus undecimati non debent in horrea inferri sine consensu eorum quibus decimæ solui debent, ibid 100.
Modus quo solui debent decimæ. ibid. 101.
Responsio ad difficultatem, an Parochus possit negare sacramenta nolentibus soluere decimas, quas debent, ibid 102.
De delegatione potestatis, vide matrimonium, 16.*

Denunciatio reuelatione criminosi Lib.24.

Denunciatio mendax quando sit peccatum mortale, 324.49.
De denunciatione faciendã Superioris iussu, intendentis punitionem, ibid.50.

De facienda iussu eiusdem, intendentis conectionem rei, aut satisfactionem partis, 325.51.
Eam fieri non præmissa correptione fraterna, si peccatum sit omnino occultum (excepto casu hæresis) Superior præcipere non potest, ibi.52.
Quid agi debeat cum criminosus notorius est, ibi.53.
Aliter procedendum est, cum Superior præcipit reuelationem fieri per modum denunciationis ac cum per modum iudicii, ibid.54.
De reuelatione criminis quod vergit in reipub. perniciem, aut in notabile damnum tertiæ personæ, 326.55.
De monitione Rei, quando præmitti debeat eidem reuelationi, ibid.56.
Alia aduertenda de eadem reuelatione, ibi.57. Facienda est, cum noxii detrimento quam fieri potest minimo, ibi.58.
Qua ratione Prælato aut alteri denunciari possit peccatum occultum proximi, quod ipsi soli nocet, ibi.59.
Obligatio corripiendi publicè peccantem: & quædam alia aduertenda circa prædictam denunciationem, 327.60.
Obligatio obediendi Superiori præcipienti, vt criminosi reuelentur, sibi secreto, tanquam parti, ibid.61.
Seruanda est forma edicti, quo Superior præcipit aliquid reuelari, ibid.62.
Quædam circa eandem reuelationem notanda pro praxi, ib.63.
Ad illam non tenetur, qui ex ea timet sibi graue detrimentum. Nec item reus interrogatus de complicibus, qui sunt omnino occulti, nisi, &c. ibi.64.
Excusati ab obligatione quæ imponitur sub excommunicatione, reuelandi eos qui aliena bona retinent, ibi.65.

Depositio & degradatio. Lib.32. tract.2.

Differentia suspensionis à depositione & degradatione: & harum duarum inter se, 846.50.
Quando depositio sit censenda verbalis, & quando actualis, ibi.51.
Verbalis degradatio qualiter fit facienda secundum Concilium Trid. ibi.52.
Quomodo sint inter se affectæ, ac quomodo differant degradatio verbalis & actualis, ibi.53.
Actualis priuat priuilegio clericali, non autem verbalis, ibi.54.
Verbaliter tantum degradatus potest restitui ab Episcopo: & degradatus actualiter potest a solo Papa, 847.55.
Alia apud alios authores pro foro externo videnda, ibi.56.

Depositum. Lib.25.

Definitio depositi: & quomodo per eam distinguatur à reliquis contractibus, 467.556.
Depositum est tantum in bonum deponentis: & quomodo interdum inducit naturam aliorum contractuum, ibi.557.
Quatenus possit aut non possit depositarius vti re apud se deposita, ibid.558.
Depositio conuenit: tum non fieri in re propria, tum esse omnino gratuitum, ibi.559.
Depositum aliud iudiciale, aliud priuatum: quod varium est, tum ex parte rei depositæ, tum ex parte depositoris, tum etiam ex parte depositarii, ibi.560.
Obligationes quæ oriuntur ex depositio, 468.561.
Actiones quæ dantur ratione depositi, ibi.562.
Depositum perit ponenti, nisi depositarius sit in dolo, aut lata culpa, ibi.563.
Qui nonnunquam tenetur de leui, ac etiã de leuissima culpa, ib.564.
Casus in quibus id contingit, ibi.565.
De difficultate, An depositarius mercede conductus teneatur tantummodo de culpa leui, ibid.566.
Qui specialiter pro depositi custodia mercedem accipit; de leui quidem culpa tenetur: non tamen de leuissima, 469.567.
Idem iudicium est de eo qui non pro custodia specialiter, sed pro sua opera mercedem accipit, ibi.568.
Modus quo depositum finitur, ibi.569.
Casus aliquot in quibus depositarius non tenetur depositum reddere depositanti perenti, ibi 570.
Vbi, & cuius expensis restituendum sit depositum, 571.
Explicatio dubii, An lucrum partum ex depositio, restituendum sit depositori, ibi.572.
Quædam breuiter notata de depositio, 470.573.

Derisio. Lib.24.

Quid sit derisio, & quando sit mortale, quando veniale peccatum, 351.174.

Desperatio. Lib.17.

Desperationis definitio, 29.79.
Eiusdem variæ diuisiones, ibid.80. & duobus sequentib.
Causæ & effectus illius, ibid.83.

Detractio. Lib.24.

Tria bonorum genera: ac distinctio famæ à rumore, illiusque diuisio in bonam & malam. 328.66.
Detractio & contumelia peccata sunt specie distincta, ibi.67.
Definitio detractionis, cum explicatione singularum partium eiusdem. ibi.68.
Varii detractionis modi, ib.69. Iusta causa excusat peccato detractionis, ib.70.
Detractio peccatum est, suo genere mortale, 329.71
Quando aggraueture mutando speciem, & quanda censeatu peccatum tantummodo veniale, ibid.72.
Detractio materialis quando sit vel non sit peccatum mortale, ibi.73.
Materiæ leuitas, ex qua detractio excusatur à mortali, variis modis contingit, ex quibus, ibid.74.
Eis annumerandum esse eum quo reuelatio fit illi cui dicere perinde est ac si nulli dicatur: & quo iniuria accepta narratur ad consilium & solatium, 330.75.
Modus dicendi excusans detractionem à mortali, cum sua exceptione, ibid.76.
An narratione auditorum, committatur detractio mortalis, ibi.77.
A mortali excusatur qui ex iis quæ patent, detegit famam alicuius, maiorem esse quam par sit, ibi.78.
Quando reuelatio naturalis defectus proximi, peccatum sit mortale, ibi.79. Et quando reuelatio peccati venialis, 331.80.
De detractione ex reuelatione grauium criminum, ibi.81.
Explicatio dubii, An licitum sit de peccatis proximi colloqui cum eo qui illa nouit ibi.83.
Peccatum notorium patefacere illud nescienti, quando sit peccatum: & quæ notorietas facti ab eo excuset, 332.84.
De peccato quod committitur narrando nescientibus peccatum quod iuridice proditum est, ibi.85.
De peccato quod committitur reuelando crimen quod olim fuit notorium, sed iam sopita est illius memoria, ibi.86.
De peccato quod committitur audiendo detractores, 333.95.
Quando peccetur inquirendo de defectibus aliorum, ibid 96.
Pœnæ detractorum, ibi.97.

Diabolus, Lib.17.

Quæ diabolus possit certo aut probabiliter prænunciare futura esse, 43.163. & 164.

Diffidatus? Lib.21.

Quatenus cuique licitum sit occidere diffidatum, 206.18.

Digamus & digamia.

Pertinentia ad digamiam, ex qua irregularitas oritur. vide verbum Irregularitas.6 per totum.

Dignitas. Lib.30. tract.1.

Dignitates Ecclesiasticæ infra Episcopalem, 608.47.48.49.

Discordia. Lib.17.

Discordia quando sit vel non sit peccatum contrarium paci, de qua D. Paulus dat præceptum 37.131.
Quando sit contra charitatem: ac quando peccatum mortale, ibi.132.

Dispensatio.

Dispensatio in irregularitate, lib.30. tract.2.616.20 & pluribus sequentib. Vide verbum irregularitas, 2.*
Dispensatio in lege Superioris vt valida sit, quænam requirat, lib.31. 770.194. & 195.
De dispensatione in impedimentis matrimonii, vide verbum Matrimonium 16. per totum.

Dissolutio obligationis prouenientis ex contractu aut quasi ex contractu. Lib.25.

Talis dissolutio fit, tum remissione, tum solutione debiti, cuius variæ sunt modi ac 1. nouatio & delegatio. 483.633. Deinde cõpensatio. ibi.634.
Quæ quando locum habeat & quando non habeat, 484.635.
Solutio præcise sumpta quid sit: & quis rectè soluat; ac cui solui debeat, ibi.636.
De acceptatione & generali effectu solutionis, ibi.637.
De dissolutione propositæ obligationis per rei interitum, aut sententiam iudicis, aut præscriptionem legitimam, ibi.638.
De ea quæ fit tradendo instrumentum; ibi.639.
Monitum de ratione iudicandi de peccatis, ex traditis de contractibus, ibi.640.

Diuinatio. Lib.17.

Diuinatio in genere quid, & quotuplex sit, 43.161
Diuinatio diabolica quid sit, quodque prohibita sit, tum è tam diuino, quam humano, ibi.162.
Ea duplex est, expressa & tacita, 44.165
Expressæque nouem distinguuntur species: quæ omnes peccata sunt mortalia, ibid.166. & 167.

Tacita quid & quotuplex sit. ibid.168.
De diuinatione pesomnium, quid sit censendum. 45.173.

Diuortium, 1. absolute, Lib. 31.

QVi, sit diuortium, & quot modis fieri possit, 799.313.
Ob fornicationem spiritalem, seu hæresim vel apostasiam, potest fieri diuortium perpetuum, 800.314.
Diuortium fieri potest ad tempus iusta de causa: quales sunt inductio ad peccandum, & sæuitia vnius coniugis, quandiu illæ durant, ibid.315.
Notanda de sæuitia, prout est causa iusta diuortii, 316.
Malum quod timetur debet esse graue, vt sæuitiam constituat: & quatenus possit maritus vxorem verberare. ibi.317.
Aliæ causæ iustæ diuortii, quæ in vniuersum reducuntur ad notabilem perniciem animæ vel corporis, ibid.318.

Diuortium 2. prout factum ob carnalem fornicationem. Lib. 31.

NOmen fornicationis accipi potest tum proprie tum communiter, & quomodo in hac re accipi debeat, 801.319. & quæ excludi debeat, ibid.320.
Casus in quib. fornicatio non est sufficiens diuortii causa: & peculiariter notanda de casu in quo vterque coniux reus est illius criminis, ibid.321.
De casibus condonationis adulterii, & occasionis ab altero coniuge, eidem adulterio datæ, 802.322.
De casu admissi adulterii per vim, aut aliter absque peccato, aut in quo illud est incertum, ibid.323.
Modus obseruandus in diuortio, ibid.324.
Persona adultera, etiam lata in eam, Iudicis sententia, non potest à se dimittere personam innocentem, si velit ei cohabitare, ibid.325.
Aliquot conclusiones quibus respondetur ad quæstionem, An adulter post sententiam diuortii datam à Iudice, possit mutare statum ingrediendo religionem, aut suscipiendo sacros Ordines, 803.326.
De eo, quod innocenti licitum sit ad religionem aut sacros Ordines tranire inuita adultera, ibid.327.
Non tenetur vir vxorem adulteram ad pristinam amicitiam admittere, etiamsi id ei liceat, ibid.328.
Duo casus excepti, qui non habent locum in vxore respectu viri, & interdum nec in viro, respectu vxoris, ibid.329.
Si coniux innocens post factum diuortium adulteretur non tenetur ante compulsionem Iudicis adultero reconciliari, ibid.330.
De reconciliatione adulteri, quæ fit facto. Et primo, de ea quæ fit per innocentis carnalem cum eo copulam, 804.331.
De ea quæ fit, propria sponte retinendo secum adulteram; deque ea quæ fit exhibendo se illi familiarem, ibid.332.

Dolus.

DE dolo & præcipue prout contingit in contractu: vide verbum contractus 6. initio.

Dos.

DE dote, præsertim vt est causa excusationis ab vsura. vide verbum Mutuum*

Dominorum & seruorum mutua obligatio. Lib. 20.

OBligatio dominorum & seruorum, 199.57.
Casus in quibus contingit dominos peccare mortaliter in ordine ad seruos, ibid.58.
Casus in quibus contingit seruos peccare mortaliter in ordine ad dominos, ibid 59.
De domini obligatione subueniendi famulo ægrotanti, ibid 60.
De obligatione soluendi eidem mercedem, ibid.61.
De obligatione Domini, respectu delicti famuli, 200.62.
De obligatione famuli defendendi Dominum suum, ibid.63.

Donatio. Lib. 25.

SPectantia ad rationem donationis, 479 616.
Requisita ad validitatem donationis, ibi.617.
Donatio non potest retractari ex mora pœnitentia donatoris: & diuisio illius in puram & mixtam, ibid.618.
Alia diuisio, in eam quæ est inter viuos; & in eam quæ est causa mortis, ibid.619.
De donatione à patre facta filio existenti sub ipsius potestate, 480.620.

Dubium, Lib. 24.

DOcumenta de eo quod dubia sint in meliorem partem interpretanda, 319.29.

Duellum. Lib. 22.

DEfinitio duelli, cum explicatione, 220.73.
Duo casus in quibus illicitum est duellum, ibid.74.
Nequit licite permitti a Principibus, nisi ad maius malum vitandum, vrgente necessitate, 221.75.
Pœnæ pugnantium in duello, ibid.76.
Pœnæ participantium cum iisdem, ibid.77.
Quod conflictus particulares qui fiunt in bello, non sint duella, ibid.78. Quodque nihilominus vt plurimum sint illiciti, 222.79.
Necessitas non facit duellum licitum, ibid.80.
Duelli reprobatio per Concilium Tridentinum, ib.81.
Pontificum aduersus illud editæ constitutiones, ib.82.
Personæ quæ ratione duelli, excommunicationem, aliasque pœnas incurrunt, 223.84.

E.

Ebrietas. Lib. 22.

EBrietas procedens vsque ad priuationem vsus rationis, peccatum est mortale duobus casibus exceptis, 249.55.
Quid sit iudicandum de nimio potu, siue priuatione vsus rationis, ibid.56.
Signa quibus deprehenditur, cuiusmodi fuerit ebrietas, ib.57.
Peccatum concurrentis ad alterius ebrietatem, ibid.58.
Quomodo explicandum sit in confessione peccatum ebrietatis, ibid.59.
Quomodo facta in ebrietate sint peccata, aut à peccato excusentur, 250.60.
De contractibus factis in ebrietate, & pœnæ ebriorum, ibid.61.

Electio ad beneficium ecclesiasticum. Lib. 30. tract. 3.

QVid sit, & quorum beneficiorum sit, ac quotuplex sit electio, 691.191.
De potestate electi, ac de prælaturis, deque beneficiis ad quæ electus non eget confirmatione, ibid.192.
Quis eligere, & quis eligi possit, 692.193. Quædam tenenda de confirmatione electi, ibid.194. Peccatum est mortale, ad beneficium eligere: vt indignum sic & minus dignum relicto digniore, ibid.195.
Eligens indignum relicto digno tenetur ad restitutionem damnorum secutorum: non item eligens minus dignum, relicto digniore, ib.196.
Beneficium digno resignare, digniore relicto, aut cum illo permutare, aut illi conferre, quatenus peccatum sit, 603.197.
Quando peccet minus dignus concurrens cum digniore in petitione beneficii: & quando peccet admittens tunc sibi delatum, ibid.198.
Qui in electione sit habendus dignior, ibid.199. Aliquot casus, in quibus non est peccatum, saltem mortale, in beneficio dignum præferre digniori, ibid.200.

Emptio & venditio 1. secundum se, & in ordine ad ea quæ vendi & emi: & ad eos qui vendere & emere possunt. Lib. 25.

DEfinitio emptionis, cum declaratione, 405.247. De eo quod emptio dicitur perfici consensu, ibid.248.
De eo quod dicitur fieri de re, pro pretio, ibid.249
Diuisiones emptionis ex parte rerum quæ emuntur, & ex parte modificationum cum quibus perficitur, ibi.250.
Aliæ ex parte modi quo fit, & ex parte finis in quem fit, & ex parte pretii, ibid.251.
Vendi non possunt res spiritales, nec corporales Deo dicatæ, 406.252.
Nec publicis vsibus dicatæ, nec litigiosæ: & quando venena, ibid.253.
Quatenus valida censeri possit venditio rei alienæ, ibid.254.
Quatenus emptio rei propriæ, ibid.255.
Explicatio dubii an homo vendi possit, ibid.256.
Quatenus officia publica vendi possint in repub. 407.257
Quando talis venditio sit peccatum mortale: & de translatione prædictorum officiorum ab vno in alium, ib.258.
Laici per Principis prohibitionem ne vendant non soluentibus sibi gabellas, non impediuntur vendere Clericis, ibid.259.
Regulariter qui prohibetur vendere per se, nequit vendere per alium, ibid.260.
Is cuius authoritate perficitur venditio, prohibetur emere, ibid.261.
Explicatio dubii, an licitum sit emere ab eo, qui scitur statim consumpturus pretium. ibid.262.
Quatenus peccet qui alicui vendit aliquid quo est abusurus, sed id nescit, 408.263.
Quid si tale quid sciat, aut probabiliter præsumat an aliquam excusationem habeat à peccato, ibi.264.
Si quis probabiliter credatur aliqua re abusurus in reipub. aut proximi perniciem, vendens illam non excusatur, ibid.265.
Quatenus Rex possit vendere bona suæ regiæ dignitatis, ibi.266.
Quatenus possit aut non possit vsufructuarius vendere suum vsumfructum, ib.267.
Quando maritus dotalem fundum vxoris possit, aut non possit vendere, 409.268.

Emptio & venditio 2. prout fit credita pecunia, aut anticipata solutione, aut sub hasta Lib. 25.

NOn licet carius vendere ex eo tantum, quod solutio differatur ad aliquod tempus, 417.305.
Licitum est quidem intra limites iusti pretii augere pretium in venditione quæ fit credita pecunia, non tamen extra eosdem limites, 418.306.
Quatenus liceat in venditione illius generis, supra iustum pretium ascendere ob periculum perdendi pretium, vel ob laborem aut difficultatem illud recuperandi. ibi.307.
Seruanda in eo incremento, ad vitandum periculum palliandi vsuras, ibi.308.
An liceat merces in magna copia supra iustum pretium vendere, eo quod minutatim supra illud venderentur, distinctione explicatur, ibi.309.
Quando is qui vendidit pretio infimo, possit accipere summam iustam, eo quod contra suam expectationem, differatur solutio, ibi. 310.
Illicitus est contractus, quo debitor suum debitum emit minoris, quam ipsum sit: nisi detur excusatio lucri cessantis, aut damni emergentis, ibi.311.
Quod idem habeat locum si tertius emat, quando debitum est certum, ibi 312.
Secus vero cum debitum periculo expositum fuerit, vel cum laboribus & expensis recuperandum est, 419.313.
Emptio quæ fit anticipata solutione, descendendo infra pretium infimum, est de se illicita, ibi.314.
Reiicitur quod Sotus sentit, siue vsura mercatores infra infimum pretium emere à rusticis lanas, aliquando post solutionem tradendas, ibid 315.
Quando proxeneta possit accipere aliquid de pretio rei, quæ fuit ei tradita vendenda, ibi.316.
Quatenus is qui emit nomine alterius, possit vltra quam emerit, ab eo accipere, ibi.317.
Quando venditio fiat sub hasta, & leges in ea seruandæ, 420.318.
Explicatio dubii, an emptio sit eo ipso existimanda iusta, quod facta sit in subhastatione, ibi.319.
Fraudes per quas talis venditio redditur iniusta, ibi.320.
Quatenus ei, cuius bona venduntur sub hasta, liceat supponere aliquem ad augendum pretium, ibi.321.

Emptio & venditio 3. quoad obligationes venditorum, & emptorum. Lib. 25.

QVinque obligationes venditoris, 425.334.
Præmittenda explicationi difficultatis, an necesse sit, vitium mercis declarari in illius venditione, 426.335.
Si venditor defectum mercis celet, mentiendo eam carere omni defectu, venditio nulla est: ipseque tenetur ad restitutionem damnorum inde sequutorum: non autem si defectum celet, tantum reticendo ipsum, ibi.336.
Peccat contra iustitiam, cum obligatione ad restitutionem, qui non detegit notabile vitium mercis (secus si modicum) quod emptori adferet detrimentum, nisi & ipse idem vitium ignoret, ibi.337.
De dubio an peccet contra charitatem, qui vitium mercis non detegit emptori qui emeret etiamsi illud nosset. 427.338.
Quatenus peccet qui vendit vnam rem pro alia, ibid.339.
Quatenus qui rem mixtam vendit pro pura, ibid.340.
Nonnulla certa de difficultate an possit quis merces suas vendere pretio currente, quas scit ob futurum aliarum aduentum, paulo post minus valituras, 426.341.
Quidquid aliqui contradicant, nihil in eo committitur contra iustitiam, ibid.342.
Quatenus aliquid contra charitatem, ibi.343.
Solutio duarum obiectionum, ibi.344.
Quando peccet qui priuatim sciens statuto Principis minuendum pretium tritici, aut valorem pecuniæ, vendit aut mutuo dat secundum communem æstimationem, ibi.345.
Quando peccetur in quibusdam aliis similibus casibus, ibid. 346.
Obligationes propriæ emptoris. 427.347.
Obligatio præmonendi venditorem de valore rei supra pretium quod ei offert: & resarciendi damna sequuta ex illius culpabili soluendi mora, ibi.348.
De empto ex aliena pecunia: cuius ipsum sit, ibi.349.

Emptio & venditio 4. in ordine ad rem venditam, & ad actiones quæ ex illis nascuntur. Lib. 25.

STatim ac perfecta est venditio, periculum & commodum rei venditæ pertinet ad emptorem, nisi venditio sit conditionalis, aut requirat scripturam, ibid. 350.
Cuius sit periculum rei, cum venditio facta est sub disiunctione aut indeterminate. ibid.351.
De qua culpa venditor teneatur: & ad quid cum fuerit in mora tradendi rem venditam, 428.352.
De re vendita quæ publicatur, & de vendita quæ consistit in pondere & mensura, ibid.353.
De rebus quæ gustari solent, ibid.354.
De fructibus rei venditæ, ibid.355.
Actio quædam ex empto, & quædam ex vendito: ac quid vtraque sit, 429.356.
Quatenus venditor emptori teneatur de euictione, ibid.357.
Actio redhibitoria, & actio quanto minoris, locum habent tantum quo ad forum externum, ibi.358.
Varii casus in quib. quis cogi potest ad vendendã rẽ propriam, ib.359

Emptio & venditio 5. quoad illius perfectionem & rescisionem. Lib. 25.

DVo modi quibus venditio perficitur, 430.360
Tria requisita vt venditio sit perfecta sufficienter ad transferendum dominium, ibi.361.
Quando censenda sit venditio perfecta sine translatione dominii, ibid.362.
Quid arrhæ conferant ad perficiendam venditionem, ib.363.
Quid sit agendum cum res est vendita duobus, ibi.364.
Quid specialiter cum venditio fuerit iurata, ib.365.&366.
Septuplex error contrahentium, ratione cuius contractus venditionis & emptionis rescindi potest, ib.367.
Aliæ causæ ob quas adhuc potest idem rescindi, 431.683.

Emphyteusis & feudum. Lib. 25.

FEudum sicut emphyteusis species est locationis, & qua ratione illud ab hac differat maxime. 464.544.
Conditionis requisitæ ad emphyteusim, variæ sunt variarum regionum, ibid.545.
Ex communi iure ciuili, ea constituenda est in rebus immobilibus, manente earum dominio apud constituentem, ibid 546.
Obligatio emphyteutæ ad soluendam pensionem: & quomodo eam non soluens amittat emphyteusim, 465.547.
Quando emphyteuta liberetur à solutione pensionis, & quando emphyteusim perdat, ob rem emphyteuticam redditam deteriorem, ibi.548.
Quatenus alienari possit res emphyteutica. & ad quid teneatur is cui alienatur, ib 549
Conditiones requisitæ ad contractum feudalem, ibi.550.
Quatenus emphyteusis & feudum excusent ab vsura, vide verbum Mutuum 3. in principio.

Episcopus.

EPiscopi obligationes particulates, lib.20.201.69.& lib.30.tract.1. 606.44.45.& 46.
Illius potestas dispensandi in impedimentis matrimonii, li.31.772. 201.& aliquot sequentib. vide verbum Matrimonium 16.

Eucharistia 1. secundum se. Lib. 29.

PRæcipua nomina quibus Sacramentum Eucharistiæ significatur, 539.1.
Quod Sacramentum Eucharistiæ non sit consecratio, nec sumptio corporis & sanguinis Christi, nec solæ species sensibiles, nec solum corpus, & sanguis Christi, ibi 2.
Est quid aggregatum ex speciebus panis & vini, & ex corpore & sanguine Christi, 540.3.
Variæ differentiæ inter Eucharistiam, & alia Sacramenta. ibi.4.
Eucharistiæ Sacramentorum omnium dignissimum, in quo est Christus verus Deus, ibi.5.
Eucharistiæ Sacramentum est vnum, ad modum, quo refectio corporalis ex cibo & potu, vna est, ib.6.
Differenter tamen hoc nomine, quod in Eucharistia tantum dem sumatur sub altera tantum specie, quantum sub vtraque, 541.7.
Sumptio Eucharistiæ necessaria quidem est necessitate præcepti, non tamen necessitate medii, ibid.8.
De tempore quo instituta est à Christo Domino nostro. Sacrosancta Eucharistia, ibid.9.
Figuræ tam legis naturæ quam Mosaicæ, huius Sacramenti, ibi.10.

Eucharistia 2. quoad illius materiam. Lib. 29.

MAteria Eucharistiæ, panis & vinum, 542.11.
Panis consecrari potest prius tempore, quam vinum: & ad validitatem consecrationis vnius eorum, non est necessarium sequi consecrationem alterius, ib.12
Illicita nihilominus est vnius consecratio, quam non sequitur consecratio alterius, ibid 13.
Excusatio illius à peccato, qui per ignorantiam inculpabilem, aut ob scandalum vel mortis periculum confectat panem, non consecrato vino, vel contra, ibid.14
Nullo modo licere potest directe intenta consecratio vnius partis Eucharistiæ, sine alia, 543.15.
De necessitate huius sacramenti est, vt Sacerdos præsentem habeat materiam consecrandam; & qualiter præsens esse debeat, ibi 16
Explicatio difficultatis. An certa determinataque quantitas sit de necessitate sacramenti Eucharistiæ. ib.17
Responsio affirmatiua ad aliam difficultatem de necessitate intentionis ministri, consecrandi particulatem materiam alite se præsentem cum aliquot corollariis inde deductis, 544.18.
Quãdo censendæ sint consectatæ hostiæ, quarũ non recordatur Sacerdos dum consecrat. Et quod ex defectu intentionis non censeantur consecratæ guttæ, quæ in calice apparent separatæ, ib.19.

Non alius panis quam triticeus est materia Eucharistiæ: & quid si in illius confectione, sit farinæ triticeæ admixta alia alterius generis, ibid.20.
Requisita in pane facto ex farina triticea, vt censeatur idonea materia Eucharistiæ, 545.21.
Non est quidem de necessitate sacramenti vt talis panis sit azimus, est tamen de necessitate præcepti in Ecclesia Latina: & contra, in Ecclesia Græca, ibid.22.
Consecrationis sanguinis Christi materia, est vinum de vite, cuiuscumque illud sit generis, ib.23.
Non item expressum ex fructibus aut herbis: aut adhuc existens in vuis, aut ex iis non maturis expressum, ibi.24.
Aut conuersum in acetum, aut sapa, vel lora. Et quid de vino aceſcēte aut congelato, 546.25.
Admiscenda est aqua vino in Eucharistia de necessitate præcepti tātum, ibid.26.
Seruanda in tali admixtione, ibid.27.

Eucharistia 3. quoad illius formam. Lib. 29.

EX duabus partibus integratur forma Eucharistiæ. 547.28.
In quibus verbis ea ipsa forma consistat, ib.29.
In his quatuor vocibus, HOC EST CORPVS MEVM, consistit forma consecrationis panis in corpus Christi, ibid.30.
In quibus consistat forma consecrationis vini in sanguinem, 548.31.
Responsio ad quasdam obiectiones de eadem forma, ibi.32.
Nihil eorum quæ Missale habet proferenda in consecratione, omitti debet: quidquid aliqua dicantur non esse de necessitate Sacramenti, ibid.33.
Forma Sacramenti Eucharistiæ efficit id quod significat, ibid.34.
Quæ sit mutatio quæ in pane & vino sit per consecrationem ibi.35.
Quid panis & vini remaneat post consecrationem, 549.36.
De eo quod ex vi verborum consecrationis, continetur sub accidentibus panis & vini, ib.37.
De modo quo Christus continetur in Eucharistia, ibid.38.
De modo quo præsentia Christi dependet à speciebus sub quibus continetur, ibid.39.

Eucharistia 4. quoad illius ministrum & peccatorem cui administrari non debet. Lib. 29.

SOlus Sacerdos habet à Christo consecrandi potestatem, 550.40.
Quilibet Sacerdos potest valide Eucharistiam consecrare, ib.41.
Quomodo accipienda sint nonnulla dicta Patrum, quibus contrarium significare videntur, ibid.42.
Difficultas, An plures Sacerdotes possint simul eandem hostiam consecrare, ibid.43.
De consuetudine qua noui Sacerdotes cōsecrant simul cum Episcopo ordinante, 551.44.
Sumptio Eucharistiæ sub vtraque specie, solis Sacerdotibus consecrantibus est in præcepto, ibid.45.
Peccator publicus quis dicatur, quis suspectus, quis occultus, 552.48.
Nunquam licet peccatorem manētem in peccato mortali, inuitare ad susceptionem Eucharistiæ, nec vnquam dare hostiam non consecratam pro consecrata, ibid.49.
*Peccatori non resipiscenti tenenda est Eucharistia, quando commode fieri potest. Itemque publico peccatori, etiamsi resipuerit, nisi publice constet de illius emendatione, ibi.50.
Quando tali occulte petenti dari possit. Et quod non sit neganda peccatori occulte petenti public e, ibid.51.
Obiectiones in contrarium, cum solutionibus, ib.52.
Quid agendum in hac re cum peccatore occulto petenti, occulte, 553.53.
Non licet hoc sacramentum suspecto de crimine dare ad illius examinationem, ibid.54.
Quando ob suspicionem criminis, possit aut non possit alicui negari Eucharistia, ibid 55.
Modi quibus peccat quis indigne ministrando Eucharistiā, ibid.56.

Eucharistia 5. quoad illam suscipiendam. Lib. 29.

Non modo humanum, sed etiam diuinū præceptum dari de sumenda sacrosancta Eucharistia, 554.57.
Ratio qua id ostenditur, 555.58.
Carnaliter nati non censentur perinde obligari ad Eucharistiæ, ac ad baptismi acceptionem: quoque præceptum diuinū sumendi Eucharistiam non sit, vt sumatur sub vtraque specie, ib.59. Et quomodo ipsum obliget, ib.60.
Quomodo præceptum humanum eadem sumptione datum obliget. Et quod Papa nequeat tuta conscientia ipsum tollere, ibi.61.
Sumenda est Eucharistia vt memoriale passionis ideoque grauissimum peccatum est indigne sumere, 556.62.
Semel sumpsisse Eucharistiam, nō tollit obligationem denuo sumendi. ib.63.
Sumpsisse Eucharistiam in Paschate, non tollit obligationem sumendi eam in articulo mortis, ibi.64.
Tria circa id notanda, 557.65.
*Non tantum in articulo mortis, sed etiam extra illum, obligatio est de iure diuino sumendi Eucharistiam: & pro quo tempore ea sit, ib.66.
Illo anno in quo satisfactum est præcepto Ecclesiæ de sumenda in Paschate: talis obligatio non contingit nisi per accidens, ib.67.
Melius est communicare frequenter, quam raro, ibid.68.
De frequentia communionis non potest dari certa regula omnibus communis, ib.69.
Quod aliquando in pœnam criminis negata est Eucharistia in fine vitæ, iam non est in vsu, itaut nulli vere pœnitenti ea denegetur, 558.70.
Explicatio difficultatis, An peccent Iudices qui ratione consuetudinis receptæ in sua prouincia, non concedunt Eucharistiam damnatis ad mortem, ibid.71.
Explicatio alterius difficultatis, An cōueniens sit quotidie communicare, ibid.72.

Eucharistia 6. quoad obligationem sumendi illam: ac quoad eum de cuius manu sumenda est. Lib. 29.

OBligatio cōmunicandi extra mortis articulum præcepto diuino imposita, tantum est ea quæ determinatur præcepto Ecclesiastico quotannis communicandi in Pascha, 559.73.
Tempus Paschæ quomodo sit accipiendum: & qua ratione sumptio Eucharistiæ sit ad illud determinata, ibi.74.
Qui omittit communionem in Paschate, manet obligatus ad eam sumendam quamplurimum potest, ibid.75.
Ante tempus Paschale communicasse, non tollit obligationem in eo communicandi, 560.76.
Impeditus per censuram non communicans in Paschate, quomodo excusetur, ibid.77.
Quos obliget præceptum diuinum de sumenda Eucharistia, ibi.78.
Cui amenti ea dari possit, & quando, ibid.79.
Energumenis quando dari possit Eucharistia, 561.80.
Dari potest ægrotis semidelirantibus, itemque semifatuis, ib.81.
Quos obliget propositum præceptum Ecclesiasticum: & specialiter an pueros, ibid.82.
In qua parte ætatis incipiant pueri habere discretionem sufficiētem ad Eucharistiæ sumptionem, ibid.83.
Ad primam eiusmodi sumptionem non sunt multum vrgendi, excepto articulo mortis, ibid.84.
Possunt iidem pueri in hac re stare iudicio Confessariorum, & eorū sub quorum sunt cura; grauiter peccantium si de ea nihil curent, 562.85.
Tres modi communicandi, & per quem eorum satisfiat præcepto de communione, ibid.86.
An satisfiat communicando sacramentaliter tantum, rationes in vtramque partem, ibi.87.
Quid pro praxi tenendum sit, aliquot documentis declaratur, ib.88.
Ex delegatione, potest Diaconus Eucharistiam ministrare: iure ordinario vero solus Sacerdos, 563.89.
Quem oportet pastorem esse suscipientis, ib.90.
Aduertenda circa id ipsum, ib.91.
Parochus potest licentiam ministrandi suis Eucharistiam, dare simplici Sacerdoti, etiam non approbato ab Episcopo ad administranda sacramenta, 564.92.
Qui Sacerdos, in extrema aut graui necessitate, idem potest sine tali licentia: neq; extra eam requirit expressam, sed ei sufficere potest præsumpta voluntas Pastoris, ibid.93.
Quando non impleat quis præceptum Ecclesiæ, communicando in Pascha extra suam Parochiam sine Parochi sui licentia, ibid.94.
Tenenda de obligatione Sacerdotum ministrandi Eucharistiam, ibid.95.& 96.

Eucharistia 7. quoad necessaria ad eam digne sumendam. Lib. 29.

DIspositionem requirit tam ex parte corporis, quam ex parte animæ, 565.97.
Fides sola non est sufficiens dispositio animæ ad eam sumptionem, ibid.98.
Peccatum indigne sumentium sacrosanctam Eucharistiam, ibid.99.
Sumere Eucharistiam peccando venialiter, non est peccatum plus quam veniale; quale quoque tantum committit qui ex multitudine venialium se sine deuotione accedere sentiens, non excitat dolorem cum proposito emendationis. 566.100.
Habentem peccatum veniale in habitu ad sacramentum Eucharistiæ accedere sine dolore de eo, non est de se peccatum, ibid.101.
Actualis deuotio quatenus requisita sit in sumptione Eucharistiæ, ibid.102.
*Vsus sacramenti pœnitentiæ est necessaria dispositio ad Eucharistiam digne sumendam: & quomodo, 567.103.
Necessitas implendi Ecclesiasticum præceptum, non excusat ab obligatione ad talem dispositionem, ibid.104.
Excusare autem potest necessitas tum articuli mortis, tum vitandi infamiam, vel scandalum, ibid.105.
Tum etiam necessitas prosequendi Missam inchoatam, 568.106.
Ac demum in Parocho necessitas satisfaciendi suo officio, ib.107.
De penuria Confessarii in tribus casibus excusante ab eadem obligatione, ibid.108.
Qui sumptioni Eucharistiæ peccati mortalis sibi conscius non potest præmittere sacramentalem confessionem, tenetur præmittere contritionem perfectam: quem tamen inculpata ignorantia, bonaque fides, in eo excusare possunt, 569.109
Obligatio Sacerdotis quamplurimū cōfitendi, quādo sibi conscius

peccati mortalis celebrauit non præmissa confessione; ad alios ea ratione communicantes non extenditur, ibid.110.
Illicitum quidem non est de se, etsi consultum non sit, statiæ post peccatum mortale commissum, Eucharistiam sumere, 570 111.
Dispositio ad eam ex parte corporis: & de præcepto quod Sacerdoti datur communicandi cum stola. ibid.112.
Quatenus fœditas corporis censeatur impedimentum sumendi Eucharistiam, ibid.113.
Carnalis pollutio quomodo sit peccatum, ibid.114.
De prouenient ex peccato mortali, quid sit statuendum in ordine ad Eucharistiæ sumptionem, 571.115.
Quid de prouenient ex peccato veniali, vel ex causa mere naturali, ibid.116.
Quid de actu coniugali, ibid.117.
Sumentem Eucharistiæ sacramentum oportet ieiunum esse, ieiunio naturæ, 572.118.
Requisita ad tale ieiunium, ibid.119
Necessitas ob quam quis potest Eucharistiam sumere non ieiunus, ibid.120.
Eucharistiam consecrare extra Missam, neque hanc post cibum aut potum, dicere licet, vt existenti in articulo mortis dari possit viaticum, 573.121.
Tres casus in quibus ob reuerentiam Sacramenti Eucharistiæ ipsum sumi potest à non ieiuno, ibid.122.
Tenenda de sumptione particularum Eucharistiæ ad vitandam Sacramenti irreuerentiam. ibid.123.

Eucharistia 8. quoad illius sumptionem cum spirituali gustu: ac quoad salutares eiusdem effectus. Lib.29.

Sacrosanctæ Eucharistiæ dignitas maxima: quæ motiuum est summæ reuerentiæ ei exhibendæ, 577.124.
Ratio procurandæ eiusdem reuerentiæ, ibi.125.
Ratio procurandæ humilitatis, cum ad Eucharistiæ sumptionem accedendum est, ibid.126.
Ratio timorem (cum quo item accedendum est) temperandi spe diuini auxilii, 575.127.
Non obstat ea spes, quin præparationi animæ incumbere debeamus, ibi i.128.
Fines Sacrosanctæ Eucharistiæ, memoria recolendi, ibi.129.
Occupatio intellectus in considerandæ summa Dei bonitate sapientia, & potentia relucente in Eucharistia, ibid.130.
Occupatio eiusdem in remouendis rationum humanarum impedimentis, occurrentibus aduersus fidei veritatem de eadem Eucharistia, ibid.131.
Varii effectus Eucharistiæ ex quib. potest excitari voluntas ad illius desiderium, & quasi famem, 576.132.
Qualis amore redamandus Christus, dans se nobis in Eucharistia. ibid 133.
Quantam in hac ostendat sui erga nos amoris magnitudinem, 577. 134. ibi.135.
De agendis in ipsa communione,
Effectus Eucharistiæ in eo à quo digne suscipitur, 578 137.
Qui in anima producuntur, reducuntur ad promotionem ad bonum, & ad reuocationem à malo, ibid.138.
Effectus præseruationis animæ à peccato, & collationis diuinæ gratiæ ex opere operato, ibid.139.
De hoc eodem effectu cum plures species sacramentales seorsim sumuntur, ibid.140.
Effectus præseruandi à mortalibus & liberandi à venialibus, 579 141.
Eucharistiæ sumptione non remitti pœnam peccatis debitam, quomodo sit intelligendum, ibi.142.

Euictio.

DE euictione lib.2 5 375 114.115. & 116. Vide verbum, Contractus §. *.

Excommunicatio 1. prout priuat passiua, & actiua participatione Sacramentorum. Li. 32. tract.1.

Maiore excommunicatione innodatus, suscipiendo aliquod Sacramentum peccat mortaliter, quantumuis sit occultus, aut pœniteat, 810.1. ibid.2.
Quatenus ignorantia in eo excuset,
Peccatum ministrantis excommunicato Sacramenta, 811.3.
Collatio Sacramenti excommunicato facta, etiam scienter, est valida: excepta collatione Sacramenti pœnitentiæ, ibid.4.
Non esse licitum excommunicato administrare Sacramenta, cuiusquamoderatione sit accipiendum. ibid.5.
Quatenus possit excommunicatus etiam non toleratus Sacramentum conferre, ibi.6.
Collata ab eodem sunt valida excepto pœnitentiæ Sacramento, extra mortis articulum collato, ibi.7.
Obseruandum de Sacramento ordinis, collato ab excommunicato; 812.8.

Excommunicatio 2. prout priuat & passiua & actiua participatione communium precum Ecclesiæ. Lib. 32. tract.1.

QVæ dicantur communes Ecclesiæ preces, quibus maior, excommunicatio priuat, ibid.9.
Difficultas, an excommunicatus, per resipiscentiam fiat particeps precum Ecclesiæ, antequam absoluatur, ibid. 10. Pars negans probabilior, ibi.11.
Quomodo Ecclesia in die veneris sancto, oret pro hæreticis & similibus: & quod Ecclesiæ preces factæ per ministros peccatores non careant fructu, ibid.12.
Excommunicatus per pœnitentiam restitutus diuinæ gratiæ non priuatur fructu sacrificii Missæ, ibid.13.
Oblationem excommunicati non licet admittere, ibid.14.
Exceptiones quas id patitur, 813.15. * De eo quod excommunicatus prohibetur sepeliri in loco sacro, ibi.16.
De pollutione Ecclesiæ per excommunicati in ea sepulturam. & eiusdem reconciliatione, ibi.17.
De celebrante in Ecclesia taliter polluta, aut donante excommunicatum ecclesiastica sepultura, ibi.18.
Excommunicatio lata in sepelientes in loco sacro excommunicatum, ibi.19.
Excommunicatus prohibetur sub mortali, diuinis officiis interesse, ibi.20.
Limitationes cum quibus id accipiendum est, ibi.21.
In ecclesia quo tempore non celebrantur diuina officia excommunicatus potest priuatim orare. 814.22.
Atque adeo recitare priuatim horas canonicas, cum ad eas obligatur, ib.23.
Quatenus liceat excommunicato intrare Ecclesiam dum officia diuina in ea celebrantur, ibi.24.

Excommunicatio 3. prout priuat vsu officii publici, lib. 32. tract.1.

EXcommunicatum esse priuatum vsu officii publici, authores significant dum dicunt ipsum esse suspensum ab officio, ibi.25.
Quod est intelligendum, tam de laicali, quam de ecclesiastico officio, ibi.26.
Excommunicatus priuatur vsu potestatis Diuinis, siue is requirat iurisdictionem, siue non, ibi.27.
Priuatur item vsu iurisdictionis, nec vllam dignitatem seu officium publicum obtinere potest, ibi.28.
Excommunicatus non toleratus conferre nequit beneficia. 815.29.
Nec potest eligere aut electum confirmare: nec potest præsentare; aut præsentatum instituere. ibid 30.
Nec potest censuram ferre, aut latam tollere: nec item iudicare, ibi. 31.
Explicatio difficultatis, an delegatus iudicare possit, si is à quo delegatus est in excommunicationem incurrerit. ibid 32.
Potest excommunicatus vocari in ius, adhiberi testis aduersus hæreticum: & quando possit instituere procuratorem, ibi.33.
Quando ab excommunicato gesta valeant ratione publici officii, cuius vsu est priuatus, 816.34.
Quale peccatum committat vsurpatione talis vsus, contra Ecclesiæ prohibitionem, ibi.35.

Excommunicatio 4. prout priuat fructibus beneficii, aut impedit huius acquisitionem, vel retentionem. Lib. 32. tract.1.

VNde constet de priuatione fructuum beneficii, & quod excommunicatus eamdem incurrat ipso facto, non expectata iudicis sententia, ibi 36.
Aliquot corollaria inde deducta, ibi 37.
Obligatio restituendi fructus perceptos in excommunicatione, non tollitur per obtentam absolutionem ab excommunicatione, ibi. 38.
Non potest excommunicatus ex fructibus sui beneficii sibi subuenire. & moderationes cum quibus id accipiendum est, 817.39.
Vt fructus percepti in excommunicatione retineri possint, opus est dispensatione, ibid.40.
Quod in hac re de fructibus beneficii dicitur; pari ratione dicendum est de aliis fructibus ecclesiasticis. ibi.41.
Cui debeant cedere iidem fructus restituendi, ibid.42.
Quod excommunicatio maior impediat acquisitionem beneficii, probatur, ibid.43.
Inualida est collatio beneficii facta excommunicato, ibi.44.
Excommunicatus ad beneficium nec eligi potest, nec præsentari, nec potest facere beneficii permutationem, nec potest ei conferri pensio, nec pro eo impetrari literæ ad beneficium, valet. 818.45.
Quomodo hæc ipsa sint accipienda, ibid.46.
Locum habent etiamsi excommunicatio sit iniusta, dummodo valida, ibid 47.
De quibusuis beneficiis ista sunt intelligenda, & quod mortaliter peccet communicatus accipiendo beneficium, ibid.48.
Quando is qui excommunicatus est retinere possit aut non possit beneficium in eo statu acceptum, ibid 49.
Sublata per legitimam absolutionem excommunicatione, titulus beneficii inualidus in ea acceptus, reualidari potest per Episcopum, ibid. 50. Exceptiones aliquot, ibid. 51 Dum reualidatio procuratur, fructus beneficii retineri possunt. ibid.52.
Quo tempore, per alium ab Episcopo constitutum (non autem per se inualidum habens titulum) præstare debet officium eidem annexum, 819.52
Obtenta reualidatione tituli, fructus retineri possunt, ibid.53.

Excommunicatio 5. prout priuat conuersatione humana. Lib. 32. tract. 1.

QVod excommunicatus teneatur cæterorum fidelium conuersationem humanam vitare, ibid. 54.
De peccati excommunicati conuersantis contra eam prohibitionem, ibi. 55.
Aliquot casus in quibus ab eo peccato excusatur, 820. 56.
Obligatio quam cæteri fideles habent abstinendi à conuersatione cum excommunicato, ibid. 57.
Tractatio difficultatis, an specialiter seu nominatim excommunicatus vitari debeat in conuersatione, antequam sit publicatus, ibid. ib. d. 58.
Explicatio difficultatis, sitne semper vitandus qui scitur esse excommunicatus non toleratus ab Ecclesia, ibid. 59.
Vitandus est excommunicatus qui viri grauis testimonio, aut ex publica fama cognoscitur denunciatus, 821. 60.
Vitandus est excommunicatus qui se denunciarum fassus est extra sacramentalem confessionem: non autem qui solummodo in tali confessione, ibid. 61.
Quatenus excommunicatus in vna diœcesi denuntiatus, debeat in alia vitari, ibid. 62.
Obiectio cum solutione, ibid. 63.
Prælati inferiores Papâ tenentur vitare excommunicatum, quem ipsi denunciarint: & quid de ipso Papa, ibid. 64.
Quatenus vitari debeat is, de quo dubitatur an sit denũciatus, ib. 65.

Excommunicatio 6. quoad illa quæ ob eam prohibentur. Lib. 32. tract. 1.

QVæ ex parte iudiciorum ob excommunicationem prohibeantur, 822. 66.
Pertinentia ad contractum, vel testamentum ob eamdem prohibita, ibid. 67.
Prohibetur locutio cum excommunicato, ibid. 68. Itemque, ei exhiberi signa pacis, munera mittere, ibid. 69.
Prohibita est excommunicato communicatio in diuinis cum aliis, ibid. 70.
Quid agendum sit si excommunicatus non toleratus Ecclesiam ingrediatur dum diuina celebratur, ibid. 71.
Nolens exire non incurrit nouam excommunicationem: & præsumens coram eo celebrare, peccat quidem grauiter, sed non fit irregularis, 823. 72.
Quatenus liceat orare pro excommunicato, ib. 73.
Oratione publica pro excommunicato orare non licet, ne quidem in genere, ib. 74.
Limitationes cum quibus id intelligendum est, ibi. 75.
Quid si cum sufficientibus contritionis signis excesserit è vita, ib. 76.
Quis Missæ valor possit ei applicari, ibid. 77.
De oratione quæ pro illo fieri potest in Memento, 824. 78.
Prohibitio orandi pro excommunicato publicis precibus, non procedit quoad excommunicatos toleratos ab Ecclesia, ib. 79.
Quatenus licitum sit recipere Sacramenta ab iisdem toleratis, aut possint illis administrari, ibid. 80.
Illicitum est salutare, aut resalutare excommunicatum, ib. 81.
Itemque illi assurgere, aliaue reuerentiæ signa exhibere, ib. 82.
Non est licita communicatio cum excommunicato in actibus legitimis, nec in contractibus ineundis, 825. 83.
Nec licet cum eo operari, ibid. 84.
Quatenus cum excommunicato mortuo liceat communicare in humanis, ibid. 85.
Prohibita cibi & potus sumptio cum excommunicato, ib. 86.
Similiter & dormitio cum illo, ibid. 87.

Excommunicatio 7. quoad pœnas communicantium cum excommunicato. Lib. 32 tract. 1.

PEccatum mortale committitur communicando cum excommunicato in diuinis prohibitis, ibid. 88.
Communicare in diuinis non prohibitis, solum est veniale. ibid 89.
Itemque communicare in humanis, ibid. 90. Casus excepti, 826. 91.
Quatenus crebro cum excommunicato in humanis communicare, sit vel non sit mortale, ibi. 92.
Communicando cum excommunicato in prohibitis incurritur minor excommunicatio, & aliquando irregularitas, ibid. 93.
Aliquot casus in quibus incurritur excommunicatio maior, ibi. 94.
De participante in crimine criminoso cum excommunicato, ib. 95.
Pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ eorum, qui excommunicatum admittunt ad diuina, ibid. 96.

Excommunicatio 8. quoad causas excusantes conuersationem cum excommunicato. Lib. 32. tract. 1.

LIcitam reddi posse communicationem cum excommunicato: & casus in quibus redditur licita, 827. 97.
Casus vtilitatis, siue nostræ, siue illius, ibid 98. Cauenda in ea communicatione, 828. 99.
Casus matrimonii in quo vxori licet viro excommunicato communicare in obsequiis ei debitis, ibid. 100. Aliquot exceptiones, ibid. 101.
Quatenus licitum sit viro communicare cum vxore excommunicata, ib. 102.
Difficultas, an possit communicare in aliis humanis (vt in colloquio) quam in obsequiis debitis, ibid 103. Rationes pro parte affirmatiua, cum solutione earum quæ afferuntur in partem contrariam, ib. 104.
Difficultas, an licitum sit coniugi excommunicato petere ab altero coniuge debitum coniugale, 829. 105. Pars affirmans tenetur posse, ibid. 106.
Quatenus vxor à marito excommunicato possit dotem repetere, ibid. 107.
De licita conuersatione subditorum cum Superioribus excommunicatis: ac primo de licita liberorum cum parentibus, ibid. 108. Quæ locum habet in liberis emancipatis & in natis post excommunicationem: & quantumcumque excommunicatio sit parentum cum communicantibus cum eis, ibid. 109.
Casus aliquod in quibus id patitur exceptionem, ibid. 110. Licita est seruis (etiam tantum mercenariis) cum dominis excommunicatis conuersatio; nisi ea sit in crimine, ibid. 111.
Licita est conuersatio Clericorum cum Episcopo excommunicato de cuius sunt familia. Item Religiosorum cum suo Superiore excommunicato, 830. 113.
Restrictio cum qua hæc accipienda sunt, ibid. 114. Non obstat excommunicatio, quin debeat excommunicato solui debitum: nisi id in sententia sit specialiter prohibitum, ibid. 115.
Solutio eorum quæ obiici possunt in contrarium, ib. 116. Quatenus sit vel non sit licitum addicere se excommunicati seruitio, ib. 117.
Communicatio licita parentum cum liberis: & dominorum cum seruis, ibid. 118. Casus in quibus eadem est illicita, ibid. 119. Quatenus licita sit fratris cum fratre: & serui cum conseruo excommunicato conuersatio, 831. 120.
Ignorantia excusans conuersationem cum excommunicato, ib. 121.
Non est licitum excommunicato ingerere se conuersationi eorum, qui cum ignorent ipsum esse excommunicatum, non peccant conuersando cum ipso, ibid. 122.
Casus in quibus id patitur exceptionem, ib. 123.
Licitum est de se, suppeditare excommunicato necessaria ad sustentationem, illique adesse in graui necessitate famæ, aut rei familiaris perituræ nisi inde futurus sit deterior, ibid. 124.
Licitam esse cum excommunicato conuersationem, ob necessitatem accipiendi ab eo sustentationem vel corporis curationem, 832. 125.
Itemque ob necessitatem vitandi magnum damnum proprii patrimonii, aut status, ibid. 126.
Itemque ob necessitatem consilii, ibid. 127.
Excusatur communicans cum excommunicato per vim compulsus, ibid. 128.
An etiam excusetur metu adductus, explicatur aliquot propositionibus, ibid 129.
Quando superioris iussio excuset communicantem cum excommunicato, 833. 130.

Excommunicatio 9. quoad nonnullas attributa. Lib. 32. tract. 1.

CVr excommunicatio dicatur pœna, quæ nulla maior in Ecclesia, ibid. 131.
Excommunicationem, pœnam esse non tantum externam, sed etiam internam contra Lutherum, ibid. 132.
Obiectio pro eodem Luthero, cum responsione, ibid. 133.
Quo sensu excommunicatus dicatur separatus ab Ecclesia & Satanæ traditus, ibid. 134.
Potestatem diabolo datam per excommunicationem non esse irrationabilem, 834. 135.
Per excommunicationem anima damno afficitur, ibid 136.
Dictum à Nauarro, non esse licitum audire Missam publici Concubinarii, reiicitur. ib. 137.
Ea quibus ille se tueri posse videtur, reiiciuntur, ibid. 138.
Moderatio cum qua accipi debet contrariũ eius quod docet, ib. 139.

Excommunicatio minor. Lib. 32. tract. 1.

DEfinito minoris excommunicationis, 835. 140.
Ligatus minore excommunicatione, peccat mortaliter suscipiendo quodcumque Sacramentum, ibid. 141.
Sacramenta ab ipso collata sortiuntur effectum: sed ipse peccat conferendo: non tamen mortaliter, nisi id fiat ex contemptu, ibid. 142.
Peccat mortaliter dicens Missam: siquc eligatur ad beneficium, electio non censetur canonica; sitne valida difficultas distinctione explicatur, ibid. 143.
Potest eligere & exercere ea quæ sunt iurisdictionis, 144.
Potest Ecclesiam intrare & in choro cum cæteris canere, nec illicitum est cum eo communicare, 836. 145.
Non incurri excommunicationem minorem per quodcumque peccatum mortale. ibid. 146.
Minor excommunicato imponi potest ob peccatum veniale: & quis possit eam imponere, ibid. 147.
Minor excommunicatio incurritur tantum communicatione eum excommunicato nominatim denunciato, aut notorio Clerici percussore, ibid. 148.
Quomodo potuerit Ecclesia ad illos duos casus talem pœnam restringere, ibid. 149.

Talem

Talem restrictionem non esse factam in fauorem excommunicati: & quid ea prosit aliis fidelibus, ibid.150.
A minore excommunicatione absoluere potest qui à maiore, ib.151.
Sententia Nauarri quod quilibet Sacerdos absoluere possit à minore excommunicatione, 837.152.
De potestate absoluendi ab excommunicatione facta in cap. Nuper, De sententia excommunic. ibid.153.
Nauarri opinio prædicta teneri potest in praxi: & quid ex parte excommunicati, absolutio à minore excommunicatione requirat, ibid.154.
De modo absoluendi ab excõmunicatione minore notanda, ibi.155.

Exhæredatio filiorum. Lib. 20.

PArentes tenentur constituere filium hæredem, 194.36.
Causæ ob quas pater potest exhæredare filium, ibid.37.
Quædam circa easdem causas notanda, 195.38.
Quomodo eæ non sufficiant ad negandum filio alimenta, quibus indiget simpliciter, ibid.39.

Extrema vnctio 1. quoad illius essentialia. Lib. 28.

VNde dicta sit extrema vnctio, 533.43
Eiusdem definitio, ibid.44.
Hoc sacramentum non fuit institutum, sed tantum insinuatum ibid.45.
Marci 6. ibid.46.
Commendatum & promulgatum Iacobi 5. ibid.47.
Institutum est à Christo, & quando, ibid.48. Quatenus ipsum sit, aut non sit iterabile, ibid.49.
Remota materia sacramenti extremę vnctionis est oleum oliuarum, ab Episcopo benedictum, ibid.50.
Propinqua materia est vnctio infirmi ex eodem oleo: quâ fieri in forma crucis pium est quidem, non tamen necessarium, 534.51.
Septem vnctiones partiales ad illius integritatem requisitæ. ibid.52.
Tria notanda circa eandem vnctionem, ibid.53.
Verba in quibus consistit forma extremæ vnctionis: & cur ea sint deprecatoria, ibid.54.
An de necessitate sacramentali sit eadem esse deprecatoria, ibid 55.
Quænam ex iis, non sit essentialia sacramento, ibid.56.

Extrema vnctio 2. quoad illius ministrum. Lib. 28.

DEfectus sacramenti extremæ vnctionis ex Conciliis Florent. & Trident. ac de præcipuo in particulari, qui est gratia habitualis, 535.57.
De cæteris effectibus, ibid.58.
Gratia habitualis non ante datur in extrema vnctione quam quinq; sensuum vnctiones sint absolutæ cum suis formis, ibid.59.
Omnis & solus Sacerdos esse potest huius sacramenti idoneus minister, ibid.60.
Quid requiratur vt Sacerdos non tantum valide, sed etiam licite hoc sacramẽtum administret: & excommunicatio in Religioso illud sine licentia administrantes, ibid.61.
Explicatio difficultatis, An extrema vnctio possit vni administrari a multis, 536.62.

Extrema vnctio 3. quoad illam suscipientes, & susceptionem ipsam. Lib. 28.

EXtrema vnctio non est conferẽda mortuo. In dubio de morte dari potest sub condition̄e, 536.63.
Cui viuo conferri debeat, ibid.64.
De eo qui cum antea haberet, amisit vsum rationis in infirmitate, possitne ei administrari istud sacramentum, ibid.65.
Solus infirmus capax est sacramenti, 537.66.
Explicatio difficultatis, An de necessitate sacramenti sit, vt infirmitas illum constituat in periculo mortis, ibid.67.
Non datur hoc sacramentum damnatis ad mortem aut nauigaturis periculosè, ibid.68.
Senibus moribundis dari potest. Itemque iis qui numquam peccarunt actualiter, ibid.69.
Quæ partes sint vnguendæ in administratione extremæ vnctionis, ibid.70.
Obligatio ad huius sacramenti susceptionem non est sub mortali, 538.71. Duo casus excepti, ibid.72 Dispositio ad eamdem susceptionem per pœnitentiam, ibid.73.
Quatenus obligatio sit susceptioni extremæ vnctionis præmittere administrationem sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ, ibid.74.
Receptio Euchatistiæ post Extremam vnctionem, ibid.75.
De ordine sumendi sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ & Extremæ vnctionis cum infirmus, est omnium illorum capax, ibid.76.
Ex officio Parochus, & nonnunquam Episcopus tenetur hoc sacramentum ministrare: alii solum ex charitate. vbi vterque illorum deest, ibid.77.
Requisita in ministrante hoc sacramentum, & ritus seruandi in eo, 539.78.

F

Famulus. Lib. 25.

DVo genera famulorum & obsequiorum, 465.551.
Merces famuli quando censeatur iusta, & quatenus circa ea contingat obligatio ad restitutionem, ibid 552.
Duo casus in quibus talis obligatio non contingit, etiamsi merces famulatus sit exigua. 466.553.
Quid tenendum sit de famulis qui seruiunt nulla constituta sibi mercede certa, ibid.554.
Quando tales si quid accipiant de bonis dominorum, peccent teneanturque restitutionem: & quando minime, ibid.555.

Festi dies 1. quoad obligationem eos seruandi. Lib. 19.

EX Ecclesiæ tantum statuto est obligatio seruandi dies festos, tam pro die Dominico quam pro reliquis diebus festis, 161.3.
Quatenus possit Papa in ea obligatione dispensare, & quatenus possit consuetudo eam abrogare, 162.4.
Explicatio dubii, an Episcopus possit dies festos abrogare, ibid.5.
Quatenus possit Episcopus diem festum instituere, ibid.6.
Quatenus consuetudo, ibid.7.
Quæ festa sint Sabbatho suffecta, certo assignari non potest, ib.8.
Cum festorum obseruatione præcipitur modus ea obseruãdi, 163.8.

Festi dies 2. quoad obligationem audiendi Missam in illis. Lib. 19.

PRæceptum Ecclesiasticum de Missa diebus festis audienda. ib. 11.
Quid sit audire Missam, 164.12.
Qui audiendo Missam voluntarie distrahitur, non satisfacit tali præcepto: secus vero, qui inuoluntarie, ibid.13.
Preces obligatoriæ recitari possunt audiendo Missam ex obligatione: itemque potest sacramentalis confessio tunc fieri; non debet tamen sine necessitate, ibid.14.
Qui obligentur Missam audire in die festo, ibid.15.
Impotẽtia & necessitas excusans ab audiẽda Missa in die festo, 16. 18
Præceptum Superiorus aut consuetudo similiter excusans, ibid.17.
De bona fide excusante, 166.18.
Auditio Missæ præferenda est auditioni prædicationis, quæ alioqui est solicitè curanda, ibid.19.
Obligatio audiendi missam est sub mortali: eidemque satisfit, audiendo vnam etiam, in die Natalis Domini, ibid 20.
Quatenus eadem adstringat existentem extra suã parochiam, ib.21.
Quid tenendum sit de difficultate, An obligatio sit audiendi Missam in propria parochia, 167.22.
Quid item de eo qui audit nesciens esse diem festum; aut qui iuit ad Ecclesiam alia de causa, quam audiendi Missam, ibid.23
Cuius partis Missæ omissio sufficiat ad peccatum mortale contra propositum præceptum, ibid 24.
Plurium minorum partium omissio, potest vnam notabilem facere ad tale peccatum sufficientem, 168.25.
Quomodo satisfiat eidem præcepto, audiendo partes diuersarum Missarum, ibid.26.
Decentia tum interior tum exterior seruanda. Missam audiendo, ibid. 27.

Festi dies 3. quoad obligationem abstinendi ab operibus seruilibus, ac nonnullis aliis. Lib. 19.

QVæ opera seruilia prohibita sint ab Ecclesia in die festo, 171.35.
Quæ non sunt de se seruilia, non sunt censenda fieri talia ex eo, quod principaliter exerceantur ob lucrum, 172.36.
Pulsare instrumenta musica, dare consilium, & studere, non sunt prohibita die festo, ibid.37.
Iter facere in die festo, quomodo sit aut non sit licitum, ibid.38.
Scribere in die festo, etiam lucri gratia, non esse prohibitum, ib. 39.
Explicatio dubii de actu tranferibendi, ibid.40.
Explicatio alterius dubii de actu pingendi, 173.41.
Actus non seruiles in die festo prohibiti, ibid.42.
De mercatu; quidque eo nomine intelligi debeat, ibid.43.
De placito, quid ipsum sit, & quatenus prohibitum sit vel non sit in die festo, & ad quas personas quisque actiones pertineat illius prohibitio, ibid.44.
Dubia de quibusdam actionibus, an censendæ sint prohibitæ in die festo, 174.45.
De iudicio ad pœnam, prohibito in die festo, ibid.46.
De iuramento similiter prohibito, ibid.47.
De prima causa excusante opera in die festo prohibita, quæ est cultus diuinus, ibid.48.
De secunda, quæ est pietas, ibid.49.
De tertia, quæ est necessitas, 175.50.
De quarta, quæ est occursus lucri transitorii, ibid.51.
De quarta, quæ est consuetudo, 176.52.
De sexta; quæ est materiæ paruitas, ibid.53.
De fine excusante, ibid.54.

Feudum;

VIde verbum, Emphiteusis.

Fideiussio.

Vide verbum Mutuum 3. paulo post initium.*

Fides. Lib.17.

Fides varia, 14.9.
Fidei infusæ definitio, ibid.10.
Dubium in fide, ex quo dicitur quis infidelis, ib.11.
Quæ pertineant ad obiectum fidei infusæ, 15.12.
Et quis eiusdem fidei actus sit ad salutem necessarius, ibid.13.
De fide habetur præceptum tam quoad actus eius externos, qui sunt illam confiteri, & illam profiteri, quam quoad internum, qui est credere, ib.14.& 15.
Obligantur credere tam infidelis, quam fidelis, & quatenus, 16.16.
Quæque hic credere, & ac nosse teneantur, ib.17.18.& 19.
Fidem confitendi obligatio, est sub mortali, in duobus casibus, 17. 20.
De fide disputare cui liceat, & cui non liceat, ibid.21.& 22.
Fidei confessioni quatuor actus oppositi, 18.23. & tribus sequentibus.
Obligatio profitendi fidem, quando censeatur contingere, ib.27. & tribus sequentibus.

Filiorum obligatio erga parentes. Lib.20.

Obligatio filiorum erga parentes ad quæ sit: & qualiter sit ad mortale, 188.6.
Obligatio filiorum ad amorem parentum, ib.7.
Talis amor exigit, tum fugam odii contrarii, tum exhibitionẽ eiusdem amoris, 189.8.
Filii obligatio subueniendi spirituali necessitati parentum, ib.9.
Obligatio eiusdem subueniendi necessitati corporali eorumdem, ibi.10.
Filius non potest ingredi religionem, relinquẽdo patrem in extrema necessitate, nisi valeat aliunde sufficienter ei prouidere, ib.11.
An is qui iam est professus, teneatur ob similem necessitatem egredi religionem, ibid.12.
Conditiones quas talis egressus requirit, vt licitus sit, ib.13.
Obligatio filii subueniẽdi parentibus condemnatis perire fame, aut constitutis in extrema necessitate spirituali, 190.14.
Obligatio filiorum obedientiæ parentibus, ibid.16.
Quod non obedire parentibus sit aliquando peccatum mortale, ib. 16.
De iis in quibus filius tenetur, aut non tenetur sub mortali, obedire parentibus, ib.17.
Quomodo teneatur filius obedire parentibus quoad matrimoniũ contrahendum, ibid.18.
Quod pater non debeat cogere filium aut filiam ad matrimonium cum aliqua certa persona ineundum. 191.19.
Quod filii nõ teneantur obedire parentibus præcipientibus aut prohibentibus ingressum religionis, ib.20.
Quid agere debeat filius cum parentes nulla necessitate compulsi, impediunt eius ingressum in religionem, ibid.21.
De peccato filii percutientis aut contumelia afficientis parentes, aut nolentis eos agnoscere. 192.24.
Quando sit aut non sit permissa filio parentum accusatio, ibid 25.
De patre filius conqueri potest in iudicio, non item contra eum ferre testimonium, ibid.26.
Documenta de peccato quod filii committũt accipiendo vel expendendo bona paterna, ibid.27.
Quomodo interdum filius possit de bonis paternis aliqua accipere in mercedem laboris quem suscipit in illis augendis & conseruãdis, 193.28.
De filio familias prout est vel non est habilis ad contrahendum. Vide verbum Contractus 7. filiorum matrimonium contractum sine parentum consensu, lib.31.731.23.& 24.

Fœtus.

Fœtum an excutere liceat ad matrem à morte liberandam, li.21.210. 36.

Fornicatio & Concubinatus. Lib.22.

Quid sit fornicatio: & quod ea peccatum si genere suo mortale, 241.19.
Duo casu, in quibus actus fornicationis excusatur à mortali, ibi.20.
De concubinatu tanquam continuata fornicatione, quod is sit grade peccatum, & grauiter puniatur in vtroque foro. ib.21.

Fratrum obligatio mutua. Lib.20.

Obligatio fratris subueniendi fratri, & filius ipsius, 197.49.
An ea possit impedire in illo Religionis ingressum, explicatur distinctione, ibid.50.

Furtum. Lib.23.

Definitio furti, 252.5.
Iusta acceptio rei alienæ, non habet rationem furti, ib.6
Nec item acceptio rei propriæ ab alio detentæ: quæ tamen vt licita sit requirit sex conditiones, ibid.7.
Quid eædem concurrentes operentur, 253.8.
Violentia duplex ex qua rei alienæ acceptio potest rationem habere rapinæ. ibid.9.
De consensu excusante à ratione furti acceptionem rei alienæ, ib.10.
Furti diuisio in simplex & in aggrauatum peculiari circumstantia, &c. ibid.11.
Huius species; sacrilegium, peculatus, abigeatus, & plagiatus, ib.12.
Quæ sunt etiam species rapinæ, & aggrauant mortaliter, 254.13.
Furtum est peccatum suo genere mortale: tamen leuius non solum rapina, sed etiam aliis mortalibus, ibid.14.
Quando excusatio à mortali ex patuitate materiæ, habeat vel non habeat in furto locum, ib.15.
De tali patuitate quatenus iudicati possit, ibid.16.
Quid alii de ea determinent, 255.17.
Nihil de eadem secundum se, determinari certo potest in ordine autem ad personam cui surripitur, potest considerari duabus circumstantiis, ibi.18.
Quid in particulari possit determinari habita ratione diuersitatis personarum, quibus sua subripiuntur, ib.19.
Per imperfectionem inuitæ voluntatis domini rei, de se notabilis, furtum domesticorum aut amicorum potest à mortali excusari, ibi. 20.
Casus aliquot probabiliter excepti, 256.21.
Quando per furta parua peruenientia ad notabilem quantitatem contingat peccatum mortale committi, ibid.22.
Quando contingat mortale committi per minima à pluribus ita commissa, vt notabile damnum alicui inferatur, ibid.23.
Pœnæ quæ propter furtum incurruntur, 257.24.

G

Gestor negotiorum. Lib.23.

Dvæ obligationes gestoris negotiorum, 479.613.
Duæ actiones forenses eisdem respondentes, ibid.614.
De quibus teneatur negotiorum Gestor, ibid.615.

Gradus consanguinitatis, & affinitatis Lib.31.

De gradibus consanguinitatis & affinitatis impedientibus matrimonium 756.à 139. ad 148. vide verbum Matrimonium, 12. in principio.

Gratia gratum faciens. Lib.26.

De gratia gratum faciente tanquam primatio effectu Sacramentorum, 504.43.& quatuor sequentib. vide verbum Sacramenta nouæ legi 3. sub finem.

Gula. Lib.22.

Definitio gulæ, cum modis quibus ea contingit, 248.52.
Septem casus in quibus peccatum gulæ est mortale, ib.53.
Species gulæ, crapula & ebrietas: quodque censeri possit peccatum solummodo veniale, etiamsi in ea excessus commissus sit vsque ad vomitum, 249.54.
De filiabus gulæ. 250.62.

H

Hæresis & hæreticus. Lib.17.

Definitio Hæresis, 21.41.
Requirit errorem cum pertinacia coniunctum, ibid.42.& 43.
Distinctio illius à reliquis infidelitatibus, 22.44.
Obiectum circa quod errando, in eam incurritur, ibid. 45.
In quo constat pertinacia constituens hæresim: & quomodo ignorantia ab hæresi excuset errantem in re fidei, ib.47.& 48.
Quando hæreticus esse, debeat iudicari dubius in fide, aut cohibens assensum circa rem fidei, ibid.49.
Et quod hæreticus dicatur, tum improprie, tum proprie, ib.50.
Quando non baptizatus censeri possit hæreticus, & quando baptizatus non possit, 23.51.
Quid tenendum de eo qui fidem profitetur inuitus: & de eo qui alterius dictis perinde creditac si esseut articuli fidei, ib.52.& 53.
*Hæreticorum ser gradus: & varietas pœnarum quibus ob hæresim subiiciuntur, 24.57.& octo sequentib.
Personæ aliæ quæ intuitu hæreseos puniuntur, aut censentur, pœna dignæ, 25.66 67.& 68.
Recipiendi sunt hæretici resipiscentes: & quomodo recipiendi: atque necessaria ad id pro foro interno, 26.69.& duob. sequentib.

Homicidium. Lib.21.

Homicidium est peccatum mortale graue, quod potest augeri ex quatuor circunstantiis, 204.6.
Quas pœnas iuris imponat homicidæ, 207.25.
Causæ ob quas occidens hominem excusari potest à mortali, 208. 24. Vide verbum, Occisio hominis.

Horæ canonica. Lib.18.

OBligatio recitandi horas canonicas ratione sacri ordinis, 91.135. & 136.
De eadem obligatione ratione professionis emissæ à Religioso, 92. 137. & quatuor sequentibus.
Eadem obligatio est sub mortali, si violetur omissione partis notabilis earumdem horarum: & quæ pars talis esse censenda sit, 93. 142. & tribus sequentibus.
Monita de obligatione ipsa recitandi horas canonicas, 108.191.
Vt recitatio, sic & modus recitandi horas canonicas, est in præcepto, 94.146.
Attentio necessaria in recitatione horarum canonicarum, ib. 147. & octo sequentibus Vide verbum, Attentio.
Integritas ad eamdem necessaria, 96.156. & quinque sequentibus. Vide verbum, Integritas.
Continuatio ad eam ipsam requisita, 98.162. & tribus sequentibus: vide verbum, Continuatio.
Ordo requisitus ad debitam recitationem horarum canonicarum, 99.166. & 167.
De breuiario ex quo recitandæ sunt horæ canonicæ ibid.100.168. & quinque sequentibus: vide verbum breuiarium.
Horæ canonicæ debent voce proferri & qua ratione, 103.174 & 175.
De loco ac tempore requisitis ad recitationem horarum canonicarum, 104.178.179 & 180.
Quatenus infirmitas excuset à recitatione horarum canonicarum, 106.181. & tribus sequentibus.
De cæcitate excusante, 107.185.
De dispensatione excusante, ib.186.
De occupatione excusante. 108.187. & 188.
Quod nec ætas puerilis, nec vacatio in studiis, excuset, ib.192. & 193.
Aliquot motiua recitādi cū debita pietate horas canonicas, 109.194.
De obligatione beneficiarii ad eamdem recitationem, vide verbum Beneficiarius 1.

Humilitas. Lib.17.

QVid sit humilitas, & vnde ea nascatur, 52.197.
Quatenus ex humilitate debeat quis se subiicere aliis; & quatenus vere dicere possit se peccatorem omnium maximum, ibi, 198. & 199.
Datur præceptum de humilitate obligans ad mortale: & quando contingat illius transgressio, ibi.200. & 201.
Tres modi humilitatis, ibi.202.

Hypocrisis. Lib.17.

QVid sit hypocrisis, & quando sit peccatum mortale, 55.213

I.

Iactantia. Lib.17.

QVid sit iactantia, & quando sit peccatum mortale, 55.214.

Idololatria. Lib.17.

IDololatria dicitur tum proprie tum improprie; proprieque dicta, peccatum est grauissimum, 40.146.
Proprie dicta, duplex: quædam expressa, & quædam tacita, ib.147.
Tacita consistit in pacto tacito cum dæmone: & in quatuor species diuiditur, ibi.148.

Ieiunium Lib.29.

DE ieiunio requisito ad Eucharistiæ sumptionem, 572.118. & aliquot sequentib. vide verbum, Eucharistia 7.*

Incestus. Lib.22.

QVid sit incestus, & quam malitiam superaddat fornicationi exprimendam in confessione, 242.26.
Varietas grauitatis ipsius: & quando ea exprimenda sit in confessione, ibi.27.

Incompatibilitas beneficiorum ecclesiasticorum. Lib.30. tract 3.

QVæ dicantur beneficia incompatibilia: & in particulari de Episcopatu, 715.291.
De dignitatibus Episcopatu inferioribus, ibid.292.
De beneficio curato, & de beneficio simplici residentiam requirente, ibi.293.
De beneficio simplici, non requirente residentiam, ibid.294.
De vicariatu & coadutoria, alioque officio ad tempus, 716.295.
De incompatibilitate ex conditione adiuncta, ibi.296.

Infidelitas. Lib.17.

INfidelitatis diuisio in puram & mixtam: quodque possit accipi negatiue priuatiue, & contrarie, 20.14.
Tam puræ, quam mixtæ infidelitatis diuisio, ibid.35.
In quibus prohibeantur Christiani cum infidelibus communicare, ibid.37.
De matrimonio cum illis prohibito, ibid.38.
De communicatione cum illis in bello gerendo, ibi.39.

Inimicus. Lib.17.

QVatenus inimicos diligere teneamur, 35.115.
Quatenus velle eis malum, peccatum sit mortale ibi.116.
Inimico optare contrarium æternæ salutis ipsius, est mortale ibi.118.
Quatenus similiter sit, optare ei malum temporale, aut de ipsius temporali bono dolere, ib.119.
Quando licet malum illi optare, non licet illud patiter inferre ibid. 120.
Non licet inimicum excludere, cum aliqui actus generales dilectionis, operaue charitatis exercentur, ibid 12
Obligatio eligendi inimici dilectionem, tantum est, quando necessitas vrget, 36.122
* Obligatio exhibendi inimico signa dilectionis, ibi.123
Quando ea possint negari: & quomodo Confessarius debeat se habere cum negante, ibid.124
Quæ ratio habenda sit scandali in negotiatione talium signorum. & quatenus talis negatio sit Superioribus licita respectu suorum inferiorum, ibid.125. & 126.

Inobedientia Lib.17.

INobedientia quædam est generalis, & quædam specialis, ac vtriusque differentia, 59.231.
Inobedientia specialis aperienda est in confessione, non item generalis, 60.240.
Diuersi modi inobedientiæ specialis, qui quatenus debeant in confessione exprimi, ib d.241.

Integritas Lib.18.

INtegritas in recitatione horarum canonicarum obligatoria est: & quali peccato, 96.156.
Peccatum proponentis omittere horas canonicas, aut recitantis eas dormitando, ibid.157.
De recitatione earumdem, quæ fit alternatim, ibi 57.158.
An eadem alternatio sit licita in aliis precibus obligatoriis, ibi.159.
De recitantibus balbutiendo, aut syncopando, aut se applicando functioni officii, quæ eidem integritati obest, ibi.160
An omisso parui officii B. Virginis, officii defunctorum psalmorum gradualium, & pœnitentialium sit contra eandem integritatem, 98.161.

Infamatio. Lib.24.

INfamatum de maiori crimine, non licet infamare de minore, 331. 82.

Interdictum 1. quoad illius naturam & varietatem. Lib.32. tract.3.

INterdictum dicitur tum generaliter, tum specialiter: & quid sit hoc posteriore modo, 854.1.
Diuiditur interdictum iidem modis quibus suspensio: & peculiariter in locale, personale, & mixtum, ibid.2.
Locale aliud generale, aliud particulare, & quid vtrumque sit, ibi.3.
Personale item, aliud generale, aliud particulare, quidque vtrumque sit, ibi.4.
Nec interdictum locale personas loci interdicti, nec personale, locum personarum interdictarum includit, ibid 5
Quid sit tenendum de eo qui habet duo domicilia, vnum interpopulum interdictum, & alterum extra eum, ibid 6
Interdicto Clero non interdicitur populus, nec contra, ibi.7.
Interdictis Clericis, non censentur interdicta ipsorum Ecclesia, nec contra, ibi.8.
Quid interdictum personale comprehendat; tum quoad personas, tum quoad actus, 855.9.
Interdictum Ecclesiæ comprehendit sacellum, & cœmeterium ei contiguum & interdictum ciuitatis; tum suburbia, tum ædificia continentia, ibi.10.
Ratio iudicandi quæ ædificia censeri debeant continentia. ibid.11.
Quid sit iudicandum cum terra alicuius domini supponitur interdicto, si ille plures terras habeat, ibi 12.
Interdictum mixtum, quomodo sit accipiendum, ibi.13.

Interdictum 2. quoad illius causas, Lib.32. tract.3.

CAusa efficiens interdicti: seu quis possit interdicere, ibid. 14.
Interdicti materia remota: seu qui interdici possint, ibi.15.
Materia propinqua est peccatum mortale, & interdum veniale, illudque non tantum proprium, sed etiam alienum, 856.16.
Propter delictum domini nolentis debita solui re, tetra ipsius non est subiicienda interdicto, ibi 17
Speciale interdictum imponitur tantū ob culpam propriam: quam interdum sufficit venialem esse, ibi 18.
Personale generale iuste ferri potest tantum ob mortalem culpam grauem, ibi.19.
Locale generale tantum ob mortalem grauissimam: & particulare ob mortalem minus grauem, ibid.20.

Tenenda de forma, & de fine interdicti, ibi.21.

Interdictum 3. quoad illius effectus, Lib.32.tract.3.

TRia capita ad quæ reuocantur effectus interdicti, 857.22.
Baptismi vsus quatenus permissus tempore interdicti, ibid.23.
Permissus item est vsus Sacramentorum Confirmationis & Pœnitentiæ, ac qualiter, ibid.24.
Obseruanda pro praxi, circa permissionem vsus Sacramenti tempore interdicti, ibid.25.
Quatenus eodem tempore permissus sit Eucharistiæ vsus, 858.26.
Vsus conferendi Extremam vnctionem aut sacramentum Ordinis non est permissus tempore interdicti, ib.27.
Matrimonium valide quidem contrahitur tempore interdicti, non tamen licite, ibid.28.
Interdictum non obstat, quin sponsalia contrahi possint: & quando obstet benedictioni nuptiali, ibid.29.
Rigor iuris antiqui de priuatione vsus officiorum diuinorum tempore interdicti, restrictus per cap. Alma mater De sentent. excommunic. in 6. 859.30.
Quomodo accipi debeant in eod. capite, nomina Ecclesiæ & Monasterii, ibid.31.
Concessio celebrationis diuinorum officiorum tempore interdicti: & quæ comprehendantur ipse nomine officiorum diuinorum, ibid.32.
Quomodo amplianda sit, & quomodo restringenda eadem concessio, ibid.33.
Conditiones seruandæ in celebratione diuinorum officiorum tempore interdicti, ibid 34.
Personæ ab iisdem officiis tunc excludendæ, 860.35.
Festiuita es in quibus diuina officia tempore interdicti permittuntur celebrari solemniter cum responsione ad nonnulla dubia de iisdem festiuitatibus, ibid 36.
Prohibitio sepeliendi in loco interdicto, communis est infantibus cum adultis. Excipiuntur ab eadem prohibitione Clerici qui seruarunt interdictum: neque ea obstat quin defunctus in loco interdicto, possit in alio non interdicto Ecclesiastica sepultura donari, ibid.37.
Explicatio difficultatis, An innodatus interdicto personali, priuetur Ecclesiastica sepultura, ibid.38.
Prohibitio ingressus Ecclesiæ, rationem quandam habet interdicti personalis: & quomodo à cæteris personalibus distinguatur, ibid. 39.
Prohibitus Ecclesiam ingredi priuatur omni participatione diuinorum officiorum, quæ in ea fiunt, 861.40.
Ne quidem extens extra Ecclesiam illa audire ei licet: attamen si in cœmeterio celebrentur, potest esse eorum particeps, ibid.41.

Interdictum 4. quoad peccatum & pœnas illud violantis. Lib.32.tract.3.

LAicis violatio interdicti localis, de se tantum est peccatum veniale, ibi.42.
Modi quibus idem peccatum aggrauatur mortaliter, ibid.43.
Laicus violans interdictum personale peccat mortaliter, ibi 44.
Clericus violando interdictum siue locale siue personale committit peccatum suo genere mortale, ibid.45
Cuius peccati materia, quatenus censeri possint officia minorum Ordinum celebrata: quodque ad eam sufficiat cuiusvis diuini officii pars notabilis, 862.46.
A tali peccato non excusat priuilegium concessum in cap. Alma mater: nisi omnes conditiones ibidem requisitæ seruentur. Et quatenus excuset priuilegium Extrangantis Ad euitanda, ibid.47.
Impositio irregularitatis incurrendæ à Clerico violante interdictum: & quædam aliæ pœnæ quibus idem adhuc subijcitur, ibid. 48.
Ignorantia excusans ab irregularitate: & quod ei obnoxius sit non tantum celebrans missam, sed etiam celebrans alia diuina officia, 863.49.
Irregularitas incurritur non modo interdicti localis: sed etiam personalis violatione, ibi.50.
Irregularitas ob violationem interdicti personalis & omnibus & solis Clericis imposita: quam non incurrunt, nisi exercendo officium diuinum ad quod sunt consecrati, ib 51.

Interd.ctum 5. quoad illius delaxationem. Lib. 32.tract.3.

EIusdem modi sunt relaxatio interdicti, & relaxatio suspensionis, ibid 52.
Interdictum conditionale cessat cessante conditione: nec absolutio ad id requiritur, ibid.53.
Ad relaxationem interdicti absoluti, requiritur absolutio: quæ dari potest ab eo qui interdictum tulit, si sit ab homine: sique ipsum latum sit cum reseruatione, ab eo cui hæc facta est, 864.54.
Si sit latum à iure. sine reseruatione, sitque locale aut personale generale, ad illius absolutionem requiritur Episcopalis iurisdictio, ibid.55.
Cur non possit Parochus in talibus absoluere, & possit in particulari interdicto personali, ibid.56.
Forma absolutionis ab interdicto, ibid.57.
Quatenus absolutio ad cautelam, habeat locum in interdicto, ib.58.
Quatenus per mutationem loci, interdictum locale tollatur, declaratur aliquot conclusionibus, ibid.59.
Quatenus contingere possit generalis interdicti personalis elaxatio, sine Superioris absolutione, 865.60
An speciale interdictum personale cesset in eo, qui defunctus est pœnitens, ibid.61.

Interdicta particularia lata à iure. Lib.32.tract.3.

GEnerale interdictum latum ob insecutum hostiliter S.R.E. Cardinalem, ibi.62.
Duo alia ob iniuriis affectos Episcopos, 866.63.
Aliquot alia eiusdem generis, ib.64.
Vnum locale speciale impositum Ecclesiæ Religiosorum vel Clericorum, inducentium alienos ad promissionem eligendi in illa sepulturam, ibid.65.
Quatuor generalia interdicta personalia à iure imposita, ibi.66.
In generali locali, interdum generale personale includitur, ib.67.
Octo particularia interdicta personalia à iure imposita, 867.68.
Documenta aliquot pro praxi notanda de obligatione interdicti, ibid.69.

Interesse, Lib.23.

LIcitum esse capere interesse, 266.62.
Quid significetur per interesse, ibi.63.
Varium interesse distinguitur. ibid.64.
Interesse petibile quoddam est intrinsecum, & quoddam extrinsecum, ibid.65.
Quid generaliter sit interesse petibile, quidque specialiter, ibid.66.
Speciali er, ea ratione qua est huius loci proprium, quoddam dicitur lucri cessantis, & quoddam damni emergentis, 267.67.
Quid vtrumque sit habetur lib.25. 410.274.

Interesse damni emergentis. Lib.23.

DE damno emergente ex mutuo, si ipsum incertum sit, non licet pacisci, nisi sub conditione: sin certum sit, licet pacisci absolute, 267.68.
Quid si damnum sit verosimile, ibid.69.
Extensio doctrinæ traditæ de interesse damni emergentis & conditiones quibus eadem doctrina limitatur, ibi.70.& 71.
De eo, quod oporteat damnum incurri præcise occasione mutui, ibid.72.
Conditiones duæ ex parte mutuatarii, 268.73.
Aliæ duæ ex parte ipsius interesse, ibid.74.
Mutuatarius non tenetur resarcire interesse damni emergentis, si nullum de eo præcesserit pactum cum mutuatore, ibid.75.
Tres casus excepti, ibid 76.
Mora in faciendo solutione capitalis, quatenus inducat obligationem resarciendi interesse damni emergentis, ibid.77.

Interesse lucri cessantis. Lib.23.

INteresse lucri cessantis refundendum est ei, qui inuitus mutauit, 269.78.
Ille qui spontaneum mutuat pacisci potest de lucro cessante post lapsum terminum solutioni præfixum, ibi 79.
Controuersia, an in pactum deduci possit, vt soluatur interesse lucri cessantis, contingens antequam elapsus sit terminus præfixus solutioni, ib 80.
Pars affirmans potest tuta conscientia teneri, ibid.81.
Rationes eorum quæ pro contraria parte facere videntur, 270.82.
Pactum de lucro cessante, licet in speculatione bonam rationem habeat in praxi tamen ita periculosum est, vt antequam fiat dissuadendum sit, ib.83.
Mutuum debet esse causa propinqua lucri cessantis, vt huius compensatio per mutuatarium, non censeatur vsuraria, ib.84.
Nihil accipi potest ratione lucri cessantis, si mutuum factum sit ex pecunia non exposita negotiationi, ibid.85.
Neque ex exposita negotiationi quidem, sed ab eo qui aliam habet, quam possit exponere, 271.86.
Totum lucrum speratum, non est deducendum in pactum: & regula statuendi quantum sit deducendum, ibid.87.
Duo modi quibus potest pactum fieri de compensatione lucri cessantis, ibid.88.
Quædam considerandæ determinanti pretium compensationis lucri cessantis, ibid.89.
Compensatio lucri cessantis non est accipienda, statim ab initio mutuationis, ibid.90.
Scandalum vitandum in repetitione lucri cessantis, 272.91.

Ira & eius filiæ, Lib.21.

IRa duplex est, quædam in parte sensitiua hominis, & quædam in intellectiua existens, quarum neutra est de se mala, 233.121.
Quando contingat iram esse malam, ibid.122.
Quando mortale committatur irascendo, ibi.123.
Tres modi iræ malæ, ibid.124.
Ira peccatum est capitale cuius sex filiæ ponuntur, indignatio, tumor mentis, blasphemia, clamor, contumelia, & rixa, ibi. 125. & tribus sequentibus.

Irregularitas 1. vniuerse. Lib. 30. tract. 2.

VNde dicta irregularitas, & variæ formulæ verborum quibus in iure indicatur, 612.1.
Generalis definitio irregularitatis, 613.2.
Ius canonicum est causa irregularitatis: & quid si ipsum sit dubium, ibid.3.
Quod ea fundamentum habeat in iure naturali, & quatenus in diuino positiuo, ib.4.
Materialis causa irregularitatis sunt, factum & defectus, siue pateant, siue lateant, ibid.5.
Effectus formalis irregularitatis, ratione cuius quatenus à censuris distinguatur, 614.6.
Eiusdem finis & diuisio, ibid.7.
Irregularitas non incurritur ob solum conatum, sine effectu. Eaque vt ad ordinem primario, sic ad beneficium secundario, reddit inhabilem, ib.8.
An idem secundarius effectus contingat, cum irregularitas est dubia, ib.9.
Irregularitas superueniens non priuat beneficio, nec iurisdictione, ibid.10.
Violatio irregularitatis peccatum est suo genere mortale, 615.11.
Quando in dubio quis iudicandus sit irregularis, ibi.12.
In irregularitate incurrenda, non est differentia inter clericum & laicum, ibid.13.
Irregularitas non impedit absolutionem sacramentalem: neque per hanc, illa tollitur, ib.14.
Ignorantia etiam inuincibilis irregularitatis non impedit quin ea incurratur, nisi imposita sit ob culpã, quæ & ipsa ignoretur, ib.15.
Irregularitas aliquando indelebilis est, aliquando per seipsam cessat, ibid.16.

Irregularitas 2. quoad modos quibus tollitur. Lib. 30. tract 2.

QVatenus irregularitas tollatur susceptione baptismi, 616.17.
Quatenus per ingressum religionis, ibid.18.
Duæ conditiones requisitæ ad talem ingressum: & quod is non reddat habilem ad prælaturas sicut ad Ordines, ib.19.
*Documenta notanda de modo irregularitatem tollendi per dispensationem, ibi.20.
Episcopo committitur examen literarum Papæ per quas dispensat: & quatenus confessarius Episcopi, possit cum ipso dispensare, 617.21.
Papa potest ab omni Irregularitate dispensare: potest & is cui ille id commiserit, ib.22.
De irregularitatis ex homicidio exceptione, quæ solet fieri in tali commissione, ibid.23.
Alia notanda de eadem commissione: & inter cætera, quod non sit censenda fieri in lubilæis, concedendo facultatem absoluendi ab omnibus censuris, ibid.24.
Alii habentes facultatem dispensandi, & potissimum Episcopus, ex iuris dispositione, ib.25.
Irregularitates in quibus dispensat Episcopus, 618.26.
Varii casus in quibus potest Episcopus dispensare cum irregulari ex delicto publico, ibid.27.
Quatenus dispensare possit Episcopus in irregularitate ex homicidio casuali, ibid.28.
Notanda circa facultatem à Concil. Trident. Episcopo concessam dispensandi in irregularitate ex delicto occulto, ibid.29.
Quod delictum occultum, quod publicum censendum sit in hac re, 619.30.
Dispensatio in irregularitate dari potest non modo expresse, sed etiam tacite, ibid.31.
Obseruandum in dispensatione, cum is cum quo dispensatur plures habet irregularitates, ibid.32.
De vsu dispensationis in irregularitate notanda, ib.33.

Irregularitas 3. ex defectu animæ. Lib. 30. tract. 2.

TRiplex defectus animæ, ex quo nascitur irregularitas, 620.34.
Prouenies ex illiteratura, & cuius literaturæ defectus constituat irregularem, ib.35. & 36.
Quomodo verum sit irregularitatem ex illiteratura, indispensabilem esse, ib.37.
Amens incapax est ordinis, 621.38.
Qui in amentiam incidit, postque redit ad sanam mentem irregularis manet: & quid agendum sit vt valeat ad ordines promoueri, ibid.39.
Delirium aut insania prouenies ex vehementia febris cessans hac cessante, non relinquit hominem irregularem, ib.40.
Irregulares sunt furiosi, lunatici, epileptici: sique Sacerdotes sint & conualuisse dicantur, quid agendum sit cum eis, vt ad Missæ celebrationem admittantur, ib.41.
Quid seruandum cum obnoxiis vertigini capitis, vel animi deliquio, ibid.42.
Irregularitas dæmoniacorum, & alia neophytorum, ibid.43.

Irregularitas 4. ex defectu corporis. Lib. 30. tract. 2.

RAtio generalis iudicandi de irregularitate ex defectu corporis, 622.44.
Talis defectus vel est membri, vel morbi corporis: de cuius sufficientia ad irregularitatem iudicare, est Episcopi, ibid.45.
Obseruanda in genere de membri defectu inducente irregularitatem, ibi.46.
De eo qui sua culpa patitur eiusmodi defectum, ibid.47.
De eo qui in eum incidit post susceptum ordinem, 623.48.
Defectus inducentes irregularitatem ex parte capillorum aut oculorum, ibid.49.
Inducentes ex parte aurium, auriculatum, aut nasi, ibid.50.
Inducentes ex parte labiorum, aut dentium, aut linguæ, aut faciei, ibid.51.
Inducentes ex parte dorsi, aut pectoris, aut genitalium, 624.52.
Ex parte manuum quatenus defectus inducat irregularitatem, ibid.53.
Quando claudicatio inducat irregularitatem, ib.54.
Morbus inducens irregularitatem; & specialiter lepra, ib.55.
De psora, & lue venerea, 625.56.
De phthysi, podagra, chiragra, & quibusdam febribus, & doloribus capitis, ibid.57.
De paralysi, horrore bibendi vinum, & langore stomachi, ibi.58.
Duo circa istiusmodi irregularitates obseruatione digna, ibid.59.

Irregularitas 5. ex defectu ætatis, aut libertatis, aut natalium. Lib. 30. tract. 2.

DEfectus ætatis quatenus irregularitatem inducat, ibi.60.
Ordinati ante legitimam ætatem sunt suspensi: & quatenus talis suspensionis violatione irregularitatem incurrant, 626.61.
Solus Papa dispensare potest, vt quis ante legitimam ætatem ordinetur, aut ordinem exerceat, ibid.62.
De irregularitate manc piorum quid sit tenendum, ibi.63.
De irregularitate curialium, ibid.64.
De irregularitate eorum qui sunt aliis ad ratiocinia obligati, ib.65.
Irregularis est quisquis ex legitimo matrimonio natus non est, 627.67.
Regulæ iudicandi de nato ex legitimo matrimonio, non legitime, ibid.68.
*De legitimatione filii spurii per subsequens parentum matrimonium legitimum, ib.69.
Factus legitimus per consequens parentum matrimonium, habilis est vt ad sæculares, sic & ad ecclesiasticas dignitates, 623.70.
Nec eget dispensatione, vt susceptos Ordines exerceat, vel ad superiores ascendat, ibid.71.
Legitimatio per potestatem sæcularem, non facit illegitimum ad Ordines habilem, ibid.72.
In hac irregularitate quatenus Papa & quatenus Episcopus dispensat, ibid.73.
Illegitimus à Papa dispensatus absolute ad Ordines & beneficia Ecclesiastica, non est eo ipso ad sæculares dignitates, ib.74.
De legitimatione facta per Papam cum aliqua determinatione, ibid.75.
Is qui existimatur ex legitimo matrimonio natus, sed non est, an censeri debeat irregularis. ibi.76.
Filii infidelium conuersorum & filii fidelium exposit, quatenus sint irregulares, 629.77.
De eo qui bona fide existimat se legitimum, & à matre illegitimus asseritur, ib.78.
De hæreticis & eorum credentibus, receptatoribus, defensoribus, fautoribus, ac ipsorum filiis, quatenus sint irregulares, ibid.79.

Irregularitas 6. ex digamia. Lib. 30. tract. 2.

IRregularitas contrahitur ex digamia, ibi.80.
Tribus modis potest quis digamus esse, re, interpretatione, & similitudine: & quis re, ac quis interpretatione digamus dicatur, 630.81.
Non est irregularis qui duxit extra matrimonium corruptam non ab alio quam à se, ib.82.
Est irregularis, qui etsi virginem duxerit, eam tamen in adulterium lapsam, carnaliter cognouit, ibid.83.
Irregularis est quisquis cum duabus contrahit, etiamsi alterum aut vtrumque matrimonium sit inualidum: sicut & qui cum seruã, aut cum mima, ibid.84.
Duo requisita ad digamiam vt inducat irregularitatem: vnde non nulla inferuntur, ibid.85.
Ratio cur quis fiat irregularis contrahens cum corrupta, non item si ipse sit corruptus, ibid.86.
Quis dicatur similitudine digamus, ibid.87.
Nec laicus, nec minoribus tantum Ordinibus initiatus, obnoxius est tali irregularitati, ibid.88.
Cum digamo re, aut interpretatione, solus Papa dispensat, ib.d.89.
Cum digamo similitudine, potest nonnumquam Episcopus dispensare, etiam ad maiores Ordines. 631.90.

Irregularitas 7. ex homicidio voluntario. Lib. 30. tract. 2.

MVtilatio membri in hac re æquipollet homicidio: & quæ corporis pars significetur membri nomine. ib.91.
Falsa est regula, irregularem esse eum qui alterum reddidit irregularem, ibid.92.
Nomine mutilationis in hoc negotio, non comprehenditur debilitatio membri, ibid.93.

Requisita vt quis censeatur incurrisse istiusmodi irregularitatem: ac primo, vt sit baptizatus, & mentis compos, ibid.94.
De ebrio, & de amente, quid sit tenendum in hac re, ibid.95.
Ex cuiuscumque hominis occisione, aut mutilatione irregularitas nascitur, ibid.96.
Occisionem aut mutilationem oportet esse de facto ad incurrēdam irregularitatem, nec sufficit voluntas, etiam cum conatu, ibid.97.
Sufficit vero causam propinquam dedisse homicidio vel mutilationi, 633.98.
Quæ censeatur causa proxima, quoad hoc negotium, ibid.99.
Quatenus ab irregularitate excusentur qui arma aut venena vendunt, aut qui hortantur milites ad pugnam, ibid.100.
Si homicidium aut mutilatio non sequatur ex causa data, non incurritur irregularitas, ibid.101.
Irregularitas incurritur ex eo, quod causa detur vt quis citius moriatur, aut mutiletur, ibid.102.
Exaliquorum sententia, parum & ex pietate cooperans morti, excusari potest ab irregularitate: & de infirmitate excusante, ibid.103.
De necessitate vitam defendendi excusate ab irregularitate. 634.104.
Circa quam nonnulla sunt ponderanda: ac primo, vtrum alio pacto potuerit vita defendi, quam occidendo aut mutilando, ibid.105.
Deinde an seruatum sit moderamen inculpatæ tutelæ, ib.106.
Irregularitatem incurrit qui ad defensionem rerum suarum, immo & parentum, occidit vel mutilat, ibid.107.
Rationes in contrarium cum solutionibus: & de casu in quo ipsum contrarium potest procedere, ibid.108.
Non est irregularis qui amicum ad vitæ suæ necessariam defensionem aduocat, si is aggressorem occidat, ibid.109.
Defensio debet esse licita per quam occidens aut mutilans excusatur ab irregularitate, ibid.110.
Debet esse præsens vitæ periculum vt censeatur adesse necessitas excusans ab irregularitate, 635.111.
Locus Concilii Tridentini in sess.14.cap.7. De reform. ad hanc irregularitatem spectans, quomodo accipiendus sit, ibid.112.

Irrēgularitas 8. ex homicidio fortuito Lib.30. tract.2.

TRiplex homicidium ex quo irregularitas contrahitur: quodque fortuitum possit tribus modis committi, ibid.113.
Ex homicidio fortuito incurritur irregularitas vacando rei illicitæ, ibid. 114.
Itemque vacando rei licitæ, si non sit adhibita in eanendo sufficiens diligentia, ibid.115.
Vacantem rei illicitæ, ab irregularitate non excusat adhibita diligentia in eanendo homicidio vel mutilatione, 636.116.
Quales oporteat esse rem illam illicitam, ibid.117.
Non est irregularis qui alterum induxit ad perpetrationem criminis, propter quod est à iudice extremo supplicio, ibid.118.
Oportet rem esse ill citam ratione periculi, quod habet causandi homicidium vel mutilationem, ibid.119
Ex homicidio fortuito quod committitur vacando rei licitæ, oritur irregularitas, si defuerit diligentia in eanendo, non item si adfuerit, ibid.120.
Differentia inter eum qui alteri ex pietate, & eum qui alteri ex iustitia, dans licite operam; eidem fortuito causam dat mortis aut mutilationis, ibid.121.

Irregularitas 9. ex homicidio contracta verbo Lib 30. tract.2.

QVando irregularitas ex homicidio contrahatur verbo. 637.122.
Diuersæ species mandati, ibid.123.
Modi quibus irregularitas ex homicidio contrahitur mandando: & quando is qui iubet aliquem percuti sit irregularis secuta morte aut mutilatione, ibid.124.
Legislator ferens legem de puniendo morte aut mutilatione, non est irregularis, nisi in aliquo delinquente eam exerjuatur, ibid.125.
Nonnulla alia obseruanda in iudicando an irregularitas ex homicidio incursa sit mandando, ibid.126.
Irregularitas ex homicidio, quando contrahatur defendendo verbo, 638.127.
Quatenus sint irregulares qui impedierunt occisi aut mutilari defensionem, ibid.128.
Deferentes ad Iudicem eos à quibus ipsi (secus si alii) vexantur, aut bono commuti nocent excusati ab irregularitate per protestationem expressam, quod non quærant pœnam sanguinis, ib.129
De teste & alijs qui homicidio causam dant verbo, sufficienter ad irregularitatem, ibid.130
Aliquot casus, in quibus etsi data sit aliqua causa mortis, non incurritur irregularitas: eo quod non fuerit causa propinqua, ib.131.
De protestatione quâ vitatur irregularitas, quando locum habeat vel non habeat in conscientia, 132.
De eadem protestatione respectu Aduocatorum & testium in causa sanguinis. Itemque Inquisitorum fidei tradentium hæreticos brachio sæculari, 639.133.
Quid sit sentiendum de Clericis qui interfunt executioni sententiæ sanguinis, ibid.134.
Consilium propter quod incurritur irregularitas, dati potest responsione, approbatione & persuasione. Ac quod eam non inducat responsio facta tantum causa cognitionis, ibid. 135.
Inducat autem ordinata ad executionem homicidii vel mutilationis, ibid.136.
Duplex differentia inter consulentem & mandantem in incurrenda irregularitate ex homicidio, ibid.137.
Quatenus ab irregularitate excusetur Confessarius, qui negat Iudici absolutionem, nolenti iudicare secundum leges, quæ pœnam mortis aut mutilationis imponunt, 640.138.
Approbatio homicidii, qua incurritur irregularitas, 640.139.
Ad quæstionem an approbatio subsequens homicidium inducat irregularitatem: responsio negatiua, ibid.140.
Quatenus persuasione homicidii incurratur irregularitas, ibid.141.
Quatenus ob datam persuasione causam mortis, ibid.142.
Qui non incurrant, etiamsi persuasione dent mediatam, ex qua mors sit verosimiliter secutura, ibid.143.
Irregularitas non incurritur dando causam mediatam ex qua homicidium non est verosimiliter secuturum, ibid.144.
Responsio ad dubium, quando silendo incurratur irregularitas ex homicidio, ibid.145.

Irregularitas 10. ex homicidio contracta facto. Lib.30. tract.2.

VArii modi quibus facto incurritur irregularitas ex homicidio, 641.146.
Non incurrit irregularitatem qui dat arma sua alicui à quo defendatur, vel qui seipsum defendat ab inuasore, ibid.147.
Nec incurrit, qui dat generali intentione ad vsum licitum: secus vero, qui ad vsum illicitum, ibid.148.
Vt committens homicidium vel mutilationem; sic ei auxilium dans irregularis est, nec excusatur ex eo quod det bono fine, 642.149.
Excusatio Clerici in bello iusto pugnatur, iaut cum talis teip. necessitas vrget, vt si non pugnaret, hostis illam vastaret, ibid.150.
Duæ rationes quibus hoc probatur, ibid.151.
De eo qui dat occasionem mortis aut mutilationis, quando in irregularitatem incurrat, aliquot casibus propositis declaratur, ibid. 152.
De casu in quo rixando occasio datur, aut domi alendo feram, ibid.153.
De eo in quo datur exercendo chirurgi, aut medici officium, 643.145
De eo in quo datur, castigando subditum, ibid.155.
De eo in quo datur ludendo aut agendo aliquid periculosum, aut iocando cum grauida. ibid.156.
De eo in quo datur ocasferando, aut infantes habendo secum in lecto, ibid.157
De eo in quo datur colludendo, ibid.158.
Ratio cur in talibus & alijs similibus casibus irregularitas incurratur, ibid.159
De cooperante occisioni vel mutilationi; primo de eo qui del berate, ibid.160.
Quid cnendum, cum multi non de communi consilio aliquem aggrediuntur: & quid de infligente vulnus lethale ei qui ab alio occiditur. ibid.161.
Quid tenendum quando plures plura vulnera inflixerint vni, & nescitur ex quo sit mortuus, 644.162.
Quid de eo qui animo occidendi percussit aliquem, qui ab alio occisus est, ibid.163.
Quid de eo qui alicui vulnus inflixit non quidem lethale, ex eo tamen ob aliquam causam in eueuientem mortuus est, ibid.164.
Quatenus irregularitas incurratur pugnando in bello iusto, ib.165.
Quando omissio defensionis irregularitatem non inducat: & quando inducat. ibi.166.
Rationē & exempla declaratur quando inducat, ibi.167.
Quatuor conditiones quas concurrere oportet ad contrahendam irregularitatem ex defectu defensionis, & nonnulla inde deducta, 645.168.
De obligatione ad defensionem ex officio publico aut mercenaria conuentione. ibi.169.
De Aduocatis aut Procuratoribus deferentibus petitorium reiaut medicis vel chirurgis aegrotantibus curam ægri: & id genus alijs contrahebitur ex pforum ex iustitia. ibi.170.
Statutum Concilii Trid. de dispensatione in irregularitate ex homicidio, ibid.171.

Irregularitas 11. ex iteratione baptismi, & ex dictis circa Ordines. Lib.30. tract.2.

QVando irregularitas ex iteratione baptismi contrahatur, 646.172.
Is qui per vim absolutam rebaptizatur, ab irregularitate excusatur, non item qui per vim conditionatam: nisi hæc excusetur a mortali, ibid .173.
Rebaptizatus sit irregularis, nisi illum excuset ignorantia inuincibilis, ibid.174.
In dubio ex baptismo sub conditione, non incurritur irregularitas ex iteratione baptismi, ibid.175.
Qui non baptizandi sub conditione, ibid.176.
Quando excusetur ab irregularitate baptizans sub conditione extra casum dubii, ibid.177.
Non incurritur irregularitas ex iteratione Sacramenti Confirmationis, vel Ordinis, ibid.178.

Irregularitas non incurritur ex violatione minoris excommunicationis, aut prohibitionis Superioris sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ibi.182.
Quis dicatur alicuius Ordinis opus proprium exercuisse, ibi.183.
Violatio suspensionis ab officio iurisdictionis, aut ab officio temporali, aut à perceptione Sacramentorum, non inducit irregularitatem, ibi.184.
Inducit autem violatio suspensionis ab officio Ordinis, vel ab officio simpliciter: ac violatio interdicti, tam localis quam personalis, 648.158.
Suspensio ab Ordine intelligenda est generaliter respectu omnium Ordinum, etiam minorum atque Episcopatus, ibi.186.
Quid sit sentiendum de eo qui per censuram prohibitus, aut non prohibitus quidem, prohibitum tamen facit coram se celebrari, ibi.187.
Quis dispenset in hac irregularitate, ibi.188.
Irregularitas accipientis plures ordines simul, ibi 189.
Irregularitas ordinati ab Episcopo qui episcopatui renuntiauit, aut qui censura tertius est, aut hæreticus, aut schismaticus ib 190.
Irregularitas promoti per saltum, aut exercentis actum Ordinis quem nondum accepit, ibi.191.
Laicus exercens aliquem actum Ordinis, aut alia diuina faciens, etiam censura irretitus non fit irregularis, quidquid peccet, 649.192.

Irregularitas 12. quoad cætera. Lib.30. tract.2.

QVod hæretici & eorum credentes, receptatores, defensores, & fautores sint irregulares, ibi 193.
Duplex genus infamiæ, & ex quo incurratur irregularitas, 650.194
Tres species infamiæ ex qua incurritur irregularitas, ibi.195.
Quando præter Papam Episcopus in tali irregularitate dispenset, ibid.196.
Irregularitas quæ contrahitur ex ignominiosa alicuius artis professione, ibid.197.
Tres conditiones quibus moderanda est talis pœna, ibid.198.
Quid sit sentiendum de aleatoribus, ibi 199.
Species irregularitatis quæ à nonnullis constituuntur sine sufficienti fundamento, 651.200.
Qui peccat solum venialiter admittendo crimen propter quod irregularitas imposita est, ab ea excusatur, ibi.201.
Ratio in contrarium cum solutione, ibid.202.
Cur in irregularitate ex delicto locus excusationi esse possit: non item in irregularitate, ex defectu sine delicto, ibi.203.
Culpa quidem levis Theologica ab irregularitate excusat, non tamen levis iuridica, ibi.204.

Irreligio. Lib.17.

IRreligio vitium est contrarium religioni per defectum, 39.142.
Varii modi quibus ea contingit, ibi.143.
Eiusdem species, ibi.144.

Inuidia. Lib.17.

INuidiæ definitio: per quam separatur à tristitia de bono proximi, & ab aliis tristitiis, 36.127.& 128.
Est peccatum suo genere mortale, 129.
Eiusdem filiæ, 37.130.

Iudex & iudicium forense. Lib.24.

MEndacium à Iudice dictum in iudicio, quando sit, vel non sit mortale, ibid.31.
Non est mortale, dictum à Iudice condemnante secundum allegata & probata, cum quem scientia priuata scit esse innocentem, ibid. 32.

Deiisdem ex Lib. 25.

VT Iudex licite iudicet potestas in eo requiritur, 485.641.
Item que veritas, ib.642. Tum vt seruet formam iuris in sententia ferenda, ib.643. Itemque in modo procedendi: siue via denunciationis, ibi.644.
Siue via accusationis, ibi.645. Siue via inquisitionis, quæ triplex est, generalis, specialis, & mixta, ibi.646.
Ad generalē non requiritur accusatio, nec infamia præuia, 486.647.
Modus procedendi via specialis inquisitionis requirit præuiam infamiam, ib.648. Requirit & accusationem, si procedatur vsque ad punitionem, ibid 649.
An ad eam sine infamia, sufficiant iudicia manifesta, ibi.650.
Iudicium aliud ordinarium, aliud extraordinarium, in quo sufficit accusatio ficta: quæ quintuplex est, ibid.651.
Modus procedendi in iudicio via inquisitionis mixtæ, ibi 652.
Tutela iudicii ad eiusdem formam spectans, ibid.653.
Quantitas & qualitas pœnæ ad eamdem formam requisita, 487.654.
Quatenus pœnam lege impositam, summus Princeps relaxare possit, ibi 655.
Quid incumbat Iudici, cum lex non determinat pœnam delinquenti infligendam, ibid.656.
Scientia & intentio debita, ad licite iudicandum requisita in Iudice, 4886.57.
Puritas linguæ & manus, ad idem requisita in eodem, ibi.658.
Licitum est Iudici accipere stipendium: & de iure communi, quædam esculenta ac poculenta, ibi.659.
Quid iuris de aliis muneribus, ibi.660.

Iudicium temerarium. Lib.24.

QVid sit temerarium iudicium, & quale peccatum sit, 317.20.
Excusatio à peccato mortali, dum de proximo male iudicatur, eo quod res sit aperta, aut habeantur illius sufficientia indicia, 318.21.
Iudicium temerarium non est mortale, nisi sit de re graui, ib.22.
Ad iudicium temerarium non sufficit vt fiat de re absolute, sed requiritur vt fiat contra proximum, ibi.23.
Ad temerarium iudicium requiritur vt ipsum sit certum seu firmum; ibi.24.
Vt censeatur peccatum mortale requiritur vt deliberate fiat, ib 25.
Opinio, dubitatio, & suspicio, temerariæ quid sint, & quando sint peccata mortalia, ibi.26.
Quod à mortali excusentur quando sunt ex errore, non tamen semper, 319.27.
Mortalia peccata sunt, cum prouenient ex prauo affectu erga proximum, ibi 28.
An liceat iudicium de proximi tum bonitate tum etiam malitia suspendere, ibid.29.

Iuramentum. Lib.13.

IVramenti nomen & definitio. 61.1.
Finis cuius gratia ipsum est. Quodque ad ipsum sufficiat tacita inuocatio nominis diuini, 62.3.& 4.
De verborum formulis, quæ apparent esse iuramenta, quid sit tenendum, ib 2. & 5. quatuorque seqq.
Quod ad iuramentum non sit necessarius tactus euangeliorum; ibi.6.
Quod licitum sit iurare, 63.11.& 12.
Aliquando est illicitum non iurare, ibi.13.
Qui non admittantur ad iurandum, ibi.14.
Tres conditiones requisitæ vt iuramentum sit licitum: & quando eæ deficiant, 64.15.& 16.
Casus in quibus iurare non licet Clericis, ibi.17.
De quarta conditione vt iuramentum fiat per verum Deum, ib. 18.
De iuramento per falsos Deos, ib.19.20.& 21.
De iuramento per creaturam, 65.22.23.& 24.
De iuramento ambiguo subintellecta conditione, quam ipsum verificatur secundum mentem iurantis, non vero eius, cui iuratur 82.91.
Variæ diuisiones iuramenti, 65.25.& aliquot sequentib.
Documenta nefanda de octaua diuisione, quæ est in sincerum & dolosum, 66.28.
Alia circa nonam: quæ est in assertorium & promissorium, ib.30.
Quid sentiendum de consuetudine iurandi, & de iuramento assertorio, in quo vere iuratur quidem, sed de re vana aut mala, 80.87.
Ille us obligatio relaxari nequit, 75.85.

Iuramentum promissorium. Lib.18.

MOdus interpretandi iuramentum promissorium, 68.34.
Ipsum adstringit solum iurantem, 69.35.
Iuramentum de seruandis aliquibus statutis, quomodo sit interpretandum, & quatenus obligat, ib.36, & duobus sequent.
Ad quæ promissorum iuramentum extendatur. & obligatio dubitantis de tali suo iuramento, 70.39.
Iuramentum promissorium de re illicita ibi. 40. & tribus sequent.
Iuramentum factum de omittendo opere supererogationis, 71.44.& 45.& 83.94.
Iuramentum promissorium de re indifferenti non obligat: & cum qua limitatione id accipiendum sit, 71.46.& 47.
Iuramentum non obligat, cuius euentus est malus aut quod seruare temerarium est, ib.48.& 49.
Aut cum in persona deficit qualitas, cuius intuitu iuratu est, 72.50.
Iuramentum promissorium non implere quando sit & quando non sit peccatum mortale, 83.96 & 84.97.
Obligatio iuramenti de secreto seruando, 74.51.
Iuramentum non obligat, cum est impeditiuum maioris boni ib.52.
Nec factum de matrimonio contrahendo, impeditiuum ingressum religionis, ibi 53.
Quale peccatū sit factū de peccato aliquo cōmittendo, 83.92.& 95.
Et quale factum de re indifferenti aut vana, ib 93.
Quatenus iuramentum conditionatum obliget, 72.54.
Quatenus ex euentu & impossibilitate cesset obligatio iuramenti, ibid.55.& 56.
Et quomodo euentus possit inducere talem obligationem, 73.57.
De iuramento quod sit deferendo alteri honorem: dequeeo quod dolo vel errore extortum est, ib.58.
De eo quod metu extortum est. & cur obligatorium sit potius quam nullum in tali casu, ib.59.
Quod talis obligatio sit sub mortali: neque ea obstet quin repeti possit id quod datum est ad eius impletionem, 74.60.& 61.
Relaxatur iuramentū promissoriū: tū re ficiatione ac remissione illi⁹ cui facta est promissio, ib.62.& 63. (vbi duo casus excipiūtur tū irritatione cōmutatione & dispensatione 75.64.66 & trib sequent.
Duo casus in quibus iuramentum promissorium relaxari potest sine consensu eius cui iuratum est, 76.70.
Requisita ad elaxationem iuramenti promissorii, cum illud quod est promissum, aperte licitum fuerit, ib.71.
Tenendum de eo, qui iurauit se non petiturum iuramenti dispensationem, ibid 72

Iuramentum comminatorium & iudiciale Lib. 18.

QVid sit tenendum de iuramento comminatorio. 84.98.
Tres casus in quibus etiam factum de re licita nõ obligat, ib. 99.
Quid & quotuplex sit iuramentum iudiciale, 85.100. & 86.111.
De iuramento calumniæ notata, 85.102. & 103.
De iuramento iudiciali voluntario: in quib. casib. deferatur auctori & in qu.b. reo, ibid. 104.

In patronatus. Lib. 30. tract. 3.

DEfinitio iuris patronatus, & quomodo ipsum conueniat laico, 695.208.
Quib competat ius patronatus, ibi. 209.
Explicatio dubii, An ius patronatus acquiri possit præscriptione, aut consuetudine, 696.210.
Quæ patrono accedant ex iure patronatus, ibid. 11.
Tam Clerici, quam Laici, capaces sunt iuris patronatus: quod ius non tantum apud vnum, sed etiam apud plures simul esse potest, ibid. 212.
Notanda de donatione, permutatione, ac de venditione iuris patronatus, 697.213. & 214.
Quatenus licita sit venditio iuris patronatus, & quatenus simoniaca, ibid. 215.
De acquisitione iuris patronatus per successionem hæreditariam, ibid. 216.
Locator rei cui annexum est ius patronatus, potest præsentare. Idem ius nequit dari in pignus, ibid 217. Notanda de pluralitate patronorum, ibid. 218. Modi quibus ius patronatus extingui potest, 700.233.

Laus Dei. Lib 18.

QVid sit laus Dei & modi quibus fieri potest, 88.116.

Legatum. Lib 25.

DE legatis quod ea non obstent, quin ab hæreditate detrahi possit falcidia, 483.631.
Aliquot euentus in quibus ea detrahi non potest, ibid. 632.

Legitimus & legitimatus. Lib. 30. tract. 2.

DE legitimo, & legitimato, seu illegitimo cum quo dispensatum est, 627.68. & aliquot sequentibus. Vide verbum Irregularitas 5. post initium. * Itemque lib. 31. 809.356. & 357.

Libellus famosus. Lib. 24.

QVid significetur nomine libelli famosi: qualeq; peccatum committatur compositione & euulgatione talis: libelli ac qui in illud incurrant, 339.117.
De obligatione quam inducit ad restitutionem, 340.118.

Literæ & scripta aliena Lib. 24.

QVale peccatum sit aperire literas alienas, 339.119.
Causæ rationabiles excusantes à tali peccato, 340.120.
Peccatum quod committitur legendo scriptum in quo quis memoriæ gratia, scripsit peccata sua, ad faciendam de eis confessionem, ibid. 121.
De literis dimissoriis, lib. 30. tract. 1. 602.24.

Locatio 1. quid & quotuplex sit quæque obligationes & actiones ex ea oriantur. Lib. 25.

DEfinito locationis. 456.486. Eiusdem differentia ab emphyteusi, ibid. 487.
Conductio locationi respondens, ibid. 488.
Locati possunt omnia quæ vendi, 457.489.
Quando res locata pereat conductori, ibid. 500.
Quomodo necessarium sit ad rationem locationis, vt merces pecuniaria interueniat, ibid. 501. Decem similitudines inter emptionem & locationem, ibid. 502. Varii modi quibus diuiditur locatum, & pariter conductum, ibid. 503. Beneficiarius, locare potest fructus sui beneficii, sine licentia sui Prælati: & quatenus, 458. 504.
Quatenus possit quis domum quam conduxit, locare tertio, ib. 505.
Non licet locare rem ei qui scitur male vsurus illa, ib. 506.
An liceat rem locabilem locare cuilibet, qui non est male vsurus, ibid. 507.
Tres obligationes locationis, ibid. 508.
De casu in quo conductor potest eiici ob non solutam pensionem, ibid. 509.
De alio casu, in quo eiici potest ob necessitatem superuenientem locatori, 459.510.
De tertio casu, in quo domus indiget refectione, ibid. 511.
De quarto casu, in quo conductor expelli potest, eo quod peruerse in re locata versetur, ibid. 512.
Obligatio locatoris resarciendi damna, quæ conductor patitur, in re locata, ibid. 513.
Obligatio rem vitiosam locantis per ignorantiam, ib. 514.
Sex obligationes conductoris, 460.515.
Tres casus in quibus conductor deserere potest rem locatam, ante expletum tempus locationis, ibid. 516.
Exempla casus grauis necessitatis, superuenientis ex parte rei locatæ, ibi. 517.
Necessitas prouenies ex parte inquilini, non sufficit vt ipse possit rem locatam deserere ante expletum tempus locationis, ib. 518.
De eo qui alterius operam conduxit, & ea non vtitur culpa sua, ibid. 519.
Duæ actiones oriuntur ex locatione, ibid. 520.
Tres conditiones requisitæ, vt in locatione pensio ob sterilitatem remitti debeat, ibid. 521.
Quanta esse debeat ipsa sterilitas, 461. 522.
Sex casus in quibus sterilitas non impedit quin tota pensio soluatur, ibid. 523.
Quando augeri debeat ob maiorem fructuum vbertatem superuenientem, ibid. 524.

Locatio 2. quoad rem locatam. Lib. 25.

DEtrimentum quod in re locata acciderit culpa leui conductoris, est ipsi tribuenda: non item quæ culpa leuissima nisi pactum sit in contrarium, ibid. 525.
Corollaria inde deducta, ibid. 526.
Conductor tenetur ad damnum quod contigerit ob conuentionem factam, à se non seruatam, aut ob ipsius imperitiam, 562.527.
Quatenus conductor aut locator teneatur de culpa eorum, quorum opera vtitur, ibid. 528.
Conductor, si pro custodia mercedem accipiat, de culpa leuissima tenetur, ibid. 529.
Quando item teneatur ad custodiam ex sola vi locationis, ibid 530.
Cui in dubio incumbat probare, interuenisse culpam in custodia rei locatæ, ib. 531.
Quando damnum rei locatæ, datum ab eo qui gerit inimicitias cum conductore, sit huic imputandum, ibid. 532.

Locatio 3. quoad modum quo finitur. Lib. 25.

LOcatio finitur contrahentium dissensu, & quando transeat, vel non transeat ad hæredes vniuersales, ibid. 533.
Quod particularis successor, qualis est emptor rei locatæ, aut is cui donata est, non teneatur stare contractui locationis, 563.534.
Quatuor casus in quibus id fallit, ib. 535.
Tenetur minor aut pupillus stare locationi factæ à suo curatore vel tutore, ib. 536.
Quando vxor teneatur stare locationi à marito factæ, stante matrimonio, ib. 537.
Quando beneficiarius reditus sui beneficii locat proprio suo nomine, successor non tenetur locationi stare, ib. 538.
Quod procedit etiamsi conductor iam soluerit pensionem pro toto tempore locationis, aut aliquid soluerit hæredi beneficiatii post huius mortem, ib. 539.
Quod remedium tunc sit eidem conductori, ib. 540.
Locatio bonorum Ecclesiæ, eiusdem nomine facta per ipsius Prælatum seu Rectorem, transit ad eius successorem, 564.541.
Idem dicendum est de locatione bonorum hospitalis aut ciuitatis, facta per ipsius Rectorem, ibid. 542.
Quando fiscus teneatur locationi factæ ab eo, cuius bona sunt confiscata, ib. 543.
De loco sacro prout in eo sepelitur excommunicatus. vide verbum, Excommunicatio 2. *

Luxuria. Lib. 22.

LVxuria dicitur tam generaliter, tum proprie, hoc que posteriore modo peccatum est suo genere mortale, 240.15.
Quod luxuria peccatum sit capitale, & qua ratione ex ea oriantur peccata quædam interna, filiæ ipsius dicta, ib. 16.
Qua ratione quædam externa, ib. 17.
Septem luxuriæ species, quæ peccata sunt genere suo mortalia: de quibus facienda est specialiter confessio. ib. 18.

M.

Magia. Lib. 17.

MAgia quid, & quotuplex sit, 40.149.
Nec naturalis, nec artificialis est per se illicita: & quomodo sit, per accidens, ibid 150.
Diabolica de se illicita est: & qua ratione discernatur à naturali, & artificiali, ibid. 151.
Regula notanda ad talem discretionem, 41. 152. Vide verbum, Pactum cum dæmone.

Magistrorum & discipulorum obligatio mutua. Lib. 20.

OBligatio mutua prædagogorum, & puerorum eis commissorum, 197.51.
Magistrorum obligatio ex charitate erga discipulos: & specialis imposita doctoribus iuris & medicinæ, ibi 25.
Specialis imposita Doctoribus Theologiæ, 198.53.
Peccata mortalia, quæ contra iustitiam magister committit in ordine ad suos discipulos, ibid. 54.
Casus in quibus discipuli mortaliter peccant, ib. 55.
De excommunicatione imposita magistris, quorum scholas frequentant Religiosi dimisso habitu sui Ordinis. vide verbum Religiosi status vitæ 3. post medium. *

Maledictio. Lib. 18.

MAledictio quando sit peccatum mortale, & quando tantum veniale, 112.103.

Maleficium. Lib.17.

MAleficii definitio & diuisio, 47.175.&176.
Peccatum est grauissimum, ibid.177.
Causæ ob quas diabolus inducit maleficos ad vtendum rebus sacris in maleficio, 48.178.
Quomodo malefici possint nocere viris bonis, aut non possint, ib 179.
De remediis naturalibus aduersus maleficia, quid sit tenendum, ibid.180. Quid de diabolicis, ib.181.
Cur vno tali vti non liceat in remedium alterius, ib.182.
Remedia diuina sola sunt vsurpanda, 49.183.
Et cur non omnes maleficiati per talia non curentur, 50.184.

Mandatum. Lib.25.

QVid sit mandatū, & duo documēta de forma mandati, 477.607.
Documenta de susceptione mandati, & de eiusdem reuocatione, deque obligatione mandatoris, suppeditandi necessaria ad mandati executionem, ibid.608.
De cessatione mandati per mortem mandatoris, aut mandatarii. Et de qua culpa teneatur mandatarius: atque de mandato contra bonos mores, ibid.609.

Matrimonium 1. secundum se absolute. Lib.31

NOmina quibus istud sacramentum appellatur, & eorum ratio, 727.1.
Definitio matrimonii, ibid.2.&728.3.
De eo quod in Christiana lege vnus vir non potest simul habere plures vxores, ibid.4.
De consensu quo perficitur contractus matrimonii, ibid.5.
Consensus in contractum matrimonii est implicite in copulam cōiugalem: quod non impedit quin de communi consensu coniuges possint ab hac abstinere: & quin ea nondum completa, vnus possit sine alterius consensu, ingredi religionem, ibid.6.
Matrimonium tamquam verum sacramentum nouæ legis, vim habet conferendi gratiam sanctificantem, ibid.7.
Matrimonium non est necessarium necessitate medii & quomodo sit necessitate præcepti, ib.8.
Quando institutum fuerit matrimonium in lege naturæ, 729.9.
Quando in lege Euangelica, ibid.10.
Ad matrimonium ita necessarius est coniugum consensus mutuus, vt nulla potestate, sine eo valere queat, ib.11.
Matrimonium nequit esse, nisi vterque coniux vsum habeat rationis, ibid.12.
Contrahens matrimonium sine interiore consensu peccat mortaliter, nec matrimonium valet, 730.13.
Obligatio vetbis tantum cum fœminā contrahentis ad obtinendam illius carnalem copulam, ibid.14.
Protestatio facta non consentiendi in matrimonium, quam vim habeat in foro externo, ibid.15.
Ad matrimonium cum interno consensu requiritur externus quo ille significetur, ib.16.
Debet idem externus esse de præsenti, & potissimum constare verbis: non tamen de necessitate, ibid.17.
Quæ debeant esse verba ea: & documenta notanda in iudicando ex verbis, an contractum sit matrimonium. ib.18.
In dubio de valore matrimonii, iudicandum est in eiusdem fauorem, 731.19.
Documenta ex variis signis iudicandi, verum interuenisse internum consensum in matrimonium, ibid.20.
Consensus verus & elicitus requiritur ad matrimonium: nec debitus sufficit, ibid.21.
Ille in carnalem copulam tantum est implicite, ib.22.
Ad matrimonii validitatem nihil interest, siue vir siue mulier prius exprimat suum consensum: aut si inter vtriusque expressionem, aliquod interuallum temporis intercedat, 732.27.

Matrimonium 2. quoad vinculum eius indissolubile. Lib.31.

VInculi matrimonii tanta est firmitas, vt sit indissolubile, ibid.28.
Vnde proueniat talis firmitas, ib.29.
Matrimonium inualidum, nullum inducit vinculum: validum ratum, & validum consummatum differunt, vt imperfectum & perfectum, ibid.30.
Differunt etiam significatione, & quomodo, 733.31.
Cur vinculum matrimonii consummati sit omnino indissolubile: non item matrimonii rati, ibid.32.
Quid requiratur vt matrimonium infidelium indissolubile sit: quodque ipsum nonnisi improprie dici possit sacramentum, ib.33.
Matrimonium verum Infidelium, non dissoluitur conuersione vnius coniugum ad fidem, ibid.34.
Quando altero volente præseruare in infidelitate, conuerso ad fidem ius sit dissoluendi matrimonium, ibid.35.
Matrimonium etiam consummatum, dissoluitur morte vnius coniugum. Ratum vero, & per professionem factam in religione approbata, ibid.36. Non item per susceptionem sacri Ord nis, ib.37.
Multa quæ relinquuntur videnda apud Thomam Sanchez pro pleniore explicatione, 734.38.
De difficultatibus quando matrimonium censendum sit consummatum: & an oppressio sponsæ per vim aut metum cadentem in constantē virum, impediat ne ea possit ingredi religionem. ib.39
Quatenus matrimoniū consummatum dissolui possit, ibid.40

Matrimonium 3. quoad illius materiam & formam. Lib.31.

DIuersæ sententiæ de materia & forma matrimonii, ibid.41.
Probabilior cæteris, quomodo sit intelligenda, 735.42.
Quatenus sacramentum matrimonii censeatur constare ex rebus & verbis, ibid.43.
Quatenus coniuges dici possint matrimonii materia, ib d.44.
Quid sit iudicandum cum verba sunt dubia: quodque verba sine interiore consensu neq; hic sine illis ad matrimonium sufficiant, ibid.45.
In dubio de consensu, iudicandū est in fauorē matrimonii, 736.46.
Cum verba tam quoad sonum quam quoad significationem fuerint de præsenti, iudicandum est contractum esse matrimonium: cum vero de futuro, solummodo sponsalia, ib.47.
Secus accidit cum verbis de præsenti adiicitur particula trahens ea ad futurū: & verbis de futuro, particula trahens ad præsens. ib.48.
Quid iudicandum sit cum verba fuerint dubia, ib.49.
Quid sit iudicandum cum verba sunt pure negatiua, ibid.50.
Et quid cum verba continent particulas *nisi, quam præterquam*, ib.51.

Matrimonium 4. quoad illius efficientem & finem, ac modos quibus peccatur illud contrahendo. Lib.31.

CAusa prine palis Sacramenti matrimonii est Deus: & secundaria coniuges, 737.52.
Modus quo conficitur matrimonii sacramentum, ibid.53.
Solutio obiectionum quibus impugnatur, quod coniuges dicuntur causa efficiens sacramenti matrimonii. ib.54.
Varii fines matrimonii, 738.57.
Triplex bonum matrimonii, quo triplex eiusdem detrimentum compensatur, ibid.58.
Matrimonium quocumque fine contractum validum est, si substantialia seruentur in eo, alias non: vt si intendatur finis excludens consensum, ibid.59.
An finis repugnant matrimonii indissolubilitati: aut excludens obligationem reddendi debitum: aut seruandi fidem, aut educandi susceptam prōlem, ibid.60.
Intentio non implendi talem obligationem, non reddit de se attionium inuulidum, ibid.61.
Septem modi quibus peccatur contrahendo matrimonium. Primus est ex parte intentionis. Secundus ex parte finis, ibid.62.
Ratio de hoc iudicandi, quinque conclusionibus comprehensa, ibid.63.
Tertius modus ex parte impedimentorum. Quartus ex parte modi. Quintus ex parte ordinis. 739.64. Sextus ex parte temporis, & septimus ex parte contrahentium, ibid.65.

Matrimonium quoad impedimentum ægre mentis aut coniugii. Lib.31.

DEfectus ægre mentis seu vsus rationis, impedit matrimonii validitatem, 740.66.
Amentes non sunt permittendi coniungi, etiamsi id exoptent. ib.67.
Quando sit aut non sit peccatum inire matrimonium cum furioso, habente lucida interualla, ibid.68.
Stante matrimonio etiam nondum cōsummato secundum iniri nequit, non obstante quod alter coniux probabiliter putetur mortuus. ibid.69.
Duæ conditiones requisitæ vt mulier possit tuta conscientia inire secundas nuptias, ibid.70.
Quatenus, indicia aut fama de morte mariti, possint sufficere fœminæ ad contrahendum licite cum secundo, ibid.71.
Non est separanda mulier eo solo nomine, quod propria authoritate nupserit: & ad quid ea teneatur, cum dubitat an prior maritus adhuc viuat, aut scit adhuc viuere, 741.72.
Quando sit validum matrimonium contractum mortua vxore, quam contrahens existimat viuere, ibid.73.
Pœnæ ducentes vxorem priore adhuc viuente, ib.74.

Matrimonium 6. quoad impedimentum metus grauis. Lib.31.

DVo modi quibus vis seu metus grauis, potest impedire matrimōnium: & diuersitas fori exterioris & interioris in iudicando de consensu in matrimonium. 742.75.
Quando conditiones requisitæ, vt per metum reddatur matrimonium inualidum: quarum prima est, vt malum quod timetur sit graue, ibid.76.
Itemque probabiliter immineat, ib.77.
Secunda conditio requisita, vt metus sit ab homine extrinsecus incussus & tertia, vt sit incussus ad obtinendam celebrationem matrimonii, ibid.78.
Quarta, vt sit iniuste incussus: & nonnulla quæ ex ea inferuntur, ibid.79.
Qui per metum cadentem in constantem virum matrimonium contrahit, non peccat; etsi contrahat inualide, 743.80.
Metus peccati mortalis censetur cadens in constantem virum: & de veniali quid sit tenendum, ibid.81.
Metus amissionis bonorum, metus infathiæ, metus excommunicationis; & metus lucri cessantis, quatenus censeantur cadere in constantem virum, ibid.82.
De metu reuerentiali: & quod ex eo sine adiectione mutuatum contractum matrimonium sit validum, ibid.83.

Moderatio cum qua id accipiendum est: & de minis coniunctis metui reuerentiali, ib.84.
In quos cadat metus reuerentialis: & an importunæ preces adiunctæ eidem metui, ipsum faciant cadentem in virum constantem, 744.85.
Quatenus non possint aut possint inferiores à Superioribus compelli ad matrimonium, ib.86.
Matrimonium contractum metu cadente in constantem virum, non reddi validum per adiectum iuramentum: neque vim habere sponsaliorum, ibid.87.
Nulla est obligatio contractus matrimonii per metum cadentem in virum constantem, initi de futuro: etiamsi adiectum sit iuramentum de non contraueniendo ei, ib.88.
Obiectio in contrarium, cum solutione, ib.89.
De dubio, an validum sit matrimonium contractum & consummatum metu cadente in constantem virum; aliud tenendum est quoad forum externum, & aliud quoad internũ: & quid, 745.90.

Matrimonium 7. quoad impedimentum erroris. Lib. 31.

QVæ ignorantia significetur nomine erroris constituentis impedimentum matrimonii, ibi.91.
Error circa personam, iure naturali impedimentum est validitatis matrimonii, ibid. 92. Non item error circa personæ qualitatem: nisi sub illius conditione, matrimonium contrahatur, ib. 93. Aut cum illius errore, inuoluatur error personæ. Quod an contingat, qua ratione deprehendatur, ibid.94.
Tria requisita vt error qualitatis, errorem personæ inuoluere censeatur, ibid.95.
Impedimentum erroris circa qualitatem conditionis seruilis, 746.96.
Cur alii contractus, non autem matrimonium, per errorem circa quantitatem aut qualitatem rei, reddantur inualidi, ib.97.
Duo adhuc errores, quibus matrimonium redditur inualidum, ibid. 98.

Matrimonium 8. quoad impedimentum impotentiæ ad carnalem copulam. Lib. 31.

IVre naturæ impotentia ad carnalem copulam impedit matrimonii validitatem, quodque ea sit duplex: naturalis, & aduentitia, ibid.99.
De eo, quod talis impotentia debet esse perpetua, 747.100.
Copula carnalis necessaria ad matrimonii consummationem, requirit vt vir semen virile effundat in vas fœmineum: quod cum non potest, ipse incapax est matrimonii, ibid.101.
Variorum casuum decisiones inde deductæ, ib 102.
Sterilitas non facit incapacem matrimonii eum, qui capax est prædictæ copulæ. ibid 103.
Impotentia perpetua ad copulam coniugalem ex quacunque causa prouueniat, facit incapacem matrimonii: & signa prouenientis ex maleficio, ac remedia aduersus eam, 748.104.
In dubio quod vinci non potest, præsumitur pro matrimonio: & quatenus peccet, qui contrahit matrimonium dubitans an impotens sit. ibid.105.
De triennio experientiæ, quod non requiratur ad determinandam quando impotentia ad copulam perpetua esse satis cognoscitur, ibid.106.
Quod idem requiratur cum incertum est impotentiam esse perpetuam: & à quo tempore ipsum sit computandum, ib.107.
Coniux à coniuge recedens ob impotentiam, si id fiat ante expletum triennium experientiæ, reuocari potest: non item si post, ib.108.
Post dissolutum ob impotentiam matrimonium, si in eo erratum esse deprehendatur, idem restaurandum est, 749.109.

Matrimonium 9. quoad sanguinis impedimentum de iure naturali. Lib. 31.

IVre naturali consanguinitas impedit matrimonium, & quid sit consanguinitas, ib.110.
Duplex linea consanguinitatis, vtraque habens suos gradus, & quomodo, ibid.111.
Affinitas est consanguinitatis comes, & quomodo, 750.112.
Tres modi quibus matrimonium illicitum esse potest de iure naturali, ib.113.
Matrimonium contractum in tertio aut quarto gradu quomodo sit iure illicitum, & quomodo contractum in primo vel secundo gradu, ibid.114.
Gradus *In cap.18. Leuitici* prohibiti tanquam aduersantes rationi: & obiectio quæ fieri potest, cum solutione, ib.115.
Iusta causa dari non potest matrimonii patris cum propria filia, 751.116.
In aliis gradibus dari potest, & quæ, ib.117.
Patris cum filia matrimonium est iure naturæ non modo illicitum, sed etiam inualidum: & quomodo, ibid.118.
Difficultas, an idem sic dicendum de aliquibus aliis gradibus, vt de coniugio fratris cum sorore, ibid.119.

Matrimonium 10. quoad impedimenta sacri Ordinis, voti, & sponsaliorum firmorum. Lib. 31.

IVre canonico sacros Ordines suscipere impeditur matrimonio initiatus: iure naturali non item, 752.120.
Duæ conditiones requisitæ vt tale impedimentum habeat locum, ibid.121.
Explicatio difficultatis, an ille qui post contractum matrimonium, sed nondum consummatum, suscipit sacrum ordinem, teneatur ingredi religionem, & possit ad id cogi, ib.122.
Solum votum solemne, est impedimentum matrimonii: idque de iure tantum ecclesiastico, ib.123.
Causa inducendi talis impedimenti, 753.124.
Responsio ad fundamentum dicentium per votum solemne, matrimonium irritari iure diuino, ibid.125.
Impedimenti sponsaliorum firmorum diuersitas secundum ius antiquum, & secundum nouum Concilii Trident. ib.126.
Defectus omnino occultus, etsi cætera requisita de iure adsint, non obstat quin sit locus huic impedimento, ib.127.
Quatenus sponsalia de præsenti inducant istud impedimentum, ibid.128.
Quatenus idem inducant sponsalia conditionata, aut contracta à parentibus nomine filiorum, aut de præsenti ab impuberibus, ib. 129.

Matrimonium 11. quoad impedimentum homicidij & adulterii. Lib. 31.

DVæ conditiones communes homicidio, & adulterio quoad effectum impedimenti matrimonii, & tres propriæ homicidio, 754.130.
De conditione vt homicidium factum sit ad finem contrahendi matrimonium an sit necessaria, ibid.131.
Ex quo adulterio impedimentum matrimonii oriatur, ib.132.
Differentia in hac re inter homicidium nudum, & homicidium coniunctum cum adulterio, 755.133.
Conditiones requisitæ, vt idem impedimentum oriatur ex adulterio coniuncto cum matrimonio inito cum adultera, aut cum promissione de inundo, facta ei viuente adhuc propria vxore, ib.134
De ea quod adulterium debeat esse verum, ibid.135.
De alia quod promissio matrimonii debeat signo externo expressa esse: & quid si id non ex animo, sed ficte fiat. Quid item, si promissio sit conditionata, ibid.136.
Responsio ad dubia, an ad hoc impedimentum requiratur, vt promissio matrimonii sit iurata: & an requiratur vt sit reciproca, ibi. 137.

Matrimonium 12. quoad impedimentum quadruplicis cognationis. Lib. 31.

QVæ sit ea quadruplex cognatio, 756.138.
Ad quem vsque gradum consanguinitas impediat matrimonii validitatem, ibid.139.
Quædam aduertenda circa cognationem consanguinitatis, ibid. 140.
Diuersa ratio computandi gradus eiusdem secundum ius canonicum, & secundum ius ciuile, 757.141.
Modus iudicandi quoto gradu aliqui inter se distent secundum ius canonicum, 758.142.
Corollaria quæ ex eodem modo deducuntur, ib.143.
Gradus affinitatis eodem modo, quo gradus consanguinitatis sunt computandi, 759.144.
A quibus contrahatur affinitas dirimens matrimonium, ib 145.
Ad eam contrahendam requiritur carnalis copula, siue licita siue illicita, ib.146.
Restrictio per Concilium Trident. facta, quoad gradus affinitatis prouenientis ex fornicatione: & quomodo debeat ibi sumi nomen fornicationis, ib.147.
* Cognatio spiritalis dirimens matrimonium, oritur tantum ex baptismo & Confirmatione: varieque distinguitur, secundum ius antiquum, ib.148.
Secundum ius nouum Concilii Trid. quibus personis contingat talis cognatio: quodque ea non transfundatur à viro in vxorem, nec contra. 760.149.
Nec item contrahatur inter eos qui simul suscipiunt vnum & eundem infantem: & qui in hac re nomine parentum intelligantur: quodque hoc ipsum impedimentum sit perpetuum. ibid.150.
* Concilii Tridentini statutum de patrinis: & quid in eis requiratur ad contrahendum hanc cognationem, ib.151.
Quod statutum habet locum in Confirmatione sicut in baptismo: & quid iuris de iis qui funguntur patrini officio, ad quod non sunt destinati, aut sunt contra ius destinati. 761.152.
Quid item iuris de iis quos Parochus baptizaturus aut iuste repellit, aut contra ius admittit, aut ipsemet designat, ib.153.
Episcopus licentiam dare non potest, vt plures quam duo diuersi sexus sint patrini eiusdem: & quando incurratur hæc cognatio, cum baptismus, & illius solennitas non fiunt simul, ibid.154.
Intentio requisita in patrinis ad contrahendam hanc cognationem, ibid.155.

Cum per procuratorem de sacro fonte infans suscipitur, nec procurator ipse, nec is qui illum commisit, incurrit istam cognationem, 762.156.
Qui possint, & q ii non possint patrini munere fingi, ibid.157.
* Vnde dicatur cognatio legalis: ac quid & quotuplex sit adoptio, ibid.158.
Variæ differentiæ inter perfectam & imperfectam adoptionem, ibid.159.
In quibus vtraque conueniat, ibid.160.
Cognatio legalis imperfecta non dirimit matrimonium, ibid.161.
Perfectæ dirimentis, tres sunt species: prima, paternitas: secunda affinitas: quibus commune est dirimere perpetuo matrimonium, 763.162.
Tertio, fraternitas: quæ non durat perpetuo: & id quo modo, & cur. ibid.163.

Matrimonium 13. quoad impedimenta raptus, disparitatis cultus, & ætatis. Lib. 31.

QVid sit raptus, & quod ad dirimendum matrimonium debeat esse factus causa ipsum contrahendi, ibid.164.
Corollaria inde deducta de cõtracto eiusmodi impedimẽto, ib.165.
Ex impedimento defectus baptismi, matrimonium contrahi non potest inter fidelem, & infidelem, ibid.166.
Tale impedimentum solum est de iure ecclesiastico: ita vt Papa possit in eo dispensare: & matrimonium interuentu talis dispensationis contractum, sit verum: etsi non sit Sacramentum. 764.167.
Inter catholicum & hæreticam matrimonium contractum est verum, & Sacramentum esse potest, ibid.168.
De peccato quod committitur tale contrahendo; addita responsione ad quandam obiectionem de illius inualiditate, ibi.169.
* Ætas de iure canonico necessaria ad matrimonii validitatem, ibid.170.
Puberes etiamsi nondum capaces copulæ carnalis, possunt valide contrahere. Et quatenus peccatum sit mortale ante annos pubertatis contrahere sine iusta excusatione, 765.171.
Quinam sunt anni pubertatis, & quid sit proximum esse pubertati, & malitiam supplere ætatem. ibi.172.
Modi quibus cognosci potest eiusmodi proximitas, ibid.173.
Expectanda est plena pubertas, ad iudicandum an matrimonium contractum inter impuberes fuerit nullum: & quod ob bonum pacis, tale matrimonium permittatur. ibid.174.

Matrimonium 14 quoad impedimentum defectus testium & præsentiæ Parochi. Lib. 31.

EX Concilio Trident. tale impedimentum habetur: cuius decretum debet in Parochia specialiter promulgari, vt vim sortiatur: non vero Parochum, cuius præsentia requiritur, aliquid dicere, 766.175.
Idem impedimentum habet locum in articulo mortis, cum quis contrahit in loco, vbi memoratum decretum est dicto modo promulgatum, ibi.176.
Alterutrius contrahentium præsentia proprii Parochi, sufficit ad matrimonii validitatem, ibid.177.
Qui comprehendantur nomine proprii Parochi cuius præsentia requiritur ad validitatem matrimonii, ib.178.
Quatenus prohibitio Episcopalis ne Parochus aut alius de ipsius licentia matrimonio assistat, impediat aut non impediat eiusdem matrimonii validitatem, 767.179. Proprii Sacerdotis delegatus, sicut & ipse, potest extra parochiam assistere matrimonio, sufficienter ad illius validitatem: & qualis debeat esse talis delegatio seu licentia vt censeatur sufficiens, ibid.180. De licentia tacita ex ratihabitione, quid sit tenendum: & quid cum quis simplici Sacerdoti dicit se licentiam habere contrahendi ipso assistente, ibid.181.
Validitati matrimonii non obstat, quod Parochus aut testes metu aut dolo adducti sint, ei assistere. Et quando sponsalia transeant in matrimonium per secutam copulam carnalem, ibid.182.
Quinis habens vsum rationis potest esse testis & procurator in matrimonio. Et casus in quo ad matrimonii validitatem nec Parochi, nec testi in præsentia requiritur. ibi.183.

Matrimonium 15. quoad impedimenta eius minora. Lib. 31.

VOtum simplex castitatis quatenus impediat matrimonium, 768.184.
Mortaliter peccat contrahens matrimonium cum habente votum simplex castitatis expressum, aut implicitum: & quidiuris, si tale votum sit conditionale, ibid.185.
Quid sit agendum cum eo qui interrogat, num adstrictus voto simplici castitatis possit valide contrahere matrimonium. ibi.186.
Impedimentum sponsalium, ibid.187.
Impedimentum interdicti Ecclesiæ, quod violatur solennitate matrimonii celebrata certis diebus: & in quo consistat talis solemnitas, 769.188.
Alii duo modi quibus violatur, ibid.189
De impedimento catechismi, quod sublatum sit per Concil. Trident. ibid.190.
Impedimentum septuplicis peccati, ibid.191.
Consuetudo obtinuit vt dispensatio in tali non petatur, ibi.192.

Matrimonium 16. quoad illius dispensationem. Lib. 31.

IN impedimentis matrimonii, quæ sunt iuris naturæ Papa propriè dispensare non potest: 770.193.
De causis in matrimonio dispensandi, vsu receptis in Romana curia: defectus dotis, extinctio litis, & non habere alias parem, cum quo contrahatur matrimonium, 771.196.
Aliæ causæ quæ existimantur iustæ, ibid.197.
Surreptio & obreptio reddunt dispensationem inualidam: & quod ad vitandam surreptionem experimenda sint quæ de iure aut stylo Romanæ curiæ debent exprimi. ibi.198.
De excusatione in ea re, ibid.199
Quæ in diuersorum impedimentorum dispensatione obtinenda exprimere necessarium est, ne ea sit surreptitia, ibid. 200. Clausulæ dispensationum quæ pro foro conscientiæ exped untur in sacra pœnitentiaria, 775.214. & sex sequentibus.
Pro foro conscientiæ dispensatio gratis datur, 777.221.
* Quam potestatem Episcopus habeat dispensandi in impedimentis matrimonii, 772.201.
Episcopus vrgente necessitate, dispensare potest in maioribus matrimonii impedimentis iuris ecclesiastici, concurrentib. aliquot circunstantiis: & quibus, ibid.202.
Quod cum iisdem circumstantiis requiratur bona fides. ibid.203.
In casu necessitatis potest Episcopus dispensare, cum eo etiam, qui cum diues sit, potest Romam mittere: itemque cum eo qui plura habet impedimenta, 773.204.
Potest perinde dispensare ante contractum matrimonium, ac post contractum, ibid.205.
Dispensatio Episcopi in memoratis impedimentis non valet pro foro externo: & quando nec pro interno, ibid.206.
* Potest Episcopus delegare suam potestatem dispensandi in iisdem impedimentis, ibid.207.
Potestas delegata dispensandi in impedimentis matrimonii, quatenus subdelegari possit, & quatenus reuocari, ibid.208.
Potestas eadem triplex est; personalis, realis & mixta: quarum prima & tertia cessat morte delegati, aut amotione ab officio: sed secunda transit ad successorem, 774.209.
Quando cesset delegatio morte delegantis, aut habita ratione modi delegandi, ibid.210.
Ad valorem potestatis delegatæ, scriptum necessariũ non est, ibi.211.
Pro quo tempore verificari debeat causa dispensationis, vt hæc per delegatum data valeat, ibi 212.
Non est incapax dispensationis, qui renunciauit gratiæ sibi concessæ ad illam obtinendam: & quatenus possit reuocari concessa dispensatio, ibid.213.

Matrimonium 17. quoad illius promulgationes. Lib. 31.

*PEr omissionem promulgationum matrimonii, ipsum non redditur inualidum, 777.222.
Non præmissis promulgationibus contrahentes peccant mortaliter: itemque parochus eis assistens, 778.223.
Casus aliquot excepti, ibid.224.
Modus faciendi promulgationes iuxte communi præscriptas: ac de parochia in qua, & Parocho à quæ sunt faciendæ, ibi 225.
De diebus quib. faciendæ sunt matrimonii promulgationes, ib.226.
Non est contra pta scriptum ecclesiasticum promulgationes matrimonii tempore & loco non sacro fieri: & casus in quo postpo i possunt celebrationi matrimonii. ibid.227.
Obligatio reuelandi, quam promulgationes matrimonii inducunt, est sub mortali, 779.228.
Duo casus excepti, ibid.229.
Aliquot casus, in quibus repellitur quis ab accusatione matrimonii, ibid.230.
Aliqua specialia accusationum propositarum, in quibus à cæteris accusationibus differunt, ibid.231.
Vt omittantur tales promulgationes, dispensare potest Ordinarius: siquæ diuersum coniuges habeant Ordinarium sufficit alterutrius dispensatio, ibid.232.
Generalis Vicarius Episcopi potest eandem dispensationem dare, non item Parochus, 780.233.
Quatenus possint Episcopus, & Vicarius ipsius delegare suam in hac re potestatem. ibid.234.
Neuter potest, nisi iusta causa dispensare: & duodecim tales causæ, ibid.235.
Quando Superior obligetur talem dispositionem dare: & quid liceat, cum ipse adiri non potest, aut iniuste eam negat, ibi.236.
Peccatum est mortale consummare matrimonium ante factas illius promulgationes. 781.237.
Non vero ante Ecclesiæ benedictionem: & quod contrahentes, si ab aliis non detegatur ipsorum impedimentum, ipsi sub mortali teneantur detergere, illud scientes, ibid.238.
* Ad quid teneatur Parochus vagos cõiunctus matrimonio. ib.239.
Suos Parochianos contingere potest Parochus sua authoritate, si præmissis denunciationibus nullum obiiciatur impedimentum: sin obiiciatur, aut ipse nouit aliquod, potest matrimonium interdicere. ibid.240.
Qualiter se debeat gerere Parochus, quando cum habente impedimentum, dispensatum est tantum in foro interiori, ibi.241.
Quid sit matrimonium contr. h in facie Ecclesiæ: & quid agere

debeat Parochus, quando impedimentum nouit tantum ex sacramentali confessione, 782.242.

Matrimonium 18 quoad conditiones ei appositas, & ignorantiam impedimentorum eiusdem. Lib. 31.

DIfferunt hæc: matrimonium esse cum causa, & esse cum demonstratione, ac esse cum modo, atque esse cum conditione: & quod nec demonstratio, nec causa, nec modus vitient sponsalia, 789.270.
Probabile est, conditiones quæ in matrimonio admittuntur vel reiiciuntur, admitti quoque & reiici in sponsalibus: & varietas talium conditionum, ibid.271.
Conditiones nou reddentes matrimonium conditionale, 790.272.
De conditionibus honestis & possibilibus, quæ reddunt matrimonium conditionale, 273.
Conditio apposita contra substantiam, aut bona matrimonii, reddit ipsum inualidum, ib.274.
Quid iudicandum, si non sit quidem contraria, sit tamen turpis, aut impossibilis: & quid de conditione impertinente, ibi.275.
Quando matrimonium contractum est ob impedimentum incognitum, ad illud validandum opus est nouo vtriusque partis consensu: & de ratione qua possit haberi vitando incommoda subeunda a parte, quæ impedimento causam dedit, ibid.276.
Duæ tales rationes notandæ pro casu in quo pars nescia impedimenti, non potest facile conueniri de renouatione consensus, 791.277.
Quando matrimonium contractum est secundum formam Concilii Trident. sed inualide ob impedimentum occultum; vt reualidetur per nouum consensum, non est necessarium eamdem formam denuo seruari: vt nec iterum benedictionem Ecclesiæ accipere, ibid.278.
Qui nouit matrimonium suum esse nullum ob impedimentum dirimens, in nullo euentu potest etiam idipsum ignoranti, reddere coniugale debitum, 792.279.
Remedia aduersus incommoda quæ sequi possunt ex talis debiti iusta negatione, 792.280.

Mendacium. Lib. 24.

QVid sit mendacium, 313.1.
Simulatio sic est mendacium, vt tamen possit nonnunquam a peccato excusari, & quando possit, ibi.2.
Intentio fallendi quomodo spectet ad mendacium: & quæ intentio dicendi falsum excusetur a peccato, ibi.3.
Varia diuisio mendacii, 314.4.
Octo species illius a D. Augustino positæ, ib.5.
Mendacium ita mixtum esse, vt nunquam licitum esse possit, ib.6.
Corollaria inde deducta, ibid.7.
Responsio ad obiectiones de Abrahamo, Iacob, Raphaele, qui videntur mentiti, ibid.8.
Mendacium iocosum aut officiosum de se, tantum est peccatum veniale, 315.13.
Adiuncto iuramento, est mortale, aut adiuncto scandalo (quo modo admitti potest in perfectis vitis esse mortale) aut adiuncto mendacio pernicioso, 316.14.
Ob solam assiduitatem ipsum proferendi, non est censendum mortale, ib.15
Mendacium pernicioſum, mortale est ex suo genere: sed fit veniale ex leuitate materiæ, vel ex defectu plenæ deliberationis, ib.16.
Mendacium pernicioſum in materia fidei grauissimum est: & quæ ad illud reuocentur, ibi.17.
Quando violare promissionem factam, mendacium sit mortale, 317.18.
Mendacium pernicioſum mortale committitur ab eo, qui falsò quod non habet tribuit sibi ad obtinendum in beneficium Ecclesiasticum, ibid.19.

Metus Lib. 31.

METus cadens in constantem virum, & metus reuerentialis, 742.75. & pluribus sequentibus, vide verbum Matrimonium sexto.*

Minister.

MInister requisitus in celebratione Missæ lib.29.584.163. & duobus sequentibus, vide verbum Missa 2.*

Minor annis.

QVatenus minor annis sit, aut non sit habilis ad contrahendum, vide verbum Contractus. 7. in principio.

Missa 1. quoad illius partes, dignitatem ac ceremoniarum significationem. Lib. 29.

SEptem partes distinguuntur in Missæ celebratione, & quid conueniat in singulis agere, 168.28.
Dignitas Missæ ostenditur primo, ex oblatione, 169.29. Secundo, ex fine, ibid.30. Tertio, ex iis quæ fiunt ab Ecclesia, 170.31. Quarto ex bonis, quæ ea nobis adfert, ibid.32. Significatio instrumentorum Missæ & vestium Sacerdotalium, ib.33.
Significatio ceremoniarum, & partium Missæ, ib.34.

Missa 2. quoad rationem quam habet sacrificii. Lib. 29.

EVcharistia & sacramenti, & sacrificii rationem habet, 580.143.
Ad quam sacrificii rationem pertinet, vt sit oblatio corporis & sanguinis Christi, expressiua sacrificii in cruce facti, ib.144.
Nullum aliud sacrificium, quam Missæ, institutum est in lege noua: & quomodo per ipsum vnicum impleantur quæ variis sacrificiis veteris legis præfigurata sunt de eo, ibid.145.
De actione in qua consistit essentia sacrificii Missæ. ibid.146.
Modus quo conditiones sacrificii inueniuntur in consecratione Eucharistiæ: & quid videatur tenendum de oblatione, quæ in canone Missæ adiicitur consecrationi: quid, de Eucharistiæ consumptione, 581.147.
Fidelium cœtus qua ratione censeatur sacrificium offerre cum Sacerdote, ibid.148.
Multiplex vis sacrificii Missæ, ibid.149.
Ea prouenit ex sacrificio crucis, cuius meritum nobis applicatur, ibid.150.
Bona ad quæ impetranda, sacrificium Missæ prodest, 582.151.
Finitus est sacrificii Missæ valor, ib.152.
Eiusdem valoris diuisio in generalissimum, specialissimum, & specialem: & qui cuiusque eorum sint capaces, ib.153.
Meritum sacrificii crucis per sacrificium Missæ nobis applicari potest: tum ex opere operantis, tum ex opere operato: & quando hoc posteriore modo, ibid.154.
Missæ sacrificium de se, fructus suos profert ex opere operato, 583.155.
Aliter tamen, quam sacramenta suos proferant, ibid.156.
Difficultas, an sacrificium Missæ pro pluribus oblatum, minus prosit singulis, quam oblatum tantum modo pro vno, ibi.157.
Requisita in Sacerdote ad debite, & inculpate celebrandum, ibi.158.
Sacris vestibus ipsum indutum esse oportet, 584.159.
De forma talium vestium, quænam sit. & quandonam debeat amissa censeri, ibid.160.
Omissio earum, non modo omnium: sed & vnius tantum, peccatum est mortale: à quo deliberationis defectus excusat, non item materiæ paruitas, quæ assignari non potest: & quid de metu mortis, ibid.161.
Quid tenendum sit de celebratione cum sacris vestibus sordidis aut enormiter detritis, aut sine calceis, aut aperto capite, aut sine vestibus vsualibus, ibid.162.
* Sacerdos celebrans Missam debet vnum saltem habere sibi ministrantem, oportetque masculum eum esse, non fœmellam, ib.163.
Quæ necessitas possit facere licitam Missæ celebrationem sine ministro, ibid.164.
Ad quæ teneatur ministrans Sacerdoti celebranti: & quatenus liceat ad tale ministerium adhibere nescientem ab ipso dicenda, 585.165

Missa 3. quoad illius celebrationem. Lib. 29.

QVæ sit Sacerdotis obligatio celebrandi Missam, 551.49.47. & 585.166.
Pro quo tempore sit Sacerdotum obligatio celebrandi Missam, ibi.167.
Obligatio quotidie celebrandi quando contingat, 586.168.
Ea non astringuntur quidem singuli Sacerdotes: laudabile tamen est ipsos quotidie celebrare, ibid.169.
Dies in quibus non est licitum celebrare, ib.170.
Non est licitum eidem Sacerdoti eod. die plures celebrare, exceptis aliquot casibus: & quibus, ibid.171.
Notanda de casu, quo contingit vnum Parochum habere plures Parochias, 587.172.
Pars diei in qua licet Missam celebrare, est ab aurora ad meridiem: & quid auroræ nomine significetur, ibid.173.
Exceptio diei Natiuitatis Domini, atque priuilegii, quo cedetur præuenire illud tempus, aut vltra illud differre celebrationem, ibid.174.
Celebratio Missæ, vt licita sit, requirit locum sacrum, aliquot casibus exceptis, ibid.175.
Primus cum interuenit licentia Episcopi, ibid.176.
Secundus cum necessitas vrget, 588.177.
Tertius cum habetur Papæ priuilegium. In quo quid sit considerandum, ib.178.
De celebratione in Ecclesia polluta, ibid.179.
Variis modis polluitur Ecclesia: vide verbum Pollutio.

Missa 4. quoad requisita ad illius celebrationem. Lib. 29.

NEcessarium est altare ad Missæ celebrationem: quod potest esse aut fixum, aut portatile, 590.188
Ex qua materia, & quantæ magnitudinis debeat esse altare, ib.189.
De eiusdem consecratione & mystica significatione, ac de difficultate, An ad talis consecrationis substantiam pertineat, vtria eo ponantur reliquiæ, 591.190.
De altari in ordine ad locum in quo erigitur, ibid.191.
Per enormem fractionem, altare tam portatile quam fixum amittit consecrationem: & fixum adhuc per tabulæ consecratæ remotionem à structura cui superponitur. Ecclesia vero, nullam indefacit sacturam consecrationis. ibid.192.
Cuius authoritate ædificari possit altare, ibid.193.
De pallis seu mappis necessariis in altari ad celebrationem Missæ ibid.194.

De corporali, quale esse debeat, 592.195.
De lucerna ardente requisita in altari tempore celebrationis Missæ,
De Missali & Cruce, item requisitis, ibid.197.
* De calice & patena adhuc requisitis, ex qua materia esse debeant, ibid. 198.
In eis consecratio cessat per ipsorum fractionem: & an etiam per ipsorum deauratione, 593.199.
Quando calix amittat consecrationem per separationem cuppæ à pede, ibid.200.
Quas res sacras Laici possint tangere: & quas non possint, ibid.202.
In hatu numero est corporale: & a quo ipsum lauari debeat, ib.203.
Illicitum est ad vsus prophanos vti rebus sacris: & de prohibitione, ne mortui obuoluantur palla sacra, 594.204.
Res sacras, ne quidem amissa consecratione reducere licet ad vsus prophanos: & quod res prophanæ possint sactæ fieri, ibid.205.
Quæ in Missa concurrunt ad illius constitutionem, sunt tum verba, tum facta, ibid.206.
Obligatio recitandi omnia, quæ ritus celebrandi continet in Missali: quodque ea sit sub mortali: à quo excusat non modo inconsideratio seu etiam materiæ leuitas: & quo modo, ib.207.
Sitne obligatio dicendi Missam quæ pro die occurrente præscribitur in Missali: & quid sit agendum cum aliquid est omissum, ibid. 208.
Non licet verba addere ad ea quæ præscripta sunt in Missali, dicenda celebrando Missam. Et quando talis additio sit peccatum mortale, ibid.209.
Sicut ritus in Missali præscriptus, debet sub peccato seruari sine diminutione & additione quoad verba: ita debet quoad facta seu ceremonias: & quatenus tale peccatum sit mortale, 595.210.
Quatenus Papæ dispensatione, aut necessitate vrgente, possit ab eodem peccato excusatio esse, ibid.211.
Modus pie obseruandi quæ ad ritum celebrandi spectant, ibid.212.
Documenta aliquot de defectibus contingentibus in Missæ celebratione, ibid.213.
De obligatione audiendi Missam diebus festis, vide verbum Festi dies 2.

Missa 5. quoad eleemosynam quæ datur pro ea celebranda, Lib.23.

QVando possit Sacerdos maiorem eleemosynam accipere pro celebrandi Missa quam sit taxata institutione Superioris, aut consuetudine, 301.232.
Oppositæ sententiæ de dubio, An Sacerdos satisfacit dicendo vnam Missam pro pluribus à quib. singulis singulas accepit eleemosynas sufficientes, 301.233. Pars negans tenenda, ib.234.
An mortale peccatum sit de se, non dicere Missam pro illo, qui vt ea diceretur, dedit stipendium taxatum, 302.235.
Quando peccet mortaliter, qui accepto stipendio pro pluribus Missis celebrandis pro longum tempus differt celebrationem, ib.236.
Documenta anticipata celebratione Missarum pro iis, qui daturi sunt eleemosynam pro celebrandis, ibid.237.
Quatenus obligatio, quam Parochus habet celebrandi pro sua Parochia impediat ne possit stipendium pro celebranda accipere, ibid. 238.
De eo quod faciendum est, cum monasterium aut alia Ecclesia onus habet celebrandi tantum Missarum numerum, vt ei satis facere non possit, ib.239.
Quando is qui plures eleemosynas accepit vt curaret Missas dici, possit sibi aliquid reseruare de summa accepta, 303.240.
Quomodo lex fieri possit ab ab Ordinario, vt laici tantum dent nec minus pro celebratione Missæ, ibid.241.

Modus virtutis Lib.16.

VArius est modus virtutis, 2.3.
De supernaturali modo generali, quatenus cadat sub præceptum, 3.4. &.5.
Quatenus cadat generalis modus naturalis, 6.7.& 8.

Mollities & pollutio carnalis. Lib.22.

DEfinitio mollitiei, cum annotatione de distillatione, quæ ei affinis est, 245.39.
Quod mollities sit peccatum mortale, sit & procuratio memoratæ distillationis, ibid. 40.
Modi varii quibus contingere potest carnalis pollutio, 246.41.
Obligatio sub mortali remouendi causam futuræ pollutionis carnalis, cessat ob necessitatem agendi, ad consequendum, notabile commodum, aut vitandum notabile incommodum, ib. 42.
Difficultas, An eadem aliquando cesset, si absit agendi necessitas, ibid.43.
De malitia pollutionis, in sua causa præuisa quidem, non tamen intenta, 247.44.
De peccato quod committitur dando occasionem distillationi aut commotioni spirituum deseruientium effusioni seminis, ib.45.
De pollutione non intenta, & de iam inchoata, 46.
De inuoluntaria, & notanda pro illius sufficienti explicatione in confessione, ibid.48.

Monopolium. Lib.25.

QVid specialiter, quidque generaliter dicatur monopolium: & quomodo specialiter dictum, si authoritate publica fiat, censeatur licitum, 422.327.
Quando sit, vel non sit licitum monopolium, per quod negotiatores inter se conueniunt de non vendendis mercibus, nisi pretio taxato, suo arbitratu, ibid.328.
Par iudicium de nonnullis aliis positis in vsu, ibid.329.
Quatenus licitum sit, vel non sit monopolium, in quo negotiatores supprimunt suas merces, vt dum apparent pauciores, crescat pretium illarum, ibid.330.
Quatenus illud in quo pauci congerunt omnes merces certi generis, vt illas pro arbitratu postea vendant, 425.331.
Impediens ne maior mercium copia aduehatur, quomodo peccet, ibid. 332.
Demonopolio emptorum: & quod ex monopolio non nascatur obligatio ad restitutionem, si iustum pretium in eo seruetur, ibid. 333.
De monte pietatis, vide verbum Mutuum, 2.*

Murmuratio

QVid sit murmuratio, & quod sit tum contra Deum, tum contra Prælatum quæ quando sit mortalis, & quando venialis, non detur regula generalis lib. 24.350.173.

Mutuum 1. secundum se. Lib.25.

VAria mutui acceptio, 385.164.
Definitio mutui cum explicatione singularum partium eius, 386.165.
Differentia mutui à cæteris contractibus, ex diuersitate materiæ, ibid. 166.
Alia differentia ex diuersitate effectus, ibid.167.
Diuisio mutui in expressum & tacitum seu palliatum, 168.
Aliæ diuisiones eiusdem, ibid.169.
Vt mutuum sit licitum, quis illud dare, de quo dari, & cui dari debeat, 387.170.
Cur item, & quomodo, quando, ac quo ordine, & vbi dari debeat, ibid. 171.
Quæstio, An mutuum dare sit in præcepto, ibid.172.
Verba Christi Lucæ sexto Mutuum date, continere præceptum: & quando idipsum obliget, ibid.173
Obligationes quæ ex parte mutuantis oriuntur ex mutuo: ac quæ oriantur ex parte mutuatarii, 388.174.
De actione quæ oritur ex mutuo: cui, & quando competat, ib.175.
Priuilegia infirmaria obligationem & actionem ex mutuo, 389.176.
Quomodo accipiendum sit priuilegium non soluendi mutuum, ibid. 177.
Quatenus Ecclesia vel ciuitas teneatur soluere mutuum suo nomine acceptum, ibid.178.
Si pecuniæ valor creuerit edicto Principis, mutuatam est restituendam secundum illum quem habet tempore solutionis, ib.179.
Quomodo licitum si mutuum dare pecuniam rustico quam soluat in frumento, ibid.180.
Non est mutuum, dare vnam ouem, aut aliam eiusmodi rem, vt postea similem & æqualem recipias: nec dare pecuniam vt eandem numero recipias, 390.181.
Cum crescit mensura vini, tritici & aliorum similium mutuum de eis factum restituendum est in mensura in qua fuit datum, ib.182.
Si mutuum in vino, tritico, aut alia re eiusmodi datum, restituatur in pecunia, secundum cuius temporis aut loc. æstimationem faciendo sit restitutio, ibid.183.
Oppositæ sententiæ de dubio, In qua mensura, pondere, & numero, debeat mutuum restitui, quando pretium mutuatum est, ib.184.
Quid ea de re tenendum sit, ibid.185.
Licitum est vinum, aliamve eiusmodi rem, quo tempore carior est dare mutuo: restituendam in æquiualenti valore, 391.186.
Quatenus liceat, aut non liceat mutuo dato veteri frumento alioxe eiusmodi, pacisci vt restituatur nouum, 391.187.
Quid sit tenendum de mutatione pecuniæ, cuius valor probabiliter creditur minuendus Principis aut reipub. statuto, ibid.188.

Mutuum 2. in ordine. ad vsuram. Lib.25.

MVtuans ad conciliandam sibi mutuatarii amicitiam, etiamsi eam deducat in pactum, non committit vsuram, ibid.189.
Dando mutuum ad consequendum Ecclesiasticum beneficium, committi tum simoniam, tum etiam vsuram, 392.190.
Quatenus vsurarium sit mutuum dare, exigendo supra sortem aliquid alias Debitum, ibid.191.
Quando tale quid censeatur illicitum, etiamsi non sit vsurarium, ibid. 192.
Non est vsurarium mutuo dare ad redimendam vexationem iniustam, ibid.193.
Est autem dare ad redimendam iustam vexationem, ib.194.
Quod verum est, etiam quoad pœnam, quæ non debetur ante iudicis condemnationem, 393.195.
De dubio, An vsura committatur, cum quis alicui mutuat cum pacto, vt sibi remutuet. Pars affirmans est tenenda, ibid.196.
Quatatione possit nihilominus teneri pars negans, ibid.197.
Non esse illicitum mutuo pecuniam dare adiecto pacto, vt mutuatarius alium contractum statim celebret, ibid.198.
In quo tamen cauendum est, ne mutuatarius damnificetur, ac ne scandalum generetur, 394.199.
Vsurarium est mutuum, quod datur adiecto pacto vt mutuatarius

rius teneatur venire ad molendum in mutuatoris molendino. ibid.200.
Taliter mutuans quatenus teneatur ad restitutionem, ibi.201.
Vsura committitur, mutuum dando Principi, adiecto pacto, quod conferet ei officium aliquod temporale, ibid.202.
Quando teneatur mutuator dimittere officium tali modo acceptum, ibid.203.
Vsurarium est mutuum dare sub pignore, cum pacto, quod fructus ex illo percepti interea dum solutio non fit, cedant in incommodum mutuantis, 395.204.
Obligatio ad restitutionem inde sequens, ibid.205.
* Explicatio dubii, An qui dicuntur montes pietatis, sint liberi ab omni vsura, ibid.206.
Sententia dicentium esse liberos, est tenenda & cur, ibi.207.
Solutio rationū in contrarium, cum aliquot additionibus, ibi.208.
Duo dubia de cumulo in subsidium paupertum, ex contributionibus ciuium, ibid.209.
Quatenus vsurarius sit vel non sit contractus ille, quo Principi aut Reip. mutuo datur ea lege, vt ex illius reditibus aliquid accipiatur quotannis, 396.210.
Quando vsurarius sit aut non sit contractus assecurationis à mutuatario celebratus cum mutuatore, ibid.211.
Quomodo intelligendum sit cap. Nauiganti de vsuris, ibi.212.

Mutuum 3. quoad causas illud excusantes ab vsura. Lib.25.

CAusæ ob quas licet capere lucrum in mutuo, 397.213.
Quid significetur feudi nomine, ibid.214.
Quid sit emphyteusis, ibid.215.
Quatenus feudum & emphyteusis ab vsura excusent lucrum in mutuo, ibid.216.
* Definitio fideiussionis cum sua explicatione, 398.217.
Quatenus fideiussio ab vsura excuset lucrum in mutuo, ibi.218.
Duo obseruanda de fideiussore, ibid.219.
Qui sint qui nequeunt fideiubere, ibid.220.
Alia de fideiussore obseruanda, ibid.221.
* Solutio dotis dilata, est iusta causa accipiendi lucrum in mutuo: & cur sit, 399.222.
Corollaria inde deducta, ibi.223.
Quod tale lucrum possit esse vt in fructibus pignoris, sic in pecunia illis æquipollente, ibi.224.
Alia corollaria de vsu pignoris dotalis fructiferi, ibi.225.
De acceptione lucri in mutuo ex eo licita, quod habeat rationem quandam recuperationis sibi debiti, 400.226.
De eadem licita ob lucrum ex mutuo cessans, vel damnum emergens, ibid.227.
* Licitum esse aliquid supra sortem in mutuo accipere, in pœnam omissæ solutionis, ibid.228.
Qualiter imponi, & qualis esse debeat talis pœna, ibi.229.
Excusatio à tali pœna, ibid.230.
Quando eadem possit censeri imposita in fraudem, & quando exigi non possit, 401.231.
De lucro ex pacto retrouendendi rem emptam: vel vendendi pignus, nisi mutuum soluatur in termino præfixo, ibid.232.
Per donationem licite fit lucrum in mutuo, & quæ conditiones ad id requirantur, ibi.233.
Explicatio dubii. An licite accipi possit id quod creditur dari intentione obtinendi mutuum, ibid.234.
Explicatio alterius dubii de accipiente à mutuatario, cui inculcauit mutuum datum, ibid.235.
Quid tenendum sit de eo, quod Principes mutuo accipientes, aliquid supra sortem addunt, quod se liberaliter donare dicunt, 402.236.
Lucrum licitum in mutuo ob contractum societatis, vel ob secundarium pecuniæ vsum, ibi.237.
De conditione viduali, ob quam lucrum accipi potest in mutuo, ibid.238.
Quædam circa eandem notanda, ibid.239.
Conditio pupillaris excusans lucrum in mutuo. ibi.240.
Pignus onerosum qualiter excuset, ibi.241.
Qualiter assecuratio, 403.242.
Qualiter antiqua consuetudo, ibid.243.
Qualiter euentus, aut quod mutuum repeti non possit. ibi.244.
De labore, cura, opera, & aliis id genus, itemque de vsu depositi, de administratione, ac de cambio, ibid.245.
De periculo amittendi sortem, 404.246.

N.

Negatio. Lib.25.

QVid & quotuplex sit negotiatio, 420.322.
Ea aliquando est licita, aliquando non est, ibid.323.
Quando illicita sit ex parte materiæ, & quando ex parte illorum cum quibus exercetur, 421.324.
Clericis & Monachis prohibita est negotiatio, nisi honestetur certis circunstantiis: & quibus, ibid.325.
Quomodo illicita sit negotiatio ex circunstantiis loci, temporis, finis, & modi, ibid.326.

Nominatio ad beneficium Ecclesiasticum. Lib.30. tract.3.

HÆc nominatio, tum late tum stricte sumitur: quidque ac quotuplex sit late sumpta, 694.204.
Notanda pro praxi de nominatione quæ fit à Principibus ad beneficia Ecclesiastica, ibi.205.
Conditiones in ea requisitæ, quando est ad Archiepiscopatum aut Episcopatum, ibid.206.
Requisitæ quando est ad Abbatias & Prioratus conuentuales electiuos, 695.207.

Notarius. Lib.25.

DE permissione, scientia, & diligentia requisitis in notario, 493. 684.
De veritate & fidelitate & spectantibus ad eam: vt censeantur nihil actu reddere vel detrahere, sincereq; dicta partium scribere, ib.685.
Deinde originale instrumentorum quæ conficit, conseruare apud se, & quomodo, ibi.686.
Item cauere sibi ab iis, quæ in hoc negotio ipsum contaminarent peccato mortali, iuxta doctrinam Nauarri, ibi.687.
Deniq; bona fide agere, quoad instrumenta exhibenda, ibid.688.
Duo in quibus iustitia in Notario requisita consistit præcipue, 494. 689.
De faciente instrumentum vsurarium, ibi.690.
De faciente instrumentum contra libertatem Ecclesiasticam, ib.691
Peccatum Notarii accipientis salariū quando non debetur, ib.692.
Peccatum Notarii accipientis supra taxā à Principe factam, ibi.693.
De eo, quod Notarius accipere possit gratis datum, ibi.694.

Nuptia.

RItus quibus Ecclesia in nuptiis vtitur, lib.31. 737.55. & 56.

O

Obedientia. Lib.17.

DEfinitio obedientiæ specialis, & eiusdem differentia ab obedientia generali, 59.230.
Obediendum est Deo in omnibus: & quatenus homini, qui superior non est, ibid.232. & duobus sequentibus,
Deus potest de omnibus dare mandatum: homo non item, ibi.235.
Quod non sit obligatio obediendi, cum aliquid mandatur quod est peccatum etiam tantummodo veniale, 60.236.
Non est obligatio obediendi mandato Inferioris, contra mandatum Superioris: aut cum scandalo proximi, ibid.237.
Nec item est, cum voluntas Superioris non fuerit insinuata subdito. Et quid iuris, si duo authoritate pares, contraria præcipiant, ibid.238. & 239.
De obedientia ad quam Religiosus tenetur, vide verbum Religio status vitæ, in principio.

Obligatio.

OBligatio quid & quotuplex sit, lib.25. 372.100. & 101. Vide verbum Contractus quinto, in principio.
De obligationibus particularibus Religiosi vide verbum Religio status vitæ 3. post medium.*

Occisio hominis 1. prout est malefactoris. Lib.21.

LIcitum est publica authoritate malefactorem occidere, 204.8.
Quomodo id procedat cum talis cognoscitur moriturus in malo statu, ibid.9.
Quomodo quoad nocentes captos in bello, & quoad malefactores, ex quorum maleficio reipub accipit magnum commodum, 205.10.
Præter publicam authoritatem & iustam causam, conditiones ad licitam occisionem malefactoris requisitæ. ibid.11.
Circa ordinem iuris ad propositam occasionem necessarium, limitationes notandæ, ibid.12.
Peccatum est mortale occidere priuata authoritate hominem, etiam morte dignum, 206.16.
De viro occidente vxorem deprehensam in adulterio, ibi.17.
Responsio ad quæstionem, An licitum sit cuiq; occidere tyrannum, 207.19.
Mutilare malefactorem priuata authoritate non licet, ibi 20.
Nec item vulnerare, verberare, &c. sine iurisdictione, ibid.21.
De talis iurisdictionis vsu notanda', cum Petro à Nauarra, ibi.22.

Occisio hominis 2. prout est innocentis. Lib.21.

NVnquam licitum est directa intentione occidere innocentem, 208.25
Quando liceat vel non liceat in bello iusto, occidere innocentes cum nocentibus, ibid.26.
Non licet filios innocentes occidere ob crimen parentum, 209.27.
Non licet occidere innocentem pro reipub. liberatione, 209.28.
Quid licite agi possit Tyranno petente tradi sibi innocentem, ib.29.
Iudex eum, quem esse innocentem scit priuata scientia, ad mortem condemnando secundum allegata & probata, non peccat, nisi id faciat contra suam conscientiam, ibid.30.
Si Iudex sit inferior debet talem remittere ad Superiorem, non item officium suum dimittere, ibid.31.
Princeps potest illum liberare, vitato tamen scandalo, 310.32.
Quatenus carnifici licita sit executio sententiæ, quam nouit iniustam, ibi.33.
Quatenus licita sit militibus occisio aduersariorum in bello, de cuius iustitia eis non constat, ibid.34

Quan-

Quando liceat cum periculo vitæ alienæ, suam seruare, ib.35.
Explicatio difficultatis: num liceat fœtum excutere, vt mater à morte liberetur, ibid.36.

Occisio hominis 3. prout est suiipsius. Lib. 21.

SEipsum dedita opera occidere non licet, cum homo non sit vitæ suæ dominus, 211.37.
Solutio obiectionis de Sampsone, & nonnullis aliis, qui non reprehenduntur de eo, quod sibi mortem inulerint, ibid.38.
Nec felicitatis consequendæ gratia nec in causa religionis, aut ad virginitatis conseruationem, licet sibi mortem conscíscere, ib.39.
Tenetur homo vitam propriam conseruare, 212.40.
Inter actus eidem conseruationi contrarios, quidam nunquam & quidam aliquando liciti esse possunt, ib.41.
Quando liceat, aut non liceat permittere, se ab aggressore occidi, ibid.42.
Permittendum potius se occidi, quam fornicationem committere, aut aliud intrinsece malum, ibid.43.
Quando damnandus ad mortem possit non fugere, oblata fugiendi commoditate, ibid.44.
Homicida occultus non tenetur se detegere, ad liberandũ eum qui tanquam reus, loco ipsius afficiendus est extremo supplicio, 213.45.
Secus est testimonio suo falso, ipsum exposuit tali periculo, ib.46.
Varii casus, in quibus licet vitam suam periculo exponere, ibi.47.
Quando mortaliter peccetur breuiando vitam per abstinentiam à cibis, 214.48.
Quando à tali peccato excusatio esse possit, ibi.49.
Explicatio dubii de eo qui fecit votũ abstinendi à carnibus, An possit illis vesci, cum id ei necessarium est ad vitæ conseruationem. ibid.50.
Cum necessarium est ad vitę conseruationem, vesci licet cibis vetitis: nisi quod specialis rat o sit de carnibus humanis, ibid.51.
De obligatione obediendi modico præcipienti sumptionem certi phatmaci pro vita conseruanda, ib.52.
Non licet mutilare seipsum exceptis duobus casibus, 215.53.
Obligatio ad conseruationem sui, cessat in quatuor casibus, ibi.54.

Occisio hominis 4. prout fit, ad defensionem personæ suæ, aut rerum suarum. Lib. 21.

OB vitæ propriæ defensionẽ licitum est occidere aggressorem, ib.56.
Quatuor conditiones ad id requisitæ & quando liceat præuenire aggressorem in occidendo, 216.57.
An obligatorium sit occidere aggressorem cum ad sui defensionem necessarium est, ibid.58.
Is etiam qui se in vitę discrimen coniecit sua culpa, potest vti iure defensionis cum moderatione inculpatæ tutelæ, ibid.59.
Quomodo licet occidere ad defensionem sui honoris, 217.60.
Explicatio difficultatis, vtrum liceat insequi eum qui honorem læsit, vt ipse percutiatur, quando id necessarium fuerit ad tale damnum resarciendum, ibid.61.
Quomodo tale quid possit homo militaris, ibid.62.
Difficultas, An occidere liceat ad defensionem rerum propriarum, 218.63.
Id licet, non solum cum defensio fuerit cõiuncta cum periculo propriæ vitæ, sed etiam cum non fuerit, ib.64.
Solutio eorum quæ obiiciuntur in contrarium, ibi.66.
Furem fugientem rebus tuis onustum insequi licet, & occidere, si nulla alia via eædem res possint recuperari, ibi.67.
In istiusmodi difficultate, par ratio est Clericorum & laicorum, 219.68.

Occisio 5. prout fit ad defensionem proximi, aut rerum ipsius. Lib. 21.

ALiquando occisio ad necessariam defensionem proximi licita est: tum Clerico, tum laico, ib.69.
Obligatio est sub mortali, ad faciendam reuelationem coniurationis in proximum, quando illa est necessaria ad conseruationẽ vitæ ipsius, ibid.70.
Obligatio est conseruandi vt vitam proximi, sic vt bona alia ipsius, ibid.71.
Explicatio difficultatis, An liceat mortem proximi, optare, 220.72.

Odium. Lib. 17.

ODium Dei tum generaliter, tum specialiter dicitur, 32.100.
Specialiter dictum, opponitur charitati in Deum: & qualiter contingere possit, ibid.101.
Odium proximi quid sit, & quando non sit peccatum, 34.114.
Odii motum sentienti, quando neganda sit absolutio, 35.114.

Officia publica salutaria. Lib. 23.

DE collatione officiorum sęcularium publicorum, facta indigno, 260.37.
Quatenus licitum sit vendere publica officia sæcularia, ibi.38.
Obligatio suscipientis aliquod eiusmodi officium, ibid.39.

Ordinis sacramentum 1. quoad eius essentialia. Lib. 30. tract. 1.

NOmen & definitio sacramenti Ordinis, 597.1.
Differentia Sacramenti ordinis, à cæteris sacramentis nouæ legis, ibid.2.
Institutio & vnitas sacramenti ordinis, 598.3.
Septem ordines ex quibus sacramentum ordinis coagmentatur, ibidem.4.
Clericatus non est ordo, nec Episcopatus est ordo distinctus ab ordine sacerdotali, ibid.5
Diuersus modus, quo ratio sacramenti inest in sacerdotali, & in aliis Ordinibus: qui non impedit qui nihil sunt vere sacramenta, ibid.6.
Singulorum ordinum materia propria, ibid.7
Contactus moralis eiusdem materiæ, potest ad ordinis sacramẽtum sufficere, 599.8.
Quando, & qualiter fieri debeat contactus ad ordinis sacramentum necessarius, ibi.9.
De dubio. An impositio manuum Episcopi sit de essentia sacramenti Ordinis. ibid.10.
Formæ sacramenti Ordinis commune est cum aliis constare verbis, ibid.11.
Officia singulorum Ordinum minorum: & quo ritu conferantur, ibid.12.
Officia Subdiaconi & Diaconi, ac ritus quo ii consecrantur, ibid.13.
Multa Sacerdotis, & ritus quo is consecratur, ibid.14.
Ratio ex iisdem eliciendi, quæ sit quorumque Ordinum particularis forma: & cur ea exprimatur per imperatiuum modum, ibid.15.

Ordinis sacramentum 2. quoad effectus illius, & ministrum. Lib. 30. tract. 1.

PEr sacramentum ordinis confertur gratia, sicut per alia sacramenta, & simul potestas spiritualis, ibid.16.
Quod conuenit non tantum maioribus, sed etiam minoribus ordinibus: vtpote qui sunt sacramenta, & sicut illi, ibid.17.
Obiectiones in contrarium, cum solutionibus, 601.18.
Quidam minores ordines characterem imprimant: idemque eodem charactere tria notatu digna, ibid.19.
Duæ præcipuæ ceremoniæ, quæ seruantur in ordinatione Sacerdotis: quarum priore conferuntur potestas consecrandi, ibid.20.
Posteriore vero cõfertur potestas absoluendi à peccatis: in illiusque collatione datur quidem noua gratia, non tamen nouus character, ibid.21.&22.
Ordinarius minister sacramenti Ordinis, est Episcopus consecratus; non licet tamen cuilibet Episcopo quemlibet ordinare, 602.23.
De literis dimissoriis, quarum vi potest quis ab alio Episcopo quam suo proprio, ordinari, ibid.24.
Non potest Episcopus simplici Sacerdoti committere administrationem minorum ordinum: Papa autem potest: non alteri tamen quam Sacerdoti, ibi.25.
Quo tempore ordines conferendi sint, ibid.26.
Quo item loco, sint conferendi, ibid.27.
Temporum interstitia in collatione ordinum seruanda, ibi.28.

Ordinis sacramentum 3. quoad illud suscipientes, & obligationes contingentes circa illud. Lib. 30. tract 1.

IN capaces omnino sunt sacramenti Ordinis: tum nondum baptizati, tum etiam fœminæ, 603.29.
Quilibet masculus capax est eiusdem sacramenti: infanti tamen, multisque aliis non potest licite conferri, ibid.30.
Notanda de eodem instante, ibid.31.
Requisita ad idem sacramentum non tantum valide, sed etiam licite suscipiendum, ibid.32.
De scientia requisita, ibid.33.
De titulo requisito, ibid.34.
De scrutinio, seu examine præmittendo ordinationi, 604.35.
Non est quidem imposita obligatio suscipiendi sacramentum Ordinis: nonnunquam tamen ea contingit, ibid.36.
Peccatum est quidem mortale suscipere sacramentum Ordinis in peccato mortali: non tamen actum eiusdem exercere: nisi ille sit administratio sacramenti. ibid.37.
Obligatio seruandi castitatem in initiato maiore ordine, ibid.38.
Non modo ad horas canonicas, sed nec ad alias certas preces initiatus tantũ minoribus ordinibus tenetur nisi de honestate, 605.39.

Ordinatorum status, clericalis dictus. Lib. 30. tract. 1.

STatus clericalis ac gradus illius, ibi.40.
Quatuor gradus Episcopatus, ibid.41.
De Patriarchatu & Primatu, ibid.42.
De Archiepiscopatu & Episcopatu, 606.43.
Quæ Episcopalem dignitatem habenti incumbant ex officio, ib.44.
Ea quæ illi incumbunt iure nouo Concilii Tridentini, ibi.44.
Peccata quibus potest quis ratione Episcopalis dignitatis obnoxius esse ante suam consecrationem, 607.46.
Dignitates infra Episcopalem, & 1. Abbatia & Prioratus, 608.47.
Decanatus, & Præpositura, ibid.48.
Archidiaconatus & Archipresbyteratus, ibid.49.
Reliquæ eiusdem generis dignitates, ibid.50.

Parochus quis: & quæ iura parochialia obligatioque illius, suscipiendi sacerdotium, ibi.51.
Vicarius perpetuus ponitur in numero Parochorum, 609.52.
De Vicario temporali quædam, ibi.53.
Peccatorum quibus obnoxius est Parochus, tenuocatio ad quatuor capita, ibid.54.
De Canonicis, 610.55.
De habentibus portiones, capellanias & præstimonia, ib.56.
De Commendatariis, 611.57.
De Coadiutoribus ac de hospitalariis, ibid.58.

Opinio, dubitatio, & suspicio temeraria. Lib.24.

DE opinione, dubitatione, & suspicione quid sint & quomodo sint peccata mortalia, 318.26.
Quod à mortali excusentur, quando sunt ex errore, non tamen semper, 319.27.
Mortalia sunt quando proueniunt ex prauo affectu, & maleuolentia erga proximum, ibid.28.
Documenta de eo, quod dubia in meliorem partem sint interpretanda, ibid.29.
Explicatio dubii. An liceat iudicium de proximi tum bonitate, tum etiam malitia suspendere, ibi.30.

P.

Pactum cum dæmone. Lib.17.

PActum cum dæmone quoddam est expressum, quoddam tacitum: & tres modi quibus illud fit, ac nefanda in eo contingentia, 41.153.& 154.
Duo modi quibus sit tacitum, ibi.155.
Siue hoc, siue illud inire, peccatum est de se mortale, ibi.156.
Modi cognoscendi pactum occultum cum Dæmone in iis quæ apparent mirabilia: & aduertenda circa eosdem modos ib.157. & tribus sequentibus.
De pactis humanis vniuerse. Vide verbum Promissio.

Pacta solita interuenire inter ementes & vendentes. Lib.25.

EXplicatio dubii, An pactum de retrouendendo sit licitum, 414.291.
Quatuor modi quibus idem pactum fieri potest licite, ibi.292.
Tres conditiones necessariæ vt fiat licite, 415.93.
Licitum est pactum de redimendo, si animus vsurarius absit, & seruetur iustum pretium, ibi.294.
Propositio casuum in quibus difficultas est, An redemptio sit licita, ibi.295.
Explicatio eiusdem difficultatis, ibi.296.
Quod licita sit venditio cum pacto legis commissoriæ, 416.297.
Aliquot notanda de eadem venditione, ibi.298.
Quod licita sit venditio cum pacto addictionis in diem: nonnullaq; circa eam notanda, ibi.299.
Modi quibus contingit melior conditio, rescindens talem venditionem quibus additur distinctio de obligatione soluendi gabellas, ibi.300.
Quando licitum sit interea dum pretium rei frugiferæ non soluitur ab emptore, accipere pensionem ex fructibus quos profert. ibid.301.
De duobus similibus casibus, quid sit tenendum, ibi.302.
Quod licitum sit emere domum cum pacto retrouendendi, & eam locare venditori, dum ab eo non redimitur: quatenus verum sit, 427.303.
De quibusdam aliis pactis, quid sit sentiendum, ibi.304.

Parentum obligatio erga filios. Lib.20.

OBligatio parentum alendi filios, 193.29.
Causæ excusantes ab eadem obligatione, ibi.30.
Quod talis obligatio non tangat ex æquo patrem & matrem: & in quo sit diuersitas, ibi.31.
Obligatio alendi filios, locum habet tam quoad spurios, quam quoad legitimos, 194.32.
Explicatio dubii, an mater teneatur filium lactare proprio lacte, ibi.33.
Patri incumbit obligatio dotandi filiam, ibi.34.
Parentes tenentur mediocrem diligentiam adhibere in comparandis temporalib. bonis pro filiis: & quando non teneantur restituere, quæ ab eisdem filiis mutuo acceperunt, ibi.35.
Documenta aliquot de parentum obligatione alendi filios, 195.40.
Obligatio parentum ad bonam educationem filiorum, ibi.41.
Quomodo illi hos castigare possint: & quæ debeant circa eosdem curare, ibid.42.
Quid sit iudicandum de expensis quas parentes faciunt alendo filium in scholis, ibid.43.

Parochus.

VIde verbum Curatus: & verbum Matrimonium, 17.*

Pater & filius spiritalis.

PAtrum & filiorum spiritualium obligatio mutua. Lib. 20.201.67.

Patria potestas. Lib.20.

QVid operetur patria potestas, 191.22.
Modi quibus filius ab ead. potestate liberatur, 192.23.

Patrinus.

DE patrinis documenta. Li.26.503.56.& Lib.31.760. à 151. ad 158. Vide verbum Matrimonium 12. post medium *
De paupertate religiosa. Vide verbum Religio status vitæ 3.*

Peccatum. Lib.16.

PEccata quæ nulli speciali virtuti repugnant, 10.37.
Quando diuersorum præceptorum transgressione vnum tantummodo peccatum committatur, & quando plura, ib.38.

Peccatum contra naturam, Lib.22.

QVodnam dicatur peccatum contra naturam, & vnde sumantur variæ illius species, 242.27.
Quando peruersio modi in copula coniugali sit tantum peccatum veniale; & quando etiam mortale, 245.38

Pensio legitime imposita beneficio Ecclesiastico. Lib.23.

QVid & quotuplex pensio imposita beneficio, 310.274.
Pensiones communes, seu quæ indifferenter tam laicis quam Clericis conferuntur, sine simonia vendi posse probabile est, ib.275.
Non item Clericis proprias, seu quæ illis vt Clerici sunt, conferuntur, ibi.276.
Earum aliæ dantur pro spirituali officio, seu ministerio: quæ sunt variæ, ibi.277.
Aliæ dantur pro beneficio Ecclesiastico: idque trib. modis, 311.278.
Nonnulla de iisdem notanda, ibi.279.
Papa potest pensionem imponere super resignatarii beneficium aliud, quam quod ei resignatur, ibi.280.
Quomodo nec simoniaca nec iniusta sit clausula apposita in reseruationibus pensionum: vt soluantur siue habita siue non habita beneficii possessione, ibi.281.
Quomodo labe simoniæ careat, quod authoritate Papæ pensio alicui assignata, transeat ad alium, ibi.282.
Quo item modo careat quod pensio authoritate Papæ redimatur anticipatis solutionibus, ibi.283.

Alia de pensione ex sequenti lib.30. tract. 3.

QVid significetur nomine pensionis, & quomodo ea conueniat cum beneficio, ac quomodo differat, 676.123.
Variæ illius diuisiones, ibid.124.
Authoritas requisita ad validam impositionem pensionis: & quatenus ea sit in Episcopo, 677.125.
Causa iusta ad eam dem requisita, ibid.126.
Itemque iusta quantitas, ibi.127.
Qualitates necessariæ in persona, cui datur pensio, vt hæc sit valida, ibid.128.
Episcopus pensionem imponere potest tantum ad tempus, ibi.129.
Varii casus, in quibus potest Episcopus pensionem imponere, 678.130.
Pensio imposita sine beneficiarii consensu, habetur subreptitia, ibid.131.
Duo casus in quibus amittitur pensio, ibid.132.
Non vt laicalis, sic clericalis vendi potest. imo nec redimi, nisi anticipatis solutionibus, nec sine authoritate Papæ. Remitti vero potest sola voluntate pensionarii: nisi is ad illius titulum promotus sit ad sacros Ordines, ibi.133.
Quatenus diminui debeat pensionis solutio: aut propter hanc non factam incurratur excommunicatio, ibid.134
De dubio, an pensionarius possit libere disponere de fructibus beneficii sibi assignatis, 672.94.&95.

Periurium vniuerse. Lib.18.

PEriurium dicitur tum proprie tum generaliter: hocque modo dictum, complectitur illud in quo deest tantum iustitia aut iudicium, 76.73.
Proprie dictum, peccatum est mortale, ibi.74.
Quando liceat aut non liceat iuramentum exposcere ab eo, qui existimatur peieraturus, 77.75.& 76.

Periurium assertorium. Lib.18.

PEriurium assertorium peccatum est suo genere mortale, à quo solus defectus deliberationis excusat, 78.79.
Quod verum est de omni periurio, quo iuratur falsum, aut quod existimatur falsum, ibid.80.
Quid tenendum sit de eo qui iurat illud, de quo est incertus, aut quod existimat verum esse, cum non sit, ibid.81.
Quatenus per inaduertentiam iurans falsum, excusetur à mortali, ibid.82.& 83.
De consuetudine iurandi, vide verbum Consuetudo.

Periurium promissorium. Lib.18.

PEriurium promissorium quo iuratur habendo animum non seruandi promissum, peccatum est mortale, 81.88.
An si in tali casu promissio planis verbis fiat de re licita, obligatio sit in conscientia seruandi promissum, ibid.89. Et quid si fiat verbis ambiguis, 82.90.
Permutatio beneficiorum ecclesiasticorum vide verbum Beneficium 3. in fine.

Pertinacia.

PErtinacia quid sit, & quando sit peccatum mortale lib. 17. 55. 215.

Pignus seu hypotheca 1. quoad illius naturam & varietatem. Lib. 25.

INter pignus & hypothecam quæ præter nominis, sit differentia 470. 574.
Quæ res possit dari in pignus, ibi. 575.
Quæ non possit, vt nec vendi, ibi. 576
Res accepta in pignus, potest tertio eadem ratione dari in pignus, qua est accepta, ibi. 577.
Quomodo possit eadem res pluribus hypothecari, 471. 578.
Quatenus possit res pupilli in pignus dari, ibi. 579.
Obseruanda de modo quo debet hypotheca intelligi, & accipi, ibid. 580.
Variæ diuisiones pignoris seu hypothecæ, ibi. 581.
Hypotheca tacita pro dote, & pro administratione bonorum pupilli, vel minoris, aut bonorum Ecclesiæ, ibi. 582.
Aliæ plures eiusdem generis, 472. 583.
De hypotheca tacita nascente ex habitationum aut prædiorum locatione, ibi. 584.
Res empta ex pecunia mutuo data, non hypothecatur tacite illi, qui eam dedit, ibi. 585.

Pignus 2. quoad obligationes & actiones ex eo orientes. Lib. 25.

TRes obligationes quæ ex pignore oriuntur ex parte debitoris illud dantis, ibid. 586.
Quinque quæ oriuntur ex parte creditoris pignus ipsum recipientis, 473. 587. Duæ primæ, ibid. 588
Tres casus in quibus creditor licite vti potest pignore, 589. Tres reliquæ obligationes, ibi. 590.
Actio quæ oritur ea pignore, quædam est pignoratitia, & quædam hypothecaria, ibi. 591.
Pignoratitia quædam est directa, & quædam contraria, ibi. 592.
Quatenus creditor fructus ex pignore perceptos, etiamsi debitor eos non percepisset, teneatur computare in sortem, ibi. 595.
Quatenus teneatur computare fructus, quos non percepit; sed sua negligentia, 474. 594
Ad quam pensionem teneatur, si re oppignorata vtatur, ibi. 595
Duodecim modi quibus finitur pignus, ibid. 596

Pignus 3. quoad pacta, & distractiones illius. Lib. 25.

QVando sit, vel non sit licitum pactum; vt si debitum non soluatur tempore constituto, pignus transeat ad dominium creditoris, ibi. 597.
Tale pactum vitiatur, si sit vt fructus antea percepti sint creditoris ipsumque requirit vt iustum pretium interueniat, ibi. 598.
Illicitum est pactum vt pignus habeatur in feudum: itemque vt redimi non possit, 575. 599
Licitum est cum fideiussore pactum in pignore, sicut cum creditore. ibid. 600.
Pacta legis commissoriæ, ibi. 601.
Debitor liberatur à debito, pignore amisso: creditor vero, acceptum retinere potest, quandiu ei non soluitur integre, ibi. 602.
Quod etiam possit illud alteri pignorare, & quatenus, ibi. 603.
Aliquot documenta de potestate quam creditor habet vendendi pignus sui debitoris, ibid. 604.
De tribus casibus in quibus venditio pignoris potest contingere: & qualiter in vnoquoque eorum sit procedendum, ibi. 605.

Pluralitas beneficiorum ecclesiasticorum. Lib. 30. tract. 3.

CAsus in quibus licita est pluralitas beneficiorum, 710. 275.
Damna quæ nata sunt sequi ex ea: ob quæ ipsa censetur de iis esse, quæ vergunt magis in malum, quam in bonum, 711. 276.
Tam naturali, quam positiuo iure prohibetur pluralitas beneficiorum curatorum, ibid. 277.
Pluralitas dignitatum prohibita est quidem iure canonico, non tamen iure diuino positiuo. Et an idem iudicandum sit de beneficiis exigentibus residentiam, ibi. 278. & 279.
Quid tenendum sit de pluralitate aliorum beneficiorum, 712. 280.
De dispensatione in pluralitate beneficiorum, ibi. 281.
De causis iustis ob quas ea fieri potest: & quod per tolerantiam Papæ, talis pluralitas non excusetur, ibid 282.
Non est contra ius naturale habere simul duo beneficia simplicia residentiam non requirentia, 713 283.
Plura beneficia retineri non possunt ob solam tenuitatem, ib. 284.
Quis censendus sit habere beneficium sufficiens ad suam sustentationem, ibi. 285.
In ea re arbitranda circumstantiæ considerandæ de necessitate, ibid. 286.
Quatenus possit consuetudine introduci, vt vnus habeat duo beneficia ecclesiastica, 714. 287.
Quatenus legitime dispensatus ad plura beneficia, possit post abusum in eis commissum, eadem retinere, ibi. 288.
De eo qui plura beneficia tenet, a Papa dispensatus sine iusta causa, ibi. 289.
Monita pro Confessario super hac pluralitate, ibid. 290.

Pœna. Lib. 17

POenæ mortis tam corporis quam animæ, subiiciuntur iure diuino, qui diabolicis artibus dant operam, 51. 91.
Septem quibus iidem subiiciuntur iure Ecclesiastico, ibid. 192. & quinque quibus iure ciuili, ibi. 193. & 194.
Pœnæ consulentium diuinatores, & vtentium operamagorum, 51. 195.
Qualiter peccent qui intersunt magorum spectaculis, ibi 196.
Pœnæ hæreticorum, vide verbum hæresis post medium. Pœnæ ab Ecclesia constitutæ peieranti, Lib. 18. 77. 77.
Pœnæ constitutæ blasphemanti, eod lib. 111. 202.
Quatenus pœnæ nomine possit lucrum accipi ex mutuo, vide verbum Mutuum 3. circa medium. *

Pœnitentiæ sacramentum. Lib. 28.

RAtio nominis Sacramenti Pœnitentiæ, 531. 36.
Definitio Sacramenti pœnitentiæ, 532. 37.
Quod Sacramentum pœnitentiæ diuersum sit à sacramento baptismi, ibi. 38.
Sacramenti pœnitentiæ institutio à Christo, ibid. 39.
Sacramentum pœnitentiæ necessarium est ad remissionem peccatorum, ibi. 40. & 41.
Quando ob inopiam Confessarii Sacramentum pœnitentiæ non potest suscipi ipsa, votum illius etiam tantum implicitum in vera contritione, potest ad eam remissionem sufficere, ibi. 42.

Pollutio.

DE pollutione carnali, vide verbum Mollities. De pollutione Ecclesiæ aut alterius loci sacri, Lib. 29. 588. 180. & pluribus sequentibus. Vide verbum Missa 3 versus finem.
De pollutione carnali, quatenus impediat Eucharistiæ sumptionem, eodem lib. 570. 114. & aliquot sequentibus, vide verbum Missa 7. versus finem.

Possessio. Lib. 25.

POssessio accipitur tum pro rebus quæ possidentur, tum pro actu possidendi quidque sit hac acceptione. tum demum pro effectu eiusdem actus, 353. 11.
Diuisio possessionis in naturalem tantum, & in naturalem simul, & ciuilem, 354. 12.
Modi quibus possessio amittitur, ibi. 13.

Postulatio ad beneficium ecclesiasticum. Lib. 30. tract. 3.

POstulatio alia late, & alia stricte sumpta: quidq; hæc sit, 694. 201.
Quis postulare, & quis postulari possit, ibi. 202.
Apud quem sit postulandum: & quod postulatione per ipsum comprobata, non sit opus confirmatione: quodque ante præsentationem postulationis, hanc reuocare, ibid. 203.

Precarium.

DE precatio, vide verbum Commodatum. *

Præceptum Lib. 16.

QVid sit præceptum: & quod sub ipsum cadant actiones tam indifferentes, quam bonæ vel malæ, 2. 1. & 2.
Qui modi virtutis sub ipsum item cadant, 3. 4. & quatuor sequent. Vide verbum Modus virtutis.
Ratio discernendi præceptum a consilio: & quatenus talis discretio fieri possit ex verbis & materia legis, 4. 9. & tribus sequentib.
Quando præcepti transgressionem contingat a peccato excusari per ignorantiam, 5. 13. & quatuor sequentibus.
Præceptorum iuris naturæ, diuersitas materiæ: & in quæ ex illis possit aut non possit cadere dispensatio, 6. 18. & 19.
Impletio præcepti de bono priuato: aut de minori bono, quando omitti possit ob commune vel maius bonum, 7. 20.
Præceptum non implet qui facit id quod lex præcipit, si legem ipsa ignoret, ibid. 21.
Peccato transgressionis præcepti se contaminat, non modo qui transgreditur præceptum, sed etiam qui propositum habet transgrediendi, aut qui de illius transgressione delectatur, 8. 22.
De eo, quod præcepto naturali, diuinum positiuum, & huic humanum cedat, 10. 33. & 34.
Præcepti diuisiones variæ, ibid. 35 & 36.
Multorum præceptorum transgressione, quando vnum tantummodo peccatum committatur, ibid. 38.
Præceptum affirmatiuum semper includit negatiuum: & hoc illud plerumque quidem, non tamen semper, 11. 39.
De præcepto 1. Decalogi notanda lib. 17. ca. 1. 13. 1. 2.
Alia de 4. præcepto lib. 20. ca. item 4. 188. 4.
Alia de 5. lib. 21. ca. adhuc 1. 203.
Alia de 7. & 10. lib. 23. ca. etiam 1. 251.

Prædicatio verbi Dei. Lib. 18.

EIus dignitas maxima, 88. 117.
Quibus ipsa ex officio incumbat, ibi. 118. & 119.
Quibus Episcopus, & quibus solus Papa licentiam prædicandi dare possit, 89. 120. & quod vir laicus possit capax esse talis licentiæ, non item fœmina, ibid. 121.
Quatenus Episcopo extra suam diœcesim, & Parocho extra suam, parochianis prædicare liberum sit, ibid. 122.

Statu-

Statutum Concilii Trident. de cæteris cohibendis, ib 123.
Dona, in prædicatore verbi diuini requisita: tum naturalia, ibi.124. tum acquisita, ibid.125. tum diuinitus infusa, ibid.126.
Requisita ex parte materiæ: & de vsu mundanæ scientiæ in prædicatione: ac de requisitis ad eiusdem solemnitatem, 90.127. & 128. & 129.
Varia peccata, in quæ Prædicator incurrere potest, ibid. 130. & 131.
Peccata in quæ incurrere possunt qui prædicatorem audiunt 91.132.
Requisita ad audiendam fructuose verbi Dei prædicationem, ib.133.

Præsentatio ad beneficium ecclesiasticum. Lib.30 tract.3.

QVatenus censura in Patrono, sit impedimentum validitatis præsentationis, 697.219.
Is non potest præsentare seipsum: & de peccato præsentantis indignum, ibid 220.
Quando peccet præsentans dignum relicto digniore: & quod peccatum in eo commissum non impediat præsentationis validitatem, 698.221.
Quatenus absens possit præsentari: & quod pater possit præsentare suum filium, ibid.222.
Differentia duplex inter laicum & Clericum præsentantes, ib.223
Episcopus instituere potest præsentatum: & quis idipsum possit, præter eum, ibid.224.
Quando institutio facta sine præsentatione Patroni sit aut non sit valida: ac quando fieri possit ab Episcopo extra suum territorium, 699.225.
Summus Pontifex potest derogare cuicunque iuri patronatus: & quando censendus sit de facto derogare, ib.226. & 227.
Diuersi modi quibus accipitur nomen institutionis præsentati a Patrono, ib.228.

Præsumptio. Lib.17.

PRæsumptio multis modis dicitur: ac prout vitium oppositum spei Christianæ, duplex est, 30.85.
Quando vtraque ea contingat, ibid.86.
Quodque vtraque possit esse tum pura, tum mixta, seu coniuncta cum errore in fide, ibid 87.
Quod item vtraque peccatum sit mortale, ib.88.
Præsumptio peccatum est minus desperatione: & documentum iudicandi de iisdem peccatis, ibid.89.
Quid sit præsumptio humilitati opposita, & quando sit peccatum mortale, 54.210.

Pretium rerum venalium. Lib.25.

IN quo consistit iustitia vel iniustitia pretii rerum venalium, 409. 269.
Ratio qua iustum pretium constituitur, ib. 270.
Pretium iustum aliud legitimum, aliud naturale: & inter vtrumque differentia, 410.271.
Notanda de eo, quod iustum pretium constitui debeat secundum legem, vel communem æstimationem, quæ fuerit in loco & tempore quo perficitur venditio. ib 272.
Prima causa augendi vel minuendi pretium rerum venalium, est earundem penuria vel copia, ibid 273.
Quid sint lucrum cessans & damnum emergens: & quatenus sint causa iusta augendi pretium rei venalis, ibid.274.
Vtilitas aut necessitas emptoris non est causa iusta illud augendi, 411.275.
Quatenus labor, industria, & periculum in comparandis & conseruandis mercibus esse possit causa augendi pretium rerum venalium, ibid.276.
Regula à Soto de eo tradita reiicitur: & traditur quando prædicta causa locum habeat, ibid.277.
Donatio causa est augendi vel minuendi pretium iustum: ad quam diiudicandam seruiunt quatuor documenta, ib.278.
Inter amicos & consanguineos, ea facile præsumitur, non autem inter extraneos, ib.279.
Quatenus modus vendendi sit causa augendi vel minuendi iusti pretii, 412.280.
Mercatores aliquando ratione officii, maiore pretio vendere possunt, quam alii, ib.281.
Ementes simul in magna quantitate, possunt ea de causa minus soluere quam alii, ib 282.
Legitimum pretium quid sit, & quid requiratur ad illius iustam taxationem, ib.283.
De eadem taxatione quædam notanda, ib.284.
Quid iuris sit, si facta taxatione, venditores inueniantur iacturam facere, vendendo secundum pretium taxatum, ib.285.
Legibus ciuilibus pretia rerum taxantibus subiiciuntur tum exteri, tum etiam Clerici, 413 286.
Quod dicatur pretium naturale: & qui dixerint excedentes ipsum à peccato excusari, aut saltem à restitutione: ac quo fundamento nixi, ib.287.
Vendentes supra pretium rigorosum, aut ementes infra pium, irregulari ex peccant, ac tenentur ad restitutionem, ib.288.
De eo quod in contrarium ex iure ciuili adfertur, rem tantum valere quantum vendi potest: & quod vnusquisque in suis rebus sit moderator & arbiter, ibid.289.
De altero, quod deceptio permittatur infra medium iusti pretii, 414 290.

Procurator. Lib.25.

PRocuratoris definitio, 478.610.
Procurator alius est ad lites, & alius ad negotia, ibid.611.
Procuratoris legitime constituti authoritas, ibid.612.
Ad exercitium debitum Procuratoris ad lites, requiritur permissio, scientia, diligentia, veritas & quæ, 492.679.
Iustitia in eodem requisita, tum respectu sui, tum respectu aliorum, ibid.680.
Responsio ad dubium, An procurator qui gratia aut modico pretio acta iudicialia obtinuit, possit a cliente exigere integram solutionem, & sibi vsurpare, ibid.681.
Ad quid procuratori teneatur is cuius ille causam egit, non conductus ab ipso, ib.682.
Quando procurator conductus ad causam aliquam procurandam, alium sibi substituens possit accipere aliquid de mercede constituta, 493.683.

Proditio.

MOdi quibus proditio potest contingere, & esse peccatum mortale. Lib.23.258.31.

Proles. Lib.31.

CAuendum prolis damnum existentis in vtero: & edita in lucem sustentanda est, & educanda, 809.153.
Respectu matrimonii veri proles censetur legitima: & explicatio difficultatis, Quatenus id sit limitandum, aut extendendum, ibi.354.
Quatuor genera filiorum illegitimorum, ib.355.
Illegitimorum inhabilitas ad officia & beneficia ecclesiastica, ib.356.
Duo modi quibus potissimum ex illegitimis fiunt legitimi iure canonico, ibid.357.

Promissio eique affines pollicitatio, & stipulatio, atque pactum vniuerse. Lib.25.

QVid sit promissio, pollicitatio, stipulatio, & pactum, ac in quo differant, 365.68.
Differentia inter pacti & promissionis obligationem, ib.69.
Quæ sit vis promissionis, & illius diuisio in nudam & vestitam, ib.70.
Pacti diuisiones variæ, 366.71.
De ea qua diuiditur in nudum & vestitum, ibid.72.
De ea qua in vtile, & inutile: & ea qua in honestum, & turpe, ib.73.
Promissio tantum interna facta homini, non est obligatoria, sicut est facta Deo, ibid.74.
Simplex promissio etiam signo externo expressa, non obligat antequam sit acceptata ab eo cui fit, 367.75.
Obseruatione, pro praxi de promissione acceptata, ibid.76.
Qui sint qui promissionem acceptare possint pro alio, ad obligationem sufficienter, ibid.77.
Promissio onerosa valide acceptatur tantum ab eo cui fit, ib.78.
Quæ exigantur vt possit quis pro alio valide acceptare, ib.79.
Differentia inter mandatum donandi, & promissionem donandi, ibid.80.
Promissio facta ob Dei honorem obligat, non acceptata ab eo cui fit, 368.81.
Quod promissio signo externo expressa, & sufficienter acceptata obliget sub peccato mortali, ib.82.
Ad validitatem promissionis requiritur, vt cum plena deliberatione facta sit, ib.83.
Quantæ quantitatis debeat esse quod promissum est, vt violatio promissionis censeatur peccatum mortale, ibid.84.
De excusatione ab impletione promissionis ob mutationem circunstantiarum, 369.85.
Obseruanda circa eandem excusationem, ib.86.
Obseruatio notanda circa excusationem ob mutatum rerum statum, ib.87.
De excusatione per ignorantiam, aliamve iustam causam, ibid.88.
Quando obliget promissio facta sine animo promittendi, ibid.89.
Explicatio difficultatis de promissione facta animo quidem promittendi, non tamen se obligandi, ib.90.
Promissio habentis expressam voluntatem non obligandi se, non obligat, 370.91.
Ad quid teneatur is qui aliquid promisit pro alio, ipso inscio, ib.92.
Ad quid teneatur ille qui est incertus an promiserit aut quid certo sciat se promisisse, incertus est an id fecerit animo se obligandi, ib.93.
Et ad quid, si incertus sit an promiserit cum plena deliberatione, ibid.94.
De obligatione cum facta fuerit duobus, nec vtique simul satisfieri possit: quæ cui sit præferenda, 371.95.
Promissio simplex non inducit obligationem ad restitutionem, ibid.96.
Quid sentiendum de ea, quæ facta est cum adiectione alicuius oneris, ibid.97.
Quid sit sentiendum de promissione facta cum adiectione oneris turpis, ib.98.
Dicta de promissione, quomodo quadrent in pactum & donationem, ibid.99.

Propositio. Lib.17.

PRopositionum quæ certo sunt Catholicæ duo genera, 22 40.

Quid

Quid sit propositio hæretica, quid non catholica, quid erronea, quid suspecta de hæresi, 23.54.
Quid sapiens hæresim, quid temeraria, quid scandalosa, ib. 55. Quid male sonans, quid schismatica quid iniuriosa, 24.56.

Pubertas. Lib.31.

DE pubertate in ordine ad matrimonii validitatē, 764. 170. & aliquot sequent. Vide verbum Matrimonium 13. post medium.*

R.

Raptus. Lib.22.

QVid raptus fornicationi superaddat, 242.28.
Corollaria de eadem re, ibid.29.
Raptum genere suo peccatum esse mortale, ad quod confirmandum referuntur pœnæ, quibus is à iure punitur, 243.30.
Quomodo eædem pœnæ sint accipiendæ, ibid.31.
Raptus quid sit, Lib.31. 763.164.

Redemptio vexationis. Lib.23.

QVatenus fine simonia detur temporale pro spiritali ad redimendam vexationem, 280.124.
Redemptio iustæ vexationis qua temporale datur pro spirituali non est licita, ibi.125.
Præuenire iniustam vexationem aperte futuram, quando sit licitum, ibid.126.
Non licet præuenire certo iustam, nec eam de qua non constat an iusta sit vel iniusta, ibid 127.
Pretium in redemptione vexationis accipiens, quando in eo committat simoniam, ibid.128.
Redemptio vexationis cum spiritale non habet annexum temporale commodum, quatenus excusetur, à labe simoniæ, ibi.129.
Vexatus in possessione, cum ius habeat ad eam certum, potest vexationem fine simonia redimere, ibid.130.
Secus si ideo manifestetur, quod habeat ius incertum, ibi.131.
An necesse sit prius recurrere ad Superiorem, quam vti vexationis redemptione, 282.132.
De redemptione vexationis, per quam indignus præficitur Ecclesiæ, quid sit tenendum, ibid.133.

Religio virtus, Lib.17.

RElegionis nomen accipitur dupliciter, 38.135.
Religio virtus est moralis, non theologica, ibi.136.
Ad eam proxime pertinet primum Decalogi præceptum, quod negatiuum est, includens in se affirmatiuum, ibi.137.
Actus eius quidam sunt eliciti, & quidam imperati, ibid.138.
Quod eliciti sint varii, & qualiter de imperatis sit iudicandum, ibid. 139.
Pro quo tempore iidem actus sint in præcepto: specialiter autem deuotio, adoratio, & sacrificium, ibid.140. & 141.

Religio status vitæ 1. Lib.18.

DE nomine Religiosi: & de votorum paupertatis, castitatis, & obedientiæ necessitate ad statum religiosum, 146.363
Religiosus status præter eadem vota, requirit Sedis Apostolicæ approbationem. 147.364.
Ad statum religiosum, neque eadem tria vota sine istiusmodi approbatione: neque hæc, sine illis sufficere potest, ibid.365.
Tria memorata vota solemnia esse, necessarium non est ad statum religiosum, ibid.366.
Ratio illius rei, ibid.367.
Solutio eorum quæ in contrarium obiici possunt, ibi.368.
Tres vitæ spiritalis modi, ex quibus tria genera ordinum Religiosorum distinguuntur, ibid.169.
Inter varios ordines Religiosos, quis cui præstare censendus sit, 148.370.

Religiosi status vitæ 2. quoad eam ingressuros, & quoad eam ingredientes. Lib.18.

NOn est quidem necessarium per se longa deliberatio ne vti ante ingressum religionis: est tamen per accidens. ibi.371.
A Deo petendum est consilium per preces: & à seipso, per probationem propriarum vitiorum, ibid.372.
Non est illicitum inducere aliquem ad ingressum religionis: nisi id fiat metu incusso, 149.373.
Aut largitione munerum simoniaca, aut mendaciis, aut si inductio sit ad monasterium, in quo male viuitur, ibid.374.
Quatenus alicui religionis ingressum dissuadere liceat, ibid. 375.
Potest ingredi religionem quuis non habens impedimentum; siue personale fine reale: & quando illud contingat, ibid.376.
De impedimento matrimonii, & clericalis status Episcoporum, non item aliorum Clericorum, ibid. 377.
Varia debita realia impedientia ne quis religionem ingrediatur, 150.378.
Ad quid teneatur is qui certum monasterium se ingressurum vouit, si in eo non admittatur, ib.379.
Ad quid item qui vouit absolute aliquod religionis genus, aut vniuersè religionem, aut dissolutam, ibid. 380.
De eo qu. recusatur admitti, nisi literas aut artem discat. & de eo qui simul vouit absolute religionem, & in particulari aliquam: atque de eo cui superuenit impedimentum, 151.381.
Qui fecit votum alicuius religionis non satisfacit. Episcopatum suscipiendo: sicut ingrediendo Religionem perfectiorem: & quatenus suscipiendo æque, aut minus perfectam, ibi. 382.
De libertate quam habet religionem ingressus, egrediendi ante annum pubertatis, ibi.383
Ingressus religionem sit Religiosus duobus modis: vno per susceptionem habitus: & altero per professionem, 152.384.
Requisita ad professionem expressam, ib d.385.
Tres modi quib. fit professio tacita, ibid.386.
Quod non sit qui censendus professionem tacitam fecisse per susceptionem habitus nouitiorum, quantumcumque suam voluntatem perseuerandi ac profitendi sufficientissime ostenderit, 153. 387.
Quomodo accipienda sint iura quæ in contrarium citantur, ib. 388.
Quatenus aliquam religionem tacite professus, possit in aliam intrare, ib. 389.

Religio status vitæ 3. quoad ingressos ac quoad egressos religionem Lib.18.

VArietas eorum quæ religio incumbunt ex officio, ibid.390.
Quatuor casus in quibus Religiosus mortaliter peccat contra obedientiam, 154.391.
De peccato eius qui religionis vota tantum, non autem regulas seruare vult, ibi. 392.
Quatenus peccet Religiosus agendo contra regulas, quæ non obligant, ad culpam, ibid. 393.
Obedire sine præcepto, quam eo expectato, melius est: & quid sit agendum cum diuersi Superiores contraria mandant. Itemque quid in dubio, ibid. 394.
Quando sit aut non sit de necessitate, vt Religiosus Prælato suo obediat, ibid 395.
Quatenus consuetudo possit aut non possit excusare ab obseruatione regulæ, 155.396.
* Religiosus post factam professionem, de suis bonis disponere non potest, nec testamentum ante illam factum mutare, ib.397.
Peccatum suo genere mortale Religiosus committit, habendo proprium, ibid. 398.
Tres casus in quibus Religiosus mortaliter peccat, retinens aliquid in vsum proprium, 156.399.
Peccat Religiosus volens de aliquo libere disponere, perinde ac si dominium illius haberet. ibid.400.
Religiosus de eo quod dono accepit, non potest disponere, ibid.401.
Ad quæ teneatur Religiosus Ordinis, in quo singulis assignatur suum proprium, ib. 402.
* Obligatio Religiosi ad clausuram. 157.403.
Prohibitio Religiosis facta sub excommunicatione non dimittendi habitum sui Ordinis: & pariter facta Doctoribus ne eos dimisso habitu retineant ac doceant leges aut medicinam, ib.404.
Quomodo intelligenda sit illa dimissio habitus, & quatenus censeri debeat temeraria, ibid 405.
Quomodo accipienda sit probatio facta Religiosis eundi ad studia ne licent a Superioris, & consilio totius, aut maioris partis Conuentus. Et quæ concurrere debeant ad incurrendam excommunicationem latam in docentes ipsos leges ciuiles vel medicinam, non gestantes suum habitum, ibid.406.
Venatio antiquo iure communi prohibita Religiosis, 158.407.
Excommunicatio lata in Religiosos vsurpantes sibi authoritatem administrandi Eucharistiam aliaque nonnulla agendi, ibid.408.
Ea ad omnes Religiosos extenditur, ibid. 409.
Actiones ob quas imponitur, cum earum declaratione, ibid.410.
Modi varii quib. potest Religiosus à tali censura excusari, ibid.411.

Religio status vitæ 4. De egredientibus religionem.

Transitus à Religione laxiori ad actiorem licitus est, 159.412.
Quatenus licitus sit transitus ad æque aut magis laxam, ibid.413.
Quæ religio censenda arctior, ibid 414.
Documenta de iis qui à Religione dimittuntur, ibid. 415.
Distinctio inter eiectum, fugitiuum, & apostatam, ibid. 416.
Eiectus ad Religionem reuocatus tenetur redire; non tenetur autem transire ad alium Ordinem, 160.417.
Tenetur absolute ad obseruationem castitatis: ad obseruationem vero obedientiæ religiosæ, tantum tenetur animi proposito, si contingat ipsum reuocari, ibid.418.
Quo habitu vti debeat. ibid. 419.
Quatenus teneatur ad obseruationem paupertatis: & cur acquirat, quæ non fuerint sibi necessaria, ibid. 420.

Repressaliæ.

DE repressaliis tenenda Lib.21. 232.120.

Res alienæ.

DE re aliena factus contractus quam vim habeat, vide verbum Contractus sexto in fine.

Rescriptum Apostolicum pro acquisitione beneficii. Lib.30. tract.3.

DIfferentia rescripti à cæteris constitutionibus Apostolicis; & triplex illius genus, 708.265.

Eius vsus à Concilio Trid. prohibitus ob abusum: qui si absit, potest esse licitus, ibi.266.
Rescriptum non extenditur ad beneficia nominatim iure excepta: & quænam ea sint, ibi.267.
Quid incumbat ei pro quo promouendo concessum est rescriptum Apostolicum, 709.268.
Quid possint contra agere illi quorum interest, ibi 269.
Quid acquiratur per rescriptum Apostolicum, ibi.270.
Concurrentibus pluribus mandatariis, quis eorum præferantur, ibid. 271.
Notandum de rescripto seu literis in forma pauperum, ibi.272.

Resignatio & Renunciatio beneficii. Lib.23.

REsignatio beneficii ecclesiastici quid, & quotuplex sit, 304.245.
Resignatio facta in fauorẽ tertii, quomodo sit simoniaca, ib.246.
Ea licite fieri potest in manibus Papæ, non item in manibus Ordinariorum, 305.247.
Quando in resignatione beneficii contingat, vel non contingat simonia mentalis, ibi.248.
Non est simoniacum post resignationem beneficii factam pure & simpliciter in manibus Superioris, rogare ipsum, vt illud certæ personæ conferat, ibi.249.
Renunciationes non valent factæ colore permutationis in manibus Ordinarii, ibi.250.
Simoniaca est resignatio beneficii, cum reseruatione pensionis facta sine authoritate Papæ, ibi.251.
Quando committatur simonia tractando de pensione imponenda beneficio sub Papæ beneplacito, 306.252.
Quando renuncians committat simoniam, accipiendo temporale ea de causa, ibid.253.
Resignationes simoniacæ cum regressu, aut cum accessu, aut cum ingressu quid sint, & quomodo differant, ibi.254.
Renunciatio quæ tantum est litis, fieri potest propria authoritate: non item, cum admixtam habet quamdam renunciationem beneficiorum, ibi.255.
De ratione qua, cum beneficium de quo litigatur vnicum est, pro illius renunciatione possit vel non possit aliquid accipi, ib.256.
De bono pacis, & alia iusta causa ob quam authoritate Prælati pro renunciatione litis aliquod temporale accipi potest, 307.257.
Ratio qua non potest. & ratio qua potest Prælatus pensionem imponere ei cui adiudicat beneficium litigiosum, ibi.258.
Quod talis pensio imponi possit ad vitã illius cui assignatur, ib.259.
De hac renunciatione vide alia in verbo Beneficium ecclesiasticum 4. § tertio. *

Responsio ambigua. Lib.24.

CElatio veritatis per responsionem ambiguam, 315.9.
De responsione ambigua ob aliquod subintellectum in mente, nec exterius expressum, ib.10. & duob sequent.

Reuelatio secreti. Lib.24.

QVod reuelatio secreti peccatum sit, & quale sit, 337.106.
Vnus modus quo contingit obligatio seruandi secretum, est ex natura rei, 338 107.
Alter quo eadem obligatio contingit, quia iniuste ventum est in notitiam secreti, ibi.108.
Tertius quo eadem contingit, eo quod post notitiam secreti, interuenerit pactum aut promissio de eo non reuelando. ibid 109.
Quartus quo illa ipsa contingit ex pacto, cum quo secretum ea lege detectum est, vt non manifestaretur, nisi idem aliunde cognoscatur, ibi.110.
Ad eiusdem pacti obseruationem tenetur quisquis ex iniusta violatione illius, cognouerit secretum sub illo eodem commissum, ibid.111.
Quatenus obligatio ad eiusmodi obseruationem cesset ob damnum secuturum reip. aut etiam personæ priuatæ: nisi fiat secreti commissi reuelatio, ibid.112.
Quæ qualiter sit facienda, ibid.113.
Quintus modus spectans ad Sacramentum pœnitentiæ, 339 114.
Responsio ad obiectionem, quod Christus detexerit peccatum Iudæ proditoris, ibid.115.

Reus. Lib.24.

MEndacium rei in iudicio tamquam pernicioſum, rationem habet peccati mortalis, 321 35.
Obseruanda à Confessario quoad tale mendacium, ibi.36.
Rationes suadentes probabile esse, quod reus cuius crimen non est plene probatum, à mortali excusetur, si illud in iudicio neget ad mortem vitandam, ibid.37.
Nonnulla ad quæ aduertendum est in iudicio ferendo de eiusmodi mendacio, 322.38.
Requisita vt quis censeatur legitime interrogatus, ibi.39.
De infamia requisita, ibi.40.
De indiciis ac semiprobatione, ibi.41.
Reus potest respondere ambigue quando non interrogatur iuridice, potest item fugere nondum captus, 323.42.
Cum reus scit se contra ius interrogari, aut de eo probabiliter dubitat, non tenetur respondere, 343.134.
Quando reus censeatur interrogari contra ius: & quod ex illius responsione per vim aut fraudulenter extorta contra ius nequeat Iudex procedere aduersus ipsum, ibi.135.
Quod non procedit si vis aut fraus extra iudicium prouenerit à persona priuata: & cur in ea re perinde sit, siue à Iudice, siue ab ipius ministris vis aut fraus proueniat, ibi.136.
Casus in quo Iudex ex responsione per vim & fraudem extorta à reo in iudicio, potest contra eum procedere, ibi.137.
Iudici licet cum reo dissimulatione, bonoque dolo vti: nec impeditur contra reum procedere, si is ex leuitate, nec graui metu compulsus, nec magna fraude circumuentus crimen suum confessus sit, ibi.138.
De obiectione quam reus potest facere testi, ad infirmandum ipius testimonium, 344139.
Quod eam possit facere quantumcumque testimonium sit verum interuenientibus tamen tribus conditionibus, & quibus, ib.140.
Reus conuictus in iudicio de vno crimine, non tenetur respondere interrogatus de aliis à se commissis, quando contra eum de talibus non præcedit infamia, aut semiprobatio, vel indicia aliqua lentia, ibid.141.
Duo casus in quib. id patitur exceptionem, ibid.142.
Reus de complicibus omnino occultis interrogatus non tenetur respondere, tanquam non interrogatus iuridice, ibi.143.
Nisi sit crimen læsæ maiestatis, seu vergens in graue reip. damnum, 345.144.
Ad quid teneatur reus qui mentiens in iudicio euasit pœnam ad quam erat condemnandus, ibi.145.
Non tenetur reus iniuste condemnatus perinde parere Iudici, ac iuste condemnatus: sed interdum potest se defendere: & quomodo ac quando, ibi.146.
Quatenus licitum sit reo à lata in se sententia appellare, 147.
Quando reus in carcerem coniectus possit vel non possit ex eo fugere, ibi.148.
Quæ censeri possint causæ iustæ talis fugæ, 346.149.
An tali fugæ obstent incommoda custodibus secutura, aut eorum deceptio, aut effractio compedum, vel ianuarum, vel parietum carceris, ibi.150.
Quatenus licitum sit, vel non sit in ea re ipsum iuuare, ib 151.
An inde sequatur aliqua obligatio ad restitutionem, ib.152.

Ritus celebrandi Missam Lib.29

DE pertinentibus ad ritum celebrandi Missam, & obligatione obseruandi illa: deque defectibus circa eadem contingentibus. 594.206. & sequent. vide verbum Missa.4. in fine.

Rixa.

DE rixa lib. 21. 234.128.

S.

Sabbathum. Lib.19.

DE nomine Sabbathi, deque præcepto: Decalogi, quo eius obseruatio imponitur, 161.1. & 2.

Sacerdos. Lib.29.

SAcerdotis obligatio celebrandi Missam, 551.46. & 47.
Qua ratione debeat se gerere cum peccatore in administranda sacrosancta Eucharistia, 552. 48. & aliquot sequentib. vide verbum Eucharistia 4. à medio. *
Sacerdotis Parochi est, Eucharistiam administrare iure ordinario: cæteris Sacerdotibus quatenus id conueniat, 563. 89. & quatuor sequentib. vide verbum Eucharistia 6. sub finem.
Sacerdos non debet communicare sine stola, 570.112.
Sacerdotis concubinarii Missam audire non esse peccatum, 578.137. & duobus sequentibus.

Sacramenta nouæ legis primo, quoad eorum naturam & necessitatem. Lib.26.

DEfinitio Sacramenti, & conditiones ad naturam eius requisitæ, 496.1.
Cuius conditionis signa, Sacramenta nouæ legis sint, ibid.2.
Qualiter Sacramentum significet gratiam iustificantem, ibi.3.
In vnoquoque Sacramento distinguitur Sacramentum & res Sacramenti, quibus character in nonnullis additur, ibi.4.
Septem sunt nouæ legis Sacramenta, & qua ratione is numerus concludatur à D. Thoma, 497.5.
De fide est, non omnia Sacramenta paria esse inter se, 6.
Institutio omnium Sacramentorum nouæ legis, est à Christo: & quod aliud necessarium sit necessitate medii, & aliud necessitate præcepti, ibi.7.
Differentiæ inter vtramque illam necessarii speciem, ibid.8.
Tenenda de necessitate Sacramentorum, ibi 9.
Quæ dicatur necessitas Sacramento, ibi.10.

Sacramenta nouæ legis 2. quoad materiam & formam ipsorum Lib.26.

TRia ad vnumquodq; Sacramentum concurrere oportet vt perficiatur: materia, forma, & minister, 498.11.
Modus compositionis Sacramenti ex materia & forma, ibi.12.
Materia eiusque Sacramenti indeterminata quidem est quoad significationem, non tamen quoad rem, ibid.13.
Materia & forma Sacramentorum, certæ ac definitæ sunt ex Christi institutione, ibid.14.

Ecclesia nequit mutare essentialia Sacramentorum, nec effectum eorum impedire, ibid.15.
Quod in Sacramento, & res verbi: & verbum rei haberi possit rationem, 499.16.
Quæ coniunctio materiæ & formæ requiratur ad Sacramentum, ibid.17.
Quanta item vtriusque propinquitas, ibid.18.
Qua ratione Sacramentum Eucharistiæ censeatur re constare & verbis, ibid.19.
Mutatio essentialis in materia aut forma Sacramenti, reddit ipsum inualidum: non item accidentalis. Et quando essentialis contingat in materia, ibid.20.
Quando in forma, 500.21.
Ad Sacramentum nihil refert cuius idiomatis sit ipsius forma: neque an eam intelligat qui illud administrat vel suscipit, ibid.22.
Dummodo verba habeant significationem vsu receptam, qualem Sacramenti forma exigit, ibid.23.
Sex modi quibus fieri potest mutatio in Sacramenti forma: & ratio iudicandi quando illa sit huic essentialis, & quando accidentalis, ibid.24.
Quid sit faciendum in probabili dubio, an ex mutatione forma peream, ibi.25.
Quando ex accidentali mutatione formæ Sacramentum irritum reddatur, vel non, ibi.26.

Sacramenta nouæ legis 2. quoad ceremonias & causam efficientem effectusque ipsorum. Lib.16.

QVæ proprie dicantur ceremoniæ Sacramentorum, & de magna earum varietate, 501.27.
Commune ceremoniis: & quod earum vsus pius sit, & salutaris, ibid.28.
A solo Papa eæ mutari possunt, nec vsurpari passim possunt à quibus, ibid.29.
Quem vsum eædem habeant, ibid.30.
Quomodo conueniat eis producere certos effectus spirituales, ibid.31.
Duplex causa efficiens Sacramenti, quarum principalis est Deus, 502.32.
Duæ reliquæ, humanitas Christi: & aliquis homo vltra Christum, ibid.33.
Ad Sacramenti validitatem non est necessaria probitas morum in ministrante illud, ibid.34.
Malus minister vt potest verum Sacramentum conferre: sic potest eiusdem verum effectum, puta gratiam, ibi.35.
Ad Sacramentum perficiendum requiritur in ministro intentio faciendi quod facit Ecclesia, 503.36.
Virtualem eam esse sufficere potest: non autem esse tantum habitualem. ibid.37.
Quæ dicatur actualis intentio: & quod virtualis dupliciter dicatur: quæque dicatur habitualis, ibid.38.
Quatenus ad Sacramenti validitatem sufficiat aut non sufficiat intentio conditionalis, ibid.39.
Intentio faciendi quod facit Ecclesia quæ creditur vera, sed non est, potest sufficere ad Sacramenti validitatem. 504.40.
Quod peruersa intentio ministri non impediat Sacramenti validitatem: & quomodo iudicetur de intentione ad hanc sufficiente, ibid.41.
Error in intentione circa personam, non impedit validitatem Sacramenti, ibid.42.
*Effectus præcipui Sacramentorum, gratia gratum faciens & character: quidque illa sit, ibid.43.
Omnia Sacramenta nouæ legis conferre possunt secundam gratiam, non item primam omnia simili modo, ibi.44.
Suo autem modo omnia possunt, ibid.45.
Quid sit Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, 505.46.
In singulis Sacramentis gratia specialis confertur & qualis, ibid.47.
*Quid sit character Sacramentalis, & quorum Sacramentorum sit, ibid.48.
Triplex officium illius: & quod sit indebilis, ibid.49

Sacramenta nouæ legis 4. quoad suscipientes & administrantes illa, Lib.26.

SOlus homo præsentem vitam agens capax est Sacramentorum: ad quorum validitatem, illius intentio est necessaria, & qualis: 506.50
Recta fides requisita in adulto suscipiente Sacramentum, vt per illud gratiam consequatur: itemque pœnitentia, & quæ. ibi.51.
Quorum tamen duarum conditionum defectus non obstat, quin is Sacramentum vere suscipiat, excepto pœnitentiæ Sacramento, ibid.52.
Indigne Sacramenta tractare, peccatum est suo genere mortale: & grauissimum, si quis ea conficere tentet, non habeas potestatem, 507.53.
Quid de eo, qui non est certus an habeat talem potestatem, ibi 54.
Quatenus soli Sacerdotes censeantur ministri Sacramentorum, ibid.55.
Mutare materiam aut formam in administratione Sacramenti, aut vti incerta, aut non seruare modum ab Ecclesia præscriptum peccatum est de se mortale, ibid.56.
Peccatum est suo genere mortale sacramentum ministrare in statu peccati mortalis, ib.57.
An id habeat locum in illo, qui ex necessitate administrat; neque est ad tale officium consecratus, 508.58.
Quatenus peccet Sacramentorum omittens ceremonias ab Ecclesia præscriptas, ibid.59.
Duo modi quibus contingere potest obligatio suscipiendi Sacramenta, ibid.60.
Peccatum est mortale Sacramenta sine debita dispositione suscipere: ac etiam tali indignæ susceptioni cooperari, ib.61.
Peccat mortaliter ministrans Sacramentum suscipienti illud indigne: nisi scandalum aut inimicitia proximi læsio excuset, 509.62.
Ignorantia quoque probabilis potest ab eodem peccato excusare, ibid.63.
Non licet Sacramentum petere ab eo qui nequit illud valide aut digne ministrare, ibid.64.

Sacrilegium. Lib.19.

DE violatione rei sacræ in qua sacrilegium consistit, 176.55.
Quatuor sacrilegii species quarum prima contingit cum personæ: secunda cum loco: tertia cum tempori sacro fit iniuria, 177.56.
De quarta contingente cum fit iniuria aliis rebus sacris, ibid.57.
Sacrilegium genere vnum est, & specie diuersum, ac ipsum mortale peccatum esse contingit tribus maxime modis, ibid.58.
Quæ sacrilegii species excommunicationem inducant. ib.59.
Explicatio excommunicationis latæ in effractores & spoliatores Ecclesiarum, ibid.60.

Sacrilegium quatenus luxuriæ species. Lib.22.

QVid sit sacrilegium prout luxuriæ species, & quot modis contingat, 243.32.
De sacrilegio quod committitur vsu actus luxurioſi in loco sacro, 244.33.
Quando committatur à coniugibus istic vtentibus copula coniugali, ib.34.
Quatenus committatur per actum luxuriosum occultum, aut quando is est sine carnali copula, ibid.35.
Quæ in hac re comprehendantur nomine loci sacri, ibid.36.

Schisma. Lib.17.

SChisma in quo consistat & differat tum ab hæresi tum ab inobedientia, 34.111.
Peccatum est grauissimum, ibid 113. & seq.

Signum. Lib.17.

QVatuor præcipua genera signorum, quibus quis censeri potest aliquam religionem profiteri, 19.31.
Quatuor casus in quibus nullum tale assumere liceat, cum fuerit signum falsæ religionis, ibid 32.
Quomodo talibus vti liceat extra eosdem casus, 20.25. & seq
Signum dilectionis exhibendum inimico, vide verbum Inimicus.

Simonia 1. vniuersa. Lib.23.

TRactantes de simonia, 276.108.
De nomine simoniæ, ibi.109.
Definitio simoniæ: & quæ voluntas ad eam requiratur, 277.110.
Quæ res spirituales, aut spiritalibus annexæ censeantur materia simoniæ, ib.111.
Non est simonia artes & scientias naturales docere pro pecunia, ibid.112.
Solutio eorum quæ obiici possunt in contrarium, ibid.113
Regulæ aliquot notandæ ad iudicandum quando committatur simonia, 278.117.
De acceptis in sustentationem per eum qui spiritualia exercet, ibid.118.
Quas operas suas locare possit exercens spiritualia, ibid.119.
Documenta notanda ad iudicandum qua ratione committatur simonia, 279.120.
Duo requisita ad venditionem & emptionem, qua committitur simonia, dando pure spiritale pro pure spirituali, ibid.122.
Aliquot modi quibus sine simonia dari potest temporale pro spirituali, ib.123.
De consuetudine accipiendi temporale pro spiritali, 281.134. & tribus sequentibus.
Committitur simonia dato spiritali in compensationem obsequii pecunia æstimabilis, 282.138.
De ratione qua potest sine simonia, Prælato obsequium exhiberi, ad obtinendum ab ipso beneficium Ecclesiasticum, ib.139.
Qua ratione sit aut non sit simonia dare beneficium pro obsequio exhibito aut exhibendo in Ecclesiæ vtilitatem, ib.140
Quando sit simonia vel non sit dare spiritale ob munus à lingua, seu ob preces, ib.141. & 283.142.

Non est simonia conferre alicui beneficium ratione consanguinitatis, ib.143.
Quale peccatum sit tali ratione conferre digno, ib.144.
Non est simonia ob metum conferre beneficium, nisi collatio resoluatur in commodum temporale, ibid.145.
Simoniacum est sponsione deponere spiritale, contra temporale, ibid. 146.
Simoniam committit mutuo dans pecuniam alteri ea lege, vt beneficium sibi conferat, ibid.147.

Simonia 2. quoad illius diuisionem & materia grauitatem. Lib. 23.

DIuisio simoniæ, in mentalem, conuentionalem, & realem, 284.153.
Alia diuisio in prohibitam iure naturali, & prohibitam iure canonico, 285.154.
Tres modi quibus contingit simonia pure positiua, ibid.155.
Responsio ad fundamentum Durandi existimantis nullam dari simoniam positiuam, ibid.156.
Notanda pro praxi de simonia confidentiali, ibid.157.
Talis datur, tum naturalis seu iure naturali prohibita: tum positiua, seu prohibita iure canonico, 286.158.
De bulla à Pio 5. aduersus talem luem edita, ib.159.
Duæ reliquæ diuisiones simoniæ, ibi.160.
Simonia peccatum est de se mortale grauissimum, ibid.161.
Rationem habet, tum auaritiæ, tum iniustitiæ, tum peccati contra charitatem, ibid.162.
Itemque rationem sacrilegæ irreligiositatis, 287.163.
Quomodo simonia repugnet iuri, tum naturali, tum positiuo: tam diuino, quam humano, ibid.164.
Quæ ignorantia excuset à peccato simoniæ, ibid.165.
Quomodo paruitas materiæ ab eodem excuset, vel non excuset, ib. 166.
De difficultate, an necessitas excuset à simonia, diuersæ sunt sententiæ, ibid.167.
In extrema necessitate circa spiritualia vexatus iniuste, quando possit vexationem redimere dato aliquo temporali, & quando non possit, ib.168.
Quomodo sine simonia, vrgente extrema aut graui necessitate, dari possit temporale ad consequendum spirituale, 288.169.

Simonia 3. quoad pœnas quæ ob eam incurruntur. Lib. 23.

PRima pœna quæ per simoniam incurritur est reatus mortis æternæ, ibid.170.
Explicatur difficultas, an pœnæ canonicæ incurrantur propter simoniam conuentionalem, ibi.172.
De pœna suspensionis, quod incurratur tantum per simoniam in Ordine, ibid.172.
De excommunicatione imposita ob simoniam commissam ingressu religionis, ibid.173.
De alia imposita ob commissam in Ordine, ibid.174.
De tertia ob commissam in Ecclesiastico beneficio, 290.157.
Collatio simoniaca beneficii, vel officii Ecclesiastici est nulla: inducitque inhabilitatem ad beneficium sic collatum, ibi.176.
Quomodo ignorantia non excuset in ea re, ibid.177.
Quomodo excuset contradictio promouendi, scientis simoniam in sua promotione committi, ibid.178.
Quid sit sentiendum de eo quo ignorante promissa aut soluta est pecunia pro ipsius promotione, si eandem pecuniam restituat, de re postea certior factus, ib.179.
Pœna inualiditatis actus, ob nullam aliam simoniam, quã commissam in beneficio vel officio Ecclesiastico, incurritur, ib.180.
Sacramentorum administratio, professio in Religione, venditio calicum & aliarum similium rerum, non desinit valere ob simoniam in ea commissam, 291.181.
Quid sit dicendum de venditione officiorum Ecclesiasticorum, ibi. 182.
Quatenus pœnæ constitutæ in 2. extrauaganti communi de simonia attineant ad simoniam conuentionalem, ibid.183.
Quod non incurrantur ob simoniam in beneficio tãtum positiuam, ibid 184.
De liberatione simoniaci à pœnis suspensionis & excommunicationis, 292.185.
De liberatione à pœnis inualiditatis & inhabilitatis, ib.186.
Tria necessaria ad ratihabitionem quæ retrotrahitur, ib.187.
Pœnæ canonicæ simoniacorum per Iudicem imponendæ, 293.188.

Simonia 4. prout committitur in re essentialiter spiritali. Lib. 23.

QVæ comprehendantur nomine rei essentialiter spiritualis, ibid. 189.
Simonia est pro vicariatu spiritalis potestatis, dare pecuniam, ibid. 190.
Simonia committitur, data pecunia pro ingressu religionis, 191.
Nec consuetudo, nec statutum in eo excusat, ibid.192.
Accipi tamen potest insustentationem, nisi monasterium sit satis opulentum, ibid.193.
Explicatio dubii An pecunia accipi possit pro Religionis ingressu, cum expletus est numerus personarum, quæ monasterium alere potest ex suis reditibus, 294.194.
Explicatio alterius dubii, An simonia sit seruire monasterio ad impetrandum ingressum in illud, ibid.195.
Responsio negatiua ad dubium, an sit simonia, quod quis promittat in ingressu alicuius sodalitatis se quotannis certum quid soluturum, ibid.196.

Simonia 5. prout committitur in re causaliter spiritali. Lib. 23.

QVando simonia committatur acceptione pecuniæ pro sacramẽtis aut sacramentalibus, ibid.197.
Simonia in ordine, quoad ordinantem, ibi.198.
Eadem quoad ordinatum, ibid.199.
Item quoad ministros ordinantis, ibid.200.
Quando simoniacum sit vel non sit id, quod post collationem Ordinis datur, 295.201.
Quando simoniacum sit dare Episcopo pecuniam, ne aliquem ordinet, ib.202.
Quando dare Ianitori, pro accessu ad ordinatorem, ibid.203.
Quando dare intercessori, ad impetrandam ordinationem, ibi.204.

Simonia 6. prout committitur in effectiue spirituali. Lib. 23.

QVæ comprehendantur nomine rei spiritualis effectiue, ibi.205.
Quatenus simonia committatur in iis quæ sunt potestatis Ordinis, 296.206.
Quatenus officia minorum Ordinum vendere, simoniacum sit, ibi. 207.
Quatenus sine simonia, possit pro sepultura accipi pecunia, ibi.208.
Varietas actuum qui procedunt ex Ecclesiastica iurisdictione, ibid. 209.
Simoniacum est pecuniam dare pro actu communicandi Ecclesiasticam iurisdictionem, ibi.210.
Similiter pro actu exercendi eamdem iurisdictionem, ibid.211.
Quod procedit etiamsi talis actus versetur in temporali materia, 297.213.
Non item si respectu illius temporale accipiatur ex consuetudine laudibili: vt respectu visitationis quæ sit à Prælato, ibi.214.
Aut in pœnam: vt cum dispensatio datur in gradibus consanguinitatis, aut per modum compositionis: vt cum dispensatur in voto faciendi opus aliquod pium, ibid.215.
Aut in sustentationem, prout accipitur à Concionatore, ibid.216.
Potest quis locare suas operas, ac stipendium accipere pro labore exercendi actus aliquorum officiorum Ecclesiasticorum, 298.217.
Quomodo accipendum sit, quod in Romana curia quædam officia Ecclesiastica vendantur, ib.218.
Quatenus liceat aut nõ pecuniam dare pro interuentu apud Papam, aut alium Prælatum: pro iustitia vel gratia ab eis obtinenda, ib. 219.
Quatenus liceat post obtentam, dare temporale iis quorum interuentu obtenta est, ibi.220.

Simonia 7. prout committitur in re annexa spirituali antecedenter. Lib. 23.

NOn committitur simonia vendendo sacra vasa & alia temporalia, quæ sunt consecrata aut benedicta: dummodo nihil accipiatur ratione consecrationis aut benedictionis, ib.221.
Ratio qua talis venditio fieri potest licite, 299.222.
Eam doctrinam etiam procedere, quoad ea quæ nequeunt perdere acceptam benedictionem, ibid.223.
Oleum cuius est vsus in administratione sacramentorum, vendi nõ potest sine simonia, ib.224.
Etsi absque simonia res antecedenter spiritales vendi possint non licet tamen de eis negotiari, ibid.225.
Quatenus licitum sit aut non sit, pro sepultura pretium accipere, ib. 226.

Simonia 8. prout committitur in re annexa spirituali comitanter. Lib. 23.

SEntentia dicentium non esse simoniam capere pretium pro labore qui ponitur in administratione spiritualium, 300.227.
Aliorum sententia simoniam esse, capere pro labore necessario ad talem administrationem, ib.228.
Qualiter is labor censeatur spiritalis: itaut vendi nequeat sine simonia, ib.229.
Responsio ad fundamenta prioris sententiæ, & quod pro labore non necessario ad spiritualium administrationem, possit pretium accipi, ib.230.
Explicatio dubii, An in pactum deduci possint debita ad sustentationem, pro sacramentorum administratione, ibid.231.

Simonia 9. prout committitur in re annexa spirituali consequenter.

QVomodo beneficium sit spiritale consequenter, 304.242.
Beneficium multis modis acquiritur, in quibus potest simonia contingere, ib.243.
Documenta de simonia quæ committitur in electione ad beneficia, ibid.244.
De simonia quæ committitur in vsu iuris patronatus, 309.267.
Quando sit aut non sit simonia beneficium conferre consanguineo, ibid.268.
Simonia est iure diuino prohibita, vendere prouentus annexos iu-

ri spiritali, quatenus tales, ibid.269.
Quomodo fieri possit authoritate Papæ eorumdem prouentuum venditio, seu alienatio, ibid.270.
De Annatis, quod non sit simonia eas exigere, ib.271.
De Quindenniis, quod nec in earum solutione simonia, ibid. 272.
Nec item in taxationibus, & compositionibus, quæ fiunt pro expeditione literarum Apostolicarũ ad obtinenda beneficia, 310.273.

Societas 1. ingenere. Lib. 25.

QVid sit societas, & quod ea debeat esse saltem duorum, 431.369.
Ad eam pertinet conuentio contribuendi, perficique potest sine rei traditione, aut scriptura, ibid.370.
Pertinet item vt quisque sociorum aliquid aut aliqua contribuat, ibid.371.
Per. inet adhuc, vt eadem contributio fiat ad commune lucrum sociorum. Et quod interdum sic fiat, vt constituat non societatis, sed locationis contractum, ibid.372.
Vsurarium non est, quod pecuniam contribuens ex ea lucretur, nulla apposita sua industria, 432.373.
Socius dans causam damni in societate, quatenus teneatur ad illud resarciendum, ibid.374.
Quinque modi quibus contractus societatis finitur, ibid.375.

Societas 2. quoad illius varietatem. Lib.25.

SOcietas quædam initur expresse, quædam tacite, 433.376.
Quædam in omnibus bonis, quædam absque mentione omnium bonorum: & quædam in vna tantum negotiatione, vel in vna tãtum re, ibid.377.
Quædam ad definitum, & quædam ad indefinitum tempus: & quædam vno vnum tantum apponere, cæteris apponentibus, plura; & quædam, singulis, plura apponentibus, ibid.378.
Quædam in mercatura, quædam in aliis initur; & quædam licita, quædam illicita, ibid.379.
Conditiones requisitæ vt censeatur licita, ibid.380.
Quædam est simplex ac nuda, & quædam mixta aliis contractibus, præsertim assecurationis, 414 381.
* Quid operetur assecuratio, ibi.382.
Fraudes quæ in assecuratione contingere possunt, ibid.383.
Quodnam censendum sit iustum pretium assecurationis: & an non tantum de mercibus & lucro ex eis quærendo, sed etiam de vita hominis assecuratio fieri valeat, ibid.384.

Societas 3. prout est circa negotiationem. Lib. 25.

INter conditiones requisitas ad talem societatem licitam, duæ obseruandæ sunt inducentes obligationem ad restitutionẽ, ib.385.
Qualitatis proportionis seruanda inter socios, vt societas censeatur licita, 435.386.
Ea latitudinem habet, sed intra certos limites, de quibus iudicare prudentis est, ibid.387.
Qua ratione pecunia exposita negotiationi, debeat proportione respondere operæ vel industriæ, quam alter in societatem apponit, ibid.388.
Ratio determinandi de tali proportione, ibid.389.
Difficultas, an capitale saluum, dividendum sit cum lucro in fine societatis, explicatur distinctione, 436.390.
Reiicienda est sententia dicentium cum societas soluitur, sicut capitale saluum recipit qui illud apposuit, sic valorem operæ vel industriæ eum qui illam apposuit, debere recipere, ibid.391.
Duæ sententiæ de difficultate, an si capitale perdatur, damnũ sit cõmune socijs, an proprium eius qui illud apposuit, ibid.392.
Quando tale damnum ad eum qui apposuit operam aut industriã spectet: siue ex toto, siue ex parte, ibid.393.
Quæ damna apponentis operam vel industriam sint, & quæ non sint communia aliis socijs, ibid.394.
De expensis gratia societatis factis ab apponente operam vel industriam, quid sit tenendum, 437.395.
Tres opiniones de difficultate an licita esse possit societas in qua capitale saluum sit ei à quo apponitur, illiusq; peticulum subeat is qui operam vel industriam apponit, ibid.396.
* Probatio sententiæ dicentium licitam esse, si virtute saltem contineat contractum assecurationis; tum eiusdem capitalia, tum etiã lucri expectati: 438.398.
Quando in ea re contingat illicita palliatio mutui vsurarii, ib.399.
Documenta vtilia ad iudicandum an talis palliatio contingat in societate circa negotiationem habentem coniunctos contractus assecurationis, 439.400.

Societas 4. prout est circa animalia. Lib.25.

VArii modi quibus societas circa animalia celebratur, 439.401.
Conditiones requisitæ vt societas circa animalia censeatur licita, ibid.402.& 403.
De societate in qua conseruatur capitale, restaurando iactu animalium quæ moriuntur, substitutione aliorum quę nascuntur, 440.404.
De societate in qua dantur animalia æstimata pretio, ad quod soluendum obligetur recipiens, etiamsi illa pereant sine vlla ipsius culpa, ibid.405.
De quadam societate quæ initi potest cum monasterio vel Ecclesia, ib.406.
De societate in qua dantur animalia ad certum tempus, plus tunc valitura, quam cum dantur, ibid.407.
De societate in qua primum omnium ex fructibus capitale compẽsatur apponenti illud, ibi.408.
De societate in qua periculum capitalis, pro medietate stat apponendi operam vel industriam, ibid.409.

Sodomia. Lib.22.

QVid ad Sodomiam proprie dictam requiratur, & de generaliter dicta, 247.49.
Illius grauitas, & pœnæ, 248.50.

Solicitudo.

EX quibus sit iudicandum de malitia sollicitudinis inordinatæ seu inquietudinis, lib.23.258.29.
Sollicitudo temporalium quædam bona & quædam mala: & in quo ab ea differat thesaurizatio, ac quando hæc ipsa sit vel non sit licita, lib.17. 30.85.

Sortes.

DE sortibus documenta notanda ad cognoscendum quatenus sint illicitæ, lib.17.30.174.

Spes. Lib.17.

DEfinitio spei, & huic propria indicata in illa, 28.75.
Eiusdem comparatio cum fide & charitate, ib.76.
De spe datur præceptum diuinum affirmatiuum includens in se negatiuum; & pro quo tempore ipsum obliget, ibid.77.& 78.

Spiritale & spirituali annexum. Lib.23.

SPiritale dicitur tum per essentiam, tum per causam, tum per effectum, 277.114.
Annexum spiritali dicitur tum antecedenter, tum concomitanter, tum sequenter, ibid.115.
Varietas eorum quæ spiritalibus annexa sunt, 278.116.

Sponsalia 1. quoad eorum validitatem & obligationem. Lib.31.

QVid sint sponsalia: & quot modis contrahi possint, 782.243.
Ad sponsaliorum validitatem requiritur tam repromissio, quam promissio externo signo declarata, ibid.244.
Solutio obiectionis in contrarium, ibid.245.
Sponsalia ad validitatem requirunt acceptationem promissionis; & talem deliberationem qualis requiritur ad peccatum mortale, 783.246.
Ad eandem validitatem requiritur, vt qui sponsalia contrahunt sint habiles ad matrimonium ineundum, ibid.247.
Exceptio de inhabilitate ob impedimentum ætatis, ibi.248.
Alia exceptio de inhabilitate ob impedimentum absentiæ Parochi, aut testium: quodque matrimonium iuxta decretũ Concilii Trid. inualidum. ne quidem tanquam sponsalia valeat. ibid.249.
Sponsalia obligationem inducunt, eamque sub mortali; nisi ore tenus tantum facta sint, 784.250.
Obligatoria sunt contracta cum intentione obligãdi se etiamsi fuerit intentio non implendi, ibid.251.
Sufficere potest ad obligationem, vt intentio illa sit tacita: quæ quãdo non supplet defectum expressæ, cessat talis obligatio, 784.252.
Probabile est non valere sponsalia contracta animo promittendi quidem, non tamen se obligandi, ibid.253.
Quatenus obligetur qui dubitat an sponsalia contraxerit, ib.254.
Obligatio illius qui ficte contractis sponsalibus Virginem defloratam duxit, ibid.255.
Quod ex ficta promissione non obligetur defloratam ducere: si ea inferioris, aut etiam paris sit conditionis, 785.256.

Sponsalia 2. quoad eorum dissolutionem. Lib.31.

PEccatum est mortale sponsalia dissoluere sine iusta causa: quarum prima est remissio partium consentientium in dissolutionem, ibid.257.
De ingressu Religionis, quatenus sit causa iusta dissoluendi sponsalia, ibid.258.
De voto simplici castitatis, quomodo item sit causa iusta, 786.259.
Dissolutio sponsaliorum per susceptionem sacri Ordinis, aut per matrimonium, postea initum, ibid 260.
Dissolutio ratione ætatis, aut lapsus termini præfixi, aut absentiæ sponsi, ibid.261.
De fornicatione quatenus sit iusta causa dissolutionis sponsaliorum, 787.262.
De superueniente impedimento matrimonii, aut corporis fœditate, ibid.264.
De cognita post sponsalia notabili sponsi sæuitia: ac de scandalo, & de Papæ dispensatione, ibid.265.
Ob inconueniens aliquod notabile superueniens dissolui possunt sponsalia: & quod causæ sufficientes ad dissoluendum matrimonium sint & dissoluenda sponsalia, ibid 265.
Quatenus dolus reddat sponsalia inualida, 788.266.
Quid sit de eo, qui quando contraxit sponsalia ignorauit iustam causam ea dissoluendi: & post cognitam, carnalem copulam habuit: Quodque non amittatur ius exigendi promissum quando causa est occulta, ibid.267.
Quando ad sponsaliorum dissolutionem non requiratur, & quan-

do requiratur Iudicis authoritas: & qua ratione fieri debeat talis dissolutio, ibid. 268.
Eadem quæ ad dissolutionem sponsaliorum sufficiunt in foro externo, sufficiunt & in interno, ibid. 269.

Stuprum. Lib. 22.

QVid stuprum superaddat fornicationi, per quod constituatur distincta species luxuriæ, 241. 22.
Obligatio quam stuprum habet coniunctam, ibid. 23.

Substitutio. Lib. 25.

QVid & quintuplex sit substitutio, ac de vulgari, pupillari, & exemplari, 482. 628.
De fidei commissaria, ibid. 629.
De reciproca, & compendiosa, ibid. 630.

Superbia. Lib. 17.

SVperbiæ definitio: & de celsitudine quæ constituitur illius obiectum, 53. 203.
Quomodo superbia sit cum Dei & proximi contemptu, ibid. 204.
Tria illius genera, ibid. 205.
Est mortaliter mala, nisi excuset ignorantia aut materiæ leuitas: quæ qualiter in prædictis generibus ipsius contingat, ibid. 206. & 207.
Quatuor species superbiæ. 54. 208.
Duodecim filiæ eiusdem, ib. 209.

Superstitio. Lib. 17.

SVperstitio vitium est Religioni contrarium per excessum, 39. 142
Quæ sit, & quæ sint species illius primariæ, ib. 145

Suspensio 1. quoad illius naturam & varietatem. Lib. 32. tract. 2.

MOdi varii quibus suspensio accipitur in iure, 838. 1.
Quomodo conueniant & differant excommunicatio, suspensio & interdictum, ibi. 2.
Definitio suspensionis prout est huius loci propria: & quæ colligantur ex eo, quod sit censura ecclesiastica, ibid. 3.
Explicatio eius quod dicitur esse ecclesiasticæ personæ, 4.
Imponitur tantum ob culpam propriam, ibid. 5.
Magna ex parte suspensio, eadem ratione diuiditur qua excommunicatio, 839. 6.
Diuisio in maiorem & minorem non habet in ea locum, sicut habet in excommunicatione, ibid. 7.
Duas alias habet, quæ cadunt in excommunicationem, ib. 8.
Documentum de suspensione ab officio. ibi. 9.
Difficultas de eadem, An si fiat simpliciter ab officio, censenda sit & a beneficio esse, ibid. 10.
Quid videatur de ea tenendum, ibid. 11.
Simpliciter suspensus ab officio, à quocumque officio clericali intelligitur suspensus, ibid. 12.
Suspensus tantum ab actibus ordinis, vel tantum ab actibus iurisdictionis, 840. 13.
Suspensus à diuinis, & suspensus ab ingressu Ecclesiæ, ib. 14.
Suspensum ab Ordine inferiori, suspendi à superiori, non contra, quomodo debeat intelligi, ibid. 15.
Suspensus (etiam simpliciter) ab vsu Ordinum non impeditur sacramenta sumere, nec psallere in choro, nec concionari, ibid. 16.
Suspensus à Pontificalibus, ibid. 17.
Suspensus à beneficio, ibid. 18.
Quatenus is possit aliquid sibi ex fructibus beneficii accipere, 841. 19.
Suspensus a beneficio in vno loco, non censetur suspensus ab aliis: beneficiis quæ habuerit extra territorium suspendentis: quod tamen patitur aliquam exceptionem, ibid. 20.
De suspensione facta per disiunctionem, & facta simpliciter: nec officio, nec beneficio expresso, ibid. 21.

Suspensio 2. quoad illius causas & effectus. Lib. 32. tract. 2.

SVspensionis causa efficiens eadem est, quæ excommunicationis, ibid. 22.
Prohibitio facta pœnitenti à Confessario non habet rationem suspensionis: nec ité facta ab Abbatissa, Clericis sibi subiectis, 842. 23.
Sine Capituli iudicio, Episcopus Sacerdotem suspendere prohibetur. Et quando valeat suspensio lata à suspenso, ibid. 24.
Sola persona ecclesiastica suspendi potest, ibid. 25.
Ferri potest in communitatem suspensio, ibid. 26.
Ob aliquam culpam ferri debet, eamque propriam, ibid. 27.
Quæcumque mortalis sufficere potest, & nonnunquam venialis, ibid. 28.
De forma qua ferenda est suspensio, ibid. 29.
De fine ob quem ferri debet, ibid. 30.
Violatio suspensionis peccatum est suo genere mortale, 843. 31.
Eadem facit dignum: tum depositione non modo à beneficio, sed etiam ab officio: tum excommunicatione, ibid. 32.
De irregularitate quam inducit, regula cum sua limitatione, ib. 33.
Aliquot dubia ad eandem irregularitatem spectantia, ibid. 34.
De dubio. An suspensus nisi pœniteat, aut nisi satisfaciat, incurrat irregularitatem violatione talis suspensionis, ibid. 35.
Suspensus ab inferiori Ordine, suscipiens superiorem, non incurrit irregularitatem, 844. 36.
Episcopus suspensus à Pontificalibus, quatenus incurrat irregularitatem vtendo illis, ibid. 37.
Suspensionem violantis excusatio ab irregularitate, ib. 38.

Suspensio 3. quoad illius interruptionem & cessationem. Lib. 32. tract. 2.

SVspensio inualida redditur per præcedentem appellationem, ibi. 39.
Quando interrumpatur per appellationem sequentem, ib. 40.
Quorum authoritate interrumpi possit suspensio, 845. 41.
Suspensio sub conditione, cessat hac cessante, ibid. 42.
Simpliciter lata requirit absolutionem: quæ à quo dari possit, ibid. 43.
Potest ab Episcopo, quando à iure lata fuerit ob contumaciam, nec reseruata: non item quando lata fuerit in pœnam delicti commissi, nisi illud sit adulterium aut aliud minus eodem, ibid. 44.
Ratio talis differentiæ, ibid. 45.
Parochus non potest in tali suspensione dispensare, nisi ex delegatione, ibid. 46.
Forma absoluendi à suspensione, ibid. 47.
Cautio iuratoria adiungenda absolutioni à susceptione, ib. 48.
Non vt absolutio ab excommunicatione, sic absolutio à suspensione danda est inuito, ibid. 49.

Suspensio 4. quoad casus in quibus à iure specialiter imponitur. Lib. 32. tract. 2.

AVctores à quibus tales casus referuntur ac tractantur, 847. 57.
Suspensiones à iure impositæ Episcopis & Superioribus Prælatis ratione promotionis ad prælaturam, ibi. 58.
Deinde ratione collationis ordinum, ibid. 59.
Exercens pontificalia in aliena Diœcesi, 848. 60.
Ordinans indignum aut inuitum, ibi. 61.
Suspensiones quæ ab iisdem Prælatis incurruntur, ratione collationis aut receptionis simoniacæ beneficii vel confirmationis electi ad illud, ibid. 62.
Quæ ob malam vsurpationem aut alienationem bonorum temporalium Ecclesiæ, ibid. 63.
Quæ ob defectum commissum ratione Concilii prouincialis aut visitationis, 64.
Quæ ob alia delicta, 849. 65.
Suspensio capituli, Conuentus aut Collegii, ob vsurpationem bonorum à defuncto Prælato relictorum, ibid. 66
Suspensiones impositæ Iudicibus Ecclesiasticis, ob abusum sui officii, ibid. 67
Impositæ Religiosis, ibi. 6
Impositæ ratione Ordinis ex parte ordinantis, 850. 69
Impositæ ratione Ordinis ex parte temporis: nempe quia extra tempora statuta, ante legitimam ætatem, aut non seruatis temporum interstitiis, ibid. 70.
Impositæ ratione Ordinis ex parte ordinationis, 851. 71.
Suspensio ab ordinatione absque beneficio, aut patrimonio sufficienti ad sustentationem, ib. 72.
Suspensiones quæ à Clericis incurruntur ob abusum suorum officiorum, 852. 73.
Suspensiones impositæ ob quædam alia Clericorum peccata: & quid sit sentiendum de eorum duellum, ibid. 74.
Suspensio Clericis imposita à iure ob concubinatum, aut fornicationem notoriam, ib d. 75.
Responsio ad dubia, an Sodomita, & an simoniacus sic suspendantur, vt exercentes actum Ordinis, fiant irregulares, 853. 76.

Susurratio. Lib. 24.

QVid sit susurratio, & illius differentia à detractione & contumelia, 350. 171.
Quando sit peccatum tantummodo veniale, ibid. 172.

T.

Tentatio Dei. Lib. 17.

TEntatio Dei opponitur diuersis virtutibus, 58. 225.
Quædam est expressa, & quædam tacita, ibi. 226.
Quando sit peccatum mortale, ibi. 227.
Duo casus in quibus non est peccatum, ibid. 228.
De prudentia secunda in petendo miraculum à Deo, ib. 229.

Testamentum. Lib. 25.

DEfinitio testamenti, 480. 621.
Illius diuisio in testamentum in scriptis, & in testamentum nuncupatiuum: ac solennitas quæ diuersa in illis requiritur, ib. 622.
Quomodo intelligendum sit reprobatum in iure canonico, quod de septenario testium numero ius ciuile præscribit, 481. 623.
Qui testari possint, ibi. 624.
Qui possint instituí hæredes, aut legatarii: quique non possint. Et de spurio documenta quædam, ib. 625.
Quid possit is qui institutus est hæres, ibid. 626.
Quibus incommodis ident sit obnoxius, 482. 627.

Testimonium & testis Lib. 24.

FAlsum testimonium peccatum est mortale suo genere, 323. 43.

In eo excusatio non habet locum ex materiæ leuitate cum fuerit iureiurando confirmatum, ib.44.
Quid tenendum sit de eo qui bona fide putat se dicere, ac iurare verum, ibid.45.
Testis cum non interrogatur secundum iuris ordinem, perinde celare potest veritatem ac reus: etsi nonnulla cernatur differentia, ibid.46.
Etiamsi crimina sint notoria (nisi vergant in reip. perniciem, aut notabile damnum tertii) author omnino occultus celari potest, 324.47.
Non tenetur quis testificari cum graui suo damno. Et quando reus de vno crimine conuictus, teneatur de alio interrogatus, respondere, ibid.48.
Non omnes idonei sunt ad testimonium ferendum: & qui reiiciantur ob malos mores, 347.153.
Qui ob naturam, & qui ob formam, ibid.154.
Qui ob affectum voluntatis inordinatum, ib.155.
Qui ob suum statum: & de casu in quo ad testificandum admittitur, qui est iure inhabilis, ib.156.
Quando quis vocatus in testem coram Iudice teneatur, vel non teneatur testificari non habens contestes, ibid.157.
Duo casus in quibus is qui solus nouit aliquod crimen, tenetur, illud Iudici reuelare, 348.158.
Quando quis possit teneaturque reuelare illud quod promisit, & iurauit se seruaturum secretum, ib.159.
Quando non possit, 349.160.
Obligatio est ex charitate, offerendi se in iudicio ad ferendum testimonium, cum id fieri potest sine proprio incommodo graui, ib.161.
Quædam circa idipsum aduertenda, ibid.162.
Quando celans veritatem quam reuelare tenetur, incurrat obligationem ad restitutionem, ib.163.
Quando non incurrat, ib.164.
Facto edicto sub excommunicatione vt aliqua scriptura proferti debeat, quando is qui illam habet teneatur, & quando non teneatur proferre, ibid.165.
Differentia inter testimonium debitum solum ex charitate, & debitum ex iustitia, ib.166.
Explicatio dubij, an qui testimonio suo falso exposuit aliquem condemnationi ad mortem, teneatur seipsum retractare cum vitæ propriæ periculo, ib.167.
Duo casus in quibus tenetur, quando tulit cum aliis falsum testimonium, 350.168.
Tres in quibus tunc non tenetur, ibid.169

Timor. Lib.17.

DEfinitio timoris Dei, 56 217.
Timor malus quid, & quotuplex sit, 57.222.
Peccatum est mortale in tribus casibus, ib.223.
Ex eo transgrediens præceptum quod seruare tenetur, duplex peccatum committit, ib.224.

Transactio. Lib.23.

TRia requisita ad transactionem: & quod ea sit simoniaca, quando per illam temporale pro spiritali remittitur, an retinetur, 283.148.
Quod non sit simonia, quando spirituale pro spiritali remittitur aut retinetur, 284.149.
Nisi vnum sit mere spirituale, & alterum annexum sit spirituali: aut vnum sit annexum spirituali antecedenter, & alterum consequenter, ib.150.
Quando in transactione committatur simonia per pecuniam compensando excessum, quo vnum ex iis super quibus transigitur, superat alterum, ibid.151.
Alia generaliora de transactione habentur, Lib.25. 364.66.

Triennalis possessio beneficii ecclesiastici. Lib.30. tract.3.

ACquisitio beneficii per triennalem possessionem pacificam, 706.358.
Regula cancellariæ in qua illa fundatur, locum habet non modo in externo, sed etiam in conscientiæ foro, ibid.259.
Conditiones necessariæ vt eiusdem regulæ decretum procedat: atque aduertenda circa primam, quæ est habere titulum saltem coloratum, ibid.260.
Non iuuantur eo decreto, qui ne quidem coloratum habent titulum, ibi.261.
Circa 2. conditionē notāda de intruso: & alia de violento, 707.262.
Circa 3. conditionem, notanda de triennio ad eam spectante. ib.263.
Notandæ circa 4. quæ est possessionis bonæ fidei. ibid.264.

Tutor & Curator.

TVtorum & curatorum obligatio erga pupillos, Lib.20. 198.56.

V.

Vacatio beneficiorum ecclesiasticorum.

VIde verbum Beneficium quarto, § 2.

Vana gloria.

QVid sit vana gloria, & quando sit peccatum mortale, Lib.17.55. 212.

Vana obseruatio. Lib.17.

VAna obseruatio vnde nomen habeat: quid & quotuplex sit, ac quale peccatum, sit 50.185. & duobus sequentib.
Cur vitanda: & quomodo ad eam pertineat collectio herbarum, & lignorum certo die, & hora, ibid.189.
Quando strennæ ad eam pertineant, ibid.190.

Vestis.

VEstes quib. Missam celebrans, indutus esse debet, Lib.29. 584.159. & trib. sequentib. Vide verbum Missa 2. versus finem.

Vicarius. Lib.30. tract.1.

VIcarius perpetuus, 609.52.
Vicarius temporalis, ibid.53.

Vita propria conseruatio, Lib.21.

HOmicidia occultus non tenetur se detegere ad liberandum eum qui tamquam reus loco ipsius afficiendus est extremo supplicio, 213.45.
Secus est si suo testimonio falso, ipsum exposuit tali periculo, ib.46.
Varii casus in quibus licet vitam suam periculo exponere, ibid.47.
Quando mortaliter peccet quis breuiando vitam per abstinentiam a cibis, 214.48.
Quando à tali peccato possit esse excusatio, ibid.49.
Explicatio dubii de eo qui fecit votum abstinendi à carnibus, an possit illis vesci cum id illi necessarium est, ad vitæ conseruationem, ib.50.
De obligatione obediendi medico præcipienti sumptionem certi pharmaci pro vitæ conseruatione, ibid.52.
Cum necessarium est ad vitæ conseruationem licet vesci cibis vetitis, nisi quod sit specialis ratio de carnibus humanis, ib.51.
Non licet mutilare seipsum, exceptis duobus casibus, 215.53.
Quibus addi potest tertius ad vitandam mortem, quam tyrannus alicui minitatur, nisi membrum sibi abscindat, ibid.54.
Obligatio ad conseruationem sui, cessat in quatuor casibus ibid.55.

Vnio beneficiorum ecclesiasticorum.

VIde verbum beneficium 4. in principio.*

Votum aliquot iuridicarum declaratio. Lib.25.

QVid sint potestas & facultas, & in quo differant, 351.1.
Quomodo sumatur ius in doctrina de contractibus, ibid.2.
Quid sint vti, abuti & ius abutendi, ibid.3.
Definitio dominii cum illius declaratione, ibid.4.
Quid significetur nomine tituli quodque titulus alius sit verus, & alius præsumptus: & quatenus dicatur causa dominii ib.5.
Quid sint ius in re & ius ad rem; ac in quibus acquiratur ius in re absque huius traditione, 353.6.
Duo modi quibus vox proprietas sumitur in hac doctrina, ibid.7.
Quid & quotuplex sit rerum seruitus, ibid.8.
Quid sint vsus fructus, seu fructus, & quid vsus, ac quomodo inter se differant, ibid.9.
Quid sit simplex vsus facti: quodque possit tum iuste tum iniuste fieri, tamquam pendens ab vtentis voluntate, ibid.10.

Votum 1. quoad illius naturam & veritatem. Lib.18.

DEfinitio voti, & promissio spectans ad illius naturam, 112.204.
Qualem oporteat esse talem promissionem, ibid.205. & duobus sequentib.
Propositum absolutum faciendi aliquid in honorem Dei, non sufficit ad votum nisi firmetur p omissione, 113.208. & 209.
Quatenus tale propositum mutari possit sine peccato, ib.210.
Non est necessarium vt promissio pertinens ad voti naturam, sit cum traditione, ib.211.
Votum sit Deo. Et quomodo vouens Sanctis, vouear Deo, ibid.211. & 114.213.
Quomodo accipiendum sit votum fieri de bono, ibid.214.
Votum aliud deliberatum, aliud indeliberatum, ibid.215.
Factum metu quando sit, aut non sit validum, ibid.216.217 & 218.
Votum illicitum tanquam stultum, 115.219. & 220.
Modi quibus contingit votum esse inualidum, ibid.221.
Casus in quibus malitia finis non obstat validitati voti, 116.222.
Votum aliud absolutum, aliud conditionatum, ibid.223.
Aliud mortale, aliud pœnale, ibid.224.
Aliud solemne, aliud simplex, ibid.225
Aliud publicum, aliud priuatum. Et aliud reale, aliud personale, aliud mixtum, 117.226.
Differentia triplex inter personale & reale: ac notanda de mixto, ib.227. & 228.
Aliud demum affirmatiuum, aliud negatiuum, ibid.229.

Votum 2. quoad illius obligationem & materiam Lib.18.

OBligatio voti est sub mortali; & cuius generis malitiæ sit, 118 230. & 231.
Quatenus differre voti adimpletionem sit, aut non sit peccatum, ib.232. & 233.
Differentia inter votum factum de bono supererogationis, & factum de bono præcepti, ib.234.
Notanda ad iudicandum quando peccetur circa votum affirmatiuum, aut negatiuum, ibid.235.
Aliæ ad iudicandum quando peccetur contra votum, cui præfixus

est terminus, 119.236.
Leuitas materiæ potest voti transgressorem à mortali excusare, ib. 237.
Qui non potest implere totum votum, tenetur ad partem quam potest, 120.238.
Quando ac quale peccatum sit, pœnitere de facto voto, ib.239.
Tres conditiones quas materia voti requirit, ib.240.
Aptissima voti materia est opus supererogationis, 121.241.
Bonum positum in præcepto, potest esse materia voti: quod esse de tali materia, non obstat quin sit proprie votum, nouam inducens obligationem: Quodque multiplicatio vnius eiusdemque voti, non multiplicet obligationes, sed solum confirmet, ib.243.
Validum esse potest votum de numquam peccando mortaliter, ibid. 243.
Non item de numquam peccando venialiter: aut absolute de numquam peccando, ib.245.
Explicatio difficultatis an apta voti materia, sit quidquid bonum est moraliter, ib.246.
Bonum positum in hominis libertate quod inhabilitat ipsum ad seruandum consilium euangelicum, materia est inepta ad votum, 122.247.
Bonum moraliter, vt sit apta voti materia, debet esse melius suo opposito, ib.248.
Solutio duarum rationum contra inualiditatem voti de matrimonio contrahendo, ibid.249.
Casus in quibus tale votum censeri potest validum, ib.250.
Explicatio difficultatis, an validum sit votum de ingredienda religione laxiori, 123.251.
Votum de re indifferenti quatenus indifferens est, validum non est, ibid.252.
Est autem quatenus sit de eadem reddita bona moraliter ex circunstantia boni finis, ib.253.
Corollaria quæ ex ea doctrina deduci possunt, ibid.254.
Tres casus in quibus facere votum de materia inepta, peccatum est mortale, ibid.255.
Alii casus in quibus id tantum est peccatum veniale, 124.256.
Vouere actum, venialiter malum, est genere suo mortale, ib.257.

Votum 3. quoad spectantia ad illud ex parte vouentis: ac ea quæ excusant ab illius executione. Lib. 18.

VOtum factum sine intentione vouendi, est nullum, ib.258.
Ad illud nihilominus seruandum, interdum quis compelli potest authoritate Ecclesiæ, aut ratione scandali, 125.259.
Ecclesia iuste compellente, tenetur in conscientia seruare votum is qui illud ficte emisit, ibid 260.
Vouere ficte de se, suoque genere, solum est veniale: & quando sit mortale ex accidenti, ib 261.
Validum est votum cum intentione vouendi, etiamsi factum sit cum intentione non implendi illud, ib.262.
Quid sentiendum sit de voto facto sine intentione se obligandi, ibi. 263.
Duo modi quibus actus vouēdi censeri potest imperfectus. ib. 264.
Imperfectio actus ex qua is tamquam indeliberatus constituit votum inualidum, ib.265.
Altera imperfectio actus, quæ quoniam non excludit deliberationem ad peccatum mortale sufficientem, constituit votum validum, 126.266.
Ad voti validitatem nec maior deliberatio requiritur quam ad peccatum mortale, nec minor sufficit, ibid.267.
Eadem deliberatio potest breuissimo tempore, adeoque inperceptibili fieri, ibid.268.
Quid sit tenendum de votis præcipitanter factis, ibid.269.
Quid de factis à percito ira, aut bene potato, aut metu perculso, ibi. 270.
Imperfectio ætatis, qua solemne votum religionis inualidum redditur, ibid.271.
Tale, ne quidem tamquam simplex valet, 127.272.
Qua ratione spectari de beat eiusmodi imperfectio, ibid.273.
Quod votū simplex ante annos pubertatis emissum valeat, ib.274.
Quod de legitimo rationis vsu, non sit iudicandum ex certo tempore, ibid.275.
Quatenus ratione dubii, detur excusatio ab executione voti emissi, ibid.276.
De ea quæ datur ratione materiæ, documentum generale, cum corollariis ex eo deductis, 128.277.
De eo qui vouit, ieiunare, & impeditur ob infirmitatem corporis, ibid.278.
Ingrediens religionem non tenetur implere votum peregrinationis Ieroſolymitanæ. Nec tenetur quis seruare votum non transeundi per aliquem vicum, si causa iusta ob quam emissum est, cessarit, 279.
Impossibilitas implendi votum, absolute liberat ab illius executione, si ea sit perpetua: non item, si solum temporalis, ib.280.
Quando impossibilitas excusat, nihil est necesse fieri commutationem in aliquid possibile: & cum impossibilitas excusat solum ex parte, reliqua pars possibilis, est executioni mandanda, 129. 281.
Explicatio difficultatis, an fœmina quæ virginitatem vouit libera sit à voto, si fornicetur, ibid.282.
Qui votum à se emissum non potest per se implere, non tenetur implere per alium: exceptis duobus casibus, ibid.283.
Quatenus ex intentione vouentis habeatur excusatio à voti executione, ibid.284.
De obligatione ad executionem voti sub conditione, ib.285.
De obligatione ad executionem voti, cui definitum est certum tempus: & quid sit agendum, cum nequit quis deprehendere id quod tempus voluerit se obligare, 130.286.
Quid agendum, cum vouens ex conscientiæ suæ iudicio, deprehendere nequit an peccet differendo executionem sui voti, ib.287.
Responsio ad dubium, an qui tempore præfixo non impleuit votum, teneatur alio sequenti tempore implere, ibid.288.
Quid agendum, quando in idem tempus incidunt duorum votorum executiones incompatibiles, ibid.289.
Quid sit iudicandum de obligatione ad ieiunium incidens in diem dominicum, aut Natiuitatis Domini, ibid 290.
Quid sit agendum cum quis scire non potest, quodnam ex pluribus vouerit, ib.291.
Quid cum illud de quo emissum est votum, recipit maius & minus, 131.292.
De loco & tempore in quo votum mandandum est executioni, ibid. 293.
De fine & modo actionis: quod non cadant sub votum, ibi.294.

Votum 4. quoad illius irritationem. Lib. 18.

QVid sit irritatio voti & quorum sit potestas irritandi, 132.295.
Superiores quorum talis est potestas, non possunt irritare vota ab inferioribus facta de iis quorum habent liberam dispositionem, ib.296.
Vota quæ irritari possunt, tenent donec irritentur, ibid.297.
De eo, quod vota inferiorum intelligenda sint cum conditione: si Superior voluerit, neque renitatur, ibid.298.
Diuersa vis illarum conditionum: si Superior voluerit: & si Superior non renitatur, ibid.299.
Quatenus valeant vota à Religioso facta de sibi prohibitis. 133.300.
De aliis inferioribus idem esse dicendum, ac de Religioso: & quid de Episcopo, ib.301.
Irritatio voti facta sine causa ab habente legitimam potestatem, tollit eiusdem voti obligationem, ib.302.
Ea censeri potest peccatum veniale in irritante: non tamen in eo, qui illa vtitur, ibid.303.
Etsi peccet Superior sine iusta causa irritando votum subditi in quod antea consensit, valida tamen est irritatio, ib.304.
Et ideo subditus non tenetur ad voti sui irritati obseruationem: ne si quidem Superior pœnitentia ductus, concedat ipsi facultatem illud obseruandi, ib.305.
Votum de licentia Superioris emissum à subdito, potest interueniente causa iusta, licite reuocari per eundem Superiorem, ib.306
Sententia dicentium vota irritata numquam reuiuiscere, non habet locum in votis vxorum, & seruorum, 134.307.
In votis impuberum potest habere locum, ib.308.
Itemque in votis realibus minorum 25. annis, ib.309.
Explicatio dubii, an Superiores possint irritare vota subditorum, emissa ab eis antequam essent sub eorum potestate, ib.310.
Quæ vota vxoris possit maritus irritare, ib.311.
Votum vxoris de non exigendo debitum, maritus irritare non potest: potest autem emissum de non reddendo, 135.312.
Votum continentiæ ab vxore factum, quatenus possit maritus irritare, ib.313.
Quatenus vxor irritare possit vota mariti, ibid 314.
Pater irritare potest omnia vota filii emissa ante pubertatis annos, ibid.315.
Quo modo in hac re accipiendi sint pubertatis anni, ib.316.
Quæ vota filii emissa post pubertatis annos pater irritare possit, 136. 317.
Votum ante pubertatem à filio emissum, quatenus possit post eam irritari à patre, ib 318.
Quis præter patrem possit votum impuberis irritare, ib.319.
Quæ vota serui possit dominus irritare, 137.320.
Quantum Superior circa Religiosi sui vota possit, quoad irritationem, ibid.321.
Valet talis irritatio, etiamsi Religiosus per susceptionem Episcopatus, postea liberetur ab obedientia, ib.322.
Votum quod religiosus emisit ante ingressum, superior ipsius irritare potest, nisi is adhuc sit nouitius, ib.323.
Qui comprehendantur nomine Prælatorum habentium potestatem irritandi vota subditorum: & quod possit extendi ad Prælatas monialium, 138.324.

Votum 5. quoad dispensationem. Lib. 18.

QVa ratione hic sumatur dispensatio, & quod ea locum habeat in voto, ibid.325.
Quomodo Papa possit dispensare in voto, quod obligat iure diuino, ib.326.
Relicta in Ecclesia potestas dispensandi in votis, ib.327.
Talem potestatem requiri omnino ad dispensandum: & quod eare sideat immediate in Papa, & cum prærogatiua, 139.328.
Quod Papa possit dispensare in voto continentiæ, emisso in religione, ibid.329.
In Episcopis residet iure ordinario potestas in voto dispensandi

cum suis subditis, restricta aliquod casuum reseruationes : & quorum, ib.330.
In omnibus votis non reseruatis, dispensare potest Episcopus, ibid. 331.
Nonnulla quæ Episcopus potest circa vota Papæ reseruata : & quomodo possit dispensare in voto virginitatis, 140.332.
Non potest Archiepiscopus dispensare cum subditis suorum suffraganeorum: & quod votum de numquam petenda dispens-tione non faciat ipsum in dispensabile, ib 333.
Episcopus dispensare potest in voto non nubendi, & in voto continentiæ non perpetuæ, ib.334.
Quid possit Episcopus circa votum religionis, ib.335.
Quid circa votum perpetuæ continentiæ, ibid.336.
Si votum Papæ reseruatum, sit pœnale, licet tutius sit pro dispensatione in illo ad Papam recurrere, tuta nihilominus conscientia potest esse is, cum quo Episcopus in eo dispensarit, ib.337.
Quando possit Episcopus in voto facto sub disiuncto de materia reseruata, & de non reseruata, 141.338.
Quæ sæculares Episcopo inferiores, dispensare possint in votis reseruatis. ibid.339.
Qui ex regularibus idem possint: & quod non possit Abbatissa, aliaue Prælata Monialium, ib 340.
Quod præter potestatem legitimam ad validitatem dispensationis in voto, etiamsi detur à Papa, requiratur causa iusta, ib.341.
Causæ iustæ ratione materiæ, 142.342.
Iustæ ratione vouentis, ibid.343.
Dari potest in voto dispensatio non solum ob commune : sed etiam ob priuatum bonum maius, ibid.344.
Obseruanda à Superiore dispensante in voto, ib.345.

Votum 6. quoad eius commutationem. Lib.18.

QVid sit votum commutare, & quid commutatio voti à redemptione differat, 143.346.
Ad voti commutationem necessaria est Ecclesiæ authoritas, nisi fiat in euidenter melius, ibid.347.
Quid requiratur quando commutatio fit in bonum, quod non est euidenter melius aut est euidenter æquale, ib.348.
Præter Prælati authoritatem requiritur iusta causa, ibid.349.
Qua ratione ad voti commutationem, æstimandum sit melius esse aut æquale bonum illud in quo fit voti commutatio, 144.350.
Commutans votum debet ad id habere potestatem vel ordinariam vel delegatam : qua vtraque carens Confessarius, nihil facit si commutare tentet, ibid.351.
Probabile est cum per Bullas Iubilæorum Confessariis committitur facultas commutandi vota, intelligendam esse de commutatione in æquale, ib.352.
Notanda pro vsu facultatis concessæ alicui ad eligendum aliquem, à quo votum ei relaxetur, ibid.353.
Delegatus in hac re debet seruare formam sibi præscriptam: & quid circa reseruata possit aut non possit, ib.354.
De promissione facta Deo dandi aliquid certo loco, aut certæ personæ, 145.355.
Considerandæ in commutatione votorum, ibid.356.
Commutationem voti fieri debere saltem inæquale, ib.357.
Explicatio dubii, an semper sufficiat commutationem voti fieri in æquale, ibid.358.
Ad commutationem voti in minus bonum, requiritur cum iusta causa, coniunctio potestatis dispensandi cum potestate commutandi, ib.359.
Non valent dispensatio & voti commutatio, nisi proueniant à voluntate libera, tanquam actus humani, ib.360.
De forma dispensandi & commutandi vota, 146.361.
Quando facta commutatione voti, in quam vouens consensit, is posset id in quod illa facta est, omittere & suum votum seruare, ibid.362.

Vsura 1. quoad malitiam. Lib.23.

VSuræ propria ratio, 262.44.
Error est contra fidem, affirmare eam non esse peccatum, ib.45.
Scripturæ sacræ loca, ex quibus is error refellitur, 263.46.
Explicatio eorum quæ in contrarium obiici possunt, ib.47.
Non modo canonico, sed etiam ciuili iure prohiberi vsuram, ib.48.
Prohiberi quoque iure naturæ, ib.49.
Vsuram non excusant vsus pecuniæ mutuatæ, nec fructus aut commoditas prouenientes ex ea, ib.50.
Quæ priuatio opportunitatis vtendi pecunia, possit excusare ab vsura, & quæ non possit, 264.51.
Expectatio temporis non excusat ab vsura, nec item priuatio oblectationis in possessione propriæ pecuniæ, nec affectus beneuolentiæ exhibitus mutuatario, ib.52.
Nec item periculum, nisi sit peculiare: nec numeratio pecuniæ, nisi adiunctum habeat aliquod onus, ibid.53.
Nec liberatio à fideiussione: aut quod vtilius sit mutuatariis accipere sub vsura, quam non accipere, ib.54.
Vsuram nulla humana potestas licitam reddere potest, ibid.55.
Nullam dari vsuram licitam, 265.56.
Quomodo accipiendum sit quod Iudæi permissi sunt dare alieno ad vsuram, ib.57.
Vsuram peccatum esse grauissimum, ostendunt quæ in illius vituperationem dicuntur à Patribus, ib.58.
Erronea opinio Caroli Molinæi de vsura, ib.59.
Inepta responsio eiusdem Molinæi ad loca Scripturæ, quibus idem error refutatur, ibid.60.
Rationes aduersus eundem errorem.
Et quatenus ob interesse, malitia vsuræ cesset, 266.61.

Vsura 2. quoad pœnas quibus punitur. Lib.23.

POenæ canonicæ vsurariis impositæ, incurruntur tantum ob vsuram manifestam, 272.92.
Cuius Iudicis sit, crimen vsuræ punire, ibid.93.
Quis censendus sit vsurarius manifestus, pœnis canonicis obnoxius, ibid.94.
Quæ sint tales pœnæ, 273.95.
De eo quod vsurarius manifestus non sit sepeliendus in loco sacro, nec absoluendus à peccatis, donec satisfaciat quantum potest, ibid.96.
De eo, quod irritum sit vsurarii manifesti testamentum, ib.97.
De excommunicatione constituta nonnullis, qui fauorem exhibent vsurariis, in exercendis vsuris, 274.98.
Duæ vltimæ pœnæ spectantes ad forum externum, ibid.99.

Vsura 3. in ordine ad illos qui sub ea mutuum petunt. Lib.23.

DIuersi sunt inducere alterum in peccatum, & vti peccato alterius, ibid.100.
Accipere mutuum sub vsura, non est de se peccatum: est autem inducere alterum ad taliter dandum, ib.101.
Non tantum quando necessitas : sed etiam quando commoditas rationabiliter exposcit, peti potest absolute mutuum ab eo qui existimatur non daturus nisi sub vsura, ib.102.
Sine necessitate, aut alia rationabili causa, prædictam petitionem facere, peccatum est, 275.103.
Nolenti in extrema necessitate subuenire, suaderi potest, vt subueniat saltem mutuum dando sub vsuris, ib.104.
Duo modi quibus id intelligi potest : & secundum quem censeri debeat verum, ib.105.
Modus secundum quem negari debet esse verum, ibid.106.
Vt petere, sic & soluere vsuras peccatum est, si rationabilis causa non excuset, ibid.107.

FINIS.



Praxis Fori
Poenitentiali
Reginaldi
P. F.

Th
572a

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

